OPERVM THEOLOGICORVM D. HIERONYMI ZANCHII,

Tomus Octauus.

QVÆ IN EO SCRIPTA ET NVNC PRIMVM ADDITA CONTINENTVR SEQVENS pagina commonstrat.

Cum INDICIBVS. *I. Capitum. II.* LOCORVM *S. Scripturæ explicatorum. III.* RERVM, *phraseôn & vocum insignium. IV.* AVTHORVM. *V.* QVÆSTIONVM *illustrium.*

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

GENEVÆ,

Apud Samuelem Crispinum.

M. DCXVIIII.

De incarnatione Filij Dei, Lib.II.
De Sacra Scriptura Tractatus Integer.
De Religione Christiana fides.
Compendium præcipuorum Capitum Doctrinæ Christianæ.
Ad Ariani Libellum Responsio.
Ad Vilhelmum Holderum Responsio.
De Diuinatione.
Epistolarum Lib.II.

1. In primo variæ materiæ Theologicæ controuersæ solidè pertractantur.
2. Secundus continet Epistolas, tam ipsius ad Principes, nobiles, & doctos viros, quàm illorum ad ipsum.
3. Subiiciuntur ORATIONES in tribus celeberrimis Academiis, de materiis Theologicis habitæ.

ADVERSVS blasphemum Petri Gonedzij Tritheitæ Libellum Responsio.
ADMONITIONIS NEOSTADIANÆ duo CAPITA, nempe TERTIVM & OCTAVVM, ab Obiectionibus & cauillis quorundam vbiquitariorum vindicata.

Nunc primùm autem, postremæ huic editioni accesserunt,

De Variis Controuersiis circa fidei Christianæ articulos Theses Theologicæ.
De Diuortio nouísque post diuortium nuptiis, Libri Duo.

NOBILISSIMO ET
OMNI VIRTVTVM GENERE PRÆSTANTISSIMO VIRO,
DOMINO
HIPPOLYTO A COLLIBVS,
SERENISSIMI ELECTORIS PALATINI FRIDERICI IV. &c.
Consiliario, & summi iudicij Curiæ Palatinæ præsidi, &c.

Domino perpetua obseruantia colendo.

QVOD in bellis, Nobilissime Domine, crebrò videmus vsu venire, vt hostis, quantumuis fortiter repulsus, nihilominus iterum Martis aleam experiatur, & animo resumto, viribúsque redintegratis, quanto queat impetu, in hostilem agrum vel munitionem irrumpat, quámque maximas clades inferat: id Satanam quoque, generis humani ἄσπονδον hostem, in oppugnanda veritatis arce, factitare, nec conquiescere profligatum, sed in aciem subinde redire, maioribus copiis instructum, noua prælia miscere, variisque stratagematis, modò hinc, modò illinc, ipsa fundamenta conuellere, imò penitus subruere conari, sic omnium seculorum experientia demonstrauit, vt nemini piorum esse queat dubium, vel obscurum. Sicut enim mox ab incunabulis mundi, primos parentes adortus, præclarissima quæque Dei opera calumniari, eius salutaria consilia traducere, eximia beneficia peruertere studuit, vnde & diaboli nomen accepit: adeóque totus in hoc incubuit, vt veram Dei & felicitatis nostræ cognitionem extingueret, vel saltem obscuraret (id quod ei, proh dolor, nimis successit:) ita subsequentibus temporibus haud desiit in gregem Domini summis viribus insurgere, grassari, furere, bella vel mouere noua, vel instaurare vetera, cumprimis autem ei basi, cui Ecclesia superstructa est, insidias struere, hoc est, veram doctrinam de benedicto semine, serpentis antiqui caput contrituro, labefactare. Vidit nimirum implacabilis ille veritatis hostis, hoc sacro mysterio de persona Messiæ conuulso, & in hominum animis corrupto prauis opinionibus, simul euersam iacere salutem ipsorum: vt in hunc scopum sibi spicula sua lethalia dirigenda, non ineptè putarit: nec id quidem irrito euentu. Nam si Christianæ duntaxat Ecclesiæ statum intueamur, omisso prisco Iudæorum populo, tam varias & discrepantes opiniones de persona D. N. Iesu Christi, apud eos, qui nomine hoc gloriantur, & ipsum profitentur, extitisse deprehendemus, vt ἐνέργειαν πλάνης, de qua Paulus 2. Thess. 2. v. 11. ingeniique humani leuitatem non satis possimus deplorare.

Qua consideratione cum operæ pretium sit, occupari mentes eorum, qui veritatis studio ducuntur, accommodatam huic operi, nec ingratam rem vel T. Nobil. Exc. vel lectoribus facturi videmur, si & quid olim per emissarios suos tentarit Satan in hac causa, strictim recenseamus, & quid hac ætate molitus sit, παραλλήλως, obiter indicemus. *Simon Magus.*

Testantur veterum doctorum monumenta, sub Apostolorum tempora, imò Iohanne adhuc superstite, cœpisse in dubium vocari sanam de Redemtore nostro θεανθρώπῳ, & Incarnatione doctrinam, ac per exquisita quædam organa, Diabolum iam diuinam, iam humanam eius naturam attentasse, & euertere studuisse. *Irenæus lib. 1. cap. 20. & 30. August. lib. 2. cont aduersa. Leg. cap. 12. Euseb. lib. 1. Hist. Eccl. cap. 13.*

Primum enim excitauit Simonem Magum, portentum, & hæreseôn sequentium fontem cœnosissimum & putidissimum, diuinæ pariter, & humanæ naturæ Christi abnegatorem: Inde Cerinthum, Ebionem, Carpocratem, qui Christum ψιλὸν ἄνθρωπον, non Deum esse, nec ante natiuitatem è Maria extitisse, blasphemo ore euomerent: contra quos Iohannem Apostolum ab Episcopis Asiæ rogatum, Euangelium conscripsisse grauissimi authores perhibent. Irenæus lib. 1. cap. 25. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiast. Augustinus in præfatione Tractat. in Iohan. (siquidem ea γνησία sit) Euseb. lib. 2. Fulgent. lib. 1. ad Thrasim. *Iren. lib. 1. cap. 23. Euseb. lib. 3. c. 28. lib 4. c. 14 li. 7. c. 23.*

Blasphemiam hanc paulum interpolatam, & vanissimis quibusdam pigmentis fucatam, reno-

uarunt, Artemon quidã sub Imp. Seuero, circa annum Christi 199. & Theodorus & Byzãtinus: tum famosi illi Paulus Samosatenus, Antiochenæ Ecclesiæ præsul indignus & infelix, quàm Christiani nominis parentem fœdissimè conspurcauit: ac post ipsum Photinus, Sirmiensis episcopus, penè collapsam & extinctam maximo Ecclesiæ suóque detrimento resuscitarunt.

Tertull. de præscr. Theodor. li. 1. hist. c. 4. Euseb lib. 5. & 5. c. 28. Artemon, Paulus Samosatenus. Praxeas. Arius.

Effudit deinde ex abysso Praxean, aduersarium Tertulliani, Noetum & Sabellium, qui tria dũtaxat nomina, non hypostases in Deo, ac vnam sicut essentiam, sic & personam in Scriptura vocibus diuersis ob officij diuersitatem insignitam, eóque Deum Patrem, incarnatum & passum esse perhibuerunt.

Quibus successit Arius Alexandrinus presbyter, Ecclesiæ procella grauissima, pestísque funestissima: qui Christum non quidem, vt illi, merum hominem, sed Deum, at factitium & creaturam ex nihilo conditam, ceteris tamen creaturis omnibus, vt tempore, sic dignitate priorẽ esse contendebat, haud absurdè minùs, quàm impiè: perinde ac si vera Deitas in rerum creatarum numero cẽseri possit. Habuit nihilominus hæresis ista suffragatores plurimos: Imperatorum etiam Romanorum quorundam studiis adiuta, necnon Longobardorum, Gottorum, & Vvandalorum viribus, imò Liberij Papæ Romani (quod in sanctissimo Patre mirere) violentia defensa: longáque serie & successione per varias mundi plagas propagata, eò luctuosiorem, quò diuturniorem Orthodoxę fidei & Ecclesiæ cladem, ac tantum non internecionem intulit. Hinc enim prodierunt Ariomanitæ numerosissimi, qui pertinacissimè τὸν λόγον essentia naturáque diuersum à Patre, ac ex nõ existẽtibus creatum esse, contenderunt: vnde & ἑτερούσιοι & ἐξουκόντιοι dicti sunt. Verùm, vt est omne mẽdacium πολυειδὲς καὶ πολύμορφον, à se pariter & veritate dissentaneum, & ipsi non longè post linguis diuisi, in plures, at duas præcipuè, factiones abierunt: in ὁμοιουσίους, qui iota vnius interpositione celare Arianismum de quadam æqualitate vel similitudine, non autem vnitate οὐσίας Patris & Filij, & ὁμοούσιον illud à celeberrima Nicena synodo comprobatum effugiendo, fidem Orthodoxam, & verè Catholicos Christianos ementiri se posse sperarent: & in ἀνομοίους, qui palam Filium Patri dissimilem cõstituebant. Quos omnes Orthodoxi Patres censuerunt & nuncuparunt Antichristos, propterea quòd instar gigantum θεομάχων apertum Christo bellum indicerent, ipsum vera Deitate, nefario ausu, spoliarent, salutísque nostræ fundamenta scelerate concuterent, imò radicitus conuellerent. Itaque furoribus his explosis, incorruptam Verbi Dei, Nicenæque Synodi confessionem de vera ac æterna Deitate Christi, Patri ὁμοουσίου, mordicus retinendam, plurimis piis sanctionibus constituerunt, ac ad posteritatem transmiserunt.

Sed ecce versutissimus ille hostis, cum hac non satis procederet, alia via rem aggressus, mox suos quosdam succenturiatos emisit, quibus accidit, quod poeta canit, Stulti dum vitant vitia, in contraria currunt. Hi, vt Deitatem Christi non inficiarentur, sed profiterentur, carnis veritatem auferebant, vel vnionis hypostaticæ vinculum dissoluebant. Effusi sunt & isti ex impij illius Simonis Magi schola detestabili, ceu nimbi quidam exitiales: Christum nonnisi δοκήσει & specietenus hominem fuisse, ac talem in phantasmate visum, nec verè sed putatiuè, quadámq; illusione passum esse, plusquàm canina impudentia commenti: Saturninum puta Syrum leuissimum, Basiliden Alexandrinum, Carpocratem impurissimum autorem Gnosticorum fœdissimorum: post Valentinum Epiphanio hæresiarcham, qui nostro Immanueli cœlestem quandam & æthercam, nostræque carni longè dissimilem carnem affinxit, quæ per Mariam virginem, ceu canalem, transierit tantùm, aut quasi per fistulam sit percolata: Quibus accesserunt haud scelere inferiores, Cerdo, Marcion B. Polycarpo primogenitus Diaboli. Manes ὁ μανείς, cuius soboles Manichæi, carnem & ipsi transformantes in Spiritualem & aëream essentiam, in Sole, Luna, stellis, arboribus, plantis & cibis præsentem (Augustino teste tum alibi, tum l. 20. cont. Faust. Manich.) Christóque nil humani relinquentes, apparentiam duntaxat & φαντασίαν attribuentes: vnde & δοκῖται nominati fuere.

August. de hæres. c. 3. 4. Id. l. 2. cont. aduer. Leg. c. 12. Eus. l. 4. c. 7. Iren. lib. 3. c. 3. Euseb l. 5. c. 13.

Nestorius.

Vix debellatis his monstris, emersit Nestorius Syrus, Constantinopoleos Episcopus, homo vanus, audax, loquax, arrogans, & contemtor veterum doctorum: qui Christi personam in duas discerpsit, negans Mariam esse θεοτόκον, seu Filium eius quoad carnem, esse filium Dei, quoad Deitatem: & vnam, hominem hominísque filium: alteram, Deum Deiq; filium constituit: σχετικῇ παρουσίᾳ tamẽ, societate, dignitate, gloria: seu (vt Cyrilli ad Success. Episcop. Isauriæ Diocæsariens. epist. 2. verbis vtamur) iuxta honoris æqualitatem coniunctas: sic vt in homine Christo, tanquam templo, per gratiam inhabitet Deus: (id quod ex loco Coloss. 2. In ipso inhabitat, &c. probare perperam volebat) propter quam inhabitationem, propria Deitatis, homini Christo competãt, quadam videlicet participatione, non natura: vt qui donatus sit æquali potestate seu diuinitate, ideóque simul adoretur & colatur: ac per quem Deus operetur, ceu θεοφόρον, & organon suum, cui denique inhabitet perfectiori, quodam modo, ac excellentiori donorum plenitudine, siue æqualis honoris communicatione: quàm aliis sanctis. Quam genuinam Nestorij sententiam fuisse, Cyrill. tum epist. ad Success. posteriori, tum lib. de incarnat. vnigen. c. 27. & 28. verbis his ostendit: Nestoriani dicunt homini donatam esse à Deo æqualitatem dignitatis: & contendunt solum hunc hominem omnia cum Verbo sortitum fuisse, & honoratum maiestate diuinæ eminentiæ.

Isidor. l. 8. Etym. Damasc. l. 3. Cassia l. 2. cap. 6.

Qui error in Ephesino primo concilio, Cyrilli potissimum autoritate, studio & laboribus, est confutatus, & meritò condemnatus.

Eutyches. Theodoret. dia. 2. Vigil. l. 1. & 2. Eua. l. 2. c. 16.

Sed en, paucis annis interiectis, dum Nestorij Charybdin vitare conatur Eutyches, monachus & archimandrita seu abbas Bizantij, in Scyllam incidit, asserens: vt vnam personam, sic vnam dũtaxat naturam Immanuelis nostri post vnionẽ, nempe diuinam, quæ humanitatẽ absorpserit assumendo, & deificarit, quæque passa sit: hoc pacto naturas earúmq; proprietates confundens: humanã abolens: imò Christum vtraq; natura priuans. ac in phantasma ex Deitate & humanitate, à nostra tamen carne ἑτερουσίᾳ, conflatũ trãsformans. Cõmune nihilominus habuit cum Nestorio, quòd vterque

quę nullam inter naturarum & personæ nomina, distinctionem admisit: quam errandi occasionem fuisse, tum alij Patres, tum Maxent. dialog. 1. & Boethus, lib. de duabus naturis Christi, testantur.

Nihilominus impudētis huius monachi delirium patronos reperit haud ignobiles, ac in Ephesino secundo conciliabulo, quod à violentia, pro rationibus adhibita, λῃστρικὸν seu prædatoriū dixere, Chrysaphij eunuchi, & Dioscori Alexandrini Episcopi opera est approbatum: Verùm post in pia, legitima & celeberrima Chalcedonensi Synodo iure damnatū: quod tamen instar hydræ subinde repullulauit. Opposuerūt enim se Chalcedonensi decreto & symbolo Orthodoxo quidam mente corrupti vt Timotheus Ælurus, à quo Timotheani, Monophysitæ, de quibus Niceph. l. 15. c. 17. & Euagr. l. 2. & 8. Seuerus Antiochenus, quē Niceph. impiū & ἀκέφαλον vocat, caput tamē effectum acephalorū & Theopaschitarū: Iacobus Syrus, Zanzalus cognominatus, à quo Iacobitæ, naturarū proprietates vniuersi confundentes: post Monotheletæ, Aphthartodocitæ: & alia monstra prodierunt: Quę tametsi validè profligarēt validissimi doctores, obstare tamē non potuerūt, quo minus à perditis ac malefetiatis, Nestoriana pariter Eutychianáq; hæreses latissimè propagarentur, & impio Mahumeti, Nestoriani cuiusdā monachi Sergij opera vso, ad eas in Alcoranum blasphemum exonerandas & inferciendas porta amplissima adaperiretur: Cuius furores immaniter in Oriente grassati, florētissimas Asiæ, Ægypti, Africæ, nec nullas Europæas Ecclesias pessundederunt. Adeò variis spiculis salutaris de Christo doctrina iá olim impetita, tot impiis altercationibus & certaminibus exagitata est. At nihilominus Ecclesia per Dei gratiam, victis hæreticis gladio verbi, sinceram de veritate carnis Iesu Christi fidem incolumem vnanimi consensu conseruauit & propugnauit. *Euagr. l. 1. ca. 3. l. 1 c. 4. Nicep. l. 18. c. 52.*

¶Ac poterant sanè veterum Patrum & Conciliorum decisiones Orthodoxæ, sanctiones piæ, & volumina solidissima curiosis etiam ingeniis satisfacere, & scrupulos eximere. Verùm enimuerò si res ætate nostra gestas intueamur, à quibusdam turbulentis & ambitiosis, pristinorum hæreticorum Camarinam iterum motam, nec pauca in controuersiam reuocata, nec multis abhinc annis grauissimè disceptata comperiemus, quæ pridem rectissimè definita fuerunt. Quid enim? nónne Satan eandem tragœdiam in Ecclesia suscepit agendam, mutatis tantum personis? Nónne Cerinthos, Ebiones, Arios, Marciones, Nestorios, Eutyches in theatrum reduxit, qui cœptam Ecclesiæ instaurationem remorarentur, vel potiùs ipsum ædificium subruerent? *Recentes hæretici.*

Primùm etenim haud pauci reperti sunt hoc seculo, qui Christum æterna & vera Deitate spoliarent, & θεάνθρωπον in ψιλὸν ἄνθρωπον commutare studerent: quorum facilè princeps extitit impurus ille Seruetus, in quo Samosatenus & Arius renati sunt, vt qui τοῦ λόγου hypostasin negare, ac in nescio quam ideam creatitiam conuertere, teterrimásque blasphemias ab inferis reuocare non erubuit. Ex cuius ludo haud pauci discipuli educti, à Satana edocti, Blandrata, Francisc. Dauidis, Gribaldus, Sozinus, Valentin. Gentilis, verè gentilis, Tritheita, tres personas in totidem οὐσίας diuidens, alij cōplurimi Ebionæi χριστομάχοι, funestissimū in Sarmatia & Dacia incendium excitarunt, quo florentes Ecclesiæ etiamnum conflagrant. Neque verò minori conatu in id hoc seculo incubuit infensissimus ille hostis, vt alteram quoque Christi naturam, humanam videlicet impugnaret. Exciuit itaq; ex Orco nouos Marcionitas, Manichæos, ac δισυχῆς ἐπιτυχῆς, Anabaptistas dico, quorū capita Melchior Hofman, & Sim. Menno, in Belgio vterque, contenderent impudentissimè vnam tátùm in Christo naturá. & Verbum in carnem patibilem & mortalem mutatum esse: nec terrenum & humanum, ex substátia Marię ἀειπαρθένου, vel semine Abrahæ, sed cœleste & spirituale corpus ipsi fuisse. Quid autem hoc aliud est, quàm cum teterrimis Valentinianis, Marcionitis, Apollinaristis, negare Christum in carne venisse, carnem non reuera, sed δοκήσει vel imaginariè induisse? quæ vox est ipsissima Antichristi, teste Apost. 1. Iohan. 4. v. 3. Hæc tamen Zizania emissarij Catabaptistici longè latéque in agrum Domini disseminant, auidéque multi excipiunt. Nec dissimili errore tenentur Schuuenkfeldiani, qui nec discrimen naturarum, quas exæquant, nec proprietates vllas corporis post resurrectionem, quod deificant, agnoscunt, Eutychianismum palam inducentes. *Seruetus.* *Anabaptistæ*

Horum deliria, summo iure ab orthodoxis explosa iampridem, vtinam non reciperet Maiestaticum illud Vbiquitatis siue Omniprę̈sentiæ carnis Christi dogma, quod à Ioh. Brentio triginta ab hinc annis foras extrusum, vulgo nunc defenditur. Quod ne sine causa optare videamur: fiat sanè causæ huius cum veterum hęreticorum placitis, æqua collatio.

Sic igitur Vbiquitatis Patroni primùm tradiderunt: Filium Dei in humanam naturam à primo momento hypostaticæ vnionis, omnes essentiales Deitatis proprietates realiter sic effudisse, vt assumta natura humana pariter atq; diuina, sit omnipotens, omniscia, omnibus locis simul præsens: item (quod eodem recidit) diuinam naturam ita implere humaná, vt quoad οὐσίαν in ea sit, sicut in aliis rebus: quod ὑπάρξιν, omnia sua idiomata & æqualem potentiam & maiestatem ei reipsa contulerit, imò humanitatem exæquatam esse Deitati, proprietatibus naturá tantùm exceptá. Sed hęc cùm paulò post nimis absurdè dicta & defensa animaduerterent successores, mutata non sentētia sed lingua, limatius loqui cœperunt: causamque ad tertium quoddam communicationis Idiomatum genus, reuocarunt, quo diuina idiomata realiter competant humanitati in abstracto, seu abstractiuè, vt loquuntur. Atqui tale cōmunicationis genus nec Scripturæ sacrę est notum, nec sentētia differt à priori: Imo nec multum à somnio Marcionis abest. Si enim caro vbique semper fuit ab vnionis exordio, quî verè natus, verè in terris diuersatus, verè passus & mortuus sit Christus? Gestarit ergo nō verè humanum, sed imaginarium corpus, quippe visui, tactui, localitati, motui, dimensionibus, cæterisq; corporum propriis affectionibus minimè subiacens: nec κατ' ἀλήθειαν, sed κατὰ δόξαν καὶ φαντασίαν passum & mortuum sit: Fuerimus igitur tantùm κατὰ τὸ δοκεῖν redemti: fuerit denique Christiana religio, phantasia: vt rectè contra sui temporis hęreticos S. Irenęus conclusit. *Dogma Vbiquitariorū.*

Deinde quantum abest à cōmento Manichęorum, de quibus supra, corpus Christi simul in cœlo, æthere, aëre, & terris collocantibus? eum hi nostri non vllis finibus contenti, nusquam non, in lignis, lapidibus, pomis, pyris, cantatis cereuisiariis, ac aliis putidis locis id præsens constituāt, eóque

τερατώδη παραδόξοις illos haud paucis parasangis antecedant : Cuius rei vtinam ipsorum libri plenam fidem non facerent.

Quantam verò Samosatenianis, Ebionæis, Nearianis ansam gratulãdi præbeant, quantam fenestram patefaciant, dudum indicarunt, adhuc deplorant, & porrò dolebunt, quotquot Zelo gloriæ diuinæ afficiuntur. Non erubuerunt illi scribere: Duplicem esse Deitatem Christi, vnam æternam, essentialem, communicantem: alteram in tempore, ex gratia communicatam: & duas esse naturas omnipotentes. Non desinunt vociferari, negata reali sua communicatione Idiomatum, negari Christi Deitatem. Itáne verò Christus ob hanc in tempore factam omnipotentiæ & vbiquitatis participationem Deus est? Ergo non φύσει sed χάριτι, non verus Deus, sed factitius & secundarius, imò diuinus modò fuerit. Non iam illud amplificare vel exaggerare libet, quod (intolerabile sanè facinus) dicta S. literarum, æternam Christi Deitatem perspicuè confirmantia, trahunt isti, imò detorquent ad communicatam humanitati maiestatem: quo pacto nos quantùm in se est, spoliant armis, quibus aduersus Arriomanitas Orthodoxi semper pugnarunt, & hodie Antitrinitarij confodiuntur & iugulantur. Nec iniuria Nestorianam hæresin Vbiquitariis impingi, rem accuratius pensitanti manifestum erit. Nam vt Nestorius, sic istorum antesignani dicere soliti sunt: Filium Dei assumsisse, & sua maiestate implere Filium Mariæ: quasi persona personam assumserit, & alius sit Dei, alius Mariæ Filius : Item, omnem diuinam maiestatem effusam esse à Filio Dei in Filium hominis: quasi alius sit Filius Dei alius sit filius hominis: Item, hypostasin λόγου communicatam esse humanitati: quam modo in vnione, modo extra vnionem considerant : perinde ac si duæ sint personæ, aut caro vnquam extra vnionem subsisteret: qua ratione naturas diuellere, & vnionem soluere videntur. Definiunt itidem hypostaticam vnionem inhabitatione seu communicatione & transfusione gloriæ & proprietatum diuinarum, perinde vt Nestorius, dicto Pauli Col. 2. In ipso inhabitat, &c. abutentes: Similiter asserunt, Filium Dei per humanam naturam, tanquam instrumentum, omnia operari: Denique, non minus in Petro & quouis Sancto habitare λόγον, quàm in Christo, nisi quòd is humanitati suæ omnia, Petro & sanctis non omnia communicet, &c. Quæ propemodum totidem verbis Ioh. Brent. in Recognit. & aliis libris, ac Iacobus Andreæ passim, perscripserunt, Nestorianismum adeo redolentia, vt vix ipse Nestorius ita crassè locutus videatur. Iam & Eutychen nobis rediuiuum sistunt, dum naturas proprietatibus exæquant, eóque confundunt, humanam humanis idiomatis exuunt, diuinis induunt, corpus deificant, omnipotens, inuisibiliter & illocaliter in cœlo pariter & terra repletiuè præsens, & à nostris ἐπιρέαν esse dictitant: quod eadem definitione, qua nostra corpora minimè contineatur, aut comprehendi possit : Christum denique non carne duntaxat, sed Deitate quoque passum esse non obscurè perhibent. Sic vtriusque Nestorij puta & Eutychis monstra, in vnum portentum conflant: cum quibus itidem conueniunt in eo, quod inter abstractum & concretum, naturam & hypostasin minimè distinguere, communicationem idiomatum in realem confusionem conuertere, ξένον ἀντιδόσεως vix ægrè admittere, veterum Patrum autoritatem eleuare, imò magno supercilio despicere, heri & nudiustertius soliti fuere: vix quoque manus abstinuere, quin calamum in eos stringerent.

Sed & in Monophysitarum quoque & Monotheletarum hæresin præcipites ruunt, dum vnam vtrique naturæ potentiam & actionem, sicut & idiomata : eóque vnam naturam, intellectum, ac voluntatem assignant. Nam quorum vna potentia & actio est, eorum & vna natura: Quorum diuersa natura, eorum & diuersa operatio : vt rectè in Concilio VI. Oecumenico, sub Constantino Pogonate Byzantij celebrato definitum, & à Damasceno lib. 3. cap. 15. luculenter est confirmatum.

Neque adeò longo sequuntur interuallo sobolem Eutychianam, Acephalos, Theopaschitas, Seueritas & Iacobitas, eodem planè modo, vt isti, non quidem naturas videri volentes miscere, naturarum tamen propria commiscentes, Vbiquitarium corpus & diuinitatem passibilem Christo affingentes: vt est in Act. VI. Synodi Oecumenicæ, & Nicephor. lib. 18.

Ad extremum, Schvvenckfeldiano delirio valde affinis est Vbiquitariorum opinio de realiter facta communicatione maiestatis & idiomatum Dei in natura humana, quæ participatio sit amplificata & perfecta sessione ad dextram Dei: quod figmentum infert exæquationem & confusionem naturarum, & imperfectionem vnionis hypostaticæ in principio incarnationis. Id verò absurdum & impium est vel cogitare.

Ecquis igitur Christiana pietate & Zelo præditus non videat, Vbiquitatem seu omnipræsentiam istorum demagogorum, quibuscunque tandem coloribus eam pingant, multorum portentorum esse feracem? cui propterea longum vale meritò dicamus, & nuncium remittamus : ac veram & Orthodoxam doctrinam retineamus & asseramus, quam Christus & Apostoli tradiderunt, Martyres suo sanguine roborarunt, omnes orthodoxæ Ecclesiæ tot seculis approbarunt, & fideles hucusque sedulò custodiunt.

Posteaquam igitur venerandus Pater & socer noster D. Hieronymus Zanchius, olim S. Theologiæ Doctor, & Professor in Academiis, Argentinensi, Heidelbergensi & Neustadiana p.m. praeclarissimo illo Opere de tribus Elohim, veram & æternam Filij Dei D.N. Iesu Christi Deitatem contra nostri seculi Samosatenianos, Ebionitas, Arianos, Tritheitas & Antitrinitarios, vt fusè sic solidè, vindicasset: & Satanam molimine magno humanam quoque naturam attentare videret, imò labefactare, Vbiquitariis præcipuè figmentis incredibili applausu ab imis iuxta & summis approbatis & receptis, quorum fœditatem eumprimis D. Martinus Kemnitius pigmentis & fuco illito, tegere, veterum quoque Patrum testimoniis in arenam protractis, imò detortis, palliare, ac sic labanti causæ succurrere studuit: Contra huius & aliorum sophisticen sibi veritatem de mysterio incarnationis, & inconfusis naturarum proprietatibus asserendam, & aduersariorum strophas, effugia & errores retegendos ac argumenta contraria tum è S. Literis, tum è S. Patribus dissoluenda non immeritò existimauit, idque non infeliciter, nec sine commodo Ecclesiæ, vti speramus, hoc volumine,

volumine,quod modò in lucem proferimus,præstitit atque perfecit.

Cogitantibus verò nobis,cui opus istud inscriberemus, T.D.inprimis, Nobilissime & Præstantissime Domine occurrit, cui in sempiternam Zanchiani nominis memoriam, & nostræ erga T.D.obseruantiæ testificationem id consecrare constituimus. Cum enim huiusmodi inscriptiones eò potissimum spectent, vt qui prodeunt libri, eorum quibus dicantur autoritate muniantur, & omnibus lectoribus commendentur: cui rectius & commodius librum præsentem dedicarimus, quàm Tibi, cui maximè cordi est veræ doctrinæ & Ecclesiarum incolumitas,quique cum de tota Christiana religione,tum de his Vbiquitariorum controuersiis præclarè vales iudicare? Et voles igitur pro amore tuo in Christum ac veritatem, & poteris pro excellenti tua in omni disciplinarum genere scientia, & qua meritò polles dignitate, huic volumini gratiam conciliare,& splendorem haud exiguum adferre.Silentio prætcrimus insignes tuas virtutes quas cum antehac,diuersis in Rempubl.officiis,& legationibus ad Sereniss.Reges & Principes,tum quotidie in Curia Electorali demonstras: partim quòd modestia tua prædicationem earum prohibet, partim quod illæ sic splendent,illustri positæ loco, vt orationis nostræ qualecunque lumen minimè desiderent. Hoc vnum addimus,non fieri nobis dubium, quin pro summa tua humanitate, & in D.Hieron. Zanchium propensione,gratam sis habiturus nostram dedicationem,& eius,quem viuum amasti,coluisti & magnificcisti,volumen hoc,sereno vultu suscepturus,tanquam ipsius autoris ἄγαλμα,nostrique vicissim in te studij monimentum:denique nos & D.Zanchij nomen,scripta,posteros,& propinquos tuo patrocinio complexurus,quod vt facias, etiam atque etiam rogamus.

Deum O.M.precamur, vt N.T.D.cum suis, diu incolumem ad suam gloriam, Ecclesiæ & Reipubl. commodum seruet,ac omni benedictionum genere locupletet.Calend.Septemb.Anno Christi 1593.

Nobiliss.T.Exc.& D.
addictissimi
D.Zanchij filij & generi
Titus Cornelius
Ludouicus ZANCHII,
Hieronymus Robertus
Henricus Cenchardus Mechliniensis
Georgius Gabelus Heidelbergensis
Ioh.Rudolp.Bouillus,Med.D.

humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortē.

Ergo non tam de sententia iudiciòve intellectus, quàm de affectu voluntatis & cordis loquitur Apostolus, cum ait, φρονεῖτε.

Illud γὰρ alij vertunt, itaque: alij, enim. Videtur enim ἀντιλογία eius, quod dixerat tū de fratrū dilectione, tum de humilitate Quid dixerat? Dixerat, Implete gaudium meū, ἵνα τὸ αὐτὸ φρονῆτε, id est, vt pariter sitis affecti. Quibus affectibus? Charitatis scilicet & vnanimitatis & humilitatis, vt ipse explicauit. Ratio, cur debeatis ita esse affecti, est: quia Christus quoque sic fuit affectus: vos autē estis mēbra Christi. Sensus igitur est: In vobis debet talis vigere & esse affectus, qualis etiam fuit in Christo, si vere estis eius membra. Qualis autem affectus fuit in Christo? Affectus summæ charitatis & humilitatis, vt postea explicat.

Atq; hæc de *propositione*, nempe, Hoc sentiatur in vobis, quod & in Christo (persensum fuit) seu, vt Syriacus actiue vertit: Hoc sentite in vobis ipsis, quod & Christus Iesus sensit in seipso: hoc est, idem affectus sit in vobis, qui & in Christo fuit, affectus nimirum, immensæ charitatis erga nos: qua factum est, vt nostræ salutis caussa, ad extremam etiā humiliationē & abiectionem sese demiserit. Hoc breuiter ita explicatur: cùm enim esset æternus Dei Filius, verúsque & natura Deus, per omnia Patri æqualis: primùm quasi deposita sua Maiestate & gloria, sumta verò forma serui, factus est homo, nobis per omnia, excepto peccato, similis. Deinde homo factus, humiliauit semetipsum, factus in omnibus obediens Patri, & sub lege vsq; ad ipsam legis maledictionem, hoc est, vsq; ad mortē crucis: iuxta dictū, Maledictus qui pendet in ligno. Quanta hæc humiliatio, & ex quanta charitate? Quis igitur est, quem non pudeat, sese præ aliis efferre ex κενοδοξίᾳ & ex aliorum contemtu?

Dubitabit quispiam, Quomodo fuerit in Christo affectus, antequam esset homo.

Respon. primùm. Istæ diuinæ naturæ in Filio affectus, nil aliud fuit, quàm amor illius erga nos, & decretum ac voluntas carnem nostram sumendi, in ea patiendi ac moriendi, nostræ salutis caussa. Affectus autem hic perpetuus fuit in Filio, & ante & post incarnationem. Deinde post assumtam carnem, fuit etiam in Christo, quatenus homo erat & est, iste affectus, sed sine peccato. Fuit enim accensus in eius corde incredibilis ignis amoris erga nos, & summa fuit in ea cordis modestia, ταπεινοφροσύνη, πραΰτης, &c. Creatæ enim fuerant in humana Christi natura omnes virtutes, & omnia Spiritus S. dona in illum effusa sunt: qua de re postea dicemus.

Cæterùm ista φρόνησις de qua hic loquitur Apostolus, & quæ fuit in Filio Dei ab æterno, nil aliud fuit, vt dixi, quàm æternum voluntatis eius decretum ex amore erga nos profectum: quo cōstituit carnem nostram sumere, in ea suam Deitatem & maiestatem ad tempus occultare, in ea pati ac mori, donec nostram perficeret salutem.

Vers. 6. *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam duxit esse æqualem Deo.*

His paucis verbis, quæcunque de Christo ante assumtam carnem dici poterant, complexus est Apostolus: & ita omnes ferme hæreses, quæ fuerunt contra Filium Dei, quà Deus est, refutantur.

I. Primum caput doctrinæ de Christo est, quod ante assumtam carnem erat verum ὑφεστάμενον, iuxta illud: Antequam Abraham fieret, Ego sum. Et Ioan. 1. In principio erat λόγος: caput hoc indicat, cùm ait ὃς ὑπάρχων.

II. Sed quia etiam Angeli erant ὑφεστάμενα: ideo adiecit, hoc ὑφεστάμενον fuisse Deum: iuxta illud Ioan. 1. Et Deus erat Verbum. Hoc tradit Apostolus, cùm ait, ἐν μορφῇ Θεοῦ. Omnes. n. Patres μορφὴν τοῦ Θεοῦ, accipiunt pro οὐσίᾳ & essentia Dei: sicut μορφὴν τοῦ δούλου, pro humana natura, in qua nobis seruiuit.

III. Sed quia etiam Pater ὑφεστάμενον est & Deus, essentiā verò ipsam Pater habet à se, Filius autem à Patre: ideo differentiæ caussa docet Apostolus, Christum talem esse personam & Deum, qui essentiam habeat à Patre, & sit Deus de Deo, lumen de lumine. Hoc docet, cum dicit, eum esse ὑπάρχοντα ἐν τῇ μορφῇ, μορφὴ enim forma est & imago & τύπος modò substantialis, modò accidentalis alicuius rei. Ideo Apostolus Hebr. 1. Christum vocat splendorem gloriæ & χαρακτῆρα ὑποστάσεως τοῦ Θεοῦ. Hæc est μορφὴ, essentia scilicet Dei, suis coloribus depicta. In Filio enim imago Patris expressa est. Et qualis nam imago? Non certè accidentalis: igitur essentialis, hoc est, ipsa Patris οὐσία.

IV. Quia multi iactant, se esse Deos, & appellati fuerūt Dij, sed naturā non fuēre Dij, verùm aut per gratiam, vt Reges & Principes, aut per iniuriam, vt primus Angelus, quem Luciferum vocant, nominati fuerūt Dij: ideo huius differētiæ caussa adiecit: οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο, τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ: quasi dicat: Quòd esset in illa μορφῇ τοῦ Θεοῦ, optime nouit, se non falso, aut per raptum, sed natura esse Deum, Patri æqualem.

V. Cæterum, quia posset quis dicere, eū essentia Deum esse, sed tamen minorem Patre: ideo addit & docet, Christum non solùm esse natura Deum, sed etiam per omnia æqualem Deo Patri, ὁμόνοιαν, συναΐδιον, συμπαρήκοντα, συνάπτοντα rerum omnium: & hoc, cum ait, τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. ἴσα pro ἴσως, vel, τὸ εἶναι τὰ ἴσα Θεῷ: quasi dicat, quòd esset per omnia æqualis & par Deo Patri.

VI. Contra Sabellium docet, Christi personam semper fuisse à Patre distinctam: Et hoc, dicens, eum esse per omnia æqualem Patri: Non est igitur vna & eadem persona, quæ vocatur Pater & Filius, sed diuersæ. Alius enim est qui similis est per omnia alteri, & alius ille, cui similis est & par.

Hæc est summa doctrinæ quam hìc Apostolus tradit de Christo ante assumtam carnem. 1 quòd fuerit verum ὑφεστάμενον. 2. quod verus Deus. 3. quòd ex Patre genitus, veráque Patris imago. 4. quòd Deus natura, eóque verus Deus. 5. quòd non minor Patre, sed Patri per omnia æqualis. 6. quòd denique persona à Patre distincta.

Omnia hæc confirmari possunt infinitis testimoniis Scripturarum, sed non est necesse: cùm abundè à nobis id factum sit in libris de tribus Elohim. Itaque his paucis verbis refutantur omnes hæreses, quæ contra personam filij Dei æternam, autore Diabolo, fuerunt variis seculis excitatæ.

1 Cerinthi & Ebionis, qui dixerunt, Christum ante assumtam carnem realiter nō exstitisse, sed totam suam substantiam accepisse à virgine, eóque purum hominē fuisse. Apostolus apertè docet, eum exstitisse antequam assumeret carnem: quia ὑπάρχων in forma Dei, formam serui accepit.

2. Serueti item, qui dixit, λόγον non fuisse rem verè subsistentem, sed decretum tantummodò in mēte Dei de hoc homine creando, & sua Deitate implendo. Sed si non fuit verum ὑφεστάμενον, quomodo existens in forma Dei, assumsit formam serui? Non dicit Apostolus creatum esse in forma serui, sed qui existebat in forma Dei, eum suscepisse formam serui. Hinc illud ad Hebr. 2. Semen Abrahæ assumsit.

3. Arij quoque, Christum ante assumtam carnem fuisse quidem ὑφεστάμενον, sed non verum Deum: Contrà Apostolus docet fuisse Deum, quia in forma Dei: sicut & verus fuit homo, quia in forma serui.

4. Hæresis etiam Photini, Serueti & aliorum Christum Deum quidem & Dei Filium appellari & esse, verùm non per naturam, sed tantùm per gratiam, & propter dona excellentia diuinæ naturæ in eum effusa, & propter officiū Mediatoris illi iniunctum: sed Apostolus docet, ante assumtam formam serui, eum fuisse in forma Dei.

5 Carpocratis item hæresis refellitur, qui dixit in Christo, præter naturam humanam, esse quidem etiam aliam naturam cœlestem & diuinam, sed non eiusdem essentiæ & substātiæ, cuius est Pater: à qua hæresi postea Arius suā concepit. At Apostolus ait, Christum fuisse in forma Dei, scilicet Patris: quali forma? num accidentali? At in Deo nihil est accidentale. Deinde nomine μορφῆς, verā Patris imaginem expressit, in qua, quicquid est Patris essentiale, οὐσία & ἰδιώματα proprietas, cōtinetur, ita vt, qui videt Filium, videat & Patrem, vtpote Deum de Deo, lumen de lumine.

Item ait, Filij omnia fuisse τῷ Θεῷ ἴσα: quicquid scilicet fuit in Christo ante assumtam carnem: Eiusdem ergo essentiæ cū Patre, eiusdem omnipotentiæ, sapientiæ, &c. Itē, quòd diceret, Christum ante assumtam carnem, fuisse per omnia Patri æqualem: hoc non sit rapina, neque hac ratione quicquam detrahatur de gloria & Deitate Patris.

Hæc omnia apertè docent contra hæreticos illos, Filium verum esse & natura Deum, Patri per omnia æqualem.

6. Hæresis etiam Sabellij & Praxeæ, qui vnam tantùm esse personam docuerunt, quæ tribus nominetur nominibus, manifestè refellitur. Nam Paulus personam Christi distinguit à Patre, cùm ait, illum fuisse in forma Dei. Cuius Dei? Patris. Filium item fuisse æqualem per omnia Deo. Cui Deo? Patri. Alius igitur Filius, qui æqualis est: alius Pater, cui æqualis est.

7. Nec non & Tritheitarum ac Gentilis delirium profligatur: qui tres personas, tres diuisas habere essentias, eóque tres Deos esse contenderunt.

At Paulus ait, Christum fuisse in forma (scilicet eadem) Dei. Essentiam enim seu forma Dei impartibilis est. Qui igitur eam habet: eandem & totam habeat oportet.

Hæ sunt præcipuæ hæreses, contra personam Filij Dei, quatenus Deus est, quæ omnes, vt vidimus, hoc breui versiculo refutantur.

Hanc verò doctrinam hoc loco tollunt, qui contextum hunc de Christo duntaxat in carne manifestato interpretantur: præsertim qui nomen μορφῆς, aliter accipiunt, quàm patres, pro ipsa nimirum essentia diuina, formáque essentiali Dei, suis proprietatibus, gloria & maiestate vestita.

Hæc de capitibus salutaris doctrinæ, quam hic tradit Apostolus: de persona videlicet Christi ante assumtam carnem, dicta sunto.

CAPVT SECVNDVM.

NVNC verba examinemus v. 6. ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. Ad verbū sic: *Qui in forma Dei existens* (subsistens) *non rapinā duxit, esse æqualia* (nempe τὰ ἑαυτῷ) *Deo:* pro, seipsum per omnia parem Deo, vt nonnulli interpretantur. Esse enim ἔλλειψιν manifestum est, quia deest, τὰ ἑαυτῷ & illud, τὸ εἶναι, δεικτικῶς poni: & ideo sic legendum esse, ac vertendum: Non duxit rapinam esse, τὸ εἶναι τὰ ἑαυτῷ ἴσα Θεῷ, quòd quæ sua sunt, essent æqualia Deo. Græcismus autem est, τὰ ἑαυτῷ, pro, ipse: hoc est, non duxit rapinam esse, quod ipse esset per omnia æqualis & par Deo: & sic resoluit Camerarius, Græcorum interpretationem secutus. Alij tamen ἴσα, aduerbialiter accipiunt, pro ἴσως, æqualiter.

Μορφὴ duplicem habet significationem. 1. idem significat, quòd οὐσία & φύσις: quod liquet ex antithesi μορφῆς τοῦ δούλου. Quid verò est, sumsit formam serui? factus est homo. sumsit semen Abrahæ, substantiam & naturam humanam, vt liquet ex toto illo contextu. Si ergo forma serui, est natura humana, forma Dei, est natura Diuina. Deinde idē liquet ex explicatione quæ sequitur. Explicans enim, quid sit μορφὴ Θεοῦ, in qua Apostolus ait Christum substitisse: dicit fuisse perfectam cum Deo Patre æqualitatem: Et hoc, cùm ait, Non duxit rapinā esse, quod esset per omnia æqualis Deo, τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. Et sic Iudæi interpretati sunt de Christo, cùm Deum diceret Patrem suum esse: illum fecisse se parem Deo ἴσον τῷ Θεῷ. Ioan. 5. Quid autem hoc aliud est, quàm esse verum & natura Deum? Et sic iidem Iudæi intellexerunt Ioan. 10. cùm Christus dixisset, se & patrem vnum esse: voluerunt eū lapidare quòd homo cùm esset, faceret seipsum Deum, id est, pari potentia cum Deo. Hoc est εἶναι ἴσον τῷ Θεῷ. Ergo si τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, idem est, atque esse natura Deū: certè ὑπάρχειν ἐν μορφῇ Θεοῦ, nil aliud fuerit, quàm subsistere in essentia, & natura Dei, id est, esse Deum. Adde & verbum ὑπάρχειν. Nil subsistit in accidentibus, sed in substantia, in essentia & natura.

Accedit consensus omnium Patrum, quorum testimonia recitare, longum foret & molestum. Vnum illud Leonis primi, in epist. ad Flauianum à tota Synodo Chalcedonensi approbata, satis esse debet: Vtraque forma (i. vtraque natura in Christo) agit quod suum est, &c. Legatur Augustinus de Trinitate, lib. 1. cap. 7. hunc explicans locum. Et sic Scholia in hunc contextum: ὥσπερ ἡ μορφὴ δούλου, φύσις δούλου, ἀλλ' οὐκ ἐνέργεια οὕτω καὶ μορφὴ Θεοῦ φύσις Θεοῦ, ἀλλ' οὐκ ἐνέργειά ἐστι: contra Samosatenum, qui dicebat, Christum purum esse hominem, sed operantem ex virtute Dei: & hanc vim operandi, volebat esse ipsam μορφήν. Hinc generalem regulam colligit Damascenus, in Isagoge, cap. 1. οὐσία καὶ φύσις καὶ μορφὴ κατὰ τοὺς ἁγίους πατέρας, ταυτὸν δηλοῖ, id est, idem significant. Item Ambros. in hunc locum: Forma Dei, nil differt à Deo. Hæc de prima significatione vocis μορφῆς, præsertim in hoc loco Apostoli.

Deinde significat propriè formam, similitudinem, imaginem alicuius rei expressam: vt forma sigilli expressa in cera, est μορφὴ, *Badmutha* ipsius sigilli. Et sic habet Syrus: Qui cùm in similitudine Dei esset, nequaquam (per) rapinam æstimasset illud ipsum, quod esset æqualitas Dei, id est illud ipsum, quod Christus erat in similitudine Dei, nequaquam Christus iudicauit pro rapina eam æqualitatem, id est, raptam & falsò vsurpatam æqualitatem. Quasi dicat, Certò nouit Christus illam similitudinem Dei, esse veram æqualitatem cum Deo.

Examinemus Syriacum contextum. Primùm μορφὴν vocat similitudinem, hoc est, expressam Patris imaginem, vt Col. 1. vocatur, & Hebr. 1. Splendor gloriæ, & χαρακτὴρ ὑποστάσεως αὐτοῦ. Significatur enim iis vocibus, quicquid perfectionis in Patre erat & est: totum illud fuisse expressum in Filio, ita vt qui videt Filium, videat Patrem. Hæc est similitudo & imago, & μορφὴ, in qua fuit Christus ante assumtam carnem.

Secundo loco Syriacus hāc μορφὴν & similitudinem Dei, ait veram fuisse, & esse æqualitatem cum Deo: nec quicquam rapi Patri, testimonio & iudicio Christi, si hanc μορφὴν τοῦ Θεοῦ, in qua fuit & est Filius, dicamus esse æqualitatem cum Deo Patre. Et meritò concluditur, si Christus fuit & est atque subsistit in μορφῇ ac similitudine Dei: eum per omnia æqualem esse Patri: & illam μορφὴν, esse æqualitatem. Ratio est, quia hęc μορφὴ, aut est accidētalis, aut substantialis. Accidentalis non est: quia in Deum non cadunt accidentia. Substantialis igitur est. Quare μορφὴ τοῦ Θεοῦ, propriè quidem significat illam Dei gloriam ac maiestatem & splendorem atque imaginem, qua Pater resplendet in Filio. Sed qualem splendorem, qualémve imaginem & similitudinem? Substantialem & essentialem, qua non solùm similis est Patri Filius, sed etiam per omnia æqualis, coæternus, consubstantialis, coomnipotens.

Atque hoc voluit Paulus, cùm primò dicit, Christum esse ἐν τῇ μορφῇ τοῦ Θεοῦ. Deinde hanc interpretans, dicit esse veram non per rapinam & falsò, ac cum iniuria Patris vsurpatam æqualitatem. Ideo eleganter Beza, nomine μορφῆς ait intelligi Naturam quidem & essentiam Dei: verùm non nudam, & nudè consideratam, sed suis quasi qualitatibus vestitam.

Et ratio est: quia Apostolus hic opponit Deitatis æqualitatem immensam, in qua erat Christus ante assumtam carnē, extremę abiectioni & humiliationi, in qua fuit nostri caussa, assumta iam carne: vt hinc à quanta gloria, & ad quantam ignominiam se sponte demiserit Filius Dei, propter salutem nostram, clariùs appareret. Quæ caussa est, cur etiā noster frater fuerit: qui cùm esset Deus, factus est homo: cùmque esset in forma Dei, sumsit formam serui. Illa enim priore nuda locutione, non tam expressisset gloriam à qua, & ignominiam ad quam se deiecit, quàm hac altera forma scilicet Dei, opposita formæ serui.

Imò neque dicere voluit: Qui cum esset in forma Domini, sumsit formā serui: sed dixit in forma Dei. Quid ita? Quia nomen Dei sublimius est, quam nomen Domini: & ideo maiorem amplitudinem & sublimitatem gloriæ Christi expressit: sicut contra in describenda humiliatione & ignominia, non dixit, forma hominis sumta, sed forma serui. Quid verò ita? Quia vilius est nomen serui, quàm hominis.

Nunc ergo tenemus duplicem significationem vocis μορφῆς: & quòd hac voce in hoc loco significetur vera & naturalis essentia, naturáque diuina, non nuda, sed cum omnibus suis essentialibus proprietatibus coniuncta, cum omni scilicet gloria & maiestate, in qua ab æterno Filius substitit apud Patrem, per omnia ei æqualis.

His quæ dicta sunt περὶ μορφῆς τοῦ Θεοῦ, hæc etiam addo, ex Doctissimo Danæo, clarioris & vberioris explicationis gratia. Quanquam verum est, quod retulimus ex Damasceno, οὐσίαν, φύσιν, & μορφήν, de sanctorum Patrum sententia idem significare: differentia tamen est aliqua inter has voces obseruanda.

Οὐσία, quæ dicitur ἀπὸ τοῦ ὄντος, propriè significat nudam essentiam, quæ exprimi solet per definitionem ex genere & differentia conflatam: qua (vt Aristoteles docet & loquitur) τὸ τί ἦν εἶναι declaratur. Verbi gratia, οὐσία hominis est esse animal ratione præditum. Hæc est enim propria hominis definitio, qua quid sit declaratur.

Φύσις, id est, Natura, ipsi essentię addit proprietates essentiales & naturales: vt sunt in homine, esse capacem disciplinæ, capacem item scientiarum, esse immortalem (animo) esse aptum ad ridendum, ad loquendum, &c. Hæc enim discimus, homini esse naturalia, & naturales eius proprietates. Et ita solemus dicere, hominis naturam esse, vt sit animal politicum, ridendi & loquendi facultate præditum.

Μορφὴ addit essentiæ & proprietatibus essentialibus & naturalibus, alia etiam accidentia, quæ veram rei naturā sequuntur, & quibus quasi lineamentis & coloribus οὐσία & φύσις conformantur atque depinguntur: vti in homine est, esse facie ad cœlum cōuersa, vnde etiam dicitur ἄνθρωπος: vti etiam est, esse tali forma corporis & membrorū præditū. Hęc est propriè μορφὴ, forma & figura hominis: sicut etiam forma sigilli expressa in cera, μορφὴ est. Nomen est deductum à rebus artificialibus & corporalibus, & translatum ad res naturales & incorporeas. Itaque μορφὴ complectitur in se & φύσιν & οὐσίαν: & nil aliud est, quam ipsa οὐσία omnibus suis proprietatibus vestita. Ita in Deo, licet quicquid est Deus & in Deo, realiter sit simplicissima eius essētia: ratione tamen quadam distinguitur ἡ οὐσία ἀπὸ τῆς φύσεως hoc est, à naturalibus & essentialibus eius proprietatibus, quæ sunt omnipotentia, omniscientia, bonitas, &c.

Et οὐσία quidem significari solet in Sacris literis nomine Iehouæ

Iehouæ, & nomine Θεοῦ: proprietates verò, nominibus iustitiæ, & omnipotentiæ &c. Vt Exod.34. liquet: vbi Deus primò dixit: Iehoua, Iehoua: postea subiecit, Clemens, misericors, remittens peccata, iustus, &c. Et μορφὴ, quæ quasi videtur, est immensa eius gloria, maiestas, diuinus splendor &c. Et ita Christus, in quo tota Patris persona, tota eius οὐσία, tota φύσις, tota etiam facies expressa est: vocatur & est vera μορφὴ τοῦ Θεοῦ, & χαρακτὴρ ὑποστάσεως αὐτοῦ. Et ita in Christo etiam incarnato, primùm sunt duæ οὐσίαι, diuina & humana: & secundò, duæ φύσεις, proprietates scilicet essentiales & naturales vtriusque οὐσίας. Et sic Damasc. lib.3. c.9. ait, ἐν ὑποστάσει ἡ περιγραφὴ ὅτι οὐσία, ἡ δὲ φύσις θεωρεῖται. Nomen autem μορφῆς, vt dictum est, omnia complectitur: addita etiam gloria ac maiestate naturæ diuinæ: & figura veri corporis & naturæ humanæ.

Conclusio fit: Hac dictione Apostolus expressit perfectissimam naturam diuinam in Christo, quam mox indicat τὸ ἴσα εἶναι (id est ἴσον) Θεῷ: sicut mox nomine μορφῆς τοῦ δούλου, totam & perfectam naturam humanam exprimit.

Restant duæ voces explicandæ: verbum ἡγήσατο, & nomen ἁρπαγμόν.

Verbum ἡγήσατο, omnes ferè vertunt, *non duxit*, non iudicauit, id est, non nouit, illam suam æqualitatem esse rapinam: Et sic Scholia per verbum οἶδεν expresserê, οὐχ ἡγήσατο, τοῦτ' ἔστιν, οὐκ οἶδε, non nouit. Et est hic idem verbum, quod vers.3. vbi dixit, Nihil per inanem gloriam, sed per humilitatem: ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν, id est alium quisque se præstantiorem existimet, hoc est, agnoscat.

Nomen ἁρπαγμόν, omnes etiam vertunt *rapinam* seu raptum: Raptus autem propriè seu rapina dicitur, cum quis quid ab altero per vim & iniuriam sibi rapit atque vsurpat. Hic simpliciter significat, vt Patres interpretantur, Christum suam illam æqualitatem cum Deo Patre, nequaquam sibi per iniuriam & iniquè vsurpasse: sed illam habuisse natura à Patre in æterna sua generatione: Et hoc illum optimè nouisse: ac proinde quòd se inanierit, forma serui sumta, hoc illum fecisse ex mera sua voluntate, propter nostram salutem.

Cæterum in constructione non omnes consentiunt. Quidam enim, & quidem plerique omnes sic interpretantur quòd Christus, quia tenera erat in forma Dei: ideo suam cum Deo æqualitatem non nouit esse rapinam, id est, nouit optimè, non esse rapinam, neque se illam sibi iniquè & cum iniuria Patris vsurpasse.

Syrus habet *per raptum*: quasi dicat, Christus quòd esset æqualis Patri, hoc ipsum non nouit se habere per raptum.

Scholia etiam legunt κατ' ἁρπαγμόν: Et illud, τὸ ἴσα Θεῷ, interpretatur τὴν θεότητα αὐτοῦ: οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὴν θεότητα αὐτοῦ: τοῦτ' ἔστιν, οὐ γὰρ εἶχε κατ' ἁρπαγμὸν ἔχων τὸ ἴσα εἶναι τῷ πατρὶ ... ἐν τῷ φυσικῷ ἀξιώματι: διὰ τοῦτο αὐτὸν ἐκένωσε, &c. Opponunt ergo, τὸ ἔχειν τὴν θεότητα κατ' ἁρπαγμὸν (sicut fecit Sathā & multi impij homines) τῷ ἔχειν κατὰ φύσιν. Hęc mihi placet.

Hinc intelligimus, Quicunque sibi attribuit Deitatem & æqualitatem cum Deo, præter eum, qui natura Deus est, vt est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, illum hāc sibi attribuere κατ' ἁρπαγμόν. Quare cum Christus optimè norit, se non habere Deitatem κατ' ἁρπαγμόν: sequitur necessariò, illum fuisse semper & esse natura Deum, & Patri per omnia æqualem, nempe quoad essentiam & naturam diuinam. Nam duobus aliis modis minor est Patre: tum quoad humanam naturam, tum quoad officium Mediatoris: imò verò etiam (de Basilij sententia) quoad personam, hoc est, quatenus æternus Filius est. Nam Pater suam Deitatem non habet ab alio: Filius autem habet à Patre: Et Patris est mittere Filium: Filij autem mitti. Persona igitur Patris hoc respectu, qua Pater est, maior est Filio, qua Filius est. Exemplum in nobis Patribus & filiis nostris perspicuum est.

Atque hinc surgit alius sensus huius loci Paulini, quem postea explicabo, & qui non malè congruit cum particula aduersatiua, quæ sequitur: ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε. Sed nunc satis, significationem harum vocum & varietatem significationum indicasse & explicasse.

Nunc ad explicationem huius versus venio. Ac *primùm* mihi refutanda est illorum interpretatio, qui hunc locum de Christo non ante assumptam carnem, sed tantùm de eo iam in carne manifestato, intelligendum esse contendunt. Nec sine causa refutanda est hæc sententia: quoniam cum hic locus sit insignis pro æterna & naturali Christi Deitate: non debemus, vt is nobis eripiatur, permittere.

Secundo loco referam Patrum, aliorúmque doctissimorum virorum interpretationem, qui hunc locum explicant de Christo etiam ante assumtam carnem.

Tertiò dicam, quæ mihi ex multis magis probetur sententia & explicatio.

Erasmus contendit, voce μορφῆς τοῦ Θεοῦ, hic non posse, nisi speciem illam & figuram Deitatis intelligi, quam Christus in carne existens, miraculis edendis, quæ præ se ferebat, & quæ in ipsius corpore & actionibus omnibus relucebat. de qua & Ioan.1. *Et vidimus gloriam eius*, ex eius miraculis nimirum, & conuersatione cum ipso: & de qua Ioan. 2. *Et manifestauit gloriam suam*: & quam in Transfiguratione illis tribus demonstrauit, cùm facies eius splenduit, vt Sol. Illa enim fuit ceu figura & species paternæ gloriæ, in carne Christi refulgentis. Ratio Erasmi est: quia (inquit) μορφὴ nil aliud significat, quàm speciem & figuram.

Ill. quoque D. eandem secutus sententiam: Forma Dei est (inquit) cùm quis se gerit vt Deus, Deum se exhibet, diuinitatem præ se ferens: id nemo apud se solum faciet &c. Concludit ad summam: hanc fuisse formam Dei in Christo, cùm & verbis & factis declarabat hominibus ac demonstrabat, se Deum esse. Sic etiam Ambrosius hanc vocem accepit in Commentariis. Neque verò nos inficiamur rem ipsam. Sic enim etiam Ioan. docet cap.1. *Et vidimus gloriam*. Et 1. Epist. cap.1. *Quod vidimus, quod audiuimus, quod manus nostræ contrectarunt de verbo vitæ*, &c. Sed non probamus quod contendit Erasmus: ex hoc nimirum loco non posse colligi æternam Christi Deitatem: nec posse μορφὴν de æterna Dei essentia, sed tantùmde illius in carne manifestatione intelligi.

Ergo *primùm* opponimus omnium Patrum consensum, qui hoc etiam loco vsi sunt aduersus Arianos ad æternam Christi Deitatem demonstrandam.

Deinde ex ipso contextu refellitur Erasmus. Vers.6. ὑπάρχων ἐν μορφῇ, id est, existens, subsistens. Atqui nemo subsistit in suis accidentibus sed contra. Illa autem Deitatis patefactio per externas actiones per verba, per totam vitam Christi, non fuit substantia & οὐσία in Christo, sed accidens. Quomodo igitur congruit cum Apostolica locutione, ὃς ὑπάρχων ἐν μορφῇ Θεοῦ: hæc Erasmi interpretatio: *Qui existebat in patefactione & specie Deitatis?*

Tertiò, Apostolus, quod dixerat μορφὴν Θεοῦ, postea vocat τὸ ἴσα Θεῷ. Voluit enim dicere, Christum eam μορφὴν τοῦ Θεοῦ non [illegible] vsurpasse per rapinam, sed accepisse per naturam à Patre: esse autem æqualem Deo, non significat ipsam diuinæ gloriæ patefactionem, sed eandem habere Deitatem. Præterea si forma serui, ipsam significat humanam naturam: cur non & forma Dei, ipsam notauerit Dei essentiam? Quid verò fuit suscipere formam serui, quàm, vt Heb. 2. explicatur, suscipere semen Abrahæ? Quid? quod Apostolus seipsum explicat? Cùm enim dixisset μορφὴν δούλου λαβὼν, quid hoc sit declarans, subiecit, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, & habitu compertus vt homo. His perspicuè explicauit Apostolus, quid nomine μορφῆς τοῦ δούλου à Christo susceptæ intellexerit. Cur igitur nomine etiam μορφῆς τοῦ Θεοῦ, non intelligatur ipsa Dei natura: cùm id ipsa antithesis necessariò postulet?

Refutata Erasmi interpretatione, videndum, quomodo locum hunc Orthodoxi tum Græci, tum Latini interpretati sint.

Scholia volunt argumentum Apostoli ad persuadendam humilitatem, ne quispiam nimirum metuat sese ad fratrum obsequia demittere, duci ab adiunctis, seu à consequentibus, hoc modo.

Qui verè sublimis, & sine fraude malisve artibus magnus est: is sese sponte demittendo, nihil de sua dignitate amittit, aut amittere metuit, sed potius ea re, se verè nobilem & magnum esse declarat. Ne quis igitur ad fratrum etiam abiectissimorum seruitia sese demittere, & quæ eorum sunt, curare dubitet, quasi hoc suæ deroget dignitati & amplitudini.

Antecedens Apostolus probat exemplo ipsius Christi: Christus cùm esset in forma Dei (scilicet sola, & nondum in forma serui) nouerat, se non per rapinam, sed per naturam, eóque per omnia Patri æqualem, Deum fuisse: & quia hoc nouerat, ideo etiam sciuit, se nihil de sua naturali Maiestate, si se ad nos demisisset, amissurum esse: eóq; sese demittere non dubitauit. Volunt enim Græci, ab Apostolo hanc supponi thesin: Qui iniquè & per rapinam aliquid habet: is illud non audet deponere, metuens, ne illud penitus amittat: Qui verò habet à natura, is talia nō metuit: Naturalia enim non amittuntur, sed acquisita, ac præsertim malis artibus acquisita. Assūmit Apostolus: Atqui Christus verus & natura erat Deus: non autem per rapinam. Hanc igitur ob caussam non veritus est sese inanire nostra caussa. Verba Photij: βούλεται εἰπεῖν, ὅτι ὁ τυραννήσας

οἰκεῖον δ' οὖν ὑμᾶς βλάπτει, οὐδὲ ζημιοῖ, οὐδὲ καταβιβάζει τοῦ παρόντος ὕψους· ἀλλὰ μᾶλλον ἀπόδειξις αὐτοῦ γίνεται· τὸ χεῖρον ἐνεδύσατο. Μάλιστα γὰρ τὸ ταῦτα δύνασθαι φύσει Θεός ἐστι· ἐν τῷ ταπεινωθῆναι ἡ φορὰ τοῦ αὐθεντεῖν. ἀλλὰ γὰρ ὡς ἐκ ταύτης ταπεινοφροσύνης οὐδὲν ζημιωθήσεται τὸ παρόντος· αὐτῷ γὰρ εὗρεν τὴν θεότητος οὖσαν. Sic ferè etiã Chrysost. Sed alio argumento, ducto scilicet ab ingenio eorũ qui aliquid rapiunt. ὅταν τις ἁρπάξῃ τι, οὐδὲ ἀποθέσθαι αὐτὸ βούλεται· φοβούμενος μὴ ἀπόληται αὐτοῦ· ὅτι ἐκεῖνο τις ἔχῃ φυσικὸν τὸ ἴδιον· οὐ χρῆναι αὐτὸ ἀποτίθεσθαι. εἴδε γὰρ ὅτι οὗτος Θεὸς, πάλιν λαμβάνει αὐτό τι, καὶ φυσικός ἐστι, ὡς υἱὸς τοῦ Θεοῦ οὐκ ἐφοβήθη καταβῆναι τοῦ ἀξιώματος, οὐ γὰρ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὴν θεότητα αὐτοῦ, τοῦτ' ἔστιν, οὐ γὰρ ἐδεδίει μὴ ἁρπαγὴν ἔχοι τὸ εἶναι ἴσος τῷ πατρί, ἀλλὰ φυσικὸν ἀξίωμα. Διὰ τοῦτο ἑαυτὸν ἐκένωσε.

Hanc interpretationẽ secutus est Bull. qui ait ab Apostolo hic opponi Christum Tyrannis. Illi mordicus retinent quæ habent ex rapina, nec facile ab occupatis per rapinam Regnis discedunt. Quare? Quia metuunt, ne si discedant, per vim eripiatur ipsis, quod aliis ipsi violenter rapuerunt. Quia igitur Christus non rapuit Patri Deitatem, nec enim habuit per rapinam, sed per naturam: ideò non dubitauit sead nos vsque demittere, sua ceu relicta maiestate & gloria in cœlo. Iuxta hunc sensum sic explicanda sunt verba Apostoli: Christus cùm esset in sua illa forma Dei & maiestate ante assumtam carnem: nouit se æqualem esse Deo Patri non per rapinam, sed per naturam: ac proinde non metuit, vt nobis succurreret, sese ad nos vsque demittere: sed exinaniuit seipsum, &c. Nouerat enim, se illam resumturum, imo re ipsa non amissurum, aut amittere posse.

Hanc eandem interpretationem, ab ingenio scilicet eorum, qui aliquid rapiunt: secutus est & Brentius, quanquã alio modo: & vult ab Apostolo demonstrari, Christum nõ coactum, sed sponte suam Deitatem in carne assumta celasse & occultasse. Qui aliquid per iniutiã rapiunt, aut furto acquirunt: ij illud celare & occultare solent, idque coacti, quia necesse est, ne conuincantur furti aut rapinæ, rem illam occultare. Qui autem rem aliquam iure possident, quia vel habent à parentibus suis, vel legitima ratione comparatunt: ij rem illam non necesse habent celare & abdere, sed possunt, si velint, sine vllo metu rem illam, omnibus inspicientibus, possidere. Atqui Christus suam illam Deitatis gloriam & æqualitatem cum Patre, non per rapinam accepit, sed à Patre, in natatali sui generatione: Et hoc optimè ille nouit: Ergo potuisset, si voluisset, illam sibi retinere in cœlo, atque etiam in ea & cum ea in terris, publicè & palàm prodire. Verùm noluit, sed propter nostram salutem exinaniuit seipsum, sumta forma serui, & in ea suam gloriam sponte occultauit.

Alius ab ingenio itidem eorum, qui rapiunt per vim, idem demonstrat, sed alia ratione. Summa hæc est: Qui aliquid per vim rapiunt, vt qui Regna expugnant, & qui prædam atque exuuias in bello rapiunt: ij solent insolescere, idque cum contemtu & irrisione illorum, quibus ea bona eripuerunt. Exemplum in Absalomo, qui mota seditione per vim regnum Patris, cum eius contemtu ad se rapuit. Is enim ex illius potentia superbiuit, & factus fuit insolentissimus. Atqui Christus, cùm esset in ista forma Dei, & sua maiestate, nouit se illam cum Patre æqualitatem habere non per rapinam, sed per naturam à Patre. Ideo non superbiuit, nec insolens factus est aduersus Patrem: sed contrà illius voluntati obsequens inaniuit seipsũm.

Alia interpretatio est Latinorum, quam secutus est Beza, eamque paucis explicat: Et hæc est, propriis ipsius verbis expressa: Christus cum esset in æterna illa Deitatis gloria constitutus, non ignorauit, se in ea re (i. quòd Deus, Patri coæqualis, esset) nullam iniuriam cuiquam facere, sed suo iure vti: nihilominus tamen quasi suo iure cessit, cùm ipse se velut in nihilum redegisset, forma serui accepta. Hæc ille. Addidit explicationem, cur Paulus dixerit, Christum non ignorasse, se illam habere æqualitatem cum Patre non per rapinam, sed per naturam: primùm negauit Apostolus esse rapinam, vt omnibus hæreticis occurreret, qui dicturi essent, Christum non esse verum & natura Deum, nam quicunque se vocat Deum, si non sit natura Deus, rapinam admittit. Deinde adiecit verbum ἡγήσατο (quasi dicat, imò nouit vt ostenderet, Christum non coactè, sed sponte sese demisisse: Nouerat enim quis esset, & quid sibi licuisset, si suo iure vti voluisset. Cùm igitur non ignoraret quodnam esset suum ius, quia sciebat, se verum esse & coæqualem Patri Deum: ideo quod se inanierit, formámque serui sumserit: manifestum est, hoc illum fecisse sponte, & ex mera charitate erga nos. Hæc est communis patrum interpretatio.

Caluinus non dissimilem habet: quanquam aliter vertit ἡγήσατο, nempe ad modum subiunctiuum, hoc modo: Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus esset, Deo æqualem se esse: atque ita sese explicat his verbis: Christus cum in forma Dei esset, non duxisset sibi esse illicitum in eadem forma se gerere, id est (vt explicat Beza) in eadem Deo digna magnificentia, Mundo apparere. Sic ergo verba essent construenda & explicanda: Christus cùm esset in illa sua gloria apud Patrem, eóque verus Deus: non iudicauit se facturum vel Patri, vel cuipiam alij rapinam, hoc est, iniuriam, si venturus in Mundum: venisset non in carne mortali, sed in sua illa Maiestate, qua coæqualis est Patri: sed maluit se exinanire. Hæc est recepta interpretatio.

Affero tamen & alias non contemnendas. Omnibus enim eadem Christi Deitas confirmatur.

Ad permouendos fideles. vt se humilient, nõ tam necesse erat intelligere, quod Christus fuerit humilis, quam quòd sponte sese humiliarit. Nam multi sunt humiles, non quia sese humiliant, quod est virtutis, sed quia fuerunt ab aliis humiliati, id quod est pœna superbiæ.

Apostolus igitur inprimis hoc censuit demonstrandum, Christum non fuisse humiliatum à Patre, & præcipitatum in terram, quod sibi æqualitatem cum Deo per rapinam vsurparit, sicut fecerunt Angeli mali, qui ideo præcipitati fuerunt è cœlo in has tenebras, & in tartarum (vt loquitur Petrus) quia non contenti sua conditione, voluerunt similes esse altissimo. Quale enim exemplum humilitatis hoc fuisset?) Sed Christũ cum esset verus Deus, sese spõte humiliasse. Vt hoc probaret Apostolus, necesse ei fuit demonstrare, Christum fuisse verum Deum, cumque per omnia æqualem Patri. Quod igitur factus sit homo, & est calamitatibus obnoxius, ignominiosáque morte affectus fuerit: hoc non ideo ei contigit, quòd sicut Sathan cum suis, propter rapinam Deitatis, fuerit à Deo in has miserias præcipitatus: sed quia se sponte humiliauit. Potuisset enim Diabolus talem cogitationem inicere in mentem multorum, Christum fuisse vnum ex illis malis Angelis, qui ideo præcipitati sunt in caliginem tenebrarum, quia per rapinã sibi vsurparunt gloriam Dei. Quo illud spectat, quod Iudæi dicebant, *In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Sic igitur ista erunt construenda & explicanda: Christus cùm esset in forma Dei, non per rapinam duxit, se æqualem esse Deo (quasi dicat, sicut mali Angeli fecerunt: ac proinde (sic enim subintelligendum est) non fuit à Deo euacuatus illa gloria, quasi per rapinam & iniuriam vsurpata) sed seipsum exinaniuit. Hæc VV. Musculi est interpretatio.

Alius: Christus cùm esset in forma Dei, non duxit rapinam (id est, iniuriam cuipiam se facturum) τὸ εἶναι (scilicet perpetuò) ἴσα Θεῷ, id est, si mansisset perpetuò, in illa sua maiestate: (sed noluit: imò) se exinaniuit.

Aliam non dissimulabo, quæ nec cum scripturis pugnat, nec cum analogia fidei, nec etiam vim facit verbis.

Dixi de sententia Basilij, Filium, qua Deus est, esse æqualem Patri, sed qua filius est, esse minorem Patre. quia Pater à seipso est, Filius à Patre: maius enim quiddam est, esse à seipso, quam ab alio, & generare quàm generari: ideo Filij etiam non fuit mittere Patrem, sed Patris, Filium: Filij autem ad voluntatem Patris implendam in Mundum venire. Si ergo Filius (κατ' ἐθελοντής: etenim eius voluntas eadem semper fuit cum volun tate Patris) quemadmodũ [illegible] & Deitatis forma æqualis erat & semper est Patri: sic etiam ea parte, qua minor erat (vt explicatum est) Patre, æqualis esse Patri, eóque non mitti, sed mittere voluisset: hanc certè personalem æqualitatẽ non per rapinam sibi vsurpasset. Atqui hoc noluit, nec velle potuit optimus Filius, sed Patri, cuius erat Filium mittere, obtemperans, mitti, carnémque suscipere propter nostram salutem voluit. Quid verò hoc aliud fuit, quàm species quædam humilitatis? Fuerit ergo sensus, Christum, cùm adhuc esset in sola hac forma Dei, quodam modo se Patri subiecisse, quatenus scilicet agnita Patris voluntate de sumenda à se carne propter salutem nostram, idem voluit & ipse: idque ab omni æternitate, quòd postrò executus est in tempore. Ita non cogitauit nec voluit τὸ εἶναι ἴσα (simpliciter, id est, ea etiã parte, qua minor erat Patre) Θεῷ: id quod non nisi per rapinam & iniuriam Patris fieri potuisse sciebat. Interpretatio hæc non videtur esse incongrua, si Basilij sententiam de dicto, Pater maior me est, admittamus.

Atque de his hactenus: quisque deligat, quæ accommodatior sibi esse videtur.

V. 7. Nũc sequitur altera particula, qua describit Apostolus eiusdem Christi humiliationẽ, seu vt loquitur, exinanitionem, ab incarnatione, vsque ad mortem, mortem autem crucis. Tria autem facit. *Primùm*, ipsam voluntariã humiliationem in genere proponit, vocans eam exinanitionem.

Deinde

Deinde huius exinanitionis duas in partes distributę, priorem describit. Fuit autem prima pars exinanitionis Filij Dei, cum formam serui accepit, hoc est, humanam naturam cum omnibus suis proprietatibus & defectibus, excepto peccato. Et hoc facit v. 7. dicēdo, *sumta serui forma. Tertiò* alteram partem exinanitionis explicat, v. 8 cùm ait, *Humiliauit seipsum, &c.* Altera enim pars fuit, cùm iam factus homo, nobis per omnia, excepto peccato similis, sese humiliauit, factus Patri obediens vsque ad mortem: eóque omnia præstans, quæ ad salutem nostram pertinebant. Vtraque pars multa & magna continet mysteria. Prima enim totum mysterium incarnationis: altera totum mysterium redemtionis continet.

De *prima* igitur sic ait: ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε, μορφὴν δούλου λαβὼν, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος· καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος. *Sed semetipsum euacuauit, forma serui sumta, in similitudine hominum factus, & figura compertus vt homo.*

Syriacus: *Nihilominus seipsum exinaniuit, & formam serui accepit, factúsque est in forma filiorum hominu: & similitudine hominu inuentus, vt filius hominis.*

Illa vox ἀλλά, aduersatiua cùm sit particula, & in præcedenti versu non ita liquidò appareat, cuinam verbo aduersetur: reddit constructionem vtcunque difficilem. Syriac. facilio[r]em facit, cum habeat *ella*, id est, nihilominus: quasi dicat, cum esset in forma Dei, & sine vlla iniuria æqualis Patri: nihilominus tamen sese exinaniuit. Sic & D. Beza in explicatione.

1. Ex multis autem interpretationibus superioris versus, quas modò attuli, duæ sunt præcipuæ, quibus fit, vt cum superiori versu iste pręsens faciliùs construatur, seruata genuina significatione particulæ ἀλλά. Prima hæc fuit, eáque ferè recepta: Qui cùm in forma Dei esset: non duxit (id est, non nouit) rapinam esse, τὸ εἶναι ἴσα θεῷ, id est, quod esset æqualis Deo (scilicet Patri;) eóque (sic enim est supplendum) si voluisset, potuisset sine vllius iniuria permanere in ea æqualitate, sed noluit suo vti iure: ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε.

2. Altera hæc, & est VV. Musc. Qui cùm esset in forma Dei, non duxit esse rapinam, quòd æqualis esset Deo: quasi dicat, nouit se verè & naturâ æqualem esse Deo: ac proinde non fuit à Deo humiliatus, & in hanc vilem hominum & crucis conditionem è cœlo, quomodo Sathan in Tartara, in pœnam suæ superbiæ, & quasi per raptum vsurpatæ æqualitatis cum Deo, deiectus ac præcipitatus: ἀλλα seipsum sponte exinaniuit.

3. Adieci aliam, vt τὸ εἶναι ἴσα θεῷ æqualitatem personalē intelligamus: quòd scilicet Filius, cùm esset in forma Dei, eoque essentia, & quatenus Deus, æqualis Patri: non duxit sibi faciendam esse hanc rapinam. Quam nam? Vt simpliciter quatenus etiā Filius esset, seu esse vellet æqualis Patri. Nam Pater, quâ Pater est, maior est Filio, quâ Filius est, inquit Basilius. Quomodo igitur Filius fecisset se æqualem Patri per rapinam? Si quemadmodum Pater noluit fieri homo, sed filium: sic Filius noluisset, sed Patrem. Patris enim erat mittere Filium. Filij autem, Patris voluntatem facere, eoque velle mitti. Non duxit igitur Filius hanc æqualitatem personalem, sibi cum iniuria Patris & per fraudem esse vsurpandam, ac Patri rapiendam: ἀλλά, sed spectata Patris voluntate, sponte seipsum exinaniuit.

Hanc interpretationem videtur confirmare illa particula ἴσα, si resoluamus cum Camerario τὰ ἑαυτοῦ ἴσα, id est, suam ipsius personam (quatenus scilicet Filius est) æqualem esse Patri. Si enim hoc voluisset facere: rapinam admisisset in Patris iniuriam. Filius enim, quâ Filius, minor est Patre, ait Basilius, quia habet esse à Patre, quamuis sit æqualis οὐσίᾳ & quatenus Deus est, Patri. Velle igitur, vt τὰ ἑαυτοῦ ἴδια, sint ἴσα τῷ θεῷ, i. Patri: rapina est. Hanc autem rapinam ne cogitauit quidem Christus, nec duxit sibi esse faciendam, tantùm abest, vt voluerit: ἀλλά, sed contrà vt bonus Filius & Pa[tri] obsequentissimus, seipsum exinaniuit.

Imò si etiam accipias illud ἴσα aduerbialiter pro ἴσως, optimè congruit cum hac interpretatione. ἴσως enim τῷ θεῷ, est simpliciter & omnibus modis, æqualem esse Deo, i. Filium æqualem esse Patri, non solùm quâ Deus est, sed etiam, quà Filius est. Hoc autem noluit Christus. Congruit & cum superiori adhortatione v. 3. Alium quisque se præstantiorem existimet, ἡγούμενοι: sic enim & Christus, quatenus Filius, ἡγήσατο Patrem se præstantiorem & maiorem: eoque noluit se illi æquare: sed, &c.

4. Addo iam quartam: vt τὸ εἶναι ἴσα θεῷ, de æqualitate essentiali cum aliis interpretemur, sed alio sensu. Nouimus enim Christum propter naturam humanam, factum esse Patre minorem, iuxta illud: Pater maior me est, quatenus scil. ego sum homo, vt Augustinus interpretatus est. Sed

subintelligenda erat particula ἀεὶ semper, vt sit hæc lectio & sensus: Christus cùm esset in forma Dei, non duxit per rapinam τὸ εἶναι (ἀεὶ) ἴσα θεῷ, i. vt semper esset & maneret æqualis Patri, & ne vnquam fieret Patre minor, per assumtionem scil. humanæ naturæ: hoc certè non duxit faciendū esse, quia hoc erat Patris proprium, vt scil. non fieret Filio minor per assumtionem humanæ carnis, sed erat Filij: proinde talem rapinam non duxit Filius sibi faciendam esse: ἀλλά, sed non solùm seipsum fecit minorem Patre, sumta hominis forma: verùm etiam se exinaniuit, & quasi omni sua gloria euacuauit, sumta forma serui. Hoc pacto optimè construitur præsens v. septimus cum superiori, seruata propriā significatione particulæ ἀλλά. Non duxit ergo, seu nō existimauit, multò minus voluit esse, & semper manere æqualis Patri, ac nunquā fieri eo minor, per assumtionem humanæ naturæ: quia hoc fuisset rapere sibi, quod propriū est Patris: ἀλλά, sed seipsum exinaniuit, forma serui sumta.

Nunc quisque eam sequatur interpretationem, quam iudicat magis cum verbis & cum scopo Apostoli congruere. Atque hæc dicta sunto de particula ἀλλά.

II. Verbum ἐκένωσε, vertunt alij *inaniuit*, alij *exinaniuit*, vnde exinanitio appellari solet incarnatio Christi, totúsq; status vitæ eius, dū fuit inter homines. Propriè verò significat *Euacuare*, & magnā habet Emphasin. Est. n. ac si dicat Apostolus: Christus cùm esset in forma Dei, vsq; adeo non recusauit fieri minor Patre, sumta humana carne, & ad tēpus aliquid de sua illa gloria ac maiestate diuina remittere propter salutem nostram: vt etiam plenè seipsum totum illa euacuarit atq; spoliarit. Quomodo? Non quod desierit esse Deus, & sua essentia æqualis Patri, sed se euacuauit omni gloria & æqualitate cum Patre, suscipiendo & sibi in vnitatem personæ vniendo formam non tam hominis, quàm serui, sub hac & in hac abdendo & occultando formam Dei. Itaque hoc verbo *Euacuandi*, non voluit dicere Apostolus, Christum per assumtionem formę serui, abiecisse formā Dei, & desiisse esse, quod erat: sed tantùm, quòd gloriam illam & maiestatem, in qua erat apud Patrem, ita abdiderit in forma serui, vt ea sese penitus euacuasse visus sit: quia nimirum ea gloria in carne non fulgebat, vt ab omnibus cōspici posset. Proinde nō dicit Apostolus, οὐδένωσε ἑαυτὸν, *se in nihilum redegit*, vel, *se in hominem mutauit*, aut μορφὴν τοῦ θεοῦ εἰς μορφὴν τοῦ δούλου conuertit: sed seipsum, manens scilicet quod erat, ἐκένωσε. Qua verò re seipsum ἐκένωσε? Æqualitate cum Deo Patre, splendoréq; suæ gloriæ. Quomodo? Non simpliciter, sed in assumta carne. Modum hūc explicat euacuationis & exinanitionis, dicendo, μορφὴν τοῦ δούλου λαβὼν: quasi dicat, Non dimittendo quod erat, sed assumendo quod non erat, & quæ sequuntur. Omnia enim pertinent ad explicationem huius propositionis, ἑαυτὸν ἐκένωσε. Hæc igitur est vis huius verbi ἐκένωσε.

III. Illud ἑαυτὸν, primò significat hanc humiliationem & exinanitionem fuisse voluntariam. Non enim fuit exinanitus & humiliatus ab alio inuitus: sed seipsum sponte exinaniuit: concurrente ad hoc voluntate Patris, & Spiritus S. cum omnes sint vnus Deus cū Filio, eóq; vna omnium voluntas. Nec fuit illâ gloria & æqualitate cum Patre, quasi per rapinam vsurpata spoliatus à Deo, sicut Sathan: sed seipsum sponte euacuauit. Fecit enim sese longè minorem Patre, sumta serui forma. 2. significat (vt prius dixi) Christū mansisse quod erat: quia non οὐδένωσε, non in nihilum se redegit: sed tantùm ἐκένωσε, illo scilicet gloriæ splendore, quo cum Patre æqualiter splendebat, assumta forma serui: eoq; factus est minor Patre secundum humanitatem, & in forma serui assumta, in qua se ἐκένωσε.

IV. Μορφὴ δούλου. Sicut μορφὴ θεοῦ significauit naturam essentiámque diuinam, non nudam, sed omnibus proprietatibus essentialibus vestitam, vt suprà diximus: sic etiā μορφὴ δούλου significat essentiam naturámque humanam, non nudam, sed cum omnibus suis proprietatibus, atque adeo cū omnibus defectibus, excepto peccato, coniunctam. Ac sicut μορφὴ θεοῦ significat veram & totam essentiam diuinā, non partem: sic μορφὴ δούλου, totam perfectam & veram naturam humanam, verum scil. corpus, veram animam, verasque & omnes vtriusque proprietates. Hanc sibi sumsit Christus. Item, ait μορφὴν δούλου, non δοῦλον. Non ergo personam, sed naturam assumsit.

V. Vox δούλου, melius explicat verbum ἐκένωσε, quàm si dixisset μορφὴν ἀνθρώπου. Potuisset enim simpliciter fieri homo, & ea re fieri minor Patre, & hæc etiam fuisset magna humiliatio & exinanitio: sed simul potuisset cum aliqua (vt ita loquar) particulâ illius gloriæ & maiestatis apparere inter homines, vt si natus fuisset Rex potēs. Verum hoc modo non ita visus fuisset sese in carne assumta, omni gloria eua-

euaſſe & maieſtate. Loco igitur formæ hominis, dixit Apoſtolus, μορφὴν δούλου quo melius hanc exinanitionem declararet.

Vis videre *exinanitionem* immenſam & incredibilem, quam ſignificauit Apoſtolus tum verbo ἐκένωσε tum nomine δούλου. Conſidera totam vitam, initio facto ab incarnatione vſque ad mortem, mortem autem crucis: & videbis, quomodo Chriſtus, in ea aſſumta forma ſerui ſeſe enacuarit omni ſua diuina gloria, maieſtate, omnipotentia, omniſcientia, omnipræſentia: non quòd reipſa deſierit eſſe, quod erat ἐν μορφῇ θεοῦ: ſed quòd in hac forma ſerui, ſicut factus eſt ex Deo homo, ſic ex Domino ſeruus: ex ditiſſimo, pauperrimus: ex omnipotente, infirmus: ex omniſciente, ignarus: ex immortali, mortalis: ex immenſo, finitus: ex vbique præſenti, certis locis circumſcriptus: denique ex æquali cum Patre, valde minor Patre: ac proinde, quod ſecundum hanc naturam & formam ſerui, non potuit dici omnipotens, omniſcius, vbique præſens. Quid ita? Apoſtolus reſpondet: primùm, quia ἑαυτὸν ἐκένωσε, *euacuauit*. Quibus rebus? Sua cum Patre æqualitate, ſua omnipotentia, ſua omniſcientia, ſua vbique præſentia: nempe nō ſimpliciter: ſed tantùm in aſſumta forma. 3. Quia formam ſumſit non ſimpliciter hominis, ſed ſerui. Oportuit ergo in ea forma non Domini, ſed ſerui proprietates ineſſe: tantùm abeſt, vt in hanc formam ſerui, omnes ſuas eſſentiales proprietates realiter effuderit forma Dei, eámque etiam ipſam effecerit omnipotentem. Viden' vim & efficaciam huius verbi ἐκένωσε, & nominis δούλου? Euacuauit ergo ſe, id eſt, ſuam perſonam, tota illa æqualitate cum Patre, non ſimpliciter, ſed κατά τι, hoc eſt, non in forma Dei, in qua ſemper manſit & manet æqualis Patri: ſed in forma ſerui aſſumta, in qua factus eſt pauper (ſicut ait Apoſtolus) vt nos diuites eſſemus: in qua eſt mortuus, vt nos à morte liberaret, & æterna vita donaret. Vna enim & eadem perſona, iis duabus conſtat formis, forma Dei, & forma ſerui: in quarum prima ſemper manſit æqualis Patri: in altera factus eſt longè inæqualis. Atque hoc eſt, quod dixit Apoſtolus, Chriſtum cùm eſſet in forma Dei, non cogitaſſe rapinam hanc, eóque nec voluiſſe, vt ſcilicet ſemper & ſimpliciter eſſet æqualis Patri, ita vt nunquam & nullo modo fieret minor Patre: ſed contrà ita voluiſſe fieri minorem Patre, in alia ſcilicet natura & forma, nempe ſerui: vt ſeſe in hac aſſumta forma ſerui euacuarit omni ſua gloria & æqualitate cum Patre. Obſeruentur hæc aduerſus Vbiquitarios. Euacuare certè, & implere ſunt contraria. Si ergo Chriſtus in forma ſerui, vacuus eſſe voluit & eſt æqualitate cum Patre: falſum eſt, & contra Apoſtolum, Chriſtum ſua formæ Dei omnipotentia & omnipræſentia, eóque æqualitate cum Patre, impleuiſſe (per realem ſcilicet communicationem, quæ longè aliud eſt, quàm vnio) formam ſerui: id quod Vbiquitarij aiunt, cùm dicunt, τὸν λόγον ſuas eſſentiales proprietates, alij effudiſſe in humanam naturam, alij realiter communicaſſe humanæ naturæ.

Nec valet exceptio: Non propterea exæquari formam ſerui, formæ Dei, quia forma ſerui has habet ab alio, id eſt, à forma Dei, forma autem Dei à ſeipſa. Nam ſi rectè perpendas & propriè loquamur, non forma Dei habet has proprietates, ſed ὁ ὑπάρχων in forma Dei, id eſt, ὁ λόγος omnes proprietates, totamque formam Dei habet, eamque ab alio, id eſt, à Patre, è quo natus eſt. Impletam quidem fuiſſe naturam humanam à diuina, magnis donis creatis, fatemur: ſed hoc nihil ad controuerſam quæſtionem. Verùm de iis poſtea: ſatis eſt in præſentia indicaſſe vim verbi ἐκένωσε, & nominis μορφῆς δούλου.

Præterea vox δούλου, quia vox eſt relatiua, videndum quo referatur. Refertur primùm ad Deum Patrem: deinde ad nos. Fuit enim & voluit eſſe ſeruus Dei Patris, & ſeruus noſter. De Patre, Ieſai. 42. *Ecce ſeruus meus, innitar ei, &c.* De nobis, ipſe ait, *Non veni, vt mihi miniſtraretur, ſed vt miniſtrem.* Quid miniſtrem? Quæ ad redemtionem, & ſalutem noſtram pertinent. Et Rom. 15. *Vocatur Chriſtus miniſter circumciſionis.* Hinc apparet, nomen ſerui ei non conuenire, ſecundùm Deitatem in ſe conſideratam (ſemper enim Dominus omnium:) ſed partim ſecundùm humanam naturam, quæ vocatur forma ſerui: partim propter & ſecundùm officium Mediatoris. Quo illud Ieſ. 43. *Seruire me feciſtis in peccatis veſtris.* Mediator autem eſt ſecundùm vtramque naturam. Ita tota perſona propter aſſumtam ſerui formam, facta eſt nobis ſerua.

Hinc item liquet, Apoſtolum hac vſum fuiſſe voce δούλου, vt ſignificet finalem cauſſam aſſumtæ carnis: vt ſcilicet in ea ſeruiret Patri, implendo eius voluntatem & nobis, noſtram curando, promerendo & diſpenſando ſalutem: cuius rei luculentum ſymbolum, cùm lauit pedes diſcipulis ſuis. Fecit enim officium ſerui, cum eſſet Dominus.

VI. Sextum verbum eſt λαβών. Heb. 2. eſt ἐπιλαμβάνεται. Non enim Angelos aſſumſit, ſed ſemen Abrahæ ἐπιλαμβάνεται, aſſumit pro aſſumſit, more Hebræorum, qui his enallagis temporum frequenter vtuntur. Significat ergo, Chriſtum non ſimpliciter ſumſiſſe, ſed ad ſe ſumſiſſe, vel ſibi aſſumſiſſe: nempe in vnitatem perſonæ, vt mox clariùs explicabit, dicens, eum eſſe factum in ſimilitudine hominis. Et Hebr. 2. dixerat, μετέσχε τῶν αὐτῶν, ſcil. carnis & ſanguinis, ſicut & nos participes facti ſumus earundem rerum. Ergo quod poſtea dixit, Semen Abrahæ ἐπιλαμβάνεται, non niſi de aſſumtione humanæ naturæ in vnitatem perſonæ intelligi poteſt. Quare etiam verbum λαβὼν hoc in loco alium in ſenſum trahi non poteſt, quàm quod in vnitatem perſonæ aſſumſerit illam formam ſerui.

Explicat autem hac locutione, quomodo Chriſtus ὁ ὑπάρχων ἐν μορφῇ θεοῦ ἐκένωσεν ἑαυτὸν, æqualitate ſcil. illa, quâ ἴσος erat θεῷ, nempe non deponendo formam Dei, ſed aſſumendo formam ſerui, in vnitatem ſcilicet perſonæ ſuæ. Nam ante etiam in veteri Teſtamento, & à condito orbe, ſæpe aſſumſerat & hominum, & aliarum rerum formas, in eis apparens Patribus: ſed nunquam propterea dictus eſt, quòd ἑαυτὸν ἐκένωσε. Quid ita? Quia non in vnitatem perſonæ eas aſſumebat. Neque enim propterea verus erat homo, aut rubus, aut nubes. Ergo cùm propter hanc formæ ſerui aſſumtionem verè factus ſit homo (vt mox dicetur) ac proinde ex omnipotente, impotens & minor Patre, id quod eſt exinaniuiſſe ſeipſum: idcirco iſtud participium λαβὼν, non poteſt aliter accipi, quàm pro aſſumtione humanæ naturæ in vnitatem perſonæ: qua aſſumtione factū eſt, vt qui ſubſiſtebat tantùm in forma Dei, nunc ſubſiſtat etiam in forma ſerui: eóque ſicut propter vnam formam, eſt omnipotens, immenſus, vbique præſens: ita propter aliam ſit impotens, finitus, certo loco circumſcriptus.

Hæc eſt vis verbi λαβὼν hoc in loco. Vbi & notandum eſt, Apoſtolum non dixiſſe, ἐκένωσεν ἑαυτὸν, μορφὴν θεοῦ εἰς μορφὴν ἀνθρώπου ἀλλάττων, vel τρέπων vertens, vel συγχέων cōfundens, ſed tantùm λαβὼν μορφὴν τοῦ δούλου, manente ſcil. μορφῇ τοῦ θεοῦ impermutata & inconfuſa: ſicut & contra non dixit, τὴν μορφὴν δούλου εἰς μορφὴν θεοῦ commutans: aut permiſcens aut confundens, ſed tantùm λαβών. Non igitur naturæ in Chriſto aut mutatæ, aut confuſæ & mixtæ ſunt. Hæc vis & proprietas verbi eſt diligenter obſeruanda & retinēda

Item, aliud etiam ſignificare voluit Apoſtolus hoc participio maſculeo λαβών: nempe μορφὴν τοῦ δούλου, ſumtam fuiſſe non à μορφῇ τοῦ θεοῦ ſed ab illo, qui erat in forma Dei. Non enim ait, μορφὴ θεοῦ λαβοῦσα ſed ὁ ὑπάρχων ἐν μορφῇ θεοῦ, λαβών. Apoſtolicè igitur loquendo, non natura naturam, ſed perſona naturā aſſumſit. Et quænā perſona? Filius. Is n. eſt, qui ſeipſum ἐκένωσε, forma ſerui ſumta: nō aūt vel Pater, vel Sp. S. Ideo poſtea dixit, Pater maior me eſt. Aliud itē ſignificare voluit Apoſtolus hoc participio λαβών: nēpe, propriè loquēdo, naturā aſſumtam nō fuiſſe partem perſonæ aſſumētis. Aliud enim fuit aſſumens, aliud res aſſumta: ſed tamen quia aſſumens, propter rem aſſumtam, factus eſt vnum & idem cum ea: (eſt enim Deus & homo, vt mox dicet:) idcirco eam naturam, propter hanc aſſumtionem in vnitate perſonæ aſſumentis, quodam modo factam eſſe partē perſonæ aſſumentis, i. Chriſti: eſt enim & ipſe aſſumens propter eandem hypoſtaticam vnionem, factus ſit quod aſſumſit, i. homo. Aſſumſit enim naturam humanam, & factus eſt homo: aſſumſit formam ſerui, & factus eſt non ipſa forma ſerui, ſed ſeruus: quib. de reb. ſupra. Atq; hæc de voce λαβών.

Sequitur, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος.

Tria hęc explicat Apoſtolus. 1. dixerat τὸν ὑπάρχοντα ἐν μορφῇ θεοῦ, ſumſiſſe μορφὴν δούλου. Sed ex quonam rerum genere erat hæc μορφὴ δούλου? Potuiſſet fortaſſis eſſe ex genere rerū cœleſtium, vt Angelorum aut corporis cœleſtis, aut aliqua noua rerum ſpecies creata. Explicat ergo Apoſtolus, ac negat fuiſſe Angelicam, aut cœleſtem, aut nouam formam: ſed fuiſſe formam ait humanam: in ſimilitudinem (inquit) hominum factus, id eſt, factus aliis hominibus per omnia ſimilis, excepto ſcilicet peccato, vt Heb. 2. explicatur. Sic enim ibidem: Nam non aſſumpſit Angelos, ſed ſemen Abrahæ. Hoc eſt primum. Explicat ergo vocem illam μορφὴν δούλου & ad humanam formam reſtringit.

Deinde docet, Chriſtum aſſumſiſſe humanam naturam & veram, & totam ſeu perfectam: ac proinde non phātaſmaticam formam ſerui, ſed verā: nec partem huius formæ, ſed totam μορφήν: animam ſcil. verè humanam, verùmque humanum corpus, cum omnibus vtriuſque proprietatibus. Hoc docet, cùm ait, ἐν ὁμοιώματι τῶν ἀνθρώπων γενόμενος. Quid enim

enim hoc est aliud quàm id, quod ad Hebr. ait, *Christum similem nobis esse per omnia, absque peccato:* & quod mox hic sequitur: *Et forma inuentus est, vt homo?* Si similis est nobis per omnia: verus igitur homo est, verè humana anima, verè humano corpore, cum omnibus vtriusque proprietatibus constans.

VII. Septima igitur vox in hoc contextu diligéter consideráda, est vox ὁμοιώματι. Marcion & alij hęretici captarunt hinc, & ex sequente voce σχήματι, occasionē dicédi, Christum nō fuisse verum hominem, sed speciem tantum hominis habuisse. Sed falsi sunt. Quæ enim est consequentia: Factus est in similitudine hominum: ergo non est verus homo? Sic igitur etiā dicemus, Gen. 5. v. 3. Adam genuit Seth *Badmutho* in similitudine sua: Ergo Seth non fuit verus homo, sed species hominis. Imò vsus est ea voce Moses, & sequenti *Bahhalmo*, in imagine sua, vt summam & substantiæ & qualitatum animi ac corporis similitudinē, quæ a patre in filium deriuata fuerat, explicaret. Christus item Col. 1. *Imago Dei* appellatur: dicemus igitur, non esse verum Deum? Deinde cum Apostolus dicat Heb. 2. *Christū participem factum esse carnis & sanguinis, sicut & nos:* Item, *similem nobis esse per omnia excepto peccato:* Et Ioan. 1. *Verbum caro factum est:* quid opus est cauillari? Sciamus igitur hac voce, ἐν ὁμοιώματι γενόμενος, voluisse Apostolum significare substantialem similitudinem, hoc est, Christum, sicut imago est Dei substantialis, & ideo verus Deus, & Patri ὁμοούσιος: sic verum & hominem & nobis ὁμοούσιον esse.

Sed cur non dixit apertius *homo factus est?* Quia voluit significare, Christum non solùm nostram substantiam suscepisse: sed etiam omnes nostras infirmitates & qualitates, excepto semper peccato. Et hoc proprie etiam (vt supra diximus) significauit voce μορφῆς: naturam scilicet humanam omnibus suis qualitatibus vestitam. Iis enim qualitatibus declaratur, se verum esse hominem nobis per omnia similem: quibus nūc si eum spolies, hominem negaueris. Scholia aliam afferunt caussam, quia scilicet quædam habebat supra hanc nostram humanam naturā vt quod erat Deus, & quòd conceptus sine viri & fœminæ commixtione τί δὲ ... ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων ... [illegible] Tenenda igitur est vera significatio huius vocis ὁμοιώματος.

Tertio loco dixerat Apostolus, Christum sumsisse sibi μορφὴν. Cæterùm, quia multi sunt modi, quibus aliquid ab aliquo sumitur: & in veteri etiam Testamento sumebat sæpe Christus ... hominis, & tamen non propterea erat homo: ideò hic explicat modum, quo Filius Dei suscepit formam serui, h. e. humanam naturam: nempe per modum vnionis ὑποστατικῆς. Nam ita eam suscepit, & sibi vniuit, vt per huius naturæ humanæ vnionem, factus sit tam verus homo, quàm etiam per ... verus erat: & est Deus. Oportet igitur, vt tam ... sit ad hanc personam vnita, quàm in ea etiam erat & est μορφὴ τοῦ θεοῦ: h. e. vt sicut ... erat & est ... τοῦ θεοῦ, sic nunc etiā ... & subsistat ἐν μορφῇ δούλου, h. e. in natura humana. Hunc assumtionis modum, modum scilicet vnionis ὑποστατικῆς significauit Apostolus participio γενόμενος, factus in similitudine hominum: h. e. homo verus aliis hominibus per omnia similis. Quare hæc quoque octaua vox obseruáda est: quia hic significat vnionem hypostaticam, sicut Ioan. 1. *Verbum caro factum est.* Si enim humana natura assumta, nō fuisset in vnitatem personæ assumta, ita vt esset ceu pars substantialis Christi assumentis: is non posset dici factus homo, vel in similitudine hominis: sed tantùm homini adiunctus, vel adiunctum sibi habere hominem. Quæ caussa est, cur licet Deus vniatur nobis, & nos Deo, per Spiritum ipsius: nō dicamur tamen aut nos facti Deus, aut Deus factus Petrus vel Paulus. Quid ita? Quia vnitio hæc non est ὑποστατική. Cum ergo Christus dicatur factus homo propter vnitionem sui cum illa forma serui seu hominis, manifestum est, hac locutione significari hypostaticam vnitionem: quæ res Nestorium euincit maximæ ignorantiæ, cùm duas personas in Christo statueret, assumentem, & assumtam. Tum certè *Verbum* non potuisset dici, *caro factum esse.* Ergo vis huius verbi obseruanda est, *factus est homo: homo est in similitudine hominum.*

Sequitur postrema particula huius versus: Καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος. Summa: His paucis verbis cōfirmat, quæ ante dixerat de vera hominis natura (quā μορφὴν δούλου vocauit) à Filio Dei in vnitatem personæ assumta: qua similis per omnia, excepto peccato, factus est aliis hominibus. Et id confirmat à certis & manifestis proprietatibus humanę naturæ: ex quibus agnitus fuit ab omnibus, qui cum eo vixerunt, verus fuisse homo. Docet enim Christum, tum à forma corporis verè humani, tum à forma & habitu totius vitę, qua vixit inter homines, vt alij homines: fuisse deprehensum & compertum, verum esse hominem. Hæc est summa. Ideo sic legenda & reponenda sunt verba: Et compertus est (nempe ab omnibus, qui eum viderunt, & cum eo versati sunt: Quid compertus est fuisse?) ὡς ἄνθρωπος, i. quòd fuerit verus homo. Est enim affirmantis illud ὡς. Quo modo compertus est? ... σχήματι, a figura formaq; corporis, nempe verè humani: & a figura seu forma totius vitæ, quam inter homines vixit per annos 33. plus minus. Vtrumque enim illa voce σχήματι significate voluit Apostolus: formam scilicet inprimis ac figurā corporis humani, cum omnibus eius proprietatibus: vt quòd fuerit non minus visibile, palpabile, loco circumscriptum, certis membris & organis distinctum, vera carne humana & veris ossibus præditum, quàm reliquorum hominum corpora. Hoc inprimis, & deinde totam illam externam humanæ vitæ formam, quam omnes homines viuere solent, omnésq; actiones, quæ per corpus & in corpore fiūt, vti est edere, bibere, dormire, vigilare, ridere, tristari, gaudere & alia huius generis, quæ in humanam vitam cadunt, hac vna voce σχήματι exprimere voluit Apostolus. Sunt enim hæc omnia σχῆμα quoddam & figura: qua cognoscitur, an aliquis sit homo, nécne. Itaque voluit concludere, Christum sicut verus Deus fuit & est, æqualis Patri secundùm formam Dei: sic verè & non ἐν δοκήσει, propter salutē nostram, factum esse verum hominem, longè minorem Patre secundùm formam serui: quæ est prima humilitatis & exinanitionis ipsius pars.

Et vnde probat atque concludit? A vera humani corporis figura, totiúsque vitæ humanæ forma atque habitu: id quod omnibus, qui cum eo in terris vixerunt, compertissimum fuit. Hic est verus sensus huius loci. Et sic Scholia vocem σχήματι ad carnem, seu ad corpus, & ad proprias corporis qualitates & actiones referunt: & refutant hæreticos, qui nomē, ... pro inani figura & specie corporis interpretabātur: ideóq; volebāt cōcludere, Christū nō esse verum hominem, sed humanam naturam à Deitate fuisse absorptam. Τὸ σχήματι ... [illegible] (scil. Apostolus) ... σαρκὶ ... ἄνθρωπος.

Et illud, ὡς ἄνθρωπος exponunt per ὡς, vtpote ἄνθρωπος, i. tanquam verus & verè ἄνθρωπος, sicut & Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam* ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός ... id est, vtpote & verè μονογενοῦς.

Hactenus vidimus singularum vocum huius versus veram ac genuinam significationem, & quantam vim in se habeant, quidque concludere voluerit Apostolus: primam scil. exinanitionis & humiliationis partem, quæ in hoc cōsistit, quòd cùm esset verus Deus, & naturā æqualis Patri: propter salutem tamen nostram, nec cogitauit, nec voluit simpliciter, & semper in ea maiestate & æqualitate manere, ac nullo modo per assumtionem nostræ carnis fieri Patre minor: sed seipsum prorsus illa diuina gloria & maiestate spoliauit: non illam deponendo, aut seipsa amittēdo, sed formam serui sumendo: factus verus homo, nobis per omnia similis, excepto peccato: id quod omnes, qui cum eo versati sunt, compererunt & certò cognouerunt, ex vera corporis humani forma, & ex veris humanæ vitæ actionibus, verisque hominis proprietatibus. Ergo idem affectus sit in vobis, qui & in Christo: vt, licet sitis magni, nobiles & diuites, ne dedignemini de vestra illa altitudine & gradu sublimi, ad pauperum fratrum obsequia ac seruitia vos demittere: præsertim cum istud faciendo, nil vobis de vestra dignitate decedat: quemadmodum neque Christus suam formam Dei seipsa amisit, quanquam formam serui sumserit, & verus factus sit homo, nobis per omnia similis. Hæc est summa, & huc spectant quæcunque dixit de mysterio incarnationis Christi.

CAPVT III.

Conclusit autem his paucis verbis, de hoc mysterio, hęc capita Apostolus.

1. Primum, ante Mundi constitutionem, Filium fuisse à Patre destinatum ad sumendam formam serui, seu humanam naturam, in qua fieret Patre minor, propter salutem nostram: vt scil. in ea carne & forma seruiret, tum Patri obediendo, tum nobis salutem nostram comparando & dispensando: Nec Filium hoc recusasse, sed lubentissimè voluisse, quod & Pater voluit. Non enim hanc rapinam cogitasse sibi esse faciendam, vt simpliciter esset semper ęqualis Patri.

2. Suo igitur tempore Filium sponte seipsum exinani-

uisse, sumta serui forma: & in ea factum esse minorem Patre, quanquam in forma Dei mãserit semper ęqualis Patri.

3. Filium solum, non autem vel Patrem, vel Spiritum sanctum sumsisse sibi formam serui.

4. Et sumsisse non seruum seu hominem, & personam aliam, sed formam ipsam, id est, naturam.

5. Sumtionem hanc factam esse non per vllam vel personæ assumentis, vel naturę assumtæ mutationem, aut crasin, mixtionem & confusionem: sed per veram vnionem personalem: qua scilicet res assumta ita vnita est arctissimo vinculo cum persona assumente, vt persona illa, sicut ante in sola forma Dei subsistebat, nunc in forma etiam serui subsistat, tanquam in assumta huius personæ substantia atque natura. Est enim verè factus verus homo.

6. Itaque & veram, & totam naturam humanam, non autem vel partem, vel κατὰ δόκησιν, cum omnibus tum animi, tum corporis proprietatibus, à Filio Dei, in vnitatem personæ assumtam esse, idque ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως. Est enim in similitudine hominum, nobis aliis hominibus per omnia, excepto peccato, similis effectus.

7. Ac quòd verus homo factus sit, verè humana anima, & verè humano corpore præditus: hoc esse certissimum: quoniam tum ex figura corporis, tum ex actionibus humanæ vitæ, quæ omnibus hominibus sunt communes, verus homo fuisse, ab omnibus qui eum viderunt, & cum eo versati sunt, deprehensus est.

8. Vnam igitur & eandem personam, nempe Christi, in duabus, & ex duabus formis constantem, forma Dei, & forma serui, cum distinctis, & inconfusis vtriusq; proprietatibus: verum esse Deum, verumque hominem Patri secundum vnam, nobis secundùm alteram ὁμοούσιον.

Hæc omnia de persona Christi, déque incarnationis mysterio capita, manifestissimè ex præsenti contextu, quemadmodum inter explicandas voces & phrases vidimus, demonstrantur.

Ex iis à contrario refutantur hæreses, quæ contra personam Christi, partim quà Deus, & partim quà homo est, à variis hæreticis, autore Sathana, ad euersionem Ecclesiæ, fabricatæ fuerunt.

1. Primò refutatur denuò Ebion, Cerinthus, Samosatenus, Photinus, qui docentes, Christum purum esse & nudũ hominẽ, negabãt eum, antequã esset homo, aliquid reale fuisse & extitisse, eóq; carnẽ formámque serui sumsisse. Quod enim nõ est, nihil assumere potest. At Apostolus ait, Christũ in forma Dei substitisse: deinde formam serui sumsisse. Et quomodo sumsisset formã serui, si non substitisset?

2. Refutantur denuò etiam Carpocrates & Arius, qui docentes, Christum quidem ante carnem assumtam substitisse: negarunt tamen eiusdem naturæ cum Deo fuisse. At Apostolus docet, hunc, qui carnem suscepit, fuisse Deo (Patri) æqualem, eóque ὁμοούσιον.

3. Refellitur hæresis etiam Praxeę & aliorum Patripassianorum: qui dicentes cum Sabellio, sicut vna est essentia, sic etiam vnam tantùm esse personam, quæ vocetur Pater, Filius, & Spiritus sanctus: simul etiam prædicarunt, qui sumsit formam serui, fuisse ipsummet Patrem, qui in forma assumta, etiam passus sit: vnde dicti fuerunt Patripassiani. At Apostolus distinguit personam Filij à persona Patris: & dicit, eum, qui suscepit formam serui, fuisse ęqualem Deo, scil. Patri: & post enacuasse seipsum, nempe æqualitate cum Patre in ea carne: iuxta illud Christi, *Pater maior me est*: nimirum non simpliciter, sed tantùm respectu formę serui assumtæ.

4. Hæresis Nestorij, Episcopi Constantinopolitani profligatur, qui sicut duas naturas fatebatur in Christo, diuinam & humanam: sic duas fingebat personas, Personam Filij Dei, qui fuerat in forma Dei, & personam filij hominis, qui fuit & est in forma serui: & has duas personas simul fuisse in vtero Mariæ consociatas, tanquam duos amicos inseparabiliter vnitos: ita vt Christus filius Mariæ, non alia ratione fuerit Deus, quàm quia Deus in ipso habitabat: non autem quòd vnum esset ὑφιστάμενον duabus constans naturis, forma Dei & forma serui. At Apostolus apertè scribit, illum, qui erat in forma Dei, suscepisse non eum, qui esset in forma serui, sed ipsam formam serui, i. non hominem, sed naturam humanam: non δοῦλον, sed μορφὴν τοῦ δούλου.

5. Rursus refutatur hæresis Eutychis, Monachi & Abbatis Constantinopolitani, qui contra Nestorium, sicut vnam in Christo duntaxat agnoscebat personam, sic vnam tãtùm naturam post incarnationẽ inesse contendebat, nimirũ diuinã. Formã. n. serui, à forma Dei fuisse absorptam, atque in se conuersam: sicut si poculum aquæ in maximum vini dolium iniicias. At Apostolus apertè docet, eum qui erat in forma Dei, ita assumsisse formã serui, id est, hominis: vt fuerit in similitudine hominis factus, & figura atq; habitu, formáque totius vitæ, compertus vt verus homo.

6. Refellitur & hæresis Apollinaristarum, qui (vt scribit Augustinus de hæres. ad Quod vult deum) ita exponebãt verba Ioan. 1. *Verbum caro factum est*, vt pertinacissimè dicerent, aliquid verbi in carnem fuisse conuersum. At Apostolus non ait: Qui erat in forma Dei, eũ sese vel in totum, vel ex parte conuertisse in formam serui: sed tantùm existentem in forma Dei, sumsisse (sibi) formam serui: in vnitatem scil. personæ. Mansit ergo quod erat, & sumsit factusque est, quod non erat: ὑπάρχων, id est, existens, & manens in forma Dei, sumsit formam serui.

7. Expugnatur & hæresis eorum, qui iam inde à temporibus Apostolorum cœperunt prædicare, Christum nequaquam in vera humana carne venisse, verúmve hominem fuisse: de quibus 1. Ioan. 4. *Et quis est spiritus Antichristi, nisi qui negat Christum venisse in carne?* Et Ignatius discipulus Iohannis Apostoli in suis Epistolis, illisque ab Eusebio comprobatis, aduersus hanc hæresin scribit. Et August. Tom. 6. li. de hæres. primum autorem huius hæreseos facit Cerdonem. Docebat enim Christum, οὐκ ἀληθῶς, sed δοκήσει καὶ φαντασίᾳ, corpus suscepisse humanum: & actiones item suas κατὰ δόκησιν edidisse, passum & mortuum esse. Contrà demonstrant Patres, Ignatius & alij, Christum ἀληθῶς carnem suscepisse, omniaque egisse.

Secutus fuit hanc hæresin Marcion, quem Polycarpus primogenitũ Sathanę appellauit: & postmodũ Manichæi.

Luculenter autẽ ab Apostolo hæc hæresis refutatur, qui ait, Christum in similitudine hominum factum, i. nobis per omnia (excepto scilicet peccato) similem fuisse: atque ex figura corporis, & ex forma totius vitæ, compertum fuisse ab omnibus verum esse hominem.

8. Hinc refellitur eorundem error, qui veram incarnationis caussam tollebant: docentes, Christum, quia verum nõ habebat corpus, verumque sanguinem, eoq; nec vere passum esse, nec mortuum, neque etiam nos vere redemisse, nec verè peccata expiasse. Apostolus verò cum demõstret, Christum in forma Dei existentem, veram formam serui sumsisse, verumque hominem fuisse & esse: concludit, etiam verè passum esse & mortuum: eoque nos verè per eũ redemtos fuisse: Et ideo rectè Irenæus, cùm hęresin, de corpore Christi phantasmatico oppugnat, subinde repetit hãc consequentiam: Nos igitur nõ verè, sed κατὰ δόκησιν redemtos fuisse, putatiua iustitia, putatiua redemtione: eoque totã religionem Christianam nihil aliud (iuxta scil. Marcionis & Manichæorum errorem) esse, quàm inanem phantasiam: quod cùm pugnet cum omnibus Scripturis: efficitur Christum verum habuisse & habere corpus. Annon verò eadem absurda consequuntur ex doctrina eorum, qui carnem Christi docent vbique locorum esse, inuisibilem, impalpabilem, incircumscriptam?

9. Refutatur & hæresis Valentini, & aliorum, qui cùm vidissent, nõ posse negari, quin Christus verè sumserit carnem, veramque serui formam: negarunt, saltem eum eiusdẽ esse naturæ cum nostra carne: sed finxerunt eam fuisse è cœlo allatam, & per vterum virginis Mariæ, tanquam per canalem ad nos delatam fuisse: carnem hanc aliis è substãtia Dei, aliis ex materia cœlesti, aliis ex materia siderea, aliis ex elementari formatam, & omnino toto genere diuersam esse, contendentibus, & pertinaciter asseuerantibus.

Hæresin hanc renouarunt & nostro tempore Anabaptistæ, abusi aliquot scripturæ locis: vt quod Apostolus vocet Christum *hominem cœlestem*: Et quòd Christus dixerit: *Quid si videritis Filium hominis ascendentem, vbi erat prius? nempe in Cœlo.* Quorsum verò hic error? Eò spectat, vt nostra salus tota euertatur. Si enim veram nostram carnem non assumsit Christus: nõ igitur eam sanctificauit in seipso: quare neq; etiam resuscitabit ad gloriam. τὸ γὰρ ἀπρόσληπτον, ἀθεράπευτον, ait Nazianzenus. Sed Apostolus apertè scribit, Christum in similitudine hominis factum esse, & repertum vt verũ hominem. Et Hebr. 2. communicasse carni & sanguini, quorum & nos participes facti sumus: vnde & non erubuit nos vocare fratres suos. Christus igitur veram carnem nostram sumsit: eam in seipso sanctificauit: sanctificata nobis in verbo & sacramentis participandã tradit: vt cum ea magis ac magis coalescamus, & fiamus caro de carne eius.

10. Refutatur & hæresis alia Arianorum, qui fassi quidem sunt, Christum veram sumsisse carnem, sed eam animæ omnino expertem esse dixerunt: loco autem Animæ ibi fuisse alteram Christi naturam, qua nec Deo Patri, nec nobis sit ὁμοούσιος. Finis Arianorum in hoc dogmate de λόγῳ in carne inanima, officium Animæ faciente, fuit: vt inde concludere possent, λόγον non esse naturâ Deum. Quare? Quoniam Deus nõ patitur, nec habet vllũ πάθος: λόγος

autem

autem in ea carne, quia erat eius anima, habuit τὰ πάθη, & tristatus est.

Sed refellitur ab Apostolo, qui ait, Christum sumsisse formam serui, h.e. non solùm veram, sed etiam totam, & in similitudine hominum esse factum: h.e. vt alibi explicat, nobis per omnia, excepto peccato, similem. Infinita verò sunt scripturæ testimonia, quibus Patres hæresin hanc expugnarunt.

11. Iisdem testimoniis & argumentis refutatur & hæresis Apollinaris, qui fuit Episcopus Laodiceæ in Syria: is fatebatur, Christum carnem anima sensitiua & vegetāte præditam sumsisse: sed negabat sumsisse animam rationalem seu mentem: quòd hæc non fuerit illi necessaria, cùm λόγος faceret officium mentis. At Paulus ait, *Christum factum esse nobis per omnia similem, excepto peccato,* & ait, *fuisse compertum, vt hominem.* Quomodo autem homo est, si non est præditus anima rationali? Quid enim homo est, nisi animal ratione præditum?

12. Euertitur & error Monothelitarum, qui docuerunt, Christum veram quidem & totam formam serui, h.e. humanam naturam, corpus scilicet, & totam animam sumsisse: sed post vnitionem duarum naturarum in vna persona, vnam tantummodò mansisse indiscretam voluntatem, vnam tantummodò intelligentiam, vnam tantummodò δύναμιν: diuinam scil. humanæ etiam naturæ communem: ita vt Christus vna tantùm intelligentia, nempe diuina, intelligeret, & vna tantùm voluntate vellet, vnáque potentia polleret & operaretur. A qua hæresi neq; illi alieni sunt, qui idiomata diuinæ naturæ, realiter in humanam naturā trāsfusa, & ei realiter communicata fuisse docent: eoq; vna & eadem omnipotentia formā serui, qua & forma Dei operatur, omnia operari & agere, quæcunque operatur & agit.

At Apostolus ait, Christum sumsisse formā serui, nempe cū omnibus eius proprietatibus essentialibus: ac sicut naturam formæ serui non commutauit in naturam formæ Dei, neq; cum ea hanc confundit aut commiscuit: sic neq; essentiales proprietates diuinæ, cum humana realiter communicasse docet. Ait enim, *Christum factum esse in similitudine hominis; & forma corporis totiúsque vitæ, compertum fuisse vt hominem, nempe verum.* Quomodo autem verus homo fuit & est, si proprietates humanæ naturæ non retinet? aut quomodo diuinæ non exequatur humana, si easdem in sese habet proprietates? Melius Leo: *Vtraque forma agit quod suum est, cū alterius (non cōmunicatione, sed) communione: Verbo agente quod verbi, & carne exequente, quod carnis est.* Non igitur agit humana, quæ diuina: sicut neque diuina, quæ humana: sed tantùm in actionibus ad salutem nostram pertinentibus, vtraque suas actiones ad idem ἀποτέλεσμα simul dirigit: id quod est operari cum communione alterius.

Hactenus hæreses eorum, qui in Christo aut diuinam naturam, aut humanam, vel veram, vel totam, id est, perfectā fuisse negarunt: aut personā eius, qui incarnatus est, à persona Patris & Spir. S. non distinxerunt. Restant adhuc errores aliquot circa hoc incarnationis mysterium, quæ his itidem Apostoli verbis, de quibus agimus, refutantur.

13. Supra vidimus hæresi septima, quinā docuerūt, Christum verè humano corpore præditum non fuisse, eoq; nec verè humanas actiones edidisse, sed tantùm κατὰ δόκησιν, quæ etiam Manichæorum fuit insania. Nunc addo: nō defuisse inter illos, quos vocamus Patres, qui licet contra Manichæos & Marcionitas docuerint, Christum verū habuisse corpus, corpus inquam verè humanum: & contra Arianos & Apollinarem, veram habuisse animam atq; mentē: eoq; & veram & perfectam naturam humanam assumsisse: tamē contendere non dubitarunt, Christum multa quidem accepisse vulnera, percussum, flagellatum, clauis cruci affixū fuisse, sanguinem fudisse, animam etiam à corpore emisisse: sed nullum vnquam dolorem verè sensisse: & corpus quidem habuisse ad patiendum, sed naturam non habuisse ad dolendum. Et quidam Græcus scripsit, corpus Christi etiam ante mortem & resurrectionem fuisse ἀπαθὲς τῶν φυσικῶν καὶ ἀδιαβλήτων παθῶν. Apud Hilar. de Trinit. lib. 10. Et quamobrem isti pij alioqui & magni viri (neque enim nominare volo) hæc scripta reliquerunt? Quoniā omnis plenitudo Deitatis habitat in ipso corporaliter: item, quia licet sumserit formā serui, nō dimisit tamen formam Dei. Disputabāt aduersus Arianos, qui cōtendebant, Animam Christi nil fuisse aliud, quàm ipsum λόγον, qui caro factus est. Cum autem de Christo legamus, quod dolores nostros portarit: quòd tristis fuerit anima eius vsque ad mortem: quòd querulatus sit, dicēs, Deus meus, Deus meus, cur me dereliquisti? Et alia similia, motum ac dolorem & tristitiam significantia: inferebant Ariani, Christū non esse naturā Deum.

Quidam ex orthodoxis ita contra disputarunt, vt dicerent, hæc quidem in corpus cecidisse, sed in animam non penetrasse: ac Christum in carne quidem passum fuisse, sed nullum dolorem in animo sensisse, propter Deitatem in ipso habitantem: & similia multa attulerunt, vt suam probarent sententiam, qualia sunt hæc: Telo perforare potes aquam, gladio ignis flammam secare, scutica aërem verberare: sed quemnam illa dolorem sentiunt? Sic inquiebant, flagellationes, percussiones, claui, corona spinea, & alia, imperum quidem passionis Christo attulerunt, sed dolorem passionis non intulerunt.

Sed hunc manifestissimum errorem refellit Apostolus, cū ait, Christum formam serui sumsisse, in similitudine hominum factum, & figura repertum fuisse vt hominem. Quomodo. n. conuenit illa sana sententia cū dicto Apostoli, quo dicit, Christum tentatū fuisse per omnia, absque peccato? Item, Christum verum hominem esse, nobis per omnia similem, excepto peccato. Et quid est, λόγον, factum esse carnem, nisi talem factum esse hominem, qui omnibus infirmitatibus & doloribus carnis non minus fuerit obnoxius, quā reliqui homines? Et quid est, quod Ies. 53. ait, *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit?*

At plenitudo Deitatis in tota illa natura habitabat. Verum. sed quid tum? Non sinebat igitur illum vllo affici dolore. Quis hoc dicit? Quæ scriptura tradit? Melius Irenæus, qui ait, *Tunc quieuisse Verbum, vt Anima & caro pati possent, atq; dolores nostros perferre.* De hac re & aliis ad hanc quæstionem pertinentibus, plura dicemus infra, vbi Apostolus ait, *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsq; ad mortem.* Pro hoc tempore retineamus: si Christus fuit verus homo, vt hic dicit Apostolus, veramque habuit serui formam: non minus igitur dolores sensit, & alias humanas infirmitates pertulit, quàm nos reliquíque homines.

14. Supra diximus hæresi sexta, adscribi ab Augustino ipsi Apollinari, quòd dixerit, aliquid Deitatis in humanam naturam conuersum fuisse, propter illud Ioan. 1 *Verbum caro factum:* id quod historiæ etiam docent de Apollinari. Vide Epistolam Leonis primi Pp. ad Leonem Imperatorem, de Eutyche, qui Apollinarem secutus, docuit etiam, Verbum mutatum fuisse in carnem. Tanta fuit hominis incōstantia atque ignorantia. Sed huic similis error est, quo quidam existimare possunt, cùm Apostolus ait de Christo, ἐκένωσεν ἑαυτὸν, significari, quod Christus reipsa deposuerit suā gloriā & maiestatem, eaque seipsum spoliarit ac denudarit: Vel saltem, quòd suam formam Dei ita miscuerit ac confuderit cum forma serui, vt illa discerni ab hac non amplius potuerit, sicut mel in mulso discerni ab aqua non potest: atque in hoc consistere illam κένωσιν, euacuationem, de qua loquitur Apostolus.

Sed hunc errorem refutat idem Apostolus, qui explicās, quomodo seipsum exinanierit Christus, ait, *forma serui sumta, in similitudinem hominum factus.* Non ergo in reali depositione formæ Dei, sed in vera tantùm ac reali assumtione formæ serui, illa Christi κένωσις & exinanitio consistit: sicut explicat Ecclesia in symbolis: *Quod erat non dimisit, sed quod non erat, assumsit:* & per consequens, quibusnam in rebus consistat exinanitio Christi. In eo consistit, quod sub forma serui ita occultata fuit forma Dei, vt penè nulla amplius esse videretur: veluti etiam Solis lux, cùm obtegitur densissima & atra nube. Quis enim tunc non dicat, Solem omnem suam lucem deposuisse, & se suo splēdore denudasse? Ambr li. de fide, cont. Arian. c 8. *Exinaniuit semetipsum formā serui suscipiendo: nō vt aliud, quàm quòd erat fieret, i. non vt mutaretur ab eo, quod erat: sed vt seposito interim maiestatis suæ honore, humanum corpus indueret, quo suscepto, salus Gentium fieret. Vt enim Sol, cùm nube tegitur, claritas eius comprimitur, non eç̧catur, & lumen illud, quod toto in orbe dispersum claro splendore cuncta perfundit paruo obstaculo nubis includitur: Sic homo ille, quem Deus induit, Deum in homine non intercepit, sed abscondit.* Hæc ille. Sic etiam Leo primus, epist. 10. *seruilem formam, obumbrata Maiestatis suę immensitate, suscepit.* In hoc etiam ex consequenti consistit: quòd qui Dominus omnium erat & vocabatur propter formam Dei: voluit etiam & esse & vocari seruus, propter assumtam formam serui: Nos contra, viles homunciones, fratres suos appellare, vt si Sol, propter susceptam nubem, dignetur se vocare atram & tenebricosam nubem: & contra nubem appellare solem.

In hoc quoque posita est illa κένωσις, quòd non solùm lux illa Deitatis fuit re ipsa sub nube carnis occultata, ac nominibus etiam hominis, & filij Ioseph atq; Mariæ contecta: verùm etiam, quòd per opera, dū in illo statu humiliationis fuit, nec semper, nec multis, nec omnibus, quibus potuit modis, nec vbique suam patefecit gloriā. Quòd enim

sol, nube tectus, aliquid lucis ad nos demittat, & aliquid virium exerat: quid hoc ad illam ingentem lucem & calorem, quibus, nube detectus, omnia implet atq; perfundit? Ergo retentio suæ virtutis & omnipotentiæ in illa carne: κένωσις & exinanitio appellatur: & ideo ait Ambros. quòd λόγος in carne potentiam suam & maiestatem ab opere retraxit. Et huc optimè quadrat verbum κενόω, *vacuare*: & κενός, *vacuus*: quia in S. literis sæpe de vsus & operationis cessatione atq; defectu vsurpatur: Vt, *Gratia Dei in me non fuit* κενή, i. *otiosa*: 1. Cor. 15. Et, *Ingressus noster ad vos non fuit* κενός, i. *vacuus & sine fructu*. 1. Thes. 2. Et in hoc 2. c. ad Philip. *Tenentes sermonem vitæ, vt possim gloriari, quòd non in vanum incurrerim*, id est, *quòd non laborarim sine fructu*.

Ergo quòd Deitas in illa carne occultata, non statim, non semper, non in omnibus, non abundè sese exeruit, sed quasi otiosa mansit: κένωσις Filij Dei dicitur.

In hoc denique sita est, quòd Christus in ea carne non solùm non exeruit, vt potuit, suas vires, suamque omnipotentiam: verùm etiam contrà infirmitates carnis sustinuit, passus est, & mortuus. Non quòd Deitas passa sit, sed quod Deus verè passus & mortuus, & Dominus gloriæ crucifixus sit: ea nimirum sui parte, qua homo factus est: non secus atque homo verè mori dicitur, licet non anima, sed corpus duntaxat moriatur: qua de re postea, cum ventum fuerit ad mysterium redemtionis per mortem, mortem autem crucis.

HIERONYMI ZANCHII
DE INCARNATIONE FILII DEI,
LIB. II.

Hæreses de incarnatione Christi referuntur.

CAPVT I.

HActenus verba Apostoli interpretati sumus: *Qui cùm in forma Dei esset, &c.* Ac deinde quænam doctrinæ de CHRISTI persona hinc colligatur: & quænam hæreses iis verbis damnentur, indicauimus.

Nunc restat vt integrum locum de incarnatione, eóque de duabus in Christo naturis, earúmque inter se vnione: prolixius explicemus. Quia verò hic locus contra supra damnatos hæreticos, atq; inprimis contra tum Arium, tum Apollinarem, tum verò maximè contra Nestorium & Eutychen, eiusque sectæ reliquias, Monothelitas & Vbiquitarios, cum Ecclesia Catholica explicandus est: opposita autem iuxta se posita, vt lux cum tenebris, album cum nigro, & veritas cum falsitate collata, magis elucescunt: idcirco iudicaui me facturũ operæpretium, si breuiter quænam fuerit horum hæreticorũ doctrina in Synodis damnata, præsertim doctrina cum Nestorij, tum Eutychis, quæ etiam hoc tempore renouata est, explicem. Multum enim hoc interest nosse: quoniam hinc etiã magis perspicuum fiet, qualis sit hæreticorum nostri temporis de iisdem rebus portentosa imaginatio & in quibusnam Synodis olim damnata fuerit. Nam de aliis hæreticis, duobus verbis expediri totum negotium potest.

1. Ebion, Cerinthus, Photinus: nil aliud in Christo agnouerunt, quod ad illius essentiam, & personam attineret, quàm veram & perfectam humanitatem: nullam verò Deitatem.

2. Contra Marcionitæ & alij nonnulli, diuinam tantummodo naturam confessi sunt: veram autem carnem humanam negarunt.

3. Arius verò neque veram Deitatem, neque perfectam humanitatem concessit: λόγον dixit esse spiritum creatum, sed omnium perfectissimum & verè diuinum: per quem reliqua omnia creata sint: hunc è cœlis descendisse in vterũ virginis, sibi creasse & vniuisse corpus: ipsum verò fuisse instar animæ. Atque hunc etiam esse illum spiritum, quem Iesus patri commendauit in cruce, dicendo: in manus tuas Domine commendo spiritum meum. Damnatus fuit in concilio Nicæno.

4. Apollinaris agnouit in Christo veram Deitatem, veram item carnem & veram animam vegetatiuam & sentientem: sed negauit humanam mentem. Damnatus fuit in synodo Romana, sub Damaso Papa.

5. Nestorius & veram Deitatem agnouit & veram perfectámque humanitatem: sed duas re ipsa finxit personas simul vnitas: vnam quæ esset tantùm Deus, nempe τὸν λόγον: alteram quæ esset tãtùm homo, nempe Iesum: quanquam post earum consociationem, vnam tantùm personam esse, verbis fateretur. Sic enim finxit factam fuisse incarnationem: λόγον Filiũ Dei, simul ac Maria credidit verbis Angeli, Ecce concipies, &c. in eius vterum ingressum, eam sanctificasse, verumque ac perfectum hominem ex eius carne & sanguine creasse: hunc hominem ita creatum, sibi inseparabiliter consociasse: consociatum, suæ dignitatis, suíque nominis communione donasse: nempe vt propter hanc consociationem, tam ipse Iesus homo, quàm λόγος, Deus Deíque filius appellaretur. Sicque etiam propter eandem consociationem hos duos, τὸν λόγον & Iesum, pro vna persona habendos esse: & tanquam vnam personam adorandos docuit. Et hoc sensu Mariam quoque matrem, (quanquam reuera filius hominis Iesu Nestorio mater esset) appellari tamen posse θεοτόκον, Deiparam ac genitricem Dei: quæ fuerat prima quæstio inter Nestorium & Cyrillum. Hæc fuit doctrina Nestorij de incarnatione Christi, déque duabus in eo naturis: quas non solum vt diuersas distinguebat, vt reuera distinguendæ sunt: verùm etiam tanquam per se subsistentes, vnam ab altera diuidebat: sola indissolubili consociatione & assistentia coniunctas: ita vt λόγος & Iesus, id est humana natura, essent non solùm aliud atque aliud, sed etiam alius & alius. Ita Nestorio, non Iesus saluum facit populum suũ: sed λόγος in Iesu: nec iste edit miracula, sed ille in hoc. Rursus non Deus passus est in carne, aut Dominus gloriæ crucifixus est: sed Iesus tantum, qui λόγῳ associatus est. Doctrina hæc fuit Nestorij: longè perniciosior, quàm prima fronte videatur. Sic enim soluebat Christum: ac inde præter alia impia & absurda, fiebat, vt Deus non aliter esset in Christo, quàm in sanctis: nisi quòd in Christo magis vim suam exerat, quàm in sanctis hominibus & Angelis.

Fuit autem Nestorij doctrina damnata in synodo Ephesina: & verè fuit de sententia Iohan. Apostoli in epist. 1. ab Antichristi spiritu profecta: quoniam soluebat Iesum: illum aliam à λόγῳ faciens personam.

6. Venio ad Eutychen: cuius hæresis diutius etiam turbauit Ecclesiam.

Damnato à synodo Ephesina Nestorio, Eutyches Abbas, anno post damnatum Nestorium 16. circa annũ Christi 450. homo (vt scribit Flauianus & Leo) imperitus & impudens, suam excitat hæresin: vnam tantũ naturam in vna persona Christi docens. Fuit autem hæc eius confessio, quã coactus fuit in conuentu multorum Episcoporum a Flauiano Constantinopolitano Episcopo conuocatorum edere: ἐγὼ ὁμολογῶ ἐκ δύο φύσεων γεγενῆσθαι τὸν κύριον πρὸ τῆς ἑνώσεως· μετὰ δὲ τὴν ἕνωσιν, μίαν φύσιν ὁμολογῶ. *Ego confiteor ex duabus naturis genitum esse dominum (Iesum Christum) ante vnionem: post vnionem autem vnam (eius) naturam confiteor.*

Confessio hæc fuit ambigua & lubrica, proinde neque vno modo fuit ab eius discipulis intellecta.

Primùm, constat quidem nomine duarũ naturarum intellexisse diuinam & humanam: sed de humana ambiguum fuit, an intellexerit verè humanam, h.e. sumtã ex virgine, & ὁμοούσιον nostræ: an verò simulatam & κατὰ δόκησιν, cum Marcione. Et quidem Græci historici scribunt, Eutychen docuisse τὴν σάρκα τοῦ κυρίου μὴ ὁμοούσιον ἡμῖν εἶναι, καὶ τὸν [illegible] ὡς ἐν φαντασίᾳ τὴν σάρκα φορέσαι. Et Flauianus in Epistola ad Leonem Papam refert hanc fuisse Eutychis sententiã: carnem Christi non esse nostræ ὁμοούσιον. Vigilius verò martyr initio 3. lib. contra Eutychen, illi adscribit, quòd senserit cum Marcione & Valentino, corpus Domini è cœlo allatũ per

vterum

vterum virginis, quasi aquam per fistulam transiuisse.

Ambiguitas *altera* in eo est, an ante adunationem, tam humana, quàm diuina substiterit per se, sicut & Nestorius sensit: an verò secus. Ex iis quæ iam retulimus ex Vigilio de corpore è cœlis delato, sensit substitisse: si verò sensit Christum habuisse corpus phantasmaticum, non verè substitit, quia vmbra fuit & phantasia.

Tertia ambiguitas fuit in voce ἑνώσεως: an hæc adunatio naturarum, facta sit in ipsa conceptione, & in vtero virginis, an verò post resurrectionem. Vigil. li. 1. c. 6. Et quidem aliqui ex eius discipulis, primam sententiam, alij alteram amplexi sunt. Et hanc alteram secutus est Schuuenckfeldius: post resurrectionem nimirum è duabus naturis, factam esse vnam: per conuersionem videlicet humanæ in diuinam.

Quarta ambiguitas consistit in eo, quòd dixit, post adunationem, se vnam tantùm confiteri naturam. Potest enim intelligi trifariam: nempe, quòd aut humana versa sit in diuinam: aut diuina in humanam: aut quòd vtraque cōfusa sit & mixta in vnam tertiam naturam. Leo in epistola ad Imperatorem scribit, Eutychen sensisse: Verbum mutatum esse in carnem: qui error etiam Apollinari, non solùm ab Augustino, sed etiam ab eodem Leone adscribitur.

In concilio Chalcedonensi, vbi damnatus fuit error Eutychis, decretum contrà fuit, in Christo duas esse naturas vnitas, ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως. Ergo ille sensit mutatas fuisse naturas, aut confusas & mixtas.

Ac naturam diuinam in Christo fuisse passibilem, de sententia Eutychis, tradit Vigilius lib. 3. c. 2. humanam autem non fuisse passibilem, quia phantasmatica illi erat.

Hoc verò tum ex patribus, qui scripserunt contra Eutychen: tum ex decretis concilij Chalced. tenendum est: cum duas defendunt in Christo naturas ἀτρέπτως & ἀσυγχύτως vnitas: eos loqui de naturis perfectis, h. e. cum suis proprietatib. essentialib. coniunctis: ac proinde damnasse in Eutyche confessionem non tantùm naturarum, sed etiam proprietatum essentialium. Multi enim ex Eutychianis non grauabantur concedere in Christo duas distinctas naturas, diuinam & humanam: sed proprietates confundebant: & hoc sibi volebant illi, qui dicebant, Deitatem conuersam esse in humanitatem: id est, diuinas proprietates in humanam naturam esse transfusas qui verò dicebant humanam in diuinam: hoc inprimis sentiebant, humanæ naturę proprietates realiter transfusas in diuinam, eòque diuinā passionibus subiiciebant. Legatur hac de re cum primis Gelasius Papa contra Eutychen, & Theodoreti dialogi.

Cum enim hi patres multis defendunt, corpus Christi in cœlo etiamnum retinere suas proprietates, esse finitum, circumscriptum, &c. manifestè docent, quæ fuerit præcipua pars Eutychianæ doctrinæ: nempe mutatas esse, & confusas naturarum proprietates.

Atque hæc de sententia Eutychis, damnata in synodo Chalcedonensi.

Quia verò, vt diximus, ambigua fuerat eius confessio: hinc factum est, vt in varias sectas eius hæresis diuisa fuerit: omnibus quidem vnam tantum naturam (scilicet perfectam) confitentibus: sed diuersis modis sententiam illam intelligentibus.

1. Prima secta, quæ post damnatum Eutychen, eius errorem defendit, fuit Acephalorū: sic vocata, quòd nemo voluit videri autor & caput huius renouati erroris. Nā propter damnatum Eutychen, nemo audebat eius nomē profiteri, aut apertè & expressè eam doctrinam prædicare: sed variis modis & clam eam renouabant: ij etiam μονοφυσῖται dicti sunt: quia è duabus, vnam tantùm confusam fecerūt.

2. Theopaschitæ. Ij peculiariter docebant, Deum in sua natura passum: quòd mutata in humanam, vel cum ea cōfusa sit. Hanc hæresin excoluit Seuerus Antiochenus Episcopus: & cum eo Armenij.

3. Agnoetæ. Hi cùm statuerent cum aliis vnam tantùm esse naturam in Christo, eamque diuinā: non possunt intelligi docuisse (vt quidam volunt) & attribuisse aliquam ignorantiam animæ Christi: sed dicebant illam naturā vnicam, multa ignorare quod quis nō dicat esse hæreticū?

Hi vocati sunt etiam Seueriani & Themistiani: quòd eandem doctrinam tradiderunt Themistius & Seuerus.

4. Aphthardocitæ. Hi enim peculiariter docebāt, corpus Christi ab ipsa conceptione propter coniunctionem cum Verbo, fuisse ab omni passione & corruptione alienū factū. Hunc inprimis docuit Iulianus Halicarnassi Episcopus: Et Gaianus Alexandrinus Archiepiscopus: à quo Gaianitæ.

5. Tritheitæ: Hi quia videbant non posse dici filiū in sua natura passum, quin etiam sequeretur patrem esse passum, si vna tantùm sit φύσις diuina: patrem non auderent dicere passum, propter damnatam hæresin Patripassianorum: ideo

vt possent docere filium in sua natura passum esse, confinxerunt tres essentias in Deo.

6. Monothelitæ. Hi docuerunt vnam tantummodo voluntatem in Christo & vnam efficacitatem. Origo hæc fuit. Cùm viderent μονοφυσίτας ad communionem Ecclesiæ non posse admitti: excogitarunt hanc falsam pacificationem, vt faterentur lingua, duas naturas in Christo, sed vnam tantùm voluntatem & efficacitatem: idque his de caussis. primò, ne duo prædicarentur volentes & operantes, cum sit vna tantum persona: 2. ne in Christo statuerentur contrariæ voluntates & actiones.

Damnata fuit in sexta synodo, tempore Agathonis Papæ: cui synodo præfuit Constantinus, Heraclij nepos, filius Constantis.

A sexta synodo, hæresis illa Eutychis in Ecclesia Catholica sepulta iacuit ad nostra vsque tempora, quibus excitata & ab inferis reuocata fuit, primùm per Melchiorem Hoffmannum Anabaptistam in inferiori Germania, post renouatum scilicet in superiori Euangelium: Et deinde per Gasparem Schuuenckfeldium in superiori Germania: postremo per Vbiquitarios: qua de re, qui volet, legat Iosiam Simlerum de duabus naturis, ad calcem libri, c. 17.

Notanda verò est caussa erroris in hoc mysterio de duabus in Christo naturis, qua adducti & Nestorius & Eutyches in cōtrarias sententias, & vtrasq; falsas, abierunt. Fuit enim vna & eadē caussa: sed diuerso modo vsurpata.

Caussa hæc fuit, quia vterq. hoc assumsit principiū, tanquam per se notum: Vnaquæque natura, h. e. substātia perfecta, hypostasin habet, qua subsistat: quæ ὑπόστασις, si in natura sit rationali, persona vocatur. Exemplum in homine assumebat Nestorius: Atqui in Christo duæ sunt perfectæ naturæ, diuina per se subsistens: & humana, corpus scilicet humanum, vera & perfecta anima præditum. In Christo igitur duæ personæ.

Contrà, assumebat eidem principio Eutyches: Atqui in Christo vna tantùm est persona: Ergo licet ante vnionem duæ essent naturæ: post vnionem tamen duę in eo esse nō possunt. Quare vt vna in alteram sit mutata, vel mixta vna cum altera, in vnam tertiam oportet: alioquin euitari non potest, quin duæ in Christo statuantur personæ. Sic etiam Monothelitæ: ne duo dentur volentes, duóque operantes, eoque duæ personæ, vna tantum in Christo voluntas & vna operatio concedatur, necesse est. Respondeo ad argumentum: Principium illud & maior propositio vera est, sed adhibita distinctione. Omnis perfecta natura, i. substantia habet hypostasin vel propriam vel alienam: h. e. vel per se ipsam subsistit, vel in alio. Per se ipsam, vt natura diuina in Christo, & natura Angelica in Angelis, & humana in hominibus. In alio, vt natura humana in Christo: nunquam enim per se substitit, sed semper in λόγῳ. Sic euertitur consequentia Nestorij: duæ igitur personæ. Sic etiam consequentia Eutychis. Vna igitur tantùm natura in Christo, ne duæ statuantur personæ, refellitur. Nam licet duæ sint in eo naturæ: non tamen inde efficitur, duas necessariò statui personas: cùm vna natura, nempe humana, propriam non habeat hypostasin seu personalitatem, sed semper substiterit & existat in persona Verbi, & ab eo sustentetur. Duæ etiam naturæ in homine: vna tamen duntaxat persona.

Idem ad Monothelitas: vnus tantùm est ὁ ἐνεργῶν, κ. θέλων, licet duæ voluntates καὶ ἐνέργειαι. Exemplum in homine renato: vbi voluntas carnis & voluntas Spiritus, actiones carnis & actiones spiritus.

CAPVT II.

His breuiter explicatis de Incarnatione Christi hæresibus: restat vt veram & orthodoxam sententiam explicemus. Hanc autem sequar ordinem in hac tractatione. *Primùm*, plenam descriptionem Incarnationis Domini nostri Iesu Christi afferam. *Deinde*, ex ea breuiter explicata, præcipua capita colligam, quæ seorsum fusius erunt pertractanda.

Hanc methodum videmus seruatam fuisse ab Aristotele in Ethicis: vbi primùm quid sit humana felicitas definiuit: Deinde singulas definitionis partes ita explicandas suscepit, vt omnes nouem libri, à primo pendeant, in quo definita fuit felicitas: & nihil ferè aliud contineant, quàm exactam humanæ felicitatis explicationem.

Sic igitur Incarnationem, seu (vt vocant Græci) σάρκωσιν Domini nostri Iesu Christi describo: idque ex præsenti contextu Apostoli, additis aliunde, quæ ad plenam descriptionem per necessaria sunt. Breuiter quidem sic: *Incarnatio est perfectæ humanæ naturæ assumtio, à Filio Dei, in vnitatem suæ personæ* ἀδιαιρέτως, ἀσυγχύτως, ἀδιασπάστως, ὑποστατικῶς *facta*.

Definitio hæc secundū regulas Philosophi, vt breuis est,

ita certa & perspicua. Constat enim ex genere & differentia. Nam primum membrum, *Assumtio est humanæ naturæ*, loco generis se habet: alterum verò, *à Filio Dei in vnitatē suæ personæ ἀτρέπτως, &c. facta*: loco differentiæ. Esse autem certam & perspicuam liquet ex ipso Apostolo tum hîc ad Phil.2. dicendo λαβὼν τὴν μορφὴν &c. tum ad Heb.2. dicendo: *Assumsit semen Abrahæ.* Quid verò magis perspicuum apud Christianos, quàm assumtionem hanc in vnitatē personę assumentis, factam esse non à Patre, neq; à S.S. sed à solo Dei Filio? De hoc enim solo locutus est Apostolus, cū dixit, ὃς ὑπάρχων ἐν μορφῇ θεοῦ, λαβὼν, &c. Nihil itidem clarius est, quàm assumtionem hanc, factam esse non simpliciter εἰς ἕνωσιν, ἀλλ' εἰς ἑνότητα, h.e. in vnitatem personæ τοῦ λόγου. Etsi.n. Filius Dei humanam naturam assumsit: vna tamen dūtaxat mansit persona, manens verus Deus, & factus verus homo. Reliquæ particulæ ἀτρέπτως, &c. additæ fuerunt à Patribus in Concilio Chalcedonensi, sed è scripturis luculenter collectæ & demonstratæ, ad refellendas hæreses, quę contra veram incarnationem fuerant à Diabolo excitatæ. Sed hæc & plura alia copiosiùs & luculentiùs explicabūtur ex ampliore descriptione, quam in gratiam studiosorū Theologiæ Christianæ modò subiiciemus: vniuersam doctrinam de hoc sacrosancto & ineffabili mysterio cōplexi.

Ἐνσάρκωσις, seu *incarnatio Domini nostri Iesu Christi*, est arcana diuináque humanæ carnis assumtio: qua vbi venit plenitudo temporis, æternus λόγος existens in forma Dei, Deo Patri ὁμοούσιος ac coæqualis, formam serui ex semine Dauidis in vtero virginis Mariæ, cooperante Patre & Spiritu S. sibi in vnitatem personæ ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, ἀδιαιρέτως, καὶ ἀχωρίστως, saluis nimirum & inconfusis manentibus cum formis, seu naturis, tum vtriusq; formæ seu naturæ essentialibus proprietatibus, iuxta vaticinia prophetarum, assumsit: atque ita assumsit, vt qui ante, tantùm erat Deus, postmodum in similitudine hominum, verus etiam factus sit homo, in vtraque forma vnus & idem Christus subsistens: idémque Deus simul & homo verus, ex virgine natus: vsque adeò, vt propter hanc formarum vnitionem, primùm quicquid singularum est formarum, illud totum de Christo ipso, siue per propriæ personæ nomina, siue per nomina naturarum in concreto expressarum, significato ac denominato, verissimè ac realissimè prædicetur: Deinde innumerabilia & excellētissima dona, à forma Dei, in formā serui collata fuerint: Denique, vt mediatoris ac redemtoris & nomē, & officiū, & honor, secundum vtramq; naturā eidem Christo conueniat: hánceque serui formam hoc modo ideo accepit æternus λόγος: vt in ea seipsum humilians, & Patri factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, peccata nostra suo sanguine expiaret: nosq; Patri reconciliatos, à peccatis per fidem iustificatos, & per Spir. suum S. sanctificatos, ipse à Patre exaltatus, secum ad gloriosam resurrectionem æternamque vitam exaltaret.

Complexus sum in hac descriptione omnes caussas, effecta, adiuncta, & quæcunque ferè de hoc incarnationis mysterio sacræ literæ, iuxta orthodoxam fidem intellectæ, tradiderunt.

Nunc breuiter (vt ad secundum veniam) singulas partes explico.

1. *Assumtio*: assumtionem voco illam perfectam in suscipienda carne actionem: quæ inchoata à tota Trinitate, ita terminata est in filio, vt ipse solus factus sit caro. Sic & generationis nomen apud Philosophos sumitur: quatenus scilicet significat motum generantis, in re genita receptum atque completum. Ita hîc *Incarnatio*, actionem significat totius Trinitatis, creantis animam & corpus, simulque cum diuina natura vtrumque vnientis, in persona filij terminatam, & effectum consecutam.

Actionem significat Apostolus, dicens, *Accepit*: terminum actionis in filio, dicens, *factus homo*, &c.

2. *Diuinam* voco, quia tota fuit actio, & opus Dei, animam per se in persona filij creantis: & corpus sine vllo viri semine ex puris sanguinibus virginis Mariæ in eadem filij persona formantis: atque in vnum cum illo, ineffabiliter vtrumque coniungentis.

3. *Arcanam*: quia à nulla creata mente, quomodo facta sit illa vnio, comprehendi potest.

4. Tempus tangitur, cùm dico, *vbi venit plenitudo temporis*: particula hæc Apostoli est ad Gal.4. De hac temporis circumstantia dicetur postea suo loco.

5. Caussa efficiens simul, & in suæ personæ vnitatem sumens describitur, cùm dico, *Qua æternus λόγος, &c.* Hæc enim persona fuit, nō Pater, nec Spiritus sanctus, sed Filius: qui ante carnem assumtam, λόγος vocatur Ioh.1 isque æternus, quia semper apud Deum: ideo post particulam, *vbi venit plenitudo temporis*, adieci, *æternus*: ne putetur tunc primū cœpisse realiter existere iste λόγος, vt hæretici multi docuerunt, Seruetus & alij ante eum. Duæ illæ particulæ, quæ subduntur ad huius personæ descriptionem, nempe prima, *existens in forma Dei*, secunda, *Patri ὁμοούσιος coæqualis*, sunt ex contextu Apostoli desumtæ, & à nobis explicatæ. Occurritur autem hæresi Patripassianorum, Arij, & similium.

6. Adieci: *cooperante Patre & Spiritu sancto.* His verbis caussæ aliæ efficientes incarnationis, verùm eam non in seipsis, sed tantùm in filio terminantes, exprimuntur: Pater scil. & Spiritus sanctus. Fuit enim opus totius Trinitatis. De Patre Gal.4. *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum.* Hæc autem est missio, cùm illum in vtero Virginis, carne nostra vestiuit. De Spir. sancto Angelus ad Mariam: *Spiritus sanctus superueniet in te.* De filio Apostolus ait: *Sumsit formam serui.*

7. *Formam serui.* Hæc est caussa materialis, quam sumsit: quæ vox quid significet, supra declaratum est. Occurritur hæresi Nestorij de assumta persona.

8. *Ex semine Dauidis*: caussa materialis à genere ad speciem contrahitur iuxta diuinas promissiones. Primum fuit promissū semē mulieris: Deinde semen Abrahę: tertiò strictiùs, semē Dauidis, Rom.1 *Qui factus est ex semine Dauid secundum carnem.* Occurritur hæresi Marcionis, Manichæorū, Valentini, de corpore cœlesti aut phantasmatico.

9. Particulariùs etiam contrahitur hæc materia, nempe ad carnem ex Maria virgine, & in Maria virgine sumtam, dicendo, *In vtero*, &c.

Hæc fuit vox Angeli, *Ecce concipies in vtero*, &c. Hac particula refellitur error quorundam, qui dixerunt eam concepisse in corde: spiritualiter quidem in corde, sed certè corporaliter in vtero: Debuit enim per omnia fratribus assimilari, Hebr.2.

10 Modus assumtionis exprimitur: primùm dicendo, *in vnitatem personæ.* Vox est recepta in Ecclesia & comprobata in Scripturis. Vetus Ecclesia sic loquebatur de hac vnione, *verbum vnitum esse carni, & carnem verbo secundum subsistentiam*: Et sic loquitur Synodus Ephesina contra Nestorium. Item in quinta Synodo sic legimus: *Si quis nō confitetur Dei verbum, carni substantialiter vniri, & propterea vnam eius subsistentiam vel vnam personam: anathema sit.* Item in decretis synodalibus Martini primi sæpe legimus, *Dominum Iesum Christum ex duabus naturis propriè & verè secundum subsistentiam vnitis constare & esse.* Et in sexta Synodo sic legimus: *Asserimus duas eius essenaturas in vna eius radiantes subsistentia.*

Cur igitur dicimus: τὸν λόγον *formam serui sibi in vnitatem personæ sumsisse*: nihil intelligimus aliud, quàm quòd hæc forma serui creata fuerit in ipsa τοῦ λόγου persona: in eaque semper sit & sustentetur: ac quòd seu pars substantialis eius personæ facta sit: ita vt Christus non minus in forma serui, quàm in forma Dei subsistat, vt postea subdimus.

Vnio trium personarum in vna essentia, efficit, vt illæ tres personæ sint vnus tantùm Deus, non tres dij: Contra, vnio duarum naturarum in vna persona, efficit, vt duæ naturæ non sint duo Christi: sed vt vnus Christus in duabus subsistat naturis, atque hoc est, duas naturas vniri secundum subsistentiam; vt loquebatur vetus Ecclesia. Hac igitur particula occurritur Nestorio.

11. Ad explicationem modi huius vnionis pertinent, quæ sequuntur, ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως: Particulæ sunt Concilij Chalcedonensis contra Eutychen: qui post Apollinarem primus, tum naturarum, tum proprietatum essentialium mutationem & confusionem induxit. Sentimus ergo cum Synodo Chalcedonensi, & cum tota Catholica Ecclesia: filium Dei, formam serui ita sumsisse sibi in vnitatem personæ: vt nulla planè facta sit, aut naturarum ipsarum, aut essentialium vtriusque naturæ proprietatum, mutatio vel confusio.

Sed neque vlla inter eas est, aut esse potest diuisio, sed tantum distinctio. Hæc omnia significantur illis quatuor vocibus, ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως. Ideo huius explicationis caussa subiecimus.

12. *Saluis nimirum & inconfusis manentibus, tum formis, seu naturis, tum vtriusque formæ seu naturæ essentialibus proprietatibus.* Dixi: *Saluis manentibus*: contra Eutychianam mutationem confusionémque: & contra Nestorianam diuisionem. Si enim vel mutes, vel confundas, vel diuidas: saluæ non manent. Dixi, *formis vel naturis*: quia pro eodem accipimus cum Patribus formam & naturam: iuxta illud Damasceni, in Isagoge dogmatum fidei c.1. οὐσία καὶ φύσις καὶ μορφὴ, κατὰ τοὺς ἁγίους πατέρας ταὐτόν ἐστι. Quanquam enim nonnullum discrimen est inter has voces, vt paulo ante declarauimus: pro eodem tamen in præsentia accipimus.

De mul-

De multiplici significatione naturæ seu φύσεως, Aristoteles in Metaphys.& nos 2.libr.de natura Dei, cap.1. Quid nomine naturæ diuinæ intelligamus, notum est: totā scilicet & simplicissimam Dei οὐσίαν. Nomine naturæ humanæ, complectimur animā humanam, & corpus simul in Christo. Etsi enim in nobis hæc duo coniuncta constituunt personam hominis; quæ in his duabus naturis, in anima scil. & in corpore subsistit: in Christo tamen anima & corpus simul non constituunt nouam personam, cùm nullam per se habeant subsistentiam, sed tantùm in persona verbi existāt: Et ideo nomē naturæ tantūmodo retinent. Ac licet Patres sæpe vocēt hominem: nil tamen aliud intellexerūt, quàm naturā humanam a verbo assumtam in vnitatē personæ. Sed ideo sæpe hanc naturā vocant hominem, ne quis naturam in communi & in abstracto, quatenus prædicatur, vt species de singulis indiuiduis, à se intelligi imagineturː sed quisque sciat Patres & totam Ecclesiam, de perfecta humana natura in Christo iam (vt Scholæ loquuntur) characterizata: hoc est, de certa anima certóque corpore in vnitatem personæ à Christo assumtis, loqui. Quid ergo naturæ nomine intelligamus, dictum est. Non intelligimus speciem: non intelligimus solam formam hominis, hoc est animam: non intelligimus solam materiam, corpus: sed intelligimus totum compositū ex anima & corpore: quod compositum in sola sustentatur filij persona.

13. Ad eandem hypostaticam vnionem duarum in Christo naturarum explicandam pertinent, quæ sequuntur: sed simul etiam caussa formalis indicatur: cùm dicimus, *assumsit, vt qui ante tantummodò erat Deus, postmodum in similitudine hominis, verus etiam homo, sit factus.*

Ante carnem assumtam fuisse [illegible] enm, notum est è scripturis: post carnem assumtam, factum esse hominem, docent eædem scripturæ: Ioh.1. *Verbum caro factum est*: Et Apostolus hic: *In similitudine hominum factus*: id est, vt ad Hebr.2. explicatur: *similis nobis per omnia, excepto peccato.* Si factus est homo: verus igitur est homo. Nam qui factus est calidus, calidus est: & qui factus est Philosophus, Philosophus est.

Si item factus est homo, & homo verus est: non igitur hominem sibi copulauit & adiunxit, sed ipse λόγος factus est homo per naturam humanam sibi hypostaticῶς copulatam. Vnio igitur fuit Verbi ad veram carnem, substātialis & personalis. Substantialis quidem, quia fuit vnio veræ humanæ substantiæ, οὐσίας καὶ φύσεως, cum vera substantia seu οὐσία καὶ φύσει diuina: personalis autem, quia in persona Verbi facta est, & in vnam personam: ita, vt λόγος verus factus sit homo: non sicut vir & vxor fiunt vna caro, manentes interim ambę diuisæ personę: sed sicut anima & caro sunt vnus homo: quanquam ne hoc quidem simile per omnia quadret, qua de postea. Satis est hac locutione, *Factus est homo*, declarari veram humanæ substantiæ assumtionem in vnitatem personæ τοῦ λόγου: Quia verus homo factus est, sine tamen vlla τοῦ λόγου mutatione. Hac particula occurritur hæresi & Arij & Apollinaris, & omnium, qui aut non veram, aut non integram naturam humanam in Christo agnoscere voluerunt.

14. Eodem pertinent maioris explicationis caussa, quæ sequuntur cùm dico: *in vtraque forma* (Dei scilicet & serui) *vnus & idem Christus subsistens.* Vtraque particula occurrit hæresi Nestorianæ. Est vnus & idem Christus, qui in vtraque forma subsistit: Non igitur duæ personæ aut duo ὑφιστάμενα.

Ac si in vtraque forma subsistit: tam verus igitur homo est, quam verus Deus: & omnes tam humanas, quàm diuinas essentiales proprietates, atq; actiones habet. Item, si in vtraque forma subsistit: neutra igitur est mutata: Sunt igitur etiam inter se distinctæ: & distinctas habent suas essentiales proprietates & actiones. Huc illud Leonis ad Flauianum: *Vtraque forma agit quod suum est*, &c.

Quod autem subsistat in vtraq; forma liquet: De vna ait Paulus, ὃς ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων: de altera, quam assumsit, ex eodem Apostolo probatur, cùm ait, *Christum sumta forma serui, factum esse hominem.* Si enim dicitur subsistere in forma Dei, quia verus est Deus: Ergo etiam dicetur subsistere in forma serui, i. hominis, quia verus factus est homo. Si autem idem Christus in vtraq; forma subsistit: in Christo igitur vnâ & eâdem personâ: duæ formæ sunt, secundum eandem subsistentiam vnitę. Quare verè vnio est personalis.

15. Eodem pertinet, quod de natiuitate ex virgine subdo: *Idémque Deus simul, & homo verus, ex virgine natus.* Totus enim Christus, verus Deus & verus homo, natus est ex virgine: quia vna persona tantùm est. Quid autem natum est ex virgine? naturáne, an persona? persona: Non.n. natura, filius vocatur: sed persona. Hoc liquet in Trinitate: vbi non natura diuina, filius Dei vocatur, sed persona & λόγος: Sic neq; humana natura assumta, filius fuit Marię, sed persona. Totus Christus filius est Mariæ: Et ideo totus ex ea natus est. Hoc confitetur Angelus Luc.1. dicens: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Item Ies.7. *Puer natus est*, &c.

Si autem persona vna & eadem, id est, totus Christus, Deus & homo natus est ex Maria virgine: sequitur verissimè Mariam vocari & esse θεοτόκον contra Nestorium. Quid enim, quod Deitatis non sit mater? neq; etiam animæ fuit genitrix: totius tamen hominis mater fuit. Hinc duæ colliguntur à Patribus natiuitates Filij Dei: vna æterna ex Patre, altera temporalis ex Matre.

16. *Vsque adeo*, &c. Hic quænam hanc formæ serui à λόγῳ in forma Dei existente, factam susceptionem, consecuta sint, exprimitur. Hæc autem trium sunt generum: quæ singula mox explicabo, simulac quasdam voces in hac descriptione nostra, declarauero.

Cùm dicimus: *Quicquid singularum est formarum*, intelligimus & naturas ipsas, & essentiales earum proprietates, & proprias actiones. Cum verò dicimus: *vsq; adeo*, &c. intelligimus talem & tantam esse hanc duarum naturarū in vnam Christi personam vnionem: vt propter hanc, illa omnia de Christo realiter prædicentur. Et ratio huius verissimæ ac realissimæ prædicationis est: quia Christus in vtraque natura ita subsistit, vt non minus sit verus homo, quàm verus Deus. De Christo igitur propter hanc vnionē realiter prædicatur, primùm vtraque forma, nempe in concreto, nimirum quòd sit Deus propter formam Dei: & quòd sit seruus seu homo propter formam serui, seu hominis. Non enim solemus dicere, Christus est forma Dei, vel forma serui: sed cum scriptura, Christus, est Homo, Deus, filius hominis, filius Dei, &c.

De eodem Christo, vtriusque formæ proprietates, eodē modo, concretiuis videlicet nominibus, prædicantur: quia dicimus, Christus est infinitus, immēsus, inuisibilis, propter formam Dei: & contra, Christus est finitus, circumscriptus & visibilis, propter formā serui. De eodem Christo, vtriusque naturæ actiones prædicātur: vt quod Christus suscitet mortuos, propter formam Dei: & quòd sit mortuus, & à mortuis excitatus, propter formam serui: quòd vbiq; sit & operetur propter formam Dei: Et rursus, quòd in cœlo tātū habitet & intercedat pro nobis, propter formam serui. Ratio harum omnium prędicationum est: quia verissimè & realissimè Christus in vtraque subsistit forma & Dei & serui. Dum verò dicimus hęc de ipso Christo realiter prædicari: Simul negamus, quæ vnius naturæ sunt, ea siue in cōcreto, siue in abstracto dicātur: de altera natura, eodē modo prædicari. Et ratio eadē est: quia scil. forma vna, non est forma altera: nec, propriè loquēdo, in altera subsistit: sed in vtraq; Christus. Sicut ergo dici nō pōt: forma Dei est forma serui, aut seruus seu homo: finita, visibilis, mortua, à mortuis excitata: Sic vicissim dici nequit, Humanitas realiter est Deitas, vel Deus: aut infinita & omnipotens & vbique pręsens, aut agit quæ propria sunt Deitatis seu formæ Dei: propter illud Leonis, *vtraq; forma agit quod suū est cum communione alterius.* Non ergo vna agit, quod alterius est. Neq; cum hac sententia pugnant illa dicta: *Caro mea verè est cibus, ac viuificat: Et sanguis eius lauat nos à peccatis.* Iis enim non concluditur, naturam humanam agere, quod diuinæ est: i. actionem illam præstare in nobis viuificādis & sanandis à peccatis, quæ propria est diuinæ: sed vnaquęque suam propriam habet actionem ad idem ἀποτέλεσμα opusq; perficiendum: vt suo explicabimus loco. Sanguis eius lauat nos à peccatis, actione sua propria, non aliena. Imò potius, si propriè loqui velimus, dicendum est, *Christus per sanguinem suū lauat à peccatis*: Et, *caro Dei viuificat*, h. e. *Deus incarnatus & per suam carnem.* Actiones enim sunt suppositorum seu personarum, non autem naturarum. Ac reuera Christus suo sanguine remissionem peccatorū nobis promeruit: ac deinde eam nobis & vult communicare, & communicat per carnem & sanguinem suum, fide à nobis apprehensum. Ideo idem Ioh. explicans dictum epistolæ: ait in Apoc.1. *Christus lauit nos à peccatis, in sanguine suo, seu per sanguinem suum.* Diuersæ igitur sunt cuiusque formæ actiones: quanquam vnum & idem est vtriusque vltimum ἀποτέλεσμα, in quod tendunt, & diriguntur. Et sententia Leonis, imò totius Synodi Chalcedonensis, verissima ac certissima est: *Vtraque forma agit quod proprium est*: q. d. *Et non quod alterius.* Qui autem in vtraq; subsistit forma: vtriusque etiam actiones præstat: & per vtramque agit.

Ac diximus ea prædicari *de Christo, vel per propriæ personæ nomina, vel per nomina naturarum in concreto expressa-*

rum,nobis significato. Primum clarum est. Nomina.n.personæ sunt: Iesus Christus, Immanuel, λόγος σαρκωθείς: iis enim eius persona significatur. Alterum nominũ genus sumitur à naturis, sed in concreto: à natura Dei, vocatur Deus: à natura hominis, appellatur homo: à prima natiuitate, Filius Dei: ab altera, filius hominis. Quocunque igitur nomine persona Christi nobis significetur: de eo verè prædicantur, quæcunque sunt vel diuinæ vel humanæ naturæ. Ita dicimus cum scripturis, Christus, item Iesus seu Immanuel, Deus est: homo est, passus est, non est passus. Rursus dicimus, Deus mortuus est, Deus non est mortuus: Dominus gloriæ crucifixus est, Dominus gloriæ non est crucifixus: est vbique, est tantùm in Cœlo, Non.n. hæc dicuntur secũdùm idem: licet de eodem. Discrimen est: si per nomen proprium personæ Christus significetur: cõmunis & propria est prædicatio: vt Christus Immanuel, est passus: est creator cœli. Si verò significetur per nomina naturarum: prædicatio est per communicationem idiomatum: realis quidem, respectu personæ: verbalis, respectu naturarum, illis concretiuis nominibus formaliter significatarũ: vt Deus est passus: Filius hominis est in cœlo, cùm esset in terra.

Dixi autem *naturas in concreto expressas* nobis connotare personam Christi: quia nomina abstracta significant formas rerum per se consideratas: sed concreta, supponũt pro personis seu pro subiectis, iuxta regulam in scholis receptam: cùm dicis albedinem, dicis formam accidentalem, sine subiecti consideratione: cùm verò dicis album, indicas subiectum in quo est albedo, vt lac, nix, &c. Licet enim formæ per se abstractæ non subsistant, vt Plato fingebat suas Idæas: mente tamen abstrahi à subiectis suis possunt & debent, cùm seorsum de forma in subiecto, & seorsum de subiecto ipso disserendum est: quæ causa est, cur dicamus humanam Christi naturam, non esse realiter omnipotentem, non esse vbique præsentem: Et tamen hominẽ ipsum esse omnipotentem, & vbique existentem: quid ita? quia concretum homo iste, supponit pro persona Christi: qui & Deus est & homo: abstractum autem nempe humanitas, seu caro Christi supponit pro natura in se considerata: nõ quòd illam separemus, aut tanquam separatam à λόγῳ cõsideremus, & ita soluamus Iesum Christum, vt aduersarij calumniantur: sed quòd mente tantùm illam in sua natura, à persona λόγου, in qua sustentatur, distinctam contemplemur: & quid ei possit conuenire, quidve non possit, cõsideremus: quanquam sæpe in Sacris literis Synecdochicῶς pro tota persona, (vt paulò ante dictũ est) accipitur: vt caro Christi, pro Christo incarnato: sanguis Dei, h.e. Deus sanguine suo: vt docent Patres Dam. lib. 4. c. 3. & alij: atq; hæc breuiter de primo effecto, quod vnionem consecutum est.

17. Alterum effectum, quod assumtionem formæ serui consecutum est, adiecimus, dicentes: *Deinde innumerabilia & excellentissima dona in formam serui à forma Dei collata fuerunt.*

Hæc dona Scholastici vocant gratias habituales. Sunt autem creata sapientia, sed talis ac tanta, quæ omnem humanum & Angelicum captum superet: creata item & finita potentia, sed qua, quicquid vult, potest: non vult autẽ, quæ pugnant cum veritate in Sacris literis reuelata, & quæ cõtradictionem implicant. Creata item & finita gloria, splendor atque maiestas: sed talis ac tanta, quæ totum cœlum illustret, sicut Sol hunc Mundum suis radiis: de quibus singulis postea dicemus. De iis Thom. p. q. 7. & deinceps.

18. Adiecimus tertium effectum: hoc autem est, quòd propter assumtionem formæ serui, in vnitatem personæ, τοῦ λόγου factum est: *vt nomen, ac officium honórque mediatoris ac redemtoris nostri, competat Christo secundum vtramque naturam.* Et ratio est, quia ad nostri cum Patre reconciliationem, & à peccatis mortéque æterna redemptionem, vsus est actionibus & operationibus vtriusque formę Christus: sicut egregiè explicat Leo in epistola ad Flauian. to. *Secũdum formam serui seruauit legem, ieiunauit, passus est, fudit sanguinem, quo expiauit peccata & eorum remissionem nobis impetrauit & promeritus est: secundum formam Dei reipsa nos eripuit è potestate Sathanæ & à peccatis liberauit: Et nunc etiam in Cœlo secundum vtramque formam, salutem nostram operatur, secundum formam serui, interpellat pro nobis, cogitat de nostra salute, eam nobis vult, suaque intercessione efficaciter impetrat, secundum formam Dei, donat nobis spiritum suum, fidemque in nobis excitat, qua efficit vt remissionem peccatorum & vitam æternam apprehendamus, item secundum formam serui, carnem & sanguinem suum cum suis thesauris, nobis in verbo & sacramentis per ministerium hominum offert: secundum formam Dei, donato spiritu & excitata fide efficit, vt vtrumque carnem & sanguinem nobis applicemus, veréque sumamus ad salutem æternam.*

Cùm ergo Christus secundum vtramque formam operatus sit, & semper operetur salutem nostram: meritò secundum vtramque etiam mediator & seruator noster appellatur & est. Sumitur hoc à fine assumtæ carnis: vt sequitur in descriptione, Ergo.

19. Finem incarnationis adiecimus, dicendo, *hancque serui formam*, &c.

Primùm tribus nominibus totam eius vitam, quicquid egit & passus est, complexi sumus: *humilitate* seu *humiliatione sui: obedientia: morte, & ea quidem crucis.* Tota eius *vita*, in paupertate, in humanis infirmitatibus, inter miseros & viles homines: fuit per se humiliatio. Accessit *obedientia* erga Patrem: qua seruauit legem & quæ placita ei erant, ea fecit semper: Speciatim verò additur *passio & mors in cruce*: quæ fuit complementum humiliationis & obedientiæ. Hæc præstitit in carne, & sine carne præstari non poterant. Sumsit ergo formam serui & carnem: vt in ea præstare posset hæc omnia.

Deinde fructus huius humiliationis, obedientiæ, mortis: ordine recensuimus.

1. Primus est *Expiatio peccatorum*: hæc erat inprimis necessaria: quia sine hac non poterat placari ira Dei.

2. Secundus, *Reconciliatio cum Patre*: hæc pendet ab expiatione peccatorum. Atque hæc duo perfecit Christus in se ipso sine nobis.

Reliqui fructus obedientiæ & passionis, in nobis locum habent, & sine nobis non consistunt.

3. Tertius fructus est, *Iustificatio per fidem à peccatis.* Quartus, *sanctificatio seu regeneratio per Spiritum S.* Quintus, *Glorificatio*: quæ constat gloriosa resurrectione, & perfecta possessione vitæ æternæ.

Iustificationem & sanctificationem ipse perficit: donato nobis è cœlo, suo spiritu & fide. Glorificationem efficit, cum animos nostros è corporibus egressos ad se in cœlum assumit & exaltat: perfecturus illam, cùm corpora à mortuis excitata, & animis restituta, atq; immortalitate donata, in plenam cœlestis regni possessionem traducet. Quibus de rebus in altero huius Apostolici contextus membro, vbi de mysterio redemtionis agitur, plenius, Deo fauente, disseremus.

CAPVT III.

NVnc tenemus incarnationis Christi descriptionem è sacris literis, atque in primis ex præsenti contextu Apostoli collectam: tenemus & eius explicationem: in qua summatim continetur tota doctrina Christiana de mysterio incarnationis, déque duabus in Christo naturis. Restat vt singula diligentius explicentur. Faciemus hoc variis propositis quæstionibus: illisque explicatis è fontibus S. literarum, ex consensu veteris ac Catholicę Ecclesiæ, & refutatione sophismatum, quæ ab hæreticis fieri solita fuerunt, & adhuc fiunt.

Quæstiones autem sumemus ex nostra incarnationis descriptione: quę ad hęc capita restringitur, iuxta varias circumstantias, quæ in mysterio huius incarnationis, considerari solent: nempe primò *Quis sumsit*: 2. *quid sumsit*: 3. *si naturam, qualemnam sumsit naturam*: 4. *Vnde*, hoc est, *ex qua qualive fœmina*: 5. *ex qua qualive materia*: 6. *quo tempore*: 7. *quo ordine*: 8. *an perfectum corpus statim sumserit*: 9. *quomodo sumserit*: hoc est, de modo vnitionis duarum naturarum: 10. *de ipsa vnione hypostatica*: 11. *quænam consecuta sit vnionem hypostaticam.* 12. *An fiat realis proprietatum diuinæ naturæ in humanam Christi naturam communicatio.*

QVÆSTIO I.

Quis formam serui sumsit?

TAMETSI res, de quibus quæstiones proponuntur, sint nobis perspicuæ ac certæ: quo tamen omnia & dilucidius explicentur, & firmius cõfirmentur, refutatis, quæ interim fieri solent, aduersariorum argumentis, & quæ occurrunt, difficultatibus explicatis: quæstiones de singulis capitibus huius tractationis, pertractandas suscepi: quarum prima est de suscipiente formam serui, quisnam ille fuerit.

THESIS I.

Qui formam serui, conceptam de Spiritu sancto, ex Maria virgine, ita sibi in vnitatem personæ suæ suscepit, vt verus factus sit homo: creatura esse non potuit, nec potest, sed verus sit Deus, necesse est.

Explicatio & confirmatio.

A fine Incarnationis, veritas huius theseos manifestissimè deducitur.

Finis incarnationis fuit *nostra salus.* Ideo Angelus ad pastores:

pastores: Natus est vobis seruator Mundi. Etsi verò Deus seruare nos poterat solo suo imperio, peccata simpliciter, ex sua misericordia condonando: noluit tamen, sed sapientissimè constituit, sicut iustitia ipsius exigebat, peccata nō condonare, nisi verè per effusionē sanguinis humani prius expiarentur: sicut ritu sacrificiorum & ante legem & in lege demonstrauerat. Quo illud Apostoli: Sine sanguinis effusione non fit remissio. Et cur hoc fecit? quò in salute humani generis non sola misericordia, sed etiam iustitia suum haberet locum. Atqui nullius puræ creaturæ, vel omnium simul etiam coniunctarum sanguine, expiari peccata potuerunt. Ratio est, quia infinita cùm fuerit offensa, vtpote in Deum, infinitæ bonitatis fontē admissa: sanguis etiam infiniti valoris & pretij, ad expiandum peccatum exigebatur. Omnes autem puræ creaturæ simul etiam sumtæ, infinitæ efficacitatis sanguinem, aut vim aliam habere non potuerunt, aut possunt. Finitæ enim omnes sunt & finitæ virtutis Ergo si homo ita misericorditer seruandus erat vt diuinæ iustitiæ per sanguinis infinitæ virtutis effusionem satisfieret: necessarium omnino fuit, vt Deus ipse sumeret sibi in vnitatem personæ suæ, carnem & sanguinem, cuius sacrificio peccata nostra expiarentur.

Cum autem tali sacrificio expiata esse peccata, tradant Scripturæ: eum qui hac forma serui sumta factus est homo, & se humiliauit factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, verum Deum fuisse & esse oportuit.

Huc pertinent omnia, quæ Ioh. Cassianus, vt de aliis taceam, ad Damasum papam, contra Nestorium & alios, qui eum vocabant solitarium hominem, de incarnatione Domini conscripsit. Prioribus enim libris copiosissimè è sacris literis demonstrat, eum, qui venit in carne, verum Deum esse, & ante etiam assumtam carnem Deum fuisse: neque esse, vt dicebat Nestorius, hominem θεῖον ὄν, sed Deum hominem factum, & qui hominem potius gestet in se ipso, quam vt gestetur ab homine. Hæc est prima thesis.

Cæterùm cùm Deus non sit vna tantùm persona, sed tres, quemadmodum sese in Baptismo patefecit, Pater, Filius, & Spiritus S. in quorum etiam nomen baptizati sumus: quæritur: Num omnes hæ tres personę sumserint hāc formam serui: an verò vna tantùm, & quænam illa. Ergo

THESIS II.

Licet tota Trinitas in huius formæ assumtione operata sit: tamen, neque Pater, neque Sp. S. sed solus Filius, eam sibi sumsit, factusque est homo. Thom. 3. p. q. 3. art. 1. 4. 5. 6.

Quòd Pater operatus sit, liquet ex omnibus illis locis, vbi legimus Deus *misisse Filium suum in Mundum.*

De Sp. sancto, Angelus ait ad Mariam: *Spiritus sanctus superueniet in te.* &c. Item: vbi legimus, *quod Christus conceptus sit de Sp. sancto.*

De Filio, idem Angelus: *Et virtus altissimi obumbrabit te.* Apostolus autem ait 1. Cor. 1. *Christum esse Dei virtutem.* Item, vbi ait Christus, *se venisse in Mundum*: Item, vbi legitur *venisse in carne.* Et sic docuit semper Ecclesia.

August. tom. 3. in Enchiridio ad Laur. cap. 38. *Creaturam illam, quam virgo concepit, & peperit, quamuis ad solam Filij personam pertinentem, tota Trinitas fecit.* Et tom. 3. de fide ad Pet. c. 2. *Trinitas nos sibi reconciliauit, per hoc, quod solum Verbum, carnem ipsa Trinitas fecit* Hinc regula recepta in Ecclesia. Opera Trinitatis ad extra, sunt indiuisa.

Tota igitur Trinitas in illa assumtione formæ serui operata est: quia tota & animam creauit ex nihilo: & corpus ex sanguinibus Mariæ virginis formauit: & vtrumque Filio in vnitatem personæ cōiunxit. Simile adferri solet triũ puellarũ, quæ eandē vestem texuerunt simul atq; pararũt, sed vni tantum istarum aptarunt, eique illam induerunt.

Quòd igitur solus Filius carnem nostram induerit, solúsque sit homo factus: scripturæ docent vbique. Ioh. 1. *Verbũ caro factum est*, Phil. 2. *Qui erat in forma Dei*, &c. Sic tota Ecclesia contra Patripassianos docuit. Aug. Tom. 3. de Eccl. dogmatib. c. 2. *Non pater carnem assumsit, nec Spiritus S. sed Filius tantùm, vt qui erat in diuinitate, Dei filius ipse fieret in humanitate, hominis filius: ne Filij nomen ad alterum transiret, qui non esset æterna natiuitate Filius.*

Pertinent huc & duo ista eiusdem Augustini dicta, paulò ante allata. Item de fide ad Petr. cap. 13. *Firmissimè crede, vnam ex Trinitate personam, hoc est, Dei Filium, secundum susceptionem formæ seruilis, in virgine conceptum & è virgine natum.*

Damasc. lib. 3. cap. 6. citat hæc verba Dionysij: θεότητι ἀν- καὶ ὁ μὲν ἐν μιᾷ τῶν ἑαυτοῦ ἐκοινώνησεν ὑποστάσεων. Damasc. ipse ait: κατ' οὐδένα λόγον κεκοινώνηκεν ὁ πατὴρ καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τῇ σαρκώσει τοῦ λόγου, εἰ μὴ κατ' εὐδοκίαν καὶ βούλησιν.

Sed annon potuit Pater sumere hanc formam serui, & similiter Spir. sanctus? quid ni? Sed omnino decuit, vt Filius solus susciperet.

Rationes adferuntur tum ab Augustino variis in locis, tum ab aliis patribus, tum etiam à scholasticis.

P. Lombard. in 3. Sent. dist. 1. litera B. tres adfert: Vnam, quia æquum erat, vt per eam sapientiam repararetur Mundus, per quam etiam conditus fuerat: Sapientia autem Dei est Dei filius. Altera est: Incarnatio est ipsa missio Filij, qua missus esse à Patre in Mundum, dicitur. Non decuit autem mitti ab alio, qui ab alio non est, veluti est Pater: sed Filiũ à Patre, qui etiam à Patre est, mitti decuit. Adde, quod Pater fuisset factus minor Filio & Sp. sancto. Tertia: sed neq; decuit Spiritum S. fieri, per assumtionem carnis, filium hominis: ne nomen *Filij*, ad duos in Trinitate pertineret. Multò minus decuit eandem ob caussam, vt Pater susceptione carnis, fieret Filius. Quæ ratio, est Augustini in libro de dogmatib. Ecclesiast. c. 2. vt iam vidimus. Itē Thom. 3 p. q. 5. ar. 8. & 9. Cont. Gent. l. 4. c. 42.

Sed nos è scriptura alias quoque addamus rationes. 1. Prima ratio, quam & P. Lōbardus attulit, verissima & certissima est Nam scriptura apertè tradit, per eam sapientiã, hominem, sumtione carnis, fuisse recreatum, per quam & fuerat creatus. Ioh 1. Primò proponit, *omnia per* λόγον *facta fuisse.* Deinde subdit. *&* λόγος *caro factus est*, vt scilicet nos redimeret. Col. 1. *Omnia per ipsum consistunt*: postea, *& ipse est caput corporis Ecclesiæ.* Heb. 2. *Decebat eum, per quem omnia, autorem fieri salutis.* Et ita Athanasius ad Epictetũ ait, *missum fuisse Filium, vt eius esset* ἀνακτίζειν *cuius fuerat* κτίζειν. Et huc allusit Apostolus, cùm nostram redemtionem per Christum, vocat Creationem in Christo: Et nos vocat, Creaturas, Eph. 2. & alibi.

2 Alia adfertur ratio ex Ioh. 1. duo dat τῷ λόγῳ, 1. *quod in ipso vita erat.* 2 *quod erat lux hominum.*

Et talis creatus fuit per Filium Dei Adamus, præditus magna luce, & vita Dei. Cũ igitur per peccatũ amiserit homo & lucem & vitam: decuit per eum reparari assumtione carnis, in quo erat vita & lux nostra. Et ita Apostolus ad Eph. ait, *nos per Christum, factos esse lucem, & viuificatos.*

3. Solus Christus in Trinitate est Filius: Salus autem nostra in eo consistebat, vt fieremus filij Dei. Decuit ergo Filium solum, fieri filium hominis, vt per eum nos fieremus filij Dei, & fratres Christi, ac cohæredes Huc illud Ioh. 1. *Et potestatem dedit, vt filij Dei fierent omnes, qui credunt in nomen eius* Ideo ait, *Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum* Hanc obseruauit Irenæus l. 3. c. 20.

4. Filius etiam solus vocatur *Imago Patris*, Col. 1. Et Heb. 1. Homo creatus fuerat per hunc Filium ad imaginem Dei. Cum igitur per peccatum ista imago fuerit inducta: decuit per essentialem imaginem Patris, sumta carne nostra, instaurari.

5. Filius etiam κατ' ἐξοχὴν vocatur à *Patre dilectus* ἀγαπητός: & *Filius dilectionis ipsius*: vt ait Apostolus. Finis autem incarnationis fuit, vt nos reconciliaremur Patri, & fieremus dilecti. Hæc igitur decuit per Filium dilectionis eius fieri.

6. Athanasius addit, *Filium esse* λόγον *Patris: per quem scil. Pater suam semper patefecit voluntatem à condito orbe.* Decuit igitur hunc fieri hominem, & manifestari in carne, vt in carne manifestatus nobis in eadem manifestaret Patrem, eiúsque voluntatem. Quo illud Iohannis: *Deum nemo vidit vnquam: Filius, qui est in sinu Patris, ipse reuelauit nobis.* Item Christus ipse, Philippo dicenti: *Ostende nobis Patrem, respondit: Qui videt me, videt Patrem meum, &c.*

7. Scholast addunt, Filius media est persona in Trinitate. Decuit igitur illum sumtione carnis fieri redemtorem nostrum.

Atque hæc de secunda thesi: qua manifestum est, Et solũ filium sumtione formæ serui, factum esse hominem: Et cur decuerit hunc solum, non autem Patrem, vel Spiritum S. hanc formam serui in vnitatem personæ sibi sumere.

Sed hic non parui momenti obiecta contra hanc secundam thesin nobis soluenda sunt.

Aduersum thes. secundam, Obiect. 1.

Dictum est: totam Trinitatem in assumtione formæ serui operatam esse, idque intelligitur ex æquo, quia opera Trinitatis ad extra, vt vocãt, sunt indiuisa: Si hoc ita se habet, cur ergo speciatim datur Sp. sancto: quòd ex ipso conceptus sit Christus, nempe quoad naturam assumtam. Sic enim in symbolo: *Qui conceptus est de Sp. S.* Et sic Matth. 1

nuenta est in utero habens de Spiritu sancto.

Augult.Tom.3.in Enchirid.c.37.& 38.obiectionem hāc proponit,& soluit:iis verbis: *In illa creatura facienda, cur solus Spiritus nominatus est, cùm eam tota Trinitas fecerit?* Responsionem subdit, dicens: *An & quando unus Trium in aliquo opere nominatur, uniuersa operari Trinitas intelligitur? Ita verò est, & exemplis confirmari potest.* Hæc Augustinus.

Exempla non subiicit:sed manifesta sunt & multa.Ioh.1. de Filio: *Per ipsum omnia facta sunt*: num propterea excluditur vel Pater vel Spiritus S.Item, Coloss.1. de Christo: *Per ipsum omnia consistunt.* Item Ioh.3. *Nisi quis renatus fuerit ex Spiritu sancto* non tamen excluditur Filius, vel Pater. Ioh. enim 1 dicimur nati ex Deo & filij Dei, Item, Ioh.6. *Nemo venit ad me,nisi Pater traxerit eum*: Annon verò & Filius & Spiritus sanctus trahunt? Talia exempla sunt infinita. Summa igitur est: licet solus Spiritus nominetur, cū dicimus Christum cōceptum esse (quoad naturam humanam) de Spir.sancto: ab hoc tamen opere non excludi vel Patrem, vel Filium. Sed hîc addendum est, quod in eodem libro, c.37.& 39.ad Laurent.habet idem Augustinus. Speciatim hoc dari Spiritui sancto quia indicare voluit Euangelista, à gratia Dei (quę explicari solet nomine Spiritus S.) factum esse, vt illa creatura, anima scil.& caro humana, ad tantam dignitatem euecta sit: tum vt ista natura, sit ceu pars æterni Filij Dei, & nomine Dei appelletur: tū vt hoc tanquam donum à Spiritu S.agnoscatur accepisse, & quòd donum Spir.S.acceperit, conceptus ille homo, sine peccato, & quod peccare non potuerit, repletus Spiritu sancto.

Sed statim alia insurgit dubitatio: Num qui de Sp.sancto dicitur conceptus Christus, idcirco S.sancti filius appellari queat: quando ideo etiam filius Mariæ appellatur, quia ex ea natus est?

Hanc eandem dubitationem idem Augustinus proponit eodem libr.ad Laur.atque etiam soluit c.38.39.& 40.

Resp. August.tandem sic explicat, Christum secundum illam assumtam formam serui dici conceptum de Sp.sancto, non quod sit de substantia Spiritus sancti conceptus ac genitus, sed quod vi Spir.S.primum fuerit factus: non autem omne, quod a nobis fit, filius noster appellari potest: deinde quod fuerit sine peccato & in gratia conceptus. Neque verò hanc ob causam appellari posse Filium Sp.sancti. Sent lib.3 dist 4.

Et Ambr.T.2.de Sp.S.lib.2.c.5. exponens illud Matt.1. Habens in vtero ex Sp S.ait: Quod ex aliquo est, aut ex substātia, aut ex potestate eius est. Ex substātia, vt Filius ex Patre Deo & Sp.sanctus ex vtroque: Ex potestate, vt omnia ex Deo sunt. Christus autem secundum carnē ex substātia Sp.sancti non est, sed Mariæ: secundum Deitatem nō ex Sp.sancto, sed ex Patris substantia est. Nullo igitur modo dici potest Filius Sp.sancti. Summa. Filiorum genera duo: Vnum, per adoptionem, alterum, per naturalem generationem. Primum genus hîc nullum habet locum. Alterum duas necessariò habet conditiones, primam, vt quis ex tua substantia verè gener tur: alteram, vt generetur tibi simile in specie: vt homo ex homine: & sic dicitur Adam generasse filios in similitudinē sua. Atqui Christus quoad carnem assumtam, neutram habet à Sp.sancto. Tantum ipsius virtute, sicut & Filij ipsius & Patris æterni, creatus fuit & factus. Sed ideò dicitur conceptus ex Sp.sancto, non autem ex Patre & ex Filio, quia per gratiā conceptus fuit, quę Sp.sancto adscribi solet vt eius donum. At verò ex Maria virgine habuit & substantiam carnis, & similitudinem speciei, quia factus est matri ὁμοούσιος. Meritò igitur filius Mariæ, non autem filius Sp.sancti appellatur, appellarive potest.

Obiect. 2.

Sed aliud difficilius argumentum obiicitur ab iis, qui negant solum Filium incarnatum & passum esse: imò & ab iis, qui negant vnam & eandem esse trium personarum essentiam. Argumentum tale est.

Omnes tres personę sumserunt sibi formam serui: Ergo non solus filius incarnatus est. Consecutio certa est, sed quia negatur antecedens, ideò illud probare conantur, hoc syllogismo hypothetico: Sic enim ego formo clarioris intelligentiæ causa:

Si tota diuina essentia incarnata est, & sibi sumsit formam serui: omnes tres personæ incarnatæ sunt Quid enim aliud sunt reapse seu realiter diuinæ illæ personæ, quam ipsa diuina essentia? Sunt enim omnes simul & singulæ seorsum ipse Iehoua: Iehoua autem, ipsam significat totam essentiam diuinam.

Atqui essentia diuina eáque tota incarnata est: Hanc probant, 1. Quia patres etiam sæpe scribunt, *Naturam seu essentiam diuinam, incarnatam esse*, & sic Cyrillus & Athanasius locuti sunt: *diuinam naturam vnitam esse carni*, h.e. vt Damasc explicat. τῶν φύσεων τοῦ λόγου σεσαρκωμένην. Et Dionysius: ἡ θεότης ὅλη καθ' ὅλην ἡμῖν ἡνώθη. Et similia dicta nonnulla citantur à Damasceno lib.3.cap.6 Item à Petro Lombardo Sēt. l.3.dist.5.2. Confirmant dicto Apostoli Coloss.secundo, In quo (Christo homine) inhabitat πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς: id quod exponūt: in corpore & anima Christi tanquam in suo templo, totam plenitudinem Deitatis, id est, totam diuinam essentiam corporaliter, id est, per incarnationem inhabitare.

Sed quia ad hæc respondemus: & Apost li dictum & testimonia Patrum de tota natura diuina incarnata, intelligenda esse, non ἁπλῶς, sed κατά τι, h.e. non quatenus simpliciter de singulis prædicatur personis, sed quatenus in persona duntaxat Filij consideratur: quemadmodum etiā, cùm dicit Apostolus: *Deus manifestatus est in carne*, non simpliciter intelligit totam Trinitatem, sed ipsum duntaxat Filium: Et sic Patres seipsos explicare, sicut liquet in dictis iā allatis ex Damasceno, libro tertio, cap.sexto. Et vt etiam explicat Petrus Lombardus l.3.dist.5. Neque aliter intelligi posse Apostolum, cū ait Colos.1. *In quo inhabitat omnis plenitudo Deitatis*: quàm, quod tota plenitudo Deitatis, non simpliciter, sed quatenus est in filio, inhabitet in humana illa natura σωματικῶς: Ideo conantur tertio confirmare suā sententiam de tota simpliciter essentia diuina incarnata: quomodo? *Impartibilis est* (inquiunt) *illa* οὐσία. (verum est:) *Si igitur tota in Filio incarnata est: tota etiam in Patre, & in Sp.S. Quare cùm personæ nihil sint aliud, quàm ipsa diuina essentia: efficitur, si vna persona incarnata est, omnes esse incarnatas*, præsertim (inquiunt) *cum incarnatio sit opus totius Trinitatis: quia opus ad extra*, vt loquuntur.

Resp. Quo melius fallacia huius Syllogismi percipiatur, & veritas Catholicæ doctrinæ de incarnato suo filio intelligatur: notandum est, primum ipsam diuinam essentiā præter alias proprietates, hanc etiam cum primis habere: quod vnica & simplicissima est, vt in attributo de simplicitate, abundè declaratum est: hinc fit, vt eadem & tota sit in Patre, eadem & tota in Filio, eadem & tota in Sp.sancto.

Deinde sciendum est, hanc vnicam diuinam essentiam, non diuidi quidem, quia impartibilis est propter simplicitatem, distingui tamen in tres personas secundum tres diuersos subsistendi modos, quia in Patre est ἀγεννήτως, in Filio γεννητῶς, in Spiritu sancto ἐκπορευτῶς, vt Iustinus Martyr optimè explicat, & post eum alij omnes.

Isti autem diuersi subsistendi modi, valde inter se differunt, & quidem realiter, quia longè aliud est, essentiam habere à seipso, aliud habere ab alio, aliud habere à duobus aliis. Et ita fit, vt singulæ personæ, per eandem & communem essentiam, tanquam per genus quoddam, & per proprios subsistendi modos, tanquam per proprias quasdam differentias, quodammodo definiantur, & describantur.

Hinc fit, vt licet essentia non differat realiter à personis, nec personę ab essentia: sed tantum τῷ λόγῳ: personæ tamen inter se realiter distinguantur: quia alia realiter est persona Patris, alia rçaliter est persona Filij, propter alium & alium subsistendi modum: quanquam non sit aliud & aliud, propter vnam & eandem οὐσίαν.

Tertiò, Notādum est de actionibus & operibus diuinis, quæ ad extra vocantur: ea bifariam considerari posse. primùm, quatenus extra diuinas personas & fieri incipiunt & terminantur: vti est creatio rerū omnium: hæc, & hoc modo, cōmunia sunt totius Trinitatis: Et sic etiam creatio animæ & corporis Christi, in sesē cōsiderata, opus fuit totius Trinitatis. Secundo, Cōsiderari possunt, quatenus actio & opus aliquod terminatur, seu terminū habet, nō extra personas, sed in aliqua illarū personarum: hoc pacto & hoc respectu, non erit communis omnium personarum, sed propria illius personæ, in qua terminū habet, & residet: Vt, vox illa Patris de Christo: *Hic est filius meus*, &c. non potuit esse vox Filij aut Sp.sancti: fuisset enim falsa: sed propria fuit Patris: quid ita? quia in ipsa Patris persona residebat. Sic species columbæ, in qua apparuit Spiritus sanctus, licet formata fuerit à tribus personis: non fuit tamē symbolum cōmune trium personarū, sed tantùm personæ Sp sancti: quid ita? quia terminum habuit in sola persona Sp.sancti: Et sub illa solus Spiritus sanctus apparuit. Idem de incarnatione Filij dicendum est. Quatenus anima & corpus fuerunt creatum quiddam, opus fuit totius Trinitatis: sed quatenus terminationem habuit in persona Filij, & in vnitatem personæ, non Patris, sed tantùm Filij assumta fuit illa creatura: non fuit commune opus, sed propriū Filij: Atque hoc

que h. e. quod Scholastici aiunt, inchoatiuè & terminatiuè: nempe, quòd assumtionem formæ serui, tam Pater & Spiritus sanctus, quàm Filius inchoarunt: sed terminata fuit atque perfecta & consummata in Filio, & in Filio residet. Th. 3. p. q. 6. art. 6. terminū sumtionis vocat: Et est ipsū esse personale, quo humana natura existit in λόγῳ. Et vocatur gratia vnionis. His explicatis, facilis fit responsio ad argumentum.

Ad maiorem: si tota essentia diuina est incarnata: omnes tres personæ incarnatæ sunt: Neg. propositio. Non enim sequitur illatio. Potuit enim tota, duntaxat in Filio, incarnari. Ratio, quia, simplicissima cùm sit, tota in vnaquaque est persona. Annon etiam tota locuta est in solo Patre dicente: Hic est filius meus, &c? Totus enim Pater locutus est, non pars. Idem de columbæ specie, sub qua solus Spiritus sanctus, i. tota diuina eius essentia apparuit. Quid igitur mirum, si etiam tota incarnata est, sed in sola Filij persona?

At diuinæ personæ, nil aliud sunt, quàm ipsa diuina essentia, neque ab illa differunt reapse, seu realiter. *Resp.* Verum est: sed personæ inter se realissimè distinguuntur: vt supra explicatum est. Quare potuit caro assumi à filio in vnitatem personæ suæ, vt non fuerit necesse illam eandem assumi à Patre & à Sp. sancto. Tota etiam anima mea intelligit tantum in capite, non autem in pedibus: quāquam tota etiam sit in pedibus, sua simplice essentia, & quatenus est ex æquo totius corporis forma: iuxta illud: *Anima est tota in toto, & tota in qualibet parte.* At, incarnatio opus fuit totius Trinitatis, quia opus ad extra.

Resp. Inchoatiuè fuit opus totius Trinitatis: sed terminatiuè, solius Filij, vt iam explicatum est: quia in solius personæ Filij vnitatem assumta fuit illa creatura, quæ à tota Trinitate creata & facta fuerat in Filio. Ex iis patet etiam responsio.

Ad minorem: Si propriè & consentaneè cum scripturis loqui velimus, dicere debemus, personam assumsisse naturam, non autem naturam aliam naturam. Et sic loquitur Apostolus. Non enim ait, μορφὴ τῆς θεοῦ suscepit μορφὴν, &c. sed ὁ ὑπάρχων ἐν μορφῇ, &c. suscepit formam, &c. Et Heb. 2. de persona Christi loquens, ait, *Suscepit semen Abrahæ.* Et Ioh. 1. *Verbum caro factum est.* Hinc concludunt Patres & Concilia Catholica: Vnionem hanc factam esse, non in natura, sed in persona, seu secundum personam Filij. Interea non damnamus Patres, qui aliquando dixerunt, Naturam diuinam vnitam esse carni, & incarnatam esse. Illi enim explicarunt sese: quia addiderunt ἐν μιᾷ ὑποστάσει, hoc esse factum: & quidem [illegible] τῇ λόγῳ. Et sic Damasc. lib. 3. c. 6. optimè explicat. quid est etenim dicere, Naturam τοῦ λόγου carnem formámque serui sumsisse, quàm τὸν λόγον, id fecisse? [illegible] (inquit Damasc.) αὐτὸν τὸν λόγον σεσαρκῶσθαι. Atque hęc de prima quæstione.

QVÆSTIO II.

Quidnam iste λόγος sumserit: seu, quidnam sit illa μορφὴ δούλου, quam Apostolus ait sumtam fuisse ab eo, qui erat in forma Dei.

De hac quæstione, multas passa est Ecclesia Christi perturbationes: multasque habuit cum variis hæreticis pugnas: aliis dicentibus, hanc formam nil aliud fuisse, quàm speciem corporis humani, non autem verum hominem: aliis, fuisse corpus diuinum, aliis cœleste, aliis ex materia elementari, non autem verè humana conflatum, aliis, corpus humanum, sed sine anima, aliis corpus quidem humanum & anima vegetatiua ac sensitiua præditum, sed destitutum anima rationali: aliis denique hanc μορφὴν δούλου, quā assumsit ὁ λόγος, fuisse non naturam, sed verum ac integrum hominem, seu personam hominis, aut saltem ὑπόστασιν quandam: quarum opinionum quinam fuerint autores, & quomodo variis temporibus, & in quibus Conciliis damnati fuerint, suprà à nobis abundè dictum fuit.

Doctrinam autem Ecclesiæ Catholicæ nos certis thesibus comprehensam explicabimus.

THESIS I.

O ὑπάρχων ἐν μορφῇ θεοῦ, nimirum Filius Dei Deus sumsit, non speciem corporis, sed verum corpus: non diuinum aut cœleste, aut ex materia elementari, sed verè humanum: veráque anima humana præditum: idque cum omnibus essentialibus & naturalibus cum animæ tum corporis proprietatibus, ac proinde veram & integram humanam naturam.

HÆc thesis non eget longa explicatione. Quatuor autem habet præcipua membra, quibus variis occurritur hæresibus. *Primum* membrum docet, *filium Dei sumsisse verum corpus.* Et hoc contra Cerdonem, Marcionem, Manichæum. Sed neque hic prolixa opus est confirmatione: Breuiter ergo dicam.

1. Christus ipse sæpe luculenter declarauit probauitque Apostolis, se non habere phantasmaticum (vt ipsi nonnunquā putarunt) sed verum corpus. Ante passionem & resurrectionē: Matt. 14. Marc. 6. Ioh. 6. Cū enim ambularet super aquas, & Apostolis videretur esse phantasma, apertè significauit se non esse phantasma. Post resurrectionem idem fecit. Luc 24. Cum ingressus ad discipulos, ianuis clausis, dixit, *Videte & palpate, quia Spiritus carnem & ossa non habet.*

2. Deinde, A vera passione. Si non habuisset verum corpus, neq; etiam verè passus esset, sed omnia κατὰ δόκησιν egisset: vt illi volebant hæretici. At contra est, quod Matth. de Christo citat illud Ies. 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.*

3. A vera redemptione. Si non verum habuit corpus, nec verè passus est: Ergo neque nos verè redemit: At contra reclamat tota scriptura.

4. Vniuersa Ecclesia omnibus temporibus hanc damnanit hæresin. Et Ignatius, Irenæus, Tertullianus & alij hanc expugnarunt. Longiore igitur probatione non est opus.

Argumenta etiam, quibus suam hæresin confirmare conabantur, fuerunt à patribus refutata.

1. *Apparebat patribus in specie humani corporis. Ergo & Apostolis aliisque eius temporis hominibus.*

Resp. Pernegamus fuisse spectra seu corpora phantasmatica. Filium Dei vera sibi formasse corpora, in eisque apparuisse, quanquam nondum homo esset, liquet ex actionibus: edebat, cōtrectabatur, & alias veri corporis humani actiones edebat: Sed ea etiam deponebat corpora, postquam in eis fecerat officium, quod volebat. Non ergo in corporibus simpliciter phantasmaticis apparebat. Deinde, Esto, vt talia corpora vocemus spectra: Consecutio tamen non valet: ergo in simili corpore versatus est cum Apostolis. Iam enim verbum caro factum est. Et Apostolus ait: *Repertus est, vt homo.* Et Ioh. *Quod vidimus, quod audiuimus, quod manus nostræ contrectarunt, &c.*

Irenæus li. 4. c. 37. ait de Filio Dei: *Cùm apparebat patribus in humano corpore, quanquam nondum verus homo, præmonstrasse se tandem futurum verum hominem: Et illas apparitiones præludia fuisse veræ incarnationis. Nunquam enim Patrem sed solum Filium apparuisse sub forma humani corporis, quia solus etiam verè futurus erat homo.*

2. *Spiritus sanctus apparuit in specie columbæ, vel etiam in corpore vera columba: nec tamen fuit columba. Ergo neq; Christus ita verum corpus humanum sumsit, vt fuerit homo. Resp.* Argumentum à dissimili: id quod ab actionibus vtriusque liquet. August. T. 3. li. de agone c. 22. à fine diuerso idem respondit. *Spiritus non venit in specie columbæ, vt seruaret columbas, ideo non est factus vera columba: sed λόγος venit in carne humana, vt homines verè liberaret. Ergo veram etiam carnem humanam sumsit: & verus factus est homo*

Idem ferè responsum dat Tertullianus in lib. de carne Christi, ad illos, qui argumentabantur ab apparitionibus angelorum in humanis corporibus. Alia enim caussa apparitionum angelorum, & alia propter quam Christus venit in carne.

3. Torquebant dicta quædam Scripturarum, vt illud Rom. 8. *Misit Deus Filium suum in similitudine carnis peccati:* & similia. *Ergo non sumsit veram carnem, sed similitudinem carnis. Resp.* 1. Si Apostolus dixisset simpliciter, *in similitudine carnis:* aliquid haberet coloris: quanquam ne sic quidem concluderent Manichæi, cum alibi apertè prædicet Christum verum fuisse hominem: eumque nobis per omnia similem, excepto peccato: Et nos demonstrabimus, cum ait Phil. 2. *In similitudine hominis factus*, indè concludi factum esse verum hominem, nobis omnino similem. Nunc autem addit *peccati:* duplicem ergo innuit Apostolus carnem: vnam quæ est caro simpliciter, veraque caro: alteram, quæ est caro peccati. Carnem peccati non assumsit Filius Dei, quia sine peccato conceptus: sed veram carnem, carni autem peccati similem. Quomodo similem? Quia à pœnis peccati, quibus erat obnoxia, visa fuit & ipsa caro peccati, quamuis non esset. Et ita inter peccatores reputatus est Christus. Locus iste explicandus est per illum Hebr. 2. *Vnde per omnia debuit*

fratribus assimilari ὁμοιωθῆναι. Et Hebr. 4. *Tentatum per omnia*, καθ' ὁμοιότητα, *absque peccato*, &c. Ergo veram carne & sanguine communicauit, sicut & nos: sed absque peccato, h.e. in similitudine carnis peccati. Fuit enim caro Christi similis carni peccati: quia fuit victima pro peccato. Victima autem pro peccato vocabatur in lege peccatum, non propriè sed per similitudinem, qua hostia denominatur à re pro qua offertur.

Et ita Apost. 2. Cor. 5. Christum vocat Peccatum, dicens: *eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Et Rom. 8. *Et de peccato damnauit peccatum in carne.* His de causis caro Christi vocata est similitudo carnis non simpliciter, sed carnis peccati.

Obiiciebant etiam locum Phil. 2. Manichæi. Sed illum explicauimus non illis fauere, sed contra potius. Hæc de primo membro.

☞ *Alterum* membrum docet Christum sumsisse corpus, non ex substantia diuina, non ex cœlesti, non ex materia elementari, sed verè humanum: & hoc contra Valentinum & alios.

Hoc membrum iisdem ferè locis & testimoniis confirmatur, quibus & primum, præsertim à fine incarnationis. Is fuit, vt in carne illa damnaretur peccatum, per quam peccatum in mundum ingressum est. Nostram igitur carnem sumsit, non diuinum aut cœleste corpus Heb. 2. *Non enim assumsit angelos: sed semen Abrahę assumsit.* Quid ita? Quia noluit expiare peccatum angelorum, sed peccata seminis Abrahæ, & omnium qui per fidem futuri erant filij Abrahæ. Veram ergo carnem humanam suscepit.

Confirmatur omnibus dictis S. literarum, quibus promissum fuit semen mulieris, semen Abrahæ, semen Dauidis. Item vbi legimus conceptum eum fuisse in vtero virginis, & filium eius vocatum fuisse, filiumque hominis: Et ex muliere factum, Gal. 4. E substantia igitur virginis conceptum fuit illud corpus. Denique Heb. 2. *Decuit per omnia fratribus similem fieri.*

Obiect. 1. Non debuit Filius Dei, qui venerat, vt tolleret peccatum, carnem nostram peccatricem sumere. *Resp.* Debuit carnem, non debuit peccatum sumere. Ideò retorquemus: Imò quia venerat, vt nostram carnem liberaret à peccato: idcirco debuit nostram sumere, sed qualem? sine peccato. Hoc autem factum est. Non enim impuram sibi sumsit, sed sanctificatam & à peccato purgatam. Ideo Angelus ad Mariam: *Spiritus S. superueniet tibi, &c. Ideò, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et Heb. 2. & 4. *Similis nobis per omnia excepto peccato.*

Obiect. 2. 1. Cor. 15. Homo cœlestis vocatur, & esse è cœlo dicitur. *Resp.* Non, quoad substantiam corporis, cœlestis vocatur: sed quoad qualitates, quas post resurrectionem accepit. Dicitur etiam è cœlo esse, per communicationem idiomatum: Quia, qui habitat in illo corpore, è cœlo est, dominus omnium, &c.

Tertium membrum: docet Christum sumsisse non nudum corpus, sed anima verè humana præditum. Et hoc contra Arium & Apollinarem.

Confirmatur omnibus ferè locis, quibus & superiora duo: præsertim illis, vbi mentio animæ fit: *Tristis est anima mea vsq; ad mortem:* ait Christus. Item, vbi attribuitur Christo voluntas humana, diuersa à voluntate Dei: *Non quod ego volo, sed quod tu, &c.* Item, vbi datur illi intellectus humanus & cognitio humana. Luc. 2. *Proficiebat sapientia.*

Item, *in manus tuas commendo Spiritum meum.* Denique vbi vocatur *homo nobis per omnia similis, excepto peccato.* Heb. 2. Addatur argumentum à fine incarnationis: Christus ea assumsit, quorum seruandorum causa venerat. Atqui venit, non solùm, vt seruaret corpora nostra, sed in primis animas nostras.

Ad argumentum Apollinaris Iohan. 1. ait: *Verbum caro factum est*: Carnem igitur, sed viuam assumsit: non autem mentem seu animam rationalem, quæ nomine carnis non significatur. *Resp.* Quasi verò non sit vsitatissima in Scripturis hæc Synecdoche: vt caro pro toto homine accipiatur: vt illud: *Et videbit omnis caro salutare Dei*, i. omnis homo: sicut etiam contra anima pro toto itidem homine: vt, anima quæ peccauerit, ipsa morietur, i. homo. Adde, quod idem Ioh. & alij Apostoli, Christum vocant hominem: Et Ecclesia Cathol. in Symbolo explicauit dictum Io. *Et homo factus est.*

Quartum membrum, docet Filium Dei, non solam corporis aut animæ substantiam accepisse: sed omnes etiam vtriusque proprietates, essentiales & naturales.

Essentiales vocamus: sine quibus talis essentia & substantia esse nequit: vt in anima sunt facultates intelligendi, volendi, amãdi &c. Nam sine istis, anima humana nullo modo esse potest. In corpore verò, vt est, quod sit organicum, habens distincta mẽbra, caput, pectus, brachia. Item, quòd sit finitum, & iustis constans dimensionibus. Item, quòd sit visibile, & contrectabile. Iis enim qualitatibus carere nunquam potuit, aut poterit vnquam. Nam etiam in corporibus beatorum manebunt, vt liquet ex 1. Cor. 15.

Naturales vocaui, quæ naturam quidem consequuntur: sed illis aliquando carebit: vt est, quod corpus sit graue. Donabitur enim agilitate, quia resurget in virtute, vti etiam, quòd sit opacum & non luceat: donabitur. n. summo splendore: quia fulgebunt iusti sicut Sol: vti quod nunc esuriat & sitiat, ac sine cibo sustentari nequeat ac viuere. Hac enim necessitate liberabitur: Ita in anima, quòd sit passionibus obnoxia: liberabitur enim, &c.

Primi generis proprietates necessariò ex essentia rei nascuntur, & ab ea sunt inseparabiles: ideo non tantum sunt φυσικαὶ, sed etiam οὐσιώδεις.

Secundi generis, consequuntur naturam & substãtiam, sed non semper & inseparabiliter, & in definitionem rei, cui insunt, non cadunt: Omnes igitur has proprietates tum essentiales, tum simpliciter naturales à Christo susceptas fuisse, dicimus.

Hoc etiam omnibus iisdem testimoniis confirmatur quibus etiam superiora membra.

Si enim verum habet corpus humanum verámque animam, eóque si verus est homo: necessario efficitur, omnes quoque humanas proprietates & animæ & corporis assumtas à Christo fuisse. Hoc præsertim concludunt loca, vbi dicitur similis nobis esse per omnia excepto peccato. Si vnum tantum excipitur peccatum, & in reliquis omnibus similis nobis esse prædicatur: quomodo igitur non omnes sumsit proprietates & animæ & corporis? Item sideo dicitur ὁμοούσιος Patri, quia totam eius οὐσίαν habet & omnes essentiæ proprietates, quas Damasc. vocat partim idiomata τὰ ἀεὶ τῶν φύσεων lib. 1. c. 4. partim παρεπόμενα τῇ οὐσίᾳ lib. 1. c. 12. Ergo eadem de causa non potest dici nobis esse ὁμοούσιος, nisi vna cum essentia & natura nostra, omnes etiam proprietates, tum essentiales, tum naturales, & animæ & corporis suscepisse concedatur.

Hinc sequitur Christum sumsisse naturam humanam, & veram, & integram seu totam: alioqui sequeretur: si non veram suscepit, ergo nec verè redemta est, si non totam & integram, ergo nec tota seruata. Et hoc est, quod Greg. Nazian. primum, deinde & alij dixerunt, & reperitur à Damasceno non semel, τὸ ἀπρόσληπτον ἀθεράπευτον &c. Atqui hæc de prima thesi.

THESIS II.

Nec solùm tum verum, tum integrum animum & corpus humanum, & quæ ad naturalem vtriusque perfectionem pertinent, proprietates suscepit Filius Dei: Verumetiam, qui ad imperfectionem faciunt, vtriusque defectus, horumque necessitatem, suscipere non recusauit.

De veritate & integritate animi & corporis dictum est. Hic de defectibus & passionibus disserimus contra ἀφθαρτοδοκίτας. Defectus corporis vocamus, non defectum aliquem vel substantiæ vel membrorum: sed quæ perfectæ corporis substantiæ, & membrorum compositioni accidunt, miseriæ, dolores & calamitates, ac pœnæ, quæ originale peccatum consecutæ sunt in omnibus hominibus. Veluti est pati frigus, æstum, famem, sitim, laborem, somnum, dolores, & iis similes humanas infirmitates, & denique mortem.

Hos defectus, Damasc. vocat φυσικὰ καὶ ἀδιάβλητα πάθη: naturales & inculpabiles passiones. Excluduntur ergo duo genera defectuum & passionum: primùm, quæ non sunt naturales, nec ex communi omnium hominum peccato, sed ex particularibus causis, & peccatis proficiscuntur. Veluti sunt varij morbi, febres, lepra, podagra, & alia id genus, quæ non sunt omnium communia mala. Deinde excluduntur etiam quæ vitio & culpa non carent: veluti est difficultas ad bonum faciendum, & propensio ad malum, & alia huius generis. Hos defectus, hásque passiones non suscepit Christus, quoniam non pertinent ad communem μονολώ ? ἐν λυ: sed τὰ πάθη suscepit, quæ & φυσικὰ, eoque omnium hominum communia, & ἀδιάβλητα sunt. Certè si quis ex immoderato cibo & potu morbum contrahat, hic morbus non erit ἀδιάβλητος.

Et notandum est, quòd dicimus, Christum hos defectus suscepisse, horúmque etiam necessitatem: hoc est, voluisse sponte his omnibus defectibus, necessariò esse obnoxium, sicut &

sicut & nos sumus: ideo nunquam voluit sua omnipotentia impedire, ne iis esset obnoxius, sed permisit corpus pati, quæ nos quoque patimur: quò illud Irenæi, *Quiescēte verbo, homo patiebatur*: ita similis factus est nobis per omnia, excepto peccato: & in hac parte nobis fuit dissimilis. Fuit etiam dissimilis in hoc, quòd nos non possumus facere, nec potuimus facere, quin iis malis essemus obnoxij, sed & necessariò in nos incurrimus propter peccatum, & necessariò patimur: Christus autem volens suscepit & volens est passus, & volens patiendi necessitatem non cohibuit, vt poterat: sed ordinariè passus est, quæ & nos fratres patimur: Et huc illud Apostoli Heb. 4. *Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia similiter absq; peccato.* Et c. 2. *Vnde & decuit per omnia fratribus assimilari.* Fuit igitur voluntaria necessitas in Christo, in nobis coacta & absoluta.

Proinde notanda est etiam vis verbi λαβὼν: Christus suscepit nempe volens hos morbos & defectus, qui in nomine μορφῆς δούλου continentur: nos autem vnà cum peccato, hos tanquam peccati effecta ex Adamo contraximus. Atq; hæc de defectibus corporis.

Defectus animi non sunt eiusdem generis, sicut neque defectus corporis, vt suprà diximus.

Quidam sunt φυσικοὶ & omnium hominum communes: vti est, nasci imperitum, indoctum, affectibus naturalibus obnoxium, amori, lætitiæ, tristitiæ, iræ, & similibus, veluti etiam est nasci in peccato, &c. Hæc enim omnia in natura corrupta sunt omnium hominum communia.

Quidam ex priuatis causis, & ex peculiaribus Dei iudiciis proficiscuntur: vt, quod quis nascatur, non solum indoctus, vt reliqui omnes, sed etiam fatuus, bardus, stupidus.

Quod dixi de defectibus corporis, idem dico de defectibus animi: Christus suscepit naturales, & omnium communes, non autem priuatos, & peculiares. Debuit enim esse similis fratribus in communi omnibus, non autem cuique in priuatis defectibus.

Rursus: Naturalium defectuum animæ quidam sunt per se vitiosi & peccata, quidam non sunt, sed ἀδιάβλητοι.

Primi generis defectus non suscepit Filius Dei. Ideo peccatum excipit Apostolus Heb. 4. *Tentatum per omnia pariter absque peccato.* Et Christus dixit, *quis ex vobis arguet me de peccato?* Et Angelus ad Mariam, *quod ex te nascetur sanctum, &c.*

Ratio etiam in promptu est, cur non debuerit sumere peccatum & vitiosos affectus, & ducitur à fine incarnationis, cur incarnatus est & factus homo? vt in ea forma serui, quam suscepit, nostra expiaret peccata. At quomodo potuissent expiari, si ipse quoque conceptus & natus fuisset in peccato, & vitiosis affectibus? Nullum ergo peccatum: nullum ve vitiosum affectum suscepit Filius Dei.

Alterius autem generis defectus, quatenus fuerunt sine vllo peccato & vitio, seu ἀδιάβλητοι & inculpabiles, suscepit: quales sunt naturalis ignorantia, & rerum imperitia, tristitia, dolor, timor, ac metus, naturalis ira, desiderium, &c. Notandum verò est, me hic non loqui nisi de iis, quæ in nostra natura & ex nostra natura, quam hic Apostolus vocat μορφὴν δούλου, Christus suscepit: non autem de illis bonis & donis habitualibus, i. quæ porrò accepit anima Christi à λόγῳ: quibus fuit ornata, & quibus naturales defectus instaurauit, atque perfecit: de quibus infra dicemus. Hæc enim pertinent ad ea, quæ vnionem naturarum cōsecuta sunt. Ergo ne confundamus quæstiones, hic tantum de assumtis à Filio Dei ex nostra & in nostra natura consideremus. Dico igitur Filium Dei, vnà cum anima humana, humanos quoque ac naturales, sed sine vitio animæ defectus suscepisse.

De ignorantia naturalique rerum imperitia, liquet ex Iesa. 7. *Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum & eligere bonum, Quia antequam sciat reprobare malum, &c.*

Luc. 2. *Proficiebat sapientia.*

Marc. 13. *De die illa nemo scit neq; Filius, &c.* Heb. 2. *Debuit per omnia fratribus assimilari.* Quomodo autem fuisset fratribus similis, si anima illa naturaliter fuisset plena scientiarum & cognitionum?

De hac re optimè Damascenus lib. 3. c. 21. Δεῖ γινώσκειν, ὅτι τὴν μὲν τῆς ἀγνοίας καὶ δουλείας ἀνέλαβεν φύσιν· καὶ γὰρ δούλη ἐστὶν ἡ ἀνθρώπου φύσις τοῦ ποιήσαντος αὐτὴν θεοῦ· καὶ οὐκ ἔχει τὴν τῶν μελλόντων γνῶσιν.

Postea subdit ex Greg. Nazianz. distinctionem, considerari posse humanam Christi naturam bifariam, aut in sese, aut quatenus cum natura diuina coniuncta est. In sese cōsiderata, ignorans & serua est natura Christi humana: quatenus verò coniuncta est, διὰ τὴν ὑποστατικὴν ταυτότητα & propter inseparabilem vnionem, locupletata est Domini anima futurorum cognitione, vt & reliquis diuinis signis: vocat θεοσημίας: Hac voce cur vtatur, postea suo dicemus loco: cum de iis, quæ consecuta sunt vnionem, agemus: Pergamus in instituto.

De tristitia & dolore, Christus dixit: Matt. 26. *Tristis est anima mea.* Item Iohan. 11 *Turbauit seipsum, & infremuit spiritu:* Et, *Lacrymatus est Iesus.* Item Ies. 53. *Verè languores nostros ipse tulit & dolores nostros ipse portauit.*

Ambros. de Trinitate lib. 3. *Vt homo tristitiam habuit: suscepit enim tristitiam meam: Confidenter tristitiam nomino, qui crucem prędico.*

De timore: Marc. 14. *Cœpit Iesus sudare & pauere.* Malum enim imminens præsensit, quoad humanam etiam mentem: hinc timor in anima humana, Verbo quiescente, vt ait Irenæus.

De admiratione, quæ ex ignorantia proficiscitur: admiramur enim res nouas. Matth. 8. *audiens Iesus verba centurionis, admiratus est,* nempe secundum naturam humanam in sese consideratam: cui res noua fuit, quod tantam fidem videret in homine gentili & milite. Dubium tamen non est, quin non solùm secundum Deitatem, verùm etiam secundum donum sapientiæ & scientiæ, quo plena erat anima Christi, præuiderit fidem centurionis: & nihil ei fuerit mirum: sed rursus anima per se & sua natura illud ignorabat: inde admiratio.

De affectu iræ naturali Iohan. 2. *Zelus domus Dei comedit me.* Sed fuit sine peccato. Est enim duplex ira. Vna, qua cupimus vindictam sine ordine rationis, hæc cum peccato est: nec fuit in Christo: altera, qua vindictam cupimus secundum ordinem iustitiæ, i. qua cupimus, quæ mala sunt, legitimè emendari. De qua August. in hunc locum Iohan. *Zelo domus Dei ille comeditur, qui omnia peruersa, quæ videt, cupit emendare, & si emendare non potest, tolerat & gemit.* Ita hæc sancta est & laudabilis: qua scilicet irascimur vitiis, modo iam dicto. Talis fuit in Christo. Fuit igitur etiam affectus iræ in Christo: sed sine peccato.

De affectibus in genere, qui fuerunt in Christo absque peccato, notanda triplex differentia, qua differebant ab affectibus aliorum. 1. sumitur ab obiectis. Nostri affectus, plerumq; feruntur in obiecta illicita, & mala: Christi autem affectus nunquam ad malum ferebantur, sed semper ad bonum. 2. à principio, vnde oriuntur: Nostri à carne corrupta, & præueniunt iudicium rationis, & rationi non semper obtemperant: in Christo erant quidem in appetitu sensitiuo: sed quia caro erat sine peccato, & semper obtemperabat rectæ rationi: ideo à recta potius ratione, quā ab appetitu sensitiuo excitabantur. Vnde August. de ciuitate Dei lib. 14. *Hos motus, certissima dispositionis gratia, ità cum voluit, Christus suscepit animo humano: sicut, cum voluit, factus est.* hæc ille.

Huc pertinet quod Ioh. 11. ait. *Et turbauit seipsum:* rectà scilicet ratione, & sine peccato.

3. A defectu & repugnantia: Nostri affectus sæpe deficiunt à recta ratione, ei repugnant & eam ad se trahunt: At in Christo & à recta ratione excitabantur, & rectæ rationi semper obtemperabant.

Ad summam: Omnes affectus naturales in Christo fuerunt, qui & in nobis: sed ἀδιάβλητοι, vt inquit Damascenus: & sine peccato, vt loquitur Apostolus: quia similis nobis factus est per omnia, excepto peccato.

Omnes igitur hos defectus, tàm corporis, quàm animæ, qui in nobis quoque sunt naturales, Filius Dei assumsit, cum forma serui.

Tres verò potissimum caussæ adferuntur à patribus, illæque ex scripturis collectæ, cur præter veram & integram naturam humanā, cū omnibus suis proprietatibus voluerit etiā hos omnes naturales, sed ἀδιαβλήτους sumere defectus.

1. Vna, vt per hos declararet, se esse verum hominem, nobis per omnia similem demto peccato. hanc habet Apostolus Phil. 2. ἐν σχήματι, *habitu repertus vt hom o:* scilicet verus.

2. Vt tum in corpore, tum in anima pateretur pro nobis: & patiendo nostra expiaret peccata. huc illud Ies. 53. *Verè languores nostros ipse tulit,* &c.

3. Vt exemplum nobis præberet patientiæ, & omnia mala tolerandi propter gloriam Dei, & salutem proximi. Huc illud 1. Pet. 2. *Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum* Et Heb. 12. *Sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt non fatigemini animis vestris deficientes.*

Addo 4. Vt inde spem & fiduciam conciperemus, fore, vt Dominus noster Iesus Christus nobis compatiatur cùm varijs calamitatibus turbamur & tētamur. Huc illud Heb.

7. *Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris.*

Sed hic magna exoritur *dubitatio*: Si suscepit corpus humanum anima rationali præditum: corpus autem tale per se est ὑφιστάμενον, quòd verè constat tali corpore & tali anima, persona etiam est: Persona enim est naturæ rationalis indiuidua substantia (Boet.) Videtur ergo persona sumsisse personam. Hæc verò fuit hæresis Nestorij.

Quod si dicamus, quod sumsit Filius Dei, illud non fuisse, nec verè vocari posse personam, sed naturam humanam: absurdum videbitur.

Natura enim humana, non videtur certum esse & indiuiduum corpus, certáque anima, sed definiri solet, quòd sit species quæ de pluribus indiuiduis prædicatur. Christus autem non sumsit speciem, sed certum corpus certa anima præditum, vt conclusum est.

Quid igitur? dicemúsne, nihil à Filio Dei assumtum fuisse, quia neque persona assumta fuit, neque species humanę naturæ? absit. Vt igitur talis dubitatio tollatur: addimus tertiam Thesin.

THESIS III.

Tametsi verò Filius Dei verum corpus, vera humana anima præditum, cum omnibus essentialibus ac naturalibus vtriusque proprietatibus, adde & defectibus sumsit: non ideò tamen vel persona vel ὑφιστάμενον sumsisse dicendus est, sed naturam: eámque non vt id eum extra omnia indiuidua, sola cogitatione comprehensam: neque vt in omnibus hominibus pariter existentem: sed vt in ἀτόμῳ, (vt loquitur Damascenus l.3.c.11.) hoc est quæ in certo existat indiuiduo quod tamen nunquam per se, & nusquam nisi in assumente exstiterit. Th.3.p.q.4.art.4.

THESIS hæc contra Nestorium est. Ac præter ea, quæ ex superioribus duabus thesibus repetiuimus de assumto vero corpore, & vera anima, cum suis proprietatibus duo alia continet membra.

Primo membro, quod suscepit Filius Dei, corpus & animam, fuisse personam aut ὑφιστάμενον, negatur: non personam contra Nestorium: non ὑφιστάμενον, contra quosdam Nestorianos, qui negarunt quidem esse veram personam, sed contenderunt esse certum ὑφιστάμενον, præsertim cum anima etiam à corpore separata subsistat.

Altero membro affirmatur fuisse Naturam: ac propter vocis ὁμωνυμίας, explicatur, quo sensu intelligendum sit, fuisse & esse naturam.

Vt igitur hæc thesis quoad vtrumque membrum rectè intelligatur: explicanda est vox personæ & ὑποστάσεως, seu ὑφισταμένου: explicanda item multiplex significatio Naturæ; explicanda item caussa, cur illa substantia animæ & corporis à Christo assumta, non possit dici neque persona neque ὑπόστασις, vel ὑφιστάμενον.

De persona, hypostasi, & natura multa Boetius in lib. de duabus naturis, c.1.& 2. à quo ferè omnes acceperunt. Et Damascenus, tum in primo lib. de fide, tum in tertio. Et Pet. Lombard. lib.1. Dist.25.& 26.

Breuiter sic habetote.

Persona & ὑπόστασις seu ὑφιστάμενον significat substantiam singularem per se subsistentem, & à quauis alia numero discretam: vt hic homo, hic bos, hæc planta. Differunt, quod ὑπόστασις & ὑφιστάμενον dicũtur de quauis substãtia singulari & per se subsistente: persona de substantia rationali.

Persona igitur est naturæ rationalis indiuidua perfectaq; substantia: quæ non in alio sustentata, sed per se subsistens, ad aliud etiam dependentiam non habet. Singulas partes explico.

1. *Substantia est*: non enim de accidentibus prædicatur persona: sed tantum de substantiis.

2. *Indiuidua, id est singularis*: De indiuiduis enim tantùm non de vniuersalibus, quales sunt species, prædicatur persona.

3. *Rationalis natura*: veluti est humana. Substantiis enim naturæ irrationalis non congruit nomen personæ: sed ὑφιστάμενα tantùm, & ὑποστάσεις, & supposita, & indiuidua simpliciter appellari solent.

4. *Perfectáque substantia*: perfecta scilicet in ea specie & natura de qua dicitur. Ac perfectam dico, quæ omnibus essentialibus partibus ad speciem illam necessariis, constet: vt est in humana specie, anima & corpus. Solum enim corpus aut sola anima, homo non est, eóque nec persona.

5. *Quæ non in alio sustentata, sed per se subsistens*: Quod enim in alio sustentatur, neque ὑφιστάμενον, neq; ὑπόστασις, nedum persona appellari potest. ὑφιστάμενον enim dicitur id, quod per se subsistit.

Hac particula excluditur à nomine personæ & ὑφισταμένου illa humana substantia, quam Christus assumsit in sese considerata. Etsi enim substantia est rationalis naturæ indiuidua, & perfecta, vtpote constans anima & corpore: quia tamen nunquam per se subsistit, aut subsistere potest, sed in verbo semper fuit sustentata & sustentatur: idcirco neque personæ neque ὑποστάσεως nomen ei conuenit. Est quidem propter vnionem ὑποστατικὴν quodammodo pars personæ Christi: sed neque pars hominis, puta corpus solum, aut anima sola est homo, personáve hominis.

6. *Nec dependentiam ad aliud habet*. Hæc particula maioris explicationis caussa addita est: vt intelligamus, humanam animam, licet à corpore separata per se subsistat, & substantia sit indiuidua, naturæque rationalis, personam tamen humanam non esse, quia dependentiam habet ad corpus, tanquam ad alteram essentialem hominis partem.

Sic definimus personam: neque ab hac discrepant aliorum definitiones, si diligenter examinentur, & rectè intelligantur: quanquam apud nonnullos quædam leguntur imperfectiores, quàm vt omni personæ conueniant & totum enacuent (vt loquuntur philosophi) definitum: qualis est illa: Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia. Et illa P. Lomb. persona est substantia rationalis indiuiduę naturæ. Melius Ricardus de sancto Victore, sic. Persona est intellectualis naturæ incommunicabilis subsistentia. Nam nomine incommunicabilis, intelligit subsistentiam per se: ita vt talis substantia non sustentetur in alio, nec sit pars alterius: nec nata sit inhærere alteri.

Clarior est Dn. Philippi, eáque recepta est in scholis nostris definitio. *Persona* est ὑφιστάμενον, viuum, intelligens, indiuiduum, incommunicabile, non sustentatum in alio.

Hæc de vocabulo Personæ, quantum ad propositum nostrum attinet, satis sunto.

De *natura* catenus etiam dicam, quatenus ad explicandam thesin nostram necessarium est. Et dicam ex Damasceno.

Damasc. l.3.c.11. Trifariam docet considerari posse naturam: nempe, aut nuda cogitatione ψιλῇ θεωρίᾳ aut in specie ἐν τῷ εἴδει: aut in indiuiduo aliquo, ἐν τῷ ἀτόμῳ: Explico singula ex eodem Damasceno. 1. Primùm igitur Natura sola nudaque cogitatione consideratur, quando secundum simplicem eius rationem, ab omnibus indiuiduis separata, nuda, & quasi per se sola consideratur: & tunc natura locum non habet, nisi in animo illam nudam considerante. Nam secundum seipsam non existit. Et hoc est quod ait Damascenus, ψιλῇ θεωρίᾳ considerari, καθ' ἑαυτὴν γὰρ οὐχ ὑφέστηκεν.

2. Consideratur in specie: quando eam in ipsis indiuiduis pariter existentem, κοινῶς, i. secundum communem & omnibus indiuiduis conuenientem rationem contemplamur: vt si cogites & dicas, natura humana est οὐσία partim corporea, partim incorporea, ratione & voluntate prædita: talem enim in omnibus indiuiduis eiusdem speciei & æquè inesse videmus. Et hoc est quod ait Damasc. Naturam considerari, κοινῶς ἐν πάσαις ταῖς ὁμοειδέσιν ὑποστάσεσι ταύταις συναφθεῖσα ἡ λέγεται ἐν τῷ εἴδει θεωρουμένη φύσις.

3. Natura ἐν τῷ ἀτόμῳ considerari dicitur: quando eam, vt in vno existentem indiuiduo, cum proprietatibus indiuidualibus illud ab omnibus aliis indiuiduis discernentibus, contemplamur: puta naturam humanam in Petro, aut Paulo. Et hoc est quod ait Damascenus, Naturam ἄλλως considerari ἐν προσλήψει συμβεβηκότων ἐν μιᾷ ὑποστάσει λέγεται ἐν ἀτόμῳ θεωρουμένη φύσις: ἡ αὐτὴ οὖσα τῇ ἐν τῷ εἴδει θεωρουμένῃ.

Nunc ad rem.

Neque primo neque secundo sensu intelligimus assumtam fuisse naturam humanam à Filio Dei, sed tertio modo. Non primo: quia non fuisset secundum rei veritatem, humanæ naturæ assumtio, sed secundum nudam imaginationem. ψεῦδος γὰρ ἐστι (inquit Damasc.) καὶ πλάσμα τερατείας. Neque secundo: quia non in omnibus indiuiduis eam sumsit, sed in vno: seu quia non omnes homines sumsit: Ideo Dam. οὐδὲ τὴν ἐν τῷ εἴδει θεωρουμένην· οὐ γὰρ πάσας τὰς ὑποστάσεις ἀνέλαβεν. Tertio igitur modo intelligimus, fuisse assumtam: nempe ἐν ἀτόμῳ. Et hoc est, quod ait Damasc. ἀλλὰ τὴν ἐν ἀτόμῳ, τὴν αὐτὴν οὖσαν τῇ ἐν τῷ εἴδει, ἀπαρχὴν γὰρ ἀνέλαβε τοῦ ἡμετέρου φυράματος. Hoc idem ex Damasc. acceptum conclusit Tho. Aq.3.p.q.4.art.4.& 5.

Cæterum τὸ ἄτομον humanæ naturæ, h.e. massa illa animæ &

mæ & corporis, considerari iterum potest bifariam: primum, quatenus per se suâque propria subsistentia subsistit: sicut omnes in mundo singulares substantiæ: Secundò, quatenus in alio sustentatur, & existit.

Primo modo negamus, contra Nestorium, assumtam fuisse illam humanæ naturæ massam à Filio Dei: quia hoc nil aliud est, quàm hæresis Nestorij, quam mox refutabimus.

Secundo itaque modo: quatenus scilicet τὸ ἄτομον in alio sustentatur, eóque mera est φύσις, non autem ὑπόστασις nostra intelligitur Thesis. Ideò adiecimus hæc verba: *Quod tamen (ἄτομον) nunquam per se & nusquam nisi in assumente exstitit aut existit.* Atque hoc est quod Damascenus subdit: ἀπαρχὴν γὰρ ἀνέλαβε τοῦ ἡμετέρου φυράματος, οὐ καθ' ἑαυτὴν ὑποστᾶσαν, καὶ ἄτομον χρηματίσασαν πρότερον, καὶ οὕτως ὑπ' αὐτοῦ προσληφθεῖσαν· ἀλλ' ἐν τῇ αὐτοῦ ὑποστάσει ὑπάρξασαν. αὐτὴ γὰρ ἡ ὑπόστασις τοῦ θεοῦ λόγου ἐγένετο τῇ σαρκὶ ὑπόστασις· καὶ κατὰ τοῦτο ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, ἀτρέπτως δηλαδή, &c.

Explicata est Thesis & illustris effecta, quomodo scil. intelligendum sit quòd diximus, licet Filius Dei verum corpus, vera anima præditum sumserit, ab eo tamen non fuisse assumtam personam vel ὑπόστασιν, sed naturam: naturam, inquam, non quouis sensu acceptam, sed quatenus ἐν ἀτόμῳ consideratur. *Summa.*

Natura consideratur aut in subiectis, aut extra. Extra: vel tanquam per se existens, vt ideæ Platonicæ: vel tanquam existens in animo. Neutro modo assumsit eam Christus. In subiectis: vel in omnibus vel in vno. Primo modo non assumsit, sed secundo. Verum & hoc, vel prout iam existit in subiecto, vel vt existat. Non primo, ergo secundo modo.

Nunc confirmanda est thesis. *Primum* argumentum à definitione personæ: Si Filius Dei, sumendo corpus illud & animam, sumsisset personam vel ὑφιστάμενον: illud prius per se exstitisset, quam sumeretur. Hoc est enim proprium personæ, & cuiusuis ὑφισταμένου: vt per se subsistat. Vnde & nomen ὑφισταμένου. Atqui caro illa, seu forma serui, quam assumsit Filius Dei, non præexstitit sui assumtioni, seu non prius fuit creata aut exstitit, quam assumeretur: sed λόγος eam sumendo creauit & creando sumsit. Creauit enim eã, non extra suam personam, sed in sua persona, factusque est illi carni ὑπόστασις. Et hoc liquet ex verbis Ioh. 1. λόγος caro factus est. Si enim verè factus est caro, necesse est vt aut ipse conuersus sit in carnem, sicut cum legimus, aquam fuisse factam vinum: aut, vt ipse, sine vlla sui mutatione factus sit carni ὑπόστασις: tertium non datur. Atqui prius est impium dicere. Ergo ideo dicitur factus esse caro, quia carni ὑπόστασις factus est. Confirmatur interpretatio dicti Ioh. Sicut. n. ideo vocatur & est verus Deus, quia est & subsistit in forma Dei: Sic etiam vocatur & est verus homo, quia in forma hominis subsistit. Quare si in forma hominis subsistit, formæ igitur hominis ὑπόστασις factus est, ac proinde forma hominis, nunquam fuit extra personam Verbi. Quare nec persona fuit nec hypostasis, quæ posset assumi à Filio Dei.

Nec est, vt quis dicat: ideò λόγος dicitur caro factus, quia caro in λόγον conuersa est. Non enim diceretur, λόγος factus est caro, sed caro facta est λόγος.

Non potest igitur dici, λόγος factus est caro, si neq; ipse conuersus est in carnem, neque factus est carni ὑπόστασις. Est autem factus caro. Carnis igitur factus est ὑπόστασις. Quare sumendo carnẽ non sumsit ὑπόστασιν, aut personam. Eadem assumtio primi syllogismi, nempe carnem assumtam non prius exstitisse quàm assumeretur, multis aliis argumentis confirmari potest. Vide Th. contra Gentiles lib. 4. c. 43. quale est hoc: Si caro illa præexstitisset, & fuisset concepta extra personã τοῦ λόγου, non posset verè dici Christus conceptus esse ex Maria virgine, & in vtero matris. Conceptus enim dicitur respectu carnis in ipso cõceptionis momento assumtæ. Proinde Angelus non dixit: Ecce concipies carnem, quasi prius illa esset concipienda, & postea tanquam res concepta & subsistens sumenda à Filio Dei: sed dixit: *Ecce concipies & paries filium*: quem? Filium Dei: vt ipse Angelus explicat, dicens: *Et filius Altissimi vocabitur.* Non ergo prius extra personam λόγου concepta fuit caro, & deinde assumta: sed concepta fuit in persona λόγου, & simul suscepta: cuius rei respectu ipse dicitur & prædicatur conceptus, idque è Sp. S. vt intelligamus conceptum fuisse non respectu Deitatis (huius enim respectu è solo Patre natus est) sed respectu humanitatis, opera Spir. sancti.

Et conceptus dicitur ipse Filius Dei, quia concipiũtur, & generantur personæ, non naturæ. Si ergo ipse cõceptus & natus est homo respectu humanitatis in personæ vnitatem assumptæ: efficitur necessariò, naturam illam humanam nunquã & nusquã exstitisse: nisi in persona filij Dei.

Quare eam sumendo, non sumsit personam aut ὑφιστάμενον.

Ita refellitur opinio etiam Origenis de animis humanis ab initio mundi creatis, & postea in corpora demissis. Sic certè Filius Dei sumendo animam, sumsisset ὑφιστάμενον. Hæc Origenis doctrina fauit Nestorio. Damnata autem fuit à Patribus, & multis rationibus refutata. Hoc igitur esto primum argumentum, quo demõstratum est Filium Dei, sumendo carnem, non sumsisse personam, aut ὑφιστάμενον vllum, sed naturam.

Secundum. ὁ λόγος, cum corpore & anima assumtis, natus est, & mansit, & est vna tantum persona, & vna ὑπόστασις. Ergo persona non assumsit personam vel ὑπόστασιν aliam, sed aliam naturam. Consequutio liquet: quia non vna esset persona, sed duæ. Item, non alius natus est, & mansit, & est in cœlo, quàm qui conceptus fuit. Atqui vnus tantum filius, & vna tantum persona, quæ & Filius Dei & filius hominis vocatur, propter duas naturas, natus est & viuit in cœlo. Vnde etiam Maria meritò θεοτόκος vocata est, quia vnam eandémque personam, quæ & Deus & homo est, genuit. Vna igitur & eadem persona, respectu humanæ carnis assumtæ concepta fuit in vtero virginis. Non autem persona λόγου aliam suscepit personam, duæ enim mansissent, non vna.

Tertium. Si λόγου persona, sumsisset personam hominis, λόγος nõ posset verè vocari homo. Est enim prorsus ἀδύνατον, vt persona vna prædicetur de altera: Vt Plato de Socrate, pater de filio: aut vnum suppositum & ὑφιστάμενον de altero, vt lignum de lapide: Sed naturæ prædicantur de subiectis & indiuiduis in quibus sunt. Atqui λόγος verè vocatur & est homo. Quisque enim est id, quod factus est. Si fias albus, albus es: si doctus, doctus: si rex, rex. λόγος autem factus est homo. Non igitur sumsit personam hominis persona τοῦ λόγου.

Quartum. Si persona τοῦ λόγου sumsisset personam hominis, ita vt in Christo duæ sint personæ, diuina & humana: de persona hominis prædicari non possent; quæ sunt τοῦ λόγου propria, neq; rursus quæ sunt hominis, de persona λόγου. Neque enim Deus, qui non sit etiam homo, dici potest mori: aut homo, qui nõ sit Deus, mortuos viuificare: Sicut neque in Trinitate, quæ propria sunt vnius personæ, prædicantur de alia persona, Vt generare de Patre, & generari de Filio. Atqui vnus & idem Christus de seipso prædicat, quæ λόγου sunt, & etiam, quæ hominis, idque verbo & pronomine non pluralis numeri dicendo, *Nos sumus*, sed singularis, dicendo, *Ego sum panis viuus, qui descendi de cœlo.* Item, *Exiui à Patre.* Item, *Ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Item, *Ego vitam æternam do eis*: Item, *Ego & Pater vnum sumus*: quæ certè non congruunt personæ hominis, a persona Dei distinctæ. Et rursus, *Ego sitio da mihi bibere*, & similia, quæ propria sunt hominis Item, *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo.*

Hic vna & eadem persona de se prædicat, quæ & Dei solius & hominis sunt.

Non duæ igitur in Christo personæ, sed vna tantum, quæ & Deus & homo est. Quare non sumsit personam, sed naturam in vnitatem personæ ὁ λόγος.

Quintum. Si sumsisset personam, eadem non esset, quę descendit de cœlo, & quę ascendit supra omnes cœlos. Descendere enim τοῦ λόγου fuit, ascendere autem hominis. Atqui vna & eadem est, quæ descendit & quæ ascendit. Eph. 4. *Qui ascendit idem est, qui & descenderat in inferiores partes terræ*: nempe secundum diuersas naturas. Non ergo sumsit personam. Simile huic & est hoc.

Sextum. Si corpus anima præditum assumtum à λόγῳ, persona esset à persona assumentis diuersa: illa profectò hominis persona non potuisset dicere: *Ego de supernis sum, vos de deorsum estis.* Tam enim homo ille originem habuit ex infernis quoad carnem, quàm & reliqui homines. Item, neq; illud: *Exiui à Patre & veni in mundum*: Solius enim personæ Verbi fuit, exire a Patre & venire in mundum: teste Ioh. c. 1. *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit: in propria venit, &c.* Hebr. 10. *Ingrediens mundum, dicit, Hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi* (nempe tanquam proprium.) Caro enim & anima Christi non venerunt in mundum à Patre: sed tunc primum esse cœperunt, cùm fuerunt in vtero virginis creatæ. Ille tamen homo dixit: & verè dixit hęc, nec mentitus est. Non fuit igitur persona à persona τοῦ λόγου distincta homo ille IESVS.

Septimum. Contra, si homo ille assumtus diuersa fuisset persona ab assumente, cum ipse patiebatur, crucifigebatur, moriebatur, sepeliebatur: non potuisset persona Verbi assumens pati, crucifigi, mori, sepeliri: hæc enim non congruunt Filio Dei Deo: Atqui filius Dei Deus verè in sa-

cris literis prædicatur passus, crucifixus, mortuus. Natura igitur assumpta & λόγος assumens fuerunt & sunt vna duntaxat persona, non duæ.

Ac ne dicas (vt olim Nestorius) cum legimus, Christum passum esse, nomine Christi intelligi hominem assumtū, qui ipsi vnitus est: non igitur pati & mori & crucifigi de λόγῳ prædicari: occurrit Apostolus, qui ad Cor. scribit, *Dominum gloriæ fuisse crucifixum.* Et ad Rom. *Deū proprio filio non pepercisse, sed pro nobis tradidisse illum in mortem.* Et Ioh. 3. legimus, Deum (Patrem) filium suum vnigenitum dedisse (s. in mortem.) Quis verò proprius & vnigenitus est Dei Filius? λόγος, qui & Deus semper fuit apud Deum. Cùm igitur verè prædicetur Filius Dei Deus passus esse & crucifixus: nisi autem vna & eadem sit persona, cum natura assumta, nullo modo verè dici possit passus & mortuus esse: necessariò à passione & morte Christi efficitur, assumentem & assumtum vnam & eandem esse personam.

Octauum. Qui factus est ex muliere, est ille idem, qui fecerat mulierem, i. æternus Dei Filius, per quem facta sunt omnia. Docet hoc Apostolus Gal. 4. *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum* (vnigenitum sc. vt Iohan. 3. explicatur) *factum ex muliere,* &c. Eundem Filium, quem misit Pater, ait Apostolus factum ex muliere: filius missus à Patre est ille, qui existens in forma Dei assumsit formam serui.

Qui verò factus est ex muliere, homo certè est, propter id, quod assumtum est, & factum ex muliere. Si autem idem est, Filius a Patre missus, & qui factus est homo ex muliere: Non igitur duæ personæ diuersæ assumens & res assumta.

Nonum. Cui attribuitur rerum omnium creatio, & earum sustentatio: is certè Deus est verus. Est enim opus solius Dei. Atqui huic homini Iesu Christo attribuitur creatio & conseruatio rerum omnium. Col. 1. de Christo ait, quod per eum omnia & condita sint & consistant. Loqui autem Apostolum non de filio Dei, secundum hypostasin diuersō à Filio hominis, sed de ipso in forma serui subsistēte, liquet ibidem, vocat enim eum primogenitum ex mortuis. Ille igitur, qui mortuus est, & resurrexit, verus Deus est, quia attribuitur illi rerum omnium creatio.

Idem argumentum ex multis aliis scripturæ locis confirmatur, vt ex loco ad Hebr. 3. vbi ipsi Iesu attribuit Apostolus creationem omnium & Deitatem veram: Iesus autem nomen est hominis. Item ab adoratione, qua ille Iesus homo vt Deus adorabatur.

Decimum Apostolus 1. Cor. 8. ait: *Vnus est Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Cum ait, IESVS, hominem ex virgine natum significat: cū dicit, PER QVEM OMNIA, Filium Dei Deum demonstrat, per quem facta sunt omnia. Ioh. 1.

Ait autem hunc, qui & Iesus est, i. homo, & per quem omnia, id est, qui Deus est, vnum tantum esse dominum.

Certum verò est & λόγον Deum nobis esse dominum, & Iesum Christum hominem itidem nostrum esse dominum: quò illud: *Vos vocatis me magister & Domine: & verè dicitis: Sum etenim: Si ergo ego dominus laui pedes, &c.* Quis lauit pedes? Annon homo Iesus?

Contendit autem Apostolus nobis non esse dominos multos, sicut nec multi nobis sunt dij, sed vnum dominum esse, sicut & vnus tantum est Deus. Quis ergo non videat hanc esse doctrinam Apostoli, sicut in Deo, licet sint tres personæ, vnus tamen duntaxat est Deus: sic in Christo, licet duæ sint naturæ, vnam tamen duntaxat esse personam, quia vnus tantum est Dominus.

Vndecimum. Damasc. lib. 3. c. 12. cùm agit contra Nestorium, præter alia argumenta, hoc etiam adfert: 1. Cor. 15. Apostolus Christum vocat duobus nominibus, secundum Adamum, & dominum è cœlo. Primo nomine prædicatur verus homo è terra sumtus. Adam enim ab *Adamah* dictus fuit: Est autem Christus quoad carnem, ex primo Adamo, vt Luc. 3. liquet. Altero nomine prædicatur Deus è cœlo. Neque. n. vel anima, vel corpus Christi è cœlo datum est. Vnus tamen est Christus vnaque persona. Vnde & non absre Apostolus, tanquam vnā personam indicans, eamque opponens alteri personæ, primus homo (inquit) è terra terrenus. Secundus homo ipse dominus è cœlo: Secundus igitur homo vnus est, & homo simul è terra, quia Adamus, & Deus, quia dominus è cœlo.

Examinat & illud Apost. Gal. 4. *Misit Deus Filiū suū vnigenitū, γενόμενον ἐκ γυναικός, &c.* (inquit Damasc.) ἵνα γυναικὸς, ἀλλ' ἐκ γυναικὸς, ἵνα σημάνῃ αὐτὸν ὁ θεῖος ἀπόστολος, ὅτι αὐτὸς ἐστιν ὁ μονογενὴς υἱὸς τοῦ θεοῦ θεὸς, ὁ ἐκ τῆς παρθένου γενόμενος ἄνθρωπος· ἡ αὐτὸς ὁ ἐκ τῆς παρθένου γεννηθεὶς υἱὸς τοῦ θεοῦ θεός. Idem igitur est ὁ μονογενὴς, vnigenitus Filius Dei, qui & ὁ γενόμενος factus ex muliere: & rursus, idem est ὁ ἄνθρωπος factus ex muliere, qui & μονογενὴς τοῦ θεοῦ υἱός. Et mox subdit causā, cur vnus & idem sit: quia (inquit) vnigenitus ille Filius Dei non inhabitauit in homine quasi antea formato, tanquam in Propheta aliquo: sed quia ipse αὐτὸς ἀτρέπτως ἀνθρωπος factus est homo. Quid est autem vnigenitum Filium Dei factum esse verè & substantialiter hominem? explicat, quia s. in sua ipsius ὑποστάσει subsistere fecit carnem animatam anima rationali & intellectuali: αὐτὸς ἐν τῇ ὑποστάσει αὐτοῦ ὑποστήσας. τοῦτο γὰρ σημαίνει γενόμενος ἐκ γυναικός.

Perpendit & illud, quod subdit ibidem Apostolus, quod ὑπὸ νόμον: factus sit sub lege: quomodo, inquit, factus esset sub lege, nisi ille ipse verè factus sit homo, nobis ὁμοούσιος?

Hinc concludit, meritò Mariam vocari θεοτόκον quia genuit eū, qui est Deus & homo; quanquam Deitatē non genuit. Quid tum enim? Nam neque anima hominis, quæ est præcipua hominis pars, è substantia est vel patris vel matris suæ: & tamen pater & mater, pater est & mater totius filij, qui ex ipsis natus est. Quid ita? quia vna tantum est persona filius ex anima & carne constans. Sic Maria virgo mater est Dei & hominis, quia genuit vnam personam, quæ est Deus & homo constans ex Deitate & humanitate. Proinde dicit Damascenus hoc nomine θεοτόκος cōtineri totum mysterium incarnationis: τοῦτο τὸ ὄνομα ἅπαν τὸ μυστήριον τῆς οἰκονομίας συνίστησι. εἰ γὰρ θεοτόκος ἡ γεννήσασα, πάντως θεὸς ὁ ἐξ αὐτῆς γεννηθεὶς, πάντως δὲ καὶ ἄνθρωπος. Quomodo n. (inquit) Deus ex muliere genitus diceretur, qui ab æterno fuit nisi homo factus esset? Hæc ex Damasceno: quæ tanquā vnū argumentū proposui ab authoritate ipsius ductū.

Duodecimum. Sed venio ad nostrum contextum, quo nihil clarius ad ostendendum, Filium Dei, suscipiendo carnem, non suscepisse personam, sed naturam.

1. Cuiusnam exemplum proponit nobis imitandum Apostolus, cùm ait, *Sit is affectus in vobis, qui & in Christo Iesu, &c?* Annon Christi veri hominis? nihil certius: *Is enim humiliauit semetipsum, factus obediens, vsq; ad mortem.* De hoc tamen Christo homine, statim subdit: *Qui cū in forma Dei esset non rapinam duxit,* τὸ εἶναι ἴσα θεῷ. Vnam igitur & eandem personam facit, quæ & homo sit & Deus.

2. Ait: *Sed semetipsum exinaniuit.* Quis seipsum exinaniuit? Ille certè, qui erat in forma Dei Deus Patri æqualis: Quomodo aūt se exinaniuit? non certè deponendo formā Dei, & desinēdo esse Deus: sed sumendo formā serui in similitudine hominū factus. In hoc igitur consistit eius exinanitio, quòd ipse idem qui Deus erat, & est, factus est etiam homo, & qui in forma Dei subsistebat, idem ipse subsistit etiam in forma serui: Vna igitur persona non duæ.

Emphasin habent hæ duæ dictiones, prima, *exinaniuit,* secunda, ἑαυτόν. Ergo, primùm, Si sumpsisset personam, & in ipsa tantùm inhabitaret sicut in sanctis, vt volebat Nestorius, minimè dici potuisset exinanitus, aut tunc primùm se exinaniuisse. Nam ab origine mundi inhabitauit per gratiam in sanctis. At excellentius & magis in homine Christo. Sed magis & minus non variant speciem. Itaque vis huius verbi ἐκένωσε euacuatur & perit, si Nestorij sententia admittatur.

Deinde non exinaniuisset seipsum: sed hominem duntaxat illum exaltasset: nec diceretur ipse factus homo, sed ille homo deificatus.

Cum igitur ille ipse, qui erat in forma Dei, Deus Deo Patri æqualis, seipsum exinaniuerit: Et exinanitio hæc in hoc consistat, quòd forma serui sumta, factus est homo, nō desinens esse Deus: manifestum est vnum & eundem esse, qui Deus & homo est: ac proinde non sumsisse, & sibi associasse aliam personam, h. e. hominem per se subsistentē, cum quo propter coniunctionem fieret vnum, eo modo, quo etiam vir & mulier propter vinculum coniugij fiunt vna caro: sed ita naturam humanam, i. animam cum corpore sibi vniuisse, & sese illi hypostasin præbuisse, vt ipse hac ratione factus sit homo.

3. Denique nihil hac re certius ex verbis Apostoli: qui non dixit sumtum fuisse seruum ab eo, qui erat in forma Dei, sed formam serui fuisse sumtam. Quomodo sumtam & in quem finem sumtam? vt sicut ab æterno semper subsistit in forma Dei, sic etiam inciperet subsistere & in sempiternum subsisteret in forma serui: eòque vnus & idem Filius Dei filius etiam hominis esset, verus Deus & verus homo.

Atque hæc fuit definitio Concilij Ephesini primi aduersus Nestorium, sicut in primo tomo Conciliorum videre est: coactis in ea Synodo 200. Episcopis, tempore Cœlestini

ni primi Episcopi Romani, cui Synodo præfuit Cyrillus.

Summa, si quis concedat, vt concedendum est, Iesum Christum esse verum Deum & verum hominem: statim euincetur: Sicut ergo est Deus, quia subsistit in forma Dei, ideo etiam est homo, quia subsistit in forma serui, id est hominis, ac proinde non personam sed formam hominis sumsit.

Sed nunc breuiter euertenda sunt fundamenta Nestorij, præcipuaque illius argumenta diluenda.

1. Fundamentum eóque causa totius hæreseos fuit, quòd putauit hominem quendam, extra personam τοῦ λόγου, in vtero virginis creatum & conceptum fuisse, ac tum demum assumtum fuisse, à λόγῳ, & ei associatum & agglutinatum: & quidem hominem assumtum esse ipsum Christum filium hominis, assumentem autem ipsum Dei Filium.

2. Hinc aiebat Filium Dei Deum habitasse in Christo filio hominis, tanquam in suo templo, plenitudine gratiæ, sicut in sanctis participatione.

3. Hinc factum esse, vt homo assumtus, tota voluntate, ac toto corde perfectissimóque amore adhæserit Filio Dei: & vicissim filius Dei hunc hominem præ omnibus aliis amarit, & suam omnipotentiam, virtutem, dignitatem, plenitudinémque scientiæ & aliorum donorum ei communicarit.

4. Propter hanc perfectionem voluntatis, & amoris inter ipsos coniunctionem, & in omnibus consensionem, factos esse vnum: sicut, qui adhæret Deo, vnus Spiritus efficitur cum ipso: eóque ipsum Christum esse non solùm hominem, sed etiam Deum, propter Deum, in ipso tam perfectè inhabitantem. Fuisse enim & esse illum hominem assumtum θεοφόρον καὶ θεοδόχον.

Sed falsus fuit Nestorius, in fundamento, quia non intellexit verba Ioh. 1. *Verbum caro factum est.* Aliud enim est assumere hominem, aliud fieri hominem.

Si hominem extra suam personam creasset Filius Dei, & deinde creatum sibi associasset, & agglutinasset: dici verè non posset, Verbum caro factum est: Sed tantum, Verbum carni vnitum est, & caro Verbo. Ita enim non καθ' ὑπόστασιν vnũ essent, sed tantum κατὰ σχέσιν (vt dicebat Nestorius,) ἢ κατ' ἀξίαν, ἢ κατ' αὐθεντίαν, ἢ ταυτοβουλίαν, ἢ ὁμωνυμίαν, ἢ εὐδοκίαν: &c.

Etiam de viro & vxore Scriptura pronunciat, quod sint vna caro: quid ita? quia vnus agglutinatur alteri, persona personæ, homo homini. Sed nunquid propterea vir fit mulier, aut mulier fit vir? Nequaquam. Quid ita? quia nõ vniũtur καθ' ὑπόστασιν, sed duæ sunt distinctæ personæ. Ita imaginabatur Nestorius de persona Verbi, & de ea, quã fingebat, persona hominis assumti. Ideo verò Verbũ caro factum est, quia Verbum factum est huic carni hypostasis, & non minus in forma serui, quàm in forma Dei subsistit. Quod si ita est: non ergo extra suã personã creauit hominẽ ὁ λόγος, & creatum assumsit: sed in seipso creauit, & creãdo assumsit. Falsum igitur assumsit Nestorius. Et causa huius erroris fuit, quia non intellexit: *Verbũ caro factum est:* Item, *in similitudine hominum factus, & habitu repertus vt homo.*

1. Argumentum verò præcipuum, quo suam comprobare sententiam conabatur, fuit, quia vnus tantũ est Deus, vnáque eius essentia increata & immensa. Si igitur Maria verè dicatur Θεοτόκος, genitrix Dei: cùm genuerit hominem tantùm, non autem essentiam diuinam: consequitur, animamquoque & corpus, quod genuit esse Deum: & ita fieri Deum bimestrem & trimestrem. *Alij bimembrem & trimembrem.*

Atque hæc fuerunt verba Nestorij cum venit Ephesum, vbi iam multi cõgregati erant Episcopi. Cum plurimi (inquit) Iesum confiteantur esse Deum: ego bimembrem aut trimembrem nequaquam confiteor Deum: *Alij bimestrem & trimestrem.* qua gratia mundus sum à sanguine vestro, & comodo ad vos non venio. Quo dicto discessit cum aliis Episcopis, qui cum eo sentiebant, & rediit Constantinopolim. *Tom. 1 Concil.*

Resp. Sed neq; Catholici illi Patres faciebant Deum bimembrem, aut trimembrem. Neque enim vel animam vel carnem assumtam dicebãt esse Deum sua essentia, sed personam duntaxat (quæ in humana etiam illa natura subsistebat & subsistit) Deum esse vnum eundémq; cum Patre confitebantur: Verùm quia persona illa, quæ Deus erat & est propter formam Dei, homo etiam erat & est propter formam serui in vnitatem eiusdẽ personæ assumtam: ideò hominem illum Iesum Deum esse prædicabant & tota Ecclesia prædicat. Ac proinde cùm Maria genuerit non naturam, sed personam, quæ Deus & homo erat & est: Deum genuisse, nõ minus quàm hominem, verè & orthodoxè dicitur. Certè neq; mater mea animam meam genuit aut cõcepit, me tamen totum genuit, & genitrix mea fuit.

2. Argumentum à locis, vbi humana Christi natura Templum vocatur, in quo diuina filij essentia, seu filius sua essentia habitat: vti est illud Ioh. 2. *Soluite templum hoc: dicebat autem de templo corporis sui.* Ita Apostolus Col. 2. de Iesu Christo loquens, ait, *in ipso habitare omnem plenitudinem Deitatis.*

Est autem discrimen inter inhabitantem & templum seu domum, in qua inhabitat, vt non rectè domus aut templum, dici queat esse ille, qui inhabitat. Duæ igitur personæ & hypostases, λόγος qui inhabitat, & homo, in quo tanquã in templo suo ille inhabitat. *Resp.* In Christo aliud & aliud esse fatemur: sed alium & aliũ, seu aliam & aliã hypostasin, pernegamus. Non. n. Filius Dei inhabitat in carne illa anima rationali prædita, tanquam in alia persona, sed tanquam in alia natura, in qua idem Filius subsistit. Et istud habitare in his locis nil aliud est, quã subsistere. Hoc explicat Apostolus, Col. 2. cùm ait: *plenitudinem Deitatis habitare in Christo Iesu*, non simpliciter, sed σωματικῶς. quid est σωματικῶς? opponitur τῷ πνευματικῶς, quasi dicat Apostolus. Deus ac Deitas in sanctis hominibus inhabitat πνευματικῶς, h. e. per gratiam Spiritus sui: sed in Christo Iesu σωματικῶς. Quomodo σωματικῶς? modo corporali, quia ipsa facta est ceu σωματική, non κατ' οὐσίαν, sed καθ' ὑπόστασιν: quando persona τοῦ λόγου facta est ὑπόστασις ipsi corpori & carni. Verbum. n. caro factum est: quod Ioh. vocat carnem, Apostolus appellat σῶμα, corpus. Habitat ergo in eo σωματικῶς, quia verbum σῶμα factum est, eo sensu quo Iohan. 1. dixit: *Verbum caro factum est.*

Athanasius contra Arianos Serm. 4. σωματικῶς, *quia proprium quoddam corpus accepit.* Tertul. de carne Christi, *Deus carne factus est corporatus.* Atq; hoc est, quod alij dicunt, σωματικῶς, id est ὑποστατικῶς, & personaliter.

Sicut ergo dicit Apostolus, Christum ὑπάρχειν in forma Dei, nec tamen sequitur duo esse ὑφιστάμενα seu personas, Christum qui subsistit, & formam Dei, in qua subsistit: Sic etiam non sequitur, plenitudo Deitatis (nempe quæ est in Filio) habitat in Christo Iesu (h. e. in assumta carne) Ergo duæ sunt personæ inhabitans & inhabitata. Sed bene sequitur. Ergo in eodem Christo, seu in eadem persona duæ sunt Naturæ, diuina, quæ inhabitat, & humana, in qua inhabitat. Proinde notanda etiã est prudentia Apostoli, qui non dixit plenitudinem Deitatis habitare in corpore Christi (quasi in quodam ὑφισταμένῳ) sed habitare in Christo. Voluit. n. significare, eãdem personam Christi, respectu vnius naturæ, esse inhabitantem, & respectu alterius, inhabitatã. Est enim περιχώρησις harum duarum naturarum in eadem persona, vt dicit Damascenus: de qua postea. *De hac re vide Cyril. de incarn. c. 9. & 12. Concil. T. 1. pag. 560. & 562.*

3. Arg. Nestorij à diuersissimis actionibus, quæ in Christo spectantur, quarum quædam in diuinam naturam non cadunt, vti est pati, edere, mori: quædam humanæ non cõueniunt, vti est remittere peccata, edere miracula propria autoritate, iustificare homines. Actiones autem sunt suppositorum seu τῶν ὑφισταμένων. Oportuit igitur in Christo duo esse ὑφιστάμενα, seu personas, quæ has diuersissimas ederent actiones. *Resp.* Falsum est, quod assumebat Nestorius, nempe, vbi diuersissimæ actiones, ibi diuersa esse supposita seu ὑφιστάμενα, cum satis sit, vt diuersæ ibi sint naturæ. Nam etiam in homine sunt actiones contrarissimæ, quarum quædam corpori non congruunt, vti est intelligere, semper moueri, &c. aliæ sunt, quæ animæ non conueniunt, vti est edere, &c. neque tamen sequitur in homine duas esse personas, vel ὑφιστάμενα. Vnum enim & idem ὑφιστάμενον vtrasque edit, sed secundum diuersas naturas.

Diuersitas igitur actionum diuersitatem quidem naturarum concludit, sed minimè pluralitatem personarum euincit.

Ideo argumentum hoc retorserunt patres in Nestoriũ, vt suprà vidimus. Quia idem Christus, eadémque persona dicebat, se & descendisse de cœlo, quod est Deitatis, & ascendere in cœlum, quod est humanitatis: Vna igitur persona in duabus & subsistens & operans naturis.

4. Arg. Ex Thoma contra Gent. l. 4. c. 40. præter alia hoc etiam affertur arg. pro sentẽtia Nestorij. Et est arg. 3. quod postea diluit c. 49. Ac quia eius argumenti solutio nobis quoque seruit aduersus argumentum quoddam Vbiquitariorum: libenter illud argumentum proferam.

Nulla hypostasis alicuius naturæ extenditur extra naturam illam suam, quin potius natura inuenitur extra hypostasin; vtpote multas hypostases sub se habens.

Hæc manifestissima est exemplis: Hypostasis seu persona mea non se extendit vltra naturam humanam, quæ in me est: imò contra natura humana extenditur vltra meam

personam, quia in aliis quoque hominibus inuenitur.

Subdit Th. Si ergo hypostasis Filij Dei per incarnationem facta sit hypostasis humanæ naturæ à Christo assumtæ; sequitur, quòd Filius Dei non sit vbique post incarnationem, cum humana natura non sit vbique. Hæc Th. pro Nestorio.

Respondet c.49. consecutionem illatam non concludere, quia propositio illa, Nulla hypostasis extenditur vltra naturam illam, cuius est hypostasis, intelligitur de illa tantum natura, à qua hypostasis suam habet subsistentiam. v.g. Ideo persona mea non extenditur vltra naturam meam humanam, quia à natura hac, persona mea suam habet subsistentiam, h.e. ego habeo à natura humana, vt sim persona & homo subsistens. Atqui persona Filij Dei, licet subsistat in natura humana, ab ea tamen non habet, vt subsistat, sed à natura diuina. Non enim Filius Dei subsistit per humanam naturam, sed tantùm in humana natura: in diuina autem ita subsistit, vt etiam per eam subsistat. Contrà verò potiùs natura humana habet à persona Filij Dei, vt existat: quia Filius Dei eam in vnitatem suæ personæ assumtā sustentat & gestat. Proinde ita concludit iis verbis Th. vnde nihil prohibet, Verbū Dei esse vbique, licèt humana natura à Verbo Dei assumta non sit vbiq;. Hæc ille.

Obseruanda est hæc responsio. Inde enim patet vera responsio ad argumentum Vbiquitariorum, quo concludere conantur, ideo naturam humanam Christi vbique esse, quia in eo subsistit persona τ͂ λόγω quæ est vbique. Alioqui enim latius extenderetur persona, quàm natura, in qua subsistit: quod est absurdum.

Respondendum est: si humana natura in Christo dedisset personæ Filij Dei, vt esset persona & subsisteret, concluderet argumentum: sicut reuera concludit à persona ad naturam eius diuinam, à qua habet suā subsistentiā. Proinde sicut valet hæc consecutio: persona Filij Dei vbique est: Ergo natura eius diuina vbique est, quia persona non extenditur vltra illam naturā, à qua suam habet existentiā: sic non concludit hæc altera: Persona Filij Dei vbique est: Ergo etiam humana eius natura. Ratio, cur non valeat, est, quia licet in hac natura subsistat, per eam tamen non subsistit. Substitit enim ab æterno per diuinam sine humana: imo quia humana per illam personam existit, ideo persona latius patet in immensum, quàm humana natura, quæ ab illa persona sumta est & gestatur, & per quam est id, quod est, & in qua suum habet esse. Illa enim res, per quā aliquid est vel essentialiter vel accidentaliter, latius patet eo, quod per illam rem est. Exemplum: Humana natura, per quam ego sum homo, latius patet quam ego. Est enim etiam in aliis hominibus. Albedo etiam, per quam nix alba est, latius patet, quàm hæc nix.

Atqui per personam Filij Dei assumentem natura humana assumta est id, quod est, & suum habet esse. Latius igitur patet persona Filij Dei, idque in immensum, quàm natura eius humana. Hæc solutio est diligenter obseruanda.

5. Arg. Si anima & corpus in Christo, simul vnita, non constituunt personam: minoris videntur esse virtutis, quàm sint in aliis hominibus. In nobis enim illa duo inter se vnita personam constituunt. Atqui non fuerunt minoris efficacitatis in Christo, quàm in nobis. Ergo, &c. *Th. contr. Gent. l.4.c.40. arg.9.*

Resp. ad ma. negatur consecutio, & datur instantia. Anima enim sensitiua in homine, licet per se non sit forma alia ab anima rationali existens, sicut in brutis: non inde tamē sequitur, eam in homine minoris esse dignitatis ac virtutis quàm in bruto: Imò nobilius habet esse in anima rationali quàm si per se ab illa separata subsisteret. Ratio est: quia vnaquæque res nobilius habet esse, cùm vnitur rei nobiliori, quàm cùm per se existit. Ita humana natura in persona Verbi subsistens longè nobilior est & potentior, quàm si per se subsisteret extra Verbum. Contra gent. lib.4.c.49. ar.8.

6. Arg. Annon anima & caro in Christo, per se considerata, sunt substantia quædam rationalis naturæ? Sunt. Vniuersalisne, sicut & genus & species, an particularis, sicut hic homo, Petrus? Nō vniuersalis, sed particularis. Annō ergo, sicut hic homo, Petrus, est persona & hypostasis, sic & hic animus atq; hæc caro in Christo hypostasis est, atq; persona? Non est, quia in persona τ͂ λόγου existit caro & anima Christi, non autem per se, sicut in Petro & Paulo. Est tamē hic notandū discrimē inter eum qui subsistit, & inter ea, in quibus subsistit. Anima & corpus non sunt persona subsistēs, sed homo ex vtroq; compositus est persona subsistēs.

Anima autem & corpus sunt ea, in quibus homo subsistit. Ideò cùm dicis hominem, dicis personam subsistentem: cùm autem dicis corpus & animam, dicis ea, in quibus homo subsistit, & ex quibus tanquam partibus constat.

Sic in Christo: cùm nominas animam aut carnem, quæ in ipso sunt, nominas naturam humanam, seu partes humanæ naturæ, è quibus constat & in quibus subsistit. Cū autem nominas & vocas eū hominem, personam nominas, quæ in anima & corpore subsistit. Quid autem subsistit in ea anima & corpore? Persona τ͂ λόγου. Aliud igitur est cùm nominamus animam & carnem Christi (tunc enim de natura loquimur) & aliud cùm eum vocamus hominem. Personam enim tunc indicamus, quatenus in humana subsistit natura. Ideò damus Christum hominem esse vbique: negamus autem carnem vel animam esse vbique.

Ad arg. ergo Nestorij: Anima & corpus coniuncta in Petro sunt persona: Ergo etiam in Christo. Propriè loquendo negandū est & antecedens & consequens. Nam neque in Petro sunt persona, sed sunt partes essentiales, è quibus constat persona Petri: & in quibus subsistit: Multò minus in Christo sunt persona, quando in eis subsistit λόγος.

7. Arg. Hinc patet solutio ad aliud, quo putabat Christū, non esse nobis per omnia similem, si ex anima & carne eius non constituatur persona, sicut in nobis. R. Non valet consecutio. Est enim similis nobis per omnia κτ̀ φύσιν, & de hac loquitur Apostolus: quanquam non sit καθ' ὑπόστασιν [illegible]tationem.

8. Arg. At, inquiet aliquis nomine Nestorij, æquiuocè igitur homo prædicatur de Christo, & de nobis: quia in nobis significat personam, quæ ex coniunctione animæ rationalis & corporis constituta est: at in Christo significat personam æternam, quæ in anima & corpore tantum subsistit, non autem, quæ ex illis sit constituta.

R. Non valet illatio. Æquiuocatio enim non inducitur ex diuersitate suppositorum, de quibus nomen aliquod prædicatur, sed ex diuersitate significationis, iuxta quam prædicatur, seu ex diuersitate formæ ac naturæ, per nomen illud significatæ.

Explico. Diuersa certè sunt subiecta Petrus & Paulus: non igitur nomen homo, cùm de vtroque prædicatur, æquiuocè prædicari dixeris? Sed si homo prædicatur de Petro & de imagine Petri: tum æquiuocè prædicatur. quidita? Quia diuersa forma significatur hoc nomine hominis: in Petro forma vera & substantialis hominis, i.e. vera humana natura: in pictura forma accidentalis naturam humanam tantùm repræsentans, non autem vera natura humana significatur.

Atqui, cùm prædicatur de Filio Dei æterno, seu de persona λόγου nomen hominis, eandem planè naturam significat humanam, quam etiam significat, cùm de quauis alia persona humana prædicatur. Ergo licet longè diuersum sit suppositum seu ὑφιστάμενον Filij Dei à nostris ὑφισταμένοις, non solùm numero, sed etiam naturā, quia ὑποστάσεις seu personæ nostræ sunt creatæ, ὑπόστασις autem seu persona τ͂ λόγου increata est: non propterea sequitur, hominem æquiuocè de Christo & de nobis prædicari, cum vtrobique eadem natura hoc nomine significetur.

9. Arg. Videtur etiam absurdum esse, quod dicatur, persona τ͂ λόγου ὑφιστάμενον seu suppositum esse humanæ carnis. Quod enim supponitur, ignobilius esse videtur eo, cui supponitur, sicut materia formâ, cui subiicitur: proinde neque anima, quæ nobilior est, supponitur corpori, sed contrà.

Resp. Longè alio modo hypostasis Filij Dei dicitur supponi humanæ naturæ assumtæ, quam quælibet alia hypostasis suę naturæ, & materia formæ. Materia enim subiicitur formæ tanquam se perfectiori: & sic quælibet hypostasis suæ naturę. At persona Filij Dei supponi dicitur humanæ naturæ, quatenus illa, vt res perfectissima ac per se subsistens, traxit ad se rem imperfectiorem omni propria subsistentia carentem, vt in se existeret & ab ipsa sustentaretur.

Argumentum autem concluderet, si ὑπόστασις Verbi per humanam naturam simpliciter constitueretur in esse, sicut materia per formam, & quiuis homo per naturam humanam. Sed contra, se res habet.

10. Arg. Sed aliud etiam absurdum videtur consequi ex doctrina Catholica, nempe humanam naturam inesse in persona λόγου tanquam accidens. Quod enim alicui rei & substantiæ perfectæ, ac per se subsistenti aduenit, aduenit illi accidentaliter, & inest illi vt accidens: præsertim cùm non habeat aliud esse, quàm illud, quod consequitur à substantia cui aduenit. Atqui ita se habet humana natura, in persona τοῦ λόγου. Ergo, &c.

Resp. Propositio maior vera est, in illis rebus, quæ ita ad-

adueniunt substantiæ per se subsistenti, vt ei non constant esse substantiale, sed tantum accidentale. Ex aduentu enim caloris, vel scientiæ, quæ mihi accedunt, nequaquam aliquid substantiale acquiro, sed tantùm accidentale.

At verò humana natura ita aduenit & addita ac vnita est personæ τοῦ λόγου, vt ex eius aduentu ipse factus sit caro, i. verus homo. Esse autem hominem, verum non est accidens, sed in substantiæ genere. Humana igitur natura non inest in persona τοῦ λόγου tanquam accidens, sed tanquam vera substantia, id est, natura substantialis.

Manet itaque firma & stabilis thesis nostra: Filium Dei, cùm suscepit certam animam cum certa carne seu corpore, non suscepisse personam, sed naturam, naturam inquam, non in specie, sed ἐν ἀτόμῳ.

Nunc si quis plura cupiat videre contra Nestorium, præter Scholasticos & alios doctores, legat optimis Cyrilli libros de incarnatione Filij Dei, Tom.4. operum Cyrilli, Qui etiam habetur in Ephesina Synodo Tom.1. Concil. Et alia quæ in eodem Tom.4. operum Cyrilli contra Nestorium continentur. Hic enim vnus omnium diligentissimè hoc argumentum tractauit, ita vt omnes reliqui scriptores ab hoc acceperint.

Antequam verò aggrediar quæstionem de modo, quo assumserit sibique vniuerit hanc naturam, qua in re summa fere totius mysterij consistit, aliæ, non ita difficiles quæstiones, nobis breuiter explicandæ sunt: Vna est, qualemnam assumserit naturam Filius Dei: 2. Ex qua, qualive fœmina: 3. Ex qua qualive materia: 4. Quo tempore: 5. Quo ordine. Hinc 6. An statim perfectum, h.e. omnibus membris præditum corpus sumserit: an verò paulatim, sicut etiam aliorum hominum formatum fuerit.

QVÆST. III.

Qualemnam sumserit naturam Filius Dei.

THESIS.

Quam verò sibi sumsit naturam filius Dei, eam sibi sumsit ab omni peccato semper immunem. Sent.l.3.d.3.3.p. q.15.

QVID nomine naturæ intelligamus, supra abunde est explicatum: animam scil. humanam & corpus. Nomine vero *peccati* intelligimus, 1 peccatum originale, quod duabus constat partibus, imputatione peccati, seu inobedientiæ primi hominis: & contagio naturæ, quod Apostolus Concupiscentiam vocat. Sic enim etiam iustitia Christi, qua iustificamur, & quæ peccato Adami opponitur, duas habet partes, imputationem obedientiæ Christi, quæ propriè vocatur iustitia nostra, & regenerationem naturæ. Vt Rom.5. explicatur, & alibi.

A toto hoc peccato immunem fuisse prorsus naturam à Filio Dei assumtam, docemus.

2. Nomine peccati intelligitur etiam peccatum actuale. Ab hoc etiam liberam semper fuisse credimus ac profitemur.

Cum verò dicimus: Semper immunem fuisse, intelligimus ab eo temporis momento, quo assumta fuit à λόγῳ in sempiternum vsque.

Hoc ideo adiecimus, & ita explicamus, quia non inficiamur, quin materia, h.e. caro Mariæ, è qua sumsit carnem Filius Dei, fuerit ante sanctificationem per Spiritum sanctum factam obnoxia & infecta peccato. Fuit enim infecta peccato in patribus, vt Patres docent, & omnes etiam scholastici fatentur. Sent.l.3.d.3.

Cæterum an fuerit infecta in matre, & quandiu, diuersæ sunt scholasticorum sententiæ: quidam volunt, nunquam fuisse peccato vllo, ne originali quidem contaminatam, idque quia contendunt, Mariam virginem nunquam fuisse in peccato conceptam. Sed saniores Theologi, vt Aquinas & alij, volunt Mariam quoque in peccatis conceptam fuisse, cùm & ipsa concepta fuerit ex semine viri, & Apostolus neminem ab hoc peccato eximat, nisi Christum.

Interim vult Thomas, Mariam virginem fuisse statim, simul ac concepta fuit in peccato, ita sanctificatam, vt nulla prorsus corruptio naturæ, seu concupiscentia in ea manserit: Qua de re postea. Sed non omnes huic sententiæ subscribunt. Dam.l.3.c.2. vbi ordinem narrat, quo conceptus fuit filius Dei, ait Sp. sanctum superuenisse Mariæ post consensum in verba Angeli, & eam purgasse, πνεῦμα τὸ ἅγιον (inquit) ἐπῆλθεν ἐπ' αὐτήν, καθαῖρον αὐτήν.

Itaque citra controuersiam fatendum est, carnem, è qua postmodum concepta fuit, & sumta caro Christi: fuisse in ipsa etiam Maria aliquando peccato infectam: sed in ea, quæ fuit à Filio Dei suscepta, nulla vnquam fuit culpa, nulla labes, nullum peccatum.

Hoc etiam breuiter confirmandum nobis est, Luc.1. *Quod nascetur ex te sanctum.* Totum id, quod conceptum est & natum ex Maria, Sanctum vocatur. Ergo & caro & anima. Ioh.8. Christus inquit, *quis ex vobis arguet me de peccato?* Matth.3. Pater dixit, *Hic est filius meus dilectus, in quo complacitum est mihi.* Nil igitur in eo peccati.

Conceptus fuit de Sp.S. sine semine viri: sine peccato igitur. Illi enim duntaxat, qui concipiuntur ex semine viri, in peccatis concipiuntur: & sic intelligitur illud Apostoli, Rom.5. *Per vnum hominem* (Adamum) *peccatum intrauit in mundum.*

Concepta fuit hæc assumta natura ex purissimis & sanctissimis sanguinibus Mariæ. Ergo sine peccato.

Fuit hæc natura concepta, non extra personam λόγου, sed in ipsa persona τοῦ λόγου, vt sup. dixi. Hæc autem capax non fuit peccati. Non potuit igitur concipi in peccato.

In hac carne expiata sunt peccata nostra, & in hunc finem fuit assumta, & per hanc carnem viuificamur ad vitam æternam. Peccatum igitur in ea esse non potuit.

Sed quid plura? Hebr.2. prædicat Apostolus, *Christum nobis similem esse factum per omnia, excepto peccato.* Item cap. 7. *Talis namque decebat, vt esset nobis pontifex pius, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, excelsior cœlis factus.* pertinet huc & illud ad Rom.8. *Misit filium suum in similitudinem carnis peccati.* Caro enim illa vera fuit caro: peccatum autem non habuit, sed similitudinem peccati. Quomodo similitudinem peccati? Quia similis fuit carni nostræ peccatrici, non in culpa, sed in pœna. 3. Sent. d.3.

Huic doctrinæ vnum duntaxat Arg. aut etiam alterum opponi solet. 1. Quicunque fuerunt in Adamo, in illo etiam peccarunt. Rom.5 *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & ita in omnes homines, in quo omnes peccauerunt.* Atqui, Christus quoque, quoad carnē, fuit in Adamo: Luc. 3. Genealogiam Christi recensens, deducit eam vsque ad Adamum, dicens, *Qui fuit Adæ.* Et Heb.1. *Et qui sanctificat* (Christus) *& qui sanctificantur* (homines) *ex vno omnes.* Peccauit igitur & ipse in Adamo.

Resp. Ad mai. Illi dicuntur peccasse in Adamo, qui in eo fuerunt, non solum quoad substantiam, materiamque, seu quoad carnem: sed etiam, quoad rationem & formam seminalem (vt loquitur Augustinus) ac proinde qui per concupiscentiam carnis ex Adamo nati sunt. Et sic intelligitur quod ait Apostolus, *Per vnum hominem* (Adamum scil.) *peccatum intrauit in mundum.* Non dicit, *Ex vno homine peccatum intrauit in mundum.* Nam etiam Christus sanctificans, non minus, quam nos sanctificati, ex vno Adamo fuit: Sed ait, *per vnum hominem.* Illud PER significat, deriuari peccatum in eos duntaxat, qui per seminalem propagationem, i. per concubitum viri & fœminæ propagantur. Hac enim vnica ratione peccatum introiuit in mundum, & quotidie introit.

Ad minorem. Negatur Christum eo planè modo fuisse in Adamo, quo reliqui homines, hoc est, quoad rationem seminalem, quanquam ibi fuit quoad carnis substantiam. Hoc inde constat, quia conceptus fuit, non vi seminis viri, sed virtute Sp. sancti ex virgine. Fuit igitur in Adamo secundum quid, non simpliciter & omni modo. Et ideo venit in mundum homo factus, Ex Adamo, sed non per Adamum. *Ex vno omnes,* inquit Apostolus, *& qui sanctificat & qui sanctificantur,* propter eandem carnis substantiam: sed non *per vnum omnes:* Quia Christus per carnis concupiscentiam seu per coitum viri, non est factus & natus homo.

Atque hinc liquet ignorantia & error quorundam, qui cum ad hoc argumentum respondere non possent, dixerunt, omnes homines reliquos traxisse ex Adamo carnem corruptam, & ita peccato infectos nasci. At verò partem quandam carnis Adami, seruatam fuisse in Adami lumbis mundam, propter Messiam, vt is ex illa conciperetur, & hanc mirabili ratione fuisse deriuatam mundam vsque ad virginem Mariam: atq; hanc porrò sumtam tandem fuisse à Filio Dei in vtero virginis. Fanaticos homines! Huius absurditatem refutauit etiam Th. Aquinas in 3. Sent. d.3 q. 4. art.1. Item in Summa. 3.p.q.31. art 7.

Responsio, quam nos attulimus, vera ac genuina est, quam collegimus ex Augustino Tomo 3. de Gen. ad literam D.lib.10.c.19. Vbi explicans grauissimam quæstionem, quomodo, cùm non solùm Leui fuerit in lumbis Abrahæ, secundum carnem, verùm etiam Christus: Apostolus tamen ad Hebræos probauerit, præter alias rationes, Christum pontificem secundum ordinem

Melchizedech, maiorem fuisse & esse ipso Leuitico sacerdotio, quia Leui decimatus fuit in lumbis Abrahæ, non autem Christus: præter alia sic concludit. Neq; Leui neque Christum fuisse in lumbis Abrahæ secundum animam: vtrumque verò fuisse secundum carnem, sed diuerso modo: quia Leui ibi fuit, & secundum substantiam & secundum concupiscentiam carnalem: Christus autem ibi fuit secundum solam substantiam corporalem. Cum enim (inquit) in semine sit & visibilis corpulentia, & inuisibilis ratio (scil. propagandi:) vtrumque cucurrit ex Abrahamo, vel etiam ex ipso Adam vsque ad corpus Mariæ, quia & ipsum eo modo conceptum & exortum est. Christus autem visibilem carnis substantiam de carne virginis sumsit: ratio verò conceptionis eius, non à semine virili, sed longè aliter ac desuper venit.

Constat igitur Christum non fuisse in lumbis Adæ eo modo, quo efficitur, vt qui ex eo nascitur, in peccatis concipiantur: sed tantum eo modo, quo substantia tantum carnis ab eo accipiatur, vt iam explicatum est.

2. Si per peccatum mors intrauit in orbem terrarum, vt ait Rom. 5. Apostolus, & mors peruenit etiam in Christum: peccatum igitur etiam in Christum penetrauit.

Resp. Propriè loquendo, Mors non peruenit in Christum, nempe vi & autoritate sua. Est enim stipendium peccati, quod in Christum non peruenit. Sed Christus sponte illam suscepit in se, vt nos à peccato & à morte liberaret. Ideo ait Iesaias, *oblatus est, quia ipse voluit.* Et sic Christus, *Venit* (inquit) *princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Princeps autem mundi diabolus, ipse est, qui habebat mortis imperium.* Heb. 2.

Nunc videndum vnde sumserit, & primùm ex qua matre: ac secundo ex qua materia.

QVÆSTIO IV.

Ex qua & quali matre.

THESIS.

Naturam verò hanc ab omni peccato immunem sibi suscepit Filius Dei, non ex nullo homine, sicut sine alio homine creatus fuit Adamus, neque ex viro, sicut Eua ex viro formata fuit, neque ex viro simul & fœmina, sicut omnes reliqui homines concipiuntur: sed nouo modo, ex sola fœmina non quauis, sed ex Maria illa, de qua Euangelista, è tribu Iuda, & è familia Dauidis nata, eaque sanctißima, ac licet Iosepho ex eadem tribu & familia desponsata, virgine tamen semper pudicissima, conceptus & natus masculus, suscepit.

Thesis hæc nulla opus habet confirmatione, sed tantùm explicatione: & cur ex fœmina talique fœmina, carnem sumere nascique masculus voluerit Filius Dei, afferendæ sunt causæ.

1. Conspicitur hic verè nouus concipiendi & nascendi modus, verè nouo homini conueniens. Primus homo Adamus, ex nullo alio homine natus, sed immediatè à Deo creatus est. Secunda, i. Eua, nō ex fœmina, sed ex viro formata est: Tertij homines, i. reliqui omnes ex viro & fœmina: Quartus, i. Christus, nouus homo, non ex nullo homine, sicut Adamus: non ex nulla fœmina, sicut Eua: non ex viro & fœmina, sicut nos, sed verè nouo modo, ex fœmina sine viro, ipse vir ac masculus conceptus & natus est. Restabat enim hic quartus modus, ad admirabilem Dei sapientiam in condendis hominibus conspiciendam ac deprædicandam, qui modus solius est Christi, nouus modus noui hominis: quartus & vltimus modus, in quarta & vltima ætate mundi patefactus. Prima enim ætas vsque ad diluuium: 2. vsque ad Mosen: 3. vsque ad Christum: quarta ipsius est Christi ad finem vsque mundi. Huc multi accommodant illud Ier. 31. v. 22. *Rem nouam creauit Dominus: fœmina circundabit virum fortem.*

2. Sed præter hoc, quod iam dixi, caussæ sunt graues, cur ex sola fœmina matre sine viro patre concipi & nasci voluerit: & quidem masculus ipse, non fœmina. Vna est, quia omnis conceptio ex viro & fœmina, post primum peccatum, non sine peccato fit, quatenus scilicet omnes, qui ita nascuntur, in peccatis concipiuntur: iuxta illud Rom. 5 *Per vnum hominem,* &c. Christum autem oportuit nasci sine peccato, si debuit nos à peccato liberare. Hebr. 7.

2. Causa, quia non decuit, vt vnus & idem filius, duos haberet patres, vnum in cœlo, alterum in terra sed decuit, vt sicut essentiam Deitatis à solo accepit patre Deo, sic etiam essentiam humanitatis à sola acciperet matre in terris. Et huc pertinet illud ad Hebræos, ex typo Melchisedeci, qui ἀπάτωρ vocatur καὶ ἀμήτωρ: sic etiam Christus, non quod Deus Pater non sit pater totius personæ Christi, qui est & Deus & homo. (Si enim Maria est mater Dei & hominis, quia mater est eius, qui est Deus & homo: cur non & Pater Deus eandem ob caussam pater dicendus est non solùm Dei, sed etiam hominis. Hæresis est Nestoriana, tam negare Deum Patrem esse huius hominis, quàm negare Mariam matrem esse huius Dei.) non ergo iuxta typum Melchisedeci, Christus vocatur ἀπάτωρ, quod non sit totus, vt Deus & homo, Filius Dei Patris, sicut & totus filius est Mariæ matris: sed ita vocatur, quia essentiam Deitatis è solo Patre, & essentiam humanitatis à sola habuit matre. Hanc igitur ob caussam non debuit nasci ex viro simul & fœmina, sed tantùm ex fœmina.

3. Caussa, cur voluerit nasci ex fœmina, & masculus, non autem fœmina, fuit, vt declararet se propter salutem omnium hominum, tā fœminarum, quàm masculorum venisse in mundum. Huc pertinet illud Gal. 3. *In Christo non est masculus, neq; fœmina.* Hanc causam affert August. Tom. 4. p. 83. quæst. c. 1. Citatur etiam à Lomb. Sent. l. 3. d. 12.

4. Neque decuit, vt nasceretur fœmina: tum propter officium mediatoris: atque pontificis, quod est docere, sacrificium offerre, officio regis fungi (hæc enim non concedebantur mulieribus) tum quia vocatus fuisset filius, & filia, Filius Dei, Filia Mariæ. Quid autem magis fauisset hæresi Nestorianæ de duabus personis in Christo.

5. Voluit nasci ex fœmina, sicut & alij homines, vt per hoc verum se esse hominem declararet: non autem ex semine viri, vt hinc illum aliud etiam esse, quàm hominem crederemus. Hæc est sententia D. Ambrosij in lib. de incarnat. Item Aug. T. 2. ad Volus. Epistola 3. col. 2. A. Hæ sunt caussæ, cur ex fœmina masculus concipi voluerit atque eum decuerit. *Th. 3. p. q. 31. art. 4.*

3. Cur verò non ex quauis, sed ex ea, quæ de tribu Iuda & de domo Dauidis: ratio in promtu est ex S. literis, vt nimirum implerentur dicta Prophetarum, qui hæc prædixerunt: quanquam ideo prædixeruut; quia filius ipse Dei vnà cum patre hoc voluerat & decreuerat. De hac verò muliere nasci voluit, quia sic etiam decreuerat, atque vaticinatus fuerat per Ies. c. 7. *Ecce virgo,* &c.

4. Quòd ex fœmina sanctissima: ratio fuit, quia qui ex ea nasciturus erat, sanctus sanctorum erat. Illam igitur prius sanctificauit, vt nihil ex ea immundum sumeret.

Duplicem porrò huius sanctificationem faciunt Scholastici: vnam, qua in vtero fuit sanctificata: alteram, qua magis ac magis fuit sanctitate repleta, cùm post assensum in verba Angeli, *superuenit ei Spir. sanctus, Et virtus Altissimi obumbrauit eam.* De hac secunda testimonium habemus è Luc. cap. 1.

De prima, ita disputant inter se Scholastici, vt alij dicāt, Mariam fuisse præseruatam à labe peccati originalis. & ita nunquam fuisse peccato infectam; alij, peccato originali fuisse contaminatam, sed mox fuisse mundatam ac sanctificatam, vt ne fomes quidem, vt vocatur, peccati in ea manserit. Sed neutra sententia testimoniis S. literarum confirmatur: imò prior manifestè pugnat cum S. literis & cum sanctis Patribus: altera de tali sanctificatione probabilibus tantùm nititur argumentis, sed nihil necessario concludentibus.

At Theologia Christiana non nititur probabilibus, sed necessariis. Regeneratam fuisse per Spiritum sanctum, eoque sanctissimam fuisse etiam antequam conciperet Filiū Dei, extra controuersiam est, propter testimonium Angeli, qui eam vocat κεχαριτωμένην: cui sententiæ omnes subscribunt Patres: sed nihil in ea prorsus relictum fuisse illius concupiscentiæ, quam ad Rom. 7. peccatum inhabitans appellat, & de quo 1. Ioh. 1. *Si dixerimus, quod peccatum nō habemus, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est*: quis audeat affirmare? cùm nullum vel minimum locum habeamus in sacris literis, vnde colligi vel probabiliter queat. Imò si ita sese res haberet, quorsum altera sanctificatio de qua Luc. 1. *Spiritus sanctus superueniet in te?* Adde, quòd non opus ei fuisset redemtione per Christum, aut Deo dicere. Remitte nobis debita nostra.

Hoc igitur satis nobis esse debet, si dicamus, etiam antequam salutaretur ab Angelo, sanctissimam semper fuisse vas Spir. sancti, speculum & exemplar summæ sanctitatis, coram Deo & hominibus: multò magis verò post conceptum in vtero Filium Dei.

Quæ

Quæ disputauit Ambrosius Catharinus Episcopus Minoriensis ad patres in concilio Trident. aduersus eos, qui docent, Mariam virginem in peccato conceptam fuisse, plena sunt ineptiarum: & tantùm voluit adulari Rom. Pontif. vt tueretur festum conceptionis Mariæ.

Aliter certè Leo primus: Saluator noster, sicut pro liberandis hominibus venit, ita nullum à reatu liberum reperit. Ac de sanctitate huius sanctiss. fœminæ satis. De qua Sent.li.3.d.3.q.1.& Th.3.p q.27.

5. De desponsatione Euangelistæ testantur, desponsam eam fuisse Iosepho, qui itidem fuit è tribu Iuda, & de domo Dauid.

Ac verum fuisse matrimonium inter Iosephum & Mariam, licet ea virgo permanserit, docent omnes, quoniam Euangelistæ vocant illum virum Mariæ, Matt.1. *Et Maria coniugem eius*: qua de re August. lib. de consensu Euangelistarum in hunc locum Matth. Et Ambros. in Lucam. Th.3. p.q.29.ar.2. Sent.l.4.dist.30.C.

Quòd verò nasci voluerit ex desponsa, & quæ virum habebat, causæ adferuntur à Patribus. Hoc n. voluisse Christum, tum sui, tum matris, tum etiam nostra caussa. Sui respectu, ne tanquam illegitimus & ex adulterio natus ab vllo hominum iudicari posset. Item, vt eius genealogia consueto more, ex viro Iosepho, qui putabatur eius pater, describi posset, & agnosci, ex quibus patribus natus esset Christus. Vtramque hanc caussam adfert Ambrosius in Lucam. Item, vt partus eius ex virgine, diabolos celaretur, inquit Ignatius. Item, vt haberet sui, pueri & infantis, curatorem & tutorem Iosephum. Ideo ipse monebatur ab Angelo, vt tolleret puerum & fugeret in Ægyptum.

Respectu etiam matris hoc voluit, vt scilicet eius famæ & saluti consuleretur: famæ, ne pro adultera haberetur: saluti, ne secundũ legem Mosis tanquam adultera lapidibus obrueretur. Adde vt virum haberet, à quo curaretur, defenderetur, & cuius pallio tegeretur, vt ait Hieronymus.

Denique nostra etiam causa id voluit: vt scilicet fides nostra de natiuitate Seruatoris ex virgine magis confirmaretur: quando ipse etiam vir Iosephus de vxore sua id testificatus est. Si enim suspicio aliqua mansisset in mentibus hominum, Iesum natum esse ex concubitu viri, quomodo potuissemus credere eum esse Seruatorem mundi? Fuisset enim conceptus in peccatis, sicut & reliqui, eóque peccata nostra expiare non potuisset. Nunc verò cum ex ipso etiam Iosepho viro Mariæ constet, eam non concepisse Christum ex semine Iosephi, sed à Sp. sancto, quemadmodum Ioseph edoctus ab Angelo testificatus est: fides nostra in Christum, tanquam in verum Seruatorem constabilitur. His igitur de causis ex fœmina viro desponsata, carnem sumere voluit & homo fieri.

6. Licet verò fuerit desponsata, virgo tamen, vt diximus, permansit: idque contra Cerinthum & Ebionem qui Christum ex concubitu viri & fœminæ natum esse calumniati sunt, eóque eum ψιλὸν esse ἄνθρωπον.

De *virginitate* Mariæ, triplex quæstio proponitur à theologis: An virgo conceperit, an virgo pepererit, an virgo post partum manserit.

De prima & secunda dubitari non potest, propter verba Angeli & Iesaiæ prophetæ c.7. qui duobus verbis concipiendi & pariendi. Mariam & in conceptu & in partu virginem fuisse concludunt Sic enim habent verba: *Ecce virgo concipiet* (En primam virginitatem) *Et pariet* scilicet virgo: En alteram in partu. Et in symbolo non solùm confitemur, conceptum eum è Spir. sancto, sed natum etiam ex Maria virgine.

Cæterum, disputare, an Christus natus sit, aperta vulua matris, an clausa: & si aperta, quomodo ergo virgo pepererit, curiosorum est hominum. Certè nasci ex muliere, non est egredi ex vmbilico, aut ex capite, sed ex vtero, via ordinaria quod scriptura, cùm de primogenito loquitur, vocat aperire vuluam: Ille enim dicitur aperire vuluam, qui primò nascitur, sicut & Christus.

Verbum etiam pariendi propriè accipiendum est, pro ex vtero via ordinaria in lucem edere: & lex citatur ab Euangelista, cum affert caussam, cur Maria obtulerit par turturum: vt scil. faceret iuxta legem: *Omnis masculus adaperiens vuluam, sanctus Domino vocabitur*. Hebr.2. *Similis per omnia excepto peccato*, nullum autem peccatum admissum, si ita natus est ex virgine, vt alij Neque hinc tamen sequitur, eam non peperisse vt virginem.

De virginitate verò post partum, licet manifesta testimonia scripturarum non habeamus: malo tamen credere cum tota Ecclesia Catholica, quàm negare cum Eluidio & aliis hæreticis, aut etiam dubitare. Pium enim est hoc credere: & minimè cùm scripturis pugnat 3.q.28.*art*.3.

Cur verò in talis fœminæ, h.e. virginis vtero concipi, & ex ea nasci voluerit, caussæ de principio allatæ fuerunt, 3. p.q.28 ar 1.2. *contra Gent.l.4.c.45.*

Quartam quæstionem proponunt Scholastici: An M. virgo vouerit virginitatem? Et concludunt, vouisse. Sed vnde hoc probant? Ex mala intelligentia verborum Mariæ, cum dixit Angelo, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.* Putant verba fuisse dubitantis, q.d. fieri hoc non potest, quoniam nec cognosco virum, nec cognoscere volo. voui enim virginitatem Deo. Sed falluntur: Verba enim sunt non dubitantis, sed modum quærentis.

QVÆSTIO V.

Ex qua, qualíve materia.

THESIS.

Natura, quam assumsit Filius Dei ex Maria virgine, ad animam quod attinet, fuit è nihilo, idque in vtero virginis sanctisimæ, & in ipsa persona Verbi, eoque sine peccato creata: quòd verò ad corpus, ex purißimis omnisque peccati expertibus eiusdem Mariæ sanguinibus, eoque ex semine Dauid, Abrahæ, Adami, in eadem τοῦ λόγου persona, concepta ac progenita fuit.

DVÆ sunt huius theseos partes: Vna de anima, vnde nam fuerit & qualis condita: altera de corpore. 1. Prima pars, quatuor habet membra. *Vnum*, quod creata fuerit ex nihilo. Nõ probamus ergo propagationem animarum per traducem, qua de re aliàs abundè fuit à nobis disputatum, ac præter alia argumenta, locum illum, quem D. Augustinus non obseruauit, in hoc alioqui argumento tractando diu & diligenter versatus, adduximus, ex epist. ad Heb.12.v.9. *Deinde carnis nostræ* (i. corporum nostrorum) *patres habuimus castigatores, & reueriti sumus: annon multo magis subijciemur Patri Spirituum & viuemus?* Manifesta est antithesis, non inter carnem & spiritum, i. hominem corruptum & renatum, sed inter corpora nostra & spiritus nostros, i. animas: in plurali enim loquitur de spiritibus, τῶν πνευμάτων, vt necesse sit, nomen etiam τῆς σαρκὸς accipere (vt Beza vertit) pro corporibus. Facit autem patres carnales autores carnis, i. corporum nostrorum, quia per eos Deus creat & format corpora humana in vteris maternis: Deum autem facit autorem immediatum spirituum, i. animarum. Si per parentes crearet etiam & propagaret animas, sicut & corpora, eoque per traducem tam animas, quàm corpora ex Adamo educeret, & à parentibus in liberos deriuaret: non vsus fuisset Apostolus hac distinctione, vt parentes carnales vocaret patres carnis, Deum autem patrem spirituum. Creat igitur Deus immediatè & per se, ex nihilo, animas nostras: quare & animam Christi.

Alterum membrum est, animam Christi creatam fuisse in vtero virginis. Damnamus igitur cum patribus dogma Origenis ex Platonica philosophia desumtum, de creatis animis humanis iam inde à condito orbe omnibus, qui postea in corpora humana demittantur. Dogma hoc si verum esset, quomodo aliter dici posset, quàm cum Nestorio, in Christo duo esse ὑφιστάμενα?

Tertium est, creatam fuisse non solùm in vtero virginis, sed etiam in persona τοῦ λόγου: primum intelligimus tanquã in loco; alterum, tanquam in persona suscipiente ac sustentante. Anima enim illa nunquam subsistit, nisi in persona τοῦ λόγου: sicut neq. vnquam fuit creata, nisi in vtero virginis.

Hinc *quarto* concludimus, animam illam sine peccato fuisse corpori vnitam. Ratio duplex adfertur. *Vna*, quia in vtero virginis sanctissimæ hoc factum est. Cur enim aliæ animæ inficiuntur peccato? inde quia creantur in corporibus hominum peccato infectis. Cur infectis? quia per seminalem rationem, ac per concupiscentiam generantur. Cùm igitur anima Christi creata fuerit in vtero virginis sanctissimæ, & à peccato purgatæ: sequitur animam Christi non fuisse infectam peccato.

Altera ratio: quia in persona τοῦ λόγου tanquam in suscipiente ac sustentante fuit creata. Verbum enim Dei Deus, ignis consumens est, omnia puniens peccata, in quem cadere peccatum non potest: & lux est, in qua nullæ possunt esse tenebræ 1.Ioh.1. Hæc de prima parte Theseos.

II. Altera pars, quæ de corpore est, duo habet membra: priori docetur, è qua materia fuerit conceptum, nēpe immediatè quidem è sanguinibus Mariæ: sed ij sanguines propagati fuerũt ex semine Dauidis & Abrahæ, ac denique ex Adamo: quemadmodũ cũ Matthæus tũ maximè Lucas in Genealogia Christi luculenter docet Ex sanguinibus dixi:

quia hi propria sunt materia generationis omnium animalium. Quid enim ipsum sperma aliud est quàm sanguis?

Adiecimus ex semine Dauidis, Abrahami & tandem Adami, quia sic etiam deducunt Euangelistæ.

Causa autem eius deductionis duplex fuit. Prima: vt ostenderent hunc Iesum esse illud semen, quod promissum fuerat Adæ primùm, cùm dixit Deus serpenti, *semen mulieris conteret caput tuum:* deinde Abrahæ: *in semine tuo benedicentur, &c.* tandem Dauidi: *De fructu ventris tui ponam super solium tuum, &c.*

Altera caussa, vt finem etiam incarnati Verbi indicarent. Quis finis fuit? vt naturam hanc nostram & carnem peccato primi parentis Adami infectam purgaret, & à morte seruaret: Id quod etiam Angelus dixit Mariæ, *hunc scil. puerum vocandum esse Iesum, quod ipse esset saluum facturus populum suum à peccatis eorum.* Hac igitur de causa genealogiam Christi ad Adamum vsque; h.e. ad fontem, vt naturæ humanæ, sic & peccati deduxerunt. Eadem de causa Apostolus ad Rom. 5. primùm ostendit, vndenam peccatũ in mundum venerit & ita in omnes homines, nempe ex primo Adamo. Deinde, quis illud tollat, & homines iustificet ac seruet, nempe Iesus Christus secundus Adam. Sic 1. Cor. 15. de morte & vita, illa ex primo, hæc ex secundo Adamo. His duabus de causis Euangelista Lucas Genealogiam Christi, initio facto à Maria & Iosepho, deduxit ad Dauidem & Abrahamum vsque, & tandem ad Adamum. Atque hęc de primo mẽbro alterius partis nostræ theseos, quo docetur, è qua materia caro Christi fuerit concepta.

Altero membro explicatur, ex quali materia, seu ex qualibus sanguinibus: purissimis scilicet & omnis peccati expertibus. Purissimis, quia non fuerunt mixti cum semine viri. Omnis peccati expertibus, quia sanctificata fuit tota persona Mariæ, & quoad animã & quoad corpus, cum esset conceptura Filium Dei: de qua sanctificatione supra dictum est. Atque h.e. quod tradit Damasc. l. 3. c. 2. Ex narratione historiæ de incarnatione, quam Lucas c. 1. descripsit: Post consensum igitur, inquit, Sanctæ virginis, superuenit Sp. sanctus, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον προκαθαῖρον αὐτήν. & tunc obumbrauit eam virtus Altissimi, Filius Dei in sua hypostasi, & construxit sibi ipsi ἐκ τῶν ἁγνῶν καὶ καθαρωτάτων αὐτῆς αἱμάτων, σάρκα ἐψυχωμένην ψυχῇ λογικῇ τε καὶ νοερᾷ. Nunc tenemus, ex qua & quali materia, naturã hanc nostrã sibi sumserit filius Dei.

Ita damnantur omnes hæretici, qui aliter quàm Euangelistę, docuerunt de origine carnis Christi. Valentinus enim ille Platonicus voluit eam habuisse originem è cœlo. Idem sensit Origenes de anima Christi: vt supra diximus.

Ex opinione Valentini sequebatur, Mariam nihil ad incarnationem Verbi attulisse de sua substantia; sed tantùm vterum suum tanquam hospitium præbuisse Sp. sancto, ad materiam de cœlo allatam in humanum corpus conformandam. Deinde, quòd illud gestarit, in vtero formatum, aluerit & tandem pepererit: ac proinde sequeretur, Christum non fuisse fœtum, & hominem ex virgine, neq; fructum ventris illius, sed tantum hospitem & peregrinum.

Loca, quibus abutebatur Valentinus, erant omnia illa, quibus aut affirmatur Christum descendisse è cœlo, aut negatur esse è terra. Vt illud Ioh. 3. *Nemo ascendit in cœlum, &c.* Item Ioh. 8. *Vos de infernis estis, ego de supernis sum.* Item Ioh. 3. *Qui de terra est, terrena loquitur: qui de cœlo venit, supra omnes est.* Item 1. Cor. 15. *Primus homo de terra, terrenus: secũdus homo, ipse Dominus è cœlo.* Quorum dictorum alia intelliguntur de persona Verbi, non de substantia carnis: vt illud Ioh. 3. *Nemo, &c.* Et aliud: ibid. Alia de qualitate huius carnis, quòd non sit corrupta & peccato infecta, sicut nostra, vt illud Iohan. 8. *Quis ex vobis de peccato arguet me?* Et quædã de qualitate corporis Christi post resurrectionem, cui quoque nostra futura sunt conformia, gloriosa scil. & cœlestia, vt illud 1. Cor. 15. Secundus Adam, Dominus è cœlo: Valentinus autem torquebat hæc omnia dicta ad substantiam carnis, vnde originem habuisset.

Opinio porrò Origenis de animabus fuit ex meris Platonis Chimæris desumta, cui nullæ scripturæ ne contortæ quidem fauere potuerunt. Atque hæc de quinta quęstione.

QVÆSTIO VI.

De tempore, quo Filius Dei hanc sumsit naturam.

THESIS.

Filius Dei neque citiùs, neque tardius, quàm in nouissimis diebus, temporisque plenitudine, sub finem 70. hebdomadum à Daniele prædictarum, sub imperio Romano, tempore Augusti Cæsaris, post 3900. & amplius à condito orbe annos, nostram suscipere naturam & homo fieri dignatus est: idque optimis & sapientissimis de causis.

Dvo sunt mẽbra: vnũ de tẽpore: alterum de causis, cur nec citiùs, nec tardiùs fieri homo voluerit Dei filius.

1. Ac *de tempore* primùm dixi in genere, In nouissimis diebus. Sic enim & Ies. 2. & alij Prophetæ loquuti sunt de hoc tempore; & Apostolus ad Cor. *fines seculorum vocat:* & Heb. 1. *nouissimos dies.*

Nouissimi autem dies vocantur, quia ad illud vsq; tempus durare debuit Lex & Prophetæ, & non vlterius. Matt. 11. *Lex & Prophet; vsq; ad Iohannem.* Et Heb. 1. *Hactenus loquutus est in Prophetis, &c. nouissimè autem diebus istis, in Filio.* Et ideo quarta etiam ac nouissima fuit Monarchia mundi præmonstrata à Daniele.

Hac de causa adieci *in plenitudine temporis.* Sic enim Apost. ad Gal. 4. vocat hoc idem tempus. Tunc enim complementum omnium vaticiniorum & figurarum de persona Christi ac redemptione instabat.

2. Speciatim verò adieci: Sub finem Hebdomadarũ Danielis. De quibus Dan. 9 quæ dant à fine captiuitatis Babylonicæ, vsque ad liberationem è captiuitate Diaboli per mortẽ Christi, annos 490. & amplius, vt omnes interpretes fatentur. Sub finem igitur harum hebdomadum venit Filius Dei. Sub finem dixi, quia venit ante finem, annis circiter 33 quib[9] vixit inter mortales, vt paulò post explicabo.

3. Aliam adieci circumstantiam, *Sub imperio Romano:* quæ fuit quarta Monarchia. Hanc circumstantiam ostendit Dan. c. 2 & alibi.

4. Adieci particulare tempus, tempus scilicet, quo Augustus Cæsar regnabat. Nam hanc etiam Euangelista Lucas attulit, cùm natiuitatem Domini describit.

5. Adieci etiam annos ab orbe condito, de quibus nulla est dubitatio: nempe quòd post 3900. & amplius annos, &c. sed illud *ampliùs* non explicaui, propter diuersitatẽ sententiarum de certis annis amplius, ne in thesi ponerem, quod ab vllo posset reprehendi. Nam, vt omittam veteres, Eusebium, Philonem, Bedam, & alios, qui omnes variant, & vt dicam tantum de recentioribus, varias horum quoque video esse sententias.

Marianus Scotus, qui tamen vehementer ab omnibus laudatur, in suo Chronico numerat à condito orbe, vsq. ad natiuitatẽ D.N.I. Christi annos 4133. Bullingerus 3970. Sic etiam Gualterus. Melanchthon 3965. Funccius 3963. Constãtinus Phrygio 3962. Lutherus 3960. Ab orbe condito, vsq; ad finem captiuitatis Babylonicæ, numerus certus est: & ibi nõ variant sententiæ, quia è sacris literis certus colligitur annorum numerus: est autem 3456. Sed ab hoc tempore, quia aliunde & ex profanis scriptoribus plærique omnes tempora metiuntur: & annos numerant, partim ab olympiadibus, vt Græci, partim ab vrbe condita, vt Latini: variaræ sunt annorum supputationes. Ex quo etiã factum est, vt in explicatione hebdomadum Danielis non omnes inter se consentiant: quia & vnde initium faciendum sit, & finis, non inter omnes conuenit: alij à Cyro, alij à Longimano, &c. ordiuntur. Vt verò breuiter ac liberè dicam, & sine vllius præiudicio: sententiam sequor Cl. Viri, S. M Matthæi Beroaldi, in eius Chronico Genenæ edito anno 15[illegible]. Is lib. 3. c. 7. & 8. mihi omnium simplicissimè videtur tempus illud 70. septimanarum explicasse, idque è scripturis ipsis. Ita autem explicat, vt manifestè concludat. D.N.I. Christum natum esse anno mundi 3929. æquinoctio autumnali, anno quarto Olympiadis 194. Ab Vrbe condita, anno 752. Anno Augusti 42. Anno Herodis 33. Passum verò fuisse & mortuum pro nobis, anno ætatis suæ 33. Olympiadis 202. anno 4. Ab Vrbe condita anno 784. Tiberij anno 18. Anno verò mundi 3561.

II. Alterum membrum theseos nostræ, *de causis* est, cur neque citiùs, neque tardiùs, puta sub finem mundi, venire in mundum, & sumere carnem voluerit.

Quærunt igitur Theologi, cur non factus est homo statim post peccatum, cur tam diu distulit redemtionem humani generis, cùm hoc immensa ipsius erga genus humanum charitas postulasse videatur? Charitas enim nõ differt succurrere amicis. *Resp.* Imò, ex charitate distulit: quia hoc fuit vtilius electis, quàm si citiùs venisset. 1. *Primùm* enim opus fuit, vt grauitatem peccati agnoscerent, sentirent grauem Dei iram aduersus peccatum, experirentur suam ad bonum imbecillitatem, imò impotentiam, scirent nullis meritis, nullis humanis sacrificiis, nullis operibus cuiuscunque puræ creaturæ expiari posse peccatum, & placari iram Dei, sed solo sacrificio illius, qui esset etiam Deus: atque ita humi-

humiliarentur coram Deo, & expeterent Redemtorem. Hoc autem totum factum est per totũ illud tempus, quod præcessit à condito orbe vsque ad Diluuium, & à Diluuio vsq; ad Mosen. Ingentia enim testimonia iræ Dei aduersus peccata edita sunt, tum in genere aduersus omnes, tam electos, quàm impios reprobatos: per quæ eadem potuerũt electi ad veram peccati cognitionem, eóq; ad pœnitẽtiam & ad expetendum Redemptorem adduci: tum in specie aduersus modò reprobos, modò electos. Idem factum est per illud tempus, quo lex durauit totáque pædagogia Mosaica. Primum.n.ira Dei declarabatur aduersus omnes gentes, quæ erant extra Ecclesiam. Secundo etiam in eos qui sub lege erant, eámque non seruabant. Nemo autem seruabat. *ita conclusit omnes sub peccato* (sicut docet Apostolus) *vt omnium misereretur*: vt omnes, qui seruabantur, scirent, se non seruari nisi per misericordiam Dei, & propter merita futuri Messiæ. In hac autem cognitione consistit salus, & vita æterna.

Atque hoc est, quod in illud Apostoli Galat. 3. *ordinata per angelos in manu Mediatoris*: habet glossa: Magno Dei consilio factum est, vt post hominis casum, non illico Dei filius mitteretur. Reliquit enim Deus prius hominem in libertate arbitrij, in lege naturali, vt sic vires naturæ suæ cognosceret, vbi cùm deficeret, legem acceperit: qua data, inualuit morbus, non legis, sed naturæ vitio: vt ita cognita sua infirmitate, clamaret ad medicum, & gratiæ quæreret auxilium.

2. *Deinde* fuit necesse, vt prius exercerentur in fide promissionum de salute per futurum Messiam. Hac enim occurrebatur, ne interim electi perirent, quia per fidem in futurum Messiam iam fiebant illi salutis participes, quam qui in iam incarnatum credunt, vt Apost. docet 1. Cor. 10. Et Hebr. 11. In hunc finem datæ fuerunt promissiones statim post peccatum, & subinde repetitæ, instituta sacrificia, totaque illa pædagogia Mosaica: vt illis typis Christi instituerentur fideles, & ita fides in illum exerceretur. Galat. 3. 24. *Itaque lex pædagogus fuit ad Christum.* Fuit igitur vtilis hæc dilatio iis, qui Christum præcesserunt.

3. Fuit vtilis *etiam* illis, qui secuti sunt, i. ad confirmandam fidem de futuris beneficiis, de resurrectione, deq; vita æterna. Sic enim vult nos Deus argumentari: Si post promissionem Adæ factam de venturo semine, distulit illius complementum per annos 3900. & amplius, & tamen tandem præstitit, quod promiserat: ergo, licet etiam nunc non appareat resurrectio mortuorum, vitáque æterna & aliarum promissionum complementum; dubitandum tamen non est, quin sit omnia promissa præstiturus. A complemento præteritorum vult confirmari fidem futurorum bonorum. Idem videmus factum & obseruatum fuisse in captiuitate Babylonica. Prius voluit per annos 70. illos esse in captiuitate: tandem etiam, sicut promiserat, illos liberauit, postquam scilicet illos in fide per illud tempus exercuisset: & mox maiorem adiecit promissionem de perfecta liberatione à peccatis & a morte æterna per mortem Messiæ, post 70 scilicet non annos, sed hebdomadas annorum: cur tamdiu? Vt magis ac magis piorum fides exerceretur. Deus enim volebat populum argumentari à complemento prioris promissionis de liberatione è captiuitate Babylonica post annos 70. perfecta, ad complementum alterius promissionis de liberatione à peccato per Christum post annorum hebdomadas 70. Atque hæc est caussa, cur multa promittat, & non statim præstet: sed præstat tamen tandem aliquando & suo tempore: vt scilicet sustentari in fide per patientiam expectemus, & à complemento vnius promissionis confirmemur in fide de complemento alterius. Fuit igitur vtilissimum omnibus electis, tam, qui præcesserunt, quàm qui secuti sunt & sequentur Christum, quòd non statim venerit Christus, sed tamdiu distulerit aduentum.

1. Sed si etiam interroges: cur non diutius distulit aduentum, puta sub finem mundi? *Resp.* Quia dilexit nos. Voluit enim eo tempore venire, quo promiserat, vt se fidelem esse in suis promissis declararet.

At cur non promisit se tardiùs venturum? Quia decreuerat hoc tempore venire. Decreta autem Dei plena sunt sapientiæ, & omnia ad electorum salutem diriguntur. Fuit enim vtile, quòd non distulerit longiùs, nempe ad fidem tum sustentandam, ne tandem deficeret, si longiorem fecisset moram, tum augendam, pleniori cognitione nobis donata, qui secuti sumus, quàm habuerint illi, qui præcesserunt. Matt. 13. 16. *Beati oculi qui vident, quæ vos. &c.*

2. Ad fouendam spem certam futuræ hæreditatis, cùm sciamus iam Christum, peracta redemtione, in cœlis sedere ad dextram Patris, & cœlum nostro etiã nomine possidere. Ideo Eph. 2. ait *nos iam resurrexisse cum Christo, & simul vnà sedere in cœlis.*

3. Ad dilectionem erga eum magis ac magis accendendam, cùm sciamus iam eum pro nobis, tot ac tanta passum esse: idque ex mera dilectione & Patris & sua erga nos, Rom. 5. commẽdat autem charitatem suam Deus, &c.

4. Ad studium vitæ cœlestis in nobis excitãdum: quando nouimus ibi esse Christum nostrum, & nos quoque ibi futuros. Col. 3. *si consurrexistis cum Christo, ea, quæ sursum sunt, quærite.*

5. Caussa verò, cur simul neque citiùs, neque tardiùs aduenerit, hæc fuit non postrema: quia tunc tempus fuit omnium commodissimum, quo toti orbi terrarum duo simul exempla suæ tum iustitiæ atque iudicij, tum misericordiæ ederet. Iustitiæ aduersus Iudæos: misericordiæ erga gentes. Prius enim seueritatem suæ iustitiæ seu iræ aduersus peccata insigniter & luculenter ediderat in gentibus, eas è suo populo iam inde à temporibus Abrahæ separando: misericordiæ verò in semine Abrahæ, & Israelitis, eos sibi in Ecclesiam eligendo. Restabat, vt contrà suam erga gentes misericordiam ac gratiam, aduersus autem Iudæos iram ac iustitiam declararet. Iudæi enim licet omnibus gentibus prælati fuerint, & singulari gratia affecti: non minùs tamen grauiter, quàm gentes, in Deum peccarunt: imò eò grauius, quò pluribus & maioribus fuerunt beneficiis à Deo donati, quàm gentes. Commodissimum igitur tempus, vtrumque præstandi fuit, cùm venit Filius Dei. Tum enim & maior erat, quàm vnquam, numerus electorum inter gentes, quanquam omnes in peccatis essent sepulti: Et iniquitates Iudæorum ad summum & in immensum excreuerant.

QVÆSTIO VII.

De ordine, quo sibi assumsit atque vniuit naturam nostram Filius Dei.

THES. *Filius Dei ita naturam sibi assumsit humanam, vt in ipsa conceptione (quæ mox post illum Mariæ virginis in verba Angeli, consensum: Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum, facta est) licet animam simul & corpus eodem temporis momento induerit: ordine tamen quodam, animam rationalem immediatè, & per animam corpus, ambo in sua persona simul creata, sibi vniuisse, credendus sit.*

THesis huius particulæ sunt tres præcipuæ: quæ nobis explicandæ & confirmandæ sunt.

PRIMA est de *tempore*, quo conceptio facta est. Diximus, factam fuisse, simul ac Maria virgo in verba Angeli consentiens dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*

Hoc tradit Damascenus, lib. 3. c. 2. Vbi ordinem huiusce incarnationis ex Euangelista Luca describit. Postquam enim recitauit verba Mariæ, *Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum*: hæc subdit verba: μετὰ οὖν τὴν συγκατάθεσιν τῆς ἁγίας παρθένου, πνεῦμα ἅγιον ἐπῆλθεν ἐπ' αὐτὴν, κατὰ τὸν τοῦ κυρίου λόγον, ὃν εἶπεν ὁ ἄγγελος, καθαῖρον αὐτὴν, καὶ δύναμιν δεκτικὴν τῆς τοῦ λόγου θεότητος παρέχον, ἅμα δὲ καὶ γεννητικήν. καὶ τότε ἐπεσκίασεν ἐπ' αὐτὴν ἡ τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίστου ἐνυπόστατος σοφία καὶ δύναμις, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, ὁ τῷ πατρὶ ὁμοούσιος, οἱονεὶ θεῖος σπόρος, καὶ συνέπηξεν ἑαυτῷ ἐκ τῶν ἁγνῶν καὶ καθαρωτάτων αὐτῆς αἱμάτων σάρκα ἐψυχωμένην. Post igitur consensum sanctæ virginis Spiritus sanctus superuenit in eam, (iuxta sermonem Domini, quem dixerat Angelus) purgans eam, & vim susceptiuam Deitatis Verbi præbens, simul & generatiuam. Et tunc obumbrauit super eam illa Dei altissimi subsistens virtus atque sapientia, Filius Patri consubstantialis, tanquam diuinum semen, & sibi ipsi construxit ex purissimis & mundissimis illius (virginis) sanguinibus carnem animatam.

Sic Gregor. in Iobum lib. 18. Angelo nunciante, Spiritu sancto superueniente, mox Verbum in vtero, mox intra vterum, Verbum caro factum est.

Hinc idẽ concluserunt omnes Scholastici, quod & Gregor. & Damasc. idq; non sine caussa: quãdo istud ex Euãgelista Luca facilè colligi potest. Promittit Angelus virgini, nomine Dei superuenturum illi Spir. S. & virtutem Altissimi, eámque conceptutam filium, qui vocandus sit Filius Altissimi. Vt impleretur hæc promissio, nihil aliud requirebatur, quã cõsensus Virginis. Ergo simulac cõsensit, dicẽs, *Fiat mihi secundum verbum tuum*: statim factum fuit. Neq; .n. hic opus fuit mora, cùm hæc cõceptio fuerit merũ Dei opus, sine auxilio viri: eóq; (vt inquit Ambros. in li. de incar-

natione) vltra naturam: nempe, si spectes caussam efficientem, & modum, quo facta fuit hæc incarnatio. Vera quidē & naturalis vereq; humana caro ex veris & humanis sanguinibus Mariæ desumta est, sed supernaturali modo, immediata Dei potentia, concepta fuit. Quemadmodum igitur, cùm creauit cœlum & terram, dixit & statim factum est: sic etiam hic, sine mora facta fuit conceptio, simul ac Virgo assensa est voluntati diuinæ.

Cæterùm hîc obseruandum est, quod Th. Aquinas tradit 3.p.q.33.ar.1. in conceptione corporis Christi tria consideranda esse: Præparationem materiæ, quæ fuit sanguis virginis: Formationem corporis ex tali materia iam præparata: perfectionem corporis seu incrementum, quo ad iustam quantitatem perductum fuit illud corpus.

Præparatio non fuit facta in instanti: quia sanguinem oportuit deduci ad locum conceptionis, ad quam rem opus fuit motu. Motus autem nullus fit in instanti. Fuit tamen breui temporis spatio præparata.

Incrementum quoq; corporis ad iustam quantitatem non fuit statim factum. Gestauit enim virgo fœtum in vtero nouem mensibus in hunc finem.

Sed *formatio* corporis mox fuit, & sine mora perfecta. Cuius rei duplex ratio adfertur. Vna, quia virtus agentis, i. Sp. sancti infinita fuit: & ideo sine mora potuit perficere conceptionem ex materia inde præparata. Secunda, Quia corpus illud non fuit conceptum nisi in persona τοῦ λόγου: qua de causa ipse Filius Dei dicitur conceptus fuisse è Spiritu sancto, respectu scilicet assumtæ naturæ. Quid autem fuit conceptum? homo: & ideo Ioh. 1. *Verbum caro factum est*: & in symbolo Niceno, postquam diximus, *Conceptus de Spiritu sancto*, statim subiicimus: *& homo factus est*. Simul ac igitur in vtero virginis fuit, conceptus est homo: &, vt Greg. mox in vtero Verbum, & mox Verbum iuxta vterum caro factum est. Hæc de prima particula.

2. Hinc etiam confirmatur altera particula theseos quòd Filius Dei eodem temporis momento animam simul & corpus sibi sumserit atque induerit. Hoc etiam ibidem tradit Damascenus: cum ait, Filium Dei sibi ipsi construxisse corpus animatum, σάρκα ἐψυχωμένην ψυχῇ λογικῇ τε καὶ νοερᾷ.

Ratio in promptu est: quia λόγος nusquam legitur, quod factus sit corpus, aut anima. sed quod homo; ac licet Ioh. 1. dicatur factus caro: ibi tamen nomine carnis, synecdochicῶς intelligitur homo perfectus. Atqui homo nō est ipsum solum corpus. Oportuit igitur sumsisse corpus anima rationali præditum: idque simul eodem temporis momento. Alioqui daretur aliquod temporis momentum quo nō fuerit Filius Dei verus homo: sed tantum corpus humanum. Item Apostolus ait, eum sumsisse formam serui. Solum autem corpus aut sola anima non est forma serui, sed anima simul & corpus, vt explicat Apostolus: *In similitudine hominis factus*. Dubitandum igitur non est, quin corpus & animam simul eodem temporis momento creata sibi vnierit Filius Dei, non autem vnum post aliud, quando in vterum virginis ingressus prædicatur homo factus esse, non autem vel anima vel corpus. Qua in re consentiunt omnes Patres & Scholastici omnes.

3. Particula fuit de *ordine*, quo fuerunt assumta: Quòd licet hæc omnia vera sint: ordine tamen quodam credendus est sumsisse animam immediatè, & per animam corpus. Intelligimus autem nomine animæ, totam animam, mentem scilicet cum parte inferiori.

Hoc idem tradit Damasc. l. 3. c. 6. Vbi postquam docuisset, totam naturam, animam scilicet simul & corpus, assumtam fuisse à Filio Dei, & quòd ὅλος ὅλῳ ἡνώθη: τὸ γὰρ ἀπρόσληπτον ἀθεράπευτον: mox explicat, quo ordine vtramque humanæ naturæ partem sumserit: dicens, ἥνωται τοίνυν σαρκὶ διὰ μέσου νοῦ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, μεσιτεύοντος (τοῦ νοῦ) Θεοῦ καθαρότητι, καὶ σαρκὸς παχύτητι, &c. Vnitus igitur est carni per mediam mentem (id est, per medium mentis) λόγος Θεοῦ: per mentem inquam mediantem inter Dei puritatem & carnis crassitiem. Et subdit explicationem ac rationem, dicens: ἡγεμονικὸν μὲν γὰρ ψυχῆς τε καὶ σαρκὸς ὁ νοῦς· νοῦ δὲ τοῦ ψυχῆς τὸ καθαρώτατον· αὐτοῦ δὲ καὶ νοῦ ὁ Θεός. h.e. Principatum enim animæ & carnis mens tenet: meus autem purissima animæ pars: mentis verò Deus.

Sic ergo statuit Damascenus. Tria sunt in homine, Mens, anima, corpus: nomine mentis intelligit superiorem animæ partem, quæ & ἡγεμονικὸν vocatur: nomine animæ, partem inferiorem, vbi appetitus sensitiuus, & pars vegetans: nomine carnis, corpus. Crassior pars hominis est caro: minus crassa est anima, simplicior & purior, eōq; vicinior Deo & similior est mens, vbi intellectus & voluntas. Vult autem carnem, i. corpus immediatè iungi animæ, animam menti, mentem Deo: Ac proinde per mentem (intellige, Spiritu Dei adiutam) Deo iungi animam, & per animam corpus. Sic igitur statuit de incarnatione Verbi: Verbum, id est, Filium Dei Deum immediatè mentem sibi vniuisse: & per mentem animam: & per animam corpus: non quod vnum post aliud & per partes sibi vnierit: (Hoc enim improbat, vt suprà ostensum est, omnes partes simul fuisse assumtas,) sed tantum docet hoc ordine assumtas fuisse.

Ratio: quòd res sit indigna, vt Deus simplicissimus immediatè corpori crasso vniatur, vnitur ergo per partem hominis simpliciorem & puriorem, hoc est per mentem.

Idem tradit Augustinus Tom. 2. Epistola 3. ad Volusianum dicens: *Ipsa magnitudo diuina virtutis animam sibi rationalem, & per eandem corpus humanum, totúmque omnino hominem in melius mutandum coaptauit.* Accepit autem hic Aug. nomen animę, quatenus complectitur & superiorem, & inferiorem partem.

In libro autem de Agone Christi distinxit, sicut & Damascenus, imò sicut & Apostolus, animam in Spiritum, i. mentem, & in animam, id est, partem inferiorem: & postea addit corpus. Et de Christo sic loquitur: *Inuisibilis & incommutabilis veritas* (id est, Christus) *per spiritum animam: & per animam corpus accepit.* Eadem tradit Cyprianus in symb.

Totam hanc doctrinam secuti sunt etiam scholastici, & duplex affertur ratio à Th. Aquinate, 3.p.q.6.art.1.2. Vna est propter gradum dignitatis. Est enim mens dignior parte animæ inferiore, & pars animæ inferior dignior est corpore. Meritò igitur Deus sibi mentem, & per mentem, animam, & per animam corpus vniuit. Altera, propterea, quòd mens caussa est inferioris partis, & pars inferior corporis: quatenus scil. corpus est propter animam, & anima propter mentem, & vt corpus seruiat animæ, anima menti. Meritò igitur Filius Dei primò menti vniri voluit, & per mentem animæ, & per animam corpori: sed (vt diximus) non priùs vni parti, quàm alteri vnitus est, sed totus simul toti homini. Et ideo Dam. ait, *Simul Dei Verbi caro, simul caro animata rationali anima.* Atque hæc de quæstione septima.

QVÆSTIO VIII.

De perfectione animati corporis cùm assumeretur.

THESIS I.

Quanquam corpus anima præditum & à Filio Dei assumtum in vtero matris per nouem plus minus menses, paulatim, more aliorum humanorum fœtuum, suum accepit incrementum: in ipso tamen conceptionis articulo, præter aliorum consuetudinem, omnibus membris perfectum, & anima rationali præditum fuisse credendum est.

THesis perspicua est, vt non sit opus explicatione.

PRÆTER consuetudinem autem, eoque supra naturam esse, vt corpus humanum in ipso conceptionis articulo omnibus statim membris perfectum & anima rationali præditum concipiatur: nemini ignotum est. Conceptio igitur corporis Christi sicut in ea re fuit admiranda & supernaturalis, quòd facta fuit sine semine viri: sic in hoc etiam humanum excedit captum, quòd vno momento, in persona τοῦ λόγου fuerit perfecta & consummata: nempe, ad omnium membrorum conformationem, & corporis cum anima rationali coniunctionem, quod attinet: vt non immeritò Damascenus totam Christi incarnationem appellet τὸ καινὸν τῶν καινῶν καινότατον.

Rem ita se habere, Damasc. docet c. 2. Cùm enim dixisset, Filium Dei, ex sanguinibus Marię, sibi corpus construxisse, quod etiam vocat ἀπαρχὴν τοῦ ἡμετέρου φυράματος: duo subiecit, Vnum, quod non σπερματικῶς, ἀλλὰ δημιουργικῶς διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος, conceptum fuerit: alterum, quòd per hunc eundem Sp. sanctum fuerit conformatum, non paulatim & per additionem partium post partes, sed vno contextu expleta tota corporis figura ac forma: διὰ τοῦ (inquit) ἁγίου πνεύματος (nempe: conformatum fuit) οὐ ταῖς κατὰ μικρὸν προσθήκαις ἀπαρτιζομένου τοῦ σχήματος, ἀλλ᾽ ὑφ᾽ ἓν τελειωθέντος: non additamenta paulatim: sed vno contextu perfecta figura, nempe corporis.

Ratio

Rationes autem sunt in promptu, cur ita credendum sit.

1. Quia ὁ λόγος nunquam fuit ὑπόστασις alicui embryoni, sed tantum veræ humanæ carni rationali anima præditæ. Verbum enim caro factum est, i. verus homo, non autem primum embryo, & deinde corpus informe atque animi expers, ac postmodum homo: sed statim homo factus est ille λόγος. Quia igitur λόγος nullius vnquam creaturæ fuit ὑπόστασις, nisi humani corporis rationali anima præditi, rationali autem anima præditum esse non potest, nisi omnibus membris perfectum sit: efficitur necessario, λόγον assumsisse corpus omnibus membris perfectum, vt dictum, vt verus homo esse posset.

Hanc adfert Damasc. cùm mox subdit: αὐτὸς ὁ τοῦ Θεοῦ λόγος χρηματίσας τῇ σαρκὶ ὑπόστασις. οὐ γὰρ προϋποστάσῃ καθ' ἑαυτὴν σαρκὶ ἡνώθη ὁ θεῖος λόγος, ἀλλ' ἐνοικήσας τῇ γαστρὶ τῆς ἁγίας παρθένου ἀπεριγράπτως ἐν τῇ ἑαυτοῦ ὑποστάσει, ἐκ τῶν ἁγνῶν τῆς ἀειπαρθένου αἱμάτων, σάρκα ἐψυχωμένην ψυχῇ λογικῇ τε καὶ νοερᾷ ὑπεστήσατο, ἀπαρχὴν προσλαβόμενος τοῦ ἀνθρωπίνου φυράματος αὐτὸς ὁ λόγος γενόμενος τῇ σαρκὶ ὑπόστασις: ὥστε ἅμα σάρξ, ἅμα Θεοῦ λόγου σάρξ, ἅμα σὰρξ ἔμψυχος λογική τε καὶ νοερά.

2. Ὁ λόγος per animam suscepit corpus, vt suprà demonstratum est: oportuit igitur animam vnitam esse corpori, cùm λόγος sibi vniuit corpus. Neque anima vniri potuit corpori, nisi corpus fuerit omnibus membris perfectum. Est enim anima ἐντελέχεια corporis. Atqui λόγος simul ac in vtero Virginis fuit, eâmque obumbrauit, sumsit sibi corpus humanum, & factus est homo. Verbum enim caro factum est. In ipso igitur conceptionis articulo perfectum sumsit corpus.

3. Cui conuenit nomen personæ, is iam habeat, quæ ad constitutionem personæ pertinent, necesse est: quia qui habet, quod perfectum est, habet etiam quæ sunt minus perfecta, & quæ ad illud perfectum requiruntur: puta, si homo es, & persona humana, ergo veram habes animam, verum perfectissimumque corpus humanum, è quibus constituitur persona hominis. Atqui corpus à Filio Dei assumtum, simulac fuit assumtum, habuit suam (vt scholæ loquuntur) personalitatem, quæ nulla alia tamen fuit quàm persona assumentis Verbi. In illa enim exstitit. Oportuit igitur illud corpus & anima rationali præditum esse, & omnibus membris perfectum in ipso conceptionis articulo, quo assumtum fuit à Verbo.

4. Nullo modo decuit, vt λόγος Filius Dei, qui est fons & origo omnium perfectionum, & omnium perfectissimarum formarum, assumeret in vnitatem suæ personæ aliquid informe, & suâ naturâ imperfectum. Atqui corpus humanum, quod neque omnibus suis membris constat, neque rationali anima præditum est, corpus est informe & imperfectum. Anima enim forma est corporis, & cuiusnam corporis? corporis organici, i. quod omnibus necessariis membris & organis constat. Ergo corpus, quod Filius Dei assumsit, licet ad perfectam mensuram, & quantitatem infantibus congruentem non peruenerit nisi intra spatium nouem plus minus mensium: in ipso tamen conceptionis momento omnibus membris perfectum, & anima rationali præditum fuisse, omnino credendum & fatendum est.

Hæc quoque doctrina fuit Augustini & patrum, scholasticorumque omnium. Th. contra Gent. lib. 4. c. 44.

Hinc sequitur TH. II.

Duæ igitur fuerunt in persona Filij Dei vniones simul perfectæ: Vnio animæ & corporis in persona τοῦ λόγου, & vnio personæ τοῦ λόγου cum hac massa animæ & corporis.

DE vnione personæ cum massa, seu de vnione diuinæ naturæ cum humana in eadem persona, postea fusius dicemus. Est enim hoc principale argumentum, quod tractamus. Nunc tantùm de vnione animæ & corporis dicendum est. Est. n. hoc cognitu necessarium, propter quosdam, qui aliter senserunt. 3. p. q. 2. ar. 5. contra Gent. l. 4. c. 37.

Quidam enim negarunt, animam simul cum corpore fuisse vnitam: sicut in nobis vniuntur ambo simul: contenderunt autem fuisse vtrumque seorsum à Filio Dei in vnitatem personæ assumtum. Et cur negarunt animæ & corporis coniunctionem? Quia metuerunt ne si hanc vnionem concederent, cogerentur etiam concedere Nestorianis, in Christo duas esse personas, humanam & diuinã. Quid ita? Quia ex vnione animæ & corporis videmus in omnibus hominibus constitui personam humanam: ergo etiam in Christo. Sed turpiter errarunt, non discernentes inter nos & Christum. Ideo in nobis ex animæ & corporis coniunctione constituitur persona, quia hæc duo vnita inter se per se subsistunt & propriam habent hypostasin. At in Christo aliter se res habet. Ibi. n. corpus & anima propria carent subsistentia, eoque & personalitate. In sola enim persona τοῦ λόγου existunt, suumque habent esse: cùm nunquam extra illam personam substiterint. Quòd autem propriam non habet subsistentiam, quomodo potest propriã habere personam? Licet ergo inter se vnitæ sint caro & anima in Christo: nouam tamen personam nõ efficiunt ab illa, in qua existunt, & à qua sustentantur & gestantur.

At igitur, inquies, minoris efficacitatis & dignitatis est vnio animæ & corporis in Christo, quàm in nobis: quia in nobis constituit personam, ibi autẽ nõ constituit personã.

Resp. Non valet consecutio. τὸ αἰσθητικὸν, quod vocant animam sensitiuam, vnitum cum corpore, annon constituit speciem vel equi, vel bouis vel alterius animalis? Omnino: quia τὸ αἰσθητικὸν in illis est forma substantialis. In nobis tamen τὸ αἰσθητικὸν non constituit humanam speciem. quid ita? quia illud non est per se forma hominis, sed anima rationalis. Num igitur τὸ αἰσθητικὸν in homine minoris est efficacitatis & dignitatis, quàm in bruto? Nequaquam: Imò maioris, quia vnitum est cum mente rationali, & totius animæ humanæ pars est substantialis. Sic natura humana, in persona tantùm λόγου existens, & non per se, maioris est dignitatis & virtutis, quam in aliis hominibus, propter vnionem quam habet cum λόγῳ.

Futilis ergo fuit ratio, qua adducti fuerunt isti, vt negarent in Christo vnionem animæ & corporis, qualis etiam in aliis est hominibus.

Necessariò verò admittendam fuisse hanc vnionem, hinc luculentissimè fit manifestum.

1. Quia si non sunt inter se vnitæ caro & anima: Christus igitur verus homo non est. Homo enim non est, in quo anima non est vnita corpori. *3. p. q. 50. art. 4.* Proinde Christus per illud tempus, quo anima per mortem separata fuit à corpore, non fuit homo. Ratio, quia neque fuit animal. Quomodo enim fuit animal, cùm corpus habuerit non animatum, aut viuum, sed mortuum? An igitur naturam, quam semel sumserat deposuit? Minimè verò: Persona enim λόγου semper vnionem suam retinuit cum vtraque parte humanæ naturæ: quanquam separatæ & disiunctæ illæ à se inuicem fuerint. Ideo hoc discrimen inter illas duas vniones notandum est: quòd vnio carnis & animæ non fuit in assumtione perpetua. Debebat enim solui per mortem, & deinde per resurrectionem instaurari. At verò vnio Verbi ad naturam humanam perpetua fuit & nunquam dissoluenda. Stat igitur argumentum: Christum non esse factum verum hominem, si anima & caro non fuerunt vnitæ sicut & in nobis.

2. Corpus Christi fuit animatum & viuum, alioqui nõ potuisset vitæ officia præstare, ambulare, edere, &c. Ergo animam habuit coniunctam, à qua habebat vitam. Huc illud, *animatum corpus sumens de virgine nasci dignatus est.*

3. Corpus Christi verè mortuum est. Mors autem separatio est animæ à corpore. Ergo prius erat corpori vnita.

4. Si non fuerunt vnita corpus & anima in Christo, sicut & in aliis hominibus: nomen igitur hominis non vniuocè prædicatur de Christo & de nobis, nec nobis similis est per omnia.

5. Denique Apostolus ait: *Sumsit formam serui.* Et Heb. 2. *Sumsit semen Abrahæ.* Atqui forma serui non est anima vel corpus: sic neque semen Abrahæ. Gignebat enim homines, non corpora inanima, aut animas incorporeas.

QVÆST. IX.

De modo, quo λόγος existens in forma Dei sumpsit & vniuit sibi formam serui.

Id quod alij sic proponunt:

Quis sit iste modus, quo duæ in Christo naturę vnitę sint.

DVæ sunt in religione Christiana omnium difficillimæ quæstiones: Prior est de vnitate trium personarum in vna essentia, seu natura: posterior huic contraria de vnitate trium substantiarũ, duarum autem naturarum in vna persona. Collationem duarum vnionum vide in Dam. l. 3. c. 3.

1. Prior non controuertitur, sed posterior. At verò cognitio prioris in cognitionem posterioris deducit: idque contraria ratione: primò, sicut ibi vna est essentia omnibus personis communis, ita hic vna est persona, duarum communis naturarum, & in vtraque subsistens.

2. Et vt ibi tres sunt personæ: ita contrà, hic duæ sunt naturę: eoque tres substantiæ.

3. Et vbi distinctissimæ sunt atque incommunicabiles personæ, & personales cuiusque proprietates: ita hic distinctissimæ sunt naturæ & incommunicabiles cuiusque naturæ proprietates.

4. Et vt ibi licet distinguamus & incommunicabiles dicamus esse proprietates personales, ac quæ sunt vnius personæ, non posse alteri personæ communicari: non ideo tamen vnitatem essentiæ tollimus, aut soluimus Deum: Ita hic licet prædicemus, proprietates vnius naturæ non communicari alteri naturæ: nō tamen soluitur vnitas personæ Christi. Persona enim sicut duabus constat naturis, & in vtraq; ex æquo subsistit: sic etiam vtriusque proprietates, vt proprias in se habet ista vnica & eadem persona.

5 Sicut personæ in Trinitate sine illa vel mutatione, vel confusione earum inter se, distinctè subsistunt in vna eadémque essentia: sic etiam in Christo duæ naturæ, sine vlla sui mutatione, aut confusione, coniunctæ sunt in eadem persona, & vna eadémque persona in vtraque ex æquo subsistit.

Est autem certè maior vnio trium personarum in vna οὐσίᾳ: quàm duarum naturarum in vna persona. Sicut ergo prior non efficit, vt vel personæ, vel personales proprietates inter se confundantur, & realiter communicentur, sed tantùm vt inter se habeant communionem (Pater enim est in Filio, ac operatur in Filio, & Filius est in Patre) sic neq; altera vnio efficere potest, vt vel naturæ, vel essentiales proprietates, inter se confundantur & fiant alterius propriæ. En quomodo prior quæstio de tribus personis in vna essentia seu natura plurimum conducat ad quæstionem de duabus naturis in vna persona intelligendam. Quare, sicut hæ duæ quæstiones sunt omnium difficillimæ: sic & vnius cognitio, alterius mirum in modum adiuuat: quemadmodum ex collatione iam allata iudicare quisque potest.

Ad hanc porrò propositam quæstionem responderi bifariam potest: aut simpliciter & pingui Minerua, ex verbis Apostolicis: aut subtilius, ex Patrum aduersus hæreticos disputationibus.

Apostoli, rem simpliciter tradiderunt Ecclesiæ, nimirū, *Verbum* seu λόγον, *qui erat apud Deum, & qui Deus erat, factum esse carnem*, i. verum hominem. Ioh. 1. Item: *eum, qui subsistebat in forma Dei, sumsisse formam serui, & alius hominibus similem factum esse: ac ex figura habitúq; corporis & totius vitæ, compertum fuisse verum hominem.* Phil. 2. Item: *Deum manifestatum esse in carne.* 1. Tim. 3. Item: *similem factum esse fratribus per omnia excepto peccato.* Hebr. 2. Ac contenti fuerunt Apostoli, hanc de persona Christi tradidisse doctrinam: Eundem scilicet Christum esse verum Deum & verum hominem, nulla re nobis dissimilem, si peccatum, quod in illum nō cecidit, excipias: Eóque in vna & eadem persona duas inesse naturas seu formas, formam seu naturam Dei cum suis scil. essentialibus proprietatibus omnibus, & formam seu naturam hominis veram atque integram, non minus ab altera forma distinctam quàm anima distincta est à corpore. Hæc de mysterio incarnationis simplicissimè tradiderunt Apostoli.

Modum verò, quo hæ duæ diuersissimæ naturæ in vna & eadem persona vnitæ sunt, non explicarunt quidem, sed satis tamen luculenter indicarunt. Talem enim esse docuerunt, quo primum quidem nihil, propter hanc vnionem, detractum sit vel humanæ assumtæ, vel diuinæ assumenti naturæ: Ratio: quia mansit verus Deus, & factus est verus homo: quo deinde ex assumtione animæ & corporis simul coniunctorum non sit constituta assumtáve noua præter personam τοῦ λόγου, persona: quoniam vnus tantùm est Christus, idémque simul & Dei & hominis filius: quo tertiò ita vnitæ sunt in eadem persona naturæ, vt idem Christus, sicut verus est Deus & verus homo: sic verè simul dicatur passus ac mortuus esse, & idem mortuos suscitare, & quæcunque Pater operatur, eadem & ipse pariter operari. Hęc enim passim tradunt Apostoli. Denique rursus ita distinctæ sunt in eadem persona diuersæ naturæ, & naturales proprietates, vt quę etiam dicuntur ab eo vel facta vel perfecta fuisse secundum vnam naturam, ea per consequens negentur secundum alteram naturam gesta fuisse. Sic enim loquuntur Apostoli, 2. Cor. 13. *Crucifixus est ex infirmitate carnis: Viuit autem* (i. seipsum à mortuis excitauit) *ex virtute Dei*, i. ex potentia suæ Deitatis. Ita ergo fuit & est distincta in Christo natura diuina ab humana, & proprietates vnius à proprietatibus alterius: Vt, sicut non est mortuus, nisi secundum carnem, sic neque seipsum excitarit à mortuis, nisi secundum Deitatem. Item: Petrus ait, Christum passum esse in carne. Voluit igitur dicere: passum non esse in diuinitate.

Ad extremum dicunt, tamen coniunctim, Deū sanguine suo ecclesiam redemisse. Act. 20. Voluerunt ergo etiam docere, vtramque naturam ad salutem nostram, suis quanquam propriis actionibus, concurrisse. Ex quibus omnibus constat, Apostolos ita de incarnatione Christi locutos fuisse: vt licet modum, quo vnitæ sunt duæ naturæ in vna persona Filij Dei, non expresserint: eatenus tamen illum indicarint, quatenus ad salutem nostram, & sobriam huius mysterij cognitionem necessarium erat.

Atque hæc de priori, ad propositam quæstionem, respondendi ratione, satis sunto.

Cæterùm, propter varios hæreticos, qui hac de re multa grauiáque negotia fecerunt Ecclesiæ, necessarium fuit S. Patribus, prolixiùs & accuratiùs de hac quæstione disputare: fundamentis tamen semper ex doctrina Apostolica sumtis. Cum ergo idem, hoc quoque tempore ab aliis hæreticis fieri Ecclesiæ negotium videamus: cogimur & nos vestigiis patrum insistentes, aliquantò fusiùs, & luculentiùs, propositam quęstionem de modo vnionis duarum naturarum, in vna persona Filij Dei, explicare.

Id autem faciemus quinque thesibus, quarum quatuor, modos falsos quos commenti sunt hęretici, refellam, quinta verum modum, quem Catholica Ecclesia tuetur, proponam.

Etsi enim, ad falsos modos quod attinet, multi recenseantur à patribus & refutentur, vt à Damasc. lib. 3. c. 3. Omnes tamen ad quatuor species redigam: idque iuxta quatuor præcipuas hæreses, quæ de hoc mysterio excitatæ fuerunt: quarum prima fuit Nestorij. 2. Eutychis. 3. Monotheletarum. 4. Quorundam, qui ex quibusdam piis patrum dictis hęresin confinxerunt: Naturam humanam personæ Filij Dei inesse, tanquam accidens suo adhærens subiecto: qua de re postea.

Cæterùm antequam ad meas Theses veniam, non inutile fuerit, quædam de vnione, déque variis eius speciebus, diuersisque vniendi modis, breuiter ex Patribus præmittere.

Vnio, seu ἕνωσις, generale nomen est, quo significatur duarum aut plurium rerum coniunctio: siue ea sit naturalis, siue artificialis: Naturalis vt est animę & corporis: artificialis, vt aquę & vini, & huiusmodi.

At ea, qua λόγος & caro vniti sunt, propriè à Damasc. vocatur σάρκωσις, incarnatio.

Diuidunt etiam in naturalem & socialem: Et sic etiam Maxentius: *Socialis* fuit vnio, quam finxit Nestorius, duarum personarum: qua de caussa Damascenus etiam vocat eam προσωπικὴν. *Naturalis* est quæ fit ex duabus naturis: qualis est animę & corporis in vnam personam: & talem aiunt patres esse vnionem Verbi ad carnem.

Nyssenus in lib. de homine: tribus modis ait res vniri. 1. Alteratione: vt Elementa. 2. Mixtione: vt aqua & vinum. 3. Appositione: vt asser asseri & calculus calculo.

Sed audiamus etiam D. Bernardum, non malè de hac re differentem. 1. Vnio quædam est *substantialis*: vt in trinitate, tres personæ, propter vnitatem essentiæ, qua sunt vnitę, sunt tantum vnus Deus. Non talis est Christi incarnati, sed diuersissima. Ex tribus enim substantiis, diuinitate, anima, & carne, vna constat persona. 2. Est vnio *naturalis* animæ & corporis, quatenus ex iis constat natura humana. Non enim solum corpus, nec sola anima sunt humana natura: sed ambo simul naturam humanam constituunt: qualis est vnio animæ & corporis persona Christi. Non sic vnio est Verbi ad carnem: quia ex diuina & humana natura non constituitur tertia quædam natura: sed singulæ manent distinctę & integrę.

3. Est vnio *carnalis*: Viri & vxoris, qua fiunt duo in carnem vnam. Neque talis est vnio λόγου cum humana natura: non enim constat duabus personis.

4. Est vnio *spiritualis*: de qua Rom. 8. Qui adhęret Deo, vnus Spiritus cum illo fit. Neque talis est vnio λόγου ad carnem. Non enim sumus nos vna persona cum Deo. Caro autem assumta, in vnitatem personæ assumta est.

5. Est itaque vnio *personalis*, καθ' ὑπόστασιν, vt animæ & corporis, quatenus ex vtroque constat vnus homo Talem aiunt esse vnionem diuinæ naturę cum humana: Quanquam neque prorsus similis est: vt postea dicemus. Anima enim vnitur corpori, tanquam forma materiæ: quod non ita est in Christo Hæc ex D. Bernardo.

Th. Aquin. 3. p. q. 2. artic. 1. tribus ait modis in natura ex duobus vel pluribus vnū aliquod constitui. *Primus* modus est, cum ea, ex quibus aliquid componitur & vnum fit, non permutantur, nec permiscentur, seu non confunduntur, sed perfecta & integra manent in composito: id quod non contigit, nisi in rebus corporeis, quatum est vel simplex compositio, vel ordo, vel forma seu figura. Simplex compositio: vt si multi lapides simul coaceruentur. Ordo: vt

C

do: Vt si multi lapides in ordinem collocentur. Forma: vt si ex iis formes domum.

Hoc modo non est facta vnio Verbi ad carnem: non est enim artificialis & per accidens, quales sunt istæ: sed naturalis & per se: vt post videbimus.

Secunda est: cum ea, ex quibus aliquod vnum fit, perfecta quidem sunt, sed transmutantur, & non manent, quod erant, in composito. Vti cum ex elementis fit corpus mixtum, quale est corpus humanum. Neque hoc modo facta est vnio Verbi ad carnem. *Primò*, quia natura diuini verbi immutabilis est, neque etiam in eam conuerti potuit natura humana: non enim suscepit alterationem. *Secundò*, Quia sequeretur, post vnionem in Christo non mansisse integram naturam diuinam, neque etiam humanam: sicut neque in corpore mixto remanent integra elementa: & ita non esset iam aut Deus, aut homo, & nec patri nec matri esset ὁμοούσιος. *Tertiò*. Quia natura diuina in infinitum excedit humanam: sicut mare guttam vini: quæ autem ita distant, ex iis non potest fieri mixtio. Absorbetur enim & annihilatur gutta vini in mare proiecta.

Tertia est cum ea, ex quibus fit vnum aliquid, integra quidem manent, nec permutantur aut miscentur confunduntúrve, sed imperfecta sunt per se: vti est vnio animæ & corporis, ex quibus fit & constat homo: non miscentur quidem, nec permutantur: sed vnumquodque imperfectũ est, quia neutrum per se homo est. Talia sunt etiam singula membra corporis per se, ex quibus totum corpus constituitur. Neque hoc modo facta est vnio Verbi ad carnẽ. *Primo*: quia vtraque natura diuina & humana, per se perfecta est: nec persona Christi constat ex naturis imperfectis: *Secundò*. Quia persona Christi non constat ex iis duabus naturis, tanquam ex partibus quantitatiuis, & integralibus, sicut corpus ex membris. Natura enim diuina, quanta non est, neque corporea: imò neque anima: sed tantùm corpus. Neque etiam ex iis constat persona Christi, tanquam ex materia & forma, vti sunt anima & corpus in homine, partes hominis essentiales. *Tertiò*, quia quod ex talibus partibus componitur, est tertium quiddam, differens à partibus: homo enim non est anima neque corpus, sed tertium ab illis diuersum. Ita Christus non esset amplius Deus vel homo: sed diuersum quiddam. Concludit igitur Thomas, vnionem Verbi ad carnem, nõ esse factam in tertia natura, quæ ex vnione Verbi & carnis, tanquam ex partibus compositi exstiterit seu coaluerit. Quomodo autem facta sit hæc vnio, postea explicat. Modus est singularis & supernaturalis, de quo postea. Hæc obseruasse vtile fuerit, ad quæstionis explicationem.

Nunc venio ad meas theses: quarum prima, Nestorianos modos euertit.

THESIS I.

Filius Dei formam serui sumsit, ac cum forma Dei in sua persona vniuit, non per simplicem in ea inhabitationem, eoque nec κατὰ παράστασιν, *id est assistentiam: aut* κατὰ σχέσιν, *id est habitudinem: aut* κατ' ἀξίαν, *id est dignitatem: vel* ταυτοβουλίαν, *id est, voluntatis consensum: aut* ὁμοτιμίαν, *id est, honoris æqualitatem: aut* ὁμωνυμίαν, *æqualitatem nuncupationis, aut* εὐδοκίαν, *id est beneplacitum.*

THesis est sumta ex Damasc. aduersus Nestorium l. 3. c. 3. Singula breuiter explico.

Sententia Nestorij fuit (vt supra explicatum est) animã & corpus Christi, extra personam τοῦ λόγου creata, atque vnita inter se fuisse, ac tum demum à λόγῳ assumta. 2. Et quia anima rationalis & corpus vnita, constituunt personam, ideò assumtam fuisse personam à persona: idque sic vt diuina habitarit in humana, tanquam in suo templo. 3. Confirmabat sententiam illis locis, vbi legitur Deus esse, & fuisse in Christo. Nomine enim Christi intelligebat solam humanam naturam, i. hominem assumtum: nomine autem Dei inhabitantis, ipsam τοῦ λόγου personam. Hæc fuit vnio τοῦ λόγου & carnis apud Nestorium. Hinc reliquæ omnes, de quibus in thesi. Primo igitur loco negamus factam fuisse in vnionem per simplicem inhabitationem. Simplicem autem inhabitationem quæcunque tandem illa fuerit, sit vel futura sit, siue per gratiam, & Spiritum sanctum, sicut in sanctis, siue per gloriam, vt in beatis, eam intelligimus, quæ non est corporalis, de qua Col. 2. siue hypostatica: In nemine enim ita habitat, vt sit illi hypostasis: sicut in humana Christi natura. De priore in sanctis inhabitatione 2. Cor. 16. Inhabitabo in illis: De posteriore in beatis 1. Cor. 15. Deus erit omnia in omnibus. Tertia est, de qua agimus.

1. Refellitur verò simplex inhabitatio Dei in Christo (vt fingebat Nestorius) puro homine, dicto Iohan. 1. *Verbum caro factum est.* Nusquam enim vel auditum est, vel visum vel lectum, quòd, qui simpliciter inhabitat in aliqua domo vel templo, factus sit ea domus, vel templum sicut Iohan. prædicat de λόγῳ Deo, qui factus est caro. Falsum est igitur, Christum sumsisse formam serui per solam ac simplicem inhabitationem.

2. Hinc refellitur, quòd dixit vnionem factam esse κατὰ παράστασιν, assistentiam: quòd huic homini assumto semper adsit præsentissimus. Adest enim Deus rebus omnibus, & omnia implet: nec ab vlla re procul abest sua essentia, & operatione. Ies. 60. Ier. 23. Act. 17. Psal. 139. Longè igitur alio modo assumsit formam serui, quàm per παράστασιν. Verbum enim caro factum est, non autem carni tantùm adhæsit.

3. Sic refellitur, quod dicebat de vnione σχετικῇ, habitualí, seu quæ κατὰ σχέσιν fit, i. per affectum & amicitiam, qua duo fiunt vnum: sic enim Cyrillus ipse interpretatur in Iohan. l. 10. c. 3. *Vnde considerandum est, non habitudine solum qua per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, verùm etiam participatione naturali.* Hæc Cyrillus. Alij vocant vnionem κατὰ χάριν per gratiam, & κατὰ μετοχὴν, secundùm participationem, gratiæ scilicet & donorum cœlestium. Sed hæc non sufficit in Christo. Nam etiam in sanctis hac σχετικῇ vnione inhabitat, & eis vnitus est Christus ac Deus: Vbi tamen vnquam legitur, quòd Deus factus sit Petrus, vel Paulus: sicut de λόγῳ: ὁ λόγος caro factus est.

4. Nec satis est, quod ille homo fuerit vnitus verbo κατ' ἀξίαν; quòd scil. acceperit à verbo hanc dignitatem, vt esset cùm eo seruator ac iudex mundi, accepta etiam authoritate in omnia; iuxta illud Ioh. 5. & potestatem dedit ei iudicium faciendi, quia filius hominis est. Item Ioh. 17. Dedisti ei potestatem omnis carnis. Nisi enim iste filius hominis, sit vna & eadem persona cum filio Dei: seruator esse non potest, nec expiare peccata & Ecclesiam redimere, ac sanctificare à peccatis. Ideo Act. 20. Deus, inquit, redemit Ecclesiam sanguine (non alieno, seu filij hominis) sed suo, Dei nimirum: quia idem est & Deus & homo. Verbum enim caro factum est.

Cyrillus Anathematismo 3. Si quis in vno Christo diuidit subsistentias post vnitionem, solum coniungens eas copulatione, quæ est secundum dignitatem & autoritatem, anathema sit.

5. Neque sufficiens est vnio κατὰ ταυτοβουλίαν, quam alij vocant καθ' ὁμόνοιαν, & consensionem: quòd scilicet voluntas huius hominis, conformis semper fuerit & sit voluntati Dei, idémq; semper voluerit ac velit, quod & λόγος. Nam etiam angeli boni semper voluerũt ac volũt, quod & Deus: & nos omnes idẽ in sempiternum volemus, quod & Deus: erit. n. Deus omnia in omnibus. Nũ tamen propterea dicitur Deus factus esse vel Angelus, vel Petrus aut Paulus, sicut de Christo Scriptura dicit: & Verbũ caro factũ est. Itẽ assumsit formã serui & in similitudine hominũ factus est?

6. Eodem telo iugulatur, & illa vnio, quam vocat καθ' ὁμοτιμίαν: quod scil. hunc hominem eò exaltarit Deus verbum, vt totum suum honorem ei communicarit: & velit tam eum, quàm se à nobis honorari, coli, adorari: iuxta illud: datum esse illi nomen, quod est supra omne nomen: vt in nomine Iesu flectatur omne genu. Si enim iste idem, qui est filius hominis, non sit etiam naturalis Filius Dei: hic honos & adoratio ei non conuenit: scriptura dicente: Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles: Et iterum Deus ait: Honorem meum alteri non dabo.

7. Corruit & ille vnionis modus, qui est καθ' ὁμωνυμίαν, quòd scil. Deus suum illi nomen communicarit, vt tã iste homo appelletur Deus, quàm Deus ipse: neque enim reuera hoc nomen illi congruit, si alia sit persona à persona filij Dei. Nulla autem admittitur ὁμωνυμία, cum Christus vocatur Deus. & Iehoua, & dominus gloriæ. Iohannes enim ait de hoc homine: 1. Ioh. 5. Hic est verus Deus, & vita æterna. Quamobrem? quia Verbum caro factum est: & Verbum hoc præbuit se palpabile, visibile. Vnde 1. Iohan. 1. Quod audiuimus, quod vidimus, quod manus nostræ contrectarunt de Verbo vitæ, &c.

8. Tollitur & illa vnionis ratio, quam vocauit Nestorius ἕνωσιν καθ' εὐδοκίαν: quasi satis sit ad hanc vnionem, de qua loquimur, quod λόγος Deus in hoc assumto homine optimè sibi placeat, & huic optimè velit, & vicissim efficiat, vt iste homo sibi complaceat in Verbo & optimam erga illud habeat voluntatem. Aliam certè vnionem docuit Euangelista, cum dixit, Verbum caro factum est.

9. Denique, quod caput rei est, damnatur & à Iohan. 1. & à catholica Ecclesia, ἕνωσις σχετική, eo sensu,

quo Nestorius sensit: nempe non, quæ facta est in persona Filij Dei ex duabus naturis: sed quam factam ille esse dicebat ex duabus personis, per consensum, per gratiam, per amorem, pérque alios modos, de quibus diximus in thesi. Cyrillus passim hos modos attribuit Nestorio in Anathematismis: anath. 3.7.8.9.11. Et in li. de incarnatione c. 28. ex quibus locis manifestè apparet, quę fuerit doctrina Nestorij, de Christo: in eo duas esse personas: personam λόγου, & personam hominis, quæ est ipsa anima cum corpore cōiuncta: & alias esse actiones λόγου, alias Christi: Christum enim vocabat, ipsum duntaxat hominem: proinde Mariam semper vocabat χριστοτόκον, nunquam autem θεοτόκον: Vnum tamen & eundem esse τὸ λόγον, & Christum, propter inhabitationem τοῦ λόγου in Christo, eo sensu, qui supra explicatus est, & propter illos vnionis modos, de quibus hactenus dictum est.

☞ Aduersus hanc doctrinam nihil addo, quoniam satis dictum fuit in quæst. 2. vbi probauimus τὸν λόγον assumendo carnem anima rationali præditam, non assumsisse hominem, id est personam: sed naturam. Ad argumenta quoque ipsius Nestorij responsum fuit. Venio igitur ad secundam thesin, qua oppugnatur doctrina cùm Apollinaris, tum maximè Eutychis.

THESIS II.

Filius Dei formam serui non ita sibi sumsit, & cum forma Dei in vnum coniunxit, vt aut altera in alteram conuersa & mutata sit: aut ambæ in vnam tertiam naturam, sint commixtæ atque concretæ.

DAmasc. lib. 3. c. 3. eam ita proponit. Δεῖ δὲ ἐκ δύο φύσεων τελείων, θείας τε καὶ ἀνθρωπίνης φαμὲν γεγενῆσθαι τὴν ἕνωσιν: οὐ κατὰ φυρμὸν, ἢ σύγχυσιν, ἢ σύγκρασιν, ἢ ἀνάκρασιν: ὡς ὁ θεήλατος ἔφη Διόσκορος, Εὐτυχής τε.

Φυρμὸς est conspersio, massa & commassatio: sicut, cùm ex farina & aqua fit tertia natura, nempe panis, σύγχυσις est confusio: sicut cum ex cinamomo, gingibere & pipere simul contusis & confusis fit tertium genus aromatum.

Σύγκρασις & ἀνάκρασις idem significant, commixtionem: quemadmodum cum ex aqua & melle simul commixtis fit mulsum: sed omnes hę dictiones in vnum recidūt, & idem significant: talem videlicet duarum aut plurium rerum commessationem, commixtionem & confusionem: vt ex illis tertium quoddam genere diuersum componatur.

Sed iis tribus nominibus, φυρμοῦ, συγχύσεως & συγκράσεως, seu ἀνακράσεως, illam de qua diximus, mixtionem significauit Damascenus: quia omnis etiam mixtio ex qua aliquid generatur, fit tribus modis: nempe aut ex humidis & siccis rebus, vt panis ex farina & aqua: aut ex solis siccis, sed simul contusis & mixtis, vt ex variis aromatibus, tertium quiddam: aut ex solis humidis, vt ex aqua & melle, mulsum.

Quocunque igitur modo velint hæretici ex duabus naturis factam esse tertiam naturam in Christo: negant orthodoxi vnionem duarum naturarum in Christo esse vel φυρμὸν seu σύναμιν: vel σύγχυσιν, vel σύγκρασιν seu ἀνάκρασιν. Sed cum iis tribus modis mixtionis, de quibus diximus, coniungimus mixtionem etiam omnium eorum, quæ sunt composita ex forma & materia. Nam neque hoc modo facta est vnio duarum naturarum in Christo. Atque hæc pro explicatione verborum Damasceni.

Sed nos in thesi nostra duo tantùm habemus verba, cōuersionem seu mutationem vnius in alteram: & commixtionem, seu confusionem ac concretionem vtriusque in tertiam: quibus duo aduerbia opponuntur in concilio Chalcedonensi ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως: & vno refellitur hæresis Apollinaris, qui dixit mutatum esse λόγον in carnem: altero error Eutychis, qui fecit ex vtraque natura mixtionē. Sententia enim Eutychis fuit, vt suprà vidimus, ante vnitionem, duas fuisse naturas distinctas, sed post vnitionem, vel humanam fuisse absorptam in diuinam, vel ex duabus vnam fuisse conflatam: sicut etiam ex anima rationali, prout & ex carne humana constat natura: sic enim etiam ex Deitate, & ex humanitate, tertiam conflatam esse naturam, quæ est natura Christi: quam sententiam postea acerrimè defendit Dioscorus, Episcopus Alexandrinus.

Ratio, cur ita cogitarit Eutyches, fuit, quia non videbat, quomodo alioqui possit defendi vna tantùm persona in Christo: cum etiam λόγος Filius Dei sit persona: & anima rationalis, simul cum corpore coniuncta, personam hominis constituat. Excogitauit ergo mixtionem & confusionē duarum naturarum in vnam: ideo dicebat Christum esse quidem ex duabus naturis: sed non in duabus naturis, scilicet subsistere: quia volebat duas in vnam tertiam coiisse: quæ sententia damnata fuit in Concilio Chalcedonensi, sicut illa Nestorij in Ephesino.

Damas. lib. 3. c. 3. rem ita proponit, ex definitione Chalcedonensis concilij. Ἀτρέπτως καὶ ἀναλλοιώτως ἡνώθησαν ἀλλήλαις αἱ φύσεις: μήτε τῆς θείας φύσεως ἐξισταμένης τῆς οἰκείας ἁπλότητος: μήτε μὴν τῆς ἀνθρωπίνης, ἢ τραπείσης εἰς θεότητος φύσιν, ἢ εἰς ἀνυπαρξίαν χωρησάσης, μήτε ἐκ τῶν δύο μιᾶς γεγενημένης συνθέτου φύσεως, h. e. Inuertibiliter & sine alteratione vnitæ sunt inuicem naturæ: neque natura diuina à sua propria simplicitate recedente, neque certè humana, aut in naturam Deitatis conuersa, aut in nihilum abeunte, neque ex duabus vna composita natura effecta.

Tria igitur excludit tanquam hæretica. 1. mutationem diuinæ naturæ: hæc enim à sua simplicitate non potuit recedere, & in humanam conuerti, quæ fuit Apollinaris hæresis. 2. Naturæ humanæ in diuinā naturam conuersionem, aut annihilationem, si ita loqui licet: hæc est ἡ ἀνυπαρξία quasi absorpta fuerit à diuina, vt gutta vini ab Oceano. Denique excludit tertium: Duarum in vnam tertiam naturam compositionem, seu coitionem: quæ propria videtur Eutychis fuisse sententia.

Hanc igitur oppugnat doctrinam Damascenus, sex rationibus. 1. Si duæ naturæ, diuina & humana in vnam tertiam naturam in Christo coiissent: Christus neque Deus esset, neque homo: eóque neque patri, neque matri esset ὁμοούσιος. Ratio est: quia natura composita, neutrum est eorum, è quibus composita est: & neutri partium componentium ὁμοούσιος esse potest: cùm sit quiddam tertium, à partibus, è quibus composita est, diuersum: τὸ γὰρ συνθετὸν ἐκ διαφόρων φύσεων ἕτερον παρ᾽ ἐξ ὧν συνετέθη, ... ὁμοούσιος ... ὑπάρχον ... ἐξ ὧν ... ἀποτελεσθὲν ἕτερον.

Exemplo declaratur. Corpus humanum ex quatuor elementis conflatum, quia tertia quædam est natura, ab elementis diuersa: idcirco non est ὁμοούσιον elementis, è quibus constat, nec aër, aut aqua, aut ignis, aut terra vocari potest. Mulsum item non est amplius vel aqua, vel mel, è quibus compositum est. Neq; homo est anima vel corpus. Manifesta igitur est propositio: & sequitur, Si duæ naturæ Christi in vnam tertiam coierunt, quæ sit Christus: sequitur, inquam: Christum neque Deum esse, neque hominem, eóque nec patri nec matri ὁμοούσιον.

Atqui est Deus & homo, patri & matri ὁμοούσιος. Hoc enim tradunt sacræ literæ. Ergo, &c.

Propter hoc argumentum non admittunt Scholastici, in persona Christi compositionem propriè dictam.

2. Arg. Si in Christo vna esset natura è duabus composita, nomen Christi non esset nomen personæ, sed naturæ illius compositæ: sicut nomen etiam hominis, quia compositus est ex anima & corpore, nomen est naturæ, non personæ. Arqui nomen Christi, nomen est personæ (de omnium consensu atque sententia) Significat enim illum qui vnctus est, & quidem non simpliciter, vt multi alij in veteri Testamento: sed qui vt homo, vnctus est, & Deitate vnctus est. Ergo, &c.

Hoc sic explicat Damascenus: καὶ ἔσται ὁ Χριστὸς οὐ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ ὄνομα, ἀλλὰ τῆς μιᾶς κατ᾽ αὐτοὺς φύσεως (nempe, si duę illæ naturæ, in vnam naturam coierunt) ἡμεῖς δέ τε Χριστὸν ὄνομα τῆς ὑποστάσεως λέγομεν, οὐ μονοτρόπως λεγόμενον, ἀλλὰ τῶν δύο φύσεων ὑπάρχον σημαντικόν, αὐτὸς γὰρ ἑαυτὸν ἔχρισε: χρίων μὲν ὡς Θεὸς τὸ σῶμα τῇ θεότητι αὐτοῦ, χριόμενος δὲ ὡς ἄνθρωπος: αὐτὸς γὰρ ἐστι τοῦτο κἀκεῖνο: χρίσις δὲ ἡ θεότης τῆς ἀνθρωπότητος.

3. Si Christus est vnius naturæ è duabus compositæ (vt aduersarij docent) & Christus est ὁμοούσιος patri (vt tota confitetur Ecclesia:) fuerit igitur & pater eiusdem naturæ, nempe compositæ: eóq; & ipse carni erit ὁμοούσιος, & dicetur pater caro factus. Atqui hoc est blasphemum, εἰ μιᾶς φύσεως συνθέτου ἐστὶ Χριστὸς ὁμοούσιος δὲ τῷ πατρί, ἔσται ἄρα καὶ ὁ πατὴρ συνθέτος, καὶ τῇ σαρκὶ ὁμοούσιος.

4. Si in Christo vna tantùm est natura è duabus cōposita; illa igitur natura fuerit contrariarum qualitatū, & essentialium proprietatum, sibi inuicem oppositarum δεκτική, i. susceptiua: seu, idem Christus secundum idem, i. secundum vnam & eandem naturam fuerit finitus & infinitus, visibilis & inuisibilis, patibilis & passionis expers. Hæc enim de Christo prædicantur in sacris scripturis. Arqui hoc est absurdissimum & cum natura pugnans, vtpote implicans contradictionem. Ergo oportet in Christo diuersas esse naturas, quarum respectu dici possit verè circumscriptus esse & incircumscriptus, & vbique esse & non vbique: sicut etiam idem homo dicitur visibilis & inuisibilis, mortalis & immortalis, non κατὰ τὸ αὐτὸ sed κατ᾽ ἄλλο καὶ ἄλλο· πῶς δὲ καὶ μία φύσις, τῶν ἐναντίων οὐσιωδῶν διαφορῶν δεκτικὴ γενήσεται; πῶς γὰρ δυνατὸν τὴν αὐτὴν φύσιν κατὰ ταυτὸν κτιστήν τε εἶναι καὶ ἄκτιστον, θνη-

σιν, θνητὴν καὶ ἀθάνατον, ψηλαφητὴν καὶ ἀψηλάφητον. Obseruandus est iste locus Damasceni quo euertitur realis communicatio essentialium proprietatum diuinæ naturæ in humana. Damascenus ait, & quidem cum summa asseueratione πῶς (inquiens) hoc esse prorsus ἀδύνατον. Quid igitur garriunt vbiquitarij? Quomodo ergo eadem caro Christi fuerit & circumscripta & incircumscripta.

5. Si vnius tantum naturæ est Christus, illa fuerit aut composita aut simplex. Si compositam dicant: sequuntur absurda, quæ ante demonstrata sunt: & plura etiam, quę porrò explicabuntur: Si dixerint simplicem, illa vel fuerit tantùm humana, vel tantùm diuina: Si diuina: non igitur fuerit Christus homo verus, sed ἐν δοκήσει, & renouatur hæresis Marcionis & Manichæi. Si tantùm humana: Non igitur fuerit Deus, & reuocatur hæresis Photini. Quomodo enim homo est, in quo non est humana natura: aut Deus qui expers est diuinæ naturæ. Sic Damasc. εἰ δὲ καὶ μιᾶς λέγουσι τὸν Χριστὸν φύσεως, ἐπ' ἁπλῆν ταύτην εἶναι· εἰ γυμνὸν αὐτὸν θεὸν ὁμολογοῦσι, καὶ φαντασίαν εἰσάξουσι, ἐκ ἐνανθρώπησιν· ἢ ψιλὸν ἄνθρωπον κατὰ Νεστόριον, καὶ ποῦ τὸ ἐν θεότητι τέλειον, καὶ τὸ ἐν ἀνθρωπότητι τέλειον;

6. Si post vnionem diuinæ naturæ ad humanam (vt docebat Eutyches) Christus vnius duntaxat est naturæ: dici non potest, Christum duarum vnquam fuisse naturarum: Non ante vnionem, quia tantum fuit Deus: nec in ipsa vnione, quia nondum habebat ipsam vnitam: neque post vnionem, vt ipsi docent: Quomodo igitur ait Eutyches, ante vnionem duas fuisse naturas, è quibus Christus sit: sed post vnitionem in duabus non existere sed in vna? πότε δὲ καὶ δύο τὸν Χριστὸν λέξουσι φύσεις, μιᾶς συνθέτου φύσεως αὐτὸν μετὰ τὴν ἕνωσιν λέγοντες; ὅτι γὰρ μιᾶς εἶχε τῆς φύσεως, πρὸ τῆς ἑνώσεως παντί τῳ δῆλον.

Hæc ex Damasceno, qui statim etiam subdit causam erroris, tam Nestorij quàm Eutychetis: ait enim fuisse hanc, quia neuter distinguebat naturam à persona, sed idem esse ambo putabant. Ἀλλὰ τὸ δὲ ποιοῦν τοῖς αἱρετικοῖς τὴν πλάνην, τὸ αὐτὸ λέγειν τὴν φύσιν καὶ τὴν ὑπόστασιν. Nestorius ergo sic dicebat? Si duæ naturæ in Christo: duæ ergo personæ. φύσις enim & ὑπόστασις idem sunt. Contra Eutyches: Si vna persona Christus: Vna igitur natura: ὑπόστασις enim & φύσις non differunt.

Eadem est etiam nostris vbiquitariis erroris caussa, quia non discernũt, vt debent, naturas à personis. Aiunt enim · Persona Christi est vbique tota: Ergo tam humana natura, quàm diuina vbique est. Quid ita? Quia (inquiunt) humana natura est altera pars personæ: Quid enim aliud est natura Christi, quàm duæ naturæ simul iunctæ atque vnitæ? Sed hic falluntur. Non enim φύσις vnitæ sunt personæ: sed illud ὑφεστάμενον in quo sunt vnitæ, & quod illis duabus constat naturis, persona est: seu qui subsistit in naturis, persona est: non autem naturæ in quibus subsistit. Et hoc docet Apostolus Phil. 2. qui de Christo, id est, de persona dixit, ὑπάρχων ἐν μορφῇ θεοῦ, accepit formam serui. Discrimen ergo facit inter personam subsistentem, & naturas, in quibus subsistit.

Ideo valet hæc quidem consequentia. Persona Christi, seu Christus ipse vbique est: ergo vbique in vtraque sua natura subsistit. Sed hæc non valet: Ergo vtraque natura in qua subsistit, vbique est. Alioquin & hæc valeret, totus Christus passus est. Ergo & Deitas passa est. Vnde hæc fallacia? Inde, quia non rectè discernitur, inter personam subsistentem in naturis, & inter naturas, in quibus subsistit. Hinc etiam fit, vt reiiciant distinctionem, quæ omnium tamen patrum est. inter Totum, masculini generis, & Totum neutri generis: quorum vnum personam respicit & denotat, nempe ὅλος, alterum nempe τὸ ὅλον, naturas, vt Damascenus ipse explicat lib. 3. c. 7. sicut etiam ἄλλος & ἄλλο: quorum vnum personam, alterum naturam indicat: vt docuit Nazianzenus, (τὸ μὲν γὰρ ἄλλο ait Damasc.) φύσεως δὲ παραστατικόν· τὸ ὅλος δὲ ὑποστάσεως· ὥσπερ τὸ μὲν ἄλλο φύσεως, τὸ ἄλλος ὑποστάσεως. Ac proinde ait ibi Damas. de Christo, ὅλος μὲν θεὸς τέλειος, οὐχ ὅλον δὲ θεός. & rursus: ὅλος μὲν ἄνθρωπος τέλειος, οὐχ ὅλον ἄνθρωπος. Sic igitur & nos dicimus: Totus quidem Christus est vbique, sed non totum: Totus, propter personam: Non totum, propter humanam naturam: sicut contra: Totus Christus est certo loco circumscriptus, sed non totum. Ergò diligenter semper discernenda est persona à naturis: quia sicut hęc ignorantia, causa fuit fœdissimorum lapsuum, & Nestorio & Eutycheti: sic etiam nunc Vbiquitariis horrendi monstri causa est.

Atque hæc de argumentis Damasceni aduersus Eutychetem. Nunc alia quoque adfero ex aliis autoribus, quæ etiam collegit Th. Aq. contra Gentil. l. 3. c. 37.

7. Septimum ergo argumentum ab effectis ducitur.

In Christo, post vnionem factam, perfecta sunt effecta vtriusque naturæ, diuinæ, & humanæ, cum vnus tamen duntaxat fuerit operans. Duæ igitur in eo post vnionem fuerunt naturæ, diuina & humana.

Antecedens manifestum est inductione, ex historiis Euangelistarum.

8. A pronunciatis & testibus: Christus post vnionẽ vocat seipsum Filium Dei vnigenitum, qui à patre exierit, & in mundum venerit, patri æqualem, qui pariter operetur, quæcunque & pater operatur: & Apostoli vocant illum verum Deum, Deum supra omnia benedictum, & alia huius generis testimonia de eius Deitate adferunt. Rursus Christus seipsum vocat filium hominis. & ab Apostolis atque Euãgelistis vocatur verus homo. Fuit igitur in eo etiam post vnionem, tum diuina, tum humana natura.

9. Si post vnionem, duę naturæ, in vnam tertiam (vt Eutyches dicebat) coierunt: oportuit hoc fieri aliquo eorum modorum, quibus aliquid è pluribus fieri potest vnũ. Nam si fit vnum, aliquo modo fiat vnum necesse est. Atqui nullo eorum modorum, quibus videmus è pluribus vnum fieri, potuit è duabus naturis, humana & diuina, fieri tertia quædam natura. Si igitur duæ fuerunt vnitæ naturæ in Christo, vt fatebatur Eutyches: necessariò efficitur, vtramque in Christo naturam integram mansisse.

Assumtum probatur, ista partitione Nysseni: Quicquid in natura è pluribus fit vnum, fit aut appositione, aut mixtione, aut alteratione. *Appositione*: vt cùm adduntur lapides lapidibus, & fit aceruus, vt parietes parietibus, & fit domus, domus domibus, & fit pagus, pagi pagis, & fit ciuitas. sed hic modus non habet locum nisi in rebus corporeis. Diuina autem natura, atque etiam anima in Christo, non sunt res corporeæ.

Mixtione fiunt vnum. Vt, ex aqua & melle, mulsum: sed neque hoc locum habet (si propriè capiatur nomen mixtionis) nisi in rebus corruptioni obnoxiis. Quæcunque enim miscentur, aliquo modo, & ex parte corrumpuntur. Et præterea, quæ miscentur, proportionem inter se aliquam habent, & vnum non excedit alterum in immensum. Ideo gutta vini cum Oceano misceri dici non potest. Quæ autem proportio naturæ humanæ ad diuinam personam Verbi? vt taceam quod res corporea non est. Ideo in concilio Chalcedonensi omnis σύγχυσις damnata fuit.

Alteratione, & perfecta prioris formæ corruptione: vt fit cum elementa transmutantur inter se, & ex illis transmutatis generatur corpus animalis, aut aliud mixtum. Sed nihil magis alienum à natura diuina. Ac neque animæ substantia huic alterationi ac corruptioni obnoxia est. Ideo in Synodo Chalcedonensi omnis etiam τροπή, damnata est.

Addo iis: *E pluribus vnum* fit, cùm ex materia & forma fit compositum: vt ex anima & corpore homo. Sed diuina natura non est adiuncta humanæ, tanquam forma (vt supra declaratum est) suæ materiæ.

9. Cum *ex subiecto & accidenti* fit vnum. Sed humana natura non est accidens: neque etiam diuina subiectum esse accidentis potest. cum sit simplicissima. Nullo igitur modo duæ naturæ in vnam tertiam coire potuerunt.

10. Neque consistere potest, quod dixit Eutyches, ante vnionem fuisse duas naturas, quin in Nestorij hæresin incidat. Primùm enim diuina in filio natura per se subsistebat. Deinde humana etiam natura, si erat ante vnionem subsistebat per se in aliquo indiuiduo. Erant igitur duo ὑφιστάμενα & duæ personæ: nam ante vnionem non subsistebat in verbo.

11. Sed locus Apostoli ad Philipp. concludit euidenter: Qui subsistebat in forma Dei, suscepit formam serui. Prior non est corrupta, quia incorruptibilis, & hęresis fuit Apollinaris. Altera etiam non est corrupta, vel in totum, vel ex parte. Non in totum, partim quia substantia animæ rationalis incorruptibilis est: partim quia frustra eã suscepisset, si noluit eam retinere, & in ea pati ac expiare peccata: partim, quia si ea in totum fuit absorpta & corrupta, cũ passus sit & mortuus Christus, sequeretur, diuinam naturam fuisse passam & mortuam. Non ergo in totum corrupta. Sed neque ex parte corrupta est. Apostolus enim non ait quod acceperit partem formæ serui, sed formam, i. totam naturam humanam. 2. quia frustra accepisset totam, si totam noluisset retinere, & tam in anima quàm in corpore pati & expiare peccata. 3. quia si corrupta ex parte, quidnã fuerit, cedò corruptum? animáne an corpus? Si anima: pręterquam quod (vt diximus) substantia eius corrumpi non potest, sequeretur, Christum fuisse sine anima rationali, quæ fuit hęresis Apollinaris: & ita homo esse non potuit. Si corpus dicas: speciem igitur tãtum corporis & phantasma habuit, non aũt verum corpus: & ita reuocatur hæresis

Marcionis & Manichæi. Vtranque igitur retinuit naturam, vt esset & verus Deus simul & verus homo. Confirmatur, quia Apostolus dicit, in similitudine hominis factus est, & figura compertus, vt homo.

Restat, vt ad nonnulla argumenta respondeamus, quibus *Eutychis* sententia confirmari posse videtur.

1. Primùm, quo ipse nitebatur: h.e. Filius Dei, qui assumsit naturam nostram, persona est. Natura etiam, quam assumsit, persona esse videtur, & vera hypostasis: liquet.

Natura enim humana trifariam considerari potest, aut in abstracto, quatenus prædicatur de multis differentibus numero: aut in ipsis omnibus indiuiduis reapse existens: aut in concreto, καὶ ἐν ἀτόμῳ, i. in certo indiuiduo. Non suscepit autem naturam, vel primo vel altero modo acceptam, sed ἐν ἀτόμῳ. Natura autem ἐν ἀτόμῳ, ὑπόστασις est: qualis est iste & ille homo: Oportet igitur vt aut cum Nestorio dicamus in Christo esse duas ὑποστάσεις, atque personas, aut vnam tantum in eo mansisse naturam post vnionem, sicut etiam vna est persona.

Hæc fuit proprium Eutychis argumentum: quo fuit deceptus: quia nesciuit distinguere inter personam & naturam, naturam, inquam, ἐν τῷ ἀτόμῳ acceptam. Neque.n. fuit tam crassus asinus, qui dicere voluerit, naturam in abstracto, i. speciem hominis & personam, i. hominem, vnum & idem esse: sed de natura ἐν ἀτόμῳ accepta, intelligendum est dictum Damasceni, cùm ait, hoc imposuisse hæreticis, Nestorio scilicet & Eutycheti: τὸ αὐτὸ λέγειν τὴν φύσιν, καὶ τὴν ὑπόστασιν. Et certè, si rem perpendas in Natura, difficile fuerit prima fronte aliter iudicare.

Nos igitur respondemus ad argumentum: ac primò damus, Filium Dei qui vera est persona, naturam humanam sumpsisse, non in specie, non in singulis indiuiduis, sed ἐν ἀτόμῳ vno. Sed secundo distinguimus τὸ ἄτομον, seu οὐσίαν ἄτομον: in eam quæ per se & non in alio subsistit, & in eam quæ subsistit in alio. Quæ per se subsistit, ὑπόστασις est: quæ in alio, hypostasis dici non potest. Exemplum in Natura. Manus & brachiū in homine, est οὐσία & substantia ἄτομος: ὑπόστασις tamen non est, quid ita? quia non per se, sed in corpore subsistit hominis. At corpus ipsū, potius homo, hypostasis & persona est, quia per se, non aūt in alio subsistit.

Dicimus igitur, ideo naturam assumtam à λόγῳ nō esse ὑπόστασιν, quia nunquam subsistit aut subsistere potest per se, sed tantùm in persona τοῦ λόγου. Quare non sequitur, aut cum Nestorio, duas ὑποστάσεις in Christo esse constituendas: aut cum Eutychete, vnam dūtaxat naturam esse ponendā.

2. Secundum argumentum, ducebat à simili, quo Athanasius & alij vsi sunt: nempe: Sicut anima rationalis & caro, vnus est homo, ita Deus & homo, vnus est Christus. Atqui in homine licet duæ sint substantiæ, anima & caro, vna tamen duntaxat est natura, per quam est homo, natura scil. humana, ex vnitione animæ & corporis resultans. Ergo & in Christo vna tantum est natura, per quam est Christus, licet & λόγος maneat, & animam simul ac corpus habeat.

Resp. Simile allatum & à patribus vsurpatum quadrat ex parte, sed non in totum, ac per omnia, vt Iustinus optimè declarat in expositione fidei. Quadrat ac conueuit in hoc, quod sicut in vno & eodem homine duæ sunt diuersissimæ substantiæ atque naturæ, anima & corpus: sic etiam in Christo diuina & humana natura: & hactenus hoc simile pugnat cum doctrina Arij, atque etiam ipsius Eutychetis, tantùm abest, vt illi faueat. Non conuenit autem, cùm in multis aliis, tum maximè in hoc, ad quod ab Eutychete vsurpatur. In homine propriè loquendo, non insunt duæ naturæ, sed vna tantùm ex duabus conflata, atque cōstans, vt ait Iustinus: ac proinde homo non est, aut corpus, aut anima, è quibus cōstat, sed aliud ab illis diuersum: sicut etiam corpus constans ex quatuor elementis, res est longè diuersa ab elementis, è quibus compositum est: quia alia est ratio totius & alia partium. At verò in Christo res aliter se habet. Etsi enim constet ex natura diuina & humana: non est tamen quiddam tertium ab illis differens: sed manet & Deus & homo: eoque & diuinam & humanam habet naturas verè distinctas, sed integras atque perfectas: Certè nemo dixerit, corpus humanum esse vel ignē, vel aquam, vel terram, vel aerem, quamuis ex illis constet: quid ita? quia mutata est illorum elementorum forma, cùm venerunt in compositionem corporis humani. Cum igitur in scripturis Christus prædicetur & verus Deus, & verus homo: constat neque diuinam, neque humanam in eo naturas esse mutatas, & ex duabus vnam tertiam conflatam fuisse: quemadmodum ex vnitione animæ & corporis, hominis natura procreata est.

Ac ratio huius diuersitatis est: quia anima vnitur corpori, tanquam forma suæ materiæ: inde fit, vt totum compositum ex materia & forma, aliud sit à suis partibus. At verò non ita se habet vnio diuinæ naturę τοῦ λόγου ad humanam naturam: Non enim vt forma materiæ coniuncta est altera alteri in vna persona: sed longè diuersa ratione, vt post explicabimus.

Simile igitur hominis, partim recipiendum est ait Augustinus, partim fugiendum.

Quare hoc etiam alterum argumentum Eutychetis nihil concludit, nisi duas in Christo esse distinctas naturas.

3. Si duæ naturæ manserunt in Christo post vnionem, non igitur erit totus Deus aut totus homo: sed Deus ex parte, & ex parte homo. Hoc autem videtur absurdum & multa dicta scripturarum euertit.

Resp. Damasc. l.3.c.7. ὅλος μὲν ἐστὶ θεὸς τέλειος, οὐχ ὅλον δὲ θεός, οὐ μόνον γὰρ θεὸς, ἀλλὰ καὶ ἄνθρωπος. Rursus: ὅλος μὲν ἄνθρωπος τέλειος: οὐχ ὅλον δὲ ἄνθρωπος, ἀλλὰ καὶ θεός. Et sic conciliantur scripturæ: quòd totus passus sit, sed non totum, & totus vbiq; sit, impleátque cœlum & terram totus, sed non totum: quę distinctio Augustini quoque est in Epistola ad Dardanū. Et ratio huius responsionis est: quia Christus nō est quiddā tertium, tertiáque natura ex diuina & humana, inter se permixtis, conflata, quale est humanum corpus ex quatuor elementis, neque sicut homo ex duabus imperfectis naturis constans: vt modò dictum est, sed ex duabus imperfectis & integris distinctisque naturis constans. Hinc fit, vt sit & totus ac perfectus Deus, sed non totum: & totus ac perfectus homo, sed non totum: vt supra declaratum est.

4. Si duæ manent in Christo naturæ post vnionem: persona igitur verbi ex simplicissima facta est composita: id quod absurdum videtur, in Deum enim non cadit compositio.

Resp. Damas. li.3.c.3. & 7. affirmat personam seu *hypostasin* τοῦ λόγου: cùm priùs ab æterno esset ἁπλῆ, postea sumtione carnis in tempore, factam esse σύνθετον: sed hoc ideo nō esse absurdum, quia compositio hæc sine vlla personæ τοῦ λόγου mutatione facta est: mansit enim quod erat, & assumsit quod non erat. Ita alij quoq; patres loquuntur, personam Christi vocantes σύνθετον ὑπόστασιν.

Quin & Th. Aquin. 3.p.q.2.art.4. admittit hanc Damasceni locutionem.

Cæterùm explicat, quo sensu dici possit composita: nempe non ratione partium, sed ratione non numeri. Non partium, quasi natura diuina sit vna pars componēs. Quod enim est pars alicuius compositi, rationem habet imperfecti, & imperfecta res est respectu totius. Natura autem diuina res est perfectissima. Negat igitur personam Verbi ex duabus naturis tanquam partibus esse compositam: sed cōcedit esse compositam ex illis tanquam ex numeris: seu ratione numeri: quatenus scil. illud in quod duo vel plura conueniunt, dici potest quodam modo ex illis esse compositum; puta, si anima vna, quæ subsistebat in vno corpore, postea aliud etiam corpus animaret & in eo subsisteret: diceretur duobus constare corporibus, & ita quodam modo ex illis composita.

Quia igitur personę τοῦ λόγου, quę ante in sola forma Dei subsistebat, postmodum accessit forma etiam serui, & in hæc quoque illa subsistit: idcirco quodam modo è duabus formis composita dici potest: hanc vocat compositionem ratione numeri. Scotus etiam in 3. Sent. dist. 6. q. 2. ait impropriè vocari compositionem: Ratio: quia persona hæc ex duabus illis naturis non est composita, tanquam ex actu vel potentia: neq; tanquam ex materia & forma, neq; tanquam ex partibus potentialibus: qualia sunt elementata ex elementis: dicendum igitur esse, duas naturas ita inesse in vna persona, vt quasi eam componentes, cum tamen reuera non componant.

Et Scholiastes Damasceni in c.3.l.3. annotat, cautè accipiendum & interpretandum hunc locum Damasceni, vbi dicit, Christum compositum esse ex duabus naturis. Notandum etiam, compositionem nihil aliud significare quàm vnionem duarum naturarum.

Idcirco alij dicunt, personam τοῦ λόγου esse simplicissimam: sed personam Christi esse compositam, non quòd sint diuersæ personæ, sed quod eadem persona considerari possit bifariam, primò in sese, & subsistens in sola natura diuina: ita simplicissima est. Secundò, quatenus iam est Christus, subsistens in ipsa etiam natura humana: ita compositum quiddam est, licet impropriè, ex duabus naturis.

Ego de vocabulis non libenter digladior, & sequor libenter locutiones receptas in Ecclesia, modò dextrè intelligantur.

Hoc igitur retineamus, licet vocetur composita persona: ab hac tamen compositione, excludi omnes physicas compositiones: sed ideo vocari cōpositam, quia in duabus subsi-

subsistit naturis, seu formis.

5. Si duæ manent in Christo naturæ, illæque inseparabiles: Vnam igitur adorare non possumus, nempe diuinam, quin alteram etiam, humanam nimirum, & carnem adoremus: id quod absurdum & impium esse videtur: Deo adorationem & cultum creaturarum manifestè damnante. Dominum Deum tuum adorabis & illum solum coles: humana autem in Christo natura non est Deus.

Resp. Scriptura apertè tradit, Christum Deum & hominem simul, eóque totum, sine carnis exceptione, adorandum esse & inuocandum.

Ac de adoratione religiosa, quæ Deo soli debetur, loquimur, non autem de ciuili qua reges etiam & principes adorantur.

Exempla sunt permulta apud Euangelistas, eorum, qui hunc hominem Iesum, vbi nouerunt, eum esse naturalem Dei Filium, hac adoratione adorarunt, neque tamen Christus hanc improbauit adorationem.

Heb. 1. de Filio Dei, in carne manifestato, loquens, citat dictum ex psalmo, quo docet, eum esse adorandum. Rursus, cùm inducit primogenitum in orbem terrarum, *& adorent eum*, inquit, *omnes angeli eius*.

Nomen Primogeniti nomen est Christi, quatenus homo est ex homine natus: sicut nomen Vnigeniti nomen est eiusdem, quatenus Deus est de Deo genitus. Vult igitur Pater hunc hominem adorari, id est, Deitatem cum humanitate.

Philipp. 2. *Propter quod dedit illi nomen supra omne nomen, vt in nomine Iesu flectatur omne genu.* IESVS autem nomen est huius hominis, qui natus est ex Maria virgine. Apocal. 5. *Sedenti in throno, & agno benedictio & potestas & gloria in secula seculorum.* Non solum sedenti in throno, id est, Deo: sed etiam agno, id est, huic homini, qui occisus fuit pro peccatis nostris, datur gloria eadem, eadémque benedictio. Ita absurdum non est neque impium, sed Deo gratum, adorare ac colere Christum, non solum Deum, sed etiam hominem, eóque eius carnem. Ratio est: quia non est simplex caro, vt fingebat Nestorius, sed caro Dei. Proinde non pugnat cum illo Deut. & Mat. Dominum Deum tuum adorabis.

Atque hoc satis esse potest, ad refellendum argumentum Eutychetis: quia nostra adoratio non est, qualis fuit Nestorij, idololatrica. Nestorius dicebat, se adorare vestem propter vestitum, i. carnem Christi, propter Deum sub ea latentem: sicut etiam purpura regis, qua vestitus est, adoratur, vna adoratione cum ipso rege, & propter ipsum regem, quo simili vsus est & Cyrillus & alij patres: sed alio sensu quàm Nestorius. Nestorius enim carnem hanc non reuera carnem Dei esse docebat, sed puri hominis, in quo non καθ' ὑπόστασιν habitaret Deus, sed κατὰ σχέσιν, & tanquam ὑποστάσει ἀλλοτρίᾳ. proinde meritò talis adoratio carnis Christi idololatrica erat, & vt talis, damnata fuit à Cyrillo, & tota Synodo Ephesina.

Sed patres intellexerunt, Deum habitare in carne σωματικῶς, & καθ' ὑπόστασιν: & vestitum esse carne, non tanquam veste ad essentiam personæ Dei non pertinente, sed tanquam re in vnitatem personæ assumta, eóque tanquam vera carne Dei: hanc autem talem, i. veram Dei carnem, adorare, idololatria non est, quia pars illius est, qui est Deus. Cum igitur longè diuersa sit vnio Dei ad carnem, quam tradit Ecclesia, ab ea, quam fingebat Nestorius, inde fit, vt ille eam adorans carnem, idololatriam admitteret: Nos autem eam adorando, Deum adoramus, quia non adoramus, nisi id, quod Dei est, ipsámque Filij Dei personam totam, non autem partem tantum.

Atque hæc responsio satis est, vt dixi, ad argumentum Eutychetis refellendum: discrimine demonstrato, inter adorationem carnis Christi Nestorianam, & adorationem verè Christianam.

Cæterùm maioris & clarioris explicationis caussa: alia distinctio notanda est.

Caro Christi, quæ tamen nullibi est, nec subsistit, nisi in persona Verbi, considerari potest bifariam: aut φυσικῶς, & in sua natura, per se: aut ὑποστατικῶς, in vnione cum persona Verbi: seu quatenus in hac carne & forma serui eadem persona Verbi subsistit, non minus, quàm in forma Dei. Primo modo adorabilis non est, sicut neque est viuifica: & ratio est, quia licet sit vnita cum forma Dei in eadem persona, naturam tamē suam ac proprietates nō mutauit: neq; reapse in sese facta est particeps naturæ diuinæ, & essentialium eius proprietatum, vt post demonstrabimus: sed manet pura creatura: puram autem creaturam adorare, idololatria est: quare si in sese & in sua tantum natura consideretur: adorari non potest. Et huc spectant dicta patrum, Cyrill. ad Theodosium: *Num adoramus Immanuelem tanquam hominem? absit: deliramentum enim hoc esset, & deceptio & error.* Item: *Diuinitas in Christo, est natura adorabilis, humanitas natura adorans.* Damasc. l. 3. c. 8. de carne Christi adoranda, non nuda, sed in persona, & quatenus ex carne & ex Deitate vnus constat Christus: ait, Nos οὐ λατρεύομεν τῇ κτίσει· τῷ ὡς ψιλῇ σαρκὶ προσκυνοῦμεν.

Athanas. dialog. 5. contra Arianos, *Deus* (inquit) *nempe Christus, adorandus est* τῷ τῆς θεότητος λόγῳ, id est, *respectu Deitatis, ac propter Deitatem.*

Augustinus Tom. 10. de verbis Domini, Ser. 58. *In Christo humanitatem non solam aut nudam, sed diuinitati suæ vnitam, qui adorare contemserit, pœnas dabit.* Ergo si in sese sola & nuda consideretur, adorari non potest.

Cæterum si eam contemplemur, vt Deitati in vna persona vnitam: omnino vna & eadem adoratione, cum Deitate adoranda est: quia propter vnionem hypostaticam, sicut Deus factus est caro: sic caro, i. homo factus est Deus, & ex vtraque natura, diuina & humana, vna eadémque constat persona, quæ est Deus semper & supra omnia adorandus. Quam etiam ob caussam, id est, propter hanc vnionem, & huius vnionis respectu caro Christi dicitur & est verè viuifica, verè omnipotens, verè omniscia, non in sese & in sua natura, sed in persona, cuius pars est & in cuius vnitatem assumta est.

Libet hic subiicere, quę scribit hac de re Damascenus l. 3. c. 8. Primùm concludit, naturas in Christo, quatenus inter se distinguuntur, numerari & duas esse: quatenus vniuntur τῇ ὑποστάσει, non numerari, quia non sunt duæ ὑποστάσεις, sed vna in Christo. οὐ μὴν τῷ ἀριθμῷ διαιρεῖται, ἢ εἰς διαιρέσιν ἄγεται ἡ καθ' ὑπόστασιν ἕνωσις· ἐπειδὴ καὶ ἡ φύσις Χριστοῦ ὑπάρχει ἀδιαιρέτως καὶ διπλῶς ἀδιαιρέτως. δύο γάρ εἰσιν αἱ φύσεις τοῦ Χριστοῦ, λόγῳ τε καὶ τρόπῳ τῆς διαφορᾶς: quia scilicet vnaquæque natura τὴν οἰκείαν φυσικὴν διαφορὰν σώζει, licet sint vnitæ καθ' ὑπόστασιν, & ἀδιαίρετον habeant inter se. Postea subdit, οὐ τοίνυν δύο οἱ Χριστοί. Vide locum. August. Tom. 10. de verbis Domini, Serm. 58. posteaquam docuisset solum Deum adorandum esse, qui natura Deus est: ne dicatur nobis ab Apostolo: Ignorantes Deum, iis, qui non sunt dij, seruiebatis: subdit exceptionem, dicens: Sed illi ad hæc replicabunt, & dicent: Quid, quòd carnem eius, quam creaturam esse non negas, simul cum diuinitate adoras, atque ei non minus, quam diuinitati deseruis? Ego dominicam carnem, imò perfectam in Christo humanitatem propterea adoro, quòd à diuinitate suscepta, atque Deitati vnita est: Vt non alium atque alium, sed vnum eundémque Deum & hominem, Dei Filium confitear. Denique si hominem separaueris à Deo, vt Photinus & Paulus Samosatenus, illi ego nunquam credo, aut seruio: Veluti si quis nostrûm aut purpuram, aut diadema regale iacens inueniat: nunquid ea conabitur adorare? Cùm verò ea rex fuerit indutus: periculum mortis incurrit, si ea simul cum rege quis adorare contemserit: ita etiam in Christo domino, humanitatem non solam aut nudam, sed diuinitati suæ vnitam, vnum Dei Filium Deum verum & hominem verum, qui adorare contemserit, æternæ mortis pœnam patietur.

Ad argumentum igitur aduersariorum, Solus Deus est adorandus: Humana Christi natura non est Deus: Ergo non est adoranda.

Resp. Ad minorem: Humana Christi natura non est Deus, nempe sua natura: verum est: sed est καθ' ὑπόστασιν. Seu non est Deus οὐσιωδῶς, sed est ὑποστατικῶς.

Nullum igitur absurdum sequitur ex eo, quòd negamus in Christo vnam tantum esse naturam, & duas mansisse etiam post vnionem dicimus. Quare stat thesis nostra: Duas naturas in Christo esse vnitas, non eo modo quo finxit Eutyches, κατὰ σύγχυσιν, aut κρᾶσιν, quasi è duabus vna effecta sit: sed longè alio modo, ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, &c.

THESIS III.

Dici non potest, Filium DEI, ita formam serui sibi sumsisse, & vniuisse: vt post vnitionem, quanquam non negetur duas distinctas retinuisse naturas, duæ tamen duarum naturarum voluntates in vnam coierint voluntatem, & ex duplici duarum naturarum operandi facultate, vna tantum facta sit agendi facultas, vnaque ἐνέργεια.

THESIS hæc aduersus Macarium est, Antiochenum Patriarcham: qui damnatus est, & patriarchatu exauctoratus in sexta Synodo, id est, in Cōcilio Constantinopolitano tertio. Etsi. n. Georgius quoque Patriarcha Constan-

tinopolitanus hac heresi infectus fuerat, & cum eo multi alij Episcopi: quia tamen iste cum multis aliis resipuit; Macarius verò permansit pertinax: ideo hæc hæresis soli Macario, tanquam pertinaci eius defensori attribui solet, & à dogmate ipso, qui hoc pertinaciter defenderunt, Monotheletæ appellati fuerunt.

Celeberrima fuit Synodus 289. Episcoporum, sub Agathone Episcopo Romano inchoata, sub Leone secundo finita, anno Constantini Quinti Imperatoris XI. Fuerat hac hæresi infectus etiam Honorius Episcopus Romanus, & ideo eius iam defuncti scripta hac de re damnata fuerunt in eadem Synodo.

Hæresis hæc ex hæresi Eutychiana orta est. Sed quia apertam Eutychetis hæresim de duabus naturis in vnam conflatis iam damnatam, in Concilio Chalcedonensi, asserere non audebant, hoc saltem se tueri posse putabāt: nempe (sicut diximus in thesi) licet fateamur, cum cōcilio Chalcedonensi duas naturas post vnionem in Christo mansisse integras: duas tamen illarum naturarum voluntates & operandi facultates, in vnam coiisse, absorpta scilicet humana voluntate in diuinam: ita vt vna tantùm eadémque voluntate ac operandi facultate, idem Christus & qua Deus est & qua homo, velit ac operetur. Ab hac diuersa non est illorum doctrina, qui docent realem idiomatum communicationem: qua statuunt Christum, qua etiam homo est, eadem omnipotentia esse omnipotentem, & operari, qua etiam idem, vt Deus, omnipotens est & operatur. Sed sicut tenera illi Monotheletæ, confundentes voluntates & operandi facultates in vnam, naturas etiā cum Eutychete confundebant, quemadmodum conuicti fuerunt in Synodo 6. ita etiam nostri Vbiquitarij idem faciunt. Refutata igitur sententia Monotheletarum, refutatur & hæresis Vbiquitariorum: quanquam seorsum postea de istis disseremus.

Qui verò integram de hac hæresi Monoth. disputationem videre cupit: legat Synodum 6. vbi tam è sacris literis, quàm ex conciliis & patribus, luculentissimè expugnatur hæc hæresis. In primis verò legenda est Epistola Agathonis Papæ ad Imperatorem Constantinum Quintum: epistola est eruditissima, & habetur in ea Synodo. Ego breuitatis caussa, colligam tantum ex Damasceno Argumenta, quibus refutata fuit hæc blasphema doctrina. Is n. diligētissimè omnia legerat & collegerat quæ ad rē faciebant.

Damascenus igitur lib. 3. cap. 14. multis firmissimisque rationibus hanc refutauit hæresim.

Fundamentum autem totius disputationis sumit ex iis, quæ ante aduersus Eutychetem concluserat, de duabus in Christo etiam post vnionem integris & inconfusis naturis: inferens atque euincens: Si duæ sunt in vna Christi persona integræ distinctæque naturæ, (vt verbis confitebantur Monotheletæ) duas igitur etiam esse in eo distinctas volendi & operandi facultates: ratio: quia vnaquæque οὐσία ac natura, seu φύσις suam habet naturalem seu φυσικὴν δύναμιν & φυσικὴν ἐνέργειαν. Hoc manifestum est in omnibus rebus creatis, cōfirmaturq; idem ex ipso Deo: vbi licet sint tres personæ, quia tamen vna tantùm est omnium personarum οὐσία & natura, ideo vna etiam & eadem est omniū δύναμις καὶ ἐνέργεια, vna sapientia, vna voluntas, vna operatio. Contrà igitur, si in Christo duæ sunt distinctæ & integræ naturæ, diuina & humana: duæ quoque in eo sint distinctæ voluntates & actiones, id est volendi & operandi facultates, necesse est.

Hoc est fundamentum totius disputationis: ideo sic incipit: ἐπειδὴ μὲν οὖν δύο φύσεις τοῦ Χριστοῦ, δύο αὐτοῦ καὶ τὰ φυσικὰ θελήματα καὶ τὰς φυσικὰς ἐνεργείας φαμέν. Opponebatur hæc propositio propositioni Monotheletarum, qui dicebant: Quia in Christo vna tantùm est persona: ideo etiam vna tantùm voluntas & operatio. Contrà dicebant patres: Imò, quia in Christo duæ sunt naturæ: ideo duæ quoque voluntates & actiones: & falsa est vestra propositio. Vtrumque in Deo apparet. Licet ibi sint tres personæ, non tamen tres sunt diuersæ voluntates aut ἐνέργειαι: sed quia vna tantum natura, ideo vna tantùm voluntas & operandi facultas. Ergo, quia in Christo duę naturæ, sequitur in eo etiam duas esse voluntates, & agendi facultates. Interim tamen non sunt duo volentes aut duo operantes, sed vnus. Et hoc contra Nestorium. Ideo subdit Damascenus, ἐπειδὴ δὲ μία τῶν δύο φύσεων αὐτοῦ ἡ ὑπόστασις: ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν φαμὲν θέλοντα καὶ ἐνεργοῦντα φυσικῶς, κατ' ἄμφω τὰς φύσεις. ἐξ ὧν καὶ ἐν αἷς καὶ ἅπερ ἐστὶ Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν. Sed (inquiebant Monotheletæ) cùm sit vna persona, quæ vult & operatur: quomodo diuersę in eo sunt volendi & agendi facultates? Diuersumne est vnum velle ab altero? diuersáne vult simul & semel Christus? Si non: & semper vult consentanea idem Christus: quorsum igitur tot voluntates? Respondet Damascenus: non sequitur. Nam sicut duæ sunt naturæ, sed vnionem habent inter se: sic etiam distinctas quidem dicimus esse voluntates, & agendi facultates, sicut & naturæ sunt distinctæ: sed summam tamen inter eas esse consensionem, imò vnionem: sicut etiam naturæ distinctæ, summa tamē vnione coniunctæ sunt. Ideo subdit: θέλει δὲ καὶ ἐνεργεῖ (φαμὲν τὸν Χριστὸν) οὐ διῃρημένως (vt volebat Nestorius) ἀλλ' ἡνωμένως. Et explicat dicens, θέλει γὰρ καὶ ἐνεργεῖ ἑκατέρα μορφὴ μετὰ τῆς θατέρου κοινωνίας. Obseruetur hic locus. Distinctas statuit actiones voluntatis humanæ & diuinæ: interim tamen vna non agit sine communione alterius. Sunt enim vnitæ actiones sicut & naturæ, non autem confusæ. Nomine igitur κοινωνίας non intelligitur realis communicatio (vt quidam peruersè interpretantur dictum Leonis) quasi actio diuinæ naturæ realiter communicetur humanæ naturæ, ita vt eadem actione velit humana voluntas, qua & diuina vult: & eadem potentia potens sit humana natura, qua & diuina. Si sic intelligeretur ista κοινωνία quid aliud diceret Damasc. quàm quod & Monotheletæ: ac si esset vnum & idem velle, vna & eadem actio, qua Christus vult, vt homo, & qua vult, vt Deus. Non ergo duæ essent voluntates: sed vna: si vna voluntas, vna etiam natura.

Tres igitur hic statuit propositiones vel consequentias Damascenus, quibus tota doctrina Ecclesiæ de hoc dogmate continetur.

Prima: In Christo duæ sunt naturæ distinctæ: duæ igitur volendi & operandi facultates.

Secunda: Vna tantùm est persona Christus: Vnus igitur tantum volens & operans in vtraque natura.

Tertia: Naturæ & proprietates vnitæ sunt inter se, & κοινωνίαν habent, distinctæ tamen permanentes: actiones igitur etiam vtriusque naturæ communionem inter se habent, qualem & naturæ ac proprietates essentiales.

Nunc subiicit duo axiomata, quibus proposita doctrina de duabus voluntatibus in Christo, duabusque actionibus confirmatur.

Primum: ὧν γὰρ ἡ οὐσία ἡ αὐτή, τούτων καὶ ἡ θέλησις καὶ ἡ ἐνέργεια ἡ αὐτή: ὧν δὲ διάφορος ἡ οὐσία, τούτων διάφορος καὶ ἡ θέλησις καὶ ἡ ἐνέργεια. Primum membrum huius axiomatis liquet in Trinitate: alterum in persona Christi.

Alterum axioma oppositum priori: καὶ τὸ ἀνάπαλιν: ὧν ἡ θέλησις, καὶ ἡ ἐνέργεια ἡ αὐτή, τούτων καὶ ἡ οὐσία ἡ αὐτή. ὧν δὲ διάφορος ἡ θέλησις καὶ ἡ ἐνέργεια, τούτων καὶ ἡ οὐσία διάφορος. Primum membrum explicat Damascenus in Trinitate. Quia enim videmus in sacris literis, eandem esse voluntatem & eandem actionem Patris, Filij & Sp. sancti: Ideo concludimus etiam vnam & eandem esse omnium οὐσίαν. Ideo subdit, διὸ δὴ ἐπὶ μὲν πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος ἐκ τῆς ταυτότητος τῆς ἐνεργείας καὶ τοῦ θελήματος, τὴν ταυτότητα τῆς φύσεως ἐπιγινώσκομεν.

Alterum membrum secundi axiomatis in persona Christi explicat, & ita principalem propositionem confirmat, dicens, ἐπὶ δὲ τῆς θείας οἰκονομίας, ἐκ τῆς διαφορᾶς τῶν ἐνεργειῶν καὶ τῶν θελημάτων, καὶ τὴν τῶν φύσεων διαφορὰν ἐπιγινώσκομεν. Et vice versa. Ideo subdit: καὶ τὴν τῶν φύσεων διαφορὰν εἰδότες συνομολογοῦμεν καὶ τὴν τῶν θελημάτων καὶ ἐνεργειῶν διαφοράν.

1. Hic igitur argumentum primum, illudque firmissimum, duobus modis proponit, quo duas distinctas in Christo esse voluntates, & operandi facultates, diuinam vnam, humanam alteram, manifestè probat.

Primus modus est à caussa ad effecta: In quo diuersæ sunt naturæ, in eo etiam diuersæ sunt voluntates & actiones: ὧν διάφορος ἡ οὐσία, τούτων διάφορος καὶ ἡ θέλησις καὶ ἡ ἐνέργεια. Confirmatur à contrario. In quibus enim vna & eadem est οὐσία, in iisdem etiam vna eadémque est voluntas ac operatio, sicut liquet in tribus diuinis personis.

Atqui in vna Christi persona duæ diuersæ sunt naturę, humana & diuina. Hoc definitum est in concilio Chalcedonensi, & Monotheletæ fatebantur. Ergo in Christo diuersæ sunt voluntates.

Valere autem hanc argumentationem liquet: quia valet etiam ab effectis ad caussam. Concilium enim Chalcedonense à diuersis voluntatibus duas conclusit naturas. Si igitur in Christo non agnoscitis diuersas voluntates & actiones, neque etiam verè nostis diuersas in eo naturas, sed vnam duntaxat. Diuersitas enim naturarum ex diuersitate voluntatum & actionum cognoscitur. Et ita Ecclesia contra Eutychem ex diuersitate actionum & voluntatum Christi euicit duas diuersas eius naturas. Atqui confitemini vos etiam duas in Christo naturas. Agnoscatis igitur etiam duas voluntates, necesse est.

Sequitur occupatio, qua respondet Monotheletis putantibus solui personam Christi, si dicamus duas in eo esse voluntates. Et cur sic putabant? Quia ex duabus voluntatibus opinabantur sequi, duas igitur voluntates duósque

esse operantes. Non enim discernebāt id, quod est naturæ, ab eo, quod est personæ. διὰ ὡς naturæ est actio: quod quis iam vult aut agit, personæ est. Actiones enim sunt supposi-torum. Occurrit ergo Damascenus, & primum à simili o-stendit, non solui Christum ab illis, qui plures in eo sta-tuunt voluntates. Simile h.e. Vos etiam, Monotheletæ, fatemini nobiscum in Christo plures, id est, duas esse natu-ras: neque tamen propterea dicitis solui Christum. Ergo neque a nobis soluitur, qui distinguimus in eo duas vo-luntates. Tantum enim distinguimus, non diuidimus: si-cut suprà dixit: θέλει γὰρ καὶ ἐνεργεῖ φυσικῶς οὐ διῃρημένως: ἀλλ' ἡνωμένως. Ait ergo: ὥσπερ γὰρ τὸν αὐτὸν καὶ ἕνα Χριστὸν φύσεσιν ἀριθμοῦντες, ἀριθμοῦντες καὶ λέγοντες μὴ διαιροῦντες, ἀλλὰ συζευγμένην καὶ ἐν τῇ ἑνώσει τὴν διαφορὰν, οὕτω καὶ ἀριθμοῦντες τὰς φυσικὰς ... θελήματα ... καὶ ἐνεργείας (κατ' ἄμφω γὰρ τὰς φύσεις θελητικὸς ἦν καὶ ἐνεργητικὸς) ... τὸν ἡμῶν σωτηρίαν ... ἀλλὰ ... ἡμῶν ... σωτηρίαν.

Optimum est argumentum. Si numerando & asserendo duas naturas in Christo, non propterea soluimus Christū: ergo neque numerando duas voluntates & actionum ge-nera, diuisionem Christi inducimus. Quid igitur? Diffe-rentiam duntaxat naturarum & proprietatum actionúmq; in ipsa etiam vnione ostendimus.

Duo hic notanda. Primum illud ἀριθμοῦντες. Ait enim nume-rum naturarum εἰσάγειν consideratum & nominatum non inducere vllam Christi diuisionem. Hoc dicit propter mo-dum impiè à Nestorio excogitatum & prolatum, quo non distinguebat naturas in Christo, sed diuidebat vnam ab altera separando, eóque & duas constituendo personas. At verò Ecclesia piè & sentit & loquitur de numero natura-rum in Christo, quia nō διῃρημένως ἀλλ' ἡνωμένως de illis co-gitat & loquitur: ἡνωμένως inquam, vnione καθ' ὑπόστασιν, quia eas non coniungit tanquam duos asseres separatos: sed si-cut anima & corpus vnita sunt ad vnam personam consti-tuendā: ita etiā Ecclesia cōiungit naturas in Christo. Idē de numero voluntatū & aliarum vtriusq; naturæ proprietatū dicendum esse docet. Nam, qui sic numerat distinguendo duntaxat, non autem diuidendo: is personam Christi non diuidit, sed tantùm voluntatum differentiam ostendit.

Obseruanda est hæc explicatio aduersus calumnias V-biquitariorum, qui ideo dicunt à nobis diuidi Christum, quia negamus proprietates diuinæ naturæ esse realiter cō-municatas humanæ: quasi propterea illas separemus: di-stinguimus, non separamus, & in ipsa etiam vnione illas inter se differre docemus.

Alterum etiam notandum est, quod ait, per parenthe-sim, κατ' ἄμφω γὰρ τὰς φύσεις θελητικὸς ἦν καὶ ἐνεργητικὸς τῆς ἡμῶν σωτηρίας. Hinc enim colligitur aliud argumentum: duas mā-sisse in Christo voluntates & operandi facultates: quid ita? quia debuit secundum vtramq naturam & velle & ope-rari nostram salutem: & quidem voluit & operatus est il-lam: quia totus & totum saluator noster est Christus. Hoc igitur esto secundum argumentum: Christus secundum v-tramque naturam & voluit & operatus est salutem no-stram. Ergo vtraque naturam suam habet & volendi & o-perādi facultatem atque actionem, distinctas, licet vnitas.

Hactenus simili duarum naturarum ostendit, non solui Christum, quia piè docemus duas in Christo esse volunta-tes & operandi facultates atque actiones, duas etiam na-turas: quia non confundimus aut separamus, sed tantùm distinguimus. Nunc secundo loco subdit veram rationem, cur hoc modo non soluatur Christus, & ita optimè expli-cat hanc doctrinam. Ratio (inquit) est quia facultas vo-lendi & operandi, naturæ est, non personæ: φυσικὰ γὰρ καὶ οὐχ ὑποστατικὰ εἶναι τὰ θελήματα καὶ τὰς ἐνεργείας, i. Naturales sunt non autem ὑποστατικαὶ voluntates & ἐνέργειαι. Sed quid in-telligit his nominibus? Primùm, ὑποστατικὰ esse negantur, & aitesse φυσικὰ, quia non à persona, sed à naturis pendent, licet persona velit & operetur. Deinde duplicem ponit si-gnificationem voluntatis & ἐνεργείας. Prima significatio: Nomine voluntatis intelligitur volendi facultas: hæc prot-sus φυσικὴ est. Ait ergo: λέγω δὲ τὴν θελητικὴν καὶ ἐνεργητικὴν δύνα-μιν, καθ' ἣν θέλει καὶ ἐνεργεῖ τὰ θέλοντα καὶ ἐνεργοῦντα quasi di-cat, nomen θελήματος καὶ ἐνεργείας bifariam capitur: modò pro facultate volendi & operandi: modò pro ipsa actione, qua quis actu vult & efficit hoc aut illud. Ac primo qui-dem sensu, θελήματα καὶ ἐνέργειαι sunt naturarum, seu φυσικά, non hypostatica, i. à natura pendent, non autem à persona. Hoc iam probat à Trinitate, à contrario: εἰ γὰρ ὑποστατικὰ δώ-σομεν αὐτά: ἀναγκασθησόμεθα καὶ τὰς τρεῖς ὑποστάσεις τῆς ἁγίας τριάδος ... διαφόρους μέλη. Cur cogemur dicere, esse ἑτε-ροθελεῖς καὶ ἑτεροενεργεῖς? quia sunt etiam ἕτερα πρόσωπα: seu diuersæ ὑποστάσεις: ideo diuersæ etiam essent in illis personis

volendi & operandi facultates, eóque & diuersa vellent, quod est absurdissimum, & impietatis plenum sentire. Tres enim dij constituerentur, sicut tres sunt personæ. Er-go τὰ θελήματα, καὶ ἐνεργείας δυνάμεις non sunt ὑποστατικαὶ sed φυσικαί.

At verò ipse actus volendi personæ est: persona enim est, quæ vult: atque hoc ipsum etiam velle sæpe voluntatis nomine significatur, quæ est altera τοῦ θελήματος καὶ τῆς ἐνερ-γείας significatio. Subdit ergo Damascenus explicans, quę dixit de duplici significatione τοῦ θελήματος καὶ τῆς ἐνεργείας: & quod primo sensu sit naturæ: secundo autem personæ: ἰστέον γὰρ ὡς τὸ ... θέλειν ... τὸ μὲν γὰρ θέλειν φυσικὸς ὥσπερ καὶ τὸ ὁρᾶν (πάσι γὰρ ἀνθρώποις πρόσεστι) τὸ δὲ πῶς θέλειν οὐ φύσεως, ἀλλὰ τῆς ἡμετέρας γνώμης, ὥσπερ καὶ τὸ πῶς ὁρᾶν ... οὐ γὰρ πάντες ἀνθρώποι ... ὁμοίως ὁρῶσι, &c. Discrimen facit inter τὸ θέλειν simpliciter, & τὸ πῶς θέλειν velle vel bene vel malè: ac vnum dicit esse naturæ, alterum personæ. In-telligit autem per θέλειν simpliciter, ipsum posse velle. quod ante vocauerat θελητικὴν δύναμιν: vt ex præcedentibus & subsequentibus liquet. Verbo aūt πῶς θέλειν intelligit ipsam volendi actionem, cùm quis actu vult aliquid. Illud enim velit aut bene aut malè necesse est: Sicut etiam videre ho-minis simpliciter, quid aliud est, quam posse videre, seu fa-cultatem videndi habere? πῶς δὲ ὁρᾶν est, cùm homo actu vi-det. Videt enim omnis homo, aut bene, aut malè. Ac vnum esse naturæ, inde probat: quia omnibus hominibus inest naturaliter hæc videndi facultas: alterum verò esse perso-næ, inde demonstrat, quia non omnes eodem modo vident aut cernunt. Quod verò dixit περὶ τοῦ ἁπλῶς θέλειν, καὶ πῶς θέλειν. inde concludit etiam περὶ τῆς ἐνεργείας ἁπλῶς, καὶ πῶς ἐ-νεργεῖν. Primum. n. significat ἐνεργητικὴν δύναμιν, vt apertè i-pse explicat, alterum aūt ipsum operādi vsum, χρῆσιν, λέγει δὲ τὸ μὲν ἁπλῶς θέλειν, θέλησιν ... θελητικὴν δύναμιν θέλημα φυσι-κόν: τὸ δὲ πῶς θέλειν, ... τὸ ... θελητὸν ... θελητικὸν καὶ θέ-λημα γνωμικόν. Ita egregiè explicauit duplicem τοῦ θελήματος significationem: quia significat & potentiam volendi, quam naturalem esse concludit: & vsum huius potentiæ, quem γνωμικὸν, eóque ὑποστατικὸν & personæ esse dicit.

Mox duo alia explicat vocabula: quid sit τὸ θελητικὸν & quid ὁ θέλων. θελητικὸν (inquit) ... τὸ ... θελητικὸν, θελη-τικὴ οὐσία ... θέλων ... ἡ θέλησις ... ὁ θέλων. Ita in Christo hæc quatuor statuit: 1. duas naturas, & vtraq; est θελητικὴ καὶ ἐνερ-γητική. 2. duas voluntates & duas ἐνεργείας, i. duas volendi & operandi facultates, secundùm quas naturæ dicuntur θελη-τικαὶ καὶ ἐνεργητικαί. 3. Vnam personam, vnum scil. Christum θέλοντα καὶ ἐνεργοῦντα, secūdum naturales vtriusq. naturę fa-cultates. 4. τὸ πῶς θέλειν καὶ ἐνεργεῖν i. vsum vtriusq. faculta-tis, in vtraq. natura existētis. Christus enim vnus & idem est, qui vult & operatur secundum vtramque naturam: seu qui vtitur naturalibus vtriusque naturæ & diuinæ & hu-manæ facultatibus. Hæc verò omnia eò spectant, vt con-firmet, quod supra dixerat, nempe, non ideò à nobis solui personam Christi, quia duas in eo statuimus & distingui-mus volendi & operandi facultates, secundum duas etiam in eo naturas. Ratio est, quia hæ facultates à suis pendent naturis, & sunt φυσικαὶ, non autem ὑποστατικαί: vsus autem harum facultatum ipsius personæ est Christi, qui vult & o-peratur in vtraque natura, secundum vtriusque naturæ fa-cultates, prout ei placet. Sicut ergo non soluitur persona in partes, licet duas in ea agnoscamus naturas: sic neque diui-sionem inducemus eiusdem Christi, licet duas in eo & vo-lendi & operandi facultates distinguamus, & suas cuique naturæ attribuamus. Non enim eas diuidimus, sed tantùm distinguimus: & hoc est ἀριθμεῖν numerare naturas & na-turarum proprietates.

Subdit ergo conclusionem huius explicationis, de vno volente secundum duas duarum naturarum voluntates, & quòd, licet duæ sint voluntates, idem tamen velit Chri-stus secundum vnam, quo secundum alteram: ὁ αὐτὸς τοίνυν ... Χριστὸς, καὶ ... θέλει καὶ ἐνεργεῖ. Hoc est primum membrum conclusionis: Vnum tantùm esse volentem, quia vnus est Christus & vna eius hypostasis contra Nestorium.

Sequitur alterum contra Eutychetem & Monotheletas: ἐπειδὴ δὲ δύο φύσεις ἔχει θελητικὰς ὡς λογικάς (πᾶν γὰρ λογικὸν θε-λητικόν ...) δύο θελήματα, ἤτοι θελήσεις ... φυσικὰ ἐπ' αὐτοῦ ... Ratio subditur, θελητικὸς γὰρ ... θελητικὸς κατ' ἀμφοτέρας αὐτοῦ φύσεις. Subdit confirmationem: τὴν γὰρ φυσικὴν ἐνυπάρχουσαν ... θελητικὴν δύναμιν ... ἔλαβε.

Sequitur tertium membrum conclusionis: In Christo esse αὐτοθέλητον, quia secundum vtramque voluntatem ea-dem velit. καὶ ἐπειδὴ εἷς ἐστιν ὁ Χριστὸς καὶ ὁ αὐτὸς ὁ θέλων καθ' ἑκατέ-ραν φύσιν: τὸ αὐτοθέλητον λέξομεν ἐπ' αὐτοῦ, αὐτοθέλητον quasi dicas,

idem volitum:significat summam vtriusque voluntatis in iis, quæ volebat & vult Christus, consensionem. Ait ergò: in Christo, sicut fuit ipse vnus & idem θέλων, sic etiam fuisse αὐτοθελητὴν: quasi dicat, idem velle. Sed quomodo? volebátne vt Deus, edere, dormire, ambulare, quæ tamen volebat, vt homo & secundum humanam voluntatem? & rursus volebátne secundum humanam voluntatem, quæ volebat & vult secundum diuinam? verbi gratia vult vbique esse, vt Deus: vult ne & idem, vt & homo & humana voluntate? *Resp.* Etsi, vt Deus, noluit edere aut bibere, quia eius naturæ diuinę ista non congruunt: voluit tamen, se hæc velle, secundum humanam naturam: nihil enim voluit Christus, aut vult humana voluntate, quod non probetur diuinæ voluntati. Contra: licet, vt homo, nolit esse vbique præsens substantia sui corporis, quia hoc corpori non congruit, sed eius naturam euertit, ac prorsus ei ἀδύνατον est: vult tamen, se hoc tanquam Deum velle. Nihil enim vult secundum diuinam voluntatem, cui non consentiat secundum humanam. Hoc est illud αὐτοθέλητον, quod ait esse in Christo. Subdit igitur sui dicti explicationem dicens: Dicimus αὐτοθέλητον esse ἐπ' αὐτῷ, ἐχόντως μόνα θέλοντος, ἃ φυσικῶς ὡς Θεὸς οὐ θέλει (οὐ γὰρ θεότητος τὸ θέλειν φαγεῖν ἢ πιεῖν καὶ τὰ τοιαῦτα) ἀλλὰ καὶ τὰ συστατικὰ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, οὐκ ἐν ἐναντιότητι γνώμης, ἀλλ' ἐν ἰδιότητι τῶν φύσεων. τότε γὰρ ταῦτα φυσικῶς ἤθελεν, ὅτε ἡ θεία αὐτοῦ θέλησις ἤθελε καὶ παρεχώρει τῇ σαρκὶ πάσχειν καὶ πράττειν τὰ ἴδια. Hæc omnia eò spectant, vt demonstret, licet duæ sint in Christo diuersæ voluntates: summam tamen inter illas fuisse & esse consensionem: quia & humana voluntate consentit in ea, quæ vult diuina, & diuina in ea quæ vult humana: ac proinde in Christo semper esse αὐτοθέλητον.

His explicatis ad confirmationem principalis propositionis accedit, quæ fuit: Sicut in Christo post vnionem manserunt duæ naturæ: sic etiam duas inesse voluntates. Tria autem facit Damasc. 1. Probat sex rationibus omni homini naturaliter inesse voluntatem. 2. In Christo esse voluntatem humanam à diuina diuersam. Diuinam enim non negabant Monotheletæ. 3. Probat in Christo non esse vnam voluntatem è duabus compositam.

Ad primum quod attinet: quia extra controuersiam est, ego illis rationibus, quas affert Damasc. explicandis supersedebo, breuitatis caussa: quisque poterit eas legere apud autorem.

Venio igitur ad alia duo capita. In Christo, præter diuinam voluntatē etiam inesse humanam à diuina diuersam, probat Damasc. octo rationibus, illisque firmissimis.

I. Prima ratio sumitur partim ex præcedenti conclusione (Demonstrauit enim omnem hominem naturaliter θελητικὸν, i. voluntate præditum esse) partim ex confessione Monothelctarum. Fatebantur enim Christum esse & Deum & hominem: εἰ φύσει θελητικὸς ὁ ἄνθρωπος (vt probatum est:) καὶ ὁ κύριος οὐ μόνον καθ' ὃ Θεός, ἀλλὰ καὶ καθ' ὃ ἄνθρωπος γέγονε, φύσει θελητικός ἐστιν. Consecutionem probat, dicens: ὥσπερ γὰρ τὴν ἡμετέραν φύσιν ἀνέλαβεν, οὕτω καὶ τὸ ἡμέτερον θέλημα φυσικὸν ἀνείληφεν.

II. Voluntas cuiusque aut naturalis est & naturam sequitur, aut præter naturam (ἢ κατὰ φύσιν ἢ παρὰ φύσιν) aut personalis est, seu ὑποστατική. Non hypostatica est, vt supra est explicatum: quia sequeretur, cùm in Deo sint tres personæ, ibi quoque tres esse voluntates, & illas personas esse ἑτεροθελεῖς, quod est blasphemum dicere & sentire. Neque etiam inest alicui παρὰ φύσιν. Voluntas enim corrumperet, quæ naturalia sunt. φθαρτικὰ γὰρ τῶν κατὰ φύσιν τὰ παρὰ φύσιν. Inest igitur voluntas κατὰ φύσιν, & naturalis est: si naturalis est, naturam sequitur. Cùm igitur in Christo sit humana natura, inest etiam humana voluntas, præter diuinam.

III. In Trinitate, Deus Pater, aut quatenus Deus, vult, quæcunque vult, aut quatenus Pater. Si quatenus Pater: cùm Pater non sit Filius, sed alius à Filio: alia etiam fuerit voluntas Patris, alia Filij, quod impiū est dicere. Si quatenus Deus: cùm etiam Filius sit naturâ Deus: voluntas igitur vna Patris & Filij, eaque φυσική. Si autem voluntas diuina in Christo φυσική est: quia naturâ Deus est: ergo cùm sit etiā naturâ homo, humana in eo sit voluntas, humanā cōsequens naturam, necesse est, ὁ τῶν ὅλων γὰρ Θεὸς καὶ πατήρ, &c.

IV. Quorum voluntas est vna, eorum & οὐσία ac natura vna est: vt supra declaratum est, in axiomate primo: ὧν τὸ θέλημα καὶ αὐτή, τούτων καὶ οὐσία ἡ αὐτή. Si igitur vna sit voluntas Deitatis & humanitatis in Christo, eadem certè fuerit essentia vtriusq; naturæ: i. Deitas & humanitas erunt vna & eadem natura, quo quid absurdius? Quorum enim diuersę sunt naturæ, eorum diuersæ sunt & voluntates. Atqui in Christo naturæ insunt diuersæ. Ergo & voluntates.

V. Christus legitur apud Euangelistas, quædam voluisse, & non ea potuisse impetrare & facere. Marc. 7. *Veniens Iesus in partes Tyri & Sydonis, & ingressus domum voluit neminem id scire, & non potuit latere.* Hæc certè non fuit voluntas diuina. Hac enim, quæcunque voluit, fecit in cœlo & in terra, quia omnipotens est. Alia igitur præter diuinam fuit & est in Christo voluntas. Affert & illud: Cum Christus esset in cruce & sitienti oblatum esset vinum felle mixtum; hoc cùm gustasset, noluit bibere. Qua voluntate noluit bibere? non certè diuina. Nam quatenus Deus, non sitiebat. Sicut igitur humana voluntate cupiebat bibere, sic etiam eadem voluntate, cùm vinum gustasset amarum, illud noluit bibere. In Christo igitur præter diuinam humana etiam fuit voluntas.

VI. Apostolus Phil. 2. ait, *Christum factum esse obedientem Patri vsq; ad mortem.* Obedientia voluntatis est actio. Non fuit autem factus obediens vsque ad mortem, quatenus Deus. Deus enim non patitur, non moritur. Voluntate igitur humana obediens factus est.

VII. Ratio est valde prolixa apud Damasc. ducta à voluntaria inobedientia Adæ, qua omnium hominum voluntates infectæ sunt, Omnes enim nascimur filij inobedientiæ. Sed hæc ratio in hoc posita est: Si Christus suscipiendo nostram carnem, non suscepit nostram etiam voluntatem: Voluntas igitur nostra à peccato purgata non est. Est enim illud dictum Nazianz. certissimum: *Quod à Christo susceptum non est, illud neq; curatum & seruatum est.* Atqui Christus totum hominem saluum fecit & inprimis voluntatem. Ergo humana in Christo voluntas fuit.

VIII. Si Christus non suscepit voluntatem humanā, aut ideo non suscepit, quia non potuit, aut quia noluit. Non primum: qui enim potuit suscipere carnem, eamque seruare, potuit & mentem & voluntatē. Si, quia noluit: aut ideo noluit, quia voluntas humana non est opus bonum, quod deceret Filium Dei: aut, quia noluit etiam suscipiendo curare & seruare. Vtrumque autem absurdissimum est. Nam & omnia opera Dei bona sunt: & ipse factus est homo, vt totum hominem curaret. In Christo igitur voluntas est humana, qua factus obediens Patri vsque ad mortem, nostras quoque sanctificauit & sanctificat voluntates.

Hæc de secundo, eaque ex Damasc. Plura ex aliis afferre possem, sed breuitatis caussa omitto. Si plura velis, vide Attrib. de Voluntate Dei, q. 15. *Th. contra Gent. l. 4. c. 36.*

Ad tertium venio. Sed quidam dabant assumtam fuisse integram naturam humanam, eoque & voluntatem verùm ex hac & ex diuina, vnam fuisse conflatam voluntatem. Hanc igitur sententiam refutat Damasc. quatuor rationibus. Propositio autem illius hæc est: Ἀδύνατον δέ τι σύνθετον ἐκ τῶν δύο θελημάτων λέγεσθαι, ὥσπερ ἐκ τῶν φύσεων σύνθετον ἔχει ὑπόστασιν.

Ratio *prima*: quia ea, ex quibus componitur hypostasis, manent in hypostasi, suntque eius partes substantiales, vt anima & corpus, ex quibus constat homo, in homine manent suntque eius partes ὑποστάσεως: & ex duabus naturis in Christo constat Christus. At verò duæ voluntates, ex quibus voluntatem vnam compositam esse fingitis, non possunt manere & subsistere in vna Christi voluntate, eiusq; esse partes: Ratio est, quia proprium esse non habent, sed subsistunt tantùm in naturis suis, & ab illis inseparabiles sunt: sicut accidentia in suis duntaxat subiectis insunt, & per illa etiam definiuntur. Atque h. e. quod ait Damasc. compositionem non esse τῶν ἑτερογενῶν, ἀλλ' ἐν ἰδίᾳ διαιρουμένων. Ac proinde ex duabus accidentibus non potest componi tertium accidens, nisi & ipsa subiecta in vnum tertium componantur. Sicut ergo ex duabus naturis, diuina & humana, non est composita vna tertia: sic è duabus earum voluntatibus non potest componi vna tertia voluntas. Sed neq; vna hypostasis: quia non sunt partes personæ, sed naturarum proprietates. Id quod suprà dixit: τὰ θελήματα non esse hypostatica, ἀλλὰ φυσικά. Hanc primam rationem sic tradit Damasc. πρῶτον μὲν ὅτι αἱ συνθέσεις τῶν ἐν ὑποστάσει ὄντων εἰσί, οὐ τῶν ἑτέρῳ καὶ οὐκ ἰδίῳ θεωρουμένων εἰσί.

Secunda: Si ex duabus voluntatibus in Christo admittamus compositum esse tertium quiddam, seu tertiam voluntatem, & ex duabus agendi facultatibus vnam tertiam ἐνεργητικὴν facultatem: cogemur eadem ratione & eodem iure, aliarum quoque proprietatum vtramque naturam consequentium, & inter se pugnantium compositionem admittere. Non est enim maior ratio harum naturalium proprietatum, facultatis scil. volendi & agendi, vtramque naturam, diuinam & humanam consequentium, quam aliarum. Atqui aliarum proprietatum vtriusque naturæ Christi compositio in vnum tertium admittenda non est. Quomodo enim ex proprietatibus his, creatum esse & esse increatum, visibile & inuisibile esse, circumscriptum & incircumscriptum esse, componetur proprietas quædam

tertia, quæ vtrumque fit, οὐ τῆς γὰρ ὅτι ἡ τῶν θελημάτων, καὶ ἐνεργειῶν σύνθεσις λέγομεν, καὶ τῶν ἄλλων φυσικῶν ἰδιωμάτων σύνθεσιν εἰπεῖν ἀναγκασθησόμεθα τὴν ἀκτίστου καὶ τῆς κτιστῆς, ἀοράτου καὶ τῆς ὁρατῆς, καὶ τῶν τοιούτων.

Non est absurdum, quod aliqua hypostasis sit visibilis & inuisibilis: sed quod natura, aut proprietas quædam sit vtrumque, nil est absurdius: vt quòd aliqua qualitas sit albedo & nigredo simul.

III. Fieri nequit vt compositum illarum rerum nominibus appelletur, è quibus compositum est. Exemplum in homine: Is neque anima neque corpus appellatur: Et humanum corpus neque terra, neque aqua, aut aër, aut ignis vocatur. Si igitur duæ voluntates in vnam coierunt, illud tertium voluntas nullo modo appellari aut esse poterit. Quid hoc autē aliud fuerit, quā Christū omni prorsus spoliare voluntate. πῶς δὲ, καὶ τὸ ἐκ τῶν θελημάτων συνθέτων, θέλημα προσαγορευθήσεται; ἀδύνατον γὰρ τὸ σύνθετον, τὴν τῶν συντεθέντων, ὀνομάζεσθαι προσηγορίᾳ, ἐπεὶ καὶ τὸ ἐκ τῶν φύσεων σύνθετον, φύσιν προσαγορεύειν ὀφείλομεν, οὐχ ὑπόστασιν.

IV. Si vna sit in Christo composita voluntas ex diuina & humana: Christus non habuerit eandem voluntatem, quam & Pater: & ita non erit verè & ὁμοθελὴς & ὁμοούσιος Patri. Patris. n. voluntas composita non est. Quid autē absurdius? Imò neque similis erit nobis per omnia, excepto peccato. Neque enim homines composita constāt voluntate. εἰ δὲ καὶ ἓν σύνθετον θέλημα ἐπὶ Χριστοῦ λέξομεν, θελήματι τοῦ πατρὸς αὐτὸν χωρίζομεν· οὐ γὰρ σύνθετον τὸ τοῦ πατρὸς θέλημα. Concludit ergo Damascen. & ait: λείπεται τοίνυν εἰπεῖν, μόνην τὴν ὑπόστασιν τοῦ Χριστοῦ σύνθετον καὶ κοινήν, ὥσπερ τῶν φύσεων, οὕτω καὶ τῶν φυσικῶν αὐτοῦ. Obseruanda hæc conclusio: duo. n. concludit. Vnum: solam personam in Christo esse compositam, ex duabus sc. naturis: alterum, solam Christi personam communem esse, sicut naturarum, sic naturalium proprietatum. Quid hoc sibi vult? Nempe, sicut sola persona & reipsa est, & verè dici potest Deus & homo: ita etiam sola eadem persona & est, & verè dici potest, esse omnipotens & non omnipotens, finita & infinita, circumscripta & incircumscripta, vbique præsens & non vbiq; præsens, sed certo loco existens. Quid ita? Quia eadem persona ex vtraq; natura composita est, & in vtraque natura subsistit, & vtriusque naturæ proprietates habet: Nulla autem natura ex suis & ex alterius naturæ proprietatibus & qualitatibus contrariis composita est. Quid hoc loco clarius aduersus realem idiomatum communicationem? Quod est compositū ex duabus naturis, illud commune est duarum naturarum & naturalium proprietatum, i. in se realiter habet naturas & naturales cuiusque proprietates. Atqui natura humana non est cōposita ex duabus naturis, ex sua & diuina: sed sola persona. Ergo humana natura non est cōmunis proprietatum diuinæ naturæ, nec eas habet sibi realiter communicatas.

Argumentum hoc diligenter retinendum est, nō solum propter autoritatem Damasceni, quæ in hoc dogmate de persona Christi maxima est etiam apud aduersarios: sed etiam propter rei veritatem. Propositio. n. illa Damasceni certissima est, quia sola persona composita est ex duabus naturis, non autem natura vlla composita est: Ideo nulla natura alterius proprietates communicatas habet, sed sola persona. μόνη ἡ ὑπόστασις τοῦ Χριστοῦ σύνθετος, καὶ κοινή, ὥσπερ τῶν φύσεων οὕτω καὶ τῶν φυσικῶν αὐτοῦ. Ex iis omnibus constat veritas nostræ tertiæ Theseos negatiuæ, de modo, quo Filius Dei sibi formam serui suscepit: nempe non ita suscepisse, vt ex duabus voluntatibus vnam amiserit, aut ex duabus voluntatibus vna sit composita voluntas: qua sola & vt Deus & vt homo velit. Et ex duabus itidem operandi facultatibus, aut vna tantùm manserit, altera in nihilum redacta, aut vna tertia sit cōposita, qua & vt Deus & vt homo operetur.

Restat vt Monotheletarum argumenta breuiter refutentur. Etsi enim nonnulla obiter superius refutata sunt à Damasceno: vtile tamen fuerit ea repetere & in ordinem redigere.

I. Si sunt in Christo duæ voluntates, & duæ operandi diuersæ facultates: fuerint igitur duo volentes & duo operantes, Deus sua voluntate propria volens, & homo sua itidem propria: & idem de facultatibus operandi dicendum fuerit. Sic autem reuocabitur Nestorij error, & soluitur Christus.

Resp. Negatur illatio. Nam duæ etiam sunt naturæ, vt fatentur Monotheletæ, nec tamen sequitur duas esse personas: Deum & hominem. Duæ etiam in homine sunt substantiæ diuersissimæ, anima & corpus: & duo appetitus, rationalis, qui dicitur voluntas, & expers rationis, qui appetitus sensitiuus appellatur: & variæ insunt facultates operandi, videndi, audiendi, &c. Nec tamen propterea dicimus esse duos volentes, duos operantes: sed vnus tantùm homo secundum varias facultates appetens, operans. Ratio autem cur non propterea diuidatur Christus, est, quia hasce facultates non diuidimus, sed tantum distinguimus: sicut etiam naturas; & sicut naturas, sic etiam facultates earum ἀτρέπτως numeramus.

II. Arg. Si diuersæ in Christo voluntates: dissentientes igitur inter se, & diuersa volentes erunt: quod in Christo concedendum non est.

Resp. Non sequitur illatio. Etsi enim diuersæ sint naturæ, & diuersæ etiam vtriusque facultates & actiones: quia alia est actio humanæ, alia diuinæ voluntatis, & naturæ, in idem tamen ἀποτέλεσμα & opus consentiunt. Licet etiam quædam voluerit, vt homo, quæ nunquā voluit, vt Deus, vti est edere, bibere: voluntate tamen diuina hæc etiam quodam modo voluit, quatenus hæc ab humana voluntate appeti voluit. Nil enim vult voluntate humana, in quo non consentiat diuina, & è conuerso. Ita semper in Christo αὐτοῦ ὄντος.

III. Sed si semper fuit in Christo αὐτοθέλητον, nec quicquam voluit secundum humanam, in quo non consensit diuina. & contra: superuacanea igitur fuit vna voluntas.

Resp. Non sequitur: Etsi enim semper fuerunt voluntates consentientes, quia humana subordinata fuit diuinæ: quædam tamen oportet velle ἀνθρωπίνως, quę non potuit velle θεϊκῶς: vt pati, mori, &c.

IV. Si semper fuit in Christo αὐτοθέλητον: fuit igitur etiam αὐτοθέλημα. Facultates enim variantur secundum obiecta.

Resp. Absurdum non est, quòd duæ & plures voluntates idem velint & idem habeant obiectum. Voluntas Christi humana fuit semper subordinata diuinæ, & cum ea in idem semper consensit: & hoc modo fuit vna voluntas, diuina & humana, quia idem voluit vna, quod altera: sed nō sequitur, vnam & eandem fuisse natura & numero. Act. 2. Fidelibus erat anima vna, & cor vnum, quia in Deo idem volebant omnes: sed nunquid numero fuit vna tantùm anima & vnum cor? Atque hæc ad argumenta Monotheletarum.

Ad hæresin *Acephalorum* quod attinet, qui docuerunt, proprietates essentiales mansisse, sed confusas inter se: non est opus noua refutatione. Fuit. n. surculus Monotheleticæ hæreseos. Proinde, hac refutata, illam quoque refutatam esse manifestum est. Refutatæ fuerunt hactenus tres, de modo vnionis duarum naturarum in persona Filij opiniones: Nestorij vna qui è duabus naturis duas fecit personas, easque in vnum coniunxit σχέσει: Altera Eutychetis, qui contrà ex vna persona vnam finxit naturam: asserens, ante vnionem quidem duas fuisse naturas, sed eas postea ita fuisse vnitas, vt vna tantùm manserit: si non diuina in humanam, vt docuerat Apollinaris, mutata, saltem humana in diuinam absorpta, aut vna è duabus conflata, vt eius discipuli Monophysitæ docuerunt: Tertia Monotheletarum, qui licet duas in Christo naturas distinctas post vnionem, mansisse faterentur: ita tamen vnitas fuisse dicebant, vt sicut vnus tantum est volens & operans Christus: sic etiam vna tantum, in eo manserit & volendi & operandi facultas: aut humana in diuinam absorpta, aut vna è duabus composita. Cum iis coniunguntur & Acephali: qui proprietates naturarum essentiales, mansisse quidem, sed confusas esse dicebant, idem, quod Monotheletæ, sed aliis verbis. Ita omnes hę de vnione naturarum in Christo sententiæ, quàm absurdæ & impiæ fuerint, hactenus visum est.

His à Patribus olim refutatis, postmodum duæ aliæ de eadem re excogitatæ fuerunt à posterioribus Theologis opiniones: quæ licet non ita manifestè impiæ visæ sint multis, vt illæ priores, reuera tamen erroneæ fuerunt. De quibus in 3. Sent. dist. 6. & 7. vbi simul etiam vera & orthodoxa sententia, media inter illas duas, explicatur.

Prima erronea sententia fuit quorundam (autores enim non nominantur) qui senserunt, filium Dei hoc pacto formam serui suscepisse: primùm creasse ac formasse perfectum hominem, qualis est quiuis alius in vtero matris homo, verum scilicet ὑφιστάμενον, anima & corpore constans: creatum porrò atque formatum statim, i. eodem momento, quo fuit creatus, à Verbo etiam in vnitatem personæ fuisse assumtum, ita, vt propter hanc assumtionem, dicatur Deus factus homo, non quidē, quod subsistat in natura hominis, sed quia in sua persona assumtū habet & gestat hominem: & rursus homo ille dicatur esse Deus, non quòd essentialiter sit Deus, sed quia in persona est Dei. Interim hominē hunc substantiam esse volunt per se indiuiduam, h. e. hypostasin. Volunt. n. ex vnione animæ & corporis fuisse constitutam hypostasin per se, i. verum homi-

nem: ex hac autem hypostasi assumta & ex assumente vnam constare personam.

Sententiam autem hanc collegerunt ex quibusdam Patrum dictis, malè intellectis, qui naturam assumtam vocāt hominem: sed hominis nomine non intellexerunt patres certum ὑφεστάμενον hominis, sed naturam hominis, eámque ἐν ἀτόμῳ: quale est illud Augustini de Trinitate, lib. 13. Cum legitur, Verbum caro factum est, in Verbo intelligo verum Dei Filium: in carne agnosco verum hominis filium, & vtrumque simul vnam personam Deum & hominem ineffabilis gratiæ largitate coniunctum.

Sententia hæc hoc habet boni. 1. quod contra Eutychetem duas in Christo prædicat naturas. 2. Quod etiam contra Monotheletas duas concedit voluntates. 3. Quod contra Manichæos veram in Christo admittit carnem. 4. Quod contra Nestorium non vult, hunc hominem assumtum tempore vllo præcessisse sui assumtionem, sed eodem planè momento & creatum & assumtum fuisse. 5. Videntur etiam à Nestorio in hoc dissentire, quia ex homine assumto & ex Deo assumente vnam tantùm constituit personam.

Cæterùm, si quis diligenter omnia perpendat, videbit eam cum Nestorij errore colludere. 1. Ait, hominem hunc non præcessisse quidem sui assumtionem tempore, sed tamen natura: vult igitur hominem hunc propriam habuisse & habere suapte natura subsistentiam. 2. Vult verum hominem fuisse assumtum, eóque verum ὑφεστάμενον: cum nos contrà dicamus, naturam esse assumtam. 3. Licet vnam fateatur duntaxat in Christo personam, non vult tamen alio sensu hunc hominem vnà cum diuina natura vnam esse personam, quam quia in vnitatem personæ assumtus est; non autem quia Filius Dei in vtraque natura subsistit. Meritò itaque cum aliis doctis dicimus, hanc sententiam, quæ asserit in Christo duas esse hypostases, licet vnam personam, parum à Nestorij sententia differre. Proinde hanc simul cum Nestoriana hæresi refutauimus, thesi tertia ad quæstionem secundam, vt non sit opus alia longiore refutatione. *Legatur Th. Aq. contra Gent. l. 4 c. 38.* Venio ad alteram.

Altera sententia, eáque etiam non vsquequaque vera, quam recitat & explicat Magister Sententiarum, est quorundam, qui duo tradiderunt, vnum per se absurdissimum, quod & nos refutauimus supra Quæst. 8. Th. secunda: alterum, non simpliciter verum. *De hac Th. cont. Gen. l. 4. c. 37.* Primum fuit huiusmodi: Filium Dei non assumsisse animam & corpus simul inter se vnita, sed seorsum vnum ab altero. Et ratio, cur noluerint vnita esse hæc duo inter se, sed tantum vtrumque seorsum, in persona Filij Dei, fuit; quia verebantur, ne si animæ & corporis vnio concederetur, cogerentur concedere, duas in Christo esse hypostases, sicut illi priores: quando apud nos animæ & corporis coniunctio hypostasin efficit. Quæ ratio, quàm vana fuerit, supra ostendimus Thesi secunda ad quæstionem octauam.

Alterum, quod isti secundi docuerunt, fuit: Filium Dei hanc animam & hoc corpus, non alia ratione suscepisse, quàm ea, qua quis sibi vestem induit: Ac proinde, quod ait Ioh. 1. Verbum caro factum est, id non esse intelligendum essentialiter, sed accidentaliter: hoc est, non quòd Verbum in ipsa etiam carne, seu in natura humana subsistat, ita, vt vna persona composita sit ex diuina & humana naturis: sed quòd personæ τοῦ λόγου per se subsistenti, perfectissimæ atque simplicissimæ, accesserunt anima & caro humana: non secus, quàm si alicui homini induatur vestis: neque enim ex vestis accessione, persona hominis essentialiter componitur, sed tantùm accidentaliter: ex qua sententia, quid aliud sequitur, quàm Christum non esse οὐσιωδῶς ac verum hominem, sed tantùm externa facie ac coram hominibus. Sed hæc quoque sententia ex praua tum quorundam locorum S. Scripturæ, tum nonnullorum dictorum S. Patrum intelligentia exorta est. Quale est illud Apostoli ad Phil. 2. Et habitu inuentus est vt homo: Et, quòd Patres subinde scribant, filium Dei carnem & naturam nostram induisse. Aduersus ergo hanc impiam interpretationem hæc esto thesis.

THESIS V.

Filius Dei quanquam piè dicitur carnem nostram induisse: non tamen ita hanc formam serui suscepit, atque si simpliciter vestem sibi induisset, eoque non tanquam accidens, formam serui suscepit, sed οὐσιωδῶς suscepit.

TRIA membra habet hæc thesis. Vnum quod piè dicatur, Christus carnem nostram induisse: Alterum, quòd non tamen eo simpliciter modo susceperit, quo quis vestem induit.

Tertium ex secundo consequens est, Filium Dei non suscepisse formam serui, in suæ vnitatem personæ, tanquam accidens, aut accidentaliter. Ex qua parte negatiua consequitur affirmatiua, formam serui à Filio Dei assumtam, ad substantiam personæ Christi pertinere: vt sit ὁμοούσιος, sicut Deus, sic etiam homo, ὁμοούσιος patri ac ὁμοούσιος matri, & fratribus suis.

De primo membro.

Vsitatissima est locutio apud patres & Græcos & Latinos, Filium Dei carnem nostram induisse. Ignatius epistola secunda ad Trallianos p. 9. καὶ ἀληθῶς ἐγέννηθη ὁ θεὸς λόγος ἐκ τῆς παρθένου, σῶμα ἐμφορεσάμενος, i. indutus. Et sic alibi.

Cyprianus de idolorum vanitate: Sermo & Filius Dei in virginem illabitur, carnem Spiritu cooperante induitur. *Item sermone de Natiuitate*: Miror, quomodo Verbo Dei adhæserit caro, quomodo incorporeus Deus, corporis nostri tegumentum induerit.

Athanasius frequentissimè hac vtitur locutione: vt in Ser. contra Arian. Deus λόγος corpus nostrum induit. Idem corpus à Christo assumtum vocat περιβολὴν Deitatis: quòd eo induta sit & circumcincta Deitas.

Nyssenus: Quod Paulus dixit: formam serui suscepit: ille ait: formam serui ὑπέδυ εἶναι, indutus est.

Ambros. de fide contra Arian. c. 8. Cùm hominem induit, substantiam non mutauit: sed illuuias eiusdem corporis æternæ claritatis lumine illustrauit. Illuuias pro illunas, id est, tenebras, Apuleiana vox.

Boetius quoque in lib. de duabus naturis, eadem vtitur locutione, quòd scil. Deus vestitus sit homine. Sed, quid colligo patrum testimonia? Apostolus ad Hebr. c. 10. v. 20. carnem Christi vocat velum: per hanc enim tanquam per velum sanctuarij aperta est nobis via in cœlum. Erat enim etiam caro illa, tanquam velum Deitatis. Et hæc est prima humiliatio Filij Dei: quia in illa carne tanquam sub veste humili, atque vili latuit.

Sunt autem duæ præcipuæ caussæ, propter quas patres, secuti Apostolum, vocarunt carnem Christi vestem, & indumentum, nempe Deitatis, & quo vestitus Filius. *Vna*: vt significarent, hanc formæ serui susceptionem, factam fuisse sine vlla τοῦ λόγου suscipientis, aut etiam carnis susceptæ mutatione. Nam, cùm etiam nos induimur veste, sine vlla vel corporis vel vestis mutatione induimur. Nihil enim vel detrahitur vel additur substantiæ corporis aut vestis. Et hanc caussam expressit, præter alios Ambrosius, de fide contra Arianos, cap. 8. dicens: Cum hominem induit, substantiam non mutauit: nempe vel suam, vel etiam hominis.

Altera est, vt explicarent, quomodo sub illa carne latuerit Deitas: nempe, velut corpus sub veste: idq; nostra caussa: sicut etiam homines aliorum magis, quàm sua causa prodeunt in publicum vestibus ornati. Neque enim nos immensum Deitatis splendorem potuissemus perferre: ideò igitur sese vestiuit ac texit peplo carnis nostræ, vt inter nos familiariter versari ipse posset, & nos cum illo habere consuetudinem: id quod Ioh. c. 1. expressit, cùm post illa verba: Verbum caro factum est, subiecit: & habitauit inter nos: & nos vidimus gloriam eius: quomodo vidimus? Ex eius carne ita temperatè relucentem, vt oculi nostri splendorem illum ferre potuerint, alioqui nunquam perlaturi tantam maiestatem, nisi sol ille iustitiæ, carne nostra tanquam nube quadam obductus, nobis se conspiciendum præbuisset.

His duabus de caussis optimè quadrat similitudo vestis, in carnem à Filio Dei assumtam.

Addo *tertiam*, quòd, quemadmodum ita induimur vestibus, vt neque corporum nostrorum proprietates, vestibus, neque rursus vestium corporibus nostris realiter communicentur, sed hoc tantùm accedit vestibus assumtis, quod & nomen nostrum suscipiant, & honoris, qui nobis defertur, participes fiant: Sic etiam Filius Dei ita suscepit carnem nostram, vt neque carnis Deitati, neque Deitatis carni communicatæ sint essentiales proprietates: Sed sicut λόγος ita sese humiliauit in carne, vt & nomine carnis appelletur, & in carne passus & mortuus esse dicatur: sic vicissim caro eò est exaltata, vt & nomen Dei sortita sit, & vnà cum Deo adoretur. Qui enim carnem Christi ἀπροσκύνητον esse dixerit, anathema esse dicit S. Ecclesia Catholica, ait Cyrillus.

Possent afferri aliæ quoque similitudines inter carnem

nem assumtam & vestem: sed hæ sunt præcipuæ. Atque hucusque congruit metaphora vestis carni Christi. Ita apparet, quod primo membro Theseos nostræ posuimus, illud esse verissimum: nimirum: Metaphoram vestis piè fuisse à patribus vsurpatam: Piè dico: quia etiam Nestorius eadem vtebatur, sed impiè: nempe ad demonstrandum, λόγον non esse verum hominem, sed personam atque hypostasin longè aliam ab hypostasi hominis: sicut etiam homo veste indutus, non est ipsa vestis, sed alia ὑπόστασις. Sic etiam de numero naturarum dixit Damasc. Ecclesiam eas numerare ἀριθμῷ: cum scilicet eas Nestorius numeraret ἀριθμῷ: diuidendo scil. non autem distinguendo.

De secundo membro.

Nunc ergo mihi demonstrandum est, quod secundo membro posuimus: impiè fieri, si quis dicat, Filium Dei formam serui non aliter suscepisse, quàm si quis vestem simpliciter induit.

I. Quicunque negat Christum subsistere in duabus naturis, tanquam suis propriis, diuina & humana, ita, vt non minus essentialiter sit homo, quàm Deus: is impiè agit & loquitur. Negat. n. Christum verum esse hominem. Quomodo enim est homo, qui in humana non subsistit natura? Nam neque Deus est qui in diuina non subsistit. Proinde Apostolus volens ostendere, Christum esse verum Deum: dixit, eum existere in forma Dei. Phil. 2.

Atqui hoc negat, quicunque ait, Filium Dei non aliter formam serui suscepisse, quàm qui vestem induit. Neque enim vestem induere, est, nouam naturam, in qua essentialiter subsistat, suscipere: quando vestis ad essentiam hominis non pertinet. Non ergo hoc modo formam serui suscepit Christus.

II. Quicunque negat, Filium Dei Deum, natum aut passum esse, is impius est & impiè loquitur. Contradicit n. scripturæ, quæ dicit, filium altissimi natum esse ex Virgine, Dominum item gloriæ crucifixum esse, Deum suo sanguine Ecclesiam redemisse. Luc. 1. 1. Cor. 2. Act. 20.

Atqui hoc facit, qui docet, Christum non aliter formam serui suscepisse, quàm si quis vestem sibi induat. Quis. n. dicat, aliquem nasci, cum vestem simpliciter induit? quis, eum pati & mori, cuius duntaxat vestis laceratur? Neque enim vestis ad hominis vestiti essentiam pertinet. Non ergo Christus formam serui sumsit eo simpliciter modo, quo quis vestem induit.

III. Qui simpliciter induit vestem, is dici non potest factus esse id, quod induit, i. vestis. Quis enim vnquam dixerit regem factum esse purpuram, vel caligas vel thoracem, aut aliud vestimentum, quod induit? Imò neq; Deus cùm assumebat formas varias vel hominis, vel nubis, vel rubi, in quibus apparebat patribus, dictus vnquam fuit, propterea factus esse homo, nubes, rubus, aut aliquid earũ formarum, quibus ceu vestitus apparebat. Neque etiã Sp. S. cum apparuit in specie columbæ, quam assumsit, dicitur factus fuisse columba: cum tamen earum rerum susceptiones fuerint aliquid maius, quàm cùm quis induit vestem. Atqui λόγος propter hanc formæ serui, i. e. hominis susceptionem, dicitur factus esse homo. Quod enim Apostolus dixit, *formam serui suscepit*, mox explicat, dicens: *In similitudine hominum factus*. Et Ioh. 1. *Verbum caro factum est*. Non igitur simpliciter, vt vestẽ suscepit formã serui Filius Dei.

IV. Cum filius Dei sumebat varias formas, in quibus sese manifestabat hominibus, nunquam tamen propterea dictus fuit factus esse minor patre: cùm nihilominus illæ formarum susceptiones, fuerint non minoris efficacitatis, quam vestis assumtio, & penitius hæserint personæ filij Dei, quam vestis homini vestito.

Atqui propter susceptionem formæ serui, Christus factus est minor patre, nempe, quoad personam, iam incarnatam, iuxta illud: Ioh. 14 *Pater maior me est*: quid ita? quia sc. factus est homo. Ergo formam serui suscepit, non simpliciter, vt vestem, sed vt aliam naturam, in qua subsisteret non minùs quàm in forma Dei.

V. Si simpliciter, vt vestem induit naturam nostram Deus: hæresis Nestorij constabilitur. Sicut enim vestis suscepta, alia substantia est, ab eo qui eam induit: ita ille inferebat, aliã ὑπόστασιν esse λόγον assumentem, & aliam, formã serui assumtam. Vnde, & quòd dicebat se adorare vestem propter vestitum: illud damnarunt patres tanquam idololatricum: quid ita? cum tamen & ipsi dicerent, se adorare carnem Christi, propter Deitatem? Ratio fuit, quoniam ille carnem assumtam, à Verbo assumẽte realiter separabat, sicut vestem à vestito: patres autem idem simile vsurpantes & ipsi, carnem & vestem ἀδιαιρέτως cum λόγῳ assumente coniungebant: ex vtroque vnam constituentes & agnoscentes personam. Adoratio autem, ad personam refertur. Proinde horum adoratio idololatrica non erat: Nestorij autem erat. Fieri igitur nequit, vt, si adores carnem Christi, adoratione religiosa, non aliter de illa sentiens, quam de simplici purpura, qua indutus sit rex, & quæ ad substantiam personæ regis non pertinet: quin admittas idololatriam: puram. n. adoras creaturam: Sed si eam agnoscas vt partẽ personæ Christi, qui Deus est: eam adorando, personam adoras, eòque Deum, non autem creaturam. Caro enim in vnione personali, Dei caro est: Dei autem caro, vt explicat Cyril. nil aliud est, quam Deus incarnatus. Non igitur dici potest, formam serui sumtam fuisse a Filio Dei, non alia ratione, quam si simpliciter vestem sibi induerit: quin & hæresin & idololatricam adorationem Nestorij reuoces.

VI. Quin etiam reuocatur error Manichæi, Christum non habere verum corpus humanum, verúmque hominem non esse. Neq;. n. vestis ad substãtiam vestiti pertinet. Adde, quod & Eutychianam hæresin ab inferis reuocaueris: qui nolebat Filium Dei in alia natura subsistere, quam in diuina: non autem in assumta. Nam neque vestitus in sua subsistit veste. Ideo dicebant Christum esse ex duabus naturis non autem in duabus naturis. Adde, quòd & Arius reuiuiscat, qui negabat in Christo esse animam. Si. n. sumsit formam serui tanquam simplicem vestem, in qua sese mundo conspiciendum præbuerit: Non igitur sumsit animam, quæ inuisibilis est, & in qua videri non potuit. Et scimus nullam vestem esse animatam.

His igitur de caussis fatendum est, Filium Dei, formam serui sumsisse, non vt simplicem vestem, in qua visibilis appareret: sed vt naturam ἐνυπόστατον, in qua tanquam in parte suę personæ subsisteret: vt postea explicabitur: Ac proinde quòd patres secuti Apostolum, carnem Christi vestem appellarint: metaphoricè sic appellasse: idq; non simpliciter & quod per omnia quadret: sed certis de caussis, quæ suprà à nobis explicatæ fuerunt: minimè autem, vt hac similitudine verã vnionem explicarent humanæ naturæ cum diuina in persona Christi: quando sumtione vestis, non personalis vnio, sed tantum adhæsio rei ad rem significatur. Ac de secundo membro nostræ theseos satis.

Hinc tertium facilè refellitur. Ex eo enim, quod docebant ex patribus, sed perperam intellectis, humanam naturam vnitam esse filio Dei, sicuti vestimentum homini vestito: inferebant, licet humana natura sit vera substantia, eam tamen vnitam esse personæ filij Dei, vt accidens & accidentali modo. Quicquid enim aduenit alicui substantiæ per se subsistenti: aduenit ei, vt accidens & accidentaliter: sicut etiam vestis, qua quis induitur. Sed hæc opinio hæretica est.

I. Eadem est cum hæresi Nestoriana in modo vnionis, Nestorius enim, qui duos fingebat filios, filium Dei & filium hominis, dixit filium Dei esse vnitum ad filiũ hominis, secundum simplicem inhabitationem, tanquam in tẽplo suo, eòque accidentaliter & τῇ χάριτι. Annon verò idem docent, qui aiunt filium Dei vnitum esse carni sicut vestimento, eòque accidentaliter? Proinde patres damnarunt in articulo de incarnatione, vnionem accidentalem.

II. Si accidentaliter vnitum est Verbum carni, sicut homo vesti: Caro igitur, i. homo, non prædicabitur de Christo, in quid, sed tantum in quantum, aut in quale, aut alio modo accidentium proprio. Quare, cùm ait Euangelista, *Verbum caro factum est*: Item cùm Apostolus ait. *Christus in similitudine hominum factus est*: non intelligetur, quod Christus sit substantialiter homo, id est verus & natura homo, sed tantum accidentaliter, i. humanus: quemadmodum dicitur albus, cui accedit albedo Annon verò hoc est hæreticum? Ideo meritò hanc sententiam, vt hæreticam damnauit Alexander 3. Episcopus Rom. vt citatur in Decretalib. lib. 5. Tit. de hæreticis cap. 7. scribens ad Archiepiscopum Remensem, *Cum Christus*, inquit, *perfectus Deus & perfectus sit homo, mandamus quatenus sub anathemate interdicas, ne quis de cætero audeat dicere, Christum non esse aliquid secundum quid homo. Quia sicut Christus verus est Deus, ita verus est homo, ex anima rationali & humana carne subsistẽs.* Hæc ille, & bene, & piè. Nam reuera si nomen hominis de Christo non prædicatur, nisi accidentaliter, non in quid, sed in quali aut alio accidentali modo: Christus non verus fuerit homo. Si autem non verus fuerit homo: nostra igitur peccata non sunt verè expiata, vana est fides nostra, inanis tota Christiana religio. Non est igitur res de nihilo, dicere filium Dei vnitum esse ad carnem nostram, accidentali modo, sicut vestitus ad vestem.

Solutiones Obiectionum.

I. At patres vsi sunt hac locutione: quòd filius induit carnem nostram.

Resp. Quo sensu, supra est explicatum. Non certè, vt significarent accidentalem vnionem, quam damnarunt in Nestorio: sed vt significarent, partim, quòd λόγος sumsit formam serui, sine vlla sui mutatione: partim, quòd Deus inuisibilis videtur per carnem assumtam: vt supra dictum est.

II. At, quod aduenit alicui perfectæ substantiæ, per se subsistenti, aduenit ei accidentaliter. λόγῳ autem perfectissimæ substantiæ aduenit humana caro.

Resp. Vera est maior propositio: nisi id, quod perfectæ substantiæ aduenit, in communionem illius perfectæ substantiæ recipiatur: ita vt ex illa perfecta substantia & ex hoc, quod illi aduenit, vnum ὑφιστάμενον constituatur. Tum certè non aduenit illi accidentaliter, sed οὐσιωδῶς. Exemplũ: Annon anima humana à corpore separata perfecta est substantia in suo genere, & per se subsistit? omnino. Quando in resurrectione corpus illi aduenerit, & ei vnietur, adueniet ne accidentaliter, an οὐσιωδῶς καὶ ἑνικῶς: quia in communionem animæ recipietur, vt per illam viuificetur: & ita ex vtroque perfectum hominis ὑφιστάμενον constituatur. Sic etiã humana natura perfectissimæ substantiæ Filij Dei aduenit, vt in eius communionem recipiatur, non quoad naturam diuinam, aut esse diuinum, sed quoad hypostasin. Natura enim humana non est facta per hanc sui assumtionem diuina natura, aut diuinæ naturæ particeps: sed tantum addita est, & vnita diuinæ, ad vnam Christi personam: proinde dicimus assumtam esse carnem à Filio Dei, non in vnitatẽ naturę, sed in vnitatem personæ. Et hoc est discrimen inter assumtionem corporis ad animam in resurrectione, & inter assumtionem naturæ humanæ ad personam filij Dei: quia corpus in vnitatem naturæ humanæ simul & personę ab anima assumetur: humana autem natura, in vnitatem personæ tantum à Filio Dei assumta est. Nullo igitur modo accidentaliter. Hinc soluitur tertium.

III. At, quod non pertinet ad substantiam essentiamq; alicuius rei, illud est accidens. Humana natura non pertinet ad substantiam & οὐσίαν filij Dei.

Resp. Non pertinet ad οὐσίαν Filij Dei: verum est: Non.n. facta est vnio in natura, sed ad naturam. Pertinet tamen ad personam, & ideo dicitur vnio facta in persona. Persona autem substantia est. Non igitur accidens vocari potest natura humana, aut accidentaliter assũmta.

IV. At humana natura instrumentum est diuinæ, vt patres vocant. Per eam enim operatur multa. Instrumentum autem accidentaliter ei aduenit, qui operatur.

Resp. Annon etiam corpus est instrumentum animę? Num igitur accidentaliter ei aduenier in resurrectione? Sed Christi ita instrumentum est Deitatis, vt sit etiã pars personæ. Non igitur accidentaliter.

Restaret modus Brentij refutandus, qui docuit, Filium Dei hoc modo formam serui sumsisse, quod scil. omnes suas essentiales proprietates in humanam naturam effuderit. Sed hunc errorem collocabimus cum aliis, qui sunt de consequentibus vnionem hypostaticam.

Ad quæstionem nonam de incarnatione Filij Dei, quæ fuit de modo, quo formam serui suscepit, hactenus respondimus Thesibus 4. negatiuis: quarum prima refutatus est modus, quem Nestorius commentus fuit: κατ' οἴκησιν, h.e. secundum simplicem τοῦ λόγου in carne inhabitationem, eóque κατὰ σχέσιν, κατὰ χάριν, κατ' ἀξίαν, κατὰ ταυτοβουλίαν. Hanc Nestorianam vnionem Maxentius vocauit, socialem. Damasc. παραθετικήν: Cui opponitur φυσικὴ & οὐσιώδης: qualis est animæ ad corpus: & τοῦ λόγου ad humanam naturam: quam ferè vocant ἕνωσιν καθ' ὑπόστασιν, & ἕνωσιν οὐσιώδη. Dam. lib. 3. c. 3.

Secunda thesi refutatus est ille vnionis modus, quem finxerunt partim Apollinaris, partim Eutyches, & post eum Monophysitæ, nempe κατὰ τροπὴν vnius naturæ in alterum: aut κατὰ σύγχυσιν duarum naturarum in vnam tertiam: Apollinaris enim voluit diuinam in humanam fuisse conuersam, propter illud: Verbum caro factum est: Eutyches autem humanam absorptam fuisse in diuinam, aut ex vtraq; vnam tertiam fuisse conflatam naturam: quam sententiam postea acriter defendit Dioscorus Patriarcha Alexandrinus.

Tertia thesi refutata est ea vnionis ratio: quam somniarunt Monotheletæ: nempe κατὰ σύγχυσιν, si non naturarum, saltem voluntatum & ἐνεργειῶν: quòd licet manserint duæ distinctę naturæ, tamen, sicut vnus tantum mansit volens & operans, sic vna tantum manserit voluntas & operandi facultas: quam sententiam maximè tueri conatus est Macarius Antiochenus. Cum iis coniunguntur etiam Acephali, qui proprietates vtriusque naturę confusas esse inter se, docuerunt.

Quarta Thesi profligata fuit vnio accidentalis, quã quidam in Gallia excogitarunt, (vt liquet. extra de Hæreticis c.7.) dicentes, non alia ratione Filium Dei suscepisse formam serui, quàm qua quis sibi vestem induit: ac proinde non οὐσιωδῶς, Verbum carnem factum esse: sed secundum habitum: carnem.n. verbo tanquam accidens substãtię accessisse. Sed quot & quanta absurda inde consequantur, abundè ostendimus. Certè non esset verus ac nobis ὁμοούσιος homo, Christus. Ac quo sensu, patres vsi sint illa metaphora vestis induę, perspicuè declarauimus. Expugnatis vnionis modis, quos commenti sunt hęretici: nunc restat, vt veram rationem, qua sibi copulauit filius Dei naturam nostram explicemus: ex qua explicatione patebit, quænam sit vera hypostaticę vnionis definitio. Desumam autem hanc explicationem ex ipsis sacris literis: secundum analogiam fidei, per veteres patres olim communi consensu, aduersus prædictos hęreticos, explicatis.

THESIS V.

Filius Dei in suæ vnitatem Personæ, formam serui, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀσυγχύτως, ἀχωρίστως & οὐσιωδῶς assumsit, atque ita assumsit, vt, qui ante in natura tantum diuina, inuisibili, immensa, vbique præsente, omniaque per se implente ac sustentante subsistebat, iam ille ipse in natura etiam humana, visibili, finita, certo loco circumscripta, & à se gestata ac sustentata, subsistat: non minus verus & perfectus homo ex Virgine factus, quàm verus ac perfectus Deus, ex Deo patre genitus.

THESIS hæc tria habet membra: Primo membro verus modus, quo formam serui suscepit, modis, qui ab hæreticis excogitati fuerunt oppositus simpliciter proponitur vsque ad ea verba: Atque ita assumsit, &c. Altero, modus ille clarius explicatur: quod.s. eadem persona Filij Dei, post assumtionem formæ serui, ex simplicissima, quodam modo facta est composita, non solùm è duabus constans, sed etiam in duabus subsistens naturis illisque integris, suásque essentiales proprietates distinctè retinentibus vsque ad ea verba: Non minus verus homo, &c. Tertio membro, tum clarius explicatur iste vnitionis modus, tum ab effectu confirmatur. Explicatur quidem, quia declaratur, quid sit subsistere in forma Dei & forma serui: nempe, nil aliud, quam eandem hypostasin esse Deum & hominem. Confirmatur autem iste modus: quia cùm cõstet è sacris literis, eundem filium οὐσιωδῶς & verum Deum & verum hominem esse: vt eundem in vtraq; natura & diuina & humana, suas quaq; proprietates retinente, subsistere dicamus, necesse est.

Summa autem huius vnitionis in hoc consistit: Quòd Filius Dei, qui ab æterno secunda hypostasis fuit, in natura Diuina: is in tempore, sine vlla sui mutatione, illi massæ humanæ naturæ, quam assumsisse dicitur, nullam per se subsistentiam habenti, factus est ὑπόστασις: eam tanquam suam carnem atque animam suam viuificans, sustentans, in eáque & cum ea opera nostræ salutis perficiens. Nunc singula clariùs explico atque confirmo.

In primo nostræ theseos membro, sex particulæ positæ sunt, quibus modus iste explicatur: nempe, quod Filius Dei susceperit formam serui. 1. In vnitatem suę personæ. 2. ἀτρέπτως. 3. ἀδιαιρέτως. 4. ἀσυγχύτως. 5. ἀχωρίστως. 6. οὐσιωδῶς.

De forma Dei & serui quid hoc loco intelligendum sit, satis abundè à nobis explicatum fuit: idq; ex consensu totius antiquitatis, quam etiam Brentius hac in parte maluit sequi, quam Lutherum. Hoc igitur omisso reliquas explicemus, quæ ad modum assumtionis pertinent.

1. Illa locutio: quòd assumserit in vnitatem personæ, receptissima est apud Latinos scriptores, & hæc octo magni momenti capita significantur hac phrasi.

1. Filium Dei, qui vocatur Iesus Christus, personam fuisse ab æterno in vna eadémque cum Patre & Spiritu S. οὐσίᾳ subsistentem, eámque perfectam ac simplicissimam. Nam, si in vnitatem personæ assumta est humana natura: persona igitur illa erat, cui hæc altera vnita est.

2. Hanc naturam humanam, quam suscepisse dicitur, non esse assumtam in vnitatem naturæ, essentiæq; diuinę. Esset.n. alioqui ὁμοούσιος Deus. Ideo dicunt in vnitatẽ personæ assumtam: quia scilicet non in vnitatem naturæ assũta est. Ex quo etiam sequitur, neq; in vnitatem realémque communicationem essentialium eius proprietatum assumtã esse: reipsa.n. illæ nil sũt aliud, quàm ipsa diuina essentia.

3. Significarunt non esse assumtam in vnitatem omnium trium personarum, sed tantùm Filij, & ideo aiunt: In vnitatem personæ: non autem personarum: & addunt suæ, id est, personæ filij.

4. Il-

4. Illam naturam humanam non fuisse creatam cum sua propria subsistentia, seu personalitate, sed ἀνυπόστατον ex se fuisse: Solam verò personam filij Dei fuisse illi & esse ad subsistendum hypostasin. Ideo dicunt, in vnitatem personæ, eóq; & hypostaseos. Si.n. propriam habuisset personalitatem aut hypostasin: posset quidem dici assumta, i. vnita. Sed non posset dici assumta in vnitatem personæ. Ex quo sequitur quintum, Vnam tantum esse personam atque hypostasin ex duabus & in duabus naturis constantem ac subsistentem. Et ideo aiunt: vnitatem personæ.

6. Significatur hac phrasi, naturam humanam, per hanc assumtionem non esse absorptam à diuina, & in nihilum redactam. Non enim posset dici assumta, i. vnita diuina in vnitatem personæ, si in nihilum esset redacta, vt Damasc. ait, si abiisset εἰς ἀνυπαρξίαν: sicut neque gutta vini absorpta à mari, vnita esse mari dici potest.

7. Significatur, ex duabus naturis non esse conflatam vnam naturam: sicut ex anima & corpore constat natura humana, Vt volebat Dioscorus: sed distinctam vtramque mansisse. Non enim diceretur assumta in vnitatem personæ: sed potius ad tertiæ naturæ constitutionem.

8. *Hinc* etiam liquet, non rectè dici assumtam esse naturam humanam, & vnitā esse diuinæ ad constituendam vnam personam (persona.n. iam erat.) Sed in vnitatem vnius eiusdémque personæ diuinæ, in diuina tantum natura subsistentis, natura etiam humana assumta est: vt scil. in hac etiam natura illa eadem persona subsisteret. Hæc omnia significantur hac phrasi: Naturā humanam à Filio Dei in suæ vnitatem personæ assumtam fuisse: quorum omniū summa est, vnam eandémque personam Filij Dei ex duabus & in duabus perfectis atque distinctis naturis diuina atque humana subsistere: eóque verum Deum esse, verúmque hominē. Hoc significare voluerūt patres, qui dixerunt assumtam esse, in vnitatem personæ, naturam humanam.

Illa aduerbia, quibus clariùs explicatur modus vnionis, sumta sunt itidem ex Patribus, præsertim ex confessione concilij Chalced. quæ habetur Actione 15. Repetuntur passim apud patres: & à Damasc. l. 3, c. 3. explicantur. Ac *primo* quidem aduerbio ἀτρέπτως damnarunt Patres Apollinarē, & omnes, qui docuerunt, incarnationem factam non esse sine aliqua τοῦ λόγου, naturæque eius diuinæ mutatione: & contrà confitentur, τὸν λόγον sine vlla sui mutatione aut alteratione factum esse carnem. Damnarunt simul & eos, qui humanam in diuinam conuersam esse somniarunt.

Altero aduerbio, ἀδιαιρέτως, refellitur Nestorij error, qui has duas naturas non distinxit, sed diuisit, tam humanæ suam propriam affingens hypostasin, quàm suam habet diuina: eóque illas non coniungebat in vnam hypostasin: sed tantum κατὰ σχέσιν & κατὰ χάριν. Ac docent patres hac particula, ἀδιαιρέτως, has duas naturas ita esse vnitas in vnam personam Christi, vt nullo modo vel reipsa (quod planè ἄτοπον est) vel cogitatione, atque opinione (vt faciebat Nestorius) separari possint, quin Christi persona soluatur.

Tertio aduerbio ἀσυγχύτως, omnes Eutychiani errores damnantur. Eutyches.n. & eius discipuli varias συγχύσεως species excogitarunt. Vnam, qua voluerūt naturam humanam in diuinam esse absorptam atque conuersam, sicut Eutyches ipse: alteram, qua è duabus vnam conflatam esse docuerunt, vt Dioscorus: tertiam, qua essentiales proprietates vtriusque naturæ confuderunt, vt ἀκέφαλοι: quartam, qua è duabus voluntatibus vnam, & è duob. actionū generib. vnū commenti sunt, vt Monotheletæ: omnes Eutychis discipuli. Docuerūt igitur hac voce ἀσυγχύτως Græci patres: licet vnitæ sint naturæ, & proprietates & voluntates: nullā tamen ibi factam esse cōfusionem: sed omnia distinctissima permanere, Naturas, proprietates, voluntates, actiones.

Quartum aduerbium est ἀχωρίστως quo significatur vnionem esse factam, sine vlla diuisione, neque separabiles esse naturas: ac Filium Dei, naturam humanam, quę ante assūptionem non fuit, post assumptionem non depositurum, sed perpetuò retenturum, ita vt non desinat esse vel Deus vel homo, sed vtrumque simul indissolubiliter & semper permanens, verus scilicet Deus & verus homo.

Quintum aduerbium ἐνωθεὶς sumsimus ex Damasc. li. 3. c. 3. *Vbi hanc vnionem vocat* ἕνωσιν οὐσιώδη. Refellitur hac particula, illorum opinio, qui formam serui assumtam, tanquam accidēs, personæ τοῦ λόγου inesse docuerunt, & vnitionem hanc vnitionē accidentalem vocarunt: de quibus supra Th. 4. diximus abundè. Ac contrà docetur, naturam humanam in Christo esse, tanquam partem substantialem illius personæ, cuius rei caussa, patres vocant personam illam σύνθετον ὑπόστασιν, quando Christus tam in vna quàm in altera subsistit forma, & tam οὐσιωδῶς homo est, quàm οὐσιωδῶς Deus est: quemadmodum in aliis duobus mēbris nostræ theseos perspicuè & abundè explicatur. Aliis etiā aduerbiis vtuntur patres Græci, cum hanc explicant vnionē, sed omnia ad aliquod istorum quinq; ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως, οὐσιωδῶς, pro quo Paulus dixit σωματικῶς, referuntur. Omnes.n. hæretici in hoc mysterio vnionis duarum naturarum in vna persona, aut naturas mutarunt, aut eas earumque proprietates confuderunt: aut diuiserunt & duas hypostases fecerunt, aut separabiles esse dixerunt, aut accidentaliter vnitas esse docuerunt. Contra primum errorem facit ἀτρέπτως: contra secundum, ἀσυγχύτως: contra tertium, ἀδιαιρέτως: contra quartum, ἀχωρίστως: contra quintum οὐσιωδῶς.

Atque hoc pro explicatione primi membri, imò totius theseos satis. Nam reliqua duo membra, non opus habent explicatione: sed ad primi membri declarationem & confirmationem pertinent.

Nam quid est formam serui, i. humanā naturam, assumtam esse à Filio Dei, in suæ vnitatem personæ, ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως, οὐσιωδῶς, quid inquam h. e. aliud, quàm vnam & eandem personam, in duabus naturis, diuina & humana, sine vlla ipsarum, essentialiúmve proprietatum earum mutatione, confusione, diuisione, separatione, essentialiter subsistere (vt habet secundum membrum) eóque vnum & eundem Christum, verum ac perfectum Deum, verum ac perfectum hominem esse, vt habet tertium membrum nostræ theseos.

Nunc ergo restat, vt demonstremus tum è sacris literis, tum ex patribus, hūc quem explicauimus, *vnionis modum*, esse verum modum, quo qui erat in forma Dei, assumsit sibi formam serui. Ac primùm, vt maneam in contextu, Apostolus ipse hoc luculentissimè comprobat: qui cùm dixisset, *formam serui suscepit*, mox explicans, quomodo susceperit, subiecit, dicens, *in similitudine hominum factus, & σχήματι compertus vt homo*. Primùm, dixerat de Christo: ὑπάρχων ἐν μορφῇ θεοῦ: qua locutione duo significauit: Christum ante assumtam carnem, fuisse personam subsistentem, quia ὑπάρχων erat: deinde fuisse verum & τῷ ὄντι Deum, quia ἐν μορφῇ θεοῦ. Postea subiecit, quomodo se exinanierit, dicendo μορφὴν τοῦ δούλου λαβών: qua voce docemur, quid susceperit, non personam sed naturam, quia non δοῦλον sed μορφὴν δούλου suscepit: & naturam quidem non nudam, sed suis proprietatibus ceu indutam. Hoc.n. significat μορφή. Sed quomodo suscepit hanc formam? Subdit, dicens, *In similitudine hominum factus*, i. factus homo verus nobis aliis hominibus per omnia similis, si peccatum excipias: vt est ad Hebræos, c. 2. Susceptione igitur non hominis subsistentis: sed naturæ humanæ per se ἀνυποστάτου, ὁ λόγος factus est homo, eoque in vnitatem suæ personæ illam formam serui suscepit. *Et σχήματι* (inquit) *compertus est vt homo*. Naturam igitur humanam, eiusq; proprietates & actiones retinuit semper, & ante & post resurrectionem, quibus declarauit & declarat, se verum esse hominem, sicut etiam proprietatibus & actionibus diuinis se verum esse Deum luculentissimè patefecit & patefacit. Sed singula hæc verba percurro, & ex iis demonstro verum vnionis hypostaticæ modum.

1. Ac primùm, considera mihi, quòd qui erat in forma Dei, ille ipse suscepit formam serui, & factus est homo, nō minus in hac forma serui, quàm in illa Dei subsistens. Vna igitur & eadem persona manens in forma Dei, suscepit formam serui, id est naturam humanam. Quare duæ naturæ in vna & eadem persona sunt. Vnde efficitur humanam naturam per se ἀνυπόστατον, sumtam fuisse à filio Dei, in suæ vnitatem personæ.

2. Attende, non dicere Apostolum, quod deposita aut mutata forma Dei, susceperit filius formam serui: sed quòd manens in forma Dei suscepit formam serui. Ergo ἀτρέπτως suscepit.

3. Examina etiam hoc, Explicans modum, quo suscepta fuit hæc forma, non dicit, quòd forma Dei facta sit homo, sed quod filius, qui in forma Dei erat, suscepta forma serui, factus est homo. Ergo hinc etiam confirmatur, filium Dei formam serui sumsisse, ἀτρέπτως: quia ex eo quod factus est homo, neque diuina natura in humanam, neque humana in diuinam conuersa est. Ex quo sequitur etiam quartum.

4. Sicut diuina natura, quia non est facta vel homo vel hominis natura, neque etiam facta est realiter particeps essentialium proprietatum humanæ naturæ: sic vicissim humana, quia non est facta vel Deus ipse, vel Dei natura: ideo neq; etiam essentialium proprietatum diuinæ naturæ, facta est reali cōmunicatione particeps: Sed tantū, qui Deus existens, factus est homo, de hoc etiam realiter solo prædicantur, tum diuinæ, tum humanæ naturæ proprietates.

5. Perpende & participium, γενόμενος. *factus* homo. Quomodo factus est homo? Num eo sensu, quo aquam legimus apud Iohan. c. 2. factum fuisse vinum? Nequaquam. Aqua enim ideo facta est vinum: quia forma aquæ exuta; forma vini induta est: & vna posita alteram suscepit: Et sic omnia fieri & generari solent. At verò Filius Dei ita susceptione formæ serui factus est homo, vt non deposuerit formam Dei, nec desierit esse Deus. Factus est igitur homo, quia, qui in forma Dei subsistebat, sine vlla sui mutatione factus est hypostasis humanæ etiam naturæ: & in ea pariter subsistit, atque etiam in natura diuina, in duabus scilicet μορφαῖς substantialibus cuius rei nihil planè simile in natura inueniri potest. Quod enim est aliquid subsistens, aliquid aliud fieri non potest, nisi priori forma exuatur: Vt, lignum fit ignis, quomodo? posita forma ligni & suscepta forma ignis: Et album fit nigrum, quomodo? priuatione albedinis & nigredinis susceptione. Filius autem Dei, quod erat, permansit: & quod non erat, sine vlla sui mutatione assumsit, & aliud, i. homo factus est. Et certè filius Dei quod erat, nō potest dici factus esse: eóque Filius, nec Deus factus est, nec persona, quia vtrumq; ab æterno erat. Quare, factum esse propriè loquendo, nec in eius Deitatem nec in eius personam competit. Quomodo ergo dicitur factus esse, quod non erat, sc. homo? nempe, quia formæ serui, i. humanæ naturæ, non extra se, sed in sua persona creatæ simul & assumtæ, formæque Dei vnitæ, hypostasis factus est: h. e. subsistētiam in seipso dedit: ac in seipso fecit eam existere, partem sui quodammodo effectam. Hæc est vnio. Verè igitur ὑποστατικῶς filius Dei factus est homo: non quòd vel quoad Deitatem, vel quoad personam aliquid factus sit (neutra enim facta est) sed quod humana natura in eius persona tāquam in sua propria hypostasi creata, & Deitati ἀσυγχύτως vnita, mox ipse fuit homo, qui etiam Deus erat & est. Hoc sensu & hoc modo dicitur factus homo ὑποστατικῶς & ἀτρέπτως. Quia igitur facta seu creata humana natura, & ab ὑποστάσει filij Dei, simul etiam assumta, i. Deitati ἀσυγχύτως καὶ ἀδιαιρέτως vnita, ipse (dictum factum) sine vlla sui mutatione fuit homo: idcirco dicitur factus esse, quod non erat, i. homo. Atque hic est verus modus, quo formam serui assumsisse dicitur: sicut etiam declarabimus ex patribus. Sic enim explicat Damascenus.

6. Considera mihi rursus vocem hominis in verbis Apostoli, cum dicit, eum, qui in forma Dei erat, sumta forma serui, factum esse hominem & compertum vt hominem, verum scilicet atque perfectum.

Quicunque verus & perfectus est homo, per veram & perfectam humanitatem homo sit necesse est: at sine humanitate homo esse non potest. Si igitur Christus factus homo eo sensu, quem declarauimus, semper compertus est vt homo. Mansit ergo & manet in Christo vera, integra & perfecta cum omnibus suis essentialibus proprietatibus, humana natura: eáque à natura diuina verè & realiter distincta. Quare nulla facta est σύγκρασις vel σύγχυσις in hac formæ serui assumtione: ac proinde (vt in thesi diximus) mansit semper & manet sicut homo, sic etiam visibilis, finitus, circumscriptus. Nam ἀδιαιρέτως formam serui assumsit.

7. Item, si eadem persona, i. idem Filius Dei, propter formam Dei Deus manet & propter formam serui assumtam factus est homo. Formæ igitur istæ non sunt diuisæ, sed ὑποστατικῶς vnitæ. Quare ἀδιαιρέτως καὶ ἀδιαστάτως (vt loquitur Damascen.) vnitæ sunt formæ.

8. Rursus, si mansit semper & manet verus ac perfectus Deus & perfectus homo, vt docet Apostolus, dicens: σχήματι *compertus vt homo*: permixtæ igitur ac confusæ in eo non sunt naturæ, aut naturarum proprietates, volunttates, actiones. Sed vt vnaquæque forma suas distinctas retineat proprietates, voluntates, actiones necesse est. Ratio est: quia si vel vna aut altera forma careret aliqua suarum proprietatum, non esset perfectus Deus aut perfectus homo: si verò permixtas aut confusas haberet proprietates, neque verus Deus neque verus homo fuerit: sed quiddam tertiū: vt supra ex Damasc. demonstrauimus: Sicut, neque quòd componitur ex permixtis elementis, est verum elementum, sed quoddam tertium corpus. Quare ex eo quod Christus manet verus Deus & verus ac perfectus homo: efficitur eum ἀσυγχύτως formam serui, eiusque proprietates assumsisse.

Ex iis quæ iam dixi pro explicatione huius loci, satis cōstare arbitror, quomodo qui erat in forma Dei, sumserit formam serui: nempe eam sumendo in vnitatem suæ personæ, ἀτρέπτως contra Apollinarem: ἀδιαιρέτως, indiuisè cōtra Nestorium: ἀσυγχύτως contra Eutychem, Dioscorum, Macarium: ἀχωρίστως & ὑποστατικῶς contra Gallos, sumendo in-

quam hanc formam ita in suæ vnitatem personæ, vt ille idem, qui erat & est in forma Dei, esset etiam atque subsisteret in forma serui, factus in similitudine hominum & habitu compertus vt homo, i. factus & permanens semper verus ac perfectus homo, sicut etiam est genitus verus ac perfectus Deus. Ac proinde, quòd illud: Factus est homo: aliter explicari non possit ac debeat, quàm quòd filius Dei eodem temporis momento, quo humanam naturam per se ὑποστατικῶς in sua ὑποστάσει creauit ac subsistere fecit, vnitis simul anima atque corpore, & iis Deitati: (dictum factū) fuit sine vlla sui mutatione verus ac perfectus homo.

Nunc idem facilè est concludere ex aliis etiam infinitis prope locis S. literarum. Nempe vbicunque prædicatur incarnatio filij Dei, demonstratur, eandem personam esse & verum ac perfectum Deum, & simul etiam verum ac perfectum hominem. Si enim vna & eadem persona est Deus & homo, & homo est susceptione humanæ naturæ: hanc igitur in vnitatem personæ suscepit. Ac proinde ἀδιαιρέτως suscepit, vt in Christo non sint duæ ὑποστάσεις, sed vna: duæ verò naturæ.

Deinde, si verus est Deus ac verus homo: ergo ἀτρέπτως & ἀσυγχύτως suscepit: ἀτρέπτως quidem: quia si vel humana esset conuersa in diuinam, vel diuina in humanam: iam nō esset amplius vel verus Deus, vel verus homo: amissa vera natura, vel diuina vel humana: ἀσυγχύτως verò, quia si hæ naturæ cum suis proprietatibus essent inter se aliqua ratione permixtæ atque confusæ, iam non essent amplius puræ ac veræ naturæ, diuina ac humana: sed mixtione illa corruptæ atque adulteratæ: sicut etiam aurum permixtum cupro, non est amplius verum aurum, aut verum cuprum, sed adulterinum.

Tertiò, si perfectus est homo, sicut & perfectus Deus: Totam igitur naturam humanam, perfectam scil. animam & perfectum corpus, cum omnibus essentialibus vtriusque proprietatibus suscepit, & ὑποστατικῶς sibi in vnitatem personę copulauit. Ac si manet semper vna & eadem persona, verus ac perfectus Deus, verus ac perfectus homo: necessario efficitur, naturas & naturarum proprietates atque actiones in vna & eadem persona manere, vt indiuisas, sic etiam incorruptas, impermixtas, inconfusas, distinctas. Ecce quomodo ex omnibus locis, vbi prædicatur vnus & idē Christus verus ac perfectus homo: concluditur & demonstratur modus, quo formam serui suscepit, nempe in suæ vnitatem personæ, ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως, ὑποστατικῶς, & quòd sine vlla sui mutatione factus est homo.

Sed aliquot loca percurramus, Iohan. 1. *In principio erat λόγος*, &c. Tria attribuit λόγῳ, i. filio Dei. 1. quòd sit æternus, quia in principio erat. 2. quòd persona à patre distincta, quia erat apud Deum. 3. quòd verus Deus, quia λόγος erat Deus. Atque hoc demonstrat ab effectu, quia omnia per ipsum facta sunt, &c. De eodem eadémq; persona subdit, quòd factus sit homo: quia λόγος caro factus est. Carnis nomine totum verum & integrum hominem intelligit & probat: *Quia habitauit inter nos*, q. d. Ex eius conuersatione, forma corporis & veri hominis actionibus nouimus, eum verè fuisse & esse hominem. Sed ne dicas: At quem nostis verum esse hominem, non est ille λόγος æternus verusque Deus, subdit confirmationem, hunc illum ipsum esse: quare? quia *vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti*, i. vt veri vnigeniti à patre. Ita concludit, vnam & eandem personam, quę fuit ab æterno Deus verus atq; perfectus, postea in tempore fuisse factum verum & perfectum hominem. Quod enim Paulus dicit: *factus homo*: Io. dixit: *factus est caro*: Quod Paulus, σχήματι *compertus vt homo*: Iohan. dixit, *Habitauit inter nos*: Et, *Vidimus gloriam eius*, &c.

Quomodo autem Verbum caro factum est? Apostolus explicauit, dicens: *Formam serui accepit*. Item Heb. 2. *Semen Abrahæ assumsit*. Assumtione igitur carnis, i. humanæ naturæ, factus est homo: quali verò assumtione? assumtione ὑποστατικῇ, & in vnitatem personæ, i. efficiendo, vt hæc caro per se ἀνυπόστατος, subsistentiam habeat in eadem ὑποστάσει filij Dei, & vt sit, ceu quædam eiusdem personæ pars ὑποστατική. Verbum igitur caro factum est non conuersione diuinitatis in carnem, aut naturarum confusione: sed assumtione humanitatis in Deum, vt loquitur Athanasius. Quid hinc efficitur? Idem λόγος verus Deus manens, verus & perfectus homo factus est per assumtionem carnis: Ergo carnē hanc assumsit in vnitatem personæ. 2. assumsit ἀτρέπτως: 3. ἀσυγχύτως: 4. ἀδιαιρέτως: 5. ἀχωρίστως: 6. ὑποστατικῶς: quæ particulę quomodo sint intelligendæ, & quasnam damnent hæreses, supra explicatum est: & adhuc magis explicabitur, cum ventum fuerit ad confessionem concilij Chalcedonensis: vnde hæ particulæ desumtæ sunt.

Alius insignis locus, vbi modus huius assumtionis atque

atque vnionis explicatur, exstat Heb. 2. de Christo, i. de Filio Dei incarnato, ait: Quoniam pueri (id est, electi, quos tanquam Christi fratres, sed minores natu, pater dederat Christo, tanquam primogenito seruandos, vt v. 13. dixerat) quoniam, inquit, pueri κεκοινώνηκε σαρκὸς καὶ αἵματος: καὶ αὐτὸς παραπλησίως μετέσχε τῶν αὐτῶν. Et infra v. 16. *Non enim Angelos assumsit, sed semen Abrahæ assumsit. Vnde debuit per omnia fratribus assimilari.* Ad sensum quod attinet: Res est perspicua: nempe Filium Dei, qui nos fecerat homines, ipsum quoque voluisse eiusdem fieri naturæ, & nobis per omnia similem: quamobrem? Vt posset mori: & sua morte nos à morte liberare: vt ibi describit Apostolus. O immensum Filij Dei erga nos amorem: qui ideo voluit fieri homo, & mortalis, vt nos à morte, persoluto λύτρῳ, liberare posset.

Sed verba sic explicant τεχνικῶς, vt illud τὰ παιδία, pueri, intelligatur non de omnibus hominibus, sed de filiis duntaxat Dei, quorum ipse Christus est primogenitus. Et vt illud: κεκοινώνηκε σαρκὸς καὶ αἵματος, nil aliud significet, quàm quod sumus in carne & sanguine, i. homines mortales. Illud verò, καὶ αὐτὸς παραπλησίως μετέσχε τῶν αὐτῶν, nil aliud significet, quam quod Filius Dei factus sit verus homo, nobis per omnia similis, excepto peccato παραπλησίως (inquit Oecumenius) [illegible] Et Cyrillus ibidem, [illegible] (inquit) [illegible] Sensus illius loci perspicuus est.

Cæterum vt ad scopum nostrum veniamus, de modo, quo Filius Dei sibi nostram carnem vniuit, obseruanda hæc sunt in iis verbis Apostoli. 1. Comparari τὰ παιδία, i. pueros, fratres Christi minores cum ipso Christo primogenito in natura suscepta, & doceri hac in parte, illum per omnia similem esse fratribus excepto peccato: ac proinde Christum tam verum & perfectum esse hominem, quàm nos sumus. Ideo ait παραπλησίως μετέσχε τῶν αὐτῶν σαρκὸς καὶ αἵματος: παραπλησίως, i. pariter, consimiliter, [illegible] nempe, quoad naturam assumtam. Nam alioqui, alio modo ille factus est homo, quàm nos: ille per voluntariam assumptionem naturæ: nos per generationem naturalem.

2. Ideo secundo loco notandum est, quod de teipsa ait: nempe, Quia nos communicauimus carne & sanguine, i. quia communem inter nos habemus naturam humanam: ideo & ipse particeps est factus eorundem, carnis sc. & sanguinis, i. verus factus est homo: Sic. n. paulò pòst explicat, dicens: *debuit enim per omnia fratribus assimilari*, nêpe in naturæ humanæ substantia. Ergo in re ipsa humanæ naturæ nihil discriminis est inter Christum & nos. At verò de modo, quo & ille & nos facti sumus homines: aliis vtitur verbis. De nobis ait παιδία κεκοινώνηκε, & quotidie etiam κεκοινωνήκασι inter se habent carnis & sanguinis, nempe naturalem. At de Christo ait: αὐτὸς μετέσχε τῶν αὐτῶν: particeps factus est eorundem, quomodo μετέσχε? Per assumptionem. Hoc. n. paulo post explicat, dicens: *Non enim assumsit angelos, sed semen Abrahæ assumpsit.* Assumpsit, inquit. Hæc est differentia. Nemo. n. nostrum dici potest assumsisse semen patris sui, aut humanam naturam: quid ita? quia, qui assumit, iam ὑφεστὼς quoddam est, diuersum à re, quam assumit: nos verò ante carnem & sanguinem, quorum κοινωνίαν inter nos habemus, nihil eramus. At verò Christus aliud erat: persona enim iam erat diuina. Licet ergo eiusdem naturæ particeps factus sit nobiscum: alio tamen modo quàm nos, factus est homo: quia ille per voluntariam assumtionem, nos per naturalem generationem: Filio Dei ὑφεστῶτι noua accessit natura, & ita μετέσχε carnis & sanguinis humani: At nos κεκοινωνήκαμεν σαρκὸς καὶ αἵματος: quia ex corpore & anima geniti sumus homines. Alia certè est vnio ex partibus essentialibus, quæ nunquã per se subsistebant, vti est animæ & corporis, ex quibus fit homo: & alia est vnio, quæ fit cùm rei iã per se existẽti, alia accedit natura in vnitatem illius rei per se subsistẽtis, qualis est hæc, de qua loquimur: h. e. qua ex filio Dei æterno, & ex natura humana illi adiũcta, cõstat vnus Christus. Eadẽ igitur caro & sanguis idem in Christo, & in nobis, sed diuersa ratione nos horũ κεκοινωνήκαμεν & aliã eorundem μετέσχε ὁ Χριστός.

3. *Obseruandum* quòd ait καὶ αὐτὸς sc. μετέσχε. Vnus & idem filius Dei, communicatam sibi habet à patre in æterna generatione, diuinam naturam, & particeps factus est humanæ in tempore, ex Virgine matre. Ex iis liquet, filium Dei eandem humanam naturam, quam omnes habemus, quæ significatur nomine carnis & sanguinis, sibi sumsisse in vnitatem personæ, ἀτρέπτως, ἀχωρίστως, ἀσυγχύτως & ἀδιαιρέτως. Ratio est, quia vna & eadem persona, quæ in diuina subsistens natura Deus erat & est, ita humanã sibi assumsit naturam, eiusque factus est particeps, sine vlla sui mutatione aut naturarum confusione: vt in hac etiam subsistens verus ac perfectus sit homo. Ergo etiam hic locus pulchrè indicat modum vnionis, quo Christus sumsit formam serui. Addam adhuc vnum aut alterum locum, postea veniam ad patres & scholasticos.

Alius locus. Col. 2. Hortabatur Apost. Colossenses, ne se sinerent abduci à Christo per inanem philosophiam, & per eos qui docent, quærendam esse salutem saltem ex parte alibi, quam in Christo: sed vt radicati maneant toti in solo Christo. Subiecit rationem: quia *in Christo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter*, σωματικῶς: ac proinde summũ bonum, omnes thesauri, totáque salus in eo solo posita est, Nam in eo (inquit Apost.) nempe in Christo, inhabitat πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς. Manifestè loquitur Apost. non de sola carne Christi, sed de tota eius persona: ac dicit in eo inhabitare, i. perpetuò inesse, non solum θειότητα, sed πλήρωμα θεότητος: nec solùm πλήρωμα, sed πᾶν τὸ πλήρωμα, i. totam diuinam essentiam cum omnibus suis proprietatibus atque thesauris. Et quomodo inhabitat? non per gratiam, aut per efficaciatem tantum Spiritus: sicut inhabitat in omnibus sanctis, iuxta illud: *inhabitabo in eis*: sed σωματικῶς, i. vt Græci interpretantur, οὐσιωδῶς: vt sit sensus, Christum esse sua substantia & natura verum ac perfectum, eundémque cum Patre Deum: eóq; fontem bonorum omnium & totius salutis: quia in ipso Christo omnis plenitudo Deitatis, corporaliter, i. οὐσιωδῶς, essentialiter & substantialiter inhabitat. Sic commodè potest hic locus explicari, vt de tota persona intelligatur. Quia tamen etiam caro sumta, pars est personæ Christi: ideo non displicet interpretatio veterum: vt de inhabitatione τοῦ λόγου, (qui est πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος, i. verus ac perfectus Deus, quia totam essentiam diuinã habet à patre) non displicet, inquam, vt locus iste de inhabitatione τοῦ λόγου in carne assumta καθ' ὑπόστασιν intelligatur, h. e. de vnione τοῦ λόγου ad carnem, καθ' ὑπόστασιν. Nam sic etiam scholia interpretãtur. Et recepta est apud omnes hæc interpretatio. Dicitur ergo tota Deitas filij in carne, i. in natura assumta habitare σωματικῶς, seu οὐσιωδῶς, quia vnita est humanæ naturæ vnione, non σχετικῇ, vt volebant Ariani, & Nestorius, sed οὐσιώδει & substantiali, eóq; ὑποστατικῇ: h. e. quia λόγος, qui erat secunda hypostasis diuinæ essentiæ, factus est ὑπόστασις humanæ naturæ: ita vt iam idem filius non minus substantialiter & οὐσιωδῶς sit homo, quàm etiam Deus est. Proinde dicere Deũ habitare in carne σωματικῶς, perinde est, atque si dicas, Deus (λόγος sc.) est incorporatus, h. e. factus est corporatus: vt Tertull. exponit: sicut alij dicunt: Deus est incarnatus, id est, factus caro.

Locus iste egregiè explicat modum, quo filius Dei sumsit formam serui: nempe οὐσιωδῶς, & in vnitatem personæ: ἀτρέπτως: quia aliud est quod inhabitat, πλήρωμα θεότητος, & aliud id in quo inhabitatur, nempe caro corpúsq; Christi, quod ipsemet vocauit templum suum, in quo sc. inhabitat omnis plenitudo Deitatis ipsius, nec vnum mutatum est in alterum. Sumpsit etiam ἀσυγχύτως: quia inhabitans Deitas, & inhabitatum templum, non sunt simul confusa, licet vnita: Sumpsit & ἀδιαιρέτως indiuisè, quia non simpliciter Deitas inhabitat in carne sicut in sanctis, vbi alia hypostasis est inhabitans Deus, & alia hypostasis homo, in quo ille inhabitat. Sed inhabitat in hac carne assumpta, σωματικῶς, h. e. οὐσιωδῶς, vt & inhabitans & domus inhabitata, sint vna & eadem hypostasis atque persona.

Sed hîc statim suboritur quæstio: Cum Deitas filij sit immensa & infinita: caro autem finita & certo eóque angusto loco circumscripta: quomodo fieri potest, vt tota hæc plenitudo Deitatis sit in carne? At certe nostri Vbiquitarij hoc loco abutuntur ad probandum, carnem Christi esse vbique: quamobrem? Quia tota plenitudo Deitatis est in carne: quomodo igitur potest Deitas vbique esse, quin ibi sit & caro, in qua ipsa Deitas inest & inhabitat: σωματικῶς, i. tota sua essentia atque substantia.

Quidam è nostris respondent, vt non libenter dent, totam plenitudinem Deitatis habitare in carne: propterea quòd caro Christi etiam in ipsa vnione sit finita, Deitas autem infinita: ac proinde fieri non posse, vt Deitas infinita cõtineatur in carne finita: quod hæc non sit illius capax, ideóque dictum Pauli referendũ esse ad totam personam Christi, quæ immensa est: in hac dici inhabitare plenitudinem Deitatis, quia perfectus est verusque sua natura Deus: dici verò etiam quodammodo inhabitare in carne, quia hæc facta est ceu pars illius immensæ personæ.

Cæterum ego malo cum Fulgentio, ad Thrasimũdum Regem li. 3. vbi hanc explicat quæstionẽ respondere: Totã plenitudinẽ Deitatis inhabitare in carne Christi, nec tamẽ ibi esse cõclusã: quia ita tota est in humana Christi natura, vt etiã sit extra eã vbique in cœlo & in terra. Ratio huius

rei est, quia Deitas non solum est immensa, vt possit esse vbique: sed etiam est simplicissima, vt possit esse & sit vbique tota. Nam si anima, de multorum sententia, est tota in toto corpore, & tota in singulis partibus corporis, quia essentia est simplex, & incorporea: quantò magis id dicendū & sentiendum est de diuina essentia, quæ est simplicissima & spiritualissima οὐσία? Quare sicut non valet hæc sequela: Tota anima est in capite. Ergo vbicunque est anima, ibi etiam est caput (est enim etiam in pedibus, & tamen in illis non est caput) sic neque hæc valet: Tota plenitudo Deitatis est in carne Christi: Ergo vbicunque est Deitas, ibi & caro. Cur non valet? quia ita tota est in carne, vt etiā tota sit extra carnem, licet sit vna & eadem Deitas: idque propter summam eius simplicitatem: annon tota erat in anima Christi separata a corpore, & tota in corpore? Sic etiā σχόλια in locum ad Col. 2. &c. πῶς οὖν εἰπὼν ἐν τῷ παρ᾽ ἑαυτοῦ κατοικεῖ τὸ θεῖον λόγον καθ᾽ ὑπόστασιν αὐτῷ ἡνῶσθαι, πανταχοῦ ἐστι; μὴ περιγράφεσθαι ἐν αὐτῷ. q. d. quin tollatur verbo, ne amplius sit vbique, cum inclusus videatur in carne? Respondet ὥσπερ τὸ πρωτότυπον ... ἐν ἀρχῇ ... ἐν τῷ σώματι ... ἐν αὐτῷ ὑπάρχων ... κατα... τὰ πάντα. οὕτως καὶ ὁ ἐν ἀρχῇ ἄσαρκος θεὸς λόγος, σαρκωθεὶς, οὐ κωλύεται καὶ σαρκὶ ἑνωθῆναι καθ᾽ ὑπόστασιν καὶ μὴ συγκλεισθῆναι ἐν αὐτῇ, ἀλλὰ τὰ πάντα πληροῖ. Et hanc ob caussam credo, inquit Oecum. sese ipse Christus appellat lumen: Et Malachias illum vocat solē iustitiæ: Et Psalmographus: cecidit ignis super ipsos & nō viderunt solem: Et mox, explicans illa verba: πλήρωμα τῆς θεότητος (inquit) ... ὁ θεὸς λόγος ... αὐτῷ κατοικεῖ. ἀλλὰ μὴ νομίσῃς αὐτὸν ἐν τῷ ... σαρκωθῆναι ... μετὰ τοῦ πατρὸς ... ἅπας ... Explicat porrò illud σωματικῶς & inquit: ... σωματικῶς ... ἐν τῷ σώματι ψυχὴ ... ἑνωθεὶς ... σώματι ... ἀσυγχύτως, ἀδιαιρέτως ... (inhabitat. n. in illis Deus, iuxta illud, inhabitabo in illis, & inambulabo) ... σωματικῶς ... ὡς ἡ ἐν σώματι ψυχή. Quanquam, inquit, anima separetur etiā à corpore in morte: Deus autem λόγος nequam vel à corpore, vel ab anima: q. d. Ergo magis ἀχωρίστως inhabitat λόγος in carne, quam anima in corpore. Et mox: ... σωματικῶς ... μετὰ τῆς ἰδίας σαρκὸς ... ὑπόστασιν ... ἐν δύο φύσεσι ...

Placuit hæc scholiorum verba recitare, quia præclarè explicant tum propositam quæstionem, tum modum quo Christus assumsit formam serui. Atque ex iis refellitur calumnia impudentis cuiusdam Vbiquitarij, qui ex verbis Oecumenij in Epistolam ad Eph. c. 4. in ea verba, Ascendit supra omnes cœlos, vt impleret omnia: conatus est probare, hanc fuisse Oecumenij sententiam, Christum carne sua omnia implere loca: quia dixit Oecumenius: καὶ γὰρ καὶ γυμνῇ τῇ θεότητι, πάλαι τὰ πάντα ἐπλήρου, καὶ σαρκωθεὶς, ἵνα τὰ πάντα μετὰ σαρκὸς πληρώσῃ, κατέβη καὶ ἀνέβη. Quomodo hæc fuit sententia Oecumenij in eum locum Apostoli ad Eph. cum apertè scribat in hunc locum ad Col. 2. contrarium, vt modò vidimus? Est igitur alius sensus Oecumenij in c. 4. Eph. quàm ille, quem imperitus homo ille affinxit: nempe, sensus est, Christum implere omnia non sua carne, sed cū sua carne, i. iā carne vestitum, sicut antea nuda diuinitate, omnia implere, non ait τῇ σαρκὶ, sed θεότητι implere, non nuda, sed μετὰ σαρκός: quanquam verba sola κατέβη καὶ ἀνέβη, nempe τῇ σαρκὶ (non enim descendit aut ascendit Deitate) manifestè refellunt vbiquitatē carnis siue realē eius præsentiā in omnibus simul locis. Quomodo. n. vbique est, si descendit & ascēdit?

Plura nolo testimonia S. literarum afferre, quib. demonstrem modum, quo filius Dei formam serui suscepit, esse eum, quem proposuimus, explicauimus, atque hucusque è scripturis probauimus.

Venio nunc ad Patres, qui hunc assumptionis modum pro suo quisque dono, & quoad eius fieri potuit, explicarunt. Neque omnium afferam, quia superuacaneum, sed tātum quorundam præcipuorum sententias: atque in primis concilij Chalcedonensis, quæ fuit totius Ecclesiæ Catholicæ declaratio, atque confessio, definitionem.

Concilij Chalced. confessio hæc est: quæ in actione 15. sic habet Latinè. *Sequentes igitur sanctos patres 1. vnum eūdemque confiteri filium: & dominum nostrum Iesum Christum, cōsona voce omnes docemus: 2. eundem perfectum in Deitate, eundem perfectum in humanitate: 3. Deum verè & hominem verè. eundem ex anima rationali & corpore: 4. coessentialem patri secundum Deitatem, coessentialem nobis eundem secundum humanitatem per omnia nobis similem absq; peccato: 5. ante secula quidem de patre genitum secundum Deitatem. in nouissimis autem diebus eundem 6. propter salutem nostram ex Maria Virgine θεοτόκῳ secundum humanitatem: vnum, eundem Christum, filium, Dominum, vnigenitum in duabus naturis 7. inconfusè (ἀσυγχύτως) immutabiliter (ἀτρέπτως) indiuisè (ἀδιαιρέτως) inseparabiliter (ἀχωρίστως) agnitum: nusquam sublata differentia naturarum propter vnionem, magisq; salua proprietate vtriusque naturæ, & in vnam personam atq; existentiam (ὑπόστασιν) concurrente, non in duas partitum atq; diuisum, neque disiunctum, sed vnum & eundem filium vnigenitum, Deum, Verbum, Iesum Christum: 8. sicut ante Prophetæ de eo, & ipse nos Iesus Christus erudiuit, & patrum nobis symbolum tradidit.*

Sunt octo præcipua capita huius Ecclesiasticæ cōfessionis.

1. Vnum tantum esse Christum, vnamque personam. Hoc contra Nestorium.

2. In hac persona, duas esse perfectas naturas: quia perfectus Deus est, perfectúsque homo: contra Arium, Eutychem, Apollinarem.

3. Eundem esse verè Deum, & verè hominem: hoc contra Arium & Marcionem.

4. Ὁμοούσιον Patri secundum Deitatem, ὁμοούσιον nobis secundum humanitatem: Similem nobis per omnia excepto peccato. Contra eosdem.

5. Duas Christi natiuitates: æternam ex patre: temporariam ex matre: & hanc esse Dei genitricem: contra Nestorium.

6. Finem incarnationis: propter salutem nostram.

7. Modus explicatur, quo formam serui suscepit, & in duabus subsistit naturis: ἀσυγχύτως, &c.

8. Certitudo doctrinæ huius: quòd sit à Prophetis, quòd à Christo ipso, quòd à catholica ecclesia tradita.

Si omnia diligenter perpendantur: non pauca hinc sumuntur *argumenta contra Vbiquitarios*, vt quod perfectus est homo, sicut etiam perfectus est Deus. Si semper perfectus est homo: ergo omnes essentiales proprietates humanæ naturæ retinet. Quomodo ergo vbique ea natura esse potest: quin amiserit naturalem circumscriptionem & visibilitatem corporis. Vtrumque. n. est essentialis corporis humani proprietas. Eodem spectat, quòd aiunt, nobis esse similem per omnia, sine peccato. Item, quòd aiūt, nusquam sublata differentia naturarum, propter vnionem, magis autem salua proprietate vtriusque naturæ. Ergo etiam in cœlo saluas retinet proprietates, & vnio non impedit, quin sicut naturæ: sic proprietates maneant saluæ.

Sed iis omissis, de modo, quo sumpsit formam serui, & quo manet in vtraq; natura, agendum est. Primo conciliū ait: ἀσυγχύτως. 2. ἀτρέπτως. 3. ἀδιαιρέτως. 4. ἀχωρίστως. Addūt: nusquam sublata differētia naturarum propter vnionem, magis aūt salua vtriusque naturæ proprietate οὐδαμοῦ τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνῃρημένης διὰ τὴν ἕνωσιν, σωζομένης δὲ μᾶλλον τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως. Dixit in singulari, τῆς διαφορᾶς τῶν φύσεων, & τῆς ἰδιότητος, pro plurali, differentiis & proprietatibus naturarum. Sed sensus Synodi fuit, quod ne vna quidem sublata sit, propter vnionem. Hæc verò pertinent ad explicationem illorum aduerbiorum, ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως. Nam σύγχυσις καὶ τροπὴ tolluntur differentiæ, & proprietates naturarum. Ergo qui tollunt differentiā & proprietatē vllā: ij inducunt σύγχυσιν, & τροπήν. Hoc nos expressimus in thesi, vbi diximus in membro secundo: Atque ita assumsit, vt qui antea in natura tātùm diuina, inuisibili, immēsa, &c. subsistebat: nūc ille ipse in natura etiam humana visibili, finita, &c. subsistat.

Subdit Synodus: In vnam personam atque subsistentiam (ὑπόστασιν) concurrente, (vtraq. scilicet natura, & vtriusque naturæ proprietatibus) καὶ εἰς ἓν πρόσωπον, καὶ μίαν ὑπόστασιν συντρεχούσης, &c. Hoc est, quod nos diximus, Filium Dei formā serui in suæ vnitatem personæ assumsisse, &c. Ita vt eadem persona iā subsistat in duabus distinctis naturis. Sed nomini προσώπου, seu personæ addidit Synodus nomen ὑποστάσεως, εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν: Propter quosdā Nestorianos, qui vnam quidem personam fatebantur, sed hanc è duabus ὑποστάσεσι constare dicebant, ex ὑποστάσει diuina & ex ὑποστάσει humana. Adiecit ergo καὶ μίαν ὑπόστασιν, maioris explicationis gratia. Imò quo clarius fidem suam explicarent: post affirmatiuam subiecerunt negatiuam, dicentes: οὐκ εἰς δύο πρόσωπα μεριζόμενον ἢ διαιρούμενον, ἀλλ᾽ ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν υἱὸν καὶ μονογενῆ θεὸν λόγον κύριον Ἰησοῦν Χριστόν. Aiunt autem hanc doctrinam se accepisse à Prophetis, à Christo, & ex symbolo patrum.

Nunc ergo tenemus modum, quo ecclesia edocta à Prophetis, à Christo, & à primis patribus credidit & docuit, filiū Dei formam serui suscepisse, & tam in ea, quàm in forma Dei semper permanere: ita vt vnus & idē Dei filius tēper sit verus ac perfect' Deus, verus ac perfectus homo: nobis per omnia similis, sine peccato, secūdū Deitatē, ὁμοούσιος patri, secūdū humanitatē, ὁμοούσιος matri & fratribus suis.

Doctrina hæc fuit postea confirmata in quinta c. Vide Act. 4.

Act.4. Capitula Synodi, & sexta. Vide Act.17. Synodo, semperque retenta in Ecclesia Catholica.

Iam non est difficile videre & intelligere quid reliqui Catholici patres hac de re docuerint, omnium scripta recitare longum & superuacaneum foret.

Damascen. qui omnia concilia, & omnia patrum scripta diligenter euoluit: omnia cum concilio Chalced. consentanea, de hoc modo, quo Filius Dei sibi carnem nostram vniuit, vbique scribit: præsertim in 3. & 4. li. orthodoxæ fidei, & in dialectica.

Li.3. c.2. ait: λόγον, eum suscepit carnem, sese fecisse hypostasin carni à se in seipso creatæ, ita vt illa caro nunquam substiterit, nisi in persona filij, caroque fuerit nunquam nisi Dei: αὐτὸς ὁ λόγος γέγονε τῇ σαρκὶ ὑπόστασις· ὥστε ἅμα σάρξ, ἅμα θεοῦ λόγου σάρξ, ἅμα σὰρξ ἔμψυχος λογική τε καὶ νοερά. διὸ οὐκ ἄνθρωπον ἀποθεωθέντα λέγομεν, ἀλλὰ θεὸν ἐνανθρωπήσαντα. ὢν γὰρ φύσει τέλειος θεός, γέγονε φύσει τέλειος ἄνθρωπος ὁ αὐτός, οὐ τραπεὶς τὴν φύσιν. Et mox quomodo vnitus sit carni, docens, ait: ἑνωθεὶς καθ' ὑπόστασιν ἀσυγχύτως, καὶ ἀναλλοιώτως, καὶ ἀδιαιρέτως.

Et c.3. ἐν δύο φύσεσι γνωρίζομεν, ἀσυγχύτως, καὶ ἀναλλοιώτως, ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίστως... Illis duobus aduerbiis ἀτρέπτως καὶ ἀναλλοιώτως, subiicit explicationem, qua refutat hæreses.

1. Eorum, qui Deitatem, ex carnis assumtione desiisse simplicem esse, docuerunt.

2. Eorum, qui humanitatem conuersam esse in naturam Deitatis voluerunt.

3. Eorum, qui eam saltem in nihilum abiisse dixerunt.

4. Eorum, qui ex diuina & humana, vnam tertiam naturam compositam esse prædicarunt. Suscepit igitur formam serui ἀτρέπτως καὶ ἀναλλοιώτως.

Ad extremum concludit, vnionem duarum naturarum factam esse ἐν συνθέσει γνωριζομένην καθ' ὑπόστασιν, ἀτρέπτως καὶ ἀσυγχύτως καὶ ἀναλλοιώτως καὶ ἀδιαιρέτως καὶ ἀδιαστάτως, indistanter, quod nulla intercapedine hæ naturæ à se inuicem distent. Postremum hoc aduerbium ἀδιαστάτως proprium est Damascens: quo quidam vbiquitarius abutitur, vt doceat, vbi est Deitas, ibi esse humanitatem: alioqui vna distaret ab altera. Sed fallitur. Vna non distat ab altera, quia tota plenitudo Deitatis in tota habitat humana natura, & tota humana natura assumta est in vnitatem totius personæ diuinæ. Sed cum tota Deitas sit etiam extra totam naturam humanam: Non sequitur, sunt ἀδιαστάτως vnitæ: Ergo vbicunque diuina est, ibi & humana. Lux etiam Solis, & corpus ipsum solare, sunt ἀδιαστάτως vnita: Num igitur vbicunque lux est, ibi & corpus solare? Anima & caput ἀδιαστάτως vnita sunt: Ergo nullibi est anima, quin ibi sit caput? Deberent isti homines meminisse, quid in concil. Chalced. legatur: nempe differentias & proprietates naturarum, propter vnionem non tolli neque confundi.

Si λόγος sumsit humanam naturam, diuinæ vnitam ἀδιαστάτως, sumsit etiam ἀτρέπτως καὶ ἀναλλοιώτως. Est autem proprietas naturæ diuinæ, vt sit vbique: & proprietas humanæ, vt sit certo loco. Quid igitur sophisticantur ab hac dictione ἀδιαστάτως: & aliorum aduerbiorum non meminerunt.

De hoc argumento, quomodo abutatur hac dictione Kemnitius, Vide Kemnitium ipsum de Duabus naturis p. 87.88. Ita ex cócilio Chalcedonēsi cõfirmata & constabilita in 5. & 6. Synodis: Deinde ex Damasc. qui quæcunque fuerãt superioribus seculis definita, fideliter collegit, & ipsa planè verba recitat: liquidò apparet, quonã modo formam serui à λόγῳ assumtam fuisse crediderit ecclesia catholica.

Nunc ex tot patribus vnum adferam *Iustinum*: In expositione fidei, quam tunc tota ecclesia catholica profitebatur cum de incarnatione agit, eam sic describit his capitibus.

1. Ait λόγον nostræ salutis caussa, vbi venit tempus dispensationis, de cœlo descendisse: non corporali descensu, sed diuinæ voluntatis efficacia.

2. Ingressum in vterum virginis, quasi semen quoddam diuinum, templum sibi fabricasse perfectum, i. hominem: sumpta parte quadam illius naturæ (humanæ scil.) quæ erat in virgine. καὶ εἰς τὴν τοῦ ναοῦ διαπλάσιν οὐσιώσας, i. & ad formandum templum ea (sc. parte) in substantiam sibi redacta. Dixit: sumta parte, tum propter animam, quam è matris non accepit substantia: tum propter corporis materiam, quia non totam corporis materni, sed partem accepit.

3. Hoc templo indutum κατ' ἕνωσιν ἄφραστον, filium Dei secundum vtramq; naturam prodiisse. ἄφραστον ἕνωσιν appellauit Iustinus hanc duarũ naturarum in vnitatem personæ vnionem: primum, quia est omnium altissima, & quæ omnem superat captum, deinde, quia omnium perfectissima.

Item ait Christum filium esse Dei ἀχωρίστως, i. κατ' ἀχώριστον ἕνωσιν: non quòd substantiam carnis habeat à Patre: sed quia propter illam ἀχώριστον, totus natus est filius Dei. Nam etiam quà homo, filius Dei est: quà de caussã Maria dicitur θεοτόκος.

4. Explicat Iustinus, quomodo actionibus vtriusque naturæ ad nostri redemtionem vsus sit: alia agens quatenus homo, & alia quatenus Deus. Hoc est, quod postea Leo dixit: Vtraque forma agit, quod suum est, &c.

5. Postea rem ipsam & mysterium concludens, ait: εἷς υἱὸς ... Ita vnam statuit personam & duas in eã naturas distinguit: distinguit & cuiusque proprietates atque actiones: alias actiones Christo attribuens secundum Deitatem, quæ eidem non congruãt secundum humanitatem: & dans alias secundùm humanitatem, quæ in eum non competant secundum Deitatem.

6 Regulam tradit generalem, quæ diligenter obseruanda est ad intelligentiam Scripturarum de persona Christi. Itaque (inquit) *cum de vno filio voces inter se diuersas audieris: conuenienter ea quæ dicuntur, inter se collata, naturis distribue. Si quid magnum atq; diuinum, naturæ diuinæ adscribens: sin paruum & humanum, humanæ imputans, Hoc namq; pacto, tum vocum differentiam euitabis, qualibet quod sibi insitum est natura recipiente: tum vnum filium & ante omnia secula, & recens editum de sacrarum literarum sententia profiteberis.* Hæc regula docet primum: scripturas non solere actiones attribuere naturis, sed personæ: deinde sicut distinguuntur in Christo naturæ, sic etiam distinguendas esse actiones: vt aliæ ei attribuantur secundum vnam, aliæ secundum alteram naturam. Tertio docet, quænam actiones, diuinæ, & quænam humanæ attribuendæ sint naturæ: omnia nimirum magna atq; diuina, diuinæ: omnia parua atque humana humanæ esse adscribenda. Denique ratio subditur & vsus huius regulæ, qui est duplex: Vnus quià hoc modo scripturæ, quæ videntur de actionibus Christi tradere pugnantia, vt moti & se mortuum suscitare: Item esse vbique, & nõ esse vbique, facilè conciliabũtur: quia hæc de eodem quidẽ dici, sed non secundũ idem, i. secundũ eãdem naturam, intelligemus: alter vsus est, quia, cùm hæc pugnantia de eodem prædicentur Christo, hac distinctione naturarum & actionum, in eadem persona, certò ac clarè & intelligemus & prædicabimus, id quod scripturæ tradunt, de persona Christi, nempe eundem Christum filium esse Dei, & ante omnia secula, secundum vnam naturam, & in tempore secundum alteram, genitum atque natum.

In toto hoc breui contextu Iustini, summa doctrinæ de hoc incarnationis mysterio, non minus perspicuè quàm breuiter continetur.

7. Septimo loco, de modo, quo hanc formam serui sumsit Filius Dei, quæstionem proponit: ac primùm modestè atque etiam verè ait, se non pudere, fateri suam ignorantiam: deinde pro sua tenuitate duobus explicat similibus: vno ab aliis tradito, altero à se inuento. Primum simile est animæ & corporis: alterum lucis primogeniæ, in solem pòstea positæ.

De primo sic ait? Sunt qui hanc vnitionem, qualem animæ cum corpore intelligant, atque ita doceant. Et conuenit exemplum, si non omninò, saltem ex parte. Quomodo conuenit? Explicat, dicens: Quemadmodum enim homo cùm sit vnus, habet in se duas diuisas naturas: & alia sui parte cõsulit, alia consultum exsequitur, animo decernens nauis structuram, manibus verò opus decretũ conficiens: sic Filius vnus cum sit naturæ geminæ: iuxta alteram patrat miracula, iuxta alteram humilia quæque in se recipit. Quatenus enim ex patre, & Deus, facit prodigia: quatenus ex virgine & homo, crucem, passionem, & similia vltrò pertulit naturaliter. Hactenus, si quis conferat, similitudo quadrat. Hæc Iustinus de hoc simili animæ & corporis, quatenus congruit. Summa. Congruit in tribus Primùm ad demonstrandam vnitatem personæ, contra Nestorium: quódque vnus & idem sit Christus & Iesus, contra alios hæreticos, qui dixerunt Christum descendisse in Iesum, aduersus quos Irenæus l.3. c.18. Deinde valet ad demonstrãdas duas naturas in eadem persona longè diuersas, & inter se distinctas, licet vnitas in vna persona. Ex consequenti, 3. ad demonstrandas diuersas & distinctas vtriusque naturæ proprietates & actiones. Nã hæc omnia etiã in homine reperiuntur. Ac proinde 4. omnes illæ particulæ, quibus modum assumtionis descripsimus in thesi, optimè explicantur hoc simili, quanquam meliùs & perfectiùs congruunt per-

suæ Christi.

1. Quia anima & corpus in vnam personam coeunt.

2. Quia coeunt ἀτρέπτως. Nam neque anima in corpus: neque hoc in animam mutatur.

3. Coeunt ἀσυγχύτως. Non enim confunduntur vel hæ duæ substantiæ, vel earum proprietates, vel actiones: melius tamen hoc in Christo. Nam ex anima & corpore tertia constat natura, nempe humana. Non sic ex deitate ac humanitate.

4. Coeunt ἀδιαιρέτως: quia non sunt diuisæ à se inuicem anima & caro.

5. Coeunt ἀχωρίστως non tamen ita perfectè, vt in Christo duæ naturæ. Separatur enim semel anima à corpore, quanquam denuò coniungenda: at naturę in Christo nunquam.

6. Coeunt ἑνωθέντως: quia vtraque est pars substantialis ipsius hominis. Ex parte igitur, vt ait Iustinus, id est, ἐκ μέρους, non autem in totum: aut simpliciter quadrat hoc simile. Ideo subdit Iustinus has differentias ac dissimilitudines.

1. Homo quanquam duas naturas habere videatur, non habet tamen, sed vnam è duabus constantem. Exemplum adfert corporis quod ex quatuor constat elementis. Non est ignis, non aqua, non aër, non terra. Sic homo licet constet ex anima & corpore: aliud tamen est, quàm ea, vnde componitur. Sed in Christo sunt duæ naturæ, & ipse est ea, è quibus constat. Est enim Deus & homo.

2. Anima compatitur corpori, & tristitia sæpe afficitur, antequam corpus patiatur, vt quæ imminentem mortem præuidet. Deitas in Christo nunquam passa est, vel sola vel cum humana natura. Ita concludit Iustinus exemplum animæ & corporis partim recipiendum, partim reiiciendum ob prędictas rationes. Sed alij alias quoque adferunt dissimilitudines.

3. Igitur est. Anima est forma corporis. Deitas non est forma humanitatis: non enim alioqui essent duæ naturæ, sed vna, constans materia & forma.

4. Anima non fuit ante corpus: Deitas per se subsistit ab æterno.

5. Anima non est creatrix aut caussa efficiens corporis, imò illa non subsisteret, nisi fuisset cum corpore creata: Non sic Deitas.

6. Anima non parum perfectionis accepit ex coniunctione cum corpore: Deitas nihil ex coniunctione cum humana natura.

7. Anima est finita, & ideo in finito corpore conclusa. Deitas infinita & immensa: ideo licet tota in humana natura, non ibi tamen inclusa, sed tota etiam extra humanam naturam.

8. Ideo anima dum est in corpore, nihil extra corpus operari potest: Deitas & in humana natura, & extra etiam operatur.

Atque hæ duæ vltimæ dissimilitudines efficiunt, vt miret impudentiam simul & maliriam cuiusdam *vbiquitarij*: qui vrgens simile animæ & corporis, ait, sicut anima, si alibi sit quàm in corpore, soluitur homo: sic si Deitas Christi alibi quàm in corpore statuatur, aut esse credatur, solui Christum. Est enim tota plenitudo Deitatis in Christo, Col. 2. Item vt anima existens in corpore nil operatur extra corpus: Ita Deitas Christi nil extra humanam naturam operatur.

Argumentum est à longè dissimilibus. Anima .n. finita est, & ideo inclusa in corpore, Deitas immensa. Cùm igitur Iustinus videret, hoc simile animæ & corporis non vsquequaque quadrare: aliud ipse affert, ductum à primigenia luce, posita porrò in corpus solare: idque eo libentius se facere ait, quod Christus sit lux genita de luce ingenita, lumen de lumine: & ipse se vocat lucem. Intelligamus igitur (inquit Iustinus) illud verbum (λόγον) lumen esse primigenium, quod prima voce Dei per ipsum verbum propagatum est. Corpus verò solare, corpus humanum, cui modis arcanis verbum illud vnitum est. Caue autem putes, solem aliud lumen esse, quàm id quod primò factum est. Hinc similia de λόγῳ incarnato concludere facile est.

Ac *primò* habes vnitatem personæ: Nam sicut post vnitionem primigenij luminis cum corpore solari, nemo potest diuellere alterum ab altero: neque alterum solem seorsum vocabis, alterum verò lumen, sed vnus Sol hoc vnum dicitur: sic lux Deitatis, & humana natura, post vnitionem vna tantùm sunt persona, Deus & homo, vnus Christus.

Habes *secundò* pluralitatem naturarum. Duæ in sole naturæ, vna luminis, altera corporis solaris: sic duæ sunt in Christo naturæ.

Tertiò, distinctionem naturarum & actionum: licèt solare corpus & lumen eius sint vnus Sol, & inseparabile sit vnum ab altero, omnino tamen distingui possunt & debent.

Quartò, perfectionem & simplicitatem Deitatis. Sicut lumen totum est in corpore solari, & totum extra illud: Ita lux Deitatis tota in humanitate, & tota extra eam.

Ex iis ergo liquet, quæ fuerit sententia & fides Ecclesiæ, tempore Iustini, de incarnatione Christi, atque etiam de modo, quo forma serui à Filio Dei suscepta fuit: *Primùm*, in vnitatem personæ: quia lux etiam illa primigenia copulata fuit cum corpore solari in vnitatem eiusdem hypostaseos lucis primigeniæ. *Secundò*, ἀτρέπτως: quia neque lux illa in corpus solare, neque hoc in illum permutatum fuit. *Tertiò*, ἀσυγχύτως: quia neque lux cum corpore solari, neque solare corpus cum luce confusum est: sed vnumquodque manet distinctum. *Quartò*, ἀδιαιρέτως: quia vera vnione sunt coniuncta, corpus solare & eius lux, neque vlla ratione sunt diuisa, licet distincta. *Quintò*, ἀχωρίστως: quia non possunt separari. *Sextò*, ἑνωθέντως: quia verumque, lux & corpus, partes sunt essentiales ipsius solis.

Ex hoc verò simili lucis & solaris corporis, quid minùs colligi potest, quàm corpus Christi esse vbique? Imò quid magis illam vbiquitatem oppugnat, quàm hoc simile? Nũ enim propterea corpus solare vbique est, quia cum luce coniunctum est, quæ totum orbem occupat? Atq; hoc παρέργως dictum esto. De modo enim duntaxat, quo Christus sumsit carnem, agimus in præsentia. Plures patres huius doctrinæ confirmandę gratia, non adferam: ne in re iam satis confirmata, diutiùs, quàm par sit, immoremur.

Exstat edictum Iustiniani Imperatoris de hac doctrina aduersus Nestorium, Eutychem & alios Hæreticos: in quo edicto breuiter etiam explicatur, quomodo natura diuina ad humanam in persona filij sit adunata.

Legatur & Boetius lib. de duabus naturis in Christo. Nullo verò modo negligendi sunt lib. 7. Io. Cassiani de incarnatione ad Leonem 1. Episc. Rom. Scripsit & Gelasius Episc. Rom. Et Vigilius Episc. Tridentinus.

Legatur etiam D. Fulgentius ad Trasim. Regem lib. 1. qui est de incarnatione, & quomodo Verbum caro factum sit. Rusticus item diaconus Ecclesiæ Rom. doctissimè scripsit de hoc argumento: vt de aliis vetustioribus Athanasio, Cyrillo, Gregor. Nazianz. & Nysseno taceam.

Non possum præterire Maxentium, qui σύγχρονος fuit Fulgentio. Vixit enim vterque circa annum Domini 505. Is in libello Fidei c. 10. Postquam securus confessionem concilij Chalcedonensis, confessus est Christum Deum & hominem, Filium Dei, & Filium Mariæ: subdit de modo incarnationis, dicens: Vnum eundémque Christum, Filium Dei vnigenitum in duabus naturis inconfusè h. e. ἀσυγχύτως) immutabiliter (ἀτρέπτως) indiuisè (ἀδιαιρέτως) inseparabiliter (ἀχωρίστως) cognoscendum, &c. De quinta particula, ἑνωθέντως, postea subdit ea. 11. Has duas naturas naturaliter siue substantialiter vnitas esse credimus.

Item libellum habet, cui titulus est: Breuissima adunationis ratio Verbi ad suam carnem. Ibi propriè explicat hanc quæstionem, quomodo Verbum carnem sibi copularit & suam fecerit. Et vocat adunationem naturalem, negans esse socialem. Item alio libello expugnat Acephalos de vna natura post adunationem.

Hæc fuit doctrina omnium veterum patrum de modo incarnationis.

A sententia veterum patrum nũqnam defecit, vel latum vnguem declinauit Ecclesia Romana, ne illo quidem tẽpore, quo infiniti penè errores, & falsi cultus in eam irrepserunt. De persona .n. Christi bene semper sensit: proinde nec scholastici diuersam in scholis docuerunt, quam patres & eccl. Ro. crediderũt, & scriptum reliquerunt, ad substantiam doctrinæ quod attinet. Videamus igitur quid P. Lõb. Mag. Sent. hac de re scriptum reliquerit. Sent. li. 3. dist. 6. & 7. De hoc modo, quo filius Dei sumsit formam serui, & factus est homo, disputat, idque sub hoc titulo. De intelligẽtia harum locutionum, Deus factus est homo, Deus est homo: An iis locutionibus dicatur Deus factus esse aliquid, &c. Tres autem refert sententias & cuique suas subiicit autoritates, déq; omnib. disputat suo more. Ac sunt 4. in quibus consentiunt inter se omnes illæ tres sententiæ.

Consentiunt 1. in hoc, quòd omnes vnam tantùm personam in Christo agnoscũt; contra Nestoriũ. 2. in hoc, quòd omnes in vna Christi persona duas confitentur naturas & tres substantias, Deitatem, animã simul & corpus humanum, contra Eutychem, naturas confundentem: & contra Arium, negantẽ animã in Christo, atque etiã veram Deitatem.

tem. 3. in hoc consentiunt, quòd omnes fatentur veram humanam naturam, verum scilicet corpus veramque animam rationalem à Christo fuisse assumtam: contra Manichæum & Apollinarem. 4. Denique sunt etiam in hoc consentientes, quod omnes docent, quod assumtum est à Filio Dei, nō prius extitisse, quā sumeretur, sed simul eodē tēporis momēto & creatum & assumtum fuisse in vnitatem personæ diuinæ: contra Origenem, qui animas nostras, eóq; etiam Christi ab initio mundi creatas fuisse voluit. Ergo ad hæc præcipua capita quod attinet: Tres illæ, quas recēset Mag. Sēt. planè sūt inter se, & cū doctrina catholica cōsentaneę. In quibus autem dissentiāt, iam explicate non est necesse.

Cæterum omnes doctiores interpretes, reiecta prima & tertia, mediam tanquam magis cū S. literis & cum doctrina patrum consentaneam sequuntur. Ea autem hæc est. 1. Hominem hunc, de quo disputatur, id est, Iesum Christū, non ex anima rationali & carne tantùm, sed ex humana simul & diuina natura, i. ex tribus substantiis, diuinitate, carne & anima constare. 2. Hunc Christum vnam personam tantùm esse: sed 3. Ante incarnationem solummodo simplicem: in incarnatione verò factam compositam ex diuinitate & humanitate: 4. Nec propterea tamen aliam personam iam esse, quàm prius fuerat: sed cum prius esset tantum Dei persona, in incarnatione factum esse etiam hominis personam: nō vt duæ essent personæ, sed vt vna & eadē esset persona hominis & Dei. 5. Explicat clariùs, quomodo factus sit homo, eóque cōposita persona, dicēs: Persona ergo quæ prius erat simplex, & in vna tantùm natura existens, in duabus & ex duabus subsistit naturis: Et persona, quæ tantum erat Deus, facta est etiam verus homo, subsistens non tantum ex anima & carne, sed etiam ex diuinitate. 6. Mox occurrit dubitationi. Num igitur est facta persona? ait: Nec tamen persona illa debet dici facta persona, quamuis facta persona hominis. q. d. Nō est facta persona simpliciter, sed hominis: dum illi naturę humanæ sese hypostasin præbuit. Concludit igitur, dicens: Facta est igitur illa persona (vt quibusdam placet) quiddam subsistēs ex anima & carne: sed non est facta persona vel substantia, vel natura. Et in quantum est illud subsistens, composita est: in quantum autem verbum est, simplex est, i. quatenus subsistit in forma Dei, simplex est persona: quatenus verò etiam in forma serui subsistit, composita est. Confirmat hanc doctrinam testimonio Augustini & Damasceni.

Summa autem totius huius sententiæ est: 1. Christum duabus constare naturis: diuina æterna, & humana in tempore assumta. Hic ergo habemus ἀτρέπτως, & ἀσυγχύτως assumtam esse carnem. Si enim manent naturæ, eæque distinctæ: Abest igitur omnis τροπὴ & σύγχυσις.

2. Vnam tantum esse personam, iis duabus naturis constantem. Hic igitur habemus ἀδιαιρέτως. Si enim essent diuisæ, vnaquæque per se subsisteret: & ita essent duæ hypostases. Cum igitur vna tantum sit persona & hypostasis: naturæ sunt coniunctæ ἀδιαιρέτως.

3. Hanc vnam personam, quæ ante incarnationem, persona tantùm erat Dei, seu diuina: nunc post incarnationem, propter assumtam formā serui, factam esse personam etiam hominis seu humanam: atque hoc respectu personā, quæ simplex erat, dici posse iam esse compositam, quatenus scilicet idem Filius Dei iam subsistit & in duabus naturis seu duabus formis Dei & serui. Hic igitur habemus & ἐνωθέντως & ἀχωρίστως, ἐνωθεῖς, quia humana natura, pars iā est substantialis personæ Christi: cum sit in vnitatem personæ assumta. ἀχωρίστως verò, quia separari amplius non potest forma serui à persona λόγου, quin soluatur Christus, & connubium, cum humana natura contractum à Filio Dei, dirimatur.

Hæc est, quam attulit P. Lombardus, & in scholis recepta explicatio modi, quo dicitur λόγος factus esse homo, assumtione formæ serui: nempe, quod persona λόγου, sine vlla sui mutatione, aut cum humana natura confusione, formæ serui à se creatæ & ἀνυποστάτῳ existenti, sese exhibuit hypostasin, & eam carnem vt suæ personæ partem effecit: ita, vt non minus iam existat atque subsistat in forma serui, quàm antea in forma Dei. Et ita dicitur factus homo, qui tantum erat Deus, & factus caro qui tantùm erat Verbum, quia nimirum (vt Athanasius explicauit) caro illa facta est Verbi caro: Ergo Verbum caro factum est, quia Verbi caro facta est. Qua de re & Maxentius.

Ex quibus etiam liquet, quomodo dicatur persona composita: nempe quatenus simplicissimæ & perfectissimæ illi personæ Verbi accessit alia natura in eius vnitatem, ἀτρέπτως καὶ ἀσυγχύτως.

Notandum verò est, licet verè dicatur Christus tā subsistere in humana natura totus, quàm etiam in diuina, non tamen ex æquo in vtraque subsistere dici posse. Ratio est: quia in humana ita subsistit, vt eam sustentet, gestet, viuificet, in diuina autem non sic, cum per se viuat atque existat, omniáque sustentet.

Thomas Aquinas inter omnes scholasticos doctissimus habitus, 3. part. summæ. quæst. 2. de hoc modo disputat. Ac primo docet, naturam humanam assumtam esse a VERBO in vnitatem personæ, atque suppositi, seu hypostasis. Hoc enim est quod concludit art. 1. & 3. Vnionem factam esse non in natura, sed in persona & hypostasi: Et confirmat confessione concilij Chalcedonensis, de quo supra dictum est. Deinde concludit, ex assumtione humanæ naturæ in vnitatem personæ Verbi, factum esse, vt Christus persona esse dicatur composita è duabus naturis: ita vt idē sit Deus per vnam, & homo per alteram. Ex quo sequitur: assumtā esse humanam naturam, & diuinæ copulatam ἀτρέπτως & ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως: quia si vna esset mutata in alteram, aut esset tantum Deus, aut tantum homo Christus: ἀσυγχύτως verò: quia si essent confusæ in vnam tertiam naturam, iam neque Deus esset patri ὁμοούσιος, neque homo nobis per omnia similis. Tertiò: Concludit, Naturam humanam non esse vnitam accidentaliter, sed substantialiter, art. 6. Ita etiam habemus ἐνωθέντως. Ex iis verò omnibus sequitur assumtam etiam esse hanc formam serui ἀδιαιρέτως, & ἀχωρίστως. ἀδιαιρέτως: quia si essent diuisæ naturæ: suam quæque haberet hypostasin: Et ita non esset vnus Christus, sed duæ personæ. ἀχωρίστως: quia si separarentur, desineret Christus esse Christus. Ideo meritò Th. in eadem q. art. 1. conclusit vnionem factam esse non in natura, sed in persona: conclusit, inquam, hoc ex concilio Chalcedonensi. Proposita enim quæstione, Vtrum vnio facta sit in natura, in vna scilicet tertia natura, quę ex diuina & humana composita sit: in Resp. opponit concilium Chalcedonense: dicens: *Sed contra est, quod dicitur, in determinatione concily Chalcedonensis. Confitemur, in nouissimis diebus filium Dei vnigenitum, in duabus naturis, inconfusè, immutabiliter, indiuisè, inseparabiliter cognoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter vnionem. Ergo nō est facta vniō in natura.* Hæc ille. Si igitur agnoscamus duarum harum naturarum vnitionem factam esse non in vnam tertiam naturam, sed in vnam personam, saluis manentibus naturis, & earum differentibus proprietatibus, ita vt vnus & idem Christus sit verus ac perfectus Deus, & verus ac perfectus homo in æternum talis permansurus: Sequitur necessariò, formā serui assumtam fuisse à Filio Dei, in vnitatem personæ, ἐνωθέντως, ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως. Quæ fuit nostra thesis. Sed nullibi clarius simul ac breuius hanc quæstionē explicat quàm contra Gent. li. 4. c. 39. Summa hæc est. 1. Ex totius catholicæ Ecclesiæ consensu atque definitione, docet duas in Christo agnoscendas esse naturas, diuinam & humanam: Et vtramque veram atque perfectam, ita vt diuina nihil differat à patre, humana nihil à nobis discrepet, vero corpore & vera anima rationali constans. 2. Has duas naturas, vnitas esse in Christo, non sola inhabitatione, neque accidentali modo, qualiter homo sibi vestem induens vnitur vesti, neque sola personali habitudine & proprietate (Græci vocant γνωμικὴν & προσωπικὴν ἕνωσιν) sed secundum vnam hypostasin & suppositum vnum: Græci dicunt καθ' ὑπόστασιν, h. e. ita vt vtriusque naturæ vna sit ὑπόστασις, vna persona. 3. Ratio harum duarum propositionum adfertur: nempe, quod hoc solo modo, & hac sola vnitione, intelligi, defendi, & seruari possint ea quæ in sacris literis de Verbi incarnatione traduntur.

4. Explicat hanc rationem, atque probat, nempe, quia sacra scriptura cum loquitur de Christo, sine vlla distinctione, quæ sunt Deitatis, huic homini attribuit: & rursus quæ sunt humanitatis, huic Deo adscribit: pura *Dominus gloria crucifixus est*: Et contra, *Filius hominis potestatem habet remittendi peccata*: & alia huius generis infinita. Cum hæc ita se habeant: oportere igitur vnum & eundem esse de quo, seu vnam & eandē personam esse, de qua hæc omnia, adeóque & contraria, vt passum ac mortuū esse, impassibilem & immortalem esse, prædicentur. Ita concluditur vnitas personæ Christi.

5. Cæterū, quia opposita de eodem, secundum idem, verè dici ac prædicari nullo modo possunt: de Christo aūt multa opposita prædicātur in scripturis, vtpote diuina & humana, natū esse ante omnia secula de patre, Et natum esse in nouissimis diebus de virgine matre, & alia huius generis: Necessariū igitur esse, vt hæc de Christo secundū aliud atque aliud prædicētur: ita cōcluditur pluralitas & diuersitas naturarum in Christo, ex pluribus nimirum & diuersis proprietatibus atq; actionibus, quę de eodē Christo prædicātur. Si. n. verè de vno Christo prędicātur, & nō possunt

opposita de eodem secundum eandem naturam prædicari: Ergo duæ sunt naturæ. Proinde subdit Thomas duas concludens naturas in vno Christo. Quantum igitur (inquit) ad id de quo vtraque prædicantur (diuina scil. & humana) non est distinctio facienda, sed inuenitur vnitas: Quantum autem ad id secundum quod prædicantur, distinctio est facienda. Naturales autem proprietates (addo & actiones) prædicantur de vnoquoque secundum eius naturam, vt ferri deorsum, de lapide, secundum naturam grauitatis in lapide existentem. Cùm igitur (inquit) aliud & aliud sit, secundum quod diuina & humana prædicantur de Christo: necesse est dicere, in Christo duas esse naturas inconfusas, & impermixtas. Ecce ἀτρέπτως & ἀσυγχύτως.

6. Probaturus contra Nestorium, in Christo nō solum vnam tantum esse personam, sed etiam vnam tantum ὑπόστασιν, subdit, dicens: Id autem, de quo prędicantur proprietates naturales, secundum naturam propriam, ad genus substantiæ pertinentem, est ὑπόστασις & suppositum illius naturæ. Infert atque concludit, dicens: *Quia igitur indistinctum est & vnum, id de quo diuina & humana prædicantur circa Christum: necesse est dicamus Christum vnam esse hypostasin, & vnum suppositum humanæ & diuinæ naturæ.* Subdit confirmationem dicens: *Sic enim verè & propriè de homine illo prędicantur diuina, secundum hoc, quòd homo ille importat suppositum non solum humanæ naturæ, sed etiam diuinæ: & è conuerso de Verbo Deo prædicantur humana, in quantum suppositum est humanæ naturæ.* Sic ille. Sensus est, ideo de Christo homine prædicari diuina (vt quòd filius hominis habeat potestatem remittendi peccata) quia subsistit non solum in humana, sed etiam in diuina natura. Et contrà, ideo de filio Dei prędicari humana (vt quòd dominus gloriæ sit crucifixus) quia ille idem Christus non solū in diuina, sed etiam in humana consistit & subsistit natura. Hoc sibi vult Thomas, cum ait: quia est suppositum, aut hypostasis diuinæ & humanæ naturæ. i. quia subsistit in humana & diuina natura. Hic igitur manifestè docet Thomas: quomodo, qui erat in forma Dei, susceperit formam serui, nempe in vnitatem suæ personæ, ἑνωτικῶς, efficiens illā suæ personæ partem: ἀτρέπτως, & ἀσυγχύτως, quia naturæ in Christo manent perfectæ, integræ & inconfusæ: ἀδιαιρέτως, quia vna manet persona & vna hypostasis. ἀχωρίστως, quia Christus non soluitur nec solui potest, permanēs semper, & in æternum permansurus verus ac perfectus homo, verus ac perfectus Deus. Denique ex eo quod conclusum est, formam serui assumtā esse in vnitatē personæ, factámque esse vnionē, nō in natura, sed in persona: Primùm infert, licet filius sit incarnatus, nō cōsequi tamen etiam Patrē & Sp. sanctū esse incarnatos: Ratio, quia incarnatio hæc & vnio facta est non secundū naturam, in qua omnes personæ cōueniunt & sunt vnum, sed secundū id, quo inter se distinguuntur, i. secundum hypostasin. Hypostasibus enim distinguuntur, Pater, Filius & Spiritus S. Deinde cōtraria ratione infert: Sicut in Trinitate plures sunt personæ in vna tantum natura subsistentes: Sic contra in Christo plures sunt naturæ, in quibus vna tantum persona subsistit.

Ego verò ex hac comparatione & collatione confirmo ea, quæ dicta sunt de modo, quo Filius nostram suscepit carnem, eámque sibi vniuit. Quomodo tres illæ personæ vnitæ sunt? Vnitate naturæ, idque verè, ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως. Ergo etiam duæ naturæ Christi in vnitatem personæ vnitæ sunt, ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως, vt supra abundè est declaratum ac demonstratū. Sic enim & Damascenus argumentari solet, vt supra vidimus, ab illa vnione personarum in vna natura, ad vnionem naturarum in vna persona: Atque hactenus de modo, quo Filius Dei ὑπάρχων ἐν μορφῇ θεοῦ, μορφὴν δούλου λαβὼν in similitudine hominū factus sit homo. His verò ita explicatis ac probè intellectis, in quibus cardo huius tractationis de incarnatione consistit: facilius explicabitur quæstio decima.

QVÆSTIO X.

De vnione hypostatica duarum naturarum.

Hæc quæstio sicut differt, sic etiam pendet à superiori. Differt, quia illa fuit de assumtione vnius naturæ nempe humanæ in vnitatem personæ: hæc verò est de vnione duarum naturarum in vna persona: Diuina namq; natura non est assumta, est tamen vnita cum assumta. Ita diuersa est hæc quæstio à superiore. Pendet verò hæc ab illa, propterea, quod ideò vnita est diuina cū humana in vna persona filij, quia humana assumpta est in vnitatem huius personę. Ergo meritò & illa priore expedita, hæc altera proponitur quæstio, & ex alterius intelligētia huius alterius cognitionem pendere diximus.

De hac porro vnione, duo mihi breuiter dicenda sunt. *Primùm* de nomine atque inprimis cur hypostatica vnio vocari soleat. *Deinde* de re, quid scilicet sit hæc vnio.

Ad primum igitur quod attinet, Ad hanc arctissimam coniunctionem naturæ diuinæ cum humana in vna persona Christi exprimendam, multis nominibus vsi sunt veteres patres, tum Græci, tum Latini, quorum nominū, cum nonnullis porrò abuterentur hæretici, posteriores patres ab illis abstinuerunt, & cōmodioribus vsi sunt: suo exemplo nos docentes, vocabulis ab hominibus inuentis, non ita inhærendum esse, quin ea, si opus sit, mutemus, & nos afferamus commodiora. Adfero exempla.

Aduersus συνάφειαν Nestorij, Greg. Naz. vsus est nominibus κράσεως & συγκράσεως. Quin & apud Irenæum legimus nomen *mixtionis & mixturæ*. Quam vocem sæpe vsurpat Augustinus, præsertim epistola 3. ad Volusianum, vbi ex professo de hac vnione disserit. Neque certè aliud intelligere voluerunt, quàm veram & intimam vnionem harum naturarum: qualis est animæ & corporis: id quod manifestè liquet ex ipsorū libris. Irenęus certè libro primo vnionem animæ & corporis vocat *commixtionem*: cum tamen ibi nulla sit confusio. Intellexerunt ergo mixturam sine confusione. i. σωζομένων, saluis & integris naturis. Sed aduersus Nestorium ita loquebantur, vt significarent non esse vnitam Deitatem humanitati, sicut homo vnus alteri, aut sicut duo asseres connectuntur, qui extrinsecus tantùm coniuncti & consociati sunt: sed esse intimam vnitionem: totamque Deitatem in tota esse humanitate, & in singulis eius partibus totam: sicut etiam anima est tota in toto corpore, & tota in singulis partibus. Hæc est significatio κράσεως & mixtionis apud patres, contra Nestorij συνάφειαν & περιττωλικήν. Cæterùm, quia Eutychiani postea, iis vocibus ad suam σύγχυσιν stabiliendam abutebantur: Ideo Patres mutarunt illas voces, & damnarunt eos, qui dicerent vnitionem factam esse ἐκ κράσεως vel σύγκρασιν, nempe eo sensu, quo Eutychiani loquebantur. Hoc est vnum exemplum.

Adfero aliud. Vnionem hanc Iustinus primùm, & deinde alij vocarunt, συνάφειαν quasi ferruminationem & iuncturam: Item σύζευξιν copulationem & connexionem. Sed iis nominibus abusus est Nestorius ad suam συνάφειαν & vnionem personę cum persona. Aliis igitur commodioribus vsi sunt patres quibus tam facilè abuti non potuerunt hæretici: quanquam nonnullis nostri quoque Vbiquitarij; sicut olim Nestoriani & Eutychiani, abutuntur. Veluti est nomen ἀσυγχύτως, imò & nomen ἑνώσεως ὑποστατικῆς: sed nihil tam bene dici potest, quod non in suam sententiam torqueat Diabolus.

Vocarunt ergo patres hanc vnionem aliis nominibus, quę ad rem exprimendam propiùs accedunt: & idcirco retinentur adhuc in Ecclesia Græca & Latina: Veluti sunt ista:

I. οἰκονομία. Hac voce Græci significarunt primùm ipsam Verbi incarnationem: quia per hanc factus est Christus Oeconomus totius Ecclesiæ in dispensandis thesauris cœlestibus ac paternis inter fratres suos. 2. totam ipsam regni administrationem, vsque ad finem seculi. Hic. n. homo omnia administrat: quo illud pertinet: *Dedit ei potestatem iudicium faciendi, quia filius hominis est.* Et Eph. 1. totum hoc tempus ab incarnatione, tempus οἰκονομίας vocatur.

II. ἐνσάρκωσις quoque & σαρκώσεως nomen est vetustissimum in Ecclesia Irenæo familiare, & deductum est ex eo, quod Ioh. 1. dicit: Verbum caro factum est. Optimè igitur explicat hanc vnionem: quia significat, τὸν λόγον ita esse carni vnitum, vt sit caro, i. homo: quatenus in ea tanquam sua carne & sui parte subsistit.

III. Non minoris efficaciæ est nomen ἐνανθρωπήσεως quia factus est homo per hanc humanæ naturæ assumtionem. Est igitur vnio τοῦ λόγου cum humana natura, non dissimilis vnioni, quæ est inter animam & corpus, è quibus constat homo.

IV. Neque alienum est à scripturis nomen ἐνσωματώσεως, vsitatum apud Græcos: quod Tertul. lib. de carne Christi vertit corporationem. Est enim ab Apostolo desumtum Col. 2. Cum dicit, plenitudinem Deitatis habitare in Christo σωματικῶς. Est enim quodammodo facta corporata ipsa Deitas, assumtione corporis.

V. Aduentus etiam solita fuit vocari: Aduentus scilicet Filij Dei in carnem. Sic enim 1. Ioh. 3. Qui negat Christum venisse in carnem, i. verum ac perfectum factum esse hominem, & carni personaliter vnitum: & ideo Irenæus vocat aduentum carnalem Filij Dei: hoc nomine significans incarnationem seu vnionem ad carnem.

VI. Apud Damascenum frequens est vox περιχωρήσεως, qua

qua cum primis significatur hæc vnio Verbi ad carnem. Non dubito quin eam sumserit à Dionysio, quem Areopagitam vocant. Ille enim volens exprimere vnionem trium personarum in vna θεία, dixit, eas περιχωρεῖν ἐν ἀλλήλαις: Iuxta illud Christi: *Ego in patre & pater in me.* Ioh. 14. Ita autem pater περιχωρεῖ in filio, & Filius in patre, & vterque in Spiritu sancto: Et vicissim iste in illis: vt tamen inter se non confundantur vel personæ vel personales proprietates. Idem volens significare Damascenus de duabus naturis in vna Christi persona scribit, τὰς δύο φύσεις περιχωρεῖν ἐν ἀλλήλαις. Dat autem hoc propriè ipsi diuinæ naturæ, quod hæc omni ex parte immineat in humana, eam vndique circumplectens, sicut ignis totum ferrum intus & extra complectitur, & in eo immeat ἀτρέπτως καὶ ἀσυγχύτως. Quo simili vsus est & Basilius in sermone de natiuitate Domini, in ipso initio: [illegible] Et Cyrillus lib. de incarnatione Verbi, cap. 8. comparat carnem assumtam carboni: Deitatem autem igni, totum carbonem accendenti, & omni ex parte complectenti, sine vlla tamen confusione. Legatur Damasc. lib. 3. cap. 4. 5. 7. 15.

Περιχώρησιν igitur vocauit ipsam ἕνωσιν Verbi ad carnem: quòd in carne Deitas inhabitet, & vndique eam complectatur, inque ea permeet: sicut & ignis in toto ferro aut carbone [illegible].

VII. Obtinuit tamen in ecclesia nomen ἑνώσεως, vnionis, & quidem hypostaticæ: quæ ita vocatur, quod vnio hæc duarum naturarum facta sit, non in vna tertia natura, sed in persona τοῦ λόγου: Sicut contra in Trinitate vnio trium personarum, est in vna οὐσίᾳ.

Vnionem hanc hypostaticam Iustinus vocauit in expositione fidei τὴν ἄκραν ἕνωσιν: quòd hac in nulla creatura maior & sublimior reperiri possit. Hanc ἀδιαίρετον, nonnunquam Basilius & Athanasius vocarunt συνάφειαν. Cyrillus ἕνωσιν atque etiam [illegible]: quæ phrasis magis placuit ecclesiæ. Sed de vocibus satis. Vsitatiorem retinebimus, ἕνωσιν ὑποστατικὴν: quam Gelasius Papa Roman. mauult dicere vnitionem, quàm vnionem hypostaticam, & sic semper Gelenius Iustini interpres vertit. Et Fulgentius ita loquitur ad Trasimundum regem: quamquam & adunationem appellat. Sic Maxentius & alij multi Latini patres.

Hanc igitur hypostaticam, seu καθ' ὑπόστασιν vnitionem (ad vt alterum caput veniamus) sic definimus. (Nolo enim immorari in referendis aliorum definitionibus, quæ multę sunt & variæ. Plena descriptio exstat in admonitione Christiana, pagina 20. Ac quid sit personaliter vniri, declaratur in eadem admonitione pagina 251. Ab hac doctrina nihil, ne latum quidem vnguem declinamus. Sed vt formam aliquam definitionis sequamur: sic putamus posse definiri, seu describi.) *Vnio hypostatica, est ἕνωσις, hoc est, substantialis duarum earumque verarum & perfectissimarum naturarum, diuinæ & humanæ, in vna eademque Christi persona atque hypostasi, ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως coeuntium vnitio, ex assumptione διὰ πρόσληψιν formæ serui in vnitatem personæ τοῦ λόγου perfecta: qua fit, vt idem filius qui ab omni aeternitate, in vna tantum forma, nimirum Dei, subsistebat, nunc forma etiam serui factus hypostasis, ex duabus constet & in duabus, tanquam essentialibus sui partibus, illisque inconfusis, indiuisis, inseparabilibus formis, saluis itidem & impermixtis essentialibus earum proprietatibus subsistat: per vnam, verus ac perfectus Deus, per alteram, verus ac perfectus homo existens, & secundum vtramque salutem nostram operans atque perficiens.*

1. Vnitionis vocabulo vsus sum, quia melius congruit. Vnio etiam est personarum in Trinitate: sed non vnitio: quia non est facta, sed æterna: hęc autem est facta, quia assumta est forma serui, &c. Ideo rectè Gelasius sensit.

2. Vnitionem esse duarum naturarum diuinæ & humanę, extra controuersiam est. Si enim est vnitio, plurium rerũ sit necesse est. Non est autem personarum vel hypostaseon. Hęc enim fuit hæresis Nestorij: Naturarum igitur. Qua etiam particula refellitur Eutyches, qui vnam tantum naturam post vnitionem agnoscebat. Si enim est vnitio, quomodo vnius tantum est naturæ?

3. Adieci nomen verarum & perfectarum: contra Arium, Marcionem & Apollinarem. Item contra Eutychẽ & Monotheletas. Arius veram Deitatem in Christo non admittebat: neque Marcion veram humanitatem veramve carnem. Arius item perfectam humanitatem negabat, cum Christo non concederet animam. Idem faciebat Apollinaris, rationalem animam illi adimendo. Sed neque Monophysitæ aut Monotheletæ, veras ac perfectas naturas concedebant. Illi enim ex duabus naturis diuina & humana, vnam tertiam componebant. Isti humanã naturam sua voluntate spoliabant: non igitur perfectam agnoscebant.

4. Substantialem diximus esse vnitionem. Opponimus hanc vnitioni accidentali, de qua supra diximus: Et significamus hac voce: naturam assumtam partem esse factam substantialem personæ Christi, non autem esse instar nudæ vestis qua quis indutus est.

5. Diximus, in vna eadẽque CHRISTI persona hanc vnitionẽ esse factam. Hac particula refellitur Nestorij dogma, de duabus personis seu hypostasibus. Ac de industria adieci nomen hypostaseos, aduersus illos Nestorianos, qui admittebant in Christo vnam personam, sed eam ex duabus hypostasibus constare nolebant.

6. Adieci particulas illas quatuor, quibus vsa est Synodus Chalcedonensis: quò melius explicetur modus, quo illę duę naturæ simul in vna hypostasi vnitæ sunt, secundum fidem Catholicam.

Ac libenter etiam sic vsus sum verbo coëuntium, quia sic etiam locutus est Leo in epistola ad Flauianũm: quæ tanquam regula fidei adprobata fuit toti concilio Chalcedonensi: & deinceps reliquis omnibus, totique ecclesiæ.

7. Dixi vnitionem hanc naturarum esse factam ex assumtione formæ serui in vnitatem personę. Hoc adieci, partim vt ostenderem discrimen inter vnitionem & assumtionem formæ serui, partim vt indicarem vnitionem duarum naturarum effectum esse assumtionis formæ serui. Natura enim diuina non est assumta, sed assumtæ vnita: Ideo verò hæc vnita est illi in eadem persona & hypostasi, quia illa, id est humana assumta est in vnitatem personæ τοῦ λόγου. Ergo assumtio vnius in vnitatem personæ, caussa est vnitionis vtriusque in eadem persona.

Malui etiam dicere, in vna persona quam in vnam personam, esse coniunctas: tum quia sic locuta est etiam antiquitas: tum quia reuera non coierunt ad constituendam personam, quę erat ab ęterno: sed forma serui assumta in vnitatem huius personæ factum est, vt duæ illæ formę in eadem essent & perpetuo manerent persona. Et congruit hoc cum illa phrasi vsitata, qua dicimus, Christum subsistere in duabus naturis: sic igitur etiam rectius dicitur, duas naturas in vno esse Christo, & in vna hypostasi vnitas, quam in vnam hypostasin & in vnum Christum.

8. Formam serui ἀνυπόστατον vocaui, nempe antequam in vnitatem personæ esset assumta, quia propria caruit subsistentia: nunc autem ἀνυπόστατος non est, cum vna & eadem sit vtriusque naturæ hypostasis: hypostasis nimirũ filij Dei. Et sic etiam in quinta Synodo damnati sunt, quicunque dixerint aut dicere audeant, formam serui tanquam aliam hypostasim assumtam esse à Deo verbo: quasi alius sit Deus verbum, & alius Christus, id est hæc forma serui, vt Nestoriani exponebant.

9. Subieci: Qua fit, vt idem filius &c. Explicatio est vnitionis iam descriptæ, quæ explicatio quatuor constat partibus: prima est de persona: hanc vnitionem talem esse, vt idem filius, qui tantùm vna constabat & in vna subsistebat natura: nunc è duabus constet & in duabus subsistat naturis, tanquam essentialibus sui partibus: nempe sicut etiam anima & corpus sunt essentiales hominis partes. De hac locutione vide Damascenum lib. 3. capit. 3. ἐν δύο τελείαις φύσεσιν ὁμολογοῦμεν: Sed quomodo in iis subsistit? quatenus scilicet factus est hypostasis ipsi assũtæ naturæ. Hæc supra fuerunt explicata ex Damasceno & aliis. Secunda pars huius explicationis: de naturis, in quibus subsistit: quòd licet hæ naturæ sint vnitæ in eadem persona, non sunt tamen confusæ, sed manent integræ, cum suis integris & inconfusis proprietatibus. Hæc etiam fuerunt explicata & confirmata, ex scripturis & patribus & præsertim ex concilio Chalcedonensi. Hinc tertia sequitur, Christum per vnam verum esse ac perfectum hominem: per alteram, verum ac perfectum Deum. Et contra etiam sequitur, quia est verus ac perfectus Deus, verus ac perfectus homo, ideo necessariò vtramque in eo naturam manere cum suis proprietatibus veram, integram, perfectam. Quarta pars, quæ finem vnitionis respicit, est, quod vtraque ac secundum vtramque naturam, nostram operetur ac perficiat salutem, idque volens ac sciens: ex quo sequitur in Christo duplicem esse intellectum, duplicem voluntatem, duplices actiones: alias diuinæ, alias humanæ naturæ: quæ omnes ad vnam & eandem salutem nostram perficiendam concurrunt, indiuisę quidem, sed tamen distinctæ, iuxta dictum Leonis. Vtraque forma agit, quod proprium est, cum communione alterius: verbo agente, quod verbi est, & carne exequente quod carnis est.

Nunc tenemus definitionem vnionis hypostaticę: cũ eius

explicatione. Plura non addo: quando iam omnes & singulæ eius definitionis partes in superiorib. quæstionibus probatæ ac confirmatæ fuerunt. Est autem diligenter retinenda hæc descriptio: quia inde facilè refellentur argumēta aduersariorum, cum ab vnione hypostatica ea concludunt, quæ cum vera vnione hypostatica pugnāt. Vnio enim hypostatica est vnitio duarū naturarum, simul in eadem persona ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως coeuntium. Atqui isti sic concludunt sua sophismata, vt σύγχυσιν inducant proprietatum: & vnam naturam exæquent alteri.

Venio ad ea, quæ ipsam vnitionem naturarum consecuta sunt: quibus de rebus magna iam controuersia est inter Catholicos & Vbiquitarios.

Dicam autem priori loco, quænam sint consecuta, idque de communi omnium consensu. Deinde, quæ Vbiquitarij contendunt esse consecuta, nos verò negamus, de iis disputabimus. Hæc ratio in hoc negotio explicando videtur commodior: quoniam ex iis, in quibus consentimus ferè omnes, faciliùs de quibus est controuersia, ea declarari & probari poterunt. Ergo:

QVÆST. XI. est.

Quęnam vnionem hypostaticam consecuta sint in Christo.

SVNT autem hæc trium generum. 1. Quędam sunt, quæ propter hanc duarum naturarum in vna persona vnitionem, de persona ipsa, quocunque modo significetur, verè ac realiter prædicantur: sed ratione modò vnius, modò alterius naturæ. 2. Quædam, quæ humanæ naturæ realiter sunt communicata à diuina. 3. Quędam, quę Christo realiter cōpetunt secundum vtramque simul naturam. Sunt autem ea quæ ad officium mediatoris pertinent, actionibus cuiusq; naturæ ad idē ἀποτέλεσμα communionem habētibus, sed tamen inter se distinctis: sicut & naturæ & proprietates vnitę sunt & simul etiam distinctæ. Atque de his tribus nulla est inter nos controuersia.

Sequetur postea quæstio, de essentialibus diuinæ naturæ proprietatibus: an illæ realiter communicatæ sint humanæ naturæ. Vocant hanc communionem, realem idiomatum communicationem. De hac re, quia est caput totius pręsentis controuersiæ, prolixius disputabitur. Ad hanc autem rectiùs intelligendam multum adiumenti adfert, imò necessaria est eorum trium, quæ modò proposuimus diligens inuestigatio atque cognitio: quę caussa est, cur de iis priori loco dicere constituerim. Ad quæstionem ergo propositam, certis respondeo thesibus.

THESIS I.

Quia vna & eadem Christi persona, ex vtraque constat, & in vtraque verè ac realiter subsistit natura, diuina & humana: idcirco verè etiam ac realiter, quæ vtriusque sunt naturæ, de ipsa persona, quocunque significetur nomine, prædicantur, sed κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο.

DVo sunt præcipua membra huius theseos, Vnum, ipsa propositio, nempe, quæ vtriusque sunt naturæ, ea de persona Christi realiter prædicari: sed κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο, hoc est, modo ratione vnius, modo ratione alterius naturę. Opposita enim de eodē secundum idem nullo modo prædicātur aut verè dici possunt. Quæ autem sunt diuinæ naturæ, opposita sunt & contraria iis, quæ sunt humanæ: & è conuerso. Intelligentia igitur est propositio: quæ vtriusq; sunt naturæ, ea realiter prædicari de persona, non secundum idem, sed secūdū aliud & aliud: seu modò ratione vnius, modò ratione alterius naturæ. Exemplum, vt Christus est vbique pręsens, nempe secundum diuinam naturam: Christus non est vbique præsens, nimirum secundum humanā naturam seu secūdum carnem. Diuinæ enim est vbique esse: humanæ autem certo esse loco. Vtrumque igitur verissimè, & realiter de eodem Christo prædicatur, sed κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο.

Idem de reliquis dicendum est. Sed hic etiam explicandum est, quod dixi de persona Christi, Quocunque nomine illa significetur. Cur hoc adieci? Quia sunt tria nominū genera, quibus hæc persona significari & nominari solet in scripturis. Primùm, sunt *nomina personæ* propria. Veluti sūt, ὁ λόγος, Verbum, Filius Dei, Immanuel, Iesus Christus. Horum alia competunt ei etiam ante assumtam carnem: alia tantùm, postquam factus est homo, & vnctus Spiritu sancto. 2. Alia sunt nomina propria naturarum, vt Deitas, humanitas, quæ, si in concreto proferantur: personam ipsam sæpenumero denotant: vt, Deus, vt dominus, vt homo. Sic igitur cum dicimus, Deus manifestatus est in carne, Christus significatur: Item, Dominus gloriæ crucifixus est. Itē, Hic homo multa signa facit. 1. Tim. 3. 1. Corin. 2. Iohann 11. 3. Alia sunt Christo imposita ab officio, cuius caussa factus est homo: vt nomen mediatoris, saluatoris, pontificis, Iudicis mundi: iis itidem significatur, persona vtraque constans natura. Quocunque igitur nomine significetur persona Christi, de ea prædicantur, quæ vtriusque sunt naturæ. Hæc de primo membro.

Alterum membrum nostræ theseos rationem continet propositionis. Cur, quæ vtriusque sunt naturæ, ea de persona verè & realiter prædicantur? Quia ipsa persona verè ac realiter ex vtraque constat & in vtraque subsistit, forma Dei, forma serui. Cur de eodem homine prædicantur, quæ sunt animæ & quæ sunt corporis? Vt quod sit mortalis & immortalis, visibilis, & inuisibilis, corporeus & incorporeus? quia constat ex anima & corpore, & in vtroque subsistit.

Est igitur vera ratio: cur, quæ vtriusque sunt naturæ, de eadem persona Christi prædicentur: quia persona hæc ex vtraque constat & in vtraque subsistit forma, Dei & serui. Hinc pendet veritas harum omnium locutionum & propositionum: 1. Christus est verus ac perfectus Deus, verus ac perfectus homo: quid ita? Quia in vera ac perfecta forma Dei, in vera ac perfecta forma serui, tanquam suis partibus verè subsistit.

2. Hinc verò fit, vt concretum etiam vnius naturæ prædicetur de altera, neque aliud significetur, quam eadem persona in vtraque subsistens natura: vt, hæc propositio, Deus est homo, i. e. Filius Dei Deus est homo. Et contra. Homo est Deus, id est filius hominis est Deus: quid ita? Quia idē qui in forma Dei est, est etiam in forma serui: & qui in forma serui, est etiam in forma Dei. 3. Filius hominis est filius Dei. Et contra: Filius Dei est filius hominis. Et sic Luc. 1. Sanctum quod nascitur ex Maria virgine vocatur filius altissimi. Idem Iere. 23. Germen Dauidis est Iehoua. Hæ propositiones ideo veræ sunt, quia vna & eadem persona, tam in vna, quàm in altera subsistit forma. Cur verò non rectè dicitur in abstracto: Deitas est humanitas, & contra? Quia naturæ sunt, & inter se non conueniunt, sed tantùm in persona. Vnio autem non est facta in natura, sed in persona: & vna natura non subsistit in altera: & vnitæ sunt naturæ, non mutatæ. Idem: quia licet persona in vtraque natura subsistat, illæ tamen manent inconfusæ & impermixtæ.

Hinc etiam fit, vt non rectè dicatur: Christus est homo dominicus aut diuinus: sed dicendum: homo dominus & Deus. Ratio est, quia vna tantum est persona, quæ essentialiter est Deus ac dominus, & homo simul. Qui autem dicit Christum hominē dominicum, duas statuit personas cū Nestorio: ac simul negat hominem hunc esse Deum ac dominum. Ideo meritò Augustin. in li. retract. hanc locutionem, qua aliquando vsus fuerat, retractauit.

Quod verò iam diximus de naturis, nempe, quòd vtraque in concreto, de eadem Christi persona prædicetur: imò, quòd vna etiam de altera, sed in concreto, vt Deus est homo, & homo est Deus: quia semper eadem persona intelligitur, quæ est Deus & homo: idem de essentialibus vtriusq; proprietatibus dicendū esse, docemus: quia tā proprietates humanæ de Christo Deo, quàm diuinæ, de Christo homine rectè prædicantur. Ratio iam allata est, quia eadem Christi persona tam in vna, quam in altera subsistit forma: ac proinde tam in se habet, vt suas proprietates humanæ naturæ, quam proprietates diuinæ naturæ. Ideo tam rectè dicitur, Christus homo est æternus, quam Christus Deus temporalis. Item: Christus Deus natus est in tempore, ex Maria virgine. Et Christus homo natus est, ab ęterno, ex Patre. Natiuitas enim & æterna ex patre & tēporalis ex matre de eadem persona prædicantur: & ita ecclesia duas in Christo confitetur natiuitates, æternam vnam, temporalem alteram.

Cæterùm non secundum idem seu secundum eandem naturam hæc de Christo prædicantur, sed κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο. Homo Christus natus est de Patre ab æterno: non secundum humanitatem, sed secundum Deitatem. Contra, Christus Deus natus est in tempore de Virgine Maria verùm non secundum Deitatem, sed secundum humanitatem. Itē; Christus Deus mortuus est; & Christus homo seipsum à mortuis excitauit; verum illud secundum humanam, hoc secundum diuinam intelligendum est.

Credo satis explicatam esse Thesin nostram, atque etiam apud viros non contentiosos, sed rationis compotes, confirmatam; Ne quis tamen interim relinquatur dubitandi locus,

di locus subdam nonnulla testimonia, è sacris literis.

Iohann. 6. *Quid si videritis filium hominis eò ascendentem vbi erat prius* Ascendere hominis est: fuisse in cœlo, priusquam eò ascendatur, Deitatis est. Hic igitur de eodem filio Dei prędicantur ea, quæ sunt diuinæ, & quę sunt humanæ naturæ: verùm non secundum idem κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο: quia secundum Deitatem fuerat semper in cœlo: secundum humanitatem ascendit in cœlum.

Actor. 20. *Deus sanguine suo redemit ecclesiam.* Nomen Dei personaliter accipitur pro filio Dei Deo. Redimere ecclesiam solius Dei est: Fundere sanguinem, hominis est. De eodem igitur prędicantur valdè opposita: sed non secundum idem: ergo secundum diuersas naturas.

2. Cor. 13. *Nam etsi crucifixus fuit ex infirmitate carnis, viuit tamen ex virtute Dei.* Hic vtrumque habemus: nempe, & contraria de eodem prædicari: & ea non secundum idem, sed secundum aliud & aliud prædicari.

Huic simile est & illud 1. Petr. 3. *Mortificatus quidem carne: viuificatus autem spiritu.* Et illud eiusdem Petri, 1. 4. 1. *Christo igitur passo in carne*, q. d. Non simpliciter passo, sed tantum secundum carnem, non autem secundum spiritum seu deitatem.

Hæc omnia perspicuè confirmant thesin: vt non sit opus patrum autoritatibus.

Pertinent huc omnia illa scripturarum testimonia, quibus docemur, quæ propria sunt deitatis, attribui filio hominis, seu Christo homini: qualia sunt hæc, de multorum sententia. Dan 7. *Ecce in nubibus cœli, quasi filius hominis veniebat.* &c. *Et dedit ei* (Deus) *potestatem, honorem & regnum: potestas eius, potestas æterna*

Item Ioh 13. *Sciens, quia omnia dedit ei in manus.* Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas, in cœlo &c.* Matth. 11. *omnia mihi tradita sunt à Patre meo, &c.* Philip. 2 *Donauit ei nomen supra omne nomen: vt in nomine Iesu flectatur omne genu.* Et alia iis similia: quibus abutuntur Vbiquitarij ad probandam realem in humana Christi natura, diuinarum proprietatum communicationem, quas nomine maiestatis appellant atque significant: quasi verò humana natura facta sit in seipsa omnipotens, & vbique præsens, anima scilicet & corpus Christi. Sed omnia ista loca loquuntur de persona Christi, non simpliciter, sed in forma etiam serui subsistente: non autem de carne ipsa vel de humana natura, de qua inter nos est disputatio.

Ac sensus est: quæcunque sunt diuinę naturę: ea filio hominis, id est personę Christi, non solum in forma Dei, sed etiam in forma serui subsistēti, & quatenus in ea forma subsistit: verè ac realiter communicata esse: non autē ipsi formę serui, vel humanæ naturæ. Proinde nullibi dicit Christus: datū est carni meæ, sed mihi: Item filio hominis, &c. Quale autem est hoc argumentum: Datum est homini, vt sit ratione prędiditus, vt sit immortalis, vt sit inuisibilis. Ergo hæc data sunt corpori: Fallacia est à secundum quid, ad simpliciter. Prædicantur hæc de homine, sed secundum animam, non autem secundum corpus: quemadmodum rursus contraria de eodem prædicantur homine, quod sit visibilis, quod sit mortalis, quod rationis expers: sed quomodo? non secundum animam, sed secundum corpus: atque hoc est, quod supra diximus, opposita de eodē rectè prædicari: sed κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο. Idem dicimus de iis locis quæ paulò ante commemorauimus Nihil ergo concludunt Vbiquitarij de carne Christi, cum ea testimonia de persona loquantur, non autem de vna natura, nempe humana.

Quę excipiunt Vbiquitarij ea postea diluemus suo loco, cum scilicet agemus in quæst. 12. de reali communicatione idiomatum in natura humana. Pro hoc tempore tantùm remitto auditores ad responsionem Maxentij contra Nestorianum libr. .dialogorum cap. 8. Vbi cùm Nestorianus offenderetur, quòd Catholici ex loco Petri Actor. 4. dicerent, eundem, qui fuerat dominus ante carnem assumtam, etiam postea denuo fuisse factum dominum (vt in Actis loqui Petrum, interpretatur ecclesia) cùm inquam hac locutione offenderetur Nestorianus, eamque hac ratione oppugnaret: nempe quia qui dominus est, non possit iam denuo fieri dominus: ac proinde concludere vellet Nestorianus, λόγον Deum, qui semper fuit dominus, alium esse à Iesu, qui factus esset dominus: sic respondet Catholicus: sicut non est error, quòd quis dicat, λόγον qui erat dominus ante susceptam formam serui, postea in forma serui factum esse seruum quatenus scil. adiunctus est formæ serui: sic neque errorem esse, quòd dicamus, eundem dominum denuò factum esse dominum: uimitum quatenus forma serui adiūcta est formæ Dei: & quatenus qui erat in forma serui seruus, idem in eadem forma serui, ad æternam dominationem exaltatus sit. Sic Catholices ad Nestorianum. Idem ergo respōdeo illis, qui aiunt absurdum esse, si quis dicat, Christo i. e. personæ filij Dei, datam esse omnem potestatē & gloriam, ac maiestatem, cum hæc omnia semper habuerit: ac proinde concludendum esse, hæc omnia esse data illius humanitati: respōdeo inquam istis Vbiquitariis, sicut catholicus Nestoriano; Sicut non est absurdum, quòd dicamus: eūdem filium Dei, qui semper fuit omnipotens, & gloriosus, inuisibilis, infinitus, postmodum forma serui assumta, factum esse infirmum, inglorium, visibilem, finitum, quatenus scilicet ipse adiunctus est formæ serui: Sic etiam absurdum non est dicere, eundem in eadem forma serui, factum esse rursus omnipotentem, quatenus scilicet formæ Dei vnita est forma serui in eadem persona: eóque data illi esse omnia in hac forma serui, quæ etiam antea habuerat: in altera tantùm forma, nempe Dei, subsistens. Si primum non est absurdum: neque secundum. Ita filio Dei in forma tantùm Dei existenti, data fuit à patre in æterna generatione, omnis potestas, omnis gloria, &c. Rursus idem in forma serui subsistenti, data fuit eadem gloria, & maiestas: id est propter assumtam formam serui, in vnitatem personæ, datū illi est, vt tam verè & realiter dicatur filius hominis esse omnipotens, plenus maiestate ac gloria, quam etiam idem dicitur de filio Dei Deo. Ratio est, quia vna est eadémque persona, quæ & ante in sola forma Dei, & nunc in ipsa etiam forma serui subsistit. Interim, quòd filius hominis dicatur omnipotens, non dicitur propter formam serui, sed propter formam Dei. Sic contra filius Dei dicitur infirmus factus, non propter formam Dei, sed propter formam serui. Atque hæc est illa *gratia vnionis*, de qua scholastici, nempe, quòd quia vnitæ sunt duæ naturæ in vna persona filij Dei, inde fit vt diuina natura & eius proprietates prædicentur de humana in concreto, vt homo est Deus, homo est omnipotens, vbique præsens: & contra, vt humana & eiusdem proprietates eodem modo de diuina prædicentur, nempe in concreto: vt, Deus est homo, Deus est finitus, & certo loco. Concretum autem semper personam simul denotat & naturam.

Hæc est prima gratia, quam natura humana accepit ex hac vnitione cum natura diuina, in eadem Christi persona: & ideo gratia vnionis appellatur: quæ & communicatio idiomatum. Nam quod quidam gratiam vnionis vocant eā, qua natura humana, i. e. corpus & anima Christi, ex hac vnione eximia dona accepit, falluntur. Hanc enim Scholastici vocant gratiam habitualem, de qua mox in secunda thesi dicemus Grauius hallucinantur alij, qui hanc volunt esse gratiam vnionis, quòd scilicet diuina maiestas, id est essentiales Dei proprietates reapse in naturam humanam sint transfusæ, vel cum ea communicatæ, quod idem est: qua de re postea, in quæst. 12. Gratia vnionis, propriè est ea, quam explicaui. Est enim singularis gratia & omniū maxima hęc quā natura humana in vnitatem personæ a filio Dei assumta, consecuta est: nempe, vt propter hanc vnitionē Christus tam verè homo sit quam Deus: & vt Deus sit homo, & homo Deus: & vt homo sit omnipotens & vicissim Deus finitę virtutis: vt supra explicatum est. Quid hoc maius aut præclarius excogitari verè potest?

Ad hanc gratiam vnionis, de qua modò diximus in hac thesi, quidam pertinere volunt inseparabilem naturarum copulationem, hoc est, quod naturæ nō possunt amplius separari. Verùm hoc non est effectum vnionis, seu consequēs vnionem, sed proprietas huius vnionis. Diximus enim vnionem hypostaticam, esse vnitionem naturarum, ἀχωρίστως coëuntium, &c.

Grauius autem errant isti, quod putant eas naturas separari, si nō concedamus, vbicunque est diuina, ibi etiam esse humanam: quasi inseparabilis vnitio in hoc cōsistat: vt aut humana coextendatur diuinæ, aut diuina contrahatur & includatur in humana: quod vtrumque pro blasphemo & absurdissimo dogmate semper agnouit ecclesia, vt ne Nestoriani quidem admitterent, vt liquet apud Maxentium dialogo 2. Illa particula ἀχωρίστως contra Nestorium posita fuit, sicut & illa ἀδιαιρέτως: Sententia autem Nestorij fuit: Vtramque naturam, suam propriam, seorsum ab altera, habere subsistentiam: non autem vnam & eādem esse vtriusque hypostasin. Hinc fiebat, vt negaret, eandem personam seu hypostasin esse Deū & hominem simul: sed duas constituebat personas, quarū vna verus esset Deus, altera homo tātum. Hoc igitur erat separare naturas & soluere Christum vnam personam in duas. Proinde concil. Chalced. adiecit ἀδιαιρέτως & ἀχωρίστως.

Nos autem credimus & semper docemus ita in vna & eadē persona atque hypostasi, vnitas esse naturas, vt vnus & idem Christus semper & vbique sit Deus simul & homo verus ac perfectus. Ac licet, neque contrahamus Deitatem,

eámque includamus in humanitatem: neq; humanitatem coextendamus diuinitati: non tamen negamus, quin vbicunq; est Christus sua Deitate, ibi sit etiam cum sua humanitate coniunctus, eóque verus homo: quanquam humanitas ibi sua substantia non existat. Ita apparet istos Vbiquitarios non intelligere verba concilij Chalcedonensis, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως. Atque hoc obiter dictum esto, de inseparabili naturarum vnitione; quænam & quomodo intelligenda sit: & quam negamus esse vnum ex consequentibus hypostaticam vnitionem: cum sit vna ex propriis & essentialibus eius differētiis, quibus ab aliis vnitionibus differt.

Quidam etiam putant, inter consequentia vnionem hypostaticam hoc quoque connumerandum esse, quod in vna & eadem persona Christi, duo sint intellectus, duæ voluntates, diuina & humana, duóque actionum genera: quia vnitæ sunt in eo duæ illæ naturæ. Sed hoc etiam pertinet ad essentiam vnitionis hypostaticæ. Diximus enim esse vnitionem veræ ac perfectæ naturæ diuinæ, veræque ac perfectæ naturæ humanæ: perfectæ autem non essent, nisi suam quoque retinerent voluntatem, & intelligendi atque operandi facultatem.

Illud verius est, quòd alij aiunt ad hanc gratiam vnionis pertinere & illius esse effectum, quod vtraque natura ita sit vnita, vt quāuis realiter sint distinctæ, & distinctas habeāt actiones, quia ἀσυγχύτως copulatæ sunt: vna tamen operetur cum alterius cōmunione, quæ ad salutem nostrā pertinent, iuxta dictum Leonis. Hoc verè conceditur vnum esse ex cōsequentibus vnitionem hypostaticam. Nam quia vnitæ sunt naturæ, in vna persona: inde fit, vt etiam earum proprietates & actiones, quas eadem persona edit, communionem inter se habeant: Sed quia naturæ sunt vnitæ ἀσυγχύτως, & veram inter se habēt distinctionē: inde fit, vt etiam singularum actiones, sine vlla confusione distinctæ maneant, quamuis ad vnum & idem ἀποτέλεσμα concurrant. Ideo, qui dixit: *Vtraque forma operatur cum communione alterius*: idem eas distinguens, dixit, *Vtraque operatur quod proprium est*: quasi dicat, non quod alterius est. Item subiecit adhuc clarius: *Verbo agente quod verbi est, & carne exequente quod carnis est*: quo tamen dicto perperam intellecto & iniquè contorto, ac deprauato quidam abutuntur ad probandam realem in naturis idiomatum communicationem: quasi Leo dixerit, cum communicatione scil. reali, & non cum communione. Qua de re postea in quæst. 12. Hāc igitur communionem actionum vtriusque naturæ, ad gratiam vnionis, de qua hactenus in hac thesi locuti sumus, pertinere fateor: quia est hypostaticæ vnionis effectū. Hāc verò nos complexi sumus in thesi, quando diximus, quicquid est vtriusque naturæ, illud de eadem persona verè ac realiter prædicari: dicimus enim, Christum hominem remisisse peccata, & Christum Deum clamasse. Remittuntur tibi peccata tua: quarum actionum vna fuit edita à Christo secundum Deitatem, altera secūdum humanitatem: sed vtraque communionem habuit cum altera, quid ita? quia naturæ etiam in eadem persona veram ac substantialē habuerunt, & habent vnionem. Et licet videatur non esse opus patrum autoritatibus: vtile tamen est, eorum etiā audire consensum. Adferam vnū ex veteribus Iustinum: & alterum ex media ætate, Damascenum. Iustinus li. de expositione Fidei, p. 199. *Quoties igitur audieris de vno filio voces contrarias, collatas inuicem diuide iuxta vtramque naturam magnificas, diuináque diuinæ naturæ attribuens: quicquid autem exiguum & humanum, humanæ imputas Sic enim & vocum earum discrepantiam effugies, reddendo sua cuique naturæ, & filium vnicum antiquiorem omnibus seculis, eundem recens natum iuxta S. Scripturas confiteberis.* Sensus est perspicuus: De Christo humana & diuina prædicari in Scripturis: sed secundum diuersas naturas: secundum diuinam, diuina: secundum humanam, humana. Ac qui ita diuidet, eum S. literas verè interpretari, ac quæ videntur pugnare, facile cōciliari. Dam. l. 3. c. 3. Primùm docet, in Christo manere saluas & integras naturas, earumq; proprietates, τὸ κτιστὸν manere κτιστὸν, τὸ ἄκτιστον ἄκτιστον, τὸ ἀπερίγραπτον, ἀπερίγραπτον: τὸ περιγραπτὸν, περιγραπτὸν: τὸ ὁρατὸν ὁρατὸν, &c. Postea subdit omnia hæc contraria, prædicari de persona eadem, i. de Christo, sed secundum diuersas naturas. οἰκειοῦται γὰρ τὰ ἀνθρώπινα ὁ λόγος: propria sibi facit humana: & quæ propria sunt ea communicat carni, κατὰ τὸν τῆς ἀντιδόσεως τρόπον (ἀντίδοσιν vocat ipsam κοινωνίαν ἰδιωμάτων, quam Naz. vocat σύζευξιν τῶν ὀνομάτων) cum ergo ait, quòd λόγος, quę propria sunt, ea carni communicat, & modum explicans, ait, κατὰ τὸν τῆς ἀντιδόσεως τρόπον, intelligit, quæ sunt Deitatis, ea communicari carni per mutuam prædicationem in concreto. Concreto autem persona significatur: vt homo est Deus: homo est omnipotens: sicut contra, Deus est homo, Deus est crucifixus. Caussam huius mutuę prędicationis in concreto & in persona, ait esse quia partes, i. naturæ, ἀδιαχώριστον inter se habent, & ἕνωσιν in eadem hypostasi: & quia vnus & idem est, qui & diuina & humana operatur in vtraque forma, Dei & serui cum alterius communione.

Hæc est ratio, quam nos quoque posuimus in thesi. Concludit ergo rem exemplis dicens: διὸ δόξης ὁ κύριος τῆς δόξης ἐσταυρῶσθαι λέγεται, ἐν τῇ αὐτοῦ μὴ παθούσης φύσεως. En primum exemplum: subdit alterum contrarium, dicens, καὶ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου πρὸ τοῦ πάθους ἐν τῷ οὐρανῷ εἶναι ὁμολογεῖται. En quo pacto, quę vtriusque naturæ sunt, de persona, quocunque nomine & ratione significetur, verè & realiter prędicentur: non autem quæ vnius naturæ, de altera, nisi in concreto id quod nil aliud est, quàm prædicari de persona. Clarius etiam id explicat c. 4. vbi ex professo hoc tractat. Et titulus est περὶ τοῦ τρόπου τῆς ἀντιδόσεως.

De hoc primo capite conuenit etiam inter aduersarios & inter nos: si non postea, quod rectè definierunt, iterum corrumperent.

M. Kemnitius de duabus naturis c. 5. rectè definit communicationem idiomatum esse, quando, quæ propria sunt vnius naturę, ea de persona prædicantur: quia Filius Dei, ea facit sibi propria. Idem c. 13. 177. Recepta est hęc definitio, quòd communicatio idiomatum sit prædicatio, qua proprietas vni naturæ conueniens, tribuitur personæ in concreto.

Item in appendic. addita libr. Concordiæ, capite primo. Vbi post can. concil. Chalcedonens. explicant, quid sit nomen abstractum & concretum: sic scribunt. *Concreta vocabula sunt, quæ integram Christi personam designant, vt Deus, homo. Abstracta verò sunt nomina, quibus natura in persona Christi exprimuntur: vt diuinitas, humanitas. Secundum quam distinctionem rectè dicitur in concreto, Deus est homo, homo est Deus. Contra perperam dicitur in abstracto, diuinitas est humanitas, humanitas est diuinitas.* Hæc ibi benè quidem: sed non plenè rem explicant. Sic enim explicant suis exemplis, quasi tunc tantùm perperam loquamur, cùm abstractum de abstracto prædicamus, vt humanitas est Deitas: Sed addendum est: eum etiam concretū de abstracto prędicatur, vt de humanitate Deus. Perperam enim dicitur: humanitas est Deus: sed hoc ideo videntur tacuisse, quia volunt proprietates diuinas in concreto prædicari de natura humana in abstracto: Vt, caro Christi seu humana Christi natura est (non quidem vbique præsentia, aut omnipotentia, sed) vbique præsens vel omnipotens. Subdunt igitur eodem modo, de proprietatibus dicentes: *Eadem est ratio essentialium idiomatum, ita, vt vnius naturę idiomata de altera natura in abstracto, quasi alterius naturæ idiomata sint* (nota hanc alteram impostura) *prędicari nequeant. Quamobrem falsæ & erroneæ locutiones fuerint, si quis dixerit: Humana natura est omnipotentia.* Audis? quasi verò non sint erroneæ etiam si dicas, humana natura est omnipotens. Regula autem Iustini, Damasc. & omnium scholasticorum est, quæ sunt propria vnius naturæ, ea non posse vllo modo, siue per abstractum, siue per concretum illa exprimas, prędicari de altera natura in abstracto: cum tam hæc sit impia, Natura humana est Deus, quàm hęc, Natura humana est Deitas. Et tam hęc impia est, ipsorum etiam testimonio, Humana natura est ęternitas. Dixi, Ipsorum etiam testimonio: quia mox ibidem subdunt, & tamen etiam callidè aliud exemplum: aiunt enim *falsam & erroneam esse locutionem, si quis dicat, humana natura est ab æterno.* Noluerunt dicere, ęterna est, quo melius fallaciam tegerent: sed quid est esse ab ęterno, nisi esse ęternum? Si igitur erronea est locutio & falsa, Humana natura est ęterna, cur non & hęc: Humana natura est omnipotens, est vbique præsens?

Damasc. & alij, quando tradunt hanc regulam, de qua agimus, non adferunt exempla rerum, quæ prædicantur, abstractarum, sed concretarum: dicentes: τὴν θεότητα οὐ φαμεν non posse dici ἀπερίγραπτον vel παθητὴν aut κτιστήν: cum tamen de concreto, id est, de Deo personam Verbi significante, omnia hæc optimè prædicantur. Est enim ea persona, quæ est Deus circumscripta, creata, &c.

Item, patres aut scholastici nunquam addunt illam particulam, quam isti nostri: Vnius naturæ (aiūt nostri patres Bergenses) idiomata non prædicantur de altera natura in abstracto, quasi alterius naturæ idiomata. Cur addūt hanc particulam? Vt postea, cùm dicēt carnē Christi esse vbique præsentem, dicere possint, hanc vbique præsentiam se non dare carni, tanquā eius idioma, seu essentialē proprietatē,

quæ

quæ illi inhæreat formaliter, subiectiuè, habitualiter: sed tanquam ei inhærentem per σχέσιν.

Patres veteres simpliciter dicunt, quæ sunt propria vnius naturæ, ea non posse prædicari de altera, sed tantum de persona, siue per nomen personæ, siue per nomen naturæ, sed in concreto nominatæ. Non potui hæc prætetire: vt lectores intelligant & videant præstigias. Sed de iis fusius in quæst. 12. Satis est nunc, ostendisse, quæ tradidimus in thesi nostra, ea in confesso esse apud patres omnes, atque adeò etiam apud aduersarios nostros, nisi quòd quæ vna manu ædificant, postea altera euertunt.

Hæc igitur est præcipua dignitas & gloria formæ serui, quòd propter vnionem hypostaticam, i. duarum naturarum in vna hypostasi adunationem: fit, vt quæ sunt formę Dei, prædicentur de forma serui in concreto pronunciata: vt homo est Deus, homo est omnipotens. & vt prædicatio hæc non sit verbalis tãtum, sed verissimè realis: quia reipsa qui est homo Christus, est etiam Deus: & contra. Quid autem hoc maius? Ac de hac prima thesi satis.

THESIS II.

Natura in Christo humana, ex eo, quod à filio Dei in sua vnitatem personæ assumta est, quæcunque in aliquam humanam creaturam bona non solum ei naturalia, sed etiam supernaturalia conferri possunt, iis omnibus reapse ditata atque ornata fuit, idque non tam propter eius naturæ exaltationem, quàm nostræ salutis per ea perficiendæ caussa factum est.

THesis hæc tribus constat membris. *Primum* est, quòd natura humana in Christo, propter vnionem cum diuina in persona τοῦ λόγου factam, realiter ditata & ornata est.

Altero explicatur, quibusnam rebus sit ditata: nempe omnibus tum naturalibus, tum supernaturalibus bonis, quę in aliquam creaturam conferri possint.

Tertium est, de finali caussa, in quosnam fines facta sit hæc realis, tot tantorumque bonorum, in humanam Christi naturam collatio ac communicatio: nimirum, tum quia æquum erat, vt ea natura, quæ iam facta erat Dei, iis bonis omnibus exornaretur: tum maximè propter nostram salutem.

In *primo* membro, quia nomine humanę naturæ, non animum solum, sed etiam corpus intelligimus, ideo tam corpus, quàm animum, excellentissimis bonis ornatum fuisse docemus, non solùm post resurrectionem, sed etiam in ipsa sui conceptione ac natiuitate, totáque vita: quanquam passionibus nostris absque peccato vtrumque obnoxium semper, vsq. ad mortem fuit, nostræ salutis caussa.

Vtor autem voce, *Ditata*, quia sic etiam patres & præsertim Damasc. vocãt illa dona: nomine scil. diuitiarum. Item ditari his donis vocant πλουτισθῆναι. Non enim solum propter gratiam vnionis, sed etiam propter diuinas habituales gratias, etiam πλουτισθῆναι dixerunt patres.

Fuit enim illa forma serui, iis bonis supernaturalibus acceptis, non quidem conuersa in Deum aut Deo exæquata: sed diuina, h.e. Deo persimilis effecta, vt nihil ad Dei similitudinem propius accedat, quàm humana in Christo natura. Hoc est etiam πλουτισθῆναι τὴν σάρκα τοῦ Χριστοῦ. Non autem exæquari Deo.

Vsus porrò sum duobus verbis, dicens, eam ditatam & ornatam. Ornamentum ad ipsam propriè pertinet: diuitiæ ad salutem nostram.

Atque hæc pro explicatione primi membri nostræ theseos.

In *secundo* membro de bonis, quibus ditata est, i. bonis illis omnibus ditatam esse diximus, quæ in creaturam aliquam conferri possunt. Excludimus ergo proprietates Dei essentiales, quæ non possunt vlli rei creatæ realiter communicari, ne carni quidem Christi, ita vt verbi gratia tam ista humana natura in Christo, quàm diuina verè dici possit omnipotens, vbique præsens, &c. Quare hîc loquimur de bonis duntaxat creatis. Nam de bonis, quæ propria Dei sunt, & quibus propter gratiam vnionis ditata etiam dicitur, dictum est thesi prima.

1. Hæc bona distinguimus primùm in naturalia & in supernaturalia: seu εἰς τὰ φυσικὰ, καὶ εἰς τὰ ὑπερφυσικά. Physica sunt, quæ ex principiis sunt naturæ, & naturam non excedunt, vt præstantissimum omnium hominum ingenij acumen, tenacissima memoria, & aliæ animi facultates, quæ in nullo vnquam homine, ne in primo quidem Adamo tam præstantes fuerant, quàm in Christo, idque propter vnionem eius animæ cum natura diuina hypostaticam: Veluti, etiam forma corporis pulcherrima, diuina facies atq; vultus. Ps. 45. Speciosus præ filiis hominum, Vultus enim ille omni ex parte diuinitatem spirabat. Temperamentum etiam corporis tale fuit, quo nihil temperatius, nihil præstantius. Hæc & alia similia fuerunt naturæ humanæ in Christo naturalia: eáque ex vnione illius hypostatica cum diuina natura consecuta sunt. Natura enim diuina humanam fecit perfectam, omnésque dotes naturales perfectas. Quid ita? quia illa iuncta καθ᾽ ὑπόστασιν fuit, & est. Atque hęc de physicis bonis & ornamentis.

3. Fuerunt porrò & sunt alia quoque ὑπερφυσικά: quæ à gratia Dei sunt, non à natura: idq; tum in corpore, tum in anima. In corpore, vt quod suis oculis poterat cœlos penetrare, & omnia, quæ vellet, intueri. Si enim hoc potuit Stephanus, vt Act. 7. legitur, quanto magis Filius Dei? cùm in Stephani oculis pars tantum diuini luminis fuerit: in toto autem Christo omnis plenitudo Deitatis. Alia quoq; ὑπερφυσικά, sed non αἰτιωτικά dona, corpori Christi sunt communicata. In anima verò, vti summa sanctitas, summa sapientia, summa bonitas, plenitudo gratiæ, omnia dona Spiritus, &c. Hæc est prima bonorum Christo in natura humana communicatorum partitio.

II. Dona supernaturalia, tam quæ ad corpus pertinent, quàm quæ ad animam, diuiduntur in ea quæ accepit & habuit in statu humiliationis, ab ipso conceptionis tempore: & in ea, quæ accepit in resurrectione, & post resurrectionem, atque in cœlum ascensionem.

Illa prioris generis propriè fuerunt ex gratia vnionis, & illius effecta. Hæc posterioris, non tam vnionem consecuta sunt, quàm propter obedientiam vsque ad mortẽ, Christo à patre donata sunt. Phil. 2. Propter quod & Deus illum exaltauit, &c. Si tamen non fuisset illa humana natura cum diuina καθ᾽ ὑπόστασιν vnita, ad tantam gloriam, in qua est, non fuisset euecta. Ergo hæc etiam gloria, in qua iam est caro Christi, non immeritò datur ex parte vnioni hypostaticæ.

Iam omissis iis donis, quæ consecuta sunt passionem ac mortem, de quibus suo loco dicemus, omissis etiam naturalibus, atque illis etiam supernaturalibus, quæ ad corpus pertinebant, ac resumtis illis tantùm ὑπερφυσικοῖς, quæ ipsam duntaxat animam spectabant: Ea hac tertia partitione diuiduntur, in ea, quę ad mentem seu facultatem intelligendi, & in ea, quæ ad voluntatem, omnésque affectus, & totam animam pertinebant, atque ex vnione consecuta sunt in humana natura Christi. Ad totam animam pertinet perfectissima sanctitas: ad mentem, summa sapientia: ad cor & voluntatem, ardentissima charitas erga Deum, & erga homines, & alia multa, de quibus breuiter dicturi sumus.

Scholastici itaque hæc bona diuidunt in gratias habituales, & in dona Spiritus. Habituales gratias propriè vocant ipsas virtutes, quibus homo fit gratus Deo, vti est fides, spes, charitas: dona vocant reliqua, quæ ad perfectionem animæ faciunt, vt donum scientiæ, sapientię, timoris domini, &c. Quanquam permulti hæc confundũt, & omnia bona supernaturalia ad animam pertinentia, vocant modò gratias habituales, modò dona spiritus. Si enim consideres à quo sint, dona sunt spiritus, omnia etiam, gratiæ: si quid sint, in anima, sunt habitus virtutum infusi. Et ita si vtrumque coniungas, fuerint gratiæ habituales, seu habitus infusi à Spiritu sancto, illique gratuiti. Hæc de secundo membro.

Tertium non opus habet explicatione. Perspicuum enim est, omnia hæc, de quibus diximus, bona naturæ assumtæ communicata esse, tum ad ipsius exaltationem atq; gloriam, & ornamentum, tum ad salutem nostram per ea perficiendam.

Nunc restat, vt hæc quæ diximus, eóque Thesin nostram primum in genere confirmemus: deinde speciatim de singulis ita gratiis ac donis nonnihil dicamus.

I. Primus locus, qui de iis rebus occurrit, & qui etiam à Lomb. citatur: est Iesa. 11 *Requiescet super eum* (Christum) *spiritus domini spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis* (roboris) *spiritus sapientiæ & timoris Dei.* 1. Ait *super eum* (Christum) & super personam Christi. Hoc non dicitur respectu Deitatis, quia à Filio etiam procedit Spiritus S Ergo respectu humanitatis Quare sequitur, humanam naturam Christi repletam fuisse iam inde à conceptione, Spiritu S. & omnibus eius donis.

2. ait *requiescet.* Plenitudinem spiritus & perpetuam inhabitationem eius in natura humana significat. Totus enim spiritus requiescet & nunquam discedet

3. *Spir. domini.* Hoc significat ipsummet Sp. S. habitasse & habitare in illa natura humana: nõ tamẽ hypostaticῶς sicut

Filius inhabitat. Col. 2.

4. Hinc sequuntur effecta spiritus, ac dona: quæ partim ad mentem, vt sapientia, sciētia; partim ad voluntatem, vt spiritus timoris, &c. pertinent. Timor certè non congruit Christo secundum naturam diuinam. Ergo hinc colligimus, omnia hæc dona collata fuisse in humanam naturam.

Obserua hanc distinctionem naturarum. Natura diuina erat ipsa sapientia & scientia ęterna: Effecta huius increatæ sapientiæ fuerunt sapientia & sciētia, creata in anima Christi. Obserua etiam contra Vbiquitarios: Si increata sapientia, realiter communicaretur animę Christi, ita vt vna & eadem sapientia sapiens esset humana & diuina natura: quorsum donum creatæ sapientiæ?

Ex hac ergo distinctione colligamus, essentiales proprietates diuinæ naturæ non communicari realiter humanæ. Idem Christus secundum diuinam & integram sapientiam sapit & intelligit vt Deus: secundum humanam & creatam sapientiam sapit & intelligit, vt homo.

II. Secundus locus Luc. 2. *Puer crescebat & confortabatur spiritu: & implebatur sapientia: & gratia Dei erat super ipsum* Item: *Iesus proficiebat sapientia & ætate, & gratia apud Deum & homines.*

AMBROS. in Lucam sic explicat, vt 1. concludat ex verbo proficiendi, hæc non posse nisi de humana natura, id est, de Christo secundum humanam tantùm intelligi. Nam secundum diuinam non poterat proficere. Idem confirmatur ex nomine ætatis. Non enim competit nomen ætatis Deitati. Idem confirmatur ex verbo, *confortabatur*. Deus enim non eget confortatione.

2. Colliguntur hinc tria bonorum genera naturę humanę communicatorum. *Primùm*, bona ad voluntatem perficiendam totámque naturam sanctificandam: Et hoc ex nomine gratię colligitur. *Deinde*, bona, quibus perficitur intellectus: Et hoc ex voce sapientię. *Postremo*, bona ad corpus pertinentia: Et hoc, cum ait, profecisse ἡλικίᾳ. quæ vox significat ętatem & staturam corporis. Crescebat enim corpore simul & annis.

De hoc profectu obiter *quęstio* proponitur: Si hęc omnia bona habuit perfecta ex vnione hypostatica, quomodo profecit? De hac Damascen. l. 3. c. 21. Improbat eos, qui sentiunt profectum hunc factum esse additione & incremento donorum: quòd omnia ab initio, perfectissima fuerint in humanam Christi naturam collata: vt nulla posset fieri accessio seu incrementum. Ac sentit, profectum hunc intelligendum esse, primum quoad actiones, non quoad habitus, h. e. quod sicut reipsa crescebat ætate, additione scilicet annorum, & statura corporis, sic etiam indies magis ac magis exerebat coram Deo & hominibus hæc dona, gratiam & sapientiam, inhorum donorū effecta. Deinde, quod profectum hominum in gratia & sapientia, illorúmque salutem, tanquam suum proprium profectum habebat. Sic Damasc. Quidam tamen sentiunt, dona illa non fuisse initio consummata numeris omnibus, sed incrementum verum accepisse, prout etiam ætas reipsa crescebat: ita, vt plus sapientię fuerit in mente humana Christi tempore 30. annorum, quàm cum esset annorum duodecim. Rationem afferunt. 1. Quia Euangelistæ verba ita sonāt: *Crescebat proficiebat, implebatur sapientia.* Item, quia reipsa incrementum accipiebat ætas & statura corporis: incrementum autem hoc cum profectu sapientiæ coniungitur ab Euangelista. Ergo & sapientia & gratia crescebat. Non enim facit Euangelista discrimen inter crescere ætate & gratia. Item: quia similis factus est nobis per omnia excepto peccato. Natura autem omnium hominum est, vt tam habitus animi in eis accipiant reale incrementum, quàm corporis membra.

De hac quęstione plura non dicam. Vtraque sententia suas habet rationes. Secunda videtur simplicior & magis consentanea cum verbo Dei. Neque hac sententia quicquam derogatur vnioni hypostaticæ: quia satis est, omnia dona ad ornamentum animæ Christi & ad salutem nostrā pertinentis, vnionem hypostaticam cōsecuta fuisse, quamuis nō omnib. numeris in principio perfecta, cùm sint res creatæ: omnis autem res creata accipere potest incrementum.

Huc pertinet, quod Dn. Iesus dixit, *filium hominis ignorare diem illum vltimum*. Certè iam non ignorat in cœlo, etiam qua homo est. Scientia igitur in humana Christi natura, incrementum habere potuit. Atque de hoc satis.

Testimonia scripturarum plura non addam, quia non est necesse. Patrum scripta omnia sunt in hac re consentientia: innumeris sc. & diuinis donis humanam naturā in Christo propter vnionem hypostaticam ditatam & ornatam fuisse. Hęc testimonia recensere superuacaneum est: cum ipsi etiā aduersarij hoc fateantur. Tātum moneo lectores, pleraque patrum testimonia ab Vbiquitariis citati, pro reali idiomatum diuinorum in natura Christi humana communicatione, quibus patres ipsi nihil aliud concludere voluerunt, quàm aut illam, de qua in prima thesi diximus, vtriusque naturę proprietatum communicationem in persona: aut hanc, de qua loquimur in II. thesi donorum creatorum in humanam naturam collationem: vt posteà in quęst. 12. videbimus.

In præsentia hoc tantum vtar argumento: Si patres illis sententiis, quas proferunt Vbiquitarij concludere voluissēt aliquam proprietatem essentialem diuinę naturę, puta omnipotentiam realiter communicatam esse humanę naturę, illud certè conclusissent de omnib. proprietatibus. Non enim est maior ratio de vna quam de altera: pręsertim, cùm omnes reipsa nihil aliud sint, quam ipsa diuina essentia. Atqui apertè patres negant has proprietates (verbi gratia esse [illegible]) communicatas esse humanæ naturæ. Mansisse enim saluas vtriusque proprietates, & humanam naturam mansisse circumscriptam, finitam, visibilē, & certo loco. Hoc facile ex patribus demōstrare possumus. Ergo illis dictis, quæ pro reali communicatione idiomatū in natura humana citantur ab Vbiquitariis, nihil minus cōcludere voluerunt, quam id, quod Vbiquitarij contendunt: nisi velis patres secum pugnare.

Quòd si excipias: Patres voluerunt proprietates naturæ humanę manere in natura humana, eamque esse verè & per se circumscriptam, &c. Sed voluerunt etiam proprietates diuinas illi esse communicatas, ita, vt per se quidem & sua natura sit circumscripta, sed per aliud incircumscripta.

Respondeo; hoc nihil aliud esse, quàm dicere, patres voluisse oppositas differentias de eadem natura secundum idē prædicari. Hoc verò falsissimum est. Apertè enim tradunt, vt suprà ostendimus ex Damasc. opposita de eodem secundum idem pręedicari non posse. Proinde docent, ideo necessarium esse, vt in Christo vna tantum statuatur persona, & duæ naturæ, quia opposita de eodem prędicantur, vt liquet. Prędicari ergo de eodem, sed κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο. Sed de iis alias.

Quando ergo in genere satis confirmata est thesis nostra: nunc speciatim de multis virtutibus & donis videndum est: an fuerint in Christo secundum naturam humanam.

1. Disputant theologi scholast. An in anima Christi fuerit fides? Th. 3. p. q. 7. ar. 3. Respondent, propriè loquēdo, non fuisse. Ratio: quoniam fides est ἔλεγχος τῶν μὴ βλεπομένων, He. 11. Christus autem etiam secundum humanam mentē semper vidit Deū résque diuinas, quę sunt obiectum fidei. Quo modo enim non vidit Deum, cui vnita erat καθ' ὑπόστασιν? Certe anima Christi non minus clare vidit & nouit Deum in terris existens, quam nūc animę beatorum in cęlo. Atqui propter hanc clarissimam Dei visionem, animę beatorum, non ampliùs dicuntur credere, aut Deum videre per fidem, sed per speciem. Et 1. Cor. 13 Apostolus ait, *nos nunc cognoscere Deum ex parte, in cœlo autem perfectè. Cùm autem aduenerit quod perfectum est, tum abolebitur quod est imperfectum.* Ergo si animæ beatorum in cœlo non amplius dicuntur habere fidem: quia Deum à facie ad faciem vident: neque etiā anima Christi dicenda est habuisse fidem, quatenus fides est donum, quo creduntur, quæ non videntur. Illa enim non minus videbat Deum, quam animæ beatorum.

At, inquies, non igitur omnibus illis donis, quæ humanæ naturæ communicari possunt, ditata fuit natura Christi humana. Fides enim est singulare donum.

Resp. Qui coronatum habet, vel pretiosissimam gemmā, an nō ditior est illo, qui tenet vnum dūtaxat Bacium? Cum igitur clariorē Dei cognitionē habuerit, ea, quæ per fidem habetur: ditior fuit, quàm si prędita fuisset fide. Impropriè tamē dici potest, fidē habuisse, quaten⁹ fides est Dei cognitio.

2. De spe idem proponitur. Respondent eadem ratione, non posse dici, si de vera spe loquamur, in anima Christi fuisse spem. Spes enim propriè est rerum, quę nō vidētur, sicut & fides, atque in primis Dei. Nititur enim spes fide He. 11. quia fides est ὑπόστασις rerum quę sperantur. Atqui anima Christi in terris extans optimè videbat Deum, vt supra ostensum est. Sicut ergo de Deo nō habebat fidem, sic neque spem. Atque huc illud Apostoli Rom. 8. *Quod quis videt, quid speret?* Nam quod non videmus, speramus.

Cæterùm quatenus spes vocatur quæuis expectatio cuiusuis auxilij quod promisit Deus, eatenus dici potest, in anima Christi fuisse spem. Nam licet videret Deum eóque & frueretur: tamen expectabat resurrectionem corporis, ascēsionem in cœlum, sessionem ad dexteram, & alia quę nōdū erat consecutus Christus. Atque huius rei respectu, dicitur Christus sperasse in Deo, quatenus homo erat: vt in psalmis, qui de Christo sunt, sæpe legitur.

3. De charitate res est extra controuersiā eius animā fuisse perfe-

perfectissima dilectione Dei & proximi affectam, vt dicitur: *Diligo Patrem*: Item, *dilexit suos in finem usq; &c. Qua nunquam remisit, &c. Charitas enim nunquam excidit. In charitate perpetua dilexi te.*

4. De scientia Animæ Christi permulta disputantur: sed nos paucis contenti erimus.

Triplex cognitionis, seu scientiæ genus attribuitur animæ Christi. *Vnum* quo immediatè verbum, cui vnita est ... semper vidit ac in eo, tanquam in speculo, reliqua omnia. De quo genere scientiæ illud intelligi potest. *Deum nemo vidit vnquam: Filius, qui est in sinu Patris ipse reuelauit nobis.* In sinu Patris erat totus, etiam secundum formam serui: reuelare verò voce, & per sermonem, hominis fuit & est. Hanc vocant scientiam beatorũ: qua scilicet Beati in cœlo Deum vident à facie ad faciem.

Alterum genus scientiæ est, quo beata anima per habitus cœlitus inditos, non solum terrestria, sed etiam cœlestia cognoscebat, atque cognoscit, de quo scientiæ genere intelligitur illud Ies. 11. *requiescet super eum Spiritus scientiæ, &c.* Hanc scientiã habitualem eamque ὑπερφυσικὴν vocant.

Tertium est scientiæ, quam vocant φυσικὴν & acquisitam, nempe ex multarum rerum experientia, qua de caussa experimentalis etiam à multis vocatur: qua de re illud multi interpretantur, Luc. 2. *Puer autem crescebat sapientia*, id est experimentali rerum cognitione.

Dicam de singulis. Neque.n hic disserimus de ipsa increata diuina sapientia, qua Christus vt Deus, omnia nouit. Hæc enim sapientia, ... est sapientia, & est ipse Filius Dei, qui sua essentia omnia nouit. Sed præter hanc, alias etiam scientias in Christo, quà homo est, statuamus oportet: quia sic docent sacræ literæ.

Ac si illam tantum diuinam sapientiam in Christo agnosceremus, & non etiam humanam: cùm Monotheletis erraremus, & à sexta Synodo damnaremur. Christus enim non solùm, quà Deus est, intelligit sua increata & æterna sapientia: sed etiam quà homo, sua creata, ac temporali scientia: alioqui verus non esset homo, nobis per omnia similis: & imperfectior esset ipsius anima, quàm nostra. Ergo præter illam increatam ac diuinam fatendum est, in Christo alias quoque inesse sapientias, atque scientias.

Triplex autem, vt diximus scientia animæ Christi attribuitur. *Prima* itaque sapientia, quam in anima Christi agnoscit Ecclesia, est sapientia illa, qua Deum à facie ad faciem videt, & qua verè beata est: quali etiam Spiritus & animi sanctorum in cœlo beati sunt: quia vidẽt Deum non per fidem, sed per speciem & à facie ad faciem. Qualis autem est hæc sapientia & quomodo fit? Creata est, & participatione diuini luminis, i. per lumen in anima creatum generatur, atque perficitur. Non enim anima Christi cognoscit Deum, cognitione ac sapientia increata, sicut neq; voluntate increata vult, (Vtrumque enim in Monotheletis damnatum fuit à VI. Synodo) sed creata anima per creatum lumen atque scientiam intelligit ac videt ipsum etiam Deum, ac Verbum cui vnita est καθ' ὑπόστασιν. Et sic docent Scholastici in 3. Sent. dist. 13. & 14. Et ita Th. Aq. 3. p. q. 9. art. 2. Qui & hanc adfert rationem ex verbis Apostoli Hebr. 2. collectam. *Decebat enim eum propter quem omnia & per quem sunt omnia, multos filios in gloriam adducere principem salutis ipsorum.* Ratio talis est: Per quam rem homines fiunt beati, & vident Deum: eã ab humanitate Christi accipiant, seu ex plenitudine eius gratiæ, quæ in humana Christi natura residet, hauriant, oportet. Est enim autor salutis ipsorum, per communicationem gratiæ & donorum quæ in ipso sunt. Atqui electi in cœlo, beati sunt videndo Deum, & Deum vident participatione creati luminis atq; scientiæ. Ergo hanc habent ab anima Christi. Quare in anima Christi plenitudo inest creati luminis atque sapientiæ: atque hæc ipsa etiam Christus, quatenus homo, videt Deum Patrem, & seipsum Deum.

At, inquies, tota plenitudo Deitatis increatique luminis atque sapientiæ inhabitat in Christo, inque tota eius anima, Col. 2. Anima igitur illo increato lumine & refulgente sapientia videre ... eum potest, nec opus habet creato. Respondet Thom. ipse, in responsione ad primum argumentum, consequentiam non valere. Ratio est: quia licet illa plenitudo Deitatis sit in Christo, hoc est in persona Christi: non est tamen ita in humana eius natura, vt per eam videre Deum queat: sicut contrà, Deus per eam plenitudinem, i. per seipsum, seipsum & omnia videt. Neque enim vnionem factam esse in natura sed in persona. In persona verò ita vnitæ sunt naturæ, vt essentiales earum proprietates, & proprietatum cuiusque differentiæ maneant incolumes & inconfusæ. Cùm igitur anima Christi nõ possit per lumen increatum, péique increatam sapientiam, per quam solus Deus intelligit, intelligere, Deúmque videre. Sequitur opus ei fuisse & esse creata sapientia, quam Thomas vocat sapientiam beatam & beatorum. Docet etiam ibidem Thomas in responsione ad secundum: Animam Christi ex ipsa quidem vnione factam esse beatam beatitudine increata: sed beatitudine creata non potuisse beatam esse sine hoc lumine creato, sapientiaque creata. Addit & hanc explicationem, nullo modo contemnendam: sapientiam creatam, qua beati Deum vident, esse partim supra naturã, ὑπερφυσικὴν partim secundum naturam, φυσικήν. Supra naturam quidem, quia viribus naturæ comparari non potest: secundum naturam verò, quia eius capaces sumus naturã nostrã. At verò increatam sapientiam vtroque modo esse supra naturam: quia neque viribus naturæ haberi potest, neque eius capax est nostra natura, cùm hæc sit finita, illa autem sapientia infinita: Quo ex loco manifestè colligitur proprietates diuinæ naturæ essentiales communicari realiter non posse humanæ naturæ. Quid ita? Quia cùm humana natura sit finita, diuinæ autem proprietates infinitę, harum illa capax esse non potest: id quod & aduersarij nolentes fatentur: cùm aiunt, hasce proprietates in humana natura non esse essentialiter neque formaliter, neque habitualiter, neq; subiectiuè: sed tantum κατ' ὑπεροχὴν. Quid autem hoc aliud est, quàm nullo modo reali, vel substantiali vel accidentali in ea inesse, sed tantùm esse vnitas cum alterius naturæ proprietatibus, quemadmodum & naturæ vnitæ sunt? Ὑπεροχὴ enim est ipsa vera & ... Atque hoc obiter obseruatum esto ex verbis Thomæ.

De hac igitur scientia sapientiáque creata, qua donati beatorum animi Deum vident, quærunt scholastici. I. An anima Christi ... & Deum comprehenderit atque comprehendat, hoc est an totum Deum, eiusque immensitatem perfecta intelligentia complectatur.

Respondent: totam quidem diuinam essentiam ab anima Christi perfectissimè videri: sed non quantum videri potest. Totam, vident, inquiunt, sed non totaliter, ὅλον, οὐχ ὅλως. Ratio: quia infinitum comprehendi à finito nullo modo potest. Et confirmant testimonio Augustini ex lib. 83. quæst. *Nullam quidem esse creaturam, qu. melius & perfectius percipiat diuinam essentiam, quam animam Christi*, quò illud pertinet Isidori: *Sancta Trinitas sibi soli nota est & homini assumto*: id est, sibi soli perfectissimè & plenissimè: deinde homini assumto perfectius, quam vlli creaturæ, nota est sancta Trinitas. *) Sed tamen comprehendi ab anima Christi non posse.* Vnumquodque enim recipitur, per modum & pro captu recipientis. Cùm igitur anima Christi sit finita cognitione infinita ... eum percipere nequit, sed finita tantum, quamuis excellentissima omnium cognitione. Vis.n. cognoscendi in anima Christi finita est, quia creata: in immensam igitur & infinitam Dei essentiam infinita ratione cognoscendam penetrare non potest. Quare ὅλον ... ἀλλ' οὐχ ὅλως videt atque cognoscit.

II. Quærunt secundò de hac beata sapientia atque visione: an anima Christi videndo totum Deum, omnia in Deo videat, atque cognoscat.

Respondent distinctione. Vox *omnia* aut significat ea, quæ actu fuerunt, sunt, ac futura sunt: siue ea sint dicta, siue facta, siue cogitata: aut significat ea omnia, quæ potest Deus facere, sed tamen nunquam fient. Si primo modo accipias *omnia*, aiunt animam Christi videndo Verbum, in Verbo omnia videre.

1. Ratio. Quia nullus est beatus intellectus, qui non omnia, quæ ad se & ad suam felicitatem pertinent, in Deo videat. Alioqui.n. plenè beatus non esset. Atque hoc sensu verum est dictum D. Gregorij, *Quomodo non omnia videt, qui videntem omnia videt?* Non enim simpliciter omnia, quæ in Deo sunt, & quæ Deus videt, vident beati, sed tantum omnia quæ ad ipsos, ipsorúmque beatitudinem pertinent. Ad illorũm autem beatitudinem non pertinet scire, quæcunque hic à nobis fiunt. Ita refellitur somniũ eorum, qui hanc rerum nostrarum cognitionem attribuunt beatis. Sed quæ ad illorum felicitatem pertinent, ea non ignorant, sed vident in Deo. Atqui ad Christum, etiam qua homo est, omnia, quæ reapse fuerunt, sunt & futura sunt, pertinent. Omnia enim illi vt Domino subiecta sunt. Eph. 1. Omnia ergo cognoscat & in verbo videat, oportet.

2. Est etiam omnium constitutus iudex, non solùm vt Deus, sed etiam vt homo. Iuxta illud Iohan. 5. *Dedit ei potestatem iudicium faciendi, quia filius hominis est.* Est igitur necesse, vt, etiam qua homo, omnia & dicta & facta & cogitata cognoscat: si non alia ratione, saltem in Verbo, in quo tanquam in speculo, omnia quæ fuerunt, sunt & futura sunt, relucent. Atque huc accommodant illud, Ioh. 2. *Ipse sciebat quid esset in homine, &c.* Item: *Ipse autem videns co-*

gitationes eorum, &c. Videt per se, vt Deus, videt in Verbo & per Verbũ, vt homo: quia cũ Verbo vnitus καθ' ὑπόστασιν.

3. Qui Spiritum Dei habet non ad mensuram, is etiam omnia nouit sine mensura: sicut qui plus habent Spiritus Dei, ij etiam plura sciunt. Cùm igitur anima Christi habeat Spiritum, qui est Spiritus sapientiæ non ad mensurã: efficitur, animam Christi citra mensuram nosse omnia per hunc Spiritum: omnia, inquam, quæ fuerunt, sunt & futura sunt: quatenus scil. ea videt in Verbo. Et sic concluditur lib. Sent. 3. dist. 14. Neque hoc pugnat cum iis, quę diximus supra, Christum, quà homo est, multa ignorasse vno tempore, quæ alio tempore postea nouit. Illud enim intelligitur de alio genere cognitionis, de qua mox dicemus. Quod autem modo concludimus, de cognitione illa concludimus, qua videbat & videt semper omnia in Verbo, cui ὑποστατικῶς vnita est anima ipsa Christi.

Atque hanc cognitionem vocant cognitionem visionis: quia scilicet videntur quæ sunt. Quæcunque autem futura sunt, iam reipsa coram Deo sunt. Si itaque de iis intelligamus dictionem, *omnia*: affirmant omnes, omnia ab anima Christi in Verbo visa & cognita semper fuisse, & esse. Si verò intelligamus omnia, quæ fieri à Deo possunt, sed nunquam fient: negant animam Christi omnia vidisse aut videre in Verbo. Ratio antè allata est: nempe, quia si videret, quæcunque potest Deus: infinitam eius potentiam, cóque Dei essentiam comprehenderet. Hoc autem iam demonstratum est, fieri non posse.

Rem paucis repeto. Christo, tanquam Deo, vnica attribuitur sapientia, sapientia nimirum increata, quæ est ipsius essentia. Eidem tanquam homini triplex assignatur, vt supra declarauimus. *Vna*, quæ & ordine & dignitate prima est, qua iam inde à conceptione perfectè nouit ac vidit Verbum: idque per creatum in anima diuinum lumen. *Altera*, infusa & animo indita, dona nimirum spiritus sapientiæ & intelligentiæ: qua diuina & humana intellexit: Et qua etiam profecisse dicitur: sicut gratia & ætate. *Tertia*, quam acquisitam & experimentalem vocant, quòd variò rerum vsu in hac vita eam sibi comparauit: qua etiam profecit in dies. Præter illam primò diuinam has quoque tres in Christo secundum humanam naturam concedendas esse, demonstrauimus abundè.

Accedit, quòd similis nobis est factus per omnia, excepto peccato. In omnibus autem electis hæ tres scientiæ reperiuntur. Vna est acquisita, qualis est, quam acquirimus in scholis & ex quotidiana experientia. Hæc est naturalis. Secunda est infusa, vti est cognitio per Spiritum S. facta. Atque hæ duæ tantum habentur in præsenti seculo. Tertia ad futuram vitam pertinet: atque est ea, qua omnes beati spiritus, per lumen creatum, Deum à facie ad faciem vident.

Cœpimus verò de sapientia creata agere: ac primùm quæsitum est an anima Christi per hanc creatam sapientiam, Verbum diuinámque essentiam comprehenderit atque comprehendat? Responsum fuit, totum quidem Deum ab anima Christi visum fuisse & videri: sed non quantum videri posse atque cognosci. Itaque ὅλον θεὸν visum esse & videri, ἀλλ' οὐχ ὅλως. Rationes sunt allatæ, quarum prima est, quòd infinitum à finito comprehendi non possit.

Deinde quæsitum est, an anima Christi videndo Deũ, omnia in illo videat. Responsum fuit, omnia vidisse ac videri, quę facta reipsa sunt, ac futura sunt, rationibus in medium allatis. Qua de re etiam Maxentius li. 2. c. 2. Sed quæ potest Deus, nunquam autem futura sunt, ea non videre neque iam scire Ratio allata, quia hoc modo Dei virtus & essentia infinita comprehenderetur: quod demonstratum est, esse falsum.

III. Hinc ad id, quod tertio loco proponunt, de hoc primo scientiæ genere, facile patet responsio. Quærunt enim an anima Christi videndo verbum seu diuinam essentiam, per hoc creatum lumen, æqualem cum verbi sapientia habeat rerum scientiam & cognitionem, necne.

Respondent, non habere. 1. Quia Deus seipsum & ὅλον & ὅλως videt: Anima autem Christi ὅλον quidem, sed non ὅλως.

2. Quia licet omnia quæ fuerunt, sunt & futura sunt, videat in verbo anima Christi: non videt tamen nec percipit, quæcunque potest Deus: puta, quæ nunquam futura sunt, vt modò explicatum est: seu, vt vno verbo dicam: quia anima Christi sola cognitione visionis prædita est, destituta cognitione simplicis intelligentiæ: Deus verò ac λόγος, vtraque omnia nouit.

3. Quia non omnia tam clarè atque perspicuè anima Christi nouit in verbo, quam verbum ipsum, seu Deus omnia nouit ac videt. Anima. n. Christi videt participatione luminis creati, eóque finiti: λόγος autem lumine increato, eóque infinito, id est, sua propria essentia.

4. Quia anima Christi non videt vno intuitu, & simul omnia: sed alia post alia. Est. n. substãtia creata & finita: λόγος autẽ, quia immẽsus est, omnia simul in suo habet cõspectu.

5. Quia nulla in re, creatura exæquari potest Creatori, vt omnes vno ore, & vno consensu docent. Ergo neque in scientia & cognitione.

6. Adferunt ad huius rei confirmationem dictũ Cassiodori, qui in illud Psalmi: mirabilis facta est scientia tua ex me, & non potero ad eam: quasi verba sint hominis assumti, ita scribit: *Veritas humanæ conditionis ostenditur: quia assumtus homo diuinæ substantiæ non potest æquari, vel in scientia, vel in alio.*

7. Citant & illud Apostoli, 1. Cor. 2. Nemo nouit quæ sunt Dei nisi spiritus Dei. Etsi enim qui spiritum Dei accipiunt, norunt, quę sunt Dei, vt subdit Apostolus, dicens: *Nos autem Spiritum Dei accepimus, vt sciamus quæ nobis donata sunt*: tamen nemo, ne anima quidem Christi: tam perfectè nouit Deum & quæ Dei sunt, quàm Deus ipse. Hinc liquidò apparet atque demonstratiuè euincitur, Animam Christi ne hac quidem beata sapientia, qua Deum semper videt & omnia in Deo, dici posse simpliciter omnisciam, quemadmodum Deus & λόγος omniscius est. Si autem per hanc omniscia non est: multò minus aliis duabus scientiis habituali sc. infusa, & comparata seu acquisita: de quibus modò dicemus.

Atque huius conclusionis ratio inuicta retinenda est. Ille enim solus verè *omniscius* est, ac dici potest, qui omnia simpliciter nouit per sapientiam increatam & immensam, quę est diuina essentia. Atqui solus Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus, quia increatus est, per sapientiam increatam intelligit, & omnia nouit: omnis autem creatura per solam creatam. Essentia enim diuina nullius formæ vel substantialis vel accidentalis esse potest: quia veniret in rerum cõpositionem, & pars esset compositæ creaturæ, quod prorsus est ἀδύνατον. Omnis autem creatura intelligit & agit per aliquam formam. Fieri igitur nequit, vt anima Christi quę creatura est, per sapientiam increatam intelligat, & ita fit omniscia, vt fingunt & blasphemant *Vbiquitarij*. At obiiciunt Col. 2. *In ipsa sunt omnes thesauri sapientiæ & intelligentię absconditi.* *Resp.* Sed nihil ad rem: quasi verò Paulus dicat, in anima Christi esse simpliciter omnium rerum scientiam: cùm de persona Christi loquatur, ac doceat, qui Christum nouit, illum nihil ignorare: quia in cognitione Christi tota consistit sapientia, quibus de rebus postea.

Interim hæc beata cognitio atque sapientia, qua de hactenus locuti sumus, excellentissima est omnium quæ alicui creaturæ communicari possit: & hac excellit omnibus creatis spiritibus, tam angelicis, quàm humanis, beata Christi anima, iuxta illud Eph. 1. *Christum exaltatum esse supra omnem principatum & potestatem.* Ac de primo sapientiæ genere, quo anima Christi donata fuit, simulac in vnitatem fuit à λόγῳ assumta: dictum esto.

II. De altero: hoc est de eo, quo per habitus diuinitus infusus, dona nimirum Spir. S. anima Christi intelligit: de quibus Ies. 11. Repleuit eum spiritu sapientiæ: Quærunt theologi. Num anima Christi per hanc infusam, & habitualem scientiam, nouerit omnia? *Resp.* primum, non nouit hac scientia neque vidit essentiam Dei: sed tantùm illa beata scientia, de qua supra dictum est. Deinde neque nouit, quæcunque à Deo fieri possunt. Si enim non nouit hæc per beatam illam sapientiam, vt probatum est: multò minus per hanc infusam.

Quænam igitur nouit? Quæcunque tam diuina quam humana, ab vllo intellectu, vel angelico vel humano, vel ab omnibus simul angelis & hominibus cognosci possunt: idque multò etiam perfectiùs, quam ab illis: quo etiam hæc scientia in Christo nobilior est & maior, omnium & angelorum & hominum cognitione. Hoc autem probant illo Iesaiæ dicto c. 11. *Repleuit eum Spiritu sapientiæ & intellectus, spiritu scientiæ ac consilij.* Sapientiæ nomine intelligũt cœlestium & diuinorum scientiam: nomine intellectus (vt vertit Latinus interpres) intelligunt rerum à materia separatarum cognitionem, vti sunt angelicæ substantiæ: nomine sciẽtiæ cognitionem rerum physicarũ, quæ per syllogismũ demonstrantur & concluduntur: nomine cõsilij cognitionem rerum, quæ agendæ sunt, seu τὰ πρακτικά. (refero, quid illi dicant) Dubium verò non est, quin scientia, qua prædita fuit anima Christi, ex inditis infusisq; donis Spir. S. præstantior fuerit cognitione quauis humana atque angelica: vt eorum nihil eam latuerit, quæ ab hominibus & angelis cognosci possunt, & ad perfectionem intellectus pertinẽt. Aliis enim dantur diuersa dona, sed Christo omnia. Ideo ait, Spiritus sapientiæ, intelligentię, scientię, consilij. Aliis

ad

ad menſurã: Chriſto ſine mẽſura. Et ideo ait: replebitur Spiritu ſapientiæ, &c. Item requieſcet ſuper eum Spiritus, &c. Hinc fit, vt quia dies illa vltima, nemini reuelata fuit vel hominum vel angelorum: ideò neque cõcludi poſſit, illam fuiſſe cognitam animæ Chriſti, per hanc ſcientiã infuſam. Ideo ait: *de die illa nemo ſcit, neque angeli Dei, nec filius hominis*, Marc. 13. hoc ſcil. cognitionis genere, quæ in hoc mundo haberi poteſt. Nam alio ſcientiæ genere, de quo ſupra, non ignorauit diem illum. Tantùm autem hac ſcientia infuſa nouit, (vt ſcholaſtici volunt,) quæ vel ab hominibus vel ab angelis, in hac vita cognoſci poſſunt: ſed excellentiùs atque præſtãtiùs, propter plenitudinẽ donorũ Spiritus.

II. Quærunt ſecundò: an ſcientia hæc qua prædita fuit anima Chriſti, fuerit præſtantior cognitione & ſcientia angelorum.

Reſpondent diſtinctione. Si ſpectemus & multitudinem rerum cognitarum, & certitudinem ſcientiæ: fuiſſe maiorem ac præſtantiorem ſcientia angelorum, idque propter rationem iam dictam, quia ſcilicet in Chriſti anima reſidet Spiritus ſanctus cum omnibus ſuis donis, ſine menſura: id quod neque hominibus neque vlli angelorum conceſſum eſt: ac proinde nemini datum eſt, vt cognoſcat, quæcunque ab ipſis cognoſci poſſunt, niſi animæ Chriſti.

Si verò ſpectemus modum, quo angelus cognoſcit, & quo anima humana in Chriſto: præſtantiorem eſſe in angelis, quam in anima Chriſti. Anima enim humana Chriſti, more humano, etiam per hanc inditam ſcientiam, cognouit diuina & humana: nempe, conuertendo ſe ad phãtaſmata, componendo, diuidendo, diſcurrendo, ratiocinando, & vnum cum altero conferendo. (Fuit enim nobis ſimilis per omnia) Non ſic autem angeli. Hinc etiam colligo, hac etiam ſcientia profeciſſe animam Chriſti (vt Lucas ca. 2. dicit) & ſapientia, vna cum ætate: non quidem quoad habitus infuſos, (repletus enim fuit de principio, Spiritu ſapientiæ & ſcientię) ſed quoad actus profeciſſe: quatenus ſc. creſcente corpore, & animæ potentiis maiores vires recipientibus: magis & magis, & perfectiùs vti poterat & organis corporis & potentiis animæ, ad diſcernendum, ad ratiocinandum, ad intelligendum. Fuit enim nobis ſimilis, & anima rationali præditus.

Summa eſt: hanc quoque ſcientiam diuinitus inditam, quam vocant habitualem, in anima Chriſti fuiſſe & eſſe: & eam quidem omnibus aliis vel angelorum vel hominum ſcientiis præſtantiorem eſſe: quia ſola etiam hæc anima vnita eſt τῷ λόγῳ καθ' ὑπόστασιν: ac proinde omnem ſpiritus plenitudinem accepiſſe à λόγῳ.

Sed neque tamen hanc ob cauſſam dici poteſt, ſimpliciter omniſcia, cùm multò pauciora norit per hanc, quam per ſuperiorem, quæ beata ſapientia vocatur. Per illam autem animam Chriſti non eſſe omniſciam, ſupra demonſtratum eſt. Quia verò dictum eſt, hanc ſcientiam vocari à ſcholaſticis *habitualem*: duo videnda ſunt: primùm, cur ſic appelletur, duabus nimirum de cauſſis: tum, quia ex infuſis habitibus habetur. Hæc enim dona Spir. S. collata in animas noſtras, quia ibi hærent fixa, fiuntque animi qualitates, & per ea intelligimus, credimus, & operamur. 2. Ideo vocantur habitus, ἕξεις, ſed infuſi diuinitus, è quibus prodeunt αἱ πράξεις, actiones: tum quia licet non ſemper actu intelligamus, poſſumus tamen, cùm volumus, intelligere, credere, operari. Alia enim eſt ſcientia & fides *actualis*, alia *habitualis*. Etiam cum dormimus, fide & ſcientia habituali præditi ſumus. Hæc enim eſt perpetua: actualis autem non ita. His igitur de cauſſis, ſcientia quoque & ſapientia infuſa in anima Chriſti habitualis vocatur: partim quia per hæc dona Spiritus, tanquam per habitus, anima illa ſancta intelligebat: partim quia licet non ſemper actu intelligeret & cogitaret, poterat tamen cum volebat. Atque hoc optimè congruit animæ Chriſti, quæ eiuſdem ſpeciei fuit & eſt, cuius & animæ noſtræ. Animæ autem noſtræ ita ſe habent naturaliter, vt quandoque actu intelligant, quandoque tãtùm δύναμιν, quæ facilè ad actum deduci queat: & hæc eſt habitus, qui & actus primus multis appellari ſolet. Eſt enim medium quoddam, inter puram potentiam & inter verum actum, ſeu inter δύναμιν & ἐνέργειαν. Non immeritò igitur ſcientia hæc animæ Chriſti, diuinitus indita atque infuſa habitualis vocatur à ſcholaſticis.

Deinde hoc quoque alterum prætereundum non eſt: Falſum eſt, quod quidam commenti ſunt, in anima Chriſti vnum tãtùm eſſe habitum ſcientiæ, ſeu vnam habitualem ſcientiam: per quam omnia intelligat. Cum enim diuerſa ſint in eo dona ſpiritus, nimirum ſpiritus ſapientiæ, Spiritus intelligentiæ, ſpiritus ſcientiæ, ſpiritus conſilij: hęc verò dona ſint illi habitus, de quibus loquimur: manifeſtũ fit, plures eſſe in illa anima habitus, vt vocant ſcientificos, atque illam infuſam ſcientiam, diuerſos habere habitus.

Demonſtrant verò hæc, animam Chriſti veram & eiuſdem cum noſtris ſpeciei eſſe animam. Nam & in animis noſtris res ita ſe habet: in quibus aliæ ſunt ἕξεις (habitus), θεωρητικαί, aliæ πρακτικαί, & aliæ diuinitus infuſæ, aliæ acquiſitæ: & horum generum diuerſæ ſpecies. Itaque haud abs re eſt, quod hanc quoque doctrinæ partem, de multis habitibus in anima Chriſti, cum ſanioribus ſcholaſticis tuemur. Ac de ſecundo genere ſapientiæ ſatis.

III. De tertio, quod acquiſitam & experimentalem ſcientiam vocant, quærunt ſcholaſtici.

1. Quarumnam rerum cognitionem, ex iis, quæ, dum inter homines vixit, expertus eſt: acquiſierit anima domini noſtri Ieſu Chriſti. Reſpondent: omnium, quæ per lumen intellectus humani cognoſci poſſunt. Licet enim non omnia quæ in mundo ſunt, expertus ſit, nec omnia ſenſilia ſenſibus eius fuerint ſubiecta: per ea tamen, quæ expertus eſt, aliarum quoque humanarum rerum ſcientiam ſibi cõparauit. Tanta enim fuit vis intellectus ac mentis Chriſti, propter vnionem, quam habuit cum Verbo, vt facile potuerit ex ſimilibus ſimilia, & ex contrariis contraria, & ex effectis cauſſas & rurſus ex cauſſis effecta intelligere: & ex quorundam experientia aliorum quoque notitiam conſequi. Exempli cauſſa: Chriſtus non omnia morborum genera perpeſſus eſt: imò nullo vnquam morbo laboraſſe legitur: ex iis tamen, quæ partim naturaliter ſenſit, ex fame, ſiti, vigiliis, defatigationibus, partim quæ violenter ab hominibus paſſus eſt, vti fuerunt calumniæ, iniuriæ, colaphi, crucifixio, mors, didicit quanta ſit humanę carnis miſeria: eóque didicit noſtris miſeriis & calamitatibus compati. Atque hoc eſt, quod dicit Apoſtolus: Hebr. 12. *Ex eo, quod perpeſſus eſt ipſe, cùm tentaretur, poteſt & iis qui tentantur ſuccurrere*. i. Ex iis paucis, quæ perpeſſus eſt, & in quibus tentatus fuit, facilè didicit, quæ ſint omnes calamitates noſtræ, & tẽtationes: & ideo vt homo afficitur quodam modo omnibus noſtris malis & ad ſuccurrẽdũ prõptus eſt factus. Et c. 4. *Non enim habemus pontificem, qui nõ poſſit cõpati infirmitatibus noſtris* (nempe omnibus & cuiuſuis generis) *tẽtatum pariter per omnia*. Quomodo per omnia tentatus fuit? Certè tẽtatus nõ fuit à peccato, vt nos, in quo nullum fuit peccati contagiũ. Sed ex pœnis peccati quas paſſus eſt, quãta ſit vis peccati inhabitantis in carne noſtra, tanquam ab effectis ad cauſſam, cognitionem deducens, expertus eſt. En igitur, quomodo ex iis paucis quæ ſenſibus ſuis expertus eſt, omniũ aliarũ rerũ humanarum ſciẽtiam experimẽtalem ſibi comparaſſe dicatur. Sic ex effectis rerũ phyſicarum, nouit earum cauſſas: & phyſicam ſcientiam comparauit. Ex affectis cœlorum cauſſas itidem vi ſui intellectus percepit: ita aſtronomiã didicit: & reliquas artes atq; ſcientias. Ex iis igitur, quæ expertus eſt omniũ ſciẽtiã cõparauit.

2. Quærunt, An hac ſcientia profecerit. Reſpondent: Omnino: non ſolum quoad actus & ἐνεργείας, vt de ſcientia diuinitus infuſa, ſup. dictum eſt: ſed etiam, quoad ipſos habitus καὶ ἕξεις. Plura enim quotidie experiendo, plus huius generis ſcientiæ comparabat, illáque augebat. Ac de iis propriè loqui volunt Luc. cap. 2. *Proficiebat ſapientia & ætate.*

3. Quærunt etiam, An aliquid didicerit ab angelis. *Reſp.* Non. Ratio: quia triplex ſciẽtia cum fuerit in anima Chriſti, vt ſupra oſtenſum eſt: duas priores, nempe beatificam, qua anima videbat in Verbo, & infuſam, immediatè accepit à Verbo, cui vnita erat καθ' ὑπόστασιν: tertiam verò, ex iis, quæ in terra expertus eſt, ſibi comparauit, excellentiſſima vi ſui intellectus: ita vt miniſterio angelorum ad hanc ſcientiam non opus habuerit. Quòd verò angeli ſæpe ad ipſum venerint, & eum in agone poſitum conſolati ſint: non inde ſequitur eum aliquid ab illis didiciſſe. Venerunt enim vt miniſtri, non vt doctores.

Quòd verò ſcholaſtici ad quęſtionem: an aliquid ab hominibus didicerit; negãt quippiam didiciſſe: in eo nõ planè & ſimpliciter illis aſſentior. Legimus quidẽ apud Euangeliſtas, Iudæos admiratos fuiſſe ſapientiam Chriſti, cum literas non didicerit: ſed probabile nõ eſt, eũ nihil penitus à parentibus didiciſſe, cùm eſſet puer. An non ſaltem eum docuerunt inuocare Deum, legere biblia, & alia, quæ ad pietatem & bonos mores attinent? Nõ eſt credendum, pios parentes ſuum neglexiſſe officium. Legimus etiam eum fabrum fuiſſe, nempe lignarium. Ait enim Marcus, Iudæos dixiſſe de illo: *An non hic eſt faber & filius fabri? Marc. 6.* Probabile eſt, artem eam à Ioſepho didiciſſe.

Cæterùm hoc verum eſt, tanta vi ingenij præditum fuiſſe, vt ſine multa diſciplina omnia facilè didicerit, & ſtatim experientia ſcientiã ſibi optimam compararit. Fuit enim homo, & more humano educatus fuit, & vixit. Verùm di-

uinam sapientiam ab hominibus non dicit, sed ipse alios docuit. Fuit enim repletus Spiritu sapientiæ, iam inde à sui conceptione.

IV. Quærunt præterea, tam de infusa quàm de acquisita: *An omnia plenè & perfectè nouerit.*

. Respondet Thomas: Omnia quæ ad perfectionem intellectus pertinent, distinctè ac plenè nouisse. Ad perfectionem autem intellectus humani, pertinet cognitio vniuersalium, in quibus versantur omnes scientiæ. Ac proinde perfecta & plena fuit in anima Christi omnium, tum diuinarum tum humanarum rerum scientia: omnium artium, quæcunque illæ sint, perfecta cognitio. Cognitio singularium ad sensum pertinet: non autem perficit intellectum. Ideò ait Thomas, quæ ad perfectionem partis intelligentis non pertinent, ea nec per naturam singula nouit anima Christi: veluti sunt gesta (inquit) & dicta cuiusq; hominis: sed hæc in solo Verbo videbat ac vidit. Proinde ex eo, quod videbat cogitationes cuiusque: rectè concluditur, eum non fuisse purum hominem, sed hominem Deum. Neque enim cuiuspiam puri & nudi hominis anima, dum est in hac carne, videre Deum, & in Deo omnia potest: sed tantum anima Christi, quia in vnitatem personæ Dei assumta erat. Videbat ergo Christus, qua Deus est, per se omnium cogitationes: videbat & qua homo, sed in Verbo, cui vnita erat & est eius anima καθ᾽ ὑπόστασιν: cum volebat videre. Nam si oculis corporis diuino lumine illustratis, existens in terra, videre poterat, quæ sunt in cœlis, & existens in cœlo, videt quæ vult in terris: vidit & audiuit Stephanum clamantem: Domine Iesu suscipe spiritum meum: vidit & allocutus est Paulum se persequentem in Ecclesia: *Act. 7. & 9.* quantò magis anima videre singularia potest in Verbo ipso?

Ex iis liquet, qualis & quanta sit illa sapientia, quam ex vnione hypostatica consecuta est anima Christi. Ex vnione enim cum illa increata sapientia, quæ est λόγος ipse: consecuta est triplex creata, eáq; omnium excellentissima sapientia: Beatifica, infusa, acquisita: De quibus hactenus.

De potentia, quæ ex vnione in humana Christi natura consecuta est.

PRÆTER alia, quæ ex vnione diuinæ naturæ ad humanam, in vna persona τοῦ λόγου ipsa humana natura consecuta est: est etiam maxima atque ingens, omniúmque creaturarum potentiam longissimè ac pene in infinitum excedens potentia: quæ licet ante resurrectionem, non sese planè exeruerit: post resurrectionem tamen, illustriùs sese patefecit. Qua de re nulla est inter Christianos controuersia: propter manifesta scripturarum testimonia. Est enim secundum humanam etiam naturam super omnes principatus & potestates exaltatus.

Cæterùm quænam & quanta fuerit hæc potentia, non inter omnes cõuenit hoc tempore: excitata hac de re maxima controuersia ab Vbiquitariis: quò ab omnipotentia, quam Christo, quatenus homo est, realiter traditam esse contendunt, carnem Christi posse esse vbique, probent. Nos hac de re fusiùs alias agemus. Pro hoc tempore tenendum est in primis, quid sit potentia, & omnipotentia.

Potentia seu δύναμις bifariam accipitur, actiuè & passiuè: actiuè, est vis, qua quis potest aliquid agere: vt ignis, vim habet calefaciendi & comburendi: passiuè est facultas qua quis potest aliquid fieri: vt lignum facultatem habet & est huius naturæ, vt possit comburi, & fieri ignis. Hæc propria est materiæ, altera formæ. Nam per formam vnaquæque res agit, per materiam patitur, & transmutatur in aliud Sic materia prima est quodam modo passiuè omnipotens: quatenus scilicet in potentia est ad omnes formas, & sub qua uis forma esse potest. De hac non loquimur in præsentia, sed de priore: quæ, vt dixi, nihil aliud est, quàm vis & facultas, qua quis aliquid facere & operari potest.

Omnipotentia igitur vis fuerit & facultas, qua quis omnia facere potest. quę omnia? aut omnia quæ vult: & sic Deus prædicatur omnipotens, quia, quæcunque voluit fecit, & facit: aut simpliciter omnia, quæ fieri possunt, etiamsi nolit ea facere: Et sic Deus simpliciter & absolutè omnipotens est, quia omnia quæ fieri possunt facere potest, etiamsi nolit facere, v.g. potest omnium misereri, sed non vult: potest alios creare mundos, sed non vult. Ac dico, quæ fieri possunt: quia ad ea quæ nullo modo fieri possunt, non extenditur omnipotentia: v.g. nullo modo fieri potest, vt mentiatur Deus, vt sit alius Deus, præter eum, qui est Pater, Filius & Sp. S. vt Deus, sua οὐσίᾳ sit finitus. Ideo ad hæc non sese extendit omnipotentia Dei: ac proinde si dicas Deum hæc non posse, non propterea negaueris Dei omnipotentiam, quid ita? Quia Deus ideo simpliciter dicitur omnipotens, quia potest, quęcunque fieri possunt, non autem quæ non possunt.

Hactenus, quid sit potentia, & omnipotentia: & quòd bifariam Deus dicitur omnipotens, partim quod quęcunque vult, facit, quam vocant potentiam ordinariam: partim, quòd quęcunque fieri possunt facere potest, etiamsi facere nolit, quam vocare absolutam potentiam solent.

Distinguitur verò *potentia* sicut & sapientia, in creatam & in increatam. *Increata* est solius Dei & ideo incommunicabilis. Est enim ipsa Dei essentia. Hæc congruit Christo, quatenus Deus est. *Creata* est vis, quam Deus suis communicat creaturis, prout vult, maiorem vel minorem, qua possint agere ea, ad quæ destinatæ sunt & vocantur. Iuxta hanc, aliquis πῇ τι vocari potest omnipotens: vt qui potest omnia, ad quę vocatus est. Sic Christus, quà homo omnipotens dicitur, quia omnia, ad quæ per suam humanitatem perficienda destinata fuit & missus à patre, præstare potuit, & potest: sed πῇ τι, non autem quòd simpliciter omnipotens fuerit: qua de re nulla etiam est controuersia. Atque hæc est illa omnipotentia creata, qua nulla in creaturis maior excogitari potest: finita tamen est: atque hęc consecuta est vnionem hypostaticam.

Cęterum de omnipotentia increata eóque infinita: An Christo, quatenus homo est, siue (vt Theologi proponunt) animæ Christi sit propter vnionem communicata: id bifariam intelligi potest, nempe aut κατὰ κοινωνίαν ἰδιωμάτων, quam Damasc. ἀντίδοσιν vocat: aut κατ᾽ ἀπόδοσιν ..., secundum realem in anima communicationem. Priori sensu conceditur. Si enim propter vnionem natura assumta donata est hoc honore, vt quatenus caro & anima simul, non simpliciter, sed Dei anima & caro est, vocetur Deus: quia qui in hac natura subsistit Deus est: multò magis eodem sensu dici optimè & verissimè potest omnipotens & infinitam habere omnipotentiam.

Sed posteriori sensu, quasi realiter ipsa anima in sese sita sit omnipotens, omnipotentia diuina realiter ipsi communicata: nullo modo concedendum esse, docent omnes rectè sentientes & patres & scholastici, & Lutherus ipse.

Magister sententiarum li. 3. dist. 14. Postquam de sapientia, qua donata est anima Christi, disseruisset, ea *scil. sapiẽtia* animam Christi omnia videre in Verbo, & ita quodammodo esse omniscíam: de potentia proponit: An non dici possit, animam esse omnipotentem, sicut & de omniscientia dictum est. Respondet, simpliciter non posse dici. Et id ab effectu probat, quia scit quidem quomodo creatus sit mundus, sed non potest creare mundum, scientiámque habet sui creatę, sed non habet potentiam sui creandæ, aut sustentandę.

Quod si quęras: cur non dedit ei Deus potentiam faciendi omnia sicut scientiam omnium? Respondet 1. Quia huius omnipotentię capax non fuit, sicut illius omnisciẽtię. Intelligit autem omniscientiam πῇ τι, non ἁπλῶς, vt supra explicatum est. 2. Non fuisse hanc potentiam ei datã, qua posset facere, quęcunque facit Deus, ne omnipotens & ideò Deus esse putaretur. Ex quo intelligimus, posse facere omnia, seu esse omnipotentem & esse Deum, hęc esse ἀντιστρέφοντα. Non ita autem se habent, videre omnia in Verbo & esse Deum: Posse igitur dici, Animam Christi omnia videre in Verbo, quę videt Verbum, sed non omnia facere posse quæ verbum potest.

3. Addit quòd fortè neque Deus potuit hanc potentiam faciendi omnia illa animæ largiri. Dixit, *Forte*, reuerentię numinis caussa, ne omnipotentiæ Dei aliquid detrahere videretur. Sed nemo peccauerit, si dixerit Deum ea non posse, quæ simpliciter fieri non possunt: vt ante declarauimus. Illa autem simpliciter fieri non possunt, quæ cum natura Dei, cum eius veritate & bonitate pugnant. Ratio est: quia Apostolus quoque sic loquitur, cum ait ad Tim. *Deus seipsum negare non potest.* 2. Tim. 2. Concludit ergo Magister, animę Christi non esse communicatam potentiam faciendi omnia, quę Deus facit, aut facere potest: nec solùm non esse datam, sed nec dari potuisse. Sed obiicit sibi dictum Ambrosij in Luc. c. 1. exponentis verba Angeli, de filio nascituro: *Hic erit magnus.* Non ideò (inquit Ambros.) erit magnus, quòd ante partum virginis magnus non fuerit: sed quia potentiam, quam Dei filius naturaliter habet, homo erat ex tempore accepturus: vt vna sit persona Deus & homo. Hęc Ambros. quasi dicat, Christus, qua Deus, semper fuit magnus & omnipotens, sed qua homo, potentiam, quã semper habuit, vt Deus, accepturus erat, vt homo. Hanc ob caussam dixit, Erit magnus: quia de illo, vt futuro homine loquebatur. Sed quomodo erat acceptu-

acceperturus? In persona ne, an in natura humana? Non in natura, sed in persona: propter vnionem. Ideo magister subdit: *Si homo accepturus erat illam potentiam. Ergo vel persona vel natura hominis. Sed persona non: quia semper habuit & habet. Ergo natura. Si natura, ergo anima. Nam de carne constat, quod accipere non possit.* Notent hæc verba Vbiquitarij. *Ad quod dicimus, illud esse accipiendum de persona: non in quantum est Dei, sed in quantum hominis persona. Vna enim est persona Dei & hominis, filij Dei & filij hominis: quę in quantum est persona Dei, semper etiam naturaliter omnipotentiam habuit: sed in quantum est hominis, non semper fuit. Illa ergo persona quæ semper fuerat Dei, futura erat persona hominis: Et secundum hoc quod futura erat hominis persona, acceptura erat ex tempore potentiam, quam semper & naturaliter habuerat in quantum Dei persona.* Hæc ille: cui patres subscribunt.

Hinc liquet omnipotentiam, eóque & reliquas proprietates diuinas nō esse collatas in naturam humanā: ac proinde non posse dici, humana natura vel anima vel caro Christi est omnipotens, simpliciter omniscia, est vbique præsens: sed tantum de persona, i. de Christo ipso, quatenus hominis persona est, seu in forma serui subsistens, & nomine hominis appellatur, hæ proprietates prædicantur, vt Christus homo vel hic homo, vel filius hominis est omnipotens, est vbique præsens. Hæc ex P. Lomb.

Præter alios Theol. Scholast. Thomas Aquinas optimè explicat hanc doctrinam 3. p. q. 13. Et quidem articulo primo proponit quæstionem, Num anima Christi habuerit, habeátve omnipotentiam: nempe in sese, ita vt realiter dici possit esse omnipotens. Respondet non habere. 1. Ratio est: Quia quod proprium Dei est, illud non potest communicari (scilicet realiter) creaturis. Omnipotentia autem propria Dei est.

2. Quia principium seu vis agendi semper ex forma, eóque ex natura agentis proficiscitur, eamque sequitur. Vnaquæque enim res per suam operatur formam: Ita, vt si forma sit finita, non possit nisi finita operari: & infinita forma, infinita opera. Exempla sunt manifesta. Deus operatur sua essentia, quæ est ipsius forma atque natura, eáque immensa & infinita. Cœli, elementa, omniáque rerum genera idem faciunt: vnumquodque per suam finitam formā, certa quædam opera præstans. Atqui natura in Christo humana non potest illi esse principium agendi omnia quæ agit, & agere potest. Christus enim agit & diuina & humana, vtpote Deus & homo, & duplicem habens formam, Dei & hominis. Diuina per formam Dei, humana per formam serui: quæ infinitam exigunt potentiam, per formam Dei agit, & quæ finitam, per formam serui. Quid autem aliud est omnipotentia, quàm vis agendi infinita? Fieri igitur nequit, vt anima Christi finita reapse habeat in se omnipotentiam. Neque enim ex vnione hypostatica mutatæ sunt naturæ: sed vnaquæque suas retinet proprietates.

3. Idem inductione probatur. Anima Christi non potest res ex nihilo creare, neque in nihilum redigere. Solius enim Dei vtrumque est. Anima Christi non potest seipsam sustentare: sustentatur enim à Verbo, eóque nec creaturas: sustentantur enim verbo potenti Christi. Hebr. 1. Item anima Christi creaturas mutare non potest: vt aquam in vinum: est enim solius Deitatis. Ideo Ioh. 2. legimus, quòd hoc miraculo declarauit gloriam suam. Item non potuit suum immutare corpus & à naturalibus impedire actionibus, v. g. vt ne esuriret, ne sitiret, ne dormitaret. Quæ enim sunt naturalia, eorum immutatio nonnisi autori naturæ subiecta est. Sed neque nunc in cœlo facere potest, quia corpus suas habet actiones, neque ipsa ab illo discedere potest, aut aliud sibi creare. Non igitur est omnipotens.

Quare stat sententia: Christum, qui est operans & agēs: cum constet duabus formis, forma Dei & forma hominis: & cùm vnumquodque operetur per suam formam, quæ illius formæ sunt, & non quæ alterius: stat, inquam sententia hæc, Christum, diuina per diuinam, & humana per humanam operari formam: vt Leo etiam docet, dicens: Agit vtraque forma, quod suum est, &c. Cúmque ad humana opera, potentia infinita non requiratur, sed tantùm ad diuina, consequitur humanæ formæ seu naturæ omnipotentiam non esse communicatam. Frustra enim esset communicata, cum ad humana non requiratur, per humanam autem formam diuinæ non perficiantur actiones. Deus autē nihil agit frustra. At, inquies, Deus agit per formam serui, tanquam per organum suæ Deitatis. Damus: sed quid inde concludis? Num humanæ naturæ communicatam esse omnipotentiam? Neqnaquam. Vis enim agentis per organum residet in agente & reapse non communicatur organo: etiamsi per organum sese exerat. Anima videt per oculum: sed vis vidēdi vbi est? in anima tanquā in suo subiecto. Christus per carnē suam nos viuificat, sed vbi vis viuificandi? In Deitate, quanquam per carnem illam exerat. Spiritus enim est qui viuificat. Regenerat per aquam, sed vis regenerandi non in aqua hæret, tanquam in suo subiecto, sed in Spiritu Christi est. Spiritus est, qui viuificat.

Omnipotentia igitur, qua fiunt diuina opera, non in anima siue in forma serui, sed tantum in forma Dei statuenda est. Ideo rectè Thom. 3. p. q. 15. art. 2. ait, animā Christi, & totam naturam humanam in Christo, ad opera diuina, non habuisse; aut habere vim, nisi instrumentalem. Et ad illud Matt. 28. Data est mihi omnis potestas. Respondet ex Hieronymo, datam fuisse potestatem homini Christo, non naturæ: & dici datam propter vnionem, qua factum est, vt ille, qui omnipotens erat Deus, factus sit etiam omnipotens homo, vt supra etiam dixit Magister Sententiarum. Seu, vt qui potens erat tantum in forma Dei, factus sit potens etiam in forma serui. Atque hanc potentiam iam inde à conceptione, notam fuisse angelis, sed post resurrectionem notam factam esse etiam hominibus. Tunc autem sæpe res fieri dicuntur, cum innotescunt. Constanter autem negat, omnipotentiam realiter & propriè communicatam esse animę Christi, licet per eam animam totámque naturam humanam, tanquam per organum, omnipotentiam suam sæpe exeruerit, atque etiam nunc exerat: Sed vis principali agenti, semper propriè attribuitur & attribui debet, non autem instrumento.

Quænam igitur *potentia* consecuta est in anima Christi, ex vnione hypostatica cum Verbo? 1. Potentia maxima, omnium creaturarum, simul etiam coniunctarum potentiam longissimè superans, & ea infinitis partibus maior: sed tamen finita. 2. Data est potentia, quoad intellectū, vt posset videre Deum λόγον, & in eo omnia, vt supra explicatum est: sed lumine tamen creato, eóque finito, vt iam taceam de sapientia infusa & naturali, de quibus ante dictum est, quæ omnes creatæ sunt & finitæ. 3. Data est potentia quoad memoriam, vt nihil possit obliuisci, omnia verò habeat in præsenti memoria. Sed donum hoc finitum est. 4. Quoad voluntatem data est potentia, qua potuit Deum amare toto corde, & proximum, vt teipsum, imò magis, quàm seipsum, sed quo amore? maximo quidem, sed tamen finito. 5. Datum est illi, vt possit totam legem perfectissimè implere: sed obedientia animi finita. 6. Denique datum est illi, vt quicquid voluit efficere, potuerit, vel per se vel per Deitatem suam. Quædam enim voluit anima illa beata per se impleri, & quædam voluit per diuinitatem perfici: & vtrumque genus voluntatis impletum fuit & impletur quotidie. Nam ad primum quod attinet, nihil voluit per se impleri, quod implere non potuerit: vsque adeo voluntas eius fuit sapiens, iusta & recta: vt nihil voluerit, quod scierit à se fieri non debere, aut posse. Huc pertinet D. Augustini dictum libro de quæstionibus Veteris & Noui Testamenti: *Impossibile est vt saluatoris voluntas non impleatur: nec potest velle, quod sciat fieri non debere.* Annon hæc maxima potentia est? Ad alterum quod attinet, nouerat, infinita per se fieri non posse, nisi forte, tanquam per organum: sed tantum per Deitatem λόγῳ, cui vnita est. Illa igitur voluit & vult per illam impleri: per quam solam impleri & perfici possunt: vti est resurrectio mortuorum, remissio peccatorum. Hinc liquet, datam esse animæ Christi potentiam talem, qua potuit implere, quod voluit. Quanta est hæc potentia? Speciem habet omnipotentiæ, quatenus scilicet ille dicitur omnipotens, qui facit quod vult, & nihil vult, quod non faciat: Atque hæc de potentia data animæ Christi.

Hactenus ergo tum in genere tum in specie, satis confirmatam esse arbitror alteram nostram thesin ad quæstionem XI. de iis, quæ vnionem hypostaticam cōsecuta sunt: nempe innumerabilia & maxima bona atq; dona, quæ in substantiam creatam conferri possint: ea omnia humanæ Christi naturæ communicata fuisse: ita tamen, vt omnes naturales eius proprietates semper manserint integræ, atque saluæ: imò, ita, vt etiam omnes, quos cum carne suscepit dominus Iesus, tum animi tum corporis defectus, per totum tempus humiliationis, vsque ad mortem integros retinuerit, vt iis, & se verum esse hominem declararet & salutem nostram promouere posset: quales fuerunt in animo multarum rerum ignorantia, tristitia, metus, dolor: & in corpore, imbecillitas, impotentia, & alia incommoda multa. Neque enim voluit, aut decuit, humanitatem supernaturalibus donis euerti, aut salutem nostram impediri: Itaque donec redemtio perficeretur: infirmitates illas retinuit, donis supernaturalibus illas non impedientibus.

Dona hæc creata atque in humanam naturam Christi collata, *gratias habituales* à scholasticis appellari diximus: Gratias quidem, quia gratis datæ & à gratia vnionis profectæ sunt: habituales vero, quòd habitus sint in anima existentes, per quos multa poterat, quæ alioqui solis naturalibus viribus præstare non potuisset. Et ideo valde differunt hæ gratiæ habituales, a gratia vnionis. *Gratia* enim *vnionis* nihil realiter à natura diuina transfert in humanam, sed tantum efficit, vt quę tam humanæ sunt propria quàm diuinæ naturæ, ea omnia reapse de persona prædicentur: siue, vt quæ vnius sunt, ea de altera natura, non absolutè, sed in concreto prædicentur, quod idem est: sicut Thesi prima ad hanc quæst. declarauimus. *Gratiæ* autem *habituales* sunt dona in ipsa humana natura realiter inhærentia. Et gratia vnionis caussa est gratiarum habitualium, hæ autem sunt illius effecta.

De iis habitualibus gratiis, passim apud Patres. Atque ad has pertinet, quod patres docent, in hac vnione hypostatica, Deitatem ab humanitate nihil accepisse: multum autem humanitatem à diuinitate: id quod etiam similibus explicant: vt simili ferri candentis, seu ignis & ferri. Ita enim ignis in ferro est, vt à ferro nihil accipiat: ferrum autem multum ab igni, vt lucem & calorem. Simili autem animæ & corporis. Ita enim anima in corpore est, vt ei donet, vitam, sensum, motum: corpus autem nihil dat animæ, nisi quod se illi præbet organū ad varias animæ actiones. Neque enim talia patrum dicta & similia de gratia vnionis semper intelligenda sunt. Illa enim vnionis gratia fit, vt tam humana communicet sua diuinæ, quam diuina humanæ: quia tam quę sunt humanæ, prædicantur de diuina in concreto, vt, Deus passus est: quam quæ diuinæ, de humana, vt, Filius hominis peccata remittit: Nunquam verò intelligi possunt, de reali communicatione idiomatum in naturam, sicut aduersarij sæpe talia dicta cōtorquent: quia, vt demonstrabimus, essentiales vnius proprietates, alteri reapse communicari non possunt, vt in ea realiter insint tanquam in subiecto. De gratiis igitur habitualibus intelligantur necesse est.

Huius generis est illud Basilij: In sermone de Natiuitate Christi: *Verbum corporis debilitate non est impletum: sed sicut ignis ferri proprietates non transumit (nigrum est ferrum & frigidum: sed tamen ignitum ignis formam induit, & ipsum illustratur & calescit, non nigrefaciens ignem: & ipsum inflammatur, non frigefaciens flammam) sic etiam humana domini caro, ipsa facta est particeps Deitatis, non suam propriam tradidit Deitati imbecillitatem.* Hic locus de proprietatibus essentialibus quibus repleta sit Christi caro, intelligi minimè potest, sed de donis diuinis & creatis, quę communicata sunt humanæ naturæ, intelligatur necesse est. Nomen enim Deitatis eo sensu accepit Basilius, quo & Petrus nomen diuinę naturæ, cum dixit, nos factos esse participes diuinæ naturæ: Et antithesis confirmat, quia Deitati opponit carnis imbecillitatem.

Hic locus Basilij illustratur loco Emisseni homilia de incarnatione, dicentis: *Diuiniora quidem, assumtæ naturę dedit: quæ humanitatis sunt, nihil assumsit.* Quæ sunt ista diuiniora, quæ assumtæ naturæ dedit? Dona creata eàque diuina & excellentissima. Sed quomodo ait, λόγον in incarnatione nihil assumsisse eorum quæ humanitatis sunt, cum Apostolus dicat, assumsisse formam serui? quo nomine naturam humanam suis imperfectionibus vestitam intellexit Apostolus. *Resp.* Apostolus loquitur de assumtione, quę facta est in persona: Emissenus de ea, quæ fiat in natura. Natura diuina ex assumtione humanæ naturæ, non est facta imbecillior, infirma, passibilis. Sed contra, natura humana, participatione non essentialium diuinę naturæ proprietatum, sed diuinorum donorum, facta est perfectior: puta, anima participatione creatæ sapientiæ, sapientior, vt supra explicatum est. Cæterum persona assumtione formæ serui, sicut facta est homo: sic etiam in ea forma serui facta est infirma, passibilis, mortalis: quo illud 1. Pet. 3. *Christo igitur passo in carne.*

Hoc explicatur loco Cyrilli ex Thesauri li. 9. c. 3. *Hominem inquit assumsit* λόγος, *non vt liberam deitatis naturam* (nota vocem naturæ) *in formam serui submergeret: sed vt seruitutem nostram* (id est, seruilem nostram naturam) *in dominandi honorem extolleret.*

Addo testimonia Augustini Tom. 6. contra Felicianum Arianum c. 10. *Iniuria sui corporis affectā non fateor Deitatem sicut maiestate Deitatis glorificatam nouimus carnem.* Deitatem dixit pro Diuinam naturam: carnem verò pro tota natura humana. Item maiestatis nomen posuit pro donis & gloria creata, quibus Deitas naturam humanam ditauit & exornauit. Sæpissimè tamen nomen maiestatis & Augustinus & alij patres, pro ipsa deitate accipiunt. Idem Tom. 2. Epistola ad Volusianum tertia. *Diuinitas totum hominem, in melius mutandum, nullo modo ipsa in deterius mutata, cooptauit.*

Res igitur ita se habet: Si personam Christi consideres, illa certè omnia, quæ erant humanæ naturæ, vnà cum ipsa natura, demto peccato, accepit, & tam in se habet proprietates humanæ naturæ, quàm diuinæ. Ratio est, quia non minùs verè subsistit in forma serui, quàm etiam in forma Dei. Proinde idem Christus, sicut est Deus & homo: sic etiam est finitus & infinitus, & fuit mortalis & immortalis: omnia sciens & multa ignorans: Idem sapiens est sapientia increata, & sapientia creata: potens potentia increata & potentia creata: sed κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο.

Si autem naturas per se contempleris. Diuina natura nil accepit ab humana: quid ita? quia si acciperet aliquid, illud esset aut perfectum, aut imperfectum. At imperfecti nihil in eam cadere potest: perfecti nihil potest ei accedere. Natura igitur diuina, nihil ab humana accepit. At verò humana, anima & corpus, multa eàque præstantissima, & omnē creatum captum superantia bona ac dona accepit: tum in ipsa vnitione hypostatica, de quibus hactenus diximus: tum maximè post resurrectionem, de quibus postea suo loco dicemus. At quę h. e. quod etiam Damasc. docet li. 3. c. 7. cùm ait, *diuinam naturam* ἐνεργεῖν, *prout vult in humana: humanam autem non* ἐνεργεῖν *in diuina:* Quid hoc sibi vult? nempe, ideo diuina dicitur ἐνεργεῖν in humana, & eam totam penetrare, & circumplecti, ac permeare, quia humanę naturæ maxima & diuina bona intus communicat: humana autem minimè in diuina ἐνεργεῖν, quia ei nihil è sua realiter præbet: sicut ignis in ferro ignito, communicat ferro lucem, & calorem, à ferro autem nihil accipit. Ideo hoc explicans, subdit Damasc. καὶ αὕτη μὲν (θεία φύσις) τῶν οἰκείων αὐχημάτων τῇ σαρκὶ μεταδίδωσι, μένουσα αὐτὴ ἀπαθὴς, καὶ τῶν τῆς σαρκὸς παθῶν ἀμέτοχος. Vbi nomine αὐχημάτων τῆς θείας φύσεως caue intelligas essentiales proprietates diuinæ naturæ: has enim vbique contendit, & in eodem etiam capite, reipsa non communicari humanæ naturæ: sed eo nomine intellexit dona creata à Deitate in humana natura. Explicat quod dixerat, simili solis ὡς γὰρ (inquit) ὁ ἥλιος ἡμῖν τῶν οἰκείων ἐνεργειῶν μεταδιδοὺς μὲν, τῶν ἡμετέρων ἀμέτοχος μένει, πολλῷ μᾶλλον ὁ τοῦ ἡλίου ποιητής τε καὶ κύριος. In quo simili notandum, quod ait, solem nobis communicare suas proprias ἐνεργείας i. effecta sua, quia nos calefacit, & illuminat, non antè sua ἰδιώματα communicat, h. e. vim ac facultatem, calefaciendi alia & illuminandi. Sic solis creator & dominus, carni Christi cōmunicauit non sua propria & essentialia idiomata: sed suæ naturæ dona atque effecta: de quibus hactenus dictum est: à carne autem Christi, natura eius diuina, neque proprietates illius accepit, neque vlla effecta. Persona igitur ab vtraque natura accipit & idiomata, & eorum effecta: Natura humana accipit à diuina, non idiomata, sed tantum eorum effecta. Natura diuina ab humana neutrum accipit. Cur verò diuina humanæ sua communicat effecta? tum quia æquum est, vt humana coniuncta diuinę, omnibus excellat creaturis. Ephes. 1. Tum vt illis donis ad nostram salutem vtatur. Oportuit enim humanam naturam idoneum fieri organum Deitatis, ad multa & magna, pro salute nostra præstanda: hoc autem factum est liberalissima diuinorum donorum in eam naturam collatione. Hæ duæ caussę in Thesi nostra secunda explicatę sunt.

THESIS III.

Ex naturarum diuinæ & humanæ in vna persona vnitione, hoc quoque perfectum est: nempe vt λόγος *Filius Dei, sicut manens Deus factus est homo, sic nullam sui mutationem accipiens, factus sit perfectus mediator Dei & hominum: verus pontifex & vnicum totius ecclesiæ caput. Ac proinde, sicut vnitæ simul, ac distinctæ sunt naturæ ac proprietates in vna persona: sic etiam distinctæ earum actiones, ad eadem redemtionis salutisque nostræ* ἀποτελέσματα *perficienda communionem inter se habuerunt atque habent, vnitaque sine vlla confusione concurrunt.*

MVLTA magni ponderis in hac Thesi continentur, quę opus habent explicatione. Summa autem est, quod filius Dei factus homo: ex vtraque natura officium nos redimēdi sumserit: & quod proprietatibus & actionibus vtriusque naturæ ad salutem nostram perficiendam sit vsus, atque

semper

semper vtatur: Hoc verò esse effectum præcipuũ vnitionis duarum naturarum in persona τ λόγου. Habet igitur hæc thesis duo præcipua membra. *Vnum* est de officiis, quæ ex vnione hypostatica consecuta sunt in persona Christi, nempe, quod factus sit perfectus mediator, verus pontifex & vnicum caput totius ecclesiæ. *Alterum*, de actionibus & de ἀποτελέσμασι vtriusque naturæ: nempe, quòd diuersæ quidem sunt vtriusque naturæ actiones, quas Græci ἐνεργείας vocant, sed quòd ad eadem effecta, quæ a Græcis appellantur ἀποτελέσματα ἢ ἔργα, simul concurrant. Seu, vt patres loquuntur, habeant κοινωνίαν, hoc est communionem. Hæc est summa doctrinæ in hac thesi.

1. Ad primum membrum quod attinet, primo præmittitur caussa, cur dicamus Filium Dei factum esse perfectũ Mediatorẽ, &c. Quia videlicet factus est homo existẽs Deus: ideo verò manens Deus, factus est homo: quia duæ naturæ in eadem persona vnitæ sunt, sine vlla confusione. Ergo ideo assumsit formam serui manens in forma Dei, vt esset Deus & homo. Ideo vero existens ac manens Deus factus est etiam homo, vt posset perfectus esse mediator ac põtifex & caput totius ecclesiæ, ac per cõsequens, vt officium mediatoris ac saluatoris perficeret. Notandum igitur est, vt de singulis aliquid dicã, ac primum de mediatore, notandũ, inquam, est, Filium Dei, ante etiam assumtã carnem, semper fuisse mediatorem, & multa mediatoris officia, iã inde à cõdito orbe fecisse: sed non fuisse perfectum & absolutum mediatorem, nisi postquã factus est homo. Quid. n. egit antè carnis assũtionẽ? Collegit ecclesiã verbo & spiritu: Verbo quidem, aut per se, aut per angelos, aut per prophetas prædicato: spiritu verò per se electis cõmunicato: quo pertinet illud ad Hebr. 13. *Christus heri & hodie, idem & semper*: quia nemo vnquam seruari potuit, nisi per hunc mediatorem, fide apprehensum & nemo vidit, aut videt Deũ, nisi per hũc pontificẽ docentẽ, ac voluntatem Dei reuelantẽ. Sic. n. ait Ioh. 1. *Deum nemo vidit vnquam: filius qui est in sinu Patris, ipse reuelauit nobis.* Fuit igitur semper mediator & multa mediatoris officia fecit: sed nunquã perfectus, nisi post assũtam carnem: quid ita? quia sacrificiũ corporis nõ poterat offerre, q́ nõdũ habebat.

Ideo rectè Apostolus volens exprimere perfectionẽ mediatoris dixit 1 ad Tim. 2. *Mediator Dei & hominum homo Iesus Christus.* Cur adiecit homo? Quia tum demum perfectus mediator factus est, cũ factus est homo. Quare manifestũ fit id, quod in priori mẽbro diximus: hoc s. ab vnitione duarũ naturarũ hypostatica profectũ esse, q́ filius Dei, quia factus est homo, ideo factus etiã sit perfectus mediator Dei & hominum verusq; põtifex. *De Mediatore, Mediatorijq; officio* hæc tradũt scripturæ. Primùm, perfectũ mediatorem Dei & hominũ esse nõ potuisse, nisi qui esset verus Deus, & verus homo, vt posset seipsum λύτρον pro peccatis nostris tradere. Verus Deus, qui posset sua infinita virtute per carnem ac sanguinem suum nostra expiare peccata. Sic. n. Act. 20. legimus: *Deus redemit Ecclesiam sanguine suo.* Redimere ecclesiam officium mediatoris est? Quis aũt redemit? Ipse Christus. Christus ergo Deus, quia Deus redemit: Christus & homo, quia redemit sanguine suo, sanguine sc. qui non puri hominis sit, sed sanguis Dei, propter vnitatẽ personæ. Quare fœdè errarunt, qui voluerũt Christũ mediatorẽ esse, secundũ humanã tantũ naturã. Actio redimẽdi personæ fuit, effusio sanguinis à natura humana: vis redimendi à natura diuina Oportuit igitur esse personam Deum & hominem.

Secundũ hinc sequitur, Solũ Christũ verũ ac perfectũ esse mediatorẽ: quia solus est Deus & homo simul. Hoc tradit Apost. 1. Tim. 2. *Vnus. n. est mediator Dei & hominum, Homo Christus Iesus.* Vnus, inquit mediator, i. vnicus. Quomodo hoc probat? ab effectu atq; officio: quia solus seipsum tradidit ἀντίλυτρον pro omnib. & solus in seipso ac per sanguinem suum nos patri reconciliauit. Deus quidem Pater, Filius, & Sp. S. mũdũ dicitur sibi recõciliasse: sed nõ nisi in Christo, Pater & Spiritus mũdũ sibi recõciliarũt, Deus erat in Christo, (inquit Apost. 2. Cor. 5.) mundũ sibi reconcilians. Sed Christus in se ipso, ac per se ipsũ, mũdũ sibi ac Patri recõciliauit. Solus igitur perfectus mediator: quia solus Deus & homo. Quod verò dixi de mediatore eiusq. præcipuo officio, quod fuit redimere ecclesiã, eamq. patri recõciliare: idem de vero pontifice, pontificisque officio dictum volo: quantũ ad præsentem thesin attinet: cũ reipsa idem sint mediator & põtifex. Nũc. n. satis est demõstrasse, hoc esse effectũ vnionis hypostaticæ: quod sc. Christus factus est perfectus mediator verusq. põtifex noster, isq. sol' qua sol' Deus & homo simul est.

Ex iis verò duob. sequitur tertiũ. Quod sc. factus sit vnicũ *ecclesiæ caput*: sicut in ep. ad Eph. c. 1. & alibi abūdè declarauimus. Apost. n. postquã verã Deitatẽ & humanitatem Christi demõstrasset, eiusque mortem ac resurrectionem, & in cœlos ascensionem descripsisset, adiecit: *Et ipsum dedit ecclesiæ caput, &c.* Est. n. caput ecclesiæ secundũ vtramq. naturã. i. & quatenus Deus & quatenus homo. 1. Quatenus Deus principaliter, quia natura diuina fons est totius spiritualis vitæ, & motus, & sensus, omniúmq. spiritualiũ bonorũ & gratiarũ quæ in membra ecclesiæ deriuantur. 2. quatenus aut homo, caput est secundariò: quia per naturã eius humanam & per eius carnem, tanquam per viuum & naturæ diuinæ in vnitatẽ personæ coniunctum organum, omnia nobis bona communicantur. Et sic docent scripturæ. Apoc 1. *Ipse lauit nos à peccatis in sanguine suo*, i. per sanguinem suum. Et sic explicandæ sunt illæ scripturæ. quæ carni & sanguini hãc tribuunt actionẽ. Vt 1. Ioh. 1. *Sanguis eius emundat nos ab omni peccato.* i. Ipse Christus emũdat nos à peccatis per sanguinem suum. Vis est in vocula illa: Eius: Sãguis ergo eius, i. Ipse suo sanguine nos purgat, nos lauat, &c. Hoc modo vnicum est caput ecclesiæ Christus: quia solus, Deus & homo est. Cæterùm, quia vnus & idem Deus est cum Patre & Spir. S. idcirco quicquid a Christo in nos deriuatur, illud etiam à Patre & a Spiritu sancto, pérque Spiritum sanctũ in nos fluit.

Sed quorum nam est caput? ecclesiæ diximus, id est totius corporis mystici, quod ecclesia vocatur. Sic enim loquitur Apostolus Eph. 1. & alibi.

Adiecimus verò particulam *totius*: quia sic etiam Apost. ait Eph. 1. *Dedit ipsum caput super omnia ipsi ecclesiæ, scil. toti.* Ecclesia autem cõstat non solum ex Iudæis, sed etiã ex gẽtibus: constat itidẽ nõ solùm ex hominib. sed etiã ex beatis angelis, vt ad Heb. 12. *Accessistis ad ciuitatem Dei viui, Hierusalem cœlestẽ, & ad innumerabilium angelorũ conuentũ.* Caput igitur factus est omniũ etiã beatorum angelorũ. Col. 2. *Qui est caput omnis principatus & potestatis.* Annon est vnus atq. idem cœtus, vnaq. ecclesia in cœlo, angelorum & beatorum hominũ? Et: Eph. 1. ait Apostolus, *quod Pater cõstituit Christũ supra omnẽ principatũ, & potestatẽ, & supra omne nomẽ, quod in cœlo etiã nominatur.* Est igitur Christus caput etiã angelorum: & in eos etiã, tanquã in viua mẽbra totius ecclesiæ, influit vitam & omnia bona Et quomodo influit? quatenus Deus & quatenus homo: vt supra explicatum est: quia caput etiã est ecclesiæ totius, secundum vtramque naturam.

Atq; hinc apparet excellentissima gloria ad quam euecta est natura humana in Christo: qua de re plura dicemus ad illa verba: *propter quod & Deus exaltauit illũ, &c.* Ex iis satis liquere arbitror, quæ in priori membro huius theseos diximus: nempe ex vnione hypostatica perfectum esse, vt Christus factus sit perfectus mediator Dei & hominũ: verus ac perfectus pontifex noster: verũ ac perfectũ, vnicumq; caput totius ecclesiæ. Sequitur *alterũ*: quod de actionib. vtriusque naturæ est, ad eadẽ ἀποτελέσματα salutis nostræ perficienda, ordinatis, communionémque habẽtibus. Hoc mẽbrum sequitur ex priori: quia officia ad actiones sunt ordinata, & actiones ad opera: & ideo Christus factus est mediator & põtifex, & caput ecclesiæ, vt faciat officiũ mediatoris, pontificis, capitis: eòque salutẽ ecclesiæ operetur: Ideo postquã diximus de officiis Christo iniunctis: de actionib. dicturi, proposuimus particulam: Ac proinde &c. In primis igitur notandũ est discrimen inter operantẽ seu agentẽ: inter principia actionũ, secundũ quæ & per quæ operãs operatur: inter actiones, quibus operatur: & inter opera seu ἀποτελέσματα, quæ operatur. 1. Operans est persona ipsa Christi, duab. constans naturis. Actiones. n. sunt suppositorũ, seu personarum, aiunt philosophi, & patres ipsi. 2. Principia secundum quæ & per quæ operatur, sunt duæ naturæ & earum proprietates: veluti sunt sapientia increata Deitatis, & creata humanitatis, secũdum quas scit operari: Veluti sunt etiam increata potentia diuinę, & creata ac finita humanę naturæ, secundum quas potest operari: Veluti etiam sunt voluntas Deitatis, & voluntas humanitatis, secundum & per quas vult operari. 3. Actiones, quibus operatur, aliæ sunt Deitatis propriæ, aliæ humanitatis: ac proinde, quia propriæ sunt, quæ vnius sunt naturæ, alteri communicari non possunt: alioqui desinerent esse propriæ: cõmunionem quidẽ habẽt ad idem opus seu ἀποτέλεσμα, sed non communicationẽ inter se; hoc est, Sicut naturæ vnitæ sunt, non antẽ commixtæ & cõfusæ; sic & harum actiones habent κοινωνίαν, sed non [illegible]. Ac sunt omnes, vt naturæ, sic proprietates & actiones in ipsa persona, & internæ. 4. Opera autem seu ἀποτελέσματα sunt externa facta; facta præsertim & opera salutis nostræ, ad quæ perficienda concurrunt vtriusque naturæ actiones.

Distinctio hæc obseruanda est; quia cognitu necessaria. Et distinctio est Damasc. lib. 3. cap. 15. Vbi probaturus in Christo fuisse & esse actiones non solũ diuinas, sed etiam humanas, vnitas quidẽ ad idem opus faciendum, sed tamen distinctas; sicuti etiã naturę duæ vnitę quidem sunt in vna persona, sed tamen distinctæ, hanc præmittit, quam attulimus distinctionẽ; [illegible]. Quid est [illegible]

γινομένης. Quid ἐνέργεια ἡ ἐνεργουμένη καὶ ἐνεργοῦσα φύσεως κίνησις; Quid ἐνέργημα; τὸ τῆς ἐνεργείας ἀποτέλεσμα; quanquã, vt inquit, nonnunquã etiã ἐνέργεια sumitur ἀντὶ ἐνεργήματος. Et contra: sicut & κτίσις, creatio pro re creata: sed nos hic accipimus in propria significatione nomen ἐνεργείας: pro ipsa actione, qua agẽs agit: & quæ (vt inquit Damasc.) nil aliud est, quã motio quędã, qua agẽs agit, motio inquã, vel physicè accepta, vt in agẽtibus naturalibus vel metaphysicè, vt in Deo: & ita vtrumq; actionũ genus in Christo agnoscendũ est, quia Deus & homo est: vt Deus, propriè nõ mouetur: sed ipsius motus sunt intelligentia eius & voluntas: quę nihil ab essentia differunt reipsa, propter summam eius simplicitatem. At verò quatenus homo est, physicas habuit & habet actiones, tum animæ tum corporis: quibus de rebus subtiliùs disputare non est præsentis temporis. Tantum retinendum est, quod diximus: discrimen scilicet inter operantem, principium operationis, operationem & opus ipsum.

I. Ad primũ quod attinet, Nestorius duos statuebat operãtes, quia duas fingebat personas, vt duæ etiam sunt naturæ: At nos vnũ agnoscimus operãtẽ, quia vnã tãtum agnoscimus personã in Christo. Et de hac re nulla iam est controuersia.

II. Quoad secundũ, Eutyches negabat, duo esse actionum principia, quia duas post vnionẽ non agnoscebat in Christo naturas. Monotheletæ etiam, licet duas faterentur naturas: duos tamen esse intellectus, duas voluntates, duas agendi facultates omnino in Christo negabant. Hinc & ille & isti non poterant in Christo duo actionum genera agnoscere: alias Deitatis, alias humanitatis. Sed nos licet vnum tantum agnoscamus operantem: duo tamen operationum & actionum principia in Christo profitemur: quia duas etiam credimus in eo esse naturas. Ita constat, hæc duo capita, nempe & de vno agente, & de duobus agendi principiis, ex vnione hypostatica consecuta fuisse: primum, quia vnio facta est in vna persona operante: alterum, quia duæ naturæ ita sunt vnitæ, vt manserint numero duæ, illæq; distinctæ, & cum suis quæque proprietatibus. Ac de iis duobus capitibus videntur Ecclęsiæ omnes iam inter se consentire. Cur dico videntur? Quia verbis omnes eadem fatentur: quanquam reipsa nonnulli pernegent, dum proprietates naturarum cum Monotheletis commiscent, atque in vnum confundunt: qua de re in quæst. 12. dicturi sumus: id quod faciunt in actionibus quoque, dum quæ sunt propriæ Deitatis, communes faciunt humanitati.

III. Ad tertiũ ergo caput quod attinet h. e. ad actiones: duo in thesi diximus, quæ & obseruanda sunt: Vnum, quod plures sunt atq; diuersæ & distinctæ inter se actiones in Christo. Alterum, quod illæ tamen ad eadem salutis nostræ ἀποτελέσματα perficienda, communionẽ inter se habeant. Vtrũque cõfirmauimus breuiter, quia s. duæ etiã sunt naturæ distinctæ: & illæ vnionẽ inter se sine vlla confusione in eadem habẽt persona. Sed iã de iis actionib. plura nobis dicẽda sũt.

Damasc. l. 3. c. 15. posteaquã de duab. voluntatib. in Christo egit contra Monotheletas ca. 14. postea in c. 15. incipit agere de duabus etiam actionibus. Ac primum, hæc proponit thesin, quam postcà multis probaturus est, aduersus eosdẽ Monotheletas. Δύο δὲ καὶ τὰς ἐνεργείας ἐπὶ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ. Subdit rationem à duabus naturis sumtam, dicens: ἔχει γὰρ ὡς μὲν θεὸς καὶ τῷ πατρὶ ὁμοούσιος, τὴν θείαν ἐνέργειαν· ὡς δὲ ἄνθρωπος γενόμενος καὶ ὁμοούσιος ἡμῖν, τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως τὴν ἐνέργειαν.

Argumentum tale est: Qui aliqua constat natura, eius naturæ actiones habeat oportet: nulla enim est natura sine suis propriis actionibus: cùm natura sit principium motus & omnis actionis in eo, in quo est.

Atqui Christus duabus constat naturis: concedunt hoc etiã Monotheletæ. Ergo in Christo diuersæ sunt actiones.

Secundo loco, confirmaturus, quod dixit, differentiam subdit, quæ est inter hęc quatuor ἐνέργειαν, actionem ipsam: ἐνεργητικόν, naturam & facultatem, qua operamur: ἐνέργημα, opus ipsum. Et ἐνεργοῦντα, operantem: quæ cùm paulò antè à nobis explicata fuerint, non repetam. Tantum περὶ ἐνεργείας, quædam subdit, quæ nobis prætermittenda non sunt.

Tertio igitur loco, definit ἐνέργειαν, & eius proprietatem explicat ex Greg. Nazianz. Atque ita primam tradit significationem nominis ἐνέργειας. ἡ ἐνέργεια κίνησις δέ ἐστι ἐνεργεῖται μᾶλλον ἢ ἐνεργεῖ. Hæc est prima & princeps significatio ἐνεργείας. Hinc euincebat Gregor. Spiritum sanctum non esse ἐνέργειαν, vt hæretici dicebant: quid ita? Quia sequeretur ipsum non agere, sed agi, fieri non facere, & postquam actus esset, desineret esse id quod est: quia desineret esse ἐνέργεια καὶ ἅμα τῷ ἐνεργηθῆναι παύσεται. Vtrumque autem est absurdum. Spiritus enim omnia agit & à nulla re agitur: Sap. 1. Item semper agit, nec otiatur. Quid est enim ἐνέργεια; ἐνέργεια est motus seu motio: hæc consideratur, aut quatenus est ab agente, id est, à motore: aut quatenus est in patiente. Vt est ab agente, est motus ad formam aliquam in re aliqua introducendam: vt actio ignis in aquam, ad calorem in aquam introducendum. Vt verò in patiente est: motus est mobilis ad formam acquirendam: vt est motus aquæ ab igne excitatus ad calorem ignis acquirendum. Quocumque sensu accipias, siue actiuè siue passiuè: motus ille formæ introducta & acquisita semper cessat, ad illam formam quod attinet vel introducendam, vel acquirendam. Hæc ratio est, cur Greg. dicat: Si Spiritus sancti est ἐνέργεια fore vt desinat esse, quod est: nempe si ἐνέργεια propriè pro actione accipiatur.

Subdit Damasc. alteram ἐνεργείας, significationem: accipitur enim etiam pro vita ipsa viuentis: λέγεται δὲ ἐνέργεια, καὶ αὐτὴ ἡ ζωὴ ἡ ἐνέργεια ἐστι, καὶ ἡ πρώτη τοῦ ζῶντος ἐνέργεια. Et sic Aristoteles alicubi ζωὴν definiuit, esse ἐνέργειαν, quanquam alibi, esse ipsum ESSE viuentis. Subdit tertiam significationem Damascenus: ἐνέργεια ait accipi pro motu cuiusuis partis animæ: vt motio vegetantis, sentientis, intelligentis: λέγεται ... [illegible] ... καὶ ἡ αὐξητικὴ κίνησις: nempe ἐνέργεια est. Horum summa est: ἐνέργεια propriè pro actione cuiusuis agentis siue intra se agat, siue extra in aliud 2. pro ipsa vita viuentis: quia in actione consistit 3. pro cuiusuis partis animæ motu, qui pro ἀποτέλεσμα Hæc omnia eò spectant, vt potiò concludatur, in Christo fuisse non solum Deitatis, sed etiam humanitatis distinctas actiones: quid ita? 1. Quia in Christo spectati sunt varij motus humani externi, vt motus localis, &c. Prima autem significatio ἐνεργείας est motio. 2. In eo fuit vita vegetatiua, sensitiua, intellectualis, cum suis quæque motionibus. Ergo ἐνέργειαι diuersæ. 3. Varia in eo ἀποτελέσματα: sed hæc etiam nomine ἐνεργειῶν significantur. Ergo variæ in eo ἐνέργειαι. Ideo finem indicans, cur tot significationes vocis ἐνεργείας attulerit, subdit Damasc. dicens: ἰστέον δὲ ὡς ... [illegible] ... ἐνέργειαν. Dicit autem ... [illegible] ... propter actiones hominis proprias.

Quarto loco, ordinem quendam ac differentiam ἐνεργειῶν in homine explicat: vt eundem etiam in Christo contemplemur. 1. Quædam sunt primæ & ceu primi fœtus animi: veluti sunt nudæ mentis actiones, quas sine auxilio corporis edit: vt simplex intelligentia in mente & simplex actio voluntatis. 2. Quædam sunt animi quidem ἐνέργειαι, sed non sine corpore: cum per corpus proferantur & perficiantur, in ipso tamen operante permanentes: vti est visio, auditio, locutio. Anima enim hæc per corpus & in corpore operatur. Ideo sunt mediæ ἐνέργειαι.

3. Quædam sunt, quę ab anima per corpus ita perficiuntur, vt extra etiam opus relinquant: veluti est scriptura, qua quod in animo erat latens, & post lingua patefactum, externo etiam scripto relinquitur omnibus considerandum, & ad absentes etiam perfertur.

Hunc ordinem tradit quasi alia vocis ἐνεργείας significata explicans. De primis: ἐνέργεια λέγεται ... [illegible] ... δύναμιν. Hæc sunt consideranda: quia eò spectant, vt demonstretur, multa agere Deitatem in Christo, quæ non fiunt per humanitatem. Animę enim comparatur Deitas: corpori autem humanitas.

De secundis igitur ἐνεργείας subdit. λέγεται δὲ καὶ ... [illegible] ... ἐνέργεια ... [illegible] ... καὶ λόγου συντεθεῖμένη.

Addit, ipsam etiam χρῆσιν quam habet agens ad id, quod fit, vocari ἐνέργειαν. De tertij generis actionibus subdit: ... [illegible] ... ἀποτέλεσμα ἐνέργεια λέγεται. Quinto: Cæterum ἀποτελέσματα in homine distinguit in tria genera. Quædam sunt solius animæ: quędam solius corporis, moti tamen ab anima: quædam vtrique communia.

Primi generis sunt actiones animæ, quas edit sine organo corporis: vt, intelligere, velle.

Secundi generis sunt ipsę corporis proprię actiones: corporis inquam animati anima rationali & ab anima moti: vti v. g. in locutione, oris apertio, linguę articulatę se mouentis actio. *Tertij* generis sunt ea, ad quæ anima in primis & deinde etiam corpus concurrunt, v. g. ipsa locutio, quatenus habet suam significationem & sensum. Oratio enim & sapientia expressa propria est animæ: sonus autem & prolatio corporis est. Atque huius tertij generis ait illa esse, quæ propriè ἀποτελέσματα vocantur, quia perficiuntur ab anima & corpore. καὶ τὰ μὲν (ἀποτέλεσμα) ἐστι ψυχῆς μόνης τὰ δὲ ψυχῆς σώματι ... [illegible] ... τὰ δὲ σώματος ... [illegible] ...: quod secundo loco posuit Damasc. est id, quod nos tertio.

Sic etiam in Christo cogitandum est. 1. Quædam fuerunt & sunt ἀποτελέσματα solius Deitatis, ad quæ perficienda non concurrit humana natura. 2. quædam propria corporis, moti tamen à Deitate & sustentati: vti Fuit loqui, pati,

pati, moti, lutum ponere supra oculos. 3. quædā ad quæ ipsa quoq; humana natura, suis actionib. cōcurrit: vt adiectionem nostri, sāguinis effusio. &c Exemplū eius rei habemus in domo ædificata, arte architecti, sed opera seruorum, &c.

Sexto In iis ἀποτελέσμασι, ad quę cōcurrit corpus, quidnā primas teneat, anima ne an corpus, Damasc. explicat: ac demōstrat, animā in iis primatū tenere: declarans modū, quē anima in iis efficiēdis seruat. Anima. n. est principale agens, quia ipsa primum per se cōsiderat quid faciendum, ac per se deliberat ac vult agere. Deinde ad opus perficiendum vtitur corpore tanquā organo: ac proinde merito tale opus magis attribuendum est animę, quàm corpori: & actionē atq. opus animæ veriùs dici posse ac debere, quàm corporis, manifestum est. Exēplum in ędificatore domus & famulis ac instrumētis. Sic in anima & corpore. Ideo ait: ὁ νοῦς γὰρ προβουλεύεται ... τὸ σῶμα ... ἐργάζεται, τῆς ψυχῆς ... ἡγουμένου. Rationem subdit ἀρχὴ γὰρ ... ὡς ὀργάνῳ τῷ σώματι: quomodo ... καὶ ἰθύνουσα. Duabus igitur de causis anima in humanis actionibus obtinet principatum: vna est, quia ipsa est autor actionū & operū: quippe quæ illa præconcepit & efficere decreuit: altera, quia licet perficiantur per corpus, ipsa tamen est, quæ vtitur corpore, tanquam organo, ita vt quicquid etiā actionis est in corpore, illud fit ab anima, corpus ad opus mouēte & dirigente. Longè enim diuersa est actio corporis in opere, ab actione animę. Explicat hoc Damasc. ... ἡ τοῦ σώματος ἐνέργεια, ἀγομένου ὑπὸ τῆς ψυχῆς, καὶ κινουμένου. Alias ἀγομένη καὶ κινουμένη. Quantum est hoc discrimen? ... animi est ἄγουσα: corporis autem est ἀγομένη. Differentiam adhuc clariùs explicat, ostēndens aliud etiā esse ἀποτέλεσμα corporis in iis actionibus, & aliud animi. Ἀποτέλεσμα corporis propriū est, quod opus ipsum & quasi fœtum animi tangit, cōtinet & circūplectitur: ἀποτέλεσμα aūt animi propriū est ipsa operis, quod fit, efformatio ac figuratio. Exemplum in pistore, cum pinsit panē: aut fabro lignario, cū secat lignū & parat cistā. Quid propriè efficit anima? formā quā prius intra se conceperat, panis vel cistæ, eam imprimit in subactā farinā, aut in asserē, sed per organa corporis, quę mouentur aut ducuntur pro arbitrio animæ. Quid propriè agit corpus? Tangit, cōtinet, circumplectitur, id quod efformatur & figuratur ab animo: nec alio modo id agit, quàm quo vult anima. Ergo (vt inquit Damasc.) ἀποτέλεσμα τῆς μὲν σωματικῆς ... ἁφὴ καὶ κράτησις, καὶ τοῦ ποιουμένου ... περίληψις: τῆς δὲ ψυχικῆς, τοῦ γινομένου οἷον μόρφωσις, καὶ σχηματισμός.

Hinc sequitur, alias, & eas quidē excellentiores esse actiones animæ, quàm corporis: & proinde has ob caussas, meritò in actionib. operibúsque humanis principatum dari animæ.

Iam totū hoc accommodat ad Christum, & exemplis miraculorum, quæ edebat, puta cum leprosum mūdauit & panes multiplicauit, explicat. dicens: οὕτω καὶ ἐπὶ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ... τῶν θαυμάτων δύναμις τῆς θεότητος ... ὑπάρχει ἐνέργεια ... τὸ θέλω, καθαρίσθητι ... αὐτοῦ ὑπάρχει ἐνέργεια. Obserua hic vim, seu δύναμιν qua fiebant miracula, non cōmunicari humanitati, sed dari soli Deitati. Ergo neque aliæ essentiales proprietates Deitatis, cōmunicantur humanitati. Item, obserua, alias actiones dari humanitati, alias Deitati. Ergo Deitas nō omnia (vt suas actiones) agebat per humanitatē: sed cōtra actiones humanitatis erāt a Deitate, sicut actiones organorū sūt ab artifice, organis vtēte, eáq; mouente & ad opus dirigēte.

Ex his etiam liquet, in miraculis Christi, & quodnam fuerit proprium humanæ naturæ ἀποτέλεσμα, & quodnā diuinæ. Humanæ naturæ ἀποτέλεσμα, seu quod ab illa propriè perficiebatur, fuit in curatione leprosi, illud velle eū curare: Voluit n. humana etiam voluntate. Item illud dicere, Volo, mundo esto: at verò ἀποτέλεσμα Deitatis. i. id quod à Deitate perficiebatur, fuit ipsa leprosi curatio. Item, in multiplicatione panum, quid propriè egit ac perfecit humanitas? Volēs accepit panes & fregit: quid Deitas? panes fractos multiplicauit: h. e. quod ait Damasc. ἀποτέλεσμα γὰρ τῆς μὲν ἀνθρωπίνης (sc. φύσεως) ... τὸ θέλω, τῆς δὲ θείας, ... καὶ ὁ τοῦ λέπρου καθαρισμός.

Obseruanda hic sunt nonnulla. 1. Discrimen inter actionem & ἀποτέλεσμα cuiusque naturæ in miraculis Christi. ἐνέργεια humanæ naturæ in multiplicatione panum, erat ille motus, quo manum mouebat ad panes accipiendos, & frangendos: ἀποτέλεσμα autem fuit illa voluntaria fractio. Diuinę autē naturæ ἐνέργεια seu actio, fuit illa naturalis δύναμις, qua panes fuerūt multiplicati: ἀποτέλεσμα verò ipsa panū multiplicatio, eóq; ipsum miraculū. Sic docet Damasc.

2. Hinc sequitur alterum: nempe miraculum propriè adscribendum esse Deitati, non autem humanitati. Prima ratio est: Quia miraculum fuit illa multiplicatio panum, non autē vel acceptio, vel cōtactus, vel fractio. Multiplicatio autem (inquit Damasc.) fuit ἀποτέλεσμα Deitatis nō humanitatis. Ratio secunda, Quia miraculum ei naturæ tribuendū

est, cuius etiam est δύναμις & actio, qua editum est. Atqui δύναμις & ἐνέργεια hæc non fuit humanæ naturæ, sed diuinæ. vt docet Damasc. Persona igitur Christi edebat miracula: sed secundum diuinam, non autem secundum humanam naturam. Rursus, persona Christi accipiebat & frangebat panes: non secundum diuinam, sed secundum humanam.

3. Hinc sequitur falsum esse, si propriè loqui velimus, diuinam naturam miracula edidisse per humanam seu per carnem: sed ea tanquam organo ad illa tantum præstanda vsa est diuina natura, quæ humanæ erant naturæ, nō autem diuinæ: vti fuit, visibiliter accipere & frangere panes. Si enim multiplicatio panum fuit ἀποτέλεσμα diuinæ (vt ait Damascenus) non autem humanæ: actio igitur humanæ nō sese extendit ad multiplicationem vsque panum, sed tantùm vsque ad fractionem quæ fuit illius ἀποτέλεσμα.

Ita propriè loquendo sentiendum & dicendum est: ac miracula non sunt attribuenda humanæ: sed diuinæ tantùm naturæ: & tamen Iesus homo edebat miracula: sed quomodo? actione Deitatis: concurrēte tamē actione humanitatis: Cum his cōsentit illud Leonis: Vtraq. forma agit, quod suū est cum cōmunione alterius: Verbo agente, quæ sunt Verbi, & carne exequente, quæ sunt carnis. Et ideo in eadem epistola, miracula nō attribuit formæ serui, sed tantum formæ Dei. Mox n. subdit, Vnum horum coruscat miraculis: alterū subiacet iniuriis. Natura igitur humana nō edidit miracula, sed diuina: vel potius Christus secundū diuinam naturam.

Quod si ipsa humana natura non edidit miracula: neque etiam ei fuit communicata δύναμις edendi miracula: ideóque nec aliæ diuinitatis proprietates.

Sed & illud obseruandum est, quod subdit Damascenus: per actiones humanæ naturæ tam animæ, quam corporis, diuinam ἐνέργειαν patefactam fuisse. Nō ait communicatam, sed patefactam: videatur locus. Per ἐνέργειαν (inquit) animæ & corporis ἐνδείκνυται αὐτῆς τὴν θείαν ἐνέργειαν. Hæc omnia præmisit Damascenus principali conclusioni, quam probandam cum primis suscepit: de duobus actionū generibus in Christo, diuinis scil. & humanis, quia secundum vtramq; naturam mediator fuit, & salutem nostram operatus est

Nunc ad statum quęstionis redit: & *primò* probat, sicut in Christo duæ sunt naturæ, sic in eo duas esse actiones. *Deinde*, ad exceptionem quandam respondens, idem speciatim de diuinis concludit. h. e. Filium etiam post incarnationem operatum esse & operari cum Patre. *Tertiò*, aliis occurrens exceptionibus, varia docet de iis actionibus, & in primis eas nōn esse in vnam confusas seu compositas: communionem tamen inter se ad idem ἀποτέλεσμα habere: quibus in rebus consistit nostræ Theseos summa & explicatio de variis in Christo actionibus, illísque distinctis, communionem tamen inter se ad idem ἀποτέλεσμα habentibus.

Nunc igitur videamus, quomodo probet in Christo geminas esse actiones. Vt dicam, quod sentio: ad duo capita omnes reuocari possunt: quorum vnus est: quia in Christo duæ sunt naturæ: geminæ igitur actiones: alterum, quia Euangelistæ alias recensent, quæ non possunt esse nisi Deitatis: alias, quæ non nisi ab humana poterunt præstari natura. Diuersæ igitur actiones. Quia tamen Damascenus ita hoc negotium tractat, vt multas videatur indicare rationes: idcirco nos quoque eas distinguemus.

Rationes, quòd geminæ in Christo sint actiones, diuinæ & humanę, vnitæ quidem, sed tamen distinctæ.

1. A naturis duabus, vnitis quidem, sed sine confusione. Atque hoc est potissimum argumentum: ex quo multa alia deducuntur. Argumentū igitur tale est: Duę in Christo eodem sunt naturæ, vnitę sine cōfusione & distinctæ: Ergo & duo actionum genera diuinæ & humanę vnitæ, sed sine cōfusione & realiter distinctæ, p 81. ὥσπερ γὰρ τὰς φύσεις ἡνωμένας γινώσκομεν καὶ ... ἀλλήλαις, ... καὶ τὴν ... διαφορὰν οὐκ ἀναιροῦμεν, ἀλλὰ καὶ ... οὕτω καὶ τῶν θελημάτων καὶ τῶν ἐνεργειῶν καὶ τὸ συνάφειαν γινώσκομεν, καὶ τὸ διάφορον ... καὶ ... μέν.

Summa est: In Christo sicut sese habent naturæ: sic etiam earum proprietates, & actiones. Atqui naturę sunt duæ, numero vnitæ & communionem habentes: sed & distinctæ, non confusæ. Ergo sic etiam proprietates & actiones.

2. De humanis potissimū concludit: A nō mutatis naturis. Humana natura à Christo assumta, nō est mutata a suæ naturæ cōditione: Ergo neq; volūtas humana & actiones humanę naturę mutarunt conditionem propter vnionem cum diuina natura. Quare verę in Christo humanæ actiones. οὐ τρέπεται γὰρ ἡ σὰρξ καὶ ... καὶ μεταβάλλει τῆς οἰκείας ... φύσεως: ... καὶ τὸ θέλημα ... καὶ ἡ ἐνέργεια ... οὐκ ἐξίσταται ... Dicuntur deificatæ, & sunt, propter vnionem hypostaticam cum Deitate: vt actiones Dei dicantur.

3. Ille vnus, qui vult, & operatur, est & Deus & homo: Ergo idē vnus, & quà Deus est, vult ac operatur: & quà homo,

vult itidem & operatur, i. secundum vtramq. distinctam naturam. Argumentum est ab vna pers na, tam in forma serui, quàm in forma Dei subsistente. [Greek text, largely illegible]

4. A diuersitate naturarū. Quorum natura diuersa, horum & diuersa actio: Atqui in Christo diuersę sunt naturæ: Ergo & diuersæ actiones. [Greek text, largely illegible]

Cum hęc ita se habeant: sequitur necessariò, vt aut vnam tantum actionem in Christo dicentes, vnam tantum etiam in eo naturam esse dicamus, quod impiissimum est: aut duas in Christo naturas agnoscentes, duas etiam actiones cum Ecclesia confiteamur. Hanc subdit, dicens: [Greek text, largely illegible] (πατράσι.)

5. Si Christus ὁμοούσιος est patri, i. æqualis οὐσίᾳ, erit etiam illi æqualis operatione: & si ὁμοούσιος est nobis, i. eiusdem naturæ nobiscum: easdem etiam habuerit nobiscum actiones. Actiones enim consequuntur naturas. Arqui Christus est ὁμοούσιος Patri & nobis. Duplices igitur in Christo actiones. [Greek text, largely illegible]

6. Argumentum Greg. Nyss. Quorum actio vna, eorum & virtus seu δύναμις eadem. Omnis enim actio, virtutis est perfectio: seu, vt Græci: [Greek text, largely illegible]. Sicut finis, perfectio est eorum, quæ sunt ad finem. Hoc est verissimum: in omnibus rerum generibus: quòd virtus seu δύναμις ordinata sit ad actionem, h. e. ad ἐνέργειαν: vt virtus visiua ad videndum, auditiua ad audiendum.

Atqui fieri nullo modo potest, vt naturæ creatæ & increatæ, temporalis & æternæ, circumscriptæ & incircūscriptæ, eadem sit virtus & δύναμις. Ergo fieri nequit, vt vtriusque naturæ in Christo, diuinæ & humanæ, eadem sit & vna actio. [Greek text] (ait Nyssenus) [Greek text]. Plures igitur & diuersæ actiones in Christo sint, necesse est.

Obseruandus est iste locus contra Vbiquitarios: qui volunt, vnam & eandem proprietatem & actionem in contrariis naturis esse posse.

7. A passionibus animæ & doloribus corporis In Christo fuerunt passiones animi, tristitia, metus, recusatio mortis: similiter fuerunt in eo dolores corporis. Hæc enim omnia narrant Euangelistæ. Aut igitur dicendum est Deitatem hæc omnia potuisse perficere: id quod dicere, impium est: aut præter Deitatis actiones, fuisse in Christo etiam humanitatis passiones & actiones. Quare non vna tantum actio in Christo. [Greek text, largely illegible]

I. Exceptio prima. At, inquiet aliquis Apollinarista: Facilè do, in Christo, postquam factus est homo, fuisse actiones humanæ naturæ: sicut etiam ante, in eo erant actiones cum patre Deo communes: quia vnius erat cum eo naturæ. Sed post assumtam carnem, nego, cum habuisse actiones cum patre communes: tum quia diuersæ fuit & est naturæ à patre, cùm sit homo, id quod pater non est: tum quia, quæ sunt sanctæ triados, non sunt ad οἰκονομίαν pertrahenda. Sic enim patres docuerunt, dicentes: [Greek text]. Hanc primam exceptionem ibi tradit, vbi ait, [Greek text]. Est autem [Greek text] Χριστοῦ, & [Greek text]. Hæc vna est patrum regula. Altera: [Greek text]. Responsio Damasceni in summa est: Christum non ita factum esse hominem & nostræ naturæ, vt desierit esse eiusdem naturæ cum patre. Est igitur diuersæ naturæ, non simpliciter, sed κατά τι: h. e. quoad humanam. Rursus eiusdem etiam est naturæ cū patre, non simpliciter, sed κατά τι, h. e. quoad diuinam. Nos ita regulam patrum retorquemus: [Greek text]. Est autem Christus, quatenus Deus, eiusdem οὐσίας cum patre: Ergo & eiusdem actionis. Ad alteram regulam: [Greek text]. Sensus huius dicti, patribus hic fuit: quę de diuina essentia, seu de Deo dicuntur, siue proprietates, siue actiones, ea ad humanam naturam non esse transferenda. Nomen enim θεολογίας pro Deitate: & nomen οἰκονομίας pro assumta humanitate acceperunt. Dictum hoc pium atque orthodoxum deprauabant nonnulli, nempe illi, qui Deitatem filij in humanam naturam conuersam esse dicebant, propter verba Iohan. 1. Verbum caro factum est. Quæ igitur de operibus patris & filij ante incarnationem leguntur in Scripturis, ea post incarnationem non amplius de filio esse prædicanda. Responsio est: Patres illo dicto non negare, quin de persona incarnata prædicentur opera & actiones diuinitatis, cum per incarnationem non desierit esse Deus, nec propter assumtam formam serui, deposuerit formam Dei. Sed tantum quæ sunt diuinæ naturæ, ea non esse ad assumtam carnem transferenda.

Obiicit igitur Damascenus dicta aliquot ex Euangelistis, quibus demonstrat, filium etiam post incarnationem operatum esse, & operari cū patre: ex quibus efficitur, [illegible] in Christo esse etiamnum actiones, diuinas & humanas [illegible] num est illud, Ioh. 5. *Pater meus vsq; modò operatur, & ego operor.* Item: *Quæcunque viderit patrem facientem, hæc & filius similiter facit.* Item Ioh. 10 *Si mihi non creditis, operibus credite.* Item: *Opera, quæ ego facio illa testimonium perhibent de me.* Item Ioh. 5. *Sicut pater suscitat mortuos & viuificat: sic & filius, quos vult, viuificat.*

Hæc omnia (inquit Damasc.) non solum patri [Greek] esse Christum demonstrant: sed etiam eundem esse [Greek]. Ergo etiam post incarnationem, filius habuit actiones cum patre communes. Hoc est primum argumentum, quo probauit, etiam post assumtam carnem, actiones communes cum patre fuisse in Christo. Cum autem demonstratum sit, cum habuisse humanas: diuinæ ergo & humanæ in eo fuerunt & sunt actiones.

2 Idem confirmat argumento a prouidentia diuina, eiusque mundi gubernatione.

Non solum pater, sed & filius semper regit & sustentat mundum. Sap. 8. Sapiētia, quæ est filius, attingit omnia a fine vsque ad finem, & disponit omnia suauiter. Non debemus igitur filius mundū vnà cum patre regere. Sed ad [illegible] Col. 1. *Per ipsum omnia consistunt.* Heb 1 *Portat omnia verbo virtutis suæ.* Hæc de Christo etiam post incarnationem. Ergo etiam post assumtā carnem, communes cum patre habuit actiones Christus. [Greek] enim (ait Damasc.) [Greek].

3. A miraculis Christi post incarnationem. Qui suis propriis actionibus liquido demonstrat, se eiusdem esse substantiæ & naturę cum Deo: is etiam manifestè probat se communes habere cum Deo actiones. Miracula [illegible] [Greek] sunt diuinarum [Greek], & non nisi potentia et actionibus fiunt diuinis. Atqui hoc fecit Christus [illegible] factus. Vnde illud, Opera, quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me.

His argumentis euincitur, Christum etiam post incarnationem eiusdem fuisse & esse actionis cum patre. [Greek text, largely illegible]

Supra autem idem de humanis actionibus demonstratū est: imo in editione miraculorum conspectæ fuerunt humanæ etiam actiones & locutiones, contactus & aliæ. Ergo etiam post incarnationem, duplices in Christo actiones.

II. Sed μονοθελῖται excipiebant, ex diuinis & humanis vnam duntaxat extitisse actionem. Sicut & vnam naturam ex duabus conflatam esse dicebant. Hoc pacto actiones non fuissent in Christo distinctæ, sed confusæ, non plures sed vna. Hanc igitur actionum confusionem tollit Damasc. Sicut supra etiam naturarum confusionem expugnarat. Vnico autem argumento id facit: quia, quę confusionem naturarum σύγχυσιν faciunt, eadem etiam actionum confusionem dissoluunt. Argumentum tale est. Cum demonstratum sit, in Christo Deo & homine, fuisse easque actiones humanas, & diuinas: si adhuc pertinaciter contendas, vnam tantum esse actionem: illa fuerit, vt μονοθελῖται & [Greek] fingunt, composita.

At hoc fieri nequit: quia illa aut alia erit ab actione patris, id quod pugnat cum superioribus, vbi probatum est Christum eiusdem esse actionis cum patre, aut eadem actio quoque patris fuerit composita: quod etiam est absurdum, quia ex compositione actionis, sequeretur compositio naturæ diuinæ: quo quid magis blasphemum dici potest? Non igitur vna in Christo actio, sed diuersæ, illæque distinctæ.

III. Sed excipiebant adhuc: Ex actionum pluralitate personas in Christo multiplicari: quòd cum actione persona simul inducatur. Hoc enim assumebant: [Greek text]. Cum igitur ponamus in Christo plures actiones: simul etiam à nobis in eodem Christo plures statui personas, quæ hæresis fuit Nestorij.

Respon-

Respondet Damasc. Illud assumtum falsum esse: quia ipsius etiam ὑπόστασις falsum est: Nempe, cum persona, simul induci inducendamque esse actionem, h.e. quot personę inducuntur, tot etiam actiones induci debere: Falsum hoc esse, liquere: quia in Deo tres sunt personæ, & tamen vna tantum est communis omnium actio, sicut & οὐσία. Ergo neque illud admitti debet vel potest: quot actiones inducuntur, totidem cum illis induci personas. Melius verò patres: qui docuerunt, [illegible] ἐνεργεία: ac proinde cum οὐσίαις, non personas, sed actiones, & vicissim cum actionibus οὐσίας atque naturas induci atque conuerti: h.e. Vbi vna tantum est natura & substantia, ibi vnam tantum actionē: & vbi vna actio, ibi vnam tantum statui naturam atque οὐσίαν. Exempla: In Deo est vna οὐσία tribus personis communis: ideo ibi est vna etiam omnium actio: In Christo plures οὐσίαι: ideo etiam plures actiones. Et rursus, quia in Deo vna tantum actio, ideo vna omnium οὐσία: & quia in Christo plures actiones sunt obseruatæ, ideo etiam plures & diuersæ conclusæ sunt naturæ, atque substantiæ. Falsum itaque, quod assumunt: [illegible]

II. *Alterum* argumentum contra idem axioma. Si cum actione persona coinduceretur: si qui ergo non audent vel vnam vel plures in Christo fateri actiones: ij neque vnam etiam, neque plures personas in Christo statuere cogentur. Quid autem hoc absurdius, quàm Christum nullā esse personam, nullum ὑπόστασιν, nullam subsistentem substantiam? Cum igitur tot absurda consequantur hanc assumptionem: [illegible]: sequitur eam esse falsam: veram autem esse sententiam catholicæ Ecclesiæ, cum naturis induci actiones, & vicissim cum actionibus naturas.

Hoc verò explicat accommodatissimo simili gladij igniti: quo si vtaris, duplicem ab vno & eodem gladio, proficisci actionem videbis: vnam, qua incidit, alteram, qua simul etiam adurit: eòque duo etiam ἀποτελέσματα, incisionem simul & vstionem: quarum vna à natura ferri acuti, altera, à natura est ignis, in eodem gladio: & vnus tamen duntaxat fuerit gladius, vnum ὑφεστός, vnaque subsistens substantia. In hoc simili hæc omnia considerari à nobis vult Damascenus. 1. Vnitatem gladij: Est enim vnus tantum. 2. duas naturas: ignem & ferrum. Etsi enim philosophicè loquendo, duæ formæ substantiales non sunt in eodem subiecto. & qui videtur ignis in ferro, sit potius accidens, quàm substantia ignis: Damascenus tamen & alij aliquot patres hoc simile proponunt, quasi in gladio sint duæ substantiæ, ignis & ferri: & hoc iuxta vulgi opinionem: vt porrò inde concludant duas etiam naturas in persona Christi. Neque hac de re dubitandum est: quia & ipsorum verba perspicua sūt, & scopus atque finis, cur id faciant, manifestus est De sententia igitur patrum in vno gladio ignito seu candenti, duæ considerandæ sunt naturæ, ac formæ, ignis & ferri. 3. Considerari volunt, duas duarum naturarum proprietates: nempe τὸ τμητικόν, i. vim incidendi in tali ferro: & τὸ καυστικόν, i. vim vrendi in igne. 4. Geminas etiam actiones, vnam ferri, alteram ignis: actio ferri est motus, quo incidit: actio ignis, motus eius est, quo vrit. 5. Duo etiam ἀποτελέσματα diuersa. Ferri ἀποτέλεσμα est incisio: ignis, vstio. Incisio enim perficitur motu & actione ferri: vstio autem motu & actione ignis. [illegible] Ecce hic machæram vnam: deinde duas φύσεις, ignis & ferri. 3. Proprietates vtriusque vt mox subiiciet, quarum vnam vocat τὸ τμητικόν, alteram, nempe ignis, τὸ καυστικόν. 4 Habes geminas ἐνεργείας. 5. Duo etiam [illegible] ἀποτελέσματα propria: actionis quidem ignis, vt mox explicat τὴν καῦσιν: actionis autem ferri τὴν τομήν. Cęterùm commune vtriusque actionis ἀποτέλεσμα fuerit vsta incisio, seu incisa vstio. Quid vult autem concludere hoc simili? falsum esse axioma, quod assumebant Monotheletæ, nempe: [illegible]: Sed optimè in vna ὑποστάσει seruari duas naturas, & cuiusque naturæ proprietates, diuersas actiones, & ἀποτελέσματα diuersa: licet neque vna natura sit extra alteram: neque vnius naturæ proprietas, sine alterius proprietate, aut vnius actio & ἀποτέλεσμα sine alterius actione & apotelesmate inueniri possit. Ideo subdit: [illegible] (notentur hæc verba (contra realem idiomatum in naturis communicationem Ferrum enim suum retinet, non communicat; & sic de igne) [illegible]

Hoc simili perspicuè in rebus etiam naturalibus hęc tria, quæ habemus in nostra thesi, demonstrat Damascenus, de actionibus Christi mediatoris, quæ vnionem hypostaticam, consecutæ sunt: *Vnum*, quòd in vna persona diuersæ sunt actiones, sicut & diuersæ proprietates atque naturę. *Alterum*, quòd hæ actiones sunt inter se realiter distinctę. *Tertium*, quòd sint ad commune ἀποτέλεσμα vnitæ, communionémq; habentes. Sed præter hæc, in quibus status principalis quæstionis consistit, quædam alia sunt obseruanda, contra nostros Vbiquitarios, eorúmque sophismata. Vnum ad conclusionem pertinet, de qua disputatur.

I. Damascenus concludit actionem & ἀποτέλεσμα ignis in machæra ignita, ita propriam ignis esse & differre ab actione ferri, in eadem machæra, vt ferro non cōmunicetur, vel eius fiat actio, aut ἀποτέλεσμα: quanquam vnius actio & ἀποτέλεσμα sit cum alterius actione & ἀποτελέσματι coniunctū, id quod & de proprietatibus cuiusque concluditur. Ita enim καυστικόν proprium facit ignis, vt neget conuenire ferro. & ita τὸ τμητικόν proprium facit ferri, vt nullo verbo concedat, igni realiter congruere. Quomodo igitur Vbiquitarij audent hoc simile ex Damasceno citare, ad probandum, vnius naturę proprietates realiter alteri communicari? id est quod vnius est proprium, fieri alterius commune?

In ęternum dici verè nunquam poterit, vim vrendi esse in natura ferri: aut vim incidendi esse in natura ignis: quanquam vtraque verè & realiter sit in hoc subiecto, hoc est in machæra ignita. Ideo Damascenus probat, actionem vrendi esse ignis, non autem ferri, & actionem incidendi esse ferri, non autem ignis quid ita? Quia nimirum vim vrendi, τὸ καυστικόν, habet ignis, non autem ferrum, & contra τὸ τμητικόν, habet ferrum, non autem ignis.

II. Alterum, quòd obseruare debemus, pertinet ad diluendum vbiquitariorum sophisma: ab vnitione duarum naturarum in vna persona argumentantur, vnius proprietates essentiales, nempe diuinæ naturæ, realiter alteri communicari, & ad hoc confirmandum abutūtur hoc simili gladij igniti, ex patribus. Damasc. tamen apertè scribit, non ideo essentiales proprietates ignis & ferri confundi, quia vnica est machæra ignita; sed vtriusque proprietates, sicut & naturas, integras seruari. Ac quid intelligat, verbo, confundi, vel nomine συγχύσεως, ex præcedentibus liquet; nempe, si ita vim vrendi (exempli caussa) dicas communicari naturæ ferri, vt hæc quoque vrere verè ac propriè dicatur. Hanc negat à se fieri σύγχυσιν. Quomodo igitur vbiquitarij, qui hanc faciunt σύγχυσιν, audent se tueri, autoritate Damasceni?

Sed videamus, quomodo hoc simile ad Christum accommodet. [illegible] (scilicet ἐνέργειαι) ἀποτέλεσμα [illegible] (ἐνεργείας) [illegible]

Hoc itaque simili hæc duo præcipua aduersus Monotheletas demonstrata sunt, contra illud dogma: [illegible]. Vnum: in vnitate personæ optimè cohærere pluralitatem naturarum, proprietatum, actionum, ἀποτελεσμάτων: Alterum, Omnes has, naturas, proprietates, actiones, licet sint inter se in vna persona vnitæ, & vna non sit, nec fiat sine altera: realiter tamen esse à se inuicem distinctas: nec quia vniuntur, ideo confundi, aut cum vnione vllam fieri confusionem, quæ certè fieret, si quod est vnius proprium, alteri quoque fieret commune.

Sequuntur alia argumenta, quibus eandem confirmat doctrinam Damasc aduersus Monotheletas, qui contendebant ex vna persona vnaque hypostasi, vnam tantum concludendam esse actionem: quòd [illegible]. Ipse verò Damasc. refutato illo falso Monotheletarum axiomate, vt supra vidimus, alio firmissimo vtitur fundamento: nimirum cum actione induci naturam, & cum natura actionem. Hinc principalem conclusionem confirmat, In Christo diuersas esse actiones, easque inconfusas, licet realiter vnitas.

Primum igitur argumentum. Si, quia Christus vna tantum est persona atque hypostasis, ideo vnica etiam in eo ponenda est actio; firmiori ratione, vna tantum in eo statuenda erit natura Ratio hæc est, quia cum actione certius inducitur natura, quàm persona, vt modò visum est. Atqui hoc consequens est falsum. Nam duas in Christo naturas confitentur etiam ipsi Monotheletę; vt suprà abundè demonstratum est. Ergo etiam antecedens falsum est: nempe propter vnam hypostasin vnam ponendam esse actionem.

Secundum. Si vnica in Christo est actio, illa fuerit, aut solùm diuina, aut solùm humana, aut neutra. Non primum est dandum. Foret enim Christus tantum Deus & non homo. Quis enim eum dicat esse hominem, qui omni humana actione sit destitutus? Neque alterum. Non enim esset Deus: cum Deus esse nequeat, qui nil agat. Vsque adeo proprium Dei agere, vt non immeritò à Philosophis vocetur purus actus. Neque tertium concedi potest: quia Christus hoc modo nec Deus esset, nec homo. Relinquitur ergo, si & Deus & homo est Christus: iuxta has duas naturas, duas quoque in eo esse actiones. Cum actione enim inducitur natura, & cum natura actio.

Argumentum hoc obseruandum est, & ratio item, quã subdit Damascenus: cur, si tollamus diuersitatem actionum, necessario quoque tollantur duæ diuersæ naturæ: & quod non propter vnionem tollenda sit diuersitas actionum. εἰ γὰρ τὸ ἡνῶσθαι καθ' ὑπόστασιν ταυτότητα γέγονε, μίαν καὶ διαφορὰν τῶν φύσεων ἀνῄρηται. εἰ δὲ διαφορὰ σωζομένη τῇ ἑνώσει σωζέσθω δηλαδὴ καὶ ταύτης ἐνέργεια. ἡ γὰρ φύσις ἀνενέργητος.

Tertium argumentum. Si vna tantùm est Domini nostri Iesu Christi actio: ea vel creata est, vel increata. Non enim medium inter hęc inueniri potest, vel excogitari, vt scilicet aliqua sit vel natura vel actio, quæ nec creata sit, nec increata. Si igitur creata fuerit actio: creatam etiam indicabit eam esse naturam, à qua proficiscitur. Ita Christus sola & nuda fuerit creatura. Si verò increata: solum increatam habuerit naturam, eóque Christus solum fuerit Deus, & creator. Solus enim Deus increatus & creator est. Est autem Christus & Deus & homo: creatus & increatus, secundum diuersas naturas. Diuersas igitur etiam habet actiones, a duabus diuersis naturis prodeuntes. Hoc argumentum fusius amplificat Damascenus: sed summam tenuisse satis est. præsertim cum sit perspicuum, & ex eodem fundamento deductum, ex quo & reliqua ferè omnia.

Quartum, Si vna Christi actio: Ea fuit diuinorum simul & humanorum operum effectrix, i. Christus effector fuerit contrariorum, secundum vnam & eandem essentiã. Operatus est enim miracula, diuina. s. opera, & multa humana passus est atq. egit, vt narrant Euangelistæ. Atqui hoc fieri nequit. Nihil enim in sua vnica permanens natura, contraria per se & rebus eodẽ modo se habentibus efficere potest. οὐδὲν γὰρ τῶν ὄντων, ἐναντίας κατὰ φύσιν μίαν οὖσαν τὰς ἐναντίας ἐνεργείας ... οὐ γὰρ τὸ αὐτὸ ψύχει καὶ θερμαίνει, &c. πῶς οὖν ὁ φύσει Θεὸς, καὶ φύσει γενόμενος ἄνθρωπος: πάντα θαύματα, καὶ τὰ πάθη μιᾷ ἐνεργείᾳ ἀπετέλεσεν. Illa propositio, quòd nihil in sua permanens natura, contraria efficere potest: intelligitur per se, & si agẽs in res eodem modo se habentes agat: verbi gratia. Sol eandem rem frigefacere & calefacere, aut liquefacere & indurare non potest. Nam quod soluat ceram & obduret lutũ, hoc fit ex accidenti, quia variatur materia, in quam agit. At hæc exceptio in actionibus Christi non habet locum. In seipso. n. præstitit & diuina & humana, omnino contraria. Vna igitur & eadem actione, hæc fieri non potuerunt: sed diuersis actionibus secundum diuersas naturas. Quare optimè à variis ἀποτελέσμασι ad varias ἐνεργείας, & a variis ἐνεργείαις ad varias naturas procedit argumentatio.

Quintum. Qui præditus est mente humana, is etiam actiones mentis præstat, vt intelligere, velle. Quę enim suas naturales actiones edere non possunt, illæ res non sunt verè tales res. Vt oculus, qui non potest videre, non est oculus, nisi æquiuocè, inquit Aristoteles: & ita de aliis. Atqui Christus assumpsit mentem humanam, alioqui verus homo non fuisset, aut esset. Habet igitur actiones mentis. Habet etiam actiones Deitatis, quia Deus est. Intelligit enim ac vult, & quà Deus est, & quà homo, diuersis intellectibus & voluntatibus. Diuersæ igitur in eo actiones.

Sextum. Christus patiendo & moriendo secundum carnem, multa operatus est secundum Deitatem. Moriendo enim mortem destruxit, peccata expiauit, homines à tyrãnide Diaboli liberauit, &c. Quæ caussa est, cur Chrysostomus dixerit in acta Apost. Sermone 2. Illum non peccare, qui passionem Christi vocet actionem: passionem respectu humanitatis: actionem respectu Deitatis. Ipsa igitur passio Christi euincit, in Christo geminas fuisse simul actiones.

Septimum. Nulla prorsus natura reperitur, quę careat propria motione: actio autem nil aliud est, quàm motio. καὶ φύσις οὐκ ἰδίας ἀκίνητος, ἢ ὅλως ἀνενέργητος. Si igitur in Christo duæ sunt naturæ, diuina & humana: geminæ etiam sint actiones & motiones, necesse est.

Octauum. Sicut nunquam admittendum est, vnam esse naturam Dei & creaturæ: sic neq. vnã & eandẽ esse actionẽ Dei & creaturæ. Sic. n. docet Cyrillus secundum scripturas, & exẽplo declarat in suscitatione Lazari, sicut recitat Damasc. p. 88. ἐζωοποίει τὸν Λάζαρον ἡ θεϊκὴ ἐνέργεια· οὐδὲ δακρύει ἡ θεϊκὴ ἐξουσία. τὸ μὲν γὰρ δακρύειν, τῆς ἀνθρωπίνης ἴδιον, τὸ δὲ ζωοποιεῖν τῆς ἐνυποστάτου ζωῆς.

Hactenus Damasc. firmissimis argumentis demonstrauit, in vna persona Christi, geminas fuisse & esse actiones, easque inter se verè & realiter distinctas: sicut etiam naturæ duæ sunt: ac proinde vnitate personæ pluralitatem & diuersitatem operationum impediri non posse: nec cum actione personam, aut cum persona actionem induci: sed secundum fidem Ecclesię catholicæ: actionem cum natura & naturam cum actione conuerti.

Argumentis Damasc. addo & hoc ex Thom. Aquin. cõtra Gent. lib. 4. c. 36. In eodem homine variæ & diuersæ, aliæque distinctæ actiones spectantur. Nam aliæ sunt actiones animæ, alię corporis: rursus in anima aliæ sunt intellectus, aliæ voluntatis: aliæ mentis, aliæ animæ sensitiuæ & appetitus: In corpore etiam aliæ oculorũ, aliæ aurium, & ita de reliquis sensibus. Est autem infinitis partibus maius discrimen inter Deitatem Christi & eius humanitatem, quàm inter animam & corpus eiusdem. Quanto magis igitur discernendæ sunt actiones Deitatis ab humanitatis, in eodem Christo? At si vnitas personæ in quouis homine, in eo non impedit pluralitatem actionum, & diuersitatem, quia in eo plures sunt & diuersæ οὐσίαι, anima & corpus, diuersæ item facultates & organa: multò minus ad efficere potest vnio duarum naturarum, tam diuersarum, in vna Christi persona. Hinc argumentum collige contra realem communicationem idiomatum in natura. Si potẽtia & facultas intellectus non cõmunicatur voluntati, vt possit intelligere, nec cõtra; si neq. facultas videndi in oculo cõmunicatur auribus. & ita de reliquis: quanto minus proprietates essentiales Deitatis, ipsi humanitati? Maior enim distantia est inter diuinã & inter humanam naturã, quàm inter facultates mentis & animę: vnius sensus, & alterius.

Concludo hanc Theseos nostræ partem, DE ACTIONIBVS Christi mediatoris, diuinis & humanis, illisque distinctis, licet vnitis; dicto Leonis, imò concilij Chalcedonensis. *Vtraque forma agit quod suum est, cum communione alterius: verbo agente, quod verbi est, & carne exequente quod carnis est.* Si vtraque forma agit: ergo licet vna sit persona agens, ratione tamen plurium formarum secundum quas agit, multæ & diuersæ sunt actiones. Item si vtraq. forma agit, quod suum est, & non quod alterius: ergo actiones Deitatis & humanitatis sunt distinctæ: & humanitas non agit, quod Deitas: eóq. actiones vnius propriæ, non sunt alteri communes. Si etiam vna agit cum communione alterius: ergo vna natura non agit seorsum ab altera, aut solitaria: sed vna cooperatur alteri, humana diuinæ, tanquam illius organum: Et altera communicat alteri, diuina humanæ, tanquam caussa eam mouens atq. perficiens: Et actiones non sunt diuisæ sed vnitæ, & ad eundem scopum atque ἀποτέλεσμα tendunt. Ac de confirmatione satis.

Nunc ad quædam argumenta Monotheletarum respondendũ est: Deinde redeundũ ad Damascenum: ac videndũ, quomodo, quóve sensu actiones vnius naturæ alteri adscribi possint, & vna actio appellari. De primo. Quo melius argumenta refutari possint, videnda est causa erroris Monotheletarũ: cur. s. vnã tantùm actionem, in Christo esse statuerint. Legatur sexta Synodus, in qua hæc agitata fuerunt. Summatim, vt dicam, & vno verbo, causa fuit, quia non fecerunt (vt optimè obseruauit Th. Aquin. 3. p. q. 19. art. 1.) quia inquam non fecerunt discrimen inter vnum simpliciter, & vnum κατά τι, h. e. ordine. Simpliciter & propriè vna actio non sunt: quia nec vna in Christo natura: ordine quodam, eóq. impropriè & κατά τι vna actio dici possunt. Vir & vxor simpliciter non sunt vnus homo, sed duo: κατά τι autem, & ordine quodam, vnus homo & vna caro esse dicuntur. Videtunt Monotheletæ humanam naturam in Christo, subiectam & subordinatam esse diuinæ: eámque nihil velle aut agere, nisi quatenus mouebatur & regebatur à diuina: qua de causa, vnũ propriè erat & principale agẽs: ὁ λόγος, adeóque ipsa forma Dei: forma aũt serui organũ formæ Dei, ac Deitatis. Quod igitur vnũ fuit ordine quodam & κατά τι: illud voluerunt vnũ esse simpliciter. At quia negare nõ poterãt, multa fieri per humanitatẽ, per humanitatem: ideo dixerũt, quę fiebant per humanitatẽ, ea esse ἔργα, non autem ἐνεργείας: vnam esse ἐνέργειαν, nempe Deitatis, à qua regebatur humanitas: multa autem esse ἔργα, quę etiam per humanitatem fiebant. Sed hallucinabãtur. Notandum igitur, quò clariùs illorũ error appareat, & caussa etiam erroris. Vbi inter plures agẽtes caussas ordo est constitutus, ita vt vna subsit alteri: ibi sẽper inferior caussa mouetur à superiori, ita vt nõ agat, nisi acta: ac proinde suprema, quæ agit nõ acta κατ' ἐξοχὴν caussa verè agẽs appellari solet. Hinc fit

VT motus,

vt motus, quo suprema agit, etiam κατ' ἐξοχὴν ἐνέργεια appelletur: motus autem quibus inferiores caussæ actæ agũt, effecta & (vt Barbari loquuntur) operata potius appellari malit velint, quàm operationes & ἐνεργήματα, quod nimirum effecta sint superioris caussæ. Exemplum in homine. Anima mouet corpus, ita vt hoc nil agat nisi ab anima actum. Quod igitur oculi videant, pedes ambulent, manus palpẽt: hos motus & actiones volunt potius appellari effecta animæ, quàm actiones: & operationes oculorum, pedum, manuum: quid ita? Quia anima hæc agit per oculos & alia membra tanquam per sua organa; ἐνέργεια autem & actio propria est animæ. Et ita volunt ex parte animæ, quæ est primum principium operans, vnam tantum esse actionem, qua mouet & agit per sua organa: quanquam ex parte organorum, discrimen sit inter actionem vnius membri & alterius: Item inter actionem simplicem animæ & actionem moti corporis, & ita multas esse actiones.

Quia igitur in Christo humana natura mouebatur, & regebatur à diuina: ideo si ipsam Deitatem, modò per seipsam, modo per corpus operantem, spectes: dicebant vnam & eandem esse actionem, qua corpus mouebat, & qua illud motum operabatur. Si verò spectes humanã naturam, animam & corpus, variasque illorum partes: varia esse effecta dicebant: Aliud.n. opus esse, cum ambulabat: aliud, cũ loquebatur: aliud item, cùm per se solam forma Dei mundum regebat. Liquent hęc ex verbis Seueri, quę recitantur in Synodo sexta. Ea quæ agebantur & operabantur ab vno Christo, multum differũt. Quędam enim sunt diuina, quędam humana, veluti, corporaliter vadere super terram, profectò humanum est, cruribus verò vexatis, & ambulare super terram penitus non valentibus, sanum gressum donare, diuinum est, sed vnus, verbum scilicet incarnatum, & hoc & illud operatus est: & nequaquam hoc quidem huius (hic fallitur) & hoc illius est naturæ: neque eò quòd duo sunt operamenta (sic quidam legunt, id est, effecta, & opera) ideo duas operatrices naturas, aut formas iustè dixerimus. Sic ille. Sed fallebantur Monothelétæ etiam in principio philosophico, quod assumebant, vnam sc. & eandem esse motionem mouentis & moti. Eius enim, quod ab altero mouetur, duplex est actio: Vna, quam habet & quam edit secundum propriam formam; altera, qua agit quatenus ab alio mouetur. Exemplum in securi, seu bipenni: quatenus simpliciter incidit: hoc habet à propria forma: ita incisio, propria est bipennis moderatio. Quatenus autem per eam fit scamnum, cista, &c. hoc habet ab artifice eam mouente. Illa prior est actio propria bipennis, & eius naturæ; altera est propria artificis; vtraque tamen coniuncta est; quia & artifex vtitur propria bipennis actione ad scamnum faciendum, & actio, qua dextrè artifex huc & illuc mouendo bipennem, parat scamnum, quodam modo communicatur bipenni, nempe instrumẽtaliter: quatenus sc. artifex per bipennem, tanquam per suum instrumentũ, operatur. Vbicunque enim caussa mouens & caussa mota, diuersas habent formas, seu facultates operandi, ibi semper alia est operatio mouentis, & alia rei motę: sed caussa mota particeps fit, vt instrumentum, actionis caussæ mouentis: & caussa mouens vtitur actione caussæ motæ & instrumentalis. Ita enim vna operatur cum communione alterius. Sic & in Christo, natura humana, propriam habet formam, hoc est, facultatem, secundum quam operatur, & diuina suam. Inde fit, vt vtraq; forma propriam habeat actionem distinctam. Sed diuina natura vtitur actione humanæ, & humana natura particeps fit actionis diuinæ; eo modo, quo instrumentum actionis sui artificis. Atque hoc est, quod dixit Leo: Vtraq. forma agit, quod proprium est. Ad summam: Natura humana suas proprias habuit & habet in sese actiones seu motus, ex propria forma, ad sua propria ἀποτελέσματα perficienda, productos; ita variæ sunt actiones vtriusque naturæ. His actionibus vtitur natura diuina, ad sua ἀποτελέσματα; vt actione & apotelesmate manus ad viuificandam puellam, &c. Ita propter hanc communionem vna quasi videtur vtriusque actio.

Sic igitur sexta Synodus definiuit Action. 17 *Duas naturales operationes, ἀδιαιρέτως, ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, ἀχωρίστως in eodem Domino Iesu Christo, vero Deo nostro glorificamus, diuinam operationem, & humanam operationem, &c.*

Nunc confirmata vera doctrina, & perspecta caussa erroris Monotheletarum, & in primis Seueri Antiocheni Episcopi; facilius ad illorum argumenta responderi potest.

1. Si, quia duæ sunt in Christo naturæ, geminas etiam actiones constituere oportet; fuerit igitur necesse, vt non duo actionum genera, sed tria in eo agnoscamus. Sunt. n. in Christo, tres naturæ, diuina essentia, anima humana, & corpus. Diuinam οὐσίαν vnã esse naturã constat, quo illud Gal. 4. Seruiebatis iis, qui natura, i. per essentiam, non sunt dij. Animam & corpus, duas esse naturas omnes ferè concedunt viri docti. Nam aiunt hominem constare duabus naturis, valde diuersis, anima rationali & corpore. Ergo, &c.

Resp. Ad hoc argumentum respondet Damasc. li. 3. c. 16. Summa est. Etsi, qui sic de naturis loquuntur, haud simpliciter malè loquuntur, quia diuersarum sunt naturarum, anima rationalis in homine & corpus: qua de caussa alias etiam esse dicimus actiones animæ, ab actionibus corporis; tamen quia cùm dicimus naturam humanam, non aliud intelligi ab omnibus solet, quàm anima simul cum corpore; ideo horum argumentatio inanis est. Omnes. n. norunt duabus partibus constare hominẽ, anima & corpore; cũ neque anima sola, sit homo, neq. corpus solũ homo esse dici vt queat; sed tantum quod vtraque constat partes; homo autem per naturam humanam homo est. Ergo licet diuersæ sint naturæ anima & corpus per se cõsiderata; ambo tamen simul sumta, vnam tantum constituunt humanã naturam. Sic igitur & de Christo sentiendum & loquendũ est. Anima rationalis & corpus, vnam constituunt humanam in Christo naturam, quã Apostolus vocat formã serui Altera natura est forma Dei; cui opponitur tota illa altera natura; Natura creata increatæ; finita infinitæ, &c. Quare rectè dicitur; sicut duę sunt naturæ in Christo, diuina & humana; sic etiam duo actionũ genera; nõ aũt tria, in eo esse agnoscẽda. Persona. n. Christi, sicut est Deus & homo; sic resoluenda est in naturam diuinam & humanam, tãquam in suas immediatas partes; non aũt in partes partis. Et si patres locuti sunt; In Christo tres esse quidem οὐσίας Deitatem, animam rationalem & corpus; sed tamen duas tantùm naturas nominarunt, diuinam & humanam, anima & corpore cõstantem. Sic etiam de actionibus locuti sunt; alias esse diuinas, alias humanas. Hęc de primo argumento.

Secunda obiectio. Vna eadémque est actio principalis agẽtis, & instrumenti. Exemplum. Des mihi fabrum lignariũ, qui ascia seu bipenni paret scamnum: Annon eadem est actio, qua & ipse mouens bipennem, & bipennis mota incidunt lignũ? Videtur idem planè motus esse, quo & ille mouet & ipsa mouetur ad incidendũ, parandumque scamnũ.

Atqui in Christo principale agens fuit & est diuinitas; organum autem eius fuit & est humanitas, anima & corpus. Ergo, &c.

Resp. Negatur maior. Videtur quidem homini imperito eadem esse actio, principalis agentis & organi. Sed reuera non est, id quod si diligentiùs perpendas, facilè videbis. Etsi enim bipennis non incidit, nisi ab alio mota; quòd tamen simpliciter incidat, hoc habet à sua forma; quòd verò hoc modo incidat, vt per eam paretur scamnum, hoc habet ab artifice. Sunt igitur ibi geminę actiones; Vna naturalis ipsi bipenni; altera artificialis & propria ipsius artificis. Sed sunt ita coniunctæ, vt vna tantùm esse videantur; cùm reuera non vna, sed duę sint actiones; vna propria organi, seu instrumenti, qua fabro inseruit & cooperatur; altera propria fabri, quæ quodam modo bipenni communicatur, quatenus cum illius actione ad faciendum scamnum coniungitur. Idem in operibus humanis, quæ partim animæ, partim corporis actionibus, perficiuntur, videre est. Quanquam enim locutio seu oratio mea, opus sit & animæ & corporis, puta linguæ: alia tamen est actio mentis, alia linguæ: sed quia coniunctæ sunt, vna & eadem esse videtur. Idem de Domino Iesu Christo in suscitatione puellæ, supra ex Damasceno demonstratum fuit: quia, quòd tetigerit puellã, eámq. erexerit, actio fuit humanitatis: quòd verò viuificârit, anima ei restituta, actio fuit Deitatis: sed ita simul cõiũctę fuerũt, vt vna nõ fuerit sine altera: sed talẽ inter se, ad puellam viuificãdam habuerunt cõmunionem, vt corporis actio inseruierit Deitati; diuinę autem actionis particeps quodã modo, nempe instrumẽtaliter, facta fuerit humanitas: iuxta dictum Leonis: Vtraque forma agit, &c.

Hinc liquet responsio ad tertium. Dionysius Areopagita, & alij patres actiones Christi vocarunt θεανδρικάς, composito nomine ἐκ θεοῦ καὶ ἀνδρός. Monotheletæ igitur inde concludere voluerunt, actiones Christi non fuisse geminas, alias Deitatis, alias humanitatis: sed vnam compositam ex vtriusque naturæ actionibus.

Sed hallucinati sunt & turpiter errarunt, dum ex compositione nominis, compositionem actionis euincere voluerunt. Aliud est, quod fuerint in vnam compositæ, aliud, quòd vnitæ, & communionem inter se habuerint. Vnum negamus: alterum concedimus.

Dupliei de caussa vocatæ fuerunt θεανδρικαί: Vna ab agente Christo ducta est: quia scilicet fuerũt actiones eius, qui & Deus & homo est: Et qui eas edebat, partim quatenus Deus, partim quatenus homo, ita vt actiones propriæ

humanitatis & verè dicerentur, & essent actiones Dei: & contrà, actiones Deitatis propriæ, verè & dicerentur & essent actiones hominis propter vnitatem personæ, quæ & humana & diuina constat naturis. Hæc prima est caussa, cur vocatæ fuerint à patribus θεανδρικαὶ ἐνέργειαι.

Altera, ducta fuit à communione & cooperatione ipsarū actionū inter se. Sicut enim vnitissimę sunt naturæ, quamuis sine confusione: sic etiam vtriusque naturæ actiones talem inter se communionem habuerunt & habent, vt humanę inseruierint diuinis, & diuinę vim suā humanis instrumentaliter communicauerint. Et huc pertinet, quod scribit Dionysius in epistola ad Gaium: *Christus supra hominem operabatur, quæ sunt hominis: ac per hominem, quæ sunt Dei.*

Exemplum primi: Ambulare, hominis est: sed ambulare super aquas, supra hominem est, & non nisi virtute diuina fieri potest. Cùm igitur Christus ambulabat super aquas: tunc supra hominem faciebat, quæ sunt hominis.

Exemplum secundi. Suscitare mortuum, Dei est: clamare verò, Lazare, veni foras, hominis est. Cùm igitur Lazarum clamando suscitauit: diuina per humanam faciebat. Ideo in eadem epistola subdit: *Non secundum Deum diuina faciens: non humana secundum hominem: sed Deo homine facto, noua quadam Dei & hominis operatione.*

Sic etiam explicat Damasc. ex Dionys. lib. 3. c. 19. vbi περὶ τῆς θεανδρικῆς ἐνεργείας disserit. Caussam enim explicans, cur Dionysius actiones Christi nouo hoc nomine, θεανδρικὰς appellārit, dicit eum non hoc fecisse, vt geminas actiones in vnam componendo confunderet: sed, vt mirabilem & indicibilem illarum communionem significaret: & quænam esset τῶν φύσεων inter se περιχώρησις, explicaret. Ideo subdit: οὐ γὰρ διῃρημένως φαμὲν τὰς ἐνεργείας, οὐδὲ διῃρημένως ἐνεργούσας τὰς φύσεις: ἀλλ' ἡνωμένως, ἑκατέραν μετὰ τῆς θατέρου κοινωνίας ἐνεργοῦσαν, ὅπερ ἴδιον ἔχει.

Sed vbi consistit hæc κοινωνία? in hoc, quòd humana seruit suis actionibus diuinæ naturæ, ad diuina opera perficienda: & vicissim diuina humanæ vim diuinam suppeditat atque communicat ad humana supra hominem perficienda: qua etiam in re consistit περιχώρησις naturarum. Ideo subdit Damasc. explicationem: οὐ γὰρ τὰ ἀνθρώπινα ἀνθρωπίνως ἐνήργησεν (οὐ γὰρ ψιλὸς ἄνθρωπος) οὔτε τὰ θεῖα κατὰ θεὸν μόνον: οὐ γὰρ ἦν γυμνὸς θεὸς, ἀλλὰ θεὸς ὁμοῦ ἄνθρωπος. Ibi etiam declarat hanc locutionem Leonis: Vtraque forma agit, quod suum est: idem valere, atque si dicas: Christus secundum vtramque formam, quod cuiusque est proprium operatur. Ratio est: quia (vt ait) αἱ δύο φύσεις, εἷς δὲ Χριστός: εἷς ὁ εἷς Χριστὸς δύο φύσεις. In primis verò egregiè explicat hanc κοινωνίαν, quam habent inter se, καὶ αἱ φύσεις καὶ αἱ ἐνέργειαι: ac proinde, cur ἐνέργειαι τοῦ Χριστοῦ, vocentur θεανδρικαί. Summa est: ideò sic vocari, quia ἀνθρωπήσαντος τοῦ θεοῦ, id est, ἐνανθρωπήσαντος, humana ipsius actio, Dei actio est: & diuina, hominis actio est: & neque humana ἄμοιρος est diuinæ, neq; diuina ἄμοιρος est humanæ: & etiam quia humana inseruit diuinæ, & diuina deificat humanam, eámque sua potentia reddit salutarem: σωτήριος (inquit, scilicet esse σωτήριον) ἡ τῆς ἀνθρωπίνης ἐνεργείας οὐ ... ἀλλὰ τῆς θεότητος.

4. Argumentum Monotheletarum. Actiones sunt suppositorum & personarum, vt philosophi tradunt. Persona Christi vna est. Non ergo plures eius actiones: sed vna tantum: vna, inquam, non numero, sed specie.

Resp. Actiones sunt personarum & naturarum: sed aliter & aliter. Personarum sunt, quia sunt effecta personarum: personæ enim sunt, quæ agunt & operantur. Sed naturarum etiam sunt: quia naturæ sunt principia per quæ actiones fiunt, & secundū quæ operantur personæ. Vnumquodque enim operatur per suam formam. Hinc fit vt differentia actionum, non à personis agentibus, sed à naturis & formis, per quas agunt personæ, petenda sit.

Si igitur duæ formæ seu naturæ sint in aliqua ὑποστάσει agente: hic certè non vnum, sed duo genera actionum fint, oportet. Des mihi arborem vnam, puta pomum; & in eam inseratur pyrus: hæc certè vnica arbor, non vnum sed duo genera fructuum dabit. Proinde pluralitas operationum non præiudicat vnitati personæ, vt in Christo: sicut nec vnitas actionis, impedimento esse potest, quin plures sint personæ, sicut in Deo. Et stat sententia patrum: vbi vna φύσις, ibi vna actio: vbi plures, plures. Non enim τῆς ἐνεργείας συμφέρεται τὸ πρόσωπον, ἀλλ' ἡ φύσις. His explicatis, facilè est respondere ad id, quod Damascenus in c. 15. post demonstratam pluralitatem actionum in Christo, quærit, Quomodo, quæ Deitatis sunt actiones, possint attribui humanitati, & contra: ita vt geminæ vna quasi actio verè dici possint. Vide Damascenum pag. 85.

Cum ex Cyrilli sententia distinxisset in Christo actiones, quas, verbi gratia, in suscitatione Lazari edidit, & dixisset, τὸ μὲν ἐκάλεσεν τὸν ἀνθρωπίνην ἴδιον ἦν, τὴν δὲ ζωὴν (qua scilicet eum viuificauit, seu ζωοποιεῖν esse) τῆς ἐνεργείας τῆς ζωῆς: subiecit: ἀλλ' ἡνωμένως ἀμφοτέρων (scilicet naturarum) ἐνεργεῖ. Hæc est propositio: *Cuiusq; naturæ actiones, alterius quoq; naturæ actiones esse, dici possunt.* Quidita? διὰ τὸ ταυτὸν τῆς ὑποστάσεως. i. propter identitatem ὑποστάσεως. Vnus n. (inquit est Christus & vna ipsius persona seu ὑπόστασις: sed quæ tamē habet duas naturas, Deitatem. sc. & humanitatem ipsius. Hæc est prima ratio: q d. nō propriè & simpliciter actio vnius naturæ, alterius esse dici pōt: sed certis respectibus atq. inprimis, propter idētitatē personæ, omnia operātis. Subdit explicationē, dicēdo: ἐν μὲν οὖν τῆς θεότητος ἡ δόξα φυσικῶς ... ἐκ ... καὶ ἡ διὰ ... ὑποστάσεως ... ταυτότητα· ἐκ δὲ τῆς σαρκὸς ... κοινά: εἷς γὰρ ἐστι καὶ ὁ αὐτὸς ὁ τοῦτό τε κἀκεῖνο ὢν θεὸς καὶ ἄνθρωπος ... τῆς θεότητος καὶ τὰ τῆς ἀνθρωπότητος.

Hæc igitur prima est ratio, primusque respectus, cur caussa actiones vnius naturæ, alterius communes esse dici possūt: ac proinde, quasi vna vtriusque actio: quia. s. vna est eadémq; persona Christus Deus & homo, qui & diuinas & humanas præstat actiones: idq; in vna & eadē sua persona: sic vna dicitur regni gubernatio, quia vnus idémq; rex gerit.

Ratio hæc & explicatio, quam subdit Damascenus, satis manifestè explicat, actiones vnius naturæ non esse easdem cum actionibus alterius naturæ, sed longè diuersas: seu, quas Christus edidit aut edit secundum vnam, easdem nō edidisse aut edere secundū alteram, aut per alteram naturam: sed communes alteri, eatenus dici, quatenus ab eadem & in eadem fiunt persona. ταυτότης enim soli dat personæ, quod sit vna & eadem: actionibus autē dat quod sint communes propter identitatem personæ. Actiones ergo respectu naturarum, a quibus fluunt, & facultatum, quib. fiunt, plures sunt & aliæ: quanquam respectu personæ, quæ vnius sunt naturæ, alteri etiam fiunt communes, hoc sensu, quòd humanæ, actiones Dei esse dicuntur ac sunt: ac vicissim diuinæ, actiones hominis verè esse prædicantur. Quare ab vnitate personæ, veram vnitatem & idētitatem actionum, concludere non possunt Monotheletæ. Dictum enim Cyrilli retinendum est, quod supra ex Damasceno recitauimus. Nullo modo admittendum esse (nempe propriè loquendo) vt vna eadémque actio dicatur esse & Dei & creaturæ: ac ζωοποίησιν, omnino fuisse solius Deitatis, lacrymas autem solius humanitatis in Christo.

Altera caussa, cur, quæ vnius sunt naturæ, alteri quoque quodam modo communes fieri dicantur, est κοινωνία, quam inter se habent: & quia vna natura alteri, suo quæque modo cooperatur, humana diuinæ tanquam illius viuum, intelligens ac volens, vnitumque organum: diuina humanę, eam sustentans, mouens ac regens, virésque ad ea præstanda, quæ per se non posset, suppeditans, & innumerabilibus, ingentibusque donis exornans.

Sic vna eadémque regni dicitur esse administratio, quia rex & ipsius administri in gubernatione regni κοινωνίαν inter se habent, & suo quisque modo alteri cooperatur. Hāc rationem explicat Damascenus, cùm ait: τὰ μὲν γὰρ θαυμάσια, ὁ θεὸς ἐνηργεῖτο, ἀλλ' οὐ δίχα τῆς σαρκός: τὰ δὲ ταπεινὰ ὁ ἄνθρωπος, ἀλλ' οὐ χωρὶς τῆς θεότητος. En, quomodo vtraque forma operatur, quod propriū est, cum communione alterius, vt ait Leo. Vbi manifestè apparet, actiones vnius formæ non fuisse actiones alterius: quia vna operabatur humilia, altera miracula: sed tantum habuisse communionem inter se, quia nec diuina edebat miracula sine opera humanæ, nec humana sua præstabat humilia sine auxilio & opera diuinæ: quam ob causam, quæ diuinæ propria erant, quodammodo humanæ quoque esse dici poterant: & vicissim, quę humanæ, ipsius quoque diuinæ. Hæc explicat Damascenus, subdens: καὶ πάσχοντι γὰρ τῷ σαρκὶ συνημμένη ἦν ἡ θεότης ... καὶ τὰ πάθη σωτήρια. Modum explicat, quo Deitas cooperabatur humanitati: explicat inquam vno exemplo: cum sc. Christus patiebatur & moriebatur pro nobis, Carni patienti, ita Deitas erat vnita, & cooperabatur: vt ab ea tamen nihil pateretur: contra verò illius passiones sua Deitate efficiebat salutares. Nisi enim coniuncta fuisset Deitas humanitati, per illas passiones nō fuissent expiata peccata nostra. Adde, quòd, vt infra scribit Damasc. Vires etiam suppeditabat humanitati, quibus tantas pœnas & iram Dei sustinere posset. Adde & hoc: quòd eadem Deitas efficiebat, vt caro sibi vnita pati posset: quomodo? quiescendo scilicet (vt loquitur Irenæus) & eam pro sua natura pati sinendo. En, quomodo Deitas cooperabatur in passionibus carni.

Quomodo verò caro cooperabatur Deitati? Subdit Damasc. καὶ ἐνεργούσῃ τῇ τοῦ λόγου θεότητι συνημμένη ἦν ἡ σὰρξ ὡς ὄργανον καὶ δι' ἧς τὰ ... Modū explicās, quo caro cooperabatur Deitati. Nō dicit Damasc. quod illi operāti fuerit in illis

in illis actionibus [Greek], aut quod per carnem illas suas actiones ederet, & passiones illius carnis salutares efficeret. Quid enim ineptius, imò iniquius quàm dicere carnem in suis passionib. efficiendis salutarib. cooperatricē fuisse Deitati? Sed quid ait Damascenus? Beata, inquit, illa anima, vnita Deitati, cōsiderabat, intelligebat, & videbat, quæ à Deitate perficerētur: subintellige: & volūtate sua humana probabat, volebat, amabat. En quomodo humana natura in passione Christi Deitati in se operāti, & passiones suas salutares, redderi cooperabatur: nēpe nihil agēdo, sed tātū quę à Deitate fiebāt, mēte intuēdo, contemplādo, probando, volendo. Fuit igitur & est magnū discrimē inter modū quo Deitas humanitati, & quo humanitas Deitati cooperabatur & cooperatur. Deitas actiones suas edit sine auxilio, & opera humanitatis: humanitas in suis edēdis multū accipit à Deitate, vt mox subiiciet Damasc. At sicut humanitate patiente, Deitas manebat impassibilis: Sic passiones perficiēte ac salutares efficiēte Deitate, humanitas nihil efficiebat, sed tātū, quæ fiebāt, mēte videbat atq; probabat. Discrimē hoc clarius explicat Damas. cū subdit dicēs: [Greek]. Nomine [Greek], si intelligit Dam. proprietates essentiales, verbo certè [Greek], non intelligit realem communicationē: quasi illas reapse cōmunicet humanitati. (Hoc enim pugnaret cū tota illa doctrina, quam ante tradidit contra Eutychen & Monotheletas, [Greek] inter se distinctis) Sed intelligit communicationem, quæ facta est [Greek], vt quomodo [Greek] diuina vnita est carni, sic eidem [Greek] communicata esse dicantur. Quomodo verò [Greek] Dei vnita est carni? Nō quod illa aut in carnem sit mutata, aut carnem in se mutarit, & eā fecerit [Greek] Deum: sed quod eā ita sibi assumserit in vnitatem personæ, eiusq; partem fecerit, vt hoc respectu, sicut Deus factus est & verè est homo: sic caro, i. anima, & corpus in illa hypostasi Verbi subsistens, Deus personaliter facta est: nempe quia quæ persona, vt Deus, facta est homo propter vnionem ad carnem: eadem, vt homo, Deus facta est, propter vnionem carnis ad Deum. Est enim & caro, caro Dei: & Deitas, hominis Deitas. Sic. n. & Dam. l. 3. c. 17. [Greek].

Eodem igitur modo dicitur [Greek] suas essentiales proprietates carni communicasse, nempe in persona, seu personaliter: quo etiam modo eidem suam vniuit Deitatem, & Deitati carnem: in persona scilicet & personaliter, ita vt caro illa sicut non est Deus in seipsa & essentialiter, sed tantum in persona & personaliter: sic etiam non sit in seipsa omnipotens, sed tantum in persona & personaliter.

Si autem verbum [Greek], accipias pro realiter cōmunicare: nomine [Greek] non intelligūtur essentiales proprietates, sed earum effecta creata ac finita, vt increatæ & infinitæ omnipotentiæ, creata & finita potentia. Neque hæc interpretatio aliena est à Scripturis: quando etiam Petrus essentiam diuinam, i. nomen naturæ diuinæ, vsurpat pro illius effectu, i. pro regeneratione ad imaginem Dei: dicens, nos factos esse participes naturæ diuinæ. Nomine igitur [Greek] diuinorum rectè intelligi possunt dona creata gratiæque habituales, quibus humana natura, donata & ditata a diuina, multa poterat præstare, quæ per se sola non potuisset. Ac sic posse exponi Damasceni locum: liquet ex præcedentibus & subsequentibus in hoc c. 15. Deitas certè non communicauit realiter humanitati suum intellectum, suamve sapientiam, quibus posset intelligere, sed creatum lumen & creatam sapientiam: ideo supra dixit: [Greek] (animus scil. Christi) intelligebat & videbat, quæ fiebant à Deitate. Quo lumine videbat: creato & finito. Christus igitur, qua homo, intelligebat, non intellectu diuino & increato, sed humano & creato, perque sapientiam creatam. Neque etiam volebat voluntate increata, sed creata: ideo infra dicit, ad voluntatem Deitatis omnia egisse Christum. Mentionem etiam facit doni, quo potuit ferre passiones & iram Dei: item doni, quo in genere potuit, quæ supra hominē erāt præstare: vt siccis pedib. supra aquas ambulare, &c. Humana. n. agebat [Greek]: sicut diuina [Greek]. liquet idē ex iis, quæ tradit infra c. 17. [Greek]. Quod n. hic ait, Deitatem communicasse sua propria [Greek] humanitati: idem docet c. 17 cum scribit humanam & carnem & voluntatem Christi fuisse deificatas. Quid enim est deificare? Non Deum essentialiter ex creatura facere, sed tum creaturam ad personam Dei vnire, vt eius personæ pars sit, eóque personaliter sit Deus: tum diuinis donis replere & diuinam facere.

Ait item in hoc cap. 15. Carnem, id est, humanam naturā fuisse & esse organum Deitatis. Quis autem dicat propriam artificis virtutem esse realiter in instrumentis, quibus vti tur? Per illa quidem eam exerit, sed in illis non inest realiter. Nomine igitur [Greek], quæ Deitas dicitur à Damasceno, humanitati communicasse, non ipsæ essentiales proprietates, sed dona & gratię habituales intelligi possunt.

Atque hoc est discrimen, quod diximus fuisse & esse; inter cōmunionē qua Deitas humanitati, & inter eā qua humanitas Deitati cooperabātur, in suis quæque actionibus: Quòd nimirū Deitati nihil ab humanitate accedebat: multū autē deitas cōmunicabat humanitati: quia sua [Greek] donauit.

Atq hęc altera est caussa ꝓpter quā, quæ propria sunt vnius naturæ, dicūtur alteri cōmunia fieri: propter hanc cōmunionē; quā in operādo inter se habent duæ illę formę: & quia altera alteri cooperatur, quāquā diuersa ratione, vt modo visū est.

Si quis tamen nomine [Greek], intelligendas esse essētiales proprietates diuinę in Christo naturę, velit: quomodo verbū illud [Greek], intelligēdū sit, declarauimus.

Addo & tertiā, quia scilicet vnum etiā fuit vtriq. cōmunē [Greek], ad quod perficiēdū vtriusq naturæ actiones cōcurrebāt, & ordinatæ erant omnes mediatoris operationes; nēpe nostra salus, totiusq; regni Christo traditi cōseruatio.

Sic vna & eadem regni administratio dici potest, quæ tamen multorum actionibus perficitur: qua scilicet ad vnum & eundem scopum collimant, & suas quisque actiones dirigit, nempe ad publicam pacem, honestatem, æquitatē, pietatem in regno conseruandā ac promouendam. Etsi igitur actiones humanæ naturæ lōgè aliæ erant ab actionibus diuinæ, & toto genere ab eis differebant. tamen ex tribus respectibus, nempe tum propter vnum & eundem operantem Christum, tum propter vnam & eandem naturarum & proprietatum [Greek], tum denique propter vnum & idem [Greek], nostram scilicet salutem, ad quam omnes mediatoris actiones ordinātur, nō prorsus immeritò dici possūt cōmunes, & quę Deitatis sūt, ipsi humanitati, & quę humanitatis, ipsi Deitati, vt hoc modo videātur, quasi vna propter cōiūctionē, & cōtinuata actio, quā Patres vocarunt [Greek].

Exemplum habemus in resuscitatione Lazari: ibi idem Christus clamans & mortuum resuscitans atque viuificans: ibi natura humana cooperata est diuinæ tanquam eius organum, & diuina rexit & efficacem fecit humanam: ibi denique idem [Greek], Lazari suscitatio, ad quam vtriusq; naturæ actiones dirigebantur. Quia igitur illæ actiones ab vno & eodem agente coniunctim proficiscebantur: quia inter se communionem habebant, & sibi inuicem cooperabantur: & quia eandem Lazari vitam spectabant, & suo quæque modo operabantur: ideirco vna quasi plena & cōtinuata fuit actio: quæ, vt dixi, ideo [Greek] vocata fuit à patribus, quia & ab eo, qui Deus & homo erat, fiebat: & vna fiebat simul cum altera, ita, vt & humana [Greek] fierent, & diuina [Greek], vt veteres Græci locuti sunt.

Ac de iis satis: quæ omnia ad explicationem illius particulæ in nostra thesi pertinent, vbi diximus: Ex vnione hypostatica hoc quoque esse consecutum, quod sicut in mediatore insunt duę, illæque distinctæ naturę: sic etiam ab eodem mediatore geminæ, illæque reapse distinctæ proficiscantur actiones, aliæ diuinæ, aliæ humanæ.

Ex iis verò, quæ diximus, constat etiam vltima eiusdem Theseos particula: qua diximus, licet sint distinctæ actiones, eas tamen [Greek] inter se habere, &c.

De verbis inter omnes constat, propter dictū Leonis à tota ecclesia approbatū: *Vtraq; forma agit quod propriū est, cū cōmunione alterius*: id quod Damascen⁹ ait idē valere, atq; si dicas: Christus secūdū vtrāq; formā, quod propriū cuiusq. est, operatur: De verbis inquā, nulla est cōtrouersia, sed de sensu nō ita. Quidā. n. ita exponūt hęc verba, quasi, diuinæ naturæ omnipotētia humanæ naturæ sit realiter cōmunicata, qua illi in omnib propriis actionib. ita cooperetur, vt ad illas Deitatis actiones edēdas, tanquā [Greek] perpetuo cōcurrat. Nō. n. isti acquiescunt in hoc, quòd natura humana, ad eadē [Greek] perficiēda, cū diuina, sua propria potētia, donisque creatis & propriis actionib cōcurrat: sed hoc nō cōtenti volūt, eā humanā naturam diuinæ omnipotentię participē effectam, ad proprias diuinę naturæ actiones, vt dixi, perficiēdas, concurrere. Id quod planè blasphemum est, vt postea demonstrabimus. Quid enim hoc aliud est, quā ex creatura Deum facere? Hac enim ratione exæquatur creatori. Et regula est generalis. *Quorum eadē est [Greek], eorum etiam eadē est [Greek].* Nec refert, quod vnus habeat à se, alter ab alio, vt in Patre & filio Dei liquet. Quid? quòd refelluntur verbis ipsius Leonis? Si vtraque forma agit, quòd proprium est: nō igitur, quòd alienum. Quare, vt forma Dei, non ea agebat, quæ propria sunt formæ serui, vti est lacrymari, pati, mori: sic neq forma serui ea, quæ sunt propria formæ Dei, veluti est mortuum viuificare, ipsam formam serui patientem, ne passionibus succumbat, sustētare, passiones salutares efficere, & alias. quæ propriæ Dei sunt actiones, edebat aut edit. Deinde ipse Leo apertè subdit: *Vnum in cœlis fulget miraculis, alterum in terra succumbit iniuriis.* Quo pertinet illud

Cyrilli: *Nunquam admittendum est, vt vna eadémque actio, dicatur & Dei & creaturæ.*

Præterea refellũtur sua ipsorũ cõfessione: fatentur.n. humanã naturam, quo posset, quæ proprias & naturales vires superant, præstare, multis donis creatis, & habitualibus gratiis donatã & ditatam à Deitate fuisse. Atqui hoc fuisset superuacaneum, si omnipotentiam Dei habuisset realiter sibi cõmunicatam. Nam propterea neque Deus opus habet donis creatis, quia omnipotentiã habet increatã. Si igitur hæc accepit dona, non omnipotẽtiam: Si omnipotentiã, non dona.

Deniq; Leo tam de humana, quàm de diuina ait: operatur cum communione alterius. Si igitur hæc communio in hoc consistit, quod diuina humanæ realiter cõmunicauit suam omnipotentiam, qua posset, cum Deo quæ propria Dei sunt, operari: pari ratione, humana diuinæ suas infirmitates realiter communicauit, vt posset, quæ propria sunt humanæ, præstare, eóque pati & mori.

Κοινωνία item differt à κοινωνίᾳ. Κοινωνία igitur illa, de qua Leo, non in reali proprietatum essentialium communicatione consistit: sed quibúsnam in rebus? Supra explicatæ sunt: In hac potissimùm consistebat, atque cõsistit: quòd in operibus mediatoris, neque diuina proprias edit actiones, sine humana, suas quoq; edente, neq; vicissim humana suas edebat, nec edit, sine diuina. Altera enim alteri cooperabatur, quãquam diuersa ratione, vt supra explicatum est. Atq; hoc quod Dionysius ad Gaium scribit, & Damascenus ex Dionysio repetit: nempe Christum, quæ Dei sunt, ἀνθρωπίνως: & quæ hominis, θεϊκῶς operatũ esse & operari: Sed quomodo? Humana diuinæ cooperatur, vt proprium eius organum, illudque vnitum in vnitatem personę, viuum, intelligens, volens: diuina humanæ, vt artifex organo: qui & illud fecit ad suas actiones atque opera idoneum: & factum mouet, regit, ducit ad ea præstãda, quæ tali congruant organo.

1. In hoc igitur consistit hæc actionum κοινωνία, in operibus mediatoris: non quod, quæ ab vna natura eduntur actiones, eædem ab altera etiam edantur: aut, quod vnius actiones, cũ alterius in vnã confundantur (ostensum.n.est, & plures esse & distinctas) sed primum quod quæ à diuersis sunt naturis, illę ab vno & eodẽ agẽte, Deo simul & homine, fiunt. Hac n. particula cõtra Nestorium, sicut superiore cõtra Eutychẽ pugnabat Leo 2. Cõsistit etiã in hoc, quia ipsæ actiones, licet verè sint distinctæ, non sunt tamen separatæ, nec vna editur seorsum aut sine altera: sed simul & cõiũctim. Nõ.n. aut humana ἀνθρωπίνως sed θείως, aut diuina θείως sed ἀνθρωπίνως (vt scribit Damascenus) operabatur & operatur.

3. In hoc cõsistit: quod ad vnũ & idẽ ἀποτέλεσμα perficiendũ vnitæ sunt. Adde, quod in iis etiã, quæ nõ agit humana natura, sed tantũ diuina: ita se gerit beata anima Christi, vt ea & videat & approbet & velit: vt supra ex Damasceno vidimus. Hęc etiã est species quædã κοινωνίας: quia anima, sui intellect⁹ & volũtatis actione, in illis quodãmodo diuinę cooperatur.

Hactenus ad quęst. XI. de iis, quæ vnionẽ hypostaticã cõsecuta sunt: tres habuimus theses affirmatiuas. *Prima* fuit: quæ cuiusq; naturæ sunt, ea de persona, quocũq. nomine significetur, realiter prædicari. Pertinet huc κοινωνία ἰδιωμάτων, eo sensu, quo patres locuti sunt: quam etiam ἐναλλαγὴν τῶν ὀνομάτων, nõ aũt πραγμάτων, vocarũt: cũ s. quæ vnius sunt naturę propria, ea de altera in concreto prędicantur: non quod realiter in ea insint, sed quòd ratione eius in qua insunt realiter, de altera quoque honoris ergo & propter gratiam vnionis, nomine tenus & dialectica prędicatione, sed tamen vera, prædicentur. Exemplum: Vt si vxorem electoris voces electricẽ: quia vna caro est cum electore, sic vocatur: nõ autem, quòd ipsa realiter creata sit, aut nata cum tali officio ac dignitate. Cęterum cum hoc verè de ipsa prædicetur, apertè significatur, ipsius virum verum esse electorem. Proinde hęc κοινωνία ἰδιωμάτων verè ad primam thesin nostram pertinet, qua docuimus, quæ cuiusque naturæ sunt, ea de persona realiter prædicari. Quia.n. concreta designant subiecta atque personas: ideo quæ vnius naturæ sunt, ea prædicari de altera in concreto, nil aliud est, quàm prædicari de subiecto seu persona. Atque de hac thesi conuenit inter omnes. *Altera* fuit de magnis ac propè infinitis donis ac gratiis habitualibus à Deitate in humanitatem realiter collatis, iisq; partim physicis, partim hyperphysicis: De qua etiam nulla est controuersia. *Tertia* de perfectione mediatoris, eiusq; officio: ac proinde de geminis in eo actionibus: aliis à diuina natura, aliis ab humana natura fluentibus: illisque distinctis, sed ad idem ἀποτέλεσμα, salutis nostræ perficiendum, vnitis, communionémque habentibus. In qua etiam thesi omnes ferè consentiunt, nisi quod quidam nomen communionis aliter intelligunt, quàm nos, vt supra declarauimus.

Distinxi vero hanc tertiam thesin a secunda: quia ibi de donis tantũ, quę in Christũ hominẽ simpliciter collata sũt, egimus, hic aũt de iisdẽ quatenus mediatori sunt cõmunicata: déque eius officio & geminis actionibus dicendũ fuit.

Hæc est summa eorum, quæ dicta ad quæst. XI. Ex iis autem quæ diximus de actionibus mediatoris: liquet primum, quo sensu patres vsi sint simili ferri seu gladij igniti, cum de actionibus Christi loquerentur: nempe, non quod actio ignis sit etiam ferri (hoc enim falsum est) sed quod sint coniunctæ ad idem ἀποτέλεσμα: & quod vrendi quidem actio, licet propria sit ignis, per ferrum tamen tanquam per organum exeritur, atque depromitur. Quare neque actiones Deitatis esse humanitati communes, nec contra, sed multas Dei ἐνεργείας per humanam carnem exeri.

Ex quibus etiam facilè est intelligere, quomodo caro Christi viuificet, & quomodo Spiritus eius siue Deitas. Deitas per se ac propriè: & huc illud, Spiritus est, qui viuificat: caro autem, tum merito, tũ instrumentaliter. quia Deus vt artifex: caro, vt eius instrumentum viuificat. id est Deus per carnem. Sic & illud Apoc. Ipse lauit nos in suo sanguine, id est per suum sanguinem.

Hæc ex iis, quæ dicta sunt de actionibus, collecta sunto. Nunc antequam ad quæst. XII. veniam, quædam adiicienda sunt, quæ ex vnione hypostatica consequũtur: sed peculiariter obseruata nõ fuerunt. Non sunt autem prætereunda.

1. Vnio hypostatica efficit, vt Christus etiam, qua homo est, dici nullo modo possit filius esse Dei adoptione, sed tantum natura. Ratio est; quia esse filium, proprietas est personalis; nec conuenit naturæ, vt vocetur filius, sed tantum personæ. Non enim nascuntur naturæ, sed personæ. Persona autem Christi, vna tãtum est, eaque æterna & patri ὁμοούσιος, eandem habens naturam & essentiam, quam & pater, eoq; filius est natura, & quia natura filius, ideo [illegible]. Etsi verò humana natura, quam assumsit, non est ex substantia & natura Dei patris; tamen, quia assumta est in vnitatẽ personæ, ita vt facta sit ceu pars illius, ideo meritò Tota hæc persona, id est Christus etiam secundum hanc partem, filius Dei naturalis vocatur. Qui enim semper subsistit in forma Dei, ille idem propter assumtam carnem subsistit nunc etiam in forma serui. Cum ergo vna tantum sit persona, quæ est & Deus & homo; hæc autem persona, Filius Dei sit non quatenus Deus, sed quatenus persona; & filius sit naturalis, non autem adoptiuus; inde fit, vt etiam qua homo, filius Dei per adoptionem dici non possit; sed tantum filius Dei naturalis. non quod humanitas sit ex Deo per naturam, sed quia ille, qui homo est, ex Dei substantia natus est. Si duæ (vt fingebat Nestorius) in Christo essent personæ, vna ex patre Deo, altera ex matre homine: meritò Christus, qua homo est, dici posset Filius Dei per adoptionem. Sed cum vna tantum sit persona, in cuius vnitatem assumta est humana natura: eaque persona filius Dei semper fuerit per naturam: dici nullo modo potest, etiam qua homo est, filius esse adoptionis, sed tantum naturalis. Hoc efficit vnio hypostatica. Et sic docent scripturæ: quæ Christum nunquam vocant filium Dei factum, sed semper genitum. Est quidem factus homo, sed non est factus filius Dei. Alioqui idem secundum idem, i. secundum eandem personam esset & genitus & factus filius Dei: quod est absurdissimum & blasphemum. Ideo angelus ad Mariam, de Christo, etiam, qua homo futurus erat, verba faciens, dixit, eum vocatum iri, nẽpe verè, eoq. futurum filium altissimi: naturalem nimirũ, qui genus natus est ex patre primum, deinde ex matre. Neq. pater de vna tantum parte istius personæ, sed de tota persona locutus est, cum dixit: *Hic* (quem sc. videtis & auditis) *filius meus est dilectus*. qualem verò filium suum esse dicebat, procul dubio è sua substantia natum, Ergo totus quantus quantus est Christus, filius Dei est naturalis Hoc efficit vnio hypostatica 2. Hinc etiam factũ est, vt *Maria* vocata fuerit, & meritò, θεοτόκος, *Dei genitrix*: quia genuit eum, qui Deus est: quanquam ab illa non accepit, vt Deus esset, sed tantum vt homo Non enim genuit Maria naturam sed personã. *Ecce concipies, & paries filium* (dixit angelus non naturam. Qua de caussa fit etiã, vt nõ natura diuina, sed Deus è Maria natus esse dicatur: quid ita? Quià non naturę nascũtur: sed personæ. Hæc igitur omnia effecit gratia vnionis hypostaticæ.

3. Hinc etiam fit, vt idẽ Christus, dicatur minor Patre & æqualis Patri: subiectus Patri & non subiectus: & multa alia huius generis, quia sc. duæ diuersissimæ naturæ diuina & humana, in eadem persona, sine vlla confusione vnitæ sunt. Proinde opposita de ipso verissimè prędicantur: quia κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο prædicantur: æqualis Patri (inquit Athanasius in symbolo) secundũ Deitatem: minor patre secundũ humanitatẽ.

4. Imò hæc eadem ratio efficit, vt idem Christus dicatur à patribus, seipso minor & maior: seruus & dominus: sibi subiectus & non subiectus: idem sic vocatur & est, quia vna persona: seruus & dominus sibi ipsi, propter diuersitatem naturarum in eadem persona sine confusione vnitarum.

Nestorius quoq. sic loquebatur; Sed alio sensu; quia duas constitu-

constituebat personas in Christo: quarũ vna esset dominus, altera seruus: vna maior, altera minor: & vna subiecta alteri. Atque hac de caussa & hoc sensu damnatæ fuerunt huiuscemodi locutiones à Patribus. Et in Synodo Ephesina anathema dicitur ille, qui dixerit: *Verbum esse dominum Christi*: quasi verbum vna sit persona, Christus altera: quarum illa sit domina: hæc illius serua. Sed probarunt: Si quis dicat, eundẽ Christum, & dominum & seruum: nempe secundum diuersas naturas. Ergo hoc etiam est consecutum vnionem hypostaticam: quod idem Christus, verè dicatur, seipso maior & minor. 5. Hanc eandem vnionem hoc consecutum est, quod *obedientia Christi*, sanguis eius & mors efficax fuit, ad peccata nostra expianda, salutem nostram perficiendam, & vitam æternam promerendam. Nisi.n. fuisset Deitas ad humanitatem καθ' ὑπόστασιν vnita: illius sanguis efficax non fuisset. Sed ideo fuit efficax, quia fuit sanguis Dei. Et ideo Act. 20. *Deus redemit Ecclesiam sanguine suo, &c.* Et 1. Cor. 2. *Dominus gloriæ crucifixus est.* Hanc efficacitatem tollebat Nestorius, qui alium à Deo volebat esse illum, qui sanguinem effudit, & qui factus fuit obediens patri vsque ad mortem. Itaque non fuit hæresis de nihilo. Talis.n. erat, quæ nos redemptos esse negaret, si non verbis, certè reipsa: quia nullius puræ creaturæ obedientia aut sanguine redimi ac seruari humanum genus poterat. Vnio igitur hypostatica efficit, vt verè simus per totum Christum, Deum scilicet & hominem simul, redemti & seruati. 6. Hinc etiam factum est, vt caro Christi, vna & eadem adoratione adoranda sit cum verbo. 7. Hoc quoque hinc consecutum est: quod iam de persona filij Dei, piè cogitari non potest, sine viriusque naturæ consideratione: quamuis natura vna ab altera distingui & considerari piissimè potest.

QVÆSTIO XII.

De reali proprietatum diuinæ in Christo naturę, in humanam eiusdem naturam communicatione.

In hac quęstione cardo totius controuersię, quę hodie de persona Christi agitatur in Ecclesia, positus est: atque in hunc finem ab Vbiquitariis excitata, vt inde carnalem corporis Christi in pane Cœnæ Dominicæ pręsentiam, si Deo placet, concludere possent. Hæc igitur diligenter examinanda: ac quid in ea sit veri, quid falsi, accuratè considerandum ac discutiendum est. Ad hanc autem rem, illud cumprimis est necessarium, vt discussis variis verborum, quæ in quæstionem cadunt, significationibus, quo sensu intelligenda sit quæstio, rectè cognoscatur: ne, dum de vna quæstione nos disputamus, de aliis se loqui aduersarij sophisticentur: Et ita in cassum disputemus: proponentes plures quæstiones pro vna. Sunt autem tria discutienda: Verbum communicandi: proprietates, quæ dicuntur communicari: Et id cui communicari dicuntur, nomen scilicet humanæ naturæ in Christo.

1. Verbum communicandi hîc nobis significat, quod est vni proprium, alteri facere commune. Hoc autem fieri potest, aut nomine tantum, & imputatione, sed tamen verè, sinéque vllo mendacio: aut reipsa: ita vt non minus, illius rei communicatæ, tu particeps realiter fias, cui communicatur, quàm ille qui communicat, eam in se habet, ac possidet. Communicatio nomine tenus quidem fit, cùm nomen rei prædicatæ, subiecto verè conuenit, propter illud, de quo realiter prędicatur: res autem non ita. Exemplum: propter Electorem, cui verè & realiter hoc nomen conuenit: ipsius vxor, quia vna caro est cum illo, Electrix quoque vocatur: licet reipsa non sit: cùm eligendi Imperatorem, non habeat autoritatem. Nec tamen id fit per lusum, & vanè. Ceditn. hoc ei in honorem. Et dum hæc ita vocatur, virum eius reapse Electorem esse, declaratur. Quin & ipsa, ex hoc nomine, vero coniugij vinculo, Electori copulata esse intelligitur. Ita non est res de nihilo hæc nominis communicatio: præsertim cùm rem ipsam quoque habeat, si non in seipsa, saltem in viro, altera sui parte. Sunt enim ambo vna caro. Et sic 1. Cor. 12. Ecclesia, vocatur Christus: quia eius corpus est, cùm tamen reipsa non sit Christi persona. Aliud exemplum, magis ad rem accommodatum. In hac propositione, Mundus corde videbit Deum, quatenus nomen iusti, hominem ipsum, cui inest munditres, significat, & notat: realiter visio Dei, illi communicatur. Sed quatenus significat munditiem ipsam cordis, nomine tenus tantùm. Non.n. virtutes visuræ sunt Deum, sed homines virtutibus præditi. Sic cùm dicitur, homo Christus, æternus & vbique est: propositio vera est, & realis, spectato subiecto seu personà, sed de natura ipsa humana, falsissima est realiter, & verbotenus tantummodo ei congruit, quo nimirum modo eidem etiam humanæ naturæ, hic honos communicatur, vt Deus vocetur: in concreto quidem semper à Spiritu S. in Scripturis, vt hic homo Deus est, & remittit peccata: Sic.n. denotatur persona, non nuda natura: In abstracto autem nonnunquam apud Patres, vt Greg. Nazian. & citatur à Damasc lib. 3. c. 17. ἡ σὰρξ τῆς ἑνώσεως τεθεῶσθαι λέγεται καὶ ὁμόθεος, καὶ θεὸς χρηματίσαι, οὐ τὸ μὲν (Deus) θεῖα, ἡ δὲ (σὰρξ) θεωθεῖσα· θεὸς δὲ λέγεται ὁμόθεος. Sed tunc etiam carnis nomen, totam personam Synecdochicῶς significando, repræsentat. Clarius Athanasius contra Apollinarium, de natura assumta, pag. 530. *Caro eius* [verbi] *cum ipso simul, Deus appellata est.* Nota illud, APPELLATA EST. Non.n. ipsa realiter est Deus, sed appellatione tantùm. Et ideò quam Patres vocarũt Κοινωνίαν ὀνομάτων: eam appellarũt etiam ἐναλλαγὴν, & ἐπίζευξιν τῶν ὀνομάτων ὀνομαστικὴν inquã: vt eam distinguerẽt à communicatione τῶν πραγμάτων, & reali. Atq; hæc de communicatione, quæ fit tantùm nomine.

Realiter autem fit alicuius rei communicatio bifariam: nempe, aut ex parte, aut in totum. Ex parte, iudem dupliciter, nempe, aut quoad effecta, & per effectorum communicationem: aut quoad ipsius rei substantiam, & effectuum illorum efficientem caussam. Exemplum *primi*: Vt si fructus tui fundi alteri communices, fundo tibi reseruato: tum dicetur fundus alteri realiter communicatus esse, non quoad substantiam fundi: sed quoad fructus, & propter fructuum communicationẽ. Sic entia omnia, omniaq; bona, cõmunicatione primi Entis, & primi boni participatione, dicuntur esse Entia, & bona. Sic nos dicimur à Petro facti participes diuinæ naturæ, nempe participatione effectorum eius, vti est regeneratio. Et Electrix, reali participatione magnæ autoritatis, potentię, &c. ab Electore, propter vnionem matrimonialem, realiter acceptæ, particeps Electoralis dignitatis & potentiæ verè esse dicitur. Sic effecta Maiestatis & omnipotentię, carni Christi, realiter communicata sunt.

Exemplum *secundi*: Vt si diuidas fundum, & vna parte tibi seruata, alteram partem alteri communices: Et quemadmodum Imperium Constantini Magni in tres partes diuisum, tribus eius filiis distributum & communicatum fuit. Hoc sanè modo Maiestas diuina communicari non potuit, nec potest cuipiam: quia impartibilis est. Quare si communicatur, tota simul communicetur, necesse est.

In totum porrò aliquid realiter communicari dicitur, cum tota eius substantia, seu res ipsa tota, alteri fit reuera communis. Vt si totum fundũ, alteri recũ facias cõmunem: vel si ad regni ius, possessionem cõmunionémque, aliũ tibi in solidũ adiungas: veluti cũ Dauid, regnum suum, Salomoni, ita realiter communicauit, vt nõ minus filius quàm Pater, Rex esset totius Israelis. Sic quiuis Pater filio in huius generatione, suam totam communicat essentiam, & naturã, vt nõ minus hic, quã ille, sit vel Deus, vel homo, vel Equus.

Hi sunt modi, quibus aliqua res, ab vno alteri communicari posse dicitur: siue in rebus diuinis, siue in humanis. Nã si quis addat, communicare ad vsum: vt si communices equũ ad equitandum: aut bouẽ ad arandum: hoc ad cõmunicationem per effecta reducetur. Communicatur.n. equi aut bouis opera, & vsusfructus, vt vocant. Quare inepta est illa noua quorundam verbi communicãdi significatio: qua aiũt Deum, suam omnipotẽtiam cõmunicare carni Christi, hoc sensu: quod illa Maiestas, in carne reluceat, inque ea, & cum ea, & per eam operetur. Nam primùm quid est in ea lucere: nisi quòd & cum ea sit vnita: Et quod faciat eam lucidam? Quid verò est esse lucidum, nisi luminis, quod est effectum lucis, esse particeps, vt videre est in Sole? Operari porrò in ea non significat communicationem, sed solam vnionem: sicut anima operatur in corpore, & in eo mens intelligit: nasi vero propterea, facultatẽ suã intelligendi, mens corpori communicare dici queat. Idẽ dico de operari cum ea. Qui enim operatur cum aliquo, suam duntaxat operam cum alterius opera coniungit. Et sic de Christo loquitur Leo: Vtraque forma agit cum alterius communione. Operari itidem PER EAM, tanquam per organum, nõ est communicare illi suam operandi facultatem: sed tantum ea, tanquam organo ad opera sua, vti. Certè serra, etsi quodammodo particeps est actionis ipsius fabri, quatenus per eam transit in opus, puta in scamnum: facultatis tamen operandi, quę est in fabro, nullo modo particeps esse, seu eam sibi communicatam habere, dici potest. Quare apparet hunc nouum communicandi modum vanissimum esse: quanquam peculiaribus etiam argumentis, suo loco à nobis refutabitur, quatenus nimirum isti noui Mundi reformatores, hoc modo, Maiestatẽ Dei, carni Christi realiter cõmunicatam esse, cõtendunt.

Summa igitur est: Si quid de Deo, dicatur rebus creatis, atque etiam humanę in Christo naturę communicari: illud aut de eius essentia (essentiales enim etiam proprietates, reipsa idem sunt, quod essentia) aut de eius personis: aut de eius effectis, intelligatur necesse est. Persona Patris, & persona Spiritus sancti nemini sunt communicatæ: sola Filij persona communis (si ita loqui liceat) facta est, soli assumtæ naturæ: quatenus illa facta est huius hypostasis: Et hæc, in illius vnitatem assumta fuit. De effectis: cõstat innu-

mera,& incredibilia effecta,diuinarum proprietatum similia,naturæ humanæ esse realiter cōmunicata. Restat essentia:hæc si est communicata: aut tota,aut ex parte communicata esse omnino dicenda est. Non ex parte:quia impartibilis est. Ergo tota. At neque tota dici potest esse communicata: vt firmissimis rationibus demonstratum hactenus fuit, à multis viris doctis: Et à nobis etiam, Deo fauente, cōfirmabitur:imò aduersariis quoque idem fatentibus. Non enim communicatam esse immensitatem,æternitatem,&c. ipsi fateri coguntur. Quid igitur de hac reali communicatione sentiendum sit,facilè à quouis intelligi potest.

Diximus de verbo communicandi. Et quonam sensu accipiatur in hac præsenti quæstione, ex iis quæ dicta sunt, cuiuis liquere potest. Nam si nomine realis communicationis,nil aliud quis intelligat, quàm realem vnitionem: cum hoc homine nulla mihi fuerit controuersia.

II. Quòd verò attinet ad ea,de quorum communicatione quæritur, Proprietatum aliæ sunt *essentiales*, sine quibus essentia rei consistere non potest,& quæ propterea συστατικὰ τῆς φύσεως vocantur:ac proinde quæ etiam ab essentia separari,& sine illa communicari non possunt. Aliæ sunt *naturales*,quæ naturam sequuntur: sed tamen sine quibus essentiæ ratio esse potest: atque hæ sunt, quæ,vt nonnulli volunt, παρεπόμενα τῇ οὐσίᾳ à Damasc.appellantur. Aliæ sunt *personales*: sed de quibus nulla planè est controuersia, cum omnes illas omnino incommunicabiles esse fateantur. Neque hic locum habent illæ,quæ naturales vocantur, prout ab essentialibus distinguuntur. Omnes enim in Deo sunt essentiales, adeóque ipsa Dei essentia reapse: quanquam ratione quadam differunt,vt alias fuit explicatum.

Nomine autem proprietatum, veniunt etiam ex consequenti,ipsæ actiones Dei propriæ.

Quæstio igitur hic est de reali communicatione earum rerum,quæ nemini competunt,nisi ei, qui Deus est: vti est increata & infinita potentia, increata & infinita sapientia, bonitas,&c. Istę sunt essentiales Dei proprietates,de quibus est quæstio, non autem de omni sapientia aut potentia, quantumuis maxima,sed tamen creata.Sunt enim hęc non essentialia Dei attributa:sed illorum similia effecta.

Talia realiter communicata esse humanæ Christi naturę, in confesso est:de quibus in secūda Thes. ad quæst.xi.diximus abūdè.Sed de prioribus,& veris attributis Dei,quęstio est.

III. De eo,cui:sic statuendum est Dum in Christo duo considerentur,persona Filij,quæ duabus constat naturis: & naturæ ipsæ,quibus constat: Quæstio non est hic de persona.An ei sint communicatæ hæ proprietates?Constat enim eas à Patre,in æterna Filij generatione, ei fuisse communicatas,cū tota essentia Sed de natura humana,anima & carne instituta est disputatio:An ei realiter sint communicatæ?

Cæterū quia natura hæc bifariam cōsiderari & enunciari potest (vt supra dictum est:) nempe aut in abstracto & nomine abstractiuo:vt cum dico naturam humanam,formam serui, animam, carnem: aut concretiuo, vt hic homo, vel Christus homo,filiusque hominis: idcirco notādum est,neque hic quæstionem institui de natura humana, quatenus concretiuo nomine enunciatur. Ratio est,quia hoc modo, semper persona ipsa denotatur:de qua nulla est controuersia. Neque.n.quæstio est,an homo, demonstrato Christo, vel filius hominis sit vbique & omnipotens,&c. Quo etiam referri possunt illæ phrases, quibus carnis, corporis & sanguinis nominibus additur nomen personæ Dei vel Christi: vt sanguis Christi lauat nos à peccatis:caro Christi viuifica est. Iis.n.locutionibus significatur non nuda caro vel sanguis,sed persona ipsa.hoc est, Christus ipse cum suo corpore & sanguine:quemadmodum explicat Cyrillus & Damascenus: Quid est.n.caro Deo,nisi Deus incarnatus? Quid est, sanguis eius mundat nos ab omni peccato,nisi ipse suo sanguine nos emundat? Ergo quatenus huiuscemodi vocibus humanæ naturæ,manifestè significatur persona:eatenus de iis non disputamus.De quanam re igitur fuerit disceptatio? De natura humana Christi in sese considerata: etiamsi ab vnione,nē morte quidem separetur: sed tantum distinguatur. De hac,inquā,instituta est præsens disputatio:An huic realiter communicatæ sint essentiales Dei proprietates?

Non enim separamus humanam carnem vel corpus à diuina natura, vel à persona, quemadmodū faciebat Nestorius:qui licet illæ naturæ reuera nunquam separari à se inuicem possint: sua tamen perfida mente vnam ab altera separabat. Nos non sic abstrahimus,sed tātùm quę vnita sunt, seorsum cōsideramus atque distinguimus:quemadmodum cum etiam hominem minimè diuidentes,sed tātum distinguentes,cōsideramus corpus seorsum ab anima & animam seorsum à corpore,& dicimus vnū esse sua natura mortale, alterum immortale: vnū visibile,alterum inuisibile:ac dicimus proprietates istas animę,nō cōuenire,aut attribui, aut communicari posse corpori. Non alia ratione de humana Natura Christi loquimur in hac quæstione.

Nunc tenemus in qua significatione & sensu accipiamus verbum cōmunicandi: Nomē itē proprietatum diuinarum, quæ communicantur: & nomē humanæ naturæ,cui dicuntur communicari. Iis n. tribus dictionibus constat propositio quæstionis nostrę: *An diuinæ proprietates essentiales humanæ naturæ Christi realiter cōmunicentur.* Adiecimus particulā,realiter,vt distinguamus hāc quæstionē ab illa,quę est tātū de cōmunicatiōe per gratiā vnionis:& quæ à patrib. [illegible] vocata fuit:de qua supra dictū est.

Adiecimus etiā nomen ESSENTIALES: vt distinguamus à personalib. Proprietates.n.Dei aut essētiales sunt,cōmunes cuiq; personæ,propter essentiā vnā: aut personales propriæ cuiusque propter tres personas. De personalib. hic nulla est disceptatio.Cōcedūt.n.omnes eas simpliciter esse [illegible]

Status igitur controuersiæ est: Vtrum essentiales [illegible] Dei proprietates realiter,i.ipsa humanæ a Christo assumtæ naturæ in sese consideratæ,sint communicatæ:ita vt eadem,v.g. increata & infinita sapientia, increata & infinita potentia,sapiens & potens sit anima Christi: quia etiam [illegible] seu Christus ipse potens ac sapiens est: Ac proinde an & ipsa anima Christi,tali potentia prædita,easdem edat etiam actiones quas & [illegible], cuiusque Deitas edit.

Hic est status. Nam quod postea addātur glosæ, quibus absurda,ex huius propositionis assertione necessario consequētia,euitētur,vel potius eludantur:illa sunt vana effugia, quæ interim absurditates nō tollūt. Cōtendunt ergo multi, realiter cōmunicatas esse:nos pernegamus Hoc est status. Si quid præterea addatur:nouā constituet quæstionē. De prima disputandū est. Atque vt melius appareat,an ille sit præsentis quæstionis status,cōsideremus denuo breuiter oportet,quænā inter nos ex cōsequentib. vnionē extra cōtrouersiam sint:& quæ nō sint:& hoc paucis *Primum* inter nos cōuenit,aliud esse naturā,aliud personam: & vnam naturam non prædicari de altera, nisi vtraque exprimatur, nomine cōcretiuo,quod semper denotat personam. Nō n. tectè [illegible], Deitas est humanitas aut homo:nec contra, Humanitas est Deitas vel Deus: Sed &, Deus est homo: &, ille homo est Deus. Nō est ergo quæstio, An proprietates Dei essentiales, realiter prædicentur de persona, quocunq; nomine significetur:siue personali,siue alterius naturæ cōcretiuo [illegible] iūm, An de altera natura in sese considerata, licet [illegible] *Deinde* conuenit, discrimen esse inter essentiales Dei proprietates,& inter dona creata,illarum effecta. Nō est igitur quæstio:an effecta & dona creata, puta creata summa potentia, realiter communicata sit animæ,& corpori Christi: sed an omnipotentia increata. *Tertiò* constat,aliud esse communicationem, quæ fit nomine tantum prædicationéque dialectica,ac per gratiā vnionis:& aliud eam,quæ fit realiter. Rectè,n. passiones humanitatis, cōmunicari diuinæ [illegible] cōcretiuo tamē nomine expressę per gratiam vnionis: vt cū Christum à Deitate nominamus dicentes, Deus est passus, Dominus gloriæ crucifixus est:Nō tectè autē si cōmunicetur realiter: quod fieret,si diceres, Deitas est passa,aut Christus secundum Deitatē est passus. Non est igitur hic quæstio: An humanæ naturæ essentiales Dei proprietates communicatæ sint & de ea prædicentur per gratiam vnionis: sed an reali communicatione,illa harum facta sit particeps: non in [illegible] se sustentante,sed in seipsa ab illo sustentata. Alij [illegible] negamus. Quibus autē testimoniis & rationib. suam probent assertionē,post videbimus.1.illi certè ita sua probare [illegible] tur, vt interim talia axiomata nobis permittāt, [illegible] principia concedant,quibus tota ipsorum doctrina de [illegible] cōmunicatione idiomatum penitus euertitur, quorum vnum h.e. Quòd sicut naturæ sunt vnitæ,sic etiam proprietates & actiones. Hoc est.n.axioma apud patres certissimum. Iam assumo. Atqui naturæ ita sunt inter se vnitæ,vt vna non sit alteri realiter communicata: nempe ita, vt vel Deitas [illegible] possit particeps esse humanitatis,& vocari humanitas, aut homo:vel cōtra,vt humanitas particeps deitatis fieri,& aut Deitas aut Deus appellari queat. Ergo neque proprietates sunt realiter communicatæ.2. Admittunt itē hoc: sic naturas,sic etiam proprietates ita esse distinctas,vt nulla [illegible] possit esse confusio aut permixtio. Quomodo autē euitabitur confusio:si vnius proprietates alteri realiter communicentur?Certè ex propriis fient communes.3. Concedunt [illegible] essentiales Dei proprietates, idē reapse esse,quod essentiam atque natura. Quomodo igitur communicari possunt proprietates:quin [illegible] etiam communicetur?atq; ita quomodo poterit dici humana natura omnipotens:quin etiam [illegible] realiter vocari possit DEVS. 4. Admittunt & hoc: [illegible] rem creatam posse Deo exæquari. Sed, si omnes [illegible] les proprietates,adeóque ipsa Dei essentia realiter communicantur carni, & animæ Christi: quomodo non exæqua-

bitur

bitur creatura creatori?

5. Confitetur etiam cum Damasceno, proprietates essentiales non egredi propria subiecta: quod dictum non ita intellexit Damascenus, quasi sua deserant subiecta: sed quòd ad aliena quoque non transeant subiecta, & illis fiant communes. Quomodo verò hoc non contingit proprietatibus diuinis, si carni communicentur?

6. Concedunt Damasceno, Naturam Christi humanam non esse factam infinitam aut immensam, nec Deitati coextendi: neque corpus factum esse incorporeum. Quomodo igitur omnes deitatis proprietates sunt illi communicatæ? Annon infinitum & incorporeum esse, sunt proprietates Dei?

7. Prædicant cum Leone primo, vtramque formam agere, quod suum est, cum communione alterius. Quomodo igitur formæ serui communicata est aliena potentia, omnipotentia scilicet formæ Dei, qua agat, quod suum non est, sed quod alterius est?

8. Fatentur cum patribus carnem Christi esse organon deitatis, quo scilicet ad opera salutis nostræ perficienda vtitur. Quomodo igitur realiter particeps facta est omnipotentiæ diuinæ, qua per se operari & salutem nostram perficere possit? Quod enim est omnipotens, id superiori agente, à quo agatur & regatur, opus non habet. An non ex hoc dogmate sequetur, Christum, quatenus homo tantùm est, esse mediatorem & seruatorem? Nam secundum solam suam omnipotentem humanitatem, omnia perficiet opera mediatoris.

9. Concedunt etiam hanc Christi animam donatam esse multis ὑπερφυέσι, & cœlestibus sed creatis donis: creata & finita sapientia, creata potentia, &c. quo possit deitati cooperari. Sed quorsum iis, si infinitæ sapientiæ & infinitæ potentiæ facta est realiter particeps? Nam ideò etiam Deus non eget creata potentia, qua operetur, quia potentiam habet infinitam.

10. Damnant cum synodo sexta Monotheletas, quod vnam & eandem in vtraque natura voluntatem, vnam & eandem sapientiam, vnam & eandem operationem esse dixerint. Quomodo igitur talis, qualem statuunt, proprietatum diuinarum, in humanam naturam collatio & communicatio admitti ab illis potest, quin hæresis Monotheletarum reuocetur? Quomodo probāt, quod damnant? & damnant quod probant? Neque enim dici potest eandem non fuisse Monotheletarum sententiam, quæ & nostrorum. Simpliciter illi ideo damnati fuerunt, quia eandem voluntatem deitatis communem fecerunt humanitati, contra dictum Leonis: *Vtraque forma agit, quod suum est, cum communione* (non cum confusione) *alterius.* Annon idem faciunt nostri, sua reali diuinorum idiomatum communicatione in humana natura?

11. Item docent essentiales proprietates diuinæ naturæ, in humana non esse, vel essentialiter, vel formaliter, vel habitualiter, vel subiectiuè. Quomodo ergo possunt dicere eas realiter inesse? cùm quicquid in alio inest, illud ei insit vel tanquam substantia, vel tanquam accidens, eóque vel substantialiter vel accidentaliter de illo prædicetur? Dicere igitur inesse realiter, & negare inesse vllo eorum modorum, quibus aliquid in alio inest: quid aliud est, quàm idem affirmare simul & negare?

12. Admittunt cum Damasceno, vnam & eandem, non dico personam, sed naturam, non posse contrariarū, & inter se ex diametro pugnantium qualitatum διατικῶν τῷ: vt quòd sit creata & increata, circumscripta & incircumscripta, finita & infinita: quia contraria de eodem, & secundum idem, & eodem tempore, nec variato sensu prædicarentur: quo nihil est, aut dici, aut excogitari potest absurdius, & magis ἀδυνάτων. Quomodo igitur dici potest, proprietates diuinas, realiter communicatas esse humanæ naturæ: quin aut hæc intolerabilis absurditas & contradictio consequatur: aut naturam humanam propriis spolies proprietatibus: quod nil aliud est, quàm negare Christum verum esse hominem.

13. Concedunt, Naturam humanam in Christo non solum in statu humiliationis, sed etiam gloriæ sustentari à verbo. Quomodo igitur omnipotentia diuina realiter est illi communicata? Sicut enim Deus per se subsistit & non ab alio: quia omnipotens est, & per se viuit, & non per alium, quia ipsa vita est: ita caro per se, sine alterius auxilio, & consisteret & viueret, si talem omnipotentiam & vitam, sibi realiter communicatam in se haberet: quemadmodum & filius, quia eam habet à patre realiter in æterna sui generatione communicatam, ideò per sese subsistit & viuit.

14. Concedunt, & cum tota Ecclesia Catholica admittunt, quicquid definitum fuit in veteribus conciliis, aduersus Nestorium, Eutychem, Monophysitas, Monotheletas: Quicquid aduersus eos scripserunt patres, Athanasius, Cyrillus & alij, & tandem etiam Damascenus: Symbolum Athanasij & veterum conciliorum. Quomodo tamen hæc cum doctrina de reali idiomatum communicatione, qualem isti fingunt, congruant, videre non possum.

15. Denique confitentur cum Scripturis, Christum post vnionem hypostaticam, qua homo fuit & est, fuisse finitum, visibilem, infirmum, mortalem, ignorasse diem iudicij, profecisse sapientiâ. Quomodo igitur vnionem hypostaticam consecuta est, in humana Christi natura, realis omniscientiæ, omnipotentiæque diuinæ, & aliarum essentialium proprietatum communicatio? Attatione ἡλικίας, has non exeruit, nisi post resurrectionem. Ergo si anima interim tempore humiliationis multa ignorabat: in qua parte humanæ naturæ latebat per illud tempus, & otiosa erat illa communicata immensa sapientia? Si corpus item patiebatur, & anima tristabatur: quænam igitur pars humanæ naturæ communicatam habebat illam Dei proprietatem, quà nil pati, nullâque affici tristitia potest? Sed ad hæc postea plura.

Hæc pauca tantùm ceu velitando præmittere volui: vt quàm impia, absurda, inconstans & contradictionum plena sit hæc doctrina de reali idiomatum diuinorum, in humana Christi natura, communicatione, aliquo modo præmonstrarem.

Nunc iustam pugnam suscipiemus, ac Christo, cuius caussam tuemur, fauente, spoliatis omni armorum genere, prostratisque hostibus, efficiemus, vt Christus rex noster, is appareat & regnet, qui & qualis est: secundum Deitatem infinitus, immensus, omnipotens: secundum humanitatem finitus, dimensus, circumscriptus, finitæ potentiæ, &c. hoc est, perfectus Deus, & perfectus homo, nobis natura similis per omnia, excepto peccato: certo loco, vbi velit existens, non autem vbique, vel multis simul in locis.

Principio autem statuemus Thesin, qua ad propositam & explicatam quæstionem respondeamus: Deinde illam confirmabimus: subiecta illarum scripturarum, quas depravant aduersarij, & ad suam sententiam contorquent, explicatione: testimoniorum ex patribus conciliatione: præcipuorum argumentorum refutatione.

THESIS.

Hypostaticam duarum in Christo naturarum vnitionem minimè consecuta est realis proprietatum essentialium diuinæ naturę in humanam communicatio.

Thesis hæc ampliore explicatione non eget, quando singulæ particulæ modò à nobis satis perspicuè declaratæ fuerunt.

Quia verò confirmatio in eo præcipuè posita est, si demonstremus talem communicationem in S. literis non tradi, sed potius oppugnari: idcirco primum argumentum fuerit, eam sacris literis demonstrari non posse: non igitur esse admittendam.

Pars aduersa contrarium contendit, & multa profert scripturarum testimonia.

Hæc igitur examinanda nobis sunt: & an talis communicatio, manifesta & necessaria consecutione, ex illis euinci possit, nec ne possit, peruidendum est. Breuitatis autem simul & perspicuitatis caussa, testimonia, quæ ab aduersariis citantur, in certos ordines, vel potiùs in certa genera diuidemus: vt habita explicatione loci vnius aut alterius, in quouis genere testimoniorum, quid etiam ad reliqua eiusdem generis loca respondendum sit, dilucidius appareat.

1. Quædam de ipsa sunt personæ Christi substantia, hoc est, de vnitione duarum naturarum in quibus subsistit: quale est illud Ioh. 1. *Verbum caro factum est.*

2. Quædam sunt de altera natura, diuina scilicet cum suis proprietatibus essentialibus: sed quas falsò inde concludunt aduersarij, humanæ naturæ realiter communicari: quale illud, Ioh. 17. *Glorifica me ea gloria, quam habui, &c.* Item illud Col. 2. *In quo omnis plenitudo Deitatis inhabitat.*

3. Quædam de proprietatibus diuinæ naturæ esse

videatur, cum non sint: ac si sunt, illa de Christo secundum humanam naturam non prædicantur, nisi per communicationem idiomatum: quale est illud de potestate, Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas.*

4. Quędam de actionibus sunt diuinę naturę: sed quas imperitè & falsò naturę etiam humanę attribuunt: cum illę realiter non prædicentur de Christo, nisi secundum diuinam naturam: quale est illud Ioh. 5. *Pater meus usque modo operatur: & ego operor*: Item, *quæ facit pater, & filius ὁμοίως facit.*

5. Alia sunt de operibus seu ἀποτελέσμασι communibus, sed quæ tamen, alio modo diuinę, & alio humanę naturę attribuenda sunt: aduersarij autem actiones modósque humanę & diuinę confundūt: vt illud Iohan. 6. *quod caro Christi viuificet*: Item 1. Iohan. 1. *quòd sanguis emundet à peccatis*: Hebr. 9. Sanguis emundat, &c.

6. Quędam sunt de exaltatione & glorificatione Christi, secundum humanam naturam, & quatenus mediator est, sed infra Deum tamen: quæ falsò ad æqualitatem cum Deo pertrahuntur: quale est illud, Sedet ad dextram patris, & similia.

7. Quædam sunt de iis, per quæ patefactus est, vt Deus.

8. Loca de honore, & cultu capitis: vt de adoranda carne Christi.

I. Ad *primum* igitur genus quod attinet, proferunt illud ex Iohan. *Verbum caro factum est.* Caro igitur, id est, humana natura (quia vnita est cum λόγῳ in vnitatem personę realissimè) realiter etiam facta est particeps proprietatum essentialium diuinæ τοῦ λόγου naturæ. R. Neque ex vi verborum, neque ex vi vnionis hypostaticæ, ista consecutio inferri potest. Ergo hæc esto responsio prima, ex verbis nihil planè de hac reali communicatione idiomatum diuinæ naturæ in humanam, colligi posse.

Primùm, Euangelista loquitur de incarnatione seu de vnione duarum naturarum in persona τοῦ λόγου: nullum autem planè verbum facit, nec ibi vlla est dictio, de reali communicatione idiomatum. Ergo ex verbis Apostoli manifeste colligi non potest. Nam neque λόγος, neque *factus est*, neque *caro*, significant idiomata, neque etiam tota oratio, idiomata esse realiter communicata, sed tantummodo vnita commonstrat.

2. A dictione λόγος. Non ait Iohannes, natura diuina facta est caro, sed λόγος, id est, persona filij Dei Deus factus est caro, id est homo. Si ergo hinc aliqua inferri potest communicatio realis idiomatum: non alia certè inferri potest ac debet, quam hæc, quòd scilicet quicquid est naturę Dei, in qua hic λόγος ab ęterno subsistebat: & quicquid est huius naturæ humanæ, in qua iam subsistit; totum istud realissimè de hac persona, quæ facta est caro, id est, homo, prædicatur. Est enim & huic homini realiter communicatum, quicquid est Dei: & huic Deo, realiter itidem communicatum, quicquid est hominis. Hanc autem semper professi sumus, realem idiomatum communicationem. Hic enim λόγος Deus ille est, qui factus est caro: non autem Deitas vel natura diuina simpliciter, facta est caro.

3. A verbo factus est. Ait factus est: scilicet homo: quomodo factus? sine vlla vel verbi vel carnis mutatione, confusione, alteratione. Verbum enim mansit, quod erat, & factum est, quod non erat: perfectus Deus permanens, & perfectus homo existens. Nulla igitur communicatio idiomatum ex hoc verbo concludi potest. Item Apostolus Philip. 2. explicat quomodo factus sit homo: sumendo scilicet formam serui: & Hebr. 2. idem dicitur: assumendo semen Abrahæ: id est, sibi in vnitatem personæ copulando & vniendo. Per vnionem igitur factus est homo. Si per vnionem: nulla ergo inde concludi potest realis communicatio proprietatum vnius naturæ in alteram. Nam assumere aliquam rem, & sibi vnire, non est, suas proprietates illi rei communicare. Adamus item dicitur ab Apostolo. 1. Cor. 15. factus in animam viuentem: id est, cum esset tantum terrenum & inanimum corpus, postea per vnitionem animæ ad corpus, factus est verus & viuens homo. Accommodat hoc Apostolus ad Christum, dicens, hunc factum esse in spiritum viuificantem. Sicut igitur Adam ita factus est in animam viuentem, vt anima non communicarit corpori suas proprietates essentiales, immortalitatem, inuisibilitatem, incorporeitatem, intelligendi & volendi facultatem: sic neque ex eo, quod assumtione carnis λόγος factus est caro & homo, inferri potest, realiter à Verbo communicatas esse carni suas essentiales proprietates: quia per simplicem carnis vnitionem in vnitatem personę facta est incarnatio, & Verbum caro factum est. Quare ex vi verbi, factus est, hæc realis idiomatum communicatio concludi non potest.

4. Ex eo, quod non dicitur, caro facta est Verbum, sed contrà: Si quis velit acutè sophisticari: Ex vi verborum potius dicendum videretur, carnis proprietates in naturam λόγου transiisse, quàm contra. Si corpus mortuum fiat viuum: vitæ potius & animæ proprietates communicantur corpori, quàm corporis, animæ. Et cùm aqua facta est vinum: vini natura & forma communicata est realiter aquæ, non autem contrà. Sic, cùm non dicatur caro facta verbum, sed Verbum factum esse caro: ex vi verborum dicendum potius fuerit, carnis proprietates in naturam Verbi, seu in Verbum transiisse, quam Verbum in carnem.

Adde, quod etiam Apostolus ad Heb. 2. non dicit, quòd caro & sanguis communicatint Verbo seu Filio Dei: sed quod Filius Dei particeps factus est carnis & sanguinis. Quare ex vi verborum dici potius posset, Essentiam Filij Dei participem factam esse carnis & sanguinis, id est, humanę naturę: quàm humanam naturam, proprietatum naturæ & essentiæ τοῦ λόγου.

Apparet ergo ex vi verborum, quę de incarnatione vnioneque duarum naturarum in sacris literis leguntur: nullo modo inferri posse, realem idiomatum diuinæ naturæ in humanam, factam esse communicationem. Atque hæc esto prima responsio ad locum Iohan. & alia similia testimonia.

Altera responsio est. Neque ex vi vnionis hypostaticæ, tale quid euinci posse. Ratio est:

1. Quia in omni hypostatica vnione id fieri solere, oporteret demonstrare. Atqui hoc demonstrari non potest.

Anima enim & corpus hypostatica vnione coniuncta sunt: neque tamen, aut corpus suas proprietates realiter communicat animæ: aut anima corpori, vt paulò antè explicatum est. Ergo neque Deitas humanitati suas: sicut neque humanitas Deitati communicauit suas. Addo confirmationem: quia longè maior distantia est inter diuinam & humanam naturas; quàm inter animam & corpus. *Si ergo* vnio hypostatica inter animam & corpus non *efficit, vt v*nius proprietates alteri realiter communicentur; *multo* minus id efficere potest vnio inter diuinam & humanam naturas.

2. Si ista idiomatum realis communicatio ex vi vnionis euinci posset: non minùs concluderetur, proprietates humanæ naturæ, realiter communicatas esse naturę diuinæ, quàm diuinæ, ipsi humanæ. Non enim minus vnita est diuina humanæ, quā humana diuinæ. At, inquies, fieri nullo modo potuit, vt diuinæ, quæ est simplicissima & perfectissima, aliquid accederet ab humana, & realiter illi communicaretur: Vicissim & ego respondeo, fieri non potuisse aut posse, vt humana quæ est finita, realiter fiat particeps diuinæ (puta) omnipotentiæ, quæ est infinita: id quod & *pa*tres docent.

3. Si ex vi vnionis hypostaticæ, facta est realis communicatio quarundam proprietatum diuinæ naturæ essentialium, puta, omnipotentiæ, omniscientiæ, omnipræsentiæ: aliarum quoque omnium facta sit, *oportet*. Non enim maior est ratio vnius, quàm alterius, *& ha*rum, quàm illarum: cùm præsertim omnes reapse *nil* aliud sint, quàm ipsa diuina essentia, quæ vna tantum *est* & impartibilis.

Atqui non omnes conceduntur realiter esse communicatæ, veluti est æternitas, immensitas, simplicitas, & aliæ. Ex vi igitur hypostaticæ vnionis, nulla sequitur essentialium proprietatum realis communicatio in naturis.

4. Longè maior & arctior est vnio trium personarum in vna essentia; quàm duarum naturarum in vna persona; neque de hac re vlla est dubitatio.

Atqui illa vnio non efficit, vt proprietates personales vnius personæ, puta patris, communicentur alteri, puta filio: alioqui filius fieret pater.

Ergo multò minùs hæc altera vnio efficere potest, vt essentiales proprietates vnius naturæ, realiter alteri communicentur. Fieret enim diuina humana, si humanis realiter participaret; & humana diuina, si diuinis; sicut etiam filius fieret pater, si personales patris illi communicarentur proprietates; & vicissim pater fieret filius, si personalium proprietatum filij particeps fieret pater.

Atque hæc esto responsio, ad omnia illa scripturarum testimo-

testimonia, quæ sunt de incarnatione filij Dei, déque vnione duarum naturarum, in eius persona. Hæc de primo genere.

II. In *secundo* genere continentur dicta, de essentia filij, cum essentialibus eius proprietatibus: quæ dicta ad humanam quoque naturam ab aduersariis contorquentur. Quale est illud Ioh. 17. *Glorifica me, ô pater, apud te ea gloria, quam habui ante mundi constitutionem.* Quid hic vbiquitarij? Nomen gloriæ Deitatem significat suis essentialibus proprietatibus vestitam: sicut & Iohann. 1. *Et manifestauit gloriam suam,* id est, suam diuinam omnipotentémque naturam. Ac Christum loqui ad patrem de hac sua natura diuina, liquet: quia ait, *ea gloria, quam habui, antequam mundus fieret.* Non petiisse autem, vt, quatenus Deus est, hac gloria glorificaretur, extra controuersiam est, inquiunt, quia hac semper fuit gloriosus.

Neque etiam, aiunt, valet interpretatio, glorifica me ea gloria, quam habui, id est: patefacias hanc meam gloriam. Ait enim *glorifica me apud te*: patri autem notissima erat hæc filij gloria, vt non fuerit necesse, hanc apud eum patefieri & illustrari. Quid igitur restat? nisi quòd Christus petiit, hanc gloriam suæ humanæ naturæ communicari? fuit autem exauditus à patre. Fuit igitur realiter carni eius communicata.

R. 1. Si quis diligenter rem perpendat: videbit hanc vbiquitariorum interpretationem non absimilem esse illi, quam Augustinus refert, & tanquam hæreticam damnat. In Iohan. cap. 17. Tract. 105. Ait enim, quosdam hunc locum sic intellexisse: vt cùm Christus dixit, Pater clarifica me ea claritate, quam habui, antequam mundus fieret, petierit suam carnem sua Deitate ita glorificari, vt natura humana, quæ suscepta est à Verbo, conuerteretur in Verbum, & homo mutaretur in Deum. Hæresis Eutychiana. An non verò idem docent, qui tradunt gloriam Deitatis, hoc est, essentialia Dei attributa, realiter carni Christi esse communicata.

2. Nihil hic locus istis aduersariis fauet. Christus enim hanc glorificationem, qualemcunque velis intelligere, petiit natus annos 33. plus minus: ac proinde illam nondum habebat: neque certè eam est consecutus, nisi post resurrectionem. Est enim hæc illa glorificatio, de qua Apostolus noster Phil. 2. *Propter quod & Deus exaltauit eum &c. vt omnis lingua confiteatur, quòd dominus Iesus in gloria est Dei patris.* Atqui communicationem idiomatum volunt factam fuisse in vtero virginis, & consecutam esse naturarum vnitionem. Nil igitur ad rem hic præsens locus.

3. Quod aiunt, accipi non posse nomen gloriæ pro dono creato, quia dicit Christus, quam habui, antequam mundus crearetur: dona autem creata data sunt ei in tempore: falluntur. Augustinus enim de resurrectione, ascensione in cœlum, sessione ad dextram patris, déque tota illa æternæ felicitatis gloria, quam humana natura consecuta est post mortem: hunc locum interpretatus est, In Iohann. tract. 105. Atque hanc ille esse vult glorificationem, de qua apud eundem Iohan. 7. *Spiritus Sanctus nondum erat datus* (copiosè & visibiliter de cœlo) *quia Iesus nondum erat glorificatus*: de qua & alibi: *oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*, id est, in æternam beatitudinem secundum humanam naturam: ad quam & nos tendimus: Luc. 24. Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*: Illa verò gloria annon donum est in humana natura creatum? Illud verò verbum, *quam habui apud te, antequam mundus fieret*, sic interpretatur Augustinus, quam habui in æterna prędestinatione: atque in eos inuehitur, qui Christum, quatenus homo est, ad hanc gloriam prædestinatum fuisse negant. Non cogimur ergo nomine gloriæ intelligere ipsam diuinam Christi essentiam, eiusque idiomata: quasi Christus petierit, carni suæ essentiales suæ Deitatis proprietates realiter communicari.

4. Adde, quod hanc glorificationem petiit tanquam suæ obedientiæ promissam mercedem. Ait enim: *ego te glorificaui super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi, vt faciam Et nunc glorifica me pater.* Hæc igitur glorificatio non hypostaticæ vnioni, sed obedientiæ Christi debebatur; Sicut explicatur Phil. 2.

5. Sed esto (id quod non negamus) intelligatur nomine glorię, ipsa Christi Deitas, essentialésque eius Deitatis proprietates: sicut Iohann. 2. *Manifestauit gloriam suam*: & alibi sæpe: non tamen hinc sequitur, vel Christum petiisse, vel ei à patre concessum fuisse, vt essentiales Dei proprietates humanæ naturæ realiter communicarentur. Nam licet nomen gloriæ significet sæpe essentiam Dei, eiúsque proprietates: verbum tamen glorificandi non cogimur ita accipere, quasi significet hoc in loco realiter communicare: cùm multa alia habeat significata. Significat enim laudare & celebrare aliquem, vt nos Deum glorificamus verbis & vita: & Deus nos glorificat donorum cumulatione & dono vitæ æternę.

6. Quòd si omnino velis illam tueri significationem: consequetur ergo, non minus Deitatem ipsam esse humanitati realiter communicatam, quàm essentiales eius proprietates: imo in primis essentiam Deitatis. Hoc enim significat nomen gloriæ vt Iohan. 2. Item, Iesa. 42. *Gloriam meam alteri non dabo.* Ita caro Christi in se considerata non minus fuerit Deus, quàm omnipotens, omniscia, &c.

7. Falluntur etiam in eo, quo illud M e, vel *filium tuum glorifica pater*: ad solam humanam naturam, seu ad Christum ea tantùm parte, quâ Deus est, referendam esse aiunt. Annon etiam de patre Christus dicit, *Ego te glorificaui super terram*? Item, *glorifica filium vt filius glorificet te*? Quare vana est illa interpretatio. Vana est & ratio, quam adferunt: nempe, quia eam gloriam habuit ab æterno, & semper fuit gloriosus. Nam etiam pater hanc semper habuit & semper fuit gloriosus: & tamen glorificatus à Christo fuit, & glorificari à nobis vult: & ait: *Glorificantes me, glorificabo.*

8. Quod etiam aiunt, illud verbum, glorificari, accipi non posse pro patefieri, & celebrari, idque propterea, quod ait: Apud te, *ô pater, glorifica me*: Patri autem nota erat gloria filij: Fœdissimè falluntur. Frequentissima enim est hæc significatio in sacris literis: Iohan. 12. pater ait Christo: *Ego te glorificaui & glorificabo.* Quomodo glorificauit? Cum & voce sua; *hic est filius meus dilectus*; & miraculis, cum declarauit suum esse filium naturalem. Quid? quod ex contextu refutantur? Quid est enim, quod ait Christus: *Ego te glorificaui pater*? Nihil aliud, nisi & verbis & obedientia omnia, quæ mihi mandasti, præstando, te, qualis sis pater, declaraui & prædicaui, tuámque immensam erga humanum genus charitatem patefeci & illustraui. Hoc enim ipsum, declarat Christus ipse subdendo, *Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi.* Et sic Cyrillus interpretatur hoc verbum, In Ioh. lib. 9 c 20. Explicans illud Ioh. 13. *Et nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in ipso.* Deus etiam pater (inquit) clarificatus est in ipso; non quia gloriæ, clarificationisque adiectio illi accessit (non enim indiget iis rebus natura ineffabilis) sed quia clarum hominibus factum est, cuius filij pater sit, idcirco clarificatus est. Non est insuetum spiritui sancto in sacris literis, ita loqui, vt glorificare aliquem dicatur, id est, gloriam illius deprædicare ac patefacere, tum verbis, tum factis. Sic illud Matth. 5. *Sic luceat lux vestra, &c. vt glorificent patrem vestrum qui in cœlis est*: hoc est, vt perspectam eius in nobis gratiam ac bonitatem, aliis quoque prædicent ac celebrent.

Duplicem itaque glorificationem petiit Christus, cùm dixit, *glorifica filium tuum, &c.* Vnam suæ humanitatis, alteram suæ Deitatis. Humanitatis fuit resurrectio, ascensio in cœlum, sessio ad dextram, vt exponit Augustinus atque etiam Cyrillus; atque hanc gloriam habuit antequam mundus fieret, in prædestinatione. Deitatis glorificatio nil aliud fuit, quàm eius patefactio, & per totum mundum ad omnes gentes è cœlis illustratio. Hanc gloriam semper habuit apud patrem, antequam mundus crearetur; sed nube mortalis carnis, quam susceperat, obducta, quodam modo obscurata & abdita fuerat. Petiit igitur, se vt hominem, carnis infirmitate, morte & ignominia liberari: & gloria resurrectionis, vitæque æternæ apud patrem in cœlo donari: vt inde claritas etiam suæ Deitatis elucesceret toti orbi: id quod factum est post resurrectionem, donatione spiritus sui, & prædicatione Euangelij: qua ex re ipse quoque pater glorificatus est, & quotidie glorificatur: quia ex cognitione Christi sequitur cognitio Dei patris: & tanquam pater ab omnibus fidelibus voce & vita glorificatur.

Simili quodam hunc locum illustrare solitus sum: Esto vas vitreum, in quo accensa sit candela: sed tanto luto circumquaque, obductum, vt lux inde refulgere non possit; fac etiam hoc vas in angulo domus iacere: Finge hoc vas petere à patrefamilias, vt se clarificet, id est, omni luto purget, & in sublimi loco totius ha-

bitatę domus collocet, vt inde omnibus lumen, quod semper habuit & habet, pręberé possit. Duo petit; Vnum, vt vas ipsum, abstersо luto, repurgetur & illustretur; alterum, vt inde lumen omnibus pateat, ad ipsorum salutem & consolationem: Simile est perspicuum & non eget explicatione. Caro Christi fuit ipsum vas; Deitas lux in vase latens. Petiit igitur Christus tum realem suę carnis glorificationem, tum quę ex illa secutura erat, suę Deitatis patefactionem, atque illustrationem ad salutem electorum, eóque ad gloriam patris. Et ideò Cyrillus hic ait: *coniungi humana diuinis*: *& Christum locutum esse, non vt hominem solum, sed etiam vt Deum.* Quid autem hæc obsecro, ad idiomatum communicationem? Ineptissimè igitur ad suum somnium torserunt hunc locum Vbiquitarij.

II. Alter huius generis locus, quo maximè vbiquitarij nituntur, est illud Apostoli dictum Col. 2. *In quo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.* Ergo, *in corpore Christi ita relucet tota deitas, vt essentialia τὰ λόγου idiomata, realiter ipsi sint communicata.*

R. In his Pauli verbis, nullum planè est, quo talis communicatio significetur.

1. Illud, *in quo*, ad personam referendum est: in quo scilicet Christo: quis autem neget, quin in Christo realissimè insit plenitudo deitatis? Constat enim duabus naturis perfectis, diuina & humana: ideóque sicut in eo est plenitudo humanitatis, sic etiam omnis plenitudo Deitatis. Inde igitur concludi non potest realis communicatio idiomatum in natura humana.

2. Sed esto synecdoche, & illud *in quo*, pro, *in corpore* accipiatur, quod in eo Deitas inhabitet tanquam in templo suo: verbum tamen inhabitandi, longè aliud significat, quam realiter communicari. Deus inhabitat in templo, inhabitat in sanctis, habitat in cœlis: num igitur realiter sua illis communicat idiomata? An aliter in Christo, seu in carne Christi, nempe σωματικῶς. Fateor: sed quid est σωματικῶς? Ipsimet aduersarij explicant, personaliter: hoc est, quòd caro sit vnita verbi deitati, in vnitatem personę. Et ideo Tertullianus ita explicat, vt Deitatem habitare in Christo σωματικῶς nil aliud sit, quàm *corporatam esse factam*, eo sensu, quo etiam dicimus esse incarnatam: hoc est λόγον esse factum carnem & corpus, per vnionem scilicet hypostaticam. Sed quid hoc ad realem idiomatum communicationem in natura humana? Nos damus: sicut Deitas personaliter vnita est humanitati, sic etiam omnia eius idiomata essentialia, eidem humanitati esse vnita. Sed assumimus: Atqui Deitas non est ita vnita, vt propterea caro αὐτόθεος sit Deus: Sic igitur neque omnipotentia ita vnita est, vt propterea caro sit per illam omnipotentiam infinitam omnipotens: sed persona ipsa tota, quamuis non totum personæ, sicut est Deus: sic etiam est simpliciter omnipotens, vbique præsens. Est autem distinctio Damasceni ὅλος, οὐ ὅλον. Ergo ex verbo inhabitandi corporaliter, minimè euinci potest realis idiomatum in naturam humanam collatio, communicatióque.

3. Deinde *omnis plenitudo deitatis*, ita significat attributa deitatis, vt in primis οὐσίαν, naturámque ipsam demonstret. Quare vt supra diximus dici non possunt, idiomata realiter esse carni communicata: quin in primis id dicendum sit de essentia deitatis: hoc autem absurdum est: quia vt diximus, sequeretur carnem in se consideratam, realiter & αὐτόθεος esse Deum.

4. Præterea, omnis plenitudo Deitatis non quædam attributa significat, sed omnia complectitur. Si igitur ex hoc loco inferre licet, quædam attributa esse realiter carni communicata: licebit etiam idem de omnibus idiomatibus cõcludere: quod tamen aduersariis non placet, propter æternitatem, simplicitatem, immensitatem: &c. Nihil igitur hic locus ad idiomatum communicationem.

5. Ad extremum, propriè locus iste luculenter prædicat incarnationem verbi, seu vnionem duarum naturarũ in vna Christi persona. An autem ex hac vnione concludi possit talis communicatio: supra in primo genere testimoniorum, abundè explicatum est.

Sed conantur confirmare opinionem suam, quia subdit Apostolus, Col. 2. *Et estis in illo πεπληρωμένοι: qui est caput*, ac volunt esse sensum, *plenitudinem deitatis non otiosè habitare in carne Christi: sed inde ad nos deriuare salutem & thesauros suos* quia subdit Apostolus, dicens: *Per quem & circumcisi estis, &c.*

Ergo in carne Christi realiter *insunt omnes proprietates: quia per eam omnes thesauros communicat.*

R. Reuera torquetur locus Apostoli. Sensus est; quæcumque ad salutem nostram pertinent, ea nos habere in Christo: nihil igitur extra Christum quærendum esse.

Hoc sibi vult illud *esse completos in Christo*. Quod subdit *qui est caput*: non simpliciter significat, Christum esse caput, à quo habemus omnia, vt ad Eph. 4. sed ait. *Qui est caput omnis principatus & potestatis.* Et est alia ratio, cur debeamus esse contenti Christo: nec audire Philosophos, aut Iudæos, qui cultum angelorum proponunt: quid ita? Quia ipse Christus est caput omnium angelorum. Ergo ab ipso omnia bona exspectanda, & ab eo petenda & fide accipienda: non autem exspectanda ab angelis, aut petenda. Quid hic obsecro pro communicatione idiomatum?

Quod subdunt, nobis omnia communicari à carne Christo, per eius carnem, posteà explicabimus. Fatemur per carnem eius tanquam per organum Deitatis, hypostaticè tamen vnitum, intelligens ac volens, & ceu per canalem, nobis omnia communicari, & nos fidei manu canalem hunc ori mentis nostræ applicante, succum Deitatis exugere: sed inde quis concludat, proprietates realiter inesse carni Christi, eo sensu, quem initio quæstionis explicauimus?

Sed vrgent & instant simili ferri candentis, seu igniti. Ita enim plenitudinem Deitatis realiter habitare in carne assumta, sicut ignis in ferro: quemadmodum patres, hoc simili vtentes locuti sunt. Atqui ignis ita est in ferro realiter vt per ferrum totam suam vim exerat, vrat, luceat. Sicut igitur vis vrendi & lucendi in ferro realissimè inest eique communicata est: sic vis homines illuminandi, vrendi affectus carnis, hoc est, renouandi corda, iustificandi, seruandi, edendi miracula in carne realiter inest communicata

R. Respondeo breuiter ad hoc simile, plura dicturus infra.

Etsi verum est, quod alij respondent: Ignem in ferro esse accidens in subiecto: quod tamen vbiquitarij non concedunt de proprietatibus deitatis in carne Christi: vt tamen dicamus quod res est, patres hoc simili vsi sunt ad plebem, iuxta opinionem plebis; nempe, quod verus ignis sua substantia sit in ferro, vt ex substantia ignis & ex substantia ferri constet hoc compositum, ferrum scilicet ignitum.

Scopus autem patrum fuit, hoc simili *demonstrare*, primùm aduersus Arium & Nestorium, non esse absurdum: quod in vna & eadem persona sint duæ diuersæ naturæ: cum hoc constet in ferro ignito: Deinde aduersus Eutychem, illas naturas vnitas, manere distinctas: 3. aduersus Monotheletas: diuersas in eadem persona esse actiones & proprietates; cum hoc liquido appareat in ferro candenti in quo ignis vrit & ferrum secat vel incidit. Certum est hunc fuisse scopum. Quod cum ita sit, hoc simile potius euertit opinionem Vbiquitariorum, quam vt tueatur.

Primùm, ferrum candens refert personam Christi, quæ duabus constat naturis, sicut ferrum etiam duabus, natura ferri & natura ignis. Deinde, Hoc ὑφιστάμενον ferri candentis habet vtriusque naturæ proprietates & actiones. Ita & persona Christi. Sed vt proprietates ignis & ferri sunt diuersæ, itidem & actiones, licet vnitæ; ita & in Christo licet ἀποτέλεσμα vtriusque naturæ sit commune, actiones tamen & proprietates sunt diuersæ. Nil ergo fauet. Sed de his plura aliâs.

Atque hæ sunt responsiones ad hæc duo præcipua dicta & ad alia etiam huius generis quæcunque adduci possunt è S. literis, de essentia diuina Filij essentiáque eius proprietatibus, quibus ad probandam idiomatum communicationem homines ἀδιάκριτοι abutuntur. Quibus responsionibus hæc quoque addatur: *Si qua proprietas diuina prædicari videtur de humana natura: id intelligendum esse, per gratiam tantùm vnionis: non autem quòd realiter communicetur.*

III. Venio ad *tertium* genus testimoniorum.

In tertio genere continentur ea, quæ de proprietatibus quidem essentialibus Dei loqui videntur, & ita hoc sensu ea interpretantur aduersarij, quasi de diuinis sint proprietatibus, cum tamen reuera non sint: sed aut de donis creatis essentialium idiomatum effectis: aut de honore capitis & qualia sunt illa, quæ Christo summam sapientiam, potestatem & dominationem attribuunt.

1. Inter hæc testimonia illud vrgeri solet, quod Col. 2. de Christo legimus: *In quo sunt omnes thesauri sapientię & scientię absconditi.* τῶ, *in quo*: intelligitur, (aiunt anima Christi: *omnes thesauri sapientię*, significant immensam Dei sapientiam: illud, *Sunt*, pro realiter communicari interpretantur. Concludunt: Infinita igitur sapientia Dei animæ

animæ Christi realiter communicata fuit.

Resp. 1. Si quis alius S. Scripturæ locus torquetur: hic certè maximè. Nam primùm, illud ἐν ᾧ, tam commodè potest referri ad dictionem τοῦ μυστηρίου, hoc est, ad Euangelium, quàm ad τοῦ Χριστοῦ. Ergo nil concludunt.

2. Sed vt demus (quod etiam magis placet) ad Christum referendum esse, illud ἐν ᾧ: falluntur tamen cùm voces sapientiæ & scientiæ, σοφίας & γνώσεως, interpretantur de sapientia & scientia, qua Christus sapiens est, & intelligens. Loquitur enim Apostolus de ea, qua nos debemus esse sapientes & intelligentes, si velimus seruari: & hanc dicit totam esse in Christo, eóque & à Christo solo nobis communicari: quare nihil quod cognitu necessarium sit ad salutem, quærendum esse alibi, quàm in solo Christo: quod omnes thesauri scientiæ nobis ad salutem necessariæ in solo sint Christo. Quid autem hoc ad realem idiomatum communicationem?

3. Sed demus loqui de ea, qua Christus sapiens est: in Christo duplex est sapientia, creata & increata: vna, qua, vt homo, altera, qua vt Deus sapiens est. Quid autem vetat, ne verba Apostoli de thesauris sapientiæ creatæ interpretemur? Hæc verò sapientia ad idiomata naturæ diuinæ nil pertinet.

4. Sed vt concedamus etiam de sapientia increata accipienda esse verba Apostoli: quid nos cogit, illud ἐν ᾧ intelligere de humana Christi natura? cur non possumus de Christo, quà Deus est, hunc locum interpretari? Non sequitur autem: Thesauri isti sunt in Deitate Christi: ergo etiam in humanitate. Multa certè in diuina considerantur natura, quæ in humana admitti non possunt: vt esse reipsa æternum, simplicissimum, &c.

5. Sed quia aliquid Deitatis esse in humana natura, bifariam intelligi potest, nempe aut vnitum cum ea, aut realiter communicatum: illud quidem admittimus, hoc alterum negamus. Quid enim caussæ est, cur verbum, SVNT, intelligere debeamus, pro realiter sunt humanæ naturæ communicati?

6. Quod si tamen ita velis intelligere: cur potiùs illud ἐν ᾧ, de sola anima Christi interpretaris, & non etiam de corpore? Deitas certè tam vnita est corpori, quàm animæ: Sapientia autem Dei, ipse Deus est. Ergóne etiam corpus dicemus esse sapiens & intelligens, & quidem sapientia diuina sibi realiter communicata?

At, inquies, corpus non est capax scientiæ & cognitionis, sed anima: vicissim & ego dico, creatam naturam atq; finitam, capacem non esse increatæ & infinitæ sapientiæ: nempe ita, vt illi realiter non tam vniri, quàm communicari queat. Ergo hic locus nil facit pro reali communicatione idiomatum.

At instant: In Christo quatenus est homo, erat sapientia naturalis, sapientia item infusa: & vtrâque proficiebat: vt Lucas narrat c. 2. Sed præter has subdit παιδίον fuisse πληρούμενον σοφίας: Hæc σοφία, non potuit esse illa naturalis vel infusa, quia illa proficiebat indies: hac autem erat plenus. Humanitas igitur, quæ creata sapientia proficiebat, plena etiam erat sapientia increata.

Resp. Primùm, cur non potest dici plenus fuisse sapientia puer, quoad Deitatem? *q. d.* Euangelista: *Vt homo, proficiebat sapientia creata: sed vt Deus, plenus erat sapientia increata.*

Deinde æquiuocatio hæc, vocis sapientiæ, in tam paucis verbis non est admittenda: vt modò de creata, modò de increata loquatur Euangelista: cùm ad hoc admittendum, nihil nos compellat. Itaque de eadem creata sapientia, intelligi commodè potest hic locus, vt sit sensus; puerum ita profecisse sapientia, vt ea plenus esset: hoc est, abundè & copiosè præditus: ita vt pro sua ætate, nihil ferè ei addi posse videretur. Sic enim Scriptura solet loqui, vt aliquem vocet plenum aliqua re, puta Spiritu, & sapientia, non quod nihil possit addi; sed quòd copiosè habeat. Sic de Stephano in Actis, c. 7. *Plenus Spiritu sancto*: annon poterat copiosior etiam ei contingere? Sic pleni bonis operibus, quidam leguntur in Sacris literis fuisse: hoc est, qui in studio bonorum operum multum profecerant. Puerile igitur est, velle ex eo, quod puer dicitur plenus fuisse sapientia; concludere: Ergo sapientia increata realiter communicata erat animæ pueri.

2. *Instant adhuc & aiunt: Christum præter sapientiam ac cognitionem naturalem & infusam, omnia etiam vidisse in verbo: Ergo etiam habuit scientiam increatam, quatenus homo erat & est.*

Resp. Quasi verò non etiam angeli & alij beati Spiritus, dicantur ab Augustino & aliis, videre in verbo: An propterea dices sapientiam increatam illis esse realiter communicatam?

Nemo hanc habet sapientiam, nisi qui est ipsa sapientia. Idem dico de omnipotentia & aliis. Ratio est: quia, cùm hæc sapientia realiter idem sit, quod essentia diuina: qui illam habet, hanc habet: qui autem habet diuinam essentiam: idem est realiter, quod ipsa essentia: vnde Deus dicitur sua esse essentia: Ergo sequitur neminem dici posse diuinam habere sapientiam: nisi qui sit ipsa sapientia. Nemo igitur vel ex hoc Apostoli loco vel ex aliis similibus inferre poterit, increatam Dei sapientiam animæ Christi fuisse realiter communicatam: nisi etiam admittat communicatam esse essentiam diuinam: eóque animam Christi esse ipsam diuinam sapientiam, atque essentiam: quo quid magis blasphemum?

7. Denique, si qui loci videntur ipsam diuinam sapientiam animæ Christi attribuere: illi exponendi sunt & intelligendi de communicatione, quæ fit per gratiam vnionis: de qua supra dictum est sæpius. Ferrum candens ideo dicitur lucere, quia ignis in eo lucet, cui vnitum est: non autem, quòd ea sit ferri actio, nisi vt instrumenti.

2. Alter locus in hoc tertio Genere testimoniorũ, quem vt magnum clypeum opponunt aduersarij, est ille, quem habemus Matt. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: ad quem referendi sunt & alij huic similes, qui de omni potestate Christo data loquuntur.*

Aduersarij contendunt huiuscemodi loca de omnipotentia Dei, infinita quæ data sit, id est, realiter communicata humanæ naturæ, seu Christo, secundum humanam naturam, intelligenda esse. Atque in hac re demonstranda octo paginas insumit non postremus inter ipsos.

Ego breuiter quantum potero, respondebo. Oportet enim hunc locum diligenter explicare.

Ergo primum nomine ἐξουσίας constat significari: non potentiam sed potestatem, & ius in aliud. Ac loci (Matthæi 28.) circumstantiæ, hoc perspicuè demonstrant. Christus enim qui ante resurrectionem dixerat, se non esse missum, nisi ad oues, quæ perierant, domus Israel, & qui hanc ob caussam vetuerat Apostolis, ne irent ad gentes: nunc eos missuros ad gentes, & ostensurus, se è cœlo illis vbique affuturum, ac quicquid egerint iuxta suum mandatum, illud se in cœlo confirmaturum: coactus fuit, Apostolis demonstrare, se hoc ius & hanc authoritatem habere à patre: Dixit igitur: *Data est mihi omnis potestas, &c. Euntes igitur, prædicate euangelium omni creaturæ.*

Proinde hunc locum explicans Tertullianus meritò dixit: *Data est mihi omnis potestas, hoc est, in omnia potestas.*

Sic Ioh. 17. *Dedisti ei potestatem omnis carnis*, h. e. in omnes homines etiam gentiles. Sic Ioh. 5. *Dedit ei potestatem iudicium faciendi: hoc est, ius & authoritatem. Sic alibi.*

Potestas autem non semper & in omnibus adiunctam habet potentiam. Ergo ex vi huius vocis & loci, inferri non potest, omnipotentiam Dei traditam fuisse Christo, secundum humanitatem. Hæc esto prima responsio.

2. Cæterùm, quia Deus pater, qui dedit Christo ἐξουσίαν, dedit etiam δύναμιν, qua posset suam exercere potestatem: ideo libenter do, necessaria consecutione hinc colligi, qualem & quantam Deus ei dedit potestatem; talem etiam & tantam dedisse potentiam. Verùm assumo: Atqui potestas, quam Christo (non dicam tantùm, quà homo est, sed etiam, quà mediator est) dedit pater, non fuit illa simpliciter infinita & immensa potestas, quam pater simpliciter in omnia non solum quæ sunt, sed etiam quæ non sunt, & nunquam erunt, in infinitum habet: & quam, in ipsam humanam Christi naturam, & in mediatoris officium habet: sed finita potestas est. Ergo neque vera & infinita Dei omnipotentia tradita fuit Christo, quatenus mediator est, nedum quatenus homo & creatura est finita: Assumtionem facilè probamus vel ex vno Apostoli loco in 1. Corinth. 15. Vbi de Christo loquens tanquam de mediatore: cuius officium durat duntaxat vsque ad mundi consummationem, ait: *omnia huic, mediatori & regi sedenti ad dextram patris, esse subiecta præter eum, qui subiecit ei omnia:* significans ipsam quoque mortem ei esse subiectam, eóque tandem penitus destructum iri: Sed Deum habere supremum & primarium ius: Christum autem, tanquam vicarium patris, habere ius secundarium: id quod significatur etiam illa locutione, Sedendi ad dexteram Patris: sedere enim ad dexteram Regis, illius est, qui secundum à Rege, in Regni administratione locum habet.

Hoc etiam clariùs explicat Apostolus, cũ subdit: *Postquã subiecta ei (Christo) fuerint omnia (etiã vltimus hostis mors, omnibus electis in cœlum adductis) ipsum quoq; Christum, qua-*

tenus scilicet homo est, & mediator, patri esse subiiciendum: vt sit Deus (solus scilicet sine mediatore) omnia in omnibus. Quid hæc obsecro aliud significant, quam Christum suum mediatoris officium resignaturum patri, consignato illi toto regno, quia non amplius erit opus mediatore? Ergo illa omnis potestas, quam dedit ei pater, tunc finem habebit. Quomodo igitur esse illa potest, potestas, quam pater habet?

Primum hæc semper fuit & est subiecta potestati patris. Ait enim Apostolus: *omnia Christo esse subiecta præter eum qui subiecit ei omnia*: q.d. pater supremum habet ius, etiam in mediatorem: mediator autem secundarium, & subiectus est patri, cum tota sua potestate: profectò qui alij subiectus est: is nec supremam potestatem, nec simpliciter omnipotens est. *Deinde* potestas mediatoris in res est finitas, quæ scilicet in cœlo & in terra sunt: patris autem in ea etiam, quæ non sunt in infinitum.

3. Potestas mediatoris finem habebit: patris autem æterna est. Quomodo igitur non pudet Theologos ita torquere scripturas, vt contendant omnem potestatem datam Christo, esse illam, quam etiam Deus habet infinitam, æternam, immensam? Quod de hac mediatoris finita potestate diximus ex 1. Cor. 15. illud idem confirmant alia scripturarum loca: vt, *Quòd sit exaltatus supra omnes angelos: Eph. 1. non dixit supra Deum: neque exæquatum Deo. Item: quod sedit non vbi pater, sed ad dexteram patris: q.d. secundariũ locũ & gradum ac potestatem tenens. Et Matth. 25. Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi*: q.d. Post non ero vobiscum hoc modo, nempe vt mediator pro vobis apud patrem.

Sic omnes patres de Christo mediatore déque eius potestate locuti sunt: quod ille sit supra omnes creaturas: sed infra Deum: medius inter illum & has. Testimonia non profero breuitatis caussa. Legatur epistola Ignatij ad Trallianos, paulo post initium: Ibi statuit in infima parte omnes creaturas, etiam Cherubim & Seraphim: in media regnum Christi: in suprema imperscrutabilem Dei maiestatem & omnipotentiam. Quo illud Eph. In regno Christi, & Dei. Differunt hæc.

Si igitur potestas & ἐξουσία, quæ data est Christo finita est, quia in res finitas: quia initium habuit, & finem habitura est: Item si eadem subiecta est potestati patris; eóque non est illa, quam pater habet potestatem, efficitur necessariò, neque potentiam quæ illi addita fuit, esse illam, quæ propria est Dei, potentiam scilicet infinitam.

Nam quod ait Dan. 7. de filio hominis: *data est ei potestas & imperium: potestas eius, potestas æterna*: non intelligitur, quòd simpliciter sit æterna (nam & initium habuit & habitura est finem quoad vsum) sed æterna est vsque ad finem sæculi. Nam in hac etiam significatione sæpe accipitur nomen *æterni*. & Hebræum *Holam*. Tandiu enim durat illa potestas mediatoris, quandiu & ministerium verbi. Quare etiam potentia finita est & certis terminis limitata: quæ propter illam potestatem data est mediatori. NEC AVFERETVR, vt ait Daniel, donec sc. toto mediatoris officio defungatur. Pertinet huc pulcherrimum Cyrilli dictum in Ioh. lib. 9. c. 41. *Nunquam, qui ex Deo natus non est (id est ex substantia Dei, vt naturalis filius) æqualiter operabitur Deo: nunquam creatura, quæ sunt infinitæ potestatis, suscipiet: nunquam bona eius natura, quæ semper est, iis quæ sunt producta ex nihilo, propriè attribuentur. Hac ille.*

Ego neque propriè & realiter attribui potest humanæ Christi naturæ, infinita Dei potẽtia, aut sapiẽtia, &c. Quod si attribuitur, impropriè & gratia vnionis attribuitur. Et ibidem, probans ex actionib. Deitatis, Christum naturalem esse Dei filium: sic concludit? *Frustra igitur aduersus filij virtutem nugantur: quæ cum infinita sit, à creatura capi non potest: datur tamen dono credentibus.* Notanda sunt hæc duo membra; primum: virtutem ac potentiam deitatis infinitam ideo à nulla creatura capi, h.e. realiter ei communicari posse, quia infinita est: creatura autem omnis finita: alterum, dono tamen dari credentib. Sensus est: etsi hæc infinita potentia realiter communicari non potest: eam tamen in credentibus efficacem esse: quomodo? dum & in illis ac per eos edit miracula, iuxta illud Christi, quòd ibi explicat Cyrillus: *Qui credit in me, maiora iis faciet*: & dum etiam sui specimen, hoc est creatam potentiam ac vim, illis donat, habitualem scilicet potentiam. Ergo hinc videmus quæ fuerit sententia ecclesiæ, tempore Cyrilli, de omnipotentia Dei: Eam nulli creaturæ realiter communicari posse: & tamen in suis fidelibus efficacem esse, & suam vim per dona creata & per habituales gratias exercere: multò magis verò in anima Christi, atque etiam in corpore sese exerit, potentia maxima licet finita illis realiter communicata.

3. Hinc liquet, quid respõdendum sit ad argumentũ, quod ducunt ex locis Apostoli 2. Cor. 10. & 13. Vbi de potentia Christi, quæ in ministerio sese exerit, loquens ait: *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Dei, ad destructionem munitionum, &c.* Illa potestas & potentia, quæ se exerit in ministerio, & qua Christus, vt mediator operatur per apostolos & alios ministros, non est primò facultas naturalis, non est secundò gratia habitualis, in Apostolis Christi: Sed est vis diuina, & illa potestas (de qua Matt. 28.) qua Christus adest suo ministerio, iuxta illud dictũ Christi: *Ecce ego vobiscum sum (en scilicet potestate, quæ mihi data est) vsque ad consummationem seculi*: Et illud Marc. 16. *Prædicauerunt, vbique domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.*

Assumunt: *Atqui hæc omnia egit & agit Christus, vt mediator, id est, non tantùm vt Deus, sed etiam vt homo. Est enim mediator secundum vtramque naturam. Ergo oportuit hanc potestatem, quæ est illa diuina & infinita potestas Dei, non solum esse in Christo, quâ Deus est: sed etiam eidem realiter communicatam, quatenus homo est.*

R. Plus est in conclusione, quàm in præmissis. Primum enim concludis illam potestatem, de qua Matt. 28. esse illam infinitam Dei, quod nos negamus: Infinitam enim rei finitæ realiter communicari non posse, cum tota antiquitate contendimus. & Cyr. ait, virtutem Dei quia infinita est, à creatura capi non posse In Ioh. lib. 9. cap. 4. Deinde, ex eo, quod illam infinitam exerit per carnem, infers realiter carni esse communicatam: quasi verò, quod exeritur per organum, illud sit organo realiter communicatum. Carnem autem esse organum Deitatis patet.

Hîc igitur notandum est: Cum Christus mediator sit secundum vtramque naturam: ille respectu vnius operatur in ministerio, potentia infinita, idque vna cum patre & Spiritu Sancto: respectu alterius, operatur potentia maxima quidem, sed tamen finita. Ac priorem quidem humanæ naturæ, id est, filio hominis, gratia vnionis: alteram verò realiter communicatam esse docemus. Sic contra filio Dei, λόγῳ, priorem quidem realiter à patre in æterna illius generatione communicatam credimus: posteriorem verò gratia tantùm vnionis traditam confitemur.

Sicut enim filio Dei, infinitam habenti potentiam, nihil creatæ potentiæ realiter potuit addi: sic filio hominis, id est humanæ naturæ finitæ, infinita potentia realiter non potuit communicari. Proinde gratia duntaxat vnionis, & quæ humanæ sunt naturæ, filio Dei: & quæ vicissim filij Dei sunt, ea filio hominis attribuuntur.

Hac explicatione facilè omnia alia loca de potestate, atque potentia Christo tradita in tempore, declarari & conciliari possunt.

Summa igitur primæ responsionis ad locum Matt. 28. hæc esto: Illud POTESTAS (quod non propriè ius & autoritatem significare diximus) aut pro potestate finita sumitur, aut pro infinita. Si pro finita (vt nos ex Paulo accipiendum esse ostendimus) duo sequuntur: *primum*: sicut potestas finita realiter communicata est Christo quà homo est: sic etiam finitam, sed maximam potentiam fuisse eidem communicatam: quâ etiam vt homo suas partes in officio mediatoris, semper perfectè obiuit & obit. *Alterum*, sicut potestas finita Christo, quatenus Deus est, non potuit realiter tradi, sed tantùm gratia vnionis tradita esse dicitur; sic etiam finita potentia eodem duntaxat modo ei tradita esse prædicatur: & ratio huius prædicationis, per gratiam tantùm vnionis est, quia, cui realiter tradita & communicata est: pars est huius personæ, quæ Deus est.

Si autem nomen potestatis infinitam, quæ propria Dei est, nobis significet potestatem, eóque & infinitam in se includit potentiam, aliter respondemus: atque hæc esto ad locum Matth. altera responsio.

Potestas hæc, & per consequens, potentia infinita, Christo secundum humanam naturam, seu, quatenus in forma serui subsistit, realiter quidem fuit vnita, sicut & tota essentia (atque huius vnionis gratia traditam ei fuisse fatemur: quia cui inest realiter ab æterno hæc infinita potentia, pars est huius personæ, quæ homo est.) Sed realiter non fuit communicata, ita vt Christus, qua homo est, fuerit aut sit infinita potentia potens, & operans.

Hoc etiam supra demonstratum est, cum de infinita sapientia egimus: & ex Cyrillo fuit confirmatum: Infinita enim omnipotentia nil aliud est reipsa, quàm essentia diuina. Si igitur humanæ naturæ respectu Christus est reapse omnipotens, fuerit etiam Deus, & ipsa humana natura fuerit Deitas.

Præterea non dixit Christus, data est potestas carni meæ

meæ, sed mihi, hoc est, personæ.

At respectu humanitatis: quia quæ Christo data dicuntur in tempore, respectu humanitatis data dicuntur, iuxta regulam patrum. Fateor. Sed duo rerum genera Christo secundum humanitatem tradita fuisse leguntur: aliæ quæ ab æterno fuerunt in verbo, eóque res increatæ: aliæ, quæ non fuerunt in verbo, sed creatæ sunt, & gratiæ habituales dicuntur.

Primi generis res, Christo secundum humanitatem datas fuisse dicimus: sed tantummodo per gratiam vnionis: at secundi generis, realiter communicatas. Et de vtroque genere rerum, déque etiam vtroque genere prædicationis, regula illa intelligenda & explicanda est, pro locorum S. Scripturæ circumstantiis.

Exemplum primi, vt filius hominis est Filius Dei, homo est Deus, filius hominis est æternus & immensus: hęc erāt in Deo & propria Dei, & in tempore prædicantur de Christo secundum humanam naturam: Sed quo genere prædicationis? Eo, quod gratia vnionis vocatur: sicut etiam cōtra dicitur Deus mortuus: dominus gloriæ est crucifixus. Exemplum secundi: vt, *Spiritus domini super me*: Item, *Spiritus sapientia, fortitudinis.* Dona autem Spiritus dantur humanæ naturæ: quomodo? vt realiter inhæreant.

Cum hęc ita se habeant: ad verba Christi redeamus.

Vox illa, *Potestas*, potest & ad primum genus rerum referri, & ad secundum: hoc est, potest accipi aut pro diuina & infinita potestate: aut pro creata & infinita.

Verbum etiam, *Data est*, accipi potest, aut, pro, realiter communicata est: aut per gratiam vnionis data est.

Si igitur nomen *potestatis*, tu accipias, pro infinita potentia: quid prohibet, cur nos non accipiamus verbum, *Data est*, pro, per gratiam vnionis tradita est Christo, quatenus homo est?

Si autem verbum *Data est* tu interpreteris, pro, realiter communicata est: quid vetat, quin nobis liceat, nomen *potestatis*, pro finita potestate atque potentia accipere?

Ergo quicquid dicas, locus iste non enincit, humanæ Christi naturę, infinitam omnipotentiam Dei, realiter communicatam esse.

Adde, quòd, cùm pronomen, *Mihi*, ad totam personam referatur, non malè dici de Christo potest, etiam qua Deus est, sed in carne manifestatus, tunc omnem potestatem ei fuisse datam, cum recepto post resurrectionem illius potestatis vsu, ei quodam modo reddita fuisse videtur. Etsi. n. suam diuinam potestatem nunquā verè deposuit, quia non desiit esse Deus omnipotens: quia tamen sub carne mortali, formaque serui eam occultatam tenuit, nec, vt post resurrectionem, palam apud omnes gentes, & in toto orbe, cœlo, atque terra exeruit: idcirco visus fuit quodammodo ea se exuisse, eamque deposuisse: iuxta illud Apostoli: *Semetipsum exinaniuit forma serui sumpta*. Cum igitur post resurrectionem eius vsum recepit, eamque palam in cœlo & in terra, apud omnes gentes, prędicatione Euangelij per Apostolos exeruit: tūc quodāmodo eā resumpsisse visus est. Quare illi locum hūc nō deprauant, qui exponunt *data est*, pro *reddita est*: nō simpliciter, sed quoad vsum. Neq. enim ante licuerat ei ex voluntate Patris ad gentes proficisci, aut Apostolos mittere, & suā potentiā prædicādo Euangelio, miraculis edendis, gentibus conuertēdis, exerere ac palam patefacere, quemadmodum postea licuit. Cum igitur Christo licuit hoc facere, dixit, *Data est mihi omnis potestas.*

Neq; hoc verbo reddendi & similibus in hac caussa vtuntur scioli, sed patres antiqui magnæque auctoritatis viri.

Hilarius p. 178. ait Christum, cùm petiit, (*glorifica me, ô Pater, ea gloria, quam habui, antequam mundus fieret*) petiisse, vt quia per assumtionem formæ serui videbatur vnitatem, quam habebat cum Patre, abrupisse: ideò patet efficeret, vt per glorificationem carnis assumtæ, is (i. Filius) rursus esset in ea natura, in qua fuerat semper: Et ita ait, *Reddenda igitur vnitas erat Filio & constantia*, Cyprianus serm. de Resurrect. p. 466. ait, *Exinanitione humilitatis redijsse ad depositæ Altitudinis maiestatem.*

Euseb. de Demonstr. Euangel. lib. 3. c. 14. *Rursus talis fuit Deus* (ὁ λόγος post assumtionem) *qualis fuerat antequam fieret homo.*

Denique locus iste, quocunque modo exponatur, nihil facit ad dogma aduersariorum de reali idiomatum communicatione, quæ sit vnionem hypostaticam consecuta. Hæc enim potestas data fuit Christo, non cùm natus est, sed post resurrectionem à mortuis. Imò hoc loco illa refellitur.

Si namque sunt communicata realiter, hoc factum est in vnione naturarum: non enim separantur ab essentia. Atqui hęc potestas data est non in vnione, sed post resurrectionem: nec prodest sophistica de actu primo & secundo, is certè locus, non fauet communicationi, ex vnione hypostatica. Quare nihil ineptius ad quæstionem propositam adferri potest, quam hic locus Matt. In quo tamen sibi maximè placent aduersarij.

3. Adferunt & locum Ioh. 5. *Dedit ei potestatem iudicium faciendi, quia filius hominis est: alij, quatenus filius hominis: Gręcè est ὅτι. Inde inferunt realem cōmunicationē idiomatum: præsertim spectata versione eorum, qui ὅτι verterunt quatenus: Quicquid enim ad deitatem pertinebit in illo iudicio, illud humana etiam naturæ realiter cōmunicatum volunt aduersarij.*

Resp. Ex iis, quæ *de* ἐξουσίας diximus: liquere potest, nomine ἐξουσίας concludi non posse, datam esse Christo, quatenus homo fuit & est, infinitam illam potestatem aliquid faciendi, quæ propria Dei est. Deinde si etiam hanc admittas, non propterea sequitur: Dedit ei: Ergo realiter communicauit. Cyrillus & Augustinus potestatem indicium faciendi, de autoritate iudicandi viuos & mortuos, interpretantur: propter verba, quæ sequuntur: *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei & prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: Qui verò mala, in resurrectionem iudicij* Illud etiam ὅτι, vterque interpretatur, quia: sed vtcunque diuerso sensu.

Cyrillus respicit verbum, Dedit: vt sit sensus: ideò pater dedisse dicitur filio huic: quia iste, cui dedit, filius hominis est: hoc est creatura, nihil à seipso habens: proinde oportuit ei dare: quia non habebat.

Sūma est: Datā ei esse vt homini, non vt vnigenito: quia vt vnigenitus eam habebat: sed vt filius hominis, non habebat. Hęc expositio cōfirmat versionē τοῦ ὅτι, in, quatenus.

Augustinus non solùm verbum, Dedit, considerans, consentit cum Cyrillo: sed etiam nomen iudicij sc. vniuersalis perpendens addit, & ait, adferri caussam, cur autoritas iudicium vniuersale faciendi, Christo homini facto, sit data: quia sc. filius hominis est: h. e. homo visibilis. Futurum enim illud iudicium est visibile. Opus igitur fuit iudice visibili: h. e. qui esset, & Deus scrutans corda omniaque videns: & homo, qui ab omnibus videretur & audiretur. Quia igitur Christus verus Dei filius etiam est hominis: ideo data est illi hæc potestas: vt illud impleretur: *Videbunt quem transfixerunt.*

Quid verò hinc colligi potest pro reali communicatione idiomatum? Imo facit contrà hic locus. Quia enim filius hominis est, hoc est creatura etiam visibilis & non tantum filius Dei: ideo data est illi hoc iudicium visibile conficiendi autoritas. Ergo essentialia Dei idiomata, non sunt naturæ eius humanæ communicata. Desierit enim esse visibilis & circumscriptus. Ad summam: autoritatem finitam pro infinita accipiunt. Ac sicut in alis operibus, sic etiam in iudicio illo faciendo vtraq; forma aget quod suum est, &c. Sed vbiquitatij σύγχυσιν inducunt & Monothelismum.

4. In hoc tertio genere testimoniorum sunt & illa, quæ de vnctione Christi loquuntur. *Christus enim legitur sæpissimè vnctus fuisse à patre.* Vt Ps. 2. 45. Luc. 4. Act. 4. & alibi. *Vnde & nomen habet, Christi.*

Non fuit autem vnctus, vt Deus, imò hoc respectu est vngens: Ac vnctio hęc non fuit externo oleo facta sed interno: & denique non fuit talis, qualis multorum piorum regum, pontificum & prophetarum, participatione scilicet Spiritus S. sed excellentissima & perfectissima fuit vnctio, plenitudine scilicet Deitatis & Spiritus sancti. Psalm. 45. Vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ prę consortibus tuis, hoc est non tantum donis spiritualibus infusis, nec tantum inhabitatione spiritus per gratiam: sed quia diuina natura τοῦ λόγου tota substantiali plenitudine personaliter inhabitat in assumta Christi natura: & per consequens propter ὁμοουσίαν, ipse etiam Spiritus sanctus illi datus. Ergo essentialia ei idiomata realiter communicata sunt.

Resp. Totum antecedens admittitur: sed negatur illatio. Est enim argumentum ab vnione duarum naturarum in vna persona, & ab inhabitatione Spiritus sancti in humana natura, ad realem idiomatum communicationem: quæ illatio quantum valeat supra est explicatum.

Nam quod hic dicunt de vnctione ex Psal. 45. Idem est cum eo quod supra, ex Col. 2. *In eo inhabitat omnis plenitudo Deitatis.*

Cęterùm quò melius intelligantur testimonia Scripturarum: de hac Christi vnctione notandum est.

Tria personarum genera vngi solebant, in V. T. Reges, pontifices, & nonnunquam prophetæ, vt liquet in sacris literis: qui omnes fuerunt typi Christi futuri regis, pontificis & prophetæ.

Illæ verò externę vnctiones symbola erant duarum rerum: primùm, electionis ac vocationis diuinæ ad talia of-

ficia: quod scilicet eos sibi delegisset Deus, & delectos sibi consecrarit in reges aut sacerdotes, aut prophetas: idque ex sua gratia ac misericordia, quæ nomine olei significari solet in sacris literis. Deinde symbola etiam erant donorum Spiritus sancti, quibus, quos eligebat ad dignitatem regiam, aut ad officium pontificis vel prophetæ, ornabat, vt suum officium dignè & ad salutem consolationémque populi & Ecclesiæ, præstare possent: quæ causa est, cur illud oleum propheta vocarit oleum lætitiæ. Hæc igitur duo omissis typis & externis vnctionibus, in Christo consideranda sunt: missio, ac consecratio ad officium Messiæ, prophetæ scil. pontificis ac regis: & effusio in eum, sui spiritus, quo posset, etiam qua homo est, suas in officio faciendo obire partes. Non enim Christus fuit mediator secundum vnam tantùm naturam: sed secundum vtramque.

Proinde licet sola humana natura fuerit vncta, oleo nimirum Deitatis & Spiritus S. tota tamen persona ad officium prophetæ, pontificis, & regis faciendum, fuit missa ac consecrata: sicut Christus ipse loquitur, Luc. 4. *Spiritus domini super me, propter quod vnxit me pauperibus euangelizare misit me.* Vnxit me (quoad humanitatem:) misit me, (totam personam.)

Primum in hac Christi vnctione consideranda est vnio duarum naturarum in vna persona, facta in vtero virginis. Tunc enim humana natura, fuit vncta per hanc vnionem, à diuina. Vt enim oleum vnitur vncto, sic Deitas humanitati: & vnus tamen est vnctus seu Christus, h. e. vna persona: ac magis distinctio est inter oleum, quo quis vngitur, & inter id quod vngitur, hoc est inter diuinam & humanam naturam: manentibus integris & impermixtis vtriusque naturæ proprietatibus. Gregorius Nazianz. vnctionem hanc vocauit *Deificationem*, quia scil. humana natura propter vnitionem cum Deitate, facta est & ipsa diuina: sed saluis (vt dictum est) naturis & naturarum proprietatibus.

Legatur Damas. l. 3. c. 17. vbi verba Greg. citantur: Et ait, Deum vngentem, factum esse hominem: & hominem vnctum, factum esse Deum: καὶ ἄνθρωπον ἦν δὲ τὸ χρῖσαν, καὶ θεὸν τὸ χριόμενον. Sed quomodo? οὐ κατὰ μεταβολὴν φύσεως, ἀλλὰ κατὰ τὴν οἰκονομικὴν ἕνωσιν τὴν καθ' ὑπόστασιν λέγω.

Vnctus ergo in primis fuisse dicitur Christus, secundum humanam naturam, quando verbum caro factum est: carne in vnitatem personę assumta, & oleo Deitatis per hanc vnitionem peruncta. Tunc enim verè qui tantum λόγος erat, factus est Christus: quia factus est homo, à Deitate assumptus.

Hinc verò secundum est *alterum*, quod in hac vnctione spectandum est: effusio Spiritus S. & plenitudinis donorum eius in humanam naturam.

Hæc vnctio facta fuit tum in vtero virginis, tum deinceps prout puerulus crescebat sapientia, & gratia corā Deo & hominibus: ac tum maximè declarata fuit, cum Spiritus S. in specie columbæ, resedit super eum, in baptismate.

Et de hac vnctione Ies. 11. *Requiescet super eum spiritus sapientię & fortitudinis: & de hac* Ps. 45. *Vnxit te Deus, Deus tuus, præ consortibus tuis.* Explicat hoc Ioh. 3. *cum ait, Huic datum esse Spiritum non ad mensuram: nempe sicut aliis hominibus.*

Ex iis perspicuè videmus in quibusnam rebus consistat hæc vnctio: qua Christus secundum humanam naturam vnctus prædicatur in sacris literis: in vnitione scil. humanæ naturæ cum diuina, in vnitatem personæ: & per consequens in effusione plenitudinis donorum Spiritus sancti, tanquam olei, in totam humanam eius naturam.

Quæ vnctio typum habuit in vnguento seu oleo sacro, quod effusum fuerat super caput Aaroni, & quod defluxerat per barbam vsque ad oram vestimenti Ps. 133.

Cum autem in his duabus rebus consistat, quomodo ex iis inferri potest realis idiomatum Deitatis essentialium, in humanam naturam communicatio? Ex vnione certè non sequitur, vt visum est: multò minus ex donis Spiritus sancti. Dona enim hæc non sunt idiomata.

IV. *Quartum* testimoniorum genus, quæ pro reali communicatione afferri posse videntur, ea, quæ manifestissimè de propriis tantum Deitatis actionibus loquuntur, continet: Sed iniquè ad actiones, quæ humanæ naturæ fiant communes, torquentur.

Inter ea est illud Christi Ioh. 5. *Pater meus vsque modo operatur & ego operor: nempe ab initio mundi, vsq; modo, semper cum patre.* Quomodo hinc colligi queat, diuinam naturam omnia per humanam operari: & quod hæc illi sit perpetuus συνεργός? Christus facit se coæternum cooperatorem patris, nihilque agere patrem docet, quod ipse cum illo non agat & cooperetur.

Quomodo verò hæc humanæ conueniant naturæ? Si conueniunt: quomodo ex iis demonstrauit Christus, se æqualem esse patri, eóque verum Deum? Annon euincetur ipsam etiam humanam naturam esse Deum, si Christus secundum vtramque naturam locutus est, dicens: *pater vsq; modò operatur & ego operor?*

Necesse igitur est, vt si Christus iis verbis probauit, se verum esse Deum, & ęqualem patri: aut secundum vtramque naturam docuerit, se esse Deum, aut secundum vnam tantùm hæc verba protulerit. *Et ego operor, &c.* Ac proinde nihil hic locus ad realem idiomatum communicationem.

Eadem iniuria fit verbis etiam illis Ioh. 5. *Quæcunque operatur pater, eadem & filius ὁμοίως operatur*, id est pari potestate, atque potentia: Christus certè his verbis, argumento ab æquali potentia, iisdémque actionibus concludere voluit, se οὐσίᾳ quoque æqualem esse patri vt ex contextu liquet. Quomodo igitur talis locus ad humanam naturam accommodari potest, quin eam exæques creatori? Si hoc est blasphemum: tantum igitur abest, vt hinc euincere possis realem idiomatum communicationem, vt ea potius iis verbis penitus euertatur.

Quicquid enim eadem & ὁμοίως operatur quæ & quomodo pater: illud æquale est Deo, & Deus. Si igitur humana natura Christi non est æqualis patri, nec Deus: certè non operatur eadem & ὁμοίως: eóque non habet eandem omnipotentiam sibi realiter communicatam.

Quare prudenter, qui melius sapiunt, hæc duo ex Ioh. testimonia omittunt.

Et tamen, si vera est realis idiomatum communicatio: coguntur etiam hunc locum ita explicare, vt dicant Christum, non solum secundum diuinam, sed etiam secundum humanam naturam, eadem quæ & pater, ὁμοίως operari. Si enim humana natura in Christo realiter eandem habet omnipotentiam, sibi ex vnione hypostatica communicatam: eadem profectò, quæ & Deus, & ὁμοίως operabitur: quo quid horribilius dici potest?

V. *Quintum* genus testimoniorum, ea continet, quibus docemur, multa opera seu ἀποτελέσματα, vti sunt ἀποτελέσματα salutis nostræ, communia esse humanæ cum diuina naturæ: sed tamen non vno & eodem modo vtramque ad illa se habere: cùm lōgè diuersis actionibus & diuerso modo vtraque forma agat & ea opera perficiat: Aduersarij autē volunt non solū τὰ ἔργα, sed etiam ἐνεργείας, ad illa perficienda esse communes: & tam carnē, quàm Deitatem verè efficienter operari salutem nostram conferréque vitam.

Huius generis sunt illa dicta quæ apud Ioh. 5. *habemus de filio hominis mortuos suscitante.* Et *Ioh 6. de carne Christi, se comedentes viuificante.* Et 1. Ioh. 1. *de sanguine Christi nos à peccatis mundante. Hæc dicta, inquiunt: non tam de persona, aut de natura diuina, quàm de natura humana, carne & sanguine Christi manifestè loquuntur.*

Non potest autem caro Christi alios viuificare, ni vitam in se viuificantem realiter communicatam habeat: idem de vi purgandi à peccatis in sanguine posita, dicendum est. Ergo, &c.

Hanc realem communicationem intelligunt, cum aiunt, hæc carnem & sanguinem efficere, per potentiam τοῦ λόγου personaliter in eis, in carne & sanguine habitantem atque vnitam.

Resp. Quia institutum nostrum hîc est, Scripturas quas pro reali communicatione idiomatum afferre solent aduersarij Vbiquitarij, ita explicare, vt eas nil ipsorum dogmati fauere demonstremus: idcirco ad eas, quę iam adductæ sunt de filio hominis quatenus homo est, déque eius carne nos viuificante, priori loco breuiter respondebo: Deinde rem ipsam latius explicabo.

Ad locum Ioh. 5. Verba Christi hæc sunt. *Amen, amen dico vobis, quod venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei (in carne manifestati) & qui audierint viuent.*

Hæc de resurrectione animorum intelligenda esse euincit illa particula καὶ νῦν ἐστι.

Ex iis Christi verbis nil colligi potest pro reali idiomatum communicatione. Tantum enim concludit, Euangelium, quod prædicabat Iudæis, & porrò etiam gentibus, per Apostolos erat prædicaturus: potentiam Dei esse in salutem omni credenti: eoq; organum, per quod Deus & filius ipse Dei salutem operatur: itaq; ita se etiam, vt hominem, organum esse suæ deitatis. Subdit: *Sicut. n. pater vitam habet in semetipso: sic dedit & filio vitam habere in semetipso.*

Explicatio est, qua declarat se in prædicando Euangelio non futurum vt simplicem hominem, qui præter prædicationem nihil aliud agat, & ideo simplex organum sit Dei: sed futurum eum, qui homines reipsa viuificet: non tam instrumentaliter: quàm verè efficienter: instrumentaliter, quatenus homo est, verbum prædicans: efficienter,

quatenus

quatenus Deus est, verbum intus persuadens, & vitam ipsam communicans, non minus, quam patet: quid ita? *quia sicut pater vitam in semetipso habet: sic dedit & filio vitam habere in semetipso.*

Quid hoc aliud est, quàm dicere, quia filius vnus & idem Deus est cum Patre? Habere enim vitam in semetipso, sicut habet pater, nihil aliud est quam esse Deum, per se viuentem & viuificantem, sicut & pater per se viuit, atque viuificat.

Fons enim vitæ in ipso est: non autem riuulus aliunde fluens. Ac proinde ita habet vitam in semetipso, vt sit ipsa vita.

Cui autem hoc conuenit, nisi Deo? Ergo cum dixit, *sicut pater vitam in semetipso habet, sic dedit & filio vitam habere in semetipso*: manifestissimè significauit se Deum esse viuentem ac viuificantem, sicut & pater Deus est viuens ac viuificans. *Sicut enim pater viuificat mortuos, sic & filius, quos vult viuificat.* Hoc tantum discriminis est, quòd pater habet vitam in semetipso, & à semetipso: Filius habet in semetipso, verùm non à semetipso, sed à patre.

Pater enim dedit ei (in æterna scilicet generatione) vitam habere in semetipso. id est, Deus pater genuit Filium Deum: vita viuificans, vitam viuificantem.

Ita Christus illa particula præcedentis versus, οἱ νεκροὶ ἀκούσονται τῆς φωνῆς τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, declarauit se, quatenus homo est loquens ac prædicans Euangelium, organum esse Deitatis suæ, ad mortuos in peccatis viuificandos: hac autem altera præsentis versus, ὥσπερ ὁ πατὴρ &c. luculenter docuit se, quatenus Deus est, verè efficientem esse caussam eius vitæ, qua mortui in peccatis viuificantur. Ergo quatenus filius est hominis, instrumentaliter viuificat: quatenus filius Dei Deus, verè efficienter viuificat. Quare hic nihil prorsus adhuc habemus in iis duobus versibus: quod iuuet realem idiomatum κοινωνίαν. Certè de carne Christi, licet vnita sit Deitati in vnitatem personæ, dici nō potest, quod habeat vitam in semetipsa, qua ex se & per seipsam viuat, multò minus qua alios viuificet: cùm ipsa & sustentetur & viuificetur à Deitate Prosper in Sententia 147. *Non est, inquit, à carne, sed supra carnem, quod facit eam viuere.* Nam quod multi particulam, quæ sequitur, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστί, coniungunt cum præsenti versu, quasi Christus dixerit, patrem sibi dedisse, & vt habeat vitam in semetipso, & vt habeat potestatem faciendi iudicij, ὅτι, id est, quatenus filius hominis est: non cogimur admittere: præsertim cum habeamus Augustinum, qui illam particulam coniungit tantum cum illo, *Et potestatem dedit ei iudicium faciendi: quia scilicet filius hominis est*, vt supra à nobis explicatum fuit. Vnde & Augustinus ibidem p. 171. concludens vtramque resurrectionem, & mentis, de qua v. 26. & carnis de qua v. 27. ficam: *Animas ergo suscitat Deus per Christum filium Dei: corpora suscitat Deus per eundem Christum filium hominis.* Deinde etiamsi tibi hoc demus: nihil tamen concludere poteris pro reali communicatione idiomatum. Nam si vitam illam, de qua loquitur Christus, intelligas pro vita Dei, quæ Deus est: verbum illud DEDIT, *scilicet (Filio hominis) vitam habere in semetipso, quatenus filius hominis est*: ego dicam non posse intelligi datam esse hanc vitam, nisi gratia vnionis. Nam in sola Deitate hæc vita & fons vitæ inest Ps. 36.

Si vero tu vrgeas, verbum DEDIT, accipiendum esse pro realiter communicauit: respondebo, nomen vitæ non posse accipi nisi pro dono & effecto illius vitæ, quæ Deus est. Quare quocunque te vertas, captus es: vt non possis ex hoc loco tueri vlla ratione, tuam realem idiomatum communicationem.

Nunc vt rem clarius explicemus, notandum est, duos grauissimos errores hic admitti ab aduersariis.

Primus est, quòd putant vitam, quæ propria Dei est & quæ a Patre realiter communicata est filio, in æterna eius generatione, eandem etiam carni assumtæ realiter communicatam fuisse, in ipsa naturarum vnitione, & hanc ob causam esse carnem viuificantem.

Hunc esse grauissimum errorem, liquet 1. Sicut enim Filius, quia illi pater hanc suam vitam, quæ est ipsius essentia, realiter communicauit ideo genitus est Deus: annon eadem ratione caro facta esset Deus?

2. Ac si propter illam communicationem filius vitam habet in semetipso; eoque ex se & per se viuit: annon etiam caro si facta esset talis communicatio, vitam in seipsa haberet, & ex se, ac per se viueret?

3. Quomodo verò corpus mori potuisset, si talem in se realiter communicatam habuisset vitam? Qui enim vitam habet in semetipso, mori non potest.

4. Adde, quòd, si talis vita, realiter carni Christi esset communicata, eadem quoque nobis, carni Christi, per fidem, pérque eius spiritū insitis, realiter cōmunicaretur: fieremúsque & nos itidem dij immortales, vitā in nobis ipsis haberes: imò vnus & idem Deus cum patre, filio, & Spiritu sancto; quia vna tantum est hæc vita. Cùm autem hæc sint nimis absurda: sequitur, vitā, quæ Dei est propria, neque nobis cōmunicari, neque carni Christi realiter esse cōmunicatam.

1. Res igitur ita se habet de hoc capite. Vitā æterna, in patre tanquam in primo principio ac fonte, semper fuit & est: eoque in ipso à nullo est: Ps. 36. *Apud te est fons vitæ.* Et Ioh. 5. *Pater habuit vitam in semetipso*: non ait ab alio datam, sed simpliciter, habet in semetipso. Et ideo etiam simpliciter à Christo appellatur viuens pater, Ioh. 6.

2. Vitam hanc filio, eum generando è sua substantia, verè ac realissimè communicauit: quia eum genuit Deum, vitam in semetipso habentem. Ideo Christus ait: *Sicut pater vitam habet in semetipso, sic dedit & filio*, &c. Proinde hæc vita quæ est in filio, non differt ab illa quæ est in patre: nisi in hoc, (vt rectè Augustin. monuit) quia in patre à nullo est, in filio autem à patre. Ab vtroque autem in Spir. sancto. Ac præter has tres personas, In nulla re creata, reperiri potest hæc vita: quia reapse nil aliud est, quàm ipsa diuina essentia. Ac proinde quæuis alia vita, effectum est huius æternæ, & substantialis vitæ. Quo spectat illud Act. 17. *In ipso viuimus*, &c.

3. Cum igitur in Christo duæ sint naturæ longè diuersæ, & vtraque viuat: in eo etiam vnum tantum vitæ genus esse non potest. 1. Est itaque in Christo, quatenus Deus est, vita illa, quam in sui generatione accepit à patre. Hæc prorsus incommunicabilis est.

2. Quatenus autem homo est, triplex in eo est vita: vita *naturalis*, qua anima per se viuit: vita item *naturalis*, qua corpus, propter coniunctionem cum anima viuit. Neque enim eadem est vita, qua anima, cum illa, qua corpus viuit: sed vna est caussa alterius, & altera effectum: quod manifestè apparet: quia anima separata à corpore, corpus suam amittit vitā, anima autē suam semper retinet. Neutra hæc vita aliis communicatur. Est denique ita *supernaturalis*, cōmunis animæ, & corpori: qua sc. tum anima, tum corpus felicissimè omnium, viuunt in cœlo: quæ & vita æterna & cœlestis appellatur. Hæc in illa humana natura omnibus numeris perfectissima est: quanquā finita, quippe, quæ non est ipsa Dei essentia, sola existens infinita atque immensa: ac proinde res creata sit necesse est. Est. n. donum à Deitate in humanitatem fluēs. Nam sicut vita, qua naturaliter viuit corpus, diuersa est à vita, qua viuit anima, vt supra diximus, quia illa est huius effectum: sic etiam vita æterna ac beata, quæ est in humana Christi natura, longissimè & in immensum differt à vita, quæ est in natura diuina: & quæ est ipsa natura diuinā. Est enim vna caussa: altera effectum.

. Hæc vita æterna, quæ est effectum viuentis Dei, ideo in carne Christi posita est perfectissima: *vt de eius plenitudine accipiamus omnes*: Vt Ioh. docet in Euangelio, & in 1. Epist. c. 5. Qua de caussa, communicati nobis dicitur è carne, & per carnem Christi, vi nimirū essentialis vitæ Dei: quatenus sumus os ex ossibus eius, & caro de carne eius. Sed si quis tamen diligenter consideret: intelliget & videbit, neque hanc propriè nobis communicari: quia non eadem numero, sed tantùm genere, fideles donantur. Si enim eadem numero, quæ in carne Christi est, vita æterna nobis daretur: eadem planè esset beatitudo singulorum membrorum quæ & capitis. Genere igitur, non numero, eadem communicatur. Quanto minus igitur, illa vita Dei realiter communicatur: quæ est ipsa Dei essentia, simpliciter vna?

In re igitur, quæ communicatur, errant, qui putant ipsam Dei vitam, aut carni Christi esse realiter communicatam: aut etiam nobis per eandem carnem, communicari.

Ita conclusum est vitam Dei, quæ vna & eadem est in patre, filio & Spiritu S. nequaquam in humanam Christi naturam esse realiter deriuatam seu communicatam: sed tantum eius effectum: idque omnium præstantissimum; quia immediatè est à natura diuina, humanæ καθ' ὑπόστασιν vnita: eoque à principio interno, non à remoto profectum: sicut & vita, qua viuit corpus, immediatè ab anima est, principio interno: non tamen eadem est vita corporis, cum ea, qua anima viuit. Etsi igitur etiam vita æterna, qua humana Christi natura viuit, sit res præstantissima, qua nihil in rebus creatis inueniri potest præstantius: non est tamen illa realiter vitā, quæ Deus est: sed illius effectum, eoque res finita: quod vita illa Dei ἀκοινώνητος sit creaturis. Hoc idem confirmatur.

1. A VOCE VIVIFICARI. Omnes fatentur, naturam

humanam in Christo, viuificari à diuina: viuificati autem esse effectum viuificantis, non autem ipsum viuificās, quis ambigat? Si igitur vita Dei substantialis, viuificat naturam Christi humanam: vita certè, quæ realiter est in humana natura; & qua viuit, non est ipsa vita Dei.

2. A similibus. Vita, qua viuit corpus, effectum est vitæ animæ, non autem ipsa vita, qua viuit anima: comparatur autem Deitas Christi, animæ: & humanitas, corpori.

Item, lumen, quod est in aëre, à sole, non est ipsa lux solis, sed eius effectum: Imò lux, qua corpus solare lucidū est, non est ipsa lux primogenia, quæ in eo fuit posita, & quę emicat per solem, sed eius effectum est. Calor, qui est in aqua ab igne calefacta, non est ille, qui in igne est, sed eius effectum: qualitas s. impressa à calore ignis. Hoc etiam simili vtitur Cyrillus. Sic in ferro candenti, calor qui est in ferro, non est ipsa, ignis substantia, vel essentialis proprietas: sed eius effectum.

Quod verò dixi de vita: idem de potentia, sapientia, bonitate, & omnibus aliis Dei proprietatibus concludo: nempe, non ipsas, sed earum effecta, realiter humanæ Christi naturæ communicata esse.

Ipsæ verò proprietates essentiales, in humana natura sūt verè & realiter: sed tantùm καθ' ἕνωσιν, καὶ ἰδιοποίησιν, καὶ καθ' ὑπόστασιν: sicut & lux primogenia est in sole, & anima in corpore: non autem per realem communicationem: quasi eadē potentia, qua Deus, natura etiā humana sit potēs. Quid hinc? Ergo neque eædem sunt actiones vnius, & alterius.

Hic est primus aduersariorum error: quòd nomen vitæ in hac quæstione, vel nō intelligūt, vel non rectè explicāt.

II. Deinde errant etiam in hoc: quòd, cum donum vitæ æternę creatum, nobis dicatur communicari, & à Deitate, & à carne Christi: illi non rectè discernunt actiones vnius, & actiones alterius naturæ: seu quid Christus secundum vnam, & quid secundum alteram naturam agat in communicanda nobis æterna illa vita: sed quæ sunt propriæ diuinæ naturæ, eas communes faciunt humanę, modū item viuificandi vnius, cum modo viuificandi alterius confundunt: cùm tamen longè alia sit actio diuinæ & alia humanę naturæ: & alio modo vna, alio modo altera ad eandem vitam communicandam concurrant. Atque hic error proficiscitur ex priore. Quia enim statuunt eandem planè vitā, quæ est in Deitate, per realem etiam communicationem esse in humanitate, & tantum in hoc à seipsa differre, quòd in Deitate sit propria atque naturalis, in humanitate autem ascititia, & à Deitate communicata: ideò in effectū etiam huius vitæ nobis communicando, tam humanam, quàm diuinam, naturas, efficientem caussam cōstituunt: & vnam atque eandem vtriusque naturæ actionem esse fingunt, id quod falsissimum esse in Quæst. II. cum de actionibus vtriusque naturæ contra Monotheletas ageremus, manifestissimè demonstrauimus, ex concilij etiam Ephesini, & Chalcedonensis definitionibus, nedum ex sexta synodo.

I. Res igitur ita se habet: Vnus est tantum reuera nos viuificans, Christus Deus & homo: Ideo ait Ioh. 5. *Filius quos vult viuificat.* Cum autem dico filium, nunquam excludo patrem & Spiritum S. quia cum sint vnus Deus, vna etiam est eorum actio, & vnus viuificans: Et sic coniunguntur Io. 5. & alibi.

2. Vna etiam est viuificatio seu ἀποτέλεσμα: ipsa scilicet hominis iustificatio, regeneratio, translatio à morte ad vitam: siue spiritualem, siue corporalem: vti, vna fuit Lazari suscitatio, & vnà latronis iustificatio.

3. Sed duo sunt in Christo principia agendi seu, ἐνεργητικά: natura diuina & humana: secundum quas agit & operatur in viuificandis hominibus. Hinc fit vt aliquando viuificatio attribuatur vni naturæ, aliquando alteri: Diuinæ quidem, vt Ioh. 5. *Spiritus est qui viuificat*: humanæ autem, vt quòd caro à concilio Ephesino vocatur est viuifica propter dictum Christi: *nempe qui edit carnem meam, habet vitam, &c.* Et 1. Ioh. 1. *Sanguis eius emundat nos à peccatis.* Sed sunt Synecdochæ: quibus ab vna natura, Christus viuificans denominatur: Cum tamen secundum vtramque operetur, & viuificet: liquet hoc: quia id quod 1. Ioh. 1. ait, *Sanguis eius emundat, exponitur* Ap. 1 *Ipse Christus lauit nos in sanguine suo, id est per sanguinem. Sic caro viuificat: id est Christus sua carne.* Ioh. 6. *Qui edit carnem meam: postea: qui edit me.* Duo igitur sunt in Christo viuificante ἐνεργητικά, secundum quæ operatur & viuificat: quanquam longè aliter per vnum, & aliter per alterum: per vnum tanquam per principium verè efficiens: & huc illud Ioh. 6. *Spiritus est, qui viuificat*: per alterum, tanquam per instrumentum, atque organum, non tamen separatum, sed personaliter vnitum, eóque omnium organorum præstantissimum & efficacissimum. Et huc illud Ioh. 6. *Qui edit carnem meā, habet vitam æternam*, i. qui fide sibi applicat, & edit carnem meam: is per hanc carnem, in qua extincta mors est, & peccatum mortis causa, expiatum: & contra, in qua posita est iustitia & vita: liberabitur à morte, & viuet: non secus ac si quis ægrotus, medicamentum efficacissimum edens liberatur à morbo, & à morte. Causa prima efficiens est medicus: secundaria, medicina est. Ergo caro, ita instrumentum est Deitatis: vt sit etiam materialis, & efficiens caussa.

Sic enim explicatur hęc locutio alio simili Apoc. 1. *Lauit nos in sanguine suo*: id est, per sanguinem suum, fide à nobis apprehensum.

Per Deitatem igitur nos viuificat verè & propriè efficienter: per carnem & sanguinem, ita instrumentaliter, vt tamen secundariò etiam efficienter. Non enim ita instrumentaliter, sicut per verbum aut per sacramenta, aut per ministros verbi, sed longè excellētiori modo propter vnionem hypostaticam cum Deitate, fonte omnis vitæ atque salutis viuificat caro. Est enim tale organum Deitatis, vt licet ipsa caro per se & verè efficienter non viuificet: per ipsam tamen Deitas immediatè viuificet, vitámque communicet, sicut per corpus solare lux lucet, & hæc inferiora viuificat: quo spectat dictum Cyrilli in Ioh. lib. 4. cap. 14. *Vita secundum naturam ille est, qui ex viuo patre genitus est: sed non minus corpus quoque suum viuificat. Coniunctum enim ineffabiliter est filio Dei, à quo vniuersa viuificantur.*

Non est igitur caro Christi, organum sicut serra in manu artificis: sed sicut humanum corpus animæ: & corpus solare, lucis: imò arctius est vnitum Deitatis, quam solare corpus luci: quoniam vnio carnis & Deitatis, arctior & præstantior est quauis alia vnione, in operibus Dei.

Constat igitur Christum nos viuificare aliter per Deitatem: quia verè efficienter (per hanc enim creat in nobis donum vitæ) aliter per humanitatem, quia instrumentaliter: eo tamen sensu, quem declarauimus, exemplo solis & lucis: corporis & animæ: medici, & medicinæ.

4. Hinc etiam liquet quartum: alias esse actiones & ἐνεργείας, quibus Christus agit secundum humanam: & alias, quibus agit secundum diuinam, naturas, vt supra in quæst. II. abundè dictum est. Ac proinde liquet vim nobis realiter communicatam, qua spiritualiter viuimus, & qua victuri sumus in cœlo: aliter esse ab actionibus Deitatis, aliter ab actionibus humanitatis. Vtriusque enim naturæ actiones ad hanc concurrunt: sed aliter & aliter. Secundum diuinam naturam Christus hanc vitam in nobis efficit & creat, & tanquam succum suæ vitæ in nos instillat. Proprium enim Deitatis est, dona creare, iustificare, regenerare, glorificare. Secundum verò humanitatem, nos viuificat suo merito: nempe sua satisfactione, & obedientia: sua item intercessione: & denique, reali applicatione, & suę vitæ communicatione.

Primum enim sua morte & sanguinis effusione, peccata nostra expiauit, patri nos reconciliauit, à morte æterna liberauit, & vitam æternam acquisiuit: Hæc autem est vita nostra: adde quòd sua obedientia impleuit legem pro nobis: & hanc obedientiam nostram esse vult. *Qui autem seruat mandata, viuet in eis: Deinde* sua etiam humana voluntate vult nos viuificari: suáque perpetua apud patrem intercessione, efficaciter impetrat nobis huius vitæ communicationem. *Postremò*, hinc efficit, vt donemur fide, & tantorum beneficiorum cognitione, Spiritu suo sancto: quo carni Christi immediate vniamur, & per hanc Deitati copulemur: & per consequens facti reipsa membra Christi, ab ipso tanquam à capite vitam hanc, quæ in peccatorum remissione, iustitiæ Christi imputatione, regeneratione, & tandem in glorificatione consistit, hauriamus. Ex qua vltima particula appatet, quomodo caro Christi, non solum satisfactione & merito, sed etiam applicatione eorum, quæ nobis promeruit, tanquam immediatum organum Deitatis, nos viuificet: i. Christus, actionibus Deitatis & humanitatis, sed aliter & aliter. Nam vt Deus nos in gratiam recipit, condonat peccata, donat fidem, regenerat, & efficit, vt vitam æternam apprehendamus: idem verò vt homo, totā hāc salutem sua morte promeruit, eius cognitionem, gustum, apprehensionem, sua intercessione impetrat: per verbū & sacramēta exhibet: & tandem in plenam eius possessionem sua voce introducet, dicens: *Venite benedicti, &c.*

Quare ex hac generali doctrina de vita æterna, tum qua viuit humana Christi natura, tum qua nos in Christo viuificamur, & quod ad nos viuificandos, aliter diuina, & aliter humana Christi natura se gerat, cōstare arbitror, quomodo loci scripturarum, qui hac de re loquuntur exponendi sint: & quòd ex loco Ioh. 5. *Sicut pater vitam habet in semetipso, &c.* minimè colligi possit realis idiomatum communicatio.

Breuiter ergo alia testimonia percurramus.

Ioh.6. *Qui edit carnem meam, habet vitam æternam.*

Sequitur ne, Ergo vita Dei essentialis est in carne Christi realiter communicata? Nequaquam.

1. Quia neque ipsa caro Christi, ea vita viuit, sed eius effecto, vt supra est ostensum.

2. Quia neque ex esu carnis Christi talis vita nobis promittitur: sed simpliciter vita æterna: Consistit autem æterna vita in cognitione Dei & Christi Ioh.17. in remissione peccatorum; in imputatione iustitiæ Christi, in regeneratione: in æterna Dei visione, & fruitione.

3. Quia si valeret consecutio: Qui edit carnem Christi fide, habet vitam æternam: ergo vita Dei essentialis est in carne Christi realiter communicata: Sequeretur & hæc, Qui credunt verbo Euangelij habent vitam æternam: ergo in verbo realiter est communicata vita Dei essentialis.

Item hæc: Patres, qui cum fide in Christum, ederunt manna, receperunt vitam æternam: Ergo erat in manna realiter vita: idem de baptismate: idem de pane ipso cœnæ dominicæ dici posset.

Quare, si ex his locis ista consecutio non sequitur: neque ex illo Iohan 6. consequitur. *At (inquies) ista non sunt organa Deitati personaliter vnita sicut caro Christi.*

Resp. Sed hæc exceptio nihil ad consequentiam ex contextu: quæ fuit, quia vita æterna accipitur ex carnis esu: Ergo in carne Christi est realiter communicata: sed vnioni iam adscribis, non perceptioni ex carne. Argumentum autem ab vnitione duarum naturarum, quantum valeat, supra ostensum est. Denique manducare Christi carnem, perinde est atque manducare totam personam: quia est Synecdoche, vt Christus explicat. Qui enim dixerat, *Qui manducat carnem meam habet vitam: idem dixit in eodem c. 6. Qui manducat me, viuet propter me.* Item; *Qui manducat carnem meam, in me manet.* Quid est edere carnem Christi, nisi eum totum fide amplecti, & ei incorporari? Si quid ergo ex hoc loco concluditur, de persona Christi concluditur, quod in ea sit vita æterna; non solum ea qua caro viuificata viuit, sed etiam illa, quæ propria est Dei & essentialis vita. Quis autem hoc inficietur? Sed hoc potiò, nihil ad realem idiomatum communicationem, in carne ipsa, per se considerata.

Eodem modo respondemus ad locum ex 1. Ioh. 1. *Sanguis eius emundat nos à peccatis.*

Resp. 1. Synecdoche est pro: *Ipse (Christus) emundat nos per sanguinem suum* (vt Apoc. 1. explicatur.) Et Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo.* Emundatio igitur à peccatis, propriè loquendo personæ est, quæ ad nos à peccatis purgandos vsa est, & vtitur, tanquam organo, humana sua natura: sicut anima corpore. Quis autem vnquam euincat vim principalis agentis, in organo inesse realiter communicatam? Deinde damus cum Leone, singulis naturis proprias actiones: eóque damus sanguinem Christi lauare nos à peccatis. Sed cum etiam Deitas lauet, diuersimodè lauat illa, lauat ista. Deitas propriè efficienter: (Dei enim proprium est hoc) humanitas verò instrumentaliter. Quomodo instrumentaliter?

1. Quia instrumentum fuit, ad expianda peccata nostra. Nam etiā vis expiationis in sanguine, à Deitate fuit: quia nō sanguine simpliciter, sed sanguine Dei expiata fuerunt.

2. Quia instrumentum etiam est Deitatis ad expiationē nobis applicandā, eóque ad purgandam conscientiam: quo pacto? sua. n. perpetua intercessione, & vi sacrificij semel oblati, impetrat nobis fidem, qua incorporati, & immediatè carnem & sanguinem eius, λύτρον nostrorum peccatorū apprehendentes, vim etiam verè purgantem conscientias, & regenerantem, in humana illa natura existentem, percipimus. Hoc enim pacto reipsa purgamur à peccatis. Sanguis igitur, organum est Deitatis ad nos mundandos, quia Deus per suum sanguinem, nostram efficit mundationem.

3. Aut vna & eadem est actio, Deitatis, & sanguinis in nobis mundandis: aut diuersæ sunt actiones. Si dicas vnam & eandem ἐνέργειαν esse: monotheleta fueris: & sequetur, Deitatis & sanguinis vnam & eandem esse naturam atque οὐσίαν: iuxta regulam ὧν γὰρ αἱ ἐνέργειαι ταὐταί, τούτων καὶ ἡ οὐσία ἡ αὐτή. Si diuersas: diuersa igitur etiam τὰ ἐνεργητικὰ, principia agendi: hæc autem sunt ipsæ naturæ & naturarum proprietates. Quare fieri nequit vt vis Deitatis purgantis peccata, realiter sanguini, sicut verè vnita est secundum hypostasim, sic etiam sit communicata: quia per illam tam sanguis purgaret, quàm Deitas ipsa: & vna esset vtriusque actio, & non solùm vnum ἀποτέλεσμα.

Eodem modo respondendum est ad testimonia de remissione peccatorum, per filium hominis.

Quartus igitur locus est ille apud Euangelistam,

Vt autem sciatis, quòd filius hominis potestatem habeat in terra remittendi peccata: (dixit Paralytico) Surge, tolle grabatum tuum, & vade domum tuam. Autoritas remittendi peccata, proprietas Dei est essentialis. Hanc habet Christus quatenus filius est hominis. Ergo, &c.

Resp. Ad hæc & similia loca, hæc esto responsio.

1. Ex nomine filij hominis, nil concluditur de communicatione idiomatum in natura humana. Significat enim personam non naturam. Persona autem, est Deus etiam, & non homo tantùm.

2. Neque ex dictione POTESTATIS. Potest enim accipi pro potestate, non simpliciter, quæ est solius Dei: sed κατά τι vt subdelegata, vt certisque terminis limitata: quæ etiam creaturis communicatur. Neque aliter hæc vox intelligi potest, si nomine filij hominis intelligas humanam naturam: seu Christum, quatenus homo est.

3. Neque ex verbo remittendi peccata. Significat enim non solum simpliciter & verè efficienter remittere peccata quod solius Dei est: sed etiam ministerialiter remittere: hoc est, pronuntiare nomine Dei, esse remissa: quemadmodum Christus Apostolis dixit: *Quorum remiseritis peccata.* Sic itaque Christus, sua humana natura, & lingua, pronunciauit peccata remitti: sua autem deitate remittebat: sicut etiam paralyticum sua manu tetigit, & voce allocutus est: sed deitate curauit. Sicut ergo in miraculo, voluntate suæ humanitatis illud voluit, quia etiam vt Deus volebat: & sua voce, tanquam ministra Deitatis, pronunciauit, quod sua faciebat Deitate, dicens; *surge & ambula*, reuera autem sola Deitate curauit: sic etiam in remittendis peccatis se eodem modo gessit: Deitate remisit, humanitate remissa voluit, & pronunciauit. Humanitas igitur semper cooperata est Deitati, in iis quæ ad officium Mediatoris pertinebāt, tanquam organum in manu principalis agentis: organum inquam, secundum hypostasin vnitum, illúdque volens & intelligens: sed nunquam fuit principale agens. Atque ita respondendum est ad omnia loca de miraculis: de quibus & in quæst. 11. ex Damasc. dictum est. Et denique testimonia omnia, quæ de operibus salutis nostræ sunt, vtrique naturæ communibus, ita explicanda sunt vt intelligatur diuersas naturas, diuersis actionibus ad idem ἀποτέλεσμα concurrere: sed aliter & aliter.

VI. Ad *sextum* genus pertinent, quæ de humanæ naturæ in Christo, supra omnes res creatas, sed tamē infra Deum, exaltatione loquuntur: Veluti est illud celeberrimum: *Sedet ad dexteram Patris.* Et Phil. 2. *Dedit illi nomen, quod est supra omne nomen.* Aduersarij autem talia testimonia in eum torquent sensum, quasi humana natura, eadem planè gratia, maiestate & omnipotentia prædita sit, quam & diuina habet natura: vrgentes simile ferri igniti: quod ita ad naturam ignis exaltatum est, vt tam ipsum vrere & lucere videatur, quàm ignis, qui in ipso est.

1. Primus igitur locus, qui de hac exaltatione omnibus in ore est, ille omnino est, quem habemus apud Euangelistas, & Apostolos, & in omnibus Symbolis: SEDET AD DEXTERAM PATRIS, &c.

Hoc dictum aiunt, de Christo secundum humanam naturam intelligendum est. Significat autem hæc locutio Christum euectum esse secundum humanam naturam: vt acceperit à Deo Patre, gloriam, maiestatem, potestatem, dominationem, potentiam supra omnia: non creatitiam, sed eandem, quam & pater habet, ad cuius dexteram sedet.

Hoc negamus realiter cōmunicatū esse humanæ naturæ.

Hanc igitur probare conantur. Atque vt aliorum interpretationes omittam, & solius D. Kemnitij, omnium inter aduersarios doctissimi, explicationem referam: Ille in libro de duabus naturis c. 24. p. 346. Primùm, ex eo quod dextera Dei vocatur Dextera Maiestatis (Dei) Hebr. 1. Virtutis, potentiæ: Luc. 22. Ait, hoc nomine significari, non tantùm locum quietis & gaudij (concedit igitur) sed etiam diuinam potentiam & operationem, qua hostes retundit & suis adest, idque variis modis: (hoc etiam datur) Cum autem pater omnes suæ maiestatis & potentiæ operationes perficiat per Christum, quatenus est filius Dei naturalis (id quod confitemur:) ideo concludit, dexteram Dei esse Christum filium eius naturalem, & Deum. (Sed hoc in articulo de sessione malè concluditur.)

Postea ait de humana Christi natura, eam quidem non esse factam ipsam dexteram Dei: quia inde sequeretur naturarum confusio & exæquatio (rectè) sed collocatam esse in Christo: quia Deitati λόγῳ, quæ est inquit ipsa dextera Dei, personaliter vnita est: & eam sedere ad dexteram Dei, quia post depositam exinanitionem, in exaltatione, & glorificatione, in plenam & manifestam vsurpationem potentiæ dexteræ Dei collocata est: ita, vt iam dex-

tera Dei, omnes ſuas operationes, in aſſumta, cum aſſumta, & per aſſumtam naturam exerat, exerceat, perficiat: & aſſumta natura ad exſequenda opera dextera Dei adhibeatur. (*Hic multa ambigua, alia falſa.*) Confirmationem ſubdit. *Patrem omnia facere per filium, vt per dexteram ſuam naturaliter & eſſentialiter, propter* ὁμουσίαν: *Deitatem verò* τοῦ λόγου *agere per humanam naturam, ſed perſonaliter, propter hypoſtaticam cum ea vnionem.*

Ad ſummam concludit: *Chriſtum quatenus homo eſt, ſedere ad dexteram Dei, nil aliud eſſe, quam eam poteſtatem, maieſtatem, potentiam*, & gloriam accepiſſe (non eſſentialiter ſed perſonaliter, quòd eſt eius perpetuum effugium) quam & pater, & idem filius ſecundum Deitatem habet.

Hãc eſſe eius concluſionem, inde manifeſtum eſt, quia p.349. apertè ſcribit, *creatitiam poteſtatem & maieſtatem, nõ ſatisfacere ſcripturę teſtimoniis quæ affirmant, Chriſtum ſecundum aſſumtam naturam eſſe in gloria Dei, & ſedere ad dexteram patris: ideóque opus eſſe ipſa propria Dei omnipotentia & maieſtate: vt per hanc natura humana illa omnipotentia Dei prędita, ſuas actiones edat, & ſua opera exſequatur diuina natura, ſicut etiam per ferrum ignitum, & vero ac reali igni vnitum, ignis ſuas edit actiones & opera perficit ſua.* Hæc eſt Kemnitij ſententia de ſeſſione ad dexteram Dei.

Quomodo verò eam probat? *Quia ſcriptura vocat eam gloriam in qua eſt, & dexteram atque potentiam ad quam ſedet, gloriam & potentiam Dei, dexteram virtutis Dei, maieſtatem Dei, &c. Non igitur creatitiam tantum accepit, ſed etiam ipſam increatam Dei omnipotentiam, maieſtatem, gloriã.*

Et quia huic ſententiæ, & per conſequens vbiquitati repugnat nomen cœli, &, In excelſis: (Gloria enim & maieſtas atque potentia ipſa Dei, non in cœlo tantum eſt, ſed vbique: Chriſtus verò, quatenus homo eſt ad dexteram patris, ſedere legitur in cœlo tantum, & in excelſis) idcirco nomina hæc locorum interpretatur & interpretanda docet, pro cœleſti, diuina & excelſiſſima, i. Non creata, & finita, ſed increata infinitáque maieſtate atque gloria.

Ita concludit: Cum dicitur in ſcripturis & ſymbolis, Chriſtum ſedere ad dexteram patris, in excelſis, hunc eſſe ſenſum: *communicatam illi eſſe, quatenus homo eſt, omnem poteſtatem, gloriam, maieſtatémque Dei, non creatitiam, ſed Dei propriam. Non quod in humana natura inſit eſſentialiter, vt in diuina: ſed tamen verè ac realiter, ſicut ignis in ferro, &c.* Vtitur voce PERSONALITER, vt euitet abſurda: ſed & explicationes, & rationes, & ſimilia quibus vtitur, & concluſio totius controuerſiæ, docent illum ſic ſentire: Chriſtum ſedere ad dexteram patris, nihil aliud eſſe, quàm accepiſſe realiter ſibi, hoc eſt, humanæ ſuæ carni communicatam, non ſolum finitam & creatitiam potentiam & gloriam: ſed ipſiſſimam etiam Dei omnipotentiam, maieſtatem, gloriam: qua non ſolùm ad omnia ἀποτελέσματα perficienda, ſed etiam ad omnes actiones edendas, ipſi Deitati concurrere poſſit.

Hæc eſt ſumma interpretationis, quam iſte vir, alioqui doctus, adfert in hunc articulum, *ſedet ad dexteram Dei Patris.* Et hinc concludit realem idiomatum naturæ diuinæ in humana communicationem.

Nunc quid reſpondendum ſit, videamus.

Demonſtrandum eſt, hunc articulum nihil prorſus pertinere ad realem idiomatum communicationem, quæ, vt ipſi aiunt, conſecuta eſt vnionem hypoſtaticam. Ratio eſt:

1. Quia vnio hypoſtatica facta eſt in ipſo incarnationis momento: hæc autem ſeſſio ad dexteram Dei patris, non niſi poſt paſſionem ac mortem: ſicut docet ordo articulorum fidei: Et Euãgeliſtæ, & Apoſtolus Hebr. 1. & alibi καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν, ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ: Vbi Chryſoſtomus οὐχ ἁπλῶς εἶπεν, ἐκάθισεν, ἀλλὰ μετὰ τὸν καθαρισμὸν ἐκάθισεν. Deinde quia vnio hypoſtatica facta fuit in terra: Seſſio autem ad dexteram non niſi in cœlo, i. poſtquam aſcendit in loca excelſa, atque cœleſtia. Sic enim docet idem ordo articulorum fidei, in omnibus ſymbolis Eccleſiæ.

Sic Euangeliſtæ: Sic Apoſtolus Eph. 1. Et Hebr. 1. Et alibi ἐκάθισε (inquit) ἐν δεξιᾷ μεγαλωσύνης ἐν ὑψηλοῖς: ſcil. locis. Sicut etiam Eph. 1. ἐν ἐπουρανίοις, nempe τόποις. Quæ duæ circũſtantiæ, temporis nimirum & loci, efficiunt, vt hic articulus nihil faueat aduerſariis in articulo de cœna Domini. Hæc enim fuit à Chriſto inſtituta ante paſſionem & reſurrectionem, & in terris. Circumſtantia autem loci efficit, vt dextera Dei, licet per ſe ſit vbique, reſpectu tamen humanæ Chriſti naturæ, ſecundum quam ſedet in dextera Dei, non poſſit rectè dici alibi eſſe, quàm in cœlo. Sedet enim in cœlo, ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, ἐν ὑψηλοῖς.

Quare non valet argumentum, Chriſtus ſedet ſuo corpore in dextera Dei: Dextera Dei eſt vbique: Ergo corpus Chriſti eſt vbique: præterquam quòd argumentum eſt ex puris particularibus: etiam plus eſt in concluſione quam in præmiſſis. Corpore enim ſuo ſedet in dextera Dei, non quatenus ea eſt vbique: Sed quatenus in cœlis eſt. Neque etiam valet ſi addant, TOTAM, dicendo, Chriſtus ſedet ad totam dexteram Dei. Dextera enim Dei, i. Deitas ipſa & omnipotentia Dei, cum ſit ſimpliciſſima, eſt tota in cœlo, & in qualibet parte cœli: & tota extra cœlum, ita ſedet ad totam: & tamen non vbique: quia ſedet ad eam eatenus tantùm, quatenus in cœlo eſt, vt ſcripturæ docent. Atque hæc obiter. Cæterùm iis duabus circumſtantiis loci & tẽporis euincitur, Articulum, de ſeſſione ad dexteram, nihil ad diſputationem de reali idiomatum communicatione pertinere: quam contendant ſecutam eſſe vnionem hypoſtaticam. Atque hæc eſto prima reſponſio, Nihil pro reali communicatione idiomatum concludi ex hoc loco, quia ad præſentem diſputationem nil facit.

Ita illud ferrum ignitum, quod hic affert Kemnitius, facilè extinguetur: ſi quis, quid inde concludere voluerint patres, diligenter attendat: vt ſuo declarabimus loco.

2. Cæterùm, quia Kemnitius ambiguas habet locutiones, non ſolum in explicatione huius articuli: ſed etiam in tota hac diſputatione: ita vt modò videatur nobiſcum bene ſentire, dum negat omnipotentiam, & alias eſſentiales Dei proprietates eſſe in natura humana eſſentialiter, formaliter, ſubiectiuè, in ſeſe, per ſeſe: ſed tantùm *perſonaliter* ſeu in perſona: modò, quicquid viſus eſt boni vna manu ædificaſſe, illud totum mox deſtruit altera manu, dum contendit eas proprietates eſſe realiter carni communicatas: idcirco ſecundo loco *interrogandi* ſunt: An verè ſentiant, Chriſtum, quatenus homo eſt, propter ſeſſionem ad dexteram, accepiſſe non ſolùm creatitiam, ſed etiam ipſiſſimam Dei eſſentialem maieſtatem, & omnipotentiam realiter ſibi communicatam, ita vt per eam omnipotentiam, natura eius humana non minus realiter in ſeſe omnipotens ſit, quàm etiam per illam creatitiam ac finitam potentiam? (Hoc nos improbamus.) An verò ſentiant Chriſtum, qua homo eſt, præter finitam, immenſam tamen, quæ illi in cœlo acceſſit potentiam, illam etiam eſſentialem Dei omnipotentiam habere non in ſeſe, ſed in λόγῳ in Deitate, realiter communicatam, ita vt natura humana ſit facta omnipotens, non in ſeſe, ſed in λόγῳ? Hæc cum Leone *prædicantur*, diues in ſuis, pauper in noſtris. Hoc enim *ſenſu* illud, habere realiter ſibi COMMVNICATAM, nihil *aliud fuerit*, quam habere ſibi realiter vnitam. Itaque omnipotentia Dei eſſentialis in humana natura non alio modo fuerit, quàm ei etiam ineſt natura diuina, nempe καθ' ἕνωσιν, manentibus, ſicut naturis, ſic etiam naturarum proprietatibus ſaluis, inconfuſis, impermixtis. Nec alio ſenſu Chriſtus, qua homo eſt, dicetur eſſe omnipotens, & plenus maieſtate, quam etiam dicitur eſſe Deus, nempe perſonaliter, ſeu reſpectu perſonæ verè omnipotentis & veri Dei, cuius perſonæ ipſa humana natura pars facta eſt.

Si hoc alterum dicant, cum & nos idem ſentiamus, & ſemper ſenſerimus, de qua re igitur diſceptant & litigant? Omnia igitur argumenta & ipſorum & noſtra, nil aliud concludent, quam hominem Chriſtũ, ſicut eſt verus Deus: ſic etiam verè eſſe omnipotentem: cuius porrò humanæ naturæ, iam in cœlo exiſtenti, acceſſit realiter immenſa gloria, maieſtas, poteſtas, potentia, & ſupra omnes creaturas exaltatio: quanquam nulla cum Deitate exæquatio.

Si verò hoc nolint fateri, ſed illud prius adhuc tueri velint: tunc præter alia ipſorum argumenta, hoc etiam, *quod* ſumunt à collocatione ad dexteram, refutandum *fuerit*: monſtrata prius vera huius articuli intelligentia. Nam ſicut orta luce, pelluntur tenebræ: ſic patefacta vera intelligentia alicuius loci ſcripturarum, nullo labore falſæ interpretationes & omnes præſtigiæ diſſipantur.

3. Vera huius articuli, SEDET AD DEXTERAM PATRIS, interpretatio afferenda eſt: & vnde nam petenda? Ex ipſis Scripturis & ex analogia fidei: cui ſi accedat etiam conſenſus piæ antiquitatis, eo magis obturari poſſunt ora contradicentibus.

De vero ſenſu verborum Apoſtoli, déque etiam conſecutione, quam inde faciunt nonnulli, multi præclari viri ſcripſerunt: Sed neque nos à ſcopo aberraſſe putamus, cum de hac re in libro de Natura Dei ſcripſimus, in attributo De Infinitate Dei. Aliorum eſto iudicium.

Etſi verò ſententiam non muto, quam ibi explicaui: placet tamen breuiter ex Apoſtoli verbis ad Heb. 1. quis ſit verus ſenſus, clarius declarare. Poſtquam enim dixiſſet, *Chriſtum purgatione peccatorum facta, ſediſſe in dextera maieſtatis, in excelſis, nempe locis: ſubiecit huius ſeſſionis explicationem dicens:* τοσούτῳ κρείττων γενόμενος τῶν ἀγγέλων, ὅσῳ διαφορώτερον παρ' αὐτοὺς κεκληρονόμηκεν ὄνομα. Et quæ ſequuntur.

Summa est: Hac sessione propriè significari Christum, qua homo est, peracta in terris peccatorum nostrorum per ipsius mortem purgatione, & immortalitate donatum, atque in cælos euectum, supra omnes angelos, eòque supra omnes creaturas fuisse collocatum: vt nimirum esset in totius mundi atque in primis totius ecclesiæ gubernatione, vicarius patris, collega atque collateralis. Hoc probat & explicat Apostolus aliquot argumentis.

1. Quia ex illa sessione declaratum est palàm, omnibus etiam angelis, quod solus sit vnigenitus filius Dei. Iure autem naturæ & gentium, filius præsertim primogenitus apud patrem, & in domo patris, suprà reliquos est omnes, & primum à patre locum tenet. Hoc habet, cum dicit: *Tantò præstantior angelis effectus, quanto excellentius præ illis sortitus est nomen. Cui enim vnquam angelorum dixit: Filius meus es tu: ego hodie genui te?* Et rursus: *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium?*

2. Quia pater iussit eum adorari ab angelis. Loquitur autem de filio, prout in carne manifestatus est: hunc totum cum sua carne vult ab angelis etiam adorari. Ergo Christus etiam qua homo est, sicut sedet ad dexteram patris: sic adorandus ab omnibus est: eòque supra omnes est, rex & dominus constitutus. Erat etiam ante ascensionem in cælum talis reipsa: sed nondum erat omnibus notus, neque voluit esse notus: sed post resurrectionem eum voluit pater toti orbi manifestum fieri, & ab omnibus adorari. Ideo Phil. 2. dicitur: *Exaltauit eum, &c vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium (id est, angelorum) & terrestrium (id est, hominum) Et, infernorum (etiam diabolorum.)* Ergo imperium supra omnes accepit ex sua sessione ad dexteram.

3. Quia Christus constitutus est rex omnium etiam angelorum: & quidē per illam sessionem in plenam & manifestam sui regni possessionem peruenit. Angeli autē sunt eius ministri. Ergo, &c. Hoc ibi, *Et ad angelos quidem dixit*, &c.

4. Quia ipse mundi creator est & pro tali agnitus est ex sessione ad dexteram. Angeli autem sunt creaturæ. Ergo, &c. *Et tu in principio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.*

5. Quia hic homo Christus à patre electus est ad mundi gubernationem collega & vicarius: Et hoc tum maximè cum iussus est sedere ad dexteram patris. Angeli autem sunt eius ministri. AD QVEM AVTEM ANGELORVM DIXIT VNQVAM: SEDE A DEXTERIS MEIS, DONEC PONAM, &c.

Hic locus propter Antithesin, qua angelos vocat spiritus administratorios, perspicuè declarat, quid sit, Christum sedere ad dexteram: constitutum scilicet esse dominum & regem supra omnia: & præsertim caput ecclesiæ & omnium electorum, ad quorum salutem mittuntur angeli à Christo. Explicatur hoc argumentum etiam cap. 2. cum dicit: Non enim angelis subiecit orbem venturum, de quo loquimur: nempe sicut Iesu Christo homini, vt postea explicat ex ps. 8. *Quid est homo, quod memor es eius? fecisti eum paulisper inferiorem angelis: gloria & honore coronasti eum: & constituisti eum supra opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus eius*, &c. Orbem futurum vocauit hunc mundum, quatenus per Christum cœpit renouari & perfectam renouationem accepturus est post iudicium vniuersale. Prior enim mundus fuit idem mundus, sed corruptus ab Adamo vsque ad Christum.

Ex hac apostolica explicatione liquet, quid sit, Christū hominem sedere ad dexteram patris. Idem explicatur ex Eph. 1. cum ait Apostolus: *Et sedere eum fecit in dextera ipsius in cœlestibus, supra omnes principatus & potestates, &c. Et ipsum dedit caput, super omnia, ecclesiæ*, &c.

Sic 1. Pett 3. *Qui (Iesus Christus) est in dextera Dei, profectus in cælum, subiectis ei angelis & potestatibus.*

Sic 1. Cor. 15. quid sit Christum sedere ad dexteram patris explicatur: *postea finis, inquit, cum tradiderit regnum Deo & patri: oportet enim eum regnare, donec ponat sub pedibus omnes hostes suos Vltimus autem hostis abolettur mors. Nam omnia subiecit sub pedes eius. Cum autem dicit omnia esse illi subiecta: palam est hoc dici, excepto eo qui subiecit ei omnia*, &c.

Quo ex loco constat, eum regnare, non vt supremum regem, sed vt patris vicarium, & regni consortem: Nam tandē regnum tradet Deo & patri: cui & ipse vt homo, & quatenus mediator subiicietur, cum tota sua ecclesia, &c

Atque hoc est, quod significatur hac locutione, *sedet ad dexteram patris*: nempe supra omnes res creatas, sed infra patrem, id quod etiam inde liquet, quia in isto regno suo, interpellat pro nobis apud patrem tanquam superiorem. Et sic explicat Apostolus ad Rom. 8. *Quis est, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est, imò, qui & resurrexit, & qui etiā sedet ad dexteram Dei patris, qui & interpellat pro nobis.* Interpellare certè inferioris est ad superiorem.

Non ergo quatenus homo, regnat æquali realiter sibi cōmunicata maiestate & potentia cum patre: sed inferior patre: superior autem omnibus angelis. Item, Heb. 8. 10. Describitur Christus, tanquam sacerdos, sedereque dicitur ad dexteram Dei patris: quia potenter suum administrat sacerdotium, in cælo, ad dexteram Dei patris: pontifex certè medius est, inter Deum & populum.

Ex iis locis luculenter apparet: Spiritum sanctum non vsurpasse hanc phrasin de Christo: SEDET AD DEXTERAM PATRIS: vt significaret, Christum, quatenus homo est, ita sedere ad dexteram patris, vt æquali potentia & maiestate sibi realiter communicata cum patre regnet: sed tantum eū regnare vt patris vicarium, superiorem omnibus angelis, sed inferiorem tamen patre. Sed interim non inficiamur, quin dici possit & debeat, Christum, qua homo est, æquali maiestate & honore cum patre regnare, iuxta communicationem idiomatum. Et sic explicanda sunt loca patrum, quę ab aduersariis afferri solent, & possunt. Sed reuera humana Christi natura, sicut ipsa non est comparanda cum diuina: sic etiam honore, potentia & dignitate, non est Deitati æquiparanda.

Ita constat è sacris literis, quod Christus, qua homo est, dicitur sedere ad dexteram patris: illud communicatione quidem idiomatum, propter identitatem personæ, posse exponi de æqualitate honoris, maiestatis & potentiæ cum patre: sed reipsa aliter intelligi non posse, quàm nos exposuimus: interpretatione collecta ex aliis sacræ scripturæ locis: nempe Christum qua homo est, regnare cum patre, tanquā eius vicarium: superiorem omnibus creaturis, sed inferiorem patre. Atque hæc interpretatio nihil habet, quod cum analogia fidei pugnet.

Patres afferre possem multos: sed breuitatis caussa, multitudine testium supersedeo.

Vnum Damascenum, qui omnium patrum nomine loquitur, audiemus li. 3. c. 31. De sessione ad dexterā Dei patris: ἐκ δεξιῶν δὲ τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς καθέζεσθαί φαμεν τὸν Χριστὸν σωματικῶς hoc est, respectu humanæ naturæ dicitur iam sedere ad dexteram patris. Quid verò intelligit nomine dexteræ? Subdit: οὐ τοπικὴν δὲ δεξιὰν τοῦ πατρὸς λέγομεν. πῶς γὰρ ὁ ἀπερίγραπτος τοπικὴν σχοίη δεξιάν; δεξιὰ γὰρ καὶ ἀριστερὰ τῶν περιγραφομένων εἰσί. δεξιὰν δὲ τοῦ πατρὸς λέγομεν τὴν δόξαν καὶ τὴν τιμὴν τῆς θεότητος· ἐν ᾗ ὁ τοῦ θεοῦ υἱὸς πρὸ αἰώνων ὑπάρχων, ὡς θεὸς καὶ τῷ πατρὶ ὁμοούσιος, ἐπ' ἐσχάτων σαρκωθεὶς καὶ σωματικῶς καθέζεται, συνδοξασθείσης τῆς σαρκὸς αὐτοῦ.

Quatuor dicit: 1. Dexteram patris apud quā sedet Christus, esse gloriam & honorem Deitatis, i. maiestatem (vt etiam Heb. 1.) quæ debetur Deitati.

2. In hac gloria diuina fuisse semper filium quatenus Deus est, & patri ὁμοούσιος. Nota hanc caussam. Ergo quod non est patri ὁμοούσιον, huic illa ὁμοουσία, & illa æqualis maiestas non debetur, nisi communicatione idiomatum, vt carni Christi: non autem realiter illi communicatur.

3. Eundem filium Dei, in extremis temporibus incarnatum, etiam corporaliter in eadem gloria sedere: Non dicit carnem sedere: sed eundem filium Dei, etiam incarnatum: quasi dicat, sicut antè existens tantum in forma Dei, erat in eadem gloria cum patre: sic nunc in forma serui existens, ab ea non est repulsus, sed hac etiam vili veste corporis indutus, in eadem gloria sedet: quasi dicat antea nudus, nunc vestitus. Gloria igitur hæc diuina, non est carni realiter communicata: sed ei ratione vnionis in persona filij attribuitur: sicut & purpura regis & cum rege propter regem honoratur.

4. Accessit tamen creata gloria etiam carni. Hoc explicat, dicens, συνδοξασθείσης τῆς σαρκὸς αὐτοῦ. Non ait, carnem in eadem gloria sedere: sed eam simul esse cū filio glorificatam; nempe gloria ei congruente, & cuius ea vero sit capax. Exemplum aquæ calefactæ. Calor in ea productus, longè alius est ab eo, qui in igne calefaciente. Si igitur illud συνδοξασθείσης accipias realiter: de gloria creata, effecto illius diuinæ gloriæ intelligitur. Si de gloria essentiali Dei: per communicationem idiomatum & ἕνωσιν intelligendum est. Explicat ipse Damasce. dicens: προσκυνεῖται γὰρ μιᾷ προσκυνήσει μετὰ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ ὑπὸ πάσης τῆς κτίσεως. Non dicit, quod caro (per se nimirum etiam in vnione considerata) adoretur, sed quod filius μετὰ τῆς σαρκὸς adoretur. Vna enim & eadem adoratione omnes & angeli & homines, Christū Deum illa carne indutum adorant: cur vna adoratione? Quia vna persona, licèt duæ naturæ. Nestoriani duplici adoratione cogebantur adorare, quia diuidebāt naturas. Honor igitur diuinus debetur personæ, quæ est Deus, & quatenus Deus: carni verò non in sese, aut per se, sed in persona, & quia facta est pars personæ, defertur. Honor tamen non ille diuinus, sed alius ei etiam debetur: quo

neque angeli, nec vllæ aliæ creaturæ, præter humanam Christi carnem dignæ sunt.

Ex hac igitur interpretatione Damasceni liquet, quod à nobis dictum est, de sensu articuli: SEDET AD DEXTERAM PATRIS: nimirum, Christum qua homo est, & quatenus in sola ea natura consideratur, non eadem DEI gloria sibi realiter, sed tantùm per communicationem idiomatum communicata, cum patre regnare: realiter verò maxima, sed creatitia præditum esse gloria apud patrem: & in ea tanquam eius vicarium, cum illo regnare.

Ex hac verò, quam luculẽter probauimus, interpretatione, sequuntur per consequens reliquæ, quas in nostris etiam thesibus de sessione ad dexteram retulimus, tum ex Tertulliano, tum ex Augustino. Si enim sedere ad dexteram, est exaltatum esse supra omnes creaturas, & vicarium ac collateralem patris esse factum, in totius mundi administratione: sequitur eum in summa viuere felicitate: sequitur etiam summa eum donatum esse potentia, qua omnia efficaciter regere possit: & ita factum esse omnipotentem: quia quæ non potest potentia humanitati realiter donata, ea potest potentia Deitatis infinita: sequitur denique, cum in perfectam sui sacerdotij functionem, & regni administrationem perductum esse.

Hæc de interpretatione articuli. *Quarto loco*, allata vera huius articuli intelligentia: videndum est, quanam consecutione, ex his verbis: SEDET AD DEXTERAM PATRIS: colligant realem communicationem idiomatum: refutandaque sunt aduersariorum argumenta.

1. Ac primùm, ex vi verborum, quomodo sequitur *sedet ad dexteram Dei patris. Ergo essentiales Dei proprietates, sunt eius humanitati realiter communicatæ*? Mater etiam Salomonis sedit ad dexteram filij in regio eius solio: neque tamen propterea particeps facta fuit regiæ maiestatis atque potentiæ. Cùm mater filiorum Zebedæi petiit à Christo, vt in eius regno sederent illi duo filij, vnus ad dexteram, alter ad sinistram: num propterea petiit, vt æqualiter cum illo regnarent, & æquali potentia ac maiestate fruerentur? Quasi verò non possit aliquis sedere ad dexteram principis: vt tamen æqualis non sit principi. Ergo ex vi sermonis nihil concludetur.

Sed neque ex sensu, quem è sacris literis comprobaui: imò contrarium potius euincitur: quia si Christus, quatenus homo, vicarius tantum est patris in regni administratione, vsque ad finem seculi: certè ex sessione ad dexteram, non est dignitate, potentia & maiestate patri exæquatus. Quid igitur?

Aiunt: Christus secundum Deitatem, est dextera Dei, i. ipsius λόγου Deitas est ipsa dextera. Detur: quid tum? Humana verò natura (aiunt) collata est in Christo (insolens locutio:) & sedet ad dexteram Dei. At neque Scriptura sic loquitur: Sed, Christus sedet. Vbi verò vnquam legitur quod Christus, qua homo est, sederit & sedeat ad suam Deitatem? Sedet ad dexteram patris. Ita (inquiunt) sedet: vt iam dextera maiestatis ac virtutis, in persona τοῦ λόγου, diuinæ suæ maiestatis & potentiæ operationes, in assumta, cum assumta, & per assumtam naturam exerat, expediat, perficiat.

R. Cum Deitas non operetur manibus & pedibus, sed sua voluntate atque imperio: si omnes actiones suas exerat per humanam naturam: annon sequitur, quicquid vult, vt Deus, cum illud non velle nisi per humanam voluntatem? annon proinde sequitur, aut vnam tantum esse voluntatem in Christo, & potentiam, qua operetur: aut si duæ sunt, actiones vnius non distingui ab actionib. alterius; Quid verò est esse Monotheletam, si hoc non est? Quòd omnia agat in ea, cum ea, & per eam humanam videlicet naturam, explicatione opus habet: agit in ea: quia in ea semper manet, vbicunque operetur: agit cum ea, quæcunque ad Mediatoris officium pertinent: quia cum eius, suas etiam partes obeuntis, communione agit. Agit etiam per eam, tanquam per organum suum: non tamen omnia: vt monstratum sæpe fuit.

3. Quod etiam aiunt: *Pater operatur per filium, essentialiter, propter ὁμοουσίαν*, videor intelligere. Sed quod subdunt: *Deitas verò τοῦ λόγου agit per assumtam naturam, non essentialiter, sed personaliter, propter hypostaticam cum ea vnionem*: istud non intelligo, nisi hic sit sensus: quòd vna natura realiter nihil agente, & altera sola operante: ea quæ nihil reuera agit, ideo tamen dicatur agere, quia vnita est personaliter ei, quæ agit. Hoc est enim agere personaliter: vti illud: *Deus gloriæ crucifixus est*: quod ideo dicitur, quia Deitas, quæ nihil est passa, illi naturæ, quæ passioni obnoxia erat, vnita fuit, καθ' ὑπόστασιν.

Sed hic sensus non fauet principali eorum thesi de reali communicatione idiomatum.

Simile igniti ferri, nihil ad rem facit. Non enim vnio ignis, vel potius caloris ignis in ferro, est vnio hypostatica, sed potius inhæsio accidentis in subiecto: ipsi autem negant, & rectè, essentiales Dei proprietates in humana natura inesse subiectiuè & formaliter, &c.

4. Quod item nomen cæli additũ significationi dextræ Dei, interpretantur, pro cælesti ac diuina, & sublimi: corrũpunt sensum Sp. S. qui voluit ostendere, vbinã locorum dominus Iesus sedeat suo corpore: ibi nimirum, quo ascendit & vnde rediturus est, ad iudicandum viuos ac mortuos. Nam inde etiam vult à nobis exspectari. Ac quis nesciat, dexteram Dei, esse rem diuinã & minimè terrenã: vt superuacaneè addatur particula in cęlo, in excelsis, nisi eo nomine, cæli nimirũ, aliud intelligatur quàm res diuina ac cæl[illegible]

5. Quò verò appareat, quàm ambiguè in hoc argumento & astute simul atque inconstanter loquantur: non possum omittere, quin quædam proponam ex Kemnitio: pag. 3·9. *Quartò de communicatione glorię seu maiestatis diuinæ, præter dicta de dextera maiestatis, multa alia sunt scripturæ testimonia, quæ hoc loco annotabimus. Sed quidam audita tantum appellatione diuinæ gloriæ & maiestatis, statim exclamant, Cum diuina maiestas ipsam naturam Deitatis τὸ ὁμοούσιον καὶ συναΐδιον, consubstantialitatem, & coæternitatem definiat: sicut Athanasii symbolum inquit: Patris, filij & spiritus S. vnam esse Deitatem, æqualem gloriam & coæternam maiestatem: Ideo illam nulli rei creatæ, quæ non sit natura Deus, atque ita nec assumtæ naturæ, καθ' ἑαυτὴν καὶ ἐν ἑαυτῇ in se & secundum se competere aut tribui posse. Aliam igitur maiestatem creatitiam, quæ diuina inferior, omnium tamen creaturarum superior sit, intelligendam, quæ Christo in tempore secundum naturam humanã data scribitur. Sed nostræ etiam ecclesię dicunt, maiestatem diuinam non ita communicatam assumtæ naturæ, vt illa eam à diuinitate separatam, essentialiter, formaliter & subiectiuè, secundum se & in se ipsa inhęrentem habeat. Quia enim natura humana in Christo etiam in vnione & post vnionem, non est consubstantialis & coæterna deitati: Ideo nequaquam dicimus esse æqualem gloriam, coęternam & parem maiestatem, diuinæ & humanæ naturæ in Christo, sicut patris, filij & spiritus sancti, propter essentiæ ταυτότητα & personarum coæqualitatem & coęternitatẽ, maiestas par est & potestas, æqualis gloria & coæterna maiestas. In vnione enim non est facta naturarum vel confusio, vel conuersio, vel exęquatio. nec diuina maiestas facta est essentialis assumtæ naturæ conditio, vel essentialiter in eam transfusa.* Hæc omnia ex illo.

Notanda illa verba. SEPARATAM A DEITATE HABEAT: Non accusamini, ô boni, quòd separetis: sed quòd quæ propria sunt Deitatis, realiter communia faciatis humanitati. Notanda & illa: NON FORMALITER, &c. Quomodo ergo? Quicquid enim verè realitérque alicui communicatur: illud ab eo, in se, recipitur & habetur, vel subiectiuè, vt accidens in subiecto: vel essentialiter, vt substantia, in substantia. Item, quicquid ab alio recipitur realiter: illud in sese habeat necesse est. Quid igitur est dicere, humana natura realiter communicatam habet diuinam maiestatem: sed neq. essentialiter, neque subiectiuè habet, neque in sese habet: quid inquam aliud hoc est, quàm quod affirmasti, statim negare? quod vna manu ædificas, statim altera destruere? Ac sic non habet in sese, quomodo ergo adducitis illa dicta, Col. 2. *In ipso inhabitat: in ipso, i. in humana natura.* Itẽ Ioh. 5. *Sic dedit & filio* (i. vt vos, humanæ naturæ) *vitam hab. in semetipso*: videor videre, quid sibi velint isti homines: volunt nauigare inter duas aquas, & verè duabus sedere sellis: non volunt videri negare veritatem: volunt tamen in gratiam hominum errorem aliorum tueri.

Nota & illud: ESSENTIALIS: Diuina maiestas (inquit) non est facta essentialis humanæ naturæ conditio. Omnia sunt κοινωνοῦντα. Sed si non est facta ei essentialis, & tamen recepta est in ea realiter: qualis igitur est illi facta conditio? nũ accidentalis? At hoc etiam negant.

Cæterũ quibusnã præcipuè rationibus adducuntur, vt dicãt ex sessione colligi realem idiomatum cõmunicationẽ?

1. *Ratio: Quia non creatitia, sed diuina est illa maiestas, ac gloria, ad cuius dexteram & in cuius throno, sedet Christus secundum humanam naturam: vt apertè docent scripturæ, quæ de sessione ad dexteram loquuntur.* Ergo, &c.

R. Sed concesso antecedente, negatur consecutio: quæ nulla est, vel ineptissima, vt modò exemplo matris Salomonis veri regis, ostendimus. Si valeret: Sedet ad dexteram & in throno veræ & diuinæ maiestatis, non autem creatitiæ. Ergo realiter hæc diuina maiestas est illi communicata: primum dici non poterit accepisse creatitiam, quod tamen concedunt. Deinde sequetur, Deitatem esse eidem humanę naturæ communicatã, eòque factã esse realiter Deum. Quid enim est illa Dei maiestas aliud, quàm diuina essentia?

2. *Quid*

2. *Quia absurdum est (inquiunt) Christum secundum diuinam naturam sedere in sede diuinæ maiestatis: secundum humanam verò sedere in sella inferiore creatitia sc. maiestatis: & ita duabus sellis sedere: fierent enim duo Christi.*

R. Quid hoc aliud est, quàm in re seria ludere? Non statuimus Christo duas sellas in cælis: sed duas naturas agnoscimus: quarum proprietates alteri realiter incommunicabiles esse dicimus. Quid autem absurdi est quod dicimus, naturam vnam creatitia, alteram increata maiestate & gloria ornatam esse? Sed istud est absurdissimum & impiissimũ atque blasphemum, naturam creatam exæquare Deo: id quod velitis, nolitis, facitis: cùm ei realiter communicatas esse Deitatis proprietates contenditis.

3 *Quia in eo throno* (aiunt) *sedere credendus est Christus, vnde vt homo tentatus per omnia, nostros gemitus audire & nobis præstare misericordiam possit. Hic autem thronus est thronus diuinæ maiestatis.*

R. Sed quis negat eum sedere in throno diuinæ maiestatis? Negatur tantum falsa illatio: Realiter igitur communicatæ sunt eius carni proprietates Dei essentiales.

At non poterit alioqui audire gemitus nostros, & videre nostras miserias, & ita neque compati infirmitatibus nostris: nisi realiter habeat communicatas proprietates. Negatur & hæc sequela. Primum enim tanta vi & oculi eius & aures donatæ sunt: vt non minus è cælo viderit & audierit Stephanum in terris patientem, & se inuocantem: quàm Stephanus vidit Iesum in cælo ad dexteram patris sedentem.

Deinde nunquid homo Christus ignorat, quæ Christus Deus videt & nouit? Vt igitur officium mediatoris faciat: non est ei necesse, vt humanæ naturæ communicatæ sint proprietates diuinæ. Est enim mediator secundum vtramque naturam & actiones vtriusque sunt vnitæ, licet non confusæ. Agit enim vtraq; forma, quod proprium est, cum communione alterius, &c.

4. *Quia in ea maiestate Dei apparuit Mosi & Eliæ & tribus Apostolis in monte sancto: & in eadem veniet ad iudicium & apparebit omnibus in qua etiam iam sedet. Illa autem fuit reuera communicata realiter carni Christi, & erit in fine sæculi. Resplenduit enim facies eius. Ergo quod dicitur sedere ad dexteram maiestatis, verè inde concluditur realis communicatio.*

R. Turpiter fallitur, qui putat gloriam illam visibilem, in qua apparuit Mosi Christus: fuisse ipsam diuinæ essentię maiestatem. Ergo etiam realiter fuit communicata vestib. Christi. Ait enim Euangelista, *Vestimenta eius facta sunt alba sicut nix.* Fuit effectum, non ipsa maiestas diuina. Hanc enim prædicant scripturæ esse simpliciter inuisibilem.

5. *Quia petiit à patre hac gloria glorificari: & vt fideles videant hanc gloriam, quam ei dedit:* Ioh. 17.

R. De loco Ioh. 17 superius diximus. Fideles duplicem Christi gloriam videbunt: Deitatis, oculis mentis: humanitatis autem, corporis oculis.

6. *Quia in hac gloria Maiestatis visus fuit Paulo in via Damascena, Act. 9.* R. Idem quod supra ad 4. Splendor quem vidit Apostolus, fuit res creata: & effectum diuinæ gloriæ.

Quod si quispiam dicat illum quidem splendorem fuisse effectum diuinæ gloriæ; sed interim manifestum fuisse testimonium, carni Christi realiter fuisse gloriam illam Deitatis communicatam, quia ille externus splendor in facie & carne Christi, nil aliud fuerit, quam radius diuinæ gloriæ in eadem carne realiter, sed inuisibiliter communicatę: respondebo, hoc opus habere probatione. Certè de angelis multis legimus in S. literis, cùm apparuerunt hominibus, similes etiam radios ex ipsorum faciebus effulsisse. Et Matt 28. legimus, apparuisse mulieribus angelum, cuius facies erat instar fulgetris, & vestes albę: Num igitur dices, gloriam Deitatis realiter illis communicatam fuisse, & externum visibilémque splendorem, manifestum fuisse signum internæ & inuisibilis gloriæ: Ita certè adorari poterunt angeli tanquam dii. Ergo neq; ex splendore, qui effulsit in facie Christi: colligi potest, diuinam gloriam fuisse realiter in carnem Christi communicatam.

VII. *Septimum* S. literarum genus, ea continet testimonia, quibus declaratur, qui viderunt Christum incarnatum fideles, eos vidisse Deum patrem: quale est illud Ioh. 14. *Philippe, qui videt me, videt & patrem meum.* Item 1. Iohan. 1. *Quod vidimus de verbo vitæ.* Item 1. Tim. 3. *Deus manifestatus est in carne.* Aduersarij autem hæc & similia dicta sic interpretantur, quasi vera esse non possint, nisi concedamus carnem eius fuisse aliter diuinis proprietatibus donatam atque affectam: quæ ita relucerent in carne vt qui carnalibus oculis videbat carnem, Deitatem quoque videre dici posset, propter hanc realem Deitatis communicationem in carne.

R. Turpissimè falluntur in horũ locorũ interpretationib.

Primùm ad locum Ioh. 14 quod attinet, Christus voluit demonstrare, Si Philippus ex miraculis & doctrina verè nouisset Christum esse verum Deum, eum non petiturum fuisse, vt pater ostenderetur: quid ita? quia filius & pater vnus sunt Deus. Hoc explicat & confirmat, dicẽs: *Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor: sed pater in me non in carne, sed in me filio manẽs, ipse facit opera. Credite mihi, me in patre & patrem in me esse: sin minus, propter opera ipsa credite.*

Cum ergo ait, qui videt me: non intelligit qui oculis corporis videt carnem meam, is etiam videt patrem: sed qui me videt oculis fidei, id est, qui credit me esse verum Dei filium: is etiam videt patrem, id est, credit & agnoscit me vnum esse cum patre: Me autem esse verũ Dei filiũ: tum ex doctrina mea si illi credidis, tum ex operibus atque miraculis cognoscere potuistis per id tempus, quo fui vobiscũ. Ergo qui me ex doctrina & operibus nouit verum esse Dei filium, is etiam nouit patrem; quia pater in filio est, & ipse est, qui operatur in filio.

Contextus ipse est perspicuus: Christum voluisse reprehendere Philippum, quòd petendo, vt ostenderetur sibi pater, declarat manifestè, se nondum Christum cognoscere, an sit verus Dei filius, necne. Et sic Patres hunc locum explicant.

Cum ergo hic non loquatur de carne sua, sed de se filio Dei, nec de visu oculorum, sed de visu mentis & fidei, qua fronte hoc loco abutuntur, ad demonstrandam realem idiomatũ communicationẽ in carne, vt ipsi fingũt, factam?

Sed, vt demus, loqui de carne & de visu oculorum: non inde tamen sequetur, quod volunt: quia assumunt nõ caussam pro caussa. Caussa enim propter quam qui videbat Christum hominem, dici poterat vidisse Deum, non fuit, quod in ea carne realiter impressæ essent essentiales Dei proprietates (vt putant vbiquitarij) sed quia caro illa vnita est ad Deitatem καθ' ὑπόστασιν: ita vt fuerit & sit ceu pars illius personæ, quæ Deus est: seu, caussa fuit vnio hypostatica, non autem realis idiomatum communicatio. In filio autem Christo erat pater, quia pater in filio, & filius in patre propter vnitatem essentiæ. Hanc igitur ob caussam, qui videbant Christum, quodammodo dici poterant videre patrem: nempe si credebant Christum verum esse Dei filium.

Sic propriè intelligendum est illud 1. Ioh. 1. *Quod vidimus, quod audiuimus, quod manus nostrę contrectauerunt de verbo vitæ, &c.* Ibi enim de veris externis sensibus quanquam nõ solis loquebatur Iohannes: Quòd sc. suis manibus verbum illud contrectassent Apostoli & suis oculis vidissent, de quo dixerat: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deũ, & Deus erat verbum.* Sed cum Deus sit inuisibilis, ac nemo Deum videre possit: quomodo dixit vidimus? *quia illud verbum caro factum est:* hoc est quia carne assumta in vnitatem personæ sese fecit visibile.

Sic etiam illud 1. Tim. 3. *Deus in carne manifestatus,* intelligendum est: quia s. Deus, non solùm doctrina, edendis miraculis, regenerandis hominibus, & aliis rebus in illa carne præstandis, suam patefecit Deitatem: verum etiam quia illa carnis sumtione, sese hominibus visibilem ac aspectabilem ac palpabilem reddidit. Nihil ergo hæc ad realem idiomatum communicationem.

Sic illud etiam explicandum: Deus noster dedit scientiam suam Iacob, &c. post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus.

VIII. *Octauum* genus testimoniorum ea continet, quib. prædicatur & exemplis declaratur Christum hominem esse adorandum, eóque & eius carnem verbo vnitã καθ' ὑπόστασιν. Hæc enim loca ita explicare videntur aduersarij, vt semper videantur eam carnem adorari non posse, nisi in ea realiter insitæ sint & communicatæ, essentiales Dei proprietates: quas nomine plenitudinis Deitatis intelligunt. Testimonia hæc de toto Christo inuocando & adorando ad finem c. 14. collocauit Kemnitius.

R. Quidam ad hoc argumentum ex iis locis de adorando Christo eiusque carne, petitum, ita respondent, vt disputent, de Adoratione carnis Christi, an caro etiam in vnione adoranda sit necne: qua de re postea nos suo loco dicemus, in illa verba Apostoli Phil. 2. *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur.* In pręsentia censeo sic breuiter esse respondendum.

Primùm, scripturas nusquam dicere, carnem Christi adorandam esse, sed Christum ipsum. *Adorent eum (inquit scriptura) nempe Christum, omnes angeli eius:* non eam sc. carnem. Reuera enim (vt etiam Thomas docet) adoratio debetur personæ: nempe toti.

Quare ex vi verborum scripturæ euincere non possunt carnem adorandam esse, ea scilicet adoratione, qua Deus adorandus est. Ita ruit quod inde extruunt argumentum

de reali communicatione idiomatum.

Deinde, quia cum Athanasio ad Adelphium, cum Synodo Ephesina, Cyrillo, & aliis patribus sentimus adorandam esse carnem Dei, id est Christi, quia pars est personæ, quatenus assumta est in vnitatem personæ: idcirco aliam afferimus responsionem: nempe hic admitti paralogismum non caussæ pro caussa. Causa enim cur caro Christi adoranda sit, nō est realis idiomatū communicatio in carne: sed vnio hypostatica. Ideo enim vna adoratione (vt iubet canon concilij Ephesini) adoramus cum deitate carnem Christi, quia in vnitatem personæ assumta est, id est quia ex deitate & carne, vna & eadem constat persona, quæ adoratur & adoranda est.

Quod si sic argumententur, *Carni Christi realiter communicatur adoratio, quæ debetur deitati. Ergo essentiales Dei proprietates eidem carni sunt communicatæ*: respondebo: primū: consequentiam nullam esse, quia ab officio creaturarum, ad proprietates Dei argumentantur: adoratio enim non est proprietas essentialis Dei: quia sine vlla sui adoratione fuit ab æterno Deus, & ea potest carere. Essentialis autem proprietas ea est, sine qua essentia esse non potest.

At saltem, adorabilem esse, & posse ac debere adorari, proprietas est Deo soli congruens.

R. Falsum est assumtum. Non enim istud est proprietas, sed est quoddam consequens naturam Dei. Non enim ideo Deus est Deus, quia est adorabilis: sed quia Deus est, & omnipotens & optimus & omniscius &c. ideo est adorabilis: quemadmodum etiam debere amari ex toto corde, non est proprietas Dei, sed Dei naturam ac bonitatem consequens.

Deinde ad antecedens: *carni Christi debetur adoratio*: respondeo distinctione. Caro Christi & quidem in vnione posita considerari potest bifariam: aut in seipsa per se, sine cōsideratione diuinæ naturæ, cui est vnita: aut quatenus est vnita, & ceu pars personæ. Si primum: ei non potest humana mens, bona conscientia adorationem attribuere: ratio: quia consideratur vt pura & nuda creatura: cui certè ne exhibeatur adoratio, cauetur lege Dei: & huc spectant argumenta Lamberti Danæi, contra Kemnitium: Et quæ tradit Athanasius ad Adelphium: *Creaturam non adoramus, sed Deum in carne creata.*

Si secundum: non adoratur propriè caro, sed Deus incarnatus, & in carne manifestatus: verùm cum sua carne, sicut rex cum sua purpura: & multo etiam excellentius, quatenus caro in Christo, non est nuda vestis τοῦ λόγου, sed integræ personæ mediatoris ceu pars.

Ac verum est, quod Thomas ait, hanc tractans quęstionem, Adorationem deberi personæ, non naturæ humanæ: Quod si exhibetur parti personæ, illud fieri συνεκδοχικῶς: quatenus pars pro toto accipitur: vt v.g. osculari manum vel pedes alicui regi, quid aliud est, quàm toti regi sese subiicere?

Ergo ex adoratione nihil minus probari potest: quam realis idiomatum communicatio.

Credo satis firmè ac perspicuè responsum esse: & ita aduersariis, omnia sacrarum literarum testimonia, quibus realem idiomatum communicationem probare conantur, erepta fuisse. Ita manet firmum, primum nostrum argumentū. illam de Reali idiomatum communicatione doctrinam, non posse sacris literis demonstrari: Ergo non esse admittendam. Neque enim doctrina est de rebus adiaphoris: sed de re grauissima: de persona nimirum Christi: cuius cognitio è solis sacris literis petenda est.

Summa autem responsionis nostræ est: aduersarios in testimoniis scripturarum explicandis, grauiter & multipliciter peccare: primū in subiecto: quod.n. de persona dicitur: illud de humana natura sæpenumero interpretantur.

Et sic corrumpunt sensum patrum, in eo quod scripserūt: *quæcunque Christo data in tempore leguntur, ea respectu humanitatis data esse intelligenda sunt*: quasi patres dicere voluerint, data esse omnia humanitati: cùm longè alius sit sēsus: sicut explicauimus ex Maxentij dialogo 2. contra Nest. c. 8. 9. & 10. Et sic Athanasius etiā declarat. Agebant.n. cōtra Arianos & postea Nestorianos: Et sensus fuit, data esse, non alij hypostasi à verbo: sed eidem: verum κατ' ἄλλο, h.e. secundum naturam humanam. Non igitur naturæ humanæ, sed personæ data, non simpliciter, sed κατ' ἀνθρωπίνην φύσιν: quæ enim ab æterno habuit Christus, vt Deus: ea in tempore, respectu humanæ naturæ, accepisse dicitur.

In prædicato falluntur: quia cum sæpe scripturæ loquantur de donis creatis: illi interpretantur de proprietatibus Dei essentialibus: & quod illæ de [illegible] intelligūt, hoc isti explicant de actionibus: quasi actiones naturæ diuinę communes sint humanæ.

In verbo seu in modo prędicationis turpiter errant: quia, cùm diuinæ naturæ proprietates de humana prædicantur per gratiam vnionis, isti per realem communicationem prædicari volunt.

Exempla sunt allata inter explicanda sacrarum literarum testimonia, ab aduersariis contorta.

Hæc est summa responsionum nostrarum, ad testimonia sacrarum literarum, quæ iniquè citantur ab aduersariis, pro reali communicatione idiomatum. Atque hæc de primo argumento.

II. Nunc venio ad *argumentum secundum*: quo aduersariis tela etiam patrum quibus se tueri conantur, eripienda sunt. Statuendum enim est, nihil a patribus illis, in conciliis œcumenicis (qualia fuerunt Nicenum primum, Constantinopolitanum primum, Ephesinum primum, Chalcedonense primum, 5. & 6. synodus) definitum fuisse de persona Christi, quod cum S. literis non sit consentaneum.

Cùm igitur monstrauerimus nihil ad realem communicationem idiomatum pertinere dicta scripturarum, quæ ab aduersariis adferuntur: Idem quoque in genere sentiendum est de dictis patrum: Et ratio est: quia patres præterquam, quod à sacris literis declinare, animus illis non fuit: certas etiam tradiderunt regulas, quæ cum reali idiomatum communicatione consistere non possunt: sed eam prorsus euertunt: quales sunt hæ. *Quorum diuersa sunt naturæ & ἴδια, eorum etiam diuersæ sunt actiones & contra. Item quòd nulla natura contrariarum proprietatum est δεκτική. Item quod cui non competit realiter essentia Dei, eidem neque realiter competere possint essentiales Dei proprietates*: & alia his similia axiomata de quibus postea dicemus. Item talia definierunt aduersus Eutychem, Monophysitas & Monotheletas, cum quibus realis idiomatum communicatio congruere nullo modo potest: Item quæ definierunt etiam contra Nestorium de vna tantum hypostasi in Christo, realem idiomatum naturæ diuinæ in naturam humanam communicationem, prorsus ἀδύνατον esse demonstrat, vt postea dicemus.

His igitur atque aliis de caussis dici non potest, patres aliquid de reali idiomatum communicatione statuere voluisse & contra S. literas definire.

Quare sicut supra diximus de scripturis, omnia etiam patrum dicta ita explicanda sunt, vt de communicatione idiomatum intelligantur, aut secundum gratiam vnionis, aut secundum illarum effecta. De effectis similibus res est extra controuersiam. De iis enim multa exstant apud Patres testimonia. De prædicatione proprietatum secundum gratiā vnionis infinita etiam sunt: ad quorum confirmationē affero vnum è scholiis græcis in Epistolam ad Heb. c. 9. Apostolus ait, σκηνῆς, i. carnem, per quam ingressus est Christus in sancta sanctorum, id est in cœlum cum sanguine, nō esse huius creationis: οὐ χειροποιήτου, τουτέστιν οὐ ταύτης τῆς κτίσεως. Quomodo non huius creationis? annon fuit res creata & nostræ ὁμοούσιος caro Christi?

Respondent scholia, carnem Christi esse & huius creationis & non huius creationis, diuersis respectibus: huius creationis, quatenus nostræ est ὁμοούσιος & à Deo condita. Non huius creationis κατὰ τὸ ἔχειν ἀσυγχύτως καὶ ἀδιαιρέτως [illegible] θεότητα [illegible] τῆς κτίσεως [illegible] τὸ ἔχειν τὴν θεότητα [illegible] σῶμα αὐτὸ καθ' αὑτὸ ὁμοούσιον [illegible] ἡμετέρῳ. Obseruandus est hic locus pro regula generali, ad omnes patrum autoritates, cum de proprietatibus diuinæ naturæ ita loquuntur, vt eas videantur humanæ assumtæ naturæ attribuere: sicut exempli caussa Apostolus quoque illi attribuit, quod non sit huius creationis, i. quod non sit creatura: cùm tamen reuera sit creatura.

Nempe igitur illa patrum dicta intelligēda sunt de communicatione non reali, quasi caro Christi realiter sit increata: sed κατ' οἰκονομίαν seu gratia vnionis: quod sc. ideò dicatur increata, quia ἀσυγχύτως coniunctam habet Deitatem, quæ non est creata: ita vt huius gratia nomen increatæ, naturæ etiam creatæ conueniat: sicut nomen Electricis, vxori etiam Electoris conuenit, non quod reipsa officium & dignitatem electoris habeat, sed propter electorem, quo cum est vna caro.

Liquet etiam hoc à contrario. Apostolus ait, Deum passum: quomodo? non realiter in sua deitate, sed in carne, i. quia caro realiter passa est, ideo passus dicitur Deus, qui carnem habet sibi vnitam καθ' ὑπόστασιν. Sic igitur contra etiā caro eandem ob caussam & eodem sensu dicitur facta omnipotens, deificata &c. non in se, sed in λόγῳ.

Cæterū sæpissimè etiā patres loquuntur de communicatione

tione reali, secundum creata dona: sed aduersarij perperam interpretantur de reali essentialium idiomatum communicatione: quemadmodum videbimus in exemplis patrum manifestissimè.

II. Secundum igitur argumentum nostrum hoc est.

Ex œcumenicis conciliis, aut ex probatis patribus hæc realis idiomatum communicatio probari non potest.

Non est igitur admittenda. Sed hic excipiunt aduersarij, & multas patrum coaceruant autoritates, vt persuadeant, suam doctrinam esse doctrinam veteris Ecclesiæ. Et quidē Kemnitius c.25. præter synodum quintam (quæ tamen in Monotheletis hunc eundem errorem damnauit) triginta duorum etiam patrū testimonia, & quidem permulta adfert: è quibus ipse colligit decem theses ad finem capitis, de prærogatiuis naturæ humanæ in Christo vt loquitur: quarum plerisque omnibus subscribo: Vt, *quod sola concepta sit sine semine viri, è Spiritu sancto non seorsum à persona λόγου: sed in λόγῳ*: Vt *quod sola sit assumta in vnitatem personæ τοῦ λόγου*: Vt, *quod proprietates cuiusque natura attribuantur realiter alteri sed in concreto: hoc est persona propter vnionem.* Vt *quod in officiis Messiæ & operibus nostræ salutis, vtraque natura agat, quod suum est proprium, cum alterius communione, seruata cuiusque proprietate & differentia*: Vt, *quod innumeris & excellentissimis donis, supra omnes creaturas sit illa natura humana ditata & ornata*: Vt, *quod hæc sola ad Dexteram maiestatis Dei realiter sit exaltata*: Vt, *quod totus Christus Deus, & homo, vtraque sua natura toti suæ ecclesiæ, vt caput membris & corpori adsit.*

Hæc omnia sunt apud nos extra controuersiam.

Sed, quod scribit Th.6. humanam sc. naturam propter vnionem hypostaticam, sicut totam plenitudinem Deitatis in se personaliter inhabitantem habet, ita eadem ratione donatam & locupletatam esse diuina virtute, actione & maiestate (essentialibus nimirum diuinæ naturæ τοῦ λόγου proprietatibus) & quod iis etiam suo modo cooperetur (diuinæ s. naturæ) in officiis mediatoris: totum hoc opus habet explicatione.

Duo dicit: Vnum quòd humana natura plenitudinem Deitatis in se personaliter inhabitantem habet: alterum quòd eadē ratione locupletata sit idiomatibus diuinis, &c.

Si illud *eadem ratione* referant ad *personaliter*, & intelligant, humanam naturam ita personaliter esse ditatam propriis naturæ diuinæ idiomatibus: sicut etiam personaliter in ea inhabitat plenitudo Deitatis: ego certè non contradixero: & ita omnes docti ac pij concedunt, humanam Christi naturam personaliter esse omnipotentem, vbique præsentem, &c. Sensus enim est, non realiter & in sese: sed in persona tantum Christi, propter Deitatem quæ talis est in sese, & talem ipsam esse. *Simile*, quo hoc explicetur, non ineptè sumi à nostra iustificatione in Christo potest. Bifariam dicimur iusti esse: realiter in nobis ipsis, id est propter iustitiam realem in nobis ipsis existentem & inhærentem, 2. imputatiuè in Christo, cui tanquam capiti, in vnum corpus per fidem & per ipsius spiritum, coniuncti sumus. Primæ iustitiæ respondet certo quodam modo realis creatorū donorum communicatio atque collatio in humanā Christi naturam facta. Alteri iustificationi, respondet essentialiū proprietatum diuinæ naturæ, non realis sed ceu imputata κοινωνία: qua humana natura dicitur in persona Christi, cuius est ceu pars, esse omnipotens, vbique præsens, &c.

Si hic sit sensus D. Kemnitij, cum ait humanam naturam Christi personaliter & κατ' οἰκονομίαν vnionis ditatam & locupletatā esse essentialibus diuinæ naturæ proprietatibus, maiestate & gloria diuina: quis improbare queat? sicut. n. verè dicitur λόγος personaliter passus esse, quia in carne assumta, licet non realiter in se ipso, passus est: sic etiam nō incongruè dicitur caro personaliter omnipotens & vbique præsens esse, quia licet talis non sit realiter in se ipsa, est tamen talis in persona: eo scilicet sensu, quem explicaui. Et huc pertinet, quod patres dicunt, humanam naturam ita deificatam esse, sicut λόγος incarnatus est. λόγος certè non dicitur incarnatus, nisi quia in vnitatem personæ suscepit & sibi vniuit eam rem, quæ reuera caro est, anima humana prædita. Ergo etiam caro ideo propriè dicitur deificata esse, non quia realiter in eam communicata sit plenitudo Deitatis, sed quia in eius vnitatem suscepta est, qui reipsa Deus est. Atque hoc est vel carnem personaliter esse Deum & omnipotentem: vel Deum personaliter esse carnem & infirmum.

Ac videtur D. Kemnitius multis in locis, hoc ipsum intelligere, nomine communicatæ maiestatis in carnē. Nam c.24. ad finem in tria resoluit, quæcunque de hac quæstione dixerat ex Scripturis.

1. Quod quæcunque Scriptura tradit data fuisse Christo in tempore: ea data esse intelligenda sint, non secundum diuinam, sed secundum humanam naturam. Hoc dictum patrum, quomodo intelligendum sit, partim dixi, partim suo dicam loco.

2. Quod quæ Scriptura docet data fuisse assumtæ naturæ, ea sint non solū creata dona sed etiam ipsa idiomata Deitatis propria. Neque hoc dextrè explicatum negamus. Sed quomodo hæc idiomatum data sunt? subdit modum.

3. Igitur propositione ait, communicata illa esse, non per essentialem effusionem, aut physicam seu formalem inhæsionem, per confusionem, conuersionem aut exæquationem siue naturarum siue proprietatum essentialium: sed per κοινωνίαν vnionis. Hæc ibi.

Quis hic non dicat, Kemnitium idem sentire ac docere, quod & nos de hac quæstione. Nam neque simile ferri cādentis, quod explicationis loco subdit, me offendit, aut contra sententiam nostram facit, modo eo sensu explicetur, quo patres illo simili vsi sunt: nempe quod ignis vnitus sit ferro, non autem realiter communicatus: id quod & distinctæ vtriusque (ignis sc. & gladij) actiones, vstio nimirum & incisio, demonstrant.

Itaque nemo est, qui spectatis Kemnitij verbis, non dicat ab ipso nil defendi, nisi veram & realem naturarum & earum proprietatum vnitionem, non autem realē communicationem: præsertim cum constanter dicat, hanc idiomatum communicationem fieri sine vlla mutatione, aut confusione, aut exæquatione naturarum. Realis autem alicuius rei in aliam communicatio fieri non potest, sine aliqua mutatione aut confusione, sicut in omnibus rebus naturalibus fieri videmus. Rectè igitur sentire videtur Kemnitius.

Cæterùm ni fallor non ita se res habet.

Primùm enim status controuersiæ, & scopus Kemnitij in sua sententia tuenda, qui fuit & est, vt à reali communicatione omnipotentiæ in carnem Christi facta, carnalem eius præsentiam non tantùm in cœna, vbicunque locorum celebratur, sed etiam in pane defendat: aliud certè demonstrat. Deinde idem luculenter declarant ipsius verba ad calcem c.25. p.433 cum ait: Naturam humanam, illis (idiomatibus sibi communicatis) cooperari, naturæ scilicet diuinæ: quod perinde est ac si tu dicas, humanum corpus propter vnionem cum anima, communicata sibi intelligēdi & volendi facultate, cooperari menti ad intelligendum & volendum. Quis enim ex tuis istis verbis non intelligat manifestissimè, te sentire, facultatem intelligendi & volendi à mente realiter communicatam esse corpori? Si enim eadem potest & agit corpus, quæ & mens, propter vnionem cum mente: facultates certè mentis, realiter corpori communicatas esse euincitur: quia quorum eadē realiter est facultas, eorum etiam eadem est actio: & contra, quorum eadem actio, eorum etiam eadem agendi facultas: id quod non ita se habet in simplici vnione, etiam hypostatica: Anima enim hypostaticōs vnita est corpori: nec tamen corpus potest, quæcunque anima potest, sicut nec anima, quæcunque potest corpus. Cum igitur Kemnitius non dicat, humanam naturam suis donis tantum creatis, sed diuinis idiomatibus sibi communicatis, suo modo cooperari naturæ diuinæ: manifestè docet, se tueri, non veram naturarum vnitionem, sed realem idiomatum diuinæ naturæ in humanam, communicationem: communicationem inquam talem, qua hæc possit, quod illa: hæc enim est vera realis idiomatum essentialium communicatio, qua scil. fit, vt vna possit, quòd & altera: & talia, qualia & altera.

Quare vt vt ambiguè loquatur & sæpe videatur improbare substantialem idiomatum diuinæ naturæ in humanam effusionem, quæ idem reipsa est, quod realis eorūdem communicatio: ex statu tamen totius disputationis aduersus nos & ex ipsius conclusionibus, & ex scopo totius libri, manifestè euincitur, propositum huic homini fuisse in hoc libro, & in citandis Scripturis ac patribus, vt realem idiomatum naturæ diuinæ in humanam communicationem tueatur, talem inquam tueatur communicationem, qualem ante declarauimus.

Nos autem, sicut ostendimus è sacris literis, talem communicationem demonstrari non posse: sic nunc idem contendimus de patribus, ac proinde quascunque affert ex patribus autoritates, eas extra sensum & mentem patrum ab illo contorqueri dicimus.

Primùm autem respondebo in genere ad omnia testimonia indicatis fontibus paralogismorum, qui in citandis patribus admittuntur ab aduersariis.

Deinde speciatim singulorum patrum, quibus nititur Kemnitius examinabimus testimonia, & quam iniquè ad realem idiomatum naturę diuinę in humanam communicationem torqueantur, planum, Deo fauente, faciemus. Nunc ad rem.

Ac ad primum quod attinet: Danæus tria pręcipua vitia obseruauit; quæ in citandis patribus à Kemnitio admittuntur. 1 quod nomen κοινωνίας apud patres græcos frequentissimum accipit pro μετοχῇ, id est, reali participatione: cum patres ea voce sæpenumero nil aliud voluerint, quàm ἕνωσιν. Est autem maximum discrimen inter vnius & alterius vocis significationem. Naturæ & naturarum proprietates in persona vniuntur non autem ab vna natura in alteram realiter communicantur, quod tamen facit Kemnitius contra voluntatem patrum.

2. Quod apud patres distinguuntur ἀποτελέσματα nostrę salutis, ab ὑποστάσεως naturarum, quę ad vnum ἀποτέλεσμα cōcurrunt distinctæ. Kemnitius autem confundit & communes etiam facit actiones Deitatis cum humanitate.

3. Quod quæ sunt propria òpera Deitatis, ea sæpe attribuit realiter carni: quæ tamen à patrib. distinguuntur. Exemplum: Vt, quod Christus ingressus sit suo corpore ad discipulos ianuis clausis, hoc patres dant deitati: Kemnitius autem ipsi corpori, cui fingit realiter datam fuisse & communicatam diuinam omnipotentiam, ex vnione hypostatica.

Hęc tria magna vitia, verè & prudenter obseruauit doctissimus Danæus. Sed nos alia quoque nonnulla nobis obseruasse videmur. Duo autem sunt præcipua vitia, è quibus tanquam ex fontibus reliqua ceu riuuli, tique multi profluunt. Vnum est, quod in recitandis patrum dictis non semper agunt bona fide.

Alterum, quod etiam, quæ fideliter recitant, ea à genuino patrum sensu in adulterinum detorquent.

In primo peccant trifariam. *Primùm*, quod omittunt ea, quæ apertè contra suam faciunt opinionem: & quæ veram patrum sententiam exprimunt, id quod certè in theologia fieri non debet. Talia autem proferunt testimonia, quæ tamen caussam illorum non iuuant, vt in exemplis modò videbimus. Exemplum vide infra de 6. Synodo.

Deinde sententias aliquando truncatas afferunt, prætermissis illis verbis, quæ quid sibi voluerint patres, luculenter aperiunt: vt exempli caussa, illud Leonis: *Vtraque forma agit quod suum est, &c.* omittunt illa postrema verba: *Verbo agente, quod verbi est, & carne exequente, quod carnis est.* Hæc enim verba nimis apertè realem idiomatum communicationem euertunt.

Adde 3. quod aliquando etiam verba inuertunt: vt cum Leo dicat: CVM ALTERIVS COMMVNIONE: illi legunt CVM ALTERIVS COMMVNICATIONE: quia hæc vox magis ad illorum opinionem accedere videtur, quàm nomen COMMVNIONIS.

II. Hæc de primo genere vitiorum: iam ad alterum genus. Quod si integras & sinceras recitant sententias: eas à patrum mente in longè diuersum sensum detorquent: id quod fit multis modis: quia aut subiectum, aut prædicatū, aut modum prædicationis deprauant.

Declaraui hoc paulo ante in responsionib. ad testimonia scripturarum, declarare adhuc fusius non fuerit inutile. Regulæ enim generales, & scitu necessariæ, si sæpius repetantur, reprehendi non potest, propter vtilitatem & necessitatem.

In detorquendis patrum dictis à genuino sensu: hæc solent admitti peccata seu fraudes *Vna* est, quod patres sæpissimè loquuntur de creatis donis, de creatitia maiestate, gloria, potestate: Aduersarij autem ea dicta, de essentialibus Dei proprietatibus interpretantur. Vt dictum Eustathij pag. 382. *Filius Dei Deus existens, non recipit δόξαν ἐπίκτητον: sed homo ex mortuis resuscitatus, glorificatur.* De ista enim exaltatione & glorificatione alij patres ita loquuntur, vt declarent, non esse illam essentialem Dei propriam: sed creatitiam, ab illa, qua nos quoque glorificandi sumus, non genere diuersam, sed gradu: non qualitate, sed quantitate vt explicat Theodoretus dialog 2. & ad Phil. 3. In qualitate, non in quantitate erunt corpora nostra, corpori CHRISTI conformia.

Leo etiam epistola 11. ait, *Animam Christi excellere nostris, non diuersitate generis, sed sublimitate virtutis.* Et certè ex verbis etiam illius Eustathij, quem citant, idem euincitur: nomine τῆς δόξης ἐπικτήτου nil aliud intelligi posse quàm gloriam creatitiam, vt videbimus suo loco. Non enim est negligendus propter autoritatem tanti patris. Kemnitius tamen de essentiali DEI gloria, realiter in carnem communicata intelligendam omnino contendit.

Altera fraus est, quod quæ dicta patrum sunt intelligenda περὶ τῶν ἀποτελεσμάτων vtrique naturæ communibus, pro modo tamen cuiusque naturæ proprio: ea nostri interpretantur de actionibus, quasi patres docere voluerint actiones seu ἐνεργείας diuinæ naturæ, communes esse etiam humanę: & hanc esse illi in actionibus συνεργόν, illamque nihil nisi per hanc agere: qua in re perpetuo fœdissimè peccant.

De hac re diximus supra in quæst. 11. Ex Dam. li. 3. c. 15. Sed in exemplis etiam videbimus hanc fraudem

Tertia, quod patrib. sæpenumero sermo est de persona Christi, i. de Deo in carne manifestato: illiúsque gloriam & maiestatem diuinam prædicant: isti autem nostri ita illa dicta ad carnem ipsam torquent, quasi patres docuerint diuinam illam & essentialem Dei maiestatem carni realiter esse communicatam: cum nihil aliud dicere voluerint: quam diuinam maiestatem & gloriam, in carne & per carnem fuisse patefactam, vt v. g Diuina maiestas atque essentialis Dei gloria, quæ oculis humanis omnino inuisibilis est, in facie & vestimentis Christi, creatitia gloria & maiestate illustratis, sese patefecit in monte sancto. Item essentialis increatáque omnipotentia, sapientia, bonitas, per sua effecta in humana natura sese exerere solebant: quo illud Ioh. 1. *Vidimus gloriam eius, &c.* Ioh... *Manifestauit gloriam suam, &c.* Et Ioh. 17. *Glorifica filium tuum apud te ea gloria, quam habui. &c.* id est, per carnem gloria creatitia, resurrectionis, & ascensionis & ad dexteram tuam exaltationis, glorificatam: meam etiam Deitatem & gloriam, angelis & hominibus in cælo & in terra illustrem efficias. Sic enim patres explicant.

Aduersarij autem ita interpretantur, quasi Christus petierit suam carnem illa æterna & increata gloria realiter donari.

Quarta fraus cum hac tertia coniuncta est: Ea autem est: quòd cum sæpe patres de humana natura tanquam de organo Deitatis, per quod sese, suámque potentiam exerit, loquantur: talia dicta sic nostri deprauant, quasi humana natura, per omnipotentiam sibi realiter communicatam, tanquam perfecta efficiens causa operetur: v. g. Cyrillus ait, carnem Christi viuificare: intelligit autem λόγον, per carnem sibi secundum hypostasim vnitam, *intelligentem* ac volentem, salutémque nobis promeritam *ac dispensantem*, hoc facere: sed nostri aliter, quasi *caro vim* Deitatis in se habeat realiter communicatam viuificandi.

Harum quatuor fraudum, quæ priores admittuntur in prædicato: duæ posteriores in subiecto: cùm sc. ad carnem referunt, quæ aut de persona, aut de natura diuina per carnem tanquam per organum operante dicuntur.

Quinta fraus admittitur in modo prædicationis, quo aliquid de subiecto prædicetur.

Est autem duplex modus prædicandi aliquid de Christo eiusve naturis: Vnus proprius, alter improprius ac figuratus. Proprius est, cum de Christo propriis personæ nominibus significato, aliquid vel tanquam pars eius, vel tanquam proprium, vel actio, vel passio prædicatur: vt Christus homo, est Deus, est omnipotens, remittit peccata, est passus. Cum enim Christus verè sit Deus & homo, ideo vtraq. natura & quę cuiusq; naturę sunt propria, de Christo nominibus talis personæ propriis significato, vt est nomen *Christi*, Immanuelis, &c. propriè prædicantur. Ac de iis nulla est controuersia. Improprius autem & figuratus est, cum de Christi persona, nomine vnius naturę concretiuo significata, aut altera natura, aut alterius naturę proprietates, pręedicantur: Vt homo iste est Deus: Deus est homo: Itē homo est omnipotens: Deus est crucifixus. Atque hunc modum vocant communicationem idiomatū, & τὴν ἀντιδόσεως τρόπον. Sed hic etiam duplex est: vnus realis, alter (vt vocant) dialecticus, seu verbalis: Prior est, cum nomen naturæ concretiuum, in subiecto positum materialiter, hoc est, pro ὑποκειμένῳ accipitur. Dialecticus verò, quatenus idem nomē formaliter accipitur, hoc est quatenus ipsam naturam significat, vt in exemplis modo allatis liquet, Deus est passus, &c. Quatenus nomen Dei, pro persona CHRISTI, qui est Deus, accipitur passio seu pati, de illo prædicatur realiter; quia enim verus etiam homo est, verè etiam & realiter passus est: ac proinde hæc prædicatio, communicatio idiomatum realis vocatur; Quatenus verò idem nomen DEI formaliter significat naturam diuinam: eatenus pati de illo minimè realiter, sed tantùm verbo tenus prædicatur: Tantummodo enim nominatur seu significatur Deitas illo concretiuo nomine Dei: non autē res ipsa, nempe pati, in illam re ipsa cadit: ac proinde cōmunicatur illi passio, nō realiter

liter, sed verbaliter tantum. Hæc est communicatio idiomarum verbalis, & prædicatio per gratiam vnionis à Scholasticis vocatur: cuius vnionis caussa fit, vt Deitas, & quæ sũt humanitatis propria, sua ducere, & vicissim quę sua sũt propria, naturæ assumtæ attribuere seu cõmunicare à Cyrillo & aliis Patribus, dicatur, non realiter, sed verbotenus, & ceu per imputationem. Quo sensu Deitas dicitur, quæ sunt humanitatis propria, sua ducere, seu sibi appropriare: Eodem etiam dicenda est, quæ sua sunt propria, humanitati attribuere seu communicare. Atqui quæ sunt humanæ naturæ propria, vt pati, ea non sua facit realiter, quasi & ipsa patiatur, moriatur. Ergo neque sua propria humanæ realiter communicat, sed imputat. Sic Deus crucifixus est; Prout nomen Deus personam, nẽpe Filij denotat: realissima est illa prædicatio: prout verò significat Deitatem, verbalis tantummodo est. Ipsa enim realiter passa non est. Sed quia nominatur in subiecto: ideò etiam nominetenus intelligitur in prædicato. Quæ diximus: exemplo in artibus illustrantur. Esto philosophus qui etiam sit architectus. Si dicas, Architectus domum ædificat: propria est locutio: Secundum enim architecturam ædificat. Si verò dicas, Philosophus ædificat, impropria est prædicatio. Nõ enim quatenus Philosophus, sed quatenus architectus ædificat.

Rursus hæc impropria prędicatio bifariam considerari potest, prout illud nomen Philosophi duo habet significata, materiale (vt scholę loquũtur) & formale. Materialiter significat illum, in quo est Philosophia: formaliter autẽ ipsã Philosophiã, quę inest. Si igitur nomẽ Philosophi materialiter accipias, licèt ÆDIFICARE, de philosopho impropriè prędicetur: realiter tamen prędicabitur: quia τὸ ὑποκείμενον significatur, quod re ipsa ędificat, quanquam nõ τῷ φιλοσοφεῖν, sed τῷ τῶν τεχνῶν ędificandi. Si autem formaliter accipias: de philosophia certè verbaliter tantùm prędicabitur: Non enim aut Philosophia ędificat, aut secundum ipsam philosophus. En duplicem communicationem idiomarũ realem & verbalem. Ac de prima nulla est quęstio, sed de altera. Quintra igitur fraus fit: cum quæ diuinę naturæ essentialia, de humana natura prædicãt Patres, gratia vnionis, & per communicationem idiomatum: illa isti sic explicant, quasi patres senserint, ea realiter de humana prædicari. Hæc frequentissima inuenitur in horum libris: vt in exemplis aliquot videbimus.

Oritur autem inde hoc peccatũ, quod nolunt discernere (vt rectè obseruauit Danæus) communionẽ idiomatũ à reali communicatione, sed ἕνωσιν confundunt cum μέθεξιν: cum tamen patres sæpissimè ponant κοινωνίαν pro ἑνώσει.

Est autem magnum discrimen inter vtramque. Nam vnio etiam hypostatica fieri potest duarum substantiarum sine vlla transmutatione, aut confusione: quemadmodum videmus in vnione animæ humanæ & corporis ad personam hominis constituendam. Hic certè nulla est mutatio, nulla confusio. At verò realis alicuius substantialis formæ, in alteram substantiam communicatio, nequaquam fieri potest sine mutatione. Exemplum: Lignum non potest fieri realiter particeps formæ ignis, sine sui transmutatione: id quod vel solus sensus percipit: & ratio est, quia subiectum idem capax esse non potest duarum essentialium diuersarúmque formatum. Oportet igitur lignum, igne in ipsum agente, sicut paulatim recipit formam ignis, sic paulatim suam propriam amittere: donec tandem totum fiat ignis. En quomodo substantia ignis non potest in lignum realiter communicari, sine ligni transmutatione. Idem in aliis rebus physicis videre est.

Idem de proprietatibus substantialibus alicuius substantiæ in aliam substantiam dicendum est. Quia enim à substantiis, quarum sunt proprietates, separari non possunt (alioqui enim non essent essentiales proprietates, quo illud patrum, *essentialia idiomata non egrediuntur sua subiecta, id est, non possunt alicui communicari, quin & subiecta communicentur*) quia inquam proprietates essentiales, alicuius substantiæ, puta diuinæ naturæ, non possunt realiter alij substantiæ, puta humanæ animæ & corpori communicari, quin etiam essentia ipsa, puta Deitas realiter communicetur: Essentiam autem diuinam humanæ realiter se communicare, nil aliud est, quàm efficere, vt humana in diuinam transmutetur, & ex humana fiat diuina, sicut etiam in ligno, ex vi ignis seipsum suásque essentiales qualitates in illud realiter communicantis, fieri videmus: ideirco concludimus, nullius substantiæ proprietates essentiales, in aliam substantiam communicari realiter posse, sine aliqua transmutatione vel confusione: sicut alias fusius fuit declaratum.

Neque est cur quispiam dicat, hoc quidem verum esse in rebus physicis atque humanis: sed in rebus diuinis, quales sunt essentiales Dei proprietates, rem non eodem planè modo se habere. Mihi enim satis est demonstrasse, nullam in natura fieri realem communicationem, sine aliqua, vel rei, quæ communicatur, vel rei in quam fit communicatio, vel vtriusque simul, mutatione aut confusione: & hac re differre ab vnione realem idiomatum communicationem: Ac proinde meritò patres, in persona Christi mediatoris, nullam voluisse agnoscere naturarum, vel earum proprietatum μετοχὴν, seu realem communicationem, sed tantum ἕνωσιν & κοινωνίαν: quòd ex iis, quæ in natura fiunt, viderint non posse talem in Christo admitti μετοχὴν: & aut naturæ vnius, aut eius proprietatum, in alteram naturam effusionem seu transfusionem, h. e. realem communicationem sine aliqua vel mutatione, vel confusione.

Locus est insignis in Epistola Leonis vndecima, ad Iulianum. Propositio hæc est. *Quod est Deitatis, caro non minuit: quod carnis est, Deitas non peremit.* Sensus est, contra Eutychem, propter vnionem nullam esse factam in naturis mutationem. Vnde hoc probat? *Idem enim* (inquit) *& sempiternus ex patre, & temporarius ex matre, in sua virtute* (id est, *in natura omnipotente*) *inuiolabilis: in nostra infirmitate* (i. *in nostra natura infirma*) *passibilis.*

Summa: probat naturas mansisse integras & inconfusas: quia etiam proprietates non sunt mutatæ, aut ex vna natura in alteram realiter communicatæ. Quomodo? Ait enim Christum in vna natura, diuina scilicet, mansisse inuiolabilem, hoc est, in sua virtute & omnipotentia constantem: in altera autem, nempe humana, infirmum atque passibilem, q. d. Nulla est facta in proprietatibus essentialibus mutatio, id quod ab effectis liquet: Ergo neque in naturis. Quare nec quæ Deitatis sunt, caro imminuit: nec quæ carnis, Deitas peremit.

Ex hac Leonis ratiocinatione, quis non videat, illum, & reliquos tunc temporis patres, hęc duo pro compertissimis habuisse?

Vnum: sicut se habent in Christo naturæ, sic & proprietates: & contrà, sicut proprietates, sic & naturas. Argumentatur enim ab vno ad alterum. Assumit autem a proprietatibus ad naturas: Assumamus igitur & nos, licet. Atqui vna natura non est alteri realiter communicata: neque enim aut Deitas facta est humanitas vel homo, aut humanitas facta est Deitas vel reapse Deus. Ergo neque proprietates vnius sunt alteri naturæ realiter communicatæ; vt natura humana facta sit omnipotẽs, & diuina infirma. Hoc est vnũ.

Alterum est, quòd Leo apertè hanc, quam defendimus nos, tradit conclusionem, nullam scilicet esse idiomatum realem communicationem. Ait enim eundem filium Dei post vnionem mansisse in diuina natura omnipotentem, in humana autem infirmum. Sensus est apertus.

Si facta esset diuinę omnipotentiæ in humanam naturam realis communicatio, profectò tam fuisset fortis & omnipotens in humana, quàm in diuina. Atqui hoc negat Leo. Ergo, &c.

Hoc esto obiter vnum argumentum ex patribus, sed plura audiemus.

Cùm hæc ita se habeant, cõstat, patres, & in primis Leonem, cum nominarunt ἕνωσιν & communionem, minimè intellexisse μετοχὴν & realem participationem, sed tantum ἕνωσιν, & communionem. Ac proinde maximum est discrimen inter vnum & alterum: inter communionem & inter realem communicationem.

Hæc si obseruassent, aut obseruata fideliter sequi, & ad alios referre voluissent nostri: præsentibus careremus molestiis. Quare apparet, quæ sit causa: cur lectores in explicandis patrum testimoniis, hac quintra fraude decipiant aduersarij: Ita vt, quæ patres volunt de humana natura per communicationem idiomatum, & per gratiam vnionis prædicari: ea isti nostri realiter & per realem prædicationem enunciata intelligi velint.

His præcipuis fraudibus indicatis, (nam aliæ quoque, sed suis quæque locis obseruabuntur) nunc explicandum est generale quoddam dictum, quod à patribus omnibus, & præsertim ab Athanasio primùm frequentissimè aduersus Arianos: & deinde ab aliis, aduersus Nestorianos vsurpatum fuit: nempe, *Quęcunque in tempore leguntur data fuisse Christo: ea intelligenda esse secundum humanam eius naturam*

Hoc dicto Vbiquitarij sæpissimè abutuntur ad suam realem idiomatum communicationem. Est igitur etiam hæc patrum regula, antequam ad alia transeamus, semel explicanda, ne in singulis patrum dictis eam cogamur repetere.

Dicam autem primùm, in quem finem, & quo sensu hæc verba vsserint: Deinde quot vitia in hoc dicto explicando, admittantur ab aduersariis.

Cupio autem ab omnibus legi Athanasium in ea verba Domini nostri Iesu Christi apud Matt. *Omnia mihi tradita sunt à patre meo.* Habet enim peculiarem libellum seu tractatiunculam, de his verbis: & quomodo de Christo secundum humanam naturam ea sint intelligenda. Illa verò apud Ioh.5. Quæcunque habet pater, mea sunt: secundum diuinam egregiè explicat. Velim etiam legi orationem secundam contra Arianos: vbi de omnibus, quæ data sunt Christo, quomodo sint intelligenda, abundè disserit, circa medium. Nunc ad rem.

Ad primum ergo quod attinet, caussa, cur patres illam tradiderint regulam, fuit vt Arianis primùm & deinde etiam Nestorianis responderent.

Ariani ex locis, quibus aliquid datum fuisse Christo legitur, conabantur probare, Christum non esse filium Dei Deum patri ὁμοούσιον: hoc argumento. *Cui aliquid à Deo datur in tempore: is non est æternus Deus, Deo enim nihil dari potest: cùm nullius egeat. Atqui Christus fatetur multa sibi data. Ergo, &c.* Nestoriani eodem argumento vtebantur, ad demonstrandum, Iesum Christum aliam esse personam à λόγῳ filio Dei. quid ita? *Quia filius Dei omnia habet ab æterno. Quæ igitur data sunt in tempore: ea non filio Dei, sed filio hominis data esse intelligenda sunt. Qui autem dat, & qui accipit data, personæ sunt & hypostases. Est igitur filius hominis hypostasis, per se diuersa ab hypostasi filij Dei.*

Patres ad vtrunque responderunt distinctione: In vno & eodem Christo duas esse naturas, diuinam & humanam: secundum diuinam nihil in tempore ei datum: sed secundum humanam & quatenus mediator est, omnia ei fuisse data: secundum diuinam dixisse, *Quæcunque habet pater, mea sunt,* nempe ab æterno, non autem data in tempore: secundum humanam verò, *Omnia mihi tradita sunt à patre meo:* omnia mihi iudicanda & seruanda. Non igitur ex datis Christo in tempore, consequi, aut Christum non esse Deum, cum ei non sint data, nisi quatenus homo est, & mediator: aut in Christo duas esse personas: quando eidem, sed non secundum idem data sunt.

En caussam allatæ à patribus regulæ: *Quæcunque in tempore data fuerunt Christo, ea respectu humanitatis data sunt.*

Ex iis quæ diximus, quis etiam sit verus sensus huius regulæ, facilè intelligitur.

Duo sunt rerum genera, quæ Christo datæ in tempore, eóque respectu carni datæ fuisse dicuntur: Increatæ, & creatæ, sed diuersa ratione, diuersóve sensu. *Increata* sunt ipsa Dei natura, omnésque essentiales eius proprietates: quo referri illud posse, *Omnia mihi tradita sunt à patre meo,* non volumus inficiari, quanquam genuinus sensus alius sit. Sed quomodo hæc data sunt? Per gratiam vnionis, h.e. quod quemadmodum natura diuina ita vnita est carni assumtæ καθ' ὑπόστασιν: vt tam verè & realiter iste homo dicatur & sit Deus, quàm λόγος ipse ante assumtam carnem, Deus erat & esse prædicabatur: Ita etiam idem homo, non minus sit & dicatur omnipotens, æternus, immensus, quàm λόγος extra carnem erat: verùm non secundum carnem, sed secundum Deitatem talis est. Sicut enim (vt loquitur Athanasius) Caro cum Deo, Deus est (propter vnitatem personæ) sic etiam caro cum omnipotente omnipotens est, nempe per gratiam vnionis, & idiomatum communicationem.

Hæc de increatis. *Creata* verò duplices sunt, aliæ quæ seruarentur, aliæ quibus ad eas seruandas vteretur. De primis est illud Matt.11. *Omnia mihi tradita sunt* (nempe seruanda, vt Athanasius exponit) à Patre meo: Et illud Ps.20. *dabo tibi gentes hæreditatem,* &c. Ioh.17.17. *Quos dedisti mihi non perdidi ex eis quenquam.*

Ad alterum verò rerum creatarũ & in tempore Christo datarum genus in primis pertinet assumta natura, de qua ad Hebr.10. ex Ps.40. *sacrificium noluisti, corpus autem aptasti mihi.*

Primum igitur, quod dedit filio, fuit forma serui: Deinde huic verbo incarnato, dedit omnia creatitia dona, effecta & imagines diuinorum idiomatum: quibus ditata humana natura ad salutem nostram, Verbo posset cooperari. Hæc omnia dicuntur data non carni, sed Christo.

Sensus igitur illorum verborum Matth.11. *Omnia mihi tradita sunt,* & similium, est, omnia esse filio, tanquam mediatori ac seruatori, tradita à patre, eóque & à seipso, qua Deus est, per carnem seruanda. Sic enim tandem refutata Arianorum ex illis verbis Christi, sophistica, concludit & exponit Athanasius pagina 290. Et cum his consentire ait illud Iohan. 5. Omnia dedit ei in manus. Quomodo dedit? Ostendit Athanasius, *Dedit enim vt sicut per eum facta sunt: ita in eo refici possent:* hoc est, sicut creauit omnia per filium absque carne: sic dedit illi eidem in carne existenti, omnia per carnem instauranda. Dedit igitur pater, non carni Christi omnia instauranda (per se enim instaurare non potuit) nec λόγῳ soli (opus enim fuit carne pro sacrificio) sed filio in carne manifestato, vt per & propter carnem assumtam ac sanctificatam, reliqua omnia sanctificaret & instauraret. Hic est sensus verborum Matt.11. & similium, quem adfert Athanasius. Non ergo carni: Sed filio in carne manifestato, omnia tradita sunt in tempore.

Ad alterum genus rerum in tempore Christo traditarum quod attinet, notandæ hæ propositiones.

1. Filio, ante assumtam carnem nihil creatitium datum fuit, Nulla creatitia potentia, sapientia, dona spiritus: sed hæc omnia erant in eo tanquam in caussa efficiente. Ita in tempore nihil ei datum. Quare hic locum non haber illa patrum regula.

2. Eidem filio, in incarnatione vnita fuit humana natura. Hoc quidem fuit in tempore factum: sed tamen scriptura non ita de hac loquitur, vt dicat, ei datam fuisse carnem, aut animam: sed quòd ipse factus sit caro, quòd assumserit formam serui, quòd pater corpus ei aptarit. Neque de hac propriè locuti sunt patres, cum dixerunt: *Quæcunque Christo data sunt in tempore, ea data esse respectu carnis, nempe assumtæ.*

3. Eidem filio iam in carne manifestato, alia data sunt: tum in ipsa conceptione & vita, tum in resurrectione: vt dona spiritus, potestas, imperium & cætera omnia bona creatitia.

Hæc bona & dona in Christo, quatenus Deus est, seu in natura eius diuina, realiter non sunt nisi tanquam in caussa: neque etiam ei data dicuntur. Ipse enim vt Deus, donat non accipit. In humana autem natura tanquam in suo subiecto realiter insunt: non ad mensuram: vt inde ad nos vi Deitatis deriuentur, ait Athanasius: non quidem eadem numero, sed similia eorum effecta. Ac de iis cum primis intelligitur regula patrum: & hoc sensu quem explicamus: nempe, quòd neque sint data filio Dei ante incarnationem: neque post incarnationem sint ei realiter tradita, Deitatis, sed tantùm humanitatis respectu: seu non quatenus est in forma Dei, sed quatenus est in forma serui. De iis Athanasius in secunda oratione contra Arianos. Vide pag.152.

Interim notandum est, licet realiter hæc data non sint nisi in forma serui, seu in carne: nunquam tamen scripturas dicere, ea esse data carni, vel humanæ naturæ, vel formæ serui: sed semper ipsi Christo. Et patres etiam sic plerunque solent loqui: secuti phrasin Spiritus sancti in Literis. Quid verò ita? Vnionis magis ac magis exprimendæ caussa, inter diuinam & humanam naturas, quæ in vnam Christi personam coierunt. Non dixerunt ergo in hac regula, data esse humanæ naturæ, sed Christo secundum humanam naturam, duabus de caussis. Tum ne daretur hæreticis occasio diuidendi naturas in Christo, & duas personas vel hypostases statuendi: tum, vt significetur, hæc dona, licet in solam naturam humanam realiter sint collata, ea tamen aliquo modo etiam ad naturam diuinam, seu ad Christum, qua etiam Deus est, pertinere: nempe per communicationem idiomatum, propter vnionem hypostaticam cum humana natura: sicuti etiam quæ corpori dantur ad animam pertinent, & quæ sponsæ, ad sponsum.

Sicut enim (ac notetur hæc regula) *quæ propria Deitatis sunt, licet in sola Deitate insint realiter & essentialiter, eadem tamen etiam humanæ naturæ per communicationem idiomatum attribuuntur: sic quæ sunt humanæ naturæ, ac in humanam naturam reapse collata, ea etiam quodam modo diuinæ appropriantur naturæ: vtrùm non alia ratione, quàm per communicationem idiomatum.* Humana Christi natura in sese realiter, non

non est omnipotens, aut vbique præsens: talis tamen esse dici potest in altera natura, quæ per se realiter omnipotens est propter vnionem, quâ illa cum ista in vnam personam vnita est, & contra. Aliud simile: Christus iam in cœlo nihil patitur: quia tamen nobiscum vnitus est, dicitur pati in nobis. Item: nulla re opus habet, & à nobis nihil accipit: propter vnionem tamen, quod datur membris ipsius, illud sibi datum esse affirmat dicens, *Quod feceritis vni ex minimis: mihi feceritis.* Vicissim nos reapse non sumus in cœlo: *cum Christo tamen in cœlestibus sedere dicimur ab Apostolo, Eph. 2.* Quid ita? propter vnionem, quam habemus cum illo; qui realiter sedet in cœlis. Quantò magis hæc reciproca prædicatio vera est in naturis Christi, propter hypostaticā vnionem? Simile aliud: Illustriss. Pr. Ludouicus solus verè & realiter elector est: vxor tamen, quia vna caro cum ipso est, electrix verè vocatur & est per communicationem idiomatum: seu per denominationem: quod certè nomen non conuenit fratri illustriss. N. D. Iohan. Casim. quia inter ipsum & electorem non est illa vnio, quæ est inter maritum & vxorem.

Huius igitur vnionis hypostaticæ clarius exponendæ causa, eòque vt significetur, hæc creatitia bona, quæ realiter in humanam tantùm naturam collata sunt, quodam etiam modo ad diuinam pertinere: scriptura sacra nunquam dicit, hæc data esse carni, sed simpliciter Christo. Diuina enim natura, dum hæc dat humanæ: sibi etiam ipsi quodam modo dare videtur: quia dat ei, quæ sibi vnita est in vnitatem personæ.

Credo satis explicatam esse patrum mentem in illa regula, de iis, quæ tradita in tempore Christo fuisse leguntur.

Nunc facilè videre est, quàm multipliciter peccent aduersarij in hac regula explicanda & vsurpanda.

1. Eam de proprietatibus diuinæ naturæ interpretantur; Omnia data sunt carni: id est, omnia idiomata Dei essentialia; cum plerumque patres locuti sint de creatitiis bonis.

2. Illud *mihi, vel Christo,* ad ipsam restringunt naturam humanam, quasi nullo sensu ad diuinam naturam pertineat, cum patres ad totam personam, sed κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο referāt.

3. Illud, *Data sunt:* de reali communicatione idiomatum essentialium diuinæ naturæ in humanam exponunt: cum tamen, si vnquam patres dixerunt, diuinas proprietates fuisse humanitati communicatas, non intellexerint nisi de cōmunicatione, quæ fit per gratiam vnionis, & quæ κοινωνία ἰδιωμάτων à patribus appellari solita est. His explicatis, ad patrum autoritates, quas obiiciunt, explicandas veniendum est sed si priùs ex illa patrum regula, argumentum non ineptum collegerimus, quo demonstretur nihil minus illos sensisse, quàm, quòd essentiales Dei proprietates, puta omnipotentia, realiter communicatæ sint humanæ naturæ.

Ratio, cur patres dixerint, quæ Christo in tempore data fuisse leguntur, non esse intelligenda de illo, respectu Deitatis, sed tantùm respectu humanitatis, fuit, quia Deitas cū sit omnipotens & perfectissima, non eguit iis donis creatitiis, puta potentia creata & finita: quemadmodum scitè obseruauit Cyrillus.

Si hæc ratio vera est & firma, vt est firmissima: sequitur neque in humanam naturam hæc esse collata, si in eam cōmunicatio facta est realis, essentialium proprietatum diuinæ naturæ. Quorsum enim potentia creata, si habuit omnipotentiam increatam.

Atqui humana natura opus habuit iis donis creatis, & reuera iis fuit ditata. Ergo, &c.

I. Nunc videamus primo loco, quid ex sexta synodo obiiciatur. Etsi enim prius opponunt alios vetustiores patres: quia tamen vniuersalis Synodus maioris autoritatis est & esse debet, quam priuata patrum scripta: idcircò hanc priori loco examinandam sumsimus.

Ex sexta synodo nobis obiicit Kemnitius cap. 25. p. 419. duo dicta D. Athanasij, duo S. Eustathij Antiocheni episcopi: vnum Sophronij Episcopi Hierosolymitani: quæ nihil ad rem, vt videbimus.

Nos verò, antequam ad illa respondeamus, duo obiicimus aduersariis, ex eadem synodo: primum, alia patrum testimonia manifestè realem communicationem idiomatum refutantia. Deinde ipsam totius synodi definitionem. Hæc enim ab aduersariis reticentur.

Actione 10. multa patrum dicta proferuntur contra Monotheletas: inter quæ hæc etiam connumerantur.

Ex libro Iustini de expositione sanctæ fidei, citantur hæc verba: *Sicut hominis operationem nemo separabit à sensibili corpore, ratione tamen eam naturam agnoscet, cuius est talis operatio: sic Christi operationem, ab vno Dei filio nemo separaturus est: cuius tamen naturæ sit proprium, quod agit, ratione facile agnoscet.*

His verbis Iustini, concludere voluit Synodus: sicut duæ sunt naturæ in Christo: sic duas esse operationes: quæ licet sint in vno agente vnitæ inter se, tamen sunt realiter distinctæ: ita, vt quæ ab vna est natura, ea non sit aut edatur ab altera. Quid verò hinc aliud clarius colligitur: quàm proprietates quoque vnius naturæ essentiales, distingui à proprietatibus alterius, & realiter in alteram non esse communicatas? *Citatur & Cyrilli locus ex Thesauro* Sec. 32.

Non est Dei ac creaturæ vna operatio: ne quod creatum est, (alias, ad diuinam eueharur essentiam:) *diuinum habeat potentiam: vel quod diuinum, ad infirmas creaturæ operationes deprimatur.*

Hoc dicto quid clarius: quàm quod creatum est, diuinam non habere sibi realiter communicatam omnipotentiam.

Adducitur & *Athanasius ex libro 4. aduersus Arrianos.*

Si Christum, inquit, diuinum quid agentem vel loquentem, videamus: cognoscamus, quia Deus existens, hæc operatur.

Sin eum humana loqui vel pati viderimus: non ignoremus, quod carnem induens factus est homo.

Quis hic non videat, Synodum voluisse iuxta Athanasij regulam, nos ab actionibus ad proprietates, indéque ad naturas argumentari? Vt, si actiones diuinæ sint eas non ab humana natura, quæ sit realiter ornata diuina omnipotentia: sed à sola natura diuina proficisci concludamus? Si autem omnipotentia Dei in humanam naturam realiter esset communicata: profectò operaretur diuina: & regula Athanasij nihil valeret: quia ab actionibus, naturam vnam ab altera discernere non possemus.

Ibidem profertur epistola Synodica verè diuina, *D. Sophronij Episcopi Hierosolym. in qua, præter alia, hoc quoque legitur. Epitome* pag. 77. col. 2.

Idem ipse vnus manens Christus, & filius & vnigenitus, inseparatus in vtrisque naturis conspicitur: & quæ sunt vtriusque substantiæ naturaliter operabatur, secundum insitam vnicuique essentialem qualitatem, siue naturalem proprietatem. Et paulo post: *Immanuel, Deus & homo, dum vnus est, quæ naturæ vtriusque sunt, naturaliter gessit secundum aliud atque aliud, quæ gesta sunt, operans: secundum quod Deus quidem est, idem ipse, quæ diuina sunt: secundum quod homo, idem ipse, quæ humana sunt (scilicet operans.)*

Quorsum verò hæc in illa Synodo: nisi vt tandem concluderetur, Christum, secundum quod homo est, operari tantùm humana, non diuina: eòque humanam naturam operari non per diuinam omnipotentiam in se realiter communicatam, sed tantùm per suam naturalem, & per supernaturalem etiam sibi donatam. Quomodo enim alioqui discernerentur naturæ?

Hæc & alia clarissima testimonia, ab illa synodo citata, omittuntur à nostris: sed ex iis paucis liquidò apparet, quæ fuerit de hac quæstione synodi illius sententia: idem multo magis liquet ex condemnatione monotheleticæ doctrinæ.

Senserunt illi, propter vnionem hypostaticam factum esse, vt natura humana per nullam aliam vellet voluntatem, aut per aliam operaretur potentiam, quàm per diuinam, sibi in illa vnione realiter communicatam: quod vnus etiam duntaxat esset operans & volens.

Hæc autem doctrina fuit refutata ac condemnata in illa synodo: refutata inquam fuit ab illis patribus, *tum à posteriori*, quia in Christo diuersæ actiones spectatæ fuerunt, quas à diuersis actionum principiis proficisci oportuit: *tum à priori*, quia si in Christo fuerunt, (vt concedebant Monotheletæ) duæ diuersæ naturæ, illæque distinctæ: fuisse igitur & diuersas intelligendi, volendi & operandi facultates: ita vt natura humana intelligeret, vellet, operaretur, non diuinis, sed suis humanis viribus, ac facultatibus: sicut & diuina non humanis, sed suis diuinis intelligebat, volebat, operabatur.

Illam porro fuisse veram & simplicem Monotheletarum sententiam, ex actis & ex disputatione constat. Et hæc vera Synodi est condemnatio, quam recitaui.

Cùm hæc ita se habeant, qua fronte igitur Vbiquitarij è sexta Synodo auxilia sibi petunt, quibus suum Monotheleticum errorem tueantur?

Sed ad singula etiam testimonia quæ adferunt, breuiter respondeamus.

1. Primum *Athanasij dictum extat in Epitome Conc. p. 74. col. 3. Et Conc. Tom. 1. p. 320. col. 2.*

Sublimatum ineffabiliter ostendit hominem, per vnitionem altissimi, & communionem naturæ ex veritate.

Sensus est: hominem quem deceperat & perdiderat diabolus, in massa illa humana, quam assumsit Filius Dei in vnitatem personæ, ineffabiliter exaltatum fuisse propter hanc scilicet vnionem. Sed quid hoc ad realem idiomatum communicationem? Quod ad sublimationem carnis Christi attinet: annon hæc est ineffabilis, quòd in vnitatem personæ τῷ λόγῳ assumta est? Fatemur etiam & prædicamus, exaltatam fuisse eam naturā humanam supra omnes creaturas, supráque omne nomen quod nominatur: id quod etiam est ineffabiliter sublimatum esse. Quis enim hanc exaltationem dignè possit effari & explicare? Sed negamus in locum Dei sublimatam fuisse, ita vt exæquata sit Deo. Infra Deum ac Dei maiestatem semper manet illa exaltata creatura, vt etiam Lutherus docet. Et ideo Athanasius rectè vocat Deum altissimum, humanam autem naturam nō vocat altissimam, aut altissimo exæquatam: sed tantum ineffabiliter sublimatam: significans, infra altissimum, sed supra omnes creaturas esse exaltatam: Et hoc realiter.

Deinde, si velis etiam intelligere sublimatam ad æqualitatem Dei: per me licebit, modò explices per communicationem idiomatum: quòd scilicet natura humana in Christo dicatur exæquata esse altissimo, id est quia filium patri ὁμοούσιον in se habet inhabitantem corporaliter.

2. *Alterum dictum Athanasij: Natura tota verbi in ostensione formæ ipsius humanæ carnis. Tentator accedens, & non intuens, vetustatis, nec suæ sationis indicium: verebatur confusus, & victus dicens. Quis est hic qui venit ex Edom, id est ex hominis terra, incedens cum potentia? Ideo Christus dicit: Venit princeps huius mundi & in me non habet quicquam.* Hoc dictum in sexta Synodo citabatur à Macario Monotheleta Concil. tom. 1. Act. 8. p. 321. Col. 1. a: & (vt ibi accusatur à Synodo) defloraverat, id est truncatum adduxerat, & ad suam sententiam de reali diuinæ voluntatis, potentiæ, actionis, in humanam naturam communicatione, ita vt vna tantùm esset vtriusque naturæ voluntas, potentia, actio, violenter torserat. Neque tamen ex eo loco potest colligi quidpiam, quod reali idiomatum communicationi fauere queat: Sed tantùm, quòd ita tota Deitas latuit in forma serui, vt diabolus senserit quidem potentiam Dei in illo, sed quis esset non intellexerit.

3. *Dictum fuit Euphemij: In natura humana vltra naturam operabatur Christus Deus noster, non interempta sua carne.* Quid etiam hoc ad propositam quæstionem? Damus, Christum non interempta carne, aut proprietatibus carnis, operatum esse & quatenus Deus est, & quatenus homo, in ea natura humana, vltra & supra naturam humanam. Nam, quæ vt Deus agebat, verè supra naturam erant: multa etiā, quæ vt homo per dona hyperphysica faciebat, excedebant humanam naturam. Sed nunquid hinc sequitur, essentialem omnipotentiam Dei, fuisse in humanam naturam communicatam realiter?

Imo ait iste pater, *hæc illum fecisse non interemta carne.* Ergo retinuit suam naturalem impotentiam, & potentiam habuit hyperphysicam donatam: sed non illam Dei propriam.

4. *Fuit itidem Euphemij dictum quo nihil aliud concluditur: quàm animam Christi vnitam esse Deo & supra omnes angelos exaltatam, atque ab illis adorari.*

5. *Est Sophronij Episcopi Hierosolymorum:* quo quid aliud concluditur, quàm in illa humana Christi carne inhabitasse Deitatem: quæ per eam carnem talia operabatur: quæ manifesta erant indicia Deitatis inhabitantis? Non erant igitur ab humanitate, sed à sola Deitate per humanitatem. Quare & illarum actionum principia, non in carne, sed in spiritu deitatis erant. Quid porrò magis cum reali idiomatum communicatione pugnat, quàm diuina illa Sophronij Epistola?

Summa: Oportet aut omnes hos citatos patres secum pugnare: aut omnes omniáque illorum dicta cum definitione Synodi, contra hæresin Monotheletarum consentire. Hæresis autem illa reipsa eadem est cum doctrina, de reali communicatione idiomatum, vt supra explicatum est.

II. Quæ adferuntur ex septima synodo, eodem modo diluuntur. Primum septima generalis synodus confirmat ea, quæ fuerunt decreta in sexta synodo: Illa damnauit in Monotheletis hanc doctrinam. Non potuit igitur adferre tales patrum autoritates, quæ definitionem sextæ synodi euertant.

Deinde Athanasij & Cyrilli dicta, quæ proferuntur, sunt manifesta atque perspicua, vt non opus sit longa explicatione. Ait Athan. *Caro assumta facta est eiusdem dignitatis cum rege:* sed quomodo? propter vnionem ac per gratiam vnionis: non autem propter realem idiomatum & essentialis maiestatis τῆ λόγου, communicationem.

Et ibidem eodem sensu Cyrillus ait, *carnem τοῦ λόγου, propria gloria illustrari:* cui postea accedit immensa, sed creatura, illúsque diuinæ effectu, gloria ac maiestas.

Exemplum: Si quis etiam rex ignobilem ac miserā puellam ducat in matrimonium: primum propria regis nobilitate illa puella donabitur, ex vi coniugij: deinde accedent realia & multiplicia dona, catenæ, annuli, vestes holosericæ, magna in regno autoritas, &c. Sic humanæ carni à λόγῳ assumtæ accidit.

Nihil igitur aut ex sexta, aut ex septima Synodo habere possunt aduersarij: quam quo seipsos iugulent.

1. *Nunc ad quosdam Patres.* Primus, quem tanquam suæ doctrinæ patronum adducunt: est *Iustinus Martyr*: cuius duo proferuntur testimonia. *Vnum ex libro de expositione fidei, alterum ex quæstionibus ad orthodoxos.*

Primum est huiusmodi. Deitatem τοῦ λόγου comparat luci primogenitæ, corpori autem solari, in quo collocata est, ipsam humanam naturam. Vt autem lux illa, ita est in corpore solari, vt sine vlla mutatione, confusione, exæquatione, in illo resplendeat, & per illud suum ad nos lumen & calorem emittat: sic Deitatem omnia agere per humanitatem, saluis manentibus & inconfusis vtriusque naturæ proprietatibus: Ac sicut sol [illegible] illius lucis & proprietatum eius: sic & carnem Christi diuinarū proprietatum & actionum: Et in summa, hoc simili clarè ostendi & exprimi communicationem maiestatis diuinæ in humanam carnem, absque confusione & exæquatione.

R. Primum: Ex eodem Iustini libro, talem obiicio locum, ex quo manifestè euincitur, Iustinum illo simili nequaquam demonstrare voluisse realem idiomatum communicationem, sed tantùm veram vtriusque naturæ vnitionem.

Initio illius tractationis de incarnatione verbi, ait: *Eundem filium Dei, & concidisse (id est, mortuum esse) & collapsa (suum scilicet corpus & in eo humanum genus) restituisse: & quidem in quantum hominem concidisse, in quantum Deum restituisse.* Sic Iustinus. Vbi manifestè docet, actiones Deitatis non esse communicatas communésve factas humanitati: sicut neque humanitatis, Deitati: ac proinde nec [illegible] facultates vnius in alteram esse collatas. Et mox [illegible] generalem subdit, dicens: *Quoties igitur audieris de [illegible] voces contrarias: collatas inuicem, diuide iuxta vtramque naturam: magnificas diuináque diuinæ naturæ tribuens: quicquid autem exiguum & humanum, humanæ imputans. Sic enim & vocum earum discrepantiam effugies reddendo sua cuique naturæ: & filium vnicum antiquiorem seculis omnibus, eundem recens natum, iuxta sacras scripturas confiteberis.* Sic ibi. Hæc est regula & eius necessitas atque vsus. Quid autem hac regula & doctrina clarius: nimirum, quæ diuinæ sunt naturæ, siue actiones, siue proprietates, eas non posse de Christo secundum humanitatem realiter prædicari: sicut contra, quæ sunt humanæ naturæ, non possunt de eodem secundum Deitatem enunciari? Realis igitur idiomatum communicatio Iustino ignota fuit.

Ac ratio, quam attulit, huius regulæ, idem manifestissimè euincit. Si enim actiones & proprietates vnius naturæ alteri communes facias: quomodo poteris distinguere naturas: & affirmare hoc factum esse à diuina, & illud ab humana natura? puta in suscitatione Lazari, lacrymas esse ab humana; ipsam autem mortui viuificationem esse à diuina. Maxima enim sequetur confusio: & magnifica atque diuina, tam carni, quam Deitati attribuenda fuerint, contra regulam Iustini: nempe si diuina omnipotentia, sapientia, & aliæ proprietates, humanæ naturæ sint realiter communicatæ. Quare nullo modo ex Iustino confirmari potest, ista realis idiomatum communicatio.

Statim autem Iustinus post hanc traditam doctrinam & regulam, subiicit exemplum vnionis animæ & corporis, quo ante ipsum alij vsi fuerant: & deinde simile lucis & solis à se excogitatum: & se hoc adferre simile vt aliqua ratione declaret, non realem proprietatum communicationem, sed naturarum in vna persona vnitionem.

Si cum doctrina tradita congruit simile solis & lucis, vt congruere debet: nullo modo ex simili illo colligi potest doctrina, de reali communicatione, quæ [illegible] damnata fuerat: imò ipso etiam simili euertitur, [illegible] est.

Adde, quòd idem Iustinus in eodem libro, *Vbi docet diuinam Christi naturam aliter esse in patre, aliter in rebus creatis,*

creatis, aliter in corpore suo: aperte hanc Dei proprietatem, qua vbique est, negat humanæ naturæ esse communicatam: quia ait esse solius Dei propriam. Nullas igitur sensit esse communicatas. Cur hæc dissimularunt aduersarij?

Atque hæc esto prima ad locum Iustini responsio: nempe conferendum eum esse cum præcedenti doctrina ac regula: & tunc liquidò appariturum ex hoc præsenti simili, minimè tealem idiomatum communicationem confirmari posse.

2. Sed afferamus alteram respősionem, ipsum simile examinantes. Negamus ex mente Iustini talem esse huius similis explicationem, & ad Christum applicationem, qualem ei affingunt aduersarij.

1. Volunt in corpore solari vnam tantùm esse lucem. Non enim discernunt illam primogeniam lucem, quæ in sole, tanquam in suo receptaculo & vehiculo collocata est, à lumine, quo ipsum corpus solare lucidum est. Sed hic primùm deprauatur Iustini contextus, qui sic habet in conclusione: *Vnum igitur τὸ φῶς primogenium: sol autem corpus ei paratus est.* Sensus est: corpus solare non esse aut illam lucem primogeniam, aut tanquam partem illi, vt imperfectę adiunctam: sed vt receptaculum, fuisse illi à Deo paratum: duas enim esse diuersissimas naturas: lucem illã, & corpus solare; vt inde concludat diuersitatem inter λόγον & carnẽ. Aduersarij autem ita interpretantur, quasi in sole non differant lux ipsa primogenia; & lumen, quo sol lucidus est. Ita deprauatio est contextus. Deinde error certè in philosophia non paruus admittitur. Aliud enim est τὸ φῶς, lux: aliud, ἀπαύγασμα, lumen & splendor. Corpus solare lumine, illius lucis effecto, non autem illa luce lucidum est: sed lux, per illud corpus à se lucidum effectum, illuminat, seque diffundit in aërem, & nouo etiam lumine, ipsum & alia illustrat corpora. Annon etiam luna ab eadem luce quæ in solo sole residet, lumen accipit, quo fit lucida? & aliud est lumen, quo lucida est: & aliud, lux, à qua lumen accipit? sic de aere: sic de omnibus corporibus lucidis, dicendum est. Aliud igitur etiam in sole est lumen: aliud lux. Discrimen est, quòd lumen in luna & aliis corporibus, excitatur à luce illa solis tanquã à principio externo: in sole autem tanquam ab interno. Quare alia etiam est omnipotentia Deitatis in Christo: alia potẽtia creata in humana eius natura. Ac sicut lux primogenia, non est realiter in solem communicata, sed tantùm ei inseparabiliter vnita: sic etiam omnipotentia & aliæ proprietates diuinæ naturæ in humana Christi natura se habent.

2. Hinc patefit alius error. Aiunt, Solare corpus radios emittere, & illuminare mundum. Non corpus solare, tãquam causa efficiens, emissione radiorum illuminat mundum: sed lux per corpus solare, tanquam per suum organum atque vehiculum, id efficit. Quare malè etiam concluditur, carnem Christi propriè & efficienter viuificare: cum Spiritus, id est, deitas sit illa, quæ propriè viuificat, sed per carnem, tanquam per suum organum. Vis autem principalis agentis non communicatur realiter instrumento. Annon etiam alia est essentia lucis primogeniæ, & alia corporis solaris? alia omnino. Ergo aliæ etiam sunt actiones lucis illius, aliæ corporis solaris: & lux illuminat aërem & lunã, non autem solare corpus, nisi instrumentaliter id efficit. Sic de deitate Christi & eius humanitate dicendũ est. Quare essentiales etiam proprietates Deitatis in humanam naturam collatas & cõmunicatas esse realiter dici non potest.

3. Ad extremum ex conclusione Iustini, liquet simile illud solis nil ad realem idiomatum communicationem pertinere: sed potius illam profligare. Declarat enim, se non in alium finem hoc attulisse simile, quàm vt quoquo modo explicaret, ac demonstraret non esse absurdum, quod duæ naturæ, diuina & humana, in vnam hypostasin coierint, saluis vtriusque proprietatibus & actionibus: ita, vt quæ vnius sunt naturæ, alterius esse reuera non possint: cùm hoc quotidie cernamus in sole, qui constat ex luce & corpore.

Videatur conclusio Iustini in exemplari Gelenij, pag. 201. 202. Inde liquebit nil aliud concludere voluisse Iustinum illo simili, quàm veram duarum naturarum vnitionem, vt explicatum est. Quantum autem differat vnio à reali participatione: suprà a nobis satis fuit explicatum.

Alter locus ex quæstionibus ad orthodoxos est. Quæst. 117. Quæstio est. Quomodo corpus Christi crassum, ingressum sit in conclaue ad discipulos, ianuis clausis. Item de egressu ex monumento, lapide non ablato. Respondet Iustinus, factum hoc fuisse diuina potentia, nulla mutatione corporis facta: quod multa in natura supra naturam facere solitus fuerit Dominus. Sicut igitur ambulauit super aquas non mutato corpore in spiritum: sic etiam ingressum ad discipulos, ianuis clausis, sua diuina potẽtia fuisse. Aduersarij hinc volunt concludi, diuinam hanc omnipotentiam realiter in corpus fuisse deriuatam, & hac illud prædictum ingressum fuisse ianuis clausis.

R. Sed quæ est consecutio? Christus sua diuina omnipotentia effecit, vt corpus ianuis clausis penetrarit in conclaue: Ergo corpus illud realiter particeps fuit factum diuinæ omnipotentiæ? Annon etiam multa mortuorum corpora sua virtute diuina, ad vitam excitauit? Num igitur dicemus, illa corpora facta fuisse omnipotentia, virtute Dei realiter illis communicata?

Sed virtutem hanc diuinæ omnipotentiæ non fuisse realiter in carnem communicatam, docet ipse Iustinus, qui sic ait ad quæstionem. *Quemadmodum non mutatione corporis in spiritum ambulauit Dominus super mare: sed diuina sua potestate fecit, vt ambulari posset mare (quod alioqui ambulari non potest) idque non solum suo corpore, sed etiam Petri: sic eadem sua potestate exiit è monumento, & ad discipulos ingressus est ianuis clausis.* Sic ille. Nota, quod ait, fecit vt mare posset ambulari. Miraculum ergo & mutatio fuit in mari: quia effecit dominus, vt illud præter suam naturam, instar solidi soli, sustentaret grauia corpora. Idem etiam fecit in igne fornacis ardentis, vbi erant tres illi iuuenes. Suspenderat enim Deus vim ignis sua potentia, ne noceret corporibus eorum: non autem quod mutata fuerint corpora, & facta impassibilia: multo minus, quod ipsis realiter communicata fuerit omnipotentia Dei.

Docet hoc Apostolus etiã ad Hebręos cap. 11. *Cùm ait de quibusdam fidelibus, quod per fidem extinxerunt vim ignis,* id est, fide impetrarint, vt Deus ignis potentiam ac vim retinuerit, ne illis noceret. Malè igitur ex hoc etiam Iustini loco concludent suam realem omnipotentiæ Dei communicationem. Ac notandum est, ab aduersariis omissum fuisse verbum illud, vnde explicatio quæstionis pendet: nempe, *hoc Dominus fecit, vt mare posset ambulari: & ideo, super illud ambulauit, absque sui corporis mutatione: sic etiam eadem potestate ingressus est ianuis clausis, id est effecit vt ianuæ possent penetrari à corpore, sine eius mutatione.* Hoc omittunt aduersarij: cur autem omittant, iudicet lector. Ad has duas Iustini autoritates respondere diligentius oportuit: quia similia etiam dicta apud alios patres repetũtur, quæ eodem etiam sensu & modo explicanda sunt: quo hęc Iustini fuerunt explicata.

II. *Tertullianus adducitur ex libr. de Trinitate, & ex lib. de Carne Christi.*

R. Primum obiicio Tertullianum ex eodem libro de Trinitate, vbi ex eo, quod Christus adest omnibus inuocantibus se, vbicunque locorum sint, concludit eum non esse purum hominem, sed verum Deum: quod non possit humanæ creaturæ competere: sed solius Dei sit vbique esse. Sensit Tertullianus: quæ propria Dei sunt, nõ posse ne per gratiam quidem Dei, vlli creaturæ realiter communicari: eóque neque hanc proprietatem, qua vbique esse queat, in ipsam Christi carnem conferri posse.

Ergo nisi velis Tertullianum secum pugnare, adduci ex eius libris nulla possunt testimonia, quibus realis idiomatum communicatio probari & euinci possit.

2. Ac reuera ista duo nunc allata nil ad rem faciunt. Priori nil aliud concluditur, quàm totum Spiritum omniáque eius dona in Christo homine sine mensura residere: vt inde tanquam è fonte riuuli gratiarum in nos deriuentur. Sed quis hoc neget, cum hoc ipsum tradat scriptura? Sed de reali idiomatum diuinorum communicatione, ne gry quidem in omnibus Tertulliani libris. Omnia dona spiritus, realiter insunt in anima Christi, sed dona non sunt essentialia idiomata.

Alter locus ex libro de carne Christi, nihil aliud continet, nisi, eam post resurrectionem mutatam nõ fuisse: sed in cœlis eandem præsidere ad dexteram patris, & redituram in suggestu paternæ claritatis, eandem inquam, quæ etiam fuerat crucifixa. Sed quid hoc ad rem? Qualis futura sit illa visibilis gloria atque maiestas, in qua apparebit toti mundo, cum responderemus ad dicta scripturarum, declarauimus. Essentialem enim maiestatem & gloriam Dei esse inuisibilem: de creatitia igitur loqui scripturas. Erat enim illa visibilis gloria effectum & ceu radius gloriæ inuisibilis.

III. *Origenes producitur in medium. Multa verò eius dicta citantur: Duo ex libr. περὶ ἀρχῶν 2. cap. 6. Tria ex commentariis in Psalmos. Vt in illud, Vnxit te Deus, Deus tuus, &c. Et vna ex commentariis in 1 cap. Ioh.*

Primus locus iis verbis describitur ab aduersariis: *Anima Christi tota totum λόγον recipiens, atque in eius lucem splendorémque cedens, hac mediante verbum caro facta est.*

Hîc nemo non dixerit, sermonem esse de anima Christi, cum fuit vnà cum corpore vnita Verbo in incarnatione. Origenes tamen loquitur de anima, quæ (suo erroneo iudicio) creata fuerit à condito orbe: & quæ postea propter sua merita, digna fuerit à patre iudicata, quæ carni vnà cum λόγῳ vniretur. Hanc animam ante assumtam carnem Origenes ait totam τῷ λόγῳ indissociabiliter inhærentem, totum λόγον recepisse & in eius lucem ac splendorem cessisse: factam cum ipso vnum spiritum.

(Hæc autem fuit hæresis Origenis de animorum creatione initio Mundi.) Postea subdit: *Hac anima mediante inter Deum & carnem natum esse Deum hominem.* Omitto hic alios errores, qui ibi habentur, Origenis. Docet enim non potuisse Deum sine mediatore, hoc est, sine hac anima misceri corpori.

Sed quid hæc ad vnitionē, quæ facta est in incarnatione? De hac autem est disputatio, an propter hanc, essentiales etiam proprietates verbi realiter sint in humanam naturam collatæ & communicatæ. Nil ergo ad rem illa quæ adducunt aduersarij de anima Christi, quòd tota totum λόγον receperit, & in eius lucem splendorémque cesserit. Cum Origenes de nescio qua, anima CHRISTI, ante assumtam carnem, iam inde à condito orbe, vnita verbo, loquatur: nos autem de vera anima, quæ vnà cum corpore a verbo creata & assumta fuit. Quod si velint hoc Origenis somniū ad vnionē incarnationis accommodare: nil tamen concluserint. Si admittam hoc totum: Anima CHRISTI tota totum λόγον recepit, & tota in eius gloriam splendorémque cessit, & hac mediante verbum caro factum est: sequitur ne: Ergo anima facta est realiter particeps diuinæ & essentialis gloriæ τοῦ λόγου? aut conclusum ita in se retinuit τὸν λόγον, vt nullibi is esse potuerit, quin ibi sua οὐσία etiam caro præsens sit & fuerit? Totus in tota carne & totus extra carnem fuit & est ὁ λόγος.

Alter locus ex libro περὶ ἀρχῶν, continet simile ferri in fornace accensa positi, & semper cādentis. Comparat enim Origenes Deitatem λόγου igni: humanitatem ferro. Hinc aduersarij inferri volunt, essentiales Dei proprietates, in humanam naturam esse realiter communicatas: sic enim etiam ignem (suo iudicio) communicatum esse ferro.

Locus iste diligenter explicandus est, & aduersariis eripiendus: præsertim cum hoc simile apud alios etiam patres frequenter vsurpatum legamus: Et ipsi aduersarij hoc perpetuo abutantur ad suum errorem stabiliendum: Imo in hoc simili puppim & proram suæ causæ collocarint.

Respondeo igitur: Nos admittere istud simile: sed ex parte, non simpliciter: & eo sensu, quo & patres vsurparunt, nō alio: Sed negamus consequentiam: *Ergo essentiales Dei proprietates, realiter sunt in humanam Christi naturam communicatæ.*

1. Ratio. Quia plus est in illatione, quàm in antecedente. Non enim omnes essentiales proprietates ignis in ferro realiter insunt: sed quædam tantùm, non proprietates, sed effecta ignis: nempe hæc duo, lucere & calefacere. At esse leue, esse rarum, esse penetrabile, id est, tale, quod facile cedat alij corpori, hæc certè non communicantur ferro: quæ tamen sunt propria ignis. Quomodo igitur ex isto simili longè dissimili inferre poteris, communicationem realem omnium idiomatum diuinæ in humanam naturæ? Neque enim vnum sine aliis esse potest, cùm sint ipsa essentia diuina reapse.

2. *Ideo negamus consequentiam:* quia hæc effecta ignis sunt in ferro tanquam accidentia in subiecto: Vos autem negatis, & rectè, proprietates diuinæ naturæ esse in humana natura subiectiuè. Non igitur valet consequentia à ferro candente ad Christum.

3. *Ideo negamus consequentiam:* quia illa effecta ignis ferro communicata, vt lucere & calefacere, non euertunt naturam ferri: at essentiales diuinæ naturæ proprietates, humanæ naturæ realiter communicati non possunt, quin natura humana desinat esse, quod erat, suis proprietatibus amissis. Eadem enim substantia non potest simul esse creata & increata, finita & infinita, circumscripta & incircumscripta.

4. *Ideo negamus consequentiam:* Quia istæ quidem ignis qualitates, vt corporeæ, alij corpori communicari possunt: At proprietates Dei creaturis realiter communicari nequeunt: quia fierent ipse Deus.

5. *Ideo negamus, &c.* Quia qualitates ignis ferro imprimi non possunt, sine aliqua ferri alteratione, si non substantiali, saltem accidentali. Dum enim fit lucidum, amittit suam nigredinem: dum calidum, suam frigiditatem: dum tenerum & flexile, suam duritiem. Talis autem alteratio negatur ab aduersariis, & quidem rectè, cōtingere in communicatione proprietatum, de qua disputatur. Humana enim natura suas non amittit proprietates. Quomodo igitur ex hoc simili igniti ferri concludi potest realis idiomatum communicatio: cùm tanta inter illud & hanc intercedat dissimilitudo?

6. *Denique negatur illatio:* quia ex tali antecedente contra mentem Origenis, cuius etiam verba non recitantur fideliter, & contra mentem omnium patrum, qui illo simili vsi sunt, tale infertur consequens. Nemo enim patrum vsurpauit illud simile, vt inde realem diuinæ naturæ idiomatum in humanam naturam comprobaret communicationem, quæ prorsus ἀδύνατος est.

Sed alias ob causas quas modò explicabo, vsurparunt, vt hic manifesta fiat & Origeni & aliis patribus iniuria, dū ex ipsorum similibus ea iniquissimè concluduntur, quæ illis nunquam, ne per somnium quidem in mentem venerūt. Videamus igitur, quid de hoc simili scripserint, & quid illo concludere voluerint patres Ac primò examinemus locum Origenis, quem adduxerunt aduersarij, truncatum ac deprauatum, verbis illis omissis, quæ ad exprimendam veram sententiam Origenis, pernecessaria erant.

Origenes Tom. 1. περὶ ἀρχῶν, l. 2. cap. 6. *Vbi de incarnatione domini nostri Iesu Christi agit: hæc præcipua capita tractat. 1. Probat Deitatem veram τοῦ λόγου, & hoc rectè atque orthodoxè. 2. Suum secutus errorem de creatione animarum omnium, à condito orbe, ait: Animam, quæ postea fuit anima Christi, creatam ab initio creaturæ, inde & deinceps semper λόγῳ adhæsisse indissociabiliter (amore scilicet: & affectu) & totam totum λόγον recipientem, cum eo factam fuisse vnum spiritum, iuxta illud Pauli: Qui adhæret domino, vnus spiritus fit cum eo.*

3. *Alium etiam errorem spargens, scribit animam hanc merito sui in Deum amoris, & virtutum suarum obtinnisse, vt cum verbo inseparabiliter & in vnitatem personæ vnita, cum eodem in assumtam carnem vniretur & fieret homo.*

4. *Conclusa incarnatione, quia dixerat animam hanc etiam in carne assumta nunquam potuisse peccare: quæstionem sibi mouet: Cum omnis anima rationalis boni & mali sit capax, propter arbitrij libertatem: anima autem Christi fuerit vera & rationalis anima: quomodo non potuit capax esse peccati?*

Respondet in summa: Si naturam eius spectes, capax fuit peccati, vt & reliquorum animæ: sed si consideres, quod hæc anima iam inde à creatione sui & mundi, liberè elegit diligere iustitiam, & odisse iniquitatem, & quod sua immensa dilectione semper adhæsit verbo: nimirum non videbitur quod etiam in carne peccare non potuerit. Ex illa enim antiquissima vnione cum verbo, versum esse in naturam, quod prius positum erat in arbitrio: nempe vt iam non possit peccare.

Hæc fuit responsio ad quæstionem: animam Christi sua quidem natura potuisse peccare, quia libera erat, sed propter vnionem cum verbo non potuisse. Vt hanc responsionem confirmaret & illustraret: *adduxit simile ferri in perpetuò ardente fornace positi. Ferrum natura sua frigidum est: sed propter vnitionem cum igne perpetuò ardente, frigidum esse non potest: sed semper caleat necesse est.*

Hæc est summa responsionis. Quid autem hæc ad realem idiomatum communicationem?

Sed libet eius verba recitare: quæ de nulla re minus loquuntur, quàm de communicatione idiomatum: & vt appareat, quàm mirabiliter ea deprauarint aduersarij.

Si aliqua massa ferri semper in igne sit posita, omnibus suis poris, omnibúsque venis ignem recipiens, & tota ignis effecta: si neque ignis, ab ea cesset aliquando, neque ipsa ab igne separetur: nunquam dicemus, hanc, quæ natura quidem ferri massa est, in igne positam & indesinenter ardentem, posse frigus aliquando recipere. Totum hoc, nempe *Nunquam dicemus, &c.* quibus in verbis tota explicatio consistit, omiserunt aduersarij. Sequitur: *Quin imò, quod verius est, magis eam (massam) sicut in fornacibus sæpe fieri oculis deprehendimus: totam ignem effectam dicemus: quoniam nec aliud in ea nisi ignis cernitur: sed & si quis contingere atque tractare tentauerit: non ferri, sed ignis vim sentiet. Hoc ergo modo etiam illa anima, quæ quasi ferrum in igne: sic semper in verbo, semper in sapientia, semper in Deo posita est, omne quod agit, quod sentit, quod intelligit Deus est.* (Hæc etiam recitant Aduersarij, quia fauere videntur: sed quæ sequuntur, omiserunt, quia apertè aduersantur.) *Et ideo neque conuertibilis, & mutabilis dici potest, quæ inconuertibilitatem ex verbi Dei vnitate indesinenter ignita possidit* (Hæc omnia subticuerunt: Subdit Origenes) *Ad omnes deniq. sanctos calor aliquis verbi Dei putandus est peruenisse: in hac*

in hac autem anima ipse ignis diuinus substantialiter requieuisse credendus est: ex quo ad cæteros calor aliquis venerit. Hæc ille.

Hæc autem postrema periodus docet veram verbi ad carnem vnionem καθ' ὑπόστασιν: nil verò de reali idiomatum communicatione.

Cæterum cur aduersarij ex illa comparatione ferri igniti ad Christum, duas integras sententias, eas nimirum, quæ quid sibi voluerit Origenes illo simili ferri in media fornace positi, luculenter declarant, scientes ac volentes omiserint: videriņt ipsi. Certè parum honorificum est Theologis, aliorum, & quidem patrum dicta, vt suas, quo iure, quáve iniuria, opiniones erroneas tueantur, tam turpiter deprauare. Sed Deo laus, quòd nobis etiam patres non desunt, vt quid illi veraciter scribant, nos legere & examinare possimus. Certè, cùm ex quæstione proposita ab Origene, tum ex eius ad illam responsione, ad quam confirmandam adducit simile ferri in igne candentis, liquidò apparet, Origenem nihil minus voluisse illo suo simili, quàm realem illi prorsus ignotam idiomatum communicationē comprobare. Imò voluit suam hæresin de animis initio mundi creatis confirmare: cùm dixit, ideo animam Christi non potuisse in carne assumta peccare, quia ex longissima (nempe χρόνῳ) vnione cum verbo Dei Deo libertatem ad bonum & ad malum conuerterat in tam bonam naturam, vt non posset nisi bonum velle, & amare.

Quare ex iis liquet, iure à nobis negari aduersariorum consequentiam, ex simili ferri in igne candentis, contortam.

Negauimus consequentiam illam, hanc etiā ob caussam, quia contra autoris illius similis sententiam infertur.

Sed, vt demus nos id, quod verum est, animam Christi ideo peccare non potuisse, nec posse, quia vnita est verbo ab initio, non dico mundi, sed incarnationis, in vtero virginis, & hoc confirmatur simili ferri candentis vniti ad ignem: quid hoc ad realem idiomatum communicationem? Est enim hoc creatum donum, quod ab vnione accepit, nempe, quod non potuerit positiue peccare.

A donis autem creatitiis ad essentiales proprietates, quæ consecutio? Ergo à simili ferri candentis, quatenus ab Origene allatum est, euinci nullo modo potest realis idiomatum communicatio.

Basilius post Origenem vsus est eodem simili, de eadem re, h. e. de Christi incarnatione disserens: sed quo sensu, videndum iam est *Sermone in sanctam Christi natiuitatem* (quem locum aduersarij quoque citant.) Interrogat Basilius alterius nomine, dicens: *quomodo Deitas est in carne?* [Greek text] R. *ut ignis in ferro, non transitiuè, sed distributiuè.* Quid hoc sibi vult? Explicat, & primùm, illud aduerbium, [Greek], dicens: [Greek text]: deinde alterum aduerbium [Greek] id est, [Greek text]. Sed quomodo hanc vim distribuit? *sese totum illi vniendo.* Ideo ait: [Greek text]. Declaro: primùm explicans particulam [Greek], non transitiuè, ait: *Non enim excurrit ignis ad ferrum.* Fingit enim *Basilius*: accensum ignem in suo loco manentem: a re verò in ignem coniici ferrum. Ideo ait, ignem non excurrere ad ferrum, sed ferrum assumi in ignem. Postea explicans alterum aduerbiū, [Greek], distributiuè, ait: *Verum manens in loco distribuit ipsis (nempe ignis ferro) propriam facultatem.*

Hac illorum duorum aduerbiorum explicatione vult ostendere Basilius, λόγον Deum sine vlla loci, aut sui mutatione, sese totum ferro, id est, carni communicasse seu vniuisse. Postea subdit, [Greek], &c. qui (ignis) *neque minor fit distribuendo, & totum (scilicet ferrum) participans seipso replet.* Hoc manifestè apparet in igne fornacis cum ferrum in se coniectum ignefacit.

Vult Basilius hac altera particula significare, licet λόγος se totum vnierit carni, non tamen factum esse minorem: nec inclusum esse in carne, vt non sit etiam extra: sicut & ignis fornacis ita est in ferro, vt tamen sit etiam extra ferrum: nec vllam denique passum esse mutationē. Subdit igitur explicationem, dicens: [Greek text]: Et hoc quoad loci mutationem, [Greek text]: & hoc quoad loci mutationem, [Greek text]: & hoc quoad sui alterationem. Vtramque hanc mutationem, quam in Christo negat esse factam, nempe vel loci, vel personæ ac deitatis τοῦ λόγου, explicat deinceps clarius. Postea subdens conclusionem, ait: [Greek text]. Non enim transit de loco ad locum, vt corpora: Neque imaginetis alteratam esse Deitatem (quasi) mutatam in carnem, [Greek text]. Hæc ex Basilio.

Ex iis verò non est difficile videre: quibus de caussis & in quos fines vsus sit Basilius simili ferri ab igne igniti: & dixerit Deitatem esse in carne, sicut ignis est in ferro.

Prima principalisque caussa fuit, vt hoc simili vtcunque explicaret, perfectissimam vnionem, qua Deitas vnita est carni, & caro Deitati, in vnam hypostasin. Non enim sunt coniunctæ hæ duæ naturæ, sicut duo asseres, sicut gemma & annulus, & similia: sed sicut ignis & ferrum. Vbi apparet Basilium nomine ignis, iuxta vulgi sententiam, intellexisse non qualitates, sed ipsam ignis substantiam esse in ferro. Ait enim, Deitatem, id est, essentiam diuinam τοῦ λόγου, esse in carne, sicut ignis est in ferro. Quomodo autem ignis & ferrum sunt coniunctta intima & perfectissima coniunctione: quia ignis totum ferrum omni ex parte complectitur, & intimè penetrat: Sic Deitas totam humanam naturam in Christo, animam & carnem. Hæc est περιχώρησις, de qua Damascenus. Hoc est primum quod voluit Basilius hoc simili concludere, cùm dixit: quo modo Deitas est in carne? sicut ignis in ferro, id est, vnitissimè & in vnam hypostasin. Et hoc aduersus Arianos & Nestorium, qui fieri posse negabant, vt duæ diuersæ naturæ in vnam hypostasin vnirentur. Ecce ignem & ferrum, dicebant Catholici, in vnum [Greek] coëuntia.

Altera caussa, vt aduersus eosdem Arianos ostenderet, ad incarnationem hanc non fuisse necesse, vt filius Dei mutaret locum, cùm non sit corpus, sed spiritus, etiamsi dicatur descendisse de cœlo. Nam neque ignis accensus mutat locum, vt ferrum sibi coniungat, & candefaciat, & vt in eo insit: sed hoc coniectum in fornacem, statim illum sibi vnit, & ignitum facit. Sic λόγος Deus licet dicatur descendisse de cœlo: non tamen mutauit locum vt fieret caro: sed carnem sibi assumsit in vnitatem personæ.

Tertia, vt contra eosdem Arianos itidem significaret, licet λόγος factus sit caro: nullam tamen in eo factam fuisse mutationem. Nam neque ignis licet vniatur ferro, mutatur in ferri naturam. Ergo cùm dicit Euangelista, Ioh. 1. *Verbum caro factum est*: intellige, sine vlla sui mutatione.

Hi sunt tres præcipui fines, cur vsurpatur in hoc argumento simile ignis & ferri. Nam hæc tria concludit in ipso contextu.

Notandum verò hîc, cùm ait, ignem ferro suam communicare potentiam: hoc φυσικῶς loquendo de essentiali proprietate & potentia ignis, intelligi non posse: sed tantùm de potentia accidentali. Nam vis caloris & calefaciendi, quæ sentitur in ferro candenti, non est illa ipsa, quæ in igne est essentialis, sed eius effectum: sicut etiam liquet de vi, quæ ab igne in aqua calefacta relinquitur. Essentiales enim proprietates prorsus sunt incommunicabiles: quia à suis subiectis separari non possunt.

Sic vis potentiæ, illiúsque maximæ, quæ fuit in carnem Christi communicata, non est illa essentialis τοῦ λόγου omnipotentia, sed eius effectum, eóque potentia creata & finita.

Quis verò ex iis Basilij verbis, & conclusionibus colligere queat realem idiomatum communicationem?

Sed dices. At quæ sequuntur in Basilio, realem hanc idiomatum communicationem euincunt. Posteaquam enim conclusisset Basilius, *Deitatem non esse conuersam in carnem, ex ista incarnatione, subiecit. Quomodo igitur non est falsem à carne debilitata?* [Greek text]; *Respondet, in eodem simili persistens: Sicut ignis ferri proprietates, vti est nigredo & frigiditas, non sibi transumit: sic neque ὁ λόγος, carnis imbecillitates. Non enim* [illegible] *ctus est infirmus & mortalis in sese: Sed contra potius sicut ferrum ab igne fit lucidum & calidum: sic etiam caro assumta à λόγῳ, proprietatum τοῦ λόγου facta est particeps. En igitur realem idiomatum diuinæ naturæ in humanam communicationem.*

R. Etsi huiusce dicti Basiliani duo sint membra: secundum tamen obiter & amplificationis caussa est additum. Sed primum membrum de quo nulla est controuersia, fuit scopus Basilij in hac ad quæstionem responsione: nempe probare sicut ignis non recipit à ferro ferri qualitates, sic neque λόγον siue eius Deitatem, qualitates à carne recipere. Nam de hac re fuit proposita quæstio.. Cæterum de altero etiam membro, nempe, quod sicut ferrum accipit ab igne qualitates ignis: sic caro à Deitate Deitatis proprietates: Ita respondebo, vt perspicuè sim demonstraturus hoc planè nihil facere ad realem idiomatum communicationem. Ergo vt melius appareat,

An Basilius senserit, essentiales proprietates Deitatis [illegible] realiter communicatas esse carni, nec ne: notandum est ex verbis Basilij nihil tale concludi posse, cum ibi nulla fiat mentio essentialium proprietatum vel ignis in ferrum, vel Deitatis in carnem realiter communicatarum: sed tantum doceat Basilius, effecta quædam ignis, similia qualitatibus essentialibus ignis, in ferro conspici, & participari.

Neque enim calor vel splendor, qui in ferro candente conspiciuntur & sentiuntur, sunt essentiales ignis proprietates: minimè gentium: sed sunt effecta ignis suis essentialibus qualitatibus similia, inque ferro producta & excitata. Vim enim habet ignis in ferrum, non autem ferrum in ignem: ideo ferrum nihil efficit aut relinquit in igne, sed multa ignis in ferro. Calorem verò & splendorem in ferro, non esse essentiales ignis, vt dixi, proprietates: præterquam quod omnes docti philosophi mecum fatebuntur, ratio etiam illud euincit.

Essentiales enim alicuius rei proprietates ab essentia eius cuius sunt, separari non possunt: & hac de caussa vocantur essentiales proprietates: quia scilicet neque talis essentia iis proprietatibus, neque hæ proprietates, sua illa essentia carere possunt. Inde fit, vt essentiales proprietates, alij substantiæ communicari nequeant, nisi etiam earum essentia communicetur, & contra: id quod fieri non potest, sine alteratione & transmutatione eius rei, in quam fit hæc realis communicatio. Exemplum in ligno. Quia lignum trāsmutari potest ab igne: ideo illi tandem substantia ignis cum suis essentialibus qualitatibus communicatur, totum illud in se conuertendo: At ferro non potest: quia nequit in ignem transmutari. In ligno igitur in ignem conuerso, insunt realiter qualitates ignis, cum sua ignis essentia: sed in ferro non ita.

Quid igitur est calor & splendor in ferro candente? Accidentia & qualitates ab igne in ferro productæ: qualis etiam est calor in aqua calefacta: & sicut lumen in aëre, & in corporibus lucidis, à luce solis excitatum. Philosophiam hanc non ignorabat Basilius: proinde aliter de calore in ferro sensisse, credendum non est. Adde, quòd etiam vt Theologus sciebat, lucem fidei in mentibus fidelium, non esse ipsam essentialem lucem, quæ est Deus, (Ioh. 1.) sed eius effectum: neque ignem caritatis in nobis, esse ipsum æternum Sp. Sanct. essentialémque ignem (quæ fuit crassa hæresis P. Lombardi in primo lib. Sent.) sed esse eius effectum.

Eodem modo dicimus, potentiam, sapientiam, bonitatem, quæ in anima realiter insunt communicatæ: non esse ipsam essentialem Dei potentiam, sapientiam, bonitatem, sed earum effecta, sicut & in nobis sunt, verùm non eodem planè modo: quia in anima Christi à principio non externo, sed interno & illi personaliter vnito, insunt: in nobis autem ab eo, qui nostrarum personarum pars non est. Ex membro igitur altero supra dictæ Basilij sententiæ, non potest nisi cum iniuria Basilij & veritatis, erui realis idiomatum communicatio: quasi essentiales proprietates vel ignis in ferrum, vel deitatis in animam Christi, senserit realiter esse communicatas: cum ipse locutus sit de effectis proprietatum. Hoc vt clarius pateat, consideremus eius verba.

Verba Basilij hæc sunt: *Quomodo igitur (inquit, scilicet aduersarius) Deus Verbum corporea debilitate non est impletum? Dicimus, velut neque ignis, ferri proprietates transsumit (proprietates pro qualitatibus, etiam non essentialibus, sed productis in alio, accepit) Hoc verò quod dixit, per parenthesim declarat dicens: (Nigrum est ferrum & frigidum: sed tamen ignitum, ignis formam (accidentalem reuera, quanquam aliter vulgus iudicet) induit: & ipsum illustratur ac candefit, non nigrefaciens ignem: & ipsum inflammatur non frigefaciens flammam.)* Notentur hæc verba: Inflammari, igniri, illustrari, candefieri: quibus apertè significat, se loqui de effectis ignis in ferro productis, non autem de essentialibus eius qualitatibus ferro realiter communicatis. Clausa parenthesi: subdit alteram partem primæ propositionis, & ad interrogationem responsionis: dicens,

Sic sanè etiam humana domini caro, ipsa participauit Deitate, non propriam debilitatem Deitati distribuit.

Hæc ille, Participauit [illegible] eitate: dixit Basilius, pro effectis Deitatis, vt omnipotentia creata, &c. Nam ad rudem populum loquebatur: qui sic solet loqui in [illegible]ò & Petrus eodem sensu locutus est, cum dixit, *nos factos esse participes diuinæ naturæ*: quia illius vi renati sumus. Hunc autem esse sensum docet primum particula sequens, cùm ait: *Debilitatem propriam, non distribuit Deitati caro.* Sensus enim est, Deitas ex assumta carne non est facta debilis. Ergo etiam uperioris membri sensus est. Caro ex coniunctione cum Deitate, facta est diuina, id est, potens, sapiētiæ, bonitatis, & omniū diuinorū bonorū plena. Potest autem talis fieri, sine reali idiomatum communicatione: sed tantum ex communicatione donorum creatorum. Idem porrò confirmant & verba illa in simili ferri: quòd ipsum candefiat, illustretur ab igne, nempe in ipsum ferrum agente, & tales qualitates in eo excitante. Certè propositum Basilio non fuit in hoc c[o]ntextu aliud, quàm confirmare quod dixerat, [illegible] *sine vlla sui mutatione factum esse carnem:* tum, quia non est versus in carnem, sicut neque ignis vertitur in ferrum: tum quia nihil accepit à carne, sicut neque ignis a ferro: cùm potius & ferrum ab igne, & caro à [illegible] acceperint multa: quæ multa [illegible] multa effecta & dona. Quare cùm manifestum sit, tribus tantùm de caussis, Basilium simile ignis vsurpasse: liquidò apparet contra mentem quoque Basilij facere, quicunque ex hoc, quo vtitur simili, realem idiomatum diuinæ naturæ in humanam, communicationem concludere conantur: quasi & Basilius ita senserit, cum in longè diuersos fines & sensus, vsus sit simili ferri candentis.

Nunc videamus an fortè quispiam alius ex patribus vsus sit hoc simili in eum sensum, quem obtendunt vbiquitarij.

Damascenus non semel & iterum vsurpauit similitudinem gladij igniti: sed in quem sensum & finem? Num vt demonstraret idiomata diuini & essentialia ignis in ferrum humanitatis realiter communicati? Nihil minus: sed contrà potius. Vtitur enim vt demonstret, vnitas quidem esse naturas, & proprietates & actiones: sed tamen distinctas: ita vt quæ vnius sunt naturæ vel proprietates, vel actiones, non sint alterius naturæ. Disputabat enim contra Monotheletas, quorum erat hæc præsens hæresis. Audiamus Damasc. lib. 3 cap. 15. *In ignito gladio sicut seruantur duæ naturæ, ignis & ferri: sic & binæ actiones & harum* [illegible]. *(Exemplum, in propriis facultatibus subdit, d.) Habet enim ferrum* [illegible] *facultatem incidendi: ignis autem* [illegible], *facultatem vrendi (alterum exemplum in actionibus & apotelesmatibus d.) Et incisio quidem, actio est ferri est* [illegible], *vstio autem, actionis, quæ est ignis &c. quæ sequuntur.* Annon vides, Damascenum solam vnionem naturarum, proprietatum & actionum in ignito gladio admittere, realem autem communicationem negare?

Postea subdit de Christo, dicens: [illegible], scilicet actio est. Vides actiones Deitatis non communicari humanitati? Sed suam cuique naturæ, absque alterius non dico communione, sed reali communicatione attribui? Quod si solius diuinæ naturæ est [illegible], non autem etiam humanæ: Ergo etiam [illegible], seu diuina omnipotentia, solius fuerit diuinitatis. Nam vis etiam vrendi in ferro ignito, solius est ignis non ferri: alioqui esset etiam ferri, non esset solius ignis. Contra vero scribit Damascenus.

Idem concludit in cap 17. Vbi docet, quanam in re consistat [illegible]: *nempe non in sui conuersione in* [illegible], *neque eius Deitatem, sed in vnione ad* [illegible], *qui per eam, suam demonstrat potentiam & operationem:* sicut & [illegible] consistit in vnitione ad ignem: qui in ferro vrens atque lucens, suam per ipsum exerit atque patefacit potentiam: Et in eadem re etiam consistere docet [illegible] voluntatis humanæ: quòd videlicet vnita sit [illegible], & facta sit voluntas [D]ei: non autem in eo, quod [illegible], sit ei [illegible] communicata, qua & ipsa velit omnipotenter: imo reliquit ei suam naturalem impotentiam, ita vt multa sæpe voluerit, quæ efficere non potuit: vt cum voluit latere & non potuit.

En quos in fines, ipse etiam Damascenus, vsurparit sæpius simile ferri igniti: nempe non ad demonstrandam realem idiomatum communicationem, quam non nouit, sed tum ad vnionem duarum naturarum in vnam hypostasin, aduersus Nestorianos: tum ad veras ac distinctas cuiusque naturæ proprietates & operationes, contra Monotheletas, comprobandas.

Athanasius quoque ad eandem veram [illegible] ad carnem vnitionem demonstrandam aduersus Arrianos, li. 5. eo simili vsus est.

Hic sermo, inquit, qui nunc propter illam [illegible] *dictus est Iesus, is est, per quem omnia: Et quemadmodum ca[illegible] animad-*

animaduertis, ignem simul & ferrum esse, ita etiam Iesum in telligo esse Deum sermonem (vt ita loquar) inhumanatum Hic simpliciter hoc simili demonstrare voluit veram duarum naturarum in vnum ἀσυγχύτως vnionem. Sed postea eodem simili declarat, ita etiam cuiusque naturæ proprias actiones esse distinctas, vt verè demonstrent eum esse & Deum & hominem: Deitate in carne, tanquam igne in rubo, quem viderat Moses, lucente.

Christus porrò (inquit Athanasius) quæ in tenebris latent, in lucem profert, quòd sit ipse, Deus & homo: quemadmodum ignis in materia lumen prabet iis, qui ad lucem accedunt: ita vt neque à materia segregetur, qua cum vnitus est, neque materia (non quauis, sed vt ferrum & rubus Mosis) consumatur. Hic locus præter alia, docet etiam, licet distinguamus actiones ac proprietates in Christo, dicamúsque non humanitatem, sed deitatem operari, diuina, sicut etiam propriè non rubus, sed diuinus ignis in rubo lucebat: non propterea tamen Christum a nobis solui: quia non in duas personas illum distrahimus, sed duas in vna persona naturas, proprietates & actiones prædicamus.

Sed quid clarius Cyrilli expositione: Thesauri lib. 2. cap. 1. cuius tamen dictum, sed truncatum, & sine explicatione citatur ab aduersariis. Tantum enim hæc nuda Cyrilli verba recitant. Ferrum cùm ignitum fuerit, & ignis, participatione dicitur. Sed si præcedentia & sequentia legantur: manifestissimè apparebit, nulla re magis euerti realem communicationem idiomatum, quàm simili ferri, prout illud vsurpauit Cyrillus.

Dicebant Catholici, ex illis verbis Iohan. 10. *Ego & pater vnum sumus*, concludi, patrem & filium esse vnum natura. Excipiebant Arriani non hoc concludi: sed tantum vnum esse, voluntatum consensione: quòd Iohan. 17 sic explicetur: quomodo? *Christus enim ait ad patrem, se rogare pro suis discipulis, & omnibus credentibus, vt sint vnum, sicut & nos (inquit) vnum sumus:* Constat autem discipulos Christi non fuisse vnum natura, sed tantum voluntatum consensione, iuxta illud Actor. 3. *Erat illis anima vna & cor vnum in domino:* Ergo neque alia ratione pater & filius vnum sunt. *Respondet in summa Cyrillus, non tenere hanc consecutionem Arrianorum:* Ratio, quia illud *sicut*, Ioh. 17. non æqualitatem, sed similitudinem significat: q. d. Christus: *sicut nos ô pater sumus vnum perfectissimè, nempe non solum voluntate, sed etiam natura: sic peto vt discipuli mei sint vnum, participatione nostri spiritus, eoque dilectione & voluntatum consensione Ineffabiliter ergo ipse ex patre est, & naturaliter vnum cum ipso: non sicut nos gratia & participatione, veluti ferrum cum ignitum fuerit, & ignis, participatione dicitur. Non enim omnia quæ similia sunt alicui, vnum cum ipso sunt secundum naturam. Sic Cyrillus* Id quod exemplis multis significat atque demonstrat, è sacris literis, vbi hæc particula, *sicut* reperitur: v.g. *Estote prudentes sicut serpentes:* num igitur natiua aut eadem planè prudentia, qua serpentes, iubemur & nos esse prudentes? item, *estote perfecti sicut & pater vester perfectus est.* Num iubet vt simus illa essentiali perfectione perfecti, qua pater perfectus est? Nequaquam: quia hæc nulli rei creatæ communicari potest, sed tantum participatione: cuius nam rei participatione? num illius naturalis, quæ in Deo est? At ea indiuisibilis & impartibilis est. Cuius ergo participatione? gratiæ ipsius, & talis perfectionis, quæ imago & effectum est: naturalis & essentialis perfectionis diuinæ. Quæ enim in piis est perfectio, imago est & similitudo illius, quæ in Deo est. Idem de sapientia, bonitate, prudentia, aliisque virtutibus dicendum est: Et sic dicitur homo ad imaginem Dei conditus. *Nam multoties (inquit Cyrillus) quæ in aliis naturaliter insunt: ea sicut imagines motionum voluntatis nostra sunt.* Exemplum: Bruta naturaliter feruntur ad explendas suas concupiscentias, quas nulla ratione, cuius sunt expertes, frænare possunt. Illi igitur etiam homines vocantur, Bestiæ, Leones, canes, lupi, qui imagines talium affectionum brutalium in se habent: & hoc sensu dicuntur similes brutis, & participare naturis brutorum. Conclusio est. quæ in Deo sunt naturaliter, ea in creaturis esse posse participatione: quomodo participatione? nimirum, si participes fiamus effectorum, similium suis caussis, h.e. similium illis perfectionibus, quæ in Deo sunt essentialiter. Ad summam, participes Deitatis dicimur: cum diuina eius effecta ac similitudines nobis donantur. Et sic intelligit: Ferrum cum ignitum fuerit, participatione ignem dici, quod scilicet particeps fiat, non illius caloris, qui in igne essentialis est proprietas: sed caloris illius, qui ab illo in ferro productus est. Hæc est in summa explicatio Cyrilli.

Nunc, cùm caro Christi comparetur ferro, & Deitas igni, cùmque Deitas esse in carne, sicut ignis in ferro, & ignis sit in ferro, non per suam essentiam, aut per essentiales suas proprietates, sed tantum per quædam effecta suis essentialibus proprietatibus similia: Et hoc dicatur, esse ignem participatione: quiuis intelligere potest, quomodo & quo sensu dici possit, essentiales proprietates Dei esse in humanam naturam communicatas, nempe, non realiter & per suam essentiam; sed per suas imagines atque effecta: sicut etiam omnia entia dicuntur entia, participatione primi entis: non quòd realiter hæc entia habeant in se illud ens communicatum: sed tantum, quia ab illo sunt, & ad eius imaginem entia. Sic ignis Dei in nobis esse dicitur, cùm adest charitas, quæ à Deo est: & fideles, lux, participatione diuinæ lucis, esse dicuntur: quia lucem fidei & sanctitatis ab illo habent, qui essentialiter est lux. Ita de carne Christi sentiendum est: quanquam tantò excellentius, quantò etiam perfectius & intimius in ea operatur Deitas, cui vnita est καθ' ὑπόστασιν quàm in aliis.

Ex iis omnibus liquere arbitror, quo sensu & in quos fines, vsi patres fuerint simili ferri candentis: nimirum in longè diuersos fines, quam vt probarent realem idiomatum communicationem. Ac proinde meritò à nobis negari consequentiam aduersariorum ex illo simili eductam: cùm contra patrum consilium vsurpent tale simile.

Hactenus eripuimus aduersariis testimonium Origenis, Basilij, Damasceni, Cyrilli, de ferro ignito: Et ideo retorquemus argumentum ab hoc simili. *In ferro ignito non insunt essentiales proprietates ignis, sed earum effecta. Ergo nec in carne Christi essentiales proprietates Dei, sed earum effecta*

Redeo ad testimonia ex Origene allata. Citant locum ex libro quarto, περὶ ἀρχῶν. Titulus est: Anacephalæosis de Patre, Filio & Sp. Sancto.

Non ita fuisse dicimus filium Dei, in illa anima, sicut in Petro, Paulo: Quare? Quia oleo lætitiæ vncta, & cum filio Dei immaculata fœderatione coniuncta, filij Dei plenè fuit capax. Sed quid hoc etiam ad rem? Nouimus in anima Christi fuisse ἐμπαθῶς: non ita in sanctis: sed quid tum? Illa verò ad rem faciebant, quæ habentur initio illius pag. 845. & quæ cur fuerint ab aduersariis dissimulata, viderint alij. Docet enim Origenes, Christum in sanctis non esse, nisi quatenus Deus est, & verbum & sapientia: & hanc ob causam esse in omnibus sanctis, quia, vt Deus, vbique est. Quomodo igitur in nobis est, suo etiam corpore, realiter?

Item: Deitatem filij nullo loco claudi, eóque nec suo corpore: alioqui enim, inquit, in ipso tantùm fuisset & non in aliis. Quomodo igitur negant, alicubi esse Deitatem, vbi etiam non sit realiter & sua substantia corpus Christi?

Deinde subdit, loquens de incarnatione: *Non ita sentiendum esse, quod omnis eius diuinitatis maiestas in breuissimi corporis claustro sit clausa, & intra cordis eius breuitatem constricta & coërcita sit diuina eius sapientia: nec vsquam (nisi scilicet in corpore illo) putetur operata: sed inter vtrumque vna pietatis debet esse confessio: vt neque aliquid diuinitatis in Christo defuisse credatur, & nulla penitus à paterna substantia, quæ vbique est, facta putetur esse diuisio. Tale namque aliquid etiam Iohan. Baptista indicat, cum corporaliter absente Iesu, diceret ad turbas: Medius vestrûm stat, quem vos nescitis: Quod vtique dici non poterat de eo, qui absens erat, quantum ad corporalem præsentiam pertinet, quòd medius staret eorum, inter quos non aderat corporaliter filius Dei. Neque tamen per hoc illum affirmare credendum est, quòd pars aliqua Deitatis filij in Christo, reliqua verò pars alibi, vel vbique: quod illi sentire possunt, qui naturam substantiæ incorporeæ atque inuisibilis ignorant.* Legantur reliqua.

Cur hæc tacuerunt Aduersarij? Addunt etiam alium locum ex eodem cap. & lib. Sed qui nihil ad rem: nempe, *Quod λόγος non solum corpus, sed & animam susceperit: animarum quidem nostrarum similem per naturam, proposito verò ac virtute similem sibi: & talem, quali omnes voluntates & dispensationes verbi & sapientiæ indeclinabilis possent impleri.*

R. Quasi verò, vt impleret omnes verbi voluntates, necessaria illi animæ fuerit realis idiomatum communicatio: & plenitudo gratiæ & donorum Spiritus Sancti non fuerit illi satis.

Illud vero, quod ex Origene referunt, dicendo: *Ea, quæ per vnionem verbi, ipsi humanæ naturæ accesserunt, non tollere naturam:* amplector: & subdo: *Atque realis idiomatum diuinæ naturæ in humanam communicatio, tollit naturam humanam: Si enim sit realiter infinita & immensa, desiit*

sanè esse finita: si realiter omnipotens, omnem abiecit naturalem impotentiam. Non igitur facta est realis idiomatum communicatio. Desinant ergo aduersarij fauorem ab Origene venari; cùm illis totus in hoc dogmate aduersetur.

De aliis, quos ex sermone secundo adducunt in varios Euangelistarum locos, non est, cur laboremus. Sunt enim planè alieni ab hac disputatione.

IV. Quem ordine producunt, pater, & qui prætereundus non est, *Eusebius est Cæsariens. ex lib. de Demonstratione Euangel. l. 4 c. 13.* ἀλλ' ὁ μὲν τὰ παρ' αὐτοῦ μεταδιδοὺς (ὁ λόγος) τῷ ἀνθρώπῳ, τὰ δ' ἐκ τοῦ θνητοῦ μὴ ἀντιλαμβάνων: καὶ τῷ μὲν ἐκ θεοῦ δυνάμεως τῷ θνητῷ χορηγῶν, τῆς δ' ἐκ τοῦ θνητοῦ μετουσίας οὐκ ἀντιπαραλαμβανόμενος: id est vt ipsi vertunt: *Sed ille quidem à seipso communicans (ὁ λόγος) homini, hæc verò à mortali non recipiens. Item, mortali quidem potentiam diuinam subministrans: à mortali verò ipse non contra in partem aut communitatem adductus.*

Hinc colligunt τὸν λόγον sua diuina, suámque diuinam potentiam homini assumto realiter communicasse: cum interim ipse ab illa assumta natura nihil acceperit.

R. Primùm, concedo hunc locum non esse intelligendum de communicatione, quæ dicitur per gratiam vnionis, seu per communicationem idiomatum. Hoc enim pacto tam λόγος accepit ab homine assumto, quàm homo assumtus à λόγῳ: quia tam rectè dicitur, ὁ λόγος, Deus, mortuus est, quàm, hic homo remittit peccata, propter gratiam vnionis. Sed rursus etiam aio de reali idiomatum diuinæ naturæ in humanam communicatione, intelligi non posse: sed tantum de donis creatis, gratiísque habitualibus, quemadmodum & paulò ante dixi de loco Basilij. Hoc liquidò constat, si totum locum Eusebij paulò attentius examinemus.

Primò: Titulus capitis est: Natura diuina in assumta humanitate lædi non potuit. Hoc enim ibi suscepit explicandum Eusebius. Lædi autem à carne, est effectus carnis, id est passio, qua quis à carne afficitur, res longè diuersa, ab eo, quod caro ipsa patitur. Ergo cùm postea per antithesin dicat: Sed contrà, λόγον τὰ ἐξ αὐτοῦ carni communicasse, & potentiam τὴν ἐκ θεοῦ tradidisse: de effectis: déque creata potentia intelligi debet, non autem de essentialibus proprietatibus τοῦ λόγου.

2. Atque hoc confirmatur inde: quia Eusebius non dicit, τὸν λόγον communicasse assumto homini sua diuina (vt illi verterunt, aut potentiam suam, quasi intellexerit sua essentialia idiomata, aut suam infinitam omnipotentiam, sed τὰ ἐξ αὐτοῦ & τὴν ἐκ θεοῦ δύναμιν. De donis ergo eximiis, quæ à λόγῳ in humana natura fuerunt effecta, déque eximia potentia, quæ eidem fuit donata, locutus est Eusebius, non autem de essentialibus proprietatibus.

3. Idem liquet ex simili solis, quo suam confirmat sententiam. Ait enim: *Sicut solares radij omnia loca permeantes, & fœtida corpora tangentes, ab illis non inficiuntur, imò potius multa bona illis communicant, nihil ab eis nocumenti accipientes: sic etiam & multò magis efficit λόγος sol iustitiæ in sua etiam carne.*

Quæ autem sol efficit in corporibus istis, eísque communicat, suntne essentiales ipsius proprietates, an verò potius effecta in corporibus producta, & vi suorum radiorum excitata? Cùm igitur in hoc negotio comparet soli τὸν λόγον, & carnem assumtam aliis corporibus in quibus operatur sol mirabilia, à quibus tamen nihil patitur: Luce clarius est, Eusebium loqui de donis creatitiis in humanam Christi naturam collatis: non autem de essentialibus idiomatibus diuinæ naturæ realiter communicatis.

4. Confirmans propositionem, ait *hunc eundem λόγον, ante assumtam carnem vbique fuisse, & omnia in omnibus operatum fuisse, nec vnquam tamen aliquid à suis creaturis passum fuisse.* Ergo licet etiam fuerit in carne passibili atque mortali, nihil tamen ab illa pati potuit: sed in ea & per eam, multa præclara præstitit, & salutem nostram operatus est. Quare de effectis loquitur.

5. Idem confirmatur alio simili pulcherrimo. *Comparat enim λόγον excellenti musico: humanam autem naturam lyræ, in qua ludendo, per eam, virtutis suæ præstantiam exerit atque declarat.* Num musicus, dum ludit in lyra vel testudine, suam musicam lyræ realiter communicat? Nequaquam: sed eam tantùm ita fabricat, parat, munit bonis fidibus, quibus apta & accommodata sit musico ad musicæ suæ actiones concinnè edendas. Sic λόγος, in suam carnem, non essentiales suæ Deitatis proprietates contulit: sed tantum diuina & multa dona, quibus eam fecit sibi idoneum organum, ad opera Dei, & inprimis ad opera redemtionis perficienda.

6. Cum describit duas in Christo naturas impermixtas, inconfusas, integras: *soli Deitati dat, quòd semper fuerit & sit vbique, & hanc Dei proprietatem, corpori nunquam fuisse communicatam, ostendit.* Quomodo igitur sensit Eusebius, essentiales Deitatis proprietates, naturæ humanæ realiter communicari?

Illud tantum obiici potest, quod habet, non ita multò ante finem capitis. *Postquam dixisset, τὸν λόγον, etiam cum inter homines versaretur, nihilo minus omnia complexisse, & in patre & cum patre fuisse, & omnium rerum, etiam cælestium curam gessisse: nunquam ab illa præsentia, qua cunctis rebus adest, nostro more, excludi, neque, diuina ne ageret more suo, impeditum fuisse:* subdit: *Sed illa quidem à seipso communicans homini: hæc verò à mortali ipse non accipiens.* Et statim sequuntur verba, quæ ab aduersariis citantur in lib. Concordiæ. Videretur ergo Eusebius sensisse, illa diuina, de quibus supra, homini assumto communicata fuisse à λόγῳ. Sed responsio facilis est.

Verba hæc referenda sunt ad immediatè præcedentia: nempe vbi ait: *Neque, diuina ne ageret more suo, impeditus* (sci. fuit à carne assumta, carnísque operibus) *sed illa quidem* (opera diuina) *à seipso communicans homini.*

Sensus est: τὸν λόγον non solum non fuisse impeditum ab homine assumto, hoc est, à natura assumta, ne sua diuina opera præstaret, verum etiam ad hæc præstanda, hac assumta vsum fuisse, nempe tanquam organo: sicut supra comparauit illum lyræ: & paulo post rursus eum, vt lyram fuisse docet, in manu musici, qui illam pulsans ab ea non pulsatur, nec læditur. Ex hoc igitur loco Eusebij tantum abest, vt probari possit realis idiomatum communicatio, vt potius ea penitus euertatur.

Adde, quod ad calcem quoque capitis scribit: *mortuum illud verbi corpus, vbi exiguum quiddam virtutem illam verbi attigit, Tum illico excitatum fuisse & reuixisse,* &c. Quomodo Eusebius dixisset de corpore Christi mortuo *Vbi exiguum quiddam virtutem illam verbi attigit:* si sensisset, propter vnionem hypostaticam vim τοῦ λόγου, totámque eius potentiam, fuisse in animam & corpus Christi realiter collatam & communicatam?

7. Subdunt alium locum ex eiusdem lib. cap. 14. excerptum: qua etiam in re fidem desiderare quis possit. Omittunt enim ea & præcedentia & subsequentia verba: quæ sensum Eusebij planissimum faciunt. Duo concludere volo *Eusebius:* vnum, de glorificatione corporis Christi post resurrectionem: alterum, de nostrorum etiam corporum, ad illius exemplar, glorificatione: cum assumti à λόγῳ hominis glorificatio, sit & caussa & exemplar futuræ nostræ glorificationis. Verba Eusebij hæc sunt, καὶ τιμηθὲν ... [illegible] ... Totum hoc omiserunt aduersarij. In quibus Eusebij verbis illud, quod ait, *hominem assumtum, totum fuisse à Deitate absorptum,* non est ita intelligendum, quasi conuersa sit natura humana in diuinam, sicut Eutyches interpretabatur, *sed quod post resurrectionem & ascensionem in cælum, tanta gloria, & diuino splendore creatitio tamen fuerit à Deitate ornatus, repletus, vndequaque vestitus, & circumfusus ille homo, vt vix à Deitate discerni queat:* quemadmodum & de ferro in medio ardentis fornaci posito: & de corpore solari luce primogenia repleto, & nullis nubibus obducto, idem verè dicere quis possit, cùm tamen reuera aliud sit ferrum & aliud ignis in ferro: aliud item corpus solare, aliud [illegible] sole. Hoc enim ipsum verbum, [illegible] postea alio verbo explicat, cùm ait, [illegible] *Secum deificauit λόγος hunc assumtum hominem.* nimirum non mutatione naturæ, sed qualitatum. Duplex enim est significatio huius verbi, *Deificare,* cum loquimur de natura humana Christi: *Prima,* vt homo ille dicatur deificatus, seu factus Deus, propter vnionem cum Deo hypostaticam. De hac significatione Damasc. li. 3. cap. 17. Sed hæc significatio, hîc, vbi Eusebius loquitur, de statu post resurrectionem, non congruit. Fuit enim ab ipsa sui conceptione deificatus iste homo assumtus, id est, per gratiam vnionis factus Deus cum λόγῳ, sicut & [illegible] factus fuit homo propter hominis assumtionem. *Dicitur deinde deificatus* fuisse, cùm propter diuinas & essentialibus diuinæ naturæ proprietatibus persimiles qualitates, ac præsertim propter gloriam immortalitatis, æternæque vitæ, potentiæ, ac maiestatis, à λόγῳ huic homini assumto donatam, per quam simillimus Deo factus est: ita vt λόγος, qui antea in hac carne mortali, suam videbatur Deitatis gloriam deposuisse & exuisse, nunc in eadem carne, ita deificata & planè diuina effecta, priorem gloriam resumsisse videatur: propter tantam

tam similitudinem gloriæ & Deitatis, quam iam habet ista assumta natura cum λόγῳ.

Atque hoc est quod ait Eusebius: quòd nimirum, *postquã hoc modo fuit tota humana natura à Deitate absorpta ac deificata:* πάντι δὲ ὅλῳ ... *Rursus* inquit Eusebius) *Deus λόγος talis fuit Deus, qualis etiam erat, antequam fieret homo.* Obseruent hanc locutionem illi seueri censores, qui improbant, quòd quidam è nostris dixerint, Christum, cùm factus est homo, suam diuinam gloriam & omnipotentiam ceu deposuisse, nempe, quoad vsum & ad tempus: eandem verò post resurrectionem resumsisse, & ei à patre quodam modo redditam fuisse: Eam enim ante resurrectionem fuisse ceu gladium in vagina occultatum: post verò, ceu exertum.

Amplius certè est, quod hic ait Eusebius, Deum λόγον post glorificationem & Deificationem hominis, denuo talem Deum fuisse, & esse, qualis fuerat etiam antequam fieret homo: quasi verò desierit propter assumtam mortalem carnem esse talis Deus, qualis fuit ab æterno.

Atque hoc est primum, quod concludere voluit Eusebius: hunc itum *hominem assumtum à λόγῳ, ita totum fuisse, post resurrectionem, à Deitate absorptum glorificatum & deificatum, vt non solum propter vnionem hypostaticam, sed etiam propter hanc, cum Deo perfectam similitudinem, vnus & idem Deus cum λόγῳ factus sit.*

Alterum fuit, vt ostenderet, *ideo hominem assumptum à λόγῳ ita fuisse deificatum: vt esset caussa & exemplar nostræ futuræ glorificationis & Deificationis* Nam etiam nos, vt ait Athanasius, deificandi sumus. Et hoc voluit Eusebius, cum dixit, hunc hominem à λόγῳ deificatum, esse ἀπαρχὴν τῆς ... Ideo enim etiam ab Apostolo Christus vocatur ἀπαρχὴ & primitiæ resurgentium: quia & caussa & exemplar est nostræ resurrectionis: Ex qua voce ἀπαρχῆς, luce clarius liquet, non alio deificationis & gloriæ genere, fuisse Christum, quà homo est, glorificatum, quam quo etiam nos sumus glorificandi cum ipso. Eodem enim genere benedictionis benedicebantur primitiæ, quo & reliqui fructus. Qualis autem futura est nostra gloria? certè creatitia. Sic & Theodoretus in illud Phil. 3. *Nostra corpora futura conformia corpori Christi glorioso: Quoad qualitatem, inquit, non quoad quantitatem, erunt conformia.*

Sed hæc omnia verba omiserunt nostri, & conclusionem quoque, quæ etiam clarior est, vt mox videbimus: Cur verò ita? Quia nimirum nimis apertè declarant, Eusebium de reali idiomatum communicatione, ne per somnium quidem cogitasse. Audiamus igitur, quid subdat: τὸν τοι αὐτὸν ... à λόγῳ susceptum & glorificatum) ἐκεῖ (in cœlo ...) ... Hucusque nostri: vbi etiam falluntur & fallunt, cùm illud, ἐκεῖ, interpretantur in illa vnione: cum apertè ad cœlum, vbi corpus Christi excitatum viuit, referendum sit.

Quæ porro sequuntur in Eusebio verba, illius mentem explicantia, silentio præterierunt. Sunt autem hæc: ὥσπερ τι ... Quid clarius dici poterat pro sententia nostra? Omnia explico latinè: *Hunc, inquit, ipsum (hominem assumtum) interim ad illius vitæ æternæ, quam penes se habet, atque ad dignitatis in diuinitate ac beatitudine communitatem assumens: nobisque itidem omnibus futuræ apud ipsum, & cum ipso, immortalitatis ac regni maximum hoc prabens indicium.* Sic habet versio Latina.

Hæc porro postrema etiam verba, quæ ab aduersariis sunt omissa, luculenter declarant, quomodo media quoque ab ipsis allata, intelligenda sint: nempe, æternam illam vitam & beatitudinem, ad cuius realem κοινωνίαν in cælo admissus est ille homo, id est, humana Christi natura, non esse illam ipsam, qua Deus viuit & beatus est: & quæ nil aliud est, quam ipsius essentia (Solus enim Deus hac viuit & beatus est:) Sed esse huius effectum: illam nimirum, quam & nos à Christo capite, & apud Christum sumus habituri, vitam & beatitudinem, minorem quidem, quoad quantitatem, vt ait Theodoretus, sed tamen eandem quoad qualitatem.

Hanc ob caussam Euseb. dixit Christum, quà homo est, ἀπαρχὴν esse spei nostræ, i. gloriæ à nobis speratæ & sperãdę: Item propositum esse nobis δεῖγμα ac ceu illustrissimum exemplum illius æternę vitæ ac beatitudinis, quæ nobis promissa fuit, & quę in cælo apud Christum proposita est.

Ergo cum etiam ait, hunc hominem assumtum, dignum fuisse factum, & æterna vita, quæ est apud ipsum Deum λόγον, & societate in Deitate ac beatitudine: de alia intelligi non potest, quàm de illa cuius capax est humana natura: finita scilicet & creatitia: cuius & nos, pro sua quisque portione participes futuri sumus.

Placuit & hunc locũ fusius explicare, quia dignus est qui ab omnibus intelligatur: & vt sciamus, quomodo similes, si qui occurrãt apud patres loci, intelligẽdi ac declarandi sint.

V. Quintus pater, quem ordine adducunt, est magnus ille *Athanasius:* cuius vnius sententia rectè explicata, ad omnium aliorum patrum dicta orthodoxè intelligenda, certa regula nobis esse debuerit.

Cuius sanctissimi patris plurima afferunt testimonia, quasi suam confirmantia sententiam: Sed nihil minus vnquam voluit Athanasius, quam doctrinã de reali deitatis in substantiam creatam communicatione, comprobare. Imò eam in Ario damnat, & vt blasphemam execratur. Negabat *Arius*, τὸν λόγον è substantia Dei patris genitum esse: contendebat autem primam esse substantiam, quam Deus crearit: ac per hanc postmodum omnia fuisse creata. Cæterum, cum præuidisset Deus, hunc primum spiritum sibi futurum omnium obsequentissimum: constituisse hunc sua Deitate implere, suum filium facere, per hunc omnia creare, ac regere, denique per hunc hominem factum, mundum redimere. Hæc fuit phantasia Arij.

1. Oppugnat hanc hæresin Athanasius, ac præter alia docet, fieri non posse, vt creatura, quę non est è substãtia Dei genita, particeps fiat deitatis: Deum enim suę Deitatis aliquem participem facere, idem esse, quod è sua substantiã gignere. Legatur T. 1. oratio contra Ar. 2. pag. 131. 132.

Non me latet, aliquid esse dissimilitudinis inter Arij & Vbiquitariorũ opinionem. Interim etiã scio, hanc esse generalem Athanasij propositionẽ: *Deum aliquem sua Deitatis participem facere, idem esse, quod generare è substantia sua*

Neque hic valet illa macra & insulsa exceptio: qua fortassis vtentur aduersarij: nempe dictum Athanasij intelligendum esse: Si quis fiat Deitatis particeps, essentialiter, vel subiectiuè & in sese. Nemo enim potest fieri realiter particeps alicuius rei, nisi ea participet, vel vt substantia, vel vt accidente, & in sese. Demonstrent ipsi contrarium, vel in natura, vel in Theologia, Potuissent etiam Arriani, qui erãt acutissimi, respondere Athanasio, se hanc deitatis participationem non intelligere substantialiter, aut etiam formaliter & subiectiuè factam esse in ipso λόγῳ, sed tantùm per quendam modum, qui exprimi verbis non potest, sed duntaxat simili, hoc est, sicut ferrum particeps est ignis. Sed hoc effugium vsque adeo nullum est, vt neque illi sophistę Arriani hoc videre potuerint: neque Athanasius, vir alioqui acutissimus, sibi ab illis opponi posse, intellexerit.

Ergo, si ex Athanasio agendum sit, liquido apparet, eũ non aliter sensisse, quã si qua substantia realiter particeps est diuinę naturę: illam oportere ex Dei substantia genitam esse.

Ac proinde de humana Christi natura dici non posse, quod sit facta realiter particeps plenitudinis Deitatis, quin etiam concludas, eam è substantia Dei progenitam, Deóq; ὁμοούσιον esse factam. Ad simile ferri responsum est, non ibi ignem, sed effecta ignis esse communicata. Hoc vnum in primis obiicio, ex Athanasio, nostris aduersariis.

2. Deinde regula quoque est Athanasij, non minùs quam Iustini, Sermone 4. cõtra Arrianos, quã etiam aduersarij ipsi recitant: quæ certè regula, cum reali idiomatum diuinæ naturæ in humanam communicatione, nullo modo cohærere potest. Regula hæc est: *Si viderimus Christum, per organum sui corporis diuinitus aliquid agentem, vel dicentem, sciamus, quia Deus est, qui hæc operatur: Si viderimus eum quid humanitus loquentem aut patientem, non ignoremus, quia carne indutus, factus est homo. Singularum enim naturarum proprietates cognoscentes, & vtraque ab vno agi, intelligentes, rectè credemus, & non aliquando errabimus.* Regulam hanc fatentur insignem esse, & citari etiam in sexta Synodo.

Si autem v. g. omnipotentia Dei realiter communicata est humanæ naturæ: illa igitur opera etiam diuina præstabit, æquè atq; diuina natura: Quod si fatearis: quomodo igitur discernere poteris, an hęc opera operatus sit Christus secundum diuinam, an vero secũdum humanam naturam. Ita perit illa insignis regula. Quare probabile non est Athanasium sensisse, idiomata essentialia vnius naturæ realiter in alteram communicari posse.

3. Obiicio & hoc aduersariis ex Athanasio ipso. Athanasius passim docet, *neque λόγον conclusum esse in corpore, sed vbique existere, omniáque implere: neque corpus vbique esse & λόγῳ coëxtendi, sed certo esse loco, nempe vbicunque velit esse:* id quod & aduersarij, priorem sententiam, Deo sit laus, retractantes, fatentur in appendice libri concordiæ: Th. 9. Quãquam, quod rectè explicarunt, postea statim, ne videantur vnquam errasse, magis rursus inuoluunt.

Sed hoc inficiari nõ possunt, proprietatẽ, qua λόγος vbique præsens est, humanæ naturæ nõ esse communicatã: alioqui

secum pugnarent in primo membro Theseos nonæ.

Hinc sequitur neque reliquas proprietates esse communicatas.

4. Postremò obiicio, quod Athanasius tradit, cùm alibi, tum in libro de natura humana suscepta, contra Apollinarem. *Quæcunque Christus accepit, vt homo: ea omnia membris sui corporis largiturus est, vt Deus.* In hunc enim finem, hæc illum accepisse ait. Assumo. *Atqui nobis largiturus non est realiter essentiales Dei proprietates. Ergo neque illas ipse accepit, vt homo, seu in suam humanam naturam.*

Hæc 4. obiecta talia sunt, vt nullo modo admitti possit, ex Athanasij dictis probari realē idiomatū communicationē.

Quid igitur ex illis concluditur? Breuiter dicam. Modò vera vnio duarum naturarum in vnam hypostasin: modò realis donorum creatorum in humanam naturam communicatio. Quod si aliquando videntur patres humanæ naturæ proprietates diuinæ attribuere: illud per gratiam vnionis, seu secundùm verbalem idiomatum communicationem, intelligendum est: hoc est: Ideo quæ Deitatis sunt propria, ea prædicari de anima, vel de corpore Christi, non quòd reapse illis congruant, sed quia anima & caro, sunt caro & anima Dei: quemadmodum ea ratione, quæ propria sunt humanitatis, vt pati & mori, ea attribuuntur Deitati, idque in concreto: non quod illa realiter sit passa & mortua: sed quia Deitas, est illius carnis Deitas, quæ realiter passa est. Est igitur imputatio potius (vt ita loquar) quàm realis prædicatio seu communicatio: qualis est & perfecta Christi iustitia, qua iusti sumus coram Deo: cuius effectum est iustitia realis, quæ in nobis inchoatur: Et sic in hoc argumento sæpe præter alios Epiphanius, vtitur verbo imputari & reputari: nimirum Deo imputari passiones, quas non est passus: sed caro. Et homini opera & perfectiones, quas non ipse habet aut fecit, sed Deus: idque propter vnionem.

De iis patrum dicta sunt intelligenda. Nunc breuiter percurramus testimonia Athanasij.

1. *Ex lib. de humanitate Verbi* pag. 65. nil aliud concludit, quàm effectum vnitæ Deitatis in corpore Christi: & per illud etiam in nostris corporibus: Illud scilicet Christi corpus præter suam naturam, fuisse, vi deitatis vnitæ, à corruptione & æterna morte seruatum: & per consequens, nostra quoque ab eadem æterna morte, in Christo seruati. Agit enim in eo libro Athanasius, de necessitate sumendi à λόγῳ corporis humani, vt in eo mors reipsa vi deitatis occideretur. Sed quid hoc ad realem idiomatum communicationem?

Imo simile Amianthi, quod affert Athanasius repugnat. Stipula enim seruatur ab incendio, propter Amianthum nō realiter communicatum, sed stipulæ duntaxat vnitum. Quod realiter isti stipulæ communicatur, est hoc effectū: quod scilicet præseruetur ab incendio: sed caussa efficiens est Amianthum stipulæ vnitum. Sic, quòd corpus Christi reuixerit non moriturū amplius, effectum fuit, realiter illi à deitate communicatum: sed Deitas, vita substantialis, vnita duntaxat ei fuit, non autem realiter communicata, vt in eo libro optimè explicat Athanasius.

2. Ex Epist. ad Epictetum nihil ad rem.

Primò, Athanasius non vtitur nomine communicationis, sed tantum communionis & coadunationis verbi ad carnem. Ita ibi non loquitur de reali communicatione, sed tantùm de vera vnione. Deinde, accessio magna, quam dicit factam esse, non verbo ex vnione ad carnem, sed carni, ex vnione ad verbum: non consistit in reali communicatione idiomatum, de qua nullum ibi verbum, sed tum in hoc, quod caro assumta est, in vnitatem personæ, cum verbo: tum in hoc, quòd hæc humana natura infinitis & maximis donis, ornata & ditata est à verbo: adde, & in hoc, quòd & nomen Dei, & quicquid est Dei, & quicquid Deus agit, illud quoque de humana natura (sed in concreto significata) propter vnionem, per communicationem idiomatum prædicatur. An parua hæc tibi videtur accessio? Et perspicua est Athanasij explicatio, qua hanc accessionem μεγάλην προσθήκην, factam ex vnione, ipsi humanæ naturæ, explicat. Ait enim hanc naturam, ex mortali factam esse immortalem; & ex animali spiritualem, & terrena cùm esset, penetrasse cœlestes partes. Quid hæc ad idiomatum communicationem?

Ac quòd pag. 79. vocet corpus Christi, corpus deificatum: antè declaratum est, quomodo sit intelligendum: nempe, non sicut Eutyches, sed sicut alij patres: nimirum tū propter vnionem, qua in vnitatem personæ verbi assumtum est: tum propter diuina dona, quibus ornatum est, supráque omnes creaturas exaltatum.

3. Addunt ex oratione secunda, contra Arianos, testimonia multa, quibus Athanasius probat: quæcunque leguntur, data fuisse Christo in tempore, ea omnia dici data fuisse respectu humanitatis.

R. Sed quis hoc negat? Nunquid vero hinc sequitur realis idiomatum communicatio? Imo vero euertitur: quia (vt supra ostendimus ex Athanasio; id quod Aduersarij etiam fatentur) quæcunque accepit vt homo, ea omnia suis membris largitur, & largietur. Non largietur autem essentiales Dei proprietates. Ergo nec accepit.

4. Quæ etiam referunt ex oratione contra Ar. 4. illa magis confirmant sententiam nostram. Nam primo, ait, *Christum, quæcunque accepit, ea accepisse, vt in posterum ea nobis possidenda traderentur.* Non traduntur autem nobis idiomata Dei essentialia. Ergo neque ipse accepit. Deinde & de sapientia & de operibus, quæ propria sunt verbi, loquens: facit humanitatem ad omnia organum Deitatis. Non igitur realiter eorum particeps erat humanitas: sed ad ea se tantum habuit vt organum.

Perpendenda est & caussa, cur dicat, Christum quà Deus est, nihil accepisse in tempore: *quia* (inquit) *habebat omnia vt Deus & verbum: & nullius erat indigus.* Si hæc ratio bona est, vt est optima: & si etiā vera est doctrina de reali idiomatum communicatione, puta omnipotentiæ Dei in humanā naturam, iam inde ab initio cōceptionis facta: profecto sequitur, neq; humanam naturam quippiam donorū creatorū, puta potētię creatæ, & finitæ, accepisse: quid ita? quia cū haberet realiter sibi cōmunicatā infinitam Dei omnipotētiā: non egebat potētia finita & aliis creatis donis. At hęc accepit. Non igitur illa idiomata realiter habebat cōmunicata. Hæc certè ex doctrina Athanasij necessario inferūtur.

Sed cur, quæ in eadem oratione 4. contra Arianos, legūtur, sententiam Athanasij manifestissimè explicanta, suppressa sunt à nostris? Vnum, aut alterum locum indicabo ex multis. Eleganter & perspicuè docet Athanasius, *Christum in edendis miraculis, puta in suscitando Lazaro, secundum humanitatem quidem locutum esse, Lazare veni foras: sed secundum Deitatem Lazarum viuificasse, & ita de aliis.* Annon luculenter docuit, se non sentire, vim suscitandi mortuos, humanæ naturæ esse realiter communicatam: sed in sola manere Deitate? Si enim hæc diuina potentia in humanam naturam esset collata: profecto etiam ipsa ad Lazari viuificationem, non minus vt ζωοποιὸς concurrisset, quàm Deitas. Nunc autem hoc negat Athanasius: & ait, Deitatem ad opera sua diuina non vsam fuisse humana natura, nisi vt organo & instrumento. Item pag. 149. vbi explicat quę Christus accepit in tempore, ea illum quatenus homo est, accepisse: Scribit Athanasius, *quæ Christus, vt homo accepit, ea fuisse dona, & gratias donatitias.* Scholastici vocarunt gratias habituales. Nusquam autem scribit, essentiales proprietates seu idiomata τοῦ λόγου, homini assumto (vt ipse solet loqui) fuisse communicata. Si gratias tantùm donatitias accepit, vt homo: non igitur essentiales proprietates. Conferas vero hunc locum cum iis, quæ scribit in eadem oratione 4. pag. 233. vbi ait, *quæ à Deitate hominibus donantur: ea cum donatrice Deitate paria esse non posse:* & inde videbis idem confirmari. Essentiales enim proprietates Deitatis ita pares sunt cum deitate, vt reipsa nihil aliud sint, quàm ipsa deitas. Quid igitur est, dicere, humanam naturam habere realiter communicatas essentiales proprietates: nisi dicere, eam esse exæquatam Deitati? Eant ergo, & ex Athanasio iam probent realem idiomatum communicationem: sed videamus reliqua.

5. Citatur etiam locus ex dial. 5. de Trinitate pag. [illegible] qui ita fauet aduersariorum dogmati, vt lux tenebris. Sicut τὸ λογικὸν animæ rationalis suas ipsius potentias seu operationes τελεῖ, edit, exerit, perficit ἐν τῷ ζώῳ, in corpore humano: *Ita Deus λόγος vnitus homini, edit miracula, non seorsum aut separatim, à natura humana: sed pro sua bonitate placuit ipsi per assumtam naturam humanam, in ea & cum ea, propriam suam diuinam potentiam, operando exercere:* δι' αὐτοῦ, ἐν αὐτῷ καὶ μετ' αὐτοῦ, διὰ τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ ἐνεργεῖν.

Sed quid hæc ad propositam quæstionem. Aliud est, quod λόγος in humana natura, & cum humana natura, & per humanam naturam, tanquam per organum, qualia sunt etiam membra corporis, ipsi animæ, operaretur, suamq; θείαν δύναμιν exerat: & aliud, quod ipsam δύναμιν realiter communicet humanæ naturæ. Illud ait Athanasius, hoc nequaquam.

Imo simile animæ prorsus contrarium docet. Nunquid τὸ λογικὸν animę vlli corporis membro, nedum toti corpori, suam intelligendi, ratiocinandi & volendi facultatem communicat?

6. Alium locum ex eodem dialogo subdunt: sed idem continentem, quod & precedens: verùm alio simili vtitur: nempe, *quòd sicut sol (finge) positus in lucerna, per eam lucet,*

suámque lucem exerit: sic etiam ὁ λόγος, in humana carne & per humanam carnem operatur.

R. Nihil ergo aliud concluditur quam vera vnio verbi cum carne, & illius efficacitas in carne ac per carnem, tanquam per organum sese exerens. Imo ex hoc etiam simili refellitur error realis communicationis. Scimus enim licet lux in lucerna, siue cornea siue vitrea existens, per eam sui diffundit lumen: aliud tamen esse lumen ac fulgorem, qui à luce emanat, & per vitream aut corneam lucernam foras emicat: & aliud esse ipsam lucem, à quo oritur splendor & refulgentia illa: cùm vnum sit effectum, alterum caussa. Effecta autem eximia & multa a Deitate, in humanam naturam, realiter communicari, & per illam ad alios denuari, nemo inficiatur. Sed Deitatem ipsam, nemo sanus concedet. Essentiales autem proprietates Deitatis ipsa nil aliud esse, quam deitatis essentiam, ipsi etiam aduersarij confitentur & norunt.

7. Profertur alius locus ex oratione itidem 4. cōtra Arianos. *Si verbum caro factum est: ergo carni sua qualitas, diuersaque à verbo affectiones sunt. Rursus, si caro in verbo Deum gestat: gratiam inde commodáque percipit.*

R. Quorsum? Ergóne essentiales proprietates realiter communicatas percipit? Hoc non docet Athanasius: Imò racitè negat, dum ait, solam gratiam & commoda percipi, verbum autem gestari.

8. Adducitur & locus ex oratione 5. quo concluditur, *carnem Christi adorandam esse. quia per eam λόγος sibi hypostaticè vnitam, salutem nostram operatus est & operatur.*

R. Quis dubitet? Sed quid inde? nil aliud, quàm, quòd vera vnio carnis cum Verbo concluditur: cuius caussa caro etiam vnita adoranda est. Et ita ibi explicat Athanas. Quomodo autem inde non sequatur realis communicatio: alias docuimus.

9 Item de Arriana & Catholica confessione: *probat naturam humanam esse glorificatam: ita vt omnem potestatem habeat in cœlo & in terra.*

R. Glorificata est, nempe realiter, eo gloriæ genere, quo & nos sumus glorificandi, vt ipse docet Athanas. & Theodor. ex Apostolo. Item potestatem habet in cœlo & in terra: sed infra Deum, vt supra ex 1. Cor. 15. ostendimus.

10. E duob libris citant duplicem interpretationem illius dicti Io. 5. *Pater dedit filio habere vitam in semetipso. Sed quid concludit? τῷ λόγῳ datam vitam à patre in æterna generatione: carni in tempore.* Et quid hoc ad rem? Quasi verò anima & caro eandem essentialem vitam acceperint, quam & λόγος. Item ex loco Phil. 2. *Carnem esse exaltatam & huic datum illud nomen, &c.* Item illud Act. 4. *Fecit hunc Christum & dominum: de Christo secundum humanitatem esse intelligendum.* Itē illud, *sede à dextris meis: ad humanum corpus referendum esse.* Omnia hæc rectè intellecta admittimus, sed nihil ad rem.

Denique ex Dialogo 3. Theodoreti citant dictum Athanasij: *corpus Christi non vidisse corruptionem: quia Verbum, quod cum illo erat coniunctum, effecit ne corrumperetur.* Sed quid tum? Ergo corpus, omnipotentiam Dei realiter communicatam habuit? Imò contrarium sequitur.

Non deberem plus temporis insumere in explicandis aliorum patrum, quos citant aduersarij, testimoniis. Quæ.n. dicta sunt. ad Iustini, Tertulliani, Origenis, & obiter Basilij, Damasceni, Cyrilli, denique Eusebij & Athanasij autoritates: ea luculenter docere possunt, quomodo reliquorū etiam patrum dicta sint intelligenda, & explicanda. Cæterum, quia hæc tot tantorumq; patrum, quæ citantur, testimonia, multis imponunt, & de iis gloriantur aduersarij: quod non sint refutata: reliqua etiam breuiter nobis perstringenda, & aduersariis è manibus eripienda sunt.

VI Ergo pater citatur, ex Dialogis Theodoreti, *Eustathius ille insignis vir: qui etiam concilio Niceno interfuit.* Huius patris testimonia multa adducuntur à Theod. 1. 2. & 3. Dial. Ex singulis dialogis vnum proferunt. Item tria alia afferunt ex hæreseologia.

Sed quorsum illa Eustathij dicta spectabant? *Primò vt probaret non λόγον assumentem, sed carnem assumtam accepisse à Deo* [Greek]*: idque verissimum est.*

Sed nunquid nomine [Greek] vel gloriæ, Eustathius, qui hæc dixit contra Arrianos, intellexit essentialem Dei potentiam aut gloriam? Nihil minus: sed creatiliam (vt loquitur Athanasius) & donatitiam. Arriani enim ex iis multis donis, quæ Euangelistæ narrant collata fuisse a patre in Christum hominem factum: probare nitebantur τὸν λόγον non esse verum Deum: cur? Quia Deo nihil potest accedere potentiæ, vel gloriæ, sicut neque decedere.

Hic respondebant patres, & ita etiam Eustathius: hæc dona [Greek], non λόγῳ, sed carni donata fuisse: Non igitur se-

qui, λόγον fuisse rem creatam.

De primo testimonio Eustathij legatur Theod. dial. 1. pag. 17. B.

Primum dixit, τὸν λόγον esse illum, qui vnxit: post de homine vncto subiecit: [Greek].

Verba sunt perspicua, cum non loqui de proprietatibus essentialibus diuinæ naturæ. Imo si hoc negasset in λόγῳ, non negasset eum esse Deum? λόγος enim plenitudinem Deitatis accepit à patre ab æterno.

Alterum, quod voluit Eustathius illis dictis, fuit, *Christo itidem, qua homo est, datum esse, vt sit ipsi Deo σύνθρονος*, id est vt vnà cum Deitate regnet supra omnia: sed quomodo? pro sua quidque potentia, & suis quidque actionibus Deitas sua infinita, humanitas sua finita potentia. Hoc testimonium quod citatur ex 2. Dial. extat pag. 40. A.

VII. Pater, est D. Hyppolitus Episcopus & Martyr, ex Dial. Theod. 3. Summa est, *corpus Christi etiam mortuum, vim in se habuisse viuificandi propter Deitatem in illo inhabitantem. Hoc inde probat D. Hippolytus: quia præter ordinem & naturam corporum demortuorum, emisit aquam & sanguinem, in quibus vita nostra consistit.*

R. Sed cuiusnam fuit hæc virtus? Deitatis, non corporis! Ideo ait aquam & sanguinem fluxisse, vt cognoscamus, quantum ἡ κατατηλωθεῖσα δύναμις ἐν τῷ σώματι, πρὸς ζωὴν δύναται.

In Christo igitur vis viuificandi attribuitur Deitati, non corpori, per quod tanquam per organum illa viuificat.

Spectandum semper est in autoritatibus, quæ citantur à Theodoreto, de quanam re agat Theodoretus in illo dialogo, ac proinde, in quem finem ea patrum dicta proferantur. Scopus 3. Dialogi fuit, demonstrare, τὸν λόγον, in passione nihil à carne esse perpessum: imò potius in ipso etiam mortuo corpore, suam vim & potentiam exercuisse, & per illud exeruisse. Ideo titulum præfixit, ἀπαθής. Ergo, quæ ibi citantur, nihil planè ad realem idiomatum communicationem.

IIX. Subdunt *Amphilochium* ex 2. Dial. Theod. qui inscribitur Ἀσύγχυτος. Ibi enim demonstratur contra Eutychen, post ἕνωσιν, naturas cum suis proprietatibus, mansisse integras atque distinctas. Ad hoc confirmandum, præter alios adducitur Amphilochius, *qui ex eo quod Christus post resurrectionem, Apostolis de veritate sui corporis dubitantibus, dixit: Palpate & videte &c. idem confirmat: corpus s. Christi etiam post resurrectionem, fuisse τοῦτο, hoc ipsum, quod ante: Ex eo verò, quod ingressum est ianuis clausis: dixit non fuisse τοιοῦτο, h. e. tale, quale ante resurrectionem.* Sic ille pater locutus est. Ac verum est, corpus Christi post resurrectionem, licet fuerit τοῦτο, quoad substantiam & integritatem, veritatémque corporis: non fuisse tamen simpliciter τοιοῦτο, quoad multas qualitates, nempe quæ non erant essentiales. Licet enim manserit quantum, finitum, circumscriptum, certa membrorum humanorum figura & συμμετρία constans (istæ enim qualitates sunt a corpore humano inseparabiles, quia essentiales) multas tamen alias deposuit, de quibus 1. Cor. 15. *Seminatur in ignominia, resurget in gloria: seminatur in corruptione, resurget incorruptum: seminatur corpus animale, resurget spirituale*: ex quo Apostoli loco constat magnum discrimen esse inter corpus mortale & idem gloriosum ac immortale. Neque aliud concludere voluit Amphilochius, de corpore Christi, quam idem quod & Apost. de corporibus beatorum omnium, resurrectura, sc. eadem, quoad substantiam & naturam, sed non prorsus talia, qualia nunc sunt, quoad multas qualitates. Sed quid hoc ad realem diuinorum idiomatum in naturam humanam communicationem? Num enim corpus illud versum fuit in spiritum, & ita intrauit ad discipulos? Hoc certè pugnat cum verbis Christi: *Palpate &c.* Mansit enim verum corpus, &, vt loquitur Iustinus, quæst. 117. παχυμερές: Sed diuina virtute factum est, vt ianuæ cesserint corpori, sicut & et corporibus nostris naturaliter cedit: vt ibidem explicat Iustinus. Quanquam vero de explicatione illius loci variæ sunt doctorum virorum sententiæ: mihi tamen illa Iustini perplacet.

IX. Est Cyprianus. Eius afferuntur loca quatuor: 1. *Ex symboli expositione, in illud; Sedet ad dextram patris.* Hoc nil aliud probat, quàm, quod Sedis cœlestis profectum (vt ipse Cyprianus loquitur) non diuina, sed humana tantùm natura consecuta est. Quis hinc realem idiomatum communicationem elicere audeat? 2. Ex tractatu de idolorum vanitate, pag. 178. ad finem tractatus. Ibi hoc tantum de ascensione & sessione legimus: *Christum, circumfusa nube, sublatum esse in cælum, vt hominem, quem dilexit, quem induit, quem à morte*

protexit, ad patrem victor imponeret: iam venturus è cœlo ad pœnam diaboli & censuram generis humani, vltoris rigore, & iudicis potestate. Hæc Cyprianus. Quisque iudicet, an hæc ad realem communicationem pertineant, necne.

3. Ex Serm. de Ascensione. Ibi Cyprianus explicans verba Christi, *ascendo ad patrem meum & patrem vestrum: Deum meum & Deum vestrum:* ait, *animos discipulorum fuisse vehementer exhilaratos cum audirent se fraternitatis Christi honorari consortio: cum audirent & crederent, se esse filios Dei & fratres Christi: in quo omnis* (inquit) *excellentia plenitudo & sufficientia inest.* Hæc Cyprianus. Num verò quis audebit sic argumentari: *In Christo inest plenitudo omnis excellentiæ: Ergo in eius carnem realiter communicata sunt essentialia τῶ λόγω idiomata?* Nimis inepta fuerit talis argumentatio.

Deinde in eodē Sermone subdit Cyprianus: *quòd angeli hominem illum supra se sublimatum venerabantur: quem gloria & honore coronauerat pater: & quòd ad dexteram suam illum collocauit: dato illi hoc singulari priuilegio, vt in nomine eius omne genu flectatur, & vt supra omne nomen, eius nomen excellentius colatur: denique, quod humilitatem carnis nostræ, throno iudiciario honorauit.*

R. Hæc omnia sunt è sacris literis desumta. Ex iis autem non sequi realem idiomatum communicationem, abundè ostendimus, cùm responderemus in priori argumento ad testimonia scripturarum, quibus aduersarij abutuntur.

Non est igitur opus longiore explicatione. Christus, qua homo, sublimatus est: fateor: sed non est reapse Deo exæquatus. Adorant eum angeli, & omnis creatura debet illi genua flectere, sed propter deitatem, quæ in eo inhabitat corporaliter. Dedit ei nomen, quod est supra omne nomen vt in nomine Iesu, &c. Quia propter vnionem cum Deo, huic homini conuenit nomen Dei, & omnis cultus atque adoratio. Sicut enim propter vnionem ad carnem, Deus factus est homo. Sic homo propter vnionem ad Deum, factus est Deus, & vt loquitur Naz. & Damasc. ἐμίσθη factus est: ita vt quicquid Deo debetur aut conuenit, illud etiam totum homini meritò per gratiam vnionis attribuatur, omnis scilicet honor & gloria: vt iam taceam de creatitia gloria, potestate, aliisque infinitis donis, & priuilegiis, vt etiā Cyprianus loquitur, quibus realiter ornatus & ditatus fuit hic homo seu humana Christi natura. Hæc omnia complexus est Cyprianus. Sed de reali communicatione idiomatum diuinorum in humanam hanc naturam, ne γρῦ quidem.

4. Denique quod afferunt ex sermone de resurrectione, quid illo clarius pro sententia nostra? Ait, decorem & gloriam illam, quæ resplenduit in facie Christi transfigurati in monte: *imaginem, non speciem: similitudinem, non substantiam: partem, non plenitudinem gloriæ explicasse.* Et addit: *claritatis illius plenitudinem, quæ à nobis in nobis expectatur, lucidiorem & sinceriorem futuram, quam illa claritas intimauerit, cuius primitias in Christo transformato accepimus.* Sic ille. At certè, gloria, qua nos sumus glorificandi, nōn est illa essentialis, qua Deus est gloriosus: sed creatitia. Si autem hæc nostra futura est lucidior, & sincerior ea, quæ conspecta fuit ab Apostolis in Christo, in monte sancto: quomodo igitur, vel ex transfiguratione Christi in monte, vel ex hoc Cypriani loco, probare quis audeat realem idiomatum diuinorum in humanam Christi naturam communicationem?

X. Subdunt quædam ex *Hilario*: quæ opus habent diligentiore explicatione. Sunt enim vtcunque obscura: & ideo facilè seduci possunt imperitiores huiusce modi dictis. Ac citant illa, quasi Hilarius senserit, carnem Christi, essentiali Dei gloria, esse realiter glorificatam. Exponit enim Hilarius illa verba D. N. I. Christi. Ioh. 17. *Glorifica me pater, ea gloria, quam habui, &c.* Ac præter alia hæc scribit, quæ arripuerunt aduersarij & ad suam contorserunt sententiam. Lib. 3. de Trin. p. 39. *Verbum caro factum orabat, vt id quod de tempore erat (id est, humana natura) gloriam eius claritatis, quæ sine tempore est (id est Deitatis) acciperet: vt in Dei virtutem & spiritus incorruptionem transformata carnis corruptio, absorberetur.*

Hæc Hilarius. Duo sunt, quæ in hoc contextu negotium facessere possunt imperitioribus: *Vnum*, quod ait Hilar. Christum rogasse, vt quod de tempore erat (id est, caro temporaria) acciperet gloriam eius, quæ sine tempore est, claritatis, id est æternæ Deitatis, æternam gloriam. *Alterū*, quòd ait, Christum petiisse, vt carnis corruptio (id est, caro corrupta & mortalis) transformata in Dei virtutem, & in spiritus incorruptionem, absorberetur. Videntur hæc verba confirmare realem diuinæ naturæ proprietatum, in humanam naturam communicationem.

R. Non confirmant. Primum, Verba hæc non concludunt: Deinde multò minus Hilariana illius loci Christi explicatio: quam postea subiiciam. Ac quod ad verba attinet, in priore membro ait, Christum rogasse, vt caro temporaria acciperet gloriam claritatis æternæ. Si nomine Gloriæ, quā à carne suscipi, precabatur Christus, interpretemur ipsam creatitiam gloriam, quæ effectum est æternæ claritatis: quis iure possit nos reprehendere? nempe si verbo accipiendi intelligas realiter accipere. Vide Hilar. li. 11 p. 247. Quod si gloriam interpreteris ipsam Deitatem: aio Christum petiisse, vt sua caro hanc acciperet, id est, accepisse in vnione cognosceretur: id quod factum est post resurrectionem: Vt Rom. 1. Nam ille Iesus homo, post resurrectionem declaratus est filius Dei: propter vnionem sc. cum verbo.

Vtrumque vero ego coniungo: quia hic fuit sensus Christi: vt caro gloria resurrectionis, ascensionis & sessionis ad dexteram donaretur: & deinde in hac glorificata tanquam in speculo purgatissimo ὁ λόγος conspiceretur: atque ita vtrumque simul coniunctum, λόγος & homo assumtus, filius Dei Deus, agnosceretur & coleretur. Hæc certè Christi fuit petitio: quam etiam obtinuit, sicut explicat Apost. noster Phil. 2. *propter quod & Deus exaltauit illum &c.* Non potest igitur ex illo priori membro verborum Hilarij colligi, cum cum iis sensisse, qui docent, realiter idiomata diuina in humanam naturam esse transfusa.

Deinde neque ex altero membro idem erui potest. Nam quod ait, Christum petiisse, vt carnis corruptio, i. caro corruptibilis & infirma transformaretur in Dei virtutem, & spiritus incorruptionē, & in eam absorberetur, nil aliud sibi voluit, quam vt caro ex infirma, Dei virtute fieret potens: & ex corruptibili spiritus potentia fieret incorruptibilis: idque perfectissimè: id quod significatur verbo Absorbendi, eo sensu, quo etiam Eusebius vsus est eodem verbo de Demonstr. Euang. l. 3. c. 14. Ideo non dixit: *Vt transformaretur in Deum, aut in spiritum: sed in Dei virtutem: & in spiritus incorruptionem:* i. acciperet à Deo virtutem & a spiritu incorruptionem: iuxta Apost. 1. Cor. 15.

Seminatur in infirmitate, resurgit in virtute: seminatur in corruptione, resurgit in incorruptione. Et quod ait, *vt corruptio carnis absorbeatur:* alludit ad illud Apostoli, *absorpta est mors in victoria.* Sic corruptio carnis est consumpta & caro perfecta. Hæc est simplex interpretatio verborum Hilarij. Atque ex iis realem idiomatum communicationem, ex eo non posse liquido apparet: sed tantum veram vnionem verbi ad carnem & carnis ad verbum in vnitatem personæ: quod sc. Deus λόγος sese manifestarit in carne. Hoc confirmant verba Hilarij quæ sequuntur.

Hæc itaque (inquit) *oratio ad Deum est: hæc ad patrem confessio filij est. hæc carnis deprecatio est. in qua eum iudicij die compunctum & de cruce recognitum, vniuersi videbunt: in qua præfiguratus in monte est, in qua eleuatus ad cœlos est: in qua Deo assedit à dexteris: in qua visus à Paulo est: in qua honorificatus à Stephano est. Manifestatio itaque nomine patris hominibus, hoc postulat.* Hæc ille. Vides hic verba, Vnionis verbi ad carnē, & carnis ad verbum, in vnitatem personæ, sine vlla naturarum confusione, & sine vlla reali idiomatum communicatione? Hanc orationem vocauit confessionem filij ad patrē: & statim eandem appellauit carnis deprecationem: docens, & filium λόγον assumentem, & carnem assumtam, vnam eandémque fuisse personam, quæ petebat à patre glorificari, sicut etiam ipsa glorificauerat patrem. Idem liquet, si quomodo hanc petitionem explicauerit Hilarius, consideres. Summam paucis complector. Cum ait: *Glorifica me & glorifica filium tuum, ea gloria, quam habui, &c.* 1. Nomine Me, intellexit totam hanc personam quæ duabus constabat & constat naturis. 2. Nomen Gloriæ, interpretatus est æternam & gloriosam filij Deitatem. 3. Verbum glorificandi accepit pro palàm & in omnibus in cœlo & in terra notum ac celebrē, teipsa facere: quis sit iste, qui in carne apparuit. & loquebatur: verus nimirum filius Dei, Deus, verusque Christus mūdi seruator. Nam sic etiam accepit, cum dixit Christus, se patrem glorificasse: *Manifestaui inquit nomen tuum hominib.* In hac enim & patris & Iesu Christi cognitione, vitam æternam consistere, ibidem docuit. 4. Quomodo autem filius glorificauit Patrem? Sua prædicatione, totiusque vitæ suæ ad mortem vsque obedientia. Quomodo verò pater glorificauit filium? tum sua itidem voce, d. *Hic est filius meus dilectus:* tum miraculis in eius morte editis: quibus visis, dixerunt quidam: verè filius Dei erat iste: tum denique promissionum complemento: cum scilicet mortuum à corruptione sicut prædictum fuerat, præseruando: à mortuis excitādo: in cœlū subducendo: ad dexteram suam collocando &

per

cum super Apostolos Sp.S.mittendo:hæc enim omnia promissa fuerant per prophetas de ipso Christo.Ille igitur fuit modus,quo filius glorificauit patrem in terra:Et sic concludit Hilarius:

*Ergo(inquit)clarificatum pater in terra,quia opus eius,quod mandauit,efficitur.*Et paulo post: *Operibus ergo filij clarificatus est pater.dum Deus esse intelligitur:dum Dei vnigeniti pater manifestatur*

Alter verò est modus,quo filius à patre glorificari petiit, & reipsa glorificatus est. Et h.e.quod subdit Hilarius p.39. *Christum petiisse non sua Deitatis perfectissima profectum: sed vt, quod habuit ab æterno illud ad ipsam quoque assumtã carnem, propter vnionem cum verbo pertinere cognosceretur*: id quod,vt supra dixi,factum fuit, cum post resurrectionem à mortuis declaratus fuit, totus iste Iesus Christus,esse vnigenitus Dei filius. Verba Hilarij hæc sunt:*Itaque quia Dei filius ex omni, qua est, parte perfectus, & ante omne tempus in diuinitatis plenitudine natus,nunc à carnis sua origine homo ad mortem consummabatur: clarificari se apud Deum postulat,sicut patrem ipse clarificabat in terris, quia tunc Dei virtutes ignoranti seculo clarificabantur in carne. Nunc autem quid est, quòd apud patrem,clarificationis profectum expetat?nempe quod habuit apud eum priusquam mundus esset. Habuit plenitudinem deitatis atque habet,namque Dei filius est.Sed qui erat Dei filius & hominis cœperat esse filius. Profectum (igitur) eius claritatis vnde (ipse)non destitit,ei quod accepit (humana carni) expostulat.Ergo quia filius est verbum,& verbum caro factum: filius nunc caro factus orabat, vt hoc patri caro inciperet esse, quod verbum:&c. quę sequuntur.*

Ex quibus omnibus constat iuxta interpretationem Hilarij: hanc fuisse summam petitionis Christi: nempe, vt qualis ipse fuit ante assumtam carnem, talis etiam in carne assumta glorificata & Deificata, esse omnibus declaretur: nimirum,se totum, quantus quantus est, filium Dei Deum esse: totúmque saluatorem mundi. Quis ex his colligere queat realem gloriæ ac Deitatis τοῦ λόγου, in carnem,communicationem? Vnio tantùm, & ex vnione,humanæ naturæ glorificatio,& quod propter vnionem nomen Dei, consecuta sit, ita vt vnà cum λόγῳ Deus, ac filius Dei naturalis vocetur:ex toto hoc Hilarij contextu concludi potest. Neque etiam aliud inferri potest ex aliis Hilarij locis ac testimoniis, quæ proferunt aduersarij ex 9.& 10.libris de Trinitate.Ibi enim idem Christi locus Ioh.17.explicatur.Et 9. p.178. hæc verba citant. *Vt ita homo Iesus Christus maneret in gloria Dei patris: si in verbi gloriam caro esset vnita: & gloriam verbi,assumta teneret.*Item,*Gloria non verbo,sed carni acquirebatur.*Item lib.10.p.301 *Cum glorificari se rogat,non vtique natura Dei, sed assumtioni humilitatis hoc proficit.* Hæc ille.

Ex quibus tribus locis hæc cum primis concluduntur. *Vnum*,quod λόγος factus sit homo,quodque moriturus petierit à patre,se glorificari: & hoc fecisse non in profectum Deitatis,sed humanitatis.Totum hoc extra controuersiam est. Sed an hinc sequatur realis idiomatum communicatio,quisque iudicet. *Alterum*,Christum petiisse,vt caro sua in suam gloriam,id est,τοῦ λόγου reciperetur,& ea glorificaretur, quòd tum demum ipse, qui propter assumtam carnem videbatur gloriam,quam apud patrem habuerat, deseruisse, ad eam gloriam esset rediturus, si caro assumta in gloriam verbi esset vnita,& eam in perpetuum retineret. Hoc enim est,quod citatur ex lib. 9. Videntur aduersarij hunc citasse locum,propter illa verba.*Si in verbi gloriam caro esset vnita:& gloriam verbi caro assumta teneret.*Quasi ex iis colligi possit,essentialem verbi gloriam carni realiter esse communicatam.

R. Sed falluntur. Hilarius enim apertè docet.gloriam, quam adepta est & possidet caro, gloriam esse creatitiam, ab essentiali gloria verbi profectam,vt mox videbimus:sed ideo appellatur gloria verbi,quia à verbo profecta est, & illius essentialis gloriæ effectum est.

Legatur Hilarius lib.11 Vbi apertè ait.gloriam corporis Christi,esse ex gloria Dei:& incrementum etiam accepisse, vt manifestum est. Ita nil concludunt de reali communicatione idiomatum. Si enim gloria corporis est ex gloria Dei:non est igitur ipsa gloria Dei,sed eius effectum. Si etiam accepit incrementum: differt igitur a gloria Dei: hæc enim non accipit incrementum. Quod verò ex creatitia carnis glorificatione, secuta sit gloria verbi, hoc est ipsius essentialis gloriæ verbi patefactio: etiam certũ est ex Rom. 1.& aliunde. Ita breuiter ad argumentum ex iis locis malè collectum responsum esto.

Cæterùm,quia locus iste,quem valde mancum ex lib.9. Hilar. de Trin. citarunt aduersarij, locus est valde insignis & ad totum mysterium pietatis,eorum præsertim,quæ post resurrectionem contigerunt rectè intelligendum, vtilis: & quia etiam insigniter illustratur locus ille Ioh.17: *Glorificà me pater ea gloria, &c.* Idcirco iudicaui operæ pretium me facturum,si totum illum locum,& integrum,fideliter reponam.

1. Simili autem primum explicabo:deinde quisque pro suo ingenio singulas partes similis ad rem accommodabit. Fac radium primogeniæ lucis, seu solis, à luce illa in terram descendere, & intra corpusculum globi seu orbis vitrei,sed argilla aut atramento vel luto obducti, sese occultare.

2. Et quidem in hunc finem sese ad eum globum vnire; vt illum in cælum euehat, illustret, indéque omnibus luceat,suique luminis participes omnes efficiat.

3. Cum verò orbis iste, propter obductum atramentum, vel lutum ita obscurus sit,vt inde radius ille solis non possit emicare: neque etiam æquum sit, vt radius orbem illum in cælum euehat,ita lutosum,atque obscurum:duo hic magna incommoda spectantur: *Vnum*,quod radius iste cum sit in orbe inclusus, nec inde luceat, videtur à luce illa primogenia disiunctus, & vnionem, quam cum illa habebat, per vnionem cum globo factam abrupisse: *alterum*,quòd præter suum propositum, non possit in cœlum euehere assumtum sibi vitreum globum, eòque nec ipse radius in eo inclusus, ad vnitatem primogeniæ lucis redire:idque propterea,quòd globus ille in quo est, nondum sit sordibus repurgatus & luminis radiis particeps effectus.

4. Fac igitur radium hunc,qui suam tamen naturam non emisit,precari primogeniam lucem, vt & globum hunc repurget,quo sui luminis capax fieri queat:Et vt ex consequẽti illum in cælum euehendo,ipse etiam radius ad vnionem cum sua prima origine, à qua propter vnionem cum tam obscuro globo,recessisse videbatur, redire queat: fac inquã radium hæc,precari à sua primogenia luce, seu à sole.

5. Fac tandem, vt exaudita precatione radij,globus ille vitreus repurgatus, ac luminis radij capax & particeps effectus,inque cœlum euectus,ampliori etiam lumine repletus, refulgeat ita, vt lux ipsa primogenia factus esse videatur.

Hic certè apparet: primo quicquid egit radius erga illum globum,& pro illo globo,non ad profectum sui, sed globi egisse: nempe, vt ille ad talem ac tantum splendorem ac gloriam eueheretur. Deinde perspicuè videmus,quomodo radius ad gloriam,in qua prius erat, & ad vnionem, quam habebat,rediisse dici possit: nempe non in sese, sed in assumta massa vitrea. Hoc simile est perspicuum:Vt si cogitemus,lucem primogeniam esse Deum patrem,totius Deitatis & gloriæ fontem: radium esse τὸν λόγον ἀπαύγασμα τῆς δόξης, & massam vitream, humanam carnem,luto mortalitatis,& corruptionis primo oblitam atque tectam: at deinde per resurrectionem à mortuis, repurgatam, & magna gloria ornatam:ac porro,postquam in cœlum ascendit,maiori etiam repletam fuisse: non opus fuerit longa explicatione.

Nunc igitur verba Hilarij audiamus. Sunt enim digna, quæ notentur,& ab omnibus obseruentur. Licèt enim aliquid habeant obscuritatis:audito tamen simili,quod attulimus,fuerint faciliora. Pulcherrimè autem faciunt ad huius quæstionis,de qua disputamus,explicationem.

Hilarius lib.9.ad calcem:*postquam demonstrasset*: τὸν λόγον *tam esse verum Deum quàm patrem:& semper mansisse & manere Deum patri coæqualem: differere incipit de incarnatione: & ostendit, propter assumtam formam serui, in qua occultata fuit gloria Deitatis ipsius, visum fuisse quodam modo vnionem, quam cum patre habebat, propter vnionem factam cum carne mortali,abrupisse:post assumtam autem humanitatem in cælum, ad priorem vnitatem ipsum quoque rediisse.* Verba Hilarij hæc sunt:

Exinaniens igitur se ex forma Dei, serui formam natus acceperat:sed hanc carnis assumtionem ea patris natura cum qua sibi naturalis vnitas erat,non senserat, & nouitas temporalis,licet maneret (λόγος) *in virtute naturæ* (diuinæ) *amiserat. Amen cum forma Dei,naturę Dei secundum assumtum hominem vnitatem.* h.e Christus homo factus, licèt semper manserit verus Deus: tamen propter vnionem cum carne, visus est quodammodo, quam habebat cum Deo Patre vnitatem amisisse:quanquam non verè amisit.Sed cur hoc fecit? vt factus homo hominem hunc ad Deum in seipso adducens illum secum faceret Deum omni diuina gloria repletum, & ita totus esset Deus.

Subdit igitur Hilarius: *Sed summa dispensationis hęc erat, vt totus nũc* (post incarnationẽ & glorificationẽ) *filius,homo scilicet & Deus per indulgentiam paternę voluntatis vnitati paternę naturę inesset; & qui manebat in virtute naturę, maneret*

quoque in genere naturæ. Quid sibi volunt hæc Hilarij verba? Manere in virtute naturæ scilicet paternæ, est manere verũ Deum: Christus fuit & est ac vocatur virtus Dei: Luc. 1. *Virtus altissimi*, &c. & 1. Cor. 1. *Christum Dei virtutem* Significat ergo Hilarius, Christum, licet per assumtionem formæ serui, quodammodo videatur ab vnitate patris discessisse, vt ante dixit: cum tamen semper mansisse virtutem Dei verúmque Deum: quia assumendo formam serui non dimisit formam Dei. Manere itaque in virtute naturæ scilicet paternæ, idem est, quod manere in forma Dei. Manere autem in genere naturæ scilicet paternæ ac diuinæ, est, manere in vnitate cum principio & fonte totius Deitatis, id est, cum patre. Genus enim accepit hic pro principio: sicut & apud Porphyrium in Isagoges c. 2. de genere, qui principium est alicuius familiæ, genus appellatur.

Sensus igitur est: *Filium, ideo quodam modo deseruisse vnitatem patris, dum adhæsit carni nostræ, & factus est vnum cum humana natura (quanquam semper mansit Deus:) vt factus homo, postmodum reuersus ad patrem in cœlum, totus filius maneret in patre gloriosus, & cum illo regnaret.*

Idem dicit hic, quod antè, cum dixit: *Summa dispensationis erat, vt totus nunc filius, Deus scilicet & homo, vnitati paternæ naturæ inesset.*

Hic verò ait: *Vt qui manebat in virtute naturæ, id est, verus Deus, maneret etiam in genere naturæ, nempe vnà cum homine, assumto, id est, vt non amplius solus λόγος, sed λόγος & homo in æterna gloria, patri totius deitatis principio vnitissimus maneret.* Hic est enim finis & summa totius incarnationis, passionis & mortis & resurrectionis, vt hic homo euectus in cœlum, ibi vt verus Deus regnaret cum patre.

Hoc explicat subdens Hilarius: *Id enim hominis acquirebatur, vt Deus esset.* Subdit: *Sed manere in Dei (patris) vnitate assumtus homo nullo modo poterat, nisi per vnitatem Dei (filij) in vnitatem Dei naturalem euaderet, id est, nisi vnitus λόγῳ, in eam vnitatem cum patre quæ naturalis est λόγῳ, ipse quoque homo penetraret, tanquam sibi quoque naturalem, nempe propter vnionem hypostaticam cum λόγῳ.*

Hoc ipse explicat dicens: *Vt per hæc quod in natura Dei erat Deus verbum, verbum quoque caro factum, rursus in natura Dei inesset: atque ita homo Iesus Christus maneret in gloria Dei patris, si in verbi gloriam caro esset vnita, redirétq; tunc in naturæ paternæ, etiam secundum hominem vnitatem, verbum caro factum, cum gloriam verbi caro assumta tenuisset.*

Sensus est: non potuisse hominem assumtum, in illam Dei vnitatem peruenire, nisi verbum caro factum eò rursus peruenisset, ipse vero in vnitatem gloriæ verbi esset assumtus. Vt igitur homo vnitatem cum Deo patre in cœlesti gloria haberet, oportuisse filio vnitatem ad patrem restitui, & sua priore gloria glorificari.

Hoc est, quod subdit: *Reddenda igitur apud seipsum patri erat vnitas sua: vt naturæ suæ natiuitas in se rursus glorificanda resideret.*

Cur ait, reddendam fuisse à patre apud semetipsum, vnitatem filio: annon semper fuit vnum cum patre? Respondet dicens, *Quia dispensationis nouitas, offensionem vnitatis intulerat: & vnitas, vt antea fuerat, nulla esse nunc poterat, nisi glorificata apud se fuisset carnis assumtio.*

Expendit autem ibi Hilarius illa verba Christi: *Glorifica me apud temetipsum. Me filium non Deum solum, sed etiam hominem: vt scilicet denuo sim apud te gloriosus tam & Deus & homo, sicut ante semper fui, vt filius Dei Deus.*

Apud temetipsum: vt sicut ego tanquam λόγος semper fui tecum in gloria vnitus: sic nunc denuo tanquam etiam homo in tua vnitate permaneam.

Obseruandæ sunt hic illæ particulæ: *Reddenda igitur ei erat vnitas apud patrem:* Item, *vt rursus natiuitas suæ naturæ in se glorificanda resideret.* Hæc dicuntur de eadem persona, sed respectu nouæ natiuitatis & nouæ naturæ. Cur igitur quidam reprehenduntur, quod dixerint: Data est mihi omnis potestas, id est, reddita? Annon ait Hilarius: Reddenda igitur apud se ipsum patri erat vnitas sua? Certè nunquam filius desiit esse vnum cum patre.

Et paulo post subdit Hilarius: *Vt in vnitate sua maneret (filius) vt manserat: glorificaturus eum apud se pater erat.*

Et cur glorificaturus eũ denuo, qui semper fuit in gloria vna atque eadem cum patre? Ait: *Quia gloriæ suæ vnitatem, per obedientiam dispensationis, excesserat.* Et quorsum ista noua glorificatio? *Vt scilicet in ea natura per glorificationem rursus esset, in qua sacramento erat diuinæ natiuitatis vnitus: essetq; patri, apud semetipsum glorificatus: vt, quod apud eum ante habebat maneret: neque abalienaret ab eo formæ Dei naturam formæ seruilis assumtio: sed apud semetipsum glorificaret formam serui, vt maneret Dei forma: quia, qui in forma Dei manserat, idem erat in forma serui, &c.*

In quem verò finem totum hunc Hilarij contextum explicare voluerim, initio dictum est. Constat autem realem essentialis gloriæ Dei in humanam naturam communicationem, ex eo probari minimè posse.

Idem ad locum, quem ex lib. 10. pag. 201. citant: responsum esto, vt res est perspicua.

Neque aliter respondemus ad locum, quem ex lib. 11. citant, de vnctione.

Ego vero ex eodem lib. 11. oppono locum, qui est ad calcem: Vbi explicans illud Ioh. 13. *Nunc glorificatus est filius hominis. & Deus glorificatus est in eo. Si Deus glorificatus est in eo: & Deus glorificauit eum in se: & Deus protinus glorificabit eum. In hæc verba scribit: Habemus primum gloriam filij hominis: Deinde in filio hominis Dei gloriam. In eo enim (habemus) quod dictum est: Nunc glorificatus est filius hominis & Deus honorificatus est in ipso. Hoc enim primum spectat ad corporis gloriam: quæ ex naturæ diuinæ consociatione mutuaretur. Deinde succedit gloriæ plenioris profectus, ex incremento indultæ iam corporis gloriæ capessendus: Deus honorificatus est in eo. & Deus honorificauit eum in se. Et mox: Quod verò: quia glorificatus in eo Deus est, ideo Deus glorificauit eum in se: per incrementum glorificati in eo Dei, glorificauit eum in se Deus. vt quia iam regnat in gloria, quæ ex Dei gloria est, ipse exinde in Dei gloriam transeat. In se enim eum Deus glorificauit, i. in ea natura, qua Deus est: quod est, vt sit Deus omnia in omnibus, toto iam in Deo, ex ea, qua homo est, dispensatione mansuro.* Hæc Hilarius. Hic habemus illa duo argumenta, de quibus ante dixi: *Gloriam corporis Christi, esse effectum gloriæ Dei: Item, accipere incrementum, quod non accipit gloria Dei.* Ergo gloria corporis non est gloria Deitatis essentialis.

Summa vero totius huius loci est, λόγον ideo sibi vniuisse carnẽ, seu hominem, in vnitatẽ personæ, idque inseparabiliter: vt assumtum hominem secum in æternam felicitatem & gloriam apud patrem adduceret, eúmque sine mutatione naturæ, sineque vlla confusione naturarum, & earum proprietatum, Deum iam per gratiam effectum magis ac magis faceret Deum, id est tanta gloria in cœlo afficeret, vt Deus propter hanc immensam gloriam esse omnino videretur.

Glorificatum igitur primum fuisse filium hominis, tũ in cruce, tum in resurrectione: ex hac glorificatione secutam fuisse gloriam Dei & τοῦ λόγου. Ex glorificatione enim humanitatis patefacta est gloria Deitatis: Ex hac Deitatis glorificatione, id est gloriæ patefactione auctam fuisse humanitatis glorificationem. Deus enim illum exaltauit in cœlum, sedereque fecit ad suam dexteram. Hanc secuta est omniũ rerum sub pedes eius subiectio. Hanc ob causam Deus vt dicitur, sic etiam agnitus est: quia vnum … existens cum λόγῳ, omnia cum illo & Patre & Sp. S. regit.

Hinc, vt dicebam, concluditur, cùm gloria filij hominis à gloria Dei pendeat, atque etiam ab ea acceperit incrementum: non alia gloria realiter glorificatam esse humanam Christi naturam, quam creatitia, quæ effectum fuerit gloriæ Dei, cùm anteà in vnione, sicut fuit ceu pars personæ Christi Dei, Dei etiam nomine ornata fuisset: iuxta illud, hic est Immanuel; Tu es Dominus meus & Deus meus.

XI. Ad Emissenum quod attinet, quem vndecimo loco adferunt, duo citantur testimonia: Quorum vnum est quod Ecclesia confitetur, *Christum secundum humanitatem, plenum esse omni virtute & gratia*: Alterum est: *quòd Christus, nunc etiam secundum humanitatem, omnium rerum potestatem acceperit: vt homo ille, qui ante passus est, nunc cœlo & terra dominetur.*

Sed quid hæc, obsecro, ad quæstionem? Imo nos inde colligimus, quia talis est Christus, ideo efficere posse, vt eius nos carne participemus, quanquam sua carne non sit realiter, quod ad situm loci attinet, vbi cœna celebratur: nedum vbique locorum. Realis plenitudo gratiæ & virtutis, in humanitate Christi, finita est & creatitia: Ita & imperium, vt supra declaratum est.

XII Quod proferunt ex Didymo de Sp. sancto: quia nihil aliud est, nisi quòd scriptura prædicat, de Christi supra omnia exaltatione, imperio, dominatu, & quod eum adorent angeli, omnésque creaturæ ei genua flectant: ad has vero scripturas ante responsum est: nihil addo.

XIII. Sequitur Gregorius Nyssenus: cuius 4. afferuntur testimonia: Vnum à Gelasio, & à Theodoreto in 2. dial. citatum: est antè apud Theodoret. p. …4. B. Ibi explicans locum Petri Actor 4. *Dexterá Dei exaltatus est, nil aliud docet, quàm non Deitatẽ, sed humanitatem exaltatam fuisse. Et quod Christus, non per id, quod Deus est, sed per id, quod homo est, factus sit Dominus: & quod Deitas vnitũ sibi hominẽ, in propriam euexit sublimitatem:* sed quomodo? addit: … . Hæc autem sæpius explicata a nobis fuerunt, ac demonstratum, ex iis nihil cõcludi pro reali idiomatum communicatione.

Legantur,quæ antè dicta sunt.

Alter locus citatur ex lib.2.de Anima. Est autem in c.11. & vlt. Vbi ex vnione animi ad corpus probat, vnionem verbi ad humanam naturam, non fuisse impossibilem: & præter alia hæc scribit:quæ referunt aduersarij. *Verbum autem Deus, nunquam à communione illa,quæ est ad corpus & animam,alteratur,neque particeps est imperfectionis illarum. sed tradens eis sua diuinitatis virtutem,manet idem, quod erat etiam ante vnionem.*

R.Sed quorsum hæc? concludit Nyssenus:Deitatem neque à corpore,neque ab anima fuisse passam: quid hoc ad rem? Ait τὴν λόγον virtutem suæ Deitatis animæ & corpori tradidisse:quasi vero tradiderit,id est,realiter communicarit essentialem suam virtutem. Virtus Deitatis,effectum est hoc in loco deitatis.

3. Quod tertio loco subdit ex oratione prima, de resurrectione Christi,est p.187.in latina versione: Locus ille nihil fauet aduersariis. Hoc enim tantùm concludit: Deitatem,animæ & corpori vnitam, per vtramque suas actiones exeruisse: & hominem à morte & ab inferno liberasse.

Tantùm aduersarij explicant nomen ἀνάκρασις καὶ ἐπιμιξία, quibus vtitur Nyssenus:& aiunt illis nil intelligi,nisi ἀντίδοσιν: Quasi verò in ἀντιδόσει,inferatur necessario realis idiomatum communicatio. Imò ex hoc loco contrarium euincitur: quia Deitas per carnem tanquam per organum suum, suas exeruit actiones.

4. *Quartum testimonium ex secunda oratione de resurrectione Christi: ad calcem ferè orationis legere est. Scribit* Christum dixisse Apostolis: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Et mox: *Quæ naturaliter habebat tanquam Deus: hæc dicitur accepisse tanquam homo, certo consilio,factus. Quamobrem idem dicebat: Glorifica me, pater,ea gloria apud temetipsum, quam habebam antequam mundus fieret.*

R. Sed ex iis locis, non sequi realem communicationem, supra non semel ostensum est: ac quomodo sint hæc verba intelligenda, declaratum. Imo verò, quod sequitur in Nysseno, euertit aduersariorum opinionem.

Nisi enim (inquit Nyss.) hanc (gloriam, de qua Ioh.17.) propriam haberet, vt Deus,fieri non posset, vt eam tanquam alienam acciperet: Deo & patre per Prophetam dicente, Gloriam meam alteri non dabo. Quomodo igitur gloria illa essentialis Dei propria, realiter communicata fuit humanæ creaturæ? Per gratiam autem vnionis illi competere, déque ea prædicari,sicut etiam vocatur & est Deus in persona, centies dictum est.

XIV. Pater producitur Basilius.Ac primùm ex Sermone de natiuitate Dei: vbi præter alia scribit, *Deitatem in humana natura esse,sicut ignis in ferro est.*

R. Sed hunc locum ita explicauimus supra in responsione ad Origenis testimonia: vt luculenter ostenderimus,ex hoc Basilij loco altrui non posse realem Deitatis communicationem in carnem humanam. De vnione enim loquitur Basilius,non de reali communicatione.Videatur nostra responsio.

Deinde ex illo Sermone potius talia colliguntur argumenta, quibus facilè refellitur ista realis communicatio: etiamsi ea dicta pro se allegent aduersarij. *Ait enim Basilius: sicut ignis ferro suam communicat vim ac facultatem: sic etiam τὸν λόγον carni suam communicare.* Atque ignis non communicat realiter ferro suam vim propriam & essentialem,quam ipse habet,lucendi & vrendi,sed eius effectum & qualitatem,à substantiali forma profectam,& in ferro productam.

Deinde ait, *quod caro Domini μετέχει, particeps facta est Deitatis.* Deitas autem non communicatur ex parte, quia impartibilis est. Oportet igitur, vt aut verbo μετέχει addas, personaliter, aut Deitatem accipias pro eius effectis.

Prætereà ait, *Deum in carne esse voluisse, vt mortem, quæ in carne latebat, occideret.* Vim igitur occidendi mortem, non carni communicauit,sed sibi retinuit: Et hoc ipse confirmat d. παρουσία *deitatis mortem esse dissipatam:* sicut etiam tenebræ ex aëre, præsentia solis dispelluntur. Non enim aër, in quo est lux, sed lux, seu solis præsentia pellit tenebras.

2. *Ex secundo libro contra Eunomium citatur: dictum illud. Act.4. Domin fecit,& Christum,hunc Iesum: non de deitate,sed de humanitate intelligendum esse:quid tum?* Item, *ex lib.4. nihil aliud affertur,nisi hæc duo:* Vnum, multa esse loca Sacrarum literarum, quæ non secundum Deitatem, sed tantùm secundum humanitatem intelligenda sunt: Alterum quod Christus, dicens, Glorifica filium tuum, &c. non petat additionem gloriæ ipsi deitati: sed tantum τῆς οἰκονομίας φανέρωσιν: & vt diuina gloria,in assumta carne, & per assumtam carnem, absque exinanitione & occultatione,se exserat. Quis de iis dubitet? Sed quid etiam ad rem? Imò ex Basilio contraria doctrina, vt vidimus, colligitur.

Quibus & hoc addo, quod ipse etiam vbique præsentiam nusquam dat carni, sed soli deitati: nam ne angelis quidem concedit incorporeis. Ergo non sensit essentiales Dei proprietates realiter communicari carni.

XV. Greg.Nazianzenus grauissimus scriptor in medium profertur: quasi & ipse talia probet somnia. Aliquot loca adferuntur.

Primum testimonium ex sermone in Theophania. Est etiam in sermone,in S.Pascha pag.254.Græcè. Christus ex duobus contrariis constat, carne & spiritu: ὧν τὸ μὲν ἐθέωσε, τὸ δὲ ἐθεώθη.

Hanc sententiam aiunt aduersarij, vt verum est, sic explicari à Theodoret.in Dial.2. qui est ἀσύγχυτος. ὅ, τὸ μὲν εἰς θεὸν προσληφθῆναι ἢ τὴν χάριν παρέχειν τῆς θεότητος.

R. Locus est de Vnione naturarum,non autem de reali idiomatum communicatione. Sensus Gregorij est:Deitatem seu τὸν λόγον Deum, in vnitatem suæ personæ, quæ est Deus,sumsisse carnem, virtute sui spiritus: Carnem verò fuisse assumtam: & ita,cum facta sit pars eius personæ, quæ est Deus,factam eam esse Deum, in ea persona, seu personaliter,seu per gratiam vnionis. Atque hæc est carnis seu humanæ naturæ Deificatio. Et sic explicat Damasc. hoc verbum l.3.c.17. θεωθῆναι τὴν φύσιν τῆς ἀνθρωπίνης σαρκός [illegible] τὸ θέλημα.

Neque aliud sibi voluit Theodoretus sua explicatione: quàm carnem fuisse vnitam Deitati in vnitatem personæ: ideo dixit fuisse assumtam in Deum: προσληφθῆναι εἰς θεόν.

Et,χάριν τῆς θεότητος, quam caro accepit à λόγῳ,nil aliud est,quàm gratia τῆς ἑνώσεως εἰς τὸν θεὸν:quam vocant omnes gratiam vnionis.

Hæc est prima significatio verbi θεωθῆναι: de qua (vt dixi) Nazianzen.in loco iam citato, interprete Damasceno.

Nonnunquam etiam accipitur,pro,diuinis donis ornari, supra omnes creaturas exaltari, & collocari ad dexteram Dei,vt regnet cum Deo patre. Et sic accepit Eusebius Cæsariens.de demonstratione Euang.l.3.c.14.vt suprà vidimus: & Hilarius.

Neutra autem significatio realem idiomatum communicationem euincit,aut includit: quoniam & naturæ manent coniunctæ in vna persona,sine confusione aut reali idiomatum communicatione: & dona ac priuilegia,quibus ornata fuit caro Christi,fuerunt & sunt effecta idiomatum Deitatis, non autem ipsa idiomata.

2. Quod subdunt aduersarij ex secundo sermone Nazianzeni,de Filio,millies explicatum fuit:nempe, *quæ filius dicitur accepisse in tempore,vitam,iudicium,potestatem:hæc ad carnem pertinere,non ad Deitatem.* Quod si hæc Deo λόγῳ attribuamus: iam non tribuuntur Deo filio tanquam δεδεγμένα,& quæ in tempore illi accesserint,sed tanquam συνυπάρχοντα,& quæ in eo fuerunt ab æterno,à patre accepta: ita,vt in eo tanquam homine, sint à gratia: in eo vero tanquam Deo sint à natura & naturalia. Quid igitur hæc Nazianzeni verba affinitatis habent, cum doctrina de reali communicatione idiomatum?

3. Citantur ex epist.1.ad Cledonium hæc verba: *Si quis dixerit, Deitatem λόγου nudam esse à corpore, & non cum corpore,quod assumsit, esse & redituram,non videat gloriam aduentus eius.*

R. Quasi verò, quia dicimus, neque deitatem inclusam esse in corpore, neque corpus coextendi deitati:ideò negemus Deitatem semper esse cum suo corpore. Dicimus enim cum patribus,& totam esse semper in suo corpore,& rursus totam etiam esse extra suum corpus.

4. Quod afferunt ex oratione in S.Pascha:non est fideliter relatum, quanquam ad rem quod attinet, parum refert. Sic autem de agno paschali,qui typus fuit Christi, pro nobis immolandi, scribit Nazianzenus, pag.253. Græcè. διὰ τοῦτο λαμβάνεται ἀμνὸς [illegible] [illegible], διὰ τὴν ἀκακίαν καὶ τὸ ἔνδυμα τῆς ἀρχαίας γυμνώσεως, τοιοῦτον γὰρ τὸ ὑπὲρ ἡμῶν σφάγιον, ἔνδυμα ἀφθαρσίας καὶ ὂν καὶ λεγόμενον. τέλειος δὲ [illegible] [illegible] [illegible] διὰ τὴν θεότητα μόνον. [illegible] [illegible] τελειότερον, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν [illegible], τὴν χρισθεῖσαν θεότητι, καὶ γενομένην ὅπερ τὸ χρῖσαν· καὶ θαρρῶ λέγειν ὁμόθεον, &c.

Id est: *Quapropter agnus sumitur,ob innocentiam nempe,ac veteris nuditatis indumentum. Talis enim hostia,propter nos oblata incorruptibilitatis est, & vocatur,indumentum. Perfe-*

ctus autem, non ob deitatem tantum, qua nihil est perfectius, sed & propter assumtionem (id est, assumtam carnem) Deitate vnctam, factamque illud ipsum, quod vngens, & audeo dicere συνθεον, condeum, id est, vnà cum illo Deum

R. Sed quid his verbis aliud sibi voluit Nazianzenus, quàm humanam assumtam naturam, quia in vnitatem personæ à λόγῳ assumta est (quod idem est, atque vnctam esse Deitate) ideo vnà cum λόγῳ factam esse Deum? personaliter nimirum, non realiter in τοῦ λόγου persona, non in seipsa. Certè si hæc trahas ad realem Deitatis in humanam naturam cōmunicationem, fueris blasphemus: quasi caro mutata sit in Deitatem seu in Deum.

5. Addunt denique locum ex oratione 2. περὶ τοῦ υἱοῦ pag. 217. πρεσβεύει γὰρ ἔτι καὶ νῦν, ὡς ἄνθρωπος ὑπὲρ τῆς ἡμῶν σωτηρίας, quoniam cum illo corpore est, quod assumsit, ἕως ἂν ἐμὲ ποιήσῃ θεὸν, τῇ δυνάμει τῆς ἐνανθρωπήσεως. Proculdubio hunc locum citarunt aduersarij propter illam particulam δυνάμει τῆς ἐνανθρωπήσεως: quod Christus mediator Dei & hominum, pro nobis adhuc intercedat, donec nos faciat Deos, δυνάμει τῆς ἐνανθρωπήσεως. *Quasi humana natura Christi, attribuat Nazianzenus vim Deitatis propriam, qua nos faciat Deos.*

R. Primùm illud, Nos fieri Deos, nil aliud est, quàm nos ita renouari spiritu Dei, & participes ac consortes fieri naturæ diuinæ (vt loquitur Petrus) donec tandem in cœlo tales simus, in quibus totis, quanti quanti fuerimus, inhabitet Deus. Ideo ait, *Christum intercedere pro nobis, donec nos efficiat Deos*, id est, totos homines diuinos, non autem quod nostra natura mutanda sit in Deum: quo etiam sensu Eusebius & Hilarius, vt vidimus, locuti sunt de humana Christi natura, postquam ascendit in cœlum quod tunc plenè sit deificata, & in deitatem absorpta. Sed qua virtute hoc fiet? Num essentiali virtute Dei in carnem Christi realiter communicata? Non, sed quoad humanam naturā, vi intercessionis animæ & sanguinis Christi. Subdit ergo Nazianzenus & ait: δυνάμει τῆς ἐνανθρωπήσεως. Non ait, τῆς ἀνθρωπότητος, quasi vis diuina, qua totum hoc fit, sit realiter in carnem communicata: sed ait δυνάμει τῆς ἐνανθρωπήσεως: q.d. vi & efficacitate illius intercessionis, qua pro nobis homo factus filius Dei, apud patrem intercedit: mediator nimirum Dei & hominum. Nomine enim ἐνανθρωπήσεως, totum mysterium incarnationis, eóque passionis, mortis, resurrectionis & intercessionis apud patrem, complexus est. Intercedit ergo donec vi & δυνάμει sui sanguinis pro peccatis nostris effusi, & carnis pro nobis mortuæ, vi denique humanæ suæ intercessionis, nos secum in cœlo efficiat Deos, hoc est, verè diuinos homines.

Hic est sensus Nazianzeni. Quid autem hoc ad realem idiomatum communicationem? ἀνθρώπησις, σάρκωσις, σωμάτωσις, ἕνωσις, idem sunt.

Deinde etiamsi quis vellet contendere, nomine ἐνανθρωπήσεως intelligendam esse ipsam humanitatem: nihil tamen pro isto impio dogmate obtinuerit. Quamobrem? Quia quod dicat Nazianzenus δυνάμει τῆς ἐνανθρωπήσεως, pro ἀνθρωπότητος, inde non efficitur, eum loqui de δυνάμει essentiali Deitatis, humanæ naturæ realiter communicata. Annon Christus, quà homo est talis ac tantus, tantam habet vim à Deitate, propter suum sanguinem & obedientiam, vt possit nos ad talem statum adducere, vt simus perfectè beati, & verè fiamus diuini homines? Si hoc non sit verum, quorsum igitur dixit, *Data est mihi omnis potestas*? Quorsum illud, *Dedit ei potestatem iudicium faciendi, quia filius hominis est*? Alia huius generis multa leguntur, quibus immensa potentia, licet non illa Dei essentialis, probatur Christo, quà homo est, realiter communicata fuisse.

Est verò in primis spectanda in Christo potentia & efficacitas voluntatis illius humanæ. Nihil enim vult voluntate sua humana, quod non possit perficere: quia nihil vult humana, quod non velit etiam diuina voluntate. Quod autem efficit diuina potentia, illud etiam attribuitur humanæ naturæ, propter gratiam vnionis.

Ergo ex Gregorio Nazianzeno nihil habent nostri, quo suum somnium confirmare queant.

XVI. Afferunt Epiphanius, vir maximæ eruditionis, & autoritatis. Multa autem ex eius libris citantur testimonia. Sed tam ad rem faciunt, quàm etiam superiorum patrum. Quæ enim ille de vnione tum hypostatica, tum gloriosa, quæ post resurrectionem contigit, disseruit: isti trahunt ad realem idiomatum communicationem. Ac primū duo loca citantur ex lib. 1. T. 1. contra Herodianos hær. 7. in tractatione adiuncta de præsentia Christi, & aduentu in carne pag. 27.

Sed primus locus nihil aliud cōcludit, quam quod Christus post resurrectionem corpus coniunxerit Deitati, ita vt nō sinat amplius mori, non enim moritur amplius: & quod suum corpus, animam & mentem, in vnam vnitatem & in vnam Deitatem confirmauerit, postea quam illud seminatum in infirmitate, resuscitauit in virtute. Sed quid hoc ad realem idiomatum communicationem? Dicit quod corpus & animam & mentem, in vnam vnitatem & in vnam Deitatem confirmarit: sed non dicit, quod Deitatem, aut deitatis proprietates corpori aut animæ realiter communicarit.

Neque dubium est, quin hæ partes humanitatis factæ sint post resurrectionem potentiores: sed an realiter donatæ sint infinita Dei potentia, hoc certè non tradit Epiphanius, imò ipse explicat, quid sit illud συνήνωσε τὸ σῶμα τῇ θεότητι, & ἐδυνάμωσε εἰς μίαν θεότητα. Illi enim priori verbo subdit, μηκέτι αὐτὸ ἐῶν μηκέτι πάσχειν, μηκέτι ὑποθανάτου κρατεῖσθαι. Alteri verò subiecit: τὸ σαρκικὸν ἀφθαρτον τὸ σωματικὸν πνευματικὸν scilicet faciens.

Sensus igitur est: Christum ita corpus coniunxisse Deitati, vt non amplius illud mori permittat, aut pati: Nam alioqui Deitas semper fuit toti humanitati vnita, eaque in morte, separata anima à corpore, neutram partem deseruit.

Ad summam: loquitur Epiphanius de illa vnione animæ & corporis in vnam Deitatem, de qua ex Eusebio & ex Hilario paulò ante, non pauca diximus: & quæ a Greg. Nazian. vocata est Deificatio: ita vt tota iam illa humana natura absorpta sit, vt loquitur Eusebius, in Deum: eo sensu, quo supra declarauimus. Sed ad realem communicationem nihil pertinet.

2. Ad alterum locum ex eadem tractatione, eodem modo respondetur. *Epiphanij* verba hæc sunt. *Ascendit in cœlum in eodem corpore & anima, & mente*, συνάψας εἰς μίαν ἑνότητα καὶ μίαν πνευματικὴν ὑπόστασιν καὶ ὃν [illegible] ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρὸς πνευματικὴν ὑπόστασιν vocat, non quod humana natura sit conuersa in spiritum: sed eo sensu, quo & Apostolus dixit, *corpus seminari animale, & resurgere spirituale*. Ergo quia tota illa humana natura, non solum ὑποστατικῶς sed etiam πνευματικῶς vnita est Deo, & absorpta est vt loquitur Eusebius in Deum, non mutatione substantiæ, sed qualitatum, id est, quia tota Deificata est & diuina effecta: idcircò dicitur vnita esse εἰς μίαν ἑνότητα καὶ εἰς μίαν πνευματικὴν ὑπόστασιν. Hoc ipse Epiphanius explicat cum subdit: καὶ ἔστι θεὸς [illegible] id est, eaque natura humana facta diuina, seu Deo plena & deificata, sedet Christus ad dexteram patris.

Quis non videt Epiphanium non loqui de reali communicatione, sed tantum de gloriosa vnitione naturæ humanæ ad diuinam?

3 Quod porrò citant ex libri secundi, Tom. 2. contra Ariomanitas Hær. 79. Nihil omnino ad rem facit. Docet enim Epiphanius: *cum Christus dicitur factus esse pontifex: hoc neque de Deitate, neque de humanitate dici: sed tantum* [illegible]. Vt si rex de filio suo dicat, Hodie feci ipsum regē. Quod etiam dicit. *Christum ascendisse spiritualiter, & gloriosè*, quid hoc ad quæstionem?

Ex eodem loco, contra Arioman. recitant Epiphanii explicationem in illud Actor. *Fecit ipsum* (Iesum *dominum & Christum*. Est autem eadem, quæ & aliorum patrum, interpretatio: de qua sæpius supra diximus: & nihil prorsus habet ad rem pertinens. Tantùm ad finem, loquens de vnitione gloriosa, Deitatis & carnis, in cœlo: hæc habet verba: *Vna est vtriusque) vnitio, vna Deitas spiritualis, vtraque lucida & gloria.*

Citantur hæc eadem & plura in appendice libri Concord. pag. 808. Sed nil aliud concluditur, quam id, quod etiam in Eusebio, & in Hilario: carnem, quæ ὑποστατικῶς semper mãsit vnita Deitati: nunc in cœlesti gloria, vnitione etiam gloriosa & spirituali, verèque diuina esse cum illa vnitissimam: & ab ea diuinam accipere claritatem: puta sicut corpus solare à luce primogenia, qua cum vnitum est, suum accipit lumen: sed semper retinendum est discrimen inter lucem ipsam & eius splendorem ac refulgentiam. Ambo igitur lucida: sed differenter.

Resp. igitur: Diuersam esse gloriam humanitatis, à gloria Deitatis. Vna finita & creatitia est quamuis maxima: altera increata & substantialis, vt sæpe dictum est, & ex patribus confirmatum. Vna tamen vtriusque esse dicitur propter vnitionem.

Item, quod ibidem ait, *humanitatem, vtpote Deo vnitam, quæ perfectissima sunt, scire*: quis neget? sed nihil ad rem.

Item, quod τὰ ἀνθρώπινα διὰ τὴν ἕνωσιν μετέχουσι sint τῆς δόξης in Christo, quid ad quæstionem? De gloria enim creatitia loquitur. At quod de assumta natura dixerit Christus, Glorifica me, &c. (Ioh. 17.) conceditur: sed negatur, eam realiter

realiter participem fuisse factam gloriæ essentialis, quę solius est Deitatis, atque adeo ipsa Deitas.

Neque ad rem facit, quod ex eodem loco subdunt: quòd carnale in Christo (id est, humana natura) sit coniunctum cum Deitate. Imò vox vnionis semper excludit realem communicationem.

Quod verò his subdunt aduersarij: & citatur in appendice libri concordiæ pa. 799. Illud, inquam, Epiphanij dictum, opus habet explicatione. Est autem apud Epiph. Græc. p. 343. 344. ad finem hæreseos Arianæ, quæ fuit Hæresis 79.

Ariani præter alia Sacræ S. verba, quæ à mente spiritus S. ad suam hæresin detorquebant: ex illis etiam locis, vbi legimus, *patrem aliquid dedisse filio, & filium accepisse à patre, aut patrem demonstrasse filio, & filium nihil facere, nisi quod videret patrem facientem*: conabantur probare, filium esse minorem & posteriorem patre.

Epiphanius igitur posteaquam ostendit talem consecutionem nullam esse, & eam proficisci ex ignoratione talium verborum S. S. Et postquam examinasset illud Christi apud Ioh. ca. 5. *Sicut pater suscitat mortuos, sic dedit & filio, vt, quos vult viuificet* (non enim dicere, quos iubet pater, filius viuificet, sed quos vult ipse filius: qua ex re significatur Deitas filij, & quod sit vna & eadem voluntas patris ac filij, eadémque operatio.) Postquam ergo hæc explicasset Epiphanius, subiecit;

Oportebat hac suscipere à patre, sed non minorem esse patre: atque hoc iuxta duos maximè modos: μάλιστα κατὰ δύο τρόπους *primum quidem, vt adduceret mentem nostram, ad vnam Deitatis vnionem, patris, filij & S. sancti. Deinde verò etiam, vt adduceret mentem nostram*; εἰς τὴν τῆς ἐνσάρκου παρουσίας μεταβολὴν δόξης, καὶ συνένωσιν τῆς αὐτοῦ θεότητος. His verbis explicat mysterium incarnationis: ad cuius considerationem volebat nos excitare, cùm se, vnam & eandem personam vocabat filium Dei patris, séque totum omnia ab illo accepisse & accipere.

Iam huius rei exemplum affert Epiphanius ex transfiguratione facta in monte sancto: Ibi enim & Deitatem & humanitatem ipsius fuisse patefactam, quòd vnus & idem verus esset Deus & homo.

Ex hoc autem exemplo argumentum sumunt aduersarij, pro sua reali idiomatum communicatione.

Et eam ob caussam locum hunc Epiphanij citant etiam in appendice libri concordiæ, iis verbis, Græcè. Δεικνὺς ὅτι ἡ σὰρξ ἡ ἐκ Μαρίας ἐστὶ καὶ ἐκ τῆς ἡμετέρας γένους τυγχάνουσα, καὶ μετεμορφοῦτο εἰς δόξαν, δόξῃ ἐπιλαμπομένη τῆς θεότητος, τὴν τιμὴν τε καὶ τὸ μόρφωμα, δόξαν τὴν ἐπουράνιον, ἣν οὐκ εἶχεν ἡ σὰρξ ἀπ' ἀρχῆς, ἀλλὰ τῇ συνενώσει τοῦ θεοῦ λόγου. Credo niti aduersarios illis verbis, quod caro in illa transfiguratione consecuta sit δόξαν τῆς θεότητος.

Sed respondemus, hic ab Epiphanio illam visibilem gloriã ac splendorem, quo refulsit facies Christi, appellari δόξαν τῆς θεότητος, non quod fuerit ipsa gloria Dei essentialis, in faciem Christi realiter deriuata: sed quod fuerit à Deo, illiusque essentialis effectum. Etenim etiam iustitia qua iustificamur, tam imputata, quàm inchoata, vocatur iustitia Dei à Paulo, quid ita? Non quod sit iustitia Dei essentialis, qua ille iustus est, quemadmodum impiè docuit Andr. Osiander, sed quod sit à Deo; vt iam taceam quod imputata illius fuit hominis obedientia, qui est Deus. Demonstrauimus aliàs, illum splendorem, in facie Christi, & in eius vestimentis, non potuisse esse ipsam gloriam Dei essentialem, cum videri non possit.

Adde quod ait Epiphanius de illa gloria in transfiguratione: *Quam, inquit, ab initio* (*scilicet sua conceptionis non habebat caro: sed ibi* (*in monte sancto*) *eam in communione Dei verbi accepit.* Essentiales autem Dei proprietates isti contendunt secutas fuisse statim ipsam vnionem hypostaticam.

Adde & hoc, quòd ait dominus, *Gloriam meam alteri* (*id est vlli creatura*) *non dabo.*

Adducunt ex Epiphanio aduersarij: *Ita intelligendum est, & quod scriptum est: Omne iudiciū dedit filio. Itē, dedit ei potestatē vt quos vult viuificet. Vt primum vna deitas trinitatis indicetur: Deinde, quòd incarnatio cum Deitate assumat donatum ipsi à patre & filio dignitatis donū, & perfectionē. & potestatem & ad vnam spiritualem Deitatis cognitionem.* Hęc Epiphanius.

R. Sed quis non videat, discrimen fieri manifestum ab Epiphanio inter essentialem perfectionem ac potestatem Dei, & inter illam, quam communicat carni assumtæ? Hãc enim vocat donum seu donationem, δωρεάν: illam autem non ita: sed donantem potius, Illa enim quæ in Deo est, est ipse Deus.

5. Quod citant ex libro 3. contra Dimæritas: *corpus Christi plenum esse Deitatis*: non eget responsione. Est plenum Deitatis per vnionem, non autem per realem communicationem.

Ex eodem libro & Tomo adducitur aliud dictũ Epiphanij. *Quod Christus volens ostendere potentiam Deitatis suæ transformatus est, & ostendit faciem suam, veluti solem.*

R. Sed quid hæc aliud docent: quam illum splendorem in facie Christi, fuisse rem creatitiam, ab eius omnipotentia profectam. Ait enim, volens ostendere potentiam Deitatis suæ, non autem Deitatem suam. Potentia hæc patefacta est ab effectis. hoc est, a creatitio illo splendore, in facie & in vestibus. Confirmatur interpretatio: quia subdit Epiphanius. *Omnia enim possibilia sunt ei, qui potens est, &c. Et qui potest etiam inanimata* (*vt vestes*) *transmutare in gloriam.* Si fuit transmutatio vestimentorum in gloriam: non fuit ergo gloriæ suæ essentialis visibilis patefactio.

Quod item subdunt: Confitendum est &c. indignum est responsione. Nam isti homines, quicquid de vnione legitur, illud rapiunt, quasi ad realem communicationem idiomatum pertinens.

Eiusdem farinæ est quod sequitur. Si Apost. &c.

Nihil enim continet, nisi quod Deitas fuit semper in anima & in corpore Christi, & quòd cum anima descendit ad inferos & soluit compeditos.

6. Nec diuersa sunt, quæ afferunt ex compendiaria doctrina de Fide. Damus carnem Christi post resurrectionem & ascensionem in cœlum, non amplius esse (non dicit carnem, sed) secundum carnem, sed secundum spiritum, id est, non amplius viuere vt carnem animalem, sicut antea, sed vt spiritualem, propter gloriosam eoque perfectissimam vnionem cum Deo. Sed quid hoc ad realem diuinæ gloriæ communicationem? Ipsemet Epiphanius explicat, quid sibi voluerit hac phrasi, cùm attulit locum Apost. ex 1. Cor. 15. *Seminatur corpus animale, resurget spirituale*, & quæ ibi sunt. Ac obseruetur particula, Quemadmodum circa etiam corpus futurum.

7. Ex epistola, quæ ἀγκυρωτὸς vocatur, quòd sit ancora fidei, ita citantur testimonia Epiphanij. Ita habet: *Christus euacuauit seipsum, forma serui sumta, non quòd plenitudo sit imminuta: sed vt ostendat è cœlo non effusam, sed transeuacuatam plenitudinem in humanam naturam.*

R. Hoc nihil aliud significat, nisi quòd non pars Dei, sed totus Deus λόγος in assumta humana natura inhabitat corporaliter, id est, hypostaticè, vt est Col. 2. Verùm vnio est, non realis communicatio vnius naturæ in alteram.

2. Ita habet: *Transformabit corpus humanitatis nostræ, vt fiat conforme gloria ipsius: iuxta efficaciam, qua & potest & subiicit sibi omnia: quoniam in ipso inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.* δοχεῖον (*receptaculum*) *igitur sapientiæ & deitatis est Christus.* Quid obsecro ineptius quàm talia citare loca, pro reali idiomatum diuinæ naturæ in humanam communicatione? Epiphanius concludit, Christum esse δοχεῖον sapientiæ & deitatis: Et aduersarij concludere velle videntur, ipsam humanam naturam factam esse, non receptaculum diuinæ sapientiæ & deitatis, sed diuinæ sapientiæ & naturæ realiter participem: quod nil est aliud, quàm esse realiter & in seipsa Deum.

3 Videtur magis fauere aduersariorum doctrinæ, ideò illud etiam citarunt in appendice pag. 814. *Christus resurrexit, &c qui non confusionem fecit, sed duo miscuit*, (*id est vniuit*) *in vnum* συνδυναμώσας γὰρ μὲν τὴν σάρκα τῇ θεότητι, εἰς μίαν δύναμιν ἥνωσεν, εἰς μίαν θεότητα συνάγαγεν, ὅτι εἷς κύριος, εἷς χριστός, οὐ δύο χριστοί, οὐδὲ δύο θεοί.

R. Epiphanius de vnione duarum naturarum in vnam personam loquitur. Nil ergo ad realem idiomatum communicationem pertinet hic locus. Vnio enim ἀσυγχύτως facta, realem idiomatum communicationem excludit. Illud συνδυναμώσας τὸ σῶμα τῇ θεότητι, εἰς μίαν δύναμιν ἥνωσεν. Non significat, quod λόγος suam omnipotentiam realiter corpori communicauit: sed quod vtramque naturam & vtriusque naturæ facultates & vires simul, in eadem persona vniuerit, ac fortissimo & indissolubili vinculo confirmãrit: ita vt sicut vna tantum est persona, sic etiam vnus tantum sit omnipotens dominus, & vnus Deus.

Hic est sensus horum verborum. Hoc liquet ex iis, quæ explicationis causa subdit Epiphanius, εἷς ὢν κύριος, εἷς χριστός, οὐ δύο χριστοί, οὐδὲ δύο θεοί.

Quare, quod dixit: In vnam potentiam vniuit: inde non sequitur, quòd eandem realiter potentiam habeat corpus, quam & Deitas, id est, vt ita sit omnipotens humana natura, sicut & diuina: (nam sequeretur, corpus etiam tam esse Deum realiter, quàm & Deitas, quia ait, εἰς μίαν θεότητα συνάγαγεν.) Sed significat vnam personaliter

esse potentiam, & vnam Deitatem. Quid autem sibi vult, vnam esse personaliter vtriusque naturæ potentiam, & vnam Deitatem, nisi esse vnam eandemque personam omnipotentem, Dominum & Deum? Id quod statim explicauit dicens, ὡς αὐ κύριος, &c.

Sed neque reiicio, quod alij vertunt συνδυναμώσας, potens simul cum deitate effecit: sed non admitto corpus eadem potentia, qua & Deitas, potens esse. Donauit enim corpori, totique humanæ naturæ, talem potentiam, taliáque dona, quibus posset, cum Deitate, quæ ad nostram salutem pertinent, operari, & idoneum esse ac potens organum Deitatis. Hoc verò est συνδυναμῶσαι.

Cæterùm si intelligas, εἰς μίαν δυναμοῦσαν, pro realiter vniuit in vnam potentiam, non effugies, quin conuincaris Monothelismi.

Personaliter igitur vna est vtriusque potentia, & vna Deitas: non realiter: alioqui aut non fuerit vnus dominus & vnus Deus, sed duo domini & duo dij: aut ita fuerit vnus dominus, vt etiam vnam tantùm habeat potentiam, iuxta vnam personam, non duas potentias iuxta duas naturas.

Responsum est ad omnia, quę ex Epiphanio adducta sunt testimonia. Nunc ergo ex multis vnum obiicio, illudque ex ipso Ancorato, imò ex eodem folio.

Ex loco Apostoli ad Gal. 4. Factus ex muliere, &c. Et ex loco Phil. 2 in similitudine hominum factus: coniunctis iis, cum præcedentibus apud eundem Apost. verbis, de æterna deitate: *concludit Christum, vt perfectum Deum, sic etiam perfectum hominem: quia si est verè natus ex patrè, verè etiam natus est ex matre*: Et, ἵν' ᾖ ὁ αὐτὸς τέλειος, καὶ τὰ ἐκ' τέλειος.

Idem docet, *vnionem duarum naturarum in vnam personam, factam* ἀσυγχύτως καὶ ἀτρέπτως.

Perfectus autem homo dicitur, qui integra & vera humana constat natura, omnesque essentiales eius proprietates retinet: sicut etiam Deus eandem ob caussam perfectus esse dicitur Deus.

Si verò humana natura reapse particeps fiat essentialium Dei proprietatum, ita vt verbi gratia realiter sit infinita, incircumscripta, simplicissima, vbique præsens, sicut & Deus talis est: profectò desierit Christus esse perfectus homo: & falsum fuerit, vnionem esse factam ἀσυγχύτως καὶ ἀτρέπτως.

Ratio est: quia fieri nullo modo potest, vt idem Christus secundum eandem naturam, & eodem tempore sit finitus & infinitus, creatus & increatus, circumscriptus & incircumscriptus, & sic de aliis planè contrariis proprietatibus, iuxta non solum Aristotelis doctrinam, sed etiam patrum & Damasceni regulam lib. 3. cap. 3. πῶς δὲ καὶ μία φύσις ... διαφόρους ... : Huic iam subdo quod idem Epiph. scribit in eodem Ancorato pag. 488. *Christum non posse esse* μεσίτην *inter Deum & nos, nisi etiam sit ab vtraque parte perfectus, eoque medius inter Deum & hominem*, ἵνα μεσίτης ... ἀλλὰ καθ' ἑκάτερα πρὸς τὰ ἀμφότερα μεσιτεύων.

Hinc manifestè hoc saltem colligitur, ad hoc vt esset mediator, mediatorisque officium faceret, non fuisse necessarium, vt Christus essentiales naturæ diuinæ proprietates, haberet in humana natura realiter communicatas: Sed satis fuisse & esse, vt sit verus Deus & verus perfectusque homo. Nullam autem legimus caussam, cur factus sit homo, & qui in forma Dei erat, acciperet formam serui: nisi vt posset perfectus esse mediator, factus obediens patri vsque ad mortem: & quæ sequuntur.

Ac metuo ne hæc sit illa ab inferis reuocata Dimæritarum hæresis, de qua Epiph. l. 3. T. 2. hær. 77. Isti enim præter alia, coessentiale Deitati, corpus Christi esse dicebant.

XVII. Eadem fronte pro reali communicatione, profertur & Ambrosius, cuius tamē testimonio refutatus fuit hic error in 6. Synodo: qua fronte reliqui etiam, vt supra vidimus, refutati fuerunt.

Si sensisset *Ambrosius* idiomata diuinæ naturæ, realiter communicata esse humanę: profectò non dixisset, *minorem naturam, nempe carnem in Christo, non posse operari, quæ maior (id est diuina.)* Legatur 6. Synod. Actione 4. *Item negat vbique præsentiam esse alicui creaturæ communicatam: ita vt inde probet Sp. Sanctum esse Deum, quia eum vbique esse prædicant scriptura*. Lib. de Spiritu S. Non igitur agnouit hanc idiomatum diuinorum, in humanam Christi naturam, communicationem.

Quare, quæ ab aduersariis citantur, vanè, ne quid durius dicam, citantur. Sunt tamen percurrenda, ne putent, suos labores, præ superbia aut impatientia à nobis contemni.

2. Citatur ex Tom. 2. *lib. de fide contra Arrianos cap. 8. & vlt. ad calcem.*

R. Sed locus ille nil aliud concludit, quàm quòd filius Dei, sibi induendo hunc hominem, ipse non est immutatus, sicut neque sol, cùm obducitur nubecula, vllam patitur sui mutationem; sed quod potius sicut sol illustrat nubem & per eam hæc inferiora; sic filius illuuias sui corporis, claritatis suæ lumine illustrauit, & per suum corpus nostri cuius rei specimen præbuit, cum transfiguratus est in monte sancto. Sed hæc nihil ad præsentem quæstionem. Sępe autem diximus de differentia lucis & eius splendoris, φωτὸς καὶ φωτισμοῦ. Ita simile solis quod attulit Ambrosius, potius euertit aduersariorum sententiam, quàm confirmet. Lux enim solis minimè nubi communicatur, sed tantùm à splendore refulget.

2. *Ex eodem Tom. 2. lib. de fide ad Gratianum 5. cap. non 6.* sed 7. In eo capite explicat Ambrosius egregiè locum illum 1. Cor. 15. *Tunc & filius subiicietur ei, cum subiecta ei fuerint omnia.*

Ac concludit hoc non de Deitate, sed de humanitate, quæ fuit obediens vsque ad mortem, & postea exaltata ad dexteram Dei, & imperium illi datum in omnia, intelligendum esse. Ac pręter alia habet etiam hæc verba ad finem capitis, quæ citantur ab aduersariis.

Didicisti, quòd (Christus) omnia possit sibi ipse subiicere, secundum operationem vtique diuinitatis: Disce nunc, quod secundum carnem omnia subiecta accipiat, sicut scriptum est: Qui operatus est in Christo, suscitans eum (Deus) à mortuis & constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnē principatum.

2. Secundum igitur carnem ei omnia subiecta traditur.

R. Quomodo hunc locum audent aduersarij pro reali communicatione adducere, cùm ex diametro cum illa pugnet? Soli enim deitati dat hanc potentiam, qua Christus possit omnia sibi subiicere: humanitati autem, quod subiecta accipiat.

3. Citantur duo eiusdem dicta in Epistola ad Heb. ca. 1.

Sed ex primo nil aliud concluditur, nisi, quòd Christus, qua homo, fuit ita vnctus, vt reliquos vngat spiritu suo: quoniam in ipso est fons omnis benedictionis, in omnes electos emanans. Quis autem negat, humanam Christi naturam organum esse deitatis, per quod omnes in nôs benedictiones deriuantur.

Ex altero hoc habes, *Illud sede à dextris meis, ad humanitatis pertinere glorificationem*: Et, *Christo, quatenus homo est, datum esse honorabilem paternæ maiestatis consessum.* Sed hic consessus non significat realem maiestatis essentialis Dei in humanam naturam, communicationem: alioqui illa tandem nobis quoque communicaretur: quia (vt Athanasius docet) omnia, quæ in tempore accepit Christus, vt ea nobis etiam largiatur, accepit. Sicut etiam vnguentum super caput summi pontificis fuit effusum, vt in omnia membra, vsque ad fimbriam vestis efflueret. De hoc consessu sępe dictum est.

4. Eodem pertinet, quod citatur *ex lib. de fide ca.* 4. propter rationem corporis dictum esse, *Sede à dexteris.*

5. Quorsum verò illud subdunt ex lib. 3. cap. 3. Diuinitas fecit ne caro videret corruptionem, quæ vtique corruptelæ obnoxia erat per naturam?

6. Quorsum & illud ex eodem 3. libr. cap. 5. Christum quatenus homo est, & respectu humanę naturę, factum esse excelsiorem cælis & angelis? Sed numquid exæquatus est Deo?

7. Quorsum & illud ex libr. 4. cap. 2. Christum secundum asumtionem carnis, vnius cum omnibus hominibus in carne esse substantiæ, salua tamen incarnationis suæ gloria?

Maxima est gloria incarnationis Christi, etiamsi essentialis gloria Deitatis humanę naturæ realiter non est communicata. An parum, quòd cōcepta est è S. sancto? quòd asumta in vnitatem personæ? quòd præclarissimis donis ornata? Quorsum igitur hæc? Cur non recitant, quæ præcedunt, & quæ sequuntur? Præcedit hoc: *Christus secundum quidem generationem diuinam, Dei virtus est: Secundum assumtionem autem carnis, &c.*

Sequitur autem: *Caput Christi Deus, quia diuinitas, vtpote creatrix, caput est creaturæ: & bene dixit: Caput Christi Deus, vt & diuinitatem Christi significaret & carnem: hoc est incarnationem, in Christi nomine: in Dei autem, vnitatem diuinitatis & magnitudinem potestatis.* Hæc Ambrosius.

Annon ex iis potius colligitur, magnitudinem potestatis, in sola esse deitate: quàm ex superioribus, realis idiomatum diuinorum in humanam naturam collatio?

8. Sed egregiè sc. probatur realis communicatio ex iis quæ subdunt ex lib 4. c. 5. Vbi Ambrosius explicans locum illum Ioh. 6. *Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem*

patrem: ita & qui manducat me, ipse viuet propter me, id est, quod ipse etiam filius, quatenus missus est, hoc est, factus homo, viuit propter patrem, quia viuificatur à patre: nos verò edentes carnem filij, viuificamur à filio. Sic concludit: *Secundum ergo hanc expositionem, non solum ad conditionem humanam, deriuatur gratia largitatis, sed etiam diuinitatis æternitas prædicatur. Diuinitatis, quòd ipsa viuificat: humanæ autem conditionis, quod viuificata est, & in Christo.* Hæc ille.

Quis tam cæcus est, qui non videat aliam esse vitam, qua Deitas viuens viuificat: & aliam, qua caro Christi viuificata, nos viuificat?

Si eadem vita esset in humanitate, quæ & in Deitate: quale argumentum esset pro deitate Sp. S. quo vtitur Ambrosius libro de Sp. sancto 2 c. 4. Ex eo enim quod Spiritus viuificat sicut & pater & filius, euincit Spir. sanctum esse Deum. *Nam viuificare* (inquit) *quis abnuat esse maiestatis æternæ?* Viuificat ergo (vt sæpe dictum est) Deitas, vt caussa verè efficiens: viuificat humanitas, vt instrumentum Deitatis.

9. De consortio diuinæ sedis, quod humanæ in Christo naturæ concedi aiunt, ex Ambr. lib. 5. c. 2. Item c. 6. de Fide, antè dictum est.

10. Quæ ex libro de mysterio incarnationis c. 4. & 5. Quæ item ex lib. 3. de Sp. sancto, c. 12. proferunt, pudet me, quasi ad præsentem quæstionem pertineant, referre.

Quid enim ad rem, *quod Christus suscepit, quod meum est, vt donaret, quod suum est? quod item in eo multa essent supra naturam humanam? quod item eum adorent angeli & scabellum pedum eius? & quod in mysterijs incarnationis veluti vestigia quadam diuinitatis sint impressa?*

1. Sed nihil etiam est, quod referunt, Thomam habuisse caussam admirandi, quòd viderit, corpus Christi ianuis clausis ingressum fuisse. Attribuit hoc qualitati corporis gloriosi Ambrosius. Sed hæc qualitas donum fuit, non essentialis proprietas naturæ diuinæ.

Sed locum illum de ingressu ad Apostolos, ianuis clausis, alij aliter exponunt, quàm Ambrosius:

Ad summam, satius fuisset nihil ex Ambrosio: quàm adeò à quæstione aliena protulisse.

Quæ verò nos initio ex ipso attulimus contra realem communicationem, clariora & firmiora sunt, quàm, vt aut negari aut refutari possint.

XIIX. Pater est *Hieronymus*.

1. Ex commentariis in secundum c. ad Philipp. de loco, *Humiliauit seipsum, &c. propter quod & Deus exaltauit illum: referunt locum hunc exponendum esse de humana Christi natura.* Sed quid hoc ad rem?

2. Ex comment. in 1. c. ad Eph. in illum locum, *Et collocauit ad dexteram suam:* recitant Hieronymi interpretationem, *dexteram accipiendam esse pro honore; ne Deus corporeus credatur.* Sed quid tum?

3. Quod verò proferunt ex Epistola ad Pammachium, illorum errorem refellit, qui corpori Christi post resurrectionem, talem attribuunt subtilitatem, quæ subtilior sit aëre. ac docet, quod *Christus ingressus* sit ianuis clausis, quod item euanuerit ab oculis discipulorum, &c. hæc fuisse diuinæ virtutis, quæ effecit, vt creaturæ cesserint creatori, &c.

Quorsum igitur hæc ab aduersariis recitantur?

Ex eodem Hieronymo in Epitaphio Paulæ, referunt eadem fere de ingressu ad discipulos ianuis clausis: Vbi sententiam suam confirmat exemplo Petri, qui ambulauit supra mare, contra naturam corporis grauis, nec tamen habuit corpus spirituale seu subtile: Fuisse enim hoc factum diuina virtute contra naturam. Proinde secundum naturam cœpisse mergi, cum Christus suam subtraxit virtutem.

4. Sed aliquid est, quod citant ex commentariis, in Ier. c. 17. vbi in verba Prophetæ, *Maledictus, qui confidit in homine*, ita scribit Hieronymus *Sed nos credimus in eum, qui dixit, Quid me quæritis interficere hominem? Respondemus* (inquit) *illud Apostolicum, Nunc iam non nouimus Christum, secundum carnem. Si enim mors absorpta est in victoria: quare non carnis humilitas, quæ propter humanam salutem assumta est, in diuinitatis transierit maiestatem, vt fecerit vtrumque vnum, vt non adoremus creaturam, sed creatorem. Hæc ille.*

Si carnis humilitas transiit in diuinitatis maiestatem: videtur ergo humana Christi natura non solum essentialibus Dei proprietatibus realiter prædita esse: sed omnino in naturam diuinam esse conuersa.

Resp. Sensus verborum Hieronymi idem est, qui & Eusebij & Hilarij, cum dixerunt, humanam naturam fuisse à Deitate absorptam: Et vt Greg. Nazianzenus [illegible]. Nomen enim carnis, sicut apud Apost. 2. Cor. 5. sic & apud Hieronymum, non pro carnis substantia accipitur, quasi aut Paulus negarit se agnoscere Christum pro homine, aut Hieronymus voluerit, substantiam carnis in deitatem esse transmuratam: sed pro externa carnis specie ac forma omnino accipiendum est: Aliàs enim Apostoli cum Christo conuersantes, & externam tantum speciem spectantes, Deitatem autem non intuentes, eum vt excellentem duntaxat hominem, & Prophetam à Deo missum agnoscebant: Postea verò, non amplius sic, sed vt Deum agnouerunt: & quidem etiam post resurrectionem & ascensionem in cœlum, verus quidem illis homo fuit Christus, sed non ampliùs talis, qualis antea fuerat, animalis scilicet & humanis affectibus obnoxius: verum nouus ac splendidus.

Sensus igitur etiam Hieronymi fuit, Substantiam quidem carnis Christi integram & veram mansisse: sed eius humilitatem in diuinam maiestatem esse mutatam: quatenus caro illa, positis omnibus huius vilis nostræ vitæ conditionibus, cœlesti gloria ac maiestate ornata atque repleta est: quam ideo vocat diuinitatis maiestatem, quia eximia est gloria, à diuinitate, interno principio, cui [illegible] caro vnita est, immediatè profecta. Est enim res verè diuina, quæ iam in carne Christi splendet maiestas, quanquam creatitia, & essentialis maiestatis effectum, atque splendor.

Si aliter explices, pugnabit tua explicatio cum doctrina Hieronymi, de qua paulò antè ex epistola ad Pammachium. Nam contra Iohan. Hierosolymitanum & Origenem contendit, carnem Christi veram mansisse carnem, eàmque visibilem & palpabilem, non autem, instar aëris, nec visui nec tactui subiectam. Quare ex Hieronymo nihil habent, quo realem idiomatum communicationem probare possint.

Nam quod subdunt ex comment. in cap. 4. Michææ (est autem ad initium capitis Prophetæ) miror, cur, quod Hieronymus dixit, ad conuersationem eius (comparat enim excellentiam vitæ Christi in terris, cum vita reliquorum hominum) mutatum sit in *comparationem:* quasi ex Prophetæ sententia Hieronymus loquatur de Christo, postquam ascendit in cœlum. Sed neque sic quippiam efficitis. Certum enim est, Christum supra omnes creaturas, etiam supra angelos exaltatum esse, ac instar altissimi montis esse reliqua omnia instar collium.

XIX. *Augustinus.*

1. Ex lib 2. & 3. contra Maximinum; tria hæc concluduntur: quòd forma serui sit exaltata, in qua fuerat crucifixus: quod nomen de quo Philipp. 2. & alia donata sint homini, non Deo: quod denique formam serui in melius commutauit.

2. Ex Sermone tertio de verbis Apostoli: quòd Christus hominem in se mutarit, non se in hominem.

Sed quomodo mutauit? in melius, vt antè dixerat. Annon verò mutatus est in melius homo assumtus, licet essentiales Dei proprietates realiter communicatas non acceperit?

3. Ex lib. contra Felicianum c. 10. & 11. *quòd caro glorificata sit maiestate Deitatis.*

Resp. Primum dictum per gratiam vnionis intelligitur. Magna enim est gloria carnis, quòd vnita sit maiestati, quæ in carne passa esse dicitur. Ideo ait cap. 10. *Glorificata est caro maiestate, dum maiestas humiliata dicitur in carne.*

Alterum pro maiestate, vel maiestatis participatione per effecta, exponendum est. Gloria enim & maiestas, qua realiter glorificata est caro, effectum est maiestatis essentialis Dei: ideo dixit, carnem glorificatam esse maiestate Deitatis, id est, à maiestate & per maiestatem.

Sic etiam in Hilario vidimus, carnem esse glorificatam, gloria, quæ à gloria Dei est.

1. Sed ex eodem loco velim hæc considerari; primùm, quid sit confundere naturas & proprietates, nempe, si aut humanam & corpoream naturam reapse incorpoream esse dicas: aut contra, si Deitatem, carnalem & mortalem esse prædices: Vide cap. 10. col. 782.

2. Rursus & illud in cap. 11. mihi considera.

Non perdunt propria: sed quia in vnum atque inseparabile conuenerunt, ex proprijs videntur facta communia, videntur, ait, quasi dicat, sed non sunt realiter communia.

3. Exemplo explicat. *Afficitur in corpore mens doloribus corporis: fatigatur corpus cogitationibus mentis: & vnum tamen horum proprium est corporis, alterum mentis: quod dum vni homini acciderit: & corporis videtur commune & mentis.* Hæc ille de animo & corpore, hominis partibus. Postea ad Christum accommodat. *Vnum membrum non quadrat, quia*

Deitas realiter non afficitur à natura humana: ficut à corpore mens: sed alterum congruit? quia humana afficitur à Diuina, ficut corpus à mente. Sicut ergo aliud est labor & dolor, quem corpus à mente tristi patitur, & aliud tristitia, quæ est in mente: Sic alia est gloria, quam humana natura accipit à Deitate magnifica, & aliud maiestas ipsius Deitatis. Atque idem de aliis dicendum. Hæc obseruanda sunt ex illo simili Augustini.

4. Quod afferunt ex eodem De onibus: tantum docet naturarum vnionem ad officium mediatoris faciendum, fuisse necessariam.

5. Illud de Transfiguratione Christi ex lib. de mirabilibus S. scripturæ cap. 10. confirmat interpretationem ea de re nostram; sæpius repetitam: lumen quod refulsit in facie Christi, non fuisse ipsam Deitatis gloriá, sed eius effectum. Illa enim oculis corporeis videri non potest.

6. Afferunt ex comment. in Psa. 109. quæ nihil ad rem. Quod enim caro dicitur post ascensionem in cœlestem habitum commutata fuisse: quid aliud significat, quàm in cœlestem gloriam eam esse translatum, supra omnia exaltatam, cum patre omnia regentem: & ea etiam ratione dominum esse Dauidis.

7 Quod ex epistola tertia adfertur, de corpore assumto, vt in melius mutaretur: antea explicatum fuit.

8. Quis verò neget, quin in illis rebus mirabilibus, quas facit dominus, Tota ratio facti sit potentia facientis?

Sed à potentia, ad ea, quæ scriptura non tradit, vel facta esse, vel esse facienda, consecutio non valet, vt egregiè explicat Tertull. contra Praxeam.

Sed cur non integram recitastis sententiam Augustini? Cur initio & fine propositis, medium corpus sustulistis? Est autem illud tale, quo perspicuè declarauit Augustinus, quæ sua sit sententia de communicatione idiomatum: hoc est, quidnam de suo deitas communicarit humanitati, & quid vicissim ab humanitate acceperit Deitas: nomina videlicet, vt verè vocetur, qui homo est, Deus, filiusque Dei: & qui Deus est, verè appelletur homo filiusque hominis.

Sic enim scribit: *Ipsa magnitudo virtutis eius (Deitatis) totum hominem sibi coaptauit: nomen humanitatis ab eo dignanter assumens; diuinitatis ei largiter tribuens.* Hæc ille.

Nomen, dixit, non res, significans nihil, quod vnius naturæ est proprium, alteri naturæ realiter esse communicatum, nominibus exceptis. Sed hæc vos pauca verba è medio sustulistis: quæ porro sequuntur illis ingenuè subiectis. Cur hoc feceritis dininare licet, asserere non audeo.

Apertè Augustinus declarauit, quamnam naturarum & proprietatum ipsarum communicationem in Christo agnoscat: non realem sed verbalem, eámque veram.

Quorsum verò illa, quæ proferuntur ex Epistola 57. ad Dardanum, de plenitudine deitatis, in corpore Christi inhabitante: cum nihil aliud concludant, quam realem duarum naturarum in vna persona vnitionem?

Et ait, hanc vnionem (non autem realem communicationem) esse illam gratiam, quæ omnino prædicanda est.

Imo illa Epistola profligat penitus istam realem communicationem idiomatum: quia vbique præsentia soli Deo seruat, & negat carni Christi esse communicatam: Cũ ne hoc quidem illi concedat Augustinus, vt eodem tempore, in diuersis locis existere sua substantia queat. Nam (vt inquit col. 272.) *Secundum hominem (id est, humanam naturam) in terra erat, non in cœlo, vbi nunc est, quando dicebat, nemo ascendit in cœlum, &c. & quamuis secundum id quod filius Dei erat: esset in cœlo: secundum id verò, quod filius hominis erat, adhuc esset in terra, nondumque ascendisset in cœlum.*

Item: Ac per hoc & filius hominis secundum Deum erat in cœlo: *Et filius Dei secundum hominẽ crucifigebatur in terra.*

Hæc est illa vera & secundũ scripturas, quam Augustinus & omnes patres prædicant ac probant, communicatio idiomatum: de qua & in epistola ad Volusianum tertia: *Magnitudo virtutis eius:* scilicet Deitatis; *totum hominem in melius commutandum sibi coaptauit: nomen humanitatis ab eo dignanter assumens, Diuinitatis ei largiter tribuens.*

9. Ex Epistola 146. qua nihil clarius aduersus vbiquitatem corporis Christi, citatur nescio quid, quod planè nihil ad rem.

Augustinus de resurrectione corporum agens, quæ manente substantia, mutabunt qualitates, illudque confirmãs exemplo corporum trium puerorum apud Danielem: hanc subdit Thesin:

Valet igitur diuina potentia, de ista visibili atque tractabili natura corporum, quibusdam manentibus, auferre, quas voluerit, qualitates: Ac per hoc valent etiam membra mortalia, forma lineamentis manentibus, corruptione verò mortalitatis emortua, stabili vigore firmare: vt absit labes, adsit effigies: adsit motio, absit fatigatio; adsit vescendi potestas, absit esuriendi necessitas.

Hæc Augustinus.

Sed aduersatij illa: Ac per hoc, &c. subticuerunt: quæ omnino ad explicandam Augustini mentem necessaria erant. Non enim sensit Augustinus qualitates essentiales corporis humani tolli posse, vt interim tamen maneat corpus humanum, qualis est circumscriptio, membrorum distinctio, & aliæ id genus. Quæ tolli possint, explicauit Apostolus 1. Cor 15. Et Christus in suo corpore post resurrectionem declarauit.

10. De fide ad Petrum cap. 2. quod adferunt, nihil est.

11 Quid verò clarius pro sententia nostra contra realem communicationem dici queat, eo quod ad calcem verborum ex c. 20. libri de Agone Christiano, habent aduersatij.

Duabus de caussis, Christum ait esse omnibus sapientibus hominibus sapientiorem: vna est, quia beneficium sapientię Dei habet: altera, quia ipsam personam gerit sapientiæ. Vbi tertia, quòd essentialem Dei sapientiam realiter communicatam habeat? prima caussa perspicua est: secunda intelligitur, quia in verbo videt, cum quo est vna persona, manifesta est communicatio idiomatum.

12. Ad ea, quæ de ingressu ad discipulos, ianuis clausis referunt ex libr. de Agone Christiano c 24. & ex sermone 160. & serm. 156. & 158. & 159. Et ad id, quod citant de ambulatione super aquas. Et de verbis Apostoli sermone 12. nempe, quod omnia facta sint diuina virtute: supra responsum est, totum hoc pugnare cum reali idiomatum communicatione.

Augustinus igitur, ne adducatur vt patronus impij dogmatis: cui inimicissimus est Augustinus.

XX. Pater *Chrysostomus* In 3. caput Ioh docet: Cum Baptista dixit, *Spiritum datum esse Christo, spiritum non ad mensuram: eum de verbo nihil locutum esse, sed de assumta natura in qua sit omnis operatio spiritus.*

Ad Heb. 2. *Magnum esse ac stupore plenum, quod caro nostra sursum sedeat & adoretur ab angelis, &c.*

In 1. Cor 5. *De Christo secundum dispensationem intelligendum esse, quod dederit illi nomen supra omne nomen, & ad tantam excellentiam euexerit Christum pater.*

In Ephes. 1. Eum, qui ex terra est in cœlestibus omnis creatæ natura superiorem esse factum.

Hæc omnia ex Chrysostomo. Sed quid ex iis omnibus pro reali communicatione? Nõ est enim quæstio, An Christus, qua homo est, cum in eo inhabitet omnis plenitudo deitatis, euectus sit super omnia, & ad supremum principatum, vltra quem non est alius quispiam honos (ad quem scilicet assumi creatura possit) exaltatus sit? Sed quæstio est: *An essentiales Dei proprietates, eóque & essentialis maiestas Dei, sit realiter ipsi carni communicata?* Hoc certè non docet Chrysostomus.

Eiusdem farinæ sunt, quæ *Theophylactus* ex Chrysostomo scripsit, & ab aduersariis recitantur. Vt illud in Matth. cap. 28. *Christum ideò dixisse, Data est mihi omnis potestas, quia quę natura fuerat prius condemnata, iam vnita Deo in cœlo erat sessura, ab Angelis adoranda, & omnibus imperatura.*

Nec aliud concludunt, quæ ex Theophylacto in 3. cap. Ioh. Et in Eph. 1. c. citantur: quàm quod, quæ data dicuntur in manum filij, ea sunt illi iuxta humanitatem data, & quod secundum eandem exaltatus est supra omnes principatus.

Sed quid ex iis concludi possit pro reali communicatione, abundè à nobis ostensum est.

Adducitur ipse Chrysostomus *ex Epistola ad Cæsarium Monachum,* in hæc verba scribens: *Vnus filius, Vnus Dominus, idem ipse procul dubio, vnitarum naturarum vnam dominationem, vnam potestatem possidens, etiamsi naturę non consubstantiales existant, & vnaquęque incommixta. proprietatis conseruet agnitionem: propter quod inconfusa sunt duo.*

R. Tametsi in meo Chrysostomo epistolam hanc inuenire, & examinare non potuerim: quis tamen sit horũ verborum sensus, cognosci facilè potest, Non dubito, quin hæc contra Nestorianos simul & Eutychianos scripta fuerint. Illi vt duas personas, sic diuersas potestates, omniaque diuersa in Christo statuebant: isti vt vnam personam, sic vnã potestatem, omniáque vnum essentiale esse prędicabant.

Chrysostomus igitur vel quicunque hanc scripsit Epistolam, contra primos statuit, vnum esse duntaxat filium Dei, vnumque dominum. Ac proinde ratione personæ vnam duntaxat esse dominationem ac potestatem. Aduersus alteros docet, distinctas, esse variásque & inconfusas,

fusas naturas:ac proinde, quæ vna sunt personaliter dominatio & potestas,eas esse essentialiter,seu φυσικῶς,prout diuersæ sunt naturæ,diuersas.

Contra primos igitur ait:*Vnus filius,vnus dominus,idem ipse procuIdubio vnitarum naturarum vnam dominationem, vnam potestatem habens.*

Contra secundos subdit, *Etiamsi natura non consubstantiales existant,& vnaquaque incommixta, proprietatis conseruat agnitionem:propter quod inconfusa sunt duo.* Annon hoc dicto profligatur potius realis communicatio, quàm defenditur ? Si enim incommixtæ proprietates : non ergo, quæ vnius sunt naturæ,in alteram sunt realiter communicatæ.

Quod ex *Oecumenio citatur:*& græcè etiam repetitur in Append libri Concord.pag.803. nil pro reali communicatione iuuat aduersarios.*Filius vt Deus , sempiternum habet Thronum:Sed vt homo accepit,quod habebat vt Deus,& audit: Sede à dextris meis.*

Quis hæc neget?Sed nihil ad rem.Sedet in eodem throno,inquiunt,non in diuersis,assumtus homo & λόγος.Verum est.sed quid ita?Tum,quia non sunt diuersæ personæ, sed vna & eadem:tum quia in mundo regendo atque in gubernanda ecclesia,vtraque forma agit:verùm quomodo?Vnaquaque quod suum est faciente , non quod alterius:sed cum alterius tamen communione. Quæstio verò est,an quod agit diuina , idem etiam humana agat : & ex consequenti,an,quam habet agendi facultatem diuina, eandem habeat & humana.

Locus autem SEDE A DEXTRIS, hoc non probat,vt supra explicatum est.

Ex 1.Cor.15 affertur hac interpretatio Chrysostomi , cum explicat illud Apostoli,in spiritum viuificantem. Quod Christus qua homo est,intelligitur energiam habere spiritus: & quod iste spiritus non tantum viuit,sed etiam viuificat Sed quid hæc ad rhombum?Quasi verò ἐνέργεια illa spiritus sit essentialis Dei proprietas. Quæ si esset: multi alij homines haberent hanc essentialem Dei proprietatem sibi communicatam:& non opus foret de solo Christo hanc instituere quæstionem. Spiritum verò sanctum,à quo illa est ἐνέργεια,non solum viuere,sed etiam viuificare,quis neget ? Imo inde probamus,eum etiam esse Deum, quia non minus viuificat,quam pater & filius.

Quod *ex Aretа citant in Apocal.c.5.* & est in græco pag. 917.de humana assumta natura intelligendum esse , quod scribitur de agno,nempe, quòd quasi per suffragium datæ sint ei diuitiæ,potestas,sapientia,& similia,nihil ad rem facit.Non enim de essentialibus diuitiis & potestate & sapientia Dei loquitur Ioh.sed de creatitiis, vt sæpius explicatum est.quia quæcunque accepit vt homo,ea accepit vt nobis communicet

Quod si tu contendas,intelligendum esse locum de essentialibus diuitiis,&c.Exponam ego & exponendum esse dicam illud verbum λαβεῖν,per gratiam vnionis.

Ex Oecumen.in 4 cap. Eph.citantur hæc verba.Ascendit supra omnes cœlos, [illegible] Sed neque hoc facit ad rem. Quod n. naturam à nobis sumtam in cœlum euexerit λόγος,eamque cœlesti hæreditate & Cathedra iudiciali solioque regio dignam fecerit:hoc non concludit realem alicuius idiomatis diuini in humanam naturam communicationem.

Nam nos quoque cœlestem illam hæreditatem consequemur : sessurique sunt apostoli super sedes , iudicantes duodecim tribus Israel:imo de omnibus fidelibus hoc pronunciat Apostolus 1. Cor. 6. quod omnes sint iudicaturi mundum,& regnaturi cum Christo.Et stat semper regula Athanasij,*qua accepit Christus,vt homo,illum ea accepisse, vt nobis communicet.* Essentialem autem maiestatem non est communicaturus.

Frustra etiam adducitur id quod Chrysostomus de resurrectione scribit:si cogitemus eum,qui promisit , & qui post resurrectionem ianuis clausis ingressus est ad discipulos,Deum esse,cui nihil est inuium:& si indubia fide hæc credamus,nos ab omni quæstionum scrupulo liberatum iri.Hoc,inquam,nihil ad rem.

Nihil enim eorum,quæ nobis credenda proponuntur in scripturis,hanc realem communicationem nobis credendam esse docet.

Quorsum verò illud , quod in homilia de Baptista concludit Chrysostomus; Quòd corpus Christi verum per clausa ostia intrauerit ad discipulos,hoc dandum esse potentię Christi diuinæ?Sic enim ait;*Nescis, quomodo hoc factum sit? Dei hoc potentiæ Dei.*quasi dicat non corporis;aut illi virtuti,quæ esset in corpore.Annon hæc potius euertunt communicationem,de qua loquimur?

Denuo ad extremum repetunt aduersarij ex Chrysostomo,in 1.cap.ad Hebr.*Patrem iussisse Christum secundum carnem ab Angelis adorari.*Quid hinc vultis inferre Ergo carni Christi idiomata Deitatis essentialia sunt realiter communicata?Imò sequetur:ergo caro Christi est realiter Deus; nempe,si velis eam carnem per se adorari.Solus enim Deus adorandus est.Atqui hoc non sequitur ex verbis Apostoli, vtpote pugnans cum verbo Dei. Ergo nec illud. Quare falsa & interpretatio & illatio vestra.

Hæc ad testimonia Chrysostomi.

XXI. Pater,quem ordine citant aduersarij, est *Cyrillus.*

Permulta ex huius libris citantur testimonia ; Sed quæ partim nihil ad rem faciunt , partim contra ipsos pugnant aduersarios.

Quò verò clariùs appareat , Cyrillum minimè fauere aduersariis in hoc genere doctrinæ : quædam priori loco ex ipso Cyrillo oppono nostris vbiquitariis. In Iohan.li.9. c.41.Ex eo,quod Christus ab operibus, quæ faciebat, probabat se vnum esse,cum patre, Deum : colligit Cyrill. hæc axiomata.

1. *Neque enim,inquit,qui ex Deo natura non est æqualiter operabitur Deo.*

2. *Nunquam creatura,quæ infinitæ virtutis sunt, suscipiet.*

3. *Nunquam bona eius naturę,quæ semper est,iis , quę sunt producta ex nihilo,propriè attribui poterunt.*

Ex primo sequitur,humanam Christi naturam,nunquā ad actiones diuinæ naturæ,tanquam συνεργεῖ eadem seu æquali potentia præditam,concurrisse.

Ex secundo:Neque etiam eandem potentiam sibi realiter communicatam habere potuisse,vel posse.

Ex tertio:Si aliquando,quæ propria sunt Dei,attribuantur humanitati,ea impropriè & verbaliter tantum , perque communicationem idiomatum attribui. Quid vis clarius ex Cyrillo?

Dial. lib. 5. col.310. eandem regulam tradit,quam & in Iustino aliisque vidimus,nempe:

Quæ in Christo spectantur diuina ea Deitati, quæ humana, ea humanitati esse attribuenda. Proprietates ergo Dei essentiales,illiusve actiones , humanæ naturæ attribui realiter non possunt.

Dial.lib.6.col.360. Ex proprietatibus Dei in filio, concludit,eum non esse creaturam,sed Deum:iuxta illud Iesaię 42.*Gloriam meam alteri non dabo.*

Neque enim permittet (inquit) *vllis rebus aliis,quam sibi, iuxta substantialem dignitatem verè Deitatis sublimitatibus magnificari*

Quomodo enim natura facta , ad huius dignitatis conditionem perueniret, vt nihil nobilitatis supra se relinquat ? Hæc ille. Quomodo igitur caro Christi, æquali maiestate & gloria,& potentia regnat cum patre?

Thes.lib.12.cap.15.col.166. Ex eo , quod omnia per λόγον facta sunt,concludit illum non esse factum, sed Deum verum.

Nihil enim factum(inquit Cyrillus) *creandi virtutem , quæ infinita est,suscipere potest*

Ibidem,col.167.*Sola Deitatis natura* (inquit) *perfecta est, sola nullius rei indiget,sola omnia replet.*

Idem Thes.lib.8.c.1.col. 100. confirmat idem quod aliàs ex Athanasio docuimus *Omnia*(inquit)*quæ in Christo, vt in homine sunt,in nos quoque redundant* Sic ille:Idque inde concludit,quia Christus vt homo,& vnctus,& exaltatus & sanctificatus fuit,propter nos:vt illius sanctitas,vnctio,gloria & exaltatio,nobis communicaretur,iuxta illud Christi, *Ego sanctifico meipsum,vt & ipsi sint sanctificati.*

Assumo:Atqui essentiales Dei proprietates , nobis non communicabuntur. Ergo neque etiam in humana Christi natura insunt realiter communicatæ.

Ex iis paucis locis , quiuis iudicare facile potest,quid de testimoniis,quæ aduersarij ex Cyrillo adducunt pro reali communicatione,sentiendum sit.

Nunc igitur illa percurramus,ne videamur velle eludere : imo vt dilucidius appareat quæ sint istorum hominum præstigiæ:atque etiam ne suos labores à nobis contemni existiment.

Ex Dial.6.quatuor citant testimonia, quæ omnia à proposita quæstione alienissima sunt.

In primo testimonio bis peccant : primùm, quia non integrum citant , quod maximè oportebat , vt mens Cyrilli intelligeretur. Deinde quia neque sensus Cyrilli, neque quem illi affingunt aduersarij,ad quæstionem nostram pertinent.

Locus iste est col.356.Primum docet Cyrillus ne carnem quidē Christi,secundum quod caro dicitur, viuificare posse,sed solam diuinitatis naturā: ex quo concludit Cyrillus,

Christum esse Deum,cum ei detur in S.literis virtus viuificandi.Hoc tacuerunt aduersarij, quia ad rē suam non faciebat.

Deinde subiecit Cyrillus: *Itaque glorificatur quidem à patre,non quod gloria indigeat,cum extra carnem, & Deus ex Deo intelligatur.Sed quoniam erat homo, quasi propria naturæ fructum, non habens potentiam operandi efficaciter diuinè,accipit quodammodo illam (scilicet gloriam) per vnionem & ineffabilem concursum, qui intelligitur Dei esse verbi cum humanitate*.Sensus est,Christum quà homo est, accepisse illam gloriam(resurrectionis,quam petierat)à patre, cum ipsum corpus non haberet hanc potentiam, se resuscitandi & glorificandi.

Aduersarij verò ita,demtis quibusdam verbis, recitant hoc testimonium,quasi corpus,cum ex se & per se non haberet potentiam, eam propter vnionem à Deitate acceperit: Id quod bifariam intelligi potest,aut realiter,aut per communicationem idiomatum. Si realiter accepisse diuinam potentiam intelligas: pugnant hæc verba Cyrilli ex diametro cum illis, quæ supra ex lib.in Ioh. 9.c.41. recitauimus.Si autem per communicationem idiomatum: hic locus nil facit ad rem.

Imò,si rectè locum examines,reuera euertit realem communicationem.Nam apertè scribit Cyrillus, *Christum,quà homo erat,non habuisse potentiam operandi efficaciter diuinè:ac proinde gloriam illam,quasi propriæ naturæ (diuinæ) fructum, quodammodo per vnionem accepisse,&c.*

Alterum testimonium est in col. 357. *Curuatur ei omne genu,&c.* At Cyrillus,*hæc dari Christo secundum humanitatem: Datamque ei potentiam, qui regnaturus erat supra nos.*

R. Quatenus homo est:semper aio, datam ei realiter potentiam creatitiam & finitam,& nego cum Cyrillo ipso, eum suscepisse realiter potentiam Dei infinitam.

Tertium,habes col.359.Sed nihil concludit,nisi quòd soli humanę naturę,non autem verbo conuenit aduentitia gloria,atque imperium:& ita dicitur non verbum sed Iesus factus esse dominus & Christus.

Quartum inuenies col.360. Idem, quod in superiori concluditur.Sed ibidem subiicitur quiddam,quo tota penitus profligatur realis communicatio. Ait enim, *Non permittet* (Deus)*vllis rebus aliis,quam sibi,iuxta substantialem dignitatem,verę Deitatis sublimitatibus sublimari,&c.*Hæc quatuor testimonia citantur ex Dialogo.

Ex Thesaur.citantur 8.testim.1.Ex lib.3.c.1.*Ferrum cum ignitum fuerit & ignis participatione dicitur.* Hæc pauca citant aduersarij:quasi concludi possit ex hoc simili:Carnem Christi propter vnionem, factam esse realiter participem omnium essentialium Dei proprietatum:Sed aliud sibi voluit Cyrillus:Legatur columna 88.

Concludere volebat,τὸ λόγον vnum esse cum patre natura, non gratia & participatione,sicut nos.Itaque sic scribit.

Ineffabiliter igitur ipse ex patre est,& naturaliter vnum cum ipso:non sicut nos gratia & participatione, Veluti ferrum cùm ignitum fuerit, & ignis participatione dicitur.Non enim omnia quæ similia sunt alicui,vnum cum ipso sunt secūdum naturam. Hæc ille:quæ porrò egregiè explicat,vt nihil ad pręsentem quæstionem pertineant. Non enim attulit simile ferri propter carnem Christi de qua ibi nihil: sed propter nos: quod scilicet participatione tantùm simus vnum cum Deo, sicut & ferrum ignis est.

Ex quibus hæc liquent:primùm; Ferrum ignitum non esse propriè ignem;sed tantùm participatione: quòd scilicet qualitates quædam ignis in eo sint impressæ: ideò non ait,ferrum ignitum esse ignem, sed dici ignem: Deinde liquidò apparet, quid sit,esse participatione aliquid, vel tale: nempe, non quod essentia alicuius rei participetur realiter ab altera (tunc enim esset talis & ea res per naturam) sed quòd effecta quædam communicata habeat: vt liquet in ferro candenti: idem liquet ex eo, quod nos quoque à Petro dicimur esse participes diuinæ naturæ: quo enim sensu dicimur participes esse diuinæ naturæ? Num quòd essentia Dei nobis realiter communicetur? minimè gentium: sed tantùm propter effecta, quòd scilicet nos regeniti simus ad diuinæ naturæ imaginem. Et sic Cyrillus in Iohan. libr. 1. cap. 6. explicat,dicens: *Verbum Dei,& per naturam vita, participatione sui, viuere omnibus præbet.*

Ergo hinc,explicante Cyrillo,manifestum fit,cùm diuina etiam natura comparatur igni,& humana ferro:non sequi ex hac vnione,essentiales Dei proprietates in humanā naturam realiter esse communicatas, sed tantùm illarum proprietatum effecta creatitia.

Non potest melius hoc intelligi, quàm, si totum illud caput Cyrilli in Thesauro legatur.

Hoc ergo simile ferri, non fauet, sed aduersatur reali communicationi.

2. Ex lib.4.ca.2.ad calcem,citatur hoc dictum: *Filius,qui secundum naturam vita est, accipere vitam à patre dicitur, non in quantum verbum,sed in quantum homo factus est.* Addit enim:*quia filius hominis est.Ita tota Trinitas vitam filio vt homini,præstat.*Hæc Cyrillus.

R. Quasi verò hinc sequatur, humanam Christi naturam,eadem vita viuere, qua Deus. Deus viuit per suam essentiam:Humana autem natura, per donum vitæ creatitium:id quod est viuere participatione vitæ Dei, vt paulò antè explicauimus ex Cyrillo,in Iohan.lib.1.c.6. Proinde etiam hic ait: *Tota Trinitas filio vt homini,vitam præstat.* Quam vitam? non ait, suam vitam,quæ nihil aliud est, quàm οὐσία Dei;sed vitam simpliciter,quæ scilicet conuenit rei creatæ.

Sed cur,quæ in eodem cap. col.70. non protulerunt aduersarij?

Quæ diuersa necessariò sunt(inquit Cyrillus)*eandem habere operationem non possunt.*

Hoc explicat in rebus creatis: quia diuersæ sunt naturæ,ignis & aqua: ideò eandem operationem habere non possunt.

Hinc probat,filium esse vitam naturaliter, sicut & pater vita est naturaliter;quid ita? Quia vna est eademque viuificandi actio in filio,quæ & in patre. Annon verò humana natura diuersa est à diuina? quomodo igitur eandem vitam,eandemque actionem habere poterit humana, quam & diuina?

Sed hæc verba Cyrilli omiserunt aduersarij, fortassis, quia non fauebant suæ caussæ.

3. Quod citant ex lib.8.cap.1.quo pertineat,nescio.Quid enim ad rem quod humanæ fuerit naturæ, vt exaltaretur, quia ea etiam fuerat humiliata?

Sed quod sequitur in eodem cap.col.100.maximè ad rem faciebat: Vbi ait Cyrillus, *quæcunque Christus accepit vt homo,ea omnia illum accepisse: vt in nos redundent*,hoc est, nobis realiter communicentur. Atqui essentiales Dei proprietates,nobis non communicantur. Ergo nec ipse vt homo,eas accepit.

Hæc antea etiam tradiderat Athanasius.

4. Eiusdem farinæ est, quod ex eodem libro & capit. subdunt, Concludunt autem in summa, Christum non esse exaltatum vt Deum,sed vt hominem. Sed quid hoc ad rem?

5. Neque aliud sibi vult,quod sequitur ex libr.9.cap.3. quàm quod in potestatem dominandi ascendit Christus vt homo,non vt Deus.

Imo diligenter obseruandum est, quod exponens illud ex Actis,*Dominum illum fecit & Christum*, duplicem affert interpretationem illius verbi FECIT.

Primò,pro,induxit ad Dominum: 2. pro, declarauit,& ostendit eum esse dominum ac Christum, iuxta illud Act.2.*Iesum Nazarenum virum declaratum à Deo,signis,&c.* Ista certè duplex interpretatio, realem essentialis maiestatis Dei in hominem assumtum communicationem penitus tollit.

6. *Ex lib.10.cap.2.*citantur hæc verba,*Petit igitur accipitque à patre,quę naturaliter habet,vt Deus,&c.*

R. Non sic intelligitur, quasi proprietates essentiales, quas habet Christus, vt Deus, realiter accipiat vt homo, sed quod earum similia effecta petat & accipiat. Hoc est enim accipere participatione, vt supra explicatum est ex ipso Cyrillo. Sed quomodo hęc habet vt Deus, cùm sint res creatitiæ? Quia habet hæc Deus in se,vt in sua caussa. Exemplum:Homo,qui calefit ab igne, dicitur accipere calorem, quem in se naturaliter habet ignis.

Quis tamen nesciat hunc communicatum calorem non esse illum ipsum,quem habet ignis,sed eius effectum?

Quod si contendas, dictūm Cyrilli de essentialibus proprietatibus esse intelligendum:dicam,Christum,vt hominem,eas accepisse:sed per gratiam vnionis, non autem realiter.

Sic 7. explicandum est,quod sequitur, ex libr.10.cap.9. eiusdem Thesauri:vbi locum Iohan.17. *Glorifica me, pater &c.*explicat.

Aduersarij hæc pauca verba recitant. GLORIFICA ME EA GLORIA,&c. Non sibi λόγος à patre gloriam petebat, qua, sicuti natura Deus,non indigebat: sed paternam gloriam in hominem,quem assumsit,petendo,vt homo traducit.

R. Quasi verò essentialem Dei gloriam, in humanam naturam realiter traduxerit, seu communicatam accepit,

petit. Non hic fuit sensus Cyrilli: Sed fuit, vt gloriam humanæ naturæ conuenientem, & quæ ab essentiali gloria Dei fluit (vt etiam supra ex Hilario vidimus) sibi, vt homini, pater communicaret. Hæc autem fuit gloria resurrectionis, ascensionis, sessionis ad dextram.

Hoc indeliquet: quia quam petiit gloriam, petiit, vt eam in sua etiam membra, hoc est, in omnes fideles deriuaret, sicut ibi explicat Cyrillus, verbis ante citatis, subdens: *Omnia enim in ipso & per ipsum bona consecuti sumus.*

Hæc Cyrillus. Quæ verba cur omiserint aduersarij, viderint ipsi. Quis tum ex præcedentibus, tum ex iis quatuor verbis non videat, Christum petiisse sibi capiti & nobis membris gloriam creatitiam resurrectionis, & æternę vitę, non autem essentialem Deitatis, realiter communicari? Hæc enim nulli creaturæ communicari potest. *At, inquit, Quam habui antequam mundus fieret.*

Resp. Hanc gloriam creatitiam habuit & ipse, vt homo, & nos, antequam mundus fieret, in prædestinatione, vt exponit Augustinus.

Sed alteram quoque interpretationem subdit Cyrillus, quæ prætereunda non est: præsertim, cum eam magis probare videatur.

Hæc autem sunt Cyrilli verba. *Sed non est ab re, cum hoc, & potestatem etiam Verbi (δόξασον, quo vsus est Christus) considerare. δόξα enim Græcè modò gloriam, modò opinionem significat. Quomodo igitur Filius dicit, δόξασον me tu Pater ea δόξῃ, quam habebam antequam mundus esset: hoc apertè dicit; Quoniam ô Pater, homo factus, id solum esse hominibus videor, nec cognitus sum coæternus tibi esse: δόξασον me tu, id est, talem opinionem atque fidem hominibus de me largiaris, qualem haberent, credẽtes me apud te semper fuisse, etiam antequam mundus esset, vt videlicet me Deum existiment, credántque esse secundum naturam, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero.* Sic Cyrillus.

Quod autem hic locus ita intelligendus sit, è sequentibus fit manifestum. Legantur reliqua.

Siue priorem, siue posteriorem sequamur interpretationem: verba Cyrilli minimè fauent vbiquitariis. Et duæ lineæ, quæ omnino cum præcedentibus erant coniungendæ, suppressæ ab aduersariis, locum reddunt obscuriorem, vt suprà ostensum est.

8. Illud verò vehementer admiratus sum, quod ex lib. 12. eiusdem Thesauri, cap. 11. referuntur. Est autem talis locus. *Conditio quædam atque proprietas, vel (si ita vis) dignitas, alia creaturę, alia creatori necessario inest: creatura serua est, creator dominus. Sed creatura quoque domino suo coniuncta, à propria conditione liberatur, & in meliorem traducitur.* Sic Cyrillus.

Hæc omnia sunt perspicua, modò de essentialibus creaturæ proprietatibus non intelligas, quod ait, *creaturam à propria conditione liberari, si Deo iungatur.* Ab iis enim nulla res liberatur, nisi desinat esse talis res.

Hæc autem eò spectabant, vt explicaret Cyrillus, qui fiat quod qui per fidem iunguntur Christo, ij ex seruis peccati, ad talem conditionem & dignitatem eueh antur, vt fiant filij Dei, iuxta illud Ioh. 1. *Et potestatem dedit eis, &c.*

Subdit Cyrillus: *Ita natura nostra à filio Dei assumta, mensuram suam excessit, & in conditionem assumentis eam, per gratiam translata est.*

Hactenus ex Cyrillo aduersarij. Quasi verò concludatur, humanam naturam ad proprietates τοῦ λόγου essentiales realiter in se habendas, propter vnionem, fuisse translatam, cùm de iis minimè loquatur Cyrillus. Sed hæc est conditio assumentis, ad quam translata est humana natura: nimirum, quòd sicut nos, quia per fidem coniungimur Dei filio per naturam, simus filij Dei per gratiam: sic humana natura in Christo, quia in vnitatem personæ assumta est à filio Dei, ideo etiam ipsa filius Dei per naturam appellatur. Hoc enim voluit demonstrare Cyrillus. *Iste Iesus Christus dat aliis in se credentibus, vt sint filij Dei per gratiam. Ergo ipse, filius Dei est per naturam.* Subiecit enim hęc verba Cyrillus. *Quare, qui dedit potestatem hominibus, filios Dei per gratiam fieri: non potest ipse filius Dei per gratiam esse: necessariò igitur per naturam.* Sic ille. Nullo enim modo dici potest, quod Christus, qua homo est, filius Dei sit per gratiam, sicut nos: Sed totus filius Dei est per naturam: quatenus λόγος, propter primam & æternam ex substantia patris generationem: qua homo autem propter temporalem ex matre natiuitatem: dicente angelo ad Mariam; *ideóque & quod nascetur ex te sanctum, filius altissimi vocabitur,* per naturam scilicet totus, cum vna tantum sit persona, vnusque filius, non plures. Quorsum igitur hæc dicta patrum, tam perspicua, tam clara, torquentur tam turpiter ad eos sensus, de quibus illi patres nunquam cogitarunt?

Ac de locis ex Thesauro citatis hactenus.

Plura etiam adducuntur ex comment. in Euangel. Iohannis.

1. Ex lib. 1. c. 15. Quia mutilatum citatur ab aduersariis non explicato aut indicato vero sensu: ego fideliter sensum referam.

Cum nomine carnis in dicto Ioh. 1. Verbum caro factum est, totus homo intelligatur: quæritur, cur maluerit Ioh. dicere, Verbum caro factum est: quam, verbum homo factum est?

Summa responsionis est. Quia illud Gen. *Terra es & in terram reuerteris, ad solam carnem pertinebat, anima interim manente immortali: per verbum autem incarnatum, illa etiam maledictio tollenda erat, initio facto, in & à carne assumta: ideò dixisse, Verbum caro factum est: q. d. ideo factum est caro, vt caro, eius facta caro, qui verè immortalis est (nota verè) immortalitate illius participaret.*

At de ea vita loquebatur Cyrillus, quæ à verbo in carnem Christi, & à carne Christi in carnem omnium hominum erat deriuanda. Certum autem est, vitam Dei essentialem non esse in nostra corpora deriuandam: sed tantum eius effectum. Et ideo vsus est voce: *Participaret, dicens: Verbum caro factum est, vt cùm caro eius fieret, quæ verè immortalitate eius participaret.*

Et statim subdit hoc simile, dicens: *Indecens enim omnino esset, si ignis quidem qualitatem suam coniunctæ sibi materia immittere possit, ac eo modo in se materiam transmutare: Verbum autem Dei proprium sibi naturaléque bonum, id est vitam, coniunctæ sibi carni non posset infundere.* Hæc Cyrillus. Infundere, intellige per participationem (vt ante dixit) & per effecta illius vitæ, quæ in verbo est essentialis, atque adeò ipsius essentia. Ideo mox vocat carnem ex vnione verbi viuificatam, per quam omnium caro esset viuificanda ac reparanda, dicens: *Hac igitur maximè de caussa, scriptum esse ab Euangelista arbitror: Et verbum caro factum est: quod ex parte (naturę assumtæ) maximè corrupta, & vnione verbi viuificata, totius (naturæ, generisque humani) reparationem significare voluerit.* Hæc Cyrillus.

Quid obsecro hęc ad realem communicationem idiomatum diuinæ naturæ in humanam?

Explicatio hæc ad alia quoque similia dicta, quæ in Cyrillo sæpe occurrunt, de vita à verbo in carnem Christi deriuata, & inde in nos deriuanda, rectè intelligenda, nobis seruiet.

2. Sic igitur explicandum est, quod subdunt aduersarij ex lib. 2. c. 144. datam esse vitam & potestatem iudicium faciendi filio, quatenus filius hominis est.

3. Sic quod ex lib. 3. c. 37. *Viuificat corpus Christi (vt organum verbi viuifici) & ad incorruptionem sui participatione reducit.*

Hunc esse sensum, liquet ex sequentibus, quæ aduersarij prætermiserunt.

Non enim alterius (inquit Cyrillus) cuiusdam, sed ipsius vitæ corpus est: virtutem incarnati verbi retinens, & plenum potestate illius, qua vniuersa & viuunt & sunt.

4. Sic intelligitur, quod etiam subdunt ex lib. 4. c. 14. quem locum, quia truncatum citarunt aduersarij, & insignis tamen est: ego integrum reponam.

Explicans illa verba Cyrillus Ioh. 6. *Nisi manducaueritis meam carnem, &c.* præter alia hæc etiam scribit: *Non possunt cum sanctificatione beatæ vitæ fieri participes, qui per mysticam benedictionem, Iesum non susceperunt. Vita enim secundum naturam ille est, qui ex viuo patre genitus est: sed non minus corpus quoque suum (pro ipsius)* viuificat (nimirum nos) *Coniunctum enim ineffabiliter est filio Dei; à quo vniuersa viuificantur. Idcirco corpus suum dicitur & vnus cum eo est: nempe post incarnationem vnus est, & vnus manet absque diuisione vlla, &c.* Et mox.

Quoniam igitur saluatoris caro, verbo Dei, quod naturaliter vita est, cõiuncta, viuifica effecta est: quando eã comedimus, tunc vitã habemus in nobis illi coniuncti, quę vita effecta est. Hac de caussa in exsuscitandis mortuis, non solummodo verbo atque imperio, vt Deus, vtebatur: verumetiam carnem suam quasi cooperatricem nonnunquam adhibebat. Vt reipsa ostenderet carnem quoque suam, quoniam sibi coniuncta est, viuificam esse: atque fideles doceret, suum, non alterius esse corpus.

Quis hic non videat, quàm diuersè & λόγος & caro eius viuificent? Ille vt caussa efficiens: hæc, vt eius inseparabile organum. Et post recitata quædam exempla ex Euangelistis de efficacitate carnis Christi, vt organi Deitatis, subdit Cyrillus.

Quod si solo tactu suo corrupta redintegrantur (vt in paralytico) quomodo non viuemus, qui carnem illam & gustamus & manducamus? reformabit enim omnino ad immortalitatem

suam, participes sui. Nec velis Iudaicè, QVOMODO? *quærere: sed recordare, quamuis naturaliter aqua frigidior sit, aduentu tamen ignis frigiditatis sua oblita, æstuat. Hoc sanè modo etiam nos, quamuis propter naturam carnis corruptibiles simus: participatione tamen vitæ, ab imbecillitate nostra reuocati ad proprietatem illius, ad vitam restauramur.*

Hæc omnia Cyrilli sunt: ex quibus etiam liquidò apparet, longè diuersam esse vitam, quæ in Deo est, & quæ omnia viuificat, ab ea, qua caro Christi primùm, & deinde etiam fidelium viuificata viuit.

5. Nec dissimili modo exponendus est locus, quem citant Aduersarij ex eiusdem li. 4. in Ioh. c. 15. Dat carni Christi vim viuificandi: idque quia verbum, quod naturaliter est vita, in se habet: ac proinde, qui carnem Christi edit, hunc viuificari ad vitam æternam. Simili confirmat:

Si quis (inquit) *scintillam ignis in fœno aut palea occultauerit, totum inde ignitum necessariò fiet. Sic verbum Dei* (ὁ λόγος) *tanquam scintilla in naturam nostram immissum, totam inde inflammauit, atq; ad vitam interitu penitus destructo* (id omiserunt aduersarij) *reduxit.*

Sed quid hæc ad quæstionem? Cur verò non consideramus potius, & examinandum proponimus, quod ibi habet Cyrillus: nempe. *Nec verbum Dei in naturàm carnis mutatum, nec hominem in naturam verbi transformatum esse.*

Annon verò homo assumtus in naturam verbi transformatur, si in essentiales verbi proprietates, realiter in se habendas, possidendas, vsurpandas transferatur?

6. Nihil diuersi continet, quod sequitur ex eiusdem libri c. 18. de eadem carne Christi viuifica.

7. Idem planè traditur in cap. 22. Vbi ex eo, quod præter naturam humani corporis, ascendit in cœlum instar volucris, probat non esse absurdum, quòd etiam præter eandem naturam, corpus tale viuificet. Sed de hoc non disputatur. Illud verò facit ad quæstionem, quòd quicquid dicitur de carne viuifica, eò refertur à Cyrillo, vt contra Nestorium ostendat, vnum tantùm esse Christum, non duos: hunc verò significari, modò vnius naturæ nomine, modò alterius: Et sic etiam vim viuificandi modò spiritui, modò carni attribui, quòd vnus sit Christus, spiritu per carnem viuificans.

8. Clarissimè verò id explicatur testimonio, quod affertur ex c. 24. eiusdem libri 4. in Ioh. *Quod enim caro viuificare dicitur: id per gratiam vnionis dici asserit.*

Natura carnis (inquit) *ipsa per se viuificare non potest: quid enim maius natura Deitatis haberet? Nec sola in Christo esse intelligitur, sed habet filium Dei sibi coniunctum, qui substantialiter vita est. Quando igitur viuificam Christus ipsam appellat: non ita illi, vt sibi siue proprio spiritui, vim viuificandi attribuit. Nam propter seipsum spiritus viuificat: ad cuius virtutem per coniunctionem caro conscendit. Quomodo autem id fiat, nec mente, nec lingua dicere possumus sed firma fide id suscipimus.* Hæc Cyrillus.

Hac igitur ratione caro dicitur viuificare, non quòd in se vim insitam & realiter communicatam viuificandi habeat: sed quia vnita est verbo viuificanti: & quia per illam, tanquam per organum sibi in vnitatem personæ coniunctum, λόγος ipse, eiusque spiritus viuificat.

9. Nihil diuersi habet locus ex lib. 10. c. 13.

10. Lib. 11. c. 15. nil aliud docet Cyrillus, quàm, quæ accepit Christus in tempore, ea illum accepisse vt hominem.

11. Eodem pertinent, quæ citantur ex eiusdem libri 11. c. 11. de gloria, quàm petiit Iohannis 17. Propter humanitatem enim petiisse.

12. Quæ verò ex libro 12. capite 53. & 57. citantur: de ingressu ad discipulos per clausa ostia, sunt: ingressum illum factum esse, non corporis sed Deitatis virtute. Qua de re sæpius dictum est, his patrum autoritatibus euerti penitus realem idiomatum communicationem.

Obseruent autem Vbiquitarij, & quicunque corpus Christi realiter in pane existere, sed inuisibile, & instar spiritus volunt: quid Cyrillus ad calcem c. 57. libri iam citati duodecimi, scriptum reliquerit. *Discimus ergo* (inquit) *ex hac Thomæ dubitatione resurrectionis mysterium in hoc corpore nostro peragendum, & in Christo primò iam peractum fuisse. Non enim apparitio quædam erat falsa, nec vmbra ad humanam confecta figuram, vt nonnulli dicunt. Nec spirituale quoddam corpus, id est, tenue & aëreum, & aliud præter carnem, vt multi spirituale corpus intelligi contendunt, &c.* Hæc ille. Corpora certè nostra non erunt tam parua aut tam subtilia, vt sub vno panis frustulo latere possint: multò minus tam ampla & spiritualia, vt vbique sint futura, nec tamen videri queant.

Si igitur Christi corpus à mortuis excitatum, exemplum est nostrorum à mortuis excitandorum: absimile nostris non esse, eòque & finitum, & visibile, & palpabile esse, necesse est.

Hæc sunt, quæ ex commentariis in Ioh. attulerunt aduersarij. His non contenti, alia subiecerunt, ex aliis libris eiusdem Cyrilli.

Igitur ex lib. de recta fide ad Theodosium, quatuor adducunt testimonia, quorum nullum rectè intelligi potest, nisi ad fontem ipsum veniatur, ac qua de re agat Cyrillus, videatur. 1. habetur pag. 265. Agebat ibi contra Apollinarem, qui negabat sumtam fuisse a λόγῳ animam rationalem. Cyrillus demonstrat, tum testimoniis S. literarum, tum rationibus, sumtam fuisse etiam mentem humanam. Præcipua ratio est; quia oportuit à λόγῳ in sua persona, non solum corpus seruari à corruptione & morte, verùm etiam animam à peccato, & à propensione ad peccandum. Quomodo hoc fecit Christus? *corpori vitam suam* (*vt explicat Cyrillus*) *animæ suam sanctam & in bono stabilem naturam, in vnitione communicando: & deinde ab illis in nostra corpora atque animas, eadem deriuando: Vt sicut nati ex Adamo, portauimus imaginem terreni hominis, peccatum scilicet & mortem: sic insiti Christo portaremus imaginem cœlestis, quę in sanctificatione ad iustitiam sempiternam, & in renouatione corporis ad immortalem vitam consistit.*

Concludens ergo Cyrillus contra Apollinarem, hæc verba intulit, quæ non integra recitantur ab Aduersariis. *Igitur* (*inquit Cyrillus*) *nónne manifestissimum est & nulli obscurum*, quod vnigenitus factus est nobis similis, hoc est, perfectus homo (prima caussa,) Vt terrenum hoc corpus liberaret à subintroducta corruptione: (quomodo?) immittens illi suam vitam, ipsa per vnionem dispensatione: (secunda caussa.) Et animam propriam, quæ humana faciens, peccato superiorem declararet suam solidam & immutabilem naturam, quasi vellus, quod tingitur, colore induens.

Sic habet ad verbum latinus codex. Etsi verba sunt vtcunque intricata, sensus tamen est perspicuus, vt supra ostendimus: & vt ipse Cyrillus explicat, dicens. *Porrò quemadmodum, inquit, quia* (*caro*) *facta est caro viuificantis omnia verbi, quod mortis & corruptionis imperium dimat* (quasi dicat, ideo facta est incorruptibilis & immortalis) *Eodem opinor modo, quia* (*anima*) *facta est animæ eius qui delinquere nescit: fundatum habet in omnibus bonis immutabilem statum, & incomparabiliter fortior peccato, quod olim contra nos tyrannidem exercebat.* Hæc Cyrillus.

Si legantur, quæ sequuntur, nihil certius esse, quisque iudicabit, quàm eum esse sensum, quem initio explicaui. Quid autem hic est pro reali idiomatum communicatione?

At dices: *Vt liberaret* (ait Cyrillus) *corpus à corruptione, suam illi immisit vitam Christus.*

Sed quam suam vitam? Num essentialem, quæ Deus est? Non potest probari. Est enim metonymia. Vel si hanc: quomodo immisit; num realiter? Sed tum corpus esset realissimè Deus: immisit ergo per participationem ac per effecta. Idem enim de anima concluditur: quod sit facta superior peccato & peccati nescia: sed quomodo? Non per realem & essentialem Dei sanctitatem, sed per creatitiam. Quæ enim Christo homini communicata est sanctitas & vita: easdem nobis communicat & communicabit: iuxta regulam Athanasij & Cyrilli. Atqui nos non facit iustos, iustitia Dei essentiali, vt Osiander docebat: Neque nostra corpora efficiet incorruptibilia, sua essentiali incorruptibilitate, sed creatitia, illius essentialis effecto. Nihil igitur hic locus ad realem idiomatum communicationem. Adde, quòd eam communicationem Cyrillus ipse, in eadem pag. manifestè euertit. Ait enim: Christum dispensationis mysterium, per animam & per corpus operatum fuisse: quomodo? Carne tanquam organo suo, ad carnis opera illa, quæ reprehensione carent: anima autem ad humanas & inculpatas affectiones, vtendo. Non dicit, *ad diuinas*: sed tantùm ad humanas actiones & affectiones, λόγον vsum fuisse sua & anima & carne. In neutra ergo hominis parte realiter communicatæ sunt proprietates λόγου essentiales.

2. Locus est col. 266. Ait Animam Christi descendisse ad inferos, & vsam diuina virtute ac potestate, dixisse compediris: Egredimini, &c.

Resp. Quasi verò, quia vsa est diuina potestate, ideo infinitã & essentialem Dei potestatem, realiter sibi communicatam

nicatam

nicatam habuerit. Annon diuina erat potestas illa, qua Petrus prostrauit Ananiam & Saphiram; qua rursus claudum erexit? Potestatē habet anima Christi supra omnes res creatas, quia omnia subiecta sunt pedibus eius. Neque etiam absurdum est, quod inferior vtatur superioris auxilio, quod tamen realiter sibi communicatum non habet, sed precariò vtitur.

3. Locus est col. 277. Nil aliud autem docet Cyrillus, idque contra Nestorium, *Nisi quòd ipsa etiam caro cui vnitum est verbum, viuificare potest.*. Sed quomodo? Præter modum illum, de quo sæpe dictū est, alium etiam ibi explicat Cyrillus. Ibi enim agit de communicatione idiomatum: *ac docet proprium verbi esse viuificare non carnis: sicut etiam esse à cœlo, non carnis sed verbi est: Interim tamen propter vnionem dari carni, quod viuificet, & quod sit de cœlo: Sicut contra verbo propter eandem vnionem, quod sit è terra & ex muliere natum.* Toto illo contextu pulcherrimè explicat doctrinam de communicatione idiomatum verbali. Ita duobus modis caro Christi dicitur viuifica: *Vno*, quia organum est, per quod nos viuificat λόγος, *Altero*, quia quod verbi est, attribuitur etiam carni, propter vnionem: de quo modo, ibi ad Theodosium agit Cyrillus. Vnio enim efficit, vt quæ carnis sunt, attribuantur verbo: & quæ verbi, ipsi carni.

Esse primogenitum inter multos fratres, non conuenit Christo reapse, nisi secundum humanam naturam: & esse vnigenitum, non congruit nisi secundum diuinā. Cyrillus tamen ostendit è scripturis, & verbum vocari primogenitum, propter scilicet humanam naturam assumptam: & cōtra hominem nominari vnigenitum Dei filium, propter λόγον cuius personæ vnitatem assumptus est.

Ac de carne, quod propter vnionem dicatur viuifica, sic scribit col. 277.

Annon & otiosam confitebimur fuisse terrenam carnem ad hoc, vt possit viuificare, quatenus pertinet ad propriam naturam? Quomodo igitur, dic oro viuificat caro? vel quomodo intelligitur & ex cœlo esse, quod de terra est? secundum vnionem scilicet cum viuente & cœlesti verbo. Hæc Cyrillus:

Nihil est clarius hoc loco, in carne Christi non esse realiter insitam illam viuificandi vim, quæ essentialiter in λόγῳ est.

Teneamus igitur hunc etiam modum, quo caro Christi dicitur viuifica, nempe propter vnionem cum viuificante verbo: sicut cōtra verbum dicitur mortuum, propter vnionem cum carne, quæ mortua est.

4. Locus habetur pag. 282. ferè ad finem libri. Hæc pauca verba citant aduersarij. Non absque carne, sed potius cum ipsa & in ipsa, dominationis suscepit gloriam, qui lege carnis & natura nobis similis, mortuus est & resurrexit. Sic Cyrillus. Sed quid hoc ad rem? Cyrillus continuans doctrinam de communicatione idiomatum: Quē (inquit) dicimus, quòd subierit quidē mortem & resurrexerit? nōne filium? Vtique filium omnes consentiunt. Quid igitur dicemus? num verbum patris mortuum est? an verò morte superius & vita?

Respondet in summa Cyrillus: *Et mortuum dici secundū scripturas & non mortuum: non mortuum, secundum seipsum: mortuum autem, secundum carnem. Mortua enim eius carne, ipsum verbum hoc dicitur passum esse.*

Mox idē de potestate ei data post resurrectionem, subdit, dicens. *Proinde non absque carne, sed potius cum ipsa, & in ipsa dominationis suscepit gloriam: q. dicat.* Sicut passum est nō in seipso, sed in carne: sic etiam suscepit dominationis gloriam non in seipso (eam enim semper habuit vt verbum) sed in carne & cum carne. Nā humana est passio (inquit) mori: diuinum autem opus, reuiuiscere: *vt per ambo significetur nobis similis, ac super nos, vt Deus: & vniuersorum factus videatur dominus, qui & ante carnem regnabat cum patre suo.* Hæc Cyrillus.

Notanda igitur hic duplex in Christo potestas, gloria ac dominatio, vna æterna, ac infinita, æqualis gloriæ ac potestatis patri: altera finita, temporalis, ac creatitia. Priore Christus, quà λόγος semper regnauit cum patre: altera, quatenus homo, iam regnat supra omnes creaturas, inferior patre, ac seipso. Hæc ex libro ad Theod.

Ex lib. 1. ad Reginas duo citant testimonia: quæ nihil aliud continent, nisi quod Christus sit verus Deus verúsque & perfectus homo, vna persona, vnáque hypostasis. Quod autem proferunt ex lib. 2. & habetur col. 365. hoc tantum habet. *Quod Christus dicitur accepisse gloriam, potestatem, ac regnum super omnia: hoc* ACCEPISSE *ad conditiones humanitatis esse referendum.*

Resp. Sed totum illud caput, cui titulus est: De eo, quòd dominus noster Iesus Christus dicitur gloriam accepisse: diligenter est examinandum. Summa hæc est. *Dominus Iesus, quà Deus, non opus habebat vlla externa & aduentitia gloria, neque potestate & dominatione. Ratio est: quia dominus erat gloriæ, quam semper habuit cum patre vnam & eandem, vnamque & eandem potestatem & dominationem: acceptam tamen à patre in æterna generatione. Cùm ergo, vt Deus, hanc semper essentialem & sibi ingenitam gloriam ac potestatem habuerit. non opus erat externa & aduentitia, seu* (vt Athanasius loquitur) creatitia gloria. Et hoc est, quod post verba supra citata subdit Cyrillus dicens. *Sciendum autem, quod & gloriæ est dominus (Christus) vt Deus, & eiusdem cum patre Throni: & nullo modo minor, quàm is, qui genuit, excellentia & gloria. quantum attinet ad diuinitatis naturam.* Hæc Cyrillus col. 365.

Et nota, quod dixit, *Vt Deus*: Item, *quantum ad diuinitatis naturam*: quid ita? Docet enim quantum ad humanam attinet naturam, hanc gloriam realiter communicatam non habere. Id quod confirmatur ex ratione Cyrilli: quæ est hæc ratio? *Quia si hanc essentialem realiter communicatam accepisset, vt homo: externa & aduentitia non opus habuisset: sicut nec, quà Deus, opus habuit, eandem ob caussam.*

Hinc quæritur: *Si igitur, quà Deus, non opus habuit gloria externa & aduentitia: quomodo dicitur à patre postmodum gloriam & potestatem accepisse?*

Respondet Cyrillus. *Hoc* ACCEPISSE *ad conditiones humanitatis referendum esse: & ante dixerat, hoc dispensatiuè, seu* κατ' οἰκονομίαν *dictum esse.* Christus igitur secundum humanam naturam, accepit à patre, eóque & à seipso Deo hanc gloriam & potestatem: idque bifariam: sicut etiam duplex est gloria & potestas: vna æterna atque essentialis: altera temporaria atque aduentitia.

Ad *primam* quod attinet: Christus vt homo, eam accepit per gratiam vnionis, seu per communicationem idiomatum: eam enim habuit & habet non suæ humanitati realiter communicatam, sed in ipsa Deitate, adeóque in ipsa persona realiter existentem. Hic modus accipiendi, inde confirmatur, quia etiam idem Deus λόγος, dicitur ab Apostolo, cum diues esset, factus esse pauper, vt nos diuites essemus. Quomodo factus est pauper? num quòd suas deseruerit diuitias? nequaquam: num quòd nostram paupertatem, cum suis diuitiis in Deitate realiter miscuerit? minimè gentium. *Sed quòd conditionem nostræ paupertatis* (vt loquitur Cyrillus) *in se, h. e. in suam personam receperit. Quia enim nostram carnem, carnem suam, carnémque Dei esse fecit: ideo etiam carnis paupertatem Dei paupertatem dici, ac esse voluit: ita, vt qui erat & est diues in vna, factus fuerit pauper in altera natura.*

Eodem igitur modo, caro quoque, quæ pauper: quæ infirma, quæ serua erat in sese, assumta in vnitatem personæ à verbo Deo, facta est in eo personaliter ditissima, & omnem potestatem atque potentiam, & dominationem accepit.

Atque hic est modus ille accipiendi, de quo ad Reginas loco ante citato, loquitur Cyrillus: & quem patres vocare solent communicationem idiomatum, & ἀλλοίωσιν τῶν ὀνομάτων.

Ex hoc *alter* sequitur modus: quo scilicet Christus, quà homo, reapse accepit à patre & à sua ipsius Deitate, ingentes, sed finitas: maximam, sed certis terminis limitatam: summam, sed infra Deum positam, diuitias, potentiam, dominationem: effecta nimirum illius essentialis & infinitæ maiestatis, potentiæ, dominationis, quę soli competit Deitati.

Quocunque igitur sensu accipias hæc nomina, diuitiarum, potentiæ, potestatis, dominationis, quas Cyrillus ait, Christum secundum humanitatem accepisse à patre: apparet, nihil pro reali idiomatum communicatione ex his locis concludi.

Afferunt etiam ex Scholiis eiusdem Cyrilli, de incarnatione vnigeniti, testimonia quatuor: *Primum*, ex cap. 7. *secundum* ex cap. 8. *tertium* ex cap. 9. *quartum* ex cap. 11. omisso interim capite 10. quod maximè ad quæstionis explicationem pertinebat: quanquam nec, quæ citantur ab aduersariis, quicquam obsunt caussæ nostræ. Singula perstringam.

Explicaturus Cyrillus modum adunationis, quo λόγος & caro in vnam coierunt personam: cap. 7. ait, *non dissimilem esse hunc modum illi quo anima & corpus in vnum hominem sunt coniuncta. Ac præter alia: Anima, inquit, omnia, quę sunt corporis, esse reputat sua licet per naturam propriam expers sit passionum corporis, & quæ extrinsecus accidunt. Ita Deus carnis infirmitates suas esse ducebat: itaque esuriisse dicitur, fatigatus esse pro nobis, &c.* Et mox, *Sicut corpus alterius*

est natura præter animam: Vnus tamen ex vtroque homo efficitur, & vocatur. Ita etiam ex perfecta Dei verbi subsistentia, & humanitate perfecta, vnus est Christus: idem in eodem Deus simul & homo. Sic ille. At de hoc nulla est controuersia. Subdit: *Et sua quidem dicit Deus verbum (vt ante dixi) ea quæ sunt carnis propria, quia ipsius est corpus & non alterius:* (Hoc etiam extra controuersiam est.) Addit, dicens: *Communes autem facit tanquam cum sua carne, diuinæ suæ maiestatis operationes: vt possit etiam viuificare mortuos & sanare infirmos.* Hæc ille.

Hæc verò postrema verba, quomodo sint intelligenda: in quæstionem venit. Aduersarij ea citasse videntur, vt inde suam probent realem communicationem. At nos dicimus, non concludi: quia, si nomine actionum diuinæ maiestatis, actiones ipsas intelligas, quas Deus verbum edit: dicimus, factas esse cum humana carne communes, eo sensu, quo & ante dixerat, quæ sunt carnis propria, Deum tanquam sua dicere. Quomodo autem, quæ propria sunt carnis, communia fiunt Deo? num quod realiter dolores, passiones, mors, in diuinam naturam penetrauerint? Nequaquam: sed tantum per gratiam vnionis ac communicationem idiomatum. Ergo sic etiam, quæ Dei sunt, communia fiunt carni: per communicationem sc. idiomatum. Adde & hoc, quod communes etiam dicantur carni, sicut artificis actiones, ipsi instrumento: & actiones animæ ipsis membris corporis, quibus ad illas vtitur actiones edendas anima.

Si autem vocem illam, *communes fecit carni*, interpreteris, pro realiter communicauit: aio nomine actionum diuinæ maiestatis, intelligi actiones, quæ à diuina maiestate, in humana natura, per dona realiter communicata, realiter etiam excitantur. Actiones enim quę ab hominibus fiunt virtute Spiritus S. in nobis habitantis, actiones vocantur diuinæ & actiones Dei. *Deus enim operatur in nobis velle & perficere:* Et per Prophetas atque Apostolos: mortuos suscitauit, & ægrotos curauit: multò verò excellentius per Christum hominem. Cur igitur hæ actiones Dei vocari non possint?

Sed non dubito, quin prior interpretatio sit genuina Cyrilli sententia: partim, quia reuera λόγος ad suas operationes vtebatur humanitate, tanquam suo organo: partim, quia propter vnionem hypostaticam, quæ propria Dei erant, & sunt, humanę etiam naturæ attribuuntur déque illa per gratiam vnionis prædicantur. Nihil igitur hic locus pro reali idiomatum communicatione fauet aduersariis.

Adde, quòd simili quo vtitur Cyrillus, animæ & corporis, refellitur potius tota realis idiomatum communicatio, quàm confirmetur. Num mens humana, corpori communicat facultatem intelligendi?

Quod 2. citatur ex c.8. de simili ignis in carbone, iuxta visionem Iesaiæ, capite sexto: (sic enim Deitatem esse in humanitate, sicut ignis in carbone) ad illud simile sæpius responsum est. Neque aliud ibi voluisse Cyrillum, dicimus, quàm veram vnionem verbi in carne, ἀτρέπτως & ἀσυγχύτως factam demonstrare: Sicut etiam superiori simili animę & corporis explicauit.

Proinde postrema verba ad finem capitis vbi ait, *Deus λόγος semel cum carne adunatus quasi vnus iam cum ipsa putatur, ea quæ sunt illius (carnis) sua faciens: conferens autem ei etiam ipse, naturæ suæ operationem:* Hæc inquam, verba, ita explicanda sunt, sicut, quæ ex capite 7. producta, explicauimus.

3. Ex 9. cap. vbi aliud simile affert Cyrillus, quo vnionem verbi & carnis itidem declaret: nihilò superioribus diuersi concluditur. *Quia Dominus Iesus vocatur in scripturis flos agri, & lilium conuallium.* In Lilio autem & flore duo sunt vnitissima, quanquam longè diuersa, odor nimirum suauissimus & corpus ipsum floris ac lilij: *Cyrillus comparat Deitatem odori, carnem autem & animam ipsi corpori lilij & floris:* vt inde demonstret veram & arctissimam, harum duarum diuersissimarum, distinctarum tamen, & minimè confusarum naturarum, diuinæ & humanæ in vna Christi persona, vnitionem. Quid verò hoc ad realem idiomatum communicationem? imò contrà, refellitur. Sicut enim proprietates corporis lilij, vt, quòd sit corpus visibile, coloratum, & tactui subiectum, non communicantur odori, qui omnino inuisibilis est, & tangi non potest: & vicissim proprietates odoris, de quibus iam diximus, ipsi lilio realiter non communicantur, cum interim tamen ita sint inter se vnita hæc duo, vt vnum ab alio separari non queat, aut etiam vix discerni: Sic se etiam habent duæ in Christo naturæ, earúmque proprietates. Vt, quæ carnis sunt, non communicantur verbo: sed tantùm, vt sua, sibi attribuit: sic quæ verbi sunt, carni κατ' ἀλλοίωσιν ὀνομάτων attribuuntur: non autem realiter, &c.

Aliud simile accommodatissimum Cyrillus tradit in c.10. Sed prætermissum fuit ab Aduersariis: fortasse, quia nimis clarum est pro nostra sententia. Christus in sacris literis vocatur & est *arca fœderis* verúmque propitiatorium: cuius typus fuit illa materialis arca; cum suo propitiatorio, de qua apud Mosen. Arca illa ex duabus rebus constabat, ex ligno imputribili, & ex Auro, quo arca intus & foris, tota erat tecta atque ornata. Ligno, quod putrescere non poterat, comparat Cyrillus, humanam naturam, auro diuinam: ex vtraque constat tota, eáque vna tantum arca, Christus. Dicitur vetus arca fuisse tecta auro intus & foris. Intus humanæ naturæ anima ipsa est, foris caro. Vtraque pars fuit & est auro Deitatis vnita, tecta, ornata. Et lignum mansit in sua natura lignum, & aurum, aurum: Et vtrumque suas retinuit proprietates: nec aurum suas ligno, nec vicissim lignum suas auro realiter communicauit: quanquam ita omnia essent vnita, vt vnum ab alio seiungi non posset.

Quid hoc simili clarius pro confirmatione sententię nostræ de incommunicatis proprietatibus naturarum? Sed fortasse, quia nimis clarum, ideo de industria omissum ab aduersariis. Nemo enim tam est hebes, qui ex hoc simili non intelligat veritatem.

Ergo ex hoc simili colligere promptum est, quid aliis quoque similibus, animæ & corporis de quo c.7. ignis & ligni seu carbonis, de quo c.8. lilij & odoris, de quo c.9. concludere voluerit Cyrillus: nullo certè modo realem idiomatum communicationem: sed tantum veram & arctissimam vnionem, qua Deitas totam humanam naturam complexa est intus & foris, sibíque in vnitatem personæ copulauit, manentibus naturis, proprietatibus & actionibus, inconfusis, impermixtis. Omnibus enim iis similibus, vsus est Cyrillus, ad vnam eandémque rem demonstrandam: verum scilicet modum, quo duæ in Christo naturæ vnitæ sunt: ídque contra Nestorianos (addo ex mente Spiritus S.) & Eutychianos modos, quibus ille diuidebat naturas, ille confundebat.

4. Hinc igitur etiam liquet, quomodo intelligendum sit, quod 4. loco subiiciunt aduersarij, ex eiusdem lib. Cyrilli de incarnatione c.11.

Verbum (inquit Cyrillus) *per quod omnino volens saluare quod perierat, descendens ad nos, in id, quod non erat, se summisit: Vt & hominis natura id, quod non erat, fieret, Diuinæ maiestatis dignitatibus per adunationem nitescens: quę sublimata magis est vltra naturam, quam deiecit intra naturam, mutabilem Deitatem.* Hæc Cyrillus.

Quid verò hoc etiam loco clarius pro sententia nostra? Duo docet Cyrillus, humanam naturam ex vnione cum verbo, consecutam esse.

Vnum, quod diuinæ maiestatis dignitatibus nitescit: sed quomodo? Per adunationem inquit, nō autem per realem communicationem. Per hanc enim adunationem fit, vt homo quoque assumtus, vocetur Deus, vnigenitus, naturalis filius Dei, omnipotens, vbique præsens, seruator, &c. Hoc est, nitescere diuinæ maiestatis dignitatibus per adunationem: quia de assumto homine per communicationem idiomatum, péque gratiam vnionis, verè prædicantur, quæcunque realiter dicuntur de assumente λόγῳ.

Alterum est: quòd hæc humana natura, propter vnionem cum diuina, non deiecit λόγον inuertibilem, *intra naturam*, h.e. ad proprietates naturæ humanæ, ita vt factus sit in sua Deitate passibilis, mortalis, visibilis: sed contra potius ipsa exaltata est, vltra & supra suam naturam, nempe realiter: quia sc. infinita & immensa dona [illegible] accepit à diuina: incredibilem scientiā, potentiam, gloriam, maiestatem, & alia. Horum autem acceptio, non est realis essentialium Dei proprietatum participatio. Quorsum igitur tot Cyrilli testimonia?

Librum de incarnatione, sequuntur duæ eiusdem Cyrilli *Epistolæ* ad Successum Episcopum Isauriæ. Ex quarum priore aduersarij citant quædam verba, quæ nil aliud concludunt, quàm, *Corpus Christi post resurrectionem, infirmitates humanas deposuisse, factúmque esse incorruptibile & viuificum, quia vitę corpus est, ebque diuinum corpus meritò appellari posse.* Sed quid hæc ad rem? Etsi enim deposuit infirmitates humanas: non posuit tamen essentiales proprietates naturæ humanæ: neque in naturam diuinam vllo modo conuersum est: id quod ibi propriè contendit Cyrillus. Quomodo autem sit viuificum, sæpè declaratum est. Quare locus ille frustra citatur aduersus nos. Sed cur non attulerunt locum ex altera Epistola ad eundem Successum, qui est col.268. Tom.4. Ibi hæc docet Cyrillus

Cyrillus. Primùm negat Chriſtum à Catholica Eccleſia ideo permiſceri, quia ex diuina & humana naturis, vnum tantùm confitetur Chriſtum. Deinde ſubdit rationem, cur non poſſit dici permixtus, dicens: *Non enim* (inquit) *ſubſtantia Verbi in naturam carnis vlla ratione transfuſa eſt. nec carnis in verbum, ſed in ſua proprietate, vtraque manente natura, &c.*

Quid autem obſecro, eſſentiales Dei proprietates, aliud reapſe ſunt, quàm ipſa natura diuina? Si igitur illi dicuntur permiſcere naturas, qui vnam in alteram aliqua ratione transfundunt, vt docet Cyrillus; annon illi permiſcent, qui eſſentiales Dei proprietates in naturam humanam realiter communicatas volunt? Quid enim eſt realiter communicare, niſi transfundere? Et ſic Brentius & Iacobus Andreæ, cum de reali idiomatum communicatione agerent, loquebantur, effuſas eſſe. Realis enim communicatio, & transfuſio, idem reipſa ſunt; ſicut panis & ἄρτος. Sed aſtutiores inter aduerſarios viderunt, illam transfuſionem damnari à patribus: ideóque mutarunt vocem, retinuerunt rem.

Et notandum quod ait Cyrillus: *Nulla ratione ſubſtantiam verbi in naturam carnis transfuſam eſſe.* Si nulla ratione: docuit igitur non vno tantum modo dici poſſe transfuſam eſſe.

Primus modus eſt, ſi ſimpliciter dicas, Naturam vel ſubſtantiam diuinam, transfuſam eſſe in humanam. *Alter eſt*, ſi doceas eſſentiales proprietates eſſe realiter transfuſas aut realiter communicatas in humanam naturam.

Adiecerunt locum ex comment. in Ioh. lib. 4. c. 23. *de carne viuifica, non per ſe, & ſua natura, ſed propter verbum, quod naturaliter eſt vita in carne inhabitans: addito argumento à ſimili: dicens. Quod ſi mel dulcia facit ea, quibus miſcetur, multò magis verbum homini, in quo habitat, dediſſe viuificandi virtutem, dicendum eſt.*

Reſp. Sed quo ſenſu dicatur caro viuifica, ſæpe ex eodem Cyrillo, ſupra dictum eſt: atque ex ipſo etiam contextu, quem citat lib. 4. c. 23 perſpicuè liquet, eam ideo dici viuificare, quia verbum, eiuſque ſpiritus, h. e. Deitas, per illam carnem tanquam per ſuum organum viuificat, & quia carni datur, quod verbi eſt, cùm ſit caro non Petri aut Pauli, ſed verbi. Simile mellis non per omnia quadrat: ſed in iis tantùm rebus, in quibus ex vnione cum melle, non admittitur σύγχυσις: qualis admittitur in mulſo, ex aqua & melle confecto. Capite enim inſequenti 24 eiuſdem libri, clariùs, quomodo caro viuificet, explicatur: cum ait ex Chriſti ore, *Verba quæ locutus ſum, Spiritus (id eſt, ſpiritualia & de ſpiritu) & vita (id eſt, de viuifica & naturali vita) ſunt. Quæ enim vita eſt naturalis? Verbum ipſum Dei eiuſque ſpiritus, id eſt Deitas.* Item, *quando igitur viuificam ipſam Chriſtus appellat: non ita illi, vt ſibi, ſiue proprio ſpiritui, vim viuificandi attribuit.* Hæc Cyrillus.

Idem reſpondetur ad id, quod ex *epiſtola Synodica* de eadem carne viuifica recitatur ab aduerſariis.

Neque aliud Cyrillus ſibi vult *Anathematiſmo* XI. eiuſq; explicatione: quàm ideo carnem hanc eſſe viuificam: *quia caro eſt non per ſe ſubſiſtens, & alicuius hominis, qui non ſit Deus: ſed quia caro eſt verbi propria. quod omnia viuificare poteſt: & quod credentes per organum ſuæ carnis reipſa viuificat.*

Notandum etiam eſt: ſicut, quia homo conſtat anima & carne, tanquam ſuis partibus, ideò in Scripturis modò nomine animæ ſolius, modò ſolius etiam carnis appellatione, totius ſignificatur homo, vt exempla paſſim in ſacris literis occurrunt: ſic etiam, quia dominus Ieſus conſtat Spiritu, id eſt, Deitate, & carne, id eſt, humanitate: idcirco non ſolùm proprio nomine, Chriſti, filij Dei, filij hominis, & ſimilibus: ſed & nonnunquam ſolius ſpiritus aut ſolius carnis nomine, totus ſignificatur. Quanquam enim ſæpiſſimè diſtinctionis gratia, vno nomine, vna natura, & altero altera denotatur: tamen, quia etiam vna tantùm eſt perſona, cuius naturæ non ſeparantur: ideò (vt dixi) ſignificandæ huius vnionis gratia, modò vnius, modò alterius naturæ nominibus, totum Chriſtum ſignificare voluit Spiritus ſanctus.

Hoc verò maximè obſeruandum in illis locis, vbi carni attribuitur viuificatio, & ſaluatio. Non enim in his officiis ſola conſideranda eſt caro: neque primæ illi partes, ſed ſpiritui, tanquam principali agenti, primæ: carni autem, tanquam organo, ſecundæ dandæ ſunt. Ergo cum dicit, *Qui manducat meam carnem, viuet: intelligamus carnem poni pro tota perſona* συνεκδοχικῶς: *vt liquet* Poſt enim idem Chriſtus ait: *Qui manducat me, ipſe viuet propter me.*

XXII. *Paulus Emiſſenus* Epiſcopus. Huius ſcripta non habemus: quædam duntaxat homiliæ, quæ ab ipſo habitæ fuerunt Alexandriæ, præſente & audiente Cyrillo, extant in 4. Tomo operum Cyrilli: ita credo etiam, ibi fuiſſe ab Alexandrina Eccleſia, ex illius ore exceptas & aſſeruatas. Egregiæ verò ſunt, quanquam breues, illæ duæ de incarnatione Chriſti, homiliæ.

1. Ex priore, quæ habetur col. 102. hæc pauca citantur ab aduerſariis.

Neque igitur duos filios dicimus, neque nudum hominem Immanuelem ex deipara natum: neque gratia, tanquam prophetam, aut iuſtum aliquem plus alijs donatum. Placuit enim in illo inhabitare omnem Deitatis plenitudinem corporaliter, hoc eſt, tanquam in proprio corpore. Noſtrum enim corpus proprium ſibi fecit. In hac fide fundata eſt Eccleſia Dei.

Hæc ex illa, quæ eſt ordine ſeptima inter homilias Cyrilli, decerpta ſunt. Sed, vt quiſque videt, nil ad præſentem quæſtionem faciunt. Hoc verò inde diſcimus, quid ſit plenitudinem Dei habitare in homine Chriſto corporaliter? nempe tanquam in proprio corpore: ac proinde hypoſtaticὼs: quia illud corpus anima rationali præditum, tanquam partem ſuæ perſonæ fecit filius Dei.

2. Ex altera homilia, quæ eſt numero octaua, col. 205. hæc depromſerunt aduerſarij.

Attende, quid dicatur (*exponebat autem illud Ioh. Verbum caro factum eſt*) *Diuiniora quidem aſſumtæ naturæ dedit. Eorum verò, quæ humanitatis ſunt, nihil in ſe recepit:* (Explicans autem ea, quæ dedit, diuiniora, ait) *Ambulauit ſuper mare, ſed cum proprio corpore: increpauit ventos, ſed per proprium corpus:* Et alia his ſimilia affert exempla miraculorum Chriſti. Item, *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis, qui eſt in cœlo.*

Reſp. Hic nullum planè verbum de reali communicatione idiomatum. Sed hæc duo docet Emiſſenus contineri in illo verbo, DEDIT. Primùm quòd λόγος ad multa diuina beneficia hominibus præſtanda, vſus eſt organis corporis: Et huc ſpectant prima exempla.

Alterum eſt, quòd, quæ ſunt propria Deitatis, ea per communicationem idiomatum, ſeu per gratiam vnionis fuerunt humanæ naturæ communicata. Et huc illud exemplum, Nemo aſcendit in cœlum, &c. Ideo enim filius hominis (id eſt, quoad humanam naturam) dicebatur tunc eſſe in cœlo, licet reapſe eſſet tantùm in terra: quia coniunctus erat ei naturæ quæ in cœlo etiam erat.

Confirmant hanc reſponſionem etiam illa, quæ de carne ſubiiciuntur: *Cùm autem,* inquit, *vides eum eſurientem, ſudantem, crucifixum: tum cogita, quòd Deus verbum, paſſionis quidem manſerit expers: verùm hæc omnia proprio corpori facta, ſibi appropriarit.*

Quis hic non videat, meram idiomatum communicationem? Ergo totus hic locus fruſtra pro quæſtione adductus eſt.

XXIII. Pater. Ex Theodoreto Cyri Epiſcopo non pauca citantur: ſed quæ, ſicut & reliqua, prorſus nihil ad rem pertinent.

Ex Dial. 2 duo afferunt teſtimonia. 1. *quod corpus Chriſti reſurrexerit quidem impatibile, glorioſum, & quod adoretur ab angelis, ſed tamen corpus ſit verum, eandem quam & prius habens circumſcriptionem.*

R. Hoccine aduerſus nos? obſeruent hoc potius vbiquitarij, & qui volunt corpus Chriſti eſſe in pane realiter, ſine circumſcriptione.

2. Alterum eſt: *quòd corpus Chriſti in gloria non ſit mutatum in alteram naturam: ſed manens corpus, diuina gloria repletum eſt: lucis emittens radios.*

R. Sed qua obſecro gloria repletum, & quomodo repletum? De gloria creatitia & finita loquitur, eóque de reali repletione. Hoc patet primùm, ex eo, quod ait, lucis emittens radios. Lux enim eſſentiæ diuinæ, radios non emittit ſuæ eſſentiæ viſibiles. Deinde ex eo etiam, quod ſubdit, ſanctorum corpora habitura partem eiuſdem gloriæ, ſed in quantitate longè inferiorem, gloria corporis Chriſti, idem liquet. Noſtra enim corpora futura ſunt corpori domini conformia, in qualitate, non in quantitate: Vt idem Theodoret. Phil 3. confirmat. Noſtra autem corpora, non erunt glorioſa gloria eſſentiali ipſius Dei.

Annon hinc igitur apparet, gloriam etiam, qua corpus Chriſti realiter glorioſum eſt, non eſſe illam Dei eſſentialem & infinitam, ſed aduentitiam & finitam gloriam? Quomodo igitur iſta citantur pro reali idiomatum communicatione: cum eam prorſus euertant?

3. Quorſum & illud ex cap. de Antichriſto: ὁ λόγος *homo factus* μεγάλην *gratiam. contulit aſſumtæ naturæ: ſed totam plenitudinem Deitatis complacuit in ipſo inhabitare?*

Nam totam plenitudinem in eo inhabitare, quid ſit, antea dictum eſt: & nihil eum locum facere ad realem com-

municationem.

Omnia etiam dona Spiritus, eáque in summo gradu, collata esse in humanam naturã, quoties dictum est? Nihil autem hæc ad realem communicationem.

4. Quod citant ex comment. in ps. 2. illud dictum: *Cõstitui te regem*, ἀνθρωπίνως esse de Christo intelligendũ: quis neget? Sed ex eo, quod quatenus homo, est constitutus super omnia rex: non sequitur realis idiomatum communicatio, vt sæpe ostensum est.

5. Eodẽ pertinet quod subdunt ex comment. in ps. 8. *omnia Christo homini esse subiecta*, exceptâ increata natura.

6. Eiusdem farinæ est, quod ex commen in ps. 110. proferunt: illud, *sede à dexteris meis*, Christo ἀνθρωπίνως dictum esse. Nam ex hoc dicto non sequi realem idiomatum communicationem, vsque ad nauseam demonstratum est.

7. Ex commen. in 1. cap. ad Ephesios citant non breuem Theodoreti interpretationem: quę in summa ad duo capita refertur: *Vnum est*, quæ ibi dicuntur de Christo, quòd sit constitutus super omnia, ea esse de Christo, quatenus homo est, intelligenda. Sed de hoc nulla est controuersia. Sed locum habeat regula Athanasij & Cyrilli: *Quęcunque accepit vt homo, accepit, vt in nos redundarent.*

Alterum, quod Christus, qua homo, eiusdem iam sit honoris particeps, cum eo, qui assumsit: ita vt nulla videatur adorationis differentia.

Hoc etiam quomodo sit intelligendum, abundè ante dictũ est. Hæc enim partim per communicationẽ idiomatum accipienda sunt: partim, quatenus homo assumtus, vt Deitatis instrumẽtum, eius laudis & honoris fit particeps, qui summo artifici per se defertur: aut qualis vesti defertur & coronæ, qui regi debetur: quia in veste honoratur rex & adoratur. Atque huc pertinet, quod ibidem Theodoretus ait: Per naturam, quæ cernitur, adoratur, quę non cernitur, diuinitas.

Adoratio enim toti debetur personæ, etiamsi vna tantum pars nominetur: vt etiam Th. Aquinas, docet: vt cum dicimus osculari manum aut pedem alicuius regis, nil aliud significamus, quàm honorem & subiectionem toti personæ regis: Vt iam taceamus de honore creatitio, qui creaturę debetur, & negari non solet. Summa: *Personaliter, idem & vnus debetur assumto qui & assumenti honos*. Nihil igitur hic locus pro reali communicatione, sed tantum pro vnione naturarum.

8. Quod etiam ex commentariis in 2. ad Phi. citatur, *Propter quod Deus exaltauit illũ, &c.* duo itidẽ habet capita. Vnum est perspicuum & in confesso: Hæc sc. de *Christo, qua homo est intelligenda esse: alterum est interpretatio illius nominis, de quo Apostolus, Dedit ei nomen, quod est supra omne nomen*: ait Theodoretus intelligendum de nomine filij Dei sc. naturalis, iuxta illud Heb. 1. *tanto melior angelis effectus quanto excellentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim angelorum dixit Filius meus es tu? nimirum naturalis & vnigenitus. Nam alioqui per gratiam, alij quoque & quidem etiam angeli vocati sunt filij Dei.*

Per communicationem ergo idiomatum, pérque gratiam vnionis, Christus, qua homo, filius Dei naturalis vocatur. Non enim secundũ substantiã carnis natus est ex patris οὐσίᾳ. Ideo ait Apostolus, Dedit ei nomen, quasi dicat non rẽ. Non. n. effecit, vt humana natura Christi, sit genita ex substantia Dei, aut in substantiã filij Dei sit conuersa: sed tantum, vt propter vniõnẽ hypostaticam vocetur, idque verissimè filius Dei, nempe vnigenitus, ac pro tali ab omnibus adoretur. At *dices*, nónne hoc sensu ab initio conceptionis, fuit filius Dei naturalis, iuxta illud angeli ad Mariam: *propterea, & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius altissimi?* Omnino. Cur ergo Apostolus ait, quòd post resurrectionem Deus dederit illi hoc nomen? quia tunc effecit, vt qui naturalis erat filius, pro naturali filio Dei agnosceretur: & ita etiam, vt vnicus filius, non vt plures, ex humana & diuina constans naturis, vna adoratione adoretur ab omnibus.

Locus insignis est pro verbali idiomatum communicatione, propter gratiam vnionis. *Dedit illi*, non certè, qua Deus est (fuit enim talis ab æterno) sed in tempore, quà homo est, *nomen* vt verè vocetur naturalis & vnigenitus Dei filius, natus ex substantia patris: nec tamen rem, hoc est, vt secundum naturam humanã, sit reuera è substantia patris genitus: aut vt ea caro & anima in substantiã filij Dei sit vllo modo conuersa. Ergo per gratiam tantũ vnionis, nõ autem per naturam, aut per realẽ essentialium diuinæ naturæ proprietatum in humanam naturam transfusionem, vel communicationem, Christus, qua homo est, factus est filius Dei vnigenitus & naturalis.

Confirmatio. Vis videre, rem ita se habere? Considera eundem Christum, quà per naturam filius Dei est, ab æterno vnigenitus. Annon & ipse factus est Mariæ filius naturalis & ex ea genitus, eoque & primogenitus? Omnino. Ideo & ipsa verè θεοτόκος dicta est, Dei genitrix: & contra ipse filius Dei, filius hominis appellatus est. Sed quo sensu? Vtrumque per gratiam vnionis. Non enim Maria è sua substantia genuit id, quod est filius Dei: sed genuit id, quod cum filio Dei vnitum, vna est cum illo persona: eóque per gratiam vnionis, filium Dei naturalem dicitur genuisse: Et eodem sensu, pater dici potest genuisse filium hominis, quia eum ab æterno è sua substantia genuit, qui per hypostaticam vnionem factus est homo, filius hominis. Vnde & iste filius hominis eam ob caussam vocatur θεογόνος, id est, natus ex Deo per communicationem idiomatum. Meritò igitur Apostolus dixit, Dedit illi nomen, scilicet naturalis & vnigeniti filij: non autem simpliciter dedit ei, vt esset filius Dei vnigenitus & naturalis: Quid ita? Vt significaret, Christum, qua homo est, non esse per naturam, è substantia patris genitum, sed tantum per gratiam, non adoptionis, sed vnionis hypostaticæ: Ac proinde non per realem, sed per verbalem communicationem, vocari & esse vnigenitum Dei filium. Quis ex hoc loco non videat, quid de essentialibus etiam proprietatibus sentiendum, ac loquendum sit? nempe idem, quod de vnigenito quoq; Dei filio, interprete Theodoreto, pronunciauit Apostolus: quòd Christo, qua homo est, dederit pater non rem; sed nomen, quod est supra omne nomen. Quod est hoc nomen? Nomen vnigeniti filij Dei. Ergo idem de omnibus essentialibus attributis dicamus: Dedit ei nomen omnipotentis, vbique præsentis, omnia implentis, omnia regentis, &c. quod est supra omne nomen. Sunt enim hæc nomina, supra omnium rerum creatarum nomina: quia realiter non competunt nisi Deo. Hæc igitur nomina de Christo, qua homo est, prædicantur, idque verissimè: verum non realiter & propriè aut secundum naturam, sed tantum κατ' ὄνομα, per gratiam vnionis & secundum communicationem idiomatum.

Ex hoc Apostoli loco, non dubito, quin etiam Augustinus (vt supra vidimus) acceperit, vt diceret, *Deum verbum, suum nomen largiter donasse homini assumto: & vicissim nomen assumti: hominis, sibi benigniter sumsisse.* Quia & filius Dei vocatur filius hominis, & homo assumtus, nominatur filius Dei.

Et hæc est illa apud Græcos patres frequentissima ἀντίδοσις τῶν ἰδιωμάτων.

Hæc igitur ex Theodoreto colligere & considerare debuissent aduersarij: eáque Ecclesiæ Dei proponere.

Ita rectè intelligitur aliud dictum Theodoreti quod ibidem habet de Christo. *Non ergo* (inquit) *ea accepit, vt* [illegible] *quæ prius non habebat: sed accepit vt homo, quæ habebat vt Deus.*

Si de proprietatibus essentialibus intelligas: eas habebat, vt Deus, [illegible]: accepit autem vt homo, per gratiam vnionis, & quoad nomina, vt explicatum est.

Si verò intelligas dona creatitia: ea habebat, vt Deus, [illegible], & tanquam in sua caussa: accepit autem, vt homo, realissimè.

9. Citant ex Comment. in Ps. 21. *Si natura assumta cum diuinitate assumente est copulata, etiam eiusdem gloriæ & honoris particeps & consors facta est.*

R. Concedo: tum per communicationem idiomatum: tum per effecta creatitia, sicut & nos dicimur à Petro facti esse participes diuinæ naturæ, i. cœlestis regenerationis: quæ est effectum diuinæ naturæ. Est enim [illegible] vbi nomen caussæ datur effecto.

10. Ex Col. 2. *In ipso inhabitat omnis plenitudo, &c.*

R. In verbis Theodoreti, nihil planè est, quod faciat ad rem. Imo vtcunque depravata citantur verba Theodoreti: quanquam non est res magni momenti.

11. Ex Comment. ad Hebr. ..illud, *Sede ad dexterã meam*, humanitati dictum esse docet Theodoretus. Sed quid tum? Locus iste non semel fuit à nobis explicatus.

12. Multa alia citantur ex iisdem commentariis in Epist. ad Hebr. capite 1. Sed planè nil ad rem. Quod ait: *Christus non natura diuinitatis fuit minor angelis sed per passione humanitatis; quæ & ipsa diuinam gloriam post resurrectionem est consecuta*: sæpe ex aliis, vt ex Hilario, declarauimus, qualem gloriam realiter consecutus sit Christus, quà homo est: creatitiam scil. quæ diuina gloria dicitur, quia à Deo est, nec est humana & huius seculi, & quia est essentialis gloriæ Dei effectum: vt iam de fruitione essentialis gloriæ Dei taceamus: quæ illi cum omnibus electis communis est, licet modo longè diuerso.

13. Ex Dial. 3. citant dictum Apollinaris, quod à Theodoreto

doreto laudatur. *Si mixtio ignis cum ferro, qua ferrum ostendit ignem, ita, vt ea etiam faciat qua ignis sunt, non mutat naturam ferri: Neque igitur Dei cum corpore vnio, mutatio corporis est, licet corpus diuinas operationes prabeat.*

R. Corpus Christi, diuinas operationes præbere dicitur, tanquam Deitatis organum: & codem sensu concedimus, illud esse omnis malitiæ κωλυτικόν, & ipsius mortis καθαιρετικόν: sicut & resurrectionis est ἀρχηγόν.

Sed quid hæc ad realem idiomatum communicationem? Ergo neque est, cur pro se adferant Theodoretum, apertum vbiquitatis, & præsentiæ carnalis in pane, hostem.

XXIV. Pater. Obiiciunt etiam *Primasium* Augustini discipulum, Vticensem in Africa Episcopum.

1. Ex comment. in cap. 1. ad Hebr. in illud, Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis. *Victor filio (inquit) & totius mūdi triumphatori, dicit pater, sede à dexteris meis, id est laborasti in passione, quiesce iam mecum in gloria.* Item: *Sedere ponitur pro habitare & esse: sicut & dextera pro honore, gloria, & dignitate summa.* Item: *Ipse quoque homo (assumtus à verbo) in hoc est maior omnibus angelis, omnique creatura: quia potestas qua erat in verbo ante omnia secula, requieuit in illo homine assumto, à tempore conceptionis.*

R. Nihil horum nobis aduersatur. Quomodo potestas, quæ erat in verbo, quiescat in homine assumto: sæpe explicatum est. Infinita potestas quiescit in homine per vnionē, non per realem communicationem: finita autem realiter.

2. In 8. cap. ad Hebr. *Sedem & dexteram magnitudinis in cœlis, debemus accipere plenitudinem paterna maiestatis, summámque gloriam beatitudinis & prosperitatis.*

R. Ex Hilario & aliis ostendimus, duplicem esse paternam maiestatem: increatam & creatam: & increatam nequaquam realiter in humanam naturam transfusam, seu communicatam esse.

3. Quod ex 2. cap. ad Hebr. adferunt, nil aliud concludit, quàm quòd homini assumto omnia sint subiecta: & hunc habitare in plenitudine paternæ gloriæ.

Idem concluditur ex eodem Primasio in 7. cap. ad Hebr. Sed quid hæc ad rem?

In Apocal. cap. 5. scripsit idem: *Humanam Christi naturam dominari in cœlo, in terra, & sub terra,*

R. Fatemur, cum omnia illi sint subiecta. Sed num igitur sua substantia in omnibus locis est, in quibus dominatur? Et hæc ad testimonia ex Primasio.

XXV. Pater. Leo 1. Episcop. Roman. 1.

Non possum etiam satis mirari, quod audeant pro sua fatua opinione, proferre aduersus nos, totámque Ecclesiam Catholicam, nedum Romanam, Leonem illum, huius nominis primùm, Ecclesiæ Romanæ Episcopum.

Et quænam dicta ex Leone depromunt? quæ nihil ad rem. Quæ autem maximè: illa præterierunt.

Quomodo autem probari potest ex Leone, realis idiomatum diuinæ naturæ in humanam communicatio: qui contra Eutychen talia scribit, quibus luculentissimè refutatur ista impietas vbiquitariorum?

Ex multis, hæc pauca, quiuis examinet.

1. Epistola 10. Quæ est ad Flauianum Constantinopolitanum Episcopum, cap. 3. ita scribit: *Salua igitur proprietate vtriusque natura, & in vnam coëunte personam: suscepta est à maiestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas,* &c.

Ait saluas mansisse vtriusque naturæ proprietates: Sicut & in Synodis, primum Ephesina, deinde Chalcedonensi fuit definitum. Mansit igitur humana natura, finita, circumscripta, infirma.

Si autem propter vnionem naturarum, proprietates diuinæ naturæ, realiter communicatæ sunt humanæ: humanam igitur naturam, reali participatione infinitatis, incircumscriptionis, & omnipotentiæ diuinæ (sunt enim hæ essentiales Dei proprietates) factam esse oportuit infinitam, incircumscriptam & omnipotentem. Alioqui enim non fuerit realis communicatio: sicut neque realis est caloris ignis in aquam transfusio, nisi caloris participatione, aqua etiam fiat calida, sicut & ignis calidus est. Si autem talis facta fuit humana natura: Ergo, aut simul fuit finita & infinita, circumscripta & incircumscripta: aut suam amisit finitatem, & circumscriptionem, &c. Hoccine verò est proprietates vtriusque naturæ, mansisse saluas, integras & inconfusas?

Deinde non dicit Leo, quòd Humilitas, id est, natura humana, facta sit maiestas, aut maiestatica & ita de aliis: sed ait: *Suscepta est à maiestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas.*

Ergo natura humana propter sui susceptionem, sicut non est facta æternitas, aut æterna. Sic neque facta est virtus seu omnipotentia vel omnipotens; neque maiestas; vel maiestatica. Vbi igitur realis idiomatum communicatio?

Cap. 4. *Dominus (inquit) vniuersitatis, seruilem formam obumbrata maiestate sua immensitate, suscepit.*

Si obumbrata fuit illa maiestas, susceptione seruilis formæ: quomodo igitur à conceptione realiter in illam seruilem formam fuit communicata? Illuxisset enim in ea seruili forma.

Item, *Sicut Deus non mutatur (inquit) miseratione: Ita homo non consumitur dignitate.* Annon verò si realiter communicata est, v. g. essentialis Dei lux, consumtæ fuerunt naturales carnis tenebræ? Lux enim pellit tenebras, & omnipotentia infirmitatem: & omniscientia ignorantiam.

Item ait: *Vtraque forma agit, cum alterius communione, quod proprium est: verbo scilicet operante, quod verbi est, & carne exequente, quod carnis est.*

Quomodo igitur sensit Leo, realiter communicatas esse in carnem Deitatis proprietates, vt agere possit quæ verbi sunt? Et, si cum communione alterius vtraque forma agit, quod suum est: non igitur cum reali suarum operationum in alteram formam communicatione.

Subdit: *Vnum horum coruscat miraculis: aliud succumbit iniuriis.* Quomodo igitur caro edebat miracula?

Epistola 2. ad Iulianum Episcopum Coensem. *Quod est Deitatis, caro non minuit: Quod carnis est, Deitas non peremit.*

Annon vero, quod carnis est, deitas peremit, Si reali communicationi, v. g. diuinæ incircumscriptionis, caro desinat esse circumscripta? Constat enim, eandem substantiam, nō posse simul esse & circūscriptam & incircumscriptam. Reali autem huius communicatione, illa fiat incircumscripta, necesse est. Et sic de aliis proprietatibus.

Explicat porrò suum dictum Leo subdens: *Idem enim & sempiternus ex patre, & temporalis ex matre: in sua virtute inuiolabilis, in nostra infirmitate passibilis,* &c. Virtutem accepit pro natura omnipotente.

Ex iis paucis, quæ adduximus ex Leone, nostrisque aduersariis obiicimus, quis non videat, Leonem nequaquam in hac fuisse sententia, quam Vbiquitarij de reali idiomatum communicatione defendere conantur.

Loca igitur Leonis, qua ab aduersariis citātur consideremus.

1. Ex Epistola 2. *Assumti (inquit) non assumentis prouectio est, quod Deus illum exaltauit, & dedit ei nomen, quod est,* &c.

R. Quasi verò hoc realem idiomatum communicationē probet. De hoc Apostoli loco, supra sæpe dictum est. Ac quod ait, Dedit illi nomē (scilicet vnigeniti filij, vt Theod. exponit) non autem rem, vt scilicet humana eius substantia esset realiter ex substantia patris genita, totam euertit realem idiomatum communicationem. Sic enim & de iis concluditur, Deum scilicet dedisse assumto homini, nomen omnipotentis, vbique præsentis, & aliarum proprietatum nomina, non autem rem: ita vt Christus, quà homo est, verè dicatur esse omnipotens, vbique præsens, non realiter, sed per gratiam vnionis, &c.

2. *Ibidem docet Leo:* Licet quædam essent in Christo, quæ humanam conditionem transcenderent: eandem tamen habuisse, quam & nos, naturam. Sed quid hoc ad quæstionem?

3. *Ex Epist. non 22. sed 23.* ad plebem Constantinopolitanam, docent: Quæ de Christo scribit Apostolus Eph. 1. Exaltauit eum super omnia: nequaquam de deitate, sed tantùm de Christo secundum humanitatem, intelligenda esse.

Item ait: *Assumsit nostram naturam, non vt minueret diuina humanis: sed vt augeret humana diuinis.*

R. Sed hæc nihil ad rem. Aucta sunt humana diuinis: tum quia natura, assumta est in vnitatem personæ à λόγῳ: tum quia omnia, quæ sunt λόγου, ei tanquam propria attribuuntur, & (vt loquitur Cyrillus) appropriantur: tum quia infinitis donis, & dignitatibus, realiter fuit ornata, atque ditata.

4. Ex Epistola, non (*vt scribunt aduersarij*) 41. sed 83. idem traditur: quod & ex Epist. 23. Quæ scilicet de Christo dicūtur Phil. 2. propter quod & Deus exaltauit illum: de eo nō esse intelligenda quoad deitatem, sed tantum quoad humanitatem. Addita & hac particula: *Tantam fuisse connexionem Deitatis & humanitatis: vt nec sine homine diuina, nec sine Deo agerentur humana.*

R. Hoc est, quod supra dixerat ad Flauianum, vtraque forma agit, cum communione alterius. Ibidem confirmat quæcunque Christus accepit in tempore: ea omnia illum accepisse, vt hominem. Sed ad hæc omnia responsum est.

5. Citatur etiam Augustini dictum ex alia Leonis Epistola, nempe, Gratulandum esse humanæ naturæ, quod nunc puluis immortalis effectus, sedeat ad dexteram patris, & quod natura nostra fragilis omnia superarit & im-

mortali fulgeat gloria.

R. Nihil ad rem. Et suprà responsum est.

6. Ex sermone de Natiuitate Domini, 10. Quod totum Christi corpus impleat tota diuinitas: propter verbum Apostoli Col. 2. Tota plenitudo Deitatis habitat in eo corporaliter.

R. Quid vis inferre? Num, Deitas igitur non est extra corpus? Sed supra ostendimus, totam esse in toto corpore, & totam, extra corpus, propter suam immensitatem & simplicitatem.

Item ibidem aliud prolixum testimonium: quo nihil aliud concluditur, quam ad salutem nostram necessariam fuisse hanc verbi & carnis vnitionem, quæ ita sibimet inhæserunt, vt siue in omnipotentia, siue in contumelia, nec diuina in Christo careant humanis, nec humana diuinis.

R. Sed quis de iis rebus dubitet? Ad arctissimam vnionem pertinent. Quæstio autem est de reali idiomatum communicatione: qua fiat vt humana natura realiter sit omnipotens, vbique præsens &c.

7. Ex sermone de Quadragesima, octauo. *Nolite cogitare, quasi in Christo aut sola sit humanitas, aut sola diuinitas: sed vtrumque fideliter credite, vtrumque humiliter adorate: vt in vnitate verbi, & carnis, non sit vlla diuisio: sed verbo inuiolabili, non separato à carne passibili, particeps per omnia intelligatur & Deitas carnis, & caro Deitatis.*

R. Quasi verò, quia caro dicitur per omnia particeps esse Deitatis, hinc efficiatur, essentiales ergo proprietates diuinæ naturæ, realiter communicatas esse humanæ. Annon ibidem etiam Deitas dicitur particeps per omnia esse carnis? Num igitur Deitati realiter communicatæ sunt proprietates carnis? Nomine participationis hoc in loco nihil aliud significatur: quàm vera & hypostatica vnio: qua fit vt idem Christus, & veram habeat Deitatem, omnésque eius proprietates: veram item carnem, omniáque essentialia eius idiomata. Particeps etiam dici potest per gratiam vnionis, quia omnia quæ vnius sunt alteri appropriantur.

8. Ex sermone de passione tertio, *Hoc fides Catholica tradit, hoc exigit, vt in redemptore nostro duas nouerimus conuenisse naturas: & manentibus proprietatibus suis, tanquam factam vnitatem vtriusque substantiæ, vt ab illo tempore, quo in beatæ virginis vtero verbum caro factum est, nec Deum illum (sc. Christum) sine hoc, quod homo est, nec hominem, sine hoc liceat cogitare, quod Deus est.*

R. Non dicit Leo, quod non liceat cogitare Deitatem sine humanitate, & humanitatem sine deitate, & alteram ab altera, proprietatésque vnius à proprietatibus alterius distinguere: sed quod non liceat cogitare in Christo, Deum sine homine, nec hominem sine Deo, quid ita? ratio antè est reddita: quia ita conuenerunt naturæ in vnitatem personæ, vt iam hæc persona non possit esse vel solus Deus, vel tantùm homo, vel tantùm finitus & corporeus, vel tantùm infinitus & incorporeus. Hoc enim esset diuidere & soluere Christum.

Sed de naturis & de earum proprietatib. in se, alia est ratio. Quia enim sunt distinctæ inter se: ideo distinctè etiam de singulis cogitare nobis licet. Nulla igitur impietas est, si dicamus, proprietates vnius naturæ alteri realiter non esse communicatas: sed impietas est, si negemus Christum esse vel Deum, vel hominem, vel finitum, vel infinitum: finitū in vna, infinitum in altera natura: vbique præsentem in vna, certo loco circumscriptum in altera.

9. Sed quid clarius pro nostra sententia, illis verbis quæ subduntur ex eodem Leone, & sermone? *Suscepit ergo* (inquit) *totum hominem Deus: Et ita se illi atque illum sibi, misericordia & potestatis ratione conseruit: vt vtraque natura alteri inesset: & neutra in alteram à sua proprietate transiret.* Hæc ille.

Explico hoc illustre testimonium. Quid est vtramque naturam alteri inesse? Est esse illi verè & hypostaticè vnitam. Quid verò est, neutram in alteram à sua proprietate transire? Est, neque naturam vnam, neque naturæ vnius proprietates, in alteram alteriusve proprietates, realiter commiscere, communicari, confundi. Hoc liquet ex præcedentibus, quæ suppressa fuerunt ab aduersariis. Sic enim præcedunt hæc Leonis verba. *Exprimit quidem sub distinctis actionibus veritatem suam vtraque natura: sed neutra se ab alterius connexione disiungit.*

Nota illud, *Vtraque natura sub distinctis actionibus veritatem suam exprimit.* Actiones igitur vnius, non sunt etiam alterius: eóque nec δυνάμεις, & reliquæ proprietates. Alioqui, quomodo suis quæque actionibus veritatem suam exprimeret?

Subdit, primùm de vnione, *Nihil ibi ab inuicem vacat: Tota est in maiestate humilitas, tota in humilitate maiestas.*

Hæc ad confirmandam vnionem pertinent. Ac mox contra realem idiomatum communicationem, ac confusionē, subdit: *Nec infert vnitas confusionem, nec dirimit proprietas vnitatem.* Hæc ibi.

Confusio autem est, si vnius naturæ proprietas, realiter alteri naturæ fiat cōmunis. Per hāc enim communicationē, vna natura discerni ab altera natura non poterit. Subdit. *Aliud est passibile, aliud inuiolabile: & tamen eiusdem* (personæ) *est cōtumelia: cuius & gloria: idem* (Christus) *est in infirmitate, qui & in virtute: idem mortis capax, & idē est victor mortis.*

His verbis Leo primū distinguit proprietates, quia aliud, & aliud: Deinde vtriusque naturæ proprietates facit esse vnius eiusdémque personæ proprias. Cum enim ait, Eiusdē idem & idem, scilicet Christus: de persona loquitur, non de vna natura. Quomodo igitur vnius naturæ proprietas, alterius naturæ communis realiter fieri potest? Est quidem communis verbaliter, sed non realiter. Solam enim personam reipsa capacem facit contrariorum, infirmitatis & virtutis &c. Cuiusque ergo naturæ proprietates toti personæ propriæ sunt, sed in persona alteri naturæ communes, quia ad eam pertinent propter identitatem personæ: vt Vigilius lib. 5.

XXVI. Pater *Vigilius*, natione Romanus, Tridentinæ autem Ecclesiæ Episcopus: qui contra *Eutychen* libros scripsit quinque eruditissimos.

Proferunt ex lib. 5. Testimonium, quo nihil aliud concluditur: quàm quæcunque leguntur data fuisse Christo, ea omnia, Christo, quatenus homo est, non autem quatenus Deus est, data esse, omnino esse intelligenda.

R. Non inficiamur: imo ambabus amplectimur manibus: sed huic dicto addimus Athanasij ac Cyrilli sententiā. *Quæcunque accepit vt homo, accepit vt nobis communicet.* Non communicat autem, nec communicabit vnquam essentiales Dei proprietates.

Quorsum igitur citatur Vigilius, pro reali idiomatum communicatione? quo nemo ferè valĕtiùs illam expugnat. Iuxta porrò ordinem citatorū patrum, Vigilium sequitur Damascenus: sed quia hîc non pauca dicenda sunt: Damasceno ad finem relicto, pergam ad alios: quorum testimonia paucis perstringam. Ergò

XXVII. Pater est *Cassiodorus*. Citantur ex huius comment. in Psal. 33. hæc verba. *Caro Christi, licet ex humana sit sumta natura: non tamen eam, vt vnius hominis ex nobis, debemus æstimare: sed adorabilem, salutiferam, viuificatricem, quæ peccata dimittit, & ad perpetua vitæ regna perducit.*

R. Nihil hæc fauent reali idiomatum communicationi. Nam quo sensu caro Christi sit viuifica, salutifera, remittat peccata, sitque adorabilis: abundè in præcedentibus responsionibus explicatum fuit. Si quis breuem velit responsionem, eámque toti Ecclesiæ approbatam: legat Cyrilli Epistolam 10. ad Nestorium, Anathematismis in T. 4. *Carni in summa, hæc attribuuntur non seorsum & simpliciter: sed quia caro Dei est, eiúsque organum, non separatum, sed in vnitatem personæ coniunctum, ac proinde, quod proprium est verbi, carni quoque appropriatur.* Hæc est summa: Et perinde est, ac si dicas, Deus in carne, cum carne, & per carnem suam viuificat.

XXIIX. Pater *Sedulius*. Ex huius comment. in primū cap. ad Ephesios, hæc citantur verba. *Omnia subiecit sub pedibus h. e sub dominatione humanitatis eius: omnia subiecit pecora, volucres, pisces, &c.* Hæc aduersarij ex Sedulio, quasi aliquid noui & singulare attulerint. Sed non est opus responsione: cùm sæpius iam talia dicta sint explanata.

XXIX. *Nicephorus* est.

1. Ex lib. 1. c. 36. citantur hæc: *Christus sibi à patre potestatem summam cœli & terræ, sibi scilicet iuxta humanitatem traditam esse confirmat.*

R. Concedimus: Sed qualis potestas, & quomodo tradita ei fuisse dicatur, explicatum fuit sæpius.

2. Citant etiam aduersarij Catenam Auream, nescio cuius super Euangelistas: quasi sit Nicephori: sed Nicephori nunquam vidi: Thomæ Aquinatis vidi. Ex ea igitur Catena citant Hieronymum & Rabanum, qui nihil aliud docent, quàm illam potestatem, de qua Matth. 28. datam fuisse Christo, non qua Deus est, sed qua homo.

Citant & Seuerianum ex eadem Catena, dicentem: *Filius quippe Dei filio virginis, Deus homini, diuinitas carni contulit, quod semper ipse cum patre possedit.*

R. Licet Nestorianismum sapiat hæc phrasis, Filius Dei dedit filio hominis: tamen condonatur. Cæterùm quomodo hæc dicta sint intelligenda, abundè dictum est. Quæ habuit ὀντολογικῶς: dedit per communicationem idiomatum: Quæ κτητικῶς: dedit realiter.

3. Ex

3. Ex historia Nicephori lib. 18. cap. 50. citatur hoc dictū. *Themistius philosophus, sub Valente, Agnoetarum secta dux fuit. Hi dicunt, τὸν λόγον omnia nosse: humanitatem verò secundum subsistentiam ei unitam, permulta ignorare.*

Hoc dicto innuere Aduersarij voluerunt, Animæ Christi communicatam fuisse omniscientiam diuinam: Quod si hanc, Ergo & reliquas proprietates Dei essentiales.

R. Sed falluntur hac in parte: quia licet concederetur, Animam Christi nihil eorum, quæ fuerunt, sunt, aut futura sunt, ignorasse: quòd in verbo ea videre potuerit, non quidē eo modo, puta, vno intuitu, quo Deus: non tamen inde sequeretur, communicatam ei fuisse ipsam infinitam & essentialem Dei sapientiam, vt supra sæpè à nobis explicatum fuit. Omnis enim alia scientia & sapientia, quibus creaturæ donantur, donative possunt, effectum sunt illius essentialis sapientiæ, quæ Deus est.

Cæterum de illa hæresi *Agnoetarum* bene respondit doctissimus Danæus in lib. contra Kemnitium: ex lib. 8. Etymol. Isidori. *Hæresim Agnoetarum fuisse, quod facerent τὸν λόγον filium Dei, propter unionem cum carne, multa ignorasse, & horam ipsam Iudicij:* non autem esse hæresim, si quis hoc asserat de anima Christi: cùm hoc apertè Christus ipse tradere videatur, multique patres sic sentiant. Sic Lucas 2. dicit *eum profecisse sapientia &c. Ies. 7. Antequam sciat reprobare, &c.* Et sic Vigilius lib. 5.

XXX. Pater Gregorius primus. *ex interpretatione in 1. Reg. 11. adducitur testimonium, quo ait: Christum infirma humana natura, in celsitudinem diuinitatis assumpsisse.*

R. Ex iis, quæ antè non semel diximus de sessione ad dexteram patris, liquet: quomodo ad celsitudinem Deitatis euecta sit humana & infima natura. In λόγῳ æqualis est patri: quia, quicquid λόγου est, appropriatur carni, propter identitatem personæ. In seipsa, eóque per realem eius sublimitatem: supra omnes est creaturas, sed infra Deum. Neutrum autem ad realem idiomatum communicationem pertinet.

2. *Ex Epist. lib. 8. cap. 42. citantur hæc verba.*

Incarnatus, unigenitus, factusq; pro nobis homo perfectus, in natura quidem humanitatis nouit diem & horam iudicij: sed tamen hoc non ex natura humanitatis nouit: Quod ergo in ipsa nouit, non ex ipsa nouit: quia Deus existens & homo factus, diem & horam iudicij non nisi per diuinitatis suæ potentiam nouerat. Sic sensit Greg. & alij multi de illa quæstione. Alij tamen insignes viri, & antiqui patres volunt Christum, qua homo est, multa seipsa ignorasse. Legatur, præter alios, Vigilius li. 5. c. 3.

XXXI. Pater D. *Bernardus.*

Ex sermone 74. in cantica: citantur hæc verba: Apostolus non dicit, Excelsior cœlis existens vel manens: sed excelsior cœlis factus: ne quis putet, de illa natura dictum, in qua est, qui est. (id est in qua est Deus) *Sed etiam in eo, quod in tempore factus est* (id est in carne, Verbum enim caro factum est) *omnem sibi eminentiam vendicat super omnem principatum. & super omnem denique creaturam.*

R. Sed ad hæc omnia responsum est, & demonstratum, hinc realem idiomatum communicationem probari non posse.

XXXII. Pater *Damascenus.*

Gratissima mihi est laus, quam Damasceno tribuunt aduersarij: quia est verissima: cùm aiunt: *Damascenum in doctrina de Trinitate, ac præcipuè de persona Christi, ex præcipuis Veteris Ecclesiæ doctoribus & uniuersalibus Synodis, integras sententias iisdem fermè autorum, unde sumsit, verbis, descripsisse: eóque libentius se huius sententias citare, quæ & diligentius sunt obseruandæ.* Si ita se res habet, Non sunt igitur Damasceni dicta nobis deprauanda. Sed eò purius & sincerius tractanda, quo certiora sunt Veteris Ecclesiæ testimonia: quod certè si fecerimus: cominus in hac proposita quæstione restabit dubitationis & altercationis.

Nunc ad rem. Ac primum quæ ex Damas. nobis ab Aduersariis obiiciuntur, examinemus. Deinde suo loco, quæ pro nostra faciunt sententia, proferemus.

1. Ex libro Orthodox. Fidei 3. c. 30. proferunt hoc testimonium. *Christus* (inquit) *nomen est personæ, vtriusque naturæ significatiuum. Ipse enim seipsum vnxit: Vt Deus quidem deitate sua vnxit corpus: vnctus verò est, vt homo: Deitas verò vnctio est humanitatis.*

R. Hoc totum amplectimur, vt consentaneum cum sacris literis, totáque antiquitate. Sed an hinc consequi, colligive possit realis idiomatum communicatio: abundè in præcedentibus dictum est: & præsertim in explicationibus locorum Sacræ S. quæ sunt de vnctione.

Quòd autem subdunt aduersarij: Ne verò per confusionem illud factum cogitetur, aut formaliter, sed per vnionem, mox addit regulam: *Quod vna natura non sit δεκτική, susceptiua contrariarum substantialium differentiarum:* hoc nimis peruersè, ne quid grauius dicam, torquetur.

Disputat in eo capite Damas. aduersus Monophysitas: docétque in Christo duas esse naturas, non vnam tantùm. Hoc cùm probasset ab vnctione: quia aliud est, quod vngitur, id est humana natura, aliud, quo inungitur, id est diuina, cùm tamen vnus tantùm sit Christus: alterum subiicit argumentum.

Si Christus vnius est naturæ compositæ: & idem ὁμοούσιος est patri: fuerit igitur & pater naturæ compositæ, & nostræ carni ὁμοούσιος.

Et mox addit 4. argumentum: πῶς γὰρ μία φύσις τῶν ἐναντίων οὐσιωδῶν διαφορῶν δεκτικὴ γένοιτο; q. dicat *Fieri nullo modo potest, vt vna eadémque natura contrarias essentiales proprietates in se recipiat & habeat.*

Idem & libro 4. c. 19 pag 124 confirmat exemplo, d. πῶς γὰρ σῶμα τὸ αὐτὸ φύσει ... ταυτὸν κτιστὸν ... καὶ ἄκτιστον ... θνητὸν καὶ ἀθάνατον περιγραπτὸν καὶ ἀπερίγραπτον;

Minorem tacuit, quæ hæc est: *Atqui in Christo contrarias eásque essentiales proprietates, actionésque videmus, vt Euangelistæ narrant. Ergo, &c.*

Hoc eodem argumento vsus antea fuerit Vigilius. (vt de aliis taceam: nemo enim vsus non est) contra Eutychen li. 4. c. 4. Vbi cōcludit: *Si Christus vnius tantùm sit naturæ, cùm tamen sit Deus & verbum incarnatum: oportere aut carnem vbique esse cum verbo, aut verbum cum carne loco circumscribi atque concludi: quid ita? Quia* (inquit) *vna natura contrarium quid & diuersum non recipit in seipsa Contraria autem sunt, vbique esse, & certo circumscribi loco: quorum vnum est verbi, alterum carnis.*

Cùm hæc ita se habeant tam manifestè támque perspicuè: cur Damasceni, à vobis vsque adeo laudati, verba ita peruertitis: Vt dicatis illa mox fuisse addita, ne quis putaret corpus Deitate formaliter & per confusionem vnctum fuisse: Sed tantùm per vnionem: Cum alio spectarit Damascenus & aliud ageret. Agnoscite ergo verba hæc Damasceni: πῶς γὰρ μία φύσις τῶν ἐναντίων οὐσιωδῶν διαφορῶν δεκτικὴ γένοιτο; nouum esse argumentum, non autem superioris explicationem, & hoc nouo argumento vestram realem idiomatum communicationem prorsus euerti: Et date gloriam Deo.

2. Ex cap. 6. eiusdem libri 3. citant dictum Damasceni: quo illud Apost. Col. 2. In ipso inhabitat σωματικῶς pro ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ interpretatur.

Quorsum verò hoc? Nihil prorsus ad rem. Duo docet Damascenus. Primùm licet dicat Apostolus, *Omnem plenitudinem Deitatis*: solum tamen filium esse incarnatum. Deinde totam eius deitatem, toti exemplo seu carni, tanquam suæ propriæ, suæque hypostaseos parti vnitam esse. Sed putant aduersarij, hoc dicto Apostoli significari, omnes Dei proprietates realiter in carne esse communicatas; qua in re falluntur.

3. Ex cap 7. citant locum, quo duo concluduntur: Vnum, licet naturæ duæ in Christo, diuina & humana, dicantur εἰς ἀλλήλας ἀντιχωρεῖν: περιχωρεῖν tamen à diuina natura prouenire: quòd ipsa propriè per omnia permeat, prout vult, per ipsam autem nihil. Hoc nil ad præsentem facit quæstionem: sed tantùm ad veram vnionem spectat: quòd scilicet Deitas tota, totam impleat humanitatem. Περιχώρησις enim non significat realem communicationem, sed perfectam vnionem. *Alterum* est, quod Deitas τῶν ἰδίων αὐχημάτων τῇ σαρκὶ μεταδίδωσι: manens ipsa impassibilis, & expers passionum carnis, idque exemplo solis confirmat, qui suas operationes nobis communicans, manet expers eorum, quę nostra sunt.

R. Hic locus quomodo sit intelligendus, in præcedentibus abundè declarauimus. Summa est: Si nomine τῶν αὐχημάτων intelligas essentiales Dei proprietates: eas communicat naturæ humanæ, non realiter, sed per gratiam vnionis, perque communicationem idiomatum.: Sed hunc sensum non probamus, quia hac ratione non minus caro suas communicaret diuinæ, quàm diuina suas humanæ. Damas. autem ait, Diuinam nihil ab humana accipere. De effectis igitur & donis creatitiis locum Damasceni esse intelligendum, nemo non videt: id quod etiam exemplum solis, quod adfert satis confirmat. Non enim sol suas essentiales proprietates realiter communicat nobis, sed tantum illarum effecta: τῶν οἰκείων ἐνεργειῶν (inquiens) μεταδίδωσι.

Quid igitur hic locus ad realem idiomatum naturæ diuinæ in humanam communicationem? Imò illud cap. 7. eam expugnat: quia ibi apertè docet Damascenus, ita factam esse vnionem naturarum, vt vtraque suas retinuerit

proprietates, & alteri non communicarit.

Ait enim, Christum θεϊκῶς ἀπερίγραπτον τῷ: *Carnem autem eius manere circumscriptam & Deitati non coëxtendi.*

4. Et c. 15. ea recitant, quibus ipsorum dogma refutatur. Primum ait Damascenus (vt etiam recitant aduersarij) *Diuina signa operabatur diuinitas, sed non sine carne: & caro humilia, sed non sine Deitate.* Hæc ille.

Si diuina signa non operabatur caro, sed Deitas: carni igitur diuina facultas edendi signa, realiter non fuit communicata: sed erat duntaxat organum (vt ait Damascenus) Deitatis, per quod illa operabatur. Deinde ait: Ac operanti verbi Deitati, counita erat sancta anima intelligens & videns, quæ perficiebantur. Non dicit, anima Deitati operanti cooperabatur: sed tantùm, counita erat, videns, quæ perficiebantur: à quo? quæ à Deitate scilicet perficiebantur. Quod ergo postea subdit: *Proprias igitur glorificationes Deitas corpori communicat:* hunc habet sensum eumque planum: nempe, Deitas communicare dicitur carni, quarenus hac, vt proprio organo, ad suas multas operationes, vel potius opera, Deitas vtitur: quemadmodum ipsemet Damasc. statim explicat d. Deitas verbi per carnem operabatur. Caro enim organum Deitatis constituta est. Hæc Damascenus.

5. Ex cap 17. Locum adferunt satis prolixum aduersarij: qui itidem ad realem communicationem idiomatum nihil facit: sed tantùm confirmat verbalem essentialium vtriusque naturæ proprietatum communicationem: & quodammodo ex consequenti, realem etiam creatitiorum donorum à diuina in humanam naturam collationem. *Verba Damasceni, quæ ab aduersarijs citantur, hæc sunt:* Caro Domini dicitur τεθεῶσθαι, Deificata, iuxta Nazianzenum, οὐ κατὰ μεταβολὴν φύσεως, ἢ τροπὴν, ἢ ἀλλοίωσιν, ἢ σύγχυσιν. *Sed secundum* οἰκονομίαν: *Vnionem dico hypostaticam: secundum quam inseparabiliter Deo verbo vnitur: & secundum* περιχώρησιν (*scilicet Deificata caro dicitur*) *naturarum in se mutuam:* ὡς καὶ τὴν τοῦ σιδήρου πύρωσιν: id est, *sicut & dicimus ferri ignitionem. Sicut enim incarnationem, sine transmutatione & conuersione confitemur: ita & carnis θέωσιν glorificamus (id est, sine mutatione factam prædicamus)* Addit explicationem, dicens: *Neque enim ideo, quia verbum caro factum est: à terminis propriæ deitatis excessit, vel ab iis, quæ ipsi insunt, Deum decentibus glorificationibus: Neque caro θεωθεῖσα, à propria sua natura, aut à naturalibus suis proprietatibus versa est. Manserunt enim etiam post vnionem, naturæ ἀσύγχυτοι (inconfusæ) & earum proprietates ἀλώβητοι (imminutæ, id est, non minutæ.)*

Summa autem horum verborum hæc est.

1. *Propositio:* Caro dicitur esse Deificata, id est facta Deus, sicut & λόγος dicitur incarnatus: non per transmutationem, non per conuersionem, non per alterationem, non per confusionem: sed secundum οἰκονομίαν, hoc est hypostaticam vnionem: & secundum περιχώρησιν τῶν ἐν ἀλλήλαις φύσεων.

Harum duarum dictionum, prima, nempe οἰκονομία significat modum, quo caro est deificata, per vnionem scilicet hypostaticam. Altera dictio περιχώρησις, clarius explicat speciem vnionis, eoque apertius docet, quomodo caro sit deificata: quia scilicet tota Deitas totam carnem occupauit, atque impleuit. Exemplum, Vt si dicam, corpus animatum est, non per conuersionem corporis in animam, sed per vnionem animæ ad corpus: & mox explicem, vnionem hanc, qua anima vnitur corpori: nempe non esse talem, quali vnitur asseri, sed quali res aliqua, aliam totam complectitur, & permeat: quæ à Græcis περιχώρησις appellatur. Sic Damascenus agit, cùm quomodo deificata sit caro Christi, explicat, *Hæc est propositio cum explicatione: qua sola vnio hypostatica stabilitur. Sequitur confirmatio prima: à simili ferri igniti:* ὡς καὶ τὴν τοῦ σιδήρου πύρωσιν. Ferrum ignitum dicitur factum ignis, non quòd conuersa sit ferri substantia in ignem, quemadmodum tandem fit in ligno, sed tantùm propter vnionem cum igne, & ignis in ferro. Confirmatio 2. ab oppositis: ὥσπερ γὰρ, &c.

Argumentum est: Deus dicitur incarnatus, id est, factus caro, non per conuersionem Deitatis τοῦ λόγου in carnem, sed tantùm per vnionem: Ergo neque caro ideo dicitur Deificata, quòd sit in Deum mutata, sed quòd hypostaticῶς vnita sit Deo.

Explicationem porrò subdit, quæ etiam vim habet confirmationis: dicendo: οὔτε γὰρ διότι ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο τῶν ὅρων, &c. Sensus est: Deus λόγος, licet factus sit caro: quia per solam ὑποστατικὴν vnionem factus est, non tamen aut à sua natura, aut à suis proprietatibus recessit. Ergo etiam caro, licèt deificata esse dicatur, non propterea tamen quidpiam amisit, vel suæ naturæ, vel suarum essentialium proprietatũ: quid ita? quia per solam vnionem hypostaticam facta est Deus, seu deificata est. Manserunt enim αἱ τε φύσεις ἀσύγχυτοι, καὶ αἱ τούτων ἰδιότητες ἀλώβητοι.

Hæc est resolutio & explicatio verborum Damasceni, quæ hactenus lecta à nobis sunt, & recitata ab aduersarijs. E quibus liquet, nihil planè de reali vel naturarum, vel naturalium proprietatum communicatione, locutum esse Damascenum. Sed tantùm de vera & perfecta naturarum vnitione in vna persona. Hac enim vnitione fit primùm ὁ λόγος, sicut per naturam suam verus est Deus, sic per gratiam vnionis verus sit homo: Deus in forma Dei: homo in forma serui. Rursus eadem vnione fit, vt caro rationali anima prædita, sicut realiter & sua natura est tantùm homo: sic etiam per gratiam vnionis ad verbum Deum, fit Deus: homo in se, & Deus in λόγῳ, propter identitatem personæ.

2. Eiusdem vnionis respectu fit, vt eodem modo, proprietates etiam cuiusque naturæ se habeant: quas salua & integras sua quæque natura proprias retinet. λόγος igitur, sicut per suam naturam diuinam, æternus, vnigenitus, diues & omnipotens est: sic per gratiam vnionis in assumta forma serui, temporalis, primogenitus, infirmus, pauper est factus: Diues in suis (ait Leo) pauper in nostris. Idem de actionibus dicendum est: λόγος in sua forma Dei, suscitat mortuos per naturam: idem in forma serui per gratiam vnionis, pati dicitur, & mori: Contra homo assumtus (si ita licet loqui) id est, filius hominis, seu Christus, qua homo, per suam naturam pati. Rursus idem per gratiam vnionis & per communicationem idiomatum dicitur mortuos suscitare. Hæc docet Damasc. Hoc est etiam quod Vigilius scribit: *Cuiusque naturæ proprietates & actiones propriæ sunt personæ: in ea autem communes fiunt alteri naturæ propter identitatem personæ.* Quomodo communes alteri? Quia ad eam pertinent per gratiam vnionis, quæ in altera sunt aut fiunt per naturam: Vt, quia λόγος mori non potest in sua natura & per naturam propriam: mori tamen dictus est in carne, id est: quia caro propria mortua est.

Hæc de primis verbis. Reliquis quæ sequuntur, in primis confirmat superiorem doctrinam de communicatione per gratiam vnionis: sed ex consequenti docet, multis diuinis donis ditatam & ornatam fuisse carnem Christi ex vnione ad verbum, quibus idoneum fieret deitatis organum, ad illa, quæ ad salutem pertinent exequenda. Ait ergo: Caro autem Dei ταῖς θείαις ἐνεργείαις πλουτεῖ. Aduersarij hæc citant, quasi ex vnione ad verbum, caro reali participatione, Deitate particeps facta sit ipsarum diuinarum actionum, vt non minùs hæc, quam Deitas, tanquam caussa verè efficiens miracula ediderit & homines viuificarit, atque viuificet: id quod manifestè liquet. Sed falluntur.

1. Nomine diuinarum ἐνεργειῶν, aut intelligunt ipsas propriè actiones, quas Christus, vt Deus edebat, aut ipsa ἔργα & ἀποτελέσματα. Si primum: talibus ἐνεργείαις non alio modo ditari: & locupletari potuit, quàm etiam deificata est eadẽ caro Christi. Nã θεῖαι ἐνέργειαι, reapse nõ differũt ab essentia: propter summã Dei simplicitatẽ. Deus enim agit non manibus, sed sua omnipotenti voluntate. Atqui caro deificata fuit & facta Deus, non realiter & in seipsa, per realem communicationem, sed in verbo per gratiam vnionis, & propter identitatem personæ: sicut & λόγος factus est homo, non in forma Dei, sed in assumta forma serui, seu propter formam serui in vnitatem suæ personæ assumtam, vt supra ostensum est. Ergo, si nomine θείων ἐνεργειῶν, ipsas Deitatis actiones intelligit Damascenus: caro Christi, sicut non est per realem Deitatis communicationem, & in seipsa facta Deus: sed in λόγῳ & per gratiam vnionis: sic neque alio modo diuinis actionibus ditata est.

2. Quod de carne in genere dixit, idem paulo post dicit de voluntate humana in Christo, eam fuisse Deificatam, &c.

Atqui diuersæ sunt actiones voluntatis humanæ & diuinæ. Ac sicut diuina non volebat, nec vult, actione voluntatis humanæ, sic neque humana volebat aut vult, actionibus voluntatis diuinæ. Quò pertinent ea, quæ supra fusè docuimus de diuersitate actionum diuinæ & humanæ in Christo naturarum.

Si verò alterum dicas, nomine scilicet τῶν θείων ἐνεργειῶν venire hoc in loco τὰ θεῖα ἔργα (?) ...: ad hæc non concurrebat caro, nisi vt organum Deitatis & suo merito, ac de iis loqui videtur Damasc. quia ait: Caro operabatur diuina, verbo per eam, propriam suam ἐνέργειαν ostendente. Et huc pertinet simile ferri igniti, per quod ignis vrit. Hoc autem sensu, ex verbis Damasceni concluditur, non realis communicatio, sed tantùm vera & perfectissima vnio naturarũ: quarum vna operatur per alteram, tanquam per suum organum: vt anima per corpus. Ac si dicitur corpus operari

quæ

quæ sunt animæ: vt, quod videant oculi, aures audiant, instrumentaliter hæc facere dicuntur: quia per oculos videt, & per aures audit anima. Sic voluntas efficax Deitatis, sese patefaciebat per voluntatem humanitatis inefficacem: vt cùm Christus, vt homo dixit: *Volo mundus esto*. Ad opus illud concurrit voluntas diuina, vt principale agens, & voluntas humana, vt secundarium agens & organum, per quod diuina sese patefecit: Et efficacitas fuit à diuina, per humanam autem patefacta: sicut per corpus, animæ efficacitas exercetur & declaratur. Atque hoc est, quod Damascenus ipse, sese explicans simili ferri allato, quod non vrit, nisi vt organum ignis, & quia per illud sese exerit ignis, Sic concludit: *Ipsa igitur* (caro Domini) *mortalis erat propter seipsam, δι ἑαυτὴν, viuifica autem propter vnionem ad λόγον ὑποστατικήν*.

Cùm ait δι ἑαυτὴν, intelligit in se se, qualis tum erat cum omnibus rebus sibi à Deo realiter communicatis. Ad summam.

Nihil aliud concludit Damascenus: quàm duas esse in Christo naturas, & duas voluntates, in vna persona ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως vnitas.

Cuius vnionis gratia & Deus λόγος dicitur incarnatus, factúsque homo: & caro deificata factáque Deus: & cuius etiam gratia, caro dicitur viuifica: licet in sese ac per se vim viuificandi non habeat.

Sed ideo dicitur viuificare, quia per eam λόγος viuificat: Quæ omnia semper confessi sumus ac confitemur: Sed nulla hinc realis idiomatum communicatio euinci potest. Nam quòd caro Christi & vitam in se, & sapientiam, & potentiam habeat realiter communicatas, effecta nimirum illius essentialis vitæ, sapientiæ & potentiæ Dei: Hoc ad realem idiomatum communicationem non pertinet. Atque hoc est, quod diximus à Damasceno ex consequenti doceri, carnem & animam Christi magnis & verè diuinis rebus fuisse ditatam & ornatam: vt iis fieret idoneum Deitatis organum, ad perficienda, quæ erant perficienda, pro salute nostra.

6. Ex cap. 18. *Diuina Christi voluntas erat æterna*, &c. Damasc. de duabus agens voluntatibus in Christo, concludit, diuinam quidem æternam esse, & παντουργὸν omniefficacem: humanam autem & à tempore cœpisse, & naturaliter non esse παντοδύναμον. *Vt verò* (inquit) *verè & secundum naturam, Dei verbi facta est voluntas: etiam παντοδύναμος facta est*.

Hæc ex Damasceno aduersarij. Addunt & commentatoris verba, quæ hæc sunt: *Diuina voluntas suapte natura efficacissima est, virtutem seu potentiam habens omnia efficiendi, quæ velit. Humana verò Christi voluntas non hanc sua natura habet omniefficacem virtutem, sed vt vero Deo iuncta*.

Hinc putant aduersarij concludi posse, omnipotentiam Dei à diuina voluntate humanæ Christi voluntati realiter fuisse communicatam.

R. Sed falluntur. Scriberet enim pugnantia Damascenus. Primùm enim apertè docet, voluntatem Christi humanam suam naturalem retinuisse impotentiam, vt non quæcunque vellet, perficere posset. Et sic supra etiam conclusit c. 17. iuxta illud Euangelistæ: *voluit latere & non potuit*. Si autem retinuit naturalem suam impotentiam: non potuit igitur omnipotentiam Dei in se realiter communicatam recipere: iuxta illud eiusdem Damasceni, supra lib. 3. cap. 3. οὐδὲ γὰρ ἡ φύσις τῆς σαρκὸς οὐ γέγονε θεότης ἀλλὰ [illegible]. Manifestum igitur est, quod hic scribit de voluntate Christi humana: Quod scilicet ex vnione cum λόγῳ facta sit παντοδύναμος: intelligi hoc non posse de omnipotentia Dei realiter ei communicata.

At quomodo igitur παντοδύναμος facta esse dicitur? Per communicationem idiomatum: propter identitatem personæ: siue (vt loquitur Leo in forma Dei omnipotens facta est, quæ in sese mansit infirma. Quo enim modo humana caro facta est Deus? per communicationem idiomatum: quia vnita ei, qui est Deus. Sic etiam omnipotens facta est, quia vnita omnipotenti. Deinde facta etiam παντοδύναμος dici potest, quia quicquid, etiam vt homo, vult, illud fit, cùm nihil velit, nisi quod vult ὁ λόγος Deus: sed prior responsio est genuina.

7. Ex 19. capite, vbi περὶ θεανδρικῆς ἐνεργείας agitur, citatur testimonium: quo declaratur, quomodo natura diuina humanæ communicet, & vicissim humana diuinæ. Summa hæc est. *Diuina natura humanæ operanti communicabat bifariam: tum quia permittebat illam pati & operari pro sua imbecillitate: tum quia eius passiones & operationes reddebat salutares. Rursus caro operanti Deitati communicare dicebatur, & dicitur: partim, quia ei seruiebat vt organum principali agenti, partim quia cùm sit vna tantùm persona agens, & caro pars sit huius personæ: ideo quicquid agebat Christus secundum diuinam naturam, illud etiam attribuebatur carni, propter identitatem personæ: vt, Hic homo remittit peccata*.

Quid autem hæc ad realem communicationem? Nihil planè.

Explicat præterea Damascenus iuxta dictum Leonis, *Vtraque forma agit cum communione alterius*, &c. Explicat inquam: quomodo vtraque forma quod proprium est, operando, alteri, ad idem ἀποτέλεσμα perficiendum, cooperetur, & suam quoque impendat operam, οὐ διῃρημένως, ἀλλ' ἡνωμένως: nempe sicut ignis & gladius vniti, ad vstam incisionem & incisam vstionem: Vnde actiones θεανδρικαὶ, appellatæ fuerunt. Hæc verò tantùm abest, vt realem communicationem comprobent, vt nihil eam fortius damnet: vt sæpe ostensum est. Sic enim distinctæ sunt actiones, nec quæ vnius sunt propriæ, alteri fiunt realiter communes: Ergò facultates etiam ac proprietates essentiales, alteri realiter non communicantur.

8. Ex cap. 21. Prolixum affertur testimonium, de dominio & cognitione Christi, déque viuificatione carnis eius, & per consequens de aliis perfectionibus. Summa hæc est. *Si subtili cogitatione separes in Christo humanitatem à Deitate, & illam absque hac, in sua nuda natura, qualis in nobis est, consideres: caro & serua & ignorans dicitur, nec vllo modo viuifica dici potest. Ratio est, quia talis quoque est nostra natura, cui per omnia, excepto peccato, similis est illa assumta, in sese considerata. At si eam vt λόγῳ vnitam καθ' ὑπόστασιν contempleris, ea nec serua nec ignorans dici potest: sed & rerum futurarum cognitione, & omnibus aliis θεοσημίαις (vt loquitur Damascenus) ditata est*.

Hæc est summa. Aduersarij illud κατεπλουτίσθη, locupletata seu ditata est, ad realem communicationem transferunt: quasi concludere voluerit Damascenus, omniscientiam, omnésque essentiales proprietates diuinæ naturæ in humanam realiter esse deriuatas, ac communicatas.

R. Sed falluntur. Damascenus loquitur propriè, & cum primis de omnium Thesaurorum, essentialiúmque diuitiarum τοῦ λόγου, communicatione: quæ per gratiam vnionis, & communicatio idiomatum vocatur: Naturam scilicet humanam, quæ in sese, id est, in sua nuditate, pauper est, in λόγῳ factam esse ditissimam. Hoc inde liquet: primum, quia repetit ex Nazianzeno, διὰ τὴν τῶν ὀνομάτων ταυτότητα, iis θεοσημίαις humanam Christi naturam esse locupletatam, quasi dicat, quia & diuina & humana naturæ, sunt vna persona, ideo quæ sunt diuinæ, ipsi etiam humanæ attribuuntur diuitiæ. Deinde, quia ait, ditatam esse, non solùm cognitione, sed etiam reliquis omnibus θεοσημίαις: quasi dicat, omnibus diuinis proprietatibus. Realiter autem communicatam esse carni Christi infinitatem, simplicitatem, inuisibilitatem, & alias nonnullas proprietates negant etiam aduersarij. De reali igitur idiomatum communicatione, non loquitur Damascenus.

3. Idem constat, quia inde probat carnem assumtam non posse dici seruam, quia hypostaticῶς vnita est ei, qui est omnium dominus: Et contrà de Christo dicit, quòd appellationem serui subiit, non quòd talis sit in sese, sed quia formam serui suscepit. Ergò, quæ etiam hic de carne prædicat Damascenus, ea prædicat, non quòd talis sit in sese, sed in λόγῳ.

4. Denique ad calcem capitis, contra Nestorium, qui vocando Iesum seruum, & λόγον dominum, vnam personam diuidebat in duas, ait: *Nos autem dominatorem ipsum dicimus dominum omnis creaturæ, vnum Christum, eundémque Deum & hominem omnia scientem: nam in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ absconditi*.

Ergò non de reali, sed de illa, quæ per gratiam vnionis vocatur, idiomatum communicatione loquitur Damascenus. Cæterùm hanc consequitur necessariò realis, pro[illegible] infinitorum & maximorum, sed creaticiorum bonorum communicatio.

Totum hoc, quod Damascenus docuit, ipse commentator explicat simili puellæ ignobilis, quam rex aliquis in matrimonium duxit. Illa ex sua natura & natiuitate, ignobilis & pauper est: sed in viro nobilissima ac ditissima est facta, adeóque regina.

9. Ex cap. 22. Sententia refertur Damasceni de scientia Christi, quà homo est. Ea est: *animam Christi, ab initio conceptionis, plenam fuisse omnium rerum cognitione, quia vnita erat verbo in quo scilicet omnia intuebatur: sed profecisse, dum pro ratione ætatis, eam in manifestationem produxit*,

Et improbat secus sentientes, quòd cum Nestorio videantur veram vnionem non rectè instituere.

Hinc fortè aduersarij innuere volunt, de sententia Damasceni: Nestorianos illos esse, qui non admittunt, in anima Christi fuisse ab initio conceptionis omniscientiam: alioqui, si hoc nolunt: quorsum hoc testimonium, non video.

R. Sed hac ratione Nestoriani fuerint multi patres, Ambrosius, & alij: Item Lutherus, & ferè omnes nostri temporis doctores.

Deinde apparet Damasc. hæc scribere aduersus illos, qui nolebant in Christo esse plenitudinem scientiæ, quam in alios deriuare posset, ab ipsa etiam conceptione. Quomodo enim vt homo deriuaret in alios, quod ipse non habebat? At non deriuat in nos essentialem Dei omniscientiam, sed creatitiam, quæ est illius effectum: & quæ in ipsa Christi anima, perfectissima est, & non ad mensuram, propter vnionem hypostaticam, non autem participatione per gratiam, sicut in nobis. Non ergo de scientia Dei, sed de creata loquitur Damascenus.

Quare nihil hic locus facit ad rem. Esto enim, fuerit plenitudo scientiæ, in anima Christi, à natiuitate: sed qualis? qualis nimirum à creatura capi potest.

10. Quod ex li. 2. c. 22. adducunt: de eadem est scientia animæ Christi. Sic enim ait: *De Domini anima, propriè loquendo non dicimus consultationem non enim habuit ignorantiam. Etsi enim erat natura ignorantis: attamen vnita Deo secundum hypostasin, omnium cognitionem habuit: non ex gratia & participatiuè, sed propter hypostaticam vnionem. Et tamen quia naturæ differunt in Christo: differunt etiam scientia & voluntates diuinitatis ipsius & humanitatis.*

R. Quid obsecro ex hoc testimonio pro reali communicatione idiomatum? Dat Christo secundum humanitatem, perfectam scientiam rerum omnium. Concedo. Sed qualem? Num illam Dei essentialem? Nequaquam. Ait enim, *quia naturæ differunt, differre etiam scientias & voluntates.* Ergo perfecta scientia, quam in anima Christi statuit Damascenus, alia est ab illa omniscientia Dei, quæ est eius proprietas essentialis: Nil ergo hic locus pro reali idiomatum communicatione.

11. Postremum, quod citatur testimonium, est huiusmodi ex libri quarti cap. 19. τὸν προσληφθέντα ἐκ τῆς σαρκὸς πλοῦτον, ex vnione & concretione carnis) ad altissimum Deum verbum insinuantes, vocamus θεοῦσθαι καὶ ὑψοῦσθαι.

R. Quid ex his verbis pro reali communicatione colligi possit, non video. Diuitias enim quæ carni ex vnione ad verbum accesserunt, vocat ipsam θέωσιν καὶ λόγωσιν καὶ ὑπερύψωσιν, (vt in contextu Damasc. est) Quæ verò hæc est carnis θέωσις & λόγωσις, καὶ ὑπερύψωσις? Illa cui opponitur τοῦ θεοῦ λόγου σάρκωσις, ὑψηλοῦ ταπείνωσις. Atqui λόγος non est factus caro, in sua natura, formáque Dei, sed in assumta forma serui, propter identitatem personæ: hoc est, ideo dicitur caro factus, quia eam rem in vnitatem personæ sibi assumsit & adglutinauit, quæ est facta & quæ caro est. Ergo eodem modo caro dicitur facta Deus, seu deificata: non quòd realiter in se facta sit Deus, sed quia ei vnita est καθ' ὑπόστασιν, qui reipsa & verè Deus est. Eodem modo vocatur diues, & λόγος factus dicitur pauper: illa exaltata, hic humiliatus: illa domina, hic seruus: non per realem diuitiarum & dominij diuini communicationem, in humanam carnem, aut per realem paupertatis & seruitutis humanæ in naturam diuinam collationem: sed per communicationem idiomatum, propter identitatem naturæ: vt sit, λόγος, diues in suis, pauper in nostris, vt loquitur Leo Papa. Oportet enim in his duabus propositionibus: *Deus λόγος factus est caro: Et caro facta est λόγος & Deus*: iustam fieri reciprocationem, vt ibidem c. 19 li. 4. pag. 124. docet Damascenus. Quomodo autem iusta & vera fuerit reciprocatio: si vna vno, altera altero sensu: vna per communicationem idiomatum, altera per realem communicationem accipiatur & intelligatur?

Tantùm igitur abest, vt hic locus confirmet sententiam Vbiquitariorum: vt nullo ferè argumento clarius penitus euertatur. Adde, quòd hic, eodem scilicet capite, & pagina, confirmat Damascenus argumentum supra positum, ex lib. 3. cap. 3. *Ideo in natura humana non posse realem idiomatum diuinæ naturæ communicationem admitti, quia in vna natura, contrariæ essentiales proprietates, nullo capi possunt modo.* Sed plura nos ex Damasceno aliàs, contra aduersarios. In præsentia satis est ad obiecta testimonia respondisse.

Cùm igitur responderimus ad omnia eorum, qui nobis obiecti fuerunt, patrum testimonia, ostenderimusque nihil ex illis allatum esse, quo probetur realis diuinorum idiomatum communicatio, imò pleraque in aduersarios retorserimus: credimus firmum manere nostrum argumentum secundum.

Talis doctrina ex pia antiquitate probari non potest. Ergo non est in Ecclesia admittenda.

Venio nunc ad tertium argumentum.

Tertium argumentum contra realem idiomatum communicationem.

D*Octrina de reali idiomatum communicatione, non solùm probari non potest è sacris literis, vt suprà, argumento primo demonstratum est: Verùm etiam cum illis pugnat, quam manifestissimè.*

Ergò in Ecclesia Christi admittenda non est.

Singula sacrarum literarum testimonia proferre, & ex illis rem demonstrare, nimis prolixum foret. & permolestū. Quædam igitur genera testimoniorum adferam, vt ex illis reliqua eiusdem generis intelligantur: quemadmodum etiam in illis, quæ nobis ab aduersariis obiiciebantur, examinandis egimus. Ita pleraque eorum, quæ pro reali communicatione adferebantur: a nobis contra realem communicationem retorquebantur.

1. Primum genus testimoniorum est illud, quod de incarnatione verbi, de vnione videlicet duarum naturarum, in vna persona, sententias continet: veluti est illa, *Verbum caro factum est.* Cum hoc & similibus dictis, doctrinam de reali communicatione ex diametro pugnare, planum fiet. Si quis veram horum locorum intelligentiam, ex orthodoxis patribus percipiat.

Propositio Ioh. est: Verbum factum est caro: id est, λόγος Deus factus est homo. Quomodo verò Deus factus est homo? Concilium Chalcedonense negatiuè exponit, dicens: ἀτρέπτως: Hoc contra Apollinarem: Non ergo factus caro, quòd aut quippiam τοῦ λόγου Dei, in carnem, aut quippiam carnis in λόγον conuersum sit: sicuti lignum fit ignis, per sui in ignem conuersionem.

2. Factus est caro, ἀσυγχύτως: Et hoc contra Eutychen. Non ergo factus est caro, quòd λόγος & caro mixta & confusa in vnam tertiam naturam: ita vt discerni & distingui amplius nequeat λόγος à carne: & caro à verbo: quemadmodum fit in mulso, quod ex aqua & melle in vnum confusis, fieri videmus: sed distinctus manet λόγος cum suis proprietatibus & actionibus, distincta item caro cum suis.

3. ἀδιαιρέτως, indiuisè: & hoc contra Nestorium. Non igitur factus est caro, per simplicem sui cum carne, quasi cum altera hypostasi coniunctionem: sicut duo homines per nexum amoris fiunt ceu vnus homo: & sicut vir atque vxor vna caro. & sicut, qui adhæret Deo, vnus spiritus efficitur cum eo: sed λόγος ita factus est caro, vt ipse & caro, vnus sint reuera Christus, vnaque persona, & hypostasis. Interpretatio hæc totius est Ecclesiæ.

Modum verò hunc affirmatiuè, quo λόγος factus est caro, hoc est, homo, explicat Apostolus Phil. 2. Et Hebr. 2. per verbum Assumsit: dicens: *Sumsit formam serui, & semen Abrahæ. Assumsit,* nempe in vnitatem personæ. Nam si assumsit sibi ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, ἀδιαιρέτως in vnitatem igitur personæ assumserit, necesse est: quia hoc modo exclusa omni mutatione, confusione, χωρισμῷ vnione ista remanet vera vnio personalis, quæ identitatem personæ constituit.

Hoc quisque examinet, & videbit necessario rem sic habere.

Quod enim alteri vnitur, sine transmutatione & sine confusione: illud aut vnitur ita, vt non fiat per realem συγχώρησιν vera pars eius cui vnitur, integra tamen & distincta: aut ita, vt fiat realis pars.

Si primum: vnio est σχετικὴ aut artificialis. Si secundum: vnio est hypostatica, & in vnitatem fit hypostaseos. Assumtio ergo carnis facta a filio Dei, cùm non sit vel σχετικὴ vel artificialis, hypostatica fuerit oportet: ita vt facta sit pars. Si autem assumsit carnem in vnitatem personæ, id est effecit, vt res assumta sit effecta, pars personæ Christi, quia ἀτρέπτως & ἀσυγχύτως, ita, vt & λόγος manserit quod erat sine vlla sui mutatione ac confusione, & caro idem manserit vera caro: quid sibi aliud vult, *Verbum caro factum est,* quàm verbum non in sua forma Dei, sed in forma tantum serui, realiter ac ὑποστατικῶς: in sua autem forma Dei, per communicationem duntaxat idiomatum, carnem esse factum?

factum? nempe in altera sui parte, realiter: in altera per gratiam vnionis, propter identitatem personæ.

Interpretatio confirmatur alio simili dicto, de incarnatione verbi. Gal. 4. *Misit filium suum factum ex muliere, factum sub lege: quomodo* filium factum? λόγος certè, filius Dei reuera in seipso & quod ad formam Dei, factus non est, neque ex nihilo, neque ex præiacente materia, qualis fuit sanguis, & caro virginis. Quomodo igitur ex muliere factus est? In ea forma serui & carne, quam ex Virgine sumsit, & sibi in vnitatem personæ copulauit, reapse factus est: quia illa caro assumta, & pars personæ τοῦ λόγου effecta, realiter facta est, & concepta ex muliere. Cæterùm, quia totus dicitur factus: necesse est, vt in sua quoque Dei forma, aliquo modo factus esse intelligatur.

Ad hanc igitur formam Dei quod attinet, quomodo factus esse dicitur? per communicationem (vt patres loquũtur) idiomatum: id est, quia quod carnis assumtæ proprium est, illud sibi etiam λόγος commune facit in forma Dei.

Hoc illustratur altera particula, quæ sequitur apud Apostolum, dicentem: *Factus sub lege.* Totus Christus factus est sub lege: sed diuerso modo, quoad formam Dei: & alio, quoad formam serui. Quoad formam serui, realiter factus est sub lege: sicut & realiter passus & mortuus, & sepultus est ac resurrexit. Quantum verò ad formam Dei attinet, minimè realiter fuit sub lege: Sicut neque realiter passus est: sed tantùm dicitur fuisse sub lege, & passus, & mortuus: Quomodo verò dicitur? Per gratiam vnionis, seu per communicationem idiomatum: non autem, quod reipsa fuerit sub lege, & mortuus. In forma ergo serui, realiter: in forma Dei, per communicationem idiomatum passus esse dicitur, & sub lege fuisse. Sic illud 2. Cor. 8. *Cùm diues esset, factus est pauper.* Diues realiter semper fuit & mansit in forma Dei: pauper realiter in forma serui factus est: Et vt ait Leo, *diues in suis, pauper in nostris,* nempe realiter. Sed in forma etiam Dei aliquo modo factus esse pauper intelligendus est. De tota enim persona dicitur, quod factus sit pauper, Christus. Quomodo igitur in forma Dei pauper? per communicationem idiomatum.

Hæc omnia sunt perspicua, quæ de interpretatione loci Ioh. 1. & similium dicta sunt. Nũc ad argumentum, vt propius veniatur: *Quanam est ratio, cur λόγος in forma quidem serui, realiter dicitur factus caro, & sub lege, in forma autem Dei, per communicationem idiomatum?*

R. Cur de eodem secundum vtramque formam prædicetur: in caussa est, ipsa personæ ex forma Dei, & ex forma serui constantis ταυτότης, identitas. Cur vero de formis, alio & alio modo: caussa est diuersitas formarum. Exemplum: Christus quoad formam Dei, solius patris est filius: quia ex sola eius substantia genitus est: quoad formam serui, solius Mariæ filius est, quia ex solius virginis substantia conceptus & genitus est. Et huc illud ad Hebr. Melchisedec, ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ dictus est. Totus tamen & Dei & Mariæ filius est, quia vna persona ex vtriusque substantia constans: quanquam diuersa ratione, secundum diuersas formas, Dei & serui, ita appelletur. Sic de homine: quoad animam & mentem à solo Deo est: Vnde Hebr. 12. solus Deus vocatur pater Spirituum: homines autem patres carnis: nam quoad corpus duntaxat sunt à suis parentibus filij. Quia tamen ex mente & corpore, vna constat hominis persona: ideo hæc identitas personæ effecit, vt totus Isaac exempli caussa filius Abrahæ fuerit appellatus.

Redeo ad argumentum. Si ergo identitas personæ in Christo efficit, vt λόγος dicatur factus caro & homo, eo sensu quo declaratum est: Sequitur eodem planè modo, & sensu, reciprocè dici posse, & debere, carnem seu hominem in hypostasi verbi existentem, esse deificatam, seu factam Deum. Ratio est: quia tam vnita est caro verbo Deo, quam Deus verbum carni: & ex vtraque natura vna & eadem constat persona Christi. Hinc apud patres ἐνανθρώπησις respectu Dei incarnati, & θέωσις respectu carnis deificatæ.

Est autem inter has duas propositiones, Deus est incarnatus, & caro est deificata, seu Deus est caro, & caro est Deus: iusta & æqua reciprocatio seruanda, vt Damascen. li. 4. c. 19. docet. Quæ cùm ita se habeant: Sequitur, Ergo sicut in hac propositione (Deus est homo) Deus in sola serui forma, seu secundum solam serui formam, quam in vnitatem personæ assumsit realiter est homo, in forma autem Dei seu in quantum Deus est, per gratiam tantùm vnionis homo esse dicitur: Sic in ista reciproca (Homo est Deus) Homo iste, qui est Christus in sola forma Dei consideratus, realiter est Deus: in forma autem serui, per gratiam tantùm

vnionis Deus esse prædicatur. Ac proinde, qui contrà, Hominem hunc in sola forma serui, seu in sola natura humana consideratum, realiter Deum esse dicit: ille contradicit scripturis, orthodoxè, iuxta Ecclesiam Catholicam explicatis. Idem enim est, ac si dicas, Christus, qua homo est, realiter Deus est: quo quid absurdius? Quod autem de naturis, illarúmque vnione diximus: idem de singularum proprietatibus concluditur. Deus enim, id est, Christus Deus, in sola carne assumta, pauper factus est realiter & seruus: passus & mortuus est: in sua autem forma Dei talis esse & fuisse prædicatur, secundùm tantùm communicationem idiomatum, propter identitatem personæ. Contrà: Caro, id est, homo Christus in sola Dei natura, cui caro vnita est, id est, secundùm solam Dei formam realiter est omnipotens: in natura autem serui per communicationem duntaxat idiomatum omnipotens esse dici potest.

Quid hinc? Ergo, qui dicit essentialem Dei omnipotentiam, realiter carni esse communicatam, is dicit carnem realiter esse omnipotentem. Nam qui realiter habet aliquid, is realiter tale est. Annon verò hoc pugnat cum scripturis orthodoxè intellectis? Nunc contraho argumentum quod pluribus explicatum est. *Argumentum* tale est.

Quicunque dicit, λόγον in sua natura diuina, seu secundum suam naturam diuinam, realiter factum esse carnem: is contradicit scripturis de incarnatione verbi, orthodoxè intellectis. Hoc iam supra declaratum est & confirmatum, quia sicut non est factus sub lege realiter, quatenus Deus est, nec passus, nec mortuus: Sic neque in eadem Dei forma, realiter factus est homo. Quid enim hoc esset aliud, quàm dicere, quatenus Deus est, homo factus est? quo quid absurdius? Ergò qui etiam contrà dicit, carnem in sua propria natura, id est, Christum hominem, secundum quod homo est, realiter & non tantùm per gratiam vnionis factum esse Deum: iisdem contradicit scripturis.

Sequela hæc optimè valet: quia non alio, sed eodem planè sensu intelligenda est hæc propositio, Caro seu homo, factus est Deus: quo etiam illa, Deus factus est homo.

Sunt enim reciprocæ, vt Damascenus docet libro quarto cap. 19. cùm non minus diuina natura sit vnita humanæ, quàm humana diuinæ: ex qua vnione nascitur identitas personæ, cum diuersitate naturarum, ex quibus constat cõiuncta. Hæc autem caussa est: cur inter has duas iam dictas propositiones, iusta reciprocatio esse debeat: nec diuerso sensu vna, quam alia sit accipienda. Atque hæc de vnione naturarum. *Huic argumento subsumatur:* Eandem esse essentialium proprietatum, cuiusque naturæ, rationem, quæ & naturarum est: nempe, vt non alio sensu, proprietates vnius, puta diuinæ naturæ, alteri, nempe humanæ, communicatas esse dicamus: quàm vicissim humanæ in ipsam diuinam communicatas esse intelligimus, & confitemur.

Quo sensu autem dicimus proprietates naturæ humanæ communicatas esse ipsi diuinæ? Non realiter: sed per gratiã tantùm vnionis, & per communicationem idiomatum. Quis enim dicat, Christum in Deitate passum esse realiter? Sicut ergo ille pugnantia cum scripturis docet, qui ait, Deũ in sua natura diuina, seu Christum, quatenus Deus est, realiter passum esse: sic non minus blasphemat & ille, qui prædicat hominem Christum in sua humana natura, seu, quatenus homo est, impassibilem fuisse, & omnipotentem atque vbique præsentem esse.

Atqui hæc prædicant, qui aiunt & scribunt, essentiales Dei proprietates realiter in humanam naturam communicatas esse. Cui enim aliquid realiter communicatur: is talis realiter efficitur, qualis & res est communicata.

Exemplum in filio Dei, qui ideo Deus est, quia Deitas ei a patre communicata est. Item exemplum in pueris (Heb. 2.) *qui communicant carni & sanguini,* & ideò homines sunt. Manifestum igitur est, doctrinam de reali idiomatum cõmunicatione pugnare cum scripturis: quia illud euertit, quæ sunt de incarnatione Filij Dei.

II. Genus testimoniorum.

1. Sed idem clarius apparebit, si illa scripturarum testimonia, quæ sunt de proprietatib. naturarum, examinemus: quale est illud, Ioh. 5. *Sicut pater habet vitam in semetipso: Sic dedit & filio vitam habere in semetipso.*

Hæc est proprietas Dei essentialis. Vitam enim habere in semetipso (vt Aug. & Cyrillus exponunt) est proprium Dei: quia est viuere per se & fontem esse omnis vitæ. Ac proinde vitam habere in semetipso nemo potest, nisi qui Deus est. Quicunque ergo hoc realiter attribuit carni Christi: is docet pugnantia cum sacris literis. Caro

enim Christi realiter non est Deus. Soli autem filio vnigenito, in æterna eius generatione datum hoc fuit: Et spiritui sancto, in eius processione, vt habeat vitam in semetipsis: carni autem non nisi per gratiam vnionis hoc attribui potest. Caro enim Christi viuificatur à vita Dei, tanquam à caussa efficiente. Vita igitur, quam viuit, non est ipsa Dei vita, sed eius effectum. Quare habere vitam in semetipso, carni realiter communicatum non est. Quia verò caro assumta, pars est personæ, quæ vita est, eóque Deus est, non realiter, sed personaliter, & per gratiam vnionis: ideò eodem sensu dici potest habere vitam in semetipsa, nempe per gratiam vnionis.

2. Pertinet huc & illud Ies. 42. *Gloriam meam alteri non dabo.* Alteri scilicet à mea essentia: nulli scilicet creaturæ. Non dabo, id est, realiter non communicabo. Nomine autem gloriæ, omnes suas essentiales proprietates intellexit, & actiones: per quas patefit eius maiestas. Pugnat igitur cum hac scriptura, qui docet essentiales Dei proprietates, realiter communicatas esse carni assumtæ.

3. Locus & ille perspicuus est, 2. Cor. 13. Vbi dicit, *Christū passum esse ex infirmitate* (scilicet carnis) *viuere autem ex virtute* (scilicet spiritus, Deitatísque suæ) Sicut & 1. Pet. 3. *Mortificatus quidem carne: viuificatus autem spiritu, id est, Deitate & per Deitatem suam.* Vterque Apostolus excludit à passione & morte Deitatem: & eam soli dat carni: contra, potentiam viuificandi, & excitandi à mortuis, à carne, totáque humana natura tollit, eámque soli dat spiritui, id est, Deitati.

Ergo à Deitate, propter vnionem hypostaticam, cōmunicata non fuit realiter carni, impatibilitas, immortalitas, aut vis à mortuis vel se vel alios excitandi: sed in sola realiter inest & manet Deitate, vt hic Apostoli docent.

Qui igitur contrarium prædicant, annon pugnant ex diametro cum doctrina Apostolica?

4. *Cœlum & terram ego* (solus) *impleo, Ierem.* 23. Item Soli Deo dicitur. *Quò ibo à spiritu tuo? Si ascendero in cœlum. Ps.* 139. *Non longè abest ab vnoquoque nostrum. Act* 17.

Hæc testimonia soli Deo dant vbique præsentiam: & negant omni substantiæ creatæ: vt nulla vel localiter, vel definitiuè, vel repletiuè vbique esse dici queat. Ergò nec carni Christi realiter communicata est: eóque nec reliquæ proprietates essentiales.

3. Tertium genus, ea continet, quæ de actionib. Dei sunt. Ioh. 5 Christus probaturus, se esse vnum cum patre Deum, ab effectis id efficit, dicens: *Quæ pater operatur, eadē & filius* ὁμοίως *operatur* Verè igitur æqualis sum patri. Idem alibi sæpe conclusit, ab iisdem operibus, quæ & pater facit: quo illud Ioh. 8. *Si mihi non creditis, operib. credite: quòd ego in Patre & Pater in me, Pater enim qui est in me, ipse facit omnia.*

In his omnibus locis, quæ propriæ sunt Dei actiones, & opera: ea omnibus ademit creaturis, & ei soli, qui Deus est attribuit. Alioqui nunquam se verum esse Deum probasset; Argumentum enim Christi est.

Quisquis operatur quæ & pater, & quidem ὁμοίως, *is Deo æqualis est, verusque Deus. Ego operor, & quidem* ὁμοίως *eadem scilicet potentia & authoritate. Sicut enim pater suscitat mortuos, pro sua scilicet authoritate & voluntate: Sic & filius, quos vult, viuificat, &c. Non igitur sum blasphemus si me æqualem facio patri.*

Quis hinc non videat consequi carni Christi non esse communicatum, vt ὁμοίως agat, quę Deus: cum æqualis non sit Deo & Deus?

Ergo aut omnipotentia, non est realiter carni Christi cōmunicata: aut, eam Deum realiter factam esse, dicas necesse est: quo quid magis blasphemum dici potest?

IV. Genus est earum scripturarum, quæ docent, Christū licet passus sit carne: in Deitate tamen neque passum, neq; mortuum esse. Quale præter alia, est illud 1 Pet. 4. *Christo igitur passo carne, & vos eadem cogitatione armemini.* Et Hæresis fuit Arianorum τὸν λόγον esse passum qui corpori sese cōiunxit: aduersus quam hæresin, præter alia est tertius Theodoreti dialogus, qui ἀπαθὴς inscribitur.

Eædem tamen scripturæ docent, in incarnatione verbi, tam λόγῳ carni, quàm carnem λόγῳ vnitam fuisse: quia in vnitatem personæ facta est vnio. Si igitur vnio hypostatica efficere non potuit, vt quæ propria erant corporis & animæ (vti passiones & alia) realiter communicata sint Deitati τοῦ λόγου: neque etiam effecit, vt quæ propria sunt Deitatis, realiter in humanam naturam sint collata ac communicata.

Non minus ergo pugnat cum scripturis, dicere, propter vnionem hypostaticam, essentiales Dei proprietates, realiter humanæ naturæ communicatas fuisse: quàm dicere propter eandem vnionem, passionum & aliarum humanæ naturæ proprietatum realiter τοῦ λόγου Deitatem factam esse participem: quando eadem vis vtrique est vnionis hypostaticæ. Efficit enim vt idem Christus tam verè sit homo, quàm verè est Deus: Et vt tam verè, qui vnigenitus est, sit etiam primogenitus: quàm qui primogenitus, vocetur vnigenitus. Vtrinque igitur eandem habet efficacitatem vnio hypostatica. Ac proinde si non potuit propria carnis realiter communicare Deitati: neque etiam potuit, quæ Deitatis sunt, ipsi carni. Nam quod à Deitate multa & maxima bona realiter fluxerint in humanitatem, ab humanitate autem nihil in diuinitatem: illud fuit non ex vnione, sed ex gratia: vnde & gratiæ habituales, donáque spiritus appellantur: Istud autem fuit, quia humanitas nihil habuit vel habet, habere'ue potest boni, quod à Deitate non acceperit, atque accipiat. Quid igitur boni dare poterat humanitas Deitati?

Quare conclusio firmissima est, propter vnionem hypostaticam fieri non potuisse, vt essentiales Dei proprietates in humanam naturam cōmunicarentur: quando neque ob eandem fieri potuit, vt quæ propria fuerunt humanæ carnis, realiter in diuinitatem transierint: factáque illa sint communia.

Ad huius argumenti confirmationem adde & hoc. Vnio omnium maxima, vnio videlicet trium personarum in vna essentia, efficere non potuit, nec potest, vt personales proprietates vnius, puta patris, realiter filio communicentur: nec vicissim, quæ filij sunt, ipsi patri: quid ita? quia oriretur talis confusio, vt & pater esset filius, & filius pater, & ita de Spiritu sancto, quòd quid foret aliud, quàm negare Deum? Non est Deus, nisi qui vna est οὐσία æterna ac simplicissima in tres distinctas personas, patrem, filium & Spiritum S.

Si igitur illa vnio hoc non potuit, nec potest: neque etiam, quæ minor est, duarum scilicet naturarum in vna persona efficere potuit vel potest, vt essentiales vnius naturæ proprietates, alteri naturæ reapse communicentur: quid ita? eandem ob caussām: propter quam nec personæ vnius idiomata, alteri personæ possunt communicari: quia scilicet, sicut ibi sequeretur confusio personarum: sic etiam hic sequeretur confusio naturarum: & ex duabus fieret vna, quæ nec diuina, nec humana esset: eóque Christus prorsus tolleretur: Christus enim non est, nisi is, qui vna sit persona, ex duabus constans naturis, integris, [illegible] distinctis, distinctásque habentibus proprietates, & actiones.

Adde & hanc confirmationem. Quænam caussa est, cur omnes essentiales Dei proprietates, realiter communes sunt tribus personis: ita vt tam filius sit omnipotens, omni[illegible], vbique præsens, quàm pater, & sic de Spiritu sancto? Ratio est, quia vnio illarum personarum, in vnitate eiusdemque consistit naturæ: id est, quia omnes vna eadémque sunt natura & essentia. Contrà ergo, cùm vnio duarum naturarum facta sit, non in vnitate naturæ, sed in singularitate personæ, sicut loquitur concilium Toletanum 8. Sequitur proprietates vnius naturæ essentiales non posse alteri naturæ realiter fieri communes: quia sc. vnio facta non est in vnitate naturæ. Ideo verò vtriusque naturæ proprietates, realiter & propriè esse ipsius personæ Christi: quia illarum etiam duarum naturarum vnitio, facta est in singularitate vnius eiusdémque personæ. Proinde sicut idem Christus [illegible] Deus est & homo: sic etiam idem solus realiter est [illegible] & infinitus: finitæ potentiæ atque sapientiæ: & [illegible] etiam infinitæ potentiæ atque sapientiæ: & idem [illegible] realiter mortuus est semel: & idem nunquam mortuus nec passus est.

Credo satis confirmatum esse argumentum, quod ex locis S. literarum ductum est, in quibus diserté negatur Christus passus esse in deitate, dum expressè affirmatur passus esse carne, nimirum sola.

Plura testimoniorum genera in præsentia non adfero: quia aliunde etiam, nempe ex patribus argumenta ducenda sunt. Summa igitur hæc tenenda est è S. literis *Quicquid S. scriptura tribuit Christo secundum quod homo est: illud est aut finitum, aut infinitum: vt sapientia, potentia, bonitas finita vel infinita:* eóque illud aut per se, caussáque rerum omnium perfectissima est, aut per aliud & effectum: Vt infinita sapientia, per se est, caussáque est omnis sapientiæ in rebus creatis prima ac perfectissima: finita autem aliunde est, & effectum, eóque imperfecta.

Quæ finita sunt: ea realiter in humanam Christi naturam collata, seu Christo secundum quod homo est, communicata esse confitemur: & sic infinita prope sacrarum literarum testimonia intelligenda sunt, vt suis locis diximus.

Si au-

Si autem infinita: ea de Christo homine quatenus homo est, prædicari per communicationem duntaxat idiomatum nequaquam autem realiter data aut communicata esse, & dicimus & dicendum est. Ratio est: quia scripturæ solent talem infinitam sapientiam, potentiam, bonitatem, præsentiam soli Deo realiter attribuere. Exempla: vt in Euangelio, illi, qui Christum vocauerat bonum, dicit Magister: *bene respondit quid me vocas bonum? Vnus est bonus, qui est Deus.* Quo sensu solum Deum ait esse bonum? nempe per se summè, infinitè & perfectissimè bonum, eóque caussam bonorum omnium. Nam omnia alia bona creata, bona sunt participatione illius boni: eóque finitæ & creatitiæ sunt bonitatis. Huc & illud: *Soli sapienti Deo honor & gloria.* 1. *Tim.* . Quomodo solus Deus sapiens? Sapientia scilicet infinita & perfectissima: caussa omnis sapientiæ.

Sic solus est lux perfectissima & immensa: Solus item potens appellatur in scripturis: potentia scilicet infinita.

Quia igitur scripturæ soli Deo infinitam sapientiam, bonitatem, potentiam realiter attribuunt: Idcirco sine summa blasphemia & sacrarum scripturarum contemtu attribui hæc realiter non possunt vlli creaturæ: est autem & natura Christi humana creatura: Quare si quando hæc de Christo, quatenus homo est, prædicantur: non nisi per gratiam vnionis, pérque communicationem idiomatum prędicari dicendum est.

Stat igitur nostrum tertium argumentum: *Doctrinam de reali idiomatum communicatione pugnare cum sacris literis: proinde in Ecclesia admittendam non esse.*

His ad do, quod Apost. 1. Tim. 6. scribit: *Summa diligentia cum aliis tum maximè Episcopo fugiendas esse vocum nouitates,* ... : quod (vt ait Leo) nouæ voces nouæque locutiones in Ecclesia nouatum hæresium sint seminaria: Et Petrus, loquimini, vt sermones Dei.

Vbi autem vnquam vel in sacris literis, vel apud Veteres patres legimus, Corpus Christi vbique esse? omnipotens esse? Carnem Christi ab initio conceptionis ad dexteram Dei sedisse? essentiales Dei proprietates humanæ naturæ realiter communicatas esse? Ergo vel solam hanc ob caussam, & Apostolicam admonitionem, talis doctrina in Ecclesia admittenda non est.

4. Argumentum.

Doctrina de reali idiomatum communicatione non solum non habet testimonia ex pia antiquitate: verum etiam cum illorum patrum religione pugnat. Ergo in Ecclesia admittenda non est.

Demonstratum est hoc magna ex parte, cùm respondimus ad testimonia, quæ ex 32. patribus aduersus nos proferebantur.

Nunc igitur minori labore, quod reliquum est, perficiemus: lectorem ad ea, quæ ibi ex multis patribus, in contrarium attulimus, remittentes.

1. Primum ex Synodo 6. Actor. 10. aliquot Patrum testimonia recitauimus: quibus aduersus Monotheletas probauit Sancta Synodus, duas in Christo esse voluntates: duásque ac distinctas actiones, prout etiam duæ sunt naturæ. His realem idiomatum communicationem refelli, manifestissimè demonstratum a nobis fuit. Id verò clarius etiam ostendimus concludi ex damnato Monotheletarum errore: qui duas quidem confitebantur naturas in Christo, sed vnam tantum contendebant esse voluntatem, vnámque actionem. Vnde hic error: cùm duas admittant naturas? Inde sane, quia fingebant mentem humanam nil intelligere, nil velle, nil agere, nisi per communicatam sibi in ea vnione, diuinæ naturę intelligentiam, volendíque & agendi facultatem: quæ tamē reapse nil aliud est, quàm ipsa diuina ...

2. Ex Iustino idem demonstrauimus: Quia manifestè docet, actiones deitatis, vti est suscitare corpus suum, non fuisse communicatas humanitati: ac proinde neque facultatem operandi, seu diuinam omnipotentiam: Deitas enim excitat corpus à mortuis, non humana natura seipsam. Ergo regulam tradit generalem. *Quæ diuina in Christo spectantur, ea Deitati: quæ humana, humanitati esse distinctè attribuenda.* Annon verò contra hanc regulam peccant, qui diuinæ naturæ actiones, communes faciunt humanæ: & tam huic, quàm illi omnipotentiam illas edendi actiones communicatam prędicant.

3. Ex Tertulliano ostendimus: Esse vbique, ita proprium esse Dei, vt nulli rei creatæ realiter communicari possit. Si autem hęc Dei proprietas non communicatur carni Christi: ergo neque aliæ, cùm sint inseparabiles, imò ipsa vna Dei essentia.

4. Ex simili igniti ferri, quo Origenes primùm, deinde Basilius, Cyrillus, & alij vsi sunt: euicimus: Non ipsas essentiales Dei proprietates, realiter communicatas esse, sed earum effecta, in anima Christi esse producta. Nam neque caro aut lux, quę in ferro ignito conspiciuntur, essentiales sunt proprietates ignis, sed eius effecta. Luculentissimè verò in 4. lib. περὶ ἀρχῶν, damnat vbiquitatem carnis Christi Origenes.

5. Ex Eusebio: qui lib. de Demonstr. Euang. 4. c. 13. Deitatem Christi comparat musico: humanitatem lyrę, in qua ille ludit. Quis tam delirus est, vt dicat à musico musicę virtutem ipsi lyrę realiter communicari?

6. Ex Athanasio verò, quàm multis eandem confirmauimus sententiam? Docet Hęresim fuisse Arij, quòd Deus λόγος, spiritum creatum, sua impleuerit Deitate ac maiestate. Sed Deum facere aliquem suę participem Deitatis, nil aliud esse, quam de sua substantia gignere &c. Tom. 1. orat. 2. contra Arianos pag. 131. 132.

Item: *docet neque* ... *conclusum esse in corpore: neque corpus* ... *coextendi omniaque implere.*

Item: *Quæcunque Christus accepit vt homo: ea omnia illum membris suis largiturum esse vt Deum: In hunc enim finem ea illum accepisse:* lib. de humana natura suscepta contra Apol. pag. 555. Atqui essentiales Dei proprietates non largietur: Non igitur eas vt homo realiter accepit.

Item oratione 4. contra Arianos pag. 245. *Christum in suscitatione Lazari, & ita in aliis miraculis, locutum fuisse vt hominem: Sed mortuum ad vitam reuocasse, vt Deum.*

Annon manifestè docet, vim viuificandi & alia miracula edendi, non fuisse humanę naturę communicatam, sed in sola mansisse Deitate?

Item pag. 249. *Quæ Christus vt homo accepit, ea vocat dona & gratias.* nusquam autem essentialia Dei idiomata.

Item pag. 233. *Quæ à Deitate hominibus donantur: ea cum donatrice Deitate paria esse non posse.* At anima & corpus Christi vnita, hominem constituunt: Essentiales autem proprietates Dei, non solùm sunt pares Deitati, sed sunt ipsa Deitas. Quomodo igitur realiter Christo, quà homo est, donata esse dici possunt, quin humanam naturam exęques Deitati?

Itē ex Dial. 5. de trinitate, Deitatē cōparat τῷ λογικῷ animę rationalis: humanitatē autē corpori. Quis autē dixerit mētem suam intelligendi facultatem corpori communicare?

Habet hoc idem simile in Symbolo. Sicut ergo mens suam ratiocinandi & volendi vim: non communicat corpori: sic idem sensit Athanasius de Deitate Christi, eiúsque humanitate.

4. Item ex oratione 4. contra Arianos: *Si verbum caro factum est: Ergo carni sua qualitas, diuersaque à verbo affectiones sunt. Rursus si caro in verbo Deum gestat: gratiam inde, commodaque percipit. Hæc ille.*

Ex vnione tria tantùm de carne cōcludit: primùm: quòd suas naturales proprietates retineat: 2. quod gratiam: & 3. quod multa commoda inde percipiat.

Vbi igitur communicatio realis idiomatum diuinorum? non igitur sensit, hęc realiter communicari.

Nūc alia addo testimonia & argumenta ex Athanasio. In Symbolo sic ait: *Omnipotens pater, omnipotens filius, omnipotens spiritus sanctus: Et tamen non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens.*

Quęnam ratio est, cur quęque persona vocetur & sit omnipotens? Quia quęque naturam habet omnipotentem sicut & quęque Deus est, quia veram habet Deitatem, naturamque diuinam. Cur verò non dicuntur tres omnipotentes, sed vnus tantùm omnipotens? Quia vna & eadem est singularum personarum natura omnipotens: sicut eadem de caussa, neque patres Dei, sed vnus tantum dicuntur, & sunt Deus.

Hinc manifestè colligitur: Athanasium vnam tantùm nouisse naturam omnipotentem, quę est natura diuina patre, filio, & Spiritu S. Cùm autē natura humana in Christo, alia sit longissimè, id est, in infinitum differens à natura diuina: neque etiam assumta sit in vnitatem diuinę naturę, sed personę: quis tam cęcus est, qui non videat, humanam in Christo naturam, nec esse, nec verè dici posse realiter omnipotentem: sicut neque realiter & essentialiter est Deus, & ὁμοούσιος patri vel filio?

Huc facit, quòd idem Athanasius ait de incarnatione pag. 547. Carnem Christi non esse effectam verbo consubstantialem propter vnionem. Annon hinc manifestè sequitur: Ergo neque essentialium Dei proprietatum factam esse participem?

Item eodem lib. pag. 551.

Perfectitudo diuinę naturę non transiit in humanę perfectitudinem?

Item contra Arr. oratione 2.

Negabant Arriani, τὸν λόγον genitum esse è substātia pa-

tris: iidem tamen dicebāt, τὸν λόγον spiritum creatum, participem esse factum Deitatis Athanasius demonstrat, hoc consistere non posse: quia Deum facere aliquem suæ deitatis participem, & gignere de sua essentia, idem sunt. Facere autem participem essentialium proprietatum, annon idē est, quod facere participem Deitatis? Oportet igitur humanam naturam realiter è substantia patris genitam esse.

Ad summam in ea 2. oratione contra Arrianos, *hoc contendit fieri non posse, vt creatura particeps realiter fiat Deitatis: tum quia particeps Deitatis fieri non potuit, nisi, qui ab æterno sit è substantia patris, tum quia nefas est, cum creatore, creaturam in rationem Deitatis admitti, & commisceri.*

Idem de humanitate verbi apertè docet. *Christum sua deitate, vbique totum esse: corpore autem certo loco.* Proprietatem igitur hanc, nempe omnipræsentiam, corpori non communicauit. Quare nec reliquas.

Ibidem ait: *Corpus suum viuificabat (ὁ λόγος) & in se continebat & sanctificabat.*

Non sensit igitur Athanasius, essentialem Dei vitam, fuisse humanitati communicatam realiter, sed tantùm eius effecta.

Nimis forem prolixus, si omnia ex Athanasio proferrem, quæ proferri possunt, contra hanc realem idiomatum communicationem.

7. Ex Ambrosio prout etiam in 6. Synodo citatur, hunc locum vidimus: *minorem naturam nempe carnem, non posse operari, quæ maior, id est, diuina.*

Item ex lib. de fide ad Gratianum 5. c. 7. *Christum omnia sibi posse subiicere, secundum operationem vtique Deitatis: secundum carnem autem, omnia subiecta accipere.*

8. Ex Augustino in Epist. ad Dard. vbi apertè negat, omnipræsentiam carni Christi esse communicatam.

Item in Epist. ad Volusianum vbi ait: *Magnitudo virtutis eius (Deitatis) totum hominem in melius commutandum sibi coaptauit. nomen humanitatis ab eo dignanter assumens, Diuinitatis ei largiter tribuens.*

Humanitati igitur Deitas non dedit ipsas essentiales ac diuinas proprietates, id est, seipsam: sed nomen suum: Sicut etiam ab humanitate non proprietates, sed nomen sibi accepit.

Ex libr. de Agone Christiano c 20. *Christum ait (quatenus scilicet homo est) omnibus hominibus sapientiorem. tum quia beneficium sapientiæ Dei habet: tum quia ipsam personam gerit sapientiæ.*

Prior caussa realem creatæ sapientiæ communicationem continet: altera communicationem idiomatum, & quia videt in verbo,

Si creatā sapientiā realiter animæ Christi communicatā fuisse agnouisset Augustinus, eā proculdubio nō tacuisset.

9. Ex Cyrillo li 9 in Io. c. 41. *Nemo, qui ex Deo natura non est: æqualiter operabitur Deo.* Nunquam creatura, quæ infinitæ virtutis sunt, suscipiet Nunquam bona eius naturæ, quę semper est, iis, quæ sunt producta ex nihilo, attribui propriè poterunt.

Ex Dion. 6. *Nullam naturam factam, ad huius conditionis dignitatem peruenire posse, vt nihil nobilitatis supra se relinquat.* Humanam igitur naturam in Christo, æquali maiestate, gloria & potentia cum Deo regnare non posse.

Ex Thes. li. 12, cap. 15. *Nullam creaturam creandi virtutem suscipere posse.*

Ex Thes. li. 8. c. 1.

Omnia, quæ in Christo, vt in homine, sunt: ea in nos quoque redundare.

Manifestum verò est, essentiales Dei proprietates, in nos non redundare, nec vnquam redundaturas.

Item in Iob. lib. 1. c. 6.

Quæ necessariò sunt diuersa, eandem (inquit) *habere operationem non possunt.*

Addo iam quædam alia & testimonia & argumenta ex Cyrillo li 2. ad Reg.

Primùm, docet omnia scripturæ testimonia, quib. prædicatur Christus, gloriam, maiestatem & potentiam in tempore accepisse: ea de Christo in quantum Deus est, intelligi non posse, sed tantùm quatenus homo est.

Rationem subdit: quia nimirum Christus, quâ Deus est, cùm semper habuerit cum patre æqualem gloriam, maiestatem, potentiam, non egebat hac noua & creatitia potestate, gloria, maiestate. Hæc Cyrillus docet.

Nunc expende mihi hanc Cyrilli rationem. Si ideo Christus, vt Deus non potest dici nouam & creatitiam potentiam, ac maiestatem accepisse, quia habebat illam essentialem & increatam, quam & pater habet: annon sequitur: Ergo neque, quâ homo est, dici potest accepisse noua & creatitia bona, si essentialia sibi realiter communicata iam inde ab initio conceptionis accepit? Omnino sequitur: Quid ita? quia si, vt homo, accepit increata & essentialia: non eguit certè nouis & creatitiis. Eadem planè est vtrobique ratio. Assumo.

Atqui hæc creatitia accepit, & iis opus habuit, vt homo, quemadmodum Cyrillus & omnes patres cum sacris literis docent.

Ergo increata, qualia sunt essentiales Dei proprietates, ex vnione hypostatica realiter non acceperat.

Ad Successum Epi. 2. col. 268. in T. 4. ait Cyrillus, hanc esse Ecclesiæ Catholicæ doctrinam: *Substantiam verbi in naturam carnis nulla ratione transfusam fuisse: eóque naturas non permisceri in Christo ab Ecclesia.*

Atqui transfundere substantiam verbi in naturam carnis, & essentiales verbi proprietates realiter carni communicare, idem sunt reipsa: licet, quod Brentius & Iacob. Andr. dicebant, *Effundere*, quidam alius eiusdem doctrinæ cum illis in hac parte, conuerterit, in *realiter communicare*: idque quo melius tegeret, & sermonis absurditatem & impietatem doctrinæ.

Si igitur doctrina Ecclesiæ est (vt ait Cyrillus) substantiā verbi, eóque essentiales eius proprietates, nulla ratione, in naturam carnis, id est, in humanam esse transfusas, eóque non esse permixtas naturas in Christo: Annon illi cum doctrina Ecclesiæ Catholicæ pugnant, qui essentiales verbi proprietates humanæ naturæ realiter esse communicatas docent, & prædicant? ac proinde annon ipsi permiscent cū Eutyche & confundunt in Christo naturas?

Item Cyrillus de incarnatione Vnigeniti c. 7. ita docet. *Deitas, quæ sunt propria carnis: sua ducit: & vicissim, quæ sunt ὁ λόγος, carni facit communia.* Rationem subdit: *Quia caro, caro Dei est.*

Hic Cyrillus ex æquo facit, quæ sunt verbi, communia carni: & vicissim: quæ carnis, communia verbo. Hinc igitur nos argumentemur ex doctrina Cyrilli:

Quo sensu, quæ carnis sunt, communia fiunt verbo: eodē etiam, quæ verbi sunt, communia fiunt carni.

Atqui, quæ carnis sunt, non fiunt communia verbo reali communicatione, sed tantùm verbali, vt loquuntur. Quasi verò passiones, dolores, & aliæ carnis proprietates in verbum realiter transierint. Ergo neque essentiales verbi proprietates realiter carni sunt communicatæ. Hæc ex Cyrillo.

10. Ex Theodoreto.

1. Passim in suis dialogis docet corpus Christi manere finitum & circumscriptum. Non igitur illi communicatam esse verbi infinitatem & incircumscriptionem, aut vbique præsentiam, sensit Theodoretus. Deinde Phil. 3 scribit nostra corpora futura conformia corpori Christi glorioso, non quoad quantitatem, sed quoad qualitatem gloriæ: Nostra autem corpora gloriam accipient creatitiam, non autem illam Dei essentialem & increatam: Ergo neque corpori Christi realiter communicata est illa Dei gloria infinita & increata. Quanto minus in ipsa conceptione fuerunt ei communicatæ omnes essentiales Dei proprietates.

Item Phil. 2. illud, Dedit illi nomen, &c. explicat de nomine Filij vnigeniti: iuxta locum Hebr. 1. Est autem manifestum, humanę naturę Christi non esse communicatam rem ipsam, nempe vt sit nata ex patris substantia: sed tantum datum illi esse hoc nomen: nempe vt Christus quà homo est, vnigenitus Dei filius appelletur.

Non sensit igitur Theodoretus, communicatum quippiam realiter fuisse carni, quod ad essentiam Deitatis pertineat.

11. Ex Leone: epist. 10 ad Flauianum c. 3.

1. Ait saluas mansisse proprietates vtriusque naturæ: humana igitur non fuit propter vnionem facta realiter particeps proprietatum diuinæ naturæ, quibus humana euertitur natura, eiúsque tolluntur proprietates.

An non verò infinitate tollitur finitas, & omnipotentiā infirmitas?

2 Non ait, quod humilitas, id est humana humilis natura facta sit maiestas, seu maiestatica. Sed tantùm quod sit suscepta (scilicet in vnitatem personę) a maiestate humilitas. Neque dicit, quod infirmitas, id est, natura humana infirma sit facta virtus, nempe diuina, id est, omnipotens: Sed tantùm quod suscepta est à virtute, infirmitas: Sic enim etiam de ęternitate dixit: *Suscepta est ab æternitate mortalitas:* Ergo sicut mortalis natura humana non est facta realiter ęterna: Sic neque facta est realiter omnipotens, &c.

Item ait: *Vtraque forma agit cum alterius communione, quod proprium est: verbo scilicet agente, quod verbi est, & carne exequente quod carnis est.* Non igitur sensit Leo actiones

vnius naturæ posse alteri naturæ realiter communicari, aut ab altera præstari: Sed tantùm cum alterius naturæ actionibus vniri.

Item: *Vnum coruscat miraculis: aliud succumbit iniuriis.*

Sicut ergo Deitas non succumbebat iniuriis: Sic neque humanitas coruscabat miraculis.

Item, epistola 11. *Quod est Deitatis, caro non minuit. Quod carnis est, Deitas non peremit.*

Sicut ergo, quod carnis est, non fuit realiter communicatum Deitati, quia quod Deitatis est minueret caro visa fuisset: Sic neque quod Deitatis est, carni realiter communicatum fuit, quia quod carnis est, Deitas peremisset. An non enim infirmitas perimitur omnipotentia? & ignorantia, omniscientia? & circumscriptio infinitate, ac incircumscriptione?

Subdit: *Idem enim & sempiternus ex Patre, & temporalis ex matre: in sua virtute inuiolabilis, in nostra infirmitate passibilis, &c.*

Duo concludit Leo. Vnum: Christum vtriusque naturæ proprietates retinuisse: Alterum, in Christo, vnius proprietates, alterius proprietatibus neque abolitas, neque a suo officio impeditas fuisse: quia in suæ Deitatis virtute mansit inuiolabilis: & in suæ carnis infirmitate passibilis. Realiter ergo, vnius proprietates in alteram naturam minimè transierunt.

Item *ex sermone de passione* 3.

Primum, quæ propositurus erat de vnione duarum naturarum, & quod Christus passus sit non in diuinitate, sed in carne: autoritate totius Ecclesiæ catholicæ, præmuniuit dicens: *Hoc fides catholica tradit, Hoc exigit, vt in redemptore nouerimus, &c.* Paulo pòst explicatam vnitionem, subdit de veritate & distinctione naturarum, sine confusione, aut separatione: dicendo. *Exprimit quidem sub distinctis actionibus veritatem suam vtraque natura: Sed neutra se ab alterius connexione disiungit.*

Nota illud: Vtraque natura sub distinctis actionibus veritatem suam exprimit.

Actiones igitur vnius, alteri non fiunt realiter communes: eóque nec δυνάμεις actionum principia. Quomodo enim alioqui suis quæque actionibus veritatem suam exprimeret?

Et paulo post, *Nec infert vnitas, confusionem: nec dirimit proprietas, vnitatem.*

Confusio autem infertur, si vnius naturæ proprietas, alteri naturæ fiat reapse communis: id est, si realiter communicetur, ita vt & ipsa talis fiat, puta omnipotens, omnipræsens, qualis & altera: quomodo enim vna ab altera discerni posset? Subdit;

Aliud est passibile, aliud inuiolabile: & tamen eiusdem (personæ) est contumelia, cuius & gloria: idem (Christus) est in infirmitate, qui & in virtute: idem mortis capax, & idem est victor mortis.

Quid clarius? Diuersæ sunt proprietates & impermixtæ: quia aliud, & aliud. Vtriusque autem proprietates sunt propriæ ipsius personæ: quia eiusdem est contumelia, cuius & gloria. Quotiam hoc soli personæ tribuit, quod sit capax contrariorum, si naturæ etiam humanæ congruit? Si autem sola persona est capax mortis, & victrix mortis: Soláque est contumeliæ simul & gloriæ, & denique diuersarum simul proprietatum δεκτική, & capax: Ergo neutri naturæ hoc realiter attribui potest: Ac proinde sicut diuina non suscipit humanæ naturæ proprietates: Sic neque quæ sunt diuinæ, earum humana capax esse poterit.

Ac notandum, quod idem Leo scribit de Eutyche ad Pulcheriam Augustam, epist. 3. *Illum putasse, religiosius se de maiestate Filij Dei sentire: si ei, veritatem naturæ nostræ inesse non diceret.* Idem iactant Vbiquitarij, se ideo melius de maiestate Christi sentire, & docere, quàm nos: quia prædicant diuinæ naturæ proprietates ita realiter communicatas esse humanæ, vt hæc ibi substantia sui corporis existat, vbi etiam Deitas: Cùm hoc nihil aliud sit, quàm summa ignominia veram Christi maiestatem afficere, dum ei exæquant humanitatem: & reipsa negent, verbum veram carnem esse factum, nobisque per omnia similem. Credo ex iis cuiuis constare, cum doctrina Leonis, nullo modo consentire doctrinam de reali proprietatum communicatione.

12. Ex Vigilio.

Totus noster est: sed pauca profero: lib. 4. cap. 4. Hoc statuit principium, quod postea & Damascenus lib. 3. cap. 3. confirmauit. *Vna natura contrarium quid & diuersum, in seipsa non recipit.* Inde concludit aduersus Eutychen, cum diuersa & contraria in Christo spectentur, fieri non posse, vt in eo vna tantùm sit natura. Quomodo igitur fieri potest, vt natura humana sit contrariorum δεκτική? Talis autem esset, si proprietas retinens qualitates, diuinæ quoque naturæ proprietates realiter sibi communicatas haberet.

Item ibidem concludit: *Vbique præsentiam carni Christi nullo modo communicatam fuisse: Sed eundem Christum, quà verbum est, vbique esse: quà caro verò, certo esse loco.*

Legatur locus, quia dignus est: *& ait hanc esse fidem catholicam, quam Apostoli tradiderunt, martyres roborauerunt, & fideles nunc vsque custodiunt.*

Item lib. 1. cap. 4. Simile adfert ex Trinitate: quo docet, *Si proprietates vnius personæ non communicantur alteri, & tamen vnus maneat Deus tres illæ personæ.* Ergo licèt etiam in Christo vnius naturæ proprietates, alteri reapse non communiceutur: vnum tamen manere Christum.

Ibidem exemplum adfert hominis: in quo proprietates animæ non communicantur corpori: imo nec quæ vnius sunt sensus, alteri communicantur (non enim facultas videndi communicatur auribus, nec contrà) nec propterea tamen impeditur, quin vnus & idem sit homo: Ergo licèt idem fiat in Christo: vnus tamen manet Christus, duabus distinctis naturis constans.

Item lib. 4. c. 4. summatim docet: *increatum esse, & inuisibile esse, & incontrectabile esse, quæ sunt proprietates naturæ diuinæ, carni non esse communicata, quod impossibile sit eu conditionibus carnem subiacere, &c.*

Item lib. 5. cap. 2. pulcherrimè explicat, quomodo proprietates cuiusque naturæ, sint Christo propriæ, in quo vtraque est natura: Et quomodo rursus illæ proprietates sint in Christo sibi inuicem communes propter vnionem personæ: Communes scilicet per communicationem idiomatum: vt mori, & non mori, Christo proprium est: Rursus mori, quod proprium est carnis, verbo in eadem Christi persona commune est, propter carnem sibi vnitam: Et non mori, quod proprium est verbi commune est in Christo carni, propter verbum sibi vnitum. Hæc ibi legantur. Summa hæc est, cuiusque naturæ proprietates, propriæ fiunt Christo: in Christo autem, communes fiunt alteri naturæ, in concreto expressæ ac significatæ: quæ communicatio idiomatum appellari solet, propter gratiam vnionis.

Hæc est doctrina, quam tradidit Vigilius non vno in loco, sed passim in omnibus illis quinque libris, quos aduersus Eutychen scripsit: ex quibus hæc pauca, quæ retulimus, delibauimus.

13. Damascenus quoque totus noster est, vt supra sæpe vidimus: nunc quædam tantùm peculiaria testimonia notabimus.

Lib. 3. Orthod. fidei, cap. 3. Vbi aduersus monophysitas disputat, qui vnam tantùm in Christo naturam statuebant: illorum errorem inde etiam confutat, quia in Christo contrarias actiones & proprietates spectarunt: Nulla autem natura contrariorum est δεκτική: plures igitur in Christo sint naturæ necesse est: & vt vna tantùm sit, omnino ἀδύνατον est. Hanc itaque regulam tradit: Πῶς γὰρ μία φύσις, τῶν ἐναντίων οὐσιωδῶν διαφορῶν δεκτικὴ γενήσεται; Πῶς γὰρ δυνατὸν τὴν αὐτὴν φύσιν κατὰ ταυτὸν, κτιστὴν εἶναι καὶ ἄκτιστον, θνητὴν καὶ ἀθάνατον, περιγεγραπτὴν καὶ ἀπερίγραπτον κατὰ ταυτὸν dixit, propter naturas quæ partibus constant: vt humana, anima & corpore: hæc enim respectu animi immortalis est. Hæc vnica regula Damasceni, totum somnium de reali idiomatum communicatione, penitus dissipat.

Neque est, vt aliquis vbiquitarius excipiat, regulam hanc intelligendam esse de iis, quæ in alio insunt, vel formaliter ac essentialiter, vel subiectiuè. Se autem loqui de reali idiomatum communicatione, quę fit per περιχώρησιν. Hoc enim est nimis elumbe effugium. Reperiatur in tota natura, omníque rerum genere aliquod exemplum, quo constet aliquid realiter alicui inesse, quod ibi non insit vel substantialiter seu formaliter, vel subiectiuè: Cum omne quod alij inest, insit vel vt substantia, vel vt accidens. Nam etiam ignis, vel potius calor ignis in ferro ignito inest, vt accidens in subiecto: non minus quàm etiam calor itidem in aqua calefacta. Et regula est Augustini 5. de Trinitat. quę etiam citatur libro sententiarum primo; distinctione 26. *In rebus creatis, quod non secundum substantiam dicitur, restat vt secundum accidens dicatur.*

Deinde idem ipsi etiam Monophysitę respondere potuissent Damasceno: In vna Christi natura inesse contraria, humana scilicet, & diuina: Sed quędam formaliter, aut subiectiuè, quędam vero per περιχώρησιν. Est itaque ineptissima exceptio: ac proinde firma stat, & concludit regula Damasceni: *Idiomata diuinæ naturæ realiter communicari non posse humanæ: nisi aut humana amittat sua, aut*

vna natura fiat τῶν ἐναντίων οὐσιωδῶν διαφορῶν δεκτική: vtrumque autem absurdum est.

Præterea exempla, quæ subiicit Damascenus, idem euincunt: *ait enim impossibile esse, vt eadem natura secundum idem, sit circumscripta & incircumscripta, mortalis & immortalis.*

Atqui vbiquitarij aiunt, reali communicatione omnipotentiæ, naturam humanam fieri omnipotentem. An verò hoc non est formaliter inesse, non minus, quàm fieri immortalem & incircumscriptum? Constat igitur, Damascenum non agnouisse realem idiomatum diuinæ naturæ in humanam communicationem: quia vna natura contrariorum & substantialium qualitatum non posset esse δεκτική.

2. Ibidem ita scribit Damasc. Primum, in vnaquaque natura integras manere proprietates: quod est visibile, visibile: & inuisibile, inuisibile: τὸ ἀθάνατον, ἀθάνατον, τὸ θνητόν, θνητόν. At si proprietates diuinæ naturæ realiter communicatæ essent humanæ: profectò humana facta esset ἀόρατος, καὶ ἀθάνατος, sicut Deus est. Postea: quomodo tamen dici possint communicari, tam quæ sunt humanæ, ipsi diuinæ naturæ, quàm quæ sunt diuinæ, ipsi humanæ, nempe per verbalem idiomatum communicationem, seu per reciprocam prædicationem, quam ipse vocat ἀντίδοσιν.

Subdit hæc verba: οἰκειοῦται δὲ τὰ ἀνθρώπινα ὁ λόγος: (αὐτοῦ γὰρ ἐστι, τὰ τῆς ἁγίας αὐτοῦ σαρκὸς ὄντα) καὶ μεταδίδωσι τῇ σαρκὶ, τῶν ἰδίων. Sed quomodo? Subdit: κατὰ τὸν τῆς ἀντιδόσεως τρόπον: quamobrem verò? ait, διὰ τὴν εἰς ἄλληλα τῶν μερῶν περιχώρησιν, καὶ τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν. Sunt omnia sumta ex Cyrillo, de incarnatione vnigeniti, cap. 7. colum. 44. Quæ autem simplicibus verbis docuit, mox exemplis confirmat Damascenus.

Ac primùm, quomodo ὁ λόγος, quæ sunt carnis, οἰκειοῦται κατὰ τὸν τῆς ἀντιδόσεως τρόπον? Respondet, vt cum ὁ κύριος τῆς δόξης ἐσταυρῶσθαι λέγηται: καὶ τί τῆς θείας αὐτοῦ μὴ παθούσης φύσεως. Quomodo verò ὁ λόγος μεταδίδωσι τῇ σαρκὶ τῶν ἰδίων?

Exemplum subdit: dicens, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου πρὸ τοῦ πάθους, ἐν τῷ οὐρανῷ εἶναι ὁ μονογενής. Legantur & quæ sequuntur. Nihil est hoc loco clarius: quo Damascenus docet, quomodo, quæ humanitatis sunt propria, Deitati attribuantur, sed concretiuo verbo explicatæ, vt Deus crucifixus est: eodem etiam planè modo, quæ Deitatis sunt, Carni seu humanitati, sed concretiuo nomine expressæ, communicari: vt filius hominis (ante passionem) est in cœlo.

Atqui illa non attribuuntur Deitati, verbi gratia, pati, nisi κατὰ τὸν τῆς ἀντιδόσεως τρόπον. Ergo nec ista humanitati, nisi eodem modo. Vbi ergo realis communicatio?

3. Confirmat eandem doctrinam, cùm ait, καθ' αὐτὸ τὰ τε θαύματα καὶ πάθη γινώσκομεν: εἰ καὶ καθ' ἄλλο ὁ θαυματουργῶν, καὶ καθ' ἄλλο τὰ πάθη ὁ αὐτὸς ὑπομένων.

Ergo sicut realiter non communicabantur Deitati passiones carnis: sic neque vis edendi miracula, ipsi carni seu humanitati, realiter fuit communicata.

4. Subdit rationem huius doctrinæ, dicens: ἴσμεν γὰρ ὥσπερ μίαν αὐτοῦ τὴν ὑπόστασιν: οὕτω καὶ τὴν τῶν φύσεων οὐσιώδη διαφορὰν σωζομένην, &c. Docet igitur non seruari naturarum differentiam, si quæ sunt Deitatis, alio modo & sensu, quam κατὰ τὸν τῆς ἀντιδόσεως τρόπον carni attribuantur & communicentur. Quomodo enim, obsecro, differret natura diuina ab humana, si hæc tam potens esset, & sapiens, & bona, quàm illa?

5. Ex cap. 4. In hoc capite peculiariter hanc tradit doctrinam de qua agimus. Argumentum tale est: *De vna natura, per nomen suum abstractum significata, alterius naturæ proprietates ne per modum quidem* ἀντιδόσεως, *seu per communicationem idiomatum prædicantur: Ergo multò minus realiter prædicari possunt: ac proinde non sunt realiter communicatæ.* Consecutio est manifestissima: quia minus est prædicari per communicationem idiomatum, quàm per realem communicationem: Si autem illo modo, qui minor est, non prædicantur, multo minus isto, qui est maior.

Antecedens autem manifestissimè tradit Damascenus, cùm de modo ἀντιδόσεως loquens, & concludens, quando vsurpari possit, & quando non possit, ita ad medium capitis 4. scribit: θεότητα μὲν οὖν λέγοντες, οὐ κατηγοροῦμεν αὐτῆς τὰ τῆς ἀνθρωπότητος ἰδιώματα. Exemplo declarat: οὐ γὰρ φαμὲν θεότητα παθητὴν, ἢ κτιστήν. Vicissim quæ Deitatis sunt idiomata, de humana natura in abstracto expressa, ne nominaliter quidē, nedum realiter prædicari possunt: non enim dicimus, caro vel humanitas est increata, est immensa. &c. hoc est, quod tradit Damascenus: οὔτε δὲ τῆς σαρκὸς ἤτοι τῆς ἀνθρωπότητος κατηγοροῦμεν τὰ τῆς θεότητος ἰδιώματα. Exemplum subiicit: οὐ γὰρ φαμὲν σάρκα ἢ ἀνθρωπότητα ἄκτιστον. Quid vis clarius? Si ne verbaliter quidem licet dicere, Humanitas, seu caro, est increata, est omnipotens, est vbique præsens: quantò minus realiter, seu reali prædicatione hæc Deitatis idiomata, de humana natura prædicari possunt?

Quando autem verbaliter tantùm, sed tamen verè, idiomata vnius naturæ prædicantur de altera natura? Quando ea natura, de qua prædicantur, nomine concretiuo exprimitur ac significatur: *vt Dominus gloriæ, item Deus crucifixus est: & contra, Filius hominis etiam ante mortem erat in cœlo:* quatenus iis nominibus sola significatur natura, sed in concreto: eatenus prædicatio hæc, verbalis tantùm est, seu κατ' ἀλλοίωσιν τῶν ὀνομάτων, & κατὰ τὸν τῆς ἀντιδόσεως τρόπον. Non enim aut Deus, quatenus Deus, reipsa crucifixus aut mortuus est: aut filius hominis, quatenus homo, erat reipsa in cœlo: Est tamen vera prædicatio: quia qui verè mortuus est homo, idem etiam Deus est: Et Deus passus est, si non in forma sua Dei, in forma tamen serui, seu in carne.

Quando verò realis est prædicatio? Quando persona ipsa significatur, & exprimitur: siue per nomen vtramque naturam significans, veluti est nomen Christi: siue per nomen ab vna tantùm natura desumtum, vti est nomen Dei, vel hominis.

Argumentum igitur optimè concludit: *Si idiomata diuinæ naturæ de humana in abstracto significata, non possunt verbaliter, & κατὰ τὸν τῆς ἀντιδόσεως τρόπον prædicari: multò minus realiter prædicari, aut realiter illi communicata fuisse, dici possunt.* Legatur illud caput 4. vbi quis sit modus τῆς ἀντιδόσεως, explicat Damascenus, ita concludens: οὗτός ἐστιν ὁ τρόπος τῆς ἀντιδόσεως: Cur sic vocatur? ait: ἑκατέρας φύσεως ἀντιδιδούσης τῇ ἑτέρᾳ τὰ ἴδια.

Quæ caussa huius verbalis, sed tamen veræ prædicationis, & communicationis? ait: διὰ τὴν τῆς ὑποστάσεως ταυτότητα: καὶ τὴν εἰς ἄλληλα αὐτῶν (φύσεων) περιχώρησιν: identitas ergo personæ, & περιχώρησις naturarum, id est, penitissima vnio in eadem persona, caussa sunt, cur quæ vnius sunt naturæ propria, ea de altera quoque eo modo quo dictum est, verè prædicentur.

Quo etiam ex loco apparet, περιχώρησιν aliud esse à modo τῆς ἀντιδόσεως, & reciproca prædicatione, seu non semper idem significare.

6. Ex cap. 5. quædam etiam colligi possunt. Præter alia, ibi habet initio capitis, simile Trinitatis: quo explicat in Christo vnionem duarum naturarum in vna persona: sicut ibi est vnio trium personarum, in vna natura: Vnde concluditur, sicut persona vna, suas personales proprietates alteri personæ realiter non communicat: Sic nec in Christo vnam naturam suas alteri realiter communicare. Item ait, quod vtraque natura, φυλάττει τὴν ἑαυτῆς φυσικὴν ἰδιότητα ἀμετάβλητον: quasi dicat, illam intra se retinet integram, nec sinit in alteram naturam transire, eique reapse commisceri: Hanc vim habet vox illa, ἀμεταβλήτως φυλάττει. Item, Simile addit carbonis accensi, & in eo ait duas naturas inesse vnitas, naturam ignis, & naturam ligni, distinctas tamen inter se, earúmque proprietates, vt vna non misceatur & confundatur cum altera.

7. Ex cap. 7. vbi contra Nestorium cum primis agit de vera duarum naturarum, in vnam personam vnitione, saluis vtriusque naturæ proprietatibus: docet, τὸν λόγον factum fuisse humanæ naturæ hypostasin: Et ita personam, quæ simplex erat, ex vnione harum duarum perfectarum naturarum, quodammodo factam esse compositam: Factum autem esse τὸν λόγον τῇ σαρκὶ ὑπόστασιν: & talem [illegible] certè non significat factam esse illi suarum proprietatum [illegible] communicatiuam: Sed hoc excludit. Hypostasis enim [illegible] que constat natura: proprietates autem sunt [illegible], omnes in persona contentæ. Λόγος igitur hypostasis est factus carni, eam sustentans, non autem ei alterius proprietates communicans. Deinde de hac persona ita composita, quasnam habuerit ac retinuerit proprietates differens, ait eam habere, *Primùm*, τὰ diuinæ υἱότητος χαρακτηριστικὰ ἀφοριστικὰ ἰδιώματα: quo discernitur & differt à patre, & Spiritu S. *Secundò*, habere etiam τὰ τῆς σαρκὸς χαρακτηριστικὰ καὶ ἀφοριστικὰ ἰδιώματα: quibus differt à matre, & aliis omnibus hominibus: & hæc de personalibus proprietatibus, quibus ab aliis personis differt. *Tertiò*, ferre etiam & habere diuinæ naturæ ἰδιώματα, καθ' ἃ vnitur Patri & Sp. Sancto. *Quartò*, Similiter etiam habere τὰ humanæ naturæ γνωρίσματα (rationes seu proprietates) καθ' ἃ vnitur matri, & aliis hominibus, & vnum est cum illis.

Hæc Damascenus. Age iam, si in hac vnione, fuissent naturæ humanæ realiter communicatæ proprietates diuinæ naturæ: Profectò hoc non tacuisset Damasc. Iis enim fuisset, etiam quâ homo, realiter Deificatus: non solùm λόγῳ καθ' ὑπόστασιν, sed etiam Patri & Spiritui S. earundem essentialium proprietatum reali communicatione, vni-

ne, vnitus, vnúmque cum illis effectus. Nunc autem hoc omnino tacuit Damascenus & ignorauit.

Addit porrò & quintum idioma, quod τὸ τῆς τοῦ Χριστοῦ ἰδιοσυστάτου ἰδίωμα vocat, quo differt simul & à Patre & Spiritu S. & à matre & rebus omnibus, adeóque omnibus in vniuersum substantiis: hoc autem est, quod is solus, Deus est perfectus, & simul perfectus homo. Si igitur hoc est ἰδίωμα maximè proprium huius personæ Christi, vt sit Deus simul & homo: profectò, sicut diuinæ suæ naturæ realiter non communicauit hoc ἰδιοσύστατον ἰδίωμα; (communicasset autem si τὰ ἰδιώματα humana diuinæ naturæ fuissent realiter communicata.) Sic neque essentialia diuinæ naturæ ἰδιώματα, in humanam realiter contulit: Hac enim communicatione, natura humana facta fuisset diuina: & ita fuisset & diuina simul & humana. hoc autem planè ἀκοινώνητον fuit, quia solius personæ Christi proprium est, nulla rei communicabile, vt sit & Deus & homo.

Item ibidem ait, Christum quatenus Deus est, esse ἀπερίγραπτον, συμπεριχωρημένης τῆς σαρκὸς αὐτοῦ τῇ ἀπεριγράπτῳ αὐτοῦ θεότητι. Vbi igitur sancta vbiquitas carnis Christi? Cur verò negatur caro coëxtendi Deitati? quia hæc ἀπερίγραπτος est & infinita: caro verò περιγραπτὸς & finita: neque est quod excipias, carnem Christi esse vbique, nec tamen coëxtendi Deitati, cùm sit circumscripta: Sic enim sequeretur, esse igitur vbique eo, quo & Deitas modo, vbique est: cùm nullus alius sit realiter vbique existendi modus sua substantia, quam vel per coëxtensionem cum Deitate, vel per eam repletionem, quâ Deus omnia replet sua οὐσίᾳ. Atque hæc de hac essentiali proprietate, nempe de vbique præsentia, & ἀπεριγραψία.

An non verò eadem ratione idem de omnibus aliis diuinæ naturæ essentialibus proprietatibus concluditur, quod etiam de vbique præsentia? Sunt enim omnes simplicissimę & infinitæ. Non potest igitur humana natura earum esse capax, quæ finita est.

Subdit concludens: ὅλος μέν ἐστι θεὸς τέλειος, οὐχ ὅλον δὲ θεός· καὶ ὅλος ἄνθρωπος τέλειος, οὐχ ὅλον δὲ ἄνθρωπος: Quid ita? Subdit, quia non solum Deus est, sed & homo: nec solum homo est, sed & Deus. Et addit explicationem cur dixerit, ὅλος ὅσης, ὅλος ἀλλ' οὐχ ὅλον: τὸ μὲν γὰρ ὅλος, τῆς φύσεώς ἐστι παραστατικόν: τὸ ὅλον δὲ ὑποστάσεως: Sicut & τὸ ἄλλο, φύσεως, τὸ δὲ ἄλλος, ὑποστάσεως. Quis ex hac distinctione non videat: Sicut ideò rectè dicitur, Christus totus est Deus, sed non totum, quia est etiam homo, quoad alteram naturam, & non tantum Deus: sic etiam rectissimè dici, imò dicendum esse, Christus totus est omnipotens, Totus vbique præsens, respectu personæ: Sed non totum omnipotens, non totum vbique præsens propter humanam naturam: ac proinde humanam naturam, nequaquam realiter esse omnipotentem, aut vbique præsentem? Talem certè realem idiomatum communicationem non nouit Damasc. vt ex his etiam locis huius septimi capitis liquet: Christus enim Damasceno sicut totus est Deus, sed non totum: Sic totus est ἀπερίγραπτος, sed non totum, propter carnem, quæ non coëxtenditur Deitati, neque vt corpus, neque vt Spiritus. Multa alia omitto breuitatis causa.

8. In cap. 14. insignem habemus locum. Postquam disputasset contra Monothcletas, fieri non posse, vt duæ naturæ, in vnam tertiam coierint naturam, sed tantùm in vnam personam: sic concludens ait p. 80. Λείπεται οὖν εἰπεῖν, μόνην τὴν ὑπόστασιν τοῦ Χριστοῦ συνθετὴν, καὶ κοινὴν ὑπάρχειν τῶν φυσικῶν αὐτοῦ. Quid clarius dici poterat? sensus est: Nequaquam igitur dicendum est, ex duabus naturis vnam tertiam naturam: Sed, solam Christi personam, esse compositam: Et quia sola persona è duabus naturis est composita: ideo etiam sola, vtriusque naturæ proprietates essentiales, realiter in se habet, & est communis vtrisque hypostasis. hoc significat, μόνην τὴν ὑπόστασιν τοῦ Χριστοῦ, sicut (id est, quia) sola est composita ex naturis: Sic etiam solam esse τῶν φυσικῶν (ἰδιωμάτων vtriusque naturæ) κοινὴν ὑπόστασιν, & quasi receptaculum Hinc tale conficitur argumentum: *Quod in Christo solum ex naturis duabus compositum est: illud etiam vtriusque naturæ proprietates realiter in se habet:* Hoc est Damasceni. Assumo: *Atqui sola ὑπόστασις è duabus naturis composita est, non autem natura vlla: Ergo etiam sola hypostasis essentiales vtriusque naturæ proprietates, in se realiter habet.* Quomodo igitur humanæ naturæ realiter communicatæ dici possunt essentiales alterius naturæ proprietates?

9. Ex cap. 15. & 7. Vbi de duabus voluntatibus, duabúsque actionibus in Christo differitur contra Monotheletas. Argumenta permulta colligi possunt: quibus idem monstratur. Si enim voluntas, seu facultas intelligendi, & volendi, quæ est propria diuinæ naturæ, non est realiter communicata naturæ humanæ, ita vt per illam hæc intelligat, velit, operetur, sed propria cuiusque naturæ voluntate vult Christus, & proprio cuiusque intellectu intelligit: Ergo neque aliæ proprietates sunt realiter communicatæ naturis. Quare neque humana natura, potens est realiter potentia Deitatis, &c.

Ex cap. etiam 19. lib. 4. vbi differit de iis quæ prædicantur de Christo: firmissimum ostendimus argumentum, quo declarauimus, Damasceno ignotam fuisse realem idiomatum in naturis communicationem: Sed tantùm illum nouisse verbalem, quam reciprocam prædicationem vocat, & alibi τὸν ἀντιδόσεως τρόπον. Eodem enim sensu, & iusta reciprocatione, de humana natura prædicari, quæ sunt Deitatis: quo etiam quæ sunt humanitatis, prædicantur de Deitate, in concreto tamen semper: Atqui humana de Deitate non prædicantur, nisi verbaliter: non enim Deus, quâ Deus, & in sua natura passus est: Ergo etiam de humana natura eodem sensu prædicantur diuina.

Sed indicandi sunt aliquot alij patres, quos non recensuerunt aduersarij. Legatur ergo *B. Fulgentius*, qui floruit in Ecclesia anno circiter 505. In lib. ad Tras. Reg. 2. Probat hãc Dei proprietatem, quâ vbique est, humanę naturę non esse communicatam: Sed carnem manere localem. Item, Neque simplicitatem, quâ totus vbique est: (totus enim in patre, totus etiam erat in vtero virginis; totus in cœlo, totus in terra) hanc, inquam, omnipræsentiam non esse humanę naturæ communicatam. Proinde post mortem, vbi erat anima, ibi non erat corpus: nec vbi corpus, ibi anima.

In 3. lib. vbi de passione Christi agit, quod scilicet patiente carne, non passa sit Deitas, seu quod Christo patiente secundum carnem, non passus sit secundum Deitatem: propositionem hanc statuit; *proprietates vtriusque naturæ, mansisse inconfusas:* hinc infero. Ergo patiente carne, illius passiones non sensit, nec realiter participauit Deitas. Obseruandâ hæc argumentatio: *Naturæ manserunt inconfusæ, ergo Deitas non est facta particeps passionis carnis.*

Hinc certè efficitur hanc quoq; consecutionem esse bonam: Naturæ manent inconfusæ: Ergo humanitas non est realiter facta particeps impassibilitatis, omnipotentię item, & aliarum proprietatum diuinitatis. Proinde qui prędicãt contrarium, ij confundunt naturas.

Sed ipsius Fulgentij verba placet subscribere, ne lectori vllus relinquatur scrupulus. In libro 2. ad Thrasim. Post multa de immensitate Filij Dei, sic ait: pag. 319. Basil. edit.

Filius ergo Dei, tam authoritate diuina, quàm sanctorum Patrum fideli veracíque sententia, secundum diuinam naturam infinitus immensúsque probatur, vbique præsens, omnia replens, testis nunc cogitationum & operum, futurus iudex retributórque cunctorum. Quia verò idem Filius Dei, verus Deus natus de Deo Patre, verus homo factus est pro nobis ex homine: factus est enim ex semine Dauid secundum carnem: diuinæ humanęque naturę in se continẽs veritatem: quę fuerunt verę diuinitatis, non amisit, & quæ sunt verę humanitatis, accepit, vnus idémque secundum carnem de matre temporaliter natus, qui secundum diuinitatem de Patre permanet sempiternus, vnus idémque homo localis ex homine, qui est Deus immensus ex Patre, vnus idémque secundum humanam substantiam absens cœlo, cùm esset in terra; & derelinquens terram, cùm ascendisset in cœlum: secundum diuinam verò immensámque substantiam nec cœlum dimittens, cùm de cœlo descendit: nec terram deserens, cùm ad cœlum ascendit. Quod ipsius Domini certissimo potest cognosci sermone, qui vt localem ostenderet humanitatem suam, dicit discipulis suis: Ascendo ad Patrem meum & ad Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum. De Lazaro quoque cùm dixisset, Lazarus mortuus est: adiunxit, dicens: & gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi. Immensitatem verò suę diuinitatis ostendens discipulis dicit: Ecce vobiscum sum omnibus diebus ad consummationem seculi. Quomodo autem ascendit in cœlum, nisi quia localis & verus est homo? Aut quomodo adest fidelibus suis, nisi quia idem immensus & verus est Deus? &c.

Et paulo pòst subiungit: Et quoniam de ipso superius dixerat, Magnus est & non habet finem, Excelsus & Immensus: ne ista Dei in terra visio, & cum hominibus conuersatio, Deum immensum putaretur alienasse de cœlo: propter hoc ipse Filius, vt immensitatem diuinitatis suę in terra positus demonstraret, & secundum hominem, quem susceperat, in terra positus, secundum Deum, quod semper erat, pręsentem se etiam cœlo doceret, ait: Nemo ascen-

dit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis, qui est in cœlo. Non quia humana Christi substantia fuisset VBIQVE diffusa: sed quoniam vnus idémque Dei Filius atque hominis filius verus Deus ex Patre, sicut homo verus ex homine, licet secundum veram humanitatem suam localiter tunc esset in terra, secundum diuinitatem tamen, quæ loco nullatenus continetur, cœlum totus impleret & terram.

Istam Christi veram humanitatem, quæ localis est, vt veram diuinitatem, quæ immensa semper est, apostolica quoque doctrinâ cernimus intimari. Nam vt Christi veri hominis corpus localiter contineri Paulus monstraret, ait ad Thessal. Quoniam conuersi estis ad Deum à simulacris, seruire Deo viuo & vero, & expectare filium eius de cœlis, quem suscitauit à mortuis Iesum, ipsum vtique monstrans corporaliter de cœlo venturum, quem corporaliter à mortuis nouerat suscitatum: Propterea rursus ait: Nostra autem conuersatio in cœlis est, vnde etiam saluatorem expectamus Dominum Iesum, &c. Quod si verum est corpus Christi, loco potest vtique contineri. *fortè legendum est*, oportet, *sicut in illo Augustini*: Corpus Dominicum vno loco esse oportet, veritas eius vbique diffusa est: *quo in loco quidam deprauatores ausi fuerunt pro* oportet *reponere* potest) Hanc veritatem corporis Christi de cœlo venturi, Iohannes quoque confirmat dicens: Ecce veniet cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum compunxerunt. In libro quoque Actuum Apostolorum, sic eius corporalis intimatur ascensus: & cùm hæc dixisset, videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum, Cúmque intuerentur, &c. sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Cùm ergo caro Christi localis absque dubitatione monstraretur, diuinitas tamen eius vbique semper esse cognoscitur, Paulo testante, qui fidelibus dicit: An experimentum quæritis eius qui in me loquitur, Christi? Quomodo autem in eo loqui potuit, si in illo non fuit? Vel quomodo corporaliter ascendit in cœlum, & in suis fidelibus esse prædicatur in terra, si non est in illo diuinitatis immensitas, quæ cœlum implere possit & terram?

Nam Corinthiis Paulus dicit: An non cognoscitis vos ipsos? quia Iesus Christus in vobis est: & ad Ephes. ait: In interiore homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris. Est itaque Filius in cœlo, & habitat in nobis in terra, scilicet, illa suæ immensitatis præsentia, qua in nobis Pater & Spiritus sanctus habitauit, &c.

Hæc & plura in eandem sententiam ibi leguntur. Quid verò clarius, apertius, certius in controuersia præsenti contra vbiquitatem & realem Idiomatum communicationem dici possit? Quo ore, qua fronte hæc inficiari, & Orthodoxæ Catholicæ doctrinæ Fulgentij contradicere audeant aduersarij?

Quem ex lib. 3. Fulgent. ad Thrasim. allegabamus locum, sic habet: Hoc igitur personæ inseparabilis vnitas, in qua Deus & homo vnus est Christus, fecit, vt & homo Christus per gratiam nasceretur ex Deo, salua veritate ac plenitudine humanæ naturę: & idem Deus Christus voluntariè pateretur in carne, salua impassibili plenitudine diuinæ substantiæ, &c.

Et mox: Hæc dum quidam minus attendunt, diuinitatem Christi non dubitant subiicere passioni, & audientes Christum in carne passum, putant, Deum carni fuisse compassum, minus attendentes, diuinam illam atque immutabilem Filij Dei substantiam, & in carne passibili passionem suscepisse, & cum carne passionem sentire non potuisse, &c.

Item: Passus est Deus in homine, quia vna est Dei hominisque persona. Non est compassus Deus homini, quia in vno Christo non est confusa Dei hominisque substantia.

Item: Cum sola caro moreretur in Christo, propter vnitatem personæ Dei & hominis, Filius Dei dicitur mortuus, &c.

Item: Idem atque inseparabilis Christus secundum solam carnem de sepulcro surrexit: idem atque inseparabilis Christus, secundum totum hominem, quem accepit, terram localiter deferens ad cœlum ascendit, & in dextris Dei sedet, secundum eundem totum hominem venturus ad iudicandum viuos & mortuos, coronaturus fideles & pios, illos scilicet qui eum in vtraque, id est, in humana diuináque substantia, verum, plenum & perfectum credentes, nec Dei Filio aliquid paternæ substantiæ minuunt, & totum pro se susceptum hominem sine peccato cognoscunt. condemnaturus autem infideles, qui diuersos cuiuslibet perfidiæ sectantur errores, quique tn eis ita simul obdurato corde perdurant, vt eos vsque ad vitæ præsentis obitum non relinquant.

Eandem fidem in lib. de Incarnat. & gratia c. 11. repetit & inculcat, sic dicens:

Vnus idémque est faciens in hominibus virtutes, & sustinens pro hominibus passiones: quia cum miracula secũdum diuinitatem faceret Christus Dei Filius, in eodẽ Deo fuit passibilis humanitas sua: & cùm pateretur secundum carnem idem Christus Dei Filius, in eodem homine fuit impassibilis diuinitas sua. Quia igitur in Christo Dei vnigenito filio personam non diuidunt propria naturarum: neque vnitas personæ potest vtriusque naturæ propria confundere vel auferre.

Et paulò pòst: Vtriusq; naturæ veritas inconfusa persistit. *Nulla igitur facta est realis proprietatum diuinarum in humanam naturam communicatio propter vnionem hypostaticam.*

Idem: In Deifica illa vnione vera Christi humanitas naturalem prorsus retinuit nostri generis veritatem.

Quomodo igitur facta esset inuisibilis, incircumscripta, illocalis, omnipræsens?

Hæc & plura id genus, quæ veritatis studiosus lector apud ipsum autorem legat, affert Fulgentius, quæ tũ ex scripturis, tum ex veteribus, inprimis Cypriano, confirmat: quibus Omnipræsentiales isti prorsus conuincuntur.

Sed præter hunc, & alios supra commemoratos: adhuc aliquot vetustiores, quos aduersarij non citarunt, in mediũ adducere possumus: Sed vitandæ prolixitatis causa, paucos ex multis, & ex his non singula, quæ poteramus, sed aliqua duntaxat, eaque clara & ad rem inprimis accommodata, sufficiat attigisse & nominasse.

Ignatius, Martyr, *Apostolorum auditor & successor sic in Ep. ad Smyrnaeos scribit*: Certa & vera fide amplectimur Dominum nostrum, qui est ex genere Dauidis secũdum carnem: Filius Dei secundum Deitatem & potentiam, verè natum ex virgine, verè crucifixum pro nobis carne.

Item: Ego etiam post resurrectionem in carne ipsum existere scio, & credo, etiamnum esse: & cum discipulis dixit: Contrectate me & spectate, quoniam non sum dæmonium incorporeum, statim vt ipsum contrectarent, crediderunt. Item: Si non vero corpore venturus est Dominus, quomodo videbunt eum, qui crucifixerunt? Rerum enim incorporearum neque species neque effigies neque figura est animantis certam formam habentis, propter naturæ incorporeæ simplicitatem.

Non agnoscit hic Ignatius realem Idiomatum diuinæ naturæ in humanam communicationem: sed homini Christo tribuit omnipotentiam secundum Deitatem: natiuitatem & crucifixionem, secundum carnem seu humanitatẽ: corpus item visibile, finitum & circumscriptum, non inuisibile & omnipræsens.

IRENAVS, itidem Martyr, & Lugdunensis Episcopus, circa Annum Domini 2. o. disputans contra hæreses in lib. contra Valentinianos cap. 2. opponit omnibus alienis figmentis Symbolum Apostolicum, ceu fidei regulam, *& præter alia dicit*, Spiritum S. per Prophetas prædicasse passionem Christi & resurrectionem, & IN CARNE ad cœlos ascensionem, & de cœlis in gloria Patris aduentum eius ad resuscitandum omnem carnem. Hanc fidem vniformiter per omnes orbis Ecclesias diligentissimè custodiri, &c.

Et lib. 5. Quomodo Christus in carnis substantia surrexit, & ostendit discipulis figuram clauorum & apertionem lateris (hæc autem sunt indicia carnis eius, quæ surrexit à mortuis) sic & nos suscitabit.

Item: Filius Dei ipsum iudicij diem & horam concessit scire solum Patrem, &c.

Item: Secundum id quod verbum Dei homo erat, requiescebat spiritus Dei super eum, & vngebatur. Secundum autem quod Deus erat, non secundum aspectum iudicabat, neque secundum loquelam arguebat. Non enim opus erat illi, vt quis ei testimonium diceret de homine, cùm ipse sciret, quid esset in homine.

Non igitur communes fuerunt vtrique naturæ proprietates, nec secundum humanitatem fuit tum omniscius, omniscientia diuina.

Clemens Alexandrinus, Stromat. lib. 7. Nunquam absistit à specula sua Filius Dei, non diuisus, non dissectus, non transiens de loco in locum, vbique existens semper, & nusquam comprehensus, &c. Sensilem autem assumens carnẽ, quod poterat, hominibus ostensurus venit. *Distinguit hic Deitatem incircumscriptam & insensilem, à carne circumscriptam & sensili.*

Seuerianus *de Natiuitate Christi sic scripsit referente Theodoret. Dia. 2,* Christus est cœlestis & terrestris, continebat & non

& non continebatur, videbatur & sub visum non cadebat: cœlestis secundum naturam diuinitatis, terrestris secundũ naturam humanitatis: videbatur secundum carnem, non videbatur secundum spiritum: & continebatur loco, quod ad corpus: quantum autem ad Verbum attinet, contineri non poterat, extra locum positus.

Hinc satis apparet, reipsa proprietates diuinas humanitati non communicari, sicut nec humanas diuinitati.

Eustathius, *Antioch. Episcopus itidem docet, vt est apud Theodoret.* Corpus quidem sublime cruci affigebatur: diuinus autem sapientiæ spiritus & intra corpus degebat, & cœlestia transcendebat, & totam circundabat terram, & abyssos occupabat, & singulorum animos penetrans diiudicabat. & omnia similiter, sicut Deus faciebat.

Pluribus ibidem humanitatis & Deitatis proprietates distinguit: vnde fictitia illa, quam realem vocant, idiomatum communicatio liquidò refellitur.

Epiphanius: *Episcop. in Cypri Salamine: Nicenæ Synodi sententiam paraphrasticè repetens in Ancorato, præter alia præclara & hæc habet verba:* Idem Dominus passus est in carne, & resurrexit, & ascendit in cœlos, in ipso corpore gloriose sedens in dextra Dei Patris, venturus in ipso corpore in gloria ad iudicandum viuos & mortuos. *Cum his sanè non consentiunt somnia Vbiquitariorum seu Omnipræsentiariorum.*

Greg. Nazianzenus epist. 1. ad Clydon. Docemus eundem Christum patibilem carne & impatibilem diuinitate: circumscriptum corpore & incircumscriptum Spiritu: Visibilem & qui cerni animo potest; qui loco continetur & non continetur.

Vbi igitur omnipræsentia corporis Christi? Vbiquitas ista nusquam est.

Ibid. Corpus Christi non est in aëra diffusum vel dissolutum tanquam natura vocis, aut fluxus odoris, & coruscationis cursus, neutiquam consistens. Veniet cum corpore talis, qualis visus est, &c.

Idem ibidem ait: Si quis dicit, carnem Domini de cœlo descendisse, & non ex nobis hinc esse, anathema sit. Illud enim, *Secundus homo è cœlo. &, Qualis cœlestis, tales & cœlestes. &, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit è cœlo:* & si quid est huiusmodi, existimandum est dici propter vnionẽ cum homine: quemadmodum & per Christum omnia facta esse, & habitare Christum in cordibus nostris, non quà Deus apparet, sed quà intelligitur, &c. *Intelligit ergo talem communicationem idiomatum, quæ non in vtraque natura realiter insint, sed quæ de persona dicantur.*

Idem ostendit Orat. 2. de Filio: Hoc est in causa, quòd errent hæretici: nominum coniunctio: iisdem nominibus interim ob diuersæ coniunctionem naturæ significandi rationem variantibus. Signum autem huius est, quòd quando naturæ intelligentia seu cogitatione distinguuntur, etiam nomina discerni soleant. Audite Paulum dicentem: vt Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ; Christi quidem Deus, pater autem gloriæ. Etsi enim vtrunque simul vnum, sed non natura, eorum autem congressuum coniunctione, quid potest esse notius, quin tum dicatur ipsum accipere vitam, iudicium, hæreditatem gentium, potestatem omnis carnis, gloriam? & hæc sunt humanitatis, &c. In Catechesi: Quis hoc dicit, quod circumscriptione carnis, quasi quodam vase & receptaculo, natura infinita contineatur?

GREGORIVS Nyssenus. Item: Non viuificat Lazarum humana natura, neque deflet mortuum potentia impassibilis: sed propriæ hominis erant lacrymæ: vitæ autem ea, quæ sunt veræ vitæ.

Non pascit chiliadas humana inopia, neque currit ad ficum omnipotens essentia. Quis est, qui fatigatur ex itinere, & quis sine labore totum mundum sustentans verbo? Quid est gloriæ splendor, & quid clauis confixum? Quæ forma in passione percutitur, & quæ ab æterno glorificatur? Manifesta quippe sunt hæc, etiamsi nemo sermone explicet.

Didymus Alexandrinus: de Spir. S. lib. 1. c. 21. Ipse Spiritus S. si vna de creaturis esset, saltem circumscriptam haberet substantiam, sicut vniuersa quæ facta sunt. Nam si non circumscribantur loco, & finibus inuisibiles creaturę: tamen proprietate substantiæ finiuntur. Spiritus autem S. cum pluribus locis sit, non habet substantiam circumscriptam.

Annon euidenter ostendit, Omnipræsentiam soli Deo non autem creaturæ villi competere, ne quidem humanitati Christi Quàm infirmum alioqui esset istud argumentum plerorumq; Patrum pro Deitate Spiritus sancti?

Extat quoque elegans fidei Catholicæ expositio, à S. Hieronymo Damaso Papę inscripta, quæ inter alia sic habet: Illorum quoque similiter execramur blasphemiam, qui nouo sensu asserere conantur, à tempore susceptæ carnis, omnia quæ erant Deitatis, in hominem demigrasse, & rursum, quæ erant humanitatis, in Deũ esse transfusa, vt quod nulla vnquam hæresis dicere (illo quidem adhuc tempore) ausa est, videatur hac confusione vtraque exinanita substantia, Deitatis & humanitatis, & à proprio statu in aliud esse mutata, qui tam Deum imperfectum in Filio, quàm hominem confitentur, vt nec Deum verum, nec hominem tenere credantur. Nos autem dicimus susceptum iri à Dei Filio passibile nostrum vt Deitas impassibilis permaneret. Passus enim est Dei Filius non putatiuè, sed verè omnia, quę Scriptura testatur, esuriem, sitim, lassitudinem, dolorẽ, mortem, & cętera huiusmodi. Secundùm illud passus est, quod pati poterat, id est, non secundum illam substantiam, quę assumpsit, sed secundum illam, quę assumta est. Ipse enim Dei Filius secundum suam Deitatem impassibilis est, vt Pater. Et quamuis propria persona Filij, id est, Dei verbum, suscepit passibilem hominem, ita tamen eius habitatione secundum suam substantiam Deitas nihil passa est, vt tota Trinitas, quam impassibilem confiteri necesse est. Mortuus est ergo Dei Filius secundum scripturas, iuxta illud, quod non mori poterat. Resurrexit tertia die, ascendit in cœlum, sedit ad dextram Dei Patris, manente ea natura carnis, in qua natus & passus est, in qua etiam resurrexit. Non enim exinanita est humanitatis substantia, sed glorificata, & in æternum cum Deitate mansura.

Hæc sibi & suæ reali communicationi, seu vt olim loquebantur, effusioni diuinorum idiomatum in humanam naturam, seu exæquationi naturarum, dicta habeant Omnipræsentiarij: Vix enim aliquid clarius contra ipsorum dogmata dici queat.

Cassiodorus, *vir in Scripturis exercitatissimus, Comment. in Psal. 2. sic ait:* Nimis exitiale est, duas naturas perfectas atque adunatas in Christo non credere Permanere, quas tot exemplis voluit de seipsa veritas prędicare. Talis est omnino Dei & hominis connexio, vt vtrunque integrũ, vtrunque permaneat sine aliqua confusione distinctum.

In Psal. 20 Duas naturas, inquit, in Christo Domino salutariter credimus, Deitatis & humanitatis, quę in vnam personam per infinita secula incommutabiliter perseuerant.

In Psal 40. Christus moribundi corporis infirmitate deposita, homo Deus ex duabus & in duabus naturis distinctis, atque perfectis permanet in gloria sempiterna, &c.

In Ps. 138. multis exponit, naturarum proprietates esse distinctas in vna indiuisa persona, & hanc esse fidem sanctę Christi Ecclesię.

Non igitur hęc credidit vnquam realem aduersariorum nostrorum communicationem.

Gregorius Episcop. Rom. qui non multò pòst claruit, ab hac doctrina ne tantillum variauit. In homil. Pasch. sic ait: Christus non est hic per pręsentiam carnis, qui tamen nusquam deest per pręsentiam maiestatis.

In Homil. Pentecost. Verbum incarnatum & manet, & recedit: recedit corpore, manet diuinitate.

Idem *Hom.* 29: Oportet, fratres carissimi, vt illuc sequamur corde, vbi Christum credimus corpore ascendisse: etsi adhuc tenemur infirmitate corporis, sequamur tamen eum passibus amoris, &c.

Idem Exposit. Mor. li. 14. c. 29. contra quendam Euticiũ, Constantinop. Episc. sub Tiberio Constantino Imp. affirmantem, corpus nostrum in resurrectione fore impalpabile, ventis aëreque subtilius: omne illud in Domino, quod palpari potuit, in subtilitatem aliquam esse redactu[m] sic disputat. In illa resurrectionis gloria, inquit, erit corpus nostrum subtile quidem, per effectum spiritualis potent[iæ], sed palpabile per veritatem natu[ræ]. Vnde etiam [re]demtor noster dubitantibus de sua resurrectione discipulis, ostendit manus & latus, palpanda ossa carnémque pr[æbu]it, dicens, &c.

Et c. 30. ait: Si sicut quidam errorum sequaces arbi[tr]antur, post resurrectionem corpus palpabile non erit, sed inuisibilis corporis subtilitas caro vocabitur, quamuis substantia carnis non sit, profectò alius est qui moritur, & alius qui resurgit. Sed beatus Iob hanc eis sententiam veridica voce destruit, qui ait: Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Nos autem beati Iob fidem sequentes, & redemtoris nostri post resurrectionem corpus palpabile veraciter credentes, fatemur carnem nostram post resurrectionem futuram & eandem & diuersam: Eandem per naturam, diuersam per gloriam: Eandem per veritatem, diuersam per potentiam. Erit itaque spiritualis, quia & incorruptibilis: Erit palpa-

bilis, quia non amittet eſſentiam veracis naturæ, &c *Multis ibidem hoc argumentum contra Eutychis, id eſt, vbiquitariorũ ſomnia perſequitur.*

Nicetas *in Nazian.* ſublatis proprietatibus corporis, ipsũ quoque corpus ſimul tollitur & euaneſcit, vtpote à quo nullo modo ſeparari ac ne cogitatione quidem diſtrahi poſſint.

Ecquid vbiquitaria figmenta fortius profliget?

Flauianus Patriarcha Conſtantinop. Humana natura diuinæ copulatur, ſalua manente vtraque natura.

Sic docuit Venerabilis Beda, ex quo multa noſtro inſtituto appoſitiſſima proferri poſſunt. Verum ſufficiat vna & altera ſententia.

In Homil. Paſch. *Ipſe Deus & homo aſſumtus eſt humanitate, quam de terra ſuſceperat, manet cum ſanctis in terra diuinitate, qua terram pariter implet & cœlum.*

In Homil. Vigil. Pentec. *Ille poſt reſurrectionem aſcendens in cœlum, eos corporaliter deſeruit: quibus tamen diuina præſentia maieſtatis nunquam defuit.*

Iuſtus Epiſc. Orgelitan. Eccleſiæ, qui floruit Anno Domini 540. in Cantica Canticorum ſcribens ſic inter alia ſub Chriſti perſona loquitur: *Non me ſemper in corpore conſpiciendum requiras, quem ſpiritu per fidem melius cernis. Idcirco etenim in cœlos aſcendi, vt non ſemper oculis tibi appaream: qui ſic omnia diuinitatis meæ præſentia repleo, vt vbiq; adſim, cunctáque contineam & à nullo loco continear.*

Eandem fidem ſubſequentibus ſeculis omnes Orthodoxi Doctores ſunt profeſſi, & conſtanter defenderunt contra ſobolem Eutychianorum, Monophyſitas & Monotheletas: A qua neque ſcholaſtici, vtut tranſubſtãtiationis commentum inuexerint, & vndecunque arceſſitis rationibus nihili propugnare ſtuduerint, ſibi recedendum vnquam exiſtimarunt: ſed eam meritò retinuerunt & illuſtrarunt, Sic enim.

Lombardus li. 3. Sententiarum. Diſt. 3. de veritate humanitatis Chriſti. Hanc carnem non cæleſtis, non aëreæ, non alterius cuiuſquam naturę putes eſſe, ſed eius, cuius eſt omnium hominum caro. Et Diſtinct. 22. ex Auguſt. cont. Felicianum concludit: Chriſtus eodem tempore totus erat in ſepulchro, totus in inferno, totus vbique: ſicut & modo totus eſt, vbicunque eſt, ſed non totum. Nec in ſepulchro, nec in inferno totum erat, etſi totus: Sicut Chriſtus totus eſt Deus, totus homo, ſed non totum: quia non ſolùm eſt Deus vel homo, ſed & Deus & homo. Totum enim ad naturam refertur, totus autem ad hypoſtaſin: ſicut aliud & aliquid ad naturam, alius verò & aliquis ad perſonam referuntur, &c.

Idem diſt. 14. l. 3. clarè ait: Non eſt humanæ naturæ Chriſti datum poſſe omnia facere, quæ Deus facit, ne omnipotens & per hoc Deus putaretur.

Sic *Thomas Aquinas* in Summa contra Gent. In Chriſto fuerunt duo hæc admiranda, quæ in nobis non ſunt, Etenim nobis motis mouentur omnia, quæ ſunt in nobis: vel per ſe, vel per accidens. Sed non ita fuit in Chriſto: quoniam eo moto, perſona verbi manſit immobilis. Rurſus in nobis natura excedit perſonam: quia humanitas inuenitur extra indiuiduum ſuum. Verùm in Chriſto perſona excedit naturam aſſumptam, quia perſona illa vbique eſt, non aſſumpta natura. In his verò, in quibus non eſt niſi vna natura, verum eſt, quòd perſona non excedit naturam, &c.

Idem Thomas apertiſſimis verbis reiicit Vbiquitatem, Lib. 1. ſent. diſt. 37. q. 3. Corpus Chriſti nec in quantum eſt diuinitati vnitum, hoc habet, vt ſit in pluribus locis.

Bonauentura lib. 3. Sent. Diſt. 14. quæſt. 3. & hanc tractat quæſtionem: Vtrum Deus communicarit animæ Chriſti omnipotentiam? Dicendum (ait in reſponſo) quod nec animæ Chriſti, nec vlli creaturæ poteſt omnipotentia communicari, niſi eatenus, quatenus communicatur ei nomen & excellentia diuinitatis, hoc eſt, per communicationem idiomatum, quæ ortum habet ex perſonali vnione. Sicut enim poſſumus dicere, quòd Homo eſt Deus: ita poſſumus dicere, quòd homo eſt omnipotens. Et ſicut excellentia diuinitatis nulli creaturæ communicari poteſt, vt forma, & proprietas eidem inhærens, vel ſubſtantialiter vel accidentaliter: ſic etiam nec omnipotentia, &c.

Ibid. ait: Omnipotentia communicari non poteſt alicui creaturæ, nec animæ Chriſti, nec alij. Non enim poteſt ſeipſam ſuſtinere, niſi ſuſtentetur à diuina potentia. Li. 3. diſt. 14. q. 3.

Sic *ibidem* argumentatur: Nihil habens omnipotentiam poteſt ab aliquo excedi vel ſuperari: Quia nihil maius eſt omnipotente. Sed neceſſe eſt, omnem creaturam à Deo excedi & ſuperari: Ergo impoſſibile eſt, alicui creaturæ omnipotentiam communicari.

Item: Quemadmodum impoſſibile eſt, vt anima Chriſti, quamuis vnita ſit verbo, ſit, vbicunque eſt verbum: alioqui eſſet immenſa, & exiſtentia ipſius adæquaretur exiſtentiæ verbi: Ita quoq; impoſſibile eſt, vt intellectus animæ Chriſti ſimul omnia cognoſcat actu, quæ verbum, quamuis ei perſonaliter vniatur.

Item: Quod vbique ſit Chriſtus, hæc eſt diuinæ naturæ proprietas, quæ vni atque ſoli Deo competit. vt nulli prorſus creaturæ, ac ne ipſi quidem humanæ naturæ Chriſti in vnitate perſonæ, realiter communicari poſſit. Lib. 1. Sent. Diſt. 37. art. 2. q. 1.

Idem in 3. Sent. diſt. 22. qu. 2. Dicendum eſt planè, quod humanitas Chriſti non fuit, nec eſt, vbicunque eſt eius diuinitas, cùm deitas ſit immenſa & incircumſcripta, nullum ſibi locum determinans. Humanitas verò, cùm ſit finita & creata, determinat ſibi locum, quantum ex parte ipſius eſt, &c.

Ibid. Ad illud, quod obiicitur: Quæcunque ſunt vnita inſeparabiliter, extendunt ſe ad omnem locum æqualiter: Dicendum eſt: quod illud habet veritatem, quando aliqua duo vnibilia ſic vniuntur, quod vnum non excedit reliquum: Si autem vnum eſt maioris ambitus: non habet veritatem. Et ſic eſt in propoſito: Natura enim diuina eſt immenſa, ſed natura humana eſt limitata. Simile eſt, quod animal inſeparabiliter prædicatur de homine, & tamen alicubi eſt animal, vbi non eſt homo, &c. Hucuſque Bonauentura.

Poterant plura tum ex S. Patribus, tum ex doctiſſimis Scholaſticis ſuffragia colligi bona fide: Sed cum ſuperiora lectori pio & veritatis cupido ſufficiant, & cætera cum his conſentiant, ac ex ipſorum, quos nominauimus pleroſque, authorum monumentis peti poſſint: huic libro finem ſtatuendum eſſe iudicamus.

Habes igitur, Chriſtiane lector, veram, ſolidam, & copioſam planámque tractationem de hac controuerſia, noſtro ſeculo renouata, de perſona Chriſti, duobus libris contentam: quorũ priore luculentius ille Pauli ad Phil. 2. locus exponitur: poſteriore ſingula, quæ ad myſterij Incarnationis cognitionem pertinent, explicantur, imprimis autem quæ M. Kemnitius & alij nonnulli ex eruditioribus Vbiquitariis pro fictitia ſua Omnipræſentia, &, quam vocant, reali diuinorum Idiomatum in humanam naturam communicatione, cùm ex S. Scripturis, tum ex Patribus allegare fuerunt auſi, quæque ignaris, quorum hodie magna turba eſt, fucum facere potuerunt, perſpicuè & accurate examinantur, & refelluntur: Vetus autem & Catholica Orthodoxa fides de veritate carnis Immanuelis noſtri, & vnione perſonali, ac ſaluis & inconfuſis proprietatibus vtriuſque naturæ D. noſtri Ieſu Chriſti, luculenter ex S. literis, Oecumenicis ſymbolis, & vetuſtis Patribus, ac perpetuo conſenſu Eccleſiæ aſſeritur & ſtabilitur. Quæ quidem doctrina vt nunc prematur: at nunquam opprimetur: verùm inſtar palmæ, caput efferet, per omnia ſecula duratura.

Deum O.M. votis ardentibus precemur, vt in his regionibus Orthodoxam hanc confeſſionem benignè conſeruet, Eccleſiis pacem & tranquillitatem largiatur, eos autem qui nil niſi bella volunt, & lites ex litibus ſerunt, auerruncet, ac haud vbique, ſed nuſquam eſſe patiatur.

FINIS.

HIERON. ZANCHII

DE SACRA SCRIPTVRA TRACTATVS INTEGER.

Controuersias eius argumenti omnes, ex ipsis sacris fontibus, & Orthodoxorum Patrum authoritatibus accuratissima tractatione & methodo explicans.

Nn

ILLVSTRI, MAGNIFICO ET GENEROSO Domino,

DN. LVDOVICO A SAYN, COMITI IN WITGENSTEIN ET HOMBVRG, &c. SVMMO PALATINÆ ELECTORALIS aulæ præfecto, Domino clementi.

ILLVSTRIS *& Magnifice Domine*, ſumma animi ſubiectione colende. *Cùm multa alia religionis Chriſtianæ veritatem contra Atheos, Epicureos & profanos euincant: & nobis omnibúſque piis egregiè confirment ac commendent: ab aliarum quoque gentium & ſectarum quarumuis ἐθελοθρησκείαις, placitis, cultibúſque commentitiis longiſſimè ſecernant, & ſupra falſarum religionum vanitatem adeo extollant, vt tantùm caput efferat illa, quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi: tum illud inprimis irrefragabilem eius autoritatem ſancit ac luculentiſſimè demõſtrat, quòd ea ſola ab vnico & vero Deo, humano generi patefacta, Prophetis & Apoſtolis inſpirata ac de ipſius iuſſu & voluntate ad ſalutem hominum, ac ipſius creatoris cognitionem & gloriam certis monumentis, quæ Biblia voce recepta dicimus, eſt perſcripta & comprehenſa. Nam procul omni dubio, ea demùm eſt vera religio, quæ à Deo Opt. Max. profecta: falſa verò, quæ dæmonum inſtinctu, vel ab vno quopiam excogitata, vel plurium conſenſu & ex pacto recepta eſt. Quemadmodum ſcitè ſcripſit Auguſtinus: Religio vera non à terrena aliqua ciuitate inſtituta eſt, ſed cæleſtem ipſa planè inſtituit ciuitatem, & eã inſpirat ac docet verus Deus, dator vitæ æternæ omnibus ſuis cultoribus. Quod ipſum & gentilium philoſophorum, legiſlatorum, & gubernatorum ſaniores agnouiſſe, vel inde patet, quòd ſanctiones ſuas, θρησκείας & cultus ad eandem originem, numen videlicet (ſed ſuum quiſque fictitium ſeu idolum) retulerunt, vti perhibent hiſtoriæ, Minoa Cretenſium regem à Ioue, Lycurgum Laconum νομοθέτην à Delphico Apolline. Numam Pompilium alterum Romanorum regem, ab Aegeria nympha, ſacra, ritus, leges & inſtituta diuina, ſe accepiſſe, & neſcio quæ cum illis diis colloquia & congreſſus iactitaſſe, & ciuibus, rudíque popello perſuaſiſſe. Falsò id quidem ſed aſtutè tamen, quòd ſubodorarentur & intelligerent, hominis rationem et cõſcientiam non niſi hunc pro vero numinis cultu habere, qui ab ipſo numine manaſſet et demonſtratus eſſet.*

Verùm enimuerò diuinarum patefactionum beneficio, non quidem vllo merito noſtro, ſed mera et ſingulari Dei φιλανθρωπίᾳ, quem, niſi ipſo docente, nemo diſcere potuit, vt Irenæus, imò ipſe Filius Dei teſtatur, nobis benigniſſimè tributo et cõmunicato, ſanè quidem hoc ſeculo meritò gloriari poſſumus. Habemus enim firmiſſimum ſermonem propheticum: habemus et apoſtolicum: cui rectè facimus, ſi attendimus, veluti lucernæ ſplendenti in obſcuro loco, vſque dum dies illuceſcat, et lucifer exoriatur in cordibus noſtris: vt diuinus Petrus monuit 2. Epiſt. c. 1. v. 19. Itaque quotquot hodie Theologi locos communes et materias controuerſas methodicè tractarunt: ferè à ſacra Scriptura ſeu Verbo Dei, quo ſolo diuinæ iſtæ patefactiones, eóque vera religio continetur, ſunt exorſi, ac de eius autoritate et dignitate ſibi primum agendum et diſceptandum exiſtimarunt. Nec immeritò. Eſt enim ſacra Scriptura proprium principium Theologiæ, ex quo omnes demonſtrationes peti et depromi debent: cui ſi quid conſentit, citra tergiuerſationem recipiendum: ſi quid repugnat, ſine cunctatione reyciẽdum eſſe, nemo verè Chriſtianus auſit inficiari. Rectè igitur hæc tractatio, tanquam fundamentum cæteris controuerſiis omnibus ſubſternitur, cum abſque ea, quicquid in quæſtionem venit, liquidò nequeat definiri. Adigit quoque ad diligentius huius materiæ examẽ noſtros doctores ſumma aduerſariorum, inprimis eorum qui de ſocietate Ieſu ſe nuncupant, importunitas et impudentia: qui ſi non Pontificis Romani, et vnctæ, raſæque cohortis, quam illi Eccleſiæ Catholicæ titulo inſigniunt, axioma et autoritatem ſupra S. Scripturam extollunt: (quod olim Canoniſtæ, et alij Paparum adulatores factitarunt: reclamantibus interim eruditis et cordatis viris, qui conſcientiam à ſcientia non diuellebant: vt ex Gerſonis, Occami, Panormitani, Alphonſi de Caſtro et aliorum ſcriptis conſtat:) ſaltem Paparum

decreta et traditiones sacræ Scripturæ exæquant, et pari fide ac religione tenendas et seruandas esse contendunt: imò S. literarum autoritatem, ab Ecclesia, quam dicunt, i. suo testimonio suspēdunt. Contra quos certè S. scripturæ ὑπεροχὴ ἀνυπεύθυνος maiestas, asserenda est, nisi veritatem prodere velimus. Habet enim, vt Augustinus ait, lib. 12. de Ciuit. Dei c. 9. Scripturæ fides mirabilem autoritatem non immeritò in orbe terrarum, atquè in omnibus gentibus, quas sibi credituras esse inter cætera quæ dixit, vera diuinitate prædixit. Sed cùm de his, aliisque vtilissimis rebus in hoc libro satis copiosè et accuratè disputetur: superuacanea foret oratio prolixior.

Ad T. Cl. Illustris et Generose Comes, me conuerto: cui tractatum istum clariss. et caris. patris mei, D. Hieronymi Zanchij, quondam in Argentinensi, pòst Heidelbergensi, tandem Neustadiana Academia professoris solertissimi, felicis memoriæ, humiliter offero, dedico, consecro: quem vt T. Cl. serena fronte, vel potiùs solita benignitate suscipiat, oro. Cui enim potiùs istud opusculum ego meique dicarimus, quàm ei cuius et summæ sapientiæ, doctrinæ, ac iudicij, de Theologicis inprimis controuersijs, exactissimi, & maximi in literatos, adeòque nos ipsos beneuolentiæ, plurima extant documenta? cui inter inclytos Germaniæ Comites, ob insignes virtutes, illustri positas loco, & ob Remp. præclarè gestam, palmam deferunt prudentes: quem denique ob Ecclesiam adiutam, veritatem, veritatisque professores defensos, & pios ac exules plurimos refocillatos ac subleuatos, certatim orthodoxi laudibus extollunt? Ac sanè quæ T. D. sit in omni literarum genere præstantia: quæ cum primis sacrarum rerum cognitio, veræ pietati coniuncta, tum in Deum, tum in patriam nostram, seu Palatinatum, quem vt olim, sic etiamnum sapientissimis consilijs pro virili gubernas; publicè notū est, nec à me prædicari vel potest, vel debet, tanquam impare, & imperito laudum tantarum præcone. Interea tamen iudicium de tractatu isto V. D. defero: quem à Patre meo, ante annos viginti quinque in Heidelbergensi Academia publicè propositum, plurimi viri docti et amici paterni, iampridem efflagitarūt, et in gratiam studiosorum Theologiæ publicari desiderarunt: Quorum voto, quia citius non licuit, iam tandem propinqui et tutores mei satisfaciendum, eúmque lectoribus, et Ecclesiis orthodoxis, inprimis cum Pontificiis digladiantibus, nec inutilem nec iniucundum fore iudicarunt.

De propensione verò G. T. Cl. in D. Zanchij familiam, in primis in me, quem è S. Baptismate suscipere dignata est, quia dubitare non licet: equidem obseruantiæ, subiectionis et animi grati testimonium aliquod edendum censui: censuerunt itidem fratres, affines et tutores mei. Cùm verò nil aliud iam præstò sit, nisi chartaceum istud munus: quin et V. Cl pro heroica sua bonitate nihil aliud à nobis, nisi fortassis ex bibliotheca Opt. patris mei, scripta ad Ecclesiæ vsum accommodata, requirat: in certam spem venio, G. T. D. hanc dedicationem, vt significationem reuerentiæ et studij mei, ceu pro filij T. D. non minus gratam esse habituram, quàm si ab ipso patre meo D. H. Zanchio, p. m. profecta esset: et me in suorum clientum numero habituram, et paterno affectu prosecuturam et complexuram. Quod vt G. V. D. magis magisque faciat, et me meosque propinquos, ac Zanchij nomen et scripta sibi commendata habeat, etiam atque etiam oro. Deus Opt. Max. Cl. Ecclesiæ suæ, Reip. et nobis omnibus quàm diutissimè conseruet incolumem, saluam et fortunatam, ac de cœlis indies copiosissimè toti familiæ vestræ benedicat. Amen. Dab. Neustadij. Eidib. Mart. Anno D. N. I. Christi 1593.

Ill. & Gen. Cl. V.

subiectissi. cliens

Ludouicus Zanchius.

HIERONYMI ZANCHII
ORATIO,
DE CONSERVANDO IN ECCLESIA PVRO PVTO DEI VERBO,

IN ACADEMIA HEIDELBERGENSI HABITA 12.13.& 15. *Feb.Anno* M.D.LXVIII.

Cùm in locum D.Zachariæ Vrsini succedens professionem Locorum Communium publicè exordiretur.

DICTVRVS sum, Clarissimi viri, & Ornatissimi auditores, de necessitate, déque ratione retinendi, purúmque putum conseruandi in Ecclesia verbum Dei: eóq; nonnihil de officio Principum in hac re, Ecclesiarum, Pastorum, Doctorum, Studiosorum, déque Scholarum antiquitate, vtilitate & necessitate in regno Christi. Argumentum est, vt videtis, graue, honestum, vtile, & verò etiam necessarium in hoc tempore: adde & meæ conueniens ac consentaneum conditioni. Cùm enim mihi nouo in hac celeberrima Academia Theologo, antequam meum munus obire incipiam, aliqua (vt moris est) habenda esset oratio, qua & Christianam sapientiam, quam Theologiam vocant, laudarem, & ad eius studium iuuenes adhortarer: nullam ad rem accommodatius visum est argumento isto, quod tractandum suscepi. Nam & laudes continet veræ Theologiæ, & satis habet stimulorum ad illius amorem atque studium. Fuerit igitur oratio hęc (vt confido) studiosis nostris neque ingrata, neque inutilis: opto certè, vt sit & gratissima & vtilissima. Quare vt me benignè & attentè audiatis, non tam ego vos rogo, quàm ipsius etiam argumenti dignitas & vtilitas postulat.

Ac mihi quidem (vt ad rem ipsam veniam) diu multúmque cogitanti & in animo voluntanti, quidnam illud esset, quod & multis antè seculis, tum Respubl. perdidisset, tum Ecclesias euertisset, & nunc etiam (proh dolor) illarum permultis vtcunque renouatis atque instauratis, denuò perniciem facere, & exitium adferre incipiat: illud tandem visum est fuisse & esse in causa, quòd Antichristis, Christi Ecclesias & Scholas blando humanarum doctrinarum veneno inficientibus atque perdentibus, neque Reges & Principes, qui iuxta vaticinium Iesaiæ, debuissent esse Ecclesiarum nutritores & protectores, neque etiã reliqui Magistratus, qui patres populorum esse debebant, minimè pro suo officio restiterunt, neque curarunt, vt per veros Episcopos in Ecclesiis, & per sinceros doctores in scholis, verbum Dei, à quo vno tota Ecclesiarum salus dependet, purum sincerúmque conseruaretur: sed contrà potiùs plerique omnes, feris illis & immanibus belluis omnia pro libidine vastantibus, non solùm conniuerunt, verùm etiam, proh Deûm atque hominum fidem, opem iam inde ab initio tulerunt, & quotidie etiam ferũt. Qua de re qui dubitet, confido vestrûm esse neminem. Nam reapse quam verum hoc sit quod dico, ipsi, sed non sine magno dolore, videmus atque sentimus. Ergo nihil honestius, & Christiano homine ac Principe dignius: nihil ad Respub. & Ecclesias conseruandas conducibilius: nihil denique ad salutem cuique comparandam magis necessarium esse potest, quàm vt per illos quorum interest (interest autem omnium pro sua cuiusque rata portione) quam diligentissimè curetur, vt reiectis profligatísque in perpetuum omnibus humanis de Religione doctrinis, verbum Dei in Ecclesia, purum putúmque conseruetur, & administretur. Hoc est enim fundamentum, in quo salus Ecclesiarum quam maximè nititur. Sic iudico: sic sentio: sic video.

Sic docuit ille omnium excellentissimus & sanctissimus Poëta, qui in primo Psalmo cecinit: Beatum illum fore, qui neglectis omnibus impiorum hominum consiliis, moribus, doctrinis, totum adiicit animum ad vnam Domini legem, & in ea dies ac noctes meditatur. Sic Dominus Iesus ipsa æterna Dei Patris sapientia, confirmauit, cùm pro salute nostra, non ad peruestiganda virorum, si Deo placet, sapientissimorum placita, sed ad perscrutandas Scripturas nos ablegauit: *Scrutamini* (inquiens Ioh.5.) *scrutamini Scripturas*. Sic denique (ne singula Scripturarum testimonia proferam) ipse Spiritus S. vbique in S. literis testificatur, Ecclesiam Dei & colligi & coagmentari & conseruari verbo Dei. Ergo nihil etiam honestius est, quàm vt ipsa Ecclesia, hoc est, nos omni cura & diligentia studeamus verbum Dei purum putum apud nos conseruari.

Ac profectò nihil est, quod magis deceat Ecclesiam, quàm vt id apud se purum quàm diligentissimè conseruandum curet, per quod & ipsa fuit mundata ac conseruata, & per quod perpetuò munda scelerísque pura apud Deum propter Christum asseruatur. Verbo autem mundari nos, mundosque conseruari, docet luculenter Christus Ioh.17. cum ait, *vos mundi estis, per sermonem meum*.

Quid porrò magis honesti & grati hominis postulat officium, quàm vt pretiosum thesaurum sibi à suo Principe donatum, ab omni labe purum & vacuum mundúmque custodiat? præsertim verò si nouerit, hanc etiam sui Principis esse voluntatem. Qui hoc facere negligit: næ dignus ille fuerit, cui tantus thesaurus eripiatur, & alij, qui illum sciat ac velit custodire, donetur. Hoc enim æquitas postulat: hoc docet Natura: sic tradunt sacræ literæ: sic denique confirmant omnium Gentium & populorum iura atque leges. Quis autem, per Deum immortalem, pretiosior aut præstabilior thesaurus isto, quo nos Deus Optimus Maximus pro sua æterna erga nos beneuolentia liberaliter donauit, hoc est, Euangelio, inueniri excogitarive potest? Etenim quantum quæso rei est, Deum rerum omnium conditorem & gubernatorem, è cœlesti throno nobis homuncionibus hîc humi repentibus, locutum esse? nec locutum tantùm, sed suum etiam cœlestem sermonem, scriptum nobis reliquisse? quis non magno sibi ducat honori, si Princeps aliquis, aut Rex, suo se dignetur sermone, & præter hunc suis etiam amicissimis literis? At is, à quo sacrum habemus eloquium, sacrámque Scripturam, Deus est, Rex Regum, & Dominus dominantium, qui ius habet in omnium non tantùm facultates & corpora, sed etiam mentes atque animas. Quanti igitur faciendum est ipsius donum? Nos, quos dignatus est honore, Gentiles eramus, nati in peccatis: natura filij iræ: alieni diuinio à fœdere: homines sine Deo: ad quos eloquia hæc Dei non pertinebant: Et tamen hæc à Iudæis ad nos transtulit. Quantum igitur illi debemus: & quanta diligentia sunt nobis hæc custodienda? Illi, per quos cœlestes hasce diuitias & opes ad nos misit, fuerunt Angeli. Per hos enim suam dedit legem. Fuerunt Prophetę, afflati Spiritu sancto. Per hos enim vetus Testamentum conscriptum est. Fuerunt Apostoli, legati Christi ad omnes Nationes. Per hos enim Nouum habemus Testamentum. Fuit denique ipse Filius Dei, idémque Deus IESVS CHRISTVS. Is enim author totius Scripturæ. Per hosce honoratissimos legatos misit Deus è cœlesti throno in terram hanc, ad nos peccati & Sathanæ vilissima mancipia thesaurum hunc incomparabilem. Quantam igitur iram Dei, & ruinam imminere nobis putamus, si non hunc summo studio, ab omni labe vacuum nobis asseruemus?

Verùm, quo etiam modo eum nobis dedit? Primùm oraculis: deinde scripto: confirmatum miraculis: obsignatum sanguine Christi: Spiritu etiam sancto in cordibus nostris inscriptum. Quantum igitur ingrati animi crimen fuerit, si thesaurum hunc tam pretiosum, aut contaminemus ipsi, aut scientes & prudentes sinamus contaminari? Annon hę quatuor circunstantiæ, illius, qui dedit; nostrum, quibus dedit: eorum, per quos dedit: & modi, quo dedit: satis luculenter demonstrant, quàm æquum & honestum sit, vt cœlestem hunc thesaurum, diligenter purissimum conseruemus: non in cistis, sed in corde, sed in ore, sed in Ecclesiastico ministerio? Has certè circumstantias diligenter examinauit Apostolus, cùm voluit ad obedientiam simul, & reuerentiam Euangelij, fideles excitare in Epistola ad Heb. 2. dicendo: *Propterea, oportet nos diligentiùs attendere ijs, quæ dicta sunt nobis, &c.* Legantur reliqua.

Argumento autem ducto à circumstantia personarum, tum eorum, quibus ablatus est, tum eorum, quibus datus est thesaurus, vtitur in Epistola ad Rom. c. 11. cum ait: *Dices igitur mihi: Defracti sunt rami, &c.*

Sed non minùs diligenter duæ aliæ considerandæ nobis hîc sunt circumstantiæ, quæ ad accuratam huius thesauri custodiam, excitare nos debent: nempe ipsius thesauri qualitas & dignitas: & finis propter quem Ecclesiæ donatus est.

Thesaurus ipse, pretiosissimus est cœlestis, diuinus, quo nihil in mundo præstabilius aut excellentius inueniri: nihil nobis vtilius & salutarius donari potuit. Est enim hic ille thesaurus, cuius habendi causa, diuendenda sunt omnia, vt Christus docuit: quando in seipso Christo est salus, vita æterna. Præclara certè & magnifica dona Dei sunt sol, & pluuia, cæteraque omnia, quæ è cœlo & terra nobis benignè & liberali manu largitur, ad vitam hanc feliciter transigendam, necessaria. Præclariora, vires & facultates corporis atque animi, innumerę que virtutes, quibus animos mortalium exornat Dominus. Sed quid hæc comparata cum verbo Dei aliud sunt, quam plumbum ac ferrum, collatum cum argento atque auro? Idcircò Dauid, posteaquam celebrasset cœlos cœlorúmque virtutes, atque illis dixisset enarrari gloriam Dei: continuò Legem, hoc est, verbum Domini, illis prætulit: atque ab effectis, hanc illis longè pręstabiliorem esse demonstrauit, dicendo: *Lex Domini integra est, conuertens animam: testimonium Domini verum, sapientiam suppeditans imperitis. Decreta Domini recta sunt, cor exhilarantia: præceptum Domini repurgatum, illuminans oculos.* Legantur reliqua, Psal. 19.

Alibi etiam comparat illud auro & argento purgatissimo. Quid verò dicam de Mose? Ostensurus populo, quantùm illum Deus prętulisset reliquis Gentibus, hoc vnum celebrat: Thesaurum scil. verbi *Dei*, id quod postea Dauid in Ps. 147. pręclarè cecinit, cùm dixit: *Qui annunciat verbum suum Iacobo: instituta & iudicia sua Israeli. Non fecit taliter omni Nationi: & iudicia sua non manifestauit illis.* Certè reliquis etiam Nationibus communia fecerat Deus dona Cœli & Terræ: multísque & præclaris virtutibus illas etiam ornauerat: atque ita ornauerat, vt illarum permultæ, ipsis etiam Iudæis pręstantiores fuerint. Qua igitur in re apparebat, populum Dei, Gentibus reliquis omnibus antecellere? In hac, quòd non illis, sed huic tantùm suum tradiderat Deus verbum, suáque patefecerat iudicia. Hoc idipsum est, quod Apostolus scripsit ad Romanos 3. *Quid igitur ampliùs Iudæo est?* (in quo scilicet præcellat Gentibus) *aut quæ vtilitas circumcisionis? Multum quidem per omnem modum: atque in primis, quòd concredita sunt illis eloquia Dei.* Hoc igitur illud ipsum est, quo nos feliciores & beatiores sumus reliquis populis omnibus, ipsis etiam Iudęis: nempe, quòd nobis, & non illis, Euangelium Dei concreditum est. Annon hęc luculenta sunt testimonia, testantia & declarantia, quanta sit huiusce thesauri excellentia & dignitas? Æstiment igitur alij, & magnifaciant, quantum velint, diuitias Crœsi: triumphos Pompeij: vires Herculis: ingenium Luculli: virtutem Alexandri: doctrinam Aristotelis aut Platonis: eloquentiam Ciceronis aut Demosthenis: & si quid aliud in hoc Mundo excellens vnquam & admirandum fuit: Nos certè multò pluris faciemus hunc cœlestem thesaurum: in quo vno salus nostra, vita & felicitas æterna consistit: vt non sine causa scriptum reliquerit Apostolus, Christum & mortem aboleuisse, & vitam atque immortalitatem in lucem produxisse per Euangelium: nempe nobis: quòd ea nisi per Euangelium à nobis agnosci percipive non possit. Quare ab excellentia huiusce thesauri, satis liquidò apparet,

patet, quanta cura & diligentia custodiendus nobis sit, purúsque in Ecclesia conseruandus.

Finis porrò præcipuus, propter quem nobis suum verbum Deus & dedit, & reliquit in Ecclesia, duplex est: gloria ipsius Dei, & salus nostra. Gloria Dei in hoc cumprimis relucet: si is solus agnoscatur, & appareat Ecclesiæ Doctor, qui è cœlo, & non è terra nobis loquatur: & solus etiam à nobis cum summa reuerentia & obedientia audiatur. Nam solus etiam vult audiri: solus vult Ecclesiam suam docere: & hac voce sui verbi, suam declarare præsentiam, qua semper adest Ecclesiæ.

Finem hunc indicauit sæpenumerò Deus in Scripturis per Mosen & Prophetas: quorum testimonia nunc in medium proferre, non est necesse, cum res sit perspicua. Cum enim populo mãdabat, vt se, suumque Verbum duntaxat audiret: quid aliud hoc præcepto innuebat, nisi ideò se verbum suum, per Prophetas ad illos misisse, vt se loquentem in Prophetis audirent, & prætèrea neminem? Quid? Annon missum ad nos Filium, disertè hunc solum iubet audiri? Solus igitur vult docere, & audiri in Ecclesia Deus. Quod cùm ita sit, quis non videat, per esse iniquum, vt aliquis alius præter Deum in Ecclesia doceat? aut vt Deus introducatur aliena à sua voluntate, imò & secum pugnantia loqui, idque in medio suæ Ecclesię? Atque id fit, cùm verbum Dei in Ecclesia, humanis corruptum doctrinis proponitur & prædicatur. Ergo, ne tam execrabile flagitium in Dei maiestatem admittatur: & vt Deus appareat id quod est, verax & constans in suo verbo: & hac ratione sua illi maneat gloria, verbum Dei in Ecclesia, ab omni humana vacuum doctrina, purumque putum conseruari & administrari necesse est.

Salus deinde, in hoc potissimùm est posita: primum, vt verum Deum agnoscamus, & Mediatorem Iesum Christum. *Hæc est* (inquit Dominus Iesus Patrem alloquens) *vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Deinde vt eum vero colamus cultu: *Quicunque inuocauerit nomen Domini* (inquit Apostolus) *saluus erit.* Quis autem sine Dei verbo potuisset vnquam Deum agnoscere verè, & gratum ei cultum præbere? Ergo, vt Deum, & Christum eiusque voluntatem & cultum possemus agnoscere, eoque seruari: suum ad nos misit verbum, vt eo tanquam splendidissimo lumine, quæ alioqui nobis abdita erant, patefierent. Proinde Petrus meritò scripta Prophetarum, eóque vniuersam Scripturam, comparat lucernæ lucenti in caliginoso loco, vt eo scilicet Deum, eiusque voluntatem & Christum, & quæcunque ad salutem nostram necessaria sunt, perspicuè videamus. Quid igitur non solum iniquius, sed etiam nobis detrimentosius esse potest, quàm vt quod nobis facis & luminis ad vitam æternam præeuntis loco datum est, illud Cimmeriis humanarum doctrinarum tenebris, vel potiùs densa & atra ventosaque caligine, aut nos obscuremus, aut ab aliis obscurari & penitus extingui, prudenter sinamus? Ergo ab ipsa etiam thesauri qualitate, & à duplici fine, propter quem nobis datus est, luce clarius apparet, quanta diligentia & cura debeat à nobis purus in Ecclesia conseruari.

Quis verò innumerabiles eximiosque fructus, quos purum puréque administratum verbum Dei fidelibus adfert, enumerare, vel explicare queat? Ego certè non possum paucis id clariùs & breuiùs facere, quàm fecerit Apostolus, partim in ea, quam scripsit ad Timotheum posteriore: partim in ea, quę est ad Romanos. In illa ait, Scripturam sanctam vtilem esse πρὸς διδασκαλίαν· πρὸς ἔλεγχον· πρὸς ἐπανόρθωσιν· πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ: *vt integer sit Dei homo, ad omne bonum opus apparatus*: In hac verò ait: Quæcunque scripta sunt, ea ad nostram doctrinam scripta esse, *vt per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus. 2. Tim. 3. Rom. 15* His duobus locis, omnes Scripturæ vtilitates & fructus, vel, vt melius dicam, vsus, quàm breuissimè simul & dilucidè complexus est Apostolus. Quid enim pręter hæc desiderari posset ampliùs? Nam quæcunque tradi possunt de religione, & ad salutem nostram pertinentia: illa aut pertinent ad dogmata, aut ad mores, aut ad consolandas afflictorum mentes & conscientias. Si ad dogmata: illa aut sunt vera, aut falsa. Si vera: illa omnia abundè tradit sacra Scriptura: ideò meritò ait, illam vtilem esse πρὸς διδασκαλίαν. Si falsa: eadem Scriptura refutari facilè possunt. Ideò ait, eam etiam vtilem esse πρὸς ἔλεγχον. Si de moribus agitur: illi aut sunt boni, aut mali. Si mali, eos omnes corrigit Scriptura: idcircò ait, eam vtilem esse πρὸς ἐπανόρθωσιν. Si boni: in illis nos instituit sacra Scriptura, inque vera iustitia: ita vt quisque ad omne bonum opus apparari, & perfectè instrui per sacram Scripturam possit: ac proinde meritò ait, eam vtilem esse, πρὸς διδασκαλίαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ θεοῦ ἄνθρωπος. πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος. Quid hac Apostolica partitione perfectius? quid absolutius? His verò quatuor, accedit quintus vsus: is est consolatio in aduersis, cum patientia seu tolerantia præsentium malorum: & cum spe, certaque exspectatione futurorum bonorum coniuncta. Hunc fructum si addas superioribus: nil poteris amplius desiderare. Hanc autem quintam vtilitatem, ipsa etiam sacra Scriptura largiter præstat, vt docet Apostolus ad Rom. & nos reapse experimur. Nullum est tam graue afflictionum genus, in quo nos positos non mira afficiat consolatione S. Scriptura. Quamobrẽm? Quoniam Deus est, qui ibi loquitur. Deus autem est, qui nos consolatur in omni afflictione nostra. Est enim ipse solus Pater misericordiarum, & Deus omnis consolationis. 2. *Cor. 1.*

Hæc omnia bona, larga manu suppeditat Deus diuino suo sermone in Sacris Scripturis contento: sed eo puro, puréque proposito. Quid igitur vtilius, quàm purum Dei verbum in Ecclesia retinere & conseruare? Certè Ecclesiæ eatenus seruantur: quatenus retinent purum Dei verbum: & eatenus perduntur: quatenus verbum Dei aut prorsus ab illis tollitur: aut humanis doctrinis contaminatur atque corrumpitur: quemadmodum Ecclesiæ quæ erant in Galatia, & aliæ, tempore etiam Apostolorum: ac denique Romana, & quęcunque illam secuti sunt, perspicuè docent. Non est igitur tantum vtilis in Ecclesia puritas verbi Dei, sed etiam pernecessaria. Etenim, quis seruari posset, sine Dei & Christi cognitione? Nemo hominum. Quomodo verò Deus & Christus Mediator agnosci verè & salutariter à nobis possunt, citra purum ipsius Dei sermonem? Nullo modo. Non alia profectò ratione Deum agnouerunt & Christum eius veteres Patres, Adamus, Noha, Patriarchæ, Moses, Prophetę, Apostoli. Moses quidem summo tenebatur desiderio videndi Dei facie ad faciem. *Exod. 33.* & supplex hoc ab illo petiit: sed Deus hoc, seruo suo alioqui charissimo, apertè denegauit, allata etiam ratione, cur nollet ei in hac re gratificari: partim quòd fieri nequeat, vt mortalis homo Deum facie ad faciem videat: partim, quòd ei non expediret vtiléve esset; propterea, quòd non posset Deum in hac carne facie ad faciem videre, quin

image
not
available

Dei,probè tenerent:ad populos tamen in concionibus nil vnquam aliud adferebant, nisi quæ ex ore Domini accepissent,& ex eius verbo didicissent. Sic Christus,in quo erãt omnes thesauri sapientiæ ac cognitionis absconditi,egit. Nil enim docebat,nisi quæ audiuisset à Patre, & in S.literis Prophetarum continerentur. Sic iussi sunt facere Apostoli. Neque enim permisit illis Christus prædicare & docere populos,quæcunque scirent,aut scire possent:sed terminos ac limites præfixit verbi Dei,quos minimè fas esset transilire: *Prædicate*(inquiens) *Euangelium,docentes seruare,quæcunque præcepi vobis*,quasi dicat,nil præterea. Sic Apostoli obtemperârunt,& sic nobis quoque faciendum esse docuerunt. Prodeat Petrus:1.Pet.4. *Si quis loquitur* (inquit) *quasi sermones Dei*:quantò magis igitur,qui Ecclesiæ Dei concionatur? Prodeat & Paulus. Primum præceptum quod tradit Timotheo in priore epistola,cap.1.de bene regenda & gubernanda Ecclesia,hoc ipsum fuit,quod iam tracto argumentum : nimirum denunciaret illis, qui munus docendi in Ecclesia habebant,μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν:hoc est,neque aliud,neque aliter docerent,quàm ipsi quoque Apostoli docuissent,& adhuc docerent, purum scilicet verbum Dei & purè: ματαιολόγους illos appellans,& eorum doctrinam ματαιολογίαν,quicunque aliter & aliud docent, quàm quod Christus docuit, & docere iussit. Et in altera epistola,cap.2.iubet Episcopum esse ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας: non solum iubet,vt nihil aliud secet populo Dei,quàm sermonem veritatis:sed etiam iubet,vt illum secet rectè, hoc est,prudenter,purè, & secet ad ædificationem.

Docent omnes ij,& alij propè infiniti similes loci, Pastoribus Ecclesiarum in hoc vnum omni cura, studio,diligentia esse incumbendum:vt fidelibus in Ecclesia Christi nil nisi purum Dei verbum,idque purè & fideliter explicatum proponant:quòd hac vnica doctrina seruentur Ecclesiæ. Atque hæc est vna vera ratio retinendi in Ecclesia purum Dei verbum, nempe, si Pastores in suo Ministerio se contineant intra limites verbi Dei,non solùm quoad ipsam doctrinam, vt scilicet nihil doceant, quod non suppeditet verbum Dei: sed etiam quoad confirmationem doctrinæ, vt scilicet neccundè sumant testimonia ad probandum,quàm è fontibus Scripturarum:& id quoad eius fieri potest. Hoc addo : quoniam nonnunquam vsu venit,vt cogantur Pastores etiam pro suggestu, præter testimonia & rationes Scripturarum, vel etiam testimoniis & rationibus hominum tam profanorum,quàm etiam sanctorum,tam ad sua sana dogmata confirmanda , quàm ad falsa aduersariorum refutanda:idque aut propter petuicaciam hæreticorum,qui dum non acquiescunt Scripturis, aliis rationibus & testimoniis conuincendi sunt : aut propter maleuolorum calumnias, quas aliis, quam Scripturarum testimoniis refellere necesse est : aut denique etiam propter nonnullorum infirmorum fratrum imbecillitatem , qui à veteri superstitione non possunt penitus auelli,& in tradita,pérque Scripturas confirmata veritate firmari: nisi veterum etiam Patrum testimoniis eadem comprobetur. Tunc enim vtile fuerit Ecclesiæ, si id fecerit Pastor, modò tamen prudenter & sobriè,præmissa protestatione,se hoc facere coactum , non egressurum alioqui cancellos sacræ Scripturæ.

Cæterùm extra has tres necessarias causas,quæ certè non sępè contingunt,non est boni Pastoris & Cõcionatoris in Ecclesia, extra limites S.Scripturarum, per scripta Poetarum & Philosophorum , aut etiam Patrum euagari. Hoc enim est contaminare verbum Dei: & Ecclesiam assuefacere dictis hominum magis,quam S.Scripturarum oraculis audiendis : quod quid aliud est, quàm puritatem verbi Dei paulatim è mentibus fidelium,eóque & ex Ecclesia tollere?

Peccant igitur grauissimè contra puritatem verbi Dei illi, qui ostentandæ nescio cuius eruditionis gratia,è suggestis varia profanorum,Philosophorum, Poëtarum etiam obscœnorum dicta non solum citant, sed etiam integra recitant atque explicant.

Non me latet. Apostolum Paulum nonnunquam in suis sermonibus & Epistolis, profanorum etiam Poetarum dicta,quòd ad rem,quam tractabat,essent accommodata, citasse : vt in Actis illud Arati, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν: vt in 1.Cor.15.illud Menandri,φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί: vt in epist.ad Titum,cap.1.illud Epimenidis,Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται,κακὰ θηρία,γαστέρες ἀργαί.

Verùm,neq; nominauit Poetas,neque id fecit frequenter, neque sine vtili causa:sed breuia tantùm illorum dicta,rarò,sobriè,& quasi obiter,coactus adduxit:vt qui erant ex gentibus,ipsorum quoque Gentilium dictis,quasi propriis confoderentur armis. Quid igitur hoc Apostoli exemplum iuuat illos, qui citra vllam necessitatem,aut etiam vtilitatem, tantùm vt ostentent nescio quàm vanam eruditionem , assuefaciant mentes fidelium audiendis multorum eruditorum hominum testimoniis? Solus Christus in Ecclesia audiendus est,si volumus puram eius doctrinam in Ecclesia conseruari. Hanc priorem regulam docuit nos Apostolus in altera ad Tim.epist.c.2. *Quæ audiuisti* (inquiens) *ex me,inter multos testes: hæc propone fidelibus hominibus,qui erunt* ἱκανοὶ καὶ ἑτέρους διδάξαι, nempe eadem,& non alia:quasi dicat,Et ita nostra retineatur doctrina,quæ est verbum Dei,in Ecclesia Christi. Atque hęc de officio Pastorum,& de priori conseruandi in Ecclesia verbum Dei ratione,satis.

Venio nunc ad alteram:ea est diligens gymnasiorum literariorum & scholarum inprimis Theologicarum cura:nimirum,vt qui ad Ministerium Ecclesiasticum assumendi sunt,in iis priùs Christianè piéque ad officium illud instituantur. Hæc autem cura partim ad Principes ipsos & Respub.partim ad ipsarum scholarum Doctores:partim denique ad ipsos etiam iuuenes instituendos pertinet.

1. Ac quod ad Principes & Respub.pertinet : Primum summa diligentia curandum illis est,vt in suis vrbibus Scholas habeant,& in iis pios,præstantes & excellentes viros,qui iuuentutem cùm bonas & liberales artes & disciplinas,ac linguas,tum in primis veram pietatis doctrinam, hoc est, purum Dei verbum doceant:nec non etiam in ipsa pietate,Christianisque & honestis moribus instituant.

2. Deinde,vt hoc commodè & feliciùs fieri possit : debent & Doctores ipsos liberalibus stipendiis, & pauperes studiosos honesta aliqua ratione sustentare. Sic Deus docet suo exemplo,cum prospexit Leuitis de vrbibus,de decimis,&c. Sic fecit Constantinus Imper.&c. Certè honesta Professorum stipendia, non minùs nerui sunt Scholarum,quàm pecuniæ,belli.

3. Postremò debent ipsi pij Principes & Magistratus, Episcopi esse suarum scholarum, hoc est, debent aut per se,si fieri possit,aut saltem per alios subinde visitare Scholas,& inspicere,quãtum & quomodo stu-

diosi proficiant:& in literis,& in vera pietatis doctrina : & curare,vt suum quisque faciat officium strenuè & diligenter. Hæc est cura,quam suscipere debent pij Principes & Magistratus: de Scholis aperiendis & bene instituendis ac conseruandis.Sunt enim hæ,si bene sunt constitutæ,non solū vtiles Rebuspub.verùm etiam Ecclesiis necessariæ:quando sine ipsis neque Respublicę bene habere, neq; Ecclesiæ diu consistere possunt. Nam quod attinet ad Respublicas,quantum illæ valeant, & quantum sint felices sine viris doctis,& vera sapientia præditis,quorum sapientibus consiliis regantur: satis luculenter docent S. literæ : testantur Philosophi,confirmat experientia,Ecclesiastæ cap.10. *Væ tibi ô Terra, cùm Rex tuus puer est.* Quid ita?quia puer,imperitus est rerum,& insipiens ac stultus. Vnde quod Hebraicè est puer נער Germanicè est *Narr*, stultus. Ideò nomine pueri,quiuis imperitus & stultus intelligitur. Quid autem infelicius, quàm à stultis & imperitis regi?*Homine imperito nihil vidi iniquius*,dicebat ille apud Terentium. Sed tolerabile esset, si Rex puer esset:modò Consiliarij essent probi & sapientes.Sed cum etiam ij sunt insipientes, impij,& improbi: quid illa terra,vrbe,& Regno miserius? Ideò bene subdit Salomon,dicendo : *Et principes manè comessantur*: hoc est, illi qui deberent vigilantes esse in dandis bonis consiliis, in dicendo iureis qui petunt,tempus ad hoc destinatum insumunt in epulis,ebrietatibus, voluptatibus. Nam si mane inebrientur,per totum reliquum diem nil boni & recti poterunt præstare. Væ igitur Rebuspub.quæ sapientibus & piis viris, quorum consilio regi possint, destituantur. Ies.3. vt singulare flagellum, quo nihil detrimentosius regnis accidere possit:minatur Deus se daturum pueros qui regnent,sublatis inde doctis & sapientibus viris. Vidit hoc & Plato sapientissimus:proinde scriptum reliquit, *Tum demum vrbem beatam fore, cùm aut Philosophi regnabunt* (id est,viri docti & sapientes) *aut Reges philosophabuntur*, hoc est operam dabunt studiis bonarum literarum,& veræ sapientiæ.Contrà igitur,Tum demum orbis & vrbes infelices sunt:cùm aut imperiti & stulti regnant,aut Reges stultescunt.

Ac profectò rem ita se habere,& veteres historiæ tam sacrę,quàm profanæ:& nostra hęc secula docēt. Quando Respub.Israelis bene habuit?Cum Reges habuit pios,doctos,inque S.literis exercitatos : vt sub Dauide,sub Salomone,sub Iosaphato,Ezechia,Iosia,& aliis similibus. Verissimum igitur est,quod dixi de principio:Respub.non posse bene habere,cum destituuntur viris doctis,& verè sapientibus ac piis. At vnde ij educuntur? E Scholis. Idcircò etiam Hebræi testantur, tum demum Rempub.Israelis felicissimè habuisse, cùm in Israel frequentes essent Scholæ, atque vt illi loquuntur, cùm omnes vrbes, oppida, & pagi suas haberent בתי כנסיות & בתי מדרשות hoc est, domos conuentuum, seu synagogas, & domos scrutiniorum,seu studiorum,in quibus S.literæ diligenti studio explicarentur. Nam etiam inde boni Reges & Principes,posteaquam in S.literis fuissent bene instituti,ad Reipub.gubernacula educebantur.Quantum igitur vtiles sint Rebuspub. Scholæ, satis perspicuum est. Neque enim nostri instituti est in præsentia, de hac re multa verba facere.

Cæterùm.Ecclesiis non solùm vtiles,sed planè necessariæ sunt propter religionem, atque ita necessariæ, vt sine iis Scholis, neque doctrina Euangelij pura conseruari, neque ipsæ Ecclesiæ diu possint consistere. Quomodo enim bonam & firmam habere possis Ecclesiam,sine puro Dei verbo? Quomodo autem purum verbum conseruari queat sine ministerio? Quomodo verò ministerium sine ministris,ad verbum purè administrandum idoneis?At verò quomodo tales habere possumus Pastores sine Scholis? Ergo sine Scholis,è quibus euocari & educi subinde possint viri docti,sapientes & pij,alij ad Respub. alij ad Ecclesias gubernandas,diu conseruari Ecclesia non potest:id quod exemplo non procul petito, confirmari facilè potest. Quando enim Ecclesia Romana ad tantam defecit barbariem doctrinæ,morum, religionis? Nimirum, posteaquam Scholæ Theologicæ aut penitus neglectę fuerunt:aut saltem barbaris sophistarum literis corruptæ. Sic Iulianus ille Apostata,tum maximè nocuit Ecclesiis,cùm Scholas bonarum literarum clausit Christianis:putans hac ratione se posse illas funditus tollere. Contra videmus, tum demùm in Germania primùm, deinde in aliis regionibus restitutas fuisse Ecclesias, quando cum bonis artibus & disciplinis, studium etiam S.literarum restitutum est, & Scholæ verè Theologicæ iterum beneficio piorum Principum & Rerumpub.apertæ fuerunt.Sunt igitur hę Scholæ in Republ.Christiana multis nominibus non tantùm vtiles, sed etiam necessariæ, saltem vt in iis, & per has sincera pietatis doctrina retineri possit & conseruari.

Hac de causa videmus non solùm apud populum Dei, verùm etiam apud profanas Gentes, magnam semper adhibitam fuisse curam & diligentiam in hisce Scholis aperiendis,constituendis,conseruandis:&, qui in eis docerent, sapientibus & doctis viris, vbique locorum perquirendis, & amplissimis stipendiis, conducendis:idque vt horum opera cum liberales artes ac disciplinæ,tum maximè ipsa religionis doctrina pura conseruaretur:de quibus Gentium Scholis minimè opus est multa dicere ad vos præsertim viros doctos,& antiquarum historiarum peritos. Quis enim nesciat: quanta diligentia Scholas curârint,quantâve liberalitate studia & studiosos promouerint Ægyptij,Chaldęi, Babylonij,Persæ, Græci, & Romani? Quis ignoret in quanto pretio apud illos fuerint viri docti, literati, sapientes, atque inprimis doctrinæ de religione professores & defensores,vt Sacerdotes,Magi,Gymnosophistę,Philosophi, Pontifices, Augures? Quis commemoret celeberrima illorum gymnasia,Musęa,Lycęa,Stoas,Tempe,Academias?Sed iis omissis,de Scholis populi Dei,tam ante Christum, quàm post Christum, nobis dicendum est,vt hic pij principes,& Christianę Respub.videant,quid circa has Scholas sui sit officij.

In veteri Testamento videmus passim per totum regnum Israelis fuisse ex iussu Dei institutas & apertas Scholas:in quarum aliis Leuitę,in aliis Prophetę docebant,Legem Dei explicabant,iuuentutem instituebant,& discipulos sibi faciebant,qui postea aut in Templis, aut in Synagogis docerent, & doctrinam Dei ad posteros propagarent. Qui enim erant illi filij Prophetarum, de quibus sæpè fit mentio in libris Regum,nisi studiosi in scholis Prophetarum educati?Atque hoc voluit Amos,cum dixit,*Non sum Propheta, nec filius Prophetæ*: hoc est, nunquam fui in scholis Prophetarum & literatorum hominum edoctus. Qui etiam erant Nazaręi : nisi homines ad studia, & ad bonorum morum institutionem segregati, quales olim apud nos Christianos fuerunt sancti Monachi ? Hunc iuuentutis florem concidisse suo tempore defiet

flet Ieremias vt verè deflendum est, cùm pereunt Scholæ, & cum Scholis iuuentus.

Quid etiam causæ fuit, cur Dominus voluerit vt 48. vrbes cum suburbanis suis darentur Leuitis à reliquis tribubus? *Num.* 35. Hæc præcipua fuit caussa, vt passim in toto Regno Israel essent Scholæ & Collegia, in quibus Leuitæ docerent, & iuuenes in Lege Domini, & bonis moribus instituerent.

His autem Scholis & Collegiis moderandis ac regendis præficiebantur semper viri insignes eruditione, pietate, prudentia, morum grauitate, tam ex Prophetis, quàm ex Leuitis: vt Samuel scholæ Naiothensi, quæ erat in monte sancto in Rama: vt Helias Gymnasio Hiericontino, & Ramoth Galaad, in cuius locum successit postmodum eius discipulus Helisæus, atque ita alij aliis. Huc etiam spectat, quòd Dominus voluit, vt Leuitæ amplissimos haberent prouentus à singulis tribubus, & decimas, & census, hac nimirum de causa, vt cæteris liberati curis, liberiùs studiis literarum, & Ministerio Ecclesiastico possent vacare. Ac quod Dominus de iis Scholis per Mosen constituerat: illud ipsum pij postmodum Reges seruandum curarunt. Quid? quòd inter ipsas etiam Gentes dispersi Iudæi, suas semper conati sunt retinere Scholas, quas synagogas vocant, in quibus sua colerent studia, & de S. literis inter se dissererent? teste Iacobo in Act. 15. Et si collapsæ illæ fuerunt magna ex parte tempore captiuitatis: certè postliminio reuersi in patriam Principes Iuda, curârunt eas instaurandas, præsertim Hierosolymis, vbi primarium erat Iudaicæ Gentis studium, ad quod ex omnibus Regni & Mundi partibus studiosi confluebant teste Luca in Actis, cap. 2.

De Domino verò Iesu Lucas refert, cùm ingressus fuisset Synagogam, datum ei fuisse librum S. Bibliorum tanquam Doctori, vt aliquid in eo explicaret: ipsum verò fecisse officium. Imò idem Lucas refert, Iesum cum adhuc esset annorum 12. disputasse cum Doctoribus illarum Scholarum, atque cum magna omnium admiratione. Et quidem ipse Dominus Iesus indicauit, se vtrumque fecisse officium, & Ecclesiastici Concionatoris, & scholastici Doctoris, cum dixit, *Ego semper docui palàm, & in Templo, & in Synagogis.* Erant enim illæ Synagogæ, vt antè dixi, scholæ & collegia, vbi Lex Domini inter doctiores explicabatur, & de Scripturis disserebatur.

In Actis quoque scriptum reliquit idem Lucas, fuisse Hierosolymis habitantes Iudæos, viros religiosos ex omni natione, eorum quę sub cœlo est. Indicat collegia ibi fuisse studiosorum hominum, qui eò ex omnibus Mundi partibus confluerent. *Act.* 2.

Ibidem cap. 6. mentionem facit Collegij Libertinorum, Cyrenensium, Alexandrinorum, & Cilicum & Asianorum, qui disputabant cum Stephano. Contulerant enim eò se omnes isti studiorum gratia.

De Paulo quoque refert idem Lucas, quomodo è Tarso Ciliciæ Hierosolymam concesserit, & ibi per Gamalielem in Lege Domini institutus fuerit. *Act.* 22. Quis autem fuit iste Gamaliel? Doctor Legis in Academia Hierosolymitana, discipulus Simeonis illius, qui Christum in vlnas accepit. Habuit enim illa Schola Hierosolymitana multos pręclarissimos Doctores, inter quos etiam fuit Hillel, qui anno ante Templi euersionem 100. floruit ea in Schola. Certè Paulum post suam conuersionem legimus sępiùs ingressum fuisse Synagogas Iudęorum, cum illis disputasse, & euicisse, Iesum esse Christum. *Act.* 9.

Ex iis & aliis propè infinitis similibus tam Noui, quàm Veteris Testamenti locis, facilè cuique liquere existimo: primò, fuisse semper ex Dei instituto Scholas in populo Dei, vsque ad ipsam Hierosolymæ euersionem: Deinde, etiam causam, cur Dominus has instituerit, & tanta diligentia voluerit regi, conseruari, custodiri, grauissimisque & celeberrimis Doctoribus ornari: nempe, vt in eis horum opera, puta doctrina atque religio conseruaretur: quòd iis collapsis, aut corruptis, non possit diu Ecclesia Dei conseruari. Atque hæc de Iudaicis Scholis.

Venio nunc ad alias, præter Hierosolymitanam, Scholas, quę post Christum, vbique terrarum, per Apostolos, viròsque Apostolicos institutæ fuerunt, vt in eis pura Euangelij doctrina custodiretur, & inde ad posteritatem propagaretur. Habuit enim iam inde ab initio Christiana etiá Ecclesia suas Scholas, in quibus pueri prima religionis elementa discebant: & deinde libros etiam sacros explicari audiebant. Et qui hæc docebant, Catechistæ & Doctores vocabantur: Ac primùm quidem Antiochiæ, tempore etiam Apostolorum celebrem fuisse Scholam, & sanctorum doctorumque virorum collegium, docet Lucas in Actis c. 13. In ea, præter alios, Doctor fuit Barnabas, quem posteà Spiritus sanctus iussit inde ad ministerium Apostolatus, Pauli comitem assumi: & Constantini etiam Magni tempore illa extabat Schola. Quo etiam ex loco discimus, vnde sumendi sint Ministri: nempe ex Scholis, & ex collegiis sanctorum virorum. Ac quoties Apostolus Paulus mentionem facit Catechistarum, & verbi Catechizandi (facit autem sępe) Scholas indicat Christianas, in quibus iuuenes catechizabantur.

In Asia florentissimam instituit Iohannes Apostolus Scholam, in ipsa Metropoli, Epheso: è qua multi & magni Episcopi ac Martyres prodierunt, inter quos & Polycarpus fuit, & qui de hac re scribit Polycarpi discipulus Irenęus.

In Palęstina Cęsareę fuisse Scholam, docet Gregorius Neocęsariensis, qui ibi operam dedit literis sacris, & inde doctissimus ad Episcopatum assumtus fuit.

De Alexandrina verò omnium in toto orbe celeberrima Schola quid dicam? Scribit Hieronymus, iam inde à temporibus D. Marci, qui Euangelium scripsit, multos & magnos in ea floruisse Doctores: inter hos connumerantur Pantænus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Hiracles, Dionysius, & alij insignes viri.

De Schola Byzantina scripsit Gregorius Nazianzenus: & in ea institutum atque eruditum fuisse fratrem suum Basilium narrat.

Sed quid ego Scholas omnes commemorem? Circumspiciamus & intueamur vetustissima Canonicorum collegia, & Monachorum Monasteria seu Cœnobia: quid de principio hæc fuerunt aliud, nisi piorum & studiosorum hominum collegia, & Christianæ Academiæ? Testantur hoc antiquissimæ, & instructissimę, quę in illis adhuc extant, Bibliothecę: testantur amplissimę facultates, quibus ab Imperatoribus & aliis potentibus liberaliter donabantur, pro honesta Doctorum & studiosorum sustentatione. Testatur propriè etiam Posidonius in vita Augustini c. 5. & 11. cum ait, *D. Augustinum in Monasterio cum Dectis ha-*

bitasse, & secundùm Apostolorum regulam vixisse, & è suo collegio, Episcopos aliquot, doctissimos viros, Ecclesiis dedisse.

Ex iis autem omnibus, quæ diximus partim de Scholis Christianis & Theologicis, in toto orbe Christiano iam inde ab initio per omnia secula institutis, partim de causis, propter quas tanta diligentia & studio tam à Mose primùm & Prophetis, piisque regibus Iuda: quàm postea ab Apostolis, Christianisque Principibus institutę & conseruatæ fuerunt: facilè quiuis videre potest, quàm sit necessarium, si velimus & purum Dei verbum, & puras Ecclesias apud nos conseruari, vt cum primis Scholas habeamus optimè constitutas: in quibus tum linguarum cognitio, & liberales artes doceantur, tum maximè puritas Christianæ doctrinæ conseruetur.

Hanc verò curam cum primis ad Reges & Principes Christianos pertinere, tum ex iis quæ diximus, tum ex aliis, quæ nisi vitiosam prolixitatem metueremus, dici à nobis & ex S. literis, historiisque Ecclesiasticis demonstrari possent, itidem perspicuum esse potest.

Superest igitur, vt de altera Scholarum cura, quæ nimirum ad ipsos attinet Doctores, nonnihil breuiter dicamus. De omnibus autem, qui in Scholis profitentur, non est nobis in præsentia sermo: sed de Theologis tantùm Doctoribus verba facimus.

Horũ in summa, quod ad docendi prouinciam attinet, duplex est officium. Primum, vt summam Christianæ doctrinæ, ex S. literarum fontibus haustam, methodo συνθετικῇ collectam, & in certos locos digestam, adolescentioribus breuiter & dilucidè tradant & explicent, inque ea quàm diligentissimè illos instituant: quod Græci κατηχεῖν appellarunt. Hoc autem propriè est voce erudire, ἀπὸ τοῦ ἠχεῖν, quod est sonora voce rudimenta religionis tradere: Latini vocant informare. Hoc etiam fuit officium, quod priori loco faciebant Apostoli: cùm variis in locis Ecclesias constituebant. Neque enim mox rudibus populis sacros Prophetarum libros interpretabantur: sed illos primùm catechizabant, hoc est, in præcipuis Christianæ doctrinæ capitibus erudiebant, idque voce & coram.

Deinde erectis iam & firmatis Ecclesiis, creatisque earum Episcopis, curabant, vt sacri etiam libri explicarentur, quorum explicatione fideles in tradita priùs doctrina magis ac magis confirmarentur.

Possem hoc multis demonstrare, nisi duo sufficerent loci. vnus Luc. 1. vers. 4. Alter locus clarior est ad Hebręos, cap. 6. vbi, quámnam methodum seruârint Apostoli in tradendo Euangelio: & quęnam primùm eis fundamenta iecerint, antequam ad Propheticorum librorum explicationem veniretur, satis luculenter apparet: cum ait Apostolus: *Quapropter omisso, qui in Christo rudes inchoat, sermone, ad perfectionem feramur*, hoc est, ad vberiorem rerum Christianarum & S. literarum explicationem. Qui verò est, qui in Christo rudes inchoat sermo? Explicat, dicendo: *Non rursus fundamenta iacientes pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei in Deum*, & quæ sequuntur. Ibi enim, quæ fuerit Catechismi forma, qua rudes instituebant, perspicuè indicatur. Et quidem non dubito, quin omnibus tradiderint, & explicarint Legem Decalogi: doctrinam de pœnitentia: Symbolum quod Apostolicum vocatur: & Dominicam precationem, antequàm acciperent in manus libros Mosis & Prophetarum enucleandos.

Hanc methodum seruauit Dominus, cùm summam suarum Legum, quas postea fusè per Mosen explicauit, duabus tabulis, decémque preceptis complexus est. Hanc eandem Christus secutus est, cùm Legis summam duabus præceptis, dilectione scilicet Dei & proximi: & summam Euangelij, prædicatione pœnitentiæ, & remissione peccatorum comprehendit & docuit. Hanc postea & Patres, tam Græci, quàm Latini, imitati sunt: quorum alij certos quosdam locos diligenter pertractarunt: alij summam etiam omnium locorum communium complexi sunt: vt Theod. ἐπιτομῇ θείων δογμάτων: Augustinus Enchiridio ad Laurentium: Item de fide ad Petrum.

Ergo de hac docendi methodo dubitandum non est, quin eadem nobis quoque sit imitanda. Cùm verò necessaria sit hæc tradendorum ante omnia locorum communium, tanquam primorum principiorum ratio: hinc perspicuum est, quòd id in omnibus tradendis artibus solitum est fieri: siquidem nullæ artes, nullæve disciplinę, rectè tradi, vtilitérve percipi possunt, nisi priùs iaciantur & explicentur fundamenta, quę prima vocantur cuiusque artis principia. Sic Grammaticę pręcepta & principia primò docentur pueri, antequam ad Ciceronis aliorumve autorum lectionem admittantur. Sic in Dialecticis: sic Mathematicis: sic denique in Philosophicis & aliis scientiis omnibus fieri consueuit.

Id certè eò magis in Theologia seruandum est, quò perniciosius est in hac errare, quàm in aliis artibus omnibus. Proinde Apost. Rom. 12. vult vt qui Scripturas interpretantur, ad analogiam fidei interpretentur. Quænam hæc est? Summa doctrinę Christianę ab Apostolis traditę, & ab Ecclesiis omnibus receptæ: vti est Symbolum Apostolicum: vt nullam S. Scripturarum interpretationem aut admittamus, aut adferamus, quę cum hac summa doctrinæ aliquo pugnet modo. Quam regulam si sequerentur illi fratres, qui de Cœna nobiscum digladiantur: illam quam vrgent verborum Cœnæ interpretationem, neque ipsi adferrent, neque ab aliis allatam admitterent: cum ex diametro pugnet cum primis fidei nostrę articulis.

Est autem hîc notandum, Doctoris qui locos tradit Theologicos, officium esse, non tradere simplicem doctrinam, sed eam etiam firmissimis, quibuscunque potest rationibus & testimoniis confirmare: ac primo loco testimoniis Scripturarum. Quare? Quia non satis est Christiano homini tenere fidem, & principia fidei, sed oporeet etiam, vt teneat testimonia Scripturarum, quibus videat fidem suam niti: & ita, cùm opus est, sciat fidei suæ rationem reddere, sicut 1. Petri capite 3. iubetur quisque Christianus.

Ergo Catechistæ seu Doctores, qui in primis fidei capitibus iuuenes instituunt, debent & doctrinam perspicuè tradere, & eam apertis aliquot clarisque Scripturæ testimoniis confirmare, atque hunc in modum pueros instituere. Atque hæc de primo Doctorum in Scholis officio, satis.

Alterum verò est, vt Scripturas methodo ἀναλυτικῇ, iuxta analogiam fidei, diligenter & fideliter, purè & sincerè, per ipsasmet Scripturas, ad ædificationem, interpretentur. Hoc esse præcipuum illorum officium vsque adeò perspicuum est, & è S. literis demonstrari potest, vt in huius probatione immorari, sine iusta reprehẽsione nõ possim. Nã quid aliud fuerunt Prophetę, quàm Mosis interpretes? Qua de re loquitur Apo-

tur Apostolus, cum ait, Rom. 12. *Si quis habet Prophetiam* (illam exerceat) *iuxta ἀναλογίαν fidei*: & cùm toties in epist. ad Cor. de Prophetis & prophetandi ratione loquitur: & cùm ait 1. Thes. 5. *Prophetiam nolite spernere*: qua de re, inquam, loquitur alia, quam de hoc altero, eóque præcipuo Doctorum Ecclesiæ officio, nempe interpretandi Scripturas? An non Christus hoc exercuit, cùm venit in Synagogam, & datus ei fuit liber Bibliorum, vt aliquid ibi interpretaretur? An non hoc idem confirmant illi duo discipuli, qui ibant in Emaus, cùm post auditum Christum Scripturas explicantem dixerunt: *An non cor nostrum erat ardens in via, dum interpretaretur nobis Scripturas?* Non est igitur necesse, vt probemus, hoc alterum esse officium Doctorum in Schola, sacros Bibliorum codices interpretari: sed hoc potiùs obseruandum est si velimus purum Dei verbum in Ecclesia conseruari, cumprimis necessarium esse, vt Doctores tum in tradendis locis communibus, purum Dei verbum sequantur: tum in explicandis Scripturis, à puro Dei verbo nunquam deflectant. Quomodo hoc fiet? Si ad scripturarum interpretationem, non adferant, nisi Scripturas & principia fidei: ad quod nihil aliud est, quàm, vt loquitur Apostolus, iuxta analogiam fidei Scripturas interpretari. Quomodo enim (vt vnum adferam exemplum) interpretari meliùs & puriùs possemus verba Christi de pane in Cœna, quæ multi eò rapiunt, vt dicant, ipsum panem verè & propriè esse corpus & carnem Christi, quia sic videntur sonare verba: quam si ad huius loci interpretationem adferamus primum verba eiusdem Christi de Calice, vt ea recitat Lucas & Apostolus, *Hic Calix, Nouum est Testamentum, &c.* & illam Pauli explicationem, *Panis, quem frangimus, nónne communio corporis Christi est?* Et Petri dictum Act. 3. cùm de Christo in cœlum suo corpore euecto verba faciens ait: *Oportere illum cœlo contineri, vsque ad tempus restitutionis omnium*: & deinde principia fidei: corpus Christi esse vnum, illúdque humanum & finitum: & illud ascẽdisse in cœlos, & iterum venturum esse: & denique locutiones Scripturarum: cum de Sacramentis verba faciunt: vt de Circumcisione, *Hoc est fœdus meum*: de Agno, *hic est Pascha*, de Baptismo, aquam illam, vt vocat Apostolus ad Tit. 3. cap. *lauacrum esse regenerationis*: cùm tantùm sit Symbolum interni lauacri Spiritus S. quo regenerantur: & alia similia dicta. Nam hæc adferenda sunt ad verborum de Cœna interpretationem.

His autem omnibus duo certè ἀποδεικτικῶς euincuntur: vnum, fieri non posse, & pugnare cum analogia fidei & Scripturis, vt ille panis sit verè & propriè corpus Christi, aut etiam, quòd verè & propriè sit in pane, vel coniunctum cum pane. Quare Papalem interpretationem impiam esse, & cum fide Catholica pugnantem. Alterum, quod ex illis locis euincitur, est, panem ita esse corpus Christi, sicut circumcisio est fœdus Dei: sicut agnus est pascha: sicut aqua est lauacrum regenerationis: nempe sacramentaliter. Possem alia etiam adferre exempla, sed hoc satis est in præsentia. Manifestum igitur est, ad retinendum purum Dei verbum in Schola, non solum locos Communes probandos esse testimoniis Scripturarum apertis, sed etiam ipsas Scripturas explicandas & interpretandas esse per Scripturas, & ad fidei analogiam: Nulla autem re magis corrumpi & contaminari puritatem verbi Dei, quam aut dogmata probare, aut Scripturas interpretari, sine verbo Dei, testimoniis tantum & interpretationibus hominum, quicunque illi sint, siue Patres antiqui, siue nostri temporis Doctores, illorúmque autoritate, tanquam sacra anchora niti. Quare debet Doctor in Schola, & dogmata apertis Scripturarum testimoniis, & Scripturas ipsas Scripturis cum analogia fidei interpretari. Hanc Apostolicam interpretandi rationem si omnes sequantur Doctores: fieri certè non poterit, quin purum in Scholis Dei verbum simus semper habituri.

Quòd si postmodum libeat Doctori & dogmata iam Scripturis probata, & Scripturas iam Scripturarum interpretationibus explicatas, Patrum etiam & aliorum testimoniis confirmare, præsertim cum venitur ad concertationem cum aduersariis, idq; vt suis ipsorum armis confodiantur: tantum abest, vt dicamus ei hoc non licere, vt potius si faciat, vehementer laudandus nobis esse videatur. Sic Patres in pugnis & digladiationibus, quas cum Gentibus & Philosophis habebant, soliti sunt dogmata Christiana Scripturis iam probata, Gentilium etiam, Philosophorum Poetarúmque testimoniis, cùm poterant confirmare: vt in eorum libris videre est, præsertim in Iustino Martyre, Clemente Alexandrino, Eusebio Cæsariensi, Lactantio, Theodoreto, Augustino in li. de Ciuitate Dei, & aliis. Id quod non ita facilè est videre in eorum sermonibus seu concionibus, quas ad populum habebant fidelem. Est enim longè diuersa ratio Pastorum in Templis, & Doctorum in Scholis. Illis negotium est cum fidelibus tantùm, vt eos doceant, moneant, corrigant, consolentur: ad quod sufficit verbum Dei: imò alia addere ex profanis, est, vt antea ostendi, Ecclesiæ detrimentosum, nisi cogantur, vt antè exposui. At istis negotium est etiam cum hæreticis & infidelibus, vt eorum errores refutent: ad quod licet Scripturę sufficiant, tamen vtile est, vt aduersarij suis etiam gladiis iugulentur. Ac licet non semper lectionibus intersint aduersarij, aut nostris nulla cũ eis intercedat concertatio: tamen illorum officium postulat, vt armis etiam aduersariorum vtantur propter fideles & studiosos auditores, qui futuri sunt aut Doctores, aut Pastores, vt ij etiam sciant, quomodo cum aduersariis pugnandum sit: imò in promptu etiam habeant illorum aduersus eos ipsos arma. Hæc est causa, cur Patres, non ita in homiliis ad Ecclesiam, quam in disputationibus, pugnis, & libris contra Gentes, Philosophorum & Poetarum dictis vtantur. Quia eadem res non semper, nec vbiq; nec omnibus prodest. Proinde non tantùm concedi, imò etiam laudari in scholasticis Doctoribus potest, quod in Ecclesiasticis concionatoribus omnino improbandum est. Nunc tenemus, quódnam sit officium Doctorum scholasticorum, & quánam illi vti debeant ratione, si velint puram Christianæ doctrinæ veritatem in Scholis, ac proinde in ipsis etiam Templis retineri & conseruari.

Reliquum est ad extremum, vt de tertia Scholarum cura, quę ad ipsos Scholares seu studiosos pertinet, differamus. In hac explicanda, non est opus longa aut accurata oratione, sed vno eóque plano expeditur.

Cum enim inter Doctores & discipulos seu studiosos mutua sit relatio: explicatis Doctorum officiis, mox & quæ sint discipulorum partes facilè dignoscitur. Ex iis igitur, quę de duplici Doctorum officio dicta sunt, duplex etiam studiosorum esse officium, perspicua & plana consecutione colligitur.

Primum,& cui etiam in primis danda est opera,est,vt attentè audiant,diligenter excipiant,& memoriæ mandent locorum Theologicorum, quos Communes vocant, doctrinam à piis Doctoribus traditã, & apertis S.literarum testimoniis probatam & confirmatam. Nam quantum sit hæc doctrina,hac methodo tradita,iis qui volunt solidè & purè Scripturas intelligere:paulò antè à nobis ostensum est.

Meritò autem dixi,hos locos memoriæ esse mandandos,quoniam semper debent esse in promtu,tum propter intelligentiam Scripturarum,ad quam sunt ceu ὁδηγοὶ καὶ κανών:tum propter concertationes cum aduersariis doctrinæ Christianæ,contra quos iis loci sunt ceu quotidiana arma,quibus nos oportet semper esse munitos.Qua in re peccant permulti Studiosi, qui attentè quidem hos audiũt, & diligenter exceptos conscribunt:sed postea contenti,se illos habere in cista descriptos,nunquã memoriæ mandant. Ij similes mihi videntur illis, qui cùm nihil teneant Grammaticæ vel Græcæ, vel Latinæ, quæ nihil aliud est,quàm loci communes linguæ Latinæ aut Græcæ,contenti se multos habere Grammaticos in Musæo, accedunt ad lectionem vel Ciceronis,vel Demosthenis. Deinde similes sunt illis militibus, qui freti armis,quæ domi habent,ad bellum accedunt inermes. Ii,si contingat,vt pugnandum sit,coguntur aut succumbere & perire,aut se in fugam vertere: aut hosti dicere : Exspecta,dum redeam domum, & sumam gladium, & ita se turpiter dare omnibus ridendos.Neque etiam dissimiles sunt Israelitis,qui minimè curabant, vt legem Domini scriptam haberent in cordibus, propterea quòd sibi satis esse videretur eam habere in tabulis librísque.

Debent igitur Studiosi locos communes,etsi non singula verba,quod non probo & est ἀδύνατον:saltem res ipsas & testimonia Scripturarum,quibus confirmati sunt, ediscere, & in thesaurum perpetuæ memoriæ recondere.Et certè non est perdendus thesaurus memoriæ:perditur autem cùm non exercetur.

Quod ad Scripturarum lectionem & studium attinet:hoc alterum est illorum officium,vt non solùm in Auditorio Doctores suos Scripturam explicantes attentè audiant,& summam notent: verùm etiam domi illas interpretationes cum doctrina locorum Communium , & cum aliis Scripturis conferant, & an conueniat,necne,videant:imitati hac in re illos Berhoenses,qui(vt Lucas refert Act.17.)cum audissent Paulum concionantem,& Scripturas Prophetarum de Christo interpretantem:domi consuluerunt Scripturas,an hæc ita se haberent,quæ dicebantur à Paulo. Sicut enim publicos Scripturarum interpretes audire ipsis ad hoc est vtile,vt habeant studiorum duces,nec fiant αὐτοδίδακτοι, quod hominum genus rarò Ecclesiæ profuit : ita eum Scripturis audita conferre est necesse,ne Pythagoræorum more tantum à suis Magistris pendeant, sed ipsos doctrinæ fontes cognoscant, & dogmatibus Præceptorum suorum fidem habere discant, non quia hominum, quos amant, vel admirantur, sunt placita, sed quia sanctarum Scripturarum nituntur autoritate, & ea vel manifestè ex Dei verbo desumta , vel bona inde consequentia deducta esse intelligunt.

Nec tamen ad familiarem scripturarum cognitionem,quæ inprimis in Theologo requiritur, comparandam satis est talis collatio, sed quotidiana insuper atque attenta lectione priuatim est opus. Consulo igitur,vt nulla dies Theologiæ studiosis abeat,quin & manè aliquam horæ partem priuatæ lectioni,iuxta librorum diuinorum seriem impendant, & vespere diurnarum operarum omnium rationes seuerissimè ipsi à sese exigant:cuius diligentiæ incredibile est,quantos breui tempore sint percepturi fructus.

Sed nunc finem dicendi faciam,vbi de duobus adhuc studiosos adolescentes monuero.

Vnum est,ne manibus,quod aiunt,illotis studium hoc, vt diuinissimum, ita maximè arduũ attrectent, sed cum reuerentia & necessariis instructi adminiculis ad illud accedant,si modo laude quid dignũ proficere & consequi discendo animum induxerint. Adminicula voco artium dicendi, ac præcipuarum Philosophię partium,maximè Ethices & Physices cognitionem mediocrem. Absque his enim non modò plurimas scripturarum sententias non intelligent, sed & multas grauissimas disputationes de Prouidentia Dei,de Peccato,de Libero arbitrio,de Lege Dei,de virtutibus,&c.non assequentur.Sine illis verò,ne quidem,quæ assecuti fuerint,commodè tradere aliis poterunt.Et notum est,Apostolum in Theologo requirere facultatem , qua & sermonem rectè secare , atque exhortari auditores per doctrinam sanam,& contradicentes aduersarios redarguere valeat.2.Tim.2.15.Tit.1.9.

Alterum est,vt in totò studiorum cursu ad rectum scopum oculos perpetuò intentos habeant.Sic enim & current alacrius,& currendo propius eum,magno suo & aliorum bono,continget. Nam & Apostolus eo proposito Timotheum suum ad alacritatem exstimulat præclarè inquiens: Attende lectioni,exhortationi,doctrinę : Ne negligito donum,quod in te est,quod datum est tibi ad prophetandum cum impositione manuum presbyterij.Hæc exerce:in his esto:vt tuus profectus manifestus sit inter omnes. Attende tibi ipsi & doctrinę:persiste in istis.Id enim si feceris,& te ipsum seruabis,& eos qui te audient. 1.Tim.2.13.14.15.16.O pręclaros laborum nostrorum fructus, quos certè nec splendida Iurisprudentia, nec sagax Medicina,nec subtilis Philosophia,sibi propositos habere,aut pręstare potest. Sola Theologia studiosis suis pręstat,primùm quidem,vt ipsimet cœlestis sapientiæ lumine illustrati, veræque pietatis studio quasi innutriti,supra mundum sapiant,& meliores sanctioréśque quotidie euadant, atque ita veram illam εὐδαιμονίαν, quam neque Priamicę calamitates,neq; mors abrumpere possint, apud Deum consequantur. Deinde verò,vt docendo alios,& viam ad cœlestia ex verbo Dei fideliter monstrando, eiusdem illius atque æternæ felicitatis authores plurimis existant,quo labore neque salutarius quicquam humano generi pręstari,neque nobis gloriosius esse ad omnem æternitatem potest.

Video quidem fortasse,quid pręterea hîc ex me audire aueant studiosi iuuenes, ánne de nulla vel Patrum,vel Historię Ecclesiasticę,vel Commentariorum sacrorum lectione consulam. Sed cogitent, tempus,quo in Academia Doctores præstantes audire conceditur, haud longum dari : doctrinam verò longam esse.Illis ergo frugaliter vtantur,dum licet. Cætera,quæ ad πρᾶξιν Theologię magis pertinere videntur,minori iactura,imo maiori suo fructu aggredientur, vbi viuos Magistros amplius audire non dabitur,sed ipsi docendi munus ad iuuentutem vel ad populum sustinebunt. Si qui tamen iudicio sunt confirmatiore, & aliquos etiam ex Antiquitate fructus quasi primitias in Academia decerpere gestiunt : me authore

authore illi præcipuos quosdam libellos sibi deligent, quorum lectio tum ad præsentes Controuersias intelligendas aliquid momenti habere, tum animos eorum ad monumenta vetustatis suo tempore auidius euoluenda inflammare possint. Tales esse iudico Tertulliani Apologeticum: Cypriani tractatum contra Demetrianum: Ambrosij (alij Prospero tribuunt) libellos de vocatione gentium: Augustini Enchiridion ad Laurentium, libellos de doctrina Christiana: & quædam posteriora Tomi septimi opuscula: Fulgentij librum primum ad Monimum: Damasceni libros de Orthodoxa fide: Socratis historiam Ecclesiasticam, &c.

Sed, quod dixi, finem nunc facio. Oro autem Deum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi toto pectore, vt sanam verbi sui doctrinam, quam in Ecclesiis Palatinatus pro immensa sua bonitate accendit, puram putámque seruare clementer dignetur: benedicat insuper florentissimæ huic Academiæ, cuius ciuem me factum esse, meritò gaudeo, & nos omnes faciat organa misericordiæ salutaria: ad laudem gloriosi nominis sui, & ad ædificationem Ecclesiæ suę, per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, cui honor & gloria in secula.

DIXI.

agendum tibi fuerit ô Timothee & cuique pio viro? Forti-ter persistendū in semel recepta & cognita veritate Christianæ doctrinæ, & sanctarum scripturarum. Hæc igitur est adhortatio, quam subdit dicendo: *Tu autem permane in iis quę didicisti,&c.*

Propositio hæc est: Etiamsi futura sint tempora molesta & periculosa, quibus plerique omnes erunt sui amantes, & scelerati homines: & quibus mali homines ac impostores proficient in peius, errantes & in errorem inducentes: tamen tu, ô Timothee, non debes iis moueri, ita vt à veritate cognita, & recepta vel latum vnguem deflectas: sed debes in ea fixus & fortis permanere, & eam aliis prædicare, & vt in ea perseuerent, adhortari.

Quibus autem argumentis vtitur ad persuadendum Timotheo hanc firmam constantiam in retinenda veritate doctrinæ, quam partim è sacrarum literarum lectione & studio iam ab ineunte ætate, partim verò & maximè ex ore Apostolorum didicerat?

Primum, à fide, quæ in depositis seruanda est. Quæ apud nos deponuntur, seu quæ fidei nostræ committuntur seruanda: ea etiam bona fide sunt seruanda & custodienda, alioqui perfidi fuerimus.

Atqui doctrina veritatis, quam didicisti, tuæ fidei concredita est tanquam pretiosus thesaurus. Tibi igitur ea, bona fide seruāda & custodienda est. Permane igitur in iis quæ didicisti: quia tibi concredita sunt, vt sc. ea custodias.

Atque hinc colligimus, cognitionem veritatis Christianæ seu Euangelij thesaurum esse pretiosum, apud illos depositum, qui illud didicerunt: quem non seruare & custodire, maxima sit perfidia & iniquitas.

Secundum, à perspecta sibi qualitate & autoritate illius, hoc est, Apostoli, à quo hæc didicerat, nempe quod esset verus Christi Apostolus; quòd haberet Spiritū Dei: quòd nihil doceret, nisi quæ à Christo, & eius Spiritu accepisset. Argumentum tale est.

Ab ea doctrina, quam certò scimus nos didicisse ab Apostolis, cùm per Sp. sanctū locuti sunt, eóque Christi esse doctrinam, nullo modo recedendum est, sed in ea fortiter permanendum. Talis est doctrina, quam didicisti ô Timothee. Tu enim scis, à quo hanc didiceris, nempe, non ab impostore, non a Pseudoapostolo, non ab homine mercenario & cauponāte verbum Dei. Sed à vero Christi, & fideli Apostolo: qui quot & quanta propter hanc doctrinā passus sit, & adhuc fortiter patiatur, tu ipse nosti, Ergo, &c.

Atque hic habemus *quæstionem* de autoritate Ecclesiæ, quæ populis omnibus prędicat Euangelium. An ea aliquid valeat: an verò etiam sufficiat ad faciēdam fidem, has Scripturas esse verbū Dei, nécne. Item: An autoritas Scripturarū pendeat ab autoritate Ecclesiæ. Videmus. n. hic, quantum valeat, ponderisque habeat certa persuasio & scientia de illorum, qui doctrinam tradunt, autoritate & probitate: ad faciendam fidem, ipsam etiā eorum doctrinam, veram ac diuinā esse: ac proinde in ea esse perseuerandum. Multum certè valet: sed tamē sola non sufficit. Nam fieri potest, vt etiā Apostolus, vir plenus Spiritu Dei, non semper loquatur ex Spiritu Dei. Exemplum in Petro Antiochiæ, Gal. 1. Idem multò magis sentiendum de Augustino & aliis sanctis Patribus. Quare hoc argumentum ab autoritate personæ quæ docet, non vsq. adeo firmum est, nisi accedat cōfirmatio Scripturarum Ideò firmius subdit argumentum.

Et quod ab infantia didiceris S. literas.

Tertium argumentum ducitur à certa cognitione S. literarum, quæ consentaneæ erant cum doctrina Apostoli. Hoc demum confirmabat Timotheum, Apostoli doctrinā veram esse, & ea re firmam esse retinendam. Argumentum igitur tale est.

In illa doctrina constanter permanendum est, quā agnoscimus certò & ex longo studio conformem esse S. literis. Atqui tu ô Timothee hoc facilè nosti. Nam iam inde ab infantia versatus es in S. literis: & eas non tantùm perfunctoriè legisti, sed didicisti & optimè nosti, *Ita*. Ergo, &c.

Atq; hic videmus, hoc demum verum & firmum esse argumentum, aliquam doctrinam esse veram & Christianā, ideóque in ea esse persistendū: cùm eam agnoscimus consentaneā esse S. literis Propheticis & Apostolicis: Et solam eorum qui docent, aut etiam totius Ecclesiæ autoritatem, non ita firmum esse argumentum. Atque ita hic habemus quæstionem de autoritate Scripturæ: An præcellat autoritati Ecclesiæ, nécne. Et omninò præcellere, docet Petrus 2. Pet. 1. Posteaquam enim ostendisset à sua & aliorum Apostolorum autoritate, certissimum esse Euangelium quod prædicabant de Christo, déque eius gloria & officio, quia scil. ipsi viderunt gloriam eius, & audiuerunt vocem Patris dicentis: *Hic est filius meus dilectus, &c.* dicendo: *Non enim indoctas fabulas secuti, notam vobis fecimus, &c.* mox confirmat illud argumento certissimo & firmissimo, nēpe à Scriptis Prophetarum, dicendo: *Et habemus firmiorem Propheticum sermonem, &c.* Cur firmiorem vocat Propheticum sermonē? an non quod ipsi Apostoli prædicabant de Christo, firmum certūm que erat? *Resp.* Ita. Sed duabus de causis illud dicit. Primùm, respectu Iudæorum, quibus erant firmiora Prophetarum scripta, quàm verba Apostolorum. Secundò, quia Apostoli, vt homines, poterant adhuc mutare sententiam, vt Petrus Gal. c. 2. Et de hominibus semper oritur suspicio aliqua: non ita de doctrina iam recepta ab omnibus. Hac de causa, laudantur illi Berhoenses Act. 17. quòd licet scirent, à quo discerent; nempe à Paulo, vero Christi Apostolo: tamen non contenti illa ratione, recurrebant ad firmiorem sermonem Propheticum, confirmatum iam, & de quo dubitare amplius fas non erat.

Atque hoc argumentum amplificari potest ab illa particula: *Ab infantia*, hunc in modum. Quò quis diutius eóq; & certius nouit sacras literas ac veritatem, eò turpius illi est & perniciosius non in ea constanter perseuerare. Tu Timothee nosti sacras literas eóque veritatem ipsam iam inde ab infantia: Quàm turpe igitur & perniciosum tibi fuerit, si non permaneas in iis quæ didicisti?

Hic etiam duæ sunt quæstiones circa locum de Scripturis: *Vna*, de lectione Bibliorum: quorum sit ea legere, an tantùm Pastorum & Doctorum, vt Pontificij aiunt: an vero omnium, etiam puerorum. Nam Timotheus iam inde ab infantia legit sacras literas: & hoc in eo laudat Apostolus. *Altera*: quorum sit docere religionem & S. Biblia: An Pastorum tantùm & Doctorum: an verò etiam omnium patrum & matrumfamilias. Nam mater Lois ducit Timotheum filium.

Quartum argumentum, à perfectione S. literarum. Sacræ literæ perfectam de æterna salute tradunt doctrinam: ita vt si illis solis adhibeamus fidem, abundè habeamus, quo possimus saluari. Hanc perfectionem ibi habet, cùm ait: *Quæ te possunt peritum seu sapientem reddere εἰς σωτηρίαν per fidem quę est in Christo Iesu.* Est autem permanendum in ea doctrina, quæ perfecta est, & salutem adfert æternam. Permane igitur in iis, quæ didicisti è sacris literis.

Hic etiam duas alias habemus quæstiones circa S. literas. *Prima*: De perfectione S. literarum: An tradant talem doctrinam, quæ sufficiat ad salutem, nécne. Paulus apertè affirmat. *Secunda*; De scopo S. literarum, quis ille sit: Est fides in Christum: per hanc enim seruamur.

Quintum argumentum à dignitate & autoritate sacrarum literarum. Perseuerandum est in doctrina & verbo Dei: quid enim hoc perfectius & dignius? Atqui Scriptura sancta, verbum est Dei. Etsi enim scripta fuit per homines: autor tamen illius est Deus. Fuit enim diuinitùs inspirata, nempe illis sanctis hominibus, Mosi, Prophetis, per quos scripta fuit. Est igitur in hac permanendum. Quæ verò ex me clariùs didicisti: nosti eadem esse cum iis, quæ tradunt S. literæ. Permane, igitur in iis quæ didicisti.

His in verbis: *Omnis Scriptura diuinitus inspirata est*, habemus de sacris literis quæstiones sex.

1. Quænam sint illæ Scripturæ, de quibus Apostolus ait, eas omnes fuisse diuinitùs inspiratas. Atque hic habemus quæstionem de libris Canonicis & Apocryphis: seu de partitione Bibliorum in Canonicos & Apocryphos. Et vndenam constet, hos esse Canonicos, id est, verbum Dei: alios non item.

2. De iis, quibus fuit inspirata, & per quos scripta: quinam illi fuerint.

3. De origine verbi Dei in Ecclesia: An ab iis, per quos fuit scriptum, primam habuerit originem: an verò aliis etiam ante hos, fuerit inspiratum & reuelatum: & quomodo seruatum apud illos fuerit sine scripto.

4. De antiquitate Scripturæ: cuinam primò ita inspirata, vt etiam fuerit ab eo scripta.

5. De lingua, qua primùm fuit scripta: Deinde, de versione Græca & Latina.

6. An liceat, vel vtile sit Scripturam sanctam in linguam cuiusque Gentis popularem conuertere. Nam etiam hæc controuertitur hodie inter multos Pontificios & nos.

Sextum argumentum, ab vtilitate maxima S. literarum. Persistendum est in studio & professione earum literarum, quæ vtilissimæ sunt: & ad omnia, quæ desideramus, vtiliáque nobis sunt, valent.

Atqui omnis Scriptura, in cuius studio & professione vt perseueres te hortor: vtilis est ad omnia, quæ possis in religione, & ad bene piéque viuendū, desiderare. Nā si cupias scire & docere dogmata fidei; ad ea omnia docenda vtilis

est. Est.n. vtilis πρὸς διδασκαλίαν, omnium scilicet dogmatum verorum. Si velis refutare falsa: ad id omninò vtilissima est. Est enim vtilis πρὸς ἔλεγχον omnium falsorum dogmatum. Si desideres etiam malos mores corrigere & tollere, ad hoc vtilis est. Est.n. vtilis πρὸς ἐπανόρθωσιν. Si denique animus tibi sit familiam tuam, liberos, Ecclesiam & quosuis instituere in bonis moribus, inq; vera iustitia. h.e. in vera bene pieq; viuendi ratione: ad hoc vtilissima est S. Scriptura. Vtilis enim est πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ.

Atque hîc habemus multas quæstiones.

1. De vtilitate S. Scripturæ: an valeat ad omnia vera dogmata docenda: ac proinde, an vllum dogma fidei, quod non doceat S. Scriptura, sit admittendum in Ecclesia, néc ne. De aliis duabus vtilitatibus in sequentibus, non est opus vlla quæstione, quia perspicuæ sunt.

2. An tradat omnia, quę pertinent ad mores, & ad veram piè sanctéque viuendi rationem.

3. De intelligentia Scripturarum, & eorum perspicuitate. Nam cùm ait, *vtilis est*: subaudiendũ, lecta aut audita & intellecta: Nã in cistis sepulta, non prodest: neque etiã lecta & audita; sed non intellecta. Quæstio igitur nascitur: An Scripturæ sint ita perspicuæ, vt possint intelligi néc ne.

4. De interpretatione & de regulis intelligẽdi Scripturas.

Septimum argumentum a fine Scripturarum. In ea doctrina est perstitendum, cuius finis est, vt homines sint omnibus numeris perfecti. & ad omne bonorum operum genus perfectè instructi. Est enim hæc doctrina omninò honestissima, sanctissima, &c.

Atqui finis huius doctrinæ, quam didicisti, hic est, vt scilicet perfectus sit homo Dei. Ergo, &c.

Hic igitur habemus *quæstionem* de fine Scripturarum. An vnus tantùm sit, vel plures: & quinam illi.

Octauum argumentum, ab altera perfectione Scripturarum, quæ est, quòd ea tradit perfectè omnia, quæ ad verè bona opera, & ad perfectam bene viuendi rationem pertinẽt. Argumentum igitur tale est. Non est ab illa recedendũ doctrina viro bono, & bonorum operum studioso atque amanti, quæ hominem instruit ad omne bonũ & honestum opus. Hoc facit hæc S. Scripturarum doctrina. Non enim tantùm illius finis est, vt homo sit perfectus, & ad omne bonum opus perfectè instructus: sed etiam hoc pręstat, h.e. hominẽ perfectè instruit ad omne opus bonum, Ergo, &c.

Nunc habemus primò analysin huiusce contextus Apostolici, qui est de Scripturis sanctis, déque firma & constãti in doctrina illarum perseuerantia. Deinde videmus, quot quæstiones seu ζητήματα sese hic aperiant, quæ ad locum communem de Scripturis sanctis pertinent. Proinde potestis iam videre, vel saltem aliquem capere gustum: quam vtilis sit hæc nostra methodus tractandi locos communes: quòd priùs eos è Scripturis via Analytica eruimus: deinde via συνθετικῶς tractamus.

Sunt autem hæ quæstiones de Scripturis S. ex hoc Apostoli loco collectæ numero octodecim.

1. *De custodiendo bona fide thesauro verbi Dei: qui nobis concreditus est* Hanc explicuimus & tractauimus in nostra oratione seu prolegomenis: & qua ratione custodiri possit, docuimus.

2. *De autoritate Ecclesiæ circa S.S. quænam illa & quanta sit.*

3. *De autoritate S. Scripturæ: qua illa & quanta sit: & vtra maior autoritas Ecclesiæ an Scripturæ sanctæ.*

4. *De lectione & studio S. Scripturæ. An omnium sit eam legere, nec ne.*

5. *De officio docendi S. literas: An sit omnium, & quorumnam illud sit.*

6. *De perfectione Scripturarum: An quacunque tum ad fidem, tum ad perfectam sanctè viuendi rationem pertinent, abundè tradant: eoque an sufficiant ad salutem.*

7. *An vllum dogma de Religione extra Scripturam sanctam, sit in Ecclesia admittendum, nec ne.*

8. *De partitionibus Bibliorum, quæ apud nos Græcè & Latinè habentur: atq; inprimis: An omnia hęc habenda sint pro Canonicis: seu diuinitus inspiratis. ex verbo Dei. necne Atque hic de regulis, vnde constet, hos esse verbum Dei, & non alios.*

9. *De iis, quibus Scriptura fuit inspirata, & per quos conscripta, quinam fuerint illi* Atque hanc sequitur

10. *De origine verbi Dei in Ecclesia: An ab iis. per quos fuit scriptum, primam habuerit originem, necne: an verò etiam alys, ante hos fuerit reuelatum &, inspiratum, licet non fuerit scriptum: & quomodo fuerit seruatum.*

11 *De antiquitate Scripturæ: cui primò ita inspirata fuit, vt etiam ab eo fuerit scripta.*

12. *De lingua, qua primùm fuit scripta Scriptura sacra: Deinde, de versione Græca & Latina.*

13. *An etiam nunc liceat Scripturam sanctam vertere in linguam cuiusque Gentis popularem.*

14. *De vtilitate & vsu sanctæ Scripturæ: quotuplex & quinam ille sit* Quanquam hæc explicata fuit magna ex parte in nostra oratione.

15. *De perspicuitate & obscuritate S. Scripturæ.*

16. *De officio interpretandi Scripturas in Ecclesia: An sit superuacaneum atque inutile: an verò vtile atque necessarium.*

17. *De regulis intelligendi Scripturas.*

18. *De fine Scripturarum propter quem datę nobis sunt*: hoc est, *cur voluerit Deus verbum suum manere in Ecclesia scriptum.*

Hæ sunt illæ, quas ex hoc Apostoli contextu colligere potui quæstiones, ad locũ communem de Scripturis sanctis pertinentes: in quibus omnia ferè, quæ de Scripturis dici possunt, cõprehensa sũt. His tamẽ addi possunt duæ aliæ nõ parui momẽti & vtilitatis quæstiones: quarũ prima est, *de summa illius doctrinę, quam tradit Scriptura sancta, quę nam illa sit.* Altera sequitur ex hac priore, *de discrimine religionis, quę traditur in S. literis. ab aliis religionibus omnib.*

Sunt hæ omnes mihi pertractandæ: sed id quam breuissimè à nobis fiet. Sunt.n. permultæ ita perspicuæ, & extra omnem controuersiam, vt non opus habeant multa vel explicatione, vel confirmatione. Quædã etiam sunt à clarissimo pietate & doctrina viro D. D. Vrsino piæ memoriæ, ita explicatæ, vt in illis etiam diu immorari non debeam.

Cæterùm non eo ordine, quo has ex Apostoli verbis collegi, à me pertractabuntur hæ quæstiones: sed legitimo ordine: vt hæ prius pertractentur, quas etiam priùs nosse, necesse est & vtile. Age igitur in nomine Domini.

QVÆSTIO I.

De libris Canonicis & Apocryphis, déque Bibliorum partitione.

VSus in Ecclesia obtinuit, iam inde vsque ab initio, & post hominum memoriam, vt volumen illud totum, quod primùm Græcè, deinde etiam Latinè apud Christianos, pro omnium librorum à condito orbe, sanctissimo & diuinissimo habetur: appelletur Græco nomine, & plurali quidem numero, βιβλία, quod Latinè sonat libros: idque κατ' ἐξοχὴν, vt omnes intelligant, non esse hos libros vllius hominis, sed Dei Optimi & Maximi. Et quidem permulti putant, quicunque in hoc volumine continentur libri: eos esse dictatos à Spiritu sancto, eóque verbum Dei esse omnes, & paris autoritatis. Sed qui melioris sunt iudicij, putant ita appellari à maiori parte: quòd plerique omnes libri, qui in hoc continentur volumine: sint diuinitùs inspirati, verbũmque Dei.

Prima igitur quæstio hîc proponitur de S. Bibliis: an omnes sint Canonici: nec ne Canonici. Pontificij affirmant: & ita ex libris Machabæorum probant orationes pro defunctis. & purgatorium. Nos contrà, alios esse Canonicos, alios Apocryphos.

Quadruplex Bibliorum partitio.

I. In Canonicos & Apocryphos.

II. Canonici secantur in Vetus & Nouum Testamẽtum.

III. Canonici veteris Testamenti in tres classes: *Primò* in תורה legem, id est, in libros quinque Mosis: *Secundò in* נביאים ראשונים ונביאים אחרונים hoc est, in *Prophetas* priores. & in Prophetas posteriores. *Tertiò* in scripta כתובים (scilicet sancta) quæ Græci ἁγιόγραφα vocant.

Noui Testamenti libri, in tres etiam ordines: Historicos, Epistolas, Apocalypsin.

IV. Partitio omnium canonicorum librorum tam Veteris, quàm Noui Testamenti, est à summa totius Scripturæ desumta: ea est in Legem & Euangelium. Dicamus nunc de prima.

Hæc igitur esto prima partitio Bibliorum, & prima propositio.

PROPOSITIO I.

Librorum, qui sunt in volumine tam Latino, quàm Græco, quod volumen, Biblia appellatur: alij sunt Canonici, alij Apocryphi.

EXPLICATIO.

Canon, Gręca vox κανὼν, est regula seu norma, ad quam aliquid examinatur, sitne purum an adulterinum, rectum, an obliquum, &c. Et Canonicum, quod illi Canoni est omni ex parte consentaneum.

Canon primus Scripturarum, ad quẽ omnia reliqua scripta exa

pta examinabant Patres in veteri Testamento, an essent θεόπνευστα,& verbum Dei, necne, fuit ipsa Dei תורה per Mosen tradita, partim in externis chartis, partim in cordibus piorum inscripta. Non enim externa illa satis erat: sed opus erat etiam interno Spiritus Canone.

1. Hanc externam תורה acceperunt Israelitæ tanquam Dei verbum sine vllo alio externo Canone, ad quem examinaretur: partim propter autoritatem Mosis, quam ei cōciliauerat Deus primum in Ægypto, deinde in deserto, præsertim in monte Syna. Ipsi enim interfuerunt cùm Moses ascendit in montē,& a Deo, Legē accepit: vnde de eius persona, quin amicus esset Deo, nō poterant dubitare: ideò nec de lege, quin à Deo illā accepisset, dubitare volebāt. 2. partim etiam acceperant illam Legem pro indubitato Dei verbo, propter autoritatem & dignitatem ipsius Legis. Nā viri sancti inter eos Spiritu Dei illustrati, agnouerunt scripta Mosis, verū esse Dei verbum, ideòque illud pro tali amplexi sunt. 3. Adde, quòd eam etiam doctrinam perspexerunt consentaneam esse in substantia, doctrinæ quā per successionem a Patriarchis acceperant. His de causis Mosis תורה acceperūt: quia eam agnouerūt pro vero Dei verbo.

Ad hanc verò, reliqua omnia & dicta & scripta, tanquā ad certum Canonem examinabant,& quæcunque Canoni videbant omni ex parte esse consentanea, tam in doctrina, quàm in cœlesti quadam maiestate sermonis, quæ vndiquaque spirabat diuinam probitatem & sapientiam, ita vt agnoscerent ea esse etiam digna, quæ θεόπν. fierent omnis doctrinæ, illa scripta aut verba pronunciabant esse verum Dei verbum. Ad hunc enim Canonem iusserat Dominus omnes omnium doctrinas examinari: vt inde agnoscerentur doctrinæ, & Prophetæ ipsi, an essent a Deo, nec ne. Deu. 13. *Si surrexerit in medio tui Propheta, &c.*

Ad hunc Canonem, omnia Prophetarum scripta examinata: agnita fuerunt esse θεόπν...,& digna, quæ vnà cum lege Mosis, essent Canon omnis doctrinæ.

Postmodum omnia Mosis & Prophetarum scripta & ... quæ ab Hebræis recepta sunt: simul fuerunt *Canon* Scripturarum, ad quem omnia posteriores Israelitę, & alij, examinabant aliorum omnium & dicta & scripta. Sic Act. ... dicta Pauli ad hunc Canonem examinabant. Sic Christus iubebat suam doctrinam ad hunc Canonem examinari, dicendo Io. 5. *Scrutamini Scripturam, &c.* Sic Apostoli sua cōfirmabant illo Canone veteris Testamenti.

Nunc vetus Testamentum cum Nouo, *Canon* est Christianis, ad quem omnes doctrinæ examinandæ sunt. De quo Canone 1. Thes. 5. *Omnia probate, quod bonum est, tenete.* Quomodo probabimus? Canone Scripturarum. 1. Ioban. 4. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, vtrum ex Deo sint.* Quomodo? ad Canonem S. Scripturæ.

Canonicos igitur libros vocârunt Patres, omnes eos, qui primum ad illum Mosis Canonem; deinde ad alterum etiam, Mosis scilicet simul & Prophetarum examinatos: Ecclesia primum Israelitica, deinde Ecclesia Christiana Spiritu sancto edocta: constanter agnouit esse θεόπνευστα, & à Spiritu sancto dictatos, pérque ipsos Prophetas, Apostolos, atque Euangelistas conscriptos fuisse: eòque illos putum esse Dei verbum.

Aeptoinde Canonicos vocârunt, tum quòd ad Canonem, vt dixi, examinati, probati, fuerunt: tum quod ab vniuersa Ecclesia positi sunt in Canone & ipsi eorum librorum, quos Ecclesia agnouit à Spir sancto dictatos, & θεόπνευστους: tum denique quòd facti sunt Canon omnis doctrinæ de religione.

Nūc tenemus, quos vocent Canonicos: & cur ita vocēt.

Apocryphos appellant eos, qui licet non planè impiam cōtineant doctrinam: tamen examinati ad Canonem Scripturarum sacrarum non fuerunt agniti ab Ecclesia ita cū Canone omni ex parte conuenire, sicut reliqui, neque illā redolere diuinam maiestatem, sapiētiam, veritatem, & cœlestem bonitatem ac Spiritum, quem prophetici & Apostolici: & visi sunt potiùs Spiritu humano, quàm diuino conscripti.

Ideo verò Apocryphi vocati fuerunt (quæ vox Græca significat absconditum & secretum) 1. quia non fuerūt agniti ab Ecclesia pro θεοπνεύστοις: 2. quòd nomina autorum essent abscondita: 3. quòd quædam continerent, quæ Mosi, Prophetis, & Apostolis fuerunt ignota: 4. denique quòd propter suprà dictas causas, digni non erant qui legerentur publicè in Ecclesia: Et sic etiam prohibiti fuerunt legi in Ecclesia: vt testatur autor expositionis in Symbolum, apud Cyprianum.

Nunc igitur tenemus explicationem horum nominum, Canonicorum & Apocryphorum: & quid nomine Canonicorum librorum: & quid nomine Apocryphorum intelligendum sit. Non esse autem omnes Canonicos, sed quosdam Apocryphos, paulò pòst demonstrabimus.

PROPOSITIO II.

Canonici autoritatem habent ad constituenda & ad probanda fidei dogmata: Apocryphi vero, etsi vtiliter legi possunt: nullam tamen autoritatem habent vel ad constituenda, vel ad probanda fidei dogmata.

1. Explicatione hic nulla opus est. Quod ad probationem attinet: ea est in promptu. *Fides enim est tantum ex auditu: auditus autem per verbum Dei. Rom* 10.17. Ergo fidei dogmata è solo verbo Dei constitui & probari possunt. Soli autem Canonici, sunt verbum Dei, non autem Apocryphi. Quis igitur non videat, Apocryphos nil valere ad constituenda & probanda dogmata fidei?

2. Confirmatur testimoniis Patrum. Hieronymus in prefatione in libros Salomonis apertè testatur. Autor expositionis in Symbolum Apostolicum apud D. Cyprianum, cum exponit verba: *Credo Ecclesiam sanctam, &c.* Idem planè scribit Concilium Laodicenum, tempore Damasi Papæ, Canon. 59.

Hinc apparet, quid de scripturis Patrum sentiendum sit, & sentiri ipsi voluerint. Si Apocryphi libri, qui tamen in volumine Bibliorum semper manserunt, propterea quod valde vtilis est illorum lectio: & nulli alij libri, exceptis Canonicis, puriores illis sunt: si inquam libri Apocryphi nullam habent autoritatem ad constituenda vel probanda fidei dogmata: multò minus igitur eam habent scripta Patrum, quicunque illi sint. Quod confirmare possem dictis ipsorum Patrum: sed hoc alias.

Nunc venio ad explicationem, quinam Canonici: qui Apocryphi sint.

PROPOSITIO III.

Apocryphi libri sunt:
Iudith.
Tobias.
Esdra tertius & quartus.
Sapientia Salomonis.
Sapientia Iesu filij Sirach, qui Ecclesiasticus dicitur apud Latinos.
Baruch.
Epistola Hieremię.
Cap. 13. & 14. addita Danieli.
Canticum trium puerorum, quod est adiectum tertio capiti Danielis.
Libri Machabaeorum. Et post. 3. versus 10. ca. Esthera, reliquum.
Reliqui omnes in veteri Testamento Canonici sunt.

Explicatione nulla hìc opus est.

Vnde verò hoc probamus? Ex traditione Ecclesiæ, seu ex veteris Ecclesiæ consensu & iudicio.

Hebræi ita senserunt: ideò hos non habent in Canone.

Iosephus, lib. de antiquitatibus Iudæorum contra Appianum Alexandrinum Grammaticum, primò ait Canonicos libros esse XXII. iuxta numerum Hebraicarum literarum: Et hos ait esse, *Primùm*, libros Mosis 5. quos Hebræi à præcipua parte vocant תורה: Græcia numero πεντάτευχον. *Secundò*, libros Prophetarum. *Tertiò*, alios etiam, qui hymnos (vt ipse loquitur) in Deum, ... Clariùs tamen hæc res explicatur apud alios Græcos & Latinos.

Hieronymus in prologo in libros Regum, quem prologum vocat Galeatum, & est in Tomo 3. operum Hieronymi: & præponi solet omnibus Bibliis. Confirmat esse tantùm 22. libros Canonicos apud Hebræos, sicut etiam 22. literæ: & dum hos numerat, nullam facit mentionem corū, quos diximus esse Apocryphos: imò nominatim excludit à Canone, librum Sapientię Salomonis: Ecclesiasticum: Iuditham: Thobiam: libros Machabæorum.

Autor expositionis in Symbolum Apostolicum super illud, *Credo Ecclesiam Sanctam*, idem tradit.

Euseb. Cæsariensis Ecclesi. hist. 3. c. 10 eundem numerum tradit iuxta Iosephum, neque plures enumerat. Item lib. 4. c. 26. ex sententia Melitonis Episcopi Sardensis.

Epiphanius in panatio, Tom. 1 libri primi hæresi 8. quæ fuit Epicureorū, idem habet, nisi quòd cum Ieremia coniungit etiā Epistolā Baruch: & concludit: omnes enumera-

tos, esse xxii. iuxta numerum Hebraicarum literarum.

Idem Epiphanius lib. de mensuris & ponderibus, p. 504. eundem numerum & ordinem librorum Canonicorum tradit, & egregiè explicat, quomodo, cùm essent numero 27. redacti sint ad 22. nullo tamen excepto.

Idem super eodem libro de mensuris, p. 14. pulchrè explicat mysterium huius numeri vicenarij cum denario.

Hieronymus quoque in prologo Galeato imitatus Epiphanium, multa de hoc numero xxii. tradit.

Hilarius in prologo in Psalmos totidem & eosdem libros enumerat.

Concilium Laodicenum, in Can. 59. eosdem quos & nos anteà enumerat.

Tomo Concil. 1. p. 991. in Catalogo Gelasij excluditur secundus Machabæorum.

Augustinus Tom. 7. contra secundam epistolam Gaudentij lib. 3. c. 23. Item, Tomo 5. de Ciuit. Dei, li. 18. c. 36. fatetur, libros Machabæorum, non esse de Canone Hebræorum, neque paris autoritatis cum Lege & Prophetis: & ideò sobriè esse legendos. Atque hæc de libris veteris Testamenti Canonicis.

Ad obiecta Pontificiorum.

1. At (inquies) Pontificij vrgent alios Patres, qui tam Machabæorum, quàm alios libros à te positos inter Apocrypha, ponunt inter Canonicos: Vt,

Augustinus Tom. 3. de doctrina Christiana, lib. 2. cap. 8. qui inter Canonicos ponit Thobiam, Iuditham, Machabæos. Vt,

Patres in concilio Carthaginensi tertio sub Syricio Papa: receptus fuit inter Canonicos liber Sapientiæ: Item, Ecclesiasticus: & libri Machabæorum. Vt,

Innocentius Papa primus, vt apparet inter eius decreta in Epistola ad Exuperium Tholosanum Episcopum, c. 7.

Item Gelasius Papa: nisi quod Machabæorum primum tantùm agnoscit pro Canonico: non ita secundum.

Item in Canonibus, quos vocant Apostolorum, Can. 84. in Tomo Concil. primo, vbi tertium Machabæorum inter Canonicos ponunt.

Resp. In hac diuersitate iudiciorum tenendæ sunt hæ regulæ.

Prima, Libri veteris Testamenti qui citantur in Nouo à Christo & Apostolis, omnino pro Canonicis habendi sunt.

Secunda: Libri, qui ab omnibus Ecclesiis recepti fuerunt pro Canonicis: ij etiam habendi sunt pro Canonicis citra vllam dubitationem.

Tertia: Qui non ab omnibus: sequendum est iudicium Ecclesiarum & Patrum antiquiorum, maiorísque autoritatis, & præponendum est iudicio posteriorum, & qui minoris sunt autoritatis: quales fuerunt illi, quos pro nostra sententia adduximus: Origenes, Epiphanius, Cyprianus, Hilarius, Hieronymus, Concilium Laodicenum.

Primò, illi antiquiores fuerunt illis, quos Pontificij citãt: ideò melius iudicium veteris Ecclesiæ & Apostolorum agnoscere potuerunt, quàm posteriores. Et certè regula hæc certissima est: ideo ea etiam vtitur Tertullianus, dicendo: Id esse verum, quodcunque prius: id esse adulterinum, quodcunque posterius.

Secundò, Illi priores Patres pulchrè inter se conueniunt de numero librorum Canonicorum & non Canonicorum: quem consensum non reperies in posterioribus.

Tertiò, Consentiunt cum Hebræis voluminibus. Certè quos posteriores Patres addunt, nunquam apud Hebræos reperti fuerunt.

De illis Canonibus, qui dicuntur Apostolorum: liquet, illos non fuisse pro Apostolicis à veteri Ecclesia agnitos: præsertim hunc citatum Canonem de libris Canonicis. Quomodo enim Ecclesia vetus reiecisset vtrumque Machabæorum librum, si agnouisset illum Canonem pro Apostolico, qui tres Machabæorum probat?

De Augustino, liquidò apparet, vt suprà etiam ostendi ex responsione contra Epistolam Gaudentij secundam: & ex libro de Ciuitate Dei, illum non agnouisse libros Machabæorum pro Canonicis, ita vt sine dubio admittenda sint omnia, quę ibi continentur: cùm dicat, eos sobriè esse legendos. Quare, si nos quoque illos non agnoscamus pro Canonicis: non possumus damnari, quin damnetur Augustinus, & Hieronymus, totáque vetus Ecclesia. Atque hæc de libris veteris Testamenti.

De libris Noui.

De libris noui Testamenti citiùs & faciliùs explicatur iudicium. Hæc igitur esto.

Propositio IV.

Citra omnem controuersiam Canonici sunt ij libri:

Quatuor Euangelistarum libri:

Acta Apostolorum:

Epistolæ Pauli omnes, quæ ipsius habent præfixum nomen: ideò excipitur Epistola ad Hebræos.

Epistola Petri prima: &

Epistola Iohannis prima.

Probatio.

Euseb. Cæsar. histor. Ecclesiastica, l. 3. c. 25. loquens de iis libris, *Hæc* (inquit) *scripta pro indubitatis habentur.*

Propositio V.

Reliqui libri, etsi nonnihil de illis dubitatum fuit in veteri Ecclesia à multis: tamen neque vnquam reiecti fuerunt (sicut de Apocryphis veteris Testamenti dictum est:) neque etiam ab omnibus dubitatum de illis fuit. Continent autem doctrinam totam omninò consentaneam aliis Propheticis & Apostolicis libris. Quare pro ipso Dei verbo agnoscendi & admittendi sunt.

Testimonia.

1. Tom. Conc. Laodicenum Concilium, omnes quos habemus, pro Canonicis habet, & agnoscit. Fuit autem circa initium Damasi Papæ congregatum.

Euseb. Cæsar. hist. Eccl. li. 3. c. 25. ostendit de illis dubitatum fuisse, non vtrum piam sanamque continerent doctrinam, nécne: sed an fuissent scripti ab Apostolis illis, quibus adscribuntur: nunquam autem dicit fuisse reiectos.

Non secus scribit Hieronymus & alij, quàm dubitatum de illis fuisse, nec dicunt ab omnibus: sed indefinitè.

Fuisse verò à multis etiam agnitos pro scriptis Apostolorum illorum, quibus inscribuntur: liquet.

Irenæus Polycarpi discipulus, qui Polycarpus discipulus fuit Iohannis Apostoli, l. 3. contra Valentinum, c. 18. p. 178. verba multa, quæ habentur in Epistola Iohannis secunda ad Electam: omnia attribuit Iohanni Euangelistæ & Apostolo: & ait, sic eum scripsisse in sua Epistola. Sensit igitur eam fuisse Epistolam Iohannis. Nam ea ipsa verba nõ habẽtur in prima Epistola, vt aliquis dicat, inde fuisse accepta.

De Apocalypsi Ioannis, etsi permulti dubitarunt, an esset Iohannis, necne: vt Erasmus in Adnotationibus recitat: tamen à multis etiam grauissimis Patribus agnitam fuisse pro libro Iohannis, liquet ex iis, quæ in eam Apocalypsin præfatus est doctissimus Bullingerus, & deinde peritissimus Beza: imò ante hos D. Hieronymus in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum: vbi etiam scribit, eam fuisse illustratam Commentariis Iustini & Irenæi, licet non inueniantur iam. Testatur idem & Euseb. Cęsar. lib. 3. c. 25. nempe à permultis Patribus fuisse illum librum pro Canonico, & quidem Apostoli Iohannis agnitum.

Doctrinam verò, quæ in illis continetur, fuisse ab omnibus agnitam pro doctrina Apostolica, itidem liquet: primò quoniam nemo illam reiecit: secundò, quia qui dubitant an fuerint ab Apostolis scripti, libros adscribunt saltem Apostolorum non discipulis tantùm, sed etiam comitibus. Exempla.

Tertullianus, libro de pudicitia, Epistolam ad Hebræos adscribit Barnabæ, qui comes fuerat Pauli in prędicando Gentibus Euangelio: agnouit igitur esse Apostolicam doctrinam.

Hieronymus in catalogo Ecclesiast. scriptorum refert de eadem epistola alios etiam fuisse, qui autem illius crediderint fuisse Lucam Euãgelistam: alij Clementem, Petri discipulum. Ergo etiam ij agnouerunt doctrinam huius Epistolæ totam esse Apostolicam.

Hieronymus tamen in Epist. ad Galat. c. 1. p. 159. Pauli esse Epistolam. Ex iis perspicuum est, nostram quintam propositionem, esse verissimam & certissimam: nempe etsi de reliquis Noui Testamenti libris, præter illos, quos primo loco recensuimus, dubitatũ à nonnullis fuerit, essẽtne Apostolici, nécne: primò tamen non fuisse ab omnibus dubitatum. Secundò, à nemine fuisse vnquam reiectos, quemadmodum de Apocryphis veteris Testamenti dictum est. Tertiò, ab omnibus fuisse in illis agnitam Apostolicam doctrinam. Quare nihil esse impedimenti: aut legitimæ causæ, cur non illos possimus & debeamus inter Canonicos connumerare, & pro verbo Dei habere.

Expil-

Explicatum iam est id, quod ante omnia erat explicandum: quinam sint Canonici, & qui Apocryphi libri. Nam quæ posthac dicenda sunt, de Canonicis tantùm libris, h.e. ἀπὸ τῶν ἀκανονίστων γραφῶν, vt loquitur Apostolus, quæ sunt purum Dei verbum, intelligenda erunt: quandoquidem suscepimus locum tractandum de Scripturis sacris, non profanis, neque de Apocryphis.

Venio igitur ad alias partitiones Bibliorum, quas paucis absoluo.

SECVNDA PARTITIO.

PROPOSITIO VI.

Canonici libri secantur in Vetus & Nouum Testamentum.

EXPLICATIO.

Nomine Testamenti, intelligimus non illud, quod propriè appellatur Testamentum, h.e. fœdus Dei, quod pepigit cum populo suo, & tandem confirmauit per Christum: sed libros omnes, qui ad illud fœdus aliquo modo pertinent. Ideo Vetus, vocamus libros editos ante Christi aduentum: Nouum, libros editos post Christi aduentum.

PROBATIO.

Distinctio seu partitio hæc Apostolica est, 2.Cor.3. In lectione veteris Testamenti manet velamen. Nomine Testamẽti apparet intellexisse Apostolum omnes libros Mosaicos & Propheticos. Vetus verò appellauit Testamentum, respectu Noui. Nouum igitur Testamentum iure dicitur liber, continens scripta Apostolorum, post aduẽtum Christi edita. Nam ideò illos vocauit Vetus Testamentum, vt distingueret à scriptis Apostolorum, quæ sunt post Iohannem. Est igitur certa partitio.

TERTIA PARTITIO.

PROPOSITIO VII.

Omnes libri Canonici veteris Testamenti in tres secantur classes ab Hebræis: Legem: Prophetas: ἁγιόγραφα.

EXPLICATIO.

Prima est תורה, hoc est, lex: in hac sunt quinque libri Mosis, a præcipua parte sic appellati: qui à numero appellantur à Græcis πεντάτευχοι: & ab ipsis etiam Hebræis חמשה quinque, scilicet libri.

Secũda classis cõtinet ונביאים אחרונים נביאים ראשונים, i. Prophetas priores, & Prophetas posteriores: Nomine autem priorum Prophetarum intelligunt Iosuam: Iudices: Samuelis libros, & Regum. Nomine posteriorum: Iesaiam, Ieremiam, Ezechielem, & duodecim Minores.

Tertia classis continet כתובים i. scripta, scil. sancta, quæ Græci ἁγιόγραφα vocârunt, voce generali, quòd libri sint sancti, & à sanctis scripti, de variis sanctis rebus. Horum nomine intelligunt Iobum: Psalmos: Prouerbia: Ecclesiastem: Canticum Canticorum: Paralipomena: Esdram: Hesteram: Danielem.

Hunc ordinem recitat Hieronymus in prologo Galeato. Hoc ordine Dominus Iesus complexus est & ipse totũ vetus Testamentum, cùm dixit Luc. vltimo: *O stulti & tardi corde ad credendum iis quæ scripta sunt de me, in Lege:* (Ecce primam classem:) *& Prophetis* (Ecce secundam) *& Psalmis* (Ecce tertiam) in hac enim continentur Psalmi.

Hinc liquet, hunc ordinem librorum veteris Testamenti, non esse nouum, sed antiquum, ante Christi aduentum. Hebræi tradunt ab Esdra post captiuitatem Babylonicam in hunc ordinem fuisse digestos.

Libri autem noui Testamenti, in tres classes etiam diuiduntur:

In historias, vt sunt quatuor Euangelistarum, & Actorum Apostolicorum libri:

Epistolas, vt Pauli & aliorum:

Prophetiam, vt est Apocalypsis.

QVARTA PARTITIO.

PROPOSITIO VIII.

Omnes libri Canonici tam Veteris, quàm Noui Testamenti, diuiduntur in Legem, & Euangelium.

Hæc partitio à summa doctrinæ sumitur, quæ in S. Bibliis continetur. Tota enim doctrina S. Scripturæ, ad hæc duo capita redigitur, ad Legem, & Euangelium. Nam vbique Bibliorum, aut præcepta traduntur de vitandis, & de prosequendis, in quibus duobus lex est posita, cum exemplis eorum, qui aut seruarunt Legem, aut transgressi sunt; & cum pœnis contra transgressores: aut doctrina de pœnitentia, & de remissione peccatorum per fidem in Christum: in quibus duabus partibus consistit Euangelium.

His quatuor partitionibus secantur Biblia.

1. In Canonicos & Apocryphos.
2. In Vetus & Nouum Testamentum.
3. In Legales, Propheticos, & ἁγιογράφους.
4. In Legem, & Euangelium.

QVÆST. II.

De mediis, quibus adduci possint homines, vt Canonicos libros verè credant & agnoscant esse θεοπνεύστους: & ideo eos, tanquam verum certúmque Dei verbum recipiant & amplectantur.

Hactenus tractata & explicata fuit à nobis quæstio prima de Scripturis S. ea autem fuit, de Canonicis & Apocryphis libris, déque partitione Bibliorum, quæ quadruplex fuit:

Prima fuit huius voluminis, quod & apud Græcos, & apud Latinos pro libro Dei habetur: & Græca voce βίβλια appellatur. Secuimus igitur hoc volumen in Canonicos & Apocryphos libros: ideóque hæc fuit

PROPOSITIO I.

Librorum qui sunt in volumine tam Græco, quàm Latino, quod Biblia appellatur, alij sunt Canonici, alij Apocryphi.

Hîc primò explicuimus vocem κανὼν, vnde Canonici dicti sunt. Secundò primum κανόνα scriptum, ad quem Patres omnes examinabant doctrinas, fuisse in Ecclesia Israelitica תורה ipsius Mosis: quam Legem Israelitæ acceperant pro certo Dei verbo, permoti primùm autoritate personæ ipsius Mosis, quam autoritatem ei conciliauerat Dominus, tum in Ægypto, tum in deserto, & in monte Syna. Deinde, posteaquam illam Spiritu sancto illuminati, agnouerunt esse verbũ Dei: multi, magis amplexi sunt propter autoritatem & dignitatem ipsius Legis. Deniq; etiam, quòd nouerunt illam in doctrinæ substantia, consentaneam esse doctrinæ, quam per successionem acceperãt à Patribus. Ita hunc Legem sibi constituerunt, sic etiam iubente Domino, pro Canone, ad quem omnes doctrinæ & Prophetæ examinarentur, & ad hunc examinata scripta Prophetica, agnita fuisse omni ex parte esse illi consentanea, & eodem Spiritu conscripta, quo & Mosaica: proinde hæc, adiuncta Mosaicis scriptis fuisse secundum Canonem Ecclesiæ Israeliticæ, ad quem omnes examinarentur doctrinæ: & ad hũc Canonem voluisse Christum suam examinari doctrinam, cùm subinde ad hunc remittebat Iudæos, dicendo: *Scrutamini Scripturas, &c.* & idem fecisse Apostolos: & Act. 17. idem fecisse Berrhœenses, cùm ad hunc examinabant doctrinam Pauli. Et quia scripta etiam omnia Apostolica, ad illum Canonem examinata, agnita fuerunt, ab eodem dictata fuisse Spiritu, à quo & Mosaica & Prophetica, ideircò hęc illis adiũcta, in Canone ita fuisse posita, vt facta sint nobis tertius & vltimus Canon omnis doctrinæ & omnis religionis, ad quẽ omnia examinentur, vt Paulus iubet 1. Th.5. *Omnia probate, quod bonum est, tenete.* Ad quid probabimus? Ad Canonem Propheticum & Apostolicum. Sic 1. Ioh.4. *Nolite omni Spiritui credere: sed probate Spiritus, vtrum ex Deo sint.* Quomodo probabimus? Canone hoc S. Scripturarum. Hunc verò postremum esse Canonem, & nullum alium è cœlo exspectandum: liquet Heb. c.1. *Nouissimè locutus nobis est per Filium, &c.*

Conclusimus, Canonicos in Ecclesia appellari libros, quos Apostolus in Epist. ad Tim. vocat [illegible] Apocryphos verò, h.e. absconditos & ignotos, quos Ecclesia nõ agnouit consentaneos fuisse Canoni, nec ab eodem Spiritu dictatos, à quo reliqui: sed potius humanũ quendam spirare Spiritum: ac proinde etiam ab Ecclesia iudicatos fuisse indignos, qui in publico cœtu Ecclesiæ palam legerentur, sed legi tantùm posse priuatim domi. Atque hæc dicta fuere explicandæ primæ propositionis causa.

PROPOSITIO II.

Canonici habent autoritatem ad constituenda, & ad

probanda fidei dogmata: Apocryphi autem nullam.

Probaui primò, argumento ducto à fide, quæ est ex solo auditu verbi Dei, Rom. 10. Ad statuenda igitur aut probanda fidei dogmata, solum Dei verbum habere autoritatem: Hoc autem in solis Canonicis continetur.

Secundò, à testimoniis Patrum, Hieronymi in præfatione in li. Salomonis: Cypriani seu Rufini in Symbolo Apostolorum: Concilij Laodiceni, Can. 59. Hinc intulimus, multo minus ergo scripta Patrū hanc habere autoritatem.

PROPOSITIO III.

Continet qui sint Canonici, qui Apocryphi in veteri Testamento. Apocryphi sunt, Thobias: Iudith: Esdra tertius & quartus: Sapientia Salomonis: Ecclesiasticus: Ieremiæ Epistola: Baruch: Canticum trium puerorum, adiectum tertio capiti Danielis: Item 13. & 14. caput Dan. Item libri Machabæorum. Reliqui Canonici.

Probatio: ex traditione veteris Ecclesiæ, quam primò propter illius autoritatem recipimus: secundò, propter autoritatem ipsorum librorum, in quibus per Spiritum sanctum videmus non hominem, sed Deum loqui. Oues enim vocem sui pastoris agnoscunt.

In medium igitur adduximus, primùm, testimonium totius Ecclesiæ Israeliticæ, quæ nullos vnquam alios agnouit pro Canonicis, nisi quos habemus in Bibliis Hebraicis, & quos indicauimus.

Deinde ex veteri Ecclesia Christi octo Patres præstantissimos, Hieronymum in prologo Galeato: Cyprianum in Symbolum: Eusebium Cæsar. l. 3. c. 10. dum recitat sententiam Iosephi: Origenem apud Euseb. lib. 5. c. 25. Melitonem Sardensem Episcopum, apud Euseb. li. 4. c. 26. Epiphanium in Panario, Tom. primo, libri primi hær. 8. Item li. de mensuris & ponder. pa. 604. & 614. Hilarium in prologo in Ps. Concilium Laodicenum, can. 59.

De libris Machabæorum, speciatim Gelasius excludit à Canone secundum: Augustinus vtrumque fatetur non esse in Canone Hebræorum: & sobriè esse legendum, Tom. 7. contra Gaudentij epistolam, l. 2. c. 23. Et Tom. 5. de Ciuitate Dei, lib. 18. 36.

Ad obiecta Pontificiorum, qui alios Patres adducunt.

Responsum fuit, has tres regulas esse tenendas in hac indiciorum diuersitate. *Primam*, Quotquot citantur in Nouo Testamento: eos esse Canonicos. *Secundam*, Quotquot ab omnibus Ecclesiis & semper: esse eos Canonicos. *Tertiam*, In aliis, de quibus controuertitur, sequendum esse iudicium vetustioris Ecclesiæ & vetustiorum Patrum, maiorisque autoritatis, quia viciniores Apostolis. Item eos, qui melius inter se consentiunt. Tales sunt, quos adduximus pro nostra sententia.

PROPOSITIO IV.

De Libris Noui Testamenti.

Citra controuersiam Canonici sunt libri Euangelistarum, & Acta, & Epistolæ Pauli cum eius nomine: Epistola Iohannis prima: Petri prima. Euseb. lib. 3. c. 25.

PROPOSITIO V.

Reliqui, non est vlla legitima causa, cur non debeant inter Canonicos recenseri.

Probatio 1. Non fuit ab omnibus de illis dubitatum: imò grauissimi viri eos agnouerunt, alij alios pro Canonicis. Iren. l. 3. c. 18. Quæ sunt in Epistola ad Electam, adscribit Iohanni Apostolo & Euangelistæ. Clem. Alex. Epistolam ad Hebræos Paulo. Iustinus Martyr & Iren. & alij, teste Hieronymo, attribuunt Iohanni Euangelistæ.

2. Nunquam fuerunt ab Ecclesia Catholica reiecti, sicut Apocryphi in veteri Testamento.

3. Doctrina approbata omnibus. Tert. enim lib. de pudicitia, dat Epistolam ad Hebræos Barnabæ: alij Lucæ.

SECVNDA PARTITIO.

PROPOSITIO VI.

Omnes libri Canonici secantur in Vetus & Nouum Testamentum.

EXPLICATIO.

Nomine veteris Testamenti intelligimus volumen librorum sanctorum ante Christum scriptum, & qui extant.

Noui, volumen librorum, qui post Christum ab Apostolis conscripti sunt. 2. ad Corinth. 3.

TERTIA PARTITIO.

PROPOSITIO VII.

Omnes Canonici veteris Testamenti in tres classes secantur, Legem: Prophetas: ἁγιόγραφα.

In hac propositione explicatum fuit, qui sint in vnaquaque classe.

Hanc distinctionem probat Christus Lucæ 24.

Noui Testamenti libri etiam in tres classes distinguuntur: in Historias: Epistolas: Apocalypsin.

QVARTA PARTITIO.

PROPOSITIO VIII.

Vtrumque Testamentum, in Legem & Euangelium distribuitur.

Ita conclusum est, quid sibi voluerit Apostolus illa sententia: *Omnis Scriptura θεόπνευστος* (2. Tim. 3.) & quot habeat partes.

Nunc methodus ipsa postulat, vt videamus, quænā sint illa media, quibus adduci homines possint, vt hosce libros, quos Canonicos diximus appellari: credant & agnoscant verè esse θεοπνεύστους: ac proinde, vt eos, tanquam certissimum Dei verbum recipiant & amplectantur, & in illorum doctrina permaneant, vt Apostolus hortatur.

Etsi enim aliquid ex illis, quæ dicta à nobis sunt, de hac quæstione potest colligi: tamen vtilitas lectoris postulat, vt seorsum de hac re clarius disseramus.

Ad hunc autem locum tractandum Apostolus nos prouocat, imò cōgit locis, cùm Timotheo persuadet, vt permaneat in recepta doctrina, argumento vno ducto ab autoritate Apostoli, à quo illam didicerat: altero ab autoritate Scripturarum, quas ab ineūte ætate, per gratiam Spiritus S. nouerat: deinde etiā aliis argumentis, quæ explicauimus.

Nunc igitur quæritur, an ad cognoscendum, qui sint libri Canonici, seu quæ sit Scriptura θεόπνευστος, & quę non: traditio & autoritas Ecclesiæ sufficere debeat & possit, nécne: & si non sufficit, quænam illa sint media, quibus adduci possint homines, vt hoc verè & certò agnoscant. Quęstio, vtilior est quàm fortè prima fronte appareat.

Papistæ tantum tribuunt Ecclesiæ, non dicam Catholicæ, quia non possunt, sed Romanæ, vt sentiant illius authoritatem vsque adeò magnam esse & efficacem ad fidem faciendam de libris Canonicis & non Canonicis, vt solum eius testimonium sufficere nobis debeat: Imò quicquid iam habet autoritatis sacra Scriptura, propter quam fide digna sit, & pro tali habeatur, totum hoc habere illā ab Ecclesia. Quare authoritatem Ecclesiæ maiorem esse authoritate Scripturarum: atque ita maiorem, vt possit in Scripturis multa dispensare.

Alij, ipsam Scripturam non opus habere alieno testimonio: per se enim ad hoc sufficere, quòd ipsa sese, an sit à Deo necne inspirata, luculenter patefaciat: sicut Sol suo se lumine, quid sit, declarat: itidem & lucerna accensa: Scripturam autem esse lumen, & lucernam accensam, testimonio Petri & Dauidis. Non igitur opus habere alieno testimonio, quod dicat, h. e. verbum Dei, hoc non est: tantùm abest, vt solum testimonium Ecclesiæ sufficere possit.

Nos ad quæstionem his respondemus propositionibus.

PROPOSITIO I.

Non est cuiuspiam hominis, neque etiam totius Ecclesiæ, sed solius Dei, efficere vt quis certò agnoscat, hanc de qua loquimur Scripturam esse θεόπνευστον, alias verò minimè.

Perspicua est propositio, vt non opus habeat explicatione: venio igitur ad confirmationem.

Confirmatio.

Qui non potest donare Spiritum sanctum & fidē: is certè non potest efficere vt quis agnoscat & discernat verbum Dei, à non verbo Dei. Ad hoc enim opus est Spiritu sancto & lumi-

& lumine fidei: cùm opus sit Spiritus & fidei. 1.Cor.2. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei,* &c. *Nos autem Spiritum Dei accepimus: vt sciamus quæ à Deo,* &c. Ioh. 6. Apostoli aiunt, *Nos credidimus & cognouimus, quòd tu es Christus,* &c.

Primò aiunt, *Credidimus,* deinde *cognouimus:* vt ostendant, hanc cognitionem rerum diuinarum, opus esse fidei.

Atqui nemo hominum, nec vniuersa Ecclesia, excepto capite Christo, potest cuipiam largiri Spiritum S & fidem. Est.n. donum Dei, Phil.1. Eph.2. idque tam quoad initium, quàm quoad incrementum, Hebr.12. Huc illud in Actis, 8. Petrus ait Simoni: *Pecunia tua tecum sit in perditionem. Existimasti enim donum Dei pecuniis parari posse,* h.e. esse in hominum arbitrio, illum donare cui velint, etiam pro pecuniis, Ergo, &c.

2. Res spirituales, non possunt nisi lumine supernaturali percipi & verè cognosci: illud autem donare non est, nisi illius, qui est supra naturam, Deus. Non plura addo testimonia & rationes, quia res perspicua est.

Propositio II.

Non est etiam Scriptura sanctæ per se solius, hoc efficere: sed opus est Spiritu S. mentem hominis legentis aut audientis Scripturam, ita illustrante, vt videat, ac sentiat, Deum loqui in Scripturis, non hominem.

Confirmatio.

Si Scriptura S. hoc ex se sola posset præstare: omnes qui illam aut audiunt, aut legunt, etiam agnoscerent, esse verbum Dei, cùm reuera sit verbum Dei. Non omnes autem hoc norunt, etsi legunt & audiunt. Hoc liquet exēplis Scripturarum, & quotidiana experientia. Etsi igitur Scriptura in se lumen est lucernáq; accensa, imò Sol splendidissimus: tamē sicut Sol nō potest sese cæco homini quis & qualis sit patefacere, nisi cæcus aliunde illuminetur: Ita Scriptura nō potest sese agnoscendam re ipsa præbere cuipiam homini, nisi Spir. sancto mens hominis ad videndam Scripturæ dignitatem illustretur: & aures ad audiēdum Deum in illis loquentem, aperiantur. Quare neque Scriptura sua sola dignitate & autoritate quam habet, sine Spiritu sancto sufficit ad hoc, vt quis eam agnoscat certum esse Dei verbum.

Pelagiani tamen hoc non admittebant: quia non concedebant, tantam esse naturæ nostræ corruptionem, vt mens non possit discernere inter ea quæ Dei sunt, & quæ non Dei: inter doctrinam Dei, & doctrinas hominum, modò ei offerantur. Ergo vno aut altero testimonio Scripturarum refellantur ipsi, & nostra confirmetur propositio. Actor.16. prædicante Paulo Philippis ad multas mulieres: omnes quidem audiebant: non de omnibus tamen dicitur, sed de vna tantùm Lydia, Dominum aperuisse illi cor, vt intenderet iis, quæ dicebantur à Paulo: quantò minus potuisset intelligere & agnoscere, ea esse Dei verba, nisi Dominus ei cor aperuisset Spiritu suo?

Iohannis c.8. prædicabat Iudæis multis Christus: alij crediderunt in eum: alij eum habebant pro blasphemo homine. omnes tamen audiebant verbum.

1 Cor.2. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim illi sunt, nec potest percipere: quia spiritualiter* (i. per Spiritum S.) *diiudicantur.* Quomodo igitur potest quispiam ex solo auditu Scripturæ illam agnoscere pro Dei verbo, cùm potiùs illam iudicet esse stultitiam, stultissimamque doctrinam? Atque hæc satis ad confirmationem secundæ propositionis.

Propositio III.

Nullis etiam rationibus, siue ab antiquitate, siue à consonantia Scripturarum, siue à miraculis, quibus fuit Scriptura S. confirmata, siue à complemento vaticiniorum eius, siue ab alio quouis loco, deductis, persuaderi vlli hominum potest, hos libros esse θεοπνεύστους, alios nequaquam, sine Spiritu S. intus hoc demonstrante.

Confirmatio.

Est etiam hæc ex testimoniis superiùs allatis perspicua: præsertim ex illo 1.Cor.2. *Animalis homo non percipit, nec potest percipere.* Quem enim intelligit nomine Animalis hominis? hominem, qui rationibus quidem ducatur, sed sine Spiritu Dei. Item ex illo Matt.11. *Abscondisti hæc à sapientibus.* Item ex illo 1.Cor.2. *Sermo meus & prædicatio mea, non fuit in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in demonstratione Spiritus & potentiæ: vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in potentia Dei.*

Ac certè, si illa argumenta hanc haberent vim: citiùs Philosophi & alij sapientes ad fidem perducerentur, & ad hanc, de qua loquimur, cognitionem verbi Dei, quàm plebei & idiotæ: quoniam illi harum sunt rationum capaciores istis. At contrarium affirmat Paulus, 1.Cor.1. *Videte vocationem vestram, quoniam non multos sapientes secundum carnem elegit Deus, sed stulta Mundi elegit Deus.* Et ante ipsum Christus, Matt.11. *Pater gratias ago tibi quia abscondisti hæc à Sapientibus.*

Propositio IV.

Ergo Spiritus S. qui mentem, mentisque oculos aperiat atque illuminet, non solùm necessarius est ad hoc, vt quis verè agnoscat Canonicos libros esse θεοπνεύστους, sed etiam ad hanc rem ille vnus, sine vllo testimonio Ecclesiæ, sinéque vllis rationibus, idoneus est atque sufficiens doctor.

Confirmatio.

1.Cor.2. *Nos autem Spiritum Christi accepimus, vt sciamus, quæ nobis à Deo donata sunt, nempe omnia,* inter quæ est etiam verbum. Item, *Spiritus autem omnia scrutatur, etiam profunda Dei.*

Actor.9. Apostolus Paulus certè sine vllo Ecclesiæ testimonio, sinéque vllis argumentis, solo Spiritu Christi illustratus, agnouit Christum, & quæ Christus prædicauerat, sibique etiam dixerat, ipsissimum esse Dei verbum. Idem longè ante contigit Mosi & Prophetis, cùm afflabantur Spiritu Dei.

1.Ioh.2. *Sed vos vnctionem habetis, & nostis omnia.* Quæ est ista vnctio? Spiritus S. qui vngit nos in Doctores & Prophetas, vt quæ Dei sunt probè intelligamus.

1.Cor.2. *Spiritualis homo dijudicat omnia: ipse autem à nemine iudicatur:* h.e. de omni doctrina, quæ proponatur, ille qui Spiritu Dei præditus est, facilè certum feret iudicium, vtrum sit θεῖον, necne: ipse autem, eiusque doctrina, à nemine, id est, à nullo homine, (qui sit sine Spiritu) diiudicatur, discernive potest ab aliis doctrinis: ac proinde necesse est, vt ij homines alieno tantum stent iudicio. An nō res est perspicua nostro tempore? Cur Papistæ nihil vrgēt, cùm nos nostramque damnant doctrinam, nisi Ecclesiæ Romanæ iudicium? Ecclesia (inquiunt) damnat vos, vestramque doctrinam vt hæreticam: hoc nobis est satis: nolumus disputare: cur, inquam, ita ab aliorum pendent iudicio? quia cum sint sine Spiritu Dei, nullamque teneant Scripturarum cognitionem, non possunt nos diiudicare.

Ex iis omnibus liquidò apparet, verissimam esse quartam nostram propositionem: Proinde Apostolus meritò in contextu, quem suprà interpretati sumus ad Timoth. non simpliciter ait, *Permane in ijs, quæ audiuisti,* sed, *quæ didicisti, sciens à quo didiceris.* Item, de Scripturis nō dixit simpliciter: *Et quòd sacras literas legeris:* sed, *quòd sacras literas nosti.* Nam & doctrinam ab Apostolo potuisset audire, & S. literas legere, sine hoc speciali S.S. dono: sed illam didicisse, & S. literas nouisse: hoc certè sine Sp.S. gratia fieri non potuit. Quamobrem non est simpliciter argumentatus Apostolus ab authoritate sua, & ab authoritate Scripturæ: sed etiam à Spiritu S. qui vtramque patefecit Timotheo. Per hunc enim Spiritum non solùm agnoscimus ipsam scripturam verè esse θεόπνευστον: sed etiam reipsa sentimus, in hac Scriptura certissimam quandam numinis altissimi vim vigere, qua sentimus nos suauissimè pertrahi ad hanc Scripturam amandam, amplectendam, & vt pretiosum thesaurum in corde conseruandam, ita vt ab eius studio recedere nequeas neque dies neque noctes.

Eiusdem etiam vi sentimus nos indies renouari in nouos homines. Nam apertis oculis per Spiritum sanctum videmus Christum in Scripturis: & dum eum ibi contemplamur ceu in speculo: imago Christi, quæ ibi relucet, mentibus nostris imprimitur, ita vt efficiamur ei similes in iustitia & sanctitate vitæ. 2.Cor.3. Hoc docuit Apostolus: *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Nos autem omnes retecta facie gloriam Domini in speculo repræsentantes, ad eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu.* Hic igitur Spiritus ille est, qui ita nobis certò & perspicuè ostendit, hanc Scripturam esse certum Dei verbum, vt opus non habeamus vllo Ecclesiæ testimonio, vllisve rationibus. Est enim hæc persuasio cœlestis à Deo.

Cæterùm,vt sciamus,neque testimonium Ecclesiæ,neque auditum verbi esse superuacanea, sed vtilia, & etiam necessaria:ideò illud notandum est,hunc Spiritum nō solere à Deo cuipiam communicari (de via ordinaria loquimur) nisi ex auditu verbi, *Gal.3. Ex operibus legis Spiritum accepistis,an ex auditu fidei?* Fides certè non datur,nisi ex auditu verbi. Rom.10. Verbum autem prædicatur ab Ecclesia: quæ publicè restatur,hoc esse verbum Dei: Ecclesiæ autem prædicanti,& hoc esse verbum Dei testificanti, aures minimè præberemus:nisi illius autoritas atque dignitas, quā illi variis modis conciliauit Deus, nonnihil nos ad eam tanquam fide dignam,audiendam commoueret.

Quis enim illum audiat,de cuius fide ac probitate dubitet? Hinc consequitur,neque Ecclesiæ testimonium,neque auditum verbi esse inutilia,sed vtilia & necessaria.

Quare obseruandum quatuor esse mediorum genera, quibus pedetentim & gradatim efficit in electis Deus, vt Scripturam Canonicam, θεόπνευστον esse verè & certò agnoscant,inque ea cognitione indies confirmentur.

1. Constans & perpetuum Catholicæ Ecclesiæ Testimonium,quod Traditionem vocamus.

2. Testimonium ipsius Scripturæ, hoc est, Dei,in Scriptura nobis loquentis.

3. Testimonium Spiritus S. intus in corde nobis testificantis & persuadentis,hoc esse verbum Dei: & simul mētem illuminantis , & cœlestem veritatem atque excellentiam verbi ostendentis: atque ita efficientis, vt nos non solùm certò credamus, sed etiam verè agnoscamus, Deum esse eum,qui in Scripturis loquitur.

4. Multas variasque Scripturæ ipsius demonstrationes, tum ab ipsius in nobis vi & efficacia,tum à multis aliis rebus & effectis extra nos desumtas: quibus tanquam sigillis veritas in nobis per Spiritum S. obsignatur , & nos in illa magis ac magis quotidie confirmamur, hanc sacram Scripturam verum ac viuum esse sermonem Dei. Dicam breuiter de singulis:idque eo ordine,quo etiam Deus illis vti solet Hæc igitur esto in hac quæstione

PROPOSITIO V.

Primum medium , quo Deus vti solet,idque meritò , in deducendis nobis ad hanc certam firmámque sacræ Scripturæ cognitionem: nimirum quòd hæc sit verè θεόπνευστος, ipsissimúmque Dei viuentis verbum, est antiquum constansque Catholicæ Ecclesiæ testimonium , quod traditionem Ecclesiasticam vocamus.

EXPLICATIO.

Cùm dico primum, non intelligo præcipuum & efficacius,sed primum ordine. Dixi, *Quo solet vti*:quia non semper,neque cum omnibus hoc vtitur medio. Certè Mosi & Prophetis , verbum quod proponebat, persuadebat etiam esse certum Dei verbum,sine testimonio Ecclesiæ. Idem de Apostolis,& Paulo cumprimis. Sed ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, hoc vtitur medio Deus.

Confirmatio.

Nunc rem ita se habere, hinc liquidò apparet.

1. Hæc cognitio,opus est fidei: Ideò Ioh.6. Apostoli dicunt primùm, *Credidimus*: Deinde, *& cognouimus quod tu es Christus Filius Dei viui*: Item, *quòd habes verba vitæ æternæ. Fides autem ex auditu est*, Rom.10. *Auditus per verbum Christi*, nempe prædicatum: prædicatur autem per Ecclesiam, & non per alios: Hæc enim sola mittitur ad prædicandum, & sola habet verbum. Primum autem quod prædicat Ecclesia: prædicat, hoc esse verbum Dei. Sic Prophetæ primùm dicebant: *Factum est verbum Domini ad me Audite verbum Domini.* Ergo primum, quo Deus meritò vtitur in ducendis nobis ad hanc Scripturæ cognitionem , quòd sit θεόπνευστος, est Ecclesiæ testimonium.

Atque hinc apparet, quam sit hoc testimonium non solùm non superuacaneum, sed vtile & necessarium. Rom.10. totum quod dixi, tradit Apostolus, cùm ait: *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Quomodo credent, nisi audiant? Quomodo audient sine prædicante? Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Hæc autem est Ecclesia , quæ missa prædicat. Ergo fides ex auditu.

2. Sic primum, quod mouit Israelitas, vt crederent, quam Moses auferebat doctrinam, esse Dei: fuit testimoniū & autoritas Mosis, qui hoc asseuerabat. Hanc autem ei conciliauerat Deus apud populum, multis magnisq. rationibus.

Sic quid illud fuit, quod primum permouit Iudæos , vt audirent Iohannem Baptistam, & illius doctrinam, vt Dei doctrinam acciperent , & deinde etiam ad Christum audiendum accesserint? Illius authoritas, quòd haberetur pro viro sanctissimo, & in sacris literis docto , & ea re fide dignissimo.

Sic Pater voluit ipsi Filio suo Iesu Christo authoritatem apud Iudæos conciliare, antequam eum mitteret ad prædicandum Euangelium. Quare? vt eo possent facilius permoueri Iudæi ad illum audiendum. Quomodo verò hanc ei conciliauit autoritatem? variis modis, honestate vitæ: experimento & gustu illius sapientiæ, vt quando disputauit cū Doctoribus: testimonio è cœlis, *Hic est Filius meus, &c* testimonio Ioannis, *Ecce agnus Dei, &c.* Quamobrem? Quia nouerat Deus Pater, hoc esse primum, quo homines ad aliquem audiendum, & fidem illi præbendam permouentur, nempe authoritatem.

Sic primū, quo permoti fuerunt Samaritani, vt vrbe exirent & Christum audirent, fuit testimonium, & authoritas mulieris illius. Nam apertè dixerunt, se Christo credidisse primùm, propter eius mulieris sermonem, id est, testimonium.

Sic Augustinus contra Epistolam Fundamenti scripsit, se fuisse authoritate Ecclesiæ, i. tot tantorúmque virorum, qui iam inde ab initio eam religionem amplexi fuerunt, dignitate & testimonio permotum, vt Euangelio crederet.

Quid? quòd nemo nostrum est, qui non eodem modo ad Euangelium accesserit? Cur credidimus etiam in Papatu, hoc esse verbum Dei? propter testimonium & authoritatē Ecclesiæ. Quid deinde primum nos permouit, vt ad Euangelium accesserimus? Authoritas tot tantarúmque Ecclesiarum. Ergo quòd agnoscamus nunc verè, hanc Scripturam, verum esse Dei verbum: non parum debemus Ecclesię testimonio & traditioni: & huiuscemodi medium non debemus contemnere aut paruifacere, quoniam Deus dignatur hoc vti in deducendis nobis ad veram scripturæ, quod verè sit θεόπνευστος, cognitionem.

Cæterùm, hoc Ecclesiæ testimoniū non sufficere ad hanc veram scripturæ cognitionem , antea demonstratum est. Neque enim hoc solo Ecclesiæ testimonio potest quispiā adduci , vt verè credat, aut agnoscat hanc scripturam esse θεόπνευστον: sed ad duo prodest: Primùm ad hoc, vt aures illi præbeamus, & verbum, quod adfert, audiamus : Deinde etiam ad hoc , vt aliquam bonam de hoc verbo concipiamus opinionē, etsi non firmam fidem, quòd sit Dei verbū.

PROPOSITIO VI.

Alterum medium, est testimonium Scripturæ, seu Dei in Scripturis nobis loquentis.

EXPLICATIO.

Quòd hoc testimonium nobis prosit, & eo ad cognitionem veritatis deducamur, explicandum est. Dum audimus Deum nobis loquentem , si vocis & verbi sono nil aliud accedat, quod mentem nostram percellat: nihil minùs cogitamus , quàm verè Deum esse eum , qui in scripturis loquitur : imò stultitia videntur ea omnia nobis esse, vt ait 1. Cor.2. Apostolus. Proinde superiùs conclusimus, neque scripturam per se, si nil aliud accedat, posse efficere, vt verè agnoscamus, Deum esse, qui in ea nobis loquatur.

At est lucerna accensa: est Sol splendidissimus.

Resp. Quid tum? Sua sese vi & splendore patefacit quid sit, sicuti etiam Sol & lucerna. Verum, sed quibus? Cæcóne? minimè. Sed videndi vim & facultatem habenti, & reipsa intuenti. Idem de scripturis, quæ sunt instar lucernæ lucentis in caliginoso loco, & de nobis, qui nostrapte natura cæci sumus: & nisi per Spiritum S. facultas videndi prębeatur , ea quæ Dei sunt videre ac percipere minimè possumus , dicendum est. Quare optimè à nobis dictum fuit, hoc etiam medium per se solum inefficax esse , non in se, sed apud nos, nisi accedat vis Spiritus sancti Sed bene habet: dum Electi audiunt verbum, adest illis S.S. qui paulatim illos illuminat, fidémque donat, ac persuadet, vt est ad Rom.10. *Fides est ex auditu.* Item Gal.3. *Spiritum accepistis ex auditu fidei.* Sed Spiritus ordinariè paulatim progreditur in hac persuasione.

Dum igitur verbum audimus, adest Spiritus S. ac dum ille incipit aures mentis aperire ad intelligendum: principiò videmur nobis audire vocem, aliquid amplius, quàm humanam, resonantem, & cœlestia, nō terrena aut humana loquentem. Sed nondum verè persuasi sumus, Deum illū esse, qui loquitur. Et audimus quidem vocem, quę multò magis percellit ac permouet mentem , quàm simplex vox & testimoniū Ecclesiæ: sed Deū adhuc non videmus,

non

non agnoſcimus. Et licet vi huius vocis magis permoneamur ad credendum, vocem hanc, vocem eſſe Dei, quàm teſtimonio eccleſiæ: nondum tamen ſumus verè perſuaſi. Eſt enim hoc initium potiùs quoddā fidei, ac potiùs præparatio ad fidem, quàm vera fides.

Exemplis aliquot é Scripturis deſumtis, rem declaro.

Exod. 19. Cùm Deus daret legem per Moſen populo: populus audiuit quidem tonitrua & fulgura: ſed Deum non videbat. Et quod Moſes referebat nomine Dei, audiebat quidem populus: ſed in faciem Moſis gloria Dei illuſtratā, & faciem Dei repræſentantem, nō poterat oculos intendere, vt ait Apoſtolus propter gloriam vultus eius. Exod. 34. 2. Cor. 3. Typus illud fuit huius præparationis ad fidem. Cùm audimus in Scripturis ea, quæ ad Legem pertinent, præcepta, cōminationes, iudicia in transgreſſores: videmur quidem audire cœleſtia tonitrua, & aliquem quouis homine maiorē ad nos verba facere: ſed Deum nō videmus, nec poſſumus eius gloriam in verbo ſuo alioqui ſplendentem, præ imbecillitate ſenſus noſtri intueri, hoc eſt, nondū ſumus plenè perſuaſi, Deum eſſe illum, qui in Lege loquitur. Lucę vltimo, duo illi diſcipuli, qui ibant in Emaūra, dū audiunt hominem illum peregrinum (is autem erat Chriſtus) de Chriſto, déque regno eius loquentem, & Scripturas interpretantem: afficiebantur quidem illorum corda, quia audiebant hominem verba non humana, ſed cæleſtia proferentem: interim tamen non agnoſcebant eum, qui ſecum loqueretur, eſſe Chriſtum Filium Dei. Oculi enim eorum tenebantur: ne eum agnoſcerent.

Idem planè cōtigit nobis de principio: Cum audiremus Euangelium: ſentiebamus quidem quodam modo corda noſtra affici, dum Euangelium audiremus: atque inde vtcunque agnoſcebamus, doctrinam eam non planè eſſe humanam: ſed interim nondum eam verè & plenè agnoſcebamus eſſe ipſum Dei verbum: quia oculi noſtri nondum plenè erant aperti, vt poſſent hoc, & Chriſtum in Enāgelio agnoſcere.

Eſt etiam hiſtoria apud Marcum, ca. 8. de quodam cæco, qui cum paulatim illuminaretur à Chriſto, de principio cùm intueretur homines, nō eos agnoſcebat pro hominibus, ſed videbatur ſibi arbores ſeſe mouentes videre. Quare? quia nondum erat perfectè illuminatus. Idem contingit nobis, cùm de principio audimus verbum Dei: Sp. S. incipit quidem aperire oculos, vt videamus, quæ anteà minimè poteramus videre: ſed nondum plenè ſumus perſuaſi, hoc verbum quod audimus, eſſe verum certumq. Dei verbum. En igitur, quale ſit hoc alterum de Scripturis teſtimonium, & quomodo illo vtatur Deus, nempe quod per Spiritum S. mentes noſtras paulatim aperiendo, hoc vtatur ad trahēdum nos ad plenam perſuaſionē & cognitionē, hāc Scripturā verè eſſe θεόπνευστον. Non eſt quidē per ſe adhuc ſatis efficax ad plenā perſuaſionem: ſed tamen efficacius eſt priore, hoc eſt teſtimonio Eccleſię: quia illud teſtimoniū, erat hominum, hoc autē Dei. Proinde videmus, quātū proſit, & neceſſariū ſit audire verbū, etiāſi de principio nō omnia intelligimus, nec perfectè Deū agnoſcimus.

PROPOSITIO VII.

Primo & ſecundo teſtimonio accedit & tertium, illudque efficaciſsimum: hoc autem eſt apertum teſtimonium Spiritus ſancti.

EXPLICATIO.

Hic Spiritus primò plenè perſuadet, eum qui nobis in Scriptura loquitur, ipſum eſſe Deum, cœli & terræ conditorem: Deinde ita plenè illuſtrat oculos, vt excellentiā dignitatémque Scripturę cœleſtem intueamur: quo intuitu magis ac magis agnoſcimus, Deum verè huiuſce autorem eſſe, non hominem, aut Angelum. Tunc Solem ſplendentem, & lucernam accenſam videmus: tunc verum eſt, Scripturam ſeſe ſua vi prodere, an ſit θεόπνευστος, néc ne: Tunc cum Samaritanis dicimus Eccleſiæ: *Iam non credimus, propter tuum ſermonem: ipſi enim audiuimus & ſcimus, quòd hic eſt verè Seruator ille Mundi Chriſtus.*

Confirmatio.

1. Cor. 2. *Nos autem Spiritum Domini accepimus, vt ſciamus, quæ nobis à Deo donata ſunt.* Item, *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.* Item, *Spiritualis homo omnia diiudicat*, 2. Cor. 3. *Nunc autem nos retecta facie, gloriam Domini, vt in ſpeculo intuentes in eandem imaginē trāsformamur ex gloria in gloriā, ſicut à Domini Spiritu.* Ergo quod agnoſcamus, Scripturā eſſe verbum Dei: hoc cumprimis debemus Spiritui ſancto qui illud patefecit. Nobis verò hoc Spiritu illuſtratis, & plenè de veritate perſuaſis, prodeſt etiam quartum.

PROPOSITIO VIII.

Quartum medium, quo vtitur Deus in confirmandis nobis in perfecta Scripturæ cognitione, quòd verè ſit θεόπνευστος, ſunt multæ & variæ demonſtrationes, partim ex iis, quæ Scripturæ inſunt, partim ex iis, quæ illam conſequuntur, deducta.

EXPLICATIO.

Capita locorum tantùm indicabo & ego, quæ fortè ab aliis non fuerunt ita obſeruata.

1. Vnum locum conſtituunt cauſæ efficientes, hoc eſt inſtrumētales, quibus vſus eſt Deus in tradenda nobis Scriptura. Ij fuerunt viri ſancti, Prophetæ, Moſes, Apoſtoli: Ij teſtantur, hoc eſſe verbum Dei. Eſt autem virorum bonorum admittendum teſtimonium. Ergo, &c. Sed ego à cauſa efficiente argumentum compono non contemnendum.

Si hæc Scriptura non eſt à Deo tanquam à ſuo autore, neceſſe eſt, vt huius autor ſit aliqua creatura: non datur mediū. Atque nulla pura creatura poteſt huius Scripturæ eſſe autor: id quod mox demonſtrabo. Ergo, &c.

Alia argumenta ducūtur vel ab iis, quæ inſunt ipſi Scripturæ: vt à cauſa materiali, formali, à qualitatibus, ab effectis, proprietatibus: vel ab iis, quæ ſunt extra, ſed eam conſequuntur.

1. à materia, id eſt, à ſubſtantia doctrinæ: hæc omnem ſuperat creaturum captum.

2. à qualitate doctrinæ: nihil vitioſum, carnale, terrenum redolet. Ergo, &c.

3. à forma dicendi: humilis eſt, & tamen viuax, trahit omnes in ſui admirationem, 1. Cor. 2. *Non veni in ſublimitate ſermonis.*

4. à conſonantia Scripturarum.

5. à vi regenerandi homines.

Extra Scripturam.

1. ab euentu vaticiniorum.
2. à miraculis.
3. à furore Sathanæ, Antichriſti contra hanc.
4. à conſeruatione doctrinæ, contra potentiam Sathanæ.
5. à pœnis, quas perſecutores Euangelij dant.

Eſt Princeps, qui liberos habet in diuerſas profectos regiones, idque propter rebellionem contra patrem. Hic ſenex cùm ſit & valetudinarius, antequam grauiori corripiatur morbo, facit & dictat ſua lingua Teſtamētum Notario, qui illud ſcribit: & quæ habet bona, ea ſuis legat libetis. Scriptum Teſtamentum iubet obſignari ſuis aliquot ſigillis. Deinde iubet quibuſdā legatis, vt varia huius Teſtamenti exempla omnia iiſdē ſigillis obſignata, ferant ad ſuos liberos: Teſtamentum illis legant, & hortentur, domum vt reuertantur ad ſuis fruendum bonis. Vt verò legati ab ipſis liberis agnoſcantur, & vt fides illis habeatur, cuique illorum dat torquem ſeu cathenam auream cū ſuo inſigni appenſo. Legati, vt ſuo pateant Principi, veniunt ad liberos cum Teſtamento: ſignificāt liberis, ſe legatos eſſe parentis: ſe ad illos ferre Teſtamentū, in quo omnia parētis bona illis legata contineantur: rogant, vt ſe audiāt. Illi primum audiūt, quod de ſe dicūt Legati, ſe habere Teſtamentum patris quod legant: & hoc licet non ſint perſuaſi, tamē aliqua ex parte credunt. Deinde audiunt legi Teſtamentū. Ac de principio olfaciunt illum eſſe ſtylum parentis, ſed nō ſine aliqua adhuc dubitatione. Tertiò, vbi totū legi audierunt, nō ſemel & iterum, perpēſis diligentius omnibus quæ lecta ſunt, omninò perſuadentur, illud verum eſſe parentis teſtamentum. Ad extremum inſpiciūt etiam ſigilla: illis etiā magis ac magis in ea ſententia confirmantur: teſtamentum hoc, teſtamentum eſſe parentis.

Hoc ſimili, puto vobis, quod dixi de quatuor mediis, ita fieri perſpicuum vt nulla opus ſit explicatione aut maiore probatione.

Princeps, eſt Deus Pater cœleſtis: Liberi rebelles, omnes Electi: Teſtamētum, Scriptura ſacra: Bona legata, cœlum, vita æterna: Sigilla, quibus obſignatum eſt, miracula, vaticiniorum cōplementa, & alia, vnde ducuntur argumēta ad probandum, hanc Scripturā eſſe verbum Dei: Legati, prophetæ & Apoſtoli: cathena aurea, qua agnoſcuntur, autoritas eſt, quam illis conciliauit Dominus variis rationib. quod veri ſint legati Dei.

Primum igitur, quod filios Dei adducit, vt cogitent eredāntq hoc quod adfertur Teſtamētum, Teſtamētum eſſe parentis, eſt teſtimoniū & autoritas Legatorū qui ſic affir-

mant. Secundum est testimonium seu verba testamenti, quæ dum audiunt, quodam modo agnoscunt verba esse patentis, idque ex spiritu & mente patentis quam tenent. Tertium, plena persuasio, quam post sæpius lectum & cōsideratū Testamentum concepetunt vi Spiritus S. Quartum, inspectio etiam & diligens examinatio sigillorum. Quæ hæc sunt Demonstrationes, de quibus dixi, quæ ducuntur à materia, forma, &c.

Nunc teuemus, quibus rationibus debeamus nos cōfirmate in hac sententia, Scripturam hanc ipsissimum esse Dei verbum & θεόπνευστον: eōq. in hac constāter perseuerate, sicut Apostolus hortatus est Timotheum, & nos in ipso.

Summa. Tria præcipua sunt media, quibus Deus vtitur in deducendis nobis ad cognitionē, Scripturā esse θεόπνευστον. Primum, Ecclesiæ testimonium externum: secundum, Spiritus S. internum: is ad auditum verbum adest, & persuadet, hoc quod audis, esse Dei verbum: quanquam hoc non omnibus mox, sed gradatim persuadeat: ita vt primò obscuriùs, deinde clarius hoc faciat, vt suprà explicatū est: Tertium est Scripturę ipsius dignitas & excellentia ac virtus diuina, iam per Spiritum sanctum oculis fidelium illuminatis, demonstrata.

QVÆSTIO III.

De autoritate Scripturæ & Ecclesiæ: & an Ecclesia ius habeat in Scripturas.

Nos hîc non instituimus sermonem de autoritate Ecclesiæ in vniuersum, sed tantùm & propriè de autoritate Ecclesiæ circa verbum Dei.

De hac igitur quæritur, An autoritas, quam habet Scriptura, habeat ab Ecclesia, necne: ac proinde, an Ecclesiæ autoritas, maior sit autoritate Scripturæ. Sunt duæ quęstiones, sed nos tanquam vnam, quæ duobus cōstet membris, eam tractabimus. Fuit hæc quæstio excitata in Ecclesia, tempore Concilij Constātiensis & Basiliensis, ante annos circiter 162. Quidam etiam inter Papistas vtrumque affirmabant: quidam negabant, quemadmodum & nunc nō omnes sunt eiusdem sententiæ.

Nos vtrumque mēbrum negamus: sed antequam certas afferamus propositiones de hac re, duæ significationes huius vocis Autoritas, explicandæ nobis sunt. Huius enim vocis explicatio, pernecessaria est, tum ad quæstionis intelligentiam, tum ad respōsionis nostræ explicationem. Age igitur. Prima huius vocis, Autoritas, quā Græci αὐθεντίαν vocant, significatio, est existimatio, reputatio, seu dignitas, qua quis iudicatur dignus vel fide in verbis, quia agnitus semper verax: vel honore, quia agnitus pro viro probo & virtute prædito. Sic Cicero pro lege Manilia: *Et quoniam autoritas multum quoque in bellis administrandis atq. imperio militari valet, certè nemini dubium est, quin ea in re idem Imperator*(Pompeius)*plurimum possit*: Sic dicimus aliquem sibi autoritatem cōparasse apud homines sua virtute. id est, existimationem, reputationem & dignitatem. verbi gratia: Aliquis semper in verbis suis studuit veritati: ita vt nūquam aliquod in eius verbis inuentū fuerit mendaciū aut leuitas: ideò hac virtute sibi hāc apud omnes cōparauit authoritatem, vt quoties loquitur, fides ei ab omnib. adhibeatur: & hoc honore & dignitate, dignus iudicatur. Hinc fit, vt etiam vulgò, authoritas alicuius accipiatur pro sententia & testimonio alicuius per se fide digno. Vnde dicimus, citare authoritates Patrū, id est, testimonia fide digna. Quare in præsenti quęstione, authoritas propriè significat vim & dignitatem, seu æstimationem, qua fit, vt aliquis per se sit ἀξιόπιστος, & pro tali habeatur.

Altera significatio nominis Authoritas est potestas, dominiū & ius in aliquem, & aliquid agendi: Vt, Magistratus autoritatem habere dicitur in suos ciues, id est ius & potestatem in illos iubendi, puniendi, &c. Sic etiā Cicero accepit multis in locis. Atque hæc est propria significatio Græcæ vocis αὐθεντίας, qua voce Gręci posteriores significarunt id, quod Latini nomine autoritatis. Nam αὐθέντης, idem est quod αὐτοκράτωρ, dominus, & qui suæ est potestatis, iusque in alios habet, & autor alicuius rei, id est, Dominus primariusque inuentor.

Nūc ad quæstionem iuxta priorem significationem huius nominis intellectam, iis respondeo propositionibus.

PROPOSITIO I.

Scriptura sacra, quam habet in se autoritatem, hoc est dignitatem & vim, qua in se est ἀξιόπιστος: eamnon habet ab Ecclesia, sed à Deo.

1. Ab eo suam habet Scriptura authoritatem, à quo etiā vt ab autore suo, ipsa est. Est autem à Deo, nō ab Ecclesia. Ergo, &c. Vnde Sol suam habet lucem? ab eo, à quo etiam esse suum, suamque substantiam. Sic Scriptura. Ideò enim vera est, eoq. fide digna, quia autorem habet veracem. Idcirco, cum Prophetæ inuitabant populos ad audiēdū verbum tanquam fide dignum: hanc vnam adferebāt causam; Quia Dominus locutus est: Quia Domini est verbum.

2. Interrogo Ecclesiam: Antequam ipsa dedisset testimonium Scripturis, & eas declarasset esse θεοπνεύστους: vel erant ipsum Dei verbum, vel non erant. Si erant: igitur per se dignæ, erant fide, nec hanc ab Ecclesia acceperunt autoritatem & dignitatem. Semper enim verbū Domini per se est ἀξιόπιστον. Si non erant: errauit igitur Ecclesia, ne dicam mentita est, dum illos declarauit esse libros θεοπνεύστους, qui tamen nō erant. Nō puto, dicturos, Ecclesiā fecisse eos eiū verbum Dei, quoniam hoc est nimis blasphemum & ineptum. Quod enim non est verbum Domini: nunquam totius etiam cœli & terrę suffragiis poterit fieri verbum Domini: & perinde esset, ac si diceres: Iohānes Baptista testimoniū perhibuit de Iesu, quòd esset Christus: Ergo fecit illū esse Christū. Effecit quidem suo testimonio, vt agnosceretur pro Christo, sed nō effecit, vt esset Christus Ita Ecclesia suo testimonio effecit, vt Scriptura vtcunque agnita sit pro θεοπνεύστῳ: sed non fecit, vt sit verbū Dei. Fuit semper verbū Dei: Ergo fuit sēper ex se fide digna. Io. 17. Christus ait de suo sermone, antequam esset ab Ecclesia authēticatus, *Sermo tuus, ô Pater, veritas est.* Ergo verbum Dei, ante Ecclesiæ approbationem, semper verum fuit.

PROPOSITIO II.

Sancta Scriptura, quam apud homines nondum Spiritu Dei & vera fide donatos habet autoritatem, propter quam incipit admitti & audiri tanquam Dei verbum: habet ab Ecclesia testimonio & autoritate.

Hanc nos probamus, quia concedimus Papistis, sed explicamus.

1. Discrimen est inter habere autoritatem in se, & apud alios. Nouus Rex, vt Dauid, suā habet autoritatem, etiamsi ab aliis nō agnoscatur. Homo verax semper est fide dignus, etiamsi non habeatur ab improbis pro fide digno. Ita Scriptura etiā nō cognita, tamen semper in se suā habet dignitatem, & est fide digna. An non Euangelium etiam apud Turcas est in se fide dignum? Apud alios verò dicitur is obtinere suam dignitatem, qui iam cognitus est, & pro tali bono viro habetur, qualis est.

2. Deinde discrimen est inter veros fideles, donatosque Spiritu S. & ideò quibus nota est dignitas Scripturæ: & inter eos, qui sunt vtroque destituti, & idcircò dignitatem Scripturæ, non vident. Apud illos, quicquid habet autoritatis, habet ab Ecclesia, quia cùm sint sine Spiritu, & vera fide, nulla alia ratione agnoscunt, Scripturam esse sermonem Dei, nisi testimonio Ecclesiæ Hoc autem testimoniū solum, non sufficit ad veram cognitionem, vt supra ostensum est. Quare parum etiam apud illos Scriptura habet autoritatis.

PROPOSITIO III.

Sancta Scriptura, quam apud fideles, & Spiritu Christi donatos, quibus veritas & vis Scripturę est perspecta, habet authoritatem: non habet iam amplius ab Ecclesia, sed partim à Spiritu S. qui illorum mentes ad dignitatem Scripturæ cognoscendam aperuit: partim à seipsa, quæ ceu lux, fidelium oculos iam apertos sua luce ita percellit, vt quàm sit ἀξιόπιστος, ipsa per se apertè ostendat.

Confirmatio.

Iohan. 4. *Iam non credimus propter tuam loquelam, sed quia nos audiuimus, & scimus, &c.* Christus, æstimationem quā de principio habuit apud Samaritanos, ita vt propter illam egressi sint ad illum audiendum vt fide dignum, habuit à mulieris testimonio: sed quā postea habuit iā auditurus & cognitus: non certè ab illa, sed à se suóq. sermone habuit. ita Scriptura, authoritatem, &c. Simile aliud. Venit aliquis vir doctus, sed incognitus plerisque omnibus. Quidam qui eum norūt, testantur aliis eum esse virum doctum, & dignū qui audiatur. Ita suo testimonio conciliant ei authoritatē apud alios. Sed postquā auditus & cognitus fuit authori-

thoritatem quam sibi conciliauit, non habet ab illis testibus, sed à se. Hinc etiam liquidò apparet, quid ad alterum quæstionis membrum, An Ecclesiæ autoritas, id est, dignitas, maior sit quàm sanctæ Scripturæ, necne, respondendum sit. Hæc igitur esto

PROPOSITIO IV.

Scriptura sancta longè maioris est in se, & apud omnes esse debet authoritatis, quàm Ecclesia: & illius testimonium fide dignius est in se, & apud omnes esse debet, quàm Ecclesiæ.

Confirmatio.

1. Testimonium enim Scripturę, est ipsius Dei immediatè testimonium: Ecclesię autem, testimonium est hominū, licet sanctorum. Testimonium autem Dei tantò maius est testimonio omnium hominum, quantò testimoniū illius, qui nec falli nec fallere potest, testimonio eorum, qui suapte natura & falli & fallere possunt. Scripturæ igitur testimonium & verbum, semper longè maioris est & esse debet autoritatis, quàm Ecclesiæ & dicta Scripturarum præferenda omnibus Ecclesiæ decretis.

2. 1. *Iohan.* 5. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est.*

3. Act. 17. Cur illi recurrunt ad Scripturas? quia sciebant ... esse S. Biblia, verbis cuiusuis hominis, aut totius Ecclesiæ.

4. Ipsius dignitas in eo est, quòd est tota θεόπνευστος, & nūquam loquitur, nisi ex Deo. At Ecclesia nō semper ex Deo loquitur: igitur non est tantæ autoritatis.

Patres omnes tam Græci, quàm Latini, à nostra stant sententia.

Origenes in Ierem. hom. 1. p. 645. *Necesse est nobis Scripturas sanctas in testimonium vocare. Sensus quippe nostri, & enarrationis sine his testibus, non habent fidem.*

Cyprianus sermone de lapsis, pagin. 228. *Hominib. contra Deum credunt, qui contra homines, Deo non credunt.*

Patres iubent omnia sua scripta, & decreta Ecclesiæ, examinari ad Scripturas: igitur sentiebant, has esse maioris dignitatis & autoritatis.

Ioh. Gerson, *Dicto doctoris autoritate canonica munito, plus quam declarationi Papæ credendum est.*

Item, *In S. literis erudito, atque autoritatem Catholicam proferenti plus est credendum quam Generali Concilio.*

Panormitanus ad Canonem *significasti*, titulo de Electionib. *Plus credendum est vni priuato fideli, quàm toti Concilio aut Papæ si meliorem habeat autoritatem aut rationem.* Lutherus in libello de Conciliis & Ecclesia.

Alphonsus de Castro, contra hæres. lib. 1. cap. 8. vbi præter alia probat, non posse Ecclesiam, nouum fidei articulum condere, postea etiam fol. 18. in hunc scribit modum. *Hoc ex Ecclesia habemus, vt sciamus, quæ sit Scriptura diuina. At cùm Scripturam esse diuinam nobis consiteris, iam ex se ipsa habes, vt ei per omnia credere teneamur:* Et adhuc adfert simile, admodū accommodatum. Petrus debet Iohanni 100. aureos, & hac de re extat instrumentum (vt vocant) scriptum, & multorum testimonio comprobatum. Si, dum Petrus negat, se Iohanni debere hos 100. aureos, testes illi producuntur, & illi testificentur hoc instrumentū verum esse, & legitimum instrumentum, & Petrum verum esse debitorem 100. aureorum Iohanni: nunquid horum testificatio facit, vt instrumentum sit verum, & Petrus verus sit debitor Iohanni? Minimè. Nam etiam si non ij fuissent testificati: tamen Petrus debuisset, & instrumentum fuisset verissimum: sed non fuisset agnitum. Ita, etsi Ecclesia testata est, Scripturam hanc esse verum Dei verbum: non tamē ... vt sit verbum Dei. Quare posteaquàm cognitum est, Scripturam esse verbum Dei: tenemur ei in omnib. parere: etiam si tota Ecclesia prohiberet: quia parendum est Deo magis, quàm hominibus.

PROPOSITIO V.

Sacra Scriptura non solùm in se est, & apud omnes esse debet maioris authoritatis, quàm Ecclesia, sed etiam reipsa est apud omnes Spiritu Dei, vera fide, & Scripturarum cognitione præditos.

Confirmatio.

1. Quicunq; non solùm propter testimonium Ecclesiæ credit: verùm etiam per Spiritum S. & reipsa nouit, Scripturam sanctam ipsissimū esse Dei verbum, quod nec falli, nec fallere potest, ipsam verò Ecclesiam suapte natura & falli & fallere posse: apud ipsum certè maioris est autoritatis sacra Scriptura, quàm Ecclesia. Sciunt enim pluris faciēdū esse verbum Dei, quàm omnes homines, & illud maiori dignum fide, quàm omnia hominum dicta. Atqui hoc modo norūt Scripturam esse verbum Dei illi, qui Spiritu S. vera fide & Scripturarum cognitione præditi sunt. Ergo apud hos maioris est autoritatis Scriptura, quàm Ecclesia.

2. Exemplis propositio declaretur & confirmetur.

Gal. 1. *Si ego aut Angelus de cœlo prædicauerit aliud Euangeliū, &c. anathema sit.* Quare hoc ait Apostolus? Quia notat per Spiritū S. & certissimè notat, hoc Euangeliū quod prædicauerat, esse ipsissimū Dei verbū, ita vt dubitare de eo nullo amplius posset modo. Ideo etiāsi tota Ecclesia & omnes Angeli venissent, & aliter docuissent, tantū abest, vt voluisset illis maiorem præbere fidem, quàm suo Euangelio, vt potius illis dicturus fuisset anathema. Liquet igitur ex hoc loco, authoritatem verbi Dei maiorē apud Apostolum fuisse, quàm totius esset Ecclesiæ, imo & omnium Angelorum: & huius rei nullam aliam fuisse rationem, nisi quia per Spiritum S. non autem per hominum testimoniū, certus erat de veritate sui Euangelij.

Sic apud Apostolos omnes, Mariā, Elisabethā, &c. maioris erat autoritatis Christus & eius doctrina, quàm tota Ecclesia Hierosolymitana. Quare? quia norant per Spiritū S. hunc esse Filiū Dei, & eius doctrinā, verū Dei sermonē.

Sic apud Samaritanos, etsi de principio maior erat autoritas mulieris notæ, quàm Christi, qui erat ignotus: tamen posteaquam per fidem ex auditu verbi eum nouerūt esse Messiam & Filium Dei: longè maioris apud ipsos autoritatis fuit Christus, quam mulier. Ideo dicebant ei, *Iam non credimus propter sermonem tuum, sed quia nos audiuimus. &c.* Hinc colligitur necessariò

PROPOSITIO VI.

Apud quos Ecclesia maioris est autoritatis, quàm Scriptura: ij nondum per Spiritum S. agnoscunt Scripturam esse verbum Dei, & ideo adhuc nulla vera fide præditi sunt.

Confirmatio.

Liquet ex superiùs dictis per argumentationem à contrario. Si enim præditi essent vera fide & Spiritu Dei, veraque Scripturarum cognitione, vtriq; maioris apud ipsos esset Scriptura authoritatis, quàm Ecclesia. Hæc patet ex superiorib. Atqui maior apud hos est Ecclesiæ autoritas, quā Scripturæ? Ergò, &c. Cur enim pluris faciunt Ecclesię autoritatē quàm Scripturæ? Quia persuasi sunt Ecclesiā constare viris bonis, sanctis, fide dignis, qui non velint fallere, & ita sapientibus, qui non possint falli: de Scripturis autē nōdum sunt ita persuasi: essent autem persuasi, si haberent Spiritum Dei, veram fidem, & cognitionem Scripturarum. Manifestum igitur est, ideò illos pluris facere testimonium Ecclesiæ, quàm Scripturæ, quia destituti sunt Spiritu Dei. Nam fac vt per spiritum S. agnoscant Scripturā certissimū esse Dei verbum tum videbis illos pluris facere Scripturā, quàm Ecclesiam. An non discipuli Iohan. Baptistæ, posteaquā nouerunt Christum verum esse Messiā & Filium Dei, illum pluris fecerunt, quàm Iohannem Baptistā & totam Ecclesiam Hierosolymitanam? Omnino. Ergo quòd de principio pluris ecclesiam Hierosolymitanam, & secundò Iohannem Baptistam, quàm Christum: argumento fuit, tunc illos nondum per Spiritum S. Christum quis esset agnouisse.

Sic apud Augustinum, cùm esset adhuc Manichæus sine Spiritu Dei, & vera cognitione sacræ Scripturæ, maior fuit authoritas Ecclesiæ, id est, tot tantorumq; virorum, quos videbat profiteri Christum, quàm Scripturæ & Euangelij. Ideo dixit, *Euangelio non credidissem &c.* Sed certè nō ita locutus est, posteaquam Christum nouit & sacras literas. Idem dico de obseruantia Samaritanorum erga mulierem & Christum Ergo quod nunc apud Papistas maior sit autoritas Ecclesiæ Romanæ, quàm sacræ Scripturæ: reipsa liquet, illos nondum habere Spiritum Dei, nec veram fidē, nec vllam veram Scripturarum cognitionem, neq; agnoscere aut verè credere Scripturam esse verbum Dei. Nam si hoc agnoscerent, maioris proculdubio apud illos esset autoritatis, dignitatis, æstimationis, reuerentiæ, quàm Ecclesia Romana.

Idem contigit nobis cùm essemus in Papatu, nec dum agnosceremus Christum & Scripturam, pluris faciebamus Ecclesiam Romanam, quàm sacram Scripturam. At nunc contrà, Dei beneficio. Quare? quia donati Spiritu Dei melius agnoscimus, quantum discriminis sit inter Scripturā, verbum Dei, & Ecclesiam ipsam cœtum sanctorum. Nam agnoscimus quicquid reuerentiæ, fidei & honoris debetur Ecclesiæ, hoc ideo illi deberi, quia retinet verbum Dei, & ex illo loquitur, docet, omnia agit.

PROPOSITIO VII.

Quicquid dignitatis habet Ecclesia:habet à sacra Scriptura.

Hac de causa 1. Timoth.c.3.Columna & firmamentum veritatis appellatur: hac de causa sponsa Christi vocatur, quia sponsi vocem audit & retinet:hac de causa munda & sancta est.quia retinet sermonem Christi, per quem mundata & sanctificata est.Vnde Cæsaris Legatus,qui venit ad Principem nostrum electorem habet vt audiatur tanquam fide dignus,& ei creditur:habet à literis Cæsaris,quas adfert. Qui dedit autoritatem, & vt(Italicè loquar) credito Ecclesiæ Mosaicæ? Doctrina illa tot miraculis confirmata: quia eã prædicabat& retinebat illa Ecclesia.Sic quid Apostolicæ?Doctrina quam profitebatur tot miraculis confirmata.Ergo doctrina Scripturę,dat authoritatem Ecclesię, non contrà.Est autem certissima illa regula: Propter quod vnumquodq;tale est,illud magis tale est.Longè igitur maioris esse autoritatis Scripturam quàm Ecclesiam, Ecclesiã, inquam,veram.Nam falsa & Antichristiana indigna est, quæ cum sacra Scriptura vllo modo compatetur.

Atque hæc satis de autoritate Ecclesiæ & Scripturæ, quatenus hoc nomen significat æstimationem & dignitatem,qua quis iudicatur fide dignus.

RESPONSIONES AD ARGVMENTA.

Primum ab antiquitate. *Autoritas Ecclesiæ antiquior est autoritate Scripturæ:fuit enim Ecclesia ante Scripturam vllam, vt liquet tam de Ecclesia ante Mosen, quàm de Ecclesia Christiana ante scripta Apostolorum. Et Ecclesia suam semper habuit authoritatem & dignitatem,qua digna erat omni fide & reuerentia atque honore.*

Ergo suam dignitatem non habet à Scriptura,sed potius contra:ac proinde etiam maior est Ecclesiæ quam Scripturæ autoritas seu dignitas.

*Respond.*1.ad Antecedens.Est falsum,& assumtum etiam falsum:& admittitur fallacia accidentis.Declaro. Scriptura sacra habet suam substantiam & suũ accidens.Substantia,est ipsum verbum à Deo reuelatum & inspiratum. Ita si definias Scripturam quod ad substantiam attinet, ea nil aliud est,quàm doctrina à Deo sanctis hominibus aut reuelata,aut inspirata,ad salutem Electorum. Atque vt breuiùs dicam, Scriptura nil est, nisi doctrina θεόπνευστος: vt à Paulina locutione non recedam Accidens verò, est ipsa scriptio,seu exaratio in tabulis & libris Ita si definias Scripturam à substantia & accidenti simul, sic definienda est. Scriptura est doctrina à Deo sanctis certis hominib.inspirata,& per eosdem, Spiritu sancto dictante conscripta, ad salutem Electorũ:& vt illis sit πρὸς διδασκαλίαν,&c. Ergo si Scripturam spectes quò ad substantiam:illa certè nõ est posterior Ecclesia,sed contrà.Verbũ enim Dei reuelatũ prius est ipsa Ecclesia,iam à condito orbe: Ecclesia enim collecta est verbo:regenerata per verbum: fundata super verbum. Quid autem prius,fundamentum, an domus superstructa? Ergo si substantiam Scripturæ spectes,falsum est Ecclesiam & dignitatem Ecclesiæ priorem esse Scriptura & dignitate Scripturæ.Sed si accidens Scripturę:facilè damus. Sed tunc nihil concludis:quoniam,etsi ipsa etiam scriptio, suam habeat dignitatem,quatenus & ipsa à Spiritu sancto inspirata , & quodam modo dictata verbotim fuit, ita vt nullum in ea sit iota,quod non sit à Deo inspiratum: vnde quod Paulus ait,Scripturã esse θεόπνευστον, intelligendũ est & quoad substantiam,& quoad accidẽs:etsi inquam,Scriptura etiã quoad ipsam scriptionem habeat suam dignitatem:tamen dignitas,de qua loquimur, præcipuè est in ipsa substantia.Hanc autem semper habuit à condito orbe.

2.Respõdeo etiã ad consequentiã:illam non concludere. Oportet enim,vt pendeat ex hac vniuersali;Quicquid est prius, illud est dignius, & gloriosius illo, quod est posterius.Hoc autem videbis non esse in omnib. & semper verum.Etsi Lex per Mosen tradita, prior fuit Euangelio per Christum prædicato & reuelato:consequiturne,igitur Legem Mosis, maioris fuisse dignitatis & gloriæ,quam Euangelium? Apostolus certè 2.Corinth.3. cõtrarium demõstrat.Item Iohann.Baptista,prior fuit Christo in carne:Ergo maior Christo?Itẽ,Sacrificia veteris Testamenti pecudum,boum,priora sacrificio noui Testamẽti,id est oblatione Christi in cruce: Ergo illa præstantiora isto? Item, Typi & figuræ,priores sunt veritate: Ergo etiam pluris faciendæ, quam veritas?Ergo hoc Papistarum argumẽtum, vtraq; tibia claudicat,& antecedente & consequentia.

Secundum argumentum à declaratione & testificatione Ecclesiæ.

Libri sacri, quòd primò nunc sint authentici dignique fide: & secundò quòd pro talibus habeantur apud fideles: hanc certè dignitatem habent à sola Ecclesia,qua sua autoritate,hanc illis dedit dignitatem.Nam cum multi libri in Ecclesia obtruderentur fidelibus,tanquam à Deo inspirati, & eius Spiritu conscripti, Ecclesia agnouit,qui essent verè diuini (nempe hos Canonicos & qui non.Itaque statuit, vt ij ab omnib. haberentur pro Canonicis,& diuinis,alij pro Apocryphis. Omnes verò hoc decretum admiserunt propter autoritatem Ecclesię

Ergo,quod Scriptura nunc habeat hanc in Ecclesia apud omnes autoritatem, vt pro verbo Dei agnoscatur & admittatur, habet ab Ecclesię autoritate.

*Respond.*ad antecedens.1. Falsum est Scripturam sacram accepisse ab Ecclesia hanc dignitatem vt sit authẽtica in se & in fide digna. Ecclesia enim nunquam dedit Scripturæ hanc dignitatem,vt esset per se ἀξιόπιστος & authentica. Semper enim fuit verbum Dei,& ea re ἀξιόπιστος:igitur non habet ab Ecclesia:tantum illa testata est & declarauit omnibus, quid & qualis, & cuius esset hæc Scriptura:sed non ei dedit.vt talis esset,hoc est,fide digna. Ioha. Baptista testatus est,& indicauit Iudæis Iesum Christum,sed non fecit vt esset Christus. Aurifaber examinat aurum ad lapidẽ: deinde vbi agnouit esse bonum aurum,hoc aliis indicat & testatur:Num igitur dat illi vt sit aurum bonum? Est igitur fallacia figuræ dictionis.Nam aliud est testari aliquid esse tale:aliud facere,vt sit tale.

2.Quòd verò aiunt,Scripturam hanc saltem apud fideles habere abs sola Ecclesia autoritatem, vt agnoscatur & habeatur pro Canonica & verbo Dei:hoc est falsum. Ab Ecclesia habuit propter illius declarationem & autoritatẽ,vt ab hominib.admitteretur pro verbo Dei,& ita audiretur, sed non vt verè crederetur & agnosceretur esse certum Dei verbum:verùm hoc habuit (vt suprà ostensum est)primò à S S. hoc fidelibus inter audiendũ Scripturam persuadente: secundo ab autoritate & dignitate & excellentia & vi ipsius Scripturæ , iam per Spiritum S.fidelibus patefacta & ostensa. Vnde enim habuit Ecclesia, vt agnouerit,hanc Scripturam esse θεόπνευστα à Spiritu S.sic omnes fatentur.Ab eodem Spiritu etiam singuli veri fideles: eandem accipiunt cognitionem. Est enim eadem ratio singularum partium,quæ & totius. Quare hic etiam est fallacia non causæ vt causæ. Causa enim efficiens, quæ fidelibus verè persuasit & persuadet:item patefecit & patefacit hanc Scripturam esse ipsum Dei verbum, & Deum in ea loquẽtem demonstrauit: non fuit Ecclesiæ testimonium & autoritas:sed Spiritus S.persuadens: & deinde Scripturæ dignitas atque vis,per Spiritum S. fidelium mentibus ostensa:atq; ita ostensa , vt eam perspicuè videant & sentiant. Ecclesia autem tantum hoc effecit suo testimonio & autoritate,vt homines eam admiserint pro verbo Dei,sed nõ vt cognouerint, aut etiam persuasi verè de hac re fuerint. Similibus & exemplis declaro hanc ipsorum fallaciam.

Iohan.Baptista testificatur duobus è suis discipulis,inter quos erat Andreas,illum Iesum,quem videbant, esse ipsũ Christum Messiam,Filium Dei.Ipsi autoritate Ioh. Baptistæ permoti veniunt ad Iesum, vt videant & audiant.Idẽ postea Andreas significat Simoni Petro fratri suo:is itidem permotus testimonio & autoritate Andreæ fratris, venit ad Iesum:& tandem verè credit & agnoscit,illum esse verum Christum & filium Dei. Dicemúsne illos duos discipulos Iohannis, ab ipso Iohanne accepisse, vt crederent in Christum? et deinde Petrum hoc accepisse ab Andrea? Minimè. Nam Matth.16.Christus ait Simoni *Caro & sanguis non reuelauit tibi,&c.* Ergo Christus hanc dignitatem & autoritatem,vt agnosceretur quis esset,& à multis crederetur in illum,nõ accepit vel à Ioh.Baptista, vel ab Andrea:sed à Patre,qui suo Spiritu illum patefecit suis electis. Si quis igitur diceret , Andream suo testimonio causam fuisse,vt Petrus crederet in Christum, admitteret paralogismum,qui dicitur,Non causæ vt causæ.

Idem ab extremo Samaritanorũ & mulieris perspicuũ fit.Certè mulier non fuit causa,vt crederent illi in Christũ, sed tãtum occasio:Ita se habet Ecclesia erga nos quo modo mulier illa erga Samaritanos,ciues suos.

Possumus etiam dicere , esse fallaciam à dicto secundũ quid,ad simpliciter. Nam si mulier fuit causa fidei Samaritanis:fuit secundùm quid,non simpliciter.

Tertium argumentum. *Augustinus Tomo 6. contra epistolam Manichæi , quam vocabant Fundamentum , eo quòd in ea contineretur summa doctrina Manichæi , præter alia habet ibi hæc verba , in capit. 5.* Ego verò Euangelio non crederem , nisi Ecclesiæ authoritas me com-

me commoueret. *Inde Papistæ inferunt: Ergo fides Augustini in Euangelium, pendebat ab autoritate Ecclesiæ. Ideo enim credidit euangelio, quia credebat ecclesiæ, quæ dixit hoc esse euangelium Christi, verbumque Dei certum.*

Ergo autoritas Ecclesiæ, fuit apud Augustinum maior autoritate Euangelij.

Respond. ad antecedens. Sensus Augustini colligendus est ex vera verborum eius intelligentia, & phrasi ac scopo. Illud, *Non crederem, nisi me commoueret autoritas Ecclesiæ*, est pro credidissem & commouisset. Phrasis Augustini.

Nomine *Ecclesiæ*, intelligit totam Ecclesiam Catholicã, quæ Euangelium prædicabat & profitebatur. Verbo autẽ credendi, non intelligit veram & firmam fidem, qua tum credebat Euangelio, cùm hæc scriberet: sed fidem quandã quasi humanam quam de principio propter Ecclesiæ autoritatem, adhibuit Euangelio. Vera enim non adhibetur propter Ecclesiæ authoritatem, sed propter authoritatem Dei loquentis, dignitatem & veritatem Euangelij, quam videmus per Spiritum sanctum illuminari. Sensus igitur est: autoritatem Ecclesiæ, sibi multò pluris esse faciendã, quàm Manichæi & omnium suorum. Quare? quia illa etiã est, qua primùm permotus fuit, vt crederet Euangelio, hoc est, vt illud attentè audiret & reuerenter acceperit, & aliqua etiam fide crediderit. Vel etiam si vis eum loqui de vera fide, qua tunc credebat Euangelio, & verbum, *Non crederem*, resolute in præsenti: perinde fuerit. Erit enim sensus: Ego certe iam non crederem Euangelio, sicut credo: nisi Ecclesia sua autoritate me ad credendum commouisset, & prædicando Euangelium dixisset, Credite Euangelio, quia Domini est Euangelium. Et est sensus, sicut etiam, si Samaritani posteaquam crediderunt in Christum, dixissent: Certè non crederemus iam in Christũ, nisi autoritas mulieris, quæ nos ad illum videndum & audiendum inuitauit, commouisset. O quantum igitur debemus huic mulieri. Et sicut si dixissent Thessalonienses: Nos multum debemus Paulo, & illius authoritatem magnifacere. Quare? quia nisi ille nos sua autoritate commouisset, & ad credẽdum Euangelio excitasset sua prædicatione, nos certè iam non crederemus in Christum.

Hunc sensum esse Augustini, liquet, si quis diligenter illũ perpendat locum. Item, ex Commentariis Augustini in illam historiam Samaritanæ Iohan. 4. Ait enim, illã fuisse typum Ecclesiæ, quod sicut illa prædicauit Christum suis ciuibus, sic Ecclesia nobis. Et sicut illi excitati prædicatione mulieris, & eius autoritate, exierunt, audiuerunt Christum, & in illum crediderunt: sic nos autoritate & prędicatione Ecclesiæ. Quomodo enim credent nisi audiãt? Quomodo audient sine prædicãte? Sed sicut illi post veram adhibitam fidem Christo & eius Euangelio agnouerunt eã sibi datam esse non a muliere, sed à Spiritu, ex auditu verbi Christi, & proinde dixerunt mulieri, *Iam non credimus propter tuum sermonem, sed quia ipsi vidimus & audiuimus, &c.* Ita nos, &c.

2. Ad consequentiam. 1. Illa est contra mentem Augustini ex Augustini verbis collecta. 2. Consequentiam hanc, *Ergo authoritas Ecclesiæ maior est autoritate Euangelij*, colligere ex verbis Augustini, est contra sententiam mentemq; Augustini. Hoc liquet ex verbis Augustini in eodem capite. Cum enim Manichæus appellaret se Apóstolum Iesu Christi, & pro tali vellet credi & agnosci, Augustinus ait, se nolle hoc credere, nisi euidentissimè probet: tum quia in Euangelio hoc non legit, illum esse Apostolum Christi: tũ quia catholica Ecclesia hoc prohibeat credi de Manichæo. Hanc autem Ecclesiam tanti se & antea fecisse, & nunc facere, vt nisi fuisset huius authoritate permotus, non vtique crediturus fuisset Euangelio. Postea subdit: *Quod si fortè in Euangelio aliquid apertissimum de Manichæi Apostolatu inuenire potueris: infirmabis mihi Catholicorum autoritatem, qui iubent, vt tibi non credam.* Hactenus Augustinus. Apertè fatetur, authoritatem ecclesiæ posse infirmari autoritate euangelij, si quid de euangelio possit adferri apertum contra ecclesiæ de Manichæo iudicium. Sic igitur argno. Si euangelij autoritas infirmare potest autoritatem ecclesiæ: vtique illa maior erit ista. Non enim autoritas minor infirmat maiorem, sed maior minorem. Atqui euangelij autoritas potest infirmare authoritatem ecclesiæ, de sentẽtia Augustini, vt ibi liquet. Sensit igitur autoritatem euãgelij, maiorem esse authoritate ecclesiæ. Quare quòd contrarium colligunt Papistæ ex illo Augustini dicto, *Non crederem, &c.* & produnt suam inscitiam, & contra sententiam Augustini hoc faciunt.

Si ita sensisset, vt volunt Papistæ: hæc Augustini verba essent tanquam plena blasphemiæ reiicienda. Nã pugnant cum verbo Domini, vt suprà à nobis ostensum est, maiorẽ scilicet esse authoritatem Scripturæ, quàm Ecclesiæ: Contra verò sentire, est sentire, homines esse supra Deum, & maioris autoritatis, quàm Deus sit. Quo quid blasphemius dici potest? Absit autem, vt hoc senserit tantus vir Augustinus. Deinde, falsa etiam ex se est. Vis videre absurditatem huius consequentiæ? Augustinus non credidisset euangelio, nisi fuisset Ecclesiæ autoritate commotus: Ergo autoritas ecclesiæ maior fuit, & est, autoritate euangelij. Assume propositionem generalem, quę silentio prætereitur in enthymematibus, & compone syllogismum: Omne illud, cuius autoritate aliquis commotus, rem aliquam aliam credit, recipit, amplectitur, maioris est autoritatis illa re, quam credit, recipit, amplectitur. Atqui ecclesia tale quid est cum euangelio. Nam illius autoritate commotus Augustinus credidit euangelio, & euangelium recepit: & idẽ aliis etiam contigit. Ergo, &c. Quod falsa sit illa prior propositio, hinc liquet. Liberi, autoritate parẽtum permoti credunt esse Deum, qui omnia condiderit & regat, & hũc venerantur & inuocant. Ergo parentes maioris sunt autoritatis quàm Deus? Iudæi permulti, autoritate Mosis permoti, crediderunt in christũ: vnde illud christi, *Si crederetis Mosi, crederetis & mihi*: Ergo Moses maioris fuit autoritatis quàm christus? Sic de Iohan. Baptista: multi huius autoritate permoti, crediderunt in christum: Ergo maior authoritas Iohannis, quàm christi? Idem de Samaritanis: Illi permoti autoritate mulieris, audierunt & crediderunt in christum, Ergo, &c. Quis non videat, quàm falsa sit illa maior propositio? Falsa igitur & conclusio. Si sic dicas, Augustinus permotus autoritate ecclesiæ, audiuit, credidítq; euangelio: ergo tunc autoritas ecclesiæ maior fuit Augustino, quam euangelij: dabitur. Sed non sequitur: ergo in se maior est autoritas ecclesiæ, autoritate euangelij. Etiam nunc Papistis permultis maior est autoritas ecclesiæ Romanæ & Papæ, quàm autoritas Christi & euangelij. Quis non videat? Cum illis sit maxima religio vel minimum præceptum Papæ violare, mandata autem christi non curent, & quotidie contemnant. Sed hoc nihil ad quæstionẽ nostram. Quæstio est de autoritate ecclesiæ & scripturæ in se, vtra sit maior: non autem, vtra permultis videatur esse maior. Etiam Turcis videtur maior esse autoritas Mahometis, quam christi: igitur est maior? Errant: videtur enim maior, quia cæci sunt. Ita, si Augustino visa fuit ante cognitum euangelium, maior autoritas ecclesiæ, quàm euangelij: errauit, quia cæcus erat. Et Papistis videtur maior. Quare? quia cæci. De re igitur disputamus: non de opinionibus hominum.

Denique sentire & dicere, authoritatem ecclesiæ maiorem esse autoritate Scripturæ, quæ est verbum Dei: nil aliud est, quam dicere, homines esse supra Deum. Quanta autem hæc sit blasphemia, quisque cogitet. Declarant hac doctrina Papistæ, se veros esse Antichristos. Antichristi enim proprium est, vt sese efferat supra omne, quod dicitur Deus, vt ait Paulus 2. Thes. 2. Et nũc editis etiam carminibus impudenter hoc de Papa prædicant eum esse tanquam Deum, nec Papa damnat. Est enim impressa Romæ imago huius Antichristi, vbi oracula, quæ de Deo, & de Messia christo sunt apud Prophetas, Papæ attribuuntur: & deinde præter alia sunt ibi hi versus:

Angelicum soluit nomen pius ipse Michael:
Nam tanquam Deus est, qui ante Michaël erat.

DE AVTORITATE ECCLESIÆ CIRCA VERBVM DEI: QVATENVS autoritas significat potestatem, dominium & ius in aliquem.

QVÆSTIO.

Vtrum autoritas Scripturæ pendeat ab autoritate Ecclesiæ: ac proinde, An maior sit autoritas Ecclesiæ, autoritate Scripturæ, necne, an potiùs contrà.

Vt hæc intelligatur, necesse est vt videamus, quænam sit autoritas seu ius Scripturæ in ecclesiam: & quænã ecclesiæ circa Scripturam: ac speciatim, An ecclesia habeat aliquod ius in Scripturam, mutandi aliquid, dispensandi, addendi, minuẽdi, &c. Nam hoc est præcipuum, quod Papistæ contendunt, & cuius causa tota quæstio de autoritate scripturæ & ecclesiæ excitata fuit tempore concilij constantiensis & Basiliensis.

Autoritas & ius scripturæ in ecclesiam, tam multiplex & tam magnum est, vt neque enumerari, neque explicari queat. Ius enim Scripturæ, est ius Dei. Quid autem iuris & potestatis non habet Deus in ecclesiam, & singulos homines? Dicam tamen quædam, sed breuiter.

1. Scriptura ius habet in Ecclesiam, eam docendi, admonendi, ei consulendi. Ideò dicit 2. Timoth. 3. datam esse πρὸς διδασκαλίαν. Hoc certè non habet Ecclesia in Scripturam. Non est enim Ecclesiæ, corrigere Scripturam, docere, emẽdare, sed ei subesse, vt discipulum Magistro.

2. Præcipiendi, obligandi conscientias, damnandi, etiam transgressores. Ioh. 12. *Sermo meus, quem audiuistis, ipse condemnabit vos, &c.* In summa, omnia agendi, quæ in Scripturis agit Deus nobiscum. Hoc non habet Ecclesia, neq; in Scripturam, neque in vllum hominem. Nõ est. n Ecclesiæ iubere Scripturę, neque etiam eius præcepta moderari: sed ei parere, & in omnib. obsequentẽ esse. Vnde verò hãc, & omnem aliam habet Scriptura potestatem? ab Ecclesia ne? Minimè, sed à Deo, à quo est. 2. Timoth. 3. 2. Pet 1. Quę verò & quotuplex est autoritas Ecclesiæ circa Scripturam sanctam? Triplex præcipua.

Prima facultas est cognoscendi & discernendi Scripturã sanctã, à non sancta: Canonicã, à non Canonica. Quomodo? Tum omnes ad Canonem Mosaicum examinando: tũ etiam Spiritus discernendo & iudicando: atque ita aliis hoc significandi, & vt tales pro Canonicis accipiant, alios reiiciant, pręcipiendi, Ioh. 10. *Oues Pastorem sequuntur, quia nouerunt vocem eius.* 1. Thess. 5. *Omnia probate, quod bonum est, tenete.* 1. Ioh. 4. *Probate Spiritus, vtrum ex Deo sint.* 1. Cor. 12. Inter alia dona concessa Ecclesiæ, est etiam facultas discernendi Spiritus Dicit enim Apostolus, *Alij datur discretio Spirituum.*

Secunda facultas est interpretandi, sed iuxta Scripturas, & ex analogia fidei. Rom. 12. *Siue Prophetiam* (quis habeat) *iuxta analogiam fidei*, (scilicet eam exerceat.) 1. Corint 12. Inter alia dona Ecclesiæ tradita, est etiam donũ interpretandi, quod vocat Prophetare. *Alij datur Prophetia*, id est, donum interpretandi Scripturas, ait Ambrosius. Ephes. 4. *Alios dedit Doctores, &c.*

Tertia facultas, est facultas & autoritas prædicandi & publicandi Scripturas, & iuxta eas, docendi populos. Mat. 28. *Euntes in orbem vniuersum, prædicate Euangelium.* Ideò Apostoli præcones appellantur: quia Ecclesiæ est prædicare & publicare Euangelium Dei, Ephes. 4. *Alios dedit Pastores.*

Ex iis verò Scripturæ locis, quos attulimus de triplici iure ecclesiæ, nempe iudicandi de doctrinis & Scripturis: interpretandi: & prædicandi: hæ negatiuæ propositiones colligendæ & notandæ sunt.

Prima, Circa ius iudicandi de doctrinis: Illud non est restrictum penes Pontif. Romanum, aut ad vllum aliud hominum genus.

Apostolus enim docet, hoc donum distribui fidelib. promiscuè prout visum fuerit Spiritui S. Ait enim: *Alij datur discretio Spirituum.* Et mox: *Hæc autẽ omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.*

Secunda: Deinde non debet Ecclesia neç potest iudicare de doctrinis, nisi iuxta Canonem scripturarum Propheticarum & Apostolicarum: non iuxta Pontificum, Patrum, & Conciliorum decreta: nisi quatenus confirmata sunt testimoniis Scripturarum. Psal. 118. *Lucerna pedib. meis verbum tuum.* 2. Pet. 1. *Habemus firmum Propheticum sermonem, &c.* Idẽ sentiunt Patres omnes: omnia ad Scripturam examinãda esse: & ita de illis faciendum iudicium, ex Scripturis. Augustinus Tom. 7. contra Cresconium. li 2. c. 31. *Nos nullam facimus Cypriano iniuriam, cũ eius quaslibet literas, à Canonica diuinarum Scripturarum autoritate distinguimus. Neque enim sine causa, tam salubri vigilantia constitutus est Canon Ecclesiasticus, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertineant, quos omnino iudicare non audeamus: & secundum quos de cæteris vel fidelium vel infidelium liberè iudicemus.* Habet igitur Ecclesia ius iudicandi de doctrinis, sed non nisi iuxta scripturarum sanctarum Canonem.

Tertia: Circa ius interpretandi scripturas. Ius interpretandi scripturas minimè ad solum Pontificem Romanũ, & quos ipse ad hoc destinauerit, pertinet: sed ad omnes illos quibus Deus donum hoc largitus fuerit. Nam Apostolus ait 1. Corinth. 12. *Alij datur interpretatio sermonum:* item: *Alij Prophetię*, id est, donum scripturas interpretandi. *Et hæc omnia operatur vnus atq; idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.*

Quarta: Ecclesiæ etiam ipsi sanctæ, & quicunque hoc habent donum aut officium, nequaquam licet scripturas pro suo capite interpretari: sed omnem scripturarum interpretationem debet ex ἀναλογίᾳ fidei, & ex ipsis scripturis colligere. sic enim ait Roman. 12. *Qui Prophetiam*, (hoc est, munus & donum interpretandi scripturas) *iuxta analogiam fidei*, scilicet eam exerceat. Quare si pugnet cum aliis perspicuis scripturis, aut cum analogia fidei; omnis illa interpretatio reiicienda: vt infinitæ sunt in Papatu, & illa crassa verborum Cœnæ Domini, de carnali præsentia, & de vbiquitate.

Quinta: Quod autẽ attinet ad tertiũ ius, quod est prædicãdi & publicãdi hanc scripturam: primùm, hoc ius nõ restrinxit Dominus ad Papã, vt ille solus possit mittere quos velit: sed toti Ecclesiæ concessum, vt ipsa eligat, quos ad hoc viderit esse idoneos. Act. 14. 2. Corinth. 8 Deinde, ita etiam hoc est concessum ius, vt tamen non liceat quiduis prædicare, sed tantum hanc scripturam. Matth. 28 Gal. 1.

Hinc facilè liquet, quid ad quæstionem responderi debeat, qua quęritur, An Ecclesia habeat autoritatem aliquid in scripturis immutandi, addendi, remouendi, dispensãdi.

Sunt inter Papistas nõ pauci, qui asserãt: sed adulatores.

PROPOSITIO.

Ecclesia nullum habet ius in Scripturam, addendi, detrahendi, mutandi.

Confirmatio.

1. Hæc temeritas prohibetur Ecclesiæ, Deut. 4. *Non addetis super verbum, quod Ego præcipio vobis, neque minuetis ex eo.* Idem cap. 5 *Non recedetis ad dextram, neque ad sinistram*, id est, nihil mutabis, aut alterabis. Idem 12. ca. Gal. 1. *si quis prædicauerit Euangelium, &c.* Gal. 3. *Hominis testamentum si sit comprobatum, nemo reiicit, aut addit aliquid*, hoc est, non licet addere. Ita lex Mosis, à Deo tradita, non facit irritum nec alterat Testamentum à Deo comprobatũ erga Christum. Quantò minus igitur potest aut debet Ecclesia abrogare aut alterare sacram scripturam, vtrumque Testamentum, antea à Deo editum, scriptum & comprobatum, & sanguine Christi confirmatum?

2. Iubet etiam Dominus, vt in omnibus rebus dubiis veritas petatur non ab ecclesia, sine Scripturis, sed è scripturis ipsis. Ies. 8. *ad Legem & testimonium.* Deut. 13. iubet, ne audiamus Prophetam quempiam qui aliquid diuersum à sacra scriptura doceat, etiamsi prædicat verè futura, & edat miracula, imò vt ille lapidib. obruatur. Quare? Quia tentatur Dominus eos, qui in sua scriptura sancta quippiam mutant. Ideò iubet, dicens: *Incedite post Dominum Deum vestrum: Deum timete: illius præcepta custodite: illius vocem audite.*

Ex iis scripturarum locis luculenter apparet neq; ecclesiæ, neque vlli hominum licere, quippiam in sacris Literis alterare, mutare, dispensare: sed contra velle Dominũ, vt omnia ad scripturas examinentur, tanquam ad lapidem lydium: & quæcunq; vel pugnant cum eis, vel diuersa sunt, ea reiiciantur.

3. Sic sentiunt etiam Patres omnes, tam Græci, quàm Latini, vt in ipsorum libris abundè videre est: & Ego aliàs permultas adferã ipsorum autoritates, ex Tertulliano, Irenæo, Cypriano, Origene, Chrysostomo, Basilio, Hieronymo, Augustino, Ambrosio, imò & ex Decretis, distin. 8. & 9. & aliis, cùm agemus de perfectione scripturarũ. In præsentia sufficiat notasse quædã loca. Chrysost in Mat. expositionem omnis iudicij de Ecclesia & rebus Ecclesiasticis. August. Tom. 2. Epist. 166. Idem Epist. 3. Item epist. 19. & citatur in decretis dist c. *Ergo solis.*

4. A simili Notarij: Annõ Notarij autoritatem habent scribendi Testamenta, conseruandi, testificãdi, publicandi, explicandi: nunquid igitur & alterandi? Et Præco autoritatem habet edicta Principis publicandi, & de illis testificandi? Minimè. Idem dicendum omnino est de autoritate Ecclesiæ circa Scripturas.

Ex huius quæstionis explicatione colligitur responsio ad quæstionem qua speciatim quęritur etiam apud Scholasticos, id est, Sophistas Doctores: An Papa, imò & tota Ecclesia, autoritatem habeat, nouum fidei articulum condendi.

Respondeo his duabus propositionibus.

PROPOSITIO I.

Nemo in Ecclesia, imò neque tota Ecclesia ius & authoritatem habet, nouum dogma, ad fidem pertinens, statuẽdi.

Confirmatio.

Liquet hoc ex iis, quæ supra à no bis dicta sunt, præsertim ex loco Deuter. *Non addas, &c.* sed iis etiam testimoniis & argumentis confirmatur.

I. Ro. 10. *Fides ex auditu: auditus autem per verbum Christi.* Hinc colligimus, fidem, sicut ex solo Dei verbo concipitur

cipitur opera Spiritus S. ita etiam eo solo posse & debere, non autem vlla hominum authoritate niti. Pugnat igitur cum natura fidei, vt vllum fidei dogma ab hominibus statuatur sine verbo Dei.

2. Pugnat etiam cum perfectione Scripturarum. Scriptura tradit omnia, quæ ad fidem nostram pertinent, vt aliàs ostēdemus ex hoc Pauli contextu ad Timoth. Ergo nullum præterea fidei dogma tradi ab hominibus potest.

3. Illud dogma, vel erit cum Scripturis consentaneum, vel dissentaneum. Si consentaneum: non erit igitur ab hominibus, sed ex Dei verbo collectum: quare nō erit nouū. Si dissentaneum, Scriptura prohibet illud admitti, vt ex Scripturis allatis liquet. Gal. 1. 1. Timoth. 1.

4. 2. Corin. 1. *Non dominamur vestræ fidei: sed adiutores sumus gaudij vestri.* Nemini igitur licet dominari alienis cōscientiis, nouis fidei dogmatibus.

5. Patres omnes nobiscum sentiunt: imò & præcipui Scholastici. Tomas 2. secundæ, quę 1. articulo. 10. Gab. Biel in magist. sententiarum, lib. 3. distinct. 25. dubio 3. Guil. Ocham. dial. part. 1. lib. 2. cap. 12. Alfonsus de Castro, ibi. ca. 8.

Propositio II.

Habet verò Ecclesia autoritatem, ita Scripturas per Scripturas, & iuxta analogiam fidei interpretandi, vt si aliquod dogma sibi sit apertum, quod tamen antea non ita fuerit ab omnibus obseruatum: illud possit explicare & definire, & omnibus tanquam veram & certam Dei doctrinam, ad credendum proponere.

Explicatio & probatio.

Sic fecit Christus & Apostoli. Doctrinam de iustificatione per solam fidem, quæ omnino aperta erat in libris Mosaicis & Prophetis, sed suo tempore omnib. ferè incognita, explicarunt, & in Scripturis contineri demonstrarunt, eámque omnino esse recipiendam & credendam, definierunt. Hoc idem hoc tempore factum. Hanc authoritatem libenter concedimus ecclesiæ. Cæterùm hinc colligi non potest, ei licere nouum fidei dogma constituere. Hæc quia perspicua sunt, non opus habent alia confirmatione.

Liquet igitur ex iis: 1. Quæ & quanta sit autoritas Scripturæ in ecclesiam: & quæ sit Ecclesiæ, non super, sed circa Scripturam: & quòd hanc ab ipsa etiam habeat Scriptura.

2. Ecclesiam enim nullam habere autoritatem in Scripturam, aliquid in illa mutandi, addendi, detrahendi.

3. Ac proinde Scripturæ authoritatem longè maiorem esse autoritate Ecclesiæ.

Sed iam ad quædam Papistarum argumenta respondendum est.

Primum: Apostoli (inquiunt) multa instituerūt: alia mutarunt, & alterarunt.

Exempla.

Act. 15. decretum faciunt de rebus nouis, & pugnans cū libertate Christiana: illudque Gentibus imponūt tāquam necessarium. Annon abrogata erat Lex? Cur ergo Gentibus mandant, vt abstineant à suffocato & sanguine? Nam de fornicatione & idolothytis nolumus altercari, fatemur ea fuisse à verbo Dei vetita. Sed præceptum de aliis duob. constat fuisse contra libertatem Christianam, ideoq; contra Scripturam: & tamen probatur, quia factum ab Ecclesia.

Ergo Ecclesia habet autoritatem aliquid etiam contra verbum Dei statuendi, si viderit illud expedire.

Item, Matth. 28. Præceptū habuerunt à Christo, vt baptizarent in nomine Patris, Filij, & Spiritus S. ipsi verò sæpè baptizabant in nomine tantum Christi, omissa baptizandi forma, quam a Christo acceperant.

Item, Diem Sabbathi, quo iubebantur omnes feriari, & vacare cultui diuino, mutarunt ipsi in diem Dominicum, vel, si non ipsi, saltem ecclesia posterior: id quod tamen nemo improbat. Licet igitur Ecclesiæ mutare in Scripturis, quod iudicauerit esse mutandum.

Respond. primum ad Antecedēs, negamus tanquam blasphemum totum antecedens: & ratio, cur negemus est: quia Apostoli quicquid egerunt in iis, de quibus posteà subduntur testimonia: egerunt ex Spiritu sancto, vt ostendemus, & omnes fatentur. Spiritus autem sanctus nihil statuit, quod cum suo pugnet verbo. Non enim sibi ipse est contrarius. Meritò igitur negamus Antecedēs, vt blasphemum in Spiritum sanctū. Quare loci qui subiiciuntur probationis loco, explicandi sunt iuxta veram intelligentiam.

I. Primus est in Act. 15. de mādato, vt abstineant Gentes à suffocato & sanguine. Primò hic est fallacia non causæ, vt causæ. Mandatum enim illud, non fuit propriè factum ab Apostolis, sed à Spiritu sancto. Hic enim illius fuit primarius autor. Liquet ex verbis: *Visum est* (inquiunt) *Spiritui S. & nobis*. Primum, Spiritui S. Ergo ille primarius autor: Deinde & nobis, tanquam instrumentis, quibus hoc inspirauit & reuelauit. Ergo ille autor, non Apostoli. Nō secus hoc fuit quàm cum etiam idem Spiritus inspirabat Prophetis, & ipsi loquebantur: et sic certè videbatur idem Prophetis, quod antea etiam Spiritui sancto visum fuerat: at hoc est, probabant quod Spiritus sanctus inspirasset. Erātne igitur illius doctrinæ ipsi Prophetę autores? Minimè: sed Deus. Vnde & propriè dicitur verbū Dei. Quod si aliquando vocantur verba Prophetarum, vt Act. 15. hoc ideo fit, vt significetur, per quos tanquam instrumenta Dei facta sint illa verba. Ita igitur quod dicitur statutum fuisse ab Apostolis: hoc dicitur tanquam de amanuensibus Spiritus sancti, sed Spiritus sanctus anthor fuit illius decreti.

Secundo, Quod verò non pugnauerit cum verbo Dei, inde liquet: quia non imponūt hoc præceptum per se necessarium: sed tanquam vtile, tollendi scilicet scandali & offensionis, & contentionis gratia. Nam multi inter Iudęos infirmi nimium offendebantur, quod viderent, Gentes nihil seruare ex ceremoniis Mosis. Verbum autem Dei tantum abest, vt hoc prohibeat, vt potius iubeat: nempe, vt in reb. adiaphoris nos geramus ex præcepto charitatis: vt si propter illarum vsum frater offenditur, ab illis abstineas. Sic docuerunt Prophetæ, sic Christus: sic posteà etiam Apostoli. Ita hoc præceptum charitatis, non est nouum, sed vetus, vt ait Iohannes, 1. Ioh. c. 2. Ergo non pugnauit cū verbo Dei, sed fuit consentaneum.

At illud vocant Apostoli necessarium.

Respond. Duplex est necessitas, per se, & ex accidenti. Non primo modo, sed secundo fuit hoc præceptum necessarium, ad tollendum scilicet scandalum, id est, propter charitatem.

Tertiò: Neque Christus ita abrogauit legem Mosis, vt nullo modo possent amplius seruari illa præcepta, si charitas postularet: sed ita, vt non amplius seruarentur tanquā simpliciter & per se necessaria. Liquet vtrumq; Apost. Paulus circumcidit Timotheū Act. 16. quia hoc charitas postulabat. Non fuit igitur sublata lex de Circumcisione, vt nullo modo posset obseruari. Deinde non passus fuit circūcidi Titum, quia volebant illum cogere ad circumcisionē tanquam rem necessariam, sine qua non posset seruari.

Fuit igitur abrogata, vt non amplius esset necessaria, sicut ante, semper, & per se. Quare, si Spiritus S. per Apostolos iussit ad tempus, vt gentes abstinerent à sanguine & suffocato, idque nullam aliam ob causam, nisi propter charitatem: sed nil statuit contra Christum, sed cum Christo.

II. Secundus locus est Act. 2. 8. 10. 19. Baptizarunt in nomine Christi, contra mandatum Christi. Matth. 28.

Respondent, *Primò* Patres: etsi baptizarunt in nomine Christi, non sequitur, eos non baptizasse in nomen Patris & Spiritus S. Prima ratio: cum ij tres vnum sint: Secunda ratio. Et in nomine Christi, quod significat vnctum, necessariò intelligantur Pater, qui vnxit: Filius, qui vnctus est: & Spiritus sanctus, quo vnctus est. Tertia ratio: Et Christus ait, *Qui credit in me, non credit in me* (scilicet solum) *sed in eum qui misit me*. Ergo etiam qui baptizabatur in nomine Christi, non in eum solum, sed etiam in Patrem baptizabatur. Quare quoad substantiam, nihil mutārunt in forma baptismi præscripta à Christo. Et hæc responsio Patrum non potest nec debet reiici à Papistis. Sic esset fallacia diuisionis.

Secundò Nostri: Ex his locis non potest concludi, Apostolos non vsurpasse formam à Christo præscriptam. Ratio est: quia cum ita loquitur Lucas, *& iussi sunt baptizari in nomine Christi*. Item, *& baptizati sunt in nomine Christi*: nō significat, Apostolos iis verbis vsos fuisse: Ego te baptizo in nomine Christi. Sed quid voluit significare? Eos qui crediderunt in Christum, & nomen dederunt Christo, obsignatos fuisse baptismate Christi, & Christo consecratos, cui etiam dederunt nomen. Hoc enim idem est, atque baptizare in nomen Christi. Quid est enim baptizare aliquem in nomen alicuius? Est illius nomini aliquem obsignare, cui etiam dedit nomen suum. Sic baptizati in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti omnes nos dicimur, hoc est, obsignati patri, Filio, & Spiritui S. in quos etiā credimus: vt sciamus, nos non esse amplius nostros, neque Diaboli, neque Mundi, sed patris, Filij, & Spiritus sancti:

sicut cùm merces ab aliquo Mercatore emtæ, obsignantur illius sigillo, cuius factæ sunt, vt agnoscantur, non amplius esse illius, à quo emtæ sunt, sed illius, qui emit. Sic quoniã emti sumus sanguine Christi, cùm hoc credimus, & nomẽ damus Christo, professi nos omnino velle esse Christi, & Christo inseruire, quippe qui Christi sumus, & non nostri, neque vllius alius creaturæ: tunc obsignamur Christo, & nomini Christi. Quomodo? intus in animo, sigillo Spiritus sancti: extra in corpore, sigillo, hoc est, aqua Baptismi. Et quia vtraque obsignatio, Baptismus appellatur, vnus interior, alter exterior: idcirco dicimur baptizati, hoc est, obsignari. Cui? Illi, à quo emti, & cuius sumus, Apostolus autem 1. Corinth. 3. ait, Nos esse Christi? Ideò non est mirum, si Lucas dicat, omnes eos, qui nomen dederunt Christo, fuisse baptizatos in nomen Christi: quia idem est, quod obsignatos fuisse Christo, cuius facti erant, & à quo emti fuerant suo sanguine: sicut ait 1. ad Corinth. 6. *Empti estis pretio magno.*

Cæterùm hinc non potest colligi, Apostolos hac forma vsos fuisse: Ego te baptizo in nomen Christi: non autem illa, in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti. Ego credo Apostolos vti obsequentissimos discipulos, præceptoris sui formam semper retinuisse. Sed aliud est explicare formam Baptismi, qua vsi sunt, quod non facit Lucas: aliud simpliciter narrare vt historicum, quid Apostoli fecerint illis, qui nomen dederant Christo: ait, cos fuisse sigillo etiam Baptismi obsignatos Christo. Quare ex hoc loco colligi non potest, Apostolos mutasse aliquid in Scripturis & præceptis Christi. 3. Alij in nomen Christi, id est, ex mandato & authoritate Christi, Luc. 4. Etiam dici potest, in nomen christi, hoc est professi fidem in christum: sicut etiam 1. cor. 10. *Et in Mosen baptizati sunt*, hoc est, professi fidem & fiduciam in Mosen, seu in ea, quæ Moses pollicitus fuerat nomine Dei, baptizati sunt, hoc est, in Mare se coniecerũt. Ex harum trium nulla colligi potest, eos vsos fuisse hac forma, Ego te baptizo in Christum. Et est fallacia ex ignoratione figuræ dictionis.

III. Tertius locus est de sabbatho Exo. 20.

Respond. Diem sabbathi, in diem Dominicam ab Apostolis per Spiritum sanctum mutatum fuisse, non dubito. Nam huius diei Dominicæ mentio fit in literis Apostolicis. Apoc. 1. *Ego Iohannes fui in spiritu, in Dominico die.* Eodẽ autem die Dominico: id est, feria prima hebdomadis, solitos fuisse Apostolos, & alios christianos conuenire, cœnã administrare, collectas facere, & precibus vacare, audiréque verbum Dei, quæ antea solita erant fieri die sabbathi: liquet ex iis locis.

Act. 20. v. 7. *Primo autẽ die hebdomadæ* (hic est dies Dominicus) *coactis discipulis ad frangendum panem* id est, ad cœnã Domini) *Paulus disserebat eis, &c & protendit sermonem vsque ad mediam noctem.* Græcè est, ἐν τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων: quę locutio significat primam diem, phrasi Hebraica, sicut etiam Genes. 1. *Et factum est mane & vespera, dies vnus*, id est, primus. Sic Matth. 28. cum ait μιᾷ sabbathorum, id est, primo die post Sabbathum: venisse mulieres ad monumẽtum: id quod expressit Marcus, cap. 16. dicendo, *Cùm autem surrexisset Iesus πρωὶ πρώτῃ σαββάτου, apparuit primùm Magdalenæ.* Et in quodam veteri codice additum erat κυριακῇ. Ergo primæ diei nomine Lucas significare voluit, diem quem vocamus Dominicum, quòd eo die Dominus surrexerit. Quare ex hoc loco Actorũ colligimus, die Dominica solitos fuisse discipulos christi conuenire, ad audiendum verbum, & cœnam Domini, celebrandam: hoc est, solitos fuisse vacare cultui diuino, quod præscriptum antea erat die sabbathi.

In priori epist. ad Cor. cap. 16. iubet Paulus, vt primo die septimanæ collectę fiant, quas posteà ipse erat acceptu-rus pro pauperibus, qui erant Hierosolymis.

Ex iis igitur apparet liquidò, diem hunc, qui dicitur Dominicus, destinatum fuisse ab Apostolis, ad cœnam Domini celebrandam, ad audiendum verbum, ad preces, ad collectas, quæ antea solita erant fieri die sabbathi.

Confirmo testimonio etiam Iustini.

Iustinus Martyr in Apolog. secunda ad Antoninum pro Christianis ad calcem, describit, solitos fuisse christianos die Dominico conuenire, audire concionem, sumere cœnam, & facere collectas pro pauperibus, quas collectas Antistes, quę vocat προεστῶτα, posteà distribuebat viduis, ęgrotis, orphanis, peregrinis. Ex iis liquet Apostolos per Spiritum S. vel potius, Spiritum sanctum per Apostolos, festum solennitatemque Sabbathi in diem dominicum transtulisse.

Cæterùm quæ hinc inferunt Papistæ, sunt ἀνάλογα.

Primum, Ergo Apostoli aliquid mutarunt in verbo Dei seu in Scripturis. Quare si hoc licuit Apostolis. 2. Ergo licet etiam Ecclesię aliquid in Scripturis immutare.

Respond. ad primam consequentiam: fallacia est accidentis: Argumentamur enim ab accidenti ad substantiam. Præceptum enim de sabbatho sanctificando, habet suam substãtiam, & suum accidens. Substantia fuit, vt semel in septimana populus vniuersus, a laboribus, negotiis, occupationibus huius seculi feriaretur, & totus cultui vacaret diuino, audiendis concionibus, habendis precibus, percipiendis sacramentis, faciendis collectis in vsum pauperum. Hæc erat ceu substantia præcepti, quod ad externam diei sabbathi sanctificationem attinet. Nam suberat etiam alia substantia, nempe interna requies a peccatis, & spiritualis sanctificatio, de qua ad Hebræos. Tanquã accidens verò fuit ille certus dies totius septimanæ postremus, qui sabbathũ dicitur: id quod etiam ex verbis Domini liquet: *Sex diebus* (inquit) *operaberis, & omnia negotia tua conficies: septimo autem die sabbathum Domini est*, hoc est, quiescendum est ab operibus & negotiis sæculi, vt totus vaces Domino. Hoc fuit ceu substantia præcepti: & quod ad hanc substantiam attinet, voluit Dominus præceptũ hoc esse perpetuum. Sed quod talis dies debuerit Iudæis esse septimus, & ille sanctificãdus: ceu accidens fuit: & quod ad hoc attinet, præceptum illud ceremoniale & politicum fuit: ac proinde vsque ad Christũ locum habiturum: deinde cum reliquis ceremoniis finem accepturum. Ergo si spectemus substantiam præcepti: Apostoli nihil immutarunt. Manet enim adhuc dies vnus in septimana, quo feriantur omnes ab operib. & negotiis huius sæculi, & vacant cultui diuino. Sed si spectes accidens: damus, illud esse mutatum. Sed hoc non pugnat cum voluntate Dei in præcepto de Sabbatho. Nã quicquid fuit ceremoniale, illud post Christũ, liberum mansit Ecclesiæ, idque ex voluntate Dei.

Neq. verò sine causa, diem sabbathi, quod ad suum attinet accidens, mutarunt in alium diem. Nam vtile erat Ecclesiæ, vt hac libertate vterentur Apostoli, quo vniuersis patefieret Messiam aduenisse, eoque ceremoniis omnibus finem esse impositum.

Lex enim vsque ad Christum: & illa ceremonia vsque ad tempus correctionis imposita, Hebr. 9. 10 Hac de causa etiã Paulus Colos. 2. monet fideles, vt hanc dierum libertatem retineant, nec sinant se in seruitutem Mosaicæ legis de sabbathis redigi, cum ait, *Nemo vos iudicet in cibo & potu, ac parte festi aut sabbathorum.* Ergo propter hanc libertatem christianis asserendam, vtile fuit mutare sabbathũ. Quòd verò non in aliũ, sed in diem proximè insequentem sabbathum, qui Solis apud Gentes, & fit primus Iudæis & Dominicus christianis dicitur, mutarint, duplicem adfert Iustinus in Apologia ad Antoninum, causam: primam, quòd eo die Deus creauit Mundum per verbum suum, per quod verbum postea etiam eundem redemit Mundum. Ergo idem finis manet in obseruatione diei Dominici, qui in sabbathi. Ibi præter alios fines etiam fuit, vt recordarentur creati Mundi à Deo per verbum, & eorum quæ post conditum illum contigerunt, vt quietis Domini, &c. Ita hic, vt scilicet recordemur, Mũdum à Deo fuisse conditum, per verbum, hoc est, Filium suum. Alteram, quòd hoc die christus resurrexit à mortuis, atq. ita triumphauit de morte, inferno, Sathana: atq; ita fides de nostra redẽptione per christum, obseruatione huius diei, in nobis excitetur & refricetur.

Ex iis igitur perspicuum est, Apostolos nihil in substantia huius præcepti mutasse: Deinde, quod mutarunt, illud etiam fuisse factum ex voluntate Dei: postremò, ex vtilitate Ecclesiæ, cuius ædificationi omnes debeant seruire ceremoniæ.

Ad secundam: Quod verò sic inferunt, idem licere Ecclesiæ.

Resp. primum. Cui Ecclesiæ? Papisticæ? nisi redeat ad obedientiã verbi, vt ei subiecta maneat: nihil habet autoritatis. Non est enim vera Ecclesia, vt ex Augustino contra Epistolam Paphnutij, cap. 4. colligi potest, quia discordat à capite Christo. Ecclesia verò nouit, quæ sunt à Spiritu S. tradita & firmata, nemini licere ea violare aut immutare. Deinde, dico licere eo modo, quo & Apostolis licuit: primò, si regantur à Spiritu S. ita vt non ipsa Ecclesia, sed Spiritus S. autor sit illorum decretorum. *Secundò*, si nihil immutent, nisi quod verbum Domini doceat esse immutandum: nihil statuant, quod cum verbo Domini pugnet. Sic enim & Apostoli fecerunt. *Tertiò*, si in rebus adiaphoris, iuxta legem charitatis omnia agant.

Secundum Argumentum. Ecclesia mutauit, quæ à Spiritu sancto & ab Apostolis fuerunt constituta, vt lex de absti-nen-

nendo à sanguine & suffocato. Ergo etiam nunc licet.

Respond. Negatur Antecedens: Nihil enim immutauit, quod Spiritus S. voluit cum Apostolis immutari. Nam preceptum illud de abstinendo à sanguine & suffocato, Spiritus S. & Apostoli constituerunt vt ad certum tantum tempus obseruaretur: deinde non amplius, nempe tantisper dũ periculum erat, ne Iudæi ex illius transgressione offenderentur. Quare non valet consequẽtia ab isto decreto temporario, ad alia æterna, & quæ Deus vult perpetuò obseruari. Est igitur fallacia ab eo, quod est ex accidenti ad id quod est per se: & ab eo, quod est simpliciter, & semper seruandum, ad id, quod propter aliud, & ad tempus.

QVÆSTIO IV.

De iis, quibus γραφὴ θεόπνευστος fuit inspirata.

Ex iis, quæ de scripturis dixit Apostolus, nempe, πᾶσα γραφὴ θεόπνευστός ἐστι, vidimus *primùm*, quænam sint hæ scripturę θεόπνευστοι. atque ita egimus de libris Canonicis & Apocryphis. *Secundò*, quib. mediis agnoscere quis certò possit, quæ sint θεόπνευστα, & quæ minus: An sufficiat autoritas & testimonium Ecclesię, necne. Conclusum fuit, in summa opus esse eodem spiritu ad hoc cognoscẽdum, quo etiam fuerunt inspiratæ. *Tertiò*, cùm hæc scriptura sit θεόπνευστος, & ideò magnæ autoritatis: & ipsa etiam Ecclesia, quę huic dedit testimonium, non paruæ sit autoritatis, proposita fuit quæstio de autoritate scripturæ, & Ecclesiæ. Conclusum fuit, quicquid habet Ecclesia dignitatis, aut etiam authoritatis & potestatis, totum hoc illam habere à sacra scriptura, non autem contrà. Longè igitur maiorem esse scripturæ authoritatem, autoritate Ecclesiæ.

Nunc igitur methodus docendi postulat, vt videamus, *quibusnam fuerit hæc Scriptura inspirata*. Nam si fuit à Deo inspirata: fuit certè aut alicui, aut aliquibus inspirata. Quęstio hæc breuis est & facilis, & ferè nihil habet cõtrouersię. Sic igitur breuiter respondeo iis propositionibus.

PROPOSITIO I.

Scriptura, quod ad summam substantiæ attinet: non primum Mosi, sed longè ante Mosen, iam inde ab initio orbis conditi, Adæ primùm, & deinde aliis multis Patribus, inspirata & reuelata fuit.

Explicatio.

Cum dico, multis, eos intelligo, quibus apparuit Dominus: vt Nohæ, vt Abrahæ, vt Isaaco & Iacobo: inspirata & reuelata fuit.

Confirmatio.

Nam Ecclesia iam inde ab initio Mundi habuit semper penes se verbum Dei (sine quo Ecclesia esse non potest) idque partim inspiratum à Deo & reuelatum: partim per Patrum traditionem, ad Mosen vsque continuatum & cõseruatum in Ecclesia, verum ἄγραφον. Illud autem verbum ἄγραφον idem fuit in substãtia, cum ea salutis doctrina, quã nunc habemus in sacris Literis: id quod nemo inficiatur. Scriptura igitur sacra, quod ad suam attinet substantiam, hoc est, quatenus doctrina est cœlestis & diuina, non fuit primum inspirata & reuelata Moysi: sed iam inde à condito orbe, aliis Patribus.

PROPOSITIO II.

Scriptura verò sacra, non solum quatenus doctrina est cœlestis, sed etiam quatenus est scriptura, inspirata fuit primum Moysi: deinde aliis Prophetis: postremò Apostolis.

Confirmatio.

Primus enim, qui cœlestem doctrinam literis commiserit & scripserit, fuit Moyses. Nam quod quidam scribunt *de libro Enochi*: illud nihil habet firmitudinis. Etenim, etiamsi libentissimè concedam, epistolam Iudæ, epistolam esse θεόπνευστον, tamen inde colligi nequit, ab Enocho quippiam fuisse conscriptum, & posteritati relictum. Nõ enim sit ibi mentio libri aut scripti cuiuspiam: sed tantum habet hæc verba Iudas: προεφήτευσε δὲ καὶ τούτοις ἕβδομος ἀπὸ Ἀδὰμ Ἐνὼχ λέγων, &c. Annon potuit hæc prophetasse sine scripto? At propria verba recitat Enochi: vnde hæc potuit habere, nisi ex libro Enochi?

Respond. Non hoc consequitur. Nam potuit illud habere ex traditione: ita vt illud Enochi dictum fuerit in omnium ore. Aut fortè, quod per traditionẽ in Ecclesia multos durauerat annos & secula, illud ab aliquo deinde alio fuit in chartas relatum. Ex hoc igitur loco Iudæ nil certi potest cõcludi de libro Enochi. Quare stat sentẽtia Mosi, primum ita fuisse scripturam, id est, doctrinam Dei inspiratam: vt ipse prior eam quoque scriptis commẽdarit. Cõfirmatur hæc sententia, primum testimonio Christi. Nam cum citat scripturas, primum semper locum dat Mosi: Et quidem Lucæ 24. cùm de industria, & ex professo vellet scripturis omnibus probare, *oportuisse Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Incipit à Mose, deinde à Prophetis: & ita interpretabatur illu* (inquit Lucas) *in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.* Certè si quid etiam ante Mosen fuisset de se scriptum: non illud omisisset.

Secundò, testimonio Hebræorum omnium, qui nullam antiquiorem Mose scriptorem agnoscunt.

Tertiò, testimonio omnium Patrum. Singulorum testimonia nõ recito, quia res foret nimis prolixa, deinde inutilis, sed legatur Iustinus Martyr ἐν τῷ λόγῳ παραινετικῷ πρὸς Ἕλληνας, pag. 14. Ibi ex ipsis etiam profanis scriptoribus demonstrat, Mosen fuisse omnium scriptorum, tam Philosophorum, quam Poetarum, & legislatorum antiquissimum. Imò etiam euidentissimè ostendit, quicquid boni de Deo, rebusque diuinis scriptum reliquerunt Orpheus, Homerus, Solõ, Pythagoras, Plato, & alij Græci: totum illud eos sumsisse ex libris Mosis: præsertim postea quam in Græcam linguam versi fuerunt. Eadem post Iustinum scripta reliquit Eusebius Cæsariensis in Libro excellentissimo, cui titulum fecit προπαρασκευὴ εὐαγγελική, lib. 10. cap. 2. & 3. Item Tertullianus in Apologetico, c. 19. Ergo citra omnem controuersiam Moses non solum primus fuit, cui Deus suam doctrinam ita inspirauit, vt etiam dictante Spiritu S. conscripserit: verum etiam omnium aliorum, inter Græcos scriptorum, antiquissimus. Quare sacra scriptura omnium est librorum antiquissima.

Catalogus autem scriptorum huiusce γραφῆς θεοπνεύστου, & quæ quisque lingua scripserit: hic est.

I. *Moses* scripsit libros quinque, quos etiam πεντάτευχον Græci vocarunt, à numero. Scripsit autem Hebraica lingua, & quidem cum esset in deserto ductor populi: Excipiũtur postremi versus in fine Deuteronomij: vbi de morte Mosis sermo est. Nam hos non potuit scribere Moses, sed Iosua scripsisse creditur.

II. *Iobus Idumæus* scripsit librum, cui suum præfixit nomen. Scripsit autem partim Hebraicè, partim Arabicè, partim Syriacè, vt Hieronymus testatur in Iobum. Quanquã non desint inter Hebræos, qui velint, huius etiam libri autorem & scriptorem fuisse *Mosen*.

III. *Eleazarus*, Aaronis filius, & perpetuus comes Iosuę, creditur fuisse scriptor libri Iosuæ. Quanquam plerique omnes velint, *Iosuam* ipsum eum librum scripsisse, sicut & Moses suos.

IV. *Samuel* Propheta & Rector populi, scripsit primò librum, qui Iudicum dicitur: vt tradunt Hebræi) lingua Hebraica. Sunt tamen qui velint, Iudices ipsos, sui quemq; temporis res gestas conscripsisse: à Samuele verò, omnia illa Iudicum monumenta, in vnum tandem volumen fuisse redacta. *Secundò*, scripsit librum *Ruth*, de omnium Hebræorũ sententia. *Tertiò*, scripsit librum primum, qui *Samuelis* inscribitur apud Hebræos, & primus Regum dicitur Latinis, vsque ad 25 caput, vbi ipsius mors describitur. Reliqua capita, & totus secundus liber, creditur à *Dauide* Rege fuisse conscriptus.

V. Reliqui duo libri, *qui Melachim* seu Regum appellantur, partim à Dauide, partim à Solomone, partim ab aliis Prophetis, qui illis vixerunt temporibus, creduntur fuisse scripti: ita vt quisque illorum, res suo tempore gestas monumentis mandarit, à Spiritu sancto afflati.

Dauid suos scripsit Psalmos, Hebraicè, quos Hebręi vocant *Tehilim*. Qui ipsius non sunt: ab aliis quorum inscripta sunt nomina, Spiritu itidem Dei afflatis compositi & conscripti fuerunt: sed postea ab Esdra omnes in vnum volumen redacti sunt.

VI. *Salomon*, Dauidis filius, scripsit Prouerbia *Mischli*: Ecclesiasten, quem vocant *Cohelet*, & *Schir Haschirim*, id est, Canticum Canticorum.

VII. *Esdras* sacerdos, scripsit primum & secundũ: quorum primus Esdræ: alter *Nehemiæ* dicitur, quòd gesta Nehemiæ cũ primis contineat. Scripsisse etiã creditur (quanquam nil certi) duos libros, qui ab Hebręis vocãtur *Dibre Haiomim*: hoc est, verba dierum: id est, Diaria: & à Græcis παραλειπο-

μένων, hoc est, derelictorum: quòd ea complectuntur, quę in libris Regum derelicta sunt. Ideo in Hebraicis Bibliis collocantur post duos libros Esdræ, quod credantur ab ipso fuisse conscripti, vel saltem in ordinem redacti.

VIII. *Mardochæus* Iudæus, vir nobilis, & generosus, scripsit librum, qui dicitur *Hester*. Sic Kimehi, & alij.

IX. *Iesaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel. Duodecim minores Prophetæ*, suam quisque scripsit Prophetiam. Summam enim suarum concionum notabant: deinde à piis Regibus curatum, vt in certa redigerētur volumina. Sic etiam scribit Iustinus Martyr, in altera pro Christianis apologia ad Antoninū Imperatorem, p. 146. v. 13. Ἄνθρωποι οὖν τινες ἐν Ἰουδαίοις ἐγένοντο θεοῦ προφῆται, δι' ὧν τὸ προφητικὸν πνεῦμα προεκήρυξε τὰ γενήσεσθαι μέλλοντα, πρὶν ἢ γενέσθαι. Καὶ τούτων οἱ ἐν Ἰουδαίοις κατὰ καιροὺς γενόμενοι βασιλεῖς, τὰς προφητείας ὡς ἐλέχθησαν ὅτε προεφητεύοντο, τῇ ἰδίᾳ αὐτῶν ἑβραΐδι φωνῇ ἐν βιβλίοις ὑπ' αὐτῶν τῶν προφητῶν συντεταγμένας κτώμενοι περιεῖπον.

Hi igitur sunt quibus hæc veteris Testamenti scriptura θεόπνευστος fuit inspirata. Et de iis ait Petrus 2. Pet. 1. *Spiritu sancto inspirati locuti sunt ij Dei homines.*

Quæstio: *At fueruntne plures istis, quibus Deus inspirauerit scripturam θεόπνευστον? Et pluresne iis quos habemus sacri libri?*

Respond. Fuerunt alij & libri θεόπνευστοι, & viri, quibus inspirata fuit scriptura θεόπνευστος de quib. certissima habemus in scripturis testimonia: sed perierunt, pręsertim in tēpli incendio, & vrbis destructione, cùm populus fuit abductus in Babylonem. Qui autem desiderantur, sunt ij:

1. *Liber bellorum Domini*, de quo Num. 21. fit mentio.
2. *Liber iustorum*, de quo Iosuæ, cap. 10.
3. *Liber Nathani*, Prophetæ &
4. *Liber Gad*. prophetæ, de quibus, 1. Paral. 29.
5. *Sermones Abiæ Silonitæ* Prophetæ: &
6. *Visiones Addo videntis*, id est, Prophetæ, quarum mentio fit 2. Paral. 9.
7. Prouerbia multa, & Carmina, à *Salomone* edita & scripta, quæ non extant, & de quibus mentio fit, in Reg. 3. cap. 4.
8. Liber *Salomonis*, de omnibus arboribus, hoc est, de natura arborum & stirpium.
9. Eiusdem liber de quadrupedibus animantibus.
10. Eiusdem de volucribus.
11. Eiusdem de serpentibus.
12. Eiusdem de piscibus: De quibus omnibus Salomonis libris in 3. Reg. cap. 4.

Item ex Patribus hi etiam colliguntur deesse.

1. Liber descriptionum Ieremiæ 2. Machab. 2.
2. Commentarij Nehemiæ.
3. Hymni Dauidis super duo millia. Athanasius in synopsi scripturarum.
4. Ezechielis liber vnus; Iosephus, vt refert Athanasius in synopsi. Duos enim scripsit.
5. Liber historiarum, ab Esaia scriptus: Beda, T. 4. in Esdram, lib. 2, cap. 9.

Cæterùm, etsi ij libri θεόπνευστοι desiderentur: tamen nihil decedit de doctrina ad salutem nostram necessaria. Nam diuina prouidentia tantum seruatum est librorum, quantum satis erat ad cognoscendum Deum, eius voluntatem, Christum, eoque viam salutis.

Atque hæc de illis, quibus scripturá veteris Testamenti inspirata, de qua propriè loquitur Apostolus 2. Tim. 3. satis.

Cæterum de iis, quibus scriptura Noui Testamenti inspirata: & à quibus in literas redacta fuit, facilior & certior est responsio.

I. Extra controuersiam est; Euangelistas omnes sua scripsisse Euangelia, idque afflatos Spiritu S. De actis Lucas ipse testatur.

II. De Epistolis etiam Paulo adscriptis: nemo dubitat quin à Paulo fuerint conscriptæ: si vnam excipias ad Hebræos. Sed nihil etiam est firmæ rationis, firmi ve testimonij, cur non sentiendum sit, fuisse & hanc à Paulo exaratā: cum & Clemēs Alexandrinus, & alij nonnulli antiqui Patres affirment.

III. De Epistolis Canonicis anteà à nobis dictum fuit, quid sentiam: itidem de Apocalypsi. Ego non dubito, omnes hosce libros ab illis fuisse scriptos, quibus etiam adscribuntur, & quidem omnes Græca lingua. Nam quòd de *Euāgelio Matthai & de Epistola ad Hebræos* nōnulli scribunt, Hebraica lingua fuisse scriptos: Ego neminem lego, qui scribat, se hos duos libros, aut saltem alterutrum vidisse Hebraicè scriptos. tantum omnes referunt aliorum sententias, & dicta: vt quòd Euseb. Cæsar. libr. 5. cap. 10. de Euangelio Matth. scribit: ex aliorum sententia & rumore scribit Idem dico de iis, quæ scribit Hieron. Ita de Irenæo lib. 3. cap. 1. Affirmat Matthæum Hebraicè scripsisse: sed nō ait, se vidisse. Neque etiam vllam video rationem, quæ cōcludat.

Quòd enim scribunt quidam, ideò Hebraicè fuisse vtrumque scriptum: quia ad Hebræos scribebatur: nihil est. Nam eadem ratione dicendum fuerit, etiam epistolam Petri fuisse Hebraicis literis scriptam: quia scripta fuit ad Iudæos, qui erant in dispersione Ponti, & Galatiæ, & Cappadocię. Imò contrà retorqueo: Quia Apostoli omnes mandatum habebant à Christo, vt Gentibus omnibus prædicarent Euangelium, & per totum orbem propagarent, verisimilius est, omnes ea lingua suos conscripsisse libros, quæ toti orbi notior esset. Hæc autem tunc temporis fuit Græca. Nihil igitur peccauerimus, si credamus omnes libros Noui Testamenti Græca lingua fuisse conscriptos.

Nunc igitur tenemus etiam de quarta quæstione, quinam illi fuerint, quibus Deus ita hanc scripturam inspirauit, vt eam etiam scripserint. Hinc colligimus, præter hos, alium admittēdum esse neminem, qui dicat, suam doctrinam sibi esse inspiratam à Deo. Nam si fuerit huic θεοπνεύστῳ cōsentanea: nō fuerit ei nuper reuelata, sed è scripturis desumta: si dissentanea: non à Deo, sed à Diabolo sit reuelata, necesse est.

QVÆSTIO V.

De origine & progressu Verbi Dei in Ecclesia.

Hinc verò perspicuum fit, quid ad quintam quęstionem, quæ est de origine, & progressu Verbi Dei in Ecclesia, respondendum sit.

PROPOSITIO.

Hoc verbum ex Dei ore, tanquam ex fonte effluxit, perque mentes, & ora, & manus horum sanctorum virorum, tanquam per Canales, opera Spiritus sancti ad nos vsque deriuatum est, & ad posteros in finem vsque Mundi deriuabitur: Deo scripturas in Ecclesia conseruante: & Ministerium Verbi custodiente.

Confirmatio.

Hoc ita perspicuum est, vt probatione non opus habeat. Est enim scriptura θεόπνευστος: Ergo primùm à Dei ore & Spiritu est. Deinde per homines sanctos, quibus fuit inspirata, ad nos transmissa. Hæc duo consequuntur est necesse ex hac dictione θεόπνευστος.

Accedat & illud 2. Pet. 1. *Prophetia propria interpretatione non fit: sed Spiritu S. inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Item Hebr. 1. *Multifariam multisque modis olim Deus locutus est, nouissimè autem in filio, &c.*

Duraturum verò in ecclesia in finem vsque seculi: inde liquet Matth 28. *Ecce ego vobiscum sum, vsque in consummationem seculi.* 1. Pet. 1. *Verbum autem Domini manet in æternū.* 1. Corinth. 11. *Mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Ergo vsque ad Domini reditum, Ministerium & verbi, & sacramentorum in Ecclesia continuabitur.

2. Thes. 2. De Antichristo ait, *illum à Domino paulatim interfectum iri Spiritu oris sui, donec per illustrem aduentum Christi tandem penitus aboleatur.* In finem igitur vsq. Mundi verbum in Ecclesia seruabitur. Est igitur hæc origo, & progressus verbi Dei in ecclesia diligenter obseruandus: quia multum facit ad fidem nostram fulciendam.

Duo sunt *modi*, quibus Deus verbum suum ad nos misit iam inde ab initio Mundi, & conseruauit & cōseruat in ecclesia, vsque ad finem seculi: Viua vox: & scriptio. Vtrunq; autem per Spiritum sanctū efficax est in electis atq; fidelib.

Ac primum quidem à cōdito orbe vsque ad Mosen, nulla vsus est scriptione in chartis, sed tantum voce & scriptione in cordib. idq; per annos circiter bis mille, & quadringentos, 2400. Per illud enim tempus sine vllo scripto Deus modò per filium λόγον sub specie humanæ formę Patribus apparentem, locutus est: modò per Spiritus S. afflatum, intus tantum in animo loquentis: modo per Angelos è cœlo demissos: modo per ministerium ipsorum etiam hominum. Totum hoc quod dico, etiam vel mediocriter versatis in sacris Literis, perspicuum est.

Filium Dei subinde Patribus in spectro humanæ formæ apparuisse, & familiariter cum illis locutum fuisse, docent scripturæ, & Patres confirmant. 1. Quis enim fuit ille, per quem formatus fuit Adamus: deinde admonitus, ne ederet de pomis illius arboris: & post peccatum fuit obiurgatus, promissione etiam de salute per futurum semen subleuatus? Quis, inquam, ille fuit? Ille λόγος *per quem facta sunt*

sunt omnia (inquit Iohannes) *& sine quo factum est nihil, quod factum est*. Iohan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*: Ergo etiam Adamus huius manibus formatus, & huius ore edoctus, admonitus, reprehensus, confortatus. Idem est, qui paruit Nohæ, Abrahæ, à duobus Angelis comitatus, qui luctatus est cum Iacobo. Idcirco appellatur *Malach*, id est *Angelus*, nempe patris: qui à Patre mittebatur, & per illum loquebatur.

2. Huc facit, quod Hoseæ 12 legimus de hoc Angelo, qui luctatus est cum Iacobo. Quem enim primò vocauit Hoseas v. 4. *Malcach*, id est, *Angelum*: postea vocat v. 5. Iehouā Deum Zebaoth.

Et Patres, præsertim Tertullianus & Irenæus scribunt, Patrem nunquā solitum fuisse cuipiam apparere in aliquo spectro: sed tantum Filium. Ideo vocant Patrem inuisibilem, Filium visibilem: non quidem quod ad essentiam diuinitatis attinet. Est enim Filius tam [illegible] (vt loquitur Apostolus) quàm Pater: sed eo visibilem, quod in spectris ipse apparebat, non Pater. Et addit Irenæus: hoc optimè conuenisse Filio, quia voluit præludio quodam ostendere, quid postea reipsa esset facturus: nempe sumturus humanam carnem, non amplius speciem humanæ carnis, sed veram humanam carnem, idque [illegible].

3. Prouerb. 8. locus est insignis de hac re. Ibi sapiētia Patris quæ est filius Dei, loquitur, & ait primùm *se fuisse cum Patre antequam quicquam conditum esset*: 2. *se cum Patre omnia composuisse & creasse*: 3. *se fuisse & esse omni tempore cum Patre coram eo ludentem, & deliciis fruentem*. 4. *Se etiam in orbe terrarum ludere, & delicias sibi esse cum filiis hominum.* [illegible] igitur & Sapientia Patris, ille est, qui forma humani corporis sumta, ludebat cum Patribus, & hoc erat illi in deliciis, versari scilicet cum hominibus.

1. *Obiect.* At Heb. 1 dicitur: *Olim locutus est in Prophetis, nunc in Filio*. Resp. intelligit de externo omnibus visibili, & ordinario in Ecclesia ministerio. Quare dubium nō est, quin Filius Dei fuerit ille primus, per quem Pater Verbum suum attulit Mundo.

II. De illius spiritu, quòd scilicet per illius etiam afflatū intus in animis loqueretur sanctis Patriarchis & Prophetis: liquet ex 2. Pet. 1. *Spiritu sancto inspirati, locuti sunt Dei homines*. Ergo etiam Patriarchæ, & alij sancti viri.

III. Locutum verò etiam esse per Angelos: historia itidem Geneseos, & Exodi, docet abundè. Nam per Angelos sæpe locutus est cum Abrahamo, & Lotho, & Iacobo. Gal. 3. ait, per Angelos datam fuisse legem.

IV. Per ipsum etiam ministerium hominum verbum suū prædicasse, propagasse, cōseruasse in Ecclesia: luce clarius est. Nam in hunc etiam finem primis illis Patribus loquebatur ipse per Filium, per Spiritum S. per Angelos: vt ipsi postea idem verbū aliis annunciarent, & ad posteros propagarent. Accipe testimonium vnum, Gen. 19. *Non celabo Abrahamum quæcunque facturus sum*. Quare? Cùm (inquit) *Abrahamus futurus sit in Gentem magnam: Hoc quoque scio, quod mandaturus sit filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam meam*. En cur reuelabat verbum Patribus: nēpe vt ipsi illud idem traderent filiis suis & posteritati: atq; ita successione quadam seruaretur in Ecclesia.

Hæc est illa traditio Patrum, per quam sine scripto verbum Dei conseruatum est in Ecclesia, vsque ad Mosen. Adamus igitur fuit primus inter homines præco Dei, & prędicator verbi. Deinde Seth, eius filius, & sic deinceps, ne singulos commemorē vsque ad diluuium. A diluuio, Mūdo iam nouo, & quasi altero, Noha cum liberis, maximè cum Sem, vnde Sancti propagati sunt, verbum Dei in Ecclesia prædicarunt, & conseruarunt, semper viua voce, sine scriptis, ad Mosen vsque.

Nūc tenemus originem & progressum verbi, vsque ad Mosen: & quem modum seruarit Deus in hoc verbo propagando, per illud tempus annorum scilicet 2400.

Nunc de secundo modo, quo scilicet per scripturā, verbum suum in Ecclesia propagauit & conseruauit, in hoc vsque tempus, & conseruaturus est in finem vsque Mundi, dicendum est.

1. *Primus*, cuius opera vsus est Deus in verbo suo literis committendo: fuit *Moses*, quemadmodum ante demōstrauimus. Huic principio magnam conciliauit apud omnes tā Ægyptios quàm Israelitas autoritatem, tū in Ægypto, editis per eum permultis & obstupescendis miraculis: tum in deserto frequentissimis cum illo habitis familiaribus colloquiis. & aliis rationibus multis.

2. In quem verò finem tantam ei conciliauit autoritatē Deus? Vt plus fidei à populo præberetur scriptis, quæ Moses, nomine Dei erat illis traditurus: atque ita cognoscerent omnes, hanc Mosis scripturam, esse ipsissimum Dei verbum. Conciliauit igitur Moysi Deus tantam autoritatem, non tam propter Mosen, quàm propter populi autoritatem, & salutem. Hunc finem disertè Dominus aperit Mosi, dicendo, Exo. 19. *Ecce ego veniam ad te in densa nube, vt audiat me populus tecum loquentem: & credat tibi in perpetuum.*

3. Conciliata Mosi autoritate, & ostenso fine, Deus suo exemplo indicat ei, quid sibi faciendum sit. Legem enim, hoc est, summam doctrinæ cœlestis, quam antea solitus erat tantum voce Patribus tradere, & quam etiam prius Mosi ore ad os (vt more scripturæ loquar) hoc est, coram explicuerat, scribit ei in duabus tabulis: hoc exemplo significans, se velle, vt hæc doctrina in literas & libros posthac referebatur.

4. Moses itaque agnita Dei voluntate, totam cœlestem doctrinam, quam partim à Patribus per traditionē acceperat: partim a Spiritu sancto per afflatum internum didicerat: & simul quæcunque sibi & populo, toto vitæ suæ tempore, per annos 120. contigerant, in literas redegit, & populo exhibuit, Deut. 34.

5. Populus vniuersus accipit scripturam Mosis tanquam ipsum Dei verbum: ac certè consensus iste totius illius populi & Ecclesiæ, magno fuit & esse debet argumento, scripta Mosis, verum esse Dei verbum. Nam quod Dathan, Core, & Abiron contradixerint: illud non solum non infirmat autoritatem doctrinæ Mosis, sed magis confirmat. Deus enim illos ita seueriter puniuit, vt hac ratione apertè declararit, Mosen sibi fuisse amicissimum: & quæ ille tradidisset, ea esse à Deo, ipsaque Dei eloquia.

DE PROPHETIS.

Postmodum excitauit varios Prophetas, atque his primum, sicut & Mosi, autoritatem conciliauit variis rationib. Deinde, per ora horum hominum verbum prædicauit: & ad extremum etiam, per horum manus conscripsit. Et hunc tenorem continuauit per annos circiter 1200. vsque ad Malachiam: post quā nullus vsque ad Iohannem Baptistam & Christum fuit in Ecclesia, Propheta: neque etiam vsque ad Apostolos, vllus Ecclesiasticus scriptor, cuius opera vsus sit Deus in suo verbo literis committendo. Nam Machabæorū scriptura nō est [illegible], vt antea ostēdimus.

Cæterum, hoc notandum est, Doctrinam Dei per Moysen traditam, Gentibus etiā communicatam fuisse: non tātum voce, vt Ionas Niniuitis: sed etiam scriptis: idque tū tempore Prophetarum, tum etiam post. Primum Assyriis illis, qui abductis decem tribubus, habitabant in Samaria, & aliis vrbibus Regni Israel: curauit Deus per Regē Assyriorū, vt lex Moysis traderetur, & explicaretur, indeque discerent colere verum Israelitarum DEVM, 4 Reg. 17.

Secundo, ante ipsum Ptolemæum Philadelphum, Regem Ægypti, imò & ante Alexādrum magnum (teste Aristobulo in libr. quem ad Regem Ptolemæum conscripsit) libri Moysis translati fuerunt in linguam Græcam quanquam malè: vt etiam inde Græci quænam esset Dei voluntas, quæve doctrina salutis, discerent. Scribuntur hæc ab Euseb. Cæsar. de præparatione Euangelica lib. 13. cap. 7.

Tertiò, Admonitione verò Demetrij Phalerei, Regis Ægypti, cui Ptolemæus Philadelphus nomē fuit, per septuaginta duos doctissimos Hebręos, ex singulis tribubus sex, translata fuerunt scripta Moysis (De iis certum est) Quidā volunt etiam scripta Prophetarum, & [illegible].

De hac 72. seniorum Iudæorum historia & versione, extant testimonia apud omnes scriptores. Indicabo præcipuos.

Iosephus de Antiquitatibus lib 12. cap. 2.

Aristeus qui à Ptolemæo ad summum Pontificem Iudæorum, pro hac re missus fuerat legatus, librum scripsit, qui etiamnum extat. In eo totam historiam diligenter explicat.

Tertullian. in Apologetico. pag. 845. c. 19.

Iustinus Martyr, in exhortatione ad Gent.

Irenæus contra Valentinum. lib. 3. cap. 25.

Epiphanius libr. de mensuris & ponderibus, pagin. 606.

Athanasius in Synopsi.

Euseb. Cæsar histor. Ecclesiast. lib. 5. cap. 8. Item, de pręparatione Euangelica, lib. 8. cap. 1.

August. T. 5. de Ciuitate Dei, lib. 18. cap. 42. 43. Item T. 3. de doctrina Christiana, lib. 2. cap. 15.

Hi patres perspicuè describunt hāc historiam de septuaginta duobus interpretibus: & quanta sit facienda illa versio docent. Ego, quæ de hac historia controuertantur inter Hyeronymum & Augustinum, & alios, in præsentia non

disputo, neque quid sentiam, dico, quia hoc non est præsentis instituti. Hęc tantùm retuli, vt ostendam, quomodo Deus sua prouidentia, suum in Mundo continuarit ad nos vsque verbum.

Quàm autem fuerit nō solùm vtilissima, sed etiam necessaria Ecclesiæ hæc 70. interpretum conuersio, inde satis liquet: quòd Apostoli hac semper vsi sunt, cum Gentibus prædicarunt. Fuit igitur propter Gentes necessaria. Atque hæc 70. Interpretum versio facta fuit anno ante Christi aduentum, circiter 272.

Post Prophetarum omnium & mortem & silentium, & post sparsam aliqua ex parte inter Gentes S. Bibliorum doctrinam, per 70. Interpretum versionem: cōtinuatum quidem fuit verbum Dei in populo Iudaico, per Pontifices, in Ministerio publico: sed non sine corruptelis, successu temporis: ita vt aduētu Christi magna ex parte corrupta esset doctrina, non in Bibliis, sed in publico Ministerio. Et credo, hanc doctrinæ corruptelam cœpisse in Israele, postquā autore Iasone, Pontifice Maximo, Ethnicę literæ cœperūt publicè doceri Hierosolymis, anno ante Christum, circiter 174. Vide 2. Mach. 4.

Verùm quod ad scripta attinet, nihil noui fuit post Malachiam scriptum, quod verè possit dici θεόπνευστον. De scriptis enim Machabęorum antea dictum est.

Scripserunt etiam Hebræi suas δευτερώσεις, de quibus sæpe apud Hieronymum & Eusebiū: hoc est, secundas iterat asq. legis explicationes, idque etiam Græcè, & eas exteris quoque hominibus cōmunicabant: sed θεόπνευστος scriptura non fuit. Fuerūt autem hæ δευτερώσεις, nihil aliud, quàm dictorum Mosis & Prophetarum, non satis suo iudicio explicatorum, dilucidior interpretatio, & quasi totius legis compendium atque expositio.

Primus, qui hoc opus aggressus est, fuit *Iesus filius Syrach*, cuius librum habemus, qui *Ecclesiasticus* Latinis dicitur. Inter hos fuit etiam *Ionathan Chaldæus*: Hic, vt etiam Chaldæi legere possent Biblia, imitatus exemplum 70. Interpretum, conuertit Biblia, ex Hebraica, in Chaldaicam linguam, anno ante natum Christum, circiter 40.

Circa hoc idem tempus, *Simeon Hilleles*, doctor in schola Hierosolymitana, ille qui (vt scribitur) Christum excepit in vlnas, egregia quædam scripsit. Post hunc ipse etiā *Gamaliel*, Simeonis si non filius, saltem discipulus (vocatur enim Ben Simeon) legis explanationes edidit, ad cuius etiā pedes institutus fuit Apostolus Paulus.

Omnes hos commentarios, & S. Bibliorum, legisq. Domini explicationes, Hebræi Græca voce appellarūt δευτερώσεις. Cæterum nihil horum scriptorum agnitum fuit aut receptum ab Ecclesia pro θεοπνεύστῳ.

Tandem igitur venit *Iohannes Baptista*: mox Christus: horum neuter quippiam scripsit: sed Euangelium vterq. voce tantùm prædicauit. Ac propriè Iohannes quidem Baptista Christum venisse, præsentem esse, non tam verbis, quàm digito etiam demonstrauit. Christus verò Euangelium ita prædicauit, vt etiam quæ fuerant à Prophetis de se prædicta, reipsa cōpleuerit: atq. ita adimpleuerit, vt nihil reliquerit vel dicendum, vel adimplendum. Huc illud Ioan. 15. *Omnia quæ audiui à Patre, nota feci vobis*. Item illud Matth. 5. *Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant*.

Euangelij verò doctrinam à se prædicatam, miraculis permultis & manifestis toti populo confirmauit. Cur autē *Christus*, nil sua manu scripserit: non est curiosè inuestigādum. Illud tantum dicam, quod etiam de corpore Mosis ab omnibus piis viris scribitur: ideo noluisse Deum, vt vbinam sepultum esset, resciretur, ne illo Israelitæ ad idololatriam abuterentur. Si etiam Christus quippiam scripsisset: quanta idololatria erga ipsius scripturam admissa fuisset? Nam si cauda etiam asini cuiusdā, quia creditur fuisse illius, quem equitauit Christus, cum venit Hierosolymam: adoratur à Mundo: quantò magis fuisset adorata scriptura ipsius manu scripta? Deinde, voluit hunc honorē deferre suis discipulis. Satis etiam fuit discipulis dictasse Magistrum, quæ vellet ab ipsis postea scribi.

Quomodo igitur Christus Iesus Euangelium ipse prædicauerit, idque in Iudæa tantum, habemus.

Iam verò, vt doctrina hæc cœlestis toti orbi innotesceret: discipulos sibi collegit, quos etiam testes suæ doctrinæ apud omnes mortales esse voluit: atq. hos idcirco appellauit *Apostolos*, quia per totum terrarum orbem erat illos ablegaturus: Actor. 1 *Vos eritis mihi testes in omni Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimum terræ*. Homines fuerunt simplices, candidi, sine dolo, iusti, veraces, probi, per omnia veri, eoque fide digni. Hos per triennium habuit testes suæ doctrinæ, suæ vitæ, suorum diuinorum operum. Post suā à mortuis resurrectionē, iniunxit illis, vt irent per vniuersum orbem, & Euangelium omni creaturæ prædicarēt, & sibi testes essent vsque ad vltimum terræ. Matth. 28. Act. 1.

Post ascensionem verò, misit super eos Spiritum sanctū iuxta suam promissionem, vt omnes intelligerent, è cœlo hos confirmari legatos Christi. Ac per hunc spiritum eos omni linguarum genere, omniq. virtute ad illud officium feliciter perficiendum instruxit. Ita instructi, ab Hierosolymis tandē exeunt, & per vniuersum orbem, Euangelium prædicant: Deo illud signis & miraculis confirmante, vt est apud Marcum, vltimo, & ad Hebr. 2. Posteaquam autē aliquot annos voce tantum prædicassent verbum Dei: illud etiam tandem in literas, propter posteros retulerunt, inspirati semper à Spiritu sancto. Post Apostolos nil scriptum, quod θεόπνευστον vocari possit. Sunt hæc omnia ita perspicua nobis Christianis, vt nulla egeant probatione. Fuit tamē verbum hoc Dei, prædicatione etiā post Apostolos in Ecclesia conseruatum, & adhuc seruatur. Etsi enim per multa secula, propter somnolentiā Episcoporum, loco verbi Dei, multæ ἐθελοθρησκεῖαι obtrusæ & intrusæ fuerunt in Ecclesias Christi: tamen ad extremum, Dei misericordia factum est, vt multi afflati spiritu Dei, & donati vera scripturarum intelligētia, luce huius sacræ scripturæ, multos & maximos dispulerint ex Ecclesia errores, & falsos cultus: & purum Dei verbum in Ecclesia restituerint.

Nunc tenemus, quam originem habuerit, & quem progressum fecerit ad nos vsque verbum Dei.

QVÆSTIO VI.

De causis, cur primùm voce tantùm, deinde etiam scripto, verbum suum Deus voluerit in Ecclesia propagari, & conseruari.

Nunc breuiter dicendum est, primum quam ob causam Deus voluerit tam longo tempore, nempe à condito orbe vsque ad Mosem, Ecclesiam esse sine verbo Dei scripto, & voce tantum illud propagari & conseruari: Deinde cur illud, tā legem quàm Euangelium, tādem in literas atq. chartas referri: & hac ratione ad nos vsque, imò etiam in finem vsque seculi, in Ecclesia custodiri & asseruari constituerit.

Quod ad primum attinet, hac vna respondeo propositione.

Quòd Deus voluerit de principio, Ecclesiam esse sine verbo scripto: id propter bonum & vtilitatem Ecclesiæ voluit.

Explicatio & confirmatio.

Primùm, Ecclesiæ illi, quæ fuit sine scriptura, vtilius fuit & melius ea secum ratione fuisse actum: nempe frequenti apparitione Filij Dei, nō raris Dei per Angelos colloquiis, & Spiritus sancti afflatibus: quàm si solum Dei verbum, in literas relatum accepisset. Annon vtilius atque melius & gratius est, Deum præsentem & coram loquentem audire, quàm eius tantum literas legere? Quis non malit amicum coram audire, quàm eius legere literas? Idcirco Apostolus comparans hanc Dei cognitionem, quam hîc habemus ex solo verbo, cum illa, qua donabimur ex ipsius cōspectu, illam vocat ex parte, hoc est, imperfectam, & in *Ænigmate*, hoc est, obscuram, 1. Co. 13. Hanc verò alteram, *perfectam*, & à facie ad faciem Ita certè Patribus longè melius fuit & gratius frui illis frequentibus Filij Dei visionibus, colloquiis, spiritusque sancti afflatibus, & audito verbo: quam si illis priuati, solum habuissent scriptum verbum. Idem de Apostolis dico: longè certè gratius fuit & iucundius esse cum Christo, & eius frui præsentia atque sermonibus, sine ipsius scriptura: quam si illius præsentia destituti, eius habuissent scripturam aliquam. Quid est enim melius, esse testem oculatum, an tantum auritum?

Quæstio: Sed quid de illis piis, quibus non solebat apparere Filius Dei, neque etiam Angeli? vt ante Mosen?

Resp. Etiam illi sciebant, Deum & Angelos apparere & loqui cum suis Maioribus è populo suo: propterea quòd & hoc referebatur ad se, à suis Maioribus dicētibus, *Vidi Dominum*: *Dominus locutus est ad me*, & huiusce rei multa videbant & certissima signa, nempe miracula: idcirco etiam magna & certissima fide verbum ab illis excipiebant. Hoc autem fuit illis vtilius, quàm si solum in scripto habuisset verbum. Ergo ea ratio, qua tum vtebatur Deus, sine scripto in reuelando suo verbo, cessit illis Patribus in maiorē vtilitatem, quam si tantum scriptum habuissent verbum.

Idem

Idem dico de illis, qui non viderunt Christum, sed Apostolos duntaxat prædicantes audierunt sine scripto Euangelio. Apostoli enim testabantur illis, se cum Christo fuisse, & post resurrectionem cum illo manducasse, & cætera. Et quæ docebant, se suis oculis vidisse, suis auribus audiuisse, suis manibus contrectasse: ideóque esse certissima. Deinde suum hoc testimonium miraculis confirmabant: hinc fiebat, vt auditores, opera Spiritus sancti, certissima fide verbum Apostolorum amplecterentur, non vt verbum hominum, sed vt verbum Dei. Hoc igitur fuit vtilius, quàm si non audiuissent Apostolos, & scriptum tantùm habuissent Euangelium. Ecquis nostrum est, qui non maluisset ipsos audire Apostolos, sine ipsorum scriptis, quàm nunc tantum illorum videre scripta? Fuit igitur illa ratio propagandi Euangelij sine scripto, Ecclesiæ illi primitiuæ, vtilissima & iucundissima.

Secundò: Ecclesiæ etiam insequenti, quæ scripturas erat acceptura, profuit vtilis, & quidē vtilior, quàm si illi priores, immediatè scriptum accepissent verbum, sine illis diuinis apparitionibus, collocutionibus, afflatibus. Illa enim prior ratio propagandi verbi ἀγράφως, sed coniuncta cum illis frequentibus apparitionibus, colloquiis & afflatibus diuinis & maiorem fidem conciliauit futuræ scripturæ, quã hæc per se sola habuisset. Liquet hoc ex verbis Domini ad Mosen, Exod. 19. *Nunc veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum.* En causam, cur Dominus voluerit prius sine scripto loqui cum Mose, & Mosen cum populo, quàm legem simplici scripto obsignatam, populo exhiberet: vt scilicet plus autoritatis & fidei hac ratione conciliaretur & Mosi & eius scriptis. De hac re etiam posteri gloriabantur, cùm dicebant Ioh. 9. *Scimus, quia Mosi locutus est Deus*, quasi dicerent, ideo certissima est Mosis doctrina. Hac eadem ratione vsus est & Apostolus, vt fidem faceret sibi, & suo Euangelio, cùm dixit 1. Cor. 9 *Annon & ego Dominum Iesum vidi?* Item cum Gal. 1. ait, *suum Apostolatum & Euangelium se accepisse non ab hominibus, neque per homines, sed à Iesu Christo.* Totum igitur illud tempus: quod scripturam præcessit, fuit posteris ceu quædam [illegible], ad scripturam maiori cum reuerentia, certiorique fide excipiendam, audiendam, legendam. Et fuit scripturæ ipsi ceu quoddam præiactum diuinæ cognitionis fundamentum, cui postmodum ipsa insequens inniteretur. Oportuit enim, vt Deus prius declararet suis illis apparitionibus, & familiaribus colloquiis, se curam habere humani generis, se nos amare, se velle, nos ad cognitionem veritatis suæque voluntatis venire, quàm suam scripto tradere legem: quia illud faciebat ad nostram vtilitatem. Quare vtilissimum fuit Ecclesiæ, & præcedenti Mosen, & subsequenti, vt Deus in propagando suo verbo vsus sit priùs illa prima ratione, per vocem & traditionem, quàm ista posteriori, per scripturam. Atque idem planè dico de Ecclesia Apostolica.

Voluit enim Christus suos Apostolos celebres, venerandos, suspiciendos, & maxima autoritate insignes reddere, idque variis donis, certitudine eorum quæ erant scripturi: publica & visibili super ipsos in vrbe celeberrima Hierusalem, Spiritus sancti missione: constanti per ipsos in toto terrarum orbe Euangelij prædicatione: cognitione linguarũ: vi edendi miracula, omnéque genus morbos solo verbo curandi, quin & mortuos ad vitam reuocandi: plusquam heroica in omnibus aduersis animi fortitudine atque constantia: voluit, inquam, Deus his rationibus celebres suos reddere Apostolos, antequam suum Euangelium per ipsorum manus, in literas referret. Quam ob causam? Propter maiorem Ecclesiæ etiam insequentis vtilitatem, hoc est, vt pout[illegible] fidei scriptis præberetur Apostolicis, propter cõfirmatam tam tot signis atque miraculis, tum ipsorum Apostolorum autoritatem, tum doctrinæ ab ipsis prædicatæ primum deinde etiam in literas redactæ, veritatem: atque ita & Electorum salus magis ac magis promoueretur: & reproborum infidelitas inexcusabilis redderetur, & autoritas ipsius scripturæ Apostolicæ confirmaretur: & ex consequenti, saluti posterorum, qui non Apostolos ipsos prædicantes audituri, sed ipsorum scripta tantùm lecturi erant, consuleretur.

Quod verò ad secundum attinet huiusce quæstionis membrum: hac etiam vnica respondemus propositione.

PROPOSITIO II.

Quòd Deus, tam ante Christum per Mosen & Prophetas, quàm post Christum per Apostolos, non contentus viua voce, scripto etiam voluerit verbum suum in Ecclesia promoueri & custodiri: hoc fecit propter vtilitatem & salutem Ecclesiæ.

Explicatio & Confirmatio.

Hæc Ecclesiæ vtilitas, quam ex verbo Dei scripto consecuta est, & consequitur: ex non scripto autem non ita fuisset adepta, quadruplex est.

Prima fuit & est: quòd iam habet certissimum canonẽ, ad quem omnes de religione doctrinę, & libri examinari possunt, & ita legitimi à nobis, & diuini ab humanis, facile discerni. Estne hæc parua & contemnenda vtilitas? Sic ad legem Mosis iam scriptam & certam, miraculisque Dei confirmatam, tanquam ad lapidem lydium examinarunt priores Israelitæ, omnia Prophetarum dicta & scripta. Sic posteriores, ad Mosaica & Prophetica examinarunt omnes aliorum doctrinas & libros: & quænam sinceræ ac diuinæ, quæ minus, certissimè agnouerunt. Sic Christus suam ad hunc canonem examinatam, demonstrauit Iudæis esse verè cœlestem ac diuinam doctrinam. Sic Apostolus gloriatur, se doctrinam de iustificatione tradere, quæ testimonio legis & Prophetarum sit comprobata. Quare? quia ad scripta Mosis & Prophetarum examinata, deprehensa fuit, esse illis consentanea: Sic Berhoenses Actor. 17. doctrinam Pauli ad hunc scriptum Canonem, tanquam ad Heraclium lapidem probarunt: inde facti certi de veritate doctrinæ Apostolicæ, eam amplexi, & salui facti sunt. Itáne vtilitas hæc parui est facienda? Qui potuissent tam facilè & citò discernere doctrinam Spiritus sancti ab humana, nisi hunc scripti verbi canonem habuissent? Quid de nobis dicam? Qui vnquã potuissemus in tantis papatus tenebris, in tanta doctrinarum varietate, quænam vera essent, quæve falsa diiudicare, nisi hanc habuissemus integram puramque scripturam, certum doctrinarum omnium indicem? Habent autem hunc Canonem omnes per totum terrarum orbem diffusæ Ecclesiæ. Hinc fit, vt inter omnes, qui hunc sequuntur Canonem, certa sit consensio in doctrina salutis: atque hæc est communio sanctorum. Quanta hæc est vtilitas? Ergo, vt omnes omnium temporum Ecclesię, certiores fieri possent, an sanam de Deo rebusque diuinis sequerentur doctrinam veramque Dei cultum, necne: voluit Deus, vt sua voluntas, totáque cœlestis de religione doctrina, in libros referretur: & ij libri in omnem æternitatem seruarentur. Huc spectat illud 1. Iohan. 4. *Probate spiritus, vtrum ex Deo sint.* Ad quod examen? scripturarum.

Atqui hęc est causa, cur papa & Anabaptistę nollent hanc extare scripturam: vel saltem nollent à quopiam legi. Quid ita? Ne suæ imposturæ possint ad hanc coticulam examinari & agnosci: Similes illis, qui falsas & adulterinas circumferunt monetas: ij nollent vllum extare [illegible] seu indicem, ad quem probentur. Vtilitas igitur hæc prima, maxima est.

Secunda est: quòd cùm venit Christus, Ecclesia habuit apertissimum certissimumque testimonium, de completis in Christo omnibus, quæ de ipso erant vaticiniis, figuris, typis, atque ita certior facta, hunc Iesum esse Christum, eum amplexa est, & per eum est seruata: & vt alij etiam omnes seruentur, iisdem scripturis demonstrat & euincit, hunc crucifixum, verum esse Messiam, verumque seruatorem. Quanta hæc est vtilitas?

Atque hic est vnus ex pręcipuis finibus, cur Deus voluerit ante Christi aduentum, per Mosen & Prophetas in literas referri, quæcunque de Messia ex spiritu Dei vaticinabantur: & omnes typi ac figuræ, quę de ipso erant: vaticinia, inquam, & typi, tam de tempore aduentus Christi, & de familia, vnde, & de loco, vbi erat nasciturus: quàm de eius miraculis, de eius doctrina, de eius passionis & mortis genere: denique & de eius resurrectione & ascensione. vt cùm postea venisset, & quęcunque fuerant de ipso prędicta, adimplesset: omnes Electi agnoscerent, hunc Iesum esse Messiam, & per eum agnitum & fide receptum, seruarentur: Qui verò nollent agnoscere reprobi & infideles, inexcusabiles redderentur. Imò hæc eadem est causa, cur non contentus Deus omnia hęc in literas Hebraicas esse relata: voluit etiam, vt iis in linguam Gręcam cõuersis eadem Mosis & Prophetarum vaticinia, cum tota salutis doctrina, apud Gentes extarent: vt cùm postea Apostoli ad ipsas venissent, prędicatũ Christum: euincere possent testimoniis eorundẽ librorũ, qui apud ipsos Gētiles essent, hunc quem prędicarent Iesum, verum esse Messiam & seruatorẽ Mundi, longè ante per Prophetas promissum, & hunc non solum pro Iudęis, verum etiam pro salute Gentium, mortuũ esse: ac proinde salutem & gratiam, non tantum ad Iudęos, verum etiã ad ipsos Gentiles pertinere, quandoquidẽ de ipsorũ quoque vocatione ad gratiam Euangelij, luculētissima haberent in Mose, & Prophetis testimonia. Quamobrem videmus primũ Christũ ipsũ iis vsum scripturis, ad demonstrandũ se illum esse, qui venturus expectabatur sal-

uatot Mundi:& quem oportebat pati,& ita intrare in gloriam suam. Luc.24. *Et exorsus à Mose,& à Prophetis interpretabatur in omnibus scripturis,quæ de ipso erant.* Quomodo potuisset tam facile hoc demonstrari, nisi extitissent scripturç? Ità reliquos omnes ad has Scripturas, tanquam ad certissimum de se testimonium ablegabat. Ioh.5. Scrutamini scripturas,quia illæ testimonium perhibent de me.

Deinde videmus idem factum fuisse ab Euāgelistis. Cùm enim narrant, aliquid ab ipso gestum fuisse, aut ipsum aliquid passum esse: mox citant scripturas, quæ de ea re prædixerant: vt ostendant in hoc Iesu impleta esse omnia, quæ de Messia prædicta fuerant à Prophetis. Exempla passim occurrunt in Euangelistis. Incipe ab ipsius conceptione in vtero virginis: & videbis ab Euangelistis confestim citari testimonia Prophetarum Matth. 1. Posteaquam descripsit quomodo Angelus venisset ad virginem Mariam, & annunciasset, in ipsius vtero, è Spiritu sancto, sine viri semine conceptum iri Filium Dei, Messiam, & vocatum iri Iesum, id est, seruatorem: mox subdit testimonium Prophetæ Iesaiæ dicendo: *Hoc autem totum factum est, vt impleretur quod dictum est per Prophetam, dicentem, Ecce virgo concipiet, &c. & vocabis nomen eius Immanuel.* Quid Apostoli in suis concionibus & epistolis, tam ad Iudæos, quàm ad Gentiles? Eandem sequuntur rationem: omnia in Iesu adimpleta esse demonstrant, eóque hunc verum esse Christum, Act. 10 *Huic* (inquit Petrus) *testimonium perhibent omnes Prophetæ, remissionem peccatorum accipere omnes qui credunt in eum.* 2.Cor.1. *Quotquot enim (sunt promissiones Dei in ipso (Christo Iesu) sunt Etiam (id est, complementum habent) & in ipso* (Christo) *sunt Amen*, hoc est, perfectum habent complementum. Quis non videat, quanta sit hæc altera vtilitas scripturarum? Ergo vt suo tempore constaret omnibus, quæcunque prædicta fuerunt de Christo, déque eius Ecclesia & vocatione Gentium: adimpleta esse in Iesu Filio Mariæ, eóque hunc verum esse Messiam, seruatorémque Mundi, non tam Iudæorum, quàm etiam Gentium: voluit Deus, vt illa omnia, cum tota salutis doctrina, scriptis committerentur, non tantum Hebraicis, sed etiam Græcis.

Tertia vtilitas fuit specialis Gentium vocatio & salus. Idcirco enim voluit Dominus, vt per Mosen & Prophetas Hebraicis literis tota illa doctrina, quæ antea solita erat sola viua voce tradi, conscriberetur: vt ex ea lingua in Græcam, & deinde etiam in Latinam & in alias transferri posset: atque ita ad omnes Gentes illa doctrina, & per doctrinam salus propagari commodè posset: aut si qui eam nollent amplecti, iis omnis tolleretur excusatio Ioan.15. *Si non venissem, & non locutus eis fuissem, peccatum non haberent* (per concessionem & [illegible] dicitur:) *nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Ita dico de scripturis. Si Dominus non misisset scripturas ad omnes Gentes, inque ipsarum linguas conuersas: potuissent & possent fortassis aliquid suæ iniquitati & improbitati prætexere: quod scilicet Spiritus sancti illuminationibus destituantur: quòd non habeant Ministros, qui se doceant: quod non etiam vacet, aut possint commodè eò se conferre, vbi prædicatur verbum: sed cùm habeant scripturam in omnes ferè linguas conuersam, è qua possint viam salutis cognoscere: nihil amplius illis relinquitur excusationis. Certè nos, quanta sit hæc vtilitas, quam ex Bibliorum versione capiunt fideles, re ipsa sentimus.

Quarta vtilitas est, quòd hæc scriptura, Ecclesiæ Dei est, instar fortissimæ & inexpugnabilis turris, in qua & ipsum cœlestis sapientiæ thesaurum sincerum, & seipsam mundam & saluam contra omnes hostes conseruat. Id quod certè non posset facilè fieri, si doctrinam Dei scriptis comprehensam non haberemus. Etenim nunquam defuerunt, nec desunt, nec defuturi sunt inimici & hostes, qui omnibus modis conentur veram Dei & salutis cognitionem, aut penitus è Mundo tollere, aut saltem contaminare, eóque & salutem nostram impedire.

1. Quid non egit & agit Sathan per tyrannos, vt totam funditus rollat veram religionem? aut curat, vt bellis, gladiis & ignibus omnes tollantur pij è medio. Sic egit per Athaliam, cum omne semen regium è tribu Iuda interficiendum curauit Sic per Romanos, Nerones, Valerianos, Decios, Diocletianos. Sic per Antiochum: sic denique per Antichristum & impios tyrannos: quantum in ipsis est, omnem mouet lapidem, vt in quibuscunque viget hæc doctrina salutis, ij tollantur è medio. Finis Sathanæ in iis tyrannis quis est? Vt iis interfectis, tota tollatur pietatis doctrina. Si enim hæc doctrina in mentibus tantùm esset fideliū, & non etiam in scripturis conseruaretur: profectò sublatis omnibus piis, tota etiam pietatis doctrina, foret extincta. Ergo, vt hæc seruerur, voluit Deus eam libris comprehendi: & horum librorum numerum infinitum vbique terrarum asseruari.

2. Si non possit omnes pios è medio tollere, curat ipsos saltem libros comburendos & abolendos, & ita totam veram religionem dissipandam Sed Dominus tot horum librorum exemplaria voluit extare: vt semper vera doctrinà in Mundo seruetur. Quoties in ipso etiam veteri Testamento hoc contigit: 2.Melachim, id est 4.Reg.22. diu latuerant libri Legis, culpa & vitio impiorum Regum, Achabi & aliorum: atque ita corrupta & dissipata religio fuit. Sed quid Dominus? Effecit, vt tandem repertus sit liber tempore Iosiæ, quem in templo abdiderant pij Pontifices: ita factum, vt religio sit instaurata ex lege & doctrina Dei. Quantum profuit tunc, doctrinam pietatis in libros fuisse relatam? & exemplar vnum in Templo fuisse repertum? Idem contigit sub Iosaphato, 2.Paral.17. Item, post reditum populi è captiuitate Babylonica, qua de re Esdræ li.2. qui inscribitur Nehemiæ, cap.8. Quoties exusti sacri libri, quotquot reperiri potuerunt? Vt sub Antiocho, sub Diocletiano. Sed Deus semper voluit aliquod exemplar asseruari. Qua de re 1.Mach.1. Et Euseb. Cæsar. histor. Ecclesiast. li.8.cap.1. Quantum igitur profuit illis temporibus, cœlestem doctrinam in libris fuisse asseruatam? Idem dico de nostris temporibus.

3. Aut si non possit Sathan vel pios, vel libros ipsos omnes per tyrannos tollere: curat, vt per Antichristos & Hæreticos aut corrumpantur, aut falsis interpretationibus deprauentur, & ita religionem inficiat. Addit deinde ipse, quippe qui se in Angelum lucis transfigurat, addit, inquā, vana somnia, falsa miracula, & infinitas imposturas, quibus falsas illas interpretationes, & religionis corruptelas cōfirmet, ac tanquam diuinas persuadeat: ita vt si fieri possit, etiam electi in errorem inducantur. Quid hic ageret Ecclesia, nisi verbum Domini in scripturis purum & sincerum haberet? Sed bene est: ipsi Electi continent se in scripturis, & iis diiudicant reliquas omnes doctrinas & interpretationes. Ita non falluntur, nec falli possunt. Et huc spectat Apostoli adhortatio 2.Timot.3. *Permane tu in iis, quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris, &c.* Quanta est hæc vtilitas sacrarum Literarum?

4. Quid? quòd etiam Electi ac pij homines sæpenumero aut curis huius seculi nimium occupati: aut à voluptatibus carnis abrepti: aut otio & negligentia audiendi Verbi à Pastoribus: obliuiscuntur doctrinam cœlestem, si non totam, magna saltem ex parte? Sæpe etiam propter varias calamitates, bella, clades, pestilentias, publicum Verbi Ministeriū intermittitur. Quid tum fideles, si non secum haberent libros sacros, quorum lectione pietatis doctrina in animis conseruetur? aut obliuioni tradita in memoriam reuocetur? Est igitur scriptura ceu turris fortissima, in qua doctrina salutis in æternum conseruatur, & ex consequenti Electorum salus promouetur. Quamobrem rectè à nobis responsum est ad quæstionem de principio: *Cur Deus voluerit doctrinam salutis, post tot annos & secula, tandem per Mosen primùm, deinde per Prophetas, postremò per Apostolos, in chartas & libros referri.* hoc Deum voluisse propter Ecclesiæ suæ vtilitatem & salutem. Ergo & quando eam voluit sine scripto propagari: & quando in libris conseruari: vtrumque fecit DEVS propter salutem Electorum. Atque hæc de sexta quæstione satis.

QVÆSTIO VII.

De fine, propter quem data sunt scripturæ sanctæ, eóque de illarum vtilitate.

Tractauimus hactenus duas, easque etiam absoluimus quæstiones: quarum *prior* fuit de origine, déque progressu verbi Dei in Ecclesia. Vbi præter alia vidimus, quibus in summa rationibus vsum fuisse Deum in reuelando, propagando, & conseruando suo in Ecclesia verbo: nimirum viua voce, sine vlla externa scriptione: idque à condito orbe, vsque ad Mosen, per annos circiter bis mille & quadringētos. Deinde vsum fuisse etiam scriptionibus: idque primùm per Mosen, deinde etiam per Prophetas, postremò per Apostolos: post quos Apostolos, nulla vnquam fuit γραφὴ θεόπνευστος, neque etiam exspectanda est.

Altera quæstio fuit de causis propter quas Deus voluit primum viua voce, sine vllo scripto, verbum suum in Ecclesia propagari: deinde, illud etiam tandem in literas librósque referri, & in varias trāsferri linguas. Et horum S librorum plenum esse terrarum orbem: & eos in finem vsque mundi asseruari. Vtrumque diximus factum fuisse propter bonum & vtilitatem Ecclesiæ. Ac quod ad primum, de

sola

sola viua voce attinet: ostendimus, vtilius & gratius fuisse primitiuæ illi Ecclesiæ, quæ Mosen præcessit: quòd Deus ea cum Patribus illis egerit ratione, nempe apparitionibus & colloquiis Filij sui, afflatibus Spiritus S. visionibus Angelorum, cum viuo efficacique sanctorum hominum ministerio coniunctis: quàm si illis cælestibus agendi & docendi rationibus destituti, solum scriptum accepissent verbū. Longè enim vtilius esse, Filium Dei præsentem audire, quàm solas eius literas legere.

Insequenti etiam Ecclesiæ, eandem rationem, cum prioribus Patribus seruatam, vtilissimam fuisse: propterea quod per eam didicerunt, quanto amore Deus suam prosequatur Ecclesiam: & quàm magnæ ea sibi sit curæ & cordi: quippe qui, vt eam erudiret de sua voluntate: subinde miserit Filium suum λόγον illum æternum, qui in specie humani corporis cum illis familiariter loqueretur: sæpe Angelos etiam cælestes: semper autem spiritum in cordibus loquentem & persuadentem: Inde factum esse, vt persuasi de amore Dei erga humanum genus, cùm postea dedit Scripturam sacrā, maiori reuerentia, certiorique fide, eam amplexi sint: Ac proinde primam illam rationem ἀγράφου, per totum illud primum tempus cum Patribus, fuisse posteris ceu quādam προπαρασκευὴν, ad scripturam porrò auidius & reuerentius accipiendam, legendam, credendam: Et huc spectare illud Dei ad Mosen: *Nunc ego veniam ad te in densa nube, vt populus audiat me loquentem ad te, & credant tibi in perpetuum.* Exod. 19. Eandem igitur etiam ob causam Deum apparuisse Patribus, & viua voce sine scripto cum illis locutum esse: vt hoc cognito, posteri deinde plus fidei adhiberent Scripturis Dei, in quas eadem retulit, quæ etiam Patribus viua voce antea tradiderat. Quod verò diximus de Ecclesia ante Mosen, & de illa, quæ Mosen insecuta est: idem de Ecclesia, quæ sub Christo, sine vllo eius aut Apostolorum scripto vixit: & de illa, quæ post Christum, Apostolorum scripta accepit, intelligendum esse ostendimus.

Quantum verò ad secundum attinet, de scriptionibus: quod non contentus viua voce, voluerit etiam vti scriptionibus & libris: illud etiam factum fuisse propter maximam Ecclesię vtilitatem. *Primùm*, vt semper haberet in promtu certum canonem, ad quem omnes de religione doctrinæ examinarentur: & quæ bonæ, quæ malæ, quæ diuinæ, quæ humanæ essent, facilè discernerentur. Hic autem canon, est Scriptura sacra, de quo canone Christus Ioh. 7. *Si quis voluerit facere voluntatem Patris mei* (quæ erat, vt quisque legeret Scripturas, & ad illas omnem aliam examinaret doctrinam) *cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.* Et 1. Iohan. 4. *Nolite omni spiritui credere, sed probate Spiritus* (ad scripturam scilicet) *vtrum ex Deo sint*

Secundò, vt in aduentu Christi, certum extaret testimonium, quo Ecclesia agnosceret, An ille Iesus, qui dicebat, se esse Messiam, hoc est, Christum, essétne verus ille Christus, de quo scripta extabant Prophetarum, nec ne: Quomodo? Ex collatione Scripturarum, quę de Messia erant, cum illis, quæ in Iesu impleri videbant. Certè nisi extitissent oracula Prophetarum de Christo conscripta, nō tam facile potuisset agnosci ille Iesus, an esset verus Christus, nec ne. Et huc spectare, quòd Iesus, dum vult ostendere, se esse Messiam, subinde citat testimonia Scripturarum, & ad easdem inuestigandas, omnes ablegat & adhortatur. Ioh. 5. *Scrutamini Scripturas, quia illæ de me testimonium perhibent.* Idem facere Euangelistas: idem Apostolos, vt ostenderēt, in Iesu impleri omnia quæ de Messia fuerant prædicta. Et huc illud Apostoli 2. Cor. 1. *Quotquot promissiones Dei sunt, in ipso* (*Christo*) *sunt Etiam & Amen, id est, habent complementum.*

Tertiò, voluisse verbum suum literis mandari Hebraicis per Mosen & Prophetas, & Græcis per Apostolos, vt inde tanquam ex Archetypo, doctrina cœlestis, in alias etiā linguas transferri: & ita salus ad omnes Gentes in perpetuum propagari posset: Et si qui nollent eam amplecti: iis omnis colli[illegible] excusatio. Et huc quadrare illud Christi, Ioh. 15. *Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent: nunc autem non habent, quod prætexant peccato suo.* Christus venit ad omnes Gentes, partim per Apostolos, partim quotidie per suas scripturas, iam in omnes linguas conuersas: Neminem igitur amplius posse se merito excusare, cùm vbique locorum inueniantur Scripturæ, in quibus loquitur Christus.

Postremò, idcirco voluisse, vt verbum extaret scriptum, vt esset Ecclesiæ instar turris fortissimæ, in qua & thesaurum doctrinæ cœlestis, & seipsam, contra omnes hostes conseruare posset. Futurum enim erat, vt Sathan, modò per tyrannos conaretur aut pios, in quorum cordibus viget cœlestis doctrina, e medio tollere, & cum illis ipsam etiam doctrinam extinguere: Voluit igitur Deus, vt saltem extaret in libris, propter posteros: Aut etiam libros curaret comburendos: & variis rationibus perdendos: Voluit igitur Deus, vt innumeri & vbique essēnt sparsi libri sacri, vt in aliquibus saltem conseruaretur: Modò per hæreticos & Antichristos niteretur falsis doctrinis multos seducere, aut etiam falsis interpretationibus scripturarum, in ministerio corrumpere: Voluit igitur Deus extare Scripturam sacram in se puram & sinceram, vt semper haberent pij, quò confugerent, & vbi se tutos, tanquam in arce conseruarent. Et huc spectare Apostoli adhortationem ad Timoth. 2. Tim. 3. *Mali homines, & seductores proficient in peius, errantes & in errorem inducentes. Tu autem permane in iis* (*tanquam in tuta arce*) *quæ didicisti.*

Maximæ proculdubio sunt hæ vtilitates, quas accipimus à verbo Dei scripto: quibus omnino careremus, si verbum non fuisset scriptis mandatum. Has igitur ob causas ostendimus, Deum curasse, vt quam antea solitus erat sola voce tradere Patribus doctrinam, tandem illa libris comprehensa, nobis relinqueretur.

Nunc ex iis quæ diximus, sese offert *septima quæstio*, quæ est de fine, eóque de vtilitate Scripturarum. Est autem hæc quæstio diuersa à superiore: In ea enim disseruimus de causa, propter quam Deus in reuelanda sua cœlesti doctrina, vsus sit illis duabus diuersis rationibus: primùm voce, deinde etiam scriptione: ac proinde, quàm vtraque fuerit vtilis, declarauimus. In hac autem quæstione quæritur causa finalis, propter quam Deus hoc suum verbum, tam voce, quā scripto, reuelare, & in Ecclesia promoueri voluerit ac velit. Etsi vero rationes superius ad alteram quæstionem allatæ, ad hanc etiam accommodari possunt: tamen alias quoque proprias habet hæc quæstio rationes & vtilitates, quę ad superiorem non pertinebant. Quare non immerito hanc à superiore diuersam facimus, quia latius hęc patet, quàm illa. Esto igitur hęc

PROPOSITIO.

Quòd Deus suum verbum, tam voce, quàm scripto, reuelari, & in Ecclesia conseruari voluerit ac velit: hoc voluit ac vult, propter salutem multiplicémque vtilitatem omnium tam ex Gentibus, quàm ex Iudæis, Electorum.

Explicatio & Confirmatio.

Principiò, vtilitates, quas supra attuli: huc etiam pertinent: Deinde aliæ etiam vtilitates explicantur ab Apostolo, in hoc contextu ad Timotheum. Cùm ait, *Omnis doctrina θεόπνευστος vtilis est πρὸς διδασκαλίαν*, &c. Quàm perfecta sit hęc partitio Apostolica, in nostris prolegomenis demonstratum à nobis fuit.

Nunc tantùm singula huius partitionis membra diligētius explicanda nobis sunt.

1. Cùm ait, *vtilem esse Scripturam πρὸς διδασκαλίαν*, docet Apostolus, in hunc finem traditum nobis fuisse Dei verbū tam voce, quàm scripto: vt nihil nos lateret eorum, quę ad veram pertinent pietatem, eóque ad vitam æternam. Quare si quid nosse velimus de Deo, Deique voluntate: de Mūdo, rerúmque omnium origine, progressu, fine: de peccati etiam ortu, causis, effectis, consequentibus: de ratione eius abolendi, vitámque iustitiam recuperandi: de Mediatore, per quem reconciliari possimus Deo, déque Mediatoris natura, officio, amore erga nos: de instituta ab ipso Ecclesia, Ecclesięque Sacramentis, Ministerio, felicitate: denique de iis, quę post hāc vitam manent fideles in cœlo æterna bona: & quę impios æterna mala: legamus Scripturam, quod hęc omnia abundè ibi tradantur.

2. Cùm vero ait, *Eam etiam vtilem esse πρὸς ἔλεγχον*: ostendit, in hunc finem traditam esse Scripturam, vt per hanc omnia impia dogmata non tantùm agnoscere, sed etiam refutare possimus. Nullum enim inueniri posse impium de religione dogma, quod hac Scripturę veritate & luce agnosci & conuinci non possit. Quare si velimus aliena refutare, non opus esse, vt ad alios, sed ad solam Scripturam recurramus.

3. Cùm enim ait, *Eam vtilem esse πρὸς ἐπανόρθωσιν*: docet, in hunc etiam finem esse traditam, vt quicquid corruptum est in moribus & vita: illud per Scripturam reformare possimus. Nihil etiam vitij in moribus & vita hominum esse posse: quod non queat per Scripturam agnosci & corrigi: quia quęcunque vitanda sunt, docet.

4. Ita cùm ait, *vtilem esse πρὸς παιδείαν*, satis luculenter docet, in hunc quoque finem esse traditam & reuelatam, vt

omnes, etiam pueros ipsos, in bonis moribus, disciplina, iustitia instituere valeamus. Nihil enim verè bonorum morum, veræque iustitiæ, nihil bonorum operum, nihil puerilis etiam institutionis desiderari posse, quod non in S. literis abundè tradatur.

Cùm verò subdit, ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ θεοῦ ἄνθρωπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος, apertè docet, Scripturam in hunc finem inspiratam, esse ad supradicta omnia vtilem, *vt omni ex parte integer & perfectus esse homo possit*, tam in iis, quæ ad Deum, quam in iis, quæ ad proximum, & ad nos ipsos spectant: ita vt nullum boni operis genus excogitari possit, ad quod per Scripturam (sed operante Spiritu S.) apparari non possit, quicunque velit homo esse Dei. En igitur fines & vtilitates propter quas inspirata fuit Scriptura à Deo sanctis Patribus, & nobis in Ecclesia relicta.

5. Alium etiam finem & vtilitatem tradit Apostolus ad Rom. 15. cùm ait: *Omnia quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem Scripturarum, spem habeamus.*

Docet iis verbis, in hunc etiam finem esse nobis traditam Scripturam S. vt si aliqua opus habeamus consolatione, tam in externis crucibus, quàm in internis animi aut conscientiæ cruciatibus, ad Scripturam recurramus. In ea enim omne consolationis genus nos reperturos: ita vt & præsentium malorum patientia ac tolerantia, & futurorum bonorum spe fulciri ac sustentari possimus. Hunc eundem finem & vtilitatem tradit idem Apostolus 1. Thess. 4. vbi cùm locutus esset de resurrectione nostra ad felicem æternamque vitam, subiunxit παρακαλεῖτε: *Itaque consolamini vos inuicem in verbis istis.*

6. Esse verò inspiratam & scriptam nobisque relictam propter nostram salutem, hoc est, vt assequamur vitam æternam, pulchrè docet Apostolus in hoc eodem contextu, cùm ait: *Sciens à quo didiceris, & quòd S. literas nosti, quæ te possunt reddere sapientem ad vitam æternam.* Docet igitur, Scripturas ideo nobis esse traditas, vt per eas ita instruamur in iis, quæ ad vitam pertinent æternam, vt eam etiam æternam vitam assequi tandem valeamus.

Cæterùm quas hîc vtilitates & fines paucissimis verbis complexus est Paulus, alibi fusius partim ipse, partim alij Apostoli, partim etiam Prophetæ, & Christus ipse explicant. Loca aliquot in gratiam studiosorum, vt habeant, vnde amplificent vtilissimos fines, propter quos traditæ nobis sunt Scripturæ, breuiter indicabo.

Psal. 19. *Lex Domini integra*, &c. Præter alia sunt ibi 4. effecta verbi Dei. 1. *Quòd conuertat Animas.* 2. *Quòd imperitis sapientiam suppeditet.* 3. *Quòd exhilaret cor.* 4. *Quòd illuminet oculos.* Docet igitur in hos fines Scripturam esse reuelatam, & literis mandatam, vt per eam Animæ nostræ captiuæ Sathanæ conuertantur ad Deum, & seruentur: vt per eam nobis imperitis rerum diuinarum, sapientia cœlestis suppeditetur: vt per eam corda nostra afflicta, tum propter peccata, tum propter varias cruces, consolatione afficiantur & exhilarentur. Denique vt per eam oculi nostri in iis, quæ ad Deum, & ad aliam vitam pertinent, suapte natura talpis cæciores, illuminentur ad Deum cognoscendum. Quid iis finibus præstantius, quid vtilius excogitari potest? Roman. 1: *Fides ex auditu, auditus per verbum Dei.* Ergo in hunc finem traditum est verbum Dei, vt ex illo audito, fides in nobis, opera Spiritus sancti excitetur. Psal. 118. *Memor esto verbi tui, seruo tuo, in quo mihi spem dedisti.* Ergo Scriptura tradita est, vt per hanc *spes* nobis donetur, & quoties videtur oppressa, subleuetur. Psal. 118. *Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus diligit illud.* Item Luc. 24. *Nonne cor nostrum erat ardens in via*, &c. Ergo datæ Scripturæ, vt ex illarum auditu & interpretatione, corda nostra in amorem Dei & proximi accendantur. 1. Pet. 1. *Renati non ex semine corruptibili, sed ex semine immortali, per sermonem Dei viuentis, & manentis in æternum.* Ergo datus sermo Dei, vt per illum regeneremur, & fiamus nouæ creaturæ, id est, filij Dei. Ioh. 15. *Iam vos mundi estis per sermonem meum quem locutus sum vobis.* Ergo datur, vt per eum *mundemur* ab omni peccati labe & mundi simus in conspectu Dei viuentis. Ioh. 8. *Si manseritis in sermone meo, veritas liberabit vos.* Ergo datur ser*m*o Dei, vt è seruis peccati & Sathanæ, fiamus verè liberi. Iohan. 15. *Hæc locutus sum vobis vt gaudium meum in vobis sit.* Item 1. Iohan. 1. *Hæc scripsi vobis, vt communionem habeatis nobiscum, & gaudium vestrum sit plenum.* Ergo datæ Scripturæ, vt vero gaudio & lætitia impleamur. Ies. 1. *Si volueritis, & audieritis, bona terræ comedetis: Quòd si verbum meum nolueritis audire, gladius deuorabit vos.* Ergo datum verbum Dei, vt per eius obseruationem, à malis etiam præsentibus liberemur, & benedictionibus etiam terrenis fruamur. Denique Iohan. 15. *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quicquid volueritis, petetis, & fiet vobis.* Ergo datæ scripturæ, & verba Christi, vt per ea in nobis retenta, *impetremus* à Deo, quicquid iuxta hoc verbum petimus.

His, quæ ex sacris Literis hactenus adduximus, satis perspicuum factum est, multas & maximas esse vtilitates, propter quas doctrina cœlestis, fuit S. Prophetis & Apostolis inspirata, & deinde etiam monumentis librisque mandata.

Ex iisdem autem locis, colliguntur tria: *Primum*: Scripturam sacram in summa nobis esse traditam, propter salutem nostram; hoc est, vt ea sit nobis instrumentum, & potentia Dei ad salutem: id quod iis etiam insequentibus locis confirmatur, Rom. 1. *Euangelium virtus Dei est in salutem omni credenti.* Euangelium igitur, & tota scriptura reuelata est propter salutem nostram, 1. Cor. 1. *Placuit Deo per stultitiam prædicationis, saluos facere credentes.* Stultitia autem prædicationis, est Euangelica doctrina. Doctrina igitur Euangelij, eòque scripturæ sacræ, propter salutem nostram, & omnium credentium reuelata est. 1. Timoth. 4. *Dum venio, attende* (inquit) *lectioni, exhortationi, doctrinæ.* Cui lectioni? cui doctrinæ? Procul dubio, sacrarum literarum. Postea subdit: *Noli negligere donum, quod in te est, propter Prophetias*, hoc est, ad interpretandum scripturas, & ad docendum. Postea concludit. *Hoc enim si feceris: & teipsum seruabis, & eos qui te audierint.* Scriptura ergo sancta, doctrinaque cœlestis, reuelata est propter nostram salutem.

Secundum: Scripturam S. non esse reuelatam propter salutem Iudæorum tantùm: sed etiam Gentium omnium, quæ hanc velint fide amplecti. Hæc enim, quæ modò citauimus, scripsit ad Gentes, Romanos, Corinthios, Ephesinos: Et Christus apertè dixit, Matt. 28. *Prædicate Euangelium omni creaturæ: Qui crediderit & baptizatus fuerit, seruabitur.* Luc. 11. *Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Ergo scriptura tota, reuelata est propter salutem omnium, qui eam velint fide amplecti, & custodire.

Tertium: Hoc etiam ex prædictis colligitur: totam scripturam ad nos pertinere: idque contra quosdam fanaticos, qui sentiunt, vetus Testamentum nihil ad nos pertinere Christianos. Contra certè sunt omnes prædicti loci scripturarum, qui cumprimis loquuntur de scripturis Propheticis. Si tota scriptura reuelata est & scriptis comprehensa propter salutem nostram, hoc est, tam Gentium, quàm Iudæorum. Ergo tota, tam vetus, quàm Nouum Testamentum, ad nos pertinet: & in gratiam nostram traditum est vtrumque Testamentum. Huc illa Apostoli testimonia Rom. 4. *Non est autem scriptum propter Abrahamum tantùm, sed etiam propter nos.* Item Rom. 15. *Omnia, quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* De scripturis veteris Testamenti loquebatur, 1. Pet. 1. *Quibus etiam reuelatum est, quòd non sibi, sed nobis administrarent, quæ nunc annunciata sunt vobis.*

1. *At* (inquiunt) *nihil ad nos pertinent illæ Ceremoniæ Iudaicæ, Circumcisio, illa sacrificia. Respon.* Verum: quatenus scilicet non tenemur illa seruare. Christus enim illa nobis abrogauit: quoniam omnia ceremonialia fuerunt ad tempus tantùm Iudæis imposita. Vsque ad quod tempus? Hebr. 9. ait, *vsq; ad tempus correctionis.* Quodnam hoc? Tempus aduentus Christi in carnem. Ideo ipse omnia correxit.

Sed tria hic notanda sunt. *Primum.* Quædam ibi fuerunt instituta in perpetuum, non ad tempus, vt fides in [illegible]rum Messiam, & alia quæ ad fidem pertinent. Item præcepta ad vitam pertinentia, vt moralia. Hæc certè [illegible] æterna sint, ad nos etiam pertinent, & propter n[illegible] salutem sunt instituta & scripta.

Secundum: sub ceremoniis carnalibus, & [illegible] vsque ad tempus correctionis erant institutæ, latebant spiritualia & æterna, tanquam nucleus sub cortice: verbi gratia, Circumcisio cordis, sub circumcisione præputij: Sacrificium Christi æternum, sub sacrificiis bouin: purificatio conscientiæ, sub purificationibus aquarum. Hic certè nucleus ad nos pertinet, & facit ad salutem nostram, cortice iam per Christum reiecto.

Tertium: Scripturæ etiam, quæ de illis sunt ceremoniis, ad nos pertinent, & relictæ sunt propter nostram salutem, vt scilicet videamus, sub quibus inuolucris exhibitus fuerit Christus Patribus, & inde confirmemur in fide, nucleumque qui ad salutem est, inde erutum comedamus. *Stat igitur propositio, totam scripturam inspiratam, & literis mandatam, propter nostram salutem.*

QVÆSTIO VIII.

De perfectione Scripturarum.

Ex

Ex iis quæ diximus de fine, propter quem inspiratæ fuerunt scripturæ, hoc est, propter nostram salutem: liquidò apparet, quid respondendum sit ad quæstionem octauam, quæ est de perfectione scripturarum. Hac enim quæritur, *An omnia quæ ad salutem nostram necessaria sunt, in sacris literis abundè & perspicuè contineantur, nec ne.*

Papistæ negant, idque faciunt, quo possint suas putidas obtrudere traditiones, tanquam ad salutem necessarias, ac proinde suum augere quæstum. Nam pleræque omnes Papisticæ traditiones, ad quæstum pertinent, & quæstus gratia excogitatæ sunt. Ac si qui inter illos sint, qui efficacissimis rationibus, scripturarum testimoniis, & Patrum autoritatibus conuicti, concedant omnia ad salutem necessaria in scripturis contineri, addunt glossema, hoc esse intelligendum vel explicitè, vel implicitè. Hoc verò addunt quò suas ineptas & ἀσυλλογίστους sequelas quas faciunt è certis locis scripturarum, & quibus suas confirmeat idolomanias, aliquo possint modo tueri. Illorum rationibus respondebimus ad extremum. In præsentia iuxta nostram methodum respondebimus ad quæstionem: deinde confirmabimus. Respondebimus igitur hac propositione.

PROPOSITIO I.

Scriptura sancta continet omnia, quæ ad salutem nostram necessaria sunt, idque perspicuè: ac proinde nil citra apertum illius testimonium, admittendum est in religione, tanquam necessarium vel ad credendum, vel ad faciendum.

EXPLICATIO.

Primum, Cùm dico, Necessarium ad salutem: notandū duplex rerū ad salutem necessariarū genus: vnum eorum, quæ necessaria sunt per se, & semper: vt fidere Deo: credere quæcunq; tradit Deus: timere & amare Deū: inuocare in omnibus necessitatibus Deū: denique eius causa paratum esse omnia perferre. Item, quoad proximum, amare proximum, & eum in omnibus, quibus possumus iuuare. Item, quoad nos, sanctè & castè viuere, nostraque vasa custodire in sanctificatione: & bonam semper circumferre conscientiā. Hęc sunt per se & semper necessaria ad salutem, non tanquam causæ salutis: sed *primò* tanquam ita à Deo nobis mandata, vt nunquam vel minima in parte, aut vlla de causa liceat ea omittere, quin in indignationem Dei incurramus, & mortem nobis asciscamus: *secundò* tanquam effecta fidei iustificantis, & sine qua seruari nemo potest, ita coniuncta, vt separari ab illa non possint. Atque in iis internus cultus, veraque εὐσέβεια cōsistit. Ac de iis Christus Mat. 23. *Væ vobis Scribis & Pharisæis, qui decimatis mentam, &c. & reliquistis, quę grauiora sunt legis, misericordiam, iudicium, fidem.* Testimonio Christi alia sunt in Lege grauiora, alia minùs grauia, hoc est, alia necessaria per se & semper: alia non item. Ideò subdit de illis grauioribus: *Hęc oportuit facere:* quasi dicat, hæc erant necessaria per se & semper, illa non ita.

II Aliud genus rerum necessariarum ad salutem, est eorum, quæ non per se, nec semper, sed propter aliud, & ad certum tempus obseruanda sunt. In hoc genere sunt Sacramēta, & ceremoniæ omnes, ieiunia, & quæcunque ad externū & corporalem cultum pertinent. Hæc enim instituta sunt propter aliud, non propter se: ideò etiam necessaria sunt nō per se, sed propter aliud. *Exemplum.* Vt, baptismus institutus est, propter fœderis confirmationem, hoc est, vt hoc sigillo, & promissiones Dei erga nos, & nostra fides ac obedientia erga Deum, quæ sunt duæ fœderis partes, obsignentur & confirmentur. Et quod de Baptismo dico, idem de Cœna dictum volo. Idcirco etiam non semper est necessarium: sumamus: sed Baptismum semel, Cœnam certis temporibus: & vtrumque cùm adest facultas temporis, rerum, personarum. Nam etiamsi quis ex hac vita migraret sine Baptismi susceptione: idque non aliam ob causam, nisi propterea quòd non potuerit vel propter temporis breuitatē, vel propter quòd aut ministri defectum, illum percipere: non idcirco tamen mortem incurrisse æternam, illum diceremus: modò non defuerint, quæ prioris sunt generis, fides, pœnitentia, bona conscientia. Talia quoque erant Sacramēta & ceremoniæ veteris legis. Tenebantur Iudæi circūcidi, non propter se, sed propter fœderis, in quod recipiebantur, confirmationem & obsignationem: & non semper, sed semel, idque octauo die, non antè. Tenebantur offerre sacrificia, celebrare pascha, sed certis temporibus & in certo loco. Hinc igitur apparet, quomodo sint necessaria ad salutē, non per se, nec semper, vt superiora, quemadmodum declaratū est. Atque hæc secundi generis exercitia & opera, sunt pars altera diuini cultus, nempe exterior. Ita habemus totū Dei cultum, interiorem, quē Apostolus 1. Tim. 3. εὐσέβειαν: & exteriorē, quem vocat ibidem corporalem exercitationem.

Cùm igitur dico in propositione, scripturam omnia continere & tradere quæ ad salutem sunt necessaria: intelligo non tantùm de interno cultu, sed etiam de externo: quorū ille necessarius est per se & semper: ille verò propter aliud, & non semper, vt explicatum à nobis est. Nunc tenemus explicationem illius vocis, Necessaria ad salutem.

Secundò: Cùm dico perspicuè: intelligo vel in se, vel per se, vel in suis principiis & per aliud. In se & per se, vt cùm disertis & expressis verbis res explicatur, verbi gratia, vt credentes in Christum esse baptizandos: hoc enim disertis verbis præcepit Christus Mat. 28. Et Actor. 2. *Qui receperūt sermonem, ij baptizati sunt.* Et Actor. 8. ait Philippus Eunucho, *Si credis ex toto corde, licet, nempe baptizari.* In suis autem principiis, & per aliud, vt baptizandos etiam esse infantes fidelium liberos. Etsi enim non extet expressum præceptum hac de re: colligitur tamen perspicuè ex suis principiis, hoc est, ex causis, propter quas conferendus sit alicui baptismus, vt scilicet obsignetur hoc sigillo ipsi Christo, quicunque in fœdus nouum, cum Christo receptus est. Est enim hoc manifestum principium in scripturis: *Quicunque recepti sunt in fœdus Dei, eos etiam obsignandos esse eo signo, quo Deus iussit obsignari: vt in veteri Testamento,* circumcisione: in Nouo, Baptismate. *Gen.* 17. *Mat.* 28. Est etiam hoc aliud principium perspicuum, *fidelium infantes pertinere ad fœdus Dei, & in fœdus esse receptos.* Gen. 17. *Ero Deus tuus, & seminis tui post te.* Et Christus ait de infantibus, *Horū esse regnum cœlorum.* Mat. 19. Marc. 10. Et 1. Corinth. 7. *Filios fidelium sanctos esse*, nempe Deo. Perspicua igitur est doctrina, Baptizandos esse fidelium liberos: Si non in se & per se, saltem per aliud, hoc est, ex illis principiis de fœdere, de signo fœderis, déque receptis in fœdus. Nunc etiam tenemus explicationem huius dictionis, perspicuè omnia tradi in scripturis, quæ ad salutem pertinent.

Tertiò, Cùm verò addo ad finem tanquam necessarium vel ad credendum, vel ad faciendum: complector omnia quæ ad religionem pertinent. Omnia enim aut ad fidē, aut ad opera & actiones pertinent: ad fidem, dogmata: ad actiones, præcepta legis. Hac igitur particula ostendo, nihil de religione tradi posse, quod non in scripturis contineatur: ac proinde nemini hominum licere vel fidei dogmata, vel præcepta de sacramentis & aliis actionibus conscientiam obligantia, in Ecclesia constituere. Nunc ad confirmationem veniamus.

Confirmatio.

1. Huc pertinent, quæcunque suprà attulimus è Scripturis, vt ostēderemus, Scripturam ideo inspiratam, & per sanctos homines in libros relatam, vt nos nihil lateret eorum, quæ ad salutem pertineut, & vt esset nobis instrumentum ad salutem æternam. Hinc enim sic argumentari licet.

Scriptura in hunc finem tradita est, vt nihil nos lateret eorum, quæ ad veram pietatem pertinent, & ad vitam æternam consequendam necessaria sunt: atque ita nobis esset instrumentum ad salutem æternam. Hoc ante demonstratum est. Ergo Scriptura sancta continet omnia, quæ ad salutem necessaria sunt, idque perspicuè: alioqui laterent nos, si non etiam perspicuè essent tradita. Nunc specialia afferam argumenta & testimonia.

2. Doctrina illa de religione, déque æterna salute, cui nihil Deus vult addi, aut etiam diminui, perfecta sit, necesse est: ac proinde contineat omnia, quæ ad salutem necessaria sunt, oportet. Quis hanc propositionem queat inficiari? Est enim deducta a definitione perfecti. Illud est perfectum in suo genere, cui nihil in eo genere aut addi, aut diminui potest. Accommoda hanc definitionem perfecti ad quascunque velis res: & videbis eam esse certissimam atque verissimam. Sic perfectum Scriptura vocat Deum, quia nihil illi addi vel essentiæ, vel virtutis, vel potentiæ potest. Sic perfectum dicimus hominem, quà homo, cui nihil deest vel in anima, vel in corpore & cui etiam nihil potest adimi, quin mox desinat esse perfectus. Propositio igitur certissima est: Illam de religione déque salute æterna doctrinam, cui nihil addi, nihilve diminui potest, esse perfectam, eóque continere omnia, quæ ad salutem necessaria sunt, idque perspicuè. Atqui talis est doctrina Scripturæ sacræ, & ipsa Scriptura, vt mox ostendam. Ergo, &c.

Esse verò Scripturam talem, cui nihil addi aut diminui possit ac debeat, liquet ex iis locis. Deut. 4. & 12. *Non addetis, ad verbū, quod vobis loquar, nec auferetis ex eo.* Ac ne Papista

alius excipiat,& dicat,Neque nos sentimus addendum esse illis, quæ ad internam eoque ad spiritualem pietatem & Dei cultum attinent: sed tantùm de externis ceremoniis est controuersia. Obsecro,considerate mihi,de quibusnam rebus loquatur Dominus in eo cap.Deut.4. De quibusnā? De ceremoniis,sacrisque ritibus,& de iudicialibus legibus. Sic enim ait Hebraicè: *Et nunc Israel audi. Hachukim,& hamischpatim*,id est,statuta & iudicia. Vox illa *Hachukim*, propriè significat ceremonias, ritus, cultus. Voluit igitur docere Dominus, non solùm præceptis moralibus, & de interno cultu,sed neque præceptis de ceremoniis & ritibus quippiam esse addendum,aut imminuendum.

Quòd si dicas,Cur igitur Christus immutauit, cùm instituit Baptismum? Responsio facilis est: voluit idem Dominus, vt tunc ceremoniæ illæ mutarentur,& aliæ succederent, quia vsque ad tempus correctionis erant impositæ,Heb.9. *Quòd si excipias: igitur illud præceptum nihil ad nos pertinet.* Resp. Imò:id quod liquet,si finem præcepti spectes. Quis finis? Vt iis & quidem solis,quæ Deus præcepit,simpliciter obediremus,nihil addendo, nihil imminuendo. Ergo cùm idē Deus per Filium præcepta etiam tradiderit de ceremoniis Noui Testamenti,& velit vt eis simpliciter obedias,manet vis præcepti illius: *Nihil addas,nihil imminuas.*

Deinde Christus quoque idem apertè mandat Matth. 28. *Baptizate eos in nomine Patris, Filij, & Sp.S. docētes seruare quæcunque præcepi vobis.* Quid hoc est,nisi ne addatis,ne imminuatis? Item,quid illud est,quod ait Apostolus 1.Cor. 11. *Ego accepi à Domino,quod & tradidi vobis?* nisi mihi,neque cuipiam hominum licet de Cœna aliter docere,quàm accepérimus à Domino? hoc est,non licet neque addere, neque imminuere. Quid etiam illud est,quod ait 1.Tim.1. *Præcipe & denuncia μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν*,nisi non licet neque addere,neque imminuere? Quid etiam illud est,quod Tertullianus lib.de præscriptionio.pag.109. discernit Christianos ab Hæreticis, quòd hæretici adulterent scripturas additione,detractione,trāsmutatione:Christiani verò nequaquam? Vis igitur illius præcepti in Deut.de non addendo vel minuendo aliquid in præceptis Dei, etiam de ceremoniis & ritibus sacris,manet perpetuò, & ad nos pertinet.

Idem præceptum repetitur à Salomone Prou.30. *Omnis sermo Dei purgatus est,scutum iis,qui eo nituntur: Ne addas sermonibus eius,ne te redarguat, & mendax inueniaris.* Hic per Salomonem Spiritus sanctus præceptum illud ad totā Dei doctrinam extendit, nihil esse addendum doctrinæ & sermoni diuino: & rationem addit, quia scilicet *purgatus est.* Cùm igitur etiam doctrina Christi, sermo sit Dei,& is purgatissimus: consequitur necessariò,nihil ei esse addendum:proinde ita esse perfectum,vt omnia ad veram pietatem spectantia contineat. Addit Salomon,*sermonem Domini esse scutum iis,qui eo nituntur.* Valet igitur contra omnes hostes,Sathanam,Mundum,peccatum. Sic Eph.6.*scutum fidei*,quia scilicet nitimur verbo Dei. Stat igitur argumentum à nobis allatum,deductum à definitione perfecti,perfectæque doctrinæ.

Sequitur argumentum ab effectis perfectæ doctrinæ.

3. Perfectissima est illa doctrina,quæ sapientem facit ad salutem & vitam æternam consequendam: quæ hominem ad opus bonum perfectè instruit:per quam regeneratur in Filium Dei: per quā liberatur à seruitute peccati & Sathanæ:quæ denique hominem saluat,& beatum efficit,& vnit Deo & Christo. Hæc enim sunt illa effecta,quæ quæruntur,& quæ expectantur a doctrina de religione: ita vt hæc effecta consecuti,nihil præterea desideremus,aut opus habeamus.Atqui talis est doctrina S.Scripturæ.

1. Quòd faciat sapientem ad salutem & vitam æternam, liquet:2.Tim.3. *Et quod S.literas nosti, quæ te possunt sapientem efficere ad salutem.*

2. Quod instruat ad omne opus bonum:liquet ex eodē loco:*Omnis Scriptura diuinitùs inspirata.&c. vt perfectus sit homo Dei,ad omne opus bonum perfectè instructus.*

3. Quod per eum regeneremur,liquet ex 1.Pet.1. *Renati non ex semine mortali,sed ex immortali, per sermonem Dei viui,& manentis in æternum.*

4. Quod liberet a seruitute peccati.Ioh.8 *Si manseritis in sermone meo,veritas liberabit vos.*

5. Quod saluet,liquet Rom.1. *Euangelium Dei virtus est in salutem omni credenti*, nempe huic Euangelio.

6. Quod beatum efficiat,liquet Psalm.1.*Beatus qui in Lege Domini meditatur die ac nocte.*

7. Quod vniat nos cum Apostolis,& cum Patre ac Filio eius,liquet 1.Ioh.1.*Hoc scribimus vobis,vt & vos communionem habeatis nobiscum: & communio nostra sit cum Patre,& cum Filio eius Iesu Christo.*

4. A causa efficiente simul & finali. Deus hanc scripturam Patribus inspirauit,Moysi,Prophetis,Apostolis,& per eos in libros retulit ac scripsit, idque propter salutem nostram,hoc est,Electorum omnium, Rom.4.& 15.2.Tim.3. 1.Tim.4. Et vtilis esset πρὸς διδασκαλίαν omnis scilicet pietatis:πρὸς ἔλεγχον,omnis scilicet erroris:πρὸς ἐπανόρθωσιν,hoc est,ad correctionem omnis scilicet malæ vitæ & malorum morum: πρὸς παιδείαν in omni iustitia:& in summa,*vt homo esset perfectus & integer, vt nihil in eo deesset, nihilue esset luxatum: sed integra noua creatura.* Ergo hanc scripturam dedit ita perfectam, vt nihil in ea possit desiderari, quod ad salutem & æternam vitam pertineat: alioquin accusaretur Deus aut inscitiæ,quod nesciuerit perfectam dare: aut inuidiæ,quod noluerit dare perfectam:aut impotentiæ,quod non potuerit perfectam dare & relinquere: quæ omnia blasphema sunt in Dei sapientiam,bonitatem,omnipotentiam.

5. A causis instrumentalibus,seu ab officio Apostolorum, qui fuerunt amanuenses Christi & Spiritus sancti.

Christus omnem docuit doctrinam,quæ ad salutem nostram pertinebat.Iohan. 15. *Omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Apostolis præcepit, vt eandem salutis doctrinam, reliquis omnibus prædicarent & notam facerent in finem vsque Mundi, vt & illi participes fierent salutis, Matth.28. *Prædicate Euangelium,docentes seruare omnia quæ mandaui vobis.* Præceptum hoc est, de officio Apostolorum in patefaciendo Euangelio omnibus Gentibus, vsque in finem seculi.Nam hoc declarat promissio,*Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* Vobiscum(inquit) scilicet Apostolis. Vbi?in vestro Ministerio. Quousque? vsque ad consummationem seculi. Officium igitur illorum fuit,prædicare vsque ad consummationem seculi.Atqui hoc non potuerunt viua voce,quia moriendum erat. Ergo horum officium fuit, scriptis committere totam Euangelij summam,& eam per scripta omnibus in finem vsque Mundi prædicare.Atqui Apostoli fuerunt obsequentes Christo, & amarunt omnes electos,etiam nos:& percupidi fuerunt nostræ salutis: sciuerunt etiam & potuerunt totam salutis doctrinam literis committere,& ad nos transmittere.Ergo dubitari non potest sine iniuria Apostolorum, quin totam salutis doctrinam literis commiserint, & ad nos transmiserint.

Confirmatur hoc argumentum ab Apostolis,amanuensibus Christi & Spiritus sancti, eorúmque officio, argumento ducente ad absurda.

1. Si Apostoli non omnia nobis scripta reliquerunt,quæ ad salutem necessaria sunt: consequitur *primùm*, illos aut nesciuisse,aut noluisse, aut oblitos fuisse, aut non potuisse hoc efficere. Sunt autem hæc omnia absurdissima & blasphema in ipsum etiam Spiritum sanctum. Nam Spiritus S. in ipsis erat,loquebatur,scribebat,charitate implebat & sapientia. Sciuerunt igitur,quia pleni sapientia: voluerunt, quia pleni in charitate erga posteros omnes:Non sunt obliti,quia Spiritus S. non obliuiscitur eorum, quæ ad salutem nostram necessaria sunt: potuerunt, quia Spiritus sanctus vires suppeditabat.Ergo quemadmodum scripserunt ea quę habemus: si quæ etiam præter hæc fuissent necessaria, vtique etiam scribere non neglexissent.

2. Sequeretur, Iohannem mentitum,qui dixit Iohan.20. *Hæc autem scripta sunt,vt credatis,quòd Iesus est Christus,& vt credentes haberetis vitam æternam.* Quibus verbis [illegible]tur, se nihil omisisse eorum, quæ ad salutem ne[illegible] e[illegible]rant.

3. Consequeretur, Paulum insulsè & impru[illegible] egessisse in suis scriptionibus. Nam in suis Epist[illegible] qui multas scripsit, de multis, etiam minimis re[illegible] vt de modo propherandi,de velandis capitibus mulier[illegible], de collectis, quo die sint faciendæ,& aliis infinitis id genus Si igitur qui de iis rebus tam diligenter scripsit,aliquid eorum, quæ ad salutem sunt necessaria, omisisset: quanta fuisset Apostoli imprudentia,insulsitas,oscitantia? Sed illos summam doctrinæ ad salutem necessariæ scriptis complexos fuisse liquet Luc.1.in præfatione. 1.Cor.15.*Notum vobis facio Euangelium,quod euangelizaui vobis, quod & accepistis, in quo & statis,per quod etiam seruamini,&c.*

LOCI ALIQVOT EX SCRIPTVRIS,
quibus idem confirmatur: *debere scilicet nos esse contentos scripturis: & extra has nihil de religione admittere.*

1.Deut.28. Dominus postquam suam explicasset legem, adiecit promissiones non tam de rebus temporalibus,quam de cœlestibus:sub illis tāquam sub typis conclusas.Et Apostolus Galat.3.summam repetit, dicendo: *Qui fecerit hæc, homo,*

homo, viuet in illis. Sic Ezech. 20. *Dedi eis statuta mea, & iudicia mea indicaui eis, in quibus homo, si ea fecerit, viuet.* Mortem verò non minatur, nisi verbi sui transgressoribus.

2. Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

3. Marc. 16. *Qui crediderit (Euangelio) saluus erit.* Ergo non sunt necessaria, quæ præter scripturam obtruduntur.

4. Ierem. 19. Iudæi permulti exemplo Abrahæ, qui filium voluit immolare, commoti, filios suos immolabāt & comburebant igne, procul dubio hac mente, vt Deo gratificarētur, quasi hoc ei placeret. Sed arguit ipse hoc factum, & minatur exitium, & præter alia ait: *Ego hæc nō præcepi, non sum locutus, nec ascēderunt in cor meum.* Docet hic locus, non esse etiam omnia scripturarum exempla imitāda: sed tantùm legem & verbum Dei, & eorum exempla, quatenus sunt consentanea legi Dei, omnibus traditæ.

5. Luc. 16. *Habent Mosen & Prophetas:* quasi dicat, Illi sufficiunt ad cognoscendum, quæ ad salutem necessaria sunt.

6. 1. Cor. 1. Apostolus propter Euangelium, quod Corinthiis prædicauerat, dicit, *eos repletos esse omni cognitione* (quæ scilicet ad salutem necessaria est) adeo vt nulla alia reuelatio aut doctrina exspectanda illis sit, nisi reuelatio Domini Iesu Christi, cùm scilicet apparebit in fine Mundi. Sic enim ait: *Gratias ago Deo, quòd ditati estis in omnibus in ipso (Christo) in omni sermone, & omni cognitione, adeò vt non destituamini vllo dono, expectantes reuelationem Domini nostri Iesu Christi.* Ergo præter doctrinam Apostolicam, & Euangeliū Christi, nil est admittendum, sed illa doctrina contenti, exspectare debemus Christi aduentum.

7. 2 Iohan. 1. *Qui permanet in doctrina Christi, hic habet Patrem & Filium.* Ergo doctrina Christi sufficit ad salutem. At quæ est doctrina Christi? Illa quæ fuit tradita ab initio per Apostolos ante mortem ipsius Iohannis. Sic enim ait 1. Ioh. 2. *Vos quod audiuistis ab initio, in vobis permaneat. Si in vobis permanserit quod audiuistis ab initio: & vos in Patre ac Filio manebitis.* Quod suprà dixit, *Qui permanet in doctrina Christi, hic habet Patrem & Filium:* Hic ait, *Si permanserit quod audiuistis ab initio: vos in Patre & in Filio manebitis.* Doctrina igitur CHRISTI est, quæ ab initio tradita fuit. Quæcunque ergo postea inuenta, ad doctrinam CHRISTI non pertinent. In illa autem qui permanet: habet Filium & Patrem. Ergo doctrina de principio ab Apostolis tradita, sufficit ad salutem.

8. Col. 1. *Quem (Christum) nos prædicamus admonentes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni sapientia vt statuamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu.* Ergo sola Apostolica doctrina continet omnem sapientiam: & valet ad reddendum hominem perfectum in Christo.

Ibidem: *Et vos, qui quondam eratis alienati & hostes, mente operibus malis intenta, reconciliauit in corpore illo carnis suæ, &c. si quidem permanetis in fide fundati & firmi, nec dimouemini a spe Euangelij, quod audiuistis.* Hinc petitur propositio: Si quis in ea fide, quam Apostoli prædicarunt, permanet, nec dimouetur à spe illius Euangelij, quod prædicatum fuit ab Apostolis, & auditum tunc temporis in vniuerso mundo: is certè particeps est beneficij Christi, id est, reconciliationis cum Patre, & est in conspectu Dei sanctus, irreprehensibilis. Hæc est Apostoli. Atqui doctrina, quæ nunc traditur in Papatu, de Missa, de inuocatione mortuorum, &c. non fuit tunc prædicata ab Apostolis, nec in vniuerso Mundo tradita. Ergo, &c.

Satis confirmatam esse doctrinam nostram testimoniis Scripturæ iudico. Nunc igitur progrediar ad testimonia Patrum.

Irenæus li. 3. c. 1. *Non enim per alios dispositionem salutis nostræ cognouimus quàm per eos, per quos Euangelium peruenit ad nos: quod quidem tunc præconiauerunt, post verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt fundamentum & columnam fidei nostræ futurum. Nec enim fas est dicere, quoniam antè prædicauerunt, quam perfectam haberent agnitionem, sicut quidam audent dicere, gloriantes emendatores se esse Apostolorum.* Tria hic docet: 1. Apostolos omnia ad salutem pertinentia nouisse. 2. eadem nobis voce primùm communicata esse. 3. quæ ante præconiauerunt, eadem scripta nobis reliquisse.

Idem li. 2. ca. 47. *Cùm vniuersa Scriptura & Prophetica & Euangelica in aperto & sine ambiguitate, & similiter ab omnibus audiri possint, &c. Quia de cogitatione eorum, qui contraria opinantur de Patre, nihil apertè nec ipsa dictione, nec sine controuersia in nulla omnino dictum sit Scriptura, & ipsi testātur dicentes, in absconso hæc eadem saluatorem docuisse non omnes, sed aliquos discipulorum, qui possunt capere, &c.*

Et c. 47. *Credere debemus Deo, rectissimè scientes, quia Scripturæ quidem perfectæ sunt, quippe à Verbo Dei & Spiritu eius dictæ: nos autem secundum quod minores sumus, & nouissimi à Verbo Dei & spiritu eius, secundum hoc & scientia mysteriorum eius indigemus.*

Id. lib 5. *Oportet confugere ad Ecclesiam, & eius sinu educari, & Dominicis scripturis enutriri. Plantatus est Ecclesia paradisus in hoc mundo. De omni ligno paradisi escas manducabis, inquit spiritus Dei, hoc est, de omni Scriptura Dominica manducate.*

Tertul. de præscr. hæret. cùm alia multa, tum hæc scribit: *Nobis verò nihil ex nostro arbitrio indulgere licet, sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus autores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignauerunt. Itaque etiamsi Angelus è cœlis aliter euangelizaret, anathema diceretur à nobis.* Idem paulo post: *omnia Domini dicta omnibus posita esse.* Id. lib cont. Hermog. *Adoro Scripturæ plenitudinem, quæ mihi factorem manifestat & facta. In Euangelio verò amplius & ministrum atque arbitrum rectoris inuenio sermonem. An autem de aliqua subiacente materia facta sint omnia, nusquam adhuc legi. Scriptum esse doceat Hermogenis officina. aut timeat væ illud, adiicientibus aut detrahentibus destinatum.* Idem de resurrect. carnis. *Hæreticos vocat Lucifugas scripturarum: & ait. aufer hæreticis quæ cum Ethnicis sapiunt: vt de solis scripturis quæstiones suas sistant, & stare non possunt.* Idem aduersus hæret. *nobis curiositate non opus est post Christum Iesum, nec inquisitione post Euangelium, &c.* Idem de carne Christi ait: *nihil recipiendum esse, quod non habeat testimonium scripturæ.*

Iustinus Martyr *confugiebat ad scripturas, vt in omnibus tutus esset. In Triphone.* Item in expos. Symboli, pag. 195. *in rebus religionis non esse agendum autoritate humana.*

Cypr. li. 1. ep. 8. *sacrilegum esse quicquid excogitatū ab hominibus.* Idem ad Pomp. *semper recurrendum esse ad scripturas.* Idem ep. 63. ad Cæcil. Christum solum esse audiendum & nullum præterea, &c. Imprimis epi. 74. *Vnde est ista traditio? vtrumne de dominica & Euangelica autoritate descendens, an de Apostolorum mandatis atque Epistolis veniens? Ea enim facienda esse, quæ scripta sunt, Deus testatur, & proponit ad Iesum Naue dicens: non recedet liber legis huius ex ore tuo, &c. vt obserues facere omnia quæ scripta sunt in eo. Item Dominus Apostolos suos mittens mandat baptizari Gentes & doceri, vt obseruent omnia, quæcunque ille præcepit.* Tum subiungit: *si ergo aut in Euangelio præcipitur, aut in Apostolorum Epistolis aut Actibus continetur, vt à quacunque hæresi venientes non baptizentur, sed tantùm manus illis imponatur in pœnitentiam, obseruetur diuina hæc sancta traditio.*

Origenes tom. 1. Hom 1. in Ierem. *Necesse est nobis scripturas sanctas in Testimonium vocare. Sensus quippe nostri & enarrationes sine iis testibus non habent fidem. Et hoc quod dictum est, In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum, magis conuenit ad interpretantis probationem, quàm ad quorumcunque hominum numerum, vt firmem verbum intellectus mei accipiens duos testes, de nouo & vetere Testamento, accipiens tres testes, de Euangelio, de Propheta, de Apostolo.* Sic enim stabit omne verbum. Item in Leuit. Homil. 5.

Idem Tom. 1. in Matth. hom. 25. *Debemus ad testimonium omnium verborum, quæ proferimus in doctrina, proferre sensum scripturæ, quasi confirmantem, quem exponimus, sensum, &c.* Vide locum prolixum satis & luculentum.

Idem ad Rom. cap. 3. *Paulus Doctoribus Ecclesiæ exemplum præbet, vt quæ loquuntur ad populum, non propriis præsumpta sententiis, sed diuinis munita testimoniis proferant.* Item paulo post: *Si ipse tantus ac talis Apostolus authoritatem dictorum suorum sufficere posse non credit, nisi doceat in Lege & Prophetis scripta esse quæ dicit: quantò magis nos minimi hoc obseruare debemus, vt non nostras cùm docemus, sed S. Spiritus sententias proferamus.*

Idem in c. 16. ad Rom. l. 10. *Vide quàm proximi periculo fiūt hi, qui exerceri in diuinis literis negligunt, ex quibus SOLIS huiusmodi examinationis agnoscenda discretio est.*

Idem homil. 2. & 10. in Genesin docet.

BASILIVS in Moralib. Reg. 80. *Si omne quod ex fide non est, peccatum est: fides autem ex auditu, auditus autem per Verbum Dei: sine dubio cùm quicquid extra diuinam Scripturam sit, ex fide non sit, id peccatum est.*

Id. in Moralib. Reg 26. *Quicquid vel dicimus vel facimus, id testimonio diuinarum literarum confirmari debet.*

Id Confess. de vera ac pia fide. pag. 47. *Manifestissimum infidelitatis argumentum, signúmq; superbiæ certissimum, si quis eorum quæ scripta sunt, aliquid velit reiicere, aut eorum quę non scripta sunt, introducere, cùm Dominus noster dicat: Oues*

meæ vocem meam audiunt, alienam autem nō sequuntur. Item, *Apostolus ab hominibus sumpto exemplo, Gal. 3. vehementissimè interdicit, ne quid eorum, quæ in Diuinis literis habentur, deleatur, aut quod absit, addatur.*

Idem in epist. 80. ad Eustathium: *Non putamus æquum esse, vt quæ apud ipsos obtinuit loquendi consuetudo, pro lege ac canone habeatur rectæ doctrinæ. Si enim ad probandam doctrinam rectam valet consuetudo, licet & nobis omnino hæc in re illos imitari. Stemus itaque arbitratu inspiratæ à Deo Scripturæ, & apud quos inueniuntur dogmata diuinis oraculis consona, illis omnino veritatis adiudicetur sententia.*

Id. in quæst. comp. q. 1. pa. 560 *Eorum quæ apud nos in vsu sunt, tam verborum quàm rerum, alia distinctè tradita sunt in scripturis, alia prætermissa. Scripta nullo modo omittenda sunt: de iis autem, quæ prætermissa sunt, regulam habemus à Paulo traditam: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.*

ATHANASIVS lib. cont. idola: *Sufficiunt sanctæ & diuinitus inspiratæ Scripturæ ad OMNEM veritatis instructionem seu indicationem.* Nota istud *Omnem*: idque sic extat in veterib. exempl. tum Basileens. tum Lugdunens. ne quis Iesuita calumnietur, à nobis id assutum esse.

Idem in Synopsi, *Scripturam esse ancoram & sustentaculum fidei nostræ.*

CHRYSOSTOMVS Tom. 2. in Matt. Hom. 1. *Scripturis opus esse, quia multi doctrinam corrumpant.* Homil. 49. *Qui sunt in Christianitate, conferant se ad Scripturas, quia nulla alia probatio poterit esse veræ Christianitatis quàm Scriptura diuina.*

Ibidem. *Quum videritis abominationem desolationis, id est, hæresin impiam, fugite ad montes, &c. Montes sunt scripturæ Apostolorum & Prophetarum, de quibus dictum est: Illuminas tu mirabiliter à montibus æternis: & de Ecclesia dicit: Fundamenta eius in montibus sanctis.* Vide & c. 7. in Matt. Homil. 20. & c. 15. Hom. 52.

Idem Hom. 13. in Gen. *Scriptura non sinit auditorem errare, &c. Sed quia plerique non vt commodi quippiam ex S. literis aucupentur, sed voluptatis gratia aures accommodant his, qui talia tractant, & propterea non eos, qui magis prosunt, sed qui magis oblectant, vt audire possint, quærunt: oro, vt omnibus illis præclusis auribus, ad amussim Canonem S. Scripturæ sequamur.*

Idem Tomo 4. in 2. ad Thess. c. 2. Hom. 3. & 10. ait, *Omnia in Scripturis esse manifesta, quæ sunt necessaria.*

Idem in Homil. Ps. 95. *Non oportet quicquam dicere sine testibus, solâque animi cogitatione. Nam si quid dicitur absque Scriptura, auditorum cogitatio claudicat, nunc annuens, nunc hæsitans, & interdum sermonem vt friuolum auersans, interdum vt probabilem recipiens. Verum vbi è Scriptura diuinæ vocis prodit testimonium, & loquentis sermonem, & audientis animum confirmat.*

Idem Hom 1. in 2. Ep. ad Corinth *Quomodo non absurdum est, propter pecunias aliis non credere, sed ipsas numerare, & supputare: pro rebus autem amplioribus aliorum sententiam sequi simpliciter, præsertim cùm habeamus omnium exactissimam trutinam, & gnomonem, ac regulam, diuinarum, inquam, legum assertionem. Ideò obsecro omnes vos, vt relinquatis, quid nam huic vel illi videatur, déque his à Scripturis hæc omnia inquirite.*

Id. Hom. 58. in principium c. 10. Ioan. *Meritò ostium Scripturas appellat, quoniam nos ad Deum ducunt, & eius nobis cognitionem aperiunt: ipsæ oues faciunt, ipsæ custodiunt neque lupos irrumpere permittunt. Tanquam enim ostium firmissimum hæreticos arcent, & in tuto constituunt, neque nos modò velimus, aberrare sinunt.* Et, *Qui sacra non vtitur Scriptura, sed ascendit aliunde, id est, non concessa via, fur est.*

Id. Hom. 9. Epist. ad Coloss. *Noli exspectare alium magistrum. Habes verbum Dei. Nemo te potest sic docere. Hæc omnium malorum causa est, quod Scripturæ ignorantur.*

Idem in 2. Timoth Hom. 9. *Si quid vel discere vel ignorare opus sit, in Scripturis discamus.*

Id de oran. Spir. *Si quis eorum, qui dicuntur habere Spiritum sanctum dicat aliquid ex seipso & non ex Euangelio, ne credite. Manes dicit quòd Sol & Luna opifices sunt. Vbi legisti hoc? Ex quo non legis hæc scripta, sed à seipso loquitur, manifestum est, quod non habet Spiritum sanctum.*

Idem Tom. 3. in epist. ad Tit. Hom. 1. *Omnia Euangelium continet, & præsentia & futura, honorem, pietatem, fidem, simul omnia prædicationis verbo conclusis. Sicut enim præco præsentibus omnibus in theatro prædicat, ita & nos publicè prædicamus, ea ratione, vt nihil addamus, sed ea tantùm, quæ audiuimus, prædicamus.*

Vide & Tom. 3 Serm de libello repudij col. 961.

Hieronymus pro nobis facit, vt videre est ex plurimis locis: vt Ep. ad Paulinum, quæ præfigitur Bibliis Tom. 2. cōtra Heluigium, pa. 13. Tom. 8. in Ps. 98. & in Psa. 86. in Comment. in Haggæum, ca. 1. pa. 229. 230. Tom. 9. in Matt c. 13. & 23. *Quod de Scripturis autoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Tom. 9. in Ep. ad Tit. ca. 1. *Sine autoritate Scripturarum garrulitas non habet fidem.*

Ambrosius Tom. 1. de virgin. li. 3. c. 114. Ostendit non esse Christiani, cùm non habet testimonium Scripturæ, in Religione aliquid asserere.

Idem in comment. in 16. cap. Lucæ.

In lib. 1. ad Gratianum de fide, cap. 4.

In Com. in 1. Cor. 4. Tom. 4.

Augustin. li. 2. de doct. Christ. c. 9. *In iis, quæ apertè in Scriptura posita sunt, inueniuntur illa omnia, quæ continent fidem, morésque viuendi, spem scilicet atque caritatem.* Id. Tomo contra Prisc. & Orig ad Oros. cap. 8. Item contra Faustum Manich. libr. 10. cap. 5. Tom. 7. de nat. & grat. c. 61. Item contra Maxim. Arian. li. 3. c. 14. *Nec ego Nicenum, nec tu debes Ariminense, tanquam præiudicaturus proferre concilium. nec ego huius autoritate, nec tu illius detineris Scripturarum autoritatibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.*

Idem Tom. 2. Epist. 42. ad Madaur. Epist. 157. ad Optat. Tom. 7. de vnitate Eccle. c. 3. De pecc. merit. lib. 2. cap. 36. de Baptismo contra Donatist. li. 2. c. 6. *Afferamus diuinam stateram de Scripturis sanctis, & in illis quid sit grauius appendamus.*

Id. contra Crescon. Gramm. li. 2. c. 32. *Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem Prophetarum & Apostolorum libri pertinent, secundum quos de cæteris literis vel fidelium vel infidelium iudicemus.*

Vide & ep. 48. & 111. Tom. 2.

Et Tom. 9. in c. 10. Ioh. Tractat. 40.

Similes loci plures apud hunc Patrem occurrunt.

Leo primus Epist. ad Fabian. idem docet.

Poterant ex aliis quoque Patribus plura testimonia allegari: Sed nunc methodus postulat, vt respondeamus ad argumenta contraria Papistarum.

ARGVMENTA CONTRA PERFEctionem scripturarum: quòd Christus non omnia docuerit, quæ ad salutem necessaria sunt: Et si docuit, non omnia tamen ab Apostolis sunt scripta, sed multa per traditionem relicta in Ecclesia.

SVNT autem tres classes argumentorum, quæ Papistæ contra hanc doctrinam adferunt. 1. Quædam sumuntur ex quibusdam scripturarum dictis, sed perperā intellectis, quibus videtur concludi, non omnia esse scripta, quæ ad salutem necessaria sunt, sed multa fuisse tantùm per traditionē relicta in Ecclesia. 2. Quædam sumuntur ex quibusdā dogmatibus & institutis, quæ ab vniuersis Ecclesiis pro piis & veris admittuntur. Contendunt autem hæc non habere aperta testimonia in scripturis. Esse igitur aliqua ad fidem indéque ad salutem necessaria, quæ non sint in scripturis. 3. Quædam denique sumuntur ex Patribus, qui multa videntur statuere, in Ecclesia esse obseruatu necessaria, quæ tamen in Scripturis non habeant certum testimonium.

Ad argumenta primæ classis.

Iohann. 16. *Adhuc multa habeo, quæ vobis dicam* &c. Inferunt hinc: 1. Ergo Christus non omnia docuit [illegible] necessaria. 2. Sed post Euangelium multa rel[illegible] [illegible]terio & reuelationibus Spiritus sancti doc[illegible] [illegible] per Apostolos, partim per Apostolorum suc[illegible]s & Ecclesiam vsque in finem Mundi. 3 Non possunt autem illa multa alia esse quam ea, quæ hactenus Ecclesia definiuit & definit. 4. Credendum [illegible]tur est, quæ præter Euangelium in Ecclesia à [P]atribus in Conciliis præsertim, quæ Ecclesiam totam repræsentant constituta sunt, ea omnia esse a Spiritu sancto.

Resp. Antequam respondeam, notandum, hoc argumentum non esse nouum, & a Papistis inu[entum]. Antiquū est, & à veteribus hæreticis, tempore Irenæi [&] Tertulliani excogitatum. Sic Manichæus dicebat, se esse hu[nc] Spiritum promissum, qui debe[ret] [n]ouam [a]d[f]e[r]re veritatem. Vide Augusti. contra epistolā Fundame[nt]i. Nam vt suas hæreses obtrudere possent Ecclesiis, abutebantur ho[c] [lo]co Christi ad ostendendum, 1. Non omnia docuisse Apostolos, 2. eoque nō omnia ad salutem necessaria docuisse. Et quidem colorem adhibebant ad hoc facilimè persuadendum. Dicebant enim hoc decere vt defendant. Cedere enim in Ecclesiæ dedecus,

decus, & contra Ecclesiæ esse dignitatem, dicere omnia tradita fuisse ab Apostolis, quasi non reseruata essent alia etiam. Legatur Tertullia. de præscript. hæret. pag. 105. Et Irenæus libr. 3. cap. 1. Ex iis enim quæ ij Patres ibi scribunt, colliguntur ea, quæ dixi. Quare videmus Papistas veteres hæreses reuocasse in Ecclesiam. Nunc ad responsionem.

Resp. 1. in genere: deinde ad præcipuos paralogismos. In hoc loco est paralogismus, quem vocant figuræ dictionis, hoc est, ex ignorantia veræ διανοίας huius loci Christi. Hæc enim Christi verba ita interpretantur, quasi dicat, se nondum illos docuisse omnia quæ ad salutem faciunt: sed hoc officium se reseruare Spiritui sancto, qui postea doceat, quę supersunt docenda, ad salutem ipsorum necessaria. Sed hallucinantur. Christus enim non hic loquitur de rebus ad salutem consequendam cognitu necessariis, hæc antea declarat, vt ait Iohan. 15. *Quæcunque audiui à Patre, nota feci vobis*, sed hic loquitur Christus de iis, quæ ad propriam Apostolorum consolationem pertinebant. Fuerant enim magna affecti tristitia ex eo, quod Dominus dixerat de suo discessu ex hoc mundo, hoc est, de sua morte: quasi verò destituti præsentia Christi corporali, destituendi etiam essent omni ope, omníque magistro & consolatore, & soli in Mundo hoc imbecilli & ceu pupilli relinquendi. Sed Christus ostendit, tantum abesse, vt propter suum discessum debeant tristitia affici, vt potius lætandum sit. Quare? propterea, quòd hoc futurum illis sit vtilissimum: contrà detrimentosum, si non discedat ex hoc Mundo. Ideo præposuit propositionem hanc, *Expedit vobis vt ego vadam.* Quomodo? Explicat & probat, dicendo: *Nisi* (inquit) *ego abiero: paracletus non veniet ad vos:* quasi dicat: hoc autem esset vobis detrimentosum. *Si autem abiero, mittam eum ad vos:* quasi dicat, hoc autem erit vobis vtilissimum. Sequitur: Ergo expedit vobis, vt ego vadam: quasi dicat, Si expedit, habetis igitur cur lætemini, non cur tristemini. At quomodo erit nobis vtile, si mittas hunc spiritum paracletum? Resp. Probat ab effectis Spiritus S. in ipsis Apostolis. Nam *cum venerit* (inquit) *ille arguet* (scilicet per vos) *Mundum de peccato*, &c. hoc est, ille non erit vobiscum, vt ego hac præsentia corporali extra vos, sed habitabit in vobis, in vestris animis, eos replens sapientia, fortitudine, vi dicendi conuincendi Mundum vniuersum, non Iudæos tantùm, sed etiam Gentes, etiam sapientissimos, & fortissimos ac sanctissimos quosque. Quibus de rebus? *De peccato*, quòd scilicet omnes, qui non credunt in me, adhuc sint in peccato. *De iustitia*, quòd scilicet iustitia vera coram Deo, non sit posita in operibus, quæ ab hominibus præstari possint, sed in mea obedientia, morte, resurrectione, ascensione in cœlum, & perpetua pro credentibus in me, apud Patrem intercessione. Et hoc est, *Quia vado*, &c. Quare per me solum homines iustificari. *De iudicio, quòd scilicet princeps huius Mundi iam condemnatus sit*, & ex consequenti omnes qui sunt de hoc Mundo, cum illo damnandi: ac proinde contrà, qui non sunt de hoc Mundo, sed in me credunt, futuros beatos mecum apud Patrem, ad quem vado. Hæc est autem summa doctrinæ Euangelij. Sensus est: Spiritus iste efficax erit in vestra prædicatione, quia conuincet, ἐλέγχει: Ergo expedit, vt vadam. Proinde hæc debent vos consolari, quæ scilicet Spiritus sanctus per vos effecturus est.

Postea subdit, *Multa alia habeo, quæ vobis dicam, &c.* Quę sunt ista alia? Augustinus ait, non posse sciri, cùm Dominus non explicuerit. Verum: sed si Dominus ea saltem per transennam indicet, si non propriè & in specie, saltem in genere. *Primùm*, ex contextu, hoc est, tam ex scopo huius sermonis, & ex præcedentibus, quàm ex subsequentibus apparet, Christum hic loqui tum de donis Spiritus sancti, quæ effusurus erat in Apostolos, tum de iis, quę per Apostolos iam suis donis instructos, erat facturus Spiritus sanctus ad glorificandum Christum. Suprà ait, *Expedit vt vadam*, probat, quia Spiritus Sanctus descendet super vos, & tunc ille per vos arguet.

Post hæc verba, *Multa habeo*, &c. continuat sermonem Dominus de eodem Spiritu, déque iis, quæ in Apostolis, pérque Apostolos operaturus erat, dicendo: *Is deducet vos in omnem veritatem.* Item, *Quæ ventura sunt reuelabit vobis.* Item, *Ipse glorificabit me.* Quæ omnia spectant ad scopum & ad illam propositionem, *Expedit vobis, vt ego vadam.* Ergo etiam hęc multa, de quibus dicit, *Multa habeo, quæ vobis dicam*, eodem spectant, & de iisdem Spiritus sancti donis & effectis, hoc est, quę per Apostolos erat effecturus, intelligenda sunt.

Deinde ex iis, quę postea per Apostolos Spiritus S. effecit in mundo, admiranda atque obstupescenda, & quę nunquam putassent se præstituros Apostoli, neque vnquam sibi potuissent persuadere: intelligimus quę sint illa multa, de quibus dicit Christus, *Adhuc multa habeo*, &c. Quid agit Spiritus sanctus in Apostolis, & quid per Apostolos? Apostolos ipsos admirandis & multis donis instruxit: cognitione Scripturarum, & vera Oraculorum Propheticorum intelligentia, cognitione & vsu omnium linguarum, vi edendi stupenda miracula, virtute & efficacitate in sermonibus, tanta animi altitudine & fortitudine, & in dicendo παῤῥησίᾳ, vt nihil metuerint propter Christum: de quibus donis partim in Actis, partim in Epistolis Apostolicis, 1. Corinth. 12. ipsi nunquam sperassent, se tot tantisque donis instructum iri. Deinde per hos ita instructos, conuertit Mundū, omnésque Gentes breui tempore ad Christum: demolitus est (vt loquitur Paulus 2. Cor. 10.) *omnem altitudinem, omnes munitiones, omnia consilia Mundi, & adegit rebelles ad obediendum Christo:* effecit: vt Reges colla subdiderint Christo: euertit idola, & regnum ac fidem Christianam stabiliuit. Quanta hæc sunt? Hęc certè nunquam Apostoli potuissent non solùm sibi persuadere & credere, sed ne cogitare quidē: pręsertim quòd Conuersio Gentium ad Christum, & propagatio gratię ad gentes erat illis incredibilis. Sed posteaquam per Spiritum sanctum, viderunt rem ipsam: tunc agnouerunt, &c. Huc spectat illud Ephes. 3. *Huius rei gratia*, &c. vsque ad versum 7.

Hęc sunt illa multa, quę tunc Christus tacuit, quia Apostoli non potuissent tunc hęc intelligere: sed promisit se effecturum, vt tandem in veritatem harum rerum, per Spiritum sanctum adducerentur. Proinde voluit concludere, Expedire ipsis, vt iret ad Patrem, & ita tristitiam illis leuare, & contra consolari.

Nunc quàm omnia verba huc congruant, videamus. *Multa habeo*, &c. quę scilicet ad vestram consolationem pertinent. De qua re multa? De hoc Spiritu, quę vobis donaturus est, & quę per vos effecturus. Sed *vos non potestis portare modò:* hoc est, sed vos hęc nunquam possetis vobis persuadere & credere, imò nec intelligere, vsque adeò multa & magna sunt *Cùm autem venerit Spiritus ille*, &c. hoc est, Etsi verò in pręsentia non potestis illa intelligere: tamen per Spiritum sanctum in vobis fient, & tunc vos harum rerum veritatem & complementum videbitis: *Spiritus ille sanctus deducet vos in omnem veritatem.* Quam omnem veritatem? In veritatem horum omnium, quę nunc taceo, sed euentura sunt: deducet in veritatem, spectandam, oculis inspiciendam: quasi dicat, deducet ille vos in rem pręsentem & efficiet, vt quę iam ego taceo, propter vestram imbecillitatem, & quę nunc vos non potestis mente capere, tunc oculis ipsis cernatis, & quasi manu palpetis. Sensus est, Spiritus sanctus omnino re ipsa pręstabit, quę ego tacitus promitto.

Confirmat hoc à fide Legati, hoc est, Spiritus sancti, quem missurus erat Christus tanquam legatum suum, & executorem suorum consiliorum & promissorum. Ideò ait, *Non enim ille loquetur à semetipso*, &c. Facit Spiritum sanctum suum legatum, & suum executorem, sicut & ipse fuerat Legatus Patris, & executor mandatorum eius. Sicut autem probauerat, se fidum fuisse legatum Patris, ex eo, quòd nihil loquebatur ex se, aut aliquid agebat ex se, sed tantùm loquebatur quę audiuerat à Patre: vnde dicebat, *A me ipso non loquor:* Ita hic ostendit, hac eadem locutione, Spiritum sanctum futurum suum fidum Legatum & executorem. Ille enim legatus dicitur fidelis, qui nihil loquitur ex se, nihilque agit, nisi quatenus habet in mandatis. Hoc igitur significat, cùm ait: *Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet*, scilicet ex me: *loquetur per vos & faciet.* Ideo etiam infra ait, *De meo accipiet.* Sensus est, Dubium non est, quin Spiritus sanctus facturus sit in vobis, & per vos illa multa & admiranda, quę decreui per vos fieri: sed taceo propter vestram imbecillitatem: atque ita sitis per eum tanquam in rem pręsentem deducendi ad perspiciendam veritatem horum omnium. Quare dubium non est? Quia fidus erit meus legatus & executor. *Et quæ ventura sunt, reuelabit vobis.* Quidam sic: Quę ventura sunt vobis viuentibus, de conuersione scilicet Gentium: illa vobis nunciabit, id est, patefaciet. Quomodo? Reipsa pręstando, & executioni mandando. Et sic Eph. 3. *Nunc autem reuelatum est sanctis Apostolis eius & Prophetis per Spiritum.* Sed potest etiam referri ad futura post eorum mortem: quasi dicat: Non solùm per vos viuentes efficiet, quę taceo mirabilia, sed etiam quę futura sint post vos mortuos, propter doctrinam, quam prę dicabitis, vobis indicabit. Pręof dicit igitur, eos donatum iri dono prophetię, id est, pręuidendi quę futura in Ecclesia fuerint. Videmus hoc impletum. Apostoli prædixerunt de venturis in Ecclesiam lu-

pis, Antichristis: sed tamen etiam prænidetunt, quomodo Christus semper esset triumphaturus. Qualis illa Prophetia de Antichristo tam perspicua, tam clara, quæ est 2. Thess. 2. Qualis illa Apocalypsis? An non hæc etiam magna Spiritus dona? Concludit: *Ipse me glorificabit*, sc. per vos, quasi dicat, Summa hæc est, quod Spiritus per vos glorificabit me. Quomodo? Propagando regnum meum, complendo oracula Prophetarum. Hæc certè glorificatio non consequeretur, si ego non abirem, & mitterem hunc Spiritum. Ergo expedit, vt vadam.

Sed esto: loquatur de doctrina, déque rebus quas antè non audierint: Non sequitur tamen prima illatio, Ergo nō omnia necessaria ad salutem audiuerunt à Christo Apostoli. Nam primò fieri potuit, vt essent alia, quæ non ad summam doctrinæ de salute pertinerent: vt quod Spiritus S. esset illos afflaturus spiritu Prophetico, vt futura præuiderent, sicut videmus, multa prædixisse Apostolos per Spiritum S. vt 2. Thess. 2. de Antichristo: 1. Timot. 4. *Spiritus autem manifestè dicit, quòd in nouissimis diebus desciscent quidam à fide, spiritibus seductoribus attendentes ac doctrinis dæmoniorum*, &c. Quare ἀναλόγιστος est illa ratio.

2. Etiamsi loquebatur de doctrina salutis: non tamen sequitur, nouam hanc traditurum fuisse Spiritum sanctum, & non fuisse traditam prius à Christo. Nam sic possunt verba exponi: *Deducet vos in omnem veritatem*, non inauditam & nouam, sed in veterem, & à me auditam: verùm alio modo, quam ego, deducet in veritatem, hoc est, si exciderint, in memoriam reuocabit: si non fuerint bene intellecta, efficiet vt melius intelligatis. Et hanc interpretationem docet Christus, cùm ait de spiritu suo, Ioh. 14. *Ille vos docebit omnia* (i. melius persuadebit) *& suggeret vobis omnia, quæcunque dixi vobis*. Quare fallacia est accidentis. Non enim loquitur de noua doctrina, sed de nouo docendi modo. Et quid est inferre, Ergo Christus non omnia docuit Apostolos, nisi dicere, Christus mentitus est, cùm dixit Ioh. 15. *Omnia quæ audiui à Patre, nota feci vobis*?

3. Esto etiam: vt Christus, cùm hæc diceret, nondum omnia reuelarit Apostolis: sequitúrne, Ergo nunquam reuelauit ipse? Imo contra promittit hîc Christus, se alia illis dicturum. Est enim aperta promissio, *Multa habeo quę dicam*. Non nunc, sed aliàs. Ergo tandem dixit. Stat enim promissio. At quando postea dixit? Resp. post resurrectionem. Annō post resurrectionē multa eis dixit, quæ antea non dixerat? Lege Euangelistas, Mat. 28. & Marc. 16. *Ite in vniuersum Mundum, prędicate Euangelium omni creaturę. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* At non de se, sed de spiritu loquitur sancto. Resp. Quasi verò non idem sit, qui in Apostolis loquebatur Christus, qui & spiritus Christi.

Ad secundam illationem. Esto, multa reliquerit docenda Spiritui.

1. Non sequitur, hæc fuisse ex eorum numero, quæ sunt necessaria ad salutem. Stat enim sententia Christi de iis vera, Ioh. 15. *Quęcunq; audiui à Patre, nota feci vobis*. Sed quæ illa multa? Illa, quæ ad formam Ecclesiæ pertinent, vt multa apud Apostolum 1. Cor. 12. 14. Item de rebus futuris.

2. Sed sunto de illis, quæ ad salutem necessaria sunt. Ergo hinc sequitur Apostolos omnia tandē cognouisse per Spiritum Christi. Si enim hoc promittit Christus: vtique impleuit promissum. Promisit autem dicendo, *Deducet vos in omnem veritatem*. Quis igitur audeat dicere, Apostolos nō agnouisse omnem veritatem? Et sic Tertul. exponit & argumentatur in lib. de præscriptionibus, pag. 103. & Irenæus li. 3. c. 1. idem concludit. Est hæc antiqua hæresis Valentini & aliorum hæreticorum, Apostolos non omnia necessaria ad salutem nouisse. *At dem* (ait quis) omnia nouisse, non tamen omnia docuerunt, sed partem.

Resp. Hoc etiam impium est sentire. Nam si non docuerunt, aut non docuerunt de industria, quia noluerunt. At hoc fuisset crimen inuidiæ, & contra charitatem, & contra officium suum: aut ex obliuione, & hoc est contra Spiritū S. qui in illis habitabat, quasi oblitus sit cum illis nostræ salutis, Sunt hæc absurda. Ergo falsum, quod ais, partem. Ideo Tertullianus & Irenæus contra contendunt, Apostolos omnia docuisse, quæ ad salutem erant necessaria.

At do, docuisse, nempe ore: sed non scripserunt omnia.

Resp. Si hoc non fecerunt, aut de industria omiserunt, aut ex obliuione, aut ex impotentia. Omnia absurda: cùm Spiritus suppeditarit charitatem, memoriam salutis nostrę, & vires. 2. Sequeretur, Paulum valde imprudentem fuisse, qui scripsit multa de rebus, non ita necessariis, si neglexisset necessarias. Sic Iren. li. 3. c. 1.

Ita illatio tertia corruit. Si enim illi omnes necessaria scripserunt: Non igitur per Ecclesiam Spiritus sanctus subinde noua docet. Est contra Apostolum, Heb. 1. *Nouissimè* (id est, non amplius posthac noua locuturus) *locutus est in Filio*. Et, contra Patres Tertull. & Irenæum.

Illatio quarta. Credendum est, quæ præter Euangelium à Patribus in Conciliis præsertim, quę Ecclesiā totam repręsentant, constituta sunt, ea omnia esse à Spiritu S.

At 1. non possunt tradere sine verbo Christi, Rom. 10. Vnde igitur probas per Scripturas, quæ tradidit Ecclesia sine Scripturis, ea esse à Spiritu sancto? 2. Quomodo possunt esse à Spiritu sancto, quæ pugnant cum Scripturis? Vt Canon Constantinop. de non dando calice. Ita in fumum dissipatur Scriptura.

Et cùm ais, Hæc esse illa omnia: Respond. 1. Augustinus in hūc locum. Ecquis ille, qui audet dicere, quæ sint illa, cum Christus noluerit explicare. 2. Hæc quæ ais esse illa multa non possunt esse. Nā de illis dixit Christus, quòd non possint portare illa Apostoli. Ista autem non sunt ita difficilia intellectu, quin possint ferri. Ergo, &c. Quid ergo Spiritus sanctus sibi reseruauit? vt doceret vngere, & baptizare campanas, & similes nugas?

II. Secundus locus, Ioh. 21. ad calcem, *Multa alia sunt, quę fecit Iesus, quę si scribantur sigillatim, ne mundum quidem ipsum opinor capturum eos, qui scriberentur, libros.*

Resp. Sed idem docet tot scripsisse, quot ad salutem nostram sufficiunt c. 20. ad finem, dicendo: *Hęc autem scripta sunt, vt credatis quòd Iesus est Christus ille Filius Dei, & vt credentes vitam habeatis per nomen eius.* Perfecta igitur doctrina, quia per illam fide acceptam, possumus consequi vitam æternam. Sic Cyrill. in Ioh. lib. 12. c. 68. Ita Augustinus in hunc locum. Ideò notandum, non dicere Euangelistam, Multa alia docuit Christus, quasi hæc, quam tradit ex ore Christi doctrina, sit imperfecta: sed ait de miraculis & Actis. Deinde etiamsi diceret, Multa alia docuit: non possent tamen intelligi multa, id est, diuersa, quia hæc, quæ habemus, non sufficerent ad salutem. Sufficiunt autem teste hic eodem Iohanne. Ergo, &c. Est igitur fallacia accidentis: quia ab eo, quod est aliud numero, argumentaris ad id, quod est aliud in substantia: vel ὁμωνυμίας.

At excipies. Si non alia, id est, diuersa ab iis, quæ habemus, egit aut docuit: & tamen multa alia egit & docuit, eáque non sunt necessaria ad salutem, quia omnia necessaria habemus in iis quæ extant scripturis: sequitur multa egisse Christum superflua.

Respon. Est paralogismus non causæ vt causæ. Non enim hæc causa, cur alia multa gesserit & docuerit, vt liceret doceret diuersa: sed fuit, vt eandē doctrinam variis docendi modis exponeret, & variis miraculis confirmaret. Non sequitur igitur fuisse superuacanea, cùm suum habuerint finem. *Simile*, Apostolus etiam ad Romanos, variis & multis argumētis docet, hominem iustificari sola fide. Ergóne superuacanea sunt omnia argumenta prçter vnū pręcipuum? Chrysostomi testimonio confirmatur interpretatio. Actor. 1. *Scripsi de omnibus quę cœpit Iesus & facere & docere*. Non dixit omnia, sed de omnibus, scilicet ad salutem necessariis.

III. *Act.* 1. post resurrectionem, per dies 40. fuit Christus cum discipulis, & loquens de Regno Dei: & tamen admodum pauca describit Lucas & Euangelistæ. Non ergo omnia scripta.

Resp. Locutus est de regno Dei, sed non diuersa in substantia ab illis, quæ ante etiam mortem docuerat. Neque tamen sequitur, Ergo superuacanea: quia valebant ad confirmandos Apostolos in iam ante audita & tradita doctrina Euangelij. Et ita Cypr. exponit tract. 40. [illegible] de idolorum vanitate, ad calcem Ait enim, apparuit per 40. dies, vt denuo ad præcepta vitalia instrui possint. &c.

IV. *Actor.* 20. Apostolus ait, Christum solitum fuisse dicere, *Beatius esse dare, quàm accipere*. Nullus tamen Euangelista retulit hoc. Ergo non omnia scripta.

Resp. Quid ineptius hoc argumento? 1. Si non scriptum ab Euangelistis, scriptum est ab Apostolo Paulo. 2. Etsi hoc dictum non fuisset in literas relatum, non propterea tamen doctrina salutis esset manca.

V. *Actor* 15. *Visum est Spiritui S. & nobis, vt abstineatis à sanguine, suffocato, idolothytis, & scortatione, &c.* Quædam igitur didicerunt à Spiritu sancto, & non à Christo.

Resp. 1. Nihil noui fuit hic constitutum, quod summatim in lege antea non fuisset traditum. De idolothytis & fornicatione liquet: de aliis duobus suffocato & sanguine, liquet hinc, quia nihil prohibent, nisi ne dent scandalum infirmis fratribus ex Iudaismo, sua libertate. Non esse autem in rebus adiaphoris scandalo offendendum fratrem, antea docuerant Prophetæ & in primis Christus. Matth. 18. *Vę qui scandalizauerit vnum ex illis pusillis.*

2. Quòd

2. Quòd verò dicunt, *Visum est Spiritui S.* non autem Christo: hoc ideo faciunt, vt ostendant Spiritum sanctum idem sibi dictitasse, quod antea etiam Christus docuerat de non præbendo scandalo fratribus infirmis: & ita confirmate, quod Christus de Spiritu dixerat, *Non loquetur à semetipso. De meo enim accipiet, & annunciabit vobis.* Proinde non sequitur, illos aliquid noui tum didicisse, imò hoc nil fuit, quàm declaratio eius quod dixerat Christus, Ioh. 14. *Suggeret vobis omnia quæcunque dixi vobis.*

VI. 1. *Cor.* 7. *Multa tradit Apostolus*, & instituit in Ecclesiis, quæ tamen non accepit à Christo. Ergo non omnia Christus docuit necessaria ad salutem Ecclesiarum. Illud liquet 1. Cor. 7. *Iubet fidelem retinere infidelem coniugem, si velit manere: sin minus, sinat abire*: & postea ait, *Ie hæc docere, non Dominum præcipere.* Ita cap. 14. multa alia.

Resp. Negatur antecedens, Apostolum scilicet non accepisse a Christo, quæ docuit: Apertè enim ait, 2. Cor. 13. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur, Christi?* Item 14: de illis præceptis à se traditis in Ecclesia, apertè ait esse Domini mandata, dicendo: *Si quis sit inter vos Propheta, aut spiritualis, agnoscat quæ scribo, Domini esse mandata.*

At 1. *Corinth.* 7. *ait, Non Dominus, sed ego.* Resp. Discrimen facit Apostolus inter præcepta Christi: quædam sunt, quæ ex ipsius ore expressa tradita sunt Apostolis omnibus, vt illud de non dimittenda vxore, eiusdem scilicet religionis: nisi propter adulterium: alia sunt non ex ore immediatè Christi expressa, sed ex eius generali doctrina de charitate per Spiritum sanctum, quo duce scripturas interpretabantur Apostoli, collecta: vt illud 1. Cor. 7. Ideo ait. *Puto autem quòd & ego Spiritum Dei habeam.* Pulcrè enim illud cōgruit cum charitate. Idem dico de aliis præceptis 1. Cor. 1. & 14. Est igitur fallacia ὁμωνυμίας: quia præceptum Christi accipitur bifariam, vt declaratum est. Papistæ autem vno semper modo accipiunt.

VII. 1. Thessal. 4. *Nostis quæ præcepta* (παραγγελίας, hoc est, accepta mandata) *dederimus vobis per Dominum Iesum*: Et tamen hæc non sunt scripta: nec etiam exponit, quæ fuerint. Ergo multa mandata CHRISTI in Ecclesia, relicta per Apostolos sine scripto.

Respon. 1. Damus hic loqui Apostolum de præceptis seu mandatis, quæ per manus accipiuntur & traduntur. Qui enim mandat, dicitur ἐπαγγέλλειν, hoc est, per se significare. Qui verò denunciat, quasi per manus acceptum, παραγγέλλειν, hoc est, per alium significare: ac proinde loqui Apostolum hic de iis, quæ acceperat à Christo, voce, non scripto: sicut & 1. Cor. 11. de Cœna ait, *Ego accepi à Domino, quod & tradidi.*

2. Sed quod postea aiunt, non esse scripta, nec exprimi, quænam hæc fuerint, negamus. Nam mox Apostolus, quænam fuerint hæc mandata Domini, declarat, dicendo: *Enimverò hæc est voluntas* DEI (nempe) *sanctificatio vestra, vt scilicet abstineatis à fornicatione*: & quæ sequuntur vsque ad ea verba: *Proinde, qui hæc reiicit, non reiicit hominem, sed Deum.* Sunt igitur scripta hæc mandata Domini. Quare pudeat Papistas hæc scribere impudentissima mendacia.

VIII. 1. Cor. 11. Cùm docuisset, velandas esse mulieres, cùm in Ecclesia orant, aut prophetant: postea subdit, *Siquis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus neque Ecclesia Dei.* Ecce vrget eos (inquit) vt curent mulieres velandas, & obediant sine contentione, in re non magni momenti, & vrget hoc, consuetudine sola Ecclesiæ, sine vllo scripto. Ergo parendum Ecclesiæ in rebus etiam leuibus, sine contentione, tantùm propter consuetudinem.

Respon. 1. ad Antecedens: scio multos sic interpretari, vt illa verba, *Nos non habemus talem consuetudinem*, referantur ad mulieres velandas: quasi dicat: Quòd si quis renuat velare mulieres, & velit esse sine velo: agat vt velit. Quod nos attinet Hebræos, & Ecclesias Dei, non habemus talem consuetudinem, scilicet permittendi, vt mulieres sint detecto capite. Sed tamen mihi magis placet, vt referantur hæc verba, ad contentiosum esse, vt sit sensus: Quod si quis in hac re indifferenti, nolit acquiescere nostræ sententiæ: sed contendere, nos certè nolumus contendere. Non enim habemus talem consuetudinem, contendendi scilicet, neque etiam Ecclesiæ Christi. Et ita est. Verus Christianus fugit contentiones inanes & ζητήσεις.

2. Ad illationem Neq; nos negamus, Ecclesiæ consuetudines esse seruandas, etiam in leuibus rebus & adiaphoris: idque propter pacem & charitatem, modò illæ res non pugnent cum verbo Dei: deinde maneant adiaphoræ, hoc est non iniungantur tanquam necessariæ ad salutē; & sub pœna (vt vocant Papistæ) peccati mortalis, & vacuæ sint ab omni superstitione. Sed quid hoc ad rem, de qua disputatur? & ad consuetudines, quæ sunt in Ecclesia Romana, aut pugnantes cum verbo Dei, aut coniunctas cum superstitione, & cum laqueis conscientiæ? Deinde loquimur de iis, quę ad salutem sunt necessaria, non de rebus adiaphoris. Quare locus hic nihil facit ad rem.

IX. 1. Corin. 11. Cùm explicasset de Cœna quæ erant essentialia, postea dixit, *Cætera, cùm venero disponam.* Hic (inquiunt) Apostolus promittit, se viua voce & coram dispositurum, quæ pertinebant ad modum communionis, & celebrandi Cœnam: & alia ad statum Ecclesiæ pertinentia. Non est autem dubitandum quin præstiterit promissa. Multa igitur sunt, quæ pertinent ad bonum & salutem Ecclesię, quæ non scripta.

Resp. ad Antecedens. 1. Illud verbum *Disponam*, quod Græcè est διατάξομαι, non semper significat, noua ponere statuta: sed significat etiam, ea in ordinem redigere, quæ antea fuerant confusa. Et sic accepit hoc verbum Apostolus 1. Corint. 7. cum dixit, *Et sic omnibus Ecclesiis* διατάσσομαι, ordino, constituo, nempe vt quisque in sua se vocatione contineat, nec ordines politicos confundat: seruus maneat seruus: circumcisus ne adducat prępútium. Quare ex hoc loco 1. ad Corinth. 11. nihil potest concludi de nouis ordinationibus à Paulo institutis in Ecclesia Corinthiaca, circa Cœnam Domini, aut aliis. Nam fieri potest, vt verba fecerit de multis grauibus rebus, quę in Ecclesia fuerint confusæ & disturbatę, & pollicitus sit, se cùm venerit, curaturum, vt omnia ad pristinum bonum statum restituantur. Quale erat, quòd inter se essent diuisi.

2. Quod aiunt illum disposuisse, quomodo Missa esset celebranda, & communio sumenda: quis ferat has ineptias?

Ad illationem: Concedimus, multa fuisse instituta ab Apostolis in Ecclesiis, quę non sint scripta: sed negamus fuisse talia, quę ad salutem essent necessaria.

X. 2. *Tim.* 2. *Tu ergo Fili, confortare in gratia, quæ est per Christum Iesum: & quæ audiuisti à me inter multos testes: hæc committe fidelibus hominibus, qui erunt idonei ad alios quoque docendos.* Hic Apostolus (inquiunt) loquitur de doctrina salutis. Dicit se eam tradidisse Timotheo non per scripta, sed coràm inter multos testes: & tamen hanc non explicat. Ergo in Ecclesia relicta est doctrina ad salutem necessaria, quę tamen scripta non est.

Resp. ad Antecedens: quòd aiunt hanc doctrinam ab Apostolo nō fuisse explicatā in libris, cùm hoc probauerint, manum dabimus. Quomodo tantus Apostolus tam diligenter de multis rebus adiaphoris scripsit, vt liquet in epistola ad Corinth. & ad Timoth. & postea neglexit eam doctrinam literis committere quę necessaria erat ad salutem? Quare quod inferunt: Ergo aliqua doctrina ad salutem necessaria, in Ecclesia relicta est sine scripto: totum hoc ἀναπόδεικτον est.

XI. 2. *Ioh. Canonica. Plura habeo quæ scribam, sed nolui per calamum & atramentum: spero enim me venturum ad vos, & ore ad os locuturum.* Ergo multa docuit coràm, quę scripta non sunt.

Resp. 1. Non dicit, docere & tradere doctrinam salutis, sed locuturum se ore ad os. Erant igitur secretiora quędam ad illos pertinentia tantùm, quę nolebat literis committere. Quare nihil concludunt de doctrina salutis. 2. Esto de doctrina salutis loquatur: non sequitur tamen illatio, illam igitur non esse comprehensam in suis epistolis.

XII. *Io.* 14. & 16. *Item Act.* . Promittitur Ecclesię S. S. vt illi semper assistat, & deducat in omnem veritatem. Atqui hoc esset superuacaneum, si omnia essent scripta. Ergo, &c.

Resp. Negatur Minor, & est fallacia non causę. Causa enim, cur Spiritus S. datus sit Ecclesię, & singulis fidelibus, non est, vt nouam subinde doceat doctrinam, sed aliæ sunt causę multę, vt regatur in suis actionibus, vt defendatur à Sathana: Item vt eam in recepta doctrina conseruet, & in fide. Quare nil concludit.

XIII. *Act.* 10. 11. Apostoli etiam post acceptum Spiritum S. ignorabant, An ad gratiam Euangelij admittendi essent Gentiles: Ergo non omnia didicerunt à Christo: ne statim à Spiritu S. sed longo pòst tempore, cum placuit Deo Quare idem fit in Ecclesia, vt successiuè multa reueleutur.

Resp. ad Antecedens. 1. Falsum assumunt: imò Christus prędixerat sępe, vt Matth 13 *Multi venient ab oriente.* Matt. 28. & Marc. 16. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Item, *Docete omnes Gentes* Sed quod etiam post resurrectionem dubitarint, idcirco factum est, quia videbatur absurdum & inauditum, quod Gētes deberent esse participes gratię. 2. Nō erat hęc res ex illorum genere, quę necessaria cognitu sunt ad salutem: Nos autem de iis disputamus. Nihil igitur concluditur.

XIV. *Ad extremum vrgent* nomen *Traditionis* ex Epistolis Pauli, vt 1 Corinth. 11. *Laudo vos, quòd omnia mea memoria tenetis, & sicut tradidi vobis, traditiones tenetis* παραδόσεις κατέχετε. Ibi tamen non exprimuntur. 2. Thess. 2. *Itaque state fratres & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermones, siue per Epistolam nostram.* Traditiones autem sunt doctrinæ, & ordinationes atque institutiones non scriptæ, sed per manum traditæ, & ob hanc causam vocantur traditiones. Ergo Apostoli multa reliquerunt in Ecclesia non scripta: tam de doctrina salutis, quam de ordinationibus Ecclesiasticis. Quare non omnia ad salutem necessaria, sunt in literis S. comprehensa.

Resp. ad Maiorem. Damus multas παραδόσεις ab Apostolis in Ecclesiis fuisse institutas & relictas.

Ad Minorem: Non vno modo tantùm accipitur nomen Traditio. Ideo hîc est ὁμωνυμία.

1. Aliquando accipitur pro doctrina, quouis modo primitùs tradita, siue viua tantùm voce, siue per scripturam. Sic Actor. 6. Lex scripta Mosis, vocatur Traditio: *Homo iste* (de Stephano loquitur) *non cessat loqui verba aduersus locũ sanctum, & legem. Audiuimus enim eum dicentem, quòd Iesus Nazarenus destruet locum istum & mutabit* τὰ ἔθη, ἃ παρέδωκεν ἡμῖν Moses. 2. Thess. 2. *Tenete traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per Epistolam nostram.* Ergo si quid etiam doceat per solam epistolam, illud vocat Traditionem.

2. Accipitur pro doctrina, primùm quidem viua voce, sine scripto tradita, sed postea in literas etiam relata. Sic 1. Cor. 11. Doctrinam de Cœna, quam tradiderat primùm voce, & postea etiam scripto, vocat nomine Traditionis, dicendo: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Sic 1. Thess. 4. *Rogamus & obsecramus in Domino Iesu, vt quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat vos ambulare & placere Deo, sic etiam ambuletis, vt abundetis magis. Scitis enim quas* παραγγελίας *dederim vobis:* & mox partem eorum, quæ tradiderat voce, etiam scripto repetit. 2. Thess. 2. *Tenete traditiones quas didicistis*, siue per sermonem (primùm) siue (postea) per Epistolam nostram. Hoc modo tota doctrina Euangelij in sacris literis comprehensa, appellari potest Traditio, quia scilicet primùm fuit viua voce tradita. Deinde in libros relata. Sic Cyprianus totam Christi doctrinam, quæ in sacris Literis continetur, vocat sæpe Dominicam Traditionem.

3. Accipitur pro doctrina & institutione Patribus voce tantùm tradita, & perpetua successione, quasi per manus ad posteros, sine vllo scripto deriuata: id quod multi Patres Græci vocant verbum ἄγραφον. Talis fuit doctrina ante Mosen, Patribus tradita, & ad Mosen vsque sine vllo scripto continuata. Ergo etiam in Epistolis Apostolicis, sæpe mentio fiat παραδόσεων, & παραγγελιῶν: tamen non inde sequitur, Apostolos multas traditiones instituisse in Ecclesia, quæ non sint in sacris Literis contentæ. Nam semper dicam, quæ primùm voce tradiderunt, eorum deinde summã scriptis complexi sunt, vt liquet de Cœna 1. Cor. 11. Item 1. Thess. 4. De præceptis honestæ vitæ. Item de Ecclesiasticis ordinibus, de quibus 1. Cor. 11. 14. Deinde, etiamsi dem, aliqua fuisse ab Apostolis instituta, quæ scripta non reliquerint: tamen semper dicam, & sic etiam contendo, nil ab illis fuisse institutum quod non habuerit fundamentum in verbo Dei, hoc est, in literis Propheticis & in doctrina Christi ab Euangelistis etiam postmodum comprehensa libris. Præterea dicam, illa quæ scripta non reliquerunt, non fuisse ad salutem necessaria. Quare hoc etiam argumentum nihil concludit contra nostram thesin: Omnia ad salutem necessaria, in sacris Literis perspicuè contineri.

Ad argumenta secundæ classis.

1. Ad salutem necessarium est, credere & scire, hoc quod habemus in libris, quos vocant Canonicos, esse verbũ Dei: Et de hoc nulla est controuersia. Atqui hoc non tradit scriptura. Neque enim illa explicat, qui sint Canonici, qui minus: sed ex sola habetur traditione. Ergo aliqua sunt necessaria ad salutem, quæ non continentur in sacris Literis, sed tantùm habentur ex traditione Ecclesiæ.

Resp. *Negatur Minor*, nempe quòd scriptura non tradat, se esse verbum Dei: & quòd sola Ecclesiæ traditione hoc agnoscatur. Antea à nobis in quæstione secunda de scripturis declaratum est, quibus modis agnoscere certò possimus, hanc scripturam esse verbum Dei: & in summa demonstratum, Ecclesiæ traditionem, ad hanc rem multum prodesse, sed non sufficere: quod opus sit Spiritu S. oculos ad cognoscendam aperiente & persuadente: hoc autem habito mox scripturam sese patefacere, cuius sit verbum. Nam etiam non alia ratione illi primi Patres hoc agnouerunt, nisi partim traditione, partim autẽ & maximè Spiritu sancto scripturæ ipsius dignitatem, veritatem, & cœlestem maiestatẽ demonstrante. Est igitur fallacia non causæ vt causæ. Non enim sola Ecclesiæ traditio hoc præstat: sed etiam, idque in primis, scripturæ ipsius dignitas, per Spiritum sanctum nobis patefacta. Alioqui si valeret argumentum: hoc etiam valeret: Ecclesia est illa, quæ primum prædicat verbum, & hanc doctrinam, Christum esse Filium Dei, verumq; Deũ. Ergo quod Christus sit verus Deus, non habemus nisi ab Ecclesia per traditionem, & non è scripturis. Est autem hoc impium. Ergo, &c.

Scio non deesse, & ex Patribus & è nostris, qui scribant, hoc nos habere ex sola Ecclesiæ traditione: sed intelligunt quoad initia huius cognitionis primúmque testimonium: non autem quoad veram certamque cognitionem. Illud certum & firmum semper manet, Rom. 10. Fides ex auditu: auditus per verbum Christi. Non potest igitur verè credi hoc esse verbum Dei, nisi ex auditu huius verbi, opera Spiritus S. illuminantis & docentis.

II. *Articulus de Trinitate est necessarius ad salutem, de omnium consensu: & tamen hoc non habemus è Scripturis, sed ex traditione sola Ecclesiæ.*

Resp. Alterum huius propositionis membrum falsissimum est, & impiissimè scriptum. Ergo fides nostra in primo articulo religionis nostræ pendet non è Scripturis, sed à sola Ecclesiæ traditione. Contrarium docent Scripturę ipsæ tã in veteri, quàm nouo Testamento, vt aliàs ostendam: Duo loci satis sunto in præsentia. Ioh. 16. *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam à Patre, spiritus veritatis, ille vos deducet in omnem veritatem. Ille accipiet de meo.* Hic habes Patrem, à quo Christus erat Spiritum S. missurus. Habes Filium, qui mittit Spiritum sanctum missum: etsi tamen vnum tantùm Deum, vbique docet scriptura.

1. Ioh. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, &c.*

Tertullianus contrà sentit, quàm Papistæ, lib. contra Praxeam, scripturas omnes prædicare Trinitatem, & vnum Deum.

III. *Christum esse coæqualẽ & consubstantialem* ὁμοούσιον *Patri, credimus omnes, & necessarius est articulus in Ecclesia. Nec tamen è scripturis habetur, sed ex traditione.* Ergo, &c.

Resp. Falsum assumtum Zach. 13. *Excitare ô gladie in Pastorem meum, & in virum socium, patrem, coæqualem mihi* Est autem de Christo intelligendum, quia Christus de se hoc citat testimonium Ioh. 10. *Ego & Pater vnum sumus.* Ioh. 5. *Æqualem se faciens Deo.* Item, *Ego in Patre, Pater in me,* Ioh. 10. *Facis te Deum, cùm sis homo.*

Deinde, quomodo igitur patres refutarũt Arium, si scripturis non potuit conuinci? Quomodo verum illud, scripturam valere ad ἔλεγχον? Augustinus contra Maximin. demonstrat id ex sacra scriptura.

IV. *Duas esse naturas in Christo, humanam & diuinam, articulus est ad salutem cognitu necessarius. At non est in Scripturis.*

Resp. Falsissimum hoc est. Ioh. 10. *Potestatem habeo ponendi animam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Ergo Deus & homo 2. Cor. 13. *Mortuus ex infirmitate, viuit ex virtute Dei.* 1. Pet. 3. *Mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu, &c.*

V. *De duabus in Christo voluntatibus nihil esse expressum in Scripturis.*

Resp. Imò 1. sunt in Christo duæ naturæ distinctæ, humana & diuina. Ergo duæ voluntates. Vtraque enim [illegible] habet voluntatem. 2. Patres damnarunt Monothelitas in Concilio Constantinopolitano 6. ex scripturis, Ergo &c. 3. Luc. 22. *Pater, transeat calix iste: verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.*

VI. *De anima & mente Christi nihil esse in sacra Scriptura.*

Resp. Nego. Mat. 26. *Tristis anima mea vsque ad mortem.* Heb. 2. *Per omnia fratribus similis factus, excepto peccato* Luc. 2. *Iesus profecit sapientia.* Ergo habebat mentem, vbi sapientia.

VII. Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio: vt omnes concedunt: non tamen est hoc in Scripturis. Ergo &c.

Resp. August. contra Maxim. Ariminens. Episcopum, li 13. c 14. & deinceps contrarium probat è Scripturis. Io. 15. *Ego mittam eum à Patre, &c.*

VIII. *De virginitate Mariæ* etiam post partum: & tamen vnde è scripturis probari potest?

Respond. Epiphanius contra Antidico Marianitas, libr 3. Tom. 2. conatur è Scripturis probare. Idem alij Sed ego dicam, hoc ideo nos credere, quia pium est sic sentire de virgine Maria, cùm nullum habeamus certum in contrariam partem testimonium, & multis aliis de causis. Cæterũ nego talem

talem esse articulum fidei, vt qui hoc non credat, idcirco pro hæretico haberi debeat, aut obiturus ille sit mortem æternam.

IX. *Symbolum Apostolicum* quam necessarium sit, vt firma fide credamus & confiteamur, nemo est qui nesciat. Non est tamen in scripturis.

Resp. Etsi non ibi sit hæc forma & ordo verborum: est tamen tota doctrinæ substantia. Fallacia igitur Accidentis.

X *Baptizandos* etiã esse paruulos, nõ habemus (inquiunt) expressum in sacris Literis: & tamen damus, omnes esse baptizandos.

Resp. Etsi non extet præceptum Christi verbis expressum hac de re: ex ipsis tamen scripturis, vti ex doctrina de fœdere, & de filiis fidelium perspicuè & necessariò colligitur, vt suprà à nobis ostensum fuit. Iubet enim Christus obsignari sibi, quicunque in suum fœdus recipiuntur. Matt. 28. Atqui filij fidelium in fœdus sunt recepti. 1. Cor. 7. Item Matt. 10. *Horum enim est regnum cœlorum.*

XI. Ad Cœnam admittendas esse mulieres, non est expressum in sacris Literis. Christus enim Cœnam egit tantum cum discipulis.

Resp. Etsi in illa Cœna non legantur vllæ interfuisse mulieres: non tamen inde sequitur: ex Christi igitur doctrina non haberi, mulieres ad Cœnam esse admittendas. Apostolus enim apertè ait, quod tradidit Corinthiis, se à Domino accepisse, 1. Cor. 11. Atque is docuit, etiam mulieres debere edere de pane Domini. *Probat autem seipsum homo.* Homo autem significat tam fœminam, quàm masculum. Item sacramentum Paschæ tam à mulieribus quàm à viris celebatur: Ergo & Christi Cœna, quæ in eius locum successit. Item tam mulieres debent edere de carne Christi spiritualiter, quàm viri. Ioh. 6. *Nisi manducaueritis carnem meã, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis.* Ergo etiam de sacramento carnis.

XII. Descensus Christi ad inferos non est expressus in sacris Literis: & tamen confitemur omnes in symbolo.

Resp. Etsi nonnullis videtur hæc particula longè post prima illa concilia, vt Nicenum, &c. adiecta fuisse: neque enim huius fit mentio in symbolis veterum Conciliorum: tamen collectam hanc esse è scripturis, liquet. Non loquor iam de intelligentia horum verborum, sed de verbis ipsis. In Psalm. 16. qui de Christo est, teste Petro Act. 2. & Paulo Act. 13. Christus sic alloquitur Patrem: *Non derelinques Animam meam in inferno.*

XIII. Quod Maria sit & debeat vocari Mater Dei.

Resp. Imo hoc definitum secundùm scripturas à Patribus in Conciliis, vt Chalcedonensi, &c. Item Luc. 1. Elisabeth ait: *Et vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Quem vocat Dominum? Deum. Idem igitur sunt mater Domini, & mater Dei. Item Luc. 1. *Quod nascitur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Si quod natum est ex Maria, filius Dei est & Deus: quis non videat, eam matrem esse & appellari debere Dei, propter hypostaticam vnionem duarum naturarum, & communicationem idiomatum.

XIV. *Quòd beatorum Animæ statim à corpore exutæ, clara visione, diuinitatem videant, &c.*

Resp. Imo habetur cum aliis in locis, tum 2. Cor. 5. Ibi enim ponit apertè duplicem fidelium statum: vnum in hoc corpore, alterum extra corpus. Et dum sumus in corpore, ait nos peregrinos esse à Domino. Cùm soluti sumus à corpore, ait nos *peregrinari à corpore, & præsentes adesse apud Dominum.* Ergo animæ fidelium solutæ à corporibus, migrant ad Dominum, & ante illum stant, eùmque vident.

XV. De sanctificatione Diei Dominicæ, non habemus in scripturis: & tamen nemo est, qui non hunc sanctificet diem.

Resp. Imo è scripturis colligimus, Apo. 1. Actor. 20. 1. Cor. 16. Quæ enim solebant fieri die sabbathi, Apostoli transtulerunt in diem Dominicam, vt ibi liquet: neque hoc ex se, sed iuxta voluntatem Dei, qui volebat, vt etiam dies sabbathi, quatenus ceremonialis erat, corrigeretur: quando omnia ceremonialia vsque ad tempus correctionis fuerunt imposita, Heb. 9.

Argumenta tertiæ Classis, sumpta ex Patribus.

Patres antiquissimi, qui aut Apostolorum discipuli fuerunt, aut saltem non ita multo post Apostolorum tempora vixerunt, testantur, multa fuisse per Apostolos in Ecclesia constituta ad pietatem pertinentia, idque ore tantùm, de quibus nullum Apostolicum extat scriptum: & harum traditionum multas commemorant Patres: dicúntque his nõ minus fidei esse adhibendum, quàm scriptis: & ad has prouocant, cùm disputant cũ hæreticis. Est igitur falsum quod dicitis, (aiunt Pontificij) omnia ad salutem necessaria & ad pietatem pertinentia, contineri in scripturis. Illud vero Assumptum conantur probare testimoniis Patrum in medium allatis.

1. Irenæus li. 3. ca. 1. 2. 3. 4. duo in summa docet esse, quibus Christiana religio nititur: primum quidem scripturã sanctam: deinde traditionem Apostolicam: & ad hæc duo prouocant veri Christiani. Contrà vero Hæretici aut scripturas negant, si non in totum, saltem ex parte: aut traditionem: aut vtrumque. Proinde cùm negantur scripturæ, aut reiiciuntur, quasi non sint perfectæ, docet confugiendum esse ad Ecclesias Apostolicas, & in primis ad Romanam, vbi retinentur puræ traditiones Apostolicæ. Hæc est summa doctrinæ Irenæi de iis traditionibus. Scribebat autem aduersus Valentinum & eius discipulos, qui non agnoscebant vnum tantùm Deum conditorem Cœli, prædicatum à Prophetis.

2. Tertullianus lib. de præscriptionibus aduersus Hæreticos, 1. statuit fidei regulam & summam, quæ habetur in symbolo Apostolico: hæc statuit vnum Deum, & vnum Filium Dei Christum. 2. Qui hanc non admittunt, hæretici sunt, & hos ad nullam de scripturis disputationem admittendos esse docet. Atque hæc præscriptio prima est contra Hæreticos: quia etiam ij (de quibus agit, Marcionitæ) non admittunt omnes scripturas, & quas admittunt, detractionibus & additionibus corrumpunt. Item, quia etiam illi dicunt, nos peruertere scripturas, ideo non esse ad scripturas pronocandum, nec in iis constituendum certamen.

2. Si Dominus Iesus Christus Apostolos misit ad prædicandum: non alios esse recipiendos prædicatores, quam quos Christus instituit: quia nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Quid vero Apostoli prædicauerint, hoc est, quid illis Christus reuelârit, non aliter probari debet (id est, per alios testes) quàm per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, prædicando eis viua voce, deinde etiam per Epistolas.

3. Si hæc ita sunt, constat igitur omnem doctrinam, quę cum illis Ecclesiis Apostolicis, & originalibus fidei conspirat, veritati deputandam: id sine dubio tenere, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo accepit: reliquam vero doctrinam omnem de mendacio præiudicandam, quæ sapit contra veritatem Ecclesiarum & Apostolorum, & Christi & Dei.

Et quia hæretici dicebant, 1. Apostolos non omnia sciuisse: 2. si sciuerunt, non omnia prædicasse: 3. & si prædicarunt, Ecclesias aliter accepisse, quam Apostoli docuerint: ideo aliam addit præscriptionem.

4. Ecclesiæ ita ab Apostolis acceperunt, sicut illi prædicarunt. Et quia hæretici addebant, Ecclesias etsi de principio bene acceperunt, tamen postea errasse, & defecisse à veritate, vt Ecclesiæ Galatiæ & Corinthiacæ: ideo obiicit illas, quas Apostolus laudat à constantia in fide, vt Philippenses, Ephesios, &c. Non est verisimile, omnes Ecclesias in vnam fidem errasse. Apud omnes vna & eadem semper fides. Ergo veritas, non error.

5. Illud est verum & Dominicum, quod prius fuit traditum: illud extraneum, & falsum, quod posterius immissum.

Talis doctrina Ecclesiæ de vno Deo, id est prima: posterior fuit hæresis, Marcionis & Valentini.

Sed quia potuissent fortè hęretici dicere, se quoque fuisse tempore Apostolorum: ideo remittit ad successiones Episcoporum, & ait, vt ostendant origines suarum Ecclesiarum, euoluant ordinem suorum Episcoporum, vt tandem veniatur ad aliquem, qui Apostolos audiuerit, sicut possunt nostrę Ecclesię Catholicę.

Sed etsi hoc confingant: tamen nihil efficient, quia doctrina eorum cum Apostolica comparata: ex diuersitate & cõtrarietate sua pronunciabit, neque Apostoli alicuius autoritatis elsent, neque Apostolici, pag. 107. Et ideo subdit, Ecclesias quę post Apostolorum tempora fuerunt, posse hac forma, id est, argumento à doctrina sumto, demonstrare, se esse Ecclesias Apostolicas: Hæreticas autem neque hac forma, scilicet à doctrina, neque altera forma, scilicet à successione Episcoporum vsque ad ipsos Apostolos resoluendo, se esse Apostolicas, probare.

6. Sed contra addit aliam pręscriptionem: illas non esse Apostolicas Ecclesias, quę illas doctrinas, quas Apostoli dederunt, adhuc retinent, siue fuerint tempore Apostolorum, siue post. Vide locum, pag. 107.

Summa: ostendit hãc regulam de doctrina, illam esse, quę pręcipuè agnoscũtur quę sint Ecclesię Apostolicę, quæ non: Ideo ait pa. 109. *Vnde autem extranei, & inimici Apostolis ha-*

retici, nisi ex diuersitate doctrinæ, quam vnusquisque de suo arbitrio, aduersus Apostolos, aut protulit, aut recepit?

2. Si hinc de sententia Patrum concluditur, non omnia esse in scripturis comprehensa, quæ ad salutem necessaria sunt: sequitur Patres istos secum pugnare. Nam, vt suprà citauimus loca, vbique docent, in scripturis ita omnia contineri ad pietatem Christianam pertinentia, vt nihil admittendum sit, quod non habeat testimonium è scripturis. Et quidem Tertullianus ipse, li. de carne Christi, sic reiicit hæreticorum dicta: Non recipio (inquit) quod extra scripturam de tuo infers. Concilient igitur illos inter se Papistæ, quia illorum autoritate nituntur. Neque dicendū est, Patres in illo primo axiomate errasse de scripturarum perfectione, quia illud consentaneum est cum scripturis ipsis, atque ita consentaneum, vt si Patres contrarium sentirent, omnino illi essent reiiciendi. Non est autem verisimile, Patres in iis duobus axiomatis secum pugnare. Non potest igitur ex iis, quæ scribunt de traditionibus, concludi. Non omnia ad salutem necessaria contineri in sacris Literis, etiam de Patrum sententia. Hoc postea faciam ego planum, cùm explicabo dicta horum Patrum.

2. Probent Patres isti, omnes has, quas commemorant, esse traditiones Apostolorum, & recipiemus.

3. Omnes traditiones, quæ vel in Patribus leguntur, vel ab aliis obtruduntur, examinandę sunt ad lapidem lydium sacrarum scripturarum: sic etiam Patres docent esse faciendum. Legatur saltem Epistola Augustini 19. ad Hieronymum, *Ego sentio, &c.* & citatur in Decret. dist. 9. Tunc istas traditiones inueniemus aut cum scripturis Canonicis esse consentaneas, aut dissentaneas: aut neque consentaneas, neque dissentaneas. Si fuerint consentaneæ, eas vt Apostolicas, pias & bonas admittemus: sed tunc constabit, eas nō esse extra scripturas. Quicquid enim consentaneum est Scripturis sacris, testimonia vtique habet in Scripturis. Proinde dici non poterit, aliquid ad salutem necessarium, extra scripturas reperiri. Et tales fuerunt omnes Apostolorum traditiones. Si fuerint dissentaneæ: nemo dicet, eas esse Apostolicas, & necessarias aut vtiles ad salutem, sed potiùs contra salutem. Quicquid enim pugnat cum sacris Literis, illud etiam repugnat saluti nostræ, eòque Apostolicū esse non potest: & ideo vt venenatum & perniciosum reiiciendum est. Et tales multæ sunt in Papatu traditiones. Quare neque de istis dici potest, aliquid ad salutem necessarium, extra scripturam reperiri.

Si fuerint neque consentaneæ, neque dissentaneæ: non erunt igitur ad salutem necessariæ. Quicquid enim cum scriptura neque dissentit, neque consentit, illud ἀδιάφορον est, & proinde neque necessarium ad salutem, neque contra salutem. Imo si hæc, quæ suapte natura ἀδιάφορα sunt, coniungantur cum superstitione aut obligatione conscientiæ, fiunt perniciosa & pugnantia cum sacris Literis. Ergo neq; de iis poterit dici, aliquid ad salutem necessarium extra scripturas reperiri. Quare stat sententia, Nihil extra scripturam reperiri posse, quod ad salutem nostram necessariū sit vel creditu, vel factu: ac proinde quæ tradunt Patres de traditionibus, minimè pugnare cum hac nostra propositione: *Quæcunque ad salutem nostram necessaria sunt, ea omnia in scripturis Canonicis abundè & perspicuè contineri.*

Atque hæc esto breuis responsio ad omnia Patrum dicta & scripta de Traditionibus Apostolicis.

Cæterùm, quò melius intelligantur illa, quæ Patres scribunt de traditionibus non scriptis: & quid de illis traditionibus senserit vetus Ecclesia, atque ita fructum aliquem ex illorum scriptis capiamus: tria nobis agenda sunt.

Primum, explicandum nobis est, quot & quæ traditionum species apud Patres legantur: & quas vt necessarias ad obseruandum, & quas non vt necessarias, fidelibus proposuerint.

Deinde tradendæ regulæ, quibus possimus fieri certiores, quænam illarum sint veræ Apostolicæ traditiones, quæ minùs: sed aut humanæ aut diabolicæ.

Postremò ad quædam Patrum præcipua dicta, maximè Irenæi & Tertulliani, respondendum fuerit: vt quomodo illa sint intelligenda, & qui verus sit illorum sensus, appareat.

DE PRIMO.

Si Patrum loca, vbi de traditionibus loquuntur, diligenter inspiciātur, luculenter videbimus has distinctiones, quarum prima est.

1. Traditionum quæ apud Patres leguntur, aliæ sunt de doctrina fidei, aliæ de ritibus & ceremoniis Ecclesiasticis: aliæ de moribus & præceptis vitę.

2. Harum traditionum aliæ proponuntur, vt necessariæ ad credendum & agendum, aliæ non vt necessarię.

Nunc explico subiectis exemplis: ac primùm de traditionibus quæ sunt de doctrina

Inter traditiones de doctrina, quæ vt necessariæ proponuntur à Patribus, sunt etiam hæ:

Prima, de libris Canonicis & Apocryphis, tam noui quàm veteris Testamenti: Quinam sint Canonici, & qui non Canonici. Sentiunt Patres omnes, hoc nos habere ex sola veterum traditione, Apostolorum scilicet & Apostolicorum virorum: nempe (interpretor) quoad nomina autorum, & quoad principium fidei.

Secunda de summa Canonicorum librorum & regula fidei. Summam doctrinæ Christianę, & regulam fidei nobis esse symbolum, quod Apostolorum vocatur. Hoc esse fuisse ab Apostolis compositum, nos non habere è scripturis, sed tantùm ex traditione. Hanc autem summam fidei que regulam, vti traditionem Apostolicam omnibus Ecclesiis communicatam, vtique vrgent Patres, præsertim cùm disputant contra hęreticos: atque ita hanc traditionē vrgent, vt qui nolunt eam admittere, dicant eum iis non esse veniendum in disputationem, etiam velint scripturas vrgere. Vide Tertull. de pręscriptionibus.

Tertia de sensu scripturę S. Scripturam sanctam iuxta eū sensum, quem in communi symbolo confitemur, esse intelligendam & explicandam, vt nihil cum sensu, quem simpliciter habemus in symbolo, pugnet. Hanc etiam esse traditionem Apostolicam.

Hę tres generales traditiones de doctrina sunt obseruatu necessariæ. Sunt enim consentaneę sacris Literis. Agnoscimus enim nos, *primùm*, ex ipsis sacris Literis, per Spiritum S. nobis apertis & explicatis, eas verè esse θεοπνεύστους. *Secundò*, agnoscimus doctrinam, quę est in symbolo, verè esse Apostolicam, & è Scripturis sacris desumtam, eòque veram esse fidei regulam. *Tertiò*, agnoscimus scripturas esse interpretandas & intelligendas iuxta simplicem sensum, quem habemus in hoc symbolo, quod est regula fidei. Sic enim Rom. 12. docet etiam Apostolus.

Ex iis tribus generalibus, postea colligunt Patres alias traditiones particulares, de singulis articulis fidei: Vt

Irenæus & Tertullianus contra Hęreticos in li. de pręscriptionibus & alibi, vrget hanc doctrinam tanquam traditionem Apostolicam apud omnes Ecclesias depositam, vnum tantùm esse Deum, & hunc esse illum, qui creauit Cœlum & Terram: Et vnum Mediatorem Iesum Christum. Hęc doctrina apud omnes Ecclesias retinebatur firmissima. Ideo non immeritò Patres vrgebant hanc traditionem, & prouocabant ad Ecclesias Apostolicas ipsos hęreticos, Marcionem, Valentinum, & alios: qui cùm euincerentur per scripturas, aut illas negabant, aut peruertebant, addendo, diminuendo: vel non omnia in illis contineri, vel non omnia bene esse expressa contendebant, vt docet Tertullianus.

I. Sunt pręterea alię traditiones ad *doctrinam* pertinentes, & de interpretatione scripturarum apud Patres: sed quæ non proponuntur tanquam necessarię: Et si ab aliquibus proponuntur vt necessariæ, non sunt tamen admittendę. Nam neque ab omnibus proponuntur vt Apostolicę, neque verè sunt Apostolicę. Exempla, vt quòd Epiphanius scribit, cùm Lazarus moreretur primum, fuisse eum 30. annorum.

E scripturis hoc non habemus: volebat ex traditione esse: sed non vt necessarium. Item, quòd Basilius voluit, Zachariam qui occisus fuit inter templum & altare, fuisse Patrem Iohannis Baptistę. & similia. Hęc certe non habuerunt ab Apostolis: sed opiniones antiquorum hominum fuerunt. Ideo Patres si hæc obtrudebant vt traditiones Apostolicas, hallucinabantur.

II. De traditionibus vero, quæ sunt de *ceremoniis Ecclesiasticis*, illud notandum est: Patres antiquos nunquam alia sacramenta præter Baptismum & Cœnam proposuisse Ecclesiis, nec in scriptis suis reliquisse, tanquam ex traditionibus Apostolorum aut aliorum antiquorum. Et hoc obseruandum est contra Papistas. Quod verò attinet ad alios ritus & Ceremonias Ecclesiasticas, multos tradunt: sed horum alios proponunt, vt vniuersales & necessarios ad obseruandum, alios non ita. Exempla priorum.

Vniuersales & necessarij sunt, vt de conuocanda Ecclesia in certum locum.

1. Quod fideles celebrent conuentus Ecclesiasticos, & in iis scripturas legant, sacramēta solenniter administrent, habeant publicas preces, etiam pro impiis Regibus.

2. Item vt in Baptismate baptizandus renunciet Mundo & Diabolo, & suam in Christum profiteatur fidem: Item vt ne-

vt nemo admittatur ad Cœnam,nisi suam profiteatur fidē. Et aliæ id genus.

Hæ traditiones,quia & vniuersales erant,& consentaneę sacris literis, ideirco proponebantur vt necessariæ ad obseruandum: & reuera obseruandæ sunt.

Exemplum secundarum, hoc est, illarum, quæ de ritibus Ecclesiasticis erant, sed non vniuersales, & proinde neque necessariæ ad obseruandum,quales multæ apud Tertull.de coro.militis:Vt

1. Quod baptizati olim consueuerint post acceptum baptismum lac & mel comedere. Quod Christianus,ad quęcunque agitat,signo crucis frontem muniret: Quod diebus Mercurij & Veneris ieiunare debeat: Et aliæ id genus permultæ, de quibus copiosé Basilius lib. de Spiritu S.cap.27.

Cæterùm non omnes, quas ibi recitat, fuerunt vniuersales: deinde non omnes consentaneæ sunt verbo Dei. Ideo non erant nec sunt necessariæ ad obseruandum.

III. Quod ad *traditiones de moribus* & legibus vitæ attinet, sunt illæ ferè cum lege Dei consentaneæ, exceptis quibusdam de conuersatione & vita clericorum: quarum aliæ humanæ sunt,& nullo nituntur fundamento in verbo Dei: aliæ sunt pugnantes,& ideo impię,vt quæ de votis & Cœlibatu. *Epiphanius* in refutatione Apostolicorum ait,hanc esse traditionem Apostolicam, Qui vouerunt cœlibatum,si postea vxores ducant,illos peccare, & κρίμα sibi accersere. Sed pugnat cum Pauli doctrina, 1.Corinth.7. Cùm de omnibus ait,*Qui non potest se continere,nubat.* Imo etiam ipse Epiphanius in eodem loco ostendit,multo melius esse,vt etiam huiusce modi homines, qui votum fecerunt cœlibatus,contra votum faciant, vxores ducendo, quàm perpetuo tot criminibus & vstionibus versari. Quomodo hoc melius,si illud primum damnatur,& cōtra Deum est?Quo testimonio nititur?Vtique illo Apostoli,1.Corinth.7. *Melius est nubere, quàm vri.* Ergo etiam in traditionibus de vitæ legibus,quædam sunt pugnantes cum verbo Dei.Atq; hæc de primo capite satis.

II.

Veniamus nunc ad secundum caput, quibusnam regulis agnoscere possimus,quæ traditiones sint Apostolicæ,& quæ non Apostolicæ.

Augustinus Tom.7. contra Donatistas, lib.4.c.24.hanc tradit regulam: *Quod vniuersa tenet Ecclesia,nec Conciliis institutum,sed semper retentum est:non nisi autoritate Apostolica traditum,rectissimè creditur.* Idem ferè repetit in epistola ad Ianuarium 118.Hanc regulam ego non reiicio,sed amplector: nempe si aliquid in Ecclesia (id est, tota, & in omnibus) & semper (hoc est,iam inde ab Apostolorum temporibus, sine vlla intermissione) retentum fuit : illud venire de traditione Apostolica. Sed vt hoc probetur,hoc opus,hic labor est.

Ergo certiorem nos adferemus regulam : Ea autem hæc est:*Si hæ traditiones vna ex parte fundamentum habeant aliquod in scripturis*,hoc est,*si possint è scripturis necessariò concludi: & ex altera faciant ad pietatem promouendam, hoc est, tam ad internum cultum qui consistit in fide, spe, charitate & bona conscientia,excitandum,conseruandum, promouendum: quam ad externum, qui consistit in sacramentorum perceptione & precibus publicis reuerentius exercendum: has dicimus esse Apostolicas, easque vt pias & salutares esse recipiendas & obseruandas.* Ratio huiusce regulæ est,quod omnes Apostolorum traditiones, de quibus nemo dubitat, quin Apostolorum fuerint, hæc duo habuerunt : *primum* fundamentum in verbo Dei:*deinde* vtilitatem ad pietatem promouendam & ædificationem.

1. Id manifestum fit ex generali regula,quam Apostolus præscribit de iis rebus 1.Corinth.14.*Omnia ad ædificationem fiant.* Item infra, *Omnia autem decenter, & secundùm ordinem fiant.* Ergo hanc quoque seruarunt regulam Apostoli in suis traditionibus.

2. Ex locis,vbi legimus constitutiones Apostolorum. In omnibus his locis hæc duo videbis. *primum*, omnes illas Apostolicas institutiones, habere fundamentum in verbo Dei,hoc est,in doctrina Prophetica & Christi.2.finem habere ædificationem Ecclesiæ, vt seruiant cultui diuino, vel spirituali & interno, vel corporali & externo, qui tamen etiam propter internum est institutus. Exempla aliquot.

1.Corinth.11. instituit, vt in Ecclesia *mulieres orent capite tecto,viri detecto.* Primùm vide,quot vtatur rationibus è scripturis deductis,vt ostendat,hanc constitutionem esse recipiendam,& esse secundùm voluntatem Dei. Imo præmittit,dicendo,Imitatores mei estote sicut & ego Christi. Secundo, vide finem huius constitutionis:esse honestatē,decorum in Ecclesia seruādum, eōque ædificationem Ecclesiæ,hoc est,vt externus cultus,vt est auditio verbi, & preces, & sacramentorum perceptio,maiori cum honestate & decoro exerceatur.Item alium finem,vt quisque ea ceremonia moneatur sui officij,hoc est vt agnoscat vir,se caput esse mulieris:mulier suæ subiectionis, qua subiecta est viro. Hæc autem sunt vtilia ad cultum internum.

Item ibidem statuit modum celebrandi Cœnam Domini:nimirum,vt omnes simul cōueniant, & alter alterum expectet.Primo ostendit hoc ex verbo Dei,id est,ex institutione Christi,esse faciendum. 2. Finis est ipsorum salus,vt ne fiant rei corporis Christi: Item,vt cœna maiori cum reuerentia sumatur:Et vt hæc externa ceremonia conueniēdi simul,seruiat interno cultui,fidei scilicet & charitati,vnionique animorum.

1.Corinth.14. instituit quomodo debeant in Ecclesia vti linguis:nimirum,vt non loquantur linguis sine explicatione & interpretatione.1 Quot rationibus vtitur è scripturis etiam deductis,vt probet, hoc esse iuxta voluntatem Dei, bonum & honestum.Nam post multas rationes,attulit etiam scripturam,dicendo:*In lege scriptum est,variis linguis,& labiis variis loquar populo huic (infideli) & ne sic quidem audient me:* quasi dicat Apostolus,Ne sinatis huiuscemodi homines loqui in Ecclesia, qui peregrinis loquuntur linguis sine explicatione.Nam hoc signum esset,Deum vos non amare, quod tales soleat mittere Prophetas populo infideli, quem non vult veritatem intelligere, & sacras Literas noscere.2.Finem huius institutionis aperte dicit esse ædificationem Ecclesiæ,vt habeant consolationem,exhortationē, &c.hoc est,vt seruiat cultui interno,fidei,charitati,consolationi spiritus.

Ephes.4.Cùm verba facit de fine,propter quem Christus in Ecclesia instituit Ministerium: docet esse *ædificationem corporis Christi.* Hinc colligimus finem omnium ceremoniarum, & quæcunque in cœtu fidelium instituuntur & fiunt,debere esse ædificationem Ecclesiæ.Si hic absit,nullæ sunt bonæ, & ex Christi voluntate institutiones traditionésve Ecclesiasticæ.

2.Thess.2.Vbi dicit, *Tenete traditiones quas didicistis*,præmisit hæc verba:*Nos autem gratias agere debemus Deo semper pro vobis, dilecti à Deo, quòd elegerit nos Deus ab initio in salutem,in sanctificatione spiritus.* Vide reliqua. Docet illis verbis, quales illis traditiones commendet, quasque ab Apostolo acceperint illi:nempe tales, per quas commoueri potuissent ad plenius obtemperandum Deo. ad proficiendum in sanctificatione spiritus, in fide veritatis, & in acquisitione gloriæ Domini nostri Iesu Christi.Finis igitur traditionum est, vt seruiant ad proficiendum in sanctificatione spiritus,in fide veritatis, & in acquisitione gloriæ Christi.

1.Corinth.5.vbi instituit,quomodo *excommunicatio exerceri debeat* in illum incestum, mox ostendit causam finalē, vt scilicet ille pudefactus in carne, prouocetur fortius ad pœnitentiam,& ita spiritus saluus fiat. Illæ igitur traditiones,quibus homines magis ad pœnitentiam veram prouocantur,Apostolicæ sunt & bonę.

Idem in 2.Cor.7. probat illas contristationes, quæ excitant ad pœnitentiām. *Nam etiamsi* (inquit) *vos contristaui per Epistolam,non me pœnitet.Nam gaudeo, quòd contristati estis ad pœnitentiam.*

1.Timoth.5. Illa traditio,ne iuniores viduę admittantur ad illud Ministerium Ecclesię, quo seruiebatur sanctis ægrotis,& alia pietatis exercitia pręstabantur:sumtibus autē Ecclesię hoc hominum genus sustentabatur:fuit ideo instituta ab Apostolo,quia vtilis erat Ecclesię,& etiam illis viduis ad ædificationem cedebat,vt liquet ex contextu.

Item quę scribit Ephes.5. & 6. de officio parentum erga liberos,liberorum erga parentes: seruorum erga dominos, dominorum erga seruos.Item 1.Timoth 6.de seruorum officio erga dominos.Item 1.Timoth.5. de modo,quo admonendi & corrigendi sint senes,mulieres,&c.Et quę 1.Pet.2. de officio subditorum erga suos Magistratus etiā impios. Item,quę de ornatu & vestimentis mulierum, 1.Tim.2. & 1.Pet.3. Et si quę alię reperiuntur traditiones in scriptis Apostolicis, videbis in eis hęc duo : primùm,fundamentum eas habere in verbo Dei,in lege Domini: secundo,illarum finem esse ędificationem, & vt quisque diligentius incumbat suę vocationi,& spiritualem promoueat cultum.

Hinc igitur colligitur regula de omnibus aliis traditionibus,quę in scripturis non continentur. Quomodo poterūt agnosci an sint Apostolicę,nec ne?1.Si fundamentū habeant in verbo Dei.2.Si faciant ad promouendam pietatē, ad excitandam pœnitentiam & fidem:denique si ad id seruiant,vt fideles maiori studio, & maiori cum fructu,tā doctrinam,quàm sacramenta,& mandata Dei audiant,percipiántque,plenius credant,& in tota vita obseruent. Quę illud nō habent,neque ad hunc finē tendunt,inutiles & vanę

sunt: ideo nō Apostolicæ, sed merè humanæ. Si verò aut pugnent cū verbo Dei, aut eò faciant, vt homines in iis & suis operibus ponant fiduciam & spem remissionis peccatorum ac salutis, sunt Diabolicæ. Atque hæc de secundo satis.

Cùm hæc ita habeant: nunc singulæ traditiones, quæ apud Patres leguntur, ad has regulas examinandæ essent, & videndum, quænam fundamentum habeant in scripturis, quæ non habeant: Item quę seruiant pietati promouendæ, & sacramentis reuerenter participandis, & quę nō seruiāt: atque ita concludendum, quæ sint Apostolicæ, ac proinde recipiendæ, & quæ non, ac proinde reiiciendę: Sed quia hęc res nimiæ esset prolixitatis, idcirco sufficiat in præsentia, si breuibus aliquot propositionibus complectar ea, quæ fusiùs aliàs de iis omnibus traditionibus explicabuntur.

In genere igitur & in vniuersum de traditionibus, quæ apud Patres leguntur, retinendæ sunt hæ propositiones.

Prima: Quædam sunt, quæ non solùm habent fundamētum in verbo Dei, verum etiam semper efficaciter faciūt ad pietatem exercendam, promouendam, conseruandam, ac proinde Apostolicæ sunt, & omnibus Christianis seruādæ, & quæ bona conscientia omitti non possunt: vt, de summa doctrinæ Christianæ, quę in symbolo continetur: vt de habendis publicis precibus in Ecclesia certis diebus pro omnibus hominibus: vt de administratione sacramētorum publica, nō priuata, tam Baptismi, quàm Cœnę: vt de solenni exercitio disciplinæ & excommunicationis. Hæ enim omnes, & aliç etiam similes, testimonium habent in verbo Dei apertum, & plurimum conducunt ad pietatem & ad ædificationem Ecclesiæ: & ab omnibus Ecclesiis fuerunt receptæ: & proinde etiam Catholicæ & Apostolicæ appellatæ.

Secunda. Aliç sunt: quę fundamentum quidem habent in verbo Dei, & aliquando etiam profuerunt ad pietatem: sed iam non amplius prosunt: ac proinde Apostolicæ quidem sunt, sed quia non amplius vtiles, idcirco non est necesse, vt obseruentur. Vt illa traditio de abstinendo ab idolothytis, sanguine, & suffocato: Ac proinde etiamsi hæ fuerunt Apostolicæ, non sunt tamen Catholicæ.

Tertia: Quędam non habent fundamentū in verbo Dei: sed tamen possent ad pietatem facere & ad ædificationem, si sine superstitione exercerentur. Ideo non Apostolicæ quidem sunt, sed Ecclesiasticæ. Et harū Ecclesiasticarum quædam sunt vniuersales, & ab omnibus Ecclesiis & semper admissę, ac proinde Catholicę dictę: vt, quòd celebretur *dies Natalis Domini, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, & id genus alia.* Ideo hæ contemnendæ non sunt, sed seruandæ, modò absit omnis superstitio.

Quarta: quædam verò sunt particulares, à particularibus Episcopis in suis Ecclesiis institutę, & hac de causa Episcopales appellatę: atque hę proinde liberę sunt & esse debent omnibus Ecclesiis: vt, de tempore celebrandi Pascha: aliud fuit tempus Ecclesiis in Asia, aliud Ecclesiis in occidente. Ita de traditionibus celebrandi Cœnam, alibi frequentius, alibi rarius.

Quinta: Quędam vero sunt, quę nullum habent in scripturis fundamentum, & nihil faciunt ad pietatem, neq; ad ædificationē: sed neque pugnant cum verbo Dei, neq; sunt contra pietatem suapte natura. Ideo Apostolicę esse non possunt, sed merè humanę. Et tales permultę retinentur in Papatu, inanes & leues: vt, quod in Cœna Domini aliquid aquę imponatur in vinum.

Sexta: Quędam autem sunt, quę pugnāt cum verbo Dei, eòq; etiam obsunt pietati: ac proinde nec Apostolicę sunt, nec Ecclesiasticę, nec merè humanę, sed diabolicę: eòque nec liberę, sed damnandę & vitandę: Vt, quod tradit Epiphanius, Eos qui post votum virginitatis vel cœlibatus vxores ducunt, peccare: Vt, traditio de retinendis imaginibus, de inuocandis mortuis. *At sancti sunt, qui hæc scripta reliquerunt.* Resp. Fuerunt etiam homines, ideo & falli & fallere potuerunt.

Cęterùm ex iis omnibus, quæ de traditionibus istis diximus, non potest colligi, aliquid ad salutem esse necessariū, & ad pietatem pertinere quod non contineatur in sacris literis. Non omnes bonę traditiones, vt Apostolicę, fundamentum habent in verbo Dei: Quæ autem sunt tantùm Ecclesiasticæ, liberæ sunt omnibus Ecclesiis.

III.

Ex iis propositionib. generalibus liquet, quid ad quædā specialia Patrum de Traditionibus dicta, respondendū sit.

Et *primùm* ad illud, quod scribunt Ecclesiam accepisse ab Apostolis non solùm ἐγγράφως, sed etiam ἀγράφως. Basilius de Spiritu sancto, Epiphanius.

Resp. Hoc facilè damus, vt liquet de symbolo Apostolico, quod tamen in scripturis iuxta illam verborum formā & ordinem non continetur: Et hanc dicimus esse primam ac præcipuam Apostolorum traditionem ἄγραφον: Et vt est traditio de libris Canonicis & Apocryphis. Item multa, quæ ad disciplinam & ritus Ecclesiasticos pertinent: de synodis etiam habendis: de ieiuniis tempore calamitoso indicendis: Et multa alia id genus, fatemur Ecclesiā accepisse ab Apostolis sine scripto: Sed addimus, hæc omnia fundamentum habere in scripturis: & deinde nihil ab Apostolis fuisse institutum, quod non faceret ad pietatem, & ædificationem Ecclesiæ. Nihil etiam leue, nihil ludicrum, nihil superstitiosum Item, addimus, quoad doctrinam, nihil diuersum ore docuisse ab eo, quod scriptum reliquerunt. Quoad sacramenta, eos nullum sacramentis duobus à Christo institutis adiecisse.

Secundum Quæ Ecclesia accepit per traditionē & ἀγράφως parem habere vim ad pietatem, & paris esse autoritatis, cum iis, quæ accepit ἐγγράφως. Basil. de Spiritu sancto.

Resp. Hoc admittimus in illis traditionibus, quæ aperta habent in scripturis testimonia, & ad pietatem non solum vtiles sunt, sed etiam necessariæ, & ideo ab omnibus Ecclesiis semper admissæ, eòque Apostolicæ & Catholicæ: vt traditio de symbolo, de libris Canonicis, & aliis quibusdā: Sed non admittimus, nec admittendum est in omnibus.

Tertium. Traditiones esse pari religione seruandas, qua & illa, quæ habemus in scripturis.

Resp. Damus de illis Catholicis, de quibus antea dictum est: non de omnibus, etiamsi habeant testimonium in scripturis, & aliquando fecerunt ad pietatem: vt traditio de abstinendo à suffocato & sanguine, habebat testimoniū in scripturis: item faciebat ad pietatem per aliquod tēpus, sed iam non facit Ideo non est pari religione seruanda. Proinde dicimus, illas esse obseruatu necessarias, quas primò constat esse conformes sacris Literis, & secundò obseruatas semper fuisse, & in omnibus Ecclesiis, iam inde a tempore Apostolorum. Ideo quæ non sunt huiusmodi, non cogimur admittere: Sed sequenda est regula Apostoli 1. Thess. 5. *Omnia probate, quod bonum est tenete.*

Quartum apud Epiphan. in refutatione Apostolic. *Vbi exsistit traditio Ecclesiæ, nihil inquirendum.* Item illud Augustini ad Ianuarium: *Disputare de eo, quod Ecclesia per totum terrarum orbem seruat, insolentissima est insania.*

Resp. Hæc dicta intelliguntur de traditionibus Catholicis & Apostolicis, fundatis in verbo Dei, & ad obseruandū necessariis, de quibus suprà. Multi autem abusus introducti sunt in Ecclesiam, de quibus Augustinus ad Ianuar. 118. De iis certè non loquitur Augustinus, nec alij Patres.

Quintum, Irenæi & Tertulliani, veritatem religionis Christianæ requirendam esse apud Ecclesias Apostolicas, inter quas speciatim collocat Romanam. Item, quòd de harum Ecclesiarum fide & autoritate præscribendum sit hæreticis: ita vt cum iis, qui harum Ecclesiarum autoritatem reiiciunt, non sit per scripturas agendum.

Resp. Vt cum fructu hæc Patrum dicta explicentur ac intelligantur, notanda sunt quatuor in iis dictis.

1. Qualesnam essent illæ Ecclesiæ, ad quas volebant recurri, & quarum autoritatem ita magnifaciebant, vt si quis eas, & quæ apud ipsas erant traditiones reiiceret, cum hoc negarent esse è scripturis disputandum.

2. De quanam veritate loquerentur ij Patres, cùm scribebant inquirendam esse veritatem apud Ecclesias *Apostolicas.*

3. Quando tandem prouocarint ad illas Ecclesias.

4. Quam ob causam.

1. *Quod ad primum,* Ecclesiæ illæ, atque in primis Romana, erant veræ Apostolicæ & Christianæ, non nomine tantùm, sed re ipsa, puritate doctrinæ, sinceritate sacramentorum, seueritate disciplinæ, constantia in fide, fortitudine animi in perferendis pro Christo omne genus tormentis, charitate in fratres, mortificatione carnis, honestate vitæ, contemtu Mundi, denique sanctificatione, & Christianis Apostolicisque moribus. Ecclesiæ erant recens ab Apostolis plantatæ, in purissima doctrina, & seuera disciplina institutæ, à nemine adhuc adulteratæ, à nemine vitiatæ, ceu castissimæ & incontaminatæ virgines, in quarum ore recens adhuc lac Apostolicū hærebat, suauissiméque olebat. Atq; imprimis, vt dixi, Romana, quemadmodum Patres omnes illi vetustissimi testificantur: cui nihil vel ab ipsis hæreticis obiici poterat meritò. Ergo ad hanc, & huius similes Ecclesias, tanquam ad illas, apud quas purissima manebat doctrina, prouocabāt Patres, & volebant eas esse controuersiarū iudices, vrgebántque illarū autoritatē & contendebāt, cum iis, qui harum reiicerent autoritatem, non esse amplius è scripturis disputādum. Sed quę dissimilitudo est inter illam & hanc

& hanc? Quæ inter castam virginem, & impudentissimum scortum. Ac proinde quæ etiam est impudentia, quæ Patres scribunt de illa sanctissima & castissima virgine, ea retorquere ad hoc putidissimum, impudicissimum, & impudentissimum scortum? ad præsentem scilicet Romanam Babylonem? quæ nihil vel parum retinet amplius Apostolicæ vel doctrinæ, vel pietatis, vel disciplinæ: sed in qua diabolus regnat, in qua sedet patefactus iam toti Orbi Antichristus. Legantur obsecro, quæ apud Ezechielem scribuntur de Ecclesia Israel, c.16. Principiò, postea quam illi ostendit suam originem, vnde sit educta, explicat, quanta diligentia fuerit à Deo mandata omni labe, lota, purgata, bene nutrita, sanctissimè educata, bene colorata, pulcherrimè vestita, & omni ornamentorum genere ornata: & ita eam comparat castissimæ & formosissimæ sponsæ. Deinde explicat, quod postea facta sit, confisa sua pulchritudine. Factam esse scortum obscœnissimum impudentissimum. Legatur locus.

Hic interrogo Romanenses: si quæ ibi prædicat Propheta de Ecclesia, antequam scortaretur: vellet quis ad eandem accommodare, postea quam facta fuit scortū, an non esset impudens? Tales estis vos, dum quæ prædicant Patres de Ecclesia illa prima Romana, déque illius autoritate, de præsenti quoque interpretamini. Nam quæ scribit Ezechiel de duplici statu Ecclesiæ Israeliticæ, vaticinia fuerunt de duplici statu Romanæ Ecclesię. Fuit speciosa virgo: nunc est fœdissimum scortum. Ergo nihil ad vos pertinent ea, quæ Irenæus & Tertullianus de prima illa Romana Ecclesia, déque illius autoritate scripta reliquerunt. Sed si detur nobis talis Ecclesia, qualis illa prima fuit: nos etiā libenter dabimus vobis hanc autoritatem.

Quod ad secundum attinet: Quænam erat illa veritas, quā inquirendam esse dicebant Patres apud Ecclesias Apostolicas, & cumprimis apud Romanam?

2. Veritas erat primorum & præcipuorum Christianæ religionis articulorum, de Deo creatore rerum omnium & gubernatore: de Christo Filio Dei, & vero Deo: de vera eius morte & resurrectione. Fuerat hæc veritas primùm prædicata per Apostolos, deinde scriptis consignata: ita ad omnes Ecclesias partim per traditiones, partim in scriptis, deposita. Erat igitur veritas, de qua nullæ Ecclesiæ dubitabāt, certa, cognita, perspecta, quæ quotidie prędicabatur, in scripturis legebatur, in scholis explicabatur. Qui igitur non meritò ad illas Ecclesias, pro hac veritate tam fideliter cōseruata tāmque certa prouocasset? Sed quid hæc ad illa, quę iam inter nos & Romanam Ecclesiam controuertūtur? Nā hæc nunquam fuerunt apud omnes Ecclesias recepta, in scripturis non sunt expressa, neque è scripturis erui possūt: sed ab ipsa Ecclesia Romana contra scripturas excogitata: *de primatu Papæ:* hunc Ecclesię Orientales nunquam vobis permiserunt. *De purgatorio igne*, de hoc etiam altercatio fuit inter Orientales & Occidentales Ecclesias: *De imaginibus in templis*, quot dissidia & etiam bella inter Orientales & Occidentales? imo & inter ipsosmet Orientales, dum alij eas damnabant, alij probabant? Idem de aliis controuersiis possem demonstrare. Sed quis hæc non nouit? Non fuisse hanc de iis controuersiis doctrinam, quam nunc tenet & profitetur Ecclesia Romana, apud omnes Ecclesias receptā: imo neque semper in Ecclesia Romana locum habuisse: constat, hanc non contineri in symbolo: constat non probari posse apertis scripturarum testimoniis: ac proinde cōfugiunt ad traditiones: constat etiam, has quas de hac doctrina vigent traditiones, non reperiri apud antiquos Patres. Quid igitur illa veritas, de qua Irenęus & Tertullianus, quæ & in scripturis erat & est expressa, & in symbolo Apostolico aliisque omnibus explicata, & apud omnes, nulla excepta, Christianas Ecclesias recepta, conseruata, verissima, certissima, & extra omnem controuersiam posita: quid, inquam, hæc veritas ad hæc præsentis Ecclesię Romanæ mendacia? imo de illa veritate, de qua disputabant Irenæus & Tertullianus cum illis hæreticis, de vno Deo creatore omnium, qui est pater Domini Iesu Christi, volumus adhuc cum illis Patribus prouocare ad Ecclesiam Romanam. Vide quantum illi tribuamus? Quid igitur conqueruntur? Quæ igitur scribunt Patres illi, de inquirenda illa veritate, nihil pertinent ad præsentes nostras controuersias.

3. *Quod ad tertium: Quando illi Patres prouocabant ad Ecclesias pro illa veritate?* Posteaquam illam probassent primùm scripturis, deinde etiam traditione, hoc est, symbolo: Illi verò Hæretici aut scripturas reiecissent, aut aliarū negassent sensum, quem Patres afferebant: traditionem etiam, id est, symbolum non admisissent: Tum demum Patres, cùm viderent, nihil sibi amplius superesse armorum, quibus illos hæreticos cōfoderent, & veritatem defenderēt, nisi testimonia Ecclesiarum, prouocabant ad Ecclesias, non ad vnam, sed ad omnes: ad Ecclesias, inquam, tales, quales ante descripsimus: Illas enim daturas testimonium *primum*, An hi libri, quos reiiciebāt Hæretici tanquam Apocryphos essent Canonici nec ne. *Deinde*, an quem ex simplicibus verbis, simplicem afferebant sensum scripturarum, esset verus & genuinus, nec ne. *Tertiò*, an quam vrgebant traditionem symboli, esset vera Apostolorum traditio, nec ne: ac proinde, an quam de vno Deo, déque vno Filio Dei Christo, defendebāt doctrinam, vera esset nec ne: posse tantùm illas Ecclesias certum de iis rebus dare testimoniū, propterea quod ab Apostolis non ita multo ante institutę in omni doctrina, non tam scriptis, quàm etiam voce, eam hucusque retineant doctrinam, & scripturarum intelligentiam, quam ab Apostolis viua voce acceperunt, id quod probabant isti Patres, quia ab eo tempore, quo fuerunt illæ Ecclesiæ ab Apostolis plantatæ & edoctæ, nunquam variarunt in doctrina: debere igitur illarum testimonium, vt certissimum & verissimum admitti. Quod si quis hoc etiam reiiciat, & hāc Ecclesiarum autoritatem contemnat, se non amplius posse cum huiuscemodi hominibus disputare. An non tunc meritò prouocabant ad Ecclesias, & ad tales Ecclesias? Annon tum meritò dicebant, non esse amplius cum his hominibus hæreticis, solis scripturis disputandum?

Quartum, *Cur scilicet illi Patres remiserint ad Ecclesias illos pro intelligentia scripturarum, & pro veritate:* quia scilicet apud illas manebat veritas, & vera scripturarum intelligētia, sicut fuerat ibi relicta ab Apostolis: Hanc causam apertè affert Tertullianus, cùm dicit, *Vbi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ & fidei Christianæ: illic erit & veritas scripturarum, & expositionum, & omnium traditionum Christianarum.*

Sed quid hæc Patrum dicta iuuant Papistas contra nos? Agant Papistæ nobiscum sicut illi Patres agebant cum illis Hæreticis: probent sua per scripturas apertas: probent per receptam apud omnes traditionē, symbolum scilicet Apostolicum, imo & per alias traditiones, hoc est, symbola veterum Ecclesiarum: adferant illum scripturarum sensum, qui non pugnet cum scripturis & symbolis: tum demum, si non acquieuerimus, prouocent ad Ecclesias omnes, quæ ab Apostolis plantatæ & edoctæ, eandem semper retinuerint, & adhuc retineant doctrinam, quam ab Apostolis acceperunt. Prouocent etiam ad Ecclesiam Romanam, sed probēt sicut Patres faciebant, in hac Ecclesia nullam factā esse mutationem in doctrina & cultu diuino, ab eo tempore, quo fuit ab Apostolis instituta, & tum demum, si non acquieuerimus, clament, nobiscum non esse amplius disputandū. Videmus itaque quomodo intelligendum sit illud quintū dictū, hoc est, verba Irenæi & Tertulliani, quæ supra recitauimus, & quàm meritò illud dixerint & scripserint aduersus tales hæreticos, qui neque scripturas, quæ contra se facerent, neque verum & simplicem sensum aliarum, neque receptam ab omnibus traditionem, hoc est, doctrinā symboli, neque denique omnium Ecclesiarum, quæ nunquam ab eo tempore quo fuerunt ab Apostolis doctæ & institutæ, ab illorum doctrina recesserunt, testimonium admittebant. Ac proinde apparet, hæc Patrum dicta, nihil aduersus nos facere, qui & scripturas omnes Canonicas, & simplicē illarum sensum, & communem symboli traditionem amplectimur: & si etiam adferant testimonia Ecclesiarum verè Apostolicarum, quas constet nihil vnquam variasse in doctrina, libentissimè amplexuri illa sumus.

Summa hæc est: Quia apud illas Ecclesias manebat veritas doctrinæ Apostolicæ, & manebat integer scripturarum sensus, quem Apostoli apud illas reliquerant: id quod constabat, quia nunquam facta fuerat vlla doctrinæ mutatio apud illas: ideo Patres meritò illarum autoritatem magnificabant, & præscribebant hæreticis: Et si hanc reiicerent, cū illis disputandum esse negabant: idque tum demum hoc dicebant, cùm sua probassent scripturis, & communi receptáque traditione: hæretici verò neque illas, neque hanc admittere voluissent.

Cæterùm, Patres nunquam fidem Apostolicam vllis alligarunt locis aut personis. Inde illud Tertull. de præscript. hæret. pag. 96. *Non esse veritatē ex personis, sed personas ex veritate iudicandas.* Itē pag. 109. *Vnde autem extranei & inimici Apostolis Hæretici, nisi ex diuersitate doctrinæ, quam vnusquisque de suo arbitrio aduersus Apostolos aut protulit, aut recepit?* Volebant autem omnia probari per scripturas, id quod liquet. Sed scripturarum sensum in præcipuis capitibus religionis, volebant sumi ex symbolo, & ab illis Ecclesiis, apud quas constabat manere veritatem fidei Christianæ, nō autem ab illis, apud quas non maneret hæc veritas. Ideo ait pag. 109. *Illic igitur & scripturarū & expositionum adulteratio deputā-*

da est, vbi diuersitas inuenitur doctrina, diuersitas scilicet doctrina, ab ea, quam tradiderunt Apostoli.

QVÆSTIO IX.

De legendis cuique homini scripturis.

Post quæstionem de vtilitate & perfectione scripturarũ, sequitur ordine legitimo quæstio *de legendis & audiendis scripturis.* Nam cùm Apostolus ait 2. Timoth. 3. *Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad doctrinam, &c.* Item, quòd *potest sapientem facere ad salutem:* videndum est, quos nam possit sapientes facere, & quibus vtilis sit ad doctrinã. Non certè illis, qui hanc scripturam in libris tantùm & cistis & Musæis tenent, sed nunquam legunt, nunquam audiunt: verùm illis, qui eam legunt, audiunt, intelligunt, fide recipiunt. Ideo subiecit Apostolus, dicendo: *Quæ te possunt facere sapientem per fidem, quæ est in Christo Iesu.* Item, Rom. 1. *Euangelium est potentia Dei in salutem omni credenti. Fides autem est ex auditu.* Rom. 10.

Quæstio igitur hæc proponitur: *An officium sit cuiusque Christiani, imò cuiusuis hominis, operam dare sacris Literis, non solùm audiendis, cùm explicantur in Templo & in schola, sed etiam domi legendis & scrutandis, nec ne.*

Papistæ permulti, præsertim hoc tempore, negant permittendum esse cuique legere scripturas: vt mulieribus, Laicis, indoctis, pueris, militibus, plebeis: Hoc esse officium Ecclesiasticorum & Theologorum, doctorúmque virorùm. Quas adferant rationes, ad extremum breuiter recitabo & refutabo. Sententiam nostram continet hæc

THESIS.

Cuiusque Christiani officium est operam dare sacris Bibliis non solum audiendis cùm explicantur aut in templo, aut in schola, sed etiam domi legendis & scrutandis.

Confirmatio.

1. Præceptum Dei est, ad singulos homines pertinens, vt se & Christum nobis loquentem audiamus, nẽpe quoties ille ad nos verba facit, & nos illum audire possumus. Testimonia Prophetæ subinde inculcant, *Audite verbum Domini.* De Christo ait Pater Matth. 17. *Ipsum audite.* Atqui loquitur nobis non solùm è suggesto & è Cathedra per Doctores & Pastores, sed etiam in sacris Literis. Ibi enim docet, præcipit, promittit, minatur. Ergo cuiusque Christiani est cùm vacat, Christum in scripturis loquentem audire: id quod fit legendo.

2. Christi præceptum est ad singulos spectans, Ioh. 5. *Scrutamini scripturas.* Solebant igitur omnes Iudæi libros sacros legere.

3. Col. 3. Toti Ecclesiæ & singulis fidelibus, qui Colossis erant, mandat Apostolus, vt in ipsis etiam ædibus priuatis, *sermo Christi, hoc est, doctrina Euangelij & sacrarum literarum, inhabitet affluenter, docentes se mutuo & admonentes sui quemque* officij, nempe è scripturis. Sermo (inquit) Christi, ἐνοικείτω ἐν ὑμῖν πλουσίως ἐν πάσῃ σοφίᾳ· διδάσκοντες καὶ νουθετοῦντες ἑαυτούς. Vbi illud verbum ἐνοικεῖν diligenter considerandum est. Significat enim domesticam inhabitationem.

4. Quisque tenetur non solùm cùm opus est, suam profiteri fidem: sed etiam cur sic credat, speret & viuat, rationẽ reddere, 1. Pet. 3. *Parati sitis reddere rationem* (πρὸς ἀπολογίαν) *omni poscenti, de ea quæ in vobis est spe.* At quomodo hoc fecerit Christianus, nisi sese exerceat in sacris Literis? Neque enim aliunde ratio petenda est fidei & spei nostræ, nisi è scripturis, quibus vnis nititur. Meritò autem hoc exigit Apostolus à singulis Christianis: quoniam turpissimum est, Christianum eum appellari debere, qui nesciat è scripturis rationem adferre eorum quæ profitetur & agit: quando idem turpe est in omni alia professione tam disciplinarum quàm artium: nempe, vt aliquis profiteatur se esse Philosophum aut Medicum, qui nesciat rationem adferre eius quàm profitetur artem. Profectò huiusmodi homines apud nos exsibilantur & ridentur: quantò turpius id fuerit Christiano?

5. Deuter. 6. toti populo suo sic mandat Dominus: *Erunt verba ista* (legis) *quæ ego præcipio tibi hodie, super cor tuum, recensebisque ea filiis tuis, & loqueris de iis cùm sedes in domo tua, & cùm ambulas per viam: cùm vadis dormitum, & cùm iterum surgis: ligabis denique in signum super manum tuam, erúntque monitoria inter oculos tuos. Scribes enim supra postes domus tuæ, & in portis tuis.* Eadem repetit Deut. 11. Hinc perspicuum fit, voluisse Deum, vt in singulis ædibus haberetur lex Domini eáque scripta, non certè vt ibi otiosa lateret, sed vt à cunctis legeretur, audiretur, atque ita cælestis doctrina per omnes ætates, perpetuáque successione incorrupta seruaretur & propagaretur. Et quidem Iudæi præceptum illud obseruarunt & adhuc obseruant. Nulla est enim domus apud Iudæos, in qua libri sacri non habeantur, & statis temporibus vniuersa familia audiente, nõ legantur. Quin etiam pueri à teneris annis, Bibliis legendis assuefiunt: mulieres etiam incumbunt sacrarum Literarum lectioni & studio. 2. Timoth. 1. Annon igitur interest & Christianorum id ipsum facere? Nam præceptum illud Dei de scripturis domi legendis, non ad solos pertinet Iudæos: sed etiam ad Christianos, & quidem in primis ad Christianos, quippe qui verus nunc sunt populus Dei: Et præceptum illud, non iudiciale neque ceremoniale est, sed morale ad primam pertinens tabulam: vt nemo tergiuersari possit, causans illud esse cum reliquis ceremonialibus & iudicialibus per Christum abrogatum. Imo Christus, cùm dixit, *scrutamini scripturas*, & cùm arguit Pharisæos, quòd non legerent scripturas, illud propriè omnino confirmauit: & vniuersè quicquid in veteri Testamento reperitur, ad fidem in Dominum, ad charitatem in proximum, & ad vitam sanctè traducendam pertinens: totum illud à Christo confirmatum esse, perspicuum est.

6. 2. Petr. 1. Ad vniuersos scribens Christianos, & non tantùm ad sacerdotes ait: *Habemus firmum Propheticum sermonem, cui dum attenditis velut lucernæ splendenti in obscuro loco, bene facitis, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris.* Docet iis verbis, non solum tunc temporis Christianos omnes solitos fuisse scripturas Prophetarum diligenter legere: sed etiam, quicunque hoc idem faciunt, illos rectè facere: Malè igitur, qui hoc facere negligunt.

7. Pro. 2. Deus per Salomonem vnumquemque hortatur, *vt penes se reponat verba & præcepta sua, & aures sapientiæ accommodet.* Legantur & quæ de eadem re initio cap. 4. scribit: Vbi & præceptum ad singulos pertinens de studio legis Domini, & magnifica promissio, illos attingens, qui huic studio incumbunt. Quid igitur garriunt impij, lectionem scripturarum non ad omnes pertinere?

8. Quid verò minetur Dominus iis, qui negligunt legem suam audire, sed eam reiiciunt, legatur Ierem. cap. 9. Annon etiam reiiciunt, qui nolunt scripturas legere cùm possint?

9. Actor. 17. de Beroënsibus, qui erant Thessalonicæ, viris nobilibus traditur, cùm audiuissent Apostolum, *eos quotidie scrutatos fuisse scripturas, vt viderent, an ita se res haberet in scripturis, sicut audiuerunt ab Apostolo prædicari.* Quid hoc exemplum docet, nisi tempore Apostolorum pios quoque solitos fuisse sacras Literas quàm diligentissimè etiam domi legere & perscrutari? ac proinde idem nobis esse faciendum, si verè inter pios connumerari, & de religione nostra certiores fieri velimus? Quo etiam ex loco colligere promptum est, nihil Christianis hominibus de religione admittendũm esse, nisi quod deprehenderint consentaneum esse cum sacris Literis.

10. 1. Cor. 14. Ostendit Apostolus hanc fuisse consuetudinem in Ecclesia Christi receptam, vt fideles simul conuenirent omnes, & de doctrinis, quæ piæ, quæ minus, diiudicarent. *Quoties conuenitis, vnusquisque vestrùm canticum habet, doctrinam habet, &c.* Item, *Cæteri diiudicant.* At quomodo hanc diiudicationem facere illi rectè potuissent, qui in sacris Literis non fuissent exercitati? Quomodo verò in iis exercitati, nisi etiam domi in illis legendis & meditandis sese occupassent? Quandoquidem igitur singulorum est Christianorum facere iudicium de doctrinis, singulorum etiam est sacras Literas legere & perscrutari.

11. 1. Cor. 14. Dum etiam ibidem præcipit, *vt mulieres, si quid volunt discere, maritos domi interrogent:* annon satis innuit, debere singulos viros ita esse in S. Literis exercitatos, vt possint mulieribus suis in omnibus, quæ de pietate interrogant, abundè è scripturis satisfacere? At quomodo hoc fiet, nisi quotidie aliquid legant in scripturis, & illud diligenter examinent?

12. 1. Timoth. 3. *Persiste in iis, quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris, & quòd à puero sacras Literas noueris.* Et quinam Timotheum adhuc puerum sacras Literas docuerunt, nisi mater Eunice, & auia Lois? Non enim didicit à Patre, qui Gentilis erat & infidelis. De matris autem & auiæ pietate ac fide testatur 2. Timoth. 1. Docet etiam hic locus, receptum fuisse apud Christianos, & verè pios homines, vt parentes, etiam ipsæ matres, liberos suos, domi sanctas docerent literas.

13. Actor. 8. Eunuchus Candaces Æthiopum Reginæ præfectus, homo Gentilis, cùm peregrinaretur, & curru veheretur, non iacuit ibi otiosus, sed legebat Iesaiam Prophetam. An non igitur domi verisimilius est, aliquam sibi partem temporis solitum fuisse deligere, qua aliquid in scripturis legeret? Quàm autem Deo probata fuerit hæc Eunuchi Gentilis diligentia, & assiduitas in sacris scripturis le-

ris le-

ris legendis,perspicuum facit id quod sequitur in historia. Misit enim ad eum Dominus Philippum, qui loca Iesaiæ quæ legebat,sed nō intelligebat,explicaret,in pietate Christiana institueret,& tandem baptizaret. Quidni igitur dicamus Deo probari eorum Christianorum quicunque sint,studium,qui etiamsi non omnia intelligant, scripturis tamen legendis non defatigantur? Quidni dicamus,Deum illis missurum,qui explicent, si non alios, saltem Spiritum sanctum?

14. Ephes.6. *Patres nolite ad iracundiam prouocare liberos vestros,sed instruite illos in timore Domini,&c.* Quomodò verò hoc fecerint Patres, sine lectione scripturarum?

15. Ad Romanos, & alibi salutat priuatas familias, & eas vocat Ecclesias. Quamobrem ita vocat? Quia in ædibus priuatim precabantur,quæ etiam in Ecclesia publicè. Preces enim fiebant simul a tota familia, & scripturæ legebantur & explicabantur.

16. 1.Thess.5. Ad vniuersos singulosque fideles scribens, ait: *Adhortemini vos mutuò,& ædificetis singuli singulos.* Volebat igitur Apostolus, vt singuli essent sibi mutuò doctores & pastores. Quomodo autem hoc potuissent præstare officium,sine assidua scripturarum lectione & cognitione.

17. 1.Timoth.2. *Deus vult omnes homines saluos fieri,& ad cognitionem veritatis venire.* Ergo cuiusque hominis est, dare operam legendis S.Bibliis, vt per hæc ad cognitionem veritatis perueniant.

2.Timoth.2 *Quæ audiuisti à me inter multos testes,hæc prepone fidelibus hominibus, qui erunt idonei ad alios quoque docendos* Vult igitur Apostolus,non solùm sacerdotes,sed etiam Laicos ita proficere in scripturis, vt etiam alios ipsi possint docere.

Atque vt speciatim ad multos Laicorum hominum gradus descendam, *Deut.17. Præcipit Regibus, vt legem Domini penes se scriptam habeant,& in eo libro,cunctis diebus vitæ suæ legant.* Legantur & hæc loca 1.Sam.8.12. 1.Reg.5.8.10. 2. Reg 22.2.Paral.1.9.Prou.20.21.25.29.31.Eccl.10. Psal.20.101. Ier.22.Iof.1. *Ne recedat volumen legis huius de manu tua.*

Quòd quisque teneatur,si vacet,sacras Scripturas legere,testimonia ex Patribus.

Hieronymus Tom.9 ad Paulam & Eustochium in procemio Enarrationis Epistolæ Pauli ad Ephes. pag.202. & rationem ducit ab officio hominis, qui & ratione præditus est,& loqui potest.Locus incipit: Cùm enim à cæteris animantibus, &c. Tomo 6.in initio: *Qui nescit scripturas,nescit Dei veritatem,eiúsque sapientiam.*

Idem in procemio in primum librum Commentariorum in Iosuam, *Ignoratio* (inquit) *scripturarum,ignoratio Christi est.*

Epistola ad Paulinum cumprimis legatur, quæ præfigitur Bibliis,& est de lectione sacrorum Bibliorum.

Idem Tom.1.pag.66.ad Demetriadem epistola de virginitate seruanda.Hortatur cumprimis, vt animum suum amore sacræ lectionis occupet:& inter alia sic etiam ait: *Ama scripturas sanctas,& amabit te sapientia:dilige eam,& seruabit te:honora illam, & amplexabitur te.*

Epistola ad Saluinam, quæ est pag.73. de viduitate seruanda,ad idem studium illam hortatur: *Semper* (inquit) *in manibus tuis sit diuina lectio.* pag.76.

Idem in epistola ad Furiam viduam,quæ est pag.79.facit officium. Ad multas autem scripsit fœminas: & nonnullis aliquot dedicauit libros.Omnia hæc argumento sunt,Hieronymum voluisse, vt omnes, etiam fœminæ in legendis sacris literis occuparentur.

Notandum verò quod est in fine Commentariorum in Nahum:Futurum ait,vt sub Christi aduentum ad exercendum iudicium, populus vndique ad discendas sacras literas confluat Annon nunc id est tempus?

Chrysost.Tom.1.in Genesin homil.35. quæ sic incipit, *ingens bonum est diuinarum scripturarum peritia,* scribit idque in initio homiliæ: *fieri non posse,vt his qui diuinis scripturis magno studio feruentique desiderio vacat,semper negligatur: quoniam licet desit nobis hominis magisterium:ipse Dominus tamen supernè corda nostra intrans, illustrat mentem, rationi iubar suum infundit,detegit occulta, doctórque fit eorum quæ ignoramus:tantùm nos quæ adsunt,adferre velimus. Ne vocetis* (inquit) *Magistrum super terram*

Frequentissimè Patres suos populos ad legendas etiam domi scripturas hortabantur. Legatur

Origenes Tom.1. in Exod. hom.12. Totum populum ad hoc studium hortatur.

Idem Tom.1.in Leuit. hom.9.pag.169. suadet populo,vt non solùm det operam audire in Ecclesia verbum Dei, sed etiam in ipsorum ædibus exerceri & meditari in lege domini die noctúque: quòd ibi etiam sit Christus, & vbique adsit quærentibus se.

In Iosuam,hom.20.pag.364. multis demonstrat, & Deo & Angelis probari,nobis verò vtile esse, si legamus scripturas,etiam si non planè intelligamus. Quo pacto fuerit ipse à parente domi exercitatus in sacris literis. Euse. Ecclesiast. hist.li.6.c.20.

Chrysostomus verò quàm frequens & feruens fuerit in excitandis cuiusque ordinis hominibus ad lectionem sacrarum scripturarum,libri Ipsius & præsertim homiliæ testificantur. Legatur in Epist ad Colos.c.3.hom.9. in ea verba, *Sermo Christi inhabitet in vobis opulenter.* Compellat Patresfamiliâs, & iubet, vt sibi emant Biblia, & in illis domi legant & meditentur, quòd nemo possit melius illos docere, quàm illa. Et præter alia hæc etiam habet verba: *Hoc* (inquit) *demum malorum omnium causa est, quòd scriptura ignorantur,* Col.1:91.C.

Idem in Genesin homil.21. col.155. hortatur vniuersum populum ad studium sacræ Scripturæ

Item hom 29. *In scripturis enim inueniri pharmaca ad omnem spiritualem morbum.*

Idem Tom.3.in Ioan.c.8.hom 52.Vult libros sacros domi ab omnibus volui:& licet simus duri: tamen continuando lectionem scripturæ,aliquam assequemur vtilitatem. Simile: Qui assidet vnguentariæ tabernæ,etiam inuitus accipiet odorem.

Augustinus Tom.2.Epistola 3.ad Volusianum scribit,scripturas legendas esse non tantùm doctis,sed etiam indoctis, adeóque omnis generis hominibus.Deum enim in illis loqui ad cor indoctorum atque doctorum.Scripsit & hic Pater multas epistolas ad varias matronas, & viduas & puellas:Ad Paulinam,Probam,Esdiciam, Iulianam, Fabiolam, Feliciam,Florentinam puellam,Italicam,Maximam. Et inter eius sermones etiam vnus est, qui inscribitur de studio sapientiæ & meditationis legis Dei.

Id.August.Tomo10. de verbis Domini,serm.45. in initio:Præceptum illud Christi,Scrutamini Scripturas,non ad Iudæos tantùm,sed ad singulos Christianos pertinere contendit.

Ambrosius Tom.3.pag.321.legatur sermone 35.de ieiunio Domini, ad finem adhortatio, vt omnes accipiant panem scripturarum,& in illis exerceantur. Item Tom.4.in Psal. 118.sermone 21.qui est pag.581. Omnes fideles hortatur ad scripturarum lectionem. Idem de offic.lib.1.c.22.Sit igitur Sermo de scripturis maximè.

Leo I. ep.22. ad clerum & populum Constantinopolit.idem tradit.

Quid hæc demonstrant,nisi tunc etiam Laicos ita dedisse operam sacris literis, vt possent cum Philosophis disputare, & eos conuincere?

Scripturas cuique legendas esse,rationes aliquot.

1. Scripturam sacram voluit populo Hebræo,Hebraica lingua, & quidem omnibus notissima tradi. Obsecro in quem finem,nisi vt ab omnibus legeretur & intelligeretur: 1.Corinth.14. Hanc causam docet Apostolus, cùm etiam iubet in Ecclesia vti lingua omnibus nota. Quamobrem? vt ab omnibus intelligatur, & ne alter alteri fiat barbarus. Multò minus voluit Deus nobiscum ita loqui, vt non posset à nobis intelligi.

Eadem de causa, cùm voluit suam legem non amplius inter Iudæos contineri, sed ad omnes etiam Gentes propagari, immisit in mentem Ptolemæo Philadel. Regi Ægypti,vt eam curaret per 72.Doctores Hebræos linguæ etiam Græcæ peritissimos, eo quo narrat Aristæas modo, in Græcam linguam conuerti, quò posset ab omnibus etiam Gentibus legi & intelligi. Erat enim tum temporis Græca lingua omnibus ferè populis ac Gentibus nota in Asia, Africa,Europa. Cùm vero hæc ferè in Africa atque Europa cum suo imperio interiisset, & Latina iam longius latiúsque cœpisset propagari: voluit hanc sacram Scripturam latinam quoque fieri. Quam ob rem? Profectò,vt ab omnibus posset legi, percipi, memoriæ mandari. Denique voluit, vt omnes nationes, Germani,Itali, Galli, Hispani, Dalmatæ, Angli, Poloni, in sua quique lingua, eam haberent.

2. Qui etiam fit, vt in sermonibus Patrum,etiamsi inculcentur scripturæ,autores tamē librorum,& capita non ita, vt nunc,citentur? Inde,quia populi ita erant exercitati in sacris Bibliis, vt sententia aliqua audita, mox intelligerent,

cuius esset, & è quoto capite sumpta fuisset. Hoc verò arguit, illos domi etiam vacasse sacrarum literarum lectioni.

3. Scriptura sacra thesaurus est pretiosissimus vniuersis ac singulis hominibus à Deo donatus, vt fruantur & inde ditescant, vt etiam Apostolus loquitur 1. Cor. 11. An non igitur magna tyrānis, prohibere homines à fruitione sui thesauri?

4. Permittuntur omnes Gentes legere scripturas, & prohibentur Christiani?

5. Pepigit Deus fœdus suum non cum sacerdotibus tantùm & Monachis, sed cum omnibus, etiam plebeis, etiam mulieribus, etiam paruulis: Cur igitur non liceat vnicuique pactiones fœderis legere, vt sciat quid Deus illis promittat, quid vicissim ab illis stipuletur?

6. Vita nostra perpetua est militia super terram, Iob. 7. Scriptura autem sacra, nostra sunt arma contra hos hostes, Ephes. 6. Cur nō igitur tam vulgus & idiotæ his armis induantur, vt queant pugnare? Quomodo hoc? Legendo, studendo Bibliis. An non plusquam hostile est exarmare, quos oportet perpetuo esse armatos.

Responsiones ad exceptiones.

1. Omnes, qui scripturas lectitant, fiunt hæretici. Vide Tertull. de præscript. Hæret.

Resp. O maledicam vocem! Quid hoc aliud est, quàm dicere, quod Deus dedit pro medicamento animarum, illud esse venenum? & eo accersi morbum, quod aduersus morbum datum est? Contrarium traditur Iohan. 5. 2. Timoth. 3. Scriptura valet πρὸς ἔλεγχον, ad omnes scilicet hæreticos conuincendos. Contrarium tradit Psalm. 1. Beatus vir, &c. Contrarium etiam docuerunt Patres: Chrysost. inprimis, homil. 3. de Lazaro. vbi dicit, ignorationem Scripturæ esse causam hæreseos. Et alij Patres, Cùm hæretici maximè Ecclesiam perturbarent, Ariani, Manichæi, Valentiniani, Marcionitæ, Sabelliani, plurimique deficerent ad Gentilitatem, tum maximè omnibus suadebat, vt vacarent scripturarum lectioni. Imò, si velimus hæresibus resistere, opus est scripturarum lectione. Nam sic ait Apostolus, πρὸς ἔλεγχον. Audi & Chrysost. in Matth. 24. cap. expositione 2. homil. 49. Vide Cyprianum pag. 177. Imo hæc est caūsa hæresum, ignoratio & neglectio scripturarum: Chrys. de Lazaro, hom. 3. teste, vt diximus.

Sed quinam sunt, qui hæc scribunt & dicunt? Papistæ, Quid istis est hæresis: Doctrina, quæ cum ipsorum de iustificatione, de fide, de sacramentis pugnet. Verum igitur dicunt. Nam doctrina quam tradunt S. Literæ, pugnat cum ipsorum.

Quod si tamen aliqui iis abutantur ad hæreses: hoc ex accidenti, id est, ipsorum vitio non scripturarum fit. Sic de Epistolis Pauli scribit Petrus. *Qui* (inquit) *praui homines, deprauant ad suam perditionem.* Quot etiam sunt, qui vino ad suum interitum abutuntur? 1. Cor. 1. *Paulus prædicat Christum*, sua certè natura sapientiam & virtutem: interim non omnibus erat virtus & sapientia, *sed aliis stultitia, aliis scandalum.* Item Apostoli erant sua doctrina aliis odor mortis. Quibus? iis qui pereunt.

Contra hanc diabolicam vocem, oppono Christum Ioh. 8. *Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Hos autem paulo antè dixit, esse ex Patre Diabolo natos. Sic igitur sentiamus iuxta hanc Christi infallibilem regulam: Qui delectantur verbo Dei audiendo, legendo, meditando, & ad idem alios hortantur: hos dare testimonium, se esse ex Deo. Contrà, Qui non delectantur, & alios etiam ab eius lectione dehortantur, hos verè ex Diabolo esse.

2. Scriptura nil aliud est, quàm materia litis & rixarum. In Colloquio Wormatiensi, Anno 57.

Resp. Diabolica blasphemia est: imo est norma & causa pacis & componendarum rixarum.

3. Scripturam nemo per se potest intelligere.

Resp. Quasi verò S. S. non adsit inuocantibus se? Quasi etiam non possit quisque interrogare doctiorem se. Vide Hieronymum in fine Nahum.

Esse hoc officium maximè Doctorum & Pastorum.

Etsi verò omnium Christianorum est studere sacris literis: præcipuum tamen hoc est officium Doctorum & Pastorum Ecclesiæ, & eorum qui sese ad huiuscemodi ministerium Ecclesiasticum præparant: idque propterea, quod aliorum præceptores, ductores & doctores constituti sunt. Quis autem dubitat, debere doctorem discipulis esse doctiorem? & ductores exercitus, peritiores rei militaris, quàm reliqui milites? Sed audiamus scripturas.

Leuit. 10. præcipit Deus Leuitis, vt legem atque statuta à se tradita populum fideliter doceant. Malach. 2. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius,* Hos. 4. *Quia repulisti scientiam, repellam & ego te, ne sacerdotio fungaris mihi* Matth. 5. *Vos estis lux Mundi & sal terræ.* 1. Timoth. 3. *Oportet Episcopum esse διδακτικόν.* 2. Tim. 1 & 2. *vt sciat ὀρθοτομεῖν.* Tit. 1. *Oportet esse tenacem eius qui secundum doctrinam est sermonis: potens etiam sit exhortari per doctrinam sanam, & τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν.* Ier. 23. *Ministros Ecclesiarum, qui ignorantes verbum Dei populo obtrudunt sua somnia, vocat onera, quæ proiici à facie Domini oporteat.* Ezec. 22. 24. Tales vult Dominus Templi ministros eligi, qui inter cætera docere etiam possint populum, quid inter sanctum & profanum intersit. Qui id non possunt, eos excludit, & perpetua vult notari ignominia. Quid hæc docent, nisi Pastores ita debere esse exercitatos præ cæteris in sacris Literis, vt populum possint docere: Etsi id nequeant, officio & loco submouendos esse?

Extant etiam hac de re Canones antiqui, & Patrum sententiæ.

Distinct. 36. 37. 38. Decretalibus de Electione: de ætate & qualitate ordinandorum. Episcopus Catinensis per Honor. 3. propter ignorationem scripturarum depositus est ab officio, Decretal. Can. Quamuis multos. Et id meritò. Ecclesiasticum enim ministerium situm non est in frigidis ceremoniis & cantionibus, sed cum primis in diligenti scripturarum explicatione. Quomodo autem officium hoc præstare possunt scripturarum ignari? Quomodo falsa euertere dogmata? Quomodo vitia prudenter reprehendere? Quomodo afflictos consolari? Hęc enim omnia è scripturis petenda sunt.

Fatemur igitur libenter, Ministrorum Ecclesiæ, & eorum qui ad Ministerium Ecclesiasticum sunt promouendi cum primis esse officium, ita sacris literis operam dare, vt in illis sint omnium exercitatissimi: Et hac de causa Apostolum hic Timotheum speciatim monere, *vt attendat sacris literis*: sed hinc non consequitur: Ergo horum tantùm esse studere Bibliis, à Laicis autem idem officium minime requiri. Nam etiam 1. Tim. 3. *requirit ab Episcopo, vt sit irreprehensibilis, vnius vxoris maritus, sobrius, pudicus, non vinolentus:* Consequiturne, Ergo hæc ab aliis non Episcopis minime requiri? Nequaquam. Sed bene sequitur, Ergo etsi hæc ab omnibus fidelibus exiguntur: cumprimis tamen ab Episcopis, quos oportet esse virtutum omnium exemplaria in Ecclesia. Idem de lectione studióque scripturarum dicendum est, Et res confirmatur exemplo in veteri Testamento. Leuitis cum primis mandabatur, vt verbum Domini populo explicarent: interim non excludebantur alij qui non erant è tribu Leui, vt multi Prophetæ, ab eodem officio, & Christus, qui erat ex tribu Iuda, id fecit officij.

QVÆSTIO X.

De versionibus Bibliorum.

Quæstionem nonam sequitur decima, quę de Bibliorum est versionibus. Nam si Biblia cuique Christiano legenda sunt, legi autem non possunt, nisi in eam vertantur linguā, quam quisque intelligat, neque omnes vnam & eandem percipiant linguam: ex vna igitur lingua in aliam conuertantur necesse est. Quare meritò agendum nunc est de variis Bibliorum versionibus.

Duo autem nobis agenda sunt: primùm de versionibus Græcis & Latinis, de quibus apud vetustos autores aliquid memoriæ proditum est. Deinde quæstio explicanda, An præter illas, vtile etiam sit, & an fortè etiam necessarium, in linguam cuiusque Gentis propriam Biblia conuertere, nec ne. Nam non desunt, qui etiam hoc inficientur: imo qui etiam dicant non licere.

Quod ad primū igitur attinet: prima & principalis, maximæque omnium autoritatis versio, versio fuit ex Hebræa lingua in Græcam per 72. *Interpretes*, Hebræos quidem homines genere ac gente, sed lingua non tam Hebraica, quàm etiam Gręca insignes excellentissimósque viros, & omnium qui tum temporis essent inter Hebræos, sanctissimos simul & doctissimos Legis Doctores.

Quo tempore, & quo autore ij Hebræi Biblia fecerint ex Hebræis Græca, satis inter omnes constat, nempe non ita multo post mortem Alexandri Magni, autore Ptolemæo Philadelpho Ægyptiorum rege, postea quam regnasset annos 17. à quo anno vsque ad Augustum Regem Romanorum intercesserunt anni 249. Anno autem Augusti 42. nascitur Christus.

Cæte-

Cæterùm, quænam conuerterint, & quomodo conuerterint, & qua fide conuerterint, non eadem prorsus est omnium scriptorum de hisce tribus capitibus sententia. Nam quod ad libros conuersos attinet, sunt qui velint, legem duntaxat, hoc est, quinque libros Mosis fuisse per hosce 72. viros, sic iubente Philadelpho, in Græcam linguam cõuersos, idque intra spacium 72 dierum: reliquos verò libros ab aliis postmodum factos fuisse Græcos. In hac sententia esse videtur Aristæas, qui hanc historiam Græcè scriptam nobis reliquit, & qui scribit, se vnum ex illis fuisse, qui a Rege Hierosolymam ad Eleazarum sacerdotem pro iis interpretibus missi fuerunt. Is enim mentionem tantùm facit legis. Huius sententiæ videtur esse & Iosephus Flauius, grauissimus autor, li. de antiquit. Iud. .2.c.2. Nam mentionem tantùm facit legis.

2. Sunt verò multò plures, & grauissimi scriptores, qui scribant, non solùm legem, sed omnia sacra Biblia fuisse per hos 72. Interpretes conuersa. Inter hos est Iosephus Hebr. filius Gorionis, li.3.c.2. Irenæus, li.3.c.25. Iustinus Martyr in exhortatione ad Gentes, pag.17.

Epiphanius lib. de mensuris & ponderibus pag.66 6. Euseb Cæsar histor. Ecclesiast. li 5.c.8. Athanas. in synopsi scripturarum, Theodoretus Cyr. Episcopus: Augustinus de doctrina Christiana lib.2. cap.15. Item de ciuitate Dei, lib. 18. cap.42. 43 Et idem liquet ex desiderio Ptolemæi, quod fuit, vt omnibus bonis libris instrueretur eius Bibliotheca.

Ad id verò. quod obiicitur ex Aristæa & Iosepho, mentionem tantum fieri legis, responsio facilis est: nomen legis sæpe accipi pro tota sacra scriptura veteris Testamenti. Exempla. Psal. 1. Io. 15: *Vt impleretur sermo qui in lege eorum scriptus est, Oderunt me immeritò.* Matth.5. *Iota vnum, aut vnus apex nequaquam præteribit ex lege, vsque dum omnia facta fuerint.*

Quod ad secundum: sunt qui velint hos seniores, simul eodem in loco congregatos, simul etiam conferendo, Biblia vertisse. Ita scribit Aristæas, quem habemus Græcè. Eadem scribit Iosephus Flauius loco suprà citato. Idem sensit Hieronymus. Contra tamen sentiunt alij & grauissimi quidem illi atque antiquissimi scriptores, quorum etiam libros & capita, in quibus hac de re scribunt, supra citauimus: Iosephus Hebræus Ben Gorionis ex Hebræo per Munsterum verso. Iustinus Martyr in exhortatione ad Gẽtes. Irenæus. Hi apertissimè scribunt, Ptolemæum curasse, vt diuersæ fierent cellulæ, idque ad Pharum insulam, in quibus singuli illi interpretes Biblia conuerterent: idque vt melius appareret eorum fides & diligentia in vertendis Bibliis, neque ex communi consilio aliquid vel omittere, vel mutare ob aliquam inuidiam possent. Et quidem Iustinus ait, se vestigia illarum cellularum vidisse, & illorum locorum indigenas hoc tanquam per manus à Patribus acceptum sibi narrasse. Illi certè duo, Iustinus & Irenæus, antiquissimi sunt scriptores, quibus consentit Tertullianus in Apologet. c.19.

Hos postea secuti sunt Epiphanius: quanquam hic aliquid diuersum scribit, binos scilicet, & binos fuisse distributos illos 72. interpretes, ita vt in 36. domunculis omnes essent a se inuicem diuisi & separati. Certè non omnes simul inter se contulisse, vno & eodem consensu scribunt isti Patres. Quibus scribunt alij quàm plurimi, Theodoretus Cyrens. Episcopus, Euseb. Cæsariens. Augustinus.

Verum est ab Hieronymo has cellulas derideri passim in suis libris, præsertim in Apologia aduersus Rufinum pag. 224. Tom.2. Sed nihil certi adfert in contrarium ex antiquis monumentis. Interim vero magna est Iustini cum primis & Irenæi & Tertulliani autoritas, vt de posterioribus Patribus taceam. Hinc factum est, vt maxima semper in autoritate fuerit hæc 72. Interpretum versio, vt etiam Hieronymus cogatur 70. Interpretes laudare.

Quod ad tertium attinet: neque Hieronymus ipse dubitat de fide & diligentia 70. Interpretum: ac proinde quod multa ab Hebræis voluminibus diuersa in hac quam nos habemus versione Græca reperiantur: hoc aut 70. interpretum inscitiæ, aut aliorum malitiæ, qui versionem 70 corruperint, attribuendum esse, sicut de Aquila scribit Epiphanius.

Diuersissimam esse versionem Græcam ab Hebraica veritate, nemo est quin videre possit, si cum illa hanc conferat. Vbi autem huius diuersitatis culpa hæreat, an in 70. ipsis, an vero in aliis, an partim in ipsis, partim in aliis, operæ pretium fuerit inuestigare & intelligere. Non totam residere in 70. liquido apparet non tam testimonio Hieronymi & aliorum, sed etiam ex collatione eorum Bibliorum Græcorum, quæ impressa circumferuntur, cum codicibus antiquis. Ego certè olim vidi Romæ apud Basilium Zanchium propinquum meum, permulta in ipsius Bibliis Græcis ad exemplum codicis vetustissimi manuscripti, quod est in Vaticano, emendata. Multa igitur aliunde errata irrepserunt in Biblia 70. Interpretum. Non totam etiam huius diuersitatis causam ita hærere in aliis, vt nihil resideat in 70. Interpretibus, inde colligere possumus, quod ab Euangelistis & Apostolis multa ex veteri Testamento citantur, quæ cum Hebraica veritate non vsquequaque congruunt, sed tantùm cum 70. Non est autem vllo modo concedendum, Apostolos citasse ex Bibliis Græcis dicta, quæ aliter se haberent, quàm in ipsis Bibliis, quæ tunc in manu omnium versabantur, continerentur & legerentur. Et tamen hæc dicta aliter se habent in Bibliis Hebraicis, & consentiunt cum Græcis. Ergo horum saltem locorum ab Apostolis citatorum diuersitas, ab ipsis 70. sit interpretibus, necesse est. Quod si quis excipiat, hanc lectionis diuersitatem non esse abs 70. interpretibus, quasi, aut nescierint aut noluerint fideliter vertere ex Hebraica veritate, sed adscribendam esse Rabinis, qui post 70. secuti sunt, ab ipsis nimirum Hebraica Biblia fuisse corrupta, idque adductis odio Christianorum, ne veritatem haberent Hebraicorum librorum: hic facilè reiicietur & refelletur. Nam si Hebraica Biblia corrupta fuerunt ab Hebræis hoc factum est aut ante Christi aduentum, aut post Si ante, Christus certè reprehendisset Pharisæos & ipsorum Patres de corruptis Bibliis, sicut & de reliquis minoribus peccatis arguebat. Non hoc fecit, imo semper hortatus est ad horum Bibliorum lectionem. Ergo, &c. Si post: vel hoc contigit tempore Apostolorum, vel post illud tempus. Si tempore Apostolorum: Apostoli certè hoc animaduertissent, & tum Hebræos reprehendissent, tum Gentes & reliquos de hac re admonuissent, tum etiam corrigenda Biblia curassent. Atqui nihil horum est ab Apostolis factum. Si post tempus Apostolorum, aliqui etiam ex illis Apostolicis Patribus hoc obseruassent, & aliquam huius rei in suis scriptis mentionem fecissent, & Biblia suæ pristinæ veritati restituenda curassent: Ac præter alios Hieronymus in Hebraicis L. versatissimus, & diligentissimus Hebraicorum Bibliorum indagator & obseruator, hoc obseruasset, notasset, corrigi curasset: præsertim quia non deerant Hebraica Exemplaria, quæ iam inde ab Apostolis in Ecclesiis & scholis à se institutis relicta fuerant. Atqui nihil horum legimus fuisse obseruatum aut factum ab Hieronymo vel aliis Patribus. Imo contrà Hieronymus præter alios, ad Hebraica semper exemplaria prouocat, & ea in linguam conuertit Latinam. Non est igitur verisimile, nec probabile Hebraica Biblia aut ante Christum, aut tempore Apostolorum, aut etiam post obitum Apostolorum fuisse ab Hebræis corrupta. Nam quibus volebant corrumpere? Sibi hoc est stultum cogitare. Nobis Christianis? At iam veritas Christiana erat confirmata. Item multa erant apud Christianos vera & pura Bibliorum etiam Hebraicorum exemplaria, ad quæ illa examinata, mox & facilè potuisset cognosci, an essent corrupta, nec ne corrupta: atque ita apud Imperatores Christianos Hebræi illi accusari & conuinci, falsi & sacrilegij.

Deinde si Hebræi corrupisent Christianorum causa, oportuisset illos ea sic corrupta exhibere Christianis. At Christiani non accepissent: tum quod non opus habuissent, tum quod non fisi Iudæis fuissent. Non est igitur vllo modo probabile, Hebraica Biblia fuisse à quopiam deprauata. Quare cùm diuersa sint à versione septuaginta Interpretum, & huius diuersitatis causa non sit in Hebraica, in Græca sit necesse est: quod scilicet aut non vsque adeo fuerit omni ex parte fideliter translata a 70. Interpretibus, aut ab aliis fuerit corrupta. Corruptas sententias non citassent Apostoli: Ergo saltem quantum ad hæc dicta quæ citantur ab Apostolis attinet, necesse est dicamus, ita fuisse à septuaginta translata ex Hebræo, sicut ab Apostolis citantur. Sunt autem diuersa ab Hebraica veritate: diuersè igitur sunt Biblia aliquibus saltem in locis, ab Hebraica veritate interpretata. Quod cùm ita sit: magnus & difficilis hic oritur scrupulus, qui multum mihi quoque alias fecit negotij. Quisnam ille est? Dicam. Apostoli ad comprobandam Euangelij veritatem, vsi sunt sæpissimè versione septuaginta Interpretum, diuersa à veritate Hebraica: Quod autem est diuersum à veritate: illud falsum sit, necesse est. Falso igitur vsi sunt ad veritatem confirmandam?

Resp. Negatur minor. Non enim omne diuersum à vero, propriè falsum est: sed illud tantùm, quod ita est diuersum, vt pugnet cum vero. Exemplum: vt, Christus est Deus, Christus non est Deus: & in aliis propositionibus, quæ si-

bi opponuntur vel contrariè, vel negatiuè, vel contradictoriè. Sed in nomine ὁμωνύμῳ, etsi multa habeat significata diuersa, non tamen contraria. Ideo etiamsi tu vnam, & ego aliam adferam significationem: non sequitur, alterutrã esse falsam: diuersæ quidem sint necesse est, sed non falsæ: altera illarum falsa, quando vtraque illi conueniat nomini. Sic igitur sentiendum de hac quæstione. Inter versionem 70. & veritatem Hebraicam, etsi aliqua sit diuersitas in significationibus aliquot vel nominum, vel verborum: non eam tamen significationum diuersitatem, adferre diuersitatem doctrinæ pietatis, sed pulchrè conuenire in hac doctrina 70. versionem, cum Hebraica veritate. Quare Apostoli ad comprobandam veritatem doctrinæ, non sunt vsi falso, sed illo vero, quod erat in Bibliis 70. aliquo modo diuerso ab illo vero, quod erat in Hebraicis voluminibus. Et hoc fecerunt necessitate coacti. Exemplo rem declaro. Versio Noui Testamenti vulgaris, in multis diuersa est à contextu Græco Quibus in rebus? In significationibus verborum, & nominum & phrasium. Sed nunquid in doctrina pietatis? hoc est in doctrina quæ ad fidem & ad mores pertinet? Minimè. Idem dico de Hebraica & 70. Apostoli igitur, cùm viderent versionem 70. vsitatam esse apud Gentes, & eam, quod ad doctrinam pietatis attinet, nihil diuersum continere ab Hebraica veritate, sed esse eandem prorsus: sibi autem propositum esset non nouas mouere quæstiones de contextibus scripturarum, sed veritatem Euangelij, & doctrinam pietatis prædicare & confirmare, non testimoniis incognitis, sed notis: id certè quod de Christo prædicabãt, illud confirmabant testimoniis ex 70. versione desumtis, etsi aliqua ex parte diuersa esset à verbis Hebraicæ veritatis, quòd hoc nihil referret, quia nihil impedimenti adferebat prædicationi veritatis doctrinæ: contrà verò multum impeditus, & retardatus fuisset cursus Euangelij, si diuersam attulissent interpretationem, ab interpretatione apud illos vsitata nempe 70. Simile. Quemadmodum si nunc prædicandum esset Papistis, qui soliti sunt semper legere vulgatam editionem: si aliam adferas editionem & interpretationem, impedires potius cursum Euangelij, quam promoueres. Nouæ enim excitarentur quæstiones de versionibus, & interim summa doctrinæ negligeretur.

Secunda Bibliorum versio fuit facta ab *Aquila* ex Hebræo itidem in Græcum, sub Adriano Imperatore. Hic Aquila Græcus fuit natione, ac primùm factus Christianus, deinde eiectus ex Ecclesia Christi, propter vanam astrologiam, quam deserere nolebat. Hanc ob causam indignatus, abnegat Christum, & fit proselytus, ac tandem circunciditur, & Iudæus fit. Tum dat operam Hebraicæ linguæ, quã cùm fuisset assecutus, conuertit Biblia in Græcam linguam, multáque in versione 70. corrumpit, præsertim vaticinia de Christo.

Tertia versio fuit *Symmachi*, sub Seuero Imperatore, anno post Aquilæ versionẽ circiter 65. Fuit hic Symmachus natione Samaritanus: cùm videret se non admodum suæ Genti gratum esse: contra propriam Gentem indignatus, & ambitionis morbo affectus, contulit se ad Iudæos & iterum circumcisus, Iudæus fit. Ac tum suam edidit Bibliorum versionem in Græcam linguam, idque contra Samaritanos.

Quarta fuit Theodotionis, sub Commodo secundo. Hic *Theodotion* prius fuerat Marcionis discipulus. Sed huic postmodum sectæ infensus, ad illius euersionem, suam fecit editionem Bibliorum, atque huius editio fuit magis consentanea cum 70. Interpretatione, quàm vlla alia.

Quinta At verò post persecutionem Seueri, temporibus Antonini, Seueri filij, qui Antoninus cognomẽto appellabatur Caracalla & frater Getæ, inuẽta fuit quinta editio, in Hiericho, in dolio quodam occultata, sed citra autoris nomẽ: edita proculdubio ab aliquo illorum piorum, qui Hierosolymis vixerant, & pietati operam dederant sub persecutione Seueri. Contigit hoc anno 7. regni Caracallæ.

Sexta. Tempore verò Alexandri Mammææ filij, inuenta fuit alia, nempe sexta editio, idque in Nicopoli, ad Orientem sita. Erat & ipsa sexta editio in dolio occultata, & sine autoris nomine.

Hæc ex Epiphanij libro de mensuris & ponderibus, & ex Synopsi Athanasij. Athanasius verò, seu autor illius Synopseos, addit *septimam* editionem, quam dicit fuisse beati *Luciani* Martyris, & tempore Constantini Magni inuẽtam esse Nicomediæ in quodam armario, in pariete facto, & calce circumlito, atque hanc fuisse correctam & emendatam. Atque hæc de versionibus antiquis, ex Hebraica in Græcam linguam factis, satis sunto.

De Latinis verò non est cur multa dicam, quando pauca iam de iis scripta reliquerunt Patres. Hieronymus vertit ex Hebræo in Latinum: hanc in ipsius habemus operibus.

De Vulgata quæstio fuit inter doctos nostri temporis disputata, cuiusnam fuerit, Hieronymi ne, an alicuius alius. Ac certè satis constat hanc diuersam esse ab illa, quã Hieronymus interpretatur in suis operibus, vt meritò Munsterus euicerit contra Steuchum, huius vulgatæ autorem minimè fuisse Hieronymum. Quis verò huius fuerit autor, quando nemo hactenus potuit certò definire: neque ego hanc mihi sumam definiendi prouinciam.

Cæterùm, Dei beneficio singulari, nostro hoc seculo, tot factæ sunt & editæ sacrorum Bibliorum, tam ex Hebræo, quàm ex Græco, non in Latinam tantùm, sed in omnes propè cuiusuis Nationis linguas, conuersiones, hæque fidelissimæ & pulcherrimæ, vt non sit cur veteribus inuideamus. Quid verò hæc omnia demonstrant? Deum voluisse & velle, vt sua sacra Biblia legãtur ab omnibus: & hoc modo vna ex parte ad cognitionem veritatis, eóque & ad salutem æternam Electi ex omnibus Nationibus perducantur: & ex altera Antichristus magis ac magis reueletur & interficiatur. Proinde mirum non est, quòd is modis omnibus curat, vt Biblia, quæ possint ab omnibus intelligi, supprimantur. Nam qui malè agit, odit lucem, & eam extinctam cupit.

Venio igitur nunc ad quæstionem, *An bonum sit, vt Biblia in linguam cuiusq; Gentis propriam vertantur, nec ne.*

Papa negat, & meritò, quia non est ei bonum: Nos verò affirmamus. Proinde hæc esto propositio.

PROPOSITIO.

Vt sacra Biblia in linguam cuiusque Gentis propriam ac popularem conuertantur, non solùm vtile ac bonum, sed etiam necessarium est.

Confirmatio.

1. Officium cuiusque Christiani hominis est, operam dare sacris Literis non solùm publicè audiendis, sed etiam priuatim domi legendis & meditandis, vt antè à nobis ostensum est. Atqui hanc operam dare non possunt sacris Literis Idiotæ, & linguarum Græcæ & Latinæ imperiti, nisi illæ in linguam cuique vernaculam transferantur. Est igitur, non solùm vtile, sed etiam necessarium, si quisque velit suum facere officium, S. Biblia in linguam popularem transferre.

2. Probo secundò, *Vertenda esse Biblia in linguam cuiusque Gentis propriam, vt legi ab omnibus possint.*

Christianam profitemur omnes religionem: Christiani igitur libri nobis omnibus sunt relegendi, hoc est, legendi & relegendi, & perpetuo perlegendi. Inde enim est nomen religionis, vt Cicero definit. Proinde officium religiosi hominis est ea quæ ad Dei cultum pertinent, legere & relegere. Quomodo vero hoc fiet, nisi Biblia in linguam cuique notam vertantur? Vt igitur omnes simus religiosi, in linguã popularem conuertantur Biblia necesse est.

3. Omnes populi atque nationes vel versa habent Biblia in suam quæque linguam, vel vt conuertantur exoptant & petunt. Agnoscunt igitur omnes, æquum & honestum & vtile esse, vt in linguam popularem vertantur.

4. Tulit Deus legem eo sermone & lingua, quam omnes apud Hebræos, tam pueri & fœminæ, quam docti intelligebant, lingua scilicet populari, ídque propter omnium illius populi hominum vtilitatem & salutem Exemplo igitur Dei in linguam totius populi communem vertẽda sunt, quod non possit illi esse nisi vtile. Si quæ fiunt exemplis grauissimorum virorum, ea merito fieri creduntur: quanto magis quæ fiunt exemplo Dei Optimi Maximi? Annon etiam cùm idem voluit Deus cœlestem doctrinam Gentibus communicari, curauit in linguam Græcam omnibus tunc populis cognitam, sacra conuerti Biblia?

5. Si scripturus fuisset Christus, non alia lingua scripsisset, quàm qua etiam locutus est Est autem locutus lingua vernacula & vsitata, Syriaca ex Hebræo mixta. Ergo, &c. Idem etiam fecerunt Apostoli.

6. Finis datæ scripturæ est, vt per eam auditam & lectam & intellectam seruemur. At quomodo legetur & intelligetur, nisi in ea sit lingua, quæ cuique perspecta sit Genti? Ergo vt in sua quisque eam habeat lingua, ipsa postulat salus.

7. Cur donum variis loquendi & scribendi linguis donatum fuit Apostolis? Vt ab omnibus intelligeretur doctrina salutis. Ergo eadem de causa in varias linguas vertẽda sunt Biblia.

8. O-

8. Omnes Ecclesiæ Græcæ, Latinæ, Illyricæ id suo exemplo confirmant esse faciendum. Nam quæque illarum, sua vti voluit de principio lingua in Bibliis legendis. Ergo, &c. Si his exemplis non vident aduersarij omnino vertenda esse Biblia in linguam cuique Genti vernaculam, cæci sunt: si non considerant, inertes sunt: si non intelligunt, obtusi.

9 Exemplum Beroënsium (*Act.* 17.) imitandum est, vt scilicet quæ audimus in Concionibus, ea ad sacros libros examinemus. Ideo enim illud exemplum est scriptum, vt imitemur tanquam vtilissimum. At quomodo quis facere hoc poterit, nisi Biblia in ea habeat lingua, quam possit intelligere? Ergo propter idiotas in popularem linguam vertẽda.

10. Tutius est legere scripturam, quàm audire concionatores. Nam ij falli possunt & fallere: illa nequaquam. At quomodo legent populi, nisi in patrium vertatur sermonem?

11. Cibus corporis nemini denegatur: cur cibus animæ suus denegetur? Denegatur autem Idiotis, præsertim ne domi vescantur, si non in vernaculam transferantur linguam.

12. Multis in locis nulli sunt qui possint audiri pastores: alibi sunt rari, & rariores conciones. Quid igitur tum agendum plebi Christianæ? Legendum in Bibliis. At quomodo legent, nisi in sua quisque habeat scripturam lingua? Ergo vertenda.

13. Tales euadimus, quales solent esse libri quos legimus, & sermones eorum, quibuscum loquimur. 1. Corinth. 15. Ergo vt omnes homines fiant boni & sancti, vt est scriptura sacra, vertenda est in eam linguam, quæ possit ab omnibus legi.

14. Scriptura sacra sunt arma militiæ nostræ, quibus oportet nos esse armatos contra omnes hostes. Ergo vt possit quisque his armari, id quod fit legendo, meditando, & in memoriam illas recondendo, vertendæ sunt in natiuum cuiusque populi sermonem.

15 Scriptura est lucerna ardens, ideò data, vt omnibus luceat, & exponatur videnda, Matth. 5. *Nemo ponit lucernam sub modio, sed in candelabro, vt luceat omnibus, qui in domo sunt.* Ergo vt ab omnibus videri possit, & omnibus lucere, vertenda est in vulgarem linguam.

16. Ab autoritate Pauli. 1. Cor. 14. Scribit in Ecclesia non esse vtendum linguis sine interpretatione: scilicet lingua ea, quæ nota est, instituenda.

Argumenta aduersariorum & solutiones.

1. *Deut. 31. Moses tabulas legis diuinæ in arcam inclusit, vt ibi seruarentur, & non ab omnibus viderentur aut contrectarentur. Dedit autem custodiendas Aaroni & Leuitis. Voluit igitur scripturam à solis tantùm Sacerdotibus legi, non à plebe. Quare non est vertenda, ne à plebe legatur.*

Resp. Fallacia est non causæ vt causæ. Non enim ea fuit causa inclusæ legis in arcam, vt à plebe ne legatur. Hoc liquet à contrario. Nam Deut. 6. iussit eam scribi etiam in limine, & ostiis domus, imò in corde. Sed quæ fuit causa? Multæ. Prima, vt illæ ipsæ tabulæ à Deo acceptæ seruarentur *ad memoriam sempiternam in testimonium contra Israelem.* sic ait textus. Sed exemplum illarum scribi voluit etiam in limine & ostiis domus.

Secunda, vt ea ceremonia significaret, sic legem in animo & corde esse cuique seruandam & custodiẽdam, sicut in arca. Ac proinde dedit seruandam Aaroni & Leuitis, vt indicaret summum sacerdotem Christum verè hanc seruaturũ: deinde officium cum primis sacerdotum esse, vt ipsi seruent legem, & aliis vt seruetur, sint autores, hortatores.

Tertia, vt ostenderet ea Ceremonia, omnes qui sub lege essent, & futuri erant, inclusos esse in eam Christi fidẽ, quæ tandem erat reuelanda. Arca enim typus fuit Christi: ac proinde legem fuisse pædagogum, qui duceret ad Christũ.

2. *Moses Deut. 31. iubet Iesuæ & sacerdotibus, vt septimo quoque anno in die solenni remissionis, coram toto populo legeretur lex Domini, vt discerent voluntatem Dei, & facerent. Si lex fuit in cuiusque manu descripta, hoc præceptum fuit vanum. At non fuit. Ergo, &c. Apparet voluisse legem contineri in quadam maiestate.*

Resp. Hoc Enthymema non valet: singulis diebus Dominicis prædicari iubet verbum Dei: Ergo nemo habet illud domi descriptum Causa enim huius præcepti non fuit, vt simpliciter discerent, quasi tum demum legenda esset lex: pugnaret hoc cum Deut. 6. Sed fuit, vt Deus publicè totum populum simul, in solemnitate tanta conuinceret, & inexcusabilem redderet, Ad hoc faciebat solẽnitas diei, ceremoniæ apparatus. Iis magis excitabatur populus ad Deũ.

En simile. Et Magistratus solet quotannis curare, vt leges Ciuitatis legantur solenniter. Ergo hoc præcepto significat, non licere cuiquam eas legere priuatim?

3. *2. Reg. 22. Tempore Iosiæ repertus fuit liber legis Dei, qui ante multos annos latuerat: Et cùm fuisset repertus, magna fuit lætitia toti populo. Apparet hinc non fuisse tunc multa legis exemplaria. Ergo hoc exemplo neque nunc curandum, vt multi sint libri sancti, præsertim apud vulgum. Quare non sunt vertenda Biblia.*

Resp. Nos loquimur de illo, quod populo Dei faciendum est iuxta Dei voluntatem, quæ constat Deut. 6. Tu verò adfers exemplum de eo, quod neglectum fuit ab impiis hominibus, illorum impietate vel saltem ignauia. Fallacia est Enthymematis ex ignoratione Elenchi. Nam ex particulari exemplo, eóque malo, non potest inferri generalis, eaq; bona & pia conclusio. Resolue Enthymema in syllogismum, & fallaciam videbis. Est enim assumenda vniuersalis hæc propositio. *Omnia singularia exempla sunt imitanda. Atqui Israelitæ tempore Iosiæ non habebant nisi vnum librum legis, eúmque occultatum. Ergo nobis quoque idem faciendum est.* Quis non videat maiorem propositionem esse falsissimam & absurdam? Sed benè sic argumentandum: Omnia Israelitica exempla bona, quæ scilicet consentanea sunt legi Dei, sunt imitanda. Nam etiam sic Apostolus: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Atqui Iudæi tempore Christi passim habebant Biblia. Ergò, &c.

4. *Biblia in linguam vernaculam versa, neque ad docendum, neque ad discendum prosunt. Ergo non sunt vertenda. Antecedens probant. Qui docent, vt sint in sacris Literis exercitati, & linguam teneant saltem latinam oportet: Iis ergo inutilis est versio. Qui discunt, ex Doctoribus quos intelligant, discunt. Non est igitur illis necessaria aut vtilis versio.*

Resp. Falsum assumtum, primò de Doctoribus. Non enim tantùm est literatorum & in linguis exercitatorum, docere: sed etiam illiteratorum, vt patrisfamiliâs, matrisfamiliâs, liberos suos, Ephes. 6. 2. De discentibus. Non est vnum tantùm horum officium: nempe audire Doctores scripturas explicantes, sed multa: Primùm, vt domi per se legãt, quod explicandum est in Ecclesia. 2. Vt attenti audiant prælectiones & conciones. 3. Vt relegant accuratè per se domi, & conferant audita cum scriptis, exemplo Beroënsium. 4. Vt repetant quę audierunt, & memoriæ mandent. Ad hæc autem omnia, quis non videat vtilem esse versionem, imò necessariam iis, qui peregrinas linguas non tenent? Quid enim si doctor sit hæreticus? Retorquendum igitur est argumentum in aduersarios.

5. *Si vertantur in linguam vulgarem, fiunt contemptibiles, & exposita sunt manibus, etiam sceleratorum & immundorum hominum. Sunt autem retinenda in sui veneratione*, Ergo, &c.

Resp. Fallacia est non causæ vt causæ. Causa cur datæ sacræ scripturæ, non ea est, vt eas tantùm eminus veneremur, sed vt eas omnes legamus, & per has ad veritatis cognitionem perueniamus, & ita per eas mundemur à peccatis, alamur in homine interno, seruemur. Non possunt autem legi ab omnibus, nisi vertantur. Ergo, &c. Quod isti dicunt, perinde est, atque si diceremus. Non sunt admittendi ad pulchras balneas immundi, quia immundi sunt: Imò contrà, quia immundi sunt, ideo ij cumprimis admittendi, vt mundentur. Mundamur autem per verbum Dei, tam lectũ quàm auditum. Ergo, &c. Christus mandat Iohan. 5. dicendo, *Scrutamini scripturas.* Ergo ab earum lectione nemo arcendus. Deinde, quid discriminis est inter audire & legere scripturas? Licet omnibus audire, & semper, & vbique. Cur non etiam legere?

At vilescunt. Resp. Imo contrà quò melius agnoscuntur scripturæ & intelliguntur, eò in maiori habentur veneratione & honore. Ignota contemnimus: quorum autem vim agnoscimus, veneramur.

6. *Multi sunt loci in scripturis, qui multos etiam literatos fefellerunt, ita vt eorum praua intelligentia facti sint hæretici: quantò magis poterunt decipere imperitam multitudinem? verbi gratia, Vt quia ait Matth. 1. Maria peperit filium suum primogenitum: Heluidius intulit, Illam igitur alios post Christum natum filios peperisse. Alij, quia Iohan. 1. Iesus appellatur filius Iosephi: inde negarunt esse Deum, sed purum hominem. Arius, quia Christus dixit se esse minorem Patre, intulit, Christum non esse æqualem Patri: Quantò magis hæc inferret etiam imperita plebs, si permittantur ei Biblia vulgaria? Imò iudicabit in scripturis esse pugnantia & contradictoria, quia multi sunt loci qui nisi à doctis concilientur, videntur pugnare. Ergo vt hæ hæreses & hæc absurda vitentur, non sunt vertẽda Biblia in lin-*

guam vernaculam, vt à plebe possint legi: at proinde bene faciût Pontifices, dum hæc Biblia vulgaria prohibent. Hoc enim faciunt propter salutem plebis.

Resp. Fallacia est accidentis. Concedo enim multos esse locos, quibus multi ad suam abusi sunt perniciem, & quibus alij abuti possint: sed non hinc sequitur: Ergo prohibenda Biblia vulgaria Idiotis, ne abutantur ad perniciem propter ignorantiam. Quare non sequitur? 1. Quia potest huic errorum & hæresium morbo, bona fieri medicina. Quæ hæc est? Vt singulis Bibliorum capitibus tales addantur vel in margine, vel in fine cuiusque capitis annotationes, quibus illi difficiles & ambigui loci explicentur & illustrentur, ita vt nullam dent occasionem ad errorem. 2. Non sequitur, Multi abusi sunt & abutuntur scripturis in linguam popularem versis ad hæreses, & ad suam perniciem: Ergo non sunt permittenda. Nam hæc illatio sequitur ex propositione generali falsa, & absurda, quæ hæc est *Quicquid per abusum hominum hominibus nocere potest, illud hominibus concedendum non esse.* Quis non videat Maiorem esse absurdam? Nam cibus & potus per abusum hominum multis hominibus nocet & adfert exitium: num propterea cibus & potus vitandus est hominibus? Sol & Luna per abusum hominum, hominibus multis sunt exitiosi. Ergo Sol & Luna tollendi è Cœlo? Tollatur abusus, quia malus: non res bonæ quibus abutuntur homines. 3. *Imò & ad Minorem,* Quod dicis de Bibliis in linguam popularem versis, idem de Bibliis Hebraicis, & Latinis & Græcis dici potest. Multi viri docti iis abusi sunt ad hæreses: Ergo etiam Biblia Hebraica & Latina & Græca prohibenda. Apparet ergo totam hanc argumentationem esse falsam, quia falsum & absurdum assumit. Proinde etiam non sequitur, Pontifices bene facere, quòd prohibeant Biblia: imò sequitur impiè facere & perniciosè & tyrannicè. Annon impiè facit, qui vetat id fidelibus, quod Deus illis iubet? Iubet Deus, vt omnes verbum Dei non solùm audiant, sed etiam legant, & scripturas scrutentur, vt ante ostensum est: ac proinde, quo possint, verti iubet in linguam omnibus notam: Impiè ergo Papa facit, quod prohibet. Annon tyrannicè agit, qui quempiam à suorum bonorum possessione & vsu arcet? Scripturæ sunt bona fidelium. Annon tyranni & hostis est crudelissimi, fame confectum & esurientem impedire, imò pœna capitis prohibere, ne quem possit domi habere cibum, comedat? Hoc facit, qui prohibet, ne Biblia in linguam, quam possit plebs intelligere, vertantur.

7. *In scriptura nihil est immutandum, iuxta illud Deut. 4. Non addas, neque minues. Atqui non possunt verti Biblia in linguam popularem, quin immutentur. Mutantur enim verba, locutiones, &c. Ergo, &c.*

Resp Fallacia est ex ignoratione veri sensus horum verborum Dei. Illud dictum Domini intelligitur primùm de rebus in S. scriptura traditis, de historiis, de præceptis, de promissionibus, de sacramentis. Nihil iis rebus traditis & explicatis in sacris Literis addendum est. Sed quia in Bibliis sanctis Hebraicis nihil poterat mutari vel in verbis, vel etiam in literis, quin mutarentur etiam aliquo modo res ipsæ, vsque adeo erant omnia exactè & sapientissimè scripta: idcirco secundariò illud dictum intelligitur etiam de verbis in ipsa Hebraica lingua sancta, mutandis, alterandis, addendis. Cæterùm, non prohibet illo dicto Dominus, ne in aliam vertantur linguam, modò fideliter, ita vt licet mutentur verba, (alioqui non posset fieri versio) res tamen ipsæ maneant: alioqui peccassent Apostoli, cùm scripturas citarunt in aliena lingua.

8 *Hieronymus in epistola ad Paulinum, quæ est de lectione Bibliorum, conqueritur, quòd scripturam sacram passim sibi omnes vendicent, garrula anus, delirus senex, &c.*

Resp. Hieronymus non improbat, quod omnes legant scripturas sacras. Nam ad huius studium omnes hortatur: ac proinde haud vituperat, quòd in linguam vertatur illam, quam omnes intelligant: sed duo improbat: 1. Quòd quisque audeat sacram Scripturam alios docere, antequam ipse eam discat. Alterum: quòd quis audeat illam tractare, & in illa putet se posse proficere, sine aliquo se peritiore, qui viam præmonstret: id quod ipse disertis verbis ibi confirmat, & tandem ait: *Hæc à me perstricta sunt breuiter, vt intelligeres te in Sacris Literis sine præuio & monstrante semitam non posse ingredi.* Subintellige, si possit haberi talis præuius ductor: alioqui probat contrarium in Nahum, cap. vltimo. Et ipse Hieronymus Scripturam vertit non solùm in Latinam, sed etiam in patriam, seu Illyricam linguam.

QVÆSTIO XI.

De perspicuitate sacrarum Literarum, ad intelligendum.

Ex iis quæ dicta sunt de lectione scripturarum, déque illarum versionibus in hunc finem Dei prouidentia editis, vt scripturæ intelligi ab omni hominum genere possint: consequitur optimo iure Quæstio vndecima, quæ est de perspicuitate sacrarum Literarum, déque earum ad intelligendum facilitate. Nam diximus in illud Apostoli [illegible] &c. quibusnam sit vtilis, audientibus, legentibus, intelligentibus, credentibus. Ad hoc igitur vt sit vtilis, non solùm audiatur & legatur, sed etiam intelligatur necesse est. Quomodo verò intelligi possit, si non ea sit suapte natura ad intelligendum perspicua? Est igitur hic agendum de perspicuitate sacrarum Literarum. Quæstio hæc explicanda nobis est, quod aduersarij contendunt, scripturam esse obscurissimam & difficillimam intellectu, & hac ratione multis dissuadent illius lectionem & studium. Quorsum? vt omnes a somniis & hæresibus Romani Pontificis pendeant.

Quæstio igitur proponitur: *An scriptura ita sit obscura, vt non possit ab omnibus fidelibus intelligi: an verò ita sit suapte natura perspicua, vt à singulis fidelibus vera illius intelligentia percipi queat.* Papistæ (vt dixi) contendunt, eam vbique ferè ita esse per se obscuram, etiam in iis, quæ ad salutem pertinent, vt non possit nisi à magnis & exercitatis Theologis intelligi.

Nos duabus respondemus propositionibus.

PRIMA.

Scriptura sancta nulla sui parte per se obscura est, ita vt non possit intelligi, si ea, quæ in eius lectione seruanda sunt, seruentur.

Explicatio.

Dico, per se, quia si alicubi obscura nobis esse videatur & sit, causa obscuritatis non hæret in scriptura sed in nobis, quòd aut mentes habeamus excæcatas vel obtusas, aut quod non seruemus ea, quæ seruanda sunt in lectione scripturarum.

Confirmatio.

1. Quod per se & suapte natura lumen est splendidissimum, illud certè nulla sui parte obscurum esse vel dici potest. Pugnant enim simul esse lumē splendidissimum & clarissimū, & esse obscurum. Sol certè non potest vlla sui parte esse aut dici obscurus per se & in se: sed si nobis aliquando ita videatur, vt cùm obductus est nubibus, illud est aliúnde & ex accidenti: Vel si alicui aut cæco aut luscioso Sol non videtur clarus, vitium est non in Sole, sed in cæco aut luscioso. Est igitur certa propositio: *Quod per se, & suapte natura lumen est splendidum, illud non posse dici aut esse obscurum vlla sui parte. Atqui talis est scriptura sancta, vti mox è scripturis ipsis ostendam. Scriptura igitur nulla sui parte obscura esse aut dici potest.* Minor probatur.

Psal. 19. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.*

Ps. 119. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Neque hæc elogia dicuntur de aliqua scripturæ parte, sed de toto Dei verbo: Quomodo igitur obscurum esse aut dici potest? Ibidem: *Ostium verborum tuorum illuminat, & intellectum dat permultis.* Comparat verbum ostio aperto, quod permultis etiam lumen adferat.

Sic 2. Pet. 1. Totam scripturam vocat *lucernam lucentem in caliginoso loco: sed habemus firmum Propheticum sermonem, cui bene facitis quòd attendatis velut lucernæ splendenti in obscuro loco.* Ac speciatim nominat Propheticum sermonem, qui tamen præ cæteris scripturæ partibus videtur esse obscurus. Hunc tamen ait esse lucernam lucentem in caliginoso loco. Quid hoc est? Vt ostendat, non solùm suapte natura esse lucidum verbum Dei, sed ita lucidum, vt vbi lucet, etiamsi locus sit sua natura caliginosus, tenebras tamen pellat. Quomodo igitur scriptura potest vlla sui parte appellari obscura? Ita Christus Matth. 5. *Apostolos vocauit lucem Mundi.* Quam ob causam? Propter Euangelium, quod illis erat concreditum, & in ipsis quasi super candelabra positū, vt toti orbi lucerent. Ideo dixit, *Nemo accendit lucernam & ponit eam sub modium, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt.* Sic Christus ipse cumprimis appellatus fuit lux Mundi, etiam propter doctrinam. Ioh. 1. *Erat lux vera.* Item, *Ego sum lux Mundi.* Item, *Lux venit in Mundum, & dilexerunt homines magis tenebras.*

2. Corinth. 4. Apostolus vocat Euangelium, lumen gloriæ Christi, *Ne irradiet* (inquit) *eos lumen gloriæ Christi.* Imo comparat illud primæ illi luci, quæ totum orbem de principio illuminauit, pulsis tenebris omnibus, nempe, quod

sicut

sicut ante illam lucem omnia erant tenebris obducta, vt scriptura ait, Gen.1. *Et tenebræ erant super faciem abyssi*, sed creata illa luce, disiectis tenebris, omnia facta fuerunt conspicua. Ita ante reuelatum Euangelium, quod lumen gloriæ appellatur ab Apostolo, omnia in homine sunt tenebricosa, aduentante vero luce Euangelij, omnia quæ antea alioqui latebant, patefiunt, illustrantur, videntur. Ideo ait 2. Cor.4 *Deus qui dixit, vt è tenebris lux splendesceret, ille est, qui splenduit in cordibus nostris, ad præbendum lumen cognitionis in facie Christi.*

Ex iis igitur perspicuum est, cùm totum Dei verbum, seu tota scriptura, lumen sit clarissimum, non solùm lucernæ, sed etiam Soli, sed primæ etiam illi magnæ luci comparatum, non posse sine magna iniuria dici aliqua sui parte esse per se obscura, atque ita obscura, vt intelligi nequeat.

2. Ies.8. Vult omnia dubia & obscura, ad legem & ad testimonium scripturarum examinari, vt agnoscantur, cùm ait, *Ad legem & ad testimonium.* Quomodo igitur scripturæ possunt dici vlla sui parte esse obscuræ?

3. Si aliqua sui parte scriptura esset per se obscura, vt non posset intelligi, consequeretur Deum aliqua esse locutum, quæ tamen nollet intelligi. Atqui hoc est absurdum: frustra enim locutus esset quod absurdissimum est & impium de Deo cogitare. Nihil igitur locutus est Deus, quod suapte natura, & per se obscurum ita sit, vt non queat intelligi.

4. Luc.24. *Aperuit Christus illis sensum, vt intelligerent scripturas*, sc. omnes. Scripturæ igitur nulla pars obscura est per se, quin possit intelligi ab iis, qui mentis oculos habent per spiritum Christi apertos 2. Timot.3. *Omnis scriptura vtilis est ad doctrinam, &c.* De tota scriptura loquitur. Qui autem possit esse vtilis si ita sit obscura, vt non queat intelligi?

Confirmari potest idem ex Patribus. Augustinus Tom.3. de doctrina Christiana, li.2.c.6. *Magnificè & salubriter Spiritus S. scripturas ita modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus verò (id est, minus claris) fastidium detergeret. Nihil enim ferè de illius obscuritatibus eruitur, quod non planissimè alibi dictum reperiatur.*

Propositio II.

Scriptura sacra in iis, quæ ad salutem cognitu necessaria sunt, & ad veram pertinent pietatem, ita perspicua est, vt ab omnibus Spiritu Dei præditis, qui eam attentè assiduéque legant, & voces ac phrases percipiant, intelligi facile possit.

Explicatio.

Primò, dico in iis, quæ ad salutem cognitu necessaria sunt. Hoc adiicio propter multa alia in scripturis mysteria, quæ vt intelligantur, non satis est percepisse voces & phrases, sed alia etiam requiruntur, vt postea in regulis pro intelligentia scripturarum explicabimus. Sed in iis, quæ ad salutem pertinent, est ita perspicua, vt non opus sit multis regulis.

Secundò, Ideo dico, ab iis, qui Spiritu Dei præditi sunt, quia scio, etiam perspicua, non posse tamen percipi ab homine animali, destituto spiritu Dei, 1. Cor.2.

3. Addo, Qui attentè assiduéque legant, & voces ac phrases intelligant. Nam qui non legit, aut non attentè assiduéque, sed perfunctoriè legit, non potest intelligere. Qui etiã legit, sed vocum significata & phrases non percipiat, qui potest intelligere?

Confirmatio.

1. Si scriptura nulla sui parte est obscura, vt antè ostensum à nobis est: multo minus in iis, quæ ad salutem necessaria sunt, & ad veram pertinent pietatem: Vt quæ pertinent ad fidem, spem, charitatem, vitæ innocentiam, bonámque conscientiam.

2. 2. Tim 3. *Ab infantia sacras Literas nosti, quæ te possunt facere sapientem ad salutem.* Quomodo hoc efficere possunt, in pueris præsertim, si non sint perspicuæ?

3. Matt.28. Marc. 16. *Prædicate Euangelium omni Creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, seruabitur.* Quomodo potest esse obscura illa doctrina, quæ omnibus promiscuè prædicanda est, vt ei auditæ, mox queant homines fidem adhibere?

4. Summam doctrinæ ad salutem necessariæ, quam Catechesin appellant, Apostolus vocat lac paruulis exhibitum. 1. Cor.3. *Lac vobis potum dedi, tanquam paruulis, non escam.* Et Heb.5. reprehendit Hebræos, quòd summam doctrinæ ad salutem necessariæ non teneant, & adhuc illa opus habeant, tanquam lacte. Quid autem durum est in lacte? quid difficile? Voluit igitur Apostolus significare, doctrinam salutis non esse difficilem, non esse duram ad percipiendum & imbibendum.

5. 1. Corinth. 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: Nobis autem dedit spiritum suum, vt sciamus quæ nobis à Deo donata sunt.* Item, *Spiritualis omnia diiudicat.* Ergo qui donatus est spiritu Dei, omnia quæ ad salutem necessaria sunt, facilè intelligit.

6. 1. Ioh.2. *Vos vnctionem habetis à sancto, & nostis omnia.* Quæ omnia? Omnia quæ cognitu necessaria sunt. Item, *Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam.* Et ad quos scribebat? Nunquid tantum ad magnos Theologos & Doctores? Minimè, sed ad omnes fideles. Ergo qui vnctionem habet à sancto, hoc est, qui præditus est spiritu Dei, is facilè veritatem, eorum scilicet quæ ad salutem necessaria sunt, agnoscere potest.

7. Ioh.3. Christus, cum disseruisset de renascentia, de fide in se, déque vita æterna, idque similibus à natura desumtis: Et ea non potuisset Nicodemus percipere, quia sine spiritu Dei erat: postea subiecit dicendo: *Si dixi vobis terrena, & nõ creditis, quomodo si dixero vobis cælestia credetis?* Terrena appellauit illa, quæ dixerat, de regeneratione, de fide, de vita æterna. Cur terrena? Quia facilia & plana.

Ex Patribus Testimonia.

Chrysost. Tom.4. in 2. Thess. 3. homilia 3. col.1413. *Omnia clara sunt & plana ex scripturis diuinis, quæcunque necessaria sunt, manifesta sunt,* Hæc ille. *Sed opus est, inquit Chrysostomus, lectione, auditioneque verbi perpetua.*

Aug. Tom.3. de doctrina Christiana, li.2.c.6. *Magnificè & salubriter Spiritus sanctus ita sacras Scripturas modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret (& hoc, quoad ea, quæ sunt ad salutem necessaria:) obscurioribus verò, fastidium detergeret. Nihil enim ferè de illius obscuritatibus eruitur, quod non planissimè alibi dictum reperiatur.*

Hieronym. in Ies. c.19. *Moris est scripturarum, obscuris manifesta subnectere: & quod prius sub ænigmatibus dixerat, aperta voce proferre.*

Argumenta Aduersariorum, Contra perspicuitatem scripturæ.

1. 2. Corint.3. *Cùm declarasset, cur Moyses velamen in suam poneret faciem, & quid illud significaret, mox subdit, vsque in hodiernum diem idem velamen in lectione veteris Testamenti manet: nec tollitur velum, quod per Christum aboletur. Ergo saltem vetus Testamentum obscurum est; & quasi impossibile ad intelligendum.*

Resp. *Fallacia est diuisionis.* Diuidis hæc verba à subsequentibus, quæ præcedentia explicant, cum sint coniungenda. Subdit Apostolus sese explicans: *sed ad hunc vsque diem: cùm legitur Moses, velamen cordibus illorum impositum est. Cùm autem conuersum fuerit (cor Israelis) ad Dominum, tolletur velamen* Quis non videat hîc Apostolum causam, cur Israelitæ nõ intelligant Mosen, transferre à lege, id est, à scriptura, in ipsos Israelitas? Et hanc esse, quòd cum non habeant cor conuersum ad Dominum, sed auersum, illud habeant velatum excæcatúmque, vt non possint intelligere? Sicut qui faciem habet auersam à sole, solem videre nequit. Apertè enim ait, cum fuerit conuersum ad Dominũ, tunc velamen detractum iri, vt possint scripturam veteris Testamenti percipere.

Idem confirmat subdens de Christianis, qui ad Dominũ conuersi, spiritum eius acceperunt: *Nos autem omnes, retecta facie gloriam Domini speculantes* (scilicet in scripturis, & tanquam in speculo repræsentantes) *ad eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam tanquam à Domini spiritu.*

Capite autem 4. idem apertius confirmat, dicendo: *Quòd si Euangelium nostrum obtectum est: iis qui pereunt obtectum est, in quibus Deus huius seculi excæcauit mentes* (nempe) *infidelibus: ad hoc ne illos irradiet lux Euangelij gloriæ Christi.* Hic etiam Apostolus culpam obscuritatis Euangelij, non in ipsum Euangelium, sed in auditores transfert: quod scilicet sint reprobi, sine spiritu Dei, destinati ad perditionem.

Huc spectat & illud Christi Matth.11. *Gratias tibi ago, Pater, quòd abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti paruulis.* Hic etiam videmus, cur sapientes huius Mundi non intelligant scripturas, & mysterium Euangelij non percipiant, causam hærere in ipsis sapientibus, hoc est, quia sunt nimis sapientes secundum carnem. Pugnant autem inter se sapientia Dei, & sapientia humana, seu prudentia carnis.

Roman.8 *Prudentia carnis inimicitia est aduersus Deū.* Hinc fit, vt quò quis sapientior est secundum carnem, eò minus percipere possit sapientiam Dei, quæ in scripturis est patefacta. Vitium igitur & causa obscuritatis, non est in scripturis, sed in hominibus. Confirmatur hæc responsio alio testimonio Apostoli, 1. Corinth. 2. *Animalis homo, non percipit ea, quæ sunt Dei, nec potest percipere, quia spiritualiter diiudicantur.* Quis etiam hic non videat, causam cur animalis homo non percipiat ea, quæ sunt Spiritus Dei, & scripturas non intelligit, in ipso hærere homine animali? nempe quia animalis tantum est homo, humana tantum prudentia, & nullo Dei spiritu præditus. Scripturæ enim cùm sint à spiritu Dei, non possunt intelligi sine spiritu Dei. Quò quis autem animalior est, & prudentior secundùm carnem, eò minus habet Spiritus Dei. Quomodo igitur possit eas intelligere? Ideo Apostolus consulit, si quis velit verè scripturas intelligere, & sapiens fieri vera & cœlesti sapientia, ponat sapientiam huius seculi. 1. Cor. 3. *Nemo se seducat: si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiens. Sapientia enim huius Mundi, stultitia est apud Deum.*

Ioh. 3. causa etiam alia adfertur, cur multi non possint percipere Euangelium: quia scilicet illud non amarunt. *Lux venit in Mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* Vnde hoc? Quia cùm primum legunt verbum Dei, vident sua argui peccata. Ideo ait, *Erant enim opera eorum mala* Item, *Qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem.*

2. Thess. 2. *Quia non susceperunt dilectionem veritatis, vt salui fierent, propterea mittet illis Deus efficacitatem deceptionis &c.* Hic etiam videmus causam, cur homines huius seculi non intelligant scripturas, esse in ipsis, non in scripturis, quia scil scripturas non amant, nec illarum lectione delectantur: sed alij oderunt, alij fastidiunt.

Matt. 22. *Erratis nescientes scripturas.* Vnde vero hæc ignoratio? Quia eas non legebant. Ideo subinde illos de hac re reprehendebat: Non legistis? Matt. 22. *De resurrectione mortuorum non legistis, quod vobis dictum est à Deo dicente, Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob?* Vel, si legebant, perfunctoriè legebant, non scrutabantur. Ideo Ioh. 5. *Scrutamini scripturas.* Hic etiam apparet, quod Iudæi non intelligerent scripturas, causam fuisse in ipsis, quod eas nō legerent, aut non scrutarentur, non autem hæsisse in scripturis. Summa: E scripturis apparet, si quis illas non intelligat, culpam hærere in hominibus, non in scripturis ipsis, quæ sunt lux splendidissima.

II. *Deut. 17. Si qua difficilis causa oriatur, iubet adiri non scripturas ipsas, sed sacerdotes, qui secundùm legem Dei iudicent. Si scriptura esset perspicua, superuacaneum foret iubere, vt eas ad sacerdotes.*

Resp. *Fallacia est non causa vt causa.* Non ideo iussit ire ad sacerdotes, quia scriptura sit obscura, ita vt non possit omnis difficilis causa iuxta illam cognosci: sed partim, vt qui eam negligunt, ideoque ignorant, doceantur à sacerdotibus, partim vt, etiamsi norint, seruetur tamen forma iudicij in Ecclesia, & homines reddantur inexcusabiles. Imo hic locus euincit, scripturam esse perspicuam, cùm ad hanc omnes difficiles iubet quæstiones examinari, & ex hac de omnibus pronunciari. Illud enim, secundùm quod res ambiguæ iudicandæ sunt, perspicuum & clarum sit, necesse est. Quomodo enim rem ambiguam & obscuram declarare queas. Atqui caussæ difficiles iuxta præceptum Mosis iudicandæ sunt à sacerdotibus secundum legem, hoc est, secundum verbum Dei. Quomodo igitur ex verbo Dei iudicari possūnt quæstiones omnes, nisi verbum Domini sit clarissimum? Nihil igitur ex hoc Deut. loco aduersus perspicuitatē scripturarum concluditur, sed contrà potius facit pro perspicuitate.

III. Rom. 11. *Incomprehensibilia sunt iudicia eius: Et quis nouit sensum Domini? Hoc Erasmus, vt concluderet, scripturas multis in locis obscuras esse.*

Respondet Lutherus, non ait Apostolus, incomprehensibilia esse iudicia scripturæ, sed eius, id est, Domini: Neque ait: Quis nouit sensum scripturæ, sed Domini? Damus autem libenter, iudicia Dei non reuelata, esse nobis incomprehensibilia. Sed non de iis, verùm de reuelatis est quæstio: & hæc contendimus esse perspicua, & comprehendi posse: quia in hunc etiam finem illa reuelauit Deus in scripturis. Item, Damus sensum Domini, id est, voluntatem non reuelatam, nemini esse perspectam & notam: verùm de hac non disputatur, sed de reuelata in S Literis: Et hanc dicimus posse agnosci, & esse perspicuam. Quare hic est ἀπὸ λογισμοῦ ὁμωνυμίας. Est enim sensus Domini duplex, reuelatus & non reuelatus. Ita iudicia Domini duplicia, reuelata & non reuelata: Nos de reuelatis in scripturis loquimur. Loci autem illi scripturæ adducti, de non reuelatis sunt.

IV. 2 *Pet. 3. De Epistolis Pauli verba faciens Petrus, ait, esse in illis quædam difficilia intellectu. Non sunt igitur scripturæ perspicuæ.*

Resp. Fallacia est figuræ dictionis, ex ignoratione linguæ Græcæ, & sensus Apostolici. Primum illud (in quibus) non potest referri ad Epistolas, quasi dicat Petrus, inter Epistolas Pauli esse aliquas obscuras difficilesque intellectu: sed refertur ad quædam fidei mysteria, quæ in Epistolis Pauli traduntur. Nam Græcè sic est: *Quapropter, Dilecti, hac expectantes studete, vt immaculati ab eo reperiamini cum pace: Domini que nostri patientiam, salutem arbitremini: sicut & charus frater noster Paulus pro sibi data sapientia scripsit vobis:* ὡς καὶ ἐν πάσαις ταῖς ἐπιστολαῖς λαλῶν ἐν αὐταῖς περὶ τούτων (de iis scilicet de futuro aduentu, & de iis, quæ tunc ventura sunt) ἐν οἷς ἐστὶ δυσνόητά τινα. Illud οἷς, neutri generis est, ἐπιστολαῖς autem fœminini. Ideo dixisset αἷς, si de Epistolis locutus esset: sed ait, ἐν οἷς, scilicet τούτοις, de quibus ipse scripsit, & ait scripsisse etiam Paulum. Quare locus hic minime concludit Epistolas Pauli, aut alias scripturas esse obscuras, difficilesque intellectu. Neque enim hic Petrus disputat de obscuritate, aut perspicuitate epistolarum Pauli, sed loquitur de mysteriis futuri aduentus Domini, de exustione cœlorum & elementorum, de nouo cœlo & noua terra & cumprimis de potentia Domini, quia suum differt aduentum: Et in iis mysteriis, de quibus ait etiam Paulum in suis Epistolis scripsisse: dicit esse quædam, quæ non ita facilè à quouis intelligi & comprehendi possint: ac proindeque torqueantur ab indoctis & parum firmis ad suum exitium: sicut etiam reliquas scripturas detorquent. Quare non de epistolis & scripturis, sed de rebus ipsis loquitur.

At (inquies) perinde est, quæ continentur in sacris Literis esse δυσνόητα, & scripturas ipsas, τὰ ἱερὰ γράμματα esse δυσνόητα. Vnde & Petrus simul coniungit, cùm ait, tam illa mysteria, quàm reliquas scripturas torqueri ab indoctis. Quare optimè sequitur ex hoc Petri loco, si quæ in scripturis continentur mysteria, sunt δυσνόητα, etiam scripturas ipsas esse difficiles intellectu.

Resp. Demus, sed quid tum? *Primò*, non consequetur omnes scripturas esse difficiles intellectu, sed tantùm illas, vbi continentur hæc quædam δυσνόητα: Qua voce indicat, reliqua esse εὐνόητα, illa scilicet, quæ cuique ad salutem cognitu sunt necessaria. Quòd si hæc etiam sint alicui difficilia & obscura: ideo sunt, quia volunt ipsi ea ignorare, vt supra ait Petrus, vers. 5. Nam illud, *volentes nesciunt, quòd cœli, &c.*

Secundò, non ait, illa etiam quædam, esse ita obscura, vt non possint intelligi, sed tantum ait, esse δυσνόητα. Fatemur autem opus esse studio, diligentia, scrutatione in intelligendis scripturis. Nullæ igitur scripturæ, ita obscuræ sunt, quin possint intelligi.

Tertiò, Non ait, quibusuis esse δυσνόητα. Sed duobus hominum generibus, indoctis, hoc est, imperitis scripturarum, ac minimè ϑεοδιδάκτοις, & instabilibus, hoc est, qui nō sunt firmi in fide, neque perseuerant in lectione ac studio scripturarum: hoc est, illis, qui sunt sine spiritu Dei. Ita enim subdit Apostolus: ἃ οἱ ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι στρεβλοῦσιν, ὡς καὶ τὰς λοιπὰς γραφὰς πρὸς τὴν ἰδίαν αὐτῶν ἀπώλειαν. Quasi dicat, quia sunt indocti, imperiti scripturarum, sine spiritu Dei & instabiles in religione: Ideo hæc, non intelligentes, torquent ad suam perniciem. Vt exempli causa, patientia qua Christus suum differt aduentum, abutuntur ad suam perniciem, vt negent esse venturum, sicut supra dixit, *Venturos irrisores, qui in suis cupiditatibus incedant, & dicant, vbi est pollicitatio aduentus eius. Ex quo enim, &c* Non sequitur igitur, scripturas omnibus esse obscuras & difficiles, sed hominibus tantum, qui cùm sint sine spiritu Dei, sunt etiam scripturarum imperiti, & instabiles. Quare? *Quia animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt. Et caro & sanguis non reuelat hæc, sed Pater cœlestis suo spiritu.* A contrario igitur docet Petrus iis verbis, illis qui sunt præditi spiritu Dei, & ϑεοδιδάκτοις, quique perpetuò & constanter in scripturarum lectione versantur & meditāntur, nihil in eis esse δυσνόητα. Ratio: 1. Cor. 2. *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunditates Dei.* Et quas profunditates? Non omnes, vt quæ nō sunt reuelatæ in scripturis, sed tantum reuelatas. Nam de illis Apostolus Rom. 11. ὦ βάθος πλούτου καὶ σοφίας, ὡς ἀνεξερεύνητα, &c.

Summa: Primùm, Etsi scriptura per se sit perspicua: non tamen dicimus omnibus esse perspicuam, & facilem intellectu, vt sunt illi peruersi homines, de quibus loquitur Petrus. Sed quibus? iis, qui spiritum Dei habent se docentem: qui Deum inuocant pro vera scripturarum intelligentia, qui

qui diligenter & assiduè S. literas perscrutantur. Quare locus Petri, qui de peruersis loquitur hominibus, nil concludit contra nos. Deinde, etsi dicimus totam scripturam esse per se claram: non ideo tamen dicimus, vbique ex æquo, esse intellectu facilem: Alicubi enim etiam filiis Dei, esse intellectu difficiliorem, quàm alibi. Sed dicimus, in tam frequentibus locis esse intellectu facilem, vt qui veram Dei doctrinam in eis quærat, plenissimè eam sit inuenturus.

V. *A quotidianis explicationibus. Si scriptura sancta non essent obscura, sed perspicua, superuacanei essent interpretes in Ecclesia. At non sunt. Sunt igitur obscura.*

Resp. Fallacia est non causæ vt causæ. Non enim vna tantùm est causa, cur Dominus velit scripturas in Ecclesia explicari, nimirum vt simpliciter intelligantur: sed aliæ etiam sunt causæ: nempe 1. vt melius per Spiritum sanctum cordibus infigantur. Adest enim Spiritus sanctus in ministerio publico. 2. Vt publicum extet ministerium ad quod etiã infideles accedant, vt discant: & Dominus publicè arguat, doceat, consoletur. 3. Vt charitas ac dilectio per donorum communicationem magis ac magis in populo Dei exerceatur, augeatur, dum alij docent, alij discunt. 4. Nõ omnes sciunt scripturas legere: aliis non ita vacat: alij non tam benè intelligunt, quia imperiti, quàm pastores. Ergo non frustra ministerium, etiamsi scripturæ per se sint perspicuæ.

VI. *A variis scripturarum interpretationibus, quas adferunt Doctores.*

Doctores Ecclesiæ dissentiunt inter se in interpretationibus scripturarum.

Ergo obscuræ sunt.

Resp. *primò* ad Antecedens. In necessariis ad salutem nõ dissentiunt veri Doctores. Est igitur fallacia à secundum quid, ad simpliciter. *Secundò* ad consequens. Etiamsi dissentiant nonnulli, non consequitur, scripturã esse per se obscuram. Vitium enim est in Doctoribus ipsis, non in scriptura. Quòd autem Deus permittat, vt in multis scripturarum interpretationibus inter se dissentiant Patres, hoc facit propter ipsorum & nostram vtilitatem. Ipsorum, vt primò agnoscant suam in rebus diuinis imperitiam, atque ita humilientur. Secundò, vt se exerceant in scripturis inuestigandis, & ita euitent otium, & tentationes Sathanæ. Tertiò, vt excitentur ad inuocationem.

Ad nostram, vt nos inde quoque Patrum exemplo discamus, quàm simus nostra natura inepti ad ea quæ Dei sunt. Ita accendamur ad studium scripturæ, & ad Deum inuocandum pro vera scripturæ intelligentia.

VII. *A multis scripturarum locis, qui ne à doctissimis quidem intelliguntur. Multa sunt in scripturis, qui ne à doctissimis quidem intelliguntur, vt quædam apud Prophetas oracula, & visiones: qualis est illa visio apud Ezechielem in cap. 1. quam etiamsi præstantissimi & ingenio, & spiritu, & eruditione viri interpretentur, fatentur tamen esse obscurissimam, nec se intelligere, nisi forte ex parte, idque tenuiter. Et alia non dissimiles, tam in hoc quàm in aliis Prophetis. Et in Apocalypsi quot sunt obscurissima?*

Resp. Fatemur nonnulla in Prophetis præsertim, nobis esse obscurissima, atque ita obscura, vt quid sibi voluerint Prophetæ illis in locis & visionibus, quisve sit illarum verus sensus, diuinari quidem ab aliquo possit, sed certò à se scire profiteri nemo vix queat. Atque hoc præsertim verum est in iis visionibus, quæ sunt de rebus futuris, quorum cõplementa nondum videmus aut gustamus. Exempla occurrent legentibus Prophetas, maximè verò Ezechielem, Danielem, Zachariam, & Apocalypsin Iohannis. Sed vnde hæc obscuritas? Non certè à scripturis ipsis. 1. Stat enim firmum illud Petri de Prophetico sermone, quicunque ille sit, eam esse lucernam lucentem in caliginoso loco. 2. Et certè Deus non illas obtulit visiones Prophetis, vt nollet intelligi non solùm ab ipsis Prophetis, quibus visiones offerebat, sed etiam à populo, cui eas recitari volebat: imò & à nobis, quorum gratiam scriptæ sunt. Non est igitur obscuritas hæc, propriè loquendo, in & ab ipsis scripturis Propheticis. Sed vbi & vnde? In nobis, & à nobis, quòd ita obrutimus acie oculorum spiritus, vt res procul dissitas, quæ illis visionibus Prophetis ostendebantur, intueri nequeamus: ac proinde ipsæ etiam visiones obscurissimæ nobis sunt. Ratio. Nam sicut reliquum Dei verbum non potest percipi ab illis qui sunt sine spiritu Dei: 1. Corinth. 2. Sic visiones Propheticæ, & oracula de rebus futuris non possunt percipi sine spiritu Prophetico. Interim tamen Scripturæ illæ Propheticæ per se perspicuæ sunt. Nam fac, vt illæ visiones, & oracula nobis proponantur, non amplius vt Prophetica, de rebus futuris: sed vt historica, vtpote de rebus, quæ complementum habuerunt, aut iam habere incipiunt: illæ scripturæ non amplius nobis ita videbuntur obscuræ, sed claræ & perspicuæ. Exemplis rem declaro.

Quæ Daniel c. 2. somnium Regis explicans, & 7 c. visionem suam de 4. bestiis declarans, prædixit de quatuor Monarchiis. Et quæ itidem Zacharias, c. 6. sub visione 4. Quadrigarum egredientium de medio montium, de iisdem 4. Monarchiis vaticinatus est, dubium non est, quin populo illi fuerint obscurissima. Quare? Quia nondum poterant res ipsas longo post tempore futuras, perspicere sine spiritu Prophetico. At nobis, qui hæc omnia videmus completa: ac proinde, qui legimus, non tanquam de rebus futuris oracula, sed tanquam de præteritis rebus gestis historias: nihil est clarius illis visionibus.

Item, Quæ tam Daniel cap. 11. sub figura Antiochi, & Zacharias c. 11. sub pastore stulto, de Antichristo prædixerunt: & quæ deinde luculentius de eodem prædixit Apostolus 2. Thess. 2. & Iohan. in Apocalypsi, cùm alibi, tum c. 13. Ea certè antequam reuelatus esset Antichristus, obscurissima fuerunt viris etiam sanctissimis, & in scripturis exercitatissimis. Quamobrem? Quia Prophetica erant, de rebus futuris: quas res, qui sine spiritu Dei erant, videre non poterãt. At nobis nihil his locis clarius: quia ea loca legimus non tanquam vaticinia de rebus futuris: sed tanquam historica de præteritis & præsentibus. Idem videmus contigisse Apostolis. Multa de se, de sua morte, resurrectione, regno prædicebat Christus, quæ illi non intellexerunt, nisi posteaquam impleta vidissent. Exemplum vnum. Ioh. 2. petentibus Iudæis signum à Christo: *Soluite* (inquit) *Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud* Luc. 18. *Et absconditum erat ab oculis eorum: sed post resurrectionem recordati sunt.* Hoc dictum obscurum fuit non solum illis Iudæis incredulis, sed etiam Apostolis Spiritu Dei præditis. Quare? Quia de re futura, quam non videbant, neque persuadere sibi poterant. At posteaquam resurrexisset à mortuis, atque ita dictum illud fuisset adimpletum: tunc Apostolis nihil fuit clarius, quàm Christum tunc locutum fuisse de templo corporis sui: quod sc. occisum illud à Iudæis, ipse esset excitaturus à mortuis, quemadmodum Euangelista ibidem subdit, & docet.

Hinc perspicuum fit, multa apud Prophetas dicta & visiones contineri, quæ licet ante illarum complementum hominibus spiritu Prophetico destitutis, obscurissimæ essent: tamen per se erant perspicuæ: id quod inde apparet, quia post illarum complementum, nobis factæ sunt clarissimæ. Obscuritas igitur non erat in ipsis Prophetarum dictis, oraculis, visionibus, sed in hominibus, qui cùm essent spiritu Prophetico vacui, hoc est, acie oculorum spiritus obtusa: res tam procul dissitas videre non poterant. Idem igitur sentiendum est de multis aliis, quæ tam in veteribus Prophetis, quàm in Apocalypsi continentur: ea esse non in se, sed nobis obscura: quia de rebus sunt futuris, quas quia expertes spiritus Prophetici non possumus cernere, idcirco harũ etiam scripturarum verum ac genuinum sensum videre nõ possumus. Sed cùm omnia suum sortita fuerint complementum: tum omnes etiam scripturæ perspicuæ nobis fuerint, quæ semper in se nihil habent obscuritatis. Sunt enim semper lucerna lucis: obscuritas semper in nobis, & à nobis est. Semper enim Spiritus sanctus in scripturis ipsis, causas cur non intelligamus scripturas, nobis adscribit, non scripturis. Accusare igitur scripturas obscuritatis, & talis obscuritatis, propter quam intelligi nequeant: summæ est impietatis: quia nihil aliud est, quàm culpam huius obscuritatis à nobis in Deum transferre, quam tamen disertè Spiritus S. in nobis hærere docet: vt aliqua ex parte ostendimus in responsione ad primum argumentum: & nunc fusius etiam ostendemus.

Quod ad quæstionem de perspicuitate scripturarum attinet: hactenus demonstratum à nobis est, Primùm quidẽ, scripturã nulla sui parte ita per se obscuram esse, vt à fidelibus spiritu Dei præditis intelligi nequeat: multò verò minus in iis quæ ad salutem necessaria sunt. Confirmata, demonstratáque doctrina: responsum est ad argumenta aduersariorum numero septem; quorum *Primum* ductũ fuit ex loco 2. ad Corinth. 3 de velamine quod adhuc est in lectione veteris Testamenti. *Alterum* ex Deut. 17. de causis difficilibus ad sacerdotes referendis. *Tertium* à loco Pauli in Epistola ad Rom. 11. Quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius? Item Quis nouit sensum Domini? *Quartum*, ex loco Petri, 2. Pet. 3. in quibus sint quædam intellectu difficilia. *Quintum* ductum à Ministerio verbi in Ecclesia. *Sextum* à multitudine diuersitatéque interpretationum scripturæ sanctæ, quæ tum à veteribus, tum à nostris doctoribus allatæ sunt, & adferuntur. *Septimum*, à locis quibusdam scripturæ, qui hucusque a nemine fuerunt probè intellecti, & perfectè explicati.

Responsiones ad singula argumenta repetere, neque necesse est, neque operæ pretium.

Tantum censeo vtile fore, si responsionem ad septimum breuiter repetam. Res igitur ita se habet.

1. Fatemur nonnullas visiones & oracula de rebus futuris in scripturis, apud Prophetas contineri, quæ à nemine hactenus videntur fuisse probè intellecta, & perfectè explicata. Nam etiamsi multi in ea scripserint quod senserunt: fatentur tamen se non profiteri perfectam illorum locorum intelligentiam. Esse igitur obscura.

2. Sed contendimus nos, causam huius obscuritatis, non hærere in ipsis scripturis Propheticis, propter illud 2.Petr.1. *Et habemus firmiorem Propheticum sermonem, &c.* De toto sermone Prophetico, hoc dixit. Non igitur in ipsis scripturis hærere culpam obscuritatis.

3. Vbi igitur? In nobis ipsis, vt semper Spiritus S. in scripturis docet: Et hanc esse, quòd licet spiritum Dei habeamus: tamen obtusa mentis acie sumus. Hinc fieri, vt res procul à nobis dissitas nequeamus videre, eóque nec scripturas, quæ de iis sunt, perfectè intelligere, eóque obscuras videri.

4. Hoc ita esse, hinc liquere, quia si visiones illæ nobis proponantur non amplius vt Propheticæ de rebus futuris, sed vt historicæ de præteritis aut præsentibus: eas non amplius nobis visum iri obscuras, sed perspicuas. Non igitur obscuritatem in scripturis fuisse, sed quòd res procul distantes non possemus intueri, acie obtusa cùm simus.

Exemplis rem declaraui, primum de visionibus & vaticiniis Monarchiarum, quæ Dan.2.& 7.& Zach.6. legûtur. Illa antequam complerentur, visa fuisse obscura antiquis, nobis clara. Secundum, quæ de Antichristo Dan.11. sub typo Antiochi, Zac.11. sub Pastore stulto, leguntur. Tertium quæ Ioh.2. Luc.18 de templo corporis Christi. Idem igitur sentiendum de aliis, quæ nondum sunt impleta, in Apocalypsi. Quare causam obscuritatis semper in nobis hærere. proinde summæ impietatis esse, scripturas accusare obscuritatis: quia hoc est culpam obscuritatis huius in Deum transferre, quam tamen Spiritus S. semper in nobis esse docet. Atque hęc de quæstione vndecima satis. Nunc sequitur

QVÆSTIO DVODECIMA QVÆ *est de regulis intelligendi S. literas, inque illis proficiendi.*

Sed vt melius hæ cognoscantur, explicandæ prius sunt causæ, cur scripturæ videantur obscuræ, quas causas omnes dixi in nobis hærere, vt ex iis, postea è contrario educantur regulæ perspicuitatis. *Quæstio igitur est, quænam sint illæ causæ, propter quas scripturæ nobis videantur obscuræ: ac proinde quænam veræ regulæ, quibus scripturas perspicuè intelligere, inque illis proficere possimus.*

Resp. Papistæ putant, & scribunt, primam regulam intelligendi scripturas, eámque præcipuam, esse vt recurratur pro sacrarum Literarum intelligentia, ad Ecclesiam Catholicam. Ibi enim tantùm verum scripturæ intellectum retineri, iam inde ab initio per Apostolos relictum. Et ad hanc sententiam confirmandam adferunt testimonium Apostoli, ex 1.Timoth.3. *Ecclesia est columna & fundamentum veritatis.* Verus igitur scripturarum intellectus, apud Ecclesiam Catholicam quærendus est, quòd ibi semper maneat.

Deinde quædam alia argumenta ex Patribus.

Nos quoad hanc quæstionem attinet, primò dicemus quid nobis videatur: Deinde, ad extremum, Papisticã sententiam, vt ipsi eam intelligunt, refutabimus.

Principio tenenda est hæc partitio. Regulæ ad intelligendũ scripturas, vtiles & verò etiam necessariæ, triplicis sunt generis.

Quædam præcedunt ipsam scripturarum lectionem, seu adferendæ sunt ad studium sacrarum Literarum: Quædam seruandæ in ipsa lectione: Quædam verò subsequantur, necesse est.

Hæ regulæ (vt ante dixi) colligendæ sunt ex causis, cur Scripturæ multis obscuræ sint, ac parum in eis proficiant: Ergo primùm hæ causæ sunt videndæ, & ex singulis, singulæ regulæ conficientur.

CAPVT I.

De regulis primi generis, déque causis obscuritatis scripturarum, in primo genere.

Præcipua quidem causa, cur scripturæ multis sint obscurissimæ, ita vt non queant ab ipsis intelligi, est, quòd sunt reprobi, súntque è numero eorum, quibus non est datum, vt agnoscāt mysteria Dei, sed ex illorum qui pereunt. Docet hanc Christus & Apostoli. Matth.13. *Vobis Electis) datum est, nosse mysteria regni Dei: illis autem (Pharisæis & aliis reprobis) non est datum: propterea per parabolas loquor eis, quia videntes non vident.* Et confirmat dictum verbis Ies.6. cap. *Auribus audietis, & non intelligetis* Ioh.8 *Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* 1.Cor.1. *Verbum crucis (id est, Euangelium) pereuntibus quidem stultitia est: iis autem qui salui fiunt, id est. nobis, Dei virtus est.* 2.Cor.2. *ait, Euangelium esse odorem mortis ad mortem iis qui pereunt. Item, cap.4. ait, Euangelium suum non esse velatum seu opertum, nisi iis, qui pereunt.* Non est igitur obscuritas in Euangelio, sed in hominibus reprobis.

Ex hac præcipua obscuritatis causa, nullam possumus tradere regulam pro intellectu scripturarum: quia nullius est hominis efficere, vt sit Electus. Sed maximam hinc colligimus & fidei confirmationem, & vtilitatem. Fidei confirmationem: quia si electis tantùm datum est, vt verè, perspicuè, genuinè & solidè intelligant sacras Literas: Ergo cùm sentimus, nos hac vera cognitione donatos esse, confirmamur, & debemus confirmari in fide de nostri electione. Vtilitatem verò, quia hinc excitamur ad strenue pergēdum in scripturis perscrutandis: quippe qui sumus ex illorum numero, quibus datum est nosse mysteria Regni Dei.

Cæterùm, quia hæc causa extra hominem est, & immutabilis: Nos autem quærimus causas, quæ in homine sunt, & quæ possunt tolli & emendari: ideo alias quæremus causas obscuritatis, vt à contrario inde colligantur regulæ, ad scripturas perspicue rectéque intelligendas.

Prima igitur causa, *est* cæcitas naturalis, qua nostrapte natura, ad ea quæ Dei sunt intelligenda, ineptissimi sumus. 1.Cor.2. *Animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt. stultitia enim sunt illi: nec potest percipere: quia spiritualiter diiudicantur.* Etsi enim Sol splendidissime luceat, si tamen cæcus sis, intueri illius lucem minime possis.

I. Hinc igitur haurimus à contrario regulam ad scripturas intelligendum necessariam. Quænam hæc est? Preces, quibus petamus à Deo Spiritum suum sanctum, quo mentes nostras illuminet ad veram scripturarum intelligētiam. Nam Spiritu sancto Dei cum primis opus est ad verbum Dei intelligendum. Hoc docet Christus, cum Iohan.20. dat Spiritum Apostolis, vt intelligerent scripturas Confirmat Apostolus 1.Corinth.2. Nos autem Spiritum Christi accepimus, vt sciamus quæ à Deo nobis donata sunt. Confirmat iterum, 2.Pet.1. *Omnis scriptura non est propria interpretationis. Non enim libidine hominis allata est olim prophetia, sed acti à Spiritu sancto locuti sunt sancti Dei homines.* Ergo eodem spiritu opus est ad eas intelligendas. Qui sine spiritu humano est, non potest quæ homo loquitur, percipere, vt bos, &c. Si qui sine spiritu Dei. Spiritus autem Dei inspiratur precibus, Luc.11. *Quis ex vobis pater, à quo si filius petierit panem, vnum lapidem dabit illi? Si igitur vos, cùm sitis mali, nostis bona dare filiis vestris: quantò magis pater cœlestis dabit spiritum bonum petentibus ab ipso?* Sic Iac 1. *Si quis indiget sapientia, postulet à Deo.* Est autem hoc perpetuo agendum, cùm accedimus ad studium sacrarum Literarum, aut ad lectionem, & ad conciones, & dicendum cum Dauide Psalm.18. *Da mihi intellectum, vt discam mandata tua.* Item, *Reuela oculos meos, vt videam mirabilia de lege tua.*

Secunda causa est, nostræ carnis prudentia ac sapientia, quam dum adferimus ad lectionem & studium scripturarum, minus sumus idonei ad veram illarum intelligentiam assequendam, & eò magis à nobis absconditur cognitio sapientiæ Dei, quò plus adhibemus nostræ sapientiæ & prudentiæ. Hanc tradit Christus Matth.11. *Abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti paruulis.* Et Apostolus confirmat addita etiam ratione 1.Corinth.3. *Sapientia huius Mundi, stultitia est apud Deum.* Et Rom.8. *Prudentia carnis, inimicitia est aduersus Deum.* Hæc impedimento ipsis maxime Philosophis & sapientibus huius seculis, & quicunque inanem Philosophiam sectati sunt, vt multi Patres, & Sophistæ omnes. Dum enim ea quæ Deus tradidit in scripturis spiritu suo diuino, voluerunt ipsi sua humana sapientia metiri & intelligere: in maximos lapsi sunt errores: vt non immeritò dixerit Tertullianus: *Philosophos patres esse hæreticorum.*

II. Ergo ad veram scripturarum intelligentiam consequendam, secunda hæc esto regula, vt scilicet, cum ad illas accedimus, omni nostræ humanæ prudentiæ & ratiocinationibus renunciemus, & ceu infantes simpliciter subiiciamus nos Deo in scripturis nos docenti, captiuantes omnem cogitationem nostram in obsequium Christi.

Hanc

Hanc docet Apostolus 1. Corinth. 3. *Si quis vult inter vos sapiens esse stultus fiat: vt sit sapiens.* Psal. 1. *Beatus vir, qui non ambulauit in consilio impiorum, &c. sed in lege Domini* tota eius voluntas, mens, oblectatio, ἡ ἡδονή. Quantum prosit hæc consecratio mentis in obsequium CHRISTI, valedicto omni nostræ humanæ sapientiæ: docet Apostolus suo exemplo, Actor. 9. *Domine quid me vis facere?* Item simili pueri, qui se totum tradit erudiendum Magistro excellenti.

Tertia causa obscuritatis, est præiudicium, quod ad illarum lectionem adfertur. Multi enim præter naturalem cæcitatem, præter propriam carnis sapientiam, adferunt etiam præiudicium, ex hominum impiorum, vt Papistarum & aliorum hæreticorum, aut etiam hominum piorum, sed multis in rebus hallucinatorum, doctrinis & consiliis conceptum, ad interpretationem scripturarum. Hoc decepti atque corrupti, scripturarum intelligentiam non assequuntur, sed corrupti corrumpunt. Hoc vitium indicat Christus Matth. 15. cùm docet, Pharisæos sua traditione, de adferendis muneribus ad templum, corrupisse, & ita transgredi docuisse præceptum Dei de honorandis parentibus. Atque hæc est non postrema causa, cur Hæretici, Papistæ & sectarij homines non intelligant scripturas, etiamsi diligenter legant. Quamobrem? Quia sua adferunt præiudicia & dogmata impia, vt secundum hæc scripturas interpretentur, non autem ad illas hæc examinent. Ita inter nostros, qui ita sunt suis addicti præceptoribus, vt hoc semel statuerint, illos non potuisse errare, & quicquid scripserint, optimè fuisse dictum: ij hoc præiudicio occupati, veritatem scripturarum assequi non possunt.

III. *Regula, ad veram scripturarum intelligentiam, hac esto:* Vt scilicet ad illarum studium, sine vllo præiudicio, vel è nostro capite, vel ex aliorum doctrinis concepto, accedamus: sed animo candido, puro, discendique cupido. Hanc docuit Apostolus Col. 2. *Videte ne quis vos decipiat per inanem philosophiam secundum traditionem.* Psal. 1. *Beatus, qui nō abiit in consilium impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in Cathedra derisorum non sedit, &c.* hoc est, qui neglectis omnibus impiorum hominum consiliis & doctrinis, ad solum Dei verbum adiicit animum, & in eo solo meditatur die ac nocte. Matth. 19. *Cauete à fermento Pharisæorum.* Iet. 23. *Quid tritico cum paleis?*

Quarta causa, est impietas & impœnitentia, hoc est, perseuerantia in peccatis, sine vlla vera conuersione ad Dominum. Hac fit vt in iis impœnitentibus hominibus, locum habere nequeat vera sapientia, & spiritus Christi, qui illuminet ad intelligendum scripturas.

Hanc docet Hos. 14. *Plana sunt viæ Domini, iusti ambulabunt per eas, impij autem corruent* 2. Timoth. 3. *primùm ait, futuros homines prauos, impœnitentes: deinde, seductores, qui proficiant in peius errantes, &c.* quasi dicat, quæ est causa, cur non proficiant in melius, in scripturis, & in pietate, sed in peius, errantes, & in errorem inducentes? Quia sunt praui homines, nempe pleni peccatis, & impœnitentes. Sic 2. Corinth. 3 Ideo dixit, *Velamen manere super cor Iudæorum, quia cor habent auersum à Domino.* Sic Sap. 1. *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec in corpore peccatis obnoxio habitabit.* Ioh 3. *Omnis qui malè agit, odit lucem.*

IV. Ergo cùm accedemus ad scripturas legendas & audiendas: accedamus cum vera animi à peccatis resipiscentia, cordéque ad Deum conuerso, detestati priorem vitam sceleribus plenam, & animo proficiendi in pietate.

Hanc tradit Apostolus 2. Corinth 3 *Cùm autem conuersum fuerit* (cor Israelis) *ad Dominum, auferetur velamen.* Sic Christus Marc. 1. *primùm ait. Pœnitentiam agite: Deinde: Et credite Euangelio*: quasi dicat, Non potestis credere Euangelio, illudque intelligere, nisi pœnitentiam agatis Hos. 14. *Plana sunt viæ Domini, & iusti ambulabunt in eis: impij autem corruent in eis.* Psalm. 1. *Beatus, qui in via peccatorum non stetit sed in lege Domini meditatur die ac nocte*: Quasi dicat, Necesse prius est, vt recedas à peccatis, si velis in scripturis proficere.

Quinta causa est. quòd multi accedunt ad studium sacrarum Literarum sine reuerentia, sineque amore veritatis & sacrarum Literarum, ex frigida potius consuetudine, quàm ex amore veritatis ac voluntatis diuinæ cognoscēdæ. Hinc fit, vt non possint eam assequi.

Hanc docet 2. Thessal. 2. *Et quia non susceperunt dilectionē veritatis vt salui fierent: ideo misit illis Deus efficacitatem deceptionis, vt credant mendacio*: Quasi dicat, Tantum abest vt qui non diligit veritatem, possit in ea proficere, vt potius contrà accepturus sit spiritum seductionis, vt credat mendaciis, & in illis proficiat.

Et hæc sequitur ex superiore, hoc est, ex impœnitentia: Ioh. 3. *Omnis qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ne arguantur opera eius.*

V. *Regula.* Vt amemus scripturas, & ad earum studium accedamus cum amore desiderioque veritatis agnoscendæ, & retinendæ.

Hanc docet Salomon Prouerb. 4. *Dilige sapientiam, & conseruabit te.* Ps. 1. *Beatus, cuius voluntas in lege Domini.*

Sexta causa, quod multi accedunt ad lectionem sacrarum Literarum cum desiderio quidem illas intelligendi: verùm non animo seruandi & proficiendi in pietate, seu non in hunc finem, vt faciant voluntatē Dei, sed tantum vt sciant, & ex illa aut gloriam aut quæstum sibi parent: aliqui etiam, vt oppugnent veritatem, vt hæretici. Hi etiam non possunt proficere in cognitione scripturarum.

Hanc docet Christus Ioh. 7. *Si quis voluerit facere voluntatem Patris mei, cognoscet de doctrina mea:* Quasi dicat à cōtrario, cui non est animus facere voluntatem Patris, quæ est credere in Christum, & mandata eius seruare: is non poterit cognoscere meam doctrinam.

VI. Ergo *regula* sexta hæc esto: vt ad scripturarum lectionem ac studium hoc animo accedamus, non tantum vt intelligamus, sed etiam vt cognitam Dei voluntatem faciamus. Hanc docet Christus, Ioh. 7. *Si quis voluerit facere voluntatem Patris mei, &c.* Finis enim Scripturæ non est, vt tantum sciamus, sed vt faciamus, vt sc. credamus in Christum, deinde vt sanctè viuamus. Tit. 2. *Tu verò loquere quæ decent sanam doctrinam. Apparuit enim gratia salutifera Dei, &c. erudiens nos, vt abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, sobriè, iustè, ac piè viuamus,* &c. Sobriè, quoad nos: iustè quoad proximum: piè, quoad Deum.

Hæ omnes regulæ respiciunt qualitatem legentis, seu illius, qui ad studium sacrarum Literarum accedit: qualem scilicet requirant scripturæ auditorem ac studiosum. *Summa* est: vt accedamus ad studium scripturarum, primùm hac fide, quòd simus Electi Dei, ac proinde quòd velit scripturas patefacere. *Secundò*, accedamus mente per Spiritum S. illuminata, id quod obtinetur precibus. *Tertiò*. accedamus valedicto nostræ sapientiæ humanæ: mente in obsequium Christi captiuata. *Quartò*, accedamus animo, nullo præiudicio ex doctrinis humanis contaminato *Quintò*, accedamus toto corde ad Christum conuerso, cum vera pœnitentia, & vera pietate, bonáque conscientia. *Sextò*, accedamus animo, amore scripturarum, desiderióque veritatis cognoscendæ, affecto & accenso *Postremò*, non in hunc finem, vt tantum sciamus voluntatem Dei, sed vt illam faciamus.

CAPVT II.

NVNC dicendum est de *regulis*, quæ *in ipsa lectione* seruandæ sunt: ostensis prius aliis causis, cur scripturæ videantur obscuræ, & in eis non proficiatur.

I. *Causa prima* est neglectus & intermissio lectionis sacrarum Scripturarum, hoc est, quòd aut nunquam, aut rarò legimus scripturas: & si legere incipimus, non continuamus. Inde fit vt cùm postea vel audimus, vel legimus scripturas, obscuræ & ceu res inauditæ nobis videantur. Hanc indicat Christus, cùm subinde Iudæis exprobrat, quòd non legerent scripturas.

Idem contingit in aliis linguis & scientiis Si non quotidie & diligenter legas & audias autores linguæ Latinæ, quomodo poteris eam assequi? Obscura tibi semper videbitur, & nil in ea proficies. Ita si non frequenter legas aut audias Aristotelem, si postea aliquādo contingat, vt audias vel legas, semper tibi obscurus visus fuerit: Ita nunquam in eius doctrina proficies. Contrà verò, si quotidie in eo legas, tandem nihil in eius libris fuerit tam obscurum, quod tu non facilè percipias. Idem nobis contingit in S. Literis.

Prima regula in hoc altero genere est: vt assiduè, diligenter & sine intermissione legamus scripturas, easque diurna & nocturna versemus manu. Nam licet non statim omnia intelligamus, vel phrases, vel res ipsas: non ideo tamen desperandum, illarúmve lectio est intermittenda, sed continuanda. Hac enim ratione tandem fiet, Deo opem ferente, vt nobis assuefactis scripturarum phrasibus, historiis, doctrinis, nihil in eis futurum sit obscurum.

Hanc regulam tradit Spiritus S. vbique, cùm subinde mandat, vt audiamus scripturas: *Audite (inquiens) verbum Domini* Hac de causa Deuter. 6. iubet. *vt legem Domini habeant scriptam etiam in liminibus & ostiis domus, gestent ante oculos, in brachiis, &c.* vt scil: cet quotidie & omni momento in ea legerent.

Iosuæ 1. *Non recedat volumen legis ab ore tuo, sed mediteris in eo die ac nocte.* Psalm. 1. *Beatus, qui in lege Domini medi-*

tatur die ac nocte. Prouerb.2. *Si sapientiam innocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ: si quæsieris eam, quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam: tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies.* Sapient.6. *Si indagaueris scientiam vt aurum facilè assequeris eam.* Ioh.5. *Scrutamini scripturas &c.* 1. Timoth.4 *Dum venio, attende lectioni & doctrinæ.* Apostolus suo exemplo idem confirmat 2. Tim.4. τὸν φαιλόνην ὃν ἀπέλιπον ἐν Τρωάδι παρὰ Κάρπῳ ἐρχόμενος φέρε, καὶ τὰ βιβλία, μάλιστα τὰς μεμβράνας. Romæ erat captiuus, & solicitus erat de scripturis & Bibliis.

Debet igitur quisque, etiam aliis rebus occupatus, aliquot horas singulis diebus suffurari, quibus duo saltem capita, sine intermissione in scripturis legat, Idque attente & præmissis precibus: Vnum in nouo Testamento, mane si possit: & alterum in veteri, antequam eat cubitum. Ac licet (vt ante dixi) non omnia mox intelligat: non ideo tamen hanc intermittat lectionem. Nam quod hodie non potuisti percipere, cras assequeris: quia scriptura seipsam aperit & explicat illis, quorum manibus quotidie versatur: Et Deus reuelat suo tempore, quæ antè simpliciter credidimus. Exemplum in Maria virgine, & Apostolis: item in Eunucho Actor.8.

II. *Secunda causa*, quòd multi, etsi legant Biblia, tamen quia verborum significata & phrases, rationésque dicendi scripturarum ignorant: idcirco ipsas etiam scripturas non intelligunt, & obscurissimæ illis videntur. Vt sunt permulti, qui norūt quidem legere, & legunt vel Latinè, vel Græcè, aut etiam Hebraicè: interim quæ legunt, non intelligūt: idque propterea quod verborum significata, figuras locutionum, phrasiúmque proprietates ignorent.

Hanc ignorantiam reprehendit Christus sæpe in Apostolis, vt Matth.16. *quòd non intellexerint quid sit fermentum Pharisæorum*: vt Luc.22. *quòd ignorent, quid velit, cùm ait, Emat gladium*: gladium scilicet Spiritus, fortitudinem animi, quia periculum immineret: vt Iohann.11. *quid nomine dormitionis Lazari*: vt Iohan.7. *quid nomine cibi*: vt Ioh. vltimo, *quod nescierint distinguere inter affirmatiuam & interrogatiuam locutionem, si eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Arguitur ergo in omnibus ignoratio Grammaticæ.

Secunda regula igitur necessaria est, vt qui accedunt ad studium sacrarum scripturarum, adferant cognitionem eius linguæ, in qua lecturi sunt Biblia, & dicendi modos obseruent atque discant. Nam cùm verba sint vasa rerum, & earum quæ in animo sunt passionum notæ, qui possis mysteria pietatis in Bibliis contenta, intelligentia consequi, nisi verborum teneas & locutionum significationes? Hac de causa Dominus non tantum iubet vt audiamus & legamus: sed etiam vt intelligamus: cùm ait per Prophetas, *Audite & intelligite.* Vt verò ipse intelligeretur, Hebraico populo locutus est Hebraicè per Prophetas: Græcis, Græcè per Apostolos.

Hanc regulam confirmat Apostolus 1.Cor.14. *cùm prohibet vti linguis ignotis in Ecclesia, nisi addatur explicatio per notiorem linguam.* Hanc ob causam plurimum profuerit ad veram scripturarum cognitionem, si quis det operam illis duabus linguis, quibus locutus est Spiritus sanctus: Hebraicæ, propter vetus: Græcæ, propter nouum Testamentum. Melius enim significata verborum, & proprietates locutionum in quauis lingua percipiuntur ab illis, qui eam tenent linguam. Et exempla nostri temporis, vt de veteribus taceamus, id apertè demonstrant. Cur nostro tempore, tam bene intellecta & explicata Biblia, quàm vnquam post tempora Apostolorum?

Præter alias causas hæc est non postrema, quia Dominus multos donauit perfecta vtriusque linguæ cognitione. Proinde consultissimum est, vt adolescentes in cognitione harum linguarum instituantur diligenter.

Si qui tamen sunt, vt quamplurimi sunt, qui neutram teneant linguam: optimas accipiant versiones, siue Latinas, vt qui tenent Latinam: siue vulgares, vt qui suam tantum vernaculam intelligunt linguam. Atque, vt de Latinis dicam versionibus: quod ad nouum Testamentum attinet, omnibus aliis prætulero versionem egregij & excellentis viri fratrisque obseruandi, Theodori Bezæ. Quod ad vetus, Tigurinam, quæ vnà cum versione vulgata, & annotationib. Vatabli, impressa olim etiam fuit ab honorandæ memoriæ Roberto Stephano. His, qui linguas non tenent, consulo, vt hæc emant & legant. Nulla enim meliora purioraque, & ea re viliora iis reperiuntur, quod sciam, hoc tempore.

Atque hæc esto generalis regula, aduersus obscuritatem, quæ in verbis sita est. Non enim omnes hic prosequor: de illis alij fusius: Et Augustinus etiam scripsit in lib. de doctrina Christiana 2.3. In secundo docet, quàm vtilis sit cognitio linguarum Hebraicæ & Græcæ. In tertio tradit regulas discernendi figuratas, à propriis: ac docet, nihil figuratè alicubi dictum fuisse in scripturis, quod alibi in eisdem scripturis, non possit per proprias explicari locutiones.

Quod verò attinet, ad obscuritatem, quæ in rebus ipsis sita esse videtur: aliæ sunt huius causæ, & ideo aliæ etiam aduersus hanc regulæ tradendæ sunt.

III. *Tertia causa*, cur scripturæ videantur obscuræ, nec queant sincerè intelligi, est, quoniam non teneant scopus totius scripturæ sacræ, in quem scilicet tam Prophetæ, quā Apostoli, tam vetus, quam Nouum collimat Testamētum. Hic scopus est Christus. Ioh 5. *Scrutamini scripturas: quia illæ (omnes) testificantur de me: tanquam de scopo omnium illarum.)* Act.10. *Huic testimonium perhibent omnes Prophetæ.* Rom.7 *Finis legis est Christus.* Matth.17. *Transfiguratus fuit in medio Mosis & Eliæ, vt ille, in quem & Lex & Prophetæ semper respexerunt.*

Cum igitur Christus sit omnium scripturarum scopus, quomodo quis intelligere scripturas possit, qui Christum non agnoscat pro scopo vtriusque Testamenti? Hanc ob causam Iudæi non intelligunt scripturas, vt ait Apostolus, 2.Cor.3 *Sed velamen est cor eorum, quia ignorant Christum, à quo auersa sunt illorum corda.*

Hac de causa Ariani, Serueriani, &c. non possunt scripturas intelligere: quia ignorant Christum quis sit, verus scilicet Deus. Hac de causa Papistæ: quia eis absconditus est Christus, vt perfectus Seruator.

Regula igitur tertia est, vt sciamus Christum illum esse, in quem omnes resoluendæ sunt Scripturæ. *Lex pædagogus est ad Christum.* Galat.3. Ideo enim ipsa conuicit nos peccati, & reos esse mortis ostendit, vt ducat ad Christum. Euangelium nil prædicat, nisi Christum, 1.Cor 2. *Nihil iudicaui me scire, inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.*

IV. *Quarta causa*: quod nesciant distinguere inter se duas præcipuas partes totius scripturæ, hoc est, Legem & Euangelium, earúmque officia; sed contendunt inter se, & miscent, cùm sint discernendæ hæ partes.

In hac re plurimum peccabant Iudæi, tempore etiam Apostolorum: cùm legem proponebant tanquam Euangelij doctrinam. Hac eadem de causa, Papistæ non intelligunt scripturas: quia vbi Christus, officio fungens Mosis & legis, docet opera ad salutem esse necessaria: ibi putant, Christum Euangelicam tradere doctrinam, de via nostræ salutis: Vt cùm ait Matth. 19 *Si vis ad vitam ingredi serua mandata*

Item cùm Apostolus Rom.2. *Non auditores legis, sed factores iustificantur apud Deum.* Valde peccant Papistæ in legendis & explicandis scripturis, hanc ob causam, quod nesciunt distinguere inter legem & Euangelium.

Hanc causam indicat Apostolus ad Gal.1. cùm ait, Pseudoapostolos peruertisse Euangelium. Quomodo doctrina legis, tanquam doctrina esset Euangelij.

Regula igitur quarta est seruanda, vt scilicet diligenter & probè retineamus & obseruemus in legendis scripturis, vbinam lex & vbi Euangelium loquatur: ideo etiam 2. Tim. 2. ait, *Episcopum oportere esse* ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, *id est bene & rectè secantem & diuidentem.*

V. *Quinta causa*, ex quarta fluit: & est, quòd non teneant summam & finem doctrinæ legis, & doctrinæ Euangelij. Cùm hanc plerique omnes ignorent, & in hanc tamen tota resoluatur scriptura: qui possunt sacram Scripturam intelligere? qui fieri aliter potest, quin videatur in hominibus obscurissima, confusa, intricata? Hinc fit vt vagentur per inanes, stultas, & inutiles quæstiones.

Hanc docet Apostolus, cùm loquitur de Pseudoapostolis, quod neglecta sana doctrina, attendant fabulis, & inutilibus quæstionibus. 1. Tim.1.4.6. 2. Tim.2. Tit.3.

Tenenda est igitur summa doctrinæ legis & Euangelij, pro *quinta* regula, ad intelligendam sacram Scripturam pernecessaria.

Summa autem legis in Decalogo continetur. Eius officium est, detegere peccata nostra, & nos reos esse mortis demonstrare.

Rom.3. *Per legem enim cognitio peccati.* Finis, vt desperatos de nobis, adducat ad Christum seruatorem. Galat.3. *Lex pædagogus ad Christum.*

Summa Euangelij primùm in symbolo habetur breuiter comprehensa, deinde in precatione Domini. Euangelij officium est docere, 1. quid Deus Pater: quid Filius: quid Spiritus S. pro nobis effecerint. Et hæc est ceu fundamentū totius ædificij Christiani. 2. Docere: quam sibi Ecclesiam collegerit Christus: quæ, qualis, & vbi hæc sit: eā esse sanctam, ac pro-

ac proinde studendum sanctitati. 3. Quæ priuilegia, quæ beneficia huic præstiterit, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam.

Finis, vt nos retineat in fide in Christum: in charitate erga proximum, inque studio bonæ conscientiæ & puri cordis retinendi.

Eodem spectat precatio Dominica. Hæc igitur doctrina est retinenda, & hac vtendum est in legendis scripturis, vt huc omnia dirigantur, si quis cupit illas intelligere, & in eis proficere.

1. Cor. 1. *Finis* παραγγελίας *quam tradebat Timotheo, est charitas ex corde puro, conscientia bona, fide non ficta.*

Tit. 3. constituit hanc summam. 1. in fide, quod simus per Christũ redemti, & saluati gratis, sine operibus nostris. 2. in studio bonorum operum, vt Deus in nobis glorificetur, sicut alibi etiam ait.

VI. *Sexta causa*, quia in scripturis interpretandis non vtuntur regulis præscriptis a Spiritu S. in ipsis scripturis. Hæ duæ sunt.

1. Fidei ἀναλογία. Hanc tradit Apostolus Rom. 12. *Siue quis habet Prophetiam (hoc est, donum interpretandi scripturas) iuxta analogiam fidei, scilicet interpretetur.* Sensus est, vt qui scripturas interpretatur, ita interpretetur, vt illa interpretatio conueniat cum fide, hoc est, cum summa doctrinæ fidei, quam quisque Christianus tenere omnino debet. Quæ hæc est? Ea, quàm clarè & perspicuè, sine ambagibus, sine tropis, sine inuolucris habemus in symbolo explicatam. Item in Decalogo, quod ad præcepta tam de cultu Dei, quã de ratione vitæ nostræ cum proximo gerendæ, attinet. Item in precatione Dominica, quantum attinet ad inuocationem Hæc est enim summa doctrinæ, fideique Christianæ, quam Apostoli prædicabant, & iuxta quam singulos catechizabant, vt alias demonstraui.

Contra hanc peccant, qui scripturas interpretantur citra & contra hanc regulam, ita vt eorum interpretationes non fiant cum hac doctrina consentaneæ. Exempla: vt

1. Qui verba Cœnæ, *Hoc est corpus meum*, ita interpretantur, vt dicant, corpus Christi vbique esse, eóque etiam in pane. Non est hæc interpretatio secundum analogiam fidei, pugnat enim cum primis fidei articulis: *Christus est factus homo. & Ascendit in Cœlum: Et inde venturus est ad iudicandum viuos & mortuos.*

2. Qui verba Christi de peccatrice, Luc. 7. *Ideo dico tibi, remittentur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, ita interpretantur, vt doceant, propter meritum charitatis nostrę peccata remitti: pugnat hoc cum analogia fidei: *Credo remissionem peccatorum.* Si remissio est: igitur gratuita est, non propter merita nostra. Ille enim dicitur tibi remittere debitum, qui nulla à te accepta solutione, liberat te debito. Qui verò propter solutionem acceptam, aut propter opus à te præstitum solutionis loco, nomen expungit: non potest tibi debitum remisisse. Doctrina igitur, quam Papistæ è scripturis colligere conantur de meritis, propter quæ peccata remittuntur, pugnat ex diametro cum analogia fidei, de remissione peccatorum. Item pugnat cum alio articulo fidei, cum dicimus de Christo, *passus & mortuus est pro nobis.* Nam quòd postea sequitur, *Credo remissionem peccatorum, vitam æternam, &c.* illatio est ex præcedentibus: quasi dicat: Credo in Iesum Christum, qui passus & mortuus est pro nobis. Credo igitur propter Christi passionem & mortem, remissionem peccatorum dari & vitam æternam. Quod si propter Christi passionem & mortem: non ergo propter nostram charitatem, aut merita. Quare omnino pugnat cum analogia fidei.

Apparet igitur, caussam cur Papistæ scripturas in doctrina de iustificatione, remissione peccatorum, consecutione vitæ æternæ, non intelligant, sed corrumpant, esse, quoniam ad earum explicationem non adhibent primam hanc regulam Apostoli, vt scilicet, eas interpretentur iuxta analogiam fidei.

3. Hanc eandem ob causam Samosateniani & Seruetiani, aliique non intelligunt scripturas, sed corrumpunt, quæ sunt de Deitate Christi, dum illas ita interpretantur, vt negent, Christum fuisse verum Deum, antequam conceptus esset de Spiritu S. in vtero Virginis: & doceant, eum iam esse Deum, non essentialiter & naturaliter, sed per priuilegiũ & per participationem Deitatis Patris. Pugnat cum analogia fidei: *Credo in Iesum Christum, filium eius Dei Patris vnigenitum. Postea: Qui conceptus est de Spiritu sancto, &c.* Primò. Si credimus in Christum: Ergo Deus est: quia fiducia in solum Deum collocari debet. Secundo, Si fatemur primò fuisse Filium Dei, deinde conceptum ex Maria virgine. Fuit igitur ante Mariam. Tertio, Si filius vnigenitus:

Non est igitur per priuilegium & per gratiam, sed per naturam. Nam per gratiam, alij etiam sunt multi filij Dei.

Satis igitur luculenter apparet, hanc vnam esse ex præcipuis caussis, cur permulti scripturas non intelligant, sed peruertant: nimirum, quòd illas non examinent, nec interpretentur iuxta analogiam fidei. Quare quicunq; vult scripturas probè intelligere, & in eis proficere: hac Apostolica regula semper in legendis & interpretandis scripturis vtatur necesse est. Proinde hortor omnes, vt bene teneant doctrinam, quæ in puris Catechismis traditur ex verbo, & vehementer laudo Catechesin Ecclesiæ Heidelbergensis & totius Palatinatus.

II. *Altera interpretandi scripturas regula est*, diligens & accurata Scripturarum, quæ de eadem sunt re, inter se collatio: hoc est, vt scripturas obscuriores, per scripturas clariores interpretemur, & explicemus. Est enim scriptura, id est, Spiritus S. in scripturis, sui ipsius interpres: quo quis melior inueniri potest?

Hanc docuit Christus, primùm, cùm dixit, *Iohan 5. Scrutamini scripturas, quia illæ de me testificantur: quasi dicat*, Examinate diligenter omnes scripturas, præsertim quæ loquuntur de Messia, & conferte cum eis, quæ ego de me prędico, quæve doceo: Et agnoscetis, me illum esse, de quo scripturæ loquuntur. Deinde, hanc eandem regulam docuit Christus suo exemplo, Mat. 4. Cum enim Sathan illud hortaretur, vt se deijceret è pinnaculo templi, & ad hoc abusus esset scriptura, *dicendo: Scriptum est enim, quoniam Angelis suis, &c.* Hunc locum Psalmi interpretatus est alio loco scripturæ, *dicendo, scriptum est etiam Deuter. 6. Non tentabis Dominum Deum tuum.* Hoc dicto voluit concludere, non sic esse intelligendum dictum Psalmi, vti Sathan explicabat, quasi liceret Christiano sese in discrimen vitæ coniicere, sine causa, quia scriptum sit, *Angelis suis mandabit de te, &c* Nam apertè Deus vetat ne quis illum tentet: tentat autem, qui sine caussa, sese in manifestum vitæ discrimen coniicit. Nihil autem in scripturis inter se pugnãs docetur. Non potest igitur illud Psalmi dictum intelligi in eum sensum, in quem citatur à Sathana Quomodo igitur? Tũc Deum custodire homines per suos Angelos, cum homines non tentant Deum: sed in sua vocatione ordinaria ratione modóque conuenienti versantur & ambulant. Item, Matt. 19. Legem Dei per Mosen de libello repudij, docet per aliam scripturam, ex Genesi, non esse sic intelligendam, quasi Deus probaret Diuortium, quauis de caussa factum, vt Pharisæi interpretabantur, quòd hoc pugnet cum prima coniugij institutione: sed ob duritiam cordis Iudæorum, fuisse latam illam legem, vt quando, contra Dei præceptum illas dimittere vellent, nec possent propter duritiam cordis à suo proposito amoueri: saltem dimitterent cum libello repudij, quo libello darent testimonium probitatis, honestatis, & fidei, vxoribus, quas dimittebant, & ita illarum honori consulerent. En quomodo scripturas per scripturas interpretetur.

Matth. 22. Illa Prophetarum vaticinia de Christo, quòd nasciturus esset filius Dauidis, interpretatur per aliud Propheticum oraculum ex Psal. 110. nempe per verba Dauidis, cùm Messiam suum vocat Dominum, dicendo: *Dixit Dominus (id est, Deus Pater) Domino meo (id est, Messiæ) sede à dextris meis.* Docet enim hoc dicto, quatenus Christus sit filius Dauidis, nempe secundùm carnem, vt loquitur Apostolus: secundum autem aliam naturam, nempe diuinam, maiorem esse Dauide.

Act. 17. Laudat Spiritus S. quòd Berhoenses doctrinam Apostolicam iuxta scripturas Prophetarum interpretabantur & examinabant.

Hanc eandem regulam docet Apostolus, primùm præcepto, cùm ait 1. Timor. 4. *Attende lectioni.* Præcipit enim hic pro vera scripturarum intelligentia assequenda, vt attendat lectioni scripturarum, hoc est, vt pia sedulitate scripturas enoluat, inter se conferat. Item, exemplo suo: vbique enim scripturas scripturis explicat. Exemplum.

Heb. 2. illud Psal 8 de Christo, *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*, hoc est, aliquanto inferiorem fecisti, quomodo sit intelligendum, exponit, nempe quoad humanitatem, in qua passus est: non autem simpliciter. Quomodo hoc explicat & interpretatur? Per alias scripturas Ostendit enim in primo capite, eum esse Deum, & creatorem etiam Angelorum: & ideo secundũ hanc naturam, maiorem esse Angelis. Scriptum est enim: *Et adorent eum omnes Angeli eius.* Item, *Et ad Angelos quidem (id est, de Angelis) dicit. Qui facit Angelos suos Spiritus, &c.* Item, *Tu autem Domine (alloquitur Christum) terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt Cœli, eóq; & Angeli.* Secundo autem capite ostendit ex vatt-

ciniis scripturarum, esse hominem: & secundum hanc naturam minorem factum esse Angelis, per passionem.

Eandem regulam confirmat Diuus Petrus 2. Pet. c. 1. Vult scripturam Propheticam, esse interpretationem eorum, quę ipsi docebant Apostoli, dicendo: *Habemus autem firmiorem sermonem Propheticum, cui rectè facitis, quòd attendatis, &c.* Nimis prolixus forem, si vellem omnes scripturas percurrere noui Testamenti, & ostendere, quas Christus & Apostoli soliti semper fuerint scripturas per scripturas interpretari, & conciliare obscuriores per clariores, collatione locorum, qui de eadem sunt re vel persona. Satis est demonstrasse, hanc regulam veram, & à Spiritu sancto.

Eandem regulam confirmant Patres: vt præter alios *Augustinus de doctrina Christiana*, tam in 2. quàm in tertio libro: multis in locis docens, *debere nos per clariora, explicare obscuriora: & figuratè dicta, per propriè dicta.* Est igitur certissima & optima regula, eóque necessaria ad intelligentiam scripturarum.

Hoc verò confirmatur exemplis eorum, qui hanc regulam negligunt. Omnes enim hallucinantur in intelligentia scripturarum, quia hac non vtuntur regula, & non conferunt scripturas cum scripturis. Liquet exemplis.

1. Ariani & similes ex dicto Christi, *Pater maior me est*, & aliis similibus, colligunt, Christum non esse verum Deum, Patri ὁμοούσιον, coæternum, & coæqualem. Quare? quia non contulerunt hæc loca cum aliis, quæ sunt magis perspicua de æterna Deitate Christi: qualis est Roman. 9 loquens de Christo, ait *eum esse ex Patribus Israelitarum secundùm carnem, deinde mox subdit alteram naturam diuinam, dicendo, Qui est* DEVS *benedictus in secula.*

2. Blandrata & alij nebulones Seruetiani rident Trinitatem, id est, doctrinam hanc, quòd tres, Pater, Filius, & Spiritus S. vnus sint Deus, quòd scriptum sit 1. Cor. 8. *Nobis autem vnus est Deus, qui est Pater, Et vnus Dominus Iesus.* Sed si conferrent hunc locum cum aliis de eadem re loquentibus, non ita hallucinarentur, vt est ille 1. Ioh. 5. *Tres sunt qui testificantur in cœlo, Pater, Sermo, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.*

3. Græci locum de Spiritu sancto, qui est Ioh. 15. *Spiritus qui à Patre procedit, &c.* malè sunt interpretati, dum inde concluserunt, Spiritum non procedere à Filio. Vnde hic error? Quia non contulerunt alios de eodem spiritu locos: Ioh. 16. *Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Item Rom. 8. *Spiritum quem appellauit Dei, eundem mox vocat Spiritū Christi.* Gal. 4. *Misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra.* Quem Spiritum Patris Christus dixerat se missurum: Hic Paulus ait, Deum (Patrem) misisse Spiritum Filij sui.

4. Papistæ loca de bonis operibus pessimè interpretantur, dum ex illis concludunt. Nos seruari per opera. Vnde hic error? Quia non conferunt scripturas cum scripturis illis, quæ omnino negant, nos saluos esse factos ex operibus. Tit. 3. *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecerimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit.* Neque hìc valet exceptio. Fecit per solam misericordiam nos saluos ex parte, id est, quoad se, & inchoatiuè: sed requirit à parte nostra vt per opera salutem perficiamus. Nam quomodo saluos nos fecit, si tantùm ex parte? Seruare non est virtutem merendi salutem tribuere, sed à morte & peccato gratis liberare.

5. Libertini perperàm interpretantur dicta Apostoli, Nos seruari fide sine operibus, dum talem intelligunt fidem, quę non fit efficax per opera: Vt cùm dicit Apostolus Rom. 3. *Colligimus igitur hominem iustificari per fidem sine operibus.* Vnde hic error? Quia non conferunt loca similia, vt illud Galat. 5. *Fides quæ per dilectionem operatur.* Si hunc locum cū illo ad Romanos contulissent: intellexissent cùm excludit Apostolus opera, eum non excludere ea à fide, sed à vi iustificandi. Illud enim sine operibus in dicto, *Colligimus igitur, iustificari hominem per fidem*, non refertur ad fidem, sed ad verbum iustificati.

6. Idem dico de illis, qui verba Cœnæ ita interpretantur ad literam, vt statuant, alij quidem, mutari substantiam panis, in substantiam corporis Christi: alij verò, ipsum Christi corpus verè esse in ipso pane, aut coniunctum cum pane. Vnde hic error? Inde, quòd prætetquam non interpretātur hæc verba iuxta analogiam fidei, non etiam ea conferunt cum aliis scripturis, quæ tum de aliis sacramentis, tū de hoc Cœnæ mysterio loquuntur. Nam si hoc facerent, viderent, & nullam ibi fieri mutationem substantiæ in substantiam: & corpus Christi, vel sanguinem, quoad suā substantiam, minime esse in pane vel vino: sed esse in cœlo, & ibi perpetuò manere, vt in Actis testatur Petrus.

Nam 1. in Sacramentis veteris Testamenti, quæ eadem fuerunt cum nostris, quod rem ipsam attinet, licet signa essent diuersa, nullam videmus factam fuisse substantiæ mutationem: nullam etiam rerum, quarum erant signa, realem crassamve cum signis coniunctionem: & tamen easdem cū nostris habent locutiones. *Circumcisio fœdus dicebatur & erat*, nulla tamen substantiæ mutatio: nulla fœderis in ea inclusio, sed signum tantùm fœderis. *Agnus, Pascha* dicebatur & erat: ibi tamen nulla mutatio substantiæ: neque realiter Pascha, id est, transitus Domini, erat in Angelo. Idem de *Manna cibo*, quem omnes ederunt, & de *aqua*, quæ è petra fluxit, & de aqua omnes biberūt, dico. Ergo neque in nostris sacramentis vllam debuissent isti imaginari aut μετουσίαν aut συνουσίαν. 2. Debuissent conferre verba huius sacramenti, cū verbis alterius sacramenti, nempe baptismi. *Lauacrum dicitur & est regenerationis*, Tit. 3. cùm tamen sit duntaxat sacramentum regenerationis, & sigillum Spiritus S. per quem fit regeneratio. 3. Debuissent etiam conferre cum verbis de eodem sacramento, in aliis locis: vt cum illis, quibus hoc sacramentum explicauit Christus apud Iohann. 6. vbi corpus & carnem suam vocat panem, ibi tamen nulla vel corporis CHRISTI in panem, vel panis in corpus Christi mutatio, aut vnius in alio inclusio, vel realis coniunctio indicatur. Item cum illis Apostoli 1. Corinth. 10. *Panis quē frangimus, nónne communio corporis Christi est?* Ibi certè Apostolus nullam statuit aut docet vel transsubstantiationem vel crassam aut substantialem corporis Christi cum pane coniunctionem. Sed vbique tam in sacramentis veteris Testamenti, quàm in sacramentis Noui, symbola diuersa sunt à rebus quarum sunt symbola, & nullam cum rebus ipsis realem substantialémque habent coniunctionem, sed tantum spiritualem. Perceptio etiam symbolorum fit corpore: perceptio rerum, quarum sunt symbola, fit animo & spiritu per fidem. Cur non igitur idem sentiendum de sacramento Cœnæ? Ergo videmus hanc veram, tutam optimamq; esse interpretandi rationem, cùm scripturas per scripturas diligenti collatione interpretamur.

VI. Quare hæc *sexta regula* omnino retinenda est, si velimus scripturas probè intelligere, & nunquam hallucinari: nimirum vt eas interpretemur & iuxta analogiam fidei, & per ipsas scripturas, diligēti similium locorum inter se collatione. Fusius & multis exemplis hanc sextam regulam explicare libuit: propterea quòd sit pernecessaria, & interim tamen à magnis etiam viris negligitur.

VII. *Septima causa*, cur in scripturarum intelligentia multi hallucinentur, est: quòd in interpretandis scripturis, non se continent intra terminos scripturarum, sed excedunt, extra illos vagantes. Et cùm dico terminos scripturæ, intelligo terminos tam verborum, quàm rerum & sententiarum. Nam aliis etiam vti verbis, quàm scriptura vtatur, causa est multorum errorum. Peccant in hac re maximè omnium Papistæ. Vnde enim tot errores & idololatriæ, & cùm primis in Missa? Inde quòd intra terminos scripturarum non se continuerunt, sed multas & res & voces acceperunt ab Ethnicis. Exempla sunt infinita & omnibus obuia: ideo nō multis immorabor. Ita peccant illi, qui dum volunt carnalem corporis Christi præsentiam stabilire, vagantur extra terminos & locutiones scripturarum: & aiunt, corpus Christi esse vbique: alij, corpus Christi factum esse partem Trinitatis. Vnde hæc monstra atque portenta? Quòd non se continent intra terminos scripturæ. Vbi vnquam Scriptura sic locuta est? Redite, redite fratres ad caulas, & intra eas continete vestras cogitationes & linguas.

Regula Septima igitur retinenda, vt in scripturis intelligendis & interpretandis, contineamus nos intra ipsarū terminos, tam reales quam etiam verbales. Hanc tradit Deut. 4. & 5. *Non declinetis neque ad dextram neque ad sinistram.* 1. Timoth. 6. *iubet vitari* βεβήλους κενοφωνίας.

VIII. *Octaua causa*, cur veram intelligentiam scripturarum non assequamur, est in multis superbus doctorum virorum & interpretum contemtus: hoc est, quòd omnes cōtemnant interpretes: in aliis, quòd nimium addicti sint suis interpretibus, eósque sine iudicio legant.

In primo genere sunt Anabaptistæ & alij, qui omnes contemnunt interpretes, & improbant tot scribi commentarios: Ita fit, vt dum contemnunt dona Dei, quæ per varios suos seruos communicat Ecclesiæ, maneant prorsus imperiti scripturarum, vel præposterè eas intelligant. In altero genere sunt primùm Papistæ, qui ita suis Patribus sunt addicti, & Monachi suis quisque Doctoribus, Thomæ, Ægydio, Scoto, vt ab eorum expositionibus, vel latum vnguem discedere non liceat. Deinde sunt plerique etiam inter nostros, quibus religio est, ab interpretationibus suorum præceptorum vel minimum deflectere. Ita fit, vt & ipsi sponte se priuent vera scripturæ intelligentia: Et dum suos præceptores in omnibus, & per omnia volunt

volunt tueri, turbas excitant in Eccleſia. Res eſt perſpicua vel me tacente.

Regula igitur Octaua tenenda eſt, quæ duplex habet membrum: primum eſt, Vt in interpretandis ſcripturis ipſos etiam interpretes conſulamus, ſed cum primis optimos & ſinceriores. Nam hos excitat in Eccleſia Deus propter noſtram vtilitatem. Actor. 8. *Eunuchus ait, ſe non poſſe intelligere Eſaiam ſine interprete.* Roman. 10. *ait Apoſtolus: Quomodo credent, niſi audiant? Quomodo audient ſine prædicante?* Item c. 12 *Laudat interpretes in Eccleſia: ſed docet quomodo debeant interpretari, ſcilicet iuxta analogiam fidei.* 1. Corint. 14. *iubet, vt ſi cui reuelatum aliquid fuerit, alius taceat & audiat. Et quid fuerunt Prophetæ, niſi interpretes Moſis?* Epheſ. 4. *Alios Apoſtolos, doctores, &c.* Et quotidie etiam, ſedens ad dextram Patris, dat Doctores Eccleſiæ. Qui igitur contemnit pios Doctores & interpretes, Chriſtum contemnit: Et qui Chriſtum, Patrem etiam. Et eò ingratiores nunc fuerimus nos in Chriſtum, quàm veteres: quo nunc excellentiores dedit nobis interpretes, quam vnquam antehac poſt Apoſtolos. Ergo amplectamur interpretes.

Alterum membrum huius Regulæ eſt: vt cum iudicio eos legamus & audiamus, perſuaſi eos eſſe homines, & potuiſſe ac poſſe errare: ac proinde eatenus illorum interpretationes amplectamur, quatenus videmus eſſe allatas iuxta analogiam fidei, & ex aliis erutas eſſe ſcripturis. Nam ſic egerunt omnes veri interpretes. Moſes legem à Deo acceptam populo interpretatur: ſed ibi nil vides diuerſum ab eo, quod acceperat in monte. Prophetæ interpretantur legem Moſis: ſed nihil ibi diuerſum à lege Moſis. Nehemiæ 8. Eſdras ſuggeſtum conſcendit, explicat legem, ſedet in Cathedra coram tota Eccleſia. Sed quid ibi addit, niſi verbum Dei? Chriſtus Luc. 4. interpretatur Eſaiam & alia ſæpius loca: ſed ſemper iuxta ſcripturas & per ſcripturas. Item Luc. vltimo, incipiens à Moſe, Prophetis, & Pſalmis, interpretabatur illis ſcripturas. Sunt igitur audiendi interpretes, ſed cum iudicio, & eatenus admittendæ illorum interpretationes, quatenus ſunt & iuxta analogiam fidei, & per alias ſcripturas confirmatæ.

Hanc regulam tradit Apoſtolus, 1. Th. 5. *Prophetiam nolite ſpernere.* Ecce primum membrum noſtræ regulæ. *Omnia probate. quod bonum eſt, tenete.* Ecce alterum.

Notandum tamen etiam, quomodo vtendum ſit interpretibus. Sunt qui ſentiant, primùm conſulendum eſſe optimum aliquem interpretem in illud caput, quod ſuſcepiſti legendum: Deinde examinandum contextum: quòd facilius poſſis tunc adiutus opera interpretis, percipere ſenſum ſcripturæ.

Sed ego contrà ſentio, primùm, dandam nobis eſſe operam, vt inuocato Chriſto, qui ſuum nobis largiatur ſpiritum, contextum ipſum per nos ipſi examinemus, an fortè ſine interprete intelligere valeamus: conſultis lexicis & libris de tropis ſcripturarum, ſi quid occurrat obſcurum in verbis: conſultis vero hiſtoriis, & aliarum artium libris, ſi quid talium rerum ſcitu neceſſarium occurrat: ac tum demum ad legendum etiam optimum aliquem interpretem, vel interpretes, ſi vnus non ſufficiat, accedamus. Eſt hæc ratio multis nominibus vtilior meo iudicio, licet laborioſior.

Atque hæ ſunt regulę generales. Nã magis ſpeciales perſequi non tantùm nimij eſſet laboris, ſed etiam inutile: quia obruerentur ſtudioſorum animi magna præceptionum & regularum multitudine. Nunc propius accedo.

IX. *Nona cauſa,* cur multi veram ſcripturæ intelligẽtiam non conſequantur, eſt: quòd in legendis ſcripturis, quia omni carent Dialectica, vel naturali, vel artificiali, cum accipiunt librum aliquem, aut epiſtolam, aut caput ſcripturæ legendum & interpretandum, non obſeruant ſcopum autoris in eo libro vel capite, neque argumentum ſeu ſummam, neque media, quibus ſua explicat vel probat: ſed ita confusè legunt, perinde atque ſi etiam Spiritus ſanctus ibi per Prophetas aut Apoſtolos confusè & ſine vllo ſcopo, ſine arte ac methodo locutus ſit. Inde fit, vt ſententias quidẽ aliquas inde colligant & percipiant: ſed quid ſibi velit Spiritus S. in eo libro vel capite, prorſus neſciant. Ita parũ proficiunt in vera ſcripturarum cognitione: imò ignorato ſcopo & propoſito Spiritus S. multa in diuerſum torquent ſenſum. *Eſt* hæc ignoratio cauſa multorum & maximorum errorum. Exemplum.

Luc. 7. Papiſtæ, quia ignorant ſcopum, in quem illã propoſuit parabolam Chriſtus de duobus debitoribus: ideo fit, vt cum poſtea concludit: *Ideo remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum,* inde colligant, hominem iuſtificari propter opera charitatis.

Regula Nona igitur hæc eſto aduerſus hanc multæ ignorantia, multorumque errorum cauſam: vt cùm aliquam, verbi gratia, epiſtolam aut caput, ſumimus nobis legendum, 1. illud percurramus, & curemus, vt intelligamus vocum ſignificata, & locutionum vim ac proprietates, & ſi quæ alia ſint, quorum cognitio petenda ſit ex Grammaticis, vel Dialecticis, vel hiſtoriis, vel Mathematicis, vel aliis artibus: illa ex iis libris cognoſcantur. 2. loco obſeruemus, quis ſit ſcopus autoris in ea Epiſtola vel capite: id quod fieri nequit, niſi prius toto perlecto libro vel capite. Scopus autem eſt ille finis, in quem omnia, quæ ſcribit autor, immediatè referuntur, & in quem ipſe collimat. 3. Argumentum colligatur. Eſt autem argumentum, ſumma eorum, quæ in eo libro vel Epiſtola, vel capite tractantur. 4. Rationes ſiue media, quibus argumentum illud probatur & tractatur. Exemplum in Epiſtola ad Romanos. 1. Videnda vocum ſignificata: & in primis, quid ſignificet Apoſtolo Lex, Euangelium, ſpiritus, caro, lex peccati, lex ſpiritus vitæ. 2. Scopus Apoſtoli fuit hîc tollere diſcordias & ſimultates ex Eccleſia Romana inter fratres ex Gentibus & inter fratres ex Iudaiſmo excitatas: ortas autem ex ſuperbia vtriuſque partis. Nã Iudæi inſoleſcebant contra Gentiles quòd ipſi eſſent ex populo Dei, ex quibus Chriſtus, quibus datæ ſcripturæ, &c. vt Rom. 9. oſtendit Apoſtolus: cum reliqui eſſent ex idololatris & alieni à fœdere. Gentiles etiam præ ſe contemnebãt Iudæos, quòd propter ingratitudinem & alia ſcelera, maximè propter occiſum Meſſiam, maxima ex parte eſſent illi reiecti: ipſi verò in illorum locum vocati, vt Paulus oſtendit Rom. 11. de ramis excilis & inſitis. Scopus igitur Apoſtoli fuit, vtrumque populum humiliare: & vtraque parte humiliata, tollere diſcordias: & iis ſublatis, ad concordiam & amicitiam eos reuocare, vt viuant in fide Chriſti, & pace fraterna: Vnde concludens Epiſtolam ait, *Salutate vos inuicem in oſculo ſancto.* Hic fuit ſcopus.

3. Argumentum vero totius Epiſtolæ, eſt ſumma eorum quibus vtitur ad obtinendum ſuum ſcopum, hoc eſt, ad retundendam vtriuſque populi ſuperbiam, & vtrumque humiliandum, adducendúmque eò, vt in fide Chriſti, & fraterna charitate viuerent. Quæ eſt hæc ſumma? Ea duobus conſtat capitibus, cognitione hominis, & cognitione Dei ac Chriſti. Primum enim probat, omnes eſſe ex æquo peccatores, & reos mortis æternæ, ita vt nemo ſeruari poſſit ex ſuis operibus: Nõ eſſe igitur, cur alter aduerſus alterum efferatur. Deinde argumento ducto à cognitione Chriſti, & eius gratiæ ac iuſtitiæ, probat, Chriſtum, licet ſecundũ carnem ſit tantum ex ſemine Dauid, & promiſſus tantum Iſraelitis: tamen quatenus ſaluator eſt, pertinere illum, & effecta promiſſionum, tam ad Gentes, quàm ad Iudæos: ita vt quicunque credat in Chriſtum, ſiue Iudæus, ſiue Gentilis: per hanc fidem, eámque ſolam ſeruetur. Imo etiam, quod aliquis credat in Chriſtum: hoc neque Iudæum, neq; Gentilem habere à ſe, ſed ex gratuita Dei electione. Omnium igitur excludi gloriationem. Quare non eſſe, cur alter aduerſus alterũ inſolenter efferatur: cũ omnes ex æquo gratis per Chriſtum, fide in eum diuinitus accepta, ſeruentur. Argumentũ igitur, hoc eſt, ſumma eorum, quę ibi tractat Apoſtolus, eſt: *Omnes eſſe ex æquo peccatores, & reos iræ Dei, mortiſque æternæ: Quòd ſi qui ſeruetur, tam ex vno, quàm ex altero populo: ſeruari omnes ex ſola Dei gratia, per fidem in Chriſtum, & non ex operibus: idque propterea, quòd Deus illos ante Mundi conſtitutionem ad hanc ſalutis gratuitæ participationem in Chriſto gratis elegerit, reiectis aliis omnibus.*

4. Media porrò, quibus vtrumque hoc totius argumenti membrum explicat, probat, tractat, ſparſa ſunt in tota epiſtola. Quod primum membrum argumenti attinet, omnes ex æquo eſſe peccatores: principio conuincit Gentes peccati ex iudiciis Dei ſuper illas, maximè ſpiritualibus, vt ſunt varia & fœda vitia. Item ex lege naturali, quæ illarum conſcientias accuſat. Per legem verò Moſis, ipſos Iudæos; Quod verò ad alterum caput argumenti attinet, nempe omnes qui iuſtificantur, iuſtificari ſola Dei gratia per fidẽ: partim rationibus à natura ductis, partim variis teſtimoniis veteris Teſtamenti probat. Hæc ſunt media, quibus ſuum tractat argumentum. Niſi quis hæc obſeruet de principio, leget quidem & vagabitur, & multa bona colliget ex epiſtola: ſed perfectum & integrum fructum nõ percipiet: ignorato ſcopo & argumento Apoſtoli. Exemplum. Vnde enim factum. vt Papiſtæ non intelligant Epiſtolam ad Romanos, eóque ſtatuant, homines iuſtificari per opera moralia: Et Paulum, cum negat hominem iuſtificari ex operibus legis, ita interpretentur, quaſi à iuſtificatione noſtri opera tantum legis ceremonialia excludantur, nõ autem moralia? Quia ſcopum & argumẽtum Apoſtoli non perceperunt in ea epiſtola, fuiſſe vt oſtẽderet, neminem hominum habere, cur glorietur coram Deo, & alter aduerſus alterum inſoleſcat, maximè in negotio ſalutis æternæ: idque prop-

ca, quod omnes ex æquo sint peccatores, & omnes ex æquo egeant gloria Dei. Quomodo hoc potuisset concludere, si aliqui per opera moralia possent iustificari & seruari? An non illi, qui plus habuissent moralium bonorum operum, potuissent excipere: At nos habemus cur gloriemur aduersus eos, qui iis carent operibus Videmus igitur, quàm necessaria sit hæc regula, ad veram Scripturæ cuiusuis intelligentiam.

Exemplum particularis alicuius loci.

Luc. 7. ex illis verbis CHRISTI, *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum:* Papistæ collegerunt, propter opera charitatis remitti peccata. Vnde hæc impia doctrina, & falsa verborum Christi interpretatio? Non solùm inde, quod neque iuxta analogiam fidei, neque secundùm alias scripturas interpretati sunt verba Christi: sed etiam inde, quod non tenuerunt scopum Christi in ea parabola. Non is fuit, vt doceret, quibus mediis peccata remittantur: sed vt concluderet, illam fœminam non esse amplius peccatricem, vt putabat Pharisæus: ac proinde, neque se malefecisse, quod sineret se à tali fœmina tangi, cùm non amplius sit peccatrix, sed iustior Pharisæo. Quare illa verba: *Et ideo dico tibi, Remittuntur ei peccata multa, &c.* non sunt simplex sententia, qua doceat, propter charitatem remitti peccata: sed conclusio, ex superioribus illata, qua à posteriori, id est, ab effectis charitatis demonstrat, mulieri illi remissa esse peccata omnia, eóque iustam esse, & iustiorem Pharisæo. Sed quia Papistæ non spectarunt scopum: ideo & locum illum sua interpretatione corruperunt, & impium inde dogma collegerunt. Liquet igitur, quàm necessaria sit hæc regula de obseruando semper scopo & argumento.

Hanc docet Christus Ioh. 5. *Scrutamini scripturas, quia illæ testimonium perhibent de me.*

X. *Decima caussa*, cur permulti genuinum salutarémque sensum sacrarum Literarum non assequantur, est: quòd alij nimium inhæreant τῷ ῥητῷ, etiam cùm figuratæ sunt locutiones: & nullum in sacris Literis admittunt sensum, nisi quem verba sonant, quem literalem vocant, cùm tamen necessaria sit allegoria; Alij verò contrà, plus quàm par sit allegoriis & tropologiis addicti sint, etiam vbi solus sufficit literalis: Ita fit, vt neque illi, neque isti in scripturarum cognitione proficiant, & mentem Spiritus sancti non percipiant. In primo genere multa peccabant Iudæi, etiam tempore Prophetarum & Apostolorum, & nunc etiam grauissime peccant. Exemplum. Vt in præceptis de mactandis pecudibus, & offerendis Deo, denique in tota lege ceremoniali, nihil aliud intelligebant, nec volebant intelligere, nisi quod sonabat litera, externam illarum pecudum mactationem, & externas ceremoniarum laruas præcipi, cùm tamen Deus sub illis ceremoniis aliud intelligi vellet, nempe Christum cum primis (vt satis abundè & perspicuè docet Apostolus, cùm alibi, tum in Epistola ad Hebræos) & nostri mortificationem. Item vaticinia de Regno Christi spirituali, sed sub typo regni alicuius temporalis & amplissimi: ad literam tantum volebant intelligi. Inde factum vt negarint, & adhuc negent Messiam venisse, & nostrum Iesum esse Messiam: propterea quod non vident, vaticinia illa, ad literam & iuxta illam suam crassam interpretationem accepta, adimpleta esse. In hoc etiam primo genere peccant sæpe Papistæ, & alij cum illis vt notum est, & maximè in verbis Cœnæ, cùm illa ad literam ita interpretantur, vt ea interpretatio cum analogia fidei, & aliis pugnet scripturis. Sic etiam Origenes, cùm illa verba Matt. 19. de castratis: ita ad literam interpretatus est, vt se castrandum curarit. Euseb. li. 6. c. 8.

In secundo genere peccarunt multi patres, atque inprimis Origenes, terminos enim excessit in scripturis interpretandis ἀλληγορικῶς, vbi opus erat tantum literali sensu: vt satis notum est.

Sic Papistæ sacras Literas deprauant sæpenumero suis interpretationibus & impiis allegoriis: vt illas, quæ sunt de connubio Sacerdotum. 1. Timot. 3. *Oportet Episcopum esse vnius vxoris virum.* aiunt, id est, vnius Episcopatus Episcopum. Sic Hæretici alij, etiam tempore Apostolorum: vt qui dicta de resurrectione mortuorum, interpretabantur de spirituali animorum à peccatis resurrectione. Videmus peccatum fuisse, & adhuc peccari in vtramque partem.

Regula igitur decima tenenda est & seruanda in lectione scripturarum. Quænam? Sciamus scripturam, præter literalē, vt vocant, sensum, qui cumprimis semper spectandus & quærendus est, nonnunquam etiam opus habere allegorico, quem alij vocant spiritualem. Nam alij duo, quos multi probant, anagogicus & tropologicus seu moralis, ad allegoricum reducuntur. Hos enim tantum duos sensus reperio in scripturis, & traduntur à Spiritu sancto.

Literalis sensus est ille, quem ipsa vocabula sua consueta significatione, iuxta mentem Spiritus sancti, significant. Addo iuxta mentem Spiritus sancti, quia si sit contra mentem Spiritus S. non potest esse verus scripturæ illius sensus: verbi grati, cùm pugnat cum analogia fidei & aliis scripturis. Vt cùm *Deus in Scripturis dicitur dormire, habere caput, oculos, &c* Item, *Si oculus tuus te scandalizauerit, erue illum.* Sensus quem immediatè significant hæc verba, non potest dici literalis. Quare? quia non est iuxta mentem Spiritus S. cum pugnet cum analogia fidei, & scripturis apertis. Alibi enim habemus, Deum non esse corpus, sed spiritum: neque dormire. Est igitur literalis sensus duplex: alius proprius & simplex: alius figuratus: verbi gratia, vt horum verborum, *Qui credit in me, habet vitam æternam,* sensus est proprius & literalis, quem immediatè verba sonant. Horum autē Ioh. 6. *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam:* sensus non literalis, sed figuratus est: Qui credit in me, habet vitā æternam. CHRISTVS enim ibidem explicat, quid sit manducare carnem suam, credere in se, illumque se vt cibum animæ retinere. Ergo etsi sit figuratus, literalis tamen est. ... definit, quia de eadem est re. Nam oportet, vt sensus literalis semper sit verus & pius: non est autem semper pius & verus ille, qui immediatè è verbis colligitur, cum sunt figuratè dicta. Ergo non potest ille esse verus literalis sensus, sed ille, qui ex figurata locutione colligitur iuxta mentem Spiritus S. de eadem semper re. Hic sensus literalis semper in primis, & ante omnia quærendus est, & solus valet ad dogmata probanda.

Allegoricus est, qui ex vero & pio literali sensu, postea per quandam similitudinem & consensionem colligitur, siue ad dogmata pertinens, siue ad mores. Est enim propriè allegoria, cum præter id quod verè dicitur & fit, aliud etiam significatur, vel ad dogmata, vel ad mores pertinens.

Galat. 4. In Genesi est historia, Abraham duos filios habuisse ex duabus vxoribus. Literalis sensus verus & pius, iuxta mentem Spiritus S. est ille, quem immediatè significant verba historiæ. Ex hoc sensu tamen Apostolus per similitudinem alium colligit sensum, quem allegoriam vocat de duobus Testamentis, idque per similitudinem inter illas duas vxores, & duo Testamenta, vt ipse explicat. Ideo allegoricus semper ex literali vero & pio, colligendus est, per similitudinem: Habet enim allegoria fundamentum in literali vero sensu.

Est & hic duplex: vnus qui colligitur ex literali sensu verarum historiarum, rerumque verè gestarum: alius qui colligitur ex vero sensu literali verborum, siue proprio, siue figurato.

Exemplum primi, vt allegoria quæ est in Gal. 4. Item, vt ille, qui ex historia Ionæ colligitur à Christo, de se: futurum se in corde terræ tribus diebus. Primum historia est vera, & res verè gesta: Deinde ex illo literali sensu, per similitudinem quandam colligitur sensus allegoricus. Exemplum secundi: vt ex verbis & præcepto de circumcidendo puero, literalis sensus colligitur, verè præputium carnis fuisse circumcidendum Hebræis. Hic sensus est verè literalis: quia sonant hunc verba, & est iuxta mentem Spiritus S. Sed ex hoc alius colligitur allegoricus, isque etiam iuxta mentem Spiritus S. nempe circumcidendum esse cordis præputium. Præcepti de mactādis hostiis sensus literalis est, oues fuisse mactandas. Sed hinc allegoricus & spiritualis, debere mortificare nos ipsos, & offerre Deo hostiam sanctam, &c. Hic sensus ad dogmata probanda per sese nil valet, sed ... ad probata iam confirmanda & exornanda, sicut & Apostolus facit ad Gal. 4.

Tenenda igitur hæc regula ad veram intelligentiā scripturarum necessaria: *Non semper inhærendum nudæ literæ, sed & verum literalem sensum esse eruendum, qui aliquando proprius est, aliquando figuratus: sæpe etiam allegoricum esse quærendum.*

Venio nunc ad *regulas* tertij generis, quibus vtendum est post lectionem & intelligentiam scripturarum: Hæ sunt tres.

I. *Gratiarum actio.* Prima enim caussa, cur Deus multos donata cognitione scripturarum priuet, est ipsorū ingratitudo: quod scilicet pro hoc beneficio non agūt debitas gratias, neq; animo, neq; verbis. Debemus igitur gratias agere mox Deo, tum vniuersè pro aliis beneficiis innumeris, tum propriè pro hac vera scripturarum intelligētia, qua nos donauit: & has quidē gratias agere ex animo, si verè agnouerimus, quantū hoc sit beneficiū, cognitio scilicet vera & salutaris verbi Dei, hoc est, voluntatis diuinæ, & mysteriorū cœlestium. Tale ac tantum est beneficium, vt nullum hoc maius inueniri possit in toto terrarum Orbe. Maximum & incomparabile beneficium fuit, dedisse Filium in mortem pro

pro salute nostra: sed quid nobis hoc profuisset, nisi per veram scripturarum intelligentiam hoc nobis reuelasset & reuelaret? Ergo si pro minimis quibusque beneficiis agendæ sunt gratiæ Deo: quantò magis pro hoc immenso, quod est cognitio scripturarum? Ac deinde simul est precandus Deus, vt quam largitus est cognitionem scripturæ, eam etiam infigat cordibus nostris per Spiritum suum sanctum, vt nunquam excidat.

Hanc regulam docet Apostolus, cùm gratias egit Deo pro Corinthiis, quòd eos Deus diuites effecerit in omni sermone, & in omni scientia. Idem in Epistola ad Philippenses, Colossenses, &c. Et precatur, vt crescant in omni cognitione Dei.

Secunda caussa, cur multi post acceptam cognitionem veritatis, veramque scripturarum cognitionem, in ea nõ perseuerent nec proficiant, est: quia non retinent verbum in animo, neque in eo meditantur, illudque non ruminant. His quoque Deus tandem illam etiam, quam videbantur habere scientiam rerum, eripit vti ingratis, qui thesaurum hunc nihili faciunt, neque conseruandum curant.

II. *Regula*. Vt verbum iam intellectum Dei beneficio, ruminemus & meditemur: & meditando ac ruminando, memoriæ & animo infigamus nostro. Hanc docet Dauid Psal. 1. *Beatus, qui meditatur in lege Domini die ac nocte.*

Tertia ac postrema causa, cur multi à cognita veritate, iusto Dei iudicio, deficiant, est aliud genus ingratitudinis, quòd scilicet vita & moribus non curent cognitam veritatem exprimere, sed veritatem detinent in iniustitia, vitáque scelerata contaminant.

Hanc ob causam Deus ea etiam cognitione spoliat tanquam indignos, penes quos tantus maneat thesaurus.

Hanc causam tradunt sacræ literæ: Amos & reliqui Prophetæ ideo Israelitas spoliatum iri cognitione scripturarũ, quia scelleratè viuerent, & cognitione verbi abuterentur ad suas iniquitates, longè ante prædixerunt. Proinde Amos 8. dixit, *Deum immissurum famem non panis, sed verbi sui* Rom. 1. idem de gentibus testatur Apostolus, *ea etiam Dei cognitione, quam ex creatarum rerum contemplatione, Dei beneficio, consecuti fuerant, spoliasse, & in reprobum sensum tradidisse, factósque fuisse insipientes ac stultos: quia scilicet veritatem in iniustitia detinuerent, & quia cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificarent.* 1. Tim. 1. idem testatur de quibusdam, præsertim de Hymenæo & Alexandro, *Ideo naufragium fecisse circa fidem, id est, doctrinam fidei, quia bonam reiecissent conscientiam.* Quid? quòd & Aristoteles fatetur in Ethicis, scientiam Ethicam tolli corruptione morum? quantò magis cognitionem scripturarum, veramque Theologiam?

Sap. 1. certè legitur, *sapientiam non habitaturam in corpore subdito peccatis.*

III. Regula pro retinenda vera scripturarum cognitione, & augenda in nobis, est *exercitum pietatis*: hoc est, vt quæcunque legimus & intelligimus, ad nostrum accommodemus vsum: siue legis præcepta & exẽpla: siue Euangelij promissiones & consolationes: has ad corroborandam fidem: illa ad instituendam vitam, bonamque retinendam conscientiam: alioquin inutilis, imo detrimentosa fuerit nobis cognitio scripturarum. Nam finis, cur ea nos donet Deus, est, vt eam ad nostrum trahamus vsum, vt liquet Rom. 4. *Non est tantùm scriptum propter Abrahamum, &c.* 1. Cor 10. *Hæc autem scripta sunt ad correctionem nostram.* 2. Tim. 3. *Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est, &c. vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus.*

Est igitur scripturis & fides fulcienda, corroboranda, stabilienda in Christum: & vita renouanda, bonaque conscientia retinenda.

Hoc enim exercitio pietatis, ipsa etiam Scripturarum cognitio & doctrina in nobis conseruatur.

Hanc docet Apostolus 1. Tim. 1. *Retine fidem & bonam conscientiam, qua repulsa nonnulli fidei naufragium fecerunt.*

2. Tim. 1. *Bonum depositum custodi per Spiritum S. qui habitat in nobis*, ambulando scilicet & viuendo non secundum carnem, sed secundum spiritũ. Docet vitæ sanctitate quæ secundũ spiritum, custodiri depositum scientiæ Dei.

2. Pet. 1. *Hæc (de fide, veritate, pietate, charitate, & aliis Christianis virtutibus loquens) si vobis adsint* (inquit) *& exercerent: non constituent vos sine fructu in Domini nostri Iesu Christi cognitione.* Ioh. 14. v. 21. *Qui tenet præcepta mea, & seruat ea, is est, qui diligit me: Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum: & manifestabo (scilicet clarius & plenius) ei me ipsum.* Ergo profectus in cognitione Christi & scripturarum, est merces quæ datur exercitio pietatis & dilectioni Christi. Ergo quam hæc tertia regula post lectionem scripturarum sit semper necessaria, videmus.

Hæc habui, quæ dicerem de regulis accedendi ad lectionem scripturarum: legendi scripturas: & conseruandi in nobis cognitionem scripturarum, inque illis proficiendi.

Reliquum est, vt antequam finem huic quæstioni de regulis intelligendi & interpretandi scripturas, imponam: refutem Papistarum sententiam hac de re, multis in libris scriptam.

1. Aiunt causam, cur nos non rectè scripturas intelligamus (hoc enim presupponunt) & interpretemur, esse, quòd pro illarum intelligentia, ad Ecclesiam Catholicam non recurramus: ac proinde primam ac præcipuam, rectè intelligendi scripturam, hanc esse regulam, vt scilicet ad Ecclesiã Catholicam recurramus Ibi enim tantùm verum scripturæ sensum retineri: vt qui ibi etiam tantum iam inde à tempore Apostolorum, per Apostolos fuerit relictus.

Pro confirmanda hac sententia, adferunt illud Apostoli ex 1. Tim. 3. *Ecclesia est fundamentum & columna veritatis.*

In Ecclesia igitur Catholica quærendus est verus sensus scripturarum: quod apud illam solam semper maneat.

2. Quædam ex Tertulliano & Irenæo, recurrendum ad Ecclesias Apostolicas pro interpretatione scripturarum, & cognitione veritatis.

3. Quædam ex historia Tripartita li. 9. c. 19.

Resp. Refutatio huius sententiæ pendet ex cognitione huius nominis ECCLESIÆ CATHOLICÆ. *Primò* significat cœtum fidelium à condito orbe, & vbique locorum, ad colendum Deum collectorum.

Si in hac significatione Ecclesiam accipiunt: dico, sententiam Papisticam de recurrendo ad Ecclesiam Catholicam, pro assequenda vera scripturarum intelligentia, pugnare cum verbo Dei, esse iniquam, & impossibilem.

1. Cum verbo Dei pugnat. Nam verbum Dei docet, verum scripturarum intellectum, quærendum esse apud Deũ. primùm in Cœlo precibus: Deinde apud eundem Deũ in scripturis ipsis loquentem, sedula scripturarum lectione & collatione, quemadmodum paulò ante ostendimus: nõ autem apud Ecclesiam Catholicam vbique diffusam. De primo, quòd precibus sit quærendus apud Deum, liquet. Docet enim Apostolus 1. Cor. 2. Non nisi per Spiritum sanctũ posse apprehendi & intelligi S. Scripturam. Hunc verò spiritum vult Dominus à se peti precibus, & obtineri, vt est Luc. 11. Idem Apostolus diligenter precatur *Ecclesiis spiritũ sapientiæ & reuelationis, ad sciendum quæ sit spei vocationis Christi, quæ latitudo & profunditas: ad probandum quæ sunt præstantia, &c.* Videantur ij loci Ephes. 1. & 3. Phili. 1. Col. 1. Sic Dauid Psal. 119.

De secundo: quòd scilicet diligenti scripturarum lectione & collatione ac scrutatione quærenda sit vera scripturę intelligentia, etiam liquet: Ioh. 5. *scrutamini scripturas, &c.* 1. Timoth. 4. *Attende lectioni*, Actor. 17. 2. Pet. 1. Docet ibi certè Apostolus, per ipsum Dei scriptum verbum, tanquã per laternam accensam & lucentem, reliqua omnia, vt obscura & tenebricosa, illuminanda & declaranda esse: ac proindè omnes, qui pia diligentia sacras Scripturas legunt, & peruestigant, eos posse non solùm illas intelligere ad salutem: sed etiam omnem aliam doctrinam ex illis sibi discernere & confirmare. Sic Christus & Apostoli suam doctrinã per testimonia Prophetarum confirmabant, tanquam per notiora & clariora. Pugnat igitur cum verbo Dei, quęrendum esse intellectum scripturæ alibi, quam apud Deum precibus, & scripturis ipsis

2. Pugnat cum ratione, & est iniquum: Deus enim, vt Pater noster, scripturã suam nobis proposuit vt filiis: in quem finem? vt nos sapientes reddat ad salutem, & ad omnia bona opera. 2. Tim. 3. Ergo proposuit eam claram & perspicuã, vt si velimus voluntatem Patris cognoscere, eam possimus è scripturis percipere. Nã hoc postulat nostra salus. Proinde ante ostendi, scripturam esse perspicuam, præsertim in iis, quæ ad salutem nostram pertinent. Quis inter nos pater est, qui si filiis suis loqui sciat & possit perspicuè, & sua mãdata tradere clara: velit eis loqui obscurè, ita vt si velint ea intelligere præcepta, cogãtur huc atque illùc ad varios homines, qui ea explicent, recurrere? Nemo certè, præsertim si in illis scriptis & præceptis tota liberorum salus consistat: sed ita sua trader præcepta liberis suis, vt quisque illorum, si velit diligenter audire & legere, ea etiam possit intelligere. Annon igitur iniquum, aliter sentire de nostro Cœlesti Patre, nostri amantissimo sapientissimóque: eum ita obscurè loqui nobis voluisse, vt si velimus illius mandata & voluntatẽ intelligere, cogamur ad omnes homines vbique & in omni tẽpore recurrere: Nã quid est Ecclesia Catholica, nisi Cœtus fideliũ, vbiq; & in omni tẽpore, in fide CHRISTI collectus? Pugnat igitur etiam cũ ratione, verum scripturæ intellectum quærendum esse apud Ecclesiam Catholicam

3. Est etiam res impossibilis. Nam Ecclesia Catholica, vt dixi, congregatio est fidelium omnium, quotquot vnquam fuerunt à condito Orbe. Fieri autem non potest, vt omnes isti simul congregati inueniantur, & ab iis veram scripturæ intelligentiam petamus. Est ergo ἀδύνατον, vt in Ecclesia Catholica quæramus, verum scripturæ sensum.

I. *At, inquiens, non ita intelligimus, recurrendum esse ad omnes fideles, sed vt scripturas interpretemini & intelligatis iuxta sensum Catholicæ Ecclesiæ.*

Resp. At vbi expressus est sensus scripturæ iuxta mentem Catholicæ Ecclesiæ? Si aliquis extaret talis liber: aliquid suaderent certi, & possibile. Sed nullus extat. Ergo rem impossibilem proponunt.

II. *At, inquiunt, habemus Patres, Ecclesiæ Catholicæ Doctores: ab illis petatur.*

1. Resp. Si nomine Catholicæ Ecclesiæ Patres intelligitis, & iubetis nos stare illorum interpretationibus: rem etiam proponitis, primò pugnantem cum verbo Dei, deinde iniquam, & impossibilem simul. Cum verbo Dei pugnantem: quia Apostolus 1. Thes. 5. iubet quidem, ne prophetas & interpretes contemnamus: sed iubet etiam, vt eum iudicio legamus: omnia probemus, sed ea tantùm, quæ bona sunt, teneamus. Prohibet igitur, vt pendeamus ab interpretationibus Patrum, sine iudicio & delectu.

2. Patres inter se non consentiunt in explicationibus scripturarum: imo sæpè nec singuli secum. Quomodo igitur possumus esse certi, eos tradere sensum illarum scripturarũ, quem Catholica Ecclesia probat?

3. Apparet multas ab illis scripturarum interpretationes allatas, quæ minimè sint consentaneæ cum ipsis scripturis, & cum analogia fidei: qualis est illa interpretatio Syricij Papæ, in illum Pauli locum ad Rom. 8. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt:* hoc est, (vt ipse Syricius interpretatur) qui sunt in matrimonio: Et habetur in Tom. 1. Concil. inter decreta Syricij, cap. 7. An non hæc interpretatio pugnat cum verbis Apostoli, Heb. 13. *Coniugium honorabile est inter omnes, & cubile impollutum:* & aliena à mente Apostoli eo in loco ad Rom. Qualis & illa Hieronymi contra Iouianum, in illum Pauli locum 1. Cor. 7. *Bonum est homini, mulierem non tangere:* hoc est (inquit ille) malum est & peccatum, mulierem tangere. Innumeræ apud Patres reperiuntur scripturarum interpretationes, aliæ absurdæ, aliæ impiæ. Anon igitur iniquum est, iubere, vt Patrum interpretationes, simpliciter recipiamus?

III. Si etiam nomine Ecclesiæ intelligatis particulares Ecclesias, quæ in diuersis sunt locis, quæ inter Catholicas numerantur, & ad eas iubeatis nos ire pro vera scripturæ intelligentia.

Resp. Hoc etiam fieri nequit, & est iniquum. Nam etsi aliàs fuerint puræ: nunc certè omnes sunt corruptæ variis abusibus, erroribus, præsumtionibus, vt etiam olim scripsit Augustinus T. 2. ad Ianuarium.

IV. At licet aliæ, vt Græcanicæ, sint corruptæ: non tamen Ecclesia Romana: Et de hac loquimur: ad hanc recurrendum. Est enim illa Ecclesia, de qua Matth. 16. *Et super hanc petram* (Petrum) *ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non praualebunt ei.* Et Papæ, successores sunt Petri, de cuius fide dixit Christus Luc. 22. *Rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua.*

Resp. Vetus est cautilena Romanensium, & toties refutata, vt pudeat me respondere ad has nugas. Summa tamen hæc est.

Primò, falsum est, Romanam Ecclesiam mansisse integram & puram in doctrina: imo nulla corruptior, vt iam totus nouit orbis. Quod ad mores attinet: nulla sceleratior.

Secundò, iniuria fit Christo, & Spiritui S. Quod Christus de tota Ecclesia Electorum dixit, *Portæ inferi non praualebunt ei, &c.* illud de Ecclesia speciatim Romana dictum interpretari, tali præsertim, qualis est hæc præsens: Et super petram interpretari super personam Petri.

Tertiò, probari nequit Papas esse successores Petri, etiam in loco & Episcopatu: impium vero & impudentissimũ, dicere esse successores in doctrina: quasi Petrus hanc, quã ipsi docent, etiam ipse docuerit. Sacrilegum autem, si Papæ sibi spiritum Petri vsurpent. *Nam ab operibus eorum cognoscetis eos, &c.* Et Decr. dist. 40. per totum: maxime Can. 2. Non est facile. Item c. 2. q. 7. c. 28. Non omnes. *Non sanctorum filij sunt, qui tenent loca sancta, sed qui exercent opera eorum.* Non sunt igitur successores sanctorum, omnes qui eorum tenent loca, sed qui spiritum & fidem eorum retinent.

Quartò, donum interpretandi non est alligatum Romæ & ad Episcopos Romanos: sed Deus dat cui vult, etiam non Episcopis, Num. 11. *Quis tribuat, vt omnis populus prophetet? Et det eis Dominus spiritum suum?* Amos 7. *Non sum Propheta, neque filius Prophetæ sum:* & tamen prophetabat. 2. Pet. 1. *Prophetia non est priuatæ interpretationis:* sed opus est spiritu illo, quo etiam Prophetæ locuti sunt. Hunc autem dat, cui vult Deus, 1. Cor. 12.

Cùm igitur in toto terrarum orbe nullos habeamus vel homines, vel libros, qui possint nos facere certiores de vero intellectu scripturarum, nisi ipsas sacras Literas: manifestum est eos errare, qui docent, eum esse quærendum in sola Ecclesia Catholica. Multo grauius qui docent, intelligendas esse scripturas secundum doctrinam, quam nunc tenet & prædicat Ecclesia Romana: quemadmodum audio ex viris fide dignissimis nunc fieri in Italia. Paucis ab hinc annis fuit omnibus interdictum lectione Bibliorum: sed si quis vellet legere, præsentaret se coram Episcopo & inquisitore: & hic iuraret, se Biblia non aliter intellecturum aut explicaturum, nisi secundùm doctrinam, quam nunc tenet & prædicat Ecclesia Romana: hoc est, quæ loca ipsa interpretatur de purgatorio, de Missæ sacrificio, de confessione, de cœlibatu, &c. eadem quoque ipse, qui velit legere Biblia, iuret se intellecturum & interpretaturum. O Diabolicam tyrannidem.

Confutatur etiam hæc sententia & regula Papistica ex Augustino. D. Augustinus Tomo 3. scripsit 4. libros de doctrina Christiana: ac tribus prioribus tradidit regulas quascunque potuit, & quascunque iudicauit fore ad veram scripturæ intelligentiam consequendam vtiles. Illis enim tribus libris voluit docere quomodo Concionator, seu doctor Ecclesiæ possit verum sacræ Scripturæ sensum consequi. In quarto autem, quomodo possit aliis illum vtiliter proponere. Inter omnes autem illas regulas, nunquam hanc posuit, quam nunc tradunt Papistæ. Non vidit igitur Augustinus esse vtilem, multo minus necessariã. Summa autem omniũ illorum librorum hæc est, quam nosse non inutile fuerit.

Primo libro summatim docet: tenendum esse cum primis scopum Scripturarum omnium, hunc esse, charitatem in Deum & proximum per Christum: 2. nec solùm tenendum esse mente & intelligentia, sed etiam vsu & exercitatione. In iis enim duobus præceptis, exercendum nobis esse: Et 3. sic rebus præsentibus esse vtendum, vt per eas, geminam hanc charitatem in nobis & in aliis promoueamus. Hæc est summa primi libri. Docet in summa, quales & quali animo debeamus accedere ad lectionem scripturarum, si velimus eas rectè intelligere, & in eis proficere. Et hæc regula est necessaria.

In *secundo* libro docet, multum vtilitatis ad veram scripturarum cognitionem adferre, mediocrem saltem linguarum, quibus de principio scriptæ fuerunt, cognitionem. 2. diligentem interpretationum diuersarum collationem. 3. mediocrem artium liberalium, bonarumque disciplinarum cognitionem. Sed inprimis, vt animus vera pietate, mansuetudine & spontanea obedientia veritati inhæreat: Et in charitate Dei & proximi, firmas agat radices, firmumque ponat fundamentum.

In *tertio*, magnam docet diligentiam & cautionem in scripturis legendis adhibendam esse: 1. vt singula verba & locutiones rectè discernantur: vt quænam propriæ, quæ metaphoricæ, & figuratæ sint. 2. Vt discernantur signa sacramentorum, à rebus ipsis: ne signa pro rebus accipiamus & contra. Et præter alia, etiam habet hæc verba, contra Papistas. c. 9. *Vt autem literam sequi, & signa pro rebus, quæ iis significantur, accipere, seruilis infirmitatis est: ita inutiliter signa interpretari, malè vagantis erroris est:* Et ibi mentionem fecerat Baptismi & Cœnæ. Deinde tradit alias regulas, tum ex Ticonio, tum ex suo iudicio, quæ omnes eò spectant, vt sensus scripturæ omnibus in locis, propriè deprehendi & percipi possit. Nunquam autem hæc regula citatur ab Augustino, quam Papistæ tanquam præcipuam, & summè necessariam vrgent, vt scilicet quæratur primùm, quid vniuersalis Ecclesia de vnoquoque scripturæ loco senserit. Vidit enim hoc fore impossibile. Sed hoc in summa & perpetuo docet, vt obscuriora per clariora explicando, scripturas per scripturas interpretemur: atque ita genuinus scripturæ sensus inueniatur. *Magnificè enim & salubriter* [li. 2. c. 6.] *Spiritus S. ita Scripturas sacras modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret: obscurioribus autem fastidium detergeret. Nihil enim ferè de illis obscuritate eruitur quod non planissimè dictum alibi reperiatur.*

Nunc respondeo ad illorum fundamenta.

I. 1. *Tim* 3. *Ecclesia est columna & stabilimentum veritatis: Ergo ad illam recurrendum pro cognitione veritatis.*

Resp. ad Antecedens. Ideo dicitur columna & stabilimentum veritatis, quatenus fundamento verbi superstructa est, & in eo, quod certissimè continetur in scripturis, firma cõsistit. Quod si aliqua in re erret, & declinet à veritate: eatenus

tenus non est columna veritatis, & ea re audienda non est. At quam dabis mihi Ecclesiam, de qua certus sim, quòd non erret vlla in re?

2. Ad consequentia: Cum ais, Ergo ad Ecclesiam recurrendum est pro cognitione veritatis: interrogo ad quam? Ad Catholicam? Est impossibile. Ad hanc vel illam? Non sequitur illatio, & est ὁμωνυμία in nomine Ecclesiæ pro vniuersali Electorum, & pro particulari: Illud enim dictum Apostoli, intelligitur de Ecclesia in genere, id est, de Electis, qui sunt vera Ecclesia, & in veritate persistunt. Illatio aût fit de particularibus Ecclesiis, vbi etiam hypocritæ, imperiti scripturarum, qui non sunt Ecclesia. Item, Ecclesia, quę est columna & stabilimentum veritatis, aliter non intelligit nec interpretatur scripturas, quàm per Spiritum sanctum, & diligentem scripturarum perscrutationem & collationem.

II. *Ad dicta Tertulliani, & Irenæi*, recurrendum ad Ecclesias Apostolicas: antè responsum à nobis fuit, in Quæstione 8. quæ fuit de perfectione scripturarum, in responsione ad argumenta tertiæ classis, nempe ab authoritatibus Patrum ducta. Summa est:

1. Non esse has Ecclesias, quales illę, de quibus illi Patres.

2. Non de omni veritate, & de omni scripturæ sensu, eos fuisse locutos: sed de præcipuis fidei articulis.

3. Tunc demum prouocasse ad Ecclesiam: cum Hæretici reiiciebant scripturas.

4. Ideo ad illas prouocasse, quia apud illas manebat veritas. Dent igitur tales Ecclesias, efficiant, vt apud illas maneat veritas: Tunc recurremus ad illas.

III. *Tripartita historia lib. 9. cap. 19. liquet: Communem (inquiunt) fuisse veterum Conciliorum consuetudinem, vt si quãdo olim inter Catholicos & hæreticos concertatio oriretur de vero scripturarum intellectu, diligenter inuestigaretur, quid Patres, qui præcesserant ad tempora vsque Apostolorum, de illis scripturis sensissent. Ergo idem debet etiam nunc fieri: & petenda vera scripturarum intelligentia à Patribus.*

Resp. 1. Falsum est assumtum. In eo loco, quem citant ex historia Tripartita, tantùm legimus, Agelium quendam Episcopum Nouatianum hoc dedisse consilij, idque per Sisinnium suum lectorem, vt hoc quæreretur ab Arianis: An doctores Ecclesiæ, qui ante illam fuissent sectam, recipere, eorumque autoritate acquiescere vellent, necne. Sed nihil profuit. Imò contrà se res habet. Patres enim in conciliis semper soliti fuerunt sua defendere, & hæreticorum refutare dogmata, per S. literas, vt liquet. Et sic Constantinus ille Magnus in Concilio Nicæno hortatus est Patres, vt est apud Eusebium. Item Tripart hist. lib. 2. cap. 5.

Hoc quidem fatemur, in Conciliis posterioribus Patres semper solitos fuisse, pro confirmanda sua sententia, post sacras Literas, etiam Patrum antiquorum, & veterum conciliorum autoritatem, veterumque Ecclesiarum consuetudines citasse: sed nunquam siue scripturis præmissis. Ac quod attinet ad interpretationes scripturarum, illud etiam damus: antiquos Patres in expositionibus eorum locorum qui de præcipuis erant capitibus religionis Christianæ, vt de Trinitate, de Deitate Christi, &c. inter se conuenisse: sed in reliquis locis, non ita. Quare ex antiquitate nihil cõtra nos adferri potest.

Hęc habui quæ dicerem primùm de regulis, quibus debemus muniri ad scripturarum lectionem accedere: Deinde de iis, quę in ipsa scripturarum lectione seruandæ sunt, vt probè intelligantur: ac postremò de iis, quas post intellectum aliquem scripturæ locum per Dei gratiam, seruare vtile & necesse est, ad retinendam veram scripturarum intelligentiam. Atque hæc de duodecima quæstione satis [illegible]

Finem autem hic imponere tractationi de scripturis constitui, quia certis & necessariis de causis ingrediendum nobis [illegible] ad tractandum locum communem de Deo.

S[illegible] verò miretur, cur quæstiones 18. collegerim ex loco A[illegible]stoli 2. Timoth. 3. de scripturis tractandas: Et ego iam [illegible] [illegible]ùm explicauisse videar: is sciat, in iis duodecim, reliquas quoque fuisse explicatas.

Nam quæstio prima, fuit de partitionibus Bibliorum, deque libris Canonicis & Apocryphis.

Secunda, de mediis, quibus agnosci possit, quæ scriptura sit Canonica [illegible], quæ minus.

Tertia, de autoritate scripturæ: cum hac simul etiam alia quęstio tractata est de autoritate Ecclesiæ in scripturam. Ita ex duabus vnam fecimus.

Quarta, de iis, quibus scriptura fuit inspirata, id est, de scriptoribus Ecclesiasticis. Sed cum hac, quæstio de linguis, quibus fuit inspirata & scripta Item, de antiquitate scripturæ. Ita etiam hic ex tribus fecimus vnam.

Quinta, de Origine & progressu verbi in Ecclesia.

Sexta, de causis, cur primùm voce tantùm, deinde etiam scripto propagari Deus voluerit suum verbum.

Septima, de fine propter quem datæ S literæ: Cum hac etiam quęstio de vtilitate scripturę.

Octaua, de perfectione scripturarum: Sed cum hac quæstio: An vllum dogma extra scripturas admittendum in religione.

Nona, de legendis cuique etiam domi suæ scripturis: cum hac quęstio de officio docendi scripturas, an sit omnium.

Decima, de versionibus Bibliorum: & an verti debeant in linguam popularem.

Vndecima, de perspicuitate sacræ Scripturæ: Cum hac, quæstio de officio interpretandi scripturas: an sit superuacaneum in Ecclesia, necne, in responsione ad quintum argumentum.

Duodecima, de regulis intelligendi scripturas.

Nunc nihil aliud superest, quam vt adhortationem Apostoli, vnde totam hanc de scripturis tractationem collegimus, in nostrum conuertamus vsum, & ea excitemus nos ipsi, ad persistendum in iis, quę didicimus ab Apostolis: & perseueremus in sancta lectione, studióque scripturarum sanctarum. *Permane (inquit) tu in iis quæ didicisti, & quę tibi concredita sunt, &c.* Quam gratiam nobis omnibus, pro suo beneplacito, præstet DEVS OPT. MAX. per filium suum vnigenitum Dominum nostrum. Amen.

D. HIER. ZANCHII PRÆFATIVNCVLA ANTE DISPVTATIONEM DE LIBRIS CANONICIS & *Apocryphis, habita 10, Decemb. an. 69.*

Antiquissima est non solum huius nostrę Amplissimæ Vniuersitatis, sed etiam omnium aliarum Scholarum bene institutarum consuetudo: vt quæ priùs placidè, & sine vllius contradictione in Scholis tradita à Doctoribus & explicata fuerunt: ea deinde in publicis disputationibus, omnibus non tam diiudicanda, quàm argumentis etiam discutienda, certis temporibus proponantur; idque duplici potissimùm de causa: quarum vna est, vt veritas contrariis variisque argumentis discussa, magis ac magis elucescat & confirmetur.

Altera, vt studiosorum adolescentum ingenia disputãdo acuantur, & in dignoscendis refutandisque Sophisticis Elenchis ac paralogismis exerceantur. Habet igitur hæc cõsuetudo magnam vtilitatem, ac proinde laudem etiam non paruam.

Cùm verò hoc vtilissimum sit in omnibus disciplinis: tum verò maxime in Theologia, quæ & plures semper habet aduersarios, & doctrinam vtiliorem magisque necessariam, Nam sicut nihil est salutarius doctrinâ de religione, si pura & certa habeatur; ita nihil perniciosius, si impura & incerta sit.

Hæc cum ita se habeant; non sunt igitur huiusceemodi disputationes negligendæ, neque negligi sine magno studiosorum damno possunt.

Quare cùm Ego quoque ad hoc sim vocatus, vt pro mea virili studeam huic Scholæ prodesse, nolui vos carissimos Adolescentes, & reliquos nobiles auditores his disputationum fructibus defraudare, neque etiam sumus in posterum, Deo fauente, defraudaturi.

Proposuimus igitur primo loco Theses de scripturis Canonicis & Apocryphis disputandas. Sicut enim scriptura est fundamentum totius Theologiæ: sic disputatio de scripturis prima est, quæ diligenter discuti mereatur, vt confirmati in certitudine scripturarum, studiosiùs eas legamus, & in eis toto animo versemur, die ac nocte.

Cæterum quia ordo & modestia ornamentum sunt omnium nostrarum actionum: idcirco vos adolescẽtes, vestra proferetis argumenta ordine, & modestè, vt soletis.

Recitabuntur autem primùm Theses pro consuetudine Scholæ, & breuiter partim explicabuntur, partim confirmabuntur. Audite igitur.

THESES. DE LIBRIS CANONICIS ET APOCRYPHIS.

De quibus præside D. Hieronymo Zanchio, respondit VVolffgangus VVeigkius Spirensis, 4 idus Decemb. Anno 1569.

PROPOSITIO I.

Volumen illud, quod in more positũ est, vt Græca voce apud omnes βιβλία appelletur, in partes secatur duas: quarum

vna continet libros, qui Canonici appellantur: altera illos, qui apocryphi.

2.

Canonici vocantur, quos constat in Ecclesia esse θεοπνεύστους: ac proinde qui pro certo Canone omnis doctrinæ de Religione recepti sunt. Apocryphi autem, quos non ita constat: ac proinde tanquam indigni, non quidem, quos domi quisque sua legat, sed qui in numero Authenticorum habeantur, reiecti sunt.

3.

Ex veteri quidem Testamento, quos Ecclesia tam ante quàm post Christum citra vllam dubitationem pro θεοπνεύστοις agnouit, ij sunt. Libri quinque Mosis. Iehosua. Iudicum. Rutha. Samuelis duo. Regum duo. Παραλειπομένων duo Esdræ duo priores. Esthera capita nouē, & priores decimi capitis versus tres. Iobus. Psalmi Prouerbia. Ecclesiastes. Canticū Canticorū Iesaias Ieremias cum Threnis Ezechiel. Danielis duodecim priora capita, excepto trium puerorum cātico. Et duodecim minores Prophetæ.

4.

Quos igitur non ita agnouit pro θεοπνεύστοις, sunt reliqui, nimirum, Iuditha. Tobias. Esdræ tertius & quartus. Sapientia Salomonis. Sapientia Iesu filij Syrach, qui Ecclesiasticus Latinis dicitur Baruch. Epistola Ieremiæ. Danielis caput 13. & 14. Item canticum trium puerorum, quod est capiti tertio Danielis adiectum. Esthera, à tribus versibus decimi capitis, reliquum. Libri quinque Machabæorum.

5.

Ex nouo autem Testamento, de quibus nunquam fuit dubitatum, ij sunt, Euangelia secundum Matthæum, Marcum, Lucam, Iohannem. Acta Apostolorum Epistolæ Pauli. Petri prima. Et prima Iohannis. De quibus autem aliquando, sunt reliqui.

6.

Etsi verò certioris quodam modo sint auctoritatis illi, de quibus nunquam, quàm isti, de quibus aliquando fuit dubitatum: Horum tamen nullum esse censemus, qui meritò debeat inter Apocryphos connumerari.

7.

Porrò quatuor sunt præcipua, per quæ agnoscimus, quinam sint θεόπνευστοι. 1. Traditio Ecclesiastica 2. Auctoritas scriptorum. 3. Dignitas scripturarum. 4. Est Lumen Spiritus sancti, dignitatem scripturæ patefacientis, & eam certum esse Dei verbum persuadentis.

8

Scriptura enim sacra, sicut afflatu Spiritus S fuerunt reuelata & conscripta: Ita citra eius lumen nobis persuaderi, & pro certo Dei verbo à nobis verè agnosci non possunt.

9.

Proinde ad hoc, vt simus verè persuasi hosce libros certum esse Dei verbum: dicimus, neque Ecclesiasticam Traditionem, neque Scriptorum auctoritatem, neque etiam scripturæ ipsius dignitatem, per se sufficere: sed necessarium esse lumen Spiritus sancti,

10.

Confirmamur verò in cognitione priorum per testimonia posteriorum.

11.

Habent autem Canonici libri auctoritatem ad statuenda & probanda fidei dogmata. Apocryphi verò, etsi vtiliter legi possunt, & ad dogmata iam probata, confirmanda adhiberi: illam tamen non habent auctoritatem, quam Canonici.

12.

Fides enim ex auditu est: auditus autem per verbum Dei. Solos verò libros Canonicos constat esse verbum Dei.

13.

Merito itaque ii etiam soli CANON *omnis doctrinæ de Religione constituti sunt.*

D HIER. ZANCHII.

PRÆFATIVNCVLA ANTE DISPVTATIONEM DE SCRIPTVRÆ SACRÆ autoritate, perfectione, &c habita 5. Idus Decemb. anno 70.

TIt. 1. v. 9. duplex Episcopi, seu Ecclesiastici Doctoris traditur officium Vnum, vt sanam tradat & explicet doctrinam: hæc autem alia non est, quàm quæ in S. tradita est Literis, & ab Apostolis in Ecclesia electa. Alterum, τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, hoc est, vt contradicentes firmis argumentis euincant & eorum sophismata refutent.

Meritò certè hæc duo tradit Apostolus, duo esse Ecclesiastici Doctoris officia. Duo enim etiam sunt Auditorum genera. Alij pij & electi, qui sana & simplici doctrina contenti, nihil præterea quærunt, & si quid quærunt, non animo contradicendi, sed discendi quærunt.

Alij impij & reprobi, qui nunquā contenti, semper cōtra dicūt veritati, & nouas quotidie in Ecclesia excitant rixas.

Respectu prioris generis Auditorum ait, oportere Episcopum esse tenacem illius sermonis, qui ad doctrinam facit, vt possit etiam exhortari per doctrinam sanam.

Respectu alterius generis hominum, ait oportere etiam τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν.

Ergo cùm vos detis operam Theologiæ, vt fiatis aut Ecclesiarum pastores, aut Scholarum Professores, vtrumque vobis necessarium est. In hunc finē curatur etiā, vt & lectiones habeatis ferè quotidiè, & disputationes certis temporibus. Illas, vt quotidiè proficiatis in cognitione veræ & sanæ doctrinæ: Has, vt in ratione disputandi, & suo tēpore Hæreticos conuincendi, exerceamini.

Ergo vestri etiam est officij, vt sicut in lectionibus diligentes estis: sic etiam in disputationibus haud sitis negligētes. Si non publicè, tam frequentes, vt fortè desideratis, habeantur: domi saltem inter vos priuatas & modestas disceptationes instituere debetis.

Cæterum tria obseruanda sunt in disputationibus: vnum, vt scopus non sit nobis νικῆσαι, sed veritatis perfectio: Alterum, vt modestia in dicēdo seruetur: Tertium, vt ad formam syllogisticam omnia componantur argumenta.

THESES EIVSDEM D. HIER. ZANCH.

DE SCRIPTVRÆ SANCTÆ AVTOritate, perfectione, perspicuitate, lectione.

Disputatæ in Academia Heidelb. V. Idus Decemb. Anno 1570.

Respondente Dauide Pareo Silesio.

I.

DOCTRINA *illa Papistica, scripturam sanctam suam ab Ecclesia habere authoritatem, & huius maiorem esse quam illius, impia & sacrilega est.*

Probatio à Respondente scripta, & ante disputationem pro vetusto Academiæ more recitata.

AVtoritas est dignitas quædam seu vis, propter quam persona vel res aliqua digna est & habetur honore vel fide. Et sic Scripturę sanctę autoritas est dignitas vel illa, propter quam ipsa Scriptura sancta est & habetur pro fide digna, seu pro verbo Dei, ac proinde est ἀξιόπιστος. De hac dignitate quæritur inter Papistas & orthodoxos, habeatne eam scriptura in se, an ab Ecclesia. Papistæ posterius affirmant: & Ecclesiæ dignitatem, quàm ipsius Scripturæ maiorem esse contendunt. Vtrumque vt impium & sacrilegum damnatur hac Thesi. Ac prius quidem propter manifesta Scripturæ testimonia & euidentes rationes. Christus Ioh. 17. de Euangelica loquens doctrina, etiam antequam à mundo reciperetur: Verbum, inquit, tuum est Veritas Et cap. 5. Ego ab homine testimonium non accipio. Ergo verbum Dei non ideo est verum, quia ab Ecclesia recipitur, vel ab hominibus testimonium habet. Et Paulus Eph. 2. dicit, Ecclesiam super fundamentum Prophetarum & Apostolorum ędificatam esse. At fundamentum non nititur ędificio, sed ædificium fundamento. Non igitur Scriptura Prophetica Apostolica & Ecclesiæ, sed cōtra Ecclesia Scripturæ authoritate nititur. Accedit his alia ratio, quòd scriptura non est ab Ecclesia profecta, sed à Deo inspirata, qui ipsa est veritas. Nō igitur ab Ecclesia, sed à Deo autore ac fonte omnis veritatis, ipsa quoque Scriptura indubitatam veritatē habet. Et quis non videt totam religionem nostram Turcarum & aliorum impiorum sannis & ludibrio exponi, si certantes cum illis ideo tantùm nobis credi postulemus, religionem nostram esse veram ac fide dignam quia Ecclesia (quæ hominibus constat) asseuerat. Eadem certè specie ipsi negabunt, quæ à nobis asseuerabitur. Posterius similiter manifestam falsitatem & blasphemiam habet. Quid enim minus est veritati consentaneum, quàm diuinam autoritatem humana inferiorem esse? Quid magis impium, quam Deo in Scriptura loquenti fidem derogare, nisi Ecclesiæ, hoc est, miserorum hominum suffragium accedat? Atque hoc idem sequenti Thesi dicitur.

2.

Est enim perinde, ac si dicas, Deum ab hominibus habere autoritatem, & hominum maiorem esse quàm sit Dei.

Proba-

Probatio.

Nam Dei authoritas etiam verbi Diuini est dignitas, quam qui ab Ecclesiæ testimonio suspendit, reuera Deum hominibus subiicit: contra dicta: Ioh.5. Ego testimonium maius habeo, & 1.Ioh.5.vers.9. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est. Nam hoc est testimonium Dei quod testificatus est de Filio suo, nempe in Scriptura sacra.

3.

Contrà igitur nos contendimus, quicquid autoritatis habet Ecclesia, totum hoc illi esse à Deo, eiusque verbo.

Probatio.

Docet hoc Apostolus Eph.2. cùm Ecclesiam extructam esse dicit super fundamentum Prophetarum & Apostolorum. Nititur ergo non scripta Ecclesia: sed alieno fundamẽto, quod est Scriptura sancta, sustentatur. Hinc est, quod Prophetę, quoties sibi credi volunt exclamant: Audite cœli quid Dominus loquatur: Factum est verbum Domini, ad Prophetam Iesaiam: quia nimirum Dei autoritas per se est ἀξιόπιστος. Hominibus verò tanquam Dei legatis fides non habetur, nisi Dei verbum loquantur, & loqui intelligantur.

4.

Proinde licet Ecclesia authoritatem habeat, Scripturas S. ab aliorum scriptis discernendi, déque illis testificandi: & verò illas etiam interpretandi: nullam tamen habet, eis vel addendi vel detrahendi, déque illis, vt loquuntur, dispensandi potestatem, multo vero minus hanc habet Papa Romanus.

Probatio

Autoritatem discernendi Scripturas sacras ab aliorum scriptis: & testificandi de illis, non pro suo quidem arbitratu, sed iuxta mentem Spiritus in illis loquentis Ecclesiæ non derogamus, quia ipse Spiritus sanctus ei hanc tribuit: 1.Cor. 10. Iudicate vos quod aio. 1.Cor 12. Vnicuique datur declaratio Spiritus ad vtilitatem: alij quidem dona sanationum, alij verò discretiones spirituum. 1.Ioh 4. Probate Spiritus an ex Deo sint. 1.Thess 5.21. Omnia probate, quod bonum est, tenete.

De iure etiam interpretandi scripturas iuxta analogiam fidei ad omnes, in Ecclesia facultate ἑρμηνείας præditos pertinente, loquuntur hæc dicta 1.Corinth.12. Alij datur Prophetia, alij interpretatio linguarum. Rom.12. Habentes autem diuisa dona, pro gratia quæ nobis data est per Prophetiam, prophetemus pro analogia fidei. Matt.28. Euntes docete omnes gentes. At vero potestatem Scripturis addẽdi vel detrahendi aliquid, neque Ecclesia neque quisquam Angelorum habet: ac multò minùs Papa Romanus: quod toties testatur Spiritus sanctus, vt mirum sit, vnquam homines eò temeritatis venire potuisse, quo Pontificios progressos videmus. Deut.6. grauissimè à Deo coercetur ea hominum temeritas: Non addetis ad verbum quod ego præcipio vobis, neque detrahetis quicquam ex eo, vt custodiatis præcepta Iehouæ Dei vestri. Deut.5. Ne declinetis ad dextram vel ad sinistram. Gal.1. Si vel Angelus de Cœlo euangelizauerit vobis præter id, quod accepistis, anathema est. Apoc.22. Si quis addiderit ad hæc, imponet ei Deus plagas scriptas in libro isto: & si quis abstulerit aliquid ex verbis libri Prophetę huius, auferet Deus partem eius ex libro vitæ, & ex vrbe sancta, & ex iis, quæ scripta sunt in libro isto.

5.

Est autem doctrina salutis tam abundè in sacris Literis tradita, vt quicquid ad salutem cognitu necessarium est, illud totum in iis contineatur.

6.

Cum enim Deus caueat, ne quicquam addatur sua doctrina: docet eam ita esse perfectam, vt nihil ei addi possit aut debeat.

7.

Quare in doctrina per Spiritum sanctum in sacris Literis tradita, ita Christi Ecclesię acquiescendum est, vt extra illam nihil tanquam ad salutem necessarium admittere debeat.

Probatio.

Necessaria ad salutem vocamus, quęcunque ad verũ Dei cultum externum & internum pertinent, vt sunt fides in Christum, timor Dei, studium bonæ conscientiæ, legitimus Sacramentorum vsus, &c. Hæc omnia in verbo Dei scripto tam plenè perfectéque sunt tradita, vt neque possit neque fas sit quicquam ab hominibus addi. Esset enim Deo nimis contumeliosum, dicere, eum non integram cultus sui, & salutis nostræ rationem in verbo suo patefecisse: & manifestè id vel omnipotentiæ eius, vel summæ bonitati derogaret. Aut enim non potuit aut non voluit nobis perfectam scripturam tradere, quorum vtrumque de Deo cogitare nefarium est. Et si quid deest, vel Legi vel Euangelio deerit: sed Legi nihil deesse, manifestum est: quia requirit dilectionem Dei ex toto corde, & qua maior & perfectior esse nulla potest. In cęteris quoque obedientiam longè perfectiorem sancit, quàm quæ ab vlla creaturarum pręstari potest. Nec Euangelio addi aliquid potest: quoniam qui secundum illud credit in Filium, habet vitam æternam. Pertinent huc etiam dicta Iohan.15. Omnia, quę audiui à Patre meo, nota feci vobis. Act.20. Non subterfugi quominus annunciarem vobis omne consilium Dei. Item illa, quæ omnes additiones & detractiones à verbo Dei prohibent, qualia sunt, quæ ex Deuteronomio & Apocalypsi ad Thesin IV. recitaui.

Cum vero tanta sit Scripturę sanctæ perfectio, vt sola ad salutem & cultum Dei sufficiat: manifestum est, concidere ac facessere debere traditiones humanas alienas à verbo Dei, vel cum eodem pugnantes, quales hodie à Pontificiis, multę pro verbo Dei obtruduntur: ac citra conscientię violationem non credi, omitti vel mutari posse, quicquid vel non expresse in scriptura est traditum, vel ex verbis eius rectè intellectis bona consequentia deduci nequit. Sic enim postulat discrimen, quod est inter Propheticos atque Apostolicos libros, & aliorum scripta, vt illi soli, tanquam verbum Dei immediatè inspiratum & reuelatum, & tanquam regula fidei, atq; canones omnis doctrinæ in Ecclesia recipiantur: Hæc verò eatenus tantùm fidem mereantur, quatenus cum norma illorum congruunt.

8.

Neque solum abundè, verum etiam perspicuè tota salutis doctrina in sacris Literis prodita est.

9.

Est enim scriptura Lux, eáque splendidissima, quemadmodum & de lege præter alios testatur Dauid, & de Euangelio Apostolus.

Probatio.

Hæ Theses de perspicuitate scripturæ propter Pontificios confirmandæ sunt: qui scripturam in fundamento salutis accusant obscuritatis, vt suas etiam præstigias & Seraphicas glossas cum scriptura necessariò recipiendas esse obtineant. Quam verò cum contumelia Spiritus sancti id faciant, qui vbique in verbo suo nobiscum quasi balbutit, & ad ruditatem nostram se demittit: nulli qui scripturam sanctam vnquam rectè legit, obscurum esse potest. Dauid Ps. 119. Legem Dei vocat lucernam pedum nostrorum, & lumen semitarum nostrarum, lucem quæ intelligentiam paruulis conferat. Salomon Prouerb. 1. testatur, se scribere ad dandam simplicibus solertiam, pueris scientiam & prudentiam: sapiẽtiam foris clamare, & in plateis edere vocẽ suam: Paulus 1.Cor.1. & 2. dicit, se à Christo missum esse ad prędicandum Euangelium, non cum sermonis peritia, neque cum eminentia facundię aut persuasoriis humanę sapientiæ verbis, ne inanis reddatur crux Christi: Et alibi 2.Cor. 4. Euangelium vocat lumen gloriæ Christi. Petrus Propheticum sermonem, qui tamen non parum obscuritatis habere videtur, lucernam vocat lucentem in caliginoso loco. Denique, si obscura est Scriptura sancta, vel in Lege vel in Euangelio ea obscuritas erit. Non in lege. Quid enim clarius, quàm quòd Deum diligere iubemur ex toto corde & proximum sicut nos ipsos? Nec in Euangelio: Nihil enim obscuritatis habet hæc totius Euangelij summa: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum daret, vt omnis qui credit, non pereat, sed habeat vitam æternam. Item: Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui non credit filio, non videbit vitam, & ira Dei manet super eum.

10.

Quare impiè etiam & tyrannicè ab illis fit, qui ne Scriptura sancta aut in populares linguas conuertatur, aut conuersa imprimatur, vendatur, legatur, legibus cauent.

Probatio.

Papistarum tyrannidem scriptura ipsa damnat, quoties diligentem lectionem & meditationem omnibus & singulis præcipit. Deut.6. & 11. Docete ea filios vestros, inquit Deus, vt serio loquantur de eis, cum desides domi tuæ: & cum es in itinere: cum cubitum vadis & cum surgis: scribes ea quoq; super postes domus tuæ & in portis tuis. Præceptum hoc est morale ad omnes pertinens. Psal.1. Dauid beatum eum prædicat, qui legem Dei meditatur die ac nocte. Ps.119. felicẽ eum, qui meditatur eloquia Domini. Deu. 17. inter partes officij regij numeratur assidua legis diuinæ lectio & meditatio. Iohan. 5 Christus omnibus & singulis præcipit, vt scrutentur scripturas. Actor. 8. Eunuchus Æthiops lectione scripturarum, & institutione Philippi ad fidem Christianam conuertitur. Act 17. Berhoenses Christiani ex concione domum reuersi doctrinam Pauli ad scripturas examinant. Act.2. Apostoli dono linguarum orna-

tur, vt omnibus nationibus & linguis vernaculo idiomate doctrinam, salutis explicare possint. 1. Cor. 14. Paulus vetat peregrinas linguas sonare in Ecclesia sine interpretatione. Ergo in vernaculas conuerti scripturam necesse est.

II.

Neque enim Scripturæ sanctæ certis tantum hominum generibus, sed toti Ecclesiæ, eóque singulis fidelibus traditæ & commendatæ sunt, idque non tam, vt illis salutis doctrina asseruetur, quam vt ex eis tum legendis tum audiendis indies magis ac magis, quæ sit Dei voluntas, à singulis cognoscatur.

Probatio.

Finem lectionis, auditionis, ac meditationis Scripturarum esse salutem nostram, testatur Christus Iohan. 5. Scrutamini Scripturas; nam videmini vobis in illis vitam æternam habere. At salutis æternæ neque acquisitio præcipitur, neque fruitio promittitur certis duntaxat hominibus, aut hominum generibus puta Pontificibus, Cardinalibus, Episcopis, Monachis, &c. sed toti Ecclesiæ, & singulis fidelibus Matth. 7. Contendite ingredi per angustam portam. Mat. 16. Quicunque crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Omnibus ergo Ecclesiæ domesticis scripturæ sunt traditæ & commendatæ, idque geminæ vtilitatis causa: quarum vna est, vt in illa tanquam in turri fortissima & inexpugnabili, doctrina salutis integra defendatur, & pura conseruetur: si quidem nunquam defuturi sunt hostes, qui eam deiicere, vel saltem labefactare conentur. Ideo Apostolus 1. Tim. 3. Ecclesiam στῦλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, hoc est, columnam & stabilimentum veritatis appellat. Altera est vt earum lectione & meditatione agnitio veri Dei, & studium salutis nostræ magis magísque in nobis crescat & excitetur. Psa. 1. Beatus qui meditatur legem Dei dies ac noctes. 2. Tim. 3. Permane in iis quæ didicisti, sciens, quòd à pueris sacras Literas noueris, quæ te possunt perfectum reddere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Iesu.

DE LIBRIS APOCRYPHIS VETERIS *Testamenti, Patrum iudicia.*

ISraelitica Ecclesia semper constans fuit in sententia, hos non esse θεοπνεύστους.

In nouo etiam Testamento nullus ex iis liber, aut ex libris locus citatus à Christo fuit, aut ab Apostolis. Imo nec vlla mentio repetitur facta fuisse.

Est autem huius Ecclesię tam constans, vniuersale & perpetuum de iis rebus iudicium, iudicio eorum, qui post Christum & Apostolos in Ecclesia Christiana secuti sunt, præponendum his de causis.

Primò, quia illa Ecclesia vicinior fuit scriptoribus, quàm posterior. Ideo melius etiam potuit cognoscere, & certius iudicium facere, an tales scripserint necne: & quales ij fuerint, qui scripserunt.

Secundò, quia nulla inter ipsos legitur fuisse iudiciorum discrepantia: secus fuit inter Patres, post Christum.

Tertiò, quia peritiores suæ linguæ, & phraseôn Spiritus S. inque Scripturis exercitatiores, quàm nostri Patres fuerint. Meliùs ergo potuerunt iudicare.

Quartò, quia diligentiores fuerunt in seruandis Traditionibus Maiorum, quàm nostri Gal. 1. Certior igitur Traditio Israeliticæ Ecclesię, quàm nostræ.

Quintò, quia neque Apostoli vllam dederunt significationem, illos sibi probari.

Sextò, Quia etiam post Christum nemo ex Iudæis ad Christum etiam conuersis, potuit agnoscere tales libros pro θεοπνεύστοις. Vide testimonium Iosephi de antiquitate, lib. 1. aduersus Appionem Alexandrinum, pag. 619. Ait, viginti duos esse, primùm quinque libros Mosis. Secundo Prophetarum tredecim. Tertiò tyrannos. Qui post Artaxerxen scripti, non habitos fuisse fide dignos a Iudæis. Pro prioribus omnes paratos, si opus sit, mori. Eadem recitantur ab Euse. hist. lib. 3. cap. 10.

Denique siue spectes traditionem Maiorum, illorum est certior, de iis libris, quàm nostra: siue autoritatem scriptorum, meliùs potuerunt illi, vtpote Iudæi & viciniores, iudicare: siue dignitatem scripturarum, illis fuit magis perspecta, quàm nostris, ob dictas causas: deinde, quia non minùs spiritus habuerunt in iudicandis libris, quàm nostri.

II. Vetustiores inter nostros Patres, & peritiores linguæ sanctę exercitatiores etiam in scripturis, iudicium Israeliticæ Ecclesiæ secuti sunt, idque iudicio ex ipsis libris concepto. Qui verò dissentiunt, iuniores & imperitiores fuerunt.

1. Meliton Sardensis Episcopus sub Antonino Imperatore, circa annum Domini 160. idem scriptum reliquit, nisi quòd sapientiã Salomonis inter Canonicos enumerat. Non habet Esthetam. Eusebius hist. lib. 4. c. 26.

2. Origenes idem in Psal. primum, teste etiam Euseb. histor. l. 6. c. 25. non habet Sapientiam Salomonis, sed Epistolam Hieronymi. Addit, præter istos sunt libri Machab.

3. Epiphanius in panar. Tom. 1. li. 1. hęre. 8. pa. 9. Sed habet Epistolam Hieronymi, Baruch. Addit sapientiam Salomonis, & Iesu filij Sirach, ambiguæ esse apud illos lectionis & alios etiam Apocryphos. Idem libro de Mens. & ponderibus pa. 606. lat. Apertè sapientiam Salomonis, quem πανάρετον vocat, reiicit inter Apocryphos.

4. Hilarius in Prolog. in Psa. pa. 479. addit Epistolam Hieronymi, & nihil ex Daniele & Hesthera excipit. A quibusdam addi Tobiam & Iudítham.

5. Cyprianus (Ruffinus est) in symb. Apostol. pa 377. eos duntaxat, quos & nos, nisi quòd nihil excipit ex Ieremia: sed neque nominat Epistolam. Neque ex Daniele. Sed neque nominat. Neque ex Hesthera.

6. Hieronymus in Prolog. in li. Regum, quem vocat Galeatum & præponi solet Bibliis: Non alios, quam quos nos posuimus; & ait, *Hic prologus scripturarum, quasi Galeatum principium, omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum, conuenire potest: vt sciamus quicquid extra hos est, inter Apocryphos esse ponendum.*

7. Ecclesia Romana. Nam semper probauit hunc prologum Hieronymi, & Bibliis semper præfigendum curauit.

8. Concilium Laodicenum, can. 59. initio Pontificatus Damasi celebratum. Concil Tom. 1. pa. 380 Eosdem nisi quòd Esdræ libros nullos numerat: sed apparet ex verbis immediatè præcedentibus, vbi ait, *Paralipomenon libri duo: Esdræ:* voluisse dicere, itidem duo. Proinde in contextu est. *Item ex Daniele aut Esthera nihil excipit.*

9. Biblia Græca antiquissima, omnes hos, quos inter Apocryphos posuimus, ipsa quoque habent seorsum à Canonicis positos & separatim.

10. Et, si damus septuaginta Interpretes, omnia Biblia sacra, & non tantum Mosen, in Græcam transtulisse: apertissimo est argumento, hos tantùm quos adhuc Hebraice habemus, esse sacros. Nam in vetustissimis etiam manuscriptis Exemplaribus, non alij habentur, quam isti.

POSTERIORVM IVDICIVM DE *Machabæorum libris.*

GElasius Papa in Catalogo Bibliorum, excludit à Canone secundum librum Machabæorum. Vide Concil. Tom. 1. p 991.

Augustinus Tom. 7. contra secundam Epistolam Gaudentij, lib. 2. cap. 23. Col 353 B. vbi improbat factum Razię, qui se præcipitem dedit ex fenestra, 2. Machab. 14 ait. Primùm, hanc scripturam, quæ appellatur Machabęorum, non haberi apud Iudæos, sicut Legem, Prophetas, & Psalmos: quibus Dominus testimonium perhibet, tanquam testibus suis, Luc. 24. sed receptam esse ab Ecclesia non inutiliter, si sobriè legatur vel audiatur.

Certè, si verè esset scriptura illa Machabęorum diuina, non dixisset Augustinus, *Si sobriè legatur.* Idem Tom. 5. de Ciuitate Dei, li. 18. cap. 38. fatetur libros Machabęorum non esse de canone Hebræorum, neque paris autoritatis, cum Lege, & Prophetis: & ideò sobriè esse legendos.

ARGVMENTA PRO LIBRIS APOcryphis, primum in genere: deinde speciatim.

TOmo Concil. 1. inter Canones Apostolorum est canon 84. vbi connumerantur sacri libri, inter eos sunt etiam libri Machabæorum tres.

1. Resp. primùm, si recipis hos canones pro Apostolicis: Ergo neque Tobias, neque Iudith, neque sapientia Salomonis, neque Baruch, inter Canonicos connumerari possunt. Nam ij ibi non connumerantur.

Secundò, sed canones Apostolorum non esse, liquet multis argumentis, quæ in pręsentia adferre in medium non est necesse. Certè si Apostolorum essent canones, Hieronymus diligentissimus Ecclesiasticorum scriptorum obseruator, horum fecisset mentionem. Item Eusebius & alij Patres. *Præterea*, Si Apostolorum essent, non ausi fuissent Patres & Concilium Laodicenum, libros Machabęorum, è numero sacrorum Bibliorum excludere. Neque etiam duas Clementis epistolas, è numero canonum noui Testamenti. Nam ibi duæ Clementis Epistolæ, & præceptiones quædam, inter libros Canonicos noui Testamenti connumerantur.

II Gelasius Papa omnes habet pro Canonicis, excepto Machabæorum. Ita Athanasius in synopsi.

August. Tõ. 3. de doctrina Christiana, li. 2. c. 8. omnes quos vos reiicitis inter Apocryphos, ipse inter canonicos ponit.

Idem

Idem Concilium Carthaginense tertium,can.47.& est in Concil. Tom.1. pag.431. omnes itidem admittit inter Canonicas scripturas.

Innocentius Papa itidem omnes inter decreta ipsius. In epistola ad Exuperium Tholosanum Episcopum, capit.7.

Resp. Ex indiciis horum posteriorum,non posse concludi aduersus iudicia priorum,iis de causis.

1. Quia priores secuti sunt iudicium Ecclesię Israeliticæ, qua nemo meliùs potuit de iis libris iudicare.

2. Quia Ecclesiæ illæ priores, fuerunt etiam puriores, & meliùs potuerunt de libris sacris iudicare, tanquam prædite maiori Spiritu,& exercitatiores in Scripturis.

3. Quia viciniores Apostolis: idcirco certiùs potuerunt nosse, qui autores & scriptores librorum,qui non,&c.

Hoc regula Tertulliani:Id esse verum,quodcunq; prius: id esse adulterum,quodcunque posterius.

Et loquitur de traditionibus Ecclesiasticis.

4. Quia illi priores,longè melius inter se conueniunt de hac quæstione,quàm posteriores.

5. Augustinus ipse tradit regulam de libris Canonicis diiudicandis, Tom. 3. de doctrina Christiana, libro 2. cap.8.

In Canonicis autem scripturis (scilicet diiudicandis) *Ecclesiarum Catholicarum* (id est,verè piarum) *quamplurium autoritatem sequatur:inter quas sanè illæ sunt,quæ Apostolicas sedes habere & Epistolas accipere meruerunt.*

1. *Tenebit igitur hunc modum in scripturis Canonicis,vt eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt.*

2. *In eis verò,quæ non accipiuntur ab omnibus,præponat eas, quas plures grauioresque* (Ecclesię) *accipiunt,eis,quas pauciores minorisque autoritatis Ecclesiæ tenent.*

3. *Si autem alias inuenerit à pluribus, alias à grauioribus haberi (quanquam hoc inueniri non possit) æquales tamen autoritatis eas habendas puto.*

Regula hæc Augustini intelligenda est in diiudicandis scripturis, ex sola Ecclesiastica traditione & iudicio: vt *Primæ*,quę omnibus probantur, primum etiam locum teneant.

Secundæ, quæ à pluribus & grauioribus approbantur, secundum locum.

Tertiò,si vero quædam à grauioribus,aliæ à pluribus, hæ paris sint autoritatis. Duo prima membra vtriusque admitto. Sed tertium non probo. Quasi verò numerus suffragiorum, debeat grauitati æquari. Scimus non esse numeranda,sed ponderanda suffragia. Si hoc in politicis: quantò magis in diuinis & Ecclesiasticis?

Iuxta verò duo priora membra,omninò consequitur veram esse nostram sententiam, quæ conformis est Ecclesiis prioribus.

1. Quos nos vt Canonicos defendimus,ij fuerunt omnibus Ecclesiis in Israel probati, & improbati quos non probamus.

2. Iidem fuerunt omnibus Ecclesiis,vsque ad Concilium Nicenum probati. Nullam enim de iis contentionem legimus,vsque ad illa tempora.

3. Ab autoritate. Multò grauiores fuerunt,& maioris autoritatis illi priores,quàm posteriores.

4. Accedit,quòd etiam inter posteriores,nostræ Ecclesiæ maioris sunt autoritatis,iudicij,eruditionis,quàm quę mille abhinc & ampliùs annis.

Nostrę autem Ecclesiæ ita sentiunt,vti nos proposuimus in thesibus. Nulla est enim inter eas discrepantia de libris veteris Testamenti.

Sed hoc *argumento* contrariis omnium iudicia refelluntur.

Tantum sunt Canonici,quos in Ecclesia Dei constitit & constat esse θεοπνεύστους. Quos enim Canonicos nos,Paulus vocat θεοπνεύστους: & Petrus ait, sanctos Dei homines, Spiritu inspiratos,locutos esse,eoque & scripsisse.

Atqui hos nunquam ante Christum, sic neque tempore Christi & Apostolorum, agniti fuerunt pro θεοπνεύστοις isti de quibus controuertitur: neque etiam postea,neque nunc, apud fratres, ex Iudaismo ad Christum conuersos, viros sanctissimos & doctissimos, & multos, constitit, aut constat.

Liquet hæc Assumtio.

1. Ex Iosepho,contra Appionem Alexandrinum.

2. Ex scriptis Apostolicis, in quibus nulla vnquam fit mentio.

3. Experientia. Nullus enim vnquam Hebræus frater admittit sponte,& ex iudicio,pro Canonicis hos,quos nos Apocryphos esse contendimus. Neque vnquam sperandum est fore,vt admittant, etiam cùm Ecclesia fuerit refertissima Iudæis,vt ad finem Mundi. Constantissimi enim in hac sunt sententia,quam tuemur. Quomodo igitur sunt,aut futuri sunt in Ecclesia Canonici.

Confirmatio. Etsi Canonici autoritatem habent apud omnes fideles,ij autem non habuerunt vnquam, aut habent apud Iudæos fratres:oportet igitur aut hos fratres non esse pios & fideles:aut hos libros non esse Canonicos.

SPECIATIM DE LIBRIS VETEris *Testamenti Argumenta.*

SEd quid? quòd etiam antiquorum illorum priorum Patrum testimoniis euincitur, certos quosdam libros, non esse Apocryphos,quos tamen vos inter Apocryphos reponitis?

TOBIAS.

Hieronymus ad Cromalium & Eliodorum(& est præfatio in Tobiam,præfixa Bibliis)scribit se transtulisse in illorum gratiam Tobiam,eumque vehementer laudat.

Resp. Non probat vt Canonicum,sed tanquam vtilem.

Instant.1. At ait,Iudæos illam secuisse de Catalogo sacrarum Scripturarum. Ergo antea annumerabatur.

Resp. Quasi verò,quæcunque discernuntur, non etiam secari ex aliis dicantur, tametsi nunquam fuerint coniuncta,publica autoritate.

Instan. 2. At ait,inter Hagiographa mancipatum librum hunc per Hebræos Hagiographa autem sunt Canonica.

Resp. Hagiographa scriptum est pro Apocrypha, aut ipse Hieronymus ita vsurpauit. Liquet:quoniam primò ait, Hebræos illum secuisse ex Catalogo sacrarum Scripturarum.

Inst.3. At Hebręos, qui secuerunt hunc librum è Catalogo,vocat Pharisæos: & ait,se malle Episcoporum iussionibus deseruire,quam Pharisæorum iudicio non displicere.

Respon. Non illos qui distinxerunt libros, vocat Pharisæos,sed illos, qui improbant quòd Hieronymus hunc librum non Canonicum,verteret in Latinum, & Ecclesiis legendum obtruderet.

Instant.4. At multi Patres ex hoc libro citant.

Resp. Quasi verò non etiam ex Philosophis citemus, & ex Poetis.

IVDITHA.

Hieronymus in præfatione in hunc librum, ait à Niceno Concilio in numerum sacrarum Scripturarum fuisse connumeratum,ac proinde se illum vertisse.

Respo. Fieri potest,& credo Hieronymo. Sed nomine S. Scripturarum,non intellexit Canonicos libros,qui citra dubitationem habentur pro verbo Dei: alioqui cur Hieronymus non hunc etiam inter Canonicos connumerauit, sed nominatim inter Apocryphos copulauit.

Intellexit igitur,librum esse à Concilio Niceno agnitum pro libro vero & vtili, & qui à fidelibus non debeat inter profanos haberi.

Regula. Multa in summa sunt, quæ fuerunt admissa ab ecclesia,tanquam veræ historiæ,sed non tanquam dictatę à Spiritu sancto.

BARVCH.

Ambros. de fide ad Grat.li.2. pag.49. adscribit Ieremiæ, & ex hoc citat illud cap.3. *Posthac in terris visus est, &c.* & esse à Spiritu sancto docet. Item Epiphan.lib.1.hæres.8.inter Canonicos habet.

Respon. *Primùm*, fallitur Ambrosius, cùm attribuit Ieremiæ. *Secundò*, Illius & huius iudicium,non prævalet iudicio Ecclesiæ Israeliticæ,& Hieronymi, tot tantorumque aliorum Patrum.

EPISTOLA IEREMIÆ.

Inter Canonicos ponit Origenes in Psalmum primum, & citatur etiam ab Eusebio Cæsar.lib.6.c.25.

Epiphanius idem facit in Panar.lib.2.hæres.8.

Hilarius in Psalmos idem facit,pag.429.

SAPIENTIA SALOMONIS.

Melito connumerat inter Canonicos.

Eusebius lib.4.c.26.

Augustinus Tom.7.de prædestinatione Sanctorum, cap. 14.dat huic libro magnum testimonium & laudem.

Basilius etiam contra Eunomium.

Et Ambrosius de fide ad Grat. citant pro Deitate Christi.

Resp. At hanc non habet Origenes, & reiicit Epiphanius. licet παρέργιον appellet inter Apocryphos.

Item Hieronymus ait, credi esse Philonis.

Sed ex isto libro citantur sententię ab Apostolis, ait Cathatinus.

Resp. Non constat. Secundò, Etiam ex poetis profanis citauit Apostolus.

DANIEL DE SVSANNA ET BELO.

Hieronymus Tom. 2. contra Ruffinum in Apol lib. 2. pa. 227. non improbat, sed tantùm ait, se retulisse quid Hebræi dicant.

Resp. Innuit quidem sibi non improbari iudicium Hebræorum, sed tamen non probat vt Canonicum.

DE LIBRIS NOVI TESTAMENTI *Patrum iudicia.*

Laodicenum Concilium Can. 59. Côcil. T. 1. Omnes nullo excepto pro Canonicis habuit.

Cyprianus (Ruffinus) in Symb. Apostolorum pag. 377. omnes inter Canonicos collocat: & totam Ecclesiam sic sentire docet.

Hieronymus in Epist. ad Paulinum, quæ Bibliis semper solita fuit præfigi, omnes admittit pro sacris. Tantùm dicit Epistolam ad Heb. à plerisque extra numerum poni: sed ipse eam admittit. T. 3. in Epistola ad Dardanum, pa. 86. Item in epistolam ad Gal. ca. 1. pag. 159. Athanas. in synopsi, versa à doctissimo Musculo. vide sup. p. 35.

DE EPISTOLA AD HEBR.

De hac Epistola à multis fuit disputatum, sitne Canonica, necne.

Hieronymus ad Paulinum. Item in Catal. Ecclesiasticorum scriptorum, alij Clementi, alij Lucæ eam adscribunt.

Tert. li. de pudicitia pa. 766. ait fuisse Barnabæ, discipuli & comitis Apostoli Pauli.

Resp. Sed à pluribus & grauioribus pro epistola Pauli & Canonica fuit agnita.

1. Clemens in Epistola ad Corint. quæ pro indubitata est habita, sed quæ non extat, teste Euse. Cæsar. li. 3. c. 37. verus esse Apostoli scriptum in Ecclesia. Multos autem suspicatos, esse vel Clementis, vel Lucæ; propterea quòd ex Hebr. in Græcam linguam conuerterit vel ille, vel iste, hominum iudicio.

2. Origenes idem sensit quod Clemens, Euseb. teste lib. 6. c. 25.

3. Clemens etiam Alexandrinus in ead. fuit sententia, Euseb. li. 6 c 14. sed ait à Luca conuersam.

4. Hieronymus ad Gal c 1. p. 159. Item To. 3. in Epistola ad Dardanum. p. 68.

5. Concilium Laodicenum can. 59.

6. Epiphanius li. 2. T. contra Ariomanitas hæres. 69. pa. 364. adducit vt Canonicam, & ait, Arianos eam negare.

7. Theodoretus in argumento in hanc epistolam: & refutat argumenta eorum, qui contendunt non esse Pauli.

8. Chrysost. in hanc epistolam idem sensit.

9. August. testatur apud Orientales semper fuisse habitam pro Epistola Pauli.

Quidam hoc vtuntur argumento 2. Pet. 3. Petrus ad fratres ex Iudaismo scribit de patientia in afflictionibus: & ait de hac re etiam Paulum ad eos scripsisse. Atqui non est alia epistola Pauli ad Hebr. nisi hæc, quæ etiam est de eodem argumento patientiæ in ferenda cruce propter Christum.

Alia argumenta non contemnenda vide in commentatio Iohan. Pisc. in illam Epistolam, vbi & argumenta pro contraria parte refutantur.

Obiectiones contra epistolam ad Hebr. non esse Apostoli.

I. Non præponit nomen suum: ergo non est Apostoli.

Respondet Hieron. ergo nullius, quia nullius nomen præponitur. Sunt causæ, cur tacuerit honestè, quæ ab aliis citantur. Vid. Theodor. in epistolam hanc: Fallac. est non causæ, &c.

II. Stylus elegantior solito stylo Pauli.

Resp. Quasi verò idem homo nonnunquam non varium habeat stylum. Hebraicè scripsit, ideo elegantius. Vertit autem Clemens Romanus eleganter. Euseb. lib. 3. ca. 37.

III. Fauet Nouato in c. 6 & 10.

Resp. Fallac. ex ignoratione figuræ dictionis.

IV. Torquet scripturas, vt illud 2. Sam. 7. ver. 14. Ego ero illi in Patrem, torquet ad Christum.

Respon Non torquet. Propriè enim de Christo intelligitur: non de Salomone. 1. promittitur filius post mortem ipsi Dauid. 2. promittit regnum æternum huic filio. Vide Augu. de Ciuitate Dei. lib. 18 cap. 10. Ambrosium in Lucam. l. 3. de genealogia Christi.

Instant. At ibi 2. Sam. 7. ait Deus de hoc filio. Cùm peccauerit, &c. Christus autem non peccauit.

Res. Christus in sua persona non peccauit, sed primò peccata nostra in se recepit. Ies. 53. Secundò peccare dicitur in membris, ideo in eis etiam punitur.

V. Heb. 2. v. 3. ait, Si tantam neglexerimus salutem, quę ab iis, qui audierunt, fuit in nos confirmata. Paulus autem ab hominibus non accepit, Gal. 1.

Resp. 1. Non ait, Ad me allata, sed ad nos. Ponit se in locum aliorum. 2. Si de se loquitur, non ait allata, sed confirmata. Hoc indicat Gal. 2. Sed tertiò, non ait doctrina, verùm salus confirmata: Liquet Actor. 9 per Ananiam confirmatus fuit: instructione & Baptismo.

VI. Heb. 9. ait, in Arca fuisse vrnam auream, Manna, virgam Aaronis. Scriptura tamen 1 Reg. 8. ait non fuisse in Arca, nisi duas tabulas Testamenti.

Res 1. Tunc 1. Reg. 8. non erant intus nisi duæ tabulæ: sed tempore Mosis erat etiam vrna, &c. at de hoc tempore loquitur Apostolus. 2. erant circa Arcam, perinde ac si intus essent Sic autem loquitur Apostolus. Vide Martyrem in 1. Melachim cap 8. vers 9.

VII. Cap. 12. exemplo Esau videtur negare resipiscentibus veniam.

Resp. Minimè: sed exemplo Esau terret, ne inebrientur delitiis Mundi. Deinde nomine pœnitentię Esau non intellexit resipiscentiam, sed terrorem, quo impij percelluntur, sero cùm sapiunt Phryges.

DE EPISTOLA IACOBI.

Iacobus iste, non fuit filius Zebedæi, frater Iohannis. is enim ab Herode fuerat interfectus Hierosolymis Act. 12. Patres: fuisse discipulum & consanguineum Christi, cognomine Obliam, qui ecclesię Hierosolymitanæ præfuerit.

Alij: filium fuisse Alphæi, eòque Apostolum, de quo Mat. 10. Act. 1. Huic fratet Iudas, Mat. 13 55. De hoc Iacobo Act 15.

Hieronymus probat in prolog. Biblior ad Paulinum

Item de viris Illustribus seu scriptoribus ecclesiasticis.

Laodicenum Concilium.

Ruffinus in Symb.

Euseb. li. 2. c 23. ait, in plurimis ecclesiis legi publicè.

Anacletus primus, qui fuit tertius Pontifex Romanus in prima Decretal. citat dictum ex hac epistola, & ait: sicut dicit beatus Iacobus Apostolus. Sed fallitur. Ita Alexander primus in prima Decretali.

Contra Epistolam Iacobi Obiecta.

I. Doctrinam de iustificatione habet pugnantem cum doctrina Apostolica.

Resp. Optimè conuenit, si rectè intelligatur. Paulus de iustificatione coram Deo. Iacobus de iustificatione etiam coram hominibus. Illa, fide: Hęc, operibus comparatur.

At ait c 2. ad calcē. Sicut corpus sine spiritu (id est, anima) mortuum est: ita fides sine operibus mortua est Vt igitur anima est causa vitę corpori: ita facit opera causam vitæ fidei. Annon hæc pugnant?

Res Homonymia est in vocabulo Spiritus. Spiritus enim accipitur hic pro Spiritu, quo per os spiramus. Vt hic non est causa vitæ. sed πνοή: ita opera bona.

II. Item ait: Qui offenderit in vno, factus est omniū reus.

Resp. Non respectu materiæ, sed formæ, hoc dictum intelligendum est. Hæc est offensio in DEVM, ideo dixit, offendit Item subdit: Qui enim dixit: Non mœchaberis, &c. quasi dicat, sicut in eo, quod peccasti, non curasti legislatorem. sic nec in alio peccato curasses, si occasio peccandi oblata fuisset. Ideo quoad offensam in Deum, qui offendit in vno, factus est reus omnium.

III. Statuit Chrisma seu extremam vnctionem papisticam cap 5.

Resp. Minimè: sed alludit ad vnctionem, qua Apostoli ex mandato Domini vngebant ægrotos, & curabantur. Donum erat miraculorum; de qua re Marc. 6. v. 13.

At attribuit huic non solum sanitatem corporis, sed etiam Animæ v. 15.

Resp. Imò fidei attribuit, hoc est, fideli orationi vtrunque. Oleum symbolum tum erat, nec pro alia re agnoscit Iacobus.

bus. Confirmatur. Nam mox alia exempla adfert efficacitatis orationis fidelis.

IV. Non vtitur salutatione Apostolica, Gratia vobis, sed profana, Salutem.

Resp. Etiam Apostoli Act.15. sic salutant fratres inter Gentes Iohannes autem in sua prima epistola nulla vtitur salutatione.

V. Eusebius ait esse adulterinam l.2.c.23.

Resp. Ait tamen legi publicè in Ecclesiis: Non omnes igitur habebant illam pro adulterina.

VI. Non facit officium Apostoli. Non enim meminit passionis, resurrectionis, &c. Christi, & eius officij.

Resp. Quasi verò debeant singuli de iisdem scribere. Neque Matthæus & alij disseruerunt de Christi Deitate, vt Iohannes Scribebat Iacobus de motibus & vita Christiana.

VII. Ex Petri & Pauli Epistolis recitat aliquot dicta, vt, charitas operit multitudinem peccatorum, est Petri. Item, Humiliamini sub potenti manu Dei. Item Gal.5. Spiritus concupiscit aduersus carnem.

Resp. Quid mirum? Deinde cur nõ idem reuelare potuit Spiritus S. Iacobo, vt & illis duobus.

De 2. Petri epistola.

Est Petri. Ait enim se fuisse vnum ex iis, qui in monte sancto vidit gloriam Christi. Si non est Petrus iste. Ergo magnus nebulo, & impudens qui hæc falsò scribat.

De 2. et 3. Ioannis.

Sunt Ioannis Irenæus citat dictum ex 2. Epistola: Et ait, Ioannem Apostolum hoc scripsisse in epistola sua 2. Hieronymus T.2. ad Euagrium pag.329.

Obiecta.

At vocatur Presbyter, non Apostolus.

Resp. Quasi verò non etiam Petrus in 1. epistola non se vocet compresbyterum, c.5.v.1. Sic autem se vocabant Apostoli, quando in aliqua Ecclesia residebant.

De Ivdæ epistola.

Est Hieron. in prolog ad Paulinum Idem ad Marcellam sub nomine Paulæ & Eustochij, pag.125. *In Epistola, inquit, Canonica Iudas Apostoli frater Iacobi, scribit, dicens: Commonere autem vos volo, &c.* Idem T 1. de Ecclesiasticis scriptoribus ait, propter testimonium ex libro Apocrypho Enoch reiectum esse à multis, sed vsu & vetustate, autoritatem obtinuisse.

Nota Iacobi Apostoli duo Primus frater Iohannis Zebedæi filius, hic gladio cæditur, Act.12. secundus Alphæi filij, de quo Matth.10. Huic fuit frater Iudas: ambo fratres, id est, consanguinei Christi. Matth.13.v.55. De hoc etiam Ioh. 14. v.22.

Hunc volunt multi, vt Beza quoque, esse autorem Epistolæ huius. Inter Apostolos autem Matth.10. non connumeratur. De hoc etiam Act.1.v.13. Quanquam Pareus vult sub nomine Taddæi vel Lebæi intelligi.

I. Allegat prophetiam Enochi Apocrypham.

Respondet 1. Caluinus ἄγραφον potius fuit memorabile dictum propagatum & vulgatum inter Iudæos, quam ex libro desumtum. 2. Etiamsi ex apocrypho libro: dictum tamen hoc probando authenticum fecit: sicut & dicta Poëtarum Apostolus Paulus.

II Adhibet historiam apocrypham de certamine Michaelis cum Sathana pro corpore Mosis.

Resp. Etsi in scriptura historia hæc non habetur: non sequitur tamen esse falsam aut incertam. Multa enim habuerunt Iudæi per traditionem, eáque vera. Certè quod nat... pugnat cum scripturis, aut absurdi in se continet: sed ... verisimile est. Sathan enim semper quærit Sanctorum corpora producere ad idololatriam & superstitionem: Angeli autem Dei resistunt.

III Item, est consarcinata epistola ex 2. Petri Non ergo inspirata. Item, ergo discipulus fuit Apostolorum.

Resp. Fallacia est non causæ vt causæ. Non est legitima causa, & sufficiens, qua probes non fuisse inspiratam à Deo. Etiam Prophetæ acceperunt à Mose: & Apostoli à Prophetis: sed omnes inspirati à Deo ad hæc dicta sumenda.

Deinde à parte aliqua ad totam Epistolam, non valet consequentia.

Fuisse etiam Discipulum Apostolorum, non hinc euincitur. Deinde quid tum? Non enim contendimus fuisse Apostolum: sed discipulum Christi, fratrem illius Iacobi, cuius est prima Catholica. Act.15.v.32. legimus, Iudam & Silam fuisse Prophetas.

III. Iudas Apostolus venit non in Græciam, sed in Persidem: Non igitur Græcè, sed Persicè scripsit.

Resp. 1. Iudam Apostolum non lego, nisi Iscariotem: sed Prophetam lego Act.15.v.32. 2. Potuit verti è Persica in Græcam.

De Apocalypsi.

Est Iohannis. Testes: Iustinus Martyr: Irenæus, Apollonius: Theophyl. Euseb. li.3.c.25. Item li.4.c.18. verba Iustini ex Dialogo citat. Item, de Irenæo, li.5.c.8. Item de Appollonio li.5.c.18. Item de Theophyl. li.4.c.24. Idem Euseb scribit sua ætate non fuisse dubitatum: sed ante à nonnullis. Origenes in Psal 1. teste etiam Eusebio li.6.c.25. Hieronymus in prologo.

Obiectiones contra Apocalypsin.

I. Ab autoritate antiquorum Patrum, qui non agnouerunt pro Iohannis Apostoli libro: horum nomina vide in prolegomenis Bezæ in Apocalyp.

Resp. 1. Alij plures & antiquiores Patres probarunt, & commentariis illustrarunt. 2. Rationes, quibus permoti illi reiecerunt librum, nullæ sunt.

II. Non habet grauitatem Apostolicam.

Resp. Est falsum vt liquet: plenus est sententiis Prophetarum: & res futuras prædicit.

III. Inculcat suum nomen præter Apostoli consuetudinem in euangelio

Resp. Aliud est scribere historiam, aliud Prophetiam. Ibi non est opus nominis autoris inculcatione, quia autoritas historiæ non pendet ab authore, sed à rebus. In Prophetia scribenda est opus: Sic Ieremias suum inculcat: sic Daniel: vt sciatur, per quos & quo ordine futura hæc prædicantur. 2. Octies tantum, ni fallor, repetitur.

IV. In Græcis exemplaribus est Iohannis Theologi.

R. Atque hic est titulus Iohannis euangelistæ, κατ' ἐξοχὴν enim sic vocatus est, quia nemo diuinitus disseruit de Deitate Christi.

V. Stylus diuersus à stylo euangelistæ & epistolarum.

Resp. Hoc postulabat argumentum ab illis diuersum. 2. Hic simpliciter dictata à Christo scripsit. Item verba Prophetarum, pura, dictata etiam a Christo, adiecit, nihil mutans.

VI. Fauere videtur Chiliastis.

Resp. Fallacia est ex ignoratione figuræ dictionis.

SEQVVNTVR REGVLAE QVAEDAM *Generales, ad demonstrandam tum autoritatem & perfectionem sacrarum Literarum, tum etiam veram earum intelligentiam, vnde ea sit petenda, & qua ratione acquirenda: ad diluenda Aduersariorum, inprimis verò Pontificiorum argumenta, apprimè vtiles & necessaria.*

I. Regvla.

Tres sunt gradus librorum, qui in volumine Biblico continentur. *Primus* continet eos, de quibus nunquam in ecclesia à piis doctisque & in scripturis exercitatis hominibus dubitatum fuit, quin essent θεόπνευστοι. Hi sunt etiam indubitatæ authoritatis.

Secundus continet eos, de quibus, non ab omnibus, neque semper, sed à multis & aliquando dubitatum fuit. Et horum quidam sunt, 1 de quorum dignitate, eóque de primatio autore Spiritu sancto non ita dubitatum: sed tantùm de secundariis, seu de scriptoribus, vti est epistola ad Hebræos. Item epistola Petri altera: Duæ Iohannis, & Apocalypsis. Quanquam etiam, de aliis horum minùs, de aliis magis dubitatum fuit. Nam de autore epistolæ alterius Petri, & de autore Apocalyp. minus dubitatum fuit, quàm de secunda Iohannis. 2. Alij sunt de quorum non solùm autoribus, sed etiam dignitate, primarióque autore dubitatum fuit ad tempus, vt epistola Iacobi & Iudæ: Sed tamen non ita multò post, & ipsi fuerunt agniti esse à Spiritu sancto.

Tertius continet eos, quos vetus ecclesia, eóque purior, semper pro adulterinis & Apocryphis habuit.

Distinctio hæc certa est, & ex Patribus sumta.

Exempla *primi* ordinis in veteri Testamento, vide apud Euseb. li.3.c.10. ex Iosepho.

In nouo Testamento, Euseb. li.3.c.25. Et hæc quidem scripta, pro indubitatis habentur, inquit Eusebius.

Exempli *secundi* generis, in veteri Testamento, nullus est. In nouo Euseb. li. 3. c. 25.

Quibus verò contradicitur, tametsi multis sint cognita, sunt hæc: Epistola Iacobi, Iudæ, & secunda Petri, secunda item & tertia Iohannis. De Apocalypsi subdit: Hanc nonnulli reprobant: alij verò certis & indubitatis scripturis adiudicant. Hæc sunt (inquit) quibus contradicitur. Verum non ait Eusebius, ab omnibus, imo ait, multis esse cognita.

Isti igitur multi, quibus cognita sunt, præferendi sunt illis, qui tantùm dubitabant: sicut præferenda scientia dubitationi.

Horum enim dubitatio, non tollit aliorum scientiam. Nam neque simpliciter illi negarunt, sed tantũ dubitarunt. Verè igitur dici potest, hos libros secundi ordinis, ab Ecclesia fuisse agnitos pro Canonicis: quia à paucis de eorum dignitate fuit dubitatum.

II. *Regula*. Scriptura sacra Canonica, perfectus est canon fidei, operum & Ceremoniarum in religione, omniúmque ad salutem necessariorum, ad quem omnia debẽt examinari. Ergo extra scripturam nihil tanquam vel creditu, vel obseruatu in religione necessarium, admittere debet Ecclesia Dei: Et contra nihil omittere eorum, quæ in scripturis vel credenda vel obseruanda traduntur, nisi per Christum abolita sint. Proinde, quæ vel vtrumque vel alterutrum facit, Ecclesia Christi ea in re non est.

Deut. 4. Non addetis ad verbum, nec minuetis ex eo. Idẽ c. 5. & 12. Si nihil addendum. Ergo perfecta. Si nihil adimẽdum: Ergo nihil habet superuacaneum.

Ps. 1. Beatus qui in lege Domini meditatur die & nocte: Erit sicut arbor plantata secus riuos aquarum, quæ fructum suum dat in tempore, & folium eius non decidit, & omne quod facit, prosperè cadet. Lex igitur Domini facit ad beatitudinem consequendam.

Prouerb 30. Omnis sermo Dei purgatus est, scutum iis, qui eo nituntur. Ne addas sermonibus eius, ne te redarguat, & mendax inueniaris. Is igitur sufficit aduersus omnes hostes, proinde ad salutem.

Ezech. 20. Dedi eis statuta mea, atque iudicia mea indicaui eis, in quibus homo, si ea fecerit, viuet. Item: In præceptis Patrum vestrorum nolite incedere, &c. In præceptis meis ambulate.

Matth. 22. Erratis nescientes scripturas. Primùm igitur causa omnium errorum in religione, est ignorantia scripturarum. Secundò, qui igitur tenent scripturas, errare non possunt, quatenus eas sequuntur.

2. Tim. 3. Literas S. didicisti, quæ possunt te sapientem reddere ad salutem. Sufficiunt igitur ad salutem.

Item, omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, &c. Sunt enim quatuor, necessaria in doctrina Ecclesiastica. 1. vt doceamus vera. 2. vt refellamus falsa. 3. vt instituamus ad virtutes, & vitam Christianam. 4. vt arguamus vitia, & malam vitam. Ad hæc sufficit sacra Scriptura. Sufficit igitur ad salutem.

1. Tim. 1 Denunties μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν.

1 Iohan. 1. Quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectauimus, & manus nostræ contrectarunt de sermone vitæ: hæc annunciamus vobis, vt & vos communionem habeatis nobiscum, & communio nostra sit cum patre, & cum Filio eius Iesu Christo. Scripta igitur Apostolorum sufficiunt nobis ad habendum cum illis communionem, & perfectum capiendum gaudium, id est, vitam æternam.

1. Cor. 11. In hoc (quòd sc. conueniatis non in melius, sed in deterius) non laudo vos: quasi dicat: laudo quidem vos in eo, quòd retineatis instituta mea (vt est in principio cap. 11.) sed in iis, (de quibus iam dixi) non laudo vos. Quare? Quoniam ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis: quasi dicat, quoniam hoc non tradidi vobis, neque etiam accepi à Domino.

1. Cor. 15. Tradidi vobis inprimis quod & accepi.

Gal. 1. Licèt nos aut Angelus euangelizauerit vobis præterquam quod euangelizatum est, anathema sit.

Ioh. 15. Si feceritis quod mando, non dicam vos seruos, sed amicos. Si quis igitur ea tantum doceat facienda, & ipse etiam curet ea facere, amicus est Christi.

Apoc. 22. Si quis adiecerit ad hæc, adiiciet illi Dominus plagas multas.

Contra hoc mandatum sæpius in sacris Literis inculcatum, fecerunt Iudæi, cùm aliàs, tum cùm introduxerunt, & à Romanis confirmari curarunt, vt vnus facinorosus dimitteretur in Paschate. In quem finem? vt esset testimoniũ & memoria, se etiã peccatores, liberatos fuisse ex Ægypto. Quasi verò Deus non satis prudenter instituerit, quibus rebus deberent memoriam suæ liberationis excitare, esu scilicet agni Paschalis, & aliis quæ in festo Paschæ ex instituto Domini fiebant. Fuit autem hęc traditio, & consuetudo contra mandatum Dei in eo etiam, quia Dominus nolebat, vt cuiquam facinoroso parceretur. Deut. 19. Exod. 23. Prouerb. 17. Qui impium absoluit, & qui condemnat iustum, vterque abominatio est coram Domino.

1 Reg. 20. Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima illius.

III. *Regula*. Tametsi S. Scriptura per se satis est clara: tamen expositionem piam & religiosam non recusat: imò addit ornamẽtum verbo Dei, & auditori fructum adfert. Exponendæ igitur sunt sacræ Scripturæ. Patet hoc.

Deus legem suam datam in monte Sina ad totam Israëlis Ecclesiam, exponit ipse Ecclesiæ per Mosen, quippe qui nobis Deuteronomium & alios quosdam libros, seu diuinæ legis Commentarios reliquit.

Prophetæ quid suis concionibus faciebant? Legem Mosis interpretabantur, suis temporibus & hominibus applicantes illum, & sermones suos veluti enarrationes diuinæ legis scriptas reliquerunt posteris.

Neh. 8. Attulit sacerdos Esdra legem librum Mosis, & stetit super turriculam ligneam, nimirum in S. Cathedra, & aperuit Esdra librum coram Ecclesia, & legerunt in libro legis Dei luculenter, explicantes sensum & erudientes inter legendum. Ecce, quòd non tantum legerunt Leuitæ, sed etiam exposuerunt legem Dei.

Christus ipse ingressus Synagogam Nazarethanam, exposuit locum illum Ies. 61. Spiritus Domini super me, &c. Luc. 4

Luc. 24. Incipiens à Mose & à Prophetis, interpretabatur illis scripturas.

Actor. 2. Petrus interpretabatur Psalmum 16. de Christo resurgente, & alibi alias scripturas

Actor. 8. Philippus interpretatur vaticinium Iesaiæ, *Tanquam ouis ad occisionem*, &c. Eunucho illi, atque ea interpretatione illum ad fidem Christi conuertit

Paulus Apostolus semper interpretatur scripturas in suis Epistolis. Exponendæ igitur sunt scripturæ, & applicandæ locis, temporibus nostris, prout res postulat.

IV. *Regula*. Tametsi verò sunt interpretandæ, non sunt tamen corrumpendæ, nostris interpretationibus scripturæ, sicut faciebant Doctores populi apud Ezechielem, contra quos ait Dominus ezech. 18. An leue vobis est, quòd pascua bona depascitis, nisi residua pascuorum vestrorum pedibus vestris conculcetis? & bibentes limpidiores aquas, residuas pedibus vestris conturbetis? & oues meæ conculcatum pedibus depascunt, & conturbatum pedibus vestris bibunt. Igitur adhibendus est modus interpretandis scripturis, qui modus in his 7. consistit.

1. Illa quæ ita clara sunt per sese, vt interpretationem non requirant, sicuti multa sunt, non debemus peregrinis nostris interpretationibus obscurare, sed ita clara vt sunt, populo proponere. Est enim hoc vel Solem exorientem, tædis adiuuare, quò ibi clarius illucescat, vel potius obscurare, sicut multi Sophistæ fecerunt.

2. Illa vero, quę ita posita sunt, vt nostram expositionem requirant, non debemus pro nostro arbitrio interpretari, sed pro eius ingenio & sensu, qui scripturas reuelauit. Sic enim ait 2. Petr. 1. Omnis prophetica scriptura non est priuatæ interpretationis. Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed à Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Igitur sensus sacræ scripturæ, siue verbi Dei, ex ipsa Scriptura sacra petendus est. non autem ex nostro arbitrio inferendus in ipsas scripturas. Vt autem hoc commodius fiat, obseruandę sunt etiam hæ regulæ quæ sequuntur.

3. Expositio scripturæ, non aduersetur articulis fidei Ratio prima. Paulus vult Prophetiam respondere analogiæ fidei, Rom. 12. Prophetia vero est interpretatio scripturę. Ratio secunda, 2. Corinth. 4 Habentes ergo eundem spiritum fidei, sicut scriptum est, Credidi, propter quod locutus sum, & nos credimus, quapropter & loquimur. ergo nihil est loquendum, dicendum, nisi iuxta regulam fidei, quę in symbolo Apostolorum, & aliis antiquissimis continetur symbolis. Verbi gratia. Iohan. 14. Pater maior me est Primo spectandus est articulus fidei in symbolo, qui ait de Christo, Filius Dei, nempe consubstantialis. ergo non est minor Patre, quod ad Diuinitatem, & substantiam attinet. Aliud igitur intelligit Christus, quàm verba ipsa prima fronte offerant, & quam Ariani ęxponant. Tunc quærendus est sensus verus. Ita de illo, Hoc est corpus meum. Primò credimus, Christum esse in cœlis, ergo non est in pane. Hinc facilè eruendus verus horum verborum sensus.

4. Expositio non repugnet charitati Dei & proximi. Ratio: Summa enim scripturæ in iis duobus præceptis continetur: Diliges Dominum Deum tuum, &c. & proximum sicut teipsum. Mat. 22. In iis duobus mandatis, pendet lex & Prophetæ. Ideo Augustinus de doctrina Christiana, li. 1. c. 36.

Quisquis scripturas diuinas, vel quamlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ita vt eo intellectu non ædificet istam geminam charitatem Dei & proximi, nondum intellexit. Quisquis verò inde talem sententiam duxerit, vt huic ædificandæ charitati sit vtilis: nec tamen hoc dixerit, quod ille, quem legit, eo loco sensisse probatur: non perniciosè fallitur, nec omnino mentitur.

Ergo cauendum, ne nostra interpretatio charitatem lædat. Verbi gratia. Ne resistatis malo, si etiam Magistratui hæc dicta esse interpretemur, lædimus charitatem proximi, salutem periclitantium, offensorum defensionem. Tunc enim latrones contumeliosi oppriment viduas, pupillos, &c. & regnabit omnis iniquitas.

5. Expositio excutiat præcedentia & consequentia, & omnes circumstantias. 1. expendendum qua occasione quid dicatur, quid præcedat, quid sequatur, quo tempore aut modo, aut de qua persona aliquid dictum sit. Verbi gratia. Rom. 4. & Galat. 3. Paulus obseruauit circumstantiam temporis, quando scilicet Abrahæ facta fuerit promissio, & ipse crediderit: & tunc conclusit, neque circumcisione, neque lege fuisse iustificatum. Item Petro dicitur Luc. 22. Conuerte gladium in vaginam. Consideranda est persona, cui dicitur, Qui gladio ferit, gladio peribit. Erat priuata persona, non Magistratus. Ergo locus iste non est interpretandus de Magistratu.

6. Expositio fiat per collationem aliorum locorum scripturæ: obscuriores, per clariores: pauciores, per plures sunt exponendi. Verbi gratia. Iohan. 14. Pater maior me est, cogitandum, quod alibi dictum, Ego & Pater vnum sumus.

Iacobi 2. Abraham pater ille noster, nónne ex operibus iustificatus est, cùm obtulisset filium suum Isaac super altare? Cogitandum, quod Paulus sæpe dixit, Abrahamum ex fide, sine operibus iustificatum esse. Idem etiam Iacobus ipse. Hanc interpretandi rationem approbat Petrus, 2. epist. cap. 1 dicendo: Et habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui rectè facitis quod attendatis, velut lucernæ splendenti in obscuro loco, donec dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus vestris.

Item Tertullianus ait, Hæreticos consueuisse quædam ex scripturis ad suam sententiam decerpere, non intueri cætera.

7. Expositio fiat ex pectore religioso, & cum orationibus: sit animus interpretis, gloriæ Dei, & salutis proximi amans, non ambitiosus, non prauis corruptus affectibus: ardeat studio prouehendi virtutes, & odio scelerum omnium: ne admittat prudentiam humanam in consilium, aut sophisticam, oret autem Deum, vt Spiritum sanctum sibi det, quò possit interpretari iuxta genuinum sensum ipsius Dei. Nam ab vno quouis fideli interprete, cui hoc curæ est, ne verbum Dei adulteretur aut corrumpatur, hæc tria requiruntur. 1. Rectus Dei Zelus. 2. Vt meminerit se negotium Dei agere: ideo nil proferendum, nisi quod est ex Deo. 3. Vt cogitet, nil nisi spectatore Deo se agere, vt omnia ad eius iudicium referat.

Hæc tria Paulus habet 2. Corinth. 2. dicendo: Non sumus sicut multi adulterantes verbum Dei: sed tanquam ex sinceritate, tanquam ex Deo, in conspectu Dei, de Christo loquimur.

Summa. Ad veram scripturarum intelligentiam consequendam, tria pernecessaria sunt.

Primò, Animus humilis atque docilis, hoc est vt in hanc scholam Spiritus S. ingrediamur animo ab omni superbia suique fiducia, atque ab omnibus præiudiciis vacuo: & vt quæ Spiritus Sanctus docet, discamus, non autem, vt dictis aliquot ipsius præceptoris, ad nostra abutamur somnia.

Deinde, diligens scripturarum inter se collatio, & ad regulam fidei examinatio. Sunt enim scripturæ per scripturas interpretandæ, ita vt nullum admittamus sensum, qui cum aliis scripturis, & cum principiis fidei non sit consentaneus.

Postremò in scripturis semper quæramus Christum, eiusque gloriam tanquam scopum & finem scripturarum omnium. Qui enim habet Filium, habet & Patrem, & vtriusque Spiritum. Qui secus fecerit, is in multos labatur errores, necesse est, quia nunquam intelliget scripturas. Et sic videmus vsu venisse omnibus hæreticis. Vnde enim tanta scripturarum ignoratio, & deinde tot errores & blasphemiæ in Mundo, quam ex hoc fonte & orti sunt, & aucti in immensum? nempe, quod aut scripturas non legerunt, aut si legant, primùm non adferunt animum docilem: nec conferunt scripturas cum scripturis: nec denique quærunt Christum, & gloriam eius, sed potius scripturis abutuntur, contra Christum. Ne igitur id ipsum etiam nobis vsu veniat, danda nobis est opera, vt contra quàm isti faciunt, nos geramus, atque in primis, vt adferamus animum humilem, docilem, Christi amantem, gloriæ illius cupidum, & veritatis sitientem.

V. *Regula.* Ius interpretandi scripturas, non est penes solũ Pontificem Romanum, aut Concilia ab ipso congregata: sed penes totam Ecclesiam, & eos imprimis, quib. datum est hoc donum. 1. Corin. 12. Alij datur interpretatio sermonum. Alij Prophetia, hoc est (vt Ambrosius interpretatur) donum interpretandi scripturas. Rom 12. Habentes autem diuersa dona, pro gratia, quæ nobis data est, siue prophetiam (prophetemus) secundum analogiam fidei. Num. 11 Vtinam vniuersus populus Iehouæ Prophetæ essent, & daret Iehoua spiritum suum super eos.

Iud. 4. Debbora mulier excitatur in Prophetam.

Amos 7. Non sum Propheta, neque filius Prophetæ: & tamen datum est donum prophetandi & interpretandi Mosen.

1. Thess. 5. Omnia probate, quod bonum est, tenete. Scribit autem ad totam Ecclesiam.

1 Ioh. 4. Nolite omni Spiritui credere, sed probate spiritus vtrum ex Deo sint. Ad omnes fideles scribit. Iudicium igitur de scripturis, & de doctrinis, non est penes vnum Pontificem Romanum: sed penes illos in Ecclesia, qui hoc donum acceperunt.

Nam in interpretatione scripturæ Papa Romanus non tantum errare potest: sed etiam sæpe errauit: siquidem multa scripturarum loca partim impiè, partim ineptè explicauit.

1. Corinth 3 Quòd si quis superædificet super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, cuiusque opus manifestum fiet. Dies enim declarabit. Nam per ignem reuelabitur, & cuiusque opus quale sit, ignis probabit: Papa Gregorius & alij exponunt de peccatis venialibus fidelium & de igne purgatorio. Secus tamen Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus. Vide in suis locis.

Rom. 8. Qui in carne sunt, Deo placere non possunt: Siricius Papa Tom. 1. Concil. interpretatur de illis, qui sunt in matrimonio.

1. Corint. 7 Ne fraudetis vos inuicem, nisi si quid ex consensu ad tempus, vt vacetis ieiunio & precationi: Siricius Papa Tom. 1. Concil. inter decreta Siricij, hoc loco abutitur, imo corrumpit dicendo. Præterea quod dignum, & pudicum, & honestum est, suademus, vt Sacerdotes & Leuitæ cum vxoribus non coeant, quia in Ministerio Ministri quotidianis necessitatibus occupantur. Ad Corinthios namque Apostolus scribens, ait: Abstinete, vt vacetis orationi. Si igitur Laicis abstinentia imperatur, vt possint deprecantes audiri: quantò magis Sacerdos vtique omni momento paratus esse debet, mundiciæ puritate securus, ne aut sacrificium offerat, &c. qui si contaminatus est carnali concupiscentia, quid faciet?

Primò falsum est, quod ait, à Paulo imperari abstinentiam à congressu cum vxoribus: imo apertè contrarium demonstrat Apostolus. *Hoc autem dico* (inquit) κατὰ συγγνώμην, οὐ κατ᾽ ἐπιταγήν.

Secundò, falsum quod ait, ideo hanc præcipi Laicis, vt possint deprecantes audiri: quasi vero Coniuges non possint exaudiri, nisi abstineant à coitu.

Tertiò, quod infert, sacerdoti non licere ministrare sacris, nisi abstineat ab vxore, damnatum fuit in Concilio Niceno: quod congressus legitimus coniugum, castitas sit, non immundicia.

Item in Concilio Gangrensi ca. 4. damnatur, qui coniugem Sacerdotem discernit, tanquam propter nuptias offerre non debeat.

Tit. 1. *Omnia munda mundis: coinquinatis autem omnia sunt immunda*: Siricius Papa Tomo 1 Concil. inter decreta Siricij, cap. 7. sic interpretatur: Quæcunque administrant Sacerdotes in Ecclesia, immunda esse, nisi abstineant à congressu vxorum, quod ille congressus faciat illos immundos.

1. Corinth. 7. *Propter fornicationem, quisque habeat suam vxorem, &c.* Gregorius Papa primus in Moralibus parte 6. lib. 32. cap. 55. & 56. & citatur in Decre. dist. 13. ait hic Apostolum concessisse minimum peccatum, vt euitentur

maiora, id eſt, matrimonium, vt euitetur fornicatio, & adulterium.

Concilia etiam errare poſſunt, & multa errarunt: quoties ſc. à verbo Dei deflexerunt.

Epheſina ſecunda Synodus, Eutychetis errorem probauit, eúmque abſoluit, quem poſtea Chalcedonenſis damnauit. Fuit autem illa Synodus conuocata, legitima, ſicut & Nicena, per Imperatorem. Aderant legati Romanæ etiam Eccleſiæ. Præerat, ſuo iure, Antiochenus Epiſcopus.

Chalcedonenſis reprehenditur à Leone Epiſcopo Romano, quod locum ſecundum dederint Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, poſtpoſita Alexandrina, decretúmque Concilij Niceni reſciderint. Conſtantinopolitana ſeptima, quæ ſub Irene fuit, imagines earumque cultum probat, quas tamen & quem damnarat Conſtantinopolitana, quæ ſub Leone coacta fuerat.

VI. *Regula*. Patrum ſcripta, ad verbum Dei ſunt examinanda, & quatenus ei ſunt conformia, recipienda ſunt: quatenus non conformia, reſpuenda. Auguſtinus Tom. 7. contra Creſconium Grammaticum, lib. 2. cap. 32. nitentem authoritate Epiſtolæ Cypriani, ait: Ego huius Epiſtolæ authoritate non teneor: quia literas Cypriani, non vt Canonicas habeo, ſed eas ex Canonicis conſidero: & quod in eis diuinarum ſcripturarum authoritati congruit, cum laude eius accipio: quod autem non congruit, cum pace eius reſpuo. Nam etiam Patres quædam ſcripturarum loca ineptè ſunt interpretati.

1. Cor. 7. Quòd ſi nupſerit virgo, non peccauit, &c.

Theophylactus excipit virgines Deo dicatas, & ait illas peccare, ſi nubant, quia nuptæ ſunt Chriſto. Ideo adulterium committunt, ſi nubant viris. Sic etiam Romani Pontifices exponunt. Quaſi verò non omnes Chriſtiani ſint Sponſæ, nuptæ Chriſto, vt ait idem Apoſtolus. Et ſpirituale illud connubium cum Chriſto, non maculatur connubio corporali cum viris. Apoſtolus etiam oſtendit, ſe loqui de omnibus virginibus promiſcuè, cùm ait: De virginibus autem præceptum Domini non habeo. De omni igitur virgine etiam loquitur, cùm ait: Quòd ſi nupſerit virgo, non peccauit. Et Cyprianus ad Pomp. lib. 1. cap. 11. iubet virgines Deo dicatas, ſi non velint aut non poſſint ſe continere, viris nubere. Melius enim eſſe vt nubant, quàm vt in ignem ſuis deliciis cadant.

1. Corinth. 7. Qui habent vxores, ſint tanquam non habentes, &c. Hieronymus ita interpretatur, quod Apoſtolus hortetur coniuges ad continentiam: ſint tanquam non habentes, id eſt, ne illis vtantur, ſed ab eis abſtineant. Quid igitur eſt, quod Apoſtolus ſuprà iuſſit, dicendo: Vir debitam reuerentiam exhibeat vxori, & vxor viro? Non eſt autem contrarius ſibi Apoſtolus. Non igitur hic hortatur ad continentiam ab vſu vxoris.

Ambroſius melius: non debere Chriſtianum ad generandum eſſe ſolicitum, neque ad ipſum vſum debitum. Iuxta Ambroſium igitur Paulus non dehortatur à generatione & vſu vxoris: ſed tantùm docet, non debere Chriſtianum hominem plus æquo propenſum eſſe ad vxoris vſum, & ad generandum. Quare non abſtinentiam, ſed temperatum vxoris vſum requirit à viro Chriſtiano. Verus autem ſenſus eſt, non debere hominem corde & amore nimium affici erga vxorem, ita vt ille nimius amor impedimento illi ſit, ne Chriſtum conſtanter in tribulatione & perſecutionibus confiteatur & ſequatur.

1. Corinth. 9. An non habemus poteſtatem circumducendi ἀδελφὴν γυναῖκα [illegible] id eſt, ſororem in Chriſto, Chriſtianam. γυναῖκα vxorem: γυνὴ enim vxorem ſignificat 1 Corin. 7. Hieronymus interpretatur de quibuſdam matronis opulentis, quas Apoſtoli circumducebant, vt ab eis ſibi victus ſuppeditaretur. Paulum verò noluiſſe vti hoc iure, cum poſſet: & hoc totum facit, vt concludat, Apoſtolus non habuiſſe vxores.

Hæc expoſitio pugnat cum verbis Apoſtoli: item cum hiſtoriis, & Patribus vetuſtioribus, Hieronymo, Ignatio ſcilicet & Clemente, & Euſebio Cæſar. Vide Muſculum in locis Communibus pag. 263. ex profeſſo hoc argumentum tractantem.

FINIS.

VLYSSI MARTINENGO

COMITI BARCHENSI,

HIER. ZANCHIVS,

GRATIAM ET PACEM.

QVÆ & qualis, quantáque sit nostro hoc seculo, generose Comes, in toto orbe Christiano, cùm rerum fermè omnium, tum maximè Ecclesiasticarum, déque religione, confusio ac perturbatio: nemo est hominum, qui non videat: nemo bonus, qui non etiam doleat: nemo denique pius, qui non summa cum admiratione diuinorum iudiciorum, tantam quoque defleat Ecclesiæ calamitatem.

Magna quidem veritatis lux nostra hac ætate, per aliquot fidos Christi seruos, singulari Dei beneficio, è sacris literis hausta, & longè latéque diffusa, ceu Sol è Cœlo nobis affulsit: sed quot obsecro mox, qualésque errorum nebulæ, quàm multæ & atræ hæresium nubes, per non paucos nebulones, diabolíque administros, ex infernali abysso, ad tenebras huic diuinæ luci offundendas, excitatæ, collectæque fuerunt?

De tyrannis nunc taceo: qui omnia sua arma, omnem suam potentiam, omnésque suorum principatuum vires in hoc exeruerunt semper, atque etiamnum exerunt & intendunt: vt lucernis omnibus, testaceis quidem illis, fatemur, in quibus aliquid adhuc huiusce lucis restat atque splendet, ferro confractis, funditúsque deletis, totum hoc (si autori placet) diuinæ sapientiæ lumen opprimatur, penitúsque extinguatur: Et in huius locum, infernales tenebræ ab orco reuocatæ, succedant passimque omnia occupent.

Quid nostris miseris temporibus, huius rei caussa actum & gestum sit: quot qualésve infinitorum hominum cædes, multis in locis perpetratæ, in aliis verò pluribus, non semel tentatæ fuerint: in recenti habemus memoria omnes. Quid verò nuper Diabolus, & per quos, in istis vestris vallibus molitus sit, quanquam Deo vos protegente, cædes illa non successerit impiis ex sententia, tu ipse melius nosti, quàm nos. Quid nunc etiã Satã mille artifex, eundem in finẽ perpetuò machinetur: quæ consilia agitet: quas insidias meditetur: quę arma pręparet: quę bella coquat aduersus pios Principes ac Magistratus, qui lucem hãc cælestẽ in suis ditionibus splendescere volunt, inque totum terrarum orbem, pulsis tenebris, longè latéque effundendam curant: nouit ille Dominus, qui habitat in cœlis, quique iniqua impiorum consilia, pro sua erga nos incredibili beneuolentia, cùm Ecclesiæ expedit, & cùm tyranni nihil minùs, quam suorum diu diligentérque coctorum consiliorum frustrationem expectant, dissipare & ceu inanes nubes miris modis disiicere solet.

Testes sunto Pharaones: Senacheribi: Amani: Antiochi: Iuliani: Valentes: & alij non absimiles hostes Ecclesiæ. Stat enim promissio, Portæ inferorum non præualebunt aduersus eam. Sed, vt omissis tyrannis, ad miseræ diuulsum Christianæ Reipub. corpus reuertamur: quis est obsecro, nisi omnis prorsus pietatis expers, qui spectata tali tantáque huiusce corporis, eorum nimirum omnium, qui Christum vt verum Deum, verum hominem, vnicúmque mundi redemtorem profitentur & inuocant, diuersas in partes dilaceratione, diuersis diuersos errores, & aliis quidem plures ac grauiores, aliis pauciores & leuiores, pertinaciter defendentibus: atque hanc ob caussam, aliis alios plus quàm Vatiniano odio prosequentibus, & sæuitia plusquam Neroniana persequentibus, atque ita sese mutuò perdentibus: quotus inquam quisque est, qui hęc spectans, qui hæc audiens, qui hæc in animo voluens, summo dolore non afficiatur, non ingemiscat, non lugeat, lachrimas non profundat? Romana Ecclesia fuit olim, & ab antiquis temporibus, propter summum suæ pietatis, cœlestis doctrinæ, diuini cultus, Christianæ disciplinæ, constantiæ in fide, aduersus omnes hæreticos, splendorem, celeberrima: ac sicut Sol in cœlo omnibus stellis, sic illa omnibus in terra Ecclesiis, suo illo eximiæ pietatis Christianæ exemplo præluxit: atque ita præluxit, vt mater omnium Ecclesiarum non prorsus immeritò, passim fuerit appellata: sed in quales porrò, quantásque tenebras, iusto Dei iudicio, quasi è cœlo deturbata, proiecta fuit & in illis etiamnum sepulta iacet? Qui in tanta Euangelij luce hoc non videt, is talpa cæcior est. Neque est res noua: quando idem Ecclesię primum Israeliticæ: deinde Christianis in Oriente, totáque Græcia contigisse videmus. Quanquam nescio quo singulari Dei beneficio, hoc adhuc boni in Romana Ecclesia seruari nemo non videt, nisi qui videre non vult: quòd nimirum, sicut semper, sic nunc etiam constans & firma in vera de Deo, déque persona Domini nostri Iesu Christi doctrina persistit: & baptizat in nomine Patris, & Filij, & Sp. sancti: Christúmque agnoscit & prædicat pro vnico mundi redemtore, futuróque viuorum & mortuorum iudice: qui veros fideles secum in æternam vitam recepturus, incredulos autem & impios in æternum ignem cum Diabolo & Angelis eius eiecturus sit: quæ caussa est, cur Ecclesiam hanc, pro Ecclesia Christi etiamnum agnoscam: sed quali? quali, & ab Osea aliisque Prophetis, Ecclesia Israelis sub Ieroboamo, & deinceps fuisse describitur: nunquam enim resipuit à suis fornicationibus. Atque hæc de Ecclesia Romana.

De illis verò Ecclesiis, vt dicam, quæ à Romana in rebus illis, in quibus illa ab Apostolis variat

fecerat, tandem propter illius pertinaciam atque tyrannidem coactæ fuerunt deficere: quàm horrendæ hæreses in illarum nonnullis, per ministros Satanæ ex inferis reuocatæ fuerunt? Anabaptismus, Libertinismus, Ananismus, Samosatenismus, Marcionismus, Eutychianismus, Nestorianismus, & quæ non? imò, & atheismus, proh dolor, grassatur. Restiterunt quidem his omnibus fidi ministri Christi, & multis in locis has Diabolicas doctrinas represserunt, suásque Ecclesias ex sincera Euangelij doctrina reformatas, ab his pestibus immunes seruarunt, & Dei beneficio adhuc seruant, ita vt cum talibus sectis nulla nobis intercedat amicitia: interim tamen zizania hæc non possunt penitus vbique extirpari. Grassantur adhuc passim multæ pestes: & multi mali spiritus subinde veniunt in mundum. Quid igitur Christiano homini, cui cordi est gloria Dei, salus animi sui, & proximi sui, bonúmque in Ecclesia nomen (neque enim res est de nihilo, agnosci & haberi in Ecclesia Catholica, pro vero Christi membro:) quid inquam homini Christiano in tanta rerum confusione, opinionum dissensione, hæresium multitudine, religionum varietate, faciendum fuerit? Simili, si potero, explicabo sententiam meam, cum sacris literis consentaneam.

Si numerosissimus & simul etiam potentissimus hostium exercitus, ita in aliqua grassetur regione, omniáque depopuletur, vt inde citò facilè pelli non possit: quid illius regionis populo, vt suæ suorúmque liberorum saluti consulat, faciendum fuerit?

Primùm, confugiendum est in vrbes munitas, ibique permanendum, donec beneficio Dei tota regio hostibus liberetur. Deinde statim, ne obsessi, aut fame perire, aut sese hosti tandem dedere cogantur, de commeatu, quàm fieri potest copiosissimè omnino prospiciendum est. Quia verò, nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam: idcirco ardentibus precibus toti populo inuocandus est Dominus, idque quotidie, vt nobis adsit, tueatur, seruet. Ad hęc curandum est, vt omnes ciues fraternam inter se fidem, dilectionem, pacem, concordiam constanter colant: quando omne regnum, vt dicere solebat Dominus Iesus, in seipsum diuisum desolatur: Et testibus etiam Ethnicis, Cōcordia res paruæ crescunt: discordia autem res magnæ dilabuntur. Neque negligenda est valetudo, qua ciues, quoad eius fieri potest, incolumes & viribus præditi, ad Reipub. vtilitatem, ac conseruationem, seruentur. Ægroti enim & malè valentes, in tali pręsertim tempore, parum prodesse possunt Reipub. imò sæpe oneri sunt & impedimento: tantum abest, vt contra hostem pugnare valeant. Omnes ergo, suam quisque valetudinem curent, necesse est. Adhæc diligenti vigilantia opus est: ne hostes aut vi repentina, aut ex insidiis, & per cuniculos, in vrbem penetrent, nósque incautos & imparatos adoriantur: hinc excubiæ. Sed quomodo vigilari potest sine sobrietate? Crapula enim & ebrietate somnus excitatur grauis: ita vt vigiliæ locus esse non possit. Ergo ne vino somnóque sepulti, ab hostibus opprimamur, sobrietate opus est. Quid verò magis necessarium, quàm tenere semper arma, quibus & ipsi tecti tutique ab hostium iaculis esse possimus: & hostem ipsum ferire ac propulsare valeamus? Ergo præter fortes vrbis muros, benéque munita mœnia, ciues etiam ipsos in armis semper esse oportet. Nihil verò pestilentius, & Reipub. perniciosius contingere potest: quàm si in vrbe, præsertim tempore belli, habeat hostium amicos, qui cum illis reipsa colludant, vtut cum ciuibus amicitiam, inque rebus omnibus consensionem, verbis simulent ac profiteantur: homines nimirum perfidi ac proditores. Ergo id cumprimis danda est opera: vt diligenter inquiratur: quinam in vrbe sint: quid agant: quam vitam viuant, & vnde viuant: ac si qui reperiantur exorbitare à communi ciuium professione, vita, moribus: ij notentur, examinentur, corrigantur, plectantur, vrbe pellantur. Vt verò nihil est, quod, & maiorem infamiæ notam ciuibus inurere, & eosdem grauiore supplicio dignos efficere possit, quàm si hostium vel pollicitationibus & largitionibus pellecti, patriam prodant: vel etiam comminationibus perterriti, à suo Principe deficientes, turpiter se dedant: Sic contra nihil est honorificentius, nihilque vtilius, & maiore cum laude, tum præmio dignius, quàm si seruata fide patriæ ac Principi tuo, cum publica huius fidei professione, constanter ad mortem vsque, pro aris & focis pugnare pergas. Constantia igitur in fide Reipub. vel Principi tuo data, publicáque eius fidei vsque ad mortem professione opus est.

Vrbes munitæ, mihi sunt, Ecclesiæ illæ, quæ super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, olim ædificatæ, & postmodum ex Euangelio etiam instauratæ, veréque reformatæ: fundamenta Apostolicæ doctrinæ, cum sacris literis firma retinent: eáque secundùm orthodoxas veterum Patrum interpretationes intelligunt & explicant. Fundamenta hæc solita semper fuit Ecclesia complecti illa doctrinæ formula, quam vocant Catechismum: in quo inprimis continentur symbolum Apostolorum, oratio Dominica, & Decalogus. Symbolum, & quid nobis credendum, & in quem tota salutis fiducia sit collocanda, breuiter ostendit. Oratio Dominica, & quis nobis inuocandus, & quæ petenda sunt, & verò etiam quibus de caussis, tum solus Deus à nobis inuocetur, tum omnia quæ petimus, ab eo solo petere debeamus luculenter docet: quia nimirum ipsius solius est regnum, potentia & gloria: qua particula, fiducia ad petendum accenditur. Decalogus, quomodo agendum cum Deo, quóue cultu ille à nobis sit colendus: quomodo item cum proximo viuendum: nobis verò ipsis, hoc est, nostræ concupiscentiæ: quomodo moriendum, ea nimirum omnia, quæ contra legem Dei appetit, illi semper denegando, non minus perspicuè, quàm breuiter præscribit. His tribus Catechismi partibus, illisque præcipuis, accedit quarta doctrina de Sacramentis: quæ nomine Baptismi συνεκδοχικῶς, in magno (vt vocant) Symbolo, significatur. Hæc omnia è sacris literis summatim collecta, & in breue compendium redacta: totius Christianæ religionis fundamenta, cum tota veteri Ecclesia appellare non dubitamus. Quia verò hæretici, cùm hæc fundamenta simpliciter negare non auderent, ea plerunque falsis interpretationibus, ad suas hæreses detorserunt, & adhuc detorquere solent: idcirco vt veræ Ecclesię ab hæreticorum conuenticulis discerni queant: capita illa doctrinę non alio sensu, quàm quo & vetus Ecclesia consentaneè cum sacris literis, ex communi consensione

in Con-

in Conciliis præsertim probatissimis, explicauit, intelligenda & explicanda nobis sunt.

Quid enim (vt aliquid exempli causa dicam) firmius, certius, clariusque ad articulum in symbolo de persona Christi, dici potuit aut potest, quam quæ in Synodo Nicen. Constant. Ephes. Chalced. adde & V. & VI. à piis Patribus contra Arium, Samosatenum, Apollinarem, Nestorium, Eutychen, Monotheletas, è sacris literis definita fuerunt? Quicunque ergo de persona Christi, diuersa à Conciliorum illorum definitionibus docent: ij certè fundamentum hoc præcipuum Christianæ religionis, rectè non tenent.

De gratia porrò & beneficio Christi, cuius initium est æternus erga nos amor, gratuitáque ad redemptionis æternæque salutis participationem, electio: progressus autem est ipsius redemptionis, semel in cruce peractæ gratuita dispensatio, efficax vocatio, iustificatio, sanctificatio, perseuerantiæ donum in fide: finis verò ipsa gloriosa resurrectio, & vita æterna: De hoc igitur altero præcipuo Christianæ religionis fundamento, quid clarius, quid certius & copiosius dici potuit: quam quæ in Conciliis Africanis, Mileuitano, Arausicano, & aliis contra Pelagianos, è sacris literis definita, & ab Augustino, vt de aliis taceamus, multis libris, contra eosdem Pelagianos, disputata & conscripta fuerunt?

De sancta Ecclesia Catholica, quid scitu necessarium est, quod ab Augustino cum alibi, tum præsertim in libris contra Donatistas, ex fundamentis sacrarum literarum, copiosè simul & dilucidè explicatum non fuerit? Plurimum autem refert, scire quæ sit & vbi sit vera Christi Ecclesia: cùm extra Ecclesiam nulla sit salus: ac proinde articulus est fidei Christianæ non postremus.

De re etiam sacramentaria, si quis simplici veritate velit esse contentus: quid illa doctrina clarius, quam veteres Patres, Iustinus, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, & inprimis Augustinus, è sacris literis tradiderunt, scriptámque nobis reliquerunt? Vnus dicit: Quemadmodum per verbum Dei, caro factus Iesus Christus, carnem & sanguinem habuit: Sic etiam per verbum precationis, & gratiarum actionis, sacratam ab ipso alimoniam, illius incarnati Iesu carnem & sanguinem esse didicimus: (nempe iuxta illa verba Christi, Hoc est corpus meum:) Atqui Christus, id est, λόγος factus est caro, sine vlla sui in carnem mutatione, sed tantummodo per vnionem hypostaticam: Ergo neque panis factus est corpus Christi, per vllam sui in illud transsubstantiationem, sed per solam vnionem: non physicam quidem illam, nec hypostaticam, sed duntaxat sacramentalem: Item ait, ex illa alimonia panis nimirum benedicti, sanguinem & carnes nostras, per quandam mutationem (sui scilicet in CHRISTVM) nutriri: ἐξ ἧς (τροφῆς) αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν. Ergo μεταβολὴ, quæ fit in Cœna, non est panis in corpus Christi, vt quidam malè interpretati sunt, neque Christi in nos, sed nostri in Christum, propter insitionem: vt etiam Christus dixisse legitur Augustino, de sumtione Eucharistiæ loquens, Ego non mutabor in te, sed tu mutaberis in me. Idem ait: Ad quod (alimentum Eucharistiæ) nemo admittitur, nisi qui credit, veram esse nostram doctrinam, ablutus regenerationis lauacro in remissionem peccatorum, & sic viuens, vt Christus docuit. Ergo ad cœnam non sunt admittendi, aut infideles & hæretici: aut qui baptismum Christi nondum acceperunt: aut qui ita in manifestis viuunt peccatis, vt nullam Ecclesiæ dent suæ resipiscentiæ significationem.

Alius ait Eucharistiam constare ex duabus rebus, terrena & cœlesti. Panem, licet sanctificatum, rem tamen terrenam vocat: quid ita? quia & è terra est, & in terris existit, & terreno ore editur: Corpus autem Christi, rem cœlestem, non quod eius substantia sit è cœlo, sed partim quia in vnitatem personæ Verbi assumtum est, partim quia in cœlo est qualitatibus cœlestibus præditum. Etsi enim hypostasi, quæ est ipsum VERBVM, vbique est: sua tamen propria οὐσία, in cœlo tantùm est, non in terra. Ex quo etiam sequitur, illud non edi, aut à terrenis hominibus, aut terreni corporis dentibus: sed ab illis tantummodo, qui nati ἄνωθεν, cœlestis hominis imaginem gestant, modóque cœlesti, mente nimirum ac spiritu edunt. Et tamen ipsa quoque fidelium corpora, dum solam rem terrenam edunt, ipsa etiam re cœlesti ad gloriosam sui resurrectionem participant, & ab ea aluntur: vt ipse idem autor ibidem disertè explicat.

Credo te C.V. ex iis, quæ de quatuor præcipuis membris doctrinæ Christianæ, ex symbolo dixi: quid de toto corpore concludendum sit, facilè quæ tua est pietas, eruditio, prudentia intelligere posse. Summa hæc est: illas esse veras Christi Ecclesias, eásque regni Christi verè munitas vrbes à nobis appellari: quæ generatim quidem sacras literas, speciatim verò receptum vbique Catechismum profitentes: ita veterem Ecclesiam, veteréisque Patres venerantur, itáque cum illis in Cœlo degentibus amicitiam colunt, & communionem habent: vt neque in dogmatibus, neque etiam in sacrarum literarum interpretationibus, facilè ab illis declinent: sed tum demum duntaxat, cùm & manifestissimis sacrarum literarum tum verbis, tum testimoniis, & plus quam necessariis, ex principiis fidei deductis consecutionibus, dissentire cogantur. Hoc certè cumprimis vitio datur Nestorio, & caussa illi fuisse tantæ hæreseos scribitur: quòd Patribus contemtis, & suo confisus ingenio, sacras literas pro suo capite interpretabatur. Quid dico de Nestorio? Imò eundem Patrum contemtum, eandémque de suo proprio ingenio, suáque eruditione confidentiam, aliis quoque multis, magnis alioqui viris, in caussa fuisse, cur in varias hæreses lapsi fuerint, ex Ecclesiasticis historiis & synodis, facilè mihi esset, si breuitas epistolæ pateretur, demonstrare. Vnde enim obsecro factum fuit, vt post sacratissimam illam Nicenam Synodum, tot hæretici denuò extiterint: quorum alij, veram & æternam Christi Deitatem: alij veram & perfectam eiusdem humanitatem: alij veram vtriusque naturę in vna eadémque persona vnitionem: alij veram naturarum, earúmque proprietatum distinctionem, oppugnarunt? Inde sane, quia contemtis Patrum in Nicen. Concilio definitionibus, & sacrarum literarum de persona Christi interpretationibus: suis autem confisi ingeniis, & humana vel eruditione vel eloquentia inflati, sacras literas, fideíque fundamenta, pro suo quisque iudicio interpretari, hoc est, deprauare ausi sunt. Pertinet huc quod Vigilius contra Eutychen, libr. 1.

ſcriptum reliquit, de cauſis hæreſium : Sed has (inquit) inanium accuſationum nebulas illi effundunt præcipuè: qui aut imperitiæ vitio, aut contentionis morbo ægrotant : Et dum petulantis animi ſupercilio eriguntur, antiquitus traditas à Patribus fidei regulas, ob hoc ſolum deſpiciunt, vt malè conceptas mobilitatum ſuarum ſententias, Eccleſiæ intromittant. Hæc Vigilius. Confirmant hoc quod dico, contraria Orthodoxorum Patrum ingenia, veſtigia, verba : qui ſacris literis, & fidei Chriſtianæ fundamentis, ſecundum veterum Patrum definitiones explicatis, veritatem Chriſtianæ Religionis, non minus feliciter, quam fideliter propugnarunt, confirmatámque in Eccleſiis retinuerunt. Quo ſpectant illa in ipſorum definitionibus verba : DEFINITIONES SANCTORVM PATRVM SEQVENTES VBIQVE ET REGVLAM: ET NOS EADEM DEFINIMVS. Nihil ergo tutius, quàm vt quiſque in hiſce Eccleſiis, tanquam in vrbibus bene munitis, ſeſe contineat: in quibus ſacræ literæ, ſecundum analogiam fidei, & ſecundùm receptas veterum Patrum interpretationes, explicantur : ac proinde, quarum eadem eſt fides, quæ & Apoſtolorum, totiúſque veteris Eccleſiæ fuit.

Dixi de primo Chriſtiani hominis officio, qui ſe ſuámque familiam, tutam ab hoſtibus, ad æternam felicitatem ſeruari cupit : nimirum, vt in munitas vrbes regni Chriſti ſeſe recipiat, ibique conſtanter permaneat: donec tandem profligatis per illuſtrem aduentum noſtri Regis, hoſtibus omnibus, vbique liberi & tuti eſſe poſſimus.

Sed ſine commeatu, quis vitam diu traducat ſuam? Commeatus noſter eſt quotidiana verbi diuini auditio, lectio, meditatio, & ſacræ Cœnæ ſuis temporibus perceptio: Vtroque enim alimur, fouemur & viuimus: idque propter Chriſtum vitam noſtram, quem nobis illa offerunt, & exhibent. Qui manducat hunc panem: ſiue ex verbo, (ſiue ex ſacramento acceptum) non morietur in æternum. In Actis diſcipuli Chriſti, erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & in fractione panis, hoc eſt, in communibus ἀγάπαις, in quibus Cœna Domini celebrari ſolebat. Talis autem cœleſtis commeatus, in vrbibus bene munitis deeſſe non ſolet: ſed niſi edas & bibas, vitámque tuam hac ratione ſuſtentes: quid prodeſt eſſe in munitis vrbibus? Ergo frequentandæ conciones, & percipienda ſacramenta, lectioníque ſacrarum literarum incumbendum eſt.

Accedant etiam preces ad Deum perpetuæ, tum publicæ, tum priuatæ, neceſſe eſt: quibus ea petamus, quæ Dominus Ieſus peti à Patre iuſſit: omnia ſcilicet, quæ tum ad ipſius gloriam, tum ad noſtram, proximique noſtri ſalutem pertinent: vtque nos ab omni hoſtium genere tueatur, & tutos ſeruet in veritate. In die tribulationis, inuocabis me, ait Dominus. An non verò tum maximè dies eſt afflictionis: cùm graſſantur hæreſes, & tyranni veritatem perſequuntur? Tunc ergo maximè inuocandus eſt Dominus, idque ex fide. Ideo & Apoſtolus, indeſinenter, inquit, orate : Et Chriſtus, Oportet ſemper orare, & non deficere. Qui autem ita orat, & ex fide orat, quomodo non accipiet? Ideo ſubdit per Prophetam Deus, ET EGO EXAVDIAM TE. Petite & accipietis, dicebat etiam Dominus Ieſus: quærite & inuenietis : pulſate & aperietur vobis.

Qui verò fieri poteſt, vt ibi feliciter viuatur, eóque & vrbs ſeruetur: vbi ciues inter ſe non colunt amicitiam? Colenda ergo eſt fraterna dilectio, pax, concordia, qua nihil ſuauius, nihil Deo gratius, nihil ad Eccleſiarum conſeruationem conducibilius eſſe poteſt : ſicut contra nulla res eſt, qua citius perdantur Eccleſiæ & omnes ſocietates, quàm inuidiæ, quàm odia, quàm ſimultates, quàm inimicitiæ, quàm diſſidia, quàm pugnæ domeſticæ. Profectò, fides ibi nulla eſt: vbi non viget caritas : cùm vera fides, teſte Apoſtolo, operetur per caritatem. Et nota verorum Chriſtianorum ſemper fuit, fraterna dilectio: dicente Chriſto, In hoc cognoſcent homines, quòd ſitis mei diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. Hoc reipſa docent Acta Apoſtolorum : vbi de fidelibus ait Lucas : Erat illis anima vna, & cor vnum, nempe in Domino. Et Tertullianus in Apolog. cap. 39. narrat Romanos dicere ſolitos fuiſſe de Chriſtianis : VIDE VT INVICEM SE DILIGANT. Hac enim fraterna dilectione, tanquam vero Chriſtianæ pietatis ſymbolo, diſcerni Chriſtianos à non Chriſtianis volebant.

Quàm porrò neceſſaria ſit ciuibus in tali vrbe degentibus, ad ſe ſuóſque, adeóque & totam vrbem, aduerſus hoſtes tuendam, cura valetudinis : paulò antè dictum eſt. Valetudo ſpiritualis, hîc mihi eſt bona conſcientia: quæ ſicut naſcitur à fide, ſic etiam fidem, ne prorſus pereat, tuetur : quemadmodum & vita corporis parit valetudinem : Et valetudo, corpus in vita conſeruat. Cuique igitur curandum eſt, vt bonam ſeruet conſcientiam. Sed quibuſnam rationibus ſeruatur? Primùm, *firma, poſt iuſtum dolorem, de gratuita remiſſione peccatorum à nobis admiſſorum, propter Chriſtum fiducia*: Deinde, vera reſipiſcentia: hoc eſt, ſerio vitandi porrò peccata, ſeruandíque mandata Dei, *ſtudio*: firmo denique, ſi ex infirmitate labamur, denuò reſurgendi, & ad CHRISTVM pro condonatione, confugiendi, propoſito. Hac ratione, bona ſemper retinetur conſcientia. Qui hoc modo ſuam curat conſtanter valetudinem : certò ſciat, nequaquam permiſſum iri à Domino, vt in æternum moriatur : hoc eſt, vt in doctrina ad ſalutem neceſſaria, in finem vſque erret & pereat. Apoſtolus enim ait Timotheo: Retine fidem & bonam conſcientiam: quam quidam cùm repuliſſent, naufragium fecerunt circa fidem, hoc eſt, doctrinam fidei. Ergo, qui conſcientiam bonam retinent: ij doctrinæ ad ſalutem neceſſariæ, exitioſum naufragium non facient: Domino illos, ſicut bonæ conſcientiæ theſauro, ſic etiam perſeuerantiæ in fide, cœleſtique doctrina, beneficio, pro ſua gratia donante. Res igitur tutiſſima eſt, cùm ſemper, tum præſertim in hac religionum varietate, in Eccleſiis, vbi purum ſonat Dei verbum, certæque fidei ſecundum Patrum interpretationes, fundamenta retinentur, perſiſtendo, incumbere verbo Dei audiendo, & ſacramentis percipiendis: inuocare Deum : colere amicitiam cum fratribus, & ſibi bonam ſeruare conſcientiam.

Ad hæc autem omnia, quàm neceſſaria ſit vigilantia : quis, niſi rerum prorſus omnium imperitus ignoret?

ignoret? Vbi nihil prorsus metuendum est, veluti in cœlo: ibi nulla etiam opus est vigilantia: sed in summa securitate viui potest & debet. At verò, vbi non desunt fures, latrones, fraudatores, adulatores, impostores, proditores, inimici, hostes, omniáque plena sunt insidiarum: ibi quàm perniciosa sit securitas & oscitantia: quis est qui nesciat? Ideo Christus præuidens mala, quæ imminebant, dixit Apostolis: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Et Petrus, Sobrij estote & vigilate: quia aduersarius vester Diabolus circuit, quærens quem deuoret. Quæ autem est hæc vigilantia, quam exigit Spiritus sanctus? Quid sit vigilare in animalibus, notum est omnibus hominibus. Ergo tunc etiam homo, quatenus mente præditus est, vigilare dicitur, cùm pulsa omni mentis oscitantia, apertísque oculis, in ea, quæ proponuntur, attentè intuetur: ac quæ bona sunt, quæve mala, quæ propitia & quæ aduersa, prudenter discernit: vt inde porrò voluntas, & quæ reiicienda sunt, reiiciat: & quæ eligenda eligat: quæ vitanda, deuitet, atque propulset: & quæ admittenda, admittat, ac persequatur. Excusso igitur omnis carnalis securitatis somno, vigilandum: & ab insidiis Diaboli, ab illecebris mundi & carnis, & ab hæreticorum doctrinis ac sophismatibus, diligenter nobis cauendum est: Attendite vobis à falsis Prophetis, dicebat Dominus Iesus, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

Quomodo verò quis, crapula & ebrietate grauatus, vigilare queat? Sobrietas igitur pernecessaria est. Proinde Apostolus Petrus præmisit, SOBRII ESTOTE, & postea subiecit, ET VIGILATE: Et Paulus: Sobrij simus, & vigilemus. Opponitur autem sobrius, ebrio: Et sobrietas dicitur quasi sine ebrietate: qua voce, ipsa etiam crapula per synecdochen intelligitur. Est enim sobrietas, moderatus vsus, non solum potus, sed etiam cibi: vt tali ac tanto simus contenti, qualis & quantus ad vitam sustentandam, valetudinémque conseruandam sufficiat. Ideo Dominus Iesus ad sobrietatem exhortans, tam à crapula, quàm ab ebrietate dehortatus est, dicens: Ne grauentur corda vestra, crapula & ebrietate: vno verbo, quàm perniciosa sit ebrietas, luculenter demonstrans. Nam ita hac grauantur corda, & in terram deprimuntur ac suffocantur: vt ad res cœlestes, ad Deum ex animo inuocando, ad seriam rerum diuinarum contemplationem, ad attentam sacrarum literarum lectionem, auditionem, verámque cognitionem, ad salutarem denique mysteriorum Dei, vti est Cœna Dominica, considerationem, eleuari non possint: Et qui huic ebrietatis vitio dediti sunt, ij ad omnia pietatis exercitia, ineptissimi fiunt. Et quàm multi sunt, qui propter ventrem, à veritate deficiunt? tantùm abest, vt velint aut possint, aduersus illius hostes vigilare, & à falsis Prophetis sibi cauere: ita tandem miserè pereant, necesse est. Sed longiùs latiúsque sese extendit Christiana sobrietas, de qua Apostolus: Sobrij, inquit, simus, & vigilemus: nimirum ad moderatum non solùm esculentorum & poculentorum, sed aliarum quoque rerum omnium huius seculi vsum. Non enim vult Deus, vt nimio diuitiarum, voluptatum, honorum, amicorum, liberorum, vxorum, nostræ denique vitæ amore, ceu dulcissimo vino inebriemur: sed vt qui vxores habent, sint tanquam non habentes: & qui flent, vt non flentes: & qui gaudent, vt non gaudentes: & qui emunt, vt non obtinentes: & qui vtuntur hoc mundo, vt non vtentes, &c. Quàm verò sit hæc sobrietas ad retinendam fidem, verámque pietatem necessaria, declarant illi, qui præ nimio mundi rerúmque huius seculi amore, deficere solent à fide: alij prorsus, vt qui nunquam resipiscunt: alij ex parte, vt quos Deus donat resipiscentia, sicut Demas, de quo Apostolus, Demas me dereliquit, diligens hoc præsens seculum. Et Dominus Iesus cùm dixisset, Cauete, ne corda vestra grauentur crapula & ebrietate: subiecit de hac altera ebrietatis specie, dicendo: ET CVRIS HVIVS VITÆ: Et superueniat in vos vltimus ille dies. Vnde enim hæ curæ, nisi ex nimio amore huius vitæ? Sed accedit tertia ebrietas, quæ eò aliis pestilentior est, quò subtilior, & ad mentem magis quàm ad carnem pertinet: ebrietas nimirum sapientiæ carnis, vanæ eloquentiæ, secularisque Philosophię. Qui enim iis, vt fucato dulcíque vino, nimium sunt adducti, oblectantur & fidunt: ij porrò fastidientes simplicitatem doctrinæ Christianæ, haud difficulter fidei naufragium faciunt, qua de re Apostolus: Videte, ne quis vos deprædetur per Philosophiam & inanem deceptionem. Dum enim mysteria Dei, quæ simplici stylo ac methodo tradita nobis sunt à Spiritu sancto, nostris carnalibus speculationibus perscrutari, & legibus humanæ sapientiæ, metiri volumus: oppressi à diuina gloria, quam ferre non possumus, in barathrum diuersarum hæresium præcipites damur: vt Ario, Marcioni, & omnibus fermè hæreticis contigit: quando prudentia carnis inimicitia est aduersus Deum: & animalis homo non percipit ea, quæ sunt Dei, nec potest percipere: stultitia enim sunt illi: Ex iis, quæ quantum breuitas epistolæ patiebatur, de triplici ebrietate dixi: quàm necessaria sit contraria sobrietas ad resistendum hostibus, & ad thesaurum diuinæ sapientiæ conseruandum: vt tu, mi Comes Vlysses, optimè nosti, sic qui non possit, si velit intelligere, credo esse neminem. Quid si accedat etiam nimius & cæcus amor doctorum hominum, pręceptorúmque nostrorum: quo plerunque ita ebrij simus, vt quęcunque ab illis dicuntur & scribuntur, ea sine vllo iudicio & probatione, tanquam oracula Spiritus sancti, contra Apostolicum præceptum, Omnia probate, quod bonum est, tenete, amplectamur, mordicúsque teneamus? Sobrij ergo simus, & vigilemus.

Arma porrò nostra, non sunt carnalia, sed spiritualia, vt docet Apostolus: duplicisque sunt generis: alia ad nos tuendos, alia ad hostes feriendos accommodata. Primi generis sunt galea, thorax, baltheus, scutum: alterius, gladius, missilia.

Primùm itaque, interioris hominis caput, munitum esse debet galea salutari: id est, certa spe salutis, in nobis, sicut iam per Christum, ex sola gratia inchoatę, sic etiam per eundem, ex eadem gratia perficiendę. Nisi enim adsit hęc certa spes, quis in pugna consistere, eámque continuare valeat? Pectus, vbi partes sunt vitales: thorace iustitię, iustitię inquam fidei cumprimis, & simul etiam bonę conscientiæ, circumquaque munitum esse oportet. Quis enim congredi in pugna valeat contra tot tantósque hostes: nisi & Deum propitium sibique fauentem à se stare, persuasum habeat, & ex corde oderit iniquitatem contra quam, & amet iustitiam pro qua, instituta est pugna?

Lumbos circumcinctos esse oportet baltheo veritatis: pedes verò calceatos cognitione Euangelij pacis: hoc est, ita nos, omni ex parte, veritatis cognitione, amore & viribus munitos esse conuenit: vt semper ad pugnam pro Euangelio expediti,& parati simus: sinistra manu scutum fidei tenentes: quo omnia ignita aduersarij iacula excipiamus & extinguamus: dextra autem gladium verbi Dei,quo hostis propulsetur & confodiatur.Scuto quidem fidei vtemur, si aduersus omnia hæreticorum sophismata,principia fidei,de quibus supra diximus, firma retineamus, vtut strophas ipsas refellere nesciamus: gladio autem verbi,si apertis sacrarum literarum testimoniis,& rationibus ex illis necessaria consecutione deductis,hostes conuincamus. Quam ad rem non parum profuerit,si acuta etiam missilia,aculeatásque sagittas,ex vetustissimorum Patrum pharetris, in hostes transmittamus: quemadmodum & Patres ipsosmet posteriores,priorum testimonia & argumenta,aduersus hæreticos, proferentes, fecisse videmus. Sumenda igitur nobis est tota hæc Dei πανοπλία, cum ardentissimis ad eum precibus: vt hoc tempore aduerso ac turbulento,tam multis,tam variis,tam potentibus aduersariis resistere,tandémque de illis triumphare possimus.

Ad vrbis conseruationem,& cuiusque ciuis salutem,quàm necessarium sit,vt ciuitas ab hostium amicis,stipendiariis,collusoribus,proditoribus repurgata,tutiorem tranquilliorémque vitam degat: quis nisi rerum omnium & præteritarum & præsentium omnino imperitus,ignoret? Danda igitur opera est præfectis Ecclesiarum imprimis & Magistratibus: vt secundum Apostolicam disciplinam, diligenter obseruetur,quàm quisque & doctrinam profiteatur, & vitam traducat: ac qui edocti & admoniti resipiscere nolint: ij palam toti Ecclesiæ indicentur,& à sanctis conuentibus,cæterorúmque fidelium conuersatione, separentur: ne illorum contagio,alij quoque inficiantur: néve (vt loquitur Apostolus) modicum fermentum,totam massam corrumpat. Cuique autem fideli,huiuscemodi præfracti homines,vt ethnici & publicani sunto: illúdque Iohannis seruator,Si quis venit ad vos, non adferens hanc doctrinam, quam videlicet Apostoli tradiderunt de Filio Dei, déque fundamentis Christianæ religionis, ne recipite eum in domum,nec Aue ei dicite. Hæc disciplina est Ecclesiæ perpetua: de qua & Tertullianus in Apologetico,cap.39.Magistratus autem pro qualitate porrò criminum & blasphemiarum,in illos ex mandatu Dei animaduertet.

Quod ad extremum,de vltimo cuiusque ciuis officio diximus: illud in hoc etiam negotio, de quo agimus,facile est ad intelligendum: vtinam & ad præstandum. Constanter ergo ad finem vsque cum profusione etiam,si opus sit,sanguinis & vitæ,seruanda est Principi nostro Iesu Christo, data à nobis in Baptismate, fides. Ac proinde, quam doctrinam ex Propheticis & Apostolicis scriptis, ex apertis fidei principiis, & verò etiam ex communi totius veteris Ecclesiæ consensione, certò nouimus esse Christi doctrinam: ea constantissima fide, aduersus omnes dogmatum nouitates,retinenda nobis est: nec solùm in animo eam retinere, sed etiam ore ingenuè confiteri, & ab ea nos nunquam deflectere velle, liberè profiteri debemus: atque ita debemus,vt nisi id faciamus, nulla nobis planè speranda sit salus. Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Apud Deum quidem, qui corda intuetur, sola fides satis fuerit: Sed apud homines, & propter homines, necessaria etiam est libera eius confessio atque professio. Qui erubuerit me coram hominibus: erubescam & ego eum coram Patre meo: dicebat Dominus Iesus. Per nos enim promouenda est in hoc Mundo gloria Dei, nomen Christi, salus proximi: & nos, qualem sequamur religionem, & qua fide per Dei gratiam præditi sumus, toti Ecclesiæ declaremus oportet: vt quænam sint eius membra, non planè ignoretur. Proinde idem Dominus, ad confessionem hanc nos excitans, adiecit: Qui me confessus fuerit coram hominibus: confitebor & ego eum coram Patre meo. Ergo neque muneribus illici ad prodendum Christum, neque terriculamentis aut suppliciis, à libera eius Confessione absterreri debemus: sed intuentes potius in ipsum ducem fidei & perfectorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, pertulit crucem, ignominia contemta, & ad dextram throni Dei consedit, propositum nobis stadium constanter decurramus. Qui enim perseuerauerit vsque in finem,hic saluus erit.

His decem capitibus,mi C.VL. veram rationem,qua in hac tanta,de via salutis,opinionum diuersitate: malorum spirituum in nos incursione atque impetu: in tanta denique tyrannide Diaboli, suæ quisque suorúmque saluti consulere possit, explicatam esse arbitror.

Hanc ego rationem vt sequerer, Dei beneficio,operam dedi, annos iam fermè 34. ac præter sacras literas, quæ illam ex Dei voluntate esse, manifestissimè docent, ipsa etiam multorum annorum experientia,verè diuinam & optimam esse didici. Nam hanc ob caussam, relicta Babylonica captiuitate, in liberas regni Christi Ecclesias,tanquam in vrbes munitas,me contuli: in Rheticas primum,vbi menses octo & amplius: Deinde in Geneuensem,vbi itidem menses plus minus nouem,vitam traduxi; Inde Argentinam veni,vbi Gallicana tunc florebat Ecclesia: ibique per annos XI. & vixi & docui: sed non sine pugna,mortuo illo totius Reipublicæ ornamento,& scholæ parente,Iacobo Sturmio, veteribúsque Patribus paulatim deficientibus. Pòst, Clauennam vocatus,in ea Ecclesia pastorem egi annos circiter quatuor: quàm fructuosè,licet non absque cruce,tu generose Comes, qui pro tua singulari pietate,me semper audiuisti, & in regno Christi promouendo, tua & opera & autoritate, non parum iuuisti: optimè etiam nosti. Postmodum,regnante magno illo & incomparabili Principe, Friderico III. in Academia Heidelbergensi,annos decem professus sum: ac tandem Neustadium veni in Illustrissimi & fortissimi Principis IOHANNIS CASIMIRI oppidum,vbi noua Schola instituta, annos docui septem & amplius: Et vbi adhuc decrepitus senex, bona tamen per Dei gratiam valetudine, ex mei Principis liberalitate viuo: & vt mundo, sicut paulatim corpore, sic etiam animo indies magis ac magis moriar,id vt possum,operam do: opto certè. Mundus enim transit & concupiscentia eius: Et vermiculus apud Ionam,paruo horulæ spatio, radicem cucurbitæ, sub cuius vmbra securus viuebat, ita corrosit: vt illa exsiccata, bonus Propheta, quo se ab immenso Solis æstu tueretur,non habuerit. Hanc

eandem rationem liberi mei vt persequantur, exopto.

Quæ caussa etiam est præcipua, cur hanc totius Christianæ doctrinæ summam, quæ olim à me in alium communiorem vsum conscripta fuerat, nunc non solùm meo, verùm etiam familiæ meæ nomine, in lucem edendam curauerim: nempe vt liberis meis, præter illam, quam quotidie in nostris Ecclesiis sonantem Christi doctrinam audiunt: meam quoque eiusdem fidei Christianæ, quam sequantur, formulam relinquerem. Etsi enim ad substantiam doctrinæ Christianæ quod attinet, nihil ab eo, quod nostræ Ecclesiæ prædicant, in hac mea Confessione diuersum doceam: quia tamen, quantum apud liberos valeat parentum autoritas & exemplum, non ignoro: idcirco rem non parum vtilem me illis facturum iudicaui, si aliquam mei, meæ inquam non faciei, sed fidei imaginem, in quam subinde intuerentur, & qua ad serium literarum studium, ad profectum in cognitione veritatis, ad perseuerantiam denique in pietate, magis ac magis excitarentur, in Ecclesia Christi relinquerem. Neque enim me latebat, huc maximè illud Apostoli pertinere, quod ad Timotheum scripsit: Qui suorum & præsertim domesticorum curam non habet: fidem negauit, & est infideli deterior.

Huic accessit altera causa, quæ ad me, meámque conditionem, propriè pertinet. Quæ hactenus de Christo, déque eius religione, & corde credidi, & ore confessus sum, atque etiam multos annos publicè in Ecclesia, tum voce, tum libris editis docui: ea vno quoque & iusto volumine, complecti volui: vt quęnam fuerit mea fides, toti posteritati constaret, méque in hęreses, quæ nunc passim grassantur, aut quæ vnquam etiam grassatæ fuerunt, nunquam consensisse, omnes fideles tam præsentes, quàm futuri, adeóque tota verè Catholica Ecclesia, perspectum haberent: præsertim cùm si qua fortassis in re falsus fui, erratum hoc recto illius iudicio subiiciam, & illud ad lydium lapidem sacrarum literarum, & ad analogiam fidei, ab ipsa examinari & corrigi velim.

Tibi verò, mi C. VL. librum hunc meum vt dicarem, multis illísque honestissimis caussis, quas nec tibi, nec cuiquam alij bono viro improbatum iri confido, adductus fui.

Decuit bonæ doctrinæ librum non malum, bonum habere patronum: qui & vellet ob pietatem, & posset ob eruditionem, illum tueri: & id quidem constanter: quam ad rem quantum possit nobilitas sanguinis ac generositas animi, si cum vera pietate coniungantur, longa didicimus experientia. Est enim proprium viri nobilis, constantem esse in re laudabili, honoréque digna: nec sincere se ab honesto proposito, vel secundis, vel aduersis rebus abduci. Sinceritas & constantia, tales sunt virtutes, quæ in rusticos & seruiles animos cadere non possunt. Accedit, quòd vt meæ erga te obseruantiæ, nostręque Christianæ amicitię, aliquod apud omnes extaret omnibus seculis monumentum: honestum ac necessarium esse iudicaui. Est enim res & apud Deum, & apud homines, omni laude dignissima, illa quę ex virtute, eóque sincera ac solida est amicitia: qualis fuit inter Dauidem & Ionatham: Petrum & Iohannem: Paulum & Barnabam. Vt enim non omnium est fides, sicut dixit Apostolus, sic non omnium vera est amicitia: Et vt fides, sic etiam dilectio, ex Deo est, ait Iohannes: nascitúrque ex vera pietate atque virtute. Nostram certè conciliauit non caro & sanguis: sed Christus, sed pietas, sed religio, eiusdémque religionis amor: cui postea accessit similitudo animorum, studiorum, morum, suauissimáque per aliquot annos consuetudo, quibus illa fuit confirmata: atque ita confirmata, vt nullo etiam locorum per multos annos, vel maximè longo interuallo, imminui aut labefactari potuerit. Quid? quòd non solùm firma ac constans semper huc vsque permansit: sed etiam incrementa accepisse, & in dies accipere videtur: Spiritu sancto sanctam φιλαδελφίαν, in cordibus nostris magis atque magis accendente? Ego certè, quantum me tui videndi, tecum colloquendi, téque in Domino amplectendi, desiderium teneat, sentio: & vicissim ex tuis, tum ad me literis, tum pro me officiis, quantę tibi curæ sint res meę, facilè intelligo. Sic solent verę amicitię, quæ ex Spiritu Dei conciliantur, perpetuò conseruari, & augeri.

Quę autem ex Deo sunt bona, & aliis quoque vsui esse possunt: ea ad ipsius gloriam, & ad fratrum ædificationem, quibuscunque possunt rationibus prędicanda & celebranda sunt. Vt ergo voluit Deus peculiares quorundam sanctorum amicitias, sacris literis commendari: sic perpetuo silentio nostra sepeliri non debuit.

Ad hęc, pręterquàm quòd non me solum (vt dictum est) sed meos quoque carissimos affines Limacios, totámque eam honestam Christianámque familiam, singulari tua beneuolentia, semper prosequutus es: ea etiam fuerunt & sunt tua in me officia ac beneficia: vt, nisi planè ingratus esse voluissem, de aliqua mihi, si non iusta compensatione, honesta saltem grati animi significatione, omnino cogitandum fuerit: præsertim cùm inter ingratos, vera amicitia consistere nequeat. Quid verò vel tibi gratius, vel tua pietate, virtute & nobilitate dignius pręstari à me potuit: quàm si libellum hunc, quo totius Christianæ doctrinæ summam, qua potui breuitate & perspicuitate, complexus sum, tuo nomini consecrarem? Qualis enim quisquam est, & qualem quisque profitetur artem, scientiam, religionem: tali ei dicari & commendari opera solent ac debent. Sic Lucas Acta, suo & re & nomine Theophilo: sic Cœlius Lactantius, suas Christianas institutiones, Christianissimo Imperatori Constantino: sic Ambrosius, suos pios de fide, déque Spiritu sancto libros, piissimo Imperatori Gratiano, dicarunt: sic denique ne in re perspicua immorer, quicunque sapuit, tales sibi delegit suorum librorum patronos, quales fuerunt libri: vt librorum tituli, cum professione illius, cui dicabantur, congruerent. Ergo cùm nulla alia meliori ratione, quàm huius libelli dedicatione, tua in me merita, aliqua ex parte compensare potuerim, hoc qualecunque munusculum, perpetuum amoris erga te mei testimonium, benigno accipias animo, méque vicissim, vt facis, amare pergas: meos verò liberos, T. Cornelium: Ludouicum: Hier: Robertum: Læl: Constantiam: An: Lydiam: Violanthem, cum amantissima liberorum omnium matre, mihi verò carissima in Domino vxore, R. Liuia, habeas, post meam præsertim mortem, commendatos, rogo & obsecro.

Ego verò tibi à Domino precor meos annos, C. VI. quò & tuis & meis, imò & nostris Ecclesiis, vt ha-

ctenus fecisti, diu prodesse queas: sed sine illis incommodis, ad meam vsque ætatem & vltra peruenias, precor, quæ decrepitam senectam consequi solent: & quorum causa, qui dixit καλὸν γηρᾶν, subiecit etiam, καὶ ἀεὶ γηρᾶν πάλιν: τὸ γὰρ γῆρας ἐκ τῶν χρηματισμένον. Nam viuere quoque ipsum senile χαλεπὸν βάρος solet esse senibus: vt meditandum illis potius semper sit de morte & sepultura, quàm de vita: quo ipsum quoque nomen γέρων, quasi τὴν γῆν ὁρᾶν, nos semper inuitat.

Cæterùm cùm & VIVERE ipsum per se magnum sit Dei beneficium: & aliis multis vsui esse possit: & ipsa denique etiam carnis incommoda, quæ senectam consequuntur, vtilia sint spiritui in piis hominibus: his de causis longam alicui pio ætatem precari, non est malum, sed bonum precari: etiamsi malis aliquot carere senectus non possit. DEVS ergo optimus max. in bona te seruet valetudine: & bona longáque vita, ad multorum bonorum, pro sua bona voluntate donare dignetur. ὑγίεια καὶ τῆς ἐσθλὰ τῷ βίῳ δῷ.

Neustadio Cal. Aprilis. 1585.

AD

AD LECTOREM.

QVAM aliquot antè annis conscripseram fidei confeßionem, Candide lector: eam certis de caussis, neque in rebus, neque in verbis immutare volui: sed si quæ aut clariùs explicanda, aut pluribus confirmanda esse videbantur: ea seorsum potius declaranda & constabilienda esse iudicaui, quàm committendum, vt ipsa Confeßio, quippe cuius iam plura, quàm decem exemplaria conscripta fuerant, & in multorum manus peruenerant, aliqua ex parte mutaretur. Quæ autem inter recognoscendum, digna correctione occurrerunt, vel confirmatione: ea suis quæque locis, in ipsa Confeßione, hac stellula * notauimus. Vbi ergo hanc notam videris: ad OBSERVATIONES recurrito, & idem caput, eundémque Aphorismum consulito. Aliud quoque monendus es Lector. Cùm iam absoluta esset totius libri editio: certior factus fui, non deesse, qui improbent, quòd alicubi scripsi cap. xi. Aph. 15. Christum non solùm sibi, sed etiam nobis vitam æternam promeruisse: quasi illud SIBI, impiè à me positum fuerit. Miratus sum initiò & non parum sum miratus: cùm nihil hac doctrina sit clarius apud Patres, à quibus & Scholastici acceperunt. Sed simulac in mentem mihi venit: diuersa hominum esse palata: & aliis quidem, vt iuuenibus, vina noua ac dulcia, magis sapere, aliis vt senibus, vetera tanquam salubriora magis probari: statim desii mirari.

Veterem illam esse doctrinam, liquet ex veteribus Patribus, qui locum illum ad Phil. Propter quod & Deus exaltauit illum &c. sic interpretati sunt: vt dixerint, Christum sua humilitate, obedientia & morte, sibi illam exaltationem promeruisse.

Augustinus T. 9. in Iohan. tract. 104. in cap. XVII. Col. 505. explicans verba Apostoli Phil. 2. Humilitas eius (inquit) incipit ab eo loco, Semetipsum exinaniuit: Claritas verò, incipit ab eo loco, Propter quod & Deus exaltauit eum, &c. Humilitas, claritatis est MERITVM, claritas, humilitatis est præmium: sed hoc factum est in forma serui: in forma verò Dei, semper fuit, semper erit claritas. Hæc eadem Augustini verba probauit Beda: ea enim retulit in suos commentarios, in caput 2. Phil.

Ambrosius in eadem verba Apostoli, PROPTER QVOD ET DEVS, &c. quid & quantum (inquit) humilitas mereatur, ostendit.

Hieronymus in eundem locum: quia se assumtus homo humiliare dignatus est: Diuinitas, quæ humiliari non potest, eum qui humiliatus fuerat, exaltauit. Nota illud, QVIA.

Vigilius contra Eutychen lib. 5. pag. 130. ait Christum secundùm humanam naturam, ob meritum, honores accepisse.

Item pag. 132 demonstrans, HONORIBVS SVBLIMARI, hoc non posse attribui Christo, secundum diuinam naturam, sed tantùm secundùm humanam: præter alia ita scribit: Nunquid & honoribus sublimari, & dignitatis profectibus augeri natura eius (diuina) indigebat: vt humilitatis & obedientiæ ac mortis MERITO, sublimium meritorum tenere fastigium & potestatem Cœli ac terræ mereretur accipere, tanquam qui antea non habuit? An fortè negabunt Domino Iesu Christo ob meritum paßionis & mortis hæc omnia fuisse collata? Legant Apostolum dicentem de ipso, Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus illum exaltauit, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu, omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum. Et Dauid, de torrente (inquit) in via bibet, propterea exaltabit caput. De torrente in via, id est, de fluuio mortis humanæ bibet: propterea exaltauit caput, quia mortem gustauit. Et ipse in Euangelio, propterea (inquit) diligit me Pater meus, quoniam animam meam pono pro ouibus meis, &c.

Et paulò post subdit: persequamur ergo omnia adhuc beatitudinis eius munera, paßionis MERITO acquisita: quibus luce clarius apparebit, non posse ei secundùm quod natura Deus est, sed secundùm quod naturâ homo factus est, conuenire. Legantur quæ sequuntur. Plura possem proferre testimonia: sed epistolæ breuitas non patitur, neque etiam est necesse. Hæc certè vetus est Ecclesiæ doctrina. Rogo igitur conniuæs meos, vt si vino & veteri & nouo in mensa propositis, ego tanquam Senex, relicto aliis nouo, de veteri bibam: ne mihi succenseant. Meæ enim valetudini, vt debeo ex mandatu Dei, consulo: de bono etiam nouo libentius alioqui, quàm de malo veteri, bibiturus.

Neque hoc prætereundum fuit: quòd inter legendum librum iam impressum offendi erratum, in obseruationibus, colum. 572. illi particulæ μὲν, proponenda est dictio, Ιωάννης: vt hæc sit lectio, illud Ιωάννης μέν. Non enim de sola illa particula μὲν, sed de toto illo dicto Pauli, sermo mihi fuit: quemadmodum liquet ex iis, quæ ibi sequuntur.

Addam & hoc. In appendice de persona Christi, ad calcem obseruationum, vt ex Vigilio, breuem rationem, qua controuersia, de reali communicatione Idiomatum, conciliari poßit, indicarem: dixi, carnem Christi dici posse, sine vlla contradictione, & omnipotentem, & non omnipotentem esse, vbique præsentem, & non vbique præsentem: diuersis nimirum respectibus. sua enim propria οὐσίᾳ, non esse: esse autem ipsa ὑποστάσει, quæ illi cum natura diuina communis est. Hîc ergo, ne tibi à Sophista aliquo fiat fucus: hanc nota explicationem. Cùm dicimus propria οὐσίᾳ præsentem non esse: id bifariam intelligi potest. Primùm hoc sensu, vt secundùm quæstionem, quæ τὸ ὅτι quòd sit, vocatur, ipsa carnis Christi substantia, realiter præsens esse dicatur, non sua cognitione, non suo imperio, non etiam τῇ ὑποστάσει tantum: sed reali ac propria sua οὐσίᾳ: quo sensu, λόγος quoque sua οὐσίᾳ, vbique esse verè prædicatur: quia sua οὐσίᾳ omnia implet. Deinde hoc altero sensu vt secundùm quæstionem τὸ διότι quare sit causa quæratur, cur vbique præsens sua οὐσίᾳ, esse dicatur: vtrum hoc habeat ex sua natura seu οὐσίᾳ, an verò ex gratia donóque vnionis hypostaticæ: quo sensu λόγος etiam dicitur Deus esse, & omnipotens sua οὐσίᾳ: quòd hoc habeat non ex gratia, sed ex sua natura atque οὐσίᾳ. De primo, multi hactenus acriter pugnarunt, vt partem affirmatiuam defenderent: carnem Christi vbique esse sua οὐσίᾳ: idque in hunc finem fecerunt, vt inde eam sua οὐσίᾳ realiter existere in pane concluderent. Nos constanter vtrumque pernegauimus. De secundo: iidem negant, & rectè, sed nemine contradicente, carnem Christi ex sua naturali οὐσίᾳ, hoc habere, vt sit vbique præsens, sed ex vnione quidem hypostatica, hoc illam fuisse consecutam, vt posset si vellet, vbique esse: à resurrectione verò &

HIERON. ZANCHII, DE RELIGIONE CHRISTIANA FIDES.

Quam nunc demum, annum agens LXX. suo suaque familiæ nomine, in lucem edendam curauit.

CAPVT PRIMVM,

DE SCRIPTVRIS SANCTIS, TOTIVS CHRISTIANÆ RELIGIONIS FVNDAMENTO.

I.

De Deo, rebúsque ad religionem pertinentibus, soli Deo simpliciter esse credendum.

CREDIMVS, de Deo, rebúsque diuinis, ad regnum Christi, salutémque nostram pertinentibus, à nemine posse nos melius certiúsque doceri, quàm à Deo ipso: qui nec falli nec fallere potest. *Ambros. Epist.* 31. Deum nemo vidit vnquam: Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. *Ioh.* 1.18.

II.

Deum loqui in scriptis Propheticis & Apostolicis.

Deum autem nouimus, tametsi totius orbis hominibus, per ea quę facta ab ipso sunt, non exiguam neque obscuram sui suæque sempiternæ virtutis ac Deitatis cognitionem exhibuit, ita, vt quotquot illum, non vt Deum glorificarunt, inexcusabiles facti sint. *Rom.* 1.19 20 suæ tamen Ecclesię peculiari ratione, per Prophetas nimirum atque Apostolos, spiritu suo afflatos, pérque ipsorum scripta, sese suamq; voluntatem, clarius pleniúsque reuelasse: eóq; scripta Prophetica & Apostolica, ipsissimum esse verbum Dei. *Heb.* 1.1. *Heb.* 2.3.2. *Pet.* 1.21. *Matth.* 10.20.

III.

Prophetica & Apostolica scripta esse solos Canonicos libros.

Prophetica verò & Apostolica scripta ea esse non dubitamus, quæ ideò Canonicorum librorum nomine Ecclesia Dei appellare solita est, quia cùm hosce libros certò nouerit esse θεοπνεύστους, 2 *Tim.* 3.16 eos etiam solos pro canone totius Christianæ pietatis, ad quem omnis de religione controuersia examinanda sit, semper agnouit: Reliquos, quanquam in volumine Sacrorum Bibliorum continentur, ideò tamen Apocryphos vocans, quòd eos ita à Spiritu S. sicut prioris generis, minimè perspectum habeat.

IV.

Libri Canonici & Apocryphi quinam sint.

Pro certissimo igitur verbo Dei, hosce libros ex veteri Testamento cum tota, tam ante, quàm post Christi aduentum Ecclesia, *Concil. Laodic. can.* 59. sine vlla dubitatione agnoscimus atque amplectimur.

Quinque libros Mosis:
Iohosua vnum:
Iudicum vnum,
Rutha vnum,
Samuelis duos.
Regum duos,
Paralipomenon duos,
Esdra priores duos,
Esthera capita nouem & priores decimi capitis versus tres,
Iobum,
Psalmos:
Prouerbia:
Ecclesiasten,
Canticum canticorum,
Iesaiam,
Ieremiam cum Threnis,
Ezechielem,
Danielis priora duodecim capita, excepto trium puerorum cantico.
Minores Prophetas duodecim.

Pro non Canonicis autem hosce reliquos accipimus.

Iuditham,
Tobiam:
Esdræ tertium & quartum,
Sapientiam Salomonis,
Sapientiam Iesu filij Sirach, qui Ecclesiasticus Latinis dicitur,
Baruchum,
Epistolam Ieremiæ,
Danielis cap. 13. & 14.
Canticum item trium puerorum, quod est capiti tertio affixum:
Esthera à tertiò versu capitis decimi reliquum,
Macchabæorum vtrumque librum.

Hæc de veteri.

Ex Nouo autē Testamento nullum excipimus: quoniam etsi aliqui sint, de quibus olim fuit dubitatum, postea tamē agniti fuerunt & ipsi non minus quàm alij pro Apostolicis scriptis: quorum iudicio nos quoque subscribimus.

Prioris generis sunt,

Euangelia secundum { *Matthæum,* *Marcum,* *Lucam,* *Iohannem,*
Acta Apostolorum,
Epistolæ Pauli,
Petri prior,
Iohannis prior.

Posterioris sunt:

Epistola ad Ebræos,
Iacobi epistola,
Posterior Petri,
Secunda & tertia Iohannis,
Epistola Iudæ.
Apocalypsis.

Licet enim maioris cuiusdam autoritatis illi, de quibus nunquam, quàm isti, de quibus aliquando fuit dubitatum, quodam modo esse videantur: Nos tamē perinde vnis atq; aliis, tanquam certo Dei verbo credimus: apocryphis verò, qui in volumine Bibliorum habentur, primum post Canonicos locum tribuimus.

V.

Solis Canonicis probari posse dogmata fidei.

Ac proinde Canonicis libris duntaxat ad dogmata fidei

probanda vtimur, vtendúmq; esse cum Patribus docemus: Reliquos verò non parum autoritatis ad eadem iam probata, postmodum confirmanda habere sentimus. *Hieron. in praef in lib. Sal. Cypr. in Symb. p. 377. Conc. Lao. cap. 59.*

V I.

Canonicos libros suam ab Ecclesia autoritatem non accepisse.

Quare illud quoque extra omnem controuersiam habemus, & habendum esse sentimus: Licet Ecclesia à primis Patribus, Prophetis nimirum & Apostolis, qui à Deo doctrinam immediatè acceperunt, eámque literis commiserunt, edocta, & à Spiritu S. persuasa, perpetua & continuata traditione, quinam sint, & qui non sint Canonici, posteris indicarit, testimoniúmque diuinae ac coelestis veritatis, illis dederit, & perpetuò det: nullam tamen hec scripta accepisse, habere've autoritatem ab illa, sed à solo Deo, proprio horum autore, eóque per sese, quia verbum Dei sunt, ius habere in omnes, dignaque esse quibus simpliciter ab omnibus credatur & obediatur.

V I I.

Ad fidem tamen Sacris literis apud homines faciendam: non parum prodesse autoritatem Ecclesiae.

Quanquam interim non inficiamur, quin autoritas Ecclesiae, multum ad homines, quò Sacras literas, tanquam Dei verbum audiant ac legant, permouendos, habeat ponderis: iuxta illud Augustini, Non credidissem (sic enim sensit) Euangelio, nisi autoritas Ecclesiae me commouisset, *Tom. 6. cont. Epi Fund c 5.* Quod tamen crediderit, se hoc non ab Ecclesia, sed a Spiritu sancto, cuius est donum fides, accepisse, vbique praedicat idem Augustinus.

V I I I.

Ecclesiam nullam habere autoritatem in Sacras literas.

Disputare verò an maior sit Ecclesiae autoritas, quàm sacrae scripturae, multò verò magis partem affirmatiuam asserere, quasi Ecclesia praeter donum, quod habet, cognoscendi Spiritus, scripturasque Canonicas ab aliis discernendi, déque illis testificandi, illasque interpretandi, habeat etiam autoritatem eis vel addendi quidpiam, vel adimendi, déque illis dispensandi: plus quàm sacrilegum esse iudicamus. Deus enim mandauit, ne quis quid addat, aut imminuat, néve quispiam declinet ad dextram, vel ad sinistram, sed omnes ad vnum sibi in suis sacris literis loquenti simpliciter per omnia obediant. *Deut. 4. 2. & 5. 31. & 12. 32. Apoc. 22. 18. & 19.*

I X.

Scripturam sacram ita esse perfectam, vt nihil ei addi vel adimi à nobis possit.

Est enim Scriptura S. vsque adeò & perfecta, continens abundè, quidquid ad salutem necessarium est, vt nihil ei addi possit: & perfectè, prudentérque conscripta, vt nihil etiam queat de illa detrahi.

X.

Acquiescendum igitur esse in Sacris literis.

Proinde in doctrina sacrarum literarum, sicut omnes pij debent, nos quoque acquiescimus: tenentes illud Apostoli, Omnis Scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad doctrinam, & quae sequuntur; *2. Tim. 3. 16.*

X I.

Nihil de Religione extra verbum Dei esse statuendum: sed omnia ad illud corrigenda.

Quare etiam sentimus, nihil de religione statuendum esse in Ecclesia Dei, quod aut non habeat apertum in libris Canonicis testimonium, aut manifesta necessariaque consecutione inde euincatur. At si quid vnquam irrepsit in Ecclesiam, vel doctrinae, vel cultus, quod cum Sacris literis cõsentaneum non sit: illud esse legitima ratione vel prorsus tollendum, vel ad regulam verbi Dei corrigendum: omnes item controuersias de religione, ex iisdem Sacris literis esse legitimè diiudicandas & componendas. *Dist. 9.*

X I I.

Traditiones verè Apostolicas & Catholicas in Ecclesia retinendas esse.

Traditiones interim, quas manifestè constat ab Apostolis profectas, in omnibus semper Ecclesiis obseruatas fuisse, qualis est de die Dominico, loco Sabbathi sanctificando, & similes: tametsi in Sacris literis nullum de iis seruandis exstet mandatũ, in Ecclesiis tamen retinendas esse iudicamus. *Au. Tom. 7. cont. Donat. li. 5. cap. 24. & Tom. 2. ad Ian ep 118. D. 11. c. 8.*

X I I I.

Perspicuam esse Scripturam in iis, quae ad salutem necessaria sunt: eóque ab omnibus esse legendam.

Neque verò solùm abundè, verùm etiam perspicuè totam salutis doctrinam, in Sacris literis traditam esse sentimus atque nouimus: cùm Deus populo suo non sit locutus, nisi lingua populari, quae ab omnibus intelligeretur: vt summa sit iniquitas, & tyrannis, eorum librorum lectione, eóque & in linguam cuiusque gentis propriam conuersione cuipiam interdicere, quos Deus ab omnibus, ipsorum salutis causa legi, & in omnium manibus dies noctésque versari voluit atque iussit. *Psal. 2.*

X I V.

Fideles piorum doctorum interpretationes non esse contemnendas.

Etsi verò Scriptura Sacra in iis, quae ad salutem necessaria sunt, perspicua est: non improbamus tamen eruditorum, piorúmque doctorum, tam veterum, quàm recentiorum, interpretationes & explicationes, nempe, quae petuntur ex iisdem Sacris literis, & quatenus Scripturae per Scripturas explicantur, idque consentaneè cum primis fidei principiis: *1. Thes. 5. 21.* quorum summa tum in Symbolo Apostolico, tũ etiam in Symbolis verè Oecumenicorum sanctorúmque veterum Conciliorum, aduersus manifestè haereticos coactorum, continetur.

X V.

Solum verbum Dei, fulcrum esse Fidei, & fundamentum Religionis.

Nam nulla re alia niti potest aut debet fides nostra, quàm verbo Dei, in Sacris Literis tradito: vt semper fides sit ex auditu, auditus verò per verbum Dei: *Rom. 10, 17.* cui quidquid in quorumuis hominum libris aduersatur, reiicimus: quidquid est consentaneum, amplectimur. quod verò neutro se habet modo, illud, prout Ecclesiis expedit, vel non expedit, admittimus vel reiicimus, admittendúmque esse vel reiiciendum docemus.

CAPVT II.

DE DEO, DIVINISQVE PERSONIS & proprietatibus.

I.

Vnum tantùm esse Deum, in tres personas distinctum.

a Edocti igitur à Deo in Sacris literis, *Deu. 4. 6.* quae sunt ipsius verbum, credimus, vnum tantùm esse Deum, hoc est, vnam simplicissimam, impartibilem, aeternam, viuentem, perfectissimámque essentiam, in tribus ὑποστάσεσι. seu (vt Ecclesia solita est loqui) personis, aeterno nimirum Patre, aeterno Filio, aeterno Spiritu S. inter se verè, sed citra omnem diuisionem, distinctis, subsistentem: principium & causam rerum omnium. *Mat. 28. 19. 1. Ioh. 5. 7.*

I I.

Ita vnamquamque personam verum esse per se Deum, vt tamen non sint tres dij.

Ita enim credimus, atque è Sacris literis di[illegible] Patrem per se verum & perfectum esse Deum, [illegible] item per se Deum, & Spiritum S. per se Deum: vt tam[illegible] non multi sint, sed vnus tantùm Iehoua; à quo omnia, per quem omnia, & in quem omnia. *Rom. 11. 36.*

I I I.

Proprietatibus personalibus personam à persona distingui; Essentialibus autem ab omni creatura differre.

b Quoniam verò Sacrae literae ita loquuntur de Deo, vt multas illi attribuant proprietates, tum essentiales, tum personales; & essentialibus quidem eum differre docent à rebus omnibus creatis, personalibus autem vnamquamq; personã ab altera distingui; Idcirco nos quoque credimus, sicut generare Filium, ita proprium est Patris, vt neque Filio, neque Spiritui sancto conueniat, & contrà generari, non nisi Filio, atque ita de reliquis; Sic etiam, simplicissimum esse, aeternum, immensum, vbiq; praesentẽ, simpliciter omniscium, simpliciter omnipotentẽ, simpliciter bonum, & huius generis alia, ita propria esse Dei, vt nulli queant reapse cõmunicari creaturae; ita vt eadem (exempli causa) immensa bonitate, bona sit, aut omnipotentia omnipotens, qua & Deus est.

I V. Es-

IV.

Essentiales proprietates in Deo, reipsa non differre ab essentia.

Agnoscimus enim in Deo propter eius simplicitatem, essentiales proprietates, re ipsa non differre ab essentia: ac proinde illas sine hac communicari non posse ulli creaturæ: eoque nec ullam creaturam verè esse, dicive posse simpliciter (exempli causa omnipotentem, simpliciter bonam, iustam, sapientem, & id genus alia: quemadmodum & Dominus Iesus de uno attributo loquens, de omnibus docuit, dicendo, Nemo bonus (simpliciter) nisi Deus. *Mat.* 19.17.

V.

Nihil simpliciter tale esse aut fieri posse, qualis est Deus: nisi & simpliciter Deus esse possit.

Quapropter, qui aliquam creatam substantiam volunt fieri potuisse aut posse diuinarum proprietatum, quib. talis sit, qualis est & Deus, vt simpliciter omnipotens, & huiusmodi, participem: hanc quoque fateantur esse, aut esse posse Deo ὁμοούσιον necesse est: quando neque Filius ipse simpliciter omnipotens est, nisi quia ὁμοούσιος est Patri: atque ita etiam Spiritus sanctus.

VI.

Confirmatio superioris sententiæ.

Vnde etiam intelligimus, qui fiat, quòd, cùm Filius non minus sit omnipotens, quàm Pater, & ita etiam Spiritus S. non tamen dicamus eos esse tres omnipotentes, sed vnum tantum omnipotentem, cum Athanasio *in Symbolo*, totáque Ecclesia confiteamur: quia nimirum vna tantum est omniū eadémque οὐσία. Cùm itaque nulla res creata vnam & eandē habeat cum Deo essētiam, sed longè aliam atque diuersam: si ea etiam fieri possit communicatione diuinę omnipotentiæ omnipotens, plures vno esse possint omnipotentes, necesse est: quod non sine blasphemia dici posse credimus.

VII.

Errores.

Itaque damnamus & execramur omnes hæreses, quæ aduersus hunc primum fidei articulum exortæ, aut ab inferis reuocatæ a sanctis etiam Patribus in legitimis Conciliis damnatæ fuerunt: Cerinthi, Ebionis, Valentini, Marcionis, Manichæi, Arij, Eunomij, Sabellij, Praxeæ, Fotini, & similium, veluti & Serueti & Tritheitarum, blasphemias quoq; Iudæorum & Turcorum: ac denique omnes hæreses, quæ aut contra vnitatem essentiæ diuinæ, aut contra veram personarum trinitatem fuerunt à diabolo excogitatę: ac proinde, quæ vel negant, Filium verum & æternum esse Deum, & ita Spiritum sanctum: vel quæ has confundunt personas, & vnam atque idem ὑφιστάμενον esse dicunt, quod propter diuersos respectus, diuersis etiam nominibus Patris, Filij, & Spiritus sancti appelletur. Nec non & illos omnes damnamus errores, qui essentiales Dei proprietates, ab essentia diuina separant: id quod nobis illi quoque imprudenter facere videntur, qui illas alicui creaturæ sine essentiæ communicatione, reuera communicari posse, vel potius communicatas iam esse docent.

CAPVT III.

DE PRÆSCIENTIA ET PRÆDESTINATIONE DEI.

I.

Deum omnia ab æterno præcognouisse & præuidisse.

Credimus Deum, antequam creasset mundum, iam inde ab æterno pro sua immensa sapientia, pręcognouisse omnia, quæ ipso aut facturus erat ipse bona, aut permissurus ab aliis mala: vsque adeo, vt nihil eum vnquam latuerit, latereve possit: sed omnia, tam quę facta sunt, fiunt, futuráve sunt, quam quæ fieri possunt, etiamsi nunquam fiant, nuda & aperta semper fuisse & esse oculis eius, non dubitamus. *Heb.* 4.13. *Act.* 15.18.

II.

Deum omnia in suo æterno consilio præfiniuisse, & ad optimos fines præordinasse.

Nec solùm pręuidisse omnia Deum, habuiséque præsentia in suo conspectu credimus: verum etiam in sapientissimo suo illo & æterno consilio, quæcunque aut ad mundi creationem & gubernationem, aut ad Ecclesiæ ex aliorum hominum colluuie collectionem, redemptionem salutémque æternam, pertinebant, ac pertinent præfiniuisse: *Act.* 4.22. ac mala etiam omnia, quæ fieri sapientissimè erat permissurus, ad optimos fines, pro infinita bonitate sua pręordinasse: ita vt ne capillus quidem cadat de capite nostro, sine voluntate Patris, & sine causa. *Mat.* 10.29.30.

III.

Omnium hominum alios ad vitam, alios ad mortem prędestinatos esse.

Quapropter etiam non dubitamus, Deum, omnium hominum (vt de Angelis nil dicamus) quos creaturus in Adamo iustos, præuiderat etiam in eo omnes peccaturos, alios in Christo elegisse, vt essent sancti, & immaculati in conspectu eius, in caritate, eóque ad æternam vitam, ex mera gratia: & secundum propositum voluntatis suæ, prædestinasse: *Eph.* 1.4.5. alios autem hac gratia noluisse dignari, eóque tanquam vasa iræ ad interitum, pro iusto suo iudicio pręparasse: vt in illis infinita ipsius misericordia, in his autem iustitia toti mundo pateficeret ad ipsius gloriam. *Rom.* 9.22.

IV.

Sanctorum electionem esse gratuitam.

Quemadmodum enim vocatio ad Christum, & iustificatio in Christo, tota gratuita est, non autem ex operibus nostris: *Eph* 2.9. *Tit.* 3.5. sic etiam intelligimus, totam prędestinationem sanctorum, gratuitam esse, quia in Christo facta est, & propter Christum executioni mandatur: vt nemo possit in seipso gloriari, sed qui gloriatur, in Domino glorietur. *Eph.* 1.4. *Rom.* 9. 1. *Cor.* 1.31.

V.

Prædestinatos nos esse non solùm ad finem, sed etiam ad media.

Vnde & credimus, cùm Deus nos elegerit in Christo, vt essemus fideles & sancti, & inculpati, in conspectu ipsius, *Eph.* 1.4.5. nos prędestinatos esse, non solum ad finem, hoc est ad æternam vitam & gloriam: verùm etiam ad media, per quæ ad finem peruenitur: atque imprimis ad fidem, qua inseramur Christo: & ad regenerationem, veramque resipiscentiam, qua facti noua creatura in Christo, sanctè viuamus ad eius gloriam, & proximi ędificationem. 2. *Cor.* 5 17. *Gal.* 6. 15. *Mat.* 5.16.

VI.

Non esse electos, eóque nec seruari posse, qui nunquam Christo per ipsius Spiritum, fidémque viuam inseruntur.

Proinde illi turpiter, & in suam perniciem falluntur, qui putant se electos esse, & ideo saluos fore, etiamsi non sine Christo per fidem insiti, neque resipiscant à peccatis, nec studeāt voluntati Dei, bonisque operibus faciendis. *Tit.* 1.16. *Eph.* 2.10. Disiungunt enim, quæ Deus coniuncta esse vult.

VII.

Debere quemque confidere, se esse electum in Christo: certiores autem fieri nos posse ex fidei nostræ in Christum sensu.

Hinc etiam liquet, quanquam nemo in genere eximere sē debet è numero electorum, cùm neque scriptura hoc faciat, sed potius confidere, se, cùm vocatur ad Christum, secundū æternum Dei propositum & electionem vocari: si quis tamen velit de certa sui electione fieri certior, huic recurrendum esse ad fidem, & ad conscientiæ testimonium, an sentiat se verè in Christum credere, sinceróque amore affectum esse erga Deum & proximum, nec ne sentiat. 2. *Cor.* 13. 5: Quòd si etiam hoc non solidè & efficaciter sentiat, ne diffidat tamen, sed roget Deum, vt suam adiuuet incredulitatem: sperans fore, vt fiat certior. *Mar.* 9.24.

VIII.

Causa propter quas tradita est doctrina de prædestinatione in Sacris literis.

Neque enim doctrina de æterna, gratuita, & immutabili prædestinatione in Sacris literis tradita est, vt aut Christū negligamus, aut de salute desperemus, aut securi concupiscentię fręna laxemus, aut deniq; insolescamus: sed contrà has pręcipuas ob causas. *Primum*, vt sciamus, extra Christū seruari posse neminē: quando fundamentū totius salutis nostrę, in ipso Christo ante mundi creationē iactū & firmatum fuit. *Act.* 4.12. 2. *Tim.* 2.19 *Deinde*, vt in tempore tētationum, nos, qui in Christū credimus, sustētemus nos in certitudine salutis, nec aut desperemus, aut etiā diffidamus: quando ea certa & firma est in æterno Dei decreto. *Rom.* 8 *per totū*. *Tertiò*, vt inde ad studiū fidei in Christū, sanctitatis, bonorūmque operū incitemur: quando electi fuimus, vt fideles esse-

mus, & sancti, & inculpati in conspectu eius, & vt in bonis operibus ambulemus. *Eph.*1.4. *&* 2.10. *Denique* ne insolescamus, si credimus in Christum, & sanctè viuimus: sed totum soli gratiæ diuinæ in Christo acceptum feramus: & vt, qui gloriatur, in Domino glorietur: 1. *Cor.* 3.1. quando, vt tales essemus, Deus quoque pro sua gratia ab æterno constituit in Christo.

CAPVT IV.

DE OMNIPOTENTIA ET VOluntate Dei.

I.

Deum ita esse omnipotentem, vt plura possit, quàm velit præstare.

Credimus, Deum ita esse omnipotentem, vt non solùm quæcunque voluit ac vult, fecerit & faciat: verùm etiam infinita, quæ non vult, & velle & facere possit: sequuti hac etiã in parte doctrinam Iohannis, qui dixit: Potens est Deus suscitare de lapidibus istis filios Abrahæ, *Mat.* 3.9. quod tamen facere noluit: & Apostoli sententiam, qui scripsit, Deum misereri quorum vult, (cùm tamen possit omnium) & indurare (non omnes, vt potest sed quos vult. *Rom.*9.15.18. vt nimis impium sit, à sola omnipotentia Dei non monstrata eius voluntate, aliquid factum esse, vel fieri, vel factum iri à Deo, concludere velle. *Tertull. contr. Prax.*

I I.

Quædam à Deo fieri non posse non pugnare cum eius omnipotentia

Cùm Apostolus scribat, 2. *Tim.* 2 13. Deum seipsum negare non posse: credimus nullam fieri omnipotentiæ Dei iniuriam, si quis dicat, multa esse, quæ fieri à Deo non possint: nimirum, quæ cum ipsius pugnant natura, implicantque contradictionem.

I I I.

Superioris sententiæ confirmatio.

Cùm enim sit summum bonum, fieri certè malus, aut facere malum non potest: & cùm sit summa veritas, non potest mentiri: cùm summa sit iustitia, nequit iniustè aliquid agere: cùm ipsa sit vita, mori quomodo potest? denique; cùm sit vnus tantùm Deus, isque increatus, & æternus, in tribus tantùm personis subsistens: eum non posse aliquam creaturam ita sibi assumere, vt eam sibi faciat ὁμοούσιον, & talem prorsus, qualis & ipse est, quartámve constituere personam, credimus & confitemur: nihilque hac confessione, de omnipotentia Dei decedere, aut detrahi, persuasum habemus. Certè, quæ etiam facta sunt, fieri non potest, quin sint facta, vt certum sit, quæ contradictionem implicant, ea neque etiam à Deo fieri posse, qui summa est veritas. Hac enim ratione ipsa quoque omnipotentia Dei, qua facta fuerunt, apertè negaretur.

I V.

Voluntatem Dei in solis Sacris literis nobis esse inquirendam.

Porrò cùm infinita sint & arcana Dei consilia: quę ne Angelis quidem ipsis manifestat: *Mar.*13.32. credimus, cùm de voluntate Dei quęstio est, eam non esse alibi locorum, quã in sacris literis, inquirendam: vbi, quæcunque nobis ad salutem necessaria erant, abundè & perspicuè suppeditauit, atque suppeditat, quidque à nobis fieri velit, pro sua benignitate reuelauit per Spiritum suum, Deus. *Io.*15.15. *&* 17.29.

CAPVT V.

DE MVNDI CREATIONE, DE ANGElis, déque primo hominis statu.

I.

Omnia fuisse à Deo condita, & quidem bona valdè.

Credimus, Deum Patrem, omnia per Filium, vnà cum Spiritu S. visibilia & inuisibilia, *Col.*1.16. quæ cœli terræque nomine complexus est Spiritus S. in sacris literis, & quidem omnia valdè bona, intra spacium sex dierum è nihilo creasse: *Gen.*1 *&* 2. eáque ad hominis vsum, & ad suam gloriam destinasse: *Pro.*16.4. *He.*1.10. *Luc* 1.35. ita, vt tam Filium & Spiritum sanctum quàm Patrem, pro mundi creatore agnoscamus: cùm vnus sit idémque Deus.

I I.

Cœlum à terra distingui, cœlúmque beatorum à reliquis cœlis differre.

• Neque cœlum terræ miscemus, cœlósve inter se confundimus, sed cum Sacris literis distinguimus: quemadmodum & elementa, omniáque animalium aliarum rerum genera distincta esse videmus. 2. *Cor.*12.2. *Mat.* 6.20. Ac proinde cœlum quoque, in quo beatorum cum Christo degunt animæ, futuráque sunt omnium piorum corpora, & quod Christus domum patris sui, Paradisum vocat, Apostolus verò ciuitatem habentem fundamenta, cuius artifex & conditor sit Deus: à reliquis cœlis, multò verò magis à terra & inferis differre confitemur. *Io.*14.2. *Luc.*23.43. *Heb.*11.10. Ad quod & Paulus allusit, cùm dixit, se raptum fuisse vsque in tertium cœlum: nempe supra cœlum Aëris, supráque omnes visibiles & mobiles orbes. 2. *Cor.*12.2.

I I I.

Angelos creatos fuisse omnes bonos: quanquam non omnes in veritate perstiterint.

Credimus itaque, etiam Angelos omnes, creatos fuisse bonos & iustos: substantias spirituales & immortales, intelligentia & libera voluntate præditas; quanquam non omnes in ea bonitate & iustitia, atque (vt Dominus Iesus loquitur) in veritate, perstiterunt: sed permultos docemur à scripturis, propria voluntate iam inde ab initio peccasse, factos Dei, omnis boni, humaniq́ue generis atque imprimis Ecclesiæ Dei hostes, mendaces, mendaciúmque ex propriis loquentes, homicidas, diabolos, cacodæmones: *Ioh.*8.44. hancq́ue ob causam è cælo in tartarum detrusos, catenisque caliginis traditos fuisse, & damnationi asseruari. 2. *Pet.* 2.4.

I V.

Causæ, cur permissi multi cœlestes spiritus peccare, malique fieri.

Sed neque hoc sinistra fuisse à diuina sapientia permissum, è Sacris literis didicimus. Nam præterquam quòd voluit in istis sua patefacere judicia, iramque aduersus peccata cuiusque generis creaturarum: constituit etiam, horum opera, ad nos tentandos exercendósque in fide, spirituali pugna, patientia, eóque ad salutem nostram promouendam, vti: *Eph* 6.12 & denique, eos voluit esse suorum iudiciorum aduersus humana scelera exsecutores & administros: 1. *Re.*22. 21. vt qui amorem veritatis nolunt recipere, qua salui fiant, 2. *Thes* 2.12. sequantur doctrinas dæmoniorum: eorumque mendaciis credant, & pereant.

V.

Angelos bonos, seruatos gratia Dei fuisse, vt essent ministri Dei & nostri.

Rursus credimus, ex illis cœlestibus spiritibus innumerabiles fuisse gratia Dei propter Christum seruatos, ne cum aliis peccarent, sed persisterent in veritate & obedientia: *Dan.*7.10 itaque hos factos esse nuntios & administros Dei, qui saluti electorum inseruiant, eósque aduersus diabolos tueantur, & promoueant regnum Christi: *He.*1.7. *Ps.*103.20. qui ita nos amant nobisque inseruiunt, vt de salute nostra summopere lætentur: nolunt verò à nobis adorari, sed solum Deum adorandum esse monent, séque nostros aiunt esse conseruos, quibuscum etiam in cœlo æternam beatamque vitam acturi sumus. *Luc.* 15. 7. *Apoc.* 22.9. *Matth.* 22.30.

V I.

Hominem ad imaginem Dei creatum fuisse.

Credimus, creatis iam rebus aliis omnibus, Hominem etiam ad extremum, corpore è terra formato, & anima, substantia spirituali & immortali, è nihilo facto, & in corpus illud insufflata, creatum fuisse ad imaginem & similitudinem Dei. *Gen* 1. *&* 2 addita illi paulò pòst vxore, ex ossibus, ad corpus quod attinet, conflata, & ad eandem Dei imaginem efformata.

V I I.

Imago illa Dei, quibusnam in rebus potissimum consisterit

Credimus verò, imaginem illam Dei, in hoc potissimum fuisse positam: tum, quòd sicut Deus, absolutus est rerum omnium dominus: sic homini subiecta fuerunt omnia, volatilia cæli, pisces maris, & bestiæ terræ, vsque adeò vt Rex esset totius mundi: *Gen.*1 28. *Ps* 8.7.8.9. tum verò maximè, quod sicut Deus sanctissimus & iustissimus est, sic etiam Homo creatus fuit rectus, in iustitia, & sanctitate vera, sicut interpretatur Apostolus. *Eph* 4.24.

V I I I.

Adamum verè liberum fuisse ante lapsum.

Hinc verò credimus, hominem in primo illo statu, non solùm tali libertate præditum fuisse, vt nihil velle posset inuita voluntate; (quæ libertas semper in homine mansit &

sit & manet) verùm etiam talibus viribus fuisse donatum, vt potuerit, si voluisset, nõ peccare, & non mori, sed in institia perseuerare, & mortem euitare: *Eccl.*7.30.*Sir.*15.18. vt meritò, quòd vtrumque amiserit, illi ipsi attribuendum sit, & non alij.

IX.

Errores.

Damnamus itaque, Valentinianos, Marcionitas, Manichæos, & quicunque aduersus hunc fidei articulum aliquid vel docuerunt, vel scriptum reliquerunt: fingentes, aut ab alio Deo, quàm à Patre Christi, omnia esse condita, aut ab vno Deo bono, bona, ab altero autem malo, mala: cùm Deus esse non possit, qui non sit summè bonus, & solus rerum omnium conditor. Damnamus etiam omnes, qui aut docent animam hominis è substantia esse Dei, aut, qui eius negant immortalitatem, & perpetuam actionem: aut qui in solo dominatu imaginem Dei collocant: aut denique, qui primum hominem verè fuisse creatum liberum, negant.

CAPVT VI.

DE PROVIDENTIA MVNDIque gubernatione.

I.

Mundum, & quæcunque in eo sunt & fiunt, diuina regi prouidentia.

Credimus, Deum, creatis rebus omnibus, ita quieuisse ab omni opere, quod parârat: *Gen.*2. vt interim tamen nunquã desierit aut desinat, Mundum, & quæcunque in eo sunt, tam parua, quàm magna, atque inprimis humanum genus, singulósque homines curare, regere, gubernare: ita vt nihil in mundo fiat, aut contingat, quod non regatur diuina prouidentia. *Sap.*14 3. *Mat.*10.29.30.

II.

Peculiari cura regi Ecclesiam Dei.

Etsi verò vniuersa & singula diuinæ prouidentiæ subiecta sint: credimus tamen speciali quadam cura & ratione regi Ecclesiam Dei, singulósque electos, & electorum voluntates atque actiones: cùm ipsos peculiariter vocet, iustificet, sanctificet, & non omnes: cum in ipsis operetur velle & perficere, inque ipsis inhabitare se dicat, & non in omnibus: cùm denique eos ad æternam vitam deducat, reliquos verò sinat pro suo iusto iudicio viis suis ingredi, & in æternum ruere exitium: *Roman.*8.30.*Phil.*1.13.2.*Cor* 6.16.*Act.*14.16. vt meritò etiam nos peculiariter iubeamur omnem solicitudinem nostram in Deum proiicere, quoniam ipsi (peculiariter) cura est de nobis. 1.*Pet.*5.7.

III.

Deum ordinariè Mundum regere per causas secundas.

Hoc quoque è Sacris literis didicimus, quanquam Deus multa suæ æternæ prouidentiæ decreta per seipsum sine vllo externo coadiutore, imò & nonnunquam contra ordinaria media, perficit: multò plura tamen & ordinariè solitum illum esse per causas secundas, tam in totius Mundi, quàm in Ecclesiæ gubernatione, exsecutioni mandare: cùm ipse dicat, se exauditurum cœlum, cœlum exauditurum terram, terram exauditurum frumentum, frumentum exauditurum Iezreel. *Hos.*2.21 22.

IV.

Media ad finem contemnenda non esse: cum non minus vnum, quàm alterum, Deus sua velit prouidentia.

Vnde etiam intelligimus, licet certi simus, nos Deo curæ esse, media tamen ad salutem nostri tum animi, tum corporis à Deo ordinata, contemnenda non esse. Deúmq; tentandum, sed sequendum esse Apostolum, qui de salute omnium, qui in naui erant, persuasissimus, nautis tamen fugam meditantibus, dixit militibus & centurioni, Nisi hi in naui manserint, vos seruari non poteritis. *Act.*27.31. Deus enim, qui cuilibet rei suum destinat finem: is etiam principium & media, per quę ad finem vsque perueniatur, ordinauit.

V.

Respectu Dei, omnia necessariò: respectu nostri multa contingenter euenire.

Cùm verò Deus sua prouidentia causas secundas, quibus in mundi gubernatione vti solet, in sua quamque natura conseruet, & ita etiam moueat: harum autem aliæ ad certa effecta sint sua natura definitę, alię verò indefinitæ: Nos intelligimus & confitemur, licet respectu Dei, sine cuius præscientia & voluntate nihil contingit in Mundo, omnia fiant necessariò: *Mat.*10.29.3. *Exo.*21.13. respectu tamẽ nostri causarumque secundarum, non omnia necessariò, sed quamplurima contingenter fieri & euenire. Quid enim magis cõtingens atque adeò causale esse potest lignatori & viatori: quàm si è manu illius decidat securis, atq; hunc interficiat? Dominus tamen ait, se illum esse, qui viatorem interfecit. Et Dominus Iesus voluntariè mortuus est: is tamen dixit, Oportuit Christum pati. *Luc.*24.46. Herodes item & Pilatus libera voluntate Iesum damnarunt: Apostoli tamen aiunt, eos non fecisse, nisi id, quod manus & consilium Dei decreuerunt fieri. *Act.*4.28.

VI.

Deum peccatorum, quæ in Mundo admittuntur, autorem non esse.

Atque hinc etiam intelligimus, & confitemur, licet multa in mundo, dum Deus omnia mouet, admittantur ab hominibus scelera: ea tamen Deo, eiusque prouidentiæ imputari non posse: quoniam omnia quidem ille mouet, & vires cuique ad operandum suppeditat sua prouidẽtia: *Act.*17.28. sed malitiam, qua malè operentur, nemini instillat. 1. *Ioh.*2. 16. Vt igitur terra, succũ non minus malis arboribus, quàm bonis suppeditans, reprehendi nequit, quòd mala arbor malos fructus faciat: Sic multò minus Deus, vel autor vel causa dici iure potest peccatorum nostrorum, etiamsi manu suæ prouidentiæ omnia, etiam impios sustentet, portet, agat, regat. *Heb.*1.3. In ipso (inquit Apostolus) viuimus, mouemur, & sumus: *Act.*17.28. tales nimirum ab ipso mouemur, quales sumus: nisi ipse nos pro sua gratia alios faciat.

VII.

Adoranda, non autem inquirenda esse arcana Dei consilia, in Mundi gubernatione.

Interim arcana & admiranda Dei consilia, quibus innumerabilia fieri videmus, quorum tamen nullam possumus reddere, aut etiam nosse rationem: ea qua debemus, reuerentia, suspicimus & adoramus: contenti hac certa scientia, nimirum, nihil in mundo fieri, sine voluntate Dei: *Matth.* 10.29.30. Dei autem voluntatem ita esse iustam, vt sit certissima omnis iustitiæ regula: *Rom.*9.14. ac proinde semper illud esse retinendum, quod Apostolus ait: O altitudo diuitiarum, sapientiæ & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles viæ eius. *Rom.*11.33. Item illud, Nunquid est iniquitas apud Deum? *Rom.*9.14. Et tamen, Ex ipso, & per ipsum, & in ipsum sunt omnia. Ipsi sit gloria, in secula, Amen. *Rom* 11.36.

VIII.

Errores.

Itaque damnamus omnes illusores, omnésque illos Philosophos, qui aut prouidentiam Dei penitus è Mundo tollunt, aut humanas & minimas quasq; res à Deo curari negant: illos item, qui prouidentia Dei abutentes, media à Deo ad salutem nostri, tum animi tum corporis ordinata contemnunt: nec non illos, qui ita simpliciter omnia euenire necessariò contendunt, vt omnem tollant contingentiam, omnémque hominibus adimant libertatẽ: eos denique, qui ita volunt Deum omnia in omnibus operari, vt peccatorum quoque συνεργὸν, & autorem esse blasphement.

CAPVT VII.

DE LAPSV HOMINIS DEQVE PECcato originali, & eius fructibus.

I.

Adamum suapte sponte, per inobedientiam peccasse.

Credimus, cùm primus homo ad imaginem Dei conditus esset, iustus & rectus, veréque liber, vt qui poterat, si voluisset, non peccare, & nullo mortis genere mori: *Ge.*1. & 2. *Eccl.* 7.30. *Sir.*15.18. cum, diabolo quidem suadente: Deo autẽ nihil impediente, sed in manu consilij sui illum relinquente, per inobediẽtiam sponte, veréque libera voluntate peccasse: ita vt peccati sui culpam; neque in suam à Deo acceptam naturam, neque in Deum ipsum, neq; in vllam rem creatam transferre, sed sibi vni, quia sic voluit, adscribere potuerit atque debuerit. *Gen.*3.1. *Sir.*15.14. *Rom.*5.19.

II.

Quod & qualenam Adę peccatum.

Intelligimus enim Adę peccatum, fuisse voluntariã diuini mandati de nõ edẽdo vetito pomo, (vt describit Moses *Gen.* 2.17. & 3.6.) trãsgressionẽ, eóq; (vt loquitur Apostolus *Rom.* 5.19.) inobediẽtiã: quę non tam in externo facto, quã in spõtaneo animi proposito, quo noluit Deo obedire, posita fuit.

III.

Quænam, & quotuplex mors insecuta sit peccatum Adæ.

Ita fatemur, hominem, destitutum iam gratia Dei, vitam illā, qua Deo sanctè viuebat, sua culpa amisisse, occæcata mente, deprauata voluntate, omnique integritate naturæ prorsus perdita, in iis nimirum, quæ ad Deum vitamque Deo gratam pertinent: factum peccati seruum, & Satanæ mancipium, veréq; Deo mortuum: Io. 8.34. Eph. 2.1. Incurrisse insuper mortem, tum corporis, quæ omnibus hominibus communis iam est, cum omnibus corporis calamitatibus: Rom. 5.12. tum maximè totius hominis æternam, hoc est miserrimam, calamitosissimam, infelicissimamque, in æternis pœnis cum diabolo, vitam, omni morte, sine vlla comparatione duriorem: vnde liberari non potuit nisi per Christum, 1. Cor. 15.22.

IV.

Omnes homines in Adamo peccasse.

Quia verò totum humanum genus, quod ex Adamo per naturalem generationem erat propagandum, in ipsius erat lumbis, vnde & præceptum cum sua comminatione coniunctum, non ad personam Adæ tantum, sed ad totum humanum genus pertinebat: Idcirco cum Apostolo credimus, & confitemur, in Adamo peccante, omnes homines peccauisse: Rom. 5.19 Ita vt illa inobedientia non tam fuerit Adami propria, quàm totius humani generis facta sit communis: quando illius reatus, omnes homines inuoluit, qui ex illius porrò semine procreati carnaliter fuerunt, & quotidie procreantur: quemadmodum Apostolus ad Romanos manifestè docuit, atque etiam antithesi inobedientiæ Adami, & obedientiæ Christi firmissimè comprobauit. Si enim obedientia Christi non minus nostra est per imputationem, quam Christi ipsius per propriam actionem, quia ex ipsius semine incorruptibili, & ex eius Spiritu renati sumus: efficitur, inobedientiam quoque Adami nobis imputari, illiúsque reatu nos teneri, quia ex carnali eius, vt patris omnium, semine, geniti sumus.

V.

Inobedientiam Adami, insecutam fuisse totius naturæ corruptionem, in omnibus hominibus.

Quemadmodum autem personam Adami propter illam actualem inobedientiam mox iusto Dei iudicio consecuta est totius naturæ corruptio, concupiscentia ab Apostolo appellata quæ & pœna præcedentis peccati fuit, & peccatum, & causa aliorum peccatorum: *Rem.* 7.7. sic omnes etiam homines, qui naturali propagatione, ex illius semine concipiuntur, eadem corruptæ naturæ contagione infectos nasci, meritò è Sacris literis edocti, credimus, & cum tota Ecclesia confitemur. *Aug. Tom. 7. con. Iul. Pela. lib. 5. cap. 3.* Peccarunt enim omnes in Adamo, eiusdémque inobedientiæ reatu omnes constricti tenentur.

VI.

Peccatum Originale, quid propriè appellemus.

Quapropter ita vitium hoc hæreditarium, & naturæ cōtagionem, in omnibus hominibus peccatum esse dicimus, & peccatum Originale appellare solemus: vt tamen à reatu & imputatione illius primæ inobedientiæ, minimè separemus. Quemadmodum etiam contrà, iustitiam Christianorum, non tam in regeneratione naturæ, quæ fit per Spiritum Christi, & quæ iustitiæ inhærentis nomine appellari consueuit, quam in imputatione perfectæ obedientiæ, & iustitiæ Christi, cuius membra sumus, cōsistere non dubitamus.

VII.

Naturæ contagionem, verè esse peccatum.

Et verò contagio hæc, in pœnam illius primæ transgressionis diuini mandati, inflicta fuit non Adamo solùm, sed toti etiam illius posteritati: eam tamen non solum pœnam esse peccati, & causam omnium porrò peccatorum, sed etiam verè peccatum, vt ad condemnationem vel sola sufficiat, tam certum habemus è Sacris literis, quam quod certissimum. Rom. 7.7.

VIII.

Concupiscentiam in ipsis etiam renatis sua natura esse peccatum.

Vsque adeò autem dicimus concupiscentiam sua natura esse peccatum, pugnans cum lege Dei, & æternæ damnationi omnes homines, nisi per Christum liberentur, obnoxios reddens: vt in ipsis etiam renatis, quamuis sublato reatu propter fidem in Christum, non imputetur amplius: verè tamen, & per se peccatum esse, eóque æterna morte dignum nullo modo dubitemus: cum sit ἀνομία, 1. Ioh 3.4. & lege Dei damnetur, vt etiam Apostolus docet *Rom.* 7.7.

IX.

Ex innata concupiscentia perpetuò scaturire riuulos peccatorum.

Credimus præterea, prauitatem hanc naturalem, talem esse omnium malorum fontem, eúmque inexhaustum, vt perpetuò inde scaturiant putidissimæ aquæ malorum affectuum, impiarum cogitationum, prauorum desideriorum: quæ, nisi per Spiritum Christi cohibeantur, in manifesta tandem erumpunt scelera atque flagitia, alia aliis grauiora: vsque adeo, vt ne vllus quidem sanctus sit, qui hanc vitiorū omnium sentinam, secum non ferat; putidósque eius vapores, semper exhalantes, non sentiat, & subinde sordibus illis non aspergatur & contaminetur. Vnusquisque (inquit Iacobus *Iac.* 1.14.15.) tentatur, á concupiscentia sua abstractus & illectus: concupiscentia autem, cum conceperit, parit peccatum: peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem.

X.

Deum autorem peccati non esse.

Ex quibus etiam omnibus in ea fide confirmamur, qua credimus, Deum minimè autorem esse peccati: cum neque Adamum crearit malum, aut ad malum propensum sed iustum & rectum: neque eum ad malum impulerit vel mouerit, sed ille sua sponte, liberáque voluntate peccarit: neque etiam hæc innata prauitas sit ex Deo, 1. *Ioh* 2. 16. sed inobedientiam illam Adami iustitia priuati, per se fit consecuta, iustè Deo sic permittente, peccatúmque hominis hac digna pœna puniente.

XI.

Errores.

Damnamus igitur cum hæc ergo, totáque Ecclesia, omnes, qui Deum autorem peccati faciunt: omnes item Pelagianos, tam nouos quàm veteres, qui aut homines omnes in Adamo peccasse, primique illius peccati reatu teneri negant: aut ipsam innatam concupiscentiam, morbum tantùm, pœnamque peccati, non autem verè peccatum esse, contendunt: aut in renatis saltem minimè veri peccati nomine dignam esse volunt. Damnamus & illos, qui peccatum originale docuerunt esse substantiam: quòd hæc opinio aut faciat Deum autorem peccati: aut neget, Deum omnis substantiæ esse conditorem, & doctrinam Manichæorum confirmet, de duobus primis principiis, summo Bono, & summo Malo, à quib. omnia, à Bono nimirum bona, à Malo mala profecta sint, & proficiscantur. Damnamus insuper Stoicos, & horum similes, qui omnia peccata paria, neque vnum alio grauius esse docent: illos denique, qui aliquem in hoc mundo inueniri posse contendunt, qui omni prorsus peccato careat.

CAPVT VIII.

DE LIBERO HOMINIS POST lapsum arbitrio.

I.

Liberi arbitrij nomine quid intelligamus.

Cùm omnes homines post, & propter lapsum Adami in peccatis concipiantur, filiíque iræ nascantur ad bonum minimè, ad malum autem quam maximè propensi: *Eph.* 2.3. *Gen.* 6.5. & 8.21. hæc nostra est de libero arbitrio hominis non renati, fides atque confessio. Liberi arbitrij nomine, ita intelligimus liberam hominis voluntatem: vt ab ea tamen non separemus intellectus facultatem, qua de rebus iudicamus, & arbitramur, quid bonum sit, quid malum, quidve eligendum, & quid respuendum.

II.

Duplicem esse quæstionem, vnam de natura, alteram de viribus Liberi arbitrij.

Distinguimus autem quæstionem de viribus totius Liberi arbitrij, à quæstione de natura humanę voluntatis: Naturam vocamus, naturalem atque essentialem à Deo inditam voluntati proprietatem: qua fit, vt, quicquid vult, siue bonum, siue malum, illud semper velit liberè, spontè, vltrò, ab omni semper coactione libera. Virium autem nomine, intelligimus innatam aut donatam potētiam, qua possimus tum mente cognoscere, quæ bona, & quæ mala: tum voluntate, illa eligere: hæc verò respuere.

III. Li-

III.

Liberum arbitrium semper liberum esse à coactione.

Sicut igitur substantia Liberi arbitrij propter peccatum non periit:(mansit enim intellectus & voluntas, totáque animæ substantia) sic neque eiusdem naturam periisse credimus, quin quæcunque etiamnum vult tam mala, quàm bona, ea velit liberè & citra omnem sui coactionem, vt verè dixerit Augustinus, liberum arbitrium semper esse liberum (nimirum à coactione) sed non semper esse bonum.

IV.

Tria rerum actionúmque genera, in quibus vires humani arbitrij occupantur.

De viribus autem ad bonum eligendum, vel malum respuendum, ita sentimus. Distinguimus bona, ac mala, in tria genera: in ea quæ ad animalem, in ea quæ ad humanam, & in ea quæ ad diuinam, hoc est Christianam vitam pertinent. Primi generis sunt, quæ ferè communia nobis sunt cum bestiis, & ad animam vegetantem, ac sentientem spectant. In secundo genere statuuntur, quæ propria sunt hominum, & ad mentem humanam pertinent: vti artes omnes, tam Mechanicæ, quam Liberales, virtutes morales atque politicæ, denique scientiæ omnes, totáque Philosophia. Tertium verò genus continet ea tantùm bona, bonaque actiones, quæ ad regnum Dei duntaxat, Christianamque vitam ordinatæ sunt: veluti est vera Dei cognitio, fides, eiúsque effecta, regeneratio, obedientia, charitas, huiusque generis alia.

V.

Imbecilles esse admodum vires hominis non renati, in iis, quæ ad humanam vitam pertinent.

Vt igitur de viribus humanis post lapsum, in iis cognoscendis, appetendis, &, si offerantur, eligendis ac persequendis, quæ ad vitam hanc animalem sustentandam, & feliciter transigendam spectant, contrariisque fugiendis, nihil dicamus, quòd hæc nihil ad religionem & mores attineat, (qua tamen etiam in parte, quanta sit hominis consecuta tum iudicij, tum appetitus deprauatio, quotidiana docet experientia) credimus, quanquam per Dei misericordiam, aliquid luminis in humanis mentibus relictum sit, partim ad iudicium de æquo & iniquo, bono & malo in rebus humanis faciendum, partim, ad multarum rerum, artium, disciplinarum, diuersarúmque virtutum cognitionem comparandam: tam exiguum tamen esse illud, quidquid est luminis, in humana mente relictum: & tam deprauatam esse humanam voluntatem: vt nisi & illa cœlesti lumine adiuuetur, & hæc speciali gratia ad propositum bonum eligendum, malúmque reiiciendum, flectatur: homines nequeant, vel veras disciplinas & artes sibi comparare, vel virtutes vllas qualescunque in non renatis esse possunt, assequi: vt non immeritò scripserit Augustinus, omnes, etiam quæ in Romanis, aliísque infidelibus, fuerunt & scientiæ, & virtutes, vel potius simulacra virtutum, singularia fuisse dona Dei. Tom.7. cont. Iul. Pel. li.4. c.3.

VI.

Confirmatio superioris sententiæ.

Neque enim omnes infideles fuerunt, aut sunt iisdem vel æqualibus præditi virtutibus & scientiis: vt inde luculenter appareat, ea non fuisse bona naturalia, sed dona Dei, addita naturæ.

VII.

In iis, quæ ad Deum, verámque pietatem pertinent, hominem non renatum nihil posse.

At verò in iis, quæ ad Deum, pietatem, religionem, vitámque Christianam pertinent, credimus, hominis non renati mentem ita esse cæcam, & cor ita prauum, virésque reliquas omnes tam esse nullas: vt nequeat, aut Deum, & quæ Dei sunt, verè cognoscere: aut eum amare, &, quæ illi grata sunt, expetere: nedum eius voluntati, vt debet, obedire. quando Apostolus ait: Animalem hominem non percipere ea, quæ sunt Dei, nec posse percipere: 1. Cor. 2.14. quomodo igitur velle & perficere? Et Christus, Sine me (inquit) nihil potestis facere: Ioh.15.5.

VIII.

Confirmatio superioris sententiæ.

Vt enim homo naturæ & hominibus mortuus, nihil eorum, quæ naturæ sunt & hominum præstare potest: sic neq; qui Deo, in peccatis mortuus est, ea, quæ Dei sunt, & veræ pietatis, verè cognoscere, facere've potest, sed tantùm in peccatis fœtere, atque computrescere, nisi inde per Christum ex gratia liberetur, inque vitam reuocetur. Sunt autem omnes homines extra Christum, Spiritúque Christi nondum renati, verè mortui: *Eph.2.3.* vt verè illi dicantur viuificati, resuscitati, renasci, qui per fidem in Christum à peccatis liberantur, Christóque inseruntur. *Ioh.5.21.*

IX.

Errores.

Damnamus itaque Pelagianos omnes, qui contrarium docent, virésque liberi arbitrij contra gratiam Christi extollunt: Nec minus etiam Manichæos, & alios exsecramur; qui hominem instar trunci faciunt, qui ne in ciuilibus quidem rebus, vllo iudicio, vllave voluntatis libertate præditus sit.

CAPVT IX.

DE PROMISSIONE REDEMTIONIS & salutis per Christum.

I.

Christum, cœlestem hominem, ex gratia fuisse promissum, qui nos seruaret.

Cùm igitur primus & terrenus homo in tam miserabilem statum, sua culpa, propter inobedientiam cecidisset, & cum eo simul eius omnes posteri, qui in eo peccauerunt, & qui re ipsa concipiendi erant in peccatis, nascituri que filij iræ: Credimus, Deum ex mera gratia & misericordia, Adamo atque Euæ: & in eis toti humano generi, alium cœlestémque hominem, è vera quidem veri hominis substãtia, sed sine semine viri concipiendum, cóque & sine peccato è virgine nasciturum, promisisse: in quo, tanquam in altero humani generis capite, ex diuina & humana natura constante, vera Dei Patris imagine, Spiritus S. pleno perficeretur, quod in priori capite Adamo, ipsius culpa, non successerat: *Gen.3.15. 1. Cor.15.47.48. Matt.1.20. Luc 1.34. Ebr.4.15. Ies.7.14.* hoc est, vt ipse secundus homo, nomine nostri omnium, qui etiamus illi per ipsius Spiritum inserendi, & spirituali generatione futuri caro de carne eius, & os ex ossibus eius, perfectissimè Deo Patri obediret: suáque obedientia & morte, peccatum tolleret, iram Dei placaret, nos redimeret, iustificaret, sanctificaret, suo Spiritu regeret, vera libertate, viribúsque ad bonum donaret, & denique in æternam vitam seruaret ac glorificaret. *Rom.6.5. & 11.17. Ioh.3.6. Eph.5.29. Phil.2.8. Rom.5.19. Eph.2.13.14.*

II.

Necessariam fuisse illam de redemtione per Christum promissionem.

Adamus enim, non vt priuata persona, sed vt totius humani generis parens & origo, sicut donatus fuerat iustitia, vt eam in posteros omnes, tanquam hæreditariam propagaret, qua de causa Originalis quoque iustitia appellari solita est: sic sua inobedientia, loco iustitiæ, transmisit in omnes homines summam iniquitatem, omniumque peccatorum fontem, & loco æternæ vitæ, æternam mortem. Necessariò igitur aliud fuit caput: à quo propter ipsius obedientiam, deriuaretur in omnia membra, vera cœlestisque iustitia, sanctitas, vita. Hoc est Christus.

III.

In quem finem fuerit illa promissio, statim post peccatum, facta.

Credimus autem, ideo statim post peccatum, ab initio mundi factam, & postmodum sæpius sanctis Patribus repetitam, explicatam, variisque modis, signis, sacramentis confirmatam & obsignatam fuisse hanc promissionem: vt non solùm nos qui post ipsius Messiæ aduentum futuri eramus, verum etiam omnes alij, qui à condito orbe credituri huic promissioni, veráque fide venturum hunc Seruatorem amplexuri, per hanc fidem fierent futuræ redemptionis participes, iustificarentur, & seruarentur.

IV.

Quotquot à condito orbe, in Christum venturum crediderunt, eos seruatos fuisse.

Credimus igitur, quotquot à condito orbe in Christum promissum & venturum crediderunt, eos fuisse illi per hanc fidem insitos: futuræ eius obedientiæ, passionis, mortis, redemptionis participes: futurum eius tradendumque corpus comedisse, & sanguinem fundendum bibisse, & denique omnes fuisse Christianos, Spiritu Christi donatos, & in æternam vitam seruatos, non minus, quàm nos.

V.

Errores.

* Ac proinde damnamus, & execramur eos, qui dicunt, neminem ante aduentum Christi fuisse seruatum; illósque Patres nullas de æterna salute, sed de rebus tantùm temporalibus, accepisse promissiones.

Caput X.

DE LEGE.

I.

Inter promissionem de redemptione per Christum, & eiusdem complementum, legem Mosis intercessisse & in quem finem.

Cæterùm inter promissionem de redemtione per Christum, Adamo primum factam, & deinde tum aliis, tum maximé ipsi Abrahæ, clarius explicatam, sacramento circumcisionis obsignatam, ac ceu morte Isaaci primogeniti in sacrificium oblati, confirmatam, fœdeteque sempiterno stabilitam: & inter ipsum huiusce promissionis complementum, interiecta fuit lex, per Mosen tradita: collecto iam & mirabiliter aucto populo è semine Abrahæ nato, (ex quo & Christus nasciturus erat) & è seruitute Ægypti, admiranda ratione liberato, vt certa & visibilis, atque è cæteris Gentibus separata, & in certo loco coacta, exstaret Deo Ecclesia: in qua custodiretur promissio de Christo Patribus facta gratúsque Deo cultus exhiberetur, vsque ad promissi veri Redemtoris aduentum: Lex, inquam per Mosen à Deo tradita suæ Ecclesiæ, intercessit, tria præceptorum genera continens: Moralia, quibus cuiusque pietas & vita informaretur: Ceremonialia, ex quorum præscripto, Ecclesia in externo cultu ac religione regeretur: & Iudicialia, ad totius Reipublicæ in rebus politicis & Oeconomicis gubernationem pertinentia: vt hac ratione populus Dei, ex qua futurus erat Christus, & à profanis gentium impiarum moribus atque idololatriis cohiberetur, & in officio atque obedientia voluntatis diuinæ contineretur, & denique in fide & spe complendæ promissionis de vera per Christum redemtione sustentaretur: atque ita ad excipiendum Christum, in dies magis ac magis præpararetur: sicque Deus in illo populo glorificaretur.

II.

In lege Dei, quæcunque ad salutem factu necessaria sunt, contineri.

Vt verò de postremis duabus totius legis partibus, quæ ad nos non pertinent, nihil præterea dicamus, sed tantum de priori: Credimus, ea lege, prout in libris Mosis, Prophetarum, & Apostolorum explicatur, tam perfectè quæ ad salutem necessaria sunt, ea explicata fuisse, Deique voluntatem, quam à nobis in hoc mundo fieri vult, reuelari: vt nihil ei addi possit, neque detrahi. *Deut.* 4.2. & 5.22. & 12.32. 2. *Tim.* 3.16.

III.

Legem decalogi, explicationem esse legis naturæ & imaginis Dei picturam.

* Credimus enim, hanc legem, explicationem esse legis naturæ, quæ in cordibus quidem primorum hominum perfectè, in aliorum autem imperfectè & ex parte inscripta fuit: eóque hac damnari, quæcunque cum illa imagine Dei ad quam creatus fuerat homo, pugnant: & contra, mandari, quæcunque cum illa sunt consentanea. Voluisse enim Deum hac lege declarare, qualis fuerit homo in primo statu, qualis factus sit in secundo, qualísque esse debeat: & demum, qualis futurus esset in tertio ex parte, perfectè autem in quarto, per Christum: ita vt nihil aliud sit lex Dei, quàm vera, & ad viuum expressa imaginis Dei, ad quam creatus fuerat homo, pictura: qua moneamur, quales fuerimus, quales simus, quales esse debeamus, & verò etiam quales futuri simus, si in Christum credamus.

IV.

Summam legis ad dilectionem Dei & proximi restringi.

Credimus verò, & confitemur, quod Christus docuit, summam seu substantiam totius legis, in his duobus præceptis contineri: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis: &, Diliges proximum tuum, sicut teipsum: quorum primum, summa est prioris, alterum autem summa posterioris tabulæ. Mat. 22.37.

V.

Solum Deum esse adorandum, si solus etiam ex toto corde amandus sit.

Si autem summa prioris tabulæ, quæ totum cultum soli Deo debitum continet, in dilectione perfecta solius Dei consistit: hinc præter expressa alia Dei mandata, hoc mandatum explicantia, colligimus & credimus, solum igitur Deum adorandum, inuocandum, religiosóque cultu colendum, pérque nomen eius solius iurandum esse, quod hæc in mandato de solo Deo, ex toto corde, amando, continentur: vt taceamus, quod etiam imago Dei, cuius pictura est ipsa Lex, hoc idem doceat Adamum.

VI.

Ipsam quoque concupiscentiam, naturæque corruptionem esse peccatum.

Ac si lege diuina damnatur peccati, quicquid cum illa prima imagine Dei, id est, cum iustitia, sanctitate, & rectitudine, in qua creatus fuit homo, consentaneum non est: intelligimus, in homine, non solum actiones ex consensu voluntatis contra legem Dei admissas, sed etiam motus concupiscentiæ, adeóque & concupiscentiam ipsam, totámque naturæ corruptionem, esse peccatum, legéque Dei damnari: quia cum rectitudine pugnat atque iustitia, in qua creatus fuit homo, & in qua conseruare se debuit, & potuit, si voluisset. Rom. 7.7.

VII.

Licet seruari non possit Lex, non tamen frustra, neque inutiliter fuisse datam.

Quanquam autem tam perfecta est lex Dei, vt neque tota, neque semper, neque eo modo, quo debet, seruari ab vllo mortalium potuerit, aut possit: credimus tamen, haud frustra & inutiliter fuisse datam, cùm Deus nihil agat frustra, sed omnia ex summa sapientia ad gloriam suam, & ad vtilitatem salutémque nostram. Rom. 7.10. & 8.3.

VIII.

Triplex vtilitas ex lege Domini.

Primùm enim ex perfecta voluntatis diuinæ per hanc legem explicatione, melius homines agnoscere poterant & possunt, quid Deo placeat: quid bonum, quid malum, quid faciendum, quidve fugiendum sit: quàm ex solis reliquiis legis naturæ, in humana mente relictis: eóque, erepto omni ignorationis prætextu, Iudæi magis, quam aliæ gentes, reddebantur, si legem non seruarent, inexcusabiles: quæ res in magnam cedit gloriam Deo: quando inde homines intelligunt, iustissima esse illius aduersus nos iudicia. *Deinde*, ex additis & maledictionibus aduersus transgressores, & benedictionibus erga obseruatores: homines magis, illarũ metu, tanquam fræno, à peccatis admittendis cohibebantur: tum harum spe, ceu stimulo, ad Legem, si non in totum & perfectè, saltem ex parte, & quoad externa opera, seruandam, incitabantur: atque ita in officio, melius retinebãtur: quod quàm vtile sit non solum toti Reipublicæ, sed etiam cuique homini ita sese gerenti, nemo est qui nesciat. *Postremò*, ex eo, quòd homines quotidiana experientia videbant, se semper aduersus hanc tam perfectam legem peccare, sentiebántque se illam non posse, vt decet seruare: eóque se in dies magis ac magis fieri obnoxios iræ Dei, reósque mortis æternæ: fiebat, vt de seipsis, déque suis virib. desperati, maiori promissi Redemtoris ac liberatoris desiderio affice-

afficerentur. Ac proinde, quò magis per legem cognoscebant peccata sua & imbecillitatem suam, viuidiusque sentiebant iram Dei: eò etiam auidius esuriebant & sitiebant iustitiam, & ad Christum fide excipiendum disponebantur ac præparabantur: vt verè vtrumque dixerit Apostolus: Et, per legem cognitio peccati: &, Lex pædagogus fuit ad Christum. *Rom.*2.20. *Gal.*3.24.

IX.

Eosdem vsus, legem habere etiamnum, in ipsis quoque renatis hominibus.

Credimus verò, hosce legis vsus, dum sumus in hoc mundo, perpetuos esse: non solum in non renatis, vt dictum est, sed etiam in ipsis renatis. Cùm enim adhuc multis tenebris obducantur mentes nostræ, & memoria sit lubrica, vt non queamus, quæ Dei sunt, aut perfectè intelligere, aut intellecta retinere memoria: opus semper habemus hoc legis diuinæ speculo, in quo, quid a nobis fieri velit Deus, quotidie contemplemur, certiusque in dies intelligamus. Deinde, cum cor etiam nostrum non sit perfectè ab omni prauitate purgatum, vt plenè affici possit erga voluntatem Dei faciendam, sed caro semper reluctetur spiritui. *Gal.*5.17. Hinc necessaria nobis est lex, quæ suis comminationibus terreat nos compescatque à peccatis: & suis promissionibus extimulet ad obedientiam, faciendámque iustitiam. Denique cùm nemo etiam tam sanctus sit, qui in multis non peccet, 1.*Ioh.*1.8. & qui non habeat in se peccatum inhabitans, a quo imbecilli simus ad bonum, & ad malum semper propensi: ideò vtilis nobis est lex, per quam agnitis peccatis & imbecillitatibus nostris, magis ac magis indies agnoscamus, quum impossibile sit, vt nos per opera nostra, vllo vnquam tempore iustificemur, atque seruemur: eóque maiori desiderio, fame, & siti iustitiæ Christi afficiamur, fidéque illum amplectamur: atque ita lex, cùm nunquam possit iustificare, saltem perpetuò nos ad Christum iustificantem, magis ac magis iustificandos, propius adducat.

X.

Legem moralem, quo ad substantiam, non fuisse per Christum abrogandam.

Nouimus enim, & credimus, legem, quoad substantiam doctrinæ, salutarésque illos vsus, de quibus diximus, non fuisse per Christum abrogandam, eóque nec abrogatam esse: sed tantùm quoad maledictionem, & condemnationem: quia nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum, Rom.8.1. Cæterùm ipsa quoque sua condemnatione vtilis erat lex, & semper est illis, qui nondum in Christo sunt: quatenus ad Christum, vt non condemnentur, impellit.

XI.

Errores.

Damnamus igitur illos, qui legem hanc, tanquam inutilem & ad Christianos non pertinentem, ex Ecclesia reiiciunt: rursus illos, qui docent, per legem posse hominem, aut in totum, aut ex parte iustificari: cùm data potius sit, vt concludat omnes sub peccato, & ducat ad Christum, qui solus tollit peccatum mundi. Atque hæc nostra est breuis Confessio de Lege, per Mosen à Deo tradita, *Ioh.*1.19. & per Prophetas explicata, homines ad Christum præparante, disponente, adducente, ac proinde, cuius finis est Christus vt scribit Apostolus, *Rom.*10.4.

CAPVT XI.

DE CHRISTO REDEMPTORE.

I.

Summa fidei de persona & officio Christi Redemtoris.

VBI ITAQVE VENIT PLENITVDO TEMPORIS, quo promissio redemtionis primo homini facta per secundum erat complenda, Gal.4.4. MISIT DEVS, Pater ille æternus, FILIVM SVVM, vnigenitum & æternum, eóque Deum verum, eiusdem naturæ cum Patre, FACTVM EX MVLIERE, sola, sine viri semine, eóque verum quidem hominem, sed sine peccato, adeóque verum Christum: FACTVM SVB LEGE, eóque & circumcisum: vt eam legem, nostri omnium nomine: perfectissima obedientia impleret: factus Patri obediens vsque ad mortem, (nempe pro nobis, cùm enim esset sine peccato, mori non merebatur) VT EOS QVI SVB LEGE ERANT, adeóque omnes electos, REDIMERET, sua scilicet obedientia, morte & sanguinis effusione, hoc est, infinitæ virtutis (erat enim sanguis Dei, *Act.*20.28.) sacrificio, efficacissimóque ἀντιλύτρῳ: redimeret inquam à peccatis ad pristinam Dei imaginem, eóque ad perfectam iustitiam: à morte item, ad æternam vitam: Et a regno Satanæ, ad regnum Dei: VT ADOPTIONEM FILIORVM RECIPEREMVS: eóque & in plenam tandem perfectámque cœlestis hæreditatis possessionem, tanquam filij & legitimi hæredes reciperemur: Et denique vt omnia, & quæ in cœlis sunt, & quæ in terris, sub vno capite colligeret, sibique adglutinaret, in gloriam Dei Patris. *Eph.*1.10.

II.

Christum Redemtorem, verum esse Deum, verúmque hominem.

Credimus ergo Iesum Christum, Filium Dei esse vnigenitum, eóque natura Filium, ὁμοούσιον Patri, & coæternum, verum denique Deum Iehouam: verum item hominem, ex vero semine Abrahæ atque Dauidis sine opera viri, sed virtute tantùm Spiritus S. eóque in vtero virginis & sine peccato conceptum, atque ex ea natum, vera anima, menteque humana præditum, nobisque per omnia demto peccato, similem effectum: vt verus sit Deus ex substantia Patris ante secula genitus, verus autem homo, ex substantia matris in seculo natus. *Ioh.*1.14. *Mich.*5.2. *Phil.*2.6. 1.*Ioh.*5.20. *Matth.*1.1. *Heb.*4.15. *Matth* 26.35. *Athanas. in Symb.*

III.

Solum Filium, Deum esse & hominem simul, solúmque Christum.

Ita verò Filium Dei verum esse Deum simul & hominem, eóque verum Christum credimus, vt eum etiam solum, talem esse confiteamur: cùm neque Patrem, neque Spiritum S. sed solum τὸν λόγον, carnem esse factum legamus: Ioh.1.14 solúmque Filium dicat Apostolus, factum esse ex muliere, *Gal.*4.4. eóque & solum passum: quanquam ad creationem naturæ à Filio assumtæ, non solus Filius, sed etiam Pater concurrit & Spiritus sanctus.

IV.

Filium factum esse hominem sine vlla sui mutatione, sed tantùm humanæ naturæ assumtione.

Credimus autem, Filium Dei factum esse hominem, nulla facta eius aut in carnem conuersione, aut in carne mutatione, naturæve diuinæ cum humana confusione, sed sola naturæ humanæ, in illius personæ vnitatem, assumtione: &, quemadmodum Athanasius loquitur, *In Symb.* non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumtione humanitatis in Deum: ita vt, quod erat, illud nulla ratione dimiserit, sed, quod non erat, assumserit: Apostolo dicente, Filium assumsisse semen Abrahæ: Heb.2.16. eóque docente, sicut Filius assumens, in rem assumtam mutatus non est, (Deus enim omnino mutari non potest) sed mansit quod erat, à re assumta verè distinctus: sic semen illud assumtum, in rem assumentem minimè conuersum, sed in vnitatem duntaxat eiusdem personæ, cum diuina natura vnitum fuisse: iuxta illud etiam, Verbum caro factum est Ioh.1.14. Caro ergo, caro mansit, & in verbum mutata non est.

V.

Neque naturam assumsisse naturam, neque personam aliam personam, sed personam Filij Dei naturam humanam.

Vnde etiam intelligimus, neque naturam diuinam trium personarum communem, imò vnam eandémque omnium, sumsisse sibi naturam humanam: neque personam, aliam personam, sed tantùm naturam. Neque enim Filius Dei assumsit sibi filium aliquem Abrahæ, sed semen Abrahæ, id est, naturam humanam, ex Abraham propagatam, eóque agnoscimus non duas in Christo personas: sed illam vnam duntaxat, per quam omnia facta sunt, & quæ iam perfecta erat, antequam sibi assumeret semen Abrahæ, vt ea assumtione non sit facta, vel alia, vel perfectior persona, vel etiam reapse imperfecta.

VI.

Naturam humanam, non ad nouam personam Christo constituendam, vel priorem perficiendam: sed tantùm in æterna illius ac perfectissima persona societatem vnitatémque assumtam fuisse.

* Etsi enim in Christo duas agnoscimus naturas, diuinam & humanam: non admittimus tamen, humanam ideò assumtam fuisse, vt aut ex hac & illa, tanquam ex partibus, noua Christo componeretur persona: aut illa prior & æterna persona per nouæ naturæ accessionem, perficeretur: sed tantùm, vt hac in vnitatem illius ab æterno existentis & perfectissimæ personæ assumta, Filius Dei manens quod erat, fieret quod non erat: haberétque quod pro nobis Patri offerret. Ac proinde non simpliciter probamus, si quis dicat, ita personam Christi ex diuina natura & humana conflatam esse: sicut etiam ex anima & corpore, persona cuiusque hominis constat. Probamus verò, vsitatam in Ecclesia phrasin: Christum induisse se, seu indutum esse carne nostra. Vnde & Augustinus ait, Christum instar hominis nudi de monte descendentis, descendisse de cœlo: ascendisse verò, carne nostra, ceu veste, indutum. Hæc enim phrasis, quanquam non ita perfectè explicat vnionem hypostaticam: manifestum tamen discrimen ostendit inter personam Filij Dei assumentem, & inter nostram naturam assumtam. Eandem ob causam amplectimur locutiones illas Patrum, Humanam naturam gestari à Filio Dei: Item, Subsistere in persona Filij Dei, & similes, personam Filij Dei assumentis à natura assumta discernentes: docentésque personam Filij Dei, accessione humanæ naturæ, nec aliam, nec perfectiorem fuisse factam.

VII.

Confirmatio superioris sententiæ, cum explicatione loci Athanasii.

* Fatemur quidem cum Athanasio, sicut anima rationalis & caro, vnus est homo, sic DEVM & hominem, vnum esse Christum: hoc est, Christum, vnam tantum esse personam, licet duæ in eo sint naturæ: verum non sic ex vtraque hac natura, tanquam ex partibus, (si propriè loqui velimus) constitui personam CHRISTI, quemadmodum ad perfectam hominis personam constituendam, non minus corpus, tanquam pars essentialis, quàm anima necessariò concurrit: cùm persona CHRISTI iam esset, eáque tota & perfectissima, antequam in carne manifestaretur: 1. Cor. 10. 9. 1. Pet 3. 19. persona autem hominis, puta Adæ nulla fuerit, antequam cum corpore anima coniungeretur: & cum neque aut anima sibi corpus, aut corpus sibi animam assumat, sicut Filius Dei, in vnitatem eiusdem personæ, semen Abrahæ sibi assumsit: & cum præterea etiam, corpus & anima, duo sint ὁμογενῆ(?), vt in Adami creatione liquet, natura autem humana nunquam per se substiterit, sed tantùm in persona Filij Dei: vt admodum iniquè ad sua somnia probanda, hoc pio sancti viri dicto, nonnulli abutantur. Differt enim is qui sese manifestauit (hic autem est persona Filij Dei) à carne in qua sese manifestauit, omnino necesse est: idque non solùm ante, sed etiam post resurrectionem, & ad dextram Patris sessionem: quæ (vt ait Augustinus) gloriam quidem attulit carni, sed naturam non abstulit.

VIII.

Quomodo Christus vna tantùm sit persona, eáque æterna & immutabilis, duæ autem in ea naturæ: & quomodo ex iis constare dici possit.

Nos itaque agnoscimus & confitemur in Christo, contra Nestorium, vnam tantum personam eámque æternam, simplicissimam, & perfectissimam, eandémque in sempiternum manentem: personam scilicet æterni Filij Dei. *Deinde* verò, huic æternæ personæ, non aliam personam, sed aliam naturam, nempe humanam, in tempore accessisse: eámque non vt partem eius personæ à qua assumta fuit, sed rem longè ab illa diuersam, in illius tamen vnitatem, assumtam Ac proinde *tertio* loco fatemur, in vna eadémque Christi persona duas iam inesse naturas: diuinam & humanam, in quibus eam subsistere, viuere & operari non dubitamus: quam ob causam etiam non veremur sic loqui, Christum constare iam diuina natura & humana in vnitatem personæ assumpta: atque ex iis quodammodo compositum esse.

IX.

Quomodo duæ naturæ in vnam personam vnitæ sint ἀτρέπτως καὶ ἀσυγχύτως: saluis & distinctis vtriusque proprietatibus & actionibus.

Duas autem has naturas sic in vnam Christi personam verè & inseparabiliter coniunctas & vnitas esse, credimus & confitemur: vt vtramque tamen integram, perfectamque, & alteram ab altera verè distinctam permanere, distinctásque suas retinere essentiales proprietates, & operationes, omni prorsus remota confusione, non dubitemus: ita, vt quemadmodum diuina suas retinens proprietates, mansit increata, infinita, immensa, simpliciter omnipotens, simpliciter sapiens: sic & humana suas retinens, maneat creata, finita, certisque finibus terminata: Et sicut diuina, suam habet voluntatem & potentiam, qua Christus vt Deus vult & operatur, quæ Dei sunt: sic humana suam, qua idem Christus vt homo vult & operatur, quæ hominis sunt: vsque adeò, vt Christus, sicut quà Deus est, non vult nec operatur voluntate & potentia humana: sic neque idem quà homo est, velit & operetur voluntate ac potentia diuina: quemadmodum scitè à Patribus tum aduersus Eutychen: tum aduersus Macarium definitum fuit. Itaque semper placuit nobis dictum Leonis primi, ad Flauianum hac de re scribentis, *Epist. 10 cap. 4.* cum ait: *Qui verus est Deus, idem verus est homo: & nullum est in hac vnitate mendacium: dum inuicem sunt & humilitas hominis, & altitudo Deitatis. Sicut enim Deus non mutatur miseratione ita homo,* (id est, humana natura in Christo) *non consumitur dignitate. Agit enim vtraque forma, cum alterius communione, quod proprium est. Verbo scilicet operante quod Verbi est, & carne exequente quod carnis est.* Hæc Leo ille magnus: quæ postea aliquot illustrat exemplis, quibus manifestè demonstratur, sicut naturæ in Christo vnitæ quidem sunt, sed distinctæ manent, non autem confusæ: sic etiam fuisse & esse actiones: quia quæ Verbi erant, non præstabat caro, sed Verbum: & quæ carnis propria, non Verbum, sed caro. Suscitare Lazarum à mortuis, proprium fuit Verbi: at clamare, Lazare veni foràs, carnis: ad suscitationem tamen Lazari vnita fuit vtraque actio, quia ab vno, & in vno Christo fuit, & ad vnum opus tendebat: distinctæ tamen fuerunt. Remittere item peccata, propria fuit actio diuinæ naturæ: at dicere, Remittuntur tibi peccata tua, humanæ. Cæcum à natiuitate illuminare, actio fuit diuinæ: at imponere lutum super oculos, & dicere, Vade & laua, humanæ naturæ. Vnio igitur hypostatica, sicut non confundebat naturas, sic neque actiones, sed distinctas retinebat: ac proinde neque proprietates naturarum. Sunt enim hæc tria in eadem persona Christi, Naturæ, Naturarum proprietates ac facultates, & harum actiones: & eodem modo se habent in Christo naturarum proprietates, quo & naturæ, & actiones. Vt igitur manifestum est, naturam in naturam non transfundi, neque actionem cum actione confundi: sic etiam perspicuum est, proprietates eodem modo se habere.

X.

Transfusionem veram atque realem diuinarum proprietatum in humanam Christi naturam: ex vnione naturarum minimè probari posse.

Probamus enim axioma Patrum contra Eutychianos & Monotheletas: nimirum: quorum sunt eædem essentiales proprietates, eorum etiam easdem esse naturas atque essentias: & quorum naturales proprietates confunduntur, eorum etiam naturas confundi. Quod cum per se verum sit in omnibus, tum verò maximè in Deo, in quo proprietates essentiales, nil aliud reipsa sunt, quàm ipsa essentia, vt omnino necesse sit, si illæ possunt reuera & propriè alicui substantiæ creatæ communicari, ita vt talis fiat, qualis est Deus, putà, simpliciter omnipotens: essentiam etiam ipsam diuinam eidem communicari posse: ita vt fiat æqualis Deo τῇ οὐσίᾳ, eóque Deo ὁμοούσιος, si etiam fit, eidem æqualis, τῇ δυνάμει, id est, potentia, aut alia proprietate. Ita hic duplex, illudque graue admittitur peccatum: vnum, quod, dum, quæ propria sunt Dei, verè & propriè communicamus creaturæ, creaturam exæquamus Deo. Neque valet exceptio, Deum eas ex se habere, humanam autem naturam in Christo, habere à Deitate. Nam etiam Filius a seipso non est, nec à seipso habet essentiam diuinam, sed à Patre: interim tamen æqualis est Patri, & eandem habet cum Patre naturam. Alterum est, quod dum diuinas eóque infini-

finitas proprietates, puta, infinitam potentiam attribuimus humanæ naturæ: eam spoliamus sua finita & propria: non secus, quàm gloria resurrectionis spoliabit corpora nostra, ignominia suæ corruptionis, cùm illa iis verè communicabitur: & non secus etiam, quàm immensa lux Solis, si transfundaretur in aërem, qui lumine tantùm candelæ illustrabatur: lumen illud absorbet. Si enim omnia agit, & operatur potentia infinita: finita fuerit otiosa, eóque nulla. Cæterum cum hæc hæresis nostro etiam seculo à plerisque doctis viris satis abundè, & perspicuè sit refutata: nos, qui breuem simplicémque nostræ fidei confessionem Ecclesiæ Dei, totique posteritati exhibemus: nihil aliud iis, quæ dicta sunt, addere voluimus.

XI.

Vis vnionis hypostaticæ, quanta sit.

Interim tantam esse vim vnionis naturarum in persona Christi, credimus & confitemur: vt primùm quidem, quod est aut agit Christus secundum naturam diuinam, id totus Christus, filius hominis, esse, aut agere dicatur: & contrà, quod est, aut agit, aut passus est secundum humanam, id totus Christus Filius Dei Deus, esse, agere, passúsve fuisse in sacris literis prædicetur, vt illud, Deus (id est, Christus homo & Deus) redemit Ecclesiam sanguine suo: cum vis redemtionis, ad Deitatem: sanguinis effusio, ad humanitatem duntaxat pertineat. *Act.*20.28. Coniunguntur tamen ambæ hæ actiones in vnum, déque toto Christo vtraque simul prædicatur: quanquam distinctæ fuerunt & sunt: quoniam naturæ etiam licet distinctæ, in vna tamen Christi persona copulatæ sunt. Imò nihil egit aut vnquã agit Christus Mediator secundum humanitatem, cui non sit cooperata & cooperetur diuinitas: & nihil secundum deitatem præstitit, cui non aut subseruierit aut consenserit humanitas, vt merito omnes Christi Mediatoris operationes à Patribus vocatæ sint [illegible]: Secundo loco, Sicut tanta est vis vnionis, quæ est inter Patrem & Filium, vt etiam nihil agat, nihilque boni Mundo communicet, nisi per Filium: sic tanta etiam est vis vnionis hypostaticæ duarum naturarum, vt nihil gratiæ, nihil salutis, nihil vitæ in nos à deitate, nisi per humanitatem, fide à nobis apprehensam, fluat: vt omnino necesse sit carni Christi copulari, si quis vitæ æternæ particeps esse velit: quò pertinet illud Christi, Ioh.6.53. Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis. Denique efficit, vt Deitatem in Christo adorare non possimus, nisi simul etiam humanam in eo naturam adoremus: vtque omnino vna tantum adoratione, à nobis adoranda sit, tum humana tum diuina natura, iuxta illud: Et cùm introducit primogenitum in orbem terrarum ait: Et adorent eum omnes Angeli eius Heb.1.6. Eum (inquit) id est, totum, Deum & hominem simul: cùm tamen humana natura, per sese & in se sola considerata, adorari non possit nec debeat. Solus enim Deus adorandus est. Sed vnio, non qualiscunque, sed hæc hypostatica diuinæ naturę cum humana, hoc efficit. Proinde licet in sanctis habitet Deus: adorandi tamen non sunt nec inuocandi, sicut Christus homo. Magnam igitur vim esse fatemur huiusce vnionis qua de loquimur: sed vnionem tamen esse dicimus, quæ omnem excludat confusionem & transfusionem. Si enim vnio inter Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, in vna essentia, qua vnione maior esse excogitari ve nulla potest, distinctionem non tollit personarum: neque etiam vnio hæc naturarum, eóque & proprietatum & actionum in vna persona, earum distinctionem tollere potest, & confusionem inducere.

XII.

Christum, quà homo est, donatum esse, maxima quidem: sed tamen finita potentia, aliisque donis.

Credimus denique, Christum, sicut quatenus Deus est, simpliciter est omnipotens, simpliciterque sapiens, & sic de aliis omnibus attributis: ita quà homo est, donatum esse à Patre, potentia, & scientia, omnium rerum creatarum tam cœlestium quàm terrestrium potentiam & scientiam longissimè & infinitis penè partibus superante, finita tamen idémque de aliis donis & virtutibus omnibus, caritate, prudentia, fortitudine, iustitia, gratia, veritate, & aliis, de quibus Iesaias, Et requiescet super eum Spiritus Domini, &c. *Ies.*11.2. Et Iohannes, Plenus gratia & veritate. *Ioh.*1.14. Item Lucas, Proficiebat sapientia & gratia coram Deo & hominibus. *Luc.*2.52. Qua de causa, dicitur etiam quà homo, exaltatus esse supra omnes principatus & potestates. *Eph.*1.21. Item, Datum ei esse Spiritum non ad mensuram, *Ioh.*3.34. Item, In ipso esse thesauros sapientiæ & scientiæ abscõditos. Col.2.3. Vnde fit, vt quà homo est, nihil non sciat, nihil non possit eorum, quæ ad suum pertinent officium: quæ verò à nulla creata substantia, sed à solo Deo præstari possunt, ab eo ipso fieri potentia Deitatis, voluntate tamen humana semper suo consensu & ceu supplicatione accedente: ita vt ad omnes Christi, quatenus Deus est, actiones ad salutem nostram pertinentes, anima saltem ipsius semper aliquo modo accedat, amore, desiderio & voluntate: sicut etiam in omnibus quæ egit vt homo, semper concurrit Deitas, in ipsa etiam passione & morte: non quod Deitas passa sit, sed quod & passionem & mortem Christi voluerit, passionique & morti vim dederit infinitam, qua peccata nostra possent expiari: Ad summam, De duabus naturis in Christo, déque illarum vnione, & proprietatibus credimus quidquid in Concilio Niceno, Constantinopolitano, Ephesino & Chalcedonensi aduersus Arium, Apollinarem, Nestorium, Eutychen: quæ item in sexta Synodo aduersus Monotheletas, definita fuerunt.

XIII.

Duo actionum Christi genera: ac quę legitur egisse aut passus esse, ea omnia, secundum rei veritatem, & non secundum inanem speciem, gesta ab illo fuisse.

Nunc vt à persona Christi, eiúsque Naturis, naturarúmque vnione peculiariter ad eius actiones, officiumque transeamus: principiò credimus, sicut duæ sunt veræ in Christo naturæ, quarum vtraque suas habuit & habet veras essentialésque proprietates, cõiunctas quidem, quemadmodum & naturæ vnitæ sunt, sed non simul confusas: sic duo etiam esse actionum genera, quas pro nostra salute, partim præstitisse, partim etiamnum præstare Dominus noster Iesus Christus legitur: alias, quæ ab ipsa Deitate fluunt: alias quæ ab humanitate: & eas quidem ita partim fuisse & partim esse simul coniunctas, sed tamen distinctas, vt vtraque forma, (sicut loquitur Leo) cum alterius communione semper agat, Verbo, quæ Verbi sunt faciente, & carne, quæ carnis sunt exsequente. Deinde, sicut quæ virtute naturæ diuinæ egit Christus & agit, vera & non simulata sunt opera (verè enim nos reconciliauit Patri, verè remittit peccata, verè sanctificat & regenerat:) sic etiam quæcunque secundum humanam naturam pro nobis egisse aut passus esse legitur, ea omnia verè, & reipsa, non autem secundum inanem tantùm speciem, atque (vt loquuntur) apparentiam, illum egisse & passum esse credimus.

XIV.

Explicatio superioris sententiæ.

Credimus ergo, CHRISTVM, sicut verè conceptus est ex semine DAVIDIS, veréque & verus natus est homo, veréque edit, bibit, aliáque humana præstitit opera: sic etiam verè legem pro nobis seruasse, verè carne passum esse & mortuũ, veréque à mortuis in eadem carne resurrexisse, suóque visibili, palpabili, vero, certisque dimensionibus terminato humano corpore, in verum & creatum cœlum, supra omnes hosce aspectabiles cœlos positum, ascendisse: atque ibi pro sua libera voluntate agere & manere: donec in eodem visibili corpore verè è cœlo redeat, iudicaturus viuos & mortuos: verè etiam in cœlo nostram salutem velle: nostri curam gerere: in nos, tanquam in sua membra, spiritualem vitalémque motum & sensum influere, totam denique Ecclesiam regere. 1. *Pet* 4.1. *Luc.*24.39. *Heb.*11.10. *Eph.*4.10. *Act.*1.11. *Eph.*1.22. & 4.16.

XV.

Fructus obedientię, passionis, mortis, & resurrectionis Christi.

Credimus verò, Christum sua perfecta obedientia, non solum sibi, sed etiam nobis vitam æternam promeruisse: sua passione & morte, peccata nostra in sua carne expiasse; nos è manibus Satanæ & à mortis tyrannide, peccatíque seruitute redemisse; Deo in seipso reconciliasse, carósque reddidisse, vt iusti in ipso apud Deum Patrem censeamur: Resurrectione verò & Ascensione in cœlum, resurrectioné quoque nobis vtramque, primam scilicet & secundam (vt Iohannes loquitur Apo.20.5.) impetrasse, cœlestisque hæreditatis possessionem nostro etiam nomine sibi accepisse sedereque ad dextram Patris, hoc est, imperium super omnia in cœlo & in terra accepisse; *Eph.*1.19. ita vt, quate-

nus Mediator & homo est, secundum à Patre obtineat locum: caput totius Ecclesiæ, tam quæ in cœlis est, quàm quę in terris, constituitur: vt ex ipso, adeóque ex ipsius carne, quidquid ad nostri viuificationem spiritualémque vitam pertinet, illud in eos, qui ipsi tanquam membra capiti adglutinati sunt, deriuetur per Spiritum sanctum. Ac proinde agnoscimus, credimus & confitemur in vno Christo totam salutem, redemtionem, iustitiam, gratiam Dei, vitam æternam, positam esse: iuxta illud, Qui factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio, redemtio: 1. *Cor.* 1.30. Item, Ipse est pax nostra: *Eph* 1.14. Itē, Iehoua iustitia nostra: *Ier.* 23. 6. In ipso habemus redemtionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum: *Eph.* 1.7. Item, Complacuit in ipso omnem plenitudinem inhabitare: *Col.* 1.19. Item, Vita in Filio eius est. 1. *Ioh.* 5.11. eóque intelligimus, quæ de Redemtione facta fuerat primo homini promissio, eam in hoc altero homine Iesu Christo, suum accepisse complementum: ità, vt, qui vult eius fieri particeps, Christo capiti adglutinetur, eiúsque fiat membrum, omnino necesse sit. Non solum enim per ipsum vt Mediatorem: sed in ipso, vt in capite, habemus redemtionem & salutem. Hæc nostra est fides de Christo Redemtore, de eius persona, naturis, officio, salutéque humani generis in ipso completa atque exposita.

XVI.

Errores.

Itaque damnamus omnes tam veteres quàm nouos hæreticos, qui contraria vnquam docuerunt aut docent. 1. Arium, Photinum, & nominatim Seruetum, & omnes alios huius farinæ impios homines, qui veram Christi Deitatem negarunt: Cerdonianos, Marcionitas, Valentinianos, Manichæos, Priscillianistas, Apollinaristas, & alios, qui veram Christi humanitatem oppugnarunt: aliis negantibus, Christum in carne venisse, verámque carnem habuisse: phantasticum autem corpus è cœlo eum attulisse, aut ex elementis, non autem ex semine Abrahæ conceptum habuisse, ex fœmina item natum non fuisse contendentibus: aliis veram quidē humanitatē concedentibus, sed eum anima rationali spoliantibus, & Deitatem in locum animæ substituentibus: Nestorianos item, qui veram vnionem naturæ humanæ cū persona Filij negarunt, & duas in Christo personas, duósque Filios, Filium Dei, & Filium hominis statuerunt. 2. Nec minus damnamus Eutychianos, qui contra, sicut vna tantùm persona est Christus, sic etiam vnam in eo duntaxat naturam, diuinam scilicet reliquerunt: humanam quam assumserat, aut in diuinam prorsus conuersam esse docentes: aut ita cum diuina permixtam & confusam fuisse: vt nullam amplius inter proprietates & actiones diuinæ & humanæ naturæ differentiam in eo reliquerint. 3. Damnamus etiam, qui ex iis prodierunt, Macarium cum suis: qui vnam tantùm in Christo posuerunt voluntatem, diuinam scilicet, eóque nullam humanæ voluntatis propriam actionem in Christo admiserunt. 4. Damnamus item Cerdonianos hac etiam in parte, qua dicebant, CHRISTVM non verè passum, nec verè mortuum fuisse, sed simulasse passionem, seu, vt alij loquebantur hæretici, putatiuè passum & mortuum esse: eóque & cum iis damnamus omnes, qui similia docuerunt aut docent: nimirùm, Christum aut non verè in ea carne, qua mortuus fuerat, sed in alia diuersæque naturæ resurrexisse: aut, si in eadem resurrexit, non tamen verè in cœlum ascendisse, eámque cœlo intulisse, locúmve mutasse. 5. Damnamus item cum Hieronymo, Cyrillo, & aliis Patribus, Origenistas & horum similes, qui docuerunt, Christū resurrexisse cum corpore instar spiritus, subtilissimo, & sua natura inuisibili, & quod sub nullos cadat sensus. 6. Illos item, vt Iudæos & Turcos, qui beneficio mortis Christi mundum esse redemtum negant. 7. Nec non denique omnes, qui in alia re, quàm in solo Christo salutem vel ex parte vel in totum positam esse contendunt: & aliis etiā sacrificiis, præter illud vnicum Christi, peccata expiari aut remitti blasphemant: Vnicum enim agnoscimus Redemtorem Iesum Christum, extra quem, sicut nullus est verus Deus, sic nulla vera salus: & vnicum sacrificium, cuius oblatione semel facta, non solum peccata omnia electorum fuerunt in persona Christi semel expiata, sed etiam quotidie in finem vsque mundi iam expiata condonantur credentibus.

CAPVT XII.

DE VERA REDEMPTIONIS, SALVTIS, & vitæ, quæ in vno Christo posita est, dispensatione: eóque de necessaria cum Christo vnitione ac κοινωνίᾳ.

I.

Salutem & vitam æternam in Christo positam esse, vt inde nobis communicetur.

Credimus, sicut peccatum Adæ, & quæ illud secuta est mors, non in solo Adamo permansit, sed ex illo, tanquam ex capite totius humani generis, in omnes homines, qui per communem generationem ex ipso nati sunt & nascuntur, permanauit, atque permanat: *Rom.* 5.12. sic etiam Christi iustitiam, & quæ illi debetur, vitam æternam, non in solo Christo retineri, sed in omnes, qui cum ipso per regenerationem Spiritus sancti vnum fiunt, ipsique tanquam capiti totius Ecclesiæ, ceu vera membra adglutinantur, deriuari atque in hunc finem & Christum venisse in carne, & totam in eo, tanquam capite, salutem ac vitam positam esse: vt scilicet, omnibus electis ipsi vnitis, reipsa dispensetur ac communicetur.

II.

Omnibus quidem gratiam redemtionis, & salutem seriò offerri: reipsa tamen, non nisi electis, qui vnum cum Christo fiant, communicari.

Credimus enim, *Mar.* 16.15. & 16. licet omnibus hominibus per Euangelij prædicationem gratia redemtionis, salus ac vita æterna à Deo dispensanda, seriò proponatur, (quòd enim permulti huius non fiant participes, ipsorum sit vitio ac culpa) reipsa tamen non communicari, nisi iis, qui, cum ab æterno in Christo tanquam omnium electorum capite, ad hoc, vt eius membra, eóque salutis participes fierent, electi ac prædestinati fuerint, postea suo tempore per Euangelium vocati, fidéque donati, per Spiritum sanctum, Christo inseruntur, vnúmque cum illo fiunt.

III.

Ad veram salutis participationem, quàm necessaria sit vera vnio seu κοινωνία cum Christo.

Quemadmodum enim neque palmes à vite, neq; ramus ab arbore succum vitalem, neque membra à capite motum, sensum, vitamque haurire possunt, nisi verè & illi, viti atque arbori, & hæc capiti adglutinata sint: sic neque homines à Christo, in quo solo posita est, salutem vitámque percipere queunt, nisi verè ei inserantur, veráque & reali vnione copulentur, copulatíque in eo maneant. *Ioh.* 15.1.2.3.4.5.6.7.

IV.

Nos non posse vniri Christo, nisi ipse prior sese nobis vniat.

Cùm ergo tota veræ iustitiæ, salutis vitæque participatio, ex hac pernecessaria cum Christo κοινωνίᾳ, pendeat, & ad hanc tum Euangelij prædicatio, tum omnium Sacramentorum administratio, adeóque totum ministerium Ecclesiasticum referatur: idcirco, quæ de hac re sit nostra fides, breuiter & perspicuè, quoad eius fieri potuit, certis, quæ sequuntur, Thesibus toti Ecclesiæ Christi explicare, testatúmque facere voluimus. Ac *primum*, credimus, sicut nos diligimus Christum, vt ait Iohannes, quia ipse prior dilexit nos, 1. *Ioh.* 4.10. & ideò ad eum nostro Spiritu accedimus, quia ipse prior suo ad nos venit: & ideò illum complectimur, quia ipse prior vi sui Spiritus nos complexus, excitat in nobis fidem: sic etiam nos non possemus adhærere, & vniri, nisi ipse prior sese nobis adiungat atque vniat. Vna enim, causa est alterius: prior posterioris. Quare precibus agendum esse, vt ipse ad nos veniat, & mansionem apud nos faciat, *Ioh.* 14.23.

V.

Vnio Christi nobiscum, & nostri cum Christo quotuplex, & quomodo sint inter se ordinatæ.

Triplicem porrò Christi nobiscum, & vicissim nostri cum Christo coniunctionem agnoscimus: *vnam*, in nostra natura semel factam: *alteram*, quæ fit quotidie in singulis electorum personis, sed peregrinantibus à Domino. Et *postremam*, quæ futura est itidem cum Domino, in personis nostris, sed præsentibus ad Dominum: cùm scilicet Deus erit omnia in omnibus nobis. Ac prima quidem refertur ad secundam, & secunda ad tertiam; sicut natura ordinata est ad

... gratiam, & gratia ad gloriam. Nam prima etiam facta est per assumptionem naturæ nostræ ... Secunda fit per assumtionem personarum nostrarum in gratiam, inque corpus vnum cum ipso mysticum, atque adeo in participationem naturæ ipsius diuinæ, vt Petrus loquitur. Tertia fiet per assumtionem itidem nostri omnium in gloriam cum Christo sempiternam. Neque dubitamus, quin CHRISTVS nobis voluerit priore, posteriorem: & posteriore, postremam præmonstrare: vt ex iam facta, in spe eius quæ facienda erat, confirmaremur.

V I.

Sicut vnio prima facta est, vt expiarentur peccata: sic secundam fieri, vt expiationis huius fiamus participes.

Credimus igitur, (vt iam omissis, quæ ad rem præsentem non pertinent, propriùs accedamus) Filium Dei ex æterna Patris, eóque & sua & Spiritus sancti voluntate, quemadmodum, vt in se ipso nostre expiaret peccata, carnem nostram, hoc est, naturam humanam, vi Spiritus sui id vtero virginis conceptam, sibi ipse in vnitatem personę assumsit, inque ea legem Dei pro nobis perfectissimè impleuit, factus Patri ... obediens vsque ad mortem, & tandem ea carne in sacrificium pro peccatis nostris oblata, ęternam salutem nobis in se ipso cōparauit: sic etiam, vt huiusce salutis, sacrificio carnis suæ, nobis iam partę, nos reipsa participes efficeret, alio vnionis genere, singulos electos sibi assumere, atque adglutinare voluisse, & cōsueuisse: tali nimirum copulatione, qua cū ipso, licet non in vnam personam, in vnum tamen verum mysticum corpus, cuius ipse sit caput, & nos singuli membra, vniamur, fiamúsque participes diuinę ipsius naturæ.

VII.

Vi Spiritus sancti, vt prima facta est: ita alteram fieri.

Neque dubitamus: quin Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, sicut in prima vnione, carnem & sanguinem nostrum sibi copulauit, virtute sui Spiritus: (fuit enim conceptus homo de Spiritu sancto, eóque sine peccato: qua etiam de causa, homo cœlestis appellatur:) sic etiam in secunda suam vicissim carnem, & suum sanguinem, seque totum nobis communicet, eáque communione nos sibi consociet, adglutinet atque incorporet, efficacitate eiusdem sui Spiritus. vt semper copula, qua vt Christus nobis, sic nos vicissim Christo coniungimur, sit idem Spiritus Christi: qui sicut in vtero virginis effecit, vt Filius Dei factus sit caro ex carne nostra, & os ex ossibus nostris: Sic etiam in cordibus nostris operando, & nos Christo incorporando, efficit, vt vicissim ipsi, participatione corporis & sanguinis Christi, simus os ex ossibus eius, & caro de carne eius: præsertim cùm fidem etiam in nobis excitat, qua Christum pro vero Deo & homine, eóque pro perfecto Seruatore, agnoscamus, & complectamur.

VIII.

Vnionem nostri cum Christo, ita spiritualem esse, vt tamen sit vera atque realis.

Ita credimus, hanc quoque alteram vnionem, non ferè minus, quàm priorem (si ita loqui liceat) sic spiritualem esse, vt tamen sit vera atque realis: Quia per Christi Spiritum, nos licet in terris existentes, cum Christi corpore, sanguine & anima in cœlo regnantibus, cúmque natura ipsius diuina in nobis manente, reapse & verè copulamur: vsque adeò, vt mysticum hoc corpus ex Christo tanquam capite, & ex fidelibus tanquam membris cohærens, nonnunquam Christus simpliciter appelletur. 1. *Cor.* 12. 12. Tanta est Christi cum fidelibus, & horum cum Christo coniunctio: vt haud male dici quodam modo posse videatur, sicut prima vnio facta est ex duabus naturis in vna persona: ita hanc fieri ex multis personis, in vnam ceu naturam: iuxta illa dicta, Vt diuinæ efficeremini consortes naturæ: &, Sumus membra corporis eius, ex ossibus eius & ex carne eius. 1. *Pet.* 1. 4 *Eph.* 5. 30.

IX.

Confirmatio superioris sententia, quàm arcta sit hæc vnio.

Quemadmodum enim Anima in homine, quia vna & eadem, ac tota non minus in capite, singulisque membris est quàm in toto simul corpore, efficit, vt singula membra in vnum corpus sub vno capite vniantur & coalescant: sic etiam vi Spiritus Christi: quia vnus atque idem est in Christo & singulis fidelibus, fit, vt omnes ... etiam corporibus in vnum spiritualiter connexi, vnum & idem corpus cum Christo capite simus: corpus inquam mysticum & spirituale, quia nexu arcano eiusdem Spiritus, connexum & compactum est.

X.

Vnionem hanc, quia fit vi Spiritus sancti, impediri vlla locorum distantia non posse.

Vnde & sequitur, nulla quantumuis magna locorum distantia, vnionem hanc veram atque realem, licet spiritualem, nostrorum corporum nostrarúmque animarum, cum corpore & anima Christi, impediri posse, quippe quæ fit efficacitate talis Spiritus, qui à terra vsque in cœlum & vltra pertingit: membráque Christi in terris existentia, cum capite in cœlo, ad dextram Patris sedente, non minus arctè in vnum coniungit, quàm anima hominis pedes ac tibias, reliquáque membra cum capite in vnum corpus adglutinat: etiamsi talis homo tam magnus esset, vt eius caput pertingeret vsque ad nonam sphæram, & pedes in terræ centro residerent. Tanta est animæ vis: quanta verò Spiritus sancti, veri & omnipotentis Dei?

XI.

Spiritum, quo fit hæc vnio, donari à Christo, ad prædicationem Euangelij, & Sacramentorum administrationem.

Hunc porrò Spiritum quo Christus & seipsum nobis, & nos sibi copulat, suámque cum nostra, nostramque cum sua coniungit carnem: credimus, ab ipso Christo, pro sua quidem gratia, quando, & vbi, & quomodo vult, ordinariè tamen ad prædicationem Euangelij & Sacramentorum administrationem nobis communicari. Cuius rei visibile testimonium fuit, cùm in nascente Ecclesia, illi qui fide amplectebantur Euangelium, & baptizabantur in nomine Christi, aut super quos imponebantur manus, præter inuisibilem gratiam regenerationis, varia etiam & sensibilia doná Spiritus percepisse leguntur.

XII.

Hanc vnionem finem esse præcipuum Euangelij & Sacramentorum.

Vnde etiam haud difficulter intelligimus, quis præcipuus finis sit tum prædicationis Euangelij, tum administrationis Sacramentorum: nempe hæc cum Christo Filio Dei incarnato, proque nobis passo & mortuo, nunc autem in cœlo regnante, salutemque ac vitam suis electis communicante, κοινωνία: hîc incohata, in cœlo autem perficienda: vt nimirum ex hac porrò nostri cum ipsius carne & sanguine, totáque eius persona, vera & reali copulatione, salutis quoque æternæ, quæ ab ipso partà, in ipso etiam residet, participes fiamus.

XIII.

Vnionem hanc non esse imaginariam, nec fieri participatione tantùm donorum, sed communicatione substantię.

Cæterùm, ideò præsentem hanc nostri cum Christo incorporationem, veram, & realem, substantialémque esse diximus: vt occurreremus illi errori, quo quidam existimant, imaginariam duntaxat quandam, eóque falsamà nobis fingi vnionem: aut non aliam veram statui, quàm quę fiat participatione spiritualium donorum, & gratiæ Christi absque communicatione substantiæ carnis & sanguinis ipsius.

XIV.

Vnionem, non alia fieri ratione, quàm per Spiritum sanctum & fidem.

Sed rursus, ne alij hinc falsò eliceret, talem à nobis concipi vnionem, quæ aut cum carne Christi in his terris realiter existente, per physicum aliquem fiat contactum, siue crassum siue subtilem, qualiter sensilia omnia vniuntur cum sensibus, alia crassiore, alia subtiliore modo: aut quæ cum eadem in cœlis manente, per species in mente (vt loquuntur Philosophi) intelligibiles fiat, qualiter omnia quæ intelliguntur, vniuntur cum intellectu, illa per imagines quasdam percipiente: Idcirco adiecimus modum, quo hæc vnio atque incorporatio fiat: nempe,

per Spiritum Christi, nobis communicatum, reapse in nobis manentem, Christóq; nos copulantem, & excitata fide, vt Christum amplectamur, efficientem.

X V.

Confirmatio vtriusque capitis: nempe, vnionem essentialem esse, sed per solum Spiritum fieri, nostrámque fidem.

Vtrumque enim, nimirum, copulationem hanc, & essentialem esse, & per solum Spiritum sanctum fieri, pérque nostram fidem: copiosè simul & dilucidè tradunt sacræ literæ. Apostolus scribens ad Ecclesiam Ephesinam, quia sublatis inimicitiis per Christum, & diruto maceriæ interstitio, reconciliati fuerant Deo & inter se Iudæi & gentes, duo diuersissimi populi, omnésque Christo per eundem Spiritum sanctum insiti, & renati: Idcircò minimè dubitauit dicere, conditos esse ambos nos in vnum populum (vt dicendum esse videbatur:) sed melius hanc vnionem, quam arcta sit, exprimendi causa, IN VNVM NOVVM HOMINEM, in ipso Christo, *Eph.*2.14.15.16. Ergo quia omnes vno eodémque Spiritu, tanquam vna eadémque anima renati, viuimus, & vni capiti Christo adglutinati sumus: meritò vnus homo nouus, omnes simul appellamur. Et in eadem epistola, *Eph.*4.15. arctissimam hanc & essentialem incorporationem describens, comparabat Christum capiti, nos omnes membris, cum capite per neruos, iuncturas, & ligamenta connexis & coagmentatis: quæ vitam motúmque à capite hauriunt. Qua similitudine nihil ferè frequentius est in sacris literis: vt hinc qualis & quanta sit nostri omnium cũ Christo, propter Spiritum eius in omnibus renatis inhabitantem, coniunctio, facilius & clarius intelligeremus. Eandem ob causam idem Apostolus (*Eph.*2.20.21.22.) cõparat Christum fundamento, fideles omnes lapidibus, (sed viuis sicut & fundamentum, vt possint ab illo accipere incrementum) fundamento ipsi superstructis: ex quibus omnibus totum ædificium coagmentetur & crescat in templum sanctum in Domino, per Spiritum sanctum: id quod ante Apostolum fecerat Christus ipse non semel, faciens se fundamentum, Ecclesiam autem ædificium, reipsa fundamento innixum, & inseparabili nexu adglutinatum. *Matt.*16.18. Eodem pertinet, quòd Christus vocat se vitem, nos verò palmites: qui à vite vitam succúmque haurientes, viuimus, fructúsque proferimus bonos. *Ioh.*15.1. Idem demonstratur simili arboris & oliuæ, cui fideles tanquam rami excisi ab oleastro, insiti sunt, vt bonas oleas proferre possint. *Rom.*11.17. Inseruntur autem per Spiritum sanctum, & fidem. Vnde ad Philippenses 2.1. communio Spiritus vocatur: pérque fidem Christus dicitur habitare in cordibus nostris. *Eph.*3.17. Neque obscurum est, quod Apostolus incorporationem Ecclesiæ cum Christo, & Christi cum Ecclesia, singulísque fidelibus, coniugium vocat iuxta consuetudinem Prophetarum: in quo duo, vna fiunt caro. Erunt duo in vnam carnem, dixerat Deus: Apostolus autem, Mysterium (inquit) hoc magnum est. Ego autem dico, in Christo & in Ecclesia. *Eph.*5.32. Illud verò semper occurrit, quod Iohannes scribit de hac vnione, déque Spiritu, per quem illa fit, & cognoscitur. Per hoc (inquit) cognoscimus nos in eo habitare, & ipsum in nobis, quòd de Spiritu suo dedit nobis. 1.*Ioh.*4.13. Habitat igitur in nobis, & nos in ipso, per eundem Spiritum sanctum, qui & in ipso, & in nobis est. Quò etiam illud pertinet: Qui non habet Spiritum Christi, hic non est eius. *Rom.*8.9. Christi autem esse eos intellexit Apostolus: qui sunt vera & viua Christi membra.

X V I.

Conclusio, Essentialem esse, pérque solum Spiritum Christi, & fidem nostram fieri hanc coniunctionem.

His ergo atque aliis similibus testimoniis Sacrarum literarum adducti, non dubitamus, quin Christus & eius Apostoli significare nobis voluerint, communionem quam fideles omnes, tam parui quam magni habemus cum Christo, adeóque cum eius carne & sanguine, veram ac realem esse: & tamen non alia fieri ratione, quam nexu & vi Spiritus sancti. Ac proinde, licet arcana sit & mysteriorum plena ac spiritualis, quia fit per Spiritum & fidem: non debere tamen nos dubitare, quin propter eundem Spiritum, tam vera & essentialis sit, quàm quę est inter virum & vxorem, in vnam carnem adglutinatos: inter fundamentum & lapides superædificatos: inter arborem & ramos: inter vitem & palmites: denique inter membra & caput, ligamentis & neruis connexa, & eodem animo viuentia, atque operantia: vt nulla maior hac fieri possit cum ipso Christo, dum sumus in hac carne mortali, coniunctio.

X V I I.

Confirmatio sententiæ ab alio simili, & ex ipsa Philosophia.

Certè si vna & eadem anima in omnibus esset hominibus efficeret, vt innumerabiles personæ, vnus tantum essent homo: Quemadmodum & de vna eadémque essentia in tribus personis diuinis existente, Theologi concludunt, ideò vnum tantum esse Deum. Id verò multò etiam clarius apparet esse verum: si illi multi homines vnum tantum haberent caput, cui essent annexi, & à quo vno haberent motũ. Quid mirum igitur, quòd Spiritus sanctus in omnibus piis vnus atque idem, qui & in Christo existens, ita realiter nos cum illo copulet, vt vnum simus cum eo, & inter nos corpus, imò vnus nouus homo, omnes in ipso capite Christo, nimirum iis duobus respectibus, vnius scilicet Spiritus per quem, & vnius capitis, cui omnes annexi sumus, Paulus dixit, omnes fideles vnum esse hominem nouum, *Eph.*2.14.

X V I I I.

Ex vnione cum Christo, beneficiorum mortis & resurrectionis eius participationem in nos deriuari.

Ex hac verò cum Christo [illegible] sequitur & pendet participatio beneficiorum eius, salutísque in ipsius carne & sanguine nobis partæ ac residentis: Vt enim palmites succum a vite haurire non possunt, neque membra a capite, neque lapides viui a fundamento, nisi reapse connexa sint cum suo fundamento, cum capite, cum arbore, cum vite, & in illis maneant; sic neque nos à Christo capite nostro, fundamento, arbore, vite, nisi reuera simus per Spiritum sanctum illi insiti; atque in illo maneamus, facti caro de carne eius, & ossa ex ossibus eius; vt summa nobis iniuria fiat, si quis dicat, ideo nos veram carnis & sanguinis participationem negare, & participationem duntaxat donorum ac beneficiorum eius asserere; quia non admittimus, cùm neque possimus admittere, verum Christi corpus per nostrum os realiter transire in nostra corpora. Quasi verò quę fit per Spiritum sanctum & fidem, non sit vera atque essentialis communio; cùm nihil magis arctè diuersas substantias & naturas in vnum coniungere possit, quam Spiritus sanctus; Quemadmodum in incarnatione Filij Dei videmus: & in hominis creatione ex anima & corpore compositi. Certè vera & salutaris non esset illa, quę per solum Spiritum, & per fidem fit, cum carne & sanguine Christi, [illegible] nisi etiam per os transeat in corpora nostra: malè consultum fuisset à Christo suæ Ecclesiæ. Proinde & in receptione solius Euangelij, & in susceptione Baptismi, eandem fieri voluit. quemadmodum de prima testatur Iohannes, & de secunda Apostolus 1.*Ioh.*1.3.1.*Cor.*12.13. De vera igitur communione cum Christo in genere, eóque de dispensatione salutis ac vitæ, quæ in Christo est, hæc nostra est confessio.

X I X.

Errores.

Improbamus igitur eorum errorem, qui per opus [illegible] cant, operatum, absque fide, & absque vera cum [illegible] nitione, docent remissionem peccatorum, [illegible] minibus communicari: eorum verò damna[illegible] he-miam, qui id per opera à Deo non mandata, [illegible] bus excogitata, plenáque superstitionum & idololatriæ fieri contendunt: nec non & eorum, qui [illegible] verbi nihili facientes, docent, salutem per [illegible] sine, atque cum auditione verbi & sacramentorum perceptione communicari: multò verò magis eos, qui contendunt, omnes tam infidelium, quàm fidelium parentum infantes in vteris maternis, beneficij Christi participes fieri.

CAPVT XIII.

DE EVANGELIO, DEQVE LEGIS per Euangelium abrogatione.

Cùm Euangelium inprimis, & deinde etiam sacramenta, Baptismus & Cœna, externa sint organa, per quæ legitimè administrata, Redemptor noster Dominus Iesus Christus, gratiam redemtionis, remissionémque peccatorum mundo offerre, ac dispensare, sese nobis electis, virtute sui Spiritus communicare, nósque vicissim sibi incorporare, eóq; salutis & vitę, quam in ipso habemus reapse participes effice-

efficere solitus est: idcircò, quæ etiam de iis nostra sit fides, breuiter & simpliciter Ecclesiæ Dei explicare studuimus.

I.

Euangelium quid sit.

De Euangelio igitur, iuxta significationem in Ecclesia receptam vsitatamque credimus, nihil aliud esse, quàm doctrinam de Christo cœlestem, per Christum ipsum, Apostolósque prædicatam, & in libris noui Testamenti comprehensam, optimum lætissimúmque nuntium mundo afferentem: nempe, humanum genus per mortem Iesu Christi, vnigeniti Filij Dei, redemtum esse; ita vt cunctis hominibus, modò resipiscant, & credant in Iesum Christum, parata sit omnium peccatorum gratuita remissio, salus, vitaque æterna. *Mat.*3.2. Qua de causa meritò vocatur ab Apostolo Euangelium salutis nostræ *Eph.*1.13.

II.

Euangelium per Prophetas promissum, sed per Apostolos publicatum fuisse.

Etsi enim mysterium hoc iam inde ab initio mundi reuelatū fuit Patribus, déque hoc locuti sunt Prophetæ; tamen quod illi prædicarunt, promissiones potius fuerunt Euangelicæ, illæque inter Iudæos retentæ, quàm Euangelium ipsum, quod omnibus gentibus erat publicandum; cùm vaticinati sint de re futura, non autem rem iam præsentem, aut præteritam annunciarint; vt Apostolus docet ad Romanos, & Petrus in epistola priore. *Rom* 1.2.1.*Pet.*1.10.

III.

Tam Patres per fidem promissionibus de Christo Redemtore præstitam seruatos fuisse, quàm nos qui credimus Euangelio.

Interim nōn dubitamus, quin tam Patres, promissionibus illis Euangelicis de venturo Christo, & caput serpentis contrituro, credentes, seruati sint; quàm etiam nos per fidem, Euangelio, Christum iam venisse, mundúmque redemisse, nunciantì, præstitam, seruamur; vt Apostolus abundè docet, cum alibi tum ad Romanos de Abrahamo; & ad Hebræos, de aliis omnibus; *Rom.*4.3, *Heb.*11.1. vt summa sit blasphemia, dicere, Patribus res tantum terrenas fuisse promissas, talésque perceptas ab illis fuisse, non autem cœlestes, remissionem peccatorum & vitam æternam. Quod enim nobis est Euangelium propriè acceptum; hoc illis fuerunt Euangelicæ promissiones; potentia scilicet Dei, ad salutem omni credenti. *Rom.*1.6.

IV.

Doctrinam Euangelij ad substantiam quod attinet, vetustissimam esse atque æternam.

Vnde etiam intelligimus, doctrinam Euangelij, ad substantiam quod attinet, minimè nouam esse, sed vetustissimam, iam inde à condito orbe Patribus prædicatam; vt non immerito Iohannes vocarit Euangelium, Euangelium æternum. *Apoc.*14.16.

V.

Euangelij partes quot & quæ.

Tria porò sunt Euangelij capita, quçà nobis exigunt, vt præstemus: Pœnitentia in Deum, Fides in Iesum Christum, & Studium seruandi quçcunque mandauit Christus. *Act.*20.21. *Marc.*1.4. *Matt.*28.21.

VI.

Explicatio superioris sententiæ.

Euangelium enim proponens nobis Christum cum tota gratia & misericordia Dei, cum expiatione ac remissione peccatorum, cum tota denique salute & vita æterna in ipso posita: hæc tria tantùm requirit. *Primùm:* vt serio dolore totius vitæ malè actæ affecti, cupiamus ex animo mentem nobis, eóque omnes affectus in obsequium voluntatis diuinæ à Deo immutari ac innouari, atque id vt fiat, precibus petamus, & operam demus. *Deinde,* vt vera fide Christum cum toto eius thesauro amplectentes, certò & sine vlla hæsitatione credamus, omnia peccata ex gratia & misericordia Dei, propter solùm Christum, in perpetuum condonari, nos in gratiam receptos esse, factósque Dei filios, & hæredes vitæ æternæ. *Postremò,* vt ita de gratuita æternáque salute, propter Christum persuasi, deinceps id demus operam, vt quæcunque nobis mandauit Christus, ea seruemus, ad gloriam Dei, & in salutem proximi: fide nos semper comitante vsque in finem, qua credamus, quidquid etiam in hac noua obedientia delinquimus, aut peccamus, id totum nobis propter Christum non imputari: contrà verò, perfecta Christi obedientia, iustitia, & sanctitate nobis imputata, imperfectam nostram obedientiam perfici, & in conspectu Dei pro perfectissima accipi ac reputari. Ad tria autem, omnia Christi mandata referuntur, nimirum, vt abnegata impietate, & secularibus desideriis: sobriè, (quoad nos:) iustè (quoad proximum,) & piè (quoad Deum) viuamus in hoc seculo: exspectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei. *Tit.* 2.12. Hanc credimus summam esse eorum, quæ à nobis exigit Christus sua Euangelica doctrina: eóque illos verè esse Euangelicos, veréque Christianos, qui in horum studium seriò incumbunt.

VII.

Quibus potissimum in rebus differat Euangelium à Lege.

Atque etiam ex his, quæ dicta sunt, apparet, nos non confundere Legem cum Euangelio. Tametsi enim fatemur tam Legis quàm Euangelij autorem esse Deum, & tam illam esse per se sanctam, iustam & bonam, quàm etiam Euangeliū: *Rom.*7.12. Credimus tamen non paruum discrimen esse inter vtrumque: Non solùm quia illa solis Israelitis fuit tradita, Euangelium autem ad omnes etiam Gentes pertinet: nec solùm, quia illa temporaria fuit, ad Christum vsque duntaxat duratura, Euangelium autem æternum est: nec solùm, quia illa per Mosen tradita, ac per Prophetas explicata fuit, Euangelium autem per Christum allatum, & per Apostolos toti orbi publicatum: verùm etiam, idque inprimis propter has causas. *Primò.* Quia legis materia, tantum sunt mandata, additis irreuocabilibus maledictionibus, si vel minima in parte ea violentur. Habet quidem & promissiones, non solùm temporarium, verùm etiam æternarum benedictionum: sed omnes cum conditione perfectissimæ obedientiæ, nullas autem gratuitas. At verò Euangelium propriè felix est nuntium, Christum Redemptorem, peccata gratis remittentem, & seruantem, gratis etiam proponens: nihilque à nobis exigens ad salutem consequendam, nisi veram in Christo fidem, quç sine pœnitentia, sinéque studio faciendç voluntatis diuinæ, id est, viuendi sobriè, iustè & piè, vt supra explicatum est, esse non potest. *Deinde,* quia lex, quod exigebat, non præstabat: neque enim vires præbebat, quibus seruari posset, eóque inefficax fuit, & litera occidens, ministráque iræ & mortis, peccatum magis irritans, quàm tollens: Euangelium autem quod exigit, illud etiam præstat, eóque & quod offert, illud etiam re ipsa nobis communicat: quatenus scilicet Spiritus sanctus per illud efficax est in electis ad prædicationem Euangelij: excitans in illis veram fidem, qua Christum oblatum apprehendant, & cum illo salutem æternam. Fides enim ex auditu Euangelij: *Rom.* 10.17. obedientia autem non est ex auditu legis. Quoniam Spiritus sanctus ad auditionem legis, nemini vires præbebat, quibus illam seruare posset: quemadmodum ad auditum Euangelij, fidem in electis excitat. Qua de causa sicut Lex, litera occidens vocata est: sic Euangelium Spiritus viuificans appellatur: eóque verum & efficax est organum ad salutem omni credenti. Vnde etiam sequitur *tertia* differentia: quò, scilicet, lex non inscribebatur in cordibus, sed tantùm in tabulis inscripta manebat, eóque homines non mutabat: At verò Euangelium, in cordibus electorum inscribitur per Spiritum sanctum, eóque & illa immutat & renouat, nempe quoniam organum est Spiritus sancti ad nos sanctificandos & seruandos. 2. *Cor.*3.18.

VIII.

Euangelio partim tolli, partim non tolli legem Mosis.

Ex iis, quæ diximus, liquidò etiam apparet, quæ nostra sit fides de abrogatione Legis per Euangelium. Credimus *primùm,* Euangelio, quatenus omnia, quæ in veteri Testamento figuratè præmonstrabant Christum, ea omnia annuntiat in hoc Iesu (vt suprà capite 11. dictum est) impleta fuisse: Legem de ceremoniis, sacrificiis, totóque externo cultu Mosaico, simpliciter abrogatam esse doceri: iuxta illud Apostoli, omnia hæc fuisse vsque ad tempus correctionis imposita: *Heb.*9.10. & illud, Legem quidem fuisse per Mosen datam, sed veritatem fuisse per Iesum Christum factam: *Ioh.*1.17. *Deinde* quatenus Euangelium organum Spiritus sancti est, quo nos inserimur & vnimur Christo, & redemtionis salutisque fimus participes: (vt suprà cap. XII. dictum est,) eatenus legem quoque Moralem, ad maledictio-

nem aduersus transgressores quod attinet, per Euangelium Christi, abrogari confitemur: iuxta illud Apostoli, Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu: cuius rei signum est, quod ij non secundum carnem ambulant, sed secundum Spiritum, *Rom.*8.1. *Caeterum*, quatenus Euangelij doctrina exigit poenitentiam, totiúsque vitae sanctitatem, & vt sobriè, iustè & piè viuamus: eatenus etiam legem non tollit de moribus. Tota enim consentanea est cum doctrina Euangelij de vitiis vitandis, & virtutibus persequendis. *Postremò*, quatenus etiam Christus suo Euangelio nullas sustulit leges politicas apud gentes, cum lege naturae non pugnantes: Idcirco leges quoque politicas populo Israelitico traditas, cuique Magistratui liberum esse sentimus, illas in suam ciuitatem inducere, illisque, quibus aequiores nullae sunt, suos regere populos. Quare summa fit iniuria Euangelio Christi, si quis illo Respub. turbari & euerti dicat. Haec nostra est de Euangelio Iesu Christi fides.

IX.

Errores.

Damnamus igitur Antinomos, & quicunque legem Moralem improbant, eámque è suis Ecclesiis, quasi Euangelio contrariam, aut ad Christianos nihil pertinentem eiiciunt: eósque improbant Magistratus, qui politica Mosis praecepta in suas inducere ciuitates, pro sua virili conantur.

CAPVT XIV.

DE SACRAMENTIS NOVI TEstamenti.

Quoniam Deus, ad κοινωνίαν illam cum Christo, in qua salutis participatio consistit tota, perficiendam, voluit non solùm verbo Euangelij per se solo, verum etiam externis ad id accommodatis & verbo adiunctis signis, ex quibus duobus constat Sacramentum, vti: idcircò post confessionem de Euangelio nostram, adiicimus eam etiam, quae de Sacramentis est, breuem, perspicuam, & cum Sacris literis, primísque fidei Christianae principiis, consentaneam.

I.

Sacramenti nomine quid intelligamus.

Nouimus, sacramentum propriè sacrum esse iuramentum, seu promissionem, vtrinque, hoc est, inter Deum & populum factam: non simpliciter, sed sacris ritibus ac ceremoniis constabilitam: Quemadmodum manifestè in sacramento Circumcisionis inter Deum & Abrahamum apparuit: & inter Christum & nos in Baptismo, qui successit Circumcisioni. Ita sacramentum pro tota illa actione, siue Baptismi, siue Coenae Dominicae apud Patres saepè sumitur: in qua praecedit vtrinque promissio, ritibus externis ac symbolis, adeóque sanguine Christi, sanctè confirmata. Caeterùm postea per κατάχρησιν sacramenti nomine intellexerunt solos ritus, seu symbola, addita verbo. Atque haec altera significatio obtinuit in Ecclesia. Nos itaque Sacramentum iuxta receptam in Ecclesia significationem, vocamus, non verbum solum, nec elementum solum, sed Elementum simul cum verbo Euangelij, ex Christi institutione, coniunctum, aquam, vel panem aut vinum: iuxta illud Augustini: Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.

II.

Sacramenta quarumnam rerum sint sacramenta.

Quia verò omne Sacramentum, alicuius rei est sacramentum: hanc rem esse dicimus id, quod verbum Euangelij significat: nimirum, gratiam Dei in Christo, vel potius Christum ipsum, cum gratia, & salute in ipso posita. Hunc enim in summa proponit Euangelium: & ad huius κοινωνίας, sicut verbum, sic etiam sacramenta instituta sunt, nostrasque mentes sua significatione adducunt: eóque, quod foris exhibetur, signum eius dicimus esse, quod intus percipiendum proponitur: & quod foris agitur, symbolum eius quod intus in animis nostris Spiritus sanctus operatur.

III

Quibus partibus constet Sacramentum.

Ex iis quoque intelligimus, quibusnam partibus propriè constet Sacramentum, verbo, scilicet, & externo symbolo: sed cum relatione ad rem per illa significatam, ac repraesentatam, & cuius sunt Sacramentum. Res enim, cuius aliquid est sacramentum: ipsum Sacramentum, aut pars sacramenti esse non potest, cùm omne sacramentum, alterius rei à se diuersae sit sacramentum. Interim rem ipsam à Sacramento simpliciter non separamus: neque inficiamur, quin apud Patres, & alios plerosque doctos & pios viros, in nomine sacramenti, res quoque ipsa, cuius aliquid est sacramentum, comprehendatur: quemadmodum nomine Baptismi, non solùm externa aquae ablutio cum verbo intelligitur, verùm etiam ipsa simul interna conscientiae à peccatis purgatio ac regeneratio continetur. Proinde illud Irenaei dictum de Eucharistia eam constare terrena re simul & coelesti, amplectimur, neque nos ab huiusmodi locutionibus, cùm de sacramentis loquimur, abstinere solemus: verùm hoc sensu, non quòd propriè pars sit sacramenti, cum sit potius id, ad cuius participationem nos adducunt sacramenta, sed quòd ad eam, Sacramentum mysticâ habeat relationem: & huius relationis nexu, res terrena cum re coelesti copulata sit. Et ita conciliamus multorum doctorum virorum, atque etiam Patrium dicta: quae diuersum aliquid sonare videntur, cùm tamen eadem sit omnium & vbique sententia: plerisque omnibus, sacramenta simpliciter vocantibus signa, figuras, symbola, typos, antitypa, formas, sigilla, signacula, ceremonias, visibilia verba, & aliis similibus nominibus: Aliis ea constare ex re terrena & coelesti dicentibus: quod quomodo intelligendum sit, modò declarauimus: omnibus autem saepenumero sacramenta, nominibus earum rerum, quarum sunt sacramenta, iuxta consuetudinem sacrarum literarum appellantibus: cùm tamen omnes, in sacramentis, haec tria intellexerint, professique sint: Verbum, symbola verbo addita, & Res, quarum illa sunt symbola.

IV.

Causa, cur verbo Euangelij addi signa externa voluerit Dominus, & cur verba visibilia vocentur.

Credimus etiam, & ingenuè confitemur, visibilia signa ex Dei institutione, verbo fuisse addita, addendáque esse ad ampliorem firmioremque verbi in animis nostris confirmationem: cùm idem etiam sit finis, cur conscriptis literis, & testamentis sigilla apponi solita sint vbique & apud omnes gentes. Quae etiam causa est, cur externa & sub sensum cadentia symbola, appellentur ab Augustino, verba visibilia; quia nimirum ad hoc instituta, & verbo addita sunt, vt faciant, quod & verbum facit; hoc est, vt, quod verbum auribus significat; hoc idem signa oculis aliisque sensibus repraesentent; eóque verbum confirment, & promissiones Dei; Ac sicut verbo excitatur fides in animis nostris; sic etiam externis Symbolis, ceu sigillis obsignetur, vehementius confirmetur, & augeatur. Et denique, vt, sicut verbum, sic etiam sacra symbola, organa sint Spiritus sancti, quibus in κοινωνίαν cum Christo adducamur, atque in ea coalescamus. *Rom* 10. Totum autem hoc à Deo institutum esse propter infirmitatem nostram & ignorantiam, fidesque nostrae imbecillitatem: vt ea non solùm verbo, sed etiam visibilibus signis subleuetur: qua propriè fit, vt Christum amplectamur, inque illo coalescamus: omnino non dubitamus.

V.

Vbi non recitantur verba institutionis, ibi nullum esse Sacramentum, eóque extra vsum nil esse, nisi quod sunt sua natura.

Sicut verò credimus, signa addi verbo, non ad superstitionem, sed ad maiorem fidei nostrae confirmationem: sic etiam verbum in Sacramentorum administratione, non ad incantationem, sed ad fidem excitandam necessarium esse confitemur: vt, vbi non sic recitantur verba institutionis, vt audiantur, & intelligantur, quò excitari fides possit: ibi sacramentum verum esse negemus: eóque extra legitimum vsum, symbola non esse sacramenta, sed tantùm id, quod sua sunt natura, & praeterea nihil, affirmemus. Per solum enim verbum symbola è profano vsu ad sacrum transferuntur: id quod multi vocant consecrari & sanctificari: & ea re fiunt sacramenta, iuxta illud Augustini: Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. accedit autem, vt intelligatur, & credatur.

VI.

Sacramenta non esse simplices tesseras, nudáve signa.

Itaque credimus, signa etiam Sacramentalia non esse simplices tesseras, quae nos ab aliis populis omnibus, à vera Ecclesia alienis, tantùm discernant: aut quae nobis Christianae tantùm societatis symbola sint: aut etiam quibus fidem nostrâ publicè profiteamur, agamúsque gratias pro beneficio redemtionis: sed esse organa, per quae, dum actiones beneficiáque Christi nobis repraesentantur, in memoriâ reuocan-

uocantur, promissiones obsignantur, fidésque excitatur: Spiritus quoque sanctus Christo nos inserit, insitos seruat: & coalescere magis ac magis in vnum cum illo, in dies efficit: idque, quò maiori in Deum fide, ardentiore in proximum caritate, nostrique mortificatione donati vitam vitæ Christi quoad eius fieri potest, similem, in lætitia & gaudio spirituali traducamus: donec tandem cum ipso in cœlo, sanctissimè felicissiméque in sempiternum viuamus.

VII.

Qualia sint Sacramenta Noui Fœderis.

Confitemur etiam cum Augustino *De doctrina Christiana libro tertio cap.9.* Sacramenta a Christo nobis tradita esse numero pauca, factu facilima, & intellectu augustissima: Numero pauca, quia duo tantùm, Baptismum & Cœnam. Factu facilima, quia nihil vel in Baptismo, vel in Cœna est quod non possit facilè præstari & recipi, nihil molestum, nihil iniucundum, aut ab humanis moribus alienum: intellectu denique augustissima, quia etsi res, quę videntur, viles sunt: quę tamen significantur, quæ ve menti cogitandæ & cōsiderandæ & intelligendæ proponuntur, augustissimæ sunt, cœlestes, diuinæ, ad æternam salutem pertinentes.

VIII.

Ad dignam Sacramentorum perceptionem intelligentia & fide opus esse.

Vnde etiam intelligimus, Sacramenta ad dignam sui perceptionem, mentis actionem atque attentionem, & fidem à nobis exigere: qua, quid per illa significetur & exhibeatur, intelligamus, & mente fide affecta apprehendamus: sicut & Christus docet, cum de Cœna ait: Hoc facite in mei recordationem. *Luc.* 22. 19. Et Apostolus hæc Christi verba perpendens, abundè explicat, 1. *Cor* 11.24. Quò spectat & illud, *Sursum corda* Res enim augustæ, cœlestes, ac diuinę, mente intelligendæ, & fide percipiendæ proponuntur.

IX.

Rem sacramenti proponi omnibus seriò, licet non omnes eam verè percipiant, sed tantùm electi fideles.

Etsi verò non omnes accedunt ad Sacramentorum perceptionem cum fide veráque intelligentia: attamen, sicut symbola omnibus Christum profitentibus exhibentur, sic etiam credimus res per sacramenta significatas, serio omnibus à Christo offerri: eóque propter infidelitatem symbola tantùm suscipientium, nihil de sacramentorum integritate detrahi: quippe quæ à sola pendet Christi institutione, verborumque illius veritate.

X.

Dum administrantur Sacramenta, Spiritum Christi efficacem esse in fidelibus: eoque ipsos non solum symbola percipere, sed re etiam significata participare.

Cæterum licet in omnibus hominibus, quibus Sacramenta dispensantur, non sit efficax Spiritus Christi, sicut neque dum prædicatur verbum, idque ipsorum culpa, quòd non adferant intelligentiam & fidem: in ipsis tamen electis fidelibus efficacem eum esse credimus; quatenus illos fide ex auditu verbi donatos, & ex perceptione sacramentorum in ea magis ac magis confirmatos, in Christi κοινωνίας adducit atque ea coalescere facit; eóque istos & verè à peccatis in Baptismo lauari atque purgari vi sanguinis Christi; & in Cœna vera Christi carne vesci, veróque sanguine potari confitemur.

XI.

Christum & autorem esse, & verum dispensatorem sacramentorum.

Vnum verò sacramentorū, sicut autorem, sic etiam verum dispensatorem agnoscimus, Dominum nostrum Iesum Christum, qui externa quidem symbola per ministros homines dispensat, sed rem sacramentorum propriè & verè efficienter ipse per se seu per suum Spiritum communicat: quemadmodum & Iohannes Baptista dicebat, se quidem baptizare aqua, Christum autem Spiritu, *Matt.*3.11. Ac proinde sicut nemini hominum licet noua instituere sacramenta; sic etiam nemo gloriari potest, se verè & propriè aut conscientias à peccatis purgare, aut vero corpore & sanguine Christi pascere; sed tantum (vt loquuntur) ministerialiter.

XII.

Sacramenta, vitiis ministrorum, fidelibus non contaminari.

Si verò Christus solus, verus est sacramentorum non autor tantùm, sed etiam dispensator: facilè intelligimus, vitiis ministrorum, quorum opera ille vtitur, sacramenta aliis fidelibus non contaminari: quin ea dignè sumere, & rei per sacramenta significatæ atque oblatæ participes fieri possint. Omnia enim munda mundis: & Christus per fidem habitat in cordibus fidelium, cum suis thesauris. *Tit.*1.15. *Eph.*13.17.

XIII.

Gratiam non esse Sacramentis alligatam.

Ex iisdem etiam fundamentis, confirmatur in recepta à piis omnibus sententia, Gratiam Dei sacramentis non alligari, ita, vt qui ea recipit, gratiam quoque, id est, rem per sacramenta significatam & oblatam, cum percipere necesse sit, tametsi fide destituatur: quasi ex opere (vt vocant) operato, rem sacramenti consequi quis possit. Non enim Christus simpliciter dicit, Qui baptizatus fuerit, is saluus erit, sed præmisit, Qui crediderit. *Mar.*16.16. Et Simon ille Magus Baptismi Sacramentum suscepit: neque tamen rem Baptismi consecutus est: cùm adhuc (teste Petro) in felle peccatorum esset amarissimo, & nexu iniquitatis, diabolicęque malitię implicitus: eóq; pars illi non esset in regno Christi: *Act.* 8.13. *Multi* quoque (vt ait Augustinus) *edunt panem Domini, sed non panem Dominum.* Sicut enim remissionis peccatorum, quam Euangeliū annonciat, participes non fiunt, quicunque illud audiunt, nisi eos pœniteat malè actæ vitæ, & credant in Christum: sic neque earum rerum, quæ per sacramenta repręsentantur, & offeruntur, compotes fiunt, qui ea percipiunt, nisi accedat vera pœnitentia & fides.

XIV.

Indignitate sumentium, Sacramentorum vim non tolli, nec infirmari.

Neque tamen ob id tollimus vel infirmamus vim sacramentorum, inditámque ipsis à Deo efficaciam, quam fatemur minimè ab indignitate vel ministrantium vel sumentium, sed à fide & virtute Christi Sacramentorum institutoris pendere. Sicut enim Euangelium per se suam semper retinet, & significationem, licet non ab omnibus intelligatur; & vim ea exhibendi, quæ offert, quamuis non omnes eorum fiant participes: sic etiam sacramenta, verba visibilia, eodem se habent modo: nempe, vt sicut illud per se semper potentia Dei est ad salutem, sed reipsa non nisi credenti: sic etiam Sacramenta efficacia semper sint organa Spiritus sancti ad salutem, vtut hanc efficacitatem non percipiant nisi verè credentes. Qua de causa Apostoli non verentur omnes, qui baptizati sunt, vocare sanctos, renatos, iustos, quamuis norint inter illos multos fuisse hypocritas. 1. *Cor.*6.11. Significabant enim talibus sermonibus inditam à Deo sacramentis efficaciam, & quid illa effecisse credendum sit, nisi fortè nostra hypocrisis impedimento fuerit. Quo sensu si quis dicat etiam, quicunque panem Domini edunt, ipsius quoque corporis Domini participes fieri, id est, per vim Sacramenti aut per eius autorem & distributorem non stare, quin participantes sacramento, rei quoque per illud significatæ & oblatæ participes fiant: talem locutionem improbare non possemus: modò tales etiam addererentur explicationes, quibus populi erudirentur, falsęque iamdudum conceptæ opiniones de opere operato, illorum animis eximerentur.

XV.

Inter signa & res, vnionem esse sacramentalem, & quanam illa sit.

Licet etiam dicamus, Rem sacramentorum sacramentis alligatam aut in ipsis inclusam non esse, nempe vel physicè, vel localiter, vel corporaliter, aut etiam nexu obligationis, quasi Deus simpliciter omnibus sacramenta sumentibus, vtut fide careant, res tamen ipsas promiserit, ita vt eas, impœnitentibus etiam & incredulis communicare teneatur: non idcircò tamen omnem tollimus rei signatæ cum signis copulationem, & nexum. Sacramentalem enim agnoscimus & confitemur: hoc est, talem vnionem, quę cōueniat sacramentis, cum rebus sacramentorum. Hæc autem sacramentalis vnio, in mystica quadam sacráque relatione consistit: quatenus scilicet signa, res significant ac percipiendas offerunt, & res per signa significantur, atque exhibentur percipiendæ: non secus atque vnio est

inter verbum significans atque exhibens, & inter res per verbum significatas atque exhibitas. Pendet autem tam illa sacramentorum, quàm hæc verbi, cum rebus ipsis coniunctio, à voluntate consilióque Dei institutoris; qui cùm instituit Euangelij prædicationem & administrationem sacramentorum, hoc consilio instituit, quod iam explicarum est; & vt nos, audientes verbum, & spectantes percipientésque signa, statim oculos mentis ad res per illa signatas attollamus; & oblatas, fidei manibus percipiamus; Christóque, quem illa prædicant, & sua significatione ceu digito monstrant, reipsa vniamur. Sicut igitur nostri cum Christo coniunctio, tota mysterij plena est, vt Ephes. 5. docet Apostolus; sic etiam vnionem tam verbi, quàm sacramentorum, cum rebus, quarum sunt signa & sacramenta, mysticam spiritualémque esse sentimus.

X V I.

Sacramentorum definitio.

Sacramenta igitur, vt multa paucis complectamur, indicamus esse externa & sub sensum cadentia signa; verbo Euangelij, propter nostram ignorantiam & infirmitatem, fideique nostræ vehementius excitandæ & confirmandę gratia, secundum Christi institutionem addita; quibus ad veram realémque cum Christo, adeóque cum eius carne & sanguine κοινωνίαν, ac proinde ad eorum bonorum, quæ in Christo sunt, & quæ per verbum atq symbola significantur & offeruntur, participationem, omnes quidem homines serió vocantur; Electi autem ac fideles per Spiritum sanctum, intus in animis trahentem, reipsa adducuntur; vt Christo incorporati, corpus tandem totius Ecclesiæ præfinitum à Patre, compleant; ad laudem gloriæ gratiæ illius, & ad ipsorum æternam felicitatem.

X V I I.

Sacramenta Veteris Testamenti, quid cum nostris in summa habuerint commune.

De Sacramentis Veteris Testamenti, non est quod nos multa dicamus, cùm sint abrogata, nisi hoc vnum; nimirum, quòd cum illis Patribus idem fuerit Deus, eædem promissiones, idem Mediator, idem Spiritus regenerans, eadem fides & spes; eadem quoque ad substantiam quod attinet, quæ est Christus, illis fuisse sacramenta; vtut ceremoniis diuersa fuerint à nostris; præsertim cum in eundem finem tradita illis fuerint, ipsorum, in quem & nobis nostra traduntur; nimirum vt in fide Christi confirmarentur, inque illius κοινωνίᾳ coalescerent. Quò illa spectant, Agnus fuit occisus ab origine mundi; *Apoc.* 3.8. Item, Omnes bibebant de eadem petra, petra autem erat Christus; 1. *Cor.* 10.4. &, Christus heri, hodie, & semper. *Heb.* 13.8.

X V I I I.

Duo tantùm esse Christianæ Ecclesiæ Sacramenta.

Duo autem sacramenta, quæ eo nomine propriè censenda sint, & quę vniuersæ Ecclesiæ Christianæ, semper communia fuerunt, agnoscimus; Baptismum & Cœnam Domini; quorum vnum propriè ad initium κοινωνίας cum Christo, alterum ad incrementum pertinet. Vnde & vnum Lauacrum regenerationis; alterum, Sacrum conuiuium & Cœna vocatur.

X I X.

Errores.

1. Non possumus igitur probare eos, qui Sacramentum ibi esse volunt, vbi nullum auditur verbum, sed solum spectatur elementum. 2. Neque illos, qui rem sacramenti à sacramento non distinguunt; sed perinde in os ea venire volunt, atque etiam sacramentale signum: cùm res sacramenti sit id, quod signum sub sensum cadens, facit in cogitationem venire, non autem in manum vel in os cadere; sed neque illos, qui in sacramentis nihil considerant, nisi quę oculis subiiciuntur. 3. Aut qui ea, tesseras tantùm esse volunt, quibus ab aliis populis discernamur: nuda ve signa, non autem organa Spiritus sancti, per quę efficaciter in nobis operatur, & in communione Christi confirmat. 4. Damnamus verò, qui noua instituunt Sacramenta, præter ea, quę Christus instituit. 5. Eosque qui Sacramentis alligant gratiam Dei, & res per sacramenta significatas: ita vt omnis qui signa percipit, semper etiam rem ipsam percipere verè dicatur.

C A P. X V.

D E B A P T I S M O.

Præter ea, quæ de Sacramentis in genere diximus, de Baptismo quoque speciatim hæc credimus & confitemur.

I.

Baptismus quid; quæve eius effecta.

Baptismus (*Matth* 28.19.) primum Noui fœderis sacramentum est: quo cùm omnes, qui vel pœnitentiam peccatorum professi, fidem etiam in Christum, adeóque in Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum profitentur, vel saltem propter parentum pietatem ad fœdus pertinere creduntur. 1. *Cor.* 7.14. tum maximè illi, qui verè ad fœdus pertinent. Christo, tanquam ei iam per Spiritum sanctum incorporati, obsignantur: vt non sint amplius sui iuris, sed illius, per quem in fœderis societatem, eóque in vnum corpus cum eo sanctisque omnibus, & in omnium spiritualium cœlestiúmque bonorum participationem, asciti esse dicuntur. *Act.* 19.5. 1. *Cor.* 6.19 per hunc Baptismum, tanquã lauacrum regenerationis, à peccatis vi sanguinis Christi, mundati, & cum Christo consepulti in mortem: vt quemadmodum ille resurrexit à mortuis per gloriam Patris, sic & nos in nouitate vitæ ambulemus. Vnde & sacramentum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sacramentum fidei, symbolum fœderis, Lauacrum regenerationis, Ablutio peccatorum; Sacramentum nouæ vitæ appellari consueuit. *Eph.* 1.12. *Eph.* 5.26. *Apoca.* 5. *Tit* 3.5 *Rom.* 6.4. *Mar.* 1.4.

I I.

Vim Baptismi in solis Electis habere locum: solosque non aqua solùm, sed & Spiritu baptizari.

Etsi verò hæc omnia de Baptismo prædicentur, veréque illi tanquam organo Spiritus sancti ad hæc efficienda, attribuantur, eóque & omnes qui baptizantur, tales fieri & esse, sacramentaliter verè dicantur: reipsa tamen, non nisi in electis, Spiritu Christi donatis, impleri credimus: cùm ij etiam soli verè credant, veréque ad Christum, & ad mysticum eius corpus pertineant: Ac proinde, omnes quidem aqua baptizari, solos autem electos, Spiritu: & omnes signum accipere, non autem omnes rei per Baptismum significatæ & oblatæ, sed duntaxat electos fieri participes.

I I I.

Integrum Baptismi Sacramentum quibus constet partibus.

Credimus autem, ad integrum sacramentum Baptismi constituendum, ea duo sufficere, quæ Christus instituit, nempe simplex elementum aquæ, qua homines tingantur, siue per immersionem, siue per aspersionem: & illam verborum formam, qua Christus baptizari docuit, in nomine scilicet Patris, & Filij, & Spiritus sancti: neq; aut alia verborum forma vsos fuisse Apostolos, aut aliquid aliud aquæ adiecisse, persuasum habemus.

I V.

Etiam infantes fidelium baptizandos esse.

Credimus cum tota etiam veteri Ecclesia, ad sacramentum Baptismi, admittendos esse non solùm adultos, qui pœnitentiam peccatorum professi, fidem etiam in Christum profitentur: verùm etiam ipsorum infantes, cùm ad fœdus pertinere omnino censendi sint, dicente Apostolo, Filios fidelium sanctos esse. 1. *Cor.* 7.14. pręsertim cùm nullibi Christus mutauerit mandatum Dei factum Abrahę, de obsignãdis signo fœderis, ipsis etiam fidelium liberis: imo dixerit, Sinite paruulos venire ad me, quòd talium sit regnum cœlorum, *Matth.* 19.14.

V.

Quatenus in Ecclesia necessarius sit Baptismus & quatenus cuique ad salutem.

Credimus Baptismum in Ecclesia omninò necessarium esse tanquam sacramentum à Christo institutum: & quo carere Ecclesia vsque adeò non potest, vt, vbi locum non habet, cùm possit, ibi Ecclesiam Christi non agnoscamus. Cuique autem ad salutem ita necessarium esse sentimus, vt, si quis tamen propter defectum ministri, non autem ex contemtu hinc aqua non tinctus, decedat, non cum propterea damnari, ęternóve exitio inuolui, credamus. Pueri enim fidelium ideò seruantur, quia in fœdere Dei sunt & sancti: adulti autem, quia vera fide in Christum credunt, quę certè contemtum mandatorum Christi ferre non potest.

VI. Ba-

VI.

Baptismum semel ritè susceptum, non esse repetendum.

Credimus præterea, sicut Circumcisio in carne semel tantùm fiebat *Col. 2.* sic Baptismum aquæ, qui Circumcisioni successit, semel ritè ac legitimè susceptum, non esse denuò repetendum. Ritè autem ac legitimè administrari intelligimus, cùm doctrina primùm præcedit Euangelij, iuxta Christi institutionem, de vero Deo, & Christo, eiúsque officio: deinde aqua homines baptizantur, idque à legitimo ministro in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Nam Christus etiam semel tantùm mortuus est, & sepultus: nos verò in eius mortem baptizamur, & cum illo consepulti sumus per Baptismum. *Rom. 6. 4.* Neque Apostoli leguntur quempiam vnquam rebaptizasse: nisi Paulus eos, qui ritè baptizati non fuerant. *Act. 19. 5.*

VII.

Vim Baptismi esse perpetuam.

Etsi verò ad sacramentum Baptismi semel tantùm accedimus: credimus tamen, rem huius sacramenti, eiúsque vim esse perpetuam: hoc est, ipsam in Christum insitionem, eóque & beneficiorum eius participationem, ablutionem peccatorum, & regenerationem, quæ in dies magis ac magis per Spiritum sanctum perficitur. Apostolus enim ait, Christum Ecclesiam mundare lauacro aquæ, in verbo: vt eam sibi sistat gloriosam, & sine macula. *Eph. 5. 26. 27.* Et sanguis eius emundat (quotidie) ab omni peccato. *1. Ioh. 1. 7.* Ac proinde fidelibus, sacramento semel suscepto contentis, quotidie illius memoriam esse refricandam: & in quemnã baptizati simus, quidve per Baptismum à Deo simus consecuti, & quid vicissim Deo ipsi promiserimus, animo repetendum esse sentimus: quò & in fide magis ac magis confirmemur, inque κοινωνίᾳ cum Christo coalescamus, & nostri faciendi officij studiosiores fiamus. Neque enim Baptismus in remissionem duntaxat vel Originalis peccati, vel præteritorum delictorum confertur: sed in omnium totiúsque vitæ: quemadmodum etiam extractio ex aquis, signum est nouæ vitæ, non vnius diei, sed totius temporis nostri, dicente Apostolo, Consepulti sumus (semper) cum illo per Baptismum in mortem, vt sicut Christus resurrexit à mortuis, per gloriam Patris, sic & nos in nouitate vitæ (perpetuò) ambulemus *Rom. 6. 4.* Aqua externa semel abluti fuimus: sed sanguis Christi perpetuus fluuius est, à peccatis quotidie abluens atque mundans.

VIII.

Per quosnam debeat ministrari Baptismus.

Credimus etiam, per illos administrandum esse sacrum Baptismum: per quos etiam Euangelium prædicatur. Christus enim, quibus dixerat, Euntes in vniuersum mundum prædicate Euangelium: iisdem etiam dixit, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: docentes eos seruare, quæcunque mandaui vobis. *Matt. 28. 19. 20.*

IX.

Errores.

Damnamus ergo tam veteres, quàm nouas hæreses, quæ contra sanam doctrinam de Baptismo sparsæ vnquam fuerunt: 1. Seleucum & Hermiam, qui in igne baptizabant: 2. Cerdonianos & Marcionitas, qui alia verborum forma vtebantur, quam quæ præscripta fuit à Christo: & in alterius Dei nomen, quàm in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti: 3. Qui item baptizarunt in nomen Iohannis, vel alterius hominis: 4. Cataphryges, qui baptizabant etiam mortuos: 5. cum Donatistis etiam Anabaptistas, qui ad se accedentes rebaptizant: 6. qui item infantes baptizandos negant: 7. Eos etiam, qui verum esse Baptismum inficiantur, nisi accedant exorcismi, sputum, sal, & aliæ ab hominibus excogitatæ ceremoniæ.

Capvt XVI.

DE COENA DOMINI.

Ex iis, quæ tum de κοινωνίᾳ cum Christo, tum de verbo Euangelij, de Sacramentis in genere, déque Baptismo diximus: facilè, quæ etiam nostra sit fides de Cœna Domini, intelligi potest.

I.

Cœna Sacramentum, organum esse Spiritus sancti ad κοινωνίαν cum Christo, & cum Ecclesia promouendum.

Credimus igitur, Sacramentum Cœnæ esse non solùm testimonium nostræ cum Christo adeóque cum eius carne & sanguine, & cum tota Ecclesia communionis: verùm etiam organum Spiritus sancti, ad eandem confirmandam ac promouendam: dicente Apostolo, Panis, quem frangimus, nonne communio est corporis Domini? *1. Cor 10. 16.* Panis benedicti fractionem ac sumtionem, communionem vocat corporis Domini: quoniam, qui hunc actuali fide in Dominum ipsum, edunt, in κοινωνίᾳ cum ipso Domino & cum eius carne & sanguine coalescunt: quemadmodum etiam, qui verbum Apostolorum fide amplectuntur, communionem accipiunt cum Apostolis: & communio illa est cum Patre, & Filio eius Iesu Christo. *1. Ioh. 1. 3.*

II.

Confirmatio superioris sententiæ.

Sicut enim Baptisma organum est ad hanc κοινωνίαν inchoandam, quia per illud renascimur in Christo: sic Cœna ad eam perficiendam instituta est: quia in ea alimur carne & sanguine Christi, vt adolescamus in ipso: dicente Apostolo, Omnes nos in vnum corpus baptizatos esse: & omnes vna potione potari in vnum spiritum. *1. Cor. 12. 13.*

III.

Κοινωνίας cum Christo incrementum, præcipuum esse finem Cœnæ Dominicæ.

Sunt & alij fines institutæ Cœnæ Dominicæ: nempe, vt tum verbis tum symbolis mortem Christi & sanguinem eius pro nobis effusum repræsentantibus admoniti, beneficium Redemtionis mente recolamus: dicente Apostolo, Quotiescunque manducatis panem hunc, mortem Domini annunciatis: *1 Cor 11. 26.* eóque finis est, vt in fide de remissione peccatorum confirmemur, in spem beatæ resurrectionis nutriamur, gratias illi pro tanto beneficio agamus, ad pœnitentiam excitemur, vt denique palam coram tota Ecclesia fœdus initum cum Deo, renouemus. Sed quoniam hæc omnia eò spectant, vt magis ac magis vniamur Christo, fiamúsque vnum cum ipso, illéque efficacius viuat in nobis, & nos in ipso, facti iam caro ex carne eius, & ossa ex ossibus eius: *Gal. 2. 20. Eph. 5. 30.* idcirco ad huius vnitionis & communionis cum Christo incrementum, in quo perficitur & consummatur salus nostra, Cœnam cumprimis institutam esse, non dubitamus. Quò etiam spectat panis & vinum, alimenta corporis: vt pro certissimo habeamus, id esse animis nostris alendis, & in vita sustentandis, carnem & sanguinem Christi, quod est panis & vinum corporibus.

IV.

Panis cur corpus Christi appellatus sit.

Vnde etiam intelligimus, cur Christus panem hunc vocarit corpus suum: nempe, non ideò, quod aut propriè sit illius verum corpus, aut quòd in eo conclusum sit tale corpus, aut etiam, quod nudum sit signum corporis ipsius pro nobis fracti & mortui: sed quod illius sit Sacramentum, (sacramenta enim, ait Augustinus, nomina earum rerum sumunt, quarum sunt sacramenta) eóque & organum sit Spiritus sancti, ad verum corpus Christi nobis communicandum, nósque in eius communione confirmandos. Quemadmodum eandem ob causam Apostolus quoque Baptismum vocauit non signum regenerationis, sed lauacrum ipsum regenerationis: nimirum, quoniam per hoc lauacrum aquæ in verbo, tanquam per idoneum organum, Christus efficacitate sui Spiritus, nos internè lauat, purgat, regenerat. *Ephes. 5. 26.*

V.

Verum & substantiale corpus Christi, de pane prædicari: Sed impropriè, & figuratè.

Quare non dubitamus, quin in verbis Cœnæ verum & naturale corpus Christi, de pane prædicetur: præsertim, cùm explicationis etiam causa addatur, Quod pro vobis traditur: ita, vt verissimè dicatur, Panis est corpus Christi, verum illud videlicet, quod pro nobis traditum est: Sed hoc impropriè ac figuratè: cùm reuera panis pro nobis traditus non sit: sed Corpus Christi verum, cuius, panis est sacramentum.

VI.

Corpus Christi non esse in pane realiter & propriè.

Hinc etiam confirmamur in sententia: sicut panis nos

est propriè ipsum Christi corpus, sed eius sacramentum: sic etiam corpus Christi non esse realiter, & propriè in pane. In sacramentis enim res, quarum sunt sacramenta, reapse inclusæ non sunt, quamuis illarum rerum nomina sumant, quemadmodum de Baptismo res est extra controuersiam: in quo nemo includit sanguinem Christi, quo abluimur à peccatis: aut ipsam regenerationem. Nam neque in verbo Euangelij inclusa sunt illa realiter, quæ per ipsum annunciantur. Sunt autem sacramenta, verba visibilia. Sed neque Christus dixit, Corpus meum est in hoc, id est, in pane, sed longè diuersa locutione, nempe, Hoc, id est, hic panis est corpus meum. Quod si eundem quis esse sensum contendat: consequetur, si in pane est realiter corpus Christi, etiã panem realiter, propriè, ac substantialiter esse corpus Christi. Quod si hoc impium est dicere: neque alterum piè dici posse, sentimus. Sacramentaliter tamen inesse, eo sensu, quo & in verbo Euangelij inesse dicimus, remissionem peccatorum, & salutem ac vitam, quam annunciat & offert, non inficiamur. Verùm, cùm huiuscemodi locutiones, trahi à vulgo soleant ad superstitionem: omnino ab illis abstinendum, & simplicibus sacrarum literarum locutionibus vtendum esse, iudicamus.

VII.

In Cœna non solum symbola, sed ipsas etiam res significatas distribui.

Hoc verò apud nos extra controuersiam positum est: licet corpus & sanguis Domini non sint, hoc est, non existãt sua substantia, ac reipsa & propriè in pane & vino, sed in cœlo. cum ipsa tamen panis & vini distributione, ipsam etiam veram carnem edendam, & sanguinem potandum, verè omnibus offerri: non quidem simpliciter, sed quatenus & illa in mortem tradita est pro nobis, & ille effusus est in remissionem peccatorum nostrorum. Manifesta enim sunt verba Christi apud Iohannem, de edenda carne sua, & bibendo suo sanguine, si quis velit vitam in se habere: *Ioh* 6. 53. & Apostoli, consentaneè cum Christi verbis, dicentis: 1. *Cor.* 11. 27. Qui edit panem & bibit poculum Domini indignè, eum reum fieri corporis (veri) & sanguinis Domini. Neque dubitamus quin Christus, sicut apertè iusserat edi panem: sic etiam mox subdendo, Hoc est corpus meum, tacitè iusserit illud edi, non minus, quàm panem, sed suo quodque modo.

VIII.

Non nisi à fidelibus verè edi veram Christi carnem.

Cæterùm licet omnibus edenda offeratur caro Christi in Cœna: à solis tamen verè fidelibus verè edi credimus tum, quia ij soli communionem iam habent cum Christo, adeóque cum eius carne & sanguine, reliqui autem non habent, neque etiam panem sumendo, illius fiunt participes: tum, quia ij soli Spiritum habent Christi, cuius solius virtute caro Christi verè communicatur: tum etiam, quia soli veram adferunt fidem, citra quam illa verè percipi, edique non potest. Nam neque Christus verum suum corpus verè & reipsa exhibet edendum, nisi illis, qui non minus verè credunt, illud pro se traditum esse in mortem, & sanguinem fusum in remissionem peccatorum suorum, quàm verba illa esse vera, HOC EST CORPVS MEVM.

IX.

Hypocritas, corpus Christi edere Sacramentaliter.

Interim non inficiamur, quin hypocritæ etiam, vera & iustificante fide destituti, accipiendo edendóque panem: tanquam sacramẽtum corporis Domini: ipsum quoque verum Christi corpus edere dici possint, nempe sacramentaliter, non autem verè & reipsa, quemadmodum & Apostolus omnes Corinthios, qui aqua baptizati fuerant, ait fuisse sanctificatos, iustificatos nempe sacramentaliter, vt supra declarauimus: 1. *Cor.* 6. 11. quanquam non omnes verè tales fuerint effecti.

X.

Tria comedentium hominum genera: eóque diuersos esse edendi modos.

Inde etiam discimus, tria esse hominum genera, qui in quæstionem venire possunt, an edant carnem Christi, nécne edant. *Primum* eorum est, qui panem sumunt, vt cibum communem, non vt sacramentum. Ij verum Christi corpus non edunt vlla ratione: & veri sunt Capernaitæ, eorúmque comestio verè carnalis est. *Alij* contrà, panem non sumunt (non tamen ex contemptu) sed Euangelio tantùm credunt: horúmque manducatio merè Spiritualis est. *Denique* sunt, qui non contenti fide erga Euangelium panem etiam sumunt: non simpliciter, veluti primi, vt panem nudum: sed vt sacramentum corporis Domini: Vnde fit, vt etiam sacramentaliter sumere & edere dicantur. Verùm hoc, cùm tam à piis, quàm ab impiis hypocritis fiat, sed diuersa ratione, ab vnis per fidem, ab alteris sine vera fide: idcirco etiam dicimus, impios hypocritas sacramentaliter tantùm, pios autem sacramentaliter simul & veraciter ac spiritualiter, eóque ad salutem, edere.

XI.

Sola fide edi corpus Christi verum.

Cùm verò à solis fidelibus verum Christi corpus non solùm sacramentaliter, sed etiam verè sumi dicimus: intelligimus illud edi non ore corporis, sed mentis & Spiritus fide præditi: idque per operam Spiritus S. efficaciter in nobis operantis, & totum Christum nobis applicantis. Est enim cibus mentis (vt ait Cyprianus, *Serm. de Cœna*.) non ventris. Et caro non prodest quicquam (vt ait Christus, & Augustinus exponit) sed Spiritus est, qui viuificat: *Ioh.* 6. 63. Et Apostolus docet per vnum eundémque Spiritum, omnes nos, tum in vnum corpus baptizatos esse, tum vna potione in vnum spiritum potari. 1. *Cor.* 12. 13 Ac si omnis vera cũ Christo vnitio fit per Spiritum sanctum, etiamsi ille suo corpore maneat in cœlo, nos verò in terra: manducatio quoque eodem fiat modo, necesse est. Quid enim aliud est edere, quàm cibum tibi ad nutrimentum eius partis, cui destinatur, debita ratione sumere & vnire? Caro autem Christi (vt dictũ est) cibus est mentis, nõ ventris. Neque certè corpus Christi aliter editur, nisi quatenus mortuum est pro nobis, factúmque ex sanguine, prout verba sonant, fractióque panis repræsentat, & verò etiam, sicut pascha, omnésque victimæ edebantur. Nunc autem corpus viui, & carere sanguine nõ potest: sicut ne in prima quidem Cœna caruit, mortuúmve fuit. Illud igitur propriè in nostra transire corpora: & quidem per os, sine sacrilegio dicere non possumus. Quorsum etiam, quemadmodum panis sacramentum distribuitur sine vino, & vinum sine pane: sic sine sanguine corpus, & sine corpore seorsum datur in Cœna sanguis: nisi vt intelligamus, hæc sua substantia, próque vt se habent in cœlo, per nostra ora non transire, sed fideli tantùm recordatione per Spiritum sanctum efficaciter excitata percipi? Nam hoc etiam ipsum petiit Dominus dicendo, Hoc facite in mei recordationem: nec non dicendo, Hoc est corpus meũ, quod pro vobis traditur. Exigebat enim ita loquendo, fidem, qua hoc crederent, & credendo ederent: id est, sibi in cibum vitámque animæ applicarent. Quare illos verè non autem per imaginationem edere carnem Christi persuasum habemus: qui credendo, illam pro suorum peccatorum expiatione traditam esse in mortem: eam etiam pro tali sacrificio, fideli mente amplectuntur, sibique applicant. Ac qui ita edunt corpus Christi, vt mortuum: eos, eidem iam viuenti & viuificanti, non dubitamus magis ac magis adglutinari, iuxta promissionem Christi, qui primò dixit, Qui edit carnem meam, postea subiecit, in me manet, & ego in eo. *Ioh.* 6. 56.

XII.

De corporali manducatione opinionem, tanquam vanam & inutilem, non esse admittendam.

Cùm porrò modus hic edendi carnem Christi, nempe per fidẽ, & certus sit ac salutaris: alter verò, quo fingitur edi ore corporis, è sacris literis demonstrari non possit: atque vt probabiliter aliquid fortè de illo dicatur, necessarius tamen non sit, aut etiam animæ aliquid conducat, secum vero multa in Ecclesiam inuehat mala, portentosas hæreses, idolomanias, idololatrias, turbas, schismata, Ecclesiarum dissipationem: religionem denique Christianam infidelibus deridendam præbeat: Credimus, pietatem postulare, vt omnes manducatione, quæ in Cœna fit per Spiritum ac fidem, contenti: de altero modo ne simus solicitì: sed eo valere iusso, caritatem fraternam, pacémque, in quem etiam finem instituta est Cœna, sanctè colamus. Neque enim ad extremum alio sensu concedi illa locutio posset: quàm quo etiam quæ audiendo per aures verbo, intelligimus, ea nos auribus hausisse dicere solemus. Sed in religionem Christianam phrases à sacris literis alienas, præsertim vero, quæ non modo inutiles, sed etiam perniciosæ sunt, inducendas non esse, omnino sentimus.

XIII.

Veram esse præsentiam carnis Christi in Cœna: sed spiritualem.

Ex iis vero, quæ tum de vera vnione, tum de vera manducatione diximus: facilè perspici potest, quid de vera etiam præsentia credendum sit. Credimus itaque si cum Chri-

Christo, adeóque cum eius carne & sanguine verè & reapse vnimur: & si verè edimus carnem eius ac bibimus sanguinem: eundem etiam Christum non solùm sua deitate, sed carne quoque & sanguine præsentem esse illis, qui vniti cum illo sunt: quique illius edunt carnem, & sanguinem bibunt. Quid enim magis præsens tibi esse potest, quàm id quod vere edis & bibis, & cui substantia coniunctus es tua, quódque vicissim tibi copulatum est sua: & à quo tanquam a capite, in te, tanquam in membrum, vita fluit atque motus.

XIV.

Qualis vnio est & manducatio: talem esse præsentiam, nimirum spiritualem.

Sed sicut tam vnio, quam manducatio per Spiritum fit, ac per fidem: sic etiam præsentiam non nisi spiritualem esse & in hominibus Spiritu Dei ac fide præditis, fieri, credimus atque dicimus: Ac proinde illam nulla locorum, quantumuis magna distantia, impediri posse.

XV.

Rem aliquam eatenus fieri præsentem, vel absentem: quatenus percipitur, vel non percipitur.

Neque enim locorum aut propinquitas, aut longinquitas, vt aliqua res præsens sit vel absens, efficit, sed eius rei participatio, vel non participatio. Sol certè, quamuis maximo spatij interuallo à nobis distet: præsens tamen dicitur, & verè dicitur esse nostris oculis, cum illius simus participes: contrà absens, cum aut obductis nubibus, aut ad alterum hemisphærium profectus, à nobis non conspicitur: Cæco prorsus homini nunquam præsens est illius lux, etiamsi in ipsius oculos maxime incurrat: quemadmodum & surdo magnus Musicæ concentus: & imperito, orationis intelligentia. *Aug. ad Vol. Epi 3. Col.* 10. Deus quoque procul ab impiis esse dicitur, quia fide ab ipsis non percipitur: cùm tamen sua essentia non procul absit ab vnoquoq; nostrum. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus. Quatenus ergo aliqua res vel percipitur à nobis, vel non percipitur, siue τῷ ὀφθαλμῷ, siue sensibus, siue mente, siue alia ratione: eatenus etiam præsens esse dicitur vel absens.

XVI.

Quænam præsentia à nobis negentur, & quæ admittantur.

Quare licet improbemus, aut mutata panis substãtia, aut in nihilum redacta, succedere in eius locum veram Christi carnem, & ita fieri præsentem, vt sub accidentibus panis lateret vera substantia corporis Christi: licet etiam negemus carnem Christi realiter, & sua substantia præsentem esse in pane, qui nullam cum illa habet vnionem, nisi sacramentalem, quæ in mystica relatione fundata est: licet etiam inficiemur, præsentem esse impiis, qui cum Christo κοινωνίας illam spiritualem non habent, neque carnem illius verè dici possunt comedere: licet quoque non admittamus talem corporis Christi præsentiam, qua sicut in prima Cœna, ipsis Apostolis visibili aspectu erat in mensa præsens: sic nunc fidelibus fit coram in terris, sed inuisibili, & sensibus imperceptibili modo, tempore cœnæ, quòd hoc non solùm cum natura corporis Christi, sed cum Scripturis apertè pugnet: denique licet detestemur præsentiam, qua nonnulli fingunt carnem Christi, sua substantia, vbique realiter existere: talem tamen credimus & agnoscimus præsentiam, quæ non minus essentialis est, propter res, quæ verè sunt nobis præsentes (quippe quarum reipsa participes simus) quam spiritualis, propter modum, quo præsentes fiunt & reuera communicantur. Quinetiam minimè diffitemur, carnẽ Christi præsentem esse in pane, & sanguinem in vino: sed non alio modo, quam quo etiam, quidquid verbo Euangelij annunciatur & offertur, id ipsum in eo præsens esse, & contineri, dicitur. Quemadmodum etiam sacramenta verba sunt visibilia: & omnis res signata, in suo signo, aliquo modo inest, & cum illo exhiberi solet.

XVII.

Præsentiam corporis Christi in Cœna non ab vbiquitate, sed à verbis Christi pendere.

Vnde & illud constat, præsentiam corporis Christi in Cœna, non ab vbiquitate, sicut quidam somniarunt: sed, ab ipsa Christi oratione, operante in nobis, quibus sit præsens Spiritu sancto, pendere. Apostuli enim, si panem acceptum è manu Christi comedissent, verbis eius, nempe, HOC EST CORPUS MEUM, non auditis, nec fide perceptis: nihil profectò aliud accepissent, edissentve, quam panem: vt ad sealem præsentiam in pane stabiliendam, nihil tum eos potuerit iuuare portentosum, Deóque & Ecclesiæ eius inuisum dogma de vbiquitate, ex scholasticis quidem distinctionibus; sed contra ipsorum etiam Scholasticorum sententiam, hanstum. Atque hæc nostra est de vera κοινωνίᾳ, de vera manducatione, déque vera præsentia corporis Christi fides atque confessio.

XVIII.

Qui ritus in Cœna celebratione vsurpandi sint.

De ritibus & ceremoniis, in celebratione Cœnæ Dominicæ, hoc vnum tantùm dicimus, eos maximè probandos esse qui ad simplicitatem Apostolicam quàm proximè accedũt.

CAPVT XVII.

DE FIDE, SPE, ET CARITATE.

I.

Ad κοινωνίαν cum Christo, eóque ad salutis participationem, pernecessariam esse fidem.

Ad insitionem in Christo faciendam, communionémque promouendam, vtitur quidem Spiritus sanctus externis organis, verbo Euangelij & Sacramentis: sed nisi Fides, qua Christum cum eius thesauris nobis oblatum amplectamur, in nobis per eundem Spiritum excitetur, organa illa nihil nobis ad salutem prodesse, confitemur: Ac proinde ad vnionem cum Christo, bonorúmque eius participationem, necessariam esse fidem non dubitamus.

II.

Nomine Fidei quid intelligamus.

Nomine autem Fidei, non humanam quandam opinionem, aut persuasionem de Deo, & de Christo: sed donum diuinæ sapientiæ, atque prudentiæ, per Spiritum sanctum in cordibus nostris, ex auditu verbi excitatum intelligimus: *Eph.* 1.8. quo cum toti verbo Dei in sacris literis reuelato, tum verò maximè Euangelio, lætum nuntium de redemtione per Christum facta, afferenti: sincero, firmo, & constanti animo, propter autoritatem loquentis Dei, assentientes, Deum in illo, Deique voluntatem, Christum Mediatorem, eiúsque beneficia verè intelligimus: certè nouimus: peramanter complectimur: firmáque fiducia de Dei misericordia, amoréque erga nos immenso concepta, eum inuocamus: ad eum redamandum accendimur: atque ad fidele obsequium illi præstandum: eúmque bonis operibus, & caritatis erga proximum officiis glorificandum, in finem vsque vitæ constanter impellimur.

III.

Confirmatio superioris sententiæ.

Neque enim vera fides ex humano est ingenio, sed donum Dei est: neque donatur omnibus, sed tantùm electis: neque opinio est, de rebus promissis, incerta, atque hæsitãs, sed hypostasis, firmáque & stabilis rerum promissarum certitudo, & earum quæ non videntur, certissima comprehensio. *Phil.* 1.29. *Tit.* 1.1. *Act* 13.48. *Heb.* 11.1. Neque nascitur ex auditis humanis rationibus, sed ex auditu verbi Dei concipitur, & autoritate solius Dei loquentis, & promittentis, nititur. *Rom.* 10.17. Neque est aut hypocriticus aut simulatus assensus, sed sincerus. 1. *Tim.* 1.5. Neque persuasio est temporaria, sed constans & perpetua: quanquam sæpe eam nostris peccatis labefactamus; *Mat* 13.21. Neque est res cæca, aut temeraria, sed summa sapientia, qua Deum & Christum résq; diuinas cognoscimus: & Christiana prudentia, qua fit, vt cognitione illa Dei non abutamur, sed ad verum vsum eam accommodemus; *Eph.* 1.8. Nec denique res est mortua: sed viua, pérque caritatem efficax. *Gal* 5.6. *Iac.* 2.20.

IV.

Fidem sua habere incrementa.

Etsi verò fides electorum nunquam penitus excidit, sed semper viuit: nunquam tamen ita perfectam & consummatam esse nouimus, quin quotidie opus habeat incremento: pro quo & Apostoli rogarunt, & nos semper rogandum esse Deum, confitemur. *Luc.* 17.5. *Eph* 1.17.18.

V.

Confessionem veritatis à vera fide separari non posse.

Credimus etiam veram fidem non posse ingenua veritatis confessione, cùm opus est, carere: cum Apostolus dicat, Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem; *Rom* 10 10. eóque damnamus Libertinos, & alios huius farinæ homines, qui putant sibi liberum esse vbiuis locorum, & apud quosuis homines veritatem dissimulare; & ad quamuis religionem sese accommodare.

VI.

Ex fide nasci spem.

Credimus etiam, ex Fide nasci spem, & illam huius esse fundamentum, dicente Apostolo, Fidem esse hypostasin eorum, quæ sperantur. *Heb.* 11.1. Ideo enim futura bona speramus, & per patientiam certò exspectamus: quia diuinis credimus promissionibus.

VII.

Spes quid.

Est autem Spes, (*Rom.* 8 24.) donum Dei, quo bona promissa, quæ nondum habentur, nec videntur, per patientiam ex Dei misericordia, & propter solius Christi meritum tam certò exspectamus, quàm certò etiam credimus.

VIII.

Spei certitudo vnde sit.

Spes enim Christianorum, sicut non ex humanis promissionibus nascitur: sic neque humanis meritis alitur, aut nititur, sed sola diuinarum promissionum veritate, multis modis confirmata, & in cordibus nostris obsignata: sola item eiusdem promittentis Dei efficaci omnipotentia, tum erga omnes credentes declarata, tum verò maximè in Christo palàm exserta: cùm nimirum illum suscitauit à mortuis, & sedere fecit in supercælestibus ad dextram suam, *Eph.* 1. 20. sola denique Christi in quem credimus, & in quo speramus, obedientia atque meritis, innixa & sustentata: complementum salutis nostræ, resurrectionem videlicet à mortuis, aduentum gloriæ magni Dei, ac Seruatoris nostri Iesu Christi, plenam denique hæreditatis possessionem, certò & constanter exspectat.

IX.

Ex fide ipsam quoque nasci Caritatem.

Credimus etiam ex vera Fide nasci veram caritatem: per quam operatur, & quantum efficax sit, reipsa declarat: dicente Apostolo, eam fidem plurimum in Christo valere, quæ per caritatem operatur: *Gal.* 5.6. & Iohanne affirmante: Eum nondum nosse Deum, qui non diligit. 1. *Ioh.* 4.8. Itaque non agnoscimus pro fratribus eos, qui fidem iactant cùm nulla præditi sint caritate, *Iac.* 2.15.16.

X.

Caritatem donum esse Dei.

Credimus autem ipsam quoque caritatem singulare Dei donum esse: quo erga Deum Patrem, & erga Christum Redemtorem, redamandum & glorificandum toto corde afficimur: ad beneuolentiam ac beneficentiam tum erga omnes homines, atque adeò etiam ipsos inimicos nostros, tum maximè erga Sanctos, inclinamur, propensique simus. 1. *Ioh.* 4.8. Itaque damnamus eos, qui dicunt, hominem posse suis viribus naturalibus Deum super omnia amare. Dilectio enim ex Deo est, ait Iohannes, 1. *Ioh.* 4.7.

XI.

Caritatis veræ testimonia.

Neque verò illam credimus veram & Christianam esse caritatem, quæ non accedat ad eam naturam, quam Apostolus descripsit in priori ad Corinthios. c. 13.4.5.6.7. nimirum vt sit patiens: comis: non inuideat: non agat perperam: non infletur: non agat indecorè: non quærat quæ sua sunt: non irritetur: non cogitet malum: non gaudeat iniustitia, gratuletur autem veritati: omnia sufferat, & quæ sequuntur.

XII.

Caritate κοινωνίαν cum Christo & Ecclesia foueri.

Credimus vera caritate κοινωνίαν cum Christo, & cum Ecclesia vehementer foueri, augeri, & conseruari: quatenus amor vnit inter se personas amantes & amatas: cùm Iohannes dicat, Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo. 1. *Ioh.* 4.16.

CAPVT XVIII.

DE POENITENTIA.

Tametsi hæc omnia, Fides cum Spe & Caritate, Resipiscentia, Iustificatio, Studium bonorum operum, sanctæque vitæ, reipsa separari à se inuicem non possunt: quatenus tamen vnum pendet ab alio, eatenus etiam distinguenda, & singula seorsum, quid sint, quidve efficiant, consideranda esse nouimus: eóque & nobis, quidnam de singulis sentiamus, breuiter explicandum esse duximus: ac primùm de pœnitentia, perpetuo & indiuiduo fidei comite. Licet enim post iustificationem quotidie perficiatur: quia tamen nemo etiam iustificatur sine pœnitentia, & huius initium ipsam iustificationem præcedit: idcirco de hac priori loco, quænam nostra sit fides, explicare constituimus.

I.

Ad iustificationem, eóque ad κοινωνίαν cum Christo, necessariam esse pœnitentiam.

Credimus, ad veram iustitiæ Christi participationem, eóque ad κοινωνίαν cum Christo, necessariam esse pœnitentiam: qua à peccatis & mundo, mutatione animi ac voluntatis auersi, ad Christum conuertamur, illi adglutinemur, eóque remissionem peccatorum in ipso & ex ipso consequamur, iustitiáque ipsius & sanctitate induamur. Primum enim, quod prædicauit Iohannes Baptista, atque etiam Christus, fuit pœnitētia in remissionem peccatorum, *Marc.* 1.4.15. Et, Nisi, inquit Christus) pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. *Luc.* 13.3.5.

II.

Nomine Pœnitentiæ quid intelligamus.

Nomine autem pœnitentiæ, duo potissimum intelligimus: primùm, Serium dolorem, verámque tristitiā de peccatis aduersus Deum admissis: idque non tam metu pœnæ, peccato debitæ, quàm propter ipsum Deum summum bonum, nostrúmque cōditorem & Patrem à nobis offensum: & deinde, veram mentis ac cordis, consilij ac voluntatis, adeóque totius vitæ mutationem. Hanc enim partem, quæ propriè vocatur à Christo Resipiscentia, & à Prophetis Cōuersio ad Deum, cordísque circumcisio, Apostolus ex priore proficisci docet, vtramque simul coniungens, cùm ait, tristitiam, quæ est secundum Deum, efficere in nobis resipiscentiam ad salutem, 2. *Cor.* 7.10.

III.

Pœnitentiam donum esse Dei.

Credimus, Pœnitentiam donum esse Dei, ex mera eius gratia proficiscens, nō autem vllis nostris meritis, aut præparationibus debitum: dicente Apostolo, Si quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & vt resipiscant à diaboli laqueis: 2. *Ti.* 2.25. & Propheta, Conuerte me Domine, & conuertar. *Ier.* 31.18.

IV.

Ad pœnitentiam in nobis excitandam, Deum ordinariè vti verbo Legis & Euangelij: ac proinde vtriusq; auditionem in Ecclesia necessariam esse.

Solet autem Deus ad pœnitentiam in nobis excitandam vti ordinariè, tum Legis, peccata nostra detegentis, irámque Dei patefacientis, explicatione: tum Euangelij, remissionem peccatorum, & gratiam Dei in Christo monstrantis, prædicatione: quemadmodum cuique pio viro, qui legit sacras literas, manifestum est. Ac proinde vtriusque in Ecclesia explicationem & auditionem necessariam esse iudicamus.

V.

Summa doctrinæ de pœnitentia adultis omnibus vbique & semper ad salutem necessaria.

Summa igitur nostræ fidei de pœnitentia omnibus adultis vbique & semper ad salutem necessaria, hæc est: *Pœnitentiam esse mentis ac cordis mutationem, verbo, tum Legis, tum Euangelij, per Spiritum sanctum in nobis excitatam: qua peccata nostra omnia, atque adeò & ipsam naturæ corruptionem, tanquam res cum voluntate Dei (vt Lex docet) pugnantes, & quibus (vt Euangelium prædicat) expiandis necessaria fuit mors Filij Dei: ex animo dolemus, detestamur, deploramus, & cum indignatione exsecramur: corámque Deo confitemur: & eorum veniam ac remissionem supplices rogamus: de emendatione autem vitæ, perpetuóque innocentiæ & Christianarum virtutum studio, sedulo cogitamus, & in eo omnibus diebus vitæ nostræ, nos ipsos diligenter exercemus: ad Dei gloriam, & ad Ecclesiæ ædificationem.*

VI.

Vulgatas pœnitentiæ partes, contritionem, confessionem peccatorum, & satisfactionem non simpliciter damnari.

De pœnitentiæ partibus, præter eas, quæ explicatæ sunt, non multum disputamus: persuasi è sacris literis, eam summatim consistere in seria veteris hominis mortificatione, & in noui viuificatione: Quarum prior vim habet à morte Christi: posterior verò ab eiusdem resurrectione, Spi-

ne, Spiritu sancto vtramque nobis communicante: Interim non improbamus simpliciter, illam diu in Scholis receptam atque retentam partium pœnitentiæ distinctionem, in cōtritionem, confessionem peccatorum, & satisfactionem: nimirum, si ad regulam sacrarum literarum examinentur, & a piis veteris Ecclesiæ moribus ac consuetudinibus non declinent. Contritionis enim, confessionis itidem peccatorū, tum coram Deo, tum coram fratre, quem offendimus, tum etiam coram tota Ecclesia, cùm expedit: non desunt in sacris literis testimonia. Quin etiam, si quis peccatorum mole, & perplexis tentationibus oppressus velit consilium, institutionem, ac consolationem priuatim, vel à ministro Ecclesiæ, vel ab aliquo alio fratre in lege Dei exercitato petere: non improbamus. Satisfactiones itidem Ecclesiasticas, de quibus apud Tertullianum, Cyprianum, & alios, quæ in eo tantùm consistebant, vt certum veræ pœnitentiæ testimonium toti Ecclesiæ præberetur, id quod vocabant AGERE POENITENTIAM, non possumus damnare. Damnamus verò additas superstitiones, conscientiarum carnificinas, & opiniones impias, quibus tantùm non sepelitur meritum mortis & satisfactionis IESV CHRISTI, vnici peccatorum nostrorum expiatoris, & ab omni culpa ac pœna perfecti Redemtoris.

CAPVT XIX.

DE IVSTIFICATIONE.

I.

Qui verè donantur pœnitentia, eos etiam viua fide donari, Christo inseri, & in ipso iustificari.

Hominem contritum corde, suaque ex animo detestantem peccata, totiúsque malè actæ vitæ verè pœnitentem, *Iesa.66.2.* ad Deum verò pro remissione peccatorum suspirantem: *Psal 32.6.* veràmque Christi iustitiam esurientem atque sitientem: *Mat.5.6.* hunc credimus, sicut a Spiritu S. donatus fuit hac vera in Deum pœnitentia: sic etiam ab eodem viua in Christum fide donari, Christóque tanquam membrum ab æterno ad hoc destinatum, suo capiti adglutinari: eóque & in ipso, primùm quidem remissionem peccatorum consequi, perfectáque Christi iustitia donari, atq; ita verè iustum, propter Christum, cui insitus est, reputari, & ab omni reatu absolui: dicente Apostolo, Nihil damnationis esse iis, qui sunt in Christo Iesu: *Rom.8.1.* & Christum factum nobis esse iustitiam. *1.Cor.1.30.*

II.

Qui propter Christum, cui insitus est iustus censetur: eundem iustitia etiam inhærente donari.

Credimus porrò, qui iam propter Christum, cui per Spiritum sanctum insitus est, iustus censetur, veréque iustus est, consecutus iam in Christo remissionem peccatorum, & imputationem iustitiæ eius: eundem statim etiam dono iustitiæ inhærentis affici, vt non solùm in Christo capite perfectissime & plenissimè iustus sit, sed etiam in seipso veram habeat iustitiam: qua fiat Christo ipsa conformis: quanquam, dum sumus in hac carne, nunquam eam perfectam, sed nostra culpa multis peccatorum sordibus contaminatam semper habemus. De qua iustitia ait Iohannes, Qui facit iustitiam, id est, opera iusta, iustus est. *1.Ioh.3.7.* Vtramque enim hanc iustitiam coniungit semper Apostolus, tum ad Romanos, tum in aliis Epistolis, & vtramque per Christum donari fidelibus docet, quemadmodum etiam ad Philippenses 1. 11. confirmat. Et quidem posteriorem iustitiam, cuius fructus manifesti fiunt hominibus, ita manifestum prioris testimonium dicimus, vt vbi hæc desideretur, ibi neque priori locum esse cum sanctis Apostolis profiteamur. *Iac. 1.2. &c.* tantùm abest, vt doctrinâ de iustificatione per solam fidem, peccatorum remissionem & imputationem iustitiæ Christi apprehendentem, fræna laxemus impiis hominibus.

III.

Quia iustitia inhærens semper imperfectissima est nostro vitio: ideò sola iustitia Christi nos verè coram Deo iustos esse.

Confitemur interim, hanc iustitiam inhærentem ita esse nostro vitio imperfectam, vt illa Christi iustitia sola, qua nobis non imputantur peccata, non solùm initio conuersionis, cùm ex impiis fimus pij, verùm etiam post in finem vsque vitæ verè iusti fiamus coram Deo, & pro iustis haberi possimus: dicente Dauide, & subscribente Apostolo, Beati quorum remissæ sunt iniquitates: *Psal 32.1. Rom.4.7* & iterum. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. *Psal 143,2.* Itaque concludimus, in sola remissione peccatorum & imputatione iustitiæ Christi, veram nostri iustificationem coram Deo consistere.

IV.

Per fidem percipi, An quis sit in Christo iustificatus: eóque talem tunc dici, per fidem iustificari

Quia vero iustificatio non fit sine cognitione & sensu, adeóque & assensu illius, (de adultis sermo est) qui iustificatur, sensus autem ille sensus fidei est: ideircò tum demum iustificari hominem dicimus per fidem, cùm qui insitus est Christo, is hoc percipiens propterea, persuasum habet, sibi ex sola Dei misericordia, & propter solam Christi cui insitus est, obedientiam, satisfactionem, sacrificium, ita remissa esse peccata, vt ab omni culpa & pœna peccatis debita, simpliciter liberatus sit: perfectam autem Christi iustitiam ita imputari, persuasum habeat, vt propterea vitam æternā non minus sibi deberi, quam debebatur Christo, omnino sentiat: eóque verè ex gratia, & non suis operibus eam deberi intelligat.

V.

Confirmatio superioris sententiæ, & quid sit hominem iustificari.

Primum enim, Iustificare, in Sacris literis, tam veteris quam noui Testamenti, præsertim apud Apostolum, *Ro.4. 8. & 5.19.* cùm de hoc agit negotio, significat remittere peccata, eóque a culpa omni & pœna absoluere, in gratiam itē recipere: iustúmque pronuntiare, & pro iusto habere: non qui simpliciter iniustus est, sed qui propter impetratam remissionem peccatorum iniustus amplius non est. Deinde licet Deus quos in Christo tanquam membra in capite, ab æterno elegit in filios, eosdē etiam in eodem semper Christo pro suis agnouerit, & sibi in Dilecto gratos gratis fecerit: quia tamen reapse nondum sumus in Christo, nisi postquam per Spiritum S. illi sumus insiti & incorporati, hoc verò non fit in nobis adultis, nisi cùm donati fide, Christū pro nostra iustitia agnoscimus, & vt talem amplectimur: ideircò tum demum nos iustificari docent Scripturæ, idque per fidem in Christum absque operibus nostris, cùm totū hoc vera fide credimus, hoc est, cùm persuasum habemus, peccata nostra tanquam semel expiata in Christo, nobis non amplius imputari, sed ex gratia Dei, & propter solū Christum condonari: contrà verò, iustitiam Christi nobis, tanquam nostram imputari, & nos hac ornatos in conspectu Dei, verè iustos censeri & esse. Cuius rei effectum eóque manifestum testimonium est ipsa inchoata, vt ante diximus, & inhærens in nobis iustitia: quę constat odio peccati, & amore iustitiæ, studióque bonorum operum. *Iac.2.12.*

VI.

Confirmatio. Quid sit fide nos iustificari.

Proinde, cùm dicimus, Hominem fide aut per fidem iustificari: minimè intelligimus, fidei virtutem id esse, quo tāquam forma vt loquuntur, & vera iustitia, iustificemur: aut id, propter quod remissionem peccatorum & iustificationē mereamur: aut id, quod tanquam prima aliarum virtutum, omniúmque bonorum operum causa & fons, trahit secum alias virtutes, caritatem, cordis munditiem, internam iustitiam, bonáque opera, quibus iustificemur: sed quia ceu lumen est, quo intuentes in speculum Euangelij, videmus, quales simus in Christo, ex gratuita Dei bonitate ac voluntate, & propter merita ipsius Christi: & simul etiam, quia ceu manus est, qua gratiam hanc Dei, & beneficiū Christi, in Euangelio nobis monstratum, & in persona Christi præstitum, arripimus atque amplectimur: vel, vt breuius id, quod res est, dicamus: dicimur iustificari fide, i. remissione peccatorum, iustitiæque Christi imputatione, per fidem apprehensa: ita, vt fides pro re credita seu fide apprehensa accipiatur: quemadmodum & de Abrahamo legimus, Credidit Abraham Deo, & imputatum ei fuit ad iustitiam: *Gen. 15.6.* nimirum, id quod credidit de semine sibi promisso, id est, de Christo. Is enim iustitia est omnium electorum verè credentiū, filiorúmque, vt scriptura loquitur, promissionis,

VII.

Sola fide homines iustificari.

Hinc facilè etiam intelligitur, quid sit, quod cum sacris literis & sanctis Patribus semper confessi sumus, & constāter confitemur: nos sola fide iustificari. Cum enim fide coram Deo iustificari, nihil aliud sit, quam remissione peccatorum, & iustitia Christi, per fidem apprehensis, iustum censeri: hæc autem sola sit vera iustitia: quando, quidquid in nobis est inhærentis iustitiæ, & quidquid facimus bonorum operum, tale est, quod in iudicio Dei non potest consistere: iuxta illud, Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens: *Psal.142.2.* & iuxta illud, Si iniquitates obseruaueris

Domine, Domine quis sustinebit? *Psal.*130.3. Inculenter apparet, fidem nostram de iustificatione per solam fidem, certissimam, verissimámque esse.

VIII.

Non solum initio conuersionis, sed toto vitæ curriculo ad mortem vsque, sola fide nos iustificari.

Hinc etiam fit, vt non possimus non credere, & constanter confiteri, nos non solùm initio cùm simus ex iniustis iusti: sed etiam toto deinceps vitæ nostræ curriculo, in finem vsque, sola fide in Christum iustificari: vt nostra iustitia sit semper ex fide in fidem. Nemo est enim, qui quotidie non peccet: vt opus semper habeamus dicere, Dimitte nobis debita nostra, *Mat* 6.12. &, Pro venia peccatorum orabit ad te, inquit Dauid, omnis sanctus, *Ps.*32.6. & Christus non semel, sed semper iustitia nobis est, sanctificatio, redemtio, 1. *Cor.*1.30 & propitiatio pro peccatis nostris. 1 *Ioh.*2 2.

IX.

Iustificationem per solam fidem non esse rem imaginariam atque fictitiam.

Ne quis verò existimet, imaginariam quandam à nobis fingi iustitiam, quæ nihil in nobis habeat fundamenti, & efficacitatis: repetimus, quod ante etiam professi sumus: primùm quidem, fidem, qua dicimus nos iustificari, fidem esse viuam, & per caritatem efficacem: deinde, Deum nos non iustificare remissione peccatorum, & imputatione iustitiæ Christi, quinetiam nos participes faciat suæ diuinæ naturæ, quin regeneret, refingat, sanctificet, inhærente iustitia donet, conforméſque faciat imagini Filij sui: hanc autem inchoatam iustitiam, testimonium esse manifestum alterius veræ & perfectæ iustitiæ, quam in solo habemus Christo: & eiusdem Spiritus sancti nexu vtramque connecti, dicente Apostolo, Non solum gratiam Dei, sed etiam donum in gratia, quæ est vnius hominis Iesu Christi, in multos redundasse, *Rom.*5.15. Vt enim non solum inobediẽtia Adæ nobis imputata fuit, sed etiam naturæ eius corruptio in nos deriuata est: sic etiam non solùm obedientia & iustitia Christi nobis illi insitis, imputatur, verum etiam sancta eius natura re ipsa communicatur, vt nouæ fiamus creaturæ, iusti & sancti in nobis etiam ipsis, sectatores bonorum operum. 2. *Cor.*5.17 *Eph.*2.10, *Tit.*2.14.

X.

Inhærentem iustitiam operibus bonis augeri.

Quemadmodum verò dicimus, priorem illam iustitiam operibus nostris neque deberi, neque inchoari, neq; augeri: sic hanc alteram, licet operibus nostris præcedentibus, non debeatur, nec inchoetur: (omnia enim sunt peccata, quando opera bona non præcedunt iustificandum, sed sequuntur iustificatum, operibus tamen subsequentibus, pietatiſque exercitiis conseruari, promoueri, & augeri, confitemur: docente Apostolo, dona Dei in nos collata, huiuscemodi exercitiis, instar ignis, excitari, foueri, nutriri: 2. Tim. 1.6. & de quo iustitiæ incremento ait Iohannes: Qui iustus est, iustificetur adhuc, *Apoc.*22.11. Ac proinde, si de hac inhærente tantùm sermo sit: non inficiamur, quin ex operibus bonis, & non tantum ex fide, homo iustificetur, id est, magis ac magis fiat iustus.

XI.

Iustitia quæ constat remissione peccatorum, & imputatione iustitia Christi, non ex operibus propriè hominem iustificari: sed iustificatum & iustum esse declarari.

Si verò de priore interrogemur: respondemus, Hominem ex operibus suis nunquam, semper autem ex sola fide propriè iustificari: sed ex operibus tamen, an iustus sit, tàm vna, quàm altera iustitia, necne sit, declarari, cùm nemo priori iustitia iustificetur, quin etiam posteriore donetur, & vtraque bonis operibus declaretur: Quo sensu locutum fuisse Iacobum, non dubitamus.

XII.

Errores.

1. Damnamus omnes Pelagianos, qui putarunt, infantes concipi sine peccato: eóque ad salutem, nõ opus habere remissione peccatorum, & beneficio Christi: 2. Illos item, qui docent, etiamsi opus sit remissione peccatorum: eam tamen posse impetrari sine fide in Christum: 3. Illos quoque qui sentiunt, etiamsi opus sit fide in Christum, eam tamen non sufficere, sed operibus etiam nostris, tanquam meritis, ad impetrandam remissionem peccatorum necessariis, opus esse: maximè verò, qui hoc fieri per impios cultus & superstitiones, docuerunt: 4. Neque illos probamus, qui non alia iustitia nos iustificari tradiderunt, quàm interna & inhærente. 5. Sed rursus, neque illos, qui remissionem peccatorum absque interna renouatione & iustitia, consistere posse putarunt. 6. Damnamus etiam eos, qui fide de Christo historica, & quam Iacobus mortuam vocat, id est nullam, existimant se posse iustificari atque seruari. 7. Improbatur nobis quoque eorum sententia, qui hominem iustificari docuerunt, non remissione peccatorum, & imputatione iustitiæ Christi, sed ipsa essentiali, vt vocatunt, iustitia Christi, nobis realiter communicata.

CAPVT XX.

DE LIBERO RENATI HOMINIS arbitrio, viribúsque ad bonum.

I.

Iustificatos in Christo, in eo etiam regenerari, viréſque ad bonum recipere.

Credimus, qui Christo insiti sunt, eos, sicut in illo iustificantur, ita in eodem etiam regenerari, nouáſque fieri creaturas, participatione diuinæ illius naturæ: ac proinde liberos fieri, viréſque ad malum vitandum, & ad bonum persequendum, à Christo ipso, tanquam membra a capite, & sicut palmites à vite, accipere: dicente Domino, Verè liberi eritis, si Filius hominis vos liberauerit. *Io.*8.36. Tunc autem liberamur, cùm Christo inserimur, & illius Spiritu regeneramur: cum dicat etiam Apostolus, Vbi Spiritus Domini, ibi libertas. 2. *Cor.*3.17.

II.

Christum in renatis viuere & operari.

Confitemur enim cum Apostolo, Christum in nobis ex ipsius Spiritu renatis, viuere: *Gal.*2.20. neque otiosum viuere, sed operari, tum vt velimus, tum vt perficiamus, pro sua erga nos bona voluntate: *Phil.*2.13. suóque Spiritu auxiliari infirmitatibus nostris. *Rom.*8 26.

III.

Renatum in actionibus etiam ad animalem & humanam vitam pertinentibus, præstantius se gerere quàm non renatum: eóque magis esse liberum

Ita homo renatus, præterquam quod voluntatem retinet (sicut etiam non renatus) semper ab omni coactione liberam: in omnibus etiam actionibus, tam ad animalem, quàm ad humanam vitam pertinentibus, in quibus aliquid homo non renatus valet, multo melius & præstantius se gerit, quàm non renatus: cum à Spiritu S. in iis etiam actionibus agatur, mentem illustrante, voluntatem & cogitationes regente, actiones denique ex bono fonte, hoc est, ex corde bono, educente, & ad optimum finem, hoc est, ad gloriã Dei dirigente: monente nos ad hoc etiam Apostolo, & dicente, Siue editis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. 1. *Cor.*10.31. Ac proinde magis etiam liber est in hoc actionum genere, quàm non renatus: quatenus scilicet non ita à suis concupiscentiis ad has actiones abripitur, sicut non renatus: sed actus à Spiritu S circumspectius, prudentius, & religiosius omnia cogitat, vult, aggreditur: in hoc semper intentus, vt omnia à se fiant ad gloriã Dei, ad salutem suam, & ad aliquam proximi vtilitatem Illud enim semper retinet Apostolicum, Nullus nost[illegible] ipsi viuit, aut sibiipsi moritur: sed siue viuimus, Do[illegible]uimus: siue morimur, Domino morimur: semper [illegible] Domini sumus. *Rom.*14.7.8. Ac proinde suas act[illegible]omnes, diuinæ committit prouidentiæ: & cum Iaco[illegible], vel saltem cogitat, Si Dominus voluerit, hoc a[illegible]ud faciam, huc aut illuc proficiscar. *Iac.*4.15.

IV.

In virtutibus etiam moralibus comparandis liberiorem esse & fortiorem hominem renatum, non renato.

Licet etiam confiteamur, hominem non renatum auxilio Dei speciali adiutum, posse morales virtutes sibi comparare: credimus tamen, hoc speciale auxilium longè præstãtius esse in renatis: ídque propter præsentiam Spiritus S. à quo illuminantur, reguntur, aguntur: vt meritò a Patribus demonstratum fuerit aduersus vanam Gentium iactationem, virtutes etiam, quas vocant, morales, longè alias esse in Christianis hominibus, quàm fuerint, esséve possint in infidelibus: cum in illis simulacra tantum fuerint virtutũ, in veris autem Christianis veræ virtutes. *Tertul. Apolo.c.*45 *Au. con. Iul. Pel. li.*4.*c.*3. *& de ciu Dei li.*19.*c* 25. *Orig con. Cels.*

V.

Ad ea, quæ Dei sunt, & ad regnum eius pertinent, intelligenda, eligenda, præstanda, solum renatum à Spiritu sancto, verè illuminari, flecti, agi.

Credi-

Credimus verò, in iis, quæ ad verum regnum Dei pertinent, verè intelligendis, præstandis, solos renatos ita regi à Spiritu sancto: vt soli ea verè intelligant, velint, faciant: cum dicat Apostolus, Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Dei, nec potest percipere: de renato autem subdat, Spiritualis autem omnia diiudicat: 1. Cor. 2. 14. & alibi, Deus in uobis operatur vt velimus & vt perficiamus. *Phil.* 2. 13.

VI.

Renatum non solùm agi à Spiritu sancto sed etiam agere.

Ex iisdem Apostolicis dictis, aliisque sacrarum literarum testimoniis edocti, confitemur, homines renatos ita agi à Spiritu sancto, vt & ipsi agant: & ita in illis Deum operari velle & perficere, vt ipsi sint illi, qui velint ac perficiant. Non enim stipites sunt, aut bestiæ, sed homines præditi mente, qua intelligunt: & voluntate, qua volunt, & qua imperant aliis animæ & corporis viribus, vt, quæ bona sunt, executioni mandentur.

VII.

Liberi arbitrij vires in renatis adhuc esse infirmas: vt nouo semper Dei auxilio opus habeamus, nec omnia possimus quæ volumus.

Cæterùm, quia nostri regeneratio inchoata tantum est, & non dum perfecta, ita, vt cùm antea toti essemus caro; nunc constemus partim Spiritu, & partim carne, quæ etiam aduersus se inuicem pugnant, vt non, quęcunque volumus bona, illa perficere possimus, *Gal.* 5. 17. sed mente quidem seruiamus Legi Dei, carne autem legi peccati: *Rom.* 7. 25. idcircò credimus, id quod & experimur, in renatis, multum adhuc remanere seruitutis: multas in mente caligines: in corde prauitates: in omnibus animæ & corporis facultatibus imbecillitates: vt nouo semper opus habeamus Dei auxilio, nouàque gratia: qua & mentes magis ac magis illustrentur, & voluntates in melius corrigantur: & vires ad bonum augeantur, & perficiantur. Ac proinde dum sumus in hac carne, nostrum liberum arbitrium nunquam verè & perfectè est liberum, id est, ad malum vitandum, & ad bonum faciendum, satis per se potens: præsertim cùm rerum etiam omnium euentus, non in nostra potestate, sed in manu Dei positi sint: sitque necesse, vt ea omnia fiant, non quæ nos cogitauimus, sed quæcunque manus eius & consilium decreuerunt fieri. *Act.* 4 28.

VIII.

Deum ita piorum mentes & voluntates regere, vt in ipso tentationum & carnis conflictu non sinat eos penitus à se excidere.

Illud interim retinemus, eorum, qui Christo insiti sunt, animos & voluntates, Spiritu sancto iam donatas, ita propter Christum à Deo regi & sustineri: vt, licet sinantur multis modis, multisque tentationibus labefactari: penitus tamen & in finem vsque succumbere, tandémque perire non permittatur. *Ier.* 32. 40. *Luc.* 22. 32 *Rom.* 8. 35.

IX.

Errores.

1. Damnamus eos, qui renascentiam vel negantes, vel extenuantes, hominem renatum, æquè impotentem ad bonū, & æquè seruum peccati esse volunt, atque etiam erat, antequam renasceretur: contra nimis multa & manifesta Sacrarum literarum testimonia, de renatorum à seruitute peccati liberatione & ad bonum libertate: vt de summa iniuria, quæ fit Spiritui sancto, in nobis habitanti & agenti, taceamus. Rursus & illos improbamus, qui hominem renatum ita liberum esse volunt ab omni peccati seruitute, vt non possit amplius vllo modo peccare; contradicentibus omnibus vniuersum sacris literis, & quotidiana experientia. Etsi enim non permittimur peccare ad mortem, multa tamen admitti à nobis peccata, sua natura digna morte, per se notum est. Itaque contra etiam illorum non probatur sententia, qui in renato ita vires Spiritus extenuant, & reliquias carnis amplificant; vt sæpe Spiritus operationem viribus veteris hominis penitus exstingui dicant; ipsúmque renatum gratia Dei omnino excidere, æternúmque perire doceant; contra dicente Deo per Prophetam, Dabo timorem meum in corda eorum, vt non recedant à me; *Iere.* 32. 40. & Apostolo affirmante, Firmum stare fundamentum, & c. 2. *Tim* 2. 19 &, Qui incepit in vobis bonum opus, perficiet vsque in finem. *Phil.* 1. 6.

CAPVT XXI.

DE BONIS OPERIBVS.

I.

Qui Christo insiti sunt, eos etiam inde habere vnde & viuant ipsi, & opera vitæ alijs proferant: atque hunc esse finem insitionis præcipuum.

Sicut palmes ex vite non solùm succum haurit, vnde viuat ipse, sed etiam ex eadem habet, vnde bonos fructus nobis proferat: sic etiam credimus, sanctos à Christo, cui insiti sunt, habere non solum vitam, qua ipsi viuant, verùm etiā vim, qua fructus bonorum operum edant, ad gloriam Dei, & ad Ecclesię ædificationem: dicente Domino, Ego sum vitis, & vos palmites: qui manet in me, & in quo ego maneo; is feret fructum multum *Ioh* 15. 1. *&c.* Quo illud etiam pertinet, Ipsius factura sumus, conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit, vt in iis ambulemus. *Eph.* 2. 10.

II.

Bonorum operùm nomine quid intelligamus.

Bonorum autem operum nomine intelligimus omnes illas actiones & opera, quæ à renatis, ex præscripto diuinę voluntatis, in verbo reuelatæ, & ex viua fide in Christū, eóque ex puro corde, per Spiritum S. fiunt. 1. *Pet.* 1. 5. *&c.* 1. *Tim.* 1 5. Sicut enim omne, quod non est ex fide, peccatum est: *Rom.* 14. 23. sic omnia, quæ ex fide fiunt, eóque ex corde puro, bonáque conscientia, bona sint opera necesse est; Quare inter bona opera, Deóque grata minimè ea connumerari posse sentimus; quæ ab impiis sine fide, sinéque verbo Dei citráque Spiritus sancti ductum fiunt; vtut speciem habeant maximæ pietatis, & cultus diuini. *Col.* 2. 18. 23. *Mat.* 15. 8. 9.

III

Opera bona ex vi Spiritus Christi à nobis fieri.

Vt verò palmites vitis, aut rami oleastri, insiti bonæ oliuæ, fructum à seipsis non ferunt, sed ex vi vitis, atque oliuę, quibus insiti sunt: sic etiam nos opera bona non facimus ex nobis ipsis, sed ex vi Spiritus Christi, cui sumus incorporati, & vnde etiam vitam, qua viuimus ipsi, haurimus; Christo ipso in nobis per suum Spiritum operante, tum vt velimus bonum, tum vt perficiamus *Ph.* 2. 13. Nam sine me, dicebat ipse, nihil potestis facere. *Ioh.* 15. 5.

IV.

Bona opera non esse caussam, sed effecta nostri cum Christo vnitionis & iustificationis, nostraque vitæ.

Quemadmodum etiam palmites, & rami non ideò proferunt fructus bonos, vt per illos aut inserantur viti & oliuæ; aut ipsi viuificentur, sed ideò sanctificant, quia insiti iā sunt & viuunt, ac proinde boni illorum fructus causæ non sunt insitionis & vitæ, sed effecta & manifesta testimonia; Eundem ad modum sese rem in nobis cum Christo habere, credimus; sicut & Augustinus abundè docet, qui etiam dixit, opera bona non præcedere iustificandum, sed sequi iustificatum. Ac proinde constanter confiremur, hominem ex operibus (propriè & de iustificatione vitæ loquendo) non iustificari, sed iustum esse declarari.

V.

Licet nos operibus nostris non iustificemur: alios tamen sæpe ædificari & seruari.

Interim illud etiam addimus, sicut ex fructibus arborum, quanquam ex iis ipsæ non viuunt, alij tamen vt animalia & homines aluntur, & in vita sustentantur; sic licet ex operibus nostris nos non iustificemur, alios tamen inde non parum ædificari, & tum ad Deum glorificandum, tum ad veram in Christo iustitiam & vitam quærendam exemplo nostro excitari, eóque seruari; *Mat.* 5 16. dicente etiam Apostolo, se ideò ministerium suum inter gentes (diligentia scilicet, & sanctitate etiam vitę) illustrasse, vt ad ęmulationem prouocaret consanguineos suos, & aliquos ex illis seruaret. *Rom* 11 13. Et alibi, Nonnunquam per coniugem fidelem (piè scilicet & sanctè viuentem, officiumque facientem) infidelem coniugem seruari. 1. *Cor.* 7. 16. Et ad Timotheum, si curet suum, id est, Episcopi facere officium, scribit eum & se & alios seruaturum. 1. *Tim.* 4. 16.

VI.

Licet negemus, per opera hominem iustificari non propterea tamen illa à nobis damnari.

Quamobrem, licet negemus, hanc ob caussam facienda esse bona opera, vt per illa iustificemur; propterea, quòd hoc gratuitam Dei iustitiam, torumque Christi beneficium euerterit; non propterea tamē improbamus studium sanctę vi-

tæ,bonorúmque operum:imò commendamus,vrgemusq; semper pro nostra virili.

VII.

Multas,easque grauissimas esse causas,cur bonis operibus faciendis studendum sit.

Sunt enim multæ,grauissimæque causæ in sacris literis explicatæ,cur in studium bonorum operum,quàquam per ipsa non iustificemur,diligenter tamẽ incumbendum nobis sit: quarum aliæ ad gloriam Dei immediatè referũtur: aliæ ad salutem proximi,Ecclesiæque vtilitatem: & aliæ ad nostram erga Deum gratitudinem, & vero etiam ad salutẽ nostram pertinent.Deus hoc mandat, *Mat.*5.16.est autem Deo simpliciter obtemperandum.Deus per hæc glorificatur: est autem promouenda gloria Dei. Deus propterea nos elegit,creauit,redemit,Christo inserit,vt sobriè,iustè, & piè viuamus in hoc seculo:non est autem Deus suo fine defraudandus.*Tit.*2.12. Deo placent: odit enim iniquitatẽ, & diligit iustitiam:sunt autem facienda nobis ea,quæ placent Deo, etiam si nulla vnquam vtilitas inde prouenirer vel proximo vel nobis.*Act.*10.35.*Col.*1.10. Sed & proximo, atque adeò ipsi Ecclesiæ cum primis,vtilitatis quàm plurimum accedit ex operibus nostris: non solum quo ad corpus externaque commoda,sed etiam quo ad æternam salutem,1.*Thess.*4.7.dum nostro exemplo (vt alia taceamus) ad studium eiusdem pietatis prouocãtur electi.2.*Cor.*1.4.*&c.* Nobis vero prosunt,*primùm*,quia per bona opera, tanquã per effecta electionis & vocationis,certam facimus vtráq. tum nobis,tum aliis,*Heb* 10.24 2.*Pet.*1.10.secundò,quia fides suis fructibus non solum sese patefacit atque exerit, verum etiam exercetur, accenditur, corroboratur, augetur, quemadmodum omnes etiam virtutes morales ex sui exercitatione incrementum & stabilimentũ capiunt,2.*Tim.* 1.6. tertiò, quia sicut peccatis contristamus Spiritum sanctũ in nobis habitantem,*Eph.*4.30.sic bonis operibus exhilaramus,eóque nostra corda & conscientias spirituali lætitia afficimus:contra verò diaboli tentationibus resistimus. quartò quia sicut vitando peccato,multæ etiam pœnæ vitantur,*Deut.*28.sic bona opera facientes,multas Dei benedictiones consequimur, tum in hac vita, tum maximè in altera:denique,quia sunt viæ per quas ordinariè Deus suos electos in vitam deducit æternam; *Eph.*2.10. & nisi palmes ferat fructum,excidetur & in ignem abiicietur.*Ioh.*15.6.

VIII.

Operibus nostris bonis promitti & dari mercedem, sed ex gratia,& propter Christum.

Ex quibus intelligimus, licet operibus nostris non possimus(propriè loquendo) mereri nobis cœlestis hæreditatis possessionem (gratia enim Dei est vita æterna:) eam tamen tanquam mercedem,sed ex gratuita Dei misericordia, & propter merita Christi, nos consequi posse. *Luc.*10.17. *Rom.*6.23.*Ier.*31.34.*Mat.*5.7.

IX.

Errores.

1 Damnamus igitur omnes,qui ex dignitate suorum operum docent,sibi deberi vel remissionem peccatorum,vel vitam æternam,vel alia quæuis bona.Nam etiamsi perfectè mãdata Dei seruaremus:futuri tamen essemus serui inutiles. *Luc.*17.10 Nunc autem nemo, etiam post insitionem in Christum & iustificationem seruat mandata Dei,vt par est seruare.Interim non improbamus Patres,cùm vtuntur nomine meriti:quatenus s.ea voce nihil aliud intellexerũt, quàm opus bonum,ex fide factum,cui ex gratia & propter sola Christi merita,rependitur merces. 2. Rursus illos non possumus probare,qui de bonis operibus ita disputant,perinde atq. si res sint indifferentes: eóque dicunt,ea nõ solùm non esse necessaria, sed nihil etiam facere ad nostram salutẽ Quomodo enim seruari quis potest,sine studio bonorum operũ? *Iac.*2.20. Quomodo itẽ fidem retinere quis potest,nisi retineat bonam etiam conscientiam,nisi studiũ retineat vitandi peccata,bonaque opera faciendi,& totam vitam ad voluntatem Dei componendi? 3.Simpliciter verò damnamus Libertinos,quibus perinde est,mãdata Dei seruare vel non seruare,benefacere & malefacere.4.Damnamus & illos, qui opera nostra bona ipsis etiam demortuorum animis, in accenso quodam igne, quem purgatorium vocant,collocatis,prodesse docent:cùm scriptura dicat, vnumquemq. iudicatum iri secundum opera sua, quæ egit ipse in corpore suo,2.*Cor.*3.10. & ipsos mortuos opera non aliorum,sed sua ipsorum consequi.*Apoc.*14.13.

CAPVT XXII.

DE INVOCATIONE ET IVRAmento.

Quia inter alia bona opera, à Deo mandata,non postremum est inuocatio,vsque adeò, vt sæpe in sacris literis pro toto cultu Dei accipiatur, cui & iusiurandum additur,tanquam pars diuini cultus:idcircò, quæ sit nostra etiam iis duabus de rebus fides,breuiter explicandum duximus:præsertim cùm etiam de vtroque articulo nonnulla sit controuersia inter eos,qui Christum profitemur.

I.

Solum Deum,eóque & Iesum Christum esse inuocandum.

Credimus,cùm de inuocatione agitur,quę ad religionem pertinet, verum Deum,(is autem est Pater, Filius & S. sanctus,) eóque & Iesum Christum,aduocatum nostrum,esse à nobis inuocandos,& præterea neminem. De solius enim Dei inuocatione exstant manifesta mandata:*Ps* 10.16. quãdo solus etiam colendus & adorandus est.De Christo etiam, tanquam mediatore & aduocato, testimonia extant plurima que non desunt in actis Apostolicis,in Epistolis,in Apocalypsi. Quemadmodum verò expressè cauetur, ne vllam puram creaturam,quæcunque illa sit,vel in cœlo vel in terra, adoremus & colamus,sic etiam prohibemur illas inuocare.*Deu.* 10.12.*Mat.*4 10.*Col.*2.18.Si autem,quidquid non est ex fide, peccatum est:multò magis, quod contra manifestum Dei verbum admittitur: cum ne gentiles quidem senserint, quempiam esse inuocandum,nisi qui pro Deo haberetur.Et quomodo inuocabunt,inquit Apostolus, in quem non crediderunt?*Rom.*10.14. In solum autem Deum, & in Iesum Christum credendum esse, tota sacra scriptura, totaque Ecclesia catholica,vel ipso symbolo,quod quotidie recitatur,manifestè docet.

II.

Christiano homini licere legitimè iurare.

Credimus etiam,Christiano homini licere legitimè iurare,nimirum in veritate, (vt docet Propheta *Ie.*4.2.)in iudicio,in iustitia:ita vt iusiurandum sit neque falsum,neque temerarium,neque iniquum. Neque enim damnatur, quòd quis assumat nomen Domini,sed si assumat in vanum,& ad mendacium.Et apud omnes gentes, iam inde à conditoorbe,iuramentum fuit receptum: quando ad gloriam Dei fit & ad vtilitatem proximi.Quin Dei ipsius quoq; & Christi:& Apostolorum exemplis confirmatum fuit,cum sit pars diuini cultus: vt de perpetuo totius Ecclesiæ consensu taceamus Quare doctrina Christi apud Matthæum,& Iacobi in Epistola,cum hac pugnare non potest. *Mat.*5.34.*Ia.*5.12. Nam aduersus abusus iuramenti locuti sunt & veram intelligentiam mandati de iuramento explicare voluerunt.

III.

Non esse iurandum,nisi per Deum.

Credimus,cùm iurandum est,neminem præter Deum in testem conscientiæ nostræ inuocandum, citandúmve esse: eóque non esse iurandum,nisi per Deum Solus enim Deus cordium nostrorum inspector est,& solus in animas nostras habet potestatem:ac proinde solus hoc honore & cultu afficiendus est, vt testis ac vindex in animas nostras à nobis appelletur,si non seruemus quod iureiurando promittimus.

IV.

Iuramenta iusta,& legitimè facta esse seruanda.

Hinc,propter honorem Dei,cuius nomen in iuramentis, quasi oppigneratur,omnia iuramenta legitimè facta seruãda esse,confitemur:quemadmodum & lex mandat. Neque enim nomen Dei in vanum,aut in mendacium sumendum est.

V.

Iuramenta de rebus impiis & iniquis, hoc est,cum Lege Dei pugnantibus,non esse facienda: & facta non esse seruanda.

Rursus,cùm nihil vnquam impij aut iniqui, hoc est, cum Lege Dei pugnans,promittendum sit:multò minus iureiurando,& interposito nomine Dei,confirmandum esse,iudicamus:quòd si fiat,tale iuramentum per se illicitum, non esse seruandum,affirmamus. quòd illud præstando bis peccetur:sicut de Herode legimus apud Euãgelistas *Mat.*14.7.

VI.

Iuramenta,quæ sine transgressione Legis diuinæ seruari non possunt,non esse seruanda:etiamsi nonnulla ipsorum per se iniqua non sint.

Illud

Illud quoque adiicimus, quæuis iuramenta, quę sine mandati diuini trausgressione seruari non possunt, licet etiam per se iniqua non sint: ea tamen seruanda non esse. Ac proinde, qui cœlibatum perpetuum, (exempli causa) iureiurando promisit, quem postea sine manifesta Legis Dei transgressione seruare non potest: hunc tale iuramentum seruare nullo modo debere, sentimus, *C.22.q.4.*

VII.

Errores.

1. Improbamus igitur, qui inuocant idola, homines demortuos, res inanimas, easve adorant. 2. Improbamus & Anabaptistas, qui omne iuramentum simpliciter damnant, nullúmque licitum esse, contendunt, homini Christiano. 3. Nec non & illos, qui alios, præter Deum, testes inuocant in animas suas. 4. Denique illos, qui vota & iuramenta per se impia, & quæ sine scelere seruari nequeunt, ea tamen omnino seruanda esse, contendunt.

CAPVT XXIII.

DE ECCLESIA CHRISTI, IN GENERE.

Quia constat, qui Christo, tanquam membra capiti, nexu Spiritus sancti adglutinati sunt, ex iis constare Ecclesiam Christi, quæ est corpus ipsius: constátque, verbum Euangelij & Sacramenta, quibus, tanquam organis, homines Christo vniuntur, non administrari nisi in Ecclesia: quicunque etiam vera fide in Christum, spe, caritate, pœnitentia, studio bonorum operum præditi sunt, hos ad Ecclesiam pertinere: idcircò, de Ecclesia quę nostra sit fides, explicare, operæpretium duximus: pręsertim, cùm de hoc potissimùm articulo maximæ sint controuersiæ. Ac primùm quidem, de Ecclesia Christi in genere: sic cum tota ipsa Ecclesia confitemur fidem nostram, dicturi porrò speciatim de militante, déque iis quæ ad eam pertinet.

I.

Articulus fidei de Ecclesia ex symbolo Apostolico.

Credimus sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem.

II.

Nomine Ecclesiæ quid intelligamus eiusque descriptio.

Nomine ecclesiæ Christi, intelligimus certum, Deóque notum numerum ac cœtum, tum Angelorum, tum hominum: non solum ad habendam perpetuam cum Christo, & inter se communionem, & ad verum Deum ex ipsius voluntate atque mandato, perpetuò colendum, séque mutuò sincera & perpetua caritate amandos, electorum ac prædestinatorum: verùm etiam in tempore ex aliorum numero efficaciter, per Spiritum sanctum, euocatorum, & Christo tanquam capiti suo, adglutinatorum, eóque verè sanctorum: à condito orbe incoatum, & in hæc vsque tempora perpetuo filo, nexúque Spiritus sancti, collectum ac continuatū, & in finem vsque mundi, imò in omnem æternitatem, continuandum: partimque iam in cœlis cum Christo triumphantem: partim in terris adhuc, cum variis hostibus, pro Christo militantem: verbum euangelij prædicantem & audientem: Sacramenta administrantem & percipientem: pręceptaque Christi seruanda, tum publicè tum priuatim curantem.

III.

Ecclesiam esse cœtum ex multis constantem.

Ecclesiam enim esse cœtum, ex multis constantem, ac ceu corpus: ex multis membris compositum, docent sacræ literæ. *Eph.1.23.Io.10.3.&c.* cùm eam vocant corpus Christi variis functum membris: gregem item ouium, regnúmque Dei, & ciuitatem multis constantem ciuibus, & similibus aliis vocibus. *Heb.11.10.*

IV.

Ex electis tantùm, Christo iam incorporatis, constare Ecclesiam.

Hos verò multos, è quibus constat ecclesia, non esse, nisi electos, Christo iam insitos, & Christi sanctitate donatos eędem sacræ literæ abūdè docent, cùm alibi, tum præsertim ad Ephesios 1. vbi de Ecclesia, eiúsque membris loquens Apostolus, omnes nos ait fuisse electos in Christo: in ipso habere redemptionem: obsignatos esse Spiritu promissionis sancto: Christum datum esse caput ipsi Ecclesiæ: Ecclesiam esse corpus ipsius. Est igitur tale corpus, cuius singula membra vno eodémque Spiritu, cùm capiti Christo, tum inter se counectuntur: à capite viuificantur: illiúsque sanctitate donantur, ita vt totum hoc corpus verè sanctum sit, & sancta vocetur Ecclesia.

V.

Ab Ecclesiæ corpore non excludi sanctos angelos.

Neque vero ab hoc Christi corpore, quod est Ecclesia sancta, excludimus Angelos: tum quia Apostolus apertè de ecclesia loquens, complectitur in ea etiam Angelos: tum quia & ipsi nobiscum, sub vno & eodem capite Christo, in vnum corpus collecti sunt, & manifestè Christus ab Apostolo caput Angelorum vocatur: tum quia sese vocant nostros conseruos: eundémque nobiscum habent Patrem, & eundem colunt Deum, simúlque omnes in sempiternum futuri sumus in eadem ciuitate Ierusalem cœlesti; sunt denique & ipsi sancti. *Heb.12.22.Eph.1.10.Col.2* 10. *Apo.22.9.* est autem ecclesia communio omnium sanctorum.

VI.

Reprobos hypocritas, licet sint in Ecclesia, de Ecclesia tamen non esse.

Ita meritò credimus, & profitemur, reprobos hypocritas, licet in ecclesia habitent, & inter sanctos versentur: eos tamen non esse de ecclesia, neque ecclesiæ membra, cùm reuera capiti Christo adglutinati non sint, neque eius Spiritu donati, eóque nec verè sint sancti; dicente etiam Apostolo Iohanne, de quibusdam hypocritis, exierunt à nobis, (vt fœces è corpore) sed non erant ex nobis. 1. *Ioh.2.19.* Nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum. De Ecclesia igitur non sunt, qui tandem à Christo deficiunt, & perpetuam cum Christo, & cum sanctis omnibus communionem non retinent: vtut magni & præclari in Ecclesia viri ad tempus esse videantur, adeóque & Reipublicæ Christianæ gubernacula teneant, totíque præsint Ecclesiæ. Membra enim sunt Satanæ, non Christi: quicunque Spiritum CHRISTI non habent, sed Antichristi.

VII.

Vnam tantùm semper fuisse & esse Ecclesiam Christi.

Confitemur autem, vnam duntaxat semper fuisse & esse Ecclesiam Christi: quia vnum tantùm semper fuit & est corpus, cui Christus datus est à Patre, caput: vnus tantum Spiritus, quo omnia membra simul cum capite connexa sunt: vnus tantùm Deus, ad quem colendum, & in sempiternum glorificādum, electi vocatique sumus omnes: vna omnium credentium fides, vna salus, vna denique omnium hæreditas cœlestis. *Eph.4.4.5.6.* Quò spectat, quòd etiam Christus suam Ecclesiam, vnam semper nominauit, & vnum gregem. Non aliam igitur facimus Ecclesiam, quæ fuit à condito orbe, & ante aduentum Christi: ab ea, quæ iā est: & vsque in finem mundi futura est: sed vnam omnium temporum, omnium locorum, omnium personarum, Christo adglutinatarum: eóque vnam omnium sanctorum communionem esse dicimus: à qua qui secessionem faciunt perpetuam, eos ad hoc vnum corpus non pertinere, persuasum è sacris literis habemus.

VIII.

Ecclesiæ Christianæ vnum tantùm esse caput, Iesum Christum.

Hinc in fide confirmamur, cùm vna tantùm sit Ecclesia Christi, quæ est corpus ipsius: vnum etiam duntaxat eius esse, & semper fuisse caput. Capitis autem nomine eum intelligimus, quia à Deo, iam inde à condito orbe in eum finem datus est Ecclesiæ, vt eiusdem tandem fieret cum ea naturę: vt eam redimeret: vt eam sibi adglutinaret: vt eam viuificaret: vt eam splendore suæ sapientiæ illustraret: igne diuini amoris accenderet: ad omnes bonos affectus, bonaque opera efficaciter moueret: perpetuò regeret, atque seruaret. Hoc enim proprium esse capitis erga totum corpus officiū: præter quotidianam in natura experientiam, ex ipsis quoque sacris literis didicimus. Quis autem hoc potuerit præstare, præstiterit ve Ecclesiæ, & præstet: neminem præter Iesum Christum agnoscimus: interim non inficiantes, quin omnium hypocritarum qui sunt in Ecclesia, eóque ipsius Ecclesiæ hypocriticæ, vnum possit esse caput: cùm hoc futurum prædixerint Prophetæ, & Apostoli confirmarint. At vero sanctæ Ecclesiæ vnum tantùm esse caput, Iesum Christum: cum sanctis credimus & confitemur, *Eph.1.22.& 4.15.& 5.23.Col 1.18.*

IX.

Hanc Ecclesiam verè sanctam esse.

Vnde etiam sequitur, hanc Ecclesiam ideò verè sanctam esse: quia sanctissimum habet & sanctificans caput; quia

nulla ei imputantur peccata: quia ab eo Spiritum haurit sanctificationis: & quia, quicquid sanctitatis est in capite, totum hoc singulis membris imputatur.

X.

Verè etiam esse catholicam.

Confitemur etiam, eam esse verè catholicam, i. vniuersalem: quia caput eius etiam catholicum est & æternum; omnibus temporibus, iam inde à constitutione mundi, vsque in finem, ex omnibus hominum gentibus, & nationibus, & vbique locorum membra sibi adglutinans, atque ad æternam beatitudinem sibi regens ac seruans.

XI.

Ecclesiam hanc vnam partim in cœlis esse Triumphantem, & partim in terris Militantem.

Agnoscimus verò, Ecclesiam hanc, licet vna sit, sempérq. fuerit: ita tamen esse distinctam, vt vna pars sit in cœlo, cũ Christo, iam resuscitato, & ad dextram Patris sedente, triumphans: altera in terris, cum carne adhuc & sanguine, cum mundo, & cum diabolo pugnans. Vnde illa recepta est apud omnes pios Ecclesiæ distinctio, in Triumphantem & Militantem.

CAPVT XXIV.

DE ECCLESIA MILITANTE.

Quanquam ex iis, quæ de Ecclesia in genere confessi sumus, quid etiam peculiariter de militante credamus, facilè quisque videre potest, quo tamen clarius & facilius fides nostra intelligatur, constituimus seorsum de hac Ecclesia, partim quæ dicta sunt de tota, breui repetitione ad hanc referentes, partim, quæ propria huius sunt, addentes, nostram explicare sententiam.

I.

Ecclesiæ militantis descriptio.

Credimus igitur Militantem Ecclesiam esse cœtũ hominum, ex quauis gente & natione ad æternam vitam in Christo ante mundi constitutionẽ electorum, *Eph.* 1.4. qui in tempore è mundo ad Christum, & è regno diaboli ad regnum Dei: per Euangelij prædicationem, & per Spiritum sanctũ euocati, *Mat.* 28.19. *Mar.* 16.15. *Ro.* 10.14. & in vnum corpus sub vno capite Christo collecti, *Eph.* 1.22. eóq. verè iusti & sancti effecti, vbicunque sint, & quamlibet multi vel pauci sint, *Mat.* 18.20. eandem in Deum & in Christum fidem, eandem cœlestis hæreditatis spem propter sola Christi merita, eorundem Christi mandatorum obseruãtiam, eóque fraternam inter se dilectionem, & verò etiam erga omnes caritatem, summa consensione, & ex animo profitentur, *Ioh.* 10.27. & 13.4. verbum Euangelij prædicant & audiunt: sacramenta ex Christi institutione administrãt, & accipiunt, atq. vt omnes sobriè, iustè, & piè viuant in hoc seculo, id diligenter dant operam: interim, dum sunt in hac carne, perpetuo pro regno Christi militãntes, contraque peccatum in carne habitans, contra mũdum, se aut ad peccata allicientem, aut propter Christum persequẽtem, contra denique diabolum decertantes, *Rom.* 7. *Eph.* 6.12. & per patientiam aduentum Christi, æternamq. felicitatem exspectantes, inter quos multi quidem reprobi etiam, & improbi hypocritæ versantur, eundémque Christum profitẽtur, *Matt.* 13. sed sicut ipsi nihil minus, quã de Ecclesia sunt, sic eorum improbitas, Ecclesiam non tollit, Ecclesiæque nomen delere non potest, 1. *Ioh.* 2.19. Neque enim diffitemur, quin nomine Ecclesiæ, hypocritæ etiã, qui in ea sũt comprehendantur: dicente Domino, eam similem esse areæ, in qua frumentum & paleę: agro, in quo triticum, & zizania: sagenę, in qua pisces boni & mali, *Matt.* 13. cœtui decem virginum, in quo aliæ sapientes, aliæ fatuæ, *Matt.* 25. 1. sed eosdem de Ecclesia non esse: idem Dominus docuit, cùm dixit, se talem Ecclesiã ædificaturum, aduersus quam portæ inferorum nunquam essent præualituræ, *Mat.* 16.18. & Iohannes confirmauit in sua epistola, cùm dixit, Exierũt à nobis, sed non erant ex nobis, 1. *Ioh.* 2.19. Hanc credimus esse veram Ecclesiæ militantis descriptionem. Habet enim manifesta è sacris literis testimonia.

II.

Discrimina inter Triumphantem & Militantem.

Ita, quanquam Triumphans & Militans vna & eadem sit Ecclesia: quantum tamen etiam sit discriminis inter vtrãque, facilè intelligimus. Nam præterquam, quòd hæc Militans ex solis constat hominibus, cùm illa beatos quoque angelos habeat annexos, atque præsentes: opus etiam hic habemus prædicatione verbi, sacramentorum administratione, morum disciplina, quæ in cœlo locum non habent. Ab illa item omnes excluduntur impij & hypocritæ: in hac aut semper cum bonis permixti sunt mali. Et illi quidem fratres cœlestes, tanquam rude donati, de deuictis hostibus triumphant, atque exsultant, præsentes ad Dominum, eúmque vident facie ad faciem: nobis autem certandum adhuc est cum carne & sanguine, cum mundo, cum peccato, cum Satana, principe huius mundi: & videmus per speculum in ænigmate, peregrinantes à Domino: illa denique ita vna est semper & eadem, vt neque in partes diuidatur, neque vllis obnoxia sit mutationibus, id quod certè de Militante dici non potest.

III.

Militantem Ecclesiam ita esse vnam & eandem, eámque catholicam: vt non semper tamen eodem se habeat modo, & in multas distinguatur particulares Ecclesias.

Agnoscimus igitur etsi hæc Militans vna semper fuit & est eaque Catholica Ecclesia, quia semper iam inde à condito orbe & vbique locorum, vnum semper & idem habuit caput, Christum, vniuersos ex omni natione electos sibi in vnum corpus adglutinantem: eam tamen non semper eodẽ se habuisse & habere modo: & in multas particulares Ecclesias, tanquam multa, variáque membra, distingui, iuxta varietatem temporum, locorum, populorum. Aliter enim sese habuit in Paradiso terrestri ante peccatum: aliter post peccatum ante diluuium, & inter Patriarchas: aliter sub Lege, & aliter sub Gratia: & aliter tempore Christi inter solos Iudæos, aliter post Christi glorificationem, ex Iudæis & Gentibus per Apostolos collecta, idque non vno in loco, sed diuersis; neque ex vno populo, sed ex diuersis & multis; neque easdem semper & vbique retinens ceremonias, quibus respectibus dicere solemus, aliam fuisse ante, & aliam post Christum; & illam veteris, hanc autem noui Testamẽti Ecclesiam; veterem item & nouum populum vocari solitum fuisse, legimus; aliam item Ecclesiam, quę Romę erat, aliam quę Corinthi, aliam quæ Ephesi, atque ita de reliquis.

IV.

Ex multis particularibus Ecclesiis vnum constare Ecclesiam Catholicam.

Rursus, licet propter multos diuersosque iam explicatos respectus, multæ etiam ac diuersæ, particularésque semper fuerint & sint Ecclesiæ; agnoscimus tamen, quo ad substantiam, vnam semper & eandem fuisse ex illis omnibus constantem Ecclesiam; eamque Catholicam, & Apostolicã, atque sanctam. *Eph.* 2.15.18. Vnam, quia in vnum corpus sub vno capite Christo, per vnum & eundem Spiritum collecta semper fuit, atque colligitur, vnaque omniũ est fides, fideiq; confessio; *Eph.* 4.5. Catholicam; quia in vniuersa extenditur tempora, & loca, & ex omnibus personarum populorúmque generibus constat. Apostolicam; quia fundata est super fundamentum, quod Apostoli iecerunt, Iesum Christum; *Eph.* 2.20. nititúrque Apostolica doctrina, quæ eadem certè fuit etiam Prophetarum, à condito orbe. Sanctam denique non, quòd nullum habeat peccatum, sed, quia cum sit Christo insita, perpetuaque pœnitentia & fide prædita; nulla ei peccata imputantur, sed omnium remissionem consecuta est, quia item Spiritus Christi sanctificantis & regenerantis, facta est particeps; quia denique iustitia & sanctitas Christi illi imputatur; cuius rei causa, sine vlla quoque ruga esse dicitur: nempe in Christo capite & sponso suo.

V.

Particulares Ecclesię quomodo cognosci possint, an sint vera Ecclesia, necne.

Inde verò agnosci posse credimus singulas particulares Ecclesias, an sint veræ Ecclesiæ in Domino collectæ, vnde etiam Dominus Iesus eas voluit ædificari; ex prædicatione nimirum Euangelij, ex administratione Sacramentorum à CHRISTO institutorum, & ex obseruantia mandatorum eius, *Matt.* 28.19.20. Illas igitur ecclesias pro veris CHRISTI ecclesiis agnoscimus, in quibus primùm quidem pura euangelij doctrina prædicatur, auditur, admittitur; atque ita sola admittitur, vt contrariæ locus non detur, neque aures. Gregis enim seu ouium Christi vtrumque est proprium; nimirum & audire vocem pastoris sui, & alienorũ reiicere; *Ioh.* 10.4.5. in quibus deinde Sacramenta à Christo instituta, quoad eius ab ipsis fieri potest, legitimè, h. e. iuxta Christi institutionem administrãtur, percipiuntur; 1. *Co.* 11.20. & c. ac proin-

proinde in quibus Sacramenta ab hominibus excogitata non admittuntur: in quibus denique disciplina CHRISTI locum habet: hoc est, vbi tum publicè tum priuatim admonitionibus, correctionibus, & ad extremum, cum opus est, excommunicationibus, ex charitate curatur, vt mandata CHRISTI seruentur: *Mat* 18.17. eóque vt sobriè, iustè, & piè ab omnibus viuatur, ad gloriam Dei, & ad proximi ædificationem *Tit.*8 Vbi enim scelera, & omnis vitæ impuritas publicè obtinet, nec iuxta Christi disciplinam coarguuntur manifesta flagitia: ibi multos quidem bonos & pios viros esse posse, credimus; sed pium & Christianum cœtum esse non credimus: dicente etiam Domino, In hoc cognoscêt homines quòd sitis mei discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem. *Io* 13.35. Qualis autem dilectio ibi esse potest, vbi non curatur, vt iuxta Christi doctrinam fratres peccantes corrigantur, resipiscant, Domino lucrifiant, & seruentur.

VI.

A quali Episcoporum successione demonstrari possit, Ecclesiam aliquam esse Apostolicam.

Ita agnoscimus, & à perpetua Episcoporum in aliqua Ecclesia successione, non qualicunque, sed ea, quæ Apostolicæ quoque doctrinæ continuationem secum habeat adiunctã, rectè, Ecclesiam illam Apostolicam esse, demonstrari posse: qualis fuit olim Ecclesia Romana: & Episcoporum eius, ad tempora vsque Irenæi, Tertulliani, Cypriani & aliquot aliorum successio: vt non immerito ad eam, & ad alios similes, Patres illi prouocare, & hæreticos sui temporis citare soliti fuerint. At verò, sicut Ecclesias illas, in quib. Apostolica doctrina, cum Christiana disciplina, & legitima Sacramentorum administratione, pura retinetur, etiamsi ab Apostolis non fuerint plantatæ, neque perpetuam Episcoporum, iam inde à temporibus Apostolorum, successionem habeant, pro Ecclesiis tamen verè Apostolicis agnoscimus, agnoscendásque esse, cum Tertulliano & aliis Patribus dicimus: sic contra, quæ ab Apostolis plantatæ, & irrigatæ fuerunt, etiamsi maximè possint continuatam, & minimè interruptam Pontificum successionem demonstrare, si tamen vna cum Episcoporum, ipsius quoque Christianæ & Apostolicę doctrinæ continuationem demonstrare nequeant: eas, Christianas quidem & Apostolicas Ecclesias fuisse, fatebimur, sed nunc pro talibus minimè agnoscere possumus. Sicut enim habitus, vt in prouerbio est, non facit Monachum, sed pietas & vitæ sanctitas: sic neque Episcopi, sed doctrina Christi, Christianáque religio, Ecclesiam faciunt Christianam.

VII.

Non à qualicunque consensu: sed à consensu in doctrina Christi, Ecclesias aliquas veras & Christianas esse, ostendi posse.

Ita etiam intelligimus, non à qualicunque Ecclesiarum inter se consensione euinci posse, illas esse veras Dei Ecclesias, cùm & inter Synagogas Iudæorum, & inter cœtus Turcorum, & olim inter conuenticula Arianorum & Donatistarum summa fuerit consensio: sed ab illo duntaxat, qui est in pura Christi doctrina, veraque pietate, consensu, id fieri posse sentimus. Cùm enim Apostolus ait, Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idem loquamini omnes, & non sint inter vos schismata, sed sitis coagmentati eadem mente & sententia: intelligit, in illo Domino Iesu Christo, per cuius nomen id petebat. 1. *Cor.* 1.10.

VIII.

Non quibusuis dissidiis, quæ in Ecclesiis oriuntur, ipsas tolli Ecclesias.

Sed neque interim ita iniqui sumus: vt inter quas non prorsus de omnibus rebus conuenit, eas propterea Christianas Ecclesias esse negemus. Sicut enim non omnis consensus constituit Ecclesias: sic neque omnia dissidia tollunt: modò fundamentum, quod est Christus, verus Deus & verus homo, verus & perfectus Seruator, firmum teneatur, eóque in summam doctrinæ Apostolicæ, quæ in Symbolo traditur, consentiatur.

IX.

Confirmatio superioris sententiæ.

Sicut enim reprobi hypocritæ, sua in Ecclesiis præsentia, Ecclesias non impediunt, quin veræ maneant Ecclesiæ: sic neque dissidia, quæ in Ecclesiis aut ab impiis excitantur, aut etiam inter ipsos sanctos ex carne vel ignorantia oriuntur, illas extinguere possunt: Apostolo idem docente, cum de ministris verarum Ecclesiarum loquens, ait super idem fundamentum alios ędificare aurum, argentum, lapides pretiosos: alios verò lignum, stipulas, fœnum: & ad Philippenses, explicata summa Christianæ doctrinæ, & hortatus omnes, vt in ea persistant, quicunque profecerunt, postea subiicit: Quòd si quid aliter sapitis, Deus id quoque reuelabit, modò in eo, in quod peruenimus, permaneamus. Cæterùm, si vbicunque excitantur dissidia de religione, ibi veras esse Ecclesias, negandum est: neque etiam Corinthi, tempore Pauli, fuit Ecclesia Christi: vbi non solum schismata vigebant, alio dicente, Ego sum Pauli, alio, Ego Cephę, alio, Ego Apollo: verùm etiam mirabiles controuersiæ de religione exortæ fuerunt: neque etiam in Galatia: quia in illis Ecclesiis paulò post, quàm à Paulo optimè fuissent constitutæ, statim exorti sunt seductores, & hæreses excitatæ, denique neque in Oriente, neque in Occidente vllæ vnquam dici potuerunt fuisse Ecclesiæ: quia nunquam caruerunt cōtentionibus, non solùm inter Catholicos & hæreticos, è Catholicis tamen exortos, verùm etiam inter ipsos pios Patres (vt abundè docent historiæ) excitatis: vsque adeò, vt Christiani propter illas dissensiones & sectas, in theatris à gentibus infidelibus derideri soliti fuerint: sicut etiam nunc inter Turcos & Iudæos eandem ob causam ridemur omnes. Sed sicut in primitiua Ecclesia ex illis Christianorum contentionibus non sequebatur, eos igitur non esse populum Dei: sic neque nunc idem è nostris euincere quis merito potest; vt iam non dicamus, inde potiùs contrarium concludi posse, quia hoc proprium est boni tritici, id est, Euangelij, quo Ecclesiæ colliguntur Christo, vt vbi illud seminatur, in eodem statim agro ab inimico Satana superseminentur zizania Neque certè alibi. neque citius auditi fuerunt Simones, Menandri, Ebiones, Cerinthi, Valentiniani, & similes pestes: quàm in Ecclesia, & post prædicatum Euangelium Christi. Sed neque Ecclesia hæc præsentis seculi verè militans Ecclesia dici posset; nisi haberet, & domi & foris, quibuscum perpetuò pugnandum sit.

X.

Non propter quamuis differentiam in doctrina, vel in ceremoniis, pacem Ecclesiarum esse turbandam, schismatave facienda.

Proinde neque probamus, quòd quis à sua Ecclesia secessionem faciat, pacémque Ecclesiarum turbet & fraternam dilectionem violet; multò minus, vt vna Ecclesia alteram damnet, propter quamuis differentiam in doctrina, aut in ceremoniis, vbi retinetur fundamentum; vt meritò Victor, Romanus Episcopus, olim Ecclesias Asiæ, quòd in quibusdam ritibus ab ipso dissentirent, excommunicaturus, reprehensus fuerit ab Irenęo Lugdunense Episcopo. Neque enim propter stipulam fœnum ve, superędificatum fundamento, vult Apostolus schismata fieri in Ecclesia, Ecclesias ve damnari; quando neque Ecclesia desinit esse Ecclesia, & quidem sancta, sponsaque Christi formosa, licet fusca sit, rugasque adhuc & næuos aliquot habeat. *Can.* 1.5 & 2. 10. *Eph.* 5 27. Ad summam, quanquam errores & defectus nunquam sunt dissimulandi; in quibuscunque tamen fundamentum, summaque doctrinæ Apostolicæ retinetur, eóque nulla manifesta admittitur idololatria; cum iis cœtibus, tanquam veris Christi Ecclesiis, pacem & communionem colendam esse, sentimus; Tanti facienda est vnio Ecclesiarum.

XI.

Vnitati Ecclesiæ catholicæ studendum esse.

Cùm igitur ex pluribus & particularibus Ecclesiis, tanquam ex partibus, constet tota illa vna & catholica Ecclesia, quæ adhuc in terris militat; si cum quauis particulari colenda est coniunctio in Domino, multò magis vnitati totius Ecclesiæ catholicæ studendum esse non ignoramus, nec diffitemur.

XII.

Quid nomine vnitatis Ecclesiæ Catholicæ intelligamus.

Nomine autem vnitatis Ecclesiæ catholicæ, intelligimus electorum ac renatorum omnium, vbicunque terrarum illi sint, cum Christo capite, & inter se in vnum corpus per Spiritum sanctum factam coniunctionem; quam in Symbolo communionem sanctorum vocamus. Nam Apostolus etiam hanc vnitatem describens: docet, ecclesiam esse corpus, variis membris constans, cuius caput est Christus, Spiritu suo omnes credentes in vnum nouum hominem condens, viuificans, agens atque seruans. *Eph.* 1.22. 1.*Cor.*12.12. *Col.* 1.18. *Ephes* 4 12. *Ephes.*2.15. *Rom* 8 11.

Vnitas igitur corporis, singulorumque membrorum cum capite & inter se, vnitas est Ecclesiæ: quemadmodum & Augustinus definiuit contra Donatistas. *T.7. de vnitat. Eccl.c.2.*

XIII.

Vnitatem Ecclesiæ ad summam in eadem fide in Christum, & in caritate erga fratres consistere.

Quia verò ad hanc coniunctionem conseruandam & fouendam, vtitur Deus tum fide nostra in Christum, per verbum Euangelij pérque etiam Sacramenta, in animis nostris excitata: tū nostra caritate, eiusq. officiis erga proximum: imo verò etiam, quia hæc manifesta sunt verę cōmunionis sanctorum, & coniunctionis cum Christo, testimonia: idcircò confitemur in summa, vnitatem Ecclesiæ catholicæ, in vnitate fidei, & in vinculo dilectionis fraternæ consistere: h.e. vt eandem doctrinam, quam Prophetæ & Apostoli scriptam nobis reliquerunt, vera fide amplectamur omnes, & puram puram publicè profiteamur: sacramenta eadem, quæ Christus instituit, sincera & sola retineamus: disciplinam à Christo institutam & mandatam, in qua fraterna dilectio exerceatur, & salus fratris peccantis quæritur, non negligamus; vt denique nos mutuò diligamus, officiaque caritatis exerceamus.

XIV.

Confirmatio superioris sententiæ.

Quibus enim rebus diuersi populi in vnum colliguntur corpus; iisdem etiam eos vnitos conseruari, & in vnū magis ac magis coalescere credimus. Cum itaq. Ecclesiæ collectio non fiat & conseruetur propriè ceremoniis: sed Spiritu sancto, sed verbo, sed fide, sed caritate, sed obseruantia mandatorum Dei: iisdem quoque vnitatem eius retineri & foueri non dubitamus: cùm Apostolus quoq. ad Ephesios, vbi de vnitate Ecclesiæ agit, eam in hisce rebus consistere doceat, nulla ceremoniarum facta mentione. *Ephes. 4.2. &c.*

XV.

Vnitatem in iisdem ceremoniis, etsi non vbique & semper expedit: vbi tamen obtinet, ibi turbandam non esse.

Interim non negamus, quin vnitas in ipsis etiam ceremoniis & ritibus cuiusq. Ecclesiæ, quò ad eius fieri per cōscientiam potest, retinenda sit atq. colenda. Duo enim rerum genera sunt, in quibus vnitas Ecclesiæ esse potest: quæ in verbo Dei traditæ sunt: & quæ verbo non sunt expressæ, quales sunt externi multi ritus, & ceremoniæ Ecclesiasticæ. In illis vnitatem vbique & semper necessariam esse, credimus; in his autem, etsi non est per se necessaria, sed pro diuersitate locorum, & pro diuersa temporis ratione, vtile est, diuersos habere ritus, vbi tamen certi aliquid de hisce rebus ad ædificationem Ecclesiæ institutum est atque receptum, ibi vnitatem quoque in huiusmodi ritibus cuique retinendam esse & ordines Ecclesiasticos non esse turbandos, sentimus; iuxta regulam Apostoli, Omnia in Ecclesia ordine, decenter, & ad ædificationem fieri debere, 1. *Cor.* 14.40. quibus de rebus duas etiam Augustini Epistolas ad Ianuarium scriptas vehementer probamus, atque amplectimur. *Epist.* 118. & 119.

XVI.

Conclusio de vnitate Ecclesiæ.

Cùm igitur duplex sit Ecclesiastica vnitas, vna *essentialis*, eòque per se, vbique & semper necessaria, ac proinde propria Ecclesiæ Catholicæ, altera *accidentaria*, & pro ratione locorum ac temporum mutabilis, eòque particularium Ecclesiarum propria; credimus, nemini licere, ab illa priore, vllo tempore, vllisque de causis, secessionem facere, quod hoc nihil aliud sit, quàm deficere à Christo, & à Deo, Spirituíque sancto renunciare, & sese à toto corpore Christi separare, quæ omninò vera est & exsecrabilis ἀποστασία, alteram verò deserere ad puriorem redeundi, illámque retinendi causa, non solùm licere, sed etiam necessarium esse cuique, persuasum habemus; multò verò magis, si etiam ritus illi & ceremoniæ, in quibus erat vnitas, variis contaminatæ sint superstitionibus; maximè autem, si etiam Sacramēta, à Christo instituta, sint adulterata, penitúsque antiquata, ita vt bona cōscientia illis participare non possis, quid verò si etiam cœlestis veritas ab illis exulet, & eius loco prædicentur ac defendantur doctrinæ dæmoniorum? Quid si etiam ne mutus quidem ibi consistere possis, sed aut veritatem Dei abnegare, mendaciis verò diabolicis subscribere, aut vitam profundere & sanguinem, cogaris?

XVII.

Qui ab Ecclesia Romana defecit, non propterea eam vnitatem Ecclesiæ abrupisse, & à corpore Christi discessisse.

Quòd igitur accusemur ἀποστασίας à Catholica & Apostolica Christi Ecclesia, illiúsque vnitatem abrupisse dicamur, quia cum cœtibus Romanæ Ecclesiæ in impiis superstitionibus & idololatricis cultibus, communicare amplius nolumus: sed veterem doctrinam, cultum & disciplinam per veros Christi seruos, Dei beneficio reuocatam, sequi malimus: protestamur coram Deo & Angelis eius totáque in finem vsque mundi Ecclesia, insignem iniuriam non solum nobis, sed etiam Spiritui sancto, totíque veteri Ecclesiæ fieri: cùm nihil hac in parte fecerimus, aut faciamus, quod facere à Spiritu sancto iussi & a Patribus edocti, atque etiam à Pontificiis admoniti, non fuerimus.

XVIII.

Confirmatio superioris sententiæ.

Dominus enim in primis cauet, ne cum idololatris. & pertinacibus apostatis, atque hæreticis, in ipsorum idololatriis, & hæresibus communionem habeamus 1. *Cor.* 5.11. 2. *Cor.* 6.14. *&c. Tit.* 3.10. *Rom.* 16.17. Nec secus docuerunt Patres (quemadmodum vel in ipso decreto testes adducuntur. C. 24 *q.* 1 *c.* 24. & 26. & *q* 3. *c.* 9.) quàm non solùm, si quis homo sed etiam si qua sit Ecclesia, quæ fidem respuat, nec Apostolicæ prædicationis fundamenta possideat, inque doctrina Christi non permaneat: eam esse deserendam: Neque aliam ob causam à veteribus Patribus celebrata semper fuit, quæ tum temporis florebat, Romana Ecclesia, & ea sancta, matérque Ecclesiarum vocabatur: nisi quia doctrinam ab Apostolis acceptam, aliis plerisque ab ea deficientibus, constanter retinebat. C. 24. *q.* 1 *c.* 9. Nunc autem, qualis sit eius doctrina, qualisve cultus, & quantum à veteri, multis in rebus defecerit, satis supérque notum est. Proinde denuò protestamur, nos ab Ecclesia pręsenti Romana, discessionem non fecisse, nisi verbo Dei coactos, atque vt Deo, id mandanti, obtemperaremus: eòque ne in apostasia ab Ecclesia Catholica & Apostolica amplius permaneremus, sed ad eam tandem aliquando rediremus, ab huius corruptissimæ Romanæ idololatriis discedendum esse, omnino iudicauimus.

XIX.

Ab Ecclesia Romana nos non simpliciter discessisse sed κατά τι.

Non enim ab Ecclesia Romana simpliciter & in omnibus defecimus: sed in illis duntaxat rebus, in quibus ipsa defecit ab Apostolica, atque adeò à se ipsa, veteri & pura Ecclesia: neque alio discessimus animo, quàm vt, si correcta, ad priorem Ecclesiæ formam redeat, nos quoque ad illam reuertamur, & communionem cum illa: in suis porrò cœtibus habeamus. Quod vt tandem fiat, toto animo Dominum Iesum precamur. Quid enim pio cuique optatius, quàm vt vbi per baptismum renati sumus, ibi etiam in finem vsque viuamus? modò in Domino.

Ego Hier. Zanchius cum tota mea familia, testatum hoc volo toti Ecclesię Christi, in omnem æternitatem.

XX.

Catholicam quidem Ecclesiam errare totam non permitti, singulas verò particulares errare posse.

Credimus verò, & agnoscimus, Ecclesiam hanc Catholicam, qualem supra descripsimus, ita regi à Spiritu Christi, vt eam totam simul errare nunquam sinat: quia semper in aliquibus piis seruat lucem veritatis, & per eorum ministerium puram retinet in finem vsque mundi, & ad posteros propagat. Quò pertinere non dubitamus, quod Paulus dixit, Ecclesiam columnam esse & firmamentum veritatis, 1. *Tim* 3.15. quia extra Ecclesiam nulla est veritas, in Ecclesia autem perpetuò seruatur: cùm semper aliquis cœtus, magnus vel paruus reperiatur, in quo resonet verbum veritatis. Cæterùm de particularibus quibusque Ecclesiis, quæ semper mixtæ sunt bonis & malis, longè aliam esse rationem dicimus. Primùm enim, in his cœtibus aut purum Dei verbum prædicatur: aut cum ipso, mendacia etiam docentur. Nam vbi planè nullum est verbi ministerium, ibi Ecclesiam nullam agnoscimus. Si itaque vnà cum veritate, falsa etiam dogmata doceantur: quomodo cœtus ille errare non posse dicendus fuerit, cum manifestè erret? Si autem purum Dei verbum doceatur, hypocritæ certè reprobi, qui non credunt, semper errant. cùm veritatis lucem reiiciant, & in tenebris ambulent, horum autem sem-

rem semper maior ferè vbique numerus est: pios verò licèt nunquam à Christo ita finantur errare vt in errore perseuerent, & pereant: dicente eodem Christo, Electos ne per miracula quidem & prodigia Antichristi seduci posse, nempe in finem vsque, ad exitium: *Matt.*24.24. errare tamen posse, tum singulos seorsum, tum multos simul coactos, idque nō solùm in moribus, sed etiam in doctrina fidei, historiæ tum sacræ, quàm Ecclesiasticæ, &c. quæ contigerunt piis etiam & sanctis Episcopis, eorúmque Ecclesiis in Oriente & Occidente, manifestissimè docent.

XXI.

Confirmatio superioris sententiæ.

Petrus certè errauit Antiochiæ, & multi in Corinthiaca, & quàm plurimi in Ecclesiis Galatiæ, seducti à Pseudapostolis, turpissimè errarunt: quanquam non ita multo post ab erroribus per Apostolum reuocati fuerūt. *Gal.*2.11 *&c.* 1. *Cor.*1.11. *&c. Gal.*1.6. *&c.* Dauid quoque docet, ipsas etiam oues Christi errare posse, cùm dixit, Erraui sicut ouis, quæ periit. *Ps.*119.176. Et quorsum ministerium verbi in Ecclesia piis omnibus necessarium: si errare non possint? Cùm singuli igitur etiam pii in aliqua particulari Ecclesia, eáque vera & pura, sæpe errarint, & subinde errent: hypocritæ verò nunquam vera fide doceantur, qua rectè sapiant: quomodo de vlla particulari Ecclesia dici potest, eam errare non posse? Id verò multò minus affirmare queas de illis, à quibus exsulat veritas, & in quibus obtinent mendacia, ipsaq; iniquitas, & Cymmeriæ tenebræ. Certè, quæ tales sunt, veræ Christi Ecclesiæ esse non possunt: si Ecclesia est columna & firmamentum veritatis. 1. *Tim.*3.15. Itaque concludimus, vnumquemque particularem gregem, & singulas eius oues, eatenus errare non posse, quatenus ductæ à Spiritu sancto, vocem sui pastoris CHRISTI, audiunt solam: simulac verò desinunt hunc audire, & alienorum vocibus aures præbent, statim eas non posse aliud, quàm errare. *Ioh.*10.5.27. Quia verò, in summa etiam omnium Ecclesiarum dissipatione aliquos sibi seruat Deus, quos retinet in veritate, & per quorum ministerium illam denuò propagare vult in finem vsque mundi: idcirco confitemur, nunquam totam simul Catholicam Ecclesiam errare permitti.

XXII.

Extra Ecclesiam Catholicam nullam esse salutem.

Hinc etiam consequenter intelligimus, & credimus, hanc Ecclesiam Catholicam ita solam esse sanctam, & seruari: vt extra eam nulla sit sanctitas, nulla salus: cùm etiam in hac sola ita fulgeat veritas, sine qua salus nemini contingit, vt extra eam nulla sit: & cùm denique non nisi corpus Christi seruari possit. *Ioh.*3.13. Nemo enim ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo: totus scilicet Filius hominis, cum toto suo corpore, quod est Ecclesia: vt non immeritò Petrus Ecclesiam comparauerit arcæ Noha, in qua sola seruatum fuit humanum genus, & extra quam quicunque reperti fuerunt, aquis diluuii periisse leguntur. 2. *Pet.*2.5. *Gen.*7.23. Sed quod de tota Ecclesia, tanquam certissimum, confitemur: hoc de singulis particularibus concedere nequimus: nempe, vt dicamus, in sola Ecclesia hac vel illa, Romana vel Constantinopolitana, veritatem & salutem vigere: ita vt extra eam nulla sit salus: ac proinde ab illa discedi non posse, quin deseratur veritas, salus, Christus. Potest enim Ecclesia aliqua ita esse comparata: vt nisi ab illius communione discedas, partem & communionem cum Catholica, & cum capite eius, habere nequeas.

XXIII.

Ecclesiam Catholicam non esse certis personis aut locis alligatam.

Confitemur insuper, Ecclesiam hanc Catholicam, quia catholica est, idcirco nullis certis locis, aut personis, & gentibus alligatam esse: vt, si quis velit de hac Ecclesia esse, huic vel Romam, vel Witrebergam sese conferre, aut ab illarum Ecclesiarum, Pontificum, & Ministrorum autoritate pendere, necessum sit: quando vbique locorum Christus est, & vbique verbum audiri, symbolo Baptismatis obsignari, præcepta Christi seruari, & communio cum Sanctis omnibus haberi potest. Vbicunque autem hæc locum habent, ibi Ecclesia est: vt meritò damnati fuerint Donatistæ, quod in Africa tantùm, & quidem non in tota, sed in quadam duntaxat eius parte, vbi nimirum ipsi habitabant, Ecclesiam Christi concluserint, ibique tantum esse, docuerint: nec minus immeritò damnandi illi sint, qui nullas exterorum Ecclesias pro veris Ecclesiis habent, sed eas duntaxat, quæ ex suæ gentis hominibus constant.

XXIV.

Ecclesiam Catholicam, partim visibilem esse partim etiam inuisibilem.

Credimus denique, Ecclesiam hanc partim esse reuera visibilem, partim etiam inuisibilem, sed diuersis respectibus: visibilem quidem, quatenus constat ex hominibus, verbum Dei visibiliter tractantibus & audientibus, Sacramenta administrantibus & percipientibus, Deum non solum priuatim, sed etiam publicè inuocantibus, officia denique caritatis erga proximum exercentibus, & tota vita sua Deum glorificantibus: quæ certè præstari non possunt, quin sensibus percipiantur: Ac si planè inuisibilis esset: discerni a Synagogis impiorum qui posset? Rursus, inuisibilem etiam esse dicimus: primum, quia, mixtos cum habeat permultos hypocritas, externa omnia, quæ & electi, præstantes: qui nā sint electi: (ex his autem solis constat Ecclesia) certo à nobis cognosci non potest, sed a solo Deo, iuxta illud, Nouit Dominus, (solus) qui sint sui: 2. *Tim.*2.19 quo pertinet & illud Apostoli, Non, qui in manifesto Iudæus est, is Iudæus est, sed qui in occulto. *Rom.*2.28.29. Deinde, quia ad externam etiam faciem quod attinet, cum semper calamitatibus prematur in mundo Ecclesia: nonnunquam ita imminuitur fidem Christi profitentium numerus, & in eas angustias Christianæ Ecclesiæ omnes rediguntur, vt nulla planè amplius superesse videatur: nempe, cum nullus amplius appareat publicus cœtus, in quo nomen Dei inuocetur: quemadmodum sæpe contigisse, tum sacræ, tum Ecclesiasticæ historiæ luculentissimè & copiosissimè docent: cum tamen certum sit, Deum semper aliquam sibi Ecclesiam in terris seruare: dicente Domino, Et portæ inferorum non præualebunt aduersus eam: *Mat.*16. 8. Item, Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi: *Mat.*28.20. id quod & nos in Symbolo cum tota Ecclesia confitemur, dicentes: Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, ab initio scilicet, semper fuisse, esse, & futuram esse in finem vsque mundi, in ipsis etiam terris. Propriè enim semper credimus, quæ non semper videmus. *Heb.*11.1. Hæc nostra est de Ecclesia Militante confessio. 1. Quid sit. 2 Quid à Triumphante differat. 3. Quàm sæpe a se diuersa 4. Quomodo ex multis particularibus vna constet Catholica. 5 Quibus notis vera à falsis discerni queat. 6 Qualis Episcoporum successio: qualisve consensus veram demonstret Ecclesiam. 7. Quod non propter quamuis differentiam in ipsa etiam doctrina vnitas Ecclesiæ sit abrumpenda. 8. Quid nomine vnitatis Ecclesiasticæ intelligendum sit: & quibus in rebus consistat: quatenus item sit facienda 9. Quatenus etiam errare possit & quatenus non possit: & quomodo extra Ecclesiam nulla sit salus. 10. Et denique quatenus visibilis sit & quatenus inuisibilis. Restat, vt nunc de eius gubernatione dicamus.

CAPVT XXV.

DE ECCLESIÆ MILITANTIS GVBERnatione, déque ministerio Ecclesiastico.

I.

Ecclesiam à Christo gubernari.

Credimus, sicut per Christum omnia facta sunt, consistunt, reguntur; *Col.*1.17. sic ab eodem, tanquam Ecclesiæ autore, rege, capite, Ecclesiam ipsam, quæ est regnum & corpus ipsius, peculiari ratione, quàm reliqua omnia, gubernari: *Eph.*1.23. dicente Angelo, de Christo: Et regnabit in domo Iacob in æternum: *Luc.*1.33. & Apostolo. Eum vt Filium, domui suæ præesse, hanc vero domum nos esse, id est, Ecclesiam: *Heb.*3.6. & alibi, Eum esse caput Ecclesiæ, & dare salutem corpori. *Eph.*5.23.

II.

Christum administrare Ecclesiam partim per seipsum, partim cooperariis sibi assumtis.

Duplicem autem nouimus gubernationem, qua Christus suam regit ecclesiam. *Vnam*. qua ipse per sese & per suum Spiritum, sine vllo hominum ministerio internè in animis credentium regnat, operatúrque & velle & perficere, adeóque omnia in omnibus: *Phil.*2.13. *Eph.*1.23. hosque agit ad bonum, & tuetur a malo contra Satanam, mundum, hostes omnes. *Alteram*. qua ita ipse administrat Ecclesiam: vt aliorum quoque, tum Angelorum, tum maximè

hominum opera & ministerio, ad salutem Ecclesiæ vti non dedignetur: de Angelis dicente Apostolo, Eos esse administratorios Spiritus, in ministerium missos propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis: *Heb.*1.14. de hominibus verò eodem dicente, Ministri Dei sumus, per quos credidistis. 1. *Cor*,3.5.9. Quemadmodum enim caput in homine ita per se, vi mentis, quæ maximè in ipso viget & operatur, totum regit corpus, vt tamen singulorum etiam membrorum opera ad totius corporis salutem vtatur: sic & Christus, caput Ecclesiæ in eius gubernatione se gerit, idque non sua ipsius causa, aut quòd opus habeat ministerio nostro, sed propter nostram necessitatem, multiplicémque vtilitatem, atque etiam honorem facit.

III.

Discrimen inter ministerium Angelorum & hominum.

Interim agnoscimus discrimen inter ministerium Angelorum & hominum: quòd illi neque ad docendum in Ecclesia, neque ad sacramenta administranda, sed ad alia officia facienda, eáque ferè inuisibilia, & quod non etiam semper aut ordinariè, neque ad omnes, sed quando & ad quos visum fuerit Domino, mittantur: hominum verò ministerium & conspicuum est, & perpetuum, atque ad omnes pertinet.

IV.

Consultissimè fieri, quòd Angeli non doceant in Ecclesia, sed homines.

Consultissimè autem & sapientissimè fieri à Deo, intelligimus, quod non per Angelos, sed per homines doceat in Ecclesia Christus: tum quia libentius sinimus nos a nostri similibus familiariter institui, quàm à longè dissimilis naturæ spiritibus, cum insolita maiestate, doceri: tum quia facilius à Satana, mentiente se missum esse à Deo, séque in Angelum lucis transfigurante, decipi possemus, quæ etiam duæ causæ sunt, nostro quidem iudicio non postremæ, cur Filius Dei facturus officium Doctoris in Ecclesia, fieri voluit homo, & frater noster, ac familiaris, pérque omnia similis, excepto peccato: *Heb.*4.15. quò illud pertinet, Annunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te: *Heb.*2.12. & illud, Nouissimè locutus est nobis in Filio, nempe, iam homine facto, & familiariter in Ecclesia agente. *Heb.*1.1.

V.

Hominum duo potissimùm esse genera, quorum ministerio ad Ecclesiæ gubernationem & protectionem vtitur Christus.

Etsi verò nullum est in toto hoc magno Ecclesiæ corpore membrum, quo Christus ad aliquam aliorum membrorum, eóque & ad totius corporis vtilitatem, quemadmodū Paulus docet, 1 *Cor.*12.7. non vtatur: duo interim præcipua fatemur esse hominum genera, quorum opera ac ministerio ad Ecclesiæ gubernationem & conseruationem, vti solet: Doctores scilicet inprimis, aliósque verbi, sacramentorum, aliarúmque rerum Ecclesiasticarum administros: & deinde pios Principes ac Magistratus, quorum tamen ministeria non confundimus, sed non solùm distincta, verum etiam diuersissima esse, agnoscimus, inter quas differentias ea quoque non est postrema, quod Doctorum quidem semper necessarium est ecclesiæ ministerium, Magistratuum autem politicorum non ita, quando illis carere nunquam potuit, istis autem sæpe caruit & carere potest ecclesia.

VI.

In quibus potissimum rebus versetur ministerium Ecclesiasticum.

Quemadmodum vero summa pietatis Christianæ tribus in rebus consistit, in fide in Christum: in perpetua pœnitentia, hoc est, in nostræ carnis, nostrorúmque viriorum mortificatione, ac Spiritus viuificatione: & denique in caritate erga proximum: sic etiam, tres præcipuas ecclesiastici ministerij partes esse, nouimus. Primùm, docere, verbúmque euangelij prædicare, ac simul etiam sacramenta administrare, & publica sacrificia laudis Deo offerre, per Iesum Christum: Deinde, inuigilare gregi: cuiusque mores obseruare, vitiis corrigendis incumbere, & curare vt quisque, tanquam verus sacerdos, seipsum offerat Deo, hostiam viuam, sanctam, Deo placentem. *Rom.* 12.1. & denique curam pauperum suscipere, ac ne quid cuipiam desit, diligenter operam dare.

VII.

Iuxta tres ministerij Ecclesiastici partes, tres etiam ministrorum Ecclesiasticorum ordines constitui.

Ita, iuxta has tres ministerij ecclesiastici, de quibus modò diximus, partes, videmus etiam in sacris literis institutos fuisse a Domino tres cumprimis Ministrorum ecclesiasticorum ordines: quorum primus in iis potissimùm versatur, quæ ad fidem in Christum excitandam & fouendam pertinent: quales sunt Doctores, Pastorésque, qui administrant Verbum & Sacramenta in cœtu fidelium: alter in iis, quæ peculiariter ad pœnitentiam in fratribus excitandam instituta sunt: quales sunt Presbyteri, Censores morum, qui curam disciplinæ suscipiunt, atque vt quisque Christianè & sanctè viuat, ad gloriam Dei, & ad ecclesiæ ædificationem, quanta possunt diligentia, curant: de quibus cùm alibi Apostolus, tum maximè ad Timotheum. 1. *Tim.*5.17.19 sic locum illum explicante Ambrosio, & optimis quibusque interpretibus: tertius vero eo præcipuè tractat, quæ caritatis propria esse videntur: vt, curam pauperum suscipere & ægrotorū, quales sunt Diaconi, de quibus *Act* 6. & alibi sæpe apud Paulum. *Rom.*16 1. 1.*Tim.*3.8.12. *Philip.*1.1.

VIII.

Ministrorum alios esse ordinarios & perpetuos: alios extra ordinem, & ad tempus vocari.

Ministrorum porro ecclesiasticorum, eorum præsertim, qui verbum prædicare debent, totiúsque ecclesiæ curam suscipere, duo nouimus cumprimis esse genera. *Vnum* eorum quos sibi Dominus Iesus ordinariè assumit cooperarios, in colligenda, docenda, regendáque sua ecclesia: ac proinde, quos etiam perpetuos in hoc vult esse officio, qui & Ordinarij ministri vocari solent: quales fuerunt in ecclesia veteris Testamenti Pontifices ac Leuitæ, & in nouo Testamento Doctores sunt & Pastores. *Alterum* est eorū, quos idem Dominus extra ordinem excitat, vocat, mittitque in ecclesiam: vt ordinariis suum negligentibus officium, Ecclesiámque perdentibus, ipsi & illos redigant in ordinem, & ecclesiam ad pristinum statum reuocent atque seruent: quales fuerunt in veteri Testamento Prophetæ, ex aliis etiam, præter Leuiticam, tribubus, excitati: & quales in nouo fuerunt Apostoli, Prophetæ, & euangelistæ, quos Dominus peculiariter sibi delegit, vt, cùm iam omnia vbique locorum essent perdita, tam inter Israelitas, quàm inter gentes, per horum ministerium sibi ecclesias vbique colligeret, institueret, seruaret. In horum etiam, extra ordinem vocatorum numero, multos nostro tempore heroicos, fortésque viros, & veros Dei seruos, collocare non dubitamus: qui rebus iam desperatis, à Spiritu Christi excitati fuerunt, vt sese Catholicæ Apostasiæ opponerent: & pristinam doctrinā, cultum, disciplinam, in ecclesiam quasi postliminio reuocarent: idque inuitis, frendentibus, renitentibúsque ordinariis episcopis, Regibus, potentissimisque Principibus, totóque mundo, sed frustrà.

IX.

Quinque tantùm ordines ministrorum verbi à Christo fuisse constitutos.

Plures autem ministrorum verbi ordines, à Christo in ecclesia institutos, non agnoscimus, quàm quos Apostolus in epistola ad ephesios expressit: Apostolos, Prophetas, euangelistas, Pastores, Doctores: *Eph.*4.11. quorum tres priores nullis certis locis addictos esse voluit, sed modo hic, modo illic, aut ecclesias sibi colligere & plantare, quemadmodum fecerunt Apostoli: aut ab Apostolis plantatas irrigare, fouere & confirmare, vti Prophetæ fecerunt & Euangelistæ: quos propterea etiam non oportuit esse perpetuos; duos vero posteriores voluit certis ecclesiis regendis & cōseruandis consecrari Pastores nimirum & Doctores, idque in finem vsque mundi quos ideo etiam ordinarios & perpetuos ministros appellare solemus. *Actor.*20.28. *Phil.*1.1. 1.*Tim.*3.2. *Tit.*1.7. 1.*Pet.*2.25. 1.*Pet.*5.1. *Act.*14.23 *Tit.*1.25. *Iac.*5.14. *Hebr* 6.1. 1.*Pet.*5.1. Nam quod mentionem sæpe faciant Apostoli episcoporum, Presbyterorum, & Catechistarum, ea res nonos ministrorum verbi ordines non constituit: quoniam qui Pastores, iidem etiam nomine episcoporum semper, sæpe vero nomine Presbyterorum significabantur: quin & Apostolus Petrus sese vocat Presbyterum: Catechistarum autem officium facere soliti fuerunt, non solum Pastores & Doctores, verum etiam Apostoli ipsi & euangelistæ.

X. Pa-

X.

Patres à nobis non improbari, quòd plures addiderint ministrorum ordines.

Cæterùm, (vt illis omissis, quorum ministerium temporarium esse debuit, & quos extra ordinem nonnunquã vocari, diximus, de ordinariis tantùm & perpetuis verbis dicamus,) tametsi horum duos tantùm ordines à Christo datos fuisse Ecclesiæ, apud Apostolum legimus, (*Eph.*4.11.) Pastorũ scilicet, vt dictum est, & Doctorum, quorum hi tantum docebant, illi verò Sacramenta etiam administrabant, disciplinæ præerant, & Ecclesiam regebant. Interea tamen non improbamus Patres, quòd iuxta variam, tum verbi dispensandi, tum regendæ ecclesiæ rationem, varios quoque ordines ministrorum multiplicarint: quando id eis liberum fuit, sicut & nobis: & quando constat, id ab illis fuisse factum honestis de causis, ad ordinem, ad decorum, & ad ædificationem ecclesiæ, pro eo tempore, pertinentibus.

X I.

Confirmatio eiusdem sententiæ, cum explicatione aliquot ordinum Ecclesiasticorum in primitiua Ecclesia.

Nouimus enim, Deum nostrum Deum esse ordinis, non confusionis: & ecclesiam seruari ordine, perdi autem ἀταξίᾳ: qua de causa multos etiam & diuersos, non solùm olim in Israele, verum etiam post in ecclesia, ex Iudæis & gentibus collecta, ministrorum ordines instituit: & eandem etiam ob causam liberum reliquit ecclesiis, vt plures adderent, vel non adderent, modò id ad ædificationem fieret. Ergo quod, cum prius omnes verbi ministri, tum Pastores, tum Episcopi, tum Presbyteri ex æquo appellarentur, æqualis etiã cùm essent autoritatis, postea vnus cœperit aliis omnibus præfici collegis, quanquam non vt Dominus, sed tanquam Rector in Academia reliquis collegis, & huic inprimis cura totius ecclesiæ commissa fuerit, eóque & κατ' ἐξοχὴν quandam is solus Episcopi & Pastoris nomine appellari consueuerit, reliquis Symmystis nomine Presbyterorum contentis, ita vt in vnaquaque ciuitate vnus tantùm cœperit esse Episcopus, & multi Presbyteri: hoc minime improbari posse, iudicamus. Qua de re, Hieronymi, cùm alibi, tum in Epistola ad Euagrium, & in commentariis Epistolæ ad Titum c.10. narratio & sententia nobis probatur, dicentis: Totum hoc magis ex consuetudine, quàm ex Dominicæ dispositionis veritate profectum esse: vt dissensionum plantaria tollerentur & schismatum. *Dist.*93.c.23. Hac sanè ratione quæ etiam de Archiepiscopis, imo & de quatuor Patriarchis, ante ipsum etiam Concilium Nicenum, creatis, constituta fuerunt, excusari, defendique posse, sentimus: quanquam omnia successu porrò temporis ad summam tyrannidem atque ambitionem deducta fuerunt. Quæ causa est, cur, quò propius acceditur, in iis etiam ordinibus ministrorum, ad simplicitatem Apostolicam: eo magis etiam nobis probetur: atque, vt vbique accedatur, dandam esse operam, iudicemus.

X I I.

Vnum, tanquam caput, toti Ecclesiæ præfici nullo modo posse.

Cæterùm, quod vnus tanquã caput, omnibus, per vniuersum terrarum orbem, ecclesiis præfici, iusque & plenitudinem, vt vocant, potestatis in omnes habere debeat: illud demum non solùm non possumus probare, sed contrà non possumus non exsecrari: multo vero magis, si illud sibi iure diuino deberi contendat.

Et amplectimur dictum Gregorij primi ad Mauricium Imperatorem: *Lib.*4 *Regist.ep.*32. *& lib.*6.*epi.*30. Qui se vniuersalem Sacerdotem vocat, aut vocari desiderat: hunc contra statuta Euangelica, & contra Canonum decreta, nomen sibi vsurpare: & præcurrere Antichristum.*

X I I I.

Non quemuis, sed eum tantùm, qui à Christo mittitur, ad ministerium esse admittendum.

Credimus etiam, ad veram, salutarémque ecclesiæ gubernationem pertinere: vt non quisque, vel sese obtrudens, vel ab aliis missus ad ministerium admittatur: sed vt, qui ministerio functurus est, de eo prius cognoscatur, an à Deo, seu à capite ecclesiæ Christo, ad ecclesiasticam functionem vocetur ac mittatur, nec ne: & deinde, ab ipsa ecclesia, legitima ratione eligatur & ordinetur, dicente Apostolo, Nemo sibi assumit hunc honorem: sed qui vocatur à Deo, sicut Aharon, &c *Heb.*5.3.

X I V.

Quinam à Christo ad ministerium vocentur.

Credimus autem, eos a Christo ad ministerium vocari, quos ipse ad illud obeundum idoneos fecit: illos autem esse idoneos factos, quos præter voluntatem regni Dei promouendi, & sancta vita Deum glorificandi, sanæ etiam doctrinæ cognitione, eámque populis ad salutem proponendi facultate donauit: quemadmodum Apostolus cùm alibi, tum ad Timotheum & ad Titum docuit. 1.*Tim.*3.2. *Tit.*1.6. Quos enim eligit ac vocat ad aliquam functionem Deus: eos etiam donis ad eandem necessariis ornat: cùm re ipsa magis, quàm verbis nos vocet. Ac proinde, qui non tenent sanam Euangelij doctrinam, neque eam populos docent, sed potius contrariam: eos, siue sua sponte currant, siue ab hominibus, ordinariam etiam mittendi autoritatem habentibus, missi veniant: pro ministris tamen, à Christo vocatis, minimè agnoscimus: ac propterea neque etiam audiendos esse, sentimus: dicente Iohanne: Si quis venit ad vos, (nempe, siue sponte, siue missus, à quibusuis hominibus) & non adfert hanc doctrinam, nolite eum recipere, nec Aue ei dixeritis: 2.*Ioh.*10. Deo quoque apud Ieremiam, quinam à se mittantur, & qui non mittantur Prophetæ, his verbis describente, Currebant, & ego non mittebam eos: prophetabant, & ego non loquebar ad eos. *Ier.*23.21. Prius enim mẽbrum posteriori explicans, docuit, eos à se non mitti, qui non loquuntur ex ore Dei: & contrà, qui verbum Dei adferunt, eos à se mitti et rationem huiusce rei non ignoramus. Cum enim ministri mittantur à Deo ad ædificationem ecclesiæ, humanis autem doctrinis potius euertatur, & solo Dei verbo ædificetur: certè à Deo non mittuntur, qui verbum non adferunt Dei. *Eph.*4.12.

X V.

Christum bifariam vocare homines ad ministerium.

Cùm vero omnes verè ministri à Christo vocentur; credimus eum vocare homines ad ministerium duplici ratione: nempe, aut immediatè per se solum: *Gal* 1.1. aut mediatè per ipsos etiam homines, id est, per ecclesiam, eóque non minus vnos, quàm alteros, esse audiendos, & pro veris Dei ministris habendos. *Gal.*1.1.

X V I.

Quos mittit per se solum Christus: hos, quomodo à se missos esse declaret Ecclesia.

Cùm vero Christus, quos ipse vocat, eos etiam omnes idoneos faciendo, à se mitti declaret: tum maximè id præstat in iis, quos per se immediatè, pérque suum Spiritum, & extra ordinem vocat ac mittit: eos enim peculiaribus & excellentibus donis, atque in primis magna Spiritus S. copia: ardenti zelo gloriæ Dei: singulari verbi Dei, quod adferunt, cognitione: vtilique & perspicua docendi ratione: adeóque & felici successu laborum suorum liberaliter donare solitus est: quo & ecclesias citius atque efficacius ad pristinam, hoc est, ad Apostolicam formam reuocent: & ecclesiis facilius certiúsque legitima diuináque ipsorum vocatio innotescat. Omnes enim, quos Christus dat ecclesiis ministros, ad earum ædificationem dat: *Eph.*4.12. vt facilè hinc concludere liceat, quorum opera ædificari ecclesias videmus; eos à Christo vocatos fuisse, eorúmque ministerium diuinum esse atque legitimum.

X V I I.

Quos extra ordinem, & seipsum mittit Christus ministros: horum vocationem non semper miraculis confirmari, aut, vt confirmetur, opus habere.

Neque enim credimus, ad huius generis ministrorum vocationem, ministeriúmque confirmandum semper opus esse miraculis: cùm neque omnium Prophetarum missionem miraculis fuisse confirmatam, legamus: sed Spiritu duntaxat Dei, & zelo gloriæ eius, quo flagrabant, & veritate in primis verbi diuini, quod non sine sanctorum, id est, electorum in ecclesia, instauratione prædicabant: quando contrà nonnulli etiam Pseudoprophetæ signa & portenta ediderunt: id quod & de Antichristo futurum prædixit Apostolus, 2.*Thes.*2.9. & ante eum Christus, *Mat.*24.24 quos tamen, quia verbum Dei non adferebant, sed mendacia, vtq; post deos alienos iretur, populum adhortabantur, audiri noluit nec vult Dominus: imo vt etiam lapidibus obruerentur, mandauit. *Deut.*13.1.10.

XVIII.

Quas Christus per ministros extra ordinem missos instaurat Ecclesias: eas veras esse Ecclesias: eóque ibi legitimum esse ministerium, & legitimam vocandi ordinandique ministros, autoritatem.

Cùm vero hæc ita se habeant de ministris, extra ordinem vocatis à Christo: credimus etiam, quas horum opera & ministerio instaurat, & feliciter reformat Ecclesias, restituta veræ doctrinæ prædicatione, legitima sacramentorum administratione, cultúque ab idololatriis & superstitionibus purgato, reuocata item, quoad eius fieri potest, vera disciplinæ ratione, eóque & cum Apostolis communione: has esse veras Christi Ecclesias: ac proinde eas habere autoritatem, ministros porrò legitimè vocandi & ordinandi: eóque ita successionem ministrorum apud se continuandi: vt dubitari non possit amplius, quin ibi ministri ministris legitimè succedant, verique sint ordinarij Ecclesiæ ministri: tam diu nimirum, dum simul cum personali, vt vocant, successione, in ipsa quoque sanæ doctrinæ prædicatione succedunt, atque persistunt.

XIX.

Sicut vbi vera habetur doctrina, ibi vera est Ecclesia: sic, vbi non habetur, ibi nec Ecclesiam esse veram, nec legitimum ministerium.

Nouimus enim, sicut, vbi doctrina tantùm sine etiam continuata Episcoporum, iam inde ab initio, successione, demonstrari potest, ibi & Ecclesia vera est, & verum etiam ac legitimum habetur ministerium: sic contra, vbi personalis tantùm successio iactatur, sed doctrinæ verè Christianæ puritas exsulat, ibi nullum esse ministerium legitimum, quando, sicut Ecclesia, sic etiam Ecclesiasticum ministerium non personis, sed verbo Dei alligatum est.

XX.

Autoritatem ministrorum ad ea tantùm extendi, ad quæ etiam ipsi vocati sunt à Christo.

Credimus etiam, legitimis ministris magnam esse à Christo datam autoritatem, ad ea nimirum, ad quæ etiam vocati sunt, præstanda: ad prædicandum Euangelium: *Mat.* 28. 19. ad sacras literas iuxta fidei analogiam interpretandas: 1. *Cor.* 12. 10. ad Catechizandum: *Heb.* 6. 1. ad docendos populos, quæ sit voluntas Dei: *Gala.* 6. 6. ad arguendum & increpandum tam magnos quàm paruos: 2. *Tim.* 4. 2. ad remittenda, retinendáque (ministerialiter) peccata *Ioh.* 20. 23. ad ligandum, (impœnitentes) & ad soluendum, (resipiscentes: *Mat.* 18. 18.) ad sacramenta item, quæ Christus instituit, & iuxta rationem ab eo traditam, administranda: *Matt.* 28. 19. 1. *Cor.* 11. 23. *&c.* ad disciplinam ex præscripto Christi, *Matt.* 18. 15. *&c.* per Apostolum etiam explicato, 1. *Cor.* 5. 4. exercendam: ad ea denique etiam omnia, quæ, licet expressa non sint in sacris literis, pertinent tamen ad ordinem, & ad decorum, faciuntque ad ædificationem, non autem ad destructionem, iuxta regulam generalem ab Apostolo traditam. Omnia in Ecclesia fieri debere ordine, decenter, & ad ædificationem. 1. *Cor.* 14. 40. Neque enim vltra fines verbi Dei extendi, aut in alium finem, quàm ad Ecclesiæ ædificationem, traditam esse ministris vllam autoritatem credimus: Ac proinde pernegamus, vllum Episcopum, aut etiam omnes simul, autoritatem habere aliquid contra scripturas statuendi: aliquid illis addendi vel detrahendi, vel in illis immutandi: mandata Dei dispensandi: nouos fidei articulos condendi: noua sacramenta instituendi: nouos cultus in Ecclesiam inducendi: leges, quæ obstringant conscientias, quæve autoritate legi diuinæ exæquentur, ferendi: in Ecclesia & fidelium conscientiis dominandi: quæ Deus concessit, liberáque esse voluit, prohibendi: aut denique aliquid, tanquam ad salutem necessarium, extra verbum Dei mandandi: quando ne tota quidem Ecclesia hanc habere autoritatem, verè dici potest.

XXI.

Episcoporum, qui & principes sunt, politicam autoritatem non negari.

Interim nō diffitemur, Episcopos, qui simul etiam Principes sunt, præter autoritatem Ecclesiasticam, sua etiam habere iura politica, secularésque potestates, quemadmodum & reliqui habent Principes ius imperandi secularia: ius gladij: nonnullos ius eligendi, confirmandique Reges & Imperatores: aliáque politica constituendi & administrandi: subditósque sibi populos ad obedientiam sibi præstandam, cogendi: Ac proinde fatemur, politicis horum mandatis quæ sine transgressione legis diuinæ seruari possunt, à subditis obtemperandum esse, non solùm propter timorem, sed etiam propter conscientiam. Nouimus enim, omnem potestatem à Deo esse: & quicunque potestati resistit, Dei ordinationi resistere. *Rom.* 13. 1. 2. honorandos item esse Reges: ac Principibus & Dominis in omni timore subiectos nos esse debere, non solùm humanis & modestis, sed etiam dyscolis seu iniquis. 1. *Pet.* 2. 17.

XXII.

Coniugium tam ministris Ecclesiæ, quàm aliis liberum esse debere.

Illud verò ad honestatem, salutémque ministrorum, & honorem ipsius ministerij, eóque & ad veram Ecclesiæ gubernationem, pernecessarium esse credimus: vt liberum æquè illis permittatur, atque est etiam Laicis, vt vocant, omnibus coniugium: quando Christus nulli hominum generi hoc prohibuit: imò de cœlibatu loquens dixit, Non omnes hoc (vt scilicet vitam ducant cœlibem) capere: *Matt.* 19. 11. significans, id quod potiò Apostolus rotundis verbis explicauit, nimirum, qui non potest se continere, hunc debere vxorem ducere. 1. *Cor.* 7. 8 Honorabile enim inter quosuis coniugium esse, & thorum immaculatum, cum Apostolo confitemur. *Hebr.* 13 4.

XXIII.

Bonum & laudabile esse, si quis donatus continentia dono à coniugio abstineat.

Interim non inficiamur, quin, qui dono puri cœlibatus donati sunt à Deo: ij commodius rebus diuinis vacare, & Ecclesiæ inseruire facilius possint, quam qui matrimonio iunguntur: propter multas granésque curas atque molestias, quas secum affert coniugium: & quibus sæpe vel inuiti à rerum diuinarum studiis, ad domestica, huiusque vitæ molesta negotia abstrahimur: dicente etiam Apostolo, Qui cœlebs est, curat ea, quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino: & qui duxit vxorem, curat ea, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. 1. *Cor.* 7. 32. Ac proinde, sicut sua laude non carent illi, qui ideo vxorem ducunt, vt munda puráque conscientia Deo viuere possint: sic nobis laudandi omnino ij esse videntur, qui, quo expeditius Ecclesiæ suam nauare possint operam, castum sibi deligunt cœlibatum, in eóque tantisper, dum possunt, viuunt.

XXIV.

Coniugia in Domino esse contrahenda, sanctéque colenda.

Nouimus autem, & confitemur, matrimonia omnia contrahenda esse in Domino, ex iure naturæ, legéque diuina, nec non & iuxta honestas locorum consuetudines sanctè quoque esse colenda: 1. *Cor.* 7. 39. ac nemini licere legitimam vxorem dimittere, nisi fornicationis causa: *Mat* 19. 9. si qua tamen infidelis cum fideli, odio religionis, cohabitare nolit, eam vi non esse retinendam: fidelem non esse in huiuscemodi, seruituti subiectum, sed ad pacem vocatum esse à Domino. 1. *Cor.* 7. 15.

XXV.

Et qui repudiauit adulteram, & qui desertus fuit ab infideli: ei non minus licere, nouum contrahere matrimonium, quàm ei, cui defuncta est vxor.

Credimus etiam, non minus ei, qui aut legitimè repudiauit adulteram, aut desertus fuit ab infideli, quàm illi, cui prior mortua est vxor, licere nouas conficere nuptias. Illud enim de omnibus non coniugatis & viduis perpetuò verum & salutare est Apostoli verbum: Bonum eis, si manserint vt ego, 1. *Cor.* 7. 8. quòd si se non continent, nubant. Nam melius est nubere, quàm vri.

XXVI.

Constituendos esse in Ecclesia, qui de controuersiis matrimonialibus iudicent.

Cæterùm non probamus, vt horum quidpiam fiat in Ecclesia sine legitima Ecclesiæ & Christiani, si habeatur, Magistratus cognitione, iudicio, atque sententia: ac proinde constituendos esse in Ecclesia pios, peritos, prudentésque viros, qui matrimoniales causas cognoscant, déque hisce rebus iudicent, omnino sentimus: vt nihil fiat temerè, aut imprudenter, ne cuique quod lubet, liceat; sed omnia legitimè, ad ædificationem, & sine cuiuspiam iniuria fiant, 1. *Cor.* 14. 26. neve nomen Dei per nos, inter infideles blasphemetur, *Rom.* 2. 24.

XXVII.

XXVII.

Curandum esse iis etiam, qui præsunt Ecclesiis, vt fidelium liberi Christianè instituantur: & aut bonas literas, aut artes honestas doceantur.

Cum his coniungitur cura liberorum. Credimus igitur, ad perpetuam Ecclesiæ conseruationem necessarium esse, non solum, vt suos quisque liberos curet instituendos in vera pietate, in moribus Christianis, bonisque literis, aut honestis artibus, verum etiam, vt Ecclesia ipsa huiusce rei suscipiat curam, vt sese tandem reddant vtiles & Ecclesiæ & Reipub. quo pertinent tum publici literarum ludi, honestarumque artium exercitia, tum Ecclesiastici Catechismi.

XXVIII.

Ministros honestis & liberalibus stipendiis esse cum suis familiis sustentandos.

Credimus etiam, rectè gubernari Ecclesiam non posse, nisi ministris liberaliter suppeditentur, quæcunque sunt illis & ipsorum familiis ad honestam vitam traducendam necessaria: cum nemo, nisi habeat, vnde viuat, facere suum possit officium: & Christus dicat, Dignum esse operarium mercede sua, *Matth.*10.10. & Apostolus copiosè hac de re non vno in loco scribit: multis demonstrans, Ministris, qui seruiunt Ecclesiæ, deberi ab Ecclesia ipsa, quæcunque sunt ad præsentem vitam necessaria: illósque ius habere hæc petendi: tantùm abest, vt peccent, quemadmodum nonnulli calumniantur, si accipiant. 1.*Cor.*9.7.*&c.* 1.*Tim.*5.17.*&c.* Auaritiam tamen, cùm in omnibus, tum maximè in ministris, summoperè cum Apostolo damnamus: 1.*Tim.* 3.8. quemadmodum & prodigalitatem non probamus: & neutrum vitium fouendum ferendúmque esse, docemus.

XXIX.

Bona Ecclesiarum non esse dilapidanda, sed in sustentationem ministrorum, aliósque pios vsus distribuenda.

Cùm verò multa bona, liberalitate Principum & aliorũ piorum fuerint olim donata, & nunc etiam alicubi donentur Ecclesiis: iudicamus, si quæ Ecclesiæ talia habeant bona, diligenter curandum esse, ne dilapidentur, néve in profanos vsus, multò verò minus in sacrilegos, conuertantur, conuertíve dissimulentur: sed in eos duntaxat distribuantur, ad quos etiam donata fuerunt, ad pios nimirum vsus. Probamus autem illam veterem bonorum Ecclesiasticorũ partitionem: *Deut.*14. vt vna scilicet pars cedat piis Episcopis, id est, Doctoribus, ministrisque verbi, & eorũ familiis: alia clericis, id est studiosis, ministerio Ecclesiæ deputatis & omnibus Ecclesiæ inseruientibus: tertia pauperibus, & peregrinis: quarta Ecclesiis, Scholisque reparandis: ad quam pertinent non solum ædes ministrorum, doctorum, studiosorum, bibliothecæ cum suis libris, instrumenta deniq; & aliæ res omnes, templis & Scholis necessariæ: verum etiam nosocomia & xenodochia, aliáque similia loca, vbi illi degunt, quorum peculiarem curam suscipere debent Ecclesiæ.

XXX.

Qualia esse debeant templa Christianorum: qua lingua in illis vtendum: quali ornatu & vestibus: quæ feriæ sanctificanda: ad quem preces fundendæ. ritus denique liberos esse debere, qui à Christo, eiúsve Apostolis præscripti non fuerunt.

Quia verò non postrema causa, cur fideles simul in iisdem vrbibus, oppidis, pagis, quoad eius fieri potest, habitare soleant & debeant, ea est, vt scilicet non solum priuatim inter se quotidie communem foueant sanctis colloquiis fidem, & mutuam Christianis officiis caritatem exerceant: verum etiam, vt certis in locis, certisque temporibus in vnum omnes conueniant ad Deum publicè laudandum & inuocandum, ad eius verbum audiendum, sacramenta percipienda, opera caritatis publica erga pauperes præstanda, quæ quidem res sine lingua, sine ritibus & ceremoniis fieri non possunt: idcirco de iis quoque quæ nostra sit sententia, breuiter explicamus. Cùm extra controuersiam sit positum, in Ecclesia debere omnia ad ædificationem fieri, omnémque ab ea superstitionis speciem amoueri, iudicamus, veram pietatem, & Ecclesiarum ædificationem postulare, Primùm quidem de *Locis*: vt, si concedantur vetera & profanata templa, ea ab omnibus idolis, & ab omnis idololatriæ ac superstitionis reliquiis ac monumentis repurgentur. Quæ enim consensio templo Dei cum simulacris? 2.*Cor.*6.16. Deinde, *Lingua* non vsurpetur, nisi quæ toti nota sit Ecclesiæ Quid enim ædificationis accedit Ecclesiæ ex ignota lingua? Hos certè iubet tacere Apostolus in Ecclesia, qui lingua loquuntur ignota, nisi ipsa addatur interpretatio. 1.*Cor.*14.28. Tertiò, Tollatur omnis *vestium luxus*, omnis vanitas, omnia denique illa ornamenta, quæ magis profana gentium theatra, quàm sacra Christianorum templa decent, & quæ ad carnis potius oblectationem, quàm ad Spiritus ædificationem faciunt: omnia verò summa cum reuerentia atque modestia in Ecclesiis, tanquam in conspectu Dei & Angelorum gerantur. Etsi verò de forma vestimentorum, quibus ministri publicè vti debent vel in ministerio, vel extra ministerium, non ita disceptandum esse censemus, vt propterea turbanda sit pax Ecclesiarum: vbi tamen propius acceditur ad simplicitatem Apostolicam, eas Ecclesias magis probandas esse iudicamus. Quartò, Vt singulis *diebus* Dominicis conuocetur Ecclesia, cœtúsque sacri habeantur: cum videamus, diem hunc iam inde ab Apostolorum temporibus huic sacro otio consecratum, sanctificatúmque fuisse. Post diem Dominicum non possumus non probare illorum quoque dierum sanctificationem, quibus memoria recurrit, celebratáque in veteri ecclesia fuit Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, Circumcisionis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis in cœlum, Missionis Spiritus sancti in Apostolos. Reliquis diebus, prout quæque ecclesia expedire iudicauerit: sic etiam sacrum cœtum conuocet ad verbum, ad sacramenta, ad preces, ad collectas. Semper verò absit omnis dierum superstitiosa obseruatio. *Col.*2.16. Quintò, *preces* ad solum Deum, & ad Iesum Christum fundantur, sine vlla vel Angelorum, vel sanctorum demortuorum inuocatione: quemadmodum fecerunt & Prophetæ & Apostoli, & tota vetus ecclesia, vt in antiquis collectis facile est videre: de mandato Dei vt taceamus; qui sibi soli vult hoc laudis & labiorum offerri sacrificium. *Heb.*13.5. Sextò, de *ritibus ac ceremoniis* in ecclesia seruandis, eadem pietas & ecclesiarum ædificatio flagitat, ne nimis acriter, quasi pro aris & focis, vt dici solet, sit dimicatio, disceptetur: sed singulis ecclesiis liberi relinquantur: quemadmodum etiam in veteri ecclesia factum fuisse, apud Socratem, & alios ecclesiasticos scriptores legimus, quibus de rebus in genere probamus atque amplectimur vtramque epistolam Augustini ad Ianuarium. *Tom.*2.*ep.*118.*&* 119. Hæc enim faciunt ad ecclesiæ ædificationem.

XXXI.

Ieiunia publica aliquando esse indicenda, eáque esse vtilissima & laudabilia: sed ad ea cogendum esse neminem.

Eodem, ad salutarem videlicet ecclesiæ gubernationem pertinet: vt, sicut priuata ieiunia libera sunt, sic etiam ad publica inuitentur quidem omnes, cogatur autem nemo. Non potest satis laudari ieiuniorum vtilitas: & non raro contingit, vt sint necessaria: ita vt cogantur pij Magistratus & ministri ecclesiæ, placandæ vehementis iræ Dei causa, publica indicere toti ecclesiæ ieiunia: quemadmodum & in veteri Testamento, & in primitiua ecclesia fieri solebat; non quod iis remissionem peccatorum mereamur, & mitigationem iræ diuinæ; sed, quod domita carne, Spiritus ad Deum ardentius inuocandum, & per fidelem inuocationem placandum, excitetur. Interim ad ecclesiæ ædificationem pertinet, vt nullius conscientia ad huiuscemodi ieiunia adigatur, & constringatur; cum debeant ex libero, spontaneóque & verè humiliato Spiritu proficisci: quemadmodum & de eleemosynis in pauperes erogandis scribit Apostolus, non ex tristitia, aut ex necessitate, sed, prout quisque præoptat corde, eas esse faciendas.

XXXII.

Nullo tempore, publicorum etiam ieiuniorum tempore, aliquo cibi genere interdicendum esse fidelibus.

Hinc etiam sequitur, nullo vnquam, vel ieiuniorum, vel non ieiuniorum tempore, interdicendum esse cuipiam, vllo ciborum genere; cum nullus horum inquinare hominem possit, sed omnia sint munda mundis, & Apostolus eorum doctrinam, qui iubent abstinere à cibis religionis causa, doctrinam dæmoniorum vocet, *Mat.*15.11. *Tit.*1.15. 1.*Tim.*4.1. Doctrina igitur hæc ad ædificationem ecclesiæ facere qui potest?

XXXIII.

Ægrotos inuisendos esse, & consolationibus afficiendos, in fide confirmandos, & agentes animam, precibus comitandos, Christóque commendandos: defunctorum autem corporatum honore sepeliendo.

Neque minori curæ esse debent ecclesiæ ipsi ægroti,

quàm bene valentes: & mortui, quàm viuentes: cùm omnes sint membra Christi, & eorum corpora templa Spiritus S. Agnoscimus igitur, ad veram ecclesiarum gubernationem pertinere, vt constituantur viri pij atque prudentes, qui ægrotantes inuisant: consolentúrque ex verbo Dei, & confirment in fide: ac si contingat, vt ex mundo illi ægroti euocentur à Domino, eos animent ad hanc migrationem. Animas enim fidelium, simulac è corpore egressæ sunt: confestim migrare in cœlum ad Christum: subuectas eo à Spiritu Christi, & comitatas ab Angelis eius: beatósque esse, qui in Domino moriuntur. Addant & preces, quibus agentes animam ad portum vsque comitentur, & Christo commendent. Horum verò corpora cum honore ad sepulchrum deducenda esse, non dubitamus: quemadmodum nostræ ecclesiæ, tum verbis, tum reipsa docent: palàm testificantes, ea fuisse templa Spiritus sancti: nunc quidem destructa, sed suo tempore rursus instauranda, & ad vitam eámque æternam, excitanda: ipsa interim sepulcra & cœmeteria sanctè & reuerenter, vt fit apud nos, custodienda sunt: defunctorum autem liberi, vel parentes, consanguinei & affines consolatione afficiendi: eis'que omnia humanitatis officia, quæ præstari possunt, & præstare studemus, & præstanda esse, docemus. Ac, si quid ex Psalmis de resurrectione mortuorum inter deducendum funus alicubi canitur, vel aliqua post traditum terræ cadauer habetur ad populum concio, in qua aliorum quoque, qui sanctè obdormierunt in Domino, honesta fiat mentio mortuorum: id nequaquam improbamus: cum non pro salute defuncti vel defunctorum, sed ad consolationem & vtilitatem viuorum, & ad totius ecclesiæ ædificationem fiat. Credimus enim fidelium animas, corporibus solutas statim migrare ad Christum in cœlum: eóque nostris suffragiis opus non habere: ecclesiæ verò ædificationem semper esse, quacunque data occasione, promouendam.

XXXIV.

Sine legitimis, liberis, & Christianis ministrorum conuentibus ac Synodis, Ecclesiam rectè gubernari non posse.

Hoc quoque persuasissimum habemus, tum sacris literis, tum perpetua experientia edocti: non posse Ecclesiam rectè gubernari, nisi certis temporibus habeantur conuentus ministrorum, tum priuatim in vnaquaque ecclesia, qui consistoria synedriáque appellari solent, tum publici atque communes in vnaquaque Prouincia aut Regno, qui & hâc ob causam Prouinciales Synodi vocari consueuerunt: tum etiam, quoad eius fieri potest, omnium in toto orbe Christiano populorum, communes, qui & Oecumenica concilia vocabantur: in quibus de omnibus rebus ad ecclesiarum salutem, conseruationem, exædificationem pertinentibus deliberetur libera cuiusque audiatur sententia: & communi consensu ex verbo Dei, & ex probatissimis aliis Conciliis definiatur: quemadmodum & Apostolos, & totam veterem ecclesiam fecisse legimus.

XXXV.

Confirmatio superioris sententiæ: vbi de disciplina Ecclesiastica.

Ecclesia enim regitur disciplina, & sine disciplina rectè gubernari nequit. Est autem disciplina, ratio atque institutio: qua nos tanquam discipuli Christi, in eius Schola discimus viuere Deo, omniáque facere secundum doctrinam Euangelij, tum publicè, tum priuatim, ad ecclesiæ ædificationem, & ad salutem nostram. Ideo totam complectitur pietatem, initium, progressum, & finem.

XXXVI.

Disciplina duplex.

Porrò disciplina hæc in ecclesia duplex est, Vna totius populi Christiani communis, quæ & popularis disciplina à multis vocatur: altera, propria ministrorum, hominúmque ecclesiasticis officiis destinatorum, quæ ideo etiam Clericalis disciplina appellari consueuerat.

XXXVII.

Communis disciplinæ partes.

Communis illa ac Popularis in his potissimùm rebus consistit: Primùm, quoad initium, vt, cùm quis in ecclesiam recipitur, discat Deum & Christum cognoscere, eum inuocare, quæ sit eius voluntas, intelligere: Hoc fit per Catechismum, quo summam Christianæ pietatis quisque docetur: edoctus vero suam fidem coram tota ecclesia profiteatur, obedientiámque Christo & eius ecclesiæ iuxta euangelij doctrinam promittat, *Rom.10.10. Matt.28.20.* Deinde quia in via Dei non progredi est retrogredi: ideo quò possint pij verum in pietate progressum facere, in cœtus sacros constitutis locis & temporibus frequentes conuenire, & sese verbo Dei audiendo dedere, preces vnà cum aliis facere, & oblationes liberaliter conferendo, charitatem in pauperes exercere debent. Quia verò in hoc progressu subinde labimur omnes, alij grauius & cum maiori ecclesiæ scandalo, alij minus grauiter: ideo tertia pars in censura morum posita est: nempe vt quisque sese censuræ in finem vsque vitæ subiiciat, correctionésque fraternas admittat. *Mat 18.15 &c.1.Tim.5.20.* Ac si quis in flagitium aliquod graue, ecclesiæque notum inciderit, & reprehensus, ab eo non verè resipuerit, propter quam causam mensa sacra Cœnæ ad tempus arceri, & ad faciendum veram pœnitentiam, ligari, donec publicam veræ resipiscentiæ significationem ecclesiæ det: talis frater a sacris arceatur, & ligetur: resipiscens autem soluatur, in gratiam recipiatur, & ad pristinam communionem admittatur. Hæc est prior disciplina, cuius finis est, vt quisque viuat Deo, tandémque etiam moriatur in Domino Iesu.

XXXVIII.

Clericalis disciplinæ partes.

Interim, licet huic disciplinæ Christianæ omnes, tam ministri, quam laici, vt vocant, subiiciantur: accedebat tamen apud Patres peculiaris etiam quædam Clericorum disciplina: quorum est non solùm verbo, sed etiam vitæ exemplo, diligentique officij sui functione, aliis præire. Huius partes hæ erant præcipuæ. *Prima*, vt à multis abstinerent, quæ alioqui in laicis aliquo modo tolerari possunt: veluti sunt multæ carnis deliciæ, lautiores pompæ, splendidiora conuiuia, pretiosa supellex, profanum famulitium, & his similia. *Secunda*, vt ea omnia huius vitæ negotia reiicerent, quæ impedimentum adferunt, ne suum perficere possint officium, quod in sacris potissimum legitimè obeundis, verbo prædicando, disciplina morum exercenda consistit: eiusmodi negotia sunt Militiæ, Mercatura, occupationes forenses, Ars institoria, præesse cauponis, & omnia sordida exercitia. *Tertia*, vt peculiarem promitterent obedientiam in rebus honestis suo episcopo, & episcopi Metropolitano. *Quarta*, vt diligentius, quàm laici, lectioni ac studio sacrarum literarum incumberent, illisque artibus & linguis, quibus sacræ literæ melius intelligi possunt, adeóque & precibus & sanctis contemplationibus. *Quinta*, vt cura etiam diligentiore non solùm in proprium cuique demandatum officium: sed in ea etiam omnia incumberent: quæ ad totius ecclesiæ ædificationem pertinere viderentur.

XXXIX.

Ex necessitate disciplinæ, concludi necessitatem Synodi.

Hæ sunt partes disciplinæ, sine qua, quomodo vlla ecclesia rectè administrari & conseruari possit, non videmus. Quomodo autem disciplina hæc locum ibi habere potest, vbi nunquam conueniunt inter se ministri ad cognoscendum, quid in ecclesia desideretur, quibusve in rebus peccetur, ad censuram morum faciendam, ad iudicandum de doctrinis, si quæ spargantur nouæ, denique ad deliberandū de omnibus, quæ ad salutem ecclesiæ pertinent? Conuentus igitur ministrorum, & Synodos ecclesiasticas, ad veram salutémque ecclesiarum administrationem & conseruationem, pernecessarias esse, iudicamus: quando neque vlla politia, nulla Respublica, nullum regnum, sine suis senatibus, consiliis, parlamentis, vt vocant, & conuentibus consistere possunt. Proinde nobis vehementer placeret, veterem ecclesiarum consuetudinem, ab ipso quoque Imperatore Iustiniano noua constitutione comprobatam reuocari: nempe, vt in singulis prouinciis, bis saltem in anno Synodi celebrarentur: & nonnunquàm etiam generalis, ex omnium, quæ euangelium profitentur, prouinciarum doctioribus, modestioribus, & prudentioribus ministris, ac Principum legatis cogeretur: quæ si vnquam fuit, in hoc certè calamitoso tempore, quo tot tantæque hæreses passim ab inferis reuocantur, pernecessaria nobis esse videtur. Precamur Deū Patrem toto pectore per Iesum Christum Dominum nostrum, excitet pios & fortes Constantinos, Valentinianos, Theodosios: qui sua autoritate talem cogant Synodum, in qua ipsi quoque præsentibus, Synodúmque moderantibus, de pia concordia, pacéque & salute omnium ecclesiarum amicè ac fraternè è sacris literis, & ex Spiritu Dei deliberetur, ad gloriam Dei & nominis Christi, & omnium electorum salutem.

XL.

XL.

Errores.

Improbamus itaque omnia illa, quæ cum prædicta doctrina, sacris literis confirmata, pugnant: atque imprimis hæc præcipua capita: 1. Ecclesiam ex solis constare hominibus: Angelos verò ad eam non pertinere. 2. Veram Ecclesiam, quæ est corpus Christi, constare non solum ex electis, sed etiam ex reprobis hypocritis, & hos vera esse Ecclesiæ membra. 3. Rursus, Ecclesiam ita constare ex electis, veréque sanctis: vt nulli in ea contineantur hypocritæ, & Ecclesiæ nomine nunquam in sacris literis comprehendantur. 4. Ecclesiam, quæ fuit ante aduentum Christi non fuisse veram Christi Ecclesiam, sed eius duntaxat typum, quæ per Christum & Apostolos erat colligenda. 5. Ecclesiam Christi duo habere capita, vnum inuisibile & in cœlo existens: nempe Christum: & aliud visibile in terris dominans, Romanum Pontificem: cum quo qui non consentit in omnibus ad religionem pertinentibus, & in omnibus non paret, is ad Ecclesiam non pertinet, & seruari non possit. 6. De particulari aliqua Ecclesia affirmare, eam in fide errare non posse. 7. Ita alligare Ecclesiam certis locis & personis, vt apud eos tantùm Ecclesiam esse, dicas. 8. Eas non agnoscere pro Ecclesiis Christi, quæ, licet teneant fidei fundamenta, in ceremoniis tamen, aut etiam in aliqua parte doctrinæ nobiscum per omnia non consentiunt. 9. Secessionem facere ab Ecclesiis propter quemuis errorem: aut propter malam aliorum vitam. 10. Vnde exsultat vera doctrina, verus cultus, & pura sacramentorum administratio, ibi tamen, contendere, ideò veram esse, & Apostolicam, purámque Ecclesiam, quia à temporibus Apostolorum continuata Episcoporum successio ibi demonstrari queat: contrà verò, eas non esse veras Ecclesias, quæ licet retineant puram doctrinam, puta Sacramenta, verámque disciplinam personalem tamen & non interruptam Episcoporum successionem ac continuationē demonstrare non possunt. 11. Autoritatem cuiuspiam Episcopi, quatenus Episcopus est, vltra ea, ad quæ vocatus est à Christo, extendi. 12. Ecclesiam habere autoritatem quidpiā in sacris literis immutandi, aut mandata Dei dispensandi, aut nouas leges, conscientiam obstringentes, condendi. 13. Ministris verbi non licere coniugium contrahere: vel saltē, secundas nuptias. 14. Non licere ministris, certa accipere stipendia. 15 Licere verò, in templis lingua vti Ecclesiæ ignota, etiamsi interpretatio non addatur. 16. Licere etiam, præter Deum & Iesum Christum, Mediatorem, sanctos demortuos inuocare, precésq; ad illos, & sacrificium gratiarū actionis dirigere. 17. Non licere Christianis, tempore ieiuniorum, quadragesimę, & certis aliis diebus, quouis ciborū genere vesci. 18. Ecclesiam bene facere, si oret, pro animis defunctorum, vt ex igne purgatorio liberentur.

CAPVT XXVI.

DE MAGISTRATV.

Quandò iam dictum est de primo hominum genere, quorum opera vtitur Deus in gubernatione Ecclesię, de ministris nimirum Ecclesiasticis, déque illorum officiis, & aliis ad eos pertinentibus: restat vt nunc de altero etiam, hoc est, de politico magistratu quæ nostra sit fides, paucis explicemus. Nam huius etiam, præsertim, si Christianus sit, ministerio, vti solet Dominus ad suę Ecclesię protectionem & conseruationem.

I.

Omnem Magistratum, siue pium, siue impium, esse à Deo: ac proinde, nulli Magistratui simpliciter esse resistendum.

Credimus igitur, omnem Magistratum, tam impium, quam pium, à Domino Deo esse, ministrumque esse Dei, ad vltionem maleficorum, laudem verò rectè agentium, missum: ac proinde, & timendum eum, & honorandum esse, mandatisque ipsius, quæ bona conscientia, & sine legis diuinæ transgressione seruari possunt, obtemperandum: idque non solùm propter timorem, sed etiam propter conscientiam: nempe, quia sic mandat Dominus: *Rom.*13.1.5.1. *Pet.*2.13. *Ro.*13 7. non igitur, quatenus minister Dei est, illi esse resistendum: quòd, qui resistit, Dei ordinationi, Deóque ipsi resistat, *Rom.*13.2.5.

II.

Magistratui aliquid contra Deum mandanti non esse morem gerendum.

Si quid tamen Magistratus contra voluntatem eius, à quo missus est, & cuius ministrum se esse profitetur, nobis mandet: cum Apostolis non dubitamus, denegandam illi esse obedientiam, dicendúmque, Obedire oportere Deo magis, quàm hominibus. *Act* 5.29. cùm reuera minister Dei non sit ea in parte, talis Magistratus. Quare, si propter conscientiam, & non solùm propter timorem subiectum esse oportet, & obtemperandum est Magistratui: *Rom.*13.5. vbi igitur propter conscientiam non licet obedire, neque etiam propter timorem obtemperandum esse concludimus. In aliis rebus, qui potestati resistit, eum, nouimus, Deo resistere, sibique condemnationem acquirere *Rom.*13.2.

III.

Orandum esse pro magistratibus omnibus, vt quod sui est officij, illud etiam reip. præstent. & quodnam sit cuiusque Magistratus officium.

Cæterùm, quia cuiusque liberi Magistratus officium est, tùm iustis legibus ferendis, tum iudiciis faciendis, tum sceleribus puniendis, quàm diligentissimè curare, vt subditi viuant ex virtute & ex natura, Deique legibus quarum summa est, vt sobriè (eóque castè & honestè) iustè, (eóque pacificè cum proximo) & piè (quoad Deum) viuamus in hoc seculo: *Tit.*2. 12. hoc autem officium præstare non possunt ex se Principes, nisi à Deo donentur sui officij cognitione, & excitetur in eis velle atque perficere: *Phil.*2.13. ideircò, quod facimus ipsi iuxta præceptum Apostoli, aliis quoque esse faciendum, docemus: nimirum, orandum esse pro ipsis Magistratibus, qualescunque illi sint: vt, quod sui est officij & præstare velint & possint: eóque efficiant, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni honestate & pietate: hoc est, vt commodè atque in pace viuamus simul omnes: publica etiam honestas seruetur, & vera pietas atque religio custodiatur ac propagetur.

IV.

Ad Principem Christianum cum primis pertinere, curam suscipere religionis Christianæ.

Si verò Christianus etiam & pius sit Magistratus: credimus ad eum speciatim pertinere, præter publici ac politici boni seu commodi, publicæ & politicæ pacis atque honestatis procurationem, curam quoque peculiarem suscipere Christianæ religionis: quando Dominus fecit eum custodem vtriusque tabulæ, mandatque illi, vt tanquam Princeps legem semper habeat in manibus suis: *Ios.*1. &c. & vt tam in idololatras atque blasphemos, falsos prophetas ac seductores animaduertat, *Deut.*13.2 &c. quàm in homicidas atque adulteros, exemplis piorum Regum in Israel, & Christianorum Principum, Constantini, Valentiniani, Theodosij, Iustiniani, & aliorum, id abundè confirmantibus, quippe qui iuxta mandatum Dei, non solùm vt homines priuati, sed etiam vt Reges seruierunt Domino: quemadmodum de ipsorum officio ex Psalmo secundo Diuus Augustinus prudentissimè obseruauit, & explicauit ad Bonifacium Comitem. *T.*2. *ep.*50.

V.

Officium pij Principis in religione, duplex esse, & quibusnam in rebus prius consistat

Cùm autem pij Principis, hoc est, eius Magistratus, qui liberum ius habet in aliquem populum, & autoritatem in sua ditione religionem instituendi vel reformandi, duplex sit officium, quod religionis causa Christo debet & Ecclesiæ: quorum vnum in rebus ipsis ad religionem pertinentibus versatur, alterum verò homines respicit quos in sua habet ditione, sibique subiectos: credimus ad primum quod attinet, officium ipsius cum primis esse diligenter curare, vt ex puro Dei verbo, per ipsummet Dei verbum explicato, & iuxta prima fidei principia (id quod vocare solent analogiam fidei) intellecto: religio in suo principatu, seu regno, aut instituatur, aut instituta pura conseruetur: aut corrupta instauretur & reformetur: ad gloriam Dei, & ad populi sui salutem. Hoc enim & mandatum à Deo, & à Mose, Principibúsque piis omnibus seruatum fuisse, legimus.

VI.

Explicatio superioris sententiæ per partes.

Credimus igitur, pij Magistratus officium esse, primùm quidem cognoscere ex verbo Dei in genere, & ad summam capitum fidei, quæ sit vera & Christiana religio, quæve Apostolica doctrina, ad quam reformandæ sunt Ecclesiæ: vt nihil ex solo aliorum iudicio, sed ex certa sua scientia, in re præsertim tanti momenti agat, agerève audeat. Deinde hoc cognito, curare, vt ministri ad officium idonei, non ex suo arbitrio, sed iuxta regulam verbi Dei, exemplaque Apostolica eligantur, vocentur, ordinentur.

Tertiò, efficere, vt per hos tùm doctrina salutis in sacris literis tradita, proponatur, explicetur, inculcetur: tùm sacramenta iuxta Christi institutionem administrentur: tùm disciplina à Christo instituta exerceatur. Quartò, incumbere etiam in hoc, vt Scholæ instituantur, in quibus cùm bonę artes & linguæ diligenter tradantur, tùm maximè sacrę literæ fideliter explicentur, summamque Christianę sapientiæ studiosi doceantur. Quintò, quò ministri & Doctores in officio contineantur, eóque vera religio per ipsos in Ecclesia conseruetur, operam dare, vt præter ordinaria, priuatáque synedria, Synodi etiam, sicut ante dictum est, prouinciales bis saltem in anno cogantur. Sextò, bonorũ denique Ecclesiasticorum curam gerere, vt in suos, hoc est, verè pios vsus fideliter dispensentur: & quæcunque necessaria sunt Ecclesiæ, eiusque ministris suppeditentur.

VII.

Non omnes diuersæ religionis hominum ordines eadem ratione pio Principi esse tractandos.

Cùm verò (vt de altero pij Principis officio in religione breuiter dicamus) diuersa sint hominum genera, quos sub suo habere potest imperio Princeps, nimirum, aut simpliciter infideles: aut fidem quidem Christi profitentes, sed simul etiam vel apertos idololatras, & ab Apostolica Ecclesia multis in rebus apostatas: vel in aliquo fidei articulo manifestos hereticos, vel simpliciter errantes: vel denique bene in omnibus sentientes: Nos certè minimè æqua erga omnes horum hominum ordines ratione vti debere Principem, persuasum habemus: cùm alij sint cari habendi, fouendi, & honore afficiendi: alij tolerandi, alij non ferendi: alij capitaliter etiam plectendi: nulli autem Christum blasphemare, colerévе idola, & impios ritus retinere permittendi sint.

VIII.

Omnes homines sublimioribus potestatibus subiectos esse debere: omnes verò sublimiores etiam potestates ipsi Christo, eiusque verbo.

Credimus denique, omnem animam, hoc est, omnẽ hominem, nemine excepto, eóque & omnem inferiorẽ potestatem superiori ac sublimiori subiectam esse debere: *Rom.* 13.1. superiorem verò etiam potestatem non minus, quàm inferiores, omnesque reliquos homines, ipsi Christo Regi regum, & omnium Dominorum Domino. *Ap.* 17.14 1 *Tim.* 6.15. Deus enim vult, vt omnes osculentur Filium, & illius iugo ac disciplinæ colla subiiciant. *Ps.* 2.12. Ac proinde, ad veram Ecclesiæ gubernationem & ædificationem credimus pertinere, vt ipsi Principes in primis sese subiiciant verbo Dei erudiendos, monendos, corrigendos: quò reliqui, ipsorum exemplo, idem alacrius faciant: ac, si facere recusent, liberiùs in eos animaduertere, & omnes in officio retinere, Principes possint.

IX.

Errores.

1 Damnamus igitur omnes Magistratuum cõtemtores, rebelles, seditiosos, suæque Reipublicæ hostes, & quicũque debita officia Magistratui pręstare vel palàm recusant, vel astutè renuunt. 2. Damnamus nominatim errorem Anabaptistarum, dicentium, non licere homini Christiano Magistratum gerere, multò verò minus, sua vti autoritate in subditos religionis causa: liberum enim esse cuique quam velit sequi religionem, ac proinde, ad fidem neminem esse cogẽdum. 3 Improbamus & illos, qui autoritatem in religione, iudicis tãtũ causa attribuunt Magistratibus: dum illos negant, autoritatem habere conuocandi Synodos, deliberãdi de religione, reformandi Ecclesias, &, quæ ad populorum salutem pertinent è sacris literis statuendi: aliudque eos esse nolunt, quam eorum, quæ ab Episcopis definiuntur, exsecutores 4. Sed neque illos probamus Magistratus, qui sine legitima rerum cognitione, mutant pro suo placito religionem: damnant inauditos, spoliant, proscribunt: canones de religione, non ex sacris literis, sed potius contra verbum Dei conscribunt: & non vt serui Dei, sed vt Domini Ecclesiarum, sese gerunt in Ecclesia Christi: suũmque collum iugo Filij Dei subiicere nolunt: quibus maiorem Dei cognitionem, melioremque mentem precamur à Deo Patre, & a Domino Iesu Christo.

CAP. XXVII.

DE PERPETVA PECCATORVM remissione in Ecclesia Christi.

I.

Perpetuam in Ecclesia esse remissionis peccatorum dispensationem: & ad hanc perpetuum verbi ministerium esse ordinatum.

Confessi antea sumus, simulac quis per Spiritum sanctum insitus est Christo, eum statim consequi remissionẽ omnium admissorum peccatorum, nouamque vitam a Christo capite haurire, atque ita viuum etiam fieri Ecclesiæ membrum. Verum, quoniam qui sanctissimi etiam sunt in hac militante Ecclesia, quotidie tamen peccant in finem vsque vitæ, eóque semper opus habent noua peccatorum remissione, quemadmodum etiam noua pœnitentia, nouaque fide, remissionem peccatorum in Christo apprehendẽte: fides autem & pœnitentia ministerio verbi & sacramentorum excitari solent: idcircò credimus, perpetuò in Ecclesia peccatorum remissionem dispensari per ministerium verbi & sacramentorum, & ad hanc totum ministerium Ecclesiasticum, quod perpetuum est in Ecclesia, ordinatum esse.

II.

Remissionis peccatorum nomine quid intelligamus.

Cùm autem in peccato tria sint, actio transiens: actionis iniquitas, eóque peccantis culpa manens: & debitæ pœnæ reatus, culpæ cohęrens: tùm intelligimus peccatum nobis remitti, quando non solùm culpa & iniquitas non imputatur, sed etiam reatus tollitur, debitaque pœna condonatur. Propriè enim remittuntur debita: & nos, cum in oratione petimus, remitti nobis debita nostra, non solùm petimus, nos à culpa absolui, & iniquitatem nobis non imputari, verùm etiam, pœnam ac cõdemnationem, nobis propter iniquitatem debitam condonari, talique nos reatu ac debito liberari: quando neque nos debita remittere fratribus dicimur, nisi cùm illos debita solutione ac satisfactione liberamus: certúmque est, nos non iuberi à Deo petere, nisi quod Deus ipse præstare vult: & Christus totius debiti nostri chirographum fregit, facta pro nobis perfecta solutione ac satisfactione.

III.

Afflictiones, quibus post condonata peccata premuntur sancti, non esse pœnas satisfactionésve pro peccatis prateritis: sed paternas coercitiones à futuris.

Quòd verò post remissionem peccati soleat Deus filios suos variis affligere & cædere flagellis: credimus, hoc nõ à Deo fieri, vt pro peccatis admissis hac ratione, vel in totũ, vel ex parte suæ iustitiæ satisfiat, cùm vna plena CHRISTI satisfactio nobis imputata satis superque sit: sed, vt illis, ceu paternis ferulis, quæ certè ad peccati in nobis habitãtis mortificationem pertinent, in posterum cautiores fiamus: néve amplius iam facilè in peccata nos ipsi proiiciamus: vnde & certamina fidei, exercitationésque sanctorũ, non autem supplicia peccatorum cum Augustino appellamus, & appellari debere docemus. *T.* 7. *de pecc. mer. & rem. lib.* 1. *ca* 33. *&* 34.

IV.

A solo Deo propriè remitti peccata gratis, & propter Christum Mediatorem.

Credimus etiam, à solo Deo ex gratia, & propter Christum Mediatorem peccata propriè remitti: *Is.* 4, 25. cum etiam ille ipse solus sit, in quem propriè vel immediatè vel mediatè peccatur, dum ipsius legem transgredimur: in solius verò creditoris potestate positum sit, debitoribus suis gratificari, debitàque remittere. Vnde & Christus, vt homo, Patrem rogauit pro se crucifigentibus, vt illis ignosceret, peccatúmque remitteret: *Luc.* 23.34 & quod dixerãt Iudæi, quis potest remittere peccata, nisi solus Deus? partim tacendo, partim edito miraculo, confirmauit. *Luc.* 5.21. *&c.* Quare ex eo, quòd Christus sua autoritate remittebat peccata, cum Patribus, meritò euinci, credimus eum verum esse Deum: cùm hoc fieri à pura creatura non possit, nisi ministerialiter, vt loquuntur, & in nomine atque ex autoritate Dei: id quod non vni tantùm, sed omnibus Apostolis, eóque & legitimis ministris Euangelij omnibus ex æquo datum esse, nouimus. *Matt.* 18.18 *Ioh.* 20.23.

V.

Christum. Deum & hominem. remittere quidem peccata: sed differenti ratione, qua Deus est, & qua homo

Vnde etiam sequitur, id quod & confitemur, Christum Deum & hominem, vna cum Patre & cum Spiritu sancto

remitte-

remittere peccata: sed illa ratione eum id facere, qua Deus est, & alia, quà homo. Nã quà Deus est, propriè, propriaque autoritate & virtute efficienter id efficit: quà homo verò est, id facit, & antea etiam fecit in carne mortali, tanquam [illegible] deitatis, voluntate sua humana, diuinæ consentiendo, & verbis pronuntiando, Remittuntur tibi peccata tua: Leone etiam primo sic ad Flauianum explicante atque dicente, *Epist 10 cap 4. Agit vtraque forma*, (Dei sc. & hominis) *cum alterius communione, quod proprium est. verbo se operante, quod verbi est, & carne exequente, quod carnis est. Remittere peccata propria fuit actio diuinæ naturæ: at dicere, Remittuntur tibi peccata tua, humanæ.* Hæc ille.

VI.

In solo Christo offerri remissionem peccatorum, & à solis electis, fide donatis, percipi.

Sicut enim in solo Christo Mediatore & Redemptore, tanquam totius Ecclesiæ capite, habemus redemtionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum: ita vt extra Christum nulla sit: *Eph.1.7.* sic etiam credimus solos electos, vera pœnitentia, veraque fide donatos, Christóque per Spiritum sanctum, vt membra capiti, insitos, illius fieri participes: quæ licet omnibus hominibus per Euangelium annuncietur remissio peccatorum, reprobis tamen, vtpote impœnitentibus, & incredulis, nunquam remitti: sed ipsorum vitio & culpa semper retineri peccata.

VII

Omnia peccata simul fidelibus electis remitti.

Credimus etiam, sicut Christus non pro aliquot, sed pro omnibus peccatis nostris vna oblatione satisfecit: sic etiam nobis, verè pœnitentibus, non quorundam tantum, sed omnium simul peccatorum nostrorum remissionem à Christo & in Christo per Euangelium offerri: per Spiritum sanctum communicari: pérque fidem recipi: quãdo Deus, proposita parabola, declarauit, se totum debitum, non autem partem remittere. *Matth.18.23 &c.*

VIII.

Remissionem peccatorum in sola Ecclesia dispensari per solam fidem recipi, idque in sola hac vita.

Denique vt concludamus, credimus, sicut in solo Christo inuenitur remissio peccatorum, sic etiam in sola eius Ecclesia illam dispensari: & sicut solius Christi meritis & sanguine parta nobis fuit, sic etiam citra merita nostra, per solam veram in Christum fidem recipi: & sicut in sola hac vita Euangelium prædicatur, pérque illud remissio peccatorum pœnitentibus & credentibus annunciatur, sic etiam in hac tantum vita illius fieri nos participes posse: quando post hanc vitam nullus datur fidei & pœnitentiæ locus: ac proinde, Ecclesiã suo ministerio nil prodesse amplius posse hac vita defunctis ad remissionem illis impetrandam: dicente etiam Cypriano *ad Demetr. Quando isthinc excessum fuerit, nullus iam locus pœnitentiæ est, nullus satisfactionis effectus. Hic vita aut amittitur, aut tenetur: hic saluti æternæ cultu Dei & effectu fidei prouidetur.*

IX.

Confirmatio eiusdem doctrinæ, ex ordine Symboli.

Iuxta hæc tria capita articulum de remissione peccatorum in Symbolo interpretamur: nempe, primùm quidem post articulum de Ecclesia, déque communione sanctorũ subiicit articulum hunc, vt intelligamus, extra Ecclesiam peccatorum remissionem non dispensari, nullũmque habere locum. Deinde, eundem subiici post confessionem de fide nostra in Deum Patrem, in Filium, & in Spiritum sanctum, déq; fide, qua credimus, Ecclesiam Christi esse sanctam, & ex societate communionéque sanctorum constare: vt testificemur, nos non ex meritis nostris, sed propter fidem in Deum Patrem, in Filium, & in Spiritum sanctum. & propterea, quòd sumus in Ecclesia, communionémque habemus cum sanctis omnibus, ideò peccatorum etiam remissionem quotidie consequi. Ac denique ex hoc ordine articulorum fidei, credamus & confiteamur, post remissionem peccatorum in Ecclesia hac militante impetratam: nil aliud mortuis exspectandum esse, quàm carnis resurrectionem, & vitam æternam.

X.

Errores.

1. Ita damnamus errorem, quo quidam docent remissa culpa, restare pœnæ debitum persoluendum: hanc verò pœnam, cum sit æterna mors, per pœnitentiam cõmunicatam in pœnas temporales: quas oporteat vel in hac vita, vel post mortem in purgatorio luere, nisi per missas, indulgentias aliaque suffragia inde liberemur. 2. Damnamus & illorum blasphemiam, qui alibi, quam in Christo, remissionem peccatorum quærunt, & quærendam esse, docent: Item, qui alia ratione, quàm per veram fidem, pérque Spiritum sanctũ eam sibi ipsi applicari posse, contendunt, & percipi. 3. Damnamus item sacrilegam illorum doctrinam, qui docent, non omnia semper peccata credentibus à Deo remitti: sed quædam sæpe etiam retineri, quæ potiùs expianda sint ieiuniis, eleemosynis, orationibus, aliisq; operibus nostris, vel aliorum etiam oblationibus, & sacerdotum sacrificiis.

CAPVT XXVIII.

DE STATV ANIMORVM POST MORTEM, déque resurrectione mortuorum.

I.

Animas neque cum corporibus interire, neque solutas corporibus dormire, aut extra cœlum & tartarum quiescere, neque etiam in igne purgatorio torqueri.

Credimus, Animas nostras neque cum corpore interire: neque solutas corporibus dormire: aut vigilantes extra cœlum & extra tartarum, certis in locis abditis quiescere: neque etiam in igne purgatorio torqueri: sed extra corpus etiam, omnium hominum animas viuere, intelligere ac velle: piorum autem in cœlo cum Christo regnare, impiorum verò in inferno cum diabolis cruciari, de illis dicente Domino, Cum homines pij & misericordes deficiunt, hoc est, decedunt ex hac vita, eos id est, eorum animas, recipi in æterna tabernacula: *Luc.16.9.* & alibi docente, Eas secum esse in paradiso: Luc.23 43 de illis verò exemplo Epulonis proposito, eas in infernum, id est, in locum æternis pœnis destinatum, abire, *Luc.16.23.* (sicut de Iuda etiam legimus: *Act 1 25.*) ibique cruciari.

I I.

Diuersa esse loca, vbi fidelium, & vbi infidelium animæ post mortem corporum degunt.

Cùm verò tam diuersa sit conditio animarum fidelium & infidelium, credimus, diuersa etiam esse loca, in quæ migrant, æterna videlicet tabernacula, seu cœlum, paradisũq. piis destinatum, & tartarum seu infernum impiis præparatũ: *2.Pet.2.4.* quando vno etiam in loco lucem summam statuũt sacræ literæ, in altero verò maximas tenebras, quas Christus vocat tenebras exteriores: *Matth.8 12.* & quando idem Dominus ait, [illegible] vbi ipse est, ibi sint & credentes in se: *Ioh 17. 24* [illegible] loco, vbi ipse iam est suo corpore & anima, esse etiam & futuros fideles: primùm quidem animis, deinde etiam suo tempore corporibus: infideles autem neutro, & nunquam: vt summam esse impietatem iudicemus, dicere, cœlum esse vbique, cùm hoc impiis nusquam, [illegible] sacris literis tanquam propria & æterna sedes, [illegible] necesse verò [illegible] corpora, [illegible] post resurrectionem [illegible] animas iam definitiuè saltem, vt loquuntur, contineri.

I I I

Finem huius mundi certò futurum, omniáque innouatum iri, licet tempus ipsum ignoretur.

Etsi verò, quando futurus sit finis seculi huius, à nobis ignoratur, vt nesciri etiam possit: *Matth.24.36.* credimus tamen, omnino certò futurum: *Act. 1. 7.* túncque innouatum iri non solum terram, sed etiam cœlum, futurumque cœlum nouum, & terram nouam: *Ies 24 23. & 65.17.* & 66 22. [illegible] mortuósque omnes, etiam impios, Christo per vocem & tubam Archangeli, ad iudicium vniuersos vocante, resurrecturos: *Dan 12 2 Mala 4.1. 2 Petr.3.13. Apoc.21 1. Iuda 14.15.* ad quarum rerum certitudinem pertinet, quod Dominus Iesus, cum Ierosolymæ desolationem [illegible] prædixisset, illarum etiam de hisce rebus sermonem [illegible] vt nimirum nos ex iis, quæ vidimus Ierosolymæ [illegible], ea etiam certò futura credamus, quæ de fine seculi simul prædixit. *Matth.24. Luc.21.5 &c.*

I V.

Omnes tandem homines mortuos viuificatum iri, & resurrecturos è sepulchris

Credimus itaque, sicut per Adamum omnes moriuntur, sic per Christum omnes, impios etiam quoad corpus, esse viuificandos, anima cuiusque suum recipiente corpus *1. Cor.15.22* quanquam alios ad æternam felicitatem, alios ad damnationem sempiternam resurrecturos, confitemur.

dicente Christo, Et prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij: *Ioh.* 5.29. vnde etiam ordo resurrectionis confirmatur, quem Apostolus tradit, dicendo, Eos primùm resurrecturos, qui sunt Christi, deinde reliquos. 1. *Thess.* 4.

V.

Non noua corpora creatum iri animis nostris, sed eadem planè, quæ ceciderunt, resurrectura.

Credimus autem, non nouum cuique animo corpus formatum iri, sed eadem singulorum, quoad substantiam, quæ ceciderant, resurrectura, licet certis qualitatibus diuersa: docente Apostolo, de iisdem piorum corporibus, exemplo eiusdem sementis, alia seminari & alia resurgere: seminari corruptioni obnoxia, suscitari incorrupta, & quæ sequuntur, 1. *Cor.* 15.36. *&* 42. *&c.* & Iobo de sua spe (iuxta versionem vulgatam) sic testificante, Scio quòd Redemtor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt. *Iob.* 19.25. Nostris enim corporeis oculis CHRISTVM visuri sumus in nubibus ad nos suo corpore redeuntem, & in cælo etiam regnantem.

VI.

Exemplo corporum nostrorum post resurrectionem monstrari, Christi corpus non esse vbique.

Cùm verò Apostolus dicat, Christum corpora nostra humilia transformaturum, vt conformia fiant corpori ipsius glorioso: *Phil.* 3.21. credimus, si corpus Christi propter gloriam, quam à resurrectione accepit, accepit etiã, vt sua substantia sit vbique: sic nostra quoque propter eandem gloriam vbique futura esse: quod cùm futurum non sit: neque etiam credimus, corpus Christi, vtut gloriæ plenum sit & maiestatis, vbique iam esse sua substantia, finitum cum sit ipsum, & gloria eius finita: præsertim, cùm etiam dixerit, se velle, vt vbi ipse est, nos quoque ibi simus, nos autem futuri non simus vbique corporibus nostris. *Ioh.* 17.24.

VII.

Errores.

1. Damnamus impia deliria tum Philosophorum illorũ, qui mentem humanam mortalem esse docuerunt 2. Tum illorum hæreticorum, qui animas omnium hominum à corpore separatas in certis abditis locis aut dormire, hoc est, omni sensu & mentis operatione priuatas esse: aut vigilare quidem, sed quiescere, donec resumant corpora, ac tum demum vel in cælum admittẽdas esse, vel in infernum detrudendas, putarunt. 3. Nec non & eos, qui multorum piorũ animos in purgatorio quodam igne purgari à reliquiis peccatorum, & pœnas dare temporales, somniarunt. 4 Improbamus & illos, qui non distinguũt cælum, vbi pij, ab inferno & tartaro, vbi impij futuri esse leguntur: sed discrimen vtrorumque in eo tantũ constituunt, quòd alij beati fiunt, alij infelices, quanquam eodem in loco sint omnes. 5. Sed neque eos probare possumus, qui, si non certum diem & horam, certum tamen tempus, mensem vel annum aiunt definiri & sciri posse, quo venturus sit Dominus, finémque huic seculo impositurus: cùm tamẽ Christus dixerit. *Act.* 1. 7. Non est vestrum, nosse tempora. 6. Exsecramur verò illos, de quibus & Petrus, illusores: 2. *Pet.* 3.3. *&c.* qui mundũ perpetuò sic mansurum sentiunt, omnémque futuram vitam negant atque rident. 7. Damnamus etiam omnes, qui resurrectionem demortuorum negant, nec non & illos, qui non hæc eadem corpora, sed alia noua nos habituros, somniarunt. 8. Illos item damnamus, qui docuerunt, corpora post resurrectionem futura ita spiritualia, vt instar spiritus & aëris, nec videri, nec palpari queant: quale etiam Christo post resurrectionem nonnulli affinxerunt corpus: & alij etiam in naturam diuinam quasi immutatum esse fingunt, impudentérque mentiuntur, ita vt iam amplius dici non possit esse creatura.

CAPVT XXIX.

DE ILLVSTRI ADVENTV DOMINI Iesu, ad iudicandum viuos & mortuos.

I.

Facta ad aduentum Domini Iesu è cælo, mortuorum resurrectione & viuorum immutatione, Christum mox sese omnibus visendum in nubibus exhibiturum: eique obuiam ituros fideles omnes in aerem.

Credimus, facta, ad aduentum Domini IESV, mortuorum resurrectione per ministerium Angelorum: qui tùm supererunt viui, eos quidem non morituros, sed tamen in eorum qui resurrexerunt, conditionem acturum immutatum iri: ac tunc Christum, iam è cœlo ad nubes vsque, vt inde omnes iudicet, déque omnibus ferat sententiam, reuersum, sese omnibus hominibus conspiciendum exhibiturum esse: ei verò, Angelis suis stipato, & in sua maiestate ac gloria apparenti, pios omnes obuiam ituros, è terra in cœlum vsque nubium translatos: quemadmodum & Christus ipse, & Apostoli docuerunt, scriptumque reliquerunt. 1. *Thess.* 5.1. *&c.* *Matt.* 24.3. *&* 25.31.

II.

Christum visibiliter rediturum è loco ad locum: eoque corpore visibili, locali, finito.

Credimus itaque Christum ita rediturum visibiliter, sicut etiam spectantibus Apostolis è terra in cœlum, primsascendit: & ex illo quidem cœlo rediturum, vbi iam est: ac proinde quòd à nubibus, in quas descendet, & à terra procul distat: & ita etiam suo naturali corpore descensurum, credimus: vt illud necesse sit, locale esse atque finitum, ac proinde non vbique existens: quando talis etiam descensus simplicibus populis à Spiritu sancto describitur, quem non nisi mutatione loci fieri posse, demonstrat.

III.

Reprobos infideles non peruenturos vsque ad Christum, in nubibus sedentem, sed in terra manentes sententiam Iudicis audituros.

Cùm verò Scriptura de solis piis pronunciet, eos raptum iri in nubes, & obuiã ituros Christo in aëra: credimus, impios ad Christum vsque non peruenturos: sed sub pedibus eius in terra manentes, sententiam Iudicis audituros, Ite maledicti in ignem æternum, sanctis omnibus, qui in aere cum Christo erunt, sententiam Iudicis approbantibus, iuxta Apostoli sententiam, sanctos iudicaturos mundum atque Angelos. 1. *Cor* 6.2.3.

IV.

Quibusnam de causis illud iudicium vniuersale institutum sit.

Credimus verò duabus potissimum de causis iudicium illud, in quo Christus omnibus conspicuus omnes iudicabit, institutum fuisse: prima quidem est, vt quæ nunc abdita sunt hominibus, tam innocentia, fides, bonáque conscientia piorum, quam hypocrisis, sceleraque impiorum, toti orbi pateant: & inde etiam iudicia Dei quàm iusta semper fuerint, ad extremum vsque luculenter appareat. Vnde & dies ille, dies reuelationis ab Apostolo appellatur. *Rom.* 2.5. Altera causa est, vt, quæ promissa fuerant tam bonis bonorum, quàm malis malorum operum merces, tunc plena cuique reddatur: dicente Apostolo, 2. Cor 5.10. Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, vt reportet vnusquisque, prout gessit in corpore, siue bonum, siue malum: Vnde & ab eodem Apostolo iusti iudicij dies vocatur. *Rom.* 2 5.

V.

Vitam æternam, qua electi donabuntur, mercedem vocari & esse: sed totam gratuitam, nobisque minimè, nisi propter Christum, debitam.

Etsi enim, quod electi accepturi sunt, merum Dei donũ est, solius Christi meritis partum: mercedem tamen & esse, & verè nominari, non dubitamus: cùm Dominus Iesus eã sic appellare dignatus sit, mercedem nimirum gratuitam: quando opera etiam ipsa piorum bona, causǽq; omnes, vnde proficiscuntur, dona sunt Dei gratuita: gratuita electio: gratuita redemtio: gratuita vocatio, fides, iustificatio, regeneratio, peccatorum remissio, defectuum denique ac delictorum, quibus ipsa bona opera nostra infecta sunt, gratuita condonatio, & contrà, perfectæ obedientiæ Christi, qua nostra imperfecta exornatur, Deóque fit gratissima, gratuita imputatio: ac proinde, si propriè loqui velimus, mercedẽ esse, minimè propter opera nostra in se considerata, sed tãtùm propter imputata merita Christi, nobis debitam.

VI.

Finito iudicio, confestim pios in cælo futuros cum Christo, impios autem in inferno cum diabolo & Angelis eius.

Credimus porrò, post illud iudicium confestim pios in cœlum secuturos Christum, impios verò cum diabolis detrusum iri in infernum, dicente illis Christo, Venite benedicti

nedicti Patris mei: his autem, Ite maledicti in ignem æternum.

VII.

Diem illum piis iucundissimum futurum, eóque expetendum: impiis tristissimum, eóque illis esse solo etiam auditu intolerabilem.

Ita credimus, illum vltimum diem, iis, qui Christo insiti sunt, futurum omnium felicissimum ac iucundissimum, ac proinde ab illis amari atque expeti, & amandum nobis esse atque expetendum: impiis autem omnium infelicissimum ac tristissimum: ac proinde mirum non esse, cur diem illum oderint, mentionémque illius ferre non possint 2. *Timot.* 4. 8.

VIII.

Errores.

1. Damnamus, si quis neget Christum verè & reapse in suo humano corpore descensurum esse è cœlo in nubes, & inde in cœlum cum electis rediturum, sed sine vlla loci mutatione, per apparentiam duntaxat quandam, vt vocant, ac disparitionem, totum hoc futurum, contendat: contradicentibus Angelis ad Apostolos, *Act.* 1. 11. Sicut vidistis eum ascendentem in cœlum, sic veniet. 2. Improbamus & illos, qui docent, opera pietatis in se considerata, veram esse causam, propter quam datur vita æterna, veráque esse huius merita: Apostolo contra scribente, & dicente, Donum Dei est vita æterna. *Rom.* 6. 23. Neque etiam probamus sententiam Chiliastarum de mille annis: quibus post iudicium Christus versaturus sit in hoc mundo cum suis electis: illique in deliciis carnis, sed honestis, victuri, & liberos adhuc, sed sanctos, procreaturi sint, ac tum demum in cœlum transferendi. 4. Damnamus verò & exsecramur errorem eorum, qui contendunt, Ignem, in quem mittentur impij, tandem aliquando exstinctum iri: ita vt omnes etiam diaboli feliciter victuri sint in regno Dei, contra manifesta Christi verba, Ite in ignem æternum: *Matt.* 25. 41.

CAPVT XXX.

DE VITA ÆTERNA.

I.

Vitæ æternæ donatum iri omnes, qui bonis operibus testificati fuerint, se verè Christo insitos fuisse, & in Christum credidisse.

Credimus igitur ad extremum, vitam æternam, id est, plenam & perfectam æternæ vitæ possessionem donatum iri in die illo vltimo omnibus, qui per Spiritum sanctum verè insiti fuisse Christo, eóque & credidisse in Deum Patrem, in Filium eius Iesum Christum, & in Spiritum sanctum, membráque viua Ecclesiæ sanctæ fuisse, communionémque cum sanctis omnibus habuisse, & consecuti remissionem peccatorum fuisse, ex manifestis veræ fidei & pietatis operibus, coram omnibus angelis & hominibus palàm declarati, luculentissimè demonstrati, & ex sententia iudicis Christi pronuntiati fuerint: hoc ipsum docente Domino, qui ait, se dicturum his, qui fuerint à dextris, Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, vobis paratum à constitutione mundi: Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c. *Matt.* 25. 34.

II.

Confirmatio superioris sententiæ: & vitam æternam dari non propriè propter opera nostra, sed propter Christum, in quo gratis electi, benedicti, & filij Dei effecti sumus.

His enim verbis declarâsse nobis videtur Dominus, opera nostra bona, esse nostri in Christo electionis, benedictionis, filiationis, eóque iuris hæreditarij testimonia: causam autem, cur simus vitam æternam, cœlestísque regni possessionem consecuturi, esse, partim, quia iam ante mundi constitutionem, id est, antequam quidquam boni egissemus, regnum illud gratis præparatum nobis fuit in Christo: partim, quia fuimus benedicti à Patre, nempe omni benedictione spirituali in Christo, *Eph.* 1. 3. eóque per gratiam vocati, iustificati, remissionem peccatorum consecuti, sanctificati: denique, quia in filios Dei in eodem Christo adoptati, pérque Spiritum eius renati, eóque & cohæredes regni illius effecti sumus: id quod illo verbo κληρονομήσατε, i. iure hæreditatis, tanquam filij, possidete, manifeste significauit. Quòd igitur opera pietatis commemoratus sit Dominus, hoc ideo facturum eum non dubitamus: vt ex illis toti orbi patefaciat, nos verè fuisse benedictos, electos, iustos, filios Dei, quibus hæreditas debebatur: dicente etiam Apostolo, Quòd si filij, & hæredes. *Rom.* 8. 17. filios autem nos esse Dei, declaratur regeneratione: regeneratio verò, regenerationis effectis, quæ opera fidei & pietatis appellantur.

III.

Sicut vita piorum futura est æterna: sic etiam impiorum pœnas & ignem futurum æternum.

Sicut verò credimus, filios Dei vitam consecuturos æternam: sic etiam confitemur, hypocritas, impiósque omnes abituros in ignem, nunquam exstinguendum, ibique in æternum cruciandos: Christo apertè dicturo, Ite in ignem æternum. *Mat* 25. 41.

IV.

Quàm felix futura sit illa æterna vita, nec dici, nec cogitari posse.

Quid autem, & qualis sit ista vita, quantáque illa felicitas, quæ nomine regni cœlestis significatur, fatemur cum Apostolo ingenuè, nec oculum vidisse, nec aurem audiuisse, nec in cor hominis ascendisse: 1. *Cor.* 2. 9 rem enim esse maiorem & præstantiorem, quam vt ab humano intellectu comprehendi queat: tantæque felicitatis, qua nihil felicius desiderari à nobis possit. Itaque simpliciter credimus, nos, qui sumus Christi, qui ab eius Spiritu regimur, qui ab eius verbo pendemus, qui denique totam salutis fiduciam in eo collocamus: futuros omnes felicissimos: fulsuros omnes, sicut solem in conspectu Dei: visuros omnes Deum, sicuti est: victuros omnes vitam cœlestem atque diuinam cum CHRISTO & cum Angelis eius: liberatos omni peccato, omni miseria, omni malo: sine vllo amplius dolore, sine metu, sine vllius rei indigentia aut desiderio: *Matt.* 5. 43. 1. *Cor.* 13. 12. *Phil* 1. 23. quoniam Deus erit omnia in omnibus: 1. *Cor.* 15. 28. & nos videbimus faciem eius, & in ea vrbe nox vltrà non erit, neque opus ei erit lucerna, neque lumine Solis, quoniam Dominus Deus illustrabit nos: *Apoc.* 22. 3. 4. & regnabimus in secula seculorum cum Christo Iesu, Capite, Sponso, Seruatore, Domino nostro: cui laus, honor, & gloria in sempiternum, Amen.

EIVSDEM ZANCHII IN SVAM IPSIVS CONFESSIONEM

OBSERVATIONES.

NEc paucæ, nec leues sunt caussæ: quibus adductus fui, vt hasce obseruationes confessioni meæ seorsum addere, quàm aliquid in ea immutare maluerim. Pauci non sunt, quibus notum est: qua occasione, quo tempore, quorum iussu, quorum nomine, & in quos fines hanc ego, inuitus sane atque coactus, doctrinæ Christianę summam conscripserim. Etsi verò nemo non videt, confessionem hanc, nunquam vt sperabatur eorum nomine, quorum caussa cóscripta fuerat, editam fuisse. qui tamen hoc factum sit, & quibus de causis factum sit, non omnes perspectum habent: multis factum admirantibus, veras autem ipsius rei caussas ignorantibus. Hinc quàm variæ multis suspiciones incidere: quàm varia etiam tum de me, tũ de ipsa confessione, non dicam, à priuatis hominibus, sed ab Ecclesiis etiam ipsis iudicia fieri: quàm varij denique & sinistri sermones, in vulgus spargi potuerint: quotus quisque hominum est, qui nesciat? Occurrendum ergo tandem mihi fuit, antequam moriar, sinistris prauisque de mea doctrina suspicionibus, iudiciis, sermonibus. Id nulla meliori ratione fieri à me potuisse iudicaui: quàm si & confessionem, prout fuerat à me conscripta, seorsum: & seorsum etiam in illam obseruationes, quibus si quæ sint obscura, explicentur: si quæ dubia, confirmentur, edendas curarem, & iudicium de toto negotio toti Ecclesiæ vere Catholicæ relinquerem. Putaui præterea, ad falsas suspiciones ex animis hominum, si quæ sint conceptæ, tollendas, non parum profuturum fuisse: si quænam à doctis viris de confessione facta fuerunt iudicia, ea ex ipsorum literis, piis omnibus nota facerem: Præsertim cum ex illis, etiam quasnam ob caussas, eo quo constitutum fuerat modo, non fuerit euulgata confessio, facilè quisque intelligere possit.

Magnus quidam vir, in hæc ad me verba, ea de re scripsit: Quod de confessione tua scribis: ea magna cũ voluptate & à me, & à N. & aliis perfecta est: quæ & eruditissimè scripta est, & accuratissima methodo: Et si modo quod in fine de Archiepiscopis & Hierarchia addis, excipias, mihi summopere placuit. Sed cùm de via & ratione concordiæ inter omnes nostrę confessionis Ecclesias, ineundæ cum fratribus N.N. qui hic sunt, deliberaremus: illi vno consensu, hanc & vnicam & tutissimam, & expeditissimam esse censuerunt: vt iã receptę & editę à singularum prouinciarum Ecclesiis fidei confessionis in vnam Harmoniam componerentur, & compingerentur: quod & simillimæ omnes essent quoad πίστεως οὐσίαν, & sua à nulla Ecclesia repudiarentur. Hoc suum consilium, cùm nobis multis rationibus probassent: ad vos de eo scripsimus, & ad reuerendos N.N. & alias nobis vicinas Ecclesias: quibus omnibus idem illud valde placuit.

Hæc ex magni illius viri literis. In eandem fermè sententiam, non pauca, ex aliorum quoque de eadem re scribentium literis, proferre possemus: sed cùm non sit necesse, breuitatis caussa omittimus.

Ergo ad rem.

OBSERVATIO IN TOTAM CONfessionem.

Cùm vtimur verbo damnandi, nihil aliud volumus, quàm quę damnatę fuerunt ab Ecclesia Catholica hæreses eas nobis quoque damnari: Et quæ illa non probauit, ea quoq; nobis improbari: idque toti posteritati testatum nos esse velle.

IN CAPVT I.

Aphoris. 4.

Quòd Apocryphis in volumine Bibliorum, post libros Canonicos, locum primum tribuerimus: id fecimus adducti autoritate Ecclesiæ Græcæ & Latinæ: quæ hoc honore illos solos dignata semper est vt cum Canonicis coniungerentur. Vide loca citata ex Hieronymo, Cypriano, concilio Laodiceno, in confessione, c. 1. Aph. 5. Deinde de libris sermo fuit, non de quibusuis scriptis: alioqui symbola œcumenica præferimus libris Apocryphis.

IN CAPVT II. DE DEO.

Aphoris. 1.

Etsi proprium ὑφιστάμενον est, ὑφίστασθαι ἐν τῇ οὐσίᾳ: de Deo tamen loquentes, altera vti locutione, eáque etiã vsitata, certis de caussis maluimus: nempe, vt cum primis aduersus Arianorum nostri temporis calumnias & sarcasmos, essentiã illam diuinam, non nisi in personis reperiri, doceremus: nõ igitur à nobis essentiam seorsum à personis subsistentem constitui, in qua porrò tres personæ subsistant: quasi quatuor in Deo ὑφιστάμενα, à Catholica Ecclesia fingantur.

Aphoris. 3.

De hac reali essentialium Dei proprietatum communicatione, peculiarem conscripsimus & nos tractationem, in libro cui titulus erit, De incarnatione Filij Dei: in verba ad Phil. 2. Qui cum in forma Dei esset, &c. ad quem, qui pleniorem cupit huius doctrinæ explicationem, lectorem suo tempore remittimus. Certè Dominus Iesus ab illa essentiali cognitione, qua & Pater nouit, (hoc est, vt scholastici loquuntur, comprehendit,) Filium, & Filius Patrem: omnem planè creatam mentem excepit: cùm dixit, Nemo nouit Filium, nisi Pater: & nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare: docens quicquid cognitionis de Deo habent creaturæ, illud esse aliquo modo reuelatum: eóque scientiam esse non illam Dei essentialem & infinitam: sed creatitiam & finitam.

IN CAPVT V. DE MVNDI CREATIONE, &c.

Aphoris. 2.

Cælum beatorum, in quo iam est Dominus Iesus sin corpore, differre à terra, ac reliquis cœlis, esséque supra omnes istos aspectabiles cœlos: præter ea, quę dicta sunt, confirmãt etiam hæc pauca. Eph. 4. Christus dicitur ascendisse supra omnes cœlos: alibi legitur ascendisse non supra, sed in cœlum, & esse in cœlo, consedere ad dextram Patris H[illegible] tur cœlum, & supra reliquos est, & ab illis differ[illegible] Col. 3. Apostolus locum, Vbi Christus est in dextra Dei [illegible], distinguit à terra: Et vocat SVRSVM τὰ ἄνω [illegible] ubi Christus est: Et 1 Thes. 4. ait, Dominum descensurum è cœlo, nempe in has partes inferiores, piósque omnes raptum iri in nubibus obuiam Christo in aera. In sublimi ergo est cœlum illud, non in terra, non in aere: multo minus vbique. Descendet enim visibili corporis forma, ex alto cœlo, in regiones istas, vt hic iudicentur viui & mortui. De hoc cœlo peculiariter egimus, in libris de operibus Dei, intra sex dies creatis. Improbamus ergo contrariam doctrinam: quæ cœlum, à terra: & cœlum beatorum, à reliquis cœlis non distinguit, sed vbique esse contendit.

IN CAPVT VII.

Aphoris. 11.

Inter alia quæ etiam Augustino peccatum originis asserenti ac defendenti obiecit Iulianus Pelagianus, fuerunt & hæc: quod aut faceret Deum autorem peccati, aut diabolum conditorem hominum: idque propterea, quòd putabant Pelagiani, ab Augustino peccatum originale, ipsam hominis substantiam constitui. Quæ omnia obiecta ipse diluit tomo 7. contra Iulian. Pelagianum, lib. 5. cap. 1. hisce verbis: Nec Deo adscribimus iniquitatem,

sed

sed potius æquitatem, quia non iniustè tot & tantis malis, quæ sæpissimè cernimus, etiam paruulus plectitur Nec diabolo conditionem hominis, sed humanæ originis deprauationem: nec peccato substantiam deputamus, sed in primis hominum actum : in eorum verò posteritate contagium: nec paruulis conscientiam sine scientia, in quibus nec scientia est, nec conscientia: sed scinit ille, quid fecerit in quo omnes peccauerunt, & singuli malum inde traxerunt, &c.

IN CAPVT IX.

Aphoris. 5.

Quomodo se ab hoc errore excipere possint, qui Patres veram Christi carnē comedisse negant, non videmus: quasi quia re ipsa nondum existebat in natura, propterea in certa Dei promissione non extiterit: & proinde per fidem apprehendi & comedi non potuerit. Generalis enim est, & ad omnes, & omni tempore pertinens propositio: Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis. Vita enim non communicatur, nisi illis, qui Christi carni, & per carnem spiritui, seu τῷ λόγῳ qui est vita, fide ceu capiti membra, copulati sint.

IN CAPVT X.

Aphoris. 3.

Voluisse enim, &c. Quod dixi de primo, secundo, tertio & quarto statu clarius fuisset, si dixissem: qualis fuerit homo ante peccatum: qualis post peccatum: qualis sit sub gratia: & qualis futurus sit in gloria.

IN CAPVT XI. DE CHRISTO. REDEMPTORE.

Aphoris. 6.

Personā Christi, propriè loquendo, ex natura diuina immensa, ac simplicissima, & ex humana finita, quæ in infinitum minus est, quam punctum, respectu diuinæ, tanquam ex duabus verè ac propriè dictis partibus compositam esse, cum scholasticis meritò negamus *Tho. 3 p q. 2 ar 4* Quæ enim proportio finiti, ad infinitum, & creaturæ ad creatorē? Confitentes interim cum veteribus Patribus, eo sensu dici posse συνθετον compositam, quo scriptura τὸ λόγον factum esse carnem : Et qui in forma Dei erat, iam in similitudine hominum, factum esse dicit. Hoc verò nil aliud est, quàm quòd ὑπόστασις illa æterna in duabus nunc subsistat naturis: vt Christus iam non minus sit verus homo, quàm verus Deus Huc spectat, quod ante diximus de simili animæ & corporis: (ex iis enim, tāquam ex veris & essentialibus partibus constat persona hominis) illud non per omnia quadrare, probantes interim hoc simile, quatenus eo Athanasius & alij Patres, ad veram & hypostaticam diuersarū naturarum vnionem demonstrandam, vsi sunt: tametsi non per omnia, vt etiam Iustinus in expositione fidei, & alij Patres, ingenuè fassi sunt, huic mysterio congruat. Simile vestis, frequentissimum est apud veteres Patres: præsertim apud Athanasium, & consentaneum est cum scriptoris. Caro enim Christi, qua tecta fuit Deitas, velum vocatur ab Apostolo, Hebr. 10. ver 20. & pulcherrimè hoc simili vestis, dogma de reali Idiomatum diuinorum, in humanam naturam effusione vel communicatione, funditus euertitur: quod simili ferri igniti, & corporis etiam animati confirmare conantur nonnulli, quanquam minimè possunt.

Aphoris 7.

Corpus, & animam duo esse ὑποστάματα, diximus: Et hoc liquet in Adamo, cuius corpus primum per se substitit: deinde anima substantia etiam per se subsistens, addita illi fuit. Liquet etiam in separatione animæ à corpore: quorum vtrunq seorsum subsistit. Cæterùm cum sint partes hominis essentiales: singulæ quidem sunt ὑποστάματα, sed imperfecta: coniunctæ autem, vnum perfectum ὑπόστασιν, hoc est, personam hominis, constituunt. In Christo autem non ita se res habet, quoad naturam diuinam & humanam. Natura enim humana nec ante vllo modo, nec post assumptionem, per se subsistit, aut subsistit, sed in VERBO tantum: VERBVM autem per se & perfectissimum semper fuit ὑπόστασις.

Aphoris 10.

Simile solis non quidem tam benè quadrat, atque simile gloriæ, qua nostra corpora sunt afficienda: quia hæc gloria, ignominiam nostræ carnis prorsus tollet, sed sol lumen candelæ tantùm obfuscat, non autem penitus extinguit: Interim tamē perspicuè monstrat hoc solis simile, quod volumus: nimirum reali illius cum aëre communicatione, lumē candelæ prorsus inutile reddi : eoque ceu extingui, & nullum fieri. At verò essentiales carnis proprietates, nunquam propter vnionem hypostaticam, aut penitus tolli, aut infirmari, ita vt nulli sint vsui, constat: quod tamen vitari non posset, si natura humana realiter diuina omnipotentia participaret: ita vt ea posset quæcunque Deus potest. Nihil enim fiustra aut sumsit, aut retinuit & retinet λόγος Filius Dei. Ergo simili solis haud inefficaciter confirmatur, quod simili gloriæ, quæ omnem à nostris corporibus ignominiam tollet, probatum est.

Aphoris. 1.

Id totus Christus esse aut agere, &c.

Hic in primo membro, ad nomen Christi additum est, Filius hominis: in altero Filius Dei Deus: vt significaremus, & diuina de Christo homine, & humana de Christo Deo, prædicari: quando ipsa Christi persona vtrobique significatur. Idem enim Christus, vna eadémque persona, totus est Deus, totúsq; homo, licet non totum (vt loquitur Damascenus:) quippe qui in duabus distinctis naturis, vnus & idem subsistit. Hoc ita explicat Damascenus, lib. 3. cap. 7. ὅλος μὲν οὖν ἐστι θεὸς τέλειος, οὐχ ὅλον δὲ θεός· οὐ γὰρ μόνον θεὸς, ἀλλὰ καὶ ἄνθρωπος· καὶ ὅλος ἄνθρωπος τέλειος, οὐχ ὅλον δὲ ἄνθρωπος· οὐ μόνον γὰρ ἄνθρωπος, ἀλλὰ καὶ θεός· τὸ μὲν γὰρ ὅλον φύσεώς ἐστι παραστατικόν, τὸ δὲ ὅλος ὑποστάσεως· ὥσπερ τὸ μὲν ἄλλο, φύσεως, τὸ ἄλλος δέ, ὑποστάσεως. ὅλος dicitur contra Nestorium: ὅλον δὲ contra Eutychen.

Quod verò diximus de actionibus, siue secundùm humanam naturam, siue secundùm diuinam editis, quòd eas tamen vnus & idem totúsque Christus præstet: id inde pēdet, quia actiones sūt (vt loquuntur scholæ) suppositorum, seu ὑποστάσεων. Diuersitas autem actionum, ex diuersitate naturarum, seu formarum per quas fiunt, proficiscitur. Cùm igitur in Christo sint duæ naturæ, vna autem persona: inde fit; vt vnus tantummodò etiam sit ὁ ἐνεργῶν, δύο ἐνέργειαι, καὶ δύο ἐνεργήματα, vt idem Damasc. explicat, lib. 3. cap. 15. θεανδρικαὶ verò vocantur ἐνέργειαι: Non tam quòd sint ab eodem agente, qui est θεὸς ἄνθρωπος : quam quòd ad hæc salutis nostræ opera, non sola Deitas, sed humanitas quoque concurrat: suas quæque actiones, cum alterius actionibus coniungēs. Atque hæc est prima & princeps vnionis hypostaticæ vis: quòd nimirum hae, duæ naturæ, earumque proprietates & actiones, in vna eadémque persona ita vniuntur, vt ille, qui propter formam Dei, in qua subsistit ab æterno, Deus est, & propter formam serui, in qua nunc subsistit, homo est: idem & totus Deus, totus sit homo: & totus homo, totus sit Deus: eóque & totus sit omnipotens, ac vbique præsens, & totus impotens, & certo loco existens. idémq. totus mortuus sit, & totus mortem moriendo destruxerit. Et per consequens denique, quòd ad salutem nobis comparandam, communicandam, & applicandam, non sola diuina operetur natura, sed etiam humana cooperetur.

Secunda vis ex prima sequitur : quòd videlicet humana natura, ad omnia beneficia in nos conferenda, Deitatis organum, καθ' ὑπόστασιν vnitum, eóque efficacissimum, facta sit.

Tertia, quòd propter hanc vnionem, ad dignitatis euecta sit hæc massa, vt actionem nostræ adorationis, fidei, inuocationis, dilectionis, in solam Filij Deitatem intendere non possimus, aut debeamus: vt in Confessione explicatur. Filium enim, ipsum, id est, personam adorare iubemur, Heb. 1. Et in ipsum credere.

Quarta vis est, quòd quia humana hæc natura, καθ' ὑπόστασιν vnita est diuinæ: ideò dona Dei, sine mensura, in eam collata sint, vt explicatur aphorismo sequenti.

Aphoris. 12.

Tametsi cùm hanc Confessionem conscriberem, omnia quæ ad hunc articulum de persona Christi pertinet, complexus fuisse mihi visus sum: placuit tamen, maioris explicationis causa, hæc quoque, quæ sequuntur, aliis paulò ante dictis adiicere.

1 Vna tantummodò est & semper fuit Christi persona.

Vnus enim tantummodò Filius Dei vnigenitus: vnus idémque Christus.

2. Hæc persona, ab omni æternitate, per naturalem ex Patre generationem, propria VERBI est: in tempore autem, humanæ assumtæ naturæ, per gratiam vnionis hypostaticæ, communis facta est.

In λόγῳ enim distinguenda est οὐσία, quam cum Patre & Spiritu sancto communem, imò eandem habet: à modo subsistendi proprio, quo fit, vt certa sit ὑπόστασις

seu persona à Patre & Spiritu sancto distincta: eóque propria Filij, seu τοῦ λόγου ὑπόστασις, personaque appelletur & sit.

Hæc verò æterna hypostasis, τοῦ λόγου propria per naturam: facta est, vt diximus, per gratiam vnionis, humanæ assumtę naturæ cum diuina communis: nempe, vt λόγος non minus in hac humana, quā in illa diuina ἀληθῶς realiter subsistat: Et ea re nō minus sit verus & perfectus homo, quam verus & perfectus Deus: saluis interim & distinctis manentibus naturis, proprietatibus, actionibus.

3. In illius itaque immensæ, simplicissimæ & perfectissimæ personæ vnitatem, natura humana, id est, massa illa ex anima rationali, & ex carne humana constans, finita, composita, multorum indigna, assumta est.

Quomodo verò? non ita, vt v.g. aut illam infinitam personam, intra suæ finitæ substantiæ terminos incluserit: aut in infinitam illius amplitudinem, ipsa ceu coextensa penetrarit. ac quod de hac proprietate diximus, idem de reliquis sentiendum & credendum omnino est: quia omnes manēt immutabiles, & impermixtæ. Quomodo igitur humana assumta est? Ita quidem in vnitatem eiusdem personæ, vt tamen non sit facta ipsa persona: sed in persona potius existat, à persona gestetur, sustentetur, totaque ab illa semper pendeat.

Hæc enim ἕνωσις naturarū καθ' ὑπόστασιν, seu εἰς ὁ, τι ταῦτα τῆς ὑποστάσεως: facta est ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, ἀδιαιρέτως.

4. Ex quibus etiam sequitur, naturam assumtam, non esse propriè loquendo, partem huius personæ, vt suprà dictum est.

Sicut enim ex vnione duarum naturarum, non est conflata tertia quædam natura: sic neq; ex assumtione naturæ humanæ in vnitatem personæ diuinæ, ceu noua persona composita est, quæ propria sit Christi, & à persona τοῦ λόγου, quæ est ipse λόγος, differat. Eadem enim omnino est: nec à seipsa differt, nisi in hoc, quòd quę in sola μορφῇ τοῦ θεοῦ subsistebat, & tantummodò Deus erat: nunc in forma etiam serui subsistit, & homo quoque est: & ante erat ceu rex nudus, nunc verò carne nostra, tanquam veste purpurea vestitus. ita vt hanc ob caussam non immeritò à Patribus persona iam (quodam modo) composita esse dicatur. Sed hoc, præter alia, discrimen obseruato: quòd vestis, ad essentiam Regis non pertinet: humana autem natura in Christo, ita se habet, vt iam, quid sit Christus, definiri sine illa minimè queat.

5. Quæ caussa est quamobrem, natura humana assumta, ceu pars personæ Christi, reputanda & agnoscenda sit: quia nimirū in illius personæ vnitatem ita assumta est, vt sicut λόγος cum hac carne humana, homo dicitur & est: sic etiam caro hæc in λόγῳ & cum λόγῳ Deo, Deus appelletur & sit, vt Athanasius, Gregor. Nazianzenus, Damascenus, & alij Patres, è sacris literis docent: est enim illa Deus: non natura, sed ὑποστάσει: quo etiam sensu, eadem caro, omnipotens est, & vbique præsens. Vnde etiam fit, vt qui honos debetur λόγῳ per se: idem etiam carni in λόγῳ & propter λόγον, deferendus sit: quia vna eadémque est vtriusque naturæ ὑπόστασις.

6. Adde prætereà, maioris explicationis causa, quòd λόγος, licet vbicunque ipse est (est autem vbique) ibi etiam idē sit non solùm Deus, sed etiā homo, idq; propterea, quòd vbique naturam humanam sibi καθ' ὑπόστασιν vnitam habet: non tamen illi naturæ, vbicunque ipse est, sed tantummodò, vbicunque illa existit, ὑπόστασιν se præbet: nempe ita, vt illa ab hac sustentetur, gestetur, agatur.

Quomodo enim, vbi non existit, ibi dici queat sustētari? Pedes ab anima sustentantur, non vbicunq; ipsa est, puta in capite: sed vbi duntaxat ipsi existunt. Cùm caro esset in vtero virginis, λόγος certè illi καθ' ὑπόστασιν vnitus, eam non sustentabat extra vterum Mariæ: sed in vtero tantùm talis fuit ei ὑπόστασις, quę illā ibi, & non alibi sustētaret: id quod de tota porrò Christi vita, cum in varijs versaretur locis, dicendū est. Post mortem quoq; corpori demortuo & sepulto ὑπόστασις fuit, illud in se sustentans: sed vbinam locorum? non certè in cœlo, vbi non erat: sed tantummodo in sepulcro: quemadmodū contra animæ etiam separatæ à corpore non in sepulcro, sed extra sepulcrum, illam itidem sustentans, hypostasis fuit: & nunc in cœlo, non in terra: multo minus vbique, vt: utramq. simul, animam, & corpus sustentat.

7. Neque ex hac doctrina sequitur, solui vnionem personalem, & effici, vt nō tota persona sit ὑπόστασις carni, sed tantummodo ex parte. Ratio est, quia persona hæc λόγου, sicut est infinita, sic etiam est simplicissima: ac proinde & tota est ὑπόστασις ipsi carni vbicunque hæc existit: Et tota etiam alibi, vbi caro nō existit, ἀσάρκως est existens in forma Dei. Certè anima, vt autè dictū est, tota est ὑπόστασις capiti, illud viuificans, sustentans: vbinam verò? non in omni parte corporis, sed in ea tantùm, vbi est caput ipsum: Et tota etiam extra caput, ὑπόστασις est pedibus, illos etiam sustentans: non quidem vbi caput, sed vbi pedes ipsi sunt. Num igitur soluitur vnio, quam habet anima cum capite: quia etiam extra caput, in pedibus est tota?

8. Ad extremum, quò omnia denuò, quæ de vnione personali disputantur, clarius explicentur, hæc addo.

Anima ὑπόστασις est oculis: qualibus verò? quales sunt: nēpe tanquam organis ad videndum, non autem ad audiendū, accommodatis: Contra auribus ad audiendum, non ad videndum. Sic λόγος naturæ humanæ, non ad mortem destruendam, quod proprium est λόγου: sed ad mortem perpetiendam, quod proprium est carnis, ὑπόστασις fuit.

Denique ὑπόστασις illi est, non ad hoc, vt sit vel id, vel tale, quod & quale est VERBVM: sed id & tale, quod & cuiusmodi ipsa est, vel per naturam, vel per gratiam illi realiter inditam, quam vocant infusam & habitualem. Gratia enim vnionis est hæc, quòd sit in hanc vnitatem personæ assumta.

Eadem doctrina nostra confirmatur ex iis quæ de officio Mediatoris, hoc est, de fine incarnationis, tum in sacris literis, tum a Patribus traduntur.

Fines multi huius incarnationis obseruantur à Patribus in scriptutis, & peculiariter ab Anselmo, in libro, cui titulus est CVR DEVS HOMO: sed præcipuus & immediatus fuit, nō simpliciter vt nos λόγος Deus seruaret, (potuit enim hoc suā omnipotentia, & solo iussu sine carnis assumtione perficere) sed vt nos tali modo, hoc est, per propriam suæ personæ mortem à morte seruaret: & per propriam resurrectionem, nos ad vitam reuocaret: iuxta illud Apostoli ad Hebræos 2. ver. 14 Vt per mortem destrueret eum, qui, &c. Et 2. ad Tim. 1. 10. Qui & mortem aboleuit, & vitam in lucem produxit &c. Quibus succinit vetus Ecclesia dicendo: Qui mortem, moriendo destruxit: & vitam, resurgendo reparauit. Finem hunc Leo primus expressit, dicendo: Filium Dei sumsisse carnem nostram, vt mori posset ex vno, & mori nō posset ex altero Suscepit igitur carnem in hunc præcipuum finem, vt talis salutis nostræ perficiendę causa per illā carnem ea ageret, quæ per se in forma Dei, præstare non poterat: veluti est pati & mori. Occidere enim mortem simpliciter, poterat ipse per se: sed occidere per mortem, sine assumta carne mortali, in vnitatem suę personę, in seipso non poterat. Non igitur assumsit carnem λόγος, vt quę ipsius propriæ erant actiones, eas per carnem ederet: sed vt ἀποτέλεσμα, hoc est salutem nostram, tali modo, actionibus nimirū suis propriis, cum actionibus carnis nostræ coniunctis operaretur.

IN CAPVT XII.

Aphoris. 8.

De hac vera & essentiali vnione nostri, nostræque carnis, cum carne Christi, insignis locus est apud Cyrillum in Iohan lib. 10. cap. 13. Col. 500.

Non negamus, recta nos fide, caritatéq. sincera Christo spiritualiter coniungi: sed nullam nobis coniunctionis rationem, secundum carnem cum illo esse, id profectò pernegamus: idque a diuinis scripturis omnino alienum dicim[*]. Quis.n. dubitauit, Christū etiā sic vitem esse, nos verò palmites, qui vitam inde nobis acquirimus? Audi Paulum dicentem: Quia omnes vnum corpus sumus cum Christo. Quia etsi multi sumus: vnum tamen in eo sumus, omnes enim vno pane participamus. An fortassis putat ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse? Quæ cum in nobis fiat, nonne corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare? Cur enim membra fidelium, membra Christi sunt? Nescitis, inquit, quia membra vestra, membra sunt Christi? Membra igitur Christi, meretricis membra faciam? absit. Saluator etiam: Qui manducat carnem meam, ait, & bibit sanguinē meum, in me manet & ego in eo. Vnde considerandum est, non habitudine solum, quæ per caritatē intelligitur, Christum in nobis esse: verum etiam, & participatione naturali Nam quemadmodum, si quis igne liquefactam ceram, alij ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, vt vnum quid ex vtrisque factum videatur: sic communicatione corporis & sanguinis Christi, ipse in nobis est & nos in ipso. Nō poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatem & vitā traduci: nisi naturalis vitæ corpus ei cōiungeretur. Nō credis mihi hæc dicenti: Christo, (re obsecro) fidē præbe. Amē Amen, inquit, dico vobis: nisi manducaueritis carnē Filij hominis, & biberitis sāguinē eius: nō habebitis vitā in vobis Qui manducat carnē meā, & bibit sanguinē meū, habet vitam æternam, & ego suscitabo

tabo eum in nouissimo die. Audis apertè clamantem, non habituros vitam, nisi sanguinem eius biberimus, & carnem manducauerimus. In vobis autem ipsis, dicit, id est, in corpore nostro. Vita autem, iure ipsa vitæ caro intelligi potest. hæc enim nos in nouissimo die suscitat. Et quomodo dicere non grauabor, Caro vitæ, facta vnigeniti caro, ad virtutem vitæ traducta est: non potest igitur morte superari. Propterea in nobis facta interitum a nobis expellit. Non enim abest ab ea vnigenitus Dei Filius. Vnde quia vnus est cum carne sua: Ego, inquit, suscitabo eum. cur igitur secundùm carnem palmites nos dici pernegat? Annon conuenienter dici potest, vitem humanitatem eius esse, & nos palmites, propter identitatem naturæ? Eiusdem enim naturæ vitis & palmites sunt. Ita & spiritualiter, & corporaliter nos palmites, & Christus vitis est. Hæc Cyrillus.

In toto hoc contextu propositum fuit Cyrillo demõstrare Christum non solùm secundùm Deitatem, vt volebant aduersarij Nestoriani, sed etiam secundum carnem, esse vitem, a qua in nos tanquam palmites, vita fluit: ac proinde etiam nos tanquam palmites, non solùm Deitati, sed etiam humanitati, adeóque carni ipsius esse insitos: eóque & vitam, & succum omnem spiritualem, nos non tantùm à Deitate, sed etiam ab eius carne haurire. Et ratio ducitur ab vnione hypostatica, qua fit, vt λόγος, & caro in eius vnitatem assumta, non sit nisi vna persona, vnus & idem Christus, vna eadémque vitis. Nos igitur non posse coniungi Deitati Christi, quin etiam eius carni vniamur: nec ab illa, nisi & ab hac, nos vitam haurire posse.

Vt hanc intimam & realẽ nostræ carnis cum carne Christi copulationem clarè explicaret: simile ceræ attulit: non quòd quadret per omnia, vt notum est, sed quòd nõ χυτικῶν verùm realem & substantialem esse nostrã cũ Christo ἕνωσιν, pulchrè demonstret. Atque hoc significat, cum concludens, ait, NON SPIRITVALITER, sed etiam CORPORALITER, (id est, non solum, quoad Spiritum, sed etiam quoad corpus:) Et Christum esse vitem, & nos eius esse palmites. Non igitur de modo, quo Christo copulamur sit ne spiritualis vel corporalis: sed de rebus quæ copulantur, quod scilicet non tantum animæ seu spiritus nostri, cum Spiritu & anima Christi, sed etiam caro nostra cum carne eius arctissimè coniungantur. Liquet hoc ab aduersariorum propositione, aduersus quam disputat: nimirum, quòd NOS CVM CHRISTO CONIVNGAMVR CARNE. Col. 100. B.

Aduerbia igitur spiritualiter & corporaliter, Cyrillo non significarunt modum, quo vnimur Christo viti: sed res quæ vniuntur, vt dictum & explicatum est. Modum autem esse ipsi etiam Cyrillo spiritualem, hoc est, per fidem nostram, pérque Spiritum Christi, constat: quia vbique, & speciatim in 6 ca. Ioh. docet, carnem Christi à nobis manducari fide. Ex hac autem manducatione concludit incorporationem.

IN CAPVT XXIII.

Aphoris. 7.

Si quis hîc excipiat de lege: Annon in veteri Testamento electi donabantur gratia seruandi legem: sicut & in nouo donamur gratia credendi Euangelio? Respondeo. Donabantur: verùm non ad auditum legis, sicut ad auditum Euangelij donamur nos fide: sed quia crediderant prius Euangelicis promissionibus de Christo: ac proinde acceperunt donum seruandi (incoatiuè tamen & ex parte tantùm) legem: non quia audierant legem: sed quia crediderant in Christum venturum: vt semper obedientia legis, ex fide Christi, tanquam effectum ex caussa consequatur.

IN CAPVT XXIV.

Aphoris. 1.

Cum diximus receptam esse significationem sacramenti, vt non verbum solum nec elementum solum, sed elementum simul cum verbo, vocetur sacramentum, nihil aliud voluimus, quam sicut solum verbum sine elemento seu signo, non potest dici sacramentum: sic neque signum, sine verbo Sacramentum enim (vt in Ecclesia definiri solet) est inuisibilis gratiæ, visibile signum (adde) ex verbo, hoc est, ex institutione Christi, ad eam rem, consecratum: hoc est, à profano vsu, ad hanc rem sacram translatum.

Sic August. To. 5. de Ciuitate Dei, lib. 10. ca. 5. Sacrificium ergo visibile, inuisibilis sacrificij sacramentũ, hoc est, sacrũ, signum est. Et in D. de consect. dist. 2. c. sacrificium: Sacramentum est (inquit) inuisibilis gratiæ, visibilis forma.

Idem verò August. Tom. 9. in Ioh. Tractat. 80. ait de verbo Euangelij: Accedit verbum ad elementũ, & fit sacramẽtum etiam ipsum tanquam visibile verbum. Sacramentum igitur, secundùm receptam in Ecclesia significationem agnoscimus & agnouimus semper, esse visibile signũ. Et cuiusnam rei? inuisibilis gratiæ. sed vnde hoc habet, vt sit talis rei signum? A verbo institutoris Christi. Tolle enim verbũ: nullum fuerit sacramentum: Detrahe verbum (inquit Augustinus) & quid erit aqua, nisi aqua: Hic est sensus verborum nostrorum: non quod verbum sit sacramentum, aut propriè loquendo, pars sacramenti, prout sacramentum definitur visibile signum esse inuisibilis gratiæ: sed quòd sine verbo, elementum visibile, sacramentum rei inuisibilis esse non possit: Cum ideò sit visibile signum rei inuisibilis: quia ad hoc verbo Domini institutum est.

Etiam Irenæus, nulla verbi mentione facta, (quia hoc sẽper supponitur) scriptum reliquit: Eucharistiam, hoc est, sacramentum Eucharistiæ, duabus rebus constare: terrena (hoc est, signo) & cœlesti (id est re signata:) neque tamen res signata, signum est, seu sacramentum: sed quia signum esse non potest sine re signata: (cuius enim alioqui signum esset?) ideo Eucharistiæ sacramentum, constare dixit & re terrena (id est, signo & re cœlesti hoc est, re signata.) Hæc ad eius, quod diximus de verbo & elemento, confirmationem pertinent.

CAPVT XXV. DE BAPTISMO.

Aphorij 3.

De aqua constat ex Actis: vbi nihil vnquam ab Apostolis adiectum fuisse aquæ, liquidò apparet Formam aliquam baptizandi non instituit Christus præter illam, quam habemus Matt. 28. Apostolos autem Christo simpliciter obtemperasse, extra controuersiam est. Quod igitur legimus in Actis, ab Apostolis baptizatos fuisse aliquos in nomine, & in nomen Christi: illud ad formam baptismi Christianã nihil pertinet. Iohannes quidem baptizabat in nomẽ Christi, vt constat, quo tamen nomine, vt Ambrosius explicat, Trinitas tacite indicabatur, nempe persona vncta, hoc est, Filij, quoad assumtam naturam: persona vngens, id est, Pater: Et vnctio, id est, persona Spiritus sancti Christus tamen propriam baptismi formam expressit, dicendo, in nomine Patris, Filij & spiritus sancti Quare constat, illam locutionem, baptizari in nomen Christi, nihil planè ad formam baptismi Christiani pertinere.

Id quod inde etiam confirmatur: quia nunquã legis, quòd Apostoli quempiam baptizarint, dicentes, se illum baptizare in nomen Christi: sed tantùm legimus, quod multi fuerunt baptizati in nomine, & in nomen Christi Quid igitur illa loquendi forma sibi voluit Spiritus sanctus? Hæc meo quidem iudicio, voluit summatim indicare: primùm, quòd qui professi erant fidem in Christum, baptizari iuberentur, hoc fieri in nomine & autoritate, iussúque Iesu Christi: Imò quòd etiam baptizarentur in hanc formam, hoc est, in nomine Patris, Filij & spiritus sancti, hoc esse ex mandato Christi. Baptizentur ergo in nomine Christi, hoc est, secundum mandatum & formam à Christo præscriptam.

Secundò qui sic baptizabantur, eos sicuti iam corã Deo, per fidem erant Christo incorporati, inque noui fœderis societatem admissi, si hoc noui fœderis signo, coram tota Ecclesia, Christo consecrari, & ad fidem in eum retinendam, & ad obedientiam mandatis eius præstandam obsignari, inque corpus Ecclesiæ eius inseri: eóque in communionem sanctorum, & ad perpetuam resipiscentiam, fidémq; in Iesum Christum, in finem vsque vitæ continuandam, recipi. Tota enim Ecclesia, & singuli fideles, baptizati sũt in mortem Christi, & cum eo sepulti: cuius symbolum, est ipsa in aquam immersio: vt hinc intelligamus, per totam vitam nostram, moriendum nobis esse peccatis, & viuendum iustitiæ: id quod est verè baptizari in nomen Christi, nempe pro nobis mortui & sepulti.

Aphoris 4.

Substantia quoque legis, etiam ceremonialis, perpetua est, eóque semper retinenda. Non enim Christus venit vt solueret legem, aut Prophetas, quoad substantiam doctrinæ. Ad substantiam autem legis de circumcisione pertinet, vt qui sunt in fœdere, signo etiam fœderis, Deo obsignentur. Noui autem fœderis signum est baptismus qui circumcisioni successit, Col 2

Adde locum Petri ex Act. 2. ver. 38. Resipiscite & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorũ, & accipietis donũ Spiritus sancti: Vobis enim facta est promissio & liberis vestris, & omnib' qui lõ-

gè sunt, quoscunque videlicet aduocauerit Dominus Deus noster. Ad quoscunque igitur pertinet promissio salutis per Christum, ad eos etiam pertinet baptismus. Atqui promissionem ad fidelium etiam infantes pertinere, docet Petrus: Infantes igitur baptizandi.

Aphoris. 6.

Cùm Paulum diximus, eos de quibus Act. 19. denuò baptizasse, tanquam non ritè baptizatos: id sine vllius interpretis præiudicio diximus: neminem enim damnamus Tantùm rogamus lectorem, vt illud verbum REBAPTIZANDI, dextrè interpretetur. Non enim intelleximus, qui ritè baptizati fuerāt, eos postmodum fuisse rebaptizatos: sed qui vero baptismo, præcedente scilicet vera de Deo Patre, Filio & Spiritu sancto doctrina, baptizati non fuerant: eos postquam veram & integram de Deo Christo doctrinam, à Paulo edocti fuissent: tum demum verum etiam baptismum suscepisse: & post baptismum, per impositionem manuum, ipsum etiam Spiritum sanctum eiúsque dona accepisse, id quod propriè loquendo non fuit rebaptizari, sed verè baptizari.

Cur autem sic senserim, & adhuc sentiam: adductus fui cum Patrum, atque in primis Ambrosij & Hieronymi, illum locum sic interpretantium autoritate: tum etiam ratione ex ipso contextu desumta.

Ad autoritatem quod attinet: primùm nemo vnquam ex Patribus verba illa, ἀκούσαντες δὲ, ἐβαπτίσθησαν, verba fuisse Pauli, de illis qui audierunt Iohannem Baptistam, docuit: sed omnes tanquam verba Lucę de iis, qui audierunt Paulum, interpretati sunt. Sic Chrysostomus Tom. 5. in Acta, homilia 40. Sic Oecū. in Act cap. 19. Sic Augustinus Tom. 7. contra Petil. c. 7. Sic Gregorius Tom. 1. in Euang. homil. 20 Sic Beda in Acta. cap. 19. Sic alij omnes.

Deinde plerique ipsorum disertè scribunt, illos duodecim discipulos fuisse à Paulo, vel saltem iussu Pauli baptizatos: tanquam non ritè antea baptizatos: quippe qui non audierant doctrinam de Spiritu Sancto, nec in eius nomē fuerant baptizati. Ambrosius To. 2. de Spiritu S. ad Theod. Imper. capite 3. Denique & illi ipsi qui dixerant: Nec si Sp. S. sit, audiuimus, baptizati sunt postea in nomine Domini Iesu Christi. Et hoc abundauit ad gratiam, qui iam Spiritum sanctum, Paulo prædicante cognouerant. Nec contrarium debet videri, quia quamuis etiam postea tacitum sit de Spiritu: tamen creditum est, & quod verbo tacitum fuerat, expressum est fide. Cùm enim dicitur: In nomine Domini nostri Iesu Christi: per vnitatem nominis, impletum mysterium est: nec à Christi baptismate, Spiritus separatur, quia Iohannes in pœnitentiam baptizauit, Christus in Spiritu. Hæc Ambrosius.

Hieronymus Tom. 6. in Iohel. cap. 2. p. 66. Ergo salutare Dei videri non potest, nisi Spiritus sanctus effundatur: Et quicunque credere se dicit in Christū, non credens in Spiritum sanctum: perfectæ fidei oculos nō habebit. Vnde & in Actib. Apostolorum: qui baptizati erant baptismate Iohannis in eum qui venturus erat, hoc est, in nomine Domini Iesu: quia responderunt Paulo interroganti: sed ne si sit quidem Spiritus sanctus nouimus: iterum baptizantur: imò verum baptisma accipiunt, quia sine Spiritu sancto & mysterio Trinitatis, quicquid in vnam & alteram personam accipitur, imperfectum est, &c. August. contra Petil. cap. 7. col. 498. vult illos duodecim fuisse baptizatos à Paulo: aut quia non acceperant baptismum Iohannis, sed mentiti fuerant: aut quia si illius, non tamen baptismum Christi acceperant. Sensit enim cum Cypriano & Tertulliano, & aliis Patribus, differre baptismum Iohannis, & baptismum Christi: qua de re postea. Ex nostris etiam doctissimus Wolffg. Musculus, de loco Act. 19. sensit cum Ambrosio, In locis communibus, loco de baptismo: cuius verba, quia prolixè hunc locum tractat, non recitamus. Et antè Musculum Bucerus, tum in 3. cap. Matthæi, tum in Epistolam ad Ephes. cap. 4. In Matthæum hæc verba leguntur. Paulum Ephesiis illis, qui in baptisma Iohannis baptizati erant, ignorantes quid ipsum esset, quia Spiritum Sanctum adhuc ignorabant, quos illo Christum baptizaturum tempore prædicauerat, dixisse legimus, Act. 19. Iohannes quidem baptizauit baptismo pœnitentiæ, populo dicens, in eum qui venturus esset post se, vt crederent, hoc est, in Christum Iesum. Quid iam nos aliud vel facimus baptizando, vel facere debemus? Vtique noster baptismus, pœnitentiæ est: dū quos baptizamus, in mortem Christi sepelimus, hoc est, in eum numerum adscribimus, qui per omnem hanc vitam peccatis mori, & viuere iustitiæ debeant, quod tamen sint non nisi dono Christi accepturi. Quare ab adultis, quos baptizamus, fidem in Christum requirimus, & infantes in eandem educandos, Ecclesiæ commendamus. Nunquam igitur rebaptizasset illos Ephesios Paulus, si Iohannis baptismo, id est, quo solebat ipse baptizare, in pœnitentiam & fidem Christi fuissent baptizati. Sed cum essent tantùm, vt Lucas meminit, in baptisma Iohannis, quod tamen nesciebant, quale esset, ignorantes in totum baptismum Christi, id est, Spiritus, baptizauit eos: declarato, quid fuisset Iohannis baptismus: & quomodo ille in Christum baptizasset, non in suam istam tinctionem, quasi ea vllis posset saluti esse. Baptizauit itaque eos hoc ipso baptismo Iohannis, id est, vt ille solebat, in nomen Domini Iesu: & mox impositis manibus, Christi quoque baptismo, id est, Spiritu sancto. Nam statim venit super eos Spiritus Sanctus, vt illic legitur. Hæc ibi.

In Epistolam verò ad Ephes. in cap. 4. idem Buc. in hæc verba scribit. Hinc liquet & illud, Ephesios illos duodecim viros, qui nesciebant, num Spiritus sanctus esset, quos baptizauit Paulus, non fuisse baptizatos baptismate Iohannis, id est, quod Iohannes administrauit: sed vt de se ipsi testati sunt, in baptisma Iohannis. Iohannes enim à se baptizatis omnibus prædicauit, Christum baptizaturum Spiritu Sancto, atque in hunc hortabatur, vt crederent atque ab eo Spiritum Sanctum perciperent. Quocirca ignorare Spiritum Sanctum hi Ephesij non potuissent, si eo fuissent tincti baptismate, quod verè Iohānis dici potuisset. Id quod & Apostoli verba ad hos viros satis indicant: Iohānes quidem baptizauit baptismo pœnitentiæ, populo dicens, vt in venientem post se crederent, hoc est, in Christum. His enim verbis docere voluit, eos non Iohannis baptisma percepisse, qui Iohannis de Christo prædicationem, & promissionem nondum nouerant. Hæc Bucerus.

Cùm igitur Patres locum illum Act. 19. ita sint interpretati, vt modò explicauimus: Quis obsecro ego sim, qui tot tantisque doctoribus, in tali huius scripturę interpretatione, quæ neque vim facit contextui, neque cum aliis scripturis, neque cum analogia fidei pugnat, neque vlla secum affert absurda, contradicere audeam, aut debeam?

Si quis enim ex contextu obiiciat, illud μὲν & δέ: nihil euincit aduersus Patrum interpretationem: cùm nec insolens sit Apostolo, præposito μὲν, non semper subdere aduersatiuam δέ: Rom. 3. vers. 2. Col. 2. ver. 23. & alibi: Et huic μὲν, aliud δέ, quod breuitatis caussa reticuit Lucas, subintelligi cōmodè possit, sicut post monstrabimus: vt non sit necesse, cum illo μὲν, coniungere illud δέ, quod sequitur in versu 5. quo Patres volunt sermonem non Pauli, sed Lucæ continuari. Patrum igitur interpretatio non pugnat cum cōtextu. Sed neque cum aliis scripturis. Nam si quis dicat, Paulus ad Corin. scribit, se gaudere, quod neminem baptizarit, nisi domum Stephanæ: respondere poterit verum esse, nempe Corinthi: sed illi duodecim erant Ephesi: [illegible] baptizatis sua manu loquebatur: hos autem 12. baptizare potuit, aliena: vt [illegible] temporis circumstan[illegible] non [illegible].

Cum analogia verò fidei non pugnare, aut vlla secum ferre absurda, certum est: quia Patres de [illegible] legitimè administrato, quasi [illegible] Pa[illegible] tur. Patrum igitur interpretatio (meo quidem iudicio) non facilè refelli potest. Quare hæc prima c[illegible], cur sic de illa Pauli actione senserim, & adhuc [illegible] in caussa, cur Apostolus illos baptiz[illegible] non cōsentiam: sed tantum cum Ambr[illegible] & Hieronym[illegible].

Baptismum Iohannis alium fuisse a baptismo [illegible], docent patres, tum ex eo, quòd Iohannes [illegible] baptizare (tantummodò) in aqua: Christum verò [illegible] sancto, & igne: tum etiam inde, quia baptism[illegible], baptismus pœnitentiæ vocatur: Christi autem [illegible] in remissionem peccatorum dari dicitur: [illegible] ille præparauerat ad hunc: atque (vt Tertull. loquitur) baptismus ille pœnitentiæ fuerit ceu candidatus [illegible] peccatorum & sanctificationis in Christo subsecuturæ. Legatur Tertul. de baptismo, pag. 727.

Sic & Cyprianus sermone de baptismo Christi, & manifestatione Trinitatis, pag. 430. Sic & A[illegible]. Tomo 7. contra Petil. ca. 7. Sed non omnes intelligimus, quid sibi de hoc baptismi discrimine voluerint Patres. Non enim voluerunt, vnum ab altero differre vel in [illegible] ac symbolo, vel in doctrina formàque baptismi. [illegible] in efficacitate: quòd nimirum, etiamsi remissio [illegible]orum dabatur illis, qui baptismo Iohannis tingebantur: ea tamen non fuerit ex baptismo Iohannis, hoc est aquę [illegible] ex baptismo Christi, qui est baptismus Spiritus: quo illud pertinet, Ego baptizo in aqua, ille autem in Spiritu sancto. Hoc autem Baptismo Spiritus, illi tantummodò baptizabantur, qui in Christum credebāt, quem Iohannes dicebat iam adesse: dicet non

eet non ab omnibus cognosceretur. Proinde hāc fidē inculcabat in suo baptismo Iohannes, vt etiā Paulus hoc in loco Act. 9. testatur. Quare falsi sunt, qui propter hanc diuersitatem, repetendum fuisse baptismum aquæ putarunt.

Augustinus cōt. Petil vt paulò ante attigimus, refert quorundam fuisse sententiam, illos 12. mentitos fuisse Apostolo, cum interrogati, in quidnam baptizati essent, responderūt, in Iohannis baptisma. Ita ex eo, quòd prius illi Ephesij dixerant, se etiam non audiuisse, an sit, id est, existat iste Spiritus sanctus, eorum donorum, de quibus fuerat sermo, donorum autor: mendacij illos conuicisse, dicendus fuerit Apostolus, hoc argumēto. Quicunq; baptizati fuerunt, ij professi sunt fidem in Iesum Christum vt Filium Dei, ideóque & in eius Patrem, & in vtriusque Spiritum. Hanc enim fidem exigebat Iohannes: & secundum hanc homines baptizabat: & baptizando semper vrgebat, Iesum Christum illum esse, qui baptizaret in Spiritu. Atqui vos, vestra confessione, non nostis hunc Spiritum, &c. eoque non verè creditis in Iesum Christum. Ergo, &c.

Verum enimuerò illos duodecim mentitos fuisse Ecclesiæ, & Apostolo: nimis durum, & indignum hominibus, qui Christum profitebantur, mihi omnino esse videtur. Hancq ob causam, magis nobis semper placuit Ambrosij & Hieronymi sententia: illos duodecim verum dixisse, se in baptisma Iohannis baptizatos fuisse: verùm non à Iohanne ipso, sed a discipulo aliquo Iohannis, qui sinceram de Deo doctrinam illis non explicarit: ac proinde qui ritè illos non baptizarit. Qui autem non sunt ritè baptizati in Iesum Christum, vt Filium Dei naturalem, ac Mediatorem, eoq. & in eius Patrem, & in vtriusque Spiritum: eos esse ritè baptizandos, extra controuersiam est apud omnes Patres. Meritò igitur illos 12. non quidem baptizatos, fuisse rebaptizatos: sed tanquam non ritè baptizatos fuisse a Paulo, præmissa vera doctrina de Trinitate, quam & Iohannes prædicauerat, vero baptismo baptizandos.

Atque hæc de Patrum autoritate: à quibus, nisi manifestissimis rationibus cogar, me pro mea tenera conscientia, vel in dogmatibus, vel etiam in scripturarum interpretationibus, præsertim vbi plerique omnes consentiunt, deflectere non audere, toti Ecclesiæ Christi ingenuè confiteor.

Ratio quoque præter Patrum autoritatem, ex ipso contextu, per Partes, vt supra vidimus, deducta, me in eadem sententia confirmauit. Ratio hæc colligitur partim ex iis, quæ illi Ephesij à Paulo, an accepissent Spiritum sanctum, hoc est, dona Spiritus sancti, interrogati, responderunt, dicendo: se neque etiam, an sit, hoc est, existat, & sit ὑπάρχον iste Spiritus sanctus, quem scilicet Paulus volebat esse illorum donorum autorē, audiuisse: tantum abesse, vt eū eiusque dona acceperint: partim etiam ex iis colligitur, quæ Paulus de doctrina & baptismo Iohannis retulit: dicendo: Iohānes quidem baptizauit baptismo resipiscentiæ, dicens populo vt in eum, qui venturus erat post ipsū, crederent, hoc est, in Christum Iesum: quasi dicat, vos autem non rectè creditis in Christū, talem, qualis est, Filium Dei Deum: cùm illius Spiritum non agnoscatis. Cōclusio sequebatur: Illos ergo, etsi in Iohannis baptisma, à nescio quo, baptizati fuerint, non fuisse tamen ritè baptizatos: cùm in doctrina de persona Christi, in quem credi oporteret, nempe quòd nō solùm homo, & Messias esset, sed etiam Filius Dei Deus, à quo etiam & a Patre procedit Spiritus sanctus, prædicabat eoque in doctrina de Deo Patre, Filio & Spiritu sācto, in quorum nomen conferendus est baptismus, instituti non fuerint. Ac proinde illos oportere, percepta vera doctrina de Deo Patre, & Filio, & vtriusque Spiritu, inque illa acquiescentes, legitimum suscipere baptismum: vt postmodū per impositionem etiam manuum reciperent dona huius Spiritus sancti: id quod postea factum fuisse, docet Lucas, d[illegible] (nempe illi duodecim Ephesij:) quid ve[illegible] id est percepta Pauli, de vera in Christum Filium [illegible], eoq & in eius Patrem ac Spiritum sanctum fide, qua & Iohannes præ[dic]auerat, inque illa acquiescentes baptizantur, &c. Hæc Patrum interpretatio, nempe illos 12. non recta doctrina de Deo, Patre, Filio & Spiritu sancto institutos, eoque nec ritè etiam baptizatos fuisse: confirmari potest, tum ex ipso [illegible] genere & contextum ex causa, quam ob rem Paulus omissis aliis omnibus, hos peculiariter, an acceperint Spiritum sanctum, postquam professi sunt fidem in Christum, interrogarit.

Erant genere Iudæi, vt liquet ex baptismate Iohannis, in quod dixerant se fuisse baptizatos. Erant Iudæo fuerant baptizati. Iudæi autem vt plurimum non rectè tenebant doctrinam de tribus personis in vna essentia subsistentibus. Itaque isti etiam 12. licèt admitterent Iesum esse verum Messiam: duas tamen duntaxat personas agnouisse videntur: personam Dei Patris, & personam Messiæ, nudi quidē (vt plerique putabant) hominis, sed tamen in quo habitaret Deus Pater: Spiritum verò sanctum esse rem ὑφεστῶσαν, & χαρισμάτων autorem, planè ignorasse conuincuntur ex ipsorum verbis.

Causa autem, cur Apostolus ingressus Ephesum, vbi multi erant discipuli Christi, hos 12. Iudæos peculiariter interrogarit: aliqua certè fuit. Est autem, ex illorum responsione, probabile: Apostolum, aut ex ipsorum colloquio, aut ex relatione aliorum fratrum, percepisse, hos duodecim non rectè sensisse de Spiritu sancto.

Ad summam: Hoc fuit argumentum Apostoli: quo probare ex illorum responsione voluit: eos non fuisse vero Iohannis baptismate baptizatos.

Quicunque verò Iohannis baptismo baptizatus fuit, is etiam illius doctrinam de Deo Patre, Filio, & Spiritu sancto audiuit, eamque professus est: ac proinde ipsum quoq. Spiritum sanctum nouit. Hæc propositio reticetur, sed huius probationem attulit Apostolus. vers. 4. dicendo: Iohānes baptizauit, &c. hoc est, Iohannes prædicauit non solū pœnitentiam, sed etiam fidem in Christum: nempe eum esse non solùm hominem, Messiam: sed etiam Filium Dei Deum: à quo, sicut & à Patre procedat Spiritus sanctus, & quòd is baptizet in Spiritu sancto: eoque in hunc, tanquam verum Seruatorem, esse omnibus credendum, qui cupiunt salui fieri.

Atqui vos doctrinam hanc non audiuistis, nec professi estis, eoque nec verè in Christum, talem scilicet, qualis est, credidistis. Dicitis enim vos, ne audiuisse quidē (cùm scilicet baptizaremini) an sit & existat iste Spiritus sanctus. Ergo, &c. Ac proinde restat, vt hanc doctrinam & fidem professi, legitimum suscipiatis baptismum: Et postmodum per manuum impositionem, ipsa Spiritus sancti dona. Hæc est argumenti explicatio, secundum Patrum interpretationem. Sed Lucas, vt solent Prophetæ & Euangelistæ, paucis verbis summam complexus est.

Quid verò hinc obsecro sequitur absurdi? aut quæ vis fit narrationi Apostolicæ? Num fouetur Donatistarum & Anabaptistarum hæresis? Nihil minus. Illi enim ritè baptizatos rebaptizant: Apostolus eos, qui non fuerant ritè baptizati: vt qui doctrinam de Deo veram non audierant, nec professi fuerant: ritè baptizandos curauit. Hos autem (De adultis enim sermo est) cum veniunt ad Ecclesiam Catholicam, vero baptismate, præmissa vera doctrina de Deo, déque Christo Seruatore baptizandos esse: docent omnes Patres.

Ad contextum quod attinet: nulla vi torquetur.

Illud certè responsum, ἀλλ' οὐδὲ εἰ πνεῦμα ἅγιον ἔστιν ἠκούσαμεν: de Spiritus sancti donis intelligi non posse, liquet ex sequenti admirationis plena Pauli interrogatione: εἰς τί οὖν ἐβαπτίσθητε; nemo enim baptizatur in dona Spiritus sancti: sed in ipsum Spiritum sanctum: sicuti & in Patrem & in Filium. Erat autem extra cōtrouersiam apud Apostolos, quicunq. vel a Iohanne, verisque eius discipulis, vel a discipulis Christi, baptizati fuissent: eos, percepta vera de Spiritu etiam sancto doctrina, in illius quoque nomen, iuxta Christi institutionem baptizatos fuisse. Hinc admiratio illa: εἰς τί οὖν ἐβαπτίσθητε; Respondent illi, εἰς τὸ [illegible] βάπτισμα: Hoc Paulo videbatur [illegible]: vt esse[n]t legitimo Iohannis baptismate baptizati: Et tamen ignorarent, imò ne audierint quidem, an esset & existeret iste Spiritus sanctus: quem tamen Iohannes & nouerat, & omnibus qui ad suum baptisma veniebant, prædicabat: nec prædicabat Christum, sine hoc Spiritu [illegible]cebat enim se baptizare in aqua: Christ[um] autem Iesum, baptizare in Spiritu sancto.

Hinc factum est, vt coniecturus eos, non fuisse à Iohanne: imò neque à veris eius discipulis baptizatos, [illegible]cerit, dicendo: ἀλλ' οὐδὲ &c. Illud ἀλλ', particula certè est aduersatiua: qua voluit monstrare, cum baptismo legitimo Io[han]nis, non congruere, quod dixerant, se neque audiuisse (cùm scilicet baptizarentur) an sit Spiritus sanctus: cum Iohannes, sine illius mentione, baptizarit neminem. Et huic expresso ἀλλ', respondet tacitum [illegible], vt sit tale argumentū, quale ante expresū à nobis est. Iohannes quidem baptizauit, &c. quasi dicat, Iohannes prædicauit & pœnitentiam, & fidē in Iesum Christum, qualis nimirum est, Filius nēpe Dei, a quo sicut & a Patre procedit Spiritus sanctus, & qui baptizat in Spiritu sancto: & in huius doctrinæ confessionem homines baptizabat. Subiicienda erat minor: quam ipse Lucas tacuit, quia continetur in illorum 12. confessione, ἀλλ' οὐδὲ εἰ πνεῦμα ἅγιον, &c. Quid clarius isto cōtextu?

Quod ergo sequitur in versic. 5. Ἀκούσαντες δὲ &c. Verba

sunt Lucæ, quid post illam Pauli argumentationem, secutum sit, fideliter & breuiter narrantis: ἀκούσαντες δὲ (nempe illi 12.) quid ἀκούσαντες? quid sit verè credere in Christum, & quòd iuxta confessionem huius doctrinæ de Christo, déq; eius Patre, & vtriusque Spiritu: & quod Christus vt vnicus Seruator, solus baptizet in Spiritu sancto: homines baptizarit: ἀκούσαντες inquam hæc non auribus solum corporis, sed etiā animi, eóque & credentes hoc, ac confitentes: ἐβαπτίσθησαν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Ἰησοῦ: id est, in Iesum, sicut nominatur & describitur in scripturis non homo tantùm, sed & Filius Dei Deus, à quo, sicut à Patre, procedit Spiritus sanctus: eóque vt verus & vnicus Seruator, suo Spiritu sancto nos baptizans, &c.

Accedit, quòd secundum illam nouam interpretationē, non parua, in breuissima narratione, admittitur βαττολογία. Cùm enim Paulus de Iohanne Baptista dixerit: Ἰωάννης μὲν ἐβάπτισε βάπτισμα μετανοίας τῷ λαῷ λέγων, εἰς τὸν ἐρχόμενον μετ' αὐτὸν ἵνα πιστεύσωσι, τοῦτ' ἔστιν, εἰς τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν: Quorsum de baptizatis à Iohanne subiecisset idem Apostolus, ἀκούσαντες δὲ, nempe populi, seu homines illi, baptizati sunt? Quis enim ex præcedentibus verbis non intellexerit, si Iohannes baptizabat: Illos igitur, qui eius de pœnitentia, & de fide in Christum doctrinam audierant & profitebantur, fuisse à Iohanne baptizatos?

Ad extremum, si illam admittere interpretationem voluissem: non videbā, quid aliud sibi voluerit Paulus concludere sua tota narratione, nisi illos Ephesios, ritè fuisse baptizatos: ac proinde nihil aliud restare, quā vt per impositionem manuum, reciperent Spiritum sanctum. Sed hæc conclusio mihi non congruere videtur cum præcedentibus, sed esse superuacanea.

Explicaui, prout potui, Patrum in hunc locum, interpretationem, idque modestè, & sine vllius præiudicio: non in alium finem, quàm vt fratribus, qui fortasse offensi sunt illa particula in mea confessione, quòd Paulus illos 12. tanquā non ritè baptizatos, denuò baptizarit: qua possem ratione perspicuum facerem, me non temere illa verba in mea confessione posuisse. Interim, vt diximus, aliorum interpretationem non damnamus.

Hoc ego ingenuè denuò profiteor, talē esse meam conscientiam, vt à veterum Patrum, siue dogmatibus, siue scripturarum interpretationibus, non facilè, nisi vel manifestis sacr. literarum testimoniis, vel necessariis consequentiis, apertísque demonstrationibus conuictus atque coactus, discedere queam. Sic enim acquiescit mea conscientia: & in hac mentis quiete cupio etiam mori.

Proinde omnes fratres humiliter rogo, vt hac in parte, si quid diuersi ab ipsis sentiam: ne vllo modo offendantur: præsertim, cùm ad dogmata Christianæ fidei quod attinet, constans sit inter nos consensus.

IN CAPVT XVI.

Aphoris.9.

Locus iste 1. ad Cor. 6. diligenter expensus (Sicut etiam supra in Cap. XV. Aph. 14. monuimus) conciliare posset cōtrouersiam, de manducatione impiorum, hoc est, hypocritarum: déque sacramentali manducatione.

Nos dicimus, verum Christi corpus non edi ab hypocritis, vera fide destitutis (nempe verè & re ipsa edi, cùm reuera non edatur, nisi per veram fidem, qua illi destituuntur) sed tantummodò sacramentaliter, hoc est, sacramentum & symbolum ipsum reuera edi: Aduersarii aiunt itidem, verū Christi corpus ab hypocritis edi sacramentaliter tantummodò: sed hac voce intelligunt, non solum sacramentum, id est symbolum, sed etiam rem ipsam percipi: quanquam non ad salutē. Si eodem sensu hoc intelligant, quo & Apostolus dicit, Corinthios omnes esse sanctificatos, iustificatos, &c. nempe, quòd percipiendo baptismum veræ regenerationis & sanctificationis sacramentum, reputentur rem etiam percepisse, quia per ipsum non steterit sacramētum, quin etiam veræ sanctificationis facti sint participes, quanquam re ipsa non omnes sint facti illius compotes, propter ipsorum hypocriticam fidem: Ego certè non video, quomodo non possit talis admitti locutio: modò, vt debet, ad sensum Apostolicum explicetur. In medium duntaxat propono: vt fratres de iusta concordiæ ratione, ad tantum scandalum ex Ecclesia tollendum, cogitent. Sistemur omnes ante tribunal Christi.

IN CAPVT XVI.

Aphoris.10.

Hic subdistinguēdi erant pij: quia alii dignè accedūt, alii indignè: imò vnus atque idē pius aliquando dignè, aliquādo non satis dignè edit, de quibus 1. Corint. 11. Impij quoq; qui non verè percipiunt rem sacramenti, sed tantum elementum non omnes eiusdem sunt generis. Inter hos enim etiam hypocritæ, de quibus modò diximus continentur. Visum igitur hic fuit pleniorem & clariorem subiicere partitionem.

Duo sunt hominum genera, qui sicut ad audiendum verbum, sic etiam ad Cœnam Domini accedere possunt: impij & pij. Rursus impiorum, alij sunt prorsus & simpliciter impij: vt homines ἄθεοι, Iudæi item ac Turcæ, denique omnes qui nihil intelligūt, nihil credunt eorum, quæ vel audiūt in prædicatione Euangelij, vel fieri spectant in sacramentorum administratione: imò potius omnia rident & contemnunt. Isti si accedant ad mensam Domini: nihil prorsus edunt aut bibunt, nisi panem & vinum: idque etiam, nō vt sunt sacramenta (non enim intelligunt, quarum rerum sint sacramenta) sed tantummodo quod sunt sua natura, panis nimirum & vinum. Nam etiam ad prædicationem Euangelij, nil nisi nuda verba, strepitumq; verborum recipiunt. Alij sunt impij reipsa & coram Deo, licet ea non sint, nempe professione, & coram hominibus: veluti sunt hypocritæ in Ecclesia: qui fide vera ac viua, quæ propria est electorum, donati non sunt: sed temporariam tantum habent, & hypocriticā. Hi accedentes ad Cœnam, reipsa non plus edunt & bibunt, quàm priores: panem scilicet & vinum. Ratio est, quia vera fide, qua sola verè editur corpus Christi, præditi non sunt. Discrimen tamen est non paruum inter hos & illos.

1. Quia illi, cùm nihil planè eorum quæ audiunt de corpore Christi in Cœna, mente credant: nihil etiam mente percipiunt, nedum edunt verum Christi corpus: sed ore tātum corporis edunt panem vt communem panem. Isti autem, quia per suam tantum historicam, hypocriticam & temporariam fidem mente intelligunt, & vtcunq; credunt quæ dicuntur & geruntur: idcirco eadem etiam fide ac mēte, corpus Christi verbo & sacramentis oblatum vtcunque percipere dici possunt, atque etiam vtcunque degustare: quanquam reuera non edunt, cum ad sui Spiritus nutrimētum in ventriculum animæ, non deglutiant atq; retineant: (hoc enim, propriè est edere:) sed potius degustatum exspuunt, aut euomunt vtcunque etiam receptum. Sic n. etiā ad Heb. 6. de iisdem temporariis legimus, quòd gustarint donum cœleste, & bonum Dei verbum, quasi dicat, gustarunt quidem, idque etiam dono Spiritus sancti, sed gustatum exspuerunt. Et in parabola de semine, temporarij recepisse semen vbi dicuntur, sed non retinuisse, eoque fructum inde nullum retulisse: hæc de primo genere impiorum dici non possunt: quæ de hoc secundo, de hypocritis videlicet temporariis verissima sunt. Hoc igitur esto primum discrimen, inter illorum & horum manducationem: hinc alterum sequitur.

2. Illi, cùm panem, quem ore sumunt, non agnoscant nec credant esse sacramentum corporis Christi: idcirco illum etiam sumunt & edunt, non vt sacramentum, sed vt communem panem: quare neque etiam sacramentaliter corpus Christi comedisse dicendi sunt. Isti autem panem sumunt, non vt panem communem, sed vt sacramentum corporis Christi: & ea re, ipsum corpus Christi, licet non reuera, cū careant veræ fidei ore, & dentibus, sacramentaliter tamen edere dicuntur: argumento à coniugatis, vt loquuntur, dicto: edunt sacramentum, vt sacramentū est corporis Christi: ergo corpus Christi edūt sacramentaliter, & sacramentō tenus etiam, quia non reipsa corpus Christi, sed eius duntaxat sacramentum edunt.

3. Hinc sequitur illa explicatio, de qua supra etiam diximus: haud impiè simpliciter & absolutè ab illis dici, qui ipsos hypocritas, non solum sacramentum, sed etiam rem sacramenti, hoc est, non panem solummodò, sed etiam ipsū corpus Christi edere contendunt. Sed quonam sensu? nempe, quo & Apostolus omnes, quos Corinthi dixerat in priore statu fuisse immundos, impios, &c. postmodum eos dixit, non solùm ablutos (quod quis potuisset de sola aqua baptismi interpretari) sed etiam sanctificatos, & iustificatos esse, cùm tamen non omnes verè tales esent facti, sed adhuc non deesent inter illos nonnulli hypocritæ.

Sic omnes qui professi fidem in Christum, ad eius cœnam accedentes, edunt sacramentum corporis Domini: ipsum quoq; corpus Domini verum edisse dicuntur, nempe propter vnionem sacramentalem, qua fit, vt qui signū accipit, rem quoq; signatam accepisse, ab Ecclesia iudicetur: quoniam neque per institutorem sacramenti, neque per sacramentum ipsum stetit, quin qui illud accepit, & edit, hoc quoque alterum acceperit & ederit: Christo vtrumque veraci-

veraciter per ministrum offerente:& integritate veritatéq; sacramenti, non à nostra fide, sed ab institutione Christi pendente:ita vt si non integrum sacramentum, sed signum duntaxat sine re signata accipiamus, culpa in nobis hæreat: qui vnam partem ore corporis accipimus, alteram verò nostra infidelitate (fides enim hypocritica, quædā est ἀπιστία) reiicimus: disiungentes quæ Deus coniuncta esse voluit. Ex iis apparet, quantum discriminis sit inter manducationem simpliciter impiorum, & hypocritarum, quanquam neutri verè Christi corpus, verè edere dici possint. Illi.n.soli verè Christum edunt, qui etiā Christo verè insiti sunt, per veram viuámque fidem: qua sola donantur electi. Mortui corporaliter, corporeum etiam cibum edere non possunt. quomodo igitur mortui spiritualiter, spirituali cibo vesci poterūt? Soli autem fideles, ideo viuunt, quia fide viua, Christo qui vita est nostra, adglutinati sunt, vt mēbra capiti: vt palmites, viti: vt omnes rami, suę arbori. Ac si, vt ait Cyprian⁹, cibus est mētis, nō vētris: profectò nō editur corporis, sed animę fidelis dētibus: quod soli possūt pij.

Si item corpus Christi, res est (vt loquitur Irenæus) cœlestis. quomodo edi potest ab illis, qui nihil habent cœleste, sed sunt toti terreni homines: nulla fide præditi, qua in cælum conscendere, ac cibum cælestem edere queant? Soli ergo pij hoc possunt.

Sed pij quoque neque omnes pariter, neque iidem eodem semper modo sunt affecti: cùm sæpenumero dignè, nonnunquam etiam contingit, vt indignè edant: & ideo varias à Deo castigationes accipiant.

Dignè illi edere dicuntur, qui priusquam edant de pane Domini, seipsos probant, an sint in fide: ac si sint, huiusce quoque mysterij significationem, ac magnitudinem diligenter considerāt: Deinde conscientiam suam examinant, an vera ducantur resipiscentia: & ad vtrunque, ardentibus precibus se excitant.

Indignè verò illi qui licet per fidē & Spiritum regenerationis insiti sint Christo: curis tamen huius seculi, aliisve carnis affectibus, fide vtcunque suffocata, non se satis probant: non se diligenter examinant, nec ad seriam tanti mysterij considerationem excitāt: nec attenta mente considerant, quid in sacra illa mensa distribuatur, quid à se requirat Dominus, quibusnā & quorsum hæc cæna sit à Domino instituta. Denique illi indignè mādūcant, qui (vt Apostolus loquitur) μὴ διακρίνοντες τὸ σῶμα τοῦ κυρίου: eóque cum debita reuerentia, & timore Domini, ad mensam illam non accedunt: mēte ac fide, res signatas à signis, & signa à reliquis cibis ac poculis cōmunibus, non satis, vt dignum erat, discernentes: quo fit, vt etiam non ita os interioris hominis, ad cibum spiritualem, quemadmodum os exterioris ad cibum (suā naturā) corporalem edendum aperiant. Huius officij neglecti caussa, quòd scilicet seipsos non satis probēt, nec diiudicent seu discernant corpus Domini, ac proinde quòd indignè edant panem Domini, Christiani alioqui, & pij homines, variis à Deo castigationibus, in ipsorum tamen salutem, ne scil. cum hoc mundo damnentur, visitari solent. Ac de iis propriè loquitur Apostolus 1. Cor. 11. non autem de simpliciter impiis & veris hypocritis: cum ait, hos sibi iudicium manducare, &c. Hoc inde liquet.

1. Quia non ait, hos indignè manducantes, sibi edere κατάκριμα quod ęternum exitium significat, sed κρίμα: quę voces quantum inter se ibidem differant: ex ipso liquet contextu, cum ait Apostolus v. 32. Κρινόμενοι δὲ, à Domino erudimur, seu corripimur, ἵνα μὴ σὺν τῷ κόσμῳ κατακριθῶμεν.

2. Cum explicat pœnam, quæ consequitur indignè edentes: non commemorat, nisi castigationes temporales, nulla planè fąctа æterni exitij mentione; διὰ τοῦτο, inquit, ἐν ὑμῖν ἀσθενεῖς, &c.

3. Adde, quod ait, si nos ipsos διεκρίνομεν (i. exploraremus, & agnitis peccatis per pœnitentiam castigaremus, & vera fide ac resipiscentia à mundo separaremus) οὐκ ἂν ἐκρινόμεθα: nempe à Domino: qui ideo non castigat & mortificat, quia nos nostros affectus non mortificamus, nec à peccatis resipiscimus.

4. Qui quòd disertis verbis hoc κρίμα, quo ideo κρινόμεθα, quia ἀναξίως edimus panem Domini, vocat παιδείαν, nobis vtilissimam? Sic enim ait, κρινόμενοι δὲ, ὑπὸ τοῦ κυρίου παιδευόμεθα, ἵνα μὴ σὺν τῷ κόσμῳ κατακριθῶμεν.

5. Et quidem collocat se, omnésque alios veros fideles, in eorum numero, qui κρινόμεθα, à Dominó erudiuntur ad salutē. Duos enim statuit hominū ordines: impios, qui nomine mūdi intelliguntur: & hos docet manere τὸ κατάκριμα, i. exitium æternum: Et deinde pios, qui propter varios lapsus & indignitates, variis etiam castigationibus erudiuntur, ne cū impiis simul condemnentur: & hos κρίμα subiicit, vt euitēt κατάκριμα. Locus igitur iste propriè de fidelibus, sed imperfectis, & ideo grauiter peccantibus, quia ἀναξίως accedunt ad mensam Domini, intelligendus est.

Quòd verò de impiis quoque multi interpretentur, & κρίμα & κατάκριμα accipiunt: hoc potius per consequentiam quandam fieri, argumento ducto à minori ad maius, quam ex vi contextus, intelligendum est: Si pij qui nonnunquam ἀναξίως edunt, κρίμα sibi edunt: quodnam κατάκριμα impios manebit?

Κρίμα igitur, si de piis sermo sit, pro castigatione accipitur; si verò de impiis: æternum exitium significat.

IN CAPVT XVII.

Aphoris. 1.

De adultis hîc nobis fuit sermo: de infantibus fidelium ad æternam vitam electis, alia est ratio: vt alibi explicatum est. Spiritus enim sanctus illos Christo, vt vera membra capiti, à quo vitam hauriant, inserit: nec non etiam illos Spiritu fidei donari credimus: quanquam propter naturæ imbecillitatem illo vti nequeunt: sicut nec vim intelligendi, cùm tamen non careant mente, eiusque facultatibus, exercere possunt.

Aphoris. 2.

Illis duabus vocibus sapientiæ & prudentiæ, libenter vsus sum in descriptione fidei secutus doctissimum Theologum M. B. in Epistolam ad Eph. quia priore complector τὰ θεωρητικὰ religionis Christianæ, de Deo, de Christo, &c. Posteriore, τὰ πρακτικά: in quæ summatim distinguitur totum Euangelium, quòd fides Christiana amplectitur, & quo solo nititur.

Accedit, quòd alij quoque docent, Fidem esse certam notitiam Dei & Christi, ex verbo Dei conceptam, &c. Tota autem doctrina Christiana, partim in θεωρίᾳ, partim in πράξει posita est.

Sunt etiam duo actionum fidei genera: vnum in intellectu, alterum in voluntate. Intellectus lumine fidei donatus, res per verbum propositas, intelligit, assentitur, credit: Voluntas efficacitate fidei affecta, eas vt bonas amat, vult, amplectitur: Ac porrò quæ ad externa etiam opera pertinent: ea fideliter & prudenter per alias animæ facultates & corporis organa, executioni mandat.

CAPVT XIX. DE IVSTIFICATIONE.

Aphoris. 6.

Quòd locum de fide Abrahæ, ex Gen. 15. & Rom. 4. ita explicaui, vt dixerim, imputatum esse illi ad iustitiam, illud ipsum, quod de Christo semine promisso credidit: id feci rem ipsam magis, quàm nudam fidei vocem spectans. Non autem ignorabam, & Mosen & Paulum de fide Abrahę, quòd hæc fuerit illi imputata ad iustitiam, locutos fuisse: cum apertè Apostolus ab Abrahæ exemplo generalem doctrinam, colligens, subdat hæc verba: Ei verò, qui non operatur, sed credit in eum, qui iustificat impium, imputatur FIDES eius ad iustitiam: h. e. ideo apud Deum pro iusto habetur: quia credit in eum, qui iustificat impium: quo loco, luculentissimè à vera nostri iustificatione, excluduntur opera nostra, & soli fidei, tam quo ad finem, quàm quo ad initium, illa tota penitus adscribitur.

Cæterùm, cùm quæritur, quidnam in caussa sit, cur iustificatio attribuatur fidei, non autem eius operibus: respondere solet, & bene ac verè, quia ipsa, non autem eius opera, apprehendit remissionem peccatorum, & Christum iustitiam nostram. Non enim illā, quatenus opus est, nos iustificari, sed quatenus Christum habet penes se apprehensum: cuius vnius iustitia nobis imputata, propriè iusti reputamur corā Deo: id quod alij dicunt, fidem iustificare non respectu sui, sed respectu obiecti ab illa apprehensi. Ita hinc liquet, verum esse quod dixi, illud propriè imputatum fuisse Abrahæ (tanquam eius proprium) ad iustitiā: quod ipse de Christo credidit Deo: quòd videlicet in ipso benedicendæ essent omnes gentes: eóque & Abraham ipse.

Item Aphoris. vltimo.

Nec probamus eos, qui iustificationem nostram, in sola remissione peccatorum collocant: negantes imputationem iustitiæ & obedientiæ Christi: quod cum scripturis nobis pugnare videatur.

Ies. 7. Puer datus est nobis, &c. Quicquid ergo egit, & habet: totum nostrum est.

Rom. 5. Sicut per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita per vnius obedientiam, iusti constituentur multi. Inobedientia Adami fuit transgressio

mandati diuini: Ergo Christi obedientia, non solùm in morte, sed etiam in tota præcedente legis obseruatione consistit. Item, inobedientia illa Adami, tota nobis imputatur: cur non igitur & tota Christi obedientia? Bifariam item per inobedientiam Adami facti sumus peccatores: nempe per imputationem transgressionis illius, & per realem peccati, id est, concupiscentiæ in nos deriuationem. Cur igitur de Christo non idem sentiamus? Vis obedientiæ illius erga mandata Dei Patris, nobis reapse communicatur, ita vt incipiamus obedire & nos legi Dei. Quid ergo prohibet, quin dicamus, totam illam obedientiam nobis imputari? 1. Cor. 1. Factus est nobis sapientia à Deo, iustitia, sanctificatio, & redemptio. Phil. 2. Factus obediens vsque ad mortem: propter quam humiliationem & obedientiam vsque ad mortem, Deus exaltauit illum, & nos in ipso, &c. Promeritus est & sibi, & nobis, sua obedientia, æternam gloriam: sicuti omnes Scholastici & Patres docent. Ergo illius etiam obedientia erga legem, nobis imputatur ad iustitiam.

Gal. 4. Factus est sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret. Ergo legem seruauit propter nos, nostrámque salutem. Testimonia Patrum: item doctorum virorum huius seculi, breuitatis caussa omittimus. Ad summam: credimus de Christo, sicut propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est: sic etiā eādem ob caussam, cum seruasse legē, & omnia egisse.

IN CAPVT XXV.

Aphoris. 10. & 11.

Cùm hanc conscriberem fidei confessionem, omnia ex bona conscientia scripsi: Et sicut credidi, sic etiam liberè locutus sum: vt faciendum esse docent sacræ literæ. Fides autem mea, nititur cumprimis & simpliciter verbo Dei; Deinde non nihil etiam communi totius veteris Catholicæ Ecclesiæ consensu, si ille cum sacris literis non pugnet. Credo enim quę à piis Patribus, in nomine Domini congregatis, communi omnium consensu, citra vllam sacrarum literarum contradictionem, definita & recepta fuerūt: ea etiam (quanquam haud eiusdem cum sacris literis, autoritatis) à Spiritu sancto esse. Hinc fit, vt quæ sunt huiuscemodi: Ea ego improbare, nec velim, nec audeam bona conscientia. Quid autem certius ex historiis, ex conciliis, & ex omnium Patrum scriptis: quàm illos ministrorum ordines, de quibus diximus, communi totius Reipublicæ Christianæ consensu, in Ecclesia constitutos receptósque fuisse? Quis autem ego sim, qui quod tota Ecclesia approbauit, improbem? Sed neque omnes nostri temporis docti viri, improbare ausi sunt, quippe qui norunt, & licuisse hæc Ecclesiæ, & ex pietate, atque ad optimos fines, pro electorū ædificatione, ea omnia fuisse profecta & ordinata.

Huius rei confirmandæ caussa, placuit hîc inserere, quæ de iis rebus scripta reliquit Matt. Buc. p. m. vir singulari & pietate & eruditione clariss. in epistolam ad Eph.

Verbi verò administratio, cùm fiat lectione & recitatione diuinarum scripturarum, earum denique interpretatione, & explicatione, indéque desumptis adhortationibus, tum repetitione & Catechismo, qui mutuis perficitur Catechizantis & Catechumeni interrogationibus atque responsionibus: item sanctis collationibus atq. difficiliorum religionis nostræ quæstionum excussionibus: secundum hanc multiplicem doctrinæ salutaris dispensationem, multiplicata etiam sunt huius functionis munera. Quicquid enim ad perfectissimam docendi rationem pertinet: id in administratione doctrinę salutis, est summo studio adhibendū: quia nimirum tradi debet scientia, omnium vt diuinissima, ita & difficillima, viuendi secundum Deum, cùm sis homo. Qui iam diligenter artes docent, certis libris comprehensas, vt si qui mathemata instituant docere ex Euclide: ij primùm omnium legent & recitabunt propositum librum: mox voces singulas non vulgo notas, vt quæque ars sua propria habet verba & nomina, explicabunt. Inde si qua collectio & argumentatio concisior sit, explanant ἀναλύσει, pluribusq. exemplis illustrant: ex pręceptis generalibus docent particularia, quámque latè illa pateant, edocent: quod est propriè docere. Hæc verè, quanquam fideli traditione doctrinæ, nō est cōtentus, verè fidus doctor, repetit etiam & exigit quæ docuit: præstóque se exhibet discipulis, vt de quibus rebus dubitāt, petere ab ipso queāt explicationem planiorem. Præterea quæ docuit, proponit etiā publicis disputationibus excutiēda, vt nihil omnino remaneat dubij. Ad hæc adhibet etiā sæpe adhortationes ad promouendum probè in proposita doctrina: & dehortationes ab iis, quibus impediri possint: itē admonitiones atq; reprehensiones & obiurgationes generales. Postremò obseruat talis præceptor diligenter, quid quisque discipulorū proficiat: & si quem animaduerterit cessare in discendo, eū & priuatim corrigit & admonet officij: si quem cernit gnauiter pergere in discēdo, eū appellat subinde, collaudat, atque vt studium eius magis magisque prosequatur, inflammat. Has omnes septem rationes docendi, Christus Dominus ipse quoq seruauit. In synagoga Nazarethana legebat caput ex Ies. 61. & interpretabatur, Luc. 4. Pręcepta Dei explicauit in monte, Matth. 5. Et passim docuit: & hortatus est; reprehendit & obiurgauit ex verbo Dei. Interrogātibus quoq. sese, omnibus bonis & malis respondit: ac inuicem interrogauit, vt Mat. 22. Discipulos subinde catechizauit; ipse quoque Catechismo interfuit Luc. 2.

Cum itaque adeo multiplicem operam requirat ministerium docendi: plures etiam ministrorum ordines sunt huic ministerio deputati: & primi omnium lectores, quorum munus erat in pulpito, loco editiore, diuinas scripturas recitare. Hæc verò diuinarum scripturarum recitatio in hoc fuit instituta; vt & lingua ratióque loquendi scripturæ, ipsáque scriptura populo redderetur notior atq. familiarior. Intra annum. n. omnes sacros libros populo recitabant. cùm ij qui scripturas enarrabant, non possent nisi aliquam partem scripturarum, nec eam magnā vno anno explicando absoluere. Interim autem populo per solam diuinorum librorum recitationem, confirmabatur mirificè cognitio omnium dogmatum salutis nostræ: nam illa in singulis sacris libris identidem repetuntur, & aliis atque aliis nominibus explicantur, vt populus semper ex sequenti lectione disceret non pauca, quæ ex priori planè percipere nondum poterat: eadémque opera confirmabatur iudicium populo, de omni religione nostra, vt de scripturarum quoque explicationibus, atq. omni doctrina, quæ illi afferebatur, vel per legitimos Ecclesiæ curatores, atq. doctores, siue per alios. His de caussis magni fuit habitum in priscis Ecclesiis & hoc munus diuinas scripturas simpliciter populo recitandi: nec delecti ad hoc ministerium fuerūt, nisi de singulari pietate commendati. Quod cum ex aliis veterum monumentis cognoscere licet, tum maximè ex vna & altera diui Cypriani Epistola perspicitur: vt ex epistola 5. li. 2. de Aurelio ordinato lectore: & epist. 22. lib. epistola 3. de Saturo, atque in libro quarto de Celerino Cœlestino. His lectoribus adiuncti postea sunt & Psaltæ, qui decantandis Psalmis & Hymnis præerant. De legendis scripturis, gratia Domino, probè constitutum est in Ecclesiis Anglicanis: si idonei modò instituerentur lectores, qui dignam diuinis ministeriis, quæ lectionibus sacris recitantur, adhiberent grauitatem atque religionem. Diligenter ergo perpendarur, cuius se os prębeant, qui diuinos libros populis in sacris cœtibus recitant: nimirum Dei omnipotentis: tū quanti sint momenti, quātæ dignitatis, quæ recitantur, quę verba sunt, & præcepta vitæ æternæ: postremò, quibusnā hominibus, & ad quam rem deseruire debeant sacrarum scripturarum lectores. Nam Filiis Dei, quorum pro salute sanguinem suum fudit primogenitus Dei Filius, administrare debent: quibus salus eadem illis magis magisq. patefiat, & perficiatur. Quę si quis secum reputet vera fide, quid posset grauitatis, decentiæ, religionis, vlla in actione adhiberi, quod eiusmodi lector queat prętermittere? Id verò sem[per] [i]s, qui hoc funguntur munere, in conspectu animi sui debēt habere: ad ędificationem fidei in audientibus, q[uæ] prælegantur, debere efficaciter deseruire: idque tum d[e]m[um] fieri, cum ea & probè intelliguntur, & vt Dei verba excipiūtur. Ad vtrunque autem pronunciatio requ[i]ritur summè perspicua, diserta, grauis & religiosa. Vnde deprehenditur, illos non esse Christi ministros, qui sic recitant diuinas scripturas, ac si id vnum requireretur, vt quam minimum morę in huiusmodi relationem insumeretur.

Alterum iam munus est, doctrinę dispensandę interpretatio, id est, verborum & sententiarum simplicior explicatio. Hoc ministerium Episcopi obibant, & presbyteri: nōnunquam tamen ex ordine diaconorum: atque subdiaconorum: aliquando etiam ex laicis ad hanc adhibebant functionem, quos deprehendissent per Spiritum sanctum ad eam vtiliter obeūdam, factos idoneos. Sic Origenes etiam laicus ad hoc munus ascitus fuit in Ecclesia Cæsareæ Palæstinæ per Alexandrum Episcopū Hierosolymitanū; & per Theoctistum, eiusdem Cæsariensis Ecclesiæ episcopum. Item Euelpis à Neono episcopo Larandorū: & Paulinus à Celso episcopo Iconiēsi: & Theodorus ab Attico Episcopo Synadorum. Hęc leguntur apud Euseb. lib. hist. Ecclesiast. 6. cap. 20. & ex epistola duorum illorum Episcoporum, Alexandri Hierosolymitani, & Theoctisti Cæsariensis, Episco-

piscoporum in Palæstina, ad Demetrium Episcopum Alexandrinum, qui factum horum duorum Episcoporum de Origene reprehenderet, tanquam inauditum esset, laicum hominem præsentibus Episcopis, verba ad populum in Ecclesia facere. Illud verò isti Episcopi affirmant manifestè, verum non esse, sed sanctos consueuisse Episcopos, quos in laicis cognouissent idoneos, vt vtilitatem aliquam populo interpretandi scripturas, & docendo afferrent, eos hortatos fuisse, vt etiam se præsentibus, hoc ministerio fungerentur. Et secundam itaque & tertiam sacri ministerij partem, interpretationem scil. & doctrinam: Episcopi atque presbyteri præcipuè administrabant per se: attamen & ex inferioribus ordinibus atque ex laicis, si quos animaduertissent, ad hoc munus idoneos sibi συνεργοὺς adiungebãt. Ad eundem modum administrauerunt Episcopi & presbyteri, & quartam tradendæ doctrinæ partem, quæ est, ex diuinis libris explicatis adhortari ad officia pietatis, dehortari à peccatis & omnibus rebus quæ cursũ queant piæ sanctæq; vitæ vlla ex parte remorari, aut impedire: peccãtes reprehẽdere atq; obiurgare, pœnitentes cõsolari: quamquam istã functionẽ episcopi & presbyteri maximè ipsi præstiterunt, propterea quod eo maiorẽ requirat autoritatem, 1 Tim. 5. Quintã partẽ, Catechismos nunc presbyteris, nũc Diaconis, nũc inferiorum ordinũ ministris commendauerunt, prout quisque magis ad hoc genus docendi apparuit idoneus. Ita & Origenes Catechista erat Alexandriæ, lib. 6. Eusb. Cęs. hist. Ecclesiast. c. 13. & 20. Sextam etiam partem sanctas disputationes deferebãt cuique magis idoneo: tametsi maxima ex parte ipsi episcopi his præessent. Septimã partem priuatã appellationem, admonitionem, etiam Episcopi per se facere studuerunt: singulos autem presbyteros grauiorẽsque ex inferioribus ordinibus, vt idem facerent, semper hortati sunt, 1. Thess. 5. Itaque doctrinæ ministeriũ obire debent lectores, diuinas scripturas recitãdo: Episcopi verò interpretando, & docendo, hortando, disputando, priuatimque appellando: quin & legendo atque catechizando, si desint peculiares lectores & catechistæ. Cæterùm catechismos committebant certis Presbyteris atque Diaconis, vel etiam delectis ad hoc ex inferioribus ordinibus. Sicut etiam ex his ad munera interpretandi, atque docendi ac disputandi adhibebant, quoscunque ad ista munera deprehendissent idoneos, in quouis sacri ministerij ordine, ac etiam, vt dictum, ex laicis. Id verò in his diligenter obseruandum: Spiritum sanctum quidem sic dona hæc docendi dispertire suis hominibus, vt vni det donũ, & facultatem singularem scripturas interpretandi, & elucidandi, cui tamen non dat, perinde dextrè ac feliciter religionis nostræ dogmata ex diuinis scripturis docere, atq; confirmare: vel ea etiam disputando commodè tueri. Alij verò suppeditat facultatem peculiarẽ & eximiã, hortãdi fratres ex scripturis, monendi, reprehendendi: item catechizandi, & priuatim appellãdi: cui tamẽ, valere aliis docẽdi muneribus non largitur. Hanc varietatẽ donorum Spiritus sancti experimur quotidie in iis, qui publicè docẽt populum Christi, quæ veræ Ecclesiæ Christi sunt, & regi se à Spiritu Sancto omnino sustinẽt: hæ obseruant religiosè, quid cuique in Ecclesia spiritualium facultatum sit donatum, & ad ipsum functionis vnumquemque, quantum in ipsis est applicant. Quocirca ad singulas docendi partes, singulos adhibent ministros, si in suis hominibus inueniant, qui ad singula docendi munera sint singulariter à Domino facti & instructi. At quia necesse est ad salutem populi Dei, vt nulla prorsus partium docendi, quas septem enumeraui, vlla in Ecclesia prætermittatur, quilibet ministrorum, imò & laicorum quocunque loco sit collocatus in Ecclesia, debet has omnes partes docendi, quo ad possit, obire, & legendi, & interpretandi, & docendi, & hortandi, & catechizandi, & disputãdi, & priuatim appellandi. Debet etiã quisque in his administrandis functionibus tot sibi desumere, tantamque cuiusque partem, ad quot & ad quãtam cuiusque partem senserit se à Spiritu sancto esse instructũ. Cõsideret exemplum ritè institutæ, atque distributæ domus, in qua alia munia obit Paterfamiliàs, alia materfamiliàs: alia filij, alia filiæ: alia famuli & famulæ: Hic dum singuli adsunt & valent, obit certè quisq; suum munus: at si qui ex familia absint, aut non rectè valeant, incidit verò ministerij alicuius necessitas, ita quisque ei succurrit necessitati, vt sępe viri mulierum, & mulieres virorum obeant munia, domini seruorum, & serui dominorum.

Item de disciplina clericali.

Tertia disciplinæ clericalis pars est subiectio peculiaris, qua clerici gradus, & ministerij inferioris se subiiciunt illis, qui sunt in ordine & ministerio superiore. Hanc disciplinę partem docuit Dominus nos, & exemplo suo, qui discipulos suos futuros doctores electorum Dei per vniuersum orbẽ, peculiari ad hoc munus magisterio, & quadam domestica disciplina instituit: quem imitati Apostoli, suos quoq; discipulos vnusquisque habuit, quos ad sacrum ministerium ritè obeundum formaret.

Omnis enim difficilior vitæ functio, peculiarem quoq; ac perpetuam requirit doctrinam, institutionem ac custodiam: vti videre est in philosophiæ studiis, & institutione militari. Quòd perpendens Lycurgus, Rempubl. Lacedæmoniorum (sic instituit, vti Xenophon testatur) ne vllus in Repub. ordo sine suo proprio esset magisterio. Itẽ & Plato in suis legibus, & Repub. requirit, ne quid omnino sit in ciuibus ἀπαίδευτον. Hinc & Dominus noster, cùm vult suos sic committi inuicem, & cohærere, vt membra in corpore cõmissa sunt atq; cohærent: subiicit sanè, vnumquemq; suorum aliis, à quibus tanquam à membris amplioris ac latius patentis virtutis & efficaciæ custodiatur, moueatur & regatur. Idem pręcepit Spiritus sanctus, Subiicimini inuicem in timorę Dei, Eph. 5.

Ista itaq; considerantes sancti olim Patres, cum in cleri ordine describerunt, vt cæteri omnes clerici à presbyterio singulari cura custodirentur & gubernarẽtur. Inter presbyteros verò Episcopus vt consul inter senatores Repub. ita hic primam, cum totius Ecclesiæ: tum singulariter ordinis clericalis vniuersi curam gereret, atque custodia. Episcopos verò ordinauerunt singulis frequentioribus Ecclesiis, atque cuique talium Ecclesiarum in vicinitatibus, quæ in minoribus essent oppidulis vel pagis, Ecclesias cõmendauerunt, eòque voluerunt presbyteros atque curatores istarum Ecclesiarum, quos vocauerunt Chorepiscopos, quòsque viciniori sibi Episcopo, & presbyterio auscultare. Quos Episcopi illi primores subinde cũ omni suo clero conuocabãt, & in scientia atque diligentia muneris sui instaurabant. Cùm verò velit Dominus, vt sui homines se mutuò complectantur, & curam sui inuicem gerant, quàm longe lateque possit (sunt enim Christiani omnes vnum corpus:) constituerunt sancti Patres, vt Episcopi cuiusque prouinciæ (in prouincias enim iã omnes Romanis subiectę ditiones erant distributę) cõuenirent vnà cũ presbyteris, quoties quidẽ id Ecclesiarum vsus posceret: certo tamen bis in anno, déque Christi doctrina atque disciplina, vt illa in quibusque Ecclesiis administraretur, & vigeret, inquirerent: ac vbi peccatum esse deprehendissent, id corrigerent: quæ cognouissent rectè habere, confirmarent, & prouherent. Vt hæ verò synodi rectè & ordine administrarentur, voluerunt illis præesse & conuocandis & moderandis, Metropolitas, Episcopos cuiusque Metropolis: Sic enim vocabatur præcipua in vnaquaque prouincia ciuitas, vbi supremi præsidis pętorium erat: Ac proinde his Metropolitanis Episcopis iniunxerunt curam quandam, & solicitudinem omnium Ecclesiarum per suam prouinciam: vt si quid minùs rectè, vel à ministris Ecclesiarum, vel à plebibus institutum, factúmve intellexissent, monerent de eo in tempore: sique id suis admonitionibus non possent emendare, vt ad corrigendum illud episcoporũ conuocarẽt Synodum: nam nihil iudicij illis concessum erat, quod sua propria autoritate exercerent in Ecclesiis, quæ ipsæ suos haberent Episcopos: omne enim & in plebẽ & clerum iudicium, erat penes suum cuiusque Ecclesiæ episcopum & presbyterum: Episcopos autem iudicabat Synodus. Eóque cùm Ecclesiis essent ordinandi Episcopi, cõstitutum erat, vt ad eandem Ecclesiam conuenirent cum cunctis (Si id fieri ecclesiarũ commodo posset) sin, cum aliquibus, nõ minus tamen duobus aut tribus prouinciæ suę episcopis, qui electionem episcopi (Si facienda adhuc esset) gubernarẽt, factàmque examinarent, & in electum inquirerent quàm seuerissimè, vitamque omnem eius & facultatem ad episcopale munus, explorarent, ac tum demum ad episcopalem functionem initiarent. Quæ omnia eo erant instituta, & valebant, vt esset inter Ecclesias & earum ministros, quanta omnino posset esse concordia, curáque mutua: & ad arcenda atque depellenda cuncta doctrinæ morúmque offendicula; & ad fidei atque vitæ Christo Domino dignæ ædificationem sustentandam, prouehendam, atque efficiẽdam efficaciorem: adeò, vt si aliqui ab officio cessassent suo, cæteri episcopi succurrerent, etiam vsque ad obstinatorum abstensionem, ac etiam à munere episcopali deiectionem. Considerentur quæ Diuus Cyprianus ad Stephanum Romanum Pontificem, de Martiano Episcopo Arelarensi, qui in sectam Nouatian. transierat, lib. 3. epist. 13. tum illa quæ scripsit in epist. 3. lib. 1. de distributa cuique episcoporum certa gregis portione: ut quæ præfatus est, & in Conc. Carthaginensi, vt scripsit ad Quirinum.

Porrò, vbi orbis ecclesiis refertus fuit, ac ipsi quoque

Metropolitani sua singulari cura opus haberent: nec enim, prout cœperant esse plurimi, ita omnes pro suo loco satis vel sapiebant, vel vigilabant (paucis enim semper, & in omnibus hominum ordinibus præstantes) episcopis quibusdam primarum Ecclesiarum aliquot prouinciarũ cura demandata est, vt Romano, Constantinopolitano, Antiocheno, Alexandrino: Deinde & Cæsariensi, Cappadociç, & aliis quibusdam, prout fidelium Christi Ecclesiis multiplicatis, necessitas videbatur requirere. His tamen primatibus Episcopis (quos postea vocauerunt Patriarchas) nihil omnino iuris erat in illos Episcopos alios, vel Ecclesias, vltrà quàm dixi, cuique fuisse Metropolitæ, in Ecclesias atq; Episcopos suæ prouinciç. Quisq; suæ portioni Ecclesiarum debebat singularem curam, & solicitudinem: monere quoque Episcopus in tempore, si quid peccasset aliquis, aut in suo munere cessasset: & si nihil profecisset monendo, concilij adhibere authoritatem. Inter hos primus locus delatus Romano: cum propter D. Petri reuerentiam, tum propter vrbis maiestatem. Quam rationem secuti postea Patres, secundas tribuerunt Constantinopolitano, vt alteri Romæ, sedisque imperij episcopo, cùm Antiochenus ante secundum locum inter hos Patriarchas obtinuisset.

Vt autem natura hominum vitiata ambitione semper magis elaborat, vt latè, quam vt bene præsit, Patriarchæ isti, occasione illius generalis curæ Ecclesiarum, ipsis demandatę, pertraxerunt ad se, primùm viciniorum Episcoporum ordinationem, atque per eam ordinationem, sensim aliquam in tales episcopos, atque eorum Ecclesias artifuerunt, confirmationique iurisdictionem. Quod malum cum iam glisceret, cœpit graue existere certamen, de generali in omnes ecclesias imperio: quod quidem primùm sibi sumere conatus est Iohannes quidam Constantinopolitanus Episcopus, sub Imperatore Mauricio: de qua contentione permultæ Epistolæ, inter epist. D. Greg. lib. 5. 6. 7. extant. Tandem sub Phoca obtinuit Romanus hunc titulum vniuersalis Episcopi, quo sensim abuti magis magisque huius sedis Episcopi cœperunt: donec occasione, primum diuisione imperij sub Carolo magno, postea dissidiis Principum & nationum, quibus fregerunt potentiam Imperatorum occidentis, atque regum aliorum: se in illam, quam nunc iactant, Antichristianam potentiam extulerunt: oppressa primùm Episcoporum, deinde omnium etiam regum & Imperatorum potestate. Sic itaque euertit Satan omnem clericalis ordinis salutarem obedientiam, & gubernationem: Romanus enim Antichristum immediatum sibi sumsit imperium in omnem clerum, ac etiam laicos: atq; Episcoporũ, cùm boni essent, custodiã & curã erga eorũ fidei commendatos dissoluit. At quia omnino necesse est, vt singuli clerici suos habeãt proprios custodes & curatores, instauranda est, vt Episcoporũ, ita & archidiaconorũ, aliorũmq; omnium, quibuscũq; cẽseantur nominibus, quibus portio aliqua cõmissa est custodiẽdi gubernandiq; cleri autoritas, potestas sed & vigilantia, & animaduersio, ne quis omnino sit in hoc ordine ἀτάκτως. Hactenus Bucerus, nõ solũ fideliter recitãs, verũ etiã laudans veteris Ecclesiæ, in variis Ecclesiast: carum functionũ ordinibus constituendis, de quibus nos supra diximus, consuetudinem.

Fuit mihi præterea habenda ratio illarum etiam Ecclesiarum, quæ licet Euangelium amplexæ sint: suos tamẽ & re & nomine Episcopos, atq; Archiepiscopos retinuerunt.

Quid? quòd in Ecclesiis etiam protestantium, nõ desunt reipsa Episcopi & Archiepiscopi: quos mutatis bonis Grecis nominibus, in malè latina, vocant superintendentes, & generales superintendentes: Sed vbi etiam neque illa vetera bona Græca, neque hęc noua malè Latina nomina obtinent: ibi tamen solent esse aliquot primarij, penes quos ferè tota est authoritas. De nominibus ergo fuerit cõtrouersia: verùm cùm de rebus conuenit: quid de nominibus altercamur? Interim, quemadmodum non improbaui Patres in ea re de qua est quęstio: Sic etiam non possum nostrorum zelum non amare: qui ideo illa nomina oderunt, quia metuunt, ne cum nominibus vetus etiam ambitio & tyrannis, cum ruina Ecclesiarum, reuocetur.

Aphoris. 12.

Nam neque Christus tale caput cõstituit: neque veteres Patres admittere voluerunt, quia nõ expediebat Ecclesiæ: sed quatuor patriarchis fuerunt contenti, Rom. Constant. Alex. & Antiochen. qui omnes æqualis essent autoritatis & potestatis: & suis quisque cõtentus esset finibus: quemadmodum in Concilio Niceno definitum fuit, & in aliis cõfirmatum: idque non sine multis & grauibus caussis: quarũ hæc, meo quidem iudicio, non est postrema, ne scil. tyrannidi in Ecclesia fores aperirentur: sed potius, vt si vnus aliquid contra sanam Christi doctrinam, contráque libertatem Ecclesiæ tentare auderet: alij non minoris autoritatis Archiepiscopi cum suis Episcopis, sese opponere, & illius audaciam compescere, tyrannidémque frangere possent. Ecclesia respectu Christi, regnum est: respectu hominum, qui in ea sunt, & vel regunt, vel reguntur, Aristocratia est.

Aphoris. 21.

Duæ longè diuersæ sunt quæstiones: vtrum Episcopis, liceat etiam esse Principibus, principibúsque esse Episcopis, suis retentis principatibus: & an qui Episcopi iam sunt simul & principes: ij præter autoritatem Ecclesiasticã, iura etiam habeant politica in ciues sibi subiectos: eóque an subditi illis tanquam principibus obedire debeant, necne. In meo Aphorismo nihil prorsus de priori quæstione locutus sum, quia non fuit necesse: sed tantum de posteriori. Quis autem, illis omnino obediendum esse, quo iure, quaq; iniuria principes fuerint creati: ex testimoniis à me allatis non videat apertè demonstrari? Cur enim qui subditi sunt Moguntino, Coloniensi, Treuirensi Principibus imperij simul & Archiepiscopis, in rebus cum pietate Christiana minimè pugnantibus non obtemperent? Seditiosorum certe fuerit, non obtemperare. Quòd si istis: cur non etiam Romano, iisdem in rebus & eandem ob caussam, qui sub eius viuunt imperio? Eadem enim horum omnium est ratio.

Dè priori quæstione nihil (vt ante dixi) disserui: sed neque etiam nunc, in hac mea breui confessione disputare constitui: cùm sciam, non omnium eandem esse sententiam & in vtranque partem multa dici possint: locum illum Matth. 20. (Scitis quòd Principes gentium dominantur in eas, & magnates potestatem exercẽt in eas, vos autem non sic:) aliis vno modo, & de solis ac verbi ministris: aliis alio modo, & de omnibus Christi discipulis ac Christianis interpretantibus.

APPENDIX AD CAPVT XI. DE redemptore, seu de persona Christi.

Qui scribunt, essentiales diuinæ naturæ proprietates, humanæ realiter esse communicatas, non vt sint in ipsa, aut essentialiter & formaliter, aut subiectiuè & habitualiter, sed ratione tantùm & respectu vnionis hypostaticæ (sic enim loquuntur, obscurè sanè & ambiguè, cùm clarius possent & deberent:) Si hæc non alio sensu intelligunt, quàm quo Vigilius scriptum reliquit & sensit, nimirum, proprietates naturarum, Christo ipsi factas esse proprias, naturis autem inter se, non in ipsis, sed in Christo, h. e. in persona communes: Ego certè non contradixero: nec quempiam virum bonum & doctum contradicturum esse, persuasum habeo. Vigilius enim secundùm doctrinam Catholicę Ecclesiæ, ex concilio Chalcedonensi loquens, eodem planè sensu dixit & explicauit, proprietates naturæ humanæ cõmunes factas esse diuinæ: quo etiam, quæ sunt diuinæ, communicatæ esse dicuntur humanæ. Atqui humanitatis proprietates, puta pati, mori, ita communicatę sunt Deitati, vt non propterea tamen Deitas ipsa facta sit reapse passibilis, mortalis. Cuius rei caussa, hæc a Vigilio affertur: quia nimirum pati & mori, non nisi in persona, facta sunt Deitati communia: ita vt hæc non possint, nisi de natura humana per se, & de persona secundum & propter humanam naturam, verè prædicari.

Ergo idem de communicatione diuinarum proprietatum sentiendum & dicendum omnino fuerit. Vigilij verba hæc sunt lib. 5. cap. 2.

Et quia nunc nobis intentio contra eos est maximè, qui errorem vnius naturæ sectantes, decreto Conc. Chalcedonensis, pertinaci obstinatione resistunt: cõmodum puto ad eorum inanes cõtradictiunculas, vitiosásque sententias, veritatis malleo obterẽdas, de humana Filij Dei natura, quã in eo modis omnibus negant, pauca repetere. & quam nõ sint Christiani, & à spe salutis æternæ penitus alieni, demonstrare. Regula est fidei Catholicæ, vnum eundémque Dominum Iesum Christum, sicut verũ Deum, ita verum hominẽ confiteri: vnum ex vtroq; nõ duos in vtrunque: ipsum sine tempore natum de Patre, ipsum ex tempore natum de virgine: ità vt vtraque natiuitas sic vnum teneat Christum, vt in nullo sui pertulerit detrimentum: retinens in se quod est sui generis proprium, i. vt & verbi natura non mutaretur in carne, & carnis natura nõ fuisset in verbo cõsumta. Hinc Dominus Iesus Christus idẽ verus est Deus, idem verus est homo: ex duabus ineffabiliter, virginali aluo vnitis in persona naturis, existens. Quæ naturæ quoniam

quoniam in illa mirabili counione non sunt in eo abolitę: ad demonstrandam vtrarúmque proprietatis extāriam, in vno se ipso vtriusque res locutus est atque egit: non voces diuidens, non aspectus partiens, non gesta secernens: sed ipse vnus in se ipsóq; ex vtroque & in vtrunque cōueniens, & quod proprium fuerat loquens & peragens. Et, vt quod dicimus planum fiat, aliquo vtamur exemplo, verbigratia: Ego ipse sum, qui oculis corporeis album colorē nigrúmve discerno: & ego ipse sum rursus, qui malum necessitatis, & iustitiæ bonum, mentis obtutu diiudico: nec tamen ideo alius atq; alius sum, quia vtrumq; mihi est ex diuerso. Non.n. ipsis oculis video variari colores, quibus video variari sermones: & tamē ego sum ipse, qui ex vtroq; ago: vtrunque meum est, non videre iustitiam nisi oculis mentis, & meum est non videre colores, nisi oculis carnis: & meum est non vocem oculis audire, & meum est non videre lumen auribus: meum est non discernere naribus gustum, & meum est palato non percipere odoratum: Et cū totum meum sit in me ipso, i. videre, audire, odorari, gustare: & tamen aliud est mihi vnde video, aliud vnde audio, aliud vnde gusto odorésque discerno: & cùm sit in merotum, quodam priuato iure diuersum atq; diuisum: ego tamen ipse diuidi & separari non possum. Ita ergo & Christus ipse vnus atq. idem est, & creatus & non creatus: habēs initium, & initio carens: ætate atque intellectu proficiens, & intelligentiæ clarisque augmenta non recipiens: mortē perpetiens, & mortis legibus non subiacens: honores ob meritum accipiens, & nullo honore indigens: & cum hæc omnia diuersa sint in se ipso, ipsius tamen sunt propria: & ideo voces, affectus & gesta vtrinq. congruentia, in se ipso non diuidet: quia ipsius est vtrūque quod habet: sed vnum illi est ex natura verbi, quam Deus permanens non amisit: & aliud illi est ex natura carnis, quam homo factus accepit. Adhuc dicamus quæ vnam naturam affirmant manifestius: propter eos qui per imperitiam sensus, naturarum proprietatem & communionem, quemadmodum dicatur in Christo, non intelligentes, abutuntur & refugiunt hæc nomina.

Diuersum est atque alienum, initium non habere, & ex initio subsistere: mori, & mori non posse: & tamen sicut ipsi Christo proprium est vtrunque: ita non ipsi, sed in ipso est vtrunque commune. Si enim dicamus, quia ipsi est cōmune: necesse est, vt exigatur à nobis dare & ostendere aliū, cum quo ei sit hoc ipsum commune: quę professionis necessitas, in Nestorij vergit impium dogma. Melius igitur & catholicè dicimus, In ipso, & non ipsi esse commune: Et melius ipsi. & non in ipso dicimus, propriū esse. Ergo proprium est illi mori, propter naturam carnis, quæ mortalis est: & proprium est illi non mori, propter naturam verbi, quæ mori non potest. Item propter ineffabile mysterium vnionis vtrarunq. naturarum, communis in ipso fuit mortalitas carnis, verbi naturæ, quæ mori non potuit, & communis in ipso est immortalitas verbi, naturæ carnis, quæ morti succubuit. Ergo sicut illi mori & non mori, ex vtrisque naturis est proprium: Ita commune est in ipso vtrisq; naturis, quod illarum est proprium: & vt exempli gratia dixerim, proprium mihi est notam liuoris cuiusq. verberis gestare in corpore meo per naturam carnis meæ: itē proprium mihi est plagam verbi, id est, sermonem durum gestare in mente mea, per naturam animæ meæ: & proprium mihi est, eandem plagam non portare, in corpore meo per naturam carnis meæ. Et cum sit mihi vtrumque proprium, & corpori & animæ meę vtrunque alienum: quia nec corpus, durum lætúmve sermonem intelligit, nec anima flagelli vulnere liuescit: vtrumque tamen commune est in me ipso, & animæ & corpori meo: quia nec anima extra corpus sita, quod ei sentire proprium fuerat, sensit: nec corpus extra animæ consortium, plagarum indicia gustauit. Quod ergo proprium mihi est in singulis, & alienum est à singulis id commune est in me ipso singulis, quod proprium est singulis.

Et tamen ego ipse vnus sum in vtrisque, & in me ipso communibus: & ego ipse vnus sum in singulis mihimet ipsi propriis. Hæc Vigilius.

Quid ad præsentem controuersiam, de reali idiomatum communicatione componēdam, dici possit accommodatius? In has enim præcipuas propositiones ad caussam nostram pertinentes, resoluitur totus iste Vigilij contextus. Nam regula fidei Catholicæ pręmissa, quæ in cōtextu notata est litera A: ex illa deducit certas theses, quibus hæresin Eutychis, manifestè refutat. Summa regulæ fidei, hęc est: vnum eundémque Christum, esse Deum & hominem: salua vtraque in eo natura. Ex hac regula colligit Vigilius has theses.

1. Dominus Iesus Christus, idem verus est Deus: idē verus est homo. Ratio: Ex duabus enim naturis (diuina & humana) in vna persona ineffabiliter vnitis idque in aluo (seu vtero) virginali, existit. Et hoc contra Nestorium: contra verò Eurychen, subditur alia thesis.

2. Hæ naturæ in illa mirabili counione, non sunt in eo (Christo) abolitæ. Confirmatio subiicitur ex vita Christi: quia Dominus Iesus dictis & factis, vtriusque naturæ proprietates in se ipso saluas esse monstrauit: ideò subdit.

3. Ad demonstrandam vtrarúmque proprietatis extantiam (id est, existentiam: hoc est, in se existere distinctas vtriusque naturæ proprietates:) in vno se ipso, vtriusque (naturæ) res locutus est atque egit. Hoc itidem contra Eutychen.

Sed quomodo? ita nimirum, vt ostenderit ea dicta & facta, fuisse non duarum personarum, sed vnius. Ideo contra Nestorium denuò subdit: *Non voces diuidens, non aspectus partiens, non gesta secernens: sed ipse vnus in seipsoque ex vtroque* (id est, ex vtraque natura) *& in vtrunque conueniens, & quod proprium fuerat* (vtriusque naturæ) *loquens & peragens*.

Ex iis verbis, duo hæc luce meridiana clarius elucent: vnum, in Christo, non duos fuisse operantes, volentes, intelligentes, sed vnum duntaxat: nempe ipsum λόγον incarnatum, qui dicitur Christus: ideo ait, *In vno seipso*, &c. Item, *Sed ipse vnus, in seipsóque loquens & peragens*: hoc est primum, idque contra Nestorium.

Alterum est: Duo verò in eodem Christo agente, fuisse & esse actionum principia, inter se distincta: ex quibus formaliter (vt loquuntur scholæ) actiones illæ, per agentem deducebantur: duarum nimirum naturarum facultates seu δυνάμεις, idque contra Eutychen.

Et ideo subdit, *Ex vtroque* (id est, ex vtraq; natura) *Quod propriū fuerat* (cuiusque scil. naturæ) *loquens & peragens*.

Quis vero hinc non videat, quæ Christus egit secundùm vnam naturam: illum ea non egisse secundùm alteram? *Ex vtroque* enim agebat, quæ cuiusque erant propria: non ergo secundùm humanitatem, quæ propria erant Deitatis: nec contra.

Hæc porrò confirmans, & illustrans, adfert exemplum vnius eiusdémque hominis, qui secundùm diuersas animi facultates, diuersas etiam actiones edit, & opera cuiq; facultati conuenientia efficit.

Simile perspicuum est per se, ibi: *Et vt quod dicimus, planum fiat*: &c.

Tantùm diligenter obseruandæ sunt particulæ, non solum affirmatiuæ, sed etiam negatiuæ. Negat enim hominem oculis carnis videre, quæ oculis mentis videt: Et cōtra. Negat igitur etiam Christum, secundum carnem agere: quæ secundùm Deitatem operatur. Hoc clarè explicat, cùm ad Christum accommodans exemplum, præter alia dicit de Christo, *Sed vnum illi est ex natura verbi, quam Deus permanens non amisit: & aliud illi est ex natura carnis, quam homo factus accepit*. &c.

Item notandum est, Vigilium tam negare Christum ex carne, id est, secundum carnem agere, quæ Deitatis sunt propria, quàm negat etiam eundem secundùm Deitatem passum esse & egisse, quæ propria fuerunt carnis.

Subdit præterea Vigilius specialem de proprietate & communione naturarum explicationem: eámque perspicuam & certam: cum ait, *Adhuc dicamus manifestius propter eos*, &c. Summa hæc est:

4. Vtriusque naturæ proprietates, ipsi Christi personę, sunt propriæ: naturis autem inter se communes, non in ipsismet naturis, sed in persona. Explicatio hęc est.

Mori enim (quæ est proprietas carnis) proprium est Christo. Quòd enim dicatur mortuus esse: id propriè dicitur propter humanam naturam, quę in ipso est. Non mori etiam eidem proprium est: propter naturam diuinam ipsius propriam, quæ mori non potest.

Mori itidem, commune est verbo seu Deitati Christi: non in ipsa natura diuina, quippe quæ mortis particeps esse non potest: sed in persona commune hoc illi fuit cū carne, quia persona carnē sustentans, in carne mori potuit, & mortuus est Christus. Idem de altera parte dicendum ac sentiendū est: quemadmodum ipse Vigilius explicat: addito etiam exemplo sui, i. hominis: cùm ait, *Et, vt exempli gratia dixerim*, &c. Nihil in hoc exemplo est obscurum.

Diligenter verò notanda est conclusio: vbi ait, *Quod ergo proprium mihi est in singulis, & alienum est à singulis: id cōmune est in meipso singulis, quod proprium est singulis: & tamen ego ipse vnus sum in vtrisq;, & in me ipso communibus: & ego ipse vnus sum, in singulis mihimetipsi propriis*.

Nihil ad quæstionis de reali proprietatum communica-

rione, explicationem, dici potest clariùs. 1. enim docet, proprietates vnius naturæ ita esse illius proprias, vt ab altera natura, prorsus sint alienæ, atq; ita alienæ, vt nullo modo in sua ipsius οὐσίᾳ, communes fieri possint: h.e. ita realiter communicari, vt ipsa quoque fiat vel id, vel talis, quod & qualis est altera natura: puta, vt humanitas fiat vel Deitas, vel omnipotens, quemadmodum nec contra Deitas, humanitas, vel passionis particeps fieri potuit aut potest.

2. Disertis verbis tradit, proprietates cuiusque naturæ, esse Christo proprias: quia nimirum illi in seipso proprium est, v.g pati, ex vna sua natura, & non posse pati ex altera: ita vt hoc cum nulla re alia habeat commune: vel in cœlo, vel in terra, vel in seipso. Nam nihil aliud præter ipsum, est Deus & homo simul: & neutra in ea natura, alterius quoque naturæ proprietates præter suas in sua habet οὐσίᾳ. Solius igitur Christi Dei & hominis est, essentiales cuiusque naturæ, diuinæ & humanæ, realiter in se ipso habere proprietates, eóque sibi proprias

Quare hinc etiam liquet id, quod ante de communicatione dictum est. Si.n. hoc personæ Christi proprium est, vt de ipso hæc contraria, v.g. pati. & non posse pati, verè & reapse prædicentur, non tamen simpliciter, sed κατ' ἄλλο, h.e secundùm alteram Christi naturam: Ergo neutri illius naturæ seorsum hoc congruit: nempe, vt eadem natura, verè & realiter dici possit, & pati potuisse, & non potuisse pati, in sua οὐσίᾳ.

3. Quas Christo proprias esse dixit naturarum proprietates: eas communes quidem ipsis: verùm nō ipsismet naturis, sed in personas, factas esse docuit. Puta: *Pati*, quod est propriū humanæ naturæ simpliciter & per se, in sua οὐσίᾳ, personæ autem proprium est κατ' ἄλλο, i. secundum carnem tantum: hæc inquam essentialis carnis proprietas, propter vnionem, quam caro cum Deitate ipso habet in eadem ὑποστάσει, facta est ipsi etiam naturæ diuinæ cum humana communis: quomodo communis? nempe: vt ipsi quoque diuinæ, *Pati* verè attribuatur.

Sed quomodo, cum passio in illam cadere nequeat? Cōmune est igitur illi *Pati*. non in ipsamet οὐσίᾳ (ea.n. pati nō potuit, nec potest:) sed in Christo, h.e. in persona Christi, quæ duabus constat naturis: Et ideo, quæ κατὰ σάρκα duntaxat passa est: ita vt passio in propria quidē Deitatis οὐσίᾳ nulla, sed in communi dūtaxat persona, propter carnem, hæreat: ac proinde etiam Deus quidem passus esse dicatur, cùm tamen Deitas nihil sit passa, sed tantùm persona Dei & hominis, i. ille qui Deus est & homo, κατὰ σάρκα. Repeto: Proprietates v.g. humanæ naturæ, puta pati posse & mori, ideò dicuntur esse *communes* Deitati: quia hæc quoque illas habet. Si enim nullo modo haberet: nullo etiam modo dici possent huic illæ factæ esse cum carne communes.

Ideò verò dicuntur communes esse Deitati cum humanitate, non simpliciter, sed in ipso Christo: quia illas non habet in se ipsa, h.e. in sua οὐσίᾳ, sicut caro habet: sed solùm in persona Christi, quæ vna & eadem est vtriusque naturæ hypostasis, cùm in vtraque subsistat.

Anima etiam, proprietates corporis sibi communes habet, non in sua οὐσίᾳ, sicut corpus; sed in persona hominis, qui sicut vtraque, tanquam partibus essentialibus constat, sic etiam vtriusque in se realiter habet proprietates. vt verè dici possit & visibilis esse, & inuisibilis: mortalis & immortalis.

Quod verò dictum est de proprietatibus humanæ naturæ, cum diuina communibus, non in propria eius οὐσίᾳ, sed in communi vtriusque naturæ persona: idem de diuinis cum humana, sentiendum ac dicendum esse, docet Vigilius Episcopus & Martyr.

Cùm hęc ita se habeant re ipsa: hinc sequitur, quales de hisce rebus, concipi veræ possint enunciationes. 1. Si proprietas carnis, puta *Pati*, communis est aliquo modo Deitati: Ergo aliquo modo de illa prædicari potest. 2. Si nō est ei ita cōmunis, vt eā habeat in se ipsa, seu in sua οὐσίᾳ, neque vt partem sui essentialem: neq; vt accidēs in subiecto: Ergo Deitas dici nō potest, sua οὐσίᾳ esse passioni obnoxia.

3. Si verò est ei communis in persona tantummodò: Ergo *Pati* de Deitate, in abstracto prædicari non potest: sed tantum in concreto: h.e. tali nomine, quo ita notetur Deitas, vt persona connotetur: qualia sunt nomina concreta, Deus.

Hoc enim nomine, quatenus significatur persona Christi, qui Deus etiā est, non nudus homo, verè & realiter dicitur Deus, passus & mortuus esse: nō simpliciter tamen, & secundùm etiam Deitatem, sed tantùm κατὰ σάρκα: cuius propriū est pati & mori. Quare, vt hęc est verissima, Deus passus est: sic hæc altera falsissima, Deitas passa est: vel Christus secundum naturam etiam diuinam passus est. Hæc est doctrina Vigilij & totius Ecclesiæ.

Cum autem quæ tradit Vigilius, de naturarum proprietatibus & communione, de omnibus ex æquo proprietatibus & illarum communione in Christo dicantur: ita vt propter vnionem hypostaticam, eodem sensu diuinæ dicantur factæ esse communes humanitati, quo etiam humanæ, Diuinitati: nempe, non in ipsarum naturarum οὐσίαις, sed tantum in Christo, personáque Christi: Sequitur, sicut hęc propositio impia est, Deitas propter vnionem cum carne in persona Filij Dei, facta est in sua οὐσίᾳ passionis particeps: sic etiam hæc sit blasphema: humana natura, propter vnionem cum diuina: ab illa accepit, vt in sua οὐσίᾳ realiter sit omnipotens, &c.

Si iam his addantur, quæ idem Vigilius, ex communi totius Ecclesiæ Catholicæ consensu scripta reliquit. li. 4. cap. 4. Luculentior fiet hæc, quam ex eo modo monstrauimus, doctrina Disputans enim aduersus Monophysitas, à diuersis proprietatibus, quæ in vno eodémque Christo spectatæ fuerunt, & quas prædicant sacræ literæ: luculenter euincit, non posse in eo VERBVM & carnem, vnam esse naturam: rationem adfert, quia vna natura, contrarium quid & diuersum non recipit in se ipsa. Præter alia, hæc quoque scribit: Deinde si verbi & carnis vna natura est: quomodo cùm verbum vbique sit, non vbique inueniatur & caro? Namque quando in terra fuit, non erat vtique in cœlo: Et nunc quia in cœlo est, non est vtique in terra, & in tantum non est, vt secundum ipsam Christum spectemus venturum de cœlo, quem secundum verbum nobiscum esse credimus in terra. Igitur secundum vos, aut verbum cum carne sua, loco continetur, aut caro cum verbo vbique est: quando vna natura contrarium quid & diuersum non recipit in seipsa. Diuersum est autem & longè dissimile, circumscribi loco, & vbique esse: & quia verbum vbique est, caro autem eius vbique non est: apparet, vnum eundémque Christum vtriusque esse naturę: & esse quidem vbique secundum naturam diuinitatis suæ, & loco contineri secundum naturam humanitatis suæ: creatum esse, & initium non habere: morti subiacere, & mori non posse: quod vnum illi est ex natura verbi, quà Deus est: aliud ex natura carnis, quâ idem Deus homo est. Igitur vnus Dei Filius, idémque hominis factus Filius, habet initium ex natura carnis suę & non habet initium ex natura diuinitatis suæ: creatus est per naturam carnis suæ: & non est creatus per naturam diuinitatis suæ: circumscribit per naturam carnis suæ: & loco non capitur per naturam diuinitatis suæ: minor est etiam Angelis per naturam carnis suæ, & æqualis est Patri secundum naturam diuinitatis suę: mortuus est naturâ carnis suæ, & non est mortuus naturâ diuinitatis suæ. *Hæc est fides & confessio catholica, quam Apostoli tradiderunt, martyres roborauerunt, & fideles nunc vsque custodiunt.* Hæc Vigilius.

Ex quibus idem, quod ex præcedentibus euincitur; nempe, non solum vnius naturæ esse non posse, *Verbum* & carnem, vt volebant Monophysitæ: sed etiam proprietates vnius naturæ alteri realiter communicari non posse: ita nimirum, vt eas habeat in seipsa, & talis fiat vna natura, qualis & altera, puta vt *caro*, propter vnionem cum *Verbo*, cum eodem etiam *Verbo* facta sit vbique præsens sua οὐσίᾳ. Ab hac enim propositione, tanquam in confesso apud omnes orthodoxos posita, nempe *Caro* propter vnionem cum *Verbo*, non est consecuta hanc proprietatem *Verbi*, vt nimirum ipsa, cum verbo vbique sit sua substantia præsens: *ab hac* inquam propositione concludit, Ergo neque facta est eiusdem naturæ cum *Verbo* Hoc certè est argumentum Vigilij, imò totius Ecclesiæ Catholicæ. Quid testatur? Hoc vnum, vt si dicenda sit esse vbique præsens: non alia ratione, quàm sua ὑποστάσει, quæ est ipsum *Verbum*: vbique præsens esse dici queat.

In natura enim Christi humana, duo tantùm sunt: propria ipsius naturæ οὐσία cum suis proprietatibus ac creatis donis: Et communis cum diuina ὑπόστασις, quæ est ipsum *Verbum*. Propria οὐσία finita est, eóque vno tantùm loco esse potest; ὑπόστασις infinita, & immensa est ac simplicissima. Hac igitur sola, non autem propria οὐσίᾳ, vbique præsens esse potest, & re ipsa est caro Christi.

Quod verò de hac proprietate dictum est; idem de omnib. tam *Verbi*, quàm *Carnis*, sentiendum est. Nam in præcedenti etiam argumento contra Monophysitas, libro 4. cap. 4. idem conclusit, à quibusdam *Verbi* proprietatibus, vt est, esse increatum, inuisibilem, incontrectabilem; dixitque, impossibile esse, vt iis conditionibus *caro* subiaceat. Hinc conclusit, *carnem* ergo vnius naturæ cum *Verbo*, esse

non

non posse: cùm fieri nullo modo queat inuisibilis, increata, incontrectabilis: intellige in sua οὐσίᾳ: cùm tamen in sua ὑποστάσει, quæ illi cum *Verbo* communis est, reuera sit, sicut vbique præsens, sic etiam increata, inuisibilis incontrectabilis, & quid non, quando eadem ὑπόστασις, Deus etiam est? Hæc omnia certa sunt, & plana, & ab illa infallibili regula, quam li. 5. c. 2. tradit, pendent, videlicet: Melius *igitur* & Catholicè dicimus: In ipso: & non ipsi esse commune: Et melius ipsi, & non in *ipso* dicimus proprium esse.

Precor omnes Christianos, per Dominum Iesum: vt positis vanis priuatorum hominum somniis: positis etiam propriis carnis affectibus, odiis, inimicitiis; amplexi verò certam ac salutarem veteris Ecclesiæ doctrinam, Christianámque dilectionem: coëamus omnes in vnam fidem, sanctámque amicitiam: sicut nobis quoque omnibus vnus est Deus, vnus Mediator, vnum Baptisma, vna spes vocationis nostræ: ad gloriam nominis Dei, Ecclesiæ ædificationem, salutémque animorum nostrorum. Citius enim quàm putamus, sistentur ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque prout se gessit in corpore, & in hac vita, quando post hanc vitam nulla spes veniæ, nullus resipiscentiæ locus est.

EIVSDEM ZANCHII
THESES,
DE PRÆCIPVIS ALIQVOT FIDEI CHRISTIANÆ ARTICVLIS,
aduersus varias hæreses, variis temporibus, partim Heidelbergæ, partim Neustadij disputatæ.

IN quem finem, ego Confessionem hanc cum obseruationibus in lucem dedi: eandem ob caussam, hasce variis de rebus, hoc tempore controuersis theses, partim sub p. m. Friderico III. Heidelbergæ, partim sub Iohann. Casimiro, huius scholæ autore, domino clementissimo, hic Neustadij, aduersus varias hæreses, propugnatas collegi: atque vt simul collectæ, vnà cum mea confessione imprimerentur, curaui: nimirum, vt toti posteritati, me in tales hæreses, quæ hac nostra ætate ab inferis reuocatæ fuerunt, nunquam consensisse, clarius innotescat: idque ad gloriam Dei, ad ædificationem Ecclesiæ, & ad salutem multorum, per Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

DE VNO VERO DEO, ÆTERNO PATRE, FILIO, ET SPIRITV sancto.

THESES.

Anno 1572.

I.

VNvs tantum est Iehoua, creator cœli & terræ, & Deus Israelis.

II.

Iste verò Deus, etsi vnus tantum est Iehoua, non vnus tamen est, sed plures Elohim: quorum numerum, & nomina Filius Dei, Deus in carne manifestatus nobis clarè, & sine vlla ambiguitate reuelauit: nempe æternus Pater, æternus Filius, & æternus Spiritus sanctus.

III.

Porrò hi tres Elohim vera sunt ὑφιστάμενα, *eáque indiuidua, viuentia, intelligentia, volentia: eóque veræ (vt hactenus loquuta est Ecclesia) personæ.*

IV.

Atque ita inter se sunt distincti, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, vt vnus non sit alius.

V.

Ipsorum autem vnusquisque verus est Iehoua.

VI.

Neque ideò tamen plures sunt Iehoua: sed vnus duntaxat Iehoua.

DE VNIVS VERI DEI NATVRA, SIMPLICITATE ATQVE immensitate.

THESES.

Anno 73.

I.

NAturæ Dei nomine, non solùm ipsius essentia, simpliciter in se considerata, verùm etiam omnes eius proprietates, seu attributa, quibus qualis sit, nobis nostráque caussa declaratur, significari solent.

II.

Meritò itaque dici solet Deus, sua natura clemens, sapiens, bonus, & alia id genus esse.

III.

Etsi verò qualitates multas, huic suæ naturæ similes, indere hominibus solet, quibus simus iusti, boni, sapientes: suam tamen naturam nulli creatæ rei communicat, quòd neque communicari queat, nisi plures fieri possint dij.

IV.

Est autem præter alia Deus, simpliciter simplex: vt nullo planè modo dici possit pluribus ex rebus compositus, nec ex ESSE quidem & essentia.

V.

Etsi enim multa sibi in sacris literis, quasi multas qualitates attribuit, vt quod sit iustus, bonus, potens: reuera tamen in Deum nulla cadit qualitas: sed qualis qualis est, sua simplicissima essentia talis est: verum variis nominibus infinita simplicissimæ essentiæ perfectio nobis significatur.

VI.

Non solùm autem nullam admittit in se compositionem Deus: sed neque in vllius rei creatæ concretionem venit, ita vt eius fiat vel forma vel materia.

VII.

Est præterea Deus verè immensus & infinitus, & ideo etiam vbique præsens: idque non potentia tantùm & virtute, sed tota sua essentia, cœlum & terram atque omnia implens.

VIII.

Etsi verò vbique præsens est sua essentia: magis tamen in cœlis esse prædicatur, quàm in terris: & magis in sanctis, quàm in impiis: magisque in vno pio, quàm in altero: Verùm id non ratione suæ essentiæ, sed efficacitate operationis & gratiæ.

IX.

Quare quum etiam in sacris literis legitur Deus, aut à nobis recedere, aut ad nos redire, non mutatione loci id facere credendus est: sed effectis suæ præsentiæ, cum internis, tum externis: vel exerendis, vel subtrahendis.

X.

Cæterùm in humana Christi natura longè alia inest ratione, quàm in nobis, nempe non solùm efficacius operando, verum etiam σωματικῶς *inhabitando, & tanquam pars compositi, vt ille sit verus Deus, nos autem esse non possimus.*

XI.

Est porrò ita Dei proprium, esse immensum & infinitum, ac proinde etiam vbique præsentem, vt in nullam planè rem creatam, ne in humanam quidem Christi naturam, competere possit.

XII.

Quemadmodum enim fieri nequit vt creatura fiat Deus essentia, ita neque fieri potest, vt quòd Deus est, sua essentia vbique existere possit: cùm neque infinitum esse queat, & immensum.

XIII.

Proinde sicut ex eo, quòd demonstratur Christum esse vbique sua essentia, verè etiam euincitur ipsum esse verum Deum: sic si qui contendant corpus Christi sua substantia vbique existere, ij aut ex illo argumento Christi Deitatem probari negent, aut nouum fabricent Deum, eúmque corporeum, oportet.

XIV.

Præsens quidem est corpus Christi, sua non solùm virtute, sed etiam substantia, piorum omnium mentibus, illud vera fide percipientibus, eóque per CHRISTI *Spiritum cum ipso Christo magis ac magis coalescentibus, non minus imò magis, quàm Sol omnium se videntium oculis: Sed tamen multis in locis simul, nedum vbique tam existere potest corpus Christi, eo existendi modo, quo est in cœlo, quam etiam Solis corpus in omnibus cœli*

terraque partibus, ea ratione, qua in suo est orbe, existere queat.

XV.

Neque tamen hinc sequitur (vt quidam impudenter calumniantur) negari æternam, veràmque Christi Deitatem: Sed contrà potius asseritur, cùm talis esse Deitatis ὁ λόγος defendatur, quæ in nullam rem creatam ita effundi possit, vt ea aut Deus fiat τῷ ἔργῳ, aut Deo diuina vlla proprietate æqualis.

XVI.

Neque enim verus Deus esset ὁ λόγος, si qualis ipse est, talis omnino fieri quoque posset aliqua creatura, etiam spiritualis, nedum humanum corpus.

XVII.

Ex aduerso potius, qui ita in Christi humanitatem effusas esse volunt diuinas, essentialésque proprietates, vt tam hæc sit omnipotens, & vbique, quàm ipsius Deitas, non solùm amplissimam aperiunt Arianis ianuam, sed ipsi veram Christi Deitatem tollunt.

XVIII.

Etenim is verus Deus non est, cuius essentia & natura, ita realiter in aliquam rem creatam effundi potest, vt ipsa quoque talis omnino fiat, qualis est iste Deus: realiter & per se, infinitè potens, infinitè sapiens, in infinitum (vt ita loquar) sese extendens, & ex re vbique sua essentia, actu existens.

XIX.

Nam essentiales proprietates Dei reipsa nihil aliud sunt, quàm ipsa eius essentia, quia alioqui simplicissima esse non posset.

XX.

Dicere itaque humanitatem Christi tam factam esse omnipotentem, & vbique præsentem, quàm est eiusdem Deitas: perinde est, atque si dicas, eam factam esse talem sua essentia, atque natura, ac proinde verum Deum.

XXI.

Talis autem Deitas vera Deitas non est: ideoque ὁ λόγος (quæ horrenda est blasphemia) verus non fuerit Deus.

XXII.

Adde quòd non solùm absurdissimè, verum etiam impiissimè dicitur, proprietates diuinæ naturæ in humanam effusas esse.

XXIII.

Nam neque legimus vnquam τὸν λόγον vllámve eius proprietatem fuisse in semen Abrahæ effusam, sicut contrà semen Abrahæ fuisse à Filio Dei assumtum: Neque τοῦ λόγου proprietates effundi in humanam potuerunt naturam, sine naturæ ipsius, essentiæque diuinæ effusione: cum illæ nihil aliud reipsa sint, quàm essentia diuina.

XXIV.

Non potest autem natura diuina transfundi in humanam, quin desinat naturarum vnio, & mixtio fiat atque confusio. Quæ verò ita miscentur, desinunt esse id, quod erant.

XXV.

Denuo itaque dicimus, Deitatem illam, cui exæquari possit res aliqua creata, veram Deitatem non esse.

XXVI.

Oportuerit enim, vt aut res exæquanda fiat infinita, id quod omnino ἀδύνατον est: aut Deitas illa, cui exæquanda est, sit finita, cùm nihil finitum exæquari possit, nisi finito. Finita autem Deitas, vera Deitas non est.

THESES

DE VNIVS VERI DEI ÆTERNA OMNIPOTENTIA.

Anno 1575.

I.

Qvum Deus in sacris literis vocatur potens, nulla in Deo passiua potentia animo nobis est concipienda: quæ aliquid pati, & aut quod est, esse desinere: aut quod non est, cum aliqua sui mutatione fieri possit: Sed actiua tantùm, qua semper agat, & agere possit, sicut reuera est; sic etiam firma fide, credenda est.

II.

Est enim Deus essentia simplicissima, perfectissima, verè æterna, omnis passionis expers, atque incommutabilis, & ἐνέργεια παντελής à qua, & per quam sunt, fiuntque omnia.

III.

Sed neque actiua potentia talis in Deo fingenda est: quæ aliquid sit ab eius essentia diuersum.

IV.

Est enim Deus sua essentia simplicissima talis, qualis qualis est, iustus, bonus, omnipotens.

V.

Etsi verò reapse vna tantùm est in Deo potentia: propter diuersos tamen respectus, quibus consideratur, multiplex esse haud impiè dici potest.

VI.

Alius enim respectus est, dum consideratur, quatenus Deus in seipso semper agit, intelligendo, volendo, amando: Et alius, dum eam contemplamur, quatenus Deus extra se operatus est, mundum creando: & semper operatur, illum regendo: operarique innumerabilia, si velit, potest.

VII.

Sicut ergo actiones Dei non ineptè distinguuntur in immanentes, & in transeuntes: sic potentia Dei duplex esse non immeritò dici potest: vna, qua in se ab omni æternitate semper egit, & agit: & altera qua in tempore extra se non solum omnia condidit, regit, operatur: verùm etiam infinita, quæ nunquam efficiet, efficere potest.

VIII.

Ita fit, vt hæc rursus in actualem, qua operatur quæcunque vult: & in absolutam, qua infinita etiam, quæ non vult, operari potest, distingui solita sit, quòd alioqui simpliciter omnipotens esse, dici non possit.

IX.

Sicut enim non sentimus cum illis, qui ideo Deum vocari omnipotentem putant: quod simpliciter, quæcunque dici possunt aut excogitari, siue mala, siue bona, siue contradictionem implicantia, eadem etiam efficere queat: sic neque illorum sententiæ subscribimus, qui non alia de caussa, Deum omnipotentem appellari, & esse contendunt, nisi quia quæcunque vult, potest: quòd non latiùs pateat eius potentia, quàm voluntas: sed ideo verè omnipotentem esse credimus: quia præterquam quòd potest quæcunque vult: innumerabilia etiam potest & velle, & efficere, quæ nunquam volet, neque efficiet.

X.

Quum enim scriptura dicit, Deum quæcunque voluit fecisse: apertè docet: multo plura etiam facere potuisse si voluisset. Et qui dicit, se misereri quorum vult, & quos vult, indurare: luculenter demonstrat, se tam posse, aut omnium misereri, aut omnes indurare, quàm etiam potest quosdam indurare, & quorundam misereri: eóque plurium se posse misereri, quàm misereri velit: ac proinde plura esse, quæ potest, quàm quæ vult.

XI.

Nam quæ potest, natura potest: eóque facere nequit, quin ea possit: nisi etiam possit efficere ne sit Deus. Quæ autem extra se vult, liberè vult: eóque potuit etiam ea non velle, vt manifestum sit, Deum plura posse, quàm velle: cùm possit etiam velle, quæ non vult.

XII.

Ea autem omnia dicimus Deum posse, quæ aut cum proprietatibus eius personalibus, aut cum eiusdem essentia, naturáve non pugnant: aut quæ contradictionem non implicant: aut denique quæ à defectu potentiæ, si admittantur, non sint.

XIII.

Ita licet Pater, Filius esse nequeat, nec Filius, Pater: neque etiam aut Pater alium ex se Filium, neque Filius itidem vllum ex se generare possit: non ideo tamen desinit aut Filius, aut Pater esse omnipotens.

XIV.

Personales enim proprietates sunt istæ, vt Pater generet, non generetur, Filius autem generetur, non generet: neque essentia Dei fert, vt plures ibi sint Patres, pluresve Filij.

XV.

Neque itidem aliquid de potentia Dei decedit, si Deus efficere nequeat, quin sit bonus, iustus, sapiens: cùm Deus esse nequeat, nisi talis sit, qualem sacræ literæ describunt.

XVI.

Item potentiã Dei minimè tollimus, aut infirmamus, si dicamus Deum non posse peccare, non posse pati, non posse efficere, vt aut quod est, dum est, non sit: aut quæ facta sunt, sint infecta: quoniam hæc partim sunt ex defectu potentiæ, partim contradictionem

... [illegible]onem implicant: Eóque cum veritate Dei ex diametro pu[illegible] ac simpliciter sunt ἀδύνατα.

XVII.

Est autem ita Dei proprium, esse omnipotentem: vt in nullam [illegible] creatam competere possit.

XVIII.

Cùm enim omnipotentia nihil aliud sit, quàm ipsa immensa infinita, nullique creaturæ communicabilis essentia: fieri non potest, vt in quam rem non potest competere, vt sit Deus sua essentia: in eum quadret, esse omnipotentem.

XIX.

Neque etiam rei infinitæ capax esse potest res finita, cum vnumquodque recipiatur secundum modum (vt loquuntur) recipientis.

XX.

Pugnat etiam cum natura Dei, vt plures sint omnipotentes: non minus quam vt plures sint Dij. Vnde neque religio Christiana fert, vt tres in Deo personæ, tres dicantur esse omnipotentes.

XXI.

Proinde licet homo Christus Iesus verè sit omnipotens, quia non homo tantum, sed etiam Deus est: ipsius tamen humanitas, prop[illegible] omnipotens esse, aut dici, sine impietatis crimine non potest.

XXII.

Nam humana Christi natura, licet vnita sit diuinæ in vnam [illegible] personam: tamen sicut non propterea facta est Deus, sic neque propriè facta est omnipotens; sed suam retinuit imbecillitatem, qua pati pro nobis posset & mori.

XXIII.

Neque enim potuisset pati, si sicut Deus, sic etiam ipsa facta fuisset omnipotens: cum posse pati impotentiæ sit: & ideo Deus pati non possit, quia omnipotens est.

XXIV.

Ac si propter vnionem hypostaticam facta fuit humana natura in Christo omnipotens: cur quòd corpus aut non viderit corruptionem: aut etiam quòd anima ei restituta, resurrexerit à mortuis, hoc sacræ literæ non humanitati, sed Deitati attribuunt?

XXV.

Accedit, quòd vt corpus humanum, propter vnionem cum mente, neque substantia fit incorporea, intellectu & voluntate prædita, neque aut immortalitatem, aut vim intelligendi volendíve ab illa accepit: sic neque humana natura, propter vnionem cum diuina [illegible]: aut facta est essentia per se subsistens, simplicissima & perfectissima: aut ab illa accepit, vt propriè sit omnipotens.

XXVI.

Argumentum porrò, quo Patres ab omnipotentia Filio in sacris [illegible] tradita, eum verum esse Deum, aduersus Arrianos demonstrarunt, penitus euertitur, si omnipotentiam alicui rei creatæ communicari posse concedimus.

XXVII.

Denique de religione, non nisi consentaneè cum sacris literis, & cum analogia fidei loquendum est. Sacræ autem literæ non alium præter Deum prædicant esse omnipotentem, neque etiam Ecclesia in suis Symbolis aliter vnquam est professa.

XXVIII.

Quòd verò post resurrectionem dixit Christus, Data est mihi omnis potestas: Aliud est [illegible], aliud [illegible]: neque dixit, Data est humanitati meæ, sed mihi: neque respectu naturæ, sed officij mediatoris hoc fuit dictum. Officium autem totius fuit & est personæ secundum vtramque naturam.

XXIX.

[illegible] igitur Deum verè & propriè omnipotentem esse, sicut [illegible] sanctum credimus: sic etiam cum tota Ecclesia confitemur ac prædicamus.

XXX.

Humanam autem Christi naturam, tum ea potentia quanquam finita, quæ omnium rerum creatarum tam cœlestium quàm terrestrium potentiam longè superet: ac proinde, quæ omnium creaturarum potentissima, propriè & meritò dici possit, donatam esse non dubitamus: tum etiam propter hypostaticam cum verè omnipotente [illegible] vnionem: licet propriè in se talis ipsa non sit: quodam tamen modo ipsam quoque omnipotentem dici posse concedimus: nempe quatenus ita [illegible] vnita est, vt &, quæ propria [illegible] sunt, ea de ipsa quoque, sed in concreto prædicentur & [illegible] ad multa sua omnipotentia opera præstanda suo animo atque corpore tanquam propriis organis, (distinctis tamen manentibus singulorum proprietatibus & actionibus) vsus fuerit, atque etiam vti possit.

DE PROVIDENTIA DEI, THESES.

Anno 76.

I.

PROVIDENTIAM à Græcis a πρόνοιαν atque etiā b π[illegible] vocatam: qua res c prænoscuntur, d præordinantur atque e reguntur: in Deo esse, ex verbo eius, credimus atque docemus.

a Rom.13.14. b Luc.22. Act.4.28. c Ps 139.4. d Psal.119.91. e Dan.4.31.

II.

Est autem Dei PROVIDENTIA, a sapientissimum, b iustissimum, atque c immutabile consilium, d quo res omnes, tam in cœlis, quàm in terris, vt & e fierent, & ea fierent ratione atque serie, quæ fiunt: f ab æterno in seipso constituit: & ad cuius g exemplar, omnia etiam in h tempore, i modò per certa & ordinaria media, modò k sine illis, semper autem l [illegible], m perpetuò administrat ac regit: idque tum ad n Electorum salutem, tum verò maximè ad o suæ ipsius gloriæ illustrationem.

a Iob.9 4.12.13. Iere.51.15. b Deut.32.4. Ps. 145.17. Sap.12.15. c Ps.33.11. Esa.14.27.46.10 d Dan.4.32. e Thr.2.37. f Pro8.22. Ephes.1.9. g Psa.119.92. h Gen.1 i Leu.26.4. Ps 104.4. Hos.2.21. Eph.4 11. k Deu.8.3. Psal.72.:8. Ier.32.20.1. Reg.17.4 l Psa.115.3. Rom.9.10 m Psal.138.8 Dan.4.31. Iohann.5.17. n Gen.50.20. Rom.8.28. Cor.3.21 o Psal.19.1.1. Par.29.11. 12. Rom.9.17.

III.

Nam præterquam quod manifestum est, Deum esse a omnipotentem, sapientissimum, b optimum, vnde fieri nequit, vt amplissimum hunc mundum ab c se creatum, & in quo Christi d Ecclesia degit, fortunæ ac casui temerè volutandum permiserit: e Ipsæ etiam sacræ literæ, luculentis verbis docent, mundum hunc à DEI PROVIDENTIA gubernari.

a Ier.32.17 Luc.1.37. b 1.Par.16.34. Matth.19.17. c Gene.1.1. Hebr.11.3. d Ioh.16.33. e Psal.33.& 147. Iob.5. ibi.9. ibi.37.38.39. capitibus. Sap.14.3. Colos.1.16. Hebr.3. Ios.42.5.

IV.

Neque verò a vniuersalem tantum, quæ totam simul mundi machinam moderatur, PROVIDENTIAM in Deo statuimus: Verùm etiam illam singularem, quæ b singulas quasque res seorsim agit & regit, atque inprimis c homines, & inter hos, d Electos suos, cum omnibus ipsorum actionibus, agnoscimus ac retinemus.

a Neh.9.33. Actor 17.28. Hebr.1.3. b Iob.37. & 38. Psa.104.& 147. Mat.6.26.& 10.29. Iohan.4.6.7. c Psalm.8.5. Ierem.10.23. d Ies.43.1. Psal.91. Psal.139. Zach.2.8. Mat.6.10.

V.

Nouimus enim nihil in mundo fieri aut moueri sine voluntate a Patris: vt nihil absurdius sit, quàm dicere aliquid in mundo fieri, quod Deus antè non ordinarit, quodque sua manu non b regat.

a Matt.10.29. Luc.12.6. b Pro.16.4. Dan.4.32.

VI.

Neque tamen propterea simpliciter negamus, quin multa a contingenter & casu eueniant: cum hoc rectè intellectum, cum æterna & infallibili DEI PROVIDENTIA non pugnet.

a Exod.21.13. Pro.16.33.

VII.

Deus enim sua immutabili PROVIDENTIA non solum, vt fierent, quæ fiunt constituit: sed etiam vt eo, quo eueniunt, modo, omnia euenirent, ab æterno ordinauit.

VIII.

Sed neque quia dicimus non sine voluntate Patris, quidpiam in Mundo admitti, ideo Deum ipsum actionum omnium sapientissimum & iustissimum moderatorem, aut peccato inuoluimus, aut peccati autorem facimus.

IX.

Peccatum enim a ἀνομία est, atque à recta legis diuinæ linea deflexio, Deus autem b neque à suæ voluntatis rectitudine declinare potest, c neque aliis vitium declinandi instillat, d imò peccati osor est & e vltor iustissimus.

a 1 Ioh.3.4. b Nu.23.19. Tit.1.2. Hebr.6.18. 1. Ioh.1.5. c. Iac.1.13. Ose.13.9. d Psal 5.6. e Deut 32.41. Iesa.59.17. Nah.1.2.

X.

Quare cùm ad PROVIDENTIAM Dei pertineat, vt pecca-

ta à Deo iusto iudice puniantur: Ex doctrina de PROVIDENTIA *euincetur potius, Deum esse timendum, peccatáque vitanda: quam vt inde queat vlla in Deum culpa transferri, nostraque excusari facinora.*

X I.

Cum verò præter hunc quem modò diximus, multi alij sint huius de PROVIDENTIA *doctrinæ salutares vsus: ij duo tamen cum primis obseruandi sunt. Nimirum quòd eò pios adducit hæc doctrina, vt in omnibus rebus aduersis ad a Deum omnia regentem confugiant, inque eius sinu recumbant: & in secundis ei vni omnem deferant gloriam: semper autem sub potenti eius manu, qua omnia agit, humilientur.*

a 2. Par. 14. 11. 20. 6. 12. Psal. 46. 1. Mat. 10. 28. Act. 27. 23. 35. 1. Pe. 5. 6. 7. Iaco. 4. 10.

DE ÆTERNA ELECTIONE ac prædestinatione, deque redemptione per Christum facta,

THESES.

EX PRIMO CAPITE AD EPHEsios v. 3. 4. &c.

Anno 79.

I.

NVlla nobis post orbem conditum contigit, contingeréve potest benedictio, ad quam non fuerimus ante mundi constitutionem electi ac prædestinati: neque per alium neque alio modo ea confertur, quàm per quem & quomodo præstari debuerit, in æterno Dei consilio definitum fuerat: dicente Apostolo, nos omni benedictione spirituali benedictos esse in Christo καθὼς elegit nos, ante mundi constitutionem.

I I.

Sicut in solo Christo omnem spiritualem consequimur benedictionem: sic etiam in eo solo, ad eam consequendam, electi fuimus ac prædestinati: cum vtrumque dicat Apostolus, nempe nos in Christo esse benedictos, & in ipso etiam fuisse electos.

I I I.

Quicunque electi sumus: non solum ad finem, id est, ad æternam vitam, verum etiam ad media ad finem ordinata, electi fuimus. Ait enim Paulus, Deum nos elegisse, vt essemus sancti & inculpati.

I V.

Quòd nos elegerit Deus id ex sua caritate erga nos, & secundum beneplacitum voluntatis suæ effecit, eóque tota electio gratuita est.

V.

Finis gratuitæ electionis duplex est, nostra salus & gloria Dei: De prima dicente Apostolo, nos esse prædestinatos in adoptionem Filiorum Dei, eóque ad cœlestem hereditatem: De altera hoc esse factum in laudem gloriæ gratiæ ipsius.

V I.

Salus itaque electorum in Christo, certa est & necessaria, cuius fundamentum est æternum, gratuitum & immutabile propositum voluntatis Dei.

V I I.

Quicunque ab æterno electi fuerunt in Christo ad æternam salutem, mediáque ad hanc: ij etiam omnes & soli in tempore à Patre constituto, quod plenitudo temporis appellatur, fuerunt reapse per Christum & in Christo redemti à peccatis, eoque & à malis peccatum consecutis: dicente Apostolo, in Christo habere nos redemtionem, remissionem peccatorum.

V I I I.

Neque verò secundum merita, operáve iustitiæ, quæ fecerimus nos, sed secundum Dei misericordiam, secundumque diuitias gratiæ ipsius, per sanguinem Iesu Christi redemti sumus: Apostolo vtrumque manifestissimè confirmante.

I X.

Quanquam autem Pater æternus redemit nos & seruauit per Filium, per quem etiam creauit: Filius tamen is est, qui κατ' ἐξοχὴν appellari solet in Ecclesia Dei, humani generis redemtor, seruatórque noster.

X.

Solus enim Filius, Deus & homo simul fuit & est: eóque solus proprietatis simul, vt vocant, & propinquitatis ius ad nos redimendos habuit: solúsque sanguinem, quo tanquam λύτρῳ redemti sumus, effudit: Solus denique is est, in cuius persona perfecta est & consummata redemtio nostra.

X I.

Nomine autem ἀπολυτρώσεως, quam habere in Christo dicimur, intelligimus plenam, consummatámque redemtionem, quatenus nimirum non solum remissionem peccatorum in hac vita, verùm etiam quæ futura est in altero seculo, perfectam ab omni malo, omnisque corruptionis seruitute liberationem complectitur: vt nulla sit ἀπολύτρωσις, quam non habeamus in Christo perfectissimo redemtore, qui factus est nobis à Deo, sicut sapientia, iustitia & sanctificatio, sic etiam redemtio.

DE IESV CHRISTI A MORTVIS RESVRRECTIONE, IN COELVM ASCENsione, ad dexteram Patris sessione, ex Pauli ad Ephes. cap. 1.

THESES.

Anno 81.

I.

DEus magnitudinem potentiæ suæ, efficaciter exercuit in Christo, suscitans eum à mortuis: solus igitur Deus, sua infinita potentia: caussa est efficiens resurrectionis Christi, omniumque mortuorum. Eph. 1. 20.

I I.

Sed & Christus se ipsum potentia sua ab iisdem excitauit iuxta illud: Soluite templum hoc, & in tribus diebus erigam illud: Dicebat autem de templo corporis sui Ioh. 2. 19. *& illud: Animam meam ego pono, vt iterum sumam eam* Ioh. 10. 17. *Christus igitur non minus Deus est, quàm Pater, neque minoris potentiæ Deus.*

I I I.

Non potest autem itidem esse, à mortuis verè & suscitans & suscitatus, nisi verè diuersis constet naturis, diuina secundum quam suscitet, & humana secundum quam suscitetur. Idem igitur Christus, vt verus Deus est, ὁμοούσιος Patri: sic verus homo est, ὁμοούσιος matri & fratribus suis.

I V.

Neque quispiam à mortuis suscitari: & resurgere verè dici potest: nisi etiam verè mortuus fuisse, & verè cecidisse dicatur. Mors autem in vera animæ à corpore separatione, qua fit, vt corpus mox cadens, cadauer meritò appelletur, consistit. Christus igitur si verè resurrexit à mortuis: quin verè etiam mortuus fuerit anima à corpore verè separata, nullo modo negari potest.

V.

Si autem (quia Christus verè mortuus est) neque eius anima fuit per illud mortis tempus in corpore: neque (quia verè sepultus est) corpus eius existens in cruce, erat in sepulchro, aut iacens in sepulchro pendebat in cruce: neque (quia Deus illud vere excitauit à mortuis) vel anima corpus, vel corpus se ipsum à morte ad vitam reuocauit: Ergo humana in Christo natura neque omnipotens fuit, neque vbique sua substantia præsens.

V I.

Sicut enim hæc non valet consecutio, Ipse Christus mortuus & sepultus est, ac resurrexit à mortuis: Ergo secundum vtramque naturam mortuus & sepultus est & resurrexit: Sic neque ista: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi: Mat. 28. 20. *Ergo non solùm Deitate, sed etiam humanitatis substantia, nobiscum realiter præsens est in terra.*

V I I.

Sed sicut hæc valet, Christus Deus, est passus, ergo non secundum Deitatem, sed secundum humanitatem passus est: ita hæc altera, Christus homo, est vbique, & simpliciter omnipotens, ergo non secundum humanam, sed secundum diuinam naturam vbique, & omnipotens est: quando non magis diuina humana, quam humana diuinæ natura, in eadem Christi persona vnita est.

V I I I.

Si ipse Deus, adeoque diuina in Christo natura corpus à mortuis excitauit non per ipsum corpus, sed per seipsam: falsum igitur est, diuinam in Christo naturam omnia egisse & agere non solum in, & cum, sed etiam per humanam.

I X.

Anima nanque Christi non omnia operatur per corpus, quemadmodum neque nostræ mentes per illud aut intelligunt aut volunt, idque propterea quòd, vt Philosophi quoque docuerunt, nequaquam mens nostra à corpore dependet. Multò minus igitur Deitas Christi omnia per carnem assumtam operatur.

X.

Num enim Deitas per humanum intellectum intelligit, aut per humanam voluntatem vult? aut nunquid per humanam naturam ipsámmet humanam naturam in persona τοῦ λόγου sustentat atque seruat? aut omnia per humanam portat carnem, an ve-

an verò potius verbo virtutis suæ? Deniq; si forma Dei nihil agit nisi per formam serui, quomodo verum fuerit illud Leonis: Vtraque forma agit quod suum est cum communione alterius?

X I.

Sicut igitur alia est forma Dei, alia forma serui: sic alia sunt & proprietates & actiones illius, & aliæ istius: quanquam sæpenumerò vnum atque idem est vtriusque ἔργον καὶ ἀποτέλεσμα.

X I I.

Quare minimè consequitur: Ad quemcunq; Christus vnà cum Patre venit secundum formam Dei, ad eundem etiam venit, & in eodem sua substantia manet secundum formam serui, multo vero minus vbique.

X I I I.

Quemadmodum porro non alius, sed idem Christus: sic nec in alio, sed in eodem corpore, in quo passus, mortuus & sepultus fuerat, à mortuis resurrexit.

X I V.

Non enim verè dicitur à mortuis excitari & resurgere: nisi quod verè mortuum ceciderat, illud ipsum denuo viuificatum, resurgat.

X V.

Corpus autem, quo Christus passus, mortuus & sepultus est: corpus fuit verè humanum, visibile, palpabile, circumscriptum. Non igitur post resurrectionem, corpus habuit retinuitq; Christus nisi quod certo loco circumscriptum, vbicunque fuit aut est, videri & contrectari potuit ac potest.

X V I.

Adde quod Apostolus de qualitatibus, quibus corpora ad vitam æternam à mortuis excitata ornabuntur, diligenter disserens, non commemorat vel ἀοράτου, vel ἀπεριγράπτου, vel ἀψηλαφήτου: sed tantùm ἀφθαρσίαν, δόξαν, δύναμιν, veluti est agilitas, & quod resurgent πνευματικὰ, non quod mutanda sit substantia corporea in incorpoream, sed quod (vt vno verbo cum Græcis dicamus) θεῖα, & Spiritu sancto perfectè inhabitante & operante plena futura sunt 1.Cor.15. *Docuit ergo Apostolus, has esse qualitates à corporibus nunquam separandas: nempe quòd sint circumscripta, visibilia, palpabilia. Quare neq; corpus Christi, has deposuit post resurrectionem qualitates.*

X V I I.

Nec valet exceptio, Christum à resurrectione, ianuis clausis ingressum fuisse ad discipulos. Ioh.20.19. *Neq; enim propterea vel inuisibile, vel incircumscriptum, vel impalpabile factum fuit: cùm Christus mox ingressus, & à discipulis conspectus, dixerit, Palpate seu contrectate & videte, quia Spiritus carnem & ossa non habet sicut me videtis habere:* Luc.24. *ac proinde mutatio nulla (vt Patres docent) in corpore Christi facta fuerit, sicuti nec cum deambulabat super aquas vel ipse vel Petrus: sed omnipotentia Deitatis imperium in omnia habentis, fores cesserint vero ac solido corpori Filij Dei.*

X V I I I.

Quare meritò à Patribus non solùm Marcion, Manichæi & alij, qui Christum non verum ac solidum humanum corpus, sed phantasmaticum sumpsisse, omniaq; κατὰ δόκησιν & φαντασίαν egisse docuerunt: verùm etiam Origenistæ, Iohannes Hierosolymitanus, Euticius Constantinopolitanus episcopi & alij, qui dixerunt, Christi corpus post resurrectionem ita factum fuisse spirituale, vt esset subtilius aëre, eoque inuisibile & impalpabile damnati fuerunt. Hier. T.2. ad Pammachium. Greg. in Iob.lib.24.c.29.

X I X.

Cùm autem in Cœna non aliud Christi corpus, quàm illud, quod pro nobis fractum, hoc est, verè passum & mortuum est, nobis edendum detur: efficitur, corpus Christi verum, quod in Cœna edimus, verè circumscriptum, visibile & palpabile esse: Ac proinde, cùm in Cœna nihil præter panem, videatur, tangatur, gustatur: minimè illud sub speciebus panis & vini, aut in paneq; & vino latens atq; absconditum sua substantia reapse contineri.

X X.

Agnoscimus verò Resurrectionem Christi, & caussam & exemplar esse nostræ resurrectionis, tum spiritualis tum corporalis: Spiritualis quidem caussam, propter illud Apostoli ad Rom. 4. Resurrexit propter iustificationem nostri: exemplar vero, propter illud, Sepulti igitur sumus vnà cum illo per Baptismum in mortem, vt quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Rom.6.

X X I.

Corporalis vero caussam esse non dubitamus, propter illud, quod dicit Apostolus, Si Christus resurrexit, & nos resurgemus: 1.Cor.5 *& propter illud quod idem Apostolus ait, Christus primitiæ resurgentium: exemplar vero propter illud, quod ab eodem Apostolo scribitur, Configurabit corpus humilitatis nostræ corpori suo glorioso,* Phil.3.21.

X X I I.

Ex quo etiam sequitur, aut Christi corpus non esse inuisibile, impalpabile, incircumscriptum; aut nostra quoq; corpora futura inuisibilia, impalpabilia, incircumscripta, eoque non corpora spiritualia, sed spiritus incorporeos.

X X I I I.

Cùm enim ait Christus, Palpate & videte, quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere: non solum conclusit, se non esse Spiritum, sed illud in primis docuit, nullas esse carnes, nullave ossa, quæ videri & palpari non possint.

X X I V

Scriptura tradit, & Ecclesia confitetur, Dominum Iesum Christum, posteaquam à mortuis excitatus multis argumentis, per dies quadraginta, se verè resurrexisse, discipulis suis demonstrasset; è terra sursum eleuatum, in cœlum spectantibus Apostolis ascendisse. Sicut igitur non alius Christus quàm qui mortuus fuerat, resurrexit; sic nec alius, aliòve corpore ascendit in cœlum, quàm qui, & quo verè à mortuis resurrexerat. Filius Dei, corpore verè humano, visibili, palpabili, circumscripto.

X X V.

Quare sicut etiam conuersatio eiusdem Domini Iesu Christi, quæ post resurrectionem cum Apostolis per dies quadraginta est conuersatus, non fuit phantasmatica, sed realis ac vera; sic etiam Ascensio non solùm visibilis, sed etiam verè (vt Patres loquuntur) localis fuit: quando Apostoli eum è terra sursum ascendentem viderunt.

X X V I.

Talis autem ascensio atq; motus diuinæ naturæ non conuenit: secundum igitur humanam ascendit.

X X V I I.

Neq; tamen interea inficiamur, quin Christus, vt Deus, sicut dicitur descēdisse de cœlo, quatenus exinaniuit semetipsum, vili forma serui assumpta, inque ea passus est sic etiam rectè dici possit, ascendisse & exaltatus esse in cœlum; quatenus nimirum in eadem forma serui iam glorificata, ipsa etiam forma Dei per & post ascensionem, quodammodo fuit glorificata: hoc est, toti mundo illustris effecta.

X X V I I.

Cæterùm liquet sicuti hæc consecutio non valet, Christus ipse Deus & homo, ascendit motu locali & visibili in cœlum; Ergo secundum etiam Deitatem eodem modo ascendit: sic neq; hanc valere, Christus Deus & homo, nobiscum est vsq; ad consummationem seculi verè & sua essentia præsens; Ergo tam substantia corporis atque animæ, quàm Deitatis essentia, nobiscum est in terris præsens.

X X I X.

Si etiam Apostoli oculis suis Christum corpore suo per loci mutationem è terra sursum ascendentem viderunt: cœlum igitur, in quod ascendit, cœlum vbiquitarium esse non potest, sed procul à terra distet, necesse est.

X X X.

Adde, quod & natura, & omnis æquitas postulat, vt locus cuiq; rei conueniens assignetur; quemadmodum à Deo in rebus ab ipso creatis, factum fuisse videmus. Cùm igitur nulla res creata præstantior inueniri possit ipso Christi corpore, tum propter vnionem cum λόγῳ, tum propter excellentissima omnium dona in eo creata, adeòque & propter perfectissimam gloriam ac felicitatem, in qua iam viuit in aliquo certo & felicissimo loco, illud corpus existat, necesse est.

X X X I.

Neq; nisi ex vera pietate, & vera erga Christum reuerentia proficiscitur, quod credimus corpus Christi, non infra terram, non in terra, non in aquis, non in frustulo panis non in singulis arborum folijs, neq; in aëre, aut in orbibus cœlestibus, sed in loco omnium sicut felicissimo, pulcerrimo perfectissimo, sic etiam altissimo habitare; quem ab Apostolo indicatum fuisse, cum Ambrosio non dubitamus, cùm dixit, se raptum fuisse in tertium cœlum, & in paradisum.

X X X I I.

Accedit, quod eadem scriptura tradit, & fides Catholica *credit ac confitetur, ex eodem cœlo, eundem Iesum Christum in nubibus, ad iudicandum viuos & mortuos, rediturum, nósq; à mortuis excitatos, è terra in eius occursum raptum iri in nubibus, in aëra, & sic semper cum Domino in eodem cœlo futu-*

*ros.*2.Cor.12.2.& 4.Phil.3.20.1.Th.4.16.1.Th.4.17.

XXXIII.

Hoc porrò cœlum, quod & domus Patris, Ioh.14.2. *& vrbs cœlestis, aliisq; nominibus vocatur, supra hos omnes aspectabiles ac mobiles cœlos esse collocatum, euincit scriptura: quæ Christum prædicat, & ascendisse super omnes cœlos, & esse in cœlo.* Eph.4.10.

XXXIV.

Neque enim cœlum, in quo est ipse suo corpore, & in quo futuri nos quoque sumus animis & corporibus nostris, vastum & increatum, nescio quod spacium esse potest: partim quia nihil est increatum, nisi Deus: partim quia apertè ad Hebræos opificium esse Dei prædicatur. Heb.11.10.

XXXV.

Caussa porrò efficiens illius motus, quo corpus in cœlum sursum ferebatur, primaria ac princeps, fuit diuina in eo inhabitans natura, iuxta illud Philip.2. Deus exaltauit illum: item assumtus est (à Deo) in gloriam. Secundaria verò, donum agilitatis, gloriosam consequens resurrectionem, à Deitate in humanam naturam collatum: quo illa caro neq; ab Angelis, neq. à nubibus gestata aut sustentata, vt olim Elias curru igneo, sed sponte, sine vlla molestiæ aut difficultate ascendebat; eoque motus ille non fuit violentus.

XXXVI.

Ipsa verò Christi capitis nostri ascensio caussa & exemplar fuit, atq. est nostra futura in cœlum ascensionis. Quia enim caput ascendit, ideo & membra tandem ascendant, necesse fuerit; Et qualis illa, talis & nostra. Configurabit enim corpora nostra corpori suo glorioso: Phil.3.21. *& raptemur in nubibus obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus* 1.Th.4.17.

XXXVII.

Si igitur nostra, vera erit ascensio, & nos verè è terra in cœlum eleuabimur: Corpus igitur etiam Christi vere è terra in cœlum ascendit, non κατὰ δόκησιν *& putatiuè.*

XXXVIII.

Vtilissima vero est & consolationum plena, hæc de vera Christi in cœlum illud supremum ascensione, perpetuaque in illo mansione, doctrina.

XXXIX.

Primùm enim facit ad fidem de certo loco confirmandam: vbi corpus Christi nobis sit fidei oculis, & manibus, contemplandum, tangendum, apprehendendum: Deinde ad spem constabiliendam: fore scilicet, vt etiam ante corporum resurrectionem, animi nostri à corporibus separati, neq. infra terram descendat, neq; in aquis aut in aëre vagetur, neq; cum orbibus cœlestibus rotentur; sed supra omnes hosce cœlos, in beatissimam illam cœlestem Patris domum perferantur, in quam & Christus suo ingressus est corpore, vt semper sint cum Christo: postremo etiam ad amorem & studium vitæ conuersationisq; cœlestis, in cordibus nostris accendendum: iuxta illud Apostoli, Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, quæ sursum sunt, sapite, vbi Christus est, in dextra Patris sedens. Col.3.1.2.

XL.

De Sessione Christi ad dextram Patris sic loquitur Apostolus: Et sedere fecit (Christum iam à mortuis excitatum, & in cœlum euectum) in supercœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominium, & omne nomē, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro: & omnia subiecit sub pedes illius, &c. At cum ijs, quæcunq; alibi de hac sessione in sacris literis leguntur, aut in symbolis confitetur Ecclesia: consentanea sunt.

XLI.

Nullibi autem legimus, propter sessionem ad dextram Dei, aut Christum, vllum aliud sibi sumpsisse corpus, quocunq. nomine illud vocetur: aut in naturali eius corpore aliquam substantiæ, vel earum naturalium qualitatum, proprietatúmque essentialium quas post resurrectionem retinuit, mutationem fuisse factam. Constat igitur Christum, quo in corpore resurrexit, & quo ascendit in cœlum, visibili nimirum, palpabili & circumscripto: eodem planè etiam sedere ad dextram Patris in excelsis: & vbicunque est, aut esse vult, tale sibi semper corpus retinere.

XLII.

Testatur etiam Apostolus & in symbolis confitetur Ecclesia, Christum prius mortuum, sepultum, ex mortuis excitatum, & in cœlos assumptum fuisse: quàm sederit ad dextram Patris. Aut igitur falsum est, humanam Christi naturam, tum primum accepisse, vt substantia sui corporis vbique realiter esse posset. aut si hoc verum est, non ergo hoc ab vnione accepit hypostatica, quæ in ipsa facta est incarnatione.

XLIII.

Nec valet exceptio, ab vnione hypostatica, hoc fuisse illi datum actu primo, seu vt si vellet, vbique præsens esset, sed à sessione ad dextram concessum fuisse actu secundo, hoc est, vt reipsa vbique præsens esset.

XLIV.

Nam præterquam quod ipsa huius distinctionis nomina, nomina sunt, non ex fontibus Israel, sed ex paludibus sophistarum desumpta, ipse quoq; Christus exceptionem hanc refellit; qui non de actu primo, sed de secundo, hoc est, de actuali præsentia loquens, cùm ante mortem dixit, Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum: tum post resurrectionem, ante ascensionem, Ecce, inquit, vobiscum sum, vsque ad consummationem seculi Matt.18.20.Matt.28.20.

XLV.

Ex quibus etiam dictis luculenter apparet, Christum aut de reali præsentia corporis locutum non esse, sed tantùm de Deitatis præsentia suique Spiritus efficacitate: aut eadem nobiscum, qua tunc cum Apostolis fuit, nimirum visibili, præsentem esse: quando non dixit, Ero, sed sum: neque vt sensus verborum varietur, vlla cogit necessitas.

XLVI.

Adde, quod si de eadem reali corporis præsentia loquebatur, & promissio hæc non ad Apostolos tantùm, sed etiam ad alios omnes fideles, qui tum in mundo erant, pertinebat: haud verum dixisset Christus Non enim aut ante mortem, aut post resurrectionem, visibili præsentia fuit cum omnibus fidelibus, qui tum erant in mundo, & in nomine eius congregati.

XLVII.

Quapropter doctrina de reali & substantiali, sed inuisibili corporis Christi in terris & vbique præsentia, cum sacris literis consentanea non esse, sed ad Manichæorum figmentum potius: qui (vt refert Augustinus contra Faustum) lib.20.cap.11. *corpus Christi ex singulis arboribus inuisibibiter pendere dicebant, accedere videtur.*

XLVIII.

Si etiam non ante resurrectionem, ascensionémq; in cælum, Christus sue corpore sedit ad dextram, vt tota confitetur Ecclesia: impia igitur & hæretica est illorum doctrina, qui docent Christum ab vtero matris secundum carnem assumtam, sedisse ad dextram virtutis Dei.

XLIX.

Si illud quoque verum est, quod Apostolus docet, & tota scriptura confirmat, & Catholica Ecclesia confitetur, Christum non solum tum demum sedisse ad dextram Patris, cum ascendit in cęlum, verum etiam ita in ipso cælo collocatum esse ad dextram Dei, vt nunquam legatur alibi, quàm in cælo ad talem dextram sedere: Ergo non solum dici potest secundum scripturas, Christum alibi quàm in cęlo ad dextram Dei sedere: sed etiam falsum est, eum ita in terris quoque sedere: vt non minus in pane Cœna Dominica, & vbique locorum, quàm in cælo, sui corporis substantia realiter præsens sit.

L.

Nam alibi quoque contradicit Apostolus, præsertim ad Hebræos, vbi ex eo, quod Christus ad dextram throni Maiestatis in cęlis sedens, suo perfungitur sacerdotio, negat illum esse super terram, corporali nimirum præsentia. Heb.8.4.

LI.

Christum porro sedere ad dextram Dei pâtris, figuratam esse locutionem, extra controuersiam esse iudicamus: cum Deus propriè loquendo, neq; dextram, neque sinistram habeat, neque etiam de sellis vel solijs, in quibus sedeatur, carnale aliquid in illo cœlesti regno cogitare fas sit, & sæpe in sacris literis. verbum Sedendi, præter alia significata, pro habitare, pro regnare, pro iudicium exercere, & pro quiescere vsurpetur.

LII.

Quod vero hac phrasi Apostolus noluerit significare, Christum suo corpore vbique locorum vere & substantialiter præsentem esse: prçter ea, quæ dicta sunt, ex ijs etiam, quæ explicationis caussa subdit, luculenter apparet.

LIII.

Illi enim Christi ad dextram Dei Patris sessioni, tria explicationis caussa subijcit Apostolus: primùm, Christum ita collocatum fuisse ad dextram Dei, vt fuerit supra omnem principatum, i. vt nullam supra se, aut sibi æqualem, ne in cælo quidem habuerit creaturam, sed excelsior cęlis, rebúsque omnibus cęlestibus, factus sit: Deinde addit, omnia fuisse ei subiecta, hoc est, infra se eum nihil habere, in quod non habeat ius atque imperium: Tertio, ipsi Ecclesię datum fuisse caput.

LIV. *Sicut*

L I V.

Sicut autem quæ suprà diximus de resurrectione à mortuis, eóque de ascensione intelligenda esse diximus de Christo, secundum humanam naturam: sic etiam hæc cum primis, secundum eandem humanam naturam intelligenda esse, cum Patribus Orthodoxis sensimus.

L V.

Bifariam verò natura humana in Christo supra omnia exaltata fuisse intelligi potest: aut quòad situm localem, sicut & illud: Ascendit supra omnes cœlos. Eph.4.10. vt sit sensus, eam naturam humanam localiter supra omnes res creatas collocatam esse: aut quòad eminentiam dignitatis & imperij, vt sit sensus. Christum quòad humanam etiam naturam præfectum fuisse omnibus rebus creatis, datúmque illi in omnia imperium & potestatem. Duobus enim ijs modis aliquid eiusdem generis dicitur esse supra aliud, aut loco, aut dignitate.

L V I.

Si igitur altero modo dictum intelligatur: inde Vbiquitas concludi non potest: quia Christus ea sua natura humana potest imperium hoc in omnia exercere, etiamsi sui corporis substantia non sit vbique. Si priori modo: Ergo non est vbique: quia quod vbique est, tam est infra, & apud, & intra, quàm supra omnes creaturas.

L V I I.

Paulus autem apertè docet, Christum (quoad humanam naturam) ita à mortuis resurrexisse, vt non fuerit ampliùs inter mortuos, & ita in cœlum ascendisse, vt non fuerit ampliùs in terris, & ita supra omnes creaturas exaltatum sedere ad dextram Patris, vt non sit vel infra, vel intra res creatas, cum omnia sint subiecta pedibus eius.

L V I I I.

Neque caput dici potest sua substantia esse, vbi pedes, licet in eis sit virtute & efficacitate sua: atque etiam tam ipsum pedibus, quàm pedes capiti coniuncti sint sua substantia, per neruos & animam.

L I X.

Apostolus autem dicit, Christum datum esse Ecclesiæ caput, nempe etiam secundum humanitatem: caput autem toti coniunct corpori.

L X.

Nil minus igitur voluit Apostolus verbis de Sessione ad dextram Dei quàm concludere, corpus Christi, sua substantia vbique præsens existere. Quare iniuriam faciunt Apostolo, qui hoc inde concludere suis sophismatibus conantur.

L X I.

Sed neque vlla necessaria consecutione, ex illo articulo fidei, euinci potest talis Vbiquitas.

L X I I.

Etsi enim concederetur (quod non potest concedi) ex sessione ad dextram Dei, humanam naturam factam esse verè in sese omnipotentem: nisi tamen probetur ita esse factam omnipotentem, vt facta etiam sit infinita & immensa: euinci nullo modo potest, corpus Christi sua substantia vbique præsens esse.

L X I I I.

Hæc enim ita sola caussa est, cur etiam Deus verè sua essentia sit vbique: vt si immensitatem ab eo tollas, is vbique esse sua essentia, minimè dici queat.

L X I I I I.

At si etiam corpus fingas infinitum, & ea re vbique esse: in singulis tamen locis totum simul esse, nunquam in æternum probabis nisi illud simplicissimam quoque essentiam esse demonstres: quando etiam Deus ideo totus vbique est, non autem secundum partes, quia simplicissima est essentia.

L X V.

Quare quicquid garriant Vbiquitarij, siue ab vnione hypostatica, siue à dextra Dei, siue à verbis Cœnæ, siue à varijs essendi modis, siue à verbo, Data est mihi omnis potestas, (Matt.28.18.) & similibus dictis argumentantes: paralogismum semper in hac disputatione admittunt (vt de alijs in præsentia taceamus) qui vocatur non caussa pro caussa: nisi illis argumentis demonstrent, substantiam corporis Christi, factam esse immensam ac infinitam, & simul etiam simplicissimam, qualis est essentia Dei.

L X V I.

Neque tamen propterea negamus, quin corpus Domini nostri Iesu Christi, licet in cœlo maneat, nobis tamen reuera præsens sit, sua non solùm efficacitate, sed etiam substantia.

L X V I I.

Sed quomodo, aut quali præsentia? præsentia certè vera sed quæ realiter in nobis fit per eius in nobis Spiritum & per nostram fidem: ac si licet similibus vti, quali præsentia caput singulis membris, etiam pedibus, verè & reapse præsens est.

L X V I I I.

Quomodo autem hæc sibi inuicem præsentia sunt? non loci propinquitate (alioqui enim caput Pygmæi magis præsens esset suis pedibus, quàm caput Gigantis) sed vi vnius animæ, & nexu neruorum ac ligamentorum.

L X I X.

Cùm igitur, secundum scripturas, eodem Spiritu nos nostráque corpora, & corpus Christi simul verè connectantur, ita vt nos simus vnum & idem corpus sub vno eodémque capite, quod Deus dedit Ecclesiæ, nempe Christo: nemo veram hanc præsentiam, sine summa blasphemia, inficiari potest.

L X X.

Cæterùm de Sessione ad dextram nos credimus, Apostolum hac locutione significare voluisse, Christum secundum humanitatem post multos grauissimósque nostræ redemtionis caussa exantlatos in terris labores, toleratósque mortis dolores, nunc in cœlis gloriosum quiescere, cumque Patri carissimum in summa felicitate viuere: in conspectu Dei Patris pro nobis apparere: & eius intercessionem atque λόγον Patri gratissimum esse: regnare item cum Patre, & ab eo iudicem, qui tandem aliquando veniat ad iudicandum viuos & mortuos, constitutum, inque cœlesti solio collocatum esse.

L X X I.

Sedere enim & quiescentis est, vt Tertullianus docuit: & habitantis & regnantis, ac iudicem agentis, vt Augustinus: neque ad dextram sedere dicuntur, nisi qui carissimi sunt & amicissimi.

L X X I I.

Augustinus certè hunc locum sic est interpretatus: De Symbolo ad Catechumenos, lib 1.c.4. Ascendit in cœlum, credite: sedet ad dextram Dei, credite: Sedere, intelligite habitare. quomodo dicimus de quocunque homine, In illa patria sedit per tres annos. Item: Sic ergo credite, habitare Christum in dextra Dei Patris ibi est. Ne dicat vobis cor vestrum, quid agit? Nolite quærere, quod non licet inuenire: Ibi est, sufficit vobis: Beatus est, & à beatitudine, quæ dextra Patris vocatur, ipsius beatitudinis nomen est, dextra Patris. Nam si carnaliter acceperimus, quia sedet ad dextram Patris, ille ad sinistram: nunquid fas est, vt sic illos componamus, Filium ad dextram, Patrem ad sinistram? Ibi omnis dextra est, quia ibi nulla est miseria.

Item, lib.2. c.4. Sessionem istam, dilectissimi, non accipiatis humanis membris positam, tanquam Pater sedeat in sinistra, vt Filius sedeat ad dextram, sed ipsam dextram intelligite potestatem, quam accepit homo ille susceptus à Deo, vt veniat iudicaturus, qui prius venerat iudicandus.

Item, lib.3.c.7. Quis est, qui sedet ad dextram Patris? Homo Christus. Nam in quantum Deus, semper cum Patre & ex Patre. & quando ad nos processit, à Patre non recessit. Hoc enim est esse Deum vbique esse totum. Totus ergo Filius apud Patrem, totus in cœlo, totus in terra, totus in vtero virginis, totus in cruce, totus in inferno, totus in paradiso, quo latronem introduxit. Non per diuersa tempora vel loca dicimus vbique esse totum. vt modò ibi totus sit, & alio tempore alibi totus, sed vt semper vbique sit totus.

Item, ibidem. Sed hoc quòd Filius dicitur sedere ad dextram Patris, demonstratur, quod ipse homo, quem suscepit Christus, potestatem acceperit iudicantis.

Item, lib.4.c.7. Regnat homo tam susceptus à Christo ad dextram Patris sedens.

Item, ibidem. Cæterùm id, quod Deus est, & Patri æqualis est, & semper iudicat, semper præsens est: veniet autem Redemtor in ea forma, in qua assumtus est.

L X X I I I.

Tantum igitur abest, vt sessione ad dextram Dei significare voluerit Apostolus, Christum sui corporis substantia in terris & vbique esse, vt potius contrarium docuisse videatur: quando in cœlo solum, non autem in his terris, perfecta hominum beatitudo consistit, & in cœlis, non autem in terris Deus habitare, & in cœlis potius quàm in terris regnare dicitur: Christusque non è terris, sed è cœlo ad iudicandum viuos & mortuos, venturus esse creditur ac prædicatur.

L X X I X.

Adde, quòd sicut pedes Dei per ἀνθρωποπάθειαν non in cœlis esse dicuntur, sed in terris, iuxta illud, Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Act.7.49. sic etiam eiusdem dextra in cœlis potiùs, quàm in terris locum habere, haud immeritò dici à nobis potest.

LXXV.

Concludimus ergo, sicut ex doctrina Apostolica de resurrectione à mortuis & de ascensione in cœlum, demonstrari non potest vbiquitas corporis Christi, sed potius refellitur: sic neque ex ea, quæ de Sessione est ad dextram Dei, eam necessariò inferri posse.

LXXVI.

Immo si talis Vbiquitas admittatur, dicimus omnes hos Fidei articulos, de Incarnatione in vtero duntaxat virginis facta, de vera morte, hoc est, vera animi à corpore separatione, de vera carnis resurrectione, de vera & visibili è terris in cœlum ascensione, de vera ad dextram Patris in supercœlestibus ascensione, denique de visibili reditu ex ijsdem locis ad iudicandum viuos & mortuos, non tam labefactari, quàm penitus euerti.

LXXVII.

Corpus enim quod vbique est, è loco ad locum secundum se totum non moueri tum vera philosophia demonstrat, tum etiam Christiana Theologia confirmat, quæ docet, Deum ideo non moueri è loco ad locum, quia immensus cùm sit, omnia implet.

LXXVIII.

Neque etiam quod vbique est corpus, illud vel ad dextram vel ad sinistram alterius sedere rectè dici potest, sed confundas substantiam sedentis, cum substantia dextræ, ad quam & cum substantia eius, cuius est dextra, necesse est cùm ideo etiam Pater, Filius & Spiritus sanctus cœlum & terram implentes vbique sint, & omnes & singuli, quia omnes vna sunt eademque essentia.

LXXIX.

Ad extremum sentimus doctrinam hanc de inuisibili & impalpabili carnis Christi vbique præsentia, neque veram neque salutarem esse.

LXXX.

Non veram quidem, quia nondum eam aut manifestis sacrarum literarum testimonijs, aut necessarijs inde deductis consecutionibus, demonstrari, videre potuimus: Immo eam cum sacris literis, & cum Catholico veteris Ecclesiæ consensu ad fidei regulam, symbolo Apostolico comprehensam, diligenter examinatis pugnare animaduertimus.

LXXXI.

Atque ita illam cum scripturis pugnare obseruauimus, vt & quæ symbolum tradit, & quæ Vbiquitariæ doctrinæ autores scribunt, simul admittere, sine manifesta contradictionis implicatione non possit.

LXXXII.

Non salutarem verò: quia quod cum verbo Dei consentaneum non est, illud tanquam consentaneum & ad salutem necessarium proponere, credere aut seruare, peccatum est, dicente Domino. Non addas neque detrahas: Deut.12.32. *& Apostolo Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Rom.14.23. *stipendium autem peccati, mors est.* Rom.6 23

LXXXIII.

Denique, quia si opinio illa de Vbiquitate corporis Christi, vera esse credatur: impedimentò fuerit, ne quis veram Christi carnem in cœlo existentem mente per Christum subleuata apprehendat & edat: quò tamen & Apostolus & Ecclesia nos vocant, dicendo: Sursum corda. Item. Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextra Dei sedens. Col.3.1.

LXXXIV.

Nihil minus igitur, quàm carnem Christi edunt, qui eam non in cœlo, vbi reuera est contemplantur? sed vbique sua substantia realiter præsentem esse imaginantur Æsopicus canis, relicta vera carne, vanam carnis vmbram, quia videbatur grandius frustum, stultè persecutus est.

Quæstio ex 1 Iohan.4.3.

D.Iohannes Antichristum describens, ait: *Omnis Spiritus, qui non confitetur, Iesum Christum in carne (verè humana) venisse, ex Deo non est: Et hic est Spiritus ille Antichristi.*

Cùm verò Christus, quam semel assumsit carnem, eam nunquam deposuerit, sed secum in cœlum attulerit, & in ea omnibus hominibus conspicua, ad iudicandum viuos & mortuos, in nubibus rediturus sit: Quæritur, Cuiusnam Spiritus illi sint, & quo nomine appellãdi, qui Domino nostro Iesu Christo, nescio quam carnem inuisibilem, incircunscriptam, impalpabilem, vbique locorum, in cœlis & Astris, in aëre, in terra, subtus terram, in inferno, & in singulis partium mundi partibus, & partium particulis, particularúmque minimis particulis, totam totaque (si Deo placet) substantia, realiter existentem, contra Scripturam, & contra Orthodoxorum Ecclesiæ Catholicæ consensum affingere cum veteribus hæreticis non dubitant.

DE DISPENSATIONE SALVTIS PER CHRISTVM EX I. CAP. AD EPHESIOS. v.7.8. &c.

THESES.

Anno 80.

I.

Dominus noster Iesus Christus, in quo ad æternam salutem electi fuimus, non solum nos semel redemit, per sanguinem suum, remissione peccatorum impetrata, & victoria parta: verùm etiam redemtionis & salutis gratiam, quotidie nobis dispensat, atque communicat.

II.

Perfecti enim redemtoris est, non solùm dato [illegible] redimere, verùm etiam redemtionem factam, redemtis significare, eosq; è manibus tyranni in libertatem reipsa asserere: quemadmodum boni etiam capitis est, quam in se habet vitam, sensum, ac motum, eum in membra deriuare.

III.

Dispensare autem solet Christus hanc salutis gratiam, per sermonem veritatis, hoc est per Euangelium salutis nostræ, cum quo Sacramenta etiam tanquam sigilla, & salutis organa coniungimus.

IV.

Euangelio enim, notum nobis facit mysterium voluntatis diuinæ, de nobis per Christum ipsum seruandis, & omnibus tam quæ in cœlo, quàm quæ in terra sunt, colligendis, & vni capiti Christo adglutinandis.

V.

Nec solum per Euangelium, notum facit salutis mysterium, verùm etiam ad se, & ad sui [illegible], eoque ad redemptionis salutisque participationem, nos efficaciter vocat atque trahit.

VI.

Ad Euangelij enim prædicationem, excitare consueuit fidem in cordibus nostris: qua credamus in eum, & in eius communionem recipiamur.

VII.

Donat etiam Spiritum sanctum, per quem nos regenerat & impressa Dei imagine, ad plenam æternæ hæreditatis possessionem obsignat.

VIII.

Per eundem Spiritum nos ad studium sanctæ vitæ, bonorumque operum excitat, agit, ducit.

IX.

Ac si in peccata (quæ nostra est imbecillitas) labimur, inde nos donata resipiscentia subleuat: & de remissione certiores facit: & ea re per ipsum Spiritum, tanquam per arrhabonem, nos in certitudine salutis æternæ, magis ac magis in dies confirmat.

X.

Facit verò hæc in nobis Christus officia, nunquam nos penitus deserens, donec tandem à prima [illegible] quæ est à reatu & seruitute peccati, & à potestate diaboli, ad alteram [illegible], nimirum [illegible] quæ in perfecta assertione, plenaq; cœlestis hæreditatis possessione consistit, pro sua gratia, immensaque erga nos beneuolentia perducat.

XI.

Cæterùm Dominus Iesus, sicut redemtor noster [illegible] tiue Ecclesiæ, secundum vtramque naturam [illegible] salutem vitamque æternam communicat, non solùm qua Deus, sed etiam qua homo est: iuxta illud: Confide fili remissa sunt tibi peccata tua: Et mox, Vt autem sciatis, quòd Filius hominis potestatem habeat remittendi peccata, dicit paralytico) Surge tolle tuum lectum, & abi domum tuam: vtraque natura, cum communione alterius, quod proprium est, operante.

XII.

Sicut enim naturæ ita vnitæ sunt inter se, in vna persona, vt tamen neq; inter ipsas, neq; inter ipsarum proprietates, vlla facta sit vel mutatio vel confusio: sic etiam actiones ita vnius eiusdemque sunt personæ actiones, vt tamen verè inter se distinguantur, atque ita distinguantur, vt quæ ab vna sunt natura, illiusque propriæ, eas, licet cum alterius fiant communione, ab altera tamen, aut secundum alteram à Christo fieri, nefas sit dicere.

XIII.

Quapropter sicut probamus Patres, cùm dicunt, actiones Christi in nobis redimendis atq; seruãdis, actiones fuisse & esse [illegible]: sic etiam dictũ illud Leonis Episcopi Romani celeberrimum, in Epistola ad Flauianum, vehementer laudamus, firmaq; fide retinen-

retinendum esse, docemus: nimirum, Agit enim vtraq; forma cum communione alterius, quod proprium est: verbo scilicet operante quod verbi est, & carne exequente quod carnis est.

XIV.

Passus enim est pro nobis & mortuus, & sepultus, secundum carnem: sed gratiam promerendi, & redimendi dedit passioni, per quam nos redemit, secundum Deitatem: omnia verò hæc voluit secundum vtramque naturam

XV.

Resurrexit item à mortuis & visibili localique ascensione ascendit in cœlum exaltatus supra omnes Angelos, secundum humanitatem, sed resurrectionem ipsam, ascensionem & exaltationem, operatus est secundum diuinitatem: voluit autem secundum vtriusque naturæ voluntatem.

XVI.

Quemadmodum igitur credimus Christum nos redemisse secundum vtramque naturam, iuxta illud, Actor. 20. Deus Ecclesiam suam acquisiuit per proprium sanguinem: sic etiam non dubitamus eundem ad dexteram Patris in supercœlestibus sedentem ac quiescentem omniaque cum Patre regentem, gratiam redemtionis æternæque salutis, toti Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, singulisque eius membris, secundum vtramque naturam, è cœlo dispensare ac communicare: verbo quod verbi est, & carne quod carnis est, efficiente.

XVII.

Etsi enim ministerio verbi & Sacramentorum per homines ad salutem nobis communicandam vtitur: ipse tamen Christus, quà Deus, & quà homo, is propriè est, qui nos vocat, fide & resipiscentia donat, ac credentes κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ iustificat, regenerat, viuificat, seruatque in vitam æternam.

XVIII.

Proinde fides etiam nostra qua salutem in Christo, vitamque æternam apprehendimus, non in vnam aut in alteram seorsum naturam, sed in totum ipsum Christum, respicere & recumbere debet, quemadmodum & Ephesii fidem dicuntur habuisse ἐν κυρίῳ Ἰησοῦ.

XIX.

Ex quo sequitur, qui in Christo aut alterutram naturam negant, aut alteram ab altera diuidunt, aut vtramque simul confundunt, ita, vt eum aut pro vero Deo, aut pro vero homine, nobis per omnia simili excepto peccato non agnoscant, & vt talem eoque verum, & perfectum redemtorem non amplectantur: eos redemtionis, æternæque salutis compotes fieri non posse.

XX.

Nam sicut qui credit in Christum, qualis est, habet vitam æternam: sic qui non credit, eam habere non potest.

DE IIS, QVÆ DE DOMINO NOSTRO IESV CHRISTO POST VNIONEM, PRÆDICANTUR: & quonam modo prædicentur. Ex Epistola ad Ephesios cap. 1.

THESES.

Anno 82.

I.

Apostolus scribit, Christum à mortuis excitatum, eòque verè mortuum fuisse: alibi verò, Dominum gloriæ fuisse crucifixum: sed & sæpe legimus, Filium hominis fuisse morti traditum. In iis autem omnibus enuntiationibus, de eadem persona, Filio nimirum Dei incarnato, semper est sermo. Persona ergo Christi, quæ in his propositionibus subijcitur, tribus nominum generibus significari solet: nimirum, quæ aut diuinam tantùm naturam, modò ratione essentiæ, modò ratione hypostaseos, notant: vt, Dominus gloriæ, vnigenitus Dei Filius: aut humanam duntaxat eodem modo, vt homo, Filius Mariæ: aut vtranque simul, vt Christus Immanuel, Deus incarnatus.

II.

Addimus verò, nominibus etiam, quæ ab officijs Mediatoris denominantur, personam ipsam Christi significari: Veluti sunt hæc: Mediator, redemtor, seruator, pontifex, aduocatus, & his similia. Sed hæc ad tertium genus referri possunt: quia ijs vtraque natura in vna persona indicatur.

III.

Nomina concretiua à naturis denominata, vt homo ab humanitate, & Deus à Deitate, cum in sermonibus de Christo subijciuntur duo simul habent significata: vnum formale (vt loquuntur Schol.) & alterum materiale: quorum priore natura ipsa, altero persona notatur, quæ talem habet naturam à qua denominata est.

IV.

Sicut enim nomina abstractiua solam naturam & proprietatem, quæ alicui inest, significant: sic omnia concretiua, & naturam ac qualitatem, quæ inest, & hypostasin, cui inest, connotant: Vt exempli caussa, nomen iusti, & iustitiam, qua, & eum qui iustus est, simul demonstrat.

V.

In his itaque subiectis nominibus, quæ à naturis denominata, personam Christi monstrant: modò naturæ proprietas, modò vnitas personæ indicatur, ac proinde pro varietate prædicatorum intelligenda & explicanda sunt subiecta.

VI.

In hac enim oratione, Filius Dei, æternus est: subiectum, secundum proprietatem naturæ, explicandum est. In hac autem, Filius Dei vnigenitus, passus est: secundum vnitatem personæ. Passus enim est ille, qui non solùm homo, sed etiam Deus est: Deitate impassibili permanente.

VII.

Non inficiamur, quin nonnunquam inueniantur nomina abstractiua, quæ subiiciantur, vt, Lux venit in mundum: sicut & quæ prædicantur, vt, Christus est lux mundi, nostra iustitia, pax: sed illa vicem tenet concretiuorum: Vt, lux venit in mundum, id est, Ille, qui nos illuminat. Proinde pro talium nominum ratione ad aliquod illorum trium generum referenda sunt.

VIII.

Tria porrò sunt attributorum genera, quæ de eadem Dei & hominis Christi persona, quouis nomine significetur, prædicari solent. Quædam enim propria sunt diuinæ naturæ, eòque alteri naturæ, minimè realiter communicabilia: vt, esse impatibilem, æternum, immensum. Quædam propria humanæ, eòque alteri reipsa prorsus ἀκοινώνητα, vt esse factum, finitum, patibilem. Alia verè propria totius personæ, vtraque natura constantis, ac proinde vtrique simul naturæ communia: Vt, esse Mediatorem, Redemtorem, Seruatorem.

IX.

Ad tertium hoc genus pertinent actiones, quas Græci patres θεανδρικὰς ἐνεργείας appellarunt: quòd in operibus redemtionis, vtraque forma agat, non quòd alterius, sed quod proprium est, verùm cum communione alterius, Verbo agente, quod Verbi est, & carne exequente, quòd carnis est.

X.

Horum trium generum attributorum, haud dissimile exemplum in nobis ipsis reperimus. In homine enim quædam solius animæ propria sunt: Vt, immortale esse, intelligere, velle. Quædam solius corporis, vt, esse mortale, palpabile, ponderosum. Quædam vtrique communia, vti sunt ea opera, ad quæ peragenda, vtraque hominis pars agit, quod suum est, cum alterius communione: qualia sunt scribere, loqui, currere, & denique quæcunque ministerio quidem corporis sed non nisi vi & ductu animæ perficiuntur.

XI.

Ex ijs verò, quæ de subiectis & prædicatis diuersis dicta sunt, sequitur diuersitas etiam prædicationis. Omnis igitur de Christo prædicatio aut propria est & simplex, aut impropria & figurata.

XII.

Propria ac simplex, duobus contingit modis. Vnus est, cùm quæ sunt vnius naturæ propria: ea de persona Christi, nomine, vel ab eadem natura denominato, vel personæ proprio, expressa, prædicantur: Vt, hic Deus noster, vel Christus, omnipotens est, & vbique præsens. Item, hic homo, vel Christus, passus ac mortuus est. Alter est, cum quæ totius sunt personæ propria: ea de tota etiam persona, nomine vtramque naturam complectente, significata, prædicantur, qualia sunt ea, quæ ad officium Mediatoris, & honorem capitis pertinent: Vt, Christus, Immanuel, Deus incarnatus, nos redemit, sanctificauit, seruauit, est rex, adorandus: quæ idcirco dicuntur personæ propria, quia neutri naturæ seorsum rectè accommodari possunt. Sunt autem omnes hæ enunciationes propriæ ac simplices: quia in ijs omnibus, quæ eiusdem generis sunt, connectuntur prædicata cum subiectis.

XIII.

Impropria autem & figurata itidem duplex est. Vna, cùm quæ totius sunt personæ, siue ad officium Mediatoris, siue ad honorem capitis pertinentia: ea de altera natura, siue abstractiuo, siue concretiuo nomine significata, prædicantur: Vt caro viuificat, sanguis lauat à peccatis. Deus redemit Ecclesiam, Mediator Dei & hominum homo, &c.

Altera, cùm quod vnius est naturæ proprium, de altera natura concretiuo nomine significata, & personam connotante,

prædicatur: Vt, Deus passus ac mortuus est: Homo cùm esset in terris, simul etiam erat in cœlis.

X I V.

In iis enim alterius modi propositionibus improprijs, diuersorum generum idiomata, seu concretiua nomina copulantur: & ideo impropriè dicitur Deus passus, quatenus nomen Dei, sua propria significatione essentiam diuinam significat, quæ pati non potest: sed respectu connotatæ personæ, quę etiam homo est, vera est, licet impropria, propositio: & ideo συνεκδοχικῶς etiam hæc dicuntur de tota persona, cùm tamen ei reuera non congruant, nisi vnius naturę respectu.

X V.

Hanc alteram orationis impropriæ formam, cum Græcis vocamus κοινωνίαν ἰδιωμάτων: quam Theodoretus explicans vocat κοινωνίαν, & κοινότητα τῶν ὀνομάτων: Et Damascenus, τρόπον τῆς ἀντιδόσεως λέγεσθαι. Dia. 3. p. 68. Lib. 3. c. 3. & 4.

X V I.

Idioma enim illis fuit nomen concretiuum, ἰδιότητα, proprietatem alicuius naturæ significans: & κοινωνία, seu ἀντίδοσις fuit mutua & reciproca ἰδιωμάτων vnius, de concretiuo alterius naturæ nomine personam connotante, prædicatio: vt summa sit inscitia, putare, cùm Patres de communicatione idiomatum loquebantur, eos de reali essentialium proprietatum vnius naturæ in alteram, vel effusione, vel communicatione, disserere voluisse: cùm apertè scribant: ἀ[illegible] κοινὰ ταῦτα τὰ ὀνόματα: nusquam autem, τὰ πράγματα.

X V I I.

Si enim de naturis ipsis, quæ in Christo sunt, nobis sit sermo: Theodoretus Dial. 3. cum aliis patribus docet, sic nobis loquendum esse, vt non, quę vnius sunt ἴδια, alteri etiam reapse communia esse doceamus: sed, vt quæ cuiusque sunt, illi etiam soli tribuamus, quemadmodum & quę sunt animæ, non damus corpori, sed animę soli, & contra. Si verò de persona loquamur: sic componendam esse orationem, vt quæ cuiusque naturæ sunt ἴδια, ea etiam toti personæ verè & reipsa communia esse significemus: quemadmodum etiam, tam quæ sunt animæ, quam quæ sunt corporis, toti homini realiter & in veritate tribuimus.

Sunt autem hæc eius verba, post allatum simile animę & corporis, totiusque hominis: [Greek passage illegible] ... καὶ υἱὸν Θεοῦ, καὶ υἱὸν ἀνθρώπου: καὶ υἱὸν Δαβίδ, καὶ κύριον Δαβίδ, καὶ σπέρμα Ἀβραάμ, καὶ ποιητὴν Ἀβραάμ: καὶ τὰ ἄλλα πάντα ὡσαύτως.

Eandem doctrinam ex Amphilochio Iconij Episcopo, & ex alijs Patribus passim in suis dialogis confirmat. Dia. 1. p. 19. Dia. 3. p. 17.

X V I I I.

Damascenus quoque vt eandem rem explicaret, nimirum, quomodo, quæ vnius sunt naturæ, alteri communicentur, nempe in persona: In hæc verba scribit: [Greek passage illegible] ... καὶ τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν.

X I X.

Quo ex loco non obscurè liquet: primùm, non minùs, quæ sunt carnis, attribui λόγῳ, quàm, quæ λόγου, carni: Deinde non alio modo, quę λόγου sunt, carni tribui, quàm quo, quę carnis sunt, λόγῳ attribuuntur: Denique modum hunc, modum vocari ἀντιδόσεως, id est, mutuę prędicationis, non simpliciter & in naturarum nominibus abstractis, sed in concretis; personam notantibus.

X X.

Quis porrò sit ἀντιδόσεως τρόπος, & cur sic vocetur, explicat idem Damascenus cap. 4. tum exemplis, tum ad finem, his verbis: [Greek passage illegible] ... ἀπαθὴς, καὶ ἀπερίγραπτος.

Exempla verò subiecta, quomodo vna natura τὰ ἴδια alteri attribuat, & propter quam causam: luculenter docent. Non enim Deus prout hoc nomine significatur essentia diuina, in terris visus est: sed tantùm prout significatur persona, quę & Deus & homo est.

X X I.

Ideo non displicet illa recepta κοινωνίας ἰδιωμάτων descriptio.

Communicatio Idiomatum, est prędicatio, in qua proprietas vni naturę conueniens, tribuitur personę, in concreto: quia hę duę naturę, λόγος & natura assumta, sunt vnum ὑφιστάμενον.

X X I I.

Sit ergo non malè definiri posse idiomatum communicationẽ, iudicamus: Idiomatum communicatio, est prædicatio, seu forma sermonis: in qua Idioma, hoc est, nomen concretiuum vnius naturę proprietatem significans, de persona Christi alterius naturę nomine significata, realiter: de natura autem ipsa altera in concreto, nominetenus, propter περιχώρησιν naturarum & vnionem καθ' ὑπόστασιν prædicatur.

X X I I I.

Idem autem esse dicimus, prædicari de persona, concretiue alterius naturæ nomine, significata: atque de concretiuo alterius naturæ nomine personam connotante, prædicari: sicut etiam idioma in hoc negotio, & concretiuum nomen ἰδιότητα vnius naturæ significans, idem sunt.

X X I V.

Quæstio enim hæc à Patribus aduersus hæreticos, non tam de rebus ipsis proposita fuit, quàm de formis loquendi, quibus scriptura sancta de Christo loquens vtitur: cùm modò ait, Dominum gloriæ crucifixum esse: modò, Filium hominis, cùm esset in terris, fuisse etiam in cœlo: & alia ijs similia: quomodo nimirum hæ phrases sint intelligendæ.

X X V.

Nemo enim rectè sentientium dubitabat, sicut naturas, sic etiam essentiales vtriusque naturæ proprietates, in persona Christi post vnionem, distinctas, integras, inconfusas mansisse: ita, vt nec Deitas (exempli causa) facta sit passibilis, & localis, nec humanitas, impassibilis & incircumscripta: quemadmodum hæretici nonnulli scripturas adulterantes blasphemarunt.

X X V I.

Fundamentum autem totius huius explicationis, fuit vera & intima duarum naturarum inter se vnitio, & in vnam eandémque personam coitio ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως & ἀδιαιρέτως, atque ἀχωρίστως, ineffabiliter effecta.

X X V I I.

Hoc enim explicans Damasc. lib. 3. c. 3. postquam docuisset, quemodo quæ sunt carnis, attribuantur λόγῳ, & vicissim, quæ λόγου, ipsi carni communicentur, nempe κατὰ τὸν τῆς ἀντιδόσεως τρόπον: causam huius rei subiecit, dicens: διὰ τὴν εἰς ἄλληλα τῶν μερῶν περιχώρησιν, καὶ τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν: Et cap. 4. οὗτος δέ ἐστιν (inquit) ὁ τρόπος τῆς ἀντιδόσεως, ἑκατέρας φύσεως ἀντιδιδούσης τῇ ἑτέρᾳ τὰ ἴδια, διὰ τὴν ὑποστάσεως ταυτότητα, καὶ τὴν εἰς ἄλληλα αὐτῶν περιχώρησιν.

X X V I I I.

Περιχώρησις autem, ipsa est ἕνωσις, hoc est, intima & vndique perfecta atque absoluta vnitio, vt ipse, cùm alibi, tum maximè lib. 4. c. 19. explicauit, dicens: ἀλλ' ἡ θεία φύσις ἅπαξ περιχωρήσασα διὰ τῆς σαρκὸς ... καὶ τῇ σαρκὶ, τὴν πρὸς αὐτὴν ἄρρητον περιχώρησιν, ἣν δὴ ἕνωσιν λέγομεν.

X X I X.

Addimus nos, eandem vnionem causam etiam esse finalem huiusce formæ loquendi: quoniam ideo hæc reciproca prædicatio tradita est à scriptura sancta, vt vera naturarum ἕνωσις in vna Christi persona ostenderetur: quæ causa est, cur neque hæ verbales prædicationes, inanes aut vanæ vllo modo dici possint: cùm maximum habeant vsum, duas naturas in vnam personam ἀσυγχύτως vnitas, ostendentes.

X X X.

Eandem porrò idiomatum communicationem (exempli causa, in hac propositione, Deus est crucifixus) & verbalem esse dicimus & realem, diuersis respectibus. Quatenus enim hac voce concretiua, Deus, significatur persona, quæ non solùm Deus est, sed etiam homo, realis est prædicatio. Nam, quia homo est, ideo verè & reipsa mortuus est. Quatenus autem formali, vt vocant significatione, notatur Deitas, seu Deus simpliciter: verbalis est, & quidem vera. Deus enim verè dicitur esse mortuus, propter personam quæ connotatur: nec tamen reapse mortuum est, aut mori potuit, quod Deus est: tametsi qui Deus est, reuera mortuus sit.

X X X I.

His ita explicatis: facilè est, de variis enunciationibus, quænam veræ sint, quæ falsæ, & quo quæque prædicationis modo enuntietur, iudicare.

Reg. 1. De vna natura, abstractiuo nomine significata: altera natura, eiúsve proprietates, neque per abstractiuum, neque per concretiuum nomen vllo modo prædicari possunt. Tam enim falsa est hæc, Humana natura, seu humanitas, est Deus: quàm hæc, humanitas est Deitas: Et tam hæc, humanitas est immensa & infinita: quàm hæc, Humanitas, est ipsa immensitas atque infinitas.

Proinde nulla in sacris literis huius generis locutio reperitur.

XXXII. 2. De

XXXII.

2. *De vna natura siue concretiuo siue abstractiuo nomine significata: altera natura, eiusve proprietates, in abstracto prædicari non possunt Vtraq; enim hæc propositio falsa est, Deus est humanitas, & Deitas est humanitas.*

XXXIII.

3. *De quauis natura quocunq; nomine significetur: quæcunque illius sunt, verè ac propriè prædicantur, idque in concreto de vtraque: de diuina autem, etiam in abstracto, propter eius simplicitatem. Tam enim vera ac propria est hæc, Deitas est omnipotens, quàm hæc, Deus est omnipotens, atque etiam sua omnipotentia. Et rursus, humanitas & homo est mutabilis.*

XXXIV.

4. *De persona, nomine proprio & vtramque naturam notante, aut nomine Mediatoris officium significanse, expressa: tã quæ vnius, quàm quæ alterius, aut vtriusq; simul sunt naturæ, verè & propriè prædicantur: Vt Christus est Deus vel omnipotens. Item Christus est homo, est mortuus. Item Christus est Redemtor, Mediator. Item Mediator est Deus, est homo, est immortalis, est mortuus, redemit nos.*

XXXV.

5. *De persona, per nomen vnius naturæ significata: quæ sunt illius naturæ, verè & propriè prædicantur: Vt, hic Deus, aut vnigenitus Dei Filius, æternus & omnipotens est. Item hic homo, aut Filius hominis, in nouissimis diebus natus est, mortuus est.*

XXXVI.

6. *De vna natura, siue abstractiuo, siue concretiuo nomine significata, quæ sunt totius personæ, non nisi* συνεκδοχικῶς *parte pro toto sumta, prędicari possunt: Vt caro viuificat, Deus redemit Ecclesiam.*

XXXVII.

Quocirca illud Leonis, vtraq; forma agit, quod suum est. idem esse, cum Damasceno dicimus, cum eo quod est (idq; propriè) Christus secundum vtramque formam agit. Actiones enim suppositorum propriè sunt, seu personarum.

XXXVIII.

Sic quod Ioh. ait, Sanguis eius lauat nos à peccatis: Et Christus. Caro mea, verè est cibus. Item quòd viuificare, quódq; adoranda esse dicitur: nomina illa pro concretiuis ponuntur: nempe, caro Christi, pro Christo incarnato: Et sanguis Christi, pro, Christus suo sanguine.

XXXIX.

Qui enim dixit, Qui edit carnem meam. habet vitam æternam: idem dixit, Qui manducat me. ipse viuet propter me Et qui scripsit, Sanguis eius lauat nos à peccatis: idem explicans sese, ait, Christus lauabit nos à peccatis nostris, in suo sanguine. Et qui definierunt, carnem Christi adorandam esse, ijdem causam expresserunt: nempe, non quia caro. sed quia caro Dei est, eóque propriè non carnem, sed Deum incarnatum, θεὸν ἐνανθρωπήσαντα, *à Christianis adorari.* Cyrill. in expli. anathemat. 3. Dam. li. 3. c. 8. & li. 4. cap. 3.

XL.

7. *De persona per nomen vnius naturæ indicata, quæ sunt alterius naturæ. verè quidem & realiter, sed impropriè ac figuratè, per communicationem idiomatum prædicantur, Vt. Filius hominis, in cœlo simul est, & in terris. Item, vnigenitus, & Dominus gloriæ, crucifixus est.*

XLI.

8. *Hinc etiam alia sequitur: de natura vna, concretiuo nomine expressa, quæ sunt alterius propria, ea verè quidem propter personam connotatam, sed tamen non realiter, verùm nominetenus tantùm prædicantur: vt Deus formali significatione acceptus, mortuus est: homo, æternus est.*

XLII.

Quare illa per communicationem idiomatum prædicari dicimus: quę, cùm sint propria vnius naturæ, alteri quoque, in concreto. [illegible] *modo communia sunt: dū nimirum personę, cuius vtraque natura pars est, hæc realiter attribuuntur.*

XLIII.

Cùm enim Christus verissimè & realissimè sit & Deus & homo: vere etiam ac realiter, & passum esse (exempli causa) secundum scilicet vnam naturam: & nihil esse passum, secundùm scilicet alteram; dicere, & cum tota Ecclesia prędicare, non dubitamus.

XLIV.

Ac cùm scriptura dicat, & Deum ἀθάνατον *esse, & eundem esse mortuum seu crucifixum: in priori sermone nomen Dei* οὐσιωδῶς, *in altero,* ὑποστατικῶς *accipi, docemus; ac proinde in oratione de Christo, vtrumque verum esse; sed diuerso prędicandi modo, de eodem vtrumque enunciari.*

XLV.

9. *Quæcunque in tempore, Christo, post vnionem, realiter data fuisse, leguntur; ea de persona, respectu humanitatis, eóq; & de humanitate ipsa realiter & propriè prædicantur; respectu autem diuinitatis, idque concretiuo nomine indicatæ, non nisi per communicationem idiomatum prædicari intelligenda sunt. Exemplum primi, Iesa 11. requiescet super eum Spiritus sapientiæ, &c. Exemplum secundi, Ioh. 3. Dedit ei (filio, qui de cœlo est, quem misit Deus pater) Spiritum non ad mensuram. Neque enim quatenus filius vnigenitus, Spiritum accepisse realiter, sed tantùm per communicationem idiomatum, dici potest.*

XLVI.

Quę autem hoc modo data fuisse fatemur; ea non fuerunt essentiales Dei proprietates, sed dona tantùm creatitia, & gratia, vt vocant, habituales. Quę partim ad humanæ in Christo naturæ perfectionem; partim ad officia mediatoris perficienda, partim ad honorem capitis Ecclesiæ pertinent.

XLVII.

Proprietates enim Dei essentiales, cum natura quidem humana realissimè vnita sunt in eadem persona; sed realiter illi in ipsa eius οὐσίᾳ *nequaquam sunt communicata.*

XLVIII.

Nam (vt alias propè infinitas rationes omittamus, & testimonia tum Apostolorum tum veterum Patrum) Quęcunque accepit Christus, vt homo, in sua nimirum humanæ naturæ οὐσίᾳ; ea accepit, vt tanquam caput, illa in sua membra deriuaret; testibus Athanasio & Cyrillo; quando ideo etiam se sanctificauit, vt nos quoque essemus sanctificati; & oleum super caput Aaronis effusum fuit, vt in omnia reliqua eius membra, ad fimbriam vsque vestis, deflueret. Athanas. contra Apoll. p. 531. Cyrill. lib. The. 8. c. 1.

XLIX.

Quis autem essentiales Dei proprietates in nos deriuatum iri dixerit, nisi insanus?

L.

Causa etiam, cur Christus, quà Deus est, creatitia dona accepisse, dici non possit; hæc à Cyrillo assignatur; Cyrill. ad Reg. lib. 2. *quia, vt Deus, ijs non egebat. Ergo, si etiam, quà homo est, essentiales Dei proprietates, sibi realiter communicatas accepit, creatitia Spiritus S. dona nequaquam accepisse dicendus fuerit. Quorsum enim finita potentia ei, qui infinita realiter sibi communicata præditus est?*

FINIS.

COMPENDIVM PRAECIPVORVM CAPITVM DOCTRINAE CHRISTIANAE,

QVONDAM A CLARISSIMO VIRO D. HIERONYMO ZANCHIO, S.S. THEOLOGIAE Doctore, in priuatum vſum conſcriptum.

NOBILISSIMO AC OMNI VIRTVTVM GENERE ORNATISSIMO IVVENI DN. WILHELMO KVROVIO A WICHLABI, &c. DOMINO COLENDO.

MIRABVNTVR *fortasse nonnulli, quæ nos causa impulerint. vt hoc Compendium præcipuorum doctrinæ Christianæ capitum à Reuer. Patre nostro D.Hieronymo Zanchio, p. m. in priuatum vsum conscriptum, nunc demum in publicum proferamus: quum in hoc genere plurima summorum quorumque Theologorum scripta, eaque perfecta, & elaborata, iam anteà extent, adeò vt eiusmodi periocharum numerus minuendus potius, quam augendus videatur.*

His etsi non deest, quod respondeamus: vnius tamen Augustini iudicium audire & in mentem sibi reuocare velimus, qui libr. 1. de Trinitate cap. 3. Vtile est, ait plures libros à pluribus fieri diuerso stylo, non diuersa fide: etiam de quæstionibus eisdem, vt ad plurimos res ipsa perueniat, ad alios sic, ad alios autem sic. Hæc ille.

Et sanè si quanta sit hoc seculo iudiciorum varietas expendamus: ex vsu & re Ecclesiæ esse fateamur oportet, eandem doctrinam passim in plurimis pulpitis sonare, & licet dissimili methodo, & dicendi facultate à diuersis proponi, & inculcari. Sunt quos tædium cepit librorum antehac editorum, & noua delectant: sunt quibus hic vel ille autor non arridet: qui in vno concisam breuitatem & obscuritatem: in alio diffusam copiam & prolixitatem carpant: nec desunt, qui in nostris doctoribus consensum desiderent. His omnibus satisfacere posset (si quidem satisfieri sibi patiantur) tanta scriptorum varietas, ac diligens eorum collatio: quippe fastidium leuatura, & grata nouitate placitura: summæ tamen in eadem veritate consensionis index luculentissimus. Quis enim non videat, à tot diuersis linguis ac manibus, diuersis locis & temporibus, minimè contrariam sed eandem fidem, ex iisdem fundamentis, etsi dispari forma, pari studio tamen & fine proponi, & sic in ea non valdè confirmetur? Spiritus enim vnus in omnibus loquitur, & nihilominus distribuit sua dona singulis, prout vult, sed ad vsum Ecclesiæ & ædificationem corporis Christi, donec euadamus omnes in vnitatem fidei. 1. Corinth. 12. Ephes. 4. Dissimilia quidem sunt charismata docentium in Ecclesiis nostris, sed in fundamento cum omnibus orthodoxis, veteribus & recentibus, summa consonantia.

Neque audiendi sunt, quos iisdem legendis & meditandis vacare piget, cùm D.Paulum non taduerit eandem doctrinam suis auditoribus sedulò repetere & inculcare; cuius facti rationem reddens, Eadem, inquit, scribere vobis, me quidem haud piget, vobis autem tutum est. Quis Socratem improbet, qui τὰ αὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν dixit, & contra Sophistam quendam, nouitatis cupidum, asseruit hanc docendi formam, quòd sicut de numeris & scientiis aliis, ita de virtute quoque non nisi eadem constanter sint tenenda, & docenda. Quantò magis id valeat in doctrina Ecclesiæ? Hæc enim tractat res sublimes, quibus salus nostra continetur, de Dei natura & voluntate: de vita æterna, & modo illam consequendi: de quibus tantò maiori periculo nouæ & insolentes opiniones finguntur aut arripiuntur, quantò diuina potiora sunt humanis, & cœlestia terrenis antecellunt. Ne igitur noua dogmata requiramus, sed antiqua repetamus, & meditatione eorundem crebra occupemur. Quod ni fiet, sanè quidem studium pietatis refrigescat, & Dei beneficiorum memoria languefiat, salus nostra periclitetur necesse est.

Occurrent fortè nobis alii, qui non se doctrinæ eiusdem sanæ & verbo Dei planè consentaneæ repetitionem improbare, sed pleraque huius Compendii, in celeberrimi & summi Theologi Iohannis Caluini Institutione, quæ manibus studiosorum teratur, reperiri dicent. Quibus respondemus, non dissimulare nos, sed præ nobis ferre, D. Zanchium ex nominato libro, quum in Italia adhuc ageret, in vsum suum, non pauca mutuatum esse, sed eadem stylo faciliori, clarius illustrasse, & studiosis planiora effecisse, ac illam Institutionem, quæ nonnullis locis captum rudiorum superare videtur, dignam esse, in qua expolienda, & ad cuiusque vtilitatem accommodanda, imò in sanguinem & medullam conuertenda certet industria Theologiæ candidatorum. Neque nos hoc primi dicimus. Dixit iam olim idem Clarissimus, & D. Zanchio familiaritate intima coniunctissimus, D. Iohannes Sturmius, olim Argentinensis gymnasii parens & decus, qui hoc elogium Institutioni Caluini, Argentorati Anno 1545. per Rihelium excusæ præfixit: Iohannes Caluinus homo acutissimo iudicio summaque doctrina & egregia memoria præditus est: & scriptor est varius, copiosus, purus: cuius rei testimonium est Institutio Christianæ religionis, quam primò inchoatam, deinde locupletatam, hoc verò anno absolutam edidit: neque scio an quicquam huius generis extet perfectius ad docendam religionem, ad corrigendos mores, & tollendos errores: & se optimè institutum existimet, qui quæ in eo volumine traduntur, est assecutus. Hæc ille, à quo non dissentiunt eruditione & pietate insignes viri; neque diuersa fuit sententia D. Zanchii nostri; quod hinc satis apparet, dum hanc Institutionem sibi quàm familiarissimam reddere, & ad eam rectius intelligendam alios manuducere voluit, qui noster quoque scopus est, in hac editione, quam vsui publico seruire iudicamus.

Quòd verò, Nobilissime adolescens, tuo nomini hunc librum inscribamus, famâ pietatis & virtutum tuarum adducimur. Posteaquam enim ex patria, licet tenera adhuc ætate, te ad celeberrimam Academiam Heidelbergensem, tanquam ad mercatum bonarum artium & veræ pietatis gymnasium contulisti, indoles tua generosa, morum suauitas ac probitas, sinceræ religionis studium, & in omni virtutum genere excellendi cupiditas, doctissimos Professores & præstantissimos quosque viros pellexit in tui amorem & admirationem, adeò vt tibi hoc modo non ad amicitiam solùm, sed ad conuictum etiam & contubernium Clarissimi & eruditissimi Theologi D. Parei, aditum patefeceris: quod in aliqua felicitatis parte ponendum est: cùm ex quotidiana consuetudine tanti viri cùm scientiam & doctrinam, tum pietatem ac virtutem augere possis: imò verò augeas.

Perge modò, summæ expectationis adolescens, in tam præclaro instituto, & veræ religioni perdiscendæ te totum trade, ac pietati in Deum consecra, quæ virtutum aliarum basis & fundamentum est, & vtilitate sua Regum opes antecellit: vtpote non temporalia solùm commoda, sed inprimis animi salutem & sempiternam felicitatem, secundum certissima Dei promissa, allatura.

Sic nobilissimum patrem tuum, virum sapientissimum, incredibili lætitia perfundes, qui cum syncera religione & virtute

COMPENDII PRÆCIPVORVM CAPITVM DOCTRINÆ CHRISTIANÆ.

LOCVS I.

DE DEO.

DVÆ inprimis res Christiano homini necessariæ sunt, vtpote in quibus tota ferè Christiana sapientia consistit *cognitio* Dei, & nostri.

I. *Dei*, non solùm quòd sit, & quòd vnus sit, qui ab omnibus coli debeat: sed etiam maximè quòd is vnus sit omnis veritatis, sapientiæ, bonitatis, iustitiæ, iudicij, misericordiæ, potentiæ, sanctitatis, omnium denique bonorum fons & origo. Hæc cognitio *necessaria* est propter duo: primò, vt vniuersas istas perfectiones, & vniuersa bona ab eo discamus & exspectare & petere. Secundò, vt ea accepta discamus itidem illi cum gratiarum actione & laude referre.

II. *Nostri* verò, non tantùm quod conditi à Deo sumus: sed etiam maximè, quod post primi parentis peccatum facti sumus omnis imbecillitatis, miseriç, vanitatis, fœditatis, mendacij, omnium denique malorum ingens cloaca. Hæc cogitatio *necessaria* est ob duo: primò, vt nos in sesiam humilitatem, deiectionem, diffidentiam, odiumque nostri adducamur. Secundò, vt deinde quærendi Dei desiderium in nobis accendatur, vtpote in quo repositum sit omne bonum, cuius nos ita inanes & vacui deprehendimur.

Vtra autem alteram ex se pariat, ac ob id prior esse debeat, non ita facile cuique est discernere. Nam altera ex parte Dei cognitio videtur posterior, & hominis prior esse debere, quia *cognitio nostri* multum prodesse videtur ad cognoscendum Deum. 1. Nam cùm in nobis sit omnium miseriarũ vastissima lacuna, simulatq. nos rectè intuemur nos ipsos, fieri nõ potest quin statim propriæ infelicitatis cõscientia feriti ac pũcti, ad Dominũ tollamus oculos, ac in aliquam saltem eius notitiã veniamus: atque ita ex propria nostra tenuitate, ad Dei veram magnitudinem: ex nostra hebetudine, ad Dei sapientiam: ex nostra vanitate, ad Dei veritatem: ex nostra prauitate, ad Dei iustitiam: ex nostra corruptione cognita & perspecta, ad Dei puritatem assurgimus atque eleuamur: à nostris denique malis omnibus, ad Dei bona vniuersa consideranda excitamur: nec ante ad illum seriò aspirare possumus, quàm cœperimus nobis ipsis displicere. 2. Atque ita nostri cognitio, videtur *prior* esse debere ob id etiam: quia cùm ex cognitione nostrarum miseriarum nobis ipsis displicere incipiamus, & in odiũ nostri inducamur, facile hinc ad quærendum & inueniendum, & amandum Deum incitamur; alioqui vsque adeò nobis ipsis placemus, vt Deum quærere negligeremus. Quis enim hominum non perlubenter in se requiescat? Quis etiam non requiescit in se ipso, quamdiu sibi est incognitus, i. suis dotibus est contentus, & inscius suæ miseriæ? Proinde sui cognitione vnusquisque non solùm instigatur ad Deum quærendum: sed etiam ad eum reperiendum quasi manu ducitur.

Altera ex parte videtur, quòd *Dei cognitio* præcedere debeat, quia homo in puram sui cognitionem nunquam peruenire posse videtur, nisi prius faciem Dei fuerit contẽplatus, atque ex illius consideratione & notitia, ad se ipsum inspiciendum & cognoscendum descendat. Hoc autem manifestum fieri videtur iis rationibus. 1. Nam (quæ innata est nobis superbia) iusti nobis semper videmur, & veraces, & sapientes, nisi manifestissimis argumentis iniustitiæ, mendacij, *stultitiæ* & impuritatis nostræ conuincamur. Non aũt conuincimur, si in nos ipsos duntaxat respicimus, & non in Dominum quoque, qui est vnica regula ad quã exigẽdum est iudicium. Ergo homo sine Dei cognitione, se ipsum perfectè cognoscere non potest, cùm per innatam sibi superbiam, qua sibi ipsi placet, alius sibi videatur esse, quàm sit.

Cùm verò etiam ad hypocrisin natura propensi sumus omnes (qua fit, vt homo contentus vmbris virtutum, nihil de virtutibus ipsis curans, hominibus tantùm curet placere) ideò fit, vt inanis quædam iustitiæ species, pro iustitia ipsa nobis abunde satisfaciat. Hoc autem dùm fit, & nostra vitia sub inanibus virtutum velaminibus latentia ignoramus, & quæ sint veræ virtutes nescimus, quod vtique non fieret, si Deum Deique virtutes, quibus nostræ similes esse debent, agnosceremus. Ergo sine Dei cognitione, homo perfectè se ipsum cognoscere non potest.

3. Sicut igitur oculus, cui nihil obuersatur, nisi res nigri coloris, candidissimum esse iudicat, quod tamen subobscura est albedine, vel nonnulla etiam fuscedine aspersum: Ita oculus mentis nostræ (si intra humanæ pollutionis fines contineatur, & ad Dei puritatem contemplandã non eleuetur) quia nihil in nobis videt, nihilque ei obuersatur, quod non sit plurima obscœnitate inquinatum: ideò quod paulò minus fœdum est, pro purissimo recipit, quod minùs iniustum, pro iustissimo.

4. Quid? quòd a sensu etiam corporeo facilè discernere licet, quantùm in æstimandis animæ virtutibus hallucinemur (Si enim vel terram despicimus medio die, vel intuemur, quæ aspectui nostro circumcirca patent: validissima perspicacissimaque acie videmur nobis prædıti esse. At vbi in Solem suspicimus, atque arrectis oculis contemplamur, vis illa, quæ egregiè in terra valebat, tanto fulgore protinus perstringitur & confunditur, vt fateri cogamur: illud nostrum in considerandis terrenis acumen, vbi ad Solem est ventum, meram esse hebetudinem. Ita etiam in reputandis nostris bonis spiritualibus contingit. Quantispet enim extra terram non respicimus, propria iustitia, sapientia, virtute pulchrè contenti, nobis blandimur suauissimè, & tantùm non semidei videmur. At si semel cœperimus cogitationem in Deum erigere, & expendere qualis sit, & quàm exacta iustitiæ, sapientiæ, virtutis eius perfectio, ad cuius amussim conformari nos oportet, quod antea in nobis falso iustitiæ prætextu arridebat, mox pro summa iniquitate sordescet: quod mirificè imponebat sapientiæ titulo, pro extrema stultitia fœtebit: quod virtutis faciem præ se ferebat, miserrima impotentia esse arguetur. Ideò diuinæ puritati malè respondet, quod videtur nobis vel absolutissimum.

Hinc horror ille & stupor, quo perculsi atque afflicti fuerunt sancti (vt Scriptura passim recitat) quoties Dei præsentiam sentiebant.

Genes. 3. Adam & Eua persentientes vocem Domini deambulantis in Paradiso, horrore quodam (iam enim peccauerant) perculsi absconderunt se.

Exod 3. Moses præsentiens præsentiam Domini loquentis ei de rubo, horrore quodam perterritus, abscondit faciem suam, *Non enim* (inquit) *audebat aspicere contra Dominum:* Tantus erat Dei fulgor, non secus, ac si quis non potens in solem defixis oculis intueri, velet faciem suam.

Iud. 6. Gedeon cùm vidisset Dominum facie ad faciem, horrore perculsus clamat, dicendo: *Heu mi, Domine Deus, quoniam vidi Angelum Domini facie ad faciem.* Cui Dominus, *Pax tecum, ne timeas.*

Iud. 13. Manne pater Samsonis, cùm agnouisset, eum, qui ei locutus fuerat, fuisse Dominum, horrore ac timore perculsus clamat ad vxorem suam, dicendo: *Morte moriemur, quia vidimus Dominum.*

Ies. 6. Postquam Iesaias vidit Dominum sedentem in solio: maximo horrore ac stupore perculsus atque afflictus, clamat, dicendo: *Væ mihi, &c. quoniam Regem Dominum exercituum vidi oculis meis.* Ad vocem enim Domini etiam templum concussum fuerat.

Eze. 1. Postquã vidit visionẽ illã Domini, stupore horrendo affectus cecidit in faciem suam, Vnde ait cap. 2. *Hæc visio*

similitudinis gloriæ Domini: & vidi, & cecidi in faciem.

Luc.2. Pastores vbi aduertunt vocem Angeli: timuerunt timore magno.

Luc.1. Zacharias vbi vidit Angelum Domini, adeò perculsus fuit timore magno, vt mutus factus fuerit.

Matt.17. Apostoli, vbi viderunt gloriam Christi in transfiguratione, cum non possent eam sustinere, ceciderunt in facies suas.

Mat.28. Custodes sepulchri Christi, præsentiam Domini senserunt, cùm senserunt terræ motum: tunc autem exterriti sunt, & facti sunt sicut mortui.

Act 9. Paulus sentiens præsentiam Domini, cùm audit *Saule, Saule, quid me persequeris?* adeò magno timore concutitur vt in terram cadens cæcus fiat.

Apocal.1. Iohannes cùm vidisset in Spiritu Dominum, quoniam vidit filium hominis vestitum podere, &c. vsque adeò terretur, vt cadat in faciem. Vnde ait: *Et cùm vidissem, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus:* Hinc illa vox populo vsitata: *Moriemur quia Dominus apparuerit.* Et hoc, quia Dominus dixerat ad Mosen Exod.33. *Non videbit me homo, & viuet.*

Quid est, quòd homines etiam sancti & tam fortes absente Domino securi firmique consistunt: ipso verò gloriam suam manifestante, sic quatefiunt ac consternantur, vt mortis horrore absorbeantur, ac pene nulli sint? Hoc apertè demonstrat, quòd homo humilitatis suæ agnitione nunquam satis tangitur & afficitur, nisi postquam se ad Dei maiestatem comparauit: ad cuius præsentiam & aspectum omnia concutiuntur, & euanescũt, agnoscunturq; esse nihil. Ideoque & historia Iobi, ad prosternendos suæ stultitiæ, impotentiæ, pollutionisque conscientia homines, potissimum argumentum semper a diuinæ sapientiæ, virtutis puritatisque descriptione ducit. Hinc Abraham, quò propiùs ad conspiciendam Domini gloriam accessit: eò melius se terram & puluerem esse agnoscit, vt patet Gen.18.

Hinc Elias retecta facie. Domini accessum expectare non sustinet: tantum est in aspectu Domini fortitudinis, 3. Reg.19.

Quid? quòd Cherubini quoque ipsi, ipso pauore ad præsentiam Dei, faciem suam velare coguntur? Esa.6. Quid ergo faciet homo, putredo, ac vermis? Hoc est, quod ait Ies. 26. *Erubescet Sol, & confundetur Luna, cùm Dominus exercituum regnauerit,* id est, vbi claritatem suam extulerit, ac propiùs admouerit: lucidissimum quoque præ illa obtenebrescet, & obscurabitur.

Cùm ergò homo non perfectè se agnoscere queat, nisi Deum prius agnouerit, ad cuius maiestatem sese comparans, optimè agnoscet quinam ipse sit: videtur, quòd cognitio Dei, prior esse debeat, ac illam præcedat, vt visum est. Vtcunq; tamen Dei nostrique cognitio mutuo inter se nexu sint colligatæ: ordo rectè docendi postulat, vt de Dei cognitione priùs differamus: deinde ad hominem veniamus.

An Deus sit.

Omnes Gentes naturali instinctu, sentiunt Deum esse. Hier. in Epist. ad Gal.1. pag.163.

Damasc. lib.1. cap.1. πᾶσι γὰρ ἡ γνῶσις τοῦ εἶναι θεὸν ὑπ' αὐτοῦ φυσικῶς ἐγκατέσπαρται. Si enim alicubi deberet esse ignoratio Dei, vtique esse deberet inter populos obtusiores, & ab humanitatis cultu remotiores. Atqui neq; ipsi ignorant Deum esse. Ergo, &c. Cicero de natura Deorum: Nulla est tã barbara natio, nulla gens tam efferata, cui non insideat hæc persuasio, Deum esse. Et qui in aliis vitæ partibus minimũm videntur à belluis differre quoddam tamẽ perpetuò religionis semen retinent. Adeò penitùs occupauit omnium animos, adeò tenaciter omnium visceribus inhæret ista communis præsumtio. 1 Hoc ergo est primum signum, quo omnes Gentes testantur, Deum esse, nempe religio aliqua. Cùm ab initio igitur Mundi nulla regio, nulla vrbs, nulla denique domus fuerit, quæ carere religione posset: in eo tacita quædam confessio est, inscriptum esse omnium cordibus quendam Diuinitatis sensum.

2. Idololatria quoque ipsa, documentum est, quòd homines conceperint omnes, Deum esse. Homo enim non libenter se deiicit, vt alias præ se creaturas suspiciat, tanta est eius dignitas excellentiaque. Cùm igitur lignum & lapidem colere potiùs malit, quam vt nullum putetur habere Deũ: manifestum est, vehementissimam istam esse de Numine impressionem, quæ adeò ex hominis mente obliterari nequit vt facilius sit naturæ affectum frangi, vt certe frangitur, dum homo ex naturali illa inflatione, ad infima quæque sponte se demittit, vt Deum reuereatur & colat.

Ob. At paucorum aliquorum hominum vafritia & calliditate excogitata fuit religio, vt hac arte simplicẽ populum in officio continerent: cùm tamen ipsi qui aliis Dei credendi autores erant, nihil minus crederent, quàm aliquem esse Deum.

Resp. Fateor quidem, plurima in religione commenta esse homines astutos, quibus reuerentiam plebeculæ incuterent, & terrorem incuterent: idque vt haberẽt obsequentiores eius animos. Sed ij astuti homines nusquam id obtinuissent, nisi iam prius constanti illa de Deo persuasione imbutæ fuissent hominum mentes: ex quo velut semine emergit ad religionem propensio. Ac ne illi ipsi quidem, qui religionis titulo callidè hominibus rudioribus imponebant, Dei cognitione prorsus vacasse credendi sunt.

At multi olim extiterunt, & hodie etiam nonnulli inueniuntur, qui Deum esse negant. Vnde Ps.14. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Ergo non omnes gentes sentiunt, Deum esse.

Resp. Licet & olim & hodiè nonnulli inueniantur, qui Deum esse negent: tamen velint, nolint, quod nescire cupiunt, subinde persentiscunt, nempe Deum esse itque præsertim, cùm aliquod iræ diuinæ iudicium se profert. Tunc enim exhorrescunt vel inuiti Deum, quem conantur contemnere & negare, cum tamen non possint.

Atque hoc sit tertium signum, timor & horror Numinis, quẽ omnes etiam impij patiuntur, cùm aliquod iræ diuinæ iudicium sentiunt. Tunc enim inuiti etiam sentiunt. Nemo in audaciorem aut effrenatiorem Numinis contemptum prorupisse legitur, quàm C. Caligula: tamen nemo miserius trepidauit, cum aliquod iræ diuinæ indicium se proferebat, atque ita Deum, quem studebat ex professo contemnere, inuitus exhorrescebat. Hoc passim etiam quoque similibus euenit. Vt enim quisque est audacissimus Dei contemptor: ita vel ad folij cadentis strepitum maximè perturbatur. Vnde id? Nisi ex diuinæ Maiestatis vltione, quæ eorum conscientias eo vehementius percellit, quo magis eam refugere conantur. Omnes quidem latebras respectant, quibus se à Domini præsentia abdant, & eam rursum ex animo suo deleant: sed velint nolint, irretiti semper tenentur. Vtcunque interdum videatur ad momentum aliquod euanescere: subinde tamen recurrit, & nouo impetu irruit. Ita vt, etiamsi aliqua illis est interdum remissio à conscientiæ anxietate: tamen illa ipsa etiam remissio non multum absimilis sit à somno ebriosorum & phreneticorum, qui ne dormientes quidem placidè conquiescunt, quia diris & horrificis insomniis continenter sollicitantur. Ergo impij quoque ipsi exemplo sunt, vigere semper in omnium hominum animis aliquam Dei cognitionem.

Ratio autem, quòd omnes Gentes sentiant naturali instinctu Deum esse, est: quia Deus quandam sui Numinis intelligentiam vniuersis instillauit: idque ob hanc causam fecit, ne quis ad ignorantiæ prætextum confugeret, si Deum non colat: sed vt, cum omnes ad vnum intelligant Deum esse, & suum esse opificem, suo ipsorum testimonio damnentur, quod non & illum coluerint, & eius voluntati suam vitam consecrarint. Huc pertinet illud, quod D. Paulus ad Rom 1. dicit de omnibus Gentibus: *Inuisibilia Dei, dum per res conditas intelliguntur, ex creatione Mundi peruidentur, æterna scilicet eius tum potentia, tum Diuinitas, ad hoc, vt ipsi sint inexcusabiles.*

Quanquam autem omnes Gentes naturali instinctu sentiunt Deum esse: non tamen ideò putandum est, omnes agnouisse verè aut verum Deum: sed potiùs in sacra Scriptura dicuntur ignorasse Deum, Psal.78 *Effunde iram tuam Deus, in Gentes, quæ te nouerunt.* 1. Cor.1 *Nam postquam in sapientia Dei non cognouit Mundus per sapientiam Deum placuit Deo per stultam prædicationem seruare credentes.* Gal.4. *Cùm Deum nesciretis, ijs qui natura non sunt Dij seruiebatis.* Eph.2. sine Deo fuisse tradit Ephesios quo tempore a recta vnius Dei cognitione aberrabant.

Ratio item ostendit, quòd non cognouerint verè Deum, nec verum Deum. Vera Dei notitia parit veram religionem, siue verum cultum, id est, primò timorem Dei verum: secundò, veram in Deo fiduciam, in quibus duobus vera consistit religio & verus Dei cultus. Et parit quidem. *Primò* timorem Dei verum, quo fit, vt illum reuerentes, ac offendere timentes, totam vitam nostram ad sanctæ eius voluntatis obsequium componamus. Quomodo enim mentem tuã subire queat Dei cogitatio, quin simul extemplò cogites te, cùm figmentum illius sis, imperio illius esse (ipso creationis iure) addictum & mancipatum? vitam tuam illi debeni quicquid instituis, quicquid agis, ad illum referri oportere? id si est, iam profectò sequitur, vitam tuam prauè corrumpi, nisi ad obsequium sanctæ eius voluntatis componatur.

Secundò fiduciam parit in Deum, qua fit, vt omne bonum cum

cùm ab illo solo sciamus petendum, petamus, & acceptum illi feramus. Neque enim ad liquidum apprehendere & cognoscere ipsum potes, quin bonorum omnium fontem esse & originem eum agnoscas. Quî autem fieri potest, vt eum agnoscas vere fontem esse & originem bonorum omnium, quin statim etiam quoddam in te desiderium illi adhærendi & fiducia in eum, atque ab eo omnia obtinendi nascatur? nisi mens tua, suapte prauitate, à vera rectáque inuestigatione Dei abducatur? Atqui in multis, imo ferè in omnibus hæc non spectantur, scilicet, nec verus Dei timor, nec vera in Deum fiducia.

Non timor. Hoc ostendit perpetuus inobedientiæ tenor, & perpetuum illum offendendi, & contra eum peccandi studium: additis deinde vanissimis quibusdam sacrificiis, quibus illum sibi placare putant. Vbi enim perpetuus obedientiæ tenor in tota vita esse deberet: in cunctis propè operibus, securissimè illi rebellantes, pauculis sacrificiis placare illum student. Et vbi sanctimonia vitæ, & cordis innocentia illi seruiendum erat: friuolas nugas, & nihili obseruatiunculas comminiscuntur, quibus illum demereantur. Qua vanitate quid vanius?

Neque fiducia. Hoc ostendit perpetuus ad idola, atque ad creaturas, à quibus auxilia nobis petamus, recursus. Vbi enim in Deum solum fiducia nostra esse deberet: vel in nobis, vel in creaturis aliis desidet. Ergo cum effectus veræ notitiæ Dei non in omnibus reperiatur: neque omnes verè Deum agnoscere necesse est: sed tot erroribus, peruersisque opinionibus implicantur, vt scintilla illa etiam, quæ ad contemplandam Dei Maiestatem illis prælucebat, suffocetur & extinguatur, ne ad veram Dei vsque notitiam illos perducat. Tamen manet semen illud, quod euelli à radice nullo modo potest, aliquam scilicet esse diuinitatem: sed ipsum adeò corruptum, vt non nisi pessimos fructus producat.

Vnde autem fit, vt non omnes verè verúmque Deum agnoscant?

Resp. Quia miseri homines in vestigando Deo Deique veritate, nô supra seipsos, vt par est, conscendunt: sed ipsum carnalis sui stuporis modo metiuntur: nec qualem se cognoscendum exhibet, nempe in Scriptura & in Christo, apprehendunt: sed qualem pro sua temeritate fabricati sunt, imaginantur. Hoc autem gurgite aperto, quaqua versum pedem moueant, in exitium semper præcipites ruant necesse est. Quicquid enim postea in obsequium Dei, aut in cultum moliantur: impensum ei ferre nequeũt: quia non ipsum Deum verum, sed cordis sui figmentum potius & somnium pro ipso Deo colunt. Ideo D. Paulus vagam illam & erraticam de Numine opinionem, Dei esse ignorationem pronunciat, Galatis dicendo, Gal. 4. *Cùm Deum nesciretis, seruiebatis iis, qui natura non sunt Dij.* Patet etiam ratione hac, quod non verè agnoscant Deum: quia ad habendam Dei rationem, inuiti trahuntur.

At cùm vnus tantùm Deus sit in Mundo: vnum autem solum esse Deum agnoscant & fateantur omnes ferè Gentes: Ergò videtur, quòd omnes, saltem illi, qui vnum tantum Deum confitentur, verum Deum noscant.

Resp. Non multum interest hac in parte, Deumne vnum, an plures concipiant: quia semper à vero Deo discedunt & deficiunt. Licet enim vnum Deum imaginentur: non tamen eum, qui verus Deus est, nempe, qui se in Scriptura reuelauit, & deinde in Christo, imaginantur aut cogitant: sed fingunt sibi idolum. Relicto enim Deo vero, qui se reuelauit in sacra Scriptura, nihil homini restat, nisi execrabile idolum.

Hinc etiam patet, quòd cultus omnes, quos extra verbum Dei homines commentantur & inueniunt, quos Deo exhibeant, falsi sunt cultus: sicut etiam omnes Dij, quos, vel omnis Deus, quem extra Dei verbum fingunt, falsus Deus est. Atque ita isti tales homines falso Deo, falsos cultus exhibent: & Deo vero illudunt, sua delitamenta colentes. Deus enim verus, semper sui similis est: non autem spectrum est, aut phantasma, quod pro vniuscuiusque libidine transformetur. Ita vera religio semper sui similis est: quia ad nutum & voluntatem Dei in S. Scriptura reuelatam, quæ voluntas non mutatur, sed sui semper similis est, ceu ad perpetuam regulam, conformatur. Et sanè videre est, quàm mendacibus fucis, Deo illudat superstitio, dum gratificari studet. Nam & ea ferè sola, quæ sibi curæ non esse testatus est, arripiens, quæ præscribit, & sibi placere docet, aut contemtim habet, aut etiam non dissimulanter reiicit. Sua ergo deliramenta colunt, quicunque commentitios Deo cultus erigunt: quia nequaquam ita cum Deo nugari auderent, nisi Deum priùs suis nugamentis consentaneum confinxissent. Quare rectè Lactantius Firmianus: *Nulla vera est religio, nisi sit cum veritate coniuncta.*

Licet etiam omnes gentes aliquam religionem teneant, & cultum Deo exhibeant: non tamen omnes veram religionem tenent, aut verum cultum. Ratio. Religio vera, & cultus verus, duas habet partes, timorem & fiduciam in Deum verum. Verum Deum non omnes agnoscunt, vt dictum est. Ergo neque verum cultum habent.

Item, Timorem verum Dei, nec veram fiduciam habent in Deum, Ergo, &c.

Non timorem: quia si verum timorem haberent, non vtique tam securè contra Dei mandata agerent, & vitam suam ita conspurcarent contra Dei voluntatem. Agunt autem indesinenter contra Dei mandata. Ergo, &c.

At si non timerent Deum, non vtique illi tot sacrificia facerent pro eo placando, & vt iram suam ab eis auertat. Non desinunt autem omnes offerre sacrificia. Ergo, &c.

Resp. Timor ille, non est verus timor, qui ex reuerentia Maiestatis eius procedat: sed timor est iudicij eius, quod quia effugere non possunt, exhorrent: sic tamen, vt etiam abominentur, ita vt dici possit, quod non timeant Deum, sed iudicium Dei, ita tamen, vt etiam abominentur illud. Et huc conuenit illud Statij, atque in hanc solam impietatem, non in aliud, quando ait: *Timorem primum fecisse in orbe Deos.* Qui enim animum à Dei iustitia alienum gerunt: tribunal, quod ad vindicandas eius transgresiones & iniquitates stare sciunt, euersum valdè cupiunt: quo affectu aduersus Deum belligerantur, qui sine iudicio esse non potest: sed dum eius potentiam sibi ineuitabilem imminere intelligunt, quia nec amoliri, nec effugere valent, reformidant. Atque ita ne vtique videantur Maiestatis eius contemptores, qualicunque religionis specie defunguntur. Interim tamen non desinunt omni vitiorum genere se conspurcare, & flagitia flagitiis copulare, donec sanctam Domini legem omni ex parte violarint, & vniuersam eius iustitiam dissiparint. Qui autem timor est iste, nisi falsus & simulatus? vel certè non tantus est timor ille, vt illos retinere queat, quin suauiter in suis peccatis acquiescant, & sibi blandiantur, & carnis suæ intemperantiæ indulgere malint, quàm Spiritus sancti freno eam cohibere.

Fiduciam quoque in Deum non habent. Si enim haberent, fiderent vtique eius quoque misericordia, quòd peccata sua condonaret gratis pœnitentibus, absque suis nequaquam à Deo sibi mandatis sacrificiis, quibus putant placari iram Dei, posséque per ea eum sibi reconciliari. Non autem fidunt, nec ab eo pendent. Ergo, &c. Cùm igitur falsa illa sit religio, quæ falsum Deum colit: falsum autem Deum colit, quæcunque non agnoscit Deum, secundum veram cognoscendi rationem, nempe, secundum Scripturas: Videndum igitur nobis est, secundum quam rationem Deum agnoscere debeamus: & qualis sit illa Dei notitia, quæ solis fidelium pectoribus instillatur: qualis etiam, qui inde consequitur, pietatis affectus.

Quæ sit vera Dei cognitio, & quæ vera inde Religio.

1. Pia mens Deum non quemlibet sibi somniat, sed vnicum tantùm & verum intuetur: neque illi, quod visum fuerit, affingit: sed talem habere contenta est, qualem se manifestat, diligenter semper cauens, ne audaci temeritate extra eius voluntatem egrediatur.

2. Ita verò cognitum, vera religione ac pietate colit, hoc modo: prouidentia summa eum cuncta moderari intelligit: ideò tutorem sibi esse confidit, & protectorem, ideóque in fidem eius se confert. Boni cuiusvis autorem sibi esse intelligit: ideò, si quid deest, si quid premit, mox se recipit in eius præsidium: & inuocato eius nomine, exspectat dum opem ferat. Benignum & bonum eum esse persuasa est: ideò in eius clementiam certa fiducia recumbit, nec dubitat, quin habitura sit semper in eius misericordia paratum omnibus suis malis remedium. Dominum ac patrem agnoscit: ideò dignum esse iudicat, cuius imperium in omnibus intueatur, maiestatem suspiciat, gloriam promouendam curet, voluntati obsequatur. Iustum esse iudicem videt, qui sit transgressores omnes seuerè vindicaturus, ideò eius tribunal semper in conspectu sibi proponit, quo ab iis omnibus retrahatur, quibus ita eius prouocari potest. Neque tamen iudicij eius cogitatione sic terretur, vt subducere se velit, etiamsi quod pateat effugium

quin imo illum non minùs libenter amplectitur malorum vltorem, quàm bonorum remuneratorem: idque quia ad eius gloriam non minus pertinere intelligit apud eum repositam esse impiis & flagitiosis pœnam, quàm fidelibus vitæ æternæ mercedem. Item non sola vltionis formidine cohercetur ne peccet: sed quia Deum loco patris amat & reueretur, locoque Domini honorat: ideo etiamsi nulli essent inferi, solam tamen eius offensionem horret.

En, quid sit pura, germana, veraque religio: nempe fides cum serio Dei timore coniuncta: ita tamen, vt sub timoris nomine comprehendatur, tum sincera eius, quæ per legem præscribitur iustitiæ dilectio: tum voluntaria diuinæ Maiestatis reuerentia.

Ergo si ea conditione nati sumus omnes, vt Deum recognoscamus: Dei autem notitia, nisi hucusq; processerit, fluxa est, & euanida: manifestũ est, eos omnes a creationis suæ lege degenerare, qui non ad hunc scopum, vniuersas suæ vitæ cogitationes & actiones destinãt. Quod nec Philosophos ipsos latuit.

Plato in Phædone & Theæteto docuit sæpe, summum animę bonum in Dei similitudine esse, dum percepta eius vera contemplatione & cognitione, in ipsum tota transformatur.

Gryllus apud Plutarchum affirmat, homines, si ab eorum vita semel absit religio, non modo brutis pecoribus nihil excellere: sed multis partib. esse longè inferiores: vtpote, qui tot malorum formis obnoxij tumultuariam & irrequietam vitam perpetuo trahunt. Hinc colligit, vnum ergo esse Dei cultum, qui superiores ipsos faciat, per quem solum ad immortalitatem aspiratur.

Triplex Dei cognoscendi ratio: per creaturas: per Scripturas, & per Christum veram Dei imaginem.

Quoniam vltimus beatæ vitæ nostræ finis est repositus in vera Dei cognitione: ideo nitendum nobis est, vt ad veram eius notitiam perueniamus. Quoniam autem suapte natura incomprehensibilis, & à nostra intelligentia procul absconditus est: ideò triplex nobis speculum dedit, in quo ipsum relucentem intueamur & agnoscamus. *Primum* est speculum creaturarum, idque per se clarum. *Secundum* est speculum sacrarum Scripturarum, illo clarius. *Tertium* est Christus ipse Filius Dei, qui est verum speculum, veraque imago Dei, vt ad Hebræos dicitur, *Qui cùm sit splendor gloriæ, & character personę illius,* &c. Hocque speculum est omnium longè clarissimum, in quo totus Deus resplendet, idque perfectè. Et qui in hoc speculo non cognoscit Deum, nullo modo agnoscere verè potest.

De primo speculo, quonam pacto sese in eo Deus omnibus patefaciat.

Quoniam (vt dictum est) vltimum beatæ vitæ finem, in sui cognitione repositum esse voluit Deus: ideo, ne quibus ad felicitatem aditum præcludere velle videatur, vniuersis se palàm manifestat, ac conspicuum exhibet. Et primò in speculo suarum creaturarum, suorumq; operum. Nam cum sit suapte naturâ incomprehensibilis, & ab humana intelligentia procul absconditus: certas suæ maiestatis notas, quibus pro tenuitatis nostræ modulo comprehendi queat, singulis suis operibus impressit: sed adeò claras & illustres, vt sublata sit quælibet cęcis ac stupidis omnis ignorantiæ excusatio. Ergo vtcunq; eius essentia lateat: virtutes tamen, quæ assiduè nobis obuersantur, talem delineant, qualem à nobis ipsum percipi, salutis nostræ interest.

Sunt autem *operum Dei* genera duo: alterum eorum, quæ iuxta ordinarium Naturæ cursum eueniunt: alterum eorum, quæ præter ordinarium Naturæ cursum contingunt & eueniunt. Videamus ergo primùm, quomodo in primo genere reluceat. Deinde, quomodo in secundo.

Ac primùm, quaqua versum oculos conijcias, nulla est Mundi particula, in qua non scintillę saltem aliquę gloriæ ipsius emicare cernantur. Amplissimam verò hanc, & pulcherrimam machinam, quàm latè pateat, vno intuitu lustrare nequeas, quin vi immensa fulgoris totus vndique obruaris. Ideò ob hoc rectè *Mundus* iste dicitur speculum, in quo Deus relucet: Quod & Paulus ad Hebr docet c.11. 3. *secula vocant inuisibilium rerum spectacula*: quòd nobis vice speculi sit Mundi compositio, in quo inuisibilem alioqui Deum contemplemur, cùm ait ad Hebr. 11. Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent. Ideò & Dauid Psalm. 19. attribuit cœlestibus creaturis idioma nullis creaturis incognitum: eo quod euidentior illis extat diuinitatis testificatio, quàm vt prætereire Gentis vllius vel obtusissimæ considerationem debeat: Quando ait Psal. 19 1. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opus manuum eius annuntiat Firmamentum. Dies diei eloquitur sermonem, & nox nocti indicat scientiam. Non est sermo, nec sunt verba, vbi non audiatur vox eorum. In omnem terram exiuit lingua eorum, & in extremum orbis eloquia eorum,* &c. Rom. 1. *Inuisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt, intelliguntur; æterna scilicet eius tum potentia, tum diuinitas, ad hoc, vt sint inexcusabiles. Nam id, quod de Deo cognosci potest, manifestum est in ipsis.*

Hoc est primum speculum, quod primò in genere patefacit Deum atque eius maiestatem: secundò etiam singulas eius virtutes, de quibus nunc fusiùs videamus, quomodo reluceant in hoc speculo.

Sapientia Dei mirifica, quàm vndequaque in hoc speculo resplendeat, quis non videat? Equidem, qui Astrologiam didicerunt, dum disquirunt astrorum motus, dum distribuunt sedes, dum metiuntur interualla, dum proprietates notant: multò perspicaciùs quàm cæteri intuentur in cœlis, quanta sit Dei sapientia: sed tamen nemo est, qui cùm oculos semel attollit in cœlum, cernitque illam solis & stellarum pulchritudinem, motum, virtutem, non satis peruideat, quanta sit in cœlis condendis ac regendis sapientia.

Item, qui Philosophiam didicerunt, & Cosmographiam tenent, dum singulorum elementorum proprietates considerant, dum lapillorum, metallorum, animalium herbarum, singularum denique rerum virtutes contemplantur, dum totius mundi pulcherrimam Symmetriam intuentur: longè clarius quam alij vident in mundo, quanta sit Dei sapientia. Sed tamen nemo est, qui, si diligenter attendat virtutes varias rerum, quæ passim oculis eius obuersantur, non abundè cernat, quanta sit Dei sapientia.

Item, qui humani corporis anatomiam didicerunt ac viderunt, vtique melius cernunt Dei sapientiam in struendo humano corpore: sed tamen nemo est tam tardis, qui si solam corporis structuram & membrorum symmetriam, quã oculis quotidie in se ipso cernit, attendat, quin clarissime videat, quanta sit Dei sapientia.

Potentia verò, quam pręclaro aspectu in hoc se speculo nobis ostentet, nemo est, qui non videat. Quis enim non videat, quantæ virtutis & potentię sit, infinitam hanc cœli & terrę molem suo verbo sustentare? suo nutu, nunc fragore tonitruum cœlum concutere: fulminib. quidlibet exurere: fulgetris aërem accendere: varis tempestatum formis conturbare, & eundem ipsum statim vbi libuit, vno momento serenare? Hęc in aëre fiunt.

Item, Quis nesciat, quantæ virtutis sit, Mare, quod assiduam terrę vastationẽ sua altitudine minari videtur, quasi in aere suspensum cohercere? & nunc horrendum in modum tumultuoso ventorum impetu concitare: nunc sedatis vndis, pacatum reddere?

Æternitas autem eius, quam præclarè resplendeat in hoc speculo, qui non ignorat Dei potentiam, facilè videt. Nam ipsa potentia deducit nos ad cogitandam eius æternitatem: quia æternum esse, & à seipso principium habere necesse est, vnde omnia trahunt originem.

Bonitas item quàm lucidè resplendeat in hoc speculo, patet. Nam si causa quęratur, qua & ad credenda semel hæc omnia inductus sit: & nunc ad conseruanda moueatur: solam illi suam bonitatem pro caussa esse comperiemus. Quin etiam hęc, si vna sit, plus satis tamen sufficere debet ad nos in amorem eius alliciendos: quoniam nulla creatura est, vt dicitur Psal. 145. *in quam non effusa sit eius misericordia.*

In *secundo* quoque *operum eius genere*, quę scilicet pręter ordinarium Naturę cursum eueniunt, nihilo obscuriora se proferunt virtutum eius argumenta.

Prouidentia eius in administranda hominum societate quanta sit, ostendit in hoc, dum ita erga omnes est benignus ac beneficus, vt tamen quotidianis indiciis suam piis clementiam, improbis ac sceleratis seueritatem declaret, istos castigando, illos remunerando.

Iustitia de flagitiis sumit vltiones: bonorum verò vitam sua benedictione prosperat, necessitati opitulatur, dolores lenit ac consolatur, calamitates subleuat, saluti per omnia consulit, ac tutorem se innocentiæ esse demonstrat. Ergo iustus est, & in hoc eius iustitia splendet.

At sæpe sinit improbos & sontes ad tempus exultare,

probos

probos autem & immerentes multis rebus aduersis iactari, impiorum etiam malitia & iniquitate premi sustinet. Ergo in hoc non se ostendit iustum esse: sed iustitiam eius hoc obscurare videtur.

Resp. Hoc perpetuam iustitiæ eius regulam obscurare non debet: imò hoc sinit, vt per hoc aliud futurum esse iudicium ostendat. Ergo sic cogitare debes:

Iudicium futurum Multa flagitia inulta permittit: Ergo aliud futurum est iudicium, quo punienda differūtur. Sicut etiam quoniam in flagitium vnum manifesto iræ iudicio animaduertit, sic cogitare debes: Ergò flagitia omnia execratur, omniaque peccata.

Misericordia. Sæpe miseros peccatores indefessa tamen benignitate prosequitur, donec eorum prauitatem benefaciendo fregerit, plusquam paterna indulgentia ad se reuocando. Ergo maxima eius est misericordia. Vnde & D. Paulus Rom. 2. *An diuitias eius bonitatis contemnis, ignorans quod benignitas Dei ad resipiscentiam te allicit?*

Potentia. Impiorum ferociam, omnium opinione insuperabilem, momento vno retundit: arrogantiam domat: validissima præsidia diruit: tela & arma comminuit, vires infringit: machinationes euertit, facitque vt sua ipsarum mole concidant: quæ in cælos se efferebat audacia, eam in centrum vsque terræ prosternit. Rursus erigit humiles è puluere, & inopes è stercore suscitat, oppressos & afflictos ab extremis angustiis erigit: deploratos in spem bonam restituit: facit vt inermes de armatis, pauci de plurimis, imbecilles de validis victoriam referant. Ergo potens est, in hócque suam exerit potentiam.

Sapientia. Vnamquamque rem optima opportunitate dispensat: quamlibet Mundi sapientiam confundit: deprehendit astutos in astutia sua: nihil denique non optima ratione attemperat. Ergo in hoc se maximè profert eius sapientia.

In hoc ergo speculo præclarè sese diuina Maiestas cum suis virtutibus omnibus prodit: ita vt quocunque incedamus, aut quoquo oculos vertamus, ea statim nobis obuia in hoc speculo præstò sit, atque ad sui notitiam nos semper & vbique inuitet.

Quod hæc sit optima Dei quærendi & agnoscendi via.

Atque hic quidem obseruandum est, quòd per hoc speculum creaturarum Dei, homines inuitantur ad Dei notitiam, non quæ inani speculatione contineatur, sed quæ solida futura sit & fructuosa, si percipiatur à nobis. Nā à suis virtutibus manifestatur Dominus: quarum vim quia sentimus intra nos, & beneficiis fruimur, viuidiùs multò hac recognitione nos affici necesse est, quàm si Deum imaginaremur, cuius nullus ad nos sensus perueniret. Vnde intelligimus hanc esse rectissimam Dei quærendi viam, & aptissimum ordinem: non vt audaci curiositate penetrare tentemus ad excutiendam eius essentiam, quæ adoranda potiùs est, quàm scrupulosius inquirenda: sed vt illum in suis operibus contemplemur, quibus se propinquum & familiarem nobis reddit ac quodammodo communicat. Huc respiciebat Apostolus, quando ait: Act. 17. *Non longè quærendum esse Deum, quippe qui præsentissima sua virtute habitet in vnoquoque nostrum. Deus (inquit) fecit Mundum & omnia, & cætera: fecitque ex vno sanguine omne genus hominum habitare super vniuersam faciem terræ, definiens statuta tempora & terminos habitationis eorum, vt quærerent Deum si forte palparēt eum & inuenirent: quamuis non longè absit ab vnoquoque nostrum. In ipso enim viuimus, mouemur & sumus: sicut & quidam vestrorum poetarum, &c.*

Proinde Dauid Psal. 145. inenarrabilem eius magnitudinem antè confessus, postquam ad operum commemorationem descendit, eam ipsam se enarraturum profitetur. Quare & nos in eam Dei inuestigationem incūbere debemus: quæ & suspensum admiratione ingenium teneat, vt efficaci sensu penitùs simul afficiat. Et (sicut docet Augustinus in Psalm. 144.) quia illum non possumus capere, velut sub eius magnitudine deficientes, ad opera respiciamus, vt eius reficiamur bonitate.

Quòd hæc vera Dei notitia pariat non solùm veram religionem, sed etiam ad spem futuræ vitæ excitet.

Porrò hæc huiuscemodi notitia non solùm ad Dei cultum excitare nos debet: sed ad spem quoque futuræ vitæ expergefacere & erigere. Cùm enim animaduertamus, quæ Dominus tum clementiæ, tum seueritatis suæ specimina edit, inchoata duntaxat, & semiplena esse: haud dubiè ad maiora sic præludere putandus est: quorum manifestatio plenaque exhibitio ad aliam vitam differatur. E cōtrà, cùm videamus pios ab impiis, afflictionibus grauari, iniuriis concuti, calumniis opprimi, contumeliis probrisq; lacerari: sceleftos contrà florere, prosperari, quietem cum dignitate obtinere, idque impunè: colligendum est protinus, alteram fore vitam, in qua & sua iniquitati vindicta, & merces iustitiæ reposita sit. Item, cùm obseruemus Dominum ferulis sæpius fideles castigare: certo certius constituere licet, multò minus impios eius flagella olim euasuros.

Fatendum igitur est, in singulis Dei operibus, præsertim autem ipsorum vniuersitate, non secus atque in tabulis depictas esse Dei virtutes, quibus in eius agnitionem, & ab ipsa in felicitatis possessionem inuitetur vniuersum humanum genus. Porrò cùm lucidissimè illic tanquam in speculo appareant: quorsum tamen potissimum spectēt, quid valeant, quem in finem sint à nobis intelligendæ: tum demum assequimur, dum in nos ipsos descendimus, ac consideramus, quibus modis suam in nobis vitam, sapientiam, virtutem Dominus exerat, suam iustitiam, bonitatem, clementiam, erga nos exerceat.

Quod licet Deus in hoc primo speculo clarißimè se suásque virtutes nobis repræsentet: tamen ob stuporem nostrum, cæci eum non videamus, sed hebescimus.

Atqui quantacunque claritate & se, & immortale suum regnum Dominus in operum suorum contemplatione repræsentet: qui tamen est noster stupor, ad tam perspicuas testificationes cæci semper hebescimus. Nam quantum ad Mundi compositionem attinet, quotus quisque nostrū est, qui dum oculos vel in Cœlum attollit, vel per regiones terræ varias circumfert: mentem ad creatoris memoriam referat, ac non magis, præterito autore, in operum aspectu desideat? Quantum verò attinet ad ea, quæ præter naturalis cursus ordinem quotidiè eueniunt: quotusquisque non magis reputat, cæca potius fortunæ temeritate rotari & volutari homines, quàm Dei prouidentia gubernari? Quod si quando istarum rerum ductu ac directione ad Dei considerationem adigimur (quod omnibus euenire necessarium est) vbi, temerè diuinitatis alicuius sensum concepimus, statim ad carnis nostræ deliria delabimur, ac puram Dei veritatem nostra corrumpimus vanitate. In eo quidem dissimiles, quod quisque sibi priuatim aliquid peculiaris erroris accersit: in hoc tamen simillimi, quod ad vnum omnes, ab vno vero Deo ad prodigiosa nugamenta deficimus. Hoc autem morbo non plebeia modò & obtusiora ingenia, sed præclarissima & singulari alioqui acumine prædita implicantur. Præsertim verò Philosophi in hac parte stoliditatem suam & insulsitatem apertè prodiderunt, vt manifestum est hic Plato inter omnes religiosissimus, & maximè sobrius, ipse quoq; euanescit. Quærit enim in Timæo, corporeum Deū, quod à diuina maiestate alienissimum indignissimúmque est. Quid ergo aliis non eueniret, quando primores ita hallucinantur & impingunt?

Item, vbi rerum humanarum gubernatio prouidentiam manifestius arguit, quàm vt abnegari queat: tamen nihilo inde plus proficitur, quàm si temeraria fortunæ voluntate crederentur omnia sursum deorsum versari. Tanta est nostra in vanitatem & errorem propensio. De excellentissimis loquor: non de vulgaribus illis, quorum in profananda veritate Dei in immensum processit insania.

Ergo frustrà nobis in Mundi opificio collucent tot accensæ lampades ad illustrandam gloriam autoris: quæ sic nos vndique irradiant, vt in rectam viam pēr se nequaquam possint nos perducere. Et scintillas certè quasdam excitant, sed quæ antè præfocantur, quàm pleniorem effundunt fulgorem.

Quòd ad intuendum Deum Deique virtutes in hoc primo etiam speculo opus nobis sit fide.

Quare licet inuisibilis Diuinitas talibus spectaculis repræsentetur, talique in speculo prælucear: tamen ad illam perspiciendam non sunt nobis oculi, nisi per fidem, interiore Dei reuelatione illuminentur. Quod Paulus Heb. 11 docet: vbi licet *secula vocet simulacra rerum inuisibilium*: tamen addit, *per fidem intelligi esse verbo Dei aptata*. Ergo fide opus est.

At Rom.1. ait de Gentibus sine fide: *Quod notum est Dei, manifestum est in illis. Et, inuisibilia Dei, dum per res conditas intelliguntur, ex creatione Mundi peruidentur, &c.*

R. Vbi ita loquitur Paulus non designat talem manifestationem, quæ hominum perspicaciâ comprehendatur: quin potius eam ostendit vltra non procedere, nisi vt reddantur inexcusabiles.

At Act.17. ait D. Paulus, Deum procul vestigandum non esse, vtpote qui intra nos habitet. Ergo non opus est fide.

R. Non inde sequitur, quòd non opus sit fide ad verè cognoscendum Deum etiam in hoc primo speculo. Nam quorsum valeat illa propinquitas Dei, alibi docet: Act. 14. *In præteritis generationibus permisit Dominus Gentes ingredi viis suis: non tamen se ipsum sine testimonio reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda hominum.* Licet ergo Dominus non destituatur testimonio, dum plurima & varia benignitate homines in sui cognitionem suauiter allicit: vias tamen suas, id est, exitiales errores propterea sequi non desinunt. Ergo &c.

Quòd licet naturali facultate deficiamus ad cognoscendum Deum in speculo relucentem, licet etiam fidem ex nobis habere non possimus, non tamen excusari possimus si Deum ignoremus.

At cum ergo naturali facultate deficiamus, quò minùs ad plenam vsque & liquidam Dei cognitionem conscendamus, cùm item fidem, qua opus est ad cognoscendum Deum, ex nobis habere nequeamus: ergo excusabiles sumus, si non agnoscimus Deum, sicut debet agnosci in hoc speculo.

Respons. Negatur consequentia. Quia enim hebetudinis vitium intra nos est, ideo præcisa est omnis tergiuersatio & excusatio.

Neque enim ignorantiam sic prætexere possumus, quin semper & ignauiæ & ingratitudinis conuincamur. Digna scilicet, quę admittatur defensio: si homo ad audiendam veritatem sibi aures defuisse obtendat, ad quam enarrandam suppetunt mutis creaturis plus quàm canorę voces. Si oculis se non posse videre causetur, quod sine oculis creaturæ demonstrant. Si mentis imbecillitatem excuset, vbi omnes sine ratione creaturæ erudiunt. Quare omni prorsus excusatione meritò excludimur, quod vagi & palantes aberramus, cùm omnia rectam viam demonstrent.

Sed enim, vtcunque hominum vitio imputandum sit, quòd semen notitiæ Dei, ex mirabili naturę artificio mentibus suis inspersum, mox corrumpunt, ne ad frugem bonã ac sinceram perueniat: verissimum tamen est, nuda ista & simplici testificatione, quæ Dei magnificentiæ à creaturis redditur (id est, hoc primo speculo) nequaquam nos sufficienter erudiri. Simul enim ac modicũ diuinitatis gustum, ex Mundi speculatione delibauimus: vero Deo prætermisso, eius loco somnia & spectra celebri nostri erigimus, iustitiæ, sapientiæ, bonitatis, potentiæ laudem ad ipsa deriuãdo. Porro, quotidiana eius facta, ita aut obscuramus, aut inuertimus prauè, vt & suam illis (scilicet factis Dei) gloriam, & autori debitam laudem præripiamus. Vnde opus est alio, scilicet secundo speculo sanctæ scripturæ.

De secundo speculo, verbi scilicet Dei, seu sacræ scripturæ, quonam pacto in eo sese Deus suis electis patefaciat.

Sicut igitur Deus in primo speculo sese omnibus cognoscendum proponit (licet non omnes eum rectè intueantur) idque vt omnes sint inexcusabiles: ita suis electis, qui eum in primo speculo satis videre aut agnoscere nequeunt, efficaciori modo, vt eum plenius agnoscant, in secũdo speculo sui scilicet verbi sese manifestat, & conspiciendum, imo conspicuum reddit. Sic Adæ, sic Nohæ, sic Abrahæ, sic denique suis electis omnibus in hoc se speculo conspicuum reddidit, quis, qualis, quæve eius erga nos voluntas esset, aperiens. Ergo ad spoliandum omni patrocinio hominum impietatem, Deus numinis sui fulgorem, in creatúris delineatum, sine exceptione vniuersis proponit. Vt verò suis electis efficaciore remedio succurrat, atque eos perfectè erudiat: non mutis duntaxat magistris in eorum eruditionem vtitur, sed os quoque sacrosanctum reserat. Neque tantùm promulgat, colendum aliquem esse Deum: sed eum sese simul pronuntiat, qui colendus sit. Nec ipsos docet modò in Deum respicere: sed se quoque exhibet, in quem respiciant. Atque hunc ordinem ab initio Dominus in vocatione electorum suorum tenuit, vt præter illa documenta verbum quoque adhiberet: quæ multo rectior & familiarior est ad ipsum dignoscendum nota.

Sic Adam, sic Nohæ, sic Abraham & reliqui patres in cognitionem eius interiorem, verbo illuminati penetrarunt: siue illis instillabatur verbum illud per oracula & visiones, siue prioribus reuelatum: eorum ministerio, quasi per manum posteris tradebatur. Atque hinc apparet, quonam modo participes facti sint verbi Dei electi omnes.

Quòd prioribus quidem reuelato verbo, posteris verò eodem scripto se Deus manifestauit.

1. Primi illi patres, nempe ante Mosen, omnes illuminati fuerunt verbo Dei, hoc modo. Aliquibus enim instillabatur verbum Dei, modò per oracula, modò per visiones. Illi verò reuelatum verbum, posteris suis quasi per manum tradebant. Nec tamen multum referebat, vtronam modo verbi Dei participes fierent, modo à Deo profectum esse intelligerent, sicut intelligebant propter indubiam fidem, quã illis faciebat Deus. Quoties enim Deus reuelare volebat verbum suum aliquibus: illis faciebat indubiam fidem per miracula aliqua, vel alio modo, quòd verbũ illud, esset verbum Dei, à Deo profectum. Ergo peculiariter se paucis, euidenti præsentiæ suæ signo dato, insinuauit, ac salutificæ doctrinæ thesaurum apud eos deposuit, cuius ipsi rursum ad posteritatem dispensatores forent, sicut videmus Abrahamum fecisse. Abraham enim fœdus æternæ vitæ apud se cœlesti oraculo depositum, propagauit in totam familiam, & in longam generationem transmittendum curauit. Atq; hoc quidem interstitio iam tum à reliquis nationibus distinguebatur Abrahæ progenies, quòd singulari Dei beneficio in istam verbi communionem admissa erat.

2. Vbi verò placuit Deo eligere peculiarem populum pro Ecclesia sua, nempe filios Israel, cui concrederentur eloquia Dei, & in quo solo verbum Dei permaneret & conseruaretur: tunc illud ipsum verbum, quod antea quasi de manu in manum traditum in populo Dei conseruauerat, solenniore ritu promulgatum, & tabulis consignatum voluit. Tunc ergo scriptis commendari cœperunt Dei oracula: quæ antè de manu in manum tradita, in populo Dei asseruabantur. Et hoc per verbum scriptis mandatum, tanquam per secũdum speculum, se Deus manifestauit populo illi, & nunc se nobis, & posteà aliis semper manifestabit.

Quàm vtile & necessarium nobis posterisque omnibus fuerit, verbum Dei scriptis commendari.

Quòd verò id & vtile, & necessarium nobis posterisque omnibus fuerit, quòd diuina prouidentia verbum Dei mãdatum literis & scriptis fuit, manifestum est hominis ad Dei obliuionem, & ad errores & mendacia omnia propensionem consideranti. Nam si consideramus, quàm lubricus sit humanæ mentis in Dei obliuionem lapsus, quanta in omne genus errotis procliuitas, quanta in confingendas identidem nouas & fictitias religiones libido: perspicere licebit, quàm necessaria fuerit talis cœlestis doctrinæ consignatio: ne vel obliuione deperiret, vel errore euanesceret, vel audacia hominum corrumperetur.

Quòd necesse sit huic verbo scriptis commendato insistere & niti, nisi velimus à veritate deficere in errores: & quòd hac via eundum sit ad Deum.

Cùm igitur palàm sit, Deum erga eos omnes, quos vnquam erudire cum fructu voluit, subsidium verbi adhibuisse, idque quod effigiem suam in mundi compositione impressam, parum esse efficacem prouideret: hac recta via contendendum nobis est, si ad sinceram Dei cõtemplationem serio adspiramus: Ad verbum, inquam, est veniendum, vbi probè & ad viuum nobis à suis operibus describitur Deus, dum opera ipsa non ex iudicij nostri prauitate, sed æternæ veritatis regula æstimantur. Ab eo si deflectimus, quamlibet strenua euitamur celeritate, quia tamen extra viam cursus erit, nunquam ad metam pertingemus. Sic.n. cogitandum est, fulgorem diuini vultus, quem & D. Paulus vocat inaccessum, esse nobis instar inexplicabilis labyrinthi, nisi verbi linea in ipsum dirigamur: vt satius sit in hac via claudicare, quã extra eã celerrimè currere. Proinde Dauid, vbi cõmemorauit, *Dei gloriã à Cœlis enarrari, opera manuum eius nũciari à firmamẽto, ab ordinata dierũ noctiũq; serie maiestatem*

maiestatem eius prædicari: deinde ad verbi commemorationem descendit, dicêdo Psal.19. *Lex Domini immaculata, &c.* Significans illam esse vniuersalem omnium institutionem: hanc verò peculiarem Dei scholam. Hinc & illud emanauit, Gentes omnes adorare quod nesciunt: Iudæos autem solos adorare quod sciunt, Iohan.4. *Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus.* Nam cùm humana mens, pro sua imbecillitate peruenire ad Deū nullo modo queat, nisi sancto eius verbo adiuta & subleuata: omnes tunc mortales, exceptis Iudæis, quia Deum sine verbo quærebant: necesse fuit in vanitate atque errore versari.

Quòd hæc scriptura sancta ab omnibus fidelibus credatur esse verbum Dei, vnde habeat, ab Ecclesiâne, an aliundè.

At dicet quispiam, si Gentibus omnibus constaret, sicut fidelibus omnibus constat, hanc scripturam esse verbum Dei, vtique & illi huic scripturæ sanctæ studerent, fidémque præstarent sicut & isti, atque ita in veritate essent, sicut & nos fideles. Vbi enim sermonem, siue scripturam, quæ proponitur, sermonem & verbum esse Dei in confesso est, nemo est tam deploratæ mentis, qui non fidem ei præstet, ac nitatur. Sed quoniam illis non constat, sicut nobis, hanc esse verbum Dei: ideò illi fidem non habent.

R. Id verissimum est: sed hinc surgit dubitatio: vnde est, quod illis non constat, fidelibus verò constat, hanc scripturam esse verbum Dei? Quidam respondent, quia illi non credunt Ecclesiæ, quæ proponit hanc scripturam, & dicit, eam esse verbum Dei: isti verò credunt Ecclesiæ: ideò, &c. Vnde illud Augustini: Non crederem Euangelio, nisi crederem Ecclesiæ, vel nisi Ecclesiæ autoritas me commoueret. Sed hoc non satisfacit, nec potest esse. Nam etsi Ecclesia potest publicare, & annunciare, quod hæc scriptura sit verbum Dei: non tamen potest omni sua autoritate efficere, vt alicui constet hanc scripturam esse verbum Dei, ac propterea vt quis credat Euangelio, vt verbo Dei. Alii ergo verius dicunt, quod id procedit, quia illis scilicet infidelibus non est datus S. S. qui oculos illis aperiat ad agnoscendum, hanc scripturam esse verbum Dei: istis verò, id est, nobis datus est: sicut Christus ait, vobis datum est nosse mysteria regni Dei, cæteris verò per parabolas. Solus enim S.S. potest præstare hoc, vt alicui constet, sermonem aliquē, sermonem esse Dei. Ipse enim est, qui deducit in omnem veritatem. Quæstio igitur hæc est.

Vtrum hæ scripturæ ab Ecclesia, an potiùs à Spiritu sancto suam apud fideles omnes autoritatem habeant, qua fideles ita iis scripturis fidem præstant, ac si ipsas viuas Dei voces audirent.

Videtur, quòd hanc habeant ab Ecclesia, tantúmque iis scripturis inesse momenti, quantum eis Ecclesiæ suffragio conceditur. Ecquis enim nobis fidem faciat, has scripturas à Deo prodiisse? saluas & intactas ad nostram vsque ætatem peruenisse? Ecquis persuadeat, librum hunc reuerenter excipiendum, alterum numero expungendum? nisi certam istorum omnium regulam Ecclesia præscriberet. Pendet igitur ab Ecclesiæ determinatione, & quæ scripturæ reuerentia debeatur, & qui libri in eius catalogo censendi sint.

Sed contra hæ sunt rationes.

1. Si scripturę sanctæ autoritas penderet ab Ecclesia: Ergo æterna inuiolabilisque Dei veritas, hominum arbitrio niteretur. Hoc autem fieri non potest. Ergo, &c.

2. Si scripturæ sanctæ auctoritas penderet ab Ecclesia: Ergo promissiones de vita æterna, de remissione peccatorum, & cæ quæ sunt in scriptura sacta, nunquam alicui certæ essent, quia solo hominum iudicio fultæ essent. Sunt autem fidelibus omnibus certæ. Ergo, &c Alioqui quid miseriis conscientiis fiet, solidam vitæ æternæ securitatem quęrentibus, si quęcunque extant de ea promissiones, solo hominum iudicio fultæ essent?

Si fides nostra, nullius nititur verbo, nisi hominum autoritate confirmata, quódque hominum beneficio ceu precariam habeat autoritatem: quibus impiorum sannis subiicitur fides nostra, & in quantam apud omnes suspicionem vocatur?

4. Inde apud omnes fideles, siue membra Ecclesię scriptura sacra suam habet autoritatē vnde etiam apud ipsam Ecclesiam habet. Habet autem suam apud Ecclesiam autoritatem, non ab ipsa Ecclesia, sed aliunde. Ergo, &c.

5. Ecclesia ędificata est super fundamento Apostolorum & Prophetarum, id est, super doctrina Prophetica & Apostolica, quę est verbum Dei, Ephes.2. Ergo huic fundamento suam certitudinem constare oportet, antequam illa extare incipiat. Nō ergo ab Ecclesia verbum Dei habet autoritatem suam apud fideles: sed potiùs Ecclesia habet à verbo Dei. Nō.n. ideò credimus, & persuasi sumus, hāc Scripturam esse verbum Dei, quia Ecclesia id dicit: sed potius credimus, hanc Ecclesiam, esse Ecclesiam Dei, quia credimus verbo Dei, super quo videmus Ecclesiam esse fundatam.

1. At, etiamsi à verbo Dei, id est, ab Apostolica & Prophetica doctrina, exordium primum ducat Ecclesia, manet tamen dubium quę Prophetica, & quæ Apostolica sit doctrina, nisi iudicium Ecclesię intercedat.

Resp. Hęc ratio non valet. Nam si Christiana Ecclesia Prophetarum scriptis, & Apostolorum prędicatione initiò fundata fuit: vbicunque reperiatur ea doctrina, Ecclesiam certè pręcessit eius doctrinę approbatio: alioqui sine illa approbatione doctrinæ, Ecclesia nunquam extitisset. Falsum igitur est, quod Scripturę iudicandę potestas penes Ecclesiam sit, ita vt ab huius nutu, illius certitudo pendere intelligatur.

2. At cur ergo Ecclesia in Conciliis solita est recipere hūc librum & illum, atque suo suffragio obsignare: alium verò respuere: atque ita aliis pręcipere, vt recipiant?

Resp. Cùm Ecclesia Scripturam sacram suo suffragio obsignat: non ex dubia, aut alioqui nutabunda, authenticam facit: sed quia veritatem agnoscit Domini sui esse: ideò pro pietatis officio nihil cunctando veneratur, atque id aliis denunciat.

3. At vnde igitur persuadebimur à Deo fluxisse hanc Scripturam, nisi ad Ecclesię decretum confugiamus?

R. Hoc perinde est, ac si quis interroget, vnde discemus, lucem discernere à tenebris? album à nigro? suaue ab amaro? Sicut enim res albæ & nigræ, coloris sui speciem ac sensum vltrò præ se ferunt: ita Scriptura sacra non obscuriorem veritatis suæ sensum præ se fert, idque sponte & vltrò. Et nisi quis cæcus sit, statim vt sese offerunt, eos inter se discernit: nec eget, vt quispiam illi dicat, hoc est album, hoc est nigrum. Si verò cæcus omnino sit: licet omnes illi dicant, hoc est album, illud nigrum: ipse tamen nunquam eos inter se discernet aut agnoscet. Ita qui sine Spiritu sancto est, &c.

Dicendum ergo *primò*, quod Scriptura sacra ex se, & per se ipsam quidem, suæ veritatis sensum præbet, & præ se fert: quod sit verbum Dei: verùm illi tantùm hoc vident & percipiunt, qui oculos illuminatos habent lumine Spiritus sancti, sine quo verbum Dei, non apparet esse verbum Dei, nec verum: imo stultitia & mendacium, vt ait D. Paulus 1.Cor 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, &c. Stultitia enim est illi.*

Quare dico *secundò*, quòd Scriptura sacra hanc autoritatem, quam habet apud fideles, vt agnoscatur esse verbum Dei, & suscipiatur, & in reuerentia habeatur tanquam verbum Dei, habeat à Spiritu sancto intus corda fidelium illuminante & persuadente, hoc esse verbum Dei, atque à Deo per Prophetarum & Apostolorum ora & manus fluxisse. Vbi vero per hoc lumen & testimonium Spiritus S. illuminati sunt oculi mentis nostrę, vt perspicere ac discernere possimus, quæ sunt Spiritus Dei: statim sine testimonio Ecclesiæ, aut vllius hominis, sine argumentis, sine probationibus, sed ipsissimis oculis mentis nostræ videmus & agnoscimus, hanc Scripturam esse verbum Dei: certóque certius constituimus (non secùs atque ipsius Dei numen illic intueremur) hominum ministerio, ab ipsissimo Dei ore, eam ad nos emanasse. Item, nec tantùm agnoscimus & videmus, eam esse Dei verbum verissimum: sed etiam sentimus, non dubiam vim numinis illic vigere ac spirare, qua ad parendum scientes quidem ac volentes, viuidiùs tamen & efficaciùs trahimur & accendimur, quàm pro humana aut voluntate aut scientia trahi accendive possimus. Hæc est persuasio certissima, quæ rationes non requirit, nec Ecclesiæ testimonio indiget.

Hæc est notitia, cui optima ratio constet: nempe, in qua securius constantiusque mens quiescit, quàm in vllis rationibus. Hic denique sensus est, qui nisi ex cœlesti reuelatione, nasci queat. Quod hoc ita sit, vnusquisque fidelium apud seipsum experitur.

Ergo manifestum est, quod hæc sacra scriptura, autoritatem, quam habet apud fideles omnes, nempe, vt eam ceré agnoscant & credant esse verbum Dei, amplectantúrque non secus, ac si verba ex ipsissimo Dei ore audirent: non habet ab Ecclesia, sed à seipsa per Spiritum san-

ctum corda fidelium illuminantem ad agnoscendum quid ea sit. Ecclesia quidem annunciat, hoc esse verbum Dei: sed Spiritus Sanctus persuadet esse verbum Dei. Ecclesia foris in auribus corporis restatur, quod sit verbum Dei: Spiritus autem Sanctus intus in auribus adeò testatur, vt certiores nos reddat ita esse.

3. At nunquid igitur Ecclesiæ authoritas nihil prodest ad conciliandam verbo Dei apud fideles authoritatem?

Resp. Nisi adsit hæc per Spiritum sanctum certitudo: quolibet humano iudicio & superior & validior: frustra Scripturæ authoritas vel argumentis munietur, vel Ecclesiæ consensu stabilietur, vel aliis præsidiis confirmabitur. Nam nisi hoc iacto fundamento, suspensa semper manet. Vbi vero semel per Spiritum sanctum illuminati, hanc Scripturam sacram agnouimus esse verbum Dei, ac tanquam verbum Dei religiose & pro dignitate sua amplexi sumus: quæ ad eius certitudinem animis nostris inserendam & infigendam non adeò valebant, tunc aptissima sunt adminicula: tunc confirmatur non tantùm Ecclesiæ autoritate & consensu, sed omnibus iis etiam locis.

1. Quantum confirmationis ex eo accedit ad Scripturā hanc, dum reputamus primo, quàm ordinata & disposita illic appareat diuinæ sapientiæ dispensatio?

2. Quàm cœlestis vbique, & nihil terrenum redolens doctrina?

3. Quàm pulchra partium omnium inter se consensio: & huiusmodi reliqua ad conciliandam Scripturis maiestatem plurimùm valent, de quibus vide Raimundum.

4. Solidius adhuc confirmantur corda nostra, dum cogitamus, quod rerum magis dignitate, quàm verborum gratia in eius admirationem, rapimur. Nam & hoc non sine eximia Dei prouidentia factum est, vt sublimia cœlestis regni mysteria, sub contemtibili verborum humilitate traderentur: ne, si splendidiore eloquentia illustrata forent, cauillarentur impij, solam eius vim in hac eloquentia regnare. Nunc cum inculta illa, & tantum non rudis simplicitas, maiorem sui reuerentiam excitet, quàm vlla Rhetorum facundia: quid iudicare licet, nisi potentiorem Scripturæ sacræ vim veritatis constare, quàm vt verborum arte indigeat? Iute igitur ait 1. Corinth. 2. *Et ego, cum venissem ad vos, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientia,* &c. *Et sermo meus non in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed* &c. Ab omni enim dubitatione vindicatur veritas, vbi non alienis suffulta præsidiis, sola sibi ad se sustinendam sufficit. Hæc autem virtus, quàm propria sit Scripturæ sacræ, inde liquet, quòd ex humanis scriptis, quamlibet artificiose expolitis, nullum omninò perinde ad nos afficiendos valet. Lege Demosthenem, Ciceronem, Platonem, Aristotelem, &c. te allicient (fateor) oblectabunt, mouebunt, rapient: verùm inde, si ad sacram istam lectionem te conferas, velis nolis ita viuidè te afficiet, ita cor penetrabit, ita medullis insidebit, vt præ istius sensus efficacia, vis illa Rhetorum & Philosophorum propè euanescat. Atque ita promptum est perspicere, diuinum quiddam spirare sacras Scripturas, quę omnes humanæ industriæ dotes ac gratias tanto interuallo superent.

5. Nec suo etiam pondere caret Ecclesiæ consensus. Quātum enim valet hoc ad confirmandam sacræ Scripturę autoritatem, quòd ex quo publicata fuit ista Scriptura, tot seculorum voluntates constanter in eius obedientiam consenserint?

6. Quòd licet miris modis eam vel opprimere, vel euertere, vel inducere prorsus, & ex hominum memoria obliterare conatus sit Satan cum toto Mundo: semper tamē instar palmæ, superior enasit, & inexpugnabilis illa perstitit? Nemo enim excellentissimo ingenio vel Rhetor, vel Sophista olim fuit, qui aduersus hanc Scripturam vim suam non intenderet: nihil tamen profecerunt omnes. In eius excidium vniuersa terræ potentia se armauit: & in fumum abierunt omnes eius conatus. Quando tam validè vndequaque impetita restitisset, si non alio, quàm humano prę sidio fulta fuisset? Quin magis hoc ipso, à Deo esse conuincitur, quòd reluctantibus humanis omnibus studiis, sua tamen virtute vsque emerserit.

7. Item, quod non vna Ciuitas, non Gens vna in eam recipiendam, & amplexandam conspirauit: sed quàm longè latéque patet terrarum orbis, variarum gentium, quibus alioqui nihil inter se commune erat, sancta conspiratione, suam autoritatem adepta est. Quantum mouere debet talis conuenientia tam diuersorum animorum, & rebus omnibus alioqui dissidentium inter se: quando eam non nisi cœlesti numine conuenientiam factam fuisse apparet?

8. Adde, quòd ij, qui simul conueniunt ad hanc Scripturam amplexandam, vt verbum Dei, etsi non omnes, saltem præcipui, quibus ceu luminibus fulgere Ecclesiam voluit Dominus; tanta morum grauitate, vitæ sanctimonia, iudicij acrimonia, doctrina, scientia, sapientia, omnibusque denique virtutibus præditi fuerunt, vt dubitare fas non sit, quin inspirati à Spiritu sancto, illam amplexi sint, ac receperint vt verbum Dei.

9. Quid? quòd tot tantorúmque sanctissimorum hominum sanguine sancita & testificata fuit? quanta igitur seueritate illi nomen dare nos doctrinæ par est? Illi pro semel suscepta non dubitarunt mortem animosè & intrepidè, atque adeò magna alacritate oppetere: nos cum tali arrhabone ad nos transmissam, quomodo non certa & inconcussa persuasione susciperemus? Non igitur est mediocris sacræ scripturæ approbatio, tot testium fuisse sanguine obsignatam: præsertim dum reputamus, eos mortem, ad reddendum fidei testimonium oppetiisse, non phanatica intemperie (qualiter interdum erratici Spiritus solent) sed firmo constantique, sobrio tamen Dei zelo.

Sunt item aliæ rationes, quibus sua Scripturæ dignitas ac maiestas non modò asseratur piis pectoribus: sed etiam aduersus calumniatorum technas mirificè vindicetur. Sed tamen, quæ non satis per se valeant ad firmam illi faciendam fidem, donec eius reuerentiam cœlestis pater suo illic numine patefacto, omni controuersia eximit.

Quare tum demum verè ad saluificam Dei cognitionē Scriptura sacra satisfaciet, vbi interiore Spiritus sancti persuasione fundata fuerit eius certitudo. Quæ verò ad eam confirmandam humana extant adminicula & testimonia, sic inania non erunt, si præcipuum illud, & summum Spiritus sancti testimonium, velut secundaria nostræ imbecillitatis adminicula, subsequantur.

Contra phanaticos Spiritus, qui sacræ Scripturæ literam respuunt, contenti suo, nescio quo, Spiritu.

Cum itaque manifestum sit piis omnibus, qui Spiritum Dei non habent, Scripturam hanc, quam habemus, à Deo fluxisse, & verbum Dei esse: qui repudiata sacra Scriptura, nescio quam ad Deum penetrandi viam imaginantur: ij non tam errore teneri, quàm rabie exagitati, putandi sunt. Emerserunt enim hodie phanatici quidam Spiritus, qui Spiritus Magisterium fastuosissimè obtendentes, lectionem ipsi omnem respuunt, & eorum irrident simplicitatem, qui emortuam & occidentem (vt ipsi vocant) literam adhuc sectantur. Contra hos hæc sunt argumenta.

1. Spiritus iste, cuius afflatu eò sublimitatis euehuntur, vt Scripturæ doctrinam ceu puerilem & humilem, despicere audeant: vel est Spiritus Christi, vel non. Spiritus Christi esse non potest. Nam nemo eorum vnquam, qui Spiritum Christi habuerunt, Scripturam Spiritus sancti contemsit: imò eò magis eam amplexus est, vt patet in Apostolis. Isti verò eam abiiciunt. Ergo non habent Spiritum Christi.

2. Dicite mihi: iste Spiritus, estne alius ab eo Spiritu quem Apostolis Christus promisit Iohan. 16. *Cum autem abiero, &c.* Non, inquiunt. Qualem autem fore promittendo denunciabat? eum nempe, qui non à se ipso loqueretur, sed suggereret eorum animis, quæcunque *illis ipse* per verbum tradidisset, dicendo: *Et suggeret vobis omnia, quæcunque dixi vobis.* Ergo non est officium promissi nobis Spiritus, nouas & inauditas reuelationes confingere, aut nouum doctrinæ genus procudere, quo à recepta Euangelii doctrina abducamur: sed illam ipsam, quæ per Euangelium commendatur, doctrinam mentibus nostris obsignate. Vnde intelligimus, Scripturæ & lectioni & auscultationi esse studiose incumbendum, si quem à Spiritu Dei vsum ac fructum percipere libet: Contra verò si quis Spiritus, præterita verbi Dei sapientiā, aliam doctrinam nobis ingerit, eum meritò vanitatis ac mendacij suspectū esse debere.

3. Quid enim? Satanas se transfigurat in Angelum lucis: ergo necessaria est doctrinæ nota, quā discernatur Spiritus Domini, à Spiritu Satanæ. Quam enim authoritatem habebit Spiritus apud nos, nisi certissimā notā discernatur?

Ob. 1. At indignum est (inquiunt) quòd Spiritus Dei, cui subiicienda sunt omnia, Scripturæ subiaceat.

Resp. Quasi verò hoc ignominiosum sit Spiritui sancto, sibi esse vbique parem & conformem, sibi per omnia constare, nusquam variare. Si doctrinę humanæ vel Angelicę

Angelicæ subderetur Spiritus sanctus, vtrique indignum sibi esset, quia in seruitutem redigeretur: Sed dum sibi ipsi comparatur, in seipso consideratur: quis in eo dicet irrogari sibi iniuriam?

2. At ita ad examen reuocatur Spiritus sanctus.

Resp. Fateor, sed quo apud nos maiestatem suam sanciri voluit. Nobis abundè esse debet, simulatque se nobis insinuat. Sed ne sub titulo suo, Satanæ spiritus obrepat, in sua imagine, quam Scripturis impressit, vult à nobis recognosci.

4. Spiritus sanctus Scripturarum autor est, variusque ac dissimilis esse non potest. Qualem igitur se illic semel prodidit: talis perpetuò maneat, oportet. Hoc contumeliosum illi non est: nisi fortè honorificum ducamus, à se ipso desciscere & denegare.

3. At Scriptura dicitur Litera occidens à D.Paulo 2. Cor.3. *Litera occidit. &c.*

Resp. Diuus Paulus ibi agit contra Pseudoapostolos, qui citra Christum legem commendantes, à noui Testamẽti beneficio populum auocabant, quo paciscitur Dominus, se legem suam in fidelium cordibus inscripturum, & in viscera insculpturum. Emortua igitur est litera, & suos lectores necat lex Domini, vbi & à Christi gratia diuellitur, & intacto corde, auribus tantùm insonat. Verùm si per Spiritum efficaciter cordibus imprimitur, si Christum exhibet: verbum est vitæ, conuertens animas, sapientiam præstans paruulis. Vnde 2.Cor.3. eodem loco Apostolus prædicationem suam vocat ministrationem Spiritus, dicendo: *Quantò magis ministratio Spiritus?* &c. nimirum significans, ita suæ, quam in Scripturis expressit, veritati inhærere Spiritum sanctum, vt vim tum demum proferat suam atque exerat, vbi sua verbo constat reuerentia ac dignitas.

4. At quomodo stat hoc simul cum illo, quod iam antè dictum est, nempe verbum ipsum non valdè nobis certum esse, nisi Spiritus testimonio confirmetur?

Resp. Non repugnant simul. Mutuo enim quodam nexu, Dominus verbi, Spiritúsque sui certitudinem inter se copulauit: ita vt solida verbi religio nostris animis insideat, vbi affulget Spiritus, qui nos Dei faciem illic contemplari faciat: vtrique vicissim nullo hallucinationis timore, Spiritum amplexemur, vbi nullum in sui imagine, id est, in verbo recognoscimus.

Dominus non verbum suum hominibus communicauit, quod Spiritus sui aduẽtu statim aboleret: sed eundem Spiritum, cuius virtute verbum suum administrauerat, submisit, qui suum opus efficaci verbi confirmatione, absolueret. Sic Christus Lucæ vltimo discipulis duobus aperiebat sensum, non vt abiectis Scripturis, per se saperent: sed vt Scripturas intelligerent.

Sic D.Paulus 1.Thessal.5 dum hortatur, ne Spiritum extinguant, non sublimiter eos rapit ad inanes fine verbo speculationes: sed continuò subiicit, non spernendas prophetias, dicendo: *Prophetiam nolite spernere.* Quo significat, Spiritus lucem præfocari, simulatque in contemptum veniunt prophetiæ.

Filij igitur Dei alium Spiritum nesciunt, quàm qui in Apostolis habitauit, & locutus est, cuius oraculis sæpè ad verbi audientiam reuocantur.

Quòd Dominus talem se in hoc secundo speculo nobis repræsentet, qualem in primo speculo se visendum præbet.

Quoniam Dei notitiam, quæ in mundi machina, primo scilicet speculo, non obscurè alioqui proponitur, familiariùs tamen & clariùs verbo explicari docuimus: adeò iam necesse est expendere, an se talem nobis in Scriptura repræsẽtet Dominus, qualem in operibus suis delineari vidimus antè. Longa materia: sed ego velut indicem tantùm proponam quo piæ mentes admonitæ, quid potissimùm in sacris Scripturis inuestigandum de Deo sit, nôrint, & ad certum eius inquisitionis scopum dirigantur.

1. Dominus eum se esse Deum declarat, qui postquam cœlum & terram creauit, vniuersum genus humanum, immensa beneficentia complexus ac prosecutus fuerit: sed peculiari gratia pios semper ac perpetua serie aluerit, sustentarit, seruarit, atque ab illis vicissim agnitus fuerit, ac religiosè cultus.

2. Tum historiis omnium seculorum, quasi typis quibusdam sub oculos ponit, quanta sit bonitatis suæ erga fideles constantia: quanta prouidentiæ sedulitas: quanta beneficentiæ promptitudo: quanta auxilij virtus: quantus dilectionis ardor: quàm indefessa in ignoscendis delictis patientia: quàm paterna in puniendis castigatio: quàm perpetuus veritatis tenor.

3. Rursum, quanta in peccatores vltionis seueritas: quàm horrenda post longam tolerantiam iræ suæ inflammatio: quanta manus suæ ad eos prosternendos proterendósque potentia. Hactenus pulchrè conuenit ista effigies Dei, cum illa, quam in Mundi vniuersitate apparere, nuper ostendimus.

Certis tamen locis dilucidæ eius descriptiones nobis proponuntur, quibus ἱκανῶς visenda exhibetur germana eius facies, vnde meliùs percipietur ista cõuenientia. Nam cùm eam describeret Moses, videtur sanè voluisse breuiter comprehendere quicquid de ipso intelligi ab hominibus fas esset, dicendo Exod.34. יהוה יהוה Deus misericors, &c. Vbi primò per nomen יהוה bis repetitum designat æternitatem eius & αὐτουσίαν. Secundò commemorat virtutes eius, quibus nobis describitur, non quis sit apud se: sed qualis erga nos, vt ista eius cognitio, viuo magis sensu, quàm vacua speculatione, constet. Ergo virtutes easdem narrat, quas & nos adnotauimus enarrari in primo speculo, potentiam, sapientiam, &c. Virtus & potentia notatur in voce Elohim.

Talem etiam Prophetæ depingunt Deum, cùm ad plenum volunt sanctum eius nomen illustrare. Huc præsertim facit Psal.145. vbi exactè summa omnium eius virtutum recensetur: & tamen nihil illic ponitur, quod non liceat contemplari in creaturis, id est, in primo speculo. Talem enim sentimus Deum experientia magistra, qualem se verbo declarat.

Ierem.9. Vbi pronuntiat, qualis à nobis agnosci velit, descriptionem ponit, non ita plenam, sicut Moses & Dauid, sed tamen eodem semper recidentem, dicendo: *Qui gloriatur, in hoc glorietur, quòd me nouerit Dominum, qui facio misericordiam, iudicium & iustitiam in terra.* Tria hic certè nobi cognitu necessaria sunt: Misericordia, qua sola consistit nostra omnium salus. Iudicium, quod in flagitiosos quotidiè exercetur, & grauiùs etiam eos manet in æternum exitium. Iustitia, qua conseruantur fideles, & benignissimè fouentur. Quibus comprehensis, te abundè habere testatur, quo possis in Deo conscrinari. In iis autem tribus comprehenduntur etiam aliæ eius virtutes, veritas, potentia, sanctitas, bonitas.

Porro non in alium scopum destinatur, quæ hoc in secundo speculo proponitur nobis Dei notitia, quàm quæ in creaturis, id est, in primo speculo impressa nitet: nempe ad Dei timorem primùm: secundò ad fiduciam nos inuitat, quò scilicet & perfecta vitæ innocentia, & non simulata obedientia illum colere discamus: tum ab eius bonitate toti dependere.

De tertio speculo.

Verùm quoniam propinquiore intuitu, & clariore se cõtemplandum nobis exhibet in Christo: ideò dicimus, hoc esse tertium speculum, de quo postea.

LOCVS II.

DE COGNITIONE HOMINIS: VBI SIMVL DE PECCATO originali.

In tradenda hominis cognitione, quàm diuersa sit Philosophia à Scriptura sacra.

IN cognitione hominis repositam esse secundam sapientiæ partem, tam Philosophorum omnium consensus, quàm omnium diuinarum Scripturarum authoritas planè consentiunt, ac simul prædicant: Vnde prouerbium apud illos, homini præcipiens, vt se ipsum agnoscat: *Nosce teipsum.* Sed in ratione cognoscendi differunt. Nam hoc prouerbio, *Nosce te ipsum*, illi hortantur hominem, vt dignitatem excellentiamque suam cognoscat: Hæc verò, scilicet sacra Scriptura, vt nostram indignitatem miseriamque cognoscamus. Illi volunt, vt nihil aliud in nobis contemplemur, quàm id, vnde inani fiducia intumescamus, & superbia inflemur: Hæc verò talem à nobis exigit nostri notitiam, quæ nos & ab omni gloriandi materia destitutos, & ab omni propriæ facultatis confidentia procul auocatos, ad submissionem adducat, atque ad confidendum in solo Deo tandem nos pertrahat. Illorum sententia, quæ ad recognoscenda nostra bona potiùs nos inuitat, quàm ad mala inspicienda plau-

sibilior est homini: siquidem quæ sua est φιλαυτία, nil magis appetit, quàm blanditiis demulceri. Huius autem regula, quæ ad paupertatem nostram, imbecillitatem, ignominiā, turpitudinem, vitiaque omnia inspicienda nos vocat, vtilior est: siquidem efficit, vt homo sibi ipsi displiceat, in se ipso non acquiescat, in sui odium adducatur: atque ita facilius ad acquiescendum in Deo, ad complacendum sibi in Deo, ac denique ad amandum solum Deum adducatur. Illa facit, vt homo nil sibi inesse videat, quod merito debeat esse odiosum. Hæc, vt nil in se ipso cernat, quod merito sit diligendum. Illa efficit, vt homo seipsum putet sibi ipsi sufficere ad bene beatéque viuendum: atque ita eum ab implorando Dei auxilio auocat: Hæc vt seipsum agnoscat ad nihil per se valere, nisi ad peccandum, atque ita ad implorandum semper Dei auxilium, remissionem peccatorum, gratiam, &c. facilè eum impellit.

At nunquid igitur scriptura sacra negat, vllam nobis inditam esse nobilitatem?

R. Non negat: neque negare etiam nos possumus, aliquam nostræ naturæ inditam esse nobilitatem, quæ nos ad iustitiæ honestatisque studium meritò expergefacere debeat. Non enim possumus aut primam nostram originem, aut quorsum conditi sumus, cogitare, quin ad meditandam immortalitatem, expetendúmque Dei regnum pungamur. Sed tamen ista recognitio, non solum non dat nobis animos: sed potius submissis illis, ad humilitatem, modestiámque deducit. Quæ enim illa est origo? nempe à qua excidimus. Quis ille creationis nostræ finis? à quo penitus auersi sumus, vt miseræ nostræ sortis pertæsi, ingemiscamus: ingemiscendo, ad perditam illam dignitatem suspiremus. Nos autem cum dicimus, nil in se oportere hominem intueri, quod ipsum animosum reddat: intelligimus cum sacra scriptura, nihil esse penes ipsum, cuius fiducia debeat superbire. Hæc ergo, quam sacra scriptura præscribit, est vera vtilisque hominis cognoscendi ratio.

Quare, quā homo sui notitiam habere debet, ita partiemur, vt primò, quem in finem creatus sit, & donis non contemnendis præditus, reputet. Hac cogitatione ad diuini cultus, vitæque futuræ meditationem excitabitur Secundò, suas facultates, vel certè facultatum inopiam expēdat. Hac enim perspecta, non secùs atque in nihilum redactus, in extrema confusione iacebit. Prima consideratio huc tendit, vt quale sit officium suum agnoscat. Secunda verò, vt quid ad ipsum præstandum valeat, sciat perspiciatque. De vtraq; sparsim disseretur à nobis, prout series docendi poscet.

Quòd sic tractanda sit humani generis calamitas, vt & carnis malitiæ omnis tergiuersatio præcidatur: & Dei iustitia ab omni insimulatione vindicetur.

Antè verò quàm ad miseram istam hominis conditionē describēdam aggrediamur, necesse est tenere qualis, à Deo, prima sua creatione creatus fuerit homo, nempe perfectus, &c. idque ne, dum naturalia hominis mala demonstramus, ea videamur ad Naturæ autorem referre. *Impii* enim homines, sæpe in hoc prætextu sese defendunt, & excusare solent, dicentes, quòd si quid peccant non sibi imputandum esse, sed Deo: quia quicquid vitij habent, à Deo quodam modo profectum est, qui ita illos condidit: atque ita litigantes cum Deo, si quando redarguuntur, culpam in illum proiiciunt. *Alii*, qui religiosius loqui de Numine videri volunt: libenter tamen excusationem suæ prauæ voluntatis captāt à Naturæ accusatione: non cogitantes, se Deum quoque, licet obscurius, suggillare, in cuius contumeliam recideret, si quid vitij inesse Naturæ probaretur.

Cùm ergo videamus carnem, quæ sua est malitia, in his resubterfugiis omnibus, quibus vtcunque deriuari alio à se malorum suorum culpam existimat: huic malitiæ diligēter obuiandum est. Itaque sic tractanda est humani generis calamitas, vt præcidatur carnis malitiæ omnis tergiuersatio, & iustitia Dei ab omni insimulatione, nedum criminatione vindicetur: idque tamen secundum scripturæ veritatem, quæ adeo non suffragatur istiusmodi absurdis, vt ad ea refellenda per se abundè sufficiat, modò rectè intelligatur.

De prima hominis creatione, quàm perfectus creatus fuerit.

Adam creatus fuit ad imaginem Dei.

1. Quidam imaginem & similitudinem Dei in dominatu illi tradito locant: ac si eo solo Deum referre diceretur, quia constitutus fuerit omniūm animalium Dominus & arbiter: Sed nisi maius subesset sententiæ pondus, non toties repeteretur à Mose, *ad imaginem Dei creauit eos*. De hac imagine Dei Thom. 1. p. q. 3 94. 95. 96.

2. Damascenus lib. 2. cap. 110. τὸ μὲν γὰρ κατ' εἰκόνα, τὸ νοερὸν δηλοῖ, καὶ αὐτεξούσιον, τὸ δὲ καθ' ὁμοίωσιν, τὴν τῆς ἀρετῆς κατὰ τὸ δυνατὸν ὁμοίωσιν. ἐποίησεν οὖν ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον ἄκακον, εὐθῆ, ἐνάρετον, ἄλυπον, ἀμέριμνον, πάσῃ ἀρετῇ κατηγλαϊσμένον, πᾶσιν ἀγαθοῖς κεκομημένον, ὥσπερ τινὰ κόσμον δεύτερον.

3. D Paulus explicat vtrumque simul, indicans, hominem factum ad imaginem & similitudinem Dei, id est, factum esse participem diuinæ tum sapientiæ, tum iustitiæ, tum virtutis, tum integritatis, tum veritatis, tum innocentiæ. Eph. 4. *Renouamini Spiritu mētis vestræ, & induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.*

Col. 3. *Nolite mentiri inuicem, exuentes veterem hominem cum actibus suis: & induite nouum, qui renouatur ad agnitionem, & imaginem eius, qui creauit illum.* Hic explicat, imaginem Dei, esse conformitatem, quam Spiritus noster habet cum Deo, vbi terrena sorde repurgatus, nihil nisi cœlestem puritatem spirat.

2. Cor. 3. *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem, tanquam Domini spiritu.* Cùm hic ait, gloriam Dei ita conspicuam nobis repræsentari in Euangelio, vt in eius imaginem transformemur Spiritus sancti virtute: manifestè significat, quòd imago ipsa nihil aliud sit, quàm interius animæ bonum, & quod per spiritualem regenerationem Spiritus sancti in nobis instauretur. Ergo ad imaginem Dei conditus homo, iis dotibus præditus fuit, quæ beneficentiam creatoris largissimam erga ipsum testarentur. Nam bonorum omne genus participatione cum ipso adhærebat Deo: eorum nexu perpetuò cum eo victurus, si in ea modò, quam acceperat, integritate perstitisset, & ita etiam posteri omnes. Thom. 1. p. q. 100.

Primum Adæ peccatum, naturæque corruptio.

Verùm non diu stetit: sed sua protinus ingratitudine tot sibi collatis beneficiis indignum se reddidit. Hic illa cœlestis imago inducta & obliterata fuit: quia per peccatum à Deo alienatus, simul à bonorum omnium communione necessario excidit, quæ non nisi in ipso haberi possunt. Ita in locum sapientiæ, virtutis, sanctitatis, veritatis, iustitię, quibus ornamentis illum vestiebat Dei similitudo, cesserunt teterrimæ pestes, ignorantia, impotentia, impuritas, vanitas, iniustitia, quibus miseriis immersus, & obuolutus, iisdem etiam suam progeniem implicuit.

Quod peccatum Adæ, naturaque corruptio in posteros omnes deriuetur.

Adam igitur tot miseriis immersus, iisdem quoque suam progeniem implicuit. Eius enim imaginem referunt, à quo ducunt originem: & parentis sui pollutione contaminati nascuntur. Hæc est hæreditaria corruptio, nempe naturæ antea bonæ deprauatio, quæ alias dicitur peccatum Originale.

De peccato originali, quomodo in posteros transeat.

Peccatum igitur Adæ in omnes posteros permansit, vt scriptura sacra conuincit. Sed quomodo pertransiit? Thom. 1. p. q. 81. 82.

1. Pelagius per imitationem, non per originem, siue propaginem. Contra hunc omnes Patres, præsertim Augustinus, contendens ac probans, quòd nos non ascita nequitia corrumpamur, sed ingenitam vitiositatem ab vtero matris afferamus.

2. Ecclesia, & sancti Patres, per propaginem. Psalm. 51. *Ecce enim, in iniquitate conceptus sum.* Non hîc arguit Dauid delicta patris aut matris suæ. Sed quò Dei erga se bonitatem melius commendet, propriæ peruersitatis confessionem, à prima natiuitate repetit. Cùm autem id Dauidi peculiare non fuisse constet, nempe nasci & concipi in peccato: ergo sequitur, communem humani generis sortem, sub eius exemplo notari.

Ergo omnes. qui ab impio semine descendimus peccati contagione nascimur infecti: imò antequam vitæ huius lucem

lucem aspicimus, sumus in conspectu Dei fœdati & inquinati.

Iob.14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus mundus es?* Omnes ergo immundi ex ipso semine Adæ immundo. Fuit enim Adam non modò progenitor humanæ naturæ; sed etiam quasi radix, atque ideo in illius corruptione, meritò fuit vitiatum totum humanum genus. Ergo per propaginem: non per imitationem.

Rom. 5. *Sicut per vnum hominem peccatum introijt in Mundum: ita per gratiam vnius Iesu Christi, iustitia & vita nobis restituta &c.* Item: *sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi: ita per vnius obedientionem iusti constituentur multi.*

Item. *Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines* (scilicet propagatum est malum) *ad condemnationem: sic & per vnius iustitiam* (scilicet propagatur bonum) *in omnes homines in iustificationem vitæ.* Quid hic garriunt Pelagiani? peccatum Adæ in posteros deriuatum est per imitationem, non per propagationem? Ergone Christi iustitia nihil aliud proficimus, nisi quòd exemplum nobis est ad imitationem propositum? Quis tantum sacrilegium ferat? Quòd si Christi iustitia (vt patet) in nos deriuatur non per imitationem modò, sed maximè per propagationem in regeneratione Baptismi, fitque nostra per communicationem: Ergo & peccatum Adæ in nos deriuatur non per imitationem, sed per propagationem. Idem de vita dico per Christum in nos deriuante, & de morte per Adamum. Si enim vtraque restituitur nobis per Christum: ergo vtraque in Adamo fuit perdita. Inter hos duos Adamos hæc est relatio, quòd primus Adam nos suo exitio inuolutos perdidit: secundus verò nos sua gratia in salutem restituit.

1.Corinth.15. *Sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Hic omnes in Adam mortuos esse ait: ergo simul etiam apertè testatur, omnes peccati labe esse implicites. Neque enim ad eos perueniret damnatio, qui nullà iniquitatis culpa attingerentur.

Rom. 8. *Quòd si spiritus eius, qui Christum excitauit à mortuis, habitat in vobis: qui suscitauit Iesum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra.* (Quomodo?) *propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.* Igitur sic arguo. Simili ratione & modo mortui sumus in Adam, quo etiam in Christo viuificabimur. Viuificabimur autem per Spiritum eius inhabitantem in nobis: igitur mortui sumus in Adamo propter peccatum eius in nos deriuatum, & in nobis habitans. Morti autem subiecti sumus etiam infantes, quando imitari non valemus adhuc peccatum Adæ. Ergo non per imitationem: sed per propagationem. Ideò ait D. Paulus Rom.5. *Sed mors regnauit ab Adam vsque ad Mosen etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudine præuaricationis Adæ*, id est, etiam in eos, qui non peccauerunt actualiter, sicut Adam. Mors autem non potest regnare in eos, qui sine peccato sunt. Ergo peccatum in eos deriuatum est per propagationem.

Notandum hîc, quòd non ideò dicimur mori peccato Adæ, quasi illud peccatum nihil ad nos pertineat: sed quia ille vniuersum semen, ea, in quam lapsus erat, vitiositate infecit.

1. At quomodo fieri potest hæc in posteros peccati propagatio, nisi animæ per traducem paternæ Animæ oriantur?

Resp. Non nos angit hæc dubitatio de traduce. Sat est, quòd a radice putrefacta Adamo, rami putridi prodierunt, qui suam putredinem ad alios ex se nascentes surculos transmiserunt. Sic enim vitiati sunt filij in parente, vt nepotibus essent tabifici: id est, ita corruptionis exordium in Adam fuit, vt (perpetuo defluxu) à prioribus in posteros transfundatur.

2. At (inquiunt Pelagiani) quomodo à parentibus piis, liberi corruptionem ducunt, cum magis eorum puritate sanctificari debeant?

Resp. Non descendunt ex eorum regeneratione spirituali; sed ex generatione carnali: siue, non eos parentes gignunt vt Christiani, sed vt homines carnales sunt. Ideò ait Augustinus contra Pelag. & Cœlest. lib.2. *Proindè siue reus infideles siue absolutus fidelis, non absolutos vterque generat: sed reos, quia ex vitiosa natura generat.*

Peccatum originale, quid sit.

Quid verò sit hoc peccatum Originale, multi variè definiunt: sed ego afferam, quæ mihi magis videntur veritati consona esse.

Videtur ergo, quòd peccatum Originale sit hæreditaria naturæ nostræ prauitas & corruptio, quæ primo nos facit reos iræ Dei: secundò opera etiam in nobis profert, quæ vocantur in scriptura sacra opera carnis.

Hoc peccatum Originale, siue corruptio naturæ, vocatur à D. Paulo, peccatum. Quę verò inde emergunt opera, qualia sunt cædes, furta, &c. ab eodem vocantur sæpius opera carnis: quanquam etiam interdum vocantur peccata. Hæc itaque duo distinctè obseruanda sunt.

Primum. Quòd sic omnibus naturæ nostrę partibus vitiati peruersique, iam ob talem duntaxat corruptionem meritò damnari conuictique coram Deo tenemur, cui nihil est acceptum, nisi iustitia, innocentia, puritas.

At nunquid igitur pro peccato alterius damnamur? sic enim videtur, quod ista sit alieni delicti obligatio.

R. Ista non est alicui delicti obligatio. Quòd enim dicitur, nos per Adæ peccatum obnoxios esse factos iudicio Dei, non ita est accipiendum, ac si insontes ipsi, ac immerentes, culpam delicti eius sustineremus: sed quia per eius transgressionem, confusione induti sumus omnes, dicitur ille nos obstrinxisse. Ab illo tamen non sola pœna in uos grassata est: sed instillata ab ipso lues, in nobis residet, cui iure pœna debetur. Ideò D. August. cum alibi sæpius, tum de peccat. mer. & remiss. lib.3. cap. 8. licet alienum peccatum sæpe vocet, quò clarius ostendat, propagine in nos deriuari: simul tamen ibi & proprium vnicuique asserit. Et D. Paulus disertissimè testatur Rom. 5. ideò mortem in omnes propagatam, quòd omnes peccatint, id est, inuoluti sint originali peccato, & eius maculis inquinati. Atque ideo infantes quoque ipsi, dum suam secum damnationem à matris vtero adferunt: non alieno, sed suo ipsorum vitio sunt obstricti. Nam licet suæ iniquitatis fructus nondum protulerint: habent tamen in se inclusum semen: imò tota eorum natura, quoddam est peccati semen. Ideo non odiosa & abominabilis Deo esse non potest.

Alterum, quòd hæc peruersitas nunquam in nobis cesset: sed nouos assiduè fructus pariat, nempe opera carnis: idque non secùs atque incensa fornax, flammam & scintillas efflat: aut scaturigo aquam sine fine egerit. Quare illi, qui peccatum originale definierunt, carentiam esse iustitiæ Originalis: quanquam id totum complectantur, quod in re est: non tamen satis significanter vim atque energiam ipsius expresserunt. Nō enim natura nostra boni tātùm inops, & vacua est: sed etiam malorum omnium adeò fertilis & ferax est, vt otiosa esse non possit.

Illi, qui dixerunt (vt Thom. 2.p. quæst.82. artic.3.) peccatum originale, esse concupiscentiam: non alieno nimis verbo vsi sunt, si modò addatur hoc, nempe, quod quicquid in homine est, ab intellectu ad voluntatem, ab anima ad carnem vsque, hac concupiscentia inquinatum refertumque sit: aut (vt breuiùs absoluatur) quòd totus ipse homo, ex seipso nihil aliud sit, quàm Concupiscentia. Augustin. lib. de natura & gratia, cap. 3. nostram definitionem astruit. *Originale peccatum est corruptio naturæ hominis.* Idem ferè libro de atticulis sibi falsò impositis, articulo primo.

A carnis ergo nostræ culpâ, non à Deo, nostra perditio est: quoniam non alia ratione periimus, nisi quia degenerauimus à prima nostra conditione. Quare meminerimus, ruinam nostram esse imputandam deprauationi naturæ, ne in Deum ipsum Naturæ autorem optimum stringamus accusationem. Audi scripturam sacram Eccles.7. *Hoc scio, quòd fecerit Deus hominem rectum; ipsi autem quæsierunt sibi admixtiones multas.* Ergo homini soli imputanda est culpa, non autem Deo.

Ergo dicimus sic: Homo naturali vitiositate, quæ tamen à natura non fluxit, corruptus est. Primò dicimus, quòd ea vitiositas à Natura non fluxerit: vt significemus, aduentitiam magis esse qualitatem, quæ homini acciderit, quàm substantialem proprietatem, quæ ab initio fuerit indita. Secundo diximus tamen, quòd naturalis sit, ne quis ab vnoquoque praua consuetudine comparari putet. Ita loquitur etiam D. Paulus Ephes. 2. *Eramus enim omnes naturâ filij iræ.* D. Augustinus non veretur, ratione corruptæ naturæ, naturalia dicere peccata, quæ in carne nostra necessariò regnant, vbi abest gratia Dei. Vnde dici potest homo naturaliter prauus. Ita euanescit stultum Manichæorum nugamentum, qui cùm substantialem in homine malitiam imaginarentur, alterum illi conditorem affingebant, ne iusto Deo viderentur assignare mali causam & principium.

LOCVS III.
DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO POST lapsum.

POstquam visum est, peccati dominatũ, ex quo sibi obligatum primum hominem tenuit, totum genus inuasisse: exponendum restat, ex quo in hanc seruitutem peccati redacti sumus, An omni spoliati sim⁹ libertate: & si qua particula eius viget, quousque vis eius procedat.

Sed vt facilius veritas quæstionis innotescat, præfigendus est scopus, ad quem tota summa destinanda sit.

Qui scopus præfigendus sit, in tractando vtiliter libero hominis arbitrio: nempe gloria Dei, & salus proximi.

In tractando libero hominis arbitrio, duo maximè pericula (vt D. August. notat epistola 47. Item in Ioh. c. 12.) imminent.

Nam vbi omni rectitudine abdicamus hominem, statim ex eo desidiæ occasionem capit. Et quia dicimus, hominem per se ad iustitiæ studium, ad bonum opus faciendum nihil valere: totum illud studium, quasi ad se nihil pertineat, susque déque habet: atque ita otiosus à bonis operibus manet.

2. Rursus, vbi vel minutulum illi quippiam attingatur: fieri non potest, quin & Deo suus præripiatur honor: & ipse homo temeraria confidentia labefactetur. Ad hos ergo scopulos ne impingamus, tenendus est hic cursus & hæc duo docenda.

Primùm, doceatur homo, nihil boni penes se esse reliquum, & quòd vndique miserrima seruitute circumseptus sit.

Secundùm, statim tamen doceatur etiam, quòd licet ex se nihil boni possit, tamen aspirare debeat ad bonum, quo vacuus est: ad libertatẽ, quo priuatus est: & acriùs ab ignauia excitetur, quàm si summa virtute fingeretur instructus. Hæc duo necessaria sunt ad vitandos illos duos scopulos.

Primùm valdè necessarium est, nempe ostendere homini, quòd ex se nihil boni possit (nihil tamen detrahendo homini de suo) atque ita falsa illum glorificatione, qua in se gloriatur, spoliare: hoc, inquam, est necessarium atque vtile.

Necessarium 1. propter gloriam Dei seruandam. Cùm homo summis ornamentis (Dei beneficentia) esset insignitus, non fuit tamen illi concessum, vt in se gloriaretur: quantò minùs licet ei gloriari nunc: imò quantum ei conuenit humiliari nunc, vbi ob suam ingratitudinem, ab eximia gloria, ad extremam ignominiam deturbatus est.

2. Cùm homo in summum honoris fastigium euectus erat, omnibúsque virtutibus præditus: scriptura sacra nihil ei aliud tribuit, quàm quod ad imaginem Dei creatus esset: quo scilicet insinuat, hominem non propriis bonis abundasse, sed Dei participatione fuisse beatum. Multò minùs nunc ei licet quippiam boni attribuere, cùm sit spoliatus omni bono, & similis factus bestiis. Quid ergo nunc ei superest, nisi vt Deum, cuius beneficentiæ gratus esse non potuit, cùm diuitiis gratiæ eius afflueret, omni gloria nudus ac destitutus agnoscat? Et quem bonorum suorum recognitione non glorificauit, nunc saltem propriæ paupertatis confusione glorificet?

Vtile, propter salutem nostram. Cùm enim docemur, nihil boni ex nobis posse, primò, propria gloriatione & confidentia falsa spoliati, ad Dei auxilium & fiduciam in Deo cogimur confugere: confugientes autem ad se omnes recipit Deus, quo quid nobis vtilius? secundò, item fit, vt non adhæreamus aut nitamur baculo nostro arundineo, atque ita ne præcipitemur ac cadamus. Cum enim quis docet, nos cum marte nostro contendere, quid aliud facit, quàm quòd nos baculo nostro arundineo in sublime euehit, quo mox confracto decidamus ac præcipitemur? Ideò Augustinus sæpe hoc repetit, præcipitari magis à suis defensoribus liberum arbitrium, quàm stabiliri. Est igitur & necessarium in religione, & nobis vtile dicere hominem ex se nihil boni posse, atque ita omni gloria spoliari.

Quam necessarium item sit secundum, nempe docere hominem, vt aspiret ad libertatem amissam, ad bonum perditum, excitaréque ab ignauia, nemo nescit.

Facultatum hominis partitio secundùm Philosophos.

Primò, sunt homini quinque sensus: quæ Plato in Theæteto vocat organa, quibus in sensum communem, ceu in receptaculum quoddam obiecta omnia instillantur.

Secundò, sensus communis, in quem omnia obiecta per organa instillantur.

Tertiò, Phantasia, quæ à sensu communi apprehensas res diiudicat.

Quartò, Ratio, penes quam vniuersale est iudicium.

Quintò, Mens, quæ defixo quietóque intuitu contemplatur ea, quæ ratio discurrendo voluntare solet.

His tribus cognitiuis facultatibus, scilicet, Menti, Rationi, Phantasiæ, (Nam quinque sensus sunt potius organa, sensus item communis est receptaculum obiectorum potius quàm cognitiua virtus) tres faculates *appetitiuæ* subduntur & respondent.

Primò, voluntas: cuius partes sunt appetere ea, quæ Mens & Ratio proponunt.

Secundò, vis irascendi, quæ à Ratione & Phantasia porrectas res accipit.

Tertiò vis concupiscendi, quæ res obiectas à Phantasia & sensu apprehendit. Hæc est partitio secundum Platonem in Theæteto.

Alia partitio Philosophica secundum Aristotelem.

Alio modo partiri possunt (secundum Aristotelem lib. 1. Ethic. cap. vlt. & lib. 6. cap. 2.) Animæ potentiæ in duas partes: *Prima* vocatur intellectiua, quæ per se ipsam rationis est particeps.

Secunda Appetitiua, quæ licet rationis expers sit, rationi tamen obtemperat, si aliunde dirigatur.

Alia item partitio Philosophica.

Tria agendi sunt participia in homine.

Primò, *Cognitiua* ista: sensus & intellectus.

Secundò, *Appetitiua*.

Alia partitio Philosophica secundum Themistium, lib. 3. de anima, cap. 49.

Primò, *Intellectus* contemplatiuus, qui sola cognitione contentus nullum actionis motum habet. Ingenium vocatur à Cicerone lib. de finibus 5. Practicus, qui boni malive apprehensione, voluntatem variè mouet. Sub hoc continetur scientia moralis, id est, scientia bene rectéque viuendi.

Secundò, *Appetitus* in voluntatem secatur & concupiscentiam siue εὐπάθειαν, & πάθος.

Εὐπάθεια est, quoties Rationi appetitus (quem vocant ὁρμὴν) obtemperat.

Πάθος verò fit, vbi excusso rationis iugo, ad intemperiem excurrit.

Ita semper in homine rationem imaginantur Philosophi, qua se rectè homo moderari queat. Quare nos Christiani, qui rationem quoque deprauatam esse asserimus, cogimur ab huiusmodi partitione paulum discedere.

Partitio secundum Sanctam Scripturam.

Quantum ergo ad præsens institutum spectat, ita nos partimur, in intellectum & voluntatem: quorum illud sacra Scriptura vocat mentem, hoc cor: vt alterum sit vis cognitiua: alterum appetitiua. Et sub intellectu comprehenditur sensus omnisq; vis cognitiua: sub voluntatis nomine omnis appetitus continetur: nullaque est in anima potentia, quæ non ad alterutrum istorum referatur.

1. Primò vis cognitiua, mens seu intellectus, sub quo sensus.

Intellectus officium est, discernere inter obiecta, prout vnumquodque probandum aut improbandum visum fuerit.

2. Secundò vis appetitiua, Voluntas seu Cor. Sub hac concupiscentia Voluntatis officium est, eligere & sequi quod bonum intellectus iudicauerit & dictauerit: aspernari & fugere, quod intellectus improbauerit.

Intellectus est quasi animæ dux & gubernator, vt ait Plato in Phædro.

Voluntas in illius nutum semper respicit, & iudicium illius

lius in suis desideriis semper exspectat. Qua ratione ait Aristoteles lib. Eth. 6. ca. 2. *quod quale est in intellectu affirmatio & negatio, tale quiddam simile est in voluntate, persecutio & fuga.* Quando enim intellectus affirmat bonum hoc esse, voluntas persequitur illud: quando verò negat esse bonum, voluntas fugit illud.

Quidam tamen sic distinguunt intellectum à sensu, & voluntatem à concupiscentia. Intellectus bonum tantum sequitur, & erga illud afficitur. Hinc voluntas. Sensus erga voluntatem afficitur: hinc concupiscentia & libido.

Quid vtraque pars, scilicet intellectus & voluntas valeat in homine, secundum Philosophos.

Sursum statuunt, intellectum præditum ratione optima ad bene beatéque viuendum, moderatrice, modò ipse se in sua præstantia sustineat, ac vim sibi naturaliter inditam exerat. Fingunt enim omnes Philosophi in intellectu seu mente considere rationem, quæ instar lampadis, consiliis omnibus præluceat: & quæ instar reginæ, voluntatem moderetur. Ita enim aiunt eam diuina luce perfusam, vt optime imperare queat.

Infra statuunt, sensum torpere, & lippitudine teneri, vt semper humi serpat, & in crassioribus obiectis volutetur, nec vnquam se attollat ad veram perspicaciam: quo denique anima semper ad errorem & hallucinationem abstrahitur: sed tamen talem esse, vt rationis ferula domari, & paulatim profligari queat sensus huius motio.

In medio, scilicet inter intellectum ratione præditum, & inter sensum, statuunt Appetitum, qui communiore vocabulo vocatur voluntas. Hæc voluntas (aiunt) siue appetitus, si sursum rapi patiatur, & parere rationi sustineat, nec sensui subigendum se sufferat, ad studium virtutis fertur, rectam viam tenet, & in veram voluntatem, quæ non est nisi bonorum, formatur. Si verò deorsum descendat, & in seruitutem sensus se addicat: ab eo corrumpitur & deprauatur, & in libidinem degenerat. Est autem voluntas hæc (aiunt) sui iuris & potestatis & libertatis compos, cui velit obtemperare: siue rationi parere, siue sensui rapiendam se prostituere libeat.

Non inficiantur quidem (ipsa experientia conuicti) quanta cum difficultate homo rationi obtemperet, & se ab illa regi patiatur, dum nunc titillatur voluptatum illecebris, nunc falsa bonorum imagine deluditur, nunc impotenter percutitur immoderatis affectibus, ac tanquam funibus vel neruis (vt ait Plato) in diuersum abripitur: vnde & Cicero dicit, illos bonos à Natura datos igniculos, prauis opinionibus, malísque moribus extingui: vbi vero semel occuparunt in animis hominum huiusmodi morbi, impotentiùs eos grassari fatentur, quàm vt facilè eos coercere libeat: nec eos dubitant ferocibus equis comparare, qui exturbata ratione, ceu auriga excusso, intemperanter, ac sine modo lasciuiant. Hoc, inquam, fatentur experientia coacti: sed tamen extra controuersiam ponunt, virtutes & vitia in nostra esse potestate. Nam (inquiunt, vide Aristotelem lib. Ethic. 3. cap. 5.) si nostræ electionis est, hoc vel illud agere: ergo & non agere. Item, si non agere: ergo & agere. Libera autem electione agere videmur, quæcunque agimus, & ab iis abstinere, à quibus abstinemus. Ergo si quid boni agimus, illud quoque possumus omittere, si quid mali perpetramus, possumus id quoque fugere. Imo Seneca eò protupit licentiæ, vt dicat, *Deorum quidem munus esse, quòd viuimus: nostrum verò quòd bene sanctéque viuimus.*

Summa sententiæ Philosophorum de libero arbitrio.

Hæc est ergo Philosophorum omnium sententiæ summa. Humani intellectus rationem rectæ gubernationi sufficere: & voluntatem illi subiacentem, à sensu quidem ad mala sollicitari: sed vt liberam electionem habet, impediri nequaquam posse, quin rationem ducem per omnia persequatur.

Cur patres antiqui plùs æquo vires humanas extulerint.

Inter Scriptores Christianæ professionis, licet nemo extiterit, qui non agnouerit, & sanitatem in hominis ratione grauiter vulneratam, & voluntatem prauis cupiditatibus valdè implicitam esse: multi tamen illorum longè plus æquo Philosophis accesserunt, & vires humanas nimium extulerunt. Id verò duplici de causa fecerunt. Primò, ne, si impotentiam disertè essent confessi, Philosophorum ipsorum cachinnos, quibuscum tunc certamen habebant excuterent. Secundò, ne carni suapte sponte nimis ad bonum torpenti, nouam desidiæ occasionem præberent. Ergo ne quid communi hominum iudicio absurdum traderent, Scripturæ sacræ doctrinam, cum Philosophiæ dogmatibus, dimidia ex parte conciliare studuerunt. Præcipuè tamen spectârunt illud secundum, scilicet, ne desidiæ occasionem darent, vt testantur ipsorum libri. Vnde Chrysost. homilia de proditione Iudæ, hom. 18. in Gen. D. Hieronymus dial. 3. contra Pelag. Atque ita variant omnes in hac materia, vt nescias quid determinent. Vnus est Augustinus, qui & doctè & piè, & disertè & clarè de hac materia disserit ac disputat. Quare hunc sequemur.

Liberum arbitrium quid sit.

Origenes περὶ ἀρχῶν, lib. 3. Est facultas rationis ad bonum malúmve discernendum: & voluntatis ad vtrumuis eligendum.

Augustinus, est facultas rationis, & voluntatis, qua bonum eligitur assistente gratia, malum, ea desistente.

Bernhardus, est consensus ob voluntatis inamissibilem libertatem, & rationis indeclinabile iudicium.

Anselmus, est potestas seruandi rectitudinem propter seipsam.

Petrus Lombardus 2. senten. dist. 24. amplectitur definitionem Augustini: quia & apertior est, & gratiam Dei non excludit, sine qua voluntatem sibi per se non sufficere videbat. Addit hæc, quòd nomen Arbitrij magis ad rationem referendum sit, cuius est discernere inter bona & mala. Liberi verò nomen ad voluntatem propriè pertinet, quæ ad vtrumque flecti potest. Quare cùm libertas propriè voluntati conueniat, Thomas 1. par. q. 83. art. 3. optimè quadrare dicit, si liberum arbitrium dicatur vis electiua, quæ mixta quidem ex intelligentia & appetitu, siue voluntate, magis tamen inclinat ad voluntatem. Ergo vis liberi arbitrij sita est in ratione & voluntate. Nunc videre restat, quantum illi tribuendum sit.

Liberum arbitrium ad quid valeat per se iuxta sententias Patrum & Scholasticorum.

Tria sunt rerum genera: res naturales, siue actiones naturales: 2. actiones ciuiles & morales. 3. res, seu actiones diuinæ, seu Christianæ & Theologicæ, quæ pertinent ad Regnum Dei.

I. *Quæstio* igitur non est, an liberum arbitrium per se, absque gratia regenerationis valeat ad actiones naturales, aut ad ciuiles seu externas actiones (omnes enim concedunt, liberum Arbitrium valere absque gratia regenerationis ad omnes res medias, quæ nihil ad Regnum Dei pertinent) sed vtrum liberum arbitrium hominis post lapsum, absque gratia regenerationis, valeat ad veram iustitiam faciendam, seu ad obedientiam legis diuinæ. Et quidem ferè omnes negant valere, idque variis dicendi modis. Afferam igitur opiniones eorum.

Ambrosius libr. 1. de vocatione Gentium, cap. 2. volens probare, hoc tantùm pertinere ad specialem gratiam, & spiritualem regenerationem, ponit *triplicem* hominis *voluntatem*: primam sensitiuam: secundam animalem: & has dicit homini liberas esse: tertiam spiritualem: & hanc dicit esse opus Spiritus sancti in homine.

Petrus Lombardus 2. sent. dist. 25. ponit *triplicem* hominis *libertatem*: primam à necessitate: secundam à peccato: tertiam à miseria. Prima (inquit) sic naturaliter homini inhæret, vt nequeat vllo modo eripi. Aliæ duæ per peccatum sunt amissæ. Si sunt amissæ: ergo liberum arbitrium per se non potest ad bonum. Ista distinctio est bona: nisi quod Petrus Lombardus concludit in prima libertate, necessitatem cum coactione, quæ multum differunt. Manifestum ergo est, quòd liberum hominis arbitrium non valet ad bona opera, nisi gratia adiuuetur: & gratia quidem speciali, quam electi soli per regenerationem consequuntur. Sed nondum liquet istud.

II. Vtrum liberum hominis arbitrium post peccatum sit in totũ priuatũ beneagendi facultate: an habeat adhuc nonnullam, sed pusillam & infirmam, quæ per se quidem nihil possit, opitulante verò gratia, suas ipsa quoque partes agat.

Magister sententiarum, libr. 2. dist. 26. volens expedire hanc quæstionem, docet necessariam esse nobis duplicem gratiam, quò reddamur ad bonum opus idonei: Prima dicitur operans, qua fit, vt efficaciter velimus bonum. Secunda, cooperans, quæ bonam voluntatem

sequitur adiuuando. Patritio ista mihi placent: sed primò displicet illud, quod in primo membro, dum gratiæ Dei tribuit efficacem boni appetitum: innuit hominem iam suapte natura, bonum quodammodo, licet inefficaciter, appetere, sicut etiam Bernardus, bonam quidem voluntatem Dei opus asserens esse: homini tamen tribuit & concedit, vt motu proprio bonam eiusmodi voluntatem appetat. Sed istud longè abest à mente Augustini.

In secundo membro, ambiguitas me offendit, quæ peruersam genuit interpretationem. Ideò enim putarunt multi, nos secundæ gratiæ Dei cooperari, quòd nostri iuris sit, primam gratiam vel respuendo, irritam facere: vel obedienter sequendo, confirmare: id quod Ambrosius de vocatione Gentium lib.2. cap.4 sic exprimit: *Liberum esse iis, qui rationis iudicio vtuntur, à gratia discedere, vt non discessisse sit præmium: & vt, quod non potest, nisi Spiritu sancto cooperante fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri.* Tandem ait: *Non liberi arbitrij ideò non esse, quòd ad bonum & ad malum, vel cogitandum, vel agendum peræquè polleamus: sed duntaxat, quòd coactione soluti sumus: quæ libertas non impeditur, etiamsi praui simus, & serui peccati, & nihil quàm peccare possimus.* Liberi ergo arbitrij dictus est homo: non quia liberam habeat boni æquè ac mali electionem: sed quia voluntate male agit, non coactione. Egregia verò libertas, si homo quidem non cogitur ad seruiendum peccato: sic tamen est ἐθελόδουλος & seruus peccati, vt vincta teneatur peccati compedibus eius voluntas.

Augustinus itaque lib. 2. contra Iul. non veretur vocare seruum arbitrium hominis, quod peccati seruum est.

Item ad Anast. epistola 144. succenset quidem aduersus eos, qui liberum negant arbitrium: sed præcipuam rationem declarat cùm dicit: *Tamen ne audeat quisquam sic negare voluntatis arbitrium ne velit excusare peccatum.*

Item alibi dicit. *Sine Spiritu S. non esse liberam hominis voluntatem, cùm cupiditatibus vincientibus & vincentibus subdita sit.*

Item, *Victa vitio, in quod cecidit voluntate, cœpisse carere libertate naturam.*

Item, *Hominem libero arbitrio male vsum & se, & arbitrium suum perdidisse.*

Item *Iustitiam Dei non impleri, cùm iubet, & homo quasi suis viribus facit: sed cùm Spiritus adiuuat & hominis non libera, sed à Deo liberata voluntas obsequitur.*

Itaque lib de Spiritu & Litera, cap.30. postquam ostendit, liberum arbitrium constitui per gratiam, acriter in eos inuehitur, qui sibi illud arrogant sine gratia, dicendo: *Vt quid ergo miseri homines, aut de libero arbitrio audent superbire, antequam liberentur: aut de suis viribus, si iam liberati sunt? nec attendunt in ipso nomine liberi arbitrij vtique libertatem sonare. Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Si ergo serui sunt peccati quid se iactant de libero arbitrio? A quo enim quis deuictus est, huic & seruus addictus est. Si autem liberati sunt: quid se iactant velut de opere proprio?*

D. Chrysostomus homil.1. in Aduentu: *Omnis homo non modò naturaliter peccator, sed totus peccatum est.*

D. Eucherius lib.1. in Gen. *Lignum vitæ ait esse Christum, de quo qui ederit, viuet: lignum verò scientiæ boni & mali, liberum arbitrium dicit esse, de quo qui, relictâ gratiâ, gustauerit, morietur.*

D. Cyprianus (vt recitat Augustinus sæpè) ait, de nullo gloriandum esse, quando nostrum nihil est: nisi vt homo prorsus apud se exinanitus, à Deo totus pendere discat.

De humilitate, id est, quàm tutum sit homini deprimere suum liberum arbitrium, & exaltare gratiam Dei, omnia mala sibi ipsi, omnia verò bona Deo accepta ferre.

Non potest autem errare homo, dùm seipsum annihilat, Deum verò glorificat, dum suum liberum arbitrium deprimit, gratiam verò Dei exaltat: dum nihil nisi malum per seipsum facere posse confitetur, quicquid verò boni potest, per solam gratiam Dei posse agnoscit & fatetur. Imò hoc sibi vtile & necessarium est. Necessarium propter gloriam Dei exaltandam: vtile, quia hoc modo sese humiliando, capacior redditur gratiæ Dei recipiendæ, vt Ies. 66. *Ad quem respiciam, nisi ad humilem & contritum corde?* Et propter has causas dixi suprà, in cognitione Dei & hominis, Christianam sapientiam consistere. Ergo tuta res est, nihil nobis ipsis boni tribuere, sed coram Deo. Econtra verò periculum est quippiam sibi boni attribuere, non autem Deo totum. Nam ne tantillum quidem sibi sumere vltra ius suum potest homo, quin & inani confidentia se perdat: & diuinum honorem ad se trahendo ac traducendo, immanis sacrilegij reus fiet. Et sanè quoties hæc libido mentem nostram incessit, vt expetamus habere aliquid nostrûm, quod in nobis scilicet potius, quàm in Deo resideat, sciamus cogitationem hanc, non ab alio consiliario nobis suggeri, quàm ab eo, qui primos parentes induxit, vt Diis esse similes vellent, scientes bonum & malum. Si igitur verbum est Diabolicum illud, quod hominem in se ipso erigit, ac de se ipso superbè sentire docet: illi ne locum demus, nisi ab hoste consilium capere libeat. Dulce quidem est, tantum habere propriæ virtutis, vt in te ipso acquiescas, sed nihil perniciosius.

1. Ergo si securè viuere volumus, nec vlla in parte errare: primò de nobis ipsis desperemus, omni in homine fiducia nos spoliemus: nos ipsos coram Deo annihilemus & prosternamus. Ad hoc Scripturæ hortantur.

Ier.17. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.*

Psal.147. *Non in fortitudine equi, nec in tibiis viri beneplacitum est ei,* (scilicet Deo) *beneplacitum est Domino super timentes eum: & in eis qui sperant in misericordia eius.*

Iesa.40. *Clama: & dixi, quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria, quasi flos agri. Verè fœnum est populus, exsiccatum est fœnum.*

Item, *Omnes Gentes quasi non sint, sic sunt coram Deo: & quasi nihilum, & inane reputata sunt.*

Item, *Qui* (scilicet Deus) *dat lasso virtutem: & iis, qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat. Deficient pueri & laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent. Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut Aquilæ.*

Quæ omnes sententiæ eò spectant, vt ne quantulacunque fortitudinis nostræ opinione nitamur, si Deum volumus habere propitium, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, ait Pet. 1. Pet.5.

2. Fidamus soli Deo, ab eo dependeamus, illo nitamur, scientes quòd quæ promisit, etiam præstabit. Rom.4. ideo scriptura prædicat beatos, qui confidunt in Domino.

Psal.2. *Beati omnes, qui confidunt in eo.*

Psal.125 *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non commouebuntur.*

3. Recordemur, quòd promissiones & benedictiones non impleantur, nisi in iis, qui de se desperant, & in Domino fidunt.

Iesa.44. *Effundam aquam in sitientem, & flumina super aridam.*

Iesa.55. *Omnes sitientes venite ad aquas.*

Iohan.4. *Qui sitit, veniat ad me.*

Matt.11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, &c.*

Quæ omnes sententiæ testantur, ad percipiendas Dei benedictiones, nullos admitti, nisi suæ paupertatis sensu tabescentes.

4. Omnia bona, quæ habemus, quibus vtimur & fruimur, tam in nobis ipsis, quàm in creaturis aliis, à Deo recognoscamus immediatè, & ita glorificemus Dominum.

Ies.60. *Non erit ampliùs tibi Sol ad lucendum per diem, neque Luna ad lucendum per noctem: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Solis certè aut Lunæ splendorem non aufert Dominus suis, sed quia vult in ipsis solus gloriosus apparere suis seruis: ab iis etiam, quæ habentur eorum opinione excellentissima, fiduciam eorum procul auocat.

D. Chrysost. hom. de perfectione Euangelica, ait, *Fundamentum nostræ Philosophiæ, est humilitas.*

D. August. ad Dioscorum epistola 56. *Quemadmodum* (inquit) *Rhetor ille rogatus, quid primum esset in eloquentiæ præceptis, respondit pronunciationem: quid secundum, pronunciationem: quid tertium, pronunciationem: Ita si me interroges de religionis Christianæ præceptis, primò, secundò, & tertiò, semper respondere liberet, humilitatem.*

Humilitatem autem non intelligit Augustinus, vbi homo aliquantæ virtutis sibi conscius, à superbia fastúque abstinet: sed vbi talem se verè sentit, qui nullum habeat, nisi in humilitate refugium, sicut alibi docet, sese explicans.

Augustinus hom.49 in Iohan. *Nemo se palpet: de suo Satanas est. Id vnde beatus est, à Deo tantùm habet. Quid enim de tuo habes, nisi peccatum? Tolle tibi peccatum quod tuum est. Nam iustitia Dei est.*

Item de natura & gratia, cap.2. *Quid tantum de naturæ possibilitate præsumitur? Vulnerata, sauciata, vexata, perdita est: vera confessione, non falsa defensione opus habet.*

Item in Psal. 45. *Quando quisque cognoscit, quòd in se ipso nihil est, & adiutorium de se nullum habet: arma in ipso confracta sunt, bella sedata sunt. Necesse autem, vt conterantur*

omnia

omnia impietatis arma, confringantur, comburantur, remaneas inermis, nullum habeas in te adiutorium. Quantò magis in te infirmus es: tantò magis te suscipit Deus.

Item in Ps. 70. *Iustitia nostra reminisci nos vetat, quò Dei iustitiam agnoscamus.* Item ait, *Quod nos nihil sumus, nisi mali, à nobis ipsis.*

Tutum est ergo humiliari nos ipsos coram Deo, nostras vires deprimere, imò nostram infirmitatem agnoscere, nihil boni nobis tribuere: modò id quod nobis adimimus, in Deo recuperaturos nos esse confidamus. Quare non contendamus cum Deo, de iure nostro in hac parte, quasi salutis nostræ decedat, quod illi tribuitur. Nam sicut nostra humilitas eius est altitudo: ita confessio nostræ humilitatis, miserationem eius in remedium paratam habet. Neq. verò exigo, vt homo non conuictus, vltrò cedat, & si quas facultates habet, ab iis animum auertat, quò in veram humilitatem subigatur: sed vt seposito φιλαυτίας ἢ φιλοτιμίας morbo, quo excæcatus æquo altius de se sentit, in veraci Scripturæ speculo se ipsum probè recognoscat.

Partitio dicendorum.

Excutiamus ergo iuxta sacram Scripturam, quousque se extendant vires liberi arbitrij nostri, quidve absque gratia possint. Et quoniam duas partes liberi arbitrij fecimus, videlicet intellectum siue vim cognitiuam: & voluntatem siue vim appetitiuam: primo loco discutiamus quousque se protendat vis cognitiua.

De liberi arbitrij viribus: & primò de vi intellectus.

Quòd in homine aliqua vis sit ad intelligendum, licet imbecillis.

Quòd homo non sit adeò cæcus, vt nihil omninò vllo in genere rerum intelligat, non solùm verbo Dei: sed etiam experimento sensus communis manifestum fit. Videmus enim insitum esse humano ingenio desiderium nescio quod indagandæ veritatis. Sed hoc desiderium habere non posset, nec ad veritatem indagandam aspirare valeret homo, nisi aliquem eius veritatis odorem ante percepisset. Ergo est in homine aliqua vis intelligentiæ naturaliter insita. Id quod in brutis animantibus non cernitur. Quia igitur homo naturaliter rapitur amore veritatis indagandæ, arguitur & concluditur, quod in ipso sit aliqua vis intelligentiæ. Quia verò animalia bruta eam negligunt naturaliter: concluditur, quòd in eis non sit hæc vis, sed tantum crassus absque ratione sensus.

Sed licet in homine sit hæc veritatis appetentia, ac vis ad intelligendam veritatem; tamen vsque adeò infirma & cæca est; vt antequam ingrediatur in studium ad intelligendam veritatem, mox deficiat: concidit enim in vanitatem.

1. Vana est enim circa viam inuestigandi. Mens enim hominis præ hebetudine rectam veri inuestigandi viam tenere nequit: sed per varios errores vagatur, & tanquam in tenebris palpando, subinde impingit, donec tandem euanescat. Ita veritatem quærendo, quàm sit ad ipsam & quærendam & inueniendam inepta, prodit.

2. Vana est circa res inuestigandas. In quarum enim rerũ notitiam incumbere expediat, sæpius non discernit: atque etiam in disquirendis superuacuis ac nihili rebus ridicula curiositate se torquet: ad res cognitu maximè necessarias aut non aduertit, aut contemtim & rarò deflectit: studium certè [illegible]um vix vnquam seriò applicat. De qua prauitate cùm passim conquerantur profani scriptores, omnes ferè se ea implicuisse cõperiuntur. Quare Salomõ in toto suo Ecclesiaste, vbi ea studia est persecutus, in quibus sibi videntur homines valde sapere, inania tamen esse & friuola pronũtiat.

Notanda tamen duo. *Primũ*, quod conatus eius non ita tamen in irritum cedunt, quin aliquid assequatur, præsertim vbi seipsam ad ista inferiora intendit. *Secundum*, quod neq; ita stupida est, quin exiguũ quiddã etiam de superioribus *delibet*, vtcunq. illis perscrutãdis negligentiùs vacet. Verũ nõ in æqua facultate. Nam cùm supra vitæ præsentis spaciũ euehitur, tũ præcipuè cõuincitur suæ imbecillitatis.

Quare vt melius perspiciamus, quousque pro gradibus suæ facultatis in vnaquaq. re procedat, distinctionem nobis proponere oportet.

Ad quarum vsque rerum notitiam intellectus hominis (qui est altera liberi arbitrij pars) procedat.

Vt id melius perspiciamus, hæc distinctio statuenda est. Alia est intelligentia rerum terrenarum, alia verò cælestium. *Terrenas* res voco, quæ ad Deum, regnumque eius, ad veram iustitiam, ad futuræ vitæ immortalitatem non pertingunt: sed cum vita præsenti rationẽ relationẽmque habent, & quodammodo intra eius fines continentur. *Cælestes* verò res voco, veræ iustitię rationem, regnique cœlestis mysteria.

In primo genere sunt politia, œconomia, artes omnes mechanicæ disciplinæque liberales.

In secundo, Dei ac diuinæ voluntatis cognitio, & vitæ secundum eam formandæ regula.

De priori igitur intelligentia, scil. terrenarum rerum, sic fatendum.

Primò, quoniam homo animal est sociale, naturali quoque instinctu ad fouendam conseruandamque eam societatem propendet; ideóque ciuilis cuiusdam & honestatis & ordinis vniuersales impressiones inesse omnium hominum animis conspicimus. Hinc fit, vt nemo reperiatur, qui non intelligat, oportere quosuis hominum cœtus legibus contineri, quique non earum legum principia mente complectatur. Hinc ille perpetuus tam Gentiũ omnium, quàm singulorum mortalium in leges consensus: quia insita sunt vniuersis absque magistro aut legislatore ipsarum semina. Ergo intellectus in omnibus hominibus valet ad intelligendas ciuiles leges, pro conseruatione societatis; imo in singulis inserta sunt ipsarum legum semina, & cognitio quædam.

Ob 1. At inueniuntur, qui leges oderunt & cupiunt ius & fas omne inuersum, soluta legum repagula; & libidinem solam pro iure grassari. Vnde & contentiones ob hoc emergunt. Ergo non videtur, quòd omnes naturaliter agnoscant & approbent leges ciuiles.

R. Illi non ideò leges oderunt, quòd ignorent bonas & sanctas esse: sed præcipiti cupiditate furentes, cum manifesta ratione pugnant, & quod mentis intelligentia probant, pro sua libidine abominantur.

2. At sunt alij, qui iniquum esse putant, quod pro æquo ab aliis sancitur: contrà laudabile contendunt, quod ab aliis vetatur: atque hinc rixæ inter legislatores. Ergo, &c.

R. Hoc inter ipsos certamen tale est, vt tamen primam illam æquitatis conceptionem omnibus naturaliter inditam non dirimat. Nam dum de legum capitibus inter se disceptant homines, in quandam æquitatis summam consentiunt. In quo debilitas certè humanæ naturæ arguitur, quæ etiam dum viam sequi videtur, claudicat & vacillat. Manet tamẽ illud, inspersum esse vniuersis semen aliquod ordinis politici. Atq. hoc amplum argumentũ est, in huius vitæ constitutione, nullum destitui luce rationis hominẽ.

Sequuntur artes tum liberales, tum manuariæ, quibus discendis quia inest omnibus nobis quędam aptitudo, in eis etiam apparet vis humani acuminis.

3. At non sunt omnes omnibus discendis idonei. Ergo, &c.

R. Id non refert. Satis communis energiæ certum specimen est hoc, quòd nemo reperitur, cuius perspicientia non se exerat in aliqua arte.

Item. Neque sola suppetit ad discendum energia & facilitas: sed etiam ad excogitandum in vnaquaque arte nouum aliquid: ad amplificandum & expoliendum, quod alio præeunte didiceris.

Quod vt Platonem perperam impulit, vt traderet, comprehensionem eiusmodi nihil aliud esse, quàm recordationem: ita nos fateri cogit, esse ingenitum humano ingenio eius principium.

Hæc ergo documenta testantur, vniuersalem rationis & intelligentiæ comprehensionem esse hominibus naturaliter inditam.

Sic tamen vniuersale est bonum, vt in eo per se quisque peculiarem Dei gratiam agnoscere debeat. Ad quam gratitudinem nos abundè expergefacit Dominus, dum motiones creat, in quibus repræsentat, quibus excellat dotibus Anima, nisi eius lumine perfusa: quod lumen sic naturale inest omnibus, vt gratuitum sit erga singulos beneficentiæ eius munus.

Notandum: quòd ipsarum artium aut inuentio, aut methodica traditio, aut interior ac præstantior cognitio, quę propria est paucorum, non est quidem solidum argumentum communis perspicaciæ: quia tamen promiscuè contingit piis & impiis, iure inter naturales dotes numeratur.

Quoties ergo in profanos scriptores incidimus, admoneamur illa luce veritatis, quæ in eis affulget admirabilis, naturam hominis, licet ab integritate sua collapsam &

peruersam: eximiis tamen etiamnum Dei donis vestitam esse & exornatam. Si vnicum veritatis fontem Dei Spiritum esse reputamus: veritatem ipsam neque respuemus, neque contemnemus, vbicunque apparebit: nisi velimus in Spiritum Dei contumeliosi esse. Non enim dona Spiritus, sine ipsius contemtu & opprobrio vilipenduntur.

Quid autem? veritatem affulsisse antiquis Iureconsultis, negabimus, qui tanta æquitate ciuilem ordinem & disciplinam prodiderunt? Ita de Philosophis, de Medicis, & omnibus artium doctoribus dicendum. Omnibus illis affulsit quædam Spiritus sancti lux & veritas, dum artes illas tradiderunt & agnouerunt. Quare & quicquid præclarum & verum in illis inuenitur: à Deo est recognoscendum, & pro eo gratiæ illi agendæ.

Ergo cùm homines istos, quos sacra scriptura vocat Animales, in rerū inferiorum inuestigatione, acutos & perspicaces vsque eò fuisse patet: talibus exemplis discamus, quot Naturæ humanæ bona Dominus reliquerit, postquam vero bono spoliata est. Neque tamen interim obliuiscamur, hæc præstantissima diuini Spiritus esse bona, quę in publicum generis humani bonum, quibus vult, dispensat. Si enim Beseleel & Oliab intelligentiam (Exod. 31. & 35.) & scientiam, quæ ad fabricam Tabernaculi requirebatur, oportuit à Spiritu Dei instillari: non mirum est, si earum rerum, quæ sunt in vita humana pręstantissimæ, cognitio per Spiritum Dei communicari nobis dicatur.

4. At quomodo dona sunt Spiritus sancti, donata sibi à Spiritu sancto, cum nihil commercij Spiritus sanctus habeat cum impiis, qui sunt omnino à Deo alieni? & cùm in solis fidelibus habitare dicatur?

Resp. Cùm dicitur habitâre S.S. in solis fidelibus, id intelligendum est de Spiritu sanctificationis, per quem Deo ipsi in templa consecramur. Neq; tamen ideò minus replet, mouet, vegetat, fouet omnia idem Deus eiusdem sui Spiritus virtute: idque secundum vniuscuiusque generis proprietatem, quam ei in creatione attribuit, & lege creationis.

Quòd si Dominus nos, impiorum opera & ministerio, in Physicis, & reliquis artibus voluit adiutos: ea vtamur, ne si Dei dona vltro in ipsis oblata, negligamus, demus iustas ignauiæ nostrę pœnas.

At verò ne quis hominem valde beatum putet, cùm sub elementis huius Mundi, tanta veritatis comprehendendæ energia illi conceditur: simul addendum est, totam istam & intelligendi vim, & intelligentiam, quæ inde consequitur, rem esse fluxam & euanidam coram Domino, quoniam non subest solidum veritatis fundamentum. Ideò verè ait Augustinus, & est 2. sent. dist. 25. *Gratuita homini dona post lapsum detracta sunt: naturalia autem corrupta fuerunt: non per se, sed quia polluto homini pura esse desierunt, ne quam inde laudem consequatur.*

Quòd hominis intellectus & ratio nil ferè de rebus Dei & cœlestibus intelligat.

1. Spiritualis intelligentia, nempe rerum Cœlestium, tribus potissimum rebus constat. 1. Deum nosse. 2. eius erga nos voluntatem. 3. formandæ secundum illam vitæ rationem cognoscere. Vbi ergo ad Regnum Dei, & ad hanc spiritualem intelligentiam ventum fuerit: quid cernit humana ratio, quidve valet?

Resp. Quoad *primum*, scil. nosse Deum: humana ratio cæca est: & qui sunt hominum ingeniosissimi, talpis sunt cæciores.

Ob. 1. At nonne apud Philosophos multa de Deo habentur scitè & appositè dicta? signum ergo, quòd cognouerint Deum.

Resp. 1. Verum est: sed talia sunt, quæ vertiginosam quandam imaginationem semper resipiant. Præbuit quidem illis Dominus (vt suprà dictum est) exiguum Diuinitatis suę gustum, ne ignorantiam impietati obtenderent: & eos ad dicendum nonnulla interdum impulit, quorum confessione ipsi conuincantur: sed ita viderunt, quę viderunt, vt tali intuitu minimè ad veritatem dirigerentur, nedum pertingerent. Simile. Qualiter nocturni fulgetri coruscationem, qui in medio agri est, longè latéque ad momentum videt: sed adeo euanido aspectu, vt antè noctis caligine resorbeatur, quàm pedem mouere queat: tantum abest, vt in viam tali subsidio deducatur.

2. Item illæ veritatis guttulæ, quibus libros tanquam fortuito aspergunt, quot & quàm portentosis mendaciis sunt inquinatæ?

II. Quoad secundum dico, quòd illam diuinæ erga nos voluntatis certitudinem, sine qua hominis ingenium immensa confusione repleri necesse est, ne olfecerunt quidem vnquam. Vnde humana ratio & intellectus ad hanc intelligendam nihil penitus valet. Ergo humana ratio & intellectus ad hanc veritatem nec appropinquat, nec contendit, nec collimat, vt scil. intelligat, primò quis sit verus Deus: secundò, qualis erga nos eius voluntas. Hoc testantur sanctæ scripturæ.

Quòd ratio humana non intelligat, nec quis verus Deus sit, nec qualis erga nos esse velit, probatur per sacram scripturam

Ioh. 1. *In ipso* (videlicet Deo, siue Verbo) *vita erat* (scil. ab initio) *& vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Cùm ait, *lux in tenebris lucet*: indicat quidem, hominis Animam fulgore diuinæ lucis irradiari, vt nunquam planè aliqua eius vel flamma, vel saltem scintilla destituatur: sed tamen dum ait: *Et tenebræ eam non comprehenderunt*, indicat, Animam hominis ea illuminatione Deum non comprehendere. Cur? quia eius acumen, quantum ad Dei notitiam, mera est caligo. Cum enim appellat homines tenebras, eos semel spoliat omni spirituali intelligentiæ facultate. Quare fideles, qui Christum amplectuntur, *non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo natos asserit*: quasi dicat, non esse tam sublimis sapientiæ capacem carnem, vt Deum & quod Dei est, suscipiat, nisi Spiritu Dei illumineretur, & renascatur ex Deo. Vnde Mat. 16. *Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi; sed Pater meus*; quasi dicat, Quòd me agnoscas, Petre, hæc est specialis Patris reuelatio.

Naturæ nostræ deest, quicquid Dominus electis suis per Spiritum regenerationis confert.

Per Spiritum autem regenerationis confert electis suis cognitionem Dei & Christi.

Ergo hæc Naturæ nostræ deest, &c.

Maior patet: quia si non deesset, non opus esset conferre. Minor probatur per sacram scripturam passim & vbiq;.

Ps. 36. Dauid fidelis loquitur sic ad Deum: *Quoniam apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videmus lumen.*

1. Cor. 12. *Nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in S.*

Ioh. 3. Iohannes Baptista stuporem discipulorum videns, exclamat; *Nemo potest accipere quicquam, nisi fuerit ei datum desuper.* Quod autem ibi loquatur de speciali illuminatione, non de Naturæ dote communi, inde patet: quia tot verbis, quibus Christum commendaret discipulis suis, nihil se profecisse conqueritur.

Deut. 29. Moses dum exprobrat populo suam obliuionem; simul tamen notat, non aliter ipsum populum in mysteriis Dei sapere, nisi eius beneficio. Vnde ait; *Viderunt oculi tui signa illa portentaque ingentia: Et non dedit tibi Dominus cor ad intelligendum, nec aures ad audiendum, nec oculos ad videndum*: Ideo Dominus per Ier. Ier. 24. singularis gratiæ loco, hoc cor se daturum pollicetur, vt ab illis cognoscatur: nimirum innuens tantum hominis mentem spiritualiter sapere, quantum ab se illustrata fuerit. Vide verba Prophetæ.

Ioh. 6. *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Item, *Omnis qui audiuit & didicit à Patre, venit ad me.* Quid? an non ipse est viua Patris imago, in qua totus gloriæ eius splendor nobis exprimitur? Ergo non potuit melius ostendere, qualis sit nostra ad cognoscendum Deum facultas, quàm dum ad cernendam eius imaginem, vbi ita palàm exhibetur, oculos nobis esse negat. Quid? an non ideò in terras descendit, vt Patris voluntatem hominibus patefaceret? an non sua quoque legatione fideliter functus est? Ita est sanè. Sed nihil efficitur eius prædicatione, nisi interior Magister Spiritus, viā ad animos patefaciat. Ergo nō veniunt ad eum, nisi qui à Patre audierunt, & edocti sunt. Quę ista audiendi & discendi ratio? Nempe vbi aures ad audiendum, & mentes ad intelligendum, Spiritus sanctus mira & singulari virtute format: ac ne illud nouū videatur, citat vaticiniū Ies. c. 54. *Vniuersi filij tui erūt edocti à Domino.*

Ergo restat, vt intelligamus, nemini patere in Regnum Dei ingressum, nisi cui nouam mentem Spiritus sanctus sua illuminatione fecerit.

1. Corinth. 2. Postquam stultitiæ & vanitatis damnauit vniuersam hominum sapientiam: ita concludit, dicendo: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, &c. nec potest intelligere, quia spiritualiter iudicantur*, Animalem autem hominem vocat, qui lumine tantum naturæ vtitur. Vide scholia Græca. *Spiritualiter diju-*

diiudicantur, i. per solam Spiritus reuelationem patefiunt. Quin dixit suprà, sapientiam humanam quasi quoddam velamen esse, quo mens à cernendo Deo impediatur.

Item ait; *Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius Mūdi?* Ergo D. Paulus dicit, infatuatam esse sapientiam humanā: & nos scil illi tribuemus acumen, quo ad Deum & Regni cœlestis adyta penetrare possit? Facessat tanta vecordia.

Itaque quod hic detrahit hominibus, alibi soli Deo tribuit, Eph. 1. *Deus & Pater gloriæ det vobis Spiritum sapientiæ & reuelationis.* Ergo reuelatio est donū Dei. Item, *Illuminatos oculos mentis vestræ* Ergo à se ipsis cęcos habent oculos. Item, *Vt sciatis, quæ sit spes, &c.* Ergo ex se nesciunt.

At (inquit Pelagius) huic hominis ruditati Dominus succurrit, dum verbi sui doctrina eò dirigit mentem hominis, quò sine duce peruenire non poterat.

Resp. Doctrina verbi non sufficit, sed opus est Spiritus sancti reuelatione. Patet in Dauide. Hic habebat legem & verbum: & tamen non contentus, petit sibi aperiri oculos, vt legis ipsius mysteria consideret, dicendo Ps. 119. *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege, &c.* Hac locutione innuit, quòd Sol quidem exoriatur terris, vbi verbum Dei illucet hominibus: verùm illi non multum inde consequuntur, donec oculos vel dederit, vel aperuerit ille ipse.

Ideo Iacob. 1. Pater luminum vocatur, quia vbicunque suo Spiritu non resplendet, omnia tenebris occupantur.

Ioh. 14. *Hæc locutus sum vobis apud vos manens. Paracletus autem Spiritus veritatis, quem mittet Pater, &c. ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixi vobis.* Ecce quod Apostolis non sufficiebat doctrina audita a Christo, sed opus habebant Spiritu sancto, qui illam doctrinam auditam illis reuelaret, & perspectam redderet.

Iacob. 1. *Si quis indiget sapientia: postulet à Deo, &c.* Tantum ergo ad intelligenda Dei mysteria valet humana ratio, quantum fuerit à Deo per Spiritum sanctum illuminata. Qui sibi plus intelligentiæ tribuit, eò cæcior est, quòd cæcitatem suam non agnoscit.

Quantum humana ratio valeat de vitæ probè formandæ ratione.

III. In hoc tertio videtur humana ratio esse aliquantò, quàm in duobus posterioribus acutior & perspicacior. Ait enim Diuus Paulus, Romanorum 2. *Gentes quę legem non habent, dum naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, huiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex. vt qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Ergo videtur, quod homo lege naturali (de qua hic Apostolus loquitur) sufficienter ad rectam vitę normam instituatur.

Resp. Hæc autoritas non concludit, quod tu conclusisti. Nos igitur videamus primo, quorsum indita hominibus hæc legis notitia fuerit. Secundo, tum protinus apparebit, quo vsque illos ad rationis veritatisq; scopum deducat. Patet autem hoc ex verbis Pauli.

Dixerat illos, qui in legem peccauerunt, per legem iudicari. Qui sine lege peccauerunt, sine lege perire. Hoc quia poterat absurdum videri, nempe vt sine vllo iudicio præcedente, Gentes pereant: statim subiicit, suam illis conscientiam esse vice legis, ideoque ad iustam earum damnationem sufficere. Finis ergo legis naturalis est, vt reddatur homo inexcusabilis. Nec malè hoc modo definietur: Lex naturalis, est conscientiæ sensus, inter iustum & iniustum sufficienter discernentis, ad tollendum hominibus ignorantiæ prætextum, dum suo ipsorum testimonio redarguuntur.

Ea est hominis erga seipsum indulgentia, vt in malis perpetrandis libenter mentem à peccati sensu, quoad licet, semper auertat. Qua ratione videtur impulsus fuisse Plato, vt putaret, non peccari nisi ex ignorantia, vt habet in Protagora. Id quidem ab eo conuenienter dictum foret, si humana hypocrisis tantum in tegendis vitiis proficeret, vt mens non sibi malè conscia esset coram Deo. Sed cùm subterfugiens peccator impressum sibi boni & mali iudicium, illuc identidem retrahatur, nec conniuere ita permittatur quin cogatur velit nolit, aliquando aperire oculos: falsò dicitur, ipsum ignorantia sola peccare. Veriùs Themistius, qui them. 3. de Anima, c. 46. ait, quod intellectus in definitione vniuersali, seu rei essentia, siue in Thesi, rarissimè fallatur: fallitur verò & hallucinatur interdum, dum ad hypothesin descendit. Verbi gratia, Homicidium esse malum: si in genere quæratur, nemo erit qui non affirmet. Qui autem conspirat in mortem inimici, tanquam de re bona deliberat. Adulterium in genere damnabit adulter: in suo priuatim sibi blandietur. Hæc est ignorantia, dum homo, vbi ad hypothesin ventum est, eius regulæ obliuiscitur, quam in Thesi nuper constituerat. Augustinus in expositione primi vers. Psal. 57. de hoc optimè disserit.

Quanquam ne istud quidem perpetuum. Sic enim interdum flagitij turpitudo conscientiam vrget, vt non sibi imponens sub falsa boni imagine: sed sciens & volens in malum ruat. Vnde Medea apud Ouidium: *Video meliora proboque, Deteriora sequor.*

Quare scitissimè Arist. lib. Ethic. 7. c. 3 distinguit inter incontinentiam & intemperantiam; *Vbi* inquit) *incontinentia regnat: per affectum perturbatum, particularis notitia menti eripitur, ne malum obseruet in suo facinore, quod generaliter in similibus cernit. sed vbi deferbuit perturbatio, pœnitentia extemplò succedit. Intemperantia autem non extinguitur aut frangitur peccati sensu: sed contrà, obstinate in suscepta mali electione persistit.*

Iudicium ergo vniuersale in boni & mali discrimine habet homo à natura: sed tamen etiam hoc iudicium vniuersale vbique sanum & integrum non est. Nam si in hunc tantùm finem iusti & iniusti delectu imbuta sunt corda hominum, ne ignorantiæ excusationem prætexant: minimè necessarium est, veritatem in singulis cernere: sed satis supérque est, eatenus intelligere, ne tergiuersari queant, quin teste conscientia, conuincantur. Et si rationem nostram volumus ad Domini legem exigere, quę perfectę est iustitiæ exemplar; comperiemus, quàm multis partibus cæcutiat.

Et primò circa *primam* tabulam. Quæ in prima tabula præcepta sunt, minimè assequitur. Verbi gratia, de fiducia Dei, de virtutis & iustitiæ laude illi tribuenda, de nominis eius inuocatione, de vero sabbathismo. Quę vnquam Anima naturali sensu freta, subodorata est, in his & similibus positum esse legitimum Dei cultum? Nam cùm volunt iniqui Deum colere, etiamsi centies reuocentur ab inanibus suis nugis: semper tamen illuc relabuntur. Hunc spiritualem cultum, vnum esse, qui Deo placeat, persuaderi non possunt. Dicam ne igitur, præstare vlla perspicacia mentem, quæ nec per se sapere, nec monitionibus auscultare valet?

De *secunda* tabulā. In secundæ tabulæ præceptis aliquanto plus habet intelligentiæ, quod scilicet ad ciuilis inter homines societatis conseruationem propius accedunt. Quanquam & hîc deliquium interdum pati deprehenditur. Excellentissimo enim cuique ingenio absurdissimum est, nimis imperiosam dominationem ferre, si qua modò ratione depellere eam queat. Nec aliud est iudicium humanæ mentis, quam seruilis esse, abiectique animi, patienter eam ferre: Rursum ingenui honestique pectoris, eam excutere. Atqui Dominus, nimia ista ingenuitate damnata, illam apud homines infamem patientiam suis præscribit. Ergo, &c.

De vltimo verò legis pręcepto, scilicet de concupiscentia quid dicam? Omnino in vniuersa legis obseruatione, perspicientiam nostram fugit concupiscentiæ animaduersio. Non enim adduci potest animalis homo, vt cupiditatum suarum morbos recognoscat. Nam suffocatur Naturę lumen, quàm primum ad huius abyssi ingressum accedat.

Ob. At nonne Philosophi notant pro vitiis immoderatos animi affectus & motus? Vtique. Ergo videtur, quod agnoscant concupiscentiam, vitium esse.

Resp: Quando pro vitiis notāt immoderatos animi motus, illos tantùm extantes intelligunt, & se crassioribus signis exerentes. Illa autem desideria, quæ placidè titillant animum, nihil reputant. Quare sicut suprà merito reprehensus est Plato, quòd omnia peccata ignorantiæ imputarit: ita & eorum repudianda est opinio, qui consultam malitiam & prauitatem in omnibus peccatis intercedere tradunt. Nimium enim experimur, quoties labamur cum bona nostra intentione. Tot obruitur hallucinationum formis, tot erroribus est obnoxia, in tot impedimenta impingit, tot angustiis irretitur nostra ratio, vt plurimùm à certa directione absit.

Quàm verò nihil sit coram Domino, in cunctis vitę partibus, D. Paulus docet, 2. Cor. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid boni à nobis, quasi ex nobis,* &c. Hoc videtur durum nobis: sed non sic Spiritui S. qui nouit cogitationes nostras esse vanas.

Psal 94. *Nouit Dominus cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* Gen. 6. 5. *Cuncta cogitatio humani cordis prona est ad malum*: vel vt in Hebr. est: *Omne figmentum humani cordis malum est.* Si ergo, quicquid ingenium & cor

nostrum concipit, agitat, molitur, fingit, malum est: quomodo nobis in mentem veniat, instituere quod Deo placeat, cui sola sanctitas iustitiaque placet?

Ita videre est, mentis nostræ rationem, quoquo se vertat, esse vanitati miserè obnoxiam. Huius imbecillitatis sibi conscius Dauid, petebat à Domino intellectum ad discenda mandata Dei, Psal. 119. *Da mihi intellectum, vt discam mandata tua.* Ergo suum sibi ingenium non sufficiebat, qui petit aliud. Neque id semel petit, sed in eodem Psalmo ferè decies. Qua repetitione subindicat, quanta necessitate ad petendum vrgeretur. Et quod ille sibi vni petit, omnibus electis orat Paulus, dicendo:

Philip. 1. *Non cessamus orare pro vobis, & postulare, vt impleamini agnitione Dei in omni prudentia, & intelligentia spirituali, vt ambuletis dignè Deo.* Si hanc rem beneficium Dei facit: Ergo non est in hominis potestate.

Augustin. de peccatorum merit. & remiss. lib. 2. c. 5. ait, *quòd non minùs sit necessaria mentibus illuminationis gratia, quàm oculis Solis lux.* Imò quòd oculi nostri aperiantur, nos sumus, qui aperimus oculos nostros ad cernendam lucem: sed mentis oculi, nisi à Domino aperiantur, clausi manent.

De vi voluntatis, quæ est altera & præcipua liberi arbitrij pars.

In voluntate præcipuè vertitur arbitrij libertas, quia magis huius est electio, quàm intellectus, siue rationis. Ideò hæc diligentiùs examinanda.

Duæ igitur *quæstiones* de voluntate fieri possunt, vt suprà etiam dictum est.

Prima, vtrum in voluntate hominis post lapsum, sit vis & facultas, qua absque gratia regenerationis valeat per sese ad veram iustitiam faciendam, seu ad obedientiam diuinæ legis implendam, seu ad opus verè bonum, Deóque placens faciendum. Ad hanc ferè omnes Theologi respondent, quòd non valeat, nec habeat hanc facultatem voluntas: sed egeat diuina gratia.

Secunda: vtrum in voluntate hominis post lapsum, sit aliqua rectitudo, & aliqua licet pusilla & infirma bene agendi facultas, qua per se quidem ad bonum aspiret, & illud appetat: solidè tamen illud eligere absque Dei gratia, aut perficere non possit. In hac potissimum quæstione vertitur controuersia.

Ad hanc quęstionem aliter respondent primò Philosophi: secundò aliter Scholastici quidam Theologi. Tertiò, aliter Scriptura sacra.

Videamus ergo omnium responsiones.

1. Videtur, quòd sic. Omnia enim naturali instinctu bonum appetunt. Ergo multo magis homo. Si sic: Ergo in voluntate est facultas hæc, qua ad bonum naturaliter feratur & afficiatur.

Resp. Hęc responsio Philosophorum non est ad propositum nostræ quęstionis. Hic enim appetitus, de quo loquūtur Philosophi, éstque in omnibus rebus naturalibus, magis proficiscitur ab inclinatione essentiæ, quàm à mentis deliberatione: atque ita nihil pertinet ad libertatem arbitrij. Nulla est enim actio liberi arbitrij, nisi dum ratio se vertit ad opposita, vt omnes Scholastici dicunt: i. vt aliqua debeat esse actio liberi arbitrij, duo requiruntur: primo, vt obiectum appetitus tale sit, quod electioni viam sternat. Hic autem nullum istorum adest: primo obiectum, id est, bonum, ad quod homo naturaliter inclinatur & fertur, vt esse felicem, non subiaceat electioni: cùm etiam hoc appetant animalia bruta, in quibus non est electio. Secundò, non procedit deliberatio, quando homo hoc appetit, cùm hoc naturaliter absque ratione, absque consilio, iuxta tantum naturæ inclinationem, instar pecudis appetat & sequatur. Ergo ad libertatem arbitrij nil spectat hoc, An homo sensu naturæ ad bonum appetendum feratur: sed hoc requiritur, vt bonum recta ratione diiudicet: cognitum siue diiudicatum eligat: electum persequatur. Quare hic est duplex Paralogismus. Primus, appetitus (de quo loquuntur hic Philosophi) non est proprius voluntatis motus: sed naturæ inclinatio. Nos autem loquimur de proprio voluntatis motu & appetitu. Secundus, Bonum (de quo Philosophi loquuntur hic) non est bonum virtutis aut iustitię: sed cōditionis, s. vt homo bene habeat. Nos aūt loquimur de bono virtutis & iustitiæ, quod placet Deo. Quando igitur nihil ad probandam arbitrij libertatem facit naturale hominum bene habendi desiderium: sicut nec inclinans affectio ad suam perfectionem in metallis & lapidibus, arguit in eis esse libertatem arbitrij, ideo sinamus Philosophos, qui verum quidem dicunt, sed non ad propositum nostrum. Nos enim quærimus, vtrum voluntas humana sit omni ex parte ita vitiata & corrupta, vt nihil nisi malum generet: an particulam aliquam illæsam retineat, vt de nascantur bona desideria. Ergo respondeant Theologi scholastici.

2. Videtur, quod sic: nempe, quod animæ insit facultas ad bonum aspirandi: sed imbecillior, quàm vt in solidum affectum emergere, aut conatum excitare possit. Origenes ita sensit. Et ratio est: Rom. 7. de homine in puris naturalibus constituto ait Apostolus verba hæc: *Non quod volo bonum, hoc facio: sed quod odi malum, &c. Nam velle adiacet mihi: perficere autem non inuenio.* Ergo, &c.

Resp. Negatur, quod verba illa dicat homo in puris naturalibus constitutus: sed tantum intelliguntur de homine per Spiritum regenerato & iustificato. Hoc autem patet primo per Augustinum.

Augustinus aliquando ita sensit, vt aduersarij etiā sentiunt, & ita interpretatus est aliquando illa Apostoli verba, sicut aduersarij interpretantur: sed posteà retractauit se, & dixit, non posse illa intelligi nisi de regenerato per Spiritum sanctum. Vide lib. ad Bonif. c. 10. & in Retract.

Ex beati Pauli verbis: Ait enim, concludens disputationem illam: *Condelector igitur legi Dei, secundum internū hominem: Video autem aliam legem, &c.* Jam homo impius in suis naturalibus constitutus, non delectatur legi Dei, imo eam odit, nec potest ei subiici. Rom. 8. *Prudentia carnis inimicitia est aduersus Deum: Legi enim Dei non subijcitur.* Loquitur igitur ibi de pugna, quam iustificati sentiunt inter carnem & Spiritum, quam etiam ad Galat. descripsit dicendo: *Caro concupiscit aduersus Spiritum, & Spiritus aduersus carnem, vt non quæcunque vultis, illa faciatis.*

Item, si concedimus, homines sine gratia habere quamliber pusillos, aliquos tamen ad bonum motus, quid respōdebimus Apostolo 2. Cor. 3. *Nō sumus sufficientes cogitare aliquid boni,* &c. quid Mosi Gen. 8. *Figmētum humani cordis prauum?* Quid Ieremiæ, Ier. 17. *Prauum est cor hominis?*

Cum ergo nullam habeant pro sua conclusione sententiam aliam, quàm hanc ad Rom. 7. sed eam malè intellectam, in contrarium verò sit tota Scriptura S. quæ pronunciat, totum hominem esse carnem, esse prauum, nihil boni posse, esse seruum peccati: ideo illis relictis, ad S. Scripturam veniamus, quæ totum hominem cum suis eloquiis in medium profert & depingit.

Itaque qualiter scriptura S. loquatur de homine toto absque Spiritu audiamus.

Miseria hominis describitur secundum S. Scripturam.

Ioh. 5. *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Omnes natura peccatores sumus, & peccauimus, & peccamus. Ergo serui peccati. Si autem totus homo peccati imperio subiacet: ergo necesse est, ipsam voluntatem, quæ præcipua est sedes peccati, arctissimis vinculis constringi. Sed totus homo depingitur.

Joh. 3. *Quod natum est ex carne, caro est.* Ergo totus homo caro est. Si totus caro: Ergo totus miser, totus inimicus Dei, totus morti obnoxius, totus legi Dei repugnans. Ait enim Paulus Rom. 8. *Prudentia carnis, inimicitia est aduersus Deum: Legi enim Dei non subijcitur.* Item, *prudentia carnis mors est.* Denique si totus est caro, nihil inde boni elici potest, nisi regeneretur.

Ob. 1. At carnis vocabulum, ad sensualem tantùm animæ partem pertinet, non autem etiam ad superiorem partem animæ.

Resp. Falsum est hoc, vt patet ex verbis Christi & Pauli. Argumentum Christi est hoc. Oportet hominem renasci. Cur? quia caro est. Ea igitur parte caro est homo, qua oportet renasci: & pręcipit Christus, vt renascatur. Renascitur autem hîc quoad animam. Ergo quoad animam caro est.

2. At concedo, quod anima sit caro, vel dicatur caro, quoad aliquam sui partem, scilicet inferiorem, non autem secundum totam.

Resp. Hoc nō potest esse. Primò, sequeretur, quod nō renascatur, sed tātū renouetur, vel potius corrigatur. Anima .n. non renascitur, si corrigatur aliqua eius portio: sed vbi tota renouatur. Secūdò, si tota anima nō indiget renouatione, quia non tota caro sit: Ergo sequeretur, quod homo saltē secundū illā partē, quæ non indiget renouatione siue renascentia, posset videre regnū Dei, cùm ratio, cur homo non possit videre regnū Dei, sit, quia indiget renascentia, vtpote qui est caro. Ait .n. Christus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest videre regnum Dei.* Est autē falsum, quod homo secūdum vllā sui partē possit videre regnū Dei, nisi renouetur. Ergo totus indiget renouatione: ergo

ergo totus caro:ergo tota anima caro est.

Hoc autem confirmat vtroque loco posita antithesis. Sic enim carni comparatur Spiritus, vt nihil relinquatur medium. Ergo quicquid non est spirituale in homine, carneum sit, necesse est. Nihil autem in homine est spirituale, nisi per regenerationem. Ergo caro est, quicquid in homine à natura.

Item, D. Paulus docet apertè, mentem hominis esse corruptam, & ideo indigere renouatione: si autem indiget renouatione: Ergo carnis nomine continetur. Audi.

Eph. 4. Postquam descripsit veterem hominem, quem dixerat corruptum esse concupiscentiis errores, iubet nos renouari dicendo, *Renouamini spiritu mentis vestræ.* En quòd prauas cupiditates non ponit in parte inferiori modò, sed in ipsa etiã mẽte: atq; ideò exigit eius renouationẽ.

Eph. 4. *Hoc igitur dico, & testificor in Domino, vt non ambuletis, sicut & gentes ambulant in vanitate sensus sui (mentis suæ) tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à via Dei propter ignorantiam, quæ est in ipsis ex obduratione cordis ipsorum.*

Hic apertè totum hominem corruptum ostendit, mentémque superiorem partem animæ, vanitate plenam esse: idcóque totum hominem indigere Christi liberatione, secundum omnem sui partem.

Jer. 17. *Prauum est cor hominis.*

Jes. 58. Lucem tantùm Deus promittit exorituram in Ecclesia sua. Ergo extra Ecclesiam non nisi tenebras relinquit.

Ps. 143. *Homo vanitati similis factus est.*

Rom. 3. Dum humani generis arrogantiam vult deiicere Apostolus, iis testimoniis agit, *non est iustus quisquam*, vide reliqua. His autem fulminibus, non in certos homines, sed in totam generationem humanam inuehitur. Neque in vnius aut alterius seculi deprauatos mores declamat, sed accusat perpetuam naturæ corruptionem. Siquidem propositum illi est eo loco, non simpliciter homines obiurgare, quo resipiscant: sed docere potius, ineluctabili calamitate omnes oppressos, è qua emergere non possunt, nisi misericordia Dei eruantur. Id quia probari non poterat nisi de clade & exitio naturæ constitisset, protulit hæc testimonia, quibus plus quam perditam esse naturam nostram conuincitur.

Maneat ergo hoc, non prauæ duntaxat consuetudinis tales esse homines, quales hic describuntur: sed naturæ quoque prauitate: quandoquidem non aliter stare potest argumentatio Apostoli, Nullam esse homini salutem nisi à Domini misericordia, quia in se perditus est & deploratus.

3. At omnia ista vitia, quæ ibi enumerat Apostolus, non sunt in vnoquoq; homine, sed singula in singulis. Ergo &c.

Resp. Licet actu non sint in vnoquoque, id est, licet in vnoquoque non emergant: tamen inficiari non licet, quin hydra ista in singulorum pectoribus lateat. Nam vt corpus, dum iam morbi causam & materiam inclusam in se fouet, etiamsi nondum ferueat dolor, non dicitur tamen sanum, ita nec anima, dum talibus vitiorum morbis scatet, sana censebitur. Quanquam non quadrat in totum similitudo. In corpore enim est vigor vitæ: in anima nequaquam.

Ab honestis infidelium virtutibus & operibus arguitur, quod natura hominis in totum vitiata non sit: & respondetur, quod illæ in ipsis virtutes, à Dei gratia fuerint, eos non quidem renouante, sed retinente à vitiis, & mouente ad bona opera.

4. Ab omnibus seculis extiterunt aliqui: qui naturâ duce ad virtutem tota vita intenti essent. Nec moror, si multi lapsus in eorum motibus notari possint: ipso tamen honestatis studio documentum ediderunt, nonnihil fuisse in natura puritatis. Exempla igitur ista videntur concludere, quòd hominis natura in totum vitiata non sit: nempe, quia eius sc. naturæ instinctu, quidam eorum non modò eximiis facinoribus excelluerunt, sed perpetuo tenore vitæ, honestissimè se gesserunt.

Resp. Quod illæ virtutes, siue bona opera, non à natura illis insitæ fuerint, sed à Dei gratia: non quidem illos renouante, sed tamen à vitiis, ad quæ suapte natura propensi erant, retrahente: idque fecisse Deum ob bonum publicum totius generis humani. Notandum ergo: quòd inter illam naturæ corruptionem est nonnullus Dei gratiæ locus, non quæ illam purget, sed quæ intus cohibeat. Nam si singulorum animos laxis habenis Dominus in libidines quaslibet exultare permitteret: nemo haud dubiè esset, qui nõ reipsa fidem faceret, verissimè in se competere omnia mala, quibus vniuersam naturam damnat Apostolus. Quid enim? Te ne eorum numero eximes, quorum pedes ad effundendum sanguinem veloces, manus rapinis & homicidiis fœdatæ: guttura sepulchris patentibus similia: linguæ fraudulentæ, venenata labia, opera inutilia, putrida, lethalia, quorum animus sine Deo, quorum intima prauitates, quorum oculi ad insidias, animi ad insultandum elati, omnes denique partes ad infinita flagitia concinnatæ? Si omnibus eiusmodi portentis obnoxia est vnaquæque anima (vt Paulus pronuntiat) videmus certè, quid futurum sit, si Dominus humanam libidinem pro sua inclinatione vagari sinat. Nulla est rabiosa bellua, quæ tam præcipitanter feratur: nullum est quamlibet rapidum ac violentum flumen, cuius adeò impetuosa sit exundatio.

In electis suis morbos istos curat Dominus, eo quem mox exponemus modo: in aliis iniecto fræno duntaxat cohercet tantùm, ne ebulliant, quatenus expedire prouidet ad conseruandam rerum vniuersitatem. Hinc alij pudore, alij legum metu retinentur, ne in multa fœditatis genera prorumpant, vtcunque suam magna ex parte non dissimulent impuritatem. Alij, quia honestam viuendi rationem prodesse ducunt, ad eam vtcunque aspirant: alij contra vulgarem sortem emergunt, quo sua maiestate alios contineant in officio. Ita sua prouidentia Dominus naturæ peruersitatem refrenat, sed non purgat.

5. At nondum solutus est scrupulus. Aut enim Camillum parem Catilinæ (exempli gratia) faciamus conuenit: aut in Camillo habebimus exemplum, quòd natura (si studio excolatur) bonitate non prorsus vacet.

Resp. Fateor, quæ in Camillo fuerunt speciosæ dotes, & Dei fuisse dona, & iure commendabiles videri, si in se æstimentur. Sed nego, quod sint probitatis naturalis documenta. Animus enim eius prauus erat, contortus, atq; à rectitudine alienus: quod ita esse necesse est, si animalis homo erat, & sine fide, sine Spiritus regeneratione, qua sola renouatur animus. Erat autem sine fide, sine Spiritus sancti regeneratione. Ergo, &c. Si autem immundus & prauus erat animus eius: quomodo ergo natura eius rectitudinem aliquam habebat? Lege Augustinum hæc disputantem, contra Iul. Pelag. lib. 4. c. 3.

6. At quid ergo illæ virtutes eximiæ in Camillo? Vnde erant?

R. A Deo, qui in illo illas virtutes collocarat propter bonum commune. Erant igitur non communes naturæ dotes, sed speciales Dei gratiæ, quas variè & ad certum modum profanis alioqui hominibus dispensat. Qua ratione dicimus in vulgari sermone, hunc bene natum: illum verò prauæ naturæ esse. Nec tamen vtrumque definimus includere sub vniuersali humanæ prauitatis conditione: sed indicamus, quid specialis gratiæ in alterum Dominus contulerit, quo alterum non sit dignatus.

Quòd voluntas non possit se mouere ad bonum per se, nedum applicare.

Ergo voluntas, quæ peccati seruitute vincta tenetur, ad bonum se mouere nõ potest, nedum applicare. Ratio. Talis enim motus ad bonum, est principium cõuersionis ad Deum. Conuersio autem ad Deum tota, tam principium, quàm finis, attribuitur soli gratiæ Dei in sacra Scriptura. Jer. 31. *Conuerte nos & cõuertemur.* Ergo, &c. Vnde Propheta Jer. eodem c. 31. spiritualem populi fidelis redemtionem describens, ait, *Redemit populum de manu fortioris*: nempe significans, quàm arctis compedibus alligatus sit peccator, quàm diu à Domino desertus, sub iugo Diaboli agit.

Quòd licèt voluntas hominis nec velle, nec appetere bonum possit, sed captiua teneatur sub peccati seruitute, tamen remaneat voluntas libera à coactione.

7. At si voluntas est serua peccati, ita vt neque mouere se ad bonũ, nec ad illud aspirare possit: ergo videtur, quòd non sit amplius voluntas, atque ita homo erit vt truncus.

R. Licet voluntas in necessitatem peccati addicta sit: non tamen desiit esse voluntas, quę propensissima affectione ad peccãdũ, & propendeat & festinet. Nã homo, cũ in hanc se seruitutẽ peccati addixit, nõ voluntate priuatus est, sed voluntatis sanitate: & licet priuatus sit libertate vera voluntatis, sc. ad bonũ & à peccato: non tamen priuatus est libertate à coactione: Vnde D. Aug. *Liberum arbitriũ, semper est libe-*

rum, sed non semper est bonum. Et Bernardus docet, *Velle, inesse omnibus nobis, sed velle bonum, profectus: velle malum, defectus esse.* Ideò simpliciter velle, hominis est: malè velle, corruptæ naturæ: bene velle, gratiæ.

Quòd differentia sit inter necessitatem & coactionem.

8. At offendit pias aures id quod dicitur à quibusdam, scil. quod voluntas priuata libertate ad bonum, necessitate feratur ad malum.

R. Non mirum, si videatur aspera locutio, nempe iis, qui nesciunt distinguere inter necessitatem & coactionem. Coactio destruit voluntatem: non enim voluntas est, si coacta est. Necessitas verò non destruit voluntatē. Exemplum in Deo, in beatis, qui necessitate Deum diligunt, nec possunt aliter facere. Ita Deus necessariò bonus est, necessariò se ipsum diligit, nec aliter facere potest: & tamen non coguntur nec illi, nec iste. Ita Diabolus necessitate peccat, nec potest aliter facere: & tamen non cogitur, alioqui non ipsi imputaretur peccatum. Ita homo seruus peccati, necessitate peccat, & tamen voluntariè peccat: ideòque ipsi imputatur peccatum. Hac locutione vtitur Augustinus vbique, prædicans hanc necessitatem voluntatis ad peccandum, quæ tamen voluntariè peccat.

Lib. de perfect. iust. *per libertatem factum est, vt esset homo cum peccato: sed iam pœnalis vitiositas subsecuta, ex libertate facit necessitatem.* Ab hac necessitate liberari petit Dauid cum ait: *De necessitatibus meis libera me Domine.*

Hæc igitur distinctio teneatur: Hominem, vt vitiatus est ex lapsu, volentem quidem peccare, nec tamē inuitum, non coactum, affectione animi propensissima, non violenta coactione propriæ libidinis motu, non extraria coactione: qua tamē est naturæ prauitate, nō posse nisi ad malum moueri & agi. Quod si verum est, necessitati subiacet.

LOCVS IV.

DE GRATIA DEI, QVA naturæ vitiositas emendatur.

SEquitur, vt dicamus de diuinæ gratiæ remedio, qua vitiositas naturæ emendatur. Nam cùm Dominus in ope ferenda, quod nobis deest, largiatur: vbi constiterit quale sit illius in nobis opus, quæ sit è conuerso nostra penuria, statim elucescet.

Quòd Deus sua gratia bonum opus in nobis inchoet ac perficiat.

Quod Deus sua gratia in nobis inchoet bonum opus, ac perficiat, nemo negare potest, propter apertum testimonium D. Pauli, qui ait Phil. 1. *Confido autem, quòd qui incepit in vobis bonum opus, perficiet vsq; in diem Iesu Christi.* Verum, quonam modo id intelligendum sit, siue quonam modo Deus incipiat & perficiat opus bonum in nobis, non ita inter omnes conuenit.

Manifestum est, quòd per boni operis principiū D. Paulus designet ipsam conuersionis originem, quæ est in voluntate. Nam si Deus in nobis incipit bonum opus: Ergo, boni operis principium in nobis efficit Deus. Principium autem boni operis, est conuersio voluntatis ad Deum. Ergo Deus est ille, qui conuertit voluntatem nostram ad se, ad bonum. Et hoc est incipere bonum opus. Atq; etiam de hoc conuenit inter omnes ferè sanioris doctrinę Theologos. Verùm, quonam modo intelligendum sit, quòd Deus conuertat voluntatem nostrā ad se, atq; ita incipiat in nobis bonum opus, non facilè inter omnes conuenit.

Quomodo voluntas nostra conuertatur à Deo, atque ita Deus incipiat in nobis bonum opus: an voluntatem nostram per se infirmam, adiuuando: an totam peruersam renouando, & nouam creando.

1. Quidā ergo dicunt, quòd Deus incipiat in nobis bonum opus, voluntatem nostram, infirmam per se, adiuuando, vt conuertatur ad Dominum, atque ita voluntatem aliquid posse per se, licet inefficaciter in sui conuersione, id est, ad bonum opus, contendunt.

2. Nos verò dicimus, quòd Deus bonum opus inchoet in nobis, iustitiæ & amorem, & desiderium, & studiū in cordibus nostris excitando: vel (vt magis propriè loquamur) corda nostra flectendo, formando, dirigendo, in iustitiam, voluntatemque nostram totam suapte natura peruersam, nouando, regenerando. Perficit autem, ad perseuerantiam nos confirmando.

Vt hæc dilucidius pateant, afferamus in medium scripturas. Ne quis à Domino bonum opus inchoari tergiuersetur, quod voluntas per se infirma adiuuetur, alibi declarat Spiritus sanctus, quid valeat voluntas sibi relicta.

Ezech. 36. *Dabo vobis cor nouum, Spiritum nouum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis.* Quis voluntatis humanæ infirmitatem dicet subsidio roborari, quo ad boni electionem efficaciter aspiret, cùm transformari renouarique totam oporteat? Ecce, dicit cor nostrum esse lapideum. Si qua ergo in lapide est mollicies, quæ adminiculo aliquo tenerior facta, flexum quemlibet recipiat, sicut cera: Ego quoque concedam, ductile esse cor hominis in recti obedientiam, atque flexibile, modò gratia Dei suppleat, quod in eo imperfectum est. Verùm, si hac similitudine ostendere voluit Dominus, quod nihil vnquam boni possit è corde nostro exprimi, nisi penitus aliud fiat: cur inter nos & ipsum Deum partimur, quod sibi vni vendicat? dicendo, *Dabo vobis cor nouum, &c.* Si ergo lapis in carnem transformatur, quando cor nostrum Dominus ad recti studium conuertit: aboletur vtique quicquid est propriæ voluntatis nostræ: Quod in eius locum succedit, totum à Domino est.

Ob. At concedit quidem Augustinus, voluntatem à bono, suopte ingenio auersam, sola Domini virtute conuerti: sed ita tamen, vt præparata, suas deinde partes in agendo habeat. Ait enim Augustinus ad Bonif. epist. 106. *Omne bonum opus gratia præcedit, & id comitante, non ducente: pedissequa, non præuia voluntate.* Ergo &c.

R. Ego autem duo in Prophetæ verbis signari animaduerto. Primum, quod Dominus & prauam nostram voluntatem corrigat, vel potius aboleat: Secundum, & quòd à se ipso bonam submittat. Quatenus à gratia præuenitur: in eo vt pedissequam appelles voluntatem, tibi permitto. Sed quia reformata, opus est Domini, hoc perperam homini tribuitur, nempe quod gratiæ præuenienti, pedissequa voluntate obsequatur. Nam ipsam quoque voluntatem operatur gratia.

Ad Augustinum vero respondeo: quòd consilium Augustini non fuerit, dum pedissequam gratiæ vocat humanam voluntatem, secundas quasdam à gratia partes illi assignare, in bono opere: sed quia hoc tantum illi propositum erat, refellere pessimum Pelagij dogma, quod primam salutis causam in hominis merito ponebat: quod satis erat præsenti causæ, contendit, nimirum gratiam omni merito esse priorem: altera interim quæstione omissa de perpetuo gratiæ effectu: quam tamen quęstionem alibi egregiè tractat. Nam dum aliquoties dicit, quòd Dominus præueniat nolentem, vt velit: & volentem subsequatur, ne frustrà velit: ipsum vtique boni operis in solidum facit autorem.

Summa igitur rei, apertis scripturæ testimoniis approbata, hęc est. Quò conuertamur ad iustitiam, primo oportet aboleri totum quod ex nobis est: id quod indicat, dum dicit, *Auferam à vobis cor lapideum.* Secundò, quicquid in eius locum subdit, ab ipso Domino est: id quod indicat dum dicit: *Dabo vobis cor carneum.* Id etiam alibi sæpiùs dicit.

Ier. 32. *Dabo eis cor vnum & viam vnam, vt timeant me vniuersis diebus.* Et ibid. *Timorem nominis mei dabo in cor eorum, vt non recedant à me.*

Ezech. 11. *Dabo eis cor nouum, & Spiritum nouum dabo in visceribus eorum. Cor lapideum auferam de carne eorum, & dabo eis cor carneum.* Non posset euidentius sibi vendicare, nobis adimere quicquid est in voluntate nostra boni & recti, quam dum conuersionem nostram, creationem noui Spiritus, & noui cordis esse testatur. Sequitur enim semper, & ex voluntate nostra nihil prodire boni, donec reformata fuerit: & post reformationem, quatenus bona est, à Deo esse, non à nobis. Sic & preces sanctorum compositæ leguntur. 1. Reg. 8. Salomon ait, *Inclinet cor nostrum ad se Dominus, vt seruemus mandata sua.* Ergo cor nostrum suapte natura semper est rebelle in mandata Dei, nisi flectatur à Domino. Psal. 51. *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum &c.* An non omnes cordis sui partes impuritate refertas agnoscit Dauid, & Spiritum obliqua prauitate contortum? Mundiciem autem quam flagitat, Dei creaturam vocando, totam illi acceptam refert. O superbiam nostram! Dominus iubet, vt suum sabbathum sanctificemus, id est, quiescamus ab operibus nostris, & suis locum demus: nos autem non possumus operibus nostris

nostris valere iussis, Dei operibus locum iustum cedere.

Ioh. 15. *Ego sum vitis, vos palmites: Pater meus agricola est: sicut palmes nō potest fructū ferre à seipso, nisi manserit in vite: si & vos nisi in me mãseritis, quia sine me nihil potestis facere.* Quæ est ergo naturæ nostræ ad bonum aptitudo?

Phil. 2. *Deus est, qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate sua, &c.* Prior pars operis boni, est voluntas: altera, validus in exequendo conatus. Vtriusque autor est Deus. Ergo Domino surripimus, si quid nobis arrogamus, aut in voluntate, aut in effectu. Si diceret Apostolus, quòd Dominus iustitiæ voluntati nostræ opē ferret, nonnihil nobis relinqueretur: sed cùm dicit, quòd Deus in nobis efficiat voluntatem: iam extra nos locatur, quicquid in ea boni est. Deinde, quoniam carnis nostræ pondere, bona etiamnum voluntas obruitur, ne emergat: subiunxit, eluctandis eius pugnę difficultatibus, conatus constantiam ad effectum vsque administrari. 1. Cor. 12. *Deus operatur omnia in omnibus.*

Quomodo Deus inchoet, & perficiat opus in nobis.

Hunc itaque in modum & inchoat & perficit in nobis bonum opus: primò, vt illius sit, quòd recti amorem concipit voluntas, quòd in eius studium inclinatur, quòd ad eius sectandi conatum incitatur & mouetur. Secundò, quòd electio, studium, conatus, non fatiscunt, sed ad effectum vsque procedunt. Tertiò, quòd homo in illis constanter pergit, & in finem vsque perseuerat.

At voluntatem mouet, non qualiter multis seculis traditum est, vt postea nostræ sit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari: sed illam efficaciter afficiendo. Nō ergo Dominus porrecta tantùm manu expectat, an suo auxilio adiuuari nobis adlubescat: sed facit vt adlubescat adiuuari, & simul adiuuat, & efficaciter afficit. Talem fuisse hominis adhuc stantis conditionem concedimus, vt poterit ad alterutram partem inclinare. Sed cùm suo exemplo docuerit, quàm miserum sit liberum arbitrium, nisi Deus in nobis & velit & possit: quid fiet nobis, si ad eum modulum Dominus suam nobis gratiam impartiatur? Imo nos ipsi eam obscuramus & extenuamus nostra ingratitudine. Non enim ait Apostolus, offerri nobis bonæ voluntatis gratiam, si acceperimus: sed quod ipsum in nobis efficiat velle. Quod non aliud est, quàm Dominum suo Spiritu cor nostrum dirigere, flectere, moderari, & in eo tanquam in possessione sua regnare.

Ioh. 6. *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Hic docet, quod gratia Dei ♦ se ipsa efficax sit: quia quos Pater docet, facere aliter non possunt, quin veniant ad Christum, vt etiam Augustinus de prædestinatione sanct. docet. Hac autem gratia non quoslibet dignatur Dominus, sicut vulgo dicitur, Eam nemini denegari, sed omnibus offerri. Docendi quidem sunt homines, expositam esse Dei benignitatem omnibus sine exceptione, qui eam quærunt: sed cum ij demum quærere incipiant, quibus Dominus gratia aspirauit: ne hæc quidem portiuncula de eius laude decerpenda erat. Hæc est sanè electorum prærogatiua, vt per Spiritum Dei regenerati, ipsius ductu agantur ac gubernentur.

Vtrum homo bene vtendo prima gratia, mereatur secundam gratiam, & consequenter perseuerantiam: vel an ipsa quoque detur gratis.

Videtur aliquibus, quòd sic: Dicunt enim, quòd secunda gratia, & perseuerantiæ donum, dispensetur pro hominum meritis, prout se vnusquisque non ingratum præbuerit primæ gratiæ: & allegant illud Luc. 19. *Euge serue bone, quia in modico fuisti fidelis, super multa te constituam.*

Resp. Quòd non detur pro merito vllo hominum, alioqui non esset gratia hæc posterior, siue secunda gratia, Ait enim Augustinus, *Non est gratia vllo modo, si non est gratuita omnimodo.* Perseuerantia autem est maximum donum & gratia, vt disputat August. de bono perseuer. Ergo, &c.

Ad argumentum dico, quod Dominus, dum in dies locupletat & nouis suæ gratiæ dotibus cumulat seruos suos, quia opus quod in illis cœpit, gratum acceptúmque habet: hoc modo inueniat in illis, quod maioribus gratiis prosequatur. Concedo & verum est. Et huc pertinent sententiæ illæ, & intelliguntur hoc modo. Matth. 25. *Habenti dabitur.* Luc. 19. *Euge serue bone, &c. quia in paucis fuisti fidelis, super multa te constituam.*

Sed hic cauenda duo. *Primum*, Ne remunerari dicatur, posterioribus gratiis legitimus vsus primæ gratiæ, ac si homo sua ipsius industria redderet gratiam Dei efficacem.

Secundum, Ne sic remuneratio censeatur, vt desinat haberi gratuita gratia. Fateor ergo, exspectandam esse fidelibus hanc Domini benedictionem, nempe, vt quò melius vsi fuerint superioribus Dei gratiis, eò maioribus posthac augeantur. Sed primò, illum quoque vsum à Domino esse dico: & secundò, hanc remunerationem quoque à gratuita eius beneuolentia prouenire contendo. Quod & D. Paulus nominatim expressit Philip. 2. Cùm enim dixisset, *Deus operatur in nobis & velle, & perficere*: statim addit: *pro bona sua voluntate*: Hac dictione, gratuitam esse benignitatem indicans.

At si nos, postquam primæ gratiæ locum dedimus, iam subsequenti gratiæ per conatus nostros cooperamur: quare ergo remuneratio illa, quam Dominus reddit primæ gratię posterioribus gratiis, non debet etiam attribui partim nostris conatibus?

Vtrum homo cooperetur secundæ gratiæ: an sola gratia operetur in homine, & quomodo.

Resp. Id quod dicitis, nostros conatus cooperari secundæ gratiæ, postquam primæ gratiæ locum dedimus, potest intelligi dupliciter. Primò, quod nos, ex quo semel Domini virtute in iustitiæ obsequium edomiti sumus, vltrò pergamus, & obsequentes simus & propensi ad sequendam gratiæ actionem. Et hoc concedo. Est enim certissimum, vbi gratia Dei regnat, ibi talem esse obsequendi promptitudinem. Vnde id tamen, nisi quod Spiritus Dei, vbique sibi cōsentiens, quam principio generauit obedientiæ affectionē, ad perseuerandi constantiam fouet & confirmat?

Secundò ita, quod nos à nobis ipsis sumamus, vnde gratiæ Dei collaboremus. Hoc nego: & est error pestilentissimus.

Restat igitur, quod Deus non remuneret quod nostrum est, nec conatus nostros: sed opus suum maioribus gratiis prosequatur & cumulet.

At quid ergo sibi vult Apostolus, cùm ita loquitur? *Plus omnibus iis laboraui: non Ego, sed gratia Dei mecum.* 1. Cor. 15. Ergo nos cooperamur gratiæ Dei: non autem sola operatur in nobis.

Resp. Quia paulò arrogantius dictum videri poterat, quod se præferret omnibus: id quidem corrigit, referens laudem ad Dei gratiam: sed non ita, vt se gratiæ cooperarium vocet. Non enim gratiam Domini secum laborasse scribit Apostolus, vt se consortem laboris faciat: quin potius totam laboris laudem Domini gratiæ adscribit, ista correctione: *Non Ego* (inquit) *is sum, qui laboraui, sed gratia Dei, quæ mecum erat, siue quæ mihi aderat.* Græcus enim articulus omissus est qui textum clarum reddit, & facit gratiam Dei nō cooperatricem, sed omnium effectricem. Hoc etiam, licet obscurè, docet Augustinus, cū ita loquitur: *Præcedit voluntas bona hominis, multa Dei dona, sed non omnia. Quæ autem præcedit ipsa, in eis & ipsa est: quia scriptum est, Misericordia eius præueniet me: & misericordia eius subsequetur me. Nolentem præuenit, vt velit: volentem subsequitur, ne frustra velit.*

Augustini sententia de gratia Dei.

De correct. & gratia, cap. 2. ait, *gratiam persistendi in bono, Adæ fuisse datam, si vellet: nobis dari vt velimus, ac voluntate concupiscentiam superemus. Habuisse ergo illum posse, si vellet: Sed non velle, vt posset. Nobis verò & velle dari, & posse.* Item paulo post: *Tantum quippe Spiritu sancto accenditur voluntas sanctorum, vt ideo possint, quia sic volunt: ideo velint, quia Deus operatur, vt sic velint. Nam si in tanta infirmitate, in qua tamen, ad reprimendam elationem, perfici virtutem decet, ipsis relinquatur voluntas sua, vt adiutorio Dei possint si velint, nec Deus in illis operetur, vt velint: inter tot tentationes infirmitate voluntas ipsa succumberet: ideóque perseuerare non possent. Subuentum ergo est infirmitati voluntatis humanæ vt gratiā diuina indeclinabiliter & inseparabiliter ageretur: ideoq́; quantumuis infirma non deficeret.*

Item cap. 14. tractat copiosius, quomodo corda nostra necessariò sequantur Dei afficientis motum: & dicit quidem, Deum homines suis voluntatibus trahere, sed quas ipse operatus est. Ergo habemus ex Augustino, non offerri tantùm à Domino gratiam, quæ libera cuique electione aut recipiatur, aut respuatur: sed ipsam esse, quæ in corde & electionem & voluntatem formet: vt quicquid deinde sequitur boni operis, fructus sit ipsius, & effectus: nec aliā habeat sibi obsequentem voluntatem, nisi quam ipsa fecit. Ait enim alibi, *quod omne opus bonum in nobis facit gratia Dei.* Quod autem alibi dicit (Epistol. 105. *non tolli gratia voluntatem: sed ex mala mutari in bonam: & cùm bona fuerit, adiuuari*: significat tantùm, hominem non ita trahi, vt sine motu cordis, quasi extraneo impulsu, feratur: sed intus sic affici, vt ex corde sequatur.

Quòd gratia non omnibus, sed specialiter electis, & gratuitò detur.

Augustinus: *Scimus, non omnibus hominibus dari Dei gratiam: & quibus datur, neque secundum merita, neque secundum merita voluntatis, sed gratuitâ gratiâ. Quibus non datur, scimus iusto Dei iudicio non dari.*

Quòd secunda gratia non detur homini, quia sit bene vsus prima.

Augustinus impugnat ibi hanc opinionem, quæ hominum meritis subsequentem gratiam reddi putat, quia primam gratiam non respuendo, se dignos præstiterint.

Multi gratiæ effectus.

De correct. & gratia, cap. 8. recenset hos effectus, & docet:

1. Quòd humana voluntas non libertate gratiam, sed gratia consequatur libertatem.
2. Quòd per eandem gratiam impresso delectationis affectu, ad perpetuitatem conformatur.
3. Quòd insuperabili fortitudine roboretur.
4. Quòd illa gubernante nunquam excidat: deserente, protinus corruat.
5. Quòd gratuita Domini misericordia & ad bonum conuertatur: & conuersa, in ipso perseueret.
6. Quòd voluntatis humanæ directio in bonum, & post directionem constantia, ex sola Dei voluntate pendeat, non vllo suo merito.

A gratia igitur valet, quicquid valet liberum arbitrium, vt etiam Epistol. 46. ait Augustinus.

Hæc gratia modò nominatur manumissio, qua à peccati seruitute liberamur. Ioh. 8. *Si vos filius hominis liberauerit, verè liberi eritis*: modò in integrum restitutio, qua deposito veteri homine, ad imaginem Dei instauramur. 2. Corint. 3. modò regeneratio, qua in nouos homines regeneramur.

DE BELLO, SIVE PVGNA INTER CARNEM ET SPIRITVM IN REGENERATIS.

Quòd licet gratia Dei renouet ac regeneret hominem: non tamen ita perfectè, quin remaneat aliqua pars iugo peccati obnoxia: vnde pugna inter carnem & Spiritum nascitur.

Quanquam autem gratia Dei hominem regenerari diximus: hoc tamen notandum est: nunquam ita (dum hîc manemus) nos liberari, quin peccati iugo pars nostri obnoxia maneat: nunquam ita instaurari, quin multæ hominis terrenæ lineæ appareant: nunquam ita renasci, quin de vetustate aliquid retineamus.

Circumferimus enim semper reliquias carnis nostræ quã diu corporis huius carcere circumdamur, pro quo tanto modo, à liberationis nostræ scopo distamus.

Itaque fidelis anima, à regeneratione, in duas partes diuisa est, quibus perpetuum dissidium inter se est. Nam qua parte à Spiritu Dei possidetur & erigitur, ad immortalitatis amorem, studiumque euecta, in iustitiam, puritatem, sanctitatem tota intenta est: vnam regni Cœlestis beatitudinem meditatur: ad Dei societatem aspirat. Qua parte vero naturalem adhuc affectum retinet: in terræ corruptione volutatur, prauis cupiditatibus immersa, quid pulchrum sit ac beatum non videt, in peccati luto defixa, Deum iustitiamque eius auersatur, vt Rom. 7. est.

Inde conflictus nascitur & durissima palæstra, quæ pium hominem in tota vita non leuiter exercet: dum

1. Spiritu sursum erigitur: à carne deorsum trahitur.
2. Spiritu festinat ad immortalitatem: carne ad mortalitatem deprimitur.
3. Spiritu iustitiam cogitat: carne sollicitatur ad iniquitatem.
4. Spiritu dirigitur in Deum: carne auertitur à Deo.
5. Spiritu contemnit Mundum: carne ad illecebras Mundi allicitur.
6. Spiritu seruit legi Dei: carne autem legi peccati. Roman. 7.
7. Spiritu promtus est ad omnia pro Christo patienda; carne autem infirmus.

Hanc pugnam experiuntur pij homines. De hac Rom. 7. Gal. 5.

Quòd, licet inter se pugnent caro & Spiritus in piis, Spiritus tamen praualeat: & quomodo se gerere debeat Christianus in hac pugna.

At quomodo fieri potest, vt eandem animam simul & semel Spiritus ad Deum conuertat: & caro à Deo auertat?

Resp. Licet ij duo Athletæ piam animam suo certamine ita distrahant: dispari tamen conditione inter se congrediuntur. Neque enim cùm dicitur, quod caro Animam à Deo auertat, à pietatis studio auocet, &c. ita intelligẽdum est, quasi ipsa caro ita tentando proficiat, vt contrarium opus Spiritus omnino dissiciat ac euertat, effectúmque extinguat. Absit. Quid ergo?

1. Dum conatur abrumpere: obstaculis suis remoratur.
2. Dum à cursu auertere vult: impedimentis retardat.
3. Dum extinguere molitur: ardorem imminuit.
4. Dum studet atterere: incuruat & inflectit.

Inter istas porro difficultates sic Dei seruum esse animatum conuenit, vt præcipuo cordis voto & affectu, in Deũ aspiret & contendat, enitatur, pergat: & quod à carne sua impeditur à insta contentione, assiduè ingemiscat, dicẽdo: *Infelix Ego homo, quis me liberabit, &c.* Rom. 7. Hoc intelligit D. Paulus, cùm dicit Rom. 8. *Nos non secundum carnem ambulamus, sed secundum Spiritum, si tamen filij Dei sumus.* Descripto enim certamine: superiores partes debere secundum Spiritum Dei stare, significat.

Hinc patet, quantum discriminis sit inter animalem & spiritualem hominem. *Animalis* homo pungitur quidem ac lancinatur sua conscientia, ne solido corpore in vitiis suis acquiescat: illis tamen toto cordis desiderio delectatur, sibi in illis placet, illis libenter obsequitur, nec quicquam in illis horret, nisi pœnam, quam imminere cernit.

Spiritualis autem sine regeneratus præcipua voluntatis parte legi iustitiæ adhærens, peccatum, quod per imbecillitatem committit, odit & execratur, sibi ipsi displicet, confessione aliò potius fertur, dulcedine legis Dei magis semper oblectatur, quàm voluptatum blanditiis: nec vnquã sciens peccat, nisi repugnante non modo conscientiæ testimonio, sed etiam cordis affectu.

Sic ergo à peccati seruitute liberantur filij Dei per regenerationem, non vt quasi plenam libertatis possessionem iam adepti, nihil amplius molestiæ à carne sua sentiant: sed vt illud maneat perpetua certaminis materia, vnde exerceantur, & infirmitatem suam quoque melius discant. Et fatentur omnes Doctores pij, remanere in sanctis fomitem peccati, vnde perpetuo scateant cupiditates, quæ ipsos ad peccandum illiciant & extimulent. Item fatentur, sanctos illo concupiscendi morbo ita adhuc implicitos teneri, vt obstare nequeant, quin subinde vel ad libidinem, vel ad auaritiam titillentur.

Augustin. ad Bonifac. lib. 4. contra Iul Pelag. lib. 1. c. 2. ibi refert sententias de hac materia.

Quòd fomes & fomitis motus sint peccata in sanctis, licèt non imputentur.

Dicimus autem nos, quod cupiditates illæ, & fomitis motus, quibus sancti titillantur ad peccata, peccata sint: idque quia sunt contra legem Dei, quæ prohibet omnem cõcupiscentiæ motum. Imo dicimus etiam, quod fomes ipse, ipsa inquam prauitas, quæ eiusmodi cupiditates in nobis excitat, peccatum sit: idque quia cum rectitudine, quam lex requirit in nobis, repugnat: atque ita docemus, in sanctis, donec mortali corpore exuantur, semper esse peccatũ, quia in eorum carne residet illa concupiscentiæ prauitas, quæ cum rectitudine pugnat.

At Deus dicit, quod Ecclesia sua sit sine ruga, munda vt columba, sancta, &c. Sancti sunt ipsa Ecclesia, Ergo in eis peccatum non est. Est autem fomes. Ergo fomes peccatum non est.

Resp. Quod Ecclesia dicitur sine peccato, intelligitur quoad reatum, quoad imputationem: non quoad ipsam peccati materiam. Deus enim præstat hoc, suos regenerando, vt peccati regnum aboleatur in eis. Virtutem siquidem Spiritus sancti subministrat, qua superiores in certamine, victorésque fiant. Sed regnare tantùm, non etiam

etiam habitare desinit peccatum in illis, vt Rom. 7. patet.

Duo ergo dicimus: primò, quòd in sanctis ita vetus homo crucifixus sit, ita lex peccati abolita sit, vt tamē reliquię supersint, non vt dominentur: sed eos infirmitatis suæ conscientia humilient. Secūdò, dicimus illas quidem reliquias non imputari sanctis, ac si non essent: sed tamen simul etiam dicimus, si non imputantur, hoc fieri propter misericordiam, quæ illas reliquias nō vult imputare sanctis suis: non autem, quòd non sint ita in se peccata, vt nisi misericordia Dei eas tegeret, meritò condemnent homines coram Deo. Hoc igitur ostendetur ex Scriptura S. deinde ex Augustino.

1. Rom. 7. Loquitur ibi in persona regenerati hominis, vt probat Augustinus, & conuincit multis rationibus. Ibi autem loquens de fomite hoc, primò vocat peccatum dicendo, *Non ego operor illud, sed quod in me habitat peccatum.*

2. Repugnantia aduersus legem Dei, peccatum est: Impedimentum etiam iustitiæ, peccatum est. Hic autem morbus & fomes inhabitans in sanctis, repugnat aduersus legem Dei. Item impedimentum est iustitiæ Dei. Ergo peccatum est.

Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis, &c.*

3. Vbicunque est spiritualis miseria, ibi etiam est culpa. In sanctis est spiritualis miseria, qua tenentur captiui sub peccato, vt patet Roman. 7. Ergo in illis etiam est culpa.

4. Iubemur diligere Deum ex toto corde, tota mente, &c. id est, iubemur, vt tota mens, totum cor, omnésque facultates nostræ, tam corporis, quàm animæ, amore Dei occupentur & plenæ sint, ita vt nihil in eis sit, nisi Dei amor, Dei studium, Dei cogitatio, &c. Ergo illi præcepto Dei non satisfaciunt, qui vel leuiculam appetitionem corde concipere, vel vllam omnino cogitationem animo admittere possunt, quæ eos ab amore Dei in vanitatem abducat. Quid enim? An non illæ sunt animæ facultates & vires, subitis motionibus affici, sensu apprehendere, mente concipere? Istæ igitur, cùm vanis & prauis cogitationibus aditum ad se patefaciunt: annon ostendunt, se tantisper ab amore Dei esse vacuas? Quare qui non fatetur omnes carnis cupiditates esse peccata: illum verò concupiscendi morbum, quem fomitem appellant, esse peccati scaturiginem: ille transgressionem legis peccatum esse neget, necesse est.

At absurdum videtur damnare in vniuersum cupiditates omnes, quibus homo naturaliter afficitur, cùm à Deo inditæ sunt. Naturæ autore.

Resp. Non damnamus eas cupiditates, siue appetitiones, quas hominis ingenio Deus sic à prima creatione insculpsit, vt inde eradicari, nisi cum ipsa humanitate, non possint: sed tantùm insolentes effrenésque motus, qui cū Dei ordinatione pugnant, damnamus. Iam verò cum ob naturæ prauitatem omnes facultates adeò vitiatæ sint & corruptæ, vt in omnibus actionibus emineat perpetua ἀταξία & intemperies: quia ab eiusmodi concupiscentia separari nequeunt appetitiones, ideò vitiosas esse contendimus. Vel breuiùs respondeo. Omnes hominum cupiditates malas esse docemus, & peccati reas peragimus, non quatenus sunt naturales, sed quia inordinatæ. Inordinatas autem esse dicimus: quia ex natura corrupta & polluta nihil puri aut sinceri prodire potest.

August. contra Iul. lib. 2. *Lex ista peccati & remissa est regeneratione spirituali, & manet in carne mortali. Remissa scilicet, quia reatus solutus est in sacramento, quo regenerantur fideles. manet autem, quia operatur desideria, contra quæ dimicant & fideles.*

Item, *Lex itaq; peccati, quę in tanti quoq; Apostoli membris erat, remittitur in Baptismate, non finitur.*

Item, *Legem peccati cuius manentis solutus est in Baptismo reatus, Ambrosius vocauit iniquitatem, quia iniquum est, vt caro concupiscat aduersus Spiritum.*

Item lib. 5. *Sicut cæcitas cordis, & peccatum est, quo in Deum non creditur: & pœna peccati, qua cor superbum digna animaduersione punitur: & caussa peccati, cum aliquid cæci cordis errore committitur. Ita concupiscentia carnis, aduersus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia illi inest inobedientia contra dominatum mentis: & pœna peccati, quia reddita est meritis inobedientis: & causa peccati, defectione consentientis, vel contagione nascentis.* Quid aptiùs?

In Ioh. hom. 41. *Si carne seruis legi peccati, tunc fac, quod ait Apostolus, Non regnet peccatum, &c. Non ait, Non sit: sed, non regnet. Quamdiu viuis, peccatum necesse est esse in membris tuis. Saltem regnum illi auferatur: Non fiat quod iubet.*

At Iacob. 1 ait, Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum. Ergo ipsa concupiscentia non est peccatum.

Resp. Loquitur ibi de peccatis actualibus: alioqui sequeretur ex illa sententia, quod nec ipsa mala voluntas in peccato deputaretur.

Quomodo impius derelictus à gratia Dei, & Satanæ addictus, ita in peccatis suis agatur arbitrio Satanæ, vt tamen suo etiam arbitrio vltrò sequatur, ac propterea sibi peccatum imputetur.

Hominem peccati iugo ita captiuum teneri, ne ad bonum aut voto aspirare, aut studio contendere suapte natura queat, satis probatum est. Item distinctio inter coactionem & necessitatē posita fuit, vnde liqueret, eum dum necessario peccat, nihilō tamen minus voluntariè peccare.

Sed quoniam, dum in seruitutem Diabolo addicitur, illius magis arbitrio videtur agi, quàm suo: quale sit actionis vtriusque genus, expediendum restat. Tum soluenda quæstio, an aliquid in malis operibus Deo sit tribuendum, in quibus nonnullam eius actionem intercedere, sacra Scriptura insinuat.

D. Augustinus humanam voluntatem equo comparat, sessoris nutum exspectanti, Deum ac Diabolum, sessoribus. *Si Deus illi insides (inquit) perinde ac moderatus ac peritus sessor illam regit, tarditatem incitat, nimiam celeritatem compescit. petulantiam, luxuriamq; coheret, peruicaciam retundit, in rectam viam deducit. Quod si eam Diabolus occupauit. instar stolidi ac petulantis sessoris per inuia rapit, impellit in foueas, per præcipitia deuoluit. ad contumaciam ferociamq; instigat.*

Quòd igitur dicit hominis animalis voluntatem imperio Diaboli subiacere, vt inde agitetur: nō significat, ipsam reluctantem ac resistentem ad obsequia adigi: sicut inuita mancipia obire iussa nostra, dominij iure cogimus: sed significat, Satanę præstigiis fascinatum, illi se ad omnem ductum, obsequentem necessario præbere. Nam quos Spiritus sui regimine non dignatur Dominus: eos ad Satanę actionem, iusto iudicio ablegat. Ideò Apostolus 2. Cor. 4. *Deum huius seculi (ait) excæcasse mentes infidelium, qui exitio sunt destinati, ne videant lumen Euangelij.* Et Ephes. 2. ipsum Diabolum dicit *operari in filijs diffidentiæ.* Excæcatio impiorum, & quæcunque inde sequuntur peccata, opera Satanæ nuncupantur, quorum tamen causa extra humanam voluntatem quærenda non est, ex qua radix mali surgit, in qua fundamentum regni Satanæ, id est, peccatum residet.

An aliquid in malis operibus Deo sit tribuendum, in quibus nonnulla eius actio intercedit.

Longè est alia ratio diuinæ in talibus actionis: quæ vt certiùs nobis pateat, exemplo sit calamitas à Chaldæis sancto viro Iobo illata. Chaldæi interemptis eius pastoribus, gregem hostiliter deprædantur. Iam eorum improbum facinus palam extat.

Satan quoque in opere non cessat, à quo totum id prouenire, narrat historia.

Dominum autem id totum fecisse, testatur Iob, & opus Domini esse recognoscit, dicendo, *Dominus dedit, Dominus abstulit.*

Quomodo igitur idem opus ad Deum, ad Satanam, ad hominem autorem referamus, quin vel Satanam excusemus Dei consortio, vel Deum mali autorem prædicemus?

Resp. Facilè soluitur quæstio, si primo inspiciamus finem agendi: secundò modum.

1. Dei consilium & finis est, serui sui patientiam calamitate exercere. Satan molitur eum ad desperationem Dei: & hic finis eius est Chaldæorum finis est, vt ex re aliena, præter ius & fas, lucrum quærant. Tanta in consiliis diuersitas, opus iam diuersum facit, & distinguit.

2. In modo non minus est discriminis. Dominus permittit Sathanæ affligendum seruum suum Iobum, & Chaldæos, quos ad id exequendum ministros delegit, illi permittit ac tradit impellendos. Sathan alioqui prauos Chaldæorum animos, venenatis suis aculeis, ad perpetrandum id flagitium instigat. Chaldæi ad iniustitiam furiose ruunt, omniáque membra scelere obstringunt ac contaminant. Satan ergo propriè dicitur agere in reprobis, in quibus regnum suum, id est, nequitiæ, exercet. Deus etiam dicitur suo modo agere in reprobis, eo quòd

ipse Satanam, instrumentum cùm sit eius, pro eius nutu ac imperio, huc atque illuc inflectit, ad exequenda eius iusta iudicia.

Omitto hîc vniuersalem Dei motionem, vnde creaturæ omnes, sicut sustinentur, ita efficaciam quiduis agendi ducunt. De illa speciali actione tantùm loquor, quæ in vnoquoque facinore apparet.

Idem ergo facilius Deo, Satanæ, homini assignari, videmus, nō esse absurdum: sed varietas in fine & modo agendi, facit vt illic inculpatâ Dei iustitia reluceat; Satanę hominísque nequitia cum sua se confusione prodat.

Atque hinc etiam patet, quomodo intelligendum sit, quòd Deus dicitur exæcare, indurare aliquem, corda impiorum vertere, impellere, &c.

Quomodo Deus aliquem excæcare aut indurare dicatur.

1. Quidam sic exponunt, præsciuit aliquem indurandum esse, & illum permisit indurari, nihil tamen in eo agendo.

2. Alij, vt Augustinus contra Iul. li. 5. quòd non tantùm permittendo, sed etiam per potentiam impellendo. Ibi enim Augustinus longa oratione contendit, non tantùm permissionis aut patientiæ diuinæ esse peccata: sed etiam potentiæ, vt sic priora peccata puniantur. Nos ergo dicimus id fieri duplici ratione.

1. Per subtractionem gratiæ diuinæ. Nam cùm sublato eius lumine nihil quàm caligo & cæcitas supersit: cùm ablato eius Spiritu, corda nostra in lapides obdurescant: cum, cessante eius directione, in obliquitatem contorqueantur: ritè excæcare, indurare, inclinare dicitur Deus eos, quibus facultatem videndi, parendi, rectè exequendi, adimit.

2. Secunda ratio, quæ multò propiùs ad verborum proprietatem accedit, est, quòd ad exequenda sua iudicia, per ministrum iræ suæ Satanam, & consilia eorum destinat, quò visum est, & voluntates excitat & conatus firmat.

Secundum primum modum istud videtur dictum.

Iob. 12. *Aufert labium à veracibus, & rationem tollis à senioribus.*

2. Thess. 2. *Mittit illis Deus efficaciam erroris, vt credant mendacio.*

Ier. 3... *Quare dementasti nos Domine, indurasti cor nostrum, ne timeamus te?*

Ista enim indicant potiùs, quales Deus homines faciat deserendo, quàm qualiter opus suum in ipsis peragat.

Sed sunt alia testimonia, quæ vltra procedunt, qualia sunt de Pharaonis induratione.

Exod. 4. *Indurabo cor Pharaonis, ne vos audiat, ac dimittat populum.* Postea dicit Exod. 7. *Induratum est cor Pharaonis.* Quomodo indurauit? An indurauit non emolliendo? id quidem verum est: sed tamen plus aliquid fecit: nempe quod obstinatione pectus eius obfirmandum & indurandum Satanæ mandauit, vnde priùs dixerat:

Exod. 3. *Tenebo cor illius.*

Egreditur populus ex Ægypto: prodeunt obuiam infesti regionis incolæ. Vnde excitati? Moses certè asserebat.

Deut. 2. *Dominum fuisse, qui corda eorum excitasset, roborasset, &c.*

Psal. 105. Dauid eandem historiam recitans, dicit, *ipsum Dominum vertisse corda eorum, vt odirent populum suum.* Iam dicere non potes, destitutos Domini consilio, impegisse. Nam si roborantur & vertuntur (vt ait Moses & Dauid) destinatò inflectuntur ad idipsum.

Item, quoties in populi transgressiones vindicare illi placuit: quomodo opus suum in reprobis, quos excitabat ad affligendum populum suum, adimpleuit? Vtrique hic vides, quòd efficacia agendi penes ipsum Deum fuerit: Illi verò, scilicet reprobi, ministerium tantùm Deo præbuerint. Quare nunc Esa 5. 7. sibilo suo euocaturum illos se minabatur, dicendo: *Et eleuabit signum Genti, quæ procul est: & sibilo annuet ei ab extremo terræ, quæ confestim velox & leuis aderit.* Nunc instar sagenæ sibi fore ad irretiendos, dicendo Ezech. 12. 17. *Et extendam rete meum* (siue sagenā meam) *super eum: & capietur in sagena mea: & adducam eum in Babylonem.* Nunc instar mallei ad feriendos Israelitas, Ier. 50. *Super terram dominantium ascende, &c. dissipa & interfice, &c. Quomodo confractus est malleus vniuersę terrę?* Sed præcipue rem declarauit, quam non sit otiosus in illis, dum Sennacherib securim vocat, quæ ad secandum manu sua & destinetur, & impingatur dicendo Esa. 10. *Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea?*

D. Augustinus non malè alicubi de prædestinat. Sanct. definit ita: *Quod mali peccant, eorum est quod peccando hoc vel illud agant, ex virtute Dei est, tenebras, prout visum est, diuidentis.*

Quòd verò Satanæ ministerium intercedat ad reprobos instigandos, quoties huc atque illuc Dominus prouidentia sua destinat: vel ex vno loco satis constat.

1. Reg. 16. 18. 19. sæpè dicitur, quod Spiritus Domini malus Saulem aut rapt auerit, aut dimiserit. Id de Spiritu sancto non potest intelligi. Ergo Spiritus malus, i. Sathan dicitur Spiritus Domini: quia ad eius nutum potentiamque respondet: instrumentum magis Dei in agendo, quàm a se ipso autor.

Longo tamen discrimine semper distat in eodem opere id quod agit Dominus, ab eo quòd Sathan & impij moliuntur. Ille enim mala instrumenta, quæ sub manu habet, & versare quolibet potest, seruire iustitiæ suæ facit. Hi, prout mali sunt, nequitiam ingenij prauitate conceptam, effectu pariunt.

Vide de hoc etiam Cap. de Prouidentia Dei.

Ostensum igitur est, quomodo in reprobo homine regnet Satan: & quomodo in vtroque, scilicet & in reprobo, & in Satana agat Dominus.

Vtrum in actionibus indifferentibus & externis, omninò & verè liberum sit hominis arbitrium.

Videtur quòd sit etiam specialis gratiæ Dei, quoties in mentem nobis venit eligere, quòd è re nostra est, quoties eò voluntas inclinat. Rursum, quoties & mens, & animus refugit, quod alioqui erat nociturum. Atque huc se protendit diuinæ prouidentiæ vis: vt non modò rerum euentus succedant, sicut expedire prospexerit: sed etiam vt voluntates quoque hominum eodem tendant. Et hoc patet ex diuinis scripturis. Equidem si sensu nostro reputamus rerum externarum administrationem, nihil dubitamus, imò ita videtur apertè, nempe, quòd res externæ sub humano arbitrio sitæ sint. Verùm si aures præbeamus tot testimoniis Scripturarum, quæ Dominum in iis quoque regere animos hominum clamant: arbitrium ipsum speciali Dei motioni subiiciendum iudicabimus.

1. Exod. 11. Quis Ægyptiorum voluntates Israelitis conciliauit, vt pretiosissima quæque vasa illis commodatò darent? Nunquam eò animum ipsi induxissent sua sponte. Ergo eorum animi Domino magis suberant, quàm à se ipsis regebantur.

2. 2 Reg. 17. Quis animum Absolomi auertit ab amplexando consilio Achitophel, quod esse oraculi vice solebat?

3. 3. Reg. 12. Quis flexit Roboam, vt iuuenili consilio persuaderetur, ne iret contra Israel?

At ista sunt singularia exempla. Ideò non concludunt in vniuersali.

Resp. Ego verò dico, hæc sufficere ad ostendendum, quod quoties Deus viam facere vult suæ prouidentiæ, etiam in rebus externis, hominum voluntates flectat & verset: nec ita libera sit illorum electio, quin eorum libertati, Dei arbitrium dominetur.

4. Item experientia quotidiana animum nostrum à motione Dei potiùs, quàm ab electionis nostræ libertate pendere docet. Nam in rebus minimè perplexis, iudicium, & mens nos sæpè deficit: & in rebus factu non arduis, animus flaccescit. Et contrà in rebus obscurissimis, expeditum statim offertur consilium; in magnis & periculosis, animus omni difficultate superior suppetit. Atque ita intelligitur illud.

5. Prou. 20. *Vt auris audiat, vt oculus videat, Dominus facit vtrumque.* Non enim de creatione loquitur; sed de peculiari eius gratia.

6. Prou. 21. *Sicut diuisiones aquarum: ita cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud.* Sub vna specie totum genus comprehendit. Si cuius enim voluntas omni subiectione soluta est; id iuris maximè conuenit Regiæ voluntati, quæ in alias quodammodo imperium exercet. Si ergo illa Dei manu flectitur; neq; nostra eximitur ea conditione. Ideò

7. Augustinus de gratia & lib. arbit. ad Valentinum cap. 20. *Scriptura si diligenter inspiciatur, ostendit non solum bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, & à se factas, im-*

stas, in actus bonos & vitam dirigit æternam: verùm etiam illas, quæ conseruant sæculi creaturam, ita esse in Dei potestate, vt eas, quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari, vel ad præstanda beneficia, vel ad pœnas infligendas, occultissimo quodam iudicio, sed iustissimo.

Notandum: quòd ab euentu rerum, non sit æstimanda humani arbitrij facultas: id quod imperiti quidam præposterè faciunt. Ex eo enim ingeniose sibi videntur humanam voluntatem conuincere seruitutis, quòd ne summis quidem monarchis omnia ex sententia fluant. Sed facultas ista, de qua loquimur, intra hominem consideranda est, non ab extraneo successu metienda. Nam in liberi arbitrij disputatione non hoc quæritur, An homini, quæcumque animo deliberarit, perficere & exsequi per externa impedimenta liceat: sed an in re qualibet habeat & iudicij electionem, & voluntatis affectionem. Quæ vtraque si hominibus suppetat: non minus liberi arbitrij erit Attil. Regulus angustiis dolij aculeati inclusus, quàm Augustus Cæsar, magnam orbis terrarum partem nutu suo gubernans.

Argumenta contra prædicta, & solutiones.

1. Si peccatū, necessitatis est: ergo desinit esse peccatum. Non est enim peccatum, nisi voluntarium. Si voluntarium, ergo vitari potest.

Resp. Vtraque consequentia falsa est. Prima falsa est. Nam non ideò sequitur, peccatum non esse, aut non debere imputari, quia est necessarium. Necessitas enim ista peccandi, vndè est nisi à vitiositate naturæ? Vitiositas autē vnde, nisi ab ipso homine? quia deficit à suo opifice, cuius defectionis rei tenemur omnes: *Ergo perditio tua ex te Israel est; tantum in Deo auxilium tuum.* Quia igitur impotentia ista vitandi peccatum, ab ipso est homine, qui in hanc se impotentiam addixit sponte: ideo hæc non impedit, quin peccatum sit peccatum, & meritò sibi imputandum. Licet enim sit necessarium, est tamen voluntarium: quia necessitas non repugnat voluntario. Secunda item falsa est Non enim omne voluntarium vitari potest. Satan voluntariè peccat: & tamen vitare non potest, quin peccet. Deus voluntariè se amat: & tamen vitare non potest, quin se amet.

2. Nisi ex libera arbitrij electione tum virtutes, tum vitia procedant, ita vt & vitare & facere ea possimus: non esse consentaneum, vt homini vel pœna infligatur, vel præmium rependatur.

Resp. Hoc argumentum Pelagiani vsurpabant, vt refert Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem, & dialogo 1. De pœnis igitur dico, iure illas nobis irrogari, à quibus peccati culpa emanat. Quid enim refert, liberóne an seruili iudicio, modò voluntaria cupiditate peccetur? præsertim cum inde arguatur homo, quia est sub seruitute peccati, in quam se sponte addixit.

De præmiis dico: cùm merita, quibus dantur præmia, non sint nostra; sed Dei (vt ait Augustinus in Psal. 51. 70. epist. 90. dicendo, *Peccata sunt tua, merita autem Dei*) dona in nobis; cùm illis reddit præmia, nihil nostrum recompensat sed sua dona aliis donis coronat & cumulat. Vnde August. *Cùm Deus coronat merita nostra, coronat dona sua.* Cùm igitur non coronet aliquid nostrum, sed quod suum est: sequitur, non esse dissentaneum, si virtutibus & meritis, quæ sunt in nobis dona Dei, reddantur præmia, quæ sunt alia gratuita dona Dei, ideò, quia ex libera arbitrij nostri electione non procedant. Imò consentaneum est, vt Deus sua dona, aliis donis coronet & cumulet. Merita igitur & præmia meritorum, vtraque à Dei liberalitate procedunt: non autem ab electione arbitrij nostri libera. Rom. 8. *Quos prædestinauit, hos & vocauit: quos vocauit, hos & iustificauit:* (hinc merita:) *quos iustificauit, hos & glorificauit.* Ecce præmia. Item sat est, quòd procedunt à voluntaria, licèt non à libera nostra electione.

3. Si hæc non sit voluntaris nostræ facultas, bonum aut malum eligere; ergo omnes eiusdem naturæ oportet esse, aut omnes malos, aut omnes bonos. Ex Chrysost. in Gen. hom. 22.

Resp. Omnes huius naturæ participes, suapte natura mali sunt, omnes enim filij iræ, & omnes corrupti. Quòd autem quidam ex iis boni sunt, id fit per gratiam Dei, & propter electionem, non nostram, sed Dei æternam, qui elegit nos in Christo, vt essemus sancti. Si caussa quæratur, cur alij constanter perseuerent, alij item instabilitate deficiant: non alia causa occurrit, nisi quod illos sua virtute roboratos sustinet Dominus, ne pereant: his, quò sint humanæ inconstantiæ documenta, non eandem virtutem administrat.

4. Frustra exhortationes suscipiuntur, superuacaneus est admonitionum vsus, ridiculæ sunt obiurgationes, nisi sit penes peccatorem parēre.

Resp. Hæ obiectiones olim factæ fuerunt Augustino, ob quas fecit librum de correctione & gratia. Ibi soluit. Inter alia dicit; *O homo, in præceptione cognosce, quid debeas agere; In correctione cognosce, tuo te vitio non habere; In oratione cognosce, vnde accipias, quod vis habere.* Non repugnant igitur simul, exhortationes faciendas esse: & tamen sine gratia hominem non posse corrigi.

Christus ait, *Sine me nihil potestis facere*; & tamen non cessat reprehendere eos qui extra ipsum sunt.

Christus ait, *Nemo venit ad me nisi Pater traxerit eum*: & tamen vocat dicendo: *Venite ad me omnes*

Paulus arguit Corinthios ob caritatis neglectum; & tamen orat Dominum, vt eam illis largiatur.

Paulus ait, Rom. 9. *Non est volentis, neque currentis, &c.* & tamen non cessat arguere, &c. Et ait Corinthiis, sic currite, vt comprehendatis. &c.

Quorsum ergo correctiones? Resp. Deus bifariam operatur in suis electis: intus per Spiritum: extra per verbum. Spiritu mentes illuminando, corda in iustitiæ amorem cultúmque formando, nouam eos creaturam facit. Verbo ad eandem renouationem expetendam, quærendam, assequendam, excitat. Vtroque manus suæ efficaciam, pro dispensationis suæ modo exerit. Verbum ideo dum reprobis destinat, etsi non in eorum correctionem: in alium tamen vsum valere facit: nempe quo & in præsens conscientiæ testimonio vrgeantur: & in iudicij die magis reddantur inexcusabiles.

Argumenta ex sacra scriptura.

5. A lege in generali. Cùm Deus præcipit nobis continentiam & prohibet incontinentiam: aut nobis illudit, aut præcipit & requirit, quæ sunt in potestate nostra. Non illudit. Ergo, &c.

Resp. Non est sufficiens diuisio. Nam neque illudit, neq; requirit quæ sunt in potestate nostra: sed dum hæc præcipit, quæ ante peccatum quidem erant in potestate nostra, nunc autem non sunt, idque ob culpam nostram; arguit nos peccati nostri, & impotentiæ nostræ, in quam cecidimus nostra culpa. Ideo D. Paulus, *Per legem enim cognitio peccati.* Et hoc est primum officium legis post peccatum: Secundum, vt hoc modo eos ducat ad Christum, ad accipiendam gratiam, qua potentes reddamur ad seruandam legem. Non ergo frustrà data lex, & tamen impossibilis est seruatu sine Christi gratia.

Item, Lex non tantùm præscribit quid agendum nobis sit: sed etiam docet, virtutem obediendi legi, esse à Dei bonitate, idque dum promittit, quod Deus nobis auxiliaturus sit. Si solum in lege extaret imperium, tentandum esset, an possemus respondere legi. Sed cùm simul promissiones connectantur, quæ in gratiæ diuinæ auxilio non modò subsidium, sed totam nobis virtutem sitam esse clamant; illæ satis supérque testantur, nos prorsus ineptos, non solùm impares obseruandæ legi esse. A præceptis ergo legis reputandum nobis est, quid agere debeamus: à promissionibus autem, quàm simus ipsi à nobis impotentes, qui omni in parte tantopere indigemus eius gratia. Ideò D. August. in Enchiridio ad Laurētium de gratia & lib. arb. cap. 16. ho. 29. in Iohan. epist. 24. *Iubet Deus, quæ non possumus, vt nouerimus, quid ab ipso petere debeamus.* Item, *Magna est præceptorum vtilitas, si lib. arb. tantum detur, vt gratia Dei amplius honoretur.* Item, *Fides impetrat, quod lex imperat. Imò ideò lex imperat, vt fides impetret, quod lex imperat. Imo fidem ipsam exigit à nobis Deus, & non inuenit quod exigat, nisi dederit, quod inueniat.* Item, *Det Deus quod iubet: & iubeat quod velit.*

6. A præceptis, quæ primam ad Dominum conuersionem exigunt. Deus præcipit, vt conuertamur ad eum, dicendo: *Conuertimini ad me.* Ergo.

Resp. Fateor, iubet vt conuertamur ad se: sed etiam Ier. 31. ex aduerso ait, *Conuerte me Domine, & conuertar. Postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam.* En quid ait? Deut. 30. iubet vt præputia cordis nostri circumcidamus: sed etiam admonet per Mosen, istam circumcisionem manu sua fieri.

7. A præceptis, quæ post conuersionem exigunt, vt diligamus Deum. Præcepit Deus: vt diligamus se. Saltem ergo postquam conuersi sumus ad Dominum, possumus ea præcepta seruare.

Resp. Innumeri sunt loci, qui testantur, donum Dei esse, quicquid sanctitatis, iustitiæ, &c. haberi potest.

8. A præceptis, quæ exigunt perseuerantiam in gratia. Act. 15. Paulus & Barnabas hortantur fideles ad per-

manendum in gratia Euangelij. Quorsum si non poterant permanere?

Resp. Perseuerantiam donum esse Dei, alibi fatetur Paulus Eph.6. *Quod superest, fratres, sitis fortes per Dominũ.* Eph.4. vetat, *ne contristemus Spiritum Dei, quo obsignati sumus.* Sed 2. Thess. 1. id precatur Thessalonicensibus a Domino, dicendo: *In quo etiam oramus semper pro vobis, vt dignetur vos vocatione sua sancta.*

9. A præceptis, quæ dimidiant conuersionem nostrã, Ait Dominus, *Conuertimini ad me & Ego conuertar ad vos.*

Resp. Non loquitur de conuersione Dei, qua cor nostrũ ad resipiscentiam renouat: sed qua se beneuolum ac propitium rerum prosperitate testatur: quasi dicat: pœnitentiam agite: Et Ego pœnitebo super malo, quod cogitaui contra vos: Conuertimini ad me per pœnitentiam, per luctum: Et Ego conuertar ad vos per rerum prosperitatem.

10. A promissionibus conditionalibus. Ait per Prophetas Dominus: Amos 5. *Quærite bonitatem, & non malitiam, & viuetis.* Iesa.1. *Si volueritis & audieritis, bona terræ comeditis: quòd si nolueritis, gladius deuorabit vos.* Ergo dependent a nostra voluntate hę promissiones: vel illudit nos Deus.

Resp 1. Conditionalis nihil ponit in esse. 2. Nec dependent a nostra voluntate, nec tamen illudit nos Deus, sicut etiam dictum est de præceptis in genere. Habent enim suum effectum hæ promissiones in iis, quibus fiunt, licet sint ad illas demerendas impotentes.

Primò apud infideles & impios suum vsum habent hæ promissiones. Sicut enim præceptis impiorum conscientias pungit Deus, ne suauiter nimium in peccatis delicientur, nulla iudiciorum suorum memoria: ita in promissionibus quodammodo illis testatur, quàm indigni sint sua benignitate, quippe qui eum non colant. Ergo neque has promissiones assequentur, quas pij habebunt.

Secundò apud pios habent suum vsum. Iis enim promissionibus alliciuntur ad præceptorum amorem, atque ad implorandam gratiam, qua illa queant seruare, vt etiam deinde promissionum fiant participes & compotes. His igitur obtestationibus, si volueritis, si audieritis, neque volendi audiendíve liberam facultatem nobis Dominus tribuit: neque tamen ob impotentiam illudit.

11. Ab exprobrationibus, quibus Dominus exprobrat populo suo ingrato, per eum duntaxat stetisse, quo minus ab indulgentia sua omne genus bonorum reciperit.

Num.14. *Amalech & Cananeus sunt ante vos, quorum gladio corruetis, eo quod nolueritis acquiescere Domino.* Item, *quia vocaui vos, & non respondistis, faciam domus huic, &c.* Ier.7.

Tales exprobrationes, quomodo in eos congruerent, quibus statim respondere liceret: Nobis non fuit liberum audire te vel acquiescere tibi, atque ita vitare flagella, quæ minabaris, Igitur frustrà nobis mala exprobras ô Deus, quę effugere non fuit nostræ potestatis?

Resp. Omisso necessitatis obtentu, in quo infimum est patrocinium, rogo istos, potestis ne culpam, ob quam hæc flagella in vos euaginata sunt, deprecari? Licet igitur impij non possunt effugere flagella Dei: tamen quia culpa in eis est, ideò non possunt illa vti excusatione. Mali Fons in ipsis est: caussa contumaciæ est sua ipsorum praua voluntas. Si ergo suo, non alieno vitio, & diuinis priuantur beneficiis, & vltionibus castigantur peccatores: iure istas exprobrationes ex ore Domini audiunt, vt si obstinatè pergant in vitiis, discant in calamitatibus suam potius nequitiam accusare, quàm Deum iniquæ sæuitiæ insimulare. Si autem docilitatem non exuerunt, peccatorum tędiò capti, ob quæ se flagellari meritò vident, in viam redeant.

12. Deut 30. post legem promulgatã, ita contestatur populum: *Mandatum hoc, quod præcipio tibi hodie, non est occultum, neque procul positum, neque in cœlo situm: sed iuxta te est, in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illud.* Ergo seruare & facere mandata Dei, in nostra est potestate.

Resp. Si de nudis præcepis hæc dicta intelligantur, fateor non parum momenti ad præsentem causam habere. Posset igitur responderi, quod Moses non loquatur hic de facilitate obseruationis, sed cognitionis. Verum quia textus ait *prope te est in corde tuo, vt facias illud:* igitur aliter dicendum D. Paulus ad Rom.10. soluit hoc argumentum, vbi affirmat, Mosen hic locutum fuisse de doctrina Euãgelij. Est autem D. Paulus fidus interpres scripturarum. Ergo &c. Et ratio conuincit, quod Moses locutus sit non de nudis præceptis, sed de doctrina Euangelij. Nam si de nudis præceptis locutus fuisset: ergo vana confidentia inflabat populum. Iis ergo verbis Moses misericordiæ fœdus comprehendit, quod vnà cum legis exactione promulgarat. Nam etiam paulò antè docuerat, oportere circumcidi manu Dei corda nostra, vt ipsum diligamus. Ergo hanc, de qua mox loquitur, facilitatem, non in hominis virtute, sed in ope ac præsidio Dei posuit, qui opus suum potenter in nostra infirmitate peragit. Sed magis de promissionibus Euangelicis, quæ comparandæ iustitiæ facultatem in nobis ita non stabiliunt, vt eam prorsus euertant, intelligendus est locus ille. Id reputans D. Paulus, hoc testimonio confirmat, salutem in Euangelio proponi, sub conditione facili, expedita, & expositi accessus, nempe sub fide: non autem sub illa tam dura, & ardua & impossibili conditione, qua nobiscum lex agit, nempe, vt ipsam ij demum assequantur salutem, qui mandata omnia impleuerint. Hoc ergo testimonium nihil contra nos.

13. Tam bona opera, quàm peccata, Scriptura sacra vocat nostra, vt Matt.5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona &c.*

Resp. Dicuntur nostra, non quia à nobis, nostra ve fiant virtute, sed quia in nobis à Deo fiunt, nostra fiunt per possessionem, idq; dono eius: sicut etiam panem supersubstantialem, dicimus nostrum esse, & tamen petimus dari a Deo, dicendo: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Cur Noster dicitur panis? quia possessione fit noster. Opera igitur bona dicuntur nostra ob duo: Primò, quia nostrum est, Dei benignitate, quicquid ille operatur in nobis. Secundo, quia nostra est mens, nostra voluntas, nostrum studium, quæ ab eo in bonum diriguntur. Vnde nos sumus, qui volumus, qui bene agimus: sed Dei, non nostra virtute, qui operatur in nobis omnia.

Vbi notandus est modus, quo Dei Spiritus agit, tam in malis, quàm in bonis hominibus.

In naturales hominis facultates referimus hæc: approbare, respuere: velle, nolle: eniti, respuere: id est, approbare vanitatem, respuere solidum bonum: velle malum, nolle bonum: eniti ad nequitiam, resistere iustitiæ. Quid hic agit Dominus?

Si eiusmodi prauitate vti vult, tanquam iræ suæ instrumento, dirigit ac destinat, quò libuerit, vt per vitiosam manum, bonum opus suum exequatur. Scelestum igitur hominem, qui Dei potentiæ sic seruit, dum libidini suæ tantum obsequi studet, nõ cũ saxo conferimus, qui alieno impetu vibratus, nec motu nec volũtate propria fertur: sed hominẽ esse fatemur, qui propria voluntate facit, quicquid facit, licet actus à Spiritu Dei, ad seruiendum iustitiæ suæ.

Quid verò in bonis agit? Vbi regnum suum in illis erigit, voluntatem ne vagis libidinibus sursum deorsum rapiatur, pro naturæ inclinatione, per Spiritum suum cohibet quò in sanctitatem iustitiámque propendeat, ad iustitiæ suæ regulam flectit, componit, format, dirigit: quo firma stet, ac ne titubet, vacillet, concidat, Spiritus sui virtute stabilit & confirmat.

Hinc apparet gratiam Dei esse Spiritus regulam, addirigendam & mouendam hominis voluntatem. Moderari non potest, quin corrigat, quin reformet, quin renouet (vndè dicimus, principium regenerationis esse, vt quod nostrum est, aboleatur) simul etiam, quin moueat, agat, impellat, ferat, teneat (vnde verè dicimus, illius in solidum esse omnes, quæ inde emanant, actiones) neque tamen ita destruitur hominis voluntas per gratiam Dei: imò magis stabilitur, reparatur. Et ita etiam vtrumque dici potest: nempe quòd voluntas nostra per gratiam Dei instauretur: & etiam quòd voluntas noua creetur Instaurari dicitur, dum correcta vitiositate & peruersitate, ad veram iustitiæ regulam dirigitur. Et simul creari noua in homine voluntas dicitur, quia sic vitiata corruptaque est, vt nouum penitùs ingenium induere necesse habeat. Nihil iam obstat, quo minùs iurè agere dicamur, quod agit Spiritus Dei in nobis, citra propriæ virtutis, cum illius gratia communicationem: Primum, quia nostrum est (Dei benignitate) quicquid ille agit in nobis, modò non a nobis esse intelligamus. Secundò, quia nostra est voluntas, nostra ratio, quę ad bonum ab eo conuertuntur.

14. Gen.4. *Sub te erit appetitus tuus, &c.*

Resp. Variè exponitur. Exponitur etiam sic, vt de Abele accipiatur dictum. Illic enim iniquitatem inuidiæ, quam Cain in fratrem Abelem conceperat, arguere propositum est Domino. Id facit duplici ratione: primò, quòd frustrà meditabatur scelus, quò fratrem præcelleret apud Dominum, apud quem nullus est honor, nisi iustitiæ. Ideoque dicit: *Nonne si bene egeris, recipies, &c.*

Secundò

Secundò, quòd nimium ingratus esset iam accepto beneficio Dei, qui ne subiectum quidem suo imperio fratrem ferre posset. Ideo ait: *Sub te erit appetitus illius, & tu dominaberis illi*, scilicet Abeli, quasi dicat, & tamen adhuc non potes ferre eum? ô ingrate. Sed demus, vt intelligatur de peccato; si ita est, aut promittit hoc Dominus, quod denunciat: aut iubet. Si iubet, nulla inde consequitur probatio facultatis humanæ, vt supra dictum est. Si promittit: vbi promissionis complementum? quando peccato, cui dominari ipsum oportebat, Cainus succubuit?

15. Rom. 9. *Non est volentis, neque currentis, &c.* Ergo est aliqua voluntas, & aliquis cursus, licet insufficiens, sine gratia.

Resp. Sensus Pauli est, Non est voluntas, non est cursus, quæ nobis viam ad salutem comparant: sola est hic misericordia Dei. Non enim aliter hic loquitur, quàm ad Tit. *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos facit*, &c. Ratiocinari igitur & mihi ad eandem formam licebit, sic: Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos: Ergo aliqua opera iustitiæ fecimus, ob quę tamen Deus non saluat nos, sed secundùm suam misericordiam. Paulus autem vult dicere, quòd nulla opera iusta fecerimus: ideò opus fuit misericordia. Ita ad Rom. *Non est voluntas, non est cursus*, &c.

16. Ecclesiastici 7. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum.*

R. Hanc facultatem adipiscendæ vitæ & mortis primus homo in creatione accepit, deinde perdidit: atque ita omnes posteri priuati fuerunt illa facultate. Vnde ipsemet Salomon ait: *Creauit Deus hominem rectum, &c. ipse autem immiscuit se multis quæstionibus.* Ergo non est ad propositum, cum loquatur de primo homine.

17. Viator, qui incidit in latrones, significat totum genus humanum, ille autem non in totum mortuus est, sed semiuiuus relictus. Ergo, &c Vbi enim est illud vitæ dimidium, nisi rectæ & rationis & voluntatis portio aliqua maneret?

Resp. *Primò*, Allegoria non est locus concludendi demonstratiuè.

Secundò, apertum Dei verbum, dimidiam homini vitam non relinquit, sed totum interiisse docet, quantum ad beatæ vitæ rationem. Lege Apostolum ad Ephes. 2. Non semiuiuos dicit sanatos esse, dum loquitur de nostra redemtione: *sed cum mortui essemus*, ait resuscitatos fuisse, dicendo, *Cum enim mortui essetis in peccatis, &c.* Ephes. 5. non semiuiuos inclamat ad recipiendam Christi illuminationem, sed dormientes & sepultos, dicendo, *surge qui dormis, & illuminabit te Christus.* Ioh. 5. Non semiuiuos ad vocem Euangelij sanandos dicit, sed mortuos suscitandos, dicendo: *Venit hora, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audient, viuent.*

Qua igitur fronte tot apertis testimoniis allusionem opponent.

Tertiò, detur, vt valeat allegoria, quid tum? Semiuiuus est homo: habet igitur aliquid saluum. Admitto, nempe habet mentem intelligentiæ capacem, etiamsi ad cœlestē spiritualémque sapientiam non penetret. Habet nonnullum honestatis iudicium, habet aliquem diuinitatis sensum, vtcunque veram Dei rationem non assequatur. Sed quid vltrà? Certè ista non efficiunt, vt nobis illud Augustini communiter ab omnibus Scholasticis approbatum adimatur: nempe *ademta esse homini post lapsum gratuita bona, vnde salus dependet: naturalia verò corrupta, pollutáque esse.*

Stet igitur nobis indubia ista veritas, quæ nunquā quatefieri potest: mentem hominis sic alienatam prorsus à Dei iustitia esse, vt nihil non impium, contortum, fœdum, impurum, flagitiosum concipiat, concupiscat, moliatur: cor peccati veneno ita penitus infectum, vt nihil quàm corruptum fœtorem efflare queat. Quod si quippiam interdum boni in speciem ostentant, mentem tamen semper hypocrisi, & fallaci obliquitate inuolutam, animum interiori peruersitate illigatum manere.

LOCVS V.

DE LEGE DECALOGI.

Quòd in lege vtraque cognitio, Dei scilicet, & nostri, tradatur: & quod vtriusque cognitionis fructus perdiscatur.

QVÆ duæ res Christiano homini necessariæ sunt ad salutem consequendam, nempe cognitio Dei, & nostri; hæ ambæ in lege Domini facilè nobis exhibentur. Cognitio Dei, cùm ait, *Ego sum Dominus Deus tuus* Iis enim verbis facilè nobis innotescit, quis sit Deus, qualis sit, demum qualis eius erga nos voluntas. Cognitio nostri, cum tam perfectam nobis legem præscribit, iuxta quam formanda sit vita nostra. Hac enim tam perfecta lege, tanquam in lucidissimo speculo, quales nos ipsi simus, nempe immundi, impotentes, iniqui, facilè cognoscimus, quippe quod *per legem cognitio* (vt ad Rom. ait Paulus) *peccati.* Qui duo item fructus ex ambabus istæ cognitionibus proficiscuntur: ij ambo ex hac Domini lege, quæ vtramque cognitionem præbet, prorsus acquiruntur & perdiscuntur: verus Dei cultus, & vera nostri defectio atque humilitas. Cum enim per hanc legem agnoscimus, quòd vnus tantum sit Deus, quamque is magnus, potens, sapiens, iustus, misericors, atque erga nos beneficus, benignus, beneuolus existat: statim etiam occurrit, quod huic vni summus cultus debeatur, & qualis cultus debeatur intelligimus. Hoc igitur in lege sua exequitur Dominus, cùm vindicata sibi legitima imperandi potestate, ad numinis sui reuerentiam nos vocat, atque in quo sita ea sit & constituta, præscribit. Rursus cùm per hanc legem perspicimus, quam praui simus atque peruersi, quamque ab huiusce legis rectitudine longè absimus: & item, quàm imbecilles simus, atque ad bonum eneruati, quamque ad hanc legem seruandam impotentes: statim etiam fit, vt propriæ virtutis opinione vacui, propriæ iustitiæ fiducia exuti, contrà egestatis conscientia fracti & contusi, solidam nostri deiectionem & humilitatem perdiscamus. Hoc igitur exequitur Dominus in lege, cùm promulgata suæ iustitiæ regula (cuius rectitudini ingenium nostrum vtpote prauum & contortum, perpetuo aduersatur, infra cuius perfectionem facultas nostra, vtpote imbecilla, & ad bonum eneruata procul iacet) nos tum iniustitiæ, tum impotentiæ arguit, atque ad nostri humilitatem deiicit.

Quæ cum ita sint, ergo & ordo docendi ea, quæ ad Christianam religionem pertinent, exigit, vt de lege Domini agamus: & res ipsa, quæ in lege tractatur, postulat, vt legem ipsam summa diligentia & studio explicemus.

Quod lex fuerit necessaria.

Cùm necessariæ ad salutem sint duæ illæ cognitiones cum suis fructibus, quarum suprà in loco de Deo facta est mentio: illæ autem meliùs haberi non possint, quàm in lege: sequitur, necessariam omnino esse legem. At verò, annon ea quæ lex docet, quodammodo dictat nobis lex illa interior, quam omnium cordibus inscriptam, & quasi impressam suprà diximus.

Resp. Verum est. Non enim sinit nos perpetuum somnum sine sensu dormire conscientia nostra: quin intus testis sit & monitrix eorum quæ Deo debemus: quin boni & mali discrimen nobis obiiciat, atque ita accuset nos, dum ab officio discedimus. Verùm, qua errorum caligine obuolutus est homo, per legem illam naturalem vix tenuiter degustat, quis Deo acceptus sit cultus: certè à recta eius ratione longissimo interuallo distat. Et hoc quoad intellectum.

Item quoad affectum, arrogantia & ambitione sic turgidus suique amore excæcatus est, vt prospicere nondum queat, & velut in se descendere, quò submittere se, ac deiicere discat, suamque miseriam fateri. Proinde, quod tum hebetudini, tum contumaciæ nostræ necessarium erat, Dominus legem scriptam nobis posuit, quæ & certius testificaretur, quod in lege naturali minus obscurum erat: & mentem memoriamque nostram excusso torpore, viuidius feriret.

Quid ex lege discatur.

Nunc promtum est intelligere, quid ex lege discendum sit. *Primò*, quod Deus, sicut creator noster est, ita iure locum Patris & Domini erga nos obtineat: Et propter hoc, quòd gloria & reuerentia illi à nobis debeatur, & amor & timor.

Secundò, quod nos non simus nostri iuris, vt quocunque animi libido incitarit, sequamur: sed quod ab eius

nutu suspensi, in eo solo, quod ei placuerit, debeamus consistere.

Tertiò, quòd iustitia & rectitudo illi cordi sint: iniquitas verò abominationi: ideóque nisi velimus impia ingratitudine à conditore nostro deficere, iustitia tota nostra vita nobis necessario sit colenda. Atque ita

Quartò, quod non alius sit legitimus eius cultus, quàm iustitiæ, sanctitatis & puritatis obseruatio. Nam si tum demum illi exhibemus, quam decet, reuerentiam, dum voluntatem eius, nostræ præferimus: sequitur non alium esse legitimum eius cultum, quam iustitiæ, sanctitatis & puritatis obseruationem.

At facultas nobis deest ista præstandi Deo, húncque cultum illi exhibendi, cùm simus adeo cæci, iniqui, &c.

Resp. Prętendere excusationem non licet, quòd facultas desit, ac velut exhausti debitores, soluendo non simus. Non enim conuenit, vt Dei gloriam ex nostra facultate metiamur. Qualescunque enim simus, manet ille sui similis semper, amicus iustitiæ, iniquitatis inimicus. Quicquid à nobis exigat, quia non potest nisi rectum exigere, ex naturæ obligatione, obsequendi necessitas nos manet. Quod autem non possumus, id vitij nostri est. A propria enim cupiditate, in qua peccatum regnat, si vincti tenemur, ne soluti simus in Patris nostri obsequium: non est cur necessitatem pro defensione causemur, cuius malum & intra nos est, & nobis imputandum. Vbi hucusque per legis doctrinam profecerimus, tum ad nos, eàdem docente, descendere oportet, vnde tandem duo referamus *Primum*, iustitiam legis, cum nostra vita comparádo, quòd longè absimus, quin Dei voluntati respondeamus: ideóq; quod indigni simus, qui locum nostrum retineamus inter creaturas, nedú inter filios censeamur. *Secundum*, vires nostras repurando, quòd adimpleudæ legi non solùm impares, sed etiã prorsus nullæ sint. Hinc necessariò sequitur, tum propriæ virtutis diffidentia, tum animi anxietas & trepidatio. Neque enim iniquitatis pondus sustinere potest conscientia, quin mox Dei iudicium obuersetur. Sentiri verò Dei iudicium non potest, quin mortis horrorem incutiat. Similiter impotentię documentis coacta, facere nequit, quin protinus in virium suarum desperationem concidat. Vtraque affectio, humiliatem ac deiectionem generat. Ita fit demum, vt homo æternæ mortis, quam iniustitiæ suæ merito sibi imminere videt, sensu perterrefactus, ad vnam Dei misericordiam, tanquam ad vnicum salutis portum, sese conuertat. Secundò vt sentiens, non esse suę facultatis exoluere, quòd legi debet, in seipso desperabundus, ad opem aliunde poscendam & expectandam, respiret.

Cur legi addiderit Dominus promissiones & minas: & quæ illæ sint.

Sed enim non contentus Dominus iustitię suæ reuerentiam conciliasse, quò etiam eius amore simul, & iniquitatis odio corda nostra imbueret, promissiones ac minas subiunxit.

Et primò, quia magis caligat mentis nostrę oculus, quã vt sola boni pulchritudine afficiatur: Dominus pro sua indulgentia, nos ad ipsum amandum, & expectãdum bonũ, illectare voluit dulcedine præmiorum. Denunciat ergo, reposita virtutibus præmia apud se, nec operam frustrà susceptrurum, qui præceptis suis fuerit obsecutus. Secundò, è diuerso edicit non tantum esse execrabilem sibi iniustitiam: sed nec impunè euasuram, quod ipse contemtæ suæ maiestatis vltor sit futurus.

Ac quò modis omnibus cohortetur, tam vitæ pręsentis benedictiones, quàm ęternam beatitudinem pollicetur eorum obedientię, qui mandata sua seruarint: Transgressoribus non minus præsentes calamitates, quàm æternę mortis supplicium minatur.

Illa enim promissio Leu. 18. *Qui fecerit hæc, viuet in illis.* Item comminatio illi respondens Ezech. 18. *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur*: ad futuram procul dubio vitam, vel mortem spectant. Quanquam vbicunque commemoratur beneuolentia aut ira Dei: sub illa æternitas vitę, sub hac æternum exitium continetur. Præsentium autem benedictionum aut maledictionum longus in lege Catalogus recensetur.

Atq; in sanctionibus siue præceptis quidem, summa Dei puritas, quæ iniquitatem ferre non potest: in promissionibus verò, præter summum erga iustitiam amorem, quem præmio fraudare non sustinet, mira quoq; eius benignitas approbatur. Nam cũ eius maiestati simus nos cum nostris omnibus obærati, iure optimo quicquid requirit à nobis, tanquam debitum reposcit. Debiti autem solutio, remuneratione digna non est. Iure igitur suo decedit, cùm præmium proponit nostris obsequiis, quæ non vltrò, ceu indebita exhibentur.

In legis igitur promissionibus, non vulgaris iustitiæ commendatio inest, quò certius constet, quantoperè Domino placeat eius obseruatio.

Sanctiones verò in maiorem iustitiæ execrationem positæ sunt, ne vitiorum blanditiis delibutus peccator, iudicium Dei sibi paratum obliuiscatur.

Quòd perfecta in lege iustitia tradatur, & iuxta præscriptum diuinę voluntatis: quare ea sola seruanda, nil illi addendum est.

Porrò, quòd Dominus perfectæ iustitiæ regulam traditurus, omnes eius partes, ad voluntatem suam reuocauit: in eo indicatur, nihil esse illi acceptius obedientia. Quod eò diligẽtius obseruandũ est, quò procliuior est humanæ mentis lasciuia ad varios identidem cultus excogitandos, quibus illum demereatur. Omnibus enim seculis hæc irreligiosa religionis affectatio, quia humano ingenio naturaliter insita est, se prodidit, quod homines comparandæ iustitiæ rationem, præter Dei verbum, semper comminisci gestiunt. Vnde in bonis, quæ communiter censentur operibus, augustiorem locum tenent legis diuinæ præcepta, innumera illa humanorum turba, totum ferè spacium occupante.

At verò quid aliud Moses, quàm huiusmodi libidinem cohibere studuit, cùm post promulgationem legis sic populum compellaret? Deut. 12. *Obserua, & audi omnia, quæ præcipio tibi, vt bene sit tibi, &c. Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito, non addas, nec minuas.* Item, *Custodi igitur te ipsum, & animam tuam solicitè, nec obliuiscaris verborum, quæ viderũt oculi tui.* Hoc igitur semper nobis in animo sit, legem nobis a Domino traditam, quæ nos perfectam iustitiam doceret. Illic non aliam iustitiam edoceri, quàm quę ad diuinę voluntatis præscriptum exigatur. Legitimus igitur cultus, sola Dei obedientia constat.

Tria ad vniuersalem legis notitiam pertinentia præcepta. Primum, quòd lex non externam tantum honestatem, sed internam maximè iustitiam præcipiat.

Antequam ad excutienda singula capita legis ingrediamur, tria obseruanda sunt, quæ faciunt ad vniuersalem legis notitiam.

1. Primum, quòd lex non ad externam tantùm honestatem, sed ad internam maximè, spiritualémque iustitiam hominis vitam informet. Hoc manifestum fiet respicienti in legislatorem quis sit.

Ab ingenio legislatoris æstimanda est legis natura. Hominum leges nonnisi externam honestatem requirunt, non penetrant vsque ad internum cor & animum. Ratio est, quia neque corda vident legislatores, nec ipsorum prouidentia extenditur vltra ciuilitatem externam. Vnde ipsorum leges non violantur, nisi patratis flagitiis. *Exempla.* Prohibent, ne furetur: Si quis concupiscat furari, non tamen furetur, legem non est transgressus. Lex autem Dei etiam internam iustitiam spiritualémque requirit: nec tãtùm corpori loquitur Deus, sed etiam animæ. Ratio est, quia Deus legislator, videt occulta cordis, & ideo non tam externam speciem moratur, quàm cordis puritatem: & animæ non minus quàm corporis curam & prouidentiam habet. Vnde ipsius lex violatur etiam sola concupiscentia, non patrato adhuc flagitio. Cùm enim legislator spiritualis sit, non minus loquitur animæ, quàm corpori. Animæ igitur, verbi gratia, homicidium est ira: Animæ furtum, erit auaritia, cupiditas: Animæ fornicatio, erit libido.

At dices, etiam leges humanæ, consilia & voluntates spectant, non fortuitos euentus.

Resp. Fateor: sed illa consilia & voluntates spectant, quę extra emerserunt ad effectum: Arcanas autem cogitationes non scrutantur.

Quare illis satisfactum fuerit, vbi quis manum duntaxat cohibuerit à transgressione. Contrà autem, quia lex Domini lata est animis nostris, animorum coercitio ad iustam eius obseruationem in primis necessaria est.

Sed

Sed vulgus hominum, externos tantùm actus curat, nil de internis affectionibus curandis solicitus.

2. Vnde? Quia legem Dei suo magis ingenio accommodant, quàm ex natura & ingenio legislatoris metiatur. Contra hęc reclamat Paulus Rom. 7. *Lex spiritualis est: Ego autem carnalis, &c.* Quòd significat, non modo animæ, mentis, voluntatis obsequium legem requirere & exigere: sed requirere Angelicam puritatem, quæ omnibus carnis sordibus abstersa, nihil quàm Spiritum sapiat.

3. Hunc esse legis sensum ostendit ipse legislator Christus interpretans legem, Matth. 5. *Audistis quid dictum est antiquis, Non occides, &c.* quasi dicat, Pharisæi docuerunt vos, quod lex tantum externos actus prohibeat: & qui nō occiderit, satisfecerit legi: quo ad hoc mandatum. Ego autem dico vobis, quod lex principaliter loquatur animæ, & internas affectiones vetet. Quare impudicus mulieris aspectus, scortatio est: odium & ira in fratrem, homicidium est: quod Ioh. testatur, 1. Ioh. 3 *Qui odit fratrem suum, homicida est.*

4. Ergo cùm lex ait, Non occides, non tantùm prohibet actum occisionis externum, sed etiam odium, tam hoc vocans homicidium, quàm illud.

5. Si lex Mosis, non concerneret etiam internos motus, sed Christus tantum sua lege (vt aiunt) noua eos prohiberet. Ergo patres ante Christum fuissent hypocritæ, quasi nihil curassent de interna iustitia, sicuti neque Pharisæi, quos hypocritas vocat Christus. Ergo, &c.

Secundum preceptum Quòd plus significet lex, quàm verbis exprimat.

Plus inest semper in præceptis & interdictis, quàm verbis exprimatur. Quod tamen sic temperandum est, ne sit nobis instar Lesbiæ Regulæ, qua freti, Scripturam licentiose contorqueamus, quodlibet è quolibet faciamus. Quærenda igitur regula, quæ doceat, quatenus verborum fines excedere debeat interpretatio: & quæ ad germanum legislatoris sensum nos ducat.

Regula hæc sit. In vnoquoque præcepto expendatur præcepti finis, siue ratio, id est, cur datum nobis fuerit. Verbi gratia.

Præceptum quintum est, *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Primò quæritur finis præcepti sic: cur debemus honorare patrem? quia reddendus est honor iis, quibus eum Dominus attribuit. Secundò, hinc ergo habetur summa quæ est hæc: Ergo placet Domino, vt honoremus eos, quibus aliquid excellentiæ largitus est. Tertiò à contrario arguatur sic: Ergo cōtemtus & contumacia aduersus eos, abominationi est Domino. Sic in singulis pręceptis faciēdū.

Primò quæratur finis præcepti, donec reperiatur, quid ibi propriè, placere & displicere Dominus sibi testetur. *Secundò*, inde deducenda summa: Ergo hoc placet vel displicet Domino. *Tertiò*, ab eo ipso, ad contrarium deducenda ratiocinatio ad hunc modum: si placet hoc Domino: ergo contrarium displicet. Si hoc displicet: ergo contrarium placet. Si hoc præcipit: ergo contrarium vetat: Si hoc vetat, ergo contrarium præcipit. Hoc manifestius fiet in explicatione præceptorum.

Notandum, cùm dico contrarium præcipi, vel vetari, si hoc præcipiatur vel vetetur: per contrarium intelligo propriè, non verbi gratia, contrarium virtutis, vitij abstinentiam: sed intelligo plus vltra scil. facta contraria. Verbi gratia. In hoc præcepto, Non occides, sensus hominum est, quòd ab omni maleficio, & malè faciendi libidine abstinendum sit: Ego præterea contineri dico, vt proximi vitam, quibus possimus subsidiis, adiuuemus. Hoc autem demonstrat præcepti finis. Verbi gratia: Non occides, non lædes fratrem. Cur præcipit hoc, quia vitam eius, caram nobis esse vult ac pretiosam. Ergo (à contrario) simul postulat, quæ ad illius conseruationem conferri possunt officia charitatis. Atque ita videre est, quomodo semper finis præcepti nobis referat, quicquid illic facere, aut iubemur, aut vetamur.

Cur autem Dominus ita velut dimidiis pręceptis, per *synecdochas* significauit magis quid vellet, quàm expressit?

Resp. Præter alias rationes hæc vna est, quia peccatorum fœditatem, nisi vbi palpabilis est, diluere, & speciosis prætextibus inducere caro semper molitur; ideò quod erat in vnoquoque transgressionis genere deterrimum ac scelestissimum, exemplaris loco proposuit: cuius ad auditum sensus quoque exhorresceret, quò maiorem peccati cuiuslibet detestationem animis nostris imprimeret. Hoc nos decipit sæpiùs in æstimandis vitiis, quod si tectiora sunt elevamus. Hanc deceptionem, & has prestigias Dominus discutit, dum nos assuefacit, vniuersam vitiorum multitudinem ad hæc capita referre, quæ optimè, quantum sit in vnoquoque genere abominationis, repræsentant. Verbi gratia. Ira & odium, non vsque adeò execranda putantur mala, cùm suis nominibus appellantur. At cùm interdicuntur nobis sub homicidij nomine, meliùs intelligimus, quanta sint in abominatione apud Dominum, cuius voce in tam horrendi flagitij ordinem reiiciuntur. Atque ipsi, iudicio Dei permoti, delictorum, quæ prius leuia videbantur, grauitatem reputare melius assuescimus.

Tertium preceptum, cur diuinæ legis partitio facta sit in duas tabulas.

Cur autem Dominus legem suam in duas tabulas partitus est?

Resp. Dominus legem suam in duas partes, quibus tota continetur iustitia, sic diuisit, vt priorem, religionis officiis, quæ peculiariter ad numinis sui cultum pertinent: alteram officiis charitatis, quæ in homines respiciunt, assignarit.

Primum sanè iustitiæ fundamentum, est Dei cultus, quo euerso, reliqua omnia iustitiæ membra, velut diuulsi collapsique ædificij partes, lacera & dissipata sunt. Qualis enim iustitiæ esse dices, quòd homines non vexas furtis ac rapinis, si per sceleratum interim sacrilegium, Dei maiestatem sua gloria spolias? Quòd fornicatione corpus tuum non conspurcas, si blasphemiis tuis profanas nomen Dei sacrosanctum? Quòd hominem non trucidas, si memoriam Dei interimere & extinguere contendis? Frustra igitur sine religione venditatur iustitia, ac nihilo maiore specie, quàm si truncum, absciso capite, corpus ad decorem obtendatur. Neque modò est præcipua eius pars: sed anima quoque, qua tota ipsa spirat, & vegetatur. Neque enim citra Dei timorem inter se homines æquitatem ac dilectionem seruant.

Fundamentum igitur iustitiæ vocamus Dei cultum, quia eo sublato, quicquid inter se æquitatis, continentiæ, temperantiæ homines exercent, inane est ac friuolum coram Deo. Secundò dicimus spiritum & animam: quia ex eo discunt homines temperanter ac sine maleficio inter se viuere, si Deum venerantur, tanquam recti & iniqui iudicem.

Proinde prima tabula ad pietatem & reliqua religionis officia, quibus sua maiestas colenda est, nos instituit. Secunda tabula pręscribit, quomodo propter nominis sui timorem nos in hominum societate gerere debeamus. Qua ratione Christus legem totam summarim in duo capita collegit, nempe, vt Deum toto corde, &c. diligamus, & proximum amemus sicut nos ipsos. Vides, vt alteram partem in Deum, alteram in proximum dirigat.

Diuisio preceptorum quomodo ordinanda.

Manifestum est, quòd sint decem præcepta: decem verba: sed quo ordine secanda, & in qua tabula collocanda sint, ambigitur.

1. Quidam sic partiuntur, vt tria præcepta dent primæ tabulæ: reliqua septem in secundam reiiciant. Sed non placet, primò, quia isti præceptum de imaginibus, vel numero expungunt, vel certè sub primo occultant, cùm tamen mandati loco à Domino distinctè positum sit. Secundò, quia decimum præceptum de non concupiscendis proximi rebus, ineptè in duo præcepta concerpunt. Tertiò, quia talis partiendi ratio, puriori seculo incognita fuit, vt patebit.

2. Alij quatuor capita in prima tabula numerant: sed primi vice promissionem statuunt sine præcepto Sed non placet: quia decem verba apud Mosem, significant decem pręcepta, non autem nouem præcepta, & vnam promissionem.

3. Ego igitur sic. Quod illi primum præceptum faciunt, nos dicimus prœmij siue præfationis locum in totam legem tenere. Deinde sequuntur quatuor præcepta primæ tabulæ: postremò sex præcepta secundæ tabulæ, eo ordine, quo recensebuntur. Orig. in Exod. lib. 3 sic partitur. Augusf. ad Bonifacium. Ioh. Chrysost. siue autor imperfecti operis in Matthæum.

4. Iosephus ex communi ætatis suæ consensu, quina præcepta singulis tabulis assignat. Sed peruersè. Primò, quia confundit distinctionem religionis & charitatis Secundò, quia est contra Christum, qui Matth. 19 mandatum quintum in ordine scilicet de honorandis parentibus, in catalogo secundæ tabulæ reponit. Iosephus autem in Cata-

logo primæ tabulæ. Ergo, &c. Sed audiamus Dominum.

PRÆFATIO IN TOTAM LEGEM.

Ego sum Iehoua Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis.

Primum in legibus ferendis curandum est, ne contemptu mox abrogentur. Prouidet ergo in primis Deus, ne maiestas legis, quam laturus est, aliquando in contemptum veniat. Ad sanciendam ergo legis maiestatem, triplici medio vsus est, siue argumento.

1. Potestatem ac ius imperij sibi vendicat, quo nos constringat parendi necessitate. Et hoc facit, quando ait, *Ego sum Iehoua*. Sub nomine enim isto *Iehoua*, imperium & legitima dominatio designatur. Quod si ab ipso sunt omnia, & in ipso consistunt: æquum est, vt omnia in ipsum referantur, vt ait Diuus Paulus Rom. 11. abundè itaque hoc solo verbo sub diuinæ maiestatis iugum redigimur: quia portentosum fuerit, ab eius ditione velle nos submouere, extra quem esse non possumus.

2. Postquam se eum esse ostendit, qui ius habeat præcipiendi, cui obedientia debeatur: ne sola necessitate videatur trahere, promissionem gratiæ proponit, cuius suauitate nos alliciat ad sanctitatis studium. Et hoc cum ait, DEVS TVVS. Subest enim locutioni relatio mutua, quæ in promissione continetur. *Ero illis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum*. Vnde Abrahæ, Isaac, & Iacob immortalitatem cõfirmat Christus ex eo, quod Dominus se eorum Deum testatus sit. Quare ita est, ac si dicat, Ego vos mihi delegi in populum, cui non modo in præsenti vita benefacerem, sed vitæ quoque futuræ beatitudinem largirer. Quorsum autem spectat hæc Domini misericordia, qua nos elegit in populum suum, & ipse se nobis in patrem constituit?

Respondet Moses Deut. 26. 7. 14. dicendo: *Elegit nos, vt simus sibi in populum peculiarem, in populum sanctum, ac custodiamus præcepta sua*. Vnde illa cohortatio Leu. 19. *Sancti estote, quoniam Ego sanctus sum*. Iis ergo verbis, ad maiorem sui, & suæ legis amorem accendit. Illis autem primis: scilicet *Ego sum Iehoua*, ad timorem. Iis se patrem nostrum declarat: illis se Dominum nostrum ostendit. Ex illis duobus illa obtestatio ducitur, quæ est apud Malach. c. 1. *Filius honorat patrem, & seruus dominum. Si Ego Dominus, vbi timor est? Si Ego Pater, vbi amor?*

3. Beneficium commemorat, quo nos redarguat ingratitudinis, nisi benignitati suæ respondeamus. Et hoc dicens, *Qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis*. Conuenienter autem hoc beneficium redemptionis & liberationis ab Ægypto commemorat. Primò propter recentiam suam. Illud enim beneficium commemorare debebat, cuius facilè propter recentiam suam recordarentur. *Secundò*, propter magnitudinem. Illud enim beneficium commemorandum erat, quod non solùm ipsis propter recentiam in mentem veniret: sed etiam quod ob mirificam magnitudinem, in æternum memorabile ad posteritatem quoq; valeret. *Tertiò*, propter continentiam præsenti causæ. Innuit enim Dominus, eos è misera seruitute ideò liberatos, vt se libertatis autorem, obedientia & obsequendi promptitudine colant. *Quartò*, solet etiam, quo nos in vero sui vnius cultu retineat, certis Epithetis sese insignire, quibus sacrum suum numen, ab omnibus idolis ac Diis commentitiis discernit. Nam (quæ nostra est ad vanitatem propensio, cum temeritate coniuncta) simulac nominatur Deus, mens nostra sibi cauere nequit, quin ad inane aliquod commentum delabatur. Huic igitur malo remedium dum afferre vult ipse Dominus, suam diuinitatem certis titulis ornat: atque ita nos quibusdam veluti cancellis circumscribit, ne huc aut illuc euagemur, & temerè nobis fingamus nouum aliquem Deum, si derelicto vero Deo, & viuo, idolum erigamus.

Hac ratione Prophetæ, quoties eum propriè designare volunt, illum vestiunt, & quasi includunt iis notis, sub quibus se populo Israelitico manifestauerat, vt patet Amos 1. Habac. 2. Psal. 80. & 99. Esa. 37. Neque enim, cùm Dominus, Abrahæ Deus, vel Deus Israelis vocatur: cùm in templo Hierosolymitano inter Cherubin collocatur: istæ & similes loquendi formulæ, ipsum Deum, vni loco aut populo alligant: sed in hoc duntaxat sunt positæ, vt cogitationes piorum in illo Deo sistant, qui suo fœdere, quod cum Israele pepigit, ita manifestauit sese, & repræsentauit, vt ab eiusmodi idea deflectere nullo modo liceat.

Quintò, propter typum & figuram nostræ liberationis. Nam illud beneficium commemorandum erat, quod non solum ad Israelitas secundum carnem, sed etiam ad omnes nos Israelitas secundum Spiritum typicè saltem pertineret. Ægyptiaca autem seruitus Israelis, typus fuit spiritualis captiuitatis, in qua omnes vincti tenemur, donec brachij sui virtute liberatos, in regnum libertatis nos Dominus traducit, Ergo, &c. Sicut ergo Dominus, cùm dissipatos olim Israelitas ad cultum nominis sui recolligere vellet, eos ab intolerabili, qua premebantur, Pharaonis dominatione eripuit: ita quibus hodie se in Deum esse profitetur, eos omnes iam ab exitiali Diaboli potestate asserit, quæ illa corporali adumbrata fuit.

Quare nemo est, cuius animus non inflammari debeat ad auscultandam legem, quam à summo Domino profectam audit: à quo sicut suam originem ducunt omnia: ita æquum est, vt finem suum vicissim destinent ac dirigant: Nemo, inquam, est, qui non rapi debeat ad amplexandum legislatorem, ad cuius obseruanda mandata peculiariter se electum esse docetur: à cuius benignitate cum bonorum omnium, tum immortalis vitæ gloriam exspectat: cuius mirabili virtute ac misericordia, e faucibus mortis se liberatum nouit.

PRÆCEPTUM PRIMUM.

Non habebis Deos alienos coram facie mea.

Fundata & stabilita legis suæ authoritate, primum præceptum edit Dominus. Finis præcepti est, quòd Dominus in populo suo solus vult eminere, & conspicuus haberi. Id vt fiat, impietatem ac superstitionem quamlibet, qua diuinitatis suæ gloria vel minuitur, vel obscuratur, à nobis abesse iubet, atque eadem ratione vero pietatis studio coli se à nobis atque adorari præcipit. Et verborum simplicitas id ferè sonat. Nam habere Deum non possumus quin simul complectamur, quæ sunt ei propria. Quod igitur vetat habere Deos alienos, eos significat, ne quod sibi proprium est aliò transferamus.

Quæ Deo potissimùm debeamus.

Etsi autem, quæ Deo debemus, innumera sunt: ad quatuor tamen capita non ineptè referentur: adorationem, fiduciam, inuocationem, gratiarum actionem.

Adoratio est, cultus & veneratio, quam illi reddit creatura, vbi se eius magnitudini submisit.

Fiducia est ex virtutum eius recognitione, acquiescendi in eo securitas: cum in ea sapientiam, iustitiam, potentiam, veritatem, bonitatem omnem reponentes, sola eius communicatione nos beatos æstimamus.

Inuocatio, est mentis nostræ, quoties vrget vlla necessitas, in eius fidem atque opem receptus, tanquam vnicum præsidium.

Gratiarum actio, est gratitudo, qua laus bonorum omnium illi tribuitur.

Horum vt nihil patitur Dominus aliò deriuari, ita omnia sibi in solidum exhiberi mandat. Neque enim satis fuerit, ab alieno te abstinere Deo, nisi in hoc ipso vero Deo te contineas. Oportet igitur primo, vt præcedat vera religio, qua in Deum viuentem animi referantur, cuius cognitione imbuti, ad colendam ipsius maiestatem adoratione, fiducia, inuocatione, gratiarum actione, in quibus quatuor cultus Dei ferè consistit, tanquam ad vnicum scopum aspirent. Secundò, tum caueatur *superstitio*, qua animi, à vero Deo deflexi, huc illuc, ceu in varios diducuntur Deos.

Atque hic quidem attentiore cura animaduertendum est, tectæ impietatis ingenium, vt suis inuolucris nos decipiat. Neque enim ad alienos Deos sic desciscit, vt videatur summum Deum deserere, vel in aliorum ordinem redigere: sed dum supremum locum illi concedit, turbam minorum Deorum circumdat, inter quos propria eius officia partitur: atque ita dissimulanter & callidè diuinitatis gloria, ne apud vnum tota maneat, dissecatur. Sic veteres olim tam ex Iudæis, quàm Gentibus, Deorum patri arbitróque, ingentem illam turbam subdiderunt, quibus communis esset, pro ordinis ratione, Cœli & Terræ cum summo Deo, administratio: atque ita in Dei societatem euecti sunt ab illis homines, vt pro illo & colerentur & inuocarentur. Proinde: si volumus Deum vnum habere, meminerimus ne tantillum quidem ex eius gloria delibandum, quin apud ipsum quæcunque illi propria sunt, resideant.

Et addit, *Coram facie mea*. Hoc nos admonet, non posse nos ad defectionẽ respectare, quin illũ testem habeamus, & spe-

& spectatorem nostri consilij. Hinc enim audaciæ plurimum impietati accrescit, quòd in suis transfugiis, Dei oculos ludificari se posse iudicat. Ex aduerso autem clamat Dominus, quicquid struimus, quicquid molimur, quicquid fabricamus, in conspectum suum venire. Pura sit ergo conscientia vel ab occultissimis apostasiæ cogitationibus, si religionem nostram approbare Domino libet. siquidem integram & incorruptam Diuinitatis suæ gloriam non externa solum confessione requirit, sed in oculis suis, qui abditissimas cordium latebras intuentur.

PRÆCEPTVM SECVNDVM.

Non facies tibi sculptile, neque similitudinem vllam eorum quæ in cœlis sunt sursum, vel in terra deorsum, vel in aquis, quæ sub terra sunt: Non adorabis neque coles, &c.

Sicut primo mandato Deum se esse vnum pronunciauit, præter quem nulli alij dij cogitandi aut habendi sint: ita qualis sit, & quo cultus genere honorandus, apertiùs etiamnum edicit, ne quid sibi carnale affingere audeamus.

Finis præcepti est, quòd Dominus superstitiosis ritibus legitimum sui cultum non vult profanari. Quare in summa nos à carnalibus obseruatiunculis, quas stolida mens nostra, vbi Deum pro sua crassitie concepit, comminisci solet, in totum reuocat & abstrahit: ac proinde ad legitimum sui cultum, id est, specialem & à se institutum, format. Quod autem est in hac transgressione crassissimum vitium, notat, idololatriam externam.

Duæ sunt mandati partes: prima licentiam nostram cohercet, ne Deum, qui incomprehensibilis est, sub sensus nostros subiicere, aut vlla specie repræsentare audeamus, dicendo, *Non facies tibi sculptile, neque similitudinem*. Secunda vetat, ne imagines vllas adoremus, religionis causa, dicendo, *Non adorabis eas*. Ait ergo.

Non facies tibi sculptile, scilicet ad repræsentandū Deum. Ratio est Deut.4 *Memento, quòd Dominus tibi locutus sit in valle Horeb, vocem audisti, corpus non vidisti. Obserua ergo te ipsum, ne fortè deceptus, facias tibi aliquam similitudinē*. Esa. 40.41.45.46. docet indecora & absurda fictione fœdari Dei maiestatem dum ipse incorporeus, materia corporea: inuisibilis, visibili simulachro: Spiritus, re inanimata: immensus, exiguo ligni vel auri frusto assimilatur.

Act.17. Hanc eandem ratiocinationem vsurpat Paulus apud Athenienses, dicendo: *Gentes ergo cùm simus Dei, non debemus æstimare auro & argento aut lapidi sculpturæ artis, & cogitationis hominis, Diuinum esse simile*. Vnde constat, statuas quę ad Deum figurandum eriguntur, simpliciter illi displicere, ceu quædam maiestatis suæ dehonestamenta.

Ob. At nonne Dominus interdum certis signis, numinis sui præsentiam ita perspicuam exhibuit, vt diceretur spectari facie ad faciem?

Resp. Ita est: sed omnia, quæ vnquam edidit signa ad testandam suam præsentiam, significationes dabant incomprehensibilis eius essentiæ.

1. Nubes enim & fumus, & flamma admonebant, hominis aspectum ad liquidam Dei contemplationem non penetrare. Quare Exod.33. Moses cui præ aliis familiarissimè se communicauit, obtinere non potuit, vt faciem illam cerneret: quin responsum accepit, non esse hominem tanti fulgoris capacem.

2. Propitiatorium quoque, vnde præsentiam suę virtutis exerebat, sic compositum erat, vt innueret, optimum diuinitatis aspectum hunc esse, dum animi supra se admiratione efferuntur. Cherubim enim alis ipsum operiebant: velum obtegebat: locus ipse procul reconditus, satis per se occulebat. Proinde insanite videntur ij, qui simulachra Dei exemplo illorum Cherubin defendere moliuntur, cùm potius contra ea faciant. Quid enim imagunculæ illę Cherubin indicabant, nisi imagines repræsentandis Dei mysteriis non esse idoneas? quando in hoc formatæ erant, vt alis obuelantes propitiatorium, oculi humani temeritatem à Dei contemplatione cohercerent.

Secunda pars, de non adorandis simulachris.

Non adorabis, neque coles. Idololatriæ gradus ij sunt.

Primò, mens hominis, vt est superbia & temeritate infecta, Deum pro captu suo imaginari audet.

Secundò, vt hebetudine laborat, & crassissima ignorantia: pro Deo vanitatem, & inane spectrum concipit.

Tertiò, ad hæc mala accedit noua improbitas, nempe quòd homo, qualem intus concepit Deum, exprimere opere tentat. Mens igitur idolum sibi gignit: manus parit illud.

Idololatriæ origo quæ sit.

Origo itaque idololatriæ hæc est, quòd homines Deum sibi adesse non credunt, nisi carnaliter exhibeat se præsentem. Hoc patet ab exemplo Israeliticæ idololatriæ Exod. 32. Cùm Moses tardaret descendere de monte, dixit populus Israeliticus ad Aaronem, *Fac nobis deos, qui nos præcedāt*. Cur petunt hoc? Nunquid non agnoscebant Deum vnum illum, qui eduxit eos iam iam de Ægypto? Vtique agnoscebant, Deum esse illum, cuius virtutem experti erant in tot miraculis: sed propinquum sibi esse non confidebant, nisi oculis cernerent corporeum vultus eius symbolum, quod sibi testimonium esset præcedentis Dei. A præeunte igitur imagine volebant cognoscere, Deum itineris sibi esse ducem.

Id quotidiana experientia docet, inquietam semper esse carnem, donec sibi simile figmentum nacta est, in quo se pro Dei imagine inaniter soletur. Hinc omnibus ferè à condito Mundo seculis, huic cæcę cupiditati, vt obsequerentur homines, erexerunt signa, in quibus Deum sibi præ oculis carnalibus obuersari crederent.

Quartò, cùm verò Deum se in illis intueri arbitrarentur: & ipsum quoque illic coluerunt. Tandem toti & animis & oculis illic affixi, magis obrutescere cœperunt: & quasi aliquid diuinitatis inesset, obstupescere & admirari.

Constat igitur, quòd homines ad simulachrorum cultum non ante prorumpunt, quàm crassiore aliqua opinione imbuti sint, non quidem, vt simulachra illa Deos esse existiment: sed quia vim aliquam diuinitatis illic inhabitare imaginantur.

Itaque siue Deum, siue creaturam aliquam tibi in simulachro repræsentes, vbi ad venerationem prosternetis, iam in superstitione aliqua fascinatus es. Hac ratione Dominus non statuas modo erigi ad se effigiandum, sed titulos etiam quoslibet & lapides consecrari vetuit, qui in adorationem prostarent.

2. At (inquit idololatra) non reputamus pro diis imagines.

R. Nec tam prorsus incogitantes erant Iudæi, vt non meminissent, Deum fuisse, cuius manu educti essent ex Ægypto, antequam fabricarent vitulum. Quin Aaroni dicenti, illos esse Deos, per quos liberati essent ex Ægypto, intrepidè annuebant, nempe significantes, velle se retinere illum Deum liberatorem, modò præeuntem in vitulo conspicerent. Nec ita stupidi fuisse credendi sunt Ethnici, vt non intelligerent, Deum alium esse, quàm ligna & lapides. Mutabant enim pro arbitrio simulachra: Deos semper eosdem animo retinebant: & multa erant vni Deo simulachra, nec pro multitudine complures tamen Deos sibi fingebant. Item noua quotidie consecrabant: nec putabant tamen, nouos se facere Deos.

Augustinus in Ps.113. refert excusationes, quas idololatræ sui seculi prætexebant, nempe cùm arguerentur, respondebant vulgares, se non visibile illud colere, sed numē quod illic inuisibiliter habitabat. Qui verò purgatioris (vt ipse ait) religionis erant, nec simulachrum, nec dæmonium se colere aiebant: sed per effigiem corpoream, intueri eius rei signum, quam colere deberent. Quid ergo? Omnes Idololatræ, siue ex Iudæis, siue ex Gentibus, non aliter, quàm dictum est, fuerunt animati. Spirituali Dei intelligentia non contenti, certiorem ac propiorem ex simulachris impressum ibi sibi putabant Deum. Postquam semel placuit præpostera ista Dei assimilatio: nullus finis factus, donec nouis subinde præstigiis delusi, in imaginibus Deum vim suam exerere opinarentur. Nihilominus tamen & Iudæi Deum æternum vnum verumque cœli ac terrę Dominum, sub talibus simulachris persuasi erant se colere. Et Gentes suos, licet falsos Deos, quos tamen in cœlo habitare fingerent.

Contra simulachra lege Augustinum in Ps.113.

Quàm verò grauiter Deus omnem infidelitatem atq; idololatriam execretur, declarat iis verbis quæ subdit duobus mandatis iam dictis: *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem in iis, qui oderunt me: & faciēs misericordiā in millia iis, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea*

1. Igitur ait, *Ego sum Deus tuus*: quasi dicat, Ego sum is: in quo solo hærere debetis.

2. *Fortis*, quasi dicat, sum potens, ergo potero vlcisci & punire eos, qui præcepta mea non seruabunt, nec quisquam poterit effugere de manu mea.

3. *Zelotes*. quasi dicat, æmulator sum gloriæ meæ: ergo vlciscar & puniam eos, qui gloriam & maiestatem meam ad creaturas aut sculptilia transferunt.

4. *Vindicans iniquitatem in filios, vsq; in tertiam & quartam generationem, in iis qui oderunt me*: quasi dicat, neq; breui, aut simplici vindicta vindicabo: sed vindicta, quæ in filios & nepotes & pronepotes sit protendenda, qui scil. paternæ impietatis imitatores erunt.

5. *Faciens autem misericordiam in millia*, quasi dicat, sicut è contra perpetuam misericordiam exhibeo iis qui me diligunt, & præcepta mea custodiunt.

Dominus sæpe solet personam mariti erga nos inducere, idque iure. Nam coniunctio, qua nos sibi deuincit, dum in Ecclesiæ sinum recipit, sacri cuiusdam coniugij instar habet, quod mutua fide stare oportet. Dominus igitur, vt omnibus fidelis ac veracis mariti officiis defungitur: ita vicissim a nobis stipulatur amorem ac castitatem coniugalem, id est, ne Animas nostras Satanæ libidini, fœdisq; carnis cupiditatibus stuprandas prostituamus. Vnde cùm Iudæorum apostasiam corripit, eos, proiecta pudicitia, adulteriis inquinatos conqueritur. Ergo vt maritus, quo sanctior est ac castior, eò grauius accenditur, si vxoris animã ad riualem inclinare videt: Ita Dominus, qui nos sibi in veritate desponsauit, ardentissimam Zelotypiam suam esse testatur, quoties neglecta sancti sui coniugij puritate, scelestis libidinibus conspurcamur. Tum verò præsertim, cùm Numinis sui cultum, quem maximè illibatum esse decuerat, alio detorquemus, vel aliqua superstitione inficimus: quandoquidem hoc modo non tantùm violamus datam ei fidem: sed etiam ipsum nuptialem torum polluimus, inductis adulteris.

Vtrum Deus propter peccata parentum puniat filios & nepotes, &c. & quomodo id sit intelligendum, si punit.

Ob. 1. Videtur, quòd Deus non puniat filios propter peccata parentum. Ait enim Ezec. 18. *Filius non portabit iniquitatem Patris, sed anima quæ peccauit, ipsa morietur*, &c.

Sed contra, quia ait hic, *Ego Deus zelotes, visitans iniquitatem patris in filios, in tertiam & quartam generationem*. Et Num. 14. *Qui reddis iniquitatem patrum filiis, in tertiam & quartam generationem*: Et Ierem. 32. *Qui facis misericordiam in millibus: qui reddis iniquitatem patrum in sinum filiorum post eos.*

Resp. Respondent quidam pro solutione dubij: Dominus apud Ezechielem loquitur de pœnis æternis, quas non est æquum, vt filij patiantur propter peccata parentum: sed anima, quæ peccauerit, ipsa morietur, scil. morte æterna. Hic autem loquitur de pœnis temporariis, quas si filij sustinent pro parentum delictis, non est absurdum: primò, quia filius est aliquid patris, quo ad carnem: ergo non est absurdum, vt in carne, quæ est à patre, patiatur pro peccato patris: Secundò, cum sæpe hæ pœnæ temporales in salutem infligãtur, nõ est inconueniens, si Deus flagellet etiam filios in suam ipsorum salutem, propter peccata parentum, nempe vt castigati, ab imitatione parentum abstineant. Et exempla huius extant multa in sacra Scriptura.

Ies. 39. Iesaias denunciat Ezechiæ Regi, filios eius regno spoliandos, & in exilium deportandos, ob peccatum ab eo perpetratum.

Gen. 12. & 20. Domus Pharaonis & Abimelech affliguntur & puniuntur à Deo.

Item propter peccata Regis Dauidis, vltus est totũ populum. Imo & propter peccatum Achan, totum exercitum Ios. 7. Verum est hoc: sed cùm id, ad quæstionis solutionẽ affertur, magis videtur effugium, quàm vera interpretatio. Nam grauiorem pœnam & vltionem edicit hic & aliis locis Dominus, quàm vt intra præsentis vitæ terminos limitetur.

Ego igitur sic intelligo, quod iusta Domini maledictio non solùm in caput impij, sed in totam quoque familiam eius incumbat. Vbi verò incubuit, quid exspectari potest, nisi vt pater Spiritu Dei destitutus, flagitiosissimè viuat? Filius, ob patris nequitiam similiter à Domino derelictus, eandem exitij viam sequatur? nepos demum & pronepos, hominum detestabilium execrabile semen, præcipites post eos ruant? Dominus ergo minatur maledictionem suam etiam in filios, propter peccata parentum, id est, quod auferet Spiritum suum etiam à filiis, propter peccata parentum, & eos derelinquet gratia sua, sinens in manibus Satanæ. Vbi autem derelicti fuerunt à Domino: nil aliud facere poterunt, nisi peccare, nisi imitari parentum suorum nequitiam & peccata. Imitantes autem eadem peccata parentum: simul cum eis in exitium æternum ruent, non propter peccata parentum, sed sua, vt ait per Ezech. *Anima, quæ peccauit, ipsa morietur*

2. At talis vindicta in filios propter peccata parentum, nempe ablatio gratiæ, luminis sui, Spiritus sui, non videtur decere iustitiam Dei.

Resp. Iusta est, & iustitiam Dei decet. Vniuersa hominum natura est damnabilis per se. Ergo si Dominus aliquos non dignatur suæ gratiæ communicatione, quis potest iustè cum eo expostulare? Nemo profectò. Quos autem Dominus suæ gratiæ communicatione non dignatur, iis quid aliud paratum est, nisi exitium sempiternum? Et tamen sua propria iniquitate, non iniquo Dei odio intereunt: nec vlla relinquitur expostulatio, cur non aliorum exemplo, Dei gratia adiuuentur in salutem. Cum igitur hæc impiis & flagitiosis irrogatur ob scelera punitio, vt Dei gratia in multas generationes domus eorum priuentur: quis ob iustissimam hanc vindictam, Deo criminationem intendat?

3. At Dominus contra ait per Ezec. *Filius non portabit iniquitatem patris.*

R. Obserua, quid illic agatur. Cùm diu & assiduè multis calamitatibus vexarentur Israelitæ, ipsi prouerbium iactare cœperunt, dicendo: *patres nostri comederunt vuam acerbam, vnde dentes nostri obstupuerunt.* quasi dicant, patres nostri peccata fecerunt: & nos iusti immerentes illorum pœnas luimus: idque implacabili magis ira Dei, quàm moderata seueritate. Iis denunciat Propheta, non ita esse: quia si plectuntur, ob propria flagitia plectuntur. Neque conuenire inquiri iustitiæ Dei, vt filius iustus, ob scelesti patris nequitiam supplicium luat. Quod neque in præsenti sanctione habetur. Nam si visitatio, de qua nũc agitur, tum adimpletur, cùm ab impiorum familia, gratiam, lumen veritatis, & reliqua salutis adiumenta aufert Dominus: eo ipso, quòd excæcati & derelicti à Domino filij, parentum vestigiis insistunt, maledictionem ob paterna scelera sustinent. Quod verò & temporariis deinde suppliciis atque miseriis, & æterno demum exitio subiiciuntur, ita iusto Dei iudicio, non ob aliena peccata, sed ob iniquitatem propriam puniuntur.

Formaliter igitur respondendo, dico, Filius non portabit iniquitatem patris, i. nullus filius iustus & immerens punietur aliquo supplicio, nec temporali, nec æterno, immediatè propter peccata parentum.

Locus autem hic sic intelligitur. Filij ob peccata parentum punientur non modò temporali, sed etiam æterno supplicio, non quidem immediatè (quia esset contra id, quod Ezech. dixit) sed mediatè, nempe hoc modo: propter peccata parentum immediatè derelinquuntur à Deo, & sinuntur in manibus Satanæ, vt imitentur patres: derelicti autem à Deo, & peccantes, ob peccata sua puniuntur supplicio æterno, ad quod peruenerunt, mediantibus peccatis parentum. Ergo aliquo modo mediatè ob parentum peccata puniuntur filij etiam supplicio æterno. Exemplum de filio qui imitatus patrem in furto, ob furtum proprium ad furcas adactus est. Hic dicere posset, ob peccatum patris huc adactus sum, sc. mediatè: immediatè autem propter meum proprium furtum.

4. At videtur etiam hoc falsum, nempe quòd filij ob peccata parentum impiorum, derelinquantur à Deo, priuentur sua gratia, atque ita tandem ad pœnas æternas suis ipsorum peccatis vadant. Nam multi impiorum filij ad bonam frugem se recipiunt, & saluantur.

Resp. Verum est: sed nihil obstat. Non enim hic Dominus perpetuam regulam figere voluit, quæ suæ electioni æternæ derogaret. Ad terrorem enim peccatoris sufficit, non esse vanam ipsam sanctionem, aut inefficacem, tametsi non semper locum habeat. Sicut enim, quæ paucis sceleratis infliguntur temporales pœnæ, testimonia sunt diuinæ aduersus peccata iræ, & futuri olim iudicij in omnes peccatores, tametsi multi impunè vsque ad vitæ finem euadant: ita cum exemplum vnum Dominus edit istius maledictionis, vt scilicet patris iniquitatem in filio semel persequatur: docet, quale reprobos omnes iudicium ob scelera propria maneat. Quam certitu-

certitudinem propriè hic spectauit. Hic ergo maximus impiis terror. Nam si post mortem quoque memoria iniquitatis apud Deum tantum valet, vt maledictio huius in posteritatem quoque redundet: multò magis in ipsis autorum capitibus residebit.

Econtrà autem dicitur de bonis. Ait enim: *Et faciens misericordiam in millia iis qui diligunt se, ac precepta sua custodiunt.*

Genes.17. *Ero Deus tuus, & seminis tui post te.* Ideo Prouerb 20. *Iustus, qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se filios derelinquet.* non tantum sanctæ educationis causa (quę & ipsa certè momentum non minimum habet) sed ob istã in fœdere promissam benedictionem, nempe, quòd Domini gratia in familiis piorum æterna resideat. Eximia hæc fidelibus consolatio.

5. At neque semper hoc verum est, quod filij iustorum, misericordiam Domini consequantur, & istam benedictionem recipiant.

Resp. Vt suprà de filiis impiorum. Cùm exemplum vnum edit Dominus istius benedictionis, vt filium in patris gratiam, misericordia & gratia sua prosequatur, documenta præbet constantis & perpetuæ in suos cultores gratiæ.

Obiter etiam misericordiæ suæ amplitudinem nobis cõmendat, quam in mille generationes extendit: cùm quatuor tantum generationes assignarit vindictæ.

PRÆCEPTVM TERTIVM.

Non vsurpabis nomen Dei tui in vanum.

Finis præcepti est, quod nominis sui maiestatem vult nobis esse sacrosanctam. Summa igitur erit, ne ipsam contemtim & irreuerenter habitam profanemus. Cui interdicto cohæret ex ordine præceptum, vt scilicet eam religiosa veneratione prosequamur. Itaque sic animis & linguis cõparatos nos esse decet, vt nihil de Domino, eiusque mysteriis aut cogitemus aut loquamur, nisi reuerenter, & cum multa sobrietate: vt in æstimandis eius operibus, nihil nisi erga ipsum honorificum sapiamus.

Hæc itaque tria obseruare non oscitanter conuenit.

Primum, vt quicquid mens de ipso concipit, quicquid lingua profatur, ipsius excellentiam resipiat, & sacræ nominis eius sublimitati respondeat: denique ad extollendam eius magnificentiam aptum sit.

Secundum, vt sancto eius verbo, & adorandis mysteriis, ne temerè, præpostereque abutamur, vel ad ambitionem, vel ad auaritiam, vel ad ludicra nostra, sed prout impressam gerunt nominis eius dignitatem, suum inter nos honorem ac pretium semper habeant.

Tertium, vt eius operibus ne obloquamur, aut detrectemus, sed quicquid ab ipso memoramus factum, cum sapiẽtiæ, iustitiæ, bonitatis elogiis prædicemus. Hoc est nomen Dei sanctificare. Vbi secus fit, vano prauoque abusu polluitur. Quod si in hac temeraria vsurpandi importunè diuini nominis facultate, tantum est delicti: multo magis, si in nefarios vsus conferatur, verbi gratia, in Necromantiam, incantationes, &c.

DE IVRAMENTO.

Iuramentum autem in mandato potissimùm assumitur, in quo peruersus diuini nominis abusus maximè est detestabilis: quò inde melius absterreamur ab omni eius in vniuersum profanatione.

Quòd iuramentum ritè factum, sit species diuini cultus, ideóque sit maximè Deo gratum.

Iuramentum est Dei attestatio ad veritatem sermonis nostri confirmandam. Quæ enim manifesta in Deum probra continent execrationes, indignæ sunt, quæ inter iuramenta censeantur.

Quòd huiusmodi attestatio, vbi ritè peragitur, sit species diuini cultus, multis locis ostenditur S. Scripturæ.

Iesa. 19. Cùm Iesaias de Assyriis & Ægyptiis in fœderis societatem cum Israele vocandis vaticinatur, ait: *Loquentur lingua Chanaan, & in nomine Domini iurabunt*: id est, iurando per nomen Domini confessionem religionis edent.

Iesa. 65. Cùm de propagando eius regno loquitur, dicit: *Quicunque benedicit sibi, in Deo fidelium benedicet: Et qui iurabit in terra, iurabit in Deo vero.*

Ierem. 12. *Si eruditi docuerint iurare populum in nomine meo, sicut docuerunt per Baal iurare, ædificabuntur in medio domus meæ.* Et iure nomen Domini in testimonium inuocando, nostram in ipsum religionem dicimur testari. Sic enim, ipsum æternam esse & immutabilem veritatem confitemur, quem appellamus non modò tanquam præ aliis idoneum veritatis testem, sed etiam ceu eius assertorem vnicum, qui abscondita in lucem proferre queat: deinde, vt cordium cognitorem. Vbi enim desunt hominum testimonia, ad Deum testem refugimus: ac præsertim vbi asserendum est, quod in conscientia latet. Propter hoc, amarè succenset iis Dominus, qui per alienos Deos deierant: atque id iurisiurandi genus, argumentum manifestæ defectionis interpretatur.

Ier. 5. *Filij tui dereliquerunt me, & iurant in iis, qui non sunt Dij*: & sceleris huius grauitatem, pœnarum comminatione declarat, Soph. 1. *Disperdam eos, qui iurant per nomen Domini, & iurant per Melchom.*

Iam vbi intelligimus, iuramentis nostris Deum inesse velle nominis sui cultum: eo maior adhibenda diligentia, ne pro cultu vel contumeliam, vel contemptum, & vilitatem contineant.

Quòd periurium nomen Dei profanet.

Contumelia est non leuis, si per ipsum peieratur, vnde & profanatio nominis Dei appellatur in lege, Leuit 19. *Non peierabis in nomine meo, nec profanabis nomen Dei tui.* Quid enim restat Domino, vbi sua veritate fuerit spoliatus? Iam Deus esse desinet. Spoliatur autem, dum falsi suffragator & approbator constituitur. Ergo, &c. Quare Ios. 7. Iosua dum Achan ad confessionem veri adigere vult, ait: *Fili mi, Da gloriam Domino Deo Israel*: innuens scilicet, Dominum grauissimè inhonorari, si per eum peieratur. Neque mirum. Non enim stat per nos, quin mendacium sacro eius nomini quodammodo inuratur. Quam locutionem vsitatam inter Iudæos fuisse, quoties ad sacramentum dicendũ quispiam vocaretur, constat ex Ioh 9. Da gloriam Deo.

Ad hanc cautionem nos instituunt formulæ iurandi in sacra Scriptura: *Viuit Dominus. Hæc faciat mihi Dominus, & hæc addat: testis sit Deus in animam meam.* Quæ insinuant, Deum aduocare nos non posse orationis nostræ testem, quin periurij vltorem nobis imprecemur, si fallimus.

Quando sit iurandum & de vana nominis Dei profanatione.

Vile & vulgare redditur Dei nomen, cùm veris quidem, sed supervacaneis iuramentis adhibetur: siquidem accipitur hîc quoque in vanum. Iusiurandum igitur non libidinis, aut voluptatis, sed necessitatis causa institutum, permissumque est: Ideoque extra licitum eius vsum egreditur, qui rebus non necessariis accommodat.

Porrò non alia prætendi necessitas potest, quàm vbi vel religioni, vel charitati est seruiendum.

Quot modis peccetur in iuramento.

Peccatur igitur in iuramento, primò, quando per sanctos iuramus, in locum Dei. Sic enim diuinitatis gloriam ad eos traducimus. Et tamen ait, ne iuremus per aliud nomen, quã per nomen suum. Vnde Christus Matth. 5. *Nolite iurare, neque per cœlum, &c.* Et D. Paulus Hebr. 6. *Homines enim per maiorem sui iurant: ideò Deus per seipsum iurauit.* Secundò, cùm peieratur. Tertiò, cùm in vanum, sine causa necessaria assumitur nomen Dei in testimonium.

Vtrum liceat, vllo modo iurare.

Ob. 1. Videtur, quod non liceat. Ait enim Christus Matt. 5. Ego autem dico vobis, *Ne iurate omnino*. Item Iacob. 5.

Sed contra sunt autoritates supra positæ. Item exempla Sanctorum, qui iurarunt, vt Pauli, &c.

Resp. Non potest intelligi, quod Christus illis verbis omnino tollat iuramentum.

Primò, quia sequeretur, quod Christus esset aduersarius Patri, & abrogaret decreta Patris, qui in lege non solũ permisit, sed etiam iussit, vt iuremus per nomen eius. Exo. 22. *Iuramentum Iehouæ erit inter vtrumque, an non miserit manum suam in substantiam proximi sui, & suscipiet iuramentum Dominus eius, & non reddet.* Sed Christus non est contrarius Patri: imò ait, *Ego & Pater vnum sumus.* Item, *quæ audiui à Patre, hæc loquor in mundo, &c.*

Secundò, Christus ipse sæpe iurauit dicendo: *Amen amen dico.* Non fecit autem contra præceptum suum. Ergo, &c.

Tertiò, Apostoli sæpe iurarunt. D. Paulus, Rom. 1. *Testis est mihi Deus, &c.* Non iurassent autem, si prohibitum fuisset omnino à Christo. Ergo, &c.

Quartò, Heb. 6. ait Paulus, quod per iuramentum controuersiæ expediuntur. Ergo licet iurare ad expediendas controuersias. Christus igitur non prohibuit.

Quomodo igitur intelligitur, *Nolite iurare omnino?* Attendatur scopus Christi. Christus ibi non tollit legem Mosis, sed tollit errores Pharisæorum additos legi. Pharisæi autem dixerant, non esse prohibitum in lege, nisi peierationem, non autem iuramentum, quacunque de causa etiā non necessaria fiat, id est, iuramentum inane & superuacaneum: cùm tamen etiam hoc lex interdicat. Christus ergo optimus legis interpres ostendit, & docet, non solùm peierare, sed etiam iurare, malum esse. Quomodo iurare? nempe in vanum. Quæ autem in lege iuramenta commendantur, salua & libera relinquuntur.

At ait, *Omnino ne iurate.* Ergo omne iuramentum tollit.

Resp. Illa particula *Omnino*, non refertur ad iuramentum, sed ad formulam iuramenti, scilicet per cœlum, per terram, &c. quasi dicat, Nolite iurare in vanum, per nullam omnino rem, neque per cœlum, quia sedes Dei est, neque per terram, &c. Potuissent enim dicere, Admittimus non esse iurandum in vanum per nomen Dei, sed nihil refert, si iuremus in vanum per creaturas. Huic obiectioni respondet Christus, neque per creaturas Dei licere iurare in vanum. Cur? quia idem ferè esset, ac iurare per Deum, cùm ipsæ res sint, vel sedes Dei, vel scabellum pedum Dei, vel templum Dei, &c.

Licet ergo iurare, cùm & lex id præcipiat: & Christus cū Apostolis id fecerit: sed tantùm cum necessitas cogit.

2. At dicet quispiam, Admitto licita esse publica iuramenta, qualia sunt, quæ exigente magistratu præstamus: & qualia sunt, quæ in sanciendis fœderibus vsurpare Principes solent: & qualia populus vsurpare solet, cùm in nomen Principis iurat. Item, Admitto, licita esse iuramenta, quæ ad asserendam Euangelij dignitatem fiunt, qualia Diuus Paulus & Apostoli vsurpare soliti sunt, & Christus ipse vsurpabat. Quandoquidem Christus & Apostoli in sua functione non priuati homines essent, sed publici Dei ministri. Atque hoc modo intelligitur, quod lex concedit iuramentum, & quod Apostoli iurarunt. Sed priuata iuramenta tollit Christus cùm ait, Nolite iurare omnino, &c. Quare priuata iuramenta non licent.

Resp. Fateor, illa duo iuramentorum genera prædicta, esse tutissima, eò, quod solidioribus sacræ scripturæ testimoniis defendantur. Vnde & apud veteres Ethnicos, publicum & solenne iuramentum, in magna religione habitum fuit: Vulgaria verò, quæ promiscuè faciebant, aut pro nihilo, aut non ita magno fuerunt reputata, perinde ac si Dei nomen in iis non intercedere putarent. Veruntamen ob hoc non licet damnare iuramenta priuata, quæ sobriè, sanctè, & reuerenter necessariis rebus adhibentur: imo licita sunt. Patet hoc:

Primò, ratione. Si priuatis licet in re graui & seria Deum inter se iudicem appellare: ergo multo magis testem. Licet illud: ergo & hoc. Exemplum. Frater tuus insimulabit te perfidiæ, purgare te studebis ex charitatis officio. Ille nulla re satisfieri sibi patietur: si in discrimen fama tua ob illius obstinatam malignitatem veniat, sine offensa Dei iudicium prouocabis, vt tuam innocentiam tempore manifestet. Minus est autem testem aduocare, si verba expenduntur. Ergo attestatio, siue iuramentum priuatum licitum est.

Secundò exemplis. Genes. 31. Abraham & Isaac priuati sunt, & tamen cum Abimelech iuramentum priuatè sanciunt. Iacob & Laban priuati erant: & tamen mutuo iuramento fœdus inter se sanciunt.

Ruth. 3. Booz priuatus erat, & Ruth priuata: & tamen mutuo iuramento coniugium promissum confirmarunt.

2. Reg. 18. Abdias priuatus erat, vir iustus & timens Dei: & tamen iuramento asseuerat quod Heliæ vult persuadere. Ergo licita sunt etiam priuata iuramenta.

Regula ergo in iuramentis hæc sit: Iuramenta sic moderemur, ne sint primò temeraria: secundò, promiscua: tertiò, libidinosa: quartò, ne friuola: sed iustæ necessitati seruiant, nempe vel vbi Domini gloria vindicanda, vel promouenda fratris ædificatio, quò legis mandatum spectat.

PRÆCEPTVM QVARTVM.

Recordare, vt diem Sabbathi sanctifices: Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: septimo autem die, Sabbathum Domini Dei tui est: non facies vllum opus in eo.

Finis præcepti est, vt propriis affectibus & operibus emortui, regnum Dei meditemur: atque ad eam meditationem, institutis à Domino rationibus exerceamur. Verùm, quoniam habet peculiarem & diuisam a reliquis considerationem, paulò diuersam interpretationis seriem requirit.

Tres causæ, ob quas institutum Sabbathum.

Hoc mandatum tribus constat causis, siue propter tres causas institutum est.

1. Vt esset figura spiritualis Sabbathismi à peccatis nostris per Christum. Voluit enim Dominus sub diei septimi quiete, spiritualem populo Israeli quietem figurare, qua à propriis operibus feriari debent fideles, vt Deum in se operari sinant Col. 2. Ezech. 20. Et hæc fuit principalis intentio Dei in institutione Sabbathi: & propter hanc caussam tam seuerè exigit obseruantiam Sabbathi in sacra Scriptura per Prophetas, ita vt nullius obseruantiam seuerius exigat, quàm istius.

Exod. 2. *Recordare, vt diem Sabbathi sanctifices* Emphasin habet vox illa *Recordare*, quæ in aliis præceptis non additur.

Exod. 31. *Loquere filiis Israel, & dices ad eos, videte vt diem Sabbathum meum custodiatis quia signum est inter me, & vos in generationibus vestris, vt sciatis: quia Ego Dominus, qui sanctifico vos. Custodite Sabbathum meum.*

Exod. 35. *Sex diebus facietis opus: septimus dies erit vobis sanctus, Sabbathum & requies Domini: qui fecerit opus in eo, occidatur.*

Num. 15. Hominem colligentem ligna in die Sabbathi, lapidibus obrui & occidi iussit Dominus.

Ier. 17. *Hæc dicit Dominus, nolite portare pondera in die Sabbathi, &c.* Multa bona promittit seruantibus diem Sabbathi: mala verò multa minatur transgressoribus. Vide ibi quoties repetat hanc Sabbathi obseruationem.

Ezech. 20. Valde conqueritur Dominus de populo, quòd non custodierit Sabbatha sua, sed polluerit ea, dicendo: *Insuper & Sabbatha mea dedi eis, vt essent signum inter me & eos, & scirent, quia Ego Dominus sanctificans eos. Et irritauerunt me: & Sabbatha mea violauerunt vehementer.*

Ezech. 22. *Sanctuaria mea spreuistis, & Sabbatha mea polluistis.*

Ezech. 23. *Polluerunt sanctuarium meum, & Sabbatha mea profanauerunt*, propter quod scelus minatur flagella.

Iesa. 56. *Custodiens Sabbathum meum, vt polluat illud. Qui custodierint Sabbatha mea, dabo eis, &c.*

Nehem. 9 *Et Sabbathum sanctificatum tuum ostendisti eis.*

Denique cùm subuersam omnem religionem apud Prophetas vult significare Dominus, polluta, violata, non custodita, non sanctificata sua Sabbatha conqueritur. Cur? quia Sabbathum figura est cessationis nostræ ab operibus nostris malis, & requietis in Domino, ad sinendum, vt ipse in nobis operetur, & sanctificet nos. Hic est autem summus cultus Dei, scilicet sanctificatio nostra.

Ezech. 20. ostendit, quòd Sabbathum sit signum, quo Israel cognosceret, Dominum Deum suum esse sanctificatorem.

Si sanctificatio nostra, propriæ voluntatis mortificatione constat: iam se profert aptissima signi externi cum re ipsa interiori analogia. Quiescendum omnino est, vt Deus in nobis operetur: cedendum voluntate nostra, resignandum cor, abdicandæ cunctæ carnis cupiditates: Denique feriandum est ab omnibus propriis [illegible] muniis, vt Deum habentes in nobis operantem, in ipso acquiescamus, sicut docet nos, hunc esse Sabbathismum. Heb. 3. & 4.

Quòd perpetuus esse debeat Sabbathismus noster.

Debet autem esse perpetua ista cessatio ab operibus nostris malis, & requies in Domino. Sicut enim Dominus, postquam operatus est sex diebus, postea cessauit die septimo, ita vt nunquam reuersus sit ad opera illa, sed requiescat in se ipso: ita nos, postquam peccata tam multa fecimus, ab illis cessandum nobis est, & perpetuò cessandum, & sinendum vt Deus in nobis operetur. Hanc perpetuam cessationem Iudæis repræsentabat vnius diei ex septenis obseruatio, quæ vt maiore religione coleretur, eam Dominus suo exemplo confirmauit.

Septe-

Septenarij numeri significatio.

Et propter hoc, nempe vt significaret, quòd Sabbathismus noster, & cessatio ista debeat esse perpetua, iussit fieri, hanc cessationem ab operibus seruilibus, septimo die, non alio.

Primò, numerus septenarius est numerus perfectionis. Igitur significat, cessationem nostram ab operibus nostris, debere esse perfectam, id est, perpetuam.

Secundò, postquam die septima requieuit Dominus, cessauit perpetuò ob operibus. Vnde & Moses in die, quo narrat requieuisse Dominum ab operibus suis, finem describendæ successionis dierum ac noctium facit. Ergo significat, nostram quoque cessationem debere esse perpetuam. Totum enim hoc tempus vitæ nostræ, noster est Sabbathismus.

Item potest afferri & altera probabilis numeri septenarij ratio, quòd scilicet Dominus designarit, nunquam absolutum fore Sabbathum, donec ventum ad vltimum diem fuerit. Nostram enim in Domino quietem hîc inchoamus; in ea nouos quotidie progressus facimus; sed quia assidua est adhuc cum carne militia, non priùs consummabitur, quàm implebitur illud Iesa. cap. vltimo de continuanda neomenia cum neomenia, Sabbatho cum Sabbatho, cum scilicet Deus erit omnia in omnibus, vt 1. Corinth. 5. ait Apostolus. Videri ergo possit Dominus, per diem septimum populo suo delineasse, futuram sui Sabbathi in vltimo die perfectionem, quò continenti Sabbathi meditatione, ad hanc perfectionem tota vita aspiraret.

Item, si simpliciùs accipere velimus, Dominus certum diem ordinauit, quo ad meditandam spiritualis quietis assiduitatem populus sub legis prædagogia exerceretur. Septimum verò assignauit: vel quia sufficere prouidebat: vel vt proposita exempli sui similitudine (nam & ipse requieuit die septimo ab operibus) melius populum extimularet; vel certè erudiret non aliò spectare Sabbathum, nisi vt suo creatori conformis redderetur. Parum enim interest hic numeros, modo mysterium, quod præcipuè delineatur, nempe de perpetua nostrorum quiete, maneat. Ad quod contemplandum identidem Iudæos reuocabant Prophetæ, ne putarent se perfectè seruasse Sabbathum, carnali duntaxat cessatione. Ies. 58. *Si auerteris à Sabbatho pedem tuum, vt non facias voluntatem tuam, in die sancto meo, & vocaueris Sabbathum delicatum & sanctum Domini gloriosi, &c. tunc delectaberis, &c.* Ecce quomodo perpetuus esse debeat.

Prima igitur causa, ob quam institutum est Sabbathum, est, vt figuraret cessationem, eámque perpetuam à nostris operibus, scilicet à peccatis patrandis, & quietem in Domino, scientes scil. Deum operari opera S.S. in nobis. Et quantum ad hanc causam, erat ceremoniale præceptū; ideoq; & abrogatum est, sicut & cæteræ figuræ, adueniente Christo figurato, in quo potissimùm cessatio ab operibus nostris cœpit, dum scil. in mortem ipsius baptizati sumus. Remansit ergo cessatio spiritualis figurata; & transit cessatio corporalis figura, & in locum illius subrogatus est dies Dominicus, idque iure. Cùm enim veræ illius quietis, quam vetus Sabbathum adumbrat, finis & complementum sit in resurrectione Domini: ipso die, qui vmbris finem attulit, admonentur Christiani, ne vmbratili ceremoniæ insistant.

Secunda causa, ob quam Sabbathum institutum fuit, est; vt status dies esset, quo ad legem audiendam, & ceremonias peragendas conueniret populus; vel saltem, quem opetum Domini meditationi peculiariter darent omnes, idque vt hac recordatione ad pietatem exercerentur. Hæc causa patet vel ex sola Iudæorum etiamnum obseruatione & vsu. Et propter hanc caussam, quia non est vmbra aut figura, sicut prima, non est abrogatum Sabbathum. Nam & apud nos locum habet, vt statis diebus ad audiendum verbum, ad sacramenta percipienda conueniamus. Nisi autem stati dies essent, quomodo decenter & cum ordine conueniret populus ad Ecclesiam? Omnia tamen gerenda sunt decenter, vt 1. Cor. 14. docet Apost. Ergo necessarij sunt isti dies stati.

Tertia caussa fuit vt seruis, & iis, qui sub aliorum degerent imperio, quietis diem indulgeret, quo aliquam à labore haberent remissionem. Hanc caussam assignat Moses Deut. 5. *Obserua diem Sabbathi, vt sanctifices eum, &c. Septimus dies, Sabbathi est, id est, requies Domini; non facies in eo quicquam operis, tu & filij tui, &c. vt requiescat seruus & ancilla tua, sicut & tu. Memento quod & ipse seruieris in Ægypto;* Exodi 23. *Sex diebus operaberis, septimo die cessabis, vt requiescat bos & asinus, & refrigeretur filius ancillæ tuæ, & aduena.* Et propter hanc etiam causam abrogatum non est Sabbathum. Nam & nobis dies festi sunt, vt ferietur populus, serui, ancillæ, &c.

De abrogatione Sabbathi.

Hinc patet, quomodo abrogatum sit Sabbathum, & non abrogatum. Quoad primam caussam, quia erat tantùm figura alterius Sabbathismi, ideò abrogatum est. Nam cum Christus sit complementum verum Sabbathi (per Baptismum enim illi consepulti sumus, vt resurrectionis participes, in nouitate vitæ ambulemus) ideò ad præsentiam veritatis, id est, Christi, euanuit figura, id est, Sabbathum. Propter hoc ait Paulus Col. 2. Sabbathum vmbram fuisse rei futuræ: corpus autem extare in Christo, id est, solidam veritatis substantiam: eáque perpetua esse vult.

Quoad verò alias duas causas, quæ non sunt vmbræ aut figuræ, non est abrogatum: Necessarij enim nobis sunt stati dies ad audiendum verbum, &c. Cur autem in locum Sabbathi subrogatus sit dies Dominicus, dictum est suprà: nempe, quia eo die euanuit Sabbathum, quatenus figura erat: quo Christus resurrexit. Vt ergo recordemur euanuisse per resurrectionem Christi, Ecclesia non retinuit Sabbathum, sed diem Dominicum.

Summa præcepti de Sabbatho.

Summa igitur est: sicut sub figura Iudæis tradebatur veritas: ita nobis sine vmbris commendatur. Primò, vt perpetuum tota vita Sabbathismum meditemur à nostris operibus, quò Deus in nobis per suum Spiritum operetur. Secundò, vt pia operum Dei recordatione & contemplatione priuatim se quisque, vbi vacat, exerceat diligenter: tum etiam vt omnes simul legitimum Ecclesiæ ordinem ad verbum audiendum, ad sacramentorum administrationem, ad publicas orationes constitutum, obseruemus: Tertiò, ne subditos nobis, inhumaniter premamus.

QVINTVM PRÆCEPTVM.

Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quam Dominus tuus daturus est tibi.

Finis præcepti huius est, quoniam Domino Deo suæ dispositionis conseruatio cordi est, ordinatos ab ipso eminentiæ gradus, oportere nobis esse inuiolabiles.

Summa igitur erit, vt quos nobis præfecit Dominus, eos suspiciamus, eosque & honore, & obedientia, & gratitudine prosequamur. Vnde sequitur interdictum, ne quid eorum dignitati derogemus vel contemtu, vel contumacia, vel ingratitudine.

Honora. Tria ergo complectitur honor: *primo* reuerentiam: *secundo* obedientiam: *tertio* gratitudinem siue remunerationem & officium. 1. Timoth. 5. *Presbyteri qui bene præsunt, duplici honore digni habeantur*: id est, non modò iis debetur reuerentia: sed & remuneratio, quam eorum Ministerium meretur. Item, ex aliis scripturæ locis apparent hæ tres honoris species, scilicet reuerentia, obedientia, gratitudo.

Primam Dominus sancit Exod. 21. dum interfici præcipit, qui maledixerit patri vel matri, quandoquidem ille contemtum ac contumeliam vindicat. Ergo reuerentia præcipitur.

Secundam, obedientiam scilicet exprimit. Paulus Ephe. 6. dum ait: *Filij, obedite parentibus vestris in Domino. Hoc enim iustum est. Honora patrem tuum*, &c. Et Colos. 3. *Filij obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum est Domino.*

Tertiam, scilicet gratitudinem exprimit Christus Matt. 15. dum ait, ex præcepto Dei esse, vt benefaciamus parentibus. Has tres honoris species mihi videtur Paulus complecti ad Rom. 13. cùm ait: *Reddite ergo omnibus debita: cui honorem, honorem*: (Ecce primam, reuerentiam scilicet) *cui timorem, timorem*: (Ecce secundam, obedientiam, qui enim timet, obedit) *cui tributum, tributum.* Ecce tertiam, gratitudinem.

Patrem tuum, & matrem tuam. Quid per patrem intelligit? omnem nobis dominum, omnem nobis Dei ordinatione præfectum, præsertim tamen patrem, qui nos in lucem edidit, ad quem honorandum natura ipsa instituere nos debet.

Quod autem per *patrem* intelligat omnem nobis præfectum, patet hinc. Soli Deo, vtroque omnium Domino conuenit honor principaliter. Vnde Paulus 1. Tim. 1. *Soli Deo honor & gloria.* Secundariò conuenit iis, quibus Dominus dignatur suum honorem participare. Signum autem, quod Deus aliquos suo dignetur honore, est, quia eis

sua etiam honorifica nomina, quæ sunt tria, Deus, Dominus, Pater, tribuit. Ergo Iudicibus, qui vocantur Dij (Psalmo 82. *Ego dixi, vos Dij estis*) conuenit honor. Item iis, qui nos genuerunt vel carnaliter, vel spiritualiter per Euangelium, qui omnes vocantur Patres: conuenit honor. Item denique domini, id est, omnibus iis, qui nobis præfecti sunt, qui omnes vocantur Domini, debetur honor, quia scilicet diuinos titulos gerunt. Vnde quoties audimus aliquos titulis Dei, Patris, & Domini, nominari: statim recognoscere in illis debemus maiestatem Dei, & ita illos honorare tanquam Deum in illis. Nam quos istorum nominum facit Deus participes: eos etiam quadam sui fulgoris scintilla illustrat, vt sint pro suo quisque loco spectabiles: & quibus eminentiam tribuit, suum etiam cum illis honorem communicat.

Quoniam autem *nomen Patris* ita est nomen honoris, sicut nomen Dei, & ita in vnum conueniunt ij tres tituli, Domini, Dei, Patris, vt quoties vnum aliquem ex iis audimus, maiestatis illius sensu animum nostrum feriri oportet: ideo dum præcepit, vt patrem honoremus, simul præcepit vt dominos, & omnes deniique nobis præfectos honoremus: cùm eadem sit omnium istorum ratio, nempe participatio maiestatis diuinæ in illis. Ita qui nobis est pater, in eo diuinum aliquid reputare par est: quia non sine caussa diuinum titulum gerit. Qui nobis est Dominus, qui Princeps est, habet nonnullam cum Deo honoris communionem.

1. *At cur tantùm nominauit patrem & matrem, non autem Dominos?*

Resp. Illud nomen expressit, quòd facilius nos emollire & inflectere ad submissionis consuetudinem poterat. Nam quoniam hoc de subiectione præceptum cum humani ingenij prauitate valdè pugnat (cùm enim sit celsitudinis appetentia turgidum, ægrè se subijci sustinet:) natura, quæ maximè amabilis est, & superioritas, quæ minimè inuidiosa est, in exemplar proposita fuit: quia scilicet facilius animos nostros emollire poterat ad omnem subiectionis consuetudinem. Ad omnem ergo legitimam subiectionem, ab ea quæ facilima est toleratu, nos paulatim assuefacit Dominus: quoniam est eadem omnium ratio. Quapropter ambiguum esse non debet, quin hic vniuersalem regulam statuat Dominus, vt prout quemque nouimus esse nobis Dei ordinatione præfectum, ipsum reuerentia, obedientia & gratitudine, & quibus possumus officiis prosequamur.

2. *At indigni sunt sæpius patres & domini honore.*

Respond. Hoc nil refert, digni ne sint, an indigni. Nam qualescunque sint tandem: non tamen sine Dei prouidentia hunc gradum assecuti sunt, propter quem gradum ipse legislator eos honorari vult ac præcipit. 1. Petr. 2. *Subiecti igitur estote omni humanæ ordinationi propter Dominum, siue Regi, tanquam præcellenti*, &c. Item, Rom. 13.

Nominatim tamen de parentum reuerentia præcepit, qui nos in hanc vitam sustulerunt, ad quam Natura ipsa nos quodammodo instituere debet. Monstra enim sunt, non homines, qui parentum potestatem contumelia vel peruicacia infringunt. Ideò cunctos parentibus immorigeros trucidari iubet Dominus, vt beneficio lucis indignos, quia non recognoscunt, quorum opera in eam peruenerint lucem. Exod. 21. *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur*. Item Leuit. 20. *Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur*. Prouerb. 20. *Qui maledixerit patri suo vel matri, extinguetur lumen eius in mediis tenebris.*

Vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus daturus est tibi, &c.

Subnectitur hæc promissio, commendationis vice, quæ magis admoneat, quàm grata Deo sit, quæ hic nobis imperatur, submissio. Hunc aculeum excitando corpori nostro admouet Paulus Ephes. 6. *Filij obedite parentibus vestris in Domino. Nam id est iustum. Honora patrem tuum & matrem. Hoc est præceptum primum in promissione, id est, cum promissione.*

At nònne etiam mandata primæ tabulæ fuerunt cum promissione? Resp. Illa promissio præcepto secundo comprehensa, *Ego sum Dominus*, &c. non est specialis & propria vnius præcepti, sed ad legem vniuersalem extendebatur.

Quam verò *terram* hic intelligit?

Respond. *Primò*, peculiariter Israelitis loquebatur Dominus de terra, quam illis promiserat in hæreditatem. Si ergò diuinæ benignitatis arrhabo erat terræ possessio, non miremur, si Dominus testari voluit gratiam suam, vitæ longitudinem largiendo, per quam fiebat, vt diuturnus caperetur sui beneficij fructus. Vult igitur dicere: Honora patrem, &c. vt per longum vitæ spacium frui tibi diu liceat ea terræ possessione, quæ tibi futura est in gratiæ meæ testimonium.

Cæterum, quia tota terra (id est, totus terrarum orbis) fidelibus benedicta est: ideò præsentem vitam inter Dei benedictiones reponimus. Quare ad nos similiter spectat ista promissio, quatenus scilicet diuinæ beneuolentiæ documentum nobis est præsentis vitæ duratio. Ideòque hinc soluitur quæstio, si quis dicat:

3. *At quomodo seruatur ista promissio, cùm sæpe filij obedientes & morigeri moriantur immaturè, nec diu viuant?*

Resp. Illa vitæ longitudo super terram non fuit promissa Iudęis, neque nobis promittitur, quasi beatitatem in se côtineat, id est, quasi beatus sit, qui diu viuit super terram: sed quia symbolum fuit, & esse solet diuinæ erga nos beneuolentiæ. Si ergo Dominus suam beneuolentiam magis ostendat alicui, eum è vita hac tollendo, quàm diu super hanc terram viuere faciendo: vtique magis suam promissionem seruat: tantum abest, vt à suæ promissionis complemêto discedat. Exemplum. Si quis tibi promisit decem aureos, & postea det 100. non autem illos 10. tantùm: nunquid contra promissum fecit? Nequaquam. Ita si Deus morigeris filiis promisit longitudinem vitæ, v.g. centum annorum super hanc terram: & postea non det hanc, sed æternitatem vitæ in Cœlo: nunquid fecit contra promissionem suam? Non vtique: præsertim quia non promisit vitam super terram, quasi rem beatam in se, sed tantùm tanquam signum beneuolentiæ suæ. Maiorem autem beneuolentiam alicui ostendit, eum ex vita hac in cœlum transferendo.

Totum ergo in hoc situm est, vt expendamus, longam vitam eatenus promitti, quatenus Dei benedictio est. Benedictio autẽ Domini est, quatenus diuinæ gratiæ est documentum. Hanc verò gratiam Dominus suis infinitò solidius per mortem restificatur, quàm per vitam præsentem.

Ita è contrario de immorigeris filiis est dicendum. Iis minatur Deus breuitatem vitæ super terram: & experientia docet, impleri hoc.

4. *At multi ex impiis diu viuunt super terram.*

Ergo non videtur impleri.

Resp. Tamẽ impletur comminatio Dei. Ideo enim comminatur breuitatem vitæ, quatenus maledictio Dei est, & testimonium suæ erga nos iræ. Licet autem viuant super terram: quia tamen, & dum viuunt Dei benedictione priuati, misetè in peccatis languent, & in posterum maioribus pœnis reseruantur, quantò magis & diutius hic in peccatis viuunt. Ideo non solum impletur comminatio, sed etiam magis corroboratur.

Notandum etiam obiter, quod non iubemur obedire parentibus aut Dominis, nisi in Domino: Eph. 6. Ratio, quia in locum Dei euecti sunt, vt suprà dictum est: vnde & nomen Dei illiš communicatur. Si ergo præcipiant contra Dominum: discedunt ab officio suo, & loco suo. Ergo nec nos eatenus obedire tenemur.

SEXTVM PRÆCEPTVM.

Non occides.

Finis præcepti est: quoniam hominum genus vnitate quadam Dominus deuinxit, incolumitatem omnium vnicuique debere esse commendatam.

Summa ergo est, violentiam omnem & iniuriam ac omnino quamuis noxam, qua proximi corpus lædatur, nobis interdici. Ac proinde iubemur, si quid in opera nostra ad tuendam proximorum vitam subsidij est, fideliter impendere: quæ ad eorum tranquillitatem faciunt, procurare: depellendis noxis excubare: si quo in discrimine sunt, præbere manum auxiliarem.

Cogita autem, quòd Dominus per hac regulam vult animæ tuæ moderari, & illi potissimùm loquitur, dicendo, ô Anima, non occides. Ergo & homicidium cordis hac lege prohibetur: & præcipitur interior affectus consetuãdæ fratris vitæ. Manus quidem homicidium parit: sed animus côcipit, dum ira & odio inficitur. Ideo hoc explicans Christus ait Matth. 5 *Qui irascitur fratri suo, reus erit indicio.* Et 1. Ioh. 3. *Qui odit fratrem suum, homicida est.*

Æquitas autem & caussa, cur occidendus non sit homo, alibi in sacra scriptura assignatur duplex. Primò, quia homo est imago Dei. Secundò, quia est caro nostra. Ergo nisi imaginem Dei violare velimus, sacrosanctum habere hominem debemus, & cereri Dei imaginẽ in ho-

in homine impressam. Nisi etiam omnem exuere humanitatem libeat, illum vt carnem propriam fouere & amplexari debemus. Non ergo euasit homicidij crimen, qui à fratris sanguinis effusione abstinet, nisi & eius vitam tueri studeat.

Si autem tantopere corporis proximi cura nobis mandatur, quantò magis Animæ?

SEPTIMVM PRÆCEPTVM.

Non mœchaberis.

Finis præcepti est: quia pudicitiam & puritatem Deus amat, facessere à nobis immundiciem oportere.

Summa igitur erit, vt ne qua spurcitia aut libidinosa intemperie carnis inquinemur. Cui respondet affirmatiuum præceptum, vt castè & continenter omnes vitæ nostræ partes componamus.

1. *Non mœchaberis*, cur scortationem nominatim vetat, si omnem hoc præcepto immundiciem vetat? Resp. Vt illius fœditate, quæ crassior & palpabilior est, quia etiam corpori maculam inurit, in libidinis cuiusvis abominationem nos adducat. Cùm ergo ait, *Non mœchaberis*, vetat omnem luxuriam.

Quòd duplex remedium sit contra luxuriæ immundiciem: primum, diuinum continentiæ donum: secundum, sacrum matrimonium.

2. At quomodo efficiam, vt contra hoc præceptum non agam, omnémque libidinem vitem?

Resp. Duplex ad hoc remedium est:

Primum est diuinum continentiæ donum. Qui habet hoc donum, facilè vitabit omnem libidinis immundiciem. Dico autem donum Dei, quia non omnibus datum est à natura: sed quibusdam per Dei gratiam concessum. Sap. 8. *Et vt sciui, quoniam aliter non possum esse continens nisi Deus det, quod ipsum erat prudentia, intelligere, cuius hoc esset beneficium, adij Dominum, eúmque oraui*, &c. Matth. 19. *Non omnes capiunt verbum hoc: Qui potest capere, capiat.* 1. Cor. 7 *Volo autem omnes homines esse sicut me ipsum: sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo alius quidem sic, alius verò sic.* Itē: *Quod si non se continent, nubant: Melius enim est nubere, quàm vri.* Si omnes possent se continere, si vellent: non dixisset Apostolus, nubant: imò exhortatus fuisset ad volendum se continere, cùm magis laudet continentiam, quàm matrimonium. Ergo est donum Dei, si quis se contineat.

Item: *Si quis autem turpem se videri existimat in virgine sua, quod sit superadulta, & ita oportet fieri: faciat quod vult: non peccat, si nubat. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem* (scilicet quia virgo non potest se continere, tunc enim necessitatem habet eam nuptui tradere) *potestatem autem habet propriæ voluntatis, & hoc decreuit in corde suo, vt seruet suā virginitatem, benè facit:* &c. Ergo cōtinentia est donum Dei non omnibus datum. Qui ergo dono hoc continentiæ donatus est à Deo, facile vitabit omnem immundiciem, si velit. Si autem hoc primum remedium illi non est concessum: confugiendum est ad secundum remedium, scilicet ad matrimonium sanctum, vt præcipit Paulus, 1. Cor. 7. *Qui non se continent, nubant.* 1. Tim. 5. *Iuniores viduas* (quæ scilicet non possunt se continere) *nubere volo, filios procreare, & matresfamilias esse.*

3. At conabor me continere, & orabo Dominum, vt adiuuet.

Resp. 1. Si donum non habes, conatus tuus frustrà erit. Nam nemo potest esse continens nisi Deus det. Secundò, si donum non habes, & tamen nolis ad matrimonium confugere, orationem tuam non exaudiet Deus quia extra vocationem Dei, Deus neminem exaudit, nec adiuuat. Psal. 91. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis* scilicet Dei vocatione. Non ait, in præcipitiis. Imò ij tentant Deum, cùm relicto ordinario remedio, aliud remedium quærunt & volunt. Hoc remedio vsi sunt & Apostoli, 1. Cor 9.

Quoniam ergo hac lege conditus est homo, vt solitariam vitam non agat, sed adiuncto sibi subsidio vtatur: Item, cum ex peccati maledictione accensa sit libido, ita vt non omnes abstinere se possint, nisi quibus datum est, & non est datum omnibus: ideo Dominus in hac parte remedium infirmitati nostræ attulit, dum instituit matrimonium.

Est autem hoc matrimonium à Deo benedictum, & mūdum est. Genes. 2. *Et benedixit eis, & dixit, crescite.* Hebr. 13. *Honorabile connubium, & torus immaculatus* Ioh. 2. Christus voluit hoc esse imaginem suæ cum Ecclesia sanctissimæ & purissimæ coniunctionis.

Quomodo igitur immundum esse potest?

Quare miror cur Siricius Papa ad Episcopos Hispaniarum scribens, copulam matrimonialem vocarit pollutionem carnis, & immundiciem.

Ergo malè agunt, qui matrimonium vituperant & prohibent, vt fecerunt Tatiani, de quibus ait D. Paulus 1. Tim. 4. *Spiritus autem manifestè dicit, quòd in nouissimis temporibus discedent quidam à fide*, &c *prohibentium nubere.* Ii dum prohibent matrimonium, præcipiunt contra Dei mandatum hoc facere, nempe vt mœchemur. Ratio est: Cùm enim non sint nisi duo remedia contra lasciuiam, scilicet cōtinentia & matrimonium: non omnibus autem detur donum continentiæ: Ergo ij tollentes etiam matrimonium, tollunt secundum etiam remedium. Quid verò tum reliquum est, nisi vt mœchemur? Ergo qui tollunt matrimoniū, cogunt homines ad transgrediendum mandatum Dei.

Porrò, cùm matrimonium sit à Deo benedictum: ergo neque ipsum est vlla libidine conspurcandum. Vir ergo & vxor sic agant in matrimonio, ne quid indignum maiestate & temperantia matrimonij admittant.

D. Amb. lib. de Philosophia, quem etiam Augustinus contra Iulian. li. 2. vocat adulterum vxoris eum, qui in vsu coniugali nullam verecundiæ vel honestatis curam habet.

Postremò notandum, quòd hic vetat omnem etiam internam lasciuiam. Deus enim ait etiam Animæ. *Non mœchaberis* Ideo Christus Matt 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam adulterium cum ea commisit in corde suo.*

OCTAVVM PRÆCEPTVM.

Non furtum facies.

Finis præcepti est: Quoniam abominationi est Deo iniustitia, vt reddatur vnicuique, quod suum est.

Summa igitur erit, Nos vetari, rebus alienis inhiare, ac proinde iuberi, suis vnicuique conseruandis bonis fidelem operam impendere. Sic enim cogitandum est, vnicuique euenisse quod possidet, non fortuita sorte, sed ex distributione Dei: non posse igitur præuerti malis artibus facultates cuiuspiam, quin fraus diuinæ dispensationi fiat.

Quot furtorum sint genera.

Sunt autem furtorum genera multa. *Vnum* est in violentia, cùm vi quacunque & prædatoria licentia, aliena diripiuntur. *Secundum* in malitiosa impostura, vbi fraudulenter intercipiuntur. *Tertium* in tectiori calliditate, vbi per speciem iuris excutiuntur. *Quartum* in blanditiis, vbi sub donationis prætextu emunguntur. *Denique* artes omnes, quibus proximorum bona ad nos deriuantur: vbi à sinceritate dilectionis, ad fallendi, aut quouis modo nocendi cupiditatem obliquant, pro furtis habendæ sunt. In forensi certamine obtineant licèt: apud Deum tamen pro furtis sunt & æstimantur. Deus enim videt longas captiones, quibus simpliciorem animum homo vafer incipit irretire, donec in suas tandem nassas attrahat. Videt duras inhumanásque leges, quibus potentior tenuem vrget ac præcipitat. Videt illecebras, quibus tanquam hamis imprudentem astutior inescat: quæ omnia latent humanum iudicium, nec in cognitionem veniunt. Et hæc quoad modos varios furandi. Tu ergo furaris, quoties malitiosa impostura bona proximi fraudulenter intercipis: furaris, cum tectiori calliditate per speciem iuris attrahis, &c.

In quibus rebus furtum fieri possit.

Quantum verò ad res furandas, notandum, quòd hæc iniuria proximo, & furtum, fit non solùm in pecunia, agris, mercibus: sed etiam in iure cuiusque, id est, cùm non præstamus proximis nostris officia illa, quibus erga eos obstringimur, illos fraudamus suo bono, & suum bonum illis furamur. v. g. Si procurator, aut villicus otiosus vorat Domini substantiam, nec ad rei familiaris curam intentus est, & commissas sibi facultates vel iniuria dissipat, vel luxuriosè profundit. Si seruus Dominum ludibrio habet, si eius arcana diuulgat, si vllo modo tum vitam, tum bona eius prodit. Si Dominus familiam immaniter vexat, furti omnes ij apud Deum tenentur. Alienum & retinent & præuertunt, qui non exequuntur, quod ex suæ vo-

cationis munere aliis debent.

Quomodo hoc præceptum ritè seruari poßit & debeat.

Ritè ergo huic mandato parebimus, si hæc, quæ sequuntur, seruabimus.

1. Si nostra sorte contenti, nullum nisi honestum & legitimum lucrum facere studeamus: si non appetamus cum iniuria ditescere: si non moliamur fortunis diruere proximum, quo res nobis accrescat: si non crudeles opes, & ex aliorum sanguine expressas, cumulare contendamus: si non intemperanter vndecunque per fas & nefas corradamus, quo vel expleatur nostra auaritia, vel prodigentiæ satisfiat.

2. Verùm è conuerso, si sit nobis perpetuò hic scopus, omnes, quoad licet, consilio atque ope fideliter in retinendis suis iuuare.

3. Quod si cum perfidis & fallacibus negotium nobis fuerit, ex nostro potius aliquid cedere parati simus, quàm vt contendamus cum illis.

4. Si quos rerum difficultate videmus premi, eorum necessitatibus communicemus ac nostra copia subleuemus eorum inopiam.

5. Denique, si vnusquisque respiciat, quatenus ex officio aliis sit obligatus, & quod debet, fide bona persoluat. Hoc vltimo modo cùm ait, *Non furtum facies*, quid vult significare? nisi ô popule, omnes tibi præfectos habeas in honore, eorum dominationem æquo animo feras: legibus & iussis pareto: nihil detrectato, quod propitio Deo ferre potes. Quod si non feceris, furtum fecisti Dominis tuis, in iure & officio.

Rursus ô Domini & Principes plebis vestræ curam sustinete: publicam pacem conseruate: bonis præsidio estote, malos coërcete: sic omnia administrare, quasi supremo iudici Deo functionis vestræ rationem reddituri. Sin aliter, furtum fecistis populis vestris.

O Ecclesiarum Ministri, fideliter verbi ministerio incumbite: salutis doctrinam ne adulteretis, sed puram & sinceram populo prædicate: nec doctrina solum, sed vitæ exemplo populum instituite: estote vt pastores erga oues.

Rursus ô populi, eos pro Apostolis suscipite: iis eum honorem reddite, quo Dominus eos dignatus est: quæ eorum vitæ necessaria sunt, præbetote. Ita patres erga filios, filij erga patres officio suo fungantur, vt docet D. Paulus Ephe. 6. Ita serui erga dominos, & domini erga seruos: Mariti erga vxores, & è contra, iuniores erga senes, & senes erga iuniores. Denique vnusquisque in suo ordine cogitet, quid aliis debeat, & quod debet, soluat: alioqui furti rei sunt apud Deum.

Notandum autem etiam hic, quòd legislator non tantùm corpori dicit, *Non furtum facies*, sed maximè animæ. Ergo semper cogitandum de tuendis rebus proximi, non autem tollendis.

NONVM PRÆCEPTVM.

Non eris aduersus proximum tuum testis mendax.

Finis præcepti est: Quoniam mendacium Deus, quia veritas est, execratur, veritatem sine fuco esse inter nos colendam.

Summa igitur erit, ne vel calumniis, falsisque criminationibus violemus alicuius nomen: vel mendacio in suis fortunis grauemus: denique ne maledicentiæ & procacitatis libidine quempiam lædamus. Cui interdicto cohæret imperium, vt vnicuique fidelem operam, quoad licet, in asserenda veritate commodemus, ad tuendam & nominis & rerum suarum integritatem. Exod. 23. sensum huius mandati videtur Deus exponere voluisse his verbis, *Non suscipies vocem mendacij: nec iunges manum tuam vt pro impio dicas falsum testimonium.* Item, *mendacium fugies.* Item alio loco, à mendacio nos reuocat, non ea solùm parte, ne simus criminatores ac susurrones in populo: sed ne quis decipiat fratrem suum. Vtrumque enim distinctis mandatis cauet.

Sanè dubium non est, quin hic falsitatem coërceat, cuius duo sunt membra, vt tetigimus: Aut enim malignitate & obtrectandi prauitate delinquimus in famam proximorum: aut mentiendo, interdum & obloquendo detrahimus eorum commodis. Nihil autem interest, iudiciarium ne & solenne testimonium hic nominari putes, an vulgare, quod in priuatis sermonibus fertur. Semper enim eò recurrendum est: ex singulis vitiorum generibus speciem vnam, exempli loco, proponi, ad quam cæteræ referantur. Eam autem potissimùm deligi, in qua vitij turpitudo maximè emineat. Quanquam generalius ideò accipere malo, quòd forensis testimonij falsitas nunquam periurio caret: periuriis autem in mandato tertio est obuiatum. Legitima igitur præcepti obseruatio est, vt lingua in asserenda veritate, proximorum tum bonæ famæ, tum vtilitatibus seruiat. Æquitas autem maxima est. Nam si melius est bonum nomen, quàm diuitiæ multæ: ergo non minus læditur homo, cùm spoliatur nominis integritate, quam si fortunis priuatur, in quibus etiam diripiendis non minus interdum lingua, quàm manuum rapacitate proficitur. Et tamen mirum, quàm passim hac in re peccetur.

Maledicentia ergo in vniuersum hoc præcepto damnatur. Maledicentiam autem intelligimus, non obiurgationem, quæ fit castigandi studio: non accusationem aut iudiciariam denunciationem, qua remedium malo quæritur: non publicam reprehensionem, quæ ad incutiendum cæteris peccatoribus terrorem tendit: non manifestationem apud eos, quorum salutis interest, præmonitos fuisse, ne ignorantia periclitentur: sed odiosam criminationem, quæ ex malignitate, & obtrectandi petulantia nascitur.

Item hoc mandato prohibetur etiam scurrilis vrbanitas & amaris lœdoriis tincta, quibus aliorum vitia, sub imagine lusus mordaciter perstringuntur: Ita enim sæpe fratres læduntur in nomine. Item prohibetur auiditas audiendarum obtrectationum, & importuna ad sinistra iudicia propensio. Deus enim non tantùm odit maledicentiæ in lingua morbum: sed etiam malignitatis in animo vitium.

Quare si verus est timor Dei atque amor in nobis, demus operam quantum fert charitas, ne maledictis, & amaris salibus linguam vel aures præbeamus: ne obliquis suspicionibus temerè mentem permittamus: sed æqui erga omnium dicta & facta interpretes, tum iudicio, tum auribus, tum lingua, saluum illis suum honorem candidè seruemus.

DECIMVM PRÆCEPTVM.

Non concupisces domum proximi tui, &c.

Finis præcepti est: Quoniam totam animam dilectionis affectu possideri vult Deus, omnem aduersam charitati cupiditatem ex animis excutiendam.

Summa igitur erit: ne qua cogitatio nobis irrepat, quæ noxia & in alterius detrimentum vergente concupiscentia animos nostros commoueat. Cui respondet ex aduerso præceptum, vt quicquid concipimus, deliberamus, volumus, meditamur: id cum proximorum bono & commoditate sit coniunctum.

Sed hic surgit *quæstio* ac difficultas magna & perplexa. Si verè superius dictum est, quod sub scortationis & furti vocabulis, scortandi libido, & nocendi fallendique consilium cohibetur: ergo superuacuum videri potest, vt nobis postea seorsum alienorum bonorum concupiscentia interdiceretur. Sed nodum istum facilè soluit distinctio inter consilium, & concupiscentiam.

Consilium, (qualiter de eo in superioribus præceptis locuti sumus) est deliberata voluntatis consensio, vbi animũ libido subiugauit. Cupiditas verò, siue concupiscentia, citra talem & deliberationem, & assensionem esse potest, cùm animus vanis peruersisque obiectis pungitur tantum & titillatur. Sicut ergo voluntatibus, studiis, operibus, charitatis regulam præesse hactenus Dominus iussit: ita ad eandẽ nunc dirigi animi conceptiones iubet, ne sint vllæ prauæ & contortæ, quæ animum aliorsum exstimulent. Sicut animũ inflecti atque induci in iram, odium, scortationem, rapinam, mendacium vetuit: ita nunc prohibet instigari.

Cur tantam rectitudinem exigat Deus à nobis, vt ne titillari quidem cupiditatibus animum nostrum velit.

Neque vero sine causa tantam rectitudinem exigit. Nam quis æquum esse neget, vt omnes animæ potentiæ, charitate occupentur? si qua autem potentia à charitatis scopo aberraret, quis morbosam esse eam inficietur? Iam verò vnde fit, vt animum tuum subeant cogitationes & cupiditates fratri tuo damnosæ, nisi quòd neglecto illo, tibi vni studes? si enim charitate totus esset imbutus animus: nulla eius particula talibus imaginationibus pateret. Vacuum ergo eatenus charitate esse oportet animum, quatenus concupiscentiam recipit.

1. At non tamen consentaneum est, vt phantasiæ, quæ temerè

temerè volutantur in membris, & tandem euanescunt, pro concupiscentiis, quarum sedes in corde est, damnentur.

Resp. Hic est quæstio de eius generis phantasiis, quę dum mentibus obuersantur, simul animum cupiditate mordent ac feriunt: quandoquidem nunquam in mentem venit optare aliquid, quin cor excitatum sentiat. Mirabilem ergo Dominus charitatis ardorem mandat, quem ne minimis quidem concupiscentiæ tricis vult impediri. Animum mirificè compositum requirit, quem ne leuibus quidem aculeis commoueri contrà dilectionis legem patitur.

2. At quomodo hoc præcepto ait, quòd Dominus prohibeat omnem concupiscentiam, & omnem prauam cupiditatem, cùm nominet ea, quæ prohibere voluit, dicendo, *Non concupisces domum proximi tui, neque vxorem, &c.*

Resp. Etsi consilium Domini fuit interdicere qualibet praua cupiditate: tamen ea obiecta in exemplum proposuit, quæ falsa delectationis imagine nos vt plurimum capiunt, ne quid cupiditati prorsus relinqueret, vbi ab iis rebus eam retrahit, in quas potissimum insanit & exultat.

Hæc est secunda legis tabula, in qua satis admonemur, quid hominibus debeamus propter Deum, à cuius consideratione pendet tota charitatis ratio. Quare frustra inculcauerit quæcunque in hac tabula docentur, officia: nisi doctrina tua Dei timore & reuerentia tanquam fundamento subnitatur.

DE FINE LEGIS.

Quòd scopus totius legis sit, vt hominis vitam ad diuinæ puritatis exemplar formet, atque ita eum vitæ sanctitate cum Deo iungat.

Quorsum verò spectet lex vniuersa, non erit nunc difficile iudicium: nempe in iustitię complementum, vt hominis vitam ad diuinæ puritatis exemplar formet. Ita enim suum ingenium Deus illic delineauit, vt si quis factis quicquid illic præcipitur, repræsentet, imaginem Dei quodam modo sit in vita expressurus. Quare Moses, cùm illius summam reducere Israelitis in memoriam vellet Deut. 10. *Et nunc (inquit) Israel, quid petit abs te Dominus Deus tuus, nisi vt timeas Dominum, & ambules in Viis eius, diligas eum, ac seruias ei in toto corde, & in tota anima, custodiásque mandata eius?* Nec cessabat eadem occinere illis, quoties indicandus erat legis scopus. Huc itaque respicit legis doctrina, vt hominem vitæ sanctitate cum Deo suo coniungat, & cohærere faciat.

Quòd legis summa in duo capita resoluatur.

Porrò eius sanctitatis perfectio in duobus iam recitatis capitibus sita est, nempe, vt diligamus Deum ex toto corde, &c. & proximum sicut nos ipsos Ac primum quidem est, vt Dei dilectione anima nostra omni ex parte impleatur. Ex ea protinus vltro fluit proximi dilectio. Hoc ostendit Apostolus, cùm scribit 1. ad Timoth. 1. *Finis autem præcepti* (id est legis) *est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* En quòd in capite collocat conscientiam & fidem non fictam, id est, veram pietatem. Inde verò ait deduci charitatē. Ergo charitas in proximum nascitur à fide vera, & pietate.

Quòd lex non tradat rudimenta iustitiæ, sed perfectionem iustitiæ.

Fallitur ergo, qui putat, rudimenta quędam & primordia iustitiæ duntaxat in lege tradi, quibus homines ad tyrocinium inchoentur, non etiam dirigantur ad rectam bonorum operum metam: quando vltra illam Mosis, & hanc Pauli sententiam, ad supremam perfectionem nihil desiderare queas, quod in lege non tradatur. Quò enim, quæso, procedere volet, qui ista institutione non erit contentus? qua homo ad timorem Dei, ad spiritualem cultum, ad mandatorum obedientiam, ad sequendam viæ Domini rectitudinem, denique ad puritatem conscientiæ, ad veram fidem & dilectionem eruditur? Vnde confirmatur illa legis interpretatio, quæ omnia pietatis & dilectionis studia & officia in eius præceptis vestigat & repetit. Qui enim arida, ieiunaque tantum elementa sectantur, ac si dimidia ex parte voluntatem Dei edoceret lex: finem illius (teste Apostolo) nequaquam tenent.

Cur interdum Christus & Apostoli, omissa prima tabula, legis summam in dilectione proximi, id est, in secunda tabula collocent.

Quoniam verò Christus & Apostoli in commemoranda legis summa priorem tabulam interdum prætermittunt, ea in re multi hallucinantur, dum eorum verba ad vtramque tabulam trahere volunt, Matth 23. *Væ vobis &c. reliquistis, quæ grauiora sunt legis, iudicium, misericordiam, & fidem.* Vide, quæ vocet præcipua legis. Et per fidem intelligit veritatem, quæ seruatur proximo: non autem fidem in Deum. Christus enim de iis operibus disserit, quibus homo se iustum approbare debet Hanc rationem si obseruemus, desinemus etiam mirari, cur alibi roganti adolescenti, quæ sint mandata, quorum obseruatione ad vitam ingredimur, hæc sola respondeat, Matth. 19. *Quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* ait, *si vis ad vitam ingredi, serua mandata* Quę? ait, *Non occides: Non mœchaberis.* Cur præcepta primæ tabulæ omittit? Resp. quia primæ tabulæ obedientia aut in cordis affectu, aut in ceremoniis ferè erat. Cordis affectus non apparebat: ceremoniis hypocritæ assiduè incumbebant. At opera charitatis talia sunt, vt solidam iustitiam per se testentur.

At dices, ergóne pluris est ad iustitiæ summam cum hominibus innocenter viuere, quàm pietate Deum honorare?

Resp. Minimè. Sed quia nemo charitatem per omnia custodit, nisi etiam Deum seriò timeat: ideò ex charitate, pietatis quoque approbatio sumitur. Item, huc accedit, quòd Dominus, cum probè nouerit, nihil beneficentiæ a nobis ad se ipsum peruenire posse, id quod & per Prophetam Psal. 16. testatur: ideò non sibi officia nostra deposcit: sed erga proximum bonis operibus nos exercet. Itaque non sine causa totam sanctorum perfectionem in charitate Paulus reponit. Rom. 13 *Qui diligit proximum, legem impleuit Nam non adulterabis, &c. in hoc verbo instauratur, diliges proximum, &c. Plenitudo ergo legis, est dilectio* Gal. 5. *Omnis lex in vno sermone impletur, diliges proximum, &c.* Coloss. 3. *super omnia autem hac, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis* Matth. 7. *Quæcunque vultis, vt faciant vobis homines: eadem facite illis. Hæc enim lex & Prophetæ.* Certum est in lege & Prophetis primum locum tenere fidem, & quicquid ad legitimum Dei cultum pertinet: secundum vero locum tenere dilectionem. Sed intelligit Dominus in lege tantùm præscribi nobis iuris & æquitatis inter homines obseruantiam, qua ad testandam Dei fidem & timorem, si quis in nobis est, exerceamur.

Hic ergo hæreamus, tum optimè ad Dei voluntatem legísque præscriptum, compositam fore vitam nostram, cùm fuerit fratribus nostris omni ex parte fructuosissima.

Cur Deus nullum præceptum dederit de diligendis nobis ipsis, sed tantùm de Deo & proximo.

At cur Deus nullum de nobis ipsis diligendis præceptum dedit: nullamque nobis regulam statuit de iis rebus, quas facere debeamus aut omittere, carnis nostræ commodo?

Resp. Quoniam ità nati sumus omnes, vt in amorem nostri plus æquo toti proni feramur, ita vt quantumuis à veritate excidamus, eum semper tamen retineamus: ideo nulla fuit opus lege, quæ amorem hunc nostri sponte sua immodicum, magis inflammaret. Hinc manifestum fit, quod non nostri ipsorum, sed Dei & proximi amor, est obseruatio mandatorum: & quod optimè ac sanctè is viuit, qui quàm minimum fieri potest, sibi viuit ac studet, sua que duntaxat cogitat ac quærit. Quin etiam, quo magis exprimeret Dominus, quanta propensione in proximum dilectionem nos agi oporteret, ad nostri amorem, qua nullum habebat vehementiorem aut validiorem affectum, tanquam ad regulam, exegit, dicendo, *Diliges proximum sicut te ipsum*: quasi dicat, Si nescis, quantum diligere debeas, attende te ipsum, & totum amorem, quo naturaliter in te ipsum afficeris, ad proximum tuum transfer. Non enim hac locutione priores partes τῇ φιλαυτίᾳ concedit, & secundas charitati assignat, sed potius: quem naturaliter amoris affectum trahimus ad nos ipsos, eum ad alios, id est, ad proximos nostros transfert. Ideo 1 Cor. 13. *Charitas non quærit quæ sua sunt*, ait Paulus.

At regulatum semper est inferius sua regula.
Amor autem proximi regulatur amore nostri.
Ergo amor nostri maior & superior esse debet.

Resp. Negatur Minor, Non enim hîc Dominus statuit regulam in amore nostri, cui charitas erga alios subesset: sed vbi naturali prauitate solebat amoris affectus in nobis residere, ostendit alio iam oportere diffundi, vt non minori alacritate, ardore, solicitudine parati simus ad benefaciendum proximo, quàm nobis ipsis.

Quis per proximum intelligatur.

Per proximum autem intelliguntur omnes homines, siue amici, siue inimici, siue Græci, siue Barbari, siue boni, siue mali sint. Mat. 5. *Audistis, quia dictum est, diliges proximum &c. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Cum ibi legem interpretetur Christus: per proximum intelligi debere, ait etiam inimicos, contra Pharisæorum interpretationem. Luc. 10. apertè declarat, quis sit proximus noster, similitudine de Samaritano. *Quis est meus proximus? ait. Homo quidam descendebat de Hierusalem:* quasi dicat, sicut Samaritanus benefecit illi Iudæo, non attendens quis esset, amicus ne vel inimicus: Iudæus an Samaritanus: sed simpliciter attendens, quòd homo erat, atque ita proximus suus: *ita & tu vade, & fac similiter*, scilicet benefaciens omnibus hominibus, quia omnes homines sunt tuus proximus.

Quòd præceptum de dilectione, ad omnes homines, etiam inimicos, extendatur.

Cùm ergo proximus sit omnis homo, etiam inimicus: præcipiatur autem nobis, vt diligamus proximum: Ergo diligendi etiam sunt inimici ex præcepto Domini. Non nego, vt quisque est nobis coniunctissimus: ita officiis nostris esse familiariùs adiuuandum. Ita enim fert humanitatis ratio, vt eò plura homines inter se officia communicent, quò arctioribus inter se aut cognationis, aut familiaritatis, aut viciniæ vinculis connectuntur, atque id nulla Dei offensione, cuius prouidentia huc quodammodo adigimur. Sed dico vniuersum hominum genus, nulla exceptione, vno charitatis affectu esse complexandum. Nullum hic discrimen esse debet Græci aut Iudæi, boni aut mali: quoniam non in se ipsis, sed in Deo considerandi sunt: à quo intuitu dum deflectimus, non mirum est, si multis erroribus implicamur. Quare, si veram diligendi regulam tenere libet: non in hominem potissimùm conuertendi sunt oculi, cuius aspectus sæpiùs odium, quàm amorem exprimeret: Sed in Deum, qui amorem, quem sibi deferimus, ad vniuersos homines diffundi iubet. Vt sit hoc perpetuum fundamentum: Qualiscunque sit homo, diligendum tamen esse, quia diligitur Deus.

Quod illud Matt. 5. Diligite inimicos vestros, sit præceptum, non autem consilium.

Illud ergo Christi Matt. 5. *Diligite inimicos vestros*, præceptum est, non consilium. Hoc patet.

1. Præceptum est, vt diligamus proximum: Proximus sunt etiam inimici: ergo, &c.

2. Nullum præceptum morale in lege veteri Christus abstulit aut immutauit in consilium, suo aduentu. Sed in lege veteri expressè præceptum est, vt diligantur inimici, & illis benefiat, vt mox ostendam. Ergo, dum ait Christus, *Diligite inimicos vestros*, non dat consilium, nec nouum præceptum, sed præceptum legis explicat, quæ dicit, *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.*

Quòd autem præceptum sit in lege expressum de dilectione inimicorum, patet. Prouerb. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, da ei aquam bibere.* Exod. 22. *Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo.* Belluis ne in eius gratiam benefaciemus, nulla in ipsum beneuolentia? Leuitic. 19. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, &c.* Item, *Ne quæras vltionem: nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* Deut. 32. *Mea est vltio & ego retribuam.* Rom. 12. *Mihi vindictam, & Ego retribuam, dicit Dominus.*

D. Chrysostomus ait esse præceptum, lib. de compunct. cordis, & ratiocinatur sic.

3. Dominus ait, *Diligite inimicos vestros, &c.* cur? *vt sitis (inquit) filij patris vestri.*

Ergo si non diligimus, & non benefacimus inimicis nostris, non erimus filij Dei. Ergo vt simus filij Dei, necesse est diligamus inimicos.

Gregorius item pro præceptis habet, quæ in eo sermone super montem habentur.

4. Necesse est, vt Ecclesia in dilectione proximi differat ab Ethnicis & publicanis. Ethnici autem diligunt amicos suos. Ergo, &c. Ideò Matth. 5. *Si enim diligetis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt?* quasi dicat, Non habebitis hæreditatem cœlestem, nisi diligatis inimicos vestros. Vt ergo habeamus hæreditatē cœlestem, oportet diligamus inimicos nostros.

5. Augustinus de doctrina Christiana lib. 1. c. 30. sic ratiocinatur: *Cùm scortari (inquit Augustinus) Dominus vetat, non inimici minus, quàm amici vxorem attingere prohibet. Cùm furtum interdicit, nihil omnino furari permittit, siue ab amico, siue ab inimico.* Hæc autem duo non furari, & non scortari, ad dilectionis regulam reuocat Paulus: imò docet sub hoc mandato contineri, *Diliges proximum tuum, &c.* Ergo aut falsum legis interpretem fuisse Paulum oportet: aut necessariò hinc conficitur, diligendos quoque esse inimicos ex præcepto, sicut amicos.

Cur ergo quidam hoc iugum excutere conantur Christiani, dicentes esse consilium, cui parêre, vel non parêre, liberum sit?

At (inquiunt) nimis durum est, si est præceptum, præsertim Christianis, qui sunt sub gratia.

Resp. *Primò*, grauitas non impedit, quin sit præceptum. Quid enim grauius, quàm diligere Deum ex toto corde, &c. & tamen præceptum primum, & maximum est? Omnia certè imbecillitati nostræ ardua sunt, & difficilia vel ad minimum vsque legis apicem: Sed Dominus est, qui dat gratiam. Det ille quod iubet, & iubeat quod velit.

Secundò, Christianos esse sub gratia, non impedit, quin sibi imponatur hoc præceptum, & alia etiam grauiora. Nam sub lege gratiæ esse Christianos, non est effrenarè sine lege vagari: sed Christo insitos esse, cuius gratia à legis maledictione liberi sint: & cuius Spiritu legem habeant in cordibus inscriptam. Hanc gratiam impropriè legem vocauit Paulus alludens ad legem Dei, cui per contentionem eam opponebat.

Quòd subiti concupiscentiæ motus sint contra legem, eoque peccata: & quòd qualiscunque legis transgressiuncula, suapte natura sit peccatum mortale.

Cùm supra dixerimus, vetari vltimo præcepto omnes concupiscentiæ motus, & titillationes: ergo sequitur omnes vel subitos concupiscentiæ motus contra legem esse, ideoque & peccata, eoque morte digna.

At dices, admittam esse peccata; sed venialia. Sunt enim sine deliberato assensu motus illi subiti.

Resp. Si lex prohiberet tantùm deliberatum assensum istis motibus: vtique non essent peccata mortalia. Cùm autem prohibeat etiam ipsos motus, licet non adsit assensus: mortem autem minetur omni qualicunque transgressioni, ergo & tales cupiditates sunt peccata mortalia. Isti enim motus ne subire quidem possent, nisi ob defectum eorum, quæ in lege requiruntur. Ergo peccata sunt.

Exempla.

Vetamur alienos habere Deos in primo præcepto. Cùm mens diffidentię machinis perculsa, aliò circumspectat: cùm subita cupidine aliò transferendæ suæ beatitudinis incessitur: vnde isti quamlibet euanidi motus? nisi quia est aliquid in anima vacuum ad recipiendas huiusmodi tentationes.

Præceptum est de diligendo Deo ex toto corde, &c. Nisi ergo omnes animæ potentiæ in Dei amorem intenduntur, iam discessum est à legis obedientia. Ratio est: quia Deo non bene stabilitum in conscientia nostra thronum arguunt, qui illic insurgunt aduersus regnum eius hostes, eiusque dicta interpellant.

Mandatum verò vltimum propriè huc pertinere, demonstratum est. Pupugit nos animi aliquod desiderium? Iam concupiscentia rei tenemur, ac simul constituimur legis transgressores. Quia Dominus non tantùm deliberare & machinari, quod sit in iacturam alterius, vetat: sed concupiscentia etiam stimulari & æstuare. Legis verò transgressioni maledictio Dei semper incumbit. Ergò non est, quòd vel leuissimas cupiditates iudicio mortis eximamus.

Augustin. lib. 2. de baptismo paruulorum contra Donatist. cap. 6. ait: *In æstimandis peccatis non afferamus stateras dolosas, vbi appendamus quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio nostro, dicentes: hoc graue, hoc leue est: sed afferamus stateram diuinam de scripturis sanctis, tanquam de thesauris dominicis: & in illa, quid sit grauius appendamus: imò non appendamus, sed à Domino appensa, recognoscamus.* Vtinam reputarent omnes illud Matth. 5. *Qui ergo solueris vnum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Ex horum numero sunt illi, qui sic legis transgressionem extenuare student, ac si digna morte non sit. Oportet considerare non simpliciter, quid præcipiatur: sed quisnam is sit, qui præcipit: quia in qualicunque legis

ab eo

ab eo mandatæ transgressiuncula, eius authoritati derogatur. Estne autem paruin, Dei maiestatem vlla in re violari?

Item, si suam in lege voluntatem exposuit Deus: quicquid legi contrarium est, illi displicet. An iram Dei sic exarmatam fingemus, vt non mortis vindicta protinus consequatur?

Item Ezech.18. *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.* Rom. 9. *Stipendium peccati mors.*

Ergò omne peccatum suapte natura dignum est morte:

Conclusio. Ergò ita se res habet. Omne peccatum mortale est suapte natura: quia est aduersus Dei voluntatem rebellio, quia eius iram necessariò prouocat. Item, quia est legis præuaricatio, in quam edictum est sine exceptione Dei iudicium. Sanctorum autem delicta, venialia sunt, non ex suapte natura: sed quia ex Dei misericordia veniam consequuntur.

Quòd absoluta legis obseruantia, perfecta sit coram Deo iustitia, quam manet æterna remuneratio.

Ex eo, quòd supra diximus, perfectionem institiæ in lege nos edoceri, istud etiam consequitur, absolutam eius obseruationem, perfectam esse coram Deo iustitiam, qua scilicet homo apud cœleste tribunal iustus censeatur ac reputetur. Nec refragari licet, quin iustam legis obedientiam maneat æternæ salutis remuneratio, sicut à Domino promissa est: Ideo Moses lege promulgata contestatur cœlum & terram, quòd proposuerit Israeli vitam & mortem, bonum & malum Deut. 30. *Testes inuoco hodie cœlum & terram, quòd proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem, & maledictionem.*

Quòd nemo legem perfectè impleat: ac ob id omnes sub maledictione concludamur.

Verùm cùm nemo mortalium eam impleat, aut implere possit: sequitur, quòd omnes à vitæ promissionibus exclusi, sub æterna maledictione concludimur. Licet enim lex perfectam iustitiam doceat nos: ita tamen imbecillis est ob carnem nostram, vt nobis præstare vires non possit, quibus eam obseruemus. Atque ita si in legem duntaxat intuemur, nihil aliud possumus, quàm animum despondere, confundi ac desperare, cùm ex ea damnemur omnes ac maledicamur, & à beatitudine, quam suis cultoribus proponit, arceamur.

At ergone ita nos ludificatur Deus? Quod enim ludibrium est hoc, spem felicitatis ostentare, ad eam inuitare & hortari, testari illam nobis expositam: cùm tamen interim præclusus sit & inaccessus ingressus.

Resp. Etiamsi promissiones legis, quatenus conditionales sunt, à perfecta legis obedientia dependeant, quam nullibi est reperire: non tamen frustrà datæ sunt. Vbi enim didicimus, irritas nobis fore & inefficaces, nisi gratuita sua bonitate citra intuitum operum nos Deus amplexetur: atque ideo illam bonitatem nobis per Euangelium exhibitam, fide sumus amplexati: ne ipsis quidem deest sua efficacia, etiã cum sua annexa conditione. Sic enim tum omnia nobis gratuitò confert, vt hoc quoque ad cumulum suæ beneficentiæ adiungat, quòd semiplenam nostram obedientiam non respuens, & quod deest complemento, remittens, perinde atque à nobis impleta conditione, legalium promissionum fructum percipere nos facit.

Vtrum lex sit impossibilis seruatu.

Videtur, quòd non sit impossibilis. Nam Hieronymus ait: *Quicunque dixerit, legem impossibilem esse, anathema sit.*

Sed contrà est sacra scriptura, quæ ait, legem esse impossibilem homini in hac vita. Rom. 8. *Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, &c.* Matth. 19. *Quis potest saluus fieri?* Respondet Iesus, *quod impossibile est apud homines, possibile est apud Deum.* Si ergò impossibile est saluari: ergò etiam impossibile est seruare legem. Gal. 3. *Quicunque sub lege sunt, sub maledicto sunt.* Cur? *Quia lex dicit, Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, &c.* Ergo quicunque sub lege sunt, non permanent in omnibus, quæ scripta sunt in lege, vt faciant ea. Sub lege autem sunt omnes homines, qui sunt sine Spiritu sancto. Ergò homini, lex impossibilis est seruatu, si suæ impotentiam naturæ spectet.

Augustin. de Spiritu & litera, in fine, concludit validissima ratione, nunquam in hac carne reddere nos, quem debemus, legitimum Dei amorem, dicendo: *Amor notitiam ita sequitur, vt Deum, amare nemo perfectè possit, qui non cognitam prius ad plenum habuerit eius bonitatem.* Nos dum in hoc Mundo peregrinamur, cernimus per speculum, & in ænigmate.

Sequitur ergò, imperfectum esse nostrum amorem.

Si imperfectus est amor. Ergo lex impossibilis seruatu in hac vita.

Idem Augustinus de natura & gratia respondet Pelagianis sic: Dominus si vellet, posset hominem mortalem, in Angelicam puritatem euchere, atque ita facere, vt perfectè seruaret legem: sed neque fecit vnquam, neque vnquam facturus est, quia aliter in sacra scriptura asseruit Dominus. Ergò: &c. Augustinus igitur veretur vti hac locutione absoluta: Fieri non potest, vt lex obseruetur perfectè.

Ego respondeo, importunè de potentia Domini disputari, vbi constat illum dixisse, aliquid nunquam futurum esse. Videtur ergo mihi posse dici, id fieri non posse, quod nunquam futurum sacræ scripturæ pronunciant. Nam impossibile appello, quod nec fuit vnquam, & ne in posterum fit, Dei dispensatione impeditur. Nullus autem vnquam salnus fuit, qui ad hunc dilectionis scopum peruenerit, vt Deum ex toto corde dilexerit, quam diu hac carne circumdatus fuit. Item, nemo fuit, qui non concupiscentia laboraret. Item, Nemo vnquam erit, qui ad hunc dilectionis scopum peruenturus sit, nisi hac carne & concupiscentia liberatus. Audi sacram scripturam.

1. Reg 8. *Non est homo iustus super terram, qui non peccet.* Psal. 143. *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Gal. 5. *Caro concupiscit aduersus Spiritum, &c.*

Impossibile ergò est in hac vita legis complementum, si naturæ nostræ impotentiam intuemur.

At quorsum ergo data lex? Resp.

DE VSV LEGIS, SIVE LEGIS OFFICIO.

Propter tria potissimum officia data fuit lex.

Primò, Vt dum iustitiam Dei ostendit, id est, quæ sola Deo accepta est, suæ vnumquemque iniustitiæ admoneat, certiorem faciat, conuincat denique atque condemnet. De hoc primo officio legis ait Paulus, *Per legem enim cognitio peccati.* Rom. 3.

Hoc necesse erat propter duo, id est, vt duplici superbia exueretur homo. 1. vt agnosceret impotentiam suam ad bonum, atque ita exspoliaretur superbia, qua nimium de suis viribus præsumebat. Homo enim cæcus, & sui amore ebrius, naturaliter insana virium suarum confidentia inflatus est: & quantisper eas arbitrij sui modo metitur, adduci non potest, vt de earum tenuitate sentiat: Vt ergo exuatur hac superbia, & vana virium suarum confidentia: oportet vt euidenter vanitas eius arguatur, conuincatur, atque ad suæ imbecillitatis notitiam & confessionem adigatur. Ad hoc autem adigitur per legem. Nam qui vires suas ad legis difficultatem comparare cœpit: habet illic, quòd ferociam suam minuat: quia licet de illis antè ingentem opinionem præsumserit: tamen mox ea sub tanto pondere legis sentit primò anhelare: secundò titubare: tertiò labascere: quartò tandem concidere ac deficere. Sic legis magisterio eruditus exuit illam, qua priùs cæcutiebat, arrogantiam.

2. Vt agnosceret impuritatem suam: atque ita exueretur superbiã alterã, qua nimium de sua sanctitate præsumebat. Homo enim, quandiu iudicio suo stare permittitur, hypocrisin pro iustitia comminiscitur, qua contentus, factitiis nescio quibus iustitiis aduersus Dei gratiam erigitur. Postquam vero ad legis trutinam examinare vitam suam cogitur, omissa commentitiæ illius iustitiæ præsumtione, immenso spacio se abesse à sanctitate cernit: rursus infinitis vitiis abundare se, quibus purus anteà videbatur. Nam tam profundis ac sinuosis recessibus absconduntur concupiscentiæ mala, vt hominis aspectum facilè fallant. Nec sine causa ait Paulus Rom. 7. se concupiscentiam ignorasse, nisi lex diceret, *Non concupisces*: quia nisi per illam retegatur ex latebris suis, occultius miserum hominem perdit, quàm id exitiale eius telum sentiatur. Ita lex instar est speculi alicuius, in quo nostram impotentiam primò: secundo ex hac, nostram iniquitatem: tertio ex vtraque maledictionem contemplamur: sicut oris nostri maculas speculum nobis repræsentat. Quem enim ad sequendam iustitiam facultas destituit, hic in luto peccatorum defixus hæreat necesse est. In peccatis vero defixum & hærentem, maledictio statim consequitur. Ideo quo maioris transgressionis deprehensos conuictósque lex tenet, eo grauioris simul iudicij reos tenet & agit.

Hoc est *primum* legis officium, de quo Rom. 3. *Per legem*

cognitio peccati. Rom.5. *Lex autem subintrauit, vt abundaret delictum.* Nam eo magis crescit iniquitas, quò liquidiore peccati intelligentia conscientia feritur: eò quòd ad præuaricationem tunc aduersum legislatorem contumacia accedat. Hinc verò quid sequitur? hoc, nempe, vt iram Dei in peccatoris exitium armet: quia nihil per se potest lex, nisi accusare, damnare, & perdere. Ideò Paulus addit Rom.5. *Lex iram operatur,* scilicet Dei contra peccatorem: & quia ira Dei infert mortem, ideò vocat legem mortis ministerium. 2. Cor.3 *Quod si mortis ministerium. &c.*

August. de correct. & gratia. *Si desit Spiritus gratia, in hoc tantum adest lex, vt reos faciat & occidat.*

At hæc dicuntur in contumeliam legis sanctæ, scilicet quòd peccatum arguat, quòd iram operetur, quòd occidat, quòd damnet.

Resp. Nequaquam. Nam quòd peccatum augeat lex, quòd occidat, &c. hoc nō facit ex se ipsa: sed ob defectum carnis nostræ, quæ contra legem nititur. Rom.8 *Nam quod impossibile erat legi, ex quo infirmabatur per carnem, &c.* Rom.7. *Quid ergo? lex peccatum est? absit: sed peccatum non cognoui nisi per legem. Occasione autem accepta per mandatum, peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Imò in maiorem gratiæ commendationem dicuntur, & cedunt. Nam hinc suauior redditur, quæ sine legis subsidio nobis succurrit, Dei gratia: & amabilior, quæ illam confert, misericordia.

Quorsum lex peccati nos arguat, & condemnet.

Sed quorsum Deus voluit, vt lex nos peccati arguat cōdemnétque? Resp. Non quidem vt concidamus desperatione, indéque in præcipitium corruamus: sed vt primo desperantes de nobis ipsis, in solo Deo confidere discamus, atque ad eius misericordiam implorandam excitemur. Secundo: vt inde per fiduciam illam, misericordiam Dei consequamur: Rom.3. ait, quod iudicio quidem legis damnemur, vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis Mundus Deo. Sed idem ait Rom.11. Sed conclusit Deus omnia in incredulitate. Cur? non vt perdat, sed vt omnium misereatur: nempe, vt homines omissa suæ virtutis stolida opinione, sola Dei manu stare se, & consistere intelligant, vt nudi & vacui, ad eius misericordiam confugiant, in hāc se toti reclinent, in hanc penitùs se abdant, hanc vnam pro iustitia & meritis arripiant, quæ omnibus in Christo exposita est, quicunque cum vera fide & expetunt & exspectant. Dominus enim in lege (quoad primum fructū) non nisi perfectæ iustitiæ, qua nos omnes destituti sumus, remunerator: contra autem (quoad secundum fructum) facies eius gratiæ & lenitatis plena erga miseros etiam ac indignos peccatores, relucet.

De primo fructu, id est, de profectu ad implorandam diuini auxilij gratiam: ait Augustinus Hilario, epist.89. *Iubet lex, vt facere iussa conati, & in nostra infirmitate sub lege fatigati, adiutorium gratiæ reposcere nouerimus.*

Item Asellio epist.200. *Vtilitas legis est, vt hominem de sua infirmitate conuincat: & gratiæ medicinam, quæ in Christo est, implorare compellat.*

Item Innocentio Romano epist.95 *Iubet lex: gratia vires agendi subministrat.*

Item de correct. & gratia: *Iubet Deus, quæ non possumus, vt nouerimus, quid ab illo petere debeamus.*

Item in Psal.70. *Data est, vt vos reos faceret: rei facti timeretis: timentes indulgentiam peteretis; de viribus vestris non præsumeretis.*

Item in Psal.118. *Ad hoc data est lex, vt de magno paruulum faceret: vt te ad iustitiam vires de tuo non habere monstraret: ac sic inops, indignus ac egenus ad gratiam confugeres.* Postea sermonem ad Deum dirigit, dicendo: *Ita fac Domine, ita fac misericors Domine. impera quod non possit impleri: imò impera quod non nisi per gratiam tuam possit impleri; vt cum homines id implere per suas vires nequiuerint, omne os obstruatur, & nemo sibi magnus videatur. Sint omnes paruuli, & subditus fiat omnis mundus Deo.*

Item totum librum de Spiritu & litera ad hoc edidit.

De secundo profectu non ita distinctè scripsit, quia sciebat descendere illum à superiore.

At hæc cognitio peccati per legem, & condemnatio non sam parit hos duos profectus in omnibus, vt in reprobis: imo potiùs desperationem, & inde mortem. Ergo, &c.

Resp. Quòd lex id faciat in reprobis, non est ex defectu legis: sed ob suam ipsorum animi obstinationem. Quanquam nec in reprobis primum officium cessat. Nam licet cum filiis Dei non huc vsque proficiant, vt post carnis confusionem: interiore homine renouentur ac resflorescant, sed primo terrore attoniti in desperatione iacent: pertinet tamen ad manifestandam diuini iudicij æquitatem eiusmodi fluctibus eorum conscientias exagitari: si quidem libenter semper cupiunt aduersus Dei iudicium tergiuersari. Nūc illo nondum patefacto, legis & conscientiæ testimonio sic consternati, in se ipsis produnt, quid meriti sint.

DE SECVNDO LEGIS officio seu vsu.

Data fuit lex, vt ij, qui nulla recti iustique cura, nisi coacti tanguntur, dum audiunt diras in lege sanctiones, coerceantur saltem timore pœnarum. De quo officio ait Paulus Gal.3. *Vt quid ergò lex? propter transgressiones (* scilicet coercendas *) posita est.* Quomodo verò coercentur? Non quidem quòd eorum animus interior permoueatur aut afficiatur: sed quòd tanquam iniecto fręno, manus ab exteriori opere continent: suam prauitatem intus cohibent, quam alioqui petulanter effusuri erant. Vnde ex eo nec meliores quidem sunt, nec iustiores apud Deum: quia licet timore impediti suam iniquitatem exercere non audeant, tamen intus habent cor adhuc peccatis æstuans, nec renouatum ad obedientia Dei. Imò quò magis sese retinent: eo fortiùs intus accenduntur, feruent, ebulliunt, parati quiduis facere, & quouis prorumpere, nisi hic terror legis obstaret.

Item, nec id solùm, sed legem quoque ipsam pessimè oderunt, & Deum legislatorem execrantur, ita vt eum, si possent, velint maximè tollere: quem nec recta iubentem, nec suæ maiestatis contemptores vlciscentem, ferre possunt.

Quibus autem inest hic sensus? aliis quidem obscuriùs: aliis autem clariùs: omnibus tamen nondum regeneratis hic sensus inest, vt non voluntaria submissione, sed inuiti ac restitantes, tantùm timoris violentia, ad legis studium trahantur.

Quorsum lex coerceat manum ab iniquitatibus, cùm tamen animum non coerceat, sed prauum relinquat.

At quorsum ergo lex coercet manum, si tamen animum prauum relinquat? ad quid iuuat hæc coacta iustitia?

Resp. *Primò,* hæc coacta expressaque per timorem legis ex impiis iustitia necessaria est publicę hominum communitati, cuius hic tranquillitati consulitur, dum cauetur, ne omnia permisceantur tumultu: quod fieret, si omnia omnibus licerent.

Secundò, etiam filiis Dei non est inutile hac pædagogia exerceri, quantisper ante vocationem, Spiritu sanctificationis destituti, insipientia carnis lasciuiunt. Dum enim diuinę vltionis terrore vel ab externa petulantia retrahuntur, vtcunque nondum animo domini parum in præsentia promoueant: aliqua tamen ex parte ferendo iustitiæ iugo assuefiunt, ne cùm vocati fuerint, sint ad disciplinam ceu ad rem incognitam, rudes prorsus ac nouitij.

De hoc officio propriè loquitur Paulus 1 Timoth 1. *Iusto non est posita lex, sed iniustis, immorigeris plagiariis, &c.* Indicat enim esse legem exultantibus, & sine modo alioqui vagaturis carnis libidinibus, retinaculum.

Quòd lex sit pædagogus ad Christum, duobus hominum generibus.

Ad vtrumque verò accommodari potest, scilicet tam ad officium primum, quàm ad hoc secundum, *illud* quod ait Apostolus, Iudæis fuisse pædagogum. Gal.4. *Itaque lex pædagogus noster fuit ad Christum.*

Duo enim sunt hominum genera, quos ad Christum sua pædagogia lex manu ducit.

Alij (de quibus primo loco diximus) quia propriæ aut virtutis aut iustitiæ fiducia nimis pleni sunt, recipiendæ Christi gratiæ non sunt capaces, nisi priùs sint exinaniti. Ergo eos miseriæ suæ agnitione lex ad humilitatem subigit quò ita præparentur ad expetendum, quod sibi anteà non deesse putabant.

Alij opus habent fręno, quo retineantur, ne ita laxent fręna carnis suæ lasciuiæ, vt ab omni iustitię studio prorsus excidant. Vbi enim nondū regit Spiritus Dei: illic sic ebulliūt interdū libidines, vt periculum sit, ne animam sibi obnoxiā, in obliuionem contemtumque Dei demergant. Et fieret, nisi Dominus hoc remedio obuiam iret. Itaque quos ad regni sui hęreditatem destinauit, si non statim regenerat, ad tēpus suę visitationis cōseruat legis opera sub timore, non illo quidem casto & puro, qualis debet esse in filiis eius, vtili tamē ad hoc,

vt ad veram pietatem pro suo captu erudiantur. Huius rei tot documenta habemus, vt non sit opus exemplo. Quicunque enim aliquandiu in ignoratione Dei versati sunt, hoc sibi accidisse fatebuntur, vt legis freno retinerentur in qualicunque Dei metu & obseruantia, donec Spiritu regenerati ex animo ipsum amare inciperent.

DE TERTIO LEGIS OFficio seu vsu.

Data fuit lex, vt ipsis etiam regeneratis, qui & scriptam habent in cordib. legem, & ad obedientiã sponte accurrunt, acti à Spiritu S. esset tamen primò perpetuum speculum, in quo quotidie magis discant diuinam voluntatem, eiúsque iustitiam. Secundo continuus aculeus ad obsequendum diuinæ voluntati. De hoc officio Psal. 19. *Lex Domini immaculata conuertens animas.* Psal. 119. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, &c.* Et propter hoc, hæc lex regeneratis maximè vtilis ac necessaria est. Nam etsi digito Dei scriptam & insculptam habent in cordib. legem, id est, sic affecti sunt & animati per Spiritus directionem, vt obtemperare Deo cupiant, bifariam tamen in lege proficiunt.

Lex enim est illis primò optimum organum, quò meliùs in dies ac certius discant, qualis sit Domini voluntas, ad quã adspirent, atque in eius intelligentia confirmentur. Exemplum. Vt si seruus aliquis iam ita sit toto animi studio comparatus, vt Domino suo se approbet: necesse tamen habet, mores Domini explorare accuratiùs, & obseruare, ad quos se componat & accommodet. Ita omnis Christianus, &c. Nec se quisquam ab hac necessitate eximat. Nemo enim eò sapientiæ adhuc penetrauit, vt non possit ex quotidiana legis eruditione nouos facere progressus, in puriorem diuinæ voluntatis notitiam. Ideò Dauid, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, &c.*

Secundo, quia non sola doctrina, sed exhortatione quoque indigemus, hãc quoque vtilitatem ex lege capiet seruus Dei, vt frequenti eius meditatione excitetur ad obsequium, in eo roboretur: à delinquẽdi lubrico retrahatur. In hunc enim modum sanctos sibi instare oportet, qui secundum Spiritum quantalibet alacritate ad Dei iustitiam contendunt: carnis tamen ignauia semper onerantur, quò minùs legitima promptitudine pergant. Huic carni lex est flagrum, quo instar inertis tardique asini ad opus vrgeatur. Imo spirituali homini, quia nondum carnis mole expeditus est, assiduus aculeus erit qui desidere illum non permittat. Nimirum in hunc vsum respiciebat Dauid, cùm insignibus illis Encomiis legem celebraret. Psal 19. & 119.

At ista videntur Encomia repugnare illis Pauli sententiis, *Lex iram operatur: Lex est ministerium mortis, &c.*

Resp. Non repugnant. Ibi enim Paulus loquitur de vsu, non quem regeneratis lex præstet: sed quem homini non regenerato per se conferre queat. Hic autem Dauid canit, quanta cum vtilitate legis suæ lectione erudiat Dominus eos, quibus intus obsequendi promptitudinem aspirat.

CONTRA ANTINOMOS.

Quare lex Mosis non est explodenda, sed retinenda etiam ipsis perfectis Christianis ac regeneratis, tanquam & ipsis vsque ad mortem vtilis & necessaria eo modo, quo diximus. Est enim perpetua & inflexibilis viuendi secundum Deum regula. Ideò Moses moriturus populo testificabatur, dicendo Deut. 32. *Ponite corda vestra in omnia verba, quæ Ego testificor vobis hodie, vt mandetis ea filiis vestris, &c. quia non in cassum præcepta sunt vobis, sed vt omnes in iis viueretis, &c.* Ideò Psal. 1. *Beatus, qui in lege Domini meditatur, &c.* Vnusquisque igitur Christianus in hac lege meditari debet die & nocte.

At absterreor ab eius meditatione, dum considero, quòd exactiorẽ multò sanctitatẽ præscribit, quàm præstare possim in hac vita, dum circumfero carnem repugnantem Spiritui.

Resp. Non tam rigidi erga nos exactoris vicem tenet, cui non satisfiat, nisi soluto pretio: sed in hac, ad quam nos hortatur, perfectione, metam demonstrat, ad quam est nobis tota vita contendendum. In qua contentione, si non deficimus, bene est. Stadium namque est tota hæc vita, cuius decurso spacio, dabit Dominus, vt metam illam, ad quam nunc eminùs nituntur nostra studia, teneamus.

DE LEGIS ABROGATIONE.

Nunc ergo quoniam vim exhortationis erga fideles habet lex, non quæ eorum conscientias maledictione liget: sed quæ pigritiam subinde instando excutiat, & imperfectionem vellicet: multi dum volunt significare hanc à legis maledictione liberationem, dicunt abrogatam esse legem fidelibus: non quòd amplius illis non iubeat quod rectum est: sed duntaxat, ne sit illis, quod anteà erat, id est, ne eorum conscientias perterrendo & confundendo damnet ac perdat.

Hinc ergo oritur quæstio: Vtrum lex Decalogi abrogata sit.

Videtur quidem abrogata esse, ob hæc testimonia.

Rom. 6. *Iam non estis sub lege, sed sub gratia*

Gal. 3 *Christus redemit nos de maledictione legis, &c.*

Gal. 4. *Misit Deus Filium suum, natum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, &c.*

Sed contrà videtur, quod non sit abrogata ob hæc testimonia.

1. Matth. 5. *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Item, *Iota vnum, & vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.*

Ergo nihil de obseruantia legis detractum iri per tuum aduentum, satis ostendit.

2. Christus venit, vt legis transgressionibus mederetur: quomodo ergo abrogauit legis obedientiam?

3. Rom. 3 *Legem destruimus per fidem: absit. Imò legem stabilimus.*

Resp. *Primò.* Iniustis & infidelib. nullo modo est abrogata lex, sed tantùm iustis & fidelibus, quibus loquitur Paulus, dicendo, Rom. 6. *Iam non estis sub lege, sed sub gratia* 1. Tim. 1. *Iusto non est posita lex, sed iniustis, &c.*

Secundò, Ipsis etiam fidelibus & iustis non est abrogata lex, quoad doctrinam, siue quoad obseruantiam, siue quoad opera. Patet Matthæi 5. *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Matth. 5. *Iota vnum & vnus apex non præteribit à lege.* Rom. 3. *Legem ergo destruimus per fidem? absit: Imò legem stabilimus.*

Putabant quidem Iudæi, cùm Christus prædicaret fidelibus, abrogatam esse legem (ita enim puto eum prædicasse) Christum dixisse, velle legem esse abrogatam quoad obseruantiam: sed Christus opinionem illam de lege à se dissipanda, refutauit, dicendo, *Non veni soluere legem.*

Manet ergo per Christum inuiolabilis doctrina legis, quę nos docendo, admonendo, obiurgando, corrigendo, ad omne opus bonum formet ac comparet.

Tertiò, abrogata est tantùm: 1. quoad onus: quia cùm ipsi habeant Spiritum S. eos fortificantem, & facientem eos delectari lege secundum interiorem hominem, grauis ipsis non est amplius lex. 1. Ioh. 5. *Et mandata eius grauia non sunt* 1. Tim. 1. *Lex iusto non est posita*, οὐ κεῖται. Rom. 7. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem.*

2. Abrogata est, quoad maledictionem: quia cùm sint iustificati per fidem in Christum, maledici à lege nõ possunt: sicut neque Christus maledici potest à lege, ita nec membra Christi. Gal. 3. *Christus redemit nos à maledictione legis.* Gal. 4. *Misit filium suum, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* Quomodo? *vt adoptionem filiorum reciperemus*, id est, ne perpetua seruitute premeremur, quæ conscientias nostras anxietate mortis compressas teneret.

Huc pertinet illud Rom. 6. *Iam non estis sub lege, sed sub gratia.* Gal. 3. *Qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.*

Sunt autem ex operibus legis, qui per opera legis iustificari quærunt. Ergo qui non sunt ex operibus legis, sed in fide, id est, qui quærunt iustificari per fidem in Christum gratis, & non per opera, sub maledicto non sunt. Fideles autem sunt huiusmodi: quia credunt per solum Christum per fidem in ipsum iustificari, absque operibus legis. Ergo, &c. Nam lex non solùm docet: sed etiam imperiosè exigit: & si non exhibeatur, imò si qua in parte cessetur ab officio, maledictionis fulmen stringit. Et propter hoc ait Paulus: Omnes qui sunt ex operibus legis, id est, qui in remissione peccatorum iustitiam non statuunt, per quam à legis rigore soluantur, esse maledictioni obnoxios: quia scriptum sit, *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus &c.*

Solui ergo nos à legis vinculis oportet, nisi velimus sub illis miserè perire.

Sed quib. vinculis? Illius austerę & infestę exactionis, quę ex summo iure nihil remittit, nec vllam transactionem impunitam sinit. Hac ergo ex maledictione Christus nos vt redimeret, factus est pro nobis maledictio.

3. Igitur abrogata est lex iustis, quoad suum rigorem, ne scilicet amplius conscientias nostras constringat, aut maledicat, timoréque mortis anxios teneat. Interea tamen semper illud manet inconcussum, ex legis authori-

tate nihil decessisse, quin eadem semper veneratione & obedientia ipsam suscipi à nobis oporteat.

Ob. At videtur, quod abrogata sit etiam quo ad opera, & quod ad obedientiam, ita vt ipsa lex in totum deleta sit. Nam ait Col. 2. *Et vos, cum essetis mortui per delicta & praeputium carnis vestrae, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat chirographum decreti* (siue in decretis) *quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci*. Videtur ergo hic legis abolitionem aliquantum vltrà dilatare, vt nihil iam cum illius decretis nobis sit negotij.

Resp. Ad hanc authoritatem sunt multae responsiones.

1. Quidam simpliciter hanc authoritatem de lege Morali accipiunt: dicunt tamen, quòd illius magis inexorabilis seueritas, quàm doctrina abolita sit: & ita exponunt, delens quod aduersus nos erat chirographum in decretis, scilicet quo ad seueritatem seu maledictionem.

2. Alij acutiùs pensiculantes verba Pauli, perspiciunt & dicunt, quod haec Pauli verba propriè competant in legem ceremonialem, non autem in moralem. Ideò non est ad propositum. Quòd autem ita sit, ostendunt: quia etiam alibi apud Paulum vocabulum Decreti, significat legem ceremonialem, vt patet ad Ephesios cap. 2. vbi dicit, *Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, legem mandatorum in Decretis sitam euacuans, &c.* Ibi enim de ceremoniis agi, non est dubium, quia legem vocat interstitium, quo Iudaei à Gentibus dissidebant. Quare ij duo loci ad Col. & Ephes. iidem sunt. Ergo. &c.

3. Sed nobis non placet, vt ij duo loci simul per omnia compatentur. Nam cùm Ephesios de sua in societatem Israelis cooptatione certiores facere vellet, impedimentum quo olim arcebantur sublatum docet. Illud erat in ceremoniis. Ceremoniae enim Iudaeos à Gentibus segregabant.

In Epistola verò ad Coloss. sublimius mysterium agitur. Certamen est quidem illic de Mosaicis obseruationibus, ad quas pseudoapostoli Christianum populum adigere studebant. Sed sicut in epistola ad Gal. controuersiam illam altiùs ducit, & quodammodo ad fontem ipsum reuocat: Ita & hîc. Nam si in ritibus & ceremoniis nihil aliud consideras, quàm defungendi illis necessitatem: quorsum attinebat vocari chirographum decreti, & chirographum contrarium nobis? Item, in eo summam salutis nostrae positam, vt illud chirographum aboleretur & tolleretur? Ergo res ipsa clamat, hîc aliquid altius & intimius reputandum esse.

Ego igitur sic intelligo locum illum Pauli ad Coloss.

1. Notandum quod ait Augustinus de peccat. merit. & remiss. l. b. 1. c. 27. Ceremoniae Iudaicae confessio magis delictorum erant, quàm expiationes. Quid enim sacrificiis aliud agebant, quàm se mortis conscios & reos fatebantur, qui in suum locum catharmata substituebant? Quid purificationibus, nisi quòd se immundos esse testabantur? atque ita edebatur ab illis & piaculi & impuritatis suae debitum: Solutio verò in illa testificatione non erat. Et propter hoc D. Paulus scribit Hebr. 9. & 10. quòd morte demum Christi intercedente, peracta sit redemptio earum etiam praeuaricationum, quę erant sub priori testamento: quia scilicet neque illae per sacrificia illa deleri potuerunt.

2. Hinc secundò apparet, quòd iure ceremoniae illae vocantur à Paulo chirographa suis cultoribus contraria & aduersa: quoniam per illa suam damnationem ac maledictionem palàm consignabant.

Nec obest, quòd illi quoque Iudaei & Patres, nobiscum, qui sumus sub nouo Testamento, eiusdem gratiae fuerunt participes. Id enim sunt assecuti in Christo, non in ceremoniis, quas illic D. Paulus discernit à Christo, quoniam tum vsurpatae, gloriam Christi obscurabant.

Habemus ergo ceremonias, si per se considerentur, eleganter & apposite vocari chirographa hominum saluti contraria: quia scilicet veluti solennia instrumenta erant, quae ipsorum obligationem testarentur.

Cùm igitur illis vellent pseudoapostoli rursum Christianam Ecclesiam astringere: non sine causa D. Paulus altiùs repetita earum significatione, quòd essent chirographa publica, quibus testabantur suam ipsorum immunditiem, Colossenses admonuit, quò relaberentur, si subiugari se in eum modum ab ipsis pseudoapostolis passi essent. Simul enim excutiebatur istis Christi beneficium, quatenus peracta semel aeterna expiatione, quotidianas illas obseruationes aboleuit, quae ad peccata consignanda tantùm validae, ad eadem delenda nihil poterant, nihil valebant.

LOCVS VI.

DE VOTIS.

IN votis nuncupandis ac faciendis, maxima cautio & diligentia adhibenda est: & considerandum quid fiat. & quo obstringamur. Nam quod inter homines dicitur Promissio, id Dei respectu, Votum appellatur. Hominibus autem pollicemur ea, quae vel putamus illis fore grata, vel quae ex officio debemus. Ergo longè maiorem in votis obseruantiam esse decet, quae ad ipsum Deum, cum quo maximè seriò agendum est, diriguntur. Vt igitur agnoscamus, quae vota sint legitima, quae ve praepostera, tria consideranda & expendenda sunt.

I. *Quis sit is, cui Votum nuncupatur.*

II. *Qui simus nos, qui vouemus.*

III. *Quo animo denique voueamus.*

DE PRIMO.

Cui fit votum? Deo, cum quo ludendum nobis non est. Hinc Deo nihil vouendum est, nisi quod certò agnouerimus illi fore gratum. Nihil est autem illi gratum, nisi obedientia nostra erga verbum suum: vel saltem nos non agnoscimus quippiam illi esse gratum, nisi quod expressè verbo eius approbatur. Ergo nullum est ei votum nuncupandum, nisi quod per eius verbum scimus fore illi gratum. Hinc vituperat ἐθελοθρησκείας omnes, quamlibet in oculis hominū speciosas & splendidas, Colos. 2. quae sunt quidem rationem habentia sapientiae ἐν ἐθελοθρησκείᾳ. Hinc etiam ad Rom. Paulus damnat omne quod non fit ex fide. Rom. 14. *Omne quod non fit ex fide peccatum est*. Ergo vota quae non fiunt ex fide, id est, quae verbum Dei non agnoscimus esse Deo grata, peccata sunt.

Sit ergo haec prima cautio in votis nuncupandis, vt nunquam ad aliquid vouendum descendamus, quin certò priùs conscientia nostra constituerit, se nihil temerè tentare. Tunc autem à temeritatis periculo tuta erit, cùm Deum habebit sibi praeeuntem, & quasi ex verbo suo dictantem, quid factu bonum sit vel inutile.

DE SECVNDO.

Qui sumus nos: qui vouemus? homines, ideò infirmi: Christiani, ideò in libertatem vocati. Primò igitur metiendae sunt vires nostrae, donatae scilicet à Deo, & ita iuxta illas vouendum. Nam qui vouet, quod non est suae facultatis, temerarius est. Vnde Concilium Arausicanum secundum can. 11. decreuit, nihil ritè Deo voueri posse, nisi quod de manu eius acceperimus, quando omnia quae illi offeruntur, mera sunt eius dona. Cùm ergo Dei benignitate alia nobis data sint: alia eius aequitate negata, vnusquisque mensuram collatae sibi gratiae respiciat, vt docet Paulus Rom. 12. & 1. Corinth. 12.

1. Nihil ergo hîc volo, nisi vt vota ita ad eum modum attemperentur, quem sibi quisque à Deo praescribi sua donatione cognoscit, ne si vltrà coneris, quàm ille permittat, te ipsum, nimis tibi arrogando, praecipites.

2. Intuenda est vocatio nostra. Nihil enim vouendum est, quod nobis sit impedimento, quò minùs vocationi nostrae seruiamus. Hoc patet: alioqui esset votum contra Deum.

3. Cauendum est, ne libertatis beneficium, quod nobis Deus contulit, negligamus. Nam qui Dei beneficentiam, qua rerum omnium Dominus constituitur, contemnit, ingratus est Deo. Hoc ita intelligendum est. Cùm rerum omnium dominos nos constituerit Deus, & eas sic nobis subiecerit, vt omnibus pro nostra commoditate vteremur, non est quod speremus, gratum Deo fore officium si rebus externis quae nobis adminiculo esse debent, nos in seruitutem addicamus. Ergo meminerimus, ab ea oeconomia, quam Dominus in Ecclesia Christiana instituit, nobis non esse discedendum.

DE TERTIO.

Multum refert, quo animo votum nuncupes, si velis ipsum Deo approbari. Nam quia Dominus cor, non externam speciem intuetur: fit, vt eadem res, mutato animi proposito, nunc placeat, eique accepta sit, nunc vehementer displiceat. Verbi gratia; Vini abstinentiam si ita voues, quasi in ea aliquid sanctimoniae subsit, superstitiosus es. Si in alium finem (verbi gratia, ad domandum corpus) non peruersum respicis, nemo potest improbare. Sunt autem, quantum iudico Ego, quatuor fines, ad quos nostra vota diri-

dirigenda ritè sint. Quorum duos, docendi causa, ad præteritum tempus refero: duos reliquos, ad futurum.

1. Et *primò*, hoc animo fieri vota ritè possunt, vt iis nostram erga Deum gratitudinem pro acceptis beneficiis, testemur: & possunt vocari vota gratiarum actionis, verbi gratia. Cupis aliquid à Deo, vel liberari ab aliqua calamitate, quam times, aut qua premeris, vel aliquod beneficium assequi, vt habere filium: tunc poteris ritè vouere, te, si illius voti tui fias compos, pro gratiarum actione Deo aliquid erogaturum in pauperes, vel hostiam aliquam oblaturum: & cùm fueris factus voti compos, teneris reddere votum tuũ. Neque enim ab hominis pij officio tunc abhorret, votiuam oblationem velut solenne recognitionis symbolum, Deo consecrare, ne ingratus erga eius benignitatem videatur. Huius generis votorum exempla pleraque sunt in sacris Scripturis.

Gen. 28. Iacob vouit decimas Domino, si Dominus eum incolumem ab exilio in patriam reducat.

Reges pij ac duces, iustum bellum suscepturi, vouebant sacrificia pacificorum se reddituros, si victoria potiti essent: aut certè, cùm maiori aliqua difficultate premebantur, si Dominus eos liberasset. Sic omnes loci in Psal. 26. 66. 116. intelligendi sunt, qui de votis loquuntur: *Vt, redde altissimo vota tua.*

2. *Secundò*, Hoc animo etiam ritè fieri possunt, vt iram eius deprecemur: nempe, cùm ad iram eius deprecandam ipsi à nobis pœnam ob admissa delicta exigimus, verbi gratia, si in aliquod flagitium gulæ vitio prolapsus sis, potes ad castigandam intemperiem lautitiis omnibus, ad aliquod tempus vitæ renunciare, idque adhibito voto facere, quò arctiore vinculo te astringas. Hoc igitur votum licitum est: sed liberum tamen, antequam facias illud.

3. *Tertiò*, Hoc etiam animo ritè potest fieri votum, vt reddamur posthac cautiores. Verbi gratia Videt aliquis, se adeo procliuem esse in certum vitium, vt in re alias non mala sibi temperare nequeat, quin protinus in malum & vitium illud delabatur. Nihil hic absurdum faciet, si eius rei vsum, ad aliquod tempus sibi voto præcidat. Velut, si quis periculosum sibi esse hunc vel illum corporis ornatum agnoscat, & tamen cupiditate illectus, vehementer illum appetat, quid melius faciat, quàm vt frænum sibi iniiciendo, id est necessitatem abstinendi imponendo, sese omni dubitatione liberet.

4. *Quartò*, Hoc etiam animo ritè fieri possunt, vt iis veluti quibusdam stimulis, nos ipsos ad officium excitemus, verbi gratia, si quis vel obliuiosus sit, vel piger ad necessaria pietatis officia, cur non suscepto voto & memoriam expergefaciat, & pigritiam excutiat? In iis duobus vltimis votis, est species quædam pædagogiæ, sed tamen eo ipso, quòd sunt infirmitatis adminicula, non sine vtilitate vsurpantur.

Quæ igitur ad vnum ex iis finibus respiciunt vota, præsertim in rebus externis, legitima sunt, si modo & Dei approbatione sint suffulta, & vocationi nostræ conueniant, & ad facultatem gratiæ nobis datæ à Deo, sint limitata.

De Voto, quod fit à fidelibus in Baptismo.

Hinc apparet, quàm legitimum sit votum, quod ab omnibus fidelibus fit in Baptismo, & quod in Catechismo, & Cœnæ Dominicæ sumtione confirmamus & quasi sancimus. Sunt enim Sacramenta tanquàm syngraphæ, quibus Dominus misericordiam nobis suam, atque ex ea vitam æternam defert: nos vicissim obedientiam illi pollicemur. Est autem hæc huius voti formula, vel certè summa, nempe, quòd Satanæ renuntiantes Deo nos in seruitutem addicimus, vt sanctis eius mandatis obediamus, non autem obsequamur prauis carnis nostræ desideriis.

Hoc votum primò à sacra Scriptura testimonium habet, quod placeat Deo. Secundò, vocationi nostræ conuenit, imo à filiis Dei omnibus exigitur: tertiò, non potest fieri, nisi recto fine, & mente, nempe vt grati simus Deo: Ergo legitimum, sanctum, & salutare est.

At videtur, quod non sit legitimum, nec quisquam possit hoc votum facere, quia promittimus rem, quæ excedit vires nostras. Nemo enim perfectam legis obedientiam, quã exigit Deus à nobis, & quam nos vouemus, in hac vita præstare potest Ergo, &c. Et tamen licitum est hoc votum: Ergo etiam alia vota, quæ præstare tamen non possumus, licita sunt.

Respon. Quoniam hæc stipulatio, in fœdere gratiæ est inclusa, sub quo fœdere & remissio peccatorum, & Spiritus sanctificationis continetur: pollicitatio siue votum quod illic facimus, & cum veniæ deprecatione, & cum auxilij postulatione coniuncta est, siue coniunctum est: id quod non inuenitur in aliis votis, quæ præstare non possumus. Quare non est par ratio. In iudicandis igitur particularibus votis, tres superiores regulæ memoria teneantur.

LOCVS VII.

DE FIDE.

Quòd ad salutem non sufficiat lex: sed necessaria sit fides in Christum, id est, fiducia misericordiæ Dei in Christo nobis oblata.

Visum est, quæ Dominus per legem nobis agenda præscribat, quorum si qua in parte lapsi fuerimus, iram & terribile mortis æternæ iudicium edicit. Secundò, visum est, quàm non modò arduum, sed prorsus supra vires, extráque omnem nostram facultatem sit, legem implere, vt exigit. Hinc ergo fit, vt si nos duntaxat ipsos intueamur, quidque nobis dignum sit, cogitemus, nihil sit bonæ spei reliquum: sed à Deo abiectos, mors & certissima confusio nos maneat. Quare lex non solùm potest nos seruare, sed etiam damnat: non solùm nos non liberat ab ira, sed etiam operatur iram: non solùm non tollit peccatum, sed etiam adauget peccatum, vt ad Romanos contendit Apostolus. Ergo necesse est alia aggredi via, qua effugiamus tantam calamitatem. Visum est autem, quod vna tantùm sit effugiendæ huius calamitatis via & ratio, nempe misericordia Dei in Christo, si & solida fide ipsam amplectamur, & in ipsa constanti spe acquiescamus. Fide ergo, siue fiducia misericordiæ Dei in Christo nobis opus est.

Quòd necesse sit explicari, qualis esse debeat fides ista.

Verùm, quoniam multi hallucinantur in hoc vocabulo fidei, putantes, quamlibet fidem, seu potius opinionem, aut etiam persuasionem de Deo & de Christo sufficere ad salutem, tantæque rei efficiendæ, nempe consolandis conscientiis, & tollendis peccatis, parem esse: ideo nunc necessario superest, vt expendamus, qualis esse debeat, quidque sit hæc fides, cuius beneficio quicunque sunt in filios Dei cooptati, regni cœlestis possessionem adeunt.

Fides impiorum quid & qualis sit.

Est autem (docendi causa) duplex fidei forma, altera impiorum, altera piorum, eáque vera & vnica fides.

Fides impiorum, est quędam debilis & vmbratica de Deo déque Christo notitia, & dicitur fides historica: in aliis quidem debilior, in aliis firmior.

1. Plurimi certè credunt, Deum esse, Euangelicam historiam, & reliquas Scripturæ partes, veras esse arbitrantur, quale ferè iudicium esse solet de iis, quæ vel olim gesta narrantur, vel ipsi præsentes spectauimus.

2. Sunt, qui etiam vltra procedant. Nam & pro certo habent oraculo Dei sermonem, nec eius præcepta prorsus negligunt, & minis & promissionibus vtcunque commonentur.

Tales quidem dicuntur habere fidem, sed per κατάχρησιν, quia scilicet Dei verbum non impugnant manifestè vel aspernantur, vel contemnunt: sed quandam potius obedientiæ speciem præ se ferunt. Verùm hæc fidei seu vmbra, seu imago, sicut nullius est momenti: ita indigna est fidei appellatione, à cuius solida veritate quàm procul absit, tametsi mox fusiùs videbitur, nunc tamen etiam obiter indicabimus. Vide exempla huius fidei.

Act. 8. Simon Magus dicitur credidisse, & quidem Euangelij maiestate victus, qualemcunque fidem adhibuit Euangelio, atque ita Christum vitæ & salutis autorem cognouit, ita vt libenter ei nomen daret: & tamen hæc qualiscunque notitia in Simone, non erat vera fides: quod patet, quia paulo post suam incredulitatem prodit.

Luc. 8. Illi in quibus verbi semen, antequam fructificet, præfocatur, aut etiam nullis dum actis radicibus, arescit mox & perit, dicuntur credere ad tempus.

Tales non dubito, quodam verbi gustu affectos, ipsum auidè arripere, & diuinam eius virtutem præsentiscere, ita vt fallaci fidei simulatione, non solum hominum oculis imponant, sed suis etiam ipsorum animis Nam persuadent sibi, ipsissimam esse pietatem, illam quam verbo Dei deferunt, reuerentiam: idque quia nullam esse impietatem reputant, nisi manifestum & confessum eius probrum vel contemtum. Sed qualiscunque sit illa assensio, ad cor ipsum vsque non penetrat, vt illic defixa resideat: & quanquam radices egisse interdum videatur, viuæ tamen illæ non sunt.

Tot vanitatis recessus habet, tot mendacij latebris scatet cor humanum, támque fraudulenta hypocrisi obtectum est, vt seipsum sæpè fallat. Ergo neque ij secundi, veram fidem habent. Primi verò illi, sunt istis multò inferiores, quippe qui stupidi audiunt & intelligunt ea, quorum notitia Dæmones contremiscunt.

Fides piorum quid & qualis sit.

Econtrà verò piorum vera Christianáque fides primò non est contenta simplici historiæ cognitione, sicut primi contentantur: secundo & cor hominis, abstersо inde fictionis simulationísque fuco, penitius insidet atque occupat, quàm vt temerè euanescat. Vt autem fidei vis & natura benè elucescat, notandum est:

1. Quod fides habet verbum Dei pro suo obiecto & scopo, in quem scopum perpetuò collimare debet, à quo si minimum deflectit, non iam fides, sed incerta est credulitas, & vagus mentis error. Idem verbum est basis, qua fulcitur & sustinetur, vnde si declinat, corruit. Tolle igitur verbum, & nulla iam restabit fides. Oportet ergo, vt adsit verbum, siue audiatur, siue legatur, nil refert: sat est, quòd verbum Dei vtcunque ad nos deferatur: est instar speculi, in quo fides intueatur & contempletur Deum.

2. Notandum, quod vera fides non tantùm hoc quærit, vt Deum esse cognoscat: sed hoc potissimùm, vt qua sit erga nos voluntate intelligat. Neque enim scire tantum qualis sit, nostrâ refert: sed qualis esse erga nos & nobis velit. Ex iis duobus notatis habemus, fidem esse diuinæ erga nos voluntatis notitiam, ex eius verbo perceptam.

3. Notandum, ad rationem veræ perfectæque fidei attinere, vt certo persuasus sis de veritate Dei, id est, de verbo Dei, quod sit verissimum. Nam si de eius certitudine animus tuus disceptet secum, quamdiu ita secum disceptabit animus tuus, nullius authoritatis erit verbum, vel saltem dubiæ & infirmæ. Neque sufficit tantùm credere & persuasum esse, quod Deus sit verax, qui nec falli, nec fallere potest: & quod verbum eius sit verissimum: sed etiam oportet, vt persuasus certo sis, quod hoc verbum, quod per Prophetas & Apostolos ad nos delatum est, sit verè verbum Dei certissimum. Ex hoc tertio notato habemus, quod fides sit firma certáque diuinæ erga nos voluntatis notitia, ex verbo eius percepta.

4. Notandum, Quod verbum Dei diuiditur in legem & Euangelium, quorum illa præcipit & minatur transgressoribus, & terret corda: hoc verò promittit veniam & misericordiam, ostendítque Deum nobis propitium, atque ita consolatur & erigit corda nostra.

Licet autem totum verbum Dei sit obiectum fidei, cui subscribere debet, quoties, & quicquid & quocunque modo loquatur: tamen perfecta fides particulariter respicit in Euangelium. Et ratio est, quia fides, vt sit perfecta, oportet vt erigat cor hominis in Deum, ad Deum amandum, amplexandum, aditum ad Deum patefaciat, ad fidendum Deo excitet, vt consoletur & pacificet conscientias, sicut patet ad Rom. 5. vbi D. Paulus recenset hos esse effectus veræ perfectæque fidei.

Lex autem non facit hos effectus, imo contrarios: & si fides in hanc tantùm respiciat, non erigit cor ad Deum, sed è contra, &c. Si verò in Euangelium respiciat, parit hos effectus. Ergo particulare fidei obiectum, in quod collimare debet, est Euangelium. Quare licet verbum Dei sit obiectum fidei: tamen adhuc quærendum est, quid propriè in verbo fides respiciat. Non enim quælibet vox Dei erigit cor hominis ad fidendum Deo. Vox Dei est ad Adā, *Morte morieris:* vox Dei ad Cain, *sanguis fratris tui clamat ad me.* Sed quæ voces erant? quæ per se nihil poterant, nisi quatefacere fidem, tantum abest, vt ad stabiliendam essent idoneæ. Quærendum est igitur, quid in verbo Domini reperiat fides, quo nitatur & recumbat. Vbi solam indignitatem & vindictam conscientia nostra conspicit, quomodo non trepidabit & exhorrescet? Deum autem, quem exhorrescit, quomodo non refugeret? Atqui Deum quærere fides debet, non refugere. Ergo constat, non haberi à nobis adhuc plenam fidei definitionem, quoniam voluntatem Dei qualemeunque nosse, pro fide censendum non est. Quid si in locum voluntatis, beneuolentiam seu misericordiam subiiciamus? Ita certè ad fidei ingenium propius accessерimus. Tunc enim ad Deum quærendum allicimur, postquam didicimus, nostrum in eo bonum esse: quod ipsum nobis confirmatur, vbi sibi curæ studióque nostram salutem esse declarat. Proinde gratiæ promissione opus est, qua nobis testificetur, se propitium esse patrem, quoniam in eam solam, scilicet promissionem gratiæ, reclinare cor hominis potest.

Ex hoc quarto notato habemus, quod fides sit certa firmáque diuinæ erga nos beneuolentiæ cognitio gratuitæ in Christo promissionis veritate fundata.

5. Notandum, Quòd vt perfecta sit fides, requiratur vt sit absque vlla dubitatione de diuina erga nos misericordia & beneuolentia. Nam cùm non multum habitura sit momenti diuinæ bonitatis notitia, nisi in ea acquiescere nos faciat: ideo excludenda est dubitatione mixta intelligentia, quæ non solidè sibi constet, sed ipsa secum disceptet, vt suprà etiam in tertio notando dictum est, sed generaliter de verbo Dei. Nunc verò particulariter dico de beneuolentia Dei in Euangelio oblata.

6. Sed quoniam mens hominis, vt cæca est, & obtenebrata, ad percipiendam vsque Dei voluntatem & beneuolentiam penetrare ac conscendere non potest: & cor in ea securum acquiescere & residere nequit, sed potius perpetua hæsitatione fluctuat: ideo aliunde nempe à Spiritu S. & mētem illuminari, & cor obfirmari conuenit, quò Dei verbum apud nos plenam fidem obtineat. Ex iis igitur omnib. notatis, iusta definitio fidei constat.

Fides est diuina erga nos beneuolentia firma certáque cognitio, quæ gratuitæ in Christo promissionis veritate fundata, per Spiritum sanctum, & reuelatur mentibus nostris, & cordibus obsignatur.

Nunc singulas partes de integro discutiamus, quibus discussis nihil, vt opinor, dubium remanebit.

Tota fidei definitio iuxta singulas partes discutitur.

1. *Fides est cognitio.* Cùm fidem cognitionem diuinæ voluntatis vocamus, non intelligimus comprehensionem, qualis esse solet earum rerum, quæ sub humanum sensum cadunt, idque primo, quia mens hominis seipsam superare & excedere opus habet, quo ad illam diuinam voluntatem cognoscendam pertingat. Secundo, postquam etiam ad illam pertigit: adhuc quod sentit, non assequitur, non comprehendit, non capit. Sed intelligimus persuasionem quandam, qua tamen persuasione mens hominis certius intelligit, quod non capit, quàm si humanum aliquid sua capacitate perspiceret. Quare eleganter Paulus hanc persuasionem siue cognitionem, appellat comprehensionem, propter suam certitudinem, quando ait, Eph. 3. *Huius rei gratia flecto genua mea, &c. vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas & profunditas: scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.*

Hic Diuus Paulus voluit significare primo, modis omnibus infinitum esse, quod mens nostra fide complectitur: & genus hoc cognitionis esse omni intelligentia longè sublimius. Secundo, quia tamen arcanum volūtatis suæ, quod à seculis & generationibus absconditum erat, Dominus sanctis patefecit, vt ibidem docet Paulus: ideo optima ratione fidem vocat comprehensionem & scientiam. Propter hoc frequenter in sacra Scriptura fides dicitur cognitio. Coloss. 2. *In agnitionem mysterij Dei Patris & Christi.* 1. Corinth. 2. 1. Iohan. 3. vocat fidem, scientiam, dicendo: *Scimus quòd simus filij Dei.* Et sanè sancti omnes certo sciunt, se esse filios Dei: sed diuinæ veritatis persuasione magis confirmati, quàm rationali demonstratione edocti. Id indicat etiam Diuus Paulus cùm ait ad Corinthios. 2. Corinth. 5. *Quamdiu sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino: & per fidem ambulamus, non per speciem,* id est, non per aspectū. Quibus verbis ostendit, quod ea, quæ per fidem intelligimus, nobis tamen absint, & aspectum nostrum lateant. Vnde nos statuimus, fidei notitiam, certitudine magis, quàm apprehensione contineri.

De certitudine fidei.

2. *Certa ac firma.* Addimus certam ac firmam quo solidior persuasionis constantia exprimatur. Nam fides sicut dubia & versatili opinione contenta non est: ita nec obscura perplexáque conceptione: sed plenam & fixam, qualis de rebus compertis & probatis esse solet, certitudinem requirit. Sunt autem permulti, qui Dei misericordiam sic concipiunt, vt tamen inde nihil, vel minimum consolationis recipiant. Simul enim misera anxietate constringuntur, dum dubitant, an misericors sibi sit futurus: idque procedit, quia illam ipsam misericordiam, de qua sibi persuasissimi esse videntur, nimium exiguis finibus terminent. Nam ita secum reputant magnam quidem eam esse & copiosam, effusam in multos, obuiam omnibus & paratam: sed incertum esse, an ad se quoque peruentura sit, vel potiùs, an ad eam sint peruenturi ipsi.

Hæc

Hæc cogitatio, cùm in medio cursu resistat, dimidia tantùm est, atque ita Spiritum non tam secura tranquillitate confirmat, quàm irrequieta hæsitatione solicitat. Longè est alius sensus πληροφορίας, quæ fidei semper in sacris scripturis tribuitur: nempe, quod πληροφορία bonitatem Dei nobis perspicuè propositam, extra dubium ponat. Id autem fieri nequit, quin eius suauitatem verè sentiamus, & in nobis ipsis experiamur. Quare Paulus ex fide deducit fiduciam, & ex hac rursum audaciam, sic dicens, Ephes. 3. *In quo* (id est, per quem Christum) *habemus* παῤῥησίαν (id est, audaciam) *& aditum cum fiducia, quæ est per fidem illius.* His verbis ostendit Apostolus, non esse rectam fidem nisi cum tranquillis animis audemus nos in conspectum Dei sistere. Quæ παῤῥησία non nisi ex diuinæ beneuolentiæ salutisque certa fiducia nascitur. Quod adeo verum est, vt sæpe pro fiducia nomen fidei accipiatur & vsurpetur.

Hic præcipuus fidei cardo vertitur, ne quas Dominus offert misericordiæ promissiones, extra nos tantùm veras esse arbitremur, in nobis minimè: sed potius eas intus amplectendo, nostras faciamus. Hinc nascitur fiducia illa, ex qua pacem deriuari ait. Est autem securitas, quæ conscientiam coram Dei iudicio sedat & serenat, sine qua, tumultuosa trepidatione ipsam vexari, & penè dilaniari, necesse est, nisi fortè Dei & sui oblita ad momentum obdormiscat. Ad momentum, inquam, quia diu frui non potest illa misera Dei & sui obliuione, quin memoria diuini iudicij subinde recurrente, acerrimè lancinetur.

In summa, verè fidelis non est, nisi qui solida persuasione Deum sibi propitium beneuolúmque patrem esse persuasus, de eius benignitate omnia sibi pollicetur: & nisi diuinæ erga se beneuolentiæ promissionibus fretus, indubitatam salutis exspectationem præsumat, vt Apostolus demõstrat ad Hebr. 3 dicendo: *Si fiduciam & gloriationem spei ad finem vsque firmam retinuerimus.* Sic enim non bene sperare in Domino existimatur, nisi qui confidenter se regni cœlestis hæredem glorietur. Fidelis, inquam, non est, nisi qui suę salutis securitati innixus, Diabolo & morti confidenter insultet, sicut docet Apostolus, dicendo. Rom. 8. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos separare à dilectione Dei, &c.*

Eph. 1. *Non bene illuminari oculos mentis nostræ dicit, nisi cernamus, quæ sit spes æternæ hæreditatis, ad quam vocati sumus.* Denique Dei bonitatem non bene comprehendimus, nisi magnæ securitatis fructum inde colligamus.

Quomodo fides dubitationibus quidem sæpe concussa, certa tamen semper permaneat.

1. At videtur, quod hæc fidei certitudo stare non possit. Nam fideles omnes experiuntur oppositum, qui in recognoscenda erga se Dei gratia, non modo inquietudine tentantur, quod sæpe illis contingit: sed grauissimis etiam terroribus interdum quatefiunt. Tanta est ad turbandas eorum mentes tentationum vehementia. Hoc autem non videtur cohærere cum illa fidei certitudine, quam prædicas.

Resp. Nodus hic soluendus est, si superiorem doctrinam stare volumus. Dum igitur docemus, fidem debere esse certam & securam, non imaginamur certitudinem aliquam, quæ nulla tangatur dubitatione: nec securitatem, quæ nulla solicitudine imperatur. Quin potius dicimus, perpetuum esse fidelibus certamen cum sua ipsorum diffidentia: tantum abest, vt eorum conscientias in placida aliqua quiete collocemus, quæ nullis omnino turbis interpelletur. Rursum tamen, qualemcunque in modum affligentur, decideteae desciscere eos negamus à certa illa, quam de misericordia Dei conceperunt, fiducia.

2. At quomodo hoc esse potest, vt simul fidelis dubitationibus sollicitetur, & tamen etiam certus de misericordia Dei erga se permaneat?

Resp. Hoc tibi absurdum non videbitur, si tenueris diuisionem illam Spiritus & carnis, quam D. Paulus ponit ad Gal. & alibi. Sentit igitur fidelis hanc in se diuisionem ita, quod hinc agnoscens diuinam erga se bonitatem, suauitate perfunditur: illinc sentiens suam calamitatem, amaritudine angitur. Hinc audiens promissionem Euangelij, in eam recumbit: Illinc videns se iniquitatis plenum, trepidat. Hinc apprehendens vitam sibi æternam paratam, exultat: illinc videns se morti obnoxium, eam exhorrescit, timens, ne in æternum moriatur.

3. Vnde hæc variatio? ex fidei imperfectione contingit: quoniam nunquam tam bene in præsentis vitæ cursu nobiscum agitur, vt omni diffidentiæ morbo curari, fide toti repleamur & occupemur. Hinc conflictus illi inter carnem & Spiritum, vbi, quæ in reliquiis carnis hæret diffidentia, ad oppugnandam eam fidem, quæ intus in Spiritu concepta est, insurgit.

4. At si permixta est in fideli mente cum dubitatione certitudo, ergo sequetur, quod fides non certa & liquida, sed obscura & perplexa adhuc diuinæ erga nos voluntatis notitia constabit.

Resp. Minimè hoc sequitur. Neque enim si variis cogitationibus distrahimur, ideo prorsus à fide diuellimur. Nec si sursum deorsum diffidentiæ agitatione vexamur, ideo in eius abyssum demergimur. Neque si concutimur, ideo de gradu deturbamur: si quidem illius certaminis semper finis hic est, quod fides eas difficultates, quibus ita circumsessa videtur periclitari, tandem eluctatur.

Quòd si fidei certitudo gradus habeat: & quomodo ad Deum videndum paulatim accedamus.

Summa hæc sit. Vbi primùm vel minima fidei gutta mentibus nostris instillata est, iam faciem Dei placidam & serenam, nobisque propitiam, contemplari incipimus. Procul id quidem & eminùs: sed tamen ita certo intuitu, vt sciamus nos nequaquam hallucinari. Secundò, Quantum deinde proficimus (vt nos assiduè proficere decet) quasi progressu facto, in propiorem eius conspectum, eòque certiorem venimus. Tertiò, ipsa etiam continuatione, familiarior nobis redditur: atque ita mentem cognitione Dei illuminatã, initio multa ignorantia videmus inuolutam teneri, quæ paulatim abstergitur. Non tamen quædam ignorando, aut obscurius id quod cernit, cernendo impeditur, quin diuinæ erga se voluntatis perspicua notitia fruatur: quod in fide primas ac præcipuas partes tenet. Accipe similitudinem. Sicut enim si quis carcere inclusus, ex angustiore fenestra obliquè tantùm & quasi dimidiatim emicantes Solis radios habeat, libero quidem priuatur Solis aspectu, splendorem tamen non ambiguum oculis haurit, eiusque vsum recipit: ita terrei corporis compedibus vincti, vtcunque multa obscuritate vndique obumbremur: luce tamen Dei vel pusillùm ad exerendam eius misericordiam, irradiante, quantum satis est ad solidam securitatem, illuminamur. Atque ita duo habemus: primùm, quod in hac vita, notitia quidẽ, quam de misericordia & beneuolentia Dei erga nos habemus, exigua quidem sit, & modica: Secundum, sed tamen quod certa & minimè fallax. Vtrumque Apostolus diuersis in locis eleganter docet. De primo ait 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* Item, *Nunc cognosco ex parte: tunc autem, &c.* Iis verbis ostendit, quàm tenuis in præsenti vita, illius diuinæ sapientiæ portiuncula nobis detur. 2. Corinth. 3 *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu* id est, nos per Euangelium, reuelata facie, nullóque obiecto velamine, gloriam Dei tanta efficacia contemplamur, vt in eandem imaginem transformemur. His verbis ostendit, quam certò & minimè fallaci gustu sui nos afficiat vel exigua fidei guttula.

In talibus ignorantiæ inuolucris plurimum simul trepidationis & dubitationis implicari necesse est: idque præsertim, 1. quia cor nostrum suo quodam naturali instinctu, ad incredulitatem propendet. 2. Huc accedunt tentationes, quæ, & infinitæ numero, & genere variæ, magno identidem impetu insiliunt, atque ad incredulitatem & dubitationem de Dei auxilio prouocant. 3. Ipsa præcipuè conscientia, incumbente peccatorum mole, oppressa, nunc secum querulatur & gemit, nunc se arguit, nunc tacitè fremit, nunc apertè tumultuatur. Ex iis ergo, id est, siue res aduersæ iram Dei præ se ferant, siue eius argumentum & materiam conscientia in se reperiat: inde tela & machinas ad profligandam fidem incredulitas arripit, quæ tamen ad hunc scopum perpetuò destinantur, vt Deum nobis aduersum & infensum esse putantes, nec opis ab ipso quicquam speremus, & timeamus ceu ab hoste capitali.

Quòd fides in electis, licèt variè ab incredulitate impetatur: tamen contra eam semper emergat, & quibus armis se tueatur.

Ad hos impetus sustinendos, fides se verbo Dei armat ac munit, eóque se defendit contra omnes tentationes.

1. Si insurgat eiusmodi tentatio, Deum esse inimicum, quia sit infestus, mittátque flagella: contra fides excipit, esse quoque, dum affligit, misericordem, quia castigatio à dilectione potius, quàm ab ira proueniat.

2. Si insurgat hæc alia tentatio, Deum esse iniquitatum

vindicem, ideóque velle eum te ob tuas iniquitates damnare, contra fides opponit, veniam delictis omnibus paratam, quoties ad Domini clementiam peccator se confert. Atque ita pia mens, vtcunque miris modis exagitetur ac diuexetur, supra omnes tamen difficultates tandem emergit, nec sibi diuinæ misericordiæ fiduciam excuti vnquam patitur: quin potius quæcunque disceptationes eam exercent & fatigant, in istius fiduciæ certitudinem exeunt: & quantò magis incredulitas contra fidem suis machinis insurgit, tantò magis fidei certitudo corroboratur. Hoc patet hinc, quia sancti, dum vltione Dei maximè vrgeri sibi videntur, apud ipsum tamen querimonias suas deponunt: & dum minimè exauditum eos iri apparet, eum nihilominus inuocant. Quorsum enim attineret apud eum deplorare, à quo solatium nullum sperarent? Eum verò inuocare nunquam inducerent in animum, nisi aliquid sibi opis ab eo paratum crederent. Sic discipuli Matthæi 8. in quibus fidei pusillanimitatē Christus reprehendit, se quidē perire querebantur, eius tamen auxilium implorabant, dicendo: *Salua nos, perimus.* Ergo fidei radix nunquam è pio pectore auellitur, quin ima in parte defixa hæreat, vtcunque decussa huc atq; illuc inclinare videatur: Eius lumen itaque nunquam extinguitur ac præfocatur: quin saltem velut sub fauilla delitescat.

Hoc manifestat exemplum Iobi. Extrema enim desperationis materia est, manum Dei in nostrum exitium sentire: & tamen eò vsque progressa est spes Iobi, vt dicat: *Etsi me occiderit, in eo tamen sperabo.* Iob. 13. Ita est. Non intus in piorum cordibus regnat incredulitas, sed foris oppugnat: nec lethaliter vulnerat suis telis, sed infestat, aut certè sic lædit, vt vulnus sit sanabile. Fides enim (vt ait D. Paulus Ephes. 6.) *nobis pro scuto est.* Ea telis opposita, eorum vim sic excipit, vt prorsus depellat, vel saltem frangat, ne ad vitalia penetrent. Cùm ergo concutitur fides, perinde est, ac si violento ictu iaculi, miles alioqui firmus, pedem mouere cogatur, & paulùm cedere. Cum autem sauciatur fides ipsa, perinde est, ac si clypeus fractionem aliquam ex impressione recipiat, sic tamen vt non perforetur. Semper enim eò pia mens emerget, vt cum Dauide dicat: *Etsi ambulauero in medio vmbra mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, virga tua & baculus tuus, ipsa consolantur me.* Psal. 23. 4. Ambulare certè in caligine mortis, est terrificum: nec fieri potest, quin fideles, quantumuis firmitudinis habeant, id perhorrescant: sed quoniam illa cogitatio, quod Deum habeant præsentem, & suæ saluti consulentem, superat, simul vincitur timor securitate. Ait autem D. Augustinus in Ioh. hom. 52. *Quantaslibet machinas aduersum nos erigat Diabolus, quoniam non tenet locum cordis, vbi fides habitat, eiectus est forás.* Ergo fides certa esse debet: & sancti de Dei erga se beneuolentia non dubitant, nec dubitare debent.

Altera est timoris ac trepidationis species, ex qua tamen adeo nihil decedit fidei securitati, vt solidius inde stabiliatur, nempe dum fideles vel exempla diuinæ vltionis aduersum impios edita, documentorum vice sibi esse cogitantes, ne iisdem flagitiis iram Dei in se prouocare sibi contingat, solicitè cauent: vel cùm miseriam suam recognoscentes, à Domino toti pendere discunt, sine quo, se quolibet vento fluxos magis & euanidos esse vident. Et huc pertinent omnes illæ sententiæ, quæ videntur iubere sanctis, vt timeant, quorum aliquas subiiciam: atque ita respondebo ad omnes obiectiones, quæ fieri possunt contra certitudinem fidei.

Loci contra certitudinem fidei.

At videtur, quod sancti non debeant esse certi de Dei erga se beneuolentia, déque sua ipsorum per Christum salute, sed semper dubitare & timere, idque iis locis.

1. Ait Apostolus 1. Corinth. 10. *Hæc autem omnia typicè eueniebant eis: scripta verò sunt ad admonitionem nostri, in quos fines seculorum occurrerunt. Itaque qui sibi videtur stare, videat ne cadat.*

Resp. Dum propositis flagellis, quibus in Israeliticum populum olim Dominus vindicârat, terrorem Corinthiis incutit, ne similibus malis se ipsos obstringant: eo fiduciam ipsorum nihil labefactat: sed torporem tantùm carnis excutit, quo torpore fides obrui magis quàm confirmari solet.

2. At Roman. 11. ait, *Tu fide stas, noli altum sapere, sed time.*

Resp. *Primò*, dum à Iudæorum casu argumentum exhorrandi sumit Apostolus, vt qui stat, videat ne cadat: non iubet nos vacillare, ac si nostræ stabilitatis parum certi essemus: sed arrogantiam duntaxat, & temerariam propriæ virtutis præsidentiam adimit, ne depulsis Iudæis Gentes in eorum locum receptæ, ferociùs insultent.

Secundò, Non fideles tantùm illic alloquitur: sed oratione sua hypocritas etiam comprehendit, qui externa specie solùm gloriabantur. Neque enim singulos homines admonet: sed comparatione inter Iudæos & Gentes posita, postquam illos ostenderat iustas incredulitatis & ingratitudinis suæ pœnas in eo dare, quod eiecti essent: has etiam hortatur, ne superbiendo, ac sese efferendo, gratiam adoptionis nuper ad se translatam, amittant. Sicut autem in illa Iudæorum reiectione, supererant aliqui ex ipsis, qui ab adoptionis fœdere non exciderant: ita poterant aliqui ex Gentibus emergere, qui sine vera fide, tantùm stulta carnis confidentia inflarentur, atque ita abuterentur in suam perniciem Dei benignitate.

Tertiò, Etiamsi de electis ac fidelibus hoc dictum accipias: nihil tamen ex eo sequetur incommodi. Aliud enim est, temeritatem quæ ex carnis reliquiis interdum sanctis obrepit, reprimere, ne inani confidentia lasciuiant: aliud conscientiam timore percellere, ne plena securitate in Dei misericordia conquiescat.

3. At Phil. 2. *Cum timore & tremore vestram salutem operamini.*

Resp. Non aliud exigit, cùm docet, vt cum tremore nostram salutem operemur, nisi vt in Domini virtutem cum multa nostri deiectione suspicere assuescamus. Nihil autem tam nos ad fiduciam certitudinémque animi in Dominum reiiciendam expergefacit, quàm nostri diffidentia, & concepta ex conscientia nostræ calamitatis anxietas. In quem sensum accipiendum illud:

4. Psalm. 5. *In multitudine bonitatis tuæ introibo in domum tuam, adorabo in timore.*

Resp. Hic decenter fidei audaciam, quæ Dei misericordiæ innititur, cum religioso timore coniungit, quo nos affici oportet, quoties in conspectum diuinæ maiestatis prodeuntes, ex eius splendore quanta sit nostra obscœnitas, intelligimus.

5. At Prouerb. 28. *Beatus homo, qui semper est pauidus: qui verò mentis est duræ, corruet in malum.*

Resp. Pauorem intelligit, qui nos cautiores reddat, non autem, quo afflicti concidamus, dum scilicet animus in se confusus, in Deo se recolligit, in illo erigitur, apud se ipsum deiectus, diffisus sibi, illius fiducia respirat. Quare nihil obstat, quin simul & terreantur fideles, & securissima consolatione potiantur: prout nunc in suam vanitatem oculos conuertunt, nunc in Dei veritatem cogitationem animi referunt.

Non ita tamen accipias, fideles & dubitare simul, & certos esse, quasi de eadem re & certi sint, & dubitent, atque ita fiducia eorum incredulitate mixta sit: nequaquam ita accipias. Sed de beneuolentia Dei erga se, atque ita de sua ipsorum salute propter Christum ita certi sunt, dum intuentur in promissionem Dei, vt dubitare non queant. De seipsis verò, dum scilicet in suam vanitatem oculos deflectunt, ita timent & terrentur, ne Deum offendant, ac ne Spiritum S. expellant, à gratiáque excidant, vt certi esse non possint, ne Deum offendant, Spiritum S. expellant. Simul tamen cum hoc, stat firma illa securitas, promissionibus & veritati Dei annixa.

Ideo nota, quod quidam ita conscientiam statuunt inter metum & spem, vt per interualla & vices huc atque illuc alternent. Spem verò & metum sic inter se conferunt, vt illa exoriente, hic opprimatur; hoc resurgente, illa rursum extinguatur. Et volunt, quod quotiescunque in Christum respicimus, illic nos inueniamus quidem plenam bene sperandi materiam: sed quoniam semper indigni sumus illis omnibus bonis, quæ in Christo nobis offeruntur, volunt nos intuitu nostræ indignitatis fluctuare & hæsitare. Et dicunt, si Christum consideres, certa salus: si ad te ipsum reuertaris, certa damnatio. Ergo alternis diffidentiam, & bonam spem in animo tuo regnare necesse est.

Sed isti errant. Ideo enim hoc dicunt, quia fingunt Christum procul à nobis stantem, & non potius in nobis habitantem considerant. Nos autem ideo à Christo salutem exspectamus, non quia eminus nobis appareat: sed quia nos corpori suo insitos, non modo suorum omnium bonorum participes faciat: sed sui quoque ipsius. Proinde hoc ipsorum argumentum contra eos sic retorqueo. Si te ipsum consideres, certa damnatio: sed quoniam Christus tibi cum omnibus suis bonis sic communicatus est, vt omnia eius tua fiant, vt fias eius membrum, adeóque vnum cum ipso: iustitia eius tua peccata obruit: salus eius, tuam damnationem abolet: ipse sua dignitate intercedit, ne in conspectum Dei veniat tua indignitas. Sic est sanè, Christum à nobis

à nobis ſeparare, aut nos ab ipſo, minimè conuenit: ſed vtraque manu fortiter retinere oportet eam, qua ſe nobis adglutinauit, ſocietatem.

Ita nos Paulus inſtituit, dicendo Rom.8 *Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum: ſed Spiritus Chriſti, qui in nobis habitat, vita eſt propter iuſtitiam.* Secundum iſtorum nugamentum dicere debuerat: Chriſtus quidem vitam apud ſe habet: ſed vos, vti eſtis peccatores, manetis morti & damnationi obnoxij. Atqui longè aliter loquitur Apoſtolus. Docet enim, eam quam à nobis meremur damnationem, Chriſti ſalute abſorptam eſſe: atque ad id confirmandum, ea ratione, quam attuli, vtitur: nempe quia Chriſtus non extra nos eſt, ſed in nobis habitat: nec ſolum indiuiduo ſocietatis nexu nobis adhæret: ſed mirabili quadam communione in vnum corpus nobiſcum coaleſcit in dies magis ac magis, donec vnum penitùs nobiſcum fiat. Ita & D. Bernhardus hom. de dedicatione templi S. ex profeſſo, hoc argumentum diſſerit, ſicut modò ego explicaui. Vide ipſum

6. At timor Domini vbique in ſacris Scripturis laudatur, & defertur ſanctis omnibus. Pſal.34. *Timete Iehouam ſancti eius: quoniam non eſt penuria timentibus eum.* Pſal.112. *Beatus vir, qui timet Iehouam, & mandatis eius delectatur valdè.* Prou.1. *Initium ſapientiæ timor Domini.*

Reſp. Idem cultus, qui præſtatur Deo, dicitur & fiducia ſiue honor, & timor, reſpectu diuerſarum conditionum, nempe quia idem Deus dicitur & Pater, & Dominus. Vt Patri, obedientes nos filios præſtare debemus: & hanc obedientiam, vocat honorem. Vt Domino, obſequentes nos ſeruos exhibere debemus: & hoc obſequium vocat timorem, Malach.1. *Filius honorat patrem, & ſeruus* (ſcilicet honorat) *Dominum ſuum. Si ergo ego pater, vbi honor? ſi dominus, vbi timor?* Ecce idem honor, ſiue cultus, ſiue obedientia Dei, dicitur & honor, & timor. Ergo idem ſunt.

2. Vtcunque Propheta eos diſtinguat, nempe honorem & timorem: tamen adeo alter non poteſt ſtare ſine altero, vt idem Propheta eos ſimul confundat. Si autem ſimul ſtant: ergo timor ille, qui commendatur in Scripturis, non aduerſatur certitudini fidei: Timor ergo Domini, eſt reuerentia illa, honore illo & timore mixta. Vtrumque autem affectum idem animus recipit. Nec mirum. Nam qui ſecum reputat, qualis ſit nobis Pater, nempe Deus tam erga nos beneuolus: ſatis habet cauſæ, etiam ſi nulli eſſent inferi, cur eius offenſionem, qualibet morte grauius perhorreſcat. Item, quæ eſt ad peccandi licentiam carnis noſtræ laſciuia, quò eam modis omnibus cohibeamus, arripienda ſimul eſt hæc cogitatio, Domino, ſub cuius poteſtate degimus, eſſe abominationi omnem iniquitatem, cuius vltionem non euadent, qui flagitioſè viuendo, eius iram aduerſum ſe prouocârint. Stant ergo ſimul illi duo affectus.

At 1. Iohan.4 *Charitas foràs mittit timorem, quoniam timor pœnam habet.* Ergo non poſſunt ſtare ſimul.

Reſp. Nihil repugnat. Iohannes enim loquitur de timore ſiue terrore incredulitatis, à quo longè differt iſte fidelium timor. Ideo tertiò reſpondeo.

3. Duplex timor inuenitur in Scripturis: Timor fidelium, & infidelium. Timor fidelium, non repugnat certitudini fidei de beneuolentia Dei erga ſe. Non enim timent Deum, tanquam ſibi infenſum, inimicum & hoſtem: ſed timent Deum, vt Patrem, ne ſcilicet eum offendant. Secundo, non timent iram Dei, quaſi eam ſibi imminere arbitrentur, vt in caput ſuum ruat: ſed timore iræ Dei cautiores redduntur, ne eam ſibi accerſant. Sic Apoſtolus, dum Epheſ.5. fideles alloquitur, dicit: *Nolite ſeduci: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.* Non minatur, in ipſos deſcenſuram: ſed admonet, ne & ipſi eam experiri velint, ſicut & impij ob flagitia ſua. Impiorum verò timor, repugnat certitudini fidei. Ipſi enim timent Deum, vt ſibi infenſum: & quia vindictæ potentiâ armatum ſciunt, ad auditum iræ eius, horrore concutiuntur. Et iram eius ſic timent, qui eam ſibi imminere arbitrantur, qui ſingulis momentis eam expectant, dum in caput ſuum corruat. Exemplum.

Qui ad furcam ducitur, timet eam, vtpote ſibi imminentem, & vt qui in ea ſtatim ſuſpendendus eſt: qui verò tantùm ſpectator eſt, vidétque illum ſuſpendi ob furtum, timet furcam, id eſt, timore illius furcæ, cautior redditur, ne furetur. Certus tamen eſt, quod ipſe iam non ſit ſuſpendendus in ea. Cur? quia iam ſcit, ſe furtum non feciſſe. Ita Chriſtianus, qui verè credit ſibi remiſſa eſſe peccata propter Chriſtum, non timet, non dubitat de ſalute ſua: ſed timet ne deficiat à Chriſto, ne eum offendat, ne perdat fidem. Stant ergo ſimul.

III. *Diuinæ erga nos beneuolentiæ.* Hæc eſt tertia particula definitionis fidei. In hac diuina beneuolentia, quam fides reſpicere dicitur, intelligimus vitæ æternæ poſſeſſionem obtineri. Nam ſi Deo propitio, nihil boni deeſſe nobis poteſt: abundè nobis ſufficit ad ſalutis certitudinem, vbi ſuæ dilectionis ipſe nos certiores facit. Ideo Propheta nihil aliud petit, dicendo. Pſal.80. *Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.* Vnde hanc ſalutis noſtræ ſummam ſtatuunt Scripturæ, quod abolitis inimicitiis omnibus, in gratiam nos recepit, Epheſ.2. Quo innuunt, Deo reconciliato, nihil manere periculi, quin omnia nobis bene ſuccedant. Quare fides dilectione Dei apprehenſa, promiſſiones habet vitæ præſentis & futuræ, ſolidámque bonorum omnium ſecuritatem, ſecuritatem, inquam, qualis è verbo percipi poteſt. Neque enim vitæ huius aut longitudinem, aut honorem, aut opes, ſibi certò fides promittit: quoniam nihil horum nobis eſſe conſtitutum voluit Deus: ſed hac certitudine contenta eſt fides (licet nos multa deficiant, quæ ad huius vitæ ſubſidium pertinent) Deum tamen nunquam defuturum. Præcipua autem eius ſecuritas, in futuræ vitæ exſpectatione reſidet, quæ extra dubium per verbum Dei poſita eſt. Quæcunque tamen in terra miſeriæ & calamitates eos maneant, quos ſua dilectione complexus eſt Dominus, impedire nequeunt, quin eius beneuolentia, plena ſit felicitas. Proinde cùm ſummam beatitudinis vellemus exprimere, gratiam Dei poſuimus, è qua ſcaturigine vniuerſæ bonorum ſpecies nobis profluunt. Atque id paſſim obſeruare in Scripturis licet, nos ad Domini charitatem reuocari, quoties non de externa ſolùm ſalute, ſed quolibet bono noſtro agitur. Propter hoc ait Pſalm. 63. *Quoniam melior eſt miſericordia tua, quàm vita,* id eſt, bonitas tua (nempe guſtata) omni vita optabilior eſt.

IV. *Quæ gratuitæ promiſſionis veritate fundata.* Fundamentum fidei facimus gratuitam promiſſionem, quod in ipſa propriè fides conſiſtat, eíque propriè nitatur.

At nónne fides etiam reliqua verba Dei, quæ non ſunt promiſſiones, vt præcepta, vt minas, vt interdicta, reſpicit, & in iis fundatur?

Reſp. Tametſi fides per omnia Deum veracem eſſe ſtatuat, ſiue iubeat, ſiue prohibeat, ſiue promittat, ſiue minetur: licet etiam iuſſa eius libenter excipiat, interdicta obſeruet, ad minas animaduertat: propriè tamen à promiſſione incipit, in promiſſione conſtat, in promiſſionem deſinit. Vitam enim quærit in Deo. Vita autem reperitur aut in mandatis, aut in pœnarum edictis, ſed in miſericordiæ repromiſſione, eáque non niſi gratuita. (Nam conditionalis, qua ad opera noſtra remittimur, non aliter vitam promittit, quàm ſi perſpiciamus in nobis ſitam eſſe) Ergo iure fides in gratuita promiſſione conſtat: & niſi fidem tremere ac vacillare volumus, illam ſalutis promiſſione gratuita fulciamus oportet, quæ à Domino vltrò & liberaliter, potiúſque miſeriæ noſtræ, quàm dignitatis reſpectu, offeratur. Ideo D. Paulus particulariter Euangelio defert hoc teſtimonium, quod ſcilicet ſit verbum fidei, quod prædicamus, quando ait Rom.10. *Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus, &c.* Ratio eſt, quia nihil eſt, quod fidem ſtabilire queat, niſi liberalis illa legatio, qua Deus ſibi mundum reconciliat. Inde etiam apud eum Apoſtolum, crebra fidei & Euangelij correlatio eſt, vt ad Rom.1. *Segregatus in Euangelium Dei, ad obedientiam fidei.* Item, *Euangelium, virtus Dei eſt in ſalutem omni credenti.* Item, *In Euangelio reuelatur iuſtitia Dei ex fide in fidem.* Nec mirum: ſi quidem fides propriè requirit cognitionem diuinæ beneuolentiæ: nullibi autem ſatis firmum diuinæ beneuolentiæ teſtimonium extat, niſi in Euangelio (eſt enim Euangelium diuinæ reconciliationis myſterium.) Ergo iure fides propriè dicitur niti Euangelio: & Euangelium dicitur verbum fidei. Cùm ergo fidem, gratuitæ promiſſioni inniti oportere dicimus, non negamus quin verbum Dei omni ex parte amplectantur & ſuſcipiant fideles, ſed miſericordiæ promiſſionem, fidei vt proprium ſcopum deſtinamus. Sicut iudicem & vltorem ſcelerum Deum debent quidem agnoſcere fideles; & tamen in eius clementiam propriè intuentur, quoniam talis deſiderandus illis deſcribitur, qui beneuolus ſit & miſericors, procul ira, multus bonitate, ſuauis vniuerſis, ſuper omnia opera ſua miſericordiam ſuam effundens, vt patet Pſal.86. 103.145.

V. *Quæ gratuitæ in Chriſto promiſſionis.* Promiſſiones omnes in Chriſto concludimus. Id verò non ſine cauſa, quoniam & Apoſtolus totum Euangelium in cognitione Chriſti concludit, vt patet Rom.1. & 2. Cor.1. docet, *omnes promiſſiones Dei, in ipſo eſſe etiam & amen.* Quod ergo in Chriſto concludimus promiſſiones, eſt, quia nulla promiſſio fit, niſi in Chriſto.

Nam in omnibus promissionibus suis Deus testatur suam beneuolentiam, ita vt nulla sit eius promissio, quæ non sit dilectionis testimonium.

Ob.1. At videtur hoc falsum. Impij enim, dum cumulantur diuinæ largitatis beneficiis, eo ipso grauiori iudicio sese induunt. Ergo non semper sunt signa diuinæ beneuolentiæ, sed sæpe etiam iræ.

Resp. Nihil refert, quod ingentibus atque assiduis diuinæ largitatis beneficiis, dum impij cumulantur, eo grauiori iudicio sese induunt. Cùm enim ea sibi è Domini manu prouenire nec cogitent, nec agnoscant, aut si quando agnoscant, eius tamen bonitatem neququam apud se reputent, non possunt inde magis de eius misericordia edoceri, quàm brutæ pecudes, quæ pro cognitionis suæ modo, eundem liberalitatis fructum recipiunt, neque tamen perspiciunt, aut agnoscunt. Quare promissiones in se sunt signa beneuolentiæ Dei, & omnia beneficia Dei sunt signa beneuolentiæ diuinæ: sed non prosunt iis, qui ea non considerant è manu Dei venire, & ex sua erga nos beneuolentia fluere.

2. Item, quomodo verum est, quòd quotiescunque Deus promittit aliquid, suam beneuolentiam testetur illis, quibus promissiones facit, cum impij destinatas sibi plerumque promissiones respuendo, vltionem hac occasione sibi maiorem accersant? quomodo ergo promissiones sunt illis testimonia beneuolentiæ Dei, cùm in ipsis non impleatur, quod illis promissum est, sed contrarium.

Resp. Nihil hoc quoque obstat, Quanquam enim tum demum se profert promissionum efficacia, vbi fidem apud nos inuenerunt: vis tamen & proprietas earum, nostra infidelitate aut ingratitudine nunquam extinguitur. Ergo cùm Dominus suis promissionibus non solum ad percipiendos suæ benignitatis fructus, sed etiam cogitandos hominem inuitet: suam illi dilectionem simul declarat. Vnde adhuc vera est prima illa propositio, scilicet promissiones omnes esse diuinæ erga nos dilectionis testificationes testimoniáque.

3. Atqui nemo extra Christum diligitur à Deo: ipse enim est dilectus, in quo resider & requiescit amor Patris. Ergo cùm non diligamur nisi in Christo: promissiones quoque, quæ sunt signa dilectionis, fieri nobis non possunt, nisi in Christo. Proinde Apostolus vocat Christum pacem nostram, Eph.2. Alibi Rom. 8. ceu vinculum proponit, quo paterna pietate Deus nobiscum deuinciatur. Iure igitur dixit in definitione, *promissionis in Christo nobis proposita &c.* Consequitur hinc, in Christum coniiciendos esse oculos, quoties vlla promissio nobis offertur: & iure doceri à Paulo, in Christo confirmari, impleríque omnes promissiones.

VI. *Per Spiritum S. & reuelatur mentibus nostris.* Hæc particula addita est, quia sine Spiritus S. illuminatione, verbo nil agitur, & fieri in nobis fides non potest, idque propter cæcitatem nostram. Hæc quidem nuda externáque verbi Dei demonstratio, abundè ad fidem faciendam sufficere debebat, nisi cæcitas peruicaciáque nostra impediret. Verum quæ mentis nostræ ad vanitatem est propensio, Dei veritati nunquam adhærere potest: quæ est hebetudo, ad eius lucem semper cæcutit. Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Vnde liquet, fidem humana intelligentia esse multò superiorem.

1. Ergo *primò* necesse est, vt Spiritus S. illuminet mentem nostram ad percipienda & intelligenda, quæ Deus verbo suo offert.

2. Opus est *secundò*, vt Spiritus S. virtute cor obfirmetur, fulciatúrque, quò verè fidere, & securum esse de promissione Dei cor possit. Illuminatur ergo mens ad intelligendum & assentiendum: obfirmatur verò cor, ad fidendum & securum esse de promissionibus Dei. Ergo singulare Dei donum est vtroque modo fides: & quod mens hominis ad degustandam Dei veritatem purgatur: & quod animus in ea stabiliatur. Patet hoc ex iis.

1. 1.Corinth.2. *Nemo scit, quæ sunt hominis, nisi Spiritus &c. ita nemo nouit, quæ sunt Dei nisi Spiritus Dei. Nos autem Spiritum Dei habemus.* Ergo opus est Spiritu S. reuelante & illuminante.

2. 1.Cor.2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in mentem hominis venerunt, quæ parauit Deus iis qui ipsum diligunt.* Et loquitur ibi de promissionibus Euangelij.

3. Matth.1. *Abscondisti à sapientibus, & reuelasti paruulis.* Ergo humana perspicacia non solùm non sufficit ad intelligenda, quæ sunt Dei: sed etiam impedit. Nam ea ceu velamine obiecto impedimur, quo minus assequamur Dei mysteria, quæ non reuelantur, nisi paruulis.

4. 1.Cor.2. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Dei: stultitia enim est illi, & non potest percipere.*

5. Rom.11. *Quis cognouit mentem Domini, aut quis ei fuit à consilio?*

6. Ioh.6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.*

7. Matth.16. *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis.*

Sicut ergo accedere ad Christum, nisi Spiritu Dei attracti, non possumus: ita vbi trahimur, mente & animo euehimur supra nostram ipsorum intelligentiam. Nam ab eo Spiritu illustrata anima, nouam quasi aciem sumit, qua cœlestia mysteria contempletur, quorum splendore antè in se ipsa perstringebatur: atque ita animus Dei Spiritu illuminatus, gustare incipit, quæ ad Dei regnum pertinent, ad quæ antè vel delibanda fatuus erat. Hinc

Luc. 24. Christus duobus discipulis regni sui mysteria præclarè edisserens, nihil tamen proficit, donec sensum illis aperit, vt intelligant Scripturas. Sic

Iohan.16 Edoctis diuino eius ore Apostolis, Spiritum tamen veritatis mittendum esse dicit, qui ipsorum mentibus eandem instillet doctrinam, quam auribus hauserant. Verbum enim Dei est, sicut Sol. Sol licet omnibus affulgeat, cæci tamen illum non vident, nec eius lucem percipiunt. Ita verbum Dei omnibus quidem affulget, prædicatur, sed cùm naturâ cæci simus, nisi illuminentur per Spiritum S. illud percipere nequimus.

VII. *Per Spiritum S cordibus nostris obfirmatur.* Hæc est vltima definitionis fidei particula. Restat igitur, vt quod mens hausit, in cor ipsum transfundatur. Non enim si in summo cerebro volutatur verbum Dei, ideo fide perceptum est, sed vbi in imo corde radices egit, vt ad sustinendas repellendásque omnes tentationum machinas inuictum sit propugnaculum, tum verè fide perceptum esse dicitur. Hoc autem non potest fieri, nisi per Spiritum S. quod patet.

Si veram mentis intelligentiam esse Spiritus S. illuminationem, verum est; ergo in tali confirmatione cordis, multò euidentius Spiritus S. virtute opus est: idque quia maior est cordis diffidentia, quàm mentis cæcitas: & animum securitate instrui, quàm mentem cogitatione imbui, difficilius est. Proinde Spiritus S. sigilli vice fungitur, ad eas ipsas promissiones in cordibus nostris obsignandas, quarum certitudinem prius mentibus impressit: atque ad confirmandas & constituendas, arrhæ locum tenet. Vnde Apostolus Eph.1. *Postquam credidistis, obsignati estis Spiritu promissionis sancto, qui est arrhabo hæreditatis nostræ.* Cur dicitur Spiritus promissionis? quia ratum apud nos Euangelium, id est, promissiones Euangelij facit.

2.Cor.1. Qui vnxit nos Deus, qui & signauit nos, & dedit arrham Spiritus in cordibus nostris, Ita 2.Cor.5.

Contra certitudinem fidei alia argumenta.

1. At videtur, quòd de gratia Dei erga nos non aliter statuere possimus, quàm ex coniectura morali, prout scilicet vnusquisque se non indignum reputat, & videt.

Resp. Si ab operibus æstimandum est, qualiter affectus sit erga nos Deus, id ne tenui quidem coniectura nos vnquam assequemur: Fateor, sed cùm simplici & gratuitæ promissioni respondere fides debeat: nullus ambigendi locus relinquitur. Nihil autem magis fidei aduersum, quàm vel coniecturæ, vel aliud quippiam dubitationi affine.

2. At eccles.9. *Nemo scit, vtrum amore, an odio dignus sit.*

Resp.1. Aliter habet Hebræus textus.2. Sensus est iste: Si quis à præsenti rerum statu censere & agnoscere velit, quos odio prosequatur Deus, quos amore complectatur: is frustrà laborat, ac inutiliter torquetur, cùm omnia pariter iusto & impio eueniant, immolanti victimas, & non immolanti. Ergóne aliter nescire possumus an Deus nos amet? etiam supra cap 3 ait, non posse discerni ex præsenti rerum statu, quid hominis anima differat ab anima pecudis, eò quod eodem modo videtur interire illa, quo & ista. Ergóne alio modo cognoscere non poterimus, an hominis anima sit immortalis, differátque à pecudis anima, vel ne? Vel si quis inde inferat, ergo sola coniectura nititur illa, quam tenemus de immortalitate animorum sententia, nónne insanus videbitur? Ita qui nullam esse gratiæ certitudinem inde colligunt, quoniam nulla certitudo ex carnali rerum præsentium aspectu comprehendi possit, stulti vtique iudicandi sunt.

3. At temeraria præsumptio est, indubitatam diuinæ voluntatis notitiam sibi arrogare.

Resp.

Resp. Præsumtio esset, si diceremus nos ingenij nostri tenuitate posse comprehendere incomprehensibile Dei consilium, vel iam comprehendisse: sed præsumtio nō est, cùm dicimus, nos diuinæ voluntatis notitiam habere per Spiritum sanctum, qui ideò datus est nobis, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis, vt ait Paulus 1 Cor. 2.

Ac etiam hoc temerarium est, gloriari hominem, se habere Spiritum Dei.

Resp. Si temerarium est, dicere quòd habeamus Spiritū Dei: Ergo etiam temerarium est, dicere quod simus Christiani. *Nam qui non habet Spiritum Christi, hic non est Christianus. Rom. 8.* Ergo qui est Christianus, habet Spiritum Christi. Si ergo hoc non est temerarium dicere: ergo neq; illud. Imò semper Paulus inculcat, quòd Christiani agantur à Spiritu Dei. Hinc Joh. 1. epist. c. 3. *Scimus autem, quòd Christus in nobis maneat, ex Spiritu, quem dedit nobis.*

Joel. 2. *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Promittit hic Deus, se effusurum de Spiritu suo in omnes suos electos seruos. Ergo dicere, quod Christiani, serui Dei, non habeant Spiritum Dei, est promissionem Dei in dubium reuocare, & facere Deum mendacem. Sed isti ostendunt, quòd non agnoscant Spiritum sanctum, quid sit. Vnde Christus Joh. 14. *Et Ego rogabo Patrem, vt maneat vobiscum Spiritus veritatis, quem Mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscitis eum, quia apud vos manebit & in vobis erit.*

4. At etiamsi iuxta præsentem institiæ statum de gratia Dei iudicium sumere liceat: nemo tamen certus esse potest de perseuerantiæ dono.

Resp. Egregia verò scilicet salutis fiducia nobis relinquitur, si ad præsens momentum nos esse in gratia, cōiectura mortali æstimamus, quid in crastinum sit futurum, nescimus.

Rom. 8. Paulus se certum esse de perseuerantiæ dono clamat: *Certus sum,* inquit *quod neq; mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque potestas, &c. neq; vlla alia res creata poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

At Paulus id habuit de se ex speciali reuelatione.

Resp. Falsum est Nam illic, quæ in communi vniuersis fidelibus proueniant bona, ex fide, tractat: non quę specialiter ipse experiatur.

5. At idem Apostolus alibi nostræ imbecillitatis & inconstantiæ nos admonens deterret, dicendo 1. Cor. 10. *Qui stat, videat ne cadat.*

Resp. Verū est, sed nō terrore, quo consternemur, sed quo discamus nos sub potenti manu Dei humiliare, vt Petrus declarat 1. Pet. 5. Cùm ergo fideles, gratiæ Dei acceptum hoc ferant, quòd Spiritu Dei illuminati, cœlestis vitæ contemplatione fruantur: procul abest talis gloriatio à præsumtione & arrogantia: imò si id quis non confiteatur, magis prodit ingratitud uem suam, diuinam bonitatem supprimendo, quàm modestiam aut submissionē testetur.

Quòd vera fides sine charitatis affectione esse nequeat.

1. Fides, qua assentimur Dei veritati, est assensio potiùs, & magis cordis, quàm cerebri, & magis affectus, quàm intelligentiæ, vt suprà expositum est. Ergo non est notitia simplex, sed affectuosa.

2. *Fides sine operibus mortua est.* Iac. 2. quasi dicat, non est vera fides, sicut nec verus homo, qui sine anima est.

3. Propter hoc fides Rom. 1. dicitur obedientia fidei, cui nullum scilicet aliud obsequium præfert Dominus. Et iure, quoniam illi sua veritate nihil est pretiosius, quam à credentibus, quasi subscriptione facta, obsignari testis est Christus, Joh 6.

4. Fides Christum amplectitur, vt nobis offertur à Patre: Christus verò non in iustitiam modò, peccatorum remissionem & pacem offertur, sed etiam in sanctificationem & fontem aquæ viuæ Ergo nemo eam ritè cognoscere, aut in eum credere potest, quin simul etiam sanctificationem Spiritus sancti apprehendat. Sanctificatio autem est, cum charitate. Ergo, &c. Vel sic breuius fiat argumentum.

Fides in Christi notitia sita est.

Christus nisi cum Spiritus sui sanctificatione cognosci nequit.

Ergo fides à pio affectu, nullo modo est distrahenda & separanda.

At Paulus ait 1. Cor. 13. *Etsi habuero omnem fidem, charitatem autem non, nihil sum.*

Resp. Per fidem ibi intelligit virtutem edendi miracula, quod patet: Cum enim supra, cap. proximo disseruisset de varijs donis Spiritus, in quibus reposuerat genera linguarum, virtutes, & prophetiam, & hortatus esset Corinthios ad sectanda ex iis meliora, id est, vnde plus fructus & emolumenti rediret ad totum corpus Ecclesiæ: subiicit, excellentiorem adhuc se viam demonstraturum, & ait, eiusmodi dona omnia, vtcunque per se excellentia sint, nihili tamen æstimanda esse, nisi charitati seruiant. Esse enim in ædificationem Ecclesiæ data: igitur in eam nisi conferantur, perdere suam gratiam. Ad id probandum, distributione vtitur, repetens eadem illa, quæ supra recensuerat dona, sed aliis nominibus. Pro eodem autem vsurpat virtutem & fidem, nempe, pro edendorum miraculorum facultate. Cum ergo hæc siue virtus, siue fides, particulare sit donum Dei, quo impius quispiam & pollere & abuti queat, vt dono linguarum, vt prophetia, vt aliis charismatibus: non mirum, si a charitate separetur. Error autem istorum est hinc, quòd putant, fidem vbique eodem modo accipiendam, cùm tamen sit vocabulum πολύσημον.

Quod fides illa non sit, quæ Christum explicitè non agnoscit.

Quidam putant, quòd si quis, etiamsi nihil intelligat de Christo, modò sensum suum obedienter Ecclesiæ submittat, dicens, Credo quod credit Ecclesia: quamuis nesciat quid credat Ecclesia: putant, inquam, quòd talis veram habeat fidem, sed implicitam. Nos autem dicimus, quòd fides vera non sit ista.

1. Fides non in ignoratione, sed in cognitione sita est. Nemo enim credere potest, nisi agnoscat, quid credendum sit. Nec in Dei tantùm cognitione sita est, sed particulariter in diuinæ erga nos voluntatis notitia, vt suprà declaratum est. Ergo ista fides, quæ nihil cognoscit, non est fides Confirmatur. Non enim ex eo consequimur salutem, vel quòd parati simus pro vero amplecti, quicquid Ecclesia præscripserit: vel quod inquirendi cognoscendique prouinciam, ad ipsam Ecclesiam relegamus, sed quoniam Deum agnoscimus propitium Patrem esse, reconciliatione per Christum facta: Christum verò in iustitiam, sanctitatem & vitam nobis esse datum. Hac, inquam, cognitione, non sensus nostri submissione, ingressum in regnum cœlorum obtinemus.

2. Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ergo non satis est, si quis implicitè credat, quod non intelligit, nec etiam inquirit, sed explicitam requirit Apostolus fidem, id est, explicitam diuinæ bonitatis agnitionem, in qua consistit nostra iustitia. Equidem non inficior, qua sumus ignorantia circumsepti, quin plurima nobis implicita nunc sint, & etiam sint futura, donec deposita carnis mole, propiùs ad Dei præsentiam accesserimus, in quibus ipsis nihil magis expediat, quam iudicium suspendere, animum autem obfirmare ad tenendam cum Ecclesia vnitatem. Verùm hoc prætextu ignorantiam humilitate temperatam, fidei nomine insignire, absurdissimum est. Nam fides in Dei & Christi cognitione, non in Ecclesiæ reuerentia sita est Hinc tot errores obtruduntur ignoranti plebeculæ, quia ipsa ignorat initia fidei, & contenta fuæ fide implicita. Oportet ergo catechizari omnes Christianos, vt agnoscant Deum & Christum.

Fidei definitio ab Apostolo tradita ad Heb. 11. quomodo conueniat cum nostra iam data.

Quoniam non aliundè meliùs aut magis perspicuè fidei natura declarari posse videbatur, quàm à promissionis substantia, qua veluti proprio fundamento sic nititur, vt ea sublata, protinus & ipsa fides corruat, vel potiùs euanescat: ideo definitionem nostram inde sumsimus: Quæ tamen ab illa Apostoli definitione vel descriptione potiùs, minimè aliena est, imò congruit. Ait ergo.

1. Heb. 11. *Fides est substantia rerum sperandarum* ὑπόστασις, id est, fulcrum quasi quoddam est, cui mens innitatur: quasi dicat, fides ipsa, est certa quædam ac secura possessio eorum, quæ nobis a Deo promissa sunt.

2. Rursum vt significaret ad supremum vsque diem, quo libri aperientur, sublimiora esse, quam quæ sensu nostro percipi, vel oculis spectari, manuve cōtrectari possint: eaque non aliter interim possideri à nobis, quàm si captum omnem ingenij nostri excedamus, ac supra omnia, quæ in mundo sunt, aciem nostram intendamus, nos denique ipsos superemus: addidit securitatem hanc possidendi *esse rerum sperandarum*, id est, quæ in spe iacēt, ideóque non videntur: non videntur, inquam, quia si viderentur, non essent res sperādæ. Vnde Rom. 8. *Spes enim, quæ vi-*

detur non est spes. Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus.

3. *Argumentum non apparentium.* ἔλεγχος, i. *conuictio* (vt Augustinus in Ioh. hom. 79. 95. & de pecc. meritis & remissione, lib. 2. c. 31. exponit) *rerum non apparentium.* Hoc perinde est, ac si diceret: Fides est euidentia rerum non apparentium, visio earum rerum, quæ non videntur: perspicuitas rerum obscurarum: præsentia rerum absentium: demõstratio occultarum. Mysteria enim Dei eiusmodi sunt, quæ ad salutem nostram pertinent, vt in se suáque natura cerni à nobis non possint, sed ipsa duntaxat in verbo Dei intuemur, cuius veritas sic persuasa nobis esse debet, vt pro facto impletoque habendum sit quicquid loquitur. Ad talem verò diuinæ bonitatis gustum percipiendum, quomodo se attoller animus, quin simul ad redamandũ Deum totus accendatur? Verè enim cognosci illa suauitatis affluentia non potest, quam Deus timentibus se recondidit, vt non simul vehementer afficiat. Cum autem simul afficit, penitus ad se rapit & effert. Proinde mirum non est, si peruersum cor & obliquum nunquam subit hic affectus, quo in cœlum ipsum traducti, ad reconditissimos Dei thesauros admittimur, & ad sacratissima regni eius adyta, quę profanari impuri cordis ingressu non decet.

Quòd vera fides absq; spe esse non possit: & quomodo spes sustineat, fulciat, confirmétq; fidem.

Jam verò, vbicunque viua erit hæc fides, fieri non potest, quin spem æternæ salutis secum habeat indiuiduam, vel potiùs ex se gignat & exerat. Qua sublata, licet disertè & ornatè de fide disseramus, nullam tamen habere conuincimur. Nam si (vt dictum est) fides est certa de veritate Dei persuasio, quòd nec mentiri nobis, nec fallere, nec irrita esse queat: qui hanc certitudinem conceperunt, simul profectò exspectant fore, vt promissiones suas Deus præstet, quæ eorum persuasione non nisi veræ esse possunt: ita vt in summa nihil aliud sit *spes* quàm *eorum exspectatio, quæ verè à Deo promissa credidit fides.* Ita fides Deum veracem credit: Spes exspectat, vt in temporis occasione veritatem suam exhibeat.

Fides credit, Deum nobis esse Patrem: spes expectat, vt se talem erga nos semper gerat. Fides datam nobis vitam æternam credit: spes exspectat, vt aliquando reueletur. Fides fundamentum est, cui spes incumbit: spes fidem alit ac sustinet. Vt enim exspectare à Deo nemo quicquam potest, nisi qui prius eius promissis credidit: ita rursus fidei nostræ imbecillitatem, ne velut fessa concidat, sustineri ac foueri patienter sperando & exspectando, oportet. Qua ratione D. Paulus ritè salutem nostram in spe collocat, dicendo, Rom. 8. *Spe enim salui facti sumus.*

Spes quomodo sustentet ac stabiliat fidem.

Nam spes, dum Dominum in silentio exspectat, primò fidem continet, ne nimis festinando, præcipitet: secundò confirmat ne vacillet in Dei promissionibus, aut de earum veritate dubitare incipiat. Tertiò recreat, ne fatigetur. Quartò, extendit ad vltimam illam metam, ne in medio cursu, aut etiam in carceribus deficiat. Quintò, denique assiduè reuocando & instaurando facit, vt se ipsa vegetior subinde ad perseuerantiam emergat.

Contra tentationes fidei, spes sese opponit.

Atque omninò, quantum necessaria sint spei subsidia, ad fidem stabiliendam, meliùs patebit, si cogitemus, quot tentationum formis impetantur & concutiantur ij, qui verbum Dei amplexi sunt.

Tres potissima tentationes contra fidem.

Prima, Dominus promissiones suas differendo, diutiùs sæpè, quàm pro votis nostris, suspensos animi nos tenet. Hic spes quomodo adiuuat? Præstat, quod iubet Propheta Habacuc c. 2. *Quia adhuc visus* (scilicet Dominus) *procul, & apparebit in finem, & non mentietur. Si moram fecerit, exspecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit.*

Secunda, interdum Dominus non modò languere nos sinit, sed apertam etiam indignationem præ se fert. Hic multò magis opus est, vt spes succurrat. Quomodo igitur? Præstat id, quod alius Propheta ait Jes. 8. *Et exspectabo Dominum, qui abscondit faciem suam à domo Iacob, & prastolabor eum.*

Tertia, Insurgunt etiam illusores, de quibus prædixit Petrus Apostolus 2. Pet. 3. *Hanc ecce vobis charissimi, secundam scribo epistolam, in qua vestram excito sinceram mentem, per commonefactionem, hoc potissimùm scientes, quòd venient in nouissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes, vbi est promissio aduentus eius? Ex quo enim Patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ.* Imò hæc eadem nobis insusurrat caro & mundus. Hic oportet, vt fidem spei tolerantia suffultam, in æternitatis contemplatione defixam teneas, quò mille annos, instar diei vnius reputer, dicatque cum Propheta Psal. 89. *Quoniam mille anni ante oculos tuos, ô Deus, tanquam dies hesterna, quæ præteryt.*

Qui sit spei scopus, cui nitatur.

Propter hanc tum coniunctionem, tum affinitatem S. Scriptura interdum fidei & spei vocabula confundit. Nam cùm Petrus dicit, *Virtute Dei nos per fidem custodiri vsque ad salutis reuelationem*: quod spei magis quadrabat, fidei tribuit. Neque immeritò: quoniam iam docuimus, nihilaliud spem esse quàm fidei alimentum & robur.

Scopus igitur spei, est fidei scopus: scopus fidei autem, est ipsa Dei misericordia, in quam vtroque oculo respicere debet. Ergo scopus, cui niti debeat spes, nihil aliud est, quàm Dei misericordia. Nos igitur, quoniam videmus ibi peccatores, vt Dei oraculis spem salutis concipiant: libenter tantum præsumamus de veritate Dei, vt solà eius misericordiâ freti, abiectâ operum fiduciâ, bene sperare audeamus.

LOCVS VIII.

DE SYMBOLO APOSTOLICO.

Vbi I. de fidei materia. II. de Trinitate. III. de Omnipotentia Dei. IV. de rerum creatione.

Diximus, quòd fidei scopus, in quem collimat, est Euangelium: In Euangelio diximus contineri promissiones diuinæ erga nos bonitatis & misericordiæ: promissiones verò omnes in Christo factas esse, & contineri & repræsentari: scopum igitur fidei esse Christum conclusimus, vt in quo summa Euangelij continetur. Sed quia plurimùm refert, explicatè scire quid in Euangelio contineatur, quid credi debeat: ideò per Apostolos confectum est symbolum, in quo summatim explicatur totum Euangelium, quod fides credere debet. Hoc ergo explicaturi, altius sumamus exordium.

Quòd felicitas humana sit in cognitione Patris & Christi.

Homo tum demùm felix & beatus dicitur, cùm Deum rectè, & Christum Filium eius cognoscit, vt ipse Christus docet Joh. 17. dicendo, *Hac est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Ergo qui beatam vitam viuere cupit, necesse est, vt cognoscat Deum & Christum, cognoscat, inquam, ritè, eoque modo, quo vult agnosci Deus ipse & Christus.

Quòd in solo Christo, qui est tertium speculum, verè cognoscatur Deus Pater.

Suprà dixeramus, tria esse specula, in quibus Deus sese nobis cognoscendum præbet: *Primum* speculum, creaturarum: *Secundum,* sacræ Scripturæ: *Tertium,* Iesu Christi. Verùm in tertio solo speculo ritè cognoscitur Deus, & perfectè relucet.

1. Et ratio est: quia quicquid habebat Pater, in Christo repositum esse voluit, vt per ipsum & se totum nobis communicaret, & nomen suum illustraret. Vnde.

Joh. 5. *Non potest Filius à se facere quicquam nisi quod viderit Patrem facientem. Quæcunque enim ille facit, hæc similiter & Filius facit.*

Item, *Sicut Pater suscitat mortuos; sic & Filius:*

Item, *Omne iudicium Pater dedit Filio.*

Item, *Sicut Pater vitam habet in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso.*

Joh. 10. *Ego & Pater vnum sumus.*

2. Joh. 14. *Philippe qui videt me, videt & Patrem meum.*

3. Matth. 11. *Nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.*

4. Col. 1. *Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ.*

5. Joh. 41.

5.Ioh.14. *Nemo venit ad patrem, nisi per me.*

6.Rom 5. *Per quem habemus accessum ad Deum.*

7.Heb.1 *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ*: id est, in ipso Christo nobis relucet Patris gloria, & substantiæ eius imago.

8. Ioh.8.& 12. *Ego sum lux Mundi.* Non vtique se lucem Mundi diceret, si non paternæ gloriæ fulgor per ipsum Christum, orbem vniuersum irradiaret. Idem igitur est, ac si dicat, per me, tanquam per Solem, paternæ gloriæ fulgor Mundum irradiat. Pater igitur habitat lucem inaccessibilem: sed per Filium expressum gloriæ suæ splendorem ad nos transfunditur: est, non humano tantùm oculo, sed menti etiam inuisibilis: sed viuam suam effigiem in Filio nobis contemplandam exhibet. Quare Apostolus illuminationem cognitionis gloriæ Dei, in facie Iesu Christi collocat atque reponit, cùm ad Corinth ait 2.Cor.4. *Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Iesu Christi.*

Proinde, si ad Patrem accessum quærimus, ad Christum nos conferamus oportet, qui solus eum manifestare nobis potest Ioh.14. *Ego sum via* Ergo solius Christi est, nos dirigere. Ioh.10. *Ego sum ostium.* Ergo solius Christi est, aditum patefacere. Ergo sicut nemo vadit ad Christum, nisi à Patre per Spiritum S. trahatur: ita vicissim nemo potest ire ad Patrem, scilicet nec cognoscendum, nec amplexandum, nec fruendum, nisi per Christum: nec alibi quærendus est inuisibilis Pater, quàm in sua imagine, id est, in Christo.

Quomodo ritè Christum cognoscere possimus.

Porrò hæc vera est Christi cognitio, si eum, qualis à Patre offertur, suscipimus, nempe, cum inexhausta cœlestium diuitiarum plenitudine, vt sit nobis vnicus beatitudinis ac bonorum omnium thesaurus. In possessionem verò tantarũ diuitiarum venire non possumus, nisi teneamus rationem, qua nobis acquisitæ fuerunt. Ratio autem ista, est obedientia Christi, ob quam Pater omnia illa nobis præstitit & adimpleuit, quæ secundum suum æternum consilium, in salutem nostram erant necessaria.

Sicut ergo Euangelium destinatur fidei nostræ in scopum, & in Euangelio Christus: ita in Christo ipso, quicquid ad salutem nostram, aut fecit, aut passus est, eidem fidei nostræ destinatur. Quare id ad fidei explicarionem plenè absoluendam restat, vt quicquid in Christo ad eius confirmationem spectat, ob oculos statuatur. Sic enim explicata eius materia, velut in iconica tabula, germana eius proprietas, ad liquidum se proferet. Eiusmodi autem tabulæ vice, *symbolum* Apostolicum nobis erit, in quo paucis verbis tota salutis nostræ œconomia perfectè exponitur. & nihil in eo est, quod solidis Scripturæ testimoniis non sit consignatum.

Apostolicum autem dicitur, siue quòd ita ab Apostolis conscriptum sit, siue, quòd compendium istud ex doctrina per Apostolorum manus tradita, bona fide collectum, tali elogio confirmandum censuerunt Christiani.

Quæ notanda sint, antequam symbolum explicetur.

Primùm, Historia hæc symboli non in hoc nobis proponitur, vt in eius simplici cognitione defigamur, sed vt eius intuitu, ad sublimiorem rerum intelligentiam euehamur. Declaro.

Narrantur in symbolo res inuisibiles & visibiles. Res inuisibiles sunt hę, omnipotentia Dei, Spiritus S. peccatorum remissio. Cùm igitur hæ nobis referuntur: oportet non solùm certò credere, eas ita esse, sed etiam inde fiduciæ occasionem & materiam sumere. Verbi gratia, non solùm credere, quod Deus sit omnipotens, sed particulariter confidere, quòd nos sua potentia regat in omnibus. Non solùm credere, quòd per Christum remittantur peccata, sed confidere, quod nobis remissa sint.

Res visibiles sunt istæ, Christi natiuitas, passio, resurrectio. Cum ergo hæ nobis narrantur: oportet non solùm credere certò, quòd Christus verè natus sit, passus, &c. sed etiam addere, quòd pro nobis natus, passus propter delicta nostra, atque ita fidere sanguini Christi. Considerandum igitur, primo quid fecerit, secundo propter quid.

Alterum, quod notandum est, symbolum docendi causa in 4. capita diuidi posse. Primum Patris: secundum Filij: tertium Spiritus sancti descriptionem continet, ex quibus tribus totum nostræ redemtionis mysterium pẽdet. Quartum commemorat in quibus rebus salus nostra sita sit. Hæc dispositio pulcherrima est, & ordinatissima. Nam vt in notitiã salutis nostræ veniamus, illa primum tria consideranda sunt in quibus totum negotium vertitur.

1. Patris indulgentissima bonitas, & effusissima in humanum genus dilectio, quæ in hoc apparuit, dum proprio suo non pepercit filio, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Vnde Ioh.3. *Sic Deus dilexit Mundum: vt filium vnigenitum dederit, &c.*

2. Filij obedientia, quæ est diuinæ misericordiæ in peragenda nostra salute complementum.

3. Spiritus potentia per quam fructus diuinæ in Christo bonitatis nobis communicatur Huc respicit illud Pauli 2.Corinth.13. *Charitas Dei (scilicet Patris:) & gratia Iesu Christi: & communicatio Spiritus sancti, sit cum omnibus vobis.* Nam primo à Dei charitate quicquid boni est nobis, profluit. Secundò, in Christo ceu vniuersæ gratiæ fonte exhibetur. Tertio, per Spiritum sanctum simus participes eorum, quæ à Dei clementia in Christo nobis offeruntur. Hinc sequitur

4. Fides de Ecclesia, peccatorum remissione, mortuorum resurrectione, vita æterna: quibus rebus quarta pars symboli destinata est.

Quòd de Deo, Deique essentia non sit curiosiùs disquirendum.

De Dei essentia non est curiosiùs disquirendum, nisi quatenus verbo suo se ipsum nobis patefecit. Quomodo enim immensam Dei essentiam ad suum modum mens nostra definire poterit, quæ nondum statuere certo potuit, quale & quantum sit solis corpus, quod tamen quotidie oculis conspicitur? Imo, quomodo proprio ductu ad Dei vsque substantiam discutiendam penetret, quæ suam ipsius non assequitur? Quare Deo libenter permittamus sui cognitionem, de quo Hilar. libr.1. de Trinitat. *Ipse demum Deus, vnus sibi idoneus testis est, qui nisi per se cognitus non est.* Permittimus autem, si & talem concipiemus ipsum, qualem se nobis patefecit: nec aliunde de ipso sciscitabimur, quàm ex eius verbo.

Scriptura autem sacra apertissimè testatur, quod Deus vnus sit, æternæ, infinitæ, & spiritualis essentiæ. Hoc igitur contenti simus.

At vero quærenda diligentius ista duo sunt: primùm, an Filius & Spiritus S. sint Dij eiusdem substantiæ cum Patre. Secundo, quomodo ab inuicem differant & distinguantur. Ista enim duo non ita cognitu facilia sunt, & ingeniis quibusdam multum negotii facessunt. Ad vtrumque autem comprobandum, non desunt clara Scripturæ testimonia.

Quòd Verbum, quo condita sunt omnia sit æternum, & sit Deus.

Cùm in sacra Scriptura audimus nominari verbum, præsertim quando ait, *Psal.33. Verbo Domini cœli firmati sint*: absurdum est imaginari fluxam quandam & euanidam duntaxat vocem, quæ in aërem emittatur, cùm perpetua magis sapientia indicetur, apud Deum residens, qua & cœli creati sunt, & vnde oracula Patribus edita, & prophetiæ omnes prodierunt. Hoc declarat Salomon, qui sapientiam Dei sic loquentem inducit, Prouer.8. *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam fieret terra*, quasi dicat. Ego præsidens eram omnibus creaturis, cum crearentur. Ioh.1. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Ergo sicut omnes diuinitus profectæ reuelationes, verbum Dei rectè dicuntur: ita verbum illud substantiale cogitare conuenit oraculorum omnium scaturiginem, quod nulli variationi obnoxium perpetuo vnum manet apud Deum, & Deus ipse est.

At cùm Moses narrat tunc demum locutum fuisse Deum, simul innuit, nullum ante in ipso fuisse sermonem seu verbum.

Ergo verbum hoc, siue sermo Dei, non est æternus.

Resp. Negatur consequentia Non enim sequitur, quia tunc primum cœpit manifestari verbum illud Dei: Ergo antea non fuit, non erat. Imo è contrà sequitur, cum in ipso momento, quo dixit Deus, *Fiat lux*, sermonis siue verbi virtus emerserit, & manifestari cœperit: Ergo ipse sermo, ipsum verbum multo antè fuit. Sed quanto multo ante? Nullum reperitur exordium. Ergo æternum & verbum.

Ioh.17. *Pater clarifica filium tuum ea claritate, quam apud te ab initio habui, antequam iacerentur fundamenta terræ.* Ergo verbum extra omne temporis initium à Deo conceptum, apud ipsum perpetuo resedit. Si autem est æternum: Ergo & Deus est.

De appellatione Filij, quòd Filius semper fuerit.

Veteres, qui æterna Filium generatione à Patre extitisse sentiebant, eam ostēdere ex Esaiæ testimonio conabātur. Esa.53. *Generationem eius quis enarrabit?* Verùm illic Propheta non agit, quomodo Pater Filium genuerit, sed quàm numerosâ posteritate regnum eius aucturus esset, tractat.

Item afferunt illud Psal.110 *Ex vtero ante luciferum genui te.* Sed Hebraica veritas aliter habet. Argumentum ergo, quò verè probetur, Filium semper fuisse apud Patrem, est illud.

Col.1. *Per quem* (loquitur sic de filio Dei Christo) *condita sunt vniuersa, &c.* Nisi enim tum fuisset Filius, virtutem suam non protulisset. Item 1.Cor.10. *Bibebant de spirituali sequente petra: petra autem erat Christus.* Heb.13. *Christus heri, & hodie, & semper.* Verùm hæc quoque testimonia parum momenti habent. Nomen enim Christus, notationem habet humanitatis.

Fortissimum igitur argumentum de æternitate filij Dei, hoc vnum videtur esse.

Certum est, Deum non esse hominibus Patrem, nisi intercedente illo vnigenito Filio, qui sibi hanc prærogatiuam iure solus vendicat, & cuius beneficio ad nos deriuatur filiatio.

Arqui Deus semper à populo suo Patris nomine voluit inuocari:

Sequitur ergo, iam tum fuisse Filium, per quem ista propinquitas conciliaretur. Quoniam autem ex stabilita Christi diuinitate, æternitas quoque eius stabilitur, & mysterium salutis nostræ comprobatur, nunc ad eius diuinitatem stabiliendam descendamus.

Quod Christus, Filius Dei, sit Deus.

Hoc *primò* à testimoniis sacræ Scripturæ: *secundò*, ab operibus sibi attributis comprobatur.

1. *Ps.45. Thronus tuus, Deus, in seculum seculi, virga directionis.* Nota: quòd hic, ad quem loquitur Propheta, Deus esse hoc testimonio, comprobatur. Pater.1. ait, *ô Deus, thronus tuus.* 2. ait, *Thronus tuus in seculum.* i. æternus est. Nulli autem creaturæ sic æternus thronus in sacra Scriptura erigitur. 3. ait, *Virga directionis, virga regni tui,* i. dominium tuum æternum est. Nulla autem creatura, dominium æternum habet. Ergo Deus est.

Quòd verò alloquatur Filium, id est, Christum, patet, cùm sequitur: *Propterea vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ, &c.* Hic in sua humanitate nobis describitur Christus, in qua formam serui præ se fert.

2. Ies.9. *Filius datus est nobis, &c. & vocabitur Deus fortis, pater futuri seculi.*

3. Ier.23. loquens de germine illo Dauidis, in populi salutem excitato dicit: *Et hoc est nomen, quo vocabunt eum, Dominus iustitia nostra.* Vbi Dominus est יהוה, quod nomen Iudæi dicunt significare substantiam Dei. Hoc autem nomen attribuitur Christo. Ergo Christus, verus est Deus.

At etiam Ezech. vbi Hierosolymitanæ hoc idem nomen יהוה attribuit, de qua loquens Ezech.48. *Et nomen ciuitatis ex illa die, Iehoua ibidem.* Item Moses altari à se extructo hoc idem nomen imposuit. Sic enim habet: *Ædificauit altare Domino, & vocauit nomen eius* יהוה *exaltatio mea.*

Resp. Ezech. sic intelligitur: Dominus ibidem, scil. habitabit: non autem, quòd ciuitas vocetur Dominus, i. יהוה Mosis verba sic: *Dominus est exaltatio mea,* cuius rei testis, hoc altare semper esto.

Ex nouo Testamento testimonia.

Apostoli attribuerunt Christo, quæ de æterno Deo prædicta erant. Ergo Deus est. Patet.

1. Ies.8. ait, *quod Dominus exercituum, erit domui Iuda in sanctificationem: duabus autem domibus Israel in lapidem offensionis, & in petram scandali.* Rom. autem nono D.Paulus ait hoc impletum in Christo. Ergo declarat, Christum esse Deum illum exercituum.

2. Ies.45. Dominus de se ait: *Mihi curuabitur omne genu, & iurabunt omnes, &c.* Rom.14. autem D.Paulus id applicat ad Christum, dicendo, *Oportet nos omnes simul sisti ad tribunal Christi: scriptum est enim, Mihi flectetur omne genu, &c.*

3. Psal.67. Dauid alloquens Deum ait: *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, &c.* Eph.4. autem D.Paulus id ad Christum refert, dicendo: *Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem, &c.*

4. Iesa.6. quòd viderit gloriam Dei: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, &c. clamabant voce magna, sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus.* Apoca. 4. autem Iohannes applicat hoc ad Christum. Ergo &c.

5. Heb.1. multa testimonia profert D.Paulus de Christi diuinitate.

6. Iohan.1. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Et verbum caro factum est.*

7. 1.Tim.2.3 *Deus manifestatus est in carne, iustificatus est in Spiritu.* Hic est Christus. Ergo est Deus.

8. 1.Tim.1. *Soli Deo honor, & gloria in secula seculorum.* Rom.6. autem gloriam dat Christo, dicendo: *Ex quibus est Christus, qui est Deus benedictus in secula.*

9. Phil. 2. *Qui cùm in forma Dei esset, &c.* id est, non rapinam duxisset, si voluisset æqualem se præbere Deo, quippe in forma Dei erat: sed tamen potiùs voluit se exinanire

At fortassis non est ille vnus verus Deus, qui fecit cœlum & terram, sed Deus aliquis sydereus per participationem.

Resp. Contra hoc est, 1.Ioha.5. vbi Iohannes dicit: *Ipse est verus Deus, & vita æterna.* Item D. Paulus 1. Corinth.8. ait: *Etsi multi dicuntur Dij siue in cœlo, siue in terra, nobis tamen vnus est Deus* Cùm autem idem Paulus dicat, Christum esse Deum. Ergo Christus idem vnus Deus, quem agnoscit Paulus, extra quem nullus.

10. Gal.1. *Neque per hominem sed per Iesum Christum.* Negat igitur esse hominem? non, sed purum hominem: quia Deus est Vide Hieron. in hunc locum.

11. Iohan.20. Thomas ait de Christo, *Dominus meus, & Deus meus,* scilicet es tu.

12. Apocal.1. & vltim.cap. insignia sunt loca de Deitate Christi.

13. Rom.9. *Si tamen Spiritus habitat in vobis.* Post, mox vocat Spiritum Christi.

14. Rom.1. & 9. *E quibus Christus secundum carnem.* Ergo aliud in Christo præter carnem.

15. Tit.2.13. *Expectantes beatam illam spem, & illustrem illum aduentum gloriæ magni illius Dei, ac Seruatoris nostri Iesu Christi* 2.Petr.1.1.2.Thes.1.12.

De diuinitate Christi argumenta ab operibus ipsi adscripta.

1. Quod operatur Pater, idem operatur & Filius. Ait enim Ioh.5. *Pater meus vsque modò operatur, & Ego operor.* Ergo idem Deus cum Patre. Id quod Iudæi ex iis verbis concluserunt, voluisse Christum dicere. Vnde ait Iohannes, *Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere: quia non solum soluebat Sabbathum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.*

2. Gubernare mundum, omniaque nūtu regere solius Dei est. Heb.1. autem hoc attribuitur Christo, de quo dicitur: *Portansque omnia verbo virtutis suæ.*

3. Delere iniquitates, solius Dei est. Ies.43. *Ego sum, Ego sum, qui deleo iniquitates propter me.* Et Luc.5. quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Hoc autem attribuitur Christo, & miraculo comprobauit, quòd verè ipse peccata dimitteret, Matth.9. quando ait Paralytico, *Surge & ambula.* Cùm ergo Christus haberet, non dico maiestatem, sed potestatem dimittendi peccata: Ergo Deus est.

4. Agnoscere secreta cordium, solius Dei est: vt patet ex sacra Scriptura, 2.Par.6. *Tu solus nosti corda filiorum hominum.* Item alibi. *Ego Deus scrutans renes & corda.* Christus autem agnouit secreta cordium, & ea reuelauit sæpè. Ergo Deus est, Luc.5. *Iesus autem vt vidit cogitationes eorum, dixit, &c.*

5. Miracula operari sua propria virtute, solius Dei est. Psal.61. *Qui facis miracula magna solus.*

Christus fecit miracula propria virtute, nempe sine inuocatione alterius nominis, sed solo suo iussu. Ergo, &c. Confirmatur quòd propria potestate miracula fecerit. Mar.6. dedit potestatem Apostolis miracula faciendi in nomine Christi, & ita in nomine eius fecerunt miracula multa. Ergo eam autoritatem propriam habebat, Act.4. *In nomine Christi* (ait Petrus) *surge & ambula.* Non ergo mirum, si miracula sua obiecerit Christus, ad reuincendam Iudæorum incredulitatem, vtpote quæ virtute eius edita, amplissimum suæ diuinitatis argumentum præberent, dicendo Iohan.5.10 14. *Opera quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me.* Item, *Si mihi non creditis, operibus credite, &c.*

6. Esse salutem, iustitiam, & vitam Mundi, solius Dei est, qui solus est vita, salus, iustitia. De Christo prædicantur hęc omnia. 1. Cor.1. *Qui factus est nobis iustitia, sanctificatio & redemptio.* Ioh.14. Ego sum vita. Ergo ipse est Deus.

At Deus diffudit salutem in Christum, & per Christum nobis communicat.

Resp. Non dicitur Christus accepisse salutem, sed quòd ipse sit salus. Ideò Iohan. 1. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.*

A cultu, qui soli Deo debetur.

1. Sacra Scriptura ait, in solum Deum credendum esse, & qui credit in eum, saluari. Vnde Ies. 28. *Qui credit in eum, non pudefiet, non confundetur.* Scriptura eadem prædicat, quòd in Christum credendum sit: & qui credit in eum, saluari. Ergo, &c. Ioh. 14. *Creditis in Deum, & in me credite.* Gal. 2. *Nos in Christum credimus, vt ex fide iustificemur Iesu Christi.* Io. 6. *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Si Christus esset purus homo maledictus esset, qui confideret in eo. Ait enim Scriptura Ier. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine.* Scriptura autem pronunciat benedictum, qui confidit in Christo. Ergo non est purus homo.

2. In solo Deo est sperandum, vt iubet sacra Scriptura. Iesaias autem de Christo loquens, dicit. *Erit radix Iesse, & qui consurget regere gentes, in eo gentes sperabunt. Ies.* 11.

3. Inuocatio diuinæ tantùm maiestati competit, sicut in ipsum etiam solum Deum credendum est Ioel. 2. *Quicunque inuocauerit nomen Domini saluus erit.* Et Prou. 18. *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam confugiet iustus, & seruabitur.* Hæc autem attribuitur etiam Christo, & Christus inuocatur in salutem. Exemplum est Actor. 7. *Domine Iesu accipe spiritum meum.* Et tota Ecclesia ait Actor. 9. *Domine scis, quanta hic intulerit mala sanctis omnibus, qui inuocant nomen tuum.*

4. Ier. 9. Iubet Dominus, vt ne quis glorietur in vlla re, nisi in cognitione & scientia Dei, dicendo: *Ne glorietur sapiens in sapientia sua &c. sed in hoc glorietur, qui gloriatur scire, & nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam.* Et Paulus, *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Atqui D. Paulus ait, se non gloriari nisi in Christo, & in scientia Christi, nec aliud prædicasse, quàm Christum. Vnde 1. Cor. 2. *Nihil me scire iudicaui inter vos, nisi Iesum Christum.* Ergo, &c. Quis putam creaturam iactare ausit eum, cuius notitia, vnica est gloriatio nostra?

5. Apostoli in salutationibus suis semper eadem beneficia precantur fidelibus à Christo, sicut etiam à Patre. Ergo, &c.

Quòd Spiritus S. sit Deus.

Quæ Scripturæ attribuunt Spiritui S. & nos experientia sentimus in nobis per Spiritum sanctum: nequaquam creaturis competunt, sed tantùm Deo. Ergo, &c.

1. Diffusum esse per omnia, sustinere, vegetare, & viuificare omnia in cœlo & in terra, proprium Dei est. Spiritus sanctus suum in sanctos vigorem transfundit, sustinet, viuificat. Ergo, &c.

2. Regenerare in vitam cœlestem, opus Dei est. Hoc efficit Spiritus S. Ioh. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. &c.*

3. Creatura nulla potest scrutari profunda Dei. *Nam quis cognouit sensum Domini?* Spiritus sanctus scrutatur: Ergo, &c. 1. Cor. 2. *Spiritus etiam profunda Dei scrutatur.*

4. Solus Deus potest iustificare hominem. Rom. 8. *Deus est, qui iustificat.* Hoc facit & Spiritus S. Ergo &c.

Breuiter à singulis effectibus, quos in nobis parit Spiritus sanctus, conuincitur, quòd sit Deus, cùm eos nemo, nisi Deus facere queat.

5. Nos dicimur in Scriptura templum modò Dei, modò Spiritus S. Item, modò quòd Deus habitet in nobis, modo quod Spiritus S. Ergo idem sunt.

De diuinitate Christi & Spiritus sancti argumentum.

Vt aliquando finiamus, ad confirmandam Filij & Spiritus sancti diuinitatem vnum argumentum subiiciam, quod satis superque erit.

Si in vnius Dei fidem ac religionem per Baptismum initiamur, cum nos profitemur habere Deum, in cuius nomen baptizamur. Baptizamur autem in nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ergo hos tres vnum esse Deum profitemur. Ratio valet. Nam D. Paulus hæc tria, Deum, fidem, Baptismum sic connectit, vt ab vno ad alterum ratiocinetur, dicendo, Eph. 4. *Vnus Deus, vna fides, vnum Baptisma.* Vt quia vna est fides, vnum esse Deum ex eo demonstret: quia vnus est Baptismus, inde quoque vnam esse fidem ostendat. Cùm enim fides non huc atque illuc circumspicere, neque per varia discurrere debeat, sed in vnum Deum spectare, in eum circumferri, in eo hærere: ex eo facilè constituitur, quòd si varia sint fidei genera, plures etiã esse Deos oporteat. Iam quia sacramentum fidei est Baptismus, ipsius vnitatem nobis confirmat ex eo, quòd vnius est. Hinc etiam conficitur, quòd non nisi in vnum Deum baptizari liceat, quia eius amplectimur fidem, in cuius nomen baptizamur. Quid ergo sibi vult Christus, cum iubet baptizari in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti, nisi vna fide, in vnum Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum credendum esse? Id vero quid aliud est, quàm testari, Patrem, Filium & Spiritum sanctum, vnum esse Deum?

De personarum distinctione.

Licet Pater & Filius & Spiritus sanctus, sint vnum in essentia: tamen à se inuicem distinguuntur. In qua tamen distinctione excutienda, quanta religione & sobrietate versandum sit, docet ipsa mysterij magnitudo. Ac probatur illud Nazianzeni sermone de S. Baptismate: οὐ φθάνω τὸ ἓν νοῆσαι, καὶ τοῖς τρισὶ περιλάμπομαι· οὐ φθάνω τὰ τρία διελεῖν, καὶ εἰς τὸ ἓν ἀναφέρομαι. Ergo neque nos imaginemur eam trinitatem personarum, quæ non ad illam mox vnitatem nos reducat.

Distinguuntur itaque verè, vt vocabula ipsa Patris, Filij, & Spiritus sancti ostendunt, sed non diuiduntur.

Zach. 13. Pater ostendit, propterea tem sibi esse à Filio distinctam, dum vocat eum socium & propinquum suum.

Ioh. 8. Christus ostendit, quòd differat à Patre, cùm alium esse dicit, qui sibi testimonium perhibeat.

Spiritus sanctus differt à Patre & Filio. Ioh. 15. *Spiritus, qui à Patre procedit, quem Ego mittam &c.* Patri attribuitur principium agendi, fons & origo bonorum omnium. Filio, sapientia, consiliumque, & ipsa in agendis rebus dispensatio. Spiritui sancto virtus & efficacia actionis.

Quanquam Patris æternitas, Filij quoque ac Spiritus sancti æternitas sit: quoniam nunquam Deus sine sapientia, virtuteque sua esse potuit: in æternitate autem non est quętendum prius aut posterius: Non est tamen inanis & superuacua ordinis obseruatio, dum primus recensetur Pater: secundò ex eo Filius: tertiò ex vtroque Spiritus sanctus. Nam & mens humana eò sponte inclinat, vt primò Deum consideret: secundò emergentem ex eo sapientiam: postremò virtutem, qua consilij sui decreta exequitur. Ob quam rationem dicitur Filius existere duntaxat à Patre: à Patre verò simul & Filio Spiritus sanctus.

Quod Spiritus sanctus à Patre & Filio procedat, patet præsertim Roma. 8. vbi eundem Spiritum vocat Apostolus Spiritum Dei, modò Spiritum Christi, modò Spiritum eius, qui suscitauit Iesum, modo spiritum Iesu. 2. Petr. 1. Petrus vocat Spiritum Christi eum, quo Prophetæ vaticinati sunt.

Sunt igitur vna οὐσία, & tres ὑποστάσεις: siue vna essentia, & tres personæ. Confectæ autem sunt hæ voces nouæ à Patribus necessitate coactis propter hæreticos: res tamen ipsa manifesta est in scripturis, nempe, quod sit vnus Deus, qui est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, quodque sint vnum in substantia, diuersi autem in proprietatibus. Quanquam nomen hoc ὑπόστασις, in hoc significato reperitur apud Paulum, Hebr. 1. *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura* ὑποστάσεως, id est, personæ Patris Christus est character: quasi dicat, Pater, quamuis sua proprietate distinctus sit à Filio: tamen sic se totum in Filio expressit, vt ipsa quoque sui ipsius ὑπόστασις in hoc refulgeat. Non ergo dicitur character substantiæ Dei Christus, cùm totam eam in se habeat, sed personæ Patris.

PARS SYMBOLI PRIMA.

Credo in Deum Patrem Omnipotentem &c.

Credo in Deum. Hebraica locutio, Credo in Deum, vel in Deo, perinde est, ac si dicas, Deum ipsum pro Deo meo amplector & agnosco, vt ei ac verbo eius adhæream. Pro hoc Latini dicunt, Credo Deo, seu fidem Deo habeo: sed tamen locutio illa Hebraica plus energiæ habet.

Hic ergo pij Deum se agnoscere & amplecti profitentur in Deum suum, vt vicissim ab ipso cooptentur in populum suum, quo gloriari cum sanctis omnibus possint, dicereque illud Habac. 1. *Nonne tu à principio Deus noster? Non*

moriemur. Nam vbi eum habemus Deum: simul in eo repositam habemus vitam & salutem nostram. In cuius fiduciæ confirmationem subditur.

Patrem. Per dilectum enim Filium, in quo acquiescit anima eius, se Patrem nobis manifestauit. Ita nos in ipso complectitur, vt inde omnis nominetur cognatio in cœlo & in terra. Ephes. 3. Simul ergo in Deum se attollit fides, Patris loco illum tenet. Ratio. Non enim potest illum apprehendere sine Filio, per quem tanti boni ad nos communicatio deriuatur. Quòd si ille nobis in Patrem: ergo nos illi filiorum loco. *Quòd si filij, & hæredes.* Rom. 8.

Omnipotentem. Omnipotentiam illi tribuimus, non inanem, sopitam, otiosam, sed vigilem, efficacem, operosam. Ideò enim omnipotens est Deus, non quia possit quidem facere, cesset tamen interim ac desideat: sed quia eius manu omnia continentur, eius prouidentiâ cœlum & terra reguntur: eius consilio & nutu, omnia reguntur & dispensantur. Nam si omnia quæcunque voluerit, fecit, curam autem eius & prouidentiam nihil effugit: sequitur nil nisi eius voluntate virtutéque fieri.

Duplici autem consolatione se fides armat ex Dei omnipotentia. *Primò,* quòd satis amplam benefaciendi facultatem penes eum esse intelligit (cuius brachiū ad omnia regenda, gerenda, dispensanda extendatur: cuius in possessione cœlum & terra sit: cuius nutum omnes creaturæ respiciant) ad salutem piorum promouēdam. *Secundò,* quod satis securitatis in eius esse protectione videt, cuius voluntati omnia subiacent, quæ aliunde timeri possunt nocumenta: cuius imperio ceu freno, coherceatur Satan cum omnibus suis machinamentis, & quicquid vspiam nostræ saluti aduersatur.

1. *Creatorem cœli & terræ,* i. rerum omnium cœlestium & terrestrium, quod Symbolum Nicenum explicat, dicendo, *Visibilium omnium & inuisibilium.* Addit autem hanc particulam Nicenum Concilium propter Manichæos qui Deum quidem faciebant bonarum rerum creatorem: Diabolum verò malarum naturarum autorem & factorem. Nulla est autem creata mala natura: sed quæcunque condita sunt, à Deo condita sunt, & quidem bona condita sunt. Ergo Diabolus nullius naturæ conditor est.

At vnde ergo malitia tum Diaboli, tum hominis, item alia hinc peccata?

Resp. Non sunt ex natura, sed ex naturæ corruptione. Nec enim vlla creatura ab initio extitit, in qua non & sapientiæ, & iustitiæ suæ specimen ediderit Deus. Ergo mala non sunt à Deo, &c.

2. Æternitas & αὐτουσία, id est, à seipso existentia, nemini competunt, nisi Deo. Si autem Diabolus esset secundum principium, vt Manichæi fingunt, id est, omnium malarum naturarum autor. Ergo esset æternus, & à seipso existens, eóque Deus esset. Sed falsum hoc: ergo & illud.

3. Vbi erit Dei omnipotentia, si Diabolo tale conceditur imperium, vt illo inuito & repugnante, quicquid voluerit, exsequatur? Meritò igitur ea Manichæorum insania refellitur statim in principio Niceni Symboli, imò & Apostolici.

DE ANGELIS.

Si Deus est creator rerum omnium cœlestium & terrestrium: ergo etiam Angelorum, tam eorum, qui in sua integritate permanserunt, quàm eorum, qui à Deo defecerūt. In nomine igitur cæli continentur Angeli omnes.

At cur Moses eorum creationem non expressit?

Resp. Primò, quia Moses ruditati se nostræ accōmodare voluit: ideò quæ altiora nostro captu erant, prætermissis, ea tantum commemorauit, quæ sub oculis sunt. Secundò, hoc notandum semper est, quòd Spiritus sanctus in sacris suis oraculis perpetuò iis tantum docendis insistat, quæ verè sunt fructuosa, id est, quæ ad pietatem, fidem, charitatem vel gignendam, vel augendam, vel conseruandam faciunt: in quibus verò parum est momenti ad ædificationem, ea vel subticet prorsus, vel leuiter attingit & cursim. Ergo neque nos nimium curiosi esse debemus in disquirendis rebus, quas Spiritus S. in sacra Scriptura reuelare noluit. Satis igitur est, quòd creati sint Angeli à Deo: quando autem, nescire refert. Sed ea tantum, quæ verbum Dei de Angelis prædicat, expendamus.

Duæ autem hîc Spiritus S. *regulæ,* semper nobis ante oculos habendæ sunt.

Prima. In tota religionis doctrina, ne de rebus obscuris aliud vel loquamur, vel sentiamus, vel etiam scire appetamus, quam quod Dei verbo fuerit nobis traditum.

Secunda: vt in lectione sacræ Scripturæ iis continenter quærendis ac meditandis immoremur, quæ ad ædificationem pertinent: non curiositati, aut rerum inutilium studio indulgeamus: Et quia Dominus non in friuolis quæstionibus, sed in solida pietate, timore nominis sui, vera fiducia, sanctitatis officiis erudire nos voluit: ideò in ea scientia acquiescamus. Quare relinquenda nobis sunt illa ματαιώματα, quæ ab aliis tractantur, de ordine Angelorum, de numero, &c. & contenti simus iis, quæ verbo Dei tradita sunt.

DE ANGELIS BONIS IVXTA S. SCRIPTVRAM.

Quòd Angeli sint ministri Dei: & de nominibus Angelorum.

Angeli sunt spiritus cœlestes, quorum ministerio & obsequio Deus vtitur ad exequenda omnia, quæ decreuit. Hoc patet passim in sacra Scriptura, ab exemplis. Paulus de Angelis Hebr. 1. ait: *Ipsi enim sunt administratorij Spiritus, in ministerium missi, &c.* Ideo ad hoc significandum, multis nominibus nominantur.

1. Dicuntur *Angeli:* quia illos veluti internuncios adhibet Deus ad se manifestandum hominibus.

2. *Exercitus:* quia vt satellites principem suum circundant, eius maiestatem exornant, & conspicuam reddunt: & instar militum ad signum ducis sui semper intenti sunt, & ita parati & expediti sunt ad capessenda illius iussa, vt simulac annuerit, operi se accingant, vel potiùs sint in opere. Dan. 7. mille millia, & decies centena millia assistebant & ministrabant ei, cùm scilicet Dominus tribunal conscendisset.

3. *Virtutes:* quia Dominus vim ac fortitudinem manus suæ per ipsos mirabiliter exerit ac declarat.

4. *Principatus,* potestates, dominationes: quia Dominus imperium suum in mundo per eos exercet & administrat. Col 1. *Siue throni, siue dominationes, siue principatus.*

5. *Throni:* quia in illis quodammodo residet gloria Domini. Istis nominibus sæpè vtitur Spiritus sanctus ad comprobandam Angelici ministerij dignitatem. Neque enim æquū est, sine honore prætcrire ea instrumenta, quibus Deus numinis sui præsentiam specialiter exhibet.

6. *Dij:* quia in suo ministerio, veluti in speculo, diuinitatem aliqua ex parte nobis repræsentant.

Quòd Angeli ministri nobis sint, nostrique curam agant.

Quod autem ad consolationem nostram, fideique confirmationem facere maximè poterat, in eo docendo potissimum sacra Scriptura insistit: nempe, quòd Angeli diuinę erga nos beneuolentiæ dispensatores & ministri sint: ideóque commemorat, pro salute nostra ipsos excubare, suscipere defensionem nostri, vias nostras dirigere, solicitudinem gerere, ne quid aduersi nobis accidat.

Vniuersales autem sunt sententiæ, quæ primò ad Christum, caput Ecclesiæ: secundò ad omnes fideles pertinent.

Psal. 91. *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis: in manibus tollent te, ne fortè offendas, &c.*

Psal. 94. *Manet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* His duabus sententiis ostendit Deus sese eorum, quos custodiendos suscepit, tutelam Angelis suis delegare. Secundum hanc rationem.

Gen. 16. Angelus Domini consolatur Agar fugitiuam, & dominæ suæ reconciliari iubet.

Genes. 24. pollicetur Abraham seruo suo, Angelum fore ducem itineris ipsius.

Gen. 48. Iacob in benedictione Ephraim & Manasse, precatur vt Angelus Domini, per quem liberatus fuerat ab omni malo, prosperari eos faciat.

Exod. 14. & 23. Sic Angelus protegendis Israelitici populi castris præfectus fuit.

Iud 2. 6. 13. Sic quoties Deus voluit Israelem redimere de manu hostium, Angelorum ministerio, vindices excitauit.

Mat. 4. Sic denique Angeli Christo ministrārunt & ei adfuerunt in omnibus angustiis.

Lucæ 22. Eius resurrectionem mulieribus: discipulis gloriosum aduentum nunciarunt.

Itaque Angeli, vt istud nostræ protectionis munus impleant, contra Diabolum, hostésque nostros omnes depugnant, & vindictam Dei exequuntur aduersus eos, qui nobis infesti sunt. Sicut etiam legimus.

4. Reg. 19. Ies. 37. quòd Angelus Domini, vt Hierusalem obsidione

obsidione liberaret: centum octoginta quinque millia in castris Regis Assyriorum vna nocte occiderit.

Vtrum singulis fidelibus singuli Angeli ad custodiam attributi sint.

Videtur quòd sic: idque ob hæc sacræ Scripturæ loca.

1. Dan.10.& 11. inducit Angelum Persarum,& Angelum Græcorum. Ergo Daniel significat,certos Angelos regnis ac prouinciis quasi præsides destinati.

2. Mat.18. Christus ait de pueris, Angeli eorum semper vident faciem Patris. Ergo significat,certos esse Angelos, quibus commendata sit singulorum salus.

3. Act.12. Cùm Petrus è carcere eductus,pulsasset ad fores domus,in qua congregati erant fratres,& cùm suspicari non possent,eum esse Petrum,dicebant, Angelum ipsius esse. Ergo videtur,quod Apostoli communiter tenuerint, vnicuique suum Angelum esse destinatum. Quanquam ad hoc respondeti potest,nihil obstare, quo minus vnumquemlibet ex Angelis intelligamus, cur Dominus tunc Petri curam mandasset, qui tamen non propterea esset perpetuus eius custos: sicut vulgò dicunt,duos Angelos esse tanquam duos genios singulis attributos,vnum malum,& vnum bonum.

Videtur etiam,quod non vnicuique suus præsit Angelus, ob hæc alia testimonia.

1. Luc.15. de omnibus Angelis dicitur simul, quod plus gaudeant super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super 99. iustis.

2. Luc.de pluribus etiam Angelis dicitur,quod Lazari animam in sinum Abrahæ deportârint. Ergo omnes simul Angeli ad custodiam vniuscuiusque, non autem singuli singulis destinati sunt.

Verùm neutrum astruí pro certo potest ex sacra Scriptura: quanquam Theologi Scholastici communiter tenent primam opinionem. Neque tamen operæpretium est,anxiè inuestigare,quod scire nostra non multum refert. Nam si cui hoc non satisfaciet, omnes cœlestis militiæ ordines, pro salute sua excubias agere: non video, quid ex eo proficere possit,si intelligat; Angelum vnum peculiariter custodem sibi datum.

De ordinibus Angelorum.

Videtur,quod inter Angelos sit ordo,& quod vnus alio sit maior.

1. Dan.12. Michael vocatur apud Danielem,princeps magnus.

2. In epistola Iudæ vocatur Michael Archangelus,id est, princeps Angelorum.

3. Thess.4 *In tuba Dei,& voce Archangeli.*

Verùm non videtur ex iis locis posse honorum gradus inter Angelos statui, distingui singulos suis insignibus, locum & stationē cuique assignari. Nam & duo nomina,quę in Scripturis extant,Michael & Gabriel,& tertium si addere vis ex historia Tobiæ Raphael, ex significato videri possunt,pro infirmitatis nostræ captu,Angelis indita. Quanquam id in medio malo relinquere:& potius cum Doctoribus, Gregorio, Dionysio Areopagita,tenere,quàm temerè ex sententia mea definire.

De numero Angelorum.

Christus quidem in Euangelio ait, multas esse legiones Angelorum, & Daniel multa millia Angelorum testatur se vidisse: verùm certus numerus definiri non potest. Hoc verò quod & scire vtile est, certum est, Angelos esse administratorios Spiritus,quorum ministerio vtitur Deus ad nostri protectionem.

Sadducæorum opinio de Angelis confutatur.

Fuit olim Sadducæorum opinio, per Angelos nihil designari, quàm vel motus, quos Deus hominibus inspirat; vel ea,quæ edit virtutis suę specimina. Sed huic deliramento reclamant omnes Scripturæ,non illæ tantùm, quas suprà citauimus, vbi referuntur millia Angelorum, vbi gaudium illis tribuitur,vbi narrantur fideles manibus sustinere, eorum animas in cœlum deferre,videre faciem Patris: sed etiam istæ, ex quibus conuincitur reuera Angelos esse Spiritus naturæ subsistentis.

Actor.7. *Lex dicitur data ministerio Angelorum.*

Matt.22. *Electi erunt similes Angelis Dei.*

Matt.24. *Dies iudicij ne Angelis quidem cognitus est.*

Matt.25. *Christus venturus est cum Angelis suis.*

1. Timoth.5. *Testificor coram Iesu Christo & coram Angelis Dei.*

Heb 1.2. *Tantò melior Angelis effectus,&c.* Et: *Cui enim Angelorum dixit, Filius meus es tu.*

Heb 12. In regno Dei fidelium animas & sanctos Angelos simul collocat Apostolus, dicendo: *Non enim accessistis ad montem,&c. Sed accessistis ad montem Sion, & ciuitatem Dei viui, Hierusalem cœlestem, & innumerabilium Angelorum conuentum.*

Vtrum adorandi sint Angeli, quia nobis ministri sunt bonorum omnium.

Videtur, quod non sint vllo modo adorandi.

1. Matth.4. *Dominum Deum tuum adorabis & illum solum coles.*

2. Col.2. Videtur Paulus vituperare eos, qui Angelos colebant, dicendo: *Nemo vos seducat, volens in humilitate & religione Angelorum.* Cùm in Angelis fulgor diuini numinis refulgeat, homines quidem facilè excitantur ad eos adorandos, sed tamen Angeli ipsi prohibent homines, ne se adorent. Patet in Apoc.

3. Apoc.19 Iohannes voluit adorare Angelum, *Vide, ne feceris, conseruus tuus sum, Deum adora.*

Cur Deus in conferendis in nos beneficiis suis, Angelorum ministerio vtatur, cùm tamen id per se possit.

Non vtitur Deus ministerio Angelorum, quasi sine illis non possit per sese sua in nos beneficia conferre: sed ob hāc tantum causam. Ad solatium nostræ imbecillitatis facit hoc, ne scilicet aliquid omnino, quod animis nostris vel in spem erigendis, vel in securitate confirmandis valeat, desideremus: Illud quidem vnum satis superque esse deberet, quod Dominus asserit, se nostrum esse protectorem: sed dū tot periculis, tot noxis, tot hostium generibus videmus obsideri & circumsideri: quæ nostra est mollicies & fragilitas, interdum fieri potest, vt trepidatione impleamur, vel desperatione concidamus, nisi pro modulo nostro, gratiæ suæ præsentiam apprehendere nos Dominus faciat. Propter hāc rationem, non modo sibi curæ fore nos promittit: sed se innumeros habere satellites, quibus procurādam salutem nostram mandauerit. Horum præsidio & tutela, quam diu septi sumus, quicquid periculi immineat, nos extra omnem mali aleam esse positos dicit Dominus. Perperā id quidem à nobis fieri fateor, quod post illā simplicem promissionem de vnius Dei protectione, adhuc circumspectamus, vnde veniat nobis auxilium: sed quia Dominus pro immēsa sua benignitate vult huic nostro vitio subuenire: non est, cur tantum eius beneficium negligamus.

Exemplum huius rei habemus in puero Elisæi 2. Reg. 6. Cùm puer Elisæi montem obsidione cingi videret ab exercitu Syrorum, nec vllum effugium patere, pauore consternabatur, quasi actum de se, & domino suo esset. Hic Elisæus Deum precatus est, vt illius aperiret oculos. Ille protinus montem equis ac curribus igneis refertum conspicit, multitudine sc. Angelorum, à quibus custodiendus erat cū Propheta. Hac visione confirmatus puer se recepit, & hostes potuit intrepido animo despicere, quorum aspectu fuerat propè exanimatus.

Proinde quicquid de Angelorum ministerio dicitur, ad hunc finem dirigamus, vt expugnata omni diffidentia, spes in Deo nobis stabiliatur: siquidem hæc præsidia ideò nobis à Domino sunt comparata, ne hostium multitudine terreamur, quasi aduersus opem eius præualeret: sed ad illam Elisæi sententiam confugiamus, plures esse pro nobis, quàm contra nos. Illud item Genes. 28. semper memoria tenendū nobis est, quod in visione Iacobi describitur, Angelos in terram ad homines descendere, & ab hominibus in cœlum ascendere per scalam, cui insidet Dominus exercituum. Significatur, sola Christi intercessione fieri, vt Angelorum ministeria ad nos perueniant.

DE DIABOLIS.

Quæ de Diabolis sacra Scriptura tradit, omnia ferè eò tendunt, vt nos primò soliciti simus ad præcauendas eorū insidias & molitiones: secundò, vt iis armis nos instruamus, quæ ad propulsandos potentissimos hostes satis firma sint atque valida.

Cum quibus hostibus pugnandum nobis sit.

Quantum igitur nos & solicitos esse, & bene armatos esse deceat & oporteat, manifestum fiet, si consideremus, cum quibus hostibus nobis pugnandum sit, & quanto tempore, & ob quam causam.

Primum. Cum Sathana pugnandum nobis est: Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem.*

1. Quid dicit de ipso sacra Scriptura? Hîc dicitur *Deus ac princeps huius seculi.* Ioh.12. *Iam princeps huius mundi eiicietur foras.*

Fortis armatus. Luc.11. *Cùm fortis armatus custodit atrium suum.*

Potestas tenebrarum harum. Eph.6. *Non est nobis colluctatio cum &c.*

Leo rugiens. 1 Pet.5. *Aduersarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quaerens quem deuoret.*

Vide igitur, cum quo pugnandum sit, quámque bene armatos nos esse oporteat, & ad pugnam bene instructos. Propter hoc admonet nos D. Paulus Ephes.6. *Sumite armaturam Dei, scutum, &c.* Et Petrus 1 Pet.5. *Fratres, sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester, &c.*

Qualis enim est hic hostis noster?

Hostis est, audacia promtissimus, viribus robustissimus, artibus callidissimus, diligentia & celeritate infatigabilis, machinis omnibus refertissimus, pugnandi scientia expeditissimus. Hic hostis nobis quotidie imminet. Ergo videte, quàm vigilare & armari nos conueniat.

2. Neque solus est, sed numerosissimum secum exercitum ducit aliorum dæmonum. Neque enim vnus est tantùm, sed plures.

Marc.16. Maria Magdalena liberata dicitur à septem dæmoniis, id est, à multis quibus occupabatur.

Mat.12. *Cùm immundus Spiritus exierit, assumit secum septem alios Spiritus nequiores se.*

Luc.8. Legio vna dæmonum obsedisse legitur hominem quendam. En quod non cum vno, sed cum infinita Dæmonum multitudine bellandum nobis est?

At cur sæpe vnus tantùm nobis aduersarius Satan proponitur: vt cùm D. Petrus ait, *Aduersarius vester Diabolus, &c.* si cum pluribus nobis pugnandum est?

R. Denotatur tunc, quod inter tot Dæmones, vnus tantùm principatum teneat, & summum imperium, sicut etiã sancti vnum caput & ducem habent Iesum Christum. Vnde & Matt 25. *Ite maledicti in æternum ignem, qui paratus est Diabolo & Angelis eius.*

3. Quanto autem tempore pugnandum est? Toto vitæ nostræ tempore. Iob.7. *Militia est vita hominis super terram.* Non finitur prælium hoc, nisi morte. Ideo videte, quàm semper vsque in finem perseuerare oporteat fortes in bello. 1.Pet.5 *Circuit quærens, &c.* semper circuit: semper igitur resistendum fide.

4. Ob quam verò causam pugnandum est? Pro tuenda & gloria Dei, & salute animarum nostrarum. Nam *hostis* iste dicitur & inimicus Dei, & nostri: quia & gloriam Dei extinguere, & nos perdere studet. Talis describitur in sacra Scriptura, Gen.3. Hominem ab obedientia, quam Deo debebat, abducit. Cur? vt simul & Deum iusto honore spoliet, & hominem ipsum in ruinam præcipitet. En quod vno ictu, duos ferit.

Mat.13. *Inimicus* homo vocatur, & superseminare zizania ad corrumpendum vitæ æternæ semen dicitur.

Ioh.8. Ab initio fuisse mendax & homicida dicitur, idque in omnibus suis factis ita esse reperitur. Primò *mendax*, vt mendaciis gloriam Dei obruat, id est, veritatem Dei oppugnet. *Homicida* verò, quia hominum interitum quærit, & eos necat. Mendaciis igitur veritatem Dei oppugnat, lucem tenebris obscurat, hominum mentes implicat erroribus, odia suscitat, contentiones ac pugnas accendit: omnia verò in eum finem, vt & Dei regnum euertat, & homines in æternum exitium demergat. Vnde constat, ipsum naturâ prauum, malignum & malitiosum esse.

Vnde Iohannes 1. epist. c.3. *Ab initio Diabolus peccat*: quasi dicat, ipse est omnis malitiæ, & iniquitatis autor, dux, caput. Si ergo cordi nobis est gloria Dei nostri, vt esse debet: totis viribus enitendum est contra eum, qui illius extinctionem molitur. Si ad regnum Christi afferendum animati sumus, vt oportet, necesse est nobis irreconciliabile bellum cum eo esse, qui illius destructionem cogitat & molitur.

Rursus, si qua salutis nostræ cura nos tangit: nec pax, nec induciæ cum eo nobis esse debent, qui in eius perniciem assiduè insidias tendit. Videte ergo, an semper & fortiter nobis pugnandum sit: & quibus armis instructos nos esse oporteat.

Quòd malitia Diaboli à seipso sit, non ab eius conditore.

At cùm à Deo conditus sit Diabolus: omnia verò quæ fecit Deus, fuerint valde bona: vnde ergo tanta Diaboli malitia & peruersitas, vt contra Deum suum tendat?

Resp. Non ex creatione, sed ex deprauatione malitiam illam habet: siue non à Deo, sed à se ipso. Quicquid enim damnabile habet, defectione & lapsu sibi accersiuit. Ideo Ioh. 8. *Sathan ex propriis loquitur, cùm mendacium loquitur: idque quia non stetit in veritate.* Ergo aliquando fuit in veritate, scilicet cùm conditus fuit à Deo: non stetit autem defectione sua, vnde & in æternas pœnas detrusus est. 2. Pet. 2. *Angelis peccantibus Deus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum, tradidit cruciandos, in iudicium reseruari.*

In Epistola Iudæ. *Angelos verò, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni Dei, vinculis æternis sub caligine reseruauit.*

Quòd licèt Satan pugnet contra Deum & electos Dei: nihil tamen possit, nisi quantum ei Deus concedit.

Quanquam verò nobis pugnandum sit cum hoste tam potente, qui & contra Dei gloriam, & nostram salutem semper insidias nititur: tamen hoc consolationis habere debemus, quòd hic Satan, vtcunque & contra Deum, & contra nos, omnibus suis armis insurgat, nihil tamen neque contra Deum, neque contra nos potest prævalere & obtinere, nisi quantum ei Dominus permiserit: quia eius tantùm seruit nutibus, & imperio, velit nolit. Patet.

Iob 1. Satan ibi se sistit coram Deo ad eius excipienda mandata: nec audet pergere ad aliquod facinus obeundum, nisi impetrata facultate.

2. Reg 22. Cùm decipiendus esset Achab, Sathan recipit, se fore Spiritum mendacij in ore omnium Prophetarum: & amandatus à Domino id præstat, alioqui non præstiturus.

1. Reg. 16. & 18. dicitur Spiritus Domini malus, qui torquebat Saul: & quod illo Spiritu Domini, id est, Sathana veluti flagello Domini puniebantur impij Regis scelera.

Psal.78. Plagæ Ægyptiis à Deo immissæ per Angelos malos dicuntur.

2. Thess.2. Excæcationem incredulorum, opus esse Dei dicit Paulus, dicendo: *Ideo immittet illis Deus operationem erroris, &c.* cùm tamen antea dixisset, eam esse operationem Satanæ in omni virtute, & in omni seductione, &c. Constat ergo sub Dei potestate esse Satanam, & sic ipsius nutu regi, vt obsequium reddere ei cogatur.

Porrò cum dicimus Satanam Deo resistere, & illius opera cum huius operibus dissidere: hanc repugnantiam, & hoc certamen à Dei permissione pendere simul assentimus. Quoniam enim Diabolus naturâ improbus est: minimè ad obediendum diuinæ voluntati propensus est, sed totus ad contumeliam & rebellionem fertur. Hoc igitur à seipso suáque nequitia habet, vt cupiditate & proposito, Deo aduersetur: & hac improbitate extimulatur ad conatum earum rerum, quas maximè aduersarias Deo esse putat. Sed quia Deus illum potentiæ suæ fræno vinctum cõstrictúmque tenet: ea tantùm exequitur, quæ sibi diuinitùs concessa fuerint: atque ita creatori suo, velit nolit, obsequitur, quia cogitur ministerium præbere, quocunque ille impulerit.

Quòd Deus non concedat Satanæ, vt electos fideles opprimat: sed tantùm exerceat ad maiorem suam ipsius gloriam.

Cùm igitur Diabolus nihil possit contra electos Dei, nisi quantum ipsi permittit Deus; quia ipse Deus est, qui immundos Spiritus immittit huc atque illuc, prout sibi libitum fuerit: notandum est, quod Deus hoc regimen ita temperet.

1. Electos suos atque fideles interdum concedit Satanæ, vt eos pugnando exerceat, vt adoriatur insidiis, incursionibus solicitet, pugnando vrgeat, fatiget etiam sæpe, conturbet, pauefaciat, ac interdum vulneret. Patet.

Iob tentatus fuit à Satana.

Ioseph tentatus ab vxore Potipharis.

Paulus tentatus 2. Cor. 12. ne magnitudo reuelationum extollat, &c.

Christus ipse tentatus Heb. 4. *Non habemus Pontificem, &c. Sed tentatum per omnia, &c.*

Et quoniam omnes electi tentantur à Satana, & quotidie solicitantur ad peccata: ideo etiam à Deo audiunt has exhortationes.

Eph.4. *Nolite locum dare Diabolo.*

1. Pet.5. *Fratres sobrij estote: quia aduersarius vester Diabolus circuit sicut leo rugiens, cui resistite fortes in fide*: Omnibus ergo filiis Dei commune est id exercitium.

2. Sed Deus nunquam concedit Satanæ, vt electos fideles suos vincat aut opprimat: sed tantum vt exerceat. Patet.

1. Cor.10. *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra*

supra id, quod petestis: sed faciet cum tentatione prouentum.

Ioh 17. *Quos dedisti mihi, non perdidi ex iis quenquam.* Et ratio est, quia Deus suorum electorum semper curã habet, & super eos semper tenet oculos suos, ne peceant, vt promisit etiam Dauidi, dicendo, Ps. 31. *Firmabo super te oculos meos.* Et Psal. 33. *Oculi Domini super iustos.* Exemplum de matre, quæ sinit quidem filiolum per aliquod spacium á seipsa aliquò ambulare: sed tamen semper ea stat à tergo, oculos habens intentos ad filium, parataque sublevare eum statim si corruat: idque ne præcipitetur. Ita Deus erga filios suos se habet. Vnde Psal. 37. de iusto & Filio Dei loquens ait: *Et si ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Et iustus quisque in persona Dauidis ait, Psal. 118. Impulsus euersus sum, vt caderem, & Dominus suscepit me.

Propter hoc dico, quod fideles consternantur quidem sæpè, sed non exanimentur, quin se recolligant: concidunt violentiâ ictuum, sed postea eriguntur: vulnerantur, sed non lethaliter.

3. Imò sic laborant toto vitæ suæ curriculo, vt tamen in fine victoriam semper obtineant contra Satanam. Et hoc propter promissionem, Gen. 3. *Tu insidiaberis calcaneo eius: ipsum autem* (semen) *conteret caput tuum.* Hæc promissio primò pertinet ad Christum caput Ecclesiæ. Secundò etiam pertinet ad omnia Christi membra. Ergo electi fatigati à Satana, quorum calcaneo semper insidiatur, contra Satanã semper victores emergunt: non quidem perfectè in hac vita, sed tamen vincunt, tandem perfectè contrituri caput eius. Ideo Paulus hanc promissionem inchoari in hac vita, vbi luctandum est, docet, post luctam adimpleri, cùm ait

Rom. 16. *Deus autem pacis, breui conteret Satanam sub pedibus vestris.* In capite quidem nostro Iesu Christo semper ad plenum extitit hæc victoria, quia nihil in eo habuit princeps mundi: In nobis autem membris eius, ex parte nunc apparet: perficietur autem, cùm carne nostra exuti, secundum quam adhuc infirmitati obnoxij sumus, Spiritus S. virtute pleni erimus.

Cùm verò in hunc modum suscitatur erigitúrque regnũ Christi, Sathan cum sua potestate concidit, vt ait Dominus Luc. 10. *Videbam Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem.* Hac enim responsione cõfirmat, quod de suæ prædicationis fructu & potentia retulerant Apostoli. Non igitur in animas fidelium permittit Deus regnum Satanæ.

Impios verò & incredulos duntaxat tradit Deus Satanæ gubernandos, quos in suo grege censere non dignatur. Patet

Luc. 11. legitur, quod Satan tanquam princeps possideat & occuper hunc mundum sine controuersia, donec à Christo exturbetur: dicit enim Christus: *Cùm fortis armatus custodit atrium suum.*

2. Cor. 4. legitur, quod Satan excæcet eos, qui non credũt Euangelio. Dicit enim Paulus: *Quod si etiam opertum est Euangelium nostrum, in iis qui pereunt, opertum est, in quibus Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium.*

Ephes. 2. legitur, quod Satan peragat opus suum in filiis contumacibus. Ait enim Apostolus: *secundum Principem potestatis aëris huius spiritus qui nunc operatur in filiis diffidentiæ.* Ergo hos incredulos regit, vt vult. Et meritò, quia sunt vasa iræ aptata in interitum: ideo cui potius, quàm diuinæ iræ Ministro subiicerentur.

Denique Ioh. 8. *Ex patre Diabolo sunt*: quia sicut in eo filij Dei nascuntur fideles, quia Dei imaginem gerunt: ita filij Diaboli, &c.

Quòd Dæmones sint substantiæ spirituales, non autem malæ inspirationes, vt quidam nugantur.

Sicut suprà confutauimus Sadducæorum opinionem de Angelis bonis: ita nunc oportet refutare eorum, qui dicunt, Diabolos nihil aliud esse, quàm malos affectus, aut perturbationes, quæ nobis ingeruntur à carne nostra.

1. Ioh. 8. appellantur Dæmones, immundi Spiritus, qui in veritate non steterunt. Hæc igitur nomina satis exprimunt, non motiones aut affectiones mentium, sed magis reuera, quod dicuntur, mentes vel Spiritus sensu & intelligentia præditos esse.

2. 1. Ioh. 3 Filij Dei comparantur cum filiis Diaboli. Quæ comparatio esset, si nomen Diaboli nihil quàm malas inspirationes designaret?

3. 1. Ioh. 3. dicitur, quod *Diabolus ab initio peccet.*

4. Iudas inducit Diabolum cum Archangelo pugnare.

5. Legitur multis in locis, quod Diaboli patiantur pœnas in inferno, & quod amplius sentient eas in fine Mundi.

Matt. 8. *Fili Dauid quid venisti ante tempus torquere nos.*

Matt. 25. *Ite in ignem, qui paratus est Diabolo, &c.*

2. Pet. 2. *Si propriis Angelis Deus non pepercit, sed cathenis detractos: deiecit in caliginem.*

Ergo nolite putare, vos nullos habere hostes, nisi malas cogitationes, cùm habeatis mille Dæmones, qui reuera sunt substantiæ.

De visibilibus Dei operibus in creatione.

Circa Dei opera visibilia, duo agenda nobis sunt.

Primò: considerãda sunt ipsa opera, quàm bona, quàm pulchra sint: & quaqua versum oculos coniiciemus, omnia quæ occurrunt, meminisse debemus, ea omnia esse Dei nostri opera, eáque perfecta. Historia igitur rerum, i. creationis Mundi, discenda est, sicut à Mose descripta est, & á sanctis Patribus declarata. Vtilis vero est hæc creaturarũ Dei contemplatio, quia in ipsis tanquam in speculo quodam relucet Deus cum suis perfectionibus, vt suprà dictum est.

Secundò: considerandum nobis est, quem in finem condita sint, nempe ad vsum & commodum nostrum: idque propter suam erga nos beneuolentiam. Hæc cogitatio vtilis est, quia excitat nos ad Dei laudem, fiduciam, honorem, amorem, inuocationem. Quod vero omnia nostri causa fecerit, patet. Cur enim Deus Mundi fabricam in 6. dies distribuit, cùm nihilo difficilius esset vno momento totum opus simul complere, quàm eiusmodi progressione sensim ad complementum peruenire.

Resp. In eo suam erga nos beneuolentiam, prouidentiã, paternam solicitudinem commendare voluit, quod antequam hominem fingeret, quicquid vtile illi ac salutare prouidebat fore, id totum præparauit. Quantæ igitur nunc ingratitudinis foret, dubitare an huic optimo patri curæ simus, quem videmus de nobis, priusquam nasceremur, esse solicitum?

Item, audimus ex Mose, nobis eius beneficentia subiectũ quicquid omnino rerum est in toto orbe. Ergo nihil vnquam nobis defuturum, quoad salutis nostræ referet.

Item vocamus eum creatorem cœli & terræ. Ergo eorũ omnium, quæ condidit, dispensatio, in manu ipsius est ac potestate. Cùm vero nos eius filij simus: ergo nos filios alendos & educandos in suam fidem, custodiamque recepit. Hoc enim significare volumus, cùm appellamus eum creatorem cœli & terræ. Omnia igitur bona, ab eo nobis speranda sunt, non ab alio: atque ad eum vota nostra dirigenda sunt, non ad alium.

Si Deus est creator cœli & terræ: ergo omnia tantum habent vigoris & efficaciæ, quantum ille subministrat: & ad eas demum actiones vim suam exerunt, ad quas eius manu diriguntur. Vtrumque igitur diligenter notandum est.

Primum, quod nihil virtutis ex se habeat vlla creatura: Et secundum, quod quæ singulis indita est virtus ex naturæ proprietate, ea gubernetur nutu & arbitrio Dei, & in quem vsum sibi videtur, huc atque illuc eam flectat Deus. Igitur creaturæ nihil aliud sunt, quàm instrumenta Dei, quibus Deus naturalem potentiam, pro arbitrij sui modo instillat, & eam ipsam regit & conuertit ad eas actiones, ad quas destinauit. Exemplum. Nullius creaturæ mirabilior vis est, quàm Solis. Nam præterquam, quod totum orbem illuminat suo fulgore: quantum illud est, quod animalia omnia suo calore fouet ac vegetat? terræ fœcunditatem suis radiis inspirat? quod semina in terram proiecta, germinare facit, maturescere, &c. ita vt Philosophi eum dicant causam productricem omnium inferiorum. Vnde & illud: *Sol & homo, generant hominem*: Dominus tamen, vt solidam horum omnium laudem sibi vindicaret, non autem attribueretur laus illa Soli: voluit & lucem extare, & terram omni herbarum & fructuum genere refertam esse, antequam Solem crearet, vt intelligamus vim rerum omnium à Deo esse, non à Sole. Non ergo pius homo faciet Solem vel principalem vel necessariam eorum causam, quæ ante Solis creationem extiterunt: sed instrumentum duntaxat, quo vtitur Deus, quia ita vult, cùm possit eo prætermisso, per se ipsum nihilo difficilius agere. ergo nulla creatura timẽda est, quasi quod ipsa in seipsa vel habeat aliquam nocendi causam, vel quasi quod temerè lædat siue fortuito: vel quasi quod Deus non possit nobis auxiliari. Nam nec potestatem vllam in se nocendi habent creaturæ: nec temerè seu fortuito lædunt: nec Deus nos derelinquit, quin nostri curam gerat: sed tantum nocere poterunt, quantum Deus voluerit. Ideo Propheta vetat Ier. 10. filiis Dei, ne à stellis & signis cœli timeãt ac metuant. Non quemlibet timorem vetat: sed cùm mundi gubernationem à Deo ad astra transferant infideles: suam vel felicitatem, vel miseriam ab astrorum decretis & præsagiis, non autem à Dei voluntate pendere fingunt. Ita fit vt timor eorum ab vno illo, quem respicere debebant, ad stellas & cometas abstrahatur. Ab hac igitur infidelitate, qui

cauere volet, memoria semper teneat, non aliam esse aut potentiam, aut actionem, aut motionem in creaturis, quàm quæ à Deo emanat, & ab eo gubernatur. Hic est verus considerandi opera Dei modus, qui fidelem decet. Id quod non faciunt impij.

Si ergo cogitet fidelis: Deus Pater meus, est creator cœli & terræ. Ergo

1. Nihil est in mundo, quin conditum sit à Patre meo.

2. Ergo tantum virtutis est in creaturis, quantum eis dat Deus.

3. Ergo nihil timendum, sed Deus solus.

4. Ergo pascit omnia, & sustentat omnia, quæ condidit Deus.

5. Ergo si pascit coruorum pullos, multo magis me pascet.

6. Si est creator cœli & terræ, & tutor & nutritor noster est: ergo nos illius sumus, non nostri: ergo nos illi oportet viuere, non nobis: ergo vita nostra ad illum tota est referenda.

7. Si est creator cœli & terræ, omniáque regit: ergo si aduenit pestilentia, fames, morbi: non fortuito veniunt, sed ab eius dispensatione procedunt, & sæpe ab eius ira contra nostra flagitia.

Cur Pater solus dicatur creator cœli & terræ, non autem exprimatur Filius & Spiritus sanctus.

At verò cur Patri particulariter attribuitur creatio cœli & terræ, quasi excludatur Filius & Spiritus sanctus.

Resp. Quoniam ad Patrem refertur omnium principium, ergo ipse propriè dicitur: sed in sapientia sua, & per virtutem, id est, per Spiritum. Huc pertinet & vox illa Patris, Genes. 1. *Faciamus hominem.* Ibi enim non alloquitur Angelos, nec cœlum aut terram, neque seipsum: sed sapientiæ suæ consilium, & suam virtutem in operis consortium aduocat.

Hac ergo prima symboli parte, ad fiduciam instruimur, vt totos nos ab eo pendere cogitemus, in eius Patris manu esse.

SYMBOLI PARS SECVNDA, VBI PRIMO DE INCARNATIONE: SEcundò de morte: tertiò de resurrectione Christi agitur, ac de toto mysterio.

Et in Iesum Christum, Filium eius vnigenitum, Dominum nostrum.

Hic omnes salutis nostræ numeri in Christo recensentur, quibus apparet, Christum verè proprium esse fidei nostræ scopum, vt suprà dictum est. Nam Habac. 3. *Egressus est Dominus in salutem populi sui, in salutem cum Christo suo:* quoniam per eius manum opus suæ misericordiæ, nempe populi electi redemtionem, peregit. Hic ergo tituli Christi quatuor sunt.

Et in Iesum Christum. Primò igitur dicitur *Iesus*, id est, Saluator: quo titulo cœleste oraculū ipsum insigniuit, quia missus est, vt populum suum à peccatis saluum faciat. In ipso ergo, neque alibi salus reperitur: quia nec fortuito casu, aut humana temeritate hoc illi nomen impositum fuit: nec frustrà, Dei decreto per Angelum Iesus vocatur. Sed cur? Vt ab omni alia salutis opinione auocati, hunc teneamus vnum pro Saluatore. Vnde & sacra Scriptura clamat Act. 4. *Non est aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri, quàm nomen* IESVS. Hoc igitur nomine fidelibus indicatur, vt sibi in eo salutem quærant & patam conspiciāt.

Christum. Per excellentiam vocatur *Christus* absolutè, quia omnibus modis ipse est Christus, i. vnctus, quod de alio nusquam legitur. Vnguntur autē ij omnes, & quodam modo dicuntur Christi:

Primò, Fideles omnes, cùm præditi sint Spiritu S. vncti dicuntur. Dominus enim vngit, quibus Spiritus sui sancti gratias instillat. Omnibus autem fidelibus gratiam Spiritus S. instillat. Ergo omnes vncti sunt.

Secundò, Omnes Prophetæ vngebantur, non modò externa vnctione, sed spirituali interna. Nam Prophetam, qui interpres est Dei apud homines, peculiari Spiritus dono præditum instructúmque esse conuenit.

Tertiò, Omnes Sacerdotes, non externa modò, sed etiam interna spirituali, idque quia Angeli sunt Domini.

Quartò, Reges quoque vngebantur, non externa tantùm, sed etiam interna: quia Reges diuinæ maiestatis imaginem in terris gerunt. Quare oleum illud, quo tam Prophetæ, quam Sacerdotes & Reges inaugurabantur, non inane erat symbolum, sed veræ illius & vnicæ vnctionis sacramentū.

Iam Christus noster Iesvs, omnibus iis quatuor vnctionum generibus vnctus est, & quidem perfectissima & plenissima vnctione. Quare & iure per excellentiam & antonomasiam, Epitheton Christi ei defertur.

1. Et primo *fideles* omnes vnguntur Spiritu S. & donis Spiritus S. Nam Spiritus S. vnctionis & eius dona, olei nomine designantur: eò quod nisi ab eo irrigari tabescimus, aridi in nobis prorsus, & steriles, & quasi vitæ humore destituti. Sed vnusquisque partem tantùm quandam Spiritus S. & donorum eius prout Deo visum fuerit, accipit, quibus varias gratiæ portiones, pro dispensationis suæ modo impertitur, vt nemo sibi per se sufficere queat.

Iesus verò tota Spiritus plenitudine perfusus est, & omnium spiritualium diuitiarum thesauro citra mensuram locupletatus.

Ies. 61. *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, &c.* q. d. totus Spiritus.

Psal. 45. *Vnxit te, Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*

Ioh. 3. Iohannes Baptista de Christo ait. *Non ad mensuram dat Deus Spiritum*, scilicet huic filio suo. Et rationem addit, *vt de plenitudine eius nos omnes acciperemus gratiam pro gratia*

Iesa. 11. *Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus:* quasi dicat, Spiritus Domini requiescet super eum, non ad vnam tantum gratiæ speciem illi conferendam: sed qui eum sapientiæ, fortitudinis, omnibus denique donis ornet. Vaticinium autem hoc impletum, & euidenti spectaculo confirmatum fuit, quando Ioh. 1. Iohanni Bapt. visus est Spiritus in eum descendens, & super eum manens. Hic enim Spiritus S. plena omnigenáque vbertate in Iesum effusus, animam eius propriam sibi delegit sedem, vt inde veluti è fonte vnico, ad nos scaturiret. Cum ergo fideles ad mensuram participent Spiritum S. Iesus vero totum quantus quantus est, citra mensuram acceperit: patet, quod longè excellentiori modo ipsi competat hoc Epitheton Christi, quam fidelibus.

2. Prophetæ vngebantur, cùm dabatur illis Spiritus prophetiæ, sed nullus vnquam Propheta plenitudinem prophetiæ omniúmque diuinorum arcanorum accepit.

Iesus vero, omnem sapientiæ, scientiæ, diuinorúmque arcanorum plenitudinem accepit, & omnia audiuit à Patre. Iesa. 11. & vocabitur magni consilij Angelus. Cur vero vnctus in Prophetam? in bonum nostrum, vt nos doceret voluntatem Dei.

3. *Sacerdotes* vngebantur. Sed quid? vngebantur in Sacerdotes ad tempus. Christus vero in æternum. Illi ad offerendum sacrificia animalium: Christus vero ad offerendum seipsum hostiam immaculatam. Illi non adeo sanctificabātur, vt non egerent offerre & pro suis peccatis: Iesus vero adeo plenus fuit Spiritu S. vt non egeret offerre pro suis peccatis, quæ nunquam fecit Psal. 110. Tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech.

Cur vero vnctus in sacerdotem? in bonum nostrum. Et primo, sua intercessione apud Patrem, Patrem nobis reconciliauit: & hostiā sui corporis immaculati, pro nobis in æternum satisfecit diuinæ iustitiæ. Secundo, nos quoque in sacerdotij sui consortium asciuit, vt ipso freti intercessore ac Mediatore, patri preces, gratiarum actiones, nosmetipsos & nostra omnia offeramus.

Itaque quod olim promittebat populo suo Deus, illum sibi fore in sacerdotale regnum, quando ait Exod 19. *Eritis mihi in regnum sacerdotale & gens sancta*: hoc in Saluatore nostro demum impletur & obtinetur, per quem solum fit, vt in regnum iustitiæ, & ad sacrosanctum Dei tabernaculum accessus nobis pateat.

Vnde Petrus in 1. epist. cap. 2. *Vos estis genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus quem sibi Deus vt proprium vendicat, &c.* Nullus autem vnquam fuit talis Sacerdos, per quem tot bona obtineremus, nisi Christus. Longè igitur nobiliore ratione ipsi competit hoc nomen Christi, quàm aliis Sacerdotibus.

4. *Reges* vngebantur. Sed quid? Super regna temporalia & terrena vngebantur. Iesus vero constitutus est rex æternus, super regnum non terrenum aut carnale, quod corruptioni subiaceat: sed spirituale, quod in cœlum magis futurámque æternam vitam respiciat. Vnde Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Ps. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super montem, &c.*

Cur vero vnctus in Regem? in bonum nostrum. Non enim sibi tantùm regnat, sicut alij plerumque Reges, verum etiam nobis. Et primo potentia sua nos armat & instruit, decore & magnificentia ornat, opibus locupletat. Secundo, in

dorum regni sui participationẽ nos exaltat & euehit. Nam eius communionis, qua se nobis illigauit, beneficio, reges & ipsi constituimur: robore eius ad certamen cũ Diabolo, peccato & morte depugnandum armati: iustitiæ eius ornamentis ad spem immortalitatis vestiti, diuitiis sanctitatis eius ad sanctificandũ Deo per bona opera locupletari. Apo. 5 *Et fecisti nos Deo nostro regnum.* 1. Pet. 2. *Vos estis regale sacerdotium.* Iure igitur Christo nostro Iesu competit Epitheto Christi, quoniam ipse vnctus est in Prophetã, Sacerdotem & Regẽ perfectissimum & æternum: & quoniam plenitudo Spiritus, omniumque donorum Spiritus S. in ipsum effusa est, ita vt de plenitudine eius nos omnes accipiamus.

Summa. Nos Iesu quidem nomine, in redemtionis & salutis fiduciam confirmamur, quia significat Saluatorem: Christi verò cognomine, ad percipiendam Spiritus cõmunionem, atque ex ea emanantem sanctificationis fructum nos præsertim inuitamur: quoniam eius ore audimus, quod propter nos seipsum sanctificarit, dicendo, Ioh. 17. *Et pro eis ego sanctifico me ipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate.*

Filium eius vnigenitum. Filius Dei est natura: nos autem adoptione. Ideóque dicitur *vnicus Dei Filius*, quia in tanto fratrũ numero, solus natura possidet, quod alij dono acceperunt. Fuit autẽ semper Filius Dei, ante omnia secula, non verò incepit (vt Manichæi nugantur) in vtero virginis esse Filius Dei, quoniam conceptus est de Spiritu sancto.

At Luc. 1. ait Angelus, *Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*: ergo antequam nasceretur, non erat, nec vocabatur Filius Dei.

Resp. Falsa est consequentia. Si enim valet hæc consequẽtia, qui conceptus est, Filius altissimi vocatur: ergo à conceptione cœpit esse Filius altissimi Dei: etiam ista valebit: verbum Dei à sua manifestatione cœpit esse, quia Iohãnes ait, *se de verbo vitæ annunciare, quod manus suæ contrectauerunt.* Item valebit hæc Michææ 5. *Et tu Bethlehem Iuda, &c. Ex te enim exibit dux, qui reget populum meum Israel, & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.* Ergo Christus vt homo fuit ab æterno, & semper fuit homo.

Notandum igitur, quòd istæ locutiones sacræ scripturæ verificantur ratione communionis vtriusque naturæ, & idiomatum: ita vt quod competit Christo, vt Deo, propter vnionem cum carne, attribuatur etiam Christo homini: & è contra. Quod ait Angelus, ita intelligendum est, Ille qui nascetur ex te, vocabitur Filius Dei, propter vnionem cum diuinitate. Erit enim non solùm homo, sed etiã remanebit Filius Dei, sicut semper fuit Filius Dei. Ergo Filius Dei humanitate nostra vestitus, etiam in carne vocatur Filius Dei, propter vnionem naturæ diuinæ cum humana.

Dominum nostrum. Hoc elogium illi additur, quoniã hac lege mundo præfectus est à Patre, vt eius dominationẽ hic exerceat. Sicut enim sæpe apud Prophetas se vnum esse *Dominum nostrum*, Regem ac legislatorem pronunciat Deus: ita cùm Filium suum in carne exhibuit, eum esse declarauit in quo regere & imperare vellet. Ideo 1. Cor. 8. *Vnus est nobis Deus ex quo omnia, & nos in ipso: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Dominus ergo est noster, non tantùm præceptor noster, & magister, cui auscultandum sit docenti: sed caput ac princeps, cuius imperio parendum sit, cuius nutui obtemperandum, cuius ad voluntatem, obsequia nostra sunt dirigenda. Ei enim primogenituram attribuit Pater in sua familia, vt & fratribus suis præsit potestate, & facultates hæreditatis administret atque dispenset.

Qui conceptus est de Spiritu S. natus ex Maria virgine.

Quoniam incarnationis mysterium, sicut simpliciorum mentes suo fulgore perstringit, ita & animos vehementer conturbat atque discruciat, nisi ritè intelligatur: necessariò pauca in eius explicationem nobis præfanda sunt.

Cur necesse fuerit, vt Deus fieret homo.

1. Primò, magnopere nostra referebat, vt qui Mediator noster futurus erat, esset verus Deus & verus homo. Cùm enim iniquitates nostræ, interiecta inter nos & Deum nube, nos à regno cœlorum prorsus alienassent, atque illum à nobis auertissent, nemo nisi qui ad eum pertingeret, pacis restituendæ interpres esse poterat. Quis autem pertigisset? quispiam ne ex filiis Adam? Atqui omnes cum patre suo, ad conspectum Dei horrebant. Angelorum aliquis? Atqui illi quoque opus habebant capite, per cuius nexum solidè & indistractè Deo suo cohærerent. Quid igitur? Deplorata res erat, nisi maiestas ipsa Dei ad nos descenderet: quoniã ascendere nostrum non erat. Ergo Filium Dei fieri nobis Immanuelem oportuit, id est, nobiscum Deum: ac ea quidem conditione, vt sicut suam nobis diuinitatem adiungebat: ita nostram quoque humanitatem suæ diuinitati copularet: alioqui nec satis propinqua vicinitas, nec satis firma affinitas, quæ spem faceret, Deum nobiscum habitare ac nobis adesse: idque propterea, quod modis omnibus nostra humilitas cum Dei maiestate dissidebat. Et ideo Paulus, cùm eum nobis Mediatorem proponeret, nominatim dixit hominem, quando ait, 1. Tim. 2. *Vnus Deus, vnus & Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Poterat D. Paulus dicere, vnus est Mediator Deus: poterat saltem dicere, vnus est Mediator Dei & hominum: sed infirmitatem nostram nouerat Apostolus. Ne quis igitur torqueret se, vbi nam ille quærendus Mediator, aut qua via ad ipsum perueniendum, continuò addit, Homo est: quasi dicat, vobis propinquus est, imo contiguus, quandoquidem caro vestra est. Id scilicet designare volens, quod alibi significantius explicatur, cùm ait Heb. 4. *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, quando more nostro* (sola peccati exceptione) *sit per omnia tentatus.* Ergo necesse erat Filium Dei fieri Filium hominis, quò possit verus Dei & hominum Mediator esse.

2. Hoc etiam ab effectibus, qui præstandi erant Mediatori, clarius fit, si consideremus, quàm non vulgare fuerit, quod Mediatori præstandum erat. Quid præstandum erat Mediatori? Nempe, sic nos in gratiam Dei restituere, vt ex filiis hominum, filios Dei faceret: ex hæredibus gehennæ, regni cœlestis hæredes. Atqui, quis hoc poterat, nisi Filius Dei, filius hominis fieret? & quod suum erat natura, nostrum faceret gratia? Hac ergo arrha freti, nos esse filios Dei confidimus: quia naturalis Dei Filius, sibi corpus de corpore nostro, carnem de carne nostra, ossa ex ossibus nostris composuit, vt idem nobiscum esset. Quod nobis proprium erat, ad se pertinere voluit, vt vicissim ad nos pertineret, quod ipse proprium habebat: Atque ita in commune ipse nobiscum & Filius Dei esset, & Filius hominis. Hac ratione, hæreditatem regni cœlestis nostram esse speramus: quia vnicus Dei Filius, cuius solida erat hæreditas, nos sibi fratres adoptauit. Quòd si fratres: ergo & cohæredes.

3. Item sic nostra referebat verum Deum esse & hominem, qui redemtor noster futurus erat. Nam eius erat mortem absorbere. Quis hoc poterat, nisi vita? Eius erat peccatum vincere. Quis hoc poterat, nisi ipsa iustitia? Eius erat Mundi & aëris potestates subigere. Quis hoc poterat, nisi virtus & mundo & aëre superior? Atqui penes quem vita est, aut iustitia, aut cœli potestas, nisi penes solum Deum? Ergo clementissimus Deus sese redemtorem nostrum fecit, dum nos redemtos voluit.

4. Alterum hoc redemtionis nostræ caput erat, vt homo, qui sua inobedientia se perdiderat, suam confusionem obedientia tolleret, iudicio Dei satisfaceret, pœnas peccati persolueret. Prodiit ergo verus homo Dominus noster, Adæ personam induit, nomen assumsit, vt Patri se obedientem pro eo exhiberet, vt carnem nostram in satisfactionem iusto Dei iudicio statueret ac sisteret, & in eadem carne peccati pœnam persolueret.

Cùm denique mortem nec solus Deus sentire, nec solus homo superare posset, humanitatem cum diuinitate sociauit, vt alterius imbecillitatem morti in pœnã subiiceret, alterius virtute, aduersus mortẽ in victoriam luctaretur. Qui ergo Christum sua aut dignitate, aut humanitate spoliant, illius quidem vel blasphemant maiestatem, vel bonitatem obscurant: sed nõ minus altera ex parte hominibus sunt iniurij, quorum fidem ita labefactant & euertũt, quæ nisi hoc fundamento, stare non potest. Deus igitur verus, & verus homo erat, & est Iesus Christus noster: Diuinitatem eius pluribus demonstrare superuacuum est: de humanitate verò quædam afferam, quia ea ab hæreticis impetita est.

Manichæorum & Marcionitarum hæresis contra humanitatem Christi, confutatur.

Marcionitæ affingebant Christo spectrum siue phantasma pro corpore: Manichæi verò, cælesti carne eum induebant: Vtrique confutantur iis testimoniis.

1. Gen. 17. Non in cœlesti semine, aut in hominis larua benedictio promittitur: sed in semine Abrahæ, & Iacob.

2. Psal. 132. Non homini aëreo promittitur thronus æternus, sed filio Dauidis, & fructui ventris eius.

3. Mat. 1. Christus vocatur filius Abrahæ & Dauidis, non ideo, quia ex virginis vtero, tantùm natus sit, in aëre autem creatus, sed quia secundum carnem factus sit ex Dauidis semine, vt interpretatur D. Paulus Ro. 1. dicendo: *Qui factus est ex semine Dauid, secundum carnem.*

4. Christus non contentus hominis nomine, hominis filium etiam se appellat, indicare volens, se hominem esse, ex hominis semine progenitum.

5. Gal. 4. *Misit Deus Filium suum, natum ex muliere.*

6. Heb. 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abra-*

ha apprehendit. Idque cur? *vt in carne & sanguine destrueret eum, qui habebat mortis imperium.* Idem dicitur ibidem, quod nos fratres eius simus. *Nunciabo nomen tuum fratribus meis.* Item, *vnde debuit per omnia similis fratribus fieri, vt misericors esset, &c.* Item, *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris.*

At (inquit Marcion) Phil 2. *Christus factus est in similitudine hominum, &c.* Ergo phantasma pro corpore sese Christus induit.

R. Locus ille non est ad propositum. Non enim illis Apostolus vult explicare, quale corpus sibi sumpserit Christus: sed cùm iure diuinam suam maiestatem exerere posset, nil præ se tulisse, nisi quod erat hominis. Atque ita eius exemplo ad submissionem instituit & hortatur. Docet ergo ille Apostolus, non quid fuerit Christus, sed qualiter se gesserit.

At (inquit Manichæus.) Christus vocatur secundus Adam de cœlo cœlestis. Ergo aëreum corpus habebat.

R. Non est ad propositum sententia illa Pauli. Ibi enim Apostolus non inducit Christo essentiam corporis cœlestem: sed vim spiritualem, quæ à Christo diffusa, nos viuificat. Imò illo ex loco stabilitur nostra sententia, quòd Christus habuerit veram carnem humanam. Nam nisi vnam haberet nobiscum corporis naturam Christus: inanis esset ratiocinatio illa Pauli, quam tanta vehementia prosequitur, dicendo: *Si Christus resurrexit ergo nos quoque resurgemus. Si non resurgemus: ergo neque Christus resurrexit.*

Verbum caro factum est. quomodo intelligendum.

Quòd verò dicitur: verbum carnem esse factum, non ita accipiendum est, quasi vel in carnem versum, vel carni confusè permixtum fuerit: sed quia è virginis vtero templum sibi delegit, in quo habitaret: & qui Filius Dei erat, filius hominis factus est, non confusione substantiæ, sed vnitate personæ. Ita enim coniuncta vnitáque humanitati fuit diuinitas, vt sua vtrique naturæ solida proprietas maneat: & tamen ex duabus illis vnus Christus constituatur. Homo ex duabus substantiis constat, quarum neutra tamen sic alteri permixta est, vt non retineat naturæ suæ proprietatem. Neque enim aut anima, corpus est: aut corpus, anima est. Quare & de anima seorsim dicitur, quod in corpus nullo modo cadere potest: & de corpore seorsim dicitur, quod in animam cadere nequit: & de toto homine dicitur, quod nec de anima seorsim, nec de corpore seorsim, nisi ineptè dici posset. Postremò animi propria transferuntur ad corpus, & corporis propria transferuntur ad animam: qui tamen ex iis duobus constat, vnus homo est, non plures. Huiusmodi vero loquendi formulæ & vnam esse in homine naturam, ex duobus connexis compositam significant: & duas subesse diuersas naturas, quæ hanc constituant. Ita & de Christo scripturæ loquuntur.

Propter idiomatum communicationem sæpe Christo attribuitur, quod ad solam humanitatem pertinet, & è contrà.

Attribuunt S. Scripturæ interdum Christo, quę ad humanitatem singulariter referri oporteat: interdum quæ diuinitati peculiariter competant: interdum etiam quæ vtramque naturam complectantur, neutri seorsim conueniant: id que propter naturæ vtriusque coniunctionem & idomatum communionem. Exempla. Ioh. 8. *Antequam Abraham fieret ego sum.* Ab humanitate alienum est hoc. Non enim, nisi multis post Abrahamum seculis, factus est homo, & tamen toti Christo attribuitur, quod fuerit, antequam fieret Abraham. Col. 1. *Qui est primogenitus omnis creaturæ, & per quem condita sunt vniuersa, siue quæ in cœlis, &c.* Ad diuinitatem tantum pertinet. Luc. 2. *Puer crescebat sapientia & ætate.* Ioh. 14. *Pater maior me est.* Humanitatis hęc sunt solius.

Communicatio autem idiomatum est, quod ait D. Paulus Act. 20. *Deus sanguine suo Ecclesiam sibi acquisiuit* Item. 1. Cor 2 *Dominum gloriæ crucifixerunt*: i. ille qui Deus erat, acquisiuit sibi Ecclesiam sanguine suo. Et ille, qui erat Dominus gloriæ, crucifixus est. Quod ergo vnius est naturæ, ad alteram transfertur, sed impropriè, propter vtriusque vnionem. Ita multæ aliæ similes locutiones occurrunt, quæ simili ratione exponendæ sunt Vt illud 1. Ioh. 3. *Deus animam suam pro nobis posuit* Ioh. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi filius hominis, qui est in cœlo.*

Vtramque verò simul naturam comprehendunt ij loci. Iohan. 5. 9 10. 12 Nempe, quod habeat potestatem dimittendi peccata, suscitandi quos velit, tollit iram, sanctitatem largiendi: quòd iudex constitutus est viuorum atque mortuorum: quòd lux Mundi, pastor bonus, vnicum ostium, vitis vera, nuncupatur. Hæc enim nec diuinitatis, nec humanitatis singularia sunt, sed vtriusque simul: siquidem in prærogatiuis præditus fuit Filius Dei, cùm in carne manifestatus est, quas & ipse vnà cum Patre ante mundi constitutionem possidebat: & quæ homini, qui nihil quàm homo esset, dari non poterant.

Christum ergo, vt Deus est, & homo, vnitis, licet non confusis naturis constans, Dominum nostrum, verumque Dei Filium esse confitemur etiam secundum humanitatem, etsi non ratione humanitatis. Vide August. in Enchiri. ad Laur. cap. 36.

Conceptus est de Spiritu sancto. Non enim decebat, eum, qui ad alios purificandos mittebatur, ex immunda nasci origine. Deinde, consentaneum non erat, quam sibi in templum essentia Dei peculiariter delegerat carnem, eam ex communi immundicia emergere. Hic ergo Spiritus sanctus intercessit, & ordinariam naturæ rationem, mirabili nobisque inenarrabili virtute superauit. Effecit enim, ne qua carnali corruptione inquinatus, sed summa puritate sanctificatus Christus nasceretur. Hinc fideles docentur, confidenter a Christo petendam esse sanctitatem, & ab eo solo, quia solus humanæ corruptionis lege per conceptionem eximitur.

Natus ex Maria virgine, nempe illa, de qua Iesa 7. *Ecce, Virgo concipiet, & pariet Filium.* Hac locutione indicatur, hunc Iesum Christum, esse illud semen, quod Abrahæ Dauidique promissum fuerat: quia ab illis per hanc virginem, quæ erat de domo Dauid, carnem duxit.

Cur verò natus est? vt nostram peragerez redemptionem. Nam in Symbolo Niceno additur. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria virgine, & homo factus est. Ergo considerandum est, quomodo nostram peregerit redemptionem, cuius causa natus est.

Quòd Christus obedientia sua, nostram salutem peregerit.

Quia hominis inobedientia prouocârat iram Dei, sine Deum ad iram: ideò Christus sua obedientia eam ipse deleuit. Patri se obedientem præbens vsque ad mortem. Ideò in salutis nostræ instauratione hanc obedientiam Christi primo loco æstimandam esse docet Apostolus, Ro. 5 *Sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obedientiam, &c.*

Salutis nostræ summa.

Hæc igitur salutis nostræ summa est, quòd Filius Dei, noster factus, sua voluntate valere iussa, non solum vitam Patris voluntati & arbitrio consecrauit: sed etiam ad eius nutum, mortis horrores subire non recusauit, quò eius maiestatem, nostra rebellione concitatam, placaret Huius obedientiæ merito factum est, vt reconciliaretur generi humano cœlestis Pater, quod ante toto animo auersabatur. Nam Christus morte sua, sacrificium bonæ fragrantiæ Patri obtulit, quò & iusto eius iudicio ad plenum satisfaceret, & æternam suis sanctificationem acquireret. Sacrum suum sanguinem in pretium redemptionis effudit, quò & Dei furor extingueretur aduersus nos accensus, & nostra iniquitas purgaretur. Cùm ergo salutis quęritur securitas, ad istam redemptionem veniendum, per quam primò Deus propitius nobis est redditus: secūdò & aditus in cœlū est patefactus: tertiò & puritas iustitiæ comparata. Nam sordes est maculę peccatorum, quibus auertitur & alienatur Dei voluntas à nobis, lauacro sanguinis eius abstersæ sunt. 1. Iohan. 1. *Sanguis eius emundat nos à peccatis omnibus.* Sit igitur hæc redemptionis summa. Quod Christi satisfactione à peccatorum vinculis liberati, quòd sanguine eius ab omni inquinamento emundati & repurgati, eo modo in iustitiam ac sanctitatem restituti sumus, Deoque reconciliati, qui nihil in nobis, nisi nostras iniquitates odit.

Deum ante Christi mortem nobis fuisse iratum, deinde verò per Christum nobis fuisse reconciliatum, cùm tamen ante mundi constitutionem nos dilexerit. nullaque in Deo facta sit mutatio: quomodo intelligendum sit.

Spiritus S. in hunc ferè modum in S. Scripturis de nostra redemtione loquitur: Deum fuisse hominibus iratum & inimicum, donec in gratiam per Christi mortem sunt restituti: homines fuisse maledictos, donec per Christi sacrificium expiata est eorum iniquitas: fuisse à Deo separatos, donec per ipsius corpus fuerunt in coniunctionem recepti. Et tamen ex altera parte manifestum est, quòd Deus nos semper ante mun-

ante mundi constitutionem, nedum ante Christi mortem dilexerit nobis esset amicus, nos charos haberet: & nulla vnquam in Deo facta fuit mutatio, ita vt prius nos diligeret, postea odio prosequeretur: demum iterum propter mortem Christi nos dilexerit: imò quia nos diligebat, ideò filium suum tradidit in mortem pro nobis. Ioh. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, &c.* Quomodo ergo intelligendæ sunt istæ locutiones, Deum ante Christi mortem nobis fuisse inimicum: per mortem verò Christi nobis fuisse reconciliatum?

Resp. Primò, verum quidem est, quòd Deus nos semper dilexerit, quòd eius dilectio erga nos immutabilis sit, quódque propter hanc dilectionem, Christum pro nobis in mortem tradiderit: sed illæ priores locutiones accommodatæ sunt ad sensum nostrum, illisque vsus est Spiritus S. pro captus nostri capacitate, vt scilicet meliùs intelligamus, quàm misera sit & calamitosa extra Christum nostra conditio. Nisi enim claris verbis diceretur, iram ac vindictam Dei, mortémque æternam nobis ob nostra peccata incubuisse: minus agnosceremus, quàm miseri essemus sine Dei misericordia: & beneficium liberationis, minoris æstimaremus, atque ita non afficeremur valde ad Deum glorificandum, & amandum pro tanto beneficio.

Exemplum. Audiat aliquis, si te quo tempore, adhuc peccator eras, odisset Deus, & te abiiceret, vt eras meritus, horribile exitium te manebat. Sed quia sponte & gratuita sua indulgentia te in gratia retinuit, nec alienari à se passus est, eo periculo sic te liberauit. Iste talis, qui audit hæc, afficietur quidem, & sentiet aliqua ex parte, quantum debeat misericordiæ Dei. Fac verò vt rursum audiat hoc, quod dicit Spiritus sanctus, sese alienarum fuisse à Deo per peccatum: hæredem iræ, ac mortis æternæ maledictioni obnoxium, exclusum ab omni spe salutis, extraneum ab omni benedictione Dei, Sathanæ mancipium, sub peccati iugo captiuum, horribili denique exitio destinatum, & iam implicitum. Hic totus horrore concutietur. Adde verò: sed Christus pro te deprecator intercessit: pœnam quam tu merebaris, in se recepit ac luit, imò pœnam quæ omnibus peccatoribus ex iusto Dei iudicio imminebat: mala, quæ Deo exosum te reddebant, sanguine suo expiauit: hoc piaculo satisfactum, ac ritè litatum est Deo Patri: hoc intercessore, ira Dei placata est: hoc fundamento pax Dei cum hominibus est subnixa: hoc vinculo beneuolentia Dei erga te & omnes homines continetur. His verbis, nónne magis ille, qui audit, permouebitur, quò melius ad viuum repræsentatur, quanta è calamitate ereptus fuerit?

In summa: quoniam animus noster non potest vitam in Dei misericordia vel satis cupidè apprehendere, vel qua decet gratitudine excipere, nisi formidine iræ Dei & æternæ mortis horrore ante perculsus & consternatus: ideò sic instituimur sacra doctrina, vt sine Christo, Deum quodammodo nobis infestum cernamus, & eius manum in exitium nostrum armatam videamus: beneuolentiam eius, paternámque charitatē, non nisi in Christo amplexemur.

At hac responsione ostendisti, quod illæ locutiones vtiles nobis sint, ad magis agnoscendum, quanta è calamitate erepti simus per misericordiam Dei, atque ad Deum magis laudandum, &c. Sed quæro, verum veræ sint, veréque dicatur Deum nobis ante Christum fuisse infensum, inimicum, postea verò reconciliatum?

Resp. Verissimæ sunt, verissiméque dicitur, nos ante fuisse odiosos Deo. Nam Deus, qui summa est iustitia, iniquitatem quam in omnibus nobis conspicit, amare non potest. Ergo omnes nos habemus in nobis, quod Dei odio dignum sit. Proinde secundum corruptæ nostræ naturæ, & deinde accedētis prauæ vitæ considerationem, in offensione Dei reuera sumus omnes, in conspectu eius rei, & ad gehennæ damnationem nati. Verùm, quia Dominus quod suum est in nobis, perdere non vult: adhuc aliquid inuenit, quod pro sua benignitate amet. Vtcunque enim peccatores vitio nostro simus: manemus tamen eius creaturę: vtcūque mortē nobis asciuerimus: ipse tamē nos ad vitam cōdiderat. Sic mera & gratuita nostri dilectione excitatur ad nos in gratiam recipiendos. Sed quoniam perpetuum & irreconciliabile bellum est inter iustitiam & iniquitatem: ideò quamdiu peccatores manemus, suscipere nos totos in gratiā nō potest. Ergo vt sublata omnis simultatis materia nos sibi prorsus reconciliet: opposita in morte Christi expiatione, quicquid in nobis mali est, abolet, vt iusti & sancti in eius conspectu appareamus, qui antea immundi eramus & impuri. Proinde sua dilectione nostram in Christo reconciliationem Deus Pater præuenit & anteuertit. Imo quia prius diligit, posteà nos sibi reconciliat. Sed quia in nobis, donec sua morte succurrit Christus manet iniquitas, quæ Dei indignationem meretur, & est coram eo maledicta & damnata: non ante plenam habemus firmámque cum Deo cōiunctionem, quam vbi Christus nos coniungit: adeóque si Deum nobis placatum atq; propitium volumus polliceri: in Christum solum oculos mentésque defigere conuenit, sicut reuera per ipsum solum consequimur, ne imputentur nobis peccata: quorum imputatio, iram Dei secum trahit. Atque propter hanc rationem Ephes. 1. dicit Paulus, quòd ea dilectio, qua nos ante mundi constitutionem complexus est Pater, in Christo constiterit ac fundata fuerit. Hæc perspicua sunt, & S. Scripturæ consentanea, & optimè conciliant locos illos, vbi dicitur, Deum suam erga nos dilectionem in eo declarasse, quòd Filium suum pro nobis in mortem dederit: & tamen fuisse inimicum, antequam morte Christi, in gratiam reductus esset. Huc spectat sententia illa Aug. in Iohan. tract. 110. *Incomprehensibilis ac immutabilis est Dei dilectio. Non enim ex quo ei reconciliati sumus per sanguinem Filij eius, cœpit nos diligere. Sed ante Mundi constitutionem dilexit nos, vt cum eius vnigenito etiam nos Filij eius essemus, antequam omnino aliquid essemus. Quòd ergo reconciliati sumus per mortem Christi, non sic accipiatur, quasi ideò nos reconciliauerit Filius ei, vt iam amare inciperet, quos oderat: sed iam nos diligenti reconciliati sumus, cum quo propter peccatum inimicitias habebamus. Quod vtrum verum dicam, attestetur Apostolus: Commendat (inquit) dilectionem suam Deus erga nos, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, &c. Habebat itaque ille erga nos charitatem, etiā cùm inimicitias aduersus eum exercentes, operaremur iniquitatem. Proinde miro & diuino modo, & quando nos oderat, diligebat. Oderat enim nos, quales ipse non fecerat: & quia iniquitas nostra opus eius non omni ex parte consumserat, nouerat simul in vnoquoque nostrùm & odisse quod feceramus, & amare, quod fecerat.*

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus.

Exprimitur & Præfecti nomen, à quo damnatus fuit: & genus mortis, nempe crux: primò ad astruendam historiæ fidem: secundò, maximè, quia ad redemtionis mysterium hoc quoque pertinebat. Cùm enim oportuerit per Christi mortem, & primò peccata expiari, & secundò damnationem, quæ inde impendebat, tolli ac deleri: non satis erat, ipsum quamlibet obire mortem: sed quò ritè omnibus nostræ redemtionis partibus defungeretur, genus mortis deligendum fuit, per quod & condemnatione ad se traducta, & peccato in se recepto, vtroque nos liberaret.

Cur Christus mori voluerit iudicatus & condemnatus à iudice: non autem alio genere mortis.

Primùm ergo, si quæras, cur Christus voluerit ita mori, nempe priùs à iudice condemnatus, non autem, verbi gratia, occidi à latronibus.

Resp. Sub præside prouinciæ damnari voluit, iudicis sc. sententia damnatus, vt eius damnatione apud summi iudicis tribunal absolueremur. Si à latronibus iugulatus fuisset, si tumultuariè priuatorum manibus per seditionem trucidatus: in eiusmodi morte nulla satisfactionis species extitisset. Verùm, vbi reus ad tribunal sistitur, testimoniis arguitur & premitur, ipsius iudicis ore morti adiudicatur: iis documentis intelligimus, ipsum miseri peccatoris personam sustinere.

Ac duo quidem hic notanda sunt, quæ & Prophetarum vaticiniis prædicta erant, & eximiam fidei consolationem confirmationémque addunt.

1. Cùm audimus, Christum à iudicis solio ad mortem dimissum, inter latrones esse suspensum, habemus complementum eius Prophetiæ, quæ ab Euangelista citatur Jes. 53. *Et cum iniquis deputatus est.* Cur hoc? vt peccatoris, non iusti aut insontis vices obiret: vt non innocentiæ, sed peccati causa mortem oppeteret.

2. Econtrà verò, vbi audimus, Christum eodem, quo damnabatur, ore absolutum, (nam eius innocentiæ non semel Pilatus coactus est testimonium palàm reddere) in mentem veniat illud, quod est apud alterum Prophetam Ps. 69. *Quæ non rapui, tunc exsoluebam* Atque ita & peccatoris scelerati que personam in Christo repræsentatam contemplabimur: & relucente innocentia, alieno potius, quàm proprio scelere grauatum respiciemus.

Passus ergo est sub Pontio Pilato, solenni præsidis sententia in scelestorum numerum ita relatus, vt tamen

iustus ab ipso simul pronuntietur, dum affirmat nullam se inuenire in eo causam.

Cur Christus voluerit mori tali morte, scilicet crucis, suspensus in ligno.

Secundum, si quæras, cur Christus voluerit in ligno suspensus mori.

Resp. Tolli voluit Christus in crucem, quæ diuinæ legis decreto maledicta erat, sicque se maledictioni obnoxium facere, vt omni maledictioni. quæ propter iniquitates nostras nos manebat, vel potius nobis incumbebat, eximeremur, dum in eum traducitur. Quod etiam in lege adumbratum fuerat.

Nam אשמות quo vocabulo peccatum ipsum propriè designatur, vocantur oblatæ pro peccatis victimæ & expiatrices. Qua nominis translatione Spiritus sanctus innuere voluit, instar καθαρμάτων ipsas esse, quæ debitam sceleribus execrationem ac maledictionem susciperent ac sustinerent. Illæ autem victimæ, & sacrificia Mosaica, figuræ erant victimæ Christi oblatæ pro nobis in cruce. Ergo impletum est illud in Christo. Quare Christus, vt iusta expiatione defungatur, animam suam אשם impendit, id est, satisfactoriam peccati hostiam, vt ait Ies. 53. in quam hostiam, reiecta quodammodo fuit macula & pœna, quæ nobis debebat imputari. Hoc apertius testatur Apostolus, 2. Cor. 5. *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.*

Filius enim Dei à vitio purissimus, iniquitatum tamen nostrarum confusionem ac ignominiam induit, ac sua vicissim puritate nos operuit. Rom. 8. *Et de peccato damnauit peccatum in carne.* Nam peccati vim aboleuit Pater, cùm in Christi carnem translata fuit eius maledictio. Indicatur ergo hac voce, quòd Christus Patri fuerit in morte immolatus pro victima satisfactoria, vt peracta per eius sacrificium litatione, iram Dei iam horrere desinamus.

Hinc patet, quid sibi velit illud Ies. 53. *Posuit in eo Deus iniquitates omnium nostrum*: nempe, quòd sordes iniquitatum nostrarum abstersurus, iisdē sordibus, per trāslatitiam imputationē obtect⁹ fuit. Eius verò rei symbolū, fuit crux, cui affixus est, teste Apostolo ad Gal. c. 3. *Christus redemit nos de maledictione legis, factus pro nobis maledictio. Scriptū est .n. Maledictus qui pendet in ligno, vt in Gentes benedictio, &c.*

Notandum tamen, quòd non est putandus Christus eā subiisse maledictionem, qua obrutus aut oppressus fuerit: quin imò subeundo potius, vim eius vniuersam depressit, infregit, dissipauit. Proinde fides in Christi damnatione, absolutionem: & in Christi maledictione, benedictionem apprehendit.

Mortuus & sepultus.

In vicem nostram vbique se Christus supposuit, ad soluendum nostræ redemptionis precium. Duplicem igitur fructum nobis attulit mors & sepultura Christi.

Primus, Christus moriendo, mortem à nobis auertit, & vitam acquisiuit. Mors enim iugo suo nos obligatos tenebat: in illius autem potestatem Christus loco nostro tradidit, vt nos inde eximeret. Hoc intelligebat Apostolus, cùm ait, quòd *Christus gratiâ Dei pro omnibus mortem gustârit*: Heb. 2. i. effecit, vt moriendo ipse, nos non moriamur. Ergo mortuus est Christus, i. morti se veluti deglutiendum permisit, nō vt eius gurgitibus absorberetur, sed magis vt ipse eam absorberet, à qua mox eramus nos absorbendi: & subigendum se permisit, non vt eius potestate opprimeretur: sed magis vt eam consterneret, quæ nobis imminebat, ac iam depressis insultabat: denique *vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, Diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti* Hic est primus.

Secundus, Christus participatione suæ mortis, membra nostra terrena mortificat, ne in posterum suas actiones exerceant, veteremque nostrum hominem enecat, ne posthac vigeat, ac fructificet. Quò etiam sepultura eius pertinet, nempe, cuius consortes, peccato & ipsi sepeliamur. Rom. 6. *Consepulti enim sumus similitudini mortis eius. Cōsepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem.* Gal. 2. *Christo crucifixus sum cruci*, i. vnà cū Christo crucifixus sū. Gal. 6. *per Christū mihi Mundus crucifixus est. & ego Mundo.* Col. 3. *Mortui .n. estis cum Christo.* Quibus locis non solùm ad exprimendū mortis Christi exemplum nos adhortatur: sed hāc morti Christi inesse efficaciā declarat, quę in Christianis omnibus apparere debet, nisi velint mortem ipsam inutilem reddere & infructuosam. Duplex igitur in morte sepulturáq; Christi, beneficiū nobis fruēdum proponitur, liberatio à mortis seruitute, & carnis nostræ mortificatio.

Descendit ad inferos.

Hæc particula licet non in omnibus Conciliorum symbolis & Patrum scriptis reperiatur: tamen vniuersali Ecclesiæ consensu recepta est, & ex puro Dei verbo desumta: Ideò exponenda est. Variè autem exponitur.

1. Quidam sic: descendit ad inferos, i. in sepulturam, vt sit repetitio prioris sententię. Et sepultus est. Sed non placet. Primò, quia magnę oscitantię esset, rem minimè difficilem verbis expeditis & claris demonstratam, obscuriore deinde verborum complexu indicare magis, quam declarare. Quid aūt clariùs dici potuit, quàm Et sepultus est: Secundò, quia non est verisimile irrepere potuisse superfluam eiusmodi battologiam in compendium hoc, vbi summatim, quàm fieri potest, paucissimis verbis, præcipua fidei capita notantur.

2. Alijs sic: Descendit ad inferos, i. ad locum subterraneum, nomine limbum, vbi veluti in carcere, Patres antiqui testamenti clausi tenebantur. Ad illos enim liberandos descendit Christus. Quo applicant illud Zac. 6. *In sanguine testamenti, eruisti vinctos de lacu.* Item 1. Pet. 3. *Et in spiritu veniens prædicauit iis, qui in carcere erant, spiritibus.* Quanquam hæ sententiæ parum probent hunc limbum. Nam Zacharias non loquitur de limbo, nec de mortuis: sed per lacum sine aqua, intelligit profundissimam miserię voraginem: per vinctos populum extrema calamitatis angustia constrictum designat.

Petrus autem nihil aliud vult, quàm virtutem redemtionis per Christum partæ, exhibitam & planè manifestatā eorum spiritibus, qui ante id tempus defuncti fuerant. Fideles enim qui suam ab illo salutem semper exspectauerant, tunc planè & pręsenti aspectu, perspexerunt eius visitationem. Reprobi verò, in ipso vnicam esse salutem serò percipientes, à qua exclusi iam essent, nullam sibi spem residuam tunc planiùs agnouerunt. Quòd autem Petrus nullo discrimine pios simul & impios carcere concludit: non ita accipiendum est, quasi pij angustiis quibusdam vincti premerentur. Verum, quia obscurè, & quasi sub vmbrosis nubibus, Christum eminus conspicabantur nondum exhibitum: hanc eorum anxiam & suspensam expectationem, non ineleganter carcerē appellat.

3 Alij sic, Descendit ad inferos, i. ad sentiendum æternæ mortis horrorem, & quasi inferni dolorem experiendum: idque vt etiam de illis victoriam, triumphumque reportaret, ne iam in morte ea nos formidemus, quę princeps noster deglutiuit. Dicunt .n. isti: nihil actum erat, si corporea tantum morte defunctus fuisset Christus, sed operæ pretium erat, vt simul diuinæ vltionis seueritatem sentiret, quo & iræ ipsius intercederet, & satisfaceret iustō iudicio: necesse, inquam erat, vt cum inferorum copiis, ęternęque mortis horrore, quasi confertis manibus luctaretur. Hoc verò conantur probare iis locis & argumentis.

Ies. 53. *Disciplina pacis nostræ super eum.* Item, *Vulneratus est, sc. à Patre, propter iniquitates nostras, attritus propter peccata nostra, &c.* His verbis (inquiunt) significat Propheta Christum fuisse in locum peccatorum, sponsorem, vadem, adeoque instar rei submissum ad dependendas persoluendásque omnes, quæ ab illis eluendæ & dandæ erant, pœnas: vno duntaxat excepto, quòd doloribus mortis non poterat detineri. Ergo si ad inferos descendisse dicitur, nihil est mirum, cum eam mortem pertulerit, quæ sceleratis ab irato Deo infligitur. Hæc valde est terribilis, longeque miserrima inferorum abyssus, sentire te à Deo derelictum & alienatum, & cum inuocaueris, non exaudiri: perinde ac si tuam in perniciem ipse conspirasset. Eò autem videmus Christum fuisse deiectum, vt coactus fuerit, vrgente angustia, exclamare, *Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti?* Quæ quidem vox ex intimi animi angore deducta fuit. Ergo Christus diuinæ seueritatis grauitatem sustinuit: quoniam manu Dei percussus & afflictus, omnia Dei irati & punientis signa expertus est. Non tamen, quòd Pater fuerit illi vnquam aduersatius aut iratus. absit: cum potius adeo in ipso sibi complacuerit, vt per eum nobis placatus redditus sit. Proinde

Hilarius de Trinit. li. 4. ait: *Hoc descensu ad inferos. nos hoc esse consecutos, vt mors perempta sit.* Item lib. 2. 3. *Filius Dei in infernis est, sed homo refertur ad cælum.* Ergo videtur quod Christus descenderit ad sentiendum æternæ mortis horrorem. Ita cum Diaboli potestate, cum mortis horrore, cum inferorum doloribus manum conferendo, factum est, vt & referret de illis victoriam, & triumphum ageret, ne iam in morte ea formidemus, quæ princeps noster deglutiuit.

Sed iudicet pius & Christianus animus, quæ harum expositio magis quadret.

Resurrexit tertia die à mortuis.

Quoniam in cruce, morte & sepultura Christi non nisi infirmitas apparet: transilienda sunt illa omnia fidei, vt pleno robore instruatur. *Proinde* tametsi in eius morte habemus solidum salutis complementum; quia per eam &

eam & Deo reconciliati sumus, & iusto eius iudicio satisfactum, & maledictio sublata, & persoluta est pœna: dicimur tamen non per mortem, sed per resurrectionem regenerati in spem viuam: quia sicut ille resurgendo victor mortis emersit ita fidei nostræ victoria in ipsa demum cõsistit resurrectione. Quale hoc sit, Rom.4. explicat Paulus, dicendo, *Mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostri*: i. morte eius sublatum est peccatum, & resurrectione restituta est iustitia. Quomodo enim moriendo liberare nos à morte poterat, si morti ipse succubuisset? quomodo comparasset nobis victoriam, si in certamine defecisset? Quare sic salutis nostræ materiam inter Christi mortem & resurrectionem partimur: quòd per illam peccatum abolitum & mors extincta: per hanc iustitia reparata & erecta vita: sic tamen, vt huius beneficio, vim efficaciamque suam, illa nobis proferat.

Deinde, sicut ante exposuimus excommunicatione crucis pendere carnis nostræ mortificationem: sic & alterum ex eius resurrectione fructum nos obtinere illi respõdentem, intelligendum est. *Ideò enim similitudini mortis eius* (ait Apostolus Rom.6.) *insiti sumus, vt participes resurrectionis, in vita nouitate ambulemus.*

Itaque alibi, sicut argumentum ex eo, quòd Christo sumus commortui deducit, mortificanda esse membra nostra super terram: Ita etiam, quia cum Christo resurreximus, ex eo infert, quæ sursum sunt, nobis esse quærenda, non quæ super terram, quando ait Col.3. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite.* Quibus verbis non inuitamur mòdò & duntaxat exemplo suscitati Christi, ad sectandam vitæ nouitatem: sed eius fieri virtute docemur, vt regeneremur in iustitiam.

Tertium quoque ex ea fructum consequimur, quòd veluti accepta arrha, securi reddimur de nostra ipsorũ resurrectione, cuius esse illam certissimam hypostasin constat.

Ex mortuis.) Hac voce & mortis & resurrectionis veritas exprimitur, quasi dicat. Et eandẽ, qua cæteri homines naturæ lege defunguntur, mortem obiit: & in eadẽ, quam mortalem susceperat, carne, immortalitatem recepit.

Ascendit in cœlum: sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis.

Quãquam gloriam, virtutémque suam Christus resurgendo pleniùs illustrare cœpit, deposita iam scil. & mortalitatis humilitate, & crucis ignominia: sua tamen demum in cœlum ascensione, regnum suum verè auspicatus est. Quod Apostolus docet, cùm ait, illum ascendisse, vt impleret omnia, Eph.4. *Qui descendit, ipse est, & qui ascẽdit super omnes cœlos, vt adimpleret omnia.* Videmus enim, quanto maiorem Spiritus sui abundantiam effuderit: quantò magnificentiùs regnum suum promouerit: quantò maiorẽ potentiam tum in adiuuandis suis, tum in hostibus deiiciendis, extulerit. In cœlum ergo sublatus, corporis sui præsentiam è conspectu nostro sustulit, non vt adesse fidelibus desineret, qui adhuc in terris peregrinarentur: sed vt præsentiore virtute, & cœlum & terram regeret. Quin potius, quod pollicitus est, se futurum nobiscum vsque ad consummationem seculi, id sua hac ascensione præstitit: qua sicut corpus supra omnes cœlos eleuatum est: ita virtus & efficacia vltra omnes cœli ac terræ fines diffusa, propagatáque est. Audi Augustinum.

Augustinus in Io tract.50. *Iturus per mortem erat Christus ad dextram Patris, vnde venturus est ad viuos & mortuos iudicandos, præsentia itidem corporali, secundum sanam doctrinam fideique regulam. Nam præsentia spirituali cum eis erat, venturus post ascensionem suam* Vide reliqua. Vnde præsentia corporali, *me* (inquit Christus) *non semper habebitis*: præsentia verò spirituali, *Ecce vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi.* Ideò additur,

Sedet ad dexteram Patris. Similitudo à principibus sumta, qui suos habent assessores, quibus regendi imperandique vices demandant. Ita Christus, in quo exaltari, & per cuius manum regnare vult Pater, in eius dexteram receptus esse dicitur: quasi dicat, cœli & terræ dominio inauguratus, commissæ sibi administrationis possessionem solenniter adiit: nec semel adiit tantùm, sed in ea perstat, donec ad iudicandum descendat. Sic interpretatur Apostolus.

Eph.1. *Suscitauit illum à mortuis, & cõstituit ad dexteram suam in cœlestibus super omnem principatum & potestatem, & virtutem & dominationem: & omnia subiecit pedibus eius: & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, &c qui omnia in omnibus adimplet.* Vides quorsum pertineat illa sessio? nempe, vt eius maiestatem tum cœlestes, tũ terrenæ creaturæ suspiciant, manu eius regantur, nutũ intueantur, virtuti subiectæ sint. Neque aliud volunt Apostoli, cùm illam ascensionem & sessionem toties commemorant, quàm vt eius arbitrio permissa esse vniuersa doceant. Non ergo rectè illi interpretantur, qui simpliciter designari beatitudinem putant: quasi diceretur, Christus sedet ad dexteram Patris, id est, modò beata vita fruitur apud Patrem, nihil aliud intelligentes.

At quomodo sedet, cum Stephanus viderit illum stantem a dextris Dei? Act.7.

Resp. Hic in symbolo non agitur de corporis Christi cõstitutione: sed de imperij maiestate. Ibi verò in Actis Stephanus vidit corporis constitutionem, id est Christum stantem Vide Aug. de fide & symbolo, c.7.

Triplex fructus ex ascensione Christi ad cœlum, & sessione ad dexteram Patris.

Hinc verò multiplicem fructum colligit fides nostra.

1. Intelligimus fide Dominum suo in cœlum ascensu, aditum regni cœlestis, qui per Adam præclusus fuerat, aperuisse. Quoniam enim in carne nostra, quasi nostro nomine, eò ingressus est: inde sequitur, quod ait Apostolus, nos quodammodo in cœlestibus cum ipso considere, vt potè qui cœlum non spe nuda expectemus, sed in capite nostro possideamus, quando ait, Eph.2. *Et considere nos fecit in cœlestibus cum Christo.*

Quòd verò Christus ingressus sit cœlum, quasi nostro nomine, declarat Ioh.14. *Vado parare vobis locum. In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Et, *Iterum venio, & suscipiam vos ad me ipsum.*

2. Agnoscit fides nostra, illum nõ sine magno nostro bono apud Patrem residere. Sanctuarium enim non manufactum ingressus, coram facie Patris, assiduus pro nobis aduocatus & intercessor apparet: eius oculos in suam iustitiam ita conuertit, vt à peccatis nostris auertat: eius animum ita nobis reconciliat, vt viam & accessum nobis sternat ad eius thronum: sua intercessione, ipsum gratia & clementia replens, qui alioqui miseris peccatoribus plenus horroris futurus erat. Hunc fructũ explicat D. Paulus, Hebr.7. *Vnde & saluare in perpetuum potest accedens per seipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis.* Ad Hebræos 8. *Talem habemus Pontificem qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis, sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Deus, & non homo* Ad Heb.9. *Non enim in manufacta sancta Iesus introiuit, exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Rom.8. *Christus Iesus, qui mortuus est, imo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* 1.Ioh.2. *Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus in cœlo.*

3. Fides potentiam eius apprehendit, in qua situm est nostrum robur, virtus, opes, & aduersus inferos gloriatio. Eph.2. *Christus ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*: i. spoliatis hostibus, locupletauit & locupletat quotidie populum suum spiritualibus diuitiis. In excelsis ergo sedet, vt transfusa inde ad nos sua virtute, in vitam spiritualem nos viuificet. 2. vt Spiritu suo nos sanctificet. 3. vt variis gratiarum dotibus Ecclesiam suam exornet. 4. vt protectione sua tutam aduersus omnes noxas conseruet. 5. vt ferocientes crucis suæ, ac nostræ salutis hostes, manus suæ fortitudine coërceat. Denique vt omnem teneat potestatem in cœlo & in terra, donec inimicos omnes suos, qui & nostri sunt, prostrauerit, ac Ecclesiæ suæ ædificationem consummauerit.

Inde venturus est ad iudicandos viuos & mortuos.

Non obscura quidem præsentissimæ virtutis documenta præbet suis Christus: sed quia sub carnis humilitate quodammodo in terris delitescit eius regnũ: optimo iure vocamur ad cogitandam visibilem illam præsentiam, quam supremo die manifestabit. Visibili enim forma è cœlo descendet, qualis etiam ascendere visus est, Act.1. & apparebit omnibus cum ineffabili regni sui maiestate, cum immortalitatis fulgore, cum immensa diuinitatis potentia, cum Angelorum exercitu, vt docet Matt.26. *Cùm venerit filius hominis in maiestate sua & omnes Angeli eius cum eo, &c.* Iubemur ergo exspectare Christum iudicem.

Viuos & mortuos, id est, tam illos quos superstites dies ille deprehenderit, quam eos, quos iam antea è viuorum consortio mors sustulerit. Tunc enim viui quidam inuenientur illo die, atque ita ad iudicium viui sistentur, 1. Thess.5. *Et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi: deinde*

nos,qui viuimus,qui residui sumus in aduentu eius. Act.10. *Hic constitutus est iudex viuorum & mortuorum.* 2.Tim.4. *Qui iudicaturus est viuos & mortuos.*

At quomodo viui quidam iudicabuntur, cùm dicat Apostolus Heb.9. *Statutum est omnibus hominibus semel mori?*

R. Etsi non morientur naturali modo & ordine, qui ad iudicium vltimum in vita mortali superetunt: mutabuntur tamen, vt 1.Cor.15.docetur: *Non omnes quidem dormiemus: sed omnes immutabimur.* Mutatio autem illa, quia instar mortis erit, non impropriè mors appellatur ab Apostolo, cùm ait, *Statutum est omnibus semel mori.*

Quomodo fiet illa mutatio?

Resp. Absorbebitur vno momento mortalis eorum vita, & in nouam penitus naturam transformabitur. Absorbitio ista dicitur mors.

Fructus ex hoc, quòd Christus iudicabit omnes.

Hinc verò exoritur ingẽs cõsolatio animis nostris, quòd penes eam audimus esse iudicium, qui nos sibi in iudicando honoris consortes iam destinauit: sicut ipse dixit Apostolis, Mat. 9. *Sedebitis & vos super sedes 12. iudicantes, &c.* 1.Cor.6. *An nescitis quoniam Angelos iudicabimus?* tantum abest, vt in condemnationem nostram sit tribunal cõscensurus. Quomodo enim perderet populum suum clementissimus Princeps? quomodo membra sua caput dissiparet? quomodo suos clientes aduocatus condemnet? Rom.8. *Quis accusabit aduersus electos Dei? quis est, qui condemnabit? Christus Iesus, qui mortuus est, qui & resurrexit, imo qui sedet ad dextram Dei, & interpellat pro nobis.* Non modica certè securitas, quod non ad aliud tribunal sistemur, quàm redemtoris nostri, à quo salus sit expectanda. Vide D.Ambrosium de Iac.lib.1.c.6 Sic ergo Pater Filium honorauit, omne iudicium illi deferendo, vt ita conscientiis suorum terrore iudicij trepidis, consuluerit.

In Christo tota salutis nostræ summa comprehenditur.

Quoniam autem videmus, totam salutis nostræ summam, ac singulas etiam partes in Christo comprehensas, cauendum ne vel minimam portiunculam aliò deriuemus. Nam si salus quæritur: ipso nomine scil. Iesu, docemur penes eum esse. Si spiritus alia quælibet dona, in eius vnctione reperientur. Si fortitudo, in eius dominio. Si puritas, in eius conceptione. Si indulgentia, in eius natiuitate se proferet, qua factus est nobis per omnia similis, excepto peccato, vt condolescere disceret.

Si redemtio, in eius passione.
Si absolutio, in eius condemnatione.
Si maledictionis remissio, in eius cruce.
Si satisfactio, in eius sacrificio.
Si purgatio, in eius sanguine.
Si reconciliatio, in descensu ad inferos.
Si mortificatio, in eius sepultura.
Si vitæ nouitas, in eius resurrectione.
Si immortalitas, in eadem resurrectione.
Si hæreditas regni cœlestis, in cœli ingressu.
Si præsidium, si securitas, si bonorum omnium copia & facultas, in eius regno.
Si secura iudicij exspectatio, in potestate illi tradita.

Denique in ipso omnes omnium bonorum thesauri cum sint, inde ad satietatem hauriantur, non aliunde. Non feramur huc atque illuc in spes varias, sed Christo contenti simus. Quanquam irrepere diffidentia ista non potest, vbi semel abundantia bonorum eius probè cognita fuerit.

SYMBOLI PARS TERTIA.

Credo in Spiritum sanctum.

Fides in Spiritum, in salutis nostræ complemento valdè necessarium locum obtinet. Quod enim dictum est de ablutione & sanctificatione à Christo petendâ: ita demum consequemur, si per Spiritum sanctum communicentur nobis. Quod docet Paulus 1.Cor.6. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis per nomen Domini Iesu, & per Spiritum Dei nostri:* quasi dicat, illæ ipsæ gratiæ Christi, per Spiritum sanctum conscientiis imprimuntur & insculpuntur. Proinde fides in Spiritum sanctum, iure fidei in Patrem & Filium subnectitur, per quem Spiritum, & diuinæ misericordiæ & salutis in Christo completæ fructus nobis obsignatur.

In Spiritum.) Vbi Spiritus nomen audimus, in memoriam reuocare conuenit: quæcunque illi in scripturis tribuuntur officia, atque exspectare, quæ inde beneficia ad nos emanate dicuntur. Nam quicquid est gratię Dei, virtus est Spiritus atq; actio, sicut sacra Scriptura docet. Deus enim Pater in Filio, per Spiritum sanctum omnia operatur: per ipsum creat, sustinet, monet, viuificat, vegetat, conseruat omnia. Per ipsum fideles omnes suos vocat ad sese, ac trahit, regenerat, in nouam vitam iustificat, sanctificat, variis gratiarum formis locupletat, cœlesti robore fortificat, donec ad vltimam salutis metam pertingant.

Itaque Spiritus sanctus, dum in nobis adhuc nondum inhabitat, is est, qui nobis suo lumine illucet, idque vt discamus, ac planè cognoscamus, quàm ingentem diuinæ bonitatis opulentiam in Christo possideamus, ita vt ritè vocari queat clauis, qua cœlestis regni thesauri nobis reserantur: eius verò illuminatio, mentis nostræ acies, ad eos contemplandos. Et propter hanc rationem dicitur modo arrhabo & σφραγὶς, quòd promissionum certitudinem mentibus nostris obsignet: nunc Magister veritatis, & autor lucis: nunc fons sapientiæ, scientiæ, intelligentiæ. Is est, qui profanis sordibus repurgatos, in sancta Deo templa nos consecrat, sua sc. sanctitate nos ita aspergens, vt digna fiamus Deo habitacula. Is est, qui sua nos irrigatione ad germina iustitiæ proferenda, fœcundat: qua ratione vocatur sæpius aqua, vt Jes. 44.55. & Joh.7. Quanquam interdum à mundandi purgandíque energia sic nuncupatur, vt apud Ezech.36. Vbi Dominus promittit aquas mundas, &c. Is est, qui gratiæ suæ liquore perfusos, in verum vitę vigorem fouet: vnde nomen obtinet olei & vnctionis. Is est, qui concupiscentiæ nostræ vitia assiduè excoquendo & exurendo, corda nostra incẽdit amore sanctæ charitatis, à quo affectu vocatur ignis. Is est denique, qui afflatus sui virtute, diuinam nobis vitam sic inspirat, vt iam non agamus ipsi, & moueamur à nobis: sed ipsius actionem, & motum sequamur. Proinde si qua sunt in nobis bona, fructus sunt gratiæ ipsius: Naturæ verò sine ipso dotes, mentis sunt tenebræ, cordísque peruersitas.

Nunc liquet, quàm fructuosum necessariúmque sit, fidem nostram in Spiritum sanctum directam ac intentam esse: nempe in quo & illuminatio animę, & regeneratio, & omnium communicatio gratiarum, adeóque eorum, quæ à Christo nobis emanãt, bonorũ efficacia reperiatur.

SYMBOLI PARS QVARTA DE ECCLESIA.

Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem.

Hactenus materia salutis, causáque efficiens demonstrata est: nunc effectus ordine suo recensentur. Nam qui Dei omnipotentiam, paternámque clementiam, Christi iustitiam, Spiritus S. energiam intelligit: causam salutis tenet. Sed nondum assequitur, quomodo salus inde in hominibus impleatur, nisi ad Ecclesiam, peccatorum remissionem, & vitam æternam descendat. Ergo postquam edocti sumus, Deum esse salutis nostræ autorem: ritè ab autore ipso progressum ad opus facimus, quod in nobis est.

Ecclesia primo loco nobis credenda proponitur in hũc finem, vt confidamus, vniuersum electorum numerum, per vinculum fidei, in vnam coire societatem, atq. in vnum Dei populum, cuius Christus, Dominus noster dux sit & princeps, adeóque in vnum corpus coalescere, cuius ipse sit caput, prout in ipso ante Mundi constitutionem sunt electi, vt in Dei regnum omnes aggregarentur.

Quòd necessaria sit fides, qua credimus Ecclesiam.

Est autem necessaria hæc fides, quia in vitam immortalem renascamur, illius scil. Ecclesiæ vtero nos concipi: vt conseruemur, illius gremio foueri oportet. Est autem nostra omnium mater, penes quam gratiæ suæ thesauros expositos esse voluit Dominus, quò & eius fide conseruetur, & per eius ministeriũ dispẽsentur. Proinde, si in regnũ Dei ingressum nobis patefieri volumus, Ecclesiam fide apprehẽdere opus est, i. nõ modò electorum multitudinem cogitatione animóque complecti: sed talem Ecclesiæ vnitatem cogitare, in quã nos esse insitos persuasi simus.

Nam nisi Christo capiti nostro, per hanc cum omnibus membris coniunctionem, simus compacti: nullam cœlestis hæreditatis spem cernere possumus: quia extra Ecclesiæ vnitatem, nullam esse salutem S. Scriptura pronunciat. Patet.

Jes.2. *Venite, ascendamus ad montem Domini: quia de Sion exibit lex.*

Joel.2.

Ioel.2. *In monte Sion, & in Hierusalem, erit saluatio.*

Cur non dicatur, Credo in sanctam Ecclesiam, &c.

Nicænum concilium, sicut recitatur in Ecclesiastica historia, habet præpositionem, Credo in Ecclesiam. Ex.14. legitur de populo, *Et crediderunt in Deum, & in Mosen.* Vsitatius tamen est, vt sine præpositione profeatur: idque non sine ratione, vt Augustinus & Cyprianus de expositione Symboli dicunt.

Ideò enim (inquiunt) *in Deum credere nos testamur, quia & in ipsum vt veracem, animus noster se reclinat: & fiducia nostra in ipso acquiescit: quod in Ecclesiam non ita conueniret, sicut nec in remissionem peccatorum, nec in carnis resurrectionem.* Ergo licet vtrumque dici possit: melius tamen est, sequi Symbolum hoc Apostolicum, vbi sine præpositione profertur, Credo Ecclesiam.

Credo, id est, non solum credo, Ecclesiam catholicam & sanctam esse: sed etiam in hanc me insitum esse confido, quæ est electorum multitudo.

Catholicam. Hæc electorum societas, catholica dicitur, id est, vniuersalis: quia ij Dei electi, non in vno tantum loco sunt, sed per totum terrarum orbem diffusi: ita tamen, vt in Christo omnes vniti sint per Spiritum sanctum, vt sic ab vno capite Christo pendent omnes, ita in vnum veluti corpus coalescant: ea inter se compositione compagéque cohærentes, qua eiusdem corporis membra. Verè vnũ facti, qui vna fide, spe, charitate, eodem Dei Spiritu simul viuunt: nõ in eandẽ modò vitæ æternæ hæreditatem, sed in vnius etiam Dei & Christi participationem vocati.

Sanctam. Sancta dicitur hæc congregatio: quia quotquot æterna Dei prouidentia electi sunt: vt in Ecclesiæ cooptarentur corpus, spirituali regeneratione omnes à Domino sanctificantur. Nam hic diuinæ misericordiæ ordo nobis ab Apostolo describitur, vt quos elegit, eos & vocet: & quos vocauit, eos & iustificet: & quos iustificauit, eos & glorificet. Rom.8. Ergo vocatio & iustificatio, nil aliud sunt, quàm diuinæ electionis declaratio, qua sc. accensentur in Ecclesię cõmunionem, qui eò destinati fuerant, antequam nascerentur. Propter hanc rationem, Scripturæ elogiis, vt plurimùm in Ecclesia non censentur, nisi in quibus electionem suam Dominus eiusmodi vocatione comprobarit. Licet enim multi ex electorum numero, adhuc sint inter infideles, nondum vocati ad Ecclesiam: atque ita verè sint de Ecclesia, quoad Dei oculum: tamen ij in Scriptura non censentur in Ecclesia: quia tales se filij Dei nobis describendi erant, quales nosci nostra intelligentia possent, nempe, qui Spiritu Dei aguntur.

Quòd Ecclesia Dei ita sancta sit, vt tamen adhuc peccatorum rugas habeat, & næuos.

At quomodo hæc Ecclesia sancta est, cùm tot peccata in ea cernantur, cùm nulla ferè sanctitatis initia inter homines istius Ecclesiæ videantur?

Resp. Quanquam rara sæpius indicia huiusmodi sanctificationis extent inter homines, qui in hac Ecclesia cẽsentur: tamen statuendum est, idque iuxta testimonium S. Scripturæ, nullum fuisse ab orbe condito tempus, quo Ecclesiam suam Dominus non habuerit sanctam: nullam etiam fore, quo non sit habiturus. Nam etsi statim à principio vniuersum genus hominum Adæ peccato corruptum ac vitiatum est: ex hac tamen ceu polluta massa, semper vasa aliqua in honorem sanctificat, ne vlla sit ætas, quæ non suam misericordiam experiatur. Quod certis promissionibus promisit.

Ps.89. *Ordinaui testimonium electis meis, iuraui Dauidi seruo meo, semen eius in seculum erit, & thronus eius sicut Sol coram me.*

Psal.131. *Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi.*

Ier.31. *Hæc dicit Dominus, qui dat Solem in lumen diei: Lunam & stellas, in lumen noctis: si defecerint leges istæ coram me, tunc & semen Israel deficiet.* Ergo licet rara inter homines huius sanctificationis signa reperiantur: non tamen desiit vnquam esse Ecclesia sancta, licet occulta.

At etiam ij sancti, ex quibus cõstat Ecclesia, semper dum hic in carne manent, habent peccatum in seipsis, & sæpius in die cadunt, & egent dicere, Dimitte nobis debita nostra. Quomodo ergo Ecclesia sancta est?

Resp. Sancta quidem est perfectissimè, nullam habens maculam coram Deo in Christo: quia scilicet nullum imputatur peccatum. In se ipsa autem non ita sancta est, quin habeat aliquam rugam & næuum: quos tamen quotidie Dominus expolit abstergitque. Etenim verum quidem est illud, quòd Paulus dicit Eph.5. *Christus tradidit seipsum pro Ecclesia vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt sibi exhiberet gloriosam sponsam, non habentem maculam, aut rugam:* sed etiã hoc verum est, Dominũ quotidie operari in rugis eius expoliendis, maculisque abstergendis. Vnde sequitur, nondũ peractã esse eius sanctitatẽ.

Sic ergo sancta est Ecclesia, vt quotidie proficiat, nõdum perfecta sit: quotidie procedat, nondum peruenerit ad sanctitatis metam. Sed tamen, quia toto studio ad sanctimoniam, & solidam puritatem adspirat: mundicies ei, quam nondum plenè consecuta est, Dei benignitate tribuitur.

Sanctorum communionem. Clariorem Ecclesiæ demonstrationem subiicit ab annexis sumtam: nempe tantùm valere illam, qua fideles omnes in se recolligit Christus, copulam, vt quadam inter se bonorum omnium communione cohærescant. Quo non negatur tamen, quin diuersæ sint singulis gratiæ, vt Paulus 1.Cor.12. & Ephes.4. diuersa & diuisa esse dona Spiritus, & variè distributa docet. Neque politicus ordo conturbatur, quo suas vnicuique facultates priuatim possidere permittitur, vt necesse est sub elementis huius Mundi, ad retinendam publicam pacem, ac humanitatem conseruandam, propria esse distinctáque rerum dominia. Sed eam communitatem, siue communionem, quæ tali distinctione non impeditur, asserimus & credimus & confitemur nempe communionem in spiritualibus Dei donis, hoc modo.

Quicquid donorum Dei vni obtigit, eius omnes fieri quodammodo participes conuenit: tametsi Dei dispensatione id vni sit peculiariter datum, non aliis. Exemplum. Sicut vnius corporis membra quadam inter se communitate participant: & tamen sunt suæ singulis membris peculiares dotes distinctáque ministeria: ita etiam inter membra corporis Christi idem contingit.

Ab hoc simili ratiocinatur Paulus 1.Cor.12. & Eph.4. in totius Ecclesiæ commune bonum oportere conferri, quod singuli receperunt: quia in hoc dantur dona à Deo singulis, vt dispensentur. Ita ad Rom.12. ratiocinatur, varias esse debere vocationes, quia ordinatam & distinctam esse communicationem oporteat.

Qui fructus ex hoc, quòd credimus sanctam Ecclesiam eiusque communionem, ad nos redeant.

Iam quoniam ea lege sanctam Ecclesiam, eiusque communionem credimus, vt solida in Christum fide freti, eius nos quoque confidamus esse membra: nostra interest considerare, quis inde fructus ad nos redeat. Non parum autem est, nos in eius Ecclesiæ vnitatem ascitos scire, quæ à Domino electa, segregatáque, corpus est, & plenitudo Christi, columna & firmamentum veritatis, perpetuum habitaculum Dei viui. Eph.1.2.1.Tim.3. Psal.46.87. Ioel.3. Dum enim hæc habemus, nititur salus nostra tam certis solidísque fulcris, vt etiamsi tota orbis machina labefactetur, corruere ipsa & concidere nequeat.

1. Stat cum Dei electione, nec nisi cum æterna illius prouidentia variare aut deficere potest.

2. Quodammodo coniuncta est cum firmitudine Christi, qui non magis patietur à se diuelli suos fideles, quàm membra sua discerpi ac dilaniari.

3. Accedit, quòd veritatem, dum in Ecclesiæ sinu continemur, semper nobis constatutam secuti sumus.

4. Promissiones istas sentimus ad nos pertinere: nempe quòd Deus in æternum commorabitur in Hierusalem, nec in medio eius commouebitur, vt ait Psal.46. Tantum potest Ecclesiæ participatio, vt nos in Dei societate contineat.

In ipso quoque nomine *Communionis*, plurimũ est consolationis, quod dum ad nos pertinere fixum est, quicquid membris suis ac nostris largitur Deus, ab eorum bonis spes nostra confirmatur. Hanc autem communionem fide tantùm apprehendimus, non autem oculis cernimus. Electorum enim tantùm congregationem, Ecclesiam sanctam credimus: in quorum numero cùm simus & nos, id est, cùm etiam nos esse credamus, omnium quoque bonorum ipsorum participes sumus. De Ecclesia verò visibili, quæ sub cognitionem nostram cadit, non est fides, nec symbolum loquitur: sed de inuisibili, quæ in visibili tamen continetur mixta & abscondita nobis, cognita soli Deo.

Remissionem peccatorum.

Rectè & iure post articulum de Ecclesia, sequitur articulus de remissione peccatorum. Nam hanc non confe-

quuntur, nisi qui in Ecclesia Catholica degunt, Ies. 33. *Populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas.* Præcedere ergo debet ædificatio cœlestis Hierusalem, in qua deinde beneficium hoc Domini locum habeat, vt quicunque ad eam concesserint, eorum deleatur iniquitas: ædificari, inquam, oportet primùm Ecclesiam, non quòd Ecclesia vlla esse possit sine remissione peccatorum: sed quia Dominus misericordiam suam non promisit sine peccatorum remissione, nisi in Ecclesia, in sanctorum communione.

Nemo potest ingredi in Ecclesiam, nisi simul recipiat remissionem peccatorum.

. Est ergo primus nobis in Ecclesiam, & in regnum Dei ingressus, ipsa peccatorum remissio, sine qua nihil est nobis cum Deo fœderis aut coniunctionis. Pater

Hos. 2. *In illa die percutiam fœdus cum bestia agri, cum volucre cœli, & dormire faciam homines absque terrore. Desponsabo te mihi in sempiternum, desponsabo te mihi, inquam, in iustitia & iudicio, & misericordia & miserationibus: & desponsabo te mihi in fide, & cognosces Iehouam.*

Ecce qualiter Dominus per misericordiam suam nos sibi reconciliet. Ita etiam ait, dum prædicit recolligendum populum, quem in ira dissipauerat. Ier. 33. *Mundabo eos ab omni iniquitate qua peccauerunt mihi.* Et ideò cùm baptizamur, in Ecclesiæ societatem ablutionis signo initiamur, quo docemur, non patere nobis in eius familiam aditum, nisi prius eius bonitate, sordes nostræ eluantur.

Quòd à sola Domini misericordia proueniat peccatorum remissio.

Ex ipsa verò symboli dispositione patet, quòd non merito nostro comparetur remissio peccatorum, sed à sola Domini misericordia proueniat. Nam postquam declaratus nobis est Christus, per cuius iustitiam propitium habemus Patrem: & Spiritus, per cuius sanctificationē Christo communicamus: tertio Ecclesia, quæ inde nascitur: tunc adiungitur peccatorum remissio, per quam in Ecclesiam inserimur. Vnde innuitur hanc quoque non aliunde pendere, aut alibi consistere, quàm in solo Christo, per Spiritus sancti operationem.

Quòd perpetua nos peccatorum remissio in Ecclesia conseruet.

Non semel autem nos Dominus per peccatorū remissionem in Ecclesiam cooptat & recipit: sed etiam perpetuò per eandem in ipsa conseruat ac tuetur. Ratio. Quorsum enim attineret veniam nobis fieri, quæ nulli vsui futura esset? Nulli autem vsui futura esset, sed illusoria esset, si semel tantùm contingeret: idque quia omnes sancti, etiā post Baptismum, in multa peccata incidunt per totam vitam, quę Dei misericordia indigent. Ergo cùm per totam vitam peccati reliquias circumferamus, nisi assidua in remittendis delictis Domini misericordia & gratia sustentemur, momentum vnum vix in Ecclesia persistemus. Vocat autem suos Dominus in æternam salutem. Ergo electi suis semper peccatis veniam paratam esse cogitare debent. Quare hic docemur, diuina liberalitate, intercedente Christi merito, per Spiritus sanctificationem, peccatorum gratiam nobis factam esse, ac quotidie fieri, qui in Ecclesiæ corpus asciti & insiti sumus.

Ad hoc bonum impertiendum nobis, claues Ecclesiæ datæ sunt. Ideo enim Christus contulit potestatem Apostolis remittendi peccata, non solùm vt venientes ad Christi fidem absoluerentur à peccatis, sed magis, vt hac potestate in Ecclesia perpetuò vterentur inter fideles. Quod docet Apostolus, cum scribit, legationem reconciliationis depositam esse apud fideles Ecclesiæ ministros, quo subinde populum, nomine Christi exhortarentur ad se reconciliandum Deo, 2. Cor. 5. Ergo in sanctorum communione, ipsius Ecclesiæ ministerio nobis assiduè remittuntur peccata, cum presbyteri vel Episcopi, pias conscientias Euangelicis promissionibus & sacramentorum dispēsatione, in spe veniæ & remissionis confirmant: idque tam publicè, quàm priuatim, prout necessitas postulat. Sunt enim permulti, qui pro sua infirmitate, indigent singulari pacificatione. Et Apostolus Paulus refert Actor. 20 se testificatum fidem in Christum, non tantum pro communi concione, sed etiam priuatim per domos, & vnumquemque docuisse. Hic ergo tria notanda sunt.

Tria notatu & obseruatu dignissima.

1. Quantalibet sanctitate sint filij Dei: hac tamen cōditione semper sunt quandiu in mortali corpore habitāt, vt sine peccatorum remissione consistere nequeant coram Deo.

2. Hoc beneficium, scil. remissionis peccatorum, sic Ecclesiæ proprium est, vt non aliter eo fruamur, quàm si permaneamus in illius communione.

3. Per Ecclesiæ ministros & pastores nobis dispensatur remissio peccatorum, vel Euangelij prædicatione, vel sacramentorum administratione. Atque in hac parte maximè eminet clauium potestas, quam Dominus Ecclesiæ tradidit. Ergo non alibi quærenda remissio peccatorum quàm vbi Dominus eam posuit. Quoniam autem multi conantur eripere Ecclesiæ hanc vnicam salutis anchoram: ideò contra hanc pestem fortius robotandæ sunt conscientiæ.

Contra Nouatianos, quòd sanctis etiam post Baptismum labentibus Deus peccata remittat & condonet.

Nouatiani Romæ, & ante eos Melesij Alexandriæ, & nunc Anabaptistæ, gratiam lapso in grauia crimina, & spem veniæ nullam faciunt: quia non aliam agnoscūt peccatorum remissionem, quam eam, qua primum in Baptismo regeneramur. Exemplum Petri Apostoli: Corinthij incesti, qui fuit post pœnitentiam receptus à Paulo. Et in Apocalypsi Ecclesiæ Galatarum reuocantur ad pœnitentiam.

1. Sancti, ex Domini iussu verè dicunt, Remitte nobis debita nostra. Ergo sancti etiam post regenerationem peccant. Neque frustrà petunt: quia Dominus non præscripsit petenda, nisi quæ daturus est. Ergo accipiunt.

2. Matt. 18. Iubet, vt fratribus condonemus septuagies septies. Hoc autem iubet, vt suam clementiam imitemur. Ergo condonat peccata non semel aut bis: sed quoties delictorum cognitione consternati, ad eum sancti suspirant. Hoc amplius comprobatur, tum ex veteri, tum ex nouo Testamento. Et primò, vt exordiamur ab ipsis Ecclesiæ incunabulis.

Gen. 37 Patriarchæ circumcisi erant, in fœderis participationem allecti, edocti haud dubiè Patris diligentia iustitiam & integritatem, cum in fratricidium conspirarunt. Scelus erat vel ipsis latronibus abominandum. Tandem mansuefacti Iudę verbis eum vendiderunt.

Gen. 34. Simeon & Leui, nefaria vltione, & patris iudicio quoque damnata, in Sichemitas sæuierunt.

Gen. 35. Ruben cubile paternum spurcissima libidine fœdauit. Iudas, dum scortationi vult indulgere, prçter naturæ legem, ad nurum ingreditur. Et tamen illi tantum abest, vt è populo expūgantur, vt potius in capita erigātur.

Dauid, cum prçses esset iustitię, tam crudele & fœdum scelus admisit, idque iam regeneratus: & tamen veniam consecutus est.

A promissionibus. Quoties in Lege & Prophetis extant promissiones Dei erga Israelitas, promissiones, inquam, diuinæ misericordiæ; toties comprobatur, Dominum se placabilem exhibere populi sui offensis.

Quid enim Moses promittit, fore, vbi populus in apostasiam prolapsus redierit ad Dominum? Deut. 32. *Reducet te Deus è captiuitate & miserebitur tui, &c.* Ier. 3. *Quis est vir, cuius si vxor, corpus suum adulteris prostituerit, cum ea redire in gratiam sustineat? Reuertere tamen, &c.* Ezech. 18. *Ego nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, &c.*

Ideo in hunc vsum destinauit Salomonis templum Dominus, vt orationes pro impetranda peccatorum venia factæ, inde exaudirentur, dicendo 1. Reg. 8. *Si peccauerint tibi filij tui, &c. exaudies in cœlo preces eorum & propitiaberis populo tuo.*

Leuit. 4. Quotidiana pro peccatis sacrificia offerebat populus Dei. Ergo, &c.

Exempla & authoritates ex nouo Testamento.

Si autem quæ in veteri Testamento assiduè sanctis parata erat Dei indulgentia in peccatis condonandis, nunc è medio sublata dicitur: quid hoc aliud erit dicere, quàm Christum non in suorum salutem, sed in damnationem venisse? Contrà clamant Scripturæ.

Petrus qui audierat Dominum dicentem, *Qui me erubuerit coram hominibus, & ego erubescam eum coram Patre meo,* vna nocte ter Dominum negauit, cum execratione: & tamen veniam consecutus est.

Thessalonicenses quidam, qui inordinatè viuebant, sic castigantur, vt inuitentur ad pœnitentiam. 2. Thess. 3.

Act. 8. Ne ipsi quidem Simoni Mago desperatio inijcitur: quin potius iubetur benè sperare: cùm ad preces confugere suadet illi Apostolus.

Eccle-

Ecclesiæ interdum totæ grauissimis peccatis occupatæ fuerunt: & tamen Apostolus ab eis potiùs clementer reuocat, quàm eas denonceat. Galatarum defectio non mediocre erat delictum.

Corinthij, maximis flagitiis contaminati erant: Neutri tamen à Domini misericordia excluduntur. Manet enim æterna illa promissio Psal. 89. *Si dereliquerint filij eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint: Si statuta mea profanauerint: & præcepta mea non custodierint: tunc visitabo virga præuaricationem eorum, & plagis iniquitatem eorum: misericordiam autem meam non auferam ab eo, neque mentiar in veritatem meam.*

Etiam peccata voluntaria, & contra conscientiam facta, non ex ignorantia, post acceptam gratiam remittuntur.

At, concedo peccata quotidiana ex ignorantia & fragilitate facta, quæ vitari non possunt, ignosci, sed non peccata voluntaria.

Resp. Etiam voluntaria remittuntur. Nam Leuit. 16. Dominus mandauit offerri sacrificia alia pro voluntariis peccatis, alia pro ignorantiis. Ergo vnicum Christi sacrificium valet ad remittenda sanctorum voluntaria peccata, quoniam Dominus carnalibus hostiis id testatum fecit. 2. Quis Dauidem ab ignorantia excuset? & tamen ipse quoque veniam est consecutus.

At, quid ergo ais ad illud Pauli Heb. 6. *Impossibile est eos, qui semel fuerint illuminati, gustauerintque cœleste donum, &c. si prolabantur, renouari, &c.*

Item Heb. 10. voluntariè ergo peccantibus nobis, iam non relinquitur hostia pro peccatis?

Resp. De solo peccato in Spiritum sanctum ibi loquitur Apostolus, non de quolibet voluntario peccato. Quod patet hac ratione.

Christus ait, omne peccatum esse remissibile præter peccatum in Spiritum sanctum. Paulus non contrariatur Christo. Ergo neque D. Paulus ibi intelligit peccatum irremissibile, nisi peccatum in Spiritum sanctum. Hoc autem apertè manifestant ipsa Apostoli verba, vt iam patebit.

Peccatum in Spiritum sanctum irremissibile quod sit.

Antequam Apostoli verba declarem, prius expediendum est, quodnam sit illud peccatum in Spiritum sanctum, quod ait Dominus, irremissibile esse in hoc seculo & futuro.

1. Augustinus definit, esse obstinatam vsque ad mortem pertinaciam cum veniæ diffidentia. Sed non videtur satis quadrare verbis Christi. Nam illud peccatum, de quo loquitur Christus, aut committi in hac vita potest, aut committi non potest. Si non potest. Ergo frustra ait Christus de Pharisæis, quòd peccarint in Spiritum sanctum. Committi ergo potest. Peccatum autem, quod definit Augustinus, non potest committi, nisi ad mortem vsque perseueret. Ergo illa Augustini definitio non videtur sufficiens.

2. Alij, quod sit inuidentia gratiæ in fratrem collatæ. Sed non video, vnde id desumtum sit. Nos igitur dicimus.

I. In Spiritum S. illi peccant, qui diuinæ veritati, cuius fulgore sic perstringuntur, vt ignorantiam causari nequeant, tamē destinata malitia resistunt, in hoc tantum vt resistant. Christus enim explicaturus quod dixerat, continuò subiungit: *Qui dixerit verbum in Filium hominis, remittetur ei. Qui autem blasphemauerit in Spiritum S. non remittetur ei, &c.* Matth. 12. Pro blasphemia in Spiritum, ponit Spiritum blasphemiæ.

At quomodo quis blasphemat in Filium, & non in Spiritum sanctum etiam simul?

Resp. Qui in veritatem Dei incognitam impingunt imprudentes, & qui Christo ignoranter maledicunt, hoc interim animo præditi, vt reuelatam sibi veritatem extinguere, aut quem nouerint esse Christum Domini, verbo ne vno quidem taxare nolint: illi in Patrem & Filium peccant. Sic multi hodie sunt, qui Euangelij doctrinam pessimè exsecrantur, quam tamen, si Euangelij esse scirent, toto corde venerarentur. Quorum autem conuicta est conscientia, Dei verbum esse, quod repudiant atque impugnant, & impugnare tamen non desinunt: illi in Spiritum S blasphemare dicuntur: quandoquidem aduersus illuminationem, quæ opus est Spiritus S luctantur. Tales erant ex Iudæis nonnulli, qui cum resistere spiritui, qui loquebatur in Stephano, non possent: resistere tamen contendebant. Non enim dubium est, quin ex illis multi quidem legis zelo ad id raperentur: sed fuisse etiam alios apparet, qui malitiosa impietate in Deum ipsum furerent, id est, in doctrinam quam à Deo esse non nesciebant, Act. 7.

Tales erant & ipsi Pharisæi, in quos Dominus inuehitur, qui Spiritus sancti virtutem, vt dijicerent, Beelzebub nomine infamabant.

Hic ergo est Spiritus blasphemiæ, vbi hominis audacia in contumeliam diuini nominis, data opera, prosilit. Quod innuit Paulus, cum 1. Tim. 1. docet, se misericordiam consecutum, quòd ignorans ea per incredulitatem commisisset, quorum merito, alioqui indignus gratia Dei fuisset. Si ergo ignorantia cum incredulitate iuncta fecit, vt veniam obtineret: hinc sequitur, non esse veniæ locum, vbi scientia ad incredulitatem accessit.

In hunc sensum Apostolus loquitur, si bene animaduertas, *Heb. 6.* Sermonem quidem in eos dirigit, qui religionē Christianam se repetere posse imaginabantur, si semel ab ea defecissent: quos ab hac falsa & perniciosa opinione auocans Apostolus, dicit quod verissimum est, non patere iis reditum ad Christi communionem, qui eam scientes volentes abiurarint. Abiurant autem, non qui simpliciter dissoluta vitæ licentia, verbum Domini transgrediuntur: sed qui totam eius doctrinam ex professo proiiciunt. Ideo ait Hebr. 6. *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, & prolapsi, rursus renouari ad pœnitentiam.* Vbi apparet, quod paralogismus sit in verbo prolabendi & peccandi. Nam prolabi, Nouatiani interpretantur, si quis lege Domini, non furandum, non scortandum edoctus, à furto aut scortatione non abstineat. At contrà Ego, subesse tacitam antithesin affirmo, in qua repeti debeant contraria omnia iis, quæ prius dicta fuerant; Sic, Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, gustaueruntque donum cœleste, & prolapsi sunt. Quid est & *prolapsi sunt*? id est, qui lumen Spiritus, deliberata impietate suffocarunt, doni cœlestis gustum respuerunt, à sanctificatione Spiritus se alienarunt, verbum Dei, & seculi futuri virtutes conculcarunt. Hoc significat, *prolapsi sunt.* Ac quo magis exprimeret illam impietatis certam destinationem, alio postea loco nominatim adiecit dictionem, voluntariè, dicendo, Hebr. 10. *Voluntariè peccantibus nobis, iam non relinquitur venia.* Non enim ibi negat, Christum esse perpetuam hostiam ad expiandas sanctorum iniquitates, quod tota ferè epistola disertè clamat inter explicandum Christi sacerdotium: sed nullam aliam restare dicit, vbi ab ea discessum est. Disceditur autem abnegata ex professo Euangelij veritate.

1. At nimis durum videtur, & à Dei clementia alienum, quòd à remissione vllos omninò depellat, qui ad implorandam Domini misericordiam confugiant.

Resp. Facilè soluitur. Non ait Apostolus denegari veniam, si ad Dominum se conuerterint, sed omninò negat posse ad pœnitentiam surgere, quòd scilicet æterna cæcitate ob suam ingratitudinem, iusto Dei iudicio percussi sint.

2. At Apostolus affert exemplum Esau, qui videtur pœnituisse sui delicti, quia cum lachrymis quæsiuit veniam, & tamen non potuisse ait primogenituram amissam recuperare. Item ait Dominus Prouerb. 1. *Cùm clamauerint non exaudiam.* Ergo videtur, quòd etiam pœnitentibus, & ad se clamantibus Dominus misericordiam neget.

Resp. Talibus loquendi formulis, neque vera conuersio, neque vera Dei inuocatio designatur: sed illa tantùm impiorum anxietas, qua dum in rebus extremis constringuntur, coguntur respicere quod antè securè negligebant, sibi nihil esse boni, nisi in Domini auxilio. Illud autem Domini auxilium non tam implorant, quàm sibi ablatum esse gemunt. Itaque nil aliud significat Apostolus per lachrymas, & Propheta per clamorem, quàm tormentum illud horribile, quod impios ex desperatione vrit & consumit, & discruciat.

Carnis resurrectionem, vitam æternam.

Hic habemus beatitudinis nostræ metam & clausulam. Et primo quidem loco carnis resurrectio asseritur, per quam ingredimur ad vitæ æternæ possessionem: quoniam caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt: neque corruptio incorruptionem. Res est non modò creditu difficilis, sed omnino extra fidem, si pio humano captu æstimetur. Itaque cùm plerique Philosophi animæ immortalitatem non penitùs ignorarint, nullius tamen animum vel minima de carnis resurrectione cogitatio subiit. Quis enim suspicaretur vsquam, hæc ipsa corpora, quæ nunc in terra computrescunt, nunc ab auibus eroduntur, nunc arrodantur vermibus, nunc in cinerem redacta penè euanescunt, aliquando instauranda? Sed huic difficultati optimè occurrit Dominus, qui futuram hanc resurrectionem non modò plurimis & clarissimis verbis testatus est: sed etiam eius apertum ipse testimonium & specimen exhi-

buit. Atque ita quod incredibile aliàs videtur, sub oculos nobis expositum est. Proinde dum rirè volumus cogitare, qualis futura sit resurrectio, in Christum semper est respiciendum, illius hypostasin & exemplar, sicut Phil.3. Apostolus monet, cùm reformationem nostri corporis, vocat configurationem cum corpore Christi glorioso. Sicut igitur ille in eodem, quo passus erat corpore, suscitatus est, sed tamen glorificato, immortali, &c. ita & nos suscitabimur. 1. Cor.15. *Seminatur corpus animale, resurget spirituale.*

Vitam aeternam. Quoniam tum demum implebitur prophetia de absorpta morte per victoriam: ideo vita æterna continuò subiicitur. De cuius vitæ æternæ excellentia nihil satis dici aut cogitari potest. Licèt enim audiamus, regnum Dei fore refertum gaudio, felicitate, lætitia: tamen illa, quæ dicuntur, remotissima sunt à sensu nostro, & quasi ænigmatibus inuoluta manent, donec venerit Dominus, qui suam nobis gloriam facie ad faciem conspiciendã exhibeat. Quare Prophetæ: quia spiritualem illam beatitudinem in seipsa nullis verbis exprimere poterant: sub rebus corporalibus & sensibilibus eam delineare fere consueuerunt. Sed tamen quia oportet accendi desiderium illius vitæ: ideo cogitemus hoc, *Non erimus consortes diuinæ naturæ,* (2.Pet.1.) erimus quasi in Deum transmutati. Deus autem est fons omnis felicitatis. Ergo & nos erimus pleni omnium felicitatum, & bonorum. Ideo ait Paulus, *Deus erit omnia in omnibus.*

Cur resurrectionis reproborum & mortis aeternæ, non hic meminerit symbolum.

At cur, cùm etiam impij sint resurrecturi, & in mortem æternam ituri, nullam hic mentionem symbolum facit illorum resurrectionis & mortis æternæ, cùm tamen sit articulus fidei & hic?

Resp. Nulla fit mentio, quia hic in symbolo non ponuntur, nisi illa, quibus fidelis conscientia consolationem recipiat, & in salutis fiducia alatur ac confirmetur. Per consequentiam autem intelligitur, quòd si pij resurgent in vitam æternam: ergo impij resurgent in mortem.

Quia verò diuinæ vltionis in reprobos grauitatem nulla descriptio æquare potest: per res corporeas eorum tormenta figurantur, per tenebras, per fletum, per ignem, per vermem corrodentem. Sed nos cogitare debemus, quàm sit calamitosum, alienari ab omni Dei societate: neque id modò, sed maiestatem Dei ita sentire tibi aduersam, vt effugere nequeas, quin ab ipsa vrgearis. Nam primò eius indignatio est instar ignis violentissimi, cuius attactu omnia deuorentur & absorbeantur. Secundò, illi ad exercendum iudicium sic seruiunt omnes creaturæ, vt cœlum, terram, mare, animalia, & quicquid est, velut dira indignatione aduersum se inflammata, & in perniciem suam armata sensuri sint, quibus iram suam ita Dominus reuelabit. Ideo 2. Thess.1. *Ii qui non nouerunt Deum, & non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi, dabunt pœnas in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius, cùm venerit, &c.* Non parum est hoc, quod dixit. Nam si à præsentia itati sibi Dei discerpuntur, configuntur, vexantur, vruntur, lancinantur, conteruntur, dissipantur infelices conscientiæ, vt abyssos & voragines quaslibet subire leuius futurum sit, quàm ad momentum vnum illam sustinere: quale hoc & quantum est, æterna & nunquam desitura illius obsidione vrgeri?

Cur pœnas aeternas infligat Deus ob temporale peccatum.

At videtur nimia Dei sæuitia: si æternis pœnis reprobi addicantur.

Resp. Scilicet iniurius est Dominus, si regno suo priuat eos, qui eo se indignos per ingratitudinem reddiderint.

At peccata eorum temporaria sunt.

Resp. Fateor: sed Dei maiestas, quam peccando violatunt, æterna est. Meritò igitur non perit iniquitatis memoria.

At ita pœna excedit modum delicti.

Resp. Hæc verò non est ferenda blasphemia, dum tam paruo æstimatur Dei maiestas: dum non pluris fit eius contemtus, quàm animæ vnius exitium.

Hinc cadit deliramentum & hæresis Chiliastarum, qui Christi regnum & Satanæ confusionem, mille annis terminant. Matth.25. *Ibunt ij in vitam aeternam: illi autem in supplicium aeternum.*

LOCVS IX.

DE POENITENTIA.

Proximus à fidei tractatione, ad pœnitentiæ tractationem esse transitus debet: quia etiam pœnitentia à fide nascitur, & eam subsequitur: quamuis alij aliter sentiant. Hinc igitur oritur quæstio,

Vtrum pœnitentia præcedat fidem: an fides pœnitentiam.

1. Videtur quibusdam, quòd pœnitentia præcedat fidem Euangelij. Hac ratione Christus & Iohannes in suis concionibus populum ad pœnitentiam primò hortantur: deinde regnum cœlorum appropinquasse subiiciunt. Ergo, &c. Matth.3. *Pœnitentiam agite: Appropinquauit enim regnum cœlorum.* Tale prædicandi mandatum accipiunt Apostoli à Christo, cùm ait Luc. vltimo: *Oportet prædicari pœnitentiam, & remissionem peccatorum.* Talem ordinem secutus est Paulus, vt refert Lucas Act.20.

Sed dum hi in syllabarum contextu superstitiosè hærent, non animaduertunt, quo sensu inter se verba illa cohæreant. Nam dum in hunc modum concionatur Christus & Iohannes: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum:* an non resipiscendi & pœnitendi caussam, ab ipsa gratia & salutis promissione ducunt? Perinde enim valet, ac si dicerent: Quoniam appropinquauit regnum cœlorũ, ideò resipiscite & pœnitentiam agite. Nam vbi sic prædicauit Iohannes, docet Matth. capite 3. impletum in ipso fuisse vaticinium Iesaiæ de voce in deserto clamãte, Parate viam Domino. Illa autem vox apud Iesaiam, iubet à consolatione & læto nuncio inchoare, vt patet Ies.40. Ergo incipiendum est à prędicatione Euangelij: & pœnitentia à fide proficiscitur, & eam sequitur: non è contrà.

2. Nos ergo dicimus, quòd pœnitentia non solùm continuò subsequatur fidem, sed etiam inde, scilicet à fide, nascatur. Cùm enim venia & remissio peccatorum per Euangelij prædicationem ideo offeratur, vt à miseria peccati & mortis seruitute liberatus, traducatur in regnum Dei: fide Euangelij gratiam amplecti nemo potest, qui non ex errore vitæ prioris, in rectam viam se recipiat, & totum suum studium, ad pœnitentiæ meditationem applicet. Ergo pœnitentia oritur à fide.

Notandum tamen, quòd cùm pœnitentiæ originem referimus ad fidem: non aliquod spacium temporis somniemus, quo fides ipsam pœnitentiam parturiat, sed ostendere volumus, non posse hominem verè & seriò pœnitere, nisi se Dei esse nouerit. Dei autem se esse nemo verè persuasus est, nisi qui eius gratiam priùs apprehenderit, quòd sit per fidem. Ergo, &c.

Pœnitentia quid sit, & quibus partibus constet.

1. Quidam dixerunt, quòd pœnitentia constet duabus partibus, mortificatione, & viuificatione. Mortificationem interpretantur animi dolorem & terrorem ex agnitione peccati, & sensu iudicij diuini conceptum. Vbi enim quis in veram peccati cognitionem adductus est: tum verè peccatum odisse & execrari incipit: tum sibi ipsi ex animo displicet, miserum se & perditum fatetur, & alium se esse optat. Secundò, vbi sensu aliquo iudicij diuini tactus est (alterum enim ex altero protinus sequitur) tum verò perculsus & consternatus iacet, humiliatus ac deiectus tremit, animum despondet, desperat. Hæc prior pœnitentiæ pars est, quam contritionem vocant.

Viuificationem interpretantur consolationem, quæ ex fide nascitur, vbi scilicet homo, peccati conscientia prostratus, ac Dei timore perculsus, postea in Dei bonitatem, in misericordiam, in gratiam, in salutem, quę est per Christũ, respiciens, sese erigit, respirat, animum recolligit, & veluti è morte in vitam redit.

2. Alij, quia videbant variè hoc nomen in scriptura acceptum, duas posuerunt pœnitentiæ formas: legalem vnam, Euangelicam alteram vocantes.

Legalis pœnitentia (inquiunt) est illa, qua peccator peccati cauterio vulneratus, & terrore iræ Dei attritus, in ea perturbatione constrictus hæret, nec se explicare potest.

Euangelica est, qua peccator grauiter quidem apud se afflictus, altius tamen emergit, & Christum vulneris sui medicinam, terroris consolationem, miseriæ portum apprehendit. Legalis pœnitentiæ exempla fuerunt Cain, Saul, Iudas: quorum pœnitentiam dum sacta Scriptura nobis commemorat, intelligit, eos peccati sui grauitate agnita, iram Dei timuisse: sed Deum duntaxat vltorem & iudicem cogi-

cogitantes,in eo sensu defecisse, vt patet de Iuda Matth.27. De Saul.1.Reg.13.de Cain Genes.4. Ergo eorum pœnitentia nihil aliud fuit, quàm inferorum atrium quoddam, in quod iam in hac vita ingressi,cœperunt à facie iræ maiestatis Dei pœnas dare.

Euangelicæ pœnitentiæ exempla sunt omnes ij, qui peccati aculeo apud se exulcerati, fiduciâ autem misericordiæ Dei erecti & recreati, ad Dominum conuersi sunt, vt Ezechias, Dauid, Niniuitæ, Petrus.

2.Reg.20. Ezechias perterritus est accepto mortis nuncio, sed flens orauit,& in Dei bonitatem intuitus, fiduciam recepit.

Ion.3. Conturbati sunt Niniuitæ horribili denunciatione excidij.sed induti sacco & cinere orarunt, spectantes, quòd conuerti posset Dominus,& auerti à furore iræ suæ.

1.Reg. vltimo, Confessus est Dauid se nimium peccasse in recensendo populo,sed adiecit: *Aufer Domine iniquitatem serui tui.* Agnouit adulterij crimen, sed coram Domino prostratus veniam exspectauit.2.Reg.12.

Act.2. Compuncti sunt Iudæi corde,sed Dei bonitate confisi addiderunt, quid faciemus?

Petrus fleuit amarè,sed sperare non desiit.

Hæc quanquam vera sunt:nomen tamen ipsum pœnitentiæ(quatenus ex Scriptura assequi possum) aliter accipiendum est. Nam quòd fidem sub pœnitentia complectuntur, pugnat cum eo, quod ait Apostolus Paulus Actor.20.dicens, se Iudæis ac Gentibus testificatum fuisse pœnitentiam in Deum, & fidem in Iesum Christum. Vbi tanquam duo diuersa pœnitentiam & fidem enumerat. Ergo fides non est pars pœnitentiæ,sed differt à pœnitentia.

At nunquid igitur vera pœnitentia citra fidem consistere potest?

Resp. Minimè: Verùm, etsi separari non possunt, distingui tamen debent. Sicut & fides sine spe esse non potest: & tamen fides & spes, varia sunt. Ita pœnitentia & fides, quanquam perpetuo inter se vinculo cohęrent, magis tamen coniungendę sunt quàm confundendæ. Equidem nec me latet, sub pœnitentię nomine, totam ad Deum conuersionem comprehendi, cuius pars non postrema est fides, sed quo sensu, facilè apparebit, vbi vis ac natura eius explicata fuerit.

Vera pœnitentia definitio & etymologia.

Pœnitentiæ nomen Hebræis à conuersione שוב Græcis à mentis consilijque mutatione μετάνοια, deductum est. Vtrique autem etymologiæ res ipsa respondet, cuius summa est, vt à nobis demigrantes, ad Deum conuertamur, idque iuxta etymologiam Hebraicam: & depositâ pristinâ mente, nouam induamus, hocque iuxta Græcam etymologiam. Quare sic definiri potest pœnitentia.

Pœnitentia, *est vera ad Deum vitæ nostræ conuersio, à sincero serioque Dei timore profecta, quæ carnis nostræ, veterisque hominis mortificatione, & Spiritus viuificatione constet.* In hunc sensum omnes conciones & Prophetarum & Apostolorum, quibus homines hortantur ad pœnitentiam, ad faciendos fructus dignos pœnitentiæ, ad conuertendum ad Dominum.

In hac definitione tria potissimùm consideranda sunt capita.

I. *Est vera ad Deum vitæ nostræ conuersio.* Per conuersionem vitæ nostrę ad Deum, intelligimus transformationem non in operibus tantùm externis, sed etiam in anima ipsa, quæ vbi vetustatem suam exuerit, tum demum operum fructus, renouationi suæ respondentes, ex se pariat. Quòd hęc transformatio requiratur, patet aliis verbis Scripturæ.

Ezech.18. *Facite vobis cor nouum.* Alloquitur Deus eos, quos ad pœnitentiam vocat. Ergo requiritur renouatio cordis.

Moses ostensurus, quomodo ritè ad Dominum conuertentur Israelitæ pœnitentia ducti, docet vt id fiat ex toto corde, totaque anima. Prophetæ hanc subinde locutionem repetunt.

Pręcipuè tamen, quæ sit vera germanáque pęnitentię proprietas, patet ex Ier.4. *Si reuerteris Israel, ad me reuertere: arate vobis arum, & nolite serere super spinas: circumcidimini Domino, & auferte pręputia cordium vestrorum.* Vide quomodo denunciet, nihil eos effecturos in iustitiæ studio capessendo, nisi reuulsa imprimis ex penitissimo corde impietas fuerit. Ob hoc præposteros hypocritarum conatus irridet Iesaias, qui externam resipiscentiam strenuè quidem moliebantur: at interim fasciculos impietatis intus colligatos dissoluere non curabant. Ideò Ies.58. *Dissolue colligationes* (inquit) *impietatis, solue fasciculos, &c.*

II. *A sincero serioque Dei timore profecta.* Hoc patet. Nam prius quàm ad resipiscentiam mens peccatoris inclinetur, diuini iudicij cogitatione excitari oportet. Vbi autem hæc cogitatio penitus insederit, Deum scilicet aliquando tribunal conscensurum, ad exigendam omnium factorum dictorumque rationem: quomodo miserum hominem interquiescere sinet, vel punctum temporis respirare? quin perpetuò ad meditandum aliud vitæ institutum te extimulet, quo te ad iudicium illud sistere securè queas.

1. Quare sacra Scriptura, dum ad pœnitentiam cohortatur, sæpe iudicij mentionem inijcit, vt patet ex iis locis.

Ier.4. *Ne fortè egrediatur vt ignis furor meus & non sit qui extinguat propter malitiam operum vestrorum.*

Actor.17. Paulus ait Atheniensēs: *Et tempora quidem huius ignorantię cùm hactenus dissimularit Deus, nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant, eò quòd statuit diem, in quo iudicaturus est orbem terrę in ęquitate.*

Rom.2. *Putas, quoniam tu effugies iudicium Dei?* & alibi sæpè.

2. Interdum à punitionibus iam irrogatis, Deum esse iudicem declarat, quò peccatores secum reputent, peiora sibi imminere, nisi maturè resipuerint. Exemplum habemus.

Deut. 29. *Quare sic fecit Dominus terrę huic? quę est hæc ira furoris Domini immensa? & respondebunt: quia dereliquerunt pactum, &c.* 1. Corinth. 10. *Omnes eandem spiritualem escam manducarunt: sed non in omnibus beneplacitum est Domino. Hęc autem scripta sunt ad correctionem nostram, &c.* Eph. 6. *Propter hęc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.* Quoniam verò a peccati horrore & odio conuersio inchoatur: ideo tristitiam, quæ secundum Deum est, causam pœnitentiæ facit Apostolus 2.Cor.7 *Nunc gaudeo, non quia contristati estis: sed quia contristati estis ad pœnitentiam Contristati enim estis secundum Deum.* Vocat autem Apostolus hic tristitiam secundum Deum, vbi non pœnam modò exhorremus, sed peccatum ipsum, ex quo displicere Deo scimus, odimus, & execramur.

III. *Quæ carnis nostræ, veterisque hominis mortificatione, & Spiritus viuificatione constat.* Iis duabus partibus constare pœnitentiam patet aliis verbis ex Scriptura sacra, vt cùm pro carnalis populi captu faciliori dicit, Psa.34. *Declina à malo* (ecce primam partem) *& fac bonum.* En secundam. Ies. 51. *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere peruerse, discite bene facere, quærite iudicium, subuenite oppresso.* In talibus locis Prophetę cum à malitia reuocant, totius carnis interitum exigunt, quæ caro malitia & peruersitate referta est.

At quando possumus vnquam in hac vita talem totius carnis interitum consequi & habere?

Resp. Res sanè difficilis & ardua est, nos ipsos exuere, & à natiuo ingenio demigrare. Neque enim caro bene interiisse putanda est, nisi quicquid à nobis habemus, abolitum fuerit. Sed cùm vniuersus *carnis affectus, sit inimicitia aduersus Deum,* vt ad Rom.8. ait Apostolus, primus ad obedientiam legis ingressus est illa naturæ nostræ abnegatio.

Postea renouationem designant à fructibus, qui inde consequuntur, iustitia, iudicio, & misericordia. Si quidem non satis fuerit talibus officiis ritè defungi, nisi mens primùm ipsa & cor, iustitiæ, iudicij, misericordię affectum induerint. Id fit, cum Dei Spiritus intinctas sua sanctitate animas nostras, nouis & cogitationibus & affectibus ita imbuit, vt nouæ iure haberi queant. Vtrumque ex Christi participatione nobis contingit, scil.& mortificatio,& viuificatio. Nam primo si verè morti eius communicamus, eius virtute crucifigitur verus homo noster, & peccati corpus emoritur, ne amplius vigeat primæ naturæ corruptio. Secundò, si resurrectionis eius sumus verè participes, per eam suscitamur in nouam vitam, quæ Dei iustitiæ respondeat.

Pœnitentia est regeneratio.

Vno igitur verbo pœnitentiam interpretor regenerationem, cuius non alius est scopus, nisi vt imago Dei, quæ per Adę transgressionem fœdata & ferè obliterata fuerat, in nobis reformetur. Sic docet Apostolus cum ait, 2. Corinth.3. *Nos autem reuelata facie gloriam Domini repræsentantes, in eandem imaginem transformamur ex gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu.*

Eph.4. *Renouamini Spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate.*

Col.3. *Induentes nouum hominem, qui renouatur ad agnitionem & imaginem eius, qui creauit illum.* Proinde illa regeneræ

tione in Dei iustitiam, Christi beneficio instauramur, à qua per Adam excideramus: quoniam in integrum restituere placet Domino, quoscunque in vitæ hæreditatem cooptat.

De sex pœnitentiæ partibus siue effectibus, iuxta Apostolum.

At Apostolus 2. Cor. 7. describens pœnitentiam, quæ est secundum Deum, enumerat sex partes, quibus constat pœnitentia. Sunt autem hæ, 1. studium aut solicitudo. 2. excusatio siue defensio. 3. indignatio. 4. timor. 5. desiderium. 6. zelus, vindicta. Quomodo ergo duabus tantùm partibus cõstat, mortificatione & viuificatione?

Resp. Duæ tantùm sunt partes essentiales, mortificatio & viuificatio. Illæ verò, quas enumerat Apostolus, sunt potius partes secundariæ, vel effectus, vel potius effectiones inseparabiles à vera pœnitentia. Ideo diligenter notandæ sunt, quia cum vera pœnitentia semper iunctæ sunt. Videamus ergo quid significent apud Apostolum illæ voces.

2. Cor. 7. ait, *Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam.*

Ex tristitia, quæ est secundum Deum, ait generari excitarive *solicitudinem*. Qui enim serio displicentiæ sensu tangitur, quod in Deum suum peccarit: simul extimulatur ad diligentiam & studium, & attentionem, vt à Diaboli laqueis se penitus explicet, vt ab eius insidiis melius sibi caueat, ne à Spiritus sancti gubernatione posthac excidat, ne securitate opprimatur.

Proxima est *excusatio*, quæ hoc loco non defensionem significat, qua peccator ad effugiendum Dei iudicium, vel se deliquisse neget, vel culpam extenuet, sed purgationem, quæ in deprecatione magis posita sit, quàm causæ fiducia. Exemplum. Sicut filij non reprobi, dum errata sua agnoscunt, & confitentur, deprecationem tamen adhibent, atque vt ea locum habeat, quibus possunt modis testantur, se minimè abiecisse eam, quam parentibus debent, reuerentiam: denique sic excusant, non vt se iustos esse ac innocentes probent, sed tantùm, vt veniam obtineant.

Sequitur *Indignatio*, qua peccator secum intus fremit, secum expostulat, sibi irascitur, dum suam peruersitatem, suámque in Deum ingratitudinem recognoscit.

Timor. Timoris nomine intelligit illam trepidationem, quæ mentibus nostris incutitur, quoties cogitamus, & quid nos simus meriti, & quàm horribilis sit iræ diuinæ seueritas in peccatores. Mirabili enim inquietudine tunc nos vexari necesse est, quæ tum ad humilitatem nos erudit, tum cautiores in posterum reddit. Quòd si oritur ex timore Solicitudo, de qua prius dixerat: videmus, quo nexu inter se cohæreant.

Desiderium. Videtur mihi posuisse pro sedulitate in officio, & obsequendi alacritate, ad quam maximè prouocare nos debet delictorum nostrorum agnitio. Huc quoq; pertinet *Zelus*, quem continuò subiungit. Ardorem enim significat, quo accendimur, vbi aculei illi nobis admouentur. Quid feci? quò me præcipitaueram, nisi mihi Dei misericordia subuenirer?

Postrema est *vindicta*. Quo enim seueriores in nos sumus, & acriore censura quæstionem habemus de peccatis nostris, eo debemus sperare magis propitium & misericordem Deum. Et certè fieri non potest, quin anima diuini iudicij horrore perculsa, partes vltionis in exigenda de se pœna occupet. Sentiunt sanè pij, quales pœnæ sint, pudor, cõfusio, gemitus, displicentia sui, & reliqui affectus, qui ex seria delictorum recognitione nascuntur.

Pœnitentiæ fructus.

Iam & pœnitentiæ fructus quales sint, intelligi potest: nempe, officia pietatis erga Deum: charitatis erga homines, & in tota vita sanctimonia ac puritas.

De externis pœnitentiæ exercitiis.

Sunt præterea & externa aliqua exercitia, quibus priuatim veluti remediis, ad nos humiliandos, ad domandã carnem nostram vtimur: publicè verò, ad resipiscentiæ testificationem, vt sunt ieiunia, lachrymæ, squalor, pectoris contusio, pullæ vestes, humi prostratio, cilicia, quæ omnia emanant ab illa sexta pœnitentiæ parte, vindicta: & sunt signa afflicti animi propria. Eiusmodi exercitia sæpè commemorant vetusti scriptores, cùm de pœnitentiæ fructibus loquuntur: quanquam vim pœnitentiæ in illis non reponunt. Ad hæc exercitia inuitat Dominus per Ioelem, dicendo: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu & planctu, &c* Ioel. 2.

Vbi nota quòd cordis ad Deum conuersio, & cordium, non vestimentorum scissio, propria pœnitentiæ sunt: fletus autem & ieiunium, non ita propria, vt perpetua & necessaria sint. Peculiaribus autem temporibus, & ob peculiarem causam, necessaria sunt, vt cùm imminet aliquod excidiũ, fames, pestis, aliáque Dei flagella. Tunc non tantùm priuatis, sed publicis etiam ieiuniis, & fletibus & orationibus, & eleemosynis opus est. Qualiter enim promissa barba, impexo capillo, pulla veste, suppliciter se demittere solet reus, ad conciliandam iudicis misericordiam: ita nos cùm rei agimur coram Dei tribunali, & aliquod excidium, flagellúmque nobis à Dei ira imminet, illis rebus vti nos oportet ad deprecandam eius seueritatem, conciliandámque misericordiam Dei, vt a nobis flagella illa auertat.

Tota Euangelij summa continetur pœnitentia & peccatorum remissione: & quod per vtriusque prædicationem Deus intendat homines Spiritus sui sanctificatione ad veram iustitiam instaurare.

Porrò cùm Euangelij summa duobus capitibus contineatur, pœnitentia & remissione peccatorum; per Euangelium autem Deus gratis iustificet: manifestum est, quod Deus ideo gratis suos iustificet, vt eos simul Spiritus sui sanctificatione, in veram iustitiam instauret. Pater. Iohannes Baptista, Angelus ante faciem Christi missus, ad vias eius præparandas, prædicabat: *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum.*

Ad quid per hæc verba homines ducere Iohannes contendebat?

Resp. Primò, ad pœnitentiam inuitando, monebat, vt se peccatores agnoscerent, suaque omnia coram Domino damnata, idque vt carnis suæ mortificationem, ac nouam in Spiritu regenerationem, totis viribus quærerent, ac votis expeterent.

Deinde, Regnum Dei annunciando, ad fidem vocabat. Nam per regnum Dei, quod docebat in propinquo esse, remissionem peccatorum, salutem, vitam, & quicquid omnino in Christo assequimur, significabat. Quare apud alios Euangelistas legitur Marc. 1. Luc. 3. *Venit Iohannes prædicans Baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum.* Quod quid aliud est, quàm vt peccatorum mole pressi & fatigati ad Dominum se conuerterent, ac de remissione & salute spem conciperent?

Christus quoque sic conciones suas auspicatus est, dicendo: *Appropinquauit regnum Dei, pœnitentiam agite, & credite Euangelio.* Primò, declarat thesauros misericordiæ Dei in se apertos. Secundò, pœnitentiam exigit. Tertiò, fiduciam erga promissiones Dei. Ita cùm totum Euangelij negotium complecti voluit, dixit (vt Luc. 24. patet) *se oportuisse pati, resurgere à mortuis, prædicari in nomine suo pœnitentiam, & remissionem peccatorum* Ita & Apostoli Actor. 5. prædicarũt post resurrectionem, eum excitatum à Deo, ad dandam pœnitentiam Israeli, & remissionem peccatorum.

Prędicatur pœnitentia in nomine Christi, cum per Euangelij doctrinã audiunt homines, suas omnes cogitationes, suos affectus, sua studia corrupta esse & vitiosa: ac propterea necesse esse, vt renascantur, si velint ingredi in regnum cœlorum: renascantur, inquam, per Spiritum Christi.

Prędicatur remissio peccatorum, cùm docentur homines, Christum sibi factum esse redemptionem, iustitiam, salutem, & vitam, cuius nomine gratis in conspectu Dei iusti habeantur & innocentes. Vtraque scilicet & pœnitentia, & remissio peccatorum cum apprehendatur fide, vt ante ostensum est: quia tamen proprium fidei obiectum est Dei bonitas, qua peccata remittuntur: eam a pœnitentia diligenter distingui, operæ pretium fuit.

Quod tota vita in pœnitentiam incumbendum sit.

Tota vita nostra semper labimur, & egemus remissione peccatorum: remissio autem peccatorum non contingit, nisi pœnitentibus: Ergo semper pœnitentia nobis opus est, si remissionẽ peccatorum assequi velimus. Sicut enim peccati odium, quòd pœnitentiæ exordium est, primum nobis ad Christi cognitionem ingressum aperit, qui Christus nullis se exhibet, nisi miseris & afflictis peccatoribus, qui gemunt, laborant, onerati sunt, esuriunt & sitiunt iustitiam, dolore & miseria tabescunt: ita in pœnitentiam ipsam eniti, tota vita in eam incumbere, eam ad vltimum prosequi nos oportet, si in Christo consistere volumus. Christus enim ad peccatores vocandos venit, sed ad pœnitentiam, Matt. 9. Missus est ad benedicendum indignis: sed quò se conuertat vnusquisque à nequitia sua. Actor. 5. Plena est

est Scriptura talibus vocibus. Quare vbi peccatorum remissionem offert Deus, pœnitentiam vicissim stipulari solet, ferè innuens, suam misericordiam, resipiscendi & pœnitendi causam hominibus esse debere.

Iesa.57. *Facite iudicium & iustitiam: quia salus appropinquauit.*

Iesa.59. *Veniet Sioni redemtor, & iis qui in Iacob resipiscunt à peccatis.*

Iesa. 53. *Quærite Dominum dum inueniri potest: inuocate eum, dum propè est. Derelinquat viam suam, & iniquitatem cogitationum suarum: vt reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius.*

Actor.2. *Conuertimini & resipiscite, vt deleantur peccata vestra.* Vbi tamen notandum est: quòd nō ea conditio pœnitentiæ sic apponitur, quasi emerendæ veniæ peccatorum fundamentum sit nostra pœnitentia: quin potiùs, quia in hunc finem Deus misereri hominum statuit, vt resipiscant: quò sit tendendum indicat, si gratiam obtinere volunt. Proinde, donec in carcere corporis nostri habitabimus, assiduè nobis cum naturæ nostræ corruptæ vitiis luctandum est, adeòque cum naturali nostro ingenio.

Plato cùm alibi, tum in Phedone disputat & dicit, vitam Philosophi esse meditationem mortis. Veriùs nobis dicere licet, vitam Christiani hominis perpetuum esse studium, & exercitationem mortificandæ carnis, donec ea plenè interempta, Spiritus Dei regnum in nobis obtineat. Quare illum arbitror plurimùm profecisse, qui sibi plurimùm didicit displicere. Non quidem, vt in hoc luto hæreat, nec vltrà progrediatur: sed magis vt ad Deum festinet & suspiret, quò morti vitæque Christi insertus, perpetuam pœnitentiam meditetur: vt certè non aliter possunt, quos genuinum peccati odium tenet. Nemo enim peccatum vnquam odit, nisi prius iustitiæ amore captus. Hæc sententia vt erat simplicissima omnium, ita mihi cum Scripturæ veritate consentire optimè visa est.

LOCVS X.

DE CONFESSIONE PECCATORVM.

QVadruplicem peccatorum confessionem S. Scriptura nobis commendat, & tradit.

Primam coram Deo: secundam coram Ecclesia: tertiam priuatam fraternam, qua reconciliemur fratri: quartam priuatam coram Ecclesiæ ministro sacerdote.

De peccatorum confessione coram Deo.

Hanc primam peccatorum nostrorum confessionem coram Deo, contrito corde faciendam multum nobis cōmendat S. Scriptura: Si Deus est *Dominus* ille, qui peccata remittit, obliuiscitur, delet: ergo huic peccata nostra confiteamur, vt veniam obtineamus.

Ille *medicus* est: ergo vulnera nostra illi exponamus.

Ille læsus est & *offensus*: ergo ab illo pacem petamus.

Ille est *cordium cognitor*, & cogitationum omnium conscius: ergo coram ipso corda nostra effundamus.

Ille est denique, qui *peccatores vocat*: ergo ad ipsum accedamus. Sic fecerunt omnes Sancti.

Dauid Psal.32 *Peccatum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi. Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam.*

Psal.51. *Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam.*

Dan.9. *Peccauimus Domine, peruersè egimus, impietates fecimus, & rebelles fuimus, declinantes à mandatis tuis.*

1.Ioh.1. *Si confiteamur peccata nostra fidelis est Dominus, vt remittat nobis peccata nostra.* Cui confiteamur? Ipsi scilicet Domino: quasi dicat, si afflicto & humiliato corde coram ipso procidamus, si apud ipsum nos ex animo accusantes & damnantes, bonitate eius & misericordia absolui petamus: vtique remittit peccata nostra.

Qui hanc confessionem animo & coram Deo amplexus fuerit, habebit haud dubiè & linguam ad confessionem paratam, quoties opus fuerit apud hominem Dei misericordiam prædicare: neque tantùm vt vni & semel, & in aurem, cordis sui secreta reueler, sed sæpius, sed palàm, sed toto orbe audiente, ingenuè, & suam paupertatem, & Dei misericordiam magnificentiámque commemoret. In hunc modum, cùm Dauid à Nathan argueretur, conscientiæ aculeo punctus, peccatum & coram Deo, & coram hominibus confitetur, dicendo: *Peccaui Domino*, id est, iam nihil excuso, non tergiuersor, quo minus me peccatorem omnes iudicent: & quod clam Domino esse volui, hominibus quoque ipsis patefacio.

De secunda confessione publica coram Ecclesia.

Arcanam ergo illam confessionem, quæ Deo fit, sequitur voluntaria apud homines confessio: quoties id vel diuinæ gloriæ, vel humiliationis nostræ interest. De hac ait Dominus Leuit.16. *Postquam emundauerit sanctuarium, &c. posita vtraque manu super caput eius, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel*

Num.5. *Vir siue mulier cùm fecerint, &c. confitebuntur peccatum suum.*

Nehem. siue Esdr c.9. Exemplum ibi præclarum habemus huius publicæ confessionis.

Huius confessionis publicæ etiamnum vestigium quoddam cernitur in oppidis, vbi singulis dominicis, sacerdos formulam confessionis, suo & populi nomine concipit & facit, qua reos omnes iniquitatis peragit, & veniam à Domino comprecatur.

Hæc vtilis est. *primò*, quia illa tanquam adminiculo quodam ad meliorem nostri recognitionem & humiliationē adducimur.

Secundò, quia miseriæ nostræ confessione, bonitatem ac misericordiam Dei nostri, inter nos & coram toto Mundo illustramus. Ergo quoties vel peste, vel bello, vel sterilitate, vel alia qualibet calamitate affligimur: sicut ad ieiunium, ad fletum, & alia reatus signa: ita ad hanc publicam peccatorum confessionem, vnde illa dependent, recurrere debemus.

De tertia confessione, nempe fraterna.

Hæc in proximi gratiam facienda est, ad ipsum scilicet placandum, & nobis reconciliandum, si qua in re, nostra culpa læsus fuerit. Hanc multum nobis commendat Iesus Christus.

Matth.5. *Si offers munus tuum ad altare, & recordatus ibi fueris, quòd habeat aliquid aduersum te frater tuus, relinque, &c.* Hæc necessaria est ad resarciendam charitatem, quæ nostra culpa dissilierit. Resarcitur autem, dum culpam, quā admisimus, agnoscimus & deprecamur.

Sub hac continetur & illa, qua, cùm Ecclesiam aliquo malo exemplo læsimus, culpæ nostræ confessione, & agnitione, eam nobis reconciliamus. Si enim tanti priuatam vnius hominis offensam æstimat Christus, vt à sacris arceat eos, qui in fratrem aliquid peccarunt, donec iusta satisfactione redierint in gratiam: quanto maior est ratio, vt qui Ecclesiam læsit, malo aliquo exemplo, eam sibi culpæ agnitione & confessione reconciliet?

Ita 2.Cor.2. Corinthius ille in communionem receptus est, cùm se obsequentem correctioni præbuisset.

De quarta confessione coram Ecclesia Ministro.

Hæc peccatorum confessio nostra causa fit, nempe, vt nō tantùm ab Ecclesiæ Ministro consilium & consolationem animis nostris recipiamus, sed etiam per eiusdem ministerium, remissionem peccatorum à Deo recipiamus. Hæc quā antiqua, vtilis & necessaria sit: abundè ab aliis traditum est. Lege Tripart. histor. li.9. Concil. Colon.

Iacobus videtur hanc nobis commendare, dum ait: *Confitemini alius alij offensas, & orate alij pro aliis, vt sani sitis. Iacob.5.16.* Licèt propriè sentire videatur, vt nostras infirmitates alter alteri communicaremus, quicunque ille sit, vel sacerdos vel non, consilio & consolatione mutua nos iuuemus; tamen quia pastores Ecclesiæ præ aliis idonei sunt vt plurimùm, & præter hoc habent etiam ministerium absoluendi: ideo hos potissimum nobis deligendos iubet Apostolus. Imò ad hoc nobis à Patre nostro Deo ordinati & instituti sunt ministri Verbi & Sacramentorum, vt quotiescunque conscientia nostra peccatis affligatur, premitur, consolationéque & peccatorum remissione indiget, ad ipsos tanquam præsentes Christi legatos, mandato reconciliationis præditos, recurramus: eis tanquam Christo ipsi corda nostra aperiamus, peccata confiteamur, infirmitates nostras detegamus, petamusque ab eis, tanquam à Christo ipso, consolationem, consilium, absolutionem in nomine Christi. Iis enim dixit Christus, potestatem absoluendi tradens, Ioh.20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur.* Matth.18. *Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata etiam in cœlo, &c.*

LOCVS XI.

DE IVSTIFICATIONE FIDEI ET MERITIS OPERVM.

Summa eorum, quæ dicta sunt & propositio eorum, quæ dicenda restant.

QVomodo hominibus à lege maledictis vnicum recuperandæ salutis subsidium in fide restet: item quid fides ipsa sit, & quæ in hominem Dei beneficia conferat, & quos in eo fructus edat, satis supra dictum est. Summa autem hæc fuit: Christum nobis Dei benignitate datum, fide à nobis apprehendi, acceptari & possideri, ex cuius participatione duplicem potissimum gratiam recipiamus: nempe primò, vt eius innocentia, Deo reconciliati, pro iudice iam propitium habeamus in cœlis Patrem. Secundò, vt eius Spiritu sanctificati innocentiam puritatémque vitæ meditemur Ac de regeneratione quidem, quæ secunda est gratia, dictum fuit, quantum sufficere videbatur. Iustificationis autem ratio & modus ideò leuiùs attactus est, quoniam ad rem pertinebat, intelligere primùm & quam otiosa non sit à bonis operibus fides, qua sola gratuitam iustitiam Dei misericordia obtinemus: & qualia sint sanctorum opera bona, in quibus pars huius quæstionis versatur. Ea igitur nunc penitùs discutienda, & ita discutienda, vt meminerimus, præcipuum esse sustinendæ religionis cardinem, quò maiorem attentionem curamque affectamus. Nisi enim primùm & ante omnia, quo sis apud Deum loco, & quale de te sit illius iudicium, teneas: sicut nullum habes stabiliendæ salutis fundamentum, ita nec erigendæ in Deum pietatis. Sed quàm necessaria sit hæc cognitio, ex ipsa cognitione elucescet.

Iustificari hominem coram Deo: iustificari fide: iustificari operibus, quid significent hæ locutiones.

Primùm autem explicandum est, quid sibi velint istæ locutiones, iustificari hominem coram Deo, fide, operibus.

1. Iustificari coram Deo dicitur, qui iudicio Dei & censetur iustus, & acceptus est ob suam iustitiam. Nam sicut Deo abominabilis est iniquitas: ita nec peccator in eius oculis potest inuenire gratiam. Proinde vbicunque peccatum est, illic etiam se profert ira & vltio Dei. Iustificatur autem, qui non loco peccatoris, sed loco iusti habetur, eoque nomine consistit coram Dei tribunali, vbi peccatores omnes corruunt. Sicut, si reus innocens ad tribunal æqui iudicis adducatur, vbi secundum innocentiam eius iudicatum fuerit, iustificatus apud iudicem dicitur. Ita apud Deum iustificatur, qui numero peccatorum exemptus, Deum habeat suæ iustitiæ testem & assertorem.

2. Iustificari ergo operibus ea ratione is dicitur, in cuius vita reperietur ea puritas & sanctitas, quæ testimonium iustitiæ, apud Dei thronum mereatur: seu qui operum suorum integritate respondere & satisfacere Dei iudicio queat.

3. Contra verò iustificabitur fide ille, qui operum iustitia exclusus, Christi iustitiam per fidem apprehendit, qua vestitus in Dei conspectu, non vt peccator, sed tanquam iustus apparet. Atque ita nos iustificationem simpliciter interpretamur acceptationem, qua nos Deus in gratiam receptos, pro iustis habet: eamque in peccatorum remissione, ac iustitiæ Christi imputatione positam esse dicimus.

Quòd iustificatio fidei, sit gratuita peccatorum remissio, & iustitiæ Christi imputatio.

Quod igitur iustificari fide coram Deo nil aliud sit, quàm gratis per misericordiam Dei, & propter meritum Christi condonatis peccatis, & imputata Christi iustitia, nos in nobis ipsis iniustos, pro iustis à Deo acceptari & reputari: patet ex his locis.

1. Gal. 3. *Prouidens autem Scriptura, quoniam Deus ex fide iustificat Gentes, ante euangelizauit Abrahæ, Benedicentur, inquiens, in te omnes Gentes. Quid aliud intelligi potest, quàm Deum iustitiam ex fide imputare?*

2. Rom. 4. *Deus iustificat impium, qui est ex fide Christi:* id est, fidei beneficio à damnatione liberat impios, quam sua ipsorum impietas merebatur.

3. Rom. 8. *Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus est, qui iustificat. Quis est, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est &c.* Quasi dicat. Quis accusabit, quos Deus absoluit? quis damnabit, quos suo patrocinio Christus defendit? Iustificare igitur nil aliud est, quàm eum, qui reus agebatur, tanquam approbata innocentia, à reatu absoluere. Cùm igitur nos Christi intercessione iustificet Deus, non propriæ innocentiæ approbatione, sed iustitiæ imputatione nos absoluit, vt pro iustis in Christo censeamur, qui in nobis non sumus.

4. Actor. 13. *Per hunc vobis annunciatur remissio peccatorum: ab omnibus, à quibus non poteratis in Lege Mosis iustificari: omnis qui credit in eum iustificatur.* Vides, quod post remissionem peccatorum, iustificationem, velut interpretationis loco ponit. Vides apertè, pro absolutione sumi iustificationem Vides operibus legis adimi. Vides merum Christi beneficium esse. Vides fide percipi.

5. Luc. 8. Publicanus iustificatus à templo descendisse dicitur. Certè non possumus dicere aliquo operum merito eum assecutum fuisse iustitiam. Significat ergo, quod post impetratam peccatorum veniam, pro iusto coram Deo habitus fuerit. Datus ergo fuit, non operum approbatione, sed gratuita Dei absolutione.

Ideò Ambrosius in psal. 18 ser. 10. peccatorum confessionem, vocat legitimam iustificationem.

6. Atque vt omittamus contentionem de voce, rem ipsã, qualiter nobis describitur, intueamur & nulla dubitatio remanebit. Nam D. Paulus acceptationis nomine, certè iustificationem designat, dicendo Ephe. 1. *Destinati sumus in adoptionem per Christum, secundum beneplacitum Dei, in laudem gloriosæ ipsius gratiæ, qua nos acceptos, vel gratiosos habuit,* id enim ipsum vult hic Apostolus, quod alibi dicere solet, Deum gratuitò nos iustificare. Ad Rom. verò vocat eam iustitiæ imputationem, dicendo:

7. Rom. 4. *Beatus homo cui Deus accepto fert, vel imputat iustitiam sine operibus: Beati quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputarit Deus peccatum.* Ecce, quomodo collocet beatitudinem, id est, iustificationem, in remissione peccatorum, & imputatione gratuita iustitiæ Christi.

8. 2. Corint. 5. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum, & posuit in nobis verbum reconciliationis.* Hic docet, hanc esse summam legationis Euangelicæ, vt reconciliemur Deo: quia ipse nos per Christum vult in gratiam recipere, non imputando nobis delicta.

Quod iustitia fidei cum iustitia operum stare nequeat.

Quoniam verò bona pars hominum iustitiam ex fide & operibus compositam imaginatur: præmonstremus id quoque, sic inter se differre fidei operúmque iustitiam, vt altera stante, necessariò altera corruat & euertatur. His locis patet.

1. Phil. 3 *Omnia arbitratus sum vt stercora, vt Christum lucrifaciam, & inueniar in illo, non habens iustitiam meam, quæ est ex lege, sed iustitiam, quæ est ex Deo, per fidem Iesu Christi* Vides & hic & contrariorum comparationem esse: & indicari, propriam iustitiam oportere pro derelicto haberi ab eo, qui velit Christi iustitiam obtinere?

2. Rom. 10. Hanc Iudæis ruinæ causam fuisse dicit, quòd suam volentes constituere iustitiam, iustitiæ Dei non fuerunt subiecti: *Ignorantes enim* (inquit) *Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non fuerunt subiecti.*

Si ergo propriam iustitiam stabilientes, iustitiam Dei excutimus vt hanc consequamur, oportet profectò illam penitùs aboleri.

3. Rom. 3. Negat per legem excludi gloriationem nostram, sed per fidem, dicendo: *Vbi est ergo gloriatio tua? exclusa est: per quam legem? factorum? non, sed per legem fidei.*

Hinc arguo: Iustitia operum parit gloriationem nostram vt patet Rom. 4.

Iustitia autem fidei excludit gloriationem nostram.

Ergo contrariæ sunt, & vna cum altera stare non potest. Patet.

4. Rom. 4. *Si ex operibus iustificatus est Abraham, habet gloriam.* Atqui non habet gloriam apud Deum. Ergo non est iustificatus ex operibus. Ponit secundò alterum argumentum à contrariis, dicendo: Cùm rependitur merces operibus, id fit ex debito, non ex gratia. Fidei autem tribuitur iustitia secundum gratiam. Ergo id non ex meritis operum. Ex iis patet, quòd iustitia non possit conflari ex fide & ex operibus.

Iustificationis ordo iuxta sacram Scripturam.

Sacra Scriptura cùm de fidei iustitia loquitur, nos longè à nobis ipsis ducit nempe vt ab intuitu operum nostrorum auersi, in Dei misericordiam, ac Christi perfectionem tantùm respiciamus. Hunc enim iustificationis ordinē do-

rr docet

cet. Quod Deus *primo* peccatorem hominem mera gratuitáque bonitate complectatur, nihil in ipso, quo ad misericordiam moueatur, reputans, nisi miseriam: quippe quem videt à bonis operibus prorsus nudum ac vacuum: à seipso causam petens, cur illi benefaciat.

Quod *secundò*, peccatorem ipsum, bonitatis suæ sensu afficiat, quo de propriis operibus diffisus, totam salutis suæ summam, in ipsius misericordiam reiiciat. Hic sensus est sensus fidei, per quem peccator in possessionem suę salutis venit, dum ex Euãgelij doctrina agnoscit Deo se reconciliatum, quod intercedente Christi iustitia, impetrata peccatorum venia & remissione iustificatus sit: & quanquam Spiritu Dei regeneratus, non in bonis operibus, quibus incumbit, sed in sola Christi iustitia, repositam sibi perpetuam iustitiam cogitat.

Hæc igitur expedienda nobis sunt, quibus expensis perspicua sententiæ nostræ explicatio reddetur. Quanquam alio ordine, quàm proposita sint, digerentur melius.

Quod non ex operibus, sed sola fide, gratis iustificetur homo.

1. Inde iustificare dicitur fides, quod oblatam in Euangelio iustitiam recipit & amplectitur. Euangelium autem offert iustitiam Christi gratuitam. Ergo, &c. Quod autem per Euangelium dicitur gratis offerri, eo excluditur omnis operum consideratio. Hoc argumentum explicatur à Paulo Rom. 10. vbi Legem & Euangelium inter se conferens, ait: *Iustitia quæ ex lege est, sic habet: Qui fecerit hæc homo, viuet in eis. Quæ autem fidei est iustitia, salutem denunciat, si credideris in corde tuo, & ore confessus fueris Dominum Iesum, & quod Pater illum suscitarit à mortuis.*

Hic patet, quod lex iustitiam tribuat operibus: Euangelium verò citra operum subsidium, gratuitam largitur. Iustitia enim, quæ per Euangelium nobis donatur, conditionibus legis soluta est. Et hæc est ratio, cur Apostolus non semel tanta repugnantiæ specie, promissionem legi opponet, dicendo Gal. 3. *Si ex lege est hæreditas, iam non ex promissione.* Certè & lex habet suas promissiones, quæ vtique non opponuntur legi. Ergo cùm Paulus promissiones Euangelij opponat legi: manifestum est: quòd aliqua differentia differant promissiones Legis & Euangelij. Quæ est autem hæc differentia? nisi quod promissiones Euangelij sunt gratuitæ, & sola Dei misericordia suffultæ: promissiones verò legis, ab operum conditione pendeant.

2. Aliud argumentum. Gal. 3. *Quòd ex lege nemo iustificetur apud Deum, manifestum est, quia iustus ex fide viuet: Lex autem non est ex fide, sed qui fecerit hæc homo, viuet in eis.* Quomodo hoc argumentum Pauli constaret, nisi conueniat, in calculum fidei non venire opera? Ait enim, *Lex à fide diuersa est.* Quare? quia ad illius iustitiam requiruntur opera. Ergo ad huius iustitiam sequitur non requiri opera. Ex ista relatione appaier, citra operum meritum, imò extra operum meritum iustificari, qui fide iustificatur: quia fides eã, quam Euangeliũ offert, iustitiam accipit: Euangeliũ autẽ eò differt à lege, quòd operibus non alligat iustitiam, sed in sola Dei misericordia collocat. Ergo, &c.

3. Rom. 4. Simile est & illud, quòd contendit Apostolus Abraham non habere gloriandi materiam, *quia fides illi sit in iustitiam imputata.* Et confirmationem subdit, quod tum fidei iustitiæ locus est, vbi nulla sunt opera, quibus debeatur merces, dicendo: *Vbi sunt opera, illis debitum præmium expenditur.* Quod datur fidei, gratuitum est. Siquidem hic & verborum, quibus illic vtitur, sensus huc quoque pertinet, quod subnectit aliquanto pòst, dicendo: Ideò ex fide obtinere nos hæreditatem, quia fide percipitur. Vnde id? nisi quia fides sine operum adminiculo, tota in Dei misericordia recumbit.

At fatemur, hominem iustificari fide: negamus autem sola fide: cùm particula illa SOLA non sit expressa in Scripturis.

Resp. Etiamsi non sit expressa: tamen necessariò ex locutionibus sacræ Scripturæ, & ex Pauli disputationibus sequitur. Nam Paulus contendit, nõ esse ex fide iustitiam nisi sit gratuita: gratuitum autem non conuenit cum operibus. Ergo cùm ait, esse gratuitum, necessariò sequitur, iustitiam constare sola fide.

Item Rom. 4. ait, *Iustitiam Dei manifestari in Euangelio*, iustitiam, inquam, sine lege. Si manifestatur in Euangelio. Ergo tota & integra, non dimidia manifestatur, & ibi continetur. Ergo lex in ea locum non habet.

Item vbique Apostolus adimit iustificationem operibus, & attribuit fidei. Ergo soli.

Quòd non tantùm Ceremonialem, sed Moralem etiam legem excludat Apostolus ad Romanos & Galatas.

At Apostolus ad Rom. loquitur de operibus ceremonialibus, quæ vtique excluduntur à iustificationis ratione: non autem excluduntur opera Moralia.

Resp. Absurdissima est hæc responsio. Nam constat Apostolum loqui de morali lege, non autem de ceremoniali tantum. Patet.

Primò, ad probandum, quòd non ex operibus iustificetur homo, sed ex sola fide, adducit hos locos in probationem. Qui fecerit hęc homo, viuet in eis: & maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis. Gal. 3. 4. Non est autem promissa vita ceremoniaris cultoribus: nec maledictio denunciata earum transgressoribus. Ergo ij loci sunt intelligendi de morali lege. Si sunt intelligendi de morali lege, & per hos locos excludit Apostolus opera à iustificandi ratione: Ergo manifestum est; quòd excludat opera moralia.

Secundò, istæ locutiones, quas subiiciam, non competunt in legem ceremonialem, sed in moralem solum. Iis autem locutionibus vtitur Paulus ad probandum, hominem iustificari non ex operibus posse, sed tantùm ex fide. Ergo, &c. Sunt autem istæ.

Ad Rom. 3. 4. *Per legem cognitio peccati Lex iram operatur.* Ratiocinatur autem sic Apostolus: Quoniam per legem cognitio peccati: ergo per legem non est iustitia. Quia lex iram operatur, ergo non iustitiam. Quia lex certam non potest reddere conscientiam: ergo nec iustitiam conferre valet. Quia imputatur fides ad iustitiam: ergo non est operis merces iustitia, sed indebita donatur. Quia ex fide iustificamur: ergo abscissa est gloriatio. Si data esset lex quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia. Sed conclusit Deus omnia sub peccato; vt promissio daretur credentibus.

Cur Apostolus dicat opera legis non iustificare, non autem dicat, opera simpliciter.

At Apostolus, cùm ait opera legis, scilicet moralis, non iustificare, intelligit opera, quæ fiunt ante fidem: non loquitur autem de operibus, quæ fiunt post acceptam fidem. Ideò addit, *legis.*

Resp. *Primò*, etiam ibidem aliquando excludit opera absolutè, absque additione legis, vt cum ait Roman. 4 sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam, sine operibus. En quòd generaliter excludat omnia opera.

Secundò, cur Apostolus vsus sit tali adiectione, Legis, non contentus opera nominasse, ratio est: Cùm vellet excludere à iustificandi ratione omnia opera, nominatim excludit opera illa, quæ Dei lege approbantur; quæque & iustitiæ titulo, & mercede digna haberi possunt, & de quibus solis controuersia moueri posset: quia exclusis iis, facilè cętera quoque opera omnia extra legem Dei excluduntur: quasi dicat Apostolus, si opera legis Dei excluduntur à iustificandi ratione: multò magis cætera omnia opera, quæ Dei testimonio non approbantur.

Atqui excluduntur opera legis Dei. Ergo, &c. Nam quòd tanti æstimentur opera: id habent potius à Dei approbatione, quàm à sua ipsorum dignitate. Quis enim venditare Deo iustitiam audeat, nisi quam ipse approbarit? Quis tanquam illis debitam reposcere mercedem, nisi quam ipse promiserit? Hac ratione Gal. 3. volens probare Abrahamum ex operibus iustificari non potuisse, vtitur hoc medio, dicendo: quòd annis fermè quadringentis & 30. post percussum fœdus, lata est lex. Ergo operibus iustificari non potuit. Hoc argumentum quidam potuissent ridere, dicendo: O Paule, quod argumentum est istud tuum? Lex lata est post percussum fœdus cum Abraham annis 430. Ergo ex operibus non potuit iustificari? Nonne ante legem iusta esse poterant opera? Verum, quia operibus non nisi ex Dei dignatione ac testimonio, tantum inesse momenti nouerat Apostolus: ideò pro confesso assumit, ante legem vim iustificandi opera non habuisse.

Hinc *tertiò* patet, quòd Apostolus excludat omnia opera, etiam fidei, id est, quæ fide fiunt. Non enim vocat opera legis, quia sine fide fiant: sed quia præcepta à Deo in lege: fieri verò non possunt, nisi per fidem. Modò ergo fiant per fidem, vel non fiant: dicuntur semper opera legis. Item excludit opera Abrahæ, quæ erant vtique optima opera. Ergo omnia excludit.

At fateor, hominem iustificari sola fide, sed per charitatem operante, ita vt iustitia nitatur charitate.

Resp. Non alia quidem fide iustificari hominem, quàm illa, quæ per charitatem operatur, dicimus: sed fides non sumit vim iustificandi ab illa charitatis efficacia. Imò non alia ratione iustificat, nisi quia in communicationem

iustitiæ Christi nos inducit: alioqui excideret illud, quòd tanta contẽtione Apostolus vrget Rom.4.dicendo: *Ei qui operatur, non imputatur merces secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei vero, qui non operatur, sed credit in eum, qui iustificat impium, fides eius reputatur ad iustitiam.* Arguit nunc sic: Nulla fidei iustitia est, vbi vlla sunt opera, quibus debeatur merces: ergo tum demum imputatur fides ad iustitiam, vbi per indebitam gratiam iustitia confertur.

Quod iustitia fidei, nil aliud sit, quàm reconciliatio cum Deo, quæ sola remissione peccatorum constat.

Nunc videamus, quàm verum sit, quod in finitione dictum est, iustitiam fidei, esse reconciliationem cum Deo, quæ sola remissione peccatorum constet.

1. Vniuersis peccatoribus, quamdiu peccatores esse perseuerant, ita Dei incumbit, Ies.59. *Non est abbreuiata manus Domini, &c. sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deũ vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis, ne exaudiat.* Ergo peccatum est diuisio inter hominem & Deum, & est vultus Dei auersio à peccatore, nec fieri aliter potest: quandoquidem alienum est ab eius iustitia, quicquam commercij habere cum peccato. Vnde Apostolus Rom.5.docet, hominem esse inimicum Deo, donec in gratiam per Christum redierit. Quem ergo Dominus in coniunctionem recipit, dicitur eum iustificare: quia nec recipere in gratiam, nec sibi adiũgere potest, quin ex peccatore iustum faciat. Fit autem per peccatorum remissionem iustus: Ergo iustificatio est reconciliatio cum Deo, remissione peccatorum collata.

Quòd verò iustus fiat homo per remissionem peccatorum, non per aliud, patet. Nam si ab operibus ęstimentur, quos Dominus sibi reconciliauit: reperientur etiamnũ reuera peccatores, quos tamen solutos peccato puròsque esse oportet. Constat igitur, quos Deus amplectitur, non aliter fieri iustos, quàm remissione peccatorum, i. nisi quòd abstersis peccatorum remissione maculis purificantur. Ita vt talis iustitia, vno verbo appellari queat remissio peccatorũ.

2. Vtrumque constat apud Paulum ex iis verbis.

2. Cor.5. *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputans hominibus peccata ipsorum: & deposuit apud nos verbum reconciliationis.* Ecce reconciliationem cum peccatorum remissione.

Quòd verò in iis duobus consistat iustitia nostra, patet, cùm subdit summam suæ legationis, dicendo: *Eum qui nõ nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* Ecce, quod reconciliationem vocat iustitiam, & simul confundit vtrumque, vt vnum sub altero vicissim contineri intelligamus. Modus autem assequendę huius iustitiæ, est, cùm nobis peccata non imputat. Ergo tunc Deus nos iustificat, cùm reconciliat nos sibi, non imputans nobis delicta nostra.

3. Rom.4. probat testimonio Dauidis, homini imputari iustitiam sine operibus, quia Dauid beatum pronunciat illum hominem, cuius remissæ sunt iniquitates, cuius tecta sunt peccata, cui Dominus non imputat peccata. Beatitudinem proculdubio pro iustitia illic ponit. Eam autem asserit in remissione peccatorum consistere. Ergo iustificatio nihil est, quàm remissio peccatorum.

4. Proinde Luc.1. Zacharias cognitionem salutis in remissione peccatorũ positam canit, dicendo: *Ad dandã scientiam salutis populo ipsius, per remissionem peccatorum eius.*

5. Act.13. Paulus in oratione ad Antiochenos, concludit dicendo: *Per hunc vobis annunciatur remissio peccatorum, & ab omnibus, quibus non potuistis iustificari in lege Mosis, in hunc omnis qui credit, iustificatur.* Hic connectit iustitiam cum remissione peccatorum, vt idem prorsus esse ostendat. Vnde meritò ratiocinatur Apostolus, gratuitam esse nobis iustitiam, quam indulgentia Dei, & remissione peccatorum obtinemus.

6. Augustinus lib. de Ciuitate Dei 19.c.27. *Sanctorum iustitia in hoc mundo magis peccatorum remissione, quàm perfectione virtutum constat.* Non ergo operibus, sed gratuita acceptatione fideles iusti sunt coram Domino.

Sola intercessione iustitia Christi nos obtinemus, vt coram Deo iustificemur.

Hinc & illud conficitur, propter solam Christi iustitiæ intercessionem, nos iustificari coram Deo: id est, nos non in nobis ipsis iustos esse, sed quia Christi iustitia, imputatione nobis communicatur. Hoc diligenter attendendum est, quia euanescit illa opinio, quæ dicit, ideò nos iustificari fide, quia fide Spiritum Dei participamus, quo iusti reddimur. Non.n. iusti sumus coram Deo, quia in nobis ipsis per Spiritus participationem iusti sumus, sed quia in Christo, per ipsi⁹ iustitiæ participationẽ iusti sumus. Patet.

1. Qui extra seipsum quærere iustitiam docetur: vtique inops propriæ iustitiæ esse conuincitur. Atqui docemur per Apostolum, quærere iustitiam extra nos in Christo. Ergo inopes sumus propriæ iustitiæ. Vbi? 2. Cor.5. *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur Dei iustitia in ipso.* Vides non in nobis, sed in Christo esse iustitiam nostram: nobis autem tantum eo iure competere, quia Christi sumus participes: siquidem omnes eius diuitias, cum ipso possidemus.

At alibi ait Rom.8. *de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustitia legis impleretur, non in ipso, sed in nobis.*

Resp. Impletur in nobis primò inchoatiuè: secundò imputatiuè per Christum. Ro.n. iure cõmunicat nobis Christus suam iustitiam, vt mirabili quodam modo, quantum pertinet ad Dei iudicium, vim eius in nos transfundat.

2. Rom.5. *Sicut per vnius inobedientiam constituti sumus peccatores: ita per vnius obedientiam iustificati sumus.*

Quid aliud est in Christi obedientia nostram collocare iustitiam, nisi asserere, eo solo nos haberi iustos, quia Christi obedientia nobis accepta fertur, ac si nostra esset?

Ideò Ambrosius de Iacob & vita beata, libro 2. exemplũ huius iustitiæ Christi nobis imputatæ ponit, dicendo: *Quòd sicut Iacob, primogenituram à se ipso non meritus, habitu fratris occultatus, eiusq; veste indutus, quæ optimum odorem spirabat, se ipsum insinuauit patri, vt suo commodo, aliena sub persona, benedictionem acciperet: Ita nos sub Christi primogeniti nostri fratris pretiosa puritate delitescimus, vt testimonium iustitiæ à conspectu Dei referamus.*

Et sanè ita res habet. Nam quo in salutem coram facie Dei compareamus, bono eius odore fragrare nos necesse est, & eius perfectione, vitia nostra obtegi ac sepeliri.

Quòd niti nos oporteat iustitia fidei, quæ in Christo est: non iustitia operum, quæ in nobis est.

Tametsi apertissimis testimoniis ostensum est, verum esse quòd nullo modo ex operibus coram Deo iustificari possumus, sed sola fidei, quod non iustitia operum, quę in nobis est, sed iustitia fidei, quæ in Christo est, verè coram Deo iusti simus: tamen nunc ostendam, quàm necesse sit vt ita sit nec aliter esse possit: nempe, necesse est, vt nos sola fidei iustitia, quæ in Christo est, nitamur: non autem operum iustitia, quæ in nobis est.

Multi sunt hodie, qui putant ac prædicant, hominem posse suis operibus per Spiritum S. factis, coram Deo iustificari: & ea operum iustitia, vitam ęternam mereri, proindéque & cõfidere & niti ea posse. Et quod intolerabile est, nulli confidentiùs & plenioribus buccis de hac operũ iustitia garriũt, & ea cõfidendum prædicant, quã qui omni bonorum operũ iustitia nudi sunt, & omnibus vitiis referti.

Verùm id fit *primò*, quia non considerant quid referat cõparere ante illud diuini iudicij tribunal: non cognitam perfectam Dei iustitiam, cui nihil acceptum est, nisi sit omni ex parte absolutum & integrum, nullaque sorde inquinatum: quod in nullo vnquam homine præter Christum vnum reperiri potuit. Facile est scilicet, in scholarum vmbraculis, de dignitate operum ad iustificandos homines, & merendam vitam æternam, disputare, loqui, &c.

Sed vbi ad Dei tribunal in conspectum Dei ventum est: facessant tales delitiæ oportet: quia res illic agitur serio, non ludicra: λογομαχία exercetur.

Secundò, id procedit: quia non agnoscunt se ipsos, imperfectionem iustitiæ suæ, fœditatem operum suorum: quę si Deus districtè iudicare velit, peccata esse pronunciabit, iustóque iudicio condemnabit: quippe quæ sunt sicut pannus menstruatæ.

Tertiò, id procedit: quia non considerant sacras Scripturas: vbi sancti omnes & cùm considerant se ipsos, clamant: *Delicta quis intelligit? &c.* Ps.18. *Si quis dixerit se peccatum non habere, mendax est.* 1. Ioh.1. *Infelix ego homo, &c. Video aliam Legem, &c.* Rom.7. & cùm considerant seueritatem diuini iudicij, perfectámque Dei iustitiam, exclamant ac deprecantur. Vt: *Non intres in iudicium cum seruo tuo, Domine.* Psal.143.

Hæc si diligenter perpenderent, non vtique tam confidenter in sua operum iustitia gloriarentur, confiderent, niterentur.

Nos igitur hæc considerantes, audacter dicimus & prędicamus, remota Dei misericordia, & Christi iustitia, hominem suis operibus, quantumuis sanctissimis, & per Spiritum sanctum factis, corã Dei iudicio iustificari nõ posse, vitámque

vitámque æternam non mereri: imò potius iram Dei & mortem mereri.

Ergo si vis saluus fieri, necesse est, vt omni tua operum iustitia post tergum reiecta, sola Christi iustitia nitaris, eam fide amplectaris, in ea omnem fiduciam colloces, ea confidas, ab ea pendeas. Hoc tibi constabit, si considerateris hæc.

I. Tribunal diuini iudicij, perfectámque *Dei iustitiam*. Age in die illa, cum adstabis ante tribunal diuini iudicij, vt reddas rationem de tuis operibus: quo cum nam iudice tibi res erit? cum eo iudice, cuius fulgore (vt eum nobis depingit Scriptura, præsertim Iob) *obtenebrantur stellæ: cuius robore liquefiunt montes: cuius irâ, terra concutitur: cuius sapientia deprehenduntur in astutia sua prudentes: cuius puritate inquinantur omnia. cuius ferendæ iustitiæ nec Angeli pares sunt: qui nocentem non fecit innocentem: cuius vindicta, cùm semel accensa est, penetrat vsq; ad inferni nouissima.* Sedeat hic iudex ad examinanda hominum facta: quis securus ad eius thronū se sistet? quis habitabit cum igne deuorante? (ait Propheta *Ies.31.*) quis manebit cum ardoribus sempiternis? qui ambulat in iustitiis, & loquitur veritatem, &c.

At prodeat ergo ille iudex: ego enim ambulaui in iustitiis, &c. Stare igitur ante illum potero.

Resp. O cæce quid ais? imò & responsio ista facit, vt nemo audeat prodire ante hunc iudicem. Ex diuerso enim terribilis vox intonat: videlicet, *Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine, quis sustinebit?* Psal.130. Ergo.

II. Considera *te ipsum*, tuam iniustitiam. *Primò*, multa omisisti, quæ facere debebas. *Secundò*, plura fecisti quæ non debebas. *Tertiò*, bona etiam illa, quæ per Spiritum sanctum fecisti, non ea recta animi intentione & cordis rectitudine, qua debebas, fecisti: imò bona, quæ in te Spiritus sanctus operatus est, tu cordis impuritate fœdasti. *Quartò*, mala, quæ non perpetrasti, non ideo non perpetrasti, quia contra Deum essent, sed, quia vel ad illa non inclinabaris, vel timuisti pœnam. *Quintò*, totus totus quãtus es, nonne fœtes, peccatis scates, vndequaque iniquitatem spiras? Quomodo igitur iustitia operum nunc niti vales, ac securè ante iudicem illum adstare?

1. At mihi videor iustus esse, & securè posse comparere.

Resp. Ne fallamus nosmetipsos vana fiducia, etiamsi reliquis hominibus vel pares vel superiores nos esse ducimus. Nihil id ad Deum, ad cuius arbitrium reuocanda est ista agnitio. Sæpe putas te iustum esse, & Deus videt, quã iniustus sis, quia intuetur corda nostra praua. Luc.16. *Vos estis, qui iustificatis vosmetipsos. Deus autem intuetur corda vestra. At, quod hominibus altum est, abominabile est Deo.*

2. At fateor me esse peccatorem, atque ideò non posse fidere meâ iustitiâ, quæ nulla est: verùm non video, cur multi iusti, vt Iohannes Baptista, vt Esaias, vt Maria virgo, si hic adessent, non possint fidere iustitiâ tantæ sanctitatis, quam eis donauit Deus. Iam mihi videtur, quòd si haberem illorum opera & iustitiam: possem confidere.

Resp. Si eorum iustitias & opera compares aliorum hominum iustitiis, fateor, videbuntur tibi maximæ iustitiæ, & sunt maximæ. Sed si ad Deum assurgas, & consideres, qualem iustitiam requirat Deus, vt securi ad eius tribunal adstare possimus, citò videbis, eas nullas penè esse, citò peribit omnis de operibus nostris fiducia. Iob.4. *Nunquid homo Dei comparatione iustificabitur? aut purior erit factore suo?* Simile, Accidit animæ nostræ erga Deum, id quod erga visibile cœlum, corpori. Acies enim oculi, quãtisper rebus adiacentibus perlustrandis insistit, perspicientiæ suæ documenta capit. Si in Solem dirigitur, nimio eius fulgore perstricta, & obstupefacta, non minorem in eius intuitu debilitatem sentit, quàm in rerum inferiorum adspectu robur. Ad præsentiam Dei omnia horrent, concutiuntur, in nihilum rediguntur: Ita iustitiæ nostræ ad adspectum iustitiæ Dei in nihilum rediguntur, iniustitiæ sunt. Hoc considerantes sancti, se nihil esse agnoscebant & fatebantur. Ideò

III. Considera, quid *Sancti* in sacra Scriptura exclament de sua iustitia. Iob.4. *Nunquid homo Dei comparatione iustificabitur? aut purior erit factore suo? Ecce qui seruiunt ei, non sunt fideles: & in Angelis suis reperit prauitatem: quantò magis qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur donec erit? de mane vsque ad vesperam succidentur.*

Job.15. *Ecce inter Sanctos eius nemo est fidelis: & cœli non sunt mundi in conspectu eius: quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit iniquitatem quasi aquam.*

Ps.143. *Non intres in iudicium cum seruo tuo, Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.*

Iob.9. *Non iustus esse poterit homo cum Deo: si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere vnum pro mille.*

Hinc patet, qualis sit Dei iustitia, cui scilicet nullis humanis operibus satisfiet: cui mille scelerum nos interroganti, vnius purgatio affecti non poterit. Talem iustitiam bene animo conceperat Apostolus, 1. Cor.4. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustus sum.

Quid tibi reliquum est, nisi vt sola Christi iustitia fidas? Sic Augustinus ad Bonif. lib.2. cap. *Omnium piorum sub hoc onere corruptibilis carnis, & in hac vitę infirmitate gementium vna spes est: quòd Mediatorem vnum habeamus Iesum Christum iustum: & ipse est exoratio pro peccatis nostris.* Si vnica hæc sanctis spes est: vbi ergo operum fiducia?

Bernard. in Cant. ser.61. *Et reuera vbi tuta firmaque infirmis requies & securitas, nisi in vulneribus Saluatoris? tanto illic securior habito, quanto potentior est ad saluandum. Fremit Mundus: premit corpus: Diabolus insidiatur: non cado: quia fundatus sum in firmam petram. Peccaui peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbatur, quia vulnerum Domini recordabor.* Posteà concludit: *Meritum proinde meum miseratio Domini. Non sum planè meriti inops: quandiu non fuerit ille inops miserationum. Quod si misericordiæ Domini multæ: multus ego peræquè sum in meritis. Nunquid iustitias meas cantabo? Domine memorabor iustitiæ tuæ solius. Ipsa enim est & mea: nempe factus es mihi iustitia à Deo.*

Item, Bernard. in Psal. *Qui hab.* ser.15. *Hoc totum hominis meritum, si totam spem ponat in eum, qui totum hominem saluum facit.*

Et ita est sanè. Hoc vnicum salutis asylum in quo respirare tuto possint, sentiunt exercitatæ conscientiæ, vbi cum iudicio Dei negotium est. Nam si, quæ lucidissimæ videbantur stellæ noctu, splendorem suum perdunt solis aspectu: quid putamus vel rarissimæ hominis innocentiæ & iustitiæ futurum, vbi ad Dei puritatem composita fuerit? erit enim seuerissimum illud examen, quod in abditissimas quasque cordis cogitationes penetrabit, & quemadmodum ait Paulus 1. Corinth.4. reuelabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Vrgebit accusator, Diabolus, conscius omnium flagitiorum, ad quæ perpetranda nos impulerit. Illic nihil proderunt externæ bonorum operum pompæ, quæ solæ nunc æstimantur: sola postulabitur voluntatis sinceritas, hypocrisis tota concidet. Ad huiusmodi spectaculum qui sensum suum non dirigunt: suauiter quidem & placidè iustitiam sibi ad momentum adstruere possunt: sed quæ in iudicio Dei mox illis sit excutienda: non secùs atque magnæ opes per somnium cumulatæ, expergefactis euanescunt, de quibus

Psal.76. *Dormierunt somnum suum: & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Qui autem seriò tanquam sub Dei conspectu de vera iustitiæ regula quęrent: illi certò comperient, omnia opera hominum, si sua dignitate censeantur, nihil nisi inquinationem esse, ac sordes: & quę iustitia vulgo habetur, eam apud Deum meram esse iniquitatem: quæ gloria, ignominiam.

Iam descende ad teipsum considerandum, & ad trutinam diuinæ iustitiæ pondera iustitiam tuam, tum comperies & experieris, quod de se ait Iob: *Si innocentem me ostendere voluero, os meum condemnabit me: si iustum, prauum comprobabit.* Ioh.9.

Esa.53. *Omnes enim quasi oues errauimus, & vnusquisque in viam suam declinauit, &c.*

At mihi non videor ita prauus & damnatus esse, vt tu facis.

Resp. Fateor, quòd non videaris tibi, & nemo sibi videatur. Prouerb.21. *Cuique viro recta est via in oculis suis.* Item 16. *Omnes viæ hominis mundę videntur in oculis eius.* Et hoc est malum nostrum, quia nobis indulgemus, cæcutimus.

Sed nunquid hac hallucinatione absoluimur? imò verò subdit Salomon Prouerb. 16. *Dominus autem ponderat corda:* quasi dicat, dum homo externam ob laruam iustitię, quam præ se fert, se demulcet; interim Dominus latentem cordis impuritatem sua trutina examinat. Ne ergo illudamus nobis, sed

IV. Humiliemus nosmetipsos coram Domino, & cogitemus illud 1. Pet.5. *Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam.*

De vera humilitate.

Sed quæ humiliandi nostri ratio? nisi vt toti inopes ac vacui Dei misericordiæ locum demus. Non enim humilitas est, si quid nobis residuum esse putamus; si iustitiam nostram aliquo loco habendam ducimus. Hæc est humilitas, de qua Scripturæ loquuntur. Luc.1. *Deposuit potentes de sede,*

& exaltauit humiles. Soph.3. *Auferam de te exultantem, residuum faciam in medio populi tui adflictum & pauperem, & sperabunt in Domino.*

Hic apertè ostendit, quæ sit superbia, quæ verò humilitas. Superbi sunt exultantes, id est, qui de sua institia, de suis operibus, quasi rebus omnibus prosperis exultant. Humiles verò, qui suę paupertatis cognitione affliguntur: miseriæ inopiæque suæ sensu consternati. Iis nihil reliquum facit, nisi vt sperent in Domino.

Esaiæ 66. *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum corde, ac trementem sermones meos?*

Esaiæ 57. *Excelsus & sublimis, habitans æternitatem, & sanctum nomen eius in excelso, & in sancto habitans, & cum contrito humilique Spiritu, vt viuificet Spiritum humilium, & cor contritorum.* Cùm audis toties nomen contritionis: intellige cordis vulnus, quod hominem humi prostratum attolli non sinat.

Tali contritione vulneratum esse cor tuum decet, si velis cum humilibus (iuxta Prophetam) exaltari.

Veræ humilitatis imago depingitur Luc.18. in parabola de Publicano & Pharisæo.

Notandum hic. Pharisæus agnoscit, iustitiam suam, esse Dei donum, dicens: Gratias tibi ago, quòd non sum, &c. & tamen, quia confidit se iustum esse, licet Dei dono: discedit a facie Dei ingratus & odiosus. Publicanus suæ cōfessione iniquitatis iustificatur. Oportet totum pectus omni propriæ iustitiæ fiducia & opinione exuere. Solis enim cōtritis & humilibus annūciatur Euāgelium & salus.

Esa.61. *Spiritus Domini super me, pauperibus euangelizatum misit me, sanare contritos corde.*

Matt.11. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis.* Ergo si Christi vocationi locum dare libet: facessat procul omnis à nobis tum arrogantia, tum securitas, quarum ista ex stulta propriæ iustitiæ persuasione nascitur, vbi homo habere se aliquid putat, cuius merito apud Deum commendetur: hæc verò, sine vlla prorsus persuasione esse potest. Multi enim peccatores, quia vitiorum dulcedine inebriati, Dei iudicium non cogitant: tanquam veterno quodam obstupefacti iacent, ne adspirent ad oblatam sibi misericordiam. Sed non minus excutiendus est talis torpor, quam abiicienda quæuis nostri confidentia: quo expediti ad Christum currere valeamus: quò vacui impleri ipsius bonis queamus. Nunquam enim satis illi confidemus, nisi de nobis diffisi: nunquam in ipso nos satis solabimur, nisi in nobis desolati.

Gratiæ ergo Dei apprehendendæ & obtinendæ, abiecta quidem prorsus omni nostri fiducia, freti verò sola bonitatis eius certitudine, idonei sumus: dum (vt ait Augustinus de verbis Apostoli cap.2.) nostra merita obliti, Christi dona amplectimur.

Hæc ergo sit certa regula generalisque, Eum ad participandos diuinæ misericordiæ fructus comparatum: qui seipsum non dico iustitia, quæ nulla est, sed vana, ventosáq; iustitiæ imagine penitus exinaniuit. Quia tantum quisque impedimenti obiicit Dei beneficentiæ, quantum in seipso acquiescit.

Vt tota gloria Deo seruetur, sola fide iustificatur homo.

V. Considera, quàm atrox scelus sit, gloriam Deo detrahere & sibi adscribere. Detrahis autem, si credas, te tuis operibus iustificari, non iustitia Christi. Ergo, &c. Probatur Minor. Gloria solius Dei est hęc, quòd ipse sit iustus, & iustificans impium. Et ad hunc finem communicauit nobis iustitiam suam in Christo: vt manifestaret iustitiam suam. Et manifestat quidem, si solus agnoscatur iustus, & iustificans impium. Patet.

Rom.3. *Omnes egent gloria Dei Iustificantur gratis, id est, gratia eius, per redemtionem factam per Iesum Christum, &c. ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore: vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu.*

Vides iustitiam Dei non satis illustrari, nisi & solus in seipso censeatur iustus, & immerentibus iustitiæ gratiam communicet? Propter hoc vult omne os obturari, & obnoxium sibi reddi vniuersum mundum: quia quantisper habet homo, quod in suam defensionem loquatur, Dei gloriæ nonnihil decedit. Rom.3. *Scimus autem, quoniam quæcunque lex loquitur, iis qui in lege sunt, dicat, vt omne os obturetur: & reus fiat omnis Mundus Deo, quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.*

Contra verò ex recognitione nostræ iniquitatis, nomen Dei glorificatur. Ezech.20. *Recordabimini viarum, & omnium scelerum, quibus polluti estis: & displicebitis vobis in conspectu vestro, in omnibus malitiis, quas commisistis: & scietis, quia ego Dominus: cùm benefecero vobis propter nomen meum, & non secundum scelera vestra pessima.* Si hæc in vera Dei notitia continentur, vt propriæ iniquitatis conscientia attriti, nobis benefacere indignis illum repetemus: cur ergo tentamus (idque malo nostro) vel vllam particulam ex ista gratuitæ bonitatis laude, Domino suffurari?

Ier.c.9. similiter ait: *Ne glorietur sapiens in sapientia sua, aut diues in diuitiis, aut fortis in fortitudine sua, sed qui gloriatur, in Domino glorietur.* Annon innuit hic, de gloria Dei nonnihil decedere, si in semetipso glorietur homo? Ita est sanè. Nunquam in ipso verè gloriamur, nisi nostra gloria penitus abdicati. Aduersum vero Deum gloriatur, quicunque in seipso gloriatur: quia ita demùm reddi obnoxium Deo mundum censet Paulus, dum prorsus adempta est hominibus quæuis gloriandi materia.

Ies.45. *In Deo iustificabitur & laudabitur omne semen Israel*, q.d. in hunc finem à Domino iustificabuntur electi, vt in ipso, non alibi, glorientur. Qualiter autem laudari nos in Domino conueniat: proximo versu docuerat, nempe, vt fateamur esse in Domino iustitias nostras, & fortitudinem nostram, dicens: *Et iurabit omnis lingua: Duntaxat in Domino, scilicet sunt iustitiæ meæ.* Notandum, non exigi simplicem confessionem: sed iuramento confirmatam: ne ficta nescio qua humilitate defungendum putes.

At nequaquam glorior, dum citra arrogantiam, propriam iustitiam recognosco.

Resp. Talis æstimatio esse non potest, quin fiduciam generet: nec fiducia, quin gloriam pariat.

Meminerimus ergo in tota iustitiæ disputatione, finem hunc esse spectandum: nempe, vt illius laus penes Deum solida integraque permaneat. Quandoquidem in demonstrationem iustitiæ suæ, gratiam suam in nos effudit, vt sit ipse iustus, &c. *Rom.3.* Vnde alibi, cum docuisset nobis salutem contulisse, quò nominis sui gloriam illustraret: Postea quasi idem repetens, subdit, Eph.2. *Gratia enim estis saluati per fidem: & hoc non ex vobis, ne quis glorietur.*

Summa hæc est: Non posse hominem sibi vllam iustitiæ micam sine sacrilegio vendicare: quia tantundem de diuinæ iustitiæ gloria decerpitur ac delibatur.

Vt conscientia pacem habeat, sola fide iustificatur homo.

IV. Considera quietem conscientiæ coram Deo, quæ haberi non potest, si statuatur hominem iustificari ex operibus, non ex fidei institia. Iam vero si quæris, qua ratione serenari queat coram Deo conscientia: non aliam repeties, quàm si gratuita tibi iustitia Dei dono conferatur. Si enim statuas te iustificari ex operibus coram Domino oportere: quomodo vnquam conscientia tua quieta erit, quod sis iustus coram Deo, cùm semper in aliquo te esse peccato perspexeris? Audi Salomonem Prou.20. *Quis potest dicere, Mundaui cor meum: purificatus sum à peccato?* nemo est certè, qui non infinita colluuie obruatur. In suam ergo conscientiam descendat vel perfectissimus quisque, & facta sua ad calculum vocet: quem tandem exitum habebit? An quasi ben ecomposita sibi sint omnia cum Deo, suauiter conquiescet? An non potius diris tormentis lacerabitur, cùm in se damnationis materiam, si ab operibus æstimetur, residere sentiet. Conscientiam, si Deum respicit, vel cum illius iudicio certam pacem habere, vel inferorum terroribus obsideri necesse est. Nihil ergo proficimus de iustitia disserendo: nisi illam statuerimus, cuius stabilitate anima nostra in Dei iudicio fulciatur. Vbi anima nostra habebit, quo & intrepida coram Dei vultu appareat, & inconcussa eius iudicium excipiat: tum sciemus demum nos non fictitiam iustitiam reperisse.

Non ergo sine causa tantoperè hac in parte insistit Apostolus, dicens: *Si enim qui ex lege, hæredes sunt: exinanita est fides: abolita est promissio* Rom.4. Duo dicit: Primum, exinanitam & euacuatam esse fidem: si iustitiæ promissio operum nostrorum merita respiciat, aut ex legis obseruatione pendeat. Nunquam enim in ea securè acquiescere quisquam posset: quando nunquam futurum est, vt certo apud se quisquam statuat, se legi satisfecisse: sicut reuera nullus vnquam per opera plenè satisfacit. Sibi quisque testis esse potest, qui se recto oculo intueri volet. Igitur in omnium animos subiret primo hæsitatio: demum & desperatio: dum pro se quisque subduceret, quanta debiti mole adhuc premeretur, quamque longè distaret ab imposita sibi conditione.

En iam oppressam extinctámque fidem: non autem fluctuari, variare, sursum deorsum ferri, hæsitare, suspensum teneri, vacillare, desperare, fidere est: sed cōstanti certitudine ac solita securitate animum obfirmare, haberéque vbi recumbas ac pedem figas.

Subdit

Subdit Apostolus secundum: irritam & euanidam fore promissionem. Si enim eius complementum à nostro merito dependet: quando tandem huc ventum erit, vt Dei beneficentiam promereamur? Quin etiam hoc secundum membrum ex primo consequitur. Si quidem non implebitur promissio nisi credentibus Collapsa igitur fide: nulla vis promissionis residua erit. Ideò ex fide, hæreditas: vt secundũ gratiam, ad stabiliendam promissionem. Abundè enim confirmata est, dũ sola misericordia Dei nititur: quia perpetuo nexu coniunctæ sunt inter se, misericordia & veritas, id est, quæcunque Deus misericorditer pollicetur: fideliter quoque præstat. Itaque sic spem totam sistere conuenit, & velut profundè figere non respectare ad nostra opera, quo ex illis operibus subsidium aliquod petatur.

Sic agendum iubet Augustinus in Ps. 88. tract. primo. *In æternum regnabit Christus in seruis suis. Hoc promisit Deus, hoc dixit Deus: si parum est, hoc iurauit Deus Quia ergo non secundum merita nostra, sed secundum illius misericordiam firma est promissio, nemo debet cum trepidatione prædicare, de quo non potest dubitare.*

Bernhar. in dedicatione Templi, ser. 5. *Quis poterit saluus esse dicunt discipuli Christi. At ille: Apud homines impossibile hoc est, sed non apud Deum Hæc tota fiducia nostra, hæc vnica consolatio, hæc tota ratio spei nostræ. Sed de possibilitate certi, de voluntate quid agimus? quis scit an odio vel amore dignus sit? quis cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Hic iam planè fidem nobis succurrere necesse est, hic oportet succurrere veritatem, vt quod de nobis latet in corde Patris per Spiritum reueletur, & Spiritus eius testificans, persuadeat cordibus nostris, quòd filij Dei simus. Persuade autem vocando & iustificando gratis per fidem: in quibus nimirum velut medius quidam transitus est ab æterna prædestinatione ad futuram gloriam.*

Breuiter, sacra Scriptura indicat, nõ esse firmas Dei promissiones, nisi certa conscientiæ fiducia arripiantur: vbicunque est dubitatio, aut incertitudo, irritas fieri pronunciat. Atqui nihil quàm vacillare aut fluctuari eas pronunciat eadem sacra Scriptura, si operibus nostris incumbunt. Ergo aut pereat nobis iustitia necesse est: aut ne veniant in considerationem opera: sed sola fides locum habeat. Cuius fidei isthæc natura est, aures arrigere, oculos claudere, id est, vni promissioni intẽtam esse, cogitationem auertere ab omni hominis vel dignitate, vel merito. Ita impletur illud Zach. 3. *Vbi deleta fuerit iniquitas terræ, vocabit vir amicum suum subter vineam, & subter ficum suam.* Vbi Propheta innuit, non aliter vera pace frui fideles: nisi post impetratam peccatorum remissionem.

Per quatuor hominum genera, qui in Mundo sunt, ostenditur, quòd nemo ex operibus iustificari possit coram Deo: sed semper egeat misericordia Dei, & remissione peccatorum, quæ fide accipiuntur. Atque ideò quòd sola fide iustificetur homo coram Deo.

Quò res dilucidior fiat: qualis possit esse toto vitæ decursu hominis iustitia, excutiamus. Quadruplicem vero conditionẽ faciamus. Homines enim aut nulla Dei agnitione præditi, in idololatria demersi sunt: secundò, aut Sacramẽtis initiati, vitæ impuritate Deum, quem ore confitentur, factis abnegantes, titulotenus sunt Christi: tertiò, aut hypocritæ sunt, qui cordis nequitiam manibus fucis tegunt: quartò, aut Spiritu Dei regenerati, veram sanctimoniam meditantur. Ij sunt quatuor vitæ gradus vel quatuor hominum genera in Mundo. Videamus opera singulorum.

De primo hominum genere, & eorum operibus, siue iustitia.

Opera primi generis nihili sunt, nisi peccata, & in ipsis primis hominibus, quando naturalibus dotibus censendi sunt, a vertice capitis, vsque ad plantam pedis scintilla boni non reperietur. Hoc patet, quia Scriptura iis elogiis eos, id est, vniuersos filios Adæ commendat & exornat. Hier. 17. *Prauum est cor hominis.* Gen. 8. *Omne figmentum cordis humani malum est ab adolescentia sua.* Ps. 94. *Cogitationes hominis vana sunt.* Psal. 14. *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, vt videat ea: non est intelligens, non est requirens Deum, &c. non est timor Dei ante oculos eorum* Gen. 6. Non permanebit Spiritus meus in homine: quia caro est. Totus homo caro. Si est caro: hos fructus parit, quos Apostolus enumerat Gal. 5. *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, &c.* Hæc scilicet est ipsorum dignitas: cuius fiducia superbire debeant.

At nonne multi inter gentiles infideles, multa bona opera fecerunt? virtutibus plurimis præditi fuerunt, continentia, iustitia, fortitudine?

Resp. Etsi aliqui inter eos ea morum sanctitate pollent, quæ speciem aliquam sanctitatis habeat inter homines: quia tamen scimus, Deum non morari externum splendorem, ad fontem ipsum operum penetrandum est, si quid ipsa valere velimus ad iustitiam: inspiciendum, inquam, penitus est, ex quo cordis affectu opera ista prodeant. De iis igitur operibus sic sentio.

Opera infidelium pleraque dona Dei sunt, &c.

Primò non inficior esse Dei dona, quæcunque in infidelibus apparent egregiæ dotes. Neque verò sic à sensu communi dissideo, vt nihil interesse contendam inter Titi & Traiani iustitiam, moderationem, æquitatem: ac Caligulæ, vel Neronis, vel Domitiani rabiem, intemperiem, sæuitiam. Item inter obscœnas Tiberij libidines, & Vespasiani in hac parte continentiam Denique inter iuris legũmque obseruationem ac contemptum. Tantum enim est Iusti & Iniusti discrimen, vt vel in mortuo illius simulachro appareat. Quid enim ordinatum restabit in mũdo, si hæc inter se confundantur? Differunt igitur illorũ opera: legum obseruatio & contemptus. Patet. Primò videmus in vnoquoque, id est, in singulorum mentibus insculptam esse einsmodi distinctionem, inter honesta & turpia facinora. Secundò: videmus quòd Deus multis præsentis vitæ benedictionibus prosequatur eos, qui inter homines virtutem colunt: non quòd externa illa virtutis imago minimum eius beneficiũ mereatur: sed quia ita placet Deo approbare, quantopere cordi sibi sit vera iustitia, dum externam quoque & simulatam tẽporali remunerationem carere non patitur. Ergo sequitur, Dei esse dona, qualescunque istas virtutes, aut virtutum potiùs imagines, quoniam nihil est vllo modo laudabile, quod non ab ipso Deo proficiscatur.

Omnia tamen peccata sunt.

Secundò, Nihilominus tamen verum est, quod scribit Augustinus, contra Iulianum Pelagianum, lib. 4. c. 3. *Omnes à Dei vnius religione alienos, vtcunque ob virtutis opinionem admirabiles habeantur: non modò nulla remuneratione dignos: sed magis punitione: quòd pura Dei dona cordis sui pollutione contaminant.*

1. Etsi enim Dei instrumenta sunt ad conseruandam Iustitia, Continentia, Amicitia, Temperantia, Fortitudine, Prudentia, hominum societatem: bona tamen hæc Dei opera pessimè exequuntur: quia non sincero animi studio sed vel sola ambitione, vel amore sui, vel aliquo alio quouis obliquo affectu, continentur à malè agendo. Cùm ergo ab ipsa cordis impuritate, velut à sua origine, corrupta sint: nõ magis inter virtutes ponẽda erunt, quã vitia, quæ ob affinitatem ac similitudinem virtutis imponere solent.

2. Cùm perpetuum esse meminerimus recti finem esse, vt Deo seruiatur: quicquid aliò contendit, iam meritò amittit recti nomen. Atqui scopum non respiciunt infideles in suis operibus, quem sapientia Dei præscribit. Ergo tametsi officio bonum videtur, quod agunt, fine tamen peruerso, peccatum est. Constat ergo per Augustinum quoq; omnes Fabricios, Scipiones, & Catones in illis suis præclaris facinoribus, sic peccasse, quòd cùm fidei luce carerent, non ad eum finem ipsa retulerunt, ad quem referre debuerunt. Non fuit igitur in illis vera iustitia: quia non actibus, sed finibus pensantur officia.

3. Si verum est, quod ait Iohannes 1. Ioh. 5. Non esse vitam extra Filium Dei: qui patrem in Christo non habent, quales quales sint, quidquid agant vel moliantur: in exitium tamen & confusionem, æternæque mortis iudicium toto cursu pergunt.

Secundum hanc rationem illud ab Augustino ad Bonifacium lib. 3. c. 5. dictum est. *Religio nostra iustos ab iniustis; non operibus, sed ipsa fidei lege discernit, sine qua, quæ vocantur bona opera, in peccata vertuntur.* Quare bellè idem Augustinus in Psal. 31. præfatione, talium hominum studium erroneo cursui comparat, dicens: *Quò enim magis strenuè currit quis, eò longiùs à scopo recedit, ideòque fit deterior.* Quare meliùs esse contendit Augustinus: in via claudicare, quàm extra viam bene currere.

4. Mala arbor non potest bonos fructus facere.

Infideles autem sunt malæ arbores: quoniam sine Christi communicatione nulla est sanctificatio.

Ergo pulchros quidem, & adspectu speciosos, gustu etiam suaues fructus gerere possunt: bonos nequaquam.

Hinc facilè constat, & cernimus, esse maledictum, nec modò nullius pretij ad iustitiam, sed certi in damnationem meriti, quicquid cogitat, meditatur, perficit homo, antequam Deo per fidem reconcilietur. Heb. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.*

5. A gratia Dei, si opponatur naturali hominis conditioni, apertiùs patet.

Clamat vtique sacra Scriptura, Deum nihil in homine reperire, quo ad benefaciendum illi, inciretur, sed gratuita sua benignitate illum præuenire.

Ergo nihil boni in se habet homo ante reconciliationem. Patet. Homo mortuus nihil ad vitam potest.

Atqui dum sui cognitione Deus nos illuminat, dicitur à morte nos suscitare, ac nouam creaturam facere, vt patet ad Ephesios.

Eph. 2. *Deus, qui diues est in misericordia propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, etiam cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo.*

Ergo si mortui sumus, quid possumus?

Quare arrogantiam istam validè retundit Dominus in lib. Iob. c. 41. *Quis præuenit me, & retribuam ei:* omnia enim mea sunt. Quam sententiam explicans Paulus eò confert, ne putemus nos aliquid ad Deum afferre præter meram confusionem, dicens Rom. 2. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?*

Quare Apostolus ad Eph. 2. vt probet sola gratia Dei, non operibus, in spem salutis nos peruenisse: allegat nos illius esse creaturas, quoniam regenerati sumus in Christo Iesu ad bona opera: quæ præparauit. vt in illis ambulemus: dicendo, Eph. 2. *Ipsius enim factura sumus, creati in Christo, &c.* q. d. Quis nostrum iactet, se sua iustitia Deum prouocasse? cùm prima nostra ad bene agendum potentia ex regeneratione fluat? Vt enim natura conditi sumus: citiùs ex lapide oleum, quam ex nobis bonum opus exprimatur. Mirum profectò si homo tantæ ignominiæ damnatus aliquid adhuc reliquum sibi audet facere.

Fateamur ergo cum Apostolo 2. Timoth. 1. *Nos vocatos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum & gratiam eius, &c.*

Tit. 3. *Apparuit benignitas & humanitas saluatoris nostri Dei, quia non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.*

Hac confessione omni iustitia, vsque ad minimam particulam hominem spoliamus: donec sola misericordia in spem vitæ æternæ regeneratus fuerit. Quoniam si aliquid operum iustitia ad nos iustificandos confert, falsò dicimur gratia iustificari. Nam Apostolus ait Rom. 11. *Gratia ea non est gratia, si est ex operibus,* id est, si quid opera valerent, ad eam promerendam. Matt. 9. *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Si ergo soli peccatores admittuntur, quid per fictitias iustitias aditum quærimus?

6. Sed testimonijs sacræ Scripturæ rem agamus.

Esa 59. Vbi descripsit vniuersale humani generis exitiũ, pulchrè ordinem restitutionis subtexit, dicens: *Vidit Dominus, & malum apparuit in oculis eius: & vidit, quia non est vir & admiratus est, quia non est qui intercedat. Et salutem posuit in brachio suo, & in iustitia sua se confirmauit.* Vbi ergo sunt iustitiæ nostræ, si verum est, quod ait Iesaias, neminem esse, qui in recuperanda sua salute Deo opituletur?

Sic Oseæ 2. Vbi Dominum de reconciliandis sibi peccatoribus agentem inducit: ait, *Desponsabo te mihi in perpetuum, in iustitia, iudicio, gratia, & misericordia: dicam non misericordiam consecutæ, misericordiam consecuta.* Eiusmodi fœdus, quod primam nobis esse cum Deo coniunctionem constat, si misericordia Dei nititur, nullum relinquit iustitiæ nostræ fundamentum.

7. Iam à vobis scire cupio, qui hominem cum aliqua operum iustitia Deo obuiam procedere fingitis, an omninò vllam esse iustitiam putetis, nisi quę sit accepta iustissimo Deo? Id cogitare insanum est. Ergo in hominibus nondum reconciliatis vlla potest esse iustitia: quam totam vtpote inimicam, cum omnibus suis factis auersatur Deus. Quod sint inimici Dei, antequam per Christum reconcilientur, patet Rom. 5. *Cum inimici essemus, &c.* Ab inimico nihil gratum sibi offerri potest. Ergo, &c.

8. Cùm simus inimici Dei natura nostra: ipse prior nos diligit & reconciliat sibi. Rom. 5. Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo, &c. 1. Iohan. 4. *Non quasi nos dilexerimus eum, sed ipse prior dilexit nos, &c.* Oseæ 14. *Diligam eos spontanea dilectione quia conuersus est furor meus.* Ergo operibus non inuitatur, sed sponte ad nos se inclinat eius dilectio. Principium autem dilectionis Dei erga nos, est ipsa iustificatio. Ergo cum absque præuio amore nostro nos ipse prior diligat: etiam absque præuiis operibus nostris ipse nos iustificat.

At fateor quòd nemo promeritus fuerit, vt Christus redemtionem nostram perageret: vt autem redemtionis possessionem adeamus, operibus nostris adiuuamur.

Resp. Cum ait Apostolus: *Reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius cum inimici essemus:* non ita intelligitur, quòd reconciliati quidem simus in quantum quòd Christus effudit sanguinem pro nobis, sed tamen adhuc in eius reconciliationis possessionem ingressi nondum simus, imò adhuc maneamus extra communionem Christi. Sed tunc dicimur reconciliari, cum per Spiritum sanctum in Christi communionem inserti sumus. Si ergo reconciliati dicimur gratis, cùm essemus inimici, & reconciliati tunc dicimur, cùm in redemptionis possessionem ingressi sumus: ergo in possessionem redemptionis ingredimur gratis, nec egemus, aut adiuuamur operibus nostris, vt adeamus redemptionis possessionem.

Hoc igitur nota, quòd vtcunque à Christo redemti simus: donec tamen Patris vocatione inserimur in illius communionem: & tenebrę, & mortis hæredes, & Dei aduersarij sumus. Non enim ab immundiciis nostris purgari nos & [illegible] docet Paulus Christi sanguine, nisi dum purgationem illam Spiritus sanctus in nobis efficit.

1. Corin. 6. *Et hæc aliquando quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi.* Quòd idem dicere volens Petrus, declarat Spiritus sanctificationem, valere in obedientiam & aspersionem sanguinis Christi, dicens:

1. Pet. 1. *Petrus Apostolus Iesu Christi, &c. per sanctificationem Spiritus sancti, in obedientiam & adspersionem sanguinis Iesu Christi.* Si Christi sanguinem in purificationem per Spiritum adspergimur: ne putemus alios nos esse ante huiusmodi irrigationem, quàm est sine Christo peccator.

Maneat ergo illud: Principium nostræ salutis esse quandam velut à morte ad vitam resurrectionem.

De secundo hominum ordine, & de tertio, &c.

Quòd verò secundus hominum, nempe, sceleratorũ, licet baptizatorum, ordo: & tertius, nempe, hypocritarum: nihil boni habeant, nulla bona opera teneant, nullam veram iustitiam possideant, qua coram Deo iustificari possint, & [illegible] fidere: patet hinc.

Conscientiæ impuritas, atgnit vtrosque nondum esse Dei Spiritu regeneratos. Non esse autem regeneratos, arguit in eis fidei defectum. Fidei autem defectus, arguit eos nondum esse Deo reconciliatos, nondum in conspectu eius iustificatos: quoniam ad hæc bona, non nisi fide peruenitur. Cum autem à Deo alienati sint: quid parere possunt, nisi illius iudicio exsecrabile? Ergo nihil habent, quo confidant suorum operum iustitia.

Hac quidem confidentia stolida, cùm impij omnes turgent, tum pręsertim hypocritæ, quòd vtcunque totum cor suum obscœnitate scatere norint: si qua tamen edunt speciosa opera, digna existimant, quæ Deus non aspernetur. Hinc perniciosus ille error, quòd sceleratæ & nefariæ mentis conuicti, adigi tamen nequeunt, vt se iustitia vacuos fateantur, sed iniustos se agnoscentes, quia inficiando nõ sunt, iustitiam tamen nonnullam sibi arrogant. Hanc vanitatem refutat Hagg. 2. Dominus dicens: *Interroga sacerdotes dicens: Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, & panem aut aliũ cibum admouerit, numquid sanctificabitur? Responderunt autem sacerdotes: Non. Et ait Aggæus: Si tetigerit pollutus in anima aliquid horum, numquid contaminabitur? responderunt sacerdotes, contaminabitur. Et ait Aggæus Sic populus iste ante faciem meam, dicit Dominus: & sic omne opus manuum eorum, & omnia quæ obtulerint mihi, contaminata erunt.* Vtinam hæc sententia intimis memoriæ nostræ arcanis insideat. Nemo est enim, quamlibet flagitiis [illegible], qui, cum vno vel altero legis officio perfunctus fuerit, non putet, id sibi iustitiæ loco acceptum ferri. Contra reclamat Dominus, nullam inde acquiri sanctificationem, nisi corde prius bene purgato. Neque eo contentus, asseuerat, illa cordis impuritate contaminari quæcunque à peccatoribus opera prodeunt. Facessat ergo nomen iustitiæ ab iis operibus, quę pollutionis, ore Domini damnantur. Et quidem hoc dicit de operibus, quæ sua lege mandata erant: quæ improborum sputeiria contaminari asserit.

Idem dicit per Esaiam. *Ne offeratis sacrificium frustra, &c. Lauamini, &c.* Cur Dominus ita nauseat ad obsequium suæ legis? Imò verò nihil hic respuit, quod sit ex germana legis obseruatione: cuius initium esse vbique dicit sincerum sui nominis timorem. Illo sublato non modo nugæ sunt, quęcun-

quæcunque illi offeruntur, sed fœtidæ abominandæque sordes Prouerb.15. *Victimæ impiorum abominabiles Domino: vota iustorum placabilia*.

Constat ergo, quæ vel summo splendore conspicua sunt opera in hominibus nondum regeneratis per Spiritum sanctum, tam procul abesse à iustitia coram Deo, vt peccata censeantur. Ac proinde verissimè illi dixerunt, qui tradiderunt, non conciliari gratiam personæ apud Deum per opera: sed è conuerso, tum placere demum opera, vbi persona prius inuenerit gratiam in conspectu Dei. Ideo ille ordo obseruandus, de quo Gen. 4. Respexit Dominus primò ad Abel: secundò, & ad munera eius. Vides Deum hominibus propitium, nunquam ad opera eorum respicere. Quare purificationem cordis præcedere oportet: vt quæ à nobis prodeunt opera, benignè a Deo excipiantur. Porrò sola fides est, qua corda purificantur, vt ait Spiritus sanctus per os Petri. Vnde constat primum esse in vera viuaque fide fundamentum.

De quarto hominum ordine.

Videamus nunc quid habeant iustitiæ, quos in quarto ordine posuimus. Primò fateor, dum nos, intercedente Christi iustitia, sibi reconciliat Dominus, ac gratuita peccatorum remissione donatos pro iustis habet: cùm eiusmodi misericordia coniunctam simul esse hanc Dei beneficentiam, quòd per Spiritum sanctum in nobis habitat, cuius virtute nostræ carnis concupiscentiæ magis ac magis indies mortificantur, nos verò sanctificamur, id est, consecramur Domino, in veram vitę puritatem, cordibus nostris in Legis obsequium formatis. Atque ita, vt hæc sit præcipua nostra voluntas, voluntati eius seruire, ac eius duntaxat gloriam modis omnibus prouehere.

Verùm dico etiam, quòd dum sancti Spiritus ductu in viis Domini ambulamus, remaneant tamen imperfectionis nostræ reliquiæ, quæ nobis humilitatis argumentum præbeant, idque ne nostri obliti, animos tollamus.

1.Reg.8. *Non est homo iustus, qui faciat bonum, & non peccet*. Qualem ergo iustitiam ex suis operibus, etiamnum obtinebunt?

Sanctorum iustitia imperfecta & diminuta.

Hic *primùm* dico, quod optimum ab illis proferri potest, aliqua tamen semper carnis impuritate respersum & corruptum esse, ac tanquam aliquid fæcis admixtum habere. Seligat ex tota vita sua sanctus Dei seruus, quod in eius cursu putabit maximè eximium se edidisse: bene reuoluat singulas partes: deprehendet proculdubio alicubi, quod carnis putredinem sapiat: idque quoniam ea nunquam est nostra alacritas ad bene agendum, quæ esse debet, sed in cursu retardando multa debilitas est. Quanquam non obscuras esse maculas videmus, quibus respersa sunt opera sanctorum. Hac tamen minutissimos duntaxat næuos esse, sed an oculos Dei nihil offendeat, coram quibus ne stellæ quidem puræ sunt? Habemus hic, ne vnum quidem à Sanctis [illegible] opus, quod si in se censeatur, non mereatur iustam [illegible]sionem.

Secundò. Etiamsi fieri posset, vt aliqua nobis essent omnino pura absolutaque opera: vnum tamē peccatum satis est, ad delendam extinguendàmque omnem memoriam prioris iustitiæ: vt Ezech. 18. ait, & confirmat Iacobus, dicens, Iacob.2. *Qui offenderit in vno, factus est omnium reus*.

Iam cum hæc Vita mortalis nunquam à peccato sit pura nec vacua: quicquid iustitiæ à nobis comparatum foret, id sequentibus identidem peccatis corruptum, oppressum, & perditum in conspectum Dei non veniret, nec in iustitiam nobis imputaretur.

Denique, vbi de Iustitia operum agitur: non opus legis respiciendum est, sed mandatum. Ideo si ex lege iustitia quæritur: frustrà vnum aut alterum opus proferemus, sed necessaria est perpetua legis obedientia. Quare illam, de qua loquuti sumus, peccatorum remissionem, non semel vt multi opinantur, sed solidè nobis in iustitiam Deus imputat: vt impetrata præteritæ vitæ venia, postea in lege iustitiam quæramus. Absit: hoc enim modo nos in spem falsam inductos redderet ac luderet. Cùm enim perfectio nulla obtingere nobis possit, quamdiu hac carne induti sumus: lex autem mortem ac iudicium omnibus denunciet, qui non integram iustitiam opere præstiterint: habebit semper lex, quo nos accuset, reosque agat, nisi contrà misericordia Dei occurreret, quæ assidua remissione peccatorum nos subinde absolueret. Quare id semper constat: si ipsi ex nostra dignitate æstimemur, quidquid meditemur, aut moliamur, nos tamen cum omnibus nostris studiis ac conatibus, morte & confusione dignos esse. Hæc duo vrgenda sunt: Primum, nullum vnquā extitisse pij hominis opus, quod, si seuero Dei iudicio examinaretur, non esset damnabile. Secundum: Etiamsi tale aliquod detur, quod tamen possibile homini non est, peccatis tamen, quibus laborare ipsum authorem certum est, vitiatum ac inquinatum gratiam perdere.

Atque hic præcipuus est nostræ disputationis cardo. Hinc enim sequitur principalis conclusio, nempe: Ergo homo non solùm in principio iustificationis, sed per totam vitam, sola semper fide iustificatur coram Deo: id est, sola peccatorum remissione, plenáque Christi iustitia fide apprehensa coram Deo iustus iudicatur, censetúrque. Aduersarij enim sic inquiunt.

Quòd homo non solùm in principio iustificationis, sed per totam etiam vitam, sola semper fide, coram Deo iustificetur, &c.

At fatemur, hominem sola fide iustificari in prima iustificatione, i. in principio iustificationis, cùm scilicet ex impio fit pius & iustus: Nulla enim merita, sed multa demerita præcesserunt. Verùm in secunda iustificatione, cùm ex iusto fit iustior: dicimus hominem non sola fide, sed etiam ex operibus bonis iustificari, &c.

R. Si per iustificari accipitis & intelligitis bonum & sanctum fieri, ac renouari: nos quoque fatemur, non fide sola, sed omnibus virtutibus & operibus indies hominem magis iustificari, i. sanctiorem, melioremque fieri. Iuxta quam significationem ait Ioh. in Apoc.22. *Qui iustus est, iustificetur adhuc*. Si verò per iustificari intelligitis propria significatione, pro iustum apud Deum in perfecto eius iudicio censeri, atque ita vt iustum & innocentem absolui & pronunciari; negamus hominem iustificari ex operibus suis coram Dei iudicio posse. Et ratio est: quia opera hominis, quantumlibet sancti, semper sunt & imperfecta, & manca: atque ideo legi Dei nunquam satisfacientia, ita vt semper sancti egeant Dei misericordia, peccata ignoscente, & Christi iustitia iniquitates nostras obtegente: quæ misericordia Dei, & quæ Christi iustitia, cùm sola fide apprehendantur & acceptentur a nobis, ideo dicimus sola fide hominem semper iustificari.

Sit ergo hæc propositio inuicta. Homo non solū in principio iustificationis, sed etiam per totam vitam, sola fide, id est, sola Dei misericordia, propter Christum peccata ignoscente & condonante, ac per fidem comprehensa, id est, agnita, & per voluntatem acceptata, coram Deo iustificatur (in propria significatione accepto vocabulo iustificari) nunquam autem ex operibus: cùm solus Christus vt homo ex operibus iustificatus sit coram Deo.

1. Rom.4. Abraham iustificatus fuisse sola fide scribitur, non eo tempore, quo idolis adhuc seruiebat, sed cum multis iam annis vitæ sanctitate excelluisset. Diu ergo coluerat Abraham ex puro corde, & eam legis obedientiam præstiterat, quæ ab homine mortali præstari potest. Et tamen habet adhuc repositam in fide iustitiam: Ergo non ex operibus vnquam iustificatus fuit coram Deo: ita vt non eguerit misericordia Dei peccata condonante.

2. Habac.2. *Iustus ex fide sua viuet* Ibi non de impiis & profanis habetur sermo, quos Dominus non ad fidem conuertendo iustificet, sed oratio ad fideles dirigitur: & iis vita promittitur ex fide.

3. Psal.32. *Beati quorum remissa sunt iniquitates, &c*. Certè Dauid non loquitur de impiis, sed de fidelibus, qualis ipse erat: quia ex conscientiæ suæ sensu loquebatur. Vnde ait, *Pro hoc orabit ad te omnis Sanctus*: Ergo hanc beatitudinem, id est, iustitiam, vt Paulus explicauit Rom.4. non semel habere, sed tota vita tenere nos oportet.

4. Legatio de gratuita cum Deo reconciliatione, non in vnum aut alterum diem promulgatur, sed perpetuam in Ecclesia esse testatur Apostolus. Ergo non aliam iustitiam ad finem vsque vitæ habent fideles, quàm quæ illic describitur: Manet enim perpetuò Mediator Christus, qui Patrē nobis reconciliet: ac perpetua est mortis eius efficacia: nempe ablutio, satisfactio, expiatio, perfecta denique obedientia, qua iniquitates omnes nostræ obteguntur.

5. Eph.2. Non ait Paulus, nos initium salutis accepisse, ex gratia per fidem, sed ait: *nos saluatos per fidem, non ex operibus, ne quis glorietur*.

Quòd nos nostráque opera propter solam Christi iustitiam; qua nos nostráque opera tecta sunt, Deo placeamus, gratique simus.

At neque nos dicimus tanti esse intrinseca dignitate, opera nostra, vt ad iustitiam comparandam sufficiant, sed hoc acceptantis esse gratiæ fatemur, quod tantum valeant.

Resp. Hanc quam vocatis acceptantem gratiam, Ego non aliam esse respondeo, quàm gratuitam eius bonitatem, qua nos in Christo complectitur Pater, dum innocentia Christi nos induit, eamque fert nobis acceptam, vt eius beneficio pro sanctis, puris, & innocentibus nos habeat. Iustitiam enim Christi, quæ vt vna & perfecta est, ita sola, Dei conspectum sustinere potest, pro nobis sisti oportet, ac iudicio repræsentari veluti sponsorem. Hac nos instincti assiduam peccatorum remissionem in fide obtinemus Huius puritate velatæ nostræ sordes, & imperfectionum immunditiæ, non imputantur, sed velut sepultæ conteguntur, ne in iudicium Dei veniant: donec hora aduenit, qua, confecto in nobis ac planè extincto veteri homine, diuina bonitas nos in beatam pacem cum nouo Adamo recipit: vbi diem Domini expectemus, quo in gloriam cœlestis regni, receptis incorruptis corporibus, transferamur.

Hæc si vera sunt: nec vlla nostra opera ex se, nos Deo acceptos gratiososq; reddere queunt: nec ipsa opera placere ei possunt, nisi quatenus homo, iustitia Christi opertus, Deo placet, & vitiorum suorum remissionem obtinet.

Delicta nostra compensari operibus supererogationis an possint, &c.

1. At nos fatemur, iustitiam operum semper hic esse imperfectam: ac præterea concedimus, quamdiu viuimus, remissione peccatorum indigere, qua defectus operum suppleatur. Sed addimus, delicta quæ committuntur, operibus supererogationis compensari apud Deum.

Resp. Quod dicatis, delicta nostra compensari operibus nostris aliis, quæ opera supererogationis vocatis: procedit hinc. *Primò*, quia putatis, hominem, qui partim legem obseruet, ea parte, qua legem seruat, operibus iustum esse coram Deo: id quod non admittitur. Ratio est: quia Dominus testificatur sæpe, se non agnoscere vllam operum iustitiam, nisi in perfecta suæ legis impletione. Gal. 3. *Maledictus qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt ea faciat* Iacob. 2. *Qui offenderit in vno, reus est omnium.* Ezech. 18. *Iustus si conuersus fuerit à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnium iustitiarum eius non recordabor.*

Secundò procedit: quia non reputatis, quàm execrabilis res sit peccatum, sed extenuatis illud nimium, quasi quod peccatum aliquibus, iisque etiam imperfectis, & sæpe friuolis satisfactiunculis nostris compensari possit: cùm tamen vsque adeò grauis res sit, vt pro eo expiando oportuerit Filium Dei crucifigi.

Tertiò procedit, quia non putatis nec creditis, remissionem peccatorum esse gratuitam. Si gratuita enim est: quomodo ergo peccata operibus nostris compensantur.

Sed contra hæc supererogationis opera, est illud Christi, Lucæ 17. *Cùm feceritis hæc omnia, dicite, serui inutiles sumus, fecimus enim quod debuimus facere.* Iubet hic Dominus, vt sincerè sentiamus & nobiscum reputemus, nulla sibi gratuita præstare officia, sed debitas operas reddere. Et iure: Serui enim sumus, tot obsequiis defœnerati, quot defungi nòn possumus, etiamsi omnes nostræ cogitationes, omniaque membra in legis officia verterentur. Cùm ergo nos longè absimus ab impletione omnium, quæ præcepta nobis sunt: quomodo audebimus gloriari, nos cumulum addidisse ad iustam mensuram.

2. At hæc opera vocamus supererogationis, quæ fiunt à nobis, cùm tamen non sint præcepta, sed liceat nobis ea facere, & omittere. Fatemur autem in iis, quę tenemur per legem Dei facere, nullum nobis supererogationis opus superes e.

Resp. Si quid boni operis inueniri potest, aut ab homine fieri potest, quod non in lege contineatur: concedo opera supererogationis dari posse Sed dicimus, nihil nobis quod vel ad Dei cultum, vel ad dilectionem proximi conferat, in mentem venire posse, quod non sub lege comprehendatur, qua præcipitur dilectio Dei ex toto corde, tota mente, cunctis viribus, & dilectio proximi peræqua ac nostri.

3. At 1. Corint. 9 Paulus gloriatur, quòd inter Corinthios iure suo sponte cesserit, quod licebat alioqui, si libuisset, vsurpare.

Respon. Animum aduertere conuenit: ad rationem illic assignatam, hoc fecisse, ne infirmis offendiculo foret. Nam mali fraudulentique operarij & pseudoApostoli venditabant se hoc benignitatis lenocinio, quò & fauorem suis prauis dogmatibus conciliarent, & odium conflarent Euangelio. Ita vt necesse fuerit Paulo, vel in periculum accersere Christi doctrinam, vel eiusmodi artibus & lenociniis obuiare. Agedum si res media & indifferens est, Christiano offendicula incurrere, cùm abstinere liceat; fateor Apostolum aliquid Domino supererogasse. Si autem hoc iure requirebatur abs prudenti Euangelij dispensatore, ideo fecisse quod debebat. Denique etiam si talis causa non apparet: verum tamen semper est illud Chrysostomi, nostra omnia eandem habere conditionem cum seruorum peculiis, quæ iure ipso deberi Domino constat. Ideò Christus Lucæ 17. ait: *Quam gratiam habetis seruo, qui tota die laborarit.* Atqui fieri potest, vt seruus plura fecerit, vel maiore industria laborarit, quàm nos ausi fuerimus ei imperare: & tamen nullam gratiam habemus isti: Quantò minus exspectare eam de iure à Deo debemus, etiamsi fecerimus, quæcunque fieri ab homine bona possunt.

In operibus nostris nec fidendum nec gloriandum est, &c.

Duæ potissimum pestes in hac parte, ex animis nostris abigendæ sunt. *Primò*: ne quid fiduciæ in operum iustitia ponamus. *Secundò*: ne quid gloriæ illi adscribamus.

Fiducia expellitur his locis. Esaiæ 64 *Iustitiæ nostræ omnes sunt tanquam pannus menstruatæ.* Et fœtent in conspectu Dei, nisi à Christi innocentia bonum odorem ducant. Ergo non est fidendum. Psal. 130 *Si iniquitates obseruaueris, Domine: Domine quis sustinebit?* Iniquitatibus plenæ sunt iustitiæ nostræ: Ergo nihil possunt nisi irritare Deum, nisi misericordiæ eius indulgentia sustineantur: Ergo non illis fidendum. Psal. 143. *Ne intres in iudicium cum seruo tuo, Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens* Iob. 10. *Si impiè egi, væ mihi: si iustè nec sic erigam caput.* Cur? tum quia id egi Spiritus sancti virtute tum quia tam modica est illa iustitia sua, vt ad præsentiam Dei mox collapsura sit:

Gloria quoque expellitur necessariò, expulsa fiducia. Quis enim glorietur, aut laudem iustitiæ assignet operibus, quorum confidentia trepidet à conspectu Dei? Ritè ergo tum purgatus erit animus, cùm nec in fiducia operum vlla ex parte recumbet; nec in gloria exultabit.

Nostra salutis causa quæ sint, &c.

At cur non fidam iis operibus, quæ sunt causæ salutis meæ?

Resp. Opera nostra nullo modo causa sunt salutis nostræ: nisi ingressus ad possessionem salutis nostræ, vt dicetur.

Primò, Causa efficiens salutis nostræ non sunt, sed Deus solus, id est, misericordia Dei, & gratuita eius erga nos dilectio.

Secundò, Materialis non sunt: quia solus Christus cum sua obedientia per gratiam nobis iustitiam acquisiuit.

Tertiò, Formalis vel instrumentalis, est Fides ipsa. Has tres causas comprehendit Iohannes vna sententia, dicens; *Sic Deus dilexit Mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Quartò, Finalis causa est, & diuinæ iustitiæ demonstratio; & bonitatis laus. Hoc docet Paulus, enarrans & alias tres causas, dicens; *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, Iustificantur autem gratis gratia ipsius.* En primam causam. Sequitur. *Per redemtionem, quę est in Christo Iesu.* En secundam. Sequitur. *Per fidem in sanguine ipsius.* En causam tertiam, scilicet instrumentalem Sequitur. *Ad ostensionem iustitiæ ipsius vt sit ipse iustus, & iustificans eum qui est ex fide Christi.* En quartam. Atque vt obiter quoque demonstret, iustitiam hanc reconciliatione constare; ea nominatim ponit, Christum datum esse in reconciliationem. Ita Eph. 1. Docet nos recipi à Deo in gratiam ex mera misericordia. Secundò, id fieri Christi intercessione Tertiò, fide apprehendi Quartò, omnia in hunc finem, vt diuinæ bonitatis plenum elucear Cum igitur videamus, omnes nostræ salutis particulas extra nos constare; quid est, quod iam operibus vel confidamus, vel gloriemur.

Cur interdum sancti suas iustitias commemorent & quasi iactent, tum coram Deo, tum coram hominibus, &c.

1. At cur in iustitia operum meorum confidere & gloriari interdum non possum, cum & sancti sæpè tum coram Deo, tum corā hominibus suas iustitias recensere, iactare, in eis

cis gloriari & confidere soleant? 4.Reg.20. *Memento, quaeso, quomodo ambulauerim coram te in corde perfecto, & fecerim quod placitum est in oculis tuis.* Psal.7. *Iudica me, Domine, secundum iustitiam meam, &c.*

Resp. Quòd innocentiæ integritatisque suæ memoria sæpiusculè sancti se confirmant, & consolantur, nec etiā ab ea prædicanda interdum abstinent: id fit bifariam. Primò: vel quòd bonam suam causam cum mala impiorum causa cōparando, securitatem inde victoriæ concipiunt, non tam suæ iustitiæ commendatione, quàm iusta meritáque aduersariorum condemnatione. Secundò: vel quòd etiam sine aliena comparatione, dum se coram Deo recognoscunt, nōnullam illis & consolationem, & fiduciam adfert propriæ conscientiæ puritas. De priore ratione postea videbimus, nunc de posteriore differemus.

2. At si sancti commemoratione iustitiæ suæ coram Deo, & fiduciam & consolationem in conscientia capiunt: quomodo ergo hoc conuenit cum illo, quod suprà dictum est, nulla esse in Dei iudicio operum fiducia subnitendum, nulla eorum opinione gloriandum.

Resp. Hæc conuenientia est. Primò sancti, cùm de fundāda constituendaque salute sua agitur: citra operum respectum, in Deum solum, id est, in solam Dei bonitatem oculos intendunt. Neque ad eam modò ante omnia, tanquam ad beatitudinis principium se conuertunt, sed tanquam in complemento conquiescunt. Secundò, postquam verò sic fundata & erecta, & stabilita est conscientia solius misericordiæ Dei consideratione: postea operum quoque consideratione eadem conscientia stabilitur: quatenus sc. opera illa bona, testimonia sunt Dei in nobis habitantis & regnātis. Cùm igitur isthæc operum fiducia locum non habeat: nisi totam prius animi fiduciam in misericordiam Dei reieceris: non debet hæc operum fiducia videri contraria fiduciæ solius Dei misericordiæ, vnde pendet.

3. At si non est contraria operum fiducia, fiduciæ misericordiæ Dei: cur ergo eam excludis, negasque fidendum & gloriandum in operibus bonis?

Resp. Dum excludo operum fiduciam, hoc duntaxat volo: ne mens Christiana ad operum meritum, velut ad salutis subsidium reflectat, sed penitus resideat in gratuita iustitiæ promissione. Non vetamus autem, ne diuinæ erga se beneuolentiæ signis, hanc fidem Christiana mens fulciat & confirmet. Nam si, dum memoria repetuntur, quæcunq; in nos dona Deus contulit: sunt nobis quodammodo instar radiorum diuini vultus, quibus illuminamur ad summam illam bonitatis lucem contemplandam: multò magis bonorum operum gratia, quæ Spiritum adoptionis nobis datum commonstrat, erit instar potentissimi radij diuini vultus, quo ad perfectè videndam Dei faciem illuminemur.

Cum igitur à conscientiæ innocentia fidem suam confirmant Sancti, & exultandi materiam sumunt, nihil aliud, quam à fructibus vocationis, se in filiorum locum à Domino cooptatos esse reputant.

Ergo quod à Salomone traditur, Prou.14. *In timore Domini firmam esse securitatem:* & quod interdum sancti, quo exaudiantur à Domino, hanc obtestationem vsurpant, se ambulasse coram facie eius in integritate & simplicitate: locum in iaciendo firmandæ conscientiæ fundamento nullū habent: sed tum demum valent, si à posteriori sumantur. Et ratio est: quia & nullibi est timor ille, qui securitatem plenam obfirmare queat: & Sancti talis sibi integritatis conscij sunt, cui multæ carnis reliquiæ adhuc sunt permixtæ. Quomodo igitur locum habere possunt in iaciendo firmādæ conscientiæ fundamento.

Quòd verò valeant, si à posteriori sumantur, patet.

Nam quia ex regenerationis fructibus, habitantis in se Spiritus argumentum capiunt: ideo inde se non mediocriter ad expectandum in omnibus necessitatibus auxilium Dei confirmant, cùm in re tanta Patrem experiuntur.

Sed nota, quod ne id quidem possunt, nisi primùm Dei bonitatem nulla alia quam promissionis certitudine obsignatam apprehenderint. Nam si illam æstimare incipiunt à bonis operibus: nihil erit incertius, nihil infirmius. Quandoquidem si per se opera æstimentur: non minus iram Dei sua imperfectione arguent, quàm vtcunque inchoata puritate, beneuolentiam testantur.

Videmus iam, non eam in Sanctis fiduciam operum esse, quæ vel merito eorum aliquid tribuat (quando eam non aliter, quàm Dei dona intuentur, vnde eius bonitatem recognoscant: non aliter quàm vocationis signa, vnde suam ipsorum electionem reputent) vel quidpiam deroget gratuitæ, quam in Christo consequimur, iustitiæ: quando ab hac illa dependet, nec sine hac subsistit.

August. in Psal.137. paucis verbis, sed eleganter significat, cùm ait: *Non dico, Domine, opera manuum mearum ne despicias: exquisiui Dominum manibus meis, & non sum deceptus: sed opera manuum mearum non commendo. Timeo enim, ne, cùm inspexeris, plura inuenias peccata, quàm merita. Hoc solum dico, hoc rogo, hoc cupio: Opera manuum mearum ne despicias. Opus tuum in me vide, non meum. Nam si meum videris, damnas: si tuum videris, coronas. Quia & quæcunque mihi sunt opera bona, abs te sunt, &c.*

Duas causas ponit Augustinus, cur non ausit sua opera venditare Deo. Primò quia si quid bonorum operum habeat, nihil illic videat suum. Secundò, quia id peccatorum multitudine obruatur. Vnde fit, vt plus inde timoris & cōsternationis sentiat conscientia, quàm securitatis. Ergo non aliter vult Augustinus Deum intueri velut sua rectè facta, quàm vt vocationis suæ gratiam in illis recognoscens, opus quod inchoauit, ipse perficiat.

Opera nostra causas esse consequendæ salutis, quomodo id intelligendum sit.

Quid est, quod bona fidelium opera, causas esse cur Dominus illis benefaciat, & vitam æternam det, sacra Scriptura ostendit? vt Gen.22. *Quia fecisti hanc rem, propterea benedicam tibi.*

R. Necesse est, vt stet inconcussum, quod antea posuimus: nempe primò, Effectum nostræ salutis in Dei Patris dilectione situm esse. Secundò, Materiam in Filij obedientia. Tertiò, Instrumentum in Spiritus sancti illuminatione, id est, Fide. Quartò, Finem esse tantæ benignitatis, gloriam Istis nihil obstat, quo minus opera Dominus tanquam causas inferiores amplectatur. Sed vnde id? Nempe, quos sua misericordia æternæ vitæ hæreditati destinauit: eos ordinaria dispensatione sua per bona opera inducit in possessionē illius hæreditatis. Quod in ordine dispensationis præcedit, posterioris causam vocat. Bona opera præcedunt: sequitur hæreditatis possessio. Ergo ob hanc dispensationem, opera bona vocat causas possessionis vitæ æternæ. Hac igitur ratione, ab operibus interdum vitam æternam deducit: non quod illis referenda sit accepta, sed quia quos elegit, iustificat, vt demum glorificet (vt ait Rom.8.) Ideo priorem gratiam, quæ gradus est ad sequentem, causam quodāmodo sequentis facit. Ac quoties assignanda est vera causa: non ad opera confugit sacra Scriptura, sed in sola misericordiæ Dei cogitatione nos retinet, vt patet ad Rom.c.6. *Stipendium peccati, mors est: gratia Dei, vita æterna.* Cur non, vt vitam morti, sic peccato iustitiam opponit? Cur non vt peccatum mortis: ita iustitiam vitæ causam statuit? Sic enim ritè constituta erat antithesis: Stipendium peccati, mors: Stipendium iustitiæ vita. Sed Apostolus id quod erat, exprimere ista voluit comparatione: meritis hominum deberi mortem: vitam non nisi in sola Dei misericordia esse repositam.

Conclusio principalis & status controuersiæ de Iustificatione.

Iam quod præcipuum est in hac causa, expediuimus: nempe iustitiam, quia si operibus fulciatur, corruere protinus à conspectu Dei necesse sit: ideo sola Dei misericordia, sola Christi communicatione, ideóque sola fide contineri. Hæc autem est summa ratio.

1. Operum iustitia, in perfecta solummodò absolutaque legis obseruatione consistit. Hæc maior patet: quia Gala.3: *Maledictus qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis, vt ea faciat.* Ezec.18. *Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, secundum omnes abominationes quas operari solet impius, nunquid viuet? Omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur.* Iacob.2. *Qui offenderit in vno, factus est omnium reus.*

Nullus autem homo in hac vita peruenit vnquam, aut perueniet, aut peruenire potest ad perfectam absolutamq; legis impletionem: ita vt nullius, vel minimæ transgressionis argui queat. Prouer.24. *Septies in die cadit iustus.* 1.Ioh.1. *Si dixerimus, peccatum non habemus, mentimur, & veritas non est in nobis.* Matth.6. *Dimitte nobis debita nostra.* Psal.143. *Non intres in iudicium cum seruo tuo, Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.*

Ergo ex operibus iustificari nemo potest, sed sola Dei misericordia, sola Christi iustitia nobis imputata: ideóque sola fide.

Quòd necessaria & vtilia sint bona opera, & ad quid, &c.

At nunquid igitur, quia iustificare non possunt hominē

coram Dei iudicio, ob hoc frustranea sunt opera nostra, quæ per Spiritum sanctum in nobis fiunt?

Resp. Absit: imò & necessaria sunt, & maximè vtilia.

Primò necessaria sunt ad iustificationem fidei coram Deo, non vt causæ, sed vt effectus. Nam iustificari non potest homo absque fide vera recipiente iustitiam Christi oblatam, & remissionem peccatorum per Christum. Fides autem sine suis necessario cohærentibus effectibus, nempe operibus bonis stare non potest. Ergo sicut fides ad iustificationem necessaria est tanquam causa instrumentalis recipiens: ita opera necessaria sunt tanquam effectus inseparabilis à fide, & tanquam fines iustificationis. Ideo enim gratis iustificamur per fidem, vt bene operemur, & per bona opera glorificetur Deus.

Secundò, necessaria sunt ad consecutionem vitæ æternæ non tanquam causæ (propriè loquendo) meritoriæ: (vna enim Christi iustitia & sola Christi opera, meritoria propriè fuerunt vitæ æternæ.) Sed tanquam necessariæ viæ, per quas ordinariè Deus electos suos ad possidendam vitam æternam eis iam ante Mundi constitutionem paratam, & in iustificatione fidei donatam, ducit. Ephes. 2. *Ipsius enim factura sumus, conditi in Christo Iesu, creati in operibus bonis quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Et ob hoc dicuntur causæ, non vt nobis adiudicetur vita æterna, sed vt in eius possessionem ingrediamur. Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione Mundi: Esuriui enim, & dedistis mihi cibum: sitiui, & dedistis mihi potum, &c.* quasi dicat: opera pietatis, quæ fecistis, effecerunt, non quidem vt vobis parata sit & donata vita æterna, cum hæc vobis à principio Mundi parata fuerit, absque operibus vestris: & cùm vobis donata sit in benedictione, id est, in iustificatione fidei, sed effecerunt, & causa fuerunt, vt nunc ingrediamini ad possidendum regnum, iam ante vobis paratum.

Tertiò, necessaria sunt ad iustificationem inhærentem, tanquam causæ. Homo enim iustitia inhærente iustificatur, ex operibus, i. sanctificatur, renouatur, iustus fit, iuxta quem sensum loquuntur Scholastici, & ante eos, Patres: & ante hos, Ioh. dicens Apoc. 22. *Qui iustus est, iustificetur adhuc.*

Quartò, vtilia sunt ad conseruandam, ad augendam fidem. Item ad multa bona, tum spiritualia, tum corporalia, tum in hac vita, tum in alia à Deo promerenda, & obtinenda, vt postea dicetur.

De bonorum operum meritis.

Diuersæ sunt istę duæ quæstiones: vtrum ex operibus iustificemur: Et, vtrum opera, licet ad iustificandum nō sufficiant, homini tamen aliquam apud Deum gratiam promereantur. Ideo valde hallucinantur, qui ad probandam operum iustificationem afferūt testimonia Scripturarum, quæ probant opera alicuius esse apud Deum pretij, & quæ operibus meritum aliquod apud Deum tribuere videntur. Primam quęstionem absoluimus: nunc absoluemus & alterā.

Vtrum hoc nomen, Meritum, vsurpari in Ecclesia debeat. Videtur quòd sic. Quia hoc passim vsi sunt Patres antiqui, Augustinus, & alij. Secundò cùm operibus nostris dentur præmia: & propter illa nobis multa bona dari testetur sancta Scriptura. Ergo, &c. Sed ex altera parte videtur, quòd vsurpari non debeat.

Primò, quia S. Scriptura non vtitur hoc nomine. Nos autem loqui debemus iuxta Scripturam, in iis, quæ pertinent ad fidem. Ergo.

At imo Scriptura vtitur hoc nomine. Primò, Eccl. 16. *Misericordia faciet locum vnicuique, secundum meritum operum suorum.* Secundò, Heb. 13. *Beneficentiæ & communicationis nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.*

R. ad primum: In textu Græco deest vox illa, Meritum, sed ita habet: πάσῃ ἐλεημοσύνῃ ποιήσει τόπον, ἕκαστος κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ εὑρήσει.

Ad secundum, Græcè sic habet: τοιαύταις γὰρ θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ Θεός, id est, in talibus enim hostiis sibi bene complacet, Deus: siue, tales hostiæ placent Deo, & gratæ sunt Deo.

Secundò, non est necesse vsurpari hoc nomen, cùm preciū bonorum operum alio nomine explicari vtilius possit, vt per Mercedis.

Tertiò, cùm hoc nomen in se fastuosissimum sit, certè nihil quàm obscurare Dei gratiam, & homines praua superbia imbuere potest.

Ad primum respondeo: Licet Patres vsi sint hac voce: tamen semper eam aliquibus particulis additis mitigant, ne veritati præiudicare videantur. Vnde sæpe meriti dignitatem prosternunt. Aug. de prędest. sanct. *Humana merita hic conticescant, quæ perierunt per Adam: & regnet quæ regnat Dei gratia per Iesum Christum.*

Chrysost. in Gen. hom. 33. *Nostra, si quę sequuntur Dei gratuitam vocationem opera: retributio sunt in debitum. At Dei munera, gratia & beneficentia & largitionis magnitudo.*

Bernhar. in cant. ser. 68. *Proinde merita habere cures: habita, data noueris: fructum speres, Dei misericordiam: & omne periculum euasisti paupertatis, ingratitudinis, præsumtionis.* Sed relicta contentione de nomine ad rem ipsam veniamus.

Quantum apud Deum mereantur opera nostra, &c.

Quid mereantur opera nostra, Scriptura ostendit, cùm Dei conspectum ferre posse negat: quia immunditiæ plena sint. Quid deinde promeritura sit perfecta legis obseruatio, si qua reperiri posset: eadem sacra Scriptura ostendit, cùm docet Luc. 17. vt nos inutiles seruos reputemus, cùm fecerimus omnia, quæ præcepta sunt nobis: quia nihil gratuitum impenderimus Deo, sed debitis obsequiis tantùm defuncti simus, quibus non est habenda gratia. Dominus tamen, quæ in nos contulit bona opera, & nostra appellat, & non tantùm accepta sibi esse testatur, sed remuneratione etiam habitura. Nostrum est vicissim tanta promissione animari, animósque colligere, ne bene agendo defatigemur, & tantam Dei benignitatem vera gratitudine prosequi. Gratiam Dei esse non dubium est, quicquid in operibus est: quod laudem meretur, nullam esse guttam, quam propriè nobis adscribere debeamus. Id si verè seriòque cognoscamus: euanescit qualibet meriti non fiducia modò, sed opinio. Bonorum igitur operum laudem, non inter Deum & hominem partimur, sed totam, integram, inuiolatámque ac illibatam Domino seruamus. Tantùm hoc homini assignamus, quòd & ipsa, quæ bona erant, sua impuritate polluit & contaminat. Nihil enim ab homine, quantumuis perfecto exit, quod non sit aliqua macula inquinatum.

Vocet igitur in iudicium Deus, quæ in humanis operibus optima sunt suam in illis quidem iustitiam agnoscet: hominis verò confusionem.

Placent itaque Deo bona opera: nec suis autoribus sunt infructuosa: quin magis amplissima Dei beneficia remunerationis loco, referuntur: non quia ita merentur, sed quia diuina benignitas hoc illis ex se ipsa precium statuit. Quæ autem ista est malignitas, non contentos illa Dei largitate, quæ nihil tale merentia opera, indebitis præmiis munerartur: sacrilega ambitione vltra contendere, vt operum meritis videatur rependi, quod diuinæ totum est munificentiæ? Hic sensum communem vniuscuiusque appello. Si is, qui vsumfructum in agro, aliena liberalitate habet, proprietatis quoque titulum sibi vindicet: an non huiusmodi ingratitudine, eam ipsam, quam tenebat, possessionem amittere meretur? Item, si manumissus à Domino seruus, dissimulata libertinæ conditionis humilitate, pro ingenuo sese venditet: an non dignus est, qui in pristinam redigatur seruitutem? Hic enim legitimus est demum fruendi beneficij vsus, si nec plus arrogamus nobis, quàm datum est, nec boni autorem sua laude fraudamus: quin potius sic nos gerimus, vt residere quodammodo apud eum videatur, quod in nos transtulit. Hæc moderatio, si erga homines præstanda est: videant singuli & reputent, qualis Deo debeatur.

Quod Christus sit nostra iustitia, sapientia, & quomodo, &c.

In Architectura Christianæ doctrinæ fundamentum posuit Paulus apud Corinthios, præter quod nullum poni potest: & super quod extrui cętera omnia debent. Hoc fundamentum est Christus Iesus. Quale verò fundamentum nobis est Christus? An quod initium nobis fuit salutis, vt postea complementum à nobis sequeretur? & viam aperuit tantùm, per quam ipsi postea nostro marte pergeremus? absit: sed fundamentum est, quia factus est nobis tota iustitia nostra, sanctificatio, & redemptio, vt antè explicauerat Apostolus, dicens: *Qui factus est nobis iustitia, sapientia, sanctificatio, &c.* non dicit, Christum missum esse, quò nos ad iustitiam consequendam iuuet, sed vt ipse sit nostra iustitia, nostra merita, nostra sapientia.

Quomodo verò Christus est nostra iustitia?

Primò, quia in ipso lecti sumus ante mundi constitutionem, nullo nostro merito, sed secundum diuinum beneplacitum. Eius morte ipsi à mortis damnatione redempti, ac liberati à perditione sumus: quod in ipso adoptati sumus in filios & hæredes à Patre cœlesti: quod per ipsius

ipsius sanguinem Deo sumus reconciliati: quòd illi in custodiam dati, pereundi excidendíque periculo eximimur: quòd illi ita inserti, iam vitæ æternæ, quodammodo sumus participes, in regnum Dei per spem ingressi, &c.

Secundò, quia per ipsum recipimus Spiritum sanctum, quo renouati in parte incipimus in nobis ipsis iusti esse, iustitia inchoata.

Tertiò, quia talem eius participationem adepti, licet adhuc simus in nobis stulti, ipse nobis coram Deo sapientia est: Licet peccatores simus: ipse nobis coram Deo est iustitia: licet immundi, ipse est puritas: licet infirmi & inermes, & Satanæ expositi: ipse est nobis fortitudo, qua pro nobis Satanam conterat, inferorum portas confringat, mundum vincat: licet morti adhuc obnoxij, ipse nobis est vita. Breuiter quod omnia illius nostra sunt, & nos omnia in illo habemus, in nobis nihil. Super hoc fundamentum ædificari nos conuenit: super iustitiam ipsius, nostram fundari: super sua merita, nostra adhærere: nullúmque opus aggredi debemus, sine fide, id est, nisi priùs certa animi fiducia definierimus, illud propter Christum Deo placiturum.

Argumenta contra fidei iustificationem: & eorum solutiones, &c.

At videtur, quòd malum sit, prædicare, homines non ex operibus iustificari, nec salutem mereri, sed tantùm per fidem in Christum: Quia ex hoc sequuntur duo mala. Primum, abolentur bona opera, atque ab eorum studio abducuntur homines. Secundum, nimis facile iter ad iustitiam sternitur, cùm in gratuita peccatorum remissione ipsam iacere doceris: & hac illecebra homines suapte natura plus nimio procliues ad peccandum alliciuntur.

Quòd per fidei iustitiam non tolluntur bona opera, sed magis stabiliuntur.

Resp. Non solùm non tolluntur bona opera per fidei iustificationem, sed etiam magis stabiliuntur & eriguntur.

Primò, non prædicamus fidem bonis operibus vacuam, sed fidem ad iustificationem requiri, quæ efficax sit per charitatem Ergo non destruuntur opera per fidei iustificationem. Vnde Rom.3. *Nunquid per fidem destruimus legem? absit: imo stabilimus legem, &c.*

Secundò, non prædicamus iustificationem, quæ sine operibus bonis constet: imo iustificationem fidei absque bonorum operum studio esse non posse asserimus: quin ad hoc gratis per fidem iustificari hominem propter Christũ dicimus, vt per hanc regeneratus valeat implere mandata. Vnde Rom.8. *Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum Spiritum.*

Hoc tantùm interest, quòd, cùm fidem & opera bona necessariò inter se cohærere fateamur: in fide tamen, non in operibus iustificationem ponimus. Id qua ratione, explicare promtum est, si ad Christum modò conuertamur, in quẽ dirigitur fides, & vnde totam vim accipit.

Quare ergo fide iustificamur, non operibus? Quia non operibus, sed fide apprehendimus iustitiam Christi, qua vna, Deo reconciliamur. Hanc verò apprehendere non possis, quin & sanctificationem apprehendas. Datus est enim nobis Christus in iustitiam, sapientiam, sanctificationem. Nullum ergo Christus iustificat, quem non simul sanctificet. Sunt enim perpetuo nexu coniuncta hæc beneficia, vt quos sapientia sua illuminat, eos redimat: quos redemit, iustificet: quos iustificat, sanctificet. Vis ergo in Christo iustitiam adipisci? Christum ante possideas oportet. Possidere autem non potes, quin fias eius sanctificationis particeps, quia in frusta discerpi non potest. Cùm ergo hæc beneficia non nisi seipsum erogando fruenda nobis Dominus cõcedat, vtrumque simul largitur, alterum sine altero nunquam.

Patet igitur, quomodo non sine operibus quidem, sed tamen non per opera iustificemur: quia in Christi participatione, qua iustificamur, non minus sanctificatio continetur, quàm iustitia.

Stimuli ad bona opera efficacissimi, &c.

Illud quoque falsum est, abduci homines à bonorum operum studio: cùm illis merendi opinionem tollimus. Nam quod aiunt, nullam fore curam instituendæ vitæ, nisi spe mercedis proposita: tota errant via. Si enim hoc tantùm agitur, vt homines mercedem spectent, cùm Deo seruiũt, & illi suas operas locent ac vendant: parum proficitur. Gratis enim coli vult Deus, gratis amari: & illum cultorẽ probat, qui præcisa omni spe recipiendæ mercedis, colere tamen eum non cessat.

Porrò, si incitandi sunt homines ad bona opera: nemo potest acriores admouere stimulos, quàm à redemtionis & vocationis nostræ fine. Quales adhibet verbum Domini cùm dicit, Heb.9. *Quantò magis sanguis Christi emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti.* Luc.1. *Fecit redemtionem plebi suæ, vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris.* Tit.2. *Apparuit gratia Saluatoris nostri Dei, omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè, iustè & piè viuamus.* 1.Thess.5. *Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Iesum Christum Dominum nostrum, qui mortuus est pro nobis.* Ad Ephes.5. *Eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino: vt filij lucis ambulate.* 2.Cor.6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio lucis cum iniquitate? Vos enim estis templum Dei viui.* 1.Thess.4. *Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem: quia hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* Ad Rom.6. plenum est stimulis ad bona opera totum illud caput, absque tamen vnquam mercedis nomine. 1.Ioh.4. totum plenum est, ardentissimis facibus, ad inflammandum corda nostra charitate in proximos: absque tamen nomine mercedis, dicens, *Diligamus nos inuicem: quia charitas ex Deo est* Item, *Charissimi, si Deus dilexit nos: & nos debemus alterutrum diligere.* 1.Iohan.3. *In hoc manifesti sunt filij Dei à filiis Diaboli, quia omnis, qui non est iustus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem.* Rom.12. Quoniam sumus vnum corpus in Christo, inde hortatur ad mutua inter nos charitatis officia Iohannis 15. *Exemplum dedi vobis: vt sicut ego feci, ita & vos.* 1.Pet.2. *Christus passus est pro nobis vobis relinquens exemplum.* Philipp.2. *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu.*

Pleni sunt Apostolorum libri hortationibus ad bona opera, citra meriti mentionem semper. Imo inde potius ducuntur exhortationes, quod nullo nostro merito, sola Dei misericordia stet nostra salus. Patet ad Rom.12. Vbi postquam tota epistola disseruit, nullam esse nobis spem vitæ, nisi in Christi iustitia: deinde ad exhortationes veniens, per illam Dei misericordiam, qua nos dignatus est, obsecrat, dicens, Rom.12. *Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.*

Quod si qui gloria Dei non adeo vehementer afficiuntur: memoria tamen beneficiorum eius sufficientissima est, quæ tales ad benefaciendum incitet.

Neque tamen respuo aut vitupero illud adhortationis genus, quo adhortantur ad bona opera, à spe mercedis recipiendæ, cùm eo sæpe vtatur Spiritus sanctus in Scripturis, idque ne vllam omittat animandi vos vndique rationem. Sed hic dico multa.

Primò, quod illud adhortationis genus à spe mercedis non est vnicum, neque præcipuum genus.

Secundum, quod exordium adhortandi inde sumendum non est.

Tertium, quod neque illud genus vsui & vtile est, nisi illa doctrina præoccupauerit, nempe solo Christi merito, quod per fidem apprehenditur, nos iustificari. Et ratio est: quia nulli ad sanctitatis studium & ad bona opera apti esse possunt: nisi qui doctrinam hanc de fidei iustificatione imbiberint prius. Quod & Propheta innuit, dicens, Psal.130. *Quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam, &c.* Vbi Hebraicus textus habet: Verum apud te propitiatio est, & propterea timeris. Nullum enim esse Dei cultum ostendit, nisi agnita eius misericordia, qua sola fundatur & stabilitur.

Illud verò secundum falsissimum est, homines scilicet inuitari ad peccandum, cùm gratuitam peccatorum remissionem, in qua est iustitia nostra, affirmamus. Nos enim dicimus duo. Primum, tãtam esse peccatorum nostrorum fœditatem, vt nullis nostris operibus, sed solo Christi sanguine abstergi, sola gratuita peccatorum condonatione deleri possit. Secundum, hanc peccatorum remissionem, nobis quidem esse gratuitam, non autem Christo, cui tam magno constitit, nempe suo sacratissimo sanguine, extra quem nullum satis dignum pretium fuit, quod Dei iudicio solueretur. Hæc qui audiunt, an non maiorem debent concipere horrorem peccati, quàm si bonorum operum adspersione abstergi diceretur? Et si quid Dei habent,

quomodo non horreant semel purificati, denuò se in lutum peruoluere, quòd huius fontis puritatem, quantum in se est, conturbent & inficiant? audi Cant. 5. *Laui pedes meos* (ait anima fidelis) *quomodo rursum inquinabo illos?*

Quòd fides efficiat, vt Legis promissiones irritæ non sint.

II. Aut promissiones Legis (verbi gratia) cùm Dominus promittit vitam & benedictionem, si fecerimus legem, omnino irritæ sunt, aut non. Irritas dicere, absonum est: si non sunt irritæ: ergo cùm sint alicuius efficaciæ, manifestum, quòd non ex sola fide, sed etiam ex operibus iustificetur homo.

R. Si in lege hæreamus, promissiones eius omnino irritæ fiunt, & sola nos maledictio manet: idque quia solis totius legis factoribus, promissiones legis factæ sunt: maledictio verò interminata transgressoribus. Nullus autem potest inueniri perfectus legis cultor. Ergo irritę manent, & maledictioni obnoxij reddimur. Vt igitur ab hac maledictione liberemur, & vt promissiones legis irritæ non sint, oportet nos liberari à legis seruitute in libertatem Euangelicam, libertatem, inquam, spiritualem, quæ ostendat, conscientiam liberam esse à maledictione legis, qua illam lex vinctam tenebat. Hanc autem a legis seruitute liberationem & manumissionem assequimur, cùm per fidem misericordiã Dei in Christo apprehendimus: qua securi certique de peccatorum remissione, quorum sensu nos pungebat lex, reddimur. Hoc modo per fidem liberamur a legis maledictione. Secundò, per hanc eandem fidem, legis promissiones irritæ non maneat: quia per fidem agnoscimus, Christum pro nobis totam legem impleuisse, atque ita promissionũ legis impletionem nobis impetrasse: atque ita perfectam iustitiã nobis donasse. Præter hoc fides etiam impetrat Spiritum S. qui efficit vt legem, si non perfectè, saltem magna ex parte faciamus. Hæc verò opera legis, quæ facimus ex fide, per Spiritum sanctum, Deus acceptat, ac si perfectissima essent: non propter ipsa opera in se, sed propter nos, iam Christo per fidem iunctos.

Vnde patet, quòd per fidem promissiones legis impleantur nobis: primò perfectissimè in Christo, cuius perfecta obseruatio, nostra est. Secundò imperfectè etiã in nobis, quorum obedientia propter Christum acceptatur, vt perfecta.

Ad argumentum igitur respondeo formaliter: Legis promissiones irritæ omnino manent, nisi aliam ex fide iustitiã fuerimus adepti.

At absonum est, eas irritas esse.

Resp. Absonum esset irritas esse, si hoc ex defectu Dei procederet: sed cùm procedat ex defectu nostro, qui legem nõ facimus ob nostram prauitatem, absonum non est. Et ideò ne irritæ manerent, Deus aliam nobis iustitiam in Christo donat: vt ita iustitia legis impleretur in nobis. Per quem Christum etiam fit, vt nostra opera, licet imperfecta, tamen Deo grata sint, & benedictionibus remunerentur.

Tres causæ quæ opera nostra grata Deo reddunt, & vt benedictionibus Dei ornentur, efficiunt, &c.

Fateor igitur fidelium operibus rependi, quæ iustitiæ & sanctitatis cultoribus in lege sua Dominus promiserat. Verum in hac retributione consideranda semper est causa, quæ gratiam operibus conciliat. Ea triplex est.

Prima, quòd Dominus auerso ab operibus serui sui intuitu, quæ confusionem magis, quàm laudem perpetuò merentur, ipsum in Christo complectitur, ac sola fide intercedente, citra operum subsidium, reconciliat sibi.

Secunda, quia opera, non æstimata eorum dignitate, paterna benignitate atque indulgentia huc honoris attollit, vt aliquem pretij habeat.

Tertia, quia ea ipsa cum venia suscipit, non imputata imperfectione: qua omnia inquinata, peccatis magis, quàm virtutibus accensenda alioqui forent.

Atque hinc apparet, quantopere delusi sint illi, qui bellè se omnia absurda euasisse putarunt, cum dicerent: non intrinseca quidem sua bonitate valere, opera ad salutem demerendam, sed tamen valere ex pacti ratione, quia scilicet Dominus, sua liberalitate tanti æstimauit. Atqui non obseruabant ij interim, quæ meritoria opera esse volebant, quantum abessent à promissionum conditione, nisi & iustificatio sola fide subnixa, & peccatorum remissio, per quam a maculis libera quoque opera abstergi necesse habent, præcederet. Itaque ex tribus diuinæ liberalitatis causis, quibus fit, vt accepta sint fidelium opera, vnam tantum adnotabãt, duas, & quidẽ præcipuas supprimebãt, &c.

III. Act. 10. ait Petrus: *In veritate comperio, quod non sit personarum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timet Deum & facit iustitiam, acceptus est illi.* Hinc videtur, quod homo rectis studiis, & bonis operibus conciliet sibi Deum: imo quod operibus flectat Deum ad misericordiam.

Ergo non solius Dei beneficium esse videtur, quòd salutem consequamur.

Resp. Homo antequam per fidem reconciliatus sit Deo, non potest vllis operibus, nec flectere Deum ad misericordiam, nec salutem consequi, quia peccata omnia sunt, opera, quæ non sunt ex fide: ideòque nec acceptus est Deo ipse, nec opera sua. De hominibus igitur non gratis per fidem in Christum iam regeneratis, sed adhuc infidelibus, nõ loquitur Petrus, quando ait: In omni gente homo timens Deũ, & faciens iustitiam, acceptus est illi: Patet: homo enim infidelis, nec timet Deum, nec facit iustitiam, nec acceptus est Deo: Ergo, &c. Vbi verò homo per fidem reconciliatus est gratis propter Christum Deo: tunc accepto Spiritu sancto incipit etiam timere Deum, & facere iustitiam: atque ita ob hæc etiam opera bona acceptus est Deo, qui non potest non exosculari, quæ per Spiritum sanctum suum in illo efficit opera. Et de iis loquitur etiam Apostolus. Hęc est enim acceptio, qua post suam vocationem Deo fideles approbãtur, operum quoque respectu. Notandum tamen, quòd Deo accepti sunt fideles, operum ratione, non aliter, nisi quia illorum causa & gratia, Dominus ipsa quoque opera sua acceptatione dignatur. Quia enim accepti sunt ipsi Deo propter Christum, ita etiam opera illorum accepta sunt Deo propter ipsos, in quibus respicit faciem Christi sui dilectissimi. Vnde potius iis locutionibus describuntur quales sint ij, qui accepti sunt Deo, quam propter quid accepti sint.

In hunc modum accipiendi sunt omnes loci, qui clementem ac misericordem Deum iustitiæ cultoribus esse testantur. Vt illud Mosis Deut. 7 *Dominus Deus tuus, custodiens pactum & misericordiam diligentibus se, & custodientibus præcepta sua in mille generationes.* Non quia diligunt Deum, ideo Deus custodit pactum & misericordiam. Sed describitur, quales sint illi, quibus custodit pactum.

Ita 2. Reg. 8 *Domine Deus Israel, qui custodis pactum & misericordiam, seruis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo.* Sicut enim Dominus in omnibus misericordiæ suæ pactis integritatem & sanctimoniam vitæ vicissim à seruis suis stipulatur, ne ludibrio sit ipsius bonitas, ne ve quis inanem ob eam exultatione turgidus benedicat animæ suæ, ambulans interim in prauitate cordis sui: Ita in fœderis communionem admissos vult hac via in officio continere: Nihilominus tamen minus sua dus ipsum & gratuitum initiò feritur, & perpetuò manet tale. Huc referatur illud quoque Psalmi de ciuibus Ecclesiæ, Psal. 15. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam, innocens manibus & mundo corde.* Hic non describitur firmamentum quo fideles coram Domino subsistant: sed modus, quo & in suum consortiũ eos clementissimus Dominus introducit, & in ipso tuetur confirmátque. Quia enim peccatum detestatur, & iustitiã amat, ideo quos sibi coniungit, eos Spiritu suo purificat, vt sibi regnóque suo reddat conformes.

Ergo si prima causa quæratur, vnde pateat Sanctis accessus in Dei regnum, vnde habeant, vt consistant in eo ac permaneant: promta est responsio, quia Dominus eos sua misericordia & adoptauit semel, & perpetuò tuetur: Si autem quæratur modus: tum ad regenerationem est descendendum, eiusque fructus, qui Psalmo illo recensentur.

Opera Legis cur vocentur Iustificationes.

IV. At bona opera in sacra Scriptura vocantur Iustificationes, iustitiæque titulo ornantur. Ergo signum est, quod iustificent.

Resp. Opera bona, si æstimentur ex Legis natura, quę quidem Lex perfectam iustitiam continet in se, verè sunt iustificationes, & si fierent sicut Lex præcipit, iustificarẽt. Si verò considerentur & æstimentur ex propria ipsorum conditione, prout fiunt ab homine corrupto, nõ sunt iustificationes, nec iustificare possunt: nempe, quia ob carnis nostrę debilitatem nunquam fiunt, sed fieri debent. Dominus enim ea, quæ Lege continentur, mandauit hominibus in iustitiã, sed eam iustitiam non exequimur, nisi totam Legem obseruando: qualibet enim transgressione corrumpitur.

Cum ergo Lex nil nisi iustitiam præscribat, si in ipsam respicimus, iustitia sunt singula eius mandata. Si homines spectamus, à quibus fiunt, iustitiæ laudem non consequũtur,

rur, tum quia non omnia seruantur, tum quia quæ fiunt, aliqua ex parte vitiosa sunt, &c.

Homines interdum ex operibus iustificari dicuntur in Scriptura sacra: & quomodo.

V. At interdum sacra Scriptura dicit, homines iustificari ex operibus. Vt Deut. 6. *Erit hæc iustitia nostra, si custodierimus præcepta ista omnia*

Resp. Huiusmodi locutiones, sunt promissiones legales, quæ adnexa impossibili conditione nihil probant.

At sunt alia, de quibus idem respondere non possis. Vt illud Deut. 24. *Eritque tibi pro iustitia coram Domino, reddere pauperi depositum.* Item quando Phinees Zelum Dei declarauit, in vindicando Israelis probro: ait Scriptura imputatum fuisse ei in iustitiã, dicens: Ps. 105. *Exstitit Phinees, & placauit & cessauit quassatio: & reputatum est ei in iustitiam in generationem & generationem, vsque in sempiternum.*

Ergo non sola fide iustificatur homo.

R. Opera possunt considerari bifariam. Primò vel ex sua dignitate & merito: & hoc modo non possunt iustificare hominem, qui ea facit: quia non sunt ita perfecta, vt satisfaciant legi Dei. Et iuxta hunc modum loquitur sacra Scriptura, quando dicit, hominem ex operibus iustificari non posse: Secundò, vel ex acceptatione diuinæ bonitatis, siue prout fiunt ab homine Christiano, grato Deo, & remissione peccatorum donato, dilectóque in Christo. Et hoc modo Deus acceptat illa vt iusta, & imputat ea homini ad iustitiam: nempe, quia quicquid in illis operibus imperfectum est, Christi perfectione contegitur, quicquid næuorum ac sordium est, eiusdem puritate abstergitur, ne in iudicij diuini quæstionem veniant.

Obliterata igitur omnium transgressionum culpa, quibus impediuntur homines ne quicquam Deo gratum proferant: sepulto etiam imperfectionis vitio, quod bona quoque opera iusta censentur, & in iustitiam imputantur. Verùm hanc aliunde, quàm à suo merito, æstimationem habent, nempe à Christi merito, & quia præcessit peccatorum remissio fide accepta. Et iuxta hunc modum intelliguntur sententiæ iam allegatæ.

Quod si constat, à iustificatione fidei proficisci, vt opera, alioqui impura, immunda, dimidiata, indigna Dei conspectu, nedum amore, iustitiæ imputentur: Ergo sola fide non tantum nos, sed etiam opera nostra iustificantur. Ergo opera sunt effectus iustificationis fidei, non autem causa iustificationis.

Beatus qui timet Dominum, qui suffert tentationem, quomodo intelligantur: &c.

VI. Cùm beatitudo sit idem, quod iustificatio, vt patet ad Rom. 4. beatitudo autem sæpe attribuatur iis, qui bona opera faciunt, vt Ps. 1. *Beatus vir, qui timet Dominum. Qui miseretur pauperis, qui non ambulat in consilio impiorum. Qui suffert tentationem. Beati qui custodiunt iudicium & iustitiam: Beati immaculati, pauperes Spiritu, mites, misericordes.*

Ergo operibus iustificatur homo.

R. Psalmus attribuit beatitudinem peccatorum remissioni, quæ fide accipitur, & confirmat Paulus ad Rom. 4. *Beati quorum remissa sunt iniquitates.*

Quando verò attribuunt beatitudinem operibus, intelliguntur sic: quòd si homo verè timeret Deum, verè misereretur pauperis, faceretque omnia, quæ lex iubet: beatus esset. Sed quoniam nullus reperitur, qui perfectè timeat Deum, misereatur pauperis, omniáque legis mandata impleat, ideò conficitur, neminem ex operibus beatum verè dici posse, sed ex sola peccatorum remissione. Vbi verò hanc beatitudinem, quę est in peccatorum remissione, obtinuit homo: tunc etiam timens Deum, liber imperfectè sufferens tentationem, &c iustus prędicatur: quia ita acceptatur apud Deum, non merito operum, sed merito primæ beatitudinis fidei.

Quomodo factores legis iustificentur.

VII. Rom. 2. Non auditores legis, sed factores iustificabuntur.

R. Non concludit hominem iustificari ex operibus legis, sed tantùm, iustitiam non consistere in cognitione tantùm legis, qua superbiebant Iudæi, sed in perfecta obseruantia legis, quam cùm nullus in hac vita habere possit: sequitur ergo, nullum ex operibus legis iustificari posse.

Ex hac igitur sententia Pauli potius infertur, ex operibus non iustificari hominem: quàm iustificari ex operibus, sic:

Iustitia legis in operum perfecta obedientia sita est.
Atqui nemo iactare potest, se per opera legi satisfecisse
Ergo
A lege nulla est iustitia.

Quomodo sancti petant à Deo iudicari secundum suam ipsorum iustitiam: & eam examinandam Deo offerant.

VIII At fideles sæpe suam iustitiam examinandam Deo audacter offerunt, ac secundum eam se iudicari postulãt, vt patet Ps. 7 Iudica me, Domine, secundum iustitiã meã, & secundum innocentiam meam, quæ sunt in me. Item, Ps. 17. Exaudi Domine, iustitiam meam: probasti cor meũ, & visitasti nocte, & non est inuenta in me iniquitas. Item, Ps. 18. Retribuet mihi Dominus secundum iustitiã meam: quia custodiui vias, &c. Item, Psal. 26. Non sedi in concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus.

R. Cùm sancti gloriantur de sua iustitia, eámque examinandam Dei iudicio offerunt: primo nec de seipsis in vniuersum quæstionem haberi volunt, vt pro totius vitę tenore vel damnentur vel absoluantur, sed speciatim causam in iudicium disceptandam afferunt. Secundò, nec diuinæ perfectionis respectu, sed ex improborum & sceleratorum comparatione, iustitiam sibi arrogant. Ex iis igitur locis non probatur sanctos ex operibus iustificari, vel illis confidere in iudicio Dei.

Nam primò, cùm de homine iustificando agitur, nõ tantum quæritur, vt bonam in re aliqua causam habeat, sed perpetuam quandam, tota vita, iustitiæ symmetriam. Atqui sancti, dum ad comprobandã suam innocentiam Dei iudicium implorant: non seipsos omni noxa solutos, & omni ex parte inculpatos offerunt: sed cum in sola eius bonitate salutis fiduciam defixerint, confisi tamen eum esse vindicem pauperum præter ius & æquitatem afflictorum, causam, in qua innocentes opprimuntur, illi commendant. Ergo non contendunt ex operibus iustificari hominem.

Secundò, dum sancti secum aduersarios ad tribunal Dei sistunt, non iactant innocentiam, quæ puritati Dei responsura sit, si seuerè conquiratur, sed quia præ aduersariorum malitia, improbitate, astutia, nequitia, sinceritatem, iustitiam, simplicitatem, puritatémque suam Deo compertam, gratámque esse norunt: non reformidant inter se & illos iudicem Deum inuocare.

Exempla: 1 Reg 26. Sic cùm Dauid Sauli dicebat: *Reddat Dominus vnicuique secundum iustitiam & veritatem eius:* non intelligebat, vt Dominus vnumquemque per se examinaret, ac muneraretur pro meritis, sed Dominum attestabatur, quanta esset sua innocentia, præ Saulis iniquitate. Ita de Paulo dicendum, quum se gloriatur habere bonum conscientiæ testimonium, se cum simplicitate versatum. Ait enim 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Cur ita ait? quia sciebat Dei iudicium, humanam lippitudinem transcendere. Vtcunque ergo pij contra impiorum hypocrisin suam innocentiam Deo teste ac iudice defendant: vbi tamen cum solo Deo negotium est, omnes vno ore clamant, dicentes, Ps. 143. *Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.*

Quomodo Deus reddat vnicuique secundum opera sua.

IX. At legitur sępe quòd vnicuique reddat Deus secundum opera sua Ioh. 5. *Et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.*

Resp. Illæ locutiones ordinem consequentiæ magis, quàm causam indicant. Extra dubium enim est, Deum iis misericordiæ suæ gradibus salutem nostram consummare, dũ electos à se, vocat, vocatos iustificat, iustificatos glorificat. Tametsi ergo sola misericordia Dominus suos in vitam suscipiat: quia tamẽ in eius vitæ possessionem ipsos per viam bonorũ operũ deducit: nihil mirum, si secundum opera sua dicantur coronari, quibus operibus haud dubiè ad recipiendam immortalitatis coronã præparantur. Quin hac ratione appositè dicuntur salutem suam operari, dum bonis operibus incumbendo, vitam æternam meditantur. Neque tamen inde sequitur, vel ipsos esse autores suæ salutis, vel ab ipsorum operibus eam emanare. Quid ergo? simulac per Euangelij notitiam, & Spiritus sancti illuminationem, adsciti sunt in Christi consortium: inchoata est in illis vita æterna. Iam quod in illis bonum opus inchoauit Deus, oportet perfici vsque in diem Domini Iesu. Perficitur porrò, cùm iustitia & sanctitate Patrem cœlestem referentes, se filios eius non degeneres esse probant, &c.

Quomodo vita æterna vocetur merces operum nostrorum,&c.

X. At sæpè vita æterna vocatur merces operum nostrorum.

Resp. Primò hoc firmum & æternum est: vitam æternam dari solis Dei filiis in hæreditatem. Filij autem sunt per fidem in Christo. Ergo,&c. Vnde Paulus Gal.4. *Vos estis filij per fidem. Quòd si filij,& hæredes.* Matt.25. Cùm electos suos Christus vocat in possessionem vitæ æternæ, adiungit hæreditatis iure eam possidendam,dicens: κληρονομήσατε &c. Non ergo eam meremur nostris operibus,sed donatur gratis: quia filij per fidem sumus.

At cur ergo vocantur merces operum nostrorum?

Resp. Vno exemplo Abrahæ patefiet ratio,cur vocentur merces. Ante natum Isaac,promissum erat Abrahæ semen, in quo benedicendæ erant gentes omnes. Multis post annis, vt erat oraculo iussus, Abraham ad immolandum filium se accingit. Ista obedientia defunctus, recepit promissionem: *Per memetipsum iuraui,dicit Dominus,quia fecisti hanc rem,benedicam tibi.* Vt est Genesis 22. Quid audimus? An obedientia sua promeritus est Abraham benedictionem Dei, cuius promissionem receperat,antequam ederetur præceptum de occidendo filio? Hic profectò citra ambages tenemus,Dominum remunerare fidelium opera iis bonis, quæ illis iam ante cogitata opera dederat, nihil dum causę habens,cur ipsis benefaceret, nisi suam misericordiam. Et tamen non ludit nos Dominus,cùm ait,se rependere operibus, quod gratis ante opera donauerat. Donauerat ius,rependit possessionem.& ideò non ius vitæ ęternę vocatur merces,sed donum: ipsa vero vitæ possessio vocatur merces & retributio. Hoc autem modo loquitur Dominus, vocans vitam æternam mercedem: vt nos tot miseriis in hoc mundo oppressos, ad perseuerandum in bonis operibus,& patientia,quibus vitæ possessionem reddit,animet. Non ergo promittit operibus mercedem, ad inflandos gloria animos,sed ad subleuandam aliquo solatio carnis nostræ debilitatem. Quare cum Scriptura dicit, Deum iustum iudicem redditurum olim suis iustitiæ coronam: primò cum Augustino excipio,qui de Gratia & libero Arbitrio ad Valentin.ait: *Cui redderet iustus iudex coronam,nisi donasset gratiam misericors Pater: & quomodo esset iustitia,nisi præcessisset gratia,qua iustificat impium? Quomodo ista debita redderentur, nisi prius illa indebita darentur?* Secundò addo dicens: *Quomodo iustitiam imputaret nostris operibus,nisi quod iniustitiæ in illis est,absconderet sua indulgentia? quomodo censeret digna mercede,nisi quod in illis pœna dignum est, immensa benignitate aboleret?* Solet enim Augustinus gratiam nominare vitam æternam,quia gratuitis Dei donis reddatur, dum operibus rependitur. At Scriptura nos vltrà humiliat. Nam prǽterquam quòd in operibus gloriari vetat,quia sunt gratuita Dei dona,simul fæcibus quibusdam inquinata esse docet, vt satisfacere non possint, si ad iudicij eius regulam examinentur. Vnde Ecclesia cùm sepelit mortuos,statim incipit: Non intres in iudiciũ cum seruo tuo Domine,quia nullus apud te iustificabitur homo: nisi ei per te peccatorum tribuatur remissio. Aug. ad Bon.lib.9.c.5.fatetur aliis verbis, bonorum operum iustitiam inde pendere,quòd per veniam Deo approbantur: & fides soluit peccata,quæ in bonis operibus fiunt,&c.

Quomodo ob patientiam persecutionum propter Christum digni habeamur Regno Dei,&c.

XI. 2.Thess.1. *Gloriamur pro tribulationibus vestris, quas sustinetis in exemplum iusti iudicij Dei, vt digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini. Siquidem iustum est apud Deum,retribuere ijs, qui affligunt vos, afflictionem: & vobis qui affligimini,relaxationem nobiscum.*

Ergo ob persecutiones patienter latas, homo dignus habetur regno Dei.

Resp. Nulla hic meriti dignitas significatur,sed quia Pater vult eos, quos elegit filios, Christo primogenito conformari: sicut oportuit illum primo pati, & ita intrare in gloriam suam: ita nos per multas tribulationes oportet ingredi in regnum cœlorum. Tribulationes igitur dum patimur pro Christi nomine: quædam veluti notæ imprimuntur nobis, quibus oues gregis sui signare Dominus solet. Hac igitur ratione digni habemur regno Dei, quia stigmata Domini nostri Iesu Christi portamus in corpore nostro: quæ sunt filiorum Dei signa.

Quomodo iustum sit, vt Deus remuneret opera nostra bona?

XII. Heb.6. *Non est iniustus Deus,vt obliuiscatur operis vestri,& dilectionis.*

Res. Meminerimus primò,quòd hæc promissio,vt ceteræ omnes,nihil fructus nobis allaturæ essent,nisi præcederet gratuitum misericordiæ fœdus, cui tota salutis nostræ certitudo incumberet. Secundò, Eo autem freti, confidere securè debemus,obsequiis etiam nostris, quamlibet indignis non defuturam a Dei benignitate retributionem. Aug. Ps.32. & 109. *Fidelis Dominus qui se nobis debitorem facit,non aliquid à nobis recipiendo,sed omnia promittendo.* Promissiones autem Dei gratuitæ sunt: Ergo iustum est, vt Deus seruet suas promissiones,remuneret que opera nostra: non ob suum ipsorum meritum,sed ob Dei gratuitam promissionem.

Quomodo charitas sit vinculum perfectionis.

XIII. At Col.3. *Charitatem habete,quæ est vinculum perfectionis*: Ergo etiam est vinculum iustitiæ, quæ est perfectio.

Resp. Primò non sequitur de perfectione iustitiæ, sed de perfectione Ecclesiæ, quando bene simul membra cohærent.

Secundo: Esto, quia tamen omnes deficiunt à complemento charitatis, ideo omnibus spes perfectionis abscissa est,&c.

Locvs XII.

DE SIMILITVDINE ET DIFFERENTIA NOVI ET VETERIS Testamenti,&c.

Quàm necessarium & vtile sit tractare de veteri & nouo Testamento.

Cvm supra summam doctrinæ,qua ex vera Dei nostrique notitia in salutis communionem peruenimus,exequuti simus: Nunc tractare de similitudine ac differentia veteris & Noui Testamenti,& vtile & necessarium est.

Primo vtile: Cùm enim constabit, quoscunque homines ab initio mundi Deus in populi sui sortem cooptauit, eos hac lege,atque huius doctrinæ vinculo siue hoc fœdere fuisse illi fœderatos,quo & nos fœderati sumus: Valde confirmabitur fides nostra in Christum,vtpote quæ non res noua sit,sed antiquissima. Quia etiam tum Prophetæ tum Apostoli plurimum differre vetus testamentum à nouo prædicant: ideo ad Scripturarum intelligentiam vtile fuerit, si assignemus vtriusque Testamenti differentias.

Secundo vtile: Cùm enim furiosi quidam Anabaptistę non aliter de populo Israelitico sentiant & prædicent, quàm de aliquo porcorum grege: vtpote quem negant à Deo in hac terra saginatum citra spem vllam immortalitatis cœlestis: ideo pro arcendo hoc pestifero errore,necesse est, vt ostendamus,quid simile, quidve dissimile habeat vetus illud, quod olim cum Israelitis fœdus, ante Christi aduentum, Dominus pepigit: & quod nunc,eo manifestato, percussit nobiscum.

In quo conueniant,& in quo differant vetus & nouum Testamentum.

Vetus ac nouum Testamentum substantia & reipsa vnum prorsus atque idem sunt: Administratione autem variant. Primo igitur de similitudine,secundo de differentia dicam.

De similitudine aut potiùs vnitate veteris & noui Testamenti.

Tria potissimum sunt,in quibus consistit essentialiter similitudo & vnitas veteris & noui Testamenti.

Primum,res promissæ ac legatæ. Eædem enim res spirituales atque æternæ promissæ illis fuerunt, quæ & nobis: nec carnalis opulentia ac felicitas meta fuit Iudæis proposita(vt putant Anabaptistæ)ad quam demum adspirarent,sed in spem immortalitatis fuerunt,sicut & nos,cooptati: atque huius adoptionis reuelatio fuit illis tum Oraculis,tum Lege,tum Prophetis certo commendata.

Secundum,ratio promittendi ac benefaciendi. Eadem enim mera Dei bonitas, misericordia & indulgentia fuit in causa, cur & illis & nobis res spirituales & cælestes Deus promiserit,& benefecerit: neque fœdus, quo conciliari illi fuerunt,vllis eorum meritis, sed sola Dei vocantis misericordia fuit suffultum,sicut & nostrum suffultum fuit.

Tertium, meritum obtinendi res promissas. Eundem enim Christum Mediatorem,quem habemus & cognoscimus no-

mus nos, etiam illi habuerunt & cognouerunt, per quem & Deo coniungerentur, & promissionum eius compotes fierent.

Cùm in iis tribus essentia Testamenti consistat, & hæc tria tam illis, quàm nobis fuerint: Ergo Testamentum vetus & nouū, essentia ac reipsa vnum prorsus ac idem sunt.

Quòd verò hæc tria tam illis fuerint, quàm nobis, nunc patefaciam per singula. Et primò de rebus exhibitis e promissis dicendum: in quo vno plus controuersiæ nobis est, quàm in reliquis duobus.

De prima conformitate, nempe, quòd eædem res spirituales & æterna promissa Iudæis fuerint, quæ & nobis.

Quòd igitur non opulentia carnalis ac felicitas, meta fuerit Iudæis proposita, ad quam demum adspirarent, sed quòd in spem immortalitatis fuerint cooptati, sicut & nos: atque huius adoptionis reuelatio fuerit illis, tum Oraculis, tum Lege, tum Prophetiis cõfirmata: patet ex iis locis.

1. Ab eodem Euangelio illis promisso, & nobis reuelato. Idem Euangelium promissum illis fuit, quod etiam nobis reuelatum:

Rom. 1. *Segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas in sanctis Scripturis, de Filio suo, &c.*

Rom. 3. *Nunc autem iustitia Dei* (quæ sc. annunciatur per Euangelium) *manifestata est, testificata à Lege & Prophetis.* Atqui Euangelium, cùm sit bonum nuncium, quo melius inueniri non potest, annunciat res cœlestes, & æternas nobis à Deo promissas & paratas: neque hominum corda in præsentis vitæ lætitia detinet, sed ad spem immortalitatis euehit, nec terrenis delitiis affigit, sed spẽ in cælo repositã annuncians illuc quodammodo transportat. Patet.

Eph. 1. *Postquam Euangelio credidistis, obsignati estis Spiritu promissionis sancto, qui est arrhabo hereditatis nostræ in redemtionem acquisitæ promissionis.*

Col. 1. *Audiuimus fidem vestram in Christo Iesu, & charitatem erga sanctos: propter spem vobis repositam in cœlis, de qua audistis per sermonem veracis Euangelij.*

2. Thes. 2. *Vocauit vos per Euangelium nostrum in acquisitionem gloriæ Domini nostri Iesu Christi.* Vnde & vocatur Euangelium, verbum salutis, potentia Dei ad saluandum fideles, & regnum cœlorum.

Ergo cum Euangelium idem promissum illis fuerit, quod & nobis reuelatum, & Euãgelium sit doctrina spiritualis, ad vitæ incorruptibilis possessionem aditum aperiens, résque cœlestes annuncians: ne putemus eos, quibus promissum ac denunciatum fuit, præterita, neglectaque animi cura, in captandis corporis voluptatibus instar pecudum, obstupuisse.

At promissiones, quæ in Lege & Prophetis de Euangelio sunt consignatæ, nouo populo, id est, nobis, non illis sunt destinatæ.

Resp. Quòd etiam illis destinatæ sint promissiones Euangelij, quæ in Lege consignatæ sunt. Nam Rom. 3. *Scimus quoniam quæcunque Lex loquitur, iis qui in Lege sunt, loquitur:* & quæ in Lege continentur, ad eos, qui sunt sub Lege, diriguntur.

Ab hoc etiam loco probatur secunda & tertia conformitas: nempe, quòd illorum fœdus non solùm easdem res continebat, quas & nostrum: sed etiam secundò & eadem gratuita Dei misericordia constitit: & tertiò eadem Christi intercessione fuit confirmatum, qua & nostrum constitit & confirmatum fuit. Nam Euangelium quod illis promissum, & nobis reuelatum fuit, non solùm prædicat res spirituales & cœlestes, vt iustitiam, remissionẽ peccatorũ, vitam æternam, sed etiam secundò nihil aliud, quàm paterna Dei indulgentia iustificari hominem peccatorem, præter suum meritum pronunciat: & tertiò totũ hoc propter Christũ, & in Christo fieri affirmat, i. tota Euangelij summa in Christo terminatur. Quis igitur Iudęos expertes Christi facere ausit, quibuscum audimus fuisse percussum Euangelij fœdus, cuius vnicum fundamentum Christus est? Quis alienos reddere à gratuitę salutis beneficio quibus administratã fuisse audimus iustitię fidei doctrinam?

2. Ab exemplo Abrahæ: Ioh. 8. *Abraham exultauit, vt videret diem meum: vidit, & gauisus est:* Ergo agnouit Christum, & iustificationem fidei recepit: atque eodem fœdere Deo iunctus fuit, quo & nos. Hoc verò Paulus vniuersale ostendit in populo fideli, cùm ait:

3. Heb. 13. *Christus heri & hodie, & semper.* Ibi enim non simpliciter de Christi æterna diuinitate loquitur, sed eius manifestatione, quæ perpetuò fidelibus fuit dispensanda.

4. Quare & beata Virgo & Zacharias in suis canticis Luc. 1. reuelatam in Christo salutem, exhibitionem esse dicunt promissionum, quas Abrahæ & Patriarchis olim fecerat Dominus. Si ergo Christum suum exhibendo, iurisiurandi sui veteris fidem soluit Dominus: dici non potest, quin eius finis in Christo, & vita æterna semper fuerit.

5. Quin etiam Apostolus non fœderis tantùm gratiã pares nobis facit Israelitas, sed etiam Sacramentorum significatione, cum ait 1 Cor. 10. *Patres nostri omnes sub nube fuerunt: & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt: & omnes eundem potum spiritualem biberunt:* (biberunt autem de spirituali consequente eos petra: petra autem erat Christus.)

At transitus ille, Baptismus carnalis fuit: qui spirituali nostro secundum quandam proportionem respondeat: & ita cibus iste, &c.

Resp. Si hæc expositio recipiatur: non procedit argumentum Apostoli: qui hic vult ademtum Christianis, ne Baptismi prærogatiua Iudæos præcellere se putent.

A testimonio Prophetarum & legis ostenditur, quòd eædem res cœlestes, illis ostensæ & promissæ fuerunt quæ & nobis in nouo Testamento, &c.

Quòd si forsan malunt Lectores eam ipsam spiritualis Testamenti reuelationem in Lege & Prophetis perspicere, quàm illic contineri ex Christo & Apostolis audiunt: huic quoq; voto obsequamur. Patet igitur hoc ex iis locis.

1. A Verbi & Euangelij communicatione. Quos in gratiam recepit Dominus, iis se per verbum vitæ communicauit.

Ergo beneficium quoque æternæ vitæ illis fuit communicatum.

Antecedẽs patet ex se in Scriptura sacra. Consequentia probatur, quia in verbo Dei ea inest efficacia, vt eius cõmunicatio certissima sit animæ viuificatio. Vnde Ioh. 8. *Si quis sermonem meum audierit, mortem non videbit in æternum.* Ioh. 6. *Verba vitæ æternæ habes.*

Communicationem autem intelligo non illam generalem, quæ per cœlum & terram, omnésque mundi creaturas diffunditur: quæ licet vniuersa viuificet: pro suæ vnuiquodque naturæ modo, non tamen à corruptionis necessitate eruit: sed istam specialem, qua piorum animæ & illuminantur in Dei notitiam, & illi quodammodo cõpulantur. Huiuscemodi verbi illuminatione cùm adhęserit Deo Adam, Abel, Noe, Abraham, & reliqui Patres: dico minimè dubium esse, quin illis in regnum Dei immortale fuerit ingressus. Erat enim solida Dei participatio, quæ extra vitę æternæ bonum esse non potest.

2 A formula verborum ipsius fœderis. Sic semper pepigit cum seruis suis Dominus: *Ero vobis in Deum, vos eritis mihi in populum* His verbis, & vita & salus, & omnis summa beatitudinis comprehenditur, vt testantur etiam Prophetæ: Ergo, &c.

Quod istis verbis contineatur vita, salus, & beatitudinis summa: patet hinc Ps 33. & 144. *Beatus populus, cuius Dominus est Deus, beata gens, quam elegit sibi Dominus in hereditatem, &c* cur beatam vocat? non terrenæ quidem felicitatis gratia, sed quia à morte eripuit Dominus, perpetuo conseruat, æternáque misericordia prosequitur, quos in populum sibi assumsit. Sic apud alios Prophetas patet. Habac. 1. *Domine Deus noster non moriemur*

Esaiæ 33. *Dominus Rex noster, Legislator noster, ipse saluabit nos.*

Deut. 33. *Beatus es Israel quia in Domino Deo saluaris.*

Denique passim in Prophetis hæc recurrit admonitio: nihil ad bonorum omnium affluentiam, adeóque salutis certitudinem deesse: modò nobis sit Dominus in Deum. Et iure: si enim facies eius, simul atque illuxit, præsentissimum est salutis pignus: cui nam se homini in Deum manifestet, cui non salutis quoq; thesauros aperiat? Hac enim cõditione Deus noster est, vt in medio nostri habitet, vt per Mosen testatur. Leuitic. 26. Obtineri autẽ talis eius præsentia non potest, vt non simul vita possideatur. Atq; vt nihil vltrà exprimeretur, satis claram habuerunt vitæ spiritualis promissionẽ in iis verbis: *Sum Deus vester.* Non enim solis vtique corporibus Deum se fore denunciabat: sed animis præcipuè. Animæ autem, nisi per iustitiam Deo coniunctæ, ab ipso alienæ, in morte manent. Adsit rursum illa coniunctio, perpetuam salutem secum ducet.

Secundò huc accedit, quòd non modò se Deum illis esse testabatur: sed se quoque semper fore promittebat, dicendo, *Ero*: idque quò spes eorum, præsentibus bonis non contenta, in æternitatem protenderetur. Id porrò valuisse

apud eos temporis futuri notationem, nempe, *Ero*, ostendunt multæ voces, vbi se non in præsentibus tantùm malis, sed in posterum consolantur fideles, quod sibi Deus nunquam defuturus esset.

Tertiò: *Ero Deus seminis vestri post vos.* Hæc secunda pars promissionis, ipsos de Dei benedictione extra terrenæ vitæ limites erga se propaganda & prorogranda, clarius etiamnum confirmabat. Nam si suam erga mortuos beneuolentiam declaraturus erat, benefaciendo posteris: erga ipsos multò minus defutura erat benignitas. Neque enim instar hominum est Deus, qui suum ideò amorem ad amicorum filios transferunt, quia morte interrumpitur eorum facultas, quo minus iis, quibus bene volebant, impendant sua officia. At Deus, cuius beneficentia morte nō impeditur, suæ profectò misericordiæ fructum mortuis nō tollit, quam eorum causa transtulit in mille generationes. Præclaro igitur documento magnitudinem atque affluētiam suæ bonitatis, quam post mortem sensuri essent, volebat illis Dominus commendare: cùm tamen describebat, quę in totam familiam exuberaret, dicendo: *Et seminis tui post te* Huius verò promissionis veritatem tum obsignauit Dominus, & quasi complementum protulit, cum Deum se Abraham, Isaac & Iacob, longe post eorum mortem appellaret, dicens Exod.3 *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob.* Quid enim? an non ridicula erat appellatio, si mortui erant, & penitus perierant? Perinde enim fuisset, ac si dixisset: ego sum Deus eorum, qui non sunt. Proinde vno isto argumento Sadducæos constrinxit Christus, vt ne inficiari quidem possent, resurrectionem mortuorum a Mose fuisse testatam. Matth.22. Nempe, qui ex ipso Mose didicerunt, omnes sanctos esse in manu ipsius. Vnde inferre promtum erat, nec morte quidem extingui, quos in tutelam, custodiam protectionémque suam recepisset, qui mortis & vitæ arbiter est.

3. Ærumnosa & calamitosa hic fidelium vita. Fideles sic instituti à Domino fuerunt, vt meliorem vitam sibi esse sentirent: ac neglecta terrena illam meditarentur. Primùm viuendi calamitosa conditio, quam illis Dominus dispensabat: assiduum erat illis exercitium, quo admonerentur se omnium esse miserrimos, si in hac modo vita felices essent. Argumentatur sic:

Omnes illi sancti Patres, calamitosam hic vitam duxerunt: & omnes sciebant, Dominum suum esse Deum, & bona multa pollicitum esse.

Ergo aliam potiorem vitam scilicet æternam ac cœlestem spectabant.

Quòd omnes calamitosè vixerint, & ærumnosè, patet per exempla.

Adam vel sola recordatione perditæ felicitatis infelicissimus, anxiis laboribus egestatem suam ægrè sustentat. Ac ne in solis manuum suarum laboribus Dei maledictione premátur: extremum luctum percipit, vnde solatium illi restabat. Ex duobus enim filiis alter illi, nefario fratris parricidio, eripitur: eum verò habet superstitem, cuius aspectum meritò detestetur & horreat.

Abel in ipso ætatis flore crudeliter trucidatus, exemplum est humanæ calamitatis.

Noe bonam ætatis partem in extruenda Arca detetit: in Arca tanquam in sepulchro inter animalium stercora degit: post diluuium, se à proprio filio videt haberi ludibrio.

Abraham à patria & propriis parentibus in alienam terram vocatur à Domino. Simulac ingressus est terrã, in qua habitare iubetur: fame inde exigitur. Eò ad opem quærendã fugit, vbi, quo se incolumem seruet, vxorem prostituere cogitur. Vbi in terram habitaculi sui reuersus est, inde rursum fame expellitur. Quæ felicitas, eam terram incolere, vbi toties esuriendum? imo media pereundum nisi aufugias? Dum huc atque illuc multos annos incertus vagatur, assiduis seruorum rixis, compellitur nepotem, quem filij charissimi loco habebat, à se dimittere, quem posteà captiuum ab hostibus abripi audit. Senex orbitate mulctatum se videt: donec præter spem Ismaelem gignit: cuius tamen natiuitatem magno redimit, dum Saræ probris fatigatur, perinde ac si ancillæ contumaciam fouendo, domesticæ perturbationis ipse caussa esset. Nascitur Isaac, sed ea mercede, vt exturbetur primogenitus Ismael, ac pro derelicto penè hostiliter proiiciatur Vbi solus relictus est Isaac, in quo acquiescat defessa boni viri senectus: paulò post mactare eum præcipitur. Quid calamitosius excogitet humana mens, quàm patrem fieri filij carnificem? si morbo absumtus foret, quis non putasset miserum esse senem, cui in ludibrium datus esset filius, ob quem orbitatis dolor ei geminaretur. Si ab extraneo aliquo interfectus: indignitate rei multum esset aucta calamitas. Ista vero omnia calamitatis exempla superat: filium patris manu trucidari. Sic denique toto vitæ curriculo iactatus ac vexatus fuit, vt si quis velut in tabella exemplar calamitosæ vitæ depingere velit: nihil reperiat magis appositum.

Isaac quid est perpessus? Illum fames fugat è terra Chanaan: vxor è sinu illi eripitur. Viciui illum subinde exagitant, vt de aqua etiam cogatur decertare. Domi suæ à nuribus multum molestiarum sustinet. Filiorum dissidio angitur: nec mederi tanto malo potest, nisi per exilium eius, scilicet Iacob, cui benedixerat.

Iacob nihil quàm extremæ infelicitatis insigne est exemplum. Puer minas ac terrores fratris Esau formidat, ob quas demum ad Laban auunculum fugit Durissimam ibi seruitutem septem annis seruire cogitur. In vxore ibi eluditur. Alterius vxoris gratia in nouam seruitutem ingrediendum illi est: vbi totum diem solis æstu torretur: noctu peruigil vrgetur gelu ac frigore. Tantam vitæ asperitatem dum annos 20. sustinet, quotidie nouis soceri iniuriis affligitur. Domum suam videt vxorum odiis, iurgiis distractam penè ac dissipatam. Vbi in patriam iubetur se recipere, necesse illi est, quasi ignominiosè fugere, & in medio itinere soceri probris vexatur. Dum ad fratrem accedit, tot habet in conspectu mortes, quot ab homine crudeli & inimico parari queant. Primo terræ ingressu, Rachele vxore dilecta coniuge priuatur. Iosephum, quem vnicè præ aliis diligebat, a fera laceratum audit. Filiam raptam esse & defloratam audit: & in iis vindicandis filiorum audacia quãtum luctus anxietatisque ipsi attulit? vxorem suam a filio Ruben pollutam videt: horrendum sanè facinus. Alieto incestu contaminatur familia. Sub extremum vitæ, intelligit filium alterum in vinculis detineri: quem vt recipiat, Beniamin vnicum suum desiderium permittere aliis cogitur. Quis putet in tanta malorum congerie momentum illi datum, quo saltem respirare securè posset? Itaque ipse, optimus de se testis, asserit Pharaoni, dies suos breues ac malos fuisse super terram. Negat ergo se eam prosperitatem sensisse, quæ illi promissa fuerat à Domino. Si non sensit, & tamen credebat Domino: ergo sperabat aliam feliciorem vitam.

Si sancti Patres (quod vtique indubitatum est) beatam vitam expectarunt è manu Domini: aliam, quàm terrestris vitæ beatitudinem & cogitarunt & viderunt. Quod ostendit Apostolus Heb.11. Fide demoratus est Abraham in terra promissa, &c. vide totum illud caput.

Cur Patres tantoperè curarint sepeliri in terra Chanaan.

4. Patres illi nuncuparunt hanc vitam peregrinationem. Si autem peregrini & inquilini sunt in terra Chanaan: vbi promissio Domini, qua illius constituuntur heredes? Manifestè ergo indicat, longius spectare, quod de possessione illis Dominus promiserat. Quare pedem in terra Chanaan non acquisierunt, nisi in sepulchrum. Quo testabantur se sperare fructum promissionis, sed non nisi post mortem eũ percepturos. Atque hæc causa est, cur tanti æstimauerit Iacob illic sepeliri, vt iureiurando adegerit filium Ioseph ad eam pollicitationem: & cur Ioseph post aliquot secula transferri ossa sua iampridem in cinerem collapsa voluerit.

5. Denique apertè constat in omnibus vitæ studiis, propositam futuræ vitæ beatitudinem habuisse. Quorsum enim primogenituram tantopere affectasset, tantopere periculo ambiisset Iacob, quæ primogenitura nihil boni prorsus erat allatura, sed plurimum potius mali & incommodi, nisi ad altiorem benedictionem respexisset? & hoc significauit: quando iam animam expiraturus, dixit Gen.49. *Salutare tuum exspectabo Domine.* Quam salutem exspectaret, cùm iam expiraret animam, nisi in morte initium nouæ vitæ cerneret?

6 Num.23. Balaam impius vitã beatam in cœlo se agnoscere testatur, dicens: *Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea similia eorum* Cur hoc dicit: nisi quia sentiebat id, quod Dauid Ps.116 *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius: mors autem peccatorum pessima.* Si vltima linea & meta forent in morte, nullum in ea notari posset discrimen iusti & impij. Sorte igitur, quę post mortem vtrosque diuersa manet, inter se distinguuntur.

7. Dauid an repositam sibi in cœlo felicitatem agnouerit & hanc terrestrem habitationem nihil fecerit, patet. Ps.39. *Aduena hic sum, & peregrinus, sicut omnes patres mei. Vanitas omnis homo viuens: velut vmbra quisque ambulat. Et nunc,*

Et nunc qua est expectatio mea, Domine? spes mea ad te ipsa.

Psal.105. *Initiò tu, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli: ipsi peribunt, tu autem permanes, &c. fily seruorum tuorum habitabunt: & semen eorum in seculum dirigetur, &c.*

Si ob cœli & terræ interitum non desinunt pij stabiliri coram Domino: sequitur eorum salutem cum Dei æternitate esse coniunctam.

8.Esaiæ51. *Cœli sicut fumus liquescent: terra sicut vestimentum atteretur: & habitatores eius, sicut hæc interibunt. Salus autem mea in æternum erit.*

9.Ps.97. *Custodit Dominus animas sanctorum suorũ.* Item: *In memoria æterna erit iustus.* Item: *satiabor cùm apparebit gloria tua.* Pleni sunt Psalmi testimoniis hisce, quod sancti illi agnouerint aliam sibi in cœlo paratam vitam & felicitatem.

10.Iob.19. *Scio quòd Redemtor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum.*

Si ad posteriores Prophetas descendam: illic verò liceat quasi in campo nostro spaciari. Hanc enim œconomiam & hunc ordinem in dispensando misericordiæ suæ fœdere tenuit Dominus, vt quo propiùs, temporis progressu, ad plenam exhibitionem accedebatur: ita maioribus in dies reuelationis incrementis, illustraret. Proinde initio, cum prima salutis promissio Adæ data fuit: quasi tenues scintillæ emicarunt. Posteà facta accessione maior lucis amplitudo cœpit exeri, quę magis ac magis emersit, latiúsq; fulgorem suum protulit: donec tandem nubibus omnibus discussis, Sol iustitiæ Christus in vniuersum terrarum orbem ad plenũ illuminauit. Sed breuitatis causa à citandis testimoniis abstineo, quæ prope infinita sunt. Duo loci tamen apertissimi de resurrectione mortuorum extant. Primus Esaiæ vltimo: *Sicut cœli noui & terra noua, &c.* Secundus verò est Da.12. *In tempore illo consurget Michael, &c.*

De secunda conformitate.

Secunda conformitas satis manifesta est: & ex superiori doctrina de iustificatione & alibi manifestior fit. Tot n. ac tam luculẽtis Prophetarũ testimoniis confirmauimus, à mera fuisse bonitate & indulgentia, quicquid populo suo Dominus benefecit ac promisit: non autem ab vllis ipsius populi meritis: vt dubitari amplius non queat.

Item, cùm probatum sit suprà, easdem promissiones illis factas, quæ & nobis factę sunt, nẽpe remissionis peccatorũ, adoptionis in filios Dei, & vitæ æternæ: & cũ manifestũ sit, has promissiones, & has res nobis gratis offerri per Euangelium, quod etiam illis agnitum fuit: manifestum fit, easdem quoque promissiones gratis illis fuisse factas.

De tertia conformitate, &c.

Tertia item conformitas ex superioribus locis patet: nempe, quod Patres Christum in fœderis sui pignus habuerint, atque in ipso omnem benedictionis fiduciam reposuerint.

Epilogus.

Constituamus igitur securè, vetus Testamentum seu fœdus, quod in Israelitico populo percussit Dominus: non rebus terrenis fuisse limitatum, sed spiritualis æternæque vitę promissionem continuisse: cuius expectationem, omnium animis impressam oportuit, qui in fœdus verè concedebant. Hanc verò insanam & perniciosam opinionem submoueamus, aut Dominum nihil aliud proposuisse Iudæis, aut illos nihil quęsiuisse, præter ventris saturitatem, carnis delitias, florentes opes, externam potentiam, liberorum fœcunditatem, & quidquid animalis homo in pretio habet. Patet.

Matt.8. *Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abrahamo, Isaaco & Iacobo in regno cœlorum.* Ergo in cœlo sunt & illi: & illud sibi promissum fuit.

Act.3. Petrus Iudæos sui temporis, hęredes esse gratiæ Euangelicæ asserebat, eò quòd filij essent Prophetarum, comprehensi in fœdere, quod Dominus olim cum sua gente pepigisset.

Matt.27. *Et multa corpora sanctorum resurrexerunt cum eo, & apparuerunt multis in sancta ciuitate.* Hoc facto Dominus ceu certum arrhabonem dedit, quod quidquid fecit ac passus est, in æternę salutis acquisitionem: ad veteris Testamenti fideles, non secus quàm ad nos pertineret.

Act.15. *Sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi,* scil. Patres nostri, crediderunt. En quod Patres illi præditi fuerint eodem fidei Spiritu, quo in vitam regeneramur & nos. Cùm ergo Spiritum illum, qui est veluti quædam immortalitatis scintilla in nobis, vnde & arrhabo hęreditatis nostræ alibi vocatur, in illis similiter audiamus habitasse, quomodo illis vitæ hæreditatem adimere audeamus?

DE DIFFERENTIA VETERIS ET NOVI TESTAMENTI.

Quid ergo? nullúmne discrimen veteris & noui Testamenti relinquitur?

Vtique differẽtiæ assignantur veteris & noui Testamenti in sacra Scriptura: sed eæ non repugnant vnitati iam constitutæ, vt patebit.

Sunt autem quatuor vel quinque differentiæ. Hæ vero omnes ad substantiam testamenti non pertinent, sed tantùm ad modum administrationis. Atque ideo manent eædem promissiones veteris & noui Testamenti, atque idem fundamentum promissionum, Christus. Differunt autem Testamenta administrationis modo.

Prima differentia veteris & noui Testamenti.

Prima igitur est: quòd, licet olim etiam Dominus populi sui mentes in cœlestem hæreditatem volebat collimare, arrectósque esse animos: quo tamen in spe illius melius alerentur, contemplandam sub beneficiis terrenis ac quodã modo degustandam exhibebat. Nunc vero clariùs liquidiúsque reuelata per Euangelium futuræ vitæ gratia, rectã ad eius meditationem, omissa inferiori, quàm apud Israelitas adhibebat exercitatione, mentes nostras dirigit.

Hoc consilium Domini, qui non aduertunt, non putant veterem populum altius ascendisse, quàm ad illa, quæ corpori promittebantur bona. Audiunt toties terram Chanaã nominari velut insigne, adeóque vnicum legis diuinę cultoribus præmium. Audiunt nihil seuerius Dominum eius Legis transgressoribus interminari, quàm ab eius terræ possessione expellendos ac dispergendos, in alienas regiones. Vident in hanc fere summam recidere, quæcunque vel benedictiones vel maledictiones à Mose denunciantur. Ex iis minimè dubitare constituũt, Iudæos non sua causa, sed aliena fuisse à cæteris gentibus segregatos, nempe, vt esset tantùm figura populi Christiani, & synagoga ista figura Christianæ Ecclesiæ: id est, vt Christiana Ecclesia haberet imaginem, in cuius externa specie spiritualium rerum documenta cerneret. Sed ij toto aberrant cœlo. Nam sacra Scriptura aliquoties demonstrat, hæc terrena, quibus eos prosequebatur, beneficia Dominum destinasse: vt ad spem cœlestium ita ipsos manuduceret.

Status ergo controuersiæ est hic: Illi possessionem terrę Chanaan, Israelitis pro summa atque vltima beatitudine habitam: nobis post reuelatam Christum, cœlestem hæreditatem figurare docent, & prædicant. Nos verò è contrà contendimus: in terrena, qua fruebantur, possessione, veluti in specula, futuram, quam sibi in cœlis præparatam crederent, hęreditatem esse intuitos. Hoc igitur nobis probandum est.

Quod possessio terræ Chanaan fuerit populo Iudaico typus cœlestis sibi promissæ hęreditatis, &c.

Gal.4. *Quanto tempore hæres paruulus est: sub tutoribus, nihil differt à seruo.* Comparat Apostolus Iudæorum gentem hæredi paruulo, qui ad se regendum nondum idoneus, tutoris aut pædagogi, cuius custodiæ commissus est, ductum sequitur. Eam is similitudinem ad ceremonias quidẽ potissimùm refert. Sed tamen nihil obstat, quo minus huc quoque optimè applicetur. Ergo eadem illis hæreditas, quæ & nobis destinata fuit, sed cuius adeundæ & tractandæ nondum per ætatem capaces forent. Eadem inter illos Ecclesia, sed cuius ætas adhuc puerilis erat. Sub hac ergo pædagogia illos continuit Dominus, vt spirituales promissiones non ita nudas & apertas illis daret: sed terrenis quodammodo adumbrata.

Abrāham ergo, Isaac, Iacob, eorúmque posteritatẽ cum in spem immortalitatis cooptaret, terram Chanaan illis in hæreditatem promisit: non in qua spes suas terminarent: sed cuius aspectu in spem veræ illius, quæ nondum apparebat, cœlestis hæreditatis se exercerent ac confirmarent. Ac ne hallucinari possent: dabatur superior promissio, quæ terram illam non supremum esse Dei beneficium testaretur. *Exemplum.*

Sic Abrahamum in accepta terræ promissione corpere non sinit: sed maiore promissione erigitur illius mens

in Dominum. Audit enim Abraham, Gen. 15. *Ego protector tuus, & merces tua magna valde.*

Hic videmus primò Abrahamo proponi finem suę mercedis in Domino: cur? ne illam quærat fluxam & lubricam in elementis huius mundi: sed immarcessibilem esse reputet. Secundò, Deinde subiungi terræ promissionem: cur? non alia conditione, quam vt sit diuinæ beneuolentiæ signum, ac cœlestis hæreditatis typus.

Quod ita senserint sancti illi, patet ex eorum vocibus. Sic Dauid à benedictionibus temporariis ad summam illam atque vltimam assurgit, dicens, Ps. 72. *Defecit caro mea, & cor meum* (scilicet amore tui) *Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum.* Ps. 16. *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei.* Psal. 141. *Clamaui ad te, Domine, dixi, tu es spes mea, portio mea in terra viuentium.* Qui sic loqui audent, profectò confitentur se transcendere spe sua mundum, & quicquid est bonorum præsentium. Hanc tamen futuri seculi beatitudinem Prophetæ sæpiùs sub typo, quem à Domino acceperunt, describunt: qualiter intelligendæ sunt istæ sententiæ. Ps. 37. *Iusti autem hæreditabunt terram, & inhabitabunt in seculum seculi super eam.* Esaiæ 65. & alibi. *Hierusalem omne genus diuitiis abundabit: & Sion rerum omnium copia diffluet.*

Quæ omnia videmus competere, non propriè in terrestrem Hierusalem, sed in veram patriam fidelium, ac cælestem illam ciuitatem.

Cur sancti veteris Testamenti, maioris æstimarint vitam præsentem, quàm sancti noui Testamenti, &c.

Hæc ratio est, cur maioris, quàm nunc deceat, æstimasse mortalem vitam eiusque benedictiones legamus sancti veteris Testamenti. Tametsi enim probè nouerant, non esse in ea tanquam in cursus sui meta consistendum: quia tamen recognoscebant ea gratiæ diuinæ lineamenta, quę illic ad eos pro teneritudinis modulo exercendos, Dominus impresserat: ideò maiore eius suauitate afficiebantur, quàm si ipsam per se considerassent. Sicut autem Dominus beneuolentiam suam erga fideles præsentibus bonis testando, spiritualem felicitatem eiusmodi symbolis ac typis tunc adumbrabat: ita etiam contrà dabat in pœnis corporeis iudicij sui in reprobos documenta. Itaque vt Dei beneficia in rebus terrenis magis conspicua erant: ita pœnæ. Hanc inter pœnas & præmia analogiam & conuenientiam, dum imperiti non expendunt: mirantur tantam in Deo varietatem, vt qui ad quælibet hominis delicta sæuis suppliciis vindicanda olim promptus ac subitus, nunc veluti posito pristinæ iracundiæ affectu, & mitiùs & rariùs multò puniat. Et parum abest, quin ob id diuersos Deos veteris & noui Testamenti imaginentur. Verùm talibus scrupulis facilè expediemur: si animum referemus ad illam Domini dispensationem: nempe, quod tum futuræ æternæque felicitatis gratiam terrenis beneficiis, tum spiritualis mortis grauitatem corporeis pœnis significare & figurare pro eo tempore voluit: quo testamentum suum quodammodo adhuc inuolutum & implicitum populo Israelitico tradebat.

Differentia secunda.

Alia differentia statuitur in figuris. Quòd illud fœdus, absente veritate, imaginem tantum, & pro corpore vmbrā ostentabat. Hoc autem præsentem veritatem & solidum corpus exhibet. Atque huius differentiæ ferè fit mentio, vbicunque veteri Testamento nouum opponitur. Fusior tamen est eius tractatio in Epistola ad Hebræos, quàm alibi vsquam. Illic enim disputat Apostolus aduersus eos, qui legis Mosaicæ obseruationes aboleri posse non putabant, quin secum traherent totius religionis ruinam. Quò hunc errorem refutet Apostolus, assumit quod de Christi sacerdotio prædictum fuerat apud Prophetam Ps. 110. dicētem: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Nam cùm æternum illi deferatur sacerdotium: certum est aboleri sacerdotium illud, vbi aliis alij successores quotidie substituebantur. Præualere autem noui istius sacerdotis institutionem probat, quod iuramento stabilitur de quo ait Ps 110. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Subiungit postea, In ea translatione sacerdotij, verti etiam Testamenti mutationem. Atque id necessarium fuisse, ratione probat, dicens: *Quoniam ea erat Legis imbecillitas, quæ nihil adducere ad perfectionem posset.* Tum deinde persequitur, quę fuerit illa legis imbecillitas: nempe, quòd externas tantum carnis iustitias habuerit, quæ cultores suos non possunt secundum cōscientiam perfectos reddere: quòd pecudum sanguine & victimis nec peccata delere, nec veram sanctitatem conciliare poterat. Concludit ergo, vmbram fuisse futurorum bonorum in ipsa Lege: non viuam rerum speciem: ideoque non aliud habuisse officij, nisi vt introductio esset in spē meliorem, quæ in Euangelio exhibetur.

Hic videndum est, qua parte fœdus legale, cum fœdere Euangelico: Christi ministerium, cum Mosaico conferatur. Hæc comparatio, non pertinet ad promissionum substantiam: quia eædem promissiones factæ sunt illis (vt supra dictum est) quæ & nobis: alioqui magnum extaret inter duo Testamenta dissidium.

Pertinet ergo quoad modum administrationis & confirmationis. Fœdus ergo quod æternum & nunquam interiturum semel sanciunt, in medio statuamus. Illius complementum, vnde tandem habet, vt statum ratúmq; sit Testamentum, Christus est. Talis confirmatio, dum expectatur (interim ceremonias Dominus per Mosen præscribit, quæ sunt veluti solennia confirmationis symbola. Id in cōtentionem veniebat:) cedere ne Christo oporteret, quæ in lege ordinatæ erant ceremoniæ. Hæ verò ceremoniæ, tametsi fœderis duntaxat accidentia erant, vel certè accessiones ac annexa, vel (vt vulgò dicitur) accessoria: quia tantùm instrumenta erant illius administrandi, fœderis nomen habent, qualiter & aliis Sacramentis dari solet. Proinde in summa vetus Testamentum hoc loco appellatur solennis confirmandi fœderis ratio, ceremoniis & sacrificiis comprehensa.

In ea confirmandi fœderis ratione, quoniam nihil solidum subest, nisi vlterius conteatur: oportuisse antiquari & aboleri & abrogari contendit Apostolus vetus Testamētum: vt eam cōfirmandi rationem, vt Christo melioris Testamenti sponsori ac Mediatori locus daretur, per quam æterna sanctificatio Electis simul acquisita est, & transgressiones obliteratæ, quæ sub lege manebant. Quòd si malis, ita accipe. Vetus fuit Domini Testamentum, quod vmbratili & inefficaci ceremoniarum obseruatione inuolutum tradebatur: ideóque temporarium fuit, quia veluti in suspenso erat, donec firma & substantiali confirmatione subniteretur. Tum verò demum nouum æternúmque factum fuit: postquam Christi sanguine consecratum stabilitúmque fuit. Vnde calicem, quem discipulis in Cœna porrexit Christus, noui Testamenti calicem vocat in suo sanguine: vt significet tum verè Dei Testamento suam constare veritatem, per quam nouum fit & æternum: dum sanguine suo obsignatur. Hinc liquet quo sensu dixerit Apostolus, Legis pædagogia deductos fuisse Iudæos ad Christum: antequam ipse exhiberetur in carne, Gal. 3. & 4. Illos quoque filios & hæredes fuisse testatur, sed qui propter pueritiam sub pædagogi custodia habendi essent. Conueniebat enim sole iustitiæ nondum exorto, nec tantum esse reuelationis fulgorem, nec tantam intelligendi perspicaciam. Sic ergo verbi sui lucem illis Dominus dispensauit, vt eam eminus adhuc & obscurè cernerent.

Ideò hanc intelligentiæ tenuitatem pueritiæ vocabulo Apostolus notat, quam Elementis huius mundi & externis obseruatiunculis, tanquam regulis puerilis disciplinæ voluit Dominus exerceri, donec effulgeret Christus, per quem fidelis populi cognitionem adolescere oportebat.

Hanc distinctionem signauit Christus ipse, cùm diceret, Matt. 17. *Lex & Prophetæ vsq; ad Iohannem: à diebus autem Iohannis Baptistæ vsq; nunc, regnum cælorum vim patitur, &c.* Quid Lex & Prophetę sui temporis hominibus prodiderunt? nempe gustum præbebant eius sapientiæ, quæ olim ad liquidum manifestanda erat: & procul emicantem demonstrabant. Vbi autem digito potest ostendi Christus, reseratum est regnum Dei. Coloss. 2. *In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ corporaliter.* quibus prope ad ipsa cœli adyta penetratur.

At quomodo nunc maior & clarior Christi notitia habetur, atque ita reseratum est regnum cœlorum: cum hodie non reperiatur alter Abraham, tanta fide præditus: cum hodie non reperiantur Prophetæ, tanta vi Spiritus præditi, qua etiamnum orbem vniuersum illuminant? videtur ergo potiùs, quòd tunc maior clariórque Christi & Euangelij cognitio haberetur, quàm nunc.

Resp. Primo non hîc quæritur, quid gratiæ in paucos tunc contulerit Dominus, sed quam in populo docendo ordinariam dispensationem secutus sit. Nunc enim perspicua docendi ratio dispensata nobis est: tunc autem obscura erat, qualis apud Prophetas ipsos, qui peculiari supra alios cognitione præditi fuerunt, habetur. Nam & obscura ceu de rebus lōginquis, & typis inclusa est eorū prędicatio.

Secun-

Secundò, adhæc, vtcunque mirifica in illis notitia emineret: cùm tamen ad communem populi pædagogiam submittere se necesse haberent: in puerorum grege ipsi quoque censentur.

Tertiò, vltimo: Nunquam tanta vllis tum contigit perspicientia, quæ non seculi obscuritatem aliqua ex parte redsuperet. Vnde illud Christi, Luc.10. *Multi Reges & Prophetæ desiderauerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt: & audire, quæ vos auditis, & non audierunt: Ergo beati oculi vestri, quia vident: &c.* Et sanè æquum fuit Christi præsentiam hac prærogatiua pollere: vt ab ea, dilucidior emergeret mysteriorum cœlestium reuelatio.

Differentia tertia.

Tertia differentia sumitur ex Ier.31. vbi sic dicit Propheta: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum.* Ex quibus verbis Apostolus accepit occasionem comparationis huius inter Legem & Euangelium statuendæ: vt illam sc. Legem, vocaret literalē: Hoc sc. Euangelium, spiritualem doctrinam. Illam diceret fuisse deformatam in tabulis lapideis: hoc fuisse cordibus inscriptum. Illam esse prædicationem mortis: hoc vitæ. Illam damnationis: hoc iustitiæ. Illam euacuati: hoc permanere.

Cùm Apostoli propositum fuerit, enarrare mentem Prophetæ: verba vnius satis fuerit expendere, vt assequamur vtriusque sensum. Quanquam est aliquid inter eos dissimile. Nam odiosius loquitur de lege Apostolus, quàm Propheta. Neque id simplici legis respectu, sed quòd erant nebulones quidam, legis ζηλωταί, qui peruerso ceremoniarum studio, Euangelij claritatem obscurabant: de legis natura secundum eorum errorem ac stultam affectionem disputat: vt patet 2. ad Cor 3. Ergo id peculiare in Apostolo obseruare operæpretium erit. Vterque verò scil. & Apostolus & Propheta, quia vetus ac nouum Testamentum per contentionem inter se componebat, nil in lege considerat, nisi quod proprium eius est. Verbi gratia: lex misericordiæ promissiones passim continet, sed quia sunt aliunde ascitæ, non veniunt in legis rationem, cum de pura eius natura sermo habetur. Hoc illi scil. legi tantùm tribuunt, vt præcipiat quæ recta sunt: scelera prohibeat, præmium edicat cultoribus iustitiæ, pœnam transgressoribus minetur, cordis interim prauitatem, quæ cunctis hominibus naturalis inest, non immutet, aut emendet. Nunc membratim Apostoli collationem explicemus.

Collatio inter vetus & nouum Testamentum.

1. Vetus Testamentum literale est, quod sine Spiritus efficacia promulgatum est: Nouum spirituale est, quod Dominus hominum cordibus insculpsit. Ideo secunda antithesis est veluti primæ declaratio.

2. Vetus mortiferum est, quia nihil potest, quàm maledictione inuoluere vniuersum genus hominum: Nouum est vitæ organum: quia à maledictione liberatos, in gratiam cum Deo restituat.

3. Illud damnationis ministerium est, quia reos peragit iniustitiæ omnes filios Adam: Hoc iustitiæ, quia Dei misericordiam reuelat, per quam iustificamur.

4. Vltima antithesis ad ceremonias referenda est, quia illæ rerum absentium imaginem habebant: interire ac euanescere tempore oportuit: Euangelium, quia ipsum corpus exhibet, firmam perpetuamque retinet stabilitatem.

At videtur, quod etiam hæc vltima antithesis, nempe quod Lex interire debuerit: pertineat etiam ad moralem Legem, non tantùm ad ceremonialem. Nam Hieremias etiam Leges morales, vocat fragile ac infirmum fœdus, atque adeò interiturum. Ergo, &c.

Resp. Licet ita vocet: tamen alia ratione vocat, quàm ceremonias sint: Quia scilicet Lex moralis, siue fœdus illud vetus, mox ingrati populi subita defectione abruptum fuit. Ideò vocauit fragile fœdus. Sed quia eiusmodi violatio est à culpa populi: ideò in Testamentum propriè non confertur. Ceremoniæ verò, quoniam sua ipsarum infirmitate, Christi aduentu fuerunt dissolutæ; causam infirmitatis intra se habebant.

Notandum. Differentia illa literæ & Spiritus non sic accipienda est, ac si nullo cum fructu legem suam Iudæis Dominus tulisset, nullo eorum ad se conuerso, sed per comparationem posita est, ad commendandam gratiæ affluentiam, qua Euangelij prædicationem Dominus honorauit. Nam si eorum multitudinem recensemus, quos ex populis omnibus per Euangelij prædicationem Spiritu suo regeneratos, in Ecclesiæ suæ communionem colligit; paucissimos ac penè nullos dicemus, qui olim in Israel cordis affectu atque animo fœdus Domini amplexi sint; qui tamen multi fuerunt, si suopte numero, sine comparatione censeantur.

Differentia quarta.

Quarta differentia, quæ in seruitute & libertate consistit; ex tertia differentia emergit. Vetus enim Testamentum sacra Scriptura vocat seruitutis, quòd timorem in animis generet; Nouum autē libertatis, quod in fiduciam ac securitatem eosdem erigat Rom. 8. *Non accepistis Spiritum seruitutis, iterum in timorem, sed accepistis Spiritum adoptionis:* Huc pertinet illud Heb 12. *Non enim accessistis ad tractabilem montem, & incensum ignem, & turbinem & caliginem: Sed ad montem Sion, & ciuitatem Dei.* Sed quæ breuiter tangit ad Rom. fusius explicat ad Gal. cap. 4. *Abraham duos filios habuit, &c. Sic Agar serua typus est montis Sinai, vbi legem accepit populus Israel Sara libera, figura est cœlestis Hierusalem, à qua fluit Euangelium.* Sicut autem semen Agar nascitur seruum, quòd ad hæreditatem nunquam perueniat, Saræ verò liberum, cui hæreditas debetur; ita per legem addicimur in seruitutem, per solum Euangelium, in libertatem regeneramur.

Huc autem summa redit; Vetus Testamentum, pauorem ac trepidationem incussisse conscientiis; Noui beneficio fieri, vt in lætitiam soluantur. Illud iugo seruitutis conscientias adstrictas tenuisse; Huius liberalitate in libertatem manumitti, &c.

Vtrum patres veteris Testamenti præditi fuerint Spiritu libertatis, an tantùm seruitutis, &c.

At videtur, quòd hæc quarta, non sit bona differentia. Nam etiam ex populo Israelitico partes sancti, quos eiusdē fidei Spiritu nobiscum præditos fuisse constat; eiusdem etiam & libertatis & lætitiæ fuerunt participes. Ergo, &c.

Resp. Primo verum quidem est; verùm neutrum à lege habuerunt, sed cùm se per legem & seruili conditione premi, & conscientiæ inquietudine fatigari sentirent; ad Euangelij subsidium confugerunt. Ideòque peculiarem dicimus noui Testamenti fructum fuisse, quòd præter communem veteris Testamenti legem, illis malis exempti fuerint. Secundò, nego ita libertatis & securitatis Spiritu illos fuisse præditos; vt non experti sint aliqua ex parte & timorem à lege, & seruitutem. Vtcunque enim illo, quam per Euangelij gratiam assecuti erant, prærogatiua fruerentur; erant tamen iisdem obseruationum vinculis & oneribus cum vulgo obnoxij. Cùm ergo ad eas ceremonias sollicitè obseruandas adigerentur, quæ pædagogiæ, seruituti similis, symbola erant, & chirographa, quibus se peccati reos faterentur, ab obligatione verò non soluerent; iure pro nobis sub seruitutis ac timoris testamento fuisse dicuntur, dùm respicitur communis illa dispensatio, qua tunc cum Israelitico populo Deus agebat.

Tres vltimæ comparationes, sunt Legis & Euangelij propriæ. Quare in illis Lex significatur nomine veteris Testamenti; Euangelium autem, Noui Testamenti nomine signatur. Prima comparatio latiùs extenditur; comprehendit enim sub se, & quæ ante legem editæ sunt promissiones, & quæ post Legem.

At Augustinus negat, libr. 3. ad Bonifacium, Promissiones ante Legem factas comprehensas esse sub veteris Testamenti nomine. Quomodo igitur illas sub veteris Testamenti nomine recenses?

Resp. Optimè in eo sensit Augustinus. Si quidem ad illas Ieremiæ & Pauli sententias, quas suprà retulimus, respiciebat. Vbi vetus Testamentum a verbo gratiæ & misericordiæ discernunt. Istud quoque scitissimè ibidem subiungit Augustinus; pertinere ab initio mundi ad nouum Testamentum filios promissionis regeneratos à Deo, qui fide per dilectionem operante, obedierunt mandatis; In spe, non carnalium, terrenorum, temporalium, sed spiritualium, cœlestium, æternorum bonorum; præcipuè credentes in Mediatorem, per quem non dubitarunt, & Spiritum sibi administrari, vt benè facerent; & ignosci quoties peccarent. Hæc duo & nos fatemur; primum (si per vetus Testamentum intelligatur, Lex: & per nouum, Euangelium, vt volunt verba Ieremiæ & Pauli) ad vetus Testamentum propriè non pertinere promissiones antè Legem factas. Secundum, eiusdem nobiscum benedictionis in æternam salutem consortes fuisse omnes sanctos, quos ab exordio mundi selectos Domino Scriptura commemorat.

In hoc ergo differt nostra partitio veteris & noui Testamenti, à partitione Augustini: quod nostra (secundū illam Christi sententiam, *Lex & Prophetæ vsque ad Iohannem: ex eo regnum Dei euangelizatur*) distinguit inter Euangelij claritatem, & inter obscuriorem, quæ antè præcesserat, verbi dispensationem.

Notandum quoque, Quòd sancti Patres illi, ita sub veteri Testamento vixerunt, vt non illic restiterint, sed aspirarint semper ad nouum, adeóque certam eius communionem amplexi sint. Qui enim præsentibus vmbris contenti, mentem ad Christum non extenderunt: eos Apostolus damnat cæcitatis & maledictionis. Et iure. Quænam enim maior cæcitas fingi possit, quàm à pecude mactata, peccati expiationem sperare? quam in externa aquæ irrigatione, animæ purgationem quærere? quam frigidis Deum ceremoniis velle placare? Ad istas enim omnes absurditates delabuntur: qui sine Christi respectu, in legis obseruationibus hærent.

Differentia quinta.

1. Quinta differentia: quòd illud vni tantùm Iudaico populo: hoc omnibus etiam gentibus datum & communicatum fuit. Ergo ante Christi aduentum, gentem vnam segregarat sibi Dominus, in qua fœdus gratiæ suæ contineret. Patet.

Deut 32. *Quando diuidebat Altissimus gentes, quando diuidebat filios Adam. Israel cessit in possessionem sibi, Iacob funiculus hæreditatis eius.*

Item Deut. 10. *En Domini Dei tui est cœlum & terra: patribus tamen tuis tantummodò adhæsit, amauit eos, vt eligeret semen eorum post eos, nempe vos ipsos.* Populum ergo illum, veluti solus ad se ex omnibus pertineret, nominis sui cognitione dignatus est solum: fœdus suum, quasi in eius sinu deposuit: præsentiam nominis sui illi manifestauit: omnibus prærogatiuis eum honorauit: illum denique (quòd hic agitur) verbi sui cognitione & communione sibi deuinxit, vt eius appellaretur & haberetur Deus. Interea gentes alias, quasi nihil secum haberent rei & commercij, in vanitate ambulare sinebat: nec vt earum exitio mederetur, quod vnicum erat remedium, afferebat, verbi scilicet sui prædicationem. Itaque tunc Israel filius Domino delicatus, alij extranei: Ille cognitus, & in fidem tutelamque susceptus: alij tenebris suis relicti. Ille à Deo sanctificatus: alij prophani. Ille Dei præsentia honoratus: alij omni propinquitate exclusi.

2. At vbi venit plenitudo temporis, instaurandis omnibus destinata, exhibitúsque est ille Dei & hominis Mediator & reconciliator: tunc diruta maceria, quæ tamdiu misericordiam Dei intra Israelis fines conclusam tenuerat: annunciata est pax iis, qui procul erant, non secùs atque iis qui propè: vt Deo simul reconciliati in vnum populum coalescerent.

Quare nulla iam Græci aut Iudæi, circumcisionis vel præputij ratio (vt ad Ephes. 2. dicit:) sed omnia in omnibus Christus, cui datæ sunt gentes in hæreditatem, & termini terræ in peculiū: idque vt sine discrimine dominetur à mari vsque ad mare, & à fluminibus, vsque ad vltimos orbis fines. Gentium igitur vocatio insignis est tessera, qua supra vetus Testamentum, Noui excellentia illustratur.

I. At nónne multo antè hæc gentium vocatio plurimis & clarissimis Prophetarum testimoniis testificata fuerat?

Resp. Verum: sed eò vsque distulit: vt in regnum Messiæ eius complementum reiiceretur. At ne Christus quidem statim à primo suæ prædicationis exordio ad eam progressus fecit, sed eò vsque distulit, donec absolutis omnibus redemtionis nostræ numeris, ac finito suæ humiliationis tempore, acciperet à Patre nomen, quod est supra omne nomen, coram quo omne genu flecteretur. Vnde Chananææ, hac opportunitate nondum expleta, ait Matth. 15. *Non sum missus, nisi ad oues perditas domus Israel.* Item Matth. 10. *In vias gentium ne abieritis: & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: sed potius ite ad oues quæ perierunt domus Israel.*

Vtcunque autem tot testimoniis prodita foret: vbi tamen Apostolis auspicanda fuit, sic noua & insolens illis visa fuit, vt tanquam prodigium aliquod exhorrerent. Trepidè sanè, nec sine recusatione, tandem aggressi sunt. Nec mirum, videbatur enim rationi minimè consentaneum, vt Dominus, qui tot seculis Israelem à reliquis gentibus selegerat, quasi repentè mutato consilio, delectum illum tolleret.

II. At nónne id vaticiniis prædictum erat?

Resp. Verum est, sed non poterant vaticiniis adeo intenti esse, vt rei nouitate, quæ se oculis ingerebat, nihil mouerentur. Secundò, neque satis ad eos promouendos valebant, quæ iam olim futuræ gentium vocationis specimina Deus ediderat. Siquidem præterquam quòd paucissimos vocauerat, illos ipsos inserebat quodammodo in familiam Abrahæ, vt populo suo accederent. Ista verò publica gentium vocatione, non modò Iudæis æquantur gentes, sed in demortuorum locum subire eas apparebat.

His quinque membris tota noui & veteris Testamenti differentia, quantum ad simplicem docendi rationem attinet ac sufficit, bene explicata est.

Cur Deus tantam in Ecclesia gubernanda varietatem, tam diuersum in docendo modum, tantum ceremoniarum conuersionem solum passus sit: sed etiam ipse fecerit.

III. At (inquiunt nonnulli, qui hanc in Ecclesia gubernanda varietatem, tam diuersum in docendo modum, & in ceremoniis ritum admirantur, & absurdum ducunt) Non est consentaneum, vt Deus, qui perpetuo sibi constat, tantam mutationem passus sit, vt quod semel iusserat & commendarat, postea improbaret.

Resp. Non propterea mutabilis iudicari debet Deus, quod diuersis seculis, diuersas formas accommodauerit: prout cuique expedire nouerat. Exemplum, Agricola, alia hyeme, alia æstate officia, familiæ suæ præscribit: nec propterea illum inconstantiæ arguimus, aut deuiare putamus à recta agriculturæ regula, quæ cum perpetuo naturæ ordine coniuncta est. Item paterfamilias aliter suos liberos in pueritia, aliter in adolescentia, aliter in iuuentute, erudit, regit, tractat: nec tamen propterea dicimus ipsum leuem esse, aut à sua sententia discedere. Quid ergo inconstantiæ notam Deo inurimus, quòd temporum diuersitatem aptis & congruentibus notis distinxerit? quod pueros suos Iudæos in rudimentis detinuit, quæ pro ætatis modulo ipsis congruebant: nos verò adolescentes firmiore, & quasi viriliore disciplina instituit: Ergo quod eandem omnibus seculis doctrinam tradidit: & quod eundem nominis sui cultum, quē ab initio præcepit, requirere perseuerat: in eo præ se fert suam Deus constantiam. Quod verò externam formam & modum mutauit: in eo non se ostendit mutationi obnoxium, sed hominum captui, qui varius ac mutabilis est, eatenus se attemperauit.

IV. At vnde ista diuersitas, nisi quia talem esse voluit Dominus? Nónne tam bene ab initio, quam post Christi aduentum perspicuis verbis citra vllas figuras reuelare potuit vitam æternam? paucis & claris sacramentis suos erudire? Spiritum sanctum largiri? gratiam suam per orbem vniuersum diffundere?

Resp. Hoc perinde est, ac si cum Deo litiges: quod Mundum tam serò creauerit, cùm posset ab initio: quod alternas vices inter hyemem & æstatem, inter diem & noctem esse voluerit. Nos verò, quicquid à Deo factum est, sapienter & iustè factum non dubitamus: etiamsi causam sæpè nesciamus, cur ita fieri oportuerit. Hoc enim esset nimium nobis arrogare, non concedere Deo, vt consilij sui rationes habeat, quæ nos lateant.

V. At mirum est, quod nunc pecudum victimas, & totum illum sacerdotij Leuitici apparatum respuat & abominetur, quibus olim oblectabatur.

Resp. Erratis: Externa enim illa & caduca, Deum non oblectabant, aut vllo modo afficiebant.

Nihil horum fecit Deus sua causa, sed omnia pro hominum salute dispensauit. Exemplum. Si Medicus iuuenem optima ratione à morbo curet: in eodem postea iam sene alio curationis genere vtatur: num ideo dicemus, ipsum medendi rationem repudiare, quæ antè placuerat? Imo cùm in illa constanter perstet, rationem ætatis habet. Sic Christum aliis signis & absentem figurari, & venturum pronunciari oportuit: aliis nunc exhibitum repræsentari decet.

Quod ad vocationem Dei latiùs per omnes populos, in aduentu Christi sparsam, quàm antea fuerat, & gratias Spiritus sancti largius effusas, attinet: respondeo, quis æquum esse neget, vt in manu Dei sit libera gratiarum suarum dispensatio? vt quas velit nationes illuminet: quibus velit locis exciret verbi sui prædicationē: nominis sui notitiā, quibus velit seculis auferat è mundo, propter ipsius ingratitudinē: quando iterū velit, propter suam misericordiam restituat.

Nimis ergo indignę sunt istę calumniæ, quibus vel simplicium animos exagitatis in hac parte, vel Dei iustitiam & Scripturarum fidem in dubium vocare conamini.

L O-

LOCVS XIII.

DE LIBERTATE CHRISTIANA.

Necessaria est Christianæ libertatis cognitio: propterea quòd & in ipsa consistit maxima pars Euangelij: & citra ipsam nihil ferè sine dubitatione aggredi audent consciētiæ, in multis hæsitant & resiliunt, semper variant & trepidant. Res tamen periculosa est de ea liberiùs loqui: propterea, quòd simul atque iniecta est aliqua mentio Christianæ libertatis, ibi (quæ carnis nostræ est malitia omnia corrumpens) aut feruent libidines, aut insani motus surgunt. Partim enim huius libertatis prætextu, omnem Dei obedientiam excutiunt, & in effrænatam licentiam se proripiunt: partim indignantur, putantes omnem moderationem, ordinem, rerumque delectum tolli. Quid ergo hìc agamus, talibus angustiis circumsepti? Danda est opera, ne adeo necessaria doctrinæ pars supprimatur: & occurratur tamen interim absurdis illis obiectionibus, quæ inde enasci solent.

In quibus partibus Christiana libertas sita sit.

1. Sita primum est Christiana libertas in liberatione à Legis maledictione, per mortem Christi. Prima igitur pars Christianæ libertatis est, vt fidelium conscientiæ, dum fiducia suæ coram Deo iustificationis quærenda est: sese supra Legem erigant atque efferant, totamque Legis iustitiam obliuiscantur. Et ratio est. Cum Lex (vt supra visum est) neminem iustum relinquat, sed omnes, qui sub ea sunt, maledicat, ac reos teneat. Ergo aut ab omni spe iustificationis excludimur: aut ab illa nos oportet solui, atque ita solui, vt nulla prorsus operum ratio habeatur. Qui enim vel tantillum operum cogitat se afferre debere, ad obtinendam iustitiam, non potest modum aut finem præfigere, sed debitorem vniuersæ Legis se constituit. Secludi nos ab omni spe iustificationis non conuenit; Ergo sublata Legis mentione & omni operum cogitatione seposita, vnam Dei misericordiam amplecti conuenit: cum de iustificatione agitur; ac auerso à nobis aspectu, vnum Christum intueri. Non enim cum quæritur de iustificatione; quæritur quomodo iusti simus; sed quomodo, iniusti licet ac indigni, pro iustis habeamur. Cuius rei si certitudinem aliquam assequi volunt conscientiæ nostræ; nullum Legi locum dare debent.

At nunquid igitur Lex fidelibus superuacanea est, quia nullum in iustificatione locum habet?

Resp. Absit. Tametsi enim apud Dei tribunal in fidelium conscientiis locum non habet: illos tamen docere, & exhortari, & stimulare ad bonum non desinit: & hoc est officium Legis in fidelibus.

Vbi notandum; quòd hæc duo sicut sunt diuersissima; ita nobis sunt diligenter distinguenda.

Primum, tota Christianorum vita, quædam pietatis meditatio esse debet; quoniam in sanctificationem vocati sunt. Et in hoc situm est Legis officium; vt eos officij sui admonendo, ad sanctitatis & innocentiæ studium excitet.

Secundum, Christiani coram Deo iusti sunt, propitium habent Deum, & in iudicio Dei constant. Vbi ergo conscientiæ sollicitantur, quomodo Deum habeant propitium, quid responsuræ sint, & qua fiducia constaturæ, si ad eius iudicium postulentur; ibi non est subducendum, quid Lex requirat, sed vnus Christus pro iustitia proponendus, qui omnem Legis perfectionem superat.

In hoc cardine totum ferè argumentum Epistolæ ad Galatas vertitur, nempe, quod nullo modo per opera Legis, sed per solum Christum coram Deo iustificemur. Atque ita in negotio iustificationis coram Deo nos liberos esse à Lege morali.

At quidam interpretes docent, Paulum in ea Epistola pro ceremoniarum tantùm libertate pugnare.

Resp. Illos interpretes errare, ex iis argumentorum locis patet. *Christus factus est pro nobis execratio, vt nos ab execratione redimeret.* Item: *In libertate, qua Christus nos liberauit, state: & ne rursus iugo seruitutis implicemini.* Item: *Ecce ego Paulus dico vobis, Si circuncidimini, Christus vobis nihil proderit.* Item: *Qui circumciditur, debitor est vniuersæ Legis faciendæ, &c.* Item: *A gratia excidistis, quicunque in Lege iustificamini.* Quibus locis certè aliquid sublimius continetur, quam ceremoniarum libertas.

At nonne illic Paulus de ceremoniis disputat?

Resp. Fateor; quia illi pugna est cum pseudo Apostolis, qui veteres Legis vmbras, Christi aduentu abolitas, reducere in Christianam Ecclesiam moliebantur. Verùm ad hanc quæstionem cum illis pseudo Apostolis expediendam, disputandi erant altiores loci, in quibus tota controuersia posita erat.

Primùm, quia vmbris illis Iudaicis obscurabatur Euangelij claritas: ideò ostendit Apostolus, in Christo nos solidam eorum omnium exhibitionem habere, quæ Mosaicis ceremoniis adumbrabantur.

Secundò, quia illi impostores pessima opinione imbuebant plebem, quòd hæc scilicet ceremoniarum obedientia valeret ad promerendam Dei gratiam: ideò hìc plurimùm insistit, ne vllis Legis operibus, nedum minutis illis Elementis iustitiam se consequi posse coram Deo existiment fideles. Et simul docet, damnatione Legis, quæ vniuersis hominibus aliàs impendet, esse per crucem Christi liberos, vt plena securitate in vno Christo acquiescant. Qui locus propriè huc pertinet.

Tertiò, conscientiis fidelium suam asserit libertatem, ne qua religione in rebus non necessariis obstringantur.

Secunda Christianæ libertatis pars.

Secunda constat in liberatione ab ipsius Legis onere, iugoque: & hæc habetur per Spiritum Christi, dependetque à superiori parte. Altera ergo pars, quæ à prima dependet, est, vt conscientiæ, non quasi Legis necessitate coactæ, Legi obsequantur, sed Legis ipsius iugo liberæ, voluntati Dei vltro obediant.

Quòd ita necesse sit, patet. Quemadmodum enim in perpetuis terroribus conscientiæ versantur, quamdiu sub Legis dominio sunt: ideò alacri promptitudine in obedientiam Dei nunquam compositi erunt, nisi huiusmodi libertate priùs donatæ. Exemplo magis perspicuè assequemur, quò hæc pertineant.

Legis præceptum est, vt diligamus Deum toto corde: id vt fiat, anima priùs est omni alio sensu & cogitatione euacuāda: cor omnibus desideriis expurgandum: vires in vnum colligendæ & contrahendæ. Omnes etiam perfecti, qui præ aliis in via Dei progressi sunt: ab hac mera longissimè absunt. Nam etiamsi Deum ex animo diligant, & sincero cordis affectu: multam tamen adhuc cordis & animæ partem occupatam habent carnis cupiditatibus, quibus retrahuntur & sistuntur, quo minus celeri ad Deum cursu pergant.

Multo quidem conatu contendunt; sed caro partim eorum vires debilitat, partim ad sese applicat. Quid hic faciant, dum sentiunt, se nihil minùs, quàm Legem præstare? volunt, adspirant, conantur, sed nihil ea, qua decet, perfectione. Si Legem intuentur: quidquid tentant aut meditantur operis, maledictum esse vident.

At non videtur, quòd omnia opera nostra maledicta sint à Lege, atque ideò peccata, Nam non ideò opera nostra mala sunt, quia imperfecta sunt: Ergo quod in eis bonum est, Deo nihilominus acceptum est.

Resp. Falsè colligis: non ideo mala esse, quia imperfecta; imo ideo mala sunt, quia imperfecta sunt. Ratio est; nam Lex perfectam dilectionem exigens, omnem imperfectionem damnat; ergo opera nostra, eo ipso legis transgressiones sunt, quia imperfecta sunt. En quomodo omnia opera nostra legis maledictioni subiaceant, si ad legis modum exigantur. Quomodo igitur tam se alacriter accingent ad opus infelices animæ; pro quo non nisi maledictionem se referre posse confiderent? At vero si ab hac sincera legis exactione, vel potius toto legis rigore liberatæ, paterna lenitate se à Deo appellari audiant; hilares & magna alacritate vocanti respondebunt, & ducentem sequentur.

In summa, qui legis iugo adstringuntur, seruis sunt similes; quibus certæ in singulos dies operæ à Dominis indicuntur. Hi enim nihil effectum putant, nec in conspectum dominorum venire audent, nisi exactus operum modus constiterit. Filij vero, qui liberalius & magis ingenuè à patribus tractantur; eis non dubitant inchoata & dimidiata opera, aliquid etiam vitij habentia, offerre; confisi suam obedientiam & animi promptitudinem illis acceptam fore, etiam si minus exactè effecerint, quod volebant.

Tales nos esse oportet, qui certo confidamus, obsequia nostra indulgentissimo patri probatum iri; quantulacunque sint, & quantumuis rudia ac imperfecta; qualiter etiam per Prophetam nobis confirmat Dominus, dicens, Malach. 3. *Parcam ei, sicut solet pater filio parcere seruienti sibi.* Vbi parcere pro indulgere est.

Et hæc fiducia valdè nobis necessaria est, sine qua frustrà omnia conabimur. Nam Deus nullo pacto reputat se coli nostro opere: nisi quod in eius cultum verè à nobis fiat. In cultum autem eius verè fieri à nobis opus nostrum sine ista fiducia non potest: cum scilicet inter tot terrores dubitatur, offendatur ne Deus, an colatur nostro opere. Ergo, &c.

Et hæc causa est, cur Apostolus ad Hebræos, quicquid in sanctis Patribus illis bonorum operum fuisse legitur: ad fidem referat, & ea duntaxat ex fide æstimet.

Rom. 6. Insignis locus est de hac libertate, vbi Paulus ratiocinatur, peccatum non debere nobis dominari: quia non sumus sub lege, sed sub gratia. Cùm enim hortatus esset fideles, dicens: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed Deo vos deuouete, tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Deo*: & cùm illi è contra obiicere possent, se adhuc carnem secum ferre plenam concupiscentiis: & peccatum in se habitare: ideo subiicit consolationem Apostolus à Legis libertate, dicendo: *Non enim estis sub Lege, sed sub gratia*: q. d. Tametsi nondum extinctum est peccatum, nedum iustitiam in vobis viuere planè sentitis: non tamen est, cur formidetis, & animo deiiciamini, quasi Deũ semper offensum habeatis, ob peccati reliquias: quando per gratiam a Lege sitis manumissi: ne eius regula vestra opera examinentur. Qui verò peccandum inferunt, quia non sumus sub Lege: ij intelligant, hanc libertatem nihil ad se pertinere: cuius finis est, ad bonum nos animare.

De tertia Christianæ libertatis parte.

Tertia libertatis pars est in rebus externis indifferentibus. Maxima seruitus Hebræorum fuit, dum putabant quarundam rerum externarum vsum sibi à Domino prohibitum, ita vt nunquam eis, etiamsi aliqua necessitas vrgeret, vti sibi liceret: vt de carne porcina, de suffocato, &c. Patet. Nos hac seruitute Christus liberauit, dum declarauit nullam rerum externarum indifferentium nobis a Deo prohiberi, quin illis vtamur, cum per gloriam Dei & vtilitatem siue ædificationem proximi licuerit: quia Domini est terra & plenitudo eius. Psal. 24.

Tertia igitur libertas est, vt nulla rerum externarum, quę per se sunt ἀδιάφορα, religione coram Deo teneamur: quin eas nunc vsurpare, nunc omittere indifferenter liceat. Omnia enim nobis in vsum indifferenter Dominus concessit, modò in gloriam eius & proximi bonum vtamur.

Hæc libertatis huius cognitio nobis necessaria est.

Primò ad pacificandas conscientias, & tollendas superstitiones, quæ cognitio si aberit, nulla conscientiis nostris futura est quies, nullus superstitionum finis. Nam vbi semel se in laqueum coniecerunt conscientiæ: longum & inextricabilem labyrinthum ingrediuntur, vnde non facilis postea exitus patet. Coniiciunt autem se conscientiæ in laqueũ, cùm incipiunt dubitare, vtrum per Dei Legem illis vti vel aliis non vti rebus sibi liceat. Ergo, &c. Patet exemplo.

Si quis dubitare inceperit, an sibi in linteis, indusiis, sudariis, mantilibus, lino vti liceat, nec de cannabe postea securus erit, tandem de stuppis incidet dubitatio. Secum enim voluabit, an non sine mantilibus cœnare possit? annon sudariis carere? si cui paulo delicatior cibus illicitus visus fuerit: demum nec panem cibarium, nec vulgaria edulia tranquillus coram Deo comedet: dum in mentem venit, se vilioribus adhuc cibis posse corpus sustentare. Denique eò demum veniet, vt super transuersam (quod dicitur) festucam incedere, nefas ducat. Ergo ne conscientiæ in hunc labyrinthum ingrediantur, ac inquietæ permaneant: necessarium est scire, quòd Deus nihil rerum externarum nostro vsui (modò in gloriam Dei & bonum proximi dirigatur) ademerit.

Secundò, ad tollendam desperationem, & contemptum Dei. Nam quicunque tali dubitatione impliciti sunt, vt nesciant, an sibi hac vel illa re vti liceat: ij quoquò se vertant, præsentem vbique conscientiæ offensionem vident: & aut desperatione in confusionem abripiuntur: aut contempto Deo & abiecto eius timore, viam sibi ruina faciunt, quam expeditam non habent.

Tertiò, huius libertatis ignoratio facit, vt quæ per se mũda sunt, nobis sint immunda. Rom. 14. *Scio quia nihil commune est: nisi qui existimat commune esse, illi commune est.*

Quibus verbis res omnes externas libertati nostræ subiicit: modò eius libertatis ratio animis nostris apud Deum constet. Verùm si qua superstitiosa opinio scrupulum nobis iniiciat: quæ suapte natura pura erant, nobis contaminantur. Ideo subdit, dicens: *Beatus qui non iudicat seipsum in eo, quod probat: At qui diiudicat: si ederit, condemnatus est: quia non edit ex fide: omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.*

Quartò, Qui verò inter huiusmodi angustias constituti, omnia tamen audendo, se animosiores ostendunt: nónne se tantundem à Deo auertunt? Qui verò aliquo Dei timore penitùs afficiuntur, cùm & ipsi cogantur multa admittere auersante conscientia: formidine consternuntur & concidunt. Hæc autem omnia vnde? ab ignoratione, an sibi liceat vti iis vel illis rebus.

Quintò, hæc ignoratio facit, vt nihil cum gratiarum actione suscipiamus, qua tamen sola gratiarum actione omnia sanctificantur. Quomodo enim quis gratias Deo agere ex animo potest, de vsu earum rerum, quas nescit, imo dubitat sibi datas & concessas? quomodo inquam, in illis rebus agnoscere Dei beneficentiam & bonitatem potest? Fur, qui furatus est aliquid ab aliquo, nunquam gratias aget illi, cui furatus est; quia non agnoscit illud ab illo: Ita qui non agnoscit, omnia sibi à Deo concessa in liberũ (scilicet in gloriam Dei) vsum: & tamen eis vtitur, non vtique potest gratias pro iis Deo agere. Ergo, &c.

Quò tendat hæc tertia libertas, &c.

Huc in summa tendit hæc libertas: vt Dei donis sine vllo conscientię scrupulo, sine vlla animi perturbatione vtamur: in quem vsum nobis data sunt. Qua fiducia, & pacem cum Deo habeant animæ nostræ, & eius erga nos largitatem agnoscant. Hic enim comprehenduntur omnes liberæ obseruationis ceremoniæ: ne qua necessitate ad eas obseruandas adstringantur consciẽtiæ, sed earum vsum Dei beneficio sibi ad ædificationem subiectum esse meminerint.

Quod Christiana libertas tota spiritualis sit: & vbi posita sit & consistat eius vis.

Notandum est autem: primò quod Christiana libertas tota spiritualis sit: id est, non in carne, sed in spiritu sita. Vnde 2. Cor. 3. *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* Galat. 5. *In libertatem vocati estis, fratres: tantùm ne libertatem in occasionem detis carni*: quasi dicat, libertas Christiana non pertinet ad carnem, sed ad Spiritum: imò caro eam destruit: Ergo ne in occasionem detis carni, nisi velitis illam amittere. Hinc

Notandum secundò, quod tota vis libertatis Christianæ posita sit in pacificandis coram Deo formidolosis consciẽtiis: siue de peccatorum remissione inquietæ sint, & sollicitæ: siue anxiæ sint, vtrum opera imperfecta & vitiis carnis nostræ inquinata, Deo placeant: siue de rerum indifferentium vsu torqueantur. Hæc enim tria solent conscientias formidolosas inquietare: libertas autem Christiana ab his tribus perturbationibus eas liberat.

Quomodo peccetur circa libertatem Christianam.

Cùm ergo libertas Christiana & tota spiritualis sit, & tota eius vis in pacificandis conscientiis coram Deo consistat: ideo errant, & peruersè interpretantur primò illi, qui suis cupiditatibus ipsam prætextunt, vt bonis Dei donis abutantur in suam libidinem: quasi libertas Christiana sit res carnalis & non spiritualis, cùm tamen tota spiritualis sit, nihilque cum carne commercij habeat, vt supra ostensum est. Et hoc *primo modo* mirum in modum hoc seculo peccatur quis hoc nõ videt? Nullus enim ferè est, cui sumptuoso esse per facultates liceat, quem non delectet in cœnarum apparatu, in cultu corporis, in extruendis domibus, luxuriosus splendor: qui non omni lautitiarum genere inter alios eminere velit, qui non sibi in suo nitore mirificè blandiatur. Et hæc omnia sub Christianæ libertatis prætextu defenduntur.

At (aiunt) hæc, sunt res indifferentes.

Resp. Fateor: modò iis indifferenter quis vtatur. Cæterùm, vbi nimis cupidè appetuntur, vbi superbè iactantur, vbi luxuriosè effunduntur: iis vitiis conspurcantur, atque ita non sunt amplius indifferentes, sed immundæ: non propter se, sed propter immundiciem & vitium vtentis illis. Patet. Tit. 1. *Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum, quia polluta est eorum mens & conscientia.* Exemplum.

Cur enim maledicuntur diuites, qui consolationem suam habent, qui saturati sunt, qui nunc rident, (vt est Luc. 6.) item qui dormiunt in lectis eburneis, qui coniungunt agrũ agro, vt est Amos 6. Item quorum conuiuia citharam, lyram, tympanum, & vinum habent: Certè & ebur, & aurum, & diuitiæ, bonæ creaturæ Dei sunt, hominum vsibus permissæ, imo Dei prouidentia destinatæ. Item nec ridere, aut saturari, aut nouas possessiones veteribus atque accitis adiungere, aut concentu Musico delectari, aut vinum bibere, vsquam prohibitum est.

Resp. Verum illud quidem, sed vbi rerum copia suppetit, in deliciis voluntari, ac se ingurgitare, mentem & animum inebriare præsentibus voluptatibus, ac nouisque semper inhiare: hæc à legitimo donorum Dei vsu longissimè absunt. Tollant ergo immoderatam cupiditatem, tollant immodicam profusionem, tollant vanitatem & arrogantiam, vt pura conscientia Dei donis purè vtantur. Vbi ad hanc sobrietatem animus compositus fuerit: habebunt legitimi vsus regulam. Desit rursus hæc moderatio: plebeiæ cõmunesque delitiæ, nimiæ sunt: illud enim verè dicitur, in burtha &

tha & rudi panno, sæpè animum purpureum habitare: interdum sub bysso & purpura, simplicem humilitatem latere. Ita in suo quisque ordine, vel tenuiter, vel modicè, vel splendidè viuat: vt meminerint omnes, se à Deo ali, vt viuant, non vt luxurientur: ac legem hanc Christianæ libertatis putent, si cum Paulo didicerint, in quibus sunt, iis cõtenti esse: si norint & humiles esse & excellere: si docti sint, vbique & in omnibus & saturari, & esurire, & abundare, & penuriam pati, vt ipse de se ait, Phil. 4.

Secundò, errant & illi, qui perinde ac si sua libertas incolumis ac salua non esset, nisi testes haberet homines, promiscuè & impudenter ea vtuntur: atque ita ea vsurpatione importuna, infirmos fratres sæpe offendunt. Verbi gratia.

Tempore Pauli erant Corinthi multi Christiani scioli, qui cùm scirent, se per Christum hac libertate donatos, sibique per Christum licere quibusuis cibis, & quolibet tempore vesci (modò id tantùm in gloriam Dei & proximi vtilitatem cederet:) indifferenter & promiscuè & importunè, sine vllo respectu scandali infirmorum fratrum, qui aderant, accumbebant in idoleis cum gentilibus, edebantque de immolatis idolis, putantes suam libertatem non consistere, nisi de illis idolothytis comedissent, quasi libertas Christiana consistat in importuno rerum omnium externarum & indifferentium vsu, & non potius in pacificandis apud Deum conscientiis: quod consistat in comedendo carnes, & non potius in abstinendo à carnibus, cùm id gloria Dei & vtilitas proximi exposcit. Sufficiebat illis scire, quod nil referebat apud Deum, vescerentur ne idolothytis, an non vescerentur: quia hæc scientia pacificat conscientias formidolosas & inquietas, de rerum indifferentiũ vsu: & in hoc consistit libertas Christiana, cùm scilicet cõscientiæ liberatæ sunt à falsis opinionibus & dubitationibus, an Deus remittat nobis peccata, an opera imperfecta placeant Deo, an aliquid de rebus externis & indifferentibus nobis prohibitum sit. Non debebant autem comedere carnes, quod ex ipsorum esu proximus offendebatur: quia libertas Christiana non est nobis donata, vt illa vtamur in offensionem proximi: sed in gloriam Dei, & vtilitatem proximi. Debebant cogitare, nihil de sua libertate nouum cõsequi in hominum conspectu, sed apud Deum: & tam in abstinendo constitutam esse, quàm in vtendo. Iure igitur illos reprehendit Apostolus, 1. Cor. 10. ostenditque, quod, etsi in se licebat illis vesci carnibus immolatis, tamen cùm id in damnum proximi cedebat, non licere, dicendo: *omnia licent, sed non omnia expediunt*: quasi dicat, illa tantùm licent, quę expediunt: non expedit autem vesci carnibus immolatis, cùm adsunt fratres infirmi. Ergo non licet tunc vesci. Ita nunc sunt quidam, quibus videtur, quod libertatem Christianam non possideant, nisi edant carnes indifferenter omni die: falluntur. Non consistit libertas Christiana in comedendo carnes indifferenter: sed consistit in sciẽdo, quod Deus nullum nobis cibum in se, quasi immundũ, nullóve tempore vetuit, quin illo vesci possimus, si necessitas exigat, sicut vetuit populo Iudaico. Si igitur corã Deo nihil referre intelligamus, vescamurne carnibus, an ouis, rubrisne an nigris vestibus indnamur: satis supérq; est Iam soluta est conscientia, cui eius libertatis beneficium debebatur. Ergo etiãsi posthac carnibus tota vita abstineamus, & colorem vnum perpetuò feramus: non minus liberi sumus, imo ideo quia liberi sumus, libera conscientia abstinemus. Perniciosissimè vero labimur, si fratrum infirmitatem nullius pensi habemus, quam sic sustineri à nobis decet, ne quid temerè admittamus, cum eius offendiculo.

At nónne interest quoque interdum coram hominibus nostram asseri libertatem?

Resp. Fateor, vt patet Gal. 2. Modus tamen summa cautione tenendus est, ne infirmorum curam, quos nobis tantopere Dominus commendauit, abiiciamus.

Dicam igitur hic de scandalis nonnihil, quo in discrimine habenda sint, quæ cauenda, quæ etiam negligenda: vnde postea statuere liceat, quis sit inter homines libertati nostræ locus.

LOCVS XIV.

DE SCANDALO.

Scandalum, σκάνδαλον, ductum à σκάζω, id est, *claudico*, significat offendiculum, id est, quiddam, ad quod impingens labitur, seu trepidat. Est autem scandalum, dictum vel factum, aut exemplum, quò alius fit deterior: seu quia error in eo confirmatur, seu quia imitatur exemplum malum: seu quia flammas maiores odij aduersus Euangelium concipit. Correlatiuum scandali est offensio: & interdum promiscuè scandalum, quod significat obiectum, pro ipsa offensione sumitur.

Duplex autem est scandalum, aliud datum, aliud acceptum. *Datum* est hoc, si quid importuna aut leuitate, aut lasciuia, aut temeritate, non ordine, nec suo loco facias, quo imperiti imbecillesque offendantur: scandalum abs te datum dicetur, quoniã tuum factum, culpa fuerit, vt eiusmodi offensio suscitaretur. Ac omnino scandalum in re aliqua datum dicitur, cuius culpa ab autore rei ipsius profecta est.

Hoc scandali genere non nisi infirmi offenduntur: quare & potest vocari scandalum infirmorum.

Acceptum scandalum vocatur, cùm res alioqui non improbè nec importunè admissa, maleuolẽtia aut sinistra quadam animi malignitate, in offensionis occasionem rapitur. Non enim hic datum erat scandalum, sed sinistri illi interpretes sine causa accipiunt. Hoc scandali genere acerba ingenia & Pharisaica supercilia offenduntur. Quare & scandalum Pharisæorum dici potest.

Vtro de scandalo curandum sit.

De hoc secundo scandalo, nempe Pharisæorum, non est curandum: sequenda est pietas, prædicanda veritas, vtendũ libertate nostra, etiamsi omnes Pharisæi scandalizentur. Patet.

Matth. 15. *Nescis, quòd audito hoc verbo Pharisæi scandalizati sunt?* quibus ait Christus, *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Ratio. Gloria enim Dei, veritas Euangelij, confessio Christi, studium pietatis, & piorum infirmorum ædificatio, præponenda sunt omnium impiorum Pharisæorum damnationi. Ergo, &c.

De primo verò scandalo, scilicet infirmorum fratrum, curandum nobis est, ne admittamus, ne scandali occasionem vlli demus. Patet.

Matth. 18. & Mar. 9. *Qui scandalizauerit vnum ex iis pusillis, qui in me credunt. expedit, vt suspendatur mola asinaria in collum eius, ac demergatur in profundo maris, &c.*

Ad Rom. 14. *Infirmum autem in fide suscipite.*

Item, *Non ergo amplius, inuicem* (alius alium) *iudicemus, sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum* (siue lapsus occasionem.) Vide totum caput.

Summa est, vt nos, qui potentes sumus, infirmitates impotentium sufferamus: nec placeamus nobis ipsis, sed vnusquisque nostrum, proximo suo placeat ad ædificationem: quoniam neque Christus sibi placuit, &c Vide Rom. 1.

1. Cor. 8. *Videte, ne quo modo facultas ista vestra, offendiculum fiat infirmis.*

1. Cor. 10. *Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam, &c. Si quis autem dixerit, hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum qui indicauit, & propter conscientiam. Conscientiam dico, non tuam, sed alterius.*

Item, *Siue ergo manducetis, siue bibatis, omnia in gloriam Dei facite: sine offensione estote Iudæis & Gentibus, & Ecclesiæ Dei: sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.*

Gal. 5. *In libertatem vocati estis fratres: tantùm ne libertatem vestram in occasionem detis carni, sed per charitatem seruite vobis inuicem.* Ita est sanè. Libertas nostra, non aduersus imbecilles proximos data est, quorum nos per omnia seruos charitas statuit. sed magis, vt pacem cum Deo in animis nostris habentes, pacificè etiam inter homines viuamus.

Vsus igitur libertatis nostræ sic temperandus est, vt fratrum infirmorum ignorantiæ cedat: Pharisæorum autem austeritati nequaquam.

Quando libertate nostra vtendum: & quando abstinendum sit.

At vellem habere regulam, qua scire possem, quando vti mea libertate, & quando abstinere possim & debeam.

Resp. Affer am regulam. Sed primò notandum, quòd tria sint actionum genera, vnde possunt homines scandalizari.

1. Sunt actiones *per se malæ*, & peruersæ, vt sunt fornicari, crapulari, blasphemare, & denique omnia peccata, quibus scandalizantur & mali Pharisæi, & boni fratres infirmi: illi, quia confirmantur in impietate: isti, quia sequuntur mala exempla. Hæ actiones nunquam sunt faciendæ, sed omittendæ, quia ait Christus Matth. 18. *Qui scandalizauerit vnum ex pusillis iis, &c.*

2. Sunt etiam actiones *per se bonæ*, & necessariæ ad salutem: vt prædicatio verbi Dei, confessio nominis Christi, studium pietatis. Hæ nullius offendiculi timore omitten-

dę ſunt:ſed ſemper faciendę,cum datur facultas,& neceſſitas vrget, etiamſi totus mundus reclamet, ſcandalizetur,tnat. Ratio eſt,quia plus importat gloria Dei,quàm perditio totius Mundi:pereat totus Mundus,modo gloria Dei & Chriſti ſalua permaneat.

Gal. 1. *Si quis euangelizauerit aliud Euangelium, præter id quod accepiſtis,anathema ſit.*

Matt.10.*Qui me negauerit coram hominibus,negabo & eum coram Patre meo cœleſti,&c.*Et additur conſolatio, ne frangamur metu diſſidiorum,dicendo:*Veni enim ſeparare hominem à patre ſuo,& filiam à matre,&c.* In iis ergo, quæ ſunt factu neceſſaria,& præſertim, quæ concernunt gloriam Dei & Chriſti,non eſt metuendum ſcandalum, non eſt habenda ratio vllius hominis.

At vbi charitas proximi,propter cuius ſalutem omnia & pati & agere debemus.

Reſp. Sicut charitati ſubiicienda eſt noſtra libertas,vt poſteà dicetur in rebus indifferentibus:ita ſub fidei puritate, ſubſidere viciſſim charitas ipſa debet. Equidem & hic charitatis haberi rationem decet,ſed vſque ad aras,id eſt,ne in gratiam proximi,Deum offendamus.

At mihi videtur,quod etiam ea quæ factu neceſſaria ſunt, ſæpe poſſint rectè diſſimulari ob bonum proximi: præſertim,quando,dum illa facimus, ſcandalizatur, & non recipit poſteà,neque minora. Verbi gratia: Diſſimulanda eſt pietas,prædicatio libera Euangelij: & è contrà ſimulanda impietas aliquando,vt ita proximus pedetentim totus acquiratur.

Reſp. Sicut non probo eorum intemperiem,qui nihil niſi tumultuando agunt, & qui perrumpere omnia malunt, quàm diſſuere:ita nec eos audio,qui cum in mille impietatis formas,duces ſe præbent,ſic ſibi agendum fingunt,ne proximis ſint offendiculo: quaſi non interim proximorum conſcientias in malum ædificent: præſertim vbi nulla ſpes exitus,in eodem luto ſemper hæreant. Nunquam diſſimulanda eſt pietas,aut ſimulanda impietas.

At nonne Paulus ait 1. Corinth. 3. *Lac vobis potum dedi:* Ergo lacte potandus & cibandus eſt proximus, antequam ſolidi cibi ipſi affectantur.

Reſp. Lac potum dabat,non venenum.Prędicabat Euangelium,nullam verò impietatem:non diſſimulabat veritatem Euangelij,neque ſimulabat impietatem. Nunc verò quidam ſuaues ſcilicet homines,vbi ſeu doctrinâ, ſeu vitæ exemplo inſtituendus eſt proximus,aiunt lacte paſcendum eſſe, quem peſſimis exitialibuſque opinionibus imbuunt. Lac venenum non eſt.Mentiuntur ergo ſe alere, quos ſub blanditiarum ſpecie crudeliter necant.

Sed eſto,demus probandam ad tempus iſtiuſmodi diſſimulationem,quouſque tamen pueros ſuos eodem potabunt lacte?Nam ſi nunquam grandeſcunt, vt vel tenuem ſaltem aliquem cibum ferre poſſint: nec lacte fuiſſe vnquam educatos,certum eſt.

3.Sunt etiam actiones liberæ & *indifferentes*, cùm nobis liberum eſt,vel agere, vel omittere, idque per Chriſtum, qui nos hac libertate donauit:verbi gratia,vt ſunt māducare carnes,vel non manducare,&c. de quibus ſuprà diximus. In iis ergo quomodo me regam?quando vtendum mihi eſt libertate mea,& quando abſtinendum?

Reſp.Charitas primo Dei & Chriſti:ſecundo proximi,ipſa erit regula,quæ docebit te, quando moderari debeas libertatem tuam,vel ea omnino abſtinere:& quando debeas eam etiam offendiculis redimere,vel ea vti.

1. Tunc igitur abſtinere debes ab vſu libertatis tuę,& eam moderari,cùm videris,quòd ſine periculo gloriæ Dei & Euangelij & fidei,ex hac libertatis tuę abſtinentia & moderatione attemperans te infirmitate fratrum, aliquem pietatis fructum in eis facis.Patet exemplo.

Actor. 16. Paulus cum in conſortium aſſumeret Timotheum,eum circumcidit,hac in parte moderans libertatem ſuam.Cur hoc?1.Corinth.9. *Cum liber eſſem ab omnibus,omnium me ſeruum feci,vt plures lucrifacerem, & factus ſum Iudæis tanquam Iudæus,vt Iudæos lucrarer:iis qui ſub Lege erant, quaſi ſub Lege eſſem (cùm ipſe non eſſem ſub Lege) vt eos, qui ſub Lege erant lucrifacerem: Iis qui ſine Lege erant, tanquam ſine Lege eſſem. (cùm ſine Lege Dei non eſſem, ſed in Lege Chriſti)vt lucrifacerem eos, qui ſine Lege erant. Factus ſum infirmis infirmus,vt infirmos lucrifaciam: omnibus factus ſum omnia,vt omninò aliquos ſeruem. Hoc autem facio propter Euangelium,vt particeps eius fiam.*Ecce hîc habemus iuſtam libertatis moderationem,ſi cum fructu aliquo indifferenter contineri poſſit.

2.Tunc verò ea vti debes,& eam offendiculis redimere, cùm videris,quòd ex abſtinentia libertatis,periclitatur gloria Dei,Chriſti,Euangelij gratia & fidei veritas,ideoque & ſalus proximi,etiamſi multi alij ſcandalizentur,vt impij hypocritæ.Patet.

Gal.2.Paulus,qui circumciderat Timotheum,vt eum & alios lucrifaceret, idque ſine periculo gloriæ Chriſti, & fidei:non patitur,vt Titus cogatur circumcidi.Cur?Propter periculum veritatis Euangelij,ideo & ſalutis proximi, quæ eſt ex Euangelio,cum illo corruente,corruat ſalus proximi. Ideò acriter tum Paulus vindicauit libertatem Euangelij, cùm videret, per iniquas exactiones pſeudo Apoſtolorum, eam infirmis in conſcientiis periclitari. Audi ipſum Apoſtolum:*Sed neque Titus,qui mecum erat,cum eſſet Græcus compulſus fuit circumcidi propter obiter ingreſſos falſos fratres, qui ſubintroierant ad explorandam libertatem noſtram,quam habemus in Chriſto Ieſu,quo nos in ſeruitutem adigerent: quibus ne ad tempus quidem ceſſimus per ſubiectionem, vt Euangelij veritas permaneret apud nos.* Ecce quomodo habeamus & hîc neceſſitatem vindicandæ libertatis, ſi per iniquas exactiones pſeudo Apoſtolorum ea infirmis in conſcientiis periclitatur.

Vtrique ſtudendum charitati,& ſpectanda proximi ædificatio.Patet.

1.Cor.10 *Omnia mihi licent:ſed non omnia expediunt. Omnia mihi licent: ſed non omnia ædificant Nemo quod ſuum eſt, quærat,ſed quod alterius* Nihil iam hac regula expeditius, quàm vtendum libertate noſtra, ſi in proximi noſtri ædificationem cedat:ſin ita proximo non expediat,ea tunc abſtinendum.

Sunt qui Paulinam prudentiam ſimulant in abſtinentia libertatis,nihil minùs quàm in officia charitatis eam conferentes. Suæ enim quieti vt conſulant, omnem libertatis mentionem ſepultam optant: cùm non minus interſit proximorum,libertatem in eorum ædificationem interdum vſurpare,quàm pro ipſorum commodo, eam loco moderari.

Pij autem hominis eſt cogitare, ſibi liberam in externis rebus poteſtatem ideo eſſe conceſſam, quo ſit ad omnia charitatis officia expeditior.

Quòd fideles Chriſtiana libertate donati,quo ad conſcientiam & Spiritum,nulli hominum poteſtati aut legibus ſubiecti ſint: quo verò ad externum hominem,& carnem, Magiſtratui & humanis legibus,ſubiecti ſint,& parere debeant.

Cùm verò hæc libertas Chriſtiana non externum hominem,ſed conſcientiam tantùm & Spiritum ſpectet,vt ſupra dictum eſt,hinc ſequuntur duo.

1. Quòd Chriſtiani hac libertate per Chriſtum donati, nemini niſi Chriſto,nulliuſque hominis legibus,niſi Chriſti,ſubiecti ſint,quo ad conſcientiam, neque ſe ſubiici pati debeant.& cum id Chriſti beneficio conſecutæ fideles conſcientiæ ſint,ne vllis obſeruationum laqueis in iis rebus implicentur, in quibus eas liberas eſſe voluit Dominus, omnium hominum poteſtate exemtæ cum ſint, non amplius ſubiici ſe hominum poteſtati patiantur.Eſt enim indignum, & Chriſto gratiam tantæ ſuæ libertatis perire, & conſcientiis ipſis fructum:& nullus poteſt eſſe Dominus & rex conſcientiarum noſtrarum,niſi vnus Ieſus Chriſtus.

Neque res leuicula æſtimanda eſt, quam videmus tanti Chriſto conſtitiſſe,vtpote quam non auro & argento, ſed proprio ſanguine æſtimauit:ita vt Paulus non dubitet dicere Gal.5.irritam fieri eius mortem,ſi animas noſtras hominibus in ſubiectionem tradamus.Si quidem non aliud agit aliquot capitibus Epiſtolæ ad Gal. quàm Chriſtum obſcurari nobis, vel potius extingui, niſi in ſua libertate ſtent conſcientiæ noſtræ à qua certè exciderunt,ſi poſſunt hominum arbitrio,legum ac conſtitutionum vinculis illaqueari. Non tamen propter hoc tollitur vniuerſa hominum obedientia,imò ſtatuitur. Tollitur quoad conſcientias, non quo ad externum hominem.

2. Secundum ergo quod ſequitur, eſt, quod Chriſtiani, licet quo ad conſcientiam,nullis hominum legibus ſubiecti ſint,ſed exemti ab omni hominum poteſtate:tamen quo ad externum hominem, quo ad carnem, non ſunt exemti ab omni hominum poteſtate,ſed ſubditi adhuc magis ſunt Magiſtratibus tam politicis,quàm Eccleſiaſticis:illiſque parere tenentur ob præceptum Dei,& ob bonum publicum, & ordinem in Eccleſia ſeruandum.

Rom.13.*Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.*

1.Petr.2. *Subditi eſtote omni humanæ ordinationi propter Dominum,non tamen propter iuſtificationem & cultum.*

Eſt enim duplex in homine regimen: alterum ſpirituale, quo conſcientia ad pietatem & cultum Dei inſtituitur: alterum politicum,quo ad humanitatis officia & ciuilitatis, quæ inter homines ſeruanda ſunt,homo eruditur. Vulgo appellari ſolent iuriſdictio ſpiritualis, & temporalis, non impropriis nominibus, quibus ſignificatur priorem illam regi-

regiminis speciem ad animæ vitam pertinere: hanc autem in iis, quæ præsentis vitæ sunt, versari: non quidem in pascendo solùm aut vestiendo, sed in præscribendis legibus, quibus homo inter homines vitam sanctè, honestè, modestéque exigat. Illa enim in animo interiori sedem habet: hæc autem externos duntaxat mores componit. Nobis licet appellare primum, regnum spirituale: secundum, regnum politicum.

Hæc autem duo, vt partiti sumus, seorsim singula dispicienda sunt semper: & dum alterum consideratur, auocandi auertendique sunt oculi & animi ab alteritus cogitatione. Sunt enim in homine veluti mundi duo, quibus & varij reges, & variæ leges præesse possunt. Hac distinctione fiet, ne quod de spirituali libertate docet Euangelium, perperam ad politicum ordinem pertrahamus: ac si minus secundum externum regimē humanis legibus subiicerentur Christiani, quia solutæ sunt coram Deo ipsorum conscientiæ, quasi propterea eximerentur omni carnis seruitute, quia secundum Spiritum liberi sunt.

Ergo Christiani, quo ad conscientiam, soli Christo Regi suo subditi sunt: quò verò ad carnem, legibus etiam humanis, tam Magistratuum ciuilium, quàm Ecclesiasticorum præpositorum, subduntur.

Verùm notandum & illud, quòd inter constitutiones & leges, quæ ad spirituale regnum pertinent, quædam possunt esse verbo Dei consentaneæ: & hæ seruandæ sunt: quædam etiam dissentaneæ: & hæ seruandæ non sunt.

LOCVS XV.

DE TRADITIONIBVS HVMANIS.

Negari non potest, quin Deus, cùm sit perfectissimus legislator, totum id, quod ad perfectam bene viuendi regulam pertinebat, lege sua ita complexus sit, vt nihil hominibus reliquerit, quod ad summā illam adderent. Patet.

Si quid ad perfectam iustitiam & salutem necessarium esset, quod in lege Domini non contineatur: vtique lex Domini dimidiata esset, & ideò addi ei posset. Atqui nihil ei addi potest. Ait enim Dominus Deut. 4. & 12. *Non addes ad illud, neque diminues ex eo.* Ergo, &c.

Cur verò hoc fecit, & iussit Dominus nihil addi? ob duo. *Primum*, vt quia tota viuendi rectitudo in hoc sita est, si omnia nostra opera ad eius voluntatem tanquam ad normam exigantur: vnicus vitę Magister ac director à nobis haberetur.

Secundum, vt testatum faceret, se à nobis nihil magis requirere, quàm obedientiam: sicut & ait Sauli Samuel: *Melior est obedientia, quàm sacrificium.* Hac ratione Iacob ait c. 4. *Qui iudicat fratrem, iudicat legem: qui legem iudicat, non est obseruator legis, sed iudex. Vnus autem est legislator, qui potest seruare & perdere.* Ecce audimus Deum hoc sibi vni velut proprium asserere, vt verbi sui imperio ac legibus nos regat. Id etiam ante prædixit Iesaias c. 33. *Dominus rex noster, Dominus legislator noster, Dominus iudex noster, ipse saluabit nos.* Vtroque sanè loco ostenditur, vitæ & mortis esse arbitrium, qui ius habet in animam: imò Iac. hoc clarè pronunciat, dicendo: *Vnus autem est legislator.*

Atqui id nemo hominum sibi sumere potest, vt sit vitæ & mortis arbiter.

Ergo Deum verum animarum regem agnosci oportet, penes quem vnum perdendi seruandique potestas est: vel (vt Iesaiæ verba sonant) & regem, & iudicem, & legislatorem & saluatorem Itaq; Petrus dum pastores officij sui admonet, hortatur, vt sic gregem pascant, ne dominium exerceant aduersus cleros, i. hæreditatem Dei, i. fidelium populum, dicendo: 1. Pet. 5. *Pascite, qui in vobis est gregem Dei, prouidentes, vel curam illius agentes non coactè sed libenter: non turpiter affectantes lucrum, sed promto animo. Neque vt dominantes cleris, sed vt qui sitis exemplaria gregis.*

Cùm ergo Dominus sit vnus legislator, & nemo hominum sibi possit assumere quod suum vnius facit Deus: ergo nullus homo potest esse legislator in animas nostras, & obligare conscientias absque verbo Dei, legibus à se inuentis & fabricatis.

Hinc agnoscere facilè possumus, quæ traditiones sint merè humanę, i. verbo Dei contrariæ, si consideremus illas duas suprà dictas rationes, quare Deus voluerit solus esse legislator, nec addi suæ legi: quarum prima erat hæc, vt eius volūntas perfecta sit nobis omnis iustitiæ & sanctitatis regula: atque ita in eius recognitione, perfecta sit benedicendi scientia. Secunda, vt ipse vnus censeatur imperium habere in animas nostras, cui parère, & à cuius nutu pendere debeamus.

Quæ traditiones contrariæ sint verbo Dei, &c.

His duabus rationibus obseruatis, facilis erit diiudicatio, quæ hominum constitutiones sint verbo Domini contrarię & impiæ. Sunt autem eius generis omnes, quæ *primò* sine verbo Dei, ad verum Dei cultum finguntur pertinere, vt traditiones Mahometicæ. *Secundò*, quibus seruandis conscientiæ obligantur, quasi obseruatu necessariæ essent, sicut sunt & præcepta Dei. Hac igitur lance ponderandę sunt omnes humanæ leges, si volumus habere certum examen, quod nusquam aberrare nos sinat.

Priore contendit Paulus in epistola ad Colos. aduersus pseudo-Apostolos, qui nouis oneribus premere Ecclesias tentabant.

Secunda magis vtitur in epistola ad Gal. in simili causa.

Hoc ergo in epistola ad Colos. exequitur, non esse de vero Dei cultu petendam ab hominibus doctrinam: quia Dominus fideliter, & ad plenum nos instituit, qualiter sit colendus. Vt hoc demonstret, primo capite dicit, in Euangelio contineri omnem sapientiam, quą perfectus reddatur homo Dei in Christo. Initio secundi capitis dicit, omnes sapientię & intelligentiæ thesauros in Christo esse absconditos. Inde posteà concludit, caueant fideles, ne per inanem Philosophiam abducantur à grege Christi, secundum constitutiones hominum. In fine autem capitis secundi, maiore adhuc fiducia damnat omnes ἐθελο-θρησκείας, id est, fictitios cultus, quos homines sibi ipsi comminiscuntur, vel ab aliis accipiunt, & quæcunque de cultu Dei vero tradere præcepta homines audent. Habemus ergo, impias esse omnes constitutiones hominum, in quarum obseruatione cultus Dei situs esse fingitur.

Loci vero, quibus in Galatis vrget, non esse laqueos conscientiis inducendos, quas à solo Deo regi conuenit, satis aperti sunt, præsertim c. 5. Omnes igitur illæ leges, quæ sine verbo Dei in hunc finem positę sunt, vt vel modum colendi Deum præscribant, vel conscientias religione obstringant, quasi de rebus præcipiant per se ad salutem necessariis, impiæ sunt & contra præceptum illud Domini, Ne addas quicquam legi meæ, nec diminuas. Si verò ad alterum, vel ad vtrumque istorum accedunt alia vitia, verbi gratia, quòd sua multitudine Euangelij claritatem obscurent & sepeliant Christum: quòd nihil ædificent, sed inutiles sint ac lusoriæ occupationes potiùs, quàm vera pietatis exercitia: quòd sint ad sordidum & turpem quæstum expositæ: quòd sint obseruatu nimium difficiles: quòd sint malis superstitionibus inquinatæ: hæc erunt adiumenta, vt facilius deprehendamus, quantum sit in ipsis mali.

At videtur, quòd statuere absque verbo Dei aliquas traditiones, quæ obligent conscientias, non sit impium: ac ideò nec traditiones illæ sint impiæ. Probatur.

Apostoli & Seniores primæ Ecclesiæ, decretum præter Christi mandatum sanxerunt, quo præcipiebant Gentibus omnibus, se abstinere ab idolothytis, suffocato & sanguine, vt patet Act. 15. Atqui non est dicendum, quòd illa traditio Apostolica, fuerit impia, cum id etiam visum fuerit Spiritui sancto, vt ibidem aiunt. Ergo, &c.

Resp. Nullam ibi nouam traditionem statuerunt Apostoli, sed æternum Dei mandatum de non violanda charitate illis imposuerunt, vel potius impositum memorarunt. Ergo illa autoritas non est ad propositum. Antecedens patet.

Nam cum in eo Concilio Petrus tentari Deum pronunciet, si iugum imponatur ceruicibus discipulorum: suam ipse sententiam subuerterit, si iugum posteà aliquod consentiat imponi. Imponitur autem, si sua authoritate decernant Apostoli prohibendum gentibus, ne idolothyta, sanguinem & suffocatum attingant.

Atqui non subuertit Petrus sententiam suam. Ergo nil noui imponi consentit.

At nihilominus videtur imponere, dicendo: visum est nobis, vt abstineatis.

R. Facilè hic scrupulus soluetur, si quis propiùs decreti ipsius sensum animaduertat: cuius primum ordine, & momēto præcipuum caput est: Relinquendam esse gentibus suam libertatem, nec illis perturbandam esse, aut de legis obseruatione exhibendam molestiam. Hoc pro nobis est, & nobis egregiè patrocinatur.

Secundum caput est, vt innoxia libertate vtantur gentes, ac citra fratrum offensionem. Et propter hoc addiderunt illam exceptionem, dicendo: *Nisi vt abstineatis à suffocato, &c.* quæ quidem exceptio non fuit noua lex ab Apo-

stolis lata, sed diuinum æternúmque mandatum Dei de non violanda charitate: nec punctum ex illa libertate delibat, sed Gentes duntaxat admonet, qua ratione sese fratribus temperent, ne sua libertate in eorum offensionem abutantur.

At certum tamen aliquid præscribunt.

Resp. Nempe, quatenus pro tempore expediebat, docent ac designant, quibus rebus in fratrum offensionem possint incurrere: idque quò ab illis caueant. Nihil tamen nouum ad æternam Dei legem, quæ fratrum offensionem prohibet, de suo afferunt. Nil ergo illis Apostolis propositum fuit, offensionum materiam tollendo, quàm diuinam vrgere legem, de vitanda offensione, ac si dixissent hoc modo:

Præceptum Domini est, ne fratrem infirmum lædatis.

Quæ idolis immolata sunt, sanguinem & suffocatum manducare non potestis, quin offendantur infirmi fratres.

Ergo edicimus vobis in verbo Domini, ne cum scandalo manducetis. Quòd hoc spectarint Apostoli, Paulus optimus est testis, qui certè non nisi ex Concilij sententia sic scribit.

1. Cor. 8. *De escis quæ idolis immolantur, scimus quia simulachrum nullum est. Quidam autem cum conscientia idoli, quasi idolis immolatum manducant, & conscientia eorum infirma cùm sit, polluitur. Videte ne facultas vestra, offendiculum fiat infirmis.*

Item si nouum fuit præceptum ab Apostolis legi Dei additū ac seruatu necessarium: cur ergo Ecclesia illud primum decretum ausa est abrogare? Vtique quia ab illis offensionibus ac dissidiis, quibus occurrere voluerunt Apostoli, nihil amplius periculi erat. Lex verò à suo fine æstimanda est. Cùm igitur lex ista respectu charitatis lata sit, in ea nihil præscribitur, nisi quantum charitatis interest. Quare nihil aliud est huius legis transgressio, nisi violatio charitatis. Nónne igitur simul agnoscis, legem hanc non commentitium aliquod esse additamentum ad legem Dei: sed germanam simplicémque accommodationem ad tempora & mores, quibus destinabatur?

Apostoli igitur nullum sine verbo Dei præceptum statuerunt, quo conscientias obligarent: ideóque nihil legi Dei addiderunt, sed tum legem Dei explicarunt, inculcarunt. Ergo nec vlli hominum licet addere legi Dei, id est, præceptum aliquod statuere sub illa obligatione conscientiarum, quomodo sunt præcepta Dei. Et si tales ferantur leges, non sunt audiendæ, nec seruandæ, cùm sint impiæ & iniquæ.

At videtur, quòd si ferantur huiusmodi leges, etiamsi nobis sint importabiles & iniquæ, tamen sint audiendæ sine exceptione & seruandæ. Non enim hic agitur, vt erroribus consentiamus, sed tantùm, vt dura præfectorum imperia subditi perferamus, quę detrectare non est nostrū.

Resp. Primò, quando talibus legibus agitur, non vt grauem aliquam tantùm oppressionem in corpore nostro perferamus (nec enim auditi & seruari possent) sed vt cōscientiæ libertate sua, id est, sanguinis Christi beneficio spoliatæ, seruiliter crucientur, non sunt perferendæ. Ratio est, quia conscientiæ libertate Christi donatæ, non debēt amplius seruituti hominum subiici. Secundò, quando talibus legibus suum Domino regnum eripitur, non sunt audiendæ nec perferendæ. Quanti enim putamus referre, suum Domino regnum eripi, quod tanta seueritate sibi asserit? Eripitur autem quoties humanarum inuentionum legibus colitur, cùm solus ipse cultus sui rationem velit haberi legislator. Audi quanti hæc res reputetur à Domino.

Iesa. 29. *Quoniam timuit me populus iste mandato & doctrinis hominum: ecce ego obstupefaciam eum miraculo grandi & stupendo: Peribit enim sapientia à sapientibus eius, & intelligentia à senioribus recedet.*

Item quod allegatur Matt. 15. *Frustrà me colunt, docentes doctrinas & mandata hominum.* Mirantur hic plerique, cur adeò acriter interminetur Dominus, se facturum stupenda populo, à quo mandatis hominum colebatur: & se frustrà coli pronunciet hominum præceptis. At si spectarent, quid sit in religionis, i. cœlestis sapientiæ causa, ab vno Dei ore pendere, simul viderent, non leuem esse rationem, cur peruersa huiusmodi obsequia sic abominetur Dominus, quæ pro humani ingenij libidine sibi præstantur. Nam etsi speciem habent quandam humilitatis in sua hac obedientia qui eiusmodi legibus in Dei cultum parent: minimè tamē sunt coram Deo humiles, cui easdem præscribunt leges, quas ipsi seruant. Hæc verò ratio est, cur nos tam diligenter cauere vult Paulus, ne decipiamur per traditiones hominum, & illam quam vult ἐθελοθρησκείαν, id est, voluntarium cultum & præter Dei doctrinam ab hominibus excogitatum. Sic est profectò. Stultescere & nostram nobis ipsis, & omnium hominum sapientiam oportet, quo solum illum sapere permittamus. Quam viam non tenent, qui confictis hominum arbitrio obseruatiunculis, illi se approbare nituntur.

At cur igitur ferri voluit Christus onera illa importabilia, quæ alligabant Scribæ & Pharisæi? Ait enim Matt. 23. *Quæ dicunt facite. Alligant onera grauia, &c.*

Resp. Dominus non iubet, vt faciamus, quæ Pharisæi nobis extra vel contra verbum Dei dicunt & iubent: neque vt feramus ea onera importabilia, quę sine verbo Dei, suis tantum humanis traditionibus, tanquam funibus alligant. Patet.

Primò, Nam de sua ipsorum doctrina (interprete Matthæo) sic ait, Mar. 8. *Attendite à fermento Pharisæorum*, fermentum appellans (vt exponit Matthęus) quicquid propriæ doctrinæ, verbi Dei puritati miscerent. Quid apertius volumus, quam quod totam eorum doctrinam iubemur fugere & cauere? Non ergo voluit Dominus ibi suorum conscientias, Pharisæorum traditionibus vexari.

Secundò patet ex verbis. Verba enim ipsa (si modò non torqueantur) nihil tale sonant. Illic siquidem Dominus acerbè in Pharisæorum mores inuehi instituens, simpliciter suos auditores ante erudiebat, vt quanquam nihil in eorum vita cernerent, quod sequerentur, non tamen ea facere desisterent, quę verbo docebant, cùm in cathedra Mosi, id est, ad enarrandam legem sederent. Non ergo aliud voluit, quàm præcauere, ne malis docentium exemplis plebs ad contemptum doctrinæ induceretur. Audi Augustinum exponentem verba.

Aug. in Ioh tract 46. *Habet ouile Domini præpositos partim filios, partim Mercenarios. Præpositi qui filij sunt, veri pastores. Audite tamen, quòd & Mercenarij necessarij sunt. Multi quippe in Ecclesia, commoda terrena sectantes, Christum prædicant: & per eos vox Christi auditur, & sequuntur oues non Mercenarium, sed pastorem per Mercenarium. Audite Mercenarios ab ipso Domino demonstratos: Scribæ, inquit, & Pharisæi cathedram Mosi insident, quæ dicunt, facite. Quid aliud dixit, nisi per Mercenarios, vocem pastoris audite? Sedendo enim in cathedra, legem Dei docent. Ergo per illos Deus docet: sua verò si illi docere velint, nolite audire, nolite facere.* Hæc Augustinus.

Quomodo agnoscantur traditiones impiæ.

Impiæ igitur traditiones, ideoq. merè humanæ illæ sunt, quæ primò, vt ad cultum Dei verum per se necessariæ statuuntur, Coloss. 1. 2. Secundò, quæ ita conscientias obligant, sicut præcepta Dei, Gal. 5.

Tunc verò potissimùm tales esse cognoscuntur, cum hęc accedunt.

Primum, cùm apertè constat, quòd propter illas seruandas, irritum fit mandatum Dei. Matt. 15.

Secundum, cum homines maioribus plectuntur pœnis ob illarum transgressionem, quàm ob transgressionem mandatorum Dei.

Tertium, cum statuunt de rebus prorsus inutilibus atque vanis ceremoniis. Illæ verò sunt omninò vanæ & inutiles, quæ non ducunt ad Christum.

Quartum, cum tantæ statuuntur, vt immensa earum multitudine opprimantur piorum conscientiæ, & in Iudaismum quendam reuoluantur: & vmbris his adhæréscunt, vt ad Christum nequeant peruenire.

Augustin. ad Ian. epist. 119 Hæ omnes sunt impiæ traditiones, & non sufferendæ superstitiones. Habet enim superstitio hoc proprium, quòd vbi semel admissa est in aliquo, crescit deinde in immensum.

Paulus docet Col. 2. *Ne comederis, ne gustaueris, ne contrectaueris.* Hic enim describit Apostolus pseudoapostolorum progressus: quorum primò, initium est à superstitione, quod non tantum edere vetant, sed etiam esitare tenuiter. Ideo dicunt, *ne comederis.* Secundò, vbi hoc obtinuerunt, iam gustare etiam prohibent. Ideò dicunt, *Ne gustaueris.* Tertiò, vbi hoc quoque illis concessum est, ne digito quidem contrectare fas esse dicunt. Ideò dicunt, *Ne contrectaueris.*

Quomodo fallant homines, traditiones humanæ.

Tametsi verò iis supradictis notis satis apertè dignosci possint & debeant impiæ traditiones: tamen mirabiliter fallunt homines, & fascinant eorum oculos, ne earum impietatem perspicere queant. Quomodo fallunt? sub specie sapientiæ. Col. 2. *Si mortui estis cum Christo ab elementis Mundi: quid vt viuentes in Mundo, ritibus oneramini? &c. secundum præcepta & doctrinas hominum, quæ sunt rationem* qui-

quidem habentia sapientia in superstitione & humilitate, & non ad parcendum corpori. q.d. Falluut humanæ traditiones sub specie sapientiæ. Vnde verò hunc colorem habent? à tribus.

1. Quia confictæ sunt ab hominibus. Humanum ingenium, quod suum est, illic recognoscit, & recognitum libentiùs amplectitur, quàm optimum aliquid, quod suæ vanitati minus conueniret. Ideò ait, *Secundum præcepta hominum, in superstitione.*

2. Quia videntur apta esse rudimenta ad humilitatem, quòd hominum mentes suo iugo depressas humi detineant. Hinc videntur esse commendabiles. Ideò dicit, *In humilitate.*

3. Quia videntur eo spectare, vt carnis delitias cohibeant & abstinentiæ rigore illam subiugent. Ideò videntur prudenter excogitatæ. Ideo ait, *Et læsione corporis.*

LOCVS XVI.

DE TRADITIONIBVS ECCLESIASTICIS.

QVoniam verò imperiti plerique, dum humanis traditionibus impiè ligari hominum conscientias, & frustra Deum coli audiunt, eadem litura omnes leges Ecclesiasticas inducunt, quibus Ecclesiæ ordo constituitur: ideò illorum quoque errori sic occurrendum. Falli hic sanè perquam est lubricum: quia non prima statim fronte apparet, quantum inter illas humanas, & has Ecclesiasticas intersit. Primùm ergo ostendamus, quòd necessariæ sint in Ecclesia Dei traditiones, præter legem Dei, tum propter ordinem in Ecclesia seruandum. Secundò, ostendemus, quæ differentia sit inter humanas & Ecclesiasticas traditiones.

Quòd necesse sit præter legem Dei, traditiones in Ecclesia Dei esse.

Si in omni hominum societate necessaria est aliqua politia, quæ ad alendam communem pacem, & retinendam concordiam valeat: & in omnibus rebus agendis aliquis ritus, qui ad publicam pertineat honestatem, atque adeo humanitatē ipsam, necessarius est: Ergo in Ecclesia, quæ est fidelium societas, & in qua multæ res aguntur: eæq; diuinæ & cœlestes, hæc duo necessaria sunt, nempe politia & ritus propter concordiam & honestatem alendam & retinendam: quia Ecclesię & sine cōcordia nullæ sunt prorsus: & bene composita rerum omnium constitutione optimè sustinentur. Hæc est maior propositio. Vnde si Ecclesiæ incolumitati bene prospectum volumus, curandum est id, quod dicitur 1. Cor. 14. *Omnia autem honestè* (siue decenter) *& secundum ordinem fiant in vobis.* Nunc addo minorem.

Atqui concordia & honestas siue ordo in Ecclesia seruari non potest, nec decenter omnia, & secundum ordinē fieri possunt, vt iubet Paulus, nisi addantur leges & traditiones siue obseruationes, quibus tanquam vinculis quibusdam ordo ipse & decorum consistat.

Ergo traditiones in Ecclesia necessariæ sunt.

Minor hæc patet. Nam cùm in hominum moribus tanta insit diuersitas, tanta in animis varietas, tanta in iudiciis ingeniisque pugna: neque politia vlla satis firma est, nisi certis legibus constituta, nec sine stata quadam forma seruari vicus quispiam potest.

Huc ergo quæ conducunt leges, nempe ad ordinem & decorum, tantùm abest, vt damnem, vt iis ablatis, dissolui suis neruis Ecclesias, totásque deformari ac dissipari contēdam. Neque enim haberi potest, quod Paulus exigit, vt decenter omnia & secundum ordinem fiant, nisi additis obseruationibus tanquam vinculis quibusdam, ordo ipse & decorum consistat.

Hoc tantùm semper in istis obseruationibus Ecclesiasticis excipiendum est, ne aut ad salutem credantur per se necessariæ, atque ita conscientias religione obstringant, sicut præcepta Dei, aut ad verum Dei cultum tanquam necessariæ conferantur, atque ita in illis reponatur pietas.

Quid intersit inter traditiones Ecclesiasticas & humanas.

Hinc facilis habetur nota, eaque fidelissima, quæ inter humanas illas, ideoque impias constitutiones, quibus & vera obscuratur religio, & conscientiæ subuertuntur, & inter legitimas Ecclesiæ obseruationes ac traditiones, distinguat.

1. Illæ enim statuuntur ad cultum & pietatem, idcóque ad superstitionē: hæ verò ad publicam honestatem, vt omnia decenter, honestè in Ecclesia fiant. Ergo nō ad cultum, ideoque nec ad superstitionem. Vbi enim semel publicę honestatis caussa posita lex esse intelligitur: iam sublata est superstitio, in quam incidunt, qui humanis inuentis cultum Dei metiuntur.

2. Illæ conduntur, vt ad salutem necessariæ, ideoque conscientias religione obstringunt. Hæ vero ad communem vsum, ad ordinem seruandum, ad concordiam retinendam. Ergo non vt necessariæ per se ad salutem, ideoque nec conscientias religione obstringunt obligántve. Vbi enim ad communem vsum lex spectare cognoscitur: iam euersa est falsa illa obligationis & necessitatis opinio, quæ ingentem terrorem conscientiis iniiciebat, cùm putarentur traditiones ad salutem per se necessariæ. Siquidem hic nihil quæritur, nisi vt communi officio alatur inter nos charitas. Traditiones igitur Ecclesiasticæ positæ sunt ad decorum & ordinem in Ecclesia seruandum, dicente Apostolo 1. Corinth. 14. *Omnia autem in vobis decenter* (id est, secundum decorum, *& ordine fiant.*

Quid sub decoro & ordine intelligat Apostolus.

At vero quid sub decoro, & sub ordine, de quibus Paulus præcipit, comprehenditur?

Resp. Decori finis duplex est: primus, vt dum adhibentur ritus, qui venerationem rebus sacris concilient, talibus adminiculis ad pietatē excitemur, & ad Christum recta manu ducamur.

Secundus, vt modestia etiam & grauitas, quæ in omnibus honestis actionibus spectari debet, illic maximè eluceat. Sub ordine ergo continetur primò exercitium pietatis, siue ad pietatem exercitatio. Secundò grauitas & modestia actionis. Quare decorum non vocamus, in quo nihil præter inane oblectamentum inest, vbi luxus sine fructu apparet, sed illud nobis decorum erit, quod ita erit ad sacrorum mysteriorum reuerentiam aptum, vt sit idoneum ad pietatem exercitium: vel saltem, quod ad ornatum faciet actioni congruentem; neque id ipsum sine fructu, sed vt fideles admoneat, quanta modestiâ, religione, obseruantia, sacra tractare debeant.

Porrò, vt pietatis exercitia sint ceremoniæ, ad Christum recta manu ducant; necesse est. Huius generis traditiones multæ sunt apud Apostolum, & in Ecclesia.

1. Cor. 10. prohibet Apostolus ne profana symposia, cum sacra Domini cœna misceantur.

1. Cor. 14. Mulieres in Ecclesia taceant.

1. Cor. 11. Mulier velet caput suum, orans.

Item, ideò debet mulier habere velamen super caput suum. Et alibi alia multa reperies apud Apostolum huius generis.

Item, in Ecclesia multa sunt in quotidiano vsu talia, verbi gratia, quod flexis genibus, nudoque capite oramus: quòd Domini Sacramenta non sordidè, sed cum aliqua dignitate administramus: quod in sepeliendis mortuis, quandam honestatem adhibemus. Hæc omnia primò habent in se honestatem quandam, quæ conuenit actionibus. Secundò sunt etiam pietatis exercitia, quia sua significatione ducunt nos ad Christum, sicut etiam ceremoniæ omnes veteris Testamenti referebant Christum.

In ordine vero duo continentur. *Primum* est hoc, vt qui præsunt, regulam ac legem bene regendi nouerint: plebs verò, quæ regitur, ad obedientiam, rectámque disciplinam assuefiat.

Secundum est, vt bene composito Ecclesiæ statu, paci & tranquillitati consulatur.

Ordinem ergo non constituemus in illis nugatoriis pompis, quæ nihil habent, præter euanidum splendorem: sed in ea compositione, quæ omnem confusionem, barbariem, contumaciam, turbas omnes & dissidia tollat. In hoc genere sunt hæc.

Horæ publicis precationibus, concionibus, & mysticis actionibus destinatæ: in ipsis concionibus silentium & quies, loca destinata, hymnorum concentus, dies celebrandæ Domini cœnæ præfixi: quod mulieres in Ecclesia taceant. Imprimis verò, quæ disciplinam conseruant, vt Catechesis, censuræ Ecclesiasticæ & communicatio, ieiunia. Ita omnes ecclesiasticas constitutiones, quas pro sanctis & salutaribus recipimus, in duo capita referre licet. Aliæ enim ad ritus & ceremonias: aliæ disciplinam & pacem respiciunt.

Quomodo traditiones Ecclesiasticæ non sint merè humanæ, sed etiam diuinæ.

Notandum, quod traditiones merè humanæ malæ & impiæ, & mendaces sint: ideoque semper in Scriptura reprobantur à Deo doctrinę humanę, mala lata hominū, præceptum tradita ad cultum Dei. Homo enim sine Spiritu Christi in sacra Scriptura sumitur pro carnali, mendaci, impio homi-

ne, vtpote nato ex Adam, non adhuc renato ex Deo. Vnde Psal. 116. *Omnis homo mendax.* Ergo traditiones hominum mendacia sunt. Deus autem non vult coli mendaciis. Ergo, &c.

1. Cor. 13. *Cum in vobis sint liuor & contentio, & dissidia, nonne carnales estis, & secundum hominem inceditis?* Ergo quicquid homo facit sine Spiritu Christi, carnale est, peccatum est. Deus autem nō vult coli peccatis. Ergo, &c.

Traditiones verò Ecclesiasticæ, id est, ab Ecclesia Christi factæ & receptæ, non sunt merè humanæ, ideóque nec falsæ sed diuinæ, ideóque bonæ, veræ, sanctæ, ideóque placent Deo. Ratio. Ecclesia n. regitur à Spiritu Christi, qui est veritas. Ergo traditiones Ecclesiæ veræ sunt & sanctæ.

Item Ecclesia Christi, cùm semper pēdeat a verbo Dei, vt si, per impossibile, ab illo deficeret, non esset Ecclesia Christi: ideò traditiones, quas condit, sunt Dei autoritate fundatæ, & ex verbo Dei desumptæ, ideóque diuinæ.

Exemplum sit in geniculatione, quę fit, dum solennes precationes habentur. Quæritur, sit ne humana traditio, quam repudiare vel negligere cuiuis liceat.

R. Sic est humana, vt tamen sit diuina simul. Dei est, quatenus est pars illius decori, cuius & cura & obseruatio nobis per Apostolum commendatur, 1. Cor. 14. Hominum est, quatenus specialiter designat, quod in genere fuerat iudicatum magis, quàm expositum. Ab hoc vno exemplo æstimare licet, quid de toto hoc genere sit sentiendum, nempe.

1. Quia Dominus & totam veræ institiæ summam & omnes cultus sui nominis partes, & quicquid ad salutem necessarium erat, sacris suis oraculis tum fideliter complexus est, tum perspicuè enarrauit: ideò in iis solus Magister est audiendus.

2. Qui autem in externa disciplina & ceremoniis non voluit sigillatim præscribere, quid sequi debeamus: idque quia istud pendere à temporum conditione prouideret, neque vnam seculis omnibus formam conuenire: ideò confugere hic oportet ad regulas, quas dedit generales, vt ad eas exigantur quæcunque ad ordinem & decorum pręcipi necessitas Ecclesiæ postulabit.

3. Quia ideò nihil expressum tradidit Deus circa has traditiones, quoniam nec ad salutem necessaria hæc sunt, & pro moribus vniuscuiusque gentis ac seculi variè accommodari debent ad Ecclesiæ ædificationem, prout Ecclesiæ vtilitas requiret: ideo iam vsitatas mutare & abrogare, quàm nouas instituere conuenit.

Fateor quidem non temerè & subinde, nec leuibus de causis, ad nouationem esse decurrendum: Sed quid noceat, vel ædificet, charitas optimè indicabit: quam si mediatricem esse patiemur, salua erunt omnia.

Qua conscientia seruanda sint ha traditiones Ecclesiastica.

Iam verò Christiani populi officium est, quæ secundum hunc canonem fuerint instituta, libera quidem conscientia nulláque superstitione: pia tamē & facili ad obsequendum, propensione, seruare, non contemtim habere, non supina negligentia præterire: tantum abest, vt per fastum & contumeliam violare apertè debeat.

At qualis (inquies) in tanta obseruantia & cautione conscientiæ libertas esse poterit.

Resp. Imo vero præclarè constabit, vbi reputabimus, non fixas esse & perpetuas sanctiones, quibus adstricti simus sed externa tantùm humanæ infirmitatis rudimenta, quibus tametsi non indigemus omnes, omnes tamen vtimur, quia alij aliis ad fouendum inter nos charitatem, mutuo sumus obnoxij.

Hoc in exemplis superiùs positis recognoscere licet, verbi gratia. An in mulieris carbaso sita est religio, vt nudo capite egredi nequeat, & fas non sit? An sanctum de eius silentio decretum, quod violari sine summo scelere non possit? An aliquid in genu flexione, in humando cadauere mysterium quod præteriri sine piaculo non possit? Non. Nam si tali festinatione opus sit molieri in iuuando proximo, quæ velare caput non sinat, nihil delinquit, si aperto capite accurrat. Itē est, vbi loqui non minùs opportunum illi sit quàm alibi tacere. Stantem quoque orare, qui morbo impeditus, curuare genua nequit, nihil vetat. Denique satiùs est, maturè humare mortuum, quàm vbi linteum deest, vbi non adsunt, qui deducant, exspectare, dum inhumatus putrescat.

Sed est nihilominus in istis rebus quod agendum aut cauendum nos religionis instituta, ipsa denique humanitas, & modestiæ regula dictet. Vbi si imprudentia & obliuione quid erratum fuerit, nihil admissum criminis est: sin contemtu, improbanda est contumacia.

Similiter (vt aliud exemplum afferam) dies ipsi qui sint, & horæ, quæ locorum structura, qui quo die canatur Psalmi, nihil interest. Verùm & certos dies, & statas horas esse conuenit, & locum recipiendis omnibus idoneum: si qua seruandæ pacis ratio habetur. Nam quantarum rixarum semen futura est, earum rerum confusio, si prout cuique libitum sit, mutare liceat, quæ ad communem statum pertinent? quando nunquam futurum est, vt omnibus idem placeat: si res velut in medio positæ, singulorum arbitrio relictæ fuerint.

Quod si quis obstrepat, & plus sapere hic velit, quàm oportet: viderit ipse, qua morositatem suam ratione, Domino approbet. 1. Cor. 11. *Nos talem consuetudinem contendendi non habemus, neque Ecclesia Dei.*

Quàm vtilis sit legitima traditionum Ecclesiasticarum cognitio.

Est autem diligenter attendendum, ne quis irrepat error qui pium hanc traditionum Ecclesiasticarum vsum vel inficiat, vel obscuret. Quod quidem obtinebitur, si quæcunque erunt obseruationes, manifestam vtilitatem præ se ferant. Secundo, si paucissimæ admittantur: Deniq; & potissimum, si accedat fidelis Pastoris doctrina, quę prauis opinionibus viam præcludat.

Hæc autem cognitio vtilissima est, & multum iuuat. Et *primò* facit, vt sua cuique in iis rebus libertas constet: & tamen quandam nihilominus suę quisque libertati necessitatem vltro imponat, quatenus aut illud (quod *diximus*) πρέπον & decorum, aut charitatis ratio exiget.

Secundò facit, vt & in earum rerum obseruatione, nulla superstitione vetlemur ipsi, nec morosè nimium ipsam ab aliis requiramus.

Tertiò facit, ne potiorem Dei cultum, ceremoniarum multitudine ęstimemus, & ne Ecclesia Ecclesiam ob externæ disciplinæ varietatem contemnat.

Quartò facit, vt nullam hic perpetuam legem nobis statuentes, totum obseruationum vsum & finem ad Ecclesiæ ædificationem, referamus: qua ædificatione postulante, nō modò mutari aliquid: sed quicquid ante in vsu nobis obseruationum fuerit, inuerti nulla offensione feramus. Hoc enim fere temporum ratio, veritus quosdam non impios, alioqui nec indecoros, pro rei opportunitate abrogari cōuenit. Quibus ritibus & obseruationibus defendendis nimium obstinatè insistere, nocentissimum fuerit studium. Si quis enim ipsas per se censeri velit, iam nihil fortè habebunt mali. At si suis circumstantiis æstimentur, apparebit fortè tantum è ceremoniarum abusu hominum animis insedisse errorem, vt non facilè emendari possit, nisi subductis è conspectu spectaculis, quæ notam subinde errandi materiam suggerunt.

Sic 2. Reg. 18. Ezechias laudatus est testimonio Spiritus sancti quod serpentem æneum exciderit, qui iussu domini à Mose fuerat erectus: & quem in diuini beneficij memoriam seruari malum non erat, nisi populus idololatriæ seruire cœpisset. Verùm cùm rationem corrigendæ impietatis aliam optimus Rex non haberet: non minore causa confregit quam a Mose fuerat erectus. Sunt enim curanda hominum peruersa iudicia, non secùs ac ægri colla ægrique stomachi, quibus cibi concoctione paulum difficiles admuutur, qui sanis innoxij futuri erant.

Traditiones quadam Ecclesiastica antiquissima.

Traditionum Ecclesiasticarum quædam ab Apostolis scripto nobis relictæ sunt, vt patet in Actis & Epistolis Pauli, præsertim 1. Cor. 11. Quædam verò absque scriptura, per successionem ad nos vsque tum ab Apostolis tum deinceps ab Ecclesia peruenerunt, de quibus Basilius lib de Spiritu sancto. c. 27. Τ[illegible] μά-των τε [illegible] ἐγγράφου διδασκαλίας [illegible] ἀποστόλων [illegible] ἀμφότερα τὴν αὐτὴν ἰσχὺν [illegible], &c. Harum multas ibi recenset Basilius. Quasdam ego afferam.

1. Quod in Ecclesia dicantur duo symbola, quorum alterum, nempe paruum dicitur submissá voce: alterum cantatur alta voce: traditio est Ecclesiastica. Illud paruum (vt tenent Augustinus & Origenes) conditum ab Apostolis fuit: & dicitur submissa voce, quia tempore persecutionis editum fuit, fide nondum publicata, & occultè dicitur, in completorio, & in prima, quasi contra tenebras errorum præteritorum & futurorum, vt ait Thomas 2. secundæ q 1. art. vltimo.

Alterum verò magnum, conditum in Concilio Niceno dicitur alta voce: quia conditum fuit fide iam publicata, & Ecclesia pacem habente, ait Thomas loco suprà citato.

2. Quod diem Dominicum sanctificamus loco Sabbathi: traditio est Apostolica & Ecclesiastica, de qua Au-

Augustinus sermone primo, Dominicæ 26.

Item epist. ad Ianuarium 119. Et tempore Apostolorum cœpit nominari dies dominicus, vt est Apoc. 1.

Ignatius de hoc die Dominico mentionem facit in epist. ad Philip.

Origenes qui 100. & 80. annis post Christum fuit, rationem reddit, cur dies Dominica prælata sit Sabbatho Iudaico, hom. 7. super Exodum.

3. Quod signamus non signo sanctæ crucis: traditio est Ecclesiastica.

Basilius lib. de S. sancto hanc inter primas recenset.

Decret. can. dist. 11. cap. Ecclesiastica.

Dionysius Areop. lib. Ecclesiast. Hierarch. de hoc signo.

4. Quod stantes die dominico, & à Paschate vsque ad Pentecosten oremus: traditio est Ecclesiastica.

Basilius de Spiritu sancto. cap. 27. *Stantes oramus non ob id tantum quòd vnà cùm Christo surreximus, & in die resurrectionis inuestigare cœlestia debemus: sed etiam quod exspectati seculi imago esse quodam modo videatur.*

De hac traditione airetiam Augustinus ad Ianuarium epist 119. *Stantes oramus, quod est signum resurrectionis, quod debet fieri post resurrectionem*

Concilium Nicenum, & Concilium Carthaginense 6. hanc eandem ceremoniam confirmarunt, vt consonam diuinis mysteriis. Pater. de consecrat. distinct. 3. cap. Quoniam synodi Nicenæ.

5. Quòd genu flectamus. & postea resurgamus, dum oramus.

Origenes hom. 5. super Num.

Basilius de Spiritu sancto, c. 27. & rationem addit, dicendo: *Quoties genu flectimus, & consurgimus, reipsa ostendimus, nos per peccatum in terram delapsos: ac benignitate illius, qui nos creauit, in cœlum reuocatos.*

6. Quòd spectemus Orientem, cùm oramus.

Basilius de Spiritu S. cap. 27.

Damascenus de Orthodoxa fide, lib. 4.

7. Quòd in Baptismo benedicitur aqua.

Basilius de Spiritu S cap. 27.

8. Quòd oleo Chrismatis inunganrur, qui baptizantur.

Basilius suprà.

Fabianus Papa. & est de consecrat. dist. 3. c. literis.

9. Quòd abrenuncient Sathanæ, & pompis eius, qui baptizantur.

Dionysius Areopagita de Ecclesiast. Hierarch. capit. 2. part. 1.

Origenes hom. 5. super Numer.

Basilius de Spiritu S. cap. 27.

Tertullianus lib. de corona militis scribit, hunc morem fluxisse ab Apostolis.

10. Quòd ter immergatur, qui baptizatur.

Basilius suprà.

Dionysius suprà.

Tertullianus suprà, ab Apostolis fluxisse ait: & citatur De consecrat. distinct. 11.

Concilium Toletanum 4.

Magister senent. lib. 4. distinct. 3.

11. Quòd baptizentur paruuli.

Origenes in epist ad Rom. cap. 6.

Augustinus contra Donat de baptismo paruulorum, li. 4. *De baptismo paruulorum, quòd vniuersa tenet Ecclesia, nec conciliis constitutum, sed semper retentum: non nisi Apostolica autoritate conditum creditur.*

12. Quòd semel baptizatus, non debeat rebaptizari.

Augustinus contra Donatistas lib. 2. c. 7.

13. Quod Quadragesimam celebremus.

Ignatius in epist. ad Philipp. dicendo: *Quadragesimam nolite pro nihilo habere: imitationem enim continet Dei conuersationis.*

Thelesphorus Papa, prohibuit carnem in Quadragesima.

Ambrosius lib. sermonum. & citantur verba eius in Decretis, dist. 4. cap. Quadragesima: *Quadragesima* (inquit) *6. Septimanas habet; cui addidit Thelesphorus septimam: & vocatum est hoc tempus Quinquagesima.*

Origenes super Leuit. hom. 10. necessitatem eius ostendit.

August. ad Ianuar. epist. 119. *Quadragesima sanè ieiuniorum habet authoritatem in veteribus libris ex ieiunio Mosis & Eliæ, ac ex Euangelio, quoniam totidem diebus ieiunauit Dominus.*

Hieronymus ad Marcellam, de erroribus Montani scribens, Quadragesimam esse Apostolorum institutionem affirmat:

14. Quòd dicantur horæ Canonicæ.

Dionysius Areopag. ad Demophilum, epist. 7. loquens de visione Carpi.

Basilius lib. de exercitatione.

Hieronymus super Danielem, cap. 6. Item epist. ad Eustochium.

15. Quòd ieiuni Eucharistiam sumamus.

August. ad Ianuar. Epist. 118. putat Apostolum, cùm dixerit Corinthiis, Cætera cùm venero, disponam: disposuisse vt ieiuni sumerent Eucharistiam. Et verba Augustini referuntur de consecrat. dist. 2. cap. liquido.

At Concilium Carthag. tertium: cap. 29. statuit vt Sacramentum Altaris, non nisi à ieiunis hominibus celebretur: excepto vno die, quo cœna Domini celebratur.

Resp. Thomas 3. pag. q. 80. art. 8. loquitur Concilium iuxta consuetudinem antiquam.

16. Quòd quasdam solennitates, siue dies festos celebremus. August. ad Ianuar. epist. 118.

17. Quòd die Dominico nunquam ieiunemus, Apostolica traditio.

Ignatius epist. ad Philip. 4.

Tertullianus de corona militis.

18. Quòd tempore Paschæ cantetur Haleuia: Quadragesima verò non.

August. in Psal. 106.

Concilium Toletanum.

19. Quòd in calice ponamus aquam cum vino, &c.

Cyprian. lib. 2. epist. 3. & epist. 63 cont. Aquarios: Admonitos nos scias, vt in calice offerendo Dominica traditio seruetur.

Hanc traditionem ex Scripturis Patres confirmabant, non ex ἀγράφοις παραδόσεσι. Referebant enim huc illud, quòd ex latere Christi in cruce pendentis, & hasta confixi, fluxisset Aqua & Sanguis. Ep. 1. decretali Alexandri. Sed in calidis illis regionibus Asiæ & Africæ solebant etiam alioquin frequenter non merum, sed aqua dilutum vinum bibere.

20. Quòd Christiani quotidiè, vel saltem Dominica die ad minimum, Eucharistiam sumebant, & quidem in publica communione, non priuata, eámque integram, non dimidiatam vel mutilam.

Dionys. Areopag. in lib de Ecclesiast. Herarch. cap. 3. Iustin. Apolog.

21. Quod in cœtibus Christianorum Scripturæ vernacula lingua sunt lectæ, & explicatæ, precesque habitæ publicè. Idem ibid. Iustin. Mart. Apolog. ad Anton.

22. Quòd voluerunt omnes Christianos in Ecclesia communicare, qui noluerint Ecclesiasticis carere luminibus, vt quidem ait Anacletus epist. 1. Tom. 1. Con.

23. Quòd cecinerunt Psalmos, & sacris cantionibus Christum celebrârunt. Paret, &c.

Plinij epist. ad Traianum. Euseb. lib. 5. cap. 28. & lib. 7. cap. 24. Nicephor. lib. 4. cap. 21.

Clemens Pædagog. lib. 2. cap. 4. & stromat lib. vltimo.

Iustin. Respons. ad orthodox. quæst. 107. significat, in Ecclesia non tum fuisse consuetudinem adhibendi instrumenta inanima, sed retentas simplices cantiones, propterea quòd cātilenę ad crepitacula & organa magis deceant pueros quàm Ecclesiam.

24. Quòd exclusurunt à cœtibus & congressibus publicis omnes, qui manifestis sceleribus infames erant. Orig. in Matth. 35. Tert. Apol.

25. Quòd coniugium inituri copulabantur benedictione publica ministri Ecclesiæ. Ep 2. decretal. Sixti.

26. Quod præter pastores, doctores, & Diaconos, etiam aliquot alios ordines Ecclesiasticos constituerunt. Canones Apostolorum nominant quinque, Episcopum, Presbyterum, Diaconum, Lectorem, & Cantorem. Ambrosius item in comment. in Ephes. ca. 4. recenset tantum quinque. Sed alij postea addiderunt, Exorcistam, Ostiarium, Acoluthum.

Sed hic bene obseruandum est harum & aliarum traditionum, esse magnam differentiam, eoque etiam imparem autoritatem.

Quædam enim sunt necessariæ & vniuersales, quædam non item.

Necessariæ sunt, quæ à Christo institutæ, vel ab Apostolis præceptæ, vt perpetuò seruarentur, vel in Dei verbo fundatę sunt, & ex eo probari possunt, vel ad pietatem promouendam & Ecclesiam ędificandam faciunt, & sine quibus Dei cultus decenter peragi non potest. Has a tota Ecclesia semper seruandas esse non dubium est. vt ritus seu Sacramenta duo quæ Christus instituit: Baptismum, qui fieri debet in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti. Alias e-

nim ceremonias nullas in Baptismo seruandas præscripsit, nec iussit, baptizandum vel immergere, vel aspergere siue semel siue ter, vel vngere oleo: vel eiusmodi alia: cùm hæc baptismi substantiam non constituant.

Deinde ordinauit Cœnam Domini, in qua requiruntur eæ actiones, quas ipse præcepit: gratias agere Deo, frangere, distribuere, edere panem, diuidere poculum & bibere vinum, commemorare mortem Christi.

Alios ritus in Cœna non mandauit vel tradidit: eóque qui postea sunt inuecti, conscientias non obligant, nec obseruatu necessarij sunt.

Apostoli vero in genere præscripserunt hanc regulam, vt omnia in Ecclesia fiant decenter, secundum ordinem, & ad ædificationem, 1. Cor. 14.

Secundùm hanc regulam necesse est, Ecclesiam conuocari, certo tempore, in certum locum, ad prædicationem verbi Dei: fideles id audire, sacramenta percipere, publicas preces haberi, etiam pro regibus. 1. Tim. 2. Collectas pro pauperibus institui. 1. Cor. 16. Sic sumturi Cœnam debent se probare & profiteri fidem & pœnitentiam, 1. Corinth. 11

Ac ad hanc classem pertinent nonnullæ ex enumeratis traditionibus, quæ cùm fundamentum habeant in verbo Dei, & plurimum valeant ad pietatem exercendam, & fouendam: omnibus Christianis seruandæ, nec omittendæ, nec duntaxat pro non scriptis traditionibus habendę sunt, vt Symbolum Apostolorum, item Nicenum: quæ continent summam doctrinæ Christianæ omnibus scitu necessariæ. Hi articuli fidei vocantur à Patribus nonnullis, vt Irenæo lib. 3. c. 4. Traditiones: qui tamen ex Scripturis in epitomen hanc symboli contracti sunt, teste Augustino l. 1. de symb. ad Catech. Illa verba (symboli) per diuinas Scripturas sparsa sunt, inde collecta & ad vnum redacta, ne tardorum hominum memoria labaret: ait August.

Sic conuentus Ecclesiastici diebus Dominicis, & pædobaptismus habent fundamentum in Scripturis, eoque a tota Ecclesia semper seruanda.

Aliæ verò traditiones non sunt necessariò retinendæ in Ecclesiis, etsi vetustæ & à Patribus commemoratæ: vt quod Christianum oportet signo crucis frontem munire: diebus veneris & sabbathi ieiunare. Nam etsi seruari possent, si absque superstitione exercerentur: tamen conscientiam non obligant, cum ab Ecclesiis aliquibus solum sint receptæ: non ab Apostolis præscriptæ. Imò cum Apostolica traditio de Abstinendo ab idolothytis, sanguine, suffocato, antiquata sit: multò minùs necessariæ sunt recentiores ab hominibus inuectæ Ideò ipsi Patres & Ecclesiæ antiquiores, traditionum Ecclesiasticarum liberum vsum esse voluerunt: vt vel vnum exemplum obseruationis & celebrationis Paschatis die Dominica demonstrat: Cùm Victor Episcopus Rom. excommunicaret Orientales Ecclesias propterea quod alio die quàm Dominico Pascha celebrarent: Irenæus & sanctissimi quique Patres Victorem grauiter reprehenderunt, quod necessitatem ceremoniarum imponere aliis tentaret: de quo Euse. l. 5. c. 25. ¶Sozomenus scribit controuersiam sic definitam esse: Quisque consuetudinem suam sequatur. Stultum enim est rituum causa separari, & scindi. Et Soc. l. 5. c. 21. Neque Apostolis propositum fuit de festis diebus leges condere: neque Euangeliũ iugum seruitutis his, qui ad Dominum conuertuntur, imponit, sed Paschatis aliorúmque dierum festorum rationẽ Seruator & Apostoli liberam fidelibus reliquerunt: vide locum. ¶Sic Aug. docuit epist. 118. ad Ianuar. Totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes. Ac Hieron. ad Lucin. Vnaquæque prouincia abundet in sensu suo. Notum quoq; est illud dictum: Dissonantia ieiunij non tollit consonantiam fidei.

Sed neque illud dissimulandum est: in dubium vocari à doctissimis quibusque, vtrum omnes enumeratæ traditiones ita sint antiquæ: vt à nonnullis prædicantur. Nec enim authentica sunt, nec γνήσια pleraque illa scripta, vetustatis nomen præferentia, ex quibus rituum illorum antiquitatem ostendere & probare Papistæ conantur. Canones Apostolorum, qui feruntur, supposititij sunt, iudicio prudentissimorum antiquitatis inuestigatorum. Dionys. Areopag. qui dicitur, certè neque D. Apostoli discipulus vel coætaneus, neque tam vetus est, vt perhibetur. Eius libri de Ecclesiast. Hierarch. ψευδεπίγραφοι sunt. Nec enim eorum vel Euseb. vel Hieron. qui tamen aliorum Patrum scripta sollicitè recensuere, vel antiquissimi alij meminerunt. Epist. Ignatij ad Philippenses dubia non est, imo notha. Non meminit eius Epiph. non Hieron, imò septem tantùm Epistolas illum scripsisse affirmant.

Clementis liber apocryphus est: quin etiam à Concil. 6. œcumenico Constantinop. damnatus. Canon. 2. Eus. lib. 3. c. 18. sub eius nomine multa ficta dicit prodiisse. Nicephor. libro 3.

Clementis epist. 3. legitur, baptizatum oleo consecrato vngendum esse. At alij autores prodidere, à Syluestro circa Nicenum concilium institutum, vt presbyter lineret chrismate leuatum de aqua. Verisimile est, si inunctio ista tam vetus esset, ac Clementis tempore vsurpata: Iust. Martyrem eius mentionem facturum fuisse, cùm ritus Baptismi suo seculo in Apol. 2. ad Imp. simplicissimè describat.

Nec de Basilij libro de Spiritu sancto nullus ambigit, an germana sint omnia quæ in eo leguntur. Certè Erasmus sagax Patrum æstimator in eo dissimilitudinem styli obseruauit. Et alibi aliter scripsisse verus Basilius legitur. Sed neque quas affert rationes ceremoniarum, ita solidæ sunt vt assensum cogant. Exempli gratia: Orationes vult fieri versus Orientem, Quia antiquam patriam quærimus, scil. Paradisum, quem in horto Eden ad Orientem posuit Deus. At hæc ratio nulla est. Nos enim quærimus cœlestem patriam, Ierosolymam illam sublimem, non terrestrem paradisum.

Tales traditiones paucæ, sunt olim sola consuetudine vel arbitrio doctorum Ecclesiæ receptæ, & seruatæ: quædam etiam ab hæreticis vel audacioribus nonnullis confictæ: & Apostolis tanquam autoribus tributæ, vt illis fides conciliaretur.

Minimè verò omnium hinc inferri potest, reliquas omnes traditiones, quas Pontificij iactant ab vniuersis Ecclesiis recipiendas esse Nam in earum catalogo illi Primatum Papæ & Ecclesiæ Romanæ: Sacramenta Confirmationis, Ordinis, Matrimonij, Extremę vnctionis: oblationẽ sacrificij & Missam: communionem sub vna specie: Imagines in templis: inuocationẽ sanctorum: preces pro defunctis: Purgatorium: Indulgentias: Cœlibatum sacerdotum: auricularem confessionem & singulorum peccatorum enumerationem: satisfactiones: omnia denique, quæ hoc seculo in controuersiam venire recensent. Nam ista non solum Scripturis non consentanea sunt: vt ipsi aduersarij concedunt, dum ea se ex traditione non scripta habere, & probare fatentur: sed ne quidem veteribus Ecclesiis notæ fuere. Nunquam sanè demonstrabunt illi, vel ab Apostolis Apostolicisve viris ea tradita, vel Patres alia sacramenta, quàm Christum, aliosq; ritus & traditiones, quàm ad Ecclesiæ ædificationem facientes, in Ecclesiam inuehendos existimasse. Imò contra certum est, Apostolis vicinas & proximas Ecclesias, sine ceremoniis operosis, in Spiritu & veritate Deum coluisse: & multo tempore post, Romanos inprimis Episcopos successiuè tot ritus coaceruasse, ac Ecclesiis, vt necessarios, obtrusisse. Qui à reformatis Ecclesiis abrogati merito sunt, exemplo Apostolorum, qui noluere tale iugum Christianis imponi, quale tulit olim sub Mose populus Israeliticus: vel laqueum conscientiis inijci, & animos superstitione vel opinione cultus in hoc iterum genere obligari. Act. 15. Gal. 4. & Coloss. 2.

Sic D. Paulus abusum & profanationem Cœnæ, & ἀταξίαν in cœtibus Ecclesiæ Corinthiæ sustulit: illam *autem ad* Dominicam institutionem, & ipsius Christi, *non hominum*, traditionem reuocauit, 1. Cor. 11. & 14.

Summa igitur & conclusio hæc sit: *Eas traditiones*, quę Dei verbo conformes, & ad vsum *Ecclesiæ*, animosq; hominum ad pietatem & verum Dei cultum excitandos accommodatæ sunt, etiamnum retinendas & vsurpãdas esse citra tamen superstitionem & opinionem meriti: Contrà vero cauendum ab impiis & Dei verbo aduersantibus ritibus: à superstitiosis, item & ἐθελοθρησκείαις, quas homines excogitarunt opinione cultus: à ridiculis vel inutilibus, vel talibus quæ facilè degenerare possunt in superstitionem, & Christianæ libertati officere: denique à copia & multitudine ceremoniarum alioqui tolerabilium: vt quâ non adiuuari pura religio & vera animi pietas, sed obscurari potius, imò obrui & extingui solet.

HIERON.

HIERON. ZANCHII

AD CVIVSDAM ARIANI LIBELLVM: CVI TITVLVS EST, ANTITHESIS DOCTRINAE CHRISTI ET ANTICHRISTI, DE VNO VERO DEO.

RESPONSIO

AD

IOAN. STVRMIVM V.

Ampl. A. A. P.

HIERON ZANCHIVS IOHANNI STVRMIO GRATIAM ET PACEM.

* * *

SVPERIORI anno, mi D. Sturmi, libelli duo, in Filium Dei, D. N. Iesum Christum, blasphemiarum pleni, à duobus magnis viris, ad me, vt eos refutarem, missi fuerunt: quorum prior, hominis est Samosateniani: alter verò Ariani. Autor prioris, Iohan. Sommerus Pirnensis, olim in Schola Claudiopolitana Professor: is cumprimis refutandum suscepit libellum Petri Carolij de Deo: adiecti verò sunt tractatus aliquot, variis de rebus: præfixam autem habet liber iste, Epistolam cuiusdam, qui se vocat Theodosium Schimbergium. Is enim curauit, vt refutatio illa Sommeri Transyluani ementito loci & Typographi nomine ederetur, Anno 82. Autor alterius, neque suum apposuit nomen: neque finxit alienum: sed simpliciter post breue Epistolium ad Lectorem, hunc præfixit libello titulum: *Antithesis doctrinæ Christi & Antichristi, de vno vero Deo: anno Salutis*, 1585. Cum magna Spiritus mei perturbatione ita vtrumque perlegi, vt vix ad finem peruenire potuerim. Quis enim homo Christianus, tales queat inspicere, nedum perlegere libros? Quis vir bonus, tot tantásque ferat & in Deum blasphemias, & in optimos viros, déque Ecclesia optimè meritos, calumnias? Quis etiam doctus, tales ineptias: aut moderatus, tales impudentias sustineat? Digniores sunt huius generis scriptiones, quæ Vulcano tradantur: quàm quæ à viris piis & bonis legantur, aut ab eruditis refutentur. Quid enim agas cum negantibus prima fidei principia? cum reiicientibus omnia Ecclesiæ symbola? cum omnia Oecumenica concilia conspuentibus? cùm denique omnes in vniuersum Patres totámque Ecclesiam Catholicam, tanquam Antichristi mancipia, superbè damnantibus?

Pernecessarium tamen fuit, vt ambo refutarentur: quòd hisce libris non solùm harum sectarum homines, in sua quisque hæresi, confirmentur: verùm etiam ex Catholicis, qui sunt imperitiores, seduci à recta fide, facilè possint: qui verò sunt eruditiores, eorum nonnulli & animo turbari, & in sana doctrina concuti, ac sæpè etiam labefactari soliti sint. Atque ad hanc rem non paruam vim habere mihi cumprimis visus est libellus ille Arianus: propter breuitatem simul & autoritatem: receptior enim semper fuit propter maiorem probabilitatem Ariana, quàm Samosateniana hæresis: vt taceam, quòd iste libellus ita astutè & callidè est compositus: vt imperitiori homini, apertis Scripturis, nec non etiam Antiquissimis Patribus, causam suam agere, facilè videri queat. Adde, quòd & multos magnos nostri sæculi viros inter se committere, non solùm conatur: sed etiam probabiliter videtur: Me verò nominatim quàm sæpissimè perstringit. Non paucæ igitur, nec leues fuerunt caussæ: quamobrem non potuerim huius imprimis Ariani & perniciosissimi libelli, aut prorsus negligere, aut in longum tempus differre confutationem. Sperabam alterius quoque libelli blasphemiarum depulsionem, vnà cum prioris confutatione, me in lucem, iisdem Nundinis daturum: sed, vt & tu, & omnes norunt, fui per annum & amplius, tot tantísque & animi molestiis, & laboribus corporis, longis diuísque itineribus conficiendis confectus atque consumtus: vt qui hæc norunt, admirari potiùs possint ac debeant, quomodo & valetudinem seruare, & tot tantásque afflictiones sustinere, & ea quæ præstiti, præstare potuerim. Quòd ergo ad Samosateniani librum non responderim, credo te, & omnes bonos viros, excusatum me habituros: & quod do in præsentia, æqui bonique consulturos. Primo quoque tempore, ad alterum librum parabimus, Deo fauente, responsionem. Factum bene (inquies D. Sturmi:) omnes boni excusatum te habent, qui tuas non ignorant afflictiones. Quis tuum, Zanchi, non probet desiderium, voluntatem, studium, conatum? præsertim cùm alterius quoque libri refutationem primo quoque tempore pollicearis? sed non omnes probant tuum, Zanchi, ad Apologiam, contra vestram Admonitionem Neustadianam silentium. Imò verò, mi D. Sturmi, non prorsus silui: etiamsi responsio mea, affecta quidem, sed, sic volente Domino, nondum perfecta, in lucem non prodierit. Qui descripsit, & qui nonnihil ea legerunt: ij quod scribo, verumne sit, an falsum, optimè norunt. Quî verò factum sit, vt inchoatam scriptionem non absoluerim, & absolutam, foràs non dederim: explicare non est necesse, nec præsentis temporis. Satis est, quòd habita ætatis meæ, hebetudinisque mei visus, ratione: ego pro clementia Illustrissimi Principis nostri, Dn.

Iohan.Casimiri, donatus fui rude: & aliis ad hanc prouinciam refutandæ Apologiæ idoneis fratribus,demandatum fuit hoc opus. Certè ad Germanicum Apologiæ exemplar respondere me propter ignorantiam linguæ non potuisse,nimis manifestum est: Latinum verò anno 83.editum,& serius etiam,quàm debuerat,ad nos in hanc Sareptam allatum, legi quidem, sed non sine magno stomacho perlegi:cùm nimirum viderem,qualisnam sit scribendi ratio,qua in Ecclesiis (vt vocant) ex Euangelio reformatis,permulti,ne dicam,plerique omnes vtuntur: qui tamen Pastores,qui Doctores,qui columnæ Ecclesiæ videri volunt.Statum caussæ,ne intelligatur, de industria sæpenumero tenebris inuoluimus: quæ sunt manifesta, impudenter negamus: quæ falsa,sine fronte asseueramus: quæ apertè impia, tanquam prima fidei principia obtrudimus: quæ Orthodoxa, hæreticos damnamus:Scripturas ad nostra somnia,pro libidine torquemus: Patres iactamus,cùm nihil minus, quàm illorum doctrinam sequi velimus:sophisticari,calumniari, conuitiari nobis est familiare: nec quantoperè his nostris scriptis cursus Euangelij impediatur, Ecclesiæ Christi euertantur, sectarij in suis hæresibus confirmentur, Tyranni ad arma contra nos sumenda animentur, regnum denique Diaboli promoueatur, cogitamus, curamus: sed modò caussam nostram,siue bonam,siue malam,quo iure quáque iniuria tueamur, reliqua omnia súsque déque facimus. O tempora! ô mores! Quis hæc videns,legens, perpendens, si micam habeat pietatis Christianæ, non afficiatur, non turbetur, non summoperè calamitatem nostri temporis deploret? Perlecto tamen huius admirabilis Apologiæ libro,statim cogitaui, non esse, cur ad omnia respondeamus, totúmque librum refutemus. Cùm enim non solùm aduersus Neustadios, sed etiam aduersus Anhaltinos, Bremenses, & Danæum conscriptus esset: illos proculdubiò non futuros mutos, persuasum habebam. Satis ergo fore, si ad ea, quæ contra nostram Admonitionem scripta fuerant, breuiter aliquid diceremus.

Cùm verò duo inter nos & aduersarios controuertantur capita, vnum de Persona Christi, alterum de benedicta illa Cœna,ad quam semper nobis paratam, nunquam tamen omnes, vt deberemus,simul accedimus:cogitaui de hoc altero,de quo nimis multa scripta sunt per annos 70. & amplius,nihil prorsus respondendum esse:cùm ipsi aduersarij ad Admonitionem nihil reuera dederint responsi: sed tantùm veteri semper crambe repetita, nugati sint. Si, quæ in Admonitione de ea re continentur,aduersariis,(qui tamen illam reuera non refutarunt) non sufficiunt:remittendos eos esse iudicaui ad postremum, felicis memoriæ D.Vrsini scriptum de Cœna: vt si quid in Admonitione desiderant, illud in CONSIDERATIONE reperiant. Reliqua enim omnia,quæ de hoc articulo, in illa Apologia disputantur: vana sunt & superuacanea. Alterum præcipuúmque caput, de Persona nimirum Christi, silentio prorsus præteriri non posse vidi. Sed hîc antequam incepissem respondere,diu hæsi. ratio fuit:quia,qui non solùm ab Vrsino in libris aduersariorum exercitatissimo, magníque iudicij, & summæ eruditionis viro, verùm etiam ab omnibus aliis doctis status esse controuersiæ iudicatus fuerat: hunc ipsum esse isti Erfurdienses constanter pernegant. Non enim à se credi & doceri,essentiales diuinæ naturæ proprietates, vel in humanam naturã (vt antea aliquot alij perperam docuerãt) realiter esse transfusas:vel huic carni humanæq; naturæ ita esse communicatas, vt in ea insint essentialiter,formaliter,habitualiter,subiectiuè. Interrogantibus verò, QVOMODO ERGO? triplex ad summam data est responsio. Prima ex Damasceno,sed, vt video,malè intellecto: nempe per περιχώρησιν. Si enim hac dictione,vnitionem intelligant:nihil hac doctrina certius. Sed hoc ipsi aduersarij norunt:qui inter realem communicationem, & inter vnionem,maximum discrimen constituunt.Si verò eo nomine similem immeationem significari velint,qualem in diuinis personis non pauci antiqui Græci scriptores esse dixerunt: nihil magis eum ipsorum Vbiquitariorum dogmate pugnat. Neque enim personales,puta Patris proprietates, alteri Personæ,puta Filio vlla ratione communicantur: vt is dici possit vel Pater esse Filij alicuius,vel generans,vel ingenitus. Si verò περιχώρησιν interpretentur immeationem talem, qualis est Solarium radiorum in aëre, ita vt ex illa in humanam Christi naturam, essentialium proprietatum effecta deriuentur, velut ex increatã omnipotentia, immensa, sed creata tamen potentia, deriuetur, quemadmodum etiam ex radiis in aëre immeantibus,calor in aëre ipso & terra generatur:quis illam neget? Sed neque hoc Erfurdienses ipsi volunt: quippe,qui propter dona finita, proprietates etiam ipsas,realiter communicari contendunt. Ita ex illa prima responsione, nunquam potui, quæ mea est ingenij hebetudo, *de statu* controuersiæ,aliquid colligere certi. Ventum igitur est ad alteram responsionem: *Ea fuit,hoc sensu dici* proprietates diuinæ naturæ communicatas esse humanæ: quod hæc ad veram & realem illarum,cùm volet, vsurpationem, & vt quidem breuius Græci scripserunt, non ad κτῆσιν, sed ad liberam χρῆσιν,assumta sit.Sed neque hinc certum controuersiæ statum concludere poteram. Expressè enim (vt alias omittam rationes) se fauere Nestorianismo negant: qui tamen ex ea doctrina necessariò sequitur, quã naturæ, actio propriè tribuitur: cùm actiones ὑφισταμένων sint,non autem naturarum.

Nam quod Leo dixit, VTRAQVE FORMA AGIT, quod proprium est:illud tanquam impropriè dictum: Damascenus ita resoluit, Christus secundùm vtramque formam,quod proprium cuiusque est,agit. Hanc autem Damasceni explicationem,quã nihil est clarius, à præsenti quæstione excludunt Erfurdienses: in qua non quid Christus, & secundum quamnam naturam, sed quid humana eius natura, secundùm diuinas (vt vocant) communicatas sibi proprietates agat, disputatur. Hac certè noua phantasia de assumtione humanæ naturæ ad vsurpationem, liberúmque vsum essentialium Dei proprietatum, nihil ineptius & magis puerile excogitari potuisse arbitror.Quid enim absurdius illa locutione, humanam Christi naturam, vti proprietatibus diuinæ: cùm potius sicut Anima corpore ad multas suas actiones,non autem corpus anima vtitur: sic etiam plenitudo Deitatis,

tatis,quæ est in Filio,humana natura, non autem hæc illa vti, dici debeat? Accessit ergo tertia explicatio: quæ ideo me minus offendit, quia ex Patribus desumta est: modò sicut illi,sic etiam nos eam intelligamus. Ea,hæc est: communicationem hanc ita esse factam, vt humana natura,verè & omnipotens,& vbique præsens esse dicatur,non in sese, (hoc est,in sua οὐσίᾳ) sed in persona.Sed hîc rursus suboriebatur quæstio:quid nomine Personæ intelligant aduersarij. Si enim persona τοῦ λόγου intelligatur, quæ etiam hypostasis est humanæ naturæ: nihil ea doctrina certius est. Quid enim hoc aliud fuerit:quàm λόγον hominem, omnipotentem,& vbique præsentem esse? Quis verò hoc inficietur? sed quæstio erit, secundùm quamnam naturam,hic homo vbique præsens esse dicendus sit. Si autem in Personæ nomine,vtramque naturam comprehendant: rursus noua mihi iniiciebatur dubitatio: quomodo humana natura,quam non in sua ipsius οὐσίᾳ, sed in persona duntaxat,omnipotentem esse dicunt, sit tamen etiam in se ipsa,tanquam altera parte personæ,realiter omnipotens, & omnipræsens: Contradictionem enim hæc implicare videntur: eandem nimirum naturam, in eadem sua οὐσίᾳ, eodémque modo ac sensu, semper esse, & omnipotentem simul, & non omnipotentem. Hæc me de statu controuersiæ, quisnam ille esset,& quónam modo posset conciliari,cogitantem:valde remorata sunt,& à scriptione retardarunt. Scribere enim aduersus aliquem, non probè cognito & concesso controuersiæ statu,& sine spe etiam obtinendæ veritatis,conciliandæque controuersiæ:quàm prudentis viri sit,nesciebam, & adhuc nescio.

Quid igitur hîc agas Zanchi,(me ipsum alloquens dicebam) cùm & res sit desperata:& verò etiam controuersiæ statum nolint aduersarij à nobis cognosci?Quicquid tuis concluseris argumentis: καταφυγήν, quibus illud eludant,& ad quæstionem non pertinere contendant,minimè deerunt istis Sophistis. Non legisti elegantissimam tui IOHANN. STVRMII PALINODIAM: in qua & breuiter simul, & fideliter omnes horum vespertilionum cryptas, foramina, latibula,in quibus ad lucis aduentum sese abdunt,digito,quid digito? imò expressa manu,demonstrat? Legi:& hoc ipsum est,quod me à pugna cum talibus animalculis deterret: atque vt simplici veritatis auicula contentus,domi me contineam,efficit. Nam si istas bestiolas non capias,ludis operam:si capias,mordent.Habent enim non solùm alas,cum auibus,sed etiam dentes,cum muribus communes.

Scripsi tamen,Sturmi,& non pauca scripsi in hanc miseram Apologiam:vtut multæ præterea remoræ,aliæ ex aliis curæ,aliæ ex aliis molestiæ, alia ex aliis negotia accessérunt: quæ inchoatam atque etiam affectam meam scriptionem mirabiliter retardarunt & impediuerunt:atque ita impediuerunt,vt tandem relicta aliis me peritioribus,hac respondendi ad eum librum prouincia:Ego longam,duram,meisque viribus impatem profectionem,nimirum Clauennam vsque suscipere coactus fuerim: quanquam illius profectionis me non pœnitet, quòd ex fratrum visitatione magno affectus fui gaudio.

Ita habes ex parte, mi D.Sturmi, quî factum sit, quamobrem responsio mea ad Apologiam,neque absoluta fuerit, neque in lucem edita: Deo sic omnia, sua prouidentia gubernante,vt accuratiora ab aliis,hisce de rebus grauissimis ederentur:& vt Ego ad alia non minoris tamen momenti, animum adiicerem meum: ad refutationem nimirum doctrinæ Arianæ, veræ autem de Deo defensionem. At reuera longè mihi gratior fuit hæc prouincia,quàm illa: propter perspicuitatem controuersiæ inter nos & Arianos: propter breuitatem libri præsertim Ariani:propter argumenti,quod tractandum erat,necessitatem. Apologetæ statum controuersiæ de industria,vt videtur,inuoluunt:multa verba sine caussa faciunt:eadem ad nauseam vsque repetunt,& nihil concludunt:pugnantia scribunt: & plerаque longè aliter,quàm lingua Germanica scripta reliquerant, in Latinam verterunt: quæ etiam res me non parum illius linguæ ignarum, ab Apologiæ refutatione remorata est.

Denique nemo ferè est vir bonus, qui non istas nostras sæpenumerò vanas atque inutiles fastidiat,non dicam disputationes,sed altercationes, contentiones, hostiles pugnas. At verò Arianorum libros refutare,in hoc præsertim tempore,quo illud venenum plerisque in locis serpit:plusquàm necessarium est, omnibusque Christi amantibus gratissimum. Ego itaque priori cura liberatus,hunc meum,contra Ariani libellum, domi inchoaui: foris, in itinere affeci: domum reuersus perfeci. Sed quando? post menses à meo reditu, plus minus octo. Per totum enim illud tempus,tam multis,tam grauibus,tamque molestis,& animi & corporis afflictionibus pressus fui: vt vix tandem ad studia literarum animum meum recolligere potuerim: Tantùm abest,vt in librum alterum,nimirum Samosatenianum,vt sperabam,aliquid commentari vacarit. Contenti igitur sunto in præsentia viri pij hoc meo qualicunque labore, donec Dominus tantum suppeditet vitæ & virium, vt non solùm alterius libri Refutationem, verùm etiam alia quæ promisi,& quæ etiam non promisi,ad publicam Ecclesiæ ædificationem,in commune conferam.

Cogitanti verò mihi,cuinam amicorum, vt moris est,hanc meam lucubrationem dignè dedicare possem:tu statim,mi D.Sturmi,occurristi:quòd & Christiana tua pietas hoc postulare,& vetus nostra amicitia flagitare videretur. De vtroque simul breuiter.

Annus agitur 35. plus minus,à quo tempore sancta inter nos Christianáque amicitia intercedit.Ea non solùm inde concepta fuit,quòd tu autor fueris, vt venerim Argentinam tuúsque in eadem celeberrima Schola per annos fermè vndecim fuerim collega: verùm etiam ex eo nata,educata,atque in hanc vsque diem constanter producta & conseruata est,quòd præter non

paruam animorum similitudinem & morum, summa etiam in doctrina Ecclesiæ verè Catholicæ consensio semper fuit & permanet: Bucerique, vt de aliis in præsentia taceam, scripta ad veterem fidem ac religionem reuocandam, illustrandam, confirmandam, quàm maximè conducere semper vtrique visa sunt. Quod vtinam visum quoque fuisset omnibus, qui Argentinæ docuerunt. Sed iudicia Dei magna, iusta, & inscrutabilia sunt. Sic erat in Fatis, hoc est, in Dei decretis. Nihil etiam inter nos accidit, quod amicitiam hanc nostram vel dirumpere, vel dissuere potuerit. Homines sumus, labimur quotidie, verum est: sed dum firmum manet fundamentum veræ amicitiæ, pietas, virtus, sinceritas: ipsa quoque amicitia firma permaneat, necesse est. Et hæ tandem amicitiæ, veræ & Christianæ esse, ab hac constantia dignoscuntur. Atque hæc breuiter de amicitia nostra. Non potui igitur facere, quin antequam moriamur, aliquod eius testimonium toti posteritati, libello hoc meo, tuo nomini consecrato, relinquerem.

Si quid verò certi de aliquo iudicij ex tot annorum necessitudine, diuturnáque familiaritate fieri potest: Ego de te Sturmi, (ad gloriam Dei hoc scribo, non auribus tuis do) aliter sentire & dicere bona conscientia non possum, quàm veterem Ecclesiæ, hoc est, Christi doctrinam, cùm de aliis rebus omnibus, ad veram religionem pertinentibus, tum illam inprimis, quæ de Deo est, æterno Patre, æterno Filio, æterno Spiritu sancto, vno eodémque Iehoua, per Prophetas & Apostolos ad nos fideliter transmissam, & per veteres porrò Patres, piè explicatam, atque aduersus hæreticos defensam, tibi semper non tua certè virtute, sed singulari Dei gratia, fuisse & esse cordi. Hæc autem res, argumento mihi non paruo nec infirmo est: an quis verè diligat Dominum Iesum, nec ne diligat. Amari enim illa non potest: quin Christus ipse, totius doctrinæ autor & basis diligatur: sicut contrà etiam gloriari nemo potest, se Christum vero complecti amore, nisi certam illius doctrinam, ex animo amplectatur, ea oblectetur, eius studio afficiatur, eam denique propagari cupiat, & pro sua virili diligenter curet. Quid verò hoc Christi beneficio (neque enim res humana est hæc dilectio, sed diuina) maius? quid iucundius? quid ad vitam inter Mundi etiam huius miserias feliciter traducendam conducibilius? quid denique ad æternæ cœlestisque gloriæ possessionem tandem aliquando obtinendam certius inueniri excogitarive potest? Vt enim, qui non diligit Dominum Iesum, anathema est maranatha: sic qui diligit, κοινωνίαν habet cum Patre & Filio, cúmque tota Catholica Dei Ecclesia, tam quæ in Cœlis, quàm quæ in terris est: cúmque æterna manet hæreditas. Qui diligit me: dicebat Christus, sermonem meum (tam totam Euangelij doctrinam, quàm omnia mandata) SERVABIT: (in corde per fidem ac dilectionem: in ore per ingenuam constantémque confessionem: & in tota vita, per sincerum obedientiæ studium:) & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Contrà, quanta est illorum miseria atque infelicitas: qui Christi gloriæ inuident: & ea de causa, veterem Apostolorum, totiusque Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ de Christo doctrinam execrantur? Diabolica certè sunt ingenia: ab inferis aduersus Christum, & aduersus eius Ecclesiam, singulis temporibus excitata. Quis obsecro intelligat, quanta sit, & quanto ex supercilio proficiscatur illorum hominum audacia: qui in rebus ad Religionem pertinentibus, ab antiquissimo totius Ecclesiæ consensu, ex ore Christi & Apostolorum concepto: sanctis Prophetarum oraculis confirmato: in Oecumenicis conciliis disputato, explicato, constabilito: infinitorumque Martyrum sanguine, variis temporibus obsignato: ad vana, vel sua propria, vel nescio quorum hominum commenta, cum æterna ipsorum ignominia, & morte, facilè temeréque deficiunt? Annon à Diaboli spiritu, hoc hominum genus agitatur? Vnde enim tantùm audaciæ, nisi ab hoste veritatis, parentéque superbiæ, Satana?

Quæ igitur de hoc totius Christianæ doctrinæ fundamento, aduersus Arianum quendam, nec tibi, nec mihi, quanquam nomen suum suppresserit, ignotum, conscripsi: non potui tibi Catholicæ huius doctrinæ, eóque gloriæ Christi, amantissimo, studiosissimo, defensori constantissimo, non consecrare: vt huic non solùm, quæ nostra fuerit amicitia, sed etiam quæ consensio in Religione, tota posteritas intelligat. Atque hæc est vera, & maxima omnium laus: quam quis possit in hoc Mundo consequi, & verò etiam quam debeamus expetere: nimirum vt in Ecclesia Christi verè Catholica, tum Christi amantes, doctrinæque illius verè studiosi, ad finem vsque vitæ fuisse: tum veram cum piis honestisque hominibus amicitiam coluisse agnoscamur: quibusnam enim rebus constat Christiana pietas, quæ sola promissiones habet præsentis vitæ pariter & futuræ: quàm vera Christi dilectione, & sincera cum fratribus amicitia, ac quantum in nobis est, cum omnibus hominibus pace? In iis duobus mandatis (dicebat Christus, de dilectione scilicet Dei & proximi) pendent Lex & Prophetæ: Et qui diligit proximum (inquit Apostolus) legem impleuit. Hic itaque honos, sicut contemnendus non est: sic etiam sufficere nobis debet in Ecclesia Dei.

Positum est quidem in more, vt quibus libri dicantur, eorum laudes quæcunque possunt, ab autoribus librorum celebrentur: & rectè id quidem atque haud immeritò, si citra assentationem, & moderatè id fiat. Nam æquum & vtile est, vt qualésnam illi sint, qui hoc honore afficiuntur, omnes qui nesciunt, intelligant: ac proinde iure optimo, honorem hunc illis fuisse delatum, nemo non sciat: & ea re ad attentiùs legendum quiuis excitetur. Neque enim indignis, ac prorsus obscuris, nulláque virtute præditis consecrandi sunt boni libri: sed iis demum hoc debetur honoris, qui vicissim libris nostris, sua pietate, sua virtute, sua nominis celebritate, non parum & ipsi possunt conciliare autoritatis, & conciliatam tueri. Cæterùm

ego,

ego, licet amplissimam laudum tuarum materiam haberem, Sturmi: facere tamen id nolui: tum quod scirem tibi quæ tua est modestia, illud summopere displiciturum, tum quòd non ignorarem, me quoque non decere, vt cuipiam darem occasionem aliquam, me tibi adulari voluisse suspicandi. Egóne, tibi, senex seni, amicus amico, Christianus Christiano Zanchius Sturmio, palper? Contentus ergo illa tua, quæ tamen singulare Dei donum est, constantia in vera Christi fide, veráque Religione, & in amicitia cum fratribus honestísque viris colenda: reliquas tuas laudes, quæ nec paucæ nec obscuræ sunt, aliis decantandas relinquo: id quod post mortem tuam futurum non dubito. Etsi enim multos discipulos habuisti ingratos: non omnes tamen tales aut sunt, aut futuri sunt. Sed quid hæc ad nos, qui aliò tendimus? Nos potius, mi Sturmi, occupemur in celebranda, animo, verbis, & factis, Domini nostri Iesu Christi gloria & gratia: nempe in vera & æterna eius Deitate, contra Arianos & Samosatenianos: in vera humanitate, contra Marcionistas & Vbiquitarios: in vera & hypostatica duarum naturarum vnitione, contra Nestorianos: in vera naturarum, proprietatum & actionum vtriusque naturæ inter se distinctione, inconfusáque vnitione, contra Eutychianos: in vera & gratuita gratia, contra Pelagianos: in vera & efficaci per suum sanguinem redemtione, contra Turcos. Summa: Christus sit nobis semper ante oculos: vt eius personam, talem nempe apprehendamus, qualem nobis proponunt Sacræ literæ: verum hominem, nobis ὁμοούσιον, per omnia similem excepto peccato: verúmque Deum, Patri ὁμοούσιον, Patríque per omnia similem, excepto quòd non est Pater. Quid hac personæ Christi contemplatione & apprehensione certius, suauius, salutarius? Nam qui talem in suo corde habet & retinet Filium: habet ac retinet Patrem, & vtriusque Spiritum. Beneficium item salutis nostræ totum in Christo contemplemur, quia totum etiam in Christo collocant scripturæ. 1. Gratuitam æternamque Electionem. In Christo enim elegit nos Deus & Pater D.N. Iesu Christi, ait Apostolus: atque ita nos elegit Pater in Christo, vt & Christus nos elegerit: Ego (inquit Christus) scio, quos elegerim: De æterna autem, ad æternam vitam electione loquebatur. 2. Gratuitam item nostri redemtionem, antequam vel tu Sturmi, vel ego Zanchius, nati essemus. Deus enim, hoc est, Christus, redemit nos sanguine suo. 3. Gratuitam etiam nostri creationem in visceribus Matrum nostrarum. Per ipsum enim Christum, omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est: omniáque per ipsum consistunt, aiunt Iohannes & Paulus. 4. Gratuitam quoque & efficacem nostri ad se, eoque ad realem participationem redemtionis, vocationem. Ipse enim (Christus) veniens (per Apostolos eorúmque discipulos) euangelizauit pacem iis, qui procul, & iis, qui prope: Et per illum habemus adductionem in vno Spiritu ad Patrem. 5. Ac quis est qui nos iustificat ac regenerat: hoc est, vt renouata mente, nobis condonata esse peccata omnia, iustósque nos in conspectu Dei reputari, verè sentiamus: & vt iniquitatem ipsam reuera oderimus, iustitiam autem diligamus efficit? An non ita Pater in Christo, pérque suum Spiritum, iustificat, sanctificat, vt & Christus per eundem spiritum, istud efficiat? iustificabit multos puer meus, ait Pater per Esaiam. 6. Quis nos fide ad hæc mysteria, totúmque Euangelium intelligendum donat? an non Christus qui aperuit mentes discipulorum, vt intelligerent scripturas? Hoc agnoscentes Apostoli, dixerunt ei, tanquam autori fidei? Adauge nobis fidem. Illius enim est augere, cuius & dare. 7. Quis nos in lucem editos, ab infinitis vitæ periculis, ac sæpe è faucibus mortis liberauit, & ad tantam ætatem, nostros extendit annos? 8. Quis quæcunque habemus bona, & animi & corporis, & (vt vocant) fortunæ, nobis qui ex vteris matrum nostrarum nati sumus nudi, largitus est? 9. Quis nos aduersus & insidias, & furores impetúsque Diaboli, vt non penitus fuerimus ab eo oppressi & absorpti, seruauit, atque in hanc vsque diem, constantia fidei donauit? An non Christus? Quid restat? æterna glorificatio tum animorum, simulac hisce corporibus soluti fuerint: tum corporum post generalem omnium resurrectionem. Qui ergo nos tot tantísque beneficiis, non tam quæ ad præsentem, quàm quæ in primis ad futuram vitam pertinent, hucusque affecit, & auxit Iesus Christus: de eóne dubitabimus benignè quod restat, nobis sit præstiturus? adfuturus in agone mortis? seruaturus à malo? Spiritus nostros ad se recepturus, & in cœlum adducturus? Aliter certè docent scripturæ: Ioan. cum dilexisset suos (Christus) in finem vsque dilexit eos. Item: Ego (inquit) veniam ad vos, & assumam vos ad me ipsum. Item: volo vt qui credituri sunt in me, ibi sint, vbi & ego. Et Apostolus: Quod incepit in vobis bonum opus: perficiet illud vsque in finem. Solui profectò minimè potest cathena illa. Quos prædestinauit, hos & vocauit: Et quos vocauit, hos & iustificauit: & quos iustificauit, hos & glorificauit. Testimonia autem iustificationis nostræ, sensum remissionis peccatorum propter solam Dei gratiam, & propter Christi merita, pacem ac tranquillitatem hac de re, animi: odium peccati, amorémque iustitiæ: quomodo non percipimus in nobis ipsis, si Christiani sumus? Itáne ergo, qui nos elegit, qui creauit, qui sustentauit, qui vocauit, qui iustificauit, qui sanctificauit, qui huc vsque perseuerantiæ gratia in fide donauit: de eo, an sit nos, quod reliquum est temporis, in finem vsque dilecturus: contra omnes satanæ tentationes defensurus: in pugna cum morte affuturus: animas nostras ad se suscepturus, & tandem glorificaturus, dubitabimus? Ex sola præteritorum beneficiorum perceptione deberemus cum Abrahamo, vt etiam ratio & omnis æquitas postulat, de futuris certam concipere fiduciam, ac spem, quantò magis, cùm tot, tamque certæ accedant, vt vidimus, promissiones? At peccata mea, sese mihi opponunt: ac ne talem, qualem proponis salutis æternæ certitudinem concipere possim, impediunt, & remorantur. Quasi verò, qui tot & tanta, per tot annos gratis condonauit peccata, flagitia, scelera: is quæ porrò ex ignorantia & ex imbecillitate nostra admittimus: ea dolentibus ac fiduciam in se, quantulacunque illa sit, concipientibus, misericorditer condonare, non possit aut nolit. Nam donum etiam fidei & resipiscentiæ, vt promisit, in nobis electis suis, ne prorsus deficiat, continuabit, vt iustificatis, de

glorificatione minimè sit dubitandum, tam certa enim est hæc, quàm illa quando Christus nobis datus est, vt perfectus sit seruator noster: qui secundum æternum suum & Patris propositum, salutem in nobis inchoet, continuet, perficiat. Postremo igitur loco, in seria & assidua, attentáque consideratione huius postremi, eiúsque amplissimi, & in omnem æternitatem duraturi beneficij Christi, quod est futura nostri glorificatio, ex sola pendens gratia, in hac inquam contemplatione, cum certa eius expectatione, occupari nos oportet mi D. Sturmi: si quod reliquum nobis est vitæ, ita feliciter transigere velimus: vt superatis omnibus Mundi, carnis & Satanæ tentationibus, superatóque certamine mortis in Cœlestem illum locum, vbi & Christus est, eóque ad æternam felicitatem, peruenire possimus. Sicut enim nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo Filius hominis, qui est in Cœlo, sic omnes illi ascendant oportet, qui huic Filio hominis verè insiti sunt, viuáque eius membra sunt effecti. Insiti autem sumus per gratiam Spiritus Christi, gratuitúmque illius donum: per veram nimirum fidem: quæ in vera Christi cognitione & fiducia, per dilectionem efficaci consistit. Hæc verò ea ratione in nobis conseruatur, augetur & coalescit, qua etiam ingeneratur. Ingeneratur verò, vt Apostoli docent, ex auditu, eoque ex Lectione etiam, meditationéque verbi Euangelij: cuius summa & basis est Christus, verus Deus, verus homo, verus perfectúsque seruator.

Ad hanc eandem fidem in cordibus nostris seruandam, fouendam, augendam, quàm necessaria est crebra ad Christum in cœlo residentem, & pro nobis interpellantem, mentis eleuatio eiusque ac Patris inuocatio? Fieri enim hæc non possunt sine fidei exercitio: fides autem quò magis exercetur, eò magis crescit, & robustior fit ac fortior. A vera porrò & seria contemplatione personæ Christi, & ab assidua beneficiorum eius commemoratione, & denique ab ardenti nominis eius inuocatione, quibus (vt dixi) fouetur fides nostra, qua Christo insiti sumus, separari non potest studium perpetuæ resipiscentiæ, qua & admissa peccata doleamus, & in obedientiam mandatorum nostri seruatoris diligenter incumbamus. Sunt autem hæc, meditatio, inuocatio, resipiscentia, tria præcipua veræ fidei effecta: per quæ verus autor fidei Christus, eandem in nobis seruat, fouet, auget. In quibus verò fides in finem vsque seruatur: hos æterna glorificatione & vita donatum iri, extra controuersiam est. Nobis igitur Christum, quis & qualis sit, verè agnoscentibus, déque illius erga nos amore & beneficiis assiduè cogitantibus, illum inuocantibus, in obedientiam mandatorum eius incumbentibus: quid aliud, quàm æterna glorificatio expectanda est? Exercitium hoc pietatis magnum non est, difficile non est, laboriosum non est, aut molestum iis, qui vera Christi cognitione donati sunt. Quid enim facilius, etiam senibus ipsis, & ætate confectis, quid suauius, quid iucundius, quàm subinde cogitare de Christo? amorem eius erga nos immensum contemplari? beneficia eius in animum reuocare? totam fiduciam in illum collocare? illius nomen inuocare? obedientiam mandatorum eius amare? atque vt eius voluntati obtemperemus, pro nostra virili curare? Actiones animi sunt istæ, per se & sua natura, homini Christum cognoscenti, siue senex ille sit, siue iuuenis, siue valens, siue ægrotans, faciles, suaues, iucundæ: vt nemo sit hominum, qui excusare se possit, quòd hæc nimis grauia sint onera ad ferendum: modò, vt dixi, vera adsit Christi cognitio: & cor nostrum non sit huic Mundo nimis affixum. Iugum meum suaue est, dicebat Dominus Iesus, & onus meum leue. Paulo, cui ante veram Christi cognitionem, nil erat grauius, nihil insuauius, nihil intolerabilius, quàm audire Iesum Christum nominari: puram enim creaturam esse putabat: posteaquam illum verè nouit, quisnam esset, non homo solum, sed vnigenitus, eóque naturalis Dei Filius, quídve pro nobis egerit: tunc mutatis in hac noua Christi cognitione, affectibus, omnia duxit vt stercora, modò Christum haberet: nihil voluit scire nisi Christum: nulláque re magis delectabatur, quàm cogitare de Christo, loqui de Christo, prædicare Christum, inuocare Christum, pati pro Christo, implere legem Christi: & denique expectare Christum de cœlo, cuperéque soluere hinc, & esse cum Christo. Quátum igitur positum est, mi D. Sturmi, in vera Christi notitia? in assidua amoris eius erga nos contemplatione? in quotidiana denique & seria gratiæ & beneficiorum ipsius commemoratione ac meditatione? Quantum inquam, hac in re positum esse iudicamus? Vno verbo dico; TOTVM; TOTVM inquam; in hoc Christo positum est; vt non sine caussa dixerit Apostolus, se nihil decreuisse scire, nisi Iesum Christum & hunc crucifixum; qualem *nimirum* describunt nobis scripturæ; quia qui habet Filium, habet & Patrem, & qui ab vtroque *procedit* Spiritum sanctum. Quid verò amplius desiderari à nobis potest?

In hoc igitur Christo, mi D. Sturmi, magis ac magis indies cognoscendo, contemplando, suscipiendo, amando, inuocando, celebrando, studióque voluntatis eius faciendæ, semper colendo: constanter in finem vsque perseueremus: rogantes, vt quando nos, ad hanc vsque senectutem, tot tantísque beneficiis, non tam ad præsentem, quàm ad futuram æternam vitam pertinentibus, pro sua benignitate & gratia affecit; velit etiam, quod restat, pro sua immensa misericordia & beneuolentia erga nos liberaliter largiri: constantiam in fide, victoriam in lucta cum morte, receptionem animorum nostrorum in æterna tabernacula, sempiternam quoque corporum glorificationem; Atque hæc petendo, certa cum fide petamus, minimè sicut ipse præcepit, quin ea simus accepturi, dubitantes. Quare nil dubitantes? quia sicut reliqua omnia bona, tam spiritualia, Electionem, vocationem, iustificationem, sanctificationem, quàm corporalia, non propter merita nostra, sed ex sua gratia donauit; sic etiam perseuerantiam in fide, vitæque æternæ possessionem, ex eadem sua gratuita liberalitate, largitur. Est enim perseuerantia, donum Dei; & gratia Dei (ait Apostolus) vita æterna. Cum ergo hæc non operibus nostris debeantur, sed ex gratia donentur; cúmque etiam Christus iubeat hæc petere, nihil quin simus ea accepturi, dubitantes; quid aliud fuerit de re promissa dubitare, nisi & contra mandatum Christi facere, &

ea bona

ea bona ex gratia dari, apertè negare? In solam igitur gratuitam Dei promissionem intuentes, & mandato eius simpliciter obtemperantes: sine vlla dubitatione, quæ porrò nobis ad plenam æternæ hæreditatis possessionem restant, supplices à seruatore nostro petamus, & eum illa nobis non denegaturum, persuasum omnino habeamus. Nihil enim ei hac nostra fiducia & persuasione gratius. Proinde vtrum nobis & in lucta cum morte, atque Diabolo, adfuturus sit Christus, nósque omnino à malo seruare, & animos nostros corporibus solutos, in cœlum ad æterna gaudia recipere velit, néne: nullo modo dubitare debemus. Certè D.Sturmi, si vnquam fuit, nunc maximè nobis duobus tempus est: vt oculos mentis nostræ, & corda à Mundo, ad Christum conuertamus: & in cœlum etiam hoc stelliferum, supra quod inhabitat Christus suo corpore, cum beatis spiritibus sæpius intueamur: scientes, & omnino sperantes, nos propediem cum Christo & sanctis Angelis ibidem futuros. Exaudita enim est oratio Christi ad Patrem pro omnibus illis, qui in se erant per sermonem Apostolorum credituri: Volo, vt vbi ego sum, & illi sint mecum: vt conspiciant gloriam illam meam, quam dedisti mihi. Ioan. 17. Quare securi de salute propter Christum: in eodem Christo læti, bonáque conscientia ita viuamus, vt etiam in ipso quieta mente & feliciter mori valeamus: illi enim tantummodo beati sunt, qui in Domino moriuntur. Huic vnà cum Patre & Spiritu sancto, omnis honor & gloria:

AMEN.

Neustadio Calendis Septembribus anni 1586.

H. ZANCHII

AD ARIANI CVIVSDAM LIBELLVM, CVI TITVLVS EST ANTITHESIS DOCTRINÆ CHRISTI ET ANTIchristi, de vno vero Deo: breuis

RESPONSIO.

EPISTOLA ARIANI AD LECTOREM.

INTER cætera argumenta quàm plurima, quę falsitatem articuli Trinitatis manifestè coarguunt, non postremum locum tenent innumerę contradictiones, quibus hoc dogma implicatur: dum non solùm diuinis Prophetarum & Apostolorum scriptis apertè reclamat, sed à seipso etiam dissentit, & in tetram contradictionis notam incurrit. Quia verò tantus est tot seculorum in approbando hoc dogmate consensus, fit vt eius vanitas ac inconstantia minus appareat. Existimaui igitur me rem gratam & multis nominibus iucundam omnibus piis facturum, si partem aliquam contradictionum huius dogmatis quasi in pugnum contraherem ac veluti in tabella spectandam proponerem, quò faciliùs de hoc argumenti genere iudicare possent. Quod verò optima voluntate ac studio à me factum est, id spero bonos viros, ac veritatis potius, quam multitudinis amantes in optimam partem interpretaturos. Inprimis hoc rogatos volo lectores (si qui sunt futuri) ne abripi se quorundam maligna intemperie patiantur, qui priùs iudicari quàm audiri, damnari quàm de errore conuinci vellent omnes eos, qui in controuersiam vocant dogma Trinitatis, eiúsque legitimam cognitionem in luce aspectuque omnium fieri desiderant. Quin potiùs suspecti illis sint cum sua fide, qui malunt quęstionem sacram, & è media religione petitam, gladio & igni, quàm placidè conferendo, vtramque partem legitimè audiendo iudicari. Quemadmodum enim veritas sibi ipsi murus est aheneus, aduersus omnes qui auersantur ei, nec alieno patrocinio eget: ita ad odia & simultates, ad damnationes ac carceres, denique ad gladium & rogum ij confugiunt, qui cùm causę suę parum fidant, aliunde quàm ex Dei Verbo pręsidium petunt. Ab horum moribus alienissimos esse decet homines pios, ac Christi potius pręceptis, quàm suis affectibus obsequentes. Qui verò ita sunt animis obstinati, vt malint tyrannidis viam semel ingressam ad extremum insistere, quàm consilia saniora ac Christiano nomine digna amplecti, hi propediem suo malo experientur, Deum sua formidabili manu frænum iniecturum ipsorum violentis machinationibus, ne controuersię omnium grauissimæ cognitionem legitimam, eo quo hactenus successu, impedire possint.

Scriptum Anno salutis 1585.

EPISTOLA autoris, partes habet duas: priore, contendit doctrinam Ecclesiæ catholicæ de Deo, non solùm cum scriptis Propheticis & Apostolicis apertè pugnare: verum etiam manifestis contradictionibus implicari: atque hoc autor præsenti scripto planum se facturum esse gloriatur. Posteriore verò, dum rogat lectorem, vt quod à se bona (qualis nimirum est Sathanæ erga Christum) voluntáte ac studio præstitum est, istud in optimam partem interpretetur, nec prius damnet, quàm audiat: in summa, breuiter quidem, sed tamen acerbè, in illos, qui oppugnatores doctrinæ de Trinitate, gladio persequuntur & igne, inuehitur: minatúrque illis imminentem iram Dei.

Quàm verum sit, quod initio de doctrina proponit: examinatis antithesibus, luculenter apparebit. Quod verò de Antitrinitariorum, aliorúmque similium hæreticorum persecutione subiicit: illud nunc non opus habet vlla refutatione: quando de hac quæstione, & à veteribus Patribus, & à piis nostri seculi Doctoribus sæpe & abundè, idque, ad thesin quod attinet, non infeliciter, quia consentienter & secundum Scripturas, disputatum & conclusum est. Certè manifestè blasphemos, à vera religione apostatas, falsos Prophetas, impios seductores, Deus non solùm non vult audiri, verum etiam è medio tolli: vt è Sacris literis, apud omnes verè pios & doctos viros, extra controuersiam est. In hypothesi à multis peccatur: quia hæresim sæpe vocant, quod est Orthodoxũ: defectionẽ, quod nihil aliud est, quam reditus in viam: hostes Ecclesiæ, qui veræ Ecclesiæ sunt defensores: denique seductores, qui populos ad Christũ reuocant. At verò, doctrinam de æterno Patre, æterno Filio, æterno Spiritu sancto, vno eodémque Iehoua, non solùm pertinaciter negare, verùm etiam impudenter oppugnare: quid hoc aliud est, quàm à tota religione Christiana ita deficere, vt eam penitus extinctam velis? Etenim Scripturæ Propheticæ & Apostolicæ, doctrinam hanc magno & constanti consensu tradunt: quemadmodũ & veteres Patres, tum in omnibus œcumenicis conciliis, tũ in suis quisq; libris, aduersus hæreticos, abundè & luculenter demonstrârunt: & nos etiam, Dei beneficio, post alios permultos libris 13. pro nostra virili parte, confirmandam curauimus. Vniuersa quoque Ecclesia, à temporibus Apostolorum, per totum terrarũ orbem, in hãc vsq; diem, eandem semper, vt verè diuinam amplexa est: Et Symboli decantatione, baptismi administratione, Cœnæ celebratione, palàm professa est, ac constanter profitetur. Nam (vt de his singulis aliquid dicam) primum quidem Catholicæ fidei cõfessio, quã vocant Symbolum Apostolicum, vnum duntaxat prędicat Deum: hunc distinguit in Patrem, Filium & Spiritum sanctum: eandem planè fidẽ fiduciámque in Filium, & in Spiritum sanctum, quam etiam in Patrem profitetur: CREDO IN DEVM Patrem, IN Filium, IN Spiritum sanctum: qua certè loquendi ratione non vtitur, cum ad Ecclesiam venitur: Ac Iesum Christum, vocat cum Scripturis Filium eius (Patris) VNIGENITVM: apertè illum hac voce, non per adoptionem, vt nos, sed per naturam, Filium esse Dei Patris, significans. Omnis enim Filius, aut naturâ aut adoptionis gratiâ, alicuius filius est. Neque finis, cur factus sit homo, passus & mortuus tacetur: nẽpe propter nostram salutem, & (sicut fusiùs in Scripturis explicatur) vt eius sanguine nostra expiarentur peccata. quod certè sanguine puræ creaturæ fieri nullo modo potuit. Qui igitur Christum, filium Dei naturalem, Deúmque verum de Deo vero esse negat: an non etiam, nos illius morte seruatos, eúmque verum Christum ac seruatorem mundi esse negat? Quænam porrò est Ecclesia Catholica, communióque sanctorum, quam profitemur? num cœtus Arianorum? At ante Arium, Ebionem, Cerinthum, aliosq; hæreticos, apertos Christi hostes, hæc Apostolica fuit Ecclesia: Cœtus igitur est eorum, qui cum Apostolis Christum, præter alia, pro verè vnigenito Dei filio agnouerunt, & amplexi sunt, sempérque in finem vsque Mundi amplectuntur. Huic Ecclesiæ renuntiant Ariani: nullámque cum his sanctis communionem habere volunt. Fundamenta ergo fidei Christianæ penitus conuellunt, quicunque Christum æternum & natura Dei filium esse inficiantur.

Sacramentum etiam Baptismi, iidem negant: & religioni Christianæ, penitus renuntiant. Vt enim Israelitæ, symbolo circumcisionis, non obsignabantur vlli creaturæ, sed soli Iehouæ Elohim: Sic neque nos in nomen alicuius puræ creaturæ baptizamur, baptizariue possumus, aut debemus: quo pertinet Apostoli reprehensio apud Corinthios: nunquid in nomine Pauli baptizati estis? Tam autem in nomen Filij, & Spiritus sancti, quàm in nomen Patris baptizati sumus omnes: vsque adeò, vt sæpè in Actis, sine expressa Patris mentione, plerosque in nomine Iesu Christi baptizatos fuisse legamus: quod eo nominato, & Pater & Spiritus sanctus, simul cum illo intelligãtur. Sunt enim tres Elohim, vnus idémque Iehoua. Infelicem verò Apostolum: Si cum dixit, 1. Cor. 2. Non *enim iudicaui* (seu, decreui) *aliquid scire* (seu, prædicare) *inter vos, nisi Iesum Christum*, EVMQVE CRVCIFIXVM. non agnouit hunc Iesum, verum, eundémque cum Patre esse Deum, sed puram creaturam eum esse putauit.

Cœnam quoque Domini, eiusque substantiam tollunt: qui Christum negant, verum naturáque Deum esse. Quomodo enim caro puræ creaturæ, animas & corpora nostra viuificare potest? Est autem caro Christi viuifica: Qui manducat (inquit Christus) meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: Et ego excitabo eum in nouissimo die. Et quare est viuifica? Quia καθ' ὑπόστασιν vnita est VERBO viuifico, ac proinde Deo: vt rectè contra Nestorium definiuit Synodus Ephesina: id quod ex illo capite sexto Iohannis manifestè euincitur. Cùm igitur Ariani, Christum Filium esse Dei Patris æternum, ac naturalem, qui vitam à Patre, in æterna sui generatione acceptam, nobis per suam carnem, fide in Cœna apprehensam, communicet, pernegent: ipsam quoque carnem, viuificam esse, reipsa inficiantur, & vt inficientur oportet.

Quid dicam de inuocatione precibúsque Ecclesiasticis? Cùm sciant Ariani, puras creaturas in Cœlo existentes, nobis in terra degentibus, inuocandas non esse, sed solum Deum, vt in quem etiam solum credendum est, (Quomodo enim inuocabunt, in quem non crediderũt?) Christum autem negent, verum esse Deum, itidem & Spiritum sanctum: profectò cum illis Ecclesiis, in quibus cum Stephano Dominus Iesus inuocatur, & Spiritus sanctus, nullam volent habere communionem. Ita miseri homines, & Symbolo, & Baptismo & Cœnæ Dominicæ, & precibus Ecclesiæ, adeóque toti Ecclesię corpori, in quã tamen nati sunt, baptizati sunt, fidem professi sunt, & permulti Cœna etiã Domini participati sunt, & nomen Domini Iesu inuocarunt: nunc penitus renunciant: Omnia item Concilia, omniáque Patrum scripta, apertè reiiciunt: solas Scripturas recipiunt: sed quomodo? ita vt velint sibi licere, omnia de vera Deitate Christi testimonia, pro sua Sathanica libidine, interpretari: Deum enim esse, non æternum, sed temporarium: non ex Patre genitum, sed factum: non natura, sed officio. Quid verò hoc aliud est, quàm omnibus etiam scripturis, de vera Christi, Spiritúsque sancti Deitate clarè loquentibus, re ipsa valedicere? Quid verò ex his efficitur, necessarióque concluditur: nisi eos à religione Christiana, penitus discessionem fecisse? Tales vos esse, ô Ariani & Samosateniani: quis non videat? Quid autem hinc consequatur nemo non videt. Ad autoris Antithesium epistolam satis. Venio nunc ad Antitheses.

I. ANTITHESIS.

Deut. 6. Audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus vnus est.

1. Cor. 8. Scimus, quod nõ sit Deus alius, nisi vnus.

Hęc fides est veteris & noui Testamenti, hoc est, Prophetarum, Christi & Apostolorum.

Quid verò ad hæc Antichristus? DEVS *[clamat ille] non solùm vnus est, sed etiam trinus. Quanquam verò re ipsa abolet vnum verum Deum: tamen ne impietas manifestè appareat, verbótenus retinet vnum Deum: interim loco vnius, substituit tres eiusdem æternitatis, potentiæ ac maiestatis: idque facit in vsitato dogmate Trinitatis, cuius & autor est & Patronus. Tam verò conuenit, vt Deus sit vnus & trinus: quàm si quis contendat, Deum, & Spiritum esse & corpus: & æternum & temporarium: & bonum & malum. Antichristi vocem, vt cæteros taceam, Athanasius sonat in celebri illo Symbolo, cuius inter alia hæc sunt verba: Fides Catholica hæc est, vt vnũ Deũ in Trinitate, & Trinitatẽ in vnitate veneremur. Huc quoque pertinet liber H. Zanchy de tribus Elohim, qui ipso titulo tres Deos profitetur, cùm tres Elohim, non aliud sint, quã tres Dij.*

AD DICTA SCRIPTVRÆ.

Deut. 6. Hebræa vocabula hæc sunt: Jehoua Elohenu, Iehoua Echad, id est, vnus: quorũ illud ἀ·ίας, h. e. essentiæ nomen est, eóque singularis numeri: hoc plurium personarũ seu ὑποστάσεων, & idcirco numeri pluralis: quemadmodũ in meis libris de tribus Elohim abundè demonstratũ est, nonnullis etiam vetustissimis Rabinis, prout citantur à

P. Galatino, sic explicantibus: vbi etiam responsum est ad exceptiones neotericorum. Rationes illæ meæ, & responsiones nondum sunt refutatæ.

1. Cor. 8. Non esse Deum alium, nisi vnum, nil certius: quia vna duntaxat est, & Patris, & Filij, & Spiritus sancti οὐσία.

Ad Ariani calumnias.

Devm esse vnum οὐσίᾳ vna: Trinum verò hypostasibus seu personis tribus: non Antichristi, sed Christi doctrina est. Is enim vnum tantummodo Deum esse, qui & veteris & noui fœderis autor fuerit: & cui etiam soli obsignandi fuerint, quicunque in fœdus reciperentur: consentienter cū Mose, & Prophetis omnibus prædicauit. Mittens autem Apostolos prædicatum Euangelium omni creaturæ: iussit, credentes baptizari in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti. Ad hoc baptisma vos reuoco, ô Ariani, inimici Christi: ac primum interrogo, an non distinguendi & discernendi sint a se inuicem ij tres, Pater, Filius & Spiritus sanctus: vt non sint vna & eadem persona, quæ varijs nominibus, vt voluerunt Sabelliani & Patrispassiani, appelletur? Certè alius sit, qui genuit: & alius, qui genitus est: & alius, qui ab vtroque procedit, quique vtriusque Spiritus esse dicitur, nimirum Spiritus sanctus: omnino necesse est. En tres personas seu ὑποστάσεις. Deinde constat Baptismum Circumcisioni successisse: vt sicut hæc signum fuit veteris fœderis, quo vetus populus Iehouæ Elohim obsignabatur: sic etiam ille signum sit noui, quo nouus etiam populus, eidem Iehouæ Elohim, sicut veteris, sic noui fœderis autori, obsignetur. Col. 2.

Hinc tertio loco extra controuersiam esse debet: Dominum Iesum, cùm fuerit a Patre pronunciatus Filius dilectus, credentes in se, hoc est, nouum populum, minimè aut alicui puræ creaturæ, aut multis essentiâ Dijs, aut alij Deo, quàm illi, cui etiam verus populus, Sacramento circumcisionis obsignari solebat: Symbolo Baptismi obsignati iussisse. Soli enim fœderis autori, obsignari illi debent, qui in fœderis societatem admittuntur. In hunc etenim quem, misit Apostolos in omnem terrarum orbem prædicatum Euāgelium, & credentes omnes baptizatum: vt & reliquias Israelis, inter gentes dispersas, ad verum Iehouam Elohim, tam noui, quàm veteris fœderis autorem, recolligeret: & gentes ipsas, ad eundem Deum, vnà cum Israele colendum vocaret: & ita è duobus populis, vnam Ecclesiam, vni & eidem Deo, non multis seruientem: vnóque & eodem fœdere colligatam: vno item & eodem fœderis signo, nempe Baptismo obsignatam constitueret. Cùm igitur Dominus Iesus omnes Euangelio credentes, nouúmque fœdus amplectentes, Patri simul & Filio, ac Spiritui sancto, distinctis inter se personis, eodem noui fœderis Sacramento obsignari ac consecrari iusserit: neminem autem vel alicui puræ creaturæ, vel multis Dijs, vel alij Deo, quàm Deo Israelis Iehouæ Elohim, soli vero & æterno Deo, solique fœderis, in cuius societatem admissi sumus, autori, obsignari voluerit: quis tam cæcus & bardus est, qui non videat & intelligat, Christo vero Doctore primum, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, non esse vnam personam, sed plures? Deinde, Filium & Spiritum sanctum, non esse puras creaturas? Tertiò, non esse tamen plures Deos, sed vnum duntaxat cum Patre Deum, vnúmque & eundem fœderis autorem: Deum inquam vnum Jehouam, propter essentiam, & plures Elohim, propter personas? Quare ex solo Baptismatis sacramento, quo nouus populus, eidem Jehouæ Elohim, tribus nominibus expresso, Patri inquam, Filio, & Spiritui sancto obsignatur, cui vetus populus, veteri signo, hoc est, circumcisione obsignabatur: luce meridiana clariùs elucet, doctrinam de Deo vno οὐσίᾳ, trino hypostasibus, seu personis, doctrinam esse Christi, non Antichristi. Ad Hebræos certè, cap. 9. ex morte Christi, qua fœdus nouum confirmatum est, euincitur, Christum fœderis huius ita Mediatorem fuisse, vt eius etiam autor sit: quia testamenta non nisi morte testatoris, teste etiam Apostolo, confirmantur: Est autem testamentum hoc morte Christi confirmatum. An non verò apud Jerem. Jehoua Elohim, autor prædicatur & veteris & noui fœderis, quod & testamentum vocatur? Baptismus igitur, noui fœderis sacramentum, quo obsignamur fœderis autori, Patri, Filio, & Spiritui sancto: damnat vos, ô Ariani, summæ impietatis, & turpissimæ à Christo defectionis: dum illum, vnum & eundem esse cum Patre Jehouam negatis: & quæ manifestissima est Christi doctrina, eam Antichristi doctrinam esse, impudenter scribitis. Laqueum, quo suspendendi estis, vos ipsi gestatis in collo vestro Resipiscite potius, antequam ducamini ad patibulum. Zanchius (scribitis) titulo sui libri de tribus Elohim, tres Deos profitetur. Imò non tres Deos, sed tres Elohim, i. tres personas profitetur, vt reliqua pars tituli explicat: æternum scilicet Patrem, æternum Filium, æternum Spiritum sanctum: quorum quisque Deus est: sed hos etiam omnes simul, vnum duntaxat Deum esse, cum Athanasio totáque Ecclesia, prædicat idem Zanchius: quia omnes tres illi Elohim, vnus & idem sunt Iehoua, secundum illud, Jehoua Elohenu, Jehoua Echad, &c.

Neque ista pugnant inter se, Deum esse vnum & trinum: cùm non eodem respectu hęc dicantur, sed diuersis. Vnum, οὐσιωδῶς, seu τῇ οὐσίᾳ: Trinum ὑποστατικῶς, seu personis. Anima humana vna est, τῇ οὐσίᾳ: & multiplex, partibus suis: τῷ εἶναι τοῦτο, τῷ αἰσθητικῷ, τῷ θρεπτικῷ: Et Petrus, vnus est ὑποστάσει, seu προσώπῳ: & multiplex partibus, anima & corpore. Et multi homines numero, vnus homo sunt specie. Hęc norunt etiam pueri in scholis. Quare cum dicitis, iam conuenire, vt Deus sit vnus & trinus, quam si quis contendat, Deum & Spiritum esse, & corpus: & æternum, & temporarium: & bonum & malum: nimis putidam proditis ignorantiam vestram. Si diceremus, Deum eundem οὐσίᾳ, aut eundem ὑποστάσει, esse trinum & vnum: hoc verò demum apertam contradictionem implicaret. Sed aliter sentit & loquitur Ecclesia, sacras literas secuta: quæ aiunt: Et ij tres, vnum sunt: & quæ plures Elohim, vnum vocant Jehouam. Deinde, similia, quæ adfers, non planè congruunt. Æternum enim & temporarium, se mutuò euertunt: quia temporarium nulla ratione in Deum cadit, sicut nec malum: Vnus autem & Trinus, sine contradictione de [illegible] eo dicuntur.

Hæc ad primam Antithesin fusiùs: vt in responsionibus ad reliquas simus breuiores.

II. Antithesis.

1. Cor. 8 Nobis solùm vnus est Deus, nempe Pater, ex quo omnia, & nos in illo.

Ioh. 17. Pater, hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Devm, & quem misisti Iesum Christum.

Ecclesia Antichristi hisce diuinis testibus apertissimè reclamat, imò verò, quicunque solum Patrem Iesu Christi agnoscunt, vnum verum Deum, eos crudelissimè occidit.

Hæc duo sunt testimonia longè clarissima, noui Testamenti, quibus euidenter, ac velut in specie declaratur, quis sit vnus ille Deus Israëlis: quem Moses, & Prophetæ veteris Testamenti annunciant.

Ad Scriptvras.

Locus ad Corinth. nil vobis fauet, contra Deitatem Filij, & Spiritus sancti: vox enim, nisi vnvs Devs Pater, non excludit Filium, aut Spiritum sanctum, qui eiusdem cum Patre sunt essentiæ, quando omnes Elohim vnus sunt Jehoua: sed omnia idola, omnésque puras creaturas, de quibus ibi antè, excludit. Num etiam de Christo subdit: Et vnus Dominus Iesus. Num ergo excluditur Pater, quin & ipse sit Dominus? Minimè vero. Sed creaturas tantùm puras creaturæ: quòd nulla simpliciter [illegible] nostris Dominus, sicut est Christus, ius habens in [illegible] nostras: Per hunc enim solum, sicut omnia condidit, sic omnia regit in Cœlo & in terra Pater.

Deinde, si ex hoc loco colligitis, Christum ita esse Dominum, vt non sit etiam Deus verus: cur ergo Thomas confessus est, eum esse non solùm Dominum, sed etiam Deum suum? Ioh. 20. Nec mihi dicatis, vocat Deū suum, propter officium. Etiam Moses fuit Deus Pharaonis officio. Itáne sentitis etiam de Filio Dei vnigenito? Iohannes vocat eum Deum verum, & vitam æternam: 1. Ioh. 5. Apostolus Deum super omnia benedictum, Deum magnum, &c. Pro tali ergo Deo Thomas quoque agnouit & confessus est Christum. Quare vera Christi Deitas, non ideo negari potest, quia Paulus Corinthiis concedit, nobis non esse nisi vnum Deum, Patrem illum, a quo omnia: quin eâdem ratione negari etiam possit, Patrem nobis esse Dominum: cum idem dicat, nobis vnum solum esse Dominum Iesum Christum. Imò potiùs ex hoc loco, Christum verum esse Deum, eiusdémque potentiæ cum Patre: mani-

manifestè euincitur. Ratio est: quia Apostolus eandem rerum omnium creationem & gubernationem dat Christo, quam & Patri:seruata tantummodo hac differentia, quod omnia sint à Patre,tanquam à fonte, sicut Deitatis,sic etiam τῶν πάντων ἐξ οὗ: Per Christum autem,tanquam per manum Patris,omnia & condita sint,& regantur.

Nobis,inquit,vnus est Deus Pater,à quo omnia,& nos in ipsum:Et vnus Dominus Iesus Christus,per quem omnia, & nos per ipsum.

Nihil minus etiam vos iuuat locus,Iohan 17.

1. Illud enim μόνον solum, non coniungitur cum subiecto σέ:sed cum prædicato ἀληθινὸν θεόν: Sic enim Græcè. Hæc est vita æterna,ἵνα γινώσκωσι σὲ (μόνον) τὸν μόνον ἀληθινὸν θεόν :quem scilicet prædicant scripturæ. Scripturæ enim prædicant,vnum tantum esse verum Deum.Sed quis est iste solus & vnicus verus Deus/Elohim Iehoua: non solus Pater, non solus Filius,non solus Spiritus sanctus: sed ordine quodam,primùm Pater,vt fons totius Deitatis, & qui à nullo est:Deinde Filius,qui ex Patre natus est. Tertiò, Spiritus sanctus,qui ab vtroque procedit. Si solus Pater esset,ille vnus verus Deus: necessariò excluderetur Filius & Spiritus sanctus.At Christus hoc non dixit, vt ostendimus.Docuit autem saluificam Dei cognitionem in hoc consistere, vt in primis cognoscatur ille,quem Christus suum Patrem (naturalem)esse dicebat,esse ille verus & vnicus Deus, quem Scripturæ prædicant Hinc enim sequebatur, Filium igitur etiam ipsius vnigenitum,(id est,qui non est factus, sed ex Patre genitus:non per adoptionem, vt nos, sed per naturam filius)quem Pater miserat,verum itidem esse Deum,& eiusdem essentiæ cum Patre.

2. Deinde, etiamsi quis coniungat dictionem μόνον cum subiecto σέ: non tamen simpliciter excludi possunt à vera Deitate,Filius & Spiritus sanctus, sed tantùm creaturæ:vt suprà etiam diximus ad locum 1.Cor.8. & fusius in libris nostris declarauimus Sol vnus illuminat Mundum: num ergo excluditur solis radius? Sola enim illa excluduntur,quæ eiusdem naturæ non sunt. Filius autem, quia vnigenitus est,eiusdem naturæ est cum Patre.

3. Imò ex eo etiam, quòd se vt Filium, à Patre missum fuisse,& ipsum Christum se esse dicit: aperte docet,se verum esse Deum. Scripturæ enim sacræ Messiam, vocant Iehouam:& quæ sunt propria Dei.Christo attribuunt: nec Messias potuit esse Mediator inter Deum Patrem, & inter nos;nisi Deus quoque pariter esset,& homo.

Sunt ergo & hæc duo dicta, verè duo testimonia noui Testamenti longè clarissima,quibus declaratur,quis sit ille Deus Israëlis,quem Moses & Prophetæ veteris Testamenti annuntiant.Annuntiant enim Iehouam vnum, qui non est vnus,sed plures Elohim:Pater,à quo omnia: Filius,per quem omnia:Pater mittens,Filius missus, &c. Hæc est doctrina Ecclesiæ Christi.

AD CALVMNIAS.

Si ergo nomine Ecclesiæ Antichristi, intelligis, vt intelligis, Ecclesiam Catholicam, à qua non recessit, ad hanc doctrinam quod attinet, Romana; mera est calumnia, summa cum ignorantia scripturarum coniuncta, quod pro Antithesi subdis. Non enim occidit eos, qui solum Patrem Christi,eo,quem declarauimus,sensu, verum Deum esse credunt. Summa: Christus suum Patrem, ex cuius substantia solus est genitus esse illum verum Deum, qui est vnicus Deus scilicet ingenitus, prædicabat: séque ab hoc,propter summum erga nos amorem, vt esset Christus & Seruator noster,missum fuisse asseuerabat: atque in hac cognitione vitam æternam consistere, constanter docebat.

III. ANTITHESIS.

Iohan.8 Christus ad Iudæos inquit: quem vos dicitis Deum vestrum esse,Pater meus est.

Act.3. Deus Patrum nostrorum, Deus Abraham, Isaac & Iacob,excitauit filium suum.

Romanenses negant esse Deum Abraham, Isaac & Iacob:ac Deum Trinitatem.loco vnius Patris collocant: quin sacrilegium committi putant, si quis solum Patrem IESV Christi fatetur esse Deum Abraham,Isaac & Iacob.

AD SCRIPTVRAS.

Iohan.8. Illi Iudæi, ad quos Christus verba faciebat, agnoscebant quidem in genere ex Scripturis, vnum esse Deum Iehouam:sed,sicut etiam nunc nostri Iudæi,& cum Iudæis Ariani, personarum in vno Iehoua pluralitatem, haud diligenter scrutati Scripturas, ignorabant. Putabant autem Iehouam, sicut est vna essentia: sic etiam esse vnam personam, quæ non habet filium,& à qua non procedat Spiritus sanctus, vera persona. Hanc vnicam Patris personam Deum suum esse dicebant, sicut & Abrahami, Isaaci & Iacobi Deus fuisse legitur. Christus ergo ad captum illorum Iudæorum de Deo sese accommodans, de Deo Iehoua loquebatur: & hunc dicebat suum esse Patrem: apertè indicans, illum Deum non carere filio;ac proinde in vno Iehoua plures esse Elohim, hoc est: personas. Cùm enim se vocabat filium Dei: non intelligebat per adoptionem,seu per gratiam, sed per naturam, se esse Dei filium,eóque & Deum: id quod optimè intelligebant Iudæi:& eam ob causam eum blasphemare dicebant, quoties se vocabat filium Dei: quia videbant hac ratione plures in Deo statui personas:ipsi autem persuasi erant,sed falso,& contra mentem Prophetarum, Deum sicut vnica est essentia, sic vnicam tantum esse personam: quæ propter gratiam adoptionis, Pater omnium Iudæorum esse prædicaretur: nullius autem esset per naturam. Hoc verò toties refutauit Christus, quoties sese à reliquis separans,dixit se filium esse Dei, nempe naturalem. Tantum igitur abest, vt ex his duobus locis; refutetur pluralitas personarum in Deo: vt potius clarissimè confirmetur. Ideo examinanda sunt verba. Non dixit, Qui est,seu quicunque est Deus vester,is est Pater meus;sed,quem vos dicitis esse Deum vestrum,is est pater meus Si illud dixisset, possent Ariani assumere in secunda figura, negatiuam; Atqui λόγος & Spiritus sanctus, non sunt Pater Christi; Ergo λόγος & Spiritus sanctus, non sunt Deus Israel Sed ex verbis Christi tale conficitur argumentum; Quem vos dicitis esse Deum vestrum, hoc est, Israëlis; is est Pater meus, nempe naturalis. ex cuius substantia genitus sum. Atqui vos dicitis,illum (tantummodo) esse Deum vestrum, qui cum sit vnicus Iehoua, vnicaque essentia, vnica etiam est Persona, ab alio non existens. Hanc ergo personam, quæ originem ab alio non habet, Patrem meum esse dico.

Propositio verissima est,& conclusio certa;sed in assumtione fallebantur Iudæi illi. Non enim vnus tantum El, aut sola illa persona, quæ originem ab alio non habet, nempe Pater, Deus erat Israëlis; sed omnes simul illi tres Elohim,erant Iehoua Echad, eáque Israelis.

In illo etiam dicto, Actor.3 nomen Dei personam Patris significat; qui ὁ θεὸς τῶν πατέρων, & quia solus est ingenitus, Deus nominatur; præsertim quando nomen quoque Filij apponitur. Atque hoc manifestum est ex eo, quod addit, Filium suum; Filius correlatiuum est Patris. Quid igitur sibi vult;Deus patrum nostrorum, misit Filium suum; nisi Pater æternus,qui est Deus patrum nostrorum, misit Filium suum,nempe vnigenitum, vt alibi explicatur; Si autem Pater Deus habet filium, non gratia adoptionis factum,vt nos,sed ex sua substantia genitum, quia est vnigenitus; an non sequitur, hunc etiam filium ὁμοούσιον esse Patri, eóque verum cum Patre Deum, propter vnicam & eandem essentiam? Ite ergo, & adducite scripturas,contra pluralitatem personarum in Deo.

AD CALVMNIAS.

Quod ergo subdis de Romanensibus in primo membro; mera est calumnia. Romana enim Ecclesia,non negat Patrem Deum esse Abrahami, Isaaci, & Iacobi; sed licet κατ' ἐξοχὴν Patri nomen hoc tribui fateatur; solam tamen Patris personam excluso Filio & Spiritu sancto, Deum esse Israëlis meritò cum scripturis negat Abraham enim, Isaac & Iacob, agnouerunt illos tres Elohim, suum esse Iehouam Echad;eis etiam symbolo Circuncisionis, sicut nos Patri, Filio & Spiritui sancto symbolo Baptismi, obsignati fuerunt.

IV. ANTITHESIS.

Col.1.Christus est imago Dei inuisibilis.

Heb.1 Christus est splendor gloriæ Dei, & figura substantiæ eius.

Christus est ipsemet Deus inuisibilis, & ipsamet substantia, inquit Romana Ecclesia. Ergo iuxta ipsorum Theologiam Deus ipsemet, & imago Dei idem sunt, quæ tamen magis differunt, quàm Cœlum à terra.

AD SCRIPTVRAS.

Col.1. Christus est imago Dei inuisibilis. Imago,(certum est,) non est ea ipsa res, cuius est imago. Christus autem non dicitur imago esse Dei simpliciter, hoc est, essentiæ diuinæ: sed Dei, hoc est, Dei Patris. Ecclesia verò Romana, nunquam docuit, Filium, eundem esse, qui & Pater, hoc est, eandem personam : sed semper Filium a Patre distinxit. Est autem Christus imago Patris, & quatenus filius hominis, seu homo & quatenus filius Dei naturalis. Vt homo: imago fuit & est, accidentalis : quatenus nimirum in ea carne perfectiones Patris, summa bonitas, potentia, sapientia, ἀθανασία, perfectissimè relucebant, ac relucent. Quatenus autem filius Dei est naturalis: imago est Patris essentialis : quia nimirum non solùm Patris perfectiones, sed ipsa quoque eius hypostasis, in Filio repræsentatur : repræsentatur inquam, non solùm hominibus, cùm fuit in carne manifestatus : sed etiam Angelis, ab initio Mundi: & per sese, ab æterno. Quid enim si Cæsaris imaginem nemo videat? fuerit tamen imago. Ita, non solum post incarnationem, ipsis hominibus: & antè incarnationem, ipsis Angelis: sed etiam ab omni æternitate, per sese & in sese, Christum fuisse Dei Patris imaginem, non accidentalem, sed essentialem dico. Genitus enim ex Patre: ὑποστάτως simul fuit Patris imago. Seth, genitus ex Adamo : imago statim fuit Adami Patris sui: non solùm accidentalis, propter eandem naturæ corruptionem : sed etiam substantialis, propter eandem naturam, à Patre acceptam: qua ratione omnis filius, essentialis est Patris sui imago. Et ideo ex tali imagine, argumentari licet : eum qui est alicuius imago: esse non quidem eundem, cuius est imago, sed eiusdem tamen naturæ, & quidem ab eo acceptæ, participem. Hæc enim est imago omnium perfectissima. Quid verò est rei, cur non dicamus, Christum, perfectissimā esse, eóque substantialem, Dei Patris imaginem?

Eodem modo explicatur locus, Heb.1. Christus splendor est, seu ἀπαύγασμα gloriæ (id est, Deitatis paternæ:) & χαρακτὴρ ὑποστάσεως Patris. Quid hinc sequitur ? pluralitas certè personarum, & vnitas essentiæ. Pluralitas quidem: quia alia res est, splendor seu ἀπαύγασμα: & alia, ipsa lux cuius est ἀπαύγασμα, vt liquet in Sole. Vnitas verò essentiæ, quia splendor Solis: ad nos vsque descendens, eiusdem est naturæ cum luce, quæ in Sole est. Et hoc concludere voluit Apostolus: Christum, de cuius vnico efficaci sacrificio disserturus erat : esse non solùm hominem, sed etiam verum eundémque cum Patre Deum. Certè vt Sol nunquam fuit sine suo splendore, sic neque Pater sine hoc filio. Est igitur illi coæternus.

AD CALVMNIAS.

Ex dictis, licet qualis, & ex quanta ignorantia sit calumnia vestra. Ecclesia Romana non dicit, Christum esse ipsummet Deum inuisibilem (hoc est, Patrem:) & ipsammet substantiam Dei (hoc est, Patris, & quatenus est in Patre:) sed esse personam à Patre quidem distinctam, eiusdē verò cum Patre essentiæ, eóque eundem cum Patre Deum. Quare quod etiam subditis: Ergo iuxta ipsorum Theologiam, Deus ipsemet, & imago Dei idem sunt, vestram supinam proditis ignorantiam: Deus ipsemet (hoc est, Pater:) & imago eiusdem Dei, (id est, Patris) non sunt idem, hoc est, eadem persona, sunt tamen idem, hoc est, eiusdem essentiæ atque naturæ. Quid verò hic est contradictionis? Vt vno verbo semel dicam, vos estis vel imperitissimi asini, qui non intelligitis, quid scribatis : aut mali homines, qui malitiosè imponitis simplicioribus, quasi verò nos Christum, talem Dei imaginem esse statuamus: qualis est veri Cæsaris, pictus Cæsar, & pictus orbis, veri orbis. Certum est ista magis differre, quam Cœlum à terra. Sed oportet Diabolum cum Christo eiusque Ecclesia pugnare in finem vsque. Vos, vos estis Antichristi: de quibus, 3. Ioh. 2.

V. ANTITHESIS.

Luc.1. Christus vocatur Filius altissimi. Deus igitur tum hic, tū aliàs sæpe dicitur altissimus: Christus verò Filius altissimi, altissimus nunquam.

Romanenses in suis idololatricis templis sic cantant: Tu solus altissimus Iesu Christe. Hic rursus Cœlum terra miscent, dum Filium altissimi, habent pro ipso altissimo. Atqui filius consulis, non est ipse consul, & Abel filius Adami, non est ipse Adam: Ita cum scriptura Christum vocat Altissimi Filium, discrimen permagnum statuit inter Christum, & altissimum Deum. Videmus igitur Antichristum vbiquè esse sui similem, ac gloriæ altissimi aduersarium. Ac quemadmodum orbi Christiano innotescere cœpit fucus, quem fecit in sanctis supra modum extollendis, ad Christi gloriam obscurandam : Ita tempus instat, quo Christus non amplius ex præscripto Conciliorum ac Patrum colatur, pro vno illo altissimo Deo, sed pro Mediatore apud Deū, quo vnius æterni Dei ac Patris maiestas, non Angelorum ac hominum, sed ipsius etiam Christi sublimitatem longissimè excedere intelligatur.

AD SCRIPTVRAS.

Luc.1. Christus, altissimi Filius vocatur, hoc est, Patris: non autem diuinæ essentiæ. Omnis enim filius, alicuius Patris filius est, non autem naturæ vel essentiæ. Itaque filius Dei Patris, non est Deus Pater: & Filius altissimi, id est, Dei Patris, non est ipse altissimus Pater. Est tamen & Christus, altissimus, hoc est Deus: quia omnis verus & naturalis filius eiusdem naturæ est, cum suo Patre: vt omnis filius hominis homo est: omnis filius asini, asinus est. Accedit testimonium Zachariæ, Luc.1. qui suum filium Iohan. Baptistam, prophetam altissimi, hoc est, Christi, appellat. Et hæc de Christo, quatenus Filius Dei, Deus est. Deinde Christus vt creatura, altissimus est: quia tum propter vnionem hypostaticam cum λόγῳ Deo: tum propter exaltationem ad dextram Patris, supra omnes est creaturas: quo spectat illud, excelsior cœlis factus.

AD CALVMNIAS.

Hinc ad putidas calumnias vestras, patet responsio. *Tu solus altissimus Iesu Christe* De Christo loquitur Ecclesia Romana, & quatenus homo, creatura est, est enim supra omnes: & quatenus etiam vnus & idem est cum Patre & Spiritu sancto Deus: non autem, quatenus est persona altera. Non enim solus Filius altissimus est, hoc est, Deus: sed etiam Pater, idque inprimis, & κατ' ἐξοχήν: & Spiritus sanctus. Hoccine est miscere Cœlum Terræ? Filius consulis, non est ipse consul: est tamen & ipse homo: Et Abel, filius Adami, non fuit ipse Adam, sed tamen & ipse homo: quis non videat vestras ineptias?

Quid portò garritis de gloria altissimi Dei, hoc est, Patris? Quasi verò ille sit aduersarius gloriæ Patris, qui eum credit & confitetur, habere filium sibi ὁμοούσιον, Deū de Deo: quem propter summum & incredibilem amorem, quo nos dilexit, in Mundum, ad mortem pro nobis subeundam miserit : & non potius illi capitales hostes sint gloriæ Patris, qui eum, verum, hoc est, naturalem esse Patrem nolunt: nec filium suum vnigenitum, sed puram creaturam, ad nos redimendos misisse, contendunt. Magna gloria fuit Dei, quòd miserit Mosen ad redimendum populum ex Ægypto: eadem reluxit in infinitis aliis operibus ipsius: sed hæc est gloria eius omnium maxima, quia maior excogitari nō potest: nimirum, quòd sic dilexerit Mundum, vt Filium suū vnigenitum dederit: vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Vtri igitur sunt aduersarij gloriæ altissimi Dei Patris: nos, qui cum Christo confitemur Deum Patrem misisse Filium suum vnigenitum: an Ariani, qui aiunt, illum misisse puram creaturam? Vos vos, & Patrem simul, & Filium, propria spoliatis gloria. Patrem quidem, quia negatis eum sic dilexisse Mundum, vt Filiū vnigenitum dederit: Filium verò, quia eum facientes puram creaturam, negatis esse verum redemtorem: ac per cōsequens, totam etiam Ecclesiam, spoliatis vera salute. Maiestas Dei Patris longissimè excedit sublimitatem Christi, quam scilicet habet vt homo: sed non quam semper habuit vt Deus. Eadem enim est, vt scripturæ docent: & ideo etiā Ecclesia canere solita est; Gloria Patri, & Filio, ac Spiritui sancto: sicut erat in principio, & nunc, & semper, &c.

VI. ANTITHESIS.

1.Cor.3. Omnia vestra sunt : vos autem Christi: Christus verò Dei.

1.Cor.11. Velim vos scire, caput mulieris, esse virum, caput viri, Christum, caput verò Christi, Deū.

Christus est eiusdem maiestatis ac gloriæ cum Deo, inquiunt Pontificij. Negant igitur Deum, esse caput Christi.

AD SCRIPTVRAS.

Vtrobique Christus vt Mediator, & caput Ecclesiæ immediatum proponitur. Quis autem neget eum vt talem, & vt

& vt hominem, inferiorem esse Patre? Sed vt filius naturalis ac vnigenitus, æqualis est, Patri eiusdémque cum eo naturę, maiestatis, gloriæ. Philip. 2. Non rapinam duxit, se esse ęqualem Deo. Et cùm accusaretur blasphemiæ à Iudæis, quòd faceret se æqualem Deo: hanc æqualitatem non negauit, sed contra, se non blasphemare probauit, & ita æqualitatem confirmauit.

AD CALVMNIAS.

Imperitè ergo infertis: Christus inferior est Patre, quia Pater est caput Christi: Ergo non est ęqualis maiestatis cum Patre: Et si est, vt Ecclesia Romana docet, Ergo Deus, non est caput Christi. Quasi verò hæc sint pugnantia: cùm vtrũque verum sit, diuersis respectibus. Caput etiam mulieris est vir, quatenus scilicet illa est vxor: num igitur, quatenus & illa est homo, non est æqualis viro humanitate?

VII. ANTITHESIS.

Col. 1. Christus est primogenitus omnis creaturæ.
Et Apoc. 3. dicitur principium creaturarum Dei.

Christus est vnus ille æternus Deus, clamat Antichristus.

Quemadmodum autem primogenitus fratrum, est ex numero fratrum, & primogenitus filiorum, est vnus ex filiis, & primogenita gregis, sunt de grege: Genes. 4. vers. 4. Et initium signorum Christi, est de signis Christi, Iohan. 2. vers. 20. & Amalec initium Gentium, est ex numero Gentium: Ita si Christus non est creatura Dei, quomodo verè dicetur primogenitus, & initium creaturarum Dei? Eò igitur nos ducit Scriptura, vt statuamus, Christum esse creaturam ipsius Dei immediatè. At creatorem Angelorum & hominum: Deus enim Mundum, & quæcunque in eo sunt, per ipsum condidit. Iohan. 1. Colos. 1. Heb. 1. Ità Christus, nec in solio vnius Dei collocatur, neque in ordinem Angelorum & hominum redigitur: sed manet longè inferior Deo, multò superior Angelis & hominibus, vtpote ipsorum creator, Deus & Dominus.

AD SCRIPTVRAS.

Col. πρωτότοκος πάσης κτίσεως, id est, πρὸ πάσης κτίσεως, ante omnem creaturam genitus: Gręcis, Tertulliano, Ambrosio, sic explicantibus: neque aliter intelligi potest locus ille, propter ea, quæ immediatè sequuntur. Subiicit enim Apostolus, quã obrem eum appellarit πρωτότοκον πάσης κτίσεως; quia, inquit, per ipsum creata sunt omnia, &c. non dicit Apostolus, Quia ipse creatus est ante omnia: sed, Quia per ipsum creata sunt omnia, τὰ πάντα, inquit, ἐκτίσθη: tam quæ in Cœlo, quàm quę in terrá. Si πάντα: ergo nihil est creatum, quod non sit per ipsum creatum, vt Iohan. 1. explicatur: Et sine ipso factum est nihil, quod factum est. Non igitur ipse est pura creatura: sed πρωτότοκος πάσης κτίσεως, hoc est, ante omnem creaturam genitus, eóque ante tempus, & ea re ab æterno. Ante tempus enim mera æternitas. Ideò apertè subdit Apostolus: Et ipse est ante omnia, nimirum creata. Non te pudet, talia loca proferre, contra ęternam Christi Deitatem: quibus nihil clarius illam confirmat?

Eodem spectat, quod adfers ex Apoc. 3. Christus vocatur principium τῆς κτίσεως τοῦ θεοῦ. Sed quale principium? non passiuum (vt ita loquar) quasi fuerit prima creatura: sed actiuũ, quia à Deo Patre, per ipsum omnia creata sunt, initiúmque ab eo ducunt: vt & Paulus dixit, & Euangelista Iohannes antea scriptum reliquit. Ideo rectè Græci, ἀρχὴν τῆς κτίσεως, id est: ποιητικὴν αἰτίαν τῆς κτίσεως. Imò Christus, sicut est tale principium, nempe actiuum omnium creaturarum: Sic etiam principium est omnis creaturæ Dei: hoc est, omnis nouæ & spiritualis creaturæ, totiusque Ecclesiæ caput, à quo illa habet initium & originem.

AD CALVMNIAS.

Profligantur ergo, & in fumum abeunt, omnes tuæ, quas subiicis, ineptæ consequentiæ. Si Christus, inquis, non est creatura Dei: quomodo verè dicetur primogenitus & principium creaturarum Dei? Audiuisti, Quomodo: nõ vt tu explicas cum tuo Ario: sed vt explicat Ecclesia cum Paulo, aliisque Apostolis. Imò est [illegible], primogenitus: non est ergo πρωτόκτιστος, primò creatus. Genitus enim ex substantia est genitoris: creatura autem ex nihilo. Ante creaturas verò nulla erat nisi Dei substantia. Quid ergo garris? Primogenitus (inquis) fratrum, est ex numero fratrum, &c. Quis hic non videat tuam sophisticam, vel saltem ignorantiam Dialecticæ? In antecedente loqueris de primogenitis, qui habent secundogenitos: & tunc vera est propositio, omnis primogenitus est ex natura secundogenitorum. Tibi verò assumendum fuerat: Atqui Christus primogenitus est omnium creaturarum, tanquam secundogenitorum, hoc est fratrum & sororum: Ergo & ipse est vna ex creaturis. Sed quomodo probabis, creaturas omnes esse sorores Christi, vel secundogenitos Dei? Non ergo sequitur, Christum esse vnam ex creaturis; & quidem ante reliquas omnes conditam. Ita verò nos recte argumentabimur retorto in te argumento: Omnis primogenitus, eóque & omnis secundogenitus, ex natura est & substantia genitoris: Hoc liquet in omnibus exemplis, quæ tu attulisti; & ratio tuæ propositionis hoc postulat. Cur enim fratres eiusdem sunt naturæ, nisi quia ex eodem sunt Patre, qui suam illis communicauit naturam? Si ergo Christus est verè & propriè primogenitus & vnigenitus Dei Patris filius, quomodo non erit ex natura & substantia Patris? Vade & disce melius argumentari. Eò igitur (inquis) nos ducit Scriptura, vt statuamus Christum esse creaturam, &c. Non scriptura, sed Satan eo vos ducit. Contra, Scriptura nos ducit, vt sciamus, [illegible], non esse creaturam; quia si est ex Patre Deo genitus; ex eius est substantia. Nulla autem pura creatura, ex substantia Dei est sed ex nihilo. Quare Christus, non est quidem Deus Pater; sed vna cum Patre, est vnicus ille Deus, de quo Scripturę.

VIII. ANTITHESIS.

Iohan. 5. Quemadmodum Pater vitam habet in se ipso, ita & Filio dedit habere vitam in sese.
Iohan. 17. Pater, quos dedisti mihi, velim vt vbi ego sum, & illi sint mecum, vt conspiciant gloriam meam, quam dedisti mihi.

Filius cùm sit eiusdem æternitatis ac maiestatis cum Deo, nihil omnino accipit nec vitam nec gloriam: à se habet omnia. Hic iterum, quod Christus affirmat, Antichristus negat.

AD SCRIPTVRAS.

Pater in æterna Filij generatione, suam totam illi communicando essentiam; vitam etiam & gloriam, omnésque proprietates essentiales communicauit; ita vt sicut illam, sic etiam has in semetipso Filius non minus quàm Pater, non tamen à semetipso, quemadmodum Pater habeat. Atque ex his locis manifestissimè euincitur, Filium, sicut distinguitur à Patre, quia vnus dedit, alter accepit: Sic etiam eandem prorsus habere Deitatem; quia sicut Pater, sic & filius vitam & gloriam habet in seipso. Annon & liberi nostri, humanam naturã à nobis accipiendo, vitam quoque, & sensum, & vim ratiocinandi, ita a nobis acceperunt vt eam in seipsis non minus, quàm nos parentes habeant? aliud est habere A SEIPSO; & aliud habere IN SEIPSO. Pater solus habet A SEIPSO; Filius & Spiritus sanctus, habent quidem in seipsis, sed non à seipsis; quia originem habent a Patre; Pater à nullo; vt manifesta sit & vnitas identitasque essentiæ, & pluralitas, distinctióque personarum. Hæc est doctrina non Antichristi, sed Ecclesiæ Catholicæ; contraria Antichristorum est, vti estis vos; qui negantes, Filium esse Deum, negatis & eius Patrem, Deum esse. Omnis enim verus & naturalis alicuius filius, eiusdem naturæ est cum Patre.

AD CALVMNIAS.

Manifesta igitur est calumnia cum summa inscitia coniuncta; cum nobis adscribitis, quòd dicamus, Filium, cùm sit eiusdem æternitatis & maiestatis cum Patre; ideo eum nihil à Patre accepisse. Valétne consequentia; Filij mei eiusdem sunt naturæ mecum; Ergo a me illam non acceperunt? Videtis vestram ignorantiam? Ecclesia Romana non sic docet; neque nos sic docemus, sed vos, qui spiritum Antichristi habetis. Locus tamen Ioh. 17. v. 24. de visibili potius gloria & felicitate, quam Christus vt homo accepit in tem-

pote: quàm de inuisibili, quam accepit ab æterno, vt Deus, de Deo, intelligendus esse videtur.

IX. Antithesis.

Rom.16. Soli sapienti Deo, sit gloria per Iesum Christum.

Marc.14. Pater, omnia possibilia sunt tibi.

Hęc testimonia tribuunt Deo ac Patri, summam potentiam ac sapientiam.

Wolfg. Musculus, in Ioh.c.1. Deus sine Christo, nec sapiens est, nec potens. Item, Deus Pater nihil potest facere sine Filio suo: quemadmodum ignis non potest ea facere sine calore, & artifex nihil potest sine sua sapientia. O miseram Theologiam, quæ ita Deum spoliat sua sapientia ac potentia, vt ad Filium ablegat, quoties sapientia ac potentia opus sit. Habet Deus suam potentiam ac sapientiam: habet & Filius suam. Est in Deo immensitas quædam sapientiæ ac potentię. Filius etiam tanta est sapientia ac potentia à Deo instructus, vt omnem Angelorum & hominum captum longissimè superet. Quemadmodum igitur Deus, non est Christus, nec Christus, est Deus: ita alia est sapientia Dei: alia Christi. Nihilominus rectè dicitur Christus sapientia & potentia Dei, eò quòd in Christo eiusque admirandis operibus fulgent radij quidam eius sapientiæ ac potentię, quæ immediatè in solo Deo residet.

Ad Scripturas.

Soli Deo Patri datur vera sapientia: non excluso tamen Filio, aut Spiritu sancto. Vt enim quisque Deus est, nec tamen ὁμοούσιοι tres sunt Dij, quia vna est omnium οὐσία: ita etiam quæque sapiens est, & quisque omnipotens, nec tamen tres ὁμοούσιοι, sapientes, aut tres omnipotentes, sed vnus tantùm sapiens, & vnus omnipotens: quia vna est omnium sapientia & omnipotentia, quæ reapse nihil aliud sunt, quam ipsa diuina essentia. Quisque enim intelligit, & potest, per suam, quæ vna est omnium, essentiam: vt rectè Athanasius, velitis nolitis, in symbolo suo explicauit. Certè Filius Λόγος & sapientia Dei Patris vocatur: & in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ: Spiritus quoq; sanctus, spiritus sapientiæ appellatur, & solus dicitur nosse, quæ sunt Dei: de se verò Christus, nemo nouit Patrem, nisi Filius. Num Pater ipse, & Spiritus sanctus excludūtur? Quinam ergo excluduntur? Creaturæ omnes. Nulla enim simpliciter & per se, sapiens est, aut omnipotens: Interim Patris inprimis & κατ' ἐξοχὴν, tanquam totius Deitatis, & omnium essentialium attributorum fonti, ea attribui solent in Sacris literis. Hæc est Ecclesiæ doctrina, è Sacris literis orthodoxè intellectis, hausta: & ab omnibus Patribus in hanc vsque diem comprobata.

Cæterùm ad locum speciatim, Rom.16. quod attinet, ideo solus Pater, sapiens vocatur, quia à nulla creatura, sed ab eo solo, tanquam ex fonte, prodiit illa æterna sapientia, quæ in Euangelio patefacta est. Marci verò 14. Patri omnia possibilia esse dicuntur: sed non sequitur, ergo Filio non sunt omnia possibilia.

Ad calumnias.

Cur tu nebulo, non recitas fideliter Musculi verba? Ille in ea verba, ET DEVS ERAT VERBVM: ostensurus ex verbis Euangelistæ, Christum verum esse Deum: præter alia ita scribit, pag.4. *Hoc est tertium prædicatum de Christo,* VERBO *Dei. Colligitur autem ex duobus pręmissis nempe quòd dixit, Verbum hoc fuisse in principio, & fuisse apud Deum, vt sit veluti conclusio. Quicquid enim in principio non factum est, sed erat, & apud Deum erat, Deus est. Christus, Verbum Dei, in principio apud Deum erat: ergo Deus est. 1. Quomodo enim Deus non esset, qui sapientia Dei est, Verbum Dei est, virtus & potentia Dei est, Filius Dei est? 2. Quomodo Deus non esset, qui sempiternus est, nec principium nec finem dierum habens? 3 Quomodo Deus non esset, qui apud Deum semper fuit, est, & futurus est in perpetuum? 4. Quomodo Deus non esset, qui Deo per omnia æqualis est, æternitate, sapientia, voluntate & potentia? 5. Quomodo Deus non esset, qui vnà cum Deo essentia est, ita vt sine illo Deus nec sapiens esset, nec potens, hoc est, quod est, esse sine illo non posset:* & quæ sequuntur. Viden cur dicat, Deum, hoc est, Patrem, sine Christo Filio, nec sapientem, nec potentem, imo nec Deum esse posse? nempe, quia Filius vna cum Deo Patre essentia est. Dic ergo mihi, Ariane inepte, potestne Deus, Deus esse, sine sua essentia, ac Deitate? ita certè nec sapiens, sine sua sapientia. Est autem Christus sapientia Patris.

Item, pag.6. expendens particulam PER IPSVM, ait: *Deus non tanquam per ministrum, sed tanquam per sapientiam suā, per Verbum suum omnia fecit.* Sic ille. Non ergo Pater, sapientia spoliatur: sed illi asseritur.

Item, pag.7. in ea verba, ET SINE IPSO FACTVM EST NIHIL QVOD FACTVM EST: ita scribit: *Deus enim Pater nihil potuit, sine ipso (Λόγῳ) facere. Quare? Quia sapientia & potentia Dei, Filius est. Sapiens, vt sapiens, non potest quicquam sine sua sapientia facere. Et Sol non potest quicquam illuminare, sine suo splendore: nec ignis calefacere sine suo calore. Si potuisset Deus quicquam temerè & stultè facere: potuisset sine Filio sapientia ipsius, quicquam facere. Sed quoniam omnia in sapientia facit, & per Verbi sui potentiā, rectè dicit Euangelista, quòd sine Christo nihil factum sit.* Considera ergo simile Solis, vt crassius & apertius: num quia dicimus, Solem non posse Mundum illuminare sine suo radio: ideo sequitur, Solem spoliari sua luce, & eam à radio accipere? imo contra, ideo radius illuminat Mundum, quia lucem à corpore Solari habet: & ita corpus solare Mundum per lucem radio communicatam illuminat, vt ea tamen luce ipsum careat nunquam. Est enim eadem lux in radio & Solari corpore. Disce ergo, Ariane, si vis: Si non vis, saltem audi. Eadem lux, quatenus in corpore est Solari ab alio non communicata, Sol vocari solet: quatenus verò communicatur, & in terram vsque demittitur, radius est, qui micat è Sole: & tamen ipse etiam Sol verè appellatur, & est; quia eadem in hoc est lux, quæ & in corpore solari: sed hoc discrimine seruato, quòd alio modo est in Sole, nempe incommunicabiliter, vt ita loquar: alio modo in radio, nempe per communicationem: ac licet communicetur, non tamen recedit a Sole. Ita Sol verè dicitur lucere, per propriam lucem, non per alienam: & tamen, rectè etiam dicitur, Mundum illustrare non posse, sine radio, qui est ipsa Solis lux. Idem cogita, si potes, de diuina essentia, sapientia, potentia. Habet Deus (Pater) inquis, suam potētiam: verum est, quia quæ in ipso est, ipsius est. Habet & Filius suam: itidem verum est, eandem ob causam. Sed est tamen hæc, etiam Patris: tum quia eadem est cum illa, quæ est in Patre: tum quia à Patre communicata est Filio: & vicissim, quæ est Patris, eadem etiam est Filij: quia vna & eadem est in vtroque: sed in Patre, ἀγεννήτως: in Filio, γεννητῶς. Habet & Sol, suam lucem: habet & radius suam: eadem tamen est in vtroque, quæ caussa est, cur quæ Solis, etiam radij sit: & quæ radij, etiam Solis lux esse dicatur. Hinc illud Christi ad Patrem, omnia tua, mea sunt: & omnia mea, tua. Sed hæc non percipis Ariane, quia nescisti veram sapientiam, quæ est Christus: Deum autem nemo nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Quæ dicis de potentia & sapiētia Filij: vera sunt, quatenus Christus, homo est. In ea enim natura, fulgent illi radij finiti, essentialis & infinitæ potentiæ ac sapientiæ τοῦ λόγου effecta.

X. Antithesis.

Psal.110. Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Si igitur duo Domini, Pater & Filius: Pater est Dominus Filij: vnde & Filius Dei dicitur Ephes.1. At Filius creaturarum. Pater imperat Filio: Filius creaturis.

Athanasius in Symbolo: Pater & Filius, non sunt duo Domini, sed vnus Dominus. Negat igitur Athanasius cum suis, Patrem Dominum dixisse Christo Domino, sede à dextris meis, quia contendit, vnum eundémque esse Dominum, Patrem & Christum.

Ad Scripturas et calumnias.

Si, quia Apostolus dixit 1.Cor.8. Nobis est vnus Deus: ideò negatis, Christū esse Deum, ne duos statuatis Deos: cur cùm idem dicat, nobis vnus est Dominus, qui est Christus, nunc ex Psal.110. statuitis Dominos duos? Alloquitur autē Pater Filium in carne manifestatum. Nulla igitur hîc cōtradictio. Duo Domini sunt, id est, duæ personæ, quarum vnaquæque Dominus est: & tamen vnus duntaxat Dominus ὁμοούσιοι: quia vna essentia. De primo loquitur Psalmus: de secundo Athanasius, totáque Ecclesia. Mira verò impudentia tua, ô Ariane! Dominus Iesus, Matth.22. ex hoc dicto euincit quàm manifestissimè, Messiam, non esse purum hominis filium, sed etiam Dei, eóque non hominem solū, sed etiam Deum esse: Et tu eo abuteris, vt puram creaturam, Christum esse concludas. Cùm autem Dominus Pater dixe-

dixerit Domino Filio, nempe in carne ex Dauide sumta manifestato, sede à dextris meis: quid clariùs ad vnitatem essentiæ, pluralitatémque personarum demonstrandam dici potuit?

XI. Antithesis.

Eph.3. Deus omnia condidit per Iesum Christum.

Heb.1. Deus mundum condidit per Filium.

Ioh.1. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Deus igitur non ipsemet condidit Mundum immediatè, sed per Filium, cui omnia dedit in manum, Ioh.3.vers.35. hoc est, opera tam creationis, quam reparationis per ipsum exequitur, quanquam nihilominus omnia illa Deo adscribuntur in scriptura, vtpote qui primus est fons ex quo omnia, & cuius virtute ac mandato filius omnia facit. Pater igitur operatur, creat, redimit, iudicat: & Filius itidem operatur, creat, redimit, iudicat: at non pari vterque ratione: Pater mediatè per Filium, Filius immediatè per se. Pater velut supremus dictator suam voluntatem Filio declarat, & quid fieri velit, ostendit: Filius Patris voluntatem ac iussum potenter exequitur. Id clarè cernitur, ex 5.cap.Ioh. vbi Christus id, quod antea in genere dixerat, Pater meus operatur, & ego operor: postea distinguit, inquiens, Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio: quibus verbis exprimit modum omnium Patris & suorum operum, ne quis prior illa verba sic acciperet, ac si Pater & Filius eodem modo operentur. Quod verò Christus in vna facit specie, transferendum est ad alias hoc modo: Pater non resuscitat mortuos, sed resuscitationem mortuorum dedit Filio: Pater non creat quicquam, sed omnem creationem dedit Filio: Pater non redimit quenquam, sed totam redemtionem dedit Filio: Pater nō operatur quicquam, sed omnem operationem dedit Filio, & sic de ceteris.

Musculus in Iohan cap.1 Beza, in Confessione sua, & Zanchius, in 3 Elohim affirmant Filium fuisse synergon ac cooperarium Patris in condendo mundo Ita detrahunt gloria ac maiestati Dei, dum contendunt ipsammet occupari rebus creandis & quidem non solam, sed filio cooperantem. Deinde Christi quoque potentiam extenuant dum cooperarium Patris faciunt, perinde ac si non tantum virium à Deo accepisset ad Mundum creandum absque vllius ope. Praterea miris tenebris inuoluunt Scripturam, & phrases loquendi toto cœlo dissidentes confundunt. Quando enim Scriptura dicit, Deum omnia condidisse per Iesum Christum, perinde accipiunt, ac si diceretur, Deum vnà cum Christo omnia condidisse. Vtinam verò Theologorum natio, aliquantò diligentius expenderet, quid sibi velit Scriptura, cùm affirmat, Deum hoc aut illud agere per Iesum Christum. Christus cùm inquit Ioh 5. Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio: disertè explicat vim huius phrasis, ac docet, eodem sensu vtrumque dici: Deus iudicabit Mundum per Iesum Christum, & Deus non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio Ita in re ipsa nihil esset difficultatis, modò tot Seculorum ignorantia, lucem diuinæ veritatis non extingueret. Imbibimus phrases loquendi Conciliorum potius, quàm Christi & Apostolorum, non mirum igitur, si Scriptura vim ac proprietatem ignoremus.

Ad Scriptvras.

De Christo, déque eius actionibus & operationibus, trifariam loquuntur Scripturæ aut quatenus fuit ante orbem conditum, Ioh.1.v.1. aut quatenus fuit post conditum orbem, sed ante assumtam carnem, 1.Cor.10.9. aut quatenus fuit in carne: quod etiam diuidi potest in tempus ante glorificationem, & in tempus post glorificationem. Ex omnibus autem æterna eius Deitas demonstratur. Ante conditum Mundum nulla leguntur eius opera: actiones tamen de nobis etiam scribuntur: vti est æterna electio nostri, Ioh.13.18. Ego scio quos elegerim: quo ex loco, quis non videat, Christum verum esse & æternum Deum? De temporali electione ad Apostolatum, dixerat Ioh.6. Nonne ego duodecim elegi, & vnus ex vobis (Iudas) Diabolus est? Hic autem (id est, Ioh.13.18) illum excipit ab electione. De æterna ergo ad salutem egit.

Duo porrò in summa sunt operum Christi genera: illa, quæ ante carnem, & illa, quæ post carnem assumtam præstitit. Ante carnem, sicut per illum Pater omnia condidit: sic etiam omnia conseruauit, rexit: collegit Ecclesiam, iudicia exercuit, legem dedit, misit Prophetas, pérque illos locutus est, Pet 1.v.11. Ex operibus creationis, Christum verum & æternum esse cum Patre Deum: manifestissimè à Iohanne Euangelista, vt de aliis Apostolis taceamus, euincitur. Iohan.1 1. Dixerat λόγον, qui postea factus est caro, fuisse ante conditum Mundum, id est, æternum, à Patre (quem κατ' ἐξοχὴν vocat Deum) distinctum: quia semper fuit apud Deum: & denique Deum esse. Mox hoc probat ab operibus creationis: omnia enim per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Qui omnia dicit, nihil excludit: quomodo ergo λόγος, fuit prima creatura, per quam reliquæ sint factæ? præsertim cùm addat Euāgelista, præuidens vestram hæresim, ET SINE IPSO factum est NIHIL, quod factum est? Cur tu Ariane contra Euangelistam excipis creaturam vnam, quæ non sit per λόγον, sed immediatè a Patre sine λόγῳ facta? Caussa est quia inimicus es Christi, & æternæ eius gloriæ inuides. Per Christum sicut omnia fuerunt condita, sic etiam omnia fuisse conseruata, & ipsius prouidentia gubernata: docet præter alios, Apostolus Col.1 ET PER EVM (inquit) omnia consistunt. Et Hebr.1. Portans (inquit) omnia verbo virtutis suę. Quis autem per puram nudámque creaturam, omnia regi & gubernari dicat? Apostolus certè hoc adscribit soli Deo: Act.17. In ipso (Deo) viuimus, mouemur, & sumus.

Idem euincunt opera, quæ in colligenda Ecclesia, in educendo populo ex Ægypto, in eo per mare, pérque desertum, in terram promissam traducendo, præstitit. Christum enim ea præstitisse, docet Apostolus 1.Cor.10. neque tentemus, inquit, Christum: sicut quidam eorum tentauerunt. Quem autem tentauerunt, is est, qui illa omnia præstitit. Tentarunt verò Christum nondum incarnatum, sed ipsis etiam scientibus, incarnandum. Quis verò per Prophetas locutus est? Certè Iehoua: vt Prophetæ testantur, & Apostolus ad Heb 1. Petrus autem ait, Spiritum Christi in Prophetis prænunciasse, quæ Christo incarnato obuenturæ erant perpessiones, &c. 1.Pet.1 11. Idem enim est, qui porrò etiam in Apostolis, & per Apostolos locutus est: vt Apostolus de se ait, An experimentum quæritis eius qui in me loquitur, Christi? 2.Cor.13. Quæris, quomodo Deus Pater, omnia per Filium condidit, sustentauit, egit? Modum non ita exprimit Scriptura, vt perfectè illum intelligere possumus: neque etiam nostra multum interest nosse. Si tamen verè credamus Filium esse Patris sapientiam, vt Scripturæ docent: non malè respondetur à Patribus, Deum Patrem operatum esse per Filium omnia, sicut sapiens, per sapientiam suam, potens per potentiam suam operatur: non quidem accidentalem, vti est in hominibus, sed substantialem, qualis est in solo Deo.

Sed his omissis, quæ parum ad rem faciunt: mihi satis est, monstrasse, ex omnibus actionibus & operibus, quæ Filio ante carnem assumtam attribuuntur in Scripturis: eum, verum & æternum, vnúmque cum Patre esse Deum: tantum abest, vt ex illis, sicut vos Ariani imperitissimè contenditis, colligi queat, Christum puram esse creaturam.

De illis verò diuinis operibus, vt dicam, quæ iam carne vestitus præstitit: eorum alia pertinent ad miracula alia ad redemtionem. Ex prioribus certè Christus ipse Iudæis probabat, se non esse talem creaturam, qualem illi putabant: sed potius Filium Dei naturalem, eiusdem cum Patre essentiæ atque potentiæ: quia quæcunque agit Pater (aiebat: non similia, sed) eadem & ὁμοίως (pari nimirum potentia) agit & ipse Filius. Ioh.5. Ideo subinde sua vrgebat opera Iudæis: vt ex illis, se verum esse Dei Filium, naturalem scilicet, intelligerent: Ioh.10.14. & alibi. Hæc itaque opera luculentissima fuerunt Deitatis Christi testimonia. Quid verò de illis dicam, quæ propriè ad expiationem, remissionémque peccatorum nostrorum, & ad hominum regenerationem pertinebant? Vt cùm remittebat peccata, cùm regenerabat, cum in cruce, sanguine suo expiabat omnium electorum peccata? Ex iis quoque luculentissimè, vera ipsius Deitas demonstrata est. Solius enim Dei est, remittere sua autoritate peccata: neque sanguine puræ creaturæ expiari potuerunt: neque puri hominis est, aut Angeli, homines regenerare, & donare Spiritu sancto.

Vtrumque autem horum operum genus præstitit Christus: & vt Filius Dei naturalis, vt & homo. Vt Filius, σύνεργος fuit Patris: non vt homo homini esse solet, sed vt sapientia sapienti: præsertim cùm Filius Dei, sapientia sit Dei Patris, ex substantia illius genita, eique ὁμοούσιος. Ita Pater in Filio, & per Filium operabatur: vt ipse quoque Filius operaretur & operetur. Quo illud, omnia quæ Pater operatur, eadem & Filius, & quidem ὁμοίως, operatur. Vt homo autem: organum fuit Deitatis, quæ in eo inhabitabat & inhabitat corporaliter.

Ex his omnibus, quæ adducitis, Scripturæ locis, de operibus Dei per Christum, & ex aliis etiam pluribus testimoniis: manifestissimè concluditur, Christum, verum esse & æternum eundémque cum Patre Deum. Quare quotquot testimonia attulistis de operibus Dei per Christum: ea omnia fuerunt tot laquei, quibus strangulamini.

AD INEPTIAS ARIANI.

Fingitis. Patrem esse ceu Regem, qui tantum mandet Filio, quid fieri velit ac debeat: ipse autem nihil agat, sed omnia per Filium executioni mandet: Proinde scribitis, Pater operatur, Filius itidem operatur: sed non pari vterque ratione, &c.

Quid igitur est, quod Christus dicit: Quæcunque operatur Pater, eadem & Filius ὁμοίως operatur? iussu & imperio efficaci, operatur Pater: iussu igitur & imperio efficaci, operatur & Filius: Heb. 1. Portat omnia verbo virtutis suæ, id est, iussu potentissimo. Mittit Pater Spiritum suum, perque illum operatur in cordibus nostris: mittit & Filius eundem, & per eum eadem operatur quæ & Pater: Ioh. 16. Quid & illud, Ego & Pater ad eum veniemus? Eodem modo Filius, quo & Pater ad nos venit. Calumnia vero est, quod dicitis, nos contendere, Deum occupari rebus creandis: Tali locutione nunquam vsa est Ecclesia. Quæ est enim occupatio Dei, cum suo iussu omnia condit? Psal. 3 Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt: Esto lux, & fuit lux: & cætera ordine. Quasi vero ipse iusserit: postea verò Filius suis manibus, non sine labore, singula formarit.

Imò vos Deum Patrem tota spoliatis gloria: dum illum negatis Mundum reipsa creasse, sed tantummodo creaturæ illæ primæ, quam tamen inscitè vocatis Filium, vt creatura, mandasse contenditis: quasi Deus Pater, fuerit αὐτὸς προστάττων: creatura autem illa, verus rerum conditor. O egregios gloriæ patris defensores.

Filium cooperarium patris prædicamus: quia eiusdem potentiæ & actionis cum patre in creando Mundo fuisse & esse sentimus ac credimus: quam etiam totam à patre in æterna sui generatione accepisse non dubitamus.

Si pater simpliciter non iudicat quenquam: quomodo tota Scriptura vocat Deum Mundi iudicem? Deus pater omne iudicium, id est, totam Mundi administrationem, dedisse Filio (in carne manifestato) dicitur: non quod ille non regat mundum, sed quòd non regat sine hoc Filio, vt volebant Iudæi negantes sicut & vos, Christum esse Deum, Deum, inquam, vnum & eundem cum patre. An non antè dixit, sicut pater suscitat mortuos & viuificat; ita & Filius, quos vult viuificat? Num à viuificandi actione excluditur pater? imo docet Christus, se eàdem potentia viuificare, qua & pater; sed à patre accepta, cùm eam pater à seipso habeat. Ergo cum etiam subdit, pater non iudicat quenquam, subintelligitur, SOLVS; quia sine Filio hoc incarnato, Mundum non regit, sed vna cum Filio. Quæ omnia apertè euincunt, hunc Christum, verum esse cum patre Deum. Ite ergo & docete, quomodo debeant intelligi & explicari Scripturas.

IV. ANTITHESIS.

Iohan. 1. Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.

Iohan. 6. Patrem nemo vidit, nisi is qui à Deo est, is vidit Patrem.

Iohan. 3. Qui è cœlo venit, is supra omnes est, & quod vidit & audiuit, hoc testatur.

Iohan. 8. Ego à Deo exiui & veni; Non enim à meipso veni: sed Deus me misit.

Pontificij contra asserunt, Christum esse vnum illum verum Deum, qui lucem inhabitat inaccessam: & sic temerario ausu negant, Christum Iesum videre & audire Deum, & ab eo mitti in Mundum. Si enim Christus ipsemet est vnus ille Deus: falsò dicitur Deum vidisse & audiuisse, & à Deo mitti, eiusque voluntatem Mundo patefacere. Hac caligine, qua Deus confunditur cum eo quem misit, non video quid deterius esse possit in religione Christiana.

Hæc sacratissima Scripturæ dicta, tribuunt Filio DEI vnigenito hanc prærogatiuam longè maximam: quòd videlicet solus ad Deum immediatè accedat, ac eius familiari consuetudine ac præsenti aspectu fruatur: cum Angeli & homines longissimè absint ab hoc propiore intuitu diuinæ maiestatis: ac quicquid habent lucis ac cognitionis Dei, id omne à Filio accipiant, qui id quod coram vidit & audiuit apud Deum, Angelis & hominibus, pro ipsorum modulo, patefacit.

AD CALVMNIAS.

Incredibilis est Arianorum imperitia & impudentia. Quæ hic adferunt testimonia è scripturis; ea omnia & vnitatem essentiæ in patre & Filio, & distinctionem personarum egregiè confirmant; interim tamen illos non pudet, ea contra veram Filij Deitatem proferre. Cum Iohannes Baptista, Christum vocet vnigenitum Dei Filium; an non eum, è patris substantia genitum esse testatur? Non enim propter excellentissimæ ac propè diuinæ naturæ creationem, Filium vocat vnigenitum; Sic enim omnes Angeli apud Iobum, filij Dei vocantur; Christus autem vnigenitus appellatur. Nec propter gratiam adoptionis; secundum hanc enim nos quoque, Filij Dei sumus. Natura ergo filius, & solus ex patre genitus. Deinde cùm dicit, nemo vidit Deum: omnem ab hac visione excludit creaturam: sicut & Iohan. 6. Nemo nouit Filium, nisi Pater: & nemo nouit patrem, nisi Filius, cognitione scilicet perfectissima & plena: alioqui de Angelis ait Christus, vident semper faciem patris: & nos ex reuelatione filij, vt Christus testatur, nouimus Deum. De tali igitur visione loquitur, quæ nulli creaturæ conceditur. Sic illud 1. Cor. 2. Nemo nouit quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei: sicut & nemo nouit quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est. Ea phrasi docuit Paulus, Spiritum sanctum, esse è substantia Dei: & ab illa cognitione non exclusit patrem nec Filium, sed omnem duntaxat creaturam: significens Spiritum non esse creaturam. Idem concludit & Iohan. Baptista de Filio, dicens, hunc solum vidisse Deum, nempe patrem. Denique hoc idem confirmat particula, Qui est in sinu patris. Significat enim, Filium hunc, non solum patri carissimum esse sed etiam de eius substantia: quia significat intimam & substantialem vnitionem cum patre. Quo & illud, Ego in patre, & pater in me. Esse enim in sinu, hoc loco significat idem quod Apostolus dixit de Spiritu sancto, hunc solum nosse, quæ sunt Dei, quia in ipso est Deo: sicut & Spiritus hominis in homine est: pars nimirum essentialis ipsius hominis.

Iohan. 6. 46. patrem non vidit quisquam, nisi is, qui est in Deo, is vidit patrem. Idem planè ex hoc versu, quod etiam ex superiori, de vera Christi Deitate colligitur. Ab hac enim visione, omnem excludit creaturam, Angelos & prophetas omnes: & sibi vni adscribit. Deinde se vocat κατ᾽ ἐξοχὴν, τὸν ὄντα, (quasi dicat, τὸν μόνον ὄντα) παρὰ τοῦ Θεοῦ. Omnes tamen etiam creaturæ sunt à Deo, tanquam à suo conditore, 1. Cor. 8. significat ergo Christus, se παρὰ τοῦ Θεοῦ esse, longè diuerso modo, quàm sint Angeli vel homines: nempe sicut naturalis filius, ex suo patre est. Sic etiam Iohan. 7. 29. Ego autem noui eum, quia παρ᾽ αὐτοῦ εἰμι, id est, quia ex ipsius sum substantia.

Eodem spectant verba Iohan. Baptistæ de Christo apud Ioh. 3. Christum enim separat è numero omnium creaturarum, quæ meræ sunt creaturæ: & solum hunc vocat filium (nempe naturalem) Dei: vt ibi liquet. Ergo venisse è Cœlo: nihil aliud est, quàm Filium ex patre genitum, Deum verum de Deo vero, incarnatum, & in carne manifestatum esse: vt docet Apostolus, & canit Ecclesia. Vidit autem & audiuit à patre, quatenus Deus est ab omni æternitate, diuino & incomprehensibili modo, diuina nimirum essentia sibi a patre communicata: quatenus autem homo, vidit IN VERBO, & audiuit EX VERBO, in ea carne inhabitante & loquente.

Locus etiam Iohan. 8. 42. vestræ hæresi potius aduersatur, quàm faueat. In toto enim illo sermone, Filium Dei (naturalem) se perpetuo vocat: seque per carnis assumtionem, in qua manifestatus est, venisse in Mundum docet. Ideò rectè Cyril. procedere ex patre, diuinitatis est: venire autem humanitatis. Sed ridetis omnes patres: nos verò odimus omnes filios spurios, ac perfidos.

AD CALVMNIAS.

Pontificij ita asserunt, Christum esse illum vnicum

cum Patre Deum, propter vnitatem essentiæ: vt cum etiam à Patre distinguant, propter [illegible] distinctionem: & ita Deum illum esse confiteantur, vt hominem quoque prędicent: Ac secundum vtramque naturam, Deum videre & audire: sed diuerso vt supra explicatum est, modo. Neque simpliciter negamus Filium Dei, missum esse à Patre in Mundum, cum hoc apertè doceat Scriptura: sed eo tantùmmodo sensu, quo vos cum Patre vestro Ario, vel Diabolo potius, fingitis, quasi Filius pura & finita sit creatura, quæ localiter è Cœlo in terram missa sit, pernegamus. Carnaliter omnia accipitis: quia carnales estis. Dicite ergo & Patrem, esse finitam creaturā, & pedibus ad nos venire: quia Christus ait, Ego & Pater ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Certè quo modo ad nos venit Pater: eo etiam ad nos venit Christus vt verba manifestè sonant. Num vero localiter & pedibus Pater venit? Agnoscite Filij Deitatem. Neque confundimus mittentē cum misso: sed distinguimus Personas: seruata tamen vnitate essentiæ. Vos vero omnia confunditis, omnia turbatis, omnia pessundatis: dum statuitis Patrem, sine vero & naturali Filio, vicissim Filium, sine naturali & [illegible] Patre.

XIII. Antithesis:

Eph.4. Qui ascendit, ipse etiam est qui descendit.
Ioh.16. Exiui à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum. & proficiscor ad Patrem.
Ioh.6. Hoc vos offendit? quid si videritis Filium hominis ascendentem eò, vbi erat prius.

Christus, quatenus est Dei Filius, neq; descendit de Cœlo, neque ascendit in Cœlum, sed semper fuit, est & erit in Cœlo & in terra & vbique. Sic Antichristus cum suis.

Hæc dicta clarè testantur, Filium Dei, verè de Cœlo descendisse & peracto opere redemtionis in Cœlum rediisse: alias malè inuicem responderet, descendere & ascendere. Certè si non verè descendit, in dubium etiam veniet ascensio. Patet etiam ex hisce dictis, Christum non fuisse in Cœlis, cum in terris degeret, secus non dixisset, se eo rediturum, vbi antea erat.

Ad Scripturas.

Eph.4. Qui ascendit, ipse etiam est qui descendit. Primùm, inuertis verba Apostoli. Non enim ait, Qui ascēdit, ipse etiam est, qui descendit, nempe de Cœlis, vt tu interpretatis: & ita vis talem fuisse descēsum e cœlis in terram, descensum nimirum localem qualis & ascensus fuit: sed sic ait Apostolus, [illegible], illud vero ASCENDIT, quid aliud est, nisi quod descenderat prius in inferiores partes terræ? Ex ascensu enim, quem exprimit Psalmus: descensum cōclusit Apostolus, sed qualem? Postea vnitatem personæ demonstrans, subintulit dicēs: Qui descendit, idem etiam est, qui ascendit longè supra omnes Cœlos.

Verbum Ascendendi hoc loco, localem motum significare, extra controuersiam est: quia de corporali & locali Christi ascensione sermo est. At verbum descendendi, alij aliter accipiunt. Patres Græci & Latini, consentienter de locali descensu Animæ Christi in infernum, non tamen ad patiendum, vt quidam somniant, sed ad intimandam redemtionem factam, initiúmque triumphi sui faciendum, interpretantur: ac præter alias rationes, duo etiam in verbis Apostoli fauere huic interpretationi videntur: vnum, quia non dicit Apostolus, descendit in infimas Mūdi partes, hoc est, in terram: sed in infimas partes terræ: alterum, est antithesis inter infimas partes terræ, & inter supremum Cœlum, quod supra omnes reliquos est Cœlos. Alij, quorum interpretatio, nunc in Ecclesiis reformatis, receptior est, exponunt verbum, descendit, de INCARNATIONE VERBI: dicitur enim descendisse de Cœlis in has infimas Mundi partes, cùm carne nostra vestitus Filius Dei Deus, in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Ita descensus fuerit non localis, sed Spiritualis, secundum consuetudinem Scripturarum: quæ docent, Deum eò venire, vbi se noua aliqua ratione patefacit. Vos Ariani, de descensu locali certi Spiritus creati, quem vocatis Filium Dei, intelligitis: quod scilicet is descenderit de Cœlis localiter, & factus sit homo. Sed quomodo probatis? De Jehoua certè loquitur Ps.68. cuius particulam citauit Apostolus. Vester Spiritus, non est Iehoua: est autem noster Christus, Iehoua. Non posse autem de vestro Spiritu creato, locum hunc de ascensione in Cœlum, intelligi: liquet ex loco Christi, Iohan.3. Nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo: Filius hominis, qui est in Cœlo. Interrogo: Cum iste vester Spiritus esset in terra homo factus: fuitne tunc in terra simul & in Cœlo, nec ne? Negare cogemini, qui vbiquitarios damnatis. Non est igitur ille Filius hominis, de quo Christus loquitur: nec ille Christus, de quo Apostolus ait. Qui ascendit, ille est etiam, qui descendit. Oportet enim hunc eodem tempore, & in terris simul, & in Cœlo fuisse: quod nullius est, vobis ipsis testibus, puræ creaturæ.

Locus Iohan.16. [illegible] &c. non opus habet noua explicatione: cum ex superioribus peti possit. Prodiit à Patre, per æternam generationem: venit in Mundum, per incarnationem: relicto Mundo rediit ad Patrem, hoc est, in supremum Cœlum, vbi habitare dicitur Pater, cum spectantibus Apostolis, suo corpore ascendit in Cœlum.

Eodem modo intelligitur locus Ioh.6. Ascendit visibili & locali motu secundum humanam naturam, vbi ab æterno erat, secundum diuinam. Coniūge hoc VBI ERAT PRIVS, cum illo Iohannis tertio: QVI EST IN COELO. Vester Spiritus creatus, ita erat prius in Cœlo, vt cum hæc diceret, ibi non esset, sed eo ascensurus erat: noster autem Christus, ibi etiam tunc erat, secundum Deitatem, quo ascensurus erat secundum humanitatem.

Ad Calvmnias.

Christus, quatenus est filius Dei, Deus, neque descendit de Cœlo, neque ascendit in Cœlum, nempe motu locali: verè tamen descendit, quia per assumtam carnem, in terris visus est, verè etiam ascendit, quia suo corpore, in cœlum subuectus est. Hæc est doctrina non Antichristi, sed Christi, qui secundum diuersas naturas locutus est, de descensu & ascensu: Nemo ascendit, nisi qui descendit, & qui est in Cœlo, hoc est, qui tunc cum hæc in terris diceret, erat tamen in Cœlo. Expende diligenter hæc verba Ariane: & videbis doctrinam Ecclesiæ, non esse Antichristi, sed Christi: nullamque in se habere contradictionem: quia diuersa est significatio verborum Descendendi & Ascendendi: ac si velis vnam & eandem esse: vestro spiritui non posse congruere, vt cum descendisset de cœlo; in cœlo tamen adhuc realiter fuerit. Christus autem de se apertè hoc asseruit Iohan.3. Non fuit igitur nec est pura creatura. Quare impudens es & imperitus, cum ais: *Patet etiam ex his dictis, Christum non fuisse in Cœlis, cum in terris degeret:* An non Christus contrarium apertè dixit Iohann.3. Qui est (inquit) in cœlo, ô seductores.

XIV. Antithesis.

Ioh.8. Christus inquit; non habeo dęmonium, sed honoro Patrem meum; & Ioh.8. Pater, qui misit me, mecum est, & non relinquet me solum; quia quæ placita sunt ei, facio.

Christus, secundum Pontificios, eiusdem est Cum Deo Patre maiestatis, potentiæ ac gloriæ. Negant igitur Deum honorari à Christo. Vbi enim par est maiestas, & æqualis gloria, excluditur obedientia & honor inferioris erga superiorem.

Ad Scripturas.

Christus, vt Filius Dei, isque in carne manifestatus, & vt homo, Deum Patrem debito honore, & obedientia afficiebat.

Ad calvmnias.

Quæ igitur hæc est consequentia: Nō ergo fuit aut est eiusdem cum Patre, maiestatis, potentiæ ac gloriæ? Ab obedientia & honore filiorum meorum erga me: sequitur, illos non esse eiusdem naturæ, eoque eiusdem facultatis intelligendi, ratiocinandi, cuius & ego sum? En Arianorum doctrinam: & quam verum sit, quod alicubi scripsi, & exemplis demonstraui: ignorantiam [illegible] ac veræ Philosophię non patriā esse [illegible]. Christus, qua homo, minor est Patre. Ergóne simpliciter? Imo cum [illegible] nomē Pa-

tris (nempe, vt ipse non obscurè significabat, & Iudæi oprimè intelligebant:) inferre debes: Eiusdem ergo cum Patre est naturæ, maiestatis, potentiæ.

XV. Antithesis.

2.Tim.2. Vnus est Deus, & vnus Mediator Dei & hominum Iesus Christus.

1.Iohan.2. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum.

Rom.5. Reconciliati sumus Deo, per mortem Filij eius.

Theologorum Schola sic: vni vero Deo reconciliati sumus per Mediatorem: Est verò vnus ille Deus, Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Ita scilicet Christum abdicant ab officio Mediatoris apud Deum, eo ipso, quòd constituunt eum loco vnius Dei: quæ enim insania esset dicere, Christum esse & vnum illum Deum, & Mediatorem apud Deum?

Hæc dicta ingens discrimen faciunt inter ipsum Deum, & inter Mediatorem apud Deum.

Ad Scripturas.

Si micam haberet pudoris iste Arianus (neque enim ita est imperitus, vt sit purus asinus:) puduisset pro suo spiritu creato, contra increatum Dei Filium, talia proferre testimonia: quæ & illum penitus euertunt, & huius Deitatem maximè confirmant. Caussa autem totius erroris Arianorum, est: quia sicut percipere non possunt, quomodo vna & eadem essentia, in pluribus sit personis, in Patre, in Filio, in Spiritu sancto, quò fit, vt plures sint Elohim, vnus autem iehoua: ic etiam idem noluit credere: id quod tamen, velint nolint, professi sunt in Baptismate, & illo sacramento profitentur quotidie donec se nolle esse baptizatos in nomen Patris, & Filij & Spiritus sancti, publico scripto profiteantur.

Vnus est Deus (inquit Apostolus: nimirum τῇ οὐσίᾳ: & hoc contra omnes Gentilitios Deos:) sed hoc non tollit, quin plures sint in Deo personæ: hoc est, quin Filius, distinguatur à Patre. Quid autem absurdi est, si filius Regis, se Mediatorem constituat inter Patrem offensum, & populum offendentem, atque rebellem, & quod populus Patri reconciliatus, ipsi quoque filio reconciliatus esse dicatur per ipsummet filium?

Vnus et mediator: Sicut illud, vnus Devs, omnibus creatitiis Deis: Sic etiam vnus mediator, omnibus, qui putæ sunt creaturæ, Mediatoribus, opponitur. Ita Moses, non fuit verus Mediator: de quo hic loquitur Apostolus.

Dei et hominvm, oportuit igitur vtriusque naturæ esse participem: diuinæ & humanæ. Et hoc est, quod cùm alibi, tum maximè ad Heb. conclusit Apostolus. Primùm, Christum verum esse Deum, c.1. Deinde, hominem, cap.2. vt possit compati infirmitatibus nostris: atque inde intulit, hunc Iesum verum esse Messiam, Pontificem, Regem: pérque hunc vnicum expiata esse peccata, &c. Constat & ex aliis Scripturis, Mediatorem esse non potuisse Dei & hominum, qui non esset Deus pariter & homo: vt per vnam naturam posset mori: & per alterius vim expiare peccata. Quo illud Act.20. Deus acquisiuit, seu (vt alij) redemit Ecclesiam sanguine suo: id est, Dei ipsius.

Et notandum, quòd non ait, Dei et angelorvm: sed hominum. Non enim venit Mediator, vt reconciliaret Angelos Deo: non bonos, quia non defecerant à Deo: non malos, quia de illis iacta erat alea. Quomodo ergo dictum Pauli, in vestrum creatum Spiritum, quem vocatis Christum, competere potest: quin Mediator fuerit, non hominum tantùm, propter assumtam ab ipso (vt vos vultis) naturam humanam, sed etiam Angelorum, propter suam naturalem substantiam, cum angelis reliquis communem? Malè ergo Paulus, qui Dei tantum & hominum, Mediatorem esse dixit. Rectè autem Ecclesia Catholica, ex eo, quòd Iesus Mediator Dei & hominum esse dicitur: concludit eum & Deum & hominem esse. Subdit apostolus:

Homo Christvs Iesvs.

Proponit ergo apostolus Mediatorem, qui sit verus homo: sed simpléxne ac purus homo? Vos ariani contra Samosatenum negatis. Dicitis enim eum, angelum quoq; esse qui carne assumta, factus sit homo. Sed vbinam legistis, quod angelus sumserit carnem nostram, formã serui, semen Abrahæ, & factus sit homo? Non potest ergo vester Angelus, esse ille Mediator, de quo Apostolus loquitur, Nos verò legimus de Christo Iesu, & Deus erat verbum, & verbum caro factum est Item, qui cum in forma Dei esset, &c. semetipsum exinaniuit, forma serui sumta: Item, Non enim Angelos assumsit: sed semen Abrahæ assumsit: quisnam assumsit? ille, quem in primo capite, verum ac naturalem esse Dei Filium concluserat. Num audebis dicere illa elogia de Filio Dei, competere in vestrum Angelum? At Apostolus disertè negat: Ad quem autem (inquit) Angelorum dixit vnquam, sede a dextris meis? Nota illud: ad qvem avtem angelorvm: Ergo etiam vestrum excludit. Non est igitur ille, de quo postea subdit, cap.2. Non enim Angelos assumsit: (erat ergo superior omnibus Angelis ille qui assumsit:) sed semen Abrahæ assumsit. Imò de omnib. Angelis spiritibúsque creatis, dixit, omnes illos esse administratorios Spiritus: nemo igitur illorum est Mediator noster, sed omnes ministri. O miseros nos si alium non habemus Mediatorem, quàm creatum Spiritum. Quomodo enim carne & sanguine ab illo sumtis, expiari potuerunt peccata nostra? Si ergo vos non iudicatis absurdum, quod primus Spiritus creatus, factus sit homo, quod tamen nullibi legitur: cur impium esse iudicatis, quod nos cum omnibus scripturis credimus, & confitemur, verum Dei Filium, id fecisse?

Nomen etiam Christi vos conuincit, quia, vt supra ostendimus, Maiestas in scripturis, vocatur Iehoua: & quæ sunt Iehouę propria, illa ei vere attribuuntur: & vocatur Immanuel, id est, nobiscum Deus, non autem, nobiscum Angelus.

De Iesv, Angelus dixit ad Mariam, ipse saluabit populum suum à peccato eorum; vbi verò vnquam populus Israel, vocatus fuit populus Angeli, alicuiusque creaturæ, & non potius semper populus Iehouæ? Iesus Christus igitur verus est Iehoua; si Israel fuit populus eius, vt docet Angelus. Egregiè certè vobis fauet hic locus Apostoli, de Mediatore.

Nec minus vestram iuuat caussam alter locus, 1 Ioh.2. de Aduocato apud Patrem. Si Christus noster est apud Patrem Aduocatus: potest ergo, & debet à nobis inuocari. At vos ipsi Ariani nostri temporis negatis, idque meritò, vllam putam creaturam, in cœlis inuocandam nobis esse. Vester ergo Spiritus, non est iste aduocatus. Adde, quod quem hic appellat aduocatum nostrum, in fine epistolæ disertè vocat verum Deum, & vitam æternam.

In dicto Pauli Rom.5. perpende vocem, per mortem filii eius: per mortem puræ creaturæ, reconciliatio fieri non potuit: ideo Actor.20. Deus acquisiuit Ecclesiam sanguine suo, non alieno. Filius ergo, de quo loquitur, & per cuius mortem reconciliatio facta est, verus Deus sit oportet.

Ad Calvmnias.

Quod ergo infers ex dictis Scripturæ, magnum discrimen fieri inter ipsum Deum, & inter ipsum Mediatorem apud Deum: quis id non fateatur? Alia enim est persona Patris, qui nomine Dei intelligitur: & alia, ipsius Filij, carne præsertim nostra induti. Sed nunquid tale sequitur fieri discrimen, quale vos fingitis? Quasi vero Aduocatus ac Mediator, non possit eiusdem esse naturæ, cum illo, apud quem Aduocatum agit & Mediatoris officium facit. Imò hoc est necesse, vt supra ostendimus, & vt nomen Filij euincit. Sed quod subiicis de doctrina Theologorum: tu non intelligis: & proinde calumniaris. Per mortem Filij reconciliatos nos esse Deo Patri (inprimis cum Apostolo dicimus: Per consequens autem ipsi etiam Filio qui tenus vnus est cum Patre Deus: & per quem nam reconciliati sumus ipsi etiam Filio? Per ipsummet Filium, pè que eiusdē mortem. Est enim mortuus, quatenus homo: Et vero sumus reconciliati, quatenus Deus est, in quem peccaueramus. Quid hic est insaniæ, & contradictionis? Quasi vero fieri non possit, vt per filium alicuius Regis populus Regi, & per consequens etiam Filio, qui cum Patre a populo fuerat offensus, reconcilietur. Si Ecclesia loco vnius Dei, hoc est, Patris, constitueret Christum: nihil faceret insanius. Nunc autem id non facit: sed distinguit personas in Deo, vnam agnoscens οὐσίαν: & naturas in Christo, atque officia discernit, vnam confitens personam. Distinguite & vos personas, vnam confitentes in singulis & omnibus naturam; tum omnia intelligetis.

XVI. Antithesis.

Marc.13. de die illa & hora, nemo nouit, non Angeli, ac ne Filius quidem, sed solus Pater.

Romana

Romana Ecclesia statuit, Filium æquò nouisse diem & horam extremi iudicij, atque Patrem.

AD SCRIPTVRAS.

Istud vetus est Arianorum argumentum, quo probarent, Filium non esse Deum; sed solutio etiam vetus est; ab hac cognitione non excludi, nisi creaturas; ita vt etiam Christus, non simpliciter, sed secundum humanam duntaxat naturam, illum ignorasse dicatur. Ergo particula, NISI SOLVS PATER, non excludit Filium, qua Deus est, aut Spiritum sanctum; sed omnē tantummodo creaturam, adeoque ipsam etiam animam Christi in sese consideratam. Similia exempla non desunt in Scripturis. Annon etiam Christus Ioh.5. dixit, Nemo nouit Patrem, nisi Filius? nunquid ergo Pater se ipsum ignorabat, aut Spiritus sanctus eum non nouerat? Apostolus quoque ait, 1. Cor. 2. Nemo nouit quę sunt Dei, nisi Spiritus Dei; num ergo Deus ipse, hoc est, Pater, aut æterna eius sapientia, quæ est Christus, qui expresse dixit, se nosse Patrem, & per consequens, quæ sunt Dei Patris, non nouerat? Quid igitur hic est contradictionis: si naturæ in Christo distinguantur: & cuique detur quod suum est?

AD CALVMNIAS.

Ecclesia Romana edocta è sacris literis, statuit Filium æquè ac Patrem, nouisse diem illum, nempe secundum diuinam naturam: secundùm humanam verò, diuersæ fuerunt Patrum sententiæ. Qua de re non est hic disputandum: vobiscum præsertim, qui præ somniis Arij, omnia Patrum scripta, alto supercilio contemnitis. Satis est monstrasse, ex loco Marci, colligi non posse, Christum simpliciter ignorasse diem: ac proinde cum Scriptura non pugnare, quod tota in vniuersum Ecclesia statuit de scientia Christi, quatenus Λόγος est & sapientia Patris.

XVII. ANTITHESIS.

Ioh.5. Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio.

Augustinus, & quicunque Trinum Deum colunt: Opera Trinitatis ad extra, sunt indiuisa, inquiunt, & pariter fiunt à Patre, Filio & Spiritu sancto. Cum Mundi iudicium sit opus ad extra: sequitur de illorum sententia non datum fuisse Filio omne iudicium, quod tamen Christus disertè negat. Hæc sanè non minus inter se pugnant, quam nigrum & album, ignis & aqua, lux & tenebræ.

AD SCRIPTVRAM.

Pater non iudicat quemquam (solus, sine hoc Filio, vt putabant Iudæi) sed omne iudicium dedit Filio (incarnato) dedit inquam, h.e. communicauit: non autem, quod se illo spoliarit. Cum filio enim in carne manifestato, & ad dextram suam sedente, omnia regit Pater, omniáque sua exercet iudicia: & per ipsum visibili forma apparentem, iudicabit viuos & mortuos. Sic autem intelligendum esse hunc locum: liquet ex præcedentibus verbis Christi: Non potest Filius (incarnatus) à se facere quicquam, nisi viderit Patrem facientem. Quæcunque enim ille facit, hæc etiam Filius ὁμοίως facit. Sicut ergo nihil agit Pater, quod non & Filius ὁμοίως agat; Sic etiam nihil Filius, quod non etiam Pater faciat. Exemplis explicat Christus, subdens; Sicut Pater excitat mortuos & viuificat; Ita & filius, quos vult viuificat. Ergo Pater, sicut Christo ita dat autoritatem mortuos viuificandi, vt tamen ipse quoq; eandem sibi retineat, & vnà cum Filio, ac per Filium mortuos viuificet; Sic etiam ita dedit Filio omne iudicium (i. plenum ac perfectum iudicandi officium) vt illud etiam sibi retineat, pérque Filium exerceat.

AD CALVMNIAS.

Ex hac, quæ certissima est, vt nemo nō videt, explicatione liquet, quæ vestra sit, ô Ariani, inscitia & audacia, in deducendis consequentiis. Si rusticus aliquis omnino imperitus contendat, solum illud corpus Solare, sine suo radio, Mundū hūc illustrare; alius vero Solem nō nisi per radium, illud officium præstare demōstraturus, dicat, Sol nihil eorum quæ sunt in Mūdo, illuminat, sed totum illuminandi officium, dedit radio; num inde poterit quispiam meritò argumentari: Ergo corpus Solare hasce terras non illuminat? Datum est Christo omne iudicium, non eo sensu, quo vos interpretamini: sed quo nos è Sacris literis, verba illa intelligenda esse, demonstrauimus. Ita falsum esse apparet & calumniosum, quod dicitis, Christum apertè negare, Patrem, cum Filio simul, quempiam iudicare. Nunquid apertè negat Solem cum radio, hasce terras illuminare: qui ait, Sol nihil hic in terris illustrat: sed omne illud officium dedit radio suo?

XVIII. ANTITHESIS.

1. Cor. 15. Docet Apostolus, Filium Dei peracto iudicio, abolitaque omni potestate ac imperio, magistratu abiturum, ac regnum traditurum Deo & Patri: ita vt se cum omnibus beatis Angelis & hominibus, beatissimo regno Dei ac Patris, in omnem æternitatem subiiciat.

Filius (si credendum est orthodoxis) in extremo die non tradet regnum Deo & Patri, neque subiiciet se Patri, sed æquali potentia, maiestate ac gloria, æternum cum Deo regnum obtinebit.

AD SCRIPTVRAS.

Resp. Ex hoc Apostoli loco, sed perperam intellecto, vester etiam præceptor Arius, contrà æqualitatem Filij cum Patre sophisticabatur: tum verbo TRADET REGNVM: tum verbo SVBIICIETVR EI, turpiter abusus. Ad quæ Sophismata fusè respondimus & nos, De tribus Elohim, p. 2. libr. 3. cap. 11. sect. 6. vero ac genuino sensu Apostoli, dilucidè explicato. Ne singula repetendo fiam prolixior: eò vos remitto Ariani.

Summa: agnoscite naturam in Christo diuinam, quam alibi copiosissimè & luculentissimè prædicant Scripturæ, imò quam etiam hic vel solum nomen PATRIS, nempe naturalis euincit: eámque ab humana distinguite: & intelligetis ad Christum, quatenus verus est Deus, quia Filius est naturalis, nequaquam pertinere illam, de qua loquitur Apostolus, subiectionem: æqualis enim semper fuit, & erit Patri: neque eius gloria atque maiestas, vllum accipere potest à Patre incrementum. De Christo ergo, quatenus homo & caput est Ecclesiæ, locus ille intelligatur, necesse est.

Expendite & illud, TRADET REGNVM DEO AC PATRI: Quis tradet? Christus vt Mediator: Quid tradet? Regnum, hoc est, Ecclesiam, quam suo redemit & acquisiuit sanguine: Cui tradet? Patri, tanquam iam ab omnibus hostibus liberatum: vt iam immediatè subiectum sit hoc regnum Patri, & ita Deus sit omnia in omnibus: quæ est summa Ecclesiæ felicitas: Quomodo verò tradet? num ita, vt planè cum Patre non sit porrò regnaturus? absit: ait enim Angelus, & regni eius non erit finis. Sicut ergo Pater regnum hoc ita Filio incarnato tradidit recuperandum, vt tamen non desierit nec desinat, huius esse regni rex: Sic idem regnum recuperatum, ita Filius tradet Patri, vt tamen in eo cum Patre regnare non sit desiturus.

AD CALVMNIAS.

Calumnia igitur est, quod de orthodoxis scribitis. Filium enim docemus cum Apostolo, & traditurum regnum Patri, & se eidem subiecturum: sed alio sensu quàm vos: Apostolico nimirum, non autem Ariano.

XIX. ANTITHESIS.

Iohan. 16. Spiritus sanctus, inquit Christus, quem mittam vobis à Patre, non loquetur à semetipso, sed quæcunque audiuerit, loquetur; ille me glorificabit, quia de meo accipiet; & annunciabit vobis.

Spiritus sanctus, cum sit verus & æternus Deus, Patri & Filio per omnia æqualis, propria loquitur autoritate: nec quicquam accipit à Filio, quod annunciet Apostolis. Sic Antichristus, & qui eius characterem gerunt.

AD CALVMNIAS.

Non solùm quæ cap. 16. sed etiam quæ 14. & 15. imò

& quæ alibi de Spiritu sancto locutus est Christus: in iis, præter scopum, cuius caussa illa dicebat, tria alia video à Christo, de Deo nos doceri: pluralitatem personarum: earum inter se ordinem: & vnitatem essentiæ, vnámque in omnibus inter ipsos, consensionem ac voluntatem. Primum liquet: quia nominat suum Patrem: se eius Filium: & vtriusque Spiritum sanctum, distinctas inter se personas. Alterum autem inde: quia dum nominat Patrem suum, significat se ex eo genitum esse: De Spiritu autem sancto, ait, eum & à Patre, & à se mitti: Tertium verò: quia præter alia, quæ Pater agit, ipse etiam Filius, se eadem agere dicit. Pater mittit Spiritum sanctum: & Filius eundem mittit: Spiritum verò sanctum nihil à seipso, sed tantum, quęcunque audit, nimirum à Patre, & à Filio, loqui: qua phrasi, vnam & eandem omnium sapientiam & voluntatem significat: sed quæ in Patre à nullo sit: in Filio, à Patre: in Spiritu sancto, à Patre & à Filio. Pater enim à nemine audit: Filius à Patre: Spiritus sanctus etiam à Filio. Quo & illud pertinet, quod sequitur, de meo accipiet. Quomodo accipiet? sicut radius lucem & vim calefaciendi à Sole: quo sensu Christus quoque dicebat, se nihil à seipso loqui, sed tantum quæ audiuit à Patre: & doctrinam suam non esse suam, sed eius à quo missus fuerat, Patris. Si igitur vna eadémque sapientia ac voluntas in Patre est à nullo, & in Filio à Patre, & in Spiritu sancto, à Patre & à Filio communicata, quemadmodum verba Euangelistæ docent: Sequitur, eodem modo, vnam & eandem essentiam in singulis esse: quãdo sapiẽtia in Deo ipsa idẽ est, quod essentia: ac proinde ita vnumquemque Deum esse, vt tamen non sint quoad οὐσίαν tres Dij, sed vnus tantummodo Deus. Ad summam, Quam toti Mundo prædicari iussit de Deo Patre, Filio & Spiritu sancto doctrinam, in quorum etiam nomen omnes credentes baptizari voluit: eandem vbique in suis sermonibus inculcare solebat: sicut præsertim apud Johannem videre est. Obseruate etiam ô Ariani, quænam Spiritui sancto, qui Spiritus Dei, & Christi vocatur, attribuant Scripturæ: Cognitionem, 1 Cor. 2. Nemo nouit, quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei. Iudicium, Act. 15. Visum est Spiritui sancto & nobis: Voluntatem, 1. Cor. 12. Hæc omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis, pro vt vult: Auditum & loquelam, Ioh. 16. Quæ audiet, loquetur: Annon hæc, & alia, quæ breuitatis caussa omitto, dantur Spiritui sancto? Quomodo autem illi hæc congruunt, si non sit persona, hoc est, substantia indiuidua, per se subsistens, intelligens, volens: Si autem persona est: ea aut creata est, aut increata. Si creatam dicas, quemadmodum de λόγῳ quoque, qui porrò factus caro, vocatur Christus, somniatis; finita igitur fuerit: ita vt cum est in cœlo, non sit in terra, multò minus vbique simul: eadem enim etiam de vestro primo Spiritu, quem Filium Dei vocatis, prorsus docetis. At Scripturæ hunc Spiritum sanctum vbique esse, & omnia implere tradunt: quo ibo (inquit Dauid) à Spiritu tuo, ô Deus? si ascendero in Cœlum, tu illic es: Si descendero in infernum, ades: omitto reliqua, ne in re manifesta, nimis immorer: Persona igitur increata sit, oportet. Si autem hoc de Spiritu sancto concluditur: cur non idem & de Filio, qui est Christus: præsertim, cùm hic Spiritus, tam Spiritus Christi vocetur in Scripturis, quam etiam Dei, hoc est, Patris? Et quidem de hoc Spiritu ait Christus: ILLE ME GLORIFICABIT. Quomodo Spiritus sanctus Christum glorificauit? Tum quia non aliam doctrinam per Apostolos tradidit, quam quæ prius per Filium fuerat reuelata & prædicata: Tum quia speciatim gloriam, hoc est, Deitatem Christi magis ac magis, per eosdem Apostolos toti orbi patefecit. Inde eum vocarunt Deum magnum, Deum verum: Deum supra omnia benedictum, Deum in carne manifestatum, &c. Ite ergo, & quas contra doctrinam Ecclesiæ adducitis scripturas: eas diligentius examinate.

AD CALVMNIAS.

Ex verborum Christi apud Iohan 16. explicatione: qualis & quanta sit vestra calumnia, liquido apparet. Etsi enim loquitur Spiritus sanctus propria authoritate, quia Deus est, non autem sicut Moses & Prophetæ loquebantur: non sequitur tamen, ipsum quæ loquebatur per Apostolos, ea non accepisse à Christo, eo sensu, quem supra explicauimus: quia distincta est persona, quæ sicut veram essentiam à Patre & à Filio habet; sic etiam ab eisdem, omnem accepit autoritatem. Háncne ergo doctrinam, Antichristi doctrinam, vos ipsi Antichristi, audetis appellare?

XIX. ANTITHESIS.

2. Tim. 1. Exemplar teneto sanorum verborum, quæ à me didicisti. Hoc iubet Paulus Timotheo. & omnibus Ecclesiæ Ministris, vt fugiant exotica verba. & phrases loquendi de Deo & mysteriis fidei, vt contenti sint iis, quibus ipse in religionis doctrina tradenda sit vsus.

Voces illæ Trinitas, Essentia, tres personæ in vna essentia, quanquam nec à Christo, nec à Paulo sint vsurpatæ, sed à conciliis & Patribus inuentæ, sunt tamen in Ecclesia necessariò retinendæ, inquiunt orthodoxi. Fateantur igitur quod res est, se non esse discipulos Christi & Apostolorum, vtpote quorum præceptis adeò temerè obluctantur, ac posthabita illa diuina simplicitate, qua Prophetæ & Apostoli mysterium cognitionis Dei & Christi sanctissimè expresserunt, nouas formulas studeant, easque in docenda Ecclesia frequentissimè in ore habent, non sine turpi ignominia, tum doctrinæ, tum Ecclesiæ Christi.

AD SCRIPTVRAM.

Locum illum Apostoli, 2. Tim. 1. sic Græca scholia exponunt: vt ὑποτύπωσιν dicant significare παράδειγμα, ὑπόμνημα: & sermones sanos nihil aliud esse, quam doctrinam τῆς πίστεως: vt sit sensus, fac ô Timothee, ita te exerceas in doctrina pietatis, quam à me percepisti, & quæ summatim consistit in fide & caritate: vt ea in te, tanquam in speculo teluceat, túque sis viua eius imago. Si hanc admittamus interpretationem, locus iste quid vobis fauet? Certum verò est, nomine τῶν λόγων ὑγιαινόντων, hic non verba & nomina, & quibus in docendo vti debuerit Timotheus: sed doctrinæ, quæ in Ecclesia sonare debeat, qualitatem, significari. Non enim dixit, τῶν ῥημάτων, sed τῶν λόγων. Et hoc inde etiam liquet, quia illorum sermonum summam docet esse, fidem & caritatem, quæ in vno Christo, fundamentum & complementum habent. Ita ὑποτύπωσις τῶν ὑγιαινόντων λόγων, nihil aliud fuerit: quam summaria quædam delineatio formáque doctrinæ Christianæ, ex variis sermonibus & scriptis Apostolorum expressa: qualis est doctrina, quæ in symbolis Ecclesiæ, & in Catechismis breuiter continetur. Quid autem hæc ad causam vestram, aduersus omnia Oecumenica concilia, totamque Ecclesiam Catholicam? Sed, vtvt se res habeat de huius loci interpretatione nos libenter admittimus, imò ingenuè propter alia Scripturæ testimonia, docemus ac profitemur, cùm de religione Christiana agitur, vocibus & phrasibus sacrarum literarum, quoad eius fieri potest, semper vtendum esse. Sed hoc bifariam fieri potest: nimirum, vt aut ipsissimis Scripturæ verbis vtamur: aut sola sententia, genuinóque sensu contenti, de ipsa verborum forma, si res ita postulet, non vsque adeò simus soliciti. Vtriusque enim modi, exempla habemus in ipsis Sacris literis: vbi, Apostoli & Euangelistæ sæpissimè ipsa propria Prophetarum verba, modò secundùm Hebraicum contextum, modò secundùm versionem septuaginta interpretum, fideliter citant: nonnunquam verò variatis aliquantulum verbis, solum adferunt illorum sensum: id quod & ante illos, priores fecerant ipsi Prophetæ, in adducendo Mose: vt exempla passim occurrentia docent. Quid igitur contra Verbum Dei admisit Ecclesia: cum vt veram sententiam aduersus hæreticos clarius explicaret, nonnunquam vocibus vsa est: quæ licet verbotim in Sacris literis non reperirentur, sensum tamen verborum Spiritus sancti, nihil variabant? imò & quæ etiam ex ipsis Dei verbis, per regulam coniugatorum colligebantur? Quid enim peccatur, si cùm Scriptura dicat, vnum tantum esse Deum, & hunc vnum Deum vocet ὁ ὤν: Ego dicam, Deum esse vnicam οὐσίαν, seu in Deo vnam tantummodo esse οὐσίαν, eámque æternam, simplicissimam, perfectissimam? & inde etiam deducam hanc alteram vocem, VNITATEM οὐσίας, hoc est, essentiæ? Cùm etiam eadem Scriptura nominet in Deo, tres, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, & horum vnicuique attribuat ea, quæ propria sunt personæ, vti est, posse subsistere, esse ὑφεστάναι, distingui vnam ab alia, intelligere, velle, operari: quid peccarunt Patres, quòd in Deo tres esse ὑποστάσεις, seu personas docuerunt: & quòd inde TRINITAS personarum deducta sit? Annon

non perpetuò tamen retinetur sententia Spiritus sancti: quòd sint tres, Pater, Filius, Spiritus sanctus: & quòd ij tres, vnum sint? quale vero VNVM? Tale VNVM, de quo & Christus. Ego & Pater VNVM sumus: vnius potentiæ, eóque & essentiæ: ac proinde vnus Iehoua, plurésque Elohim.

AD CALVMNIAS.

Quòd igitur voces istæ, Trinitas, Essentia, Tres personæ, in vna essentia, vos mirabiliter offendant: caussa non est, quòd aut sensum Spiritus sancti in Scripturis peruertat, aut quòd voces sint exoticæ: sed alia causa est. Vt enim θεότης ἀπὸ τοῦ θεοῦ exotica vox non est: sic neque τριὰς ἀπὸ τῶν τριῶν: neq; οὐσία ἀπὸ τοῦ ὄντος: neque Trinitas, à tribus: sunt enim è vocibus scripturarum, eàdem regula deductæ, qua & Apostolus, ex voce θεοῦ deduxit θειότητα: & præterea fuerunt semper, in veteri totaque Ecclesia vsurpatæ. Exotica autem dicuntur, quæ ἔξω, hoc est, quæ prorsus extra Scripturas, & extra Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem profecta sunt: & quæ denique extra Ecclesiam, tanquam impia & hæretica, vno omnium piorum consensu, legitima ratione profligata fuerunt: vt qui illa conantur reuocare in Ecclesiam, ij exotica reuocare meritò dicantur: quale fuit Satanicum dogma Arij, quod vos ex inferis exuscitare magno conatu studetis. Hæc verè sunt & vocantur exotica. Quid igitur caussæ est, cur illis vocibus, TRINITAS, VNITAS, ESSENTIA, ΥΠΟΣΤΑΣΙΣ PERSONA, ita offendamini? Hæc vero est, vt alias omittam, non postrema, quia inimici estis Dei: quippe qui ferre non potestis, vt cum Mose dicamus, Deum esse plures Elohim, & vnum Iehouam: vt cum Iohanne prædicemus, ὁ λόγος, Filium Dei esse æternum, quia erat antequam quicquam esset creatū: & esse ἑτεροϋπόστατον à Patre distinctum, quia erat apud Deū, h.e. apud Patrem: & esse Deum, quia & Deus erat Verbum: & esse non factum, quia omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factū est nihil, quod factū est: ac proinde esse verè genitum ex Patre, & ea re eiusdem esse naturæ cum Patre: nec potestis ferre, vt cum Christo dicamus, nos tam in nomen Filij, & Spiritus sancti, quàm in nomen Patris baptizatos esse: ac proinde non Patrem solùm, sed & Filium & Spiritum sanctum, esse Deum illum Israelis, cui soli & olim sacramento circumcisionis, obsignabantur Israelitæ, & nunc sacramento Baptismi obsignantur, quicunque in Ecclesiam Christi recipiuntur. Ita inimici estis Patris, quia non vultis, eum esse naturalem Filij Patrem: inimici estis Filij, quia negatis eum, Filium esse Dei naturalem: inimici estis Spiritus S. quia illum non agnoscitis, tā à Filio, quàm à Patre, tanquam ἐνέργειαν ἐνυπόστατον, viuentem, intelligentem, volentem procedere: & tanquam caussam verè ac per se efficientem, nos sanctificare. Nec denique ferre potestis vt cum Iohanne dicamus, & ij tres (Pater, VERBVM, & Spiritus sanctus) vnum sunt: h.e. vnius eiusdémque potentię, sapientiæ, voluntatis, essentiæ. Hinc fit, vt vobis fœteant nomina, vnitatis, Trinitatis, Essentiæ, personæ: non autem, quod sint voces exoticæ: vel quod simplicem de Deo doctrinam a Prophetis & Apostolis luculenter traditam, aut tollant, aut obscurent: sed quia potius eam breuiter explicant atque illustrant. Si enim vos offendit nomen TRINITATIS, cur non dicitis cum Iohanne, TRES, PATREM, VERBVM, & SPIRITVM SANCTVM? Si non placet vox personæ: cur cum Apostolo non vtimini voce hypostaseos: & confitemini, sicut Pater est hypostasis, sic etiam eius Filium, esse hypostasim, & vtriusque Spiritum esse hypostasim? Heb. 1. Si nomen essentiæ abhorretis: cur cum Apostolo non amplectimini nomen Deitatis, vt dicatis, vnam esse omnium illarum trium ὁμοούσιον Deitatem: quia quisq; illorum est Deus, & vnus tamen duntaxat est Deus? Col. 1. Summa hæc est, Qui vult mori, nulla ei prodest medicina, & qui odit Christum, nulla ei, de illius gloria, phrasis probari potest. Qui autem non diligit Dominum Iesum, is sit anathema maranatha.

XXI. ANTITHESIS.

2. Thess. 2. Vaticinatur Paulus, Antichristum, oppositurum se aduersus omne quod dicitur Deus, aut numen: quibus verbis satis indicat, Antichristum omnem rectam Dei cognitionem & cultum obliteraturum, & nequaquam fidum eius custodem futurum. Adhæc vers. 4. regnum Antichristi vocat apostasiam: quæ secum trahit totius religionis interitum, ac imprimis rectæ cognitionis veri Dei & Mediatoris Iesu Christi: quibus tanquam cardinibus duobus, religio Christiana sustinetur. Vult igitur Paulus dicere, Antichristum ita in templo Dei sessurum, vt speciem ac laruam Christianæ religionis præ se ferat, ac veri Dei ac Christi nomen non quidem deleat, at re ipsa loco veri Dei, falsum, loco germani Christi, commentitium Christum, Ecclesiæ gentium obtrudat.

Mart. Luth. affirmat articulum de DEO *& Mediatore Christo, sub Papatu intactum mansisse. Zanchius in præfatione 2 partis suorum Elohim, Ecclesia, inquit, Romana integrum retinuit fundamentum: ideò quæ collapsa sunt, facilius reædificātur. Facilè enim domus instauratur, cuius firmum adhuc & integrum manet fundamentum: per integrum fundamentum intelligens articulum Trinitatis. Negat igitur Lutherus, negat Zanchius, negant orthodoxi omnes, Antichristum esse aduersarium Dei & rectæ eius cognitionis: Negant apostasiam ac defectionem, quam inuecturus erat Antichristus in Ecclesiam: cùm illa stare non possit cum professione vnius veri Dei & Iesu Christi: nec locum habeat quamdiu fundamentum manet intactum: Si excipiunt cultum vnius veri Dei & Iesu Christi ab Antichristo pessundari, idcirco rectè dici aduersarium Dei, & Christi: respondemus, esse quidem hoc scelus grauissimum, tamen sic Antichristi impietatem non dignè æstimari: & arctioribus, quàm par erat, finibus circumscribi. Quid enim? Annon magnum hoc est, quòd totis viribus pugnat pro vno vero Deo, & Iesu Christo? quòd omnino ipsi tribuendum est, si Trinitas est verus Deus? Atqui non fert malitia Antichristi tantam laudem, cùm potius quicquid ille exosculatur, quicquid acerrimè defendit, id ipsius proprium, hoc est, Diabolicum non diuinum esse necesse sit; contra quicquid sceleratus ille odit, quicquid persequitur, id alienum ab eius natura, hoc est sanctum piúmque est. quemadmodum in Apoc. cap. 13. de ipso prædictum fuit, quòd sit bellum gesturus cum sanctis, non cum impiis contemtoribus veri Dei; Vnde inter cætera illud consequitur, fieri non posse, vt sint omnino mali, per quos hac ætate, Trinitatis dogma, in suspicionem falsi vocari cœpit, cum hoc hominum genere nihil sit Antichristo intolerabilius.*

AD ARGVMENTVM ARIANI, ex 2. Thessal. 2.

Argumentum tuum, tale est. Papa, hoc est, Papatus, seu Romanus Pōtifex cum toto suo regno, est ille verus Antichristus, de quo Apostolus, 2. Thess. 2. Ergo omnis recta Dei & Christi cognitio apud eum, & quicunque eum in hoc articulo sequuntur, penitus extincta, & pro vera, falsa ac commentitia, Ecclesiæ obtrusa est. Consequentiæ confirmatio duplex: altera, quia Antichristus, omnem rectam Dei cognitionem & cultum, obliteraturus fuisse prædicatur: cùm Apostolus ait, qui aduersatur & extollitur supra omne, quod dicitur Deus aut numen, &c. altera, quia regnū Antichristi, Apostasia vocatur ab Apostolo: hęc autem secum trahit, totius Religionis, & in primis rectæ cognitionis veri Dei, ac Mediatoris Iesu Christi interitum. Resp. Ad hoc argumentum, duplex est responsio: Primùm respondent Pontificij, & negant antecedens, tanquam falso assumtum. Apostolum enim non de aliquo regno, seu de Rege aliquo cum suis successoribus suóque regno, quod Christo aduersetur: sed de certo homine, eóque (vt plerique omnes veteres volunt) ex circumcisione, loqui: qui sub aduentum Christi, summa potentia & artibus Diaboli instructus, ea quæ & hic à Paulo, & alibi a Prophetis, aliisq; Apostolis, atque adeò ab ipso Christo fuerūt prædicta, facturus sit: Patribus omnibus, tàm Græcis, quàm Latinis, vno omnium consensu, locum hunc sic interpretantibus. Confirmant suam sententiam. Primò, quia Apostolus hunc Antichristum, vocat singulari numero, hominem peccati, nō autē homines: filiū perditionis, nō autē filios: Itē, quem, nō quos. Dominus interficiet. Secundò, quia Iohannes etiā in epistola, hūc opponit multis: dicēs, audistis, quod Antichristus venit: nunc autē Antichristi multi sunt. Non opponit autē regnū vnū, multis regnis; sed nomine multorum; intelligit multos hęreticos; Ergo & nomine vnius Antichristi, personā quādam intellexisse dicendus est.

Quòd autem idem Paulus dicit: Antichristum hunc, tunc fuisse in Mundo: illud intelligendum esse, quòd tunc fuerit in Mundo, non reipsa, sed in suis prodromis. Tertiò, probant: quia Apostolus ait, Non venturum Dominum Iesum, nisi prius reuelerur ille homo peccati, seu Antichristus: significans, vbi iste reuelatus fuerit, & manifestè pro vero Antichristo agnitus: tunc fore præ foribus Dominũ: & hoc tempus, quo vt Antichristus omnibus notus regnabit, sedebitque in templo, futurum, vt est apud Danielem & in Apoc. annorum trium, cum dimidio. At quamdiu est, ex quo Pontifices Romani, manifestissimè sedent in templo Dei? & tamen nondum venit Dominus. Non ergo de successione Romanorum Pontificum: sed de aliquo insigni Nebulone & impostore, locum Apostoli intelligendum esse. Adde, quia si de successione Romanorum Pontificum loqueretur Apostolus: in singulos competeret istud Antichristi proprium, HOMO PECCATI, FILIVS PERDITIONIS. At non in omnes conuenit: Constat enim multos pios fuisse homines, qui pro Christo sanguinem profuderunt & vitam. Quinto addunt & hoc: de quo hic loquitur Apostolus, ille idem est, de quo & Christus, Ego veni in nomine Patris mei, & non recipitis me: si alius venerit in nomine suo, recipietis eum, Ioh. 5. 43. Opponit autem sibi Christus, non aliquam Episcoporum successionem: sed vnum hominem, qui iactabit, se esse Messiam. Quid vos ad hęc Ariani? Retorquebunt etiam in vos ea, quæ ex Paulo, de Antichristo subditis.

Primùm, si Antichristus ille est, qui omnem rectam Dei & Christi cognitionem, ex Ecclesia tollit: Non igitur est Papa Antichristus ille, de quo Paulus: quoniam, quam de Deo & Christo, doctrinam ab Apostolis acceptam, & Baptismo: qui confertur in nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti quotidie confirmatam, omnes retro Episcopi, constanter prædicarunt: eandem in sua Ecclesia retinet Papa. Deinde si regnum Antichristi, est mera & perfecta apostasia a Christo: Ergo Papa non est Antichristus ille, de quo Apostolus. Constat enim ex doctrina de Deo & Christo, éxque retenta Baptismi forma, & ex aliis multis rebus, Ecclesiam illam non penitus à Christo apostasiam fecisse. Contra potius vestrum Arium, fuisse Antichristum euincent: quia doctrinam, quæ per successionem omnium in Ecclesiam Episcoporum, à temporibus Apostolorum, sine vlla interruptione, ad ætatem vsque Arij continuata fuerat: ipse Arius, nono suo dogmate, profligare ex Ecclesia voluit. Doctrina certè Ecclesiæ, quam oppugnauit, prior fuit doctrina Arij, quâ illam oppugnauit. Non igitur hæc potuit esse Christi & Apostolorum, sed Antichristi doctrina. Atque hæc breuiter de prima responsione: quam idcirco attuli: quia cùm caussam nobis cum Pontificiis cõmunem defendamus: oportuit me illorum etiam nomine, ad vestrum argumentũ respondere. Venio ad alteram. Protestãtes ergo, vobis concedentes Antecedens, negãt cõsequentiam. Non enim ideo Papam vocari Antichristum, quòd omnia contra Christũ instituerit, falsámque Dei & Christi cognitionem, aduersus veram, quam Christus docuit, in Ecclesiã induxerit: sed quòd [illegible], quòd sub nomine veri Christi, multas quasi ab Apostolis Christi per manum traditas superstitiones & ἐθελοθρησκείας. Ecclesiæ obtruserit. Nec aliter fieri potuisse: quoniã si Ecclesia Dei, aliã à sua, hoc est, à recepta de Deo & Christo doctrina, illum profiteri vidisset: haud facilè eum audiuisset, nec sibi imponi passa fuisset, nec pro vicario veri Christi, eum agnouisset: ab eo autem, qui veram & veterem de Deo & Christo doctrinam profitebatur, populos facile seduci potuisse. Vt igitur facilius introduci possent falsi cultus: veram Dei & Christi cognitionẽ retineri oportuisse. Confirmãt hanc sententiam exemplo Ieroboami, quem verum fuisse typũ Antichristi Romani, aiunt. Etenim Ieroboamus verũ Deũ Israelis, semper professus est, & veram huius cognitionem, in suis decem tribubus retinuit: minimè alioqui tot tãtasque superstitiones & idololatrias in Israel introducturus. Quis enim obsecro eum potuisset audire, si aliam de Deo doctrinam, quam quæ tradita per Mosen fuerat, proponere ausus fuisset? Professus autem veterem verúmque Deum Israelis: haud difficulter, quæ ipse excogitauerat falsa & superstitiosa populo persuasit. Eundem admodum egisse Romanum Pontificem: & ita agere oportuisse, contẽdunt. Atque hinc, quàm falsa sit vestra, ô Ariani, consequentia: luculenter apparet. Valuisséne consequentia, Ieroboam est Antiiehoua: Ergo omnẽ rectã Iehouæ cognitionẽ sustulit ex Israel, vel pro vero Deo, falsũ & cõmẽtitiũ obtrusit? At (inquies) Apostolus Antichristo assignat Regnũ, quod perfectissima apostasia deficere à Christo debebat. Talis autem apostasia, totius veræ religionis, eóque & veræ cognitionis Dei ac Christi interitum secum affert. Item, ait idem Apostolus, Antichristum sese oppositurum aduersus omne quod dicitur Deus, aut numen: significans. eum omnem rectam Dei cognitionem & cultum obliteraturum: falsúmque Deum, loco veri Dei, & commentitium Christum, loco germani Christi, Ecclesiæ Gentium obtrusurum: Si ergo illa apostasia facta est in Papatu: &, si Papa est propriè ille ἀντικείμενος, de quo Apostolus: sequetur necessariò, omnem rectam Dei & Christi cognitionem, apud eum extinctam esse. Rectè: sed quid, si quis isti hypotheticæ affirmatiuæ, assumat Categoricam negatiuam, & ab euersione consequentis, ad euersionem Antecedentis, in hunc concludat modum. Atqui in regno Papæ, seu in Ecclesia Romana, nondum ea cernitur apostasia, de qua Apostolus: Ergo Ecclesiæ Romanæ Episcopus, non est ille Antichristus, de quo 2. Thess. 2. Assumtionem hanc probabit: vera enim & perfecta, generalisque apostasia est, cùm aliquis populus, ita à suo Rege seu Principe deficit, vt nolit eum amplius vel verbis vel factis, vllave obedientia & honore, pro suo agnoscere domino: sed excusso omni prorsus subiectionis iugo, omnibus eius legibus renuntiet, omniaque eius insignia expungat, deleat, frangat, exterminet. At quis hoc dicat (inquiet tuus aduersarius) de Ecclesia Romana? Adhuc enim Christum, pro Filio Dei Deo, pro suo Rege Domino, Seruatore agnoscit & profitetur: adhuc eius legibus se subiectam esse non negat: adhuc publica sui Regis insignia, licet conspurcata, Baptismum nimirum, & Cœnam retinet ac veneratur: imo alia quoque insignia, licet præter Domini voluntatem, ex quodam tamen erga eum honoris studio, adiecit, passim suspendit, affixit, colit: veluti sunt Christi imagines, statuæ, cruces; tantum abest, vt à Christo discessionem fecisse videri velit: si quis populus, ita se gerat erga suum principem: licet in iis, quæ contra illius voluntatem aut neglexit, aut adiecit, maxima reprehensione, atque etiam graui pœna dignus sit: quis tamen eum apostasiæ, & rebellionis accusare queat? Hinc euinci etiam posse videtur, illam vocem Apostoli de Antichristo, ὁ ἀντικείμενος, melius in alium Principem, hoc est, in Turcum, quàm in Romanum Pontificem, competere. Ἀντικείμενος enim propriè ille dicitur; qui ex diametro alteri oppositus est: vt Oriens, Occidenti; Et, qui in duello, contra alium pugnat; sese enim ex diametro Antagonistæ opponit; Qua voce & Aristoteles vsus est, cùm egit de oppositis. Hoc igitur nomine verè Antichristus describitur; quòd nimirum totus sit Christo ἀντικείμενος. Quotus autem quisque est hominum Christum profitentium, qui, in Mahometem, eiusque successores, hæc multò melius & plenius, quàm in Papam quadrare, non videat? Mahometes enim veram & plenam apostasiam ipse cum suo populo fecit; is ex diametro sese Christo opposuit: quæcunque ille instituit, abrogans: prædicationem Euangelij: Baptismum: Cœnam: inuocationem in suo nomine: & contra, quæcunque abrogata à Christo fuerant, reuocans doctrinam legis, quod, per opera seruemur: circumcisionem: polygamiam: delectum ciborum, sacras ablutiones: diuortia à Christo damnata: varias vanasque ceremonias: aliáque multa. Denique quod dixerat Christus, se esse Filium Dei (naturalem) hoc negauit Mahomet, quemadmodum & vos Ariani facitis: eundémque verum esse Deum, inficiatus est, sicut & vos: Trinitatem etiam illam, quam Christus in Baptismo docuit, tollit, vt vos. Annon ergo hic est verus ὁ ἀντικείμενος τῷ χριστῷ, eóque verus Antichristus? Sed & reliqua, quæ de Antichristo subdit Apostolus, multo clarius in Mahometem, quàm in Papam competere videntur. Ait Apostolus de Antichristo. καὶ ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα: Certe Mahomet sese extulit supra non solum Deos Romanorum, supra Angelos omnes, sed & supra Christum: qui tamen in Sacris literis vocatur, & est verus Deus. Hunc enim infra se tanquam simplicem Prophetam collocauit. Quisnam adhuc obsecro mortalium præter hunc hominem peccati, & Filium perditionis Mahometem, ausus est hoc facere, subdit Apostolus, ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ, ὡς θεὸν καθίσαι, Scio hæc verba ab illis vrgeri, qui nequaquam de Turco: sed de solo Papa locutum fuisse Apostolum contendunt: quod Turcus non sedeat, id est regnet in Templo, hoc est, in Ecclesia Dei, sed solus Papa, est hoc aliquid, illudque non contẽnendũ. Verum in quem maximè competunt sequentia verba, ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν, ὅτι ἐστὶ θεός: de eodem etiam hęc pręsentia, haud incongruè prædicari posse videntur. Vter autẽ magis dici potest, quod se demonstret, hoc est, & verbis & factis

factis palàm prædicet, se esse Deum: Papa, an Mahometes? Quæ hic nostri temporis interpretes de Papa referunt, idque ex ipsius etiam decretis, nimirum, quòd licet nomen Dei sibi non attribuat, maiestatem tamen & autoritatem quæ solius Dei est, sibi vsurpet: ea certè non sunt nihil. Interim si quis omnia diligenter perpendat, & conferat, quibus & ille, & iste, dicuntur reipsa ἀντικείμενοι, quòd sint Deus, is hæc verba Apostoli, longè melius in Mahometem, quàm in Papam congruere, manifestè videbit. Primùm enim Papa, nunquam se vocauit, aut vocari passus est, Deū: sed contra, seruum seruorum Dei: At Turcus, inter alios titulos, quibus se ornat, est etiam nomen Dei: Disertè enim se vocat non solùm Regem Regum, qui est tamen titulus Christi proprius: sed etiam Deum terræ, & custodem paradisi. Quid tibi videtur? Hoccine parui est momenti ad perfectum Antichristum cognoscendum?

Deinde ad facta quod attinet, vnum aliis multis omissis, examinandum propono. Certè solius Dei est, leges ferre hominibus, cum promissione æternæ vitæ, & comminatione sempiternæ mortis. Quis enim hominum aut Angelorum, ius habet haberéve potest in animas nostras vt eas possit seruare, aut perdere? Ideo Iacob. 4. Vnus (inquit) est legislator & iudex, qui potest seruare & perdere. Quis verò istud ius ita sibi vsurpare ausus vnquam fuit, atque Mahomet? Papa nonnihil simile, latis quibusdam legibus, fecisse videtur: sed multò apertius, & impudentius hoc fecit Mahumet: quomodo enim suum conscripsit Alcoranum? Annon vt Deus? Primùm licet multa acceperit ex legibus Diuinis: omnibus tamen ipse solus autor esse videri voluit. Deinde taliter, & hac conditione omnia mandauit: vt si quis obediat, is vitam sibi promereatur æternam: sin minus, æternæ mortis pœnis obnoxius fiat. En alterum legislatorem, qui possit animas seruare & perdere. Annon hoc est sese ostentare, quasi Deus sit? quid, quòd à Christianis sibi subiectis, primogenitos, sicut Deus à Iudæis, sibi iubet exhiberi? an non hoc est se facere Deum? Quare verus est Antichristus. Hinc verò liquet, quomodo præcedentia etiam verba in Turcum verè competant: ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ, ὡς θεὸν καθίσαι. Patres Templi nomine, ipsum Dei templum quod erat Hierosolymis, intellexerunt: nec prorsus malè. Scripturæ enim; nomine templi Dei, templum illud Salomonis, quod typus fuit corporis Christi, & Ecclesiæ Christianæ, significare solitæ sunt: Et Apostolus de templo Dei, omnibus noto, locutus esse videtur: hoc autem illud vnum Hierosolymitanum fuit: nullum certè templum apud Gentes, templum Dei vocasset. In illo igitur Dei templo sessurum volunt Antichristum, & iussurum se à populo tanquam Deum adorari: idque per annos tres cum dimidio. In illo certè templo nunquam sedit nec sedet Romanus Pontifex: sed potiùs Turcus, qui illud occupauit. Sed, vt demus cum omnibus nostri temporis interpretibus nomine templi Dei intelligendam esse Ecclesiam Dei, secundùm illud, templum Dei sanctum est, quod estis vos: optimè tamen congruit iste contextus in Turcum. Duplex enim sensus esse potest: & vterque in illum competit. Vnus est, si cum plerisque omnibus, illud εἰς τὸν ναὸν, vertamus in templo, vt sit sensus, sedebit, hoc est, regnabit in Ecclesia Dei. Etsi enim nomen hoc non amplius de populo Turcico prædicari possit: initiò tamen cùm Mahometes illum seduxit, & in illo regnare cœpit, Ecclesia erat Dei, Christiani omnes & Christum profitentes. Sedit ergo, id est, regnauit in illa Ecclesia Dei, vt Deus: Quomodo vt Deus? Quia, vt suprà explicatum est, pro sua autoritate, abrogatis quæ à Christo instituta, & reuocatis quæ ab eodem abrogata fuerant, nouas tulit leges: à quarum obseruatione, æterna salus penderet: & quarum transgressionem, æterna mors consequeretur. Eius enim, qui sedet, id est, regnat, officium primum est, leges populo suo præscribere: Fecit autem hoc Mahometes, non vt politicus tantum, sed vt spiritualis etiam Rex ius sibi in animas quoque vsurpans, eóque vt Deus. Cui rationi postea accessit, quod voluit adorari, vt Deus: & verò etiam nomine Dei terræ, custodisque Paradisi, appellari. Annon hoc sensu verum est, Mahometem cum suis successoribus, sedisse sedereque in templo Dei, tanquam Deum?

Alter sensus est, si cum nonnullis, sicut in Græco est, legamus, non in Templo, sed in Templum: vt talis sit sensus, qualem D. Augustinus adfert de Ciuitat. Dei, lib. 20. capitul. 19. cuius verba hæc sunt: sed in quo Templo Dei, vt Deus sit sessurus, incertum est: vtrum in illa ruina templi, quod à Salomone Rege constructum est: an verò in Ecclesia. Non enim templum alicuius idoli, aut dæmonis, Templum Dei Apostolus diceret. Vnde nonnulli non ipsum principem, sed vniuersum quodammodo corpus eius, id est, ad eum pertinentem hominum multitudinem, simul cum ipso suo Principe hoc loco intelligi Antichristum volunt: Rectiúsque putant etiam Latinè dici, sicut in Græco est: non in Templo Dei, sed in Templum Dei sedeat: tanquam ipse sit Templum Dei, quod est Ecclesia: sicut dicimus; sedet in amicum, id est, velut amicus, vel si quid aliud isto locutionis genere dici solet.

Approbat hunc alterum sensum Lud. Viues, qui ibi sic scribit: Sedet in amicum, id est, velut amicus. Locutio frequens in Sacris literis: Elegit Dauid in Regem: esto mihi in Deum protectorem, & in locum refugij. Hæc ille. Sensus igitur fuerit, sicut Christus, verus Dei Filius, & verus homo, constitutus est à Patre caput totius Ecclesiæ vt quicunque sese illi verè subiiciunt, eos sibi tanquam membra capiti incorporet, vnumque ex eis efficiat corpus (quod & Ecclesia Dei, & Templum Dei, ex fidelibus, tanquam ex viuis lapidibus, super Christo ceu fundamento ædificatis, constructum, ab Apostolo appellari solet:) Sic Antichristus iactabit, sed falsò, penes se solum, veram esse Ecclesiam, Ecclesiam inquam Dei, qui habitat in cœlis: séque illius esse caput, à quo regatur & seruetur: quippe qui Deus est terræ, & custos Paradisi. Annon verè hoc modo Turcus sedet εἰς τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ? hoc est, annon gloriatur, se tanquam caput, cum suo populo tanquam corpore, veram esse Dei altissimi Ecclesiam: seu templum, cuius ipse solus sit, & fundamentum & summus lapis angularis: ac proinde verus Deus terræ, & custos Paradisi?

Competunt in eum & quæ sequuntur: Tempore Pauli operabatur mysterium iniquitatis, in suis scilicet prodromis: in illis nimirum, qui primùm amplexi euangelium, postea apostasiam fecerunt: negantes Christum, verum esse Deum, vnicum perfectúmque Redemtorem: reuocantes ceremonias, & prædicantes, per opera legis, homines seruari: de quibus apostatis dixit Iohannes: discesserunt à nobis, quia non erant ex nobis. Inter hos prodromos Mahometis, fuit etiam Arius vester: fuerunt & Pelagiani, aliique hæretici, qui ab Ecclesia Catholica, in varias sectas defecerunt: fuit & Iulianus ille apostata. Illæ enim particulares apostasię, præmonstrabant hanc generalem, quam per Mahometem, pérque eius successores in toto pene Oriente longè latéque factam esse, & in ipsum etiam Occidentem paulatim penetrare, videmus.

Quod etiam ait Apostolus de caussa, qua fiebat, vt tunc mysterium duntaxat peragereturiniquitatis, non autem ipse reuelaretur Antichristus, eiusque regnum emergeret: in quemnam verius illud, quàm in Mahometem conuenit? Constat enim ex historiis, dum Romanum imperium, suas retinuit vires in Oriente: imperium Turcicum emergere non potuisse: sed postea quam, auulsis ab imperio Romano regnis aliquot, ceu fractis cornibus, ipsum imperium, è medio (nempe, non vbique, sed in Oriente) sublatum fuit: tunc Mahometem cum suo populo, non amplius clàm & in mysterio, sed palàm & aperto Marte, sese Christo ex diametro opposuisse: regnumque suum extulisse, & longè latéque ampliasse. Et hoc est, quod dicebat Apostolus ad Thes. μόνον ὁ κατέχων (Romanus scilicet Imperator) ἄρτι, (scilicet obstabit) ἕως ἐκ μέσου γένηται (non simpliciter, sed κατά τι, in Oriente nimirum:) καὶ τότε ἀποκαλυφθήσεται ὁ ἄνομος: verè ὁ ἄνομος: quia Mahometes, neque Dei, neque Romanorum legibus subiectus, sed tantummodò αὐθέντης esse voluit. Quod subdit de illius aduentu, secundum efficaciam Sathanæ, in omni potentia & signis ac prodigiis mendacibus, &c. Patres, vt alia, sic etiam hoc ad vltimum illum Antichristum referunt: quo etiam reuera pertinere videntur ea, quæ Christus Matth. 24. de Pseudoprophetis dixit: surgent Pseudochristi & Pseudoprophetæ, & edent signa magna: ita vt seducant (si fieri possit) etiam electos. Venient enim cum vltimo illo Antichristo, falsi etiam Prophetæ, qui edent hæc signa. Nam post aduentum illorum Prophetarum, subiicit Christus, statim autem post afflictionem illam, Sol obscurabitur, nec dabit Luna splendorem suum, & stellæ cadent è Cœlo, & potestates Cœlorum concutientur: tūc apparebit signum filij hominis in Cœlo. Quòd si nolimus Patrum interpretationem admittere: non malè hæc etiam congruunt in Mahometem. Verba enim Pauli cum primis de prodromis huius Antichristi Mahometis, qui fuerunt tempore Apostoli, intelligenda esse, docet ipse Apostolus: quia non ait cuius aduentus erit, sed cuius aduentus est, &c. quemadmodum etiam in præ-

senti supra dixit. Nunc enim peragitur mysterium iniquitatis. Sicut ergo tunc peragebatur mysterium iniquitatis: sic etiam tunc cœpit aduentus Antichristi: non quidem in propria persona, sed in suis prodromis. Et quinam ij fuerunt præcursores? Pseudoapostoli, qui erant ex circumcisione: & de quibus nonnulli interpretantur illud Christi, Matth. 24. surgent Pseudochristi & Pseudoprophetæ: & dabunt signa magna & prodigia, &c. Item Matth. 7. Multi dicent in illo die, Domine, Domine, nonne per nomen tuum prophetauimus, & per nomen tuum dæmonia eiecimus, & per nomen tuum multas virtutes edidimus? &c. Hos autem fuisse præcursores Mahometis, totiusque illius regni: liquet ex doctrina, quam illi prædicabant, & quam iste professus est, & adhuc in suis successoribus profitetur. Quid illi? Agnoscebant Christum pro magno Propheta, sed non credebant, esse natura Deum: ac si eum fatebantur esse Filium Dei? hoc intelligebant non per naturalem ex Patre generationem, sed per gratiam, dignitatem, officium: quemadmodum & Mahomet, & vos cum illo, docetis. Illi præterea negabant, salutem hominibus contingere per solam fidem in Christum: sed operibus comparari & acquiri contendebant: ac proinde, quam Christus abrogauerat circumcisionem & legem, & quam Paulus etiam abrogatam esse asseuerabat: eam illi reuocabant, iustitiam fidei oppugnantes & contra iustitiam operum vigentes. Annon verò ad hæc duo capita, tota etiam Mahometis de religione doctrina reuocatur? Nam neque Christum agnoscit, nisi pro magno Dei Propheta: neque aliam admittit iustitiam, quàm quæ operibus, hoc est, obedientia suæ legis comparatur. Huius igitur præcursores fuerunt illi, de quibus diximus, Pseudoprophetæ & Pseudoapostoli: eoque Mahomet cum suis successoribus, verus fuit & est Antichristus ille; de quo Christus & Apostoli. Ad huius argumenti confirmationem, addo non propter vos Arianos, qui omnes reiicitis Patres, sed propter fideles, qui hæc lecturi sunt, addo inquam Basilij verba; ex epistola 70. & 71. Scribens enim ad Episcopos in Occidente, hoc est, in Italia & Gallia, de persecutionibus Arianorum, quibus tunc premebantur Ecclesiæ in Oriente, apertè demonstrat, Arium præcursorem fuisse Antichristi illius, de quo Sacræ literæ passim loquuntur: & quare præcursorem? Propter eandem doctrinam Arij & Antichristi, Epistola 70. Post explicatam acerbam persecutionem, ita scribit de caussa persecutionis pag. 698. Ingemiscite propter nos, quod vnigenitus blasphematur, & non est qui contradicat: Spiritus sanctus ignominia afficitur, & qui potest redarguere fugatur: Multitudo Deorum inualuit: Magnus Deus apud ipsos est & paruus. Filius non est naturæ nomen, sed dignitatis appellatio esse iudicatur. Spiritus S. non creditur complere sanctam Trinitatem, nec socius esse diuinæ & beatæ naturæ, sed vna aliqua ex creaturis, temerè, & prout contigit, Patri & Filio adiecta esse. Quis dabit capiti meo aquam, & palpebris meis fontem lachrymarum: & deplorabo populum diebus & noctibus, qui vnà cum prauis his doctrinis ad interitum detruditur? Epistola verò 71. ex doctrina Arij, & ex persecutionibus propter doctrinam, idem disertis verbis concludit, dicens: Et dum hæc consideramus, simul etiam illa cogitatio in mentem venit: Nunquid Dominus Ecclesias suas penitus reliquit? Nunquid extremum tempus instat, & defectio per hæc ingressum sumit? vt de cætero reueletur iniquus ille filius perditionis, aduersarius, & qui effertur aduersus omnem qui dicitur Deus, aut numen? Annon ex his luce meridiana clarius liquet, sicut Arium eiusque discipulos, tempore Basilij, sic etiam Pseudoapostolos tempore Pauli, veros fuisse Antichristi prodromos?

Adde iis, quod habet in eadem Epistola 70. ad eosdem Episcopos, de caussa persecutionis Arianorum in genere: nimirum quod sequerentur illi boni Episcopi, traditionem Patrum: quámnam? Quæ videlicet de vera Deitate Filij, & Spiritus sancti, è Scripturis hausta: recepta potiò & confirmata fuerat, à tota Catholica Ecclesia, in Nicæno Concilio, Constantinopolitano & deinceps. Pag. 697. Vnum est (inquit) crimen, quod nunc vehementer damnatur, ac punitur: diligens obseruatio traditionum Patrum. Ob hoc fugantur patriis pij: & ad solitudines, habitationes transferunt. Non canicies apud Iudices iniquitatis venerabilis est: non exercitatio pietatis: non vita iuxta Euangelium, à iuuentute vsque ad senectam producta. Hæc ille. Annon hoc idem est crimen quod vos Ariani nostri temporis, in nobis damnatis? Obseruent hæc omnes illi, qui suis, vel præceptoribus nimis addicti, vel ingeniis nimis confisi, Patres omnes contemnunt, quemadmodum & vos Ariani facitis. Credo ex his quæ dixi, vnicuique intelligenti liquere: cùm eadem sit Sathanæ in Mahomete, quæ & ante in Ario aliisque eius farinæ hæreticis, & denique in Pseudoapostolis tempore Pauli, de Filio Dei, deque eius beneficio doctrina: rectè à nobis concludi, Mahometem cum suis successoribus; verum esse illum Antichristum, cuius aduentus, qui incepit tempore Pauli in Pseudoapostolis, ex efficacia Sathanæ, in omni potentia, & signis, & miraculis futurus fuisse legitur. Quare tantum abest, vt ex loco Apostoli, de Antichristo, inferri possit, doctrinam, quam cum tota Ecclesia Catholica, etiamnum Romanus pontifex, de vera Christi & Spiritus sancti Deitate tuetur, doctrinam esse impiam & Antichristianam: vt inde potius contrarium necessario concludatur; quando verus & perfectus Antichristus, ipse est Mahomet; qui priore abnegata, quam nobiscum prius professus fuerat de Trinitate doctrinam; postmodum Christum, purum esse hominem cum Samosateno prædicauit. Summa igitur responsionis ad tuum argumentum hæc est; vos in isto vestro Enthymemate, magnum admittere paralogismum, cum ita argumentamini; Papa Romanus, & non alius, est ille verus Antichristus de quo Apostolus, 2. Thess. 2. Ergo cognitio vera Dei & Christi apud eum nulla est; cum potius ab iis, quæ de Antichristo prædicat Apostolus ad monstrandum ipsum Antichristum, argumentandum sit. Vos assumitis pro confesso, Papam esse illum simpliciter Antichristum; de quo Scripturæ; ac inde ad doctrinam de Deo, quam profitetur, hæreseos conuincendam, descenditis. Sed assumtum, Patres simpliciter negant; Protestantes autem κατ' ἐξοχὴν duntaxat verum esse concedunt, ac proinde quam ἁπλῶς inferris consequentiam, eam merito negant. Quid igitur vobis agendum? Ab iis, quæ Sacræ literæ, de Antichristo prædicant, Romanum Pontificem & non alium, verum esse Antichristum illum, de quo Scripturæ, demonstrandum fuerit. Atqui licet in Rom. pontificem multa congruant, pluta tamen, & præcipua in Turcicum Imperatorem, verius & plenius competere, quam in Papam, demonstratum est. Ipse enim ex diametro sese Christo opposuit, totumque ferè Mundum, a Christi doctrina, cultu, obedientia auocauit, & indies magis ac magis, nouis occupatis Regnis (proh dolo) auocat.

Quod etiam ex Apocalypsi profers de Antichristo, datum illi esse, vt bellum faciat sanctis (adde) & vt eos vincat in quémnam magis istud competit, quam in vestrum Turcum? Apoc. 13. v. 7. Nos non inficiamur, quin Papa multis sanctis faciat bellum, vt nunc in Gallia; idque hoc tantum nomine, quod illi puram Euangelij doctrinam sequentes, cum ipso in idololatriis, superstitionibus, falsis doctrinis, communicare nolint. Quis vero ad talia bella illum a spiritu Christi, & non potius Antichristi, inflammari dixerit? Cæterùm, licet quibuscunque potest sanctis, bellum inferre conetur; non tamen semper vincit eos; quæ est altera pars vaticinij; de Antichristi potentia. At vero Turcus, non solum bellum omnibus sanctis, hoc est, Christianis, quia Christiani sunt, tanquam æternis hostibus indicit ac facit, sed semper etiam, vt hactenus vidimus, & malo nostro subinde experimur, occupatis Christianorum Regnis & prouinciis, nos vincit. Quousque tandem progressura sit hæc potentia, nondum apertè possumus videre, initia tamen videmus non exigua in variis Occidentis etiam partibus, nimirum vbicunque Cœtus & Ecclesiæ Arianis conceduntur. Et huc quoque spectant isti vestri libelli, ô Semina & Pseudoprophetæ Antichristi; quos per Germaniam aliasque regiones contra doctrinam Ecclesiæ de Filio Dei Deo, spargitis doctrinam illam, doctrinam esse Antichristi ideo contendentes, vt populi hanc exosi, propter nomen Antichristi, tandem in regnum veri & perfecti Antichristi transeant, omnésque in illius potestatem tradamus; quod Dominus Iesus, pro sua misericordia auertat.

Vt multa paucis complectar, vestram in vos retorquemus argumentationem hoc modo. Turcus, verior & perfectior est Antichristus, Romano pontifice, vt demonstratum est: quia, ad summam, ille facta vera, & perfecta apostasia, verus ἀντικείμενος, sese totum Christo ex diametro opposuit, & semper opponit, illius personam & officium penitus oppugnans: cum alter neque personam vllo modo, neque officium simpliciter perneget. Ergo verius de Turco, quam de Papa dici potest, quod apud eum extincta sit vera veri Dei & Christi cognitio. Quare & vestra, qua cum Turco negatis, Christum verum esse & naturalem Dei Filium, doctrina: doctrina est non Christi sed Antichristi. Cogimini enim, velitis nolitis, negantes veram Christi Deitatem: illius quoque, quo nos redemit, officium denegare: quando sangui-

sanguine puræ creaturæ, nemo seruari potest.

Atque hæc ad primum genus Antithesium, quibus doctrinæ Ecclesiæ de Trinitate, cum Sacris literis pugnare, eóque doctrinam esse Antichristi, contenditis: nos verò consentaneam cum Scripturis esse, imò è Scripturis haustam, eóque Christi esse doctrinam non Antichristi: vestram verò, verè Antichristianam & Diabolicam esse demonstrauimus.

DE ALTERO ANTITHESium genere.

Subditis alterum genus: quo probare conamini, doctrinam nostram de Trinitate, secum pugnare idque propterea, quod Patres & alij, qui illam defenderunt, haud constanter in eadem sententia perstiterint: sed a se inuicem dissentientes, pugnantia quoque inter se scripserint. Hoc argumentum vestrum breui responsione diluitur. Primum enim falsa sæpenumero assumitis, dicta Patrum corrumpitis, & facitis esse opposita, quæ reuera non sunt. Hoc facilè liquebit, si quis ea, quæ adduciris, cum scriptis Patrum aliorumque doctorum conferat, diligenterque examinet. Deinde etiamsi aliquando Patres videantur inter se, quibusdam in Phrasibus & sacrarum literarum interpretationibus dissentire: non sequitur tamen eos in summa doctrinæ non consensisse. Quid enim quod quidam dicunt sibi locutionem illam, sancta Trinitas, vnus Deus, non placere? num igitur iure concludes, eos cum aliis non sentire, hos tres, Patrem, Filium & Spiritum S. vnum esse Deum? Ac si aliquis scribat sibi dictum illud Concilij Constantinopolitani, Deum de Deo, non probari: num ergo euinces, illum negare, Filium esse Deum, & esse ex Patre Deo? Dissentiunt nonnunquam, vt dictum est, in verbis Orthodoxi doctores: sed semper in sententia, summáque doctrinæ consentiunt. Posttremo: esto, aliqui in rebus etiam dissentiant: Ergóne doctrina, quam è Scripturis haustam, Ecclesia semper professa est, de tribus Elohim, æterno Patre, æterno Filio, æterno Spiritu S. quod sint vnus idémque Iehoua: fuerit falsa? Hæc est ad argumentum vestrum, eóq; ad totum alterum genus Antithesium, summa responsionis nostræ: neque antecedens, esse omnino & semper verum, neque consequentiam, firmam ac necessariam esse. Subiectas tamen Antitheses qua poterimus, breuitate percurremus: video enim pluribus hic opus esse quàm in priore genere fuit.

I. ANTITHESIS.

Augustli 6.c 8.de Trinitate inquit: Deus trinitas siue trinus rectè dicitur. Et li.15.c.7. dicit Deum & trinitatem, idem esse.

Caluinus in admonitione ad Polonos: oratio illa, sancta trinitas, vnus Deus, miserere nostri, mihi non placet, barbariem sapit. Et Lutherus in maiore postilla: Non est elegans Germanismus, quod Deum vocamus Dreyfaltigkeit, *etiam latinum trinus, non bellè sonat.*

Respond. Quis non videt, & Caluinum & Lutherum, de phrasi locutos esse, quod non sit admodum latina: non autem rem ipsam, quam è Scripturis tradit Augustinus, improbasse?

II. ANTITHESIS.

Mysterium Trinitatis omnem captum excedit, nec intelligi potest, ideóque simpliciter est credendum.

Aug. li.1 de doctrina Christiana, dicit Trinitatem abs se purgata mente & cerni & intelligi.

Respond. Torquentur verba Augustini, quæ sunt de doctrina Christiana, lib.1.c.10. Hoc tantummodo docet, purgandum nobis hic esse animum: quo tandem lucem illam diuinam, quæ est Deus, perspicere valeamus, & ei inhærere perfectè. Hoc enim didicit a Christo, qui dixit, Beati mundi corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Augustini verba hæc sunt. Quapropter cùm illa veritate perfruendum sit, quæ incommutabiliter viuit, & in ea Trinitas Deus autor & conditor vniuersitatis, rebus quas condidit, consulat: purgandus est animus, vt perspicere illam lucem valeat, & inhærere perfectè. Quam purgationem quasi ambulationem quandam, & quasi nauigationem ad patriam esse arbitramur. Non enim ad eum qui vbique præsens est, locis mouemur, sed bono studio, bonisque moribus. Hæc ille. Quid hæc pugnant cum iis, quæ cùm ille alibi, tum alij Patres scripta reliquerunt, de obscuritate huius mysterij, & quod omnem superet captum.

III. ANTITHESIS.

Deus est ens simplicissimum.

Deus constat è tribus personis, Patre, Filio & Spiritu sancto. Ita vicissim destruunt rectè dicta: quod enim triplum est, simplex esse desinit.

R. Deus est ens, id est, essentia simplicissima: quia in eam nulla planè cadit compositio. Ita neque tres illæ personæ eam componunt: sed in ea subsistunt: quia & Pater totam eam simplicissimam habet essentiam, & Filius habet, & Spiritus S. habet: verum Pater à nullo, ideo ἀγέννητος: Filius à Patre per æternam generationem, ideo γεννητός: Spiritus à Patre & Filio, per æternam processionem, ideo ἐκπορευτός. Et sic esse loquendum docent Scripturæ, vt alibi fusius ostendimus: quia si Pater, est verus Pater, filium generat, suā & eandem ei communicando essentiam atque naturam: non ex parte, quia simplicissima cùm sit, impartibilis est: ergo tôtam. Idem de Spiritu S. qui & Patris & Filij Spiritus in scripturis vocatur, & quem Filius à Patre mittit, dicendū est. Quomodo igitur illæ tres ὑποστάσεις componere illam essentiam dici possunt: cùm vna & eadem, eáque simplicissima sit in singulis: eóque & personæ a se inuicem οὐσιωδῶς non differant, sed tantummodo diuersis subsistendi modis distinguantur? Quare quod ais, Deus constat è tribus personis: verbum illud, si propriè accipias, non admittit Ecclesia. Compositionem enim aliquam alicuius totius, ex suis partibus, significat. Vox quoque Tripli, vestra est, non Ecclesiæ, in hoc negotio Ecclesia dicit Tres esse personas, non triplices. Neque tu, quanquam vel profitearis Philosophiam, vel Philosophus videri cupias, rectè & Philosophicè loqueris: cum triplum, opponis simplici. Triplici seu multiplici, opponitur vnicum: & simplici, compositū. Quis vnquam tres homines, appellauit triplicem hominem? Quæ sunt vnius naturæ plura indiuidua: ea non vocantur multiplicia, sed duo, tria, aut quatuor, &c. Quid ergo garris, QVOD TRIPLVM EST, SIMPLEX ESSE DESINIT? Quid hoc ad tres personas, in vna simplici essentia subsistentes: quæ inter se non alia ratione differunt, quam quod eadem essentia in vna est persona vno, in alia, alio modo? Modus autem iste, nullam adfert compositionem.

IV. ANTITHESIS.

Beza in præfatione in Dialogos Atha. Deitas (inquit) cuius causa est alius, non est Deitas. Caluin. in epistola ad Polonos & contra Gentilem, asserit Christum quatenus est Deus, à se ipso esse: & hanc ob caussam reprehendit verba Concilij Niceni: Deum de Deo, Deum verum de Deo vero.

Aug. li.7.c.1. Pater genuit essentiam & Deitatem Et Cyrillus, Pater principium est, sine principio: quoniam à nullo sua deitatis habet originem. Filius verò est principium de principio. Et Beza in c.6. Ioh. v.57. Christus suam diuinitatem à Patre habet. Et Zanchius, Pater est fons totius diuinitatis Certè subtili sophistica erit opus ad hanc contradictionem in hominum oculis pingendam, cùm adeò sit manifesta, vt vel cæcis appareat.

Resp. Priores autoritates de Deitate per se, & in se considerata, & quatenus etiam est in Patre, loquuntur: posteriores de personis, Filio & Spiritu sancto. Ac proinde aliud est, quòd Deitas in sese, sit ab alio, causa sui efficiente: aut etiam, quod in Patre sit ab alio, ab ea scilicet persona: & aliud est, quòd in Filio ea sit á Patre, & in Spiritu sancto ab vtroque. Primum falsum est; alterum verum. Si humanitas esset æterna, nec à Deo creata in primo homine: an non eam per se, & in primo homine consideratam, à nullo esse, homines verò reliquos, alium ab alio, eam accepisse, rectè diceremus? Quid hic est contradictionis? Et ideo rectissimè & Theologicè Beza locutus est, Pater enim non est caussa Deitatis, quam communicat; sed Filij, quem, illam communicando, genuit. Ac licet Pater à nullo sit, sicut nec Deitas eius; non est ta-

men Deitas, quæ communicatur, idem planè cum Patre à quo communicatur. Cùm verò Patres aliquando dicunt, Pater genuit essentiam ac Deitatem: nihil aliud voluerunt, quàm quod Pater suam essentiam totam communicando, genuit Filium: sicut & nos nostram communicando, nostros generamus liberos. Quæ caussa est, cur cùm patres rectè dicantur principia esse & fontes totius humanitatis in liberis: filij tamen formaliter homines non sint per humanitatem patrum, sed per propriam, licet à parentibus acceptam. Hinc explicatur Caluini dictum. Non enim Filius, Deus est per alienam Deitatem, sed per suam: hæc autem licet fluat à Patre, per se tamen considerata, nullum habet sui principium aut caussam. Ergo licet Caluini dictũ duriusculum sit, quia cùm dicit DEVS EST, non simplex Deitas, sed persona etiam, quæ Deus est significatur, persona autem Filij, à se ipsa non est: sensu tamen, quem explicaui, haud impium est illud dictum. Solam enim Deitatem in Filio, nomine Dei intellexit Caluinus. Patres autem in dicto, Deus de Deo; nomine Dei intellexerunt personam, quæ Deus est. Est autem Filius Deus de Patre Deo: sicut & filius homo, de patre homine. Cæterùm sicut Filius homo, quatenus filius, non potest esse, nisi à patre: quatenus autem homo, seipso est homo quia non aliena, sed propria humanitate homo est: Sic etiam de Filio Dei Deo, locutus est Caluinus.

V. ANTITHESIS.

Caluin. in Inst. Deus quoties absolutè nominatur, Patrem, Filium & Spiritum sanctum designat.

Erasmus Roter. Quoties Deus absolutè nominatur, Pater solus intelligitur, Apostolici sermonis consuetudine.

R. Diuersæ hæ regulæ, nil præiudicant sanæ doctrinæ, de Deo, quam defendimus.

VI. ANTITHESIS.

Scholæ Theologorum constituunt ingens discrimen, inter οὐσίαν & hypostasin, & qui id negant, habentur pro atheis.

Aug. li. 6. c. 8. de Trinitate, dicit se ignorare, quid intersit inter hypostasin & οὐσίαν. Et lib. 7. c. 6. affirmat οὐσίαν siue essentiã & personam differre tantum denominatione, vel secundum aliquem modum intelligendi, cùm propriè idem sint: & Hieronymus fatetur, sub voce hypostasis, aliquid subesse veneni: nec tutò dici posse, tres esse in Deo hypostases.

R. Disputationes illæ Patrum de nominibus οὐσίας & ὑποστάσεως, non efficiunt, quin in rebus consenserint: summa autem rerum, in quam omnes consenserunt, fuit: alium esse Patrem, alium Filium, alium Spiritum sanctum: quia vnus ab alio est: non autem esse aliud & aliud: quia omnes, vnus & idem Deus sunt. Atque hoc est, ὑπόστασις, illud ὑποστάσεως: quę vox apud Apostolum extat. Heb. 1. Vox autem οὐσία, è scripturis deducitur, vt suprà monstratum est. Qui rem ipsam negant, ij pro atheis habentur: non autem qui de vocibus disputant.

VII. ANTITHESIS.

Vnus est Deus æternus, subsistens, viuus, intelligens, indiuiduus.

Tres sunt in vno Deo personæ. Personam verò definiunt, quòd sit subsistens, viuum, intelligens, indiuiduum. Cùm igitur quælibet persona sit talis: necesse est, vt tres sint subsistentes, tres viui, tres intelligentes, tria indiuidua. Nemo igitur dubitare potest, dogmate Trinitatis tres Deos, pariter æternos fabricari: præsertim cùm Augustinus expressè dicat, Personam non esse aliud, quàm Deum. Nonne igitur tot dij erunt, quot personæ?

Resp. Quanquam apud Patres nunquam legi, quòd nomen INDIVIDVI, de Deo in genere seu de Essentia prædicetur, sed semper de personis: hoc tamen per concessionem dato, dico, primum dictum, de essentia intelligendum esse, quatenus vna & eadem, eáque indiuidua: in singulis existit personis: alterum autem, de personis, quatenus earum vnaquæque in eadem subsistit essentia. Et essentia quidẽ ideo indiuidua esse dicitur, quia diuidi non potest, cùm sit simplicissima: non autem, quòd sit vnum quoddam ὑφιστάμενον & indiuiduum, extra personas. Tria enim sunt, & non plura in Deo ὑφιστάμενα: Pater, Verbum, Spiritus S. Ita tres esse subsistentes, intelligentes, triáque indiuidua, libentissimè cum Athanasio confitemur; sed inde negamus consequi, tres igitur statui à nobis τῇ οὐσίᾳ Deos. Etsi enim illi tres, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, realiter inter se propter diuersos subsistendi modos, sint distincti, distinctáque ὑφιστάμενα: non sunt tamen, propter vnam & eandem οὐσίαν, à se inuicem, vt nos, diuisi. Oportet enim semper in hæc sacræ scripturæ fundamenta intueri: Vnum tantummodo esse Deum, seu Iehouam; & plures inter se distinctos Elohim, Patrem, Filium, & Spiritum S. quorum quisque in Scripturis pariter appellatur: & Deus esse, ex iisdem attributis demonstratur.

VIII. ANTITHESIS.

Damnamus (inquiunt Orthodoxi) ipsum dogma Sabellij, Praxeæ, Noeti, veterum hæreticorũ, contendentium, vnum eundémque esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum: ac nominibus solùm, non personis distingui.

Huic damnationi ipsimet se inuoluunt: idque cùm ex aliis argumentis non obscurè colligitur, tum verò ex eo, quòd eiusmodi similitudinibus suam fidem declarant: Solis, inquiunt, vna est substantia, at vires diuersæ, & anima humana vnica est: cuius tamen diuersæ sunt potentiæ: In igne est calor, sine quo calefacere non potest; & in artifice est sapientia, sine qua efficere nihil potest. His, inquam similibus Orthodoxi, vniuerso orbi Christiano, testatum faciunt: se Patrem, Filium & Spiritum sanctum, in vnum indiuiduum conflare, ita vt Pater reuera non sit alius, quàm Filius, nec Filius alius quàm Pater, sed eiusdem substantiæ vterque: idque hoc ipsum est, quod hæresis Sabelliana olim contendebat. Huc pertinet canticum illud Papale, quod Lutherani retinent in suis Ecclesiis, cuius inter alia hæc sunt verba: Pater, Filius, Spiritus sanctus, tria sunt nomina, omnium eadem substantia. Quia enim Euangelici affirmant articulum de Deo, intactum mansisse sub regno Antichristi: eo ipso hunc cantum, & similes nugas approbare se fatentur. Quemadmodum verò, dum Orthodoxi contra Gentilismum pugnant, in Sabellij hæresim incurrunt: ita è conuerso, quoties in Sabellianis confutandis acrius insistunt: multitudinem Deorum in Ecclesiam inducunt hoc est, tot Deos constituunt, quot personas numerant. Si igitur penitus excutiatur dogma Trinitatis: apparet è duobus perniciosissimis & quidem toto genere contrariis erroribus conflatam esse, Gentilismo & Sabellianismo, hoc est, pluralitate Deorum, & confusione Patris, Filij & Spiritus sancti, quibus Christianam religionem miserè conturbari necesse est. Et certè nisi doctoribus Ecclesiæ vel inuitis, subinde exciderent veræ quædam voces, de vno Deo Patre & Mediatore Iesu Christo apud Deum: non video quæ spes esse possit de Ecclesiis nostrorum temporum. Sed facit ingens Dei bonitas, vt in mediis tenebris salutaris aliqua lux veritatis subinde effulgeat, quæ piorum mentes, spiritu directore, in recta cognitione Dei, & Iesu Christi erudiat. Hæc vtinam sedatis animis expenderent, qui opinantur suas Ecclesias, ita à iugo Antichristi vendicatas, & in libertatem Euangelij traductas esse, vt nulla amplius reformatione, in vlla doctrinæ parte opus sit: quique eò audacia prolabuntur, vt si quis ipsorum placitis non per omnia subscribit, aut de aliquo doctrinæ capite controuersiam mouet; eum acerbissimè persequantur, & si facultas suppetit, funesto spectaculo, è medio tollant. Ita scilicet se ipsos reddunt indignos vberiore gratia; & Deum hac sua immanitate, ad vlciscendum ipsorum ingratitudinem prouocant.

Resp. Illud damnamus, meritò probamus: quia illorum hæreticorum dogma, falsum impiumque fuit. Quod verò subditis, nos eadem inuolui damnatione; negamus, & argumentum vestrum nullum est. Quæ enim ex nostrorum libris adfertis: similia sunt, quibus aliquo modo declarare voluerunt, non esse ita absurdum, vt sapientes Mundi putant, vnum tantummodo esse Deum, & in eo tamen tres esse personas; quæ nihil aliud sint, quàm ipse Deus vnus; quando in rebus creatis, si non idem prorsus, simile tamen quiddam reperitur; vt in Sole, & in anima. Cur enim quod in creaturis cernimus accidentale; id nobis vno gradu altius ascendentibus, non liceat in Deo, secundum scripturas, de personis cogitare, & affirmare? Non valet igitur consequentia vestra; multæ potentiæ sunt in anima humana, nec tamen in ea sunt multa indiuidua, sed vnum duntaxat indiuiduum; Ergo etiam in Deo, diuersæ personæ, in vnum indiuiduum ab iis conflantur; qui illis similibus ostendere conan-

conantur, vnum esse Deum, tres autem in eo personas. Similia enim (vt in prouerbio est) non currunt quatuor pedibus: Nos semper retinemus, vnum esse Iehouam, plures Elohim: & horum in Baptismo explicationem, cùm dicimur baptizati esse, in nomen Patris, Filij & Spiritus sancti: Ab his fundamentis non discedimus: reliqua sunt mera sophismata. Annon verò doctrina hęc nostra ex diametro pugnat cum Sabelliana, pariter & cum Gentilismo? Ille enim vnam personam, quæ tribus nominibus appellaretur, constituebat: Isti, plures post Iouem, à se inuicem seiunctas: Nos cũ Scripturis, vnum Iehouam, in tres Elohim distinctum: ita vt Deus nihil aliud sit, quàm æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus, realiter inter se distincti, propter diuersos subsistendi modos: minimè autem à se inuicem diuisi, cùm vna eadémque sit omnium essentia: in Patre existens, a nullo & ἀγεννήτως, in Filio, à Patre, & γεννητῶς, in Spiritu sancto à Patre & Filio ἐκπορευτῶς. Quid clarius, & è Scripturis certius? At non percipio. Num igitur verum nõ est? Audi Israel (inquit Moses) Iehoua Elohenu, Iehoua Echad: Baptizantes eos (inquit Christus) in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti. Tres sunt in Cœlo (inquit Iohannes) Pater, Λόγος, & Spiritus sanctus: & ij tres, vnum sunt.

Aduersus hæc dicta vos superbe perpetuo pugnatis: Nos in his simpliciter acquiescimus. Vtinam hæc dicta, sedatis animis expenderetis: & sine curiositate, simplici fide crederetis. Sed dũ vultis vestris carnalibus ingeniis, scrutatores esse diuinæ Maiestatis: vos tandem opprimemini ab illa, & illius iram sentietis. Resipiscite, resipiscite miseri.

IX. Antithesis.

Pater, Filius & Spiritus sanctus, tres sunt personæ, eiusdem maiestatis, potentiæ, honoris.

Ambrosius in 2. ad Cor 5. sic: Quamuis Christus nos redemit, sunt tamen omnia ex Deo, ideo oportet Patrem præferre. Et Hilarius de Synodis: Non exæquamus Filium Patri, sed subiectũ intelligimus. Idem testatur lib. 9 de Trinitate: Ecclesiam suo tempore, confitendo Christum esse Deum, nihilominus Patrem, solum verum Deum confessam esse Et Zanchius in tribus Elohim: Pater est principalis Deus, præ Filio & Spiritu sancto: Patrem euehimus super omnia, & κατ' ἐξοχὴν, hoc est, secundum præstantiam, Deum verum prædicamus: item, non inficiamur, quin Pater modo quodam peculiari Deus sit, nempe secundum præstantiam præ Filio & Spiritu sancto, quia est fons totius Diuinitatis. Hæc testimonia clarissimè docent æqualitatem trium personarum, ab iis ipsis euerti, qui maximè eam stabilire conãtur: & toto illo tempore, quo hic peregrinus Deus in Ecclesia dominatum tenuit, scintillam aliquam rectę cognitionis vnius æterni ac altissimi Dei Patris & vnius Mediatoris IESV CHRISTI, *diuino beneficio conseruatum esse.*

Resp. Prior sententia, omnium est Orthodoxorum: reliqua Patrum dicta, duplicem habent sensum. Aliquando ita loquuntur, respectu humanæ in Christo naturæ, & officij Mediatoris: Sic enim Pater maior est Christo, vt Christus ipse disertè dixit; & Patri subiectus est Filius, Philipp. 2. Aliquando respectu originis & ordinis, inter personas diuinas; quarum vna originem ducit ex alia, & ordine Pater semper præfertur Filio, & Filius, Spiritui sancto: vt in forma Baptismi docuit Christus. Est enim præstantius quid & dignius, gignere quàm gigni, & mittere, quàm mitti. Atque hoc sensu Basilius interpretatus est verba Christi, Pater maior me est; quod scilicet Pater, qua Pater, maior sit Filio, qua Filius est, quia Pater genuit: Filius genitus est; non autem maior est Pater Filio, qua Deus est: cum vna & eadem sit vtriusque Deitas, quæ seipsa maior & minor esse non potest. sed secundum hanc, æqualis est Filius Patri, vt idem Christus sæpè docuit, & Apostolus Philipp. 2. confirmauit. Certè neque ego, qua homo sum, maior sum liberis meis, quatenus & ipsi homines sunt, quem tamen maiorem esse, qua Pater sum, illi non inficiabuntur. Eodem sensu, vt seipsum explicat, loquitur Zanchius in tribus Elohim. Quid igitur est hic antitheseos & contradictionis? Quod ex Hilario adducis de confessione Ecclesiæ, eam confitendo, Christum esse Deum, nihilominus Patrem solum esse verum Deum, confessam esse: id non alio sensu intelligi potest aut debet, quam quo Christus ipse intellexit, cùm hæc verba ad Patrem fecit, Ioh. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te, solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum: quo sensu autem illa protulerit verba Filius Dei: suprà à nobis in primo genere Antithesium tuarũ explicatum est. Sed lege etiam eum, quem aduersus nos citas Hilarium, in eodem libro de Trinitate nono, pag. 173. & iugulum tuum, tanquam hominis blasphemi, sentiet ictum iusti carnificis. Inde enim euincit Hilarius, Filium istius Patris, qui est Deus verus, esse quoque verum Deũ: imo illum eundem solum verum Deum, qui de Patre prædicatur. SOLVS enim, non ad personam Patris, quasi exclusa persona Filij: sed ad nomen Dei, hoc est, ad essentiam Dei, seu ad Deitatem, quæ vna & eadem est, vtriusque refertur: ac proinde, si Pater est ille solus verus Deus, propter essentiam Filius quoque ex illo perfectissima natiuitate natus, propter eandem essentiam, vnus ille solus verus Deus, vnà cum Patre necessariò fuerit. In eo namque (verba sunt Hilarij) quod ait, TE SOLVM VERVM DEVM, separari se à VERITATE DEI, per exceptionem SOLITARII existimatur (nempe ab Arianis,) cùm solus verus Deus, nisi se tantum solitarium Deum, non patiatur intelligi. Et verè istud fides Apostolica non patitur, duos veros Deos credi: quia naturæ vnius veri Dei nihil alienum, hoc est, quia nihil à natura vnius veri Dei alienum, naturæ eiusdem exæquandum sit veritati. Non erit enim in Dei vnius veritate Deus vnus: si extra naturam vnius Dei veri, alterius generis, & non secundum natiuitatem, naturalis sibi Deus verus exstat. Sed vt in hoc ipso eodem dicto, non ambiguè ipse se in vnius Dei veri natura, Deum verum professus esse intelligatur: à superioribus, huic tamen dicto continuatis atque iunctis professionibus, responsionis nostræ sermo descendat. Hæc ille. Et ita ex superioribus Christi sermonibus ad discipulos suos, euidentissimè demonstrat Hilarius; Filium vnà cum Patre, esse illum vnicum & solum Deum, cuius cognitio ad vitam æternam, necessaria est. Hic est sensus verborum Hilarij: vt interim omittamus, quod alibi sæpe, ideo Patrem, solum verum esse Deum, prædicari in sacris literis docet: quia solus est ingenitus, & à seipso Deus; cùm Filius sit à Patre, eóque Deus de Deo, & Spiritus S. ab vtroque.

X. Antithesis.

Ad vnum illum Deum Israelis non patet accessus sine Mediatore, & frustra inuocatur sine Mediatore.

Ex aduerso docent, Christum Dei & Mariæ Filium, neque tamen opus esse Mediatore vllo apud Christum. Quòd si Christus est vnus ille Deus, & tamen nullo Mediatore opus est apud Christum: quis est ita amens, vt non intelligat, funditus euerti, quod fuit ab altera parte rectissimè assueratum.

Resp. ὁμωνυμία in nomine Dei Israelis. Deus Israel, propriè est ille Iehoua Elohim; sed κατ' ἐξοχὴν pro Patre accipitur; præsertim cum additur nomen Mediatoris. Ad illum sine hoc accessum nobis non patere, extra controuersiam est: Hunc autem inuocari à nobis posse & debere, sine alio Mediatore: nemo Christianam religionem professus, dubitat. Quomodo verò idem Christus & Deus sit, & Mediator, nos Patri simul, & sibi reconcilians: præterquam quod in tribus Elohim fusè explicatum est: suprà etiam in respõsione ad Antitheses primi generis, Antith. 15. non obscurè declarauimus Sed velamen positum est super cor vestrum: vt Christum non cognoscatis, & mysteria Dei non intelligatis.

XI. Antithesis.

Essentia diuina complectitur tres personas: estque tota in qualibet persona.

Contrarium est, quod rectè dicunt, Solum Filium induisse naturam humanam. Si enim tota essentia, est in qualibet persona, est quoque in Filio tota: & iam non solus Filius assumsit naturam humanam, sed tota Trinitas. Id iam olim animaduertit Athanasius, in libello de vnitate fidei: metuens enim ne diuideretur Filius à Patre & Spiritu sancto, coactus est fateri, Trinitatem totam nasci ex Maria, & Trinitatem assumere corpus, eò quod vnica semper sit Trinitas.

Resp. Neque Scripturæ dicunt, neque Patres docent, Essentiam diuinam, nempe prout in ea tres subsistunt personæ, sibi sumsisse carnem, & factam esse hominem, neque etiam idem de Trinitate tradunt, sed tantum de Filio. Aliud item est, tota essentia diuina: & aliud, tota Trinitas. Tota essentia diuina, non simpliciter, sed quatenus est in Filio, vnita est carni καθ' ὑπόστασιν iuxta illud, Colos. 2. In ipso inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter: non autem tota Trinitas, cùm solus Filius factus sit homo. Idcirco & ineptum sophistam agis in argumentando: & calumniatorem in citando. Constanter vbique scripsit Athanasius secundum confessionem fidei Nicenæ, solum

Filium descendisse de Cœlis, & incarnatum, factum esse hominem. Itane sophistica & calumniis seducitis populos?

XII. ANTITHESIS.

Aug. in disp. contra Maximinum, concedit Patrem & Filium ita esse vnum, quemadmodum Paulus & Barnabas dicuntur vnum esse. 1. Cor. 3. hoc est, eiusdem naturæ, at duorum indiuiduorum.

Alij sic defendunt vnitatem Patris & Filij, vt sint non solum eiusdem naturæ, sed etiam vnius eiusdemque indiuidui.

Resp. Rectè Augustinus, si rectè intelligatur. Simile adfert, vt discrimen ostendat inter essentiam seu naturam, & inter personas: sed simile non est planè res ipsa. Paulus & Barnabas, non solum sunt duo indiuidua, inter se distincta, sed etiam a se inuicem diuisa: non sic in Deo: vbi personæ, licet inter se realiter sint distinctæ: nullo tamen modo diuisæ sunt, cum non sint finitæ. Paulus item & Barnabas, eandem habent naturam specie, & ea re vnum sunt, Pater, Filius & Spiritus sanctus, eandem numero, & ideo, αὐτολεξεὶ vnus simpliciter sunt Deus, non autem vnus specie. Quinam scripserint, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, esse non solum eiusdem naturæ, sed etiam vnius eiusdémque indiuidui: non legi: nec etiam tibi credo, qui, vt video, mentiri soles. Sed si quid tale à veteris piis scriptum reperitur: non aliter intelligi debet, quam quod Pater, Filius, & Spiritus sanctus, eiusdem sint indiuiduæ naturæ.

XIII. ANTITHESIS.

Orthodoxi determinant, nulla ratione verum esse posse, aut dici, essentiam generari.

Aug lib. 7. c. 1. apertè dicit, Deum Patrem genuisse essentiam & Deitatem.

Resp. Primum est verum, si nomen essentiæ, propriè: alterum non est falsum, si καταχρηστικῶς pro persona accipiatur: quemadmodum accepit Augustinus & alij etiam nonnunquam Patres; & illorum oratio sic resoluenda est, Deus Pater genuit essentiam, hoc est, essentiam communicando, genuit Filium.

XIV. ANTITHESIS.

Pater est perfectus Deus.

Filius est sapientia Patris: & Pater esse non potest sine hac sua sapientia, aliàs Deus non esset, inquiunt orthodoxi. Atqui sic Pater negatur esse perfectus Deus, nisi Filius accedat. Sic igitur dicendum erat Trinitariis: Pater non est perfectus Deus sine Filio. & sic dicendo, sententiam suam ad viuum exprimerent, quam aliàs tenebris inuoluunt, metuentes, ne coarguantur à luce.

R. Quæ est ista tua consequentia? Si Pater est perfectus Deus; & Pater esse non potest sine Filio, qui est sapientia Patris, vt aiunt orthodoxi. Ergo de ipsorum sententia, nisi accedat Filius, Pater perfectus esse negatur: quæ inquam ista tua, ô inepte, sequela? Quasi verò dicant Orthodoxi, Filium qui est sapientia Patris, efficere, vt Pater sit perfectus Deus. Quod Pater sit perfectus Deus, eius rei caussa non est, quia habet Filium: alioqui Filius non esset perfectus Deus, quia non habet alium Filium: & sic neque Spiritus sanctus: sed hoc est in caussa, quia nimirum habet perfectissimam essentiam: quæ etiam caussa est, cur Filium quoque perfectum Deum esse dicamus, sicut & Pater est: quia nimirum eandem habet essentiam. Hoc verò ex præmissis sequebatur. Ergo Pater, perfectus Pater esse non potest, nisi perfectum, eóque eiusdem secum naturæ & essentiæ filiũ habeat. Est autem Pater, sicut verus perfectúsque Deus propter essentiam: sic etiam verus perfectusque Pater propter Filium. Filius ergo, eiusdem naturæ est cum Patre, eóque verus & perfectus cum Patre Deus. Vade ergo & discas melius argumentari.

Notandum præterea, caussam, cur Filius sapientia Patris vocetur non esse, quod Pater per Filium sit sapiens. est enim sapiens, sicut & potens, per suam essentiam, eóque se ipso: id quod & de Filio & de Spiritu S. dicimus: sed duabus potissimum de caussis sapientia Patris vocatur: tum quia sicut λόγος, hoc est ratio, a rationali mente: sic etiam Filius à sapientissimo Patre genitus est: tum etiam quia per hunc Filium, se suámque bonitatem, potentiam, maiestatem, Angelis & hominibus patefacit Pater iuxta illud Ioh. Deum nemo vidit vnquam: Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis, &c. Viden igitur Ariane, quantæ sint tuæ tenebræ, & eas à luce reuelari?

XV. ANTITHESIS.

Mediatorem oportuit esse non solum hominem, sed & Deum: aliàs non potuisset placare infinitam iram Dei aduersus peccatum, ac pro eo satisfacere.

Iram Dei, contendunt, placatam esse obedientia, quam Christus persoluit Deo, factus obediens vsque ad mortem crucis. Atqui huius obedientiæ Christi, lucentis in passione, ne minima quidem portio (vt ipsi volunt) ad diuinam eius naturam pertinet, sed tota in humana natura patiente hæret. Concedunt igitur Christum Mediatoris munus in natura humana peregisse: & sic vicissim destruunt, quod antea affirmarunt.

Resp. Passio in humana hæsit natura. Christus enim passus est, non secundum Deitatem, sed secundum carnem, vt Petrus & Paulus docuerunt: sed eius passionis vis, a Deitate fuit, quia infinita: nisi enim sanguis Dei fuisset: expiari peccata illo minimè potuissent: ideo Apostolus dixit, Deus sanguine suo, Ecclesiam acquisiuit: & alibi, Dominum gloriæ, fuisse crucifixum. Quomodo ergo passionis Christi, ne minima quidem (vt tu calumniaris) portio ad diuinam naturam pertinet? Imo totam, ad illam pertinere dicimus: quia persona, quæ passa est, Deus est, sed aliud est, hærere in natura, aliud pertinere ad naturam; quæ tu pro tua imperitia confundis. Annon pertinebant ad Christum afflictiones, quas Ecclesia a Paulo patiebatur? Cur enim alioqui dixisset, quid me persequeris? non hærebant tamen in propria Christi persona, sed tantùm in ipsius membris, hoc est, in fidelibus. Peregit ergo Christus (inquis) Mediatoris munus in natura humana. Si hoc munus, est pati & mori, concedimus: sed qui tamen peregit, fuit Christus, non homo solùm, sed & Deus: nec sola humana, verùm etiam diuina voluntate peregit. Etsi enim in natura diuina non est passus: voluntate tamen diuina, voluit pati in carne. Num verò hoc est destruere, quod antea affirmauimus?

XVI. ANTITHESIS.

Christus quatenus est Mediator noster apud Deum, inferior est Deo: at quoad naturam diuinã, est Deo per omnia æqualis.

Zanchius: dicimus Christum duplici ratione esse Mediatorem apud Deum: primùm quà æternus est Dei Filius, deinde quà homo. Hæc pugnant ex diametro. Si enim Mediator Christus inferior est Deo, & non solum respectu naturæ humanæ, sed etiam diuinæ Mediator est, negatur Christus quoad naturam diuinam, Deo per omnia æqualis.

Resp. Prima propositione nihil certius. Quod etiam in altera de Zanchio refert, Zanchius confirmat. Quod verò tu dicis hæc pugnare ex diametro, nempe Christum esse Mediatorem, non solùm qua homo, sed etiam, qua æternus Dei Filius est, & tamen Mediatorem, inferiorem esse Deo: quia si Christus, inquis, est Dei Filius (qualem scilicet nos Orthodoxi prædicamus, nempe naturalem) fuerit ergo Patri per omnia æqualis: Si rursus idem, quatenus Dei filius, est etiam Mediator: fuerit igitur idem Christus, quatenus Dei Filius (nota hic fraudem & calumniam) etiam Patre inferior, quia omnis Mediator inferior est illo, apud quem est Mediator; & ita erit æqualis, & non æqualis; quæ ex diametro pugnant. Quod inquam, dicis hæc pugnare, tu verè tuam prodis ignorantiam; vt qui in Filio Dei nescias distinguere naturam ab officio; & discrimen facere inter hæc duo, quatenus Filius Dei naturalis, hoc est, respectu naturæ diuinæ; & quatenus Mediator, hoc est, respectu officij Mediatoris, quod non solum vt homo, sed etiam vt Deus facit. Natura enim seu quatenus Filius est Dei naturalis, æqualis est per omnia Patri Filius: officio autem, & quatenus est Mediator, inferior est Patre. Annon potest homo aliquis, apud alium hominem, officium Mediatoris facere? Num ideo iste Mediator, quia officio inferior est altero: negabitur alteri natura æqualis esse: Quid hæc inter se differunt, imperite?

XVII. ANTITHESIS.

Duæ naturæ in Christo arctissimè sunt copulatæ, quemadmodum anima & corpus in vno homine.

Natura humana in terris patiente, aiunt diuinam in Cœlis per-

superfusam esse inenarrabili gaudio, ac ne minimum quidem doloris sensum percepisse. Atqui altera hominis parte patiente, altera compatitur.: habéntque corpus & anima inter se communia prospera & aduersa, læta & tristia. Id dum negatur de duabus in Christo naturis, negant eas arctissimè vnitas esse: imò verò ipsa vnio Filij Dei & hominis assumti, in nihilum redigitur, sublata hac communione gloriæ & humiliationis.

Resp. Similia non adferuntur, quòd per omnia ei sint similia, cuius caussa adducuntur: essent enim alioqui idem, non autem similia: sed vt per clariora, aliquo modo, quæ sunt obscuriora, explicentur. Anima, vt persistam in simili, intelligens est & volens: num igitur propter vnionem cum corpore arctissimam, ipsum corpus fit intelligens, & volēs? aut contra, corpus est mortale, ac fami & siti, frigori & æstui obnoxium: num igitur propter hypostaticam vnionē, mens quoque hominis, fit harum passionum, & mortis particeps? Summa: vt defendatis Arianismum, vos in eorū quoque castra transire non pudet, qui diuinam in Christo naturam verè passam cum corpore fuisse, impudenter docent: cum tamen Arius, negando λόγον, esse verum Deum, diuinitatem esse passam minimè concesserit.

XVIII. Antithesis.

Spiritus sanctus tam ab Ecclesia veteris, quàm Noui Testamenti, habitus est pro vno illo vero Deo, cum Patre & Filio.

Refert Sozomenes lib. 3. cap. 5. Athanasium cum aliis quibusdam Episcopis Alexandriæ conuenisse, & Spiritum sanctum in Trinitate comprehendisse: quibus verbis recens diuinitas Spiritus sancti arguitur, si quidem Athanasij ac Episcoporum autoritate, in æterna diuinitatis solio collocatur. Ita augescente regno Antichristi, auctus est numerus Deorum. In Concilio Nicæno duo veri dij sanciuntur his verbis: Deum de Deo, Deum verum, de Deo vero. Postea tertius accessit, Spiritu sancto in æterna diuinitatis societatem recepto.

Resp. Quæ ex Sozomene profers: ea perperam à te citantur. Lector ergo legat quæ ab illo fideliter narrātur, lib. 5. c. 11. Interea multarum ciuitatum Episcopi, Alexandriam conuenientes Nicæna dogmata cum Athanasio & Eusebio confirmant, & Spiritum sanctum & Patri & Filio coessentialem esse confitentur, ac Triadem nominant. Eādem historiam refert Ruffinus, lib. 1. c. 29. additur sanè (inquit) in illo Concilij (Alexandrini) decreto, etiā de Spiritu sancto plenior disputatio, vt eiusdem substantiæ ac Deitatis, cuius Pater & Filius, etiam Spiritus sanctus crederetur, nec quicquam prorsus in Trinitate, aut creatum aut inferius, posteriúsve diceretur. Itane tu ex iis verbis inferre audes, recentem tunc diuinitatem Spiritui sancto attributam, eúmque humana autoritate, in æternæ diuinitatis solio collocatum fuisse? Confitentur (inquit Sozomenes) Spiritum sanctum, Patri & Filio consubstantialem esse: antea ergo crediderunt. Vnde verò fides? ex verbo Dei. Ideo Ruffinus ait, pleniorem præcessisse disputationem. Disce ergo fidelius citare Patrēs: & prudentius ex eorum dictis argumentari.

XIX. Antithesis.

Spiritus sanctus (inquiunt) ab æterno procedit à Patre & Filio, & procedendo, Patris & Filij essentię fit particeps. Id probant dicto Christi, Ioh. 15. Mittam vobis Spiritum sanctum, qui à Patre procedit.

Beza in commentario super hunc locum, negat Christum loqui de essentia Spiritus sancti, & intelligit verba Christi de virtute & efficacia Spiritus sancti in nobis. Atqui hoc vnicum est testimonium in totis Biblijs, vnde Trinitarij hactenus probare sunt conati æternam processionem Spiritus sancti. Eo igitur sublato, tollitur id, quod multis seculis de Spiritu sancto fuit creditum. Quis vero non miretur Bezam nihilominus prauam opinionem semel conceptam retinere, ac nequaquam errorem vnà cum maligno erroris fundamento, & quidem abs se euerso, abijcere?

Resp. Beza, magnus est vir, & verus Dei seruus, déque Ecclesia optimè meritus: sed diuersa illa interpretatio, nullum facit præiudicium veritati. Quæ nos quoque de hoc loco Ioh. 15. scripsimus, in De tribus Elohim, pag. 1. libro 7. c. 1. loco 6. adductis Iustino cum primis & Tertulliano: ea iudicio Ecclesię verè Catholicæ subiicimus: atque eximiū illum Dei seruum, quæ est singularis eius pietas atque modestia, idem facere, mihi dubium non est: nec cuipiam viro bono esse debet. Quòd autem Beza non propterea mutarit sententiam, vel potiùs fidem de Deitate Spiritus sancti: id inde est, quia ex aliis infinitis sacræ Scripturæ testimoniis optimè nouit, rem ita se habere: de quibus & nos toto eodem libro septimo. Si nihil aliud haberem, Baptismus in nomen etiam Spiritus sancti, mihi satis esset: quia nemini obsignari possunt aut debent fideles, quam Iehouæ: At tam Spiritui sancto, quàm Patri, nos Sacramento Baptismi obsignari voluit, & iussit Dominus Iesus.

XX. Antithesis.

Lombardus affirmat, nullam penè literam esse in scriptura, vnde Trinitas elici non possit.

Eccius in locis communibus dicit, Trinitatem nulla ratione probari posse è sacris literis, sed traditionem esse Ecclesiæ.

Resp. Lombardus hyperbolicè locutus est: Eccius, si verum est, quod refers, quod vix credo, impiè & imperitè. Quid verò hoc ad rem?

XXI. Antithesis.

Zanchius, & alij assertores Trinitatis, testimonia non pauca ex veteri Testamento depromunt, quibus probent, tres esse personas in vna diuina essentia.

Cyrillus lib. . de Trinitat. legalis eruditio prędicat quidem, quod vnus sit Deus, at nullo modo dilatat Diuinitatis naturam ad Trinitatem personarum, nec iterum congregat ad vnitatem, hoc enim nos noua docuit scriptura.

Resp. Zanchius fecit, quod & Patres & Cyrillus ipse, quem citas. Vt alia infinita testimonia omittam breuitatis caussa: an non initio illius tertij libri Dialogorum de Trinitate cum Hermia, pag. 258. ait Cyrillus, Baruchum quasi digito demonstrare, præter Patrem, ipsum etiam filiū esse illum Deum, qui per Prophetam dixit, Ego Deus, & nō est alius præter me? Quomodo hoc docet ex Baruch? citatis illius Prophetæ verbis ex c. 3. Hic Deus noster: non reputabitur alius pro eo. Inuenit omnem viam disciplinæ, & dedit eam Iacob puero suo: & Israel dilecto suo. Posthæc autem super terram apparuit (Sic enim legit Cyrillus:) & cum hominibus conuersatus est. Quod ergo postea pag. 266. de legali eruditione & noua scriptura subiecit, illud comparatiuè intelligendum est: quòd nimirum doctrina de Trinitate longe clariùs & copiosiùs, in nouo, quàm in veteri Testamento tradatur. Explicat enim dictum Apostoli ad Phil. 2. vbi cognitionem Christi, quam Euangeliū adfert, vocat supereminentem cognitionem. Et ait præter alia: Ponebat (Apostolus) cognitionem Christi meliorem incomparabiliter veteri legali doctrina, & præstantiorem nominat: ruderáque arbitratur ea, quæ in lege. Et cùm Hermias dixisset, Christum vt verum vnúmque cum Patre Deum, fuisse prædicatum per antiquas Scripturas, quomodo igitur cognitio Christi præstantior sit & eminentior veteri legali: respondit Cyrillus in hæc verba: Multo melior est, & transilit primam (manifestiorem enim habet narrationem:) & ad scientiam dilatatur, legi incognitam. Etenim & ipse noster sacrorum dux Moses precabatur sanè diligenter, vt euidentem (Nota hæc Ariane) & absque vmbra scientiam Dei assequeretur, &c. Continebatur ergo cognitio Triniatis in veteri Testamento, sed obscura (respectu Euangelij) & sub vmbris tradita fuit. At, inquies, ait Cyrillus de legali: nullo modo dilatat Diuinitatis naturam ad Trinitatem secundùm subsistentiam. Aliud verò est dilatare, hoc est, clarè & copiosè explicare: aliud nullo modo adferre, & indicare. Hic igitur nulla contradictio.

XXII. Antithesis.

Ex primis sacrorum Bibliorum verbis: In principio creauit Deus (Elohim) Cœlum & terram: Orthodoxi magno consensu eliciunt Trinitatem in vna essentia, quia vox Elohim plurale est, verbum verò creauit, singulare.

Caluin. in Genes. c. 1. Mihi parum solida videtur tanta rei probatio. Monendi itaque sunt lectores, vt sibi à violentis eiusmodi glossis caueant. Putant illi se habere testimonium aduersus Arianos, ad probandam Filij & Spiritus sancti diuinitatem. Interea se inuoluunt in errorem Sabellij, quia

postea sequitur : Et Spiritus Dei (Elohim) ferebatur super aquas. Hic nulla erit personarum distinctio, & Spiritus erit sui ipsius Spiritus. Mihi igitur satis est, quod pluralis numerus, Dei virtutes sonat, quas in creando Mundo exeruit. Hæc Caluinus. Præterea habent Orthodoxi inter alias, hanc quoq; regulam interpretandæ scripturæ, quòd videlicet nomina, quę dignitatem significant, pluraliter vsurpentur, ad ampliorem honorem: cuius regulæ mirum est eos penitus obliuisci.

Resp. Solidum esse argumentum, ex nomine Elohim, & Iehouæ, ad probandam in Deo pluralitatem personarum, & vnitatem essentiæ. Et meras esse nugas, quæ adferuntur ex Grammaticis Hebræis de virtutibus Dei multis, & de dignitate, quæ per nomina pluralis numeri significetur: abundè in libris de Tribus Elohim demonstrauimus. Quòd alij aliter sentiant: hoc nihil præiudicat veritati Ecclesiæ Catholicæ.

XXIII. Antithesis.

Quod Gen. 19. leguntur tres viri apparuisse Abraham, quos tamen velut vnum compellat: ex eo Patres omnes ac multi neoterici deriuant tres personas vnius diuinitatis.

VVolfg. Musc. super hunc locum: Personæ illa tres sanctæ triadis personæ non fuerūt, nec Abraham eas hoc loco habuit, quod ex historia est manifestum. Erant Angeli, quia sic nominantur, pręsertim cum dicunt duo ex his, delebimus locum istum, quia ascendit clamor eorum coram Domino, & misit nos Dominus ad perdendum eum. Quòd Abraham eas pro tribus personis Diuinitatis non habuerit, nec in ijs tres personas triadis considerarit, ex eo liquet, quòd officia humanitatis talia illis obtulit, quæ nemo poterat Deo, nisi prorsus insanus, offerre ac destinare. Vnum autem ex tribus compellat, quia cæteris præstantior appareret, & aliorum nomine loqueretur. Ipsa verò adoratio, fuit corporis incuruatio, ac humanus quidam ac ciuilis honor, quo solebant homines honesti excipi.

Resp. Quod dicis Patres omnes, valde audacter ais. Sed inter illos tres, fuisse Filium Dei, Deum; plures testificantur; quanquam & ij ab Augustino refutantur, de Ciuitate Dei, lib. 16. c. 29. Quid verò ex hac interpretum diuersitate, aduersus veritatem concludi potest?

XXIV. Antithesis.

Verba Psalmi 2. Filius meus es tu, Ego hodie genui te: Augustinus & alij permulti sic interpretantur: hodie, id est, ab æterno.

Calu. friuola est Augustini argutia, qui hodie ęternum fingit.

Resp. Licet illud HODIE, non significet æternitatem: dicto tamen illo, Filius meus es tu, probari Christum Filium esse Dei, omnibus Angelis, nemine excepto, præstantiorem: euincit Apostolus ad Hebr. 1. Vbi de Deitate Christi agit. Ad quem enim Angelorum dixit, Filius meus es tu? Caluino etiam sic explicante. Quid Caluino? imò Patribus & doctis omnibus.

XXV. Antithesis.

Ex Psalmo quoque 33. Verbo Domini cœli facti sunt, & Spiritu oris eius omnis exercitus eorum: educunt tres personas Deitatis.

Bucerus dicit, Verbo idem significari, quod solo iussu, & Spiritum oris & verbum pro eodem dici, vt Esa. 11. percutiet terram virga oris sui & Spiritu labiorum suorum interficiet impium. Vult igitur dicere Bucerus, non agi hic de tribus personis, sed extolli his verbis Dei potentiam, qui suo verbo, hoc est, solo iussu, imò simplici nutu condere potuerit Cœlos cum toto eorum apparatu.

Resp. Ad hanc respondetur, quod etiam ad 23. & Bucerus rectè sensit.

XXVI. Antithesis.

Trinitati suæ stabiliendæ accommodant visioné, quæ describitur Esa. 6. Vbi Angeli ter clamant, sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum.

Caluinus negat firmum esse hoc testimonium, & dicit ternario numero perfectionem notari, vt in alijs locis scripturæ: item indefessam assiduitatem Angelicarum laudum, cuius inexhaustam materiam suppeditet Dei sanctitas.

Resp. Etsi vox SANCTVS, ter repetita, Trinitatem personarum in Deo minimè probet: ex toto tamen illo contextu Prophetæ, eam demonstrari, liquet ex Ioh. 12. vbi de Christo Filio Dei locū illum interpretatur: In actis autē capite vltimo, de Spiritu sancto Apostolus. Sed tu iniquè, omisso frumento, arripis paleas, vt insultes Ecclesiæ.

XXVII. Antithesis.

Et quod Micheæ 5. scriptum est, Egressus eius à seculo, à diebus æternitatis, ex eo probant æternam Diuinitatem Christi.

Caluinus affirmat, Prophetam non loqui de essentia Christi, sed de efficacia, secundùm quam ab initio Mundi præsens fuit in sua Ecclesia.

Resp. Neque illo Micheę dicto nititur fides nostra de æterna Filij generatione: quid igitur concludis? Falsamne esse doctrinam nostram de vera Filij æternitate?

XXVIII. Antithesis.

Apud Iohannem: In principio erat sermo, Trinitariis idē est, ac si scriptum esset, ab æterno erat sermo.

Gualterus: Vox principij æternitati nequaquam conuenit. Cùm enim æternum dicatur, quod principio & fine caret, quomodo principij nomine declarari potest?

Resp. Licet nomen principij, non significet æternitatem: ex dicto tamen Ioh. vera Filij æternitas manifestissime demonstratur. Si enim λόγος erat iam in ipso principio, cum Mundus crearetur: fuit igitur ante Mundi creationem, ebque antę omne tempus: & ea re in ipsa æternitate, quando ante tempus, nihil fuit nisi æternitas.

XXIX. Antithesis.

Et quod eodem capite habetur, omnia per ipsum facta sunt, ex eo colligunt, Christum vnà cum Patre operari, ideóque eiusdem esse potentiæ ac honoris.

Origenes super hac verba: Si omnia per sermonem facta sunt, non à sermone facta sunt, sed ab eo qui est sermone maior, quem quis alium dixerit, quàm Patrem ipsum?

Resp. Verba Iohannis clariora sunt, quàm vt vllius sophisticæ nebulis obscurari possint. Origenes indicat fontem, à quo; sed nunquid negat per λόγον omnia esse condita? Et maiorem vocat patrem eo sensu, quo etiam (vti suprà ostendimus) Basilius illud interpretatur, Pater maior me est.

XXX. Antithesis.

Deus, inquit Paulus Act. 20. redemit Ecclesiam proprio sanguine. Est igitur Christus vnus ille Deus, aiunt Trinitarij.

Erasmus in paraphrasi: Deus adeò charam habuit Ecclesiam, vt eam sanguine filij redimere non sit dedignatus. Hæc interpretatio concinna est, & congruit cum aliis scripturæ locis. Quicquid enim Deus agit per Christum, perinde habendum ac si ipsemet ageret, eò quòChristus, quicquid agit, Dei voluntate ac mandato agit.

Resp. Odium Christi eò vos adducit, vt aperta Sacrosanctæ scripturæ de Christo testimonia, nimis violenter & vos & quicunque vestrę fuerunt, aut sunt farinę, torqueatis: Quæ grammatica docuit Erasmum, suo, significari Alienum aut tanquam suum?

XXXI. Antithesis.

Ea loca, in quibus Christus disertè dicitur Deus, maximè vrgent orthodoxi, ad confirmandam ὁμουσίαν ac æqualitatem Christi cum Deo, veluti sunt Ioh. 1. Sermo erat Deus, & Ioh. 20. Dominus meus & Deus meus. Imprimis verò quòd Ro. 9. dicitur: Deus super omnia benedictus in sęcula.

Erasm. in Annot. passim: Ariani non negant Christum esse Deum, imò magnum Deum fatentur, tum ob naturæ præstantiam, tum officij ac operum dignitatem. At non concedunt esse vnum illum Deum, nec vsquam in scriptura vnum Deum appellari aiunt, cum hic honor proprius sit patris. Iohan.

Ioh.17.1.Cor.8.Ephes.4. Eò igitur vsq; extollunt Christum, vt sit Dominus ac Deus omnium angelorum ac hominum: Pater verò non solùm angelorum & hominum, sed ipsius etiã Christi, quemadmodum Ioh.20 & Eph.1.disertè appellatur: & ideo solus altissimus dicitur Luc.1 Act.7.vtpote cui omnia subsunt, nil par. Et Ioh 10 appellatur maior omnibus sine exceptione. Est igitur inter hæc ingens discrimen, quod Christus dicitur Deus, Pater vero vnus & solus Deus. Nec quicquam derogatur vnitati Dei, si Christus cognoscitur Deus & Dominus angelorum & hominum. Quicquid enim manet sub vno Deo, & ad Dei vnius altitudinem non assurgit, eo non impeditur vnitas Dei, nec plures dij inuehuntur: imo vero immensitas gloriæ vnius Dei è nulla re alia magis perspicitur, quàm quod sub se habet filium potentissimum ac sapientissimum, cui imperet, ac cuius virtute opera præstantissima efficiat. Quod ad locum attinet Rom.9.confirmat Beza Christum ibi Deum dici super omnes Prophetas & Patriarchas, de quibus ibi mentio fit, ne quis suspicari posset, Christum esse instar vnius ex illorum numero, ex quibus secundum carnem natus est. Ideo ἐπὶ πάντων reddit super omnes, non vt alij interpretes, super omnia. Ita confirmat hos gradus, vt Christus sit Deus Ecclesiæ veteris ac noui Testamenti, Pater vero etiam Deus Christi & consequenter omnium qui sunt Christi.

Resp. Audetis etiam hæc disertissima Apostolorum testimonia Arij sophismatis ex Erasmo eludere? 1. Interpretationes illæ, Christum esse Deum non οὐσίᾳ sed ob naturæ (creatæ tamen) præstantiam, & ob officij & operum dignitatem: nullo modo admitti possunt, aut debẽt: quippe quæ propriæ Arianorum, non autem à Spiritu sancto profectæ sunt. Vbi enim vnquàm in sacra scriptura has, vel expressas, vel aliqua circunstantia indicatas, quemadmodum cum aut Angeli, aut homines nomine Elohim & Dei appellantur, reperies? Cùm igitur Christus ab Apostolis simpliciter Deus, Deus magnus, Deus super omnia benedictus, Deus deniq; verus appelletur: quænam est vestra ista impia temeritas superbaque audacia, vt eum præstantia quadã duntaxat supra reliquas creaturas, & officio, operúmq; dignitate, nõ autem natura Deum esse cum Ario interpretemini?

2. Istam certè interpretationem nullo modo admittere potest nomen veri Dei, quo Christus 1.Ioh.5.appellatur: Verus enim Deus esse non potest, qui diuinam essentiam atque naturam ita in se non habet, vt sit ipsa diuina essentia, proprio subsistendi modo subsistens: quemadmodum neque verus homo ille esse dici potest, qui non habet humanam in se naturam.

3. Neque etiam eandem ferre potest explicationem nomen Filij vnigeniti. Si enim est genitus: non ergo creatus & factus: Et si ex Patre genitus est, eiusdem ergo cum eo est οὐσίας: Et, si vnicus est Dei Filius, ex Deo genitus: ab hac ergo filiatione (vt ita loquar) & ab hac genitura excludũtur Angeli, omnésque homines. Quomodo ergo fuerit vnigenitus Dei Filius, propter excellentem eius naturam creatam: aut propter officiũ, & per gratiam, operúmq; præstantiam? Nã etiam Angeli propter præstãtiam naturæ omnes. Filij Dei, & Dij vocati fuerũt. Et Moses, propter officium, Deus Pharaonis appellatus est: & ad principes iudicésque: Ego dixi, Dij estis (inquit Dominus) & filij Excelsi omnes: & nos omnes filij Dei vocamur & sumus per gratiam adoptionis & regenerationis. Si ergo vnigenitus est Dei Patris, Filius: alio excellentiori modo, quam vel Angeli, vel homines, Filius Dei appelletur, & sit, necesse est. Quare non præstantia naturæ creatæ, neq; gratia, neq; officio tantũmodo, Filius Dei & Deus esse prædicatur. Quo igitur modo? Naturâ: alius n. modus nõ restat. Nã si excipias, ideò sic appellari, quòd licet alij quoq; Angeli prę̃stãtissimã habeãt naturam, ipse tamen lõgè præstantiorem acceperit: nihil dixeris. Magis.n. & minus, non variant speciẽ: nec quòd vnus meus filius plus quàm alius acceperit ingenij, hoc efficiet, vt ideò sit vnigenitus, vertúsque homo, quàm alter. Idem de præstantiori officio, atque gratia, déque præstantioribus operibus si quis obijciat, dictum esto.

4. Vicissim & Patris nomen propriè acceptum (sicut cũ Deus Pater Christi dicitur, accipiendum est,) vestram istã interpretationem vanissimam esse demonstrat. Sicut enim homo alterius hominis pater dici propriè nequit, nisi illũ è sua genuerit substantia: Sic neque Deus, pater Christi vocari propriè potest: si iste Filius è substantia Dei genitus non sit: ita vt non officio, aut gratia, aliáve ratione, quàm natura, non minus quàm Pater, Deus sit. Deum autem Patrem, Patrem Christi propriè vocari, eóque & Christum propriè Dei Filium in Sacris literis appellari, præter alia & argumenta & testimonia, quæ alibi attulimus, hinc etiã euinci posse arbitror: quia, quod impropriè de vno aut de multis dicitur, illud de aliquo alio propriè prædicatur, oportet: & quod vnius respectu impropriè, idem alterius ratione propriè vocabitur. Atqui Deus Angelorum & hominum pater esse impropriè dicitur: quando è propria substantia illos minimè genuit: aliquis igitur alius sit omnino, cuius caussa, Deus propriè dicatur Pater: & per cõsequens, qui propriè sit Dei Filius, & ea ratione naturâ Deus, necesse est. Quis autem iste fuerit: si non est Dominus noster *Iesus Christus*, qui vnigenitus Dei Filius appellatur: qui quęcunque sunt Patris, sua quoque esse: & quæcunque operatur Pater, eadem se quoque ὁμοίως operari, séque vnum esse cum Patre prædicauit?

5. Quid? quod ipsamet tria testimonia quæ adfert, tuum istud commentum refellunt? De quônam Iohannes ait, *Et Deus erat Verbũ?* De illo, quem æternum esse demonstrauit, d. in principio (creationis rerum quæcunque illæ sint) erat, hoc est, subsistebat: ante enim illud initium nil fuit, nisi quod verè æternũ est: nihil autem verè æternum est, nisi verus & natura Deus: Adde quòd de illo λόγῳ loquitur, quem minimè factũ esse docet, cùm ait, Omnia per ipsum facta esse, & nihil esse factum, quòd per ipsum factũ non sit. Solus autem ille, qui natura Deus est, omnino factus nõ est. Quomodo ergo λόγον, de quo Iohannes loquitur, nõ natura, sed creatæ tantum substãtiæ excellentia, & officij operũmque dignitate, Deum à Iohanne vocati, dicere potes? Hunc verò paulò post, vnigenitum à Patre vocat. Quid autem tum ex voce vnigeniti, tũ ex voce Patris propriè accepti euincatur: paulò antè dictum est. Quod Thomas dixit de Christo, Dominus meus & Deus meus (nempe, Tu es:) allusit ad illud, *Deut.6.* IEHOVA Elohenu. Nomen.n. Iehouæ sẽper vocarũt & pronunciauerũt Euangelistæ, secuti septuaginta interpretes, Κύριον: sed Thomas Hebraicè est locutus; Ideò Christũ, suũ vocauit Iehouam. Neq; verò vnquã Iudæis licuit, quempiã suum & Dominũ & Deũ appellare, nisi qui natura verus est *Iehoua*. Cũ ergo Thomas, Christum, suum esse dixerit, & Iehouam, & Elohim, nec id faciendo contra mandatum Dei fecerit: Túne Christum à Thoma non nisi præstantia naturæ creatæ & officij operúmq. dignitate Deum, agnitum fuisse dixeris?

Quòd etiã Paulus vocarit Christũ Deum super omnia benedictum: id non alio sensu accipi potest, quàm quo ipse Apostolus alibi eum appellat *Deum* magnum: & eum in quo inhabitat πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς: & qui est ante omnia (creata) i. verè æternus: & per quem omnia (nulla re excepta) condita sunt: qui non est conditus. Qui autem est huiusmodi, Tu Deũ natura esse negabis? Quod ais ex Ioh.17.1.Cor.8.Eph.4. hoc esse proprium Patris: vt sit vnus ille verus Deus, quàm tu turpiter hallucineris, suprà in explicatione horum testimoniorum perspicuè demonstratum est: nec vides miser, quoties scriptura vocat Christum, Dei Patris Filium, eumque vnigenitum: toties inde euinci, nobísque à Spiritu sancto demonstrari, filium esse eiusdem naturæ cum Patre: si quidem nomen Patris & Filij, vt accipi necesse est, propriè accipiantur.

Deum Patrem, Deum Christi appellari, quis neget? sed quando, & quo sensu, videndũ est. Num aliquando ante assumrã carnẽ? nunquam: sed tantùm postquã factus est homo. Nõ ergo simpliciter, sed κατά τι, respectu videlicet humanæ naturæ, Deus pater, dicitur esse Deus Christi: Pater autem eius, propriè, respectu diuinæ: & verò etiam per gratiã vnionis hypostaticæ, respectu humanæ. Ideò non simpliciter dixit Christus, ascẽdo ad Deum meum, sed etiam ad Patrẽ meũ: & quidẽ priori loco, ad Patrem, deinde ad Deũ: quia ab æterno fuit eius Pater, in tẽpore autem eius Deus. *Ioh.20.* Neq; dixit ad Patrẽ nostrũ: sed primò Meũ: deinde, Vestrũ: quia alia ratione Pater est Christi, alia Pater est Apostolorũ & noster. Christi est, per ęternã generationẽ, eóq. per totius naturæ suæ cõmunicationem: noster autem per gratuitã adoptionem, & per Spiritualem regenerationem.

De vocabulo *Altissimi*, suprà dictum est: & filiũ quoque vocari Altissimũ, abũdè demonstratũ: quò & illud Zachariç ad filiũ suum Ioan. Baptistam, Et Tu puer, Propheta Altissimi (h.e. Christi) vocaberis: præibis enim ante faciem eius. Cum Christus de Patre dixit, Maior omnibus, id est, potentior: si simpliciter se quoque cũ omnibus creaturis, vt tu vis, minorem & impotentiorẽ fecit Patre: cur ergo mox subiecit, Ego & Pater vnũ sumus? Quid est enim, vnũ sumus, nisi eiusdẽ potentiæ? Hoc demõstrat conclusio Syllogismi. Ergo si nemo potest rapere oues de manu Patris, quia maior, i. pòtentior omnibus est: neq. etiã quisquã eas rapier de manu mea, quia eiusdẽ potẽtiæ sum cũ Patre. Hoc certè est Christi argumẽtũ: nec aliter sequitur hęc cõclusio, nisi ex ęquali vtriusq. Patris & Filij potẽtia. Ergo verba illa, Ego & Pater vnũ sum⁹: immediatè de vnitate potẽtię, & per cõsequẽs, de vnitate essentiæ intelligãtur, necesse est. Hinc

contra ea, quæ subiicis de vnitate Dei: sequitur, si Christus eiusdem est potentię cum Patre: aut igitur eundem etiam cum Patre esse illum vnum solum Deum, de quo Scriptura: aut duos esse (quæ summa est blasphemia) veros, & æqualis potentiæ, Deos. Vade ergo, & disce melius interpretari scripturas, & ratiocinari. Quis etiam te sic docuit argumentari: Beza vertit illud ἐπὶ πάντων, super omnes, Prophetas scil. & patriarchas: Ergo confirmat hos gradus: vt Christus sit Deus Ecclesiæ: pater autem etiā ipsius Christi? quod nihil aliud est, quam dicere Christum Deum esse secundùm quid: Patrem autem, simpliciter: & ita concludere, Christum esse puram, sed omnium tamen excellentissimam creaturam. Hoccine vero aut voluit ille seruus Christi Beza, aut ex eius verbis colligi potest? Beza docet ex verbis Apostoli, Christum esse super omnes Prophetas: ergóne super omnia esse negat? ait Apostolum collocare Christum super omnes Prophetas, & Patriarchas, ne quis suspicetur, eum esse ex illorum numero, ex quibus quoad carnem natus est. Ergóne hinc sequetur, Christum altiorē aliquam omnibus hominibus, aut etiam Angelis creaturam, quę sit aliarum omnium Deus, credi a nobis Bezam voluisse? Hoc certè inferunt tua verba: sed quàm ineptè, imperitè, pueriliter, ne dicam malitiosè, quis non videat? stat igitur sententia: Cum Scriptura vocat Christum, Deū: eam velle, vt eum verum ac natura Deum esse credamus.

XXXII. Antithesis.

In primis quod Christus Iehoua appellatur, ex eo firmissimè concludunt esse vnum illum Deum, præter quem non est alius, quia hæc vox ipsam Dei essentiam significet, quæ semper fuit, est & erit: & nulli creatæ rei in scriptura communicetur, ipsis etiam Rabinis Iudæorum testibus.

Flaccius Illyricus in secunda parte Clauis, negat hoc nomine æternam essentiam Dei exprimi, quia Exo. 3. & 6. (vnde hoc nomen oritur) non scriptum sit, sum qui sum (vt vulgò redditur) sed ero qui ero in futuro, quod nequaquam intelligi possit de æterna essentia Dei, quæ semper fuit. Docet igitur Deum respicere his verbis instantem liberationem sui populi ex Ægypto, quæ futura erat planè portentosa ac multis miraculis clara: perinde ac si diceret Deus, se quidem Patribus ipsorum Abrahamo, Isaaco ac Iacobo promissionem dedisse de terra Canaan olim possidenda, verùm ipsis viuentibus non exoluisse tam magnifica promissa, nunc reipsa promissis satisfacturum. Comparat igitur præsentem felicitatem sui populi cum ea, qua olim vsi erant ipsorum progenitores, quam multo inferiorem esse ostendit. Hæc interpretatio vt concinna est, ita ex aduerso alterius vanitatē redarguit, vtpote quæ stare nō potest, nisi primis Patribus vnius veri Dei cognitio detrahatur. Si enim Iehoua significat essentiam Dei ęternam, sequetur Abrahamum, Isaacum & Iacobum, verum Deum, eiusque æternitatem ignorasse: cùm Deus disertè affirmet, se nunquam illis hoc nomine innotuisse. Quòd verò dicunt, nulli rei creatæ hoc nomen communicari, falsum esse ex plurimis Scripturæ locis patet. Legatur vel vnicum caput sextum in Iudicibus, ibi enim Angelus, qui apparet Gedeoni, modò Angelus Iehouæ dicitur, modò Iehoua, propter legationem, quam sustinebat: in quo etiam loco Kimchi doctissimus Hebræorum disertè scribit, angelum, Iehouæ nomine appellari, vnde colligitur quo loco habendum sit, quod hactenus a magnis Theologis fuit de Iudæorum Rabinis affirmatum.

Resp. Duplex hic adfers effugium, ad argumentū à nomine Iehouæ deductū: quo Christum, verum & φύσει Deū esse confirmamus. Vnū est, nomine Iehouæ non significari φύσει Dei ęternam: quia interprete Illyrico, Deus Exod. 3. & 6. non dixit, sum, qui sum, vt vulgò dicitur, sed Ero qui Ero. quo futuri temporis verbo, æternitas excluditur. Alterū est, nomen hoc attribui etiam creaturis, vt Angelo in Iudicum libro. Quod igitur attribuatur Christo: inde eum nō esse creaturam, sed verè Deum, euinci non posse. Confirmas primum effugium: quia si nomen Iehouæ significat essentiam Dei æternam: sequeretur, hanc patribus ante Mosen ignotam fuisse: ait enim Deus, se nunquam hoc nomine innotuisse illis.

Ad primum: Non negamus, quin quam refert Illyricus (non est enim ipsius) & lectio & interpretatio ea vera sit ac genuina. Sed quę est hæc consequentia. Ergo Iehoua nō significat æternam Dei essentiā? non enim ideò essentiam Dei ei nomine significari dicimus, quia locus ille in Exodo secundùm veterem versionem sic habeat, *Sum qui sum.* sed quia Deus, vt eā indicaret, hoc se nomine nominauit: quēadmodum etiam vt suas essētiales proprietates explicaret, se vocauit potentem, iustum, misericordem, &c.

Hoc liquet Exod. 32. vbi Mosi faciem eius videre cupiēti, tandem se, & quid, & qualis sit, iis verbis declarauit: *Iehoua, Iehoua, &c.* Quid obsecro significauit nomine Iehouæ, si non significauit perfectissimam, æternámque essentiam? attributa enim præcipua, aliis quæ sequuntur expressit nominibus. Erat autem inprimis, quid esset, deinde qualis esset, declarandum. Cùm igitur nomen *Iehoua*, vt notum est omnibus, à verbo, quod *Esse* significat, deriuetur, & ita sit compositum vt perpetuum esse demōstret: quid causæ est, quamobrem perfectam, & æternam Dei essentiam, ipso nomine significari neges?

Quænam etiam est ista altera tua consequentia? Deus dicit, se Patribus ante Mosen, in nomine *Iehoua* non innotuisse: Ergo si eo nomine significatur essentia Dei, consequetur, hāc illis Patribus ignotam fuisse. Quasi verò Deus de hoc nomine, quo eius significatur essentia, loquatur. Et nō potius de complemēto promissionū: quòd videlicet licet Patribus planum fecerit se posse (hoc enim voluit nomine Saddai) non tamen reipsa illas promissiones extitisse fecerit seu compleuerit: nunc autem eas velit in effectum deducere. Hoc. n. sibi voluit illa locutione. Quid ergo hic locus ad rem? Nomen certè *Iehoua*, fuerat illis notum: quia ab initio mūdi sese nominauit Iehouā: vt ex historia Geneseos liquet: cum non retulerit falsa, fidus scriptor Moses.

Ad alterum κατασκευῆς tuum quod attinet: nimirum nomen *Iehouæ* aliquot etiam præter Christum creaturis in sacris literis attribui: non igitur rectè inde concludi, Christum verum esse Iehouam, quia hoc nomine in scripturis appellatur: Ad hoc inquam effugium idē respondetur, quod etiam ad Antithesin 31. de communicato nomine Dei responsum est. Nomen. n. hoc creaturis, vt Angelis, & Arcæ Domini, attribui quidem, sed impropriè, & propter aliquid in eis diuinum: Christo autem φύσει & propriè: quemadmodum ex circumstantiis locorum sanctæ Scripturæ facile fuerit cuique viro docto indicare. De Messia [illegible] Propheta: Et hoc est nomen, quo vocabunt eum, Iehoua Zedechenu, iustitia nostra. Cui obsecro purę creaturæ, hoc nomen congruere potest, vt verè dici possit nostra esse iustitia? Solus certè Deus est ille, qui iustificat: & sola eius iustitia propriè iustificamur. *Rom. 8. Rom. 3.* Christo autem propriè & simpliciter datur quòd sit nostra iustitia: *1. Cor. 1.* Propriè igitur & simpliciter ei conuenit: quòd sit Iehoua: quia cui propriè competit, nostram esse iustitiam: huic etiam simpliciter congruit, nostrum esse Iehouam: quando Propheta vtrumque simul coniungit. Stat igitur argumentum Theologorum: Christo non κατά τι, & impropriè, sicut nonnullis creaturis, sed simpliciter & propriè attribui tur nomen Iehouæ in Sacris literis: Verè igitur & natura, Deus est Iehoua.

XXXIII. Antithesis.

Quod ad Phil. 2. dicitur Christus fuisse in forma Dei, & æqualis Deo: inde colligunt orthodoxi, Christum esse cum Patre vnum Deum.

Calu. Fateor, inquit, Paulum de diuina Christi essentia hic non agere. Et in Insti. lib. 2. cap. 13 sect. 2. Non docet hic Paulus, quid fuerit Christus, sed qualiter se gesserit: Et Eras. in annot. dicit, nihil tale hinc probari, imò ad victoriam detorqueri scripturam ab interpretibus.

Resp. Hoccine est demonstrare, illis Apostoli verbis, veram Christi Deitatem, & æqualitatem cum Patre non cōcludi: quia Caluinus ait Paulū [illegible] de diuina Christi essentia nō agere: nec quid fuerit, sed qualiter se gesserit Christus, docere? Quasi verò de Caluini sententia, quia Apostolus summā Christi humiliationē explicare instituit, idcirco de diuina eius maiestate omnino tacuerit: cū potius ad illius humilitatis explicationē, maiestatis declaratio pernecessaria fuerit: nēpe, quòd qui ęqualis erat cū Patre gloriæ, eiusdémq. cū illo essentiæ, is nostra caussa sese eò vsque demisit, vt sumta serui forma, factus sit homo: & tandē supplicio crucis affectus. Quæ igitur est ista tua ex Caluino cōsequētia, Ariane: Fateor (inquit Caluinus) Paulū hic non agere (hoc est, sermonē non instituere) de diuina Christi essentia: Ergo ex illo Apostoli cōtextu, vera Christi Deitas & æqualitas cum Patre euinci nō potest? Imò contrarium ibidem docuit Caluinus, & reprehendit Erasmū, qui verba Apostoli eluserit. Placet totum Caluini locum huc transferre, vt & singularis illius viri pietas, & tua simul diabolica malitia atq. peruersitas, omnibus innotescat. Hæc sunt

Caluini

Caluini verba in Philip.c.2. in illum Apostoli locum, *Qui cum in forma Dei esset, &c.* Nemo, inquit, non videt Paulum huc vsque de Christi gloria tractare, quæ ad amplificandam eius submissionem pertinet. Et mox: Porro, inquit, in iis verbis claré asseri æternam eius diuinitatem, qui non videt, prorsus cœcus est. Nec satis verecundè Erasmus, qui tam hunc locum, quàm alios similes eludere suis cauillis conatur. Fatetur quidem vbique Christum esse Deum: sed quid me iuuat orthodoxa eius confessio, si nulla Scripturæ autoritate fulciatur mea fides? Fateor sanè Paulum de Diuina Christi essentia non facere mentionē: sed non sequitur propterea, quin locus ad profligandam Arianorum impietatem sufficiat, qui fingebant Christum Deum creatum, & Patre minorem: consubstantialem negabant. Vbi enim æqualitas cum Deo absque rapina, nisi in sola essentia Dei? manet enim semper idem Deus, qui per Ies.48.11.clamat, Viuo ego, non dabo gloriam meā alteri. Forma figuram significat, vel apparentiam, vt vulgò loquuntur. Id quoque fateor: sed an extra Deum reperietur talis forma non fallax neque ementita? Sicut ergo à suis virtutibus cognoscitur Deus, & opera eius testimonia sunt æternæ eius Diuinitatis. Rom.1.20 ita ritè Diuina Christi essentia probatur ex Christi maiestate, quam æqualem cū Patre habebat, antequam seipsum humiliaret. Mihi certè ne omnes quidem diaboli hunc locum extorqueant: quia in Deo firmissimum est argumentum à gloria ad essentiā: quæ duo inseparabilia sunt. Videat ergo Lector, qua fide ab hoc Ariano doctorum virorum dicta citentur. Eâdem etiam fide retulit, quod citat ex Instit.lib.2.c.13.sect.2. Caluini verba hæc sunt aduersus Marcionem, qui ex verbis Apostoli Phil.2. perperam intellectis, Christo phantasticū, pro vero & humano corpore affinxerat. Sed minimè (inquit) expendit (nempe Marcion) quid illic agat Paulus. Non enim quale sibi sumpserit corpus Christus, vult docere: sed quum iure diuinitatem suam exerere posset, nihil præ se tulisse, nisi quod erat abiecti, contemtique hominis. Nam, vt eius exemplo nos hortetur ad submissionem, ostendit, quum Deus esset, potuisse Mundo gloriam suam conspicuam statim proponere: cessisse tamen iure suo, & sponte seipsum exinanisse: quia scilicet imaginem serui induit: & ea humilitate contentus, carnis velamine suam diuinitatem abscondi passus est. Hic certè non docet quid fuerit Christus: sed qualiter se gesserit. Hæc ille. Etsi ergo Apostolus in toto illo contextu sibi non proposuerit docere, quid fuerit Christus, sed quàm humiliter se gesserit, vt suo exemplo nos quoque ad submissionem excitaret: interim tamen quid etiam fuerit & sit, verus scil. Deus & verus homo, Apostolum docuisse de Caluini quoque sententia manifestum est.

XXXIV. Antithesis.

Et quod ibidem sequitur, datum esse Christo nomen super omne nomen, vt in eius nomine flectatur omne genu: inde quoque magno consensu filij & patris ὁμοούσιον ac æqualitatem asserunt.

Erasmus. Quemadmodum à Deo Patre proficiscitur omnis gloria filij, ita in Patrem redundat. Vult igitur Erasmus cum Paulo dicere, gloriam filij in hunc finem spectare, vt seruiat gloriæ Dei. Cúmq; gloria filij non in ipso filio tanquam vltimo fine subsistat, sed altius supra se assurgat, nempe ad gloriam Dei Patris: necesse est, vt gloria Patris multò sublimior sit gloria filij, cum non solùm Angeli & homines, sed etiam ipse filius cum omni sua dignitate, Patris gloriæ velut supremo ac vltimo fini seruiat. Et certè quemadmodum Deus Pater primus est, atque vnicus fons, ex quo manant omnia, tam filius, quàm quæ sunt per filium; ita ordo iustitiæ postulat, vt quoq; vltimus sit finis, ad quem omnia velut ad sui primam originem redeant.

Resp. Quid Erasmus senserit de Christo, nouit ipse. Testimonia verò Scripturæ de æterna eius Deitate & gloria, quomodo ille contra orthodoxorum Patrum sententiam interpretetur, norunt omnes, qui eius scripta legerunt. Quòd autem hic ex illo adfers, omnem gloriam filij, sicut à Patre proficiscitur, sic etiam in Patrem redundare: illud nihil contra nos facit. Cùm enim duplicem à Patre gloriā habeat Christus, vnam æternam, & ἀΐδιον, quę eadem planè est cum gloria Patris, de qua Iohan.17. & alibi: alteram temporariā, quæ illi vt homini post resurrectionē, & propter humilitatem atq; obedientiam vsq. ad mortē accessit, de qua Phil.2. Heb.2. & alibi: vtramq. in Patrem redūdare, ingenuè profitemur & prædicamus. Nam primùm quidem quòd Christus Filius Dei sit naturalis, eiusdem cum Patre essentiæ: hoc habet à Patre in æterna sui generatione, inq; gloriam Patris cedit: qua certè gloria spoliat Patrem, quicunq. Filiū, naturā esse Deū negat: negat.n. per consequēs, Patrem, verum & naturalem esse Filij Patrem. Deinde verò quòd idem Christus etiam vt homo ad tantam euectus sit gloriam, quantam iam in cœlo sedens ad dextram Patris in sua humana habet natura, finitam quidem, sed tamen numeris & modis omnibus perfectā: hoc quoq; habet à Patre, & in Patris itidem gloriam cedit: vt Apostolus Phil.2. & alibi docet. Sine ergo de prima, æterna & immensa: siue de altera, quam accepit in tempore, eámque finitam: siue de vtraq. simul, dictum Erasmi intelligatur; illud nihil cum doctrina Ecclesiæ de gloria filij pugnare, quis non videt? Cæterum quòd tu tanquam Erasmi interpres, negata prima, & essentiali æternaque gloria, dissimulata verò altera, quæ illi, vt homini, in tempore accessit, tertium gloriæ genus, gloriam nimirum creatæ & finitæ, nescio cuius Deitatis, affingis Christo: istud tanquam tuum, imò diaboli inuentum cum tota Ecclesia Catholica reiicimus. Locus autem Phil.2. manifestus est: futurum tandem aliquando vt omnes creaturæ mente præditæ, impij etiam omnes, omnésque etiam hostes, è quorum numero vos quoque estis, ô Ariani, hunc Iesum Christum, velint nolint, verum esse Κύριον, hoc est, Iehouam confiteantur: eique tanquam tali genua flectant, secundùm Isaiæ vaticinium c.45. vbi Iehoua ait, Mihi flectetur omne genu: id quod Apostolus in gloriam Dei Patris cessurum dicit: quia sicut qui non honorat Filium, non honorat Patrem, ait Christus ioh.5. sic contra, qui honorat Filium, honorat Patrem. Allusit enim proculdubio Apostolus ad illud Christi Ioh.5. Pater omne iudicium dedit filio: vt omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem: (eóque, eodē quo & Patrem, honore illum afficiant) qui non honorat Filium, non honorat Patrem. Quis est iste honos? vt sicut Patrem, sic etiam Filium agnoscamus & confiteamur verum esse Iehouam, eóque illi flectamus genua. Hanc ob causam volet Pater, vt tandē in fine Mundi, Filius ipse carne visibili vestitus, summa cū maiestate è cœlo veniat ad iudicandū viuos & mortuos: vt omnes etiam impij, ex illo glorioso aduentu, & iudicādi officio, eum verum esse Dei filium, verúmque Mundi Dominum, & Iehouam cognoscentes, genibus flexis vel inuiti, vt reprobi & cacodæmones, hostésque eius omnes, debito etiam honore afficiant. Sic enim in Filio honorabitur, & adorabitur & glorificabitur Pater. Hoc est, quòd hic ait Apostolus: futurum hoc in gloriam Dei Patris. Videte ergo quid agatis miseri homines. Qui Christum, tanquam verum, naturalémque Dei Filium, nunc sponte, idque cum vestra salute, adorare recusatis: Vos certè tandem inuiti, ad æternum exitium vestrum id facere cogemini.

XXXV. Antithesis.[1]

Cùm Paulus inquit Tit.2. Expectantes beatam spem & apparitionem gloriæ magni Dei, & seruatoris nostri Iesu Christi: Beza vtrumque ad Christum trahit, reprehendens eos, qui posterius solùm Christo tribuunt, prius Deo Patri.

Calu. dubium est, coniunctim ne hæc sint legenda, an verò de Patre & Filio disiunctim. Postea sic explicat: Paulus de reuelatione gloriæ magni Dei locutus, mox Christum adiungit, vt sciremus in huius persona fore illam gloriæ reuelationem.

Resp. Opponis Caluinum Bezæ: quasi ij duo magni viri de huiusce Apostolici loci intelligentia inter se dissentiāt. Sed falleris miser: nihil enim hîc Beza contra Caluinum scripsit: sed tantùm, quod Caluinus dixerat sibi esse dubiū, illud enodauit Beza: & vnà cū Patribus aduersus Arianos, tam nomen τοῦ μεγάλου θεοῦ, quàm nomen σωτῆρος ad nomen τοῦ Ἰησοῦ referendum esse, luculenter demonstrauit: idque iis duabus potissi. rationibus: primùm quidem, quia de eodem hæc duo apud Apostolum prædicantur, cui etiam nomen ἐπιφανείας attribuitur: nomen autem ἐπιφανείας, aut etiam παρουσίας nunquam Patri, semper autem Filio in sacris literis attribuitur. Deinde quia vno articulo τοῦ, connectitur vtrūq. nomen, & μεγάλου θεοῦ & σωτῆρος ἡμῶν. Sicut ergo cùm de Patre legimus apud eundē Apostolū, ὁ θεὸς καὶ πατὴρ, vtrumq; nomen ad vnam Patris personam referimus, non autem ad duas: id quod facere cogeremur, si legeremus ὁ θεὸς καὶ ὁ πατὴρ; sic etiam, cùm hic Apostolus non dicat τοῦ θεοῦ, καὶ τοῦ σωτῆρος, sed tantummodò τοῦ θεοῦ καὶ σωτῆρος: idcircò Græcam, Paulinámque phrasin postulare, vt vtrumque prædicatum ad idem subiectum, hoc est, ad Ἰησοῦ Χριστοῦ referatur: quare hinc euinci Iesum Christum, sicut Seruator noster est: sic

etiam magnum esse, h. e. verum & natura Deum. Ad conclusionem quod attinet, annon hoc idem aduersus vos ex Apostolo concludit Caluinus? quòd verò attinet ad illa Apostoli verba τοῦ θεοῦ καὶ σωτῆρος, nunquid pugnant inter se Caluinus & Beza, quia vnus dicit dubium esse, quò referenda sint, alter ita explicat, vt omnem tollat dubitationem? Falleris ergo Ariane, si putas, te istos duos Dei seruos inter se commisisse; sed quid, si etiam vnus cum altero pugnaret, num ideò Catholicæ Ecclesiæ doctrina falsa esset, aut periclitaretur? sed audiamus etiam Caluinũ ipsum in hunc Pauli locum. Porrò (inquit) dubium est, coniunctímne hæc legenda sint, Christi magni Dei & Seruatoris: an verò de Patre & Filio disiunctim. Ariani hunc posteriorem sensum arripientes, probare inde conati sunt, Filium esse Patre minorem: quia hic distinctionis caussa à Paulo dicatur Magnus Deus. Orthodoxi Ecclesię doctores, vt obstruerent aditum huic calumniæ, vehementer cõtenderunt, vtrumque de Christo prædicari. Verum breuius & certius refellere licet Arianos; quia Paulus de reuelatione gloriæ Magni Dei locutus, mox Christum adiunxit, vt sciremus in huius persona fore illam gloriæ reuelationem: ac si diceret, vbi Christus apparuerit, tunc patefactum nobis iri Diuinæ gloriæ magnitudinem. Nomine igitur Magni Dei intellexisse videtur Caluinus, non solam Patris personam, sed & Filium simul & Spiritum sanctum, qui omnes sunt vnus idémque τῇ οὐσίᾳ Deus. Gloria enim illa, de qua loquitur Apostolus, communis est Patris, Filij & Spiritus sancti; sed in sola Filij persona, visibili nimirũ carne vestita, cùm veniet ad iudicandum viuos & mortuos, relucebit, omnibúsque fiet per carnem conspicua. Quare neque Caluinus vobis, alijsque Arianis, in huius loci intelligentia fauet: quippe qui nomen τοῦ μεγάλου θεοῦ, minimè ad solam Patris personam restringit: sed ad totam diuinam essentiam, quatenus ea est etiam in Filio, & in Spiritu sancto, extendit. Certè Filium, magnum esse Deum, apertè confitetur Caluinus: eam nullam gloriam magni Dei, in persona Christi reuelatum & patefactum iri, sine vlla dubitatione affirmat. Vade ergo Ariane & da operam, vt melius intelligas, quæ legis.

XXXVI. ANTITHESIS.

Dictum Pauli 1. Tim. 3. Deus est manifestatus in carne, plerique sic interpretatur, vt ex eo omnium firmissimè conentur probare, Christum esse vnum illum Deum.

Vuolffgan. Musc. Deus est manifestatus in carne Christi. Sententia Musculi hęc est: quemadmodum Deus dicitur se manifestasse in rebus creatis, quas tamen per Filium creauit: ita in Christi incarnatione, passione, morte, resurrectione, ascensione in Cœlum, præconio Euangelij, Deum quasi præsentem conspici, ac clarissime cognosci.

Resp. Quod ex hoc Pauli dicto, Christum verum esse Deum firmissimè proberur: hinc manifestum fit. Nomine enim Dei intelligendum esse cõstat, aut creatum aliquid, aut increatũ. De creato dicam primum, deinde de increato. Si de puta aliqua re creata interpreteris: ea necesse est, vt sit vel purus homo, anima & carne constans, qui propter inhabitantem & operantem in se verum Deum, Deus appelletur: qualem esse Iesum Christũ, Samosatenus docuit: aut aliquis Spiritus creatus, per quem reliqua omnia sint condita, & qui tandem carne sumta, factus sit homo: & qui tum propter præstantiam creatæ substantiæ, tum propter excellentiam officij, Deus sit vocatus: qualem esse Christũ somniauit vellet Arius. Primam opinionem, refellit Apostolus, cùm ait, Deus manifestatus est, seu conspicuus factus est in carne, h. e. in humana natura. Quibus verbis discrimen facit inter eum qui, & inter carnẽ in qua ἐφανερώθη: purus autem homo à se ipso, τῇ οὐσίᾳ non differt. Aliud ergo sit ab humana natura, ille qui in ea manifestatus est, oportet. Neq. mihi hic partiatis hunc hominem, nec dixeris animum esse illum Deum, qui, corpus autem esse illã carnẽ, in qua ille factus sit conspicuus. Nam & Samosatenus, omnésq. eius farinæ homines, totum hominem Christum, Deum appellarunt: & ratio officij, cuius potissimùm caussa, illum dicebant esse Deum, hanc non patitur distinctionem: quando non minus carne, h. e. corpore, quàm animo, officium fecit Redemtoris, & tam in eius corpore, quam in animo inhabitabat, & operabatur Deus. Adde, quòd nõ minus corpus, quàm animus, assumtũ est in gloria: qui autem assumtus est, is totus vocatur ab Apostolo, Deus. Nõ potest ergo solus in homine Christo animus, Dei nomine censeri. Quare, si, Qui manifestatus est in carne, differt à carne, priórque fuit (vt Apostolus ea locutione monstrat) carne: &, si carnis nomine, tam animus, quam corpus intelligitur: manifestum est, sententiam Samosateni, hic locum habere non posse. Sed neq. Arij, de Spiritu creato, qui carne assumpta, in ea per effecta sese manifestarit, habere potest. Quod enim hic de Deo in carne manifestato scribit Apostolus: illud vocat Mysterium, & quidem sine vlla dubitatione magnum, quo scilicet maius excogitari nullum potest: rem nimirum arcanam, nouã, humanis mentibus absconditã, omnémque creatum captũ superantem. Quid autem noui & arcani fuerit, quòd Spiritus creatus atque finitus sumserit humanum corpus, & in eo operatus sit, & ita in eo sese conspicuũ fecerit? An nõ Angeli & in scripturis sanctis, & apud profanos scriptores hoc sæpe fecisse leguntur? Humanum certè captum hæc res non superat. Restat ergo, vt nomẽ Dei, rem increatam significet Apostolo. Nihil autem est increatum, nisi æternus Pater, ęternus eius λόγος, æternúsque eius Spiritus, quem scriptura Spiritum sanctum vocat. De Spiritu sancto nemo vnquam hominũ hucusque, locum hunc interpretari ausus est; quãdo nunquam in humana forma modo apparuisse legitur: vt alias taceam caussas. De Deo Patre non posse intelligi ex ipsius Apostoli contextu manifestum fit: vnde concluditur, de solo Filio contextum hunc propriè accipiendũ esse. 1. *Primò*, Certum est, nemine contradicente, hic apud Apostolum, sicut & Ioh. 1. & alibi sæpe nomine carnis, humanã Christi naturam intelligendã esse. Si itaq. Pater in hac Christi carne, vt vos interpretamini, sese manifestauit, séque conspicuũ fecit: hoc certè fecit, aut ita, vt tamẽ non sit ipse factus caro: quemadmodum & in Cœlis, Sole, Luna, Elementis, animãtibus, rebúsque omnibus cõditis ita sese, suã æternitatẽ, potentiã, sapientiam, bonitatem, totã denique suam Maiestatem patefecit, & ceu conspicuũ ac palpabilẽ præstitit, vt tamen ipse non sit factus Cœlũ, Sol, aliquidve cæterorum: aut ita sese in carne manifestauit, vt ipse reuera per incarnationẽ factus sit illa caro in qua manifestatũ eum esse contẽditis. Prior sensus, etsi verus est, huic tamẽ loco Apostoli congruere non potest: & ratio est: quia hic nullũ foret mysterium, nedũ magnũ mysteriũ. Quid enim mysterij & arcani dixeris: si dicas, Deum Patrem in creãda humana Christi natura, in eáque maximis donis ornanda, & ad opera diuina excitanda, sese manifestasse? an non à condito orbe in multis præclarissimis, heroicisque viris, si non paria, saltẽ haud dissimilia præstitit? Nunc autem ait Apostolus, Mysterium hoc in religione Christiana esse omnium maximum: quòd Deus in carne sit manifestatus. Prior ergo sensus, hic locũ non habet. Alterum etiam, nempe Patrem factũ esse ipsam carnem, & in ea tanquam sua, suæq. personæ patre sese manifestasse, quis admittat, nisi qui ex diametro se opponere Sacris literis velit: quæ solum Filium, factũ esse carnem, & hominem, prædicant? Caro enim Dei propriè dici non potest, nisi quæ a Deo in vnitatẽ suæ personæ assumta est. Non est aũt assumta in vnitatẽ personæ Patris. Et tamẽ cùm Apostolus ait, Deus manifestatus est in carne, necessariò subintelligendum est, *sua*, Apostolo ipso interprete, qui ait, Actor. 20. Deus Ecclesiã acquisiuit sanguine (non alieno, sed *suo*) De Christo autem ait Heb. 5. qui in diebus carnis *suæ*. Et Christus hanc carnem, de qua Apostolus, suã semper vocat carnem. Vbi autem vnquam vel Pater, suam vocat carnem: vel Apostoli, Patris carnem, sicut semper carnem Christi appellant? Non potest igitur locus iste de Patre intelligi, quòd sit manifestatus in carne: nempe neq sua, quia nulla ei attribuitur caro: neq. aliena, quia hoc non esset mysterium, nedum magnum, & sine dubitatione magnum. Quare de solo Christo.

2. Ait *præterea* Apostolus, Qui conspicuus factus est in carne: eum iustificatum esse in Spiritu: hoc est, contra negantes veram eius Deitatem, vi & operibus ipsius Deitatis declaratum, demonstratum agnitúmque fuisse verum esse Deum. Quis autem vnquam negauit Patrem esse Deum: vt hoc aliqua eguerit probatione: quia quod Scripturæ de illo prædicant, id verum esse ex operibus diuinæ eius naturæ demonstrari debuerit? At verò quod de se prædicauit Filius: illud sicut impij Judæi pernegabant: sic ipse præter alia argumenta, apertúmque Patris testimonium, infinitis etiam suæ diuinitatis operibus, ad finem vsque vitæ, & in ipsa morte & post resurrectionem, & in Cœlum assumtionem, luculentissimè demonstrauit: atque ita in suis sermonibus, quibus se vnigenitum Dei Filium, & eiusdem cum Patre naturæ esse dicebat, iustum se, & veracem fuisse, palàm & manifestissimè declarauit: vt is vnus verè, non ita autem Pater, iustificatus in Spiritu fuisse dicatur.

3. Ait *item*, conspectum fuisse ab Angelis: hoc est, Angelos, in hunc Deum carne vestitum, & visibilem factum, quam in rem verè nouam & admirandam cum summo stupore, summaque voluptate intuitos fuisse: illum pro vero Deo & homine, Mundique Redemptore agnouisse: eóque & adorasse, & omni seruitutis genere coluisse, quemadmodum hæc omnia historiæ noui Testamenti abundè explicant, quæ Paulus vno verbo ὤφθη, breuiter complexus est. Atqui hæc tanquam noua, de Patre dixisse, non fuit necesse. Angeli enim semper à condito orbe Deum in sua Maiestate viderunt, eique inseruierunt. De Filio autem ait Hebr. 1. Apostolus: Et iterum, cùm introducit primogenitum in orbem terrarum, dicit, Et adorent eum omnes Angeli eius.

4. Subdit Apostolus: prædicatus est in Gentibus, id est, inter Gentes. Quem obsecro prædicabant Gentibus Apostoli? Apostolus vno verbo explicat, cùm scribit, Nos autem prædicamus Christum crucifixum: 1. *Cor.* 1. Item, nihil decreui me scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. 1. *Cor.* 2. Summa ergo Euangelij erat, Christum esse Filium Dei, nempe vnigenitum, eóque naturalem: & hunc missum à Patre in Mundum, factum esse hominem, Deum in carne manifestatum: qui sua morte, nostra expiarit peccata: & qui in hunc, vt verum Deum & hominem credit, hunc iustificari atque seruari. Sic ergo prędicantes Christum Filium Dei, simul etiam Patrem prædicant: quia, vt Iohannes ait, qui habet filium, habet & Patrem. Illud ergo *Prædicatus est Gentibus*, immediatè de Christo intelligitur, quod nimirum ille est verus & naturalis Dei Filius, eiusdem cum illo naturæ, eóque verus vnúsque cum Patre Deus. Quare Christus est ille Deus, de quo initio dixit Paulus, Deus manifestatus est in carne.

5. Subdit Paulus: ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ, nempe vniuerso, inter Gentes. Hoc etiam facit ad mysterij magnitudinem: quod sicut Apostoli, ipsis quoque Gentibus Christum, Deum nimirum manifestatum in carne, tanquam illarum etiam Seruatorem prædicarunt, cùm tamen ad solos Iudæos fuerint de illo factæ promissiones: sic etiam à Gentibus fide fuerit receptus, cùm passim a Iudæis reiiceretur. Gentes omnes, licet multos colerent Deos secundarios; vnum tamen opt. max agnouerunt Deum, quem Iouem (credo à Iehoua) nominarunt: vnde, Iouis omnia plena: & quem etiam propter Mundi rerúmque omnium gubernationem, Patrem omnium vocarunt: sed ex huius essentia genitum ab æterno fuisse Filium, & ab vtroque procedere Spiritum sanctum, vtrumque eiusdem cum Patre naturę, ignorarunt: ignorarunt item, hunc Filium missum tandem in Mundum, & sumta carne, hominem factum fuisse, vt totius humani generis Redemtor esset. Quòd ergo gentiles in genere Deum, Patrem omnium, ignorato Filio illius naturali, nouisse, fidemque in eum professi fuisse legantur: hoc nihil habuit mysterij: cum illud fuerit gentibus fermè omnibus & semper commune. Sed quod Apostolis talem Dei Filium in carne tunc manifestatum, qualem describit Euangelium, prædicantibus crediderint, & Filium hunc vt suum Seruatorem fide amplexi sint: hoc demum pars magni illius fuit mysterij, quo totius Christianæ pietatis summa continetur, & de quo Paulus loquitur. Hunc enim recipiendo, receperunt & eius Patrem, sicut Ioannes ait, qui habet Filium, & Patrem habet: & per consequens, vtriusque etiam Spiritum. Acta Apostolica, hanc egregiè confirmant doctrinam. Quare ex hac etiam particula, ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ, cõfirmatur, quod initiò propositum est: nomine Dei in carne manifestati, ipsum Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, propriè intelligendum esse: quia iste summa est Euangelij, quod Apostoli gentibus prædicarunt & quod gentes Fide receperunt. Non est enim (dicebat Petrus) aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri, nisi nomen Domini nostri Iesu Christi.

6. *Denique* subdit Apostolus de hoc Deo in carne manifestato: ἀνελήφθη ἐν δόξῃ. Quis obsecro assumtus est in gloria? De Patre hoc nusquam leges, sed tantum de Filio, idque carnis assumtæ respectu. Diuina enim Maiestas omnia implet, vt è Terra in cœlum assumta fuisse minimè dici queat. Est autem ille idem, de quo vtrumque dicitur: &, assumtus est in gloria: &, Deus manifestatus est in carne. Quis ergo tam cæcus & stupidus est, qui non videat atque intelligat, Deum, de quo hîc loquitur Apostolus, esse ipsum Dominum nostrum Iesum Christum? confirmatio huius explicationis petenda est, cum primis ex Iohannis 1. vbi de λόγῳ, quem dixerat esse Deum, Ioan. ait, & ὁ λόγος caro factus est. En Deum in carne existentem. Deinde subdit, & vidimus gloriam eius, gloriam vt vnigeniti à Patre. En Deum in carne manifestatum. Illud verò ingenuè fatemur; si Filius Dei

Deus, in carne manifestatus est per incarnationem: Patrem quoque in eadem fuisse manifestatum, per suam maiestatem sese in Filio exerentem, perque sui Spiritus, qui Christo datus fuit non ad mensuram, clarissima: secundum illud, qui videt me, videt & Patrem meum. Item, Pater in me facit opera. Quid igitur hoc dicto Apostoli firmius ad probandum veram Christi Deitatem, aduersus Arianos proferri potuit? Ad id quod ex Musculo obiicis: ex iis, quæ dicta sunt, responsio patet. Non negamus, quin Deus Pater in Filio, eiusque carne, peculiari etiam & præstantiori ratione, quàm in reliquis creaturis, sanctisque hominibus sese patefecerit, sed sensum hunc non esse huius loci Apostoli genuinum, abundè à nobis ex ipso contextu demonstratum est. Addè iam quod mala fide egisti, cum simplici imperitoque lectore. Cùm enim Musculus duas adferat interpretationes, vnam qua de Patre, alteram qua de Filio, nomen Dei interpretatur: cur tu bone vir altera suppressa, vnam tantummodo retulisti?

XXXVII. ANTITHESIS.

Præcipuum robur vnitatis essentiæ trium personarum, collocant Trinitarij in dicto 1. Ioh. 5. Et hi tres vnum sunt; & quod Iohan. 10. Christus inquit; Ego & Pater vnum sumus.

Caluinus testatur in versu illo de trib. testibus in Cœlo: Græcos codices non consentire: ideo se vix audere quicquam asserere: præterea quod dicitur, hi tres vnum sunt, adessentiam non referri, sed ad consensum potius. Erasmus similiter sic: horum trium summus est consensus: & addit, perspicuè intelligi, vnum hic non referri ad essentia vnitatem, sed consensum, quia sequitur: tres sunt in terra, qui testificantur, Spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres vnum sunt. Est verò manifestum, haudquaquam vnam esse horum essentiam ac naturam. Loco Ioh. 10. affirmat Caluinus, abusos fuisse vetustios Patres ad probandam ὁμοούσιον Patris & Filij. Christum enim non disputare hoc loco de vnitate essentiæ, sed de consensu, quem cum Patre habet.

Resp. Falsum, quod dicis de præcipuo robore. Non enim ignoramus quæ hoc loco obiiciantur, & obiici possint. Alia sunt clariora certioraque testimonia: quæ nemo nisi qui Baptismo renuntiet, & sacras literas neget, aut illas pro sua tantum libidine, contra omnium consensum, superbè & ineptè interpretetur, inficiari eludereve potest. Ad baptismum te reuoco, qui sacramentum est noui fœderis: & quo qui ad fœdus pertinent, non nisi fœderis autori obsignantur, obsignarive possunt, aut debent. Quis est autem fœderis autor, nisi Iehoua Elohim? Ier. 31. Adde verò quæ ad Heb. de Christo scribuntur, illum ita esse Mediatorem noui Testamenti, vt etiam Testator, hoc est Testamenti autor, qui sua morte ratum & firmum illud fecerit, appelletur. Hunc roboris truncum, si potes, finde manibus tuis: sed memineris eius quod accidit Crotoniati. Est tamen & hoc præsens Iohan. testimonium, ad demonstrandum in Cœlo illo, in quo Deus pater inhabitare dicitur, tres esse distinctas res, seu (vt Ecclesia loquitur) personas, quæ eiusdem sint autoritatis, sapientiæ, veritatis, haud ita obscurum: quin quiuis, nisi prorsus cæcus, rem ita se habere, perspicuè videre possit. Primùm, ait, esse τρεῖς: non est igitur vnus aliquis, seu vna persona, quæ tribus nominibus appelletur: aut vnus testis, qui propter diuersos testificandi modos, τρεῖς testes esse dicatur: quasi persona Patris, quia & sermone suo testificatus est de Iesu, quod sit suus filius, & quia sermonem hunc obsignauit ac confirmauit variis sui Spiritus operibus ac donis, ideo idem pater non vnus, sed tres testes esse à Iohanne prædicetur. Quis enim hoc de homine, qui de aliqua re testificetur, suúmque testimonium, & dictum, & scriptum, suo obsignet sigillo, asserere audeat? Duo ergo alij præter Patrem, vel sint in Cœlo testes, qualis & pater est, qui idem sint testificati, oportet. Præsertim cùm non dicat, *Testificatur*, sed *Testificantur*. Plures ergo personæ. Deinde, quinam sint isti Tres, explicans, vnum vocat Patrem: alterum λόγον: tertium Spiritum sanctum. Certum verò est, sicut nomine Patris, Deus pater Christi intelligitur: sic etiam nomine λόγου, Filium illius naturalem intelligi: quemadmodum & ex Euangelio Iohan. & ex hac eiusdem epistola luculenter apparet: Et sic etiam nomine Spiritus sancti, non dona, sed ipse donorum autor, ab Apostolo significatur. Neque enim dubium est: quin hic iidem nominentur, qui & in forma Baptismi. Hos verò, tres esse Elohim, & vnum Iehouam, fœderis auto-

rem: ex ipso Baptismo sæpe demonstratum est. Tertiò, accedit quod ex æquo tam de λόγῳ, & Spiritu Sancto, quàm de Patre ait Apostolus, eos esse testes in cœlo: prout videlicet opponitur Terræ. Quomodo autem Pater in cœlo fuit & est, indéque testificatus est de Christo, & quotidie multis mirisque modis testificatur? Annon ita, vt vbique tamen sit sua οὐσίᾳ ac maiestate: Eodem igitur modo, & Filius & Spiritus S. in Cœlo sunt, & è Cœlo testificantur: vt sint vbique sicut & Pater est. Quartò, non ait in præterito, testificati sunt, quasi non amplius testificentur: sed in præsenti ait, μαρτυροῦντες, quòd etiam tempore Iohannis, & quotidie in finem vsque Mundi, iidem tres testes in Cœlo, & de Cœlo, idem de Iesu testificentur ac prædicent. Quomodo verò hoc efficiunt? multis certè & miris modis: admiranda Ecclesiæ istius Iesu, contra potentissimos Monarchas & Antichristos, conseruatione: amplissima doctrinæ istius Iesu, per totum terrarum orbem propagatione: diuinis in vnoquoque membro istius Iesu operibus: certissima fide, qua Christum amplexi sentimus nos ablutos esse à peccatis: efficaci regeneratione, qua odimus iniquitatem, & diligimus iustitiam: inuicta animi fortitudine, qua omnia aduersa propter Christum hilares perferimus: vera φιλαδελφίᾳ, qua nos mutuò complectimur, & inimicos etiã diligimus: firma denique spe, qua plenam æterni Regni possessionem, propter merita solius Iesu Christi, sine dubitatione expectamus. His atque aliis mirabilibus effectis & operibus, in Mundo, in Ecclesia, in singulis Ecclesiæ membris, tres illi testes Cœlestes testificantur, Pater nimirum & Spiritus S. de Christo: & Christus, qui est λόγος incarnatus de seipso. Est autem ipsius quoquè testimonium verum: quia non est, vt ipse dicebat, solus: sed cum ipso est Pater, & qui ab vtroque procedit Spiritus S. Quales autem obsecro sunt illi: qui perpetuò & iis modis in Cœlo & de Cœlo testimonium ferunt? annon æterni? annon omnipotentes? annon ipse Deus? De Patre hoc inficiari non potes: certum autem est ex Apostolo, non solum Patrem, sed & λόγον ipsum, & Spiritum S. iis quibus & Pater, modis testificari. Non enim vnus, sed tres simul testificantur. Postremò, considera, quid de Christo testificentur: nempe id, quod volunt à nobis credi. Quid hoc autem sit, Euangelista docet, dicens: ὅτι ὁ Ἰησοῦς ἐστιν ὁ Χριστὸς: & ὅτι ὁ Ἰησοῦς ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. Sæpenumero autem ostensum est, nomine huius Christi intelligi non posse nisi eum, qui Deus sit, & homo: Qui enim est Christus, idem & Filius Dei est: qualis verò Filius? vnigenitus: & ea re non per adoptionem, vt nos, sed per naturam: & è substantia Patris genitus Filius. Quam verus enim & perfectus fuerit Pater: si non habeat, nisi adoptiuos filios? Ergo ex eo etiam, quod ij tres testificantur: vera Christi Deitas luculenter euincitur. Vade ergo, & ride hunc Iohan. locũ, quasi ad rem nihil facientem. Nam quod subdis de Caluino: tu vel non intelligis, vel facis iniuriam sancto viro. Nõ dicit, se non audere hunc versum amplecti, & inde veram personarum in Deo Trinitatem confirmare: sed se non audere quicquam asserere, nempe de eo quod Hieronymus scripsit, versum hunc fuisse à Latinis duntaxat, & quidem malitia, non errore omissum: ratio huius est, quòd ne Græci quidem inter se consentiant. Quod verò subdit Iohan. Καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν, fatemur id propriè & immediatè ad consensionem testium referendum esse; scopumque Apostoli fuisse, demonstrare horum trium testimonium, vnum idémque esse, nulla in parte diuersum: sed hinc non sequitur, hunc ergo locum, ad probandam vnitatem οὐσίας, in Patre, Filio, & Spiritu S. nihil ideo valere, quòd neque aliorum trium, de quibus mox, vna sit essentia, & natura: quasi verò & vna sit de vtrisque locutio: & non agnoscatur differentia inter personas diuinas, & diuina earum in hominibus effecta, quæ optimo interprete Beza, nominibus *Aquæ, Sanguinis, Spiritus*, significantur. Certè aliud sibi voluit Apostolus, cùm de diuinis personis dixit, καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι, de tribus autẽ testibus in terra, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν, quã simplicem tam illorum, quàm horum consensum indicare. Non enim aut temerè, aut elegantiæ caussa mutauit locutionem Apostolus: sed aliquid amplius significandi gratia: quid autem illud fuit? Effecta Dei, non possunt vnum esse τῇ οὐσίᾳ, sed diuina ὑφιστάμενα, possunt & reipsa sunt: quia tres Elohim, vnus sunt Iehoua. Hanc *essentiæ vnitatem*, non autem solummodò voluntatis consensum significare voluisse Christum, cùm dixit Iohan. 10. Ego & Pater, vnum sumus: non solùm Patrum, & omnium fermè doctissimorum hominum, consensus, verùm etiam contextus ipse euincit. Conclusio enim Christi fuit, Oues meas, è manu mea eripere nemo non potest, eóque non possunt perire. Ratio ab æquali, imo eadem potentia sua, cum potentia Patris, quæ significatur nomine *Manus*, ducitur. Nemo potest rapere de manu Patris, quia maior, id est, potentior omnibus est. Ergo neque de manu mea. Ego enim & Pater, vnum sumus. Quid hic aliud significat *vnum*: quàm vnum non solùm consensu, sed etiam omnipotentia, eóque natura, & essentia? Cur ergo secuti sensum Christi, apud Iohan. in Euangelio: non possumus hanc eandem phrasim in epistola, eodem modo interpretari? Rectè Beza in Iohan. cap. 10. *vnum*, nempe & naturæ, quæ essentiæ ταυτότητι, & summo in volendo & agendo consensu. Etsi ergo nostrum robur ad probandam vnitatem essentiæ in tribus personis positum non est in hoc Iohan. loco: illam tamen non ineptè ex eo à nobis confirmari: quiuis pius & mediocriter doctus, perspicuè videre potest.

XXXVIII. ANTITHESIS.

Christum esse vnum verum Deum, probant inter cætera, dicto illo egregio, quod loquitur 1. Iohan. 5. Scimus, quod Filius Dei venit, & dedit nobis intellectum, vt cognoscamus verum, & sumus in vero, in Filio eius Iesu Christo. Hic est verus Deus & vita æterna.

Erasmus affirmat vtroque modo posse accipi hunc locum, ita vt particula ἐν αὐτῷ, reddantur, in ipso, aut per ipsum, quam posteriorem interpretationem in paraphrasi sequitur. Et certè si locum hunc probè inspiciamus, plenè consimilem reperimus ei, qui extat Iohan. 17. Pater, hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum, vbi non duo veri, sed vnus verus Deus ac Pater nominatur. Non dicit Iohannes Filium Dei esse verum illum Deum, sed ideo eum venisse, vt nos instrueret cognitione veri Dei: neque id solum, sed efficeret, vt perpetuò essemus ac maneremus in vero illo, eiusque felicitate, gratia ac vita æternùm frueremur. Si quæratur, quomodo accessus nobis patere possit ad Deum, cùm is inhabitet lucem inaccessam? respõdet Iohannes, per Filium eius Iesum Christum vnicum Mediatorem, in quo habemus aditum ad Patrem. Ephes. 2. 18. quemadmodum etiam Caluinus dicit, hisce verbis modum exprimi nostræ cum Deo coniunctionis. Vt verò pios adhuc vehementius rapiat in admirationem tanti mysterij, & clarius se explicet, Patrem quem antea verum simpliciter dixit, tandem vocat verum Deum & vitam æternam.

Resp. De loco Iohan. 17. satis dictum est supra, parte prima, Antithesi secunda: illum à vobis non intelligi. Certum est, non esse duos Deos: sed dubium non est, quin Pater & Filius eius vnigenitus, duæ sint personæ: quarum si Pater, verus est ille vnicus Deus, Filius quoque eius naturalis, Deus sit, necesse est. Hunc verò præsentem, quàm turpiter torqueatis, ne veram Christi Deitatem confiteri cogamini: planum ex ipso Apostoli contextu faciam, iuuante Christo. Primum ait, Filium illum Dei venisse: quemnam Filiũ? vnigenitum vt c. 4. vers. 9. explicat. Non est igitur, vt nos, aut Angeli, per gratiam, sed per naturam Filius. Quare ὁμοούσιος Patri. Deinde ait: hunc Filium, hoc est, cùm iam esset Filius, *venisse*: quomodo venit? Iohan. supra cap. 4. explicat, dicens: ἐν σαρκί: quasi dicat, non mutatione loci, sed per carnem, in vnitatem nimirum suæ personæ assumtam: atque ita assumtam, vt verus homo factus sit: vt *Philipp. 2.* explicatur: & in Euangelio, Ioh. 1. Hebr. 2. 1. Tim. 3. Quid enim fuit aliud illius aduentus in Mundum, quàm eius, qui Filius Dei erat æternus, in carne assumta, per annos circiter 33. manifestatio? Adde efficacitatem Dei propriam, quæ in hac carne exerta fuit, ablutio scilicet peccatorũ, 1. Ioh. 1. Sanguis eius lauat nos à peccatis. Non igitur sanguis puri hominis, sed Dei. Tertiò ait, & dedit nobis (nempe solus) διάνοιαν: vt cognoscamus τὸν ἀληθινόν: de cognitione efficaci, & mentibus nostris impressa, loquitur, non quæ tantùm verbo proponitur: alioqui etiam Moses, & Prophetæ dicerentur antea dedisse hominibus διάνοιαν hanc. Est autem solius Dei, hanc διάνοιαν dare, Ier. 31. & alibi. Et huc pertinet illud Ioh. 5. Nemo nouit Patrem, nisi Filius: & cui voluerit Filius reuelare. Ioh. 17. Manifestaui nomen tuum, & crediderunt ac cognouerunt. Vt enim Patris est reuelare Filiũ (quo illud Christi ad Petrum, Matth. 16. Caro & sanguis hæc non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in Cœlis:) Sic Filij est reuelare Patrem. Et qualis est reuelatio Patris: talis & Filij: diuina, efficax, impressa menti. Quartò, quo nomine appellauit Patrem, nempe ἀληθινόν, eodem & Filium nominauit: & sumus (per incorporationem) ἐν τῷ ἀληθινῷ:

quonam

quonam ἀληθινῷ. Explicat per appositionē: ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστῷ, quid clarius? Nomen autem ἀληθινὸς absolutè positum vt hic, proprium est Dei. Neque est cur verba Iohannis torquendo, sic interpreteris, nos & Patrem cognoscere, & in Patre esse, ἐν τῷ υἱῷ, id est, per Filium. Etsi enim, ad rem quod attinet, verum hoc est, verba tamen ipsa, sensum hunc non ferunt: & alienus est à mente Iohannis hoc in loco: vbi summatim concludere voluit, quod in initio epistolæ breuiter etiam proposuerat: de persona videlicet Christi, déque eius officio. Persona, æternus est λόγος, Filius Dei, Deus; qui cum semper fuerit apud Patrem, tandem manifestatus est in carne: ita vt potuerit ab Apostolis videri oculis, auribus audiri, manibus contrectari. Officium fuit, omnia viuificare, & animas & corpora : in ipso enim vita erat : & vita erat lux hominum. proinde non simpliciter λόγον vocauit Iohan. sed λόγον τῆς ζωῆς: personam simul & officium, duobus nominibus breuiter complexus. Hæc initio epistolæ: eadem ad calcem concludere voluit: cum eundem vocauit & Deum verum, & vitam æternam. Quare, quod etiam dixit, & sumus ἐν τῷ ἀληθινῷ, non nisi de Christo intelligi potest, quemadmodum ipse contextus manifestissimè docet. Certè Christus ipse se vocat τὸν ἀληθινόν. Apoc. cap. 3. v. 7. Vel ipsum solum nomen Filij, quod dico, euincit. Si enim Pater ἀληθινός est: Filius quoque eius, ἀληθινὸς sit, necesse est. De vero enim & perfecto, tum Patre, tum Filio loquitur. Omnis autem verus, veri alicuius patris filius : eiusdem naturæ est cum patre. Atque huc semper spectabat Christus, cùm suum Patrem, illum ἀληθινὸν, καὶ μόνον θεὸν esse contendebat, quem Moses & Prophetæ prædicauerant: vt inde, verum quoque illius Filium, Deum itidem esse, demonstraret: quòd in vtriusque cognitione, vita consisteret æterna. Consuetudinem hanc secutus est & dilectus Christi discipulus, cùm alibi, tum hic. Ideo cum de Patre dixisset, eum esse τὸν ἀληθινόν: statim de Filio subiecit, Et sumus ἐν τῷ ἀληθινῷ, Filio eius Iesu Christo: significans vnam & eandem vtriusque esse naturam, eòque tam Filium, quàm Patrem, verum esse & æternum Deum: id quod mox disertis verbis expressit. Quinto igitur loco, diligenter considera hæc verba: οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεὸς, καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος. Quis οὗτος? annon ὁ υἱὸς αὐτοῦ Ἰησοῦς Χριστός: Immediatè enim hoc præcedit. Præterea, an non de quo prædicatur nomen æternæ vitæ, de eodem etiam prædicatur nomen veri Dei? An non verò de Christo passim prædicatur, quòd sit vita, vera nimirum & æterna? An non initio huius epistolæ, Christum vocauit λόγον τῆς ζωῆς: & ζωὴν, quæ modò sit patefacta: & quidem ζωὴν τὴν αἰώνιον ἥτις ἦν πρὸς τὸν πατέρα, καὶ ἐφανερώθη ἡμῖν: Perpende hæc omnia, examina, confer cum aliis de eadem re locis: Certè, Filius ille est, qui fuit semper apud Patrem: nunquam enim Pater sine Filio: Et is vocatur λόγος, Iohan. 1. & λόγος ζωῆς 1. Ioh. 1. & is caro factus est, & habitauit in nobis, Ioh. 1. manifestatus in carne, 1. Ti. 3. & missus fuit à Patre, vt per illum viuamus 1. Ioh. 4. Ait autem Ioh. initio huius epistolę, hanc ζωὴν αἰώνιον, semper fuisse apud Patrum, & iam patefactam esse nobis: nempe, in carne. Quis igitur obsecro inficiari possit, Christum esse illam æternam vitam, de qua Apostolus hic loquitur? Si verò Christus est illa æterna vita: æternus quoque & verus sit Deus, necesse est. Quæ igitur isthæc est impudentia, hunc tam insignem locum, velle autoritate Erasmi qui quam bene senserit de Christo, nouit Dominus ipse, eludere? Profectò, qui ex hoc tam perspicuo loco, non percipit veram Christi Deitatem: ideo non percipit, quia non vult percipere: & ideo non vult percipere, quia inuidet huic Iesu crucifixo tantam gloriam: & ideo hanc illi inuidet, quia à spiritu Diaboli, quo capitaliorem hostem non habet Christus, tortuosè agitatur.

XXXIX. Antithesis.

In Epistola Iudæ, vers. 4. Beza sic vertit: subrepserũt quidam homines impij, qui solum illum herum ac dominum nostrum Iesum Christum negant. Et quod Apostolus dicit solum herũ Deum ac Dominum, id omne Christo accommodat, & execratur Erasmum, qui prius ad Deum, posterius ad Christum refert.

Caluinus sic vertit: subingressi sunt quidam homines impij, Deum qui solus est herus, & Dominum nostrum Iesum Christum negantes: quæ versio contraria est Bezæ, & cum Erasmo facit. Ita videmus, quantum dubitationum procellis iactetur dogma Trinitatis.

R. Magnas verò procellas quia in versione quorundam locorum scripturæ, dissidet Beza à Caluino & Erasmo: quasi verò fides Catholica, istis aut aliis hominibus nitatur, & non potius veritate scripturarum. Caluinus vir alioqui magnus & magni iudicij, secutus est multis in locis Erasmum, quia non habuit in literis Græcis eruditiorem interpretem: sed Beza Græcè doctior maluit sequi verum Græci sermonis sensum, præsertim cum habuerit D. Petrum in epistolæ secundæ c. 2. sibi fauentem. Ibi enim de eadem re agēs, nomen δεσπότου, ad Christum, qui nos suo sanguine mercatus est, refert. Non est autem dubium quin Iudas, vtpote posterior, secutus sit verba, & sensũ Petri. Quid: quod Caluinus ipse in cõmentariis, tum propter vetustos codices, qui sic habent, *Christus* qui solus est Deus & *Herus*: tum propter locum Petri, non obscurè indicat, sibi magis probari, vt iste locus Iudæ, de solo Christo intelligatur: Ite ergo, & fidelius doctorum virorum dicta recitate. Solus certè Christus est Deus simul & Herus ille qui nos mercatus est: vt Complutensis quoque editio, teste Beza habet. Itane ergo, magnis dubitationum procellis agitatur nostra, de vera Christi Deitate doctrina?

XL. Antithesis.

Postremò quod scriptum est Apoc. 1. Ego sum α & ω, principium & finis, ex eo arguunt, Christum esse vnum illum æternum Deum, qui nec initium nec finem habet.

Erasmus in Ioh. c. 8. Pater principium est omnium Filius Patris principium certè dici non potest. Quòd autem in Apoca. dicitur principium & finis, constat intelligendum, Christum esse initium & consummationem Ecclesiæ, quam priore aduentu constituit, posteriore perficiet. Ac videtur sanè idem esse sensus horum verborum, cum verbis Pauli Eph. 1. quando dicit Christum implere omnia in omnibus. Verùm sic non adæquatur Deo: Est enim Christus omnia in omnibus Angelis & hominibus: At Deus etiam in Christo.

Res. Manifesta sunt illa verba Apoc. c. 1. ver. 4. Qui est, qui erat, & qui venturus erat: quando sine vlla contradictione, æternitas Dei Patris, illa phrasi significatur: Et nomen *Iehoua* explicatur. Neque etiam obscurum est, verba illa in v. 7. *Ego sum* ΑΛΦΑ & ὠμέγα, principium & finis, de Patre intelligi: quia titulum subdit, quo antea Pater significabatur, nempe, *Qui est, qui erat, & qui venturus est*: ex quibus manifestè colligitur, sicut titulus, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, titulus est soli Deo conueniens: Sic etiam eodem modo sese habere titulum, Ego sum Α & Ω: principium & finis. Solus enim Deus, principium est & finis rerum omnium. Atqui de Christo mox idem prædicatur, c. 1. v. 11. Christus enim introducitur in hæc verba loquens, Ego sum Α & Ω: primus ille & vltimus; & deinceps non semel sese hoc nomine vocat. Cum autem eodem titulo ornetur & iisdem planè verbis describatur Filius, quibus & Pater; quid causſę est, quamobrem aliter de Patre, & aliter de Filio; testimonia ista interpreteris? Si Pater principium est rerum omnium, quia ab ipso sunt omnia; cur non etiam Filius eodem sensu vocatur principium; cùm de eo scribatur idem Iohan. 1. Omnia per ipsum facta sunt. & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Ac si Pater dicitur Ω, finisque rerum sc. omnium, quia omnia ad ipsius gloriam condita sunt; cur non itidem & Filius, eodem sensu finis omnium appelletur; quando de ipso scribit Apostolus Col. 1. 16. Omnia non solum per ipsum, sed etiam εἰς αὐτὸν, creata esse?

Atque hæc de Scripturis, quas putasti te posse tuis ineptis interpretationibus eludere. Venio ad Patres, quos te non puduit non solùm tanquam sibi inuicem, sc. contradicentes, sed etiam tanquam, si Deo placet, patronos tuæ impię causſe proferre. Imperitum & miserum hominem.

XLI. Antithesis.

Ex Patribus.

In Patrum quoque testimoniis coaceruandis anxiè laborant Trinitarij, & pro certo asseuerant, totã Antiquitatem, tres personas in vna diuina essentia agnoscere. Ac primò quidem allegant pro se Ignatium omnium Patrum antiquissimum, qui attigit ætatem Iohannis, Apostoli ac Euangelistæ.

Ignatius in epistola ad Tarsenses: Intellexi, inquit, quosdam Satanæ ministros voluisse vos turbare, contendentes Christum esse super omnia Deum. Ibidem instituit refutationem huius Sathanæ commenti, quo Christus collocatur in solio vnius altissimi Dei, ac inter cætera adducit testimonium Iohan. 20. Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum. Et 1 Cor. 15. Tradet Filius regnum Deo ac Patri: Item tunc & ipse Filius subiicietur ei, qui subiecit ei omnia, vt Deus sit omnia in omnibus. Videmus igitur, Ignatium dogma istud de vna eadémque essentia ac diuinitate Patris & Filij ad Sathanam autorem referre. Patet etiam hinc, eos qui posterioribus sæculis Orthodoxi sunt dicti, ab Ignatio Sathanæ ministros appellari. Tanta deinceps est secuta doctrinæ ac iudiciorum mutatio. In epistola ad Magnesios sunt hæc eius verba: Christus iis qui in superstitionem plurium Deorum impegerant, vnum verum Deum Patrem suum annunciauit: ex quibus verbis liquidò constat, Deum Trinitatem Ignatio incognitum fuisse. In epistola ad Tarsenses adducit testimonium ex 8. Prouerb. Dominus creauit me initium viarum suarum, eóque probat, Christum esse Filium Dei. Etsi verò inficiandum non est, verbum creandi non extare in Salomone: tamen Ignatius hac ipsa citatione perspicuè ostendit, tum quid ipse, tum quid Ecclesia sui temporis de Filio Dei senserit, nempe, quòd sit creatus à Deo immediatè ante initium rerum omnium per quem deinceps Mundus sit conditus, & quæcunque sunt in Mundo. Non igitur in primitiua illa Ecclesia, Christus dicebatur Filius Dei, quòd genitus esset ex ipsa essentia Dei: quæ opinio post Ignatij demum tempora in Ecclesiam irrepsit.

Resp. Aduersus impudentes calumniatores, nullum respondendi genus magis expeditum & accommodatum inueniri posse arbitror: quàm si silendo contemnas, & contémnendo sileas: nempe in priuatis nostris caussis, quibus nihil fraudi esse potest, si æquo feras animo iniurias. At verò vbi agitur gloria Dei, salus Ecclesiæ, bonum publicum, honos totius piæ vetustatis: ibi, nihil planè, quod ad rem faciat, dissimulandum est homini Christiano, bonóque viro. Ergo, quæ hic subiicit ex Patribus noster Arianus: ea nullo modo silentio prætereunda nobis sunt: nimis enim manifesta iniuria fit abs te, quisquis es Ariane, illis piis Patribus, quorum adducis in hoc tuo impio & inepto libello, testimonia: quasi etiam ipsi vestræ hæresi faueant: cùm aduersus eam suos expressè strinxerint calamos: vt vestra impudens in Deum impietas, & in Patres iniquitas, digna sit quæ alio respondendi genere, quàm nostro, refellatur. Etenim, quænam est ista vestra peruersitas: vt qui doctrinam Ebionis, Cerinthi, Carpocratis, Sabellij, Arij, à vobis denuò ab inferis excitatam, Sathanicam appellarunt: vos, eos tanquam patronos vestros in medium adducere audeatis?

Bifariam autem in horum Patrum testimoniis citandis, grauissimè & non sine malitia peccatis: primùm, quòd quæ manifestissimè sanam & orthodoxam confirmant doctrinam: ea vos de industria, silentio præteritis: Deinde, quia quæ aduersus nos tanquam vobis fauentia adfertis, ea vel non intelligitis, vel intellecta, malitiosè corrumpitis. Ad rem.

In Epistola 2. quæ est ad Trallianos: de nouis hæresibus agens, quas viribus omnibus fugiendas esse docet: ita scribit, pag. 7. τὸν μὲν γὰρ χριστὸν ἀλλοτριοῦσι τοῦ πατρὸς· τὸν νόμον δὲ τοῦ χριστοῦ· καὶ τὴν ἐκ παρθένου γέννησιν, διαβάλλουσι. ἐπαισχύνονται τὸν σταυρὸν· τὸ πάθος ἀρνοῦνται, τὴν ἀνάστασιν πιστεύουσι· τὸν θεὸν ἀγνωστον εἰσηγοῦνται· τὸν χριστὸν ἀγέννητον νομίζουσιν· τὸ δὲ πνεῦμα, οὔτε εἶναι ὁμολογοῦσιν. τινὲς δὲ αὐτῶν, τὸν μὲν υἱὸν ψιλὸν ἄνθρωπον εἶναι λέγουσι, ταυτὸν δὲ εἶναι πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ πνεῦμα ἅγιον· καὶ τὴν κτίσιν ἔργον θεοῦ οὐ διὰ χριστοῦ, ἀλλ' ἐκ τινος ἀλλοτρίας δυνάμεως. Interpres, latinè sic vertit. Christum enim, Patre carere affirmant, legem autem Christi, & de virgine natiuitatem, calumniantur, crucísque pudore, & passionem pernegant, & resurrectionem minimè credunt: sicque & ignotum Deum profitentur, & nunquam genitum Christum arbitrantur: sanctum autem Spiritum, ne esse quidem concedunt. Quidam verò, Filium dicunt merum hominem esse, eandémque personam, & Patrem existere, & Filium, & Spiritum sanctum: & creaturas à Deo non per Christum, sed aliam quandam virtutē, esse conditas. Annon & vos, cum illis antiquis hæreticis, in hac hæresi consentitis? nempe Christum, non esse verum, & è Patris substantia genitum Filium, eóque Deum verū, de Deo vero, sed puram esse creaturam? hoc est enim Christum ἀλλοτριοῦν τοῦ Πατρὸς, & νομίζειν τὸν χριστὸν esse ἀγέννητον (nempe vt infra explicat) ἀληθῶς. Annon & in hac altera, Spiritum sanctum, nequaquam esse rem ὑφισταμένην, seu personam? Hoc est enim non confiteri πνεῦμα ὅτι ἔστι. Quibus Ignatij verbis (vt obiter hoc dicam:) explicatur locus Act. 19. v. 2. ἀλλ' οὐδὲ εἰ πνεῦμα ἅγιον ἔστιν ἠκούσαμεν. Quid verò hinc restat? nihil aliud, quàm quod negantes vos hoc modo Filium & Spiritum sanctum, & solum Patrem, qui vero careat Filio, & essentiali Spiritu, introducentes; ἄθεον εἰς in Ecclesiam inducitis: quemadmodum cōcludit Ignatius. Et infra, in eadem epistola, pag. 8. refutans superiorem hæresim de Christo, & simul etiam illam Docetarum, contra veram eius humanitatem, ita scribit: ὁ ἀληθῶς γεννηθεὶς ἐκ θεοῦ, καὶ ἐκ παρθένου. Sicut ergo ideo verus est homo, quia veram humanam naturam verè accepit ex virgine matre homine: sic verus est Deus, quia veram essentiam diuinam verè accepit à Patre Deo. Et paulo post, pag. 9 sic scribit contra eosdem Docetas: ὁ ἀληθῶς ἐγεννήθη ἐκ Μαρίας & c. ὁ ἀληθῶς γενόμενος θεὸς λόγος & c. ἐν σώματι ἐπεδήμησεν, &c. Viden quomodo Christū vocet λόγον θεοῦ, sicut etiam Iohannes Euangelista: Et, ἐν σώματι in corpore inhabitasse, secutus Apostolum Paulum? Subdit etiam de eodem Christo: ὁ ἀληθῶς γεγονὼς ἐν μήτρᾳ, ὁ πάντας ἀνθρώπους ἐν μήτρᾳ διαπλάττων. O ingratissimos homines Vos quoque in vteris matrum vestrarum formauit iste Christus: aduersus cuius gloriam vestros acuitis mucrones. Itē, in epistola 3. ad Magnesios, pag. 13. de eodem Christo ait, ὁ πρὸ αἰώνων παρὰ τῷ Πατρὶ γεννηθεὶς ὢν λόγος Θεοῦ, μονογενὴς υἱός. Et paulo post, pag. 14. explicans, quomodo iste Filius, sit λόγος Patris, in hæc scribit verba: ὅς ἐστιν αὐτοῦ, θεοῦ Πατρὸς λόγος οὐ ῥητὸς, ἀλλ' οὐσιώδης. οὐ γάρ ἐστι λαλιᾶς ἀνάρθρου φώνημα, ἀλλ' ἐνεργείας θεϊκῆς οὐσία γεννητή. Quid clarius pro doctrina nostra, quam à Sathanæ ministris profectam esse impudenter calumniamini? Imo hunc talem Christum, qualē descripsi, Ignatius ait illum esse, quem Abraham, quem Moses, quē Prophetæ amplexi sunt fide, & voce prædicarunt: & de quo omnes veteres scripturæ loquuntur. Item pag. 15. de eodem ita scribit. Qui ante omnia sæcula à Patre genitus, postea ex Maria Virgine, sine viri commistione prognatus: sanctéque & ciuiliter vitam in terris egit. omnes morbos atq; infirmitates curauit in populo, signis & portentis humano generi profuit: alienis à ciuitate sanctorū, vnicum verúmque Deum commonstrauit Patrem suum &c. Videtis, quibus prædicarit vnum tantummodò esse Deum? illis qui plures colebant Deos: Et quemnam, hunc vnicum Deum esse dicebat? Patrem suum: nempe verum & perfectū Non ergo se à natura diuina excludebat, sed potius tacitè includebat, quia è substantia Patris genitus erat, verus Filius de vero Patre, eóque verus Deus, de Deo vero. Cùm verò immensus sit Pater: extra se non genuit Filium, ita vt, sicut apud nos Pater & Filius duo sunt homines, sic ibi Pater & Filius sint duo οὐσίᾳ & natura Dij: absit hæc à nobis blasphemia: sed intra se genuit, totam suam ei cōmunicando οὐσίαν, quia impartibilis, & totam tamen retinens, quia simplicissima & perfectissima est: quæ ratio, idem quoque de Spiritu sancto concludit, quem & Patris & Filij spiritum appellare solet Apostolus. Ita plures sint, (nempe ὑποστάσεις seu personis: de nominibus ne disceptemus:) propter distinctionem genitoris & geniti: & rursus tamen propter οὐσίας immensitatem & simplicitatem, Pater & Filius, cum viriusque spiritu, vnus tantùm sint natura & οὐσίᾳ Deus, omnino necesse est. Totam hanc doctrinam, traditam ab ipso quoque Ignatio fuisse: ex iis quæ suprà retulimus, cuiuis bono viro, liquidò patere potest.

Quæ ergo refers ex epistola ad Tarsenses: ea tu nec bona fide refers, nec intellexisse videris: cum illis certè non pugnant, quæ modò ex aliis epistolis commemorauimus: imò ea maximè confirmant. Verba Ignatij hæc sunt, ἔγνων ὅτι τινὲς τῶν τοῦ Σατανᾶ διακόνων ἐβουλήθησαν ὑμᾶς ταράξαι, οἱ μὲν ὅτι δοκήσει ὁ Ἰησοῦς ἐγεννήθη, δοκήσει ἐσταυρώθη, οἱ δὲ ὅτι οὐκ ἔστιν υἱὸς τοῦ δημιουργοῦ, οἱ δὲ ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ ἐπὶ πάντων θεός. ἄλλοι δὲ ὅτι ψιλὸς ἄνθρωπος, ἕτεροι δὲ ὅτι ἡ σὰρξ αὕτη οὐκ ἐγείρεται, καὶ δεῖ τὸν ἀπολαυστικὸν βίον μεταδιώκειν. τοῦτο γὰρ εἶναι πέρας τῶν ἀγαθῶν τοῖς μετ' οὐ πολὺ φθαρησομένοις. Quæ latinè sic verto: est enim latina versio vtcunq; corrupta. Cognoui, quosdā ex ministris Sathanæ, vos turbare voluisse: 1. Alios, quòd opinione Iesus sit natus, & opinione crucifixus: 2. Alios, quòd non sit Filius creatoris: 3. Alios, quòd ipse (solus, sine Patre, suáq; solius persona. sit Deus ille super omnia, 4. Alios, quòd sit nudus homo: 5. Alios, quod ipsa eius caro non sit à mortuis excitata: ideoq; vitā esse transigendam voluptariam: hanc. n. esse finem bonorū, iis qui non post multū temporis sunt interituri. Quicunq; sunt hęreses: quibus propositis, subdit, horum hæreticorum imperio, ne ad horam quidem esse cedendum: quod horum doctrina pugnet cū Apostoli Pauli doctrina, à quo illę Ecclesię fuerāt plantatę. Contraria igitur illis hæresibus doctrina; Apostolica est, non Sathanica. Quæ autem illæ fuerint hęreses;

reses; ex illarum singularum, quam subdit, refutatione, clarius elucescit. Prima fuit, quod Christus non verus fuerit homo: ac proinde, quod non verè, sed δοκήσει (vnde *Docetarum* nomen) natus sit, & passus: his duobus nominibus, reliqua omnia humanæ naturæ propria significantibus. Hæc quoque porrò fuit hæresis Marcionis: aduersus quam, cum alij, tum Tertullianus: Ignatius verò hanc cum primis refutat. De hac inter nos nulla disputatio: nisi quòd contendendo, ab hac hæresi vos non esse prorsus, quanquam alio sensu, alienos. Si enim ideo illi dixerunt, Christum quæ humanæ sunt naturæ, omnia δοκήσει egisse & passum esse, quia illum verum hominem esse non crediderunt: annon vos etiam, qui illum negatis verum esse Deum, omnia quę Deitatis sunt propria, ea illum præstitisse, non reuera, sed δοκήσει docetis? Certè consequetur, nostra peccata à Christo non fuisse verè expiata, sed δοκήσει: neque nos esse reapse Patri reconciliatos, sed δοκήσει. Neque enim sanguine puræ creaturæ, expiari peccata potuerunt. Altera hæresis, ea est, quæ Christum non esse Filium Dei, rerum omnium conditoris, eoque verum Deum, vt & Pater est: sed eius tantummodo creaturam, esse contendit: quam hæresim, post Cerdonem & alios: vester quoque Arius secutus est. Hunc verò sensum esse Ignatij, cùm ait, ὅτι οὐκ ἔστιν υἱὸς τοῦ δημιουργοῦ liquet ex huius hæreseos refutatione, cùm ait, vero verius esse, ὅτι οὗτος ὁ γεννηθεὶς ἐκ γυναικὸς υἱὸς τοῦ Θεοῦ, καὶ ὁ σταυρωθεὶς πρωτότοκος πάσης κτίσεως (id est, ante omnem creaturam genitus, vt Apostolus Col. 1. intelligit), Θεὸς λόγος, καὶ αὐτὸς ἐποίησε τὰ πάντα. Audin Ariane, quinam illi sint hæretici, qui negent Christum esse Filium τοῦ δημιουργοῦ? non certè qui negant, eum Filium esse per gratiam: sed qui negant, filium esse naturalem, qui Deus sit verus, sicut & Pater est: quique creauit hæc omnia, non autem per quem tanquam per creatum Spiritum, Pater creauit hæc omnia. Ita enim creauit per Filium omnia Pater: vt ipse quoque Filius crearit, & verus rerum omnium conditor meritò vocari possit, & vocetur. Testimonia, quæ subdit Ignatius de vera Christi æternitate & Deitate: confirmant quæ de sensu huius hæreseos diximus. Annon verò hæc eadem vestra est hæresis?

Tertia est, quam nobis, quia cum Apostolo Christum vocamus Deum super omnia benedictum, tanquam Sathanicam obiicis: cùm tu nec Paulum intelligas, nec Ignatium, Paulus, spectata diuina essentia, quæ vna & eadem est in Patre & Filio: Christum vocauit Deum super omnia, contra hæresim vestram Arianam: Ignatius verò, considerata personarum in Deo pluralitate, damnauit eos, qui dicebant, personam Christi, nempe solam, esse illum, quem Scripturæ vocant super omnia Deum: Christum enim eum esse, quem & Patrem & Filium, & Spiritum sanctum eædem scripturæ appellant. Sabellij, & postea Praxeæ, omniúmque Patrispassianorum hæresis hæc fuit: & quidem verè Sathanica: quia, qui Trinitatem diuinarum personarum tollit, Deum ipsum penitus tollit. De hac verò loqui Ignatium, liquet tum ex propositionis explicatione: tum ex locis scripturarum, quos contra illam hæresim adducit. Propositio fuerat in partitione hæresium: εἰ δέ τις αὐτὸν λέγει τὸν ἐπὶ πάντων Θεόν. Explicatio additur paulo post, cùm illam doctrinam refutans ait; Καὶ ὅτι οὐκ αὐτός ἐστιν ὁ ἐπὶ πάντων Θεὸς καὶ πατήρ, (nota) ἀλλ᾽ υἱὸς ἐκείνου: λέγει (nempe Christus ipse) Ascendo ad Patrem meum, &c. quid clarius? Interim hic obiter obserua, licet etiam Filio, adde & Spiritui sancto congruat esse Deum super omnia (vt suprà ostendimus) propter vnam & eandem essentiam cum Patre: Patri tamen hoc κατ᾽ ἐξοχὴν attribui: ideo post illud, ὁ ἐπὶ πάντων Θεὸς, adiecit explicationis caussa, καὶ πατήρ: Negat enim Ignatius, Filium esse Patrem, eóque illum Deum, qui κατ᾽ ἐξοχὴν super omnia esse prædicatur: sed Patrem à Filio distinguit demonstrat dictis scripturarum, quæ subiicit, & quæ tu Ariane aliò, quàm quo ab Ignatio citantur, peruersè pertrahis. Conclusionem subdit Ignatius, quam tu malitiosè reticuisti: Igitur, inquit, ἕτερος ἐστιν ὁ ὑποτάξας, &c. καὶ ἕτερος ὁ ὑποτάγεις, &c. Cæterum ne ex eo quod Christo tanquam homini Pater, ita omnia subiecit, & subiiciet, vt tamen & ipse Christus tandem subiiciatur Patri, propterea putes Christum nudum esse hominem, purámve creaturam: audi quæ de vera Christi Deitate, quartam refutans hæresim, statim subiiciat: Καὶ ὅτι ψιλὸς ἄνθρωπος, δι᾽ οὗ καὶ ἐν ᾧ ἐγένετο τὰ πάντα. Ab eo, quod omnia per Christum nondum incarnatum, facta sunt: concludit eum non esse nudum hominem, sed verum Deum. Subdit & alia hac de re testimonia: ex quibus in hæc verba concludit: πῶς οὖν ὁ τοιοῦτος ψιλὸς ἄνθρωπος, ἐκ Μαρίας ἔχων τὴν ἀρχὴν τοῦ εἶναι; ἀλλ᾽ οὐχὶ Θεὸς λόγος καὶ μονογενὴς υἱὸς ἐν ἀρχῇ γὰρ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος &c. Vade ergo Ariane, & disce tum fidelius citare Patres, cùm rectius eos intelligere; & agnosce Christum pro vero & æterno Deo, sicuti reuera est.

De quinta hæresi, quæ propria fuit Carpocratis; non est, cur hic disputemus, aut refutationem Ignatij referamus. Atque hæc de epistola ad Tarsenses. Subdis: ex epistola ad Magnesios: Christus (inquit Ignatius) iis qui in superstitionem plurium Deorum impegerant, vnum verum Deum Patrem suum annunciauit. Tu semper hæres in luto; quia non agnoscis pluralitatem personarum in vna οὐσίᾳ; nec intelligis, vnum verum Deum, opponi pluribus falsis; nec percipis, cum Christus, verum illum vnum Deum, suũ esse Patrem prædicabat, eum concludere voluisse, se igitur Patri esse ὁμοούσιον καὶ συναΐδιον: quod alioqui Deus ille non semper fuerit Pater, nec perfectus, verusque Pater. Quod verò infers, ergo Deum Trinitatem, hoc est, Deum qui οὐσίᾳ vnus sit, & personis trinus, incognitum fuisse Ignatio, refellunt ea, quæ ante dicta à nobis sunt; & quidem ipsa hæc epistola, quam modo nominasti ad Magnesios. Quid enim sibi vult, cùm Christum vocat λόγον οὐ ῥητὸν, ἀλλ᾽ οὐσιώδη, eumque esse τῆς θείας ἐνεργείας οὐσίαν γεννητήν: Summa verò & intolerabilis est impudentia tua, cùm ex eo, quod Ignatius in epistola ad Tarsenses adducit ex Prouerbiis Salomonis, illud de Christo, Dominus ab initio ἔκτισέ με, infers, Ignatio & toti illi Antiquitati, Christum non fuisse Dei Filium ex eius substantia genitum, sed è nihilo creatum. Quid hoc est rei? vbi frons, vbi pudor? An non ibi Ignatius probat hanc propositionem, Christum non esse ψιλὸν ἄνθρωπον, sed λόγον (vt eius vtar verbis Θεὸν & μονογενῆ υἱόν: Ac post adductum locum ex Ioh. 1. ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος; subiecit illud dictum ex Prouerb. vbi sapientia Dei, nõ solùm dicit (secundum versionem 70.) ἔκτισέ με, sed etiam γεννᾷ. Si hæc adduxit Ignatius, vt superiora de Diuinitate Christi confirmaret, quomodo tu inde concludis, Ignatio Christum fuisse, non verum Deum, sed puram creaturam? Quomodo verò locus ille Salomonis intelligendus sit, alibi fusè dictum est. Verbo Genuit, Filium de substantia patris esse: verbo autem, fecit vel creauit, illum sine labore, aut alteratione genitum fuisse, vt exponit Hilarius, significatur.

XLII. Antithesis.

Iustinum deinde affirmant, non aliud vnquam docuisse, quàm Patrem, Filium & Spiritum sanctum, eiusdem esse potentiæ ac maiestatis.

Iustinus in colloquio cum Tryphone: Nec Abraham, inquit, nec Isaac, nec Iacob, nec vllus alius homo vidit Patrem, ineffabilem vniuersorum atque etiam ipsius Christi Deum: Visus est autem is, qui iuxta Patris voluntatem Deus est, quippe Filius, idem & minister & nuncius, qui paterno consilio homo natus est ex virgine, qui & Mosem allocutus est: Et in Apologia pro Christianis. Nos Christum Iesum crucifixum agnoscimus veri Dei Filium, & loco secundo colimus.

R. Quod Iustinum pro Catholica doctrina attulerimus: id meritò fecimus. Quid enim clarius iis, quæ de Trinitate disputauit & conclusit, in suis libris? Annon ille vnicus liber, cui titulus est, ἔκθεσις πίστεως, περὶ τῆς ἁγίας Τριάδος: vos summæ impietatis conuincit, nostrámque doctrinam confirmat? Quid in illo dialogo cum Tryphone aliud suscipit contra Iudæos probandum: quàm quod præter patrẽ illũ, quem omnes confitentur, sit etiam alius, non quidẽ οὐσίᾳ, sed ὑποστάσει Deus; & hunc illum esse, qui à condito orbe, variis susceptis formis, & inprimis humana, apparuit Patribus? Quid clarius quoque de tribus hypostasibus, & vna essentia, quæstione ad Orthodoxos decimaseptima? Cõsidera & illud, diligenterque perpende, quod in Apologia ad senatum Rom. paulo post initium scriptum reliquit de Christo Iustinus: At Filius (inquit) illius (Patris) qui solus *propriè* (nota) dicitur Filius; λόγος ille, qui ante res creatas apud patrem erat, ex *ipso* nota) genitus: Christus quidem vocatur, &c. Annon ergo Christus verius & præstantiori modo, quàm Angeli & homines sunt, Filius est Dei? Ergo ex patris substantia genitus est; quia solus *propriè* (inquit) Filius Dei est vocaturque. Et ad calcem Apologiæ, ait, Τὸν γὰρ ἀπὸ ἀγεννήτου καὶ ἀρρήτου Θεοῦ λόγον, μετὰ τὸν Θεὸν προσκυνοῦμεν, &c. Talis autẽ adoratio, non debetur nisi Deo. Et in Apolog. 2. ad Antoninũ, pag. 156. ait, Christianos adorare primo

loco Deum Patrem: secundo loco, Iesum Christum, veri Dei Filium: & tertio Spiritum Propheticum: id est, Spiritum sanctum, qui per Prophetas locutus est. Infra autem ait, Christianos non adorare nisi Deum. Et pag. 157. vocat Christum mentem & virtutem Dei, nempe Patris. Non est igitur res creata: sed ὁμοούσιος Patri, & συναΐδιος. Quare quæ tu portò affers ex dialogo (sunt autem scripta pag. 134. hoc est, non procul à fine) de Patre nunquam viso, deque Christo, volũtate Patris genito Filio, & Deo: nihil te iuuant, sed potius iugulant. Neque Abraham, neque vllus alius homo (inquit Iustinus) vidit Deum Patrem: sed solus Filius visus est. quid tum? num ergo non est eiusdem cum Patre naturæ? quasi verò ipsa Filij Deitas seu essentia visa vnquam fuerit: & nō potiùs rerum formæ, quas sumebat, & in primis corpora humana: quibus, vt Irenæus explicat, ceu præludio quodam, se tandem aliquando humanam naturam in vnitatem suæ personæ assumturum præsignificabat. Diuina essentia, tam in Filio & Spiritu sancto, quàm in Patre: semper ἀόρατος ἐστι: sed Pater nullam vnquam sibi assumsit formam: sicut Filius. Ideò Iustinus contendit, nunquam Patrem, semper autem Filium, conspectum fuisse à patribus. Ait autem Iustinus, Deum patrem, esse Deum Christi, rectè: quia & quatenus homo est Christus, huius creator ac Deus, est Pater: & quatenus λόγος est æternus, æternum quoque est illius, totiusque in eo Deitatis principium: quia Filius ex Patre est, sed ab æterno. Quid verò est (inquies) quod ait, Christum esse Dei iuxta voluntatem Patris? Quomodo ergo Patri æternus: quasi verò dicat, iuxta voluntatem Patris præcedentem, & non potius voluntatem simplicitèr, nimirum æternam, & ab æterno, quem Pater generabat, volentem. Neque enim Pater genuit Filium inuitus, & nolens: sed volens, nempe semper & ab omni æternitate. *Vide Hil. de Synod.* Eunomij stropha hęc fuit: Si Pater genuit Filium, aut volens, aut nolens genuit. Si nolens, miser Pater: Si volens, non ergo æternus Filius. Stropham hanc in eum acutè retorsit Catholicus quidam: Deus Pater, éstne Deus volens, vel nolens? obmutuit ille, quia præuidit absurda. Si enim nolens, miser Deus: si volens, prior seipso Deus. Si igitur de λόγῳ ante incarnationem sermo sit Iustino: quis verborum illorum sensus fuerit, dictum est. Natura genuit: sed non absque voluntate, quia non inuitus genuit. Si autem de Deo in carne manifestato: res est perspicua, hunc hominem, factum esse Deũ per vnionem cum λόγῳ hypostaticam, ex consilio & voluntate Patris: sicut & λόγος, per eandem sui vnionem cum humana natura, ex eadem Patris voluntate factus est homo. Colimus (inquit) & adoramus Christum secundo loco: verum: sed quid inde? Ordo certè personarum, quibus hic idem cultus debetur, à Iustino indicatur: vera autem Christi Deitas demonstratur, si qui Patri debetur primo loco cultus, idem secundo loco ipsi Christo exhibeatur: præsertim cùm ideo Iustinus sæpius ibidem dicat, Christianos non adorare nec colere nisi verum Deum. Hæc ad tua obiecta. Cur verò tu Ariane, quod ibidem pag. 174. subiecit Iustinus, de industria reticuisti? Ait Christum esse potentiam Dei Patris, à Deo inseparabilem: sicut & radius Solis, à Sole separari non potest, licet in terram vsque descendat. Est igitur Christus, & coæternus, & consubstantialis Patri. Non enim est Dei Patris potentia accidentalis, sed essentialis. An non igitur merito Iustinum pro nostra fide adducimus?

XLIII. Antithesis.

Zanchius inter alios Patres Irenæum adducit: veluti Trinitatis assertorem; & creationem Mundi Patri, Filio & Spiritui sancto asscribentem.

Irenæus lib. 4. cap. 5. Verus Deus est fabricator cœli & terræ, quem & Prophetæ prædicarunt, quem & Christus suum Patrem confitetur, quem & lex annunciat, dicens: Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus vnus est. Et lib. 4 c. 1. Si Christus multos Deos sciuisset, non præcepisset discipulis suis, vnum scire Deum, & hunc solum Patrem vocare. Et lib. 5. docet, Filium omnia condidisse, iuxta beneplacitum ac voluntatem Dei Patris: quibus verbis, Patri consilium ac mandatum de condendo Mundo, Filio verò, ipsam executionem paterni consilij, ac opus ipsum vendicat. Lib. 2. c. 49. monet quæstionem, quam obrem solus Pater, scire dicatur diem extremi iudicij & non Filius, Marc. 13. & subicit, non posse dari commodius ac certius responsum, quàm quòd Christus vnicus Magister noster hisce verbis docere nos voluit, Patrem esse super omnia, tam in scientia, quàm in aliis omnibus.

Resp. Tu verò non intelligis miser, quæ legis: neque aduersus quosnam scribat Irenæus, aut quid oppugnet, & quid concludere velit, mente percipis. Disce igitur hæc omnia paucis.

Dominus Iesus, argumentum quo ad asserendam suam veram cum Patre Deitatem, vti solebat: ducebat à vera sui & essentiali ex Patre generatione: hoc modo. Filius sum (*Propriè*, vt loquitur Iustinus; & ἀληθὴς, vt Ignatius) vnigenitus veri Dei; sum ergo eiusdem cum Patre naturæ, maiestatis, potentiæ. Consecutio manifesta & necessaria erat; quamuis eam ipse supprimere solitus erat. Assumti duæ erunt partes; vna, an quem dicebat Christus suum esse Patrem, is verus esset Deus; altera, an illius Dei, ipse verus esset Filius. Hanc posteriorem probabat multorum testimoniis, Patris ipsius, Angelorum, Prophetarum, Iohann. Baptistæ, miraculorum; vt de Dæmoniis taceam. Priorem partem inde, præter alia confirmat, quòd ille esset Cœli & terræ, hoc est, rerum omnium conditor, & quòd tum temporis etiam, cum Filio, omnia operaretur, Ioh. 5. Illum certè solum verum esse Deum, qui creasset Cœlum & terram: admittebant omnes Iudæi; ita vt Ieremias dixerit, Dij, qui non fecerunt Cœlum & terram, pereant è terra Ier. 10. 1. Qui ergo Christum, verum huius Dei Filium, sicut ipse prædicabat, esse concessisset; ipsum quoque eiusdem naturæ cum Patre esse, fateri cogebatur. Nemo autem eorum: qui Christo nomen dedisset; vt vt magnus fuerit hæreticus, ausus fuit, Christum Filium esse creatoris Cœli & terræ, inficiari; quando hoc nimis apertè prædicauit semper Christus ipse. Quid igitur effecit Diabolus paulò post mortem Christi & Apostolorum? Excitauit Valentinum, & alios hæreticos; qui cùm non auderent negare, Christum Filium esse creatoris Cœli & terræ; ne tamen hunc esse verum Deum fateri cogerentur, negarunt creatorem, quem demiurgum appellarunt, esse illum verum & altissimum Deum, quem scripturæ prędicant: esse enim alium, illo superiorem, quem προπάτορα, & προαρχήν, & βυθὸν (vt Irenæus narrat lib. 1. c. 1.) vocarunt. Etsi ergo Demiurgos, Pater sit Christi, vt ipse prædicauit: eum tamen non esse eiusdem cum vero & supremo Deo naturæ contendebant. Intellexisti Ariane argumenta Christi, & scopum in quem intuebatur, cùm vnum tantum esse Deum, & hunc esse creatorem cœli & terræ, se verò huius esse Filium vnigenitum, prædicabat; Percepistíne etiam Diabolicam exceptionem Valentinianorum, & aliorum aduersus Christi argumentum? Irenæus ergo aduersus hoc Satanicum Valentini & discipulorum eius commentum, defendit Christi doctrinam, solum Mundi creatorem, verum esse Deum, supra quem non sit alius: & hunc esse Patrem Christi: vt hinc porrò cum Christo concludat, Filium igitur eius vnigenitum, sicut verus est homo de vero homine, sic esse verum Deum de Deo vero, quemadmodum tota confitetur Ecclesia Catholica: quando, vt & ipse, per quem omnia facta sunt, creator sit Cœli & terræ, necesse est. nota argumentum Ariane. Nullus est supra creatorem, Deus; Nihil enim altius creatore: Infra creatorem, nullus etiam Deus est; omnia enim creata à creatore; in ipso autem creatore, nihil subsistit, quod non sit Deus; tota enim eius essentia, Deus est; quæ cum vna & eadem sit in Patre, in Filio, in Spiritu sancto, inde efficitur, vt licet tres sint subsistentes, non tres tamen, sed vnus tantummodo sint Deus. Hinc habes in genere, quid ad omnia ex Irenæo dicta de vno tantùm Deo, respondendum sit; præsertim si hoc etiam addas, quod sæpe dictum est, nomen *Dei*, & *creatoris*, κατ' ἐξοχὴν de Patre sæpenumero prædicari. Omnia certè dicta Irenæi ita sunt interpretanda, vt nihil pugnet cum confessione totius Ecclesiæ, quam præmittit libr. 1. cap. 2. Ibi autem ita prædicatur vnus Deus Pater: vt etiam Christus, Deus appelletur: qualis vero? non certè qui nihil fecerit in creatione Mundi, de talibus enim Diis ait Ieremias, Dij qui non fecerunt Cœlum & terram, pereant è terra: verus igitur Deus λόγος, per quem omnia facta sunt: quemadmodum in insequentibus demonstrat Irenæus, solum Patrem Christi omnia condidisse, per *Verbum* Filium suum. Ac λόγον ipsum, non separari à Patre, sed eiusdem cum Patre essentiæ esse, eoque verum Deum: docet etiam lib. 2. cap. 47. Refutans enim compositionem, quam in creatore fingebant: Deus autem (inquit, cum sit totus mens, totus ratio (græcè non dubito, λόγος legitur:) totus Spiritus operans, &c. & cap. 48. Deus autem totus existens mens, & totus existens λόγος: &c.

Obseruandi sunt ij duo loci: vbi nomen Dei pro solo Patre accipi non potest, quia Pater non est ipse λόγος, nec ipse Spiritus sanctus: sed eo nomine diuina οὐσία notatur. hæc, tota est mens, hoc est, Pater, à qua λόγος: tota λόγος, to-

tota Spiritus operans. Quid.n. Pater, nisi diuina οὐσία, subsistens ἐγνωσμένη? quid λόγος, nisi eadem diuina οὐσία, subsistês γνωστική? quid Spiritus sanctus, nisi eadem tota οὐσία, existens à mente, & λόγῳ, hoc est, à Patre & Filio, ἐκπορευομένη? Hic est Deus, totus mens, totus λόγος, totus Spiritus operans: eóq. in tribus personis simplicissimus. Hæc est doctrina Irenæi. Ad ea igitur, quæ adfers ex lib. 4 c. 5. ex iis quæ diximus, patet responsio. Supra fabricatorem Mundi, non est alius Deus: & hic Mundi opifex Deus, Pater est Christi: quis hoc neget? Sed num propterea Christus nó est Deus, & in creando Mundo nihil egit ille, per quem Pater omnia fecit? Verba Mosis. Audi Israel &c. ita vnum prædicant Iehouam: vt plures in Deo indicent Elohim. Idem responsum esto, ad verba ex li. 4. c. 1. Non comparat Irenæus personam Patris, cum Filio Verbóque suo, & cum Spiritu S. quasi hos excludens à vera Deitate: sed confert cum illis Diis, quos hæretici excluso Demiurgo, excogitarunt. Ideo ibi superiora concludens, ait: Cùm sit igitur hoc firmum & constans, neminem alierum Deum & dominum à Spiritu prædicatum, nisi eum qui dominatur omnium, Deus cum *verbo* suo (nota λόγον, quem mox vocat Filium Dei, Iesum Christum: mentione etiam facta Spiritus adoptionis: (manifestè falsa ostenduntur ea, quæ dicunt circumuentores, naturaliter & Deum esse & Patrem, quem ipsi adinuenerunt: Demiurgum verò, neq. Deum neq. Patrem esse, sed verbotenus dici, &c. Tenenda igitur est pio cuique, veritatis amanti, & Deum timenti, hæc regula: quâ qui non seruat, is facilè in labyrinthum infinitarum & perniciosissimarum hæresium abripitur. *Regula* hæc est.

Quoties Irenæus aliive patres, secuti scripturas concludunt, præter vnum Deum, Mundi creatorem, qui est Pater Christi, nullum aliū reperiri posse Deum; toties ab essentia naturáque diuina excludi, non ea quæ sunt in Deo Patre, & ab eo inseparabilia, vtpote omnia illi essentialia: (sunt autem in Patre, Filius æterna & essentialis eius sapientia; & Spiritus sanctus, sempiterna & essentialis eius ac Filij virtus:) sed excludi, primùm omnia, quæ infra creatorem sunt, omnes nimirum creaturas; (harum enim multas tanquam Deos colebant Gentiles:) Deinde omnes, quos supra creatorem commenti sunt Hæretici, Deos.

Si ab essentia diuina excludantur, & quę reuera infra Deum, Patrem Christi sunt; & quæ supra eum, finxerunt hęretici: quid aliud restabit, quàm vnum duntaxat reperiri Deum, creatorem nimirum Cæli & terræ, quem Christus suum esse Patrem, prædicauit? Iráne verò excludentur Filius, ac Spiritus sanctus? minimè gēriun: quippe qui, neque infra Patrem, inter creaturas à Patre in Scripturis collocantur: neque supra Patrem esse finguntur: sed in ipso sunt Patre, & à Patre separari non possunt.

Adducis locum ex lib. 5. Filium omnia condidisse iuxta beneplacitum & voluntatem Patris: inde infers, mādatum de condendo Mundo, fuisse patris: executionem autem, hoc est, creationem ipsam fuisse Filii. Nec vides miser, quo plura citas ex Patribus testimonia: eo te pluribus laqueis irretiri. Si ita res habet, vt dicis: annon sequitur, Filium veriùs dici creatorem Mundi, qui illum reapse condidit: quàm Patrem, qui tantùm illius formam, Filio pręscripsit? Scriptura enim vocat creatorem, qui reuera Mundum creauit. Si autem creator Mundi, verus est Deus; túne poteris negare, Christum verum esse Deum; à quo fateris conditum esse Mundum?

Profers etiam ex lib. 2. c. 49. ad quæstionem, cur solus Pater dicatur scire extremi iudicij diem; non posse melius responderi; quàm quòd Pater sit super omnia, tam in sciētia, quàm in aliis omnibus. Quid hinc, obsecro te, vis inferre? Christúmne, quā λόγος & Filius est vnigenitus, ignorasse diem illum; eoque minorem esse Patre, nec eiusdem cum eo esse naturæ? At Irenæus aliter docet; qui lib. 2. cap. 47. scribit, modum, quo generatus sit Filius ex Patre: neminem nosse, nisi eum qui generauit, Patrem; & qui generatus est, Filium. Quomodo ergo Filius, qua λόγος est, & sapientia Patris, ignorauit iudicii diem: si modum, quo genitus est ex Patre, non minus nouit, quàm Pater? An non vides ergo dicendum esse cum patribus, ignorasse eum, quatenus homo erat, non autē quatenus Deus? Certè Christus ipse perfectam Patris cognitionem sibi attribuit, cùm dixit, Nemo nouit Patrem, nisi Filius. Quod si patrem; vtique omnia, quæ in Patre, & extra Patrem. Quid verò ex ista perfectissima cognitione, qua tam Filius nouit Patrem, quàm Pater nouit Filium, consequitur aliud; quàm Filium, sicut est eiusdem cum Patre scientiæ, sic etiam eiusdem esse naturæ?

XLIV. Antithesis.

Tertullianus, iudicio Trinitariorum, docet, Christum esse eiusdem essentiæ cum Deo.

Tertullianus contra Praxeam, Filium Dei modò genitum, modò factum, modò creatum asserit, non distinguens inter hæc. Non igitur religio fuit antiquissimis illis Patribus, dicere, Filium esse creatum aut factum. At succedentibus sæculis, inualescente scilicet tyrannide Antichristi pro nefario scelere haberi cœpit, si quis eiusmodi quid de Filio Dei vel mutire ausus fuit, quin etiam grauissimæ persecutiones excitatæ contra eos, qui non fatentur, Filium ex ipsa Dei essentia genitum: durantque hæ persecutiones in hunc vsque diem, & durabunt donec impleantur anni desolationis Ecclesiæ, de qua Apoc. 11. vers. 2. & 12 vers. 6.

Resp. O vtinam Tertulliani doctrinam de Trinitate, quam in eo præsertim libro, quem adducis contra Praxeam, professus est & defendit, amplecteremini & vos, ac profiteremini. De vocibus certè Geniti & Facti, facilè inter nos conueniret.

Factum pro genito accepit: non autem genitum, pro facto. Hoc potuit ferre Ecclesia in tanto viro. Sed quòd porrò illos damnarit, qui dicerent, λόγον factum esse: hoc iure fecit: quia simul illi negabant, eum esse propriè genitum: è substantia nimirum Patris. Ideo in symbolo contra vestrum Arium, confitemur omnes, genitum, non factum: consubstantialem Patri. In hac fide nos volumus mori. Consulite & vos vestræ saluti. Profecto Christus, aduersus quem pugnam suscepistis: vester erit iudex.

Annon verò Tertullianus in eodem libro, & confitetur & probat, Filium & substantiam esse, & de Patris substantia genitum? Legat pius Lector librum illum, verè Tertulliano dignum: & videbit, nihil ad asserendam defendendámque Catholicam de Deo vno his tribus constante, Patre, Filio, & Spiritu S. atque inprimis de vera & æterna Filij è substantia Patris generatione, doctrinam præclarius dici posse.

XLV. Antithesis.

Nec ab Origene abstinent; quò minus eum in suas partes trahant.

Origenes in Ioh. cap. 1 Pater cùm sit sapientia Pater, præstantior est ipsa sapientia. Hoc etiam ratione excellit eum qui est lux vera. Et contra Celsum lib. 8. Esto autem non deesse quosdam vt in tam numerosa credentium multitudine, qui discrepantes ab aliis, temerè affirment, quòd seruator sit Deus ille, vniuersorum Dominus: Nos certè hoc non facimus, qui credimus ipsi dicenti, Pater, qui me misit, maior me est.

Resp. De libris Origenis magnæ fuerunt inter Patres disceptationes: illud verò extra controuersiam est, multas hæreses in eius libris, præsertim in libro περὶ ἀρχῶν reperiri: siue ab ipso conscriptæ, siue ab aliis per inuidiam insitæ fuerint. Sed vnus Origenes, non fuit tota Ecclesia Catholica: & in corpore sano reperiuntur sæpenumero mali humores. De hoc tamen doctrinæ capite, quo de agimus, illum à reliquis Patribus non dissensisse, certum est: vt vel libro 1. ca. 2. περὶ ἀρχῶν, videre est.

Commentarij isti in Ioh quos adducis, inter opera Origenis, quæ duobus tomis comprehensa circumferuntur, non habentur. Vtut verò res habeat quæ adducis, nihil cum doctrina Catholicę Ecclesiæ pugnant. Pater pręstantior & maior est Filio, non οὐσία & maiestate, sed ratione principij & originis: quia à Patre Filius, non à Filio Pater: & sic Basilius & Damascenus; Pater, qua Pater, maior est Filio, qua Filius est, non qua Deus; sic fons sapientię, pręstantior ipsa sapientiā; & Sol, sua luce ac radio.

Contra Celsum, hæresim oppugnat Sabellij & patrispassianorum; & distinguit Filium à Patre; quem κατ' ἐξοχὴν, vt sæpe diximus, vocare solent Patres cum scriptura, Deum ac Dominum vniuersorum, Mundique creatorem. Non negat ergo simpliciter Christum esse Deum & Dominum vniuersorum; sed negat esse patrem; alioqui quomodo pater maior esset Filio; si qui Filius est, idem esset & pater? Socrates certè lib. 7. ca. 6. hoc de Origene scribit: Origenes (inquit) vbique Patri Filium coæternum esse confitetur.

XLVI. Antithesis.

Et Clementem Alexandrinum allegant pro defendenda Trinitate.

Clemens lib.6.strom. Vnum est ingenitum, nempe Deus omnipotens: vnum est etiam primogenitum, per quod omnia facta sunt. Vnus enim est reuera Deus, qui fecit principium vniuersorum Christum. Et lib.7. in Cœlo quidem res est prestantissima Angelus, qui loco propius, & iam purius est æterna & beatæ vitæ particeps. Perfectissima autem & sanctissima & maximè principalis, & quæ maximè præest, & maximè regia, & longè beneficentissima, est natura Filij, quæ & soli omnipotenti Deo propinquissima, quæ omnia ordinat, ex voluntate Patris, & optimè gubernat vniuersum.

Resp. Quæ tu ex Clemente Alexandrino perperam & mala fide protulisti: ea ego integra & fideliter, monstratis etiam, quod cur tu non feceris, nescio, paginis, recitabo. Clemens igitur stromatum lib 6. editionis Florentinæ pag. 201. Quoniam autem vnum est ingenitum, nempe Deus omnipotens, vnum est etiam progenitum, per quod omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Vnus enim est reuera Deus, qui fecit principium vniuersorum, significans primogenitum Filium, vt scribit Petrus, præclarè intelligens illud: In principio fecit Deus Cœlum & terram. Is autem dictus est sapientia ab omnibus Prophetis. Is est magister omnium, quæ orta sunt, Dei consiliarius, qui præsciuit omnia. Is autem ab alto, à prima Mundi constitutione, multifariam multisque modis & docuit & perfecit. Vnde meritò dictum est Ne dixeritis vobis magistrum super terram. hæc Clemens. Accepit autem verbum *Fecit*, pro, genuit: vt veteres illi solebant: id quod vox Filij & primogeniti euincit. Quod verò Patrem, vnum reuera Deum nominet: id tantum abest, vt excludat Filium à vera Deitate, vt potiùs necessariò in ea illū includat: quia Filius propriè dictus, eiusdem sit naturæ cum Patre, necesse est. Atque hoc confirmant ea, quæ ibidem leguntur: quòd sit *sapientia Dei*, à Deo nimirum inseparabilis, quòd sit Dei consiliarius, qui præsciuit omnia: quod sit ille, qui à prima Mundi constitutione, multifariam multisque modis & docuit & perfecit. Coniunge cum iis, illa quæ paulò antè præcedunt pag.199. vbi hunc Filium vocat *virtutem Dei operatricem*, quæ *vbique* est, & *vbique* operatur. Arrige aures Ariane: Estne alicuius creaturæ vbique esse, & vbiq. operari? Vocat autem Christum, principium vniuersorum: sed quale principium? quod sine principio est: vt exponitur in sequenti libro, pag.231. vbi Filium Dei ait in sui generatione, tempore & principio caruisse: & ita illum vocat principium carens principio. Æternum igitur. Et sequenti pagina, nempe 232. ait, hunc Filium, sine principio, ἀϊδίως genitum esse.

Quæ porrò adducis ex lib.7. nulla recitata pagina: ea te prorsus iugulant, si omnia recitentur, quæ tu omisisti. Sunt autem p.231. Ea re, (ταύτῃ) id est, cognitione Dei, seu fide, & obedientia in Deum) in terra quidem res est præstantissima homo: qui est maxima in Deum pietate. In Cœlo autem, res est præstantissima, Angelus, qui loco propius, & iam purus est æternæ & beatæ vitæ particeps: Perfectissima autem & sanctissima, & maximè principalis, & quæ maximè præest, & est maximè regia & longè beneficentissima: est natura Filij, quæ est soli omnipotenti propinquissima: ipsa maxima excellentia, quæ omnia ordinat ex voluntate Patris, & optimè gubernat vniuersum, indefessa, & inexhausta potestate cuncta operans, propterea quòd agit, arcanas & abditas respiciens notiones. Nunquam enim à sua excedit specula Dei Filius, vt qui non diuidatur: non dissecetur: non transeat à loco ad locum, sit autem semper vbique, & nequaquam contineatur: totus mens; totus lux paterna: totus oculus, qui omnia videt; omnia audit; scit omnia; potestate scrutatur potestates; Et subiecta est vniuersa militia Angelorum & Deorum, verbo paterno, quod sanctam suscepit œconomiam ac dispensationem, propter eum qui subiecit. Recitabo eadē etiam Græcè, quia lucidiora & clariora sunt, Latinis, quæ nimirū tu de Filio Dei eiusque natura reticuisti; τελειοτάτη δὴ, καὶ ἁγιωτάτη, καὶ κυριωτάτη, καὶ ἡγεμονικωτάτη, καὶ βασιλικωτάτη, καὶ εὐεργετικωτάτη ἡ υἱοῦ φύσις, ἡ τῷ μόνῳ παντοκράτορι προσεχεστάτη, αὕτη ἡ μεγίστη ὑπεροχὴ, ἣ τὰ πάντα διατάσσεται κατὰ τὸ θέλημα τοῦ πατρὸς, καὶ τὸ πᾶν ἄριστα οἰακίζει, ἀκαμάτῳ καὶ ἀτρύτῳ δυνάμει πάντα ἐργαζομένη: δι' ὧν ἐνεργεῖ τὰς ἀποκρύφους ἐννοίας ἐπιβλέπουσα. οὐ γὰρ ἐξίσταταί ποτε τῆς αὐτοῦ περιωπῆς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, οὐ μεριζόμενος, οὐκ ἀποτεμνόμενος, οὐ μεταβαίνων ἐκ τόπου εἰς τόπον, πάντη δὲ ὢν πάντοτε, καὶ μηδαμῆ περιεχόμενος, ὅλος νοῦς, ὅλος φῶς πατρῷον, ὅλος ὀφθαλμός, πάντα ὁρῶν, πάντα ἀκούων, εἰδὼς πάντα, δυνάμει τὰς δυνάμεις ἐρευνῶν. τούτῳ πᾶσα ὑποτέτακται στρατιὰ ἀγγέλων τε καὶ θεῶν, τῷ λόγῳ τῷ πατρικῷ τὴν ἁγίαν οἰκονομίαν ἀναδεδεγμένῳ διὰ τὸν ὑποτάξαντα.

Itáne hic tibi videtur describi Spiritus Arij? Si φύσις natura Filii, creata est: quomodo in eam competunt tam multa, quę hîc narrantur: & quæ solius Dei esse, in sacris literis prædicantur? Itane Spiritus creatus & finitus, nunquam discedit à loco ad locum, sed semper vbique existēs, nullóque contentus loco, omnia operatur? Totúsne potest esse mens: totus lumen paternum: totus oculus, omnia videns, omnia audiens, omnia noscens, &c? tam simplex & perfectissima natura, non nisi Dei natura esse potest. Adde iis illa etiam, quæ sequuntur, eodem lib.7. pag.232. Latinè vbi demonstrat Christum, rerum omnium curam gerere, præsertim hominum, tam Gentium, quàm Iudęorum: & nihil esse, quòd illum ab hac prouidentia impedire queat: quando in eum non cadit impotentia, nec inuidia, nec ignorantia: ac de ignorantia loquens, ait: Ignoratio enim Deum non tangit, qui ante Mundi constitutionem fuit Patris consiliarius. Hæc enim erat Sapientia, qua Deus delectabatur omnipotens Dei enim virtus siue potestas (δύναμις) est Filius; vtpote ante omnia quæ sunt facta, verbum Patris maximè principale ([illegible] τοῦ Πατρὸς) & eius sapientia. Examina hunc locum diligenter. In Filium Dei nulla cadere potest ignoratio; nulla autem est pura creatura, in quam hoc competat, vt nihil non norit; atque ita non competit, vt etiam humana Christi anima, nonnulla ignorasse dicatur. Annon rectè hinc sequitur, Christum verum esse Deum? Ratio subditur quamobrem Filium Dei nihil latuerit vnquam; quia ante Mundi constitutionem, hoc est, ab æterno, fuit Patris consiliarius. Accedit confirmatio & explicatio. Non enim fuit talis consiliarius qui extra Patrem esset, sed in Patre: fuit enim & est illa æterna Dei sapientia, qua Pater in se ipso oblectatus semper ab omni æternitate fuit. Confirmatio altera: Est enim Filius iste, δύναμις Dei Patris. Ergo [illegible] Patri intima & essentialis: quia nullum in Deo accidens. Confirmatio tertia: Est enim [illegible] τοῦ Π[illegible]. Hæc omnia concludunt, Filium Dei, [illegible]tem esse & coæternam, & intimam atque consubstantialem Pa[illegible]: ac proinde Christum, verum esse cum suo Patre Deum. Pertinet huc etiam, quod subdit; καὶ [illegible]. Et p.235. latinè Christum vocat *Verbum* Patris æter[illegible], & reuera (nota) vnigenitum. Annon ergo coæte[illegible] Patri, & de Patris substantia genitus? Quomodo enim a[illegible] qui esset *reuera* vnigenitus? Omitto breuitatis causa [illegible]nita, quę apud Clementem Alexandrinum de vera Christi Deitate leguntur. His quæ diximus, satis abunde & liquidò demonstratum est; Clementem nihil vobis fauere, neque de Patre & Filio aliter illum docuisse, quàm Catholica adhuc credit & confitetur Ecclesia.

XLVII. Antithesis.

Lactantium quoque Trinitatis assertorem faciunt Orthodoxi.

Lactantius lib.2. cap.9. de origine erroris: De matre natus est Christus, qui ante iam fuit: de Patre, qui aliquando non fuit. Et alibi sic: Docuit Christus, quod vnus sit Deus, eumque solum coli oportere, nec vnquam se ipse Deum dixit. quia non seruasset fidem si missus vt deos tolleret, & vnum assereret, induceret alium præter vnum. Hoc erat non de vno Deo facere preconium, nec eius qui miserat, sed suum proprium negotium gerere. Item: Vnus est solus liber, Deus summus, carens origine, quia ipse est origo rerum, & in eo simul & Filius & omnia continentur.

Resp. Qui Lactantii doctrinam de Filio Dei, tanquam cum fide Catholica consentaneam defendunt; ad locum ex libr.2. capite 9. allatum respondent; illam non esse veram lectionem, *qui aliquando non fuit*; sed hanc (vt quidam codices habent) *qui aliquando non defuit*; vel hanc (vt alii volunt) *qui non aliquando non fuit*, quam veram esse lectionem, liquet ex sequentibus; Hæc (inquit) fides credat, intelligentia non *requirat*. Quis enim non intelligat, Patrem genuisse eum, qui aliquando non fuit? Sed hoc demum mirabile est, quod genuerit eum, qui nunquam non fuit; ideo sola fide credendum. Ac ego non video; quomodo cohæreant hæc duo, *non aliquando non fuit*; Et, Pater genuisse coęternum credendus est quam alteram particulam, tu sciens ac volens omisisti; quare verò ô bone vir? Vox illa; *fuit*, quando non *erat*, vox fuit Arii de Filio Dei; quam vi blasphemam damnauit Concilium Nicænum. Ac profectò, si vera est de Filio, de Patre quoque dicendum fuerit, *fuisse*, quando non *erat*, sed

sed aliquando cœpisse, reuera Patrem esse: quod quis audeat dicere? Nunquam enim Deus, sine suo λόγῳ, suaque sapientia, λόγος autem Filius Dei Patris. Æternus ergo Pater, & Filius coæternus.

Profers aliud Lactantii dictum, sed neque libro, neque capite citatis: caussam diuinitare possum: metuebas fortassis, ne si quis caput inspiceret, tuam videret fraudem: vt qui ea suppresseris, quę ad gloriam Christi pertinent. Locus est in lib. 4. c. 14. In eo libro asseritur Filij æterna ex Patre generatio, veráque Deitas. Ac titulus c. 8. sic habet. Quod Filius, bis natus est: æternaliter de Patre, & temporaliter de virgine matre: in quo capite, Christum cum tota Ecclesia, vocat Lactantius Deum de Deo. Et in c. 12. multa ex Prophetis, de Christi Deitate testimonia profert, qui, Deus cũ esset, factus est homo: vt postea in c. 13. concludit: & eius Deitatem pluribus confirmat. Sequitur c. 14. vbi de Christo loquens, quem Iudæi cruci affixerunt, ait illos nefandas manus intulisse Deo suo. Deinde subdit ad finem capitis de officio Christi, ea quæ tu retulisti verba: quæ quid te iuuent, non video. Quis enim nostrum docuit vnquam aliud de Deo: quã quod Christus contra multos eósq. falsos Deos gẽtium, vnũ tantũmodò verum esse Deum, creatorem nimirũ Cœli & terræ, húncque solum coli oportere, consentaneè cũ Prophetis asseuerauit? Sed cùm se huiusce veri Dei vnigenitum Filium esse, perpetuò & constanter prædicarit: an non simul, se eiusdem esse naturæ cũ Patre, manifestè significauit? Aut n. propriè vocabat Deũ, suum Patrem: aut impropriè. Si propriè: ex eius ergo substantia filius est. Si impropriè: alicuius igitur alterius Pater, propriè fuisse Deus dicetur. Quis verò ille fuerit Filius, si non est ὁ λόγος, qui nunquam non fuit apud Patrem: & qui à Iohanne aliisque Apostolis, Deus appellatur? Ergo quòd in vno illo vero Deo, plures agnoscamus & profiteamur personas: id non facimus ex nostro capite, sed quia idem Christus, cum sanctis Prophetis, hoc credendum & profitendũ esse docuit: quando Prophetis, vnum Jehouã, & plures Elohim prædicantibus, ipse vnum Deum, fœderis autorem, in Patrem, Filium & Spiritum sanctum distinxit, dicens: Baptizate in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti. Non. n. separantur ab inuicem: sed Pater in Filio est, & Filius in Patre, & ita de Spiritu sancto: quæ caussa est, cur Christus dixerit, Ego & Pater, vnum sumus: quia vnius, eiusdémque sunt essẽtiæ, ac maiestatis, atq. potentiæ.

At Christus, nunquã dixit, se esse illum verum Deũ; semper autem, Patrem suum, hunc Deum esse prædicauit. Rectè, primũ, quia cum in illa carne existens, non nisi pro pura, creatura, à plerisque omnibus agnosceretur: quid magis contra suum officium fecisset, quam si se illum vnum verum Deum esse dixisset? Fuerat enim missus, vt contra Gentilium, & verò etiam multorum Judæorũ superstitiones doceret, nullam putam creaturam, sed solum creaturarũ omnium autorem, colendum esse. Deinde quia, etiam vt λόγος, non erat ipse, ille Pater, quẽ tanquam totius Deitatis bonorumque omniũ fontem κατ' ἐξοχὴν, Deum verũ esse prædicabat, sed eius Filius vnigenitus erat & est. Ad Patrem autem hũc, omnes homines reuocare, propositum illi fuit, & ex officio debuit. Ex vera enim Patris cognitione, sequebatur etiam vera Filij ac Mediatoris cognitio. Christus autem dixit, ad Patrem, Hæc est vita æterna, vt cognoscant te, & quem misisti Iesum Christum. Etsi ergo Christus erat, & est reuera Deus, non separatus à Patre (sic enim duo statuerentur Dii) sed manens in Patre, eandémq. essentiam habens, quam & Pater: meritò tamen omnem Deitatis gloriam ad Patrem referebat.

Adducis porrò locum alium: sed vnde? noluisti exprimere. quamobrem? quia nihil magis te enecat, quàm caput illius libri, ex quo paucula illa verba depromsisti. Recitabo igitur ego omnia, vt lector, quanta sit vestra animi malitia in seducendis populis luculenter videat. Cùm Christianos conclusisset Lactantius, non esse superstitiosos, quia non multos Deos, sed religiosos, quia vnum & verum colunt Deum, subiecit c. 29. de vnitate Patris & Filii, quod ad verbum sic habet.

Fortasse quæratur aliquis, quomodo cum Deum vnũ nos colere dicamus, duos tamen asseueremus, Deum Patrẽ, & Deum Filium: quæ asseueratio plerosq. in maximum impegit errorem: quibus cum probabilia videantur esse, quæ dicimus, in hoc vno laborare nos arbitrãtur, quòd & alterum, & mortalẽ Deum fateamur. De mortalitate iam diximus, nũc de vnitate doceamus. Cum dicimus Deũ Patrẽ, & Deum Filium, nõ diuersum dicimus, nec vtrumque secernimus, quia nec Pater sine Filio esse potest, nec Filius à Patre secerni, si quidem nec Pater sine Filio nuncupari, nec Filius potest sine Patre generari. Cùm igitur & Pater Filium faciat, & Filius Patrem: vna vtrique mens, vnus Spiritus, vna substantia est: sed ille quasi exuberans fons est, hic tanquam defluens ex eo riuus: ille tanquam Sol, hic tanquam radius ex Sole porrectus: qui quoniam summo Patri & fidelis & charus est, non separatur, sicut nec riuus à fonte nec radius à Sole, quia & aqua fontis in riuo est, & Solis lumen in radio æque. Neque vox ab ore seiungi, nec virtus, aut manus à corpore diuelli potest. Cùm igitur à Prophetis idem manus Dei, & virtus, & sermo dicatur: vtique nulla discretio est: quia & lingua sermonis ministra est, & manus, in qua est virtus, indiuiduæ sunt corporis portiones. Propiore exemplo vti libet. Cùm quis habet filium, quem vnicè diligit, qui tamen sit in domo & manu Patris: licet ei nomen domini, potestatemque concedat; ciuili tamẽ iure & domus vna, & vnus dominus nominatur. Sic hic Mundus vna Dei domus, & Filius & Pater, qui vnanimes incolunt Mundum, Deus vnus, quia & vnus, est tanquam duo, & duo, tanquam vnus. Neque id mirum, cùm & Filius sit in Patre, quia Pater diligit Filium: & Pater in Filio, quia voluntati Patris fideliter paret, nec vnquam faciat aut fecerit, nisi quod Pater aut voluit, aut iussit. Denique vnum Deum esse tam Patrem quàm Filium, Esaias in illo exemplo, quod superius posuimus, ostendit, cum diceret: Adorabunt te, & in te precabuntur, quoniam in te Deus est, & non est alius Deus præter te. Sed & alio loco similiter ait: Sic dicit Dominus Deus Rex Israel, & qui eruit eum Deus æternus: Ego primus, & ego nouissimus, & præter me nemo est Deus. Cum duas personas proposuisset Dei Regis, id est, Christi, & Dei patris, qui eum post passionem ab inferis excitauit, sicut ostendisse diximus Oseam Prophetam, qui ait, Et de manu inferorum eruam eum: Tamen ad vtramque personam referens intulit, & præter me non est Deus, cum posset dicere, præter nos: sed fas non erat plurali numero, separationem tantæ necessitudinis fieri. Vnus est enim solus liber Deus, summus, carens origine, quia ipse est origo rerum, & in eo simul & Filius, & omnia continentur. Quapropter cum mens & voluntas alterius in altero sit, vel potius in vtroque vna: merito vnus Deus vterque appellatur, quia quidquid est in Patre, ad Filium transfluit: & quicquid in Filio, à Patre descendit. Non potest igitur ille summus ac singularis Deus, nisi per Filium coli: qui solum Patrem se colere putat, sicut Filium non colit, ita nec Patrem quidem colit. Qui autem Filium suscipit, & nomen eius gerit: is verè cum Filio simul & Patrem colit: quoniam legatus & nuncius, & sacerdos summi Patris, est Filius. Hic templi maximi ianua est, hic lucis via, hic dux salutis, hic ostium vitæ.

Viden lector, quales sint isti Ariani, tum in sacris literis interpretandis: tum in citandis Patribus? Quid clarius potuit dici pro distinctione duarum personarum, Patris & Filij: proque vnitate *Essentiæ*, & maiestatis diuinæ, in Patre & Filio? Quis non videt, longè alio modo Filium esse in Patre: & alio creaturas in eodem contineri? Istæ in eo sunt, tanquam in sua caussa efficiente ac sustentante: Ille, & tanquam in sui origine, & quia vna est eademque Patris & Filij mens, voluntas, maiestas, οὐσία. Itane Christus Lactantio fuit pura creatura, vt Ario fuit, & vobis? Quid? quòd in capite sequenti, nempe 30. quod est de hæresibus, aduersus cumprimis personam Christi, nominatim damnat Arium vestrum tanquam verum hæreticum? Quid? quod contrà, illam commendat Ecclesiam, quæ contrariam Ario & aliis hæreticis, de Deo, deque persona Christi, doctrinam profitetur? Verba illius hæc sunt: Sola igitur Catholica Ecclesia est, quę verum cultum retinet. Hic est fons veritatis, hoc est, domicilium fidei, hoc templum Dei: quò si quis non intrauerit, vel à quo si quis exiuerit: à spe vitæ ac salutis æternæ alienus est. Neminem sibi oportet pertinaci concertatione blandiri. Agitur enim de vita & salute: cui nisi cautè & diligenter consulatur, amissa & extincta erit.

Redite, redite igitur, & vos ad fidem Catholicæ Ecclesię, de Christo, vero Deo, veroque homine: quem qui habet, & Patrem habet: qui non habet, nec Patrem habet: eóque à salute æterna exclusus est.

XLVIII. ANTITHESIS.

Hilarius, omnium orthodoxorum consensu, maximus habetur æqualitatis Patris & Filij defensor.

Hilarius de Synodis: Nulla ambiguitas est, maiorem esse Pa-

trem. Nullum est dubium, Patrem honore, dignitate, claritate, maiestate, & ipso nomine Patris, maiorem esse, Filio testante, qui me misit, maior me est. Ibidem: In eo quidem maximè non comparatur nec coæquatur Filius Patri, dum subditus est per obedientiæ obsequelam.

Ita videmus, articulum Trinitatis, nequaquam consentientibus Patrum sententiis approbari: vt mirum sit, potuisse id hactenus à magni nominis Theologis affirmari. Non inficiamur quidem, maturè sparsa fuisse semina quædam huius vani dogmatis, quo recta vnius Dei & Iesu Christi cognitio infecta fuit: non negamus etiam aliquos ex ijs quorum testimonia adduximus, Trinitatem asseruisse: verùm id nostro instituto minimè obest: cùm non hoc à nobis agatur, vt Patrum autoritate nos tueamur: sed potiùs vt cognita ipsorum inconstantia in hoc doctrinæ capite explicando, ab humano tribunali ad diuinam huius controuersiæ disceptationem traducamus. Neque igitur nostræ, neque orthodoxorum caussę patroni sint Patres, sedeat Christus cum Prophetis & Apostolis tantæ controuersiæ Iudex, ad quorum tribunal Orthodoxos citamus.

Resp. Tuum retinens antiquum, non adducis fideliter Patrum dicta: nec quid illi agerent, indicas: vt taceā, quòd non citas loca, quò facilius imponas, faciam igitur Ego.

Syrmij in Illyrio imperante Constantio, conuenerant aliquot Episcopi: inter quos fuit & Osius Cordubensis, sed inuitus, vt narrat Socrates. Illi licet nollent videri Ariani, reipsa tamen hæresim illam fouebant. Callida horum de Deo decreta in Gallias missa, cùm legissent pij in Galliis, Belgio & Germania Episcopi: ea admittere noluerūt: constanter in decretis Synodi Nicænæ, & aliarum Catholicarum perseuerantes: & hac de re ad Hilarium, qui tum exulabat in Asia, scripserunt: illius iudicium de decretis illis Syrmiensibus petentes, & quæstiones aliquot proponentes. His perceptis, Hilarius Pictauiensis Episcopus, gratulatus fuit illis Episcopis constantiam in fide: atque vt illos in ea confirmaret, sententiam suam de illis capitulis explicans atque confirmans, librum de Synodis ad eos conscripsit: vbi apertè capita illa Syrmiensia, quibus tollebatur ὁμοούσιον Concilij Nicæni, impietatis professiones appellat: & illis nonnullas pias Orientalium Synodorum, quæ Syrmiensi aduersabantur, definitiones opposuit: suásque explicationes confirmationis caussa adiecit. Summa doctrinæ Catholicæ & Hilarij est: Patrem ideò maiorem esse Filio, quòd ille sit à nullo, iste autem ab illo: ita tamen, vt Filius Patri οὐσίᾳ sit æqualis, nec minus Deus verus atque æternus, quàm Pater est: vnum verò tantùm esse Deum, non persona, sed natura: Ac personam Patris sæpenumerò, solius & vnius Dei nomine nuncupari, κατ' ἐξοχὴν, quòd is solus sit ingenitus, hoc est, à nullo, sicut Filius à Patre est, & Spiritus sanctus ab vtroque. Ad huius rei confirmationem, plura adducere non est necesse: vnus locus sufficiat, qui ad multorum aliorum intelligentiam maximè facit. Pag. 322. de confessione Orientalium agens contra Photinum: hunc canonem 23. refert, & sua explicatione illustrat:

23. Si quis quod dictum est, Ego Deus primus, & ego Deus nouissimus, & præter me non est Deus, ad destructionem idolorum dictum, & eorum, qui non sunt dij: in destructionem vnici ante secula Dei, Iudaicè dictum intelligat: anathema sit. Hilarii explicatio sequitur. Deorum numerositate damnata, & Deo tantùm vno prædicato, negari Deus Filius Dei, non potest. Verùm naturæ istud pręstat genuina proprietas, vt nomen quod negatur ad numerum, debeatur essentiæ: & id quod non est Deus præter me, non possit Filio auferre quod Deus est: quia Deus alius, quàm qui est ex Deo, nullus est. Et per hanc vocē Dei Patris, non potest non Deus esse: qui ex indifferenti ad naturam suam est natus essentia. Quod idcircò Iudæi ad vnionem Dei referunt, quia vnigenitum Deum nesciunt. Sed nos cùm duos deos negamus, diuersitatem in Patre & Filio naturalis abominamur essentiæ: quia id non est Deus præter me, impiam de falsis diis perimit opinionem. Cùm verò vnum Deum confitentes, Filium quoque Deum dicimus: nihil diuersum per substantiam, in vtroque sub vno nomine prædicamus.

Canon iste, cum Hilarij explicatione, ad multarū quæstionum de hac doctrina, explicationem, pio cuique viro sufficiet. Sed si addas id quod habetur p. 325. nos, non quidem duos deos dicere, sed vnum: neque tamen per id sequi, non & Dei Filium, Deum esse: (Est enim ex Deo, Deus) nihil amplius desiderari poterit. Sensus enim est: vnū tantùm esse Deum, non ex Deo: sed alium esse, qui sit Deus ex Deo: nec tamen duos, sed vnum duntaxat natura Deū: quemadmodum explicat ipse pag. 327. vbi ait, vnum esse Deum natura, non persona. Ex iis verò liquidò apparet, quid ad loca à te ex Hilario adducta, respondendum sit. Sunt autem prima quæ tu citas verba in p. 304. Et verba sunt, non Hilarij, vt putasti, sed Syrmiensium: quibus porrò ab Hilario opponuntur piæ Orientalium definitiones.

Summa est: licet Pater, qua Pater est, maior sit (etiam ante incarnationem) Filio, qua Filius est, (vt etiam Basilius, Damascenus & alii Græci docuerunt) quia Pater ἀγέννητος & ex nullo Deus est, Filius autem γεννητὸς & ex Patre est Deus de Deo, & Patri, tanquam suo autori atq. principio (originis) subditus semper, eique obsequentissimus fuit, quia omnia ex voluntate Patris, (quę & ipsius Filii voluntas est) semper egit & agit: natura tamen & essentia, æqualis ab omni æternitate fuit Patri: eóque non minus Deus, quàm Pater: imo vnus & idem cum Patre Deus: quoniam vnus tantummodo Deus est natura, licet non persona. Post incarnationem verò, quomodo & quo prætereà respectu minor sit Patre: notum est. Quænam verò est inter hæc diuersitas?

Alter, quem adducis, locus est in p. 321. & verba sunt Hilarij, explicantis canonem Orientalium contra hæresim Photini, decimum septimum qui sic habet.

Si quis Dominum & Dominum, non Patrem & Filium intelligat, cùm dominum & dominum duos dicat Deos: anathema sit. Non enim exæquamus vel comparamus Filium Patri, sed subiectum intelligimus. Neque enim descendit in Sodomam sine Patris voluntate, neque pluit ex sese, sed à Domino, autoritate sc. Patris: Nec sedet in dextra à semetipso, sed audit dicentem Patrem: Sede ad dextram meam: Hilarius subdit hæc verba.

Et superiora & consequentia suspicionem, si qua esse in his dictis videbitur, penitùs excludunt, ne diuersitas dissimilium Deitatum in Domino & Domino prędicetur: & in eo nō cōparatur, quia duos Deos dici impium sit. Non aūt idcirco non comparatur vel exæquatur Filius Patri, ne Deus ipse non esse credatur. Cùm enim anathema sit, Christum Deum denegans: non potest idcirco prophanū videri, duos Deos cognominari, ne & Christus Deus prædicetur, cùm per essentiæ naturalis proprietatem idcirco Deus vnus est, quia ex innascibili Deo Patre, qui vnus est Deus, vnigenitus Filius Deus natus, non aliunde, quàm ex Deo, habeat esse quod Deus est: & indifferenti, ipse qui genitus est, ab eo qui genuit, essentia non potuit esse: nam indifferentis vnum nomen est naturæ. Et vel in eo quidē maximè non comparatur nec coæquatur Filius Patri, dū subditus per obedientiæ obsequelam est: dum pluit Dominus à Domino, ne à seipso secundùm Photinum aut Sabellium pluerit, vt Dominus à Domino: dum ad dextram Dei tum consedit, cùm sibi vt consideret dictum sit: dum mittitur: dum accipit: dum in omnibus voluntati eius, qui se misit, obsequitur. Sed pietatis subiectio, non est essentiæ diminutio: nec religionis officiū, degenerem facit naturā, cùm per id, quod cum & innascibilis Pater Deus est, & vnigenitus Filius Dei Deus est, Deus tamen vnus sit: & subiectio Filii doceatur & dignitas, dum ei ipsi non nisi Filius nuncupandus, subiicitur. Quod cum Dei Patris sit, tamen sibi ex natura sit: nomen habens alienum, sed eius, cuius & Filius est, vt sit Patri & obsequio subiectus & nomine: ita tamen, vt subiectio nominis, proprietatem naturalis atque indifferentis restetur essentiæ.

Vides, quibus in rebus non coæquetur Patri Filius: & quomodo tamen æqualis sit Patri, diuina natura atque essentia? Cur non fideliter verba Hilarii recitasti? cur reticuisti, quod mox subiecit: *Sed pietatis subiectio, non est essentiæ diminutio: nec religionis officium, degenerem facit naturam: cùm per id quod cum innascibilis Pater Deus est, & vnigenitus Filius Dei Deus est, Deus tamen vnus sit, & subiectio Filij doceatur, & dignitas?* Cur inquam hæc tu verba, in quibus totius controuersiæ cardo continetur, silentio pręteriisti?

Adde iam istis, quæ p. 322. explicans supra dictum Anathematismum 23. subdit, ea sic habent, Si quis quod dictum est, &c.

t. At nos (inquis) autoritate Patrum non nitimur, neque nos illā tuemur. Neque nos vicissim hæc, vestra caussa adduximus, sed propter pios, vt videant, qua fide citetis Patres, simulque intelligant, nullā esse in Patribus, ad substātiam doctrinæ de Deo quod attinet, inconstantiam: quando omnes

do omnes constantissimè, ad mortem vsque, symbolum Apostolicum inprimis, deinde Nicænum ac Constantinopolitanum, vnanimi consensu amplexi sunt, retinuerunt, prædicarunt, defenderunt: idque propterea, quòd totum à Sacris literis desumtum esse, perspicuè cognouerant. Nam neque ipsi, neque nos hominum, sed solius Dei, qui locutus est in Prophetis & Apostolis, autoritate nitimur, in iis quæ ad fidem pertinēt. Cùm ergo ab hominibus ad Deum prouocatis: atque vt Christus cum Prophetis & Apostolis, tantæ controuersiæ iudex sedeat, petitis: quid aliud, quàm vt vos à terra absorberi iubeat, postulatis? Nihil enim certius est ex doctrina Christi & Apostolorum, consentientibus Prophetis, quàm in cœlo, vbi peculiariter Deus habitare dicitur, Tres esse, in quorum nomine baptizati sumus, Patrem, Λόγον, Filium, & Spiritum sanctum: tres inquā inter se distinctos, vita, intelligentia, voluntate, maximaq; potentia præditos: quæ caussa est, cur personæ tres appellati solitæ sint in Ecclesia.

2. Quid præterea ex iisdem Scripturis clarius esse potest: quàm horum vnumquemque, Deum & appellari & esse? Symbolo enim fœderis, nemini nisi eidem fœderis autori, qui est Iehoua Elohim, & cui olim Iudæi sacramento circumcisionis consecrabantur, obsignari & consecrari nos Christus suo baptismate iussit.

3. Quid denique magis perspicuum, magísque certum, quàm vnum tantummodo esse Deum seu Iehouam? Vnde sequitur necessariò, licet illorum trium quisque & inprimis ac κατ' ἐξοχὴν Pater Deus sit, quia à nullo est, & fons est totius Deitatis in Filio & Spiritu sancto: non tamen tres esse natura Deos, cùm vna sit omnium Deitas atque οὐσία: quia vnus est Iehoua. Hæc est summa doctrinæ de Deo qua nihil est certius, nihil clarius, nihil antiquius, nihil magis Catholicum. Si quæ verò postea ortæ sint inter Patres de Deo disceptationes, altercationes, subtiliores quæstiones: in caussa fuerunt hæretici, qui in simplicitate & veritate illius doctrinæ non acquiescentes, variis excitatis dissidiis, sicut vester Arius, turbarunt Ecclesiam, & tenebras veritati obduxerunt. Esto igitur iudex inter nos & vos Christus ipse, cum suis Apostolis. Et hic murus nobis aheneus esto: Vnus est Iehoua plures Elohim, Pater, Filius, Spiritus sanctus: vnus, non persona, sed natura: Et vnicus Filius ὁ λόγος, factus est caro, ita vt sit verus Deus, verúsque homo: & ideo verus Mediator, redemtor, seruator, in quem (qualem sc. proponunt scripturæ) qui credit, habet vitam æternam: qui non credit, manet ira Dei super eum. Hæc est fides Catholicæ Ecclesiæ, in qua ego quoque, sicut hactenus vsq; ad 71. annum vixi, sic etiam volo mori: Amen.

XLIX. Antithesis.

In Concilio Nicæno, inquiunt Romanenses, coacti fuerunt 318. Episcopi, doctrina ac vitæ sanctimonia præclari: quamobrem par est, vt huius Concilij decreta, ac in primis symbolum, in magno pretio habeatur.

Historia malè astipulatur hisce laudibus. Primùm enim narrat, viguisse inter ipsos Episcopos acerba odia ac dissensiones, adeo vt libellos supplices, quibus se mutuo accusarent, Imperatori obtulerint. Deinde, quàm boni fuerint Theologi, ex eo apparet quòd Cœlibatus Sacerdotum, ipsorum autoritate fuit confirmatus. Nam cùm primùm hoc agerent, vt, quicunque ex Clericis vxores duxerant, antequam fuissent in hunc ordinem cooptati, ab vxorum consuetudine cohiberentur, & hoc nefarium institutum consilio vnius Paphnutij fuisset impeditum, nihilominus impiam Ecclesiæ consuetudinem stabiliuerunt, qua ij qui cœlibes allecti erant in Clericos, penitus à nuptiis arcebantur. Sozomenes lib. 1. cap. 22. Certe cùm Paulus 1. Tim. 4. prohibitionem coniugij appellet doctrinam dæmoniorum quæ per Antichristum erat inuehenda: quis est, qui non animaduertat, Antichristum in hoc concilio leges dictasse, & defectionem à fide ac doctrina Christi induxisse, quemadmodum prædictum fuerat à Spiritu sancto per os Pauli. Tertiò recitatur in historia, duos Episcopos ante finitum Concilium obiisse, & ad horum sepulchra reliquos accessisse, eos in hunc modum alloquentes: Sanctissimi Patres, qui certamen præclarum certastis, cursum consummastis, rogamus vos, vt quatenus Trinitatem (quam nunc claro lumine coràm intuemini) nobiscum approbatis, vt inquam Symbolo nostro ac decretis factis subscribatis. cúmque librum in quo descriptum erat Symbolum, apud sepulchra collocassent, altero die reuersi, hæc verba in eo scripta reppererunt: Nos ambo Chrysantus & Musonius consentimus cum cæteris Episcopis in decreta Concilij: & quanquam corpore defuncti sumus, nihilominus manibus proprijs subscripsimus. Nicephorus lib 8. cap. 23. En virtutes Concilij toto orbe celeberrimi, cuius autoritas velut magica quadam incantatio, omnium animos tot sæculis dementauit.

Resp. Propositio Ecclesiæ Catholicæ non est, ideo doctrinam de Trinitate veram esse, quia Synodus Nicæna sic definiuit: sed quia hanc tradunt sacræ literæ: ad huius verò confirmationem non parum facere quòd celeberrima illa primáque Oecumenica Synodus, Nicæna nimirū ex iisdem sacris literis, magno omnium Patrum consensu, illam demonstrauit Lege Euseb. Cæsar. & alios Patres, qui de voce præsertim ὁμοουσίου disputantes: nihil de Deo noui, in Concilio Nicæno fuisse definitum, sed tantum quæ in sacris literis habebantur, ea explicata fuisse, euincunt: non esse autem synodum illam contemnendam, cum fuerit celeberrima, & ex viris summa pietate & eruditione clarissimis cōstiterit: lege & Theod historiam, lib. 1. c 8. Nihil igitur ad rem, quæ tu aduersus illius Synodi laudes, & ad eius dignitatem autoritatémque imminuendam affers.

1. Fuerunt (inquis) inter ipsos Episcopos graues controuersiæ, de rebus videlicet priuatis. Sed quid tum? Ergóne doctrina è sacris literis demonstrata, & omnium Patrum consensu approbata, falsa & hæretica fuit? Annon etiam inter discipulos Christi contentio fuit de primatu? Et inter Paulum ac Barnabam, nō parua controuersia de Marco assumendo? Num igitur vel doctrina illorum damnanda, vel autoritas contemnenda? Imò inde apparet, synodo illi præfuisse Spiritum sanctum, quia in voluntate Dei, qui per Imperatorem omnes libellos lacerari iussit, libenter acquieuerunt: & sublatis omnibus inimicitiis, condonatisque priuatis iniuriis, vnanimes porrò in negotio religionis strenuè contra Sathanam se gesserunt.

2. At nisi vnus Paphnutius intercessisset, tota Synodus impium de vxoribus Sacerdotum canonem tulisset. Imò hic agnoscere debes præsentiam Spiritus sancti in illa Synodo: qui talem impietatem, à tali Synodo sanciri nō permisit. Paphnutio enim ideo assensi sunt omnes: quia verbum Dei retulit. At probauit tamen, & stabiliuit impiam (inquis) Ecclesiæ consuetudinem, qua, qui Cœlibes allecti erant in Clericos, penitus à nuptiis arcebantur. Primùm, Socrates lib. 1. c. 11. hanc recitans historiam, his verbis sententiam Synodi tradit: Quapropter & hanc quæstionem ita compescuerunt: vt cuiuslibet arbitrio liberum permitteretur abstinere à coniugio. Nota. Non dicit à coniuge, quā habet, sed à coniugio: nempe vel exercendo, vel contrahendo: nisi fortè nomine coniugij, ipsam cōiugum coitionem intellexit. Aliter ergo dicendum est. Paphnutij sententia duo habuit membra: vnum de coniugatis sacerdotibus: alterū de inconiugatis De primo dixit, intolerabile iugū esse, si prohibeantur cum suis vxoribus dormire. De altero dixit, Satis esse, si isti secundū antiquam Ecclesiæ traditionem, ad nuptias ampliùs nō accedant. Vtrūque autem membrū probauit Synodus. Quid verò sibi vult illud, *Satis est*? quasi dicat, satis est iugi, si secundū cōsuetudinē, &c. Agnoscebat iugū etiam esse hoc vtcunque durū: vt videlicet inconiugati, ad nuptias non amplius redeant: Satis ergo supérque esse Sacerdotibus, si hoc vetus iugum ferant: tantum abest, vt altero nouo prægrauati debeant.

Deinde particula secundum veterem Ecclesiæ *Traditionem*, indicat priores Patres, non alia ratione, nec in alium finem, illam de inconiugatis sacerdotibus traditionem statuisse: quàm qua etiam Apostolus locutus est de viduis, quæ ad ministerium Ecclesiæ eligebantur. Atqui Apostolus nemini vnquā tale iugum imposuit, aut imponi voluit: quo in statu cœlibatus, contra propriam conscientiam sese continere cogeretur: imò generalem tradens regulam dixit: Qui non potest se continere, nubat: melius est, n. nubere, quàm vri. Hæc verò minimè latebāt veteres illos Patres, quorum mentionem fecit Paphnutius. Nihil ergo hac de re impium statuit Synodus Nicæna. Sed fac omnes errasse: vnus nænus non deformat totum corpus.

3. Quæ ex Nicephoro producis, ea apud alios illorum temporum, rerúmq. in Synodo Nicæna gestarum scriptores non legi. Sed si vera sunt: quid habent impii? Intelligo quid velis inferre. Illæ fuerūt illusiones Diaboli: doctrina ergo Synodi fuit Diabolica. Inuerto: Doctrina Synodi, fuit diuina: quia ex verbo Dei: Ergo diuinum miraculum.

L. Antithesis.

Ignoratio Philosophiæ & Dialecticæ (inquit Zanchius) in caussa est, cur à recta Dei cognitione aberrent Ariani.

In Concilio Nicæno reiectum fuisse vsum Dialecticæ in disceptanda controuersia de Filio Deo, testis est Socrates, lib. 1. cap. 5.

R. Quæ ego scripsi de caussis hæresium, inter quas ignoratio quoque veræ solidæque Philosophiæ & Dialecticæ liberaliumque artium connumeratur: ea in libris meis de Tribus Elohim habētur: patre altera, c.1. & allatis exēplis, luculentissimè illam demonstraui: idq; inprimis aduersus Arium, prauum sophistam, pessimum Theologum. Quod verò tu obiicis ex Socrate lib.1. cap.5. falsum est. Ibi enim initium duntaxat controuersiæ inter Arium & Alexandrū describitur. Verùm in cap.8. aduersus quosdam sophistas, qui suis syllogismis sanam & simplicem de Filio Dei doctrinam oppugnabant, omniáque turbabant, elegans historiola narratur. Quendam enim laicum, ac simplici sensu præditum, Dialecticis illis disputatoribus restitisse in hæc verba, Christus nobis & Apostoli non dialecticam artem, nec vanam seductionem, sed nudā sententiam, quę fide ac bonis operibus custoditur, tradiderunt: atque hoc dicto, & simplici veritate explicata, tumultuationem illā, quam Dialectica pepererat, repressam fuisse. Verùm quid hæc obsecro aduersus ea, quæ ego de vera dialectica, veróque illius vsu scripta reliqui? Neque Apostolus ad Colossenses veram & naturalem Philosophiam, sed inanē duntaxat, & deceptricem damnauit. Et quinam fuerunt Dialectici illi, hoc est sophistæ, quibus restitit ille pius Idiota, nisi Ariani, qui ex iis quæ in nostrorum liberorum procreatione contingunt, aduersus ineffabilem & æternam illam Filij ex Patre generationem, sophisticati ab Ario didicerant. De Ario sic scribit Soc. lib.1. c.5 illum vtpote nugarum Dialecticarum non imperitum, Alexandro asserenti in Trinitate esse vnitatem sese per contentionem opposuisse, hoc sophismate: Si Pater genuit Filium, initium essentiæ suæ habet genitus: & ex eo liquet, fuisse aliquando tempus, cùm non esset Filius: sequiturque necessario, habere illum hypostasim ex non existentibus. Vides hic, Ariane sophisticam tui præceptoris? viden vndénam orta sit vestra contra Ecclesiam de Deo doctrina? Non certè ex vera Dialectica: sed ex illius abusu: hoc est ex sophistica. Ecquis docuit Arium, quicquid ex alio generatur, illud posterius esse suo generante: posterius inquam posteritate (vt loquuntur Scholæ) temporis? Ex hoc enim principio tota eius argumentatio pendebat: quod quàm sit falsum axioma, in multis etiam Physicis rebus, luculenter apparet. Annon radius nascitur à Sole? fuitne tamen vnquam Sol sine radio? Ac si maximè etiam verū esset illud assumtum in rebus Physicis & tempori subiectis: quæ tamen fuit fatuitas ad res diuinas & extra omne tempus positas, illud pertrahere? Habuit ergo genitus initium, sed quale? non temporis, nec vllius spatij, sed originis. Non temporis, quia Pater nunquam fuit sine Filio: sed originis, quia originem habet Filius à patre. Falsum ergo illud primum, quod intulit Arius, fuisse aliquando tempus, cùm non esset Filius. Falsum & alterum, Filium habere hypostasim ex non existentibus. Est enim ex æterna Patris substantia genitus: eóq; Patri coessentialis, & coæternus. *Summa:* Nulli magis turbarunt Ecclesiam, quàm Ariani suis sophismatibus.

LI. Antithesis.

Magnus ille Athanasius vir fuit Sanctus, & magno pietatis Zelo præditus, inquiunt orthodoxi, ideóque eius scripta, ac inprimis symbolum, in quo Trinitatis mysterium exposuit, ab omnibus magni fieri oportere.

Narrat Sozomen. Constantinum nullis precibus adduci potuisse, vt Athanasio, quem exilio mulctarat, reditum ad Alexandrinos permitteret: addens caussam, quòd homo esset superbus, seditiosus, maledicus, conuitiator. Fuit autem Constantinus Imperator singulari modestia ac humanitate: ideóq; caussam esse grauem oportuit cur tanta seueritate aduersus Athanasium vti voluerit. Præterea apud Theo. lib.1. c.13. & 16. facinus Athanasij multò adhuc tetrius recitatur. Siquidem Constantius Imperator palàm affirmat, Athanasium hoc cōtinenter machinatum, vt inter se & Constātem fratrem germanum odia intestina foueret: imo verò eò rem perduxisse, vt Constans ipsi bellum denunciaret, quatenus non permitteret Athanasio reditum ad Alexandrinos. Dicit Constantius, quatenus iniuriam sibi à fratre ac Athanasio illatam, patientia non superasset, futurum vt graue bellum inter se & fratrem extitisset. Restituto Athanasio accidit paulo post, vt Constans interficeretur. quando Constantius iam totius imperij monarcha factus, iussit quari Athanasium, & ad supplicium rapi, à quo ille fuga elapsus est. His postremò addatur, quòd historia memorat Athanasium suspectum fuisse de magia. Talis igitur fuit magnus ille ac sanctus Athanasius, quem totus ferè mundus tanquam Numen quoddam colit.

Resp. Verum dicis ab Orthodoxis de Athanasio prædicari, quod fuerit sanctus & magno pietatis Zelo præditus: hinc verò ab illis inferri, Athanasij ergo scripta, atque inprimis symbolum, magni ab omnibus fieri oportere. Illatio falsa est. Non enim quia Athanasius sanctus fuit & Zelo pietatis præditus, ideo Ecclesia illius libros probauit, & symbolum decantari iussit: sed quia cum sacris literis consentaneum illud esse cognouit. Assumtum oppugnas narratione quorundam: quæ de Athanasij ingenio & moribus narrantur. Mala fide factum illud Constantini recitas, suppressis veris illius caussis. Totam ergo illam historiam, ego hic explicare cogor.

Summo, & plus quàm Vatiniano odio persequebantur Athanasium Ariani omnes: idque propterea, quod is vnus, omnium fortissimè & constantissimè illis resistebat, & doctrinam Concilij Nicæni non infeliciter tuebatur, quæ caussa fuit, cur putarint Ariani, si Athanasius è medio tolleretur, fore vt simul etiam doctrina quam defendebat, è toto orbe Christiano exterminaretur. Hinc in Athanasium variæ Arianorum insidiæ, accusationes, calumniæ: apud plebem, in Synodis, apud Imperatorem: quod esset superbus, contentiosus, seditiosus. Imperator, vt qui id operam dabat, vt Ecclesiæ in pace viuerent, nihil magis oderat, quàm Ecclesiarum turbatores: fuit autem & in credendis illis quæ referebantur, nimis facilis: & synodorum plus quàm par erat sæpenumerò obseruans: quia & natura erat bonus, & religionis Christianæ amantissimus. Hæc omnia in genere constant ex historiis. Nunc ad quædam singularia.

Athanasio duo fuerunt cumprimis capitales, & perpetui inimici: Eusebius Nicomediensis, & Theognis Nicænus, Episcopi: idque propterea, quòd ab illo fuerant in Concilio Nicæno fortiter repressi; ita vt in exilium pulsi fuerunt: à quo tamen & ipsi simulata pœnitentia tandem reuocati, ad suas quisque Ecclesias redierunt. Reuersi magno honore & reuerentia afficiebantur à pio Imperatore: quod illos seriò resipuisse, & reuera ad sanam doctrinam rediisse putaret. Ii cùm magnam autoritatem & libertatem apud Imperatorem sese obtinuisse viderent: illa abusi autoritate, decreuerunt quibuscunque possent modis diuexare Athanasium, & in odium apud Imperatorem adducere: vt eo tandem vel necato, vel in exilium abacto, doctrina Concilij Nicæni paulatim extingueretur, & Arij propagaretur. Cum igitur vna ex parte scirent, Imperatori nihil magis esse cordi, quàm vt omnes ad Catholicam doctrinam reuersi, & in communionem recepti, veram inter se amicitiam, pacem & concordiam colerent: ex altera vero parte non ignorarent ingenium Athanasij, fore vt nunquam Arium, aliósve ei adhærentes ad communionem admitteret: curarunt datis ad Athanasium literis, & supplicatione Imperatori exhibita, vt Arius ab exilio, propter (fictam) resipiscentiam, reuocatus ad communionem Alexandrinæ Ecclesiæ reciperetur. Athanasius recusat: accusatur ergo apud Imperatorem, tanquam seditiosus, tumultuator, & eos qui ad Ecclesiam accedere vellent, prohibens, concordiámque impediens. Iratus Imperator, Athanasio mandat, addita graui comminatione, ne quempiam ab accessu Ecclesiæ prohibeat. Demonstrat Athanasius, & persuadet Imperatori, non esse dandam communionem Arianis. Acquieuit Imperator. Hoc percepto, Eusebius curat per Melitianos alias institui contra Athanasium accusationes: sed Imperator agnita Athanasij pietate & innocentia, & meras esse sycophantias, quæ illi obiiciebantur: populo Alexandrino scripsit, ac testimonium (vtar verbis Sozomenis lib.2. cap.22.) viro huic tribuit, quod & admodum æquus esset (audi Ariane) & de fide rectè sentiret: quódque percupidè cum eo contulerit, ac virum eum esse diuinum persuasus sit, & quod per inuidiam accusatus, melior accusatoribus suis apparuerit. Viden Ariane, quale iudicium fecerit pius ille & prudens Imperator de Athanasio: imo qualem eum esse reipsa cognouerit? hominem verè diuinum, inquit Sozomenes.

Verumenimuero hypocritæ illi Ariani à proposito non desistunt, vt multitudine accusationum innocentem obruant: & Imperatorem ad illum præ im patientia pellendum cogant. De nouis igitur & grauissimis criminibus accusatur Athanasius: ita vt propter multitudinem & accusationum & accusatorum, proptéque aduersariorum importunitatem coactus fuerit cogere synodum Cæsareæ Palæstinæ, quæ paulo post translata fuit Tyrum. Pletique autem omnes, clam erant Ariani: licet palàm Catholi-

tholicam Synodi Nicænæ fidem profiterentur, qui illi synodo interfuerunt Episcopi. Cùm hæc, & malitiam inprimis Eusebij posset Athanasius: diu quidem eo ire detrectauit: sed tamen ad extremum fisus secundùm Deum, bonitate suæ conscientiæ, & æquitate Imperatoris, ad illam synodum se contulit. Vbi verò omnia iniquè agi, séque ab inimicis, propter odium religionis, opprimi animaduertisset: Tyro fugiens, ad Imperatorem confugit: & narratis gestis in synodo, petiit ab Imperatore, vt illis Episcopis Constantinopolim vocatis, coram eius clementia, omnia sibi obiecta discuterentur. Iustæ petitioni annuens Imperator: ad Synodum scribit, atque vt omnes ad se veniant, iubet. Quid his Imperatoris literis acceptis contigerit: non meis, sed ipsius Sozomenis verbis explicabo.

Itaque (inquit Sozomenes *lib. 2. c. 28.*) cùm hæc scripsisset Imperator, alij metu correpti, ad suos discesserunt: alij verò, qui cum Eusebio Nicomediensi Episcopo erant, ad Imperatorem profecti, Synodum Tyro congregatam, in ea causa Athanasij decreuisse quæ iusta sint affirmant: simulq; testes in medium adducunt Theognium, & Marim, & Theodorum, & Valentem, & Vrsacium, ac fidem faciunt, fregisse Athanasium mysticum poculum, & alia multa vituperantes calumniis inualescunt. Imperator igitur, siue delationibus illorum verè crediderit, siue Episcopos concordes dein ceps futuros putauerit, si è medio tolleretur Athanasius, iubet illi, vt Treueris ad Galliam occidentalem habitet. Et is quidem illò abducitur. Quis ex iis non liquidò colligat, quæ fuerit causa exilij Athanasij? Non certè quod Imperator Athanasium verè nouerit talem esse, qualē esse traduxerant aduersarij: sed aut, quia cùm esset nimis obseruans synodorum, nimis etiam sese credulum præbuit illis calumniatoribus: aut quod, cùm nihil magis ex animo odisset, quam Episcoporum dissidia, sperarit, si vnus ablegaretur Athanasius, fore vt reliqui Episcopi omnes, pacem inter se colerent, & Ecclesiæ manerent pacatæ. Hic fuit finis bono Principi in exilio Athanasij. Interim negari non potest, vt ex illis historiis patet, quin iniquissimè actum fuerit cum Athanasio: id quod preces omnium piorum, ad Deum & Imperatorem pro illius reditu (vt Sozom. eiusdē libri cap. 31. narrat) manifestè confirmant. Si igitur quæras causam, cur Athanasium vocarit Imperator, superbum, seditiosum, maledicum: lege illas historias, & quæ vera fuerit causa, facilè inuenies. Summa. Ita turbauit Ecclesias in Oriente Athanasius: sicut Elias Israelem, & Apostoli totum orbem terrarum. Sed cur tu silentio præteris decretum Imperatoris de reuocando Athanasio, quod Theodoretus lib. 1. c. 13. recitat? Pœnituit enim eum illius facti. Cur & causam huius exilij omittis, quam apud eundem Sozom. li. 3. ca. 2. refert, & scribit ad populum Alexandrinum Constantinus, primus Imperatoris filius? nempe ne qua indignitate afficeretur ab hostibus suis Athanasius? Maluit ergo Imperator, Athanasium seruari Treuiris, quàm periclitari Alexandriæ. Lege Ariane illam iunioris Constantini epistolam; & videbis quas Athanasio laudes tribuat. Theodoretus autem excusans factum Imperatoris in proscribendo Athanasio: apertè scribit, illum fuisse ab Episcopis, hostibus Athanasij, quibus nimium fuit credulus, circumuentum. Summa; Omnes scriptores improbant factum Imperatoris: variis autem modis illum excusant: sed Imperator ipse iniuriam à se factam fuisse Athanasio propter importunitatem tot tantorumque aduersariorum, non obscurè sæpius, & præsertim sub mortem suo de reuocatione Athanasij decreto, significauit.

Quod adfers ex Theod. quid obsecro, te iuuat? Et ex narratione Theodoreti, & ex libero Liberij colloquio cum Constantio, liquidò constat, meram fuisse calumniam Arianorum contra Athanasium, Constantio ideo persuasam, quia homo leuis erat, & Arianæ factionis. Nunquam in animo fuit Athanasio, committere fratres: sed ab Ariano ad Catholicum confugiens, quod sui erat officij, summa cum pietate, & reuerentia faciebat. Habebant verò & Constantinus & Constans, cur Constantio irascerentur: cùm viderent eum tam leuiter à pietate paterna, ad Arianismum defecisse, Catholicos Episcopos proscribere, & Arianos fouere. Lege interim epistolas ipsius Constantij, quæ sunt apud Socratem lib. 2. c. 24. & videbis quale testimonium dederit ille Imperator Athanasio.

Suspectus fuit (inquis) de magia: sed quibusnam? non certè Catholicis: Non te verò puduit hæc scribere, cùm tales extent defensiones Athanasij apud omnes scriptores, quibus in omnem æternitatem pudefacti, & summæ malitiæ atque sycophantiæ conuicti fuerunt, illius accusatores? Sed te eodem Diabolico Spiritu agitari, quo & illi agitabātur, hac ratione declaras: quod quæ omnes Scriptores aiunt fuisse calumnias, ea tu tanquam vera proponis. Etiā Iudæi dixerunt, Christum in Beelzebub eiicere dæmonia solitum fuisse, num igitur verum? Adscribebant illi Sathanæ, quod Christus faciebat in digito Dei: & Ariani, magiæ, quæ circa Athanasium fiebant diuinitus; vt quod sæpe e manibus hostium mirabiliter ereptus fuit; vt quod multa præuiderit, certóque prædixerit; & alia huius generis, quæ peculiari Dei gubernatione, in illo & per illum sanctum virū facta fuisse leguntur. Soz. li. 4 c. 9. 10. & alibi. Hæc pro defensione illius sancti viri, & Heroici serui Christi, Magni Athanasij.

LII. ANTITHESIS.

Patres Arium vocant præcursorem Antichristi: Et Zanchius omnes eos, qui Trinitatem in dubium vocant, Antichristos appellat.

Historia Ecclesiæ testatur, quo magis creuit potentia Antichristi ac Episcoporum, hoc durius fuisse pressos Arianos, & splēdidius excultum dogma Trinitatis. Et adhuc hodie videmus, Antichristum suauiter amplecti hunc Deum, ac grauissimè persequi eius aduersarios. Cùm igitur Sathanas non possit odisse Sathanam: quo iure nostri homines adducti, Arianos vocant Antichristos, quos Romanus Antichristus, omnium Antichristorū caput ac patronus, tanto odio persequitur: se verò eundem cum Antichristo Deum & Christum colentes, splendido Euangelicorum titulo ornant?

Resp. Quod Patres dixerunt de Ario, verum est: quibus & ego subscripsi. Quisquis enim sese opponit gloriæ Christi pertinaciter, is Antichristus est. Quod verò opponis ex historiis: in eo te nescire quid dicas, luculenter significas. An non concedis Christum fuisse ante Antichristum, & illius doctrinā, huius fuisse priorem? Atqui Christus docuit, tres esse, subsistentes nimirum, intelligentes, volentes, in quorum nomen baptizari debeant, quotquot fœderis participes esse volunt: & interim tamen non tres esse, sed vnū tantummodò Iehouam, fœderis autorem. Hoc abundè, ex Baptismo præsertim demonstratum à nobis est. Hæc igitur doctrina, Antichristi esse non potest: sed huic contraria, quę & posterior est. Episcopus autem Romanus, illam hucusque defendit: atque ita defendit, vt huius rei causa illorū Episcoporum permulti, plures quàm 30. præter exilia, mortem quoque perpessi sint, quemadmodum historiæ manifestè docent. Quomodo igitur hæc doctrina, Antichristi esse potest?

Quid ergo tu garris de historiis Ecclesiasticis? Mera tyrannide Constantij, & postea Valentis, Orthodoxos fuisse oppressos, & Arianos promotos, historiæ testantur, donec tandem per Gratianum, Theodosium, Arcadium, Honorium, aliósque pios Imperatores, profligatis hæresibus, doctrina Christi, in concilio Nicæno explicata, infinitorūque porrò etiam sanguine confirmata, in totum orbē Christianum reuocata fuit. Hinc vestræ istæ lacrymæ; nónne ô bone Vir? At dices, hos omnes Imperatores, fuisse Antichristos, vel Antichristi mācipia. Itáne? Quomodo probas? quia promouerunt inquies, doctrinam Antichristi, hoc est, Episcopi Romani. Sed hæc est petitio principij: quasi verò vel hæc doctrina, a Pontifice Romano excogitata sit: vel illi Imperatores, ad eam promouendam, à nulla re alia, quàm ab autoritate Romanorum Pontificum fuerint adducti. Certè Theodosius ille magnus sapientissimusque Imperator, non obturauit ora vestris Arianis, neque illos inter se commisit autoritate Papæ, sed omnium præcedentium Patrum, qui Arianam hæresim præcesserant: illi autem Patres, doctrinam de Deo quam cum illis Ro. Episcopus profitetur, è sacris literis haustam, luculentissimè demonstrarunt. Soc. li. 5. c 10. Si illa doctrina fuit Christi: sequitur vestrum Arium, qui sese illi opposuit, fuisse Antichristum: Papā verò, qui illam defendit, hac in parte nō posse Antichristi nomine appellari. Si autem contendas, non fuisse Christi: rursus sequitur, vestrū numen Arium, insignem fuisse nebulonem: qui vt ab exilio liberaretur, finxit Imperatori Cōstantino, se & suā mutasse sententiā, & fidem Nicænæ Synodi ex animo amplecti: id quod etiā iureiurando sanctè affirmauit: hoc est, mentitus est. Soc. li. 1. c 38. Soz. li. 2. c. 27. & 30. O egregium Mūdi doctorem! Tales fuerunt & eius discipuli, Nicomediensis, Theognius, aliique vani, incōstantes, sineque vlla pietate Episcopi: quibus idē fuit negare & affirmare, peierare, & sanctè iurare. In quā enim partē videbāt Imperatores inclinare: in eā ipsi quoque sese flectebant, suámque religionem componebāt, aientes cum aientibus, negantes cum negantibus: ita vt Themistius Philosophus, obseruata illorum Episcoporum instabilitate, verè dixerit, illos non Deum, sed purpuram colere, & ab Euripo non differre: Ecebolij erant omnes. Socr. libr. 3. cap. 25. Hoccine de Athanasio, aliisque Nicænæ fidei Episcopis, qui sæpius

exulare, quidnis pati, & mortem subire maluerunt, quàm veritatem dissimulare, nedum abnegare, dici potest? Des mihi vel vnum in illis historiis, qui pro Ariana fide voluerit mori. Simulac in exilium abigebantur; statim de reditu cogitantes, Nicænam fidem mentiebantur: suscitato autem Imperatore Ariano, ad vomitum redibant. Ingenia, plus quàm Diabolica. Diabolus enim odit inconstantiam; cùm ipse sit pertinax.

Summa verò est; Nos à doctrina de Filio Dei falsa, quam tradidit Arius, illum & Antichristum, & magni Antichristi in oriente, qui est Turcus, præcursorem fuisse demonstramus; Tu autem à persona Papæ, quem omnium Antichristorum caput appellas; argumentaris, eius quoque doctrinam de Deo impiam & Antichristianam esse: assumta non causa pro causa Neque enim, quia in multis sese Christo opponit, ideo sequitur, in doctrina etiam de Deo, eum esse Antichristum; fallacia quoque adiecta, à secundum quid, ad simpliciter. Atque hæc ad tuam 52. Antithesim satis.

LIII. Antithesis.

Iactant Orthodoxi, Arium ob blasphemum dogma fuisse extra ordinem à Deo percussum, & fœda morte sublatum, hócque argumento fidem faciunt suæ doctrinæ.

Historia affirmat, Constantinopoli (vbi hic casus accidit) varia fuisse hominum iudicia de morte Arij. Cumque alij aliud sentirent, familiares eius dixisse, Arium à maleuolis, qui præsenti eius felicitati inuidebant, veneno necatum esse. Id si ita est (vt quidem vereor) sanguis Arij, de quo tantopere hactenus triumpharunt Orthodoxi, suo tempore repojcetur de ipsorum manibus, ab eo, qui omnia nouit & iudicat.

Resp. Ad hanc Antithesim non potest melius responderi; quàm simplici eorum recitatione, quæ de periurio Arij, déque diuina eius vltione, scripta reliquerunt fideles historici; sed si quædam ad rem facientia, prius breuiter retulero. Socr. lib. 1. cap. 26.

Cùm Arius propter simulatam veræ fidei confessionem eámque Imperatori exhibitam, hísque verbis Iudex noster Deus est, & nunc & in futuro seculo, obsignatam, ab exilio fuisset reuocatus; Alexandriam rursus (inquit Socrates li. 1. cap. 27.) hæresim clanculum serendo exagitare conatur (En sinceritatem Arij, verámque eius pœnitentiam;) Nicomediensis vero cum suis, ita egit Imperatorem suis calumniis; vt recepto iam Ario, Athanasius tandem in exilium mitteretur, quemadmodum narratur à Socrate li. c. 27. & sequentibus vsque ad cap. 35. Arius autem (verba sunt Socratis cap. 37.) cum Alexandriam vnà cum suis sociis venisset, totam denuo ciuitatem perturbat. Imperator vero cùm mentem Arij peruersam esse percepisset; accersitum eum Constantinopolim redire iubet; rationem de illis redditurum, quæ denuo mouisset. Ecclesiæ autem Constantinopolitanę præerat Alexander, qui Metrophani successerat. Hunc virum piũ fuisse, pugna cum Ario habita ostendit. Cùm enim Arius venisset, ac diuisus esset in duas partes populus, ortáq; esset tumultuario per ciuitatem, aliis Nicænam fidem haudquaquam interuertendam esse dicentibus: aliis Arium rationabilia dicere contendentibus; maximis angustiis tenebatur. Alexander, prę sertim ob eam causam, quod ipsi Eusebius Nicomediæ plurimum comminaretur, dicens, se illico vt deponeretur curaturum, nisi Arium & socios eius in communionem reciperet. Alexander vero non tam depositionem metuebat, quàm doctrinę dissolutionem, quam illos machinari sciebat. Cũ enim custodem se eorum esse putaret, quę in synodo fuerant determinata, totus in id incumbebat, ne formulę illius lęderentur. In hac itaque solicitudine cõstitutus, vale dicto Dialecticæ, ad Deum confugit, ieiuniísque indesinentibus vacauit, nec vllum orandi modum omisit. Et talẽ cogitationem animo concepit. In Ecclesia, quam cognomine Irenem vocant, clanculum quæ videbantur perfecit, vbi seipsum inclusit, & ad altare progressus, in faciem se coram sacra mensa prostrauit, & cum lacrymis orauit. Et hoc multas noctes pariter ac dies continuè ac perseueranter fecit, petiit à Deo & accepit. Erat autem petitio eius talis. Siquidem Arij dogma verum esset, ne ipse diem disceptationi deputatam cerneret: si verò fides, quam ipse habebat, non Arij opinio, vera esset, vt ipse determinata die Arius omnium malorum causa, pœnas daret impietatis. Subdit Socrates de periurio Arij, eiusque obitu in hæc verba.

Talia orauit Alexander. Imperator vero periculum de Ario facere volens, accersit eum ad palatium, interrogátq; an determinationibus Nicænæ synodi consentiret. Ille nihil moratus coram eo subscribit: sed ita vt arte fucum circa ea faceret, quæ de fide erant definita. Imperator admiratus, etiam iuramentum exigit. Ille & hoc per imposturam præstat. Erat autem impostura illius, qua subscribendo vsus est, sicut audiui, talis: Dogma suũ in charta quadam scriptum, scriptũmq. sub ala gestabat, atque ita iurauit, ad tũ se modum verè sentire, sicut scripsisset. Hoc ita accidisse, ex aliorum relatione scribo. Quod iuramentum quoque adiecerit, ex Imperatoris epistolis colligo. Imperator igitur, quoniam illi credebat, Alexandro Constantinopolitano Episcopo mandat, vt eum ad communionem reciperet. Erat autem tum dies Sabbathi, & sequenti die futurum expectabat, vt coniungerentur: verùm vltio audaces Arij conatus consecuta est. Cùm enim egressus esset palatio stipatus satellitibus illis, qui cum Eusebio erant, per mediam vrbem celebris ingrediebatur, & cùm proximè ad forũ, quod Constantini dicitur, venisset, vbi purpurea posita est columna: metus conscientiæ Arium apprehendit, ac simul vnà cum metu mota est alui laxitas. Percontatus nũ in propinquo alicubi secessus esset, ac cognito, esse retro forum Constantini, illò secessit: vbi hominem animi defectio corripuit, & vnà cum excrementis ipse quoque anus cõfestim excidit, ac copia sanguinis consecuta est, & simul reliqua intestina vnà cum splene & iecore coniunctim sunt prolapsa. Protinus itaque mortuus est. Secessus ille ad hunc vsq; diem Constantinopoli retrò forum Constantini, sicut dixi, & macellum in porticu situm, ostenditur, & cunctis pręsentibus, ac digito illum notantibus modum mortis Arij perpetuò memorabilem reddit. Cùm hoc factum esset, timor & anxietas eos qui cum Eusebio Nicomediæ erant, corripuit. & fama hæc totam ciuitatem, & vt ita dicam, totum orbem peruagata est. Cùm autem Christianismo Imperator hoc amplius afficeretur, ac Nicænam fidem iam verè diuino confirmatam esse testimonio diceret; lætabatur super his quæ acciderant, & super tribus filiis, &c. Eadẽ apud Sozom. lib. 2. habentur, cap. 27. Ita enim scribit de bono principe, per quendam hypocritam presbyterum Arianæ factionis hominem, intercedente Constantia sorore Imperatoris, seducto: Arium paulo post ab exilio reuocat; mandátque vt fidei suæ de Deo confessionem scripto sibi exhibeat. Ille vt nouitatem nominum, quæ prior ipse inuenerat, declinaret: aliam expositionem contexit, verbis vsus simplicibus, & sacris Bibliis cognitis: addito etiam iuramento, quod ad eum modum crederet, & ea mente sentiret, nec aliud quicquam extra oblatam expositionem cogitaret. Habet autem illa hoc modo.

EXPOSITIO ARII DE FIDE ad Constantinum Imperatorem.

Pientissimo ac Deo dilectissimo Imperatori nostro Constantino, Arius & Euzolus presbyteri. Fidem nostram, Domine Imperator, sicut Deo dilecta pietas tua mandauit, scripto hoc exponimus. Ad hunc modum autem & nos, & qui nobiscum sunt omnes credere confitemur, sicut hic infra subiicitur. Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, & in Dominum Iesum Christum, Filium eius, genitum ex eo ante omnia secula, Deum Verbum, per quẽ omnia facta sunt, tam quæ in Cœlo, quàm quæ in terra, qui venit, carnem assumsit, passus est, resurrexit, ascendit ad Cœlos, & venturus est ad iudicandum viuos & mortuos. Et in sanctum Spiritum, & carnis resurrectionem, & vitam futuri seculi. & regnum Cœlorum, & vnam sanctã Catholicam Ecclesiam Dei, à finibus terræ, *vsque ad fines* illius. Hanc fidem ex sanctis Euangeliis *accepimus, Domino* discipulis suis dicente: profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris, & Filij, & Spiritus S. Si verò ista non sic credimus, & verè Patrem, & Filiũ, & Spiritum S. recipimus, sicut credit & recipit omnis Ecclesia Catholica, & sacræ scripturæ docent, secundum quas per omnia credimus: sit Deus Iudex noster, & nunc, & in futuro die. Capite porrò 29. ita de morte Arij scribit: Pridie verò eius diei, qui præfixus fuerat, oratorium ingressus Alexander, pronus ante altare per totam eam noctem iacuit, Deũque precatus est, vt propositum ac scopum eorũ, quæ contra se consultata erant, impediret. Arius autem, cũ eodem die circa vespertinum crepusculũ aliquò abiret, repentino alui motu coactus, ad locũ quendam publicum in eũ vsum segregatum venit. Cùm autem post diutinam moram non egrederetur, nonnulli ex illis, qui eũ foris præstolabantur introgressi, mortuum in sede repererunt. Hoc cũ manifestũ esset factũ: non erat eadem cũctis de morte illius opinio. Videbatur. n. aliis subito quodam morbo circa pectus com-

comprehensus, aut defectionē quandam præ voluptate propterea passus, quòd res ipsi ex animi sententia succederent, sub horæ illius momēto esse mortuus: aliis verò, quod pœnas impietatis dedisset. Illi autem, qui cum ipso sentiebāt, incantationibus eum sublatum esse nugabantur.

Narrat eadem Nicephorus lib. 8. cap. 51. Si credendum est historiis: apparet Arium, verum fuisse templum Diaboli, in quo nulla pietas, nulla sinceritas, nulla veritas, nullus Dei timor, totus autem Sathan corporaliter inhabitabat: eius verò obitum, meram fuisse Dei vindictam: qua illius & periurium, & blasphemiam coram toto Mundo vltus est.

LIV. ANTITHESIS.

Ariani propiùs ad veritatem accedunt. Zanchius.

Arianus olim blasphemum os (si quod vnquam Sathan) aperuit. Beza in epistolis.

Resp. Quid tibi velis hac antithesi, cùm ea tamen nulla sit, non intelligo. Vbi verò, & quo sensu ego scripserim, Arianos propiùs ad veritatem accedere, in præsentia nō memini. Dubium non est quin comparatione aliorum quorundam hæreticorum, locutus sim: puta Sabellij, qui vnam tantùm personam admittebat: puta etiam Samosateni & Photini, qui Christum negarunt fuisse ante conditum Mundum: initium accepisse ex virgine: sed quid hæc ad rem? Ergo vt vanitatis plenam, hanc tuam Antithesin omitto: indigna cum sit responsione mea.

LV. ANTITHESIS.

Trinitarij insimulant Arianos multorum scelerū, inprimis quòd persecuti sint Orthodoxos, effuderintque multum sanguinis innoxij: vnde colligunt homines fuisse impios, ac veri Dei ignaros.

Historia Ecclesiæ, quanquam ab Orthodoxis scripta, locuples testis est: Orthodoxos & primos fuisse, & postremos in Arianis persequendis. Ipsorum namque instinctu Constantinus Arium relegauit in exilium, eiúsque libros exuri iussit: quanquam non multò post controuersia rectius perspecta, & Arium reuocauit, & dogma eius amplexus est. Deinde subsequentibus annis, Episcopi adeò importuni fuerunt Imperatoribus, vt coacti sint Arianis publica sacra interdicere, quæ annos circiter ducentos maximi cœtus frequentarant. Sunt item in illorum capita cruenta leges sancitæ suasu Episcoporum: quæ omnia tum acciderunt, quando Ecclesiæ status in peius ruerat, & Antichristi vires robur acquisierant. Quòd verò historiæ scriptores tantoperè exaggerant crudelitatem Arianorum: quis cordatus fidem eis in hac narratione per omnia adhibeat, cùm fuerint acerrimi hostes Arianorum, & multa intemperanter scripserint? Cúmq; è medio sublata sint scripta contraria, ac per vim oppressa, quibus Ariani suam innocentiam & persecutiones, quas perpetiebantur ab Orthodoxis, memoriæ prodidere: quis non dubitare incipiat de fide partis alterius, quæ ferre non potuit, vt altera quoque pars à posteritate legeretur? Certè si vera sunt, quæ Pontificij hisce 50. annis de Luthero ac Euangelicis commenti sunt: nihil erit hoc hominum genere flagitiosius. Atqui satis notum est quàm sint pudendæ nugæ, quas Antichristi satellites aduersus suarum impietatum reprehensores impudenter confingunt. Cúmque ferè ita vsu veniat, vt peior pars vi ac calumniis obruat meliorem: quis nobis hunc metum eximet, ac si idem non acciderit Arianis, in quorum perniciem videmus Pontificios, Lutheranos, Zuinglianos, ac totum ferè orbem conspirare?

Resp. Quæ nostri dicunt de crudelissima & iniquissima Arianorum in Catholicos persecutione: ea, si qua fides historiis habenda est, verissima sunt. Crudelissima quidem fuit, quia non contenti bonorum direptionibus & exiliis: barbaris etiam & sæuissimis modis, Orthodoxorū sanguinem effuderunt, vt luculenter tradunt historiæ. Iniquissima verò quia non solùm caussa tanti effusi sanguinis, fuit iniqua: sed etiam ratio, qua vsi fuerunt aduersus nostros, cum omni pugnauit æquitate. Annon doctrina Orthodoxorum præcesserat Arianam, atque è S. literis demonstrata fuerat? Iniquam ergo habuerunt caussam Ariani. Annon, postquā etiam illorum caussa fuisset diu inter tot Patres agitata, & tandem condemnata: denuò sæpius turbarunt Ecclesias? Quomodo ergo quis illorum caussam tueri poterit? Sed & ratio, quia illi rerum potiti, aduersus nostros vsi sunt, iniquissima fuit atque barbara. Annon Constantius & Valens Imperatores, aliique tū Episcopi, tum Magistratus & præpotentes Ariani, simulac aliquis nollet ipsis assentiri: sine vlla caussæ disquisitione, illum vel exilio plectendum, vel morte è medio tollendum curarunt? Legantur historiæ, quæ sunt harum rerum testes locupletissimæ. Quòd verò ait, Orthodoxos primos fuisse in persequendis Arianis: Si illud verbum *Persequi*, pro simpliciter a cœtu fidelium depellere, atque etiam in exilium abigere, accipias: nos istud non inficiamur, nec inficiari possumus, quando Orthodoxi, priores etiam simpliciter fuerunt Arianis, à quibus in vera religione turbati fuerant: sed quod factum fuit, illud optimo iure factum fuisse contendimus. Quis enim bonus pastor, lupos à grege suo, omni conatu abigēdos nō curet? Et quósnam obsecro, quando, & quomodo in exilium misit Constātinus Arium vestrum, cum suis aliquot; & quando? Posteaquam ipsorum causa, diu fuisset in amplissima Synodo, legitimè disputata, agitata, cognita, manifestissimæque hæreseos damnata; ipsi verò, multis aliis resipiscentibus, resipiscere noluerunt. Et qualinam exilio damnati fuerunt? non perpetuo, in quo perirent: sed ad tempus, vt eo correcti vera afficerentur resipiscentia: & resipiscentes, ab exilio reuocarentur: id quod & factum fuit. Optimus enim Princeps Constantinus, cùm ab hypocritis Arianis persuasus fuisset, sed falso, Arium cum suis resipuisse: eos cōfestim reuocauit. Quid in toto hoc Constātini facto habes, quod carpas? Persecutio enim hæc & lenis fuit: & tum Ecclesiæ salutaris, tum ad ipsorum Arianorum salutem instituta. Atque hęc de prima verbi *Persequendi* significatione satis. Si verò *Persequendi* verbum, pro capitali pœna afficere intelligas: quod tu dicis de Orthodoxis, hoc vt falsissimum & Sycophanticum pernegamus: sed Arianos primùm de hoc persecutionis genere, aduersus Orthodoxos cogitasse, illudque subinde exercuisse, nos innixi veris historiis, contendimus. Certè neque Constantinus pater, neq; Constantinus aut Constans filij, Nicænæ autem fidei professores, vllum vnquam Arianum capite plectendum curarunt: sed Constantius Arianus, huic capitali persecutioni, idque etiam indicta causa, tātum quia oderat Homousianos, initium dedit. Constantius fuit vocatus: sed in vera paternaque religione, & clementia minimè constans: in impietate autem & sæuitia, maxime pertinax: ad eam persecutionem suadentibus, non certè Romano Pontifice, sed Macedonio Constantinopolitano, Georgio Alexandrino, aliísque eiusdem farinæ Episcopis. *Socr. lib. 2. cap. 27. 28.* Secutus est, vt iam de Iuliano, qui neque Orthodoxus, neque Arianus fuit, sed à Christiana religione ad gentilismum prorsus defecerat, nihil loquamur:) Iouinianus optimus princeps: qui licet Nicænæ fidei professor & defensor esset: Arianorum tamen persecutus est neminem: quòd Reipub. Christianæ videret non expedire: imò ad Episcopos inter se contendentes dixit, *Ego contentionem detestor, concordi verò sententia coniunctos diligo & veneror:* hoc humano responso non obscurè significans, quid vellet: nempe, vt omnes Nicænam fidem concorditer sequerentur: id quod & à non paucis obtinuit. *Socr. lib. 3. cap. 25.* Iouiniano successit Valentinianus, qui Valentem fratrem in Oriente, imperij consortem fecit. Fuit ille Nicenæ, iste autem Arianæ fidei homo: sed quomodo sese vterque erga Christianos gesserit? Valentinianus (inquit *Socr. lib. 4 cap. 1.*) eos quidem tuebatur, qui fuerant fidei consortes: sed interim Arianis haud quaquam erat molestus. Valens vero Arianos prouehere volens, dissentientes ab illis, acerbè tractabat: id quod fusè, toto illo 4. libro explicat Socrates. Imperante enim Valentiniano in Occidente: Valens in Oriente non solum mulctis & proscriptionibus, sed variis etiam suppliciis Homousianos afficere solebat: hoc tantùm nomine, quòd cum Eudoxio Ariano, Episcopo Constantinopolitano, à quo fuerat baptizatus, nollent consentire. *Socr. lib 4. cap 5.* Quis huius iniqui, superbi, & periuri atque perfidi Ariani (fidem enim datam, & iuramento confirmatam, Ducibus Procopij, contra consuetudinem Romanorum, etiam infidelium, turpissimè & cum infamia nominis Christiani, violauit) quis inquam huius tyranni Ariani feritatem atque barbariem explicare queat? Res quidem Persicæ (inquit *Socr lib. 4. c. 2.*) tranquillæ erant; ipse vero (Valens) tranquillitate hac abusus, irreconciliabile bellum contra Homousianos excitauit. Viden, Ariane, ingenium vestri Imperatoris? Item, cap. 6. Imperator autem rebus tam prospere gestis (nempe in bello contra Procopium) denuo turbas contra Christianos mouet; volens, vt cuncta religio, Ariana fiat. Hæc ille.

Tyrannus enim ita percitus fuerat, quod Synodus Lampsacena, quæ ipsius tamen iussu fuerat coacta, Arianos Episcopos deposuisset, & Ariminensem fidem damnasset. Summa; volebat omnia ex suo cerebro fieri: alioqui ad vim & ad arma (vt nunc etiam alij Tyranni faciunt) prosiliebat, Quamuis autem Deus multis è cœlo prodigiis, horrendis

grandinibus, maximis terræ motibus, ſubuerſionibus vrbiū, ſuam aduerſus Valentem iram declararet: nullus tamen metus animum illius ſubiit: ſed ſæuire in Orthodoxos pergebat. Item, c.15. Ariani (inquit) amplius efferati, Eccleſias afflixerunt: percutientes, conuiciantes, carceribus includentes, mulctantes, & omnia nefanda contra eos patrātes: quæ cùm non ferrent (orthodoxæ Eccleſiæ) ad ſupplicandum Imperatori veniunt: quo vel ex parte tantùm à violentia liberari poſſent. Verùm hoc ſpectantes, admodum ſunt ſua ſpe fruſtrati: quod quæ iuſta eſſent, ab eo ſperabant, qui ipſe vim inferebat. Hæc ibi. Quid crudelius, quid magis barbarum, quam quod c.61. narratur de 80. Orthodoxis, ex ordine Eccleſiaſtico viris; qui cùm ad Imperatorē cū ſupplici libello veniſſent, ipſe eos comprehēdi & interfici iuſſit; & quónam genere mortis? doloſè vna naui includuntur omnes, & in altum pelagus abducuntur: & ibi naui incenſa, omnes incendio tolluntur: idque ideo factum eſt; vt hoc modo mortui (ait Socrates) non haberent, à quibus ſepelirentur. Quis vnquā tyrannus, talia admiſit, qualia veſter Arianus Imperator? Etſi verò facinus hoc paulo poſt acerba & dura fame vltus ſit Deus: nunquid tamē tyrannus aliquid de ſua ſæuitia remiſit? Nihil minus. Subdit enim Socrates c.17. Valens autem Imperator, quæ ex famis accidebāt moleſtia, parui pendens: Antiochiam Syriæ venit, ibiq; morā nectens eos vaſtat, qui Ariani eſſe nolebant. Homouſianis enim prorſus ab Eccleſiis ferè per omnes Orientis ciuitates pulſis, nondum tamen quieſcit: ſed illos etiam variis ſuppliciis ſubiicit, ac multò plures, quàm priores perdit: ac vario mortis generi, præſertim fluuio mergendos, tradit.

Obiter verò illud perpendite Ariani, quod Edeſſæ præfectus, de Orthodoxis, Valenti de illorum nece ſemper cogitanti, dixit, cunctos eſſe pro fide ſua mori paratos: nec cōſonum eſſe rationi, vt tantus hominum numerus breui tēpore occidatur. Hoccíne de Arianis dici poteſt: qui ſicut Ecebolius, aiebant & negabant, prout Imperatores ſibi placere ſignificabāt? Redeo ad crudelitatem Ariani ſpiritus. Eodem tempore (inquit Socrates c.19.) dæmon quidam peſſimus, Imperatoris abuſus eſt crudelitate. Perſuaſit enim curioſis quibuſdā, per necromantiam inquirere, quis poſt Valentem eſſet imperaturus: quibus magica vſis incantatione, dæmon non manifeſta, ſed pro more ſuo obliqua reſpōdit, quatuor illis literas, oſtendens θ, & ε, & ο, & δ, ac dicens, ex his fore initium nominis, ei qui poſt Valentem eſſet imperaturus: Eſſe autē illi coniunctionem. Rumor hac de re venit ad aures Imperatoris. Non enim Deus permiſit, vt futura ſciret: & quod videretur, faceret is, qui omnia rectè gubernat: ſed relictis Chriſtianiſmi mandatis, quorum ſe zelum habere putabat, multos perdidit, quos tyrannidem inuaſuros ſuſpicabatur. Occidebantur itaque Theodori, & Theodoti, & Theodoſij, & Theoduli, & quotquot conſimilia iſtis habent nomina: inter quos & Theodoſiolus quidam vir generoſus ex nobili Hiſpaniæ proſapia deſcendens, occiſus eſt. Multi autem imminentis periculi metu, nomina ſua mutarunt, negatis illis, quæ parentes impoſuerant: eò, quod periculis eſſent obnoxia.

Significabat autem Dæmon ille malignus, Valenti Ariano ſucceſſurum Theodoſium, pium & orthodoxum Imperatorem. Quid? quod omnes etiam Monachos, qui in ſolitudine viuebant, homines inermes, quietos, pacificos, tantùm quia fidei erant Nicænæ, crudeliter affligendos, deprędandos, & è ſua ſolitudine detrudendos curauit? Nullo (inquit Socrates *li.4.c.22.*) ſermone, quæ contra eos mala geſta ſunt, enarrari queunt. Cùm itaque Valens (inquit Socrates c.24.) cum Alexandrinos, tum Ægyptios perſecutionibus affligi, lege præcepiſſet: vaſtabantur ac ſubuertebātur omnia; & alij ad tribunalia trahebantur, alij verò in carceres coniiciebantur, & alij aliter torquebantur. Varia ſiquidem ſupplicia contra quietis amantes exercebantur. Poſtquam hæc Alexandriæ, pro arbitrio Lucij geſta, & Euzoius Antiochiam reuerſus eſset: confeſtim iſti monaſteria Ægypti inuadunt: dux videlicet cum multitudine militum, & Arianus Lucius. Etenim nec ille deerat, ſed peiora, quàm milites, haudquaquam ſanctorum virorum ordinem miſeratus, perpetrabat. Cùm autem ad id loci veniſsent, viros illos conſueta facientes, orantes, morbos curantes, ac dæmones expellentes, comprehenderunt: & parum mirabilia Dei curantes, ne hoc quidem illis permiſerunt, vt conſuetas in oratoriis ſuis preces abſoluerent, ſed & illinc eos eiecerunt. Nec hoc contenti ſunt; ſed progredientes, turbas etiam contra eos mouerunt. Hæc ſe Ruffinus & vidiſse, & ab illis perpeſsum eſse dicit, &c.

Ad extremum, lib.4.c.32. ſcribit: Valentem grauiter Homouſianos impugnaſse; & quotidie maiores cōtra eos pœnas excogitaſse. Dic mihi calumniator Ariane, hæccine de Cōſtántino Patre, déq; eius filiis Cōſtantino & Cōſtante legūtur? Hucuſq; de Valente Ariano: vt omnes, qualis fuerit ſpiritus Arij, à quo ille Imperator, ad tantā in Orthodoxos ſæuitiem ſemper agitabatur, intelligant: Spiritus nimirum Antichriſti, eóq; ipſius diaboli: qui & mendacia aduerſus Filium Dei loquitur, & homicida eſt ab initio. Inueniant nobis Ariani vel vnum ex Imperatoribus Orthodoxis, qui crudelitate in ipſos Arianos, cū Valente Catholicorū carnifice, cōparari poſſit. Clementiſſimus fuit (vt de iis qui præceſserunt, nihil amplius dicā) & humaniſſimus Gratianus, qui ipſis quoq; Arianis tēpla cōceſſit: clementiſſimus Theodoſius maior, qui Arianos Epiſcopos cōcordiā cū Homouſianis amplecti recuſantes, ſola vrbe egredi iubet, & extra vrbē cōuentus concedit: Et, de quo Socrates li.5. c.20. neq; Arianos, neque Macedonianos, neq; Nouatianos, ſed ſolos Eunomianos perſecutus eſt. Clementiſſimus Arcadius: clementiſſimus Honorius: clemētiſſimus Theodoſius iunior: Valētinianus iunior: qui licet Ariani ſubinde nouas turbas excitare ſoliti eſsēt: de nemine tamē vnquā pœnas ſumſerūt: imò cū Neſtorius Epiſcopus Cōſtantinopolitanus, & illos & Nouatianos acriter perſequeretur: Imperatores, Theodoſius iunior, & Valētinianus iunior, impetū illius, admonēdo cohibuerūt. Ac de Theodoſio iuniore ſpeciatim ſcribit Socrates, eū tātæ fuiſse clemētiæ & māſuetudinis, vt verè de illo dici potuerit, quod de Moſe prædicat Scriptura: nō fuiſse hominem ſuper terrā illo mitiorē: & hanc ob cauſam Theodoſiū hunc, ſolitū fuiſse laudare Proclū *epiſcopū*, quòd neminem perſequeretur, placiditate potius, quàm violentia, omnes ad ſanā mentē pertrahere cupiens, & ſaragens: quanquam iſte Imperator legē porrò tulit aduerſus Neſtorianos, quæ ſic habet: Præterea ſancimus, vt qui impiā Neſtorij fidē ſectātur, aut illicitæ eius doctrinæ adhærent, ſi Epiſcopi fuerint vel Clerici, ſanctis Eccleſiis eiiciantur: ſi laici, anathemate damnētur. Quid hac lege æquius & mitiùs? Vt verò nihil dicā de Martiano, Synodi Chalcedonenſis autore, quo nihil æquius & humanius, alióſque pios omnes Imperatores & Reges ſilentio prętercam: ex iis quę retuli, luce meridiana clarius eſse factum arbitror: hoc ſanguinariū iniquę perſecutionis genus, nō ab Orthodoxis initum, ſed ab Arianis tā Epiſcopis, quàm Imperatoribus, & principium & incrementum accepiſse. Non poſsum verò ſilentio præterire, quæ Euagrius, *Hiſt.li.4.c.14.* de Rege etiā Vandalorum, Onoricho Ariano, ſcripta reliquit. Onorichus (inquit) Gizerichi in regno ſucceſsor, quoniam Arianam religionē ſequebatur, Chriſtianos in Libya crudeliſſime affligebat, cogens eos ad Arianam tranſire opinionem, qui recta dogmata venerabantur, nō obſequentes autem igne & innumeris mortis generibus interimebat, ac nonnullis linguas amputabat. Vides hìc ſpiritum Arij, qualis fuerit?

Quod ſubdis de Orthodoxis, illos poſtremos etiam eſse in perſequendis Arianis: ea de re multis in præſentia tecū non agam: quia diſputatio hæc, an magiſtratui Chriſtiano, liceat in hæreticos capitaliter etiam animaduertere, neque ad præſens noſtrum argumentum pertinet: neque non fuit (vt initiò dixi) à doctiſſimis viris fideliter explicata: vt plura addere nō ſit neceſse. Hoc tantùm dico: quod noſtri Magiſtratus, aliquot Arianos, & quidem pauciſſimos, capite plexerint: illud neque à te, neq; ab vllo mortalium, meritò culpari poſse. Non enim ideo capitali ſupplicio affecti fuerunt illi Ariani, quia ſimpliciter erant Ariani: ſed quia blaſphemi in Filiū Dei, tum lingua, tū libris: & præterea, quia ſeductores, Eccleſiarumque turbatores: & denique etiā, quia in ipſos Magiſtratus contumaces & periuri fuerunt. Quid autem de hiſce hominibus mandet Deus piis *Magiſtratibus*: notum eſt omnibus, qui ſana mente legerunt S. literas. Túne Deum crudelitatis & iniuſtitiæ accuſabis? Impudens verò calumnia eſt, atque inſigne mendacium, quod ſubdis de optimo & religioſiſſimo Imperatore Cōſtātino Magno: illum Arij dogma tandem amplexum fuiſse, & ideo illum ab exilio reuocaſse. Contra Socrates ſcribit, li.1.c.38. Conſtantinū, ſpectato Dei iudicio aduerſus Arium in tali mortis genere, de quo ſupra dictum eſt, confirmatum fuiſse in fide Nicæna, quam verè teſtimonio diuino, confirmatam fuiſse, liberè & palàm prædicabat. Non diu autē poſt mortē Arij, annū circiter, vixit Imperator: intra quod tempus, nihil eum de priori fide mutaſse, Ego legi; ſi tu legiſti apud probatum autorem, cur non profers? Quòd reuocarit Ariū ab exilio: id ideo nō fecit, quod in eius ſententiam deſcenderit: ſed (vt explicatum eſt) quia illum ex mendacibus nōnullis Arianis reſipuiſse intellexerat, & crediderat. Ad eandem tamen calumniam refellendam, pertinet, quod Sozomenes li.3.cap.1. ita ſcribit: Ad hunc itaque modum comparata fuerunt, quæ Eccleſiis ſub imperio Conſtantini acciderunt. Mortuo illo, ruiſus in contentionem venerunt,

quæ

quæ à Nicæni Concilij Patribus fuerãt decreta. Licet enim illa non approbarint omnes, nemo tamen ea, Constantino adhuc superstite, palàm & perspicuè reprobare ausus fuit. Vbi verò mortuus fuit, multi ab opinione hac defecerunt, &c. Si Cõstantinus, viuus adhuc defecisset ad Arianismum: quomodo nemo, Cõstãtino adhuc superstite, palam & perspicuè, decreta Cõcilij Nicæni, reprobare ausus fuit?

De interdictione conuentuum Arianorum: res ita se habet. Mortuo Valente vestro, crudelissimo Orthodoxorum hoste, Gratianus Orthodoxus, in eius locum suffectus, statim cogitauit, prout ipsius postulabat pietas & officium, tum hæresim Arianam ex Ecclesia tollere, tum verã Christi doctrinam in Concilio Nicæno explicatam, in Ecclesiam reuocare: sed vtrumque, vt debuit, prudẽter. Cùm enim totus ferè Oriens Arianam blasphemiam sequeretur, & fidẽ Nicænam persequeretur: opus certè fuit pro Imperatori, magna prudentia in vtroque præstando. *Socr. li 5. c. 2.* Damnata igitur Patrui sui Valentis in Orthodoxos crudelitate: hoc in primis curauit, nimirum vt Orthodoxi, qui in exilium pulsi fuerant, reuocarentur: deinde lege sanxit, vt vtraque religio Nicæna & Ariana, intrepide & indifferenter sua haberent oratoria suósque conuentus: excepit verò Photinianos, Manichæos, Eunomianos: Cur autem obsecro, aliis hæreticis exclusis, conuentus permisit Arianis? Nõ certè quod eorum doctrinam probaret: sed quia cùm tanta esset illorum multitudo, videbat fieri non posse, vt ea religio statim exterminaretur. Quæ sua igitur fuit Christiana prudentia, aliquid Arianis gratificandum ad tempus: & tam duram quercum iámque altis & multis radicibus cõstabilitam, non vno ictu, & statim, sed multis & paulatim eradicandam esse iudicauit. Quis hoc improbet? Neque Apostoli simpliciter probabant, vt esus sanguinis & suffocati interdiceretur gentibus: sed pro eo tempore, hoc gratificãdum fuisse Iudæis, prudentissimè animaduertebãt. Theodosius porrò maior, captata occasione ex schismate hæreticorum inter se, Arianorum videlicet, Nouatianorũ, Macedonianorum & Eunomianorum: lege cauit, ne Ariani cõuentus in vrbe Constantinopoli, sed tantùm extra vrbem haberent: admissis in vrbe Nouatianorum, atq; etiam Macedonianorum conuentibus. Isti enim cum Catholicis, de Filio Dei consentiebant. *Socr. li 5. c. 20.* Ita paulatim extinguebatur pestis Ariana. Ruffinus verò narrat historiam nõ illepidam. *lib. 5 c 16.* Amphilochius qui multos iam annos Lycaonum metropoli præfuerat, venit ad Theodosiũ, supplicaturus, vt hæreticorũ cœtus ex vrbibus eiicerentur: ad quam rem cùm Imperatorem haud facilem esse obseruasset: hac vsus est sancta astutia. Ingressus in Regiam, & conspicatus adstantem Imperatori Filium Arcadium, qui & ipse paulò ante designatus fuerat Imperator, de more quidẽ Patrem salutat, nullum autem honorem ipsi filio defert. Theodosius hoc admiratus obliuione potius Amphilochij factum id, fuisse putat, quàm malitia & libera voluntate, iubet igitur eum accedere ad Filium, illúmque osculari. Respondet Amphilochius, satis esse, quod ipsi patri honorẽ habuisset. Indignatus Imperator, neglectionem filij sui, contemtum & insectationem interpretatur. Ibi Amphilochius, cum clamore, Imperator (inquit) itáne grauiter fers neglectionem filij tui, tamque vehementer succenses contumeliosis erga illum? persuadeas igitur tibi, omnipotentẽ quoque Deum, odisse blasphematores Filij sui, esséque eis infensum, tanquam ingratis erga Saluatorem & benefactorẽ suum. His intellectis (subdit Theodoritus) cum admiratione dictorum factorúmque, legem statim scribit Imperator, qua hæreticorum cœtus prohiberentur. Audebísne Ariane, aut Zelum factumque Amphilochij, aut legem Imperatoris improbare? vtrumque, inquies, improbo. Damnandi igitur in primis fuerint Constantius & Valens, qui illud prìores contra Orthodoxos fecerunt: & quidem iniquissimè, cùm in nostrorum cœtibus Filius Dei, nõ vt in vestris blasphemetur, sed vnà cum Patre, & Spiritu S. glorificetur.

Ciuentræ item leges in Arianorum capita, inquis, sancitę sunt. Nõ in simpliciter Arianos: sed in blasphemos & seductores, eósque pertinaces atque perituros: quemadmodum Deus mandat. Arianorum scripta (inquis) sublata sunt è medio, & per vim oppressa. Non per vim, hoc est, per violentam iniuriam: sed per mandatum Dei, qui sicut blasphemos homines, sic etiam libros blasphemiarum plenos, ne illis populi inficiantur, tolli è medio iubet. Et Apostolos probat Act. 19. illorum factum, qui libros magicos, hoc est, diabolicos, coram Apostolis, in testimonium veræ resipiscentiæ, comburebant. Quid verò magis diabolicum est: quàm tales cõscribere libros, in quibus Filius Dei blasphematur, quales sunt Arianorum?

Arianorum hostes fuerunt, (inquis) qui historias Ecclesiasticas scripserunt. Arianæ impietatis hostes fuerunt, sed non historicæ veritatis. Neque si nonnulli Pontificij scriptores multas aduersus protestantes commenti sunt, & cõscripserunt calumnias: idem à veteribus Orthodoxis historicis, aduersus Arianos factum fuisse, inferri potest.

Vsu ferè venit (inquis) vt peior pars, vt ac calumniis obruat meliorem. Rectè. Sic enim etiam tempore Constantij vestri & Valentis, cùm totus ferè Oriens, lue ista vestra infectus esset, contigit: pessimis Arianis, optimos quosque Catholicos pessime tractantibus, & calumniis atque vi, vbicunque poterant, perdentibus: sed si non semper id fit, nõ sequitur, ergo Orthodoxos porrò cum plures fuerunt, quã Ariani, vi etiam & calumniis aduersus Arianos egisse, eósq; contra omnem æquitatem oppressisse.

Falleris, cùm ais, totum Mundum in perniciem Arianorum conspirasse: quando non Arianorum, sed Arianæ duntaxat hæreseos pestem extinctam esse cupiunt. Neque nos certè in alium finem hæc scribimus: quàm vt vobis saluis Ariana hæresis vestra ab omnibus damnetur? Christiana autem veritas promoueatur, colatur, foueatur: ad gloriam nominis Dei Patris, Filij, & Spiritus S. & ad totius Ecclesiæ ædificationem, Amen.

PERORATIO ARIANI.

EN quantis salebris scateat dogma Trinitatis, quod tãto cum applausu omnium excipitur, in quo defendendo Euangelici ac Romanenses summa cum armorũ ac voluntatũ consensione vigilãt. En quàm fœcunda sit Trinitas omni genere monstrosissimarũ vocum, phrasiũ, contradictionũ, quibus incõprehensibilis ac tremenda Dei maiestas, profanorũ hominũ ludibriis exponitur, omniq; sua dignitate qua pollere apud homines debebat, spoliatur. Quãdiu igitur pro hoc Põtificio Deo pugnabitis? quãdiu iisdem, quibus Antichristus armis eũdem cũ ipso Deũ ac Christũ tueri sustinebitis? vos alloquor (nam Romanensiũ plaga est incurabilis) qui Antichristi idolomaniam perspicere cœpistis, & religionem non è Conciliis & Patribus, sed sanctissimo Dei verbo docendam iudicastis? Quamdiu in ipsa arce religionis, Antichristi fraudes & apostasiã non animaduertetis? Quousq; manus ac pedes, Antichristi vinculis extricare studetis: ipsum verò caput ac ceruicem, durissimo eius iugo submittere desinitis? Quando tandem aliquando abiecto gladio Magistratus ac brachio sæculari, quib. pugnare solet Antichristus, prouocabitis aduersarios ad pugnam armáq; spiritualia: quibus solis Christus Sathanam prostrauit: quæ sola vobis porriguntur à Christo & Apostolis: nec sunt alia ad hæreticos iugulandos efficaciora? Videte igitur etiam atque etiam, quid tandem iudici Deo respondebitis: si in grauissimo religionis articulo, non alia quam hactenus arma expedire pergatis. Neque enim is, de cuius gloria agitur, quæque per vos minus lucet, ad tantam confusionem diutius tacebit.

AD PERORATIONEM.

PEroratio tua, duabus constat partibus: conclusione totius tui libelli: & adhortatione ad nos, vt neq; eundem Deum ac Christum, quem Rom. Pontifex: neque iisdem, quibus ille, armis, sed solo Dei Verbo, tueamur.

Conclusio, quàm sit falsa: ex iis, quæ ad tuas ineptas Antitheses respondimus, luculenter apparet: totumque hoc pio lectori iudicandum permittimus.

Primum adhortationis vestrę membrum nõ admittimus: sed vos monemus, nos nõ ideo doctrinã de Deo & Christo, quam hactenus professi sumus, cõstanter adhuc profiteri, & ad mortem vsque beneficio Christi, professuros esse, quia eandem profiteatur ac tueatur Papa: sed quia eam tradidit ipse Deus, & Christus per Prophetas &, apostolos in S literis: quẽadmodũ nõ solum nos, sed omnes etiam pij Patres, adeoque tota Ecclesia Catholica, perspicuè & copiosè, aduersus hæreticos, variis tẽporibus demõstrarunt: & hac in parte, nos ab Ecclesia Romana, ideo non dissentire, quia manifestè videmus, eundem Deum, eundémque Christum ab illa prædicari atque defendi, quem & nos edocti ab Apostolis ac Prophetis, prædicamus atque defendimus.

Alterum membrũ admittimus: sed ad id nos hortari, non

solùm fuit superuacaneum, verum etiam iniquè iniurium: quasi verò nos armis carnalibus, & non potius gladio spiritus, quod est Verbum Dei, causam nostram tueamur. Magistratus nostri, pro officio à Deo sibi iniuncto, gladio suo non minus in blasphemos, periuros, & seductores, (vt supra diximus) quàm in alios facinorosos vtuntur: At causam religionis, nos non tuemur, nisi gladio spirituali, scripturis nimirum sacris: quibus pro confirmatione, totius quoque Ecclesiæ Catholicæ consensus accedere solet. Hæc ad Perorationem tuam: reliqua sunt nugatoria, & vana. Arianismus certe non alia ratione, quàm armis spiritualibus, nobis a Christo per Apostolos porrectis, iugulatus & prostratus fuit: vt vanissima sint ista tua: QVANDIV IGITVR: QVOVSQVE MANVS: QVOVSQVE TANDEM ALIQVANDO, & cætera: quasi verò vobiscum nunquam sit actum Verbo Dei, sed tantùm ferro & igne. Libri Patrum, historiæ Ecclesiasticæ, scripta nostra, imò & vestra, vbi conamini testimonia scripturarum a nobis allata retorquendo repellere, contrarium testificantur, & te summæ sycophantiæ abundissimè conuincunt.

PERORATIO ORTHODOXI.

NOs igitur etiam peroramus, cóclusione & adhortatione. Conclusio est: doctrinam nostram de æterno Deo Patre, de æterno Deo Filio, de æterno Deo Spiritu S. vno eodémque Iehoua, æterni fœderis, nostræque salutis auctore, cui omnes nos Baptismi Symbolo obligati sumus: à Christo ipso nobis traditam fuisse: eóque verè diuinam, certam, & sempiternæ veritatis esse doctrinam: quam qui non credit, sed potius pertinaciter oppugnat, saluus esse nō potest.

Adhortatio est: Obsecramus ergo vos per Iesum Christū verè & propriè Filium Dei, verè & propriè Patris vnigenitum, eumque æternum, quem qui non habet, nec Patrem habet: rogamus inquam, ne amplius seducti a Diabolo, resistatis veritati: sed memores illius vnici Baptismatis, quo in nomen Patris, qui non est Filius: & in nomen Filij, qui nō est Pater: & in nomen Spiritus S. qui nec Pater est, nec Filius: tanquam in nomen vnius veri & æterni Dei, baptizati estis: in hos etiam, Patrem, Filium, & Spiritum S. tanquā in vnum eundémque Deum, vna & eadem fide, nobiscū credatis. Hæc est enim vera de Deo, quis sit, doctrina: qua sicut nihil est certius, propter diuinas scripturas, quæ illam tradūt: sic nihil eā homini videtur absurdius: propter tenebras humanæ mentis, quæ immensam illam diuinā essentiam percipere non potest, quomodo vna cùm sit ac simplicissima, ea tamen distincta etiam sit in tres, non essentias quidem & Deos, sed (vt Ecclesia Græca loquitur, est autem vox Apostolica Heb. 1.) in tres ὑποστάσεις, seu (vt Latina) substantias vel subsistentias & personas, quæ sunt Pater, Filius & Spiritus S. Rogamus igitur, ne quæ vera ac certa sunt in scripturis: ideo reiiciatis, quia humanæ vestræ rationi absurda & ἀδύνατα esse videntur: sed potius armis illis spiritualibus, de quib. Apostolus, vtentes, ratiocinationes vestras humanas euertatis, omnem mentis vestræ sublimitatem, quæ extollitur aduersus Dei cognitionem deprimatis: omnem denique cogitationē vestrā, ad obediendum Christo, in captiuitatem redigatis. Certum autem est, Christum sicut mādauit, vt in nomen Patris, Filij, & Spiritus S. tanquā triū ὑφισταμένων, vnius autem veri Dei, & noui Testamenti autoris, baptizaremur: sic etiā, vt in hunc vnū Deum, Patrē, Filium, & Spiritum S. credamus, hancq; de Deo doctrinam firma fide amplectamur, mandasse. Cur ergo Domino nostro Iesu Christo, non obtemperamus? de Deo, quis sit, satis.

De Christo autem Mediatore, hæc quoq; certissima est, & secundùm scripturas, doctrina. Neq; Pater, neq; Spiritus S. sed solus Filius, qui & λόγος æternus apud Patrē, in Patre, & in sinu Patris semper existens, Deusque verus cum esset in sola Dei forma, sumta in vnitatē suæ personæ carne nostra factus est caro ipsa, hoc est, verus ac perfectus homo; manens interim quod erat, verus nimirum & perfectus Deus: seque totum, secundùm vtramque naturam, inter nos, & Patrem, Mediatorem constituit: vt vtriusq; naturæ actionibus, distinctis quidem illis, sed vnitis, (qua etiā de caussa θεανδρικαὶ à Græcis appellatæ sunt) quæcunq; ad salutē nostram pertinebant, perficeret: ita vt exempli caussa, passus quidem & mortuus sit carne, nō autem Deitate, sed eam tamen mortem, non minus secundùm diuinam, quā secundū humanam voluntatem voluerit: & passio quidem in carne sola hæserit, sed vis expiandi peccata, passioni à Deitate accesserit: id quod de aliis quoq; actionib. Christi, tanquam Mediatoris nostri, si saluas velimus esse scripturas, & eas omni cōtradictionis implicatione liberare, omnino sentiēdum & dicendum est: vt sit vnus & idem, qui patitur, & qui non patitur, sed secundùm diuersas naturas. Qua ex re, hoc est, ex Mediatoris officio, quis Christum & verum esse Deum, & verum esse hominē, nō cōcludat? Ita, qui Christū nolunt esse aut verum Deum, aut verum esse hominē: quid aliud isti miseri agunt, nisi quòd se per Christum redemptos esse negant? Hæc de Christo vera & certa est, si credēdum est, vt est, scripturis, doctrina. Nihil igitur tutius est, & animis nostris salutarius, quàm vt iis, quæ de Deo & de Christo tradunt Sacræ literæ, simpliciter credentes, oculis verò mentis nostræ (vtpote finitæ) in assumtam a Filio Dei humanam naturam (vtpote & ipsam finitam) immediatè defixis (quis enim immensam Dei essentiam, nondam apprehendere aut cōprehendere queat?) in ea porrò λόγον, æternū Dei Filium, qui carnem illam sibi καθ' ὑπόστασιν vnitam habet, cōtemplemur: & hunc Deum simul & hominem, eóq; verum Mediatorem esse agnoscamus. in hoc autem Christo, Patrem deinde & Spiritum S. tanquam ab illo inseparabiles, apprehendamus. Est enim Pater in Filio, & Filius in Patre: & Spiritus S. vtriusque est Spiritus, & in vtroque existit. Sic faciendum esse docuit ipse Dominus Iesus. Primum enim sese, vt verum hominem conspiciendum omniū oculis præbebat: Volebat ergo priori loco, pro vero & perfecto homine, ab omnibus agnosci. Deinde & verbis dicebat, & tum scriptis Prophetarum, tum miraculis confirmabat se Filium esse Dei, nempe non per gratiam, vt nos, sed propriè & per naturam: Volebat ergo secundo loco, pro vero & naturali Dei Filio credi: & vt fideles, quem oculis corporeis verum esse hominem conspiciebant, eundem etiam oculis mentis & fidei, verum esse & eiusdem cum Patre naturæ Deum, viderent & intelligerent. Postremò, ne inde homines caperent occasionem imaginandi plures Deos, Patrem vnum, Filium alterum: addebat se & Patrem vnum esse: item Patrem in se esse, atque operari, & se vicissim esse in Patre: id quod & de Spiritu S. non obscurè significauit, cùm dixit, se in Spiritu Dei eiicere dæmonia: & Spiritum Paracletum, qui à Patre procedit, se missurum: & cùm insufflās dixit, accipite Spiritum S. Volebat ergo, vt fideles, quem videbant esse hominem, & quem credebāt esse Filium Dei Patris naturalem, in eodem, Patrem quoque, & Spiritum S eiusdem fidei oculis contemplarentur: ac licet Filius non sit Pater, nec Pater Filius, nec Spiritus S. Pater aut Filius: eos tamen inter se vnius Deitatis, seu diuinæ naturæ seu nexu (si ita de illa ineffabili maiestate loqui liceat) vnitos esse intelligerent, vt non tres sint Dij, sed vnus duntaxat τῇ οὐσίᾳ Deus. Illis enim aliisque similibus phrasibus, & pluralitatem distinctionémque diuinarum personarum: & vnitatem essentiæ significare voluit, optimus rerum diuinarum magister, Dominus Iesus. Ita in Iesu Christo homine visibili, si eius credatur verbis, immediatè inuenitur inuisibilis λόγος, æternus Dei Filius, qui vnà cum carne assumta, vna tantùm est persona: in λόγῳ, autem Pater agnoscitur, & Spiritus S. vtriusque. Viden Ariane, qua methodo, & per quosnam gradus, ad veram perfectámque Dei cognitionē, deduci nos velit Christus? nempe, vt initio facto a notioribus, ad ignotiora: & à facilioribus, ad difficiliora, quæ naturalis est methodus, paulatim deducamur. Est autem notius nobis, quòd Christus sit per naturam humanam, verus filius hominis & homo, quàm quod sit per naturam diuinam, filius Dei, Deus: & notius etiam est, quòd sit Filius Dei, & Deus per naturam, quam quod interim nō sint duo Dij Pater & Filius, sicut apud nos duo sunt homines, qui genuit, & qui genitus est: sed quòd vnus duntaxat sint Deus, propter vnionem personarum in vnitate essentiæ. An non etiam in vera hominis cognitione, idem ordo seruatur? Primùm enim ex visibili facie, videmus aliquem nō esse belluam, sed hominem: deinde ex sermone, aliisque mētis actionibus, præditum illum esse ratione intelligimus: denique ex intima & substantiali vnione animæ cum corpore, non duos, sed vnum duntaxat hominem esse cognoscimus. Hæccine doctrina, de Deo salebris scatet & contradictionibus? Profectò si cognosceretis Christum vnigenitum Dei Filium: cognosceretis & Patrem eius, & in vtroque Spiritum S. Sunt enim in Christo omnia: & omnis plenitudo Deitatis in ipso inhabitat corporaliter. Quæ caussa est, cur Apostolus dixerit, se nihil inter Corinthios decreuisse scire, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Ad veram autem Christi cognitionem peruenire nemo potest, nisi trahatur à Patre: sicut etiam neque Patrem quis nouit, nisi cui Filius voluerit reuelare. Pater ergo trahit ad Christum cognoscendum & amplectendum: in Christo autem cognito, reuelatur & agnoscitur Pater.

Faxit ergo Pater, vt ad veram Christi cognitionē pertrahamini: vt in hoc cognito, agnoscatis & Patrem, vi & efficacitate Spiritus S. per quē vterq; in nobis operatur. AMEN.

APPEN-

ANTITH. II. Inter opera Athanasij, nullus est libellus, cui sit talis titulus, de vnitate fidei: rem verò ipsam passim in suis scriptis pertractat. Sed fortassis intelligis Epistolam ad omnes vbique per Ægyptum, Syriam, Phœniciam & Arabiam Episcopos, quæ est in T.3. Vbi quæ sit totius Ecclesiæ fides de Deo, & Christo, breuiter explicat his verbis: Symbolum igitur, tesseráque fidei nostræ, est consubstantialis Trinitas, Deus verus, ex Maria genitus homo: qui autem istis non adstipulatur, anathema esto.

Duo autem sunt distincta capita huius fidei: vnum, quòd tres in Deo personæ sint consubstantiales: alterum, quòd qui factus est homo ex Maria, sit non Pater aut Spiritus sanctus, sed Filius, verus Deus. Sic enim postea clarius explicat, dicendo: Hæc enim scripta Magni Concilij Nicæensis volunt: consubstantialem scilicet Patri Filium esse, & Spiritum vnà cum Patre & Filio conglorificari: Deum verum, Filium Dei, incarnatum, passum esse, resurrexisse, in Cœlum ascendisse, venturum esse iudicem viuorum & mortuorum: cui gloria, &c.

In hæc enim capita resoluit Symbolum fidei Christianæ Athanasius. Sed tu mihi videris coniunxisse, seu confudisse potius, quæ erant distinguenda: & sic legisse: Consubstantialis Trinitas Deus verus ex Maria genitus homo: inde infers, hanc fuisse Athanasij sententiam, totam Trinitatem factam esse hominem. Ego nescio, an ignorantiæ, an verò potius malitiæ morbo labores.

Antith. 14. in altero genere. Ad explicationem, cur Filius Dei vocetur λόγος, & sapientia Patris: adferantur, quæ Tertullianus contra Praxeam adducit, pag. 407. quæ sic habent. Sed quia duos, vnum volunt esse, vt idem & Pater & Filius habeatur, oportet & totum de Filio examinari, an sit, & qui sit, & quomodo sit: & ita res ipsa formam suam scripturis & interpretationibus earum patrocinantibus, vindicabit. Aiunt quidem & Genesin in Hebraico ita incipere: In principio Deus fecit sibi Filium. Hoc vt firmum non sit, alia me argumenta deducunt ab ipsa Dei dispositione, qua fuit ante Mundi constitutionem, vsque ad Filij generationem. Ante omnia Deus erat solus, ipse sibi & Mundus, & locus & omnia. Solus autem: quia nihil extrinsecus præter illum. Cæterùm ne tunc quidem solus: habebat enim secum, quam habebat in semetipso, rationem suam scilicet. Rationalis enim Deus, & ratio in ipso prius: & ita ab ipso omnia Quæ ratio, sensus ipsius est: hanc Græci λόγον dicunt, quo vocabulo etiam sermonem dicere in primordio apud Deum fuisse, cùm magis rationem competat antiquiorem haberi: quia non sermonalis in principio, sed rationalis Deus etiam ante principium: & quia ipse quoque sermo ratione consistens, priorem eam, vt substantiam suam ostendat. Tamen & sic nihil interest. Nam etsi Deus nondum sermonem suum miserat, proinde eum cum ipsa, & in ipsa ratione intra semetipsum habebat, tacitè cogitando & disponendo secum, quæ per sermonem mox erat dicturus. Cum ratione enim sua cogitans atque disponens sermonem eam efficiebat, quam sermone tractabat. Idque quò faciliùs intelligas ex te ipso, à me recognosce, vt ex imagine & similitudine Dei, quo habeas, & tu in temetipso rationem, qui es animal rationale, à rationali scilicet artifice non tantùm factus, sed etiam ex substantia ipsius animatus. Vide cùm tacitus tecum ipse congrederis ratione, hoc ipsum agi intra te, occurrente ea tibi cum sermone ad omnem cogitatus tui motum, & ad omnem sensus tui pulsum. Quodcunque cogitaueris, sermo est: quodcunque senseris, ratio est. Loquaris illud in animo necesse est: & dum loqueris, conlocutorem pateris sermonem, in quo inest hæc ipsa ratio, qua cum eo cogitans loquaris, per quem loquens cogitas. Ita secundus quodammodo in te est sermo, per quem loqueris cogitando, & per quem cogitas loquendo, ipse sermo alius est.

Quanto ergo plenius hoc agitur in Deo, cuius tu quoque imago & similitudo censeris, quòd habeat in se etiam tacendo rationem, & in ratione sermonem? Possum itaque non temerè præstruxisse, & tunc Deum ante vniuersitatis constitutionem solum non fuisse, habentem in semetipso proinde rationem, & in ratione sermonem, quem secundum à se faceret, agitando intra se. Hactenus Tertullianus.

HIERONYMI ZANCHII
AD PARTEM PRODROMI
VILHELMI HOLDERI
RESPONSIO,

In qua, de Visionibus, Quibus post Ascensionem tùm Stephano tùm Paulo, suo Vero corpore apparuit Christus: placidè disputatur.

HIERO-

HIERON. ZANCHIVS

REVERENDO VIRO DOMINO BALTHAZARI Copio salutem.

PRODIIT in lucem R.D.Balth. Copi nundinis Franckofurtensibus proximè præteritis, nempe Paschalibus, cuiusdam Vilhelmi Holderi, ad Marcum Beumlerum libellus: cui hunc præfixit titulum: LABYRINTHI SACRAMENTARII PRODROMVS. In hoc quatuor foliorum libello, id dat operam autor, vt quàm variæ, secúmque pugnantes sint nostrorum de visionibus, quibus Christum post ascensionem in cœlum Paulo apparuisse legimus, interpretationes, demonstret: & vt inde potiò de tota nostra doctrina, in qua nimirum ab Vbiquitariis dissentimus, in vniuersum pronunciet: eámque ceu sibi non constantem & cum scripturis, si Deo placet, non consentientem, minimè audiendam esse concludat.

Ego ad totum librum responsionem non suscepi, nec suscipere debui: quia aduersus Marcum conscriptus est liber. Facilè autem fuerit Marco, & ad antecedens respondere, & putidam consequentiæ fallaciam monstrare: immò verò etiam totum in aduersarios argumentum, iustè retorquere: quippe qui non in parui, sed maximi momenti rebus inter se non consentiunt. Quia verò Holderus iste me quoque dignatus est hoc honore, vt inter scriptores, quos per contemtum vocat Sacramentarios, connumerarit, & aduersus me non pauca scripserit: idcircò non potui omittere, quin modesta & Christiana ad calumniosam & amarulentam simul & scurrilem atque ridiculam in me scriptionem, responsione, aliquam ei referrem gratiam: quando nihil ingrati animi crimine turpius, nihilque execrabilius apud Deum & homines inueniri potest.

Cuius sit ingenij iste Holderus, quem de facie nunquam noui, audio quidem: sed Christiana pietas non patitur, vt quæcunque de proximo feruntur mala, ea facilè credamus. Huius certè Prodromus non aliò mihi, quàm ad vetera incendia, quæ omnes boni extincta cupiunt, renouanda, & ad noua illis grauiora excitanda, quò nimirum citiùs & penitus euertantur Ecclesiæ spectare videtur. Si enim Prodromi Aquilones tantum adferunt, tamque perniciosum æstum: quid faciet subsequens eáque insana, flagránsque canicula? Nam, vt Prodromus docet, autor iste, quæcunque in nostrorum libris aliquo modo inter se non consentiunt, colligere: & inde LABYRINTHI LABYRINTHI, exclamare, atque ex eo totam, quam profitemur, doctrinam, fuisse ex variis hæreticis desumtam, concludere, in animum induxit suum. Non deerunt autem ab altera parte, qui idem in libris Lutheri & aliorum aduersariorum facturi sint. Ita, quæ potiùs tecta esse deberent magnorum virorum pudenda, omnium oculis retegentur. Egregiam verò operam, qua promoueatur Euangelium. O tempora, ô mores. Precor Deum toto pectore, exemplo reuerendi illius senis Alexandri Episcopi Constantinopolitani, qui cùm moreretur, annum agebat 98. huius, inquam, exemplo contra Arium, precor ego Deum, vt aut compescat horum incendiariorum nefarios conatus, aut ne me tantam, quàm præuidere videor, miserę Ecclesiæ ruinam, oculis meis cernere sinat. Precor etiam Illustrissimos principes, & omnes pios Magistratus, in suum officium diligentiùs incumbant, quàm hactenus à multis factum est. Cur enim vnicuique quicquid lubet scribere, & in quemuis pro sua libidine debacchari, eáque ratione Ecclesias perdere permittitur? Dolorem hunc meum tecum volui communicare, mi Domine Copi, & quidem scripto, vt tu quoque & alij pij viri, suis quisque precibus, mecum apud Deum agatis: rogantes, vt impendentia, nostrísque peccatis debita mala, pro sua ingenti misericordia, à ceruicibus piarum Ecclesiarum, profligatis Satanæ administris, auertat. Hanc verò scriptiunculam aduersus Holderi calumnias atque Sophisticam tuo nomini dicatam foras in lucem dare hisce duabus de causis decreui: tum vt tuo quoque quod de illa mea responsione perlecta, & diligenter examinata fecisti iudicium, apud pios quosque & doctos viros, magis ac magis probaretur: tum etiam, vt testimonium aliquod obseruantiæ erga te meæ, vtpote eum, quem solida doctrina, sincera pietate, alíisque multis & magnis Virtutibus ornatum, Ecclesiæ nostræ atque etiam scholæ Neostadianæ præfecit Deus, ego septuaginta vnius anni senex toti posteritati relinquerem. Vale, & te diu Ecclesiis nostris incolumem seruet Dominus Iesus. Ex Musæo Calendis Septembribus Anni 1586.

AD PARTEM PRODROMI VILHELMI HOLDERI,

RESPONSIO.

QVAM suauiter in sinu tuo & risisses & adhuc rideres, mi Holdere, & verò etiam in conuiuiis cum fratribus cachinnares: si tuis illis ineptiis (liceat mihi semel vti hoc nomine) quibus Zanchium in tuo Prodromo ad Beumletum perstringere voluisti, eũ ad iracundiam prouocare, & ea te ad immodestam aliquam responsionem excitare potuisses? sed tantùm abest, vt fuerim turbatus: vt potiùs spectata illa, qua nomẽ tibi comparare velle videris, ratione, affatim, nõ sine tamen aliqua tui commiseratione, riserim. Venit enim statim mihi in mentem illius hominis, qui cum esset obscurus, optaret tamen suũ nomen celeberrimum fieri, neq. id à se, nisi aliquo insigni facinore admisso, præstari posse videret: augustissimũ, celeberrimúmq; in toto terrarũ orbe, templum Dianæ inflammati incẽdique curauit. Optimam verò rationem nominis cõparandi. Deplorãda certè est tanquam sacrilega & nefanda, Templũ non Dianæ, sed Dei, flatu, follibus, flammisque Antichristi incensum, annon satis per se in Galliis, Belgio, & alibi ardebat, Holdere? Ita certè, vt non fuerit necesse, te tuas quoque faces ad illud augendum adferre. Sed huius nefarij incendii particeps esse voluisti.

Quid enim istę vestræ (nolo dicere quales, modestię causa) scriptiones, aduersus nos, quos per calumniam, & in odiũ vocatis Caluinianos, aliud sunt, nisi ardentissimę tędæ, quibus animos imperitorum Principum, ad Ecclesias in Galliis, in Belgio, aliisq. locis, vbi vestra vbiquitas, tãquam vera Manichæorum doctrina damnatur, perdendas & in cineres redigendas, magis ac magis in dies inflammatis? Siue.n. credant Principes, siue non credant nos tales esse, quales vos esse falsò prædicatis, Marcionistas, Arianos, Machumetistas: vestris certè scriptis, ad continuandã hanc diuini templi conflagrationem, abutuntur: Vobis interim incendium hoc è longinquo spectantibus, atq. etiam fortassis nonnullis non minus, quam Nero, cum Romã flammis cõflagrare videret, lætantibus ac ridentibus. Si hoc verum est Deus det vobis meliorem mentem: Si non est verum, sed nobiscum tantam populorum stragem ex animo doletis: mutate ergo istam scribẽdi rationem, & omissis calumniis & maledictis, vestrã doctrinam, si potestis, modestè defendite: idẽ à nostris expectãtes. Neque.n. dubito, quin omnes idem facturi sint; modò alij alios nõ lacessant. Ego quidẽ propter ætatem, quæ per se morbus est, in primis propter hebetudinẽ visus, multa scribere non possum; sed si quid tamen aliis excipientibus, scripsero: quam iuuenis semper amaui, inque meis scriptis omnibus secutus sum modestiam: eam in posterum quoque, ad mortẽm vsque, senex etiam polliceor. Compescat verò Dominus Iesus, Diabolum dissidiorũm omniũ autorem. Venio ad rem.

Libro de Natura Dei secũdo, c. 6. posteaquã aduersariorũ sententiam, de vbiquitate corporis Christi, multis refutassem: respõsurus ad pręcipua illorũ argumẽta, eadem in duo distinxi genera: in quosdã sacrę scripturę locos, è quib. immediatè Vbiquitatẽ euinci posse cõtendũt: & in rationes ab vnione cũprimis hypostatica, & à sessione ad dextrã petitos.

Ad primum genus quod attinet; vbi ex verbis Cœnæ, Vbiquitatem minimè euinci posse demonstraui: accessi ad hunc alterũ locũ, de quo iã agitur, & in cuius explicatione, putat se Holderus nonnulla inuenisse, quæ maxima reprehẽsione digna sint: Ego verò pij Lectoris prudẽtiæ & ęquitati ea examinanda & iudicanda relinquo: quod vt facilius fieri possit, primùm mea ipsius verba fideliter recitabo. Deinde, quænam in eis Holderus carpat, citatis ipsius nõnunquã verbis, indicabo. Verba mea hæc sunt, sectione sexta.

VI. Alter locus, quo ad suum commẽtum abutuntur, desumtus est ex historia Apostolica, Act. 9. 5. & 22. 6. Christus (inquiunt) postcaquam ascendisset in cælum, apparuit Paulo supra Damascum, & cum eo collocutus est. Idem tamen Christi corpus, eodem tempore fuit in cælo: ac proinde fuit, & in cælo, & in terra. Quare potest etiam in pluribus locis, ac proinde vbiq. esse. R. Triplex ad hunc locum est responsio Prima negat alterum antecedentis mẽbrum: Eodem scil. tempore corpus Christi & in cælo simul, & in terra fuisse. Potuisse enim Christum, quod ad humanitatem attinet, tunc temporis cælum deserere, & in aërem descendere, vt appareret Paulo. Neque enim corpus Christi, ita vni alicui cæli loco alligari: vt inde nequeat discedere: sed liberum illi esse, quocunque velit, se transferre. Nihil igitur hinc concludi pro πανταχουσίᾳ corporis Christi. Altera responsio est, conclusionem esse ἀσυλλόγιστον. Non enim sequitur; Corpus Christi erat in cœlo eodem tempore, quo apparuit Paulo supra Damascum, ergo erat etiam in terra & ita duobus in locis simul. Potuit enim Christus apparere Paulo, manens atque existens in cœlo, suo corpore; sicut etiam apparuit Stephano. Quomodo? Aperti fuerunt ei cœli; oculi etiam eius fuerunt acutissima videndi acie atque facultate in cœlos vsque ad Christum penetrandi donati. Cur non idem potuit contigisse Paulo? Ergo cùm non apertè dicat Apostolus, Christum sibi apparuisse in terris; sed tantùm se fuisse luce quadam de cœlo circumfusum; & vocem Domini audiuisse; vtrumque autem fieri potuerit, sine vlla loci mutatione, sicut & Stephano contigit, hic locus Apostoli nihil facit ad confirmandam omnipræsentiam corporis Christi. Quod si quis nolit concedere, Christum eodem modo apparuisse Paulo, quo etiam Stephano, ad[...] tertia responsio. Ea est. Christum sua Deitate, q[...] est, corpus sibi nouum formasse, atque sub illo in [...] Paulo apparuisse; suo naturali corpore in cœlis interim [...], à quo tamen non discessit. Nam sic etiam solitus erat in veteri Testamento facere; vt cum apparuit Abrahæ, & luctatus est cum Iacobo. Huc accedit, quòd neutro Actorum loco legimus, Christum cum suo corpore apparuisse, sed duo tantum audimus; primum lucem quandam è cœlo Paulum circumfulsisse: Deinde vocem Christi à Paulo auditam fuisse. Nulla autem fit mentio corporis Christi. An non potuit Dominus luce è cælo Paulum illustrare? An non etiam vocem in aëre formare, & Paulum alloqui, degens tamen in cœlo? An non legimus de Patre, quòd in Baptismo & transfiguratione Christi locutus sit è nube ita, vt eius vox ab omnibus, qui aderant, audita fuerit? Nec tamen ibi adfuit vllum corpus, cùm Deus sit incorporeus. Hoc inde confirmari posse videtur, quòd vox hæc loquentis Christi, non audita à comitibus Pauli. Sed aduersus hanc tertiam interpretationem excipi potest, quòd Apostolus ad Corinthios, probaturus à testibus, Christum resurrexisse, ait, sibi quoque nouissimè apparuisse. Hoc verò non contigit, nisi post ascensionem Christi in cœlum. Itaque oportuit vero suo corpore Christum apparuisse Paulo; posteaquam etiam in cælum ascendisset. Sed vt ita habeat res, nihil tamen hinc pro vbiquitate euincitur; cum & prima & secunda, tales sint interpretationes, quæ refelli non possint. Illæ vero vbiquitatem toto penitus cœlo atque terra propellunt.

Hæc omnia à me conscripta fuisse agnosco; in quibus duo sunt luce meridiana clariora; vnum, me ex illis variis interpretationibus, nihil aliud concludere voluisse: quàm ex illa historia, de apparitione & locutione Christi ad Paulum, vbiquitatem minimè probari posse. Alterum, tertiam illam interpretationem, mihi nequaquam probatam fuisse, quando eam manifestissimo & firmissimo argumento, à vera veri corporis Christi post resurrectionem manifestatione, petito, dilucidè refutaui; & duas tantum priores defendi posse, dixi. His duobus quæ ex ipso meo contextu manifestissima sunt, rectè perceptis, prudens lector, quam vana sint, quæ reuerendus iste Holderus aduersus me [...]psit, facilè, me etiam tacente, intelliget. Illis enim po[...]mum, quæ in tertia interpretatione continentur, & quæ ego minimè probaui, imo quæ & refutaui, me exagitare conatus est Holderus; Zanchium vocans non solum Marcionitam, sed etiam Marcionis primogenitum, & cætera. Quo quid vanius & magis ridiculum? Non fuerit tamen inutile, illa hic subiicere, & ad singula modestè respondere; & vero etiam ordinem, quem Holderus in meis refutandis seruauit, obseruare; non enim secutus est meum.

1. Laudat meam ingenuitatem, quod aduersus tertiam à me allatam interpretationem, non solum ingenuè & liberè fassus sim, sed etiam apertè demonstrarim, Christum non fictitio & nouo, sed VERO & suo naturali corpore Paulo apparuisse. Et tamen bonus iste vir paulo post in me grauissime inuehitur; quasi ego Christum non suo veteri & vero, sed nouo & recens sibi formato corpore apparuisse affirmauerim. Quomodo hæc cohæreant, viderit ipse; [...]sideret Lector. Turbati affectus in transuersum agu[nt] homines.

2. Deinde omissa prima interpretatione, secundam oppugnat;

gnat: qua dixi, Christum in cœlo, suo corpore existentem. Paulo in terra manenti: sese visendum præbere potuisse. Atque hoc tanquam proprium meum somnium irridens, exclamat: ô acutissimos homines, ô acutissimam rationem soluendi argumenta: ô aciem videndi ea, quæ hactenus præter Zanchium nemo vidit. Quomodo neminem præter Zanchium vidisse ais, cùm hæc ante me multi alij (vt pòst videbimus) Veteres & noui scriptores tradiderint?

Impedit ita animum, ne possit cernere verum.

3. Tertio loco, tertiam interpretationem, quasi meam mihi obiicit. Qua in re magna mihi fit iniuria: quando ego illam, breuiter quidem, & leuiori verbo EXCIPIENDI, sed tamen firmissimo argumento & perspicua ratione refutaui. Hoc autem instituto meo satis fuit. Proinde quæcunq; hic aduersus me scribit, vanissima sunt.

Quarto loco primam interpretationem, quam ille vocat quariam, refellere conatur, idque inde facit, quòd nostri tùm e Sacris literis, tum ex Patribus concludunt, Christum suo corpore in cœlo manere, vsq. dum ad iudicandum viuos & mortuos redeat. Ita ex iis, quę semper improbarunt, isti mirabiles vbiquitarij, de statu corporis Christi in cælo à terra separato: probare conātur aduersus nos, ea esse falsa, quæ ipsimet docuerunt & docent esse verissima: corpus nimirū Christi non ita alligatum esse cælo, quin possit etiam, vbicunque vult, esse in terra. Quid hic cum talibus hominibus agas? Quia verò huiusce apparentis contradictionis conciliatio est, Christum suo corpore, in cælo manere ordinarie, vt articulus fidei docet, extra ordinem autem nōnunquam in terris apparuisse: hanc quoque conciliationem ad extremum deridet: quæ his verbis ex Thalmanno ibi describitur, propter peculiares & extraordinarias quasdā apparitiones, nō esse discedēdū ab vniuersali regula fidei, qua Christus corpore suo cælum occupare atq; ibi manere creditur vsq. ad finem sæculi. Hanc itaque cō ciliationem miris cachinnis irridet. Quid ita? quia nihil boni à nostris dictū volūt: vt superuacaneum, omninóq. vanum esse iudicē, quicquam verborum cū hoc hominum genere commutare: id quod mihi certè in animo est posthac facere: sed oportuit me semel hoc honore afficere Holderū, vt aliquid ei responderem, qui me in suo Prodromo, nō solùm nominare, & in margine sępius cognomē meū apponere: verū etiā ex familia Marcionis nobilissimi illius hæretici originē traxisse, prædicare, totique Mundo in omnem æternitatem celebrare, dignatus est. Singula igitur ordine percurremus.

1. Holderus, p. 15. de apparitionibus Christi post resurrectionē Paulo factis, loquēs: ait, quosdā è nostris, illas visiones interpretari, tanquam in mente, non autem in rei veritate factæ fuerint. Confugiūt (inquit Holderus de nostris) ad mentalem apparitionem: cui etiam Zanchius suffragari videtur. Neutro (inquit ille nempe Zanchius) Actorum loco legimus, Christum suo corpore apparuisse: sed duo tātum audimus, primum, lucem quandam è cælo Paulū circumfulsisse: Deinde vocem Christi à Paulo auditam fuisse: ac potuit vtrumq; fieri, fine præsentia corporis Christi.

Resp. Agnosco verba mea: sed ad rē nihil faciunt. Ea.n. post allatam illam tertiam interpretationem, quam non probaui, in hunc finem adieci: non vt sententiæ de mentali visione subscriberem, sed vt quod de apparitione Christi, secundum quorundam sententiam, in creato & assumto nouo ad tempus corpore, retuleram: illud aliquo modo, ab autoribus illius tertiæ interpretationis, confirmari posse ostenderem. Ideò prudenter Holderus non dixit, CVI suffragatur, sed cui suffragari videtur Zanchius.

Improbat alteram responsionem Holderus: idq; non sine cachinnis, sed ineptè. Quis nisi imperitus asinus improbet hanc argumentationem meam? Potuit Christus suo corpore in cælo existens, apparere Paulo in terris degenti; Ergo ex illa apparitione, quam Lucas refert, sed quæ quomodo facta sit non explicat, non sequitur, corpus Christi, eodem tempore reuera fuisse & in cœlo & in terra, eóque pluribus in locis: multò minus vbique? quis, inquam, sanæ mentis homo, hanc irrideat argumentandi rationem? si Lucas vtrumq. affirmasset, Christū corporis sui substātia, fuisse & in cœlo simul & in terra: valuisset certè vbiquitariorū consequentia, si non [illegible], saltem [illegible]. Nunc autem cùm hoc non dicat Scriptura, sed tātum (corpore nempe suo) Christū apparuisse Paulo, & id præstare potuerit Christus, in cœlo existens: qua obsecro consecutione, ex illa narratione necessariò inferetur, corpus Christi tū fuisse in cælo simul & in terra, sua [illegible]; hæc de consequentia. Ad antecedens verò quod attinet, Christū nimirum in cælo existentem suo corpore, Paulo in terris manenti sese conspiciendum præbere potuisse, si neget Holderus: videat qua conscientia flagelletur à se & suis optimus, Præceptor meus & deinde collega Martyr, qui cum omnibus rectè sentientibus, illa negauit fieri posse, quæ apertam implicant contradictionem: vt Deum esse veracē, & tamen non esse cæli & terræ creatorem: quādo quod ego hic dixi de potentia Christi, nullam infert contradictionem. Neque enim aliud, mea ad argumentum vbiquitariorum ex illa apparitione ductum, responsione asseueraui, quam: Christum potuisse è cœlo sese conspiciendum præbere Apostolo. Hoccine verò contradictionem implicat? Imò idem quod ego, confirmat Holderus, dicendo: At fieri etiam non potuit. Ergo illa particula ETIAM, confirmas vtrumq; tam fieri nimirum potuisse, quàm non potuisse. Quare meum antecedens tantum abest vt neges: vt illud etiam manifeste confirmes. Quæ igitur hic garris, à posse ad esse non valere consequentiā: nihil ad rem faciūt. Neque.n aliud dixi, quam potuisse illud fieri: quod tu ipse quoque non inficiaris, nec inficiari potes. Atq. hoc mihi satis fuit ad demonstrandum argumentum, quod ex illa visione, probandę vestræ vbiquitatis caussā, inducitis, nihil prorsus valere: cum nullam habeat necessariam consequentiam.

Quod subieci de Stephano; illud ita ad antecedentis, quod tamen per se notum est, confirmationem pertinuit: vt hoc exemplo pernegato, nihilominus tamen, verissima maneat mea de potentia Christi propositio. Qua admissa, necessariò sequitur, vos ex illa Lucæ historia, nihil pro vbiquitate conclusisse.

3. Quia tamen hoc assumsisti Holdere exagitandū: age, videamus, an interpretatio, quam attuli, sit somniū meum, figmentūmq. in Ecclesia nouum atque ignorū: an verò autoritate Scripturæ & Patrum nitatur. Nam tuas irrisiones facilè tibi condono: quia non sine Dei prouidentia effinxisti & hæc & alia, quæ aduersus me scripsisti. Certum est, oculos mei corporis, in hac præsertim ætate, acuta videndi acie, non esse donatos; sed Dei beneficio, oculis mentis me multa adhuc, & fortassis plura, quàm tu, posse videre, prorsus incredibile non est, mi Holdere: Fiat tamen periculum.

Primùm aio, interpretationem meam, non pugnare, sed potiùs congruere cum scripturis, & cum ipso Lucæ cōtextu. Capite sexto sic legimus; Stephanus autem plenus fide, δυνάμεως, potētia: edebat miracula, & signa magna in populo. Quanta sit vis fidei, in rebus etiam externis, docuit Christus, cùm dixit, si habueritis fidem, & dixeritis huic monti, tollitor & proiicitor in mare, fiet: & quicquid precando petieritis, si credideritis, accipietis. Et Apostolus ad Cor. si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, &c. Si hoc possunt, qui fide præditi sunt: cur nō & Stephanus, qui plenus erat fide & potentia edendi miracula, potuit oculis corporis, cælos sibi apertos, in locum vsq. illū, vbi suo corpore erat Christus, penetrare? Quis verò neget, Stephanum, in illo præsertim agone mortis, faciem hominis Christi videre oculis corporis concupiuisse? Hoc autem pium ardénsq; desiderium: quid aliud fuit, quam vera precatio? Non pugnat ergo cū Scripturis, interpretatio mea.

In fine eiusdem Capitis sexti, omnes (inquit Lucas) qui erant in concilio, intentis in eum (Stephanum) oculis, viderunt faciem eius, tanquam faciem Angeli. Quare Angeli? nempe propter immensum & diuinum splendorem qui in tota eius facie splendebat. Quid igitur absurdi est, si oculi etiā ipsius, tanta diuini luminis efficacitate, donati fuisse dicantur, vt Christum in cœlo stantē, videre potuerint?

Capite autem septimo, sic scribit Lucas: Cùm autem Stephanus plenus esset Spiritu sancto, &c.

His verbis, extra omnem controuersiam, caussam adfert Lucas, qui factum fuerit, vt Stephanus viderit gloriam Dei, & Iesum in cælo stantem ad dextram Dei: & quamobrem dixerit, & quidem verè dixerit, ecce video cælos apertos: nimirū, quia Spiritus sanctus, quo plenus erat, effecit sua efficacitate in Stephano, vt verè viderit & cælos apertos, & supra illos in vltimo cælo, gloriam Dei, i. diuinū splendorem, quo cælum illud, in quo peculiariter habitare Deus dicitur, illustratur: & ibidem Iesum stantem a dextris Dei. Potuit autē Spiritus sanctus efficere, vt tam oculis corporis, quàm animi, illa omnia videret Stephanus; vtrūq. enim opus est Spiritus S. Cùm autem Lucas, vtronam modo viderit ea Stephanus, disertis verbis non explicet: hinc sequitur, sicut qui dicit, visionem illam factam fuisse oculis mentis, non valdè multum peccat: Sic neque qui sentit, factam fuisse oculis corporis, cum aliquid contra Scripturam somniare, atq. vt somniatorem rideri posse vel debere.

Adde vero, quòd ex ipso contextu Lucæ, sententia de oculis corporis facilius & probabilius, quàm quæ de oculis mentis est, colligi & cōfirmari pōt. Ait.n. Lucas de Stephano. Intēdens (oculos) in cælū, vidit gloriam Dei, & Iesum

stantem ad dextram Dei. Quósnam verò oculos in cœlum intendit? an non corporis? Sic enim & de Christo sępe legimus, quòd oculos (corporis) in cœlum intenderit. Cum autem statim subiiciat, VIDIT: quis tam imperitus est literarũ, qui non cõcludat, iisdẽ ergo oculis supra cœlos Iesum vidit, quos etiam in cœlum intenderat? Nã quæ necessitas cogit te, vt dicas, intẽdit oculos corporis Stephanus? Vidit autem oculis non corporis, sed tantũmodo mentis: quando iam vnum, quam alterum, vi Spiritus sancti fieri potuit? Quid etiam vetat, ne dicamus, in eo cœlo visum fuisse Christum à Stephano: in quod suos intendebat oculos? Responde ergo tu oculatissime iuuenis Holdere, semicæco seni Zanchio, ad hoc argumentum. Quos in cœlum intendit oculos Stephanus: iisdem etiam vidit Iesum in cœlo stantẽ, & in quod cœlũ intendit oculos, in eodem etiam Dominum Iesum vidit. Liquet hoc: quia in contextu non fit duũm oculorum seu duũm videndi generum, sed vnius tantummodo mentio, neq. quod alibi viderit Iesum, quã in eo cœlo, ad quod oculos cõuerterat, siue mẽtis, siue corporis. Atqui oculos intẽdit, nõ solũ animi, sed etiã corporis in illud cœlũ, in q̃d receptũ esse Iesũ nouerat. Ergo, &c.

Pertinet huc, quod ait ἰδού, Ecce: rem enim ceu præsentem, & sub oculos corporis cadentem indicabat: quemadmodum & Ioan. Baptista, conspecto Iesu, dixit, Ecce agnus Dei, &c.

Neque aliter Iudæi verba Stephani intellexerũt. Quorsum enim tanto furore aduersus eũ (vt sequitur in cõtextu) accẽsi fuissent: si de visione, nescio qua imaginaria aut mẽtali: déque alio cœlo quã vbi Deus peculiariter inhabitare dicitur, illum locutũ fuisse putassent? Contemsissent potius & irrisissent: quia inde minimè cõsequi, Iesum verè resurrexisse, & in cœlum ascendisse, facilè animaduertissent. Sed ideo clamantes voce magna, cõtinuerant aures suas, & irruerant in eum Iudæi, & tandem etiam lapidibus illũ occiderant: quia rẽ nimis impiã & blasphemiæ plenam esse iudicauerant, quod suis se oculis reuera conspicere cœlos apertos, & supra cœlos Iesum illum ad dextram Dei stantem, quem illi vt hostẽ Dei, paulò ante cruci affixerant, constã et asseuerabat. Quánam enim obsecro ratione magis potuerunt summæ in Jesum impietatis reapse conuinci: quàm quòd Stephanus se suis oculis & quidem corporis illum quem vt blasphemum occiderant, viuere, & in cœlo ad dextrã Patris sedere, constantissimè ad extremum vsque halitum in concilio coram omnibus confessus est?

At tu sic interpretaris Zanchi, & tuæ sunt istæ consequentiæ. Adferas ergo tu meliorem interpretationem Holdere, & aut ex aperto aliquo Scripturæ loco, aut necessario argumento, demonstra Stephanum nequaquã oculis corporis, sed mentis duntaxat, cœlos apertos, & Iesum in cœlo stantem: corporeis autem eundem extra cœlum in terra existentem vidisse. Si hoc feceris, mutabo sententiam: sin minus, frustrà mea oppugnas: cùm nihil de hac Stephani visione, cum scripturis pugnans, scriptum reliquerim. Sed age videamus etiam, an autoritate piæ antiquitatis, & doctorum virorum testimoniis planè destitutus, scripserim: quæ tu à me scripta, perstringis, carpis, rides.

Theodoretus Dialog. 2. Græcè, p. 37. Latinè verò T. 2. p. 368. probaturus aduersus Eutychianos, Christum non solũ post resurrectionem, dùm vixit in terris per dies 40. cũ discipulis suis: verùm etiã post ascensionem in cœlũ & sessionẽ ad dexteram Patris, verum, veréq. humanum, eóque circumscriptum & visibile corpus suũ retinuisse: hoc præter alia argumenta, inde etiã liquidò demonstrat, quia & cùm veniet ad iudicandum viuos & mortuos, eum omnes etiã impii, suis oculis corporeis, videbunt: & Stephanus in terris degens, eundẽ in cœlo existentẽ, vidit. Verba Theodoreti hæc sunt. Orthod. Hæc (nempe corpus Dominicum, etiam post ascẽsionem in cœlos, visibile & circũscriptum, eóque verè humanum corpus, qua de re antè, permansisse) Hæc (inquit) me docuit scriptura. Audiui. n. Zachariã Prophetam dicentem, videbunt in quem transfixerunt. Quomodo autem finem accipiet Prophetia, si qui crucifixerũt, naturam non agnoscant, quã crucifixerunt? Audiui autem etiam pręclarum victorem Stephanum, clamantẽ, Ecce video cœlos apertos, & filium hominis stantem ad dexteram Dei. Vidit autem eam, quæ videtur, naturam, non quæ sub aspectum non cadit: εἶδε δὲ τὴν ὁρωμένην, οὐ τὴν ἀόρατον φύσιν.

Audis Holdere, sententiam Theodoreti de visione Stephani? Argumẽtum ego tale compono. Quibus oculis illi, qui crucifixerũt Christũ, videbunt corporeã eius naturã ad iudicium è cœlo venientem: iisdẽ & Stephanus eandem vidit in cœlo stantẽ. Ad idem. n. probandum, adductum est Stephani exemplũ: ad quod & vaticinium Zachariæ, citatum est. Atqui illi crucifixores videbunt oculis corporeis corpus Domini Iesu in nubibus veniens: hoc liquet per se, & ex scopo verbisq. Prophetæ, quæ in eundem quoq. finẽ & sensum citantur à Ioan. Euangelista. Ergo & Stephanus oculis corporis vidit corpus Christi in cœlo existens. Destituórne omni prorsus autoritate Antiquitatis?

Proferam vnum etiam ex scholasticis, nõ contemnendũ Interpretem, Nicolaum de Lyra, in hũc Stephani locum, Act. 7. Is proponit disputationẽ, quã & multis pertractat: vtrũ illa Stephani visio fuerit mẽtalis (vtar eius verbis) an imaginaria, an verò corporalis. Ac postquã primã & secundã reiecit: tertiã de corporali visione probat: quòd contextui Lucę sit magis cõueniens. Ad modũ autẽ quod attinet, quo sui corporis oculis Iesum viderit in cœlo existentem: vult Lyranus, à corpore Christi existentis in cœlo, immutatos fuisse oculos Stephani, ad visionẽ humanitatis Christi. Nã (inquit) in potestate eius est, quod corpus suum sic videatur à lõgè quàm de propè. Hæc fuit Lyrani sententia.

Venio ad nostros: atq. inprimis ad Lutherũ: quẽ sicut credo à te pluris fieri, quã omnes Patres, quã omnes scholasticos, quã omnes nostri sæculi doctos, in quauis regione, extra Germaniã, imò & in Germania ipsa, viros: sic etiam ego nunquã parui feci, & in cuius libris plura fortassis, quã tu, obseruaui. Quotquot. n. eius libros Latinos factos, vel in ipsa Italia inuenire potui, eos omnes, & magno emi, & diligẽter legi. Hic igitur magnus vir, & Heroicus Dei seruus, in maiorib⁹ Postillis, à Bucero versis in linguam Latinam, in die S. Stephani historiã Act. 7. explicans, apertissime scribit, Stephanũ oculis corporeis vidisse cœlos apertos & Iesũ stãtem a dextris Dei: respõdétq. ad obiectionẽ, quã nõ solùm de cœli a terra distantia, sed etiã de tabulato interiecto, adfers ex Bullingero. Cũ. n. Deus sese vult reuelare, siue visu siue auditu: Cœlũ & omnia, proxima nobis esse. Facile itaq. fuisse Stephano Christũ in cœlo existentem, suis oculis videre: quãdo Christus voluit, se ab illo cõspici: hæc est summa. Quid hic cauillaberis? Quid? quod vester Brentius diuersũ nõ sensit? In Acta. n. de hac visione ita scribit, p. 124. Cum Steph. dicit, se videre cœlos apertos & Jesum stãtẽ: significat, se manifestè sentire cœlestia gaudia, ac cœlestẽ cõsolationẽ ac maiestatẽ Christi victris, & cum Deo omnipotẽtis, clarissimè intueri. Puto aũt talẽ huius visionis sensum fuisse in Stephano: qualis fuit in tribus Apostolis, corã quib. Christus sese in mõte trãsfigurauerat. Hæc ille.

An non verò oculis corporis gloriam trãsfigurati Christi viderunt tres illi Apostoli? Quid Illyricus? Apertè scribit, Stephanum protestatum fuisse, se non solum credere, verũ etiam coràm oculis cernere Christum regnantẽ, &c.

Verè sanè (inquit) Stephanus Christũ vidit: quid est verè? i. oculis coràm, vt supra. Sed modum, quo istis oculis viderit, an quia addita illis fuit supernaturalis videndi vis, vt pleriq. volunt: an verò citra hanc vim, vt voluit Lutherus: ait non esse adscriptum. Sed disertè scribit, Stephanum oculis coràm vidisse Christum; in cœlo nimirum stantem.

Cùm hæc scripserint vestri: non poteris ergo, mi Holdere, nostros reiicere, quin tuos etiam damnes.

Caluinus in hunc locum disertis verbis scribit, per externam visionem, Christum apparuisse: nobis sese intus patefacere, vt eius præsentiam verè sentiamus. Item: quæritur autem, quomodo aperti fuerint cœli? Quantùm ad me attinet, nihil in cœlorum natura mutatum fuisse arbitror: sed datam Stephano nouam aciem, quæ per obstacula omnia, vsq. ad inuisibilem regni cœlestis gloriam penetraret. Nam, vt demus, fuisse aliquam cæli scissuram: nũquam tamen hominis oculus eò vsque transcenderet. *Deinde. soli* Stephano conspicua fuit Dei gloria. *Impios. n. qui eodem* loco stabant, non modò latebat tale *spectaculum: sed intra* se excæcati, apertam veritatis lucem nõ cernebant. Sic ergo apertos sibi cælos esse dicit: *quia nihil* eum impediat à gloriæ Dei aspectu. Vnde *sequitur. non in* cælo, sed potius in eius oculis editum fuisse miraculum. Quare non est, quòd hîc multis disputemus de visione Physica: quia certũ est, minimè naturali ordine vel modo, sed noua & singulari ratione, visũ illi fuisse Christũ. Et quos obsecro colores habuit Dei gloria, qui naturaliter in carnis oculos incurrerẽt? Ergo in hac visione nihil nisi diuinũ cogitare decet.

Item ridiculè etiam ex hoc loco nonnulli contendunt: Stephano appropinquasse, vt videri ab eo posset. Diximus enim, Spiritus virtute, ita per fidem euectos fuisse Stephani oculos, vt nulla locorum distãtia eorũ aciem abrumperet.

Item in Joan. c. 1. vers. 51. in ea verba, videbitis cælum apertum, &c. scribit, hac cæli apertione significari, quod cum prius clausum nobis esset regnum Dei: verè in Christo apertum fuerit. Huius rei (subdit Caluinus) visibile specimen editum fuit, tam Stephano, & tribus discipulis in monte, quàm aliis discipulis in Christi ascensu.

Audis, Holdere harmoniam Caluini & Brentij (vt supra monui) in hac visione Stephani explicanda? Dixerat Brentius,

tius,talem huius visionis in Stephano sensum fuisse:qualis fuit in tribus Apostolis,coram quibus Christus sese in monte transfigurauerat. Caluinus ait, apertionis cœli seu Regni Dei visibile specimen fuisse:cum Stephanus vidit cœlos apertos & Iesum stantem, &c. Tam brentius ergo,quàm Caluinus sensit,Stephano non in mente, neque in phantasia,sed sensibiliter oculis corporeis,conspectum fuisse Christum in cœlo stantem.

Si potes ferre,Holdere,addam & Tigurinum,& quidem illius magni Zvinglij,(qui per contemtum Cinglius vocari à vobis solet,)generum,virum tamen & pietate & eruditione præstantem,Gualterum. Is in capite septimo Actor. hom.54.pag.109.ita scribit, Videt enim (Stephanus) apertos esse cœlos: quod ipsum in Christi Baptismo contigisse legimus. Apparet item Christus in gloria ad dextram Patris stans. Quæ cùm visionis nomine commemorentur,& antea oculos in cœlum ab illo sublatos esse dictum sit:Ego hæc illi reuera visibiliter apparuisse, nec mentis duntaxat contemplationi obiecta fuisse,intelligo. Nec opus puto,vt de naturali visu multa disputemus:quando hæc soli Stephano apparere debuerunt: cuius oculos insolita acie donare, Deo facillimum fuit.

Quid tu ad hæc facetissime Holdere:qui me vnum ideo suauiter rides,& fuisse piscatum in aëre dicis, quia vestras inauditas pro confirmanda vbiquitate ratiocinationes refellens,scriptum reliqui, Stephanum in terra degentem,oculis corporeis, sed diuino splendore illustratis, Christum supra cælos hosce stantem,vidisse? Soli ne ergo oculi Zanchiani,an vero (vt de Caluinianis, aliorumque multorum taceam) Lutheriani etiam, hac in parte parum acuti fuerunt?Sed præterire non possum,quæ de ista cœlorum apertione,visionéque gloriæ Dei & Christi,Bucerus noster scripta reliquit: faciunt enim ad explicationem præsentis etiam quæstionis de visione Stephani. Is in Matth. cap.3. sect.9.pag.69.ita scribit: Porro apertio cœlorum (Marcus scribit diffissos fuisse)visio fuit aperientis se,& coram exhibentis Maiestatis diuinæ:sicut & Ichesecel sibi apertos fuisse cœlos commemorat,cum vidit visionesDei.Ita Stephanus: Ecce video cœlos apertos.& Filium hominis stantem à dextris Dei.Act.7. Quid hoc aliud fuit, quàm apertior aliqua diuinæ Maiestatis reuelatio,& manifestior apparitio? Vt enim cœli cunctis creaturis corporalibus, modis omnibus præstant: ita cœperunt spiritalia per cœlos peculiariter significari,& ipsi Deo sedes haberi:quæcunque denique præter communem naturæ ordinem diuinitus donantur, cœlitus dicuntur demitti.Et paulo post subdit:In præsenti ergo: quòd apertos Iohanni cœlos,Matthæus & Lucas, Marcus diffissos memorant:nihil aliud volunt significare,quàm irradiasse Iohanni è supernis,mirabilem quandam lucem, & visum ei apertius diuinum splendorem: atque inde prodiisse Spiritum sanctum,atque sonuisse Patris vocem. Hæc ille. Quid verò aliud Bucero fuit illa mirabilis lux diuinusque splendor,quàm res externa atque visibilis? Docet ergo, visionem quoque Stephani,tam fuisse externam atque visibilem:nec in sola mentis apparitione: verum etiam in oculorum corporis diuino tamen splendore illustratorum perceptione,constitisse.Sicut enim Ioh.Baptista, ex mirabili illa luce,diuinóque splendore, qui sibi è supernis irradiauerat, *Sensibiliter* vidit Spiritum sanctum, in specie columbæ, & *Sensibiliter* etiam audiuit vocem Patris: cur non & de Stephano,idem concludere voluisse Bucerum, imo & necessario concludi oportere,dicamus?Idem in Iohan. cap.1.sect.3. pag.610.in ea verba,posthac videbitis cœlum apertum &c. Hinc ergo(inquit)quòd cœli,velut peculiaris Dei locus,eò quod licet omnia in omnibus compleat, in his maiore virtute,Diuinitatisque suæ explicatione sese ostentet,dici cœperunt:consequenter cœli aperiri dicuntur,cum manifestius se lux Diuinitatis aperit:& in cœlum recipi,qui ad præsentiorem Diuinitatis præfruitionem admittuntur:& de cœlo venire aut mitti,quæcunque diuiniora habentur. Hæc ille.

Cum autem hic non de Diuinitatis,sed de corporis Christi manifestatione loquatur Lucas:ideo apertos fuisse cœlos Stephano dicamus oportet,quia Christum,vt hominem,clarius vidit,quàm antea,cum sola mente & fide illum ad dextram Patris sedere contemplaretur.Non potest autem corpus clariori modo,quàm oculis corporis videri.

Viden igitur Domine Diacone, quàm imprudenter & pueriliter exclamaris, folio 17. in hæc verba:ô acutissimos homines: ô acutissimam rationem soluendi argumenta: ô aciem videndi ea, quæ hactenus præter Zanchium nemo vidit?Sed profectò Domine Reuerende,nondum tamen Reuerendissime,tu,vt video,pauca vidisti:ac proinde diligentior in legendis bonis autoribus,quàm in crebris magnisque exclamationibus edendis sicut oportet, sic etiam te rogo sies,Nam non ita multò post iterum exclamas:Atqui ô rem nouam:ô figmentum nouum:ô noua Cingliana somnia: item ô Marcionitica mancipia.

Optarim te Holdere,& modestiorem esse,& prudentiorem,atque grauiorem in scribendo: quemadmodum tuum postulat Ministerium,cæterum ex iis paucis,quæ paulò ante à me adducta sunt,testimoniis,an quæ in libris de Natura Dei,scripsi de visione Stephani, meum figmentum fuerint,nec ne: & an scripserim oculis mentis prorsus obtusis, an verò aliquid cernentibus: pium Lectorem facilè iudicaturum arbitror. Nam quàm acutior sit hac in parte, nostri Holderi visus: ex iis,quæ aduersus me cum irrisione senectutis meæ in lucem dedit,facilè quiuis iudicare poterit.

Priori loco obiicit Bullingerum:qui mentalem fuisse visionem Stephani,affirmat.Respondeo:sed prudens Holderus tacuit,quod optimus & modestissimus Bullingerus,suę explicationi subiecit:nempe,se tamen super hac quæstione non multum disceptaturum. Non ergo ita suam probat,vt nostram improbet interpretationem Bullingerus:quia quæ fuit eius eruditio,vidit alteram quoque sententiam,suis & rationibus,& autoribus non contemnendis, niti: Adde, quod Gualterus eius symmysta,alteram ita tuetur,vt priorem probare non audeat: quod illa magis cum Lucæ contextu congruat,quàm hæc.

Quare non est, cur ego transigam,vt iubes,cum Bullingero,qui de hac quæstione disputare non vult: & cum quo transegit Gualtherus: is enim posterior Bullingero scripsit in Acta.

Obiicit porrò Augustini(vt ipse putat)testimonium, ex libro de cognitione veræ vitæ.Placet autem ea verba repetere,quæ Holderus,ex illius libri c.42.tanquam sacrosancta retulit: particula VLLO MODO literis maiusculis expressa. Stephanus quoque(inquit,non corporeis oculis Dominum in cœlo vltra firmamentum vidit (sequitur ratio prima)cum nullius hominis visus ad cœlum pertingere possit:(ratio secunda Sed & concio illa, in qua Stephanus stans Christum conspexit,in domo aliqua fuit,cuius tecti culmen, corporeus ipsius oculus penetrare non potuit.Et mox Holderus repetit nomen Augustini,dicendo:Hęc Augustinus Statim verò triumphans,ex quibus (nempe ex Bullingeri & istius Augustini testimonio,cum sua duplici ratione: nihil enim præterea ad me expugnandum attulit:) Exultabundus ergo,ex quibus(inquit apparet,non admodum acuta videndi acie,oculos Zanchianos donatos esse: sed illum, cum Stephani exemplo circumuenire nos vellet, piscatum in aëre, non minore dexteritate,quàm qui Herculis Cothurnos pigmęo cuidam aptare vellet. Hæc Cothurnatus Hercules aduersus inermem Pigmæum.O verè vanitas vanitatum. Ad sententiam Bullingeri responsum est. Ad istum Augustinum respondet Erasmus,cuius hæc sunt verba: Hoc opus Augustini non esse,non est quod admoneam.Stylus magis refert Iouinianum quempiam,vel febricitãtem potius Cap. 3.nimium tribuit Dialecticæ.capite sexto dicit,Angelos cũcta scire ac præscire Item alia,quæ nunquam scripsit Augustinus.Apparet esse progymnasma Monachi tyronis Theologiæ,qui quantum in Theologia Scholastica profecisset, voluit hoc libro dare specimen.Hęc Erasmus.

Ad illas duas acutissimas rationes,respondet Lutherus,vt pueriles:cùm se Deus vult reuelare, siue auditu, siue visu: cœlum & omnia proxima nobis)esse,Stephano itaque siue sub Dio,siue sub tecto fuerit: quandoquidem illi se voluit Christus ostendere facile fuit, ipsum videre, &c. Deinde quid tu per illud NVLLO MODO, intelligis Holdere?Num nullo modo naturali,an verò etiam nullo supernaturali? Si primum:concedimus,sed hoc nihil ad rem.Si alterum: negamus,tanquam in omnipotentiam Dei blasphemum. Cur ergo tu illa profers ex nescio quo Augustino,nunquam Hipponensi Episcopo,quæ te nihil iuuare possunt? Mirabiles profectò homines estis,qui cum vultis,ita fores, vbi erant discipuli,clausas,corpori Christi peruias facitis: vt quæ apertam etiam contradictionem implicant, illa fieri per omnipotentiam Dei posse,contendatis. Cum itidem vobis placet,ita domum,vbi erat Stephanus, vndiquaque Christo septis & clauditis:vt suo splendore,quo Stephanus confortatus,in cœlo Christum videre posset, Protomartyrem illustrare non valuerit.

Cum igitur de nostra visione Stephani sententia, neque vt impia,neque vt cum verbis Lucæ minimè consentanea, neque vt à scopo Spiritus sancti prorsus aliena, damnari queat:imo cum etiam magis,quàm quæ de mentali est visione,cum ipso contextu congruat;& non obscura à Patribus,à Scholasticis,à magnis nostri sæculi viris, habeat te-

stimonia: iudicet Lector, quales sint istius iuuenis & robusti, oculatissimique Gigantis, aduersus imbecillum & semicæcum senem, cum exclamationibus, irrisionibus, cachinnis, ante victoriam tamen, de proposita quæstione, triumphi.

At frustrà (inquies) laboras, Zanchi, quoniam ego quoque improbo visionem mentalem, & corporalem fuisse contendo. Sed interim Holdere negas, Christum in cœlis existentem, oculis corporis à Stephano conspectū fuisse. Scriptura autem tria dicit: Stephanum vidisse primum cælos apertos: deinde gloriam Dei, (id est, diuinum lumen, quo cœlum beatorum fulget) & postremò, Iesum stātem ad dextram Dei: hoc rerum visarum ordine manifestè significans, supra cœlos fuisse lumen illud, & in eo lumine Christum. Si ergo non sola mente, sed corporeis oculis facta fuit illa visio: necessariò sequitur, visum fuisse Christū a Stephano, non in terris, sed supra hosce cœlos. Atque huc spectant, quæcunque & ex ipso Lucæ contextu, & ex Patrum, doctorúmque virorum scriptis paulò ante collegi. Tu verò vis idem corpus Christi, & in cœlo, solius mentis: & in terra, corporis oculis visum a Stephano fuisse. Non ergo idem mecum sentis Holdere. Istam verò vestrā inanem phantasiam, & quæ status est nostræ disputationis, multis refutaui: & conclusi, idem corpus secundum eandē suam substantiam & eodem sensu, & eodem tempore, diuersis esse in locis non posse.

Ergo, quæ tu porrò subiicis de loco Act 23. ver. 11. quòd Dominus ipse Paulo adstitisse legatur: & de c. 26. vers. 13. quod Paulus dicat sibi in VIA, non autem in cœlo apparuisse Dominum: puerilia sunt, & ad me nihil pertinent: cui in illo 6. c. de Natura Dei, nihil aliud fuit propositum: quam vt è manibus Vbiquitariorum eriperem, fortissimum scilicet telum, nempe corpus Christi, cùm apparuit Paulo, erat in cœlo & in terra: Ergo potest in multis simul esse locis, eóque & vbique. Eripui autem allatis variis illorum locorum interpretationibus: vt necessariò concludi non possit, corpus Christi eodem tempore, verè & realiter sua substātia fuisse in cœlo simul & in terra: ac proinde etiam, vt illi ineptè inferunt, vbique. Atque hoc mihi fuit satis. Neque enim ibi mihi sumsi probandum, Christum cùm apparuit Paulo, suo corpore fuisse in cœlo, aut in terra: sed quod vbiquitarij sumunt pro confesso, illud cum suis consequētiis refellere institui. Quid mihi igitur cum iis quæ tu subdis, de verbo ADSTITIT, & cum particula in VIA? Quasi verò hæc, cum mea, imò magnorum virorum sententia pugnent. Cedò tamen Holdere: cum Christus reapse & visibiliter apparuit Paulo, eratne in cœlo suo corpore, an nō? Si erat: quid igitur verbo ADSTITIT Paulo, & particula IN VIA, oppugnas? Quasi verò Paulo in VIA Damascena existenti, non potuerit Christus in cœlo manens, apparere: præsertim cùm Lucas dicat, Act. 9. & 26. circumfulgurauit eum lux de cælo. Lux enim fuit, quæ è cœlo in terram vsque portendebatur. Si autem non erat: inde igitur in aërem saltem descenderat. Sed hoc etiam improbas. At erat (inquies) & in cœlo simul, & in terra. Sed quibus scripturis, quibus Patrum testimoniis, quibus denique rationibus istud probastis vnquam, aut probare potestis? Est autē hoc τὸ κρινόμενον, statusque præcipuæ nostræ controuersiæ. Vos pertinaciter affirmastis, sed sine legitimis probationibus: Nos constanter tanquam cum Sacris literis minimè consentiens, cum omni autem ratione pugnans, pernegauimus & pernegamus.

Σοφὸν (inquit) φάρμακον. Sed metuo, ne tu ad nostras rationes peior sis, quàm κακὸν πρόβατον. Satiùs enim & cōsultius tibi fuisset, prorsus tacere, quàm malè respondere. Sed si quis etiam det, fuisse simul in cœlo & in terra: quid hoc tamen ad vestram vbiquitatem? Lucas enim ait, adstitit ei IN VIA (id est, secundum tuam interpretationem, Christus suo corpore existens in via Damascena, apparuit Paulo:) non autem ait VBIQVE. At vbique erat inuisibiliter: in via autem visibiliter. Sed vide, mi Holdere, ne qui me per calumniam vocas Marcionis primogenitum: tu per veritatē fias illius nepos: vt qui phantasticum corpus Christo affingis. Corpus enim inuisibile, humanum corpus non est. Quid verò, si vbique illud fuisse tibi concedatur? profectò sequetur, corpus Christi, quatenus etiam erat in via, à Paulo non fuisse visum. Ratio est, quia si vbique fuit: fuit etiā in oculis, fuit in pupillis, & super pupillas oculorum Pauli. Sensile autem super sensum, nullam facit sensationem: aiūt philosophi. Quomodo enim corpus in oculo existens, ab eodem oculo videri poterit? Ita Marcionica δόκησις & apparentia, ad verba Lucæ explicanda, omnino tibi vtendum fuerit. Sed ista (inquies) sunt physica: Tua verò mi Holdere, sunt plus quàm Antiphysica: quia neque in rerum natura, neque supra, aut infra naturam, tale corpus reperiri, imò ne excogitari quidem potest, quale vos Christo affingitis: ita vt vestra phantastica phantasia, excellentior omnibus vel humanis, vel Angelicis mentibus, mihi sanè esse videatur: quippe quæ potuit illud imaginari, quod nemo cæterorum hominum, aut etiam Angelorum percipere potest: ò acutissimos & plus quam diuinos intellectus!

Cælum etiam Sacramentariorum tibi fœtet: cùm sit tamen mundius vbiquitatio, quod vsque ad omnes omnium cloacarum fæces pertingit, illisque repletum est.

Illud verò quo nomine appellabimus Holdere: quod mihi adscribis, quæ mea non sunt: quasi non probentur, quæ nunquam tamen improbaui: & contra probentur, quæ tamen refutaui? Quod enim quidam scripserunt, vocem Christi ad Paulum, Saule, Saule, quid me persequeris, formatam fuisse in cœlo, & inde ad aures vsque Pauli demissam, ab eo etiam fuisse auditam: tu ais, eam mihi sententiā absurdam videri, atque ridiculam: sed vbi hoc in libris meis legisti? At inde colligo, quia vocem illam formatam fuisse in aëre contendis. Sed quomodo ego contendi, rem ita se habere: cùm tantùm scripserim id fieri potuisse? Tu autem ipse concedis, à posse, ad esse, non valere consequentiam. Christum & verè Paulo apparuisse, & verè illi locutū fuisse credo atque confiteor: quo autem modo vtrumque sit factum, non definiui Ego: sed varias aliorum sententias retuli: idque non in alium finem, quàm vt inde vbiquitatē minimè probari posse, concluderem. Quid tu igitur de me affirmas, quod ignoras? Imò ex tribus illis, quas attuli interpretationibus, tertiam, ex qua & hoc de voce sumsisti, firmissimo argumento refutaui: quemadmodum & tu paulo ante, meam laudans ingenuitatem, fassus es. Quomodo ergo nunc ex ea carpis, quæ aduersus me exagites: si hoc non est impudenter & maliriosè συκοφαντεῖν, nescio quid sit.

Quale porrò etiam illud est obsecro, quod subdis de triplici corpore Christi? Quia scripsi, corpus Christi in Cœna non edi quatenus viuum, sed quatenus mortuum & exangue: nec sanguinem bibi, quatenus in venis est, sed quatenus effusus est pro nobis: quemadmodum & verba Christi apertè sonant, & fractio panis, vinique effusio, manifestè confirmant: vnde sequebatur necessariò, cum Christi corpus in cœlo, non mortuum sit, sed viuum: nec sanguis extra corpus sit, sed in corpore: neque illud edi, neque hunc bibi ore corporis, sed ore mentis prædita fide, qua & vnum tanquam pro nobis mortuum, & alterum tanquam in remissionem peccatorum nostrorum effusum apprehendat: quia inquam illa scripsi, & ita scripsi, vt euicerim: tu vt bellus homo, & acutus sophista, vt vim argumenti declinares, ad calumniam confugisti, & scripsisti, me duo corpora Christo affingere, vnum viuum, alterum mortuum: imo accedere & tertium, quod ego scilicet (quia quorundam opinionem recitaui) fingam miraculum formati (in aëre) noui corporis: Et inde pueriliter, tui vt ostentares acumen ingenij, tuamque eloquentiam, ad calumnias ex calumniis, criminationes ex criminationibus, nugas ex nugis, nænias ex næniis, sarcasmos ex sarcasmis nectendos excurristi: vocans me (vt alia taceam) Marcionistam, & Marcionis primogenitum: sicut ille primogenitus fuit Diaboli: voluisti tacitè concludere, me nepotem esse Diaboli. Nónne Holdere? Gratias ago, quòd meam progeniem ex tam antiqua familia deducis. Sed, vt iocos omittam: Ego tua ista petulanti, ne dicam verè Diabolica scribendi ratione, tuaque ista innata barbarie: non sinam, meā Christiana modestia, ad regerenda in te conuitia, & ad insaniendum cum insanis, abduci. Dominus Iesus aliter me docuit. Mihi vindictā (inquit) & ego retribuam. Breuiter ergo & modestè respōdeo. Si quod scripsi de corpore Christi, illud non edi quatenus viuum, sed quatenus mortuum, non percipis, aut non probas: parum profecisti in Theologia; & nondum satis dignus es, qui ex Diacono fias Pastor, aut Superintendens. Quod autem inde potiò infers, duo à me corpora Christo affingi; ea te declaras, te nondum bene institutum esse in Dialecticis; vt qui nescias, vnam & eandem rem, diuersis modis considerari, & mente percipi posse.

Excipis pag. 23. Quòd si dixeris viuum illud & mortuum corpus, re ipsa vnum, ratione tantùm differre, quid dixeris vide. Ego enim tum ostendam, nihilo magis contra nos concludere Zanchianum argumentum, quàm si dicas: Infantes non habent fidem, Ergo non sunt baptizandi. Exceptio illa tua: infantes fidem non habent, ergo non sunt baptizandi; nulla est: nec vllam cum meo argumento habet similitudinem. Non enim infantes ideo baptizandi sunt,

quia

quia fidem (actualem scilicet) habent: sed quia ad corpus Ecclesiæ pertinent, & in fœdere esse creduntur. Quare habere fidem qua actu cognoscas, intelligas, credas: conditio non est, ad hoc, vt baptizati possint, necessaria. Ita assumis non caussam pro caussa. At verò corpus Christi ideo edi potest & debet, quia pro nobis mortuum est: nec aliter edi potest, nisi quatenus mortuum est. Id quod certè nec ab Apostolis olim in prima cœna, nec à nobis nunc fieri potest, quàm fide: qua illud tanquam pro nobis in mortem traditum apprehendimus.

Quod scribis à me miraculum formati noui corporis fingi, calumnia est, vt ante ostendi. Quare quæ etiam subiicis, quibus probes, Christum nouum sibi corpus nō sumsisse, nihil ad me pertinent. Si verò illis argutari velis, fieri non potuisse, vt Christus aliud corpus sibi in aëre formaret, sicut in veteri Testamento solebat: vanissima est argutatio tua. Primò ais, Christum suum corpus, suámque carnem ex carne virginis sumsisse: Non ergo potuisse aliud corpus, & ex alia materia sibi formatum suscipere.

Responsum. Non sumsisse, fateor: non sumsisse in vnitatem personæ, multò magis: non potuisse autem simpliciter, & alio modo, hoc demum pernego. Quid enim obstat Filio Dei, in carne etiam manifestato, quin alicubi, sicut olim Patribus, sic nunc etiam aliquibus in forma assumti ad tempus corporis, sese videndum præbere, si velit, omnino etiam possit? At corpus quod assumsit ex virgine, ex alia materia non est nec esse potest, quàm ex semine Dauidis. Optimè sanè: sed si aliud eo modo, quo diximus, assumere velit, an non illud ex alia materia, necessariò fuerit? At si in tali corpore appareat: non posset verè dicere, Ego sum Iesus Nazarenus? Quasi verò persona Filij Dei, non sit ipse Iesus Nazarenus, in forma etiam serui semper subsistens: licet si velit, sub alterius corporis forma alicui appareat. Cedò, cùm idem Filius Dei Deus apparebat Patribus: licet formæ illorum corporum, in quibus apparebat, non essent de substantia suæ Deitatis, nec in vnitatem personæ, assumtæ: an non tamen verè dicebat, se esse Iehouam Deum Abrahæ, &c?

Ais præterea, ex quacunque materia istud corpus formes, ego quæram, anne personaliter illi λόγος vnitus fuerit? Si affirmas, vide quid dicas: sin negas: Quomodo Iesus Nazarenus? quomodo ille, quem Paulus persequebatur? qui vtique non carneam massam nuper formatam: sed Deum in carne persequebatur. Et quo pacto ab impostura Christum liberabis, qui pro vero suo corpore, nouum & fictitium exhibuit, neque is prorsus erat, quem dicebat, Iesus Nazarenus: sed quoddam, vt sic dicam, idolum, ex materia, nescio quâ, formatum?

Responsum. Garruli argumentum, tale est: Si Christus aliud corpus assumat, ex quacunque illud materia esse fingas: illud aut personaliter assumserit, aut non personaliter.

Si primum, vide quid dicas: quasi dicat, nimis absurdum dixeris. Si secundum: non potuit ergo dicere, Ego sum Iesus Nazarenus, &c.

Responsum. Idem dicis, quod antè, sed vt impleres quatuor folia, aliis verbis ad idem deducis absurdum. Denuo igitur, si argumentum retorqueam, reprehendi non possum. Cùm idem Filius Dei in veteri Testamento, corpus sumebat: aut personaliter sumebat, aut non. Si primum, vide quid dicas: si alterum: non poterat ergo verè dicere, Ego sum Iehoua, aut Angelus Iehouæ. Atqui verè hoc dicebat: Ergo, &c. Videsne quanta sit eruditio tua?

Quod verò ex eo, quod in tertia interpretatione retuli de corpore in aëre formato, collegisti, Christum à me Marcionico corpore vestiri: illud te non simpliciter indoctum, sed extremè malum esse coarguit: quippe qui scias, sententiam illam à me fuisse refutatam, & duas tantùm priores, tales a me iudicatas fuisse, quæ non facilè refutari possint. Cùm hæc in meo libro apertè legeris, consideraris, notis: qua conscientia, Reuerende Diacone, qua fronte, quo vultu postea ausus es, ea mihi attribuere, & cum tanta verborum, iniuriarum, sarcasmorum, calumniarum copia exaggerare: quæ vel ex ipso argumento, quod in illo cap. 6. aduersus vos tractaui, falsissima & calumniosissima esse conuincuntur.

Méne ideo Marcionistam, quia vt refutarem vestrum pro vbiquitate argumentum, à Christi apparitionibus ductum, post primam & alteram verborum Lucæ interpretationem, tertio quoque loco adieci, sed tamen non probaui, quod de nouo corpore ad tempus, non quidem in vnitatem personæ, sed prout etiam in veteri Testamēto fieri solebat, assumto, nonnulli dici posse iudicarunt? Quid enim hoc verum corpus, quale etiam habuit, cùm luctaretur cum Iacobo, &c. Quid vnquam hoc verè humanum corpus, cum phantastico, & per apparentiam tantùm Marcionis corpore? Méne Marcionistam, Holdere (quia cupis nominari, Ego te sæpe, Holdere, nominabo) Méne inquam, Holdere, Marcionistam: qui inde potissimum vestram portentosam vbiquitatem refutaui, quia Christus vnum tantum habet corpus, illudque verè humanum, finitum, circūscriptum? Méne, Holdere, Marcionis primogenitum: qui vestram verè Marcionisticam doctrinam, qua Christum visum quidem fuisse Apostolis in cœlum ascendere, cùm ne plantam quidem pedis moueret, docuistis: vel ex primis Christianæ religionis fideique principiis expugnaui? nimirum, quia si non verè ascendit in cœlum, sed totus etiam secundum carnem (inuisibilem tamen, & inuisibiliter omnia implentem) & fuit, & permansit vbique: consequatur, neque etiam verè humanum corpus sumsisse, nec verè comedisse, bibisse, aliasque actiones humanas præstitisse: non verè passum, non verè mortuum, non verè sepultum fuisse, non verè resurrexisse, nec verè ad iudicādum viuos & mortuos rediturum esse? Quorum verò hæc fuit doctrina? an non Docetarum? an non Marcionistarum? Vtri igitur verius Marcionistæ vocari possunt: illine, qui has doctrinas oppugnant, an illi, qui easdem propugnant? Quid vero de doctrina, in qua puppis & prora totius Religionis vobis est posita, dicam? Doctrina certè vestra est, verum & naturale corpus Christi in pane Cœnæ Dominicæ, realiter suáque οὐσίᾳ inesse: quanquam nec videri, nec tangi, aut contrectari possit. Quale vero obsecro te, Holdere, est istud corpus: quod nec visui, nec tactui subiicitur? Epiphanius præter alios Patres, secutus argumentum Christi, inde contra Marcionem probat, quod ille affingebat Christo corpus, illud non esse verum Christi corpus: quia nec videri, nec contrectari potest, Christus autem post ipsam etiam resurrectionem se verum habuisse, non autem phantasticum corpus, inde conclusit Apostolus: quia & tangi, ac contrectari, viderique poterat. Contrectate (inquit) & videte, quod Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.

Vtri igitur ad familiam Marcionis propiùs pertinent: vos qui Christo attribuitis corpus, quod sub tactum, vllum ve sensum non cadit: an nos, qui verum ac solidum, visibiléque corpus in Christo agnoscimus, & prædicamus: quod licet in cœlo maneat sua ἕδρᾳ: vi tamen Spiritus S. nobis communicatur?

Quinam etiam veriùs plura corpora Christo affingunt, quàm vos: qui docetis, Christū habere corpus in cœlo quidem existens *Circumscriptiuè*: in pane autem cœnæ *Definitiuè*: vbique vero *Repletiuè*: Isti enim tres modi (vt loquūtur) essendi, in vnum & idem corpus, nunquam per omnē æternitatem, multo vero minus omnes simul competere possunt. Nam neque rerum natura hoc fert, neque Deus vult, quia apertæ, illæque nimis impiæ & blasphemæ implicantur contradictiones. Neque certè illa distinctio à Scholasticis in alium finem excogitata fuit: quàm ad distinguendam, primùm quidem Dei essentiam, ab omnib. creaturis: deinde vero incorporeas substantias, quales sunt Angelicæ, à corporeis. Solus enim Deus vbique est, omnia replens: Angeli in loco sunt sine circumscriptione, corporeæ circumscribuntur omnes; atque ita omnes circumscribuntur vt magna sit fatuitas imaginari substantiam aliquam corpoream, quæ non sit in loco circumscripta. Quid ergo huius distinctionis abusu, aliud facitis, nisi quod Christo affingitis tria corpora, vnum in cœlo tantùm: alterum in pane Cœnæ; tertium vbique omnia replens?

Pudeat ergo te Holdere, illum vocare Marcionis filium, idque cum magna irrisione; qui Marcionis errores per vos ab inferis reuocatos, refutaui: pudeat inquam te Holdere, istius putidæ Sycophantiæ, qui vnà cum tuis in fœtido Marcionis luto, ad ambas vsque aures haud immeritò ab Orthodoxis omnibus, demersus esse iudicaris: quippe qui tale corpus Christo affingitis, quod cum sit vestro non iudicio, sed somnio, vbique, in vno tamen duntaxat loco videri & contrectari possit, in aliis autem non possit; eóque alicubi veram carnem & ossa habeat, alibi vero nō habeat: qui item dicitis, visum quidem illud fuisse ascendere in cœlum, reuera autem non ascendisse, sed tantum disparuisse, & ascensionem, nil aliud fuisse, quàm disparentiā. Itane vos, qui ista Marcionica, editis multis libris, per totum terrarum orbem sparsistis, ausos fuisse, me istius doctrinæ hostem, Marcionismi tamen accusare: & qui, siquid contra vestras hæreses scripsi, modestè tamen, suppressis propter honorem Ministerij, vestris nominibus semper scripsi, tam immodestè, tamque barbarè in hac extrema mea ætate,

quiescentem, & de discessu ex hoc Mundo magis, quàm de vita in his terris cogitantem, nulla prouocatos occasione, tanta affecisse contumelia, vt Marcionistam vocare non puduerit (Si vobis licet, quicquid libet: poteritis me, licet multa contra Arianismum, & Samosatenianismum scripserim, vocare etiam Arianum, Samosatenianum, Mahometanum, & quid non?) Sed ego verè credo, Dominum Iesum iustum iudicem rediturum ad iudicandum viuos & mortuos. Huic caussam meam committo: is omnes iudicabit: is definiet nostras lites: is finem imponet uostris disceptationibus: quibus cœlum & terram turbamus. Veni Domine Iesu veni.

At, istane (inquies) est illa modestia, Zanchi, quam de principio pollicitus es. Si quid vltra modestiæ terminos tibi videor, Holdere, scripsisse: illud non aduersus te scriptum putato, sed aduersus barbariem: si non vis me dicere Tuã, saltem permitte vt dicam, τῶ ποιητῶ: qui tua mente & manu ad me, tantùm quia non sum Vbiquitarius, impudenter calumniandum abusus est. Nomen hæretici ferendum non est, inquit Hieronymus: multo vero minus talis hæretici, qualis fuit Marcion, mihi ferendum fuit. Quicquid ergo vel tibi, vel aliis in hac mei defensione, duriuscule à me in te scriptum fuisse videtur: illud vi quadam, plus quam violenta, tu mihi inuito, extorsisti Holdere: proinde teipsum, non me accusato.

Hactenus (vt credo) satis perspicuè respondi ad eam primum, quæ tu Holdere aduersus eam protulisti interpretationem quam secundo loco attuli, & quam exemplo Stephani confirmaui: ac demonstraui, illam expugnari non posse: quia neque cum Scriptura, neque cum articulis fidei pugnat: sed potius & cum verbis Lucæ consentiat: & Patrum, doctorúmque nostri temporis virorum testimoniis confirmetur. Deinde, ea refutaui, quæ tu contra tertiam responsionem, quasi ego illam probauerim, debacchatus es: atque hic ostendi: quantus sis calumniator, vanusque sophista.

Et cur etiam, obsecro te Holdere, tres illas à me allatas interpretationes inuertisti, vt quæ prima fuerat, eam tu pa. 23. feceris non tertiam, sed quartam? Si hoc ego fecissem, tu procul dubio hinc etiam pro acumine tui ingenij, me hac quoque in parte, imitari voluisse Marcionem calumniatus fuisses: qui ex prima Pauli epistola, nimirum quę est ad Romanos, fecit quartam: & ex quarta, quæ ad Galatas scripta fuit, fecit primam: & ita reliquarum etiam ordinem perturbauit. Sed ego humanius tecum agam, Holdere: Malo enim ex illa tua oscitantia, si non certè concludere, saltem probabiliter iudicare: cùm illa scriberes, te à cœna, post multam ex vino exhilarationem, somno percitum, inconsideratè scripsisse: quàm id exemplo Marcionis, quod forrassis etiam ignorabas, à te factum fuisse, putare.

Tu pag. 23. posteaquam alteram, de illustratis cœlesti lumine corporalibus Pauli oculis, quibus Christum in cœlo stantem vidisse à nobis dicitur, refutasse tibi visus es, cum tamen nihil nisi inania verba feceris: ita scribis: Animaduertit Zanchius, hanc etiam responsionem non magnum pondus apud eruditos habituram: ideóque aliam & quartam iam subiungit. Potuit (inquit ille) Christus quoad humanitatem suam, tum temporis cœlum deserere, & in aërem descendere, vt Paulo appareret. Neque enim corpus Christi vni alicui loco ita alligatur, vt inde nequeat discedere, sed LIBERVM illi est, quocunque velit se transferre. Hactenus ille. Cautè vero tu, cautè mi Zanchi, ne nimia clementia tua & liberalitate rem sacramentariam alioquin anhelantem, in præsentissimum vitæ discrimen adducas.

Quæ tu de anhelante re sacramentaria, loco glossæ addis: puerilia sunt. Quomodo verò Christum suo corpore ad tempus è cœlo hunc in aërem descendere non potuisse probas? Quia nimirum nostri ex Scripturis & Patribus docuerunt, illum postquam ascendit in cœlum, inde in has terras (vt in, & sub parui panis frustulo se sistat) non descendere: sed in cœlo PERMANERE, ac permansurum esse, donec ad iudicandum viuos & mortuos redeat. Hæc tua est ratio. Ideo subdis: Et quid respondebit tibi, Marce, Zanchius, qui nuper ex Nazianzeno (quem te ad vnguem sicut & cæteros tenere memoria aiunt) certò certius cognouisti, Christum suo corpore cœlo captum? Quomodo captus cœlo, si liberè egreditur quocunque vult? Quid Oecolampadio, qui Christum suo corpore TANTVM in cœlo esse, scripsit? Quomodo tantum in cœlo, si animi gratia interdum, visurus, quid rerum in terris agatur, in aërem vsque descendit? Quid respondebit Cinglio, qui corpus Christi sic dextram Dei (quæ certus locus est vobis) alligatum, alligatum, inquam, esse dicit, vt nusquam nisi istic esse possit, vsque ad extremum iudicij diem? quomodo non alligatum, si alligatum? quomodo nusquam, nisi ibi, qui etiam in aere, & vbicunque velit, & sit, & esse possit? Quid eidem respondebit affirmanti: carnem Christi à dextra Dei sedere, nec inde moueri: audis nec inde moueri, donec redeat, cum vniuerso Mundo rationem positura? An vero sine motu cœlo egreditur, sine motu descendet in aerem? Quid respondebit Exegetico, qui scripsit: abductam à nobis humanam naturam, non reddendam ante vltimum Christi aduentum? quomodo non reddenda, quæ reddita iam dudum, & ostensa Paulo in aëre fuit, teste nimirum & autore Zanchio?

Quid respondebit (inquis) Zanchius? respondet tibi primum: quæ tu citas ex Patribus, & ex nostris, ea imperite & calumniose à te adduci. Aliud est, captum, hoc est, exceptum esse in cœlo, inque cœlesti gloria contineri, vt scripturæ volunt, & nostri intelligunt: & aliud captum, hoc est, captiuum esse in cœlo, vt tu, cum tuis peruerse interpretaris. Non est vllibi captiuus, qui vbique dominatur: ideò liberè potest, quocunque vult, progredi. TANTVM etiam in cœlo esse quidam dixit: non quòd non possit si velit, esse extra cœlum: sed quòd dum in cœlo est suo corpore, est autem ibi ordinarie vsque ad finem seculi, alibi substantia eiusdem corporis non sit. Nimis etiam, non dicam Papisticè, sed Papisticè interpretaris ALLIGATVM, quasi catenis aut funibus vinctum: quando autor ille, ad solum Dei decretum in sacris literis reuelatum, respexit. Quod scribit de motu: verè te à proposito omnia peruerse interpretandi, immobilem esse declarat: id quod & de voce reddenda dictum volo.

Si tu non es Vulcanus, qui has ineptas argutiolas scripsisti: certè famulus eius es in eadem officina. Atque hæc tibi Holdere respondet Zanchius. Respondet porrò Patribus: sua, nequaquam cum illorum dictis pugnare. Ordinariè enim, Christum suo corpore in cœlo duntaxat manere: non tollit, quin etiam extra ordinem aliquando, & aliquibus extra cœlum in terris apparuisse dici possit. Nunc ad rem.

Si hæc ratio aduersus me valet, CORPVS CHRISTI IN COELO EST, AC MANET: ERGO IN AEREM DESCENDERE NON POTVIT: cur non eadem aduersus vos concludat: Corpus Christi realiter in cœlo est ac manet: Ergo in pane realiter non inest? præsertim cùm nos de INESSE, vos autem de POSSE disputetis? Nos enim ideo negamus, Corpus Christi realiter in pane esse, quia realiter in cœlo est: Vos eadem ratione aduersus nos contenditis, in aerem descendere non potuisse. At licet (inquies) dicamus, in pane inesse, non tamen è cœlo in panem descendere docemus. Verum neque Physicè, neque Theologicè hoc dicitur: Non physicè dici, facile, credo, dabis: non Theologicè autem hinc euincitur: quia sacra Scriptura, neque proloquio aliquo, neque vllo exemplo docet, Deum velle, vt corpus physicum nostris simile, certo loco existens, idem alibi sit sua οὐσίᾳ, sine motu à loco ad locum. Nam si ad veterem ineptam cantilenam, qua verba Testamenti pertinaciter corrumpentes, ad rauim vsque clamaris, Hoc est corpus meum, id est, in hoc nimirum pane, idque realiter & sua substantia est corpus meum, redearis: principium petis, quando neque vllus Euangelista sic explicauit, neque Christus vnquam dixit, in hoc vel hic, hoc est, in pane, *est Corpus meum*, sed tantum hoc, id est, panis, *est corpus meum*: quæ verba, quomodo sint intelligenda, vsque adeò clarè per annos 60. & amplius à nostris fuit explicatum: vt iam tandem summa sit fatuitas, de vero illorum sensu amplius disceptare. Deinde tibi probandum fuerit, illud corpus non solum simpliciter inesse in pane: sed etiam, cum antea esset in cœlo, iam recens in pane esse, sine vllo præcedente motu. Si enim omnem tollas localem motum, quo, quod in cœlo est, veniat ad panem: aut ad transsubstantiationem veniatur oportet: aut ad noui corporis creationem. At istæ sunt rationes Physicæ. Adferas tu vnam bonam ex Metaphysicis: qua meas Physicas refutes: è S. literis certè nō poteris. Si item obiicias has, de quibus agimus, visiones, quid imperitiùs feceris: cum de his rebus præsens disceptatio sit instituta?

Cùm ergo, an hæc sit Dei voluntas, vt vnum & idem corpus, & secundum idem, & ὡσαύτως, & eodem tempore in pluribus sit locis, è scripturis, demonstrari non possit: Quomodo tu Holdere, probabis corpus Christi, cum existeret in cœlo, in terra etiam recens in pane, & apud Paulum sine aliquo motu, fuisse? Ita, quàm vana sit ista exceptio

tio tua: nempe corpus Christi in cœlo manēs, realiter quidem eadem etiam sua substantia in pane est, non semper, & vbique, sed tempore cœnæ, & vbi hæc celebratur, sed tamen in panem è cœlo non descendit, luculenter apparet: quando hoc neque Physicè dici, neque Theologicè demōstrari posse, à nobis ostensum est. Quare stat sententia, si ratio tua valet: corpus Christi ideo in aërem descendere non potuisse, quia in cœlo erat, & semper est: eadem ratione à nobis concludi, idem corpus ideo realiter sua in pane substantia non esse, quia in cœlo est: nisi illud è cœlo in panem descendere concedas. Sed obserua, rogo te, Holdere, inconstantiam tuam. Oppugnasti magna cum irrisione quod dixi, Christū suo corpore in aërem descendere, & Paulo apparere potuisse: nūc idem probas: dum ideo nos proficere ais, quia Christo concedimus, vt possit quocunq; velit, progredi, & in aërem vsque descendere. Subdis enim:

Interea tu pie Lector animaduertis, proficere aliquid Sacramētarios nostros, atq; subinde fieri mitiores. Initiò enim huius infelicis controuersiæ Christum suo corpore cœlo CAPTVM, atque certo loco, tanquam auiario cuidā seu columbario inclusum, vel alligatū, quasi in suis vinculis, atq; custodia detinuerunt. Postea Danæus captiui Christi misertus: SPACIARI illi interdum in cœlo hinc inde permisit, ita tamen ne cælo egrederetur, nisi pœnam criminis læsæ Maiestatis sacramentariæ incurrere velit. Zanchius verò, bonus ille senex, multò factus erga captiuum humanior, conniuet: scilicet vt interdum cœlo egressus, descendat in aërem, aut etiam QVOCVNQVE VELIT, corpus suū transferat. Ista tamē, nisi fallor, cōditione, vt data dextera citatus, comparere, atque sistere sese Sacramentariis obligatus sit.

Cùm & hìc, & infrà, & in toto hoc scripto videam, quàm sis festiuus Holdere, & scurrilitatis, in rebus etiam sacris studiosus, non possum me continere, quin lepidam partem tibi historiolam. Quidam Papa factionis Guelphicæ, cùm in die cinerum, cineres, vt moris est, imponeret capitibus Cardinalium, his solitis verbis, Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris: cuidam Cardinali Gebelinicæ factionis, præ aliis omnibus, studioso & defensori, cineribus illis benedictis non solum verticem capitis, sed faciem quoque totam aspersit, his vsus verbis, Memento homo, quia Gebelinus es, & cum Gebelinis morieris.

Tibi reuera, quisquis es, qui hæc scripsisti, dicere sine iniuria aliquis posset: Memento homo, quia scurra es, & cum scurris morieris. Etiam Vulcanus, Vulcanus fuit, & vt Vulcanus de cœlo fuit datus præceps. Continuas tuam scurrilitatem etiam in insequentibus: sed simul etiam tuam confirmas inconstantiam: quia quod antea dixeras de nostro profectu, mox dubitando euertis: Subdis enim:

Sunt tamen nonnulla hoc loco, quæ me valdè reddunt ancipitem. Et primò quidem illud Si liberum ei per vos est, transferre suum corpus quocunque velit: quænam caussa esse possit, vt in aërem duntaxat, & non ad terram vsq; descendere ipsum permittatis: Præsertim cùm scriptura id nō obscurè innuat, imò expressis verbis affirmet? Sed eius rei caussam me iam videre puto, nimirum Christus suo corpore ascendendo vel descendendo motu locali & Physico, & sic pedetentim progreditur: quod si fortè longius à cœlo digrederetur, reuerti eodem die in summum cœlum non posset: sed aut in cœlo sydereo inter planetas pernoctandū ei foret: aut in cœlo aëreo cum volucribus: id quod accideret ei perincōmodè. Deinde, si quando ita cœlo egreditur, cuinam vices suas demandet, quē interea gubernatorē sibi constituat. Herculemne, an Theseum? Socratemne, an Aristidem? Numamne, an Camillum? Catonemne, an Scipionem? Et si hunc, Asiaticúmne, an Africanum? Hos enim omnes, vt nosti, in cœlum vestrum collocat Cinglius. Sed vt intelligas mi Marce, quanti te faciam, ecce, solutionē valde eruditam tibi suggeram. Nimirum, si tollas Christo, quoad assumtā carnē, omnem gubernationem cœli & terræ, & liberaueris te magno metu. Atque id à Cinglio discere poteris. Quemadmodum enim ille Christū, TANTVM secūdum Diuinitatē nobis salutarem esse affirmat: ita scripsit etiā, solam illam omnia administrare: Verba eius hæc sunt: sicut humanitas in hoc assumta est à Filio Dei, vt hostia fieri cōmodè posset. Ita Diuinitas incommutabilis est, & SOLA, SOLA, inquit, administrat omnia. Huius tāti Viri augustā autoritatē secutus, pro Maiestate & supercilio sacramentario abrogabis illi omnē potestatē: remoto eo hoc modo ab omni administratione cœli & terræ quā longissimè: nihil posthac erit periculi. Interea tamen cogitandū tibi erit, quomodo Holdericū cōciliare cū Cinglio velis. Alibi enim de carne Christi locutus modestissimè: Ne quæso, inquit, Saturno crudeliores, deuoremus REGNANTEM.

Istud verò, quod iam dicam, maiorem videtur habere difficultatem. Affirmat Chrysostomus, ibi esse cœlum, vbi Christus sit. Id si verum esset, facilis nunc esset etiam responsio. Sed fallitur bonus Pater. Ignorat enim, cælum esse certum locum, & quidem beatitudinis locum. Ex eo colligitur, quò quis ab eo loco longius abest, eò longius etiam a vera beatitudine remotus est. Ex quo iam illud consequitur: Christum cœlum deserentem, & in aërem descendentem, locum veræ beatitudinis, egressum deseruisse: & sic verè beatum tum quidem nequaquam fuisse. Et hæc, nisi fallor, caussa est quod in aërem tantùm descendit, nec vlterius progreditur. Si enim, vt Augustinus inquit, melioris meriti sunt aues, si in cœlis locus Dei esse creditur, quia Deo viciniores sunt: carnis etiam Christi eò melior erit, quàm reliquorum hominum conditio, quo ipse in aëre subsistens, cœlo quàm cæteri homines est propinquior. Verùm de his omnibus maturum tuum iudicium nos audire & admirati conuenit: id quod magna cum voluptate expectamus. Interea ego aliam & octauam Sacramentariam responsionem (error enim fœcundus est) subiiciam.

Quòd hic ais, scripturam non obscurè innuere, imo expressis verbis affirmare, Christum in terram vsque descendisse, citato in margine Act. 23. imperitè scribis. Ita ne ἐπιστάς tibi significat Holdere, in terra existens, eamque pedibus premens? Reliqua sunt scurrilia. Sed quid illud etiam ad rem? Quis nostrū inficiatus est, Christum è cœlo, in quod ascenderat, in terram vsque, & infra etiam descendere potuisse? Libenter tua nuda, siue vlla mea (sunt enim indigna) refutatione, proposui: vt omnes quàm lepidum ridiculúmque sis caput, & dignum magis aula, quàm templo manifestè videant.

Quæ sequuntur contra Zvinglium & Thalmannum: refutanda relinquo nostro Beumlero, aduersus quem editus est prodromus. Illud tantum restat, vt tibi gratuler Holdere, quòd dum refutas Chrysostomum, qui dixit ibi cælum esse, vbi Christus est: tu valedicto cœlo Brentiano & Andreano, hoc est, vbiquitario, disertè scribis & affirmas, cœlū certū esse locum, & quidem beatitudinis locū. Rectius tamen, & magis Christianè fecisses: si omisso illo optimo Patre, qui certe Vbiquitati vestræ nunquam fauit, ingenuè scripsisses, PECCAVI hactenus cum Brentio & Iacobo Andrea in doctrina de cælo, vbi Christus est suo corpore: & amplector contrariā sententiā, quæ est sacrarum literarum, sanctorum Patrum, & quam illi omnes sequuntur, qui nostræ Vbiquitati repugnant; Cœlum nimirum esse certum locum supra omnes hosce spectabiles cælos, qui & locus beatitudinis, & cœlum beatorum vocari solet. Hoc enim est verè resipiscere: ingenuè suum peccatum fateri. Gratulor & hoc, quod ab eorūdem fatua hæresi defecisti: qui docuerunt, & multis editis libris, per totum Christianum orbem sparserunt, propter vnionem duarum naturarum in Christo personalem, omnes essentiales diuinæ naturæ proprietates, in humanam ita esse realiter transfusas, seu effusas, seu communicatas: vt non minus humana, quàm diuina, realiter sit omnipotens, omnipræsens, &c. quanquā illa per se, hæc autem per illam, & κατ' ἄλλο: & quod cōtra scripseris pag. 23. in hæc verba: Tu verò, candide Lector, illud obseruabis diligenter, quando dicimus cū scriptura & vetustate: carni Christi propter vnionē personalem, per communicationē verè donatas diuinas proprietates, non quòd eas in se & subiectiuè habeat: sed quod Diuina natura, per carnē suam assumtā, neq; seorsim aut separatim, sed, inquā, per humanitatem, IN EA, ET CVM EA, (Athanasij verba sunt) propriam diuinam suam potentiam exerceat: Optatim tamen & hic clariorem explicationem. Nam IN EA, hoc est, existēs in ea: illud semper verum est: quia ab humana nunquam separatur diuina. In EA autem, hoc est, intra eam, nempe ita omnia operatur, vt extra eam nihil agat: falsum. Illud etiam CVM EA, hoc est, suas actiones cum actionibus humanæ coniungit, in iis nimirum operibus, ad quæ vtriusque naturæ actiones requiruntur, veluti sunt opera ad officium Mediatoris & regis attinentia: verissimum est. CVM EA autem, quasi quòd diuina suas actiones nunquam edat, aut edere queat, sine humana: falsissimum. Vtraque enim forma (vt Leo dixit) sicut agit cum communione alterius: sic etiam agit quod proprium est, non quod alterius, ad idem nimirum opus perficiendum. τὸ ἔργον commune est; ἡ ἐνέργεια, propriæ cuiusque naturæ. Particula etiam, PER EAM, maiori eget explicatione. Diuina enim per humanam neque suas proprias actiones edit, sed per se ipsam: neque etiam omnia sua opera efficit. Hæresis est, summaque blasphemia dicere, Christum qua Deus est, intelligere, aut velle

aut poſſe, per humanam mentem, voluntatem, potentiam. Nunquid enim humanam ſuam naturam, per ipſammet humanam ſuſtentat, viuificat, aliaque infinita præſtat opera? Eſt igitur etiam hæc Patrum phraſis rectè intelligenda: ne ex malè intellecta, nouos concipiamus errores. Interim, vt dixi, non poſſum non tibi gratulari: quod relicta priori, hanc alteram phraſim amplexus ſis.

Concluſionem totius tui libelli, & ad pium Lectorem adhortationem, qua nihil vnquam memini me legiſſe ineptius, putidius, impudentius, eidem Marco, ad eam rem accommodato, examinandam, excutiendam, refellendam, ſicut & cætera, relinquo. Licétne verò mihi Holdere, aliquid diuinare? Quæ enim non conſtant: ea neque affirmare, neque negare audeo, aut volo: quemadmodum nec poſſum. Si ergo licet, aliquid iocandi gratia dicere, vos mihi videmini ad hanc prouinciam precio conducti: nimirum vt vndiquaque capteris occaſionem, illos quos vocatis Caluinianos, perpetuò & ſcriptis, & ſermonibus, ad populum, tanquam omnium, qui vnquam à condito orbe fuerunt hæretici, peſſimos, & intolerabiliſſimos traducendi.

Si verum hoc eſt, quod nullo modo affirmo: licet nolitis affines eſſe Marcionis, quomodo poteritis euadere, quin conſanguinitate aliqua Balaamo coniuncti eſſe conuincamini? Sed vt dixi nihil affirmo. Certum mihi eſt, quod iam dicam coram Deo: Audiui ex viro harum rerum perito, & fide digno, ſe in libro Theſaurarij illius Cardinalis Lotaringi, paucis ante annis, vita defuncti, nonnullorum Germanorum Theologiæ Doctorum & Paſtorum nomina vidiſſe, quibus penſiones annuę ex Archiepiſcopatu pręſertim Metenſi, aſſignabantur. In quem vero finem, non fuiſſe ſcriptum. Sed ſi (vt dixi) vera hæc ſunt, quod ego non aio, quis fuerit finis, res ipſa docet: perpetua bella aduerſus nos, confirmant: euerſiones Eccleſiarum noſtrarum obſignant: & incrementum Pontificiæ tyrannidis palàm proclamat atque promulgat.

Nulla enim meliori ratione hæc obtineri poterant: quàm perpetua diſſidiorum noſtrorum continuatione. Veni Domine Ieſu, veni: & diſſipa illos, qui bella volunt. Gratias verò ego ago Deo, quòd ex iis, quæ video, confirmor in fide, de veritate eorum, quæ non vidi, ſed legi in S. literis. Ita omnia tandem ad ſalutem Electorum faciunt: Reprobis autem ad exitium. O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientię Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & imperueſtigabiles viæ eius. Huic laus & gloria.

Si quid verò (vt ante quoque dixi) Holdere, in ſeruanda, quæ me decebat modeſtia, peccaſſe tibi videor: cogita Moſen, licet fuerit (vt ſcriptura docet) omnium hominum, qui erant ſuper terram, manſuetiſſimus, vbi tamen tantum populi facinus vidit, vt conflatum vitulum adoraret, tanta eáque ſanctiſſima ira accenſus fuit: vt tabulas à Domino acceptas, in terram proiectas, fregerit. Quis verò mitior Chriſto? Quomodo tamen ſe geſſit, vbi templum Dei profanari ſuis vidit oculis? Tanta fuit tui ſcripti, Holdere, indignitas: vt mihi, licet nihil aliud minus cogitanti, aliquot excideriт verba, quibus niſi à te fuiſſem ſupra modum coactus, vſus fuiſſem nunquam. Sed dominus me non ſolum Chriſtianū eſſe, verum etiam hominem declarare voluit. Omnis offenſionis, quæ vetatur lege Dei, me pœnitet: ſed non defenſionis, quę pio cuique viro mandatur. Nihil mihi magis diſplicet, atque etiam meæ nocet ſenectuti: quam inique vexari; & à quiete mentis, in cuius ſtudium nunc maximè incumbendum eſt, & incumbere cupio, ſine cauſa deturbari. Quis autem hominum tam ſanctus & perfectus eſt, atque in omni patientiæ genere exercitus, qui, ſi videat ſe ita indignè tractari, ſicut tu nulla prouocatus iniuria, poſt annos ab edito libro meo decem & amplius, me iam ſenem decrepitum tractaſti: non offendatur? Quis ſi vocetur hæreticus, ſicut tu me Marcioniſtam & Marcionis filium non ſemel appellaſti, non exacerbetur? Quis denique vir honeſtus eſt, qui ſi audiat, nedum ſi legat, ſe grauiſſimis calumniis traduci, non irritetur, atque ſtomachetur?

Si qua igitur in te eſt Holdere, vel quiſquis es huius ridiculi Prodomi autor, mica pietatis aut humanitatis: rogo te, ſinas me, quod reliquum eſt vitæ, illud viuere in pace & quiete animi mei: ac proinde ne hominem rudem, propter imbecillam ſenectam, donatum, tuis ſcriptis ad nouum certamen prouoces: ſed ſi quid ſit, quod mecum cupias communicare vel diſceptare; veni Neuſtadium, quod non procul à Stuggardia diſtat: & ego te humanius excipiam, quàm ego iſtic olim fuerim: cum eò tamen, vt cum doctis viris quædam communicarem, media hyeme venerim, ibique in hoſpitio per triduum manſerim: ad quod nemo vnquam neque inuitatus, neque inuitaturus acceſſit. Si feceris, rem gratam feceris: ſin minus, ſcito me ad tua polemica, non niſi ſilentio & contẽptu reſponſurum. Quid enim caligantes oculos meos & extremam ætatem meam, in huiuſcemodi vanis & amarulentis libellis, legendis ac refutandis inſumam? Beatus potius ille vir, qui in lege Domini meditatur die ac nocte. *Dominus* noſtri miſereatur, & pro ſua miſericordia, ſublatis diſſidiis omnibus, ſeruet nos in pace, piáque concordia.

FINIS.

I. INDEX LIBRORVM ET CAPITVM HVIVS OCTAVI TOMI OPERVM D. HIER. ZANCHII.

LIB. I.

De incarnatione filij Dei.

CAP. I. De humilitate Christi in genere & in specie. col. 15. &c.

Cap. II. Christus verè Deus à Patre Deo, item verus homo, & homo Deus probatur ex verbis Apostoli Phil. v. 5. & 6. col. 19.

Cap. III. Varii errores, & perniciosissimæ hæreses de duabus in Christo naturis, partim qua Deus, partim qua homo est, refelluntur ex iisdem Apostoli verbis. iidem variæ recensentur circa incarnationis mysterium col. 30.

Lib. II. *De incarnatione Filij Dei.*

Cap. I. Hæreses de incarnatione filii Dei referuntur c. 35.

Cap. II. Explicatio veræ & orthodoxæ doctrinæ de incarnatione filij Dei, col. 38.

Cap. III. Quæstiones variæ quæ de incarnationis Filii Dei mysterio fieri possunt cum responsionibus ex S. Scripturis patrumque scriptis desumptis, his addidit autor varias theses aphorismorum theologicorum instar, totam de hac quæstione doctrinam complectentes: refelluntur deinde omnia vbiquitariorum argumenta: loci ex patribus ab iis malè vsurpari exponuntur, sub finem adducuntur testimonia patrum & aliorum Doctorum doctrinam nostram orthodoxam exactè collecta confirmantes.

Tractatus de S. Scriptura.

Præfatiuncula in locos communes: cur priori loco de sacris scripturis agẽdum sit, & quæ methodus seruanda col. 319.

Tractatus de S. Scriptura vbi de ipsius autoritate & veritate, argumenta aduersariorum refelluntur 345.

De autoritate Ecclesiæ, circa verbum Dei: quatenus autoritas significat potestatem, dominiũ, & ius in aliquem 346.

Præfatiuncula ante disputationem de libris canonicis & Apocryphis 434.

Theses de libris Canonicis & Apocryphis 434.

Præfatiuncula ante disputationẽ de Scripturæ sacræ autoritate, perfectione, perspicuitate, & lectione 435

Theses, de Scripturæ sanctæ autoritate, perfectione, perspicuitate, lectione 436.

De libris apocryphis veteris testamenti Patrum iudicia 439.

Posteriorum Iudicium de Machabæorum libris, 440.

Argumenta aduersariorũ pro libris Apocryphis primùm in genere, deinde speciatim 440.

Speciatim de libris veteris testamenti 442.

De libris noui testamenti Patrum iudicia 443.

Regulæ quædam generales ad demonstrandam tum autoritatem, & perfectionem sacrarum literarum, tum etiam veram earum intelligentiam, & vnde ea sit petenda ad diluenda aduersariorum, ac inprimis Pontificiorum argumenta apprimè vtiles & necessariæ 446

DE RELIGIONE Christiana Fides.

Caput primum.

De scripturis sanctis totius Christianæ religionis fundamento 481

II. De Deo diuinisque personis & proprietatibus 484

III. De prædestinatione, & præscientia Dei 485

IV. De omnipotentia & voluntate Dei 487

V. De mundi creatione, de Angelis, déque primo hominis statu 487

VI. De prouidentia mundíque gubernatione 489

VII. De Lapsu hominis, déque peccato originali & eius fructibus 490

VIII. De libero hominis post lapsum arbitrio 491

IX. De promissione redemptionis & salutis per Christum 494

X. De Lege. 495

XI. De Christo redemptore 497

XII. De vera redemptionis, salutis, & vitæ, quæ in vno Christo posita est dispensatione: eóque de necessaria cum Christo vnione ac ⸺ 503. 504

XIII. De Euangelio, déque legis per Euangelium abrogatione 508

XIV. De Sacramentis noui testamenti 511

XV. De Baptismo 516

XVI. De Cœna Domini 517

XVII. De fide, spe, & charitate 522

XVIII. De Pœnitentia 523

XIX. De iustificatione 525

XX. De libero renati hominis arbitrio viribusq; ad bonum 528

XXI. De bonis operibus 530

XXII. De innocatione & iuramento 532

XXIII. De Ecclesia Christi in genere 534

XXIV. De Ecclesia militante 535

XXV. De Ecclesiæ militantis gubernatione, déque Ministerio ecclesiastico 542

XXVI. De Magistratu 553

XXVII. De perpetua peccatorũ remissione in Ecclesia Christi 555

XXVIII. De statu animorum post mortem déque resurrectione mortuorum 558

XXIX. De illustri aduentu Iesu Christi Domini nostri ad iudicandum viuos & mortuos 550

XXX. De vita æterna 561

EIVSDEM ZANCHII, in suam ipsius Confessionem OBSERVATIONES. à col. 563. vsque ad col. 588.

Theses de vno vero Deo, æterno Patre, Filio, & Sp. Sancto 589

Theses De vnius veri Dei natura, simplicitate atque immensitate 590

Theses, de vnius veri Dei omnipotentia 591

De prouidentia Dei 594

De æterna Electione ac prædestinatione deque redemptione per Christum facta 595

De Iesu Christi à mortuis resurrectione in cœlum, Ascensione, ad dexteram Patris sessione 600

De dispensatione salutis per Christum 600

De iis quæ de Domino nostro Iesu Christo post vnionem prædicantur & quonam modo prædicentur 605

Compendium præcipuorum capitum Doctrinæ Christianæ.

Locus primus de Deo 621

II. De cognitione Hominis, vbi simul de peccato originali 638

III. De libero hominis arbitrio post lapsum 643

IV. De Gratia Dei qua naturæ vitiositas emendatur. 649. vbi de bello siue pugna inter carnem & Spiritum in regeneratis 665

V. De lege decalogi 673 præfatio in legem 679. primum præceptum 680. secundum præceptum 681. tertium vbi de iuramento 685. quartum 687. quintum 690. sextum 692. septimum 693. octauum 694. nonum 695. decimum 696. finis siue scopus legis 697. vsus & officium triplex 702. denique ipsius abrogatio 705

VI. De votis 708

VII. De fide 709

VIII. De Symbolo Apostolico, 724. vbi i de fidei materia, ii. De Trinitate. iii. De omnipotentia Dei. iv. De rerum creatione pars prima 730. ii. vbi 1. de incarnatione, 2. de morte. 3. de resurrectione Christi agitur ac de toto Mysterio 739

IX. De Pœnitentia 760

X. De Confessione peccatorum 765

XI. De Iustificatione fidei & meritis operum 767

XII. De similitudine & differentia veteris & noui testamenti 796

XIII. De libertate Christiana 809

XIV. De Scandalo 813

XV. De traditionibus humanis 817

XVI. De traditionibus Ecclesiasticis 821

EIVSDEM ZANCHII

ad Ariani cuiusdam libellum, cui titulus est, *Antithesis doctrinæ Christi & Antichristi de vno vero Deo*, breuis responsio. col. 849. Continet autem hic liber *prima sui parte*, xxi. Antitheses ex locis sacræ scripturæ desumptas. *secunda vero* LV alias antitheses ex patribus & aliis locis scripturæ qua vult probare Arianus ille doctrinam nostram de Trinitate secum pugnare col. 881. Peroratio Ariani & responsio ad eam 954 peroratio Orthodoxi . nostram de filio Dei , vero Deo veróque ho-

mine doctrinam breuiter complectens 535.936

HIER. ZANCHII.

Ad partem Prodromi Vilhelmi Holderi responsio : In qua de visiònibus, quibus post ascensionem tum Stephano, tum Paulo suo vero corpore apparuit Christus, placidè disputatur 943

II. INDEX LOCORVM Sacræ Scripturæ in hoc octauo tomo expositorum.

Ex Genesi.

Caput. Vers. Col.
Gen.1.1.890.4.7.672.15.6.578.18.2.891.

Ex Exodo.

Exod.4.21.667.19.9.365.358.361

Ex Numeris.

Num.14.43 671

Ex Deuter.

Deut.4.12. 370. 6.4.850 6.395.8.418.12. 8.411.26.7.629.14.679.30.14.671

Ex 1.Samuelis.

1.Sam.26.23.794

Ex 1.Regum.& 2.

1.Reg.16.18.18 668
2.Reg.22.8.406

Ex Psalmis.

Psal.1, 1.793. 2.7.791.8 6.422.14.1.624. 19.1.628.8.367. 23.4.715.51.7. 640.12. 660.110.1.860

Ex Prouerbiis.

Prou.2.1. 396.8.22. 557.21.1.668.28.14. 710.30.8.371

Ex Ecclesiast.

Eccles.7.14.673.29.673.9.1.720

Ex Esaia.

Esai. 1.19. 671.5.7. 667.6.3.891.8.1.348. 409.11.2.130.136.42.8.279.59.1.770

Ex Ieremia.

Ier.9.24.638.19.5.375

Ex Ezechiele.

Ezech.12.19.660.18.20.683.26.26.660

Ex Daniele.

Dan.7.27.179

Ex Ioele.

Ioel.2.12.7.63

Ex Amos.

Amos 5.14.671.8.11.429

Ex Michea.

Mich.5.2.892

Ex Haggeo.

Hagg.2.11.780.12.780

Ex Zacharia.

Zach.13.7.384

Ex Matthæo.

Matt.5.14.408.16.672. 19.700.44.699. 8.10.54.11.19. 410.27.208. 13. 11.416. 17.5.395.19.16.698.22.29. 411.32.411. 23.13.369.28. 18.178. 180. 19.349 371. 372

Ex Marco.

Mar.8.24. 337. 13.32.137.32.868. 14.36. 859.16.15.909

Ex Luca.

Luc.1.13.363.31.57.32.140. 38.74.76.855. 2.52.131.7.47.421.427.24.25. 329. 32. 409

Ex Iohanne.

Ioh.1.1.861.862.1.892.3.861.4.652.14.51. 61.75.171.14.276.18.310.18. 863.2.19. 62.3.12.410.19 411.31.864.4.9. 904.5. 17.183.22.869.25.184.26.279.76.858. 27.182.29.794.39.422.39.365.39.427 6.45.661.46 854.54. 189.428.62.125. 865.17.365.8 24.866.42.864.47.416. 49.866.54.853.10.30. 502.13.18.861.

31.236.14.5.197.26. 379.15.377.379. 22.363.16.7.377.12. 376.13. 384.636. 870.14.378.28.865.17.1.234.3.904.852 4.173.24.858.20.31.372.380

Ex Actis.

Act.1.1.380.8.359.2.38.570.3.13.853.4.10. 236.6.8.946.7.55.946. 8.11. 361. 9.5. 993 13.38.771.39.771. 15.8.380.381.19. 349.17 11.396.17.11. 396. 17.24.629. 19.4.571.572.544.5.574.576.20.7.351. 28.125.145.35.380.22.6.943. 23.11.951. 26.13.951

Ex Epist. ad Rom.

Rom.1.20.624.628.214.653.3.4.770.10. 657.4.25.749.5.10. 867.17.18.19.641. 19.57 .19.772.7.19.656.8.3.772.4.772 10.717.28.659.9.5.892. 16.673. 10.5. 769.10. 722.17.326. 48.17.367.11.20. 715.33. 411. 12.6. 421.14. 23.208.15.4. 367.16.27.859

Ex prima ad Corinth. 1.Cor. 1.5. 375.2.12. 136.14. 333. 410.411 652. 3. 2.409.18.411.22.856.7.6.281.7.381.14. 370.8.4.850.860.6.59. 852. 10.9.861. 11.715.11.3.856. 6. 389.16.381.389.34. 382.13.2.721.14.21.350. 14.26.396.35. 396.40. 822. 15.1. 373. 22.641.24.178. 870.28.178.43.230.231

Ex sec. ad Corinth.

2.Cor.1.24.349 2.14.4 6.3.6.637.7.410. 14.329.16. 334.3. 18. 640.3.18.714.4.3. 410.6.408.7.409.5. 19. 771. 8.9.277. 10.4.378.5 378.13.3.381.4.79

Ex Epist. ad Galatas.

Gal.1.8.342.3.12.769.4.59.277.4.5.579. 579

Ex Epist. ad Ephes.

Eph.1.3.565.4.595.7. 604.1.707.3.5.378. 9. 61 14.712.4.9.865.12.390. 23. 640. 6.4 397

Ex Epist ad Philip.

Phil. 1.16. 59.2.5. 16.6 17.18.19. 20. & 896.2.8.96.2.9 89 100.263

Ex Epist ad Coloss.

Col 1.15.814.16.306.18. 8 7. 28.375.2.3. 136.175.8 352.9.110.175.13.707.16.110. 3.9.640 16.395

Ex 1.ad Thessal.

1.Thess.4.2.38 .5.20.657

Ex 2.ad Thessal.

2.Thess.2.4.873.20.417.11.417.15.390

Ex 1.ad Timoth.

1.Tim.2.5.145.3.14.320.321.322.323.324 3.1. 400.15.430. 432. 16.198.899.4.1. 379

Ex II ad Timoth.

2. Timoth.1.13.872.2.1.382.3.2.417.3.14. 396.409

Ex Epist ad Titum.

Tit.2.12.418.13.898

Ex Epist. ad Hebr.

Hebr.1.2.861.3. 854.2.7. 422. 10.133.16. 108.109.4.15.13.8.9.10.352.11.1.722.3. 627.12.9.70

Ex 1.Petri.

1.Petr.3.15.795

Ex II.Petri.

2.Pet.1.19.396.408.1.20.416.3.14.412

Ex 1.Iohannis.

1.Ioh.1.1.198. 7.146. 189. 13.375.2.1.867. 2. 20.410. 2. 21.410. 4.1.365.5.7.902 384.5.20.904

Ex II. Iohannis.

Ioh. 1.5.375.1.12.382

Ex Apocal. Ioh.

III. INDEX, RERVM, Phrasewn & vocum quæ obseruatu digniores occurrunt & explicantur in hoc octauo tomo.

A.

A. & Ω. 905
Abrogatio legis à Christo quomodo facta 370
Abrogatio legis 706
Abstracta & concreta vocabula in persona Christi quid significent 178
Acephalorum errores de proprietatibus essentialibus Christi 98
Acquisita & naturalia quid differant 22
Actio & ἀποτέλεσμα differunt 149
actiones Christi distinctæ vt & naturæ proprietates 144.566
ad salutem nostrã perficiendam 146
actiones Deitatis & humanitatis 146
actiones geminæ in Christo, diuinæ & humanæ 150.151.152
actiones diuersæ in vna persona 154
actio volendi personæ est 94
ἀτρέπτως 105.115.116.126.276
adamus liber ante lapsum 483
adami peccatum voluntarium 490. quale ibid. quæ mala sint sequuta 491
ἀδιαιρέτως quid sign. 105.115.116.116.127. 276
ἀσυγχύτως assumpsit naturam Christus 105.115.127.276
ἀδιάφορα 387
adiaphoræ res quæ 381
administratio verbi quomodo fiat 579
admiratio, tristitia, pauor, & alia in Christo 54
adoratio debetur toti personæ Christi non naturæ humanæ 265. 199
aduentus Christi secundus 560.750
fructus 751
Æqualitas Christi cum patre 20.21.22. 27
Æternitas Dei 628
affectus diuinæ naturæ in Christo quales 17
affectus naturales qui in nobis sunt, an fuerint in Christo 54. & quare ibid.
affectuum in Christo triplex differentia 54
affectiones quibus premuntur Sancti non sunt satisfactiones 556
Ægrotos inuisere pastoris est 550
agnoetarum hæresis 269
agnoscendi Dei via 629
ἄγραφον 392
ἀγράφων verbum 383.383
aliud & aliud. idem & idem in Christo ex patrum distinctione 288
allegoricus sensus qualis 428
altissimi nomen quid 894
amantes nostri natura nimium sumus 698
amor nostri maior amore proximi 698
amphilochij insigne & factum & dictum 933
anabaptistæ omnes contemnunt interpretes 424
angeli creati 731
angeli nihil docuerunt Christum 178
angeli quomodo apparuerint sanctis 197
boni seruati Dei gratia 488
omnes non persliterunt in veritate 488
angeli boni Dei ministri nostri curam agunt 732. vtrum singulis fidelibus singuli angeli ad custodiam sint attributi 733. vtrum adorandi. 734
angelorum ordines 733. numerus ibid.

Anima ἐντελέχεια corporis 77
Anima Christi creata, quando, & quomodo 70. sine peccato ibid. triplici cognitione ornata 153. sciens ibid.
Anima hominis quomodo dicatur caro 665
de Anima Christi variæ quæstiones 134.135.136.&c.
Animarum beatarum status post mortem 385.557
Animarum propagatio damnata 70
Antinomi refutantur 705
Antichristiana potentia Papæ Romani 583
Antichristus Romanus 583
Antichristus quis sit 874.875
Antichristi prodromi 878
Antichristi nomen propter multa potius Turcæ quàm Papæ cõuenit 877
Ἀντικείμενος quis vocetur propriè 876
αὐθεντίας nomine quid intellexerint veteres 259
Apocalypseos liber 446
cuius autoris 318
Apocryphi libri qui, & cur sic vocati 325. vsus 326.439.482
cur volumini bibliorum additi 563
Apocryphorum librorum recensio 331
Apollinaris hæresis de vnione 83
Apostasia generalis quæ sit 876
Apostoli nihil mutarunt in verbo Dei 351. cognouerunt omnia ad salutem nostram necessaria per Spiritum Christi 379. aliquid ignorarunt etiam post acceptum Sp. sanctum 382
Apostolos quales esse voluerit Christus 361
Apparitio Christi post ascensionem in cœlum, & Paulo & Stephano qualis 943
Aqua simplici baptizarunt Apostoli 570
Arca fœderis cuius rei typus 260
Arius ab Athanasio damnatur 226. persecutor Antichristi 926. blasphemus 910. exul sub Constantino ibid. cur ab exilio reuocatus 932. magos inquirit 931. error de persona Christi 31. sophisma & hæresis 927. vita & mors valde notandæ 927.928. eiusdem expositio de fide ad Constant. Imperatorem ibid. & 929
Ariani impudentissimi falsarij in citandis patrum autoritatibus 914.917. illorum conclusio de Christo Deo 919. orthodoxorum persequutores 930. blasphemi in filium Dei 932. cuiusdam & Arianorum impietates 849.850.&c.
Arianorum hæresis τὸν λόγον esse passum 279.423. doctrina de sancta trinitate non pugnat cum Mahumeti doctrina 880 impietas 921. historia 929. vsque ad 934. Arianis conuentus interdicti 933
Arcana Dei adoranda non inquirenda 496
Archiepiscoporum Episcoporúmque ordines adhuc in quibusdam Ecclesiis obseruantur 589
Argumenta Pontificiorum contra perfectionem Scripturæ 376
Arma quibus vsi sunt Patres contra hæreticos non admittentes verbum scriptum 394
arma fidei contra incredulitatem 714
arrogantia hominis detruditur 657
ascendendi verbo quid significet Scriptura 865.& 866
ascensio Christi in cœlum 750. eius triplex fructus 750
assidua lectio scripturæ eius obscuritatem tollit & contra 418
אשמורה quid sig. 747
assumere aliquid quomodo intelligatur in scriptura 29
assumptio naturæ humanæ quomodo facta 31. quomodo intelligatur 34. eius modus 40.498.499
ἀταξία nostra 665
Athanasius quis, eius scripta, vita, mores, Arianis sese constanter opposuit 617.924
ἄτομος dupliciter considerandum 56.& 57.87
Augustinus realem idiomatum communicationem improbat 247
regulas tradidit ad lectionem scripturæ faciles 419
Augustinus contrarius Papistis 432. non admisit lib. Machab. 327
Augustini locus non crederem scripturæ ni me moueret Ecclesiæ autoritas explicatur 394.395.396. sententię variæ de gratia Dei 662
αὐθεντία 339
Autor sacramentorum Christus 513
auditus legis, & auditus Euangelij 569
autoritas Ecclesię quanta 983 ea quam Ecclesiæ tribuunt Pontificii refellitur 343.344.345
autoritas verbi Dei à quo pendeat 633
autoritas scripturæ vnde 339.435
autoritas scripturarum apud fideles 631
autoritas scripturæ in Ecclesiam multiplex 346.347
Ecclesiæ in scripturas est per Scripturas 349
autoritas Dei maior hominum 435

B.

Baptismus cur institutus 369
Baptismus Iohannis 570.572
Baptismus quare necessarius in Ecclesia 516. non repetendus 517. eius effecta 516
Baptismus in nomine Patris, Filij & S. Sancti facit contra Arianos. 81. eius partes 515.516.517
Baptisate aliquem in nomen alicuius 310
Baptizandi infantes 370.385.516
Baptizare quibus liceat 517
Baptizamur non aqua solum sed & Spiritu 516
Baruch liber 442
Beatæ vitæ finis quis 627
Beati quomodo sunt qui tentationem ferunt 792
Beneficia quæ ad nos perueniunt ex nostri cum Christo vnione 507
Bellum inter carnem & Spiritum 663
βίβλια quid 324
Biblia hebræa incorrupta 402. quæ sint Græca quæ hodie habemus 402. legenda ea lingua qua quisque edoctus est 419. nostro tempore melius quàm à temporibus Apostolorum, & translata & intellecta 419
Bibliorum partitio quadruplex 324
Bibliorum versiones variæ 900. in varias linguas, vtilis, probatur multis rationib. 404. obiectiones papist. 905
Blandratræ error 425
Blasphemia pontificiorum 349
Blasphemia papistica 371
Bonum in nobis inchoat atque perficit Deus 619.661
Bonitas Dei 618
Bona opera 530. cuius vi fiant in nobis ibid. iis non iustificamur. ibid. Cur non damnamus etiamsi nos nõ iustificent. ibid. iis studendum multis de causis. 531. iis merces datur sed gratia & propter Christum 531
Bonorum Ecclesiæ vsus 549
Brentij error 103

C.

Cæcitas naturalis in reprobis 416
Cæcitas nostra in rebus diuinis 630
Calamitas humani generis quæ & quomodo tractanda 639
Calix non dandus ex Canone Constãtinopolitano 380
Caput Ecclesiæ nullum à Christo constitutum 583
Caput Ecclesiæ Christus ipse 145
Κανὼν quid significet 364.330
canon primus scripturarum 3.4
canon sacrarum literarum 362
canones Apostolicos non agnouit vetus Ecclesia 327
canonici libri qui patribus dicti sint 325.482. eorum autoritas 330
pro indubitatis habentur 327
canonici libri vnde suam acceperint autoritatem 83
caro duplex 50
caro Christi animæ expers 32
Christi ex qua materia 51
caro Christi dupliciter consideranda [illegible] 89. an adoranda 198.199
caro Christi quomodo viuificet 255.257.261
caro Christi deificata 231.273.275
caro dicitur anima hominis & quomodo 656
caro & spiritus bellum gerunt etiam in renatis 663
carnis nomen quid sig. 245. carnis malitia 639
carnem qualem assumpserit Christus 51
carnem Christi qui edant 519
carpocratis error de persona Christi 31
carpocratis Hæresis 18.910
catalogus γραφῆς θεοπνεύστου 354
catholica Ecclesia constat ex multis particularibus Ecclesiis 536. extra eã non est salus 541.753
catechismorum vsus in veteri Ecclesia 581
catechismo ipse Christus interfuit 580
causa de Trinitate nobis cum Papistis communis 875
causæ secundæ quibus Deus mundum regit 489
celebratio quorundam dierum in Ecclesiis vt Natalis domini, ascensionis &c. 391
Κυρίω & κοινὴ 35
ceremonialis lex & moralis excluduntur a Paulo in re iustificationis 770
ceremoniæ Iudaicæ quomodo nobis applicandæ 368
ceremoniarum varietatis vsus 808
cerinthi error de persona Christi 18
certitudo fidei quid 712. 713. gradus 714
Certitudinem fidei oppugnantium argumenta & loci 715.716
circumcidi quare tenebãtur Iudæi 369
charitas an fuerit in Christo 132
charitas à nemine per omnia custoditur 698
charitas vinculum perfectionis 796
donum Dei 523
cherubini ad præsentiam Dei velantur 623
christus vocatur Iehoua 868.895
ὁμόθεος 251
Christus nomen personæ 269. cur sic vocatus 739
Christus verus Deus & verus filius Dei 904.905

ἐμψυχος 52. suscepit nostros defectus ibidem.
Christus ab æterno secunda ὑπόστασις in natura diuina 104
Christus Rex & sacerdos 740. filius Dei natura 741
perfectus Deus & perfectus homo 243.256.280 584.498. Dei filius 727. & Deus 728
Christus an Filius Spiritus S. 97
Christus per omnia æqualis patri, 20. quare frater noster ibid. quare potius in forma Dei, quam in forma serui. ibidem, patri ὁμοούσιος 861. 863
Christus persona sua à patre distinctus 18
Christus ante carnem assumtam Deus 41. totus Deus & homo natus ex virgine ibid.
Christus totus Deus, sed non totum 289. idem totus omnipotens sed non totum ibid.
Christus imago Dei 855. filius altissimi quomodo vocetur 851.856. quatenus homo creatura est. 856.862. ὁμοούσιος Deus de Deo. ibid. principium creaturæ 857. primogenitus 89.257.858. omniscius 136. duobus modis minor patre 21. in trinitate solus filius 46
Christus quodam respectu nullo modo fuit in Adamo 66
Christus in vtraque natura consideratus non diuiditur tamen 93
Christus naturam nostram non quasi accidens suscepit, sed ... 99.100. 101
Christus homo dominus & Deus non diuinus 124. sumpsit verum corpus, non nudum, sed anima rationali præditum 51. assumpsit formam serui sine mutatione, mixtione & conuersione 83
Christus necesse habuit assumere humanam naturam 45. solus accepit ibid.
Christus verè passus 32. in eo veræ passiones non fictitiæ 34
Christus perfectus mediator 145
operatur ad nostram salutem secundum vtramque naturam 44
passus secundùm veritatem, & non secundùm inanem speciem 502
Christus glorificatus à patre 232.236. 258
Christus Humiliationis exemplum 15
Christus vnctus in quem finem 182. 183
Christus caput Ecclesiæ 145. eam regit 542. summa nostræ salutis 751. offert remissionem peccatorum 557. communicat vitam æternam 504
Christus speculum in quo cognoscitur pater 724. & quomodo ritè cognoscere possimus 725
Christus viuis non tantùm secundum diuinitatem, sed & secundum carnem 569. in renatis viuit & operatur 528
Christus scripturam per scripturam exposuit 422
Christus visibiliter venturus è loco ad locum in die vltima 560. nihil didicit ab Angelis 138
sua manu nihil scripsit 359
Christus sapientibus omnibus sapientior 248
Christus super omnia benedictus 894. super prophetas 895
Christi tota vita tribus nominibus comprehensa 44
Christi persona ornata & ditata sunt supernaturalibus non tam propter se quàm propter nostram salutē 129
Christi sapientia increata, atq. triplex 135. quà homo finita eius potentia 501. Christo infiti seruantur & contrà 486
Christus quo sensu passus dicatur 59. quomodo assumpserit naturam humanam 53.57.499. & 500.27.28. quomodo in lumbis Adæ & Abrahæ 66. 67
quare natus ex fœmina sine mare 67. quare natus mas non fœmina 68. quo tempore natus 72. cur non natus statim post peccatum 71. an detraxerit aliquid de ceremoniarum autoritate 371
Christus apparuit patribus sub veteri testamento & quomodo 356.357
Christus quomodo sumatur & edatur à nonnullis in cœna Domini 576
Christianis qui sunt sub gratia etiam imponitur iugum 700
Chrysanti, & Mosonij fabula 542. 921
Clericalis disciplina 581
Coactio & necessitas quid differant 659
cœlum beatorum differt à terra & reliquis cœlis 564. & ab aliis cœlis differt 587
cœli aperti ad baptismum Christi 949
cœnæ verba malè exposita 423
cœnæ sacramentum 518
Κοινωνία differt à κοινωνὸν 163
κοινωνίας nostræ cum Christo finis cœnę 518
cognitio Dei vera quæ 626
cognitio Dei, & cognitio nostri vtra debeat præcedere 621
cognitio Dei, & nostri necessaria ad salutem 674
cognitio hominis 638
cognoscendi Dei triplex ratio 627
collatio scripturæ necessaria 421. præcipuè inter vetus & nouum testamentum 805
Collatio inter tyrannidem Papæ, & Mahumetes, siue Turcæ 877
comedere corpus Christi indignè qui dicantur 577
communio sacramentorum veteris & noui testamenti 515
communio duarum in Christo naturarum 586
communicationem idiomatū cū communicatione reali confundunt Vbiquitarii 205
communicatio realis bifariam consideratur 166
communicatio proprietatum diuinæ naturæ in Christo in humanam naturam 165.166.169. & de hac quæstione fusè 260
communicatio idiomatum quid sit 743
communicationem realem idiomatum reprobat August. 247
communicatio realis idiomatum refutatur 276.&c. vsque ad col.296
communicantes cœnæ domini alij pij alii impij 576
communicandi verbum quid significet 165.166
communicationis nomen ab Irenæo vsurpatum 120
conceptio Christi quomodo facta 57. 794
in conceptione Christi tria consideranda 75
concilium Chalcedonense Eutychen damnat 37
concilij Chalcedonensis confessio de vnione hypostatica duarum in Christo naturarum 111.112.118
concilia quam autoritatem dent scripturis 634
concreta & abstracta vocabula quid significent 128
concupiscentia in renatis peccatum 491.496.696
conclusiones aliquot de Christo incarnato 115.116
confessio peccatorum 765
conformitas veteris & noui testamenti 757
Confundunt naturas Christi Eutyches, Monotheletæ, Vbiquitarij 91
coniugium ministris liberum 548
coniugia contrahenda in Domino 548
cooperari secundæ gratiæ quomodo intelligatur 662
copulatio nostra intima & realis cum carne Christi 569
cōsolatio piorum maxima est verbum Dei scriptum 364
Constantius Athanasio infestissimus 922
consuetudines Ecclesię sunt obseruandæ in rebus indifferentibus 381
contagio naturæ peccatorum 491
continentia donum Dei 548.643
conuenientia nostra cum multis aliis de proprietatibus naturæ humanæ Christi 168.169.170
conuersio voluntatis nostrę ad bonum quomodo a Deo conuertatur 659
corpus Christi quomodo deductum ab Adamo, & quare 71. perfectum in ipso assumptionis momento 76. animatum & viuum 73. non nudum 51. vocatur templum 62. non est realiter in pane cœnæ 518. non est vbique 559
corpus Christi quod habet in cœlo & quo apparuit Paulo & Stephano non nouum 953
corpus Christi si realiter est in cœlo, & illud in terris esse non potest 955
corpus non communicat realiter suas proprietates animæ 172
corpus Christi circumscriptiuè & repletiuè 954
corpus & anima duo ... 565
corpora quibus apparuit Christus patribus ante incarnationem qualia 50
corpora defunctorum honestè sepelienda 550
corpora nostra eadem resurgent, non noua 559
corporalis manducatio Christi non admittenda 520
corruptio naturæ nostræ 610
creatio mundi, & Angelorum 487. 488
creatio prima hominis 639
creaturæ sorores Christi ex impietate Arianorum 558
credere in Deum 770
credere Ecclesiam & in Ecclesiam quid differant 753
credentes omnes in Christum saluantur 495
crucis supplicium quare potiùs passus Christus quàm aliud 247
crudelitas Arianorum in octuaginta viros ordinis Ecclesiastici 931
cultus omnes ab hominibus excogitati falsi 625
cupiditas & concupiscentiæ peccatum 696
Cura religionis Christianæ ad Principem pertinet 554
Cyrilli loci contra Vbiquitarios 250 vsque ad col. 262

Cyrilli expositio perspicua horum verborum, spiritualiter & corporaliter 689

D.

DÆmonis responsum Atiano &c. 931
Dæmones qui sint 737
Damnandi verbum quid sig. 563
Damascenus totam doctrinam de duabus in Christo naturis tribus conclusionibus complexus est 92. optimè sentit de Trinitate & persona Christi 269.271
Damasceni argumenta contra Eutychen & Nestorium 83.84 85
Danæus contra Kemnitium 203
Danielis liber de Suzanna & Belo 443
Decori nomine quid Paulus intellexerit 822
Deficiant cur multi à fide, & vera expositione Scripturæ 429
Deficientes ab Ecclesia Romana, non deficiunt à corpore Christi 540 quomodo ab ea dicamur discessisse 540
Defectus corporis qui sint 52. naturales 53. sine peccato 53
Deificare duo significat 224
Deitas Filij in carne recepta loquutio 110
Deitas non est passa 888
Delirium quorundam de carne Adami 66
Descensus Christi ad inferos 385.747
Desperationis materia 715
Deus absolutè quid sig. 883
Deus vnus & trinus 851.852 solus adorandus 496. creator solus 739. non potest esse sine sua essentia 859. pater cuius respectu vocetur 894. solus pater spirituum 277
Deus habitat in carne quomodo intelligendum 89
Deus cur factus homo 741
Deus quomodo loquutus patribus 357. manifestauit se tam veteribus quàm nobis verbo reuelato 632
Deus non est autor malorum operum, nec de iis quisquam illi tribuendum 666. non est autor peccati 491. 498. ipse etiam infideles à vitiis retinet 657. excæcat, induratque quos vult 667
Deus omnia præcognouit, præuidit, præfiniuit & præordinauit 485
Deus differt essentia ab omni creatura 484. solus remittit peccata gratis 556
Deus quomodo loquatur nobiscum 482
Deus ordinariè excitat nos ad pœnitentiam 524
Deus talem se præbet nobis in verbo, qualem in operibus 637
Deus puniens peccata parentum super filios 683 reddit vnicuique secundum iustitiam suam 794
Dei nomen personam patris aliquando significat 854
Dei sapientia 268
Dei solius est efficere vt agnoscamus scripturam sacram esse θεόπνευστον 332
Deo quæ potissimum debeamus 680 illi simpliciter credendum 982
Deum videntes aut sentientes tertiti sunt 622.623. intuentes opus habent fide 630
Δευτερώσεις Hebræorum 359
Diabolus hostis noster 774. quibus nominibus appelletur 735
Diaboli malitia vnde & à quo sit 735 eius potestas limitata 736
Διαγγέλλω 381
Dialecticæ vsus reiectus in Synodo Nicæna 922
Dies dominicus ab Apostolis in locum sabbathi ordinatus 351
Differentia triplex affectuum in Christo 54
Dignitas Ecclesiæ pendet à S. Scriptura 343
Dilectio nostri à Deo non mandata 698
Dilectio proximi summa secundæ tabulæ 697
Diligendi inimici 699
Diligere Deum ex toto corde iubemur quod non præstamus 665
Dimæritarum hæresis 242
Ditatæ nomen quid sig. 129
Diuina in Christo Deitati, humana humanitati tribuenda 281
Diuina beneuolentia erga nos quid sit 718
Diuinæ personæ quid sint 49
Diuinitas Christi probatur 728 S. Sancti 729
Disciplina Ecclesiastica duplex 551. eius partes 551.552
Disciplina clericalis 581
Discrimen inter actionem & ἀποτέλεσμα 149
Discrimen Legis & Euangelij 510
Discrimen inter fideles & reprobos 340
Dispensator sacramentorum Christus 513
Distinctio naturarum in Christo 131 personarum in Trinitate 730
Distinctio inter Christianos & hæreticos 371
Distinctæ proprietates de duabus in Christo naturis 33
Distinguimus in Christo duas operandi facultates, & duas naturas 93
Diuisio legis. 678
Docendi duæ rationes seu methodi 319
Dogmata fidei probanda sunt tantùm ex libris Canonicis 482
Dogmata de fide Christiana ab hominibus non possunt excogitari 348
Dominicæ diei sanctificatio 385
Donum continentiæ 693
Donum interpretationum non est alligatum Papæ Romano 482
Dona quibus ditata fuit persona Christi qualia 129.130
Dona, siue gratiæ habituales in Christo 143
Dubitatio magna in nobis 714
Duæ naturæ non coeunt in tertiam 289
Duæ in Christo naturæ probantur ex scriptura 284
Duo rerũ genera, quæ datę sunt Christo in tempore 207
Duo in Christi natura 209
Duodecim discipuli Pauli iussu Corinthi rebaptizati 571.572.573. nonnulli ex patribus dixerunt ibid. & 574

E.

EBionis error de persona Christi 18.31
Ecclesia quid. eius descriptio ex electis constans. 533. ab ea Angeli non excluduntur 534. vna semper fuit ibid. Sancta cuius Christus caput ibid. & 535. verè Catholica ibid. Reprobi & hypocritæ etiamsi sint in Ecclesia, de Ecclesia tamen non sunt 534
Ecclesia Catholica 752
Ecclesia columna veritatis 432
Ecclesia semper habuit verbum Dei 353
Ecclesia triumphans & militans 535 catholica partim visibilis, partim inuisibilis 542 ex quibus constet 146. sine peccato esse quomodo intelligatur 664. quamdiu fuerit sine verbo scripto 630
Ecclesia Romana fuit quondam vera, Catholica, & Apostolica 392. degenerauit 393
Ecclesia Romana corrupta 431 semper bene sentit de persona Christi 116. retinuit totum fundamentum trinitatis 874
Ecclesia non habet autoritatem in sacras literas 483. Ecclesia non habet ius addendi aut detrahendi verbo Dei quicquam 348
Ecclesia aliqua quomodo Christiana esse ostendatur 537 non est turbanda ob leues aliquas causas 538.539. Eius veritati studendum 578
Ecclesia Catholica tota non potest errare, sed particulares 540. non est alligata certis locis & personis 541
Ecclesiæ autoritas non debet superare scripturarum autoritatem 342 autoritas in Scripturas qualis 349. autoritas in sacras scripturas quanta 339
Ecclesiæ particulares quomodo cognosci possint an sint veræ Ecclesiæ, nécne 536
Ecclesiæ Christianæ duo tantùm sacramenta 515
Ecclesiæ Apostolicæ quæ sint 386.547
Ecclesiæ nomine quid intelligat Aug. 345
Ecclesiæ Catholicæ nomen quid significet 430
Electio sanctorum gratuita 486
Elohim nomen probat pluralitatem personarum 851
ἐνανθρώπησις Christi 120
ἐνέργεια variæ significationes 147.148
Enochij liber 353
Ens Deus 882
ἐνσάρκωσις Christi 120
ἐνσωμάτωσις nomen quid 120
ἐνυπόστατος 121
ἐνούσιος nomen 121
Epiphanius optimè sentit de duabus in Christo naturis 240.241.&c.
Episcopus Romanus vniuersalis quando vocatus 583
Episcopi principes 584. tanquam Consules inter presbyteros 582. Metropolitani 582. quomodo paulatim prouinciis quibusdam præfecti 583
Episcoporum successio 337. munus 581
Episcoporum seu Doctorum Ecclesiasticorum duplex officium 435
Episcopis principibus politica autoritas non negatur 547
Epistola Iacobi 444
Epistola 2. Petri 445
Epistolæ 2. & 3. Iohannis 445
Epistolæ Iudæ 445
Epistola ad Hebræos cuius autoris 443
Error Arij ab Athanasio damnatus 226
Errores Acephalorum & aliorum quorundam de humanitate Christi 98.59
Errores varij de persona Christi, & quà Deus, & quà homo est 18 31.32
Essentia non differt realiter à per-

sonis 68.556
Essentia diuina, nullius formæ vel accidentalis vel substantialis esse potest 136
Essentiæ Dei doctrina non est curiosius inuestiganda 726
Essentiales proprietates Dei quid sint 261.268.485
Essentiales proprietates inseparabiles 219
Ethnici non cognouerunt nec Deum nec verè Deum 624
Ethnicæ literæ quando cœperint doceri Hierosolymis 359
Euangelium quid sit. 509. per prophetas promissum & per Apostolos prędicatum 509
Euangelij doctrina æterna 509. partes. ibidem. summa vbi inueniatur 420
Euangelij summa 764
Eutyches excogitauit quandam mixtionem duarum naturarum Christi 83.84
Eutychis argumenta refutantur 87
Examen definitionis fidei 712
Excæcantur nonnulli à Deo 667
Excusationes idololatrarum temporibus Augustini 682
Exercitium pietatis necessarium 429
Exinanitio Christi quomodo consideranda 60
Exinanitione Christi quid sit intelligendum 24.26.27
ἐξουσίας nomen quid sign. 178
Explicationes Scripturæ non sunt superuacaneæ 413
Expositio scripturæ non debet aduersari articulis fidei 448
Expositio primi præcepti 680. secundi 681. tertii 685. quarti 687. quinti 690. sexti 692. septimi 693. octaui 694. noni 695. decimi 696
Extra Christum nemo diligitur 719

F.

FActores legis quomodo iustificentur 795
Factus pro genito, & genitus pro facto apud Tertullianum 914
Facultas duplex operandi in duabus naturis vna facta est in Christo 90
Facultates naturæ nostræ quales sint 675
Facultatum hominis partitiones secundùm Philosophos 644. secúdùm sacram scripturam ibid.
Fantasiæ quæ animum feriunt an sint peccatum 697
Fidelis verus quis sit 713
Fideles qui non viderunt Christum suis oculis 361
Fideles ob conscientiam nullis legibus contrariis parent 816. quod ad externa Magistratibus sunt subiecti 816
Fides quid 522. gignit spem 523 charitatem ibid. Confessio veritatis à fide separari non potest 511. actualis, & fides habitualis 137 in quo potissimùm consistat 718 absque dubitatione 714 absque spe esse non potest 723 sine charitate esse non potest 721
Fides vnit nos Christo 507
Fides qua credimus Ecclesiam est necessaria 752. ad salutem 710
Fides Apostolica nunquam alligata locis aut personis 394
Fides piorum & impiorum 710.711. particulariter respicit Euangelium 711
Fides ad percipienda sacramenta necessaria 513
Fides sæpius agitatur 713. non reddit irritas promissiones legis 71.91
Fides in Sp. sanctum est necessaria 751. 710
Fides an fuerit in Christo 132
Fidei definitio 712. alia secundum Apost. ad Hebræos 722. imperfectio 713
Fidei nomine quid intelligendum aliquando 721
Fidei nostræ de Christo summa 497
Fidei actionum duo genera 578. obiectum verbum Dei 711
Fide sola iustificatur homo 526.521. gratis 769.775.782
Fide sola edimus Christi corpus 520. vnimur Christo 522
Fiducia electionis 486
Filius non excluditur à cognitione diei vltimi 869
Filius quomodo glorificatus à Patre 232.236.258
Filius semper fuit & filius nominatus 728. verbum & imago patris 46
Filius perditionis 875
Filii obedientes plerumque moriuntur iuuenes 692
Filios duos alterum Deum alterum hominem est Nestorianismus 102
Finis legis totius 697
Finis in quem Deus voluit verbum suum tradi Ecclesiæ tam voce quàm scripto 366
Finis mundi certus & nobis incognitus 558
Fines varij Scripturæ sanctæ 366. & 367.368
Fines incarnationis Christi multi obseruati à patribus 568
Fines incarnationis Christi 44. obseruati à patribus 568
Fissio cœlorum qualis, quum baptizatus fuit Christus 949
Fœlicitas futura inenarrabilis 562
Fœlicitas humana est cognitio Dei patris & Filij 724
Forma Dei non habet propriè tales 27
Forma serui in Christo quid 25
Formę serui nomine quid intellexerint Hæretici 49
Formæ duæ in vna eademque persona 27
Formatio corporis Christi fuit sine mora 75
Franciscus Vatablus bibliorum optimus interpres 419
Φύσις quomodo accipiatur in Scriptura 16
Φύσεως quid 17
Fructus obedientię, passionis, mortis & resurrectionis Christi 502
Fructus ex Sanctitate Ecclesiæ promanantes 753.754
Fulgentij loci insignes de vnione hypostatica 290.291.292
Fundamentum Ecclesiæ 633
Fundamentum Theologiæ S. Scriptura 319
Furtum, & eius genera 649. licitum quale ibid.
φύσις in Christo 63

G.

GAllorum quorundam error de humanitate Christi 104
Gamaliel 359
Geniculatio an humana traditio 823
Geniculationis nomen quomodo sumatur à philosophis 39
Genitus pro facto, & factus pro genito 914
Gentes cognouerũt verbum Dei à Mose scriptis mandatum 358
Gentes omnes sentiunt esse Deum 624
Gloria Christi qua illum glorificauit pater 173.174
Gloria humanitatis diuersa à gloria deitatis 240
Glorificati quid signif. 174
Glorificatio Christi duplex 174
Glorificationis Christi status 16
Græci malè exponentes locos aliquos scripturæ 413
Gratia Dei 659
Gratia Dei Sacramentis non alligata 514
Gratia Dei erga nos exaltanda 647 datur gratuito electis 669. redemptionis omnibus offertur 504
Gratia vnionis 49.126
Gratia Dei Spiritus regula ad diligendam hominis voluntatem 672
Gratia secunda an detur gratis vt prima 661
Gratiæ habituales in Christo 43
Gratiæ effectus varij 663
Gratiarum actio post lectionem scripturæ 428
Gratianus imperator orthodoxus 955
Gregorius Romanus bene sentiens de vnione hypost. 294

H.

HAbituales gratiæ 130
Hæreses de actionib. Christi 147 150. 151. 152. 154. circa incarnationis mysterium. 33.35.36
Hæretici nomen non ferendum 955
Hebræorum δευτερώσεις 359
Hilarij Episcopi Pictauiensis sententia orthodoxa de filio Dei IesuChristo, vero Deo & vero homine patri æquali 919.920
Hieronymus optimè ad Damasum scribit de vnione hypostatica 294
Hierônymus semper ad textum hebraicum prouocat 402
Holderus non templum Dianæ sed templum Dei incendere conatus 943. pessimus interpres 950
Homo quid sign. in scriptura 261
Homo constat duabus naturis, atque substantiis 87
Homo trib. potissimum cõstat, animo, mente & corpore 75
Homo animalis quis sit 411. peccati 875. creatus ad imaginem Dei 488 non renatus nihil potest in iis quæ ad pietatem pertinent 493
Homo mortuus in peccatis 673
Homines in Adamo omnes peccarunt 494. quib. rationib. stimulentur ad bona opera 789.790
Homines sancti Deo apparente turbantur 623
Hominum quatuor genera qui misericordia Dei egent. 1.777.2.780.3. & 4.781
Honorandi vox tria complectitur 690
Hostes contra quos nobis est pugnandum 735
Humilitas Christi duplex. 16. spontanea 24
Humilitas vera 774
Humilitatis exemplum Christus 15
Humilitatis nostræ descriptio 647
Hypocritæ edunt corpus Christi sacramentaliter 519
Hypocritæ comedunt corpus Christi sacramentaliter 575
Hypocrisis fumus naturæ 621
Hypostasis quousque extendatur 65
Hypostatica vnionis definitio 121.122 quæ consequantur 123
Hypostaticam vnionem duarum in Christo naturarum non agnouit Nestorius 61.63
Idio-

I.

IDiomatum communicatio quid sit 743
Idololatria docet Deum esse 623
Idololatriæ origo 682
Iehouah in sacris literis ὁ ὤν significat 20. & 21
יהוה bis repetitum eodem versu quid sig. 638
Iehoua Christus 895
Iehouæ nomen Essentiam Dei significat 893.896
Iehouæ nomine quid intelligendum 679
Iehouæ nomen quomodo reddiderint Euangelistæ 894
Ieiunia publica indicenda 550
Ieroboam typus Antichristi 875
Iesus cur dictus sic 739
Iesus filius Sirachi 359
Ignatius non cognouit realem idiomatum diuinæ naturæ in humanā communicationem 292
Ignorantes Christum non assequuntur verum & genuinum scripturæ sensū 420
Ignoratio dialecticæ aliarumque artiū liberalium hæreses peperit 923
Ignoratio nostra nos non excusat 631
Imago Dei 488
Imagines in templis causæ dissidiorum inter Ecclesias Orientales, & Occidentales 393
Impietas, & impœnitentia arcent nos à cognitione sacrarum literarum 917
Impij diu viuentes super terram 692
Impiorum duplex genus 576
Implet nemo omnino legem 701
Implicita fides non est vera fides 722
Importuna disputatio de potentia Domini 702
Incarnatio est perfecta humanæ naturæ assumptio à filio Dei in vnitatem suæ personæ facta 38. quomodo facta 39. eius causæ ibid. & 40. orthodoxa sententia 40. 41. fines 44
Incarnationis Christi descriptio per Iustinum 113. 115. mysterium 900
Incarnationem Christi qui damnarint 35.36
Indifferentes actiones 815
Indignè sumentes sacramentum vim eius non tollunt 514
Indiuidui nomen quomodo in sacris vsurpetur 883
Induere carnem nostram quo sensu acceperint varij 100.101
Indulgentia hominis in seipsum 653
Inexcusabiles sumus etiamsi Deum nō agnoscamus 631
Infantes fidelium baptizandi 370.516. cur 553
Ingressus Christi ad discipulos 255
Inhærens iustitia operibus bonis augetur 527
Inimici diligendi 699
Inobedientia Adæ omnes voluntates infectæ sunt 96
Insitus Christo iustus censetur 525. seruatur & contra 486
Interpretatio Scripturæ quib. commissa 530. non pendet à Papa 431. à quo pendeat 437
Interpretes scripturarum non sunt superuacanei 413 nec contemnendi, sed cum iudicio legendi 925
Interpretandi scripturam ratio 425
Intellectus vis quædam 649.650. circa quid versetur ibid. in rebus cœlestibus & diuinis cæcutit 651
Intellectus & voluntas in homine secundùm philosophos 645
Interdictio conuentuum Arianorum 933
Intercessione Christi corā Deo iustificamur 772
Inuocatio Dei 532
Ionianus optimus princeps fidei catholicæ protector 930
Ira duplex 54
Irenæus optimè sentiens de Cœna Domini 570
Israeliticus populus à Deo pro Ecclesia electus 631
Iudæi non distinguunt inter legem & Euangelium 410. verba Stephani aliter quàm vbiquitarij intellexerunt 947
Iudicantur iusti secundùm iustitiam suam 794
Iudices de causis coniugij in Ecclesia 548
Iudicium vniuersale cur institutum 560. certò futurum 619
Iudithæ liber 442
Iuramentum 685. ritè factum species diuini cultus 685
Iuramenta iusta & legitima seruanda & contra 532
Iurandum quando 686. quomodo 532
Iurantes peccant multipliciter 686
Iurare homini Christiano an liceat 532.686
Iusti dicimur bifariam 201
Iustificari quid sit 526. quomodo dicātur aliquando homines ex operibus in scriptura 793. coram Deo fide, operibus, quid sign. 767
Iustificati vires ad bonum recipiunt 528
Iustificatio 525.526
Iustificatio per fidem non est res imaginaria 527
Iustificatio fidei gratuita peccatorum remissio, & iustitiæ Christi imputatio 767
Iustificationis ordo secundùm scripturam 768
Iustificationis fidei doctrinam oppugnantium argumenta cum refutationibus 789
Iustini descriptio de Christi incarnatione 113.114.115
Iustini Imp. edictum contra hæreses de vnione duarum in Christo naturarū 116
Iustitia fidei quid sit & quibus constet 771. Fides, & iustitia operum stare nequeunt 368
Iustitia Christi non nostra iustificamur coram Deo 525
Iustitia perfecta in lege traditur 676. sine operibus 773.774
Iustitia sanctorum imperfecta 781
Iustitiæ Christi partes duæ 65
Iustitiæ Christi nobis innitendum non operum quæ in nobis est 772
Iustitiæ rudimenta in lege traduntur 697

K.

KEmnitius refutatur 196
Kemnitius nobiscum sentiens de reali communicatione 202

L.

LActantij doctrina de Sancta trinitate 916.917
Lasciuia interna prohibita 694
Lectio Sacrorum librorum à Pontif. laicis prohibita 395
Lectores in Ecclesia 580
Legenda cuique scriptura 395
Lex Decalogi 673.&c.
Lex Dei fuit necessaria 674. quid ex ea discamus ibid. moralis per Christum abrogata 497
Decalogi quo sensu dicatur abrogata 706.707.708
Lex Mosis Euangelio partim tollitur partim non 510. impossibilis seruatu 701. plus significat quàm verbis exprimit 677. cur in duas est partita tabulas 678. quid contineat 495. naturæ & imaginis de pictura 495. summa 496. non frustra data ibid. arguit nos & condemnat peccati 703 manus coërcet à malo non animum 704
Lex de abstinendo à sanguine & suffocato mutata 352
Legis vtilitas triplex 496. vsus varij 497.702
Legis præceptorum ordinatio 678. diuisio 26. obseruatio perfecta habet remunerationem 701. scopus qualis sit 697. officium triplex 702. 704. 705. abrogatio à Christo quomodo facta 350
Legi nihil addendum 636
Liberatio Babylonica typus fuit liberationis à peccato 73
Libertas Christiana 809. quibus constet partibus ibid. & 810. 811. 812. quando ea vtendum & non 814. 816. scandalum 813. eius species 814
Liberum hominis arbitrium in indifferentibus quale sit 668
Liberum arbitrium 492. vires 493. secundum Philosophos 645. secundū Theologos 646. ad quid valeat hominis renati arbitrium 527
Liberi arbitrij vires infirmæ in renatis 529.649
Libri Sancti alij canonici alij Apocryphi 324
Libri quibus contradicitur 446
Libri θεόπνευστοι qui perierunt 355
Libri tam veteris quàm noui testamenti à tyrannis & aliis combusti occultati ne omnibus gloria Dei innotesceret 364
Libri aliqui Canonici de quibus dubitatum 482
Librorum tres gradus 446
Librorum veteris testamenti triplex distributio 329
Lilij simile 259
Linguarum vsus cur datus 390
Litera scripturæ à quibusdam phanaticis damnata 636
Literalis sensus quis 428
Loca animatū tam fidelium quàm infidelium post mortem 558
λόγος nunquam fuit embryoni hypostasis 77
λόγος factus est caro, non caro λόγος 171.172. comparatur luci, à Iust. 211. musico 223
Lombardus bene sentiens de hypost. vnione 294
Lombardi sententia de persona Christi 116.117
Luci comparatur λόγος, & quomodo 212.213. musico 223
Lucianus Martyr biblia vertit 403

M.

MAchabæorum liber. 2. ab Hier. à canone reiectus 331
Machabæorum libri ab August. repudiati 327
Magistratus omnis à Deo 552
Magistratui subiiciantur fideles quoad regimen politicum 816. illi

aliquid contra verbum Dei mandanti non est obtemperandum 552
Mahomet quomodo se extulerit 876
Mahomet Antichristus 879. negat Christum filium Dei 876
Malachias postremus scriptor Θεόπνευστος sub veteri testamento 359
Maledictio omnia concludit 701
Maledicentia damnata. 696
Manichæorum hæresis contra humanitatem Christi 742
nugamentum de vitiositate nostra 641
Marcionis quod Christus sit tantum species hominis 29
Marcion corpus Christo affingebat 954
Marcionitarum hæresis contra humanitatem Christi 742
Maria virgo vtrum concepta in peccato 65. variæ de ea opiniones. 61. 66. 67. vtrum semper virgo 69
Maria Θεοτόκος cur dicta. 58. 60. 61. 164. 264
Maria mater Dei 385
Marianus Scotus Chronicus 72
Mater Christi qualis 67. 69
Materia ex qua Christus & secundum corpus. & secundum animam 70
Matrimonium remedium contra luxuriam 694
Media non contemnenda 489
Media quibus Deus persuadet nobis scripsit S. 335
Mediator noster verus homo 867. 868
Mediatoris officium 145
Mendacium & mendaces damnantur 695
Merces operum vita æterna 795
Merita nostra quomodo coronet Deus 669
Metropolitani Episcopi 582
Metus & spes quid differant 716
μετάνοια 761
Metaphora vestis carnis nostræ dicta à Patribus intellecta 101. & 102
Methodi docendi duæ rationes 219
Militans Ecclesia Catholica 536
Minæ legi Dei additæ 675
Ministerium Angelorum differt à ministerio hominum 543
Ministri cum suis familiis sunt honestè alendi 549
Ministrorum Ecclesiasticorum duo genera. 543. quinque eorum ordines à Christo instituti ibid. 580. à Patribus aucti 541
Ministrorum vitio non contaminantur sacramenta. 514. autoritas quo vsque extendatur. 547
Ministerij angelorum finis 734
Ministerij Ecclesiastici tres partes 543
Miracula non semper confirmant vocationem 546
Miracula tribuenda 149
Miseria hominis quæ & qualis 656
Misericordia Dei 629
Missa papistica fabricata extra cancellos scripturæ 424
Missam à Paulo ordinatam asserunt Pontificij 382
Missio ministrorum à Christo 546
Missionis pastoralis ius à quo pendeat 348
Mixtio fit ex tribus 83
Mixtionis & mixturæ nomina à Iustino vsurpata 110
Modus κοινωνίας nostræ cum Christo 504. 505. 506
Modus communicationis idiomatum duplex 204
Modi quibus Deus verbum suum conseruauit in Ecclesia 356
Modi duo quibus Christus glorificatus est à patre 258
Modi tres edendi corpus Christi 519
Monophysitarum error 588
Monophysitarum error 270
Monothelerarum errores de actionib. Christi 154. 155. 158. 159. 160. duabus in Christo naturis 33
Monothelerarum argumenta contra orthodoxam doctrinam de Christi voluntate 97. 98
Mors Christi eum circumstantiis 745
μορφὴ Christi. 18. & 19. variæ significationes 20
Moses primus scriptor sacrarum literarum 357
Moses & prophetæ annunciant vnum Iehouam 853
Mundus diuina regitur prouidentia 489
Mulieres admittendæ ad cœnam 385
Mysteriorum natura 723
Mysterium incarnationis 899. & 900

N.

NAtura humana Christi siue οὐσία 41
Natura Christi bifariam consideranda 53. 57 quomodo assumpserit 56. quo do composita 89
Natura in Christo non est composita, sed persona composita ex duabus naturis 97
Natura humana Christi visibilis finita certo loco circumscripta subsistit 104
Natura diuina Christi ab humana nihil accepit. 144. sed humana à diuina ibid.
Natura assumpta à λόγῳ non est hypostasis 87
Natura diuina res perfectissima 88
Natura tripliciter consideranda 56
Natura hominis in totum non esse vitiata probatur 657
Naturæ distinctæ in Christo. 79. concurrunt in nostra salute. 80. inseparabiles 126.
Naturarum in Christo distinctio 131
Naturalia & acquisita quid differant 22
Necessaria & contingentia differunt 489
Necessitas duplex 350
Necessitas & coactio quid differant 659
Nestorius adorabat vestem propter vestitum 89
Nestorij sententia de vnione duarum in Christo naturarum 81
eiusdem argumenta de incarnatione Christi refutantur 61
Nestorij Episcopi Constantinopolitani de duabus in Christo naturis error. 31. de incarnatione damnatur 35
Nicæna Synodus prima non contemnenda 922
Nicolai de Lyra sententia de visione Stephani 947
Nobilitas nostra naturalis 639
Nomen Christi quod est supra omne numen 264
Nominis diuini profanatio 686
Nomina personæ & nomina naturarum Christi 123
Nomina varia quibus vsi sunt patres ad explicandam vnionem hypostaticam duarum in Christo naturarum 120
Nominibus Christi persona denotatur 42
Notitia Dei parit veram religionem 629
Nouariani doctrinam de filio Dei non impugnabant 913
Nouarianorum error refutatur 756
Nouissimi dies qui dicantur 72

O.

OBedientia Christi 744
Obiecta Pontificiorum contra lib. Apocryphos 327
Obiectiones aliquot contra doctrinam nostram de traditionibus & responsa. 391. 392. de non legenda scriptura. 399. contra doctrinam de autoritate scripturæ. 347. 348 349
de non vertendis bibliis in linguas vulgares 405
Obtestatio Hier. Zanchij 540
Obscuros esse locos in scriptura non negamus 413
eorum recensio quædam 414
Obscuritatis causa præcipua, reprobatio 415
Obseruatio legis perfecta habet remunerationem 701
Odiosi fuimus Deo 744 745
Officium legis triplex. primum 702. secundum 704. tertium 705
Officium mediatoris 145
Officium Apostolorum quale fuerit 372
Officium pij principis circa religionem 554
Οἰκονομία 120. 121
ὅλον & ὅλως videre 135
Omnipotentia Dei. 487. Christi 139
Omnipotentia vbiquitariorum refutatur 27
ὁμοούσιος Christus & ratione Dei, & nostri 52
ὁμοούσιον vox non reperitur in Scriptura 384. de ea voce disputatio in prima Syn. Nicæna 912
Opus operatum 157
Opera seu actiones trinitatis ad extra bifariam consideranda 48
Opera Dei visibilia 738
Opera inchoatiuè, & terminatiuè 48. legis cur non iustificent 770. nostra cur Deo grata 791. Legis cur vocentur iustificationes 792
quomodo Deo placeant 781. 785
Opera fidelium dona Dei. 728. peccata tamen sunt 778
Opera bona an necessaria & ad quid 786
Opera supererogationis an possint compensare delicta nostra 783
Operum Dei duo genera 627
Operum bonorum merita. 787. quantum apud Deum mereantur 788
Operibus nostris nec fidendum nec gloriandum 783
Orandum pro Magistratu 554
Ordo assumptionis naturæ humanæ Christi 74
Ordo Ecclesiasticus qualis esse debeat 812
Origenes laicus scripturas exponebat 580 Catechista 581
Origenis error de animorum creatione. 215. de anima Christi 216
Originale peccatum 640. quid sit 641
Origo carnis Christi 71
Osiandri impietas 241
οὐσία de Christo quomodo dicatur 20
distinguenda in λόγῳ, à modo subsistendi proprio 566
οὐσία & ὑπόστασις 883

[illegible] assumpsit naturam humanam Christus 105.115.116.276

P.

PÆdagogus ad Christum lex 704
Panis cur corpus Christi sit appellatus 518
Papa nollet scripturas 362
errat & errare potest in interpretatione & expositione scripturæ 450. cur Antichristus vocetur 875. negatur esse Antichristus 877.878.879
Papæ successores Petri negantur 431
Paphnutius sese opposuit solus Nicænç synodi decreto de Sacerdotum vxoribus 922
Papistæ depravant scripturas 427
Papistæ mali expositores sacræ scripturæ 423
Papistarum tyrannis 437
Papistarum non eadem ratio nobiscum qualis fuit Patrum cum hæreticis 394
Participes deitatis quomodo dicamur 221
Pastorum & doctorum officium est legere Scripturas 393. qualitates 400
Pater non assumpsit naturā humanam neque Sp.S. 45
Patris nomine quid sit in scriptura intelligendum 690
Patris voluntas composita non est 96
Patres quomodo comederint carnem Christi 565. per eandem fidem saluati quam nos per Euang. obtinemus 509
Patrum scripta ad verbum Dei sunt examinanda 451
Pati quomodo prædicetur de Christo 587
Paulus nihil omisit quod ad nostram salutem pertineat 372
Peccare in Adamo 66
Peccatum primum Adæ 640
Peccatum in Spiritum S. est irremissibile 757
Peccatum originale 491.638
Peccatum aliquod remanet in regeneratis 663
Peccati nomen quid sig. 165
Peccati Adami propagatio in omnes homines 491
Peccata in sanctis nō imputantur 664. impiorum qualia 666
etiam minima sunt mortalia 700. parentum quomodo puniantur super filios 683. omnia simul renatis remittuntur 557
Peccata remittuntur piis etiam post regenerationem in baptismo 756. etiam voluntaria 757
Peccatorum remissio in Ecclesia perpetua 556. 754. vnde pendeat & à quo 755. conseruat nos in Ecclesia ibid.
Pelagius Deum facit autorem peccati 564
Perfectio corporis Christi in ipso assumptionis momento 76
Periurium nomen Dei profanat 686
Persecutio Arianorum in Orthodoxos 930.931
Persona à persona suis proprietatibus distinguitur 484
Persona non natura Christus vocatur filius 42
Persona Christi tribus nominibus significatur. 123. σύνθετος 565
Personæ definitio 55.56
Personæ tres in Deo 883
Personarum Trinitatis distinctio 730
Personaliter sedet Christus ad dextram Patris 191
Persuasio de verbo Dei vero fidem auget 711
Perversitas nunquam cessans in nobis 642
Philosophica hominis cognitio differt à theologica 638
Philosophi patres hæreticorum 416
Phrases aliquot barbariei sapientes 881.882
Phrasibus sacratum literarum vtendum 872
Piorum status quibus Deus nec Christus nec Angeli apparuerunt 360
Plenitudo deitatis quid 178
πληροφορία 713
Pœnæ æternæ ob temporale peccatum 759
Pœnitentia 523. 760. vnde, quid sit, eius partes ibid. est regeneratio 762. pœnitentiæ veræ definitio & etymologia 761. sex partes 763
necessaria ad nostri κοινωνίᾳ cum Christo 524
quid significet ibid.
Donum Dei ibid.
partes ibid.
Pœnitentiæ fructus & exercitia 763
ei incumbendum 764
Pœnitentes verè iustificantur 525
Præfatio in totam legem 678
Præsentia carnis Christi in Cœna vera, sed spiritualis 520. quam admittamus quámque negemus 521. à quo pendeat ibid.
Prophetç 358
Prophetia de Antichristo 379
Pontificij hæreticorum argumenta resumunt 376. pluris faciunt Ecclesiam quàm scripturam 34:. refutantur de autoritate Ecclesiæ 349.350. 351.352. &c. refutantur in doctrina de interpretatione & expositione scripturæ 429.430.431. &c. refutantur 435
Pontificij refutantur 410
Pontificiorum argumenta pro autoritate Ecclesiæ 343
Potentia in humana natura Christi 139.142
Potentia Mediatoris finita 179
Potentia Dei in quo manifestetur 268. Christo à Deo data 178
Potestas in Christo duplex 257. à Deo data 180.190
Potestas animæ Christi 257
Præcepta tria ad legis Dei notitiam necessaria 676
Præceptorum legis ordinatio 628
Præcipit singulis hominibus Deus legere verbum 395
Prædestinatio 485
Prædestinationis doctrina cur tradita in sacris literis 486. finis ibid.
Prædestinari alij ad mortem, alij ad vitam æternam 488
Prædicantur de Christo quædam propriè, quædam impropriè 204
Præiudicium nostrum causa cur Scripturas non intelligamus 417
Primæ tabulæ sensum non sunt assequuti homines Ethnici, aliquo modo tamen secundæ 654
Primatus Papæ non est ex traditione Apostolica 393
Principis iudicium in tractandis hominibus diuersæ religionis 555
Principes Episcopi 584
Proprium Dei, creare, iustificare, regenerare, glorificare 188
Promissa Dei certissima 73
Promissiones cur legi additæ 675
Promissio de Christo fuit necessaria 494
Promissio addita quinto præcepto qualis 691
Prophetiæ non fuerunt obscuræ: sed obscura mens eorum ad quos fiebant 414
Propositiones sex retinendæ in doctrina de traditionibus 391
Proprietates diuinæ naturæ in Christo 165. aliæ essentiales 51. aliæ naturales 52.168. essentiales sunt inseparabiles 219.220
Proprietates vtriusque formæ Christi 42
Proprietates naturæ Christi 587
Proprietates essentiales vnius personæ non sunt communicabiles tribus personis 280
Prouidentia Dei & mundi gubernatio 489
Prouidentia Dei quomodo discernatur 628
Proximus noster quis sit 699
Purgatorius ignis inuentio Romana 393

Q.

QVæ de natura Christi prædicantur, eadem de persona 123
Quærendi Dei optima ratio 629
Quæstiones de communicatione proprietatum naturæ humanæ in Christo 167.168. præcipuæ in doctrina de S.Scriptura 310. in Theologia duæ potissimum difficiles 78
Quando & quomodo legenda sacra Scriptura 419

R.

RApina quid sit 21
Ratio humana de Deo nihil intelligit 652. quantum valeat ad vitæ formandæ rationem 653
Realis communicatio idiomatum 586. & 587
Rebaptizandi verbum dexterè accipiendum 571
Reconciliatio nostra cum Deo 744
Regeneratione liberamur à peccati seruitute 664
Regimen duplex in homine 616
Regula patrum de communicatione idiomatum 207. alia 208. ad quam examinandæ sunt traditiones 387. 389.390
Regula quam sunt sequuti patres dum agerent de Deo Patre, Filio, & Spiritu S. 913
Regulæ generales pro autoritate, perfectione, perspicuitate Scripturæ 446. 447.448
Religio vera, quæ 626
Religionis Mahometicæ duo præcipua capita 879
Remedium contra luxuriam duplex 693
Remissionis peccatorum nomine quid intelligendum 556
Renatus in virtutibus moralibus comparandis non renato fortior 528. agit; & agitur à Spiritu Sancto 529
Renati in vita animali quomodo præstantiores non renatis 528
Reproborum status in die resurrectionis 560
Res sacramenti proponitur omnibus, sed omnes non percipiunt 513
Rerum ad salutem pertinentium duplex genus 369
Resurrectio certa 558. Christi à mortuis typus nostræ resurrectionis 256. 748

erit tam proborum quàm improborum 579
Remissio peccatorum in solo Christo nobis offertur 557. in Ecclesia dispensatur ibid.
Rudimenta iustitiæ lex tradit 697

S.

SAbbathi institutio 688.689. abrogatio 690
Sabbatismus noster debet esse perpetuus 688
Sabellij error 18.914
Sacramenti nomen quid sig. 511. partes ibid. causæ 512
Sacramentorum definitio 515. autor Christus & dispensator 513
Sacramenta non sunt nuda signa 512
Sacramenta noui testam. 511. quarumnam rerum sint sacramenta ibid. qualia 513. sunt verba visibilia 512
Sacramentalium verborum expositio 516
Sacrarum literarum primus scriptor Moses 357
Sadducæi refutantur de Angelis malè sentientes 733
Salus non est extra Ecclesiam Catholicam 541
Salutis nostræ summa in Christo reperitur 751
causæ quæ sint 784
Samosateni error de Christo 31.420
Sanctitas Ecclesiæ quæ 753
Sancti aliquando suas iustitias commemorant & cur 784
Sanctificatio virginis Mariæ quoad animam & quoad corpus 71
Sapientia Dei 268
in Christo duplex 177. triplex 135
Christi increata 135
Sapientia nostra impedit nos quominus possimus scripturas intelligere 416
Sapientiæ Salomonis liber 442
Satan impellit homines in primis impios ad peccatum 666
Satanæ conatus pro abolendo verbo Dei scripto 363
Scientia animæ Christi 133
habitualis Christi 137. acquisita & experimentalis 138
Scortatio prohibita 693
Scriptura per scripturam exponenda 349
Scriptura sacra perfecta 368.369.483. perfectus Canon fidei 497. quibus inspirata 353. ἀξιόπιστος 339. est exponenda secundùm analogiam fidei 440. ab omnibus legenda 484
Scripturarum perfectionem negant Papistæ 369
Scripturæ minus tribuentes quàm Ecclesiæ ij non sunt vera fide præditi 342
Scripturæ probant se esse Canonicas 383. an sint Canonicæ ex traditione Ecclesiæ 384
Scripturæ S. autoritatem habent in fideles non ab Ecclesia, sed à Spiritu S. 340. testimonium habent à Deo immediatè 340. 341. in se habent multum autoritatis 342
continent omnia ad salutem nostrã necessaria 370.371.437
Scripturæ non recusant expositionem, sed religiosam 448. sunt interpretandæ non corrumpendæ 448
Scripturæ sacræ quomodo nos doceant Deum 631
illi credendum tanquam viuæ Dei voci 633
Scripturæ litera vindicatur aduersus phanaticos 636
eius autoritas in Ecclesia multiplex 346.347
Scripturæ cur legendæ 398. cur fidelibus datæ 364
an iudicandæ ab Ecclesia 339
Scripturarum intellectus à Deo petendus 430
Scripturis debemus esse contenti 372
Scopus autoris diligẽter est obseruandus 425
Scopus omnium scripturarũ est Christus 420. legis qualis sit 697
Scurrilitas damnata 696
Sententiæ Ecclesiæ temporibus Iustini de incarnatione Christi 40.116
Sepeliri in terra Chanaan cur tantoperè patres curarint 800
Sepultura Christi 797
Sepultura honesta 550
Septenarij numeri significatio 680
Septuaginta duo doctissimi Hebræi interpretes sacrorum librorum 358
Septuaginta Hebdomades 72
Serueti error de λόγῳ 18.420
Sessio Christi ad dextram Patris 190.191.192.193.195
Seuerus Antiochenus hæreticus tria actionum genera in Christo agnoscens 157
Simeon Hilleles 359
Simile elegans ad Christi glorificationem illustrandam 174. aliud 176
Simile solis 860.865
Simulachra non adoranda 691
Sophisma vbiquitariorum de vnione hypostatica 154
Speculum Dei mundus 627
Speculum primum 627
Speculum secundum 631
Speculum tertium 638
Spes an fuerit in Christo 132
quid 513. eius certitudo vnde ibid.
Spes & metus quid differant 716
Spes stabilit fidem 723
Spei scopus 724
Sp. S. solus cur nominatur solus in conceptione Christi 47. Efficax in fidelibus dum administrantur sacramẽta 513. quomodo glorificauerit Christum 72. sufficiens doctor sine hominum autoritate 334. Conciliorum præses 349
Sp. Sancti testimonium in cordibus nostris 337
Sp. Sancti officia 751
opus illustrare & confirmare mentes nostras in veritate S. Scripturæ 353. 416.719
Sp. Sancti missio in Apostolos 360
Spiritus vincit carnem 664
Spiritus libertatis, & seruitutis 805
Spiritus mali cur peccarint 488
Spiritualis homo 664
Status piorum & reproborum in die iudicij 560. animarum post mortem 557. hominis primus 487
Stephanus quibus oculis viderit Christum 947.948
Subiecti sunt homines omnes sublimioribus potestatibus 555
Substantia veteris & noui testamenti eadem 798
Substantia legis Ceremonialis 570
Successio Episcoporum in vera Eccles. 337
Summa Euangelij 900
Summæ librorum trium Aug. de doctrina Christian. 432
Summa legis ad duo capita refertur 697
Supputationes variæ ab orbe condito vsque ad Christum 72
Symbolum negantes non sunt ad disputationem admittendi 386
Symbolum Apostolicum non est totidem verbis in scriptura 385
Symboli Apostolici expositio 724.725. 726. &c.
Symbola non solùm in cœna, sed & res significatæ dantur 519
Symmachi versio bibliorum 409
Synodus Ephesina Nestorium & Eutychen malè sentientes de Christi incarnatione damnat 36
Synodi & conuentus Ecclesiastici necessarij pro Ecclesiæ gubernatione 551.552.382
Σύγχυσις & ἀλλοίωσις 83
συναφείας nomen 120

T.

TAtiani vituperarunt matrimoniũ 694
[illegible] ἐνέργειαι 158.162
Templa Christianorum qualia esse debeant 549
Templi nomine quid patres intellexerint 877
Tempus natiuitatis Christi 72
quo Christus venit in mundum omnium commodissimum 73
Tentationes contra fidem 723
Testamentum vetus, & testamentum nouum 329
Testamenti veteris & noui collatio 805. similitudo 296. differentia ibid. & 797.802
Testamenti nomine quid intelligendum 324
Testimonium Ecclesiæ non est supernacaneum 335
Testimonia patrum de natura diuina quomodo intelligenda 48
Terra Chanaan populo Israelitico cœlestis hæreditatis figura 802
Tertia persona non est conflata ex vnione duarum in Christo naturarum 567
Theologiæ definitio 319. fundamentum ibid.
Themistij philosophi elegans dictum 926
Theodori Bezæ versio noui testamenti omnium optima 419
Theodori, Theodoti, Theodosiani & Theoduli interfecti 931
Theodoreti sententia de visione Stephani 947
Theodosius opposuit sese constanter Arianorum doctrinæ 926
Thobiæ liber 442
Thomas reiicit vbiquitatem 294
Thomæ sententia de persona Christi 118
Timor Domini laudatur in scriptura 717
Timor fidelium & timor infidelium 717. incredulorum non est verus timor 626
Totus Christus & totum Christi 85
Totus Christus factus sub lege & quo modo 277
Totum masculini generis, & totum neutrius generis 85
Tota scriptura tam veteris, quàm noui testamenti ad nos pertinet 368
תורה 325.330
Traditionis nomen, ad nos & doctrina Pontificiis familiaris 383. quo sensu accipiatur ibid.
Traditiones vnde nomen suum & vsum sumpserint 386

Traditiones Apostolicæ & non Apostolicæ 389. Catholicæ 391. retinendæ 483. examinandæ ad verbum Dei ex patrum doctrina 387
Apostolicæ siue ἄγραφοι 383
Ecclesiasticæ non tantùm humanæ, sed & diuinæ sunt 821. quomodo seruandæ 823
Traditiones quæ non sunt omnium necessariæ 388. necessariæ quædam 388. & 389. sine Scriptura Sacra non sunt ex Sp. S. 380
Traditiones habentes testimonium in Scriptura admittendæ 392
Traditiones humanæ vt dignoscantur 817. quæ sint contrariæ verbo Dei 818. Apostolicæ 819. 822. impiæ quomodo dignoscantur 820. homines fallunt ibid. Papisticæ omnes ad quæstum spectant 369. Ecclesiasticæ, præter legem Dei datæ 821. necessariæ in ecclesia ibid. discrimen inter Ecclesiasticas, & humanas 821
Traditionum Ecclesiasticarum cognitio vtilis 824. Ecclesiasticarum quarundam recensio ibid. vt de Sabbatho, signo crucis 825. stantes orare, oleo inungantur qui baptizantur, quæ quidem sunt numero 27. vide col. 825. 826. 827. & 828
Traditionum species apud Patres 387. & 388
Transfiguratio Christi 22
Transfusio proprietatum essentialium Brentij & Ia. Andreæ 261 284
Transfusio vera atque realis diuinarum proprietatum in humanam Christi naturam refutatur 500
Tres personæ trinitatis sunt maiestate, potentia, & honore æquales 885
Tres dii non sunt 484
Tria genera bonorum naturæ humanæ communicatorum 131
Trinitatis nomen non reperitur in scriptura 384
Trinitas tota operata est in assumptione formæ serui 45
Trinitatis doctrina probatur contra Arianos 851
Trinitatis mysterium 902
Triplex genus cognitionis tributum animæ Christi 33
Turca potius Antichristus quàm Papa 877. sedet in templo Dei 878
Tyranno similis 23

V.

VAlens imperator Arianus 931
Vbiquitas ex Cœna non probata 943
Vbiquitarij non discernunt naturam à persona 85. quomodo probent carnem Christi vbique 110. aiunt à nobis diuidi Christum 93
Vbiquitarij refutantur 198. 201. 213. 187. 191. 195. 196. 286. & 287
Vbiquitarij confundunt communionem idiomatum, cum reali communicatione 205. ambiguè argumentantur 196
Vbiquitarij Marcionitæ 954
Vbiquitariorum mala expositio 197. 198
vitia in citandis patribus 203. 204
contradictiones 957
doctrina de Cœna Domini 954
Vera Religio ex vera Dei cognitione pendet 616
Verbum Dei fundamentum religionis 484
Verbum Dei verbum prophetarum idem 350. legendum ex Dei mandato 395. diuiditur in legem & Euangelium 711. quomodo propagatum 355
Verbum cur Deus voluerit propagari sine scripto 360. scriptum post aduentum Christi vt ante 361. 362
Verbum ἄγραφον 383
Verbum increatum, inuisibile 588
Verbum Dei necesse fuisse scriptis mandari 632. id esse verbum Dei credendum 633. Dei semper habuit Eccles. 363
Verbum facit sacramentum 510
Verbum quomodo factum caro 743
Verbum æternum 726
Verbo Dei cur nihil addendum 817
cur & quomodo 633
acquiescendum 483
Verba visibilia sunt sacramenta 512
Veritatis nomine quid aliquando intelligat scriptura 378
Veritas scripturæ ex ipsamet scriptura probatur 634. exempla & rationes 635
Verum Deum cur omnes non agnoscant 615
Versio Græca lxxii. Interpretum 400. 401. de ea varia variorum iudicia 401. 402. Græca diuersa ab Hebraica 401
Versio noui testamenti vulgaris diuersa a Græco textu 403
Versio noui testamenti optima nostro tempore Bezæ. veteris Francisci Vatabli 419
Versio Luciani Martyris 407
Versio Symmachi 403
Versiones variæ Latinæ 400. 401
Violentia damnata 692
Via eundi ad Deum, scriptura 632
Vigilij sententia de vnione hypostatica & proprietatibus Christi 585. 587
Virginitas Mariæ 384
Vis voluntatis humanæ circa quid versetur 655. de ea duæ quæst. 654. 655
Vis intellectus 649
Vires hominis non renati quales 493
Vita æterna merces, sed gratuita 560. 561. 795. 759
Vita naturalis in Christo qua homo triplex 186
Vita vbi reperiatur 718
Vita solitaria 693
Vitam præsentem pluris fecerunt patres sub veteri testamento quàm nos sub nouo 803
Vitam in seipso nemo habet nisi Deus 278
Virtutes eximiæ in infidelibus vnde 658
Vitium non est in scriptura, sed expositoribus 413
Vitiositas naturæ humanæ gratia Dei corrigitur 659
Vnde fluxerit 641
Viuificat nos vnus Christus 187. 188
Vocabulis ab hominibus inuentis non inhærendum 120
Vocationes non sunt confundendæ in Ecclesia 382
Voces, Trinitas, essentia, tres personæ, & alia in scripturis non reperiuntur, sed sensus 872. 873
Voluntas Dei non pugnat cum omnipotentia 487. in sacra scriptura quærenda 487
Voluntas patris & filij eadem 871
Voluntas Christi 95
humana in Christo deificata 272
Voluntas nostra quomodo a Deo conuertatur ad bonum 659. quomodo moueatur 661
Voluntas hominum non potest se mouere ad bonum, nedum etiam applicare 658
Voluntatis seu ἐνεργείας, in Christo duplex significatio 93 94. 95. 96
Voluntatis humanæ vis 655. 656
Voluntates duæ, & affectiones in Christo 289
Vota legitima 708
Veterum leges tres 708
Vnctio Christi 182. 183. 740. vbi facta ibid.
Vngi solebant tria personarum genera 182
Vnctiones externæ cuius rei symbola 182
Vncti qui dicuntur 779
Vnitatem personæ assumpsisse Christus quid significetur 104. 105
Vnio hypostatica duarum in Christo naturarum fusè exposita 80. 119. 120. 121. & c. quomodo facta 276. 277
Vnio carnis ad verbum, & verbi ad carnem 231
Vnio Christi nobiscum, & nostri cum Christo quotuplex 504. 568
ita est spiritualis vt tamen sit realis 505. non potest impediri 506
finis huius vnionis. ibidem & alia eiusdem argumenti 507
Vnio trium personarum, & vnio duarum naturarum quomodo differant 40
quomodo facta 41. 106. 107. 108. 115. 501
Vnio sacramentalis inter signa & res 514
Vnionis hypostaticæ doctrinam probarunt nobiscum Fulgentius 291. 292. Ignatius ibidem. Hieronymus 294. Gregorius Romanus 294. Lombardus ibidem. Thomas Aquinas ibidem. Bonauentura 294. & 295
Vniones in Christo duæ simul profectę 77. quomodo 81
Vnitas Ecclesiæ in quo consistat 539
Vnus Deus in tres personas distinctus 484
Vnus homo toti Ecclesiæ præfici non potest 545
Vnaquęque persona triados verus Deus 484
Vnum fit è pluribus tribus modis 86
Vocatio ad ministerium duplex 546
Votum quod fit à Fidelibus in baptismo 709
Vsus legis alius respectu piorum alius impiorum 702. 703
Vsus linguarum 390
Vtilitates ex verbo Dei scripto 362. 363. & 364. 367. 368

IV. INDEX, COMPLECtens illustria testimonia veterum & neotericorum Theologorum, Philosophorum & secularium scriptorum, quæ in hoc octauo tomo occurrunt.

A.

Ambrosius tract. de Sp. S. 47
Ambrosius 21.34.46
Ambrosius de Trinitate lib. 3. 54
Ambrosius de vocatione gentium lib. 1. c. 1. 646. li. 2. c. 9. 647
Ambrosius in Lucam 132
Ambrosius tom. 3. 398
Ambros. in 2. ad Cor. 5. 85. li 9. de Trinitate ibid.
Ambrosius de fide contra Ar. cap. 8. 160
Amb. de fide ad Gratianum 244. de mysterio incarnationis 445
Ambros. li. 2. 772
Amphilochius ex dial. Theod. 230
Athanasius dial. contra Arianos 90
Athanasius contra Apollinarium. 166
Athan. contra Apollinarem 227. de humanitate verbi ibid. Epist. ad Epictetum ibid. dialogo de trinitate 228. de Arriana & Catholica confessione 229
Athan. contra Arrianos 62
Athanas. contra Arrianos 206. lib. 4. 200. 226. 228. 229
Athan. li. 5. contra Arr. 219
Ath. contra Arr. 243
Athanasius in Symbolo 282
Ath. lib. contra Idola 375
Ath. ad Adelphium 197
Aug. tomo 2. Epist. 166. 348
August. tom. 2. Epist. 3. ad Volusianum 144
August. tomo 2. Epist. ad Volusianum 398
Aug. tom. 5. de doct. Christ. 327
Aug. tomo 7. de doct. Christ. li. 2. cap. 6. 410
Aug. tom. 3. lib. 2. cap. 6. de doct. Christ. 909
August. tom. 3. de Ecclesi. dogmatibus 45
Aug. tomo 6. in Epist. contra Manich. 344
Aug. tom. 7. contra Pel. 491
contra Cresconium lib. 2. cap. 31. 347
contra Donatist. li. 4. c. 14. 389
Idem ad Ianuarium 391
August. tom. 10. de verbis Domini 90
Aug. ex lib. contra Felicianum 246
de resurrectione corporum 247
Aug. de peccatorum remis. lib. 2. cap. 5. 655. de perf. iust. 659. ad Bonif. Epist. 116 660
Aug. Epist. 19. ad Hieronymum 387
Aug. ad Dioscorum Epist. 36. 648.
hom. 49. in Ioh. ibid.
Aug. Epist. ad Ianuarium 118. & 119. 539
August. variæ sententiæ ex variis locis desumptæ de gratia Dei 662. contra Iul. lib. 2. 665. In Ench. ad Laur. 670. de doctrina Christ. lib. 1. cap. 30. 699. lib. 2. de bap. paruulorum. contra Donatist. cap. 6. 700. de correct. & gratia. 703. Epist. 89. 703. & alibi ibid. homil. 52. in Ioh. 715. tractatu in Iohan. 110. 745. lib. de ciuitate Dei 10. cap. 27. 771. ad Pelag. lib. 4. cap. 3. 778. ad Bonif. lib. 3. cap. 5. 778. in Psalm. 137. 786. lib. de libero arbitrio 795. in Ioh. tract. 46. 820
Aug. de quæst. veteris & noui Testamenti 142
Aug. de ciuitate Dei 54
Aug. 19 31. in Enchir.
Aug. in Enchiridio 47
Aug. de Trin. li. 13. 99
Aug. Epist. fundamenti 376
Aug. lib. de natura & gratia cap. 3. 642
Aug. lib. de spiritu & litera 647
Aug. contra Epist. Paphnutij 352
Aug. contra Felicianum Arianum tom. 6. cap. 10. 143
Aug. in Ioh. cap. 17. tract. 105. 173
idem tract. 105 173

B.

Bazilius 24 25
Bazilius in sermone de natiuitate Domini 111
Bazilius in moralibus 374. confessione de vera fide ibid. Epist. 80. ad Eustatium 365
Bazilius in serm. de natiuitate Christi 143
Bazilius serm. de natiuitate Christi 237. lib. 2. contra Eunomium ibid.
Bernard in Cant. Cant. serm. 61. 774. in dedic. templi 777
Bernardus serm. 74. in Cant. Cantic. 269

C.

Canon Constantinopolitanus 380
Cassianus de incarnatione 116
Cassiodorus in Psal. 2. 294
Cassiod. in Psal. 33. 268
Chrysostomus in 3. cap Ioh. in Epist ad Heb. c. 2. in 1. Cor. ca 15. in Eph. cap. 1. 248. Epistola ad Cæsarium Monachum ibid. Com. in 1. ad Cor. 15. 249. Heb. 1. 250
Chrysostomus tom. 2. in Matth. hom. 1. & multis alijs locis pag. 375
Chrysost. tomo 4 hom. 3. in 2. ad Thes. 410
Chrysost hom. 1. in aduentu 647
Chrysost. hom. de perfectione Euangelica 648
Clemens Alexandrinus Str. lib. 6. 915
Clemens Alexandrinus Str. lib. 7. 252
Concilium Carthaginense 327
Conc. Chalcedonense 156
Conc. Nicænum 1. 921
Concilium Laodicenum Can. 59. 326. 327
Cyprianus de idolorum vanitate 100
Cyprianus de resurrectione 181
Cypr. in symb. expositione 230. de idolorum vanitate ibid. sermone de ascen. 231
Cyprianus 316
Cypr. serm. de baptisma 572
Cypr. lib. 1. Epist. 8. 374
Cypr. serm. de lapsis 341
Cyrillus in Iohan. 82. item in Anathematismis 83
Cyrillus in Ioh. 250. ibidem eiusdem varij loci citantur. & 251. 252. vsque ad col. 262
Cyrillus in Ioh. li. 9. c. 41. 179. 180
Cyrillus in Ioh. li. 12. 380
Cyrillus in Ioh. to c. 13. 568
Cyrillus ex Thesauro. ser. 32. 230
Cyrillus ex Thesauri li. 9. c. 3. 143
Cyr. in expos. li. 3. c. 1. 221
Cyrillus de incarnatione 62. 65. contra Nestorium 65
Cyrillus ad Theodosium 90

D.

Damascenus 31
Damascenus 40
Damas. li. 1. c. 1. 623. li. 2. c. 110. 640
Damasc. li. 3. c. 7. 144 idem li. 3. cap. 15. 146. li. 3. c. 5. 147
Damasc. li. 3. c. 3. 105
idem 245
idem 127
Damasc. li. 3. c. 7.
Damasc. li. 3. c. 8. 90
Dam. li. 3. c. 17. 183. c. 31. 194
idem 161. 165. 166
Damasc. li. 3. c. 14. 93
Damasc. lib. 3. 48. 49. lib. 1. cap. 4. 52
lib. 3. 54
Damasc. lib. 3. & 4. orthodoxæ fidei 113
Damasc. li. 3. 45
Damasc. ex lib. 30. c. 3. orthodoxæ fidei 269. & alij eiusdem autoris loci, vsque ad col. 276. li. 4. c. 19. 278
Damasceni loci plures 287
Didymus Alexandrinus de Sp. S. li. 1. c. 21. 295
Dionysius in Epistola ad Gaium 159.
idem li. 3. c. 19. ibid.

E.

Emissenus homil. de incarnat. 143
Epiphanius Tom. 1. contra Herodianos 293. 240. contra Ariomanitas 240. contra Dimæritas 241. in Ancorato 143
Epiphanius tom. 1. li. 1. 316
Epiphanius contra Antidicomarianitas 384
Epiphanius lib. de mensuris 401
Eucherius li. 1. in Genesin 647
Eusebius de demonst. Euangelica 181
Eusebius de demonst. Euang. 227. Ie. lib. eodem. cap. 14. 224. lib. 3. c. 14. 232
Eusebius de præparatione Euang. c. 1. & 3. 354. li. 5. c. 10. 355
Eusebius Cæsar. Ecclesi. hist. lib. 3 cap. 10. 326
Euseb. li. 6. c. 8. 427
Eusebius hist. Ecclesi. li. 3. c. 25. 328
Eustathius apud Theodoretum 293
Eustathius contra Arrianos 229

F.

Fulgentius li. 3. 120
Fulgentius ad Thrasim. 116
Fulgentius ad Thrasim. Regem 290. 291. 292
Flauianus Leo 56
Flauianus patriarcha 295

G.

Gregorius Nazianzenus sermo. in Theophania 138. item sermone 2. de filio ibidem. Epist. 1. ad Cledonium ibidem, oratione in Pascha ibid.
Gelasius Papa 440
Gregorius primus ex interp. in 1. Reg. c. 11. 269
Gregorius li 5. 583
Gregorius in Iobum 74
Gregorius Nazianz. 293
Greg. Nyssenus lib. de anima 237
Greg. Nyssenus 293

H.

Hieronymus in Esaiam 410
Hieronymus com. ad Phil. cap. 2. 245
in cap. 1. Eph. ibidem. epist. ad Pamm. ibid. Com. in Ierem. cap. 17. 245
Hieronymi prologus Galeatus 326

Hie-

Hieronymus tomo 6.in Iohel.capite 2. 571
Hieronymus.tom.9.ad Paulũ 397.ibid. alij eiusdem loci.
Chrysost.tom.1.in Gen.homil. 35.397
Hieronymus multis locis 375
Hieronymus in Epist. aduersus Ruffinũ 401
Hier.in Epist.ad Galat. 328
Hieronymus ad Damasium 294
Hilarius lib.3.de Trin. 231.233.libr.9.ad calcem.234.lib.11.236
Hilarius pag. 178.181
Hilarius in Prologo in Psal. 440
Hilarius de Trinitate 748
Hilarius de Synodis 918
Hippolytus martyr 230
Ignatius Apostolorum discipulus Epist. ad Smyrnæos 292
Ignatius in Epistola ad Tarsenses 907
Ignatius Epist.2.ad Tralli. 100
Innocentius Papa ad Exuperium 327
Iosephus lib.3.cap.2. 401
Irenæus Polycarpi discipulus lib.3. contra Valentinum 328
Irenæus libr.3.cap.1.375.& libr.1.cap.46. ibid.lib.9. 374
Irenæus lib.3 cap.1. 374.386
Irenæus lib 4.cap.5. 911
Irenæus.34.lib 9.cap.37. 50
Irenæus martyr.Epistol.Lug.libr.contra Val. 292
Iustinus lib.1.de expositione fidei 127
Iustinus libro de expositione sanctæ fidei 205.212
Iustinus Martyr in Apologia 351
Iustinus Martyr in λόγῳ παραινετικῷ 354
Iustinus Martyr 374
Iustinus in Colloquio cum Triphone 910
Iustinus Episcopus in Cant.cant. 295
Lactantius lib.1.cap.9.916. & lib.4.cap. 14. 917
Leo I.Episc.Romanus Epistol.10.cap.3. 265.266.Idẽ ex sermone VIII. de quadragesima.287.& alibi.
Leo primus 19.34.41.43
Leo ac Flauianus Epist.10. 500
Leo Epist.11. 203.206
Maxentius in libello fidei cap.10. 116
Maxentius lib.2.cap.2. 135
Maxentius contra Nestorianum libr.2. dial. 125
Maxentius dial.2.contra Nest. 199
Meliton.Sardensis Episcopus 439
Nazianzenus 32
Nicephorus lib.1.cap.36.268.hist.lib.18. 269
Nicephorus lib.8.cap.23.
Nicephorus lib.8.cap.51. 429
Nicetas 795
Origenes tom.1.Homil.1.in Ierem.374. eiusdem varij loci ibid.
Origenes περὶ ἀρχῶν 646
Origenes in Ieremiam 341
Origenes in Exodum 397
Origenes lib.περὶ ἀρχῶν 214.216.222
Origenes in Ioh.cap.1. 914
Oecumenius in cap.4.Ephes. 111
Paulus Euissenus 261
Primasius Augustini discipulus 265
Sedulius in Epist.ad Eph.cap.1. 268
Seuerianus 268
Seuerianus de Natiuitate Christi 292
Sexta Synodus act. 17.157
Socrates ibid.3.cap.25. 930
Socrates lib 5.cap.10. 926
Sophronius Episcopus Hierosolymitanus 211
Sozom.lib.2.cap.27. 428
Sozomen.lib 3.cap.5. 889
Sozomenus lib.7.cap.22. 921
Tertullianus contra Praxeam. 384.987. 914
Tertul.lib.de præscriptionibus 386.394. 374
Tertullianus in Apologetico 354
Tertullianus lib.de præscr. 379
Tertullianus lib.de Trinitate 214
de Carne Christi ibid.
Tertullianus de baptismo 572
Tertullianus lib.de pudicitia 328
Theodoretus dial.2. 236
Theodoretus dial.2. 262
com.in ps.21.264.dial.3. ibid.
Theodoretus dial.2. 947
Theodoret.dial.3. 229
Tripart.hist.lib.9.cap.19. 433
Vigilius Martyr. 36
Vigilius Tridentinæ Ecclesiæ Episcopus lib.5.contra Eutychen. 268
Vigilius lib.4.cap.9.285.& 286.& libr.2. cap.2. ibid.
Vigilius libro 5.cap.8.584. Item libro 4. cap.4. 588

Neoterici Theologi.

Beza 20.28
Beza in Titum cap.2.v.15. 898
Bonauentura lib.3.Sent. 295
Brentius 23
Bucerus in Matth. 571
Bullingerus 23
Caluinus 23
Caluinus & Beza minimè inter se dissidentes 899
Caluinus in Epist.ad Philip.cap.2. 899. Inst.lib.2.cap.13.sect.2. ibid.
Camerarius 25
Danæus 20
Danæus contra Kemnitium 268
Epitome Conciliorum 210
Erasmus 21
Erasmus in Aduentibus 328
Flaccius Illyricus in claue Scripturæ 895
Franciscus Vatablus 419
Kemnitius loco de duabus naturis. 113. 528.196.201
Matthæus Bernardus 72
Musculus 24
Musculus in Matthæum 571
Ph.Melanchthon 56

Scholastici Theologi.

Alexander Episcopus Romanus in decretalibus libro 5.Tit.de hæret.cap.7. 103
Alphonsus de Castro contra Hæreses lib.1.cap.8. 391
Ambrosius Catharinus 69
Areta in Apocal cap.5. 249
Autor expositionis in Symb. 326
Iohannes Gerson. 341
Lombardus 2.sent dist.24.25. 646
Lombard.in 3.sent. 46
Lombardus lib.3. 48
Lomb.lib.3.sent.dist.3. 295
Lomb.lib.3.dist.4. 140
Lomb.sent.lib.3.dist.6. 7
Marianus Scotus 72
Prosper in sent. 147.185
Richardus de S.Victore 56
Ruffinus lib 1.29.cap. 889
Scotus in 3.sent.d 6.q.2. 88
Thomas Aq.contra Gẽtiles lib.3.cap.57. 85
Thomas Aq.contra Gent. lib.4.cap.36. 156
Thomas contra Gentiles libr.4. cap.36. 96
Thom.Aq.contra Gentiles lib.4.cap.38. 99.& lib.4.cap.37.99.
Thomas in summa 295
Thomas Aq.3.p.q.2.art.4. 88
Thomas Aq.3.p.q.13. 141
Thomas Aq.3.par. quæst.2. 118. contra Gent.lib.4.cap.5. 118
Thomas 3.p.q.9.art.2. 133
Thomas Aq.3.p.q.19.art.1. 156

Autores seculares.

Aristoteles Ethic.lib.6.cap.2. 645
Arist.Ethic.7.cap.3. 654
Boetius lib.de duabus naturis 100
Cicero pro lege Manilia 329
Plato in Phœdro 644
Themistius de anima cap. 46. 653

V. INDEX QVÆSTIONES QVASDAM ILLVST. continens in hoc octauo tomo operum D.Zanchij accuratè illustratas.

Ex libro primo de Incarnatione Filij Dei.

Affectus quomodo fuerit in Christo antequam esset homo col.17.
Forma Dei,& forma hominis in Christo,an distinctæ,mixtæ,aut confusæ col.24.

EX LIBRO II.

Quis formam serui assumpsit 44. quare 46. An tres personæ triados sumpserint naturam humanam,an quædam ex illis 45
Cur solus Spir.S.nominetur in Christo creando, quum eum tota trinitas fecerit 47
Cur in Triade Sancta vna persona sit incarnata,aliæ non sint 48
Quidnam λόγος sumpserit,seu quidnam sit illa μορφὴ δούλου quam Apostolus ait sumptam fuisse ab eo qui erat in forma Dei 49
Qualemnam sumpserit naturam filius Dei 65
Ex qua & quali matre sumpserit naturam humanam filius Dei 67
Ex qua qualive materia formatus Christus 70
De tempore quo Filius Dei hanc sumpsit naturam 71
Christus cur non natus statim post peccatum 72
Cur non sub finem mundi 73
De ordine quo sibi assumpsit atque vniuit naturam nostram filius Dei 74
De perfectione animati corporis Christi quum assumeretur 76
De modo quo λόγος existens in forma Dei sumpsit & vniuit sibi formam serui: vel. Quis sit iste modus quo duæ in Christo naturæ vnitæ sunt 78
De vnione hypostatica duarũ in Christo naturarum 119
Quænam vnionem hypostaticam consecuta sint in Christo 123
Si omnia dona habuit perfecta Christus ex vnione hypostatica,quomodo profecit 131
An anima Christi habuerit spem, fidẽ,& charitatem 132
An anima Christi τὸν λόγον & Deum comprehenderit,atque comprehendat,hoc est,an totum Deum eiusque immensitatem, perfecta intelligentia complectatur 134
An anima Christi vidẽdo totum Deũ, omnia in Deo videat atque cognoscat 174

An anima Chriſti videndo verbum ſeu diuinam eſſentiam per hoc creatum lumen æqualem cum verbi ſapientia habeat rerum ſcientiam & cognitionem nec-ne. 135
An anima Chriſti fuerit prçſtantior cognitione & ſcientia Angelorum 137
An Chriſtus omnia & plenè & perfectè nouerit 139
De reali proprietatum diuinæ in Chriſto naturæ, in humanam eiuſdem naturam communicatione 165

Ex Tractatu de Sacra Scriptura.

De libris Canonicis & Apocryphis, déque Bibliorum partitione 324. in hác quæſtionem propoſitiones ſiue theſes octo ibidem.
De mediis quibus adduci poſſint homines vt Canonicos libros verè credant, & agnoſcant eſſe θεοπνεύστους ; & ideo eos, tanquam verum certúmque Dei verbum recipiant, & amplectantur. in hanc propoſitiones ſeu theſes aliquot 330
De autoritate ſcripturæ Eccleſiæ : & an Eccleſia ius habeat in ſcripturas 339
Vtrum autoritas ſcripturæ pendeat ab autoritate Eccleſiæ : ac proinde an maior ſit autoritas Eccleſiæ autoritate ſcripturæ: necne, an potius contra 346
De iis quibus γραφαὶ θεόπνευστοι fuit inſpirata 353
De origine & progreſſu verbi Dei in Eccleſia 356
De cauſis an primùm voce tantùm, deinde ſcripto, verbum ſuum Deus voluerit in Eccleſia propagari & conſeruari 360
De fine propter quem datæ ſunt ſcripturæ ſanctæ, adeóque de illarum vtilitate 364
De perfectione ſcripturæ. Id eſt an omnia quæ ad ſalutem noſtram neceſſaria ſunt, in ſacris literis abundè & perſpicuè contineantur nec-ne 368 369. &c.
Quænam erat veritas quam Patres dicebant inquirendam apud Eccleſias Apoſtolicas, & cumprimis Romanam 393
De legendis cuique homini ſcripturis ſacris. Id eſt an officium ſit cuiuſque Chriſtiani, imo cuiuſuis hominis operam dare ſacris literis, non ſolùm audiendis cùm in templo explicantur & in ſchola, ſed etiam domi legendis & ſcrutandis nec-ne 395. &c.
An bonum ſit vt Biblia in linguam cuiuſuis Gentis propriam vertantur, nec ne 404
De perſpicuitate ſacrarum literarum ad intelligendum. Id eſt an ſcriptura ita ſit obſcura vt non poſſit ab omnibus fidelibus intelligi, an verò ita ſit ſuapte natura perſpicua, vt à ſingulis fidelibus vera illius intelligentia percipi queat 408
De regulis intelligendi ſacras literas, inque illis proficiendi. Referuntur autem iſtæ ad duo capita. 1. de cauſis ſcripturarum in primo genere. 2. de iis quæ in ipſa lectione ſeruanda ſunt pag. 415. 416. 417. 418.

Ex Compendio præcipuorum capitum doctrinæ Chriſtianæ ſelectæ quæſtiones.

1. An Deus ſit. 613
2. Vtrum ſcripturæ ſacræ ab Eccleſia an potius à Sp. Sancto ſuam apud fideles habeant autoritatem 633
3 Vtrum homo cooperetur ſecundæ gratiæ an ſola gratia operetur in homine & quomodo 662
4. An aliquid in malis operibus Deo ſit tribuendum in quibus nonnulla eius actio intercedit 666
5. Quomodo Deus aliquem excæcare aut obdurare dicatur 667
6. Vtrum in actionibus indifferentibus & externis, omnino & verè liberum ſit hominis arbitrium 668
7. Vtrum Deus propter peccata parentum puniat filios, & nepotes, quomodo id ſit intelligendum ſi punit 683
8 Vtrum liceat vllo modo iurare. 686
9. Vtrum lex ſit impoſſibilis ſeruatu 701
10. Cur neceſſe fuerit vt Deus fieret homo 741
11. Vtrum pœnitentia præcedat fidem, an fides pœnitentiam 760
12. Cur ſancti veteris teſtamenti maioris æſtimarint vitam præſentem quam Sancti noui teſtamenti 803
13. Vtrum patres veteris teſtamenti prçditi fuerint Spiritu libertatis, an tantùm ſeruitutis 806

Ex Libro in Arianum quendam.

1. De Antichriſto vtrum Papa, vtrum Turca ſiue Mahomet 874. 875. vſque ad col. 881

Ex Reſp. ad Holderum.

An Chriſtus tum Stephano, tum Paulo vero ſuo corpore apparuerit 943

LAVS DEO.

FINIS.

HIERON. ZANCHII TRACTATVS DE DIVINATIONE ET VARIIS EIVS SPECIEBVS EX PRÆLECTIONIBVS IPSIVS.

In 6. verſ.cap.2. Iesaiæ deſumtus,

Vbi aſſignatur prima cauſſa reprobationis Iudæorum, quòd delectati fuerint hominibus Orientalibus, Chaldæis & auguribus, denique alienigenis.

INSECTATVR hoc loco Propheta Ieſaias ex ore Dei, omnes diuinos, Ariolos, Aruſpices, aſtrologos, augures, Genethliacos, Mathematicos, Planetarios, Pythones, denique omnes, qui artem futura & abdita diuinandi profitentur, ſicut Orientales ſolebant. Omnibus enim iis atque aliis multis nominibus fuerunt huiuſcemodi diuinatores, variis temporibus appellati: olim *Chaldæi & Orientales, & Genethliaci:* Auguſtini temporibus, *Mathematici & Planetarij:* nunc paſſim *Aſtrologi* vocantur & *Necromantici.* Videndum igitur.

An omnis futura & abdita diuinandi profeſſio, damnetur nec ne: & quatenus liceat Chriſtiano, & quatenus non?

Quæſtio hæc noua non eſt, ſed vſque ab antiquis agitata temporibus: detúrne aliqua inter homines diuinatio, quam Græci μαντικὴν appellant, id eſt, præſenſionem & ſcientiam rerum futurarum: Et, ſi detur, ſitne licita populo Dei hæc diuinatio, nec ne, ſeu probandáne ſit, an improbanda. Ac quidem (vt in genere loquar) vna ex parte multa habemus tum ſapientum virorum teſtimonia, tum rationes, quibus probatur, Diuinationem & inter homines dari: & neque Deo, neque ſapientibus hominibus improbari.

Cic. duos habet de Diuinatione libros: atque in primo Q. fratrem introducit, qui argumentis permultis probet eſſe Diuinationem, quæ in tot ferè ſpecies diuiditur, quot ſunt media, quibus fit diuinatio, atque ita incipit: *Vetus opinio eſt, iam vſque ab heroicis ducta temporibus, eaque & populi Romani & omnium Gentium firmata conſenſu, verſari quandam inter homines diuinationem. quam Græci μαντικὴν appellant. id eſt, præſenſionem & ſcientiam rerum futurarum.* Deinde, quam ſit non ſolum non vituperanda, ſed laudanda potiùs, docet, ſtatim ſubdens: *Magnifica quædam res, & ſalutaris (ſi modò eſt vlla) quaque proximè ad Deorum vim, natura mortalis poſſit accedere.* Id verò omnium fermè Gentium & nationum, Aſſyriorum, Chaldæorum, Ægyptiorum, Cilicum, Piſidarum, Græcorum, Hetruſcorum, Romanorum, aliarumque Gentium exemplis & teſtimoniis comprobat.

Præterea, videmus Philoſophos multa veriſſima de futuris præſentire, vt de Lunæ Eclipſi, de futura pluuia, deque aliis id genus futuris rebus cognoſcere. Quanta nautæ, ex ventis, ex motu Maris, ex viſis piſcibus, &c. Quanta vel ipſæ mulierculæ ex gallorum cantu, ex muſcarum motibus, ex multis aliis coniecturis præſentiunt? Quanta & quam vera Medici, ex qualitate ſomniorum, de qualitatibus morborum cognoſcunt, quin & de ægrotantium vel ſalute, vel interitu diuinant, & verè quidem diuinant? Nemo eſt autem, qui huiuſcemodi præſenſionem ac diuinationem aut damnari in ſcripturis dicat, aut Chriſtianis prohiberi (ſi tamen ſub diuinationis ac non potius Philoſophiæ nomine contineri debeat hæc cæca ſcientia.)

Nec deſunt aut deſuerunt vnquam viri pij & docti, qui aſtrologiam, qui Mathematicam, qui phyſiognomiam, & alias huiuſcemodi artes, etſi partim vituperarint, partim tamen etiam commendarint. Quid? Dominus Ieſus Matth. 16. an non probat aliqua ex parte artem, qua ex cœlis futura aliqua diuinamus, vel diiudicamus? cùm ait, *Veſperi dicitis, ſerenum erit, rubicundum enim eſt cœlum: Manè verò tempeſtas erit, rutilat enim triſte cœlum: Faciem ergo cœli diiudicare noſtis: ſigna autem temporum non poteſtis?*

Contrà verò altera ex parte video in genere, diuinationem omnem tum in S. literis damnari, tum etiam à doctiſſimis Philoſophis, & à ſanctiſſimis Patribus improbari: tum ſapientiſſimorum Imperatorum legibus prohiberi: tum firmiſſimis rationibus, ceu falſam, inanémque refutari.

Ac primum quidem (vt à Philoſophis ordiar) M.T.C. cum in priore libro, Q. fratrem laudantem ac defendentem diuinationem introduxiſſet: ipſe deinde in altero libro, tũ eam in genere, tum ſingulas eius ſpecies, Aruſpicinam, Auſpicia, Auguria, ſortes, aſtrologiam, inſomnia, & alias omnes, permultis fortiſſimiſque rationibus confutat atque improbat, ita vt tandem omnes Diuinationis ſpecies, vtpote omnis ſuperſtitionis radices, & quæ veram religionẽ corrumpant, & homines quieta mente nunquam conſiſtere ſinant, prorſus exſtirpandas eſſe concludat. Innumeros verò antea Philoſophos, quorum alij omnem penitus diuinationem, alij aliquot illius ſpecies damnant, commemorauerat.

Pythagoras, Aſtronomiam prorſus reiiciendam, neque vllam ei fidem adhibendam cenſuit: Autores ſunt Diogenes Laërtius in Pythagora, Plutarchus & Theodoretus in 1. contra Aſtronom.

Democritus Aſtrologiam vituperauit, & dicere ſolitus erat: *Quod eſt ante pedes, nemo ſpectat: cœli ſcrutantur plagas:* autor eſt Cic. 2. de Diuin.

Cato deriſit omnes aruſpices, & mirari ſe aiebat, *quòd non videret aruſpex, aruſpicem cùm vidiſſet: quota enim quæque res euenit, prædicta ab iis?* Cic. 2. de Diuinat.

Panætius Stoicus, contra aliorum Stoicorum ſententiam, Aſtrologis nullam fidem adhibendam eſſe docuit Cic. 2. de Diuinat.

Eudoxus Platonis auditor, in Aſtrologia, iudicio doctiſſimorum hominum, facilè princeps, ſic opinatus eſt, Chaldæis in prædictione, & in notatione cuiuſque vitæ ex natali die, minimè eſſe credendum. Cic. de Diuinat. lib. 2.

Archelaus & Caſſander, ſummi Aſtrologi, hoc prædictionis genere vſi non ſunt.

Scylax Halycarnaſſeus, excellens in Aſtrologia, totum hoc Chaldaicum prædicendi genus repudiauit.

Diogenes Stoicus, concessit aliquid Chaldeis, vt prædicerent, duntaxat, quali quisque natura, & ad quam quisque maximè rem aptus futurus sit. Cætera quæ profitentur, negat vllo modo sciri posse. Cic. de diuinat. lib. 2.

Seneca eam quoque deridet.

Carneades contra eam disputat.

Epicurus non potuit Astrologiæ assentiri.

Plato & Aristoteles, indignam hanc artem putarunt, cuius aliquam mentionem facerent in suis voluminibus.

Plotinus [vt scribit Porphyrius, & refert Picus] cùm diligentem Astrologiæ operam dedisset, comperissetque tandem artis vanitatem, & falsitatem prædictionum, omnem Astrologis fidem abrogauit, & libro edito, cui titulus De stellarum efficientia, dogmata astrologorum risit & confutauit.

Auerroes Arabs, magnus Philosophus, astrologiam semper insectatur & damnat, vt patet in lib. Metaph. Item contra Algazelem: item exponens cantica Auicennæ, ait falsa dogmata astrologorum omnia, & artem ipsam in vniuersum vanam.

Mars. Ficinus, vir doctissimus, aduersus Astrologos scripsit. Ita Ioh. Pic Mirand.

Nicol. Leouicenus in Mathemat. doctissimus, ita vanam hanc prophetantem astrologiam iudicat, vt neque illos, qui de ea scripserunt, fidem putet adhibuisse iis, quæ scripserunt. Cur igitur scripserunt interrogatus, respondebat, *partim auaritiâ partim imperitia principum.*

Legibus quoque Imperatorum damnata fuit tota hæc ars. Iustinianus Mathematicam artem [artem scilicet iudiciariam] interdixit ceu abominabilem, mandans ne quis Mathematicum consulat, idque sub pœna capitis.

Ante Iustinianum, sæpe etiam expulsi Româ fuerunt Mathematici huiuscemodi, vt testatur ipse etiam August. Tom. 4. In quæst. ex vtroque Testamento mixtim, quæst. 15. col. 844. litera C.

Patres quoque hanc diuinandi artem, siue Astrologiã, siue Mathematicam, siue Aruspicinam voces, vbique damnarunt, & ceu pestem religionis Christianæ, ab Ecclesiis explodi curarunt, falsam esse & Diabolicam artem demonstrantes. Citabo aliquot loca.

Tertullianus in Apologet. cap. 23. hanc Magicam artem, assistente Dæmonum potestate fieri docet.

Basilius in Hexamero, homil. 6. Prognostica quidem temporum, & significationes tempestatum, astris cõcedit: Genethliacos tamen, ceu qui septa transiliunt, grauiter confutat, quippe qui vanissimam vanitatem sectantur.

Gregorius Nazianzenus scribit hos planetarios & augures, dum ex conspectu cœli, futura iudicare volunt, perinde facere, atque si quis ex conspectu alicuius Principis palatio, aut solio, conetur occultas eius cogitationes, & animi consilia diuinare & explicare.

Philastrius Episcopus Brix. in lib. de hæresibus, hanc Astrologiam inter hæreses reponit, dicendo: p. 1:5 *Alia est heresis, quæ dicit, secundùm 12. signa Zodiaci, nasci homines sicut Mathematici illi vanissimi totiusque erroris & sceleris assertores, &c.*

Epiphanius Episcopus Constantiæ Cypri. Tom. 1. in suo Panario, lib. 1. p. 9. editionis Heruag. Grecè, artem hanc malam doctrinam appellat, dicendo: *Inuentum fuisse Zoroastrem authorem* [vt quidam dicunt] κακῆς διδαχῆς ἀστρολογίας καὶ μαγείας Item, eod. lib. 1. hæres. 16. contra Pharisæos, pag. 20. tradit: & Fatum, & Astronomiam apud Pharisæos, valde in vsu fuisse: ideoque statim Græca nomina, ex erronea Astronomia in Hebraica lingua, aliјs apud se nominibus transnominata fuisse, ὥσπερ ἤλιος ... ἐκλαβεῖν, &c. ... Ibi quoque eam damnat Epiphanius.

Ambrosius T. 1. f. 20. c. Officiorum lib. 1. cap. 26.

Item Tom. 4. Hexam. lib. 4. cap. 4. declarans, quomodo luminaria facta sint in signa & tempora, inuehitur doctissimè contra Astrologos qui ea signa, signa esse volunt natiuitatis cuiusque, indeque diuinant, qualis futurus sit vnusquisque, qui sub tali signo natus est. Legatur caput illud. Ibidem etiam habet hæc verba, loquens de sapientia Astrologorum & Chaldæorum: *Sed hæc eorum sapientia, telæ araneæ comparatur, in qua si culex, aut musca inciderit, exuere se non potest: si verò validiorum animantium vllum genus incurrisse visum est, pertransiuit, & casses rupit, infirmos atque inanes laqueos dissipauit. Talia sunt retia Chaldæorum, vt in iis infirmi hæreant, validiores sensu, offensionem habere non possint.*

Origenes in lib. περὶ ἀρχῶν 3. cap. 3. de triplici sapientia, hos Magos & Diuinos, Dæmonibus deuotos & consecratos esse asserit, sentitque, *quòd quemadmodum qui sese Deo vouent cum omni affectu & puritate, & alienos se ab omni Dæmonum contagione conseruant, & sese per abstinentiam purificant, & pijs sacræ religionis disciplinis imbuti fuerunt, diuinitatis participes fiunt & gratiâ prophetiæ donantur: ita qui vita, studio & amicitia sese Dæmonibus vouent, eorum sapientiæ virtutisque participes fiunt* Item Tom. 1. in Numer. cap. 22. homil. 13. damnat hos Astrologos & Diuinatores omnes, & dicit, *diuinationem, operâ & ministerio Dæmonum adimpleri.*

Chrysost. Tom. 4. in Epist. ad Tim. 2. cap. 3 hom. 8. exponens verba illa, *sacras literas didicisti quæ possunt te instituere ad salutem*, &c. damnat hanc diuinandi artem, & dicit, *quid si eueniant, quæ prædicunt? Ideo* [inquit] *eueniunt quia tu credis, si tamen eueniunt. Captiuum te ille* [scilicet Satan, per Magum & Diuinum] *accipit: vita tua Dominus est, ipse dispensat vt vult. Præterea vbi consueuerit homo iis fidem adhibere, multum ipsis seductoribus confert. Nemo, cùm fallant, attendit: sed solùm si quid verè prædixerint, aspicit*, &c. Idem Tom. 2 in Matth. cap. 2. hom. 2. explicans verba illa. *Vidimus enim stellã eius*, &c. docet, quàm vana, quàm falsa, quam Diabolica sit hæc ars, per astra de cuiusque natiuitate, & qualitatibus iudicandi. *Si enim stella est, quòd mali sumus, iniqua est illa stella, iniquior est Deus* [inquit] *qui illam stellam ad hoc creauit*, &c. concludit, *nec vitia nec virtutes, stellis esse adscribendas: sed vitia nobis, virtutes gratia Dei.*

Quin idem Tom. 1. in Genes. cap. 1. hom. 5. explicans verba illa. *Germinet terra herbam virentem*, &c. *Et protulit terra herbam*, &c. docet, magnam esse iniquitatem, si frugum terræ prouentum, aut laboribus nostris, aut astris cœli adscribamus: Deumque illum esse, qui etiamnum suâ occultâ virtute, subtus terram operans, fructus emittit è terra: *Quis non obstupesceret* [inquit] *ac admiraretur cogitans, quomodo verbum Domini, quod dicit, Germinet terra herbam fœni, in ipsum vterum terræ descendat, & quasi admirabili quodam peplo terræ faciem, variis floribus adornet?*

Hieronymus Tom. 5. 174 in Iesaiam, cap. 13. explicans verba illa. contra Babylonem, *sta cum incantatoribus tuis*, &c. Astrologos & Mathematicos, pestilentiores esse ostẽdit ipso incendio Babylonis: atque ibi egregiè deridet Astrologos, & diuinatores omnes.

Item Tom. 5. 288. Item Tom. 1. de Ecclesiast. scri pt. scribit, Minutium Felicem, Romæ causidicum insignem, aduersus Mathematicos libellum edidisse, eumque libellum probat Hieronymus.

Item, alibi dicit, ex opprobriis Ægypti, id est, reliquiis idololatriæ esse, requirere stellarum cursus, & futurorum ex eis euenta rimari.

Gregorius Papa, Tom. 2. in Euang. Matth. de Epiphania hom. 10. explicans verba illa; *Vidimus enim stellam eius in Oriente*, &c. Mathematicorum sententiam de stellarum inclinationibus confutat, docétque, vitam humanam, neque à Fato, neque à stellis administrari, sed à solo Deo: quoniam non homo propter stellas, sed stellæ propter hominem factæ sunt.

Idem Tom. 1. in Iob. cap. 40. lib. 33. cap. 9. col. 1138. damnat Mathematicorum doctrinam, superstitionem appellans, *quam* [inquit] *apertè geminorum natiuitas dissipat, qui cùm vno eodemque momento hora prodeant, non tu vna conuersionis qualitate perdurant. Vbi ergo* [ait] *Mathematicorum superstitio, qui dum signorum cursus suspiciunt, vitas hominum in syderum momenta suspendunt?*

Augustinus verò infinitis propè in locis, hanc diuinatricem artem insectatur atque confutat, sed præsertim in iis locis, Tom. 1 Confess lib. 4 cap. 3. confitetur, se Planetarios, quos Mathematicos vocant consulere non destitisse, quos nunc iure damnat: Et illos, qui dicunt, De cœlo tibi est ineuitabilis caussa peccandi, & Venus hoc fecit, aut Saturnus, aut Mars, nil aliud efficere, nisi vt caro & sanguis sit sine culpa: culpetur autem cœli & syderum creator & ordinator.

Item lib. 7. Confess. cap. 6. quàm vanæ sint Mathematicorum diuinationes, apertissimè demonstrat exemplo duorum, qui simul eodem tempore nati sunt, vnius ex ancilla cuiusdam acutissimi Astrologi, alterius ex vxore, cuiusdam alius Astrologi, & tamen fuit diuersa vtriusque conditio & vita.

At aliquando vera dicunt.

Respondet Aug. locis supra citatis, non arte, sed forte vera dicunt.

Tom. 2. epist. 119. ad Ianuarium, cap. 7. dogmata Mathematicorum, *deliramenta* appellat, prorsus irridenda.

Tom. 3. de Genesi ad literam, lib. 2. c. 17. egregiè Mathematicos confutat, qui vel animas nostras vel etiã corpora subiiciunt

subiiciunt cœlestibus corporibus, ita vt quæ iisdem constellationibus nascuntur, eisdem etiam affectibus afficiantur: *sed quòd anima nostra* [inquit] *naturâ corporibus, nec cœlestibus subdita, audiant & Philosophos suos,* &c.

Deinde, idem negat de corporibus nostris, eo modo, quo Mathematici volunt, manifestè docet, tum exemplo geminorum, tum etiam granorum multorum diuersorum generum. *Multa corpora* [inquit] *diuersorum generum vel animantium, vel herbarum, & arbustorum, vno simul puncto temporis seminantur, vnoque simul puncto temporis multa nascuntur: tamen non diuersis sed iisdem etiam terrarum locis, tantæ sunt varietates in progressibus, in actibus & passionibus eorum, vt verè isti* [*sicut dicitur*] *perdant sydera si ista considerent.*

At dicent, *constellationes stellarum, ad herbas & alia animalia non valent, sed ad hominem tantùm.*

Respondet August. quid liberius & insulsius, quàm cum istis rebus conuincuntur, dicere, ad solos homines sibi subiiciendos, fatalem stellarum pertinere rationem?

At sæpe vera dicunt Astrologi.

Respondet August. ibi. *Ideoque fatendum est, quando ab istis vera dicuntur, instinctu quodam occultissimo dici, quem nescientes humanæ mentes patiuntur. Quod cùm ad decipiendos homines fit, spirituum seductorum operatio est, quibus quædam vera de temporalibus rebus nosse permittitur: partim quia subtilioris corporis sensus acumine; partim quia subtilioribus corporibus vigent; partim experientiâ callidiore, propter magnam longitudinem, vitæ partim à sanctis Angelis, quòd ipsi ab omnipotente Deo discunt, etiam iussu eius sibi reuelantibus, qui merita humana occultissima iustitię sinceritate distribuit. Aliquando autem iidem nefandi spiritus etiam quæ ipsi facturi sunt, velut diuinando prædicunt. Quare concludit Augustinus, Mathematicos etiamsi vera sæpe dicunt, Christiano esse cauendos, ne consortio dæmoniorum, animam acceptam, pacto quodam societatis irretiant.*

Tom.3. de doctrina Christiana, lib.2. cap.20.21.22. egregiè etiam deridet huiuscemodi Mathematicorum superstitiones, & lepidum Catonis dictum refert.

Item cap.23. docet, nullam est Mathematicis fidem adhibendam, vbi inter alia dicit: *fieri vt occulto quodam iudicio diuino, cupidi malarum rerum homines tradantur illudendi & decipiendi pro meritis voluptatum suarum, illudentibus eos atque decipientibus præuaricatoribus Angelis. quibus ista pars Mundi infima, secundum pulcherrimum ordinem rerum, diuinæ prouidentiæ lege subiecta est.*

Item cap 24. docet, maximam inter Dæmones & Mathematicos esse societatem. Legatur caput illud. *Et ideo diuersis*, ait, *diuersa proueniunt secundum cogitationes & præsumtiones suas. Illi enim spiritus, qui decipere volunt, talia procurant cuique, qualibus eum irretitum per suspiciones & consensiones eius viderint:* idque aptissimo exemplo vel simili declarat.

Tom.4. in quæst. ex Veteri & Nouo Testam. mixtim, q 115. fusissimè & egregiè demonstratur, quàm perniciosa sit Christianis, artis Matheseos seu diuinationis obseruatio & cura, & quòd Diaboli sit inuentum.

Tom.5. de ciuitat Dei, lib.5. c.1 2.3.4.5.6. aduersus Mathematicorum diuinationem & artem egregiè & multis disputat, omnino eam falsam esse euincens & inanem.

Item, lib.7. c.37. aduersus sydromantiam & necromantiam scribit, arte dæmonum inuentam esse docens

Tom.6. de hæres. ad Quoduult Deum, num. hæreticorum 70. Priscillianistis hanc inter alias dat hæresim, quòd astruant, fatalibus stellis homines colligatos, ipsumque corpus nostrum secundùm 12. signa cœli esse compositũ: sicut hi, qui Mathematici vulgò dicuntur, constituentes in capite Arietem, Taurum in ceruice, Geminos in humeris, Cancrum in pectore, & inde cætera signa. *Hæc & alia fabulosa*, ait, *vana, sacrilega, quæ persequi longum est, hæresis ista contexit.*

Tom.8. in Psal.140. col.1620 explicans verba illa, *ad excusandas excusationes in peccatis, & non communicabo cum electis eorum*, &c. taxans Mathematicos, qui omnia à syderibus pendêre volunt, vitia & virtutes, ait: hos Mathematicos ista dicere: *Eris adulter, quia sic habes Venerem: eris homicida, quia sic habes Martem. Mars ergo* [inquit Augustinus] *homicida, non tu: & Venus adultera, non tu Vide, ne pro Marte, aut Venere, tu damneris. Deus enim, qui damnaturus est, nouit quia tu es, qui dicis, non ego, iudici scienti. Porrò, ipse Mathematicus qui tibi fabulas laqueorum tuorum etiam vendit, vt non vel gratuitam compares mortem* [*emis enim mortem à Mathematico, pretio, qui contemsisti vitam à Christo gratis*] *ipse ergo Mathematicus si vxorem suam paulò petulantiùs viderit conuersari in domo sua? Respondeat illi vxor, si potes, Venerem cade. Nónne & ille respondebit, Fatua, aliud est, quod compesit Rectori, aliud profertur emtori,* &c.

Item, in Psal.63. habetur talis historia. Producit Augustinus Mathematicum pœnitentem, qui professioni suæ renunciarat, non aliter, quàm si aut Iudæus, aut Ethnicus aliquis lauacrum regenerationis accepisset, vel hæreticus ad veram Ecclesiam rediisset.

Item Tom.9. in Iohan insaniæ nostræ nos admonet, qui ad Astrologos liberi intramus, vt exeamus serui, & mendaciis emtis, libertatem nostram illis erogamus.

Seuerianus libro, quem de septem artibus fecit, postquam de vera dixit Astronomia, subdit, dicendo: *Tum ea, quæ attinent ad præuidenda futura, ita deberent nesciri, vt nec scripta esse videantur. Sunt enim fidei nostræ sine dubio contraria.*

Concilium Carthaginense quartum, Can.89. auguriis vel incantationibus seruientem, a conuentu Ecclesię separandum conclusit.

Concilium Toletanum, hanc Mathematicorum & Augurum scientiam damnauit: & inquit, *si ipse Presbyter, aut Diaconus fuerit, in Monasteriis relegatur, sceleris ibi pœnas, perpetua illa detentione daturus.* Vide etiam Concilij Ancyrani canon.23 Item Concilij Elibertini can.62. Item Concilij Venetici can. 16.

Leuit. 19. *Ne declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid sciscitemini, vt in eis polluamini. Ego Dominus Deus vester.*

Leuit.20. *Anima quæ declinauerit ad Magos & Ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui.* Nota, quòd Dominus fornicationem appellat [nempe cum Satana coniunctionem] consulere Ariolos, & fidem illis præbere. Ratio, quoniam ars hæc, arte Dæmonis absoluitur.

Deut.18. *Cùm tu veneris in terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes illarũ Gentium, non inueniatur in te, qui traducat filium aut filiam suã per ignem: nec diuinus, qui diuinando futura prædicit: nec Mathematicus, qui obseruet somnia, aut Auguria; nec malefica, nec incantatrix, neque qui Pythones consulat, nec diuinos, & qui quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hęc abominatur Dominus: & propter huiuscemodi scelera delebit eos in introitu tuo. Gentes istæ, quarum possidebis terram, augures & diuinos audiunt: tu autem à Domino aliter es institutus. Prophetam de Gente tua, & de fratribus tuis, sicut me suscitabit Dominus, ipsum audies,* &c.

Hæc omnia in hunc finem retuli, locáque Patrum, vbi artem hanc diuinatricem damnant, citaui, vt intelligatur in genere, artem hanc Diabolicam esse, Deo inuisam, totius Christianæ religionis perniciem, & propter quam Dominus supra modum irascitur, destruit regna, euertit Ecclesias, perdit populos, ac denique in æternum mittit exitium. Fieri enim non potest, vt qui hac arte delectatur, nõ arctissimo vinculo cum satana sit colligatus, quoniam non perficitur nisi arte satanæ, vt Patres testantur. Ideo Deus vocat *fornicationem cum satana.*

Iam vt ad quæstionem reuertamur, ex iis, quæ hactenus diximus, vna ex parte, non videtur omnis futura diuinandi professio damnari: altera ex parte videtur prorsus damnari vt Diabolica: Quo pacto igitur hæc conciliabuntur?

Resp. Ad hanc quæstionem, vt bene intelligatur, primò, respondebo in genere, quoniam etiam in genere proponitur quæstio: deinde Diuinationis definitione allata, singulas eius species explicabo: atque de singulis quid sit sentiendum exponam.

Quoad primam responsionem, sic breuiter dico, quod sicut hoc nomen *Diuinatio* & μαντεία, non vno modo, sed πολλαχῶς vsurpatur: ita etiam non vna, sed multiplex responsio ad quæstionem adferri potest.

Diuinationis nomen, cognitionem aliquam & præsensionem significat, vt Cic. docet: sed qualem, & quarumnam rerum, videndum est, idque ex ipso Cicerone.

Ac primùm quidem, Cicerone ipso interprete, *Diuinatio* Latinè, & Græcè μαντική, præsensionem ac scientiam, seu cognitionem rerum futurarum significat. Sic enim ait lib. 1. de Diuinat. *Vetus opinio est iam vsque ab Heroicis ducta temporibus, eáque & populi Romani, & omnium Gentium firmata consensu, versari quandam inter homines diuinationem, quam Græci μαντικὴν appellant, id est, præsensionem & scientiam rerum futurarum.* Hæc Cic.

Si hoc pacto accipiamus in præsentia hoc nomen

Diuinationis: absolutè respondeo, non omnem diuinationem, neque in scripturis, neque à Philosophis, neque à Patribus damnari, neque vt vanam, aut falsam, neque vt perniciosam & Diabolicã. Quis enim nesciat, multarum rerum futurarum, tum diuinarum, tum naturalium, tum humanarum scientiam, & veram ac certam, & bonam ac Deo gratam, à nobis haberi posse? Multa futura agnoscunt Philosophi in natura: multa Christiani de rebus diuinis, vt quod iudicium sit futurum, futura sit resurrectio.

Deinde, eodem Cicerone autore, nomen hoc *Diuinatio*, non ad quasuis res futuras extenditur, sed ad fortuitas dũtaxat contrahitur, vt sit præsensio ac cognitio rerum futurarum fortuitarũ. Sic enim Quintus frater Diuinationem definiens, ait paulò post initium libri prioris: *De Diuinatione (inquit) quæ est earum rerum, quæ fortuitæ putantur, prædictio atque præsensio.* Item, lib. 2. Cicero ait: *Talium ergo rerum, quæ in fortuna positæ sunt, præsensio, Diuinatio est.* Si hoc etiam pacto accipiamus Diuinationem, absolutè pronuntio, non omnem Diuinationem neque vt falsam, neque vt malam, aut à Philosophis confutari, aut à Patribus improbari, aut in Scripturis damnari. Multa enim futura fortuita præsentiunt Philosophi, gubernatores, agricolæ, mulierculæ, & alij, eáque ex variis coniecturis, quæ quidem præsensio & vera est, & damnari non potest. Vnde & Cic. lib. 2. de Diuinat. *Et Medici, & Gubernatoris, & Imperatoris præsensio est rerum fortuitarum.*

Multa Prophetæ ex Spiritu Dei, futura, & fortuita quidem (si fortuita tamen esse possunt, quæ Deus decreuit: decreuit autem omnia, quæ sunt & futura sunt) sed quæ tamen, spectatis causis secundis, & esse & non esse poterant, ideoque fortuita: multa, inquam, Prophetæ futura fortuita præsenserunt & prædixerunt: quis tamen præsensionem illam ac prædictionem vt falsam vel inanem, aut malam & Diabolicam, ac non potius diuinam appellare audeat? Non igitur hoc sensu omnis diuinatio improbari potest. Nam neque illa prima, neque hæc secunda, propriè diuinatio est, sed scientia, quemadmodum & Cicero docet.

Postremò, Diuinatio Ciceroni significat præsensionem rerum fortuitarum, quæ fit vel somniis, vel furore, seu ἐνθουσιασμῷ, vel extis, vel Auguriis, vel astris, & aliis mediis, quæ propria sunt diuinationis, & eo sensu, quem intelligunt diuini.

Si hoc modo accipiamus Diuinationem, dico, omnem huiuscemodi diuinationem non solùm Philosophis vt vanam & falsam improbari, sed etiam in scripturis, & à Patribus vt Diabolicam damnari: ideoque & vanam ac falsam, & Diabolicam atque impiam esse. Primò vanam & falsam; quoniam huiuscemodi res futuræ, quas fortuitas appellabant, iisce mediis agnosci aut præsentiri non possunt. Secundò, impiam & Diabolicam, quoniam etiamsi aliquando verè præsentiantur, & eueniant, quæ hac arte prædicta fuêre, id totum Diabolica arte fit.

Illud primum Cicero in 2. libro de Diuinat. multis validisque argumentis demonstrat, huiuscemodi res futuras, neque per somnia, neque per furorem, neque per oracula Deorum, neque per exta, neque per fulgura, neque per ostenta, neque per auspicia, neque per sortes, neque per signa cœli, neque per coniecturam vllam, ex re aliqua, ex tempore visa, sciri vllo modo posse. Atque ad hoc vnum omnia fermè illius argumenta referuntur, vt concludat, huiuscemodi Diuinationem rem esse vanam ac falsam, adde & inutilem.

Istud verò alterum, nempe, eam esse impiam & Diabolicam artem, Patres ostendunt, cùm docent, primùm quidem, artem esse vanam & falsam: deinde, etiamsi eueniant aliquando, quæ ab huiuscemodi diuinis prædicuntur, arte tamen Diaboli totum hoc fieri. Ad hanc Diuinationem, hoc tertio modo acceptam, spectant omnia illa, tum Philosophorum, tum Patrum, tum S. literarum testimonia, quę secundo loco suprà attuli.

Atque hic obiter videmus, primùm, quid illud sit, quod ceu propria differentia, hanc rerum præsensionem, quæ datur diuinationi, ab aliis pręsensionibus discriminet, & diuinationem esse & appellari faciat. Quid illud est? ipsa media, quibus hanc diuinationem fieri & constare dicunt: auguria, exta, somnia, &c. Simplex enim pręsensio ac scientia rerum, diuinatio non est: neque omnis præsensio rerum fortuitarum diuinatio est, sed præsensio ac prædictio rerum fortuitarum, quam iisce mediis fieri dicunt.

Deinde, videmus, quid illud sit, quod hanc diuinationem, & vt vanam atque fallacem, & vt impiam ac Diabolicam damnari faciat. Quid illud est? Nõ ipsa cognitio aut præsensio (si tamẽ vlla est diuinationi præsensio aut scientia) neque ipsæ res fortuitæ, quarum dicitur esse præsensio (possunt enim veris & legitimis mediis complures ipsarum præsentiri) sed ipsa media, tum ea falsa, quibus diuinationem hanc fieri dicunt, qualia sunt somnia, auspicia, &c. tum ea illegitima, quibus aliquando fit ipsa diuinatio, cuiusmodi est ars Satanæ. Hæc ars Satanæ, quâ verè aliquandò fit diuinatio, facit, vt Diuinatio ceu impia & Diabolica, tum à Deo in scripturis, tum à Patribus, denique ab vniuersa Ecclesia damnetur. Ratio, quoniam hominem à Deo auellit, & Satanæ consecrat. Illa verò prima media, quibus diuinationem fieri dicunt, faciunt, vt hæc diuinatio ceu inanis, vana, fallaxque non solùm à Patribus, & piis hominibus, sed etiam à Philosophis irrideatur, reiiciatur, damnetur. Ratio, quoniam huiuscemodi media, nullo pacto idonea sunt, ad gignendam rerum fortuitarum tam præteritarum ac præsentium, quàm futurarum præsensionem. Quare vana est & fallax.

Nunc igitur, vt id quod dixi, confirmetur, artem hanc & vanam ac mendacem, & Diabolicam esse, adferam aliquot rationes. Ac primò, quòd vana: deinde, quòd Satanica.

Vanam & fallacem esse, hoc argumento sumto à mediis diuinationis confirmatur: Mediis his comparari non potest scientia futurorum: Ergo vana est & fallax. Antecedẽs sic probamus in genere. Omnis nostra de quauis re cognitio, vel est sensitiua, vel intellectiua, ἢ αἰσθητική, ἢ διανοητική. Ergo si media illa ad gignendam scientiam rerum fortuitarum idonea sunt, vel intellectiua, vel sensitiua sit, necesse est. Non est autem sensitiua. Hæc enim paratur per sensus, qui omnino nisi præsentia percipere possunt. Ergo reliquum est, vt dicant, esse intellectiuam. Si hoc dicant, tunc argumentor:

Omnis nostra intellectiua cognitio & scientia, vel primò est naturalis, id est, à natura insita, quæ intellectus appellari solet, qualis est cognitio primorum principiorum, vt, quod omne totum, est maius suis partibus singulis, &c. vel, secundò est reuelata, qualis est scientia rerum diuinarum, per verbum Dei reuelatarum: vel, tertiò, est acquisita, per aliquot idonea media: vel, quartò, est partim reuelata.

Si ergo dicant, esse intellectiuam, vel naturalis, vel reuelata, vel acquisita sit necesse est. Quam ergo esse dicẽt? Naturalém ne? At hoc non dicent. Neque enim omnes hanc rerum fortuitarum pręsensionem, quam diuinationem vocant, habent. Cognitio autem naturalis, omnibus est communis. Deinde, naturalis cognitio iis mediis opus non habet, sed lumine fit naturali.

Reuelatamne? At si hoc dicant, id quod certè partim dicunt, cùm dicunt, diuinationem etiam fieri per oracula, & voces Deorum auditas, & furorem seu Enthusiasmum: tunc interrogo, cùm non sit naturalis, sed reuelata, à quo reuelatam dicãt? à Deone, an à Satana? ab hominibus enim immediatè non potest.

Si à Deo dicant: tunc respondeo primò, Ergo cur ipse damnat eam scientiam, quam ipse reuelat? Damnat autem hanc diuinationem prohibens, ne consulamus Augures, ariolos, &c. Secundò, nihil à Deo reuelatum habemus, nisi verbum, quod cõtinetur in scripturis. Tertiò, concedimus quidem à Deo reuelari aliquando suis Prophetis & aliis, aliquas res futuras, sicut fecit Prophetis, qui eas postea aliis pędicerent & vaticinarentur: sed tunc aliud est genus diuinationis, ab hac de qua in pręsentia loquimur, longè diuersum: quod patet tum à rebus, quæ reuelantur. Neque enim reuelat Deus, nisi & quæ faciũt ad salutem, & ad ipsius gloriam. In hac autem prædicuntur plerumque, quæ tantùm ad curiositatem, vel ad perditionem faciunt: tum à mediis, quibus reuelat. Neque enim Deus vti solet iis mediis, quibus nostri diuini, extis, auguriis, &c. Habet sua somnia, sed discrimen est, vt postea dicemus. Quartò, etsi aliquando reuelet, non est tamen in regulam hoc trahendum, vt inde ars constituatur diuinationis. Non ergo à Deo.

Si à Satana dicant reuelari, id quod facilè dabo: tunc fides adhibenda illi non est, falsa est & Diabolica, ideoque ab Ecclesia ablegenda. Iubet enim Deus, ne Satanæ verbis fidem præbeamus. Non est reuelata à Deo: sed tantùm aliquando à Satana. Atqui nostri Mathematici & diuini hoc non concedent. Superest ergo, vt dicant, esse tantùm acquisitam, vel partim acquisitam, partim reuelatam, vt reuera dicunt. Sed cùm ostenderimus nullo modo esse reuelatam, nisi à Satana; Satanæ verò credendum non esse, superest, vt dicant, esse tantùm acquisitam.

Si ergo acquisitam dicãt, idque per hæc media, tunc dico: Omnis nostra de futuris rebus cognitio acquisita, per aliquod

aliquod horum mediorum acquisita sit oportet: primò, aut per proprias caussas, v.gr. vt cùm Philosophus videt collectas esse nubes plenas aqua in sublimi, actutum verè præsentit, & certò agnoscit futuram pluuiam, vel niuem. Collectio enim talium nubium in sublimi caussa est pluuię. Videt mulierem vterum gestantem, statim certissimè colligit, ergo, nisi ante partum moriatur, habebit lac in mamillis. Atque hæc est vera futurarum rerum acquisita cognitio, quæ scilicet acquiritur per proprias caussas.

At numquid hæc media, auguria, exta, somnia, ostenta, &c. caussæ sunt rerũ futurarum fortuitarum, ita, vt per hæc tanquam per proprias caussas, res futuræ agnosci queant? Quis hoc dicat? cùm illarum neque caussæ efficientes, neque formalis, neque finalis esse possint?

Secundò, aut contra scientia rerum fortuitarum acquiritur per propria effecta, vt cum videntes effecta, præsentimus caussas adfuturas. v.gr. vt, cùm videmus manè auroram, statim colligimus, ergo breui aderit sol super terram nostram. Aurora enim effectus est præsentiæ solis. Item, cùm videt Medicus ægrorum, iam pedes frigere, nasum & calore naturali sensim destitui: statim præsentit certissimè hunc moriturum. Destitutio enim caloris naturalis, & frigiditas illa in extremitatibus, effectus sunt mortis. Numquid igitur hęc media, auguria, &c. dicent esse effecta rerum fortuitarum, ita vt per hæc, tanquam per effecta, res futuras vt caussas agnoscere possimus? Quotus quisque est, qui hoc dicere audeat?

Ad hoc verò caput refertur scientia, quam nautæ ex visis delphinis in Maris superficie natantibus concipiunt, imminentis iam tempestatis. Illud enim est huius effectus. Ideo enim delphini ad superficiem Maris veniunt, quia in fundo iam incepta est tempestas, & ab hac illi sursum pelluntur. Huc scientia, quam de futura pluuia mulierculæ, ex frequenti & insolito gallorum cantu: Item illa, qua Medici ex qualitatibus somniorum, qualitates morborum agnoscunt. v.gr. Ex eo, quod ægrotus subinde somniat se in aliquo flumine altissimo mergi, certissimâ scientiâ coniicit peritus Medicus, ægrotum in nimio phlegmate peccare, sicut docet Aristoteles de insomniis, & Themist. egregiè explicat.

Tertiò, aut scientia rerum futurarum acquiritur, non per caussas, neque per propria effecta, sed per annexa vel ipsis caussis, vel ipsis effectis: seu vel per alienas caussas, vel per aliena effecta, ceu per quædam signa, quæ tamen cum illis vel caussis, vel effectis, quorum cognitionem assequimur, quandam habent connexionem, ita vt vnum, aliud ferè consequi soleat. verbi gratiâ: Vides alicubi nunc primùm prædicari Euangelium, statim colligis, ergo ibi aliqua populi seditio excitabitur. Hæc populi seditio, neque caussa est, neque effectus prædicationis Euangelij: sed quidam alienus effectus: effectus nempe impietatis in impiis, qui tamen prædicationi Euangelij annexus est, ita vt ferè prædicationem Euangelij effectus hic impietatis consequatur.

Numquid in horum annexorum numero collocabunt hæc media Augures, ita vt per hæc tanquam per quædam signa rebus futuris annexa, rerum illarum futurarum cognitio haberi possit? Fortasse dicent: Sed quam obsecro connexionem habere possunt hæc vel fulgura, vel ostenta, vel sydera, cum fortuitis futurisque: verbi gratiâ: hominum actionibus, quoniam non sunt illarum actionum neque propriæ caussæ, neque propria effecta, neque aliena vel effecta, vel caussæ, quæ illas actiones consequi soleant aut debeant? si aliqua debeant esse & dici aliis annexa, vel cum aliis habere connexionem, necesse est, vt inter illa sit aliqua vel proportio ac similitudo, vel contrarietas, verbi gratiâ: Quòd ciuitatum seditio annexa sit Euangelij prædicationi, ratio est, quia inter illam, & hanc ratio contrarietatis intercedit. Impietas enim populi, & pietas Euangelij, contraria sunt. Contrariorum autem ratio hæc est, quòd ad vnius præsentiam, alterum conturbatur propter ἀντιπερίστασιν. Ad præsentiam sicci, & calidi ignis, perturbatur humida & frigida, quæ in ligno super focum proiecto inest aqua. Hinc fit, vt prædicatum Euangelium consequatur seditio; & ideo ex prædicatione Euangelij, non tanquam ex annexo signo, futuram populi seditionem coniicimus.

At quæ obsecro inter hæc media, quibus fieri dicunt diuinationem, & inter res aut actiones futuras fortuitas, vel similitudo vel contrarietas reperiri potest? ita vt per hæc, ceu per annexa & vera signa, fortuitas res certò colligere possimus? Nulla profectò: id quod vnicuique perspicuum erit, si singulas diuinationis species diligenter examinet.

Scio, quid dicant: duo sunt modi diuinandi, alter non fit arte, sed afflatu diuino, quod fit aliquando in somnis, aliquãdo in vigilia, soluto ac libero a curis animo: in summa, reuelatione fieri volunt: sed hanc iam refutauimus, non posse esse reuelationem Dei, sed Satanæ. Alter est artificiosus: is fit duabus rationibus, aut ex coniecturis, aut ex obseruatione diuturna. Sic Cicero in 1. de Diuinat. *Duo* (inquit) *genera diuinandi esse dicebat, vnum artificiosum, alterum naturale. Artificiosum constare partim ex coniectura, partim obseruatione diuturna*, &c. Coniecturæ istę vnde sumũtur istis, & quales sunt? sumuntur à similitudinibus quibusdam, quæ sunt inter hæc media, quibus fieri dicunt Diuinationem, & inter res fortuitas, quas præsentiri dicunt, hoc aut illo signo, illud vel illud significari. Exemplũ in ostentis. Ante Marsicum bellum, mures corroserunt Lanuuij clypeos, quæ arma bellica sunt: Aruspices portentum esse dixerunt, & infelicissimum futurum illud bellum. Quod derisit Cicero [*in 2. de diuin.*] dicendo: *Ergo quia etiam libros de Rep. Platonis, quos habebam, roserunt mures, debebam ex hac significatione diuinare, Rempublicam nostram destruendam & ceu corrodendam fore.* Sic videtis similitudinem significationémque vnde sumunt coniecturas.

Ita ex similitudine signorum, quia dextera significat felicitatem, læua verò infelicitatem? ideo si canentem audiãt auem à sinistra, malum aliquod futurum diuinant, &c. Hæ sunt coniecturæ, ex quibus acquiri scientiam diuinationum dicunt.

At quàm infirmæ, vanæ, & inanes hæ sint coniecturæ, quis non videat? Quid enim mus, dum rodit libros de Republica, significare potest? Perinde etiam rosisset libros Dei, si adfuissent. Ergo diuinandum est, Deum corrodendum seu perdendum? Secundò, vnusquisque pro suo arbitrio significationem inuenire poterit, & ad quodcunque voluerit, coniecturas istas pertrahere, id quod certè dicunt & faciunt.

Vnde Quintus frater [*in 2. de Diuin.*] *Est vis & natura quadam, quæ tum obseruatis longo tempore significationibus, tum aliquo instinctu afflatuq; diuino, futura prænuntiat.* Duo enim genera posuerat diuinationis, expers artis, & artificiosum. Ergo significationibus nititur.

Ex quadam enim similitudine, ad quiduis significandum accommodare illas subinde solent. v.gr. Quædam mulier, cupiens esse grauida & filios parere, sibi ipsi visa est in somnis habere naturam signatorio annulo obsignatam, venit ad Aruspicem, vt interpretetur: hic dicit, non esse grauidam; obsignationem enim illam significare, nil esse ingressum. Venit deinde ad alium: is inquit, grauidam esse: non enim obsignari capsas & scrinia, nisi quæ rebus pretiosis plena sunt. Ex similitudine ergo quadam, quam habet obsignatio & cum vtero pleno, & cum eodem virgineo, in quem nihil sit ingressum, vterque pro suo arbitrio, ad quod voluit, accommodauit.

At quis non videat, quàm debilis sit hæc coniectatio? Vana igitur est hæc Diuinandi scientia, cùm inanissimis tantùm coniecturis nitatur, nihilque habeat firmitudinis: Et, vt ait Cicero: *Coniectura omnis, in qua nititur Diuinatio, ingeniis hominum in multas ac diuersas, aut etiam contrarias partes deducitur.*

Contrahamus in angustum hoc argumentum, & cõcludatur ratio. Si haberi potest scientia rerum futurarum, quæ sunt in fortuna, (vt loquuntur) per hæc Diuinationis media: scientia illa vel erit sensitiua vel intellectiua:

At sensitiua esse non potest, quæ non est nisi præsentium. Ergo, &c. Si intellectiua: ergo vel naturalis, vel reuelata, vel acquisita. Naturalis nullo modo esse potest: quoniam non omnibus est communis, neque lumine naturali habetur. Si reuelata, vel à Deo, vel à Satana. A Deo non est; Non est enim in numero eorum quæ reuelata sunt à Deo, vt sunt scripturæ, neque quæ suis seruis etiamnum reuelare soleat, id quod patet, cùm hanc Diuinationem vt malam prohibeat. Si à Satana: non ergo fides illi adhibenda, & fallax est ac mendax. Est enim ille mendax ab initio, & pater mendacij: Et si aliquando vera, perniciosa tamen est, cùm à Satana nil nisi perniciosum possit proficisci. Quare & mendax & perniciosa erit. Si acquisita: primò, non est acquisita per caussas proprias, nec propinquas, nec remotas. Neque per effecta propria, quæ ambæ sunt veræ scientiæ. Tertiò, neque per annexa caussis vel effectis. Quartò, neque per firmas & certas coniecturas, sed infirmas, & quæ in contraria sensa trahi possunt, vt vidimus. Ergo nullo pacto est vera scientia, sed inanis tantum quædam est coniectatio.

At [inquient] est alia etiam ratio, quâ acquiritur vera scientia, nempe per vsum rerum & diuturnam longamque

experientiam, quæ propriè *prudentia* appellatur, qualis est in senibus, qualis in Imperatoribus, diu in bello & rerum vsu exercitatis: verbi gratiâ: diu tum in historiis, tum in sua vita obseruarunt, vrbes illas, vbi luxus & libido regnat, non ita diu durasse, sed breui corruisse. Si ergo videant vrbem aliquam luxui & libidini deditam esse, hinc diuturnâ experientiâ certò colligent, & præsentient, vrbem illam breui perditum iri. Hac ratione acquisita est diuinationis certa sciẽtia. Diu enim obseruatum est, eos v. gr. qui sub tali cœli signo ac planeta nati sunt, talibus etiam affectionibus affectos fuisse, talem in rebus suis exitũ habuisse, &c. Hinc acquisita scientia.

R. Damus, talem acquirendæ scientiæ ex vsu rerum & diuturna experientia, rationem. Negamus verò quod dicitur de Diuinatione: imò contrarium videmus, sæpius aliter euenire, quàm isti diuini, ex suis obseruationibus, prædicere solent, & aliter quàm dicunt isti, est obseruatum: nempe multos, qui sub eodem climate, planeta, in eodem vtero concepti sunt & nati, diuersissimis tamen præditos fuisse ingeniis, diuersissimos exitus habuisse. Quare nos hinc potius aliud argumentum, ad probandum, hãc artem inanem & mendacem esse, deducamus.

Sæpiùs aliter eueniunt res, quàm ab istis diuinis prædicuntur. Patet experientiâ. Exempla multa adfert Cicero de Diuin. 2. Igitur inanis est & fallax. Ideo Cato mirari se dicebat, *cur non videret Aruspex* [nempe ob nostram insaniã, qui illorum mendaciis credimus.] *Quota enim quaque res euenit prędicta ab illis?*

At aliquando etiam eueniunt.

Resp. Primò, cùm sæpiùs aliter eueniant, quàm prædictum est, & rariùs eueniant, vt est prædictum, cur ab hoc secundo Diuinationis veritatem, & non à primo potiùs eiusdem falsitatem arguimus? Et, [vt dicit Cato] *cur non casu & fortuitò euenire dicimus, quod rarò prędictum euenit?* Mirum non est, quod aliquando mendax veritatem dicat casu & forte.

Secundò, ideo eueniunt [si tamen eueniunt] vt ait Chrysostomus, *quia tu credis. Diabolus enim te captiuum tenet, & Dominus est vitę tuę.*

Tertiò, [vt ait Augustinus] *arte Satanę, quę futura sunt, aliquando prędicuntur, ad illudendos & decipiendos eos, qui se illi consecrant, iustissimo iudice id permittente. Multa enim de corporalibus rebus sciunt Dęmones, tum quia acutissimis sunt ingeniis prędici: tum quia callidi, tum propter longitudinem vitæ, tum quia iussu Dei à bonis Angelis multum discunt.*

Quartò, sæpiùs etiam quæ ipsi facturi sunt, quasi diuinando prædicunt, semper in hunc finem, vt perdant, non vt prosint.

Est etiam inutilis, imò perniciosa.

Quę enim prędicunt, vel aliter euenire possunt, vel non aliter. Si aliter possunt euenire: Ergo non est certa scientia. Inanis igitur. Si non possunt aliter euenire: Ergo inutilis. Si enim mala sunt quæ prædicuntur, non solùm non potes ea vitare, sed etiam, antequam veniant, illorum consideratione affligeris. Si bona, vsque adeo desiderio accenderis, vt nunquam quieta mente te consistere sinant, vt ait Cicero. Ideo concludit Cic. *Certè igitur ignoratio futurorum malorum vtilior est, quàm scientia.*

Animæ verò perniciosa est, primò, quoniam contra pręceptum Dei fit. Secundò, quia nihil est, quod magis hominem à Deo segreget, & Dæmoni totum penitus consecret, atque hæc ars diuinandi. Omnem enim fiduciam ac fidem, qua pendemus à Dei prouidentia & gubernatione, penitus tollit, facitque vt non ampliùs à Deo, sed à Satana pendeamus.

Hactenus in vniuersum de tota Diuinatione respondi, eam quæ propriè Diuinatio appellatur, totam esse primùm quidem vanam, falsam atque fallacem: deinde, non inutilem solùm, sed etiam perniciosam, impiam & Diabolicam. Nunc, vt ad alteram responsionem veniam, ideoque cominus pugnem, primùm [quoad eius fieri potest] singulas Diuinationis species explicabo. Secundò, species illas, quæ vnà cum sua antiquitate, per Dei gratiam iam dudum euanuerunt, quæque minus, quàm aliæ habent rationis, paucis percurram, & vno verbo quàm vanæ sint, ostendam. Tertiò, species verò illas, quæ adhuc aliquem inter homines [vtinam non etiam inter Christianos] locum habent, & nonnihil rationis habere videntur, diligentiùs examinabo, & quid in vnaquaque probandum, quidve improbandum sit, declarabo.

Quoad primum: Cum Diuinatio, de qua loquimur in præsentia, quámq; inanem & fallacem, impiam & Diabolicam esse diximus, non sit simplex neq; futurarum, neque fortuitarum rerum pręsensio aut prædictio, quam extis, auguriis, & aliis huiuscemodi mediis fieri dicũt: singulæ quoqué & varię eius species, à variis iis, quibus fieri dicitur mediis, sumuntur. Proinde, quot sunt media, tot sunt etiã species Diuinationis. Erant autem media Priscis illis quamplurima, & propè innumerabilia. Quamplurimæ igitur, & propè innumerabiles erant Diuinationis species.

Quod cum ita sit, aliquot præcipuas enumerare satis esto. Multæ enim nos latent.

Duo diuinationis genera inprimis constituit Cicero in libro de Diuinat. Vnum, quod arte caret, quod & Naturæ, seu naturale vocauit: Alterum particeps artis, seu artificiosum. Artificiosum quid est? Illud, quo artificiosè, seu per artem, futura fortuita diuinamus, per artem inquam, quæ [vt ait Cicero] partim ex coniectura, partim ex obseruatione diuturna constet. Naturale quod? Illud quo citra artem, afflatu [vt ipsi dicunt] diuino, futura homines præsentiunt. Idcirco M. T. Cicero in 2. de Diuinat. vtrumque genus ita explicatum refert à Quinto fratre, dicendo: *Duo genera diuinandi esse dicebas, vnum artificiosum, alterum naturale. Artificiosum constare partim ex coniectura, partim ex obseruatione diuturna. Naturale, quod animus arriperet, aut exciperet extrinsecus ex diuinitate, vnde omnes animos haustos, aut acceptos, aut libatos haberemus.* Hęc sunt duo prima Diuinationis genera, sub quorum singulo, suæ continentur species.

Ergo, ad illud primum, quod est Naturæ, seu quod caret arte, referuntur hæ species duæ. Primò, Diuinatio per somnia, cum scilicet Dei appulsu homines futura somniant. Id autem tribus modis fieri, docet Cicero in 1. de Diuinat. primo, *cùm pręuidet animus ipse per sese, quippe qui Deorum* [vt ille loquitur] *cognatione teneatur.* Altero, cùm dormientibus apparent in animis immortalibus, quorum plenus [vt ait] est aër, impressæ quædam rerum futurarum notæ: *Aër enim plenus est* [vt ait] *immortalium animorum, in quibus tanquam insignitæ notæ veritatis appareant.* Tertio, *cùm ipsi Dij cum dormientibus colloquuntur: id quod* [vt ait] *faciliùs euenit, appropinquante morte, vt animi futura augurentur.* Hæc est prima species, de qua quidem specie postea suo loco, quid sentiendum sit, dicam. Habet enim aliquid cognatum cum somniis S. literarum.

Secundò, Vaticinia seu Diuinatio per furorem, siue ἐνθουσιασμὸν, quæ fit, cum quis instinctu diuino afflatus, futura præuidet ac vaticinatur, seu, cum [vt ait Cic. in 1.] à corpore abstractus animus, diuino instinctu cõcitatur, sicut Pythia illa, spiritu Deorum afflata, vaticinari dicebatur, de qua Cic. in 1. de hac etiam seorsum.

De iis duabus speciebus Cic. lib. primo, à principio, per multas paginas. Et has duas species exprimit, cùm ait in 2. *Illud autem naturale* [scilicet diuinationis genus] *aut concitatione mentis edi* [hic est furor] *& quasi fundi videbatur: aut animo per somnum sensibus & curis vacuo prouideri.* Hæc est Diuinatio per somnium. De iis duabus speciebus, quoniam aliquid habent similitudinis cum diuinationibus Prophetarum, seorsum aliquid dicendum erit. Nam neque hoc genus Diuinationis [vt videtur fateri Cic.] improbatur, scilicet artificiosum, de quo nunc.

Ad secundum illud genus, quod artificiosum appellatur, & in quo [vt ait Cic. in 1.] aruspices, augures, coniectoresque numerantur: & quod etiam constat partim in disciplina & libris auguralibus, partim in coniectura, quæ fit ex tempore, re aliqua visa, vel voce edita: ad illud, inquam, secundum genus hæ omnes & aliæ quàm plurimæ, quæ nos latent, referuntur, quas ferè omnes, quomodo fierent, ignoramus nunc, neque curandum est, cum nugæ essent.

I. Diuinatio *per exta*, id est, per extorum inspectiones, quæ & extispicium appellatur, & aruspicina. Contra hanc disputat Cic. in 2. Vbi etiam videre licet aliqua ex parte, quomodo fieret.

II. Diuinatio *per fulgura & fulmina cœlestia.* Si enim fulmen è cœlo iactum, sinistrum illis erat, optimum auspicium adferebat. Si dextrum, malum. Item, multis aliis rationibus, ex fulgure, & fulmine diuinabant futura. Contra hanc etiam Cic. in 2.

III. Diuinatio *per ostenta seu portenta*, qualia erant, si mula peperisset, de cuius significatione Cic. in eod. 2. lib. si monstrum aliquod natum esset, &c. vt fremitus terræ, &c. De iis Cic. in 1. In quibus ostentis continentur & voces, cœlitùs & ex occulto missę & auditę, de quibus in 1. Quintus frater, & omnia, quæ propriè hominum erant voces & dicta, de quibus Cic. in 2. Contra hanc Cic. in eod. 2. Item spectra, id est, formæ quæ reapse nullæ sunt, speciem tamen offerunt, de quibus etiam Cic.

IV. Diui-

IV. Diuinatio *per Auguria*, siue per auium garritum

V. Diuinatio *per auspicia, per inspectionem auium*. Hæc quomodo fieret, ex Cic. in 2. aliqua ex parte colligi potest: quanquam auguria & auspicia Cic. in vna specie collocat.

VI. Diuinatio *per sortes* κληρομαντεία dicitur: de hac & contra hanc Cic. in 2. Hæc fiebat digitis micando, talos aut tesseras iaciendo, vt docet Cic. Hæc etiamnum in vsu Christianis est: ideo de hac seorsum. Totam hanc rem esse inuentam fallaciis, aut ad quæstum, aut ad superstitionem, aut ad errorem, Cic. tradit.

VII. Diuinatio, *per signa cœli*, per astra, quæ Astronomia propriè dicitur, quanquam & Astrologia vocetur, licet discrimen sit. Qua in re excelluerunt Chaldæi, Babylonij, & qui in monte Caucaso habitarunt. Contra hanc Cic. in 2. De hac seorsum. Has species recenset Cicero. Sed alias quoque ego apud alios autores reperi.

VIII. Geomantia, id est, quæ *per terram fiebat*, seu è terra petebatur. Quomodo hæc fieret, ignoratur. Hoc apud Ciceronem in 1. de Diuinat. lego, sensisse illos antiquos, *quòd Dij vim suam longè latéque diffundant, quam cùm cauernis terræ includunt, tum naturis hominum implicant*: & ait, *quòd terræ vis Pythiam, Delphis incitabat ad diuinandum: Naturæ Sibyllam*. Sed hæ duæ, ad genus naturale pertinent species.

IX. Hydromantia, quæ scilicet *per aquam fiebat*. Modò enim in ampulla vitrea aquam ponebant, quæ à puero inspiceretur, quam & gastromantiam à ventricositate & rumore ampullæ vocabant: modò in peluim, aquam infundebant, quam & λεκανομαντείαν, à pelui, id est, ἀπὸ τῆς λεκάνης appellabant. In huiuscemodi aqua, imagines Dæmonum apparebant, vel illusiones potiùs, à quibus audiebant, quid futurum esset, aut quid facto opus esset. Quo genere Diuinationis vsus est Numa Pompilius & Pythagoras, &c. de qua specie August. in lib. 7. de Ciuitate Dei, cap. 35. Micchael Psellus de Dæmonibus, docet quomodo hæc fieret, &c. Et Pausanias scribit, Templum Cereris esse apud Ægienses Achaiæ, & prope templum, fontem, in quem ægri, post peracta sacra inspicientes, morbi valetudinísque exitum videbant. Plut. in Cæs. refert, in Germania fuisse mulieres, quæ ex fluminum cursu, vorticibus & strepitu, futura diuinarent.

X Pyromantia, quæ *per ignem fiebat*, quæ & Ignispicina. Autor huius [vt Plinius ait] fuit Amphiaraus.

XI. Καπνομαντεία, quæ *petebatur à fumo*.

XII. Κοσκινομαντεία ἀπὸ κοσκίνου, id est, *cribro*, quæ scilicet à cribro petebatur. Hæc etiam exercita à multis nostro tempore.

XIII Ἀξινομαντεία, quæ scilicet à *securibus* sumebatur.

XIV. Βοτανομαντεία, id est, quæ fiebat *per herbas*, à βοτάνης.

XV. Νεκρομαντεία, id est, quæ à *mortuis* petebatur, quæ & νεκυομαντεία.

XVI. Ἰχθυομαντεία, quæ *per pisces* fiebat, quæ Apuleo quoque obiecta fuit.

XVII. Saliatio, seu palmicum Augurium, quòd ex *palpitatione oculorum* fiebat

XVIII. Erat & Diuinatio per *sternutamenta*, & libellum legi de sternutamentis, quid vnum, quid duo, quid plures significarent, ac portenderent.

XIX. Χειρομαντεία, quæ ex *aspectis lineamentis manuum* fit. Quoniam hæc est in vsu, & aliquid verisimilitudinis habet, seorsum aliquid de ea dicam.

XX. φυσιογνωμία, quæ fit ex *inspecta facie*, & filo totius corporis. De hac etiam seorsum, quantum veri & falsi habeat, aliquid dicam. De hac enim multi Philosophi.

Complures aliæ species erant apud Antiquos, præsertim artes euocandorum Dæmonum: qui futura reuelarunt. Has omnes recensui, vt videamus, quomodo Satan omnibus ferè creaturis vtatur ad homines decipiendos.

Modò ad secundum. Ex iis omnibus Diuinationis speciebus, quæ artis participes sunt, quædam quæ iam dudum, Dei gratia, tum sua antiquitate, quædam prorsus, quædam magna ex parte euanuere, quippe quæ minus quoque rationis, quàm aliæ habere visæ sunt, & videntur.

1. Extispicium, quæ *Aruspicina* dicitur Ciceroni. 2. Auguria. 3. Auspicia. 4. Geomantia. 5. Hydromantia. 6. Pyromantia. 7. Capnomantia. 8. Coscinomantia, à cribro [quanquam hæc adhuc inter aliquos locum habet, cum res tamen sit vanissima, & sine vlla prorsus ratione.] 9. Ἀξινομαντεία à securibus petita. 10. Βοτανομαντεία ab herbis.

11. Ἰχθυομαντεία. 12. Νεκρομαντεία, quę & νεκυομαντεία. 13. Saliatio & palmicum Augurium, ex oculorum palpitatione petitum. 14. Per sternutamenta, quanquam & hæc species apud nonnullos sit in vsu. Sed cùm nihil habeat rationis, & vanissima ab omnibus iudicetur, cum aliis supradictis repono. Ex sternutamentis potest quidem Physicus aliquid certò deprehendere naturaliter, sed iam præsens, non futurum, & necessarium, non contingens. v. g. cùm quis sæpiùs iterat sternutamenta, iudicat repletum esse humoribus multis sed hoc non pertinet ad diuinationem. Quatenus autem hinc diuinant, quid huic futurum sit, res est vanissima, & nullo nititur fundamento, nisi arte Satanę.

De iis omnibus in vniuersum, & aliis huius generis, si quæ inuentæ sunt, & inueniantur, sic pronunciamus, res esse vanas & Diabolicas. Vanas, quatenus iis artibus nihil fortuitum certò sciri, aut diuinari potest: sed quicquid de iis artibus dicunt, meræ sunt nugę. Ratio vnica hęc sufficiat. quę est, quoniam huiuscemodi media, vt animalium exta, vnde extispicium: auium garritus, vnde augurium: auium inspectio, vnde auspicium: & cętera, quę antè commemoraui, & quibus fieri diuinationem dicunt, huiúscemodi inquam media, nullam habent cum rebus fortuitis, quarum pręsentationem ac scientiam iis mediis haberi posse nugantur, connexionem: quandoquidem neque sunt illarum caussa, neque effecta, neque annexa, neque probabiles coniecturę, nisi in significatione, quę ad contrarias res significandas accommodari possunt, vt supra ostendimus: neque denique diuturnę obseruationes, cum contrà potiùs obseruatum sit aliter sępius euenisse, quàm iis artibus prędictum fuerit. Necesse est autem vt si qua rerum futurarũ cognitio acquiri debeat, istorum modorum aliquo, quos recensui, acquiratur, quando neque à natura, neque à diuina reuelatione habetur. Idcirco etiam ipse Quintus frater, qui diuinationem tuetur, fatetur, nullam adferri posse rationem, cur ita fiat: sed tantùm testimoniis & euentis, & quibusdam ratiocinationibus, diuinationem esse probat. Verba eius hęc sunt: *Nec verò quicquam aliud adfertur, cur ea quæ dico, diuinandi genera, nulla sint, nisi quod difficile dictu videtur, quæ cuiusque diuinationis ratio, quæ caussa sit. Quid enim habet aruspex, cur palmo incisus, etiam in bonis extis, dirimat tempus & proferat diem? Quid augur*, &c. Deinde, *cur fiat quidque quæris, rectè omnino. Sed non nunc id agitur, fiat necne id quæritur.* Sunt igitur vanę omnes in vniuersum: Diabolicę verò, quatenus si aliquando aliquid iis artibus prę[s]entiatur, Diaboli interuentu ac reuelatione pręsentitur.

Quam verò ego rationem ad expugnandas omnes has species diuinationis attuli, Cicero quoque adfert ad expugnandam Aruspicinam. Nam quoad obseruationem, quod dicunt obseruatione compararam hanc scientiam, docet ea, quæ significari dicuntur extis, cognita ab aruspicibus non fuisse obseruatione diuturna: *Ecquam enim diuturna* (inquit) *ista* [obseruatio] *fuit?* Quo ad coniecturas, in significando: *alios alio more* [inquit] *videmus exta interpretari, nec esse vnam omnium disciplinam.* Quoad caussas, effecta, annexa, generalem rationem, quam & ego, adfert, dicendo: *Et certè, si est in extis aliqua vis, quę declaret futura, necesse est, eam aut cum rerum natura esse coniunctam* [vt sunt caussę, effecta annexa] *aut conformari quodam modo numini Deorum.* Ostendit autem primum, nihil habere cum diuina natura commune. Deinde, neque cum natura rerum. *Atqui diuina* [inquit] *cum rerum natura tanta tamque præclara in omnes partes motusque diffusa, quid habere potest commune? Non dicam gallinaceum fel* [sunt enim qui vel argutissima hæc exta esse dicant] *sed tauri optimi iecur, aut cor, aut pulmo, quid habet naturale quod declarare possit, quid futurum sit?* Deinde, *Cum rerum autem natura, quam cognationem habent?* Est quidem cognatio aliqua inter res naturales, licèt vel maximè inter se distantes, vt ibi fusè tradit Cicero, sicut conchyliis & ostreis cum Luna: cęterùm, inter hęc exta & res, quas iis & significari dicunt nulla prorsus est naturę cognatio, aut συμπάθεια. *Qua enim ex cognatione naturæ, & quasi concentu atque consensu, quam* συμπάθειαν *Græci appellant, conuenire potest, aut fissum iecoris cum lucello meo: aut meus quæstiunculus* [vel, vt alij habent, quęsticulus] *cum cœlo, terra rerúmque natura?* Denique ait, *Vrbem Philosophiæ mihi crede proditis, dum castella defenditis. Nam dum Aruspicinam verã esse vultis, physiologiã totam peruertitis.* Lepidũ est illud, quod Hannibal Regi Prusię respondisse legitur: *Rex Prusias inuitatus ab Hannibale apud eum exulante, ad pugnandum, negauit se audere, quòd exta prohiberent. Tum Hannibal, An tu* [inquit] *carunculæ vitulinæ mauis, quàm Imperatori veteri credere?* quasi dicat, imò verò ego cupio pugnare.

Quam etiam connexionem, aut concentum & συμπάθειαν, habet auium garritus, vnde augurium: aut auiũ inspectio, vnde auspiciũ, cum rebus quas iis mediis pręsentiri posse dicunt? *Quid rationis adferre potest augur, cur à dextra Coruus, à sinistra Cornix* [ait Quintus frater] *faciat ratum?*

Quid pullis, quando ipsis offam pultis comedentibus, aliquid ex ore in terram cadit, quae ex re veteres Auspicia sumebant: quid, inquam iis pullis, cum prospero, aut aduerso futurarum rerum successu? Quid enim mirum si pulli diu in cauea inclusi (is enim erat mos Romanorum in auspicus) & fame enecti, in offam pultis oblatam inuadant, & si illis comedentibus, aliquid ex ore cadat, & illi terram pauiant, vnde terripauium primò, post terripudium & tripudium Auguribus est dictum: hoc tu (ait Cic. Quinto fratri) auspicium putas.

Caeterum quoniam nimis multum excresceret oratio, si de iis singulis iam obsoletis diuinationis speciebus, quas commemoraui, dicere vellem, finem dicendi faciam, si hoc priùs nos in vniuersum circa has artes admonuero.

Tria praecipua esse capita, è quibus perspicuum fieri poterit, quàm vanae & Diabolicae sint. Primum est ipsarum natura. Secundum, ipsarum inuentio. Tertium, ipsarum constantia. Sic Cicero aduersus Quintum fratrem: *Illud erat* (inquit) *Philosophi, totius augurij primùm naturam ipsam videre: deinde inuentionem: deinde constantiam.* Quoad naturam Augurij ait: *Quae est igitur natura quae volucres huc & illuc passim vagantes efficiat, vt significent aliquid & tum vetent agere, tum iubeant aut cantu aut volatu? Cur autem aliis à dextra, aliis à laeua datum est auibus, vt ratum auspicium facere possint?* Hoc est argumentum, quod suprà explicauimus in genere, cum ostendimus, nullam habere connexionem haec media Diuinationis, cum rebus futuris.

Quoad inuentionem, reperietis artes has inuentas vel à prauis hominibus, vel à Diabolis. Inuentum Aruspicinae aperit Cicero, & etiam ridet vt fabulam in 2. de Diuinat. *Sed quid plura:* (inquit) *ortum Aruspicinae videamus, sic facilimè quid habeat autoritatis indicabimus.* In summa, fingunt Hetrusci, cùm terra araretur, & sulcus altius esset impressus, quendam puerum, cui nomen Tages, repente è terra extitisse, atque eum bubulcum, qui arabat, allocutum fuisse: & cùm tota ferè Hetruria eò conuenisset, disciplinam hanc Aruspicinae tradidisse, quae etiam excepta literis mandata fuit. Tum Cicero, *Estne* (inquit) *quisquam ita desipiens, qui credat exaratum esse, Deum dicam, an hominem? si Deum, cur se contra naturam, in terra abdiderit, vt patefactus aratro, lucem aspiceret? Quid? idem nonne poterat Deus hominibus disciplinam superiore ex loco tradere? si autem homo fuit ille Tages, quonā modo potuit terra oppressus viuere: vnde porrò illa potuit quae docebat alios, ipse didicisse?* Hinc perspicitis, artem hanc, vel inanem esse, vel merum mendacium, si falsa sunt ea, quae de inuentore Aruspicinae referuntur: vel saltem Diabolicam, si vera sunt. Neque enim ille Tages alius esse potuit, quàm Daemon, qui exaratus è terra extiterit, atque hanc disciplinam tradiderit. Vnde Astronomia à Chaldaeis idololatris. Magia à Zoroastre, vt quidam sentiunt, teste Epiphanio in Panario.

Quoad constantiam, ait Cic. *Quae est autem inter Augures conueniens & coniuncta constantia? Nobis sinistra videntur, Graiis & Barbaris dextra meliora. Haec quanta dissensio est? Quid quod aliis auibus vtuntur, alijs signis, aliter obseruant, aliter respondent?* Item, *Solebat ex me Deiotarus percontari Augurij nostri disciplinam, & ego illius: Dii immortales, quantum differebat, vt quadam etiam essent contraria?*

Addo duo alia propria capita, vt quartum sit ab euentu: saepius enim non eueniunt, quae ab iis praedicuntur, quàm eueniant. Ideo Cato: *quota enim quaeque res euenit praedicta ab illis? aut si euenit quippiam quid adferri potest, cur non casu id euenerit?* addimus nos, vel etiam autore Satana euenerit?

Ab autoritate, primò scripturae: 2. Patrum. 3. etiam Philosophorum & sapientum virorum, vt Cic & aliorum, qui & vanas atque inanes, & Diabolica arte inuentas & exercitatas fuisse testati sunt. Ex illa hydromantia, cùm Daemones apparebant in aqua, & ex illa vaticinia dicebant, coniicere possumus, reliquas quoque omnes Diabolicas fuisse.

Quaedam verò Diuinationis species sunt, tum illius, quae prorsus artis expers, tum illius, quae artis est particeps, quae diligentiùs consideranda sunt, quàm istae aliae, de quibus hactenus: tum quia nonnihil rationis habere videntur: tum quia etiamnum apud plerosque etiam doctos locum habent: tum quia aliquae illarum cum nostra Theologia, aliquae verò cum Philosophia quandam habent affinitatem.

Sunt autem ex secundo genere, scilicet artificioso, hae:

1. Diuinatio per fulmina & fulgura.
2. Per ostenta seu portenta, sub qua continentur voces miraculosae (vt loquuntur) auditae: item, omina, item spectra.
3. Diuinatio per sortes, quae κληρομαντεία.
4. Χειρομαντεία.
5. Φυσιογνωμία.
6. Astronomia. Hae species, ad genus, quod est artis particeps, attinent. De iis primùm dicamus: deinde, de speciebus diuinationis, quae artis est expers.

Quoad fulmina, fulguraque: item Cometas, & alia ignea effecta, quae generantur in suprema aëris regione, dico haec [id quod etiam de aliis dicam, ideoque haec distinctio diligenter est obseruanda] dico, inquam, haec trifariam considerari posse: primò φυσικῶς, i. est quatenus considerantur à Physicis. Secundò, μαντικῶς, id est, quatenus considerantur à Diuinis. Tertiò, θεολογικῶς, id est, quatenus considerantur à Christianis & piis.

Si Physicè considerentur, quandam habent veram cùm rebus quibusdam futuris connexionem & συμπάθειαν: ideoque iisce mediis, veram earum rerum, cum quibus habent συμπάθειαν, praesensionem ac scientiam haberi posse dico. Quomodo considerantur à Physicis? Quatenus sunt quaedam naturae effecta, seu effecta naturalia. Effectus autem deducit in cognitionem suae caussae. Eadem autem caussa multos plerumque habet effectus: ita vt vnus effectus ducat in cognitionem caussae: caussa verò eadem, ducit in cognitionem aliorum effectuum. Hoc pacto, vnus vnius causae effectus, connexionem habet quandam, cum aliis eiusdem causae effectis. Itaque fit, vt prior effectus, qui iam sensu percipitur, in cognitionem futuri effectus ducat: ideoque quibusdam praesentibus effectibus, futurorum effectorum cognitio ac praesensio vera & physica habeatur. Quod quidem fit hoc modo.

Primò, effectus praesens sensu percipitur. Secundò, hic effectus sensu perceptus, in cognitionem praesentis, sed latentis caussae ducit. Tertiò, caussa verò mente percepta ac cognita, in cognitionem aliorum à se futurorum effectuum deducit. Quare primus praesensque effectus, in cognitionem posterioris futurique effectus quodam modo deducit.

Exemplis Cometae, & similium effectorum, de quibus loquimur, res fiet illustrior.

Aestate apparet Cometa, qui *crinita*, ac *cincinnata stella* Latinè dicitur. Hunc igneum effectum sensu percipiens Physicus, acturum in cognitionem causae veniens, agnoscit, multum vaporis sicci calidique, è terra in sublime, vi solis immensa & diuturna eleuatum esse [ex hoc enim vapore sicco calidoque & terrestri, in sublime, ob immensam diuturnamque solis calefactionem euecto, gignitur cometa, imò & fulgura & fulmina, & alij ignei effectus, qui apparent in sublimi, sicut docet Aristotel. in Meteoris.] Vbi verò hanc causam perceperit Physicus, in cognitionem aliùs alterius effectus deducitur, nempe terram diu aliquot nempe mensibus, quibus ille immensus solis calor viget, humore seu pluuiis destitutam fore, ideoque siccam & aridam futuram [ex eo enim, quòd vapores terrei in supremam aeris regionem, quae sphaerae ignis est coniuncta, vi solis attolluntur, nec sinuntur manere in media regione aeris, vbi pluuiae gignuntur, pluuiarum inopiâ, exiccatur terra, ac ceu aduritur.] Ex hac verò adustione terrae, praesentit semina frumenti, milij, & caeterarum frugum in terram iacta, nihil vel parum fructus allatura. [*Terrae enim siccitas, in causa est, ne semina in ipsam iacta, vberes fructus edant.*] Ex hac porrò frugum penuria, praesentit maximam famem in terra futuram.

Hic ceu in quadam catena cernitis primò, quomodo haec considerentur à Physico, quatenus scilicet effecta sunt naturae. Secundò, quomodo cometa ille, ceu extremo catenae annulo, quandam habeat connexionem: ideoque tertiò videtis, quomodo cometa ille ad famem futurā praesentiendam physicum perducat. Quare huiuscemodi fulminibus, cometis, & id genus, ita à Physico consideratis, quatenus sunt effecta naturae aliquam [non omnem] & quarundam [non omnium] futurarum rerum quae sunt alia naturae effecta, scientiam haberi posse, neque falsum, neque impiū est sentire ac dicere. Habent enim haec, certam cum rebus illis connexionem ac sympathiam: quemadmodum & reliquae res naturales omnes, eandem inter se συμπάθειαν, habent, quam fortasse συμπάθειαν vt tradit Cic intelligebat Par. & Mel. quando dixerunt, Entia omnia vnum esse Ens, nempe, non continuatione, vt illis adscribit Aristoteles, sed connexione & consensu quodam seu συμπαθείᾳ, qua omnes inter se, sicut fides multae in vna cythara, vel annuli

multi

multi in vna catena, coniunctæ sunt, ita vt, quod aliqui naturæ effectus, in aliorum effectuum cognitionem ac præsensionem deducant, non absurdum, sed consentaneũ sit. Quocirca, quod dixi de fulminibus, idem de aliis rebus permultis dici potest, quibus prognostica à Physicis rerũ futurarum fieri solent: & de quibus Aristotel. in Meteoris & Albertus Magnus, & alij Physici pertractant. Exempli caussa. Quemadmodum dicunt, cometâ, crebris fulguribus & fulminibus, aliisque id genus igneis vaporibus in sublimi genitis, præsentiri multa futura, vt famem & penuriam, Epidemiam, prælia, multorum præsertim Principum & militum mortem, tempestates in Mari, & alia multa: ita iidem Physici tradunt, futuram pluuiam multis mediis præsentiri posse, vt cùm manè Sol maior in ortu suo appareat, quàm soleat, & ita rutilat triste cœlum [sicut etiam Matth. 16. testatur Christus.] Item, cùm muscæ & pulices solito sunt infensiores: item cùm ranæ frequentiùs solito coaxant: item cum oleum in lucerna vel lampade nimium stridet. Hæc enim omnia, quodam cum futura pluuia connexu, & quadam συμπαθείᾳ sunt coniuncta, quemadmodum Arist. in Meteor. & Albertus, & alij, qui de iis scribunt, perspicuè docent.

Quare, vt concludam, iisce mediis physicè consideratis, aliquam multarum futurarum rerum præsensionem, verè & Christianè haberi posse contendo.

Sed duo hęc notanda sunt: vnum est, præsensionẽ hanc, non esse propriè diuinationem, de qua loquimur, & de qua Cic. disputat, sed & reuera esse, & ita etiam esse appellandam, physicam scientiam, seu præsensionem, quemadmodum etiam ipse Cicero testatur.

Alterum, media hæc, seu effecta naturæ, fulgura, cometas, & id genus alia, minimè necessariam futurorum præsensionem adferre, quin aliter quoque, quam significant, res euenire possint: sed tantum quò res inclinent, nisi caussæ mutentur, indicare. Sæpius enim vel à Deo, vel à Natura, caussæ immutantur, quibus immutatis effecta quoque immutentur, necesse est, id quod nonnunquam vsu venire videmus.

Hic est primus modus, quo non solum fulgura, fulmina, Cometæ, & denique omnia ignea effecta, quæ in sublimi gignuntur, sed aliæ etiam pleræque res naturales, considerari possunt, nempe quatenus sunt effecta Naturæ. Atque hic videmus, quòd ita considerati, quandam inter se connexionem habeant, ideoque alia futura effecta indicare possint. Neque hæc præsensio improbari potest, cùm sit naturalis, quanquam necessaria.

Si igitur considerentur μαντικῶς, quemadmodum diuini faciunt quatenus ad eas res, cum quibus nullam habent penitus connexionem, significandas accommodant: v.g. vt ad singulares huius vel illius futuras actiones certò præmonstrandas: dico primò, iisce mediis, fulminibus, fulguribus, cometis, & id genus aliis, rerum illarum scientiam aut præsensionem nullam haberi posse. Ratio, quoniam media illa, nullam cum rebus habent connexionem, neq; vt habent causæ cum suis effectis & effecta cum suis caussis: neque vt habent causæ cum aliis caussis, & effecta, cũ aliis effectis, eo modo, quem supra declarauimus. Ideo hãc per fulgura & fulmina, & cometas diuinationem, optimo iure expugnat Cicero 2. lib. cuius argumenta referre longum erit. Hortor lectores ad illum libellum legendum. Quare vana est ars per fulmina ita diuinandi. Secundò, dico, etiamsi aliquando vera diuinentur: id non fieri arte, sed vel casu, vel arte Satanæ. Quare est Diabolica.

Tertiò considerari possunt hæc fulmina, cometæ, &c. θεολογικῶς, id est, quatenus considerantur à Christianis & piis, non solùm vt naturæ effecta, sed etiam vt diuinæ vel misericordiæ, vel iræ testimonia & signa. Etsi enim effecta sint naturæ: nihil tamen repugnat, quin etiam sint signa diuina, quibus vel suum erga nos pœnitentes amorem ac beneficentiam, ex futura, quam signa illa portendunt, abundantia: vel suam erga nos impœnitentes, iram ex futura, quam signa illa præmonstrant, penuria significat. Exemplum Tempore Eliæ, siccitas illa terræ, naturalis fuit. Sol enim [excitatus à Deo] ad se humores humidos traxit, consumsit, &c. Inde orta fames. Hac verò iram suam aduersus peccata populi declarauit. Solet enim Deus, cùm è cœlo, tùm è terra, tũ è Mari, suam tum misericordiã, tum iram, his & aliis id genus signis, Mundo declarare, idque bifariam: aliquando naturaliter, aliquando supernaturaliter hæc effecta producendo. Naturaliter, quando officio caussarum secundarum in natura vtens, hæc effecta producit, eaque vt sint signa vel iræ, vel misericordiæ, foras profert, tunc non solum sunt effecta naturæ, sed etiam diuina signa, quibus vel amorem suum, vel iram declarat.

Supernaturaliter, quando citra ministerium caussarum secundarum, & præter naturæ ordinem, sua duntaxat omnipotentiâ, vel hæc, vel alia signa cœlestia excitat, quibus iram suam, vel aliquid etiam aliud declaret: tunc non sunt naturæ effecta, sed signa tantùm diuina. Exemplum primi, vt cùm vel nimius imber, vel grando descendit è cœlo, quibus semina in terram iacta perdantur: inde verò oriatur penuria, vel etiam pestis, & alia mala. Habent quidem & imber & grando causas in natura, à quibus oriuntur: sed tamen illæ causæ excitatæ à Deo fuerunt ad hęc effecta proferenda, vt sint irę suę testimonia. Exemplum in aquis diluuij, aperuit cataractas cœli, &c. & siccitas tempore Eliæ. Hoc idcirco dico, quoniam quidam etiam sunt nimis naturales, qui res omnes ad naturam tantùm referunt, non autem signa irę Dei esse volunt. v.gr. vt si accidat penuria, sterilitas terrę, aëris corruptio, &c. Nos verò Christianè dicimus, idem posse esse & naturę effectum, & Dei signum. Exemplum secundi, vt Solis Eclipsis in morte Domini Iesu Christi, præter ordinem naturæ illud fuit, quemadmodum Astrologi quoque excellentissimi, qui tunc temporis erant superstites, testati fuere. Fuit autem signum magnæ Dei iræ aduersus populum Iudaicum, qui lucem Mundi Christum extinxerat. Fuit igitur illud signũ tantùm diuinum, non autem naturæ effectus. Hoc pacto dico, iis effectis, tanquam diuinis signis, multa tum vniuersalia, tum singularia præsentiri posse diuinitùs, quæ alioqui naturaliter cognosci nequeunt. Vniuersalia, vt cùm ex apparitione Cometæ, primùm quidem φυσικῶς præsentem futuram penuriam & pestem, vt suprà dixi: ex hac verò penuria vel peste futura, præsentiunt diuinam aduersus nos iram, eamque generalem. Sic tempore Eliæ, &c. Singularia verò, vt cùm Ionas ex tempestate Maris, præsensit, Deum aduersum se, ob suam inobedientiam, iratum esse: idcirco prædixit, si se è naui proiicerent, cessaturam tempestatem. Hæc diuinatio non improbatur, sed laudatur. Cæterùm hæc diuinatio, quę ex iis signis à Christianis & piis fit, longè differt ab illa, quam impij diuini, iisdem signis faciunt.

At quo pacto discernetur hęc Christiana, ab illa impia, cùm vtraque tamen ex iis signis pręsagiat?

R. Primò à rebus. Hęc enim Christiana, iis signis plerumque solet vti ad res quasdem generales pręsentiandas, sicut exemplum attuli de ira Dei aduersus orbem terrę, vel aduersus aliquod regnum: illa verò ad singularium semper res & actiones, vt quòd hic futurus sit Episcopus, alter in crucem adigendus, alius inuenturus thesaurum. Ideoque hęc Christiana vtitur iis signis, quatenus connexionem habent aliquam etiam cum natura, semper verò cum verbo Dei. Exemplum: Cùm ex apparitione Cometę pręsentimus [vt suprà dixi] φυσικῶς futuram penuriam, famem, &c. Hic Cometa connexionem habet cum natura, seu cum futura penuria, quę est naturę effectus [vt supra dixi.] Cum verò ex eodem cometa, futuram famem significante, pręsentio futuram Dei iram aduersus mundum, propter nostra scelera, atque ira illam vaticinamur populis nostris, vt resipiscant: hîc, connexionem habet etiam cum verbo Dei. Ita enim Deus prędixerat Deuteronom. 28. nisi legem eius custodiremus, se famem, pestem, immissurum super terram. Illa verò Ethnica vtitur iis mediis ad eas res significandas, cum quibus nullam penitus habent connexionem, vt supià diximus vel ex ipso Cicerone.

Etsi hęc Christiana vtitur iis vel aliis mediis, vt ostentis, de quibus mox, ad singulares res pręsentiendas: illis tamen signis vtitur, quatenus cum illis particularibus rebus connexionem habent cum verbo Dei, eamque vel vniuersalem, ac ceu in genere: vel particularem ac singularem. Vniuersalem, vt cùm Ionas ex tempestate, particularem contra se Dei iram præsentit, ideoque particularem illius tempestatis sedationem prædicit, si se in mare proiiciant: præterquam quod Propheta erat, potuit tamen hoc præsentire, quatenus signum illud particulare, prædictum fuerat in genere à Deo, cum multa pœnarum genera suis transgressoribus minatus fuit per Mosen: ideoque connexionem habebat cum verbo Dei vniuersalem seu in genere & vniuersali. Particularem verò, vt cùm habet peculiare sibi verbum adiunctum. Exemplum in ostentis, in columba Christi. Illa verò Ethnica, nullam penitus habet, neque cum natura, neque cum verbo Dei connexionem, vt manifestum est.

A morbo prædicendi, Christiana diuinatio, v. gr. iram Dei futuram præsentit, cum conditione, nempe, nisi resi-

piſcamus. Ethnica verò res ſuas prædicit, quaſi fatali neceſſitate venturas.

Ideoque Chriſtiana vtilis eſt, & ad ſalutem dirigitur; Ethnica verò inutilis, & perniciem hominum ſpectat.

Chriſtiana diuinatio, ex iis & aliis ſignis, cùm præſertim ad particulares vel perſonas, vel res, vel actiones ſignificandas adhibetur, ferè habet adiunctum ſignis ipſum verbum Dei. v. gr. Ex Iride cognouit Noha, aquis diluuij non ampliùs Mundum perditum iri: ſed quomodo? Habuit adiunctùm verbum. Matth. 3. Ioannes Baptiſta ex columba deſcendente ſuper caput Chriſti, agnoſcit perſonam hanc, ipſum eſſe Filium Dei: ſed ſignum illud, verbum habuit adiunctum. Præceſſerat enim verbum, *Super quem videris ſpiritum deſcendentem in ſpecie columbæ, ipſe*, &c. Illa verò Ethnica, nunquam habet verbum Dei: ſed verbum Dei habet contrarium. In ſumma: Chriſtiana habet connexionem ſemper cum verbo Dei: vt declarauimus: aliquando vero etiam cum rerum natura Ethnica vero, neque cum natura, neque cum verbo Dei connexionem habet vllam. Phyſica verò præſenſio, connexionem habet, cum rerum, quarum eſt præſenſio, natura. Μαντικὴ autem, nullam habet connexionem, neque cum natura, neque cum verbo, Dei, neque in genere, neque in ſpecie. Sed quam habet connexionem? cum Satana. Apparet igitur, quantum ad hanc ſpeciem diuinationis per fulgura attinet, quatenus probetur, & quatenus improbetur. Summa huc redit: Quæcunque diuinationis ſpecies connexionem habet vel cum natura, vel cum verbo Dei, improbari non poteſt, ſed laudanda eſt: quatenus verò nullam vel cum natura rerum, vel cum verbo Dei habet connexionem, improbanda eſt.

Sed percurramus reliquas Diuinationis ſpecies.

Altera igitur ſpecies, eſt diuinatio per oſtenta ſeu portenta, ſub qua continentur voces ex occulto [ſeu vt aiunt] diuinitus auditæ: item, omnia, id eſt, voces & verba hominum: item ſpectra, ſeu imagines & formæ, quæ reapſe nullæ ſunt, ſpeciem autem offerunt. Dicam de ſingulis.

Oſtenta [ſicut eſt partus mulæ, monſtrum hominis: item, ſi idolum aliquod ſanguinem ſudaſſe videtur. Item, ſi ſanguis è cælo plueret. Item, cùm Soles duo viſi, & tres Lunæ, tempore Romanorum, vt Cicero teſtatur. Item, cùm Sol ſtetit tempore Ioſuæ, cuius generis multa refert Cicero in 1. de Diuination. & quorum in Scripturis infinitus eſt numerus, vt rubus ardens, & non ſe conſumẽs: Item Matth. 24 *Erunt ſigna in Sole, Luna, & ſtellis*] oſtenta inquam ſunt, quæ præter naturæ ordinem contingunt: ita dicta, quod aliquid futurum portendant, oſtenient & indicent.

Tria autem ſunt genera: quædam cauſſam habent in natura, ſed cum defectu aliquo, atque vitiatã. Exemplum, vt partus mulæ: apparens ſanguis è cœlo pluens: hominis monſtrum cum duobus capitibus, &c. Hæc vera ſunt portenta.

Secundò, quædam habent cauſſam in natura, ſed immediatè & contra naturæ ordinem immittuntur à Deo, vt plurima, quæ in S. literis leguntur, vt rubus ardens: vt ros cadens è cœlo ſuper vellus tantùm Gedeonis, non ſuper terram. Item, ſuper terram, non ſuper vellus. Hæc etiam vera portenta ſunt.

Tertiò, quædam nec à Deo immittuntur, nec in natura cauſſam habent, ſed à Dæmonibus vel reuera fiunt, vt portenta illa Magorum in Ægypto: & qualia multa Antichriſtum facturum, prædixit Paulus: vel apparenter fiunt, cùm reapſe nihil ſint, vt cum faciunt apparere idolum aliquod ſanguinem ſudare: illuſiones tamen & mendacia, tam illa, quàm iſta dicuntur & ſunt, quoniam ad illudendum & fallendum fiunt à Dæmonibus, de quibus in præſentia ſatis.

Dico igitur, ſi oſtenta conſiderentur φυσικῶς, quando ſcilicet, & quatenus cauſſam habent in natura, & ſunt effectus, vel potiùs defectus, & peccata naturæ: aliquid ex illis verè præſentire ac diuinare poſſumus. Ratio, quoniam connexionem habent aliquam cum rerum, quas ſignificant, natura. Neque illa præſenſio aut diuinatio improbari poteſt. Ratio, quoniam naturalis eſt. Exemplum.

Quintus frater refert, Romanis duos viſos fuiſſe Soles in cœlo, tres Lunas: item faces multas ardentes: item Solẽ aliquando nocte fuiſſe viſum: Aruſpices pro ſuo quidem arbitrio, & vt voluerunt, ſigna illa ſunt interpretati. Sed quid Phyſicus? Cùm reuera non eſſent duo Soles, neque tres Lunæ, neque faces, ſed ignei quidam effectus, orti ex vaporibus ſiccis, calidis, à terra, immenſa vi Solis, in ſupremam aëris regionem euecti, atque mirabiliter accenſi, præſenſiſſet fore vel penuriam ac famem, vel peſtem & morbos, ex magna aduſtione ortos, eodem progreſſu, quem ſupra de fulminibus & cometis declarauimus.

Si verò θεολογικῶς, quæ quidem bifariam fiunt à Deo, vt etiam ſuprà dixi, aliquando mediis, interiectiſque cauſſis naturalibus, ſed vitiatis: aliquando per ſe, citra cauſſam vllam in natura exiſtentem, ex talibus portentis præſentire poſſumus illa, ad quæ ſignificanda à Deo inſtituta fuerũt. Ad duo autem ſignificanda inſtituta fuerunt. Primùm, portenta quædam ad res generales: verbi gratiâ, ad iram Dei in genere ſignificandam: vt, ſi in aliqua vrbe, vel Regno ſæpius fiant terræmotus, vel ſanguis è cœlo pluere videatur, vel naſcantur multa monſtra: cùm hæc ſigna ſint iræ Dei, vbi hæc videmus, præſentire poſſumus irã Dei ſuper nos, niſi reſipiſcamus, reuelandam: ſicut Pharao ex portentis Moſis, præſenſit Dei iram. Habent enim cõnexionem cum verbo Dei in genere, quoniam ira minatus eſt tranſgreſſoribus legis Dei, contemtoribus veræ religionis. Secũdò, quædam verò ad ſingulares quaſdam res aut actiones ſignificandas edita fuere, cuius generis ſunt, quę in ſcripturis ſunt: ad has præſentiendas duci poſſumus iis oſtentis, ſi tamen verbum, quod habent annexum, intelligamus & credamus. Exemplum: vt, Ioannes Baptiſta, ex columba ſuper Chriſtum deſcendẽte, agnoſcit illam perſonam, eſſe Chriſtum, quoniam verbum prædixerat, *ſuper quem videris deſcendentem*, &c. Magi ex ſtella præſenſerunt natum eſſe regem Iudæorum. Ad hunc enim indicandum ſtella illa fuerat à Deo inſtituta & facta: & hoc Magis illis verbo aliquo vel interno per Spiritum S. ſignificauerat. Fideles ex illis ſignis, quæ apparebunt in Sole & Luna, pręſentient, inſtare diem Domini. Ad hunc enim ſignificandum inſtituta ſunt illa portenta: & verbum Chriſti pręceſſit, *Erunt ſigna*, &c. *in fieri incipientibus*, &c.

Hæc igitur ex iis portentis pręſenſio earum rerum, ad quas ſignificandas ordinata ſunt, ſummopere probatur & ſanctiſſima eſt. Habent enim connexionem ſemper cum verbo Dei: aliquando etiam cum natura rerum.

Si verò μαντικῶς, ſicut Ethnici, falſa eſt & Diabolica.

Primò, quia portenta naturalia, vt mõſtra, vt partus mulæ, &c. ad ſignificandas res, cum quibus portẽta illa nullam prorſus habent connexionem, contorquent. Secundò, portenta ipſa diuina, non ad ea, quorum indicandorum cauſſa fiunt, applicant: ſed ad res longè diuerſas, atque prorſus alienas. Tertiò, plerumque portenta propria, quę habẽt, ſunt Diabolica, arte Diaboli facta: vel Diabolicæ illuſiones. Quartò, pleraque etiam, quæ nullo modo ſunt portenta, ſuperſtitioſè ceu portenta interpretantur, atque illis mirabile aliquid futurum, diuinare volunt. Cuius generis multa apud Ciceronem, [*in 1. de diuin.*] Auguſtinum, & alios leguntur: ideoque deridentur. Exempla. Cùm apud Lebadiam Thebanorum Trophonius rem diuinam faceret, galli gallinacei in eo loco ſic aſſiduè canere cœperunt, vt nihil intermitterent: Augures Bœotij hoc tanquam portentum interpretati ſunt, dixeruntque, Thebanorum eſſe contra Lacedæmonios victoriam, propterea quod auis illa victa ſilere ſoleat, canere, ſi vincat. M. T. Cicero, hoc à Quinto fratre allatum deridet, dicendo: *Hoc igitur per gallinas Iupiter tantæ ciuitati ſignum dabat? An illę aues, niſi cùm vicerint, canere non ſolent? Attamen canebant, nec vicerant. Id enim, inquies, oſtentum. Magnum verò (oſtentum) quaſi piſces, non galli cecinerint. Quod autem eſt tempus, quo illi non canãt? vel nocturnum, vel diurnum?*

Item, quia ante Marſicum bellum, mures Lanuuij clypeos corroſerant, portentum, illudque maximum id Aruſpices eſſe dixerunt. Item, Quidam cum vidiſſet, quod anguis domi vectem circumiectus eſſet, tanquam oſtentum magnum eſſet, detulit ad coniectorem. *At ſapiens coniector, tum eſſet* (inquit) *oſtẽtum, ſi anguem vectis circumplicaſſet*. Subdit Cic *Hoc ille reſponſo ſatis apertè declarauit, nihil eſſe habendum portentum, quod fieri poſſit*. Sed hallucinatur Cicero hac in parte.

Simile refert Auguſtinus de doctrina Chriſtiana, lib. 2, cap. 20. Venit quidam ad Catonem, dicens, Portentum magnum accidit: Mures enim caligas meas corroſerunt. Tum Cato inquit, *Portentum eſſet, ſi caligę corroſiſſent mures*. Hæc igitur ridicula portenta Gentium.

Quare iure Cicero hanc partem expugnat, aliquot paginis.

Summa: oſtenta, quæ Phyſicè conſiderantur, connexionem habent cum natura, & vt effecta naturæ conſiderantur. Oſtenta, quæ Theologice, connexionem habent cum natura interdum: ſemper autem cum verbo: quæ μαντικῶς, nullam.

Oſtenta Chriſtiana quomodo ab Ethnicis diſcernantur.

At

At quo pacto discernuntur ostenta Christiana ab Ethnicis, seu Theologica, à diuinatoriis?

R. Primò, ostenta diuina vera sunt semper, aliquando natura media, aliquando sine natura, immediatè à Deo edita. Μαντικὰ verò & profana, falsa, sæpius ridicula, diabolica semper.

Secundò, Nostra, verbum Dei ferè vel generale, vel peculiare habent annexum: ideóque non solùm cum natura, sed etiam cum verbo Dei connexionem habent. Ista verò, nec cum natura habent, nec cum verbo Satanæ.

Tertiò, idcirco quæ nostris prædicuntur, eueniunt, prætterquam, quòd mala sæpe, si resipiscant homines, auertuntur misericordiâ Dei. Quæ illis vero, non semper: Aliquando quidem eueniunt: sed id vel temerè ac casu, vel arte Diabolica fit.

Platoni vt (Cicero testatur) in cunis paruulo dormienti, apes in labellis consederunt. Hoc ceu portentum ita quidam interpretati fuere, singulari illum suauitate orationis fore. Atque ita euenit. Midæ illi Phrygio, cùm puer esset, dormienti, formicæ in os tritici grana congesserunt: prædictum fuit, ditissimum fore. Euenit. Sed quomodo? Temerè, casu, non autem, quòd vel apes cum eloquentia Platonis, vel formicæ graua tritici ferentes, cum diuitiis Midæ, connexionem veram haberent, nisi significationis coniecturam. Sed hæc fallax est, cùm aliis quoque eadem signa contigerint, neque tamen easdem res vel eloquentiam, vel diuitias assecuti sint. Proinde Cic. ad hæc duo portenta Platonis & Midæ ait: *Atque hæc ostentorum genera mirabile nihil habent, quæ cùm facta sunt, tum ad coniecturam aliqua interpretatione reuocantur, vt illa tritici grana in os pueri Midæ congesta, aut apes, quas dixisti in labris Platonis pueri consedisse, non tam admirabilia sint, quàm coniecta bellè, quæ tamen vel ipsa falsa esse, vel illa, quæ prædicta sunt, fortuitò accidisse potuerunt.*

Summa: quæ connexionem habent vel cum natura, vel cum verbo Dei, vituperanda non sunt: quæ verò nec cum natura, nec cum verbo Dei, inania sunt & Diabolica.

Quod verò de ostentis dixi, idem dico de vocibus diuinitus (vt dicunt) auditis, quæ ceu quædam portenta sunt.

1. Hę aliquando φυσικῶς quoque considerari possunt. Plerumque enim fit vt aut in loco aliquo nemoroso, ex ventis per densas arbores transeuntibus, aut in terræ visceribus, & montium cauernis, ex ventorum, qui ibi maximè regnant cursitatione, vel ex aquarum defluxu, & aliis id genus caussis naturalibus, quidam strepitus audiantur, ita compositi, vt ceu humanæ voces esse videantur, cùm tamen nihil minus sint. Hoc sæpius euenit, ita Deo permittente, in Papatu, ad hominum, qui verbum Dei negligebant, illusionem ac deceptionem, vnde postea tot superstitiones & idololatriæ profectæ sunt. Nota est origo, defunctis anniuersaria iusta faciendi postridie Calend. Nouemb. vnde sit profecta, ex eo, quòd Odilo Abbas Cluniacensis in Sicilia, cum sensisset strepitus fremitusque feruentis æstus Maris, & eructationes Ætnei montis, qui ceu gemitus & clamores dolentium esse videbantur, existimauit portentum esse, id est, cacodæmones lamentari, quòd per preces & sacrificia Christianorũ, animæ defunctorũ ab illis suppliciis liberarẽtur. *Polyd. L.6.c.9.* Quæ res cũ Papæ Io. 18. relata & credita fuisset, inde institutus dies quotannis postridie Cal. Nouemb. sacrificia offerendi pro animis mortuorum. Cæterùm, Physicus voces illas considerasset, vt sunt effecta naturæ. Si autem ita consideret, nihil inde diuinare potest, nisi fortè ex insolito strepitu aut fremitu terræ, vel montis, aliquam eruptionem fore.

2. Aliquando vero μαντικῶς: tunc voces illæ vanæ sunt, cũ scilicet strepitus naturales, ipsi diuini, voces esse Deorum vel Dæmonum putant, vt in exemplo suprà allato Odilonis, ostensum est.

Vel reuera quidem voces sunt, sed cùm vel hominum, vel Dæmonum sint, tamen Dei, vel sanctorum defunctorum esse à superstitiosis hominibus putantur. Hominum, vt in Papatu sæpe contigit, vt aliquis se in crypta aliqua, vel in statua, vel in aliquo templo abdiderit, & simpliciorẽ aliquam fœmellam, vel homuncionem allocutus fuerit, vt ibi vel templum extrueretur, vel aliquis cultus idololatricus institueretur, &c. iudicatæ fuerunt esse voces diuinæ, vel Mariæ Virginis, vel alicuius sancti demortui: inde multæ superstitiones exortæ. Dæmonum vero, vt præcipuè tempore Romanorum erant voces ex occulto, & ex idolis emissæ: quanquam idem etiam sæpe in Papatu vsu venisse scimus. Has voces audiunt diuini, & ex eis diuinant. Quis non videt hanc diuinationem vanissimam esse & Diaboli-cam? vanam, cùm voces putant esse Deorum, & sunt naturales strepitus, vel hominum deceptiones: Diabolicam, cùm voces à Dæmonibus eduntur.

3. Aliquando vero Theologicè: tunc voces sunt tenera Dei, aut Angelorum, quales in scripturis leguntur, auditæ fuisse à Mose, à Patribus, à Prophetis, à viris Dei. Has considerat & audit ipse Christianus & pius, præterea nullus. Ex iis vero præsentire potest ea, quæ voces illæ Dei fortè futura prædixerunt.

Atquomodo diuinæ à Diabolicis discernentur?

R. Primo, Diuinæ voces non amplius ita vt antè, audiri solent. Deus enim finem loquendi fecit in Filio. Heb. 1 *Nouissimè locutus est in Filio.* Quicquid enim reuelandum erat è cœlo, ad Ecclesiam pertinens, totum in Christo est reuelatum: nec alias Dei voces habemus, nisi in Scripturis sanctis. Quare reliquum, quæ deinceps audiuntur, ceu suspectæ reiiciendæ sint, præsertim si quid circa res futuras, vel circa cultum loquantur.

Secundo, Hæc vero propria nota. Voces diuinæ nil contra aut præter verbum Dei reuelant. Diabolicæ vero, ferè aliquid contra verbum Dei, v.gr. vt vel templum ædificetur, erigatur idolum aliquod, colatur, &c. Hoc si obseruasset Gregorius primus, vir alioqui bonus, sed sæpe, plus quam par erat, credulus, non adhibuisset fidem tot nugis, quæ ei referebantur de vocibus auditis animarum, quæ cruciarentur in purgatorio igne, &c. Sed de vocibus satis.

Idem de ominibus dicendum est. Quid omen sit, Cicer. 1. de Diuinationib. aperit, dicendo: *Neque solùm Deorum voces Pythagorei obseruarunt, sed etiam hominum, quæ vocant omina: quæ Maiores nostri quia valere censebant, idcirco omnibus rebus agendis, quod bonum, faustum, felix, fortunatúmque esset præfabantur:* Erat igitur prænunciatio futurę rei, ori hominis incidens, diuino furore, &c. Exemplum adfert Cic. lib. 1. de Diuinat. *L. Paulus Con ul iterum: cùm ei bellum, vt cum Rege Persa gereret, obtigisset, vt ea ipsa die domum ad vesperam rediit, filiolam suam Tertiam, quæ tum erat admodum parua, osculans, animaduertit tristiculam. Quid est (inquit) mea Tertia, quid tristis es? Mi Pater (inquit) Persa periit. Tum ille arctiùs puellam complexus, accipio omen, inquit, mea filia.* Erat autem mortuus catellus eo nomine. Quid omen sit, habetis: Diuinatio est, quæ fit ore hominis, quasi oremen, aut festus.

Hoc Physicè considerari non potest, tum quia non res, sed tantùm dictum aliquod est: tum quia connexionem nullam habet cum natura rerum illarum, quarum omina esse dicunt, v.gr. Tertia puella ait patri, periit Persa (scilicet catella) pater vt omen accepit dictum illud, quasi periisset Perses Rex, quo cum erat bellum susceptutus, & cui nomen erat Perses & Perseus, à quo ea regio ita denominata fuit. Sed quam connexionem habet mors Persæ illius catellæ, cum morte Regis Persiæ? Idem de aliis huiuscemodi hominum dictis, quę *Omina* appellantur, dicendum est φυσικῶς considerari non posse, cùm nullam habeant cum rebus, quarum omina esse dicuntur, connexionem.

Theologicè quoque, quatenus dicta sunt hominum, considerari non possunt, quoniam cum verbo Dei nullam habent connexionem. Verbum enim Dei nullum habet omen, sed vaticinia tantùm Dei, non hominum. Ideo Aug. 1. Retract. lib. cap. 1. corrigit se, quod hoc nomine *Ominis*, vſus semel fuerit. Verba eius hęc sunt: *Hoc licèt non serio, sed ioco, dictum sit, nollem tamen eo verbo vti: Omen quippe me legisse non recolo, siue in Sacris literis nostris, siue in sermone cuiusquam Ecclesiastici disputatoris: quamuis abominatio inde sit dicta quæ in diuinis libris assiduè reperitur.* Quo ex loco colligimus, omen non esse nomen, quod Christianos deceat: sed nomen potius abominabile. Multo vero minus decet ars ominandi.

Ergo μαντικῶς tantùm considerari potest, quatenus scilicet considerat tantùm diuini, vt sit quasi futurę augurium & diuinatio, quę ore hominis fit, id est, quę fit ex aliquo alicuius hominis dicto. Si igitur sic consideretur, vanam & Diabolicam esse dico hanc diuinationem, quę fit per omen. Ratio, quoniam nullam (vt dixi) connexionem habet, neque cum rerum natura, neque cum verbo Dei, sicut in Exemplo Ciceronis de Persa mortua patuit. Cicero vero hanc diuinationis partem ita expugnat in 2. de Diuinat. vt pręter alia argumenta, ostendat, rem hanc meram esse superstitionem, sine vlla duce ratione. *Itane (inquit) si quis aliquid ex sua re, atque ex suo sermone dixerit: & eius verbum aliquod aptè ceciderit, ad id quod ages, aut cogitabis: ea res tibi aut timorem adferret* (si mala) *aut alacritatem?* (scilicet si bona.) Talis enim fuit illa vox Tertiæ [Persa periit] patri, quoniam verbum illud aptè

cecidit ad id quod cogitabat pater de Perse rege. Talis fuit & vox Licentij apud August. lib. 1. contra Acad. cap. 4. cùm esset allaturus definitionem erroris ipse Licentius, & dixisset, difficillimam sibi hesterno die definitionem erroris fuisse: rum Augustinus inquit, *Hic planè non erras, quod vt tibi omen sit ad reliqua, libenter optauerim, ne scilicet in cæteris erres sicut neque in hoc quod nunc dixisti, errasti.* Tale & illud, quod refert Cic. de Diuin. 2. & Plinius lib. 15. cap. 19. de M. Crasso. Cùm Marcus Crassus nauim Brundusij esset conscensurus, aduersus Parthos in Cariam, cuius oppidum, præter alia, erat & Caunus, quidam in portu Caricas Cauno aduectas vendens, clamitabat *Cauneas, Cauneas*, omen vox illa clamantis *Cauneas*, fecit M. Crasso, ne iret, quanquam non paruit. *Sed*, inquit Cicero, *dicamus si placet, non fuisse periturum, si omini paruisset: quæ si suscipiamus, pedis offensio nobis, & abruptio corrigiæ, & sternutamenta erunt obseruanda.* Summa est. Quoniam huiuscemodi dicta, ex ore hominum prolata, etsi aptè ad id quod cogitas vel acturus es, cadentia, nullam veram cum rebus, vel quas cogitas, vel acturus es, connexionem habent: idcirco diuinatio ex his dictis accepta, quæ *omen* appellatur, res est vanissima. Quoniam verò nullam cum verbo Dei, sed potius cum Satana habet conuenientiam, ideo res est Diabolica.

Spectra quid sint, Cic. lib. 1. de natura Deorum, & in Epist. familiarib. lib. 15. & 16. ad Cassium, & in 1. de Diuinat. definit: simulachra & imagines rerum aut personarum sunt, aliquando intellectui, aliquando oculis corporis incurrentia: Et in 1. de Diuinat. sic ait, *obiiciuntur etiam sæpe formæ, quæ reapse nullæ sunt, speciem autem offerunt.* Duo autem sunt genera spectrorum: quædam quæ animo occurrunt, idque bifariam, aliquando nobis dormientibus (sed de his hic non est dicendi locus) aliquando vigilantibus: ac de rebus illis, quarum spectra occurrunt cogitantibus: quædam quæ etiam oculos corporis feriunt, vt sunt spectra & imagines personarum demortuarum, quæ aliquando oculis corporis obiectæ, visuntur, vt de multis fertur. Vide August. Tom. 3. de spiritu & Anima, c. 29. quomodo mortui vel etiam viui appareant. Ex iis igitur spectris, tam quę animis, quàm quæ oculis obiiciuntur, diuinationem & veteres fecerunt, & plerique etiamnum faciunt. Dicamus de primis, quæ animis occurrunt primùm: deinde de aliis.

Primi generis spectra, quæ nobis vigilantibus in animos, vel in phantasiam veniunt: si φυσικῶς considerentur, multis modis fiunt, vt August. explicat T. 3. de spiritu & Anima, c. 23. *Certum nempe est* (inquit *quandam spiritualem naturam*, &c. Sed plerumque hæc spectra in animis, nil aliud sunt, quàm partus quidam vehementiores phantasiæ seu imaginationis vel animi, qui ita pressè, vehementer & fortiter & attentè de aliqua vel re, vel persona cogitat, vt eius rei vel personæ idolum, animo de ea cogitanti, occurrat, atque in eo inhæreat, vt rem illam vel personam quasi præsentem & coram videre videaris: id quod sæpe contingit illis, qui vehementis sunt phantasiæ, & attentè de aliqua re cogitant, sicut Cicero de se testatur, dicendo Cassio: *Simulac mihi collibitum fuerit de te cogitare, illud* (scilicet spectrum tui) *occurrit: neque solùm de te, qui mihi hæres in medullis, sed si insulam Britanniam cœpero cogitare, eius εἴδωλον mihi aduolabit ad pectus.* Si ergo ita considerentur, quid diuinari potest, nisi hominem, cui hæc spectra in animum aduolant, vehementis esse phantasiæ, & intentè de ea re, cuius spectrum obiicitur, cogitasse, vel quia amet rem illam, vel quia odit, vel ob aliquid aliud? vel etiam phrenesi, aut nimia melancholia laborare, quoniam hoc sæpe contingit phreneticis & melancholicis, vt etiam Aristoteles testatur, & Aug. de spiritu & anima, c. 23. Hæc diuinatio vera est, & scientia est physica, quoniam ex effectu caussam cognoscit. Cæterum, quid rerum futurarum hinc diuinari potest? Quin etiam spectra rerum, quæ nobis dormientibus occurrunt, ex hac eadem caussa proficiscuntur, quia scilicet vigilantes attentè de iis cogitauimus, & cùm simus fortis phantasiæ, illarum rerum reliquiæ in animo remanserunt, vt Cic. ait de Diuin. lib. 2. *Maximaque reliquiæ rerum earum mouentur in animis & agitantur, de quibus vigilantes aut cogitauimus aut egimus.*

Si verò μαντικῶς, id est, quatenus ex iis spectris futura & abdita diuinant, vana res est, ex iis rerum spectris, res tales, quales apparent in spectris, aut iam esse, aut futuras esse diuinare, quoniam nullam habent connexionem spectra in animo, cum rebus ipsis. Quod si tales aliquando succedunt res, quales in spectris visuntur: primò fortuitò & casu id fit: secundò, vel saltem arte Diaboli, id quod sæpe vsu venit Gentibus. Exemplum sit illud, quod Cicero narrat in 1. de Diuinat. contigisse Brenno, eiúsque Gallicis copiis, cum fano Apollinis Delphici, nefarium bellum intulisset: *tum referunt* (inquit) *ex oraculo hæc fatam esse Pythiam: Ego prouidebam rem istam, & albæ virgines. Ex quo factum, vt & viderentur virgines ferre arma contra: & niue Gallorum obrueretur exercitus.* Quis enim obiiciebat hæc animo Pythiæ, vt videret imaginem & spectrum illius belli a Brenno, illati illi: & spectra tum virginum, arma contrà ferentium, tum exercitus Gallorum niue obrutorum, nisi Satan? Res igitur vana est, & Diabolica.

Si verò Theologicè: notandum est, quod Prophetis & viris Dei, spiritu Dei præditis, sæpius hoc contigit, vt alicuius rei futuræ spectrum, ipsorum animis, lumine Dei illustratis, occurrerit, ita vt rem ipsam ceu præsentem, quæ tamen vel longè aberat, vel multo post euentura erat, quasi coram viderint: atque ita ex spectro illo, quod in animis obuersabatur, rem futuram talem, qualis apparebat in spectro, verè prædixerint, & vt prædixerant, euenerit. Exemplum, vt cùm Esaias hanc Ecclesiæ firmitatem & amplitudinem, quæ futura erat in extremitate dierum, præuidit. Deus enim illius animo spiritus S. lumine illustrato, spectrum ac imaginem quandam huiusce futuræ rei obiecit, ita vt in eo, ceu in speculo quodam videtur numerosissimos Gentium populos ad montem Zion fluentes, se inuicem adhortantes, *Ascendamus ad montem*, &c. Hinc vaticinatus est, dicendo: *Verbum quod vidit Esaias.* Vidit? Vbi? In spectro, in imagine, quam illi obiecit Deus. Hæc præsensio vera & certa est, atque probanda, vtpote Dei spiritu facta.

Si igitur de iis spectris Theologicè, & quæ à Deo animis Prophetarum offeruntur, loquamur, dico, ex iis certiòres futuras tales præsentiri ac præuideri, quales in huiuscemodi spectris apparent. Ratio est, quoniam res illæ futuræ, connexionem habent cum iis spectris, in quibus relucent, qualem habet tua imago cum speculo, quando in speculum intueris. Deus enim qui res futuras ceu præsentes in seipsis videt, eas etiam in spectris, ceu in speculis ostendit Prophetis.

Atque hic videtis discrimen inter spectra diuinorum, & Prophetarum, seu μαντικὰ & Theologica. Illa vel ex vehementi phantasia oriuntur, vel à Satana impiis offeruntur, ideóque vana & Diabolica sunt: ista verò à spiritu Dei piorum & præsertim Prophetarum animis admouentur: in illis apparent mendacia: in istis res, quemadmodum re vera futuræ sunt. Hoc discrimen posuit & Augustinus Tom. 3. de spiritu & Anima, c. 23.

At quomodo hoc discernere possunt Prophetæ? Resp. Ab eodem spiritu, qui talia spectra offert certiores etiam fiunt, quod sint vera spectra, à Deo illis oblata. August. vero ait de spiritu & anima, c. 27. *humanam speciem aliquando bonus, aliquando malus assumit spiritus, nec facilè discerni potest, à quo spiritu assumatur, nisi quòd bonus instruit, malus fallit.*

Nunc quoad ista spectra primi generis, referam quæ tradit autor libri de spiritu & anima in 3. Tomo operum August. c. 23. In summa: Tres modi sunt, quibus hæc rerum, vel personarum spectra in animis nostris generantur: Primus est a natura, cùm scilicet aliquid intentissima cogitatione cogitamus, sicut supra ex Cicerone declarauí, id quod etiam Aristoteles fatetur. Secundus est a Deo, cùm scilicet phantasmata a spiritu Dei in animis nostris excitantur, quibus res absentes & futuras ceu præsentes vidimus, sicut Prophetis accidit. Tertius est a Satana, cùm scilicet, earundem rerum simulachra in nostra phantasia a spiritu Satanico cientur, sicut in multis impiis factum fuisse legimus. Primus est physicus, secundus Theologicus, seu Christianus & sanctus: tertius μαντικός.

Autor quoque libri eiusdem de spir. & anima, ca. 23. primùm quidem docet, hæc rerum simulachra & spectra, in animis nostris generari, idque diuersis rationibus, dicendo: *Certum nempe est quandam spiritualem naturam esse in nobis, vbi corporalium rerum similitudines aut formantur, aut formata ingeruntur, siue cùm præsentia aliquo corporis sensu tangimus, & continuò eorum similitudo in spiritu* (id est, phantasia) *formatur, & in memoria reconditur: siue cùm absentia iam nota, vel quæ non nouimus, cogitamus, vt inde formetur quidam spiritualis intellectus. Innumerabilia etiam pro arbitrio & opinatione fingimus, quæ vel non sunt, vel esse nesciuntur.* Deinde, hos tres præcipuos modos rangit, dicendo: *Innumerabiles quæque & aliæ formæ rerum in animo nostro versantur: vel cùm aliquid facimus,*

facimus, vel facturi sumus (Hic est primus) *aliquo etiam spiritu rapiente tollitur anima in huiusmodi videnda, seu bona, seu mala.* Iis postremis verbis, reliquos duos modos tradit. Cùm enim ait, *aliquo etiam spiritu rapiente*, &c. intelligendum est, vel malo, vel bono: si bono spiritu rapiente tollitur anima ad hæc videnda, est modus secundus, cum sc. à spiritu Dei, simulachra rerum in animo excitantur vel ingeruntur. Si verò malo spiritu, est modus tertius, cùm se à spiritu Satanę citentur, vel ingeruntur. Caput verò 24. tria lumina Animæ recenset: primum corporale, quo corpora ipsa videmus, hoc est lumen, quo per oculos, Anima corpora intuetur. Alterũ spirituale appellat, & intelligit lumen phantasiæ seu cogitatiuæ, quo anima corporum similitudines videt, id est spectra. Tertium intellectuale, & intelligit lumen mentis, spiritu præsertim Dei illustratæ, quo res, quæ nec corpus, nec corporum formas habent, mens ipsa videt. Verba eius hæc sunt: *Natura Animæ inuisibilis est, ideo inuisibiliter in corpore manet, & de corpore inuisibiliter egreditur. Per corpus, corpora videt, sicut cœlum & terram.* Videantur reliqua. Deinde ait, *Ista tria genera visionum manifesta sunt. Primum corporale, quo per corporis sensus, corporalia sentiuntur. Secundum spirituale quo corporum similitudines spiritu, non mente cernentur.* (Hic patet, per spiritum intelligi phãtasiam, seu sensum communem, & cogitatinam memoriámque.) *Tertium, intellectuale, quo illa res, quæ nec corpora, nec corporum formas habent: conspiciuntur.*

Modò ad spectra secundi generis veniamus, quæ etiam feriunt oculos corporis. Sæpe fit, vt quædam etiam rerum vel personarum simulachra spectráque oculis corporis obiiciantur, ita vt res ipsas ac personas alioqui absentes, vel mortuas, vel quæ nunquam fuerunt, ceu præsentes ac coram videre videâtur, cum tamen reuera personæ aut res illæ non sint. Exempla infinita adferri possunt tum ex libris Ethnicis, tum ex sacris, tum ab ipsa experientia. Plutarchus de Bruto, in eius vita narrat, quod nocte quadam, sed vigilans, horrendam & monstrosam imaginem viderit ad se venire. Interrogauit eam Brutus, dicendo: *Quis Deorum aut hominum es, aut quid tibi vis? aut quid ad nos venisti? submurmurauit illa imago dicendo: ô Brute, malus genius sum, in Philippis me videbis. Tum Brutus, imperterritus, videbo, inquit.*

Valerius Maximus refert, eandem imaginem deinde obiectam fuisse Cassio in campis Philippicis. In vita Catonis legitur, quòd quo tempore Caio Vticæ erat, quidam nocte venerit, nuntiaueritque Catoni, *die tertia, ante commissum certamen, castra Scipionis capta fuisse, Cæsarémque victorem, Scipionem & Iubam cum paucis euasisse, reliquas copias funditus deletas.* Epicuræi quidem (vt refert Plutarchus) hæc negant, asseruntque mera esse hominum figmenta: sed tamen infinita huiusmodi exempla referunt omnes ferè historici Latini & Græci, Valerius, Plinius, Liuius, Aul. Gellius, Lucanus, Herodotus. Cic. etiam in 1. lib. de Diuinat. multa refert.

Ex S. literis infinita possent adferri exempla, vt Rubi ardentis: item visiones Ezechielis, Iesaiæ, Ieremiæ, &c. item Ioannis in Apocalypsi. Sed illud est manifestum, quod est 1. Sam. 28. quando mulier illa quæ habuerit spiritum Pythonem, rogata a Saule effecit arte suâ, vt imago Samuelis iam demortui apparuerit, Saulémque allocuta sit. Quid illud fuit? Nunquid verè Samuel? Minimè. Sed spectrum Samuelis. Sic Diabolus in specie humana dicitur apparuisse & locutus fuisse beato Martino. S. Sulp. in vita Martini, c. 6. item Latronis demortui spectrum eidem Martino apparuisse, c. 14. Autor quoque libri de Anima & Spirit. c. 29. inquit, *Cùm homines mortui, siue viui hominibus dormientibus, vel vigilantibus apparent: non in ipsis rebus, vt sunt, videntur, sed in quibusdam similitudinibus rerum.*

Experientia quoque docet. Multi enim etiamnum reperiuntur, qui huiusccmodi spectra viderunt, præsertim verò Melancholici, & graui aliquo morbo laborantes, & Phrenetici aliquando videre videntur Dæmones, serpentes, variásque rerum figuras. Manifestum igitur, talia spectra dari.

De iis igitur, vt loquar, tria hæc præfari oportet: Primũ quidem, spectra hæc, quæ oculos etiam corporis feriunt, nõ esse res, aut personas ipsas, quę esse videntur. Sic enim non essent spectra, sed res ipsæ: sed esse (vt supra etiam dixi) imagines, εἴδωλα, ac simulachra, quæ res & personas quasdã repræsentent & oculis offerant, sicut ex c. i. ostendi, & Augustinus T. 3. de spiritu & Anima, c. 29. apertè docet loco paulò ante citato. Sic enim dicimus spectrum esse εἴδωλον, imaginem ac simulachrum rei vel personæ, quod quidem vel intellectui, vel etiam oculis corporis occurrat: ideóque duplicia esse spectra, alia quæ tantùm menti, alia quæ etiam oculis corporis obiiciantur.

Secundum, spectra etiam hæc, quæ oculos etiam corporis feriunt, duplicis esse generis. Quædam enim intus ab ipsa etiam phantasia genita, ad oculos vsque externos iruunt: quædam verò extra, id est, in äëre genita, in oculos impinguntur. Illa priora, neque sunt res ipsæ, neque externum aliquod rerum simulachrum: sed sunt tantùm interna quędam rerum simulachra, genita in ipsa phantasia. & ad oculos vsque corporis peruenientia: ideóque pręter phantasma ipsum & apparitionem, nihil sunt. Hęc admittuntur à Peripateticis. Ista verè posteriora, non sunt quidem res ipsę: sed tamen sunt vera rerum externa simulachra in äëre existentia, & realiter oculis obiecta, ideóque sunt aliquid reale, præter ipsum phantasma & apparitionem. Hęc negantur à Peripateticis: sed à Platonicis, qui Dæmones fatentur, admittuntur.

Tertium, vtraque autem hęc spectra, non omnibus, sed tantùm tribus temporibus solent hominibus contingere, etiam iuxta Peripateticos. Nam omni tempore vel planè dormimus: vel planè vigilamus, vel partim dormimus, partim vigilamus, cùm scilicet sopore tenemur. In pleno somno, spectra hęc non apparent oculis corporis: sed tantùm phantasmata, ipsi menti, de quibus suo loco. In plena vigilia, si simus in tenebris, apparere solent: Si verò simus in luce magna, non solent apparere. Ratio, quoniam lux vehemens externa, cùm fortius moueat oculos, quàm internum phantasma, distrahit oculos ad externa corpora. Si tamen in luce magna simus vehementer ægroti, vt sunt phrenetici, ita vt oculorum acies sit penè obtusa, apparere etiam solear.

In vigilia vero, quę cum quodam somno fit mixta ita vt simus semiuigilantes, maximè apparere solent huiuscemodi spectra, oculos etiam corporis ferientia, tam illa priora, quę pręter internum phantasma nihil sunt, quàm posteriora, quę pręter internum phantasma, realia etiam sunt externa simulachra.

Iam, vt de prioribus loquar, quę præter internum phantasma, nihil habent externi, primum declarabo, quotuplicia sint. Secundo, quomodo fiant. Tertio, quę ex singulis Diuinatio fieri possit.

Triplicia sunt, alia physica: alia diuina: alia Diabolica. Physica sunt, quę naturâ tantum duce fiunt, sine spiritu vel diuino, vel Diabolico. v. gr. vt cùm alicui naturaliter de re aliqua intentè cogitanti, occurrit phantasma illius rei, ita vt etiam oculos feriat: sicut sunt, quæ apparent phreneticis. Diuina sunt, quæ à diuino spiritu: Diabolica vero, quę à Diabolico spiritu phantasię ipsi immittuntur, & eodem duce, ad oculos vsque corporis veniunt.

Gignuntur autem primùm Physica plerumque hoc pacto. Primo ab externis rebus, externis corporis sensibus perceptis, species quędam sensibiles, per sensoria externa, vsque ad sensum communem, & corporalem memoriam deferuntur: inde vero species alię priorum specierum, ad phantasiam, quę res etiam diuisas componit, & composita diuidit, quę phantasmata appellantur: idque fit per vim sanguinis vaporosi, spirituosi. Secundo vero, hęc phantasmata aliquando tam vehementia sunt, vt per eundem vaporosum sanguinem, ad sensoria externa, per quę prius venerant, ad oculos deferantur, atque ibi certo aliquo tempore manentia, faciant apparere aliquod monstrosum animal, vel hominem mortuum, aut aliquid huiuscemodi, &c. Ita generantur hęc spectra physica.

Diuina sic: Phantasmata rerum in phantasia, à spiritu diuino excitantur vel immittuntur: inde vero duce eodẽ spiritu, per sanguinem à phantasia ad externa sensoria discurrentem, ad ipsa externa sensoria deferuntur, sicut [illegible] am physica, ita vt oculi corporis ea videre videantur, sicut Prophetis sæpe contigit.

Diabolica eâdem ratione fiunt, sed à spiritu Diabolico, sicut Gentibus infidelibus, vt illi Pythiæ, &c.

Qualis igitur diuinatio ex naturalibus haberi potest? Nulla profecto. Ratio, quoniam nullam habent cum rebus, quarum sunt illa spectra, connexionem, nisi ex accidenti id fiat. v. gr. Mihi contingit in Musæo ambulanti, & ab aliis externis vehementibus sensationibus vacanti, vt intentè cogitem de aliquo amico, vt ita phantasma illud vsque ad oculos meos aduolet, quasi amicum ipsum præsentem videam: & en, adest amicus reuera. Vnde hoc factum, vt mihi de eo cogitanti, amicus occurrerit? Ex accidenti, & casu. Poteramne igitur, cùm ita spectrum illud mihi apparet, diuinare certo adfuturum iam iam amicum? Minimè, quandoquidem spectrum illud cum amico, nullam habet necessariam connexionem, sicut etiam de somniis dicitur. Somniat aliquis, vinum se Creticum

bibere. Manè fit, vt ad conuiuium inuitatus, Cretense vinũ bibat. Hic effectus ex illo somno, nullam habet consecutionem, nisi per accidens. Ideo ex somniis huiusmodi, diuinare stultum est, nisi à Deo immissa sint. Ita etiam de phantasmatibus spectrísve, quando scilicet naturalia tantùm sunt.

Diuina verò spectra, pariúntne veram diuinationem? Omnino: & si constat, diuina spectra, sicut Prophetis contigit, licet ex eis res illas diuinare, quas demonstrant spectra: sicut etiam de somniis dicitur. Ratio, quoniam habent connexionem cum rebus illis sicut speculum cum tua imagine, quæ in eo relucet, cùm Deus ipse ea paret & offerat.

Ita etiam ex Diabolicis spectris, vera diuinatio futurorum aliquãdo fiet. Excitat enim Diabolus spectra in phãtasia, quæ reuera futurum aliquid præ se ferant: sed tamen Diabolica est diuinatio, sicut exemplis Gentium patet. Summa: Diuinatio ex spectris Diabolicis, diabolica: ex diuinis, diuina.

Hactenus de spectris, quæ intus gignuntur in phantasia, & inde per sanguinem spirituosum, ad sensoria vsque, id est, ad oculos corporis externos perueniunt.

De aliis verò spectris, quæ externis oculis in aëre geuita offeruntur, atque ita præter apparitionem ipsam, aliquid sunt, dico:

Primùm, Etsi multi hæc negent dari, fateamur tamen dari necesse est, propter testimonia omnium ferè historicorum, qui de iis multa scripserunt. Nota est historia, quam refert Plutarchus & Cicero, quòd dum Romani cum Tusculanis bellum gererent, Aulo Posthumio duce, & apud lacum Regillum, pugna commissa ad multam diei partem tracta foret, & in neutram partem victoria inclinaret, visi sunt Castor & Pollux pro Romanis fortiter pugnare, qui hostium copias penitùs profuderunt. Ibi præter visionem aliquid verè fuisse, manifestum est, si veræ sunt historiæ. Dantur igitur hæc etiam externa spectra. Neque dici potest, omnes qui illa viderunt, deceptos fuisse. Notum est etiam spectrum, quod Iustinus lib. 11. & Cic. in 2. de Orat. Simonidi contigisse scribunt.

Quid? quòd experientia multorum id confirmat, & testimonia Patrum, vt inter alios Augustinus de spiritu & Anima, cap. præsertim 29. Sed inprimis verbum Dei id testatur, tum scilicet vel mali, vel boni spiritus formas hominum induti, multis apparuerunt. Non possumus ergo inficiari hæc spectra externa, quæ præter apparitionem etiam aliquid sunt.

Hæc verò spectra etiam sunt vel diuina, vt illa, quæ Deus oculis sanctorum offert, sicut rubus Mosi ostensus, quasi arderet: vel cùm Angeli formis humanis induti, apparent: vt Angelus, qui Petrum eduxit de carcere: vel sunt Diabolica, vt illa, quæ Satan obiicit oculis impiorum, vel cùm ipsimet Dæmones, diuersorum animalium formis induti, apparent. Physica nulla dantur. Natura enim non gignit spectra, nisi in animo, quæ sunt ipsa phantasmata, sed gignit corpora vera, non autem apparentia tantùm: idcirco, qui solùm naturalem Philosophiam sequuntur, spectra hæc, nec vllos spiritus, seu dæmones admittere possunt, vt sunt Aristotelici permulti. Aliquando quidem vmbra aliqua alicuius corporis vera, tibi erit præsertim noctu obuiam, ita vt tu hominem aliquem, vel serpentem, denique spectrum aliquod existimes: sed decipitur visus tuus. Hoc sæpe vsu venit timidis, vt pueris, vt mulierculis, si noctu ambulent, vt quod reuera spectrum non est, sed vmbra aliqua, spectrum esse putent. Id etiam contingit morbo aliquo grauiafffectis, vt phreneticis. Idem etiam Melancholicis. Aliquando etiam arte sagarum fascinantur oculi, vt patrem vel matrem demortuam videre videaris, cùm tamen nihil minus videas, & non sint, nisi meræ præstigiæ & oculorum fascini. Vide Augustin. de spiritu & anima, cap. 28.

Spectra igitur hæc, si physicè considerentur, nulla cùm sint, nulla quoque inde diuinatio fieri potest. Ex diuinis verò præsentiri possunt illa, quæ spectra illa vel prædicunt, vel significant, seu præ se ferunt, eáque diuinatio bona est, sicut fuit Prophetarum sæpe, ex iis, quæ oculis etiam corporeis à Deo illis obiiciebantur. Ex diabolicis etiam fieri potest. Sed Diabolica est, cum arte Diaboli fiat, ideòque Christianis fugienda. Ipse enim Satan semper ad decipiendum & perdendum spectra ostendit, & aliqua vera prædicit.

Plura de spectris dici poterant: sed quantum ad præsentem nostram quæstionem attinet, hæc satis: quorum in summa (vt dixi) duo sunt genera: vnum eorum, quæ menti tantùm occurrunt, eáque duplicia, alia quæ nobis dormientibus, alia quæ nobis vel plenè vigilantibus, sed in tenebris degentibus, vel semiuigilantibus. Alterum eorum, quæ oculos etiam corporis feriunt, eáque duplicia: alia quæ præter ipsum phantasma interenum, nihil sunt: ea gignuntur in phantasia, inde verò ad oculos vsque perueniunt, & eos percellunt: alia, quæ præter phantasma, aliud reuera sunt, ea in aëre vel à Deo, vel à Satana gignuntur, & oculis hominum offeruntur. Hinc patefactum, quæ diuinatio ex iis fieri possit, & quæ non, quæ licita & bona, quæ illicita & mala.

Nunc ad sortes transeundum, quæ eò diligentius considerandæ sunt, quòd de iis frequens fit mentio in S. literis, & non solùm in profanis autoribus, sed etiam in quotidiano vsu sint frequentes.

Vna ex parte multa sunt loca tum in scriptoribus profanis, tum in S. literis, tum in Ecclesiasticis Scriptoribus, quæ sortes in vniuersum damnare videntur. Cicero in 2. de diuinat. eam omnino improbat, dicendo: *esse rem totam inuentam fallaciis, aut ad quæstum, aut ad superstitionem, aut ad errorem.*

Deut. 18. *Non sit inter vos sortilegus,* &c. Ideo in Decret. p. 2. can. 26. q. 5. multi canones tum ex Conciliis, tum ex Patribus citantur, quibus hæc ars diuinandi per sortes prorsus damnatur.

Altera ex parte, multò etiam plura sunt, tum in Scripturis, tum in Ecclesiasticis scriptoribus, tum in communi omnium hominum, populorum & nationum consuetudine, quæ sortes commendant, iustámque & diuinam rem esse docent, vti sortibus, Leuit. 16. Iubet Deus, vt summus Pontifex, duos accipiat hircos, & super vtrumque sortẽ mittat: super quem ceciderit sors Domini, eum offerat, & faciat hostiam pro peccato. Num. 33. Sortibus distribui iussit filius Israel terram Canaan.

Psal. 30. *In manibus tuis sortes meæ,* &c.

Prouerb. 16. *In sinum coniiciuntur sortes, & iudicium illarum exit à Domino.*

Exempla etiam permulta in S. literis sanctorum hominum habentur, qui vsi sunt sortibus ad ea, quæ alioqui eos latebant, agnoscenda & agenda. Ios. 7. ex præcepto Dei iudicio sortium vsus est ad agnoscendum & puniendũ peccatum Achan: qui de anathemate surripuerat. 1. Reg 14. Saul etiam, licèt impius, sortibus deprehendit filium suum Ionathan mel comedisse. Certè hæc ostendunt, ex sortibus verè multa secreta agnosci posse: hancque diuinationem non esse illicitam. Luc. 1. *Zacharias sorte exiit, vt poneret incensum,* Act. 1. Matthias in Apostolum electus sortibus ab Apostolis.

August. in Psal. 30. exponens verba, *In manibus tuis sortes meæ,* &c. multis ostendit, sortes non esse rem malam, sed bonam. Esse enim rem, in dubitatione humana, quæ diuinam indicet voluntatem. Idem alij tum antiqui, tum nostri temporis scriptores sacri testantur.

In Decret. p. 2. c. 26. q. 2. multi textus Patrum sunt, qui sortes probant. Huc accedit antiquissima, miniméque vnquam improbata omnium Gentium & populorum consuetudo, vt in creandis Magistratibus, in diuidendis hæreditatibus, aliisque ciuilibus negotiis plurimis perficiendis, sæpe vtantur, atque vsi sint sortibus, idque ad retinendam publicam pacem & concordiam inter ciues, quæ res optima est. Vnde Salomon: *Contendentes sors componit, & inter fratres diiudicat.* Quare cùm hoc pacto vti sortibus, sit Dei institutio, & iudicium Dei appelletur in Scripturis, sitque ceu ius naturale omnium populorum consuetudine confirmatum, manifestum est, & ex sortib. multa alioqui secreta cognosci posse, & vti sortibus non solùm non esse illicitum, sed etiam optimum, & quod alicui ex sorte obuenit, ex iudicio Dei obuenire.

Quæstio igitur hic proponitur, *An diuinatio per sortes licita sit, nec ne: & an liceat vti sortibus.*

Vt quæstio hæc melius explicetur, & rectius intelligatur, varias adferam responsiones.

Sunt quædam opera, quæ suapte naturâ mala sunt, quia illis bene vti non possumus, v.g. vt adorare alios Deos, præter verum Deum Patrem Iesu Christi: vt adorare statuas, & multa alia. In horum genere non est hoc opus, mittere sortes, seu sortiri. Alia sunt, quę cùm suapte naturâ neque verè bona, neque verè mala sint, mala & bona fieri possunt. Bona, si bene: Mala, si malè eis vtamur, v.g. Iurare: malè vtamur iuramento, ita vt vel iuremus per cœlum, & non autem per Deum: vel iuremus per Deum, sed temerè, malum est, ideòque prohibetur Matth. 5. *Nolite iurare neque per cælum,* &c. Si verò bene, debitis scilicet seruatis circumstantiis, ita vt iuremus per Deum verum, idque in caussis necessariis & in iudiciis, bonum est, ideóque commẽdatur in lege. Idem dicendum de aliis. In horum operum genere repo-

reponitur & hoc de quo quæritur, nempe sortiri, seu mittere sortes.

Absolutè igitur & per se, mittere sortes, seu sortiri, & vti sortibus, malum non est, neque improbatur, aut damnatur: sed si bene vtamur, debitis seruatis circumstantiis, bonum est, ideoque in S. literis præcipitur & commendatur. Si verò malè, malum est, ideoque prohibetur in S. literis, Deut. 18. vt suprà vidimus, cùm prohibetur sortilegium. Ideo August. in Psal. 30. explicans verba illa, *In manibus tuis sortes meæ, &c.* inquit, *Sors non aliquid mali est sed res est in dubitatione humana, diuinam indicans voluntatem*, idque exēplo electi Matthiæ declarat, dicendo: *Electi sunt duo, iudicio humane. electus de duobus vnus iudicio diuino: de duobus consultus est Deus, quemnam ipsorum esse vellet, & cecidit sors super Matthiam.* Docet igitur ibi Augustinus, sortem non esse rem malam, sed bonam potiùs, subintellige, si bene vtamur, debitis seruatis circumstantiis, quibus omissis, res alioqui bona de bona fit mala.

At quæ sunt hæ circunstantiæ? Multæ quidem sunt, sed quæ sint præcipuæ, postea recensebo & declarabo Hæc est prima responsio in genere de sortibus, quàm etiam tradit Luther. Tom. 4. suorum operum, Latinè editorum, in cap. 1. Ionæ, explicans verba illa, *Mittamus sortes, &c.* vbi etiam contra eos, qui in vniuersum damnant sortes, propterea quod sortes mittere sit (ipsorum iudicio) tentare Deum, docet vir doctissimus, longè diuersa esse tentare Deum, & mittere sortes. *Tentare enim Deum, quando* (inquit) *ex humana libidine, aut curiositate, non cogente vlla necessitate, præscribimus Deo tempus certum, modum, personam, locum. vt operetur. sed & iuxta captum nostrum, & rationi nostræ humanæ se attemperet, sicut fecerunt Israelitæ in deserto. At in missione sortis hoc non fit: sed ibi duo aut tres aut plures paciscuntur & conueniunt aliquo negotio sorte finiendo (vt variæ sunt rationes & modi sortiendi) nec eligunt certam personam, sed permittunt Deo sortis euentum; & de hoc tantùm conuenit inter eos, vt iste sit electus à Deo, super quem sors ceciderit.* Et ibi etiam tradit hęc verba: *Equidem existimo, missionem sortis esse opus fidei, quo tamen ex libidine, aut prauo affectu aliqui abutuntur nōnunquam, vt multi abutuntur iuramento & potestate gladij: sed vbi vitium est non in opere sed in persona.*

Alteram responsionem haurio ex Comment. D. Brentij in 1. c. Act. exponentis verba. *Et cecidit sors super Matthiam.*

Duplex (inquit) *est sortilegij genus: alterum, quo nulla Dei ordinatione, sed mera temeritate, & impia superstitione, futura occulta inquiruntur: vt si quis, exempli causa, sortibus exploraret, num post annum victurus esset, aut quid ageret Cæsar in Hispania* Ratio, *quoniam tales sortes nullam habent cum ipsis rebus, de quibus diuinare tentamus, connexionem.* Ideò subdit, dicendo: *Quæ enim conuenientia sortis cum vita* (Cæsaris) *post annum, aut cum negotiis, quæ habet Cæsar in Hispania? Et hoc genus sortilegij impium est Et quoniam tria exempla in S. literis habemus, quando homines quædam occulta sortibus cognouerunt: primum, Iosuę, qui sortibus deprehendit peccatum Achan Secundum Saulis, qui sortibus deprehendit Ionathan filium suum peccasse. Tertium nautarum, qui Ionæ peccatum sortibus cognouerunt: Idcirco respondet vir ille, exempla hęc sortiendi facta fuisse personalia, ideoque non esse trahenda in exemplum.* Quare diuinationem per sortes damnat.

Quanquam responderi etiam posset, sicut D. Lutherus in Ionam, Iosuam bene fecisse, cùm sortibus est vsus, quoniam iussus fuerat à Deo id facere; Saulem peccasse, quia abusus sit sortibus, nempe ad necem filij: Nautas item fortè peccasse, &c.

Alterum genus sortiendi est, quod publica regionum consuetudine in diuidendis hęreditatibus, in creandis Magistratibus, & in aliis quibusdam ciuilibus rebus vsurpari solet: & hoc genus non solum licitum est: sed etiam est ordinatio Dei, quemadmodum ibi probat: & de hoc sortium genere Scriptura ait, Prou. 16. *In sinum conyciuntur sortes, sed à Deo iudicium illarum proficiscitur:* Et iterum, *Contendentes sors componit, & inter fratres diiudicat*: Et concludens ait: *Cùm igitur hoc sortiendi genus sit ordinatio & iudicium Dei, non solùm licet eo vti, sed etiam quicquid alieni per illud obuenerit, hoc verè ipsi iudicio Domini obuenisse sentiendum est.*

Hæ quidem duæ responsiones satisfacere debent: sed tamen quoniam & sortis nomen, (vt suprà dictum) frequens est tum in S. literis, tum in scriptoribus profanis & sacris; & sortium vsus frequentissimus est apud omnes, in negotiis tum publicis & ciuilibus, tum priuatis & domesticis, idcirco ego quoque, vt res melius intelligatur, aliquid addam, idque quàm breuissimè, quandoquidem locus hic de sortibus ex professo tractatur in Tom Miscel meorum, pag. 356.

Notandum igitur primùm quidem, quòad nomen, quod Latinè *sors*, Græcè κλῆρος, Hebraicè *Gural* dicitur, hac voce nihil mali per se significari: sed (vt Augustinus docet) *rem in dubitatione humana positam, quæ diuinam indicet voluntatem*, atque à serie fortuito alicuius rei euentu, dictum vult Varro, vt sors sit quasi fors, à fortuna, à qua putabant Gentiles Romani sortes gubernari, Sors igitur est actio humana, certis quidem rationibus constans, ad incertos autem diuersosque exitus, Numinis iudicio atque arbitrio exposita, idque vt eius euentu, aliquid vel prorsus occultum nobis innotescat: vel controuersum inter nos componatur.

Modi verò sortiendi varij sunt, & innumerabiles. Alij schedulis vtuntur, in quibus sua scribant nomina, illa miscent in aliqua pyxide vel vase, inde educuntur manu alicuius pueri. Alij talos iaciunt, alij tesseras, alij digitis micant, sicut Cic. docet de Diuinat. lib. 2.

Quos modos seruarint Hebræi, vt Iosua & alij, in mittendis sortibus, nos latet: quantum tamen ego memini, chartulis vtebantur, in quibus nomina eorum, super quos mittebantur sortes, scribebantur: primò nomina tribuum 12. scripsit Iosua: secundo, inuentâ tribu, nomina familiarum, quæ in illa tribu continebantur, scripsit: tertiò, inuentâ familia, nomina mulierum & virorum eius familiæ scripsit: ita tandem deprehensus est Achan sustulisse de Anathemate.

Sunt autem alij modi honesti & liciti: alij minùs honesti & illiciti. Honesti, vt qui seruantur in Magistratibus eligendis, vt iunctæ simul festucæ, quarum alia maior, alia minor: vt schedulæ, in quibus nomina scribuntur. Minùs honesti, vt talos & tesseras iacere, vt chartulis depictis, sicut vulgo fit ab impiis, vti & ludere.

Quinto igitur loco notandum, in tribus potissimum rerum generibus sortes vsurpari solere: primùm, in rebus quæ nos latent, cognoscendis, sicut fecerunt Nautæ, qui Ionam vehebant, & sicut faciunt diuini. Secundò, in rebus diuidundis ac distribuendis, idque ad omnem litem dirimendam, cùm inter nos non conuenit, v. gr. vt cùm inter fratres diuidenda est hæreditas. De iis loquitur Salomon, cùm ait, *Contendentes sors componit, & inter fratres diiudicat.* Tertiò, in rerum consultatione, vt cùm duabus rebus propositis, de quibus ambigamus, vtra sit eligenda, sortes mittimus, sicut fecerunt Apostoli Act. 1. de iis loquitur Salomon Prouerb. 16. *Sortes mittuntur in sinum; iudicium autem illarum expectatur à Domino.* Hinc tres species sortiendi. Prima dici potest per sortes diuinatio: Secunda, per sortes diuisio: Tertia, per sortes consultatio. Hæc cùm ita se habeant, nunc de singulis iis speciebus diuersæ proponi possunt quæstiones, ad quas paucis etiam respondebo, Primam speciem, in locum postremum reiiciam, quia propriè pertinet ad quæstionem hanc de Diuinatione.

Circa secundam & tertiam speciem, vna tantùm proponitur quæstio, *An liceat Christianis vti sortibus in rerum diuisione*, vt cùm aliqua hereditas, vel lucrum ex communi societate acquisitum, est diuidendum: *idem etiam quæritur in rerum consultatione*, vt cùm eligendus est aliquis in consulem, vel in Episcopum, & duobus propositis in medium, qui ambo ita pares in omnibus sunt, vt vter sit eligendus, ignoremus.

R. Licet. Vtrumque confirmatur tum locis scripturarum suprà citatis, ex Salomone: tum exemplo Apostolorum in electione Matthiæ, &c.

Sed hic seruandæ sunt hæ conditiones, alioqui res bona & licita, fieret mala & illicita in iis sortibus mittendis.

Prima, vt euentus rei exspectetur à solo Deo. Prouerb 16 *In sinum mittuntur sortes, iudicium autem earum à Domino.*

Peccant igitur primò, qui à stellis, seu cælorum influxu euentum in sortibus exspectant, quasi cœli dirigant has sortes, faciantque vt super hunc cadant, & super illum non cadant. Non sic ait Salomon: *Sed iudicium à Domino*, non à cœlis.

Peccant secundo, qui exspectantà fortuna, tanquam à quadam spirituali caussa, quæ sortes dirigat. Vt cum aliqui, non valentes rem aliquam inter se diuidere, sortibus vtuntur, quasi exponentes fortunæ Deæ rem ipsam, vt ipsa declaret, quam quisque partem accipere debeat. Hæc etiam sors plena est vanitatis, nec est Christiana. Non sic Salomon Prou. 16 *Sed sortes proiiciuntur in sinum: iudicium autem illarum à Domino.*

Peccant tertiò, qui à Sathana, quod peius est, iudicium & euentum exspectant, sicut Ezech.21.legitur, quod Rex Babylonis stetit in biuio, in capite duarum viarum, diuinationem quærens, commiscens sagittas, interrogaueritque idola, & exta consuluerit. Non sic Salomon: *Sed iudicium illorum à Deo,* & quidem solo. Ratio: Deus enim ille est, qui nouit omnia quæ futura sunt, & solus omnia decreuit. Cùm igitur nos latet aliquid, ad Dominum solum est veniendum. Hoc est, quod Augustinus in Psal.30.scriptum reliquit, explicans verba illa, *In manibus tuis sortes meæ,* &c. *Consideretur illud, In manibus tuis, non hominum, nec fortunæ, neque cœlorum, neque Dæmonum sortes nostræ.*

Hinc altera conditio, ad fidem pertinens. Hic nihil aliud à nobis fieri, nisi quod rem, de qua ambigimus, Dei iudicio exponimus, vt ipse sortium euentu, ceu aperto testimonio, indicet quæ sua sit ea de re voluntas. Si sortis euentus à nullo alio, quàm à solo Deo expectandus est, credendum igitur, sortis euentum, nihil aliud esse, quàm visibile certumque diuinæ voluntatis aliqua de re, nobis alioqui prorsus ignota, testimonium: ideoque quicquid nobis sortibus obuenit, illud ceu æternum Dei decretum amplectendum nobis est. Cùm enim sortimur, reuera nihil aliud facimus, nisi quòd rem, vel personam, de qua alioqui dubitamus, Dei iudicio exponimus, vt ipse sortis euentu, ceu aperto testimonio, quæ sua sit ea de re voluntas, indicet.

Peccant igitur, qui sortium euentum, casum quendam esse existimant, qui citra voluntatem Dei euenerit: ideoq; talem euentum, si videtur aduersus, blasphemando reiiciunt: si prosper, non Deo acceptum ferunt. Est enim reuera sortis euentus diuinæ voluntatis per hoc signum reuelatio. Hoc est, quod Augustinus scriptum reliquit in Psal. 30. Vbi duo in summa, præter alia docet: primum, sortem nihil aliud esse, nisi diuinæ voluntatis iudicium. Alterum, veram sortem, de qua præsertim Dauid & Scripturæ sæpiùs, esse ipsam gratuitam Dei gratiam ac prædestinationem, seu æternam Dei voluntatem, qua gratis seruare quosdam, ad hoc ante Mundi constitutionem electos decreuit. Verba eius subiiciam, quia pulcherrima sunt. Exponens verba illa, *In manibus tuis sortes meæ.* Primò considerat illud, *In manibus tuis,* & ait, *Non in manibus hominum, sed in manibus tuis sortes meæ.* Secundò considerat vocem *sortis,* dicendo: *Quæ sunt istæ sortes, quare sortes? Audito nomine sortium, non debemus sortilegos quærere. Sors enim non aliquid mali est, sed res est in dubitatione humana, diuinam indicans voluntatem.* Tertiò, probat hoc exemplo Apostolorum, quando elegerunt Matthiam, dicendo: *Electi sunt duo, iudicio humano: & electus de duobus consultus est Deus, quemnam ipsorum esse velles, & cecidit sors super Matthiam.* Quartò concludit, dicendo: *Quid igitur est, in manibus tuis sortes meæ? Sortes dixit, quantum ego existimo, gratiam qua saluati sumus. Quare sortis nomine appellat gratiam Dei? Quia in sorte non est electio* [scilicet humana] *sed voluntas Dei. Nam vbi dicitur: Iste facit, iste non facit, merita considerãtur: & vbi merita considerantur, electio est, non sors. Quoniam autem Deus nulla merita nostra inuenit, sorte voluntatis suæ nos saluos fecit, quia voluit, non quia digni fuimus. Hæc est sors.* Item, *Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis Vide sortem. Et hoc non ex vobis, Dei enim donum est,* &c. Item. *Ipsius enim factura sumus creati in Christo Iesu in operibus bonis. Hæc quodam modo sors occulta est Voluntas Dei in humano genere sors est. sors veniens de occulta voluntate, apud quem non est iniquitas Non enim ille personas accipit. sed occulta illius iustitia tibi sors est.* Item citat illud Actor.8. vbi Petrus ad Simonem, qui voluit pecuniâ Sp.S. comparare, ait: *Non est tibi sors, neque pars in fide hac, id est, non pertines ad gratiam istam, quam gratis accipimus omnes, quia pecuniâ putas te posse emere, quod gratis datur: ex eo autem, quod gratis datur, sors vocatur.*

Hæc omnia eo retulit Augustinus, vt declararet sortem nihil esse, nisi voluntatem Dei, seu gratiam Dei, quæ gratis datur, eam præsertim, quâ elegit ante Mundi constitutionem [est enim illa sors occulta] & quâ deinde in Christo saluauit, iustificauit, &c. Hæc est sors reuelata, patefactaque, quæ cadit super quos voluit Deus. Concludit sermonem dicendo: *Non mihi igitur promissas homo nescio quam particulam: Deus meus, in manibus tuis sortes meæ.*

Ego verò in hunc finem hæc verba Augustini retuli, vt ostenderem, sortis cuiusque exitum, hilari animo & fide amplectendum; quoniam sors, seu sortis exitus, nihil est, nisi voluntas Dei gratuita, quę ante sortes alioqui occulta erat, sortibus verò declaratur.

Ad Honoratum: *Si inter Dei Ministros sit disceptatio, qui eorum persecutionis tempore maneãt, ne fuga fiat omnium: & qui eorum fugiant, ne morte omnium deseratur Ecclesia: si hæc disceptatio aliter terminari non potest, quantum mihi videtur, qui maneant & qui fugiant sorte eligendi sunt.* Exemplum hoc facit ad controuersias componendas.

Hinc sequitur tertia, quę est, si sortis euentus nihil aliud est, quàm diuinæ voluntatis, aliqua de re nobis prorsus occultæ, testimonium, quod sortibus declaratur: ergo cùm alia ratione, vel lumine naturali, vel verbo Domini, fieri de aliqua re certiores possumus, sortibus non est voluntas Dei inuestigãda. Hoc enim esset tentare Deum. verbi gratia: vt si quis incontinens sortiri velit, an debeat vxorem ducere, nec ne: item, sitne voluntas Dei, vt Euangelij prędicationem amplectatur, nec ne. Item, edendumne sibi sit, & bibendum, nec ne: Cùm hæc partim lumine naturali, partim lumine verbi Dei nobis nota sint, secundùm voluntatem Dei, sortibus hæc inuestigare, Deum est tentare: ideoque huiusce modi sors illicita est. Erit igitur hæc tertia conditio, vt non nisi necessitate adacti, ad sortes recurramus.

Confirmatur hoc testimonio Ambrosij in Lucam, dicentis, *Qui sorte eligitur, humano iudicio non comprehenditur.* Ergo, cùm sine sortibus electio alicuius fieri potest, idque humano iudicio est perspicuum, ad sortes non est veniendum. Est enim sors, teste Augustino, *res in humana dubitatione posita diuinam indicans voluntatem.* Si igitur non est dubitatio vlla, sors non est.

Sed hic diligenter obseruandum est discrimen quoddã inter res Ecclesiasticas & profanas. In rebus profanis, v.g. in electione consulis, sæpe fit, vt multis viris ad consulatum propositis, iudicio nostro manifestum sit, quis ex iis omnibus dignior sit, qui in consulem eligatur, & qui indigniores, ita vt quantum ad hanc cognitionem attinet: sortibus minimè opus sit: vtimur tamen sortibus in deligendo consule: in quem finem? Non in hunc, vt qui dignior sit, nobis innotescat: sed vt quod inter nos est quodammodo controuersum, Dei arbitrio componatur, ideoque publica pax & concordia conseruetur. Cùm enim regimen ciuitatis, hunc inter alios scopum habeat, vt publica pax & concordia inter ciues conseruetur, cedendum aliquando est iudicio nostro in electionibus istis, & res sortienda committenda arbitrio Dei, ad pacem hanc conseruandam.

In rebus verò Ecclesiasticis alia est ratio. Exemplum. Eligendus est aliquis in Episcopum: multi proponuntur, quorum alius alio est dignior, vtpote doctior, grauior, sanctior, prudentior. Hic certè ad sortes currendum non est, etiamsi multi ex his propositis viris, officium illud Ecclesiasticum appeterent. Ratio est, quoniam hic non propriè inter aliquos fratres, concordia & pax, sed totius Ecclesiæ salus, & gloria Dei in primis spectanda est. Docet hoc Paulus ad Timoth. & Tit non iubet, vt in eligendis Episcopis vtantur sortibus: sed ij eligantur, qui describuntur 1. Tim.3. & Ti.1. Idem Apostoli docent in electione septem Diaconorum, Act.6. Secus autem erit, si duo ad Episcopatum proponerentur, quorum alter altero dignior non esset, sed alter alteri par omnino esset virtutibus: tum sortes locum haberent. Quare? quoniam cùm lateat nos vter futurus sit Ecclesiæ vtilior, tota illa electio, Dei iudicio est committenda, vt ipse vtrum velit eligere, indicet. Huius exemplum esto electio Matthiæ. Duo propositi ad Apostolatũ Ioseph, qui Barnabas vocatur, cognomine Iustus, & Matthias: ambo digni. Sortibus igitur vtuntur: quanquam propria ratio, cur ad sortes venerint Apostoli, est quoniam electio ad Apostolatũ immediatè à Christo fieri debebat, non autem ab hominibus. Ideo propositis duobus, qui omnium dignissimi videbantur Apostolis, electionem ipsam totam Christo committunt, vt sortibus declaret, vtrum elegerit.

Augustinus aliud exemplum adfert in epist. ad Honoratum.

Est etiam notandum, quòd aliquando aliquid in genere quidem ex verbo Dei scimus: sed vbi ad singularia ipsa venitur, quid agendum sit, ignoramus: tunc certè necessitate vrgente, sortibus perscrutanda est Dei voluntas. Exemplum adferam Augustini, Tom.3. de doctrin. Christ lib.1. c.28. In genere scimus ex verbo Domini, indigentibus pro nostra facultate succurrendum esse. Modò fit, vt tibi aliquò iter facienti: & nil nisi obulum vnum panis habenti, obuiam fiant pauperes duo, fame ambo pereuntes, quorum alter, alterum nec indigentia, nec aliqua erga te necessitudine, nec Christiana pietate superet: tu vtrique succurrere non potes, vni tantùm illud panis frustrum dari potest:

hic

hic vtri sit dandum, prorsus hærebis. Quid igitur agendum? sortibus inuestiganda est Dei voluntas, vtri velis panem illum dari. Verba Augustini hæc sunt: *Si tibi abundaret aliquid, quod dari oporteret ei, qui non haberet, nec duobus dari posset: si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentia, vel erga te aliqua necessitudine superaret: nihil iustius faceres, quàm vt sorte eligeres, cui dandum esset, quod dari vtrique non posset.*

Hinc quarta conditio, quæ est, cùm in sortibus mittendis diuinum oraculum, seu diuinæ voluntatis iudicium imploretur. Ergo siue cùm de aliqua re deliberandum est & consultandum: siue cùm aliquid inter fratres est diuidendum; sortiendum non est, nisi res sint & honestæ & graues. Honestæ, propterea quòd, cùm Deus turpia & inhonesta nolit, in rebus turpibus & inhonestis, voluntas Dei non est expectanda. Graues propterea quòd diuina oracula cùm sint sacrosancta, ad res quasuis leuissimas & nullius momenti, conuertenda non sunt. Ideò August. Tom. 2. epist. 119. c. 20. *Hi verò qui de paginis Euangelicis sortes legunt, etsi optandum est, vt hoc potiùs faciant, quàm vt ad Dæmonia consulenda concurrant: tamen ista etiam mihi displicet consuetudo, ad negotia secularia, & ad vitæ huius vanitatem propter aliam vitam loquentia, diuina oracula velle conuertere.*

Peccant ergo illi, qui pro quauis re vel leuissima, vel etiam turpi sortiuntur, vt passim, præsertim apud Papistas fit. Nisi enim res sint quæ ad gloriam Dei, vel ad ædificationem Ecclesiæ, vel ad publicam pacem & bonum, vel denique ad fraternam charitatem faciant, de illis sortiendum non est.

Quinta, vt cum Dei viuentis reuerentia & inuocatione, semper sortes mittantur. Id docet exemplum Apostolorum in Actis: Collecto fratrum cœtu & precibus ad Deum fusis, cum magna Dei reuerentia & timore sortes miserunt.

Peccant igitur illi, si sine vlla Dei inuocatione & reuerentia, sed vel cum Dæmonum, vt infideles: vel cum hominum demortuorum, inuocatione, vt Papistę: vel ioco & risu, vt vulgo fit, sortiuntur.

Hæ mihi conditiones præcipuæ visæ sunt, quæ in sortibus iis mittendis seruari debent: & tunc sors bona est & licita, Deóque grata, & opus fidei. Hæc de duabus speciebus postremis sortium, quarum altera in electione, altera in diuisionibus consistit.

De prima verò specie, quæ in rebus tantum cognoscendis consistere videtur, vnica etiam quæstio proponi potest: *An liceat sortibus futura vel abdita, cognoscendi tantùm caussa, inuestigare, seu diuinare.*

R. Primò, in S. scripturis non habemus neque verbum vllum, quòd liceat futura sortibus explorare: neque exemplum vllum: quòd quispiam futura sortibus inuestigarit. Nihil autem est Christianis agendum cuius vel præceptum, vel exemplum aliquod in S. literis non habeant: vel saltem ex verbo Dei necessaria consecutione deduci non possit. Sortibus ergo futura inuestigare, sicut faciunt sortilegi, impium est.

De præteritis autem sorte inuestigandis, exemplum habemus in S. literis sine vlla dubitatione probatissimum, Ios. 7. Cùm scilicet Iosua peccatum Achan iam commissum, sorte inuestigat & deprehendit. Sortibus igitur præterita inuestigare, per se malum non est: alioqui malum etiam in Iosua fuisset.

Sed hic notandum, quòd Iosua sortibus non est vsus in cognoscendo peccato Achan, tantum vt cognosceret: sed in hunc finem cognoscere voluit, vt illo punito, ira Dei contra populum vniuersum placaretur. Vnde sortes illę Iosuæ tum ad gloriam Dei, tum ad salutem totius populi faciebant.

Hinc concludamus, sortibus ergo abdita inuestigare tantùm cognoscendi caussa, idque ex curiositate, impium est, nec licet Christiano. Hinc sequitur secunda responsio, quæ regula est generalis, Abdita siue præterita, siue præsentia, siue futura, quorum cognitio nihil aut ad gloriam Dei, aut ad ædificationem Ecclesiæ, aut ad publicum bonum, aut denique ad fraternam charitatem, sed tantùm ad meram curiositatem facit, inuestigare, impium est, & peccatum. Cum autem tales sint sortes, quibus sortilegi seu diuini vtuntur: idcirco talis diuinatio impia est & Diabolica. Hæc est illa, quæ propriè Diuinatio per sortes, seu sortilegium & κληρομαντεία appellatur, & tum in S. literis Deuter. 18. tum in Decret. p. 2. c. 26. p. 5. ex multis Patrum & Conciliorum autoritatibus damnatur. Illa verò, quæ tum est in rerum diuisione, tum in consultatione versatur, improbari non potest Sed bona est & Christiana ac licita, vt diximus. Atque hæc de sortibus satis.

Dicendum nunc est de φυσιογνωμίᾳ: An aliqua sit rerum futurarum, vel alia ratione abditarum, ex φυσιογνωμίᾳ præsensio seu cognitio: & quatenus Christiano sit licita, quatenus non sit.

De hac in S. literis nulla penitus fit mentio, neque vllum prorsus habemus in Theologia exemplum: idcirco hæc Theologικῶς considerari non potest. Philosophi multa ex φυσιογνωμίᾳ præcognoscere ac prædicere se profitentur. Ergo φυσιογνωμία φυσικῶς tantùm & μαντικῶς considerari potest.

Si igitur Physicè consideretur, dico multa, nempe naturales hominum affectiones ac propensiones alioqui nobis abditas, è φυσιογνωμίᾳ, seu è totius corporis inspectione, cognosci ac prædici, seu diuinari verè & legitimè posse: idque propterea, quod Physiognomia, cum illis affectionibus & propensionibus, certam habet connexionem, ideoque naturalem è physiognomia rerum abditarum & futurarum prædictionem, veram ac licitam Christiano.

Hoc autem ita esse, ex iis quæ à Philosophis disputata & explicata de physiognomia narrabo, perspicuum fiet.

Traduntur autem multa de physiognomia cùm ab aliis Philosophis, tum etiam ab Aristotele, in lib. cui titulus est φυσιογνωμικά. Vbi primùm disputat, an detur φυσιογνωμία, seu, an fieri possit, vt ex corporis aspectu, Animæ affectiones ac propensiones cognoscantur Secundò disputat de modo, quo fieri φυσιογνωμία possit, & qualisnam sit explicat. Tertiò, tradit, de quibus rebus sit physiognomia, seu quidnam ex corporis aspectu cognosci in homine possit. Quartò, docet ex quibusnam rerum generibus, quæ in humano corpore sunt, signa physiognomizandi accipi possint. Postremò, sigillatim signa hæc explicat, & quid vnumquodque indicet, fusissimè tradit: quæ omnia recensere tum longum, tum superuacuum est. Illa tantum tum ex Aristotele, tum ex aliis Philosophis referam, quæ ad præsentem caussam nostram de Diuinatione spectant. Sunt autem hæc capita.

I. An detur Physiognomia, seu, an verè ex corporis aspectu, humanæ Animæ, seu hominum affectiones ac propensiones cognosci ac præsentiri possint. Ipsa enim nominis φυσιογνωμίας notatio, significat Philosophis scientiam illam, quâ vel ex totius corporis, vel alicuius partis corporis aspectu, de hominis natura & ingenio iudicamus: Et à Philosophis sic definitur, quod sit scientia, qua naturales humanæ Animæ, seu hominum affectus, qui nobis insunt, aut alterato corpore, aut quibusdam signis affecto, per signa permansiua, necessariò cognoscuntur. An igitur talis scientia detur, primo loco inquirendum est.

II. Alterum caput est, de quibusnam rebus propriè sit Physiognomia, seu quænam in homine latentia, ex corporis aspectu cognosci possint, videlicet naturales Animæ affectus.

III. Tertium, de signis, per quænam signa, huiusmodi naturales Animę affectus cognoscantur, nimirum per signa permansiua.

IV. Quartum, de necessitate physiognomiæ: An hi naturales affectus, per hæc signa permansiua, necessariò cognoscantur.

De Primo.

Quoad primum caput, Stoici negarunt Physiognomiam, dicentes, fieri, non posse, vt ex corporis aspectu, interni Animæ affectus, & hominis mores cognoscantur: quoniam (inquiebant) mores & affectiones hominum extrinsecus homini accidunt, non autem ab anima intrinsecus proficiscuntur. Chrysippus quidem dixit, Animas ex mortuorum corporibus, mores & affectiones ferre in corpora noua: Panætius autem & Posidonius tradiderunt, Animas mores ex stellis deducere. Hanc ob caussam negarunt ex signis, quæ sunt in corpore, internos Animæ affectus cognosci posse. At fundamentum hoc falsum est. Reliqui igitur ferè omnes Philosophi, Physiognomiam fassi sunt, imprimis verò Hermes Zophyrus, Loxus, Philemon & Palæmon, qui autores physiognomiæ fuisse dicuntur. Deinde eam confirmat Aristoteles, Galenus & alij Medici.

Ac primum quidem Aristoteles hanc probauit iis rationibus.

1. Inter Animam humanam (scilicet qua homo viuit, & sentit, & mouetur, non autem qua intelligit) tanta est

συμπάθεια, vt quemadmodum corpora afficiuntur ab animis, excitatis affectibus: ita vicissim Animæ (per accidens tamen) afficiantur & patiantur à corporib. & sicut corpora sequuntur animæ affectiones: ita Animæ sequuntur corporum qualitates: ὅτι (inquit Aristoteles initio Physiognomicorum) αἱ διάνοιαι ἕπονται τοῖς σώμασι, καὶ οὐκ εἰσὶν αὐταὶ καθ' ἑαυτὰς ἀπαθεῖς οὖσαι τῶν τοῦ σώματος κινήσεων. Hoc probat & aperit exemplis aliquot perspicuis. Quòd Animæ afficiantur & patiantur à corporibus, seu à corporum passionibus, demonstrat in ebriis & ægrotis. Videmus enim quòd si quis inebrietur, dum ebrius est, insanit, homines non agnoscit, nullius recordatur: certè tunc Animam alteratam esse ex corporis alteratione, & corpori patienti ipsam quoque compati, manifestum est. Idem patet in iis, qui aliquo graui morbo laborant, quòd ægrotante corpore, Anima quoque patiatur. Quamobrem? propter συμπάθειαν inter animam & corpus. Quod verò vicissim ex Animæ passionibus & affectibus, corpus afficiatur & patiatur, patet in amoribus, in tristitiis, gaudiis, quæ sunt Animæ affectiones. Animâ amante, corpus afficitur amore. Vidimus enim multos ex nimio amore, qui affectus est Animæ, extenuari, marcescere, aliquando interire: Ex timore verò, qui est in Anima, corpus pallere videmus: imò aliquando ita comprimi, vt multi subitâ morte perierint: propter etiam maximas tristitias & dolores, multi belluis similes facti sunt: rursus propter nimias animi voluptates & lætitias, multi periisse leguntur. Corpora igitur ab animorum passionibus afficiuntur. & contrà.

Confirmatur hæc propositio ab aliis etiam Philosophis.

Galenus, pueri cùm primùm in lucem eduntur, alij timidi, alij gulosi, alij inuerecundi, alii aliis modis naturâ morati & affecti nascuntur. Hoc autem quid docet, nisi quòd Animæ sequantur corporum qualitates.

A permutatione complexionis. Permutatâ corporis complexione, sæpe permutantur & mores v. gr. cholerâ abundante in cerebro in desipientiam trahimur: nigrâ bile, in melancholiam, phlegmate in lethargum: sicque complexione mutata, in varios mores mutamur. Quid hoc docet? nisi quod Animæ affectiones, sequuntur corporum habitudines? Hinc autem est physiognomizare.

Plato quoque hoc fundamentum Aristotelis comprobat. Nam in Timæo dixit, corpora tantò esse prudentiora, quantò humiditatis sunt minùs participantia. Ergo indicat, Animas, propter corporum qualitates alterari.

Idem ex permutatione ætatum docuit. Pueri alios mores, alios iuuenes, alios viri, alios senes ducunt.

Aristotel. in 2. De partib. ex varia sanguinis natura, mores in animalibus, differre scribit: vnde exangues timidiores esse sanguinem habentibus, asserit. Taurum & aprum iracundos & fortes: quoniam eorum sanguis feruentissimus est.

Hippocrates etiam tradit, mores naturales sequi potentias naturales: & potentias, complexiones. Complexionum verò diuersitates, pendere ex diuersitate regionum: morum autem diuersitatem, pendere ex diuersitate complexionum. Id patet: alios esse mores naturales Hispanorum, alios Italorum.

Ptolom. quoq. in 2. Apotelesmatum libro affirmat, ex differentia climatum, differentias pendere complexionum: ex differentia verò complexionum: differentias morum.

Loxus Physiognom. rem sic probat: quod fertur, sapit naturam sui deferentis. Anima fertur in corpore: Ergo sapit naturam corporis.

DE SECVNDO.

Quoad secundum, *quanam res in homine, è physiognomia cognosci possunt?* R. Primò, Non actiones ipsæ, quas vel aliquis vel fecerit, vel facturus sit. Ratio, Nullam enim habent cum physiognomia certam connexionem: sed ipsæ tantùm animæ affectiones, καὶ πάθη. Ex corporis igitur aspectu iudicare, aliquem hoc vel illud egisse, vel acturum esse, temerarium est, nec ad veram physiognomiam attinet.

Secundò, Non omnes Animæ affectiones naturales & essentiales, seu à natura insitæ: quædam verò accidentales, seu aduentitiæ. Accidentales sunt, quæ naturæ quidem insunt: sed ex eo, quod insunt, nullum in corpore iudicium præbent. Huius generis sunt scientiæ & artes, quas addiscimus & nobis comparamus. Circa has physiognomia naturalis non versatur, seu ex corporis aspectu sciri non possunt. Ratio, quoniam nullum sui iudicium in corpore præbent, quod in earum cognitionem ducat, seu quoniam nulla in corpore signa esse possunt, quæ aliquam cum iis accidentalibus Animæ affectionibus, artibus, scientiisque habeant connexionem. v. gr. Quod enim signum in nudo hominis corpore esse potest, quod aliquem demonstret esse Medicum, vel fore Theologum? Circa has igitur non versatur Physiognomia. Ex corporis igitur aspectu, iudicare aliquem futurum vel philosophum vel Medicum, &c. temerarium est.

Naturales verò affectiones Animæ sunt, quæ cùm in nobis insint, aliquod etiam sui iudicium ac testimonium in corpore præbent: v. gr. vt sunt ira, metus, gaudium, libido &c. Cùm istæ affectiones naturales in Anima existentes, aliquod etiam sui testimonium in corpore, præsertim in facie præbeant: idcirco dicimus, ex iis signis, & mutationibus quæ apparent in corpore, huiuscemodi affectiones cognosci posse: & hæc est physiognomia.

Sed hic tertiò est notandum, has naturales Animæ affectiones considerari posse bifariam: primò, quatenus sunt actuales affectiones, seu actus exteriores, v. gr. vt cùm quis actu incontinens est, actu libidini carnis deditus, & id genus alij. Secundo, quatenus sunt affectus insiti quidem in Anima, è corrupta natura, sed actu non exercentur: & tunc propriè appellantur propensiones ad tales affectus. v. gr. vt cum quis ad lasciuiam quidem suapte naturâ propensus est: sed tamen gratiâ Dei fit, vt actu lasciuiæ operam non det: sed eam cohærceat, frenet. Physiognomia igitur naturalis propriè circa has affectiones, quatenus sunt actuales, non versatur, nec ex lineamentis corporis tales actuales mores agnosci per se possunt, nisi ex accidente, quatenus scilicet accidit, vt qui ad lasciuiam, v. gr. est propensus, ei etiam operam det: sed circa has naturales affectiones, quatenus sunt propensiones naturales, propriè versatur physiognomia, & è corporis aspectu, aliquem actu vel esse, vel fore luxuriæ deditum, temerarium & impium est: & hæc est propriè illa per physiognomiam diuinatio, quæ improbatur. Diuinare vero, eum esse ad lasciuiam propensum, naturalis est & certa scientia: & hæc improbari non potest, neque vt falsa, neque vt impia.

Notum est illud, quod Cicero de Socrate in lib. de fato tradit. Socratem notauit Zophyrus physiognomon, qui se profitebatur hominum mores naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere. Cum multa in conuentu vitia collegisset in Socratem Zophyrus, qui se naturam cuiusque ex forma perspicere profitebatur, derisus est à cæteris, qui illa in Socrate vitia non agnoscerent: ab ipso autem Socrate est subleuatus, cum illa sibi signa inesse, sed ratione à se deiecta diceret. Fassus igitur est Socrates, verum agnouisse Zophyrum, quantum ad naturalem propensionem in talia vitia attinet: sed quantum ad actualia ipsa vitia, hallucinari. Constat igitur, de quibus propriè sit naturalis physiognomia.

DE TERTIO.

Per quæ signa in corpore hæ naturales Animæ affectiones cognoscantur. Aristot. lib. περὶ φυσιογν. duo genera signorum tradit. Primo quædam appellat ingenita & μόνιμα, permansiua, sine stabilia: seu à natiuitate vsque ad mortem in corpore permanentia & inseparabilia. v. gr. qualia sunt ipsa corporis lineamenta, magnitudo, vel paruitas capitis, cutis dura vel mollis, extrema corporis magna vel parua: denique omnia quæ à corpore separari possunt.

Aliud genus signorum est illorum quæ in corpore non sunt permanentia, & horum alia vocat ἐπεισόδια, aduentitia, scilicet quæ non sunt à natura insita corpori, sed à caussa externa recens adueniunt, vt ab ægritudine, à vulnere, qualia sunt, v gr. oculorum cæcitas, cicatrix in facie, &c. Alia vocat ἀπογινόμενα, discedentia, id est, quæ congenita quidem sunt à natura in corpore, non tamen perdurant, sed procedente ætate prorsus discedunt & delentur vt colores capillorum, qui nascentur rubei, in senectute vel tandem fient albi. Alia appellat ἀπολείποντα, deficientia, id est, quæ à natura quidem insita erunt, & etiam perdurabunt: sed tamen non in eadem dispositione perdurant sed paulatim deficiunt, v. gr. qualis est staturæ erectio, quæ aliquando in senectute curuatur. Hæc omnia huius secundi generis signa mutabilia sunt, non permanentia.

Dico igitur, quòd per signa primi generis, naturales Animæ

Animæ affectiones in Anima permanentes cognosci à physiognomone possint. Ratio, quoniam (ait Aristoteles quæcumque figurorum μόνιμα, mansiua sunt, μονιμώτερα σωμάτων, mansuum etiam aliquid significant. Sunt autem naturales Animæ affectiones, in Anima permanentes: Ergo per signa permansiua significantur.

Per signa verò secundi generis nequaquam à physiognomone cognosci possunt, nisi per accidens. Advenientia enim (ait Aristoteles) discedentia, & deficientia, quonam modo vera erũt eius signa, quod manet in anima? Possunt quidem etiam hæc transeuntia signa aliquid, quod in Anima manet, significare; verùm non per se, sed ex accidenti. Exemplum, vt rubedo faciei, quæ recens aduenian, & discedit, potest quidem esse signum verecundiæ, vt Terent. *Erubuit, salua res est*, sed tamen per se propriè signum non est, quod verecundiam semper, & in omnibus indicet. Manifestum igitur est, per quę signa propriè fiat φυσιογνωμία, idque in genere. Singula verò signa Aristoteles explicat, quæ ad nostrum institutum non faciunt. Velle igitur è signis transeuntibus, vt ex colore faciei, capillorum &c. aliquid certi de internis affectionibus asserere, temerarium est & vanum, sed tantùm è signis permansiuis fit.

De Qvarto.

Postremò nunc videndum, An per hæc signa permansiua, affectiones & mores animæ, necessariò agnoscantur, ita vt scientia hęc & prędictio firma sit, & falsa esse non possit.

Quidam negant, his præcipuè rationibus.

Si scientia hęc esset necessaria, tuncneque virtutum studiosis vlla esset laus; neque vitiosis vlla vituperatio. Bonum enim quæ à natura sunt, neque laus est, neque vituperatio. Argumentum est Galeni.

Multi habent signa mala, & tamen boni sunt, vt patet de Socrate.

Voluntas est libera, & potest in contrarium eius, in quod naturâ inclinat, duci.

Si ita esset, mores tam boni, quam mali essent à natura. Alij tamen, vt Aristot. &c. aliter docent.

Resp. Vt conclusio hęc, quàm vera sit, patefiat, notandum est. Primùm, omnibus Animalibus commune esse, vt ab inclinatione naturali acta agant, vel patiantur: sed hæc inclinatio naturalis, in brutis *impetus*, & Græcè ὁρμή; in hominibus verò *propensio* appellatur, v gr. In cholerico, inclinatio est ad iram: in Melancholico, ad metum; in sanguineo, ad iucunditatem: in phlegmatico, ad segnitiem. Istæ igitur inclinationes in brutis impetus, in hominibus propensiones. Item, in brutis mores & affectus, quoniam sensibus & appetitu viuunt: in hominibus, autem morũ atque affectuum semina, quoniam ratio moderari illi potest, appellantur.

Secundò, notandum, Aliquid dici posse tale, aut actu, aut naturali aptitudine, seu ἐνεργείᾳ ἢ δυνάμει. Exemplum. Æstas naturali quidem aptitudine calida est: contingit tamen ei aliquando actu esse frigida. Auster ventus, naturali aptitudine, siccus est: ei tamen aliquando contingit actu esse humidus. Iam notatis his distinctionibus, dico, vt perspicuum est, physiognomiam, scientiam esse necessariam, quatenus per ipsam præsentimus ac prædicimus naturales aptitudines, seu propensiones ad mores & affectus: & scientia hæc vera & certa est, idcóque improbari non potest.

Quatenus verò ex physiognomia actuales affectus ac mores diiudicare ac diuinare volumus, scientia non est neque necessaria, neque firma ac certa, idcóque temeraria & illicita est hęc diuinatio per physiognomiam. Exemplum: vt si videas aliquem sanguineum esse, aliáque propria libidinosi hominis signa habentem, & iudices, dicásque hunc ad libidinem esse propensum: iudicium istud tuum verum est, & certa ac necessaria scientia, eáque naturalis, idcóque improbari non potest ista diuinatio, sed scientia. Ratio, quoniam talia signa connexionem habent necessariam & certam cum illa ad libidinem propensione naturali. Et hęc propriè est physiognomia. Si verò iudices dicásque, actu & re ipsa libidinosum esse, iudicium istud tuum temerarium est, & cognitio nec certa aut firma, nec necessaria, idcóque illicita est christiano. Ratio, quoniam signa illa, connexionem non habent nec certam, cum actuali libidine. Fieri enim potest, vt vel ratione, vel potius gratiâ Dei, propensionem illam domet & cohibeat, ne actus suos exerat, sicut in exemplo Socratis supra allato patet. Et huc spectant argumenta supra contra hanc physiognomiæ necessitatem allata.

Hic tamen notandum, quòd quoniam homines plerumque sensu viuunt, non autem ratione & destituti gratia Dei, suas propensiones ceu bestiæ suas ὁρμάς sequuntur, ob quam caussam Bias Prienius dictitare solebat, *plures esse malos, quàm bonos: quoniam plures appetitu, quàm ratione mouentur*: ideo plerumque etiam (quanquam ex accidenti) contingit, vt è physiognomia, non solùm propensiones, sed etiam actuales mores hominum verè præsentiamus ac diuinemus. Hanc ob caussam, quidam Philosophi dicunt φυσιογνωμίαν scientiam esse prædicendi ex signis, quæ sunt in corpore, semper quidem & necessariò & per se, naturales Animæ humanæ, tam ad vitia, quàm ad virtutes propensiones: per accidens verò & plerumque etiam ipsos actuales hominum mores.

Ex iis, quæ de naturali physiognomia à Philosophis accepta, retulimus, perspicuum est factum, id quod initiò dixi, è physiognomia (quæ quid sit ostendimus, & eam dari probauimus) per physiognomiã inquam, seu è totius corporis inspectione, per signa, quæ in corpore apparent permansiua, multa, id est, naturales humanæ Animæ affectiones ac propensiones, verè, necessariò, & legitimè. cognosci ac præsentiri posse: hanc verò non esse diuinationem, sed naturalem certamque scientiam. Quare hanc damnari aut improbari non posse.

Si verò μαντικῶς consideretur, quatenus scilicet diuini hac physiognomia ad actuales cuiusque mores, imò ad actus ipsos certò prædicendos abutuntur: dico diuinationem hanc per physiognomiam, neque certam, neque necessariam esse scientiam: sed per scinanem ac temerariam: quanquam per accidens interdum vera sit, vt suprà diximus Christianis igitur licita est naturalis physiognomia, qua scilicet per signa in corpore permansiua, naturales hominum affectiones ac propensiones verè & necessariò cognouimus. Ratio, quoniam signa illa connexionem habent necessariam cum propensionibus illis. Physiognomia autem μαντική, qua scilicet diuini abutentes profitentur se nosse è cuiusque hominis forma ac vultu, actuales ipsius mores & affectiones, Christianis licita non est, cùm sit tota & inanis & temeraria. Hæc de physiognomia satis.

De Chiromantia.

Nunc de chiromantia, quam constituunt quintam speciem artificiosæ diuinationis, quæ aliquid rationis habere videtur.

Chiromantia quid sit, ipsius nominis notatio indicat: *diuinatio est, quæ fit ex manuum inspectione*. Est autem species quædam physiognomiæ. Quod igitur de physiognomia dixi, idem de chiromantia dicendum est.

In S. literis, ne verbum quidem vllum de chiromantia habemus. Ergo Theologicè considerari non potest. Philosophi autem de hac locuti sunt, & diuini hac abutuntur. Ergo & Physicè & μαντικῶς considerari potest.

Quænam ex manuum inspectione verè & certò cognosci possint.

Si ergo consideretur φυσικῶς, dico ex manuum inspectione verè & certò cognosci posse cùm corporis constitutionem, tum multorum affectuum propensionem. Ratio, quoniam signa quæ sunt in manu, vt illa lineamenta, inter quę numeratur & linea vitalis ab Aristotele & Medicis, signa, inquam illa connexionem quandam certam & necessariã habent cum corporis constitutione, & affectuum propensione. Actuales verò mores, aut futuras cõtingentes actiones ac dignitates, verè ac certò præsentiri ac prædici posse ex manuum inspectione, inficior. Ratio, quoniam lineamenta manus seu vitæ, nullam certam aut necessariam, cum actualibus moribus, aut futuris actionibus connexionem habent. Exemplis res fiet illustrior.

Ac primò, de corporis cõstitutione, ad longam vel breuem, felicem vel calamitosam vitam degendam, exemplum adferamus: deinde, de affectuum propensione.

In vola manus, præter alias lineas, est etiam quædam linea, quæ *linea vitæ* appellatur, quoniam index sit breuis aut longæ vitæ, de qua cum Medici omnes, tum etiam Aristoteles sæpius mentionem fecit, sed præsertim in lib. 1. De historia animalium, cap. 15. dicendo: *Pars interior manus, vola dicitur, carnosa est, & scissuris vitæ indicibus distincta: longioris scilicet vitæ singulis aut binis ductis per totam: breuioris, binis quæ non longitudinem totam designent.*

Linea illa, seu, vt Aristoteles vocat: *scissura*, bifariam intelligi potest, quod sit longioris vel breuioris vitæ index. Primò, quatenus indicat ipsam corporis constitutionem esse vel ita bonam, vel ita malam, vt suapte natura aptus sit talis homo ad vitam vel longam vel breuem degendã: tunc dico primum, quod talis linea, sit verus, certus & necessarius longioris vel breuioris vitæ index. Ratio est, quo-

quoniam linea illa, ex naturali corporis dispositione & temperamento proficiscitur, ideoque certò & verè corporis habitudinem ad longam vel breuem vitam degendam iudicat: quemadmodum etiam calor sanguineus, & cinericius faciei, & alia corporis signa, malam vel bonam corporis habitudinem indicant.

Secundò dico, Ideoque cùm sit certus & verus bonæ vel malæ corporis constitutionis, ad diu vel breui viuendum index: ergo ex talis lineæ inspectione certò Physicus præsentire ac prædicere potest, an, quantum ad ipsam corporis constitutionem attinet, diu vel breui sit victurus: & hæc non est diuinatio, sed certa & naturalis scientia. Dico autem, *quantum ad ipsam corporis constitutionem attinet*: quoniam vi fortè moriens, aut nimia crapula & ebrietate, vel lasciuia, aut alia ratione, ipsum corporis temperamentum corrumpas.

Secundò potest etiam linea illa linea vitæ appellari, quatenus per illam actualem vitam vel longam vel breuem significari velis: tunc dico primùm, quod talis linea, non est certus & necessarius vitæ longioris vel breuioris index: sed tantùm coniecturalis & incertus, ideoque ex lineæ huius inspectione, certo affirmare, te vel breui vel diu victurum, temerarium & impium est: conditionaliter vero & coniecturaliter id prædicere, nempe nisi Dominus secus voluerit, aut vi è medio tollaris, aut intemperantia victus, vel laboris temperamentum corrumpas, nec temerarium nec impium est. Ratio vtriusque est, quoniam linea illa, cum vita actuali futura, non habet quidem connexionem certam nec necessariam: sed aliquam tamen habet, licèt imbecillam & fallacem.

Idem de affectuum propensione dicendum: cùm lineæ quæ sunt in vola, testimonia & indicia sint (vt suprà dixi) temperamenti corporis: ex vario autem corporum temperamento, varij etiam affectus dem entur, vt Hippocrates, Galenus & Aristoteles testantur: ideo fit, vt huiuscemodi lineæ dicantur esse, & sint, indicia affectuum. Sed hoc bifariam intelligi potest: vel quantum ad propensionem attinet: vel quantum ad actuales mores & affectus, aut actiones. Si quantum ad propensionem, certa & naturalis & necessaria est præsensio ac scientia, quæ fit ex scita manuum inspectione. Si quantum ad actuales mores, certa non est, aut necessaria, sed incerta, & sæpe temeraria ac falsa assertio. Ratio, quoniam tales lineæ, nullam certam aut necessariam habent cum actualibus moribus connexionem: sed tantùm cum propensionibus ad bonos vel malos mores.

De Astronomia.

Astronomia & Astrologia quid differant.

Nunc ad postremam artificiosæ Diuinationis speciem transeundum est, nempe ad diuinationem per astra, quæ tum *Astronomia*, tum *Astrologia*, apud probatos autores appellatur: quanquam sunt, qui discrimen faciunt, inter Astronomiam & Astrologiam: quod Astrologia sit scientia certa, quæ de syderibus, seu de cursu, & aliis proprietatibus syderum astrorúmque pertractat, & quod hæc nullibi improbetur. Astronomia vero sit scientia, quæ ex astrorum inspectione, de hominis vita & morte, felicitate & infelicitate, déque aliarum rerum, quæ infra cœlum sunt, euentu diiudicat, quæ & idcirco iudiciaria passim appellatur: & ob hanc causam in Scripturis & a Patribus damnatur. Sed vt vt appelletur, quæstio duplex hac de re proponitur.

Prima, *An aliqua rerum futurarum ex Astris præsensio ac diuinatio haberi possit.*

Secunda, *Et si potest, qualis & quarumnam rerum præsensio diuinatioq; habeatur.*

Quod ad primam igitur quæstionem attinet, dico ad eam explicandam longa disputatione minimè opus esse. Nemini enim dubium esse credo, aliquam aliquarum futurarum rerum præsensionem, eamque veram ex astris, seu ex cœlorum influxibus obseruatis haberi posse: quandoquidem & Medici ex præcognita futura Lunæ mutatione, vt ex Nouilunio, ex Plenilunio, &c. verè & certo prædicunt corporum ægrotantium alterationes, morborum incrementa, pericula mortis ægrotantibus imminere: & nauium gubernatores ex notatis astris, certo prædicunt ventorum mutationes, maris æstus, & alia quamplurima.

Quod vero ad secundam quæstionem attinet, vt breuiter intelligatur, quarumnam rerum, & qualisnam præsensio prædictioque haberi possit, notanda est ista distinctio.

Tria rerum actionúmque esse genera. Primo quædam sunt, quæ nullam penitus cum astris, sicut effecta cum causis, habent connexionem, vti sunt hominum voluntates, præsertim regenitæ, propriæque earum operationes, quæ scilicet merè sunt voluntariæ. Neque enim operationes voluntatis præsertim regenitæ, vllo pacto a cœlis, aut ab astris, tanquam a suis causis pendent. Dico *præsertim regenitæ*, quoniam voluntas non regenita quandam habet cũ cœlis connexionem, quatenus scilicet carnales affectiones, etsi vltrò, necessariò tamen sequitur, cum sit serua peccati: affectiones autem carnales, quæ sunt in Anima, a corporis habitudine quodammodo pendent, & ipsam sequuntur: corporum autem qualitates, a cœlorum influxibus non parum dependent, vt suprà ostendimus. Igitur & voluntas non renata, quodam modo in suis actionibus, a cœlorum influxibus mouetur, ideoque cum eis aliquam habet connexionem: regenita autem nequaquam, sed tota, quatenus renata, a Spiritu Dei agitur.

Secundò, Quædam verò contra sunt, quæ certam & plerumque necessariam cum cœlis & astris habent connexionem, vti sunt actionesque omnes in Mundo, quæ nullo pacto à voluntate proficiscuntur. v. gr. vt sterilitas aut fertilitas terræ, aëris perturbationes, pestis, elementorum commotiones, terræ motus, & alia id genus. Hæc enim ex cælestibus influxibus, & elementorum, quæ vi syderum aguntur, commotione, magna ex parte eueniunt: ideoque cum astris, certam & plerunque necessariam habent connexionem. Dico, *plerunque necessariam*, quoniam aliquando etiã immediate a Deo hæc immittuntur, citra cœlorum influxum, vt patet in scripturis.

Tertiò. Quædam vero sunt, quæ connexionem quidem aliquam, sed nec certam aut firmam, nec necessariam cum cœlis habent, cum etiam à voluntate libera pendeant: vti sunt operationes & rerum euentus, qui partim a cœlorum influxibus, partim a libera voluntate proficiscuntur. v. gr. vt bona vel mala corporis habitudo, longa vel breuis vita. Hæc enim non ita à cœlorum influxibus dependet, quin etiam à voluntate: quandoquidem homo potest pro sua libera voluntate, & bonam a natura datam corporis habitudinem, luxu, crapula & aliis intemperantiæ actionibus, de bona malam facere, & mortem sibi accelerare, aut vi consciscere: & contrà, malam corporis habitudinem à natura acceptam & ab influxibus cœlorum profectam, temperato victus ratione, & medicamentis, de mala bonam facere. Atque idem de aliis multis actionibus, quæ partim a voluntate, partim à cœlorum influxu vt plurimum dependent, dicendum est.

Iam explicata hac distinctione, ad quæstionem adfero responsionem, quæ triplici conclusione constat.

Quænam res & actiones ex astris naturaliter præsentiri & cognosci possint.

Prima igitur? Earum rerum & actionum, quæ nullam penitus cum astris habent connexionem, propterea quod ab illis minimè dependent, præsensio nulla ex astris naturalibus haberi potest.

Secunda, Earum vero, quæ certam & quasi necessariam cum astris habent connexionem, certa quoque & sæpe necessaria, ex cognitis astris, haberi præsensio potest.

Tertia, earum autem, quæ incertam & infirmam cum astris habent connexionem, incerta quoque & infirma, ac sæpe fallax præsensio, ex notatis agnitisque astris haberi potest.

Ratio totius huius responsionis vnica hæc est: cùm necesse sit, vt signa, quæ in rerum cognitionem ducunt, connexionem habeant aliquam cum rebus, quarum sunt signa: ergo talis erit rerum præsensio per ea signa, qualis erit connexio inter res & ipsarum signa. Si nulla connexio, nulla quoque erit præsensio per ea signa? si certa & firma connexio, certa quoque & firma præsensio: si incerta & infirma connexio, infirma quoque & incerta præsensio.

Respondi paucis & in genere, qualis & quarumnam rerum ex astrorum inspectione & obseruatione haberi diuinatio possit: & quarum vel nulla, vel admodum tenuis & incerta, itidem per astra haberi queat.

Nũc enucleatius & particularius videndum est ad quasnam res & actiones iudicium veræ astrologiæ extendatur, & ad quas non extendatur. Hinc enim patefiet, quæ per Astrologiã diuinatio licita sit Christiano, & quæ nõ licita. Cum enim duplex sit Astrologia: vera, quæ simpliciter *Astrologia* & *Mathematica*: & falsa, quæ *iudiciaria Astrologia* appellatur: vera, scientia est, honesta & bona: falsa verò temeraria ac superstitiosa opinio: & illa licita est Christiano: hæc verò minimè.

Ac vera quidem certos habet, intra quos se contineat, limites: falsa vero illos excedit atque egreditur. A certis ergo finibus, quos vera Astrologia non egreditur, agnoscitur, quæ sit vera, & quæ sit falsa.

Officium

Officium veræ Astrologiæ est, vt in cælis stellarum situm, ordinem, motus, naturasque obseruet, ac cognoscat. Situm, vt vbinam & quo in orbe vnaquæque stella sit collocata: ordinem, vt quanto inuicem interuallo stellæ dissideant: Motus, quo quæque motu moueatur. Aliæ enim recto, aliæ obliquo & penè contrario motu moueri cernuntur. Item, aliæ velociori, aliæ tardiori motu mouentur. Naturas, vt quæ sit cuiusque syderis natura. Natura enim Solis alia est, quã natura Lunæ, cum illius sit calefacere & exiccare: huius verò frigefacere & humectare.

In quem verò vsum hæc inuestigat? Vt inde multorum naturalium effectuum, qui partim in cœlo, partim in terra fiunt, caussas, vtpote cœlestes agnoscat. v. gr. Cur Sol potiùs hyeme, quam æstate a nobis longius distet: cur æstate diutius apud nos, quam hyeme commoretur: quæ caussa sit Solis & Lunæ defectionis: cur conchylia & ostreæ aliquando crescant, aliquando decrescant. &c. Videmus enim effectus multos hic in terris, quorum caussas ignoramus: beneficio autem veræ Astrologiæ, caussam suam atque originem supra nos in cœlis habere cognoscimus. Nemo nõ videt pluuias, grandines, niues, maris fluxum & refluxum, ventorum strepitus: sed nemo, nisi qui adiutus est beneficio Astrologiæ, caussas eorum in natura positas esse intelligit. Isti igitur sunt fines, quos non egreditur vera Astrologia: & hic est eius vsus, vt multorum effectuum, qui in terris fiunt, caussas, quæ in cœlo sunt, agnoscat: aliquando etiam antequam fiant, ipsos effectus in suis caussis præuideat. Ad ea verò inuestiganda, aut prædicenda, quæ nullam penitus in cœlis seu syderibus caussam habent, minimè progreditur. illud quod in Genesi scripsit Moses, ad hanc veram Astrologiam pertinet, cum ait, Solem & Lunam conditam esse à Domino, quibus & dies & noctes, menses & anni, & tempora gubernarentur: quibus verbis, quæcunque ad agriculturam, Reipub. gerendæ rationem atque prudentiam attinent, complectitur. Versatur igitur vera Astrologia circa corpora cœlestia, & naturales illos effectus, qui in corporibus terrenis ex corporum cœlestium influxu verè & naturaliter fiunt. Habet enim hoc fundamentum prorsus verum, omnia terrena corpora, seu omnia inferiora corpora, à cœlestibus, & superioribus aliquo modo regi, ideoque hæc inferiora, quandam cum superiorib. habere cognationem & sympathiam, atque inde qualitatem aliquam ducere.

Iudiciaria Astrologia hoc fundamento abutitur, ad sua iudicia vel somnia potius, de effectis etiam & rebus, quæ nullo pacto caussam habent in cœlis seu in syderibus, perinde ac si a syderibus pendeant, statuenda, atque ita fines veræ Astrologiæ imprudentissimè egreditur.

Illa autem quæ sibi peculiariter assumit, hæc ferè sunt:

Astrologia iudiciaria de quibusnam rebus cognoscendis sibi iudicium sumat.

Primum, vt de vniuerso Mundi statu iudicet. v. gr. futuram pestem, bella, belluarum incursiones, aquarum illuuiones, & alia id genus certò & necessariò ventura prædicant, idque ex astris, tanquam ex vnicis & necessariis earum rerum caussis.

Secundum, vt non solum naturam hominum & corporum & affectuum propensionem, notam & perspectam ex syderibus habeat: sed etiam quid cuique euenturum sit, & quid quisque in vita acturus aut passurus sit, ex iisdem cognoscat.

Tertium, vt agnoscat quos exitus habitura sint ea consilia, quæ homines inter se contrahentes ineunt: id ex astris perinde ac si astra consilia hominum ad exitum perducant.

Quartum, Neque hoc solum, sed etiam sese eò extendit, vt profiteatur se scire qualis quisque futurus sit, bonus vel malus, pius, an impius: idque ex obseruatione syderis, sub quo quisque natus est: quasi hominum malitia ac bonitas, salus aut proditio è cœlis & stellis pendeant.

Quintò eo etiam se extendit, vt profiteantur se posse prædicere ex astris, quæ & quanta scelera in Mundo sint futura, quasi scelerum nostrorum caussæ sint stellæ. In his ferè capitibus sita est iudiciariæ Astrologiæ professio, ad quas vera & laudabilis Astrologia se non extendit. Quare ex iis diuersis vtriusque officiis ac professionibus facilè discerni altera ab altera potest, ideoque facile iudicari, quæ diuinatio per astra licita sit, & quæ non licita Christiano viro.

Quàm vana & Diabolica sit hæc iudiciaria Astrologia.

Nunc superest, quam breuissimè poterimus, videamus quam vana sit & Diabolica hæc Astrologia, quæ iudiciaria appellatur. Hoc vero perfacilè fiet, si viderimus primùm, quam inania sint & falsa illa quinque prædicta capita: Deinde, quam infirma & debilia sint fundamenta, quibus tota hæc Astrologia iudiciaria nititur.

Primum caput.

1. Agedum excutiamus primum caput.

Primùm profitentur se posse ex natali die, de cuiusque natura, & corporis habitudine diuinare. Professio hæc ac diuinatio, quæ fit ex nascendi tempore, vana atque inanis est, id quod patet iis rationibus.

Si per Astra, de alicuius natura, aut corporis habitudine, & affectuum propensione, iudicium est faciendum: faciendum est magis à tempore generandi, quam a tempore nascendi. Ratio, quoniam astra (id quod nemini dubium esse debet) plus in generandi, quam in nascendi tempus, ad certam homini qualitatem informandam valent. Hoc docet ratio naturalis: hoc confirmat quotidianus vsus in gemellis fratribus, qui eodem tempore nati, diuersissimis tamen naturis, & corporum habitudinibus præditi nascuntur, ita vt alter alteri non minus sit absimilis, quam si diuersissimo cœli & syderum statu natus esset. Vnde hæc diuersitas? Nõ à tempore nascendi, quoniam eodem tempore nati. Ergo si à cœlis pendet, à tempore potius conceptionis est facta, quoniam scilicet non eodem tempore concepti, quam à tẽpore nascendi. Quod cum ita sit, ergo in huiuscemodi iudiciis, spectandum est potius Astrologo tempus generandi, quam tempus nascendi.

Atqui isti Astrologi iudicant, non ex generandi, sed ex nascendi tempore, id est, ex natali die. Ergo quam vanum & inane sit illud iudicium, quis non videat?

2. Quando illud, ex quo iudicium est faciendum, incertum est, iudicium quoque incertum sit & vanum, necesse est: Atqui etiam tempus, quo quis concipitur, plerumque ignotum est, & nullus nullave mulier ferè scire potest, quo die, & multò minus qua hora conceptus fuerit fœtus. Ergo etiamsi ex hoc tempore iudicare velint Astrologi (id quod non faciunt) iudicium illud vanum esset.

3. Sed esto: iudicium faciendum sit ex tempore nascendi, illud etiam plerumque est incertum: imò ausim dicere, nequaquam sciri perfectè, vt debet, posse. Nam notandus est non solum dies aut hora, sed etiam monumentum, quo quis nascitur. Singulis enim momentis, diuersissimi cœlorum influxus fiunt. Quis autem perfectè obseruare queat verum & certum momentum, quo quis natus sit? Adde, quod si etiam satis sit, horam notasse, facilè etiam in hac notanda Genethliacus hallucinari potest, quandoquidem horologia sæpius iniusta nos fallunt. Si verò vel minimum temporis momentum aberret Genethliacus, seu Astrologus, longè alia fiet stellarum, & cœli inclinatio, quam ipse putet: Ergo à tempore nascendi, de cuiusque natura & corporis habitudine & affectibus iudicare, vanum ac temerarium est.

4. Sed esto, vt certum sit momentum & conceptionis & generationis alicuius: iudicium tamen quod inde faciunt Astrologi per astrorum inspectionem, vanum est. Cœli enim & astra non habent in homines tantam vim, quantam isti existimant (vt mox ostendemus, quando eorum fundamenta examinabimus) ita vt quod quis sit talis habitudinis, naturæ, & propensionis, omnino à cœlis, tanquam ab vnica & certa caussa, pendeat. Ergo ex iisdem cœlis iudicari non potest.

Sed esto etiam, vt cœlum tantam habeat vim, quantam dicant: iudicare tamen ex natali die, ita vt qui tali die natus est, tali etiam sit corporis constitutione, & affectuum propensione, vanissimum est, & contra Astronomiam ipsam. Ratio, quoniam diuersi astrorum aspectus, & diuersitas cœli, diuersas parit qualitates in corporibus. Hæc est Astrologorum. Atqui eodem die diuersitas erit cœli, & diuersus planetarum aspectus in variis regionibus.

Exemplum, Romæ post solstitium, aliquot diebus exoritur canicula: apud Troglodytas, ante solstitium. Item, eodem die hic pluet, alibi serenum erit, quæ quidem diuersitas cœli, diuersas etiam in corporibus qualitates excitat. Ergo vanum est & falsissimum iudicium, ipsique Astrologiæ repugnans, ex natali die, de qualitate cuiusque iudicare, ita vt quicunque nati sunt eodem die, licèt in diuersis regionibus, iisdem etiam qualitatibus sint affecti, id quod ipsi dicunt, & coguntur dicere, si ex natali die licet iudicare: imò qui eodem tempore nascuntur, in dissimiles tamen naturas possunt incidere, propter cœli dissimilitudinem: si tamen concedendum sit, vim cœlestem, aliquid ad eos, qui in terris giguntur pertinere.

Secundum caput.

Hinc etiam patefit, quam vana sit illa professio, qua profitentur se posse, ex eodem natali die, certò agnoscere ac prædicere, de cuiusque bonitate, pietate, ac salute:

Vanissima est hæc professio;

Pietas, εὐσέβεια, regeneratio, cæteráque beneficia, quæ Deus filiis suis confert, cùm eos regenerat, nullo pacto pēdent ab astrorum aspectu, sed a mera Dei gratia & voluntate, vt scripturæ testantur. Ergo hæc ex cœlorum aspectu iudicare vel prædicere, vanissimum est: verbi gratia, vt quod Iacob fuerit pius, Esau verò impius: ille dilectus à Deo, iste odio habitus: si quis velit iudicare, vt nonnulli faciunt Astrologi, dicētes, quia scilicet ille natus est sub tali planeta, vel astro, iste verò sub alio illi diuerso, insanissimus erit: quandoquidem à cœlis minimè hæc dependent, sed à solo Deo. Saul quod eligendus in Regem populi Iudaici, in aliū planè hominem fuerit mutatus, quam ante fuerit, non est consecutus ex cœli, aut stellarum situ, sed ex mera Dei voluntate. Apertè enim Dominus hoc promiserat, se scilicet id effecturum, idque Samueli 1. Sam. 10. Ergo multò minus à cœlis quis habet, quod ex veteri homine in nouum regeneretur. Quomodo igitur ex cœlis præsentiri, aut præsagiri potest?

Tertium caput.

Tertium etiam caput, vbi profitentur se posse ex natali die prædicere, quid cuique euenturum sit, quid quisque in vita sit vel acturus, vel passurus, vanissimum esse patet.

1. Ab experientia. Quoties enim Astrologi ipsi prædixerunt, vel hunc futurum Episcopum, qui tamen nihil minus fuit, quam Episcopus: vel illum ducturum vxorem, qui tamen cœlebs mortuus: vel alium felicissimum in coniugio, qui tamen fuerit infelicissimus. *Quā multa ego* (ait Cicero 2. de Diuinat. contra Astrologiam iudiciariam *Pompeio, quàm multa Crasso, quàm multa Cæsari à Chaldæis dicta memini, neminem eorum, nisi senectute, nisi domi, nisi cum claritate esse moriturum?* Hæc ille. Manifestum tamen est, hosce tres egregios Imperatores turpiter occisos periisse. Subdit: *Vt mihi permirum videatur quenquam extare, qui etiam nunc credat iis, quorum prædicta quotidie videat re & euentu refelli.*

2. A testimoniis & scripturarum & Patrum, & sapientissimorum hominum, quorum ferè omnium testimonia initiò recensui, qui genus hoc prædicendi damnant: imò verò etiam testimonio sapientissimorum Astrologorum. Eudoxus. n. Platonis auditor (vt refert Cicero) & in Astrologia, omnium iudicio facilè Princeps, sic scriptum reliquit: *Chaldæis in prædictione, & in notatione cuiusque vitæ ex natali die, minimè esse credendum.*

Archelaus & Cassander, (referente Panætio apud Ciceronem) summi Astrologi illius ætatis, qua erat ipse Panætius, hoc prædictionis genere ex natali die non sunt vsi.

Scylax Halicarnasseus familiaris Panætij, excellens in Astrologia, totum hoc Chaldaicum prædicendi genus repudiauit.

3. Si ex natali die prædicere certò possunt, quid cuique sit euenturum, quamdiu victurus sit, & qua morte moriturus, propterea quod videant, illi qui sub tali sydere natus est, hæc aut illa proculdubio euentura: ergo omnibus qui eodem tempore nascuntur, eadem eueniant necesse est. Atque hoc falsum esse, multorum geminorum exempla, quibus longè diuersa contigerunt, docent, vt Iacobi & Esaui: item Pharis & Zaran filiorum Iudæ ex Thamar nuru sua: & apud Ciceronem Proclus & Euristhenes Lacedæmoniorum Reges, gemini fratres fuerunt: at ij nec totidem annos vixerunt, nec eadem iis contigerunt. Anno enim Procli vita breuior fuit, multumque is fratri rerum gestarum gloria præstitit. Falsum igitur, quod aiunt ex natali die prædicere eos certò posse, quid cuique euenturum sit.

4. Quæro ab Astrologis, an in sydere, sub quo aliquis est natus, videant, quæ alij non sub eodem sydere nati facturi sunt; an tantum quæ sint facturi illi, qui sub eo sunt nati. Respondebunt, omnino tantum ea, quæ qui sub eo sydere est natus, facturus est. Tunc infero: Ergo ex natali alicuius die præuidere aut prædicere non possunt Chaldæi omnia, quæ illi sunt euentura, aut quæ sit passurus. Ratio: Hæc enim quæ extrinsecus alicui accidunt, aliunde obueniunt, aliásque habent efficientes caussas, à quibus tali homini inferentur. Caussę autem istæ in eo sydere videri non possunt. Exemplo res fiat illustris.

Est mihi vxor: ex inspecto natalitio meo sidere prædicit Astrologus, ducturum me duas aut tres vxores. Si hoc prædicere potest: ergo in meo natalitio sydere videat prioris vxoris mortem, necesse est. Atqui hanc videre non possunt (fatentur enim etiam ipsi Astrologi) in natalitio vnius syderenon videri aliorum, sed ipsius tantum conditionem, naturā, euenta, &c. Ergo iudicium hoc quod faciunt, vanū est. Rationes aliæ permultæ legantur apud Ciceronem, lib. 2. de Diuinat. contra Chaldæorum monstra, vt ipse appellat.

5. Illud profectò argumentum Cic. efficacissimum est, quod à Caunensi pugna desumit. v. gr. In prælio aliquo occidunt eodem tempore, & eodem mortis genere pereunt hominum millia 10. si à sydetibus id contingat: ergo omnes sub vno sydere nati sunt: Atqui quam hoc impudens sit fateri, nemo non videt: Ergo non a syderibus natalitiis, quę nobis contingunt, proueniunt: quare neque ab illis prędici aut præsentiri potest, quid cuique euenturum sit, quando & qua morte moriturus.

Quartum caput.

Profitentur etiam, se posse ex syderibus prędicere, quos exitus habitura sint ea, quæ inter se homines consilia ineūt. v. gr. cogitat mercator nundinas Francofurtenses: venit Astrologus & inspecto sydere, quod tum regnat, cōsulit Mercatori, vt iter ad nundinas non suscipiat, nisi octauo post cœptas nundinas die: tum enim cœli & stellarum positum, qui secunda omnia illi promittit, inclinaturum fore: adeoque omnia ipsi feliciter & ex sententia euentura, consiliaque ipsius felices exitus habitura. Vanum est hoc iudicium.

1. Si ideo profectio huius Mercatoris felicem exitum est habitura, & multum lucri ipse est facturus, quia tali die dūtaxat, quem dixit illi Astrologus, iter ad nundinas suscepit: Ergo quicunque Mercatores eodem die iter susceperunt ad easdem nundinas, omnes ex æquo multum lucri facient. Videmus autem aliter euenire, vt qui eodem die ad nundinas appulerint, alij iacturam, alij lucrum, neque id æquale, faciant.

2. Deinde, quid prohibet, ne quis eô, die ante nundinas octauo, vel septimo eat: & interim (si tamen tempus aliquod est obseruandum & parendum Astrologis) & interim, inquam, merces tantum paret, nil vero negotiorum absoluat, nisi eo die, quem fore illi propitium præuidit Astrologus? Hoc enim potius esset spectandum (vt Astrologus loquor) quomodo affecto cœlo, seu quo die res sit transigenda, quam quo die iter eô sit suscipiendum, quo felicem exitum habeant Mercatoris negotia.

Quintum caput.

Denique profitentur, se posse certò de totius Mundi statu prædicere, vt an futura sint bella, necne &c.

Hic etiam dico, vanam esse hanc prædictionem, propterea quod res huiuscemodi, quæ in Mundo contingunt, bella, pestis, fames, belluarum incursiones, aquarum illuuiones, & alia id genus permulta, etsi aliquam sæpius habeant cum syderibus cœli συμπάθειαν ac conuentum, & partim ab illis sæpe pendeant, id quod libenter concedo: non tamen aut necessariam, aut semper cum illis συμπάθειαν habent; nec semper ab illis, sed ab aliis etiam caussis sæpenumero pendent, quæ latent Astrologos. Exempla. Fames & siccitas, quæ fuit tempore Eliæ in Iudæa & Syria, non profectò ab affectione syderum, sed à Deo scelera hominum vlciscente, immediatè profecta fuit, alioqui non fuisset singulare prodigium, vt Scriptura tradit. Pestis quæ fuit tempore Dauidis, caussam nullam in syderibus habuit: sed cùm Dauid ex tribus varij generis pœnarum optionibus, a Deo illi oblatis, pestem elegerit, illam immisit Deus, bellum etiam & famen illaturus, si eas Dauid elegisset.

Bella etiam quę gesserunt Israëlitæ contra Amorrhæos, &c. caussam in syderibus non habuerunt. Deus enim cum alloqueretur Abrahamum, eique polliceretur, fore, vt eius posteri (bellis scilicet) subiugent sibi populos terræ Canaan, eamque occupent: dilationem non adscribit *syderibus*, quasi ad eam rem nondum bene affectis: sed potius peccatorū illius Canaicæ gentis (vt ita loquar) immanitati, dicendo: *Nondum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum*, Genes. 15. Item minatur Deus hæc omnia peccatoribus, propter iniquitates: non ergo a cœlis. Cum igitur hæc, quę in mundo contingunt, aduersa, non semper a syderibus, tanquam effecta naturalia, sed sæpe à Deo, vt effecta præter ordinem naturæ, & pœnæ scelerum nostrorum immittantur: voluntatem autem hanc Dei Astrologi non possint in syderibus videre, manifestum est, iudicium huiuscemodi temerarium esse. Atque hæc de primo capite, quid profiteantur Astrologi, & quam vana sit hęc professio.

Secundum caput, quibus fundamentis hæc Astrologia iudiciaria nitatur.

Nunc excutiamus etiam fundamenta eorum, quibus tota hęc Astrologia iudiciaria nititur.

Præcipua ratio, quâ nititur tota ista Astrologia, hæc est, tribus constans fundamentis.

1. Cœlum (inquiunt) vim habet in hæc inferiora omnia, quę sub cœlo continentur & fiunt, in elementa, in corpora compo-

composita, in animalia, in homines, in hominum affectiones, mores & actiones, ideóque ex variis cœlorum & syderum seu astrorum fluxibus, varii etiam hic tam in hominibus, quàm reliquis animantibus & rebus inanimis, effectus oriuntur. Quare cùm hæc fiant à cœlis, ab iisdem etiam indicantur.

II. Ex vi autem Astrologiæ agnosci possunt à veris Astrologis cœli & astra, astrorúmque singulorum positus, naturæ, vires, influxus.

III. Potest etiam facilè à quouis Astrologo obseruari, sub quo quisque astro & cœlorum influxu, syderúmque positu, natus sit. Ergo ex vi Astrologiæ agnoscere ac præsagire possunt Astrologi cùm reliqua omnia, quæ sub cœlo sunt futura, tum etiam, quæ cuique hominum sunt euentura.

Refutaturis igitur hanc iudiciariam Astrologiam, conuellenda sunt hæc fundamenta: iis enim euulsis, tota Astrologia corruat, necesse est.

Responsio ad primum fundamentum.

Ergo, quod ad primum fundamentum attinet, sic Astrologis respondeamus: Nos quidem non inficiari primò, quin cœli, astráque cœlorum, vim aliquam in hæc inferiora terrenáque corpora habeant, idque propter multas ἀποδείξεις, quæ ad hoc confirmandum adferuntur à Philosophis, Mathematicis & Theologis: ideóque secundò non negare, quin hæc inferiora corpora cum cœlis, astrorumq. cursu, cognationem quandam ac συμπάθειαν habeant, atq; inde qualitatem aliquam ducant. Id enim est manifestissimum cum in Sole, & aliis astris, tum præsertim in Luna. Ostreæ enim & conchylia cum Luna pariter crescunt atq. decrescunt. Medici quoque re ipsa experti sunt, & diuturna obseruatione didicerunt, maximi referre, quo Lunæ tempore sanguis extrahatur, pillulæ, potiones, & alia id genus exhibeantur. Vnde hoc nisi quia corpora hæc inferiora, συμπάθειαν aliquam habent cum cœlis & astris, indéque aliquam ducunt qualitatem? Damus illis hæc.

Sed etiam ego hæc contra illos contendo.

Primùm: cœlos in hæc inferiora non agere, nisi motu & lumine: & præter hanc communem motus & lucis influentiam, nullam aliam cœlestibus corporibus in hæc inferiora vim inesse, quemadmodum multis rationibus Ioan. Pic. Mirand. vir doctissimus, lib. 3. contra Astrologos, cap. 5. demonstrat. Quare frustra alios ab Astrologis, & peculiares quibusque astris influxus assignari.

Secundum: Contendo, hanc cœlorum vim, quæ in motu & lumine consistit, nihil corporibus communicare posse, quàm motum & lucem, indéque calorem, qui ad vitam vitæque functiones corpora ad id apta, disponat, conseruet, & ad varias affectuum propensiones, pro qualitate corporum afficiat.

Tertium: contendo, hanc cœlorum vim, quæ tantùm lucem & motum, indéque calorem communicare iis corporibus potest, caussam esse multorum, quæ infra Lunam contingunt, vniuersalem, non autem ita particularem, vt omnes, qui sub alicuius syderis influxu reperiuntur, ab eo etiam omnes pariter afficiantur, ideóque indiuiduorum varietatem, vt v. gr. quòd quis sit bonus, alius malus: vnus felix, alius infelix, ad virtutem cœlorum referri non posse, sicut docet idem Pic. lib. 3. c. 3. Varietatem tamen indiuiduorum, quæ in qualitatibus corporum, & affectuum propensionibus est, ad cœlorum vim sæpenumero, & magna ex parte referri posse, ego iam antè concessi, sed præter hanc nullam aliam varietatem indiniduorum ad cœlorum vim referri posse contendo.

Ex iis consequitur id quod primum Astrologorum fundamentum conuellit, vim cœlorum aut astrorum non esse tantam, quantam ipsi constituunt, ita vt se extendat nō solùm ad corpora, corporum habitudines, affectuum propensiones: sed etiam ad actuales mores vel bonos, vel malos, ad singulos rerum, qui hominibus contingere possunt, euentus, ad bonam vel malam (vt vocant) fortunam: ad hominum cogitationes, consilia, instituta, ad voluntates hominum, voluntariásque eorum actiones. Nego igitur astrorum vim primùm in corpora nostra tantum valere, vt quæcunque qualitates & affectuum propensiones sunt in corporibus, à cœlis semper pendeant.

A vi parentum.

I. Vis parentum plus in corpora filiorū valet, ad quam velis qualitatem illis informandam, quàm cœlorum vis. Experientiâ hoc sic demonstro. Sunto duo parentes longè inter se differentes, v. gr. Petrus & Paulus, quibus etiam sint vxores dissimilis naturæ: ambo parentes suscipiant ex suis vxoribus filios, idque eodem temporis momento, & eodem syderum aspectu. Tunc sic arguo: Si vis cœli ad informandas corporibus qualitates, constitutiones, morum propensiones plus valet, quàm vis parentum, ij duo filij magis inter sese erunt similes, quàm suis parentibus. Ratio, quoniam eum sint eodem temporis momento concepti & nati, easdem vtrisque qualitates vis cœli imprimere debuit. Atqui contra videmus, filios hosce magis similes esse parentibus, quemque suo parenti, quàm inter sese, magisque esse affectos parentum ingenio, quàm vllo syderum aspectu, qui tamen vtrisque similis & par fuit. Ergo hoc apertissimo est testimonio, quòd plus virtutis habeat semen parentum in filios, quàm cœlum ipsum. Ideo Cicero hoc argumentum concludit, dicendo: *Quod non contingeret si hoc non vis & natura gignentium efficeret: sed temperatio Lunæ, cœlique moderatio.*

A sexus diuersitate.

II. Sexuum diuersitas, quæ est omnium animalium qualitatum maxima, à cœlis non pendet, sed à vi seminis paterni & materni, vnà cum Dei voluntate. Si enim à cœlo penderet, cum duo eodem temporis momento, & sub eodem syderum aspectu concipiuntur & nascuntur, vtrique deberent vel ambo masculi, vel ambo fœmellę nasci. Atqui videmus oppositum tum in gemellis, tum in aliis, qui eodem tempore nascuntur. Ergo non à cœlo, sed à vi seminis parentum, & à voluntate Dei. Si ergo hæc non pendet, quæ est omnium maxima: ergo neque aliæ necessariò pendent.

A vi seminis.

III. Si diuersæ qualitates in corporibus humanis à cœlo pendent: ergo etiam eædem in brutis, leguminibus & fructibus ab eodem cœlo penderent, imo multo magis. Atqui hoc falsum est: sed à suis seminibus pendent. Patet. Vnde enim esse dicemus diuersitatem qualitatum, quæ est in leone & vrso, qui tamen eodem tempore nati & sub eodem sydere concepti? Non à sydere, alioqui esset eadem in vtroque: sed vnde? à diuersitate naturæ, & seminum vtriusque parentum? Hoc argumentum simile est primo, à semine parentum hominum deducto. *Quid?* (ait Cicero in 2. de Diuin.) *quòd vno eodemque temporis puncto nati, dissimiles & naturas & vitas, & casus habent, parúmne declarant, nihil ad agendam vitam, nascendi tempus pertinere? nisi fortè putamus, neminem eodem tempore ipso & conceptum natum, quo Africanum. Num quis igitur talis fuit?*

Ab industria.

IV. Si à cœlis necessariò pendēt qualitates in corporibus humanis: quorsum igitur studia, industria, artes? pereunt. *Permulti cùm ita nati essent, vt quædam contra naturam deprauata haberent, arte & medicina restituti sunt à natura, cùm se ipsa reuocasset.* Item, multi naturæ vitium, meditatione atque exercitatione sustulerunt. Exemplum Demosthenis, de quo Phalereus, *cum Rho dicere nequiret, exercitatione fecit, vt planissimè diceret. Quòd si hæc astro ingenerata & tradita essent, nulla res ea mutare posset.*

A terrarum situ.

V. Plus terrarum situs, quàm Lunæ & syderum tractus, valet ad nascendum. Patet. *Dissimilitudo enim locorum, dissimiles hominum in eodem temporis momento procreationes habet. Quantum inter Indos & Persas, Æthiopas & Syros differt corporibus, animis tantum, vt incredibilis varietas, dissimilitudoque sit.* Ergo non tanta est vis cœli, quantam dicunt Astrologi.

Deniq. si ad rem pertinet, quo modo cœlo affecto, compositisque syderibus, quodque animal oriatur, valeat id necesse est etiam in rebus inanimis. Atqui quid hoc dici potest absurdius? id quod tamen dicere Astrologi quidam non dubitarunt. Lucius enim Tarutius Firmanus (vt refert Cicero) familiaris Ciceroni, in primis Chaldaicis rationibus eruditus, vrbis etiam Romæ natalem diem repetebat ab iis Parilibus, quibus eam à Romulo conditam accepimus: Romámque cum esset in iugo Luna, natam eam dicebat, nec eius fata cauere dubitabat. *ô vim maximam erroris* (subdit Cicero) *etiamne vrbis natalis dies, ad vim stellarum & Lunæ pertinebat? Fac in puero referre, ex qua affectione cœli primum spiritum duxerit: num hoc in latere, aut in cęmento, ex quibus vrbs est effecta, potuit valere?*

VI. Concludo igitur ex iis, non esse tantam cœlorum vim in hæc inferiora, quantam ipsi Astrologi fingunt, ita vt

omnes corporum constitutiones, qualitates, affectuum propensiones, à cœlis pendeant: quandoquidem ab aliis sæpe caussis magis, quàm à cœlestibus emanant.

Tunc verò sic licet argumentari: Si non est tanta astrorum vis, vt ad omnes corporum qualitates, habitudines, & affectus illos, qui corporum qualitatibus participant, sese semper extendat & valeat: multò minus erit tanta, vt valere possit autin ea omnia, quæ cuique sunt euentura, vel quæ quisque in vita est acturus, aut passurus. Nam vt maximè possint sydera quasdam in hominibus qualitates informare: efficere tamen non possunt, vt postea hoc vel illud aliunde illis obueniat, aut vt quisque hoc vel illud faciat. Multò minus potest esse tanta, vt valeat in cuiuspiam bonitatem vel malitiam, pietatem vel impietatem, salutem vel damnationem. Pietas enim & salus, à Dei duntaxat gratia, non à cœlis pendet: impietas verò & damnatio cum à Satana, tum maximè à libera hominis voluntate. Neque tanta esse poterit in hominum consilia & studia, nimirum vt efficiant, quò hominum consilia, quæ inter se ineunt, secundum vel aduersum habeant euentum. Euenta enim huiusce modi, in alterius, non in ipsius, cuius est consilium, arbitrio posita sunt. A Deo enim sæpe (vt in S. literis patet) hæc sine intermediis naturalibus cœlorum influxibus immittuntur. Exemplum trium varij generis pœnarum, quarum optio facta fuit Dauidi, hoc quod dixi, confirmat. Ergo neque hæc, ex vi altiorum præsentiri aut prædici ab Astrologis possunt: sed tantùm à Prophetis, quibus ea reuelat Dominus.

Primum igitur fundamentum Astrologorum, quo dicunt, cœlos & Astra vim in hæc inferiora habere, elementa, homines, &c. ideóque ab eis etiam indicari, corruit, si respondeamus, habere quidem cœlos & astra vim sua luce & motu generalem in hæc inferiora corpora, corporum habitudines, & affectionum propensiones: in reliqua verò nullam: corruit, inquam, si cœlorum influxum & vim, quam ad omnia, & res & personas & actiones extendunt Astrologi: nos eam ad corpora tantùm, & corporum qualitates, adde & affectuum propensiones contrahamus, sicut reuera contrahenda est. Neque id etiam semper: cum corporum etiam qualitates, & affectuum propensiones, non semper à cœlis, sed ab aliis caussis pendeant.

Ad secundum fundamentum, responsio.

Sed esto, vt vis cœlorum ad illa omnia, de quibus suprà diximus, extendatur: corruit tamen secundum fundamentum, quo dicunt Astrologi, ex vi Astrologiæ cognoscere se omnium cœlorum & syderum vim & influxus. At quo pacto hoc probabunt? Contra opponamus scripturam Gen. 15. *Suspice cœlum, & numera stellas, si potes:* quo indicat, fieri non posse, vt omnes à nobis stellæ numerentur: quomodo igitur earum influxus cognoscentur? Colligit hinc August. Tom. 5. de ciuit. Dei, li. 16. c. 23. hac scripturæ autoritate contemnendos esse eos omnes, qui numerum stellarum comprehendisse ac conscripsisse se iactant. Solius hoc Dei est, qui omnes etiam stellas suis notat nominibus, vt est Psal. 147. Si igitur numerum stellarum non tenent Astrologi, & vnaquæque suam (de ipsorum sententia) habet vim in inferiora, quam tamen ignorant: qui igitur fieri potest, vt aliquid certi de quouis homine, ex vi stellarum, sub quibus est natus vel conceptus, possit afferere? Agnoscit v. gr. conceptum esse vel natum aliquem sub influxu Veneris, venereum igitur futurum pronunciabit. At fortasse conceptus est, & natus sub influxu alius stellæ, influxui Veneris contrario, quo fiet, vt magis ad continentiam, quàm ad libidinem sit propensus.

Sed esto quoque, vt omnes stellas omniumque stellarum vim teneant Astrologi: nisi tamen certè agnoscant, quo temporis momento, ideóque sub quo cuiusque stellæ influxu quisque sit, non dicam, natus, sed conceptus, profectò nihil de cuiusque moribus, morte, vel vita, felicitate vel infelicitate, & id genus aliis pronunciare certi poterūt. Dicunt se scire, at hoc quàm falsò dicatur, nemo non videt. Motus enim cœli & stellarum ita celer est, vt momentum vnum discernere ab alio nullus mortalium possit: sed cum putas te momentum vnum obseruasse, sub quo duo gemelli nati sint, duo maximè inter se distantia temporis momenta, & cœlorum spatia reperientur, sub quibus gemelli illi nati sint: id quod Nigidius Figulus Astrologus (vt referunt historiæ, & præsertim August. de ciuit. Dei, lib. 5. c. 3.) testatus fuit. Cùm enim proposita illi esset quæstio, qui fieret, vt duo gemelli, eodem tempore nati, diuersissimis tamen naturis & ingeniis & voluntatibus & moribus nascerentur, si omnes, qui sub eodem stellarum influxu nascuntur, easdem à cœlis naturas, ingenia, voluntates, mores consequantur: respondit, etsi spatium nullum, vel minimum temporis intercessisse inter vtriusque gemelli natiuitatem nobis videtur: plurimum tamen intercessisse planè fatendum est, quod quantum sit, nos ignoramus. Hoc autem simili totum hoc expressit. Rotam figuli, quanta potuit vi intorsit, ita vt maxima celeritate rotaretur: currentem celeriter rotam, bis sed citissimè atramento percussit & aspersit: nemo est, qui non dixisset, eodem in rotæ loco, duo illa atramenti puncta esse, tamen vbi rota desiit moueri, inuenta sunt duo illa puncta seu signa, quæ Nigidius fixerat, non paruo interuallo, in rotæ illius extremitate. Tum Nigidius: *Sic* (inquit) *in tanta cœli rapacitate, etiamsi alter post alterum* (loquens de gemellis) *tanta celeritate nascatur, quanta rotam bis percussi: tamen cœli spatio plurimum est. Hinc sunt* (inquit) *quæcunque dissimilima perhibentur in moribus casibusque geminorum.* Et certè id, quod nobis videtur exiguum vel nullum esse temporis spatium, quòd inter duorum gemellorum conceptionem & natiuitatem intercedit: si mente tamen (vt ait Quintil.) perspicere velis orbis huius & cœli vastitatem, scies nullum esse, quod inter duas transcurrit animas. Fassus est igitur Nigidius, ignorare nos verum & certum istud temporis momentum, sub quo quisque gemellus natus sit: inde verò conclusit proficisci, eam morum & voluntatum, rerumque omnium diuersitatem, quæ in gemellis cernitur. Cæterùm hic ait August. *Hoc figmentum* (inquit) *fragilius est, quàm vasa, quæ illa rotatione finguntur. Nam si tam multum in cœlo interest, quod constellationibus comprehendi non potest, vt alteri geminorum hæreditas obueniat, alteri non obueniat: cur audent, cæteris, qui gemini non sunt, cum inspexerint eorum constellationes, talia pronunciare, quæ ad illud secretum pertinent, quod nemo potest comprehendere, & momentis adnotare nascentium?*

Cum igitur ostenderimus & capita præcipua, in quibus sita est iudiciariæ Astrologiæ professio, vana ac falsa esse, & fundamenta, quibus nititur, non solum nimis infirma, sed etiam vanissima & falsissima esse: manifestum esse puto, quàm tota hæc professio vana & falsa sit.

Cum verò etiam verbum Dei illam prorsus damnet, cùm prohibet, ne Ariolos, Astrologos, Chaldæosve consulamus, quos etiam sæpe per Prophetas, vt vanissimos Deus irridet, vt patet in Jesaia & aliis Prophetis, sicut initio huius quæstionis ostendit: Et cùm Patres etiam omnes eam sint acerrimè persecuti, ita vt nullus ferè Ecclesiasticus scriptor ex antiquis Patribus existat: qui non contra hanc vanam & superstitiosam Astrologiam scripserit: Quin etiam cùm fuerit expressis legibus, tum in Conciliis, tum ab Imperatoribus Christianis prohibita & damnata: adde, cum etiam à sapientibus Philosophis, imo etiam à multis eorum, qui in Astrologia maximè excelluerunt, damnata: miror, miror, tantam nunc esse quorundam hominum, qui Christiani appellantur, qui Euangelium profitentur, qui alioqui sunt & probi & docti homines, cæcitatem, vt non solum hisce falsis & vanis Astrologis etiamnum credant; sed etiam in huius vanissimæ artis studium toti incumbant. Potuit ne Satan pestilentiorem hac inuenire rationem, qua fidelium corda, à verbo Dei auelleret? vid. Cal. cont. Astrol. iud. 812.

De diuinatione per insomnia.

Diuinationis genera duo ex Cicerone principio retulimus, alterum artificiosum, alterum naturale, quod caret arte, ab eodem Cicerone appellatum. Sub primo genere 20. species recensuimus, quarum quasdam in vnum quasi fasciculum complexi, quantum veritatis habeant, quamque Christiano liceret, paucis ostendimus: quasdam vero seorsim singulas egressi, quàm veræ, quamque licitæ sint, vel non sint, satis abunde hactenus explicuimus. Nunc superest, vt alterum genus, quod expers artis esse dicitur, quàm itidem verum & licitum sit, explicemus. Sunt autem sub hoc genere species duæ, diuinatio per somnia, & diuinatio per furorem. Dicam primum de Diuinatione per somnia, deinde de altera, per furorem.

Mihi autem dicturo de Diuinatione per insomnia, quædam priùs de insomniis ipsis necessario dicenda sunt. Si enim ignoremus quid sit insomnium, quot & quæ eorum caussæ, & quot eorum genera: profectò quæstiones quæ de Diuinatione per insomnia poni solent, bene explicari non poterunt. Idcirco & Aristoteles primùm librum

librum edidit περὶ τῶν ἐνυπνίων: deinde librum περὶ τῆς καθ' ὕπνον μαντικῆς. De insomniis igitur dicam non quidem omnia, quæ à Philosophis traduntur, sed ea tantum, quæ ad præsentem quæstionem de Diuinatione per insomnia, faciunt.

Hæc autem de insomniis in præsentia dicenda esse videntur.

Præcipua capita de insomniis.

I. Quoniam (vt ait Aristot.) τὸ ἐνύπνιον δὲ φάντασμα μέν τι ἐν ὕπνῳ, videndum primo quid sit ὕπνος, antequam videamus, quid sit ἐνύπνιον, vt inde appareat discrimen inter vtrumque: imò etiam hinc meliùs patefiet, quid sit insomnium. Vnde Arist. περὶ δὲ ἐνυπνίου, inquit, *Quid autem sit insomnium, aut qua ratione fiat, ex ijs maximè, quæ in somno accidunt, cognosci potest.*

II. Quid sit ἐνύπνιον, id est, *insomnium*, seu *somnium*. Neque enim discrimen vllum facio inter somnium & insomnium, sicut neque Aristoteles: quanquam Macrobius & alij permulti faciant.

III Quot sint somniorum caussæ.

IV. Quotuplex ἐνύπνιον, seu, quot insomniorum genera, vt inde tandem appareat, per quæ somnia possit, & per quæ non possit fieri diuinatio: seu, quorum somniorum interpretatio ac diuinatio probanda, quæ improbanda, quę licita, quæ illicita sit.

V. His declaratis, paucis & facilè explicabuntur quædam de Diuinatione per insomnia quæstiones. Prima, vtrum aliqua Diuinatio per somnia fieri possit. Secunda, si possit, per quænam possit. Tertia, atque ita quæ licita sit Christiano, quæ non.

De I.

Ὕπνος in quo fit ἐνύπνιον, & qui (vt ait Arist. περὶ ὕπνου καὶ ἐγρηγόρσεως, c. 1.) φαίνεται σύνδεσις τις ὁ ὕπνος τῆς ἐγρηγόρσεως, quid sit, nemo est, qui nesciat, cùm omnes quod sit quotidie experiamur. Sic autem definiri non iniuria potest. Somnus est quædam sensitiuæ facultatis affectio, quâ sensibus (scilicet externis) consopitis, animal quiescit. Colliguntur enim sensus omnes exteriores in somno, ne animal quicquam videre, audire, olfacere, gustare, aut tangere vllo modo possit. Inde animal quiescit. Interna tantùm φαντασία per quam fit insomnium, non colligitur, imo tum maximè vagatur. Habetis quid sit ὕπνος. Reliqua quæ à Philosophis de somno traduntur, huc non pertinent. Satis est nos nouisse, quid sit somnus, in quo fit insomnium, & sine quo insomnium esse non potest.

De II.

Ἐνύπνιον verò quid sit, Aristoteles (qui vt omnia, ita & hanc materiam diligentissimè explicauit) antequam definiat, prius proloquia seu ἀξιώματα, quæ & diligenter explicat, præsumit: deindè ex illis in fine libri, quid sit insomnium aperit. Igitur & nos illa, vtpote ad agnoscēdum quid sit, & quomodo fiat insomnium ἐν τῷ ὕπνῳ scitu necessaria, quàm poterimus breuissimè explicabimus.

Primum proloquium ad illam Animæ potentiam seu virtutem spectat, qua fit insomnium, & cui apparet insomnium: vnde ita incipit, μετὰ δὲ ταῦτα περὶ ἐνυπνίου ζητητέον, καὶ πρῶτον, τίνι τῶν τῆς ψυχῆς φαίνεται, καὶ πότερον τοῦ νοητικοῦ τὸ πάθος ἐστὶ τοῦτο ἢ τοῦ αἰσθητικοῦ· τούτοις γὰρ μόνοις τῶν ἐν ἡμῖν γνωρίζομέν τι. Est autem in summa hoc proloquium primum: Insomnium non fit vi partis sensitiuæ (sensuum scilicet exteriorum, neque vi partis intellectiuæ) sed vi τῆς φαντασίας seu imaginatiæ, seu, vt alij loquuntur, non est passio sensitiuæ, &c. Primò, non partis sensitiuæ, scilicet exterioris, vel (vt loquitur Aristoteles) οὐκ ἄρα τῷ αἰσθάνεσθαι τὸ ἐνύπνιον. Ratio, quoniam insomnium fit, dum animal dormit, ἐν τῷ ὕπνῳ τὸ ἐνύπνιον. Dum autem animal dormit, exteriores sensus ita sunt colligati & consopiti, vt nihil sentiant, oculus non videat, aures non audiant. Hęc est enim proprietas somni, vt in eius definitione visum est. Insomnia autem sunt simulachra quædam (vt postea videbimus) quæ phantasiæ apparent. Ergo somnium non fit vi sensuum exteriorum.

Secundò, non fit vi partis intellectiuę, licèt ad illud sæpiùs concurrat. Ratio, propriè enim intelligimus vniuersalia. Insomniis autem videmus particularia. Quod enim videmus in somniis, non solùm dicimus hoc esse, v.g. animal, hominem, quę sunt intelligibilia, sed etiam esse hominem album, vel pulchrum, tali indutum veste, talia loquentem, quæ circumstantiæ sunt, non ad intellectum, sed ad sensum pertinentes. Ergò vi intellectiuæ partis non fit, vel non apprehenditur somnium.

Dixi, *licèt aliquando ad illud concurrat.* Ratio, quoniam aliquando contingit, vt in somnis, præter ipsa phantasmata, quæ sunt ipsa somnia, aliquid aliud intelligamus, seu mente percipiamus, vt cùm in somniis quis metra componit, locum aliquem scripturæ considerat & intelligit, aliquod argumentum dissoluit. quæ quidem sine operatione intellectus fieri non possunt.

Tertiò, sed fit vi φαντασίας, seu imaginatiæ, quæ est sensus interior. Est enim somnium passio eius potentiæ seu facultatis, qua decipimur. Ægroti quidem in vigilia, vt cùm ægrotantes videmur videre serpentes, cum tamen non videamus: In somniis autem etiam sani, vt cum in somnis videmur videre vel alloqui hominem, cùm tamen re ipsa non ita sit. Potentia autem hæc, quâ decipimur, sæpe est φαντασία. Vi ergo φαντασίας fit insomnium. Hoc est primum proloquium, quòd phantasia fiant somnia, & hæc somnia apprehendamus, vnde & *phantasmata* appellantur ab Aristotele, & sunt.

De materia somnij.

II. Secundum proloquium, & quædam alia, quę sequuntur, spectant ad materiam somnij, vt inde tandem appareat, quid sit somnium. Ergo secundum proloquium est hoc: Sensilia in vnoquoque sensorio, non solum sensum efficiunt, dum sunt præsentia: sed etiam sui species in sensorio impressas post suum etiam discessum, seu absentiam relinquunt.

1. Apparet id in visu. Si figas in Solem oculos, non solùm videbis solem, quamdiu est præsens: sed etiam vbi oculum auerteris aliquandiu speciem solis in oculo impressam habebis, ita vt plenus luce Solis oculus videatur. Item, si aquam rapide currentem intentè intueris, vbi etiam auerteris oculum per aliquod temporis spatium, omnia etiam quiescentia tibi moueri videbuntur.

2. Idem in auditu, & in odoratu, & in gustu patet, in quibus singulis species sensilium impressę relinquuntur, quemadmodum accidit in proiectione, vbi aliquid proieceris. v.g. lapidem, te etiam illum ampliùs non tangente, ille mouebitur. Cur? quoniam vis mouentis in lapide impressa aliquandiu in illo remanet. Ita sensilium species in sensoriis manent aliquandiu, absentibus etiam sensilibus ipsis. Ita etiam in phantasia, species seu simulachra rerum, quas sensibus exterioribus sensimus, remanent, vbi ad illam transmissæ fuerint. Hoc proloquium declarat, ex qua materia fiant somnia, ex speciebus sensilium, quæ in sensoriis externis relictę, ad phantasiam deinde sunt transmissę.

De caussa erroris in somniis.

III. Proloquium tertium: Qui affectu aliquo, aliquave perturbatione premuntur, facile circa sensilia decipiuntur. Patet, Meticulosi omni vel minimo strepitu percepto, hostes imminere sibi putant. Ita ægrotus, volitantem muscam, serpentem aliquem vel Dæmonem esse existimabit. Ita etiam in somniis decipiuntur homines à phantasia: quanquam aliquando intellectu accedente, sese interdum corrigant, vt dicant, scio me somniare, neque ita esse, vt apparet.

De ratione, quâ fiunt somnia.

IV. Proloquium quartum eò potissimum spectat, quomodo fiat somnium: est autem hoc: Motus à simulachris non tantum in vigilia, sed etiam in somno fit: & quidem magis in somno, quam in vigilia. Quod vt intelligatur, notandum, quomodo fiat somnium. Primò, sensilia externa; mouent sensus externos. Secundò, species in sensibus externis impressæ, per sensum communem ad phantasiam deferuntur, ibiq; conseruantur, & phantasmata à philosophis appellantur. Tertiò, à phantasia ad sensum communem reuertuntur phantasmata, vel potius phantasmatum species. Regressus igitur à simulachris est, cum aliæ species & imagines phantasmatum à phantasia deferuntur ad sensum communem, ita vt videaris videre sensilia ipsa foris ceu præsentia, tametsi absentia sint. v.g vt cum in somno videris videre Socratem, audire musicam, &c.

Motus ipse fit primò & in vigilia, præsertim si ęgrotes, vt phreneticis accidit, qui vidētur sibi videre mira, & sunt imagines regressæ à phantasia ad sensum communem. Imo etiam si sanus sis, & cogitas de re valde chara, videbitur tibi diu pręsēs ante oculos: imago est reuersa à simulachro, quod erat in phātasia, vel memoratiua. Secūdò fit, dū incipis dormitare, & nondū perfectè colligati vel cōsopiti sunt sensus: & tunc nō est verè somniū, sed partim verū sentimus, partim fallimur. Verum, quia audies aliquem loquentem: fallimur, quia putabis longè abesse, & tamen præsens erit. Tertiò, fit in perfecto somno. Tunc enim maximè libera phātasia, cōsopitis externis sensibus, maximè vagatur, & circa phanta-

ſmata illa occupatur, & ſubinde imagines ex illis ſimulachris expreſſæ, ad communem ſenſum remittuntur, ita vt ſenſibus videamur quaſi res ipſas præſentes ſentire. Hoc propriè ſomnium eſt, & hoc pacto fit.

De diuerſitate ſomniorum.

V. Proloquium quintum ad ſomniorum diuerſitatem ſpectat, cur aliquando diſtincta ſint ſomnia, aliquando vaga & interrupta. Eſt autem hoc Proloquium. Phantaſmata aliquando integra, aliquando fracta deferuntur ad cor, vbi ſedes eſt ſenſuum omnium, & præſertim communis. Senſus eſt: idem contingere in ſomniis gignendis, quod etiam contingit in imaginibus exprimendis, in aqua, quando in illam intuemur. Si vas plenum ſit aqua, & manu fortiter moueatur, tametſi in aquam reſpicias, in aqua tamen nulla tui apparebit imago. Quare? ob nimiam aquæ agitationem & perturbationem, quæ non ſinit imaginem imprimi. Vbi verò cœperit ſedari aqua, & parum moueri: imago quidem tui apparebit, ſed aliquantò diſtorta. Vbi autem perfectè quieuerit aqua, tunc tui imago in aqua apparebit recta & integra. Vnde hæc diuerſitas eiuſdem imaginis tuæ? Non quidem ex diuerſitate faciei tuæ, quæ eadem eſt, ſed ex varia recipientis aquæ diſpoſitione. Idem accidit in ſomnis, dum ſcilicet dormimus. Nam quanquam ſimulachra continuè à phantaſia ad ſenſum communem reuertantur: non tamen ſemper ſomnia excitantur, ſeu non ſemper nobis imagines vllæ apparent. Aliquando verò ſomniamus, ſed ſomnia illa inquieta ſunt & confuſa ſeu vaga: aliquando verò ſomniamus & ſomnia illa ſunt clara & ordinata ac diſtincta, vſque adeo, vt aliquando videamur nobis non ſomniare, ſed aſſerimus rem ita eſſe. Vnde hæc diuerſitas? Non à ſimulachris ipſis: ſed à diuerſitate euaporationi humoris, qui in dormiente aliquando nimius eſt, & nimis exagitatus, ita vt ſanguinem, qui à phātaſia ad ſenſum communem ſecum trahit ſimulachra, perturbet: tunc ſanguis ille eſt inſtar aquæ perturbatæ, in qua nullum apparet idolum, tunc nullum fit ſomnium. Hoc vſuuenit pueris & ebriis, & denique omni ferè dormienti, poſt aſſumtum nutrimentum, primi ſomni hora. Aliquando humor ipſe remitti incipit, ita vt ſanguis, qui defert phantaſmata, minus ſit perturbatus: tunc fiunt ſomnia, ſed aliquantum perturbata & vaga: id quod ſecunda ferè dormitione contingit. Aliquando verò ita ſedatus eſt humor ille, & cum eo ſanguis, vt nulla ibi ſit perturbatio: tūc fiunt ſomnia perſpicua & clara. Id quòd vſuuenit primo ſobriis omnibus, præſertim verò manè, ſedato omni humore. Ita clara fiunt ſomnia, vt videantur non ſomnia, ſed apertæ viſiones. In huiuſcemodi ſolent ſomnia à Deo excitari: & hæc illa ſunt, per quæ licet fieri diuinationem, vt dicemus.

His omnibus explicatis, tunc inquit Ariſtoteles: ἐκ δὴ τούτων ἁπάντων δεῖ συλλογίζεσθαι ὅτι ἐστὶ τὸ ἐνύπνιον φάντασμα μέν τι, καὶ ἐν ὕπνῳ: id eſt, *ex iis itaque omnibus colligere licet ſomnium eſſe phantaſma, ſeu viſum quoddam, ſed quod in ſomno ſeſe offerat*. Sed nos pleniorem afferemus definitionem.

Somnium quid ſit.

Somnium eſt phantaſma, quod a phantaſia per ſanguinem ad cor delatum, à ſenſu communi in ſomno recipitur. Nam dum eſt in via ad cor, phantaſma eſt: dum autem receptum eſt in corde à ſenſu communi, ſomnium eſt.

Fox. *Somnium eſt quædam imago in cerebro obuerſans, quam imaginatio à memoria eductam, agitat.*

Phil. lib. de Anima: *Imaginatio eſt facta in ſomno, variè in cerebro diſcurrentibus ſpeciebus, qui ſunt cogitationum inſtrumenta & efficiunt ſimulachra.*

Habetis quid ſit ſomnium, & quomodo etiam fiat. Neque verò hæc abs me fruſtrà dicta fuiſſe mox intelligetis, vbi ad partitionem ſomniorum ventum erit. Partitio verò neceſſaria eſt, ad explicandam quæſtionem de Diuinatione, per quænam ſomnia Diuinatio fieri poſſit, & per quæ non.

De III.

Cauſſæ ſomniorum quæ & quotuplices ſint.

Cauſſæ ſomniorum permultæ ſunt: ſic autem illas partimur iis partitionibus.

I. Cauſſæ ſomniorum aliæ ſunt extrinſecæ ipſi dormienti ſeu ſomnianti, aliæ intrinſecæ.

II. Extrinſecæ tres ſunt præcipuæ. Prima Deus. Solet enim Deus aliquando ſomnia immittere ſuis Prophetis & aliis viris piis, vt in Scripturis patet: imò aliquando & impiis, ſicut de ſomnio Pharaonis patet, quod immiſſum à Deo fuiſſe Pharaoni, Joſeph ipſe Gen. 41. teſtatur: idque aliquando per ſe, aliquando operâ alicuius Angeli. Secunda, Dæmon. Solet enim & ipſe aliquando in ſuis Pſeudoprophetis & aliis impiis, ſomnia excitare, ſicut pleraque ſomniorum illorum, quæ apud profanos ſcriptores de Gentibus referuntur. Tertia, cœlum ipſum. Cum enim phantaſia, in qua excitatur ſomnium, potentia ſit cum corpore participans, ſeu (vt loquuntur Philoſophi) organica, corpori cœleſti ſubiicitur: quo fit, vt cœlum, ſicut poteſt in corpore humores ciere, indéque aut ſanitatem, aut morbum gignere: & ſicut poteſt in nobis commouere iraſcibilem potentiam, indéque ad iram: & concupiſcibilem, indéque ad amorem excitare: ita poteſt ſimulachra ſeu phātaſmata in ipſa phantaſia ſeu potentia imaginaria commouere, indéque inſomnium gignere. Hæ ſunt cauſſæ ſomnij extrinſecæ, quarum prima & ſecunda ſunt ſpirituales & ſupernaturales: tertia corporalis & naturalis. Jam ad intrinſecas.

Cauſſæ ſomnij intrinſecæ quotuplices.

Cauſſæ verò intrinſecæ duplices ſunt: quædam ſunt naturales, quædam animales. Naturales ſunt ipſi interni, & dominantes in corpore dormientis humores, & corporis alterationes. v. gr. vt cùm redundat in te cholera, vel pituita, vel ſperma, vel cùm ſitis, vel fameſcis: tunc ſolet excitari ſomnium, quo tibi ipſi videberis in rogum aliquem accenſum ingredi (hoc eſt à redundante cholera, ſeu accenſabili) vel in aquam mergi (hoc eſt à pituita) vel rem habere cum aliqua (hoc eſt a ſpermatis ſuperabundantia) vel bibere, vel comedere (hæc ſunt à ſiti & fame.)

Animales quæ & quotuplices.

Animales verò ſomnij cauſſæ, ſunt ipſæ Animæ affectiones, vt ſunt metus, amor, &c. quæ etiam triplices ſunt. Aliæ ſunt affectiones naturæ, vt naturalis metus, amor, &c. Aliæ ſunt affectiones artis, quatenus aliæ ſunt affectiones ſtudioſi literarum, aliæ piſcatoris, &c. Aliæ ſunt affectiones eorum, quæ nobis obiter occurrunt, vt ſunt affectus earum rerum, quas vel agere, vel facere, vel meditari, vel inuenire, aut recordari cœpimus interdiu, vel propoſuimus. Hæ, cauſſæ animales appellantur, propterea quòd à ſenſitiua apprehenſione, quæ animali eſt propria, proficiſcuntur. Habetis cauſſas ſomniorum. Hinc patefiunt genera eorum.

De IV.

Somniorum quot ſint genera.

Somniorum igitur genera multa ſunt, ſicut etiam multæ cauſſæ. Sic autem partior iis partitionibus.

I. Tria ſunt in primis ſomniorum genera: quædam diuina, quæ à Deo, quæ θεόπεμπτα dici poſſunt: quædam Diabolica, quæ à Diabolo immittuntur: quædam naturalia, quæ à cauſſis dormienti intrinſecus fiunt, ſeu quæ originem non habent in nobis: ſicut duo ſuperiora originem non habent in nobis, ſed à cauſſis externis in nobis excitantur. Hic enim ſub naturalibus complector etiam animalia, quippe quæ omnia cauſſas habent in ſomniante intrinſecas.

Diuinorum ſomniorum ſpecies tres.

II. Diuinorum ſpecies tres ſunt, de ſententia Auguſtini & aliorum. Vna eſt, qua Dominus eos, quos ſibi libet, de futuris, inter dormiendum apertis verbis inſtruit, & hoc oraculum vocatur. Tale fuit ſomnium Abrahæ Geneſ. 15. Vbi Dominus per ſomnium Abrahæ apertè prædixit de ſemine illius futuro captiuo in terra Ægyptiorum, deinde poſſeſſuro terram Chanaam: Gen. 20. tale fuit ſomnium in quo Dominus Abimelechum Regem Geraræ claris verbis increpauit, & quid ipſi eſſet faciendum admonuit. Matth. 2.

Sic Ioſepho in ſomnis apertè dixit Angelus, *Tolle puerum & fuge in Ægyptum*, &c.

Quid ſit ſomnium diuinum.

Altera eſt, cùm Dominus per figuras & ſpectra quędam futura in ſomnis oſtendit, & hoc vocatur ſomnium, quod ita definiri poteſt, quòd ſit viſum diuinitus dormienti oſtenſum, ſed figuris & inuolucris tectum, quod non niſi interpretatione per ſpiritum Dei intelligi poteſt. Sic etiam Auguſt. de ſpiritu & Anima, c. 5. *Somnium eſt figuris tectum, & ſine interpretatione intelligi non poteſt.* Talia fuerunt inſomnia Joſephi Gen. 37. quando vidit reliquos manipulos aſſurgentes ſuo manipulo, & Solem & Lunam cum ſtellis ſe adorare. Talia fuerunt inſomnia Eunuchorum Pharaonis, quæ interpretatus eſt Joſeph Gen. 40. Tale etiam ſomnium Pharaonis, Gen. 41. cùm vidit 7. vaccas pingues, & 7. macilentas.

Talia

Talia sunt apud Danielem Nabuchodonosoris, & suum. Item in Apocalypsi.

Tertia species somnij diuini & θεωπικὸν est, cùm Dominus alicui in somnis clarè ostendit, quę futura sunt eo modo, quo etiam sunt futura, tanquam depicta in aliqua tabella: & hæc vocatur ab Augustino *visio*. Sic.n. Tom.3. de Spiritu & Anima (si tamen sit Augustini) cap.25. vbi quinque somniorum genera recenset, ait: *Visio est cùm id, quod videt quis, eo modo, quò apparuerat, euenit.*

Ego tamen (vt quod sentio liberè dicam) in scripturis non reperio, visionē vocari, huiuscemodi somnium, quod iam est definitum: sed visio opponitur somnio, Num.12. Vbi Dominus ponit modos, quibus Dominus ordinariè apparere solet: primus in visione: alter in somnio. Visio igitur est, cùm Deus apparet in vigilia: somnium, cùm in somno, id quod expressè patet Gen.15.

Hic obiter notandum est Iamblicho in lib. de Mysteriis discrimen quoddam inter tempus, quo naturalia, & tempus, quò diuina somnia fieri solent. Fuit quidem vir Platonicus, sed multa etiam præclara per hosce viros reuelauit Deus. *Naturalia somnia quando fiant.*

Naturalia somnia fiunt tantùm in profundo somno, cùm sensus exteriores (vt vidimus ex Aristotele) penitùs sunt ligati: Nam in vigilia aperta non contingit somnium: inter vigiliam & somnum, cum scil. incipimus dormitare, non fit somnium, quia sensus externi non sunt penitus ligati: sed partim verum sentiunt, partim decipiuntur. In perfecto verò somno, fit insomnium.

Diuina quando.

Diuina verò insomnia potius fiunt inter vigiliam & somnum, cùm incipimus dormitare: vel intersomnum & vigiliam. Hoc non videtur dissentire à S. literis, vbi plerumque legimus, quòd cum Dominus immisit alicui somnum vel soporem, ibi statim sequitur, *et ecce vidit*, &c. qua locutione indicat, viros, quàm primùm correpti fuerunt somno & sopore aliquo, qui est medius inter vigiliam & verum somnum, vidisse quæ Dominus ostendebat. Sic est Gen.15. de Abraham: *Et fuit, Sole occumbente, sopor cecidit super Abram: & ecce terror tenebrosus, &c.* Verba Iamblichi huc referre non grauabor: *Somnia quandoque incitantur in nobis ab innatis intelligentijs, rationibúsve: vel ab imaginationibus curisque diurnis, quæ aliquando verum assequuntur, plurimum verò falluntur. Atque hæc humanis principijs oriuntur, dormientibus contingunt, vigiliæ nihil habentibus. Somnia verò missa diuinitus, non ita contingunt: sed veniunt vel inter vigiliam atque somnum (vt quando imus cubitum) vel inter somnum atque vigiliam (vt mane, antequam surgimus, vel in ipsa vigilia: tum breues audiuntur voces, quid agendum sit admonentes, &c.*

Item infra: *Somnia humanis caussis procedentia, defectus patiuntur duos. Nam & in ipso somno, omnino dormientibus accidunt: & nos tunc non distinctè, vel plenè animaduertimus, aut quæ occurrunt, aut statum ibi nostrum. Quando verò diuinitùs mittuntur somnia, neque reuera dormimus, & assequimur animaduertimusque clariùs, quàm consueuerimus vigilantes: ideoq; in huiusmodi somnijs maxime ponitur vaticinium.* Mihi videntur verba non Platonici Philosophi sed diuinissimi Christiani.

Habetis species somnij diuini, quæ iuxta multorum sententiam tria sunt: Ego verò duas tantùm facerem, oraculum & insomnium: cum visio propriè fiat in vigilia, ideóque non sit somnium, nec eius species.

Naturalia somnia quomodo diuidantur.

III. Naturalia partior in duo genera, in verè & propriè naturalia, & in animalia. Naturalia sunt, quorum principia seu caussæ sunt humores, aut alterationes in corpore somniantis: ac sub istis complector etiam illa, quæ à cœlo excitantur. Ab illo enim humores alterantur. Animalia sunt, quorum principia & caussæ sunt affectiones in anima & mente somniantis.

Animalia quotuplicia sint.

IV. Animalia triplicia sunt, alia ab affectionibus Animæ naturalibus, vt à naturali metu, vel fortitudine animi, excitantur somnia, in quibus videmur vel inimicis terga dare, vel illos persequi & occidere: atque idem de reliquis affectionibus animæ naturalibus: v.gr. vt à naturali habendi cupiditate, vel à naturali liberalitate, excitabitur somnium, quo videbimur vel numos inuenisse, vel eos aliis distribuisse.

2. Alia ab affectibus artis. Alij enim sunt affectus (vt supra dixi) studiosi literarum, alij piscatoris. Ideo alia somnia excitantur in studioso, alia in piscatore: in illo somnium, quo videbitur sibi librum aliquem, elegantem inuenisse, vel disputare, vel scribere: in isto somnium, quo sibi videbitur magnam piscium multitudinem cepisse. Tractant enim fabrilia fabri: ita & diuersæ artium affectiones, diuersa excitant somnia. Vnde illud Claudiani:

Iudicibus lites, aurigæ somnia currus.

3. Alia sunt ab affectionibus eorum, quæ obiter nobis accidunt, vti sunt affectus earum rerum, quas vel agere, vel facere, vel inuenire, vel recordari cœpimus aut instituimus. Ab iis enim etiam excitantur somnia, & vulgo dicitur, vt etiam Cic. affirmat, quod de quibus solemus interdiu colloqui, meditari, agere, ea nocte soleamus somniare. Inde illud Theoc. πάντα κύων ἄρτως μαντεύεται, ἰχθύα καὶ γαλ. Hæc sunt perspicua, & nemo ferè est, qui id non re ipsa experiatur.

Addam quintam partitionem ex Arist.

V. Somniorum quædam sunt caussæ, scilicet per se eorum, quæ futura sunt nobis: quædam sunt signa tantùm eorum scilicet, quæ sunt, vel etiam futura sunt: quædam verò sunt neque caussæ neque signa, sed tantum accidentia, siue fortuita. Et hæc partitio Arist. est in initio περὶ τῆς καθ' ὕπνον μαντικῆς. Quid per causam? λέγω δ' αἴτιον μὲν, οἷον τὴν σελήνην τῆς ἐκλείψεως τοῦ ἡλίου: id est, *caussam autem voco, verbi gr. deliquij Solaris, Lunam*, id est, *interpositionem Lunæ inter nos & Solem*. Item, labor immodicus, caussa est febris. Signum verò quid? est, effectus ipse, vt linguæ asperitas signum est febris, quia est eius effectus. Item, Tonitruum signum est pluuiæ. Est enim effectus aquæ in cœlo coactæ, & deorsum casuræ. Accidens, quod neque caussa, neque effectus est, vt euaginatio gladij in Solis Eclipsi. Si enim gladio è vagina educto Sol obscuretur, euaginatio gladii accidens est seu fortuita caussa eclipsis Solis. Quæ cùm ita sint, ait Philosophus, primò, quædam somnia, caussas esse rei futuræ, v.gr. Architectus aliquis ingeniosus interdiu attentè & diligēter cogitat, quomodo domus ista sit ædificanda, hinc fit vt noctu dormiens somniet, sic & sic esse ædificandam. A somno excitus, somnium considerat, & videt, optimam esse rationem, si sic ædificat. Tunc somnium illud caussa fuit ædificij. Idem de Imperatore aliquo in exercitu dici potest, si exercitum ea ratione disponat contra hostem, qua in somno se illum instruxisse somniarat.

Secundo, quædam verò somnia, signa tantum sunt eorum scilicet quæ sunt, vel etiam futura sunt: v.gr. somniauit aliquis sæpius, se mel comedere, vel in aquam mergi, &c. Signum est redundare in hoc homine phlegma, ideóque signum etiam futuri alicuius morbi, nisi medicamento aliquo præueniatur. Huc plerumque referuntur somnia naturalia.

Tertiò, quædam sunt accidentia fortuita, quæ scilicet casualiter se habent ad futurum euentum: v.gr. somnias nocte pluere: & manè pluit. Casus fuit, & fortuita caussa. Nam etiāsi non somniasses, pluisset. Item, somnias venisse amicum tuum, & manè vides venisse Casus fuit. Nam neque caussa, neque signum fuit. Huc spectant plerumque somnia animalia. Hæc est caussa, cur somnia plerumque non eueniant, quia scilicet fortuita sunt, & accidentia. Fortuita autem & casualia, neque semper, neque frequenter fiunt, ait Aristoteles.

Præcipuæ quæstiones de Diuinatione per insomnia.

His ita explicatis, modò proponuntur quæstiones istæ.

I. *Possitne aliqua fieri diuinatio per somnia. id est, possitne ex somniis certi aliquid de futuris rebus præsagiri ac verè prædici.*

II. *Et si possit, per quænam somnia, & quarumnam rerum per illa somnia fieri diuinatio possit.*

III. *An omnis, quæ fieri per quæuis somnia potest diuinatio, licita sit Christiano, nécne: & quænam licita sit, quæ non.*

DE I.

An per somnia diuinatio aliqua fieri possit.

Quod primam quæstionem attinet, permulti Philosophi negarunt diuinationem per somnia, Xenophanes Colophonius, Epicurus, Panætius, Carneades, Cynici omnes, imò & Cicero multis argumentis (quæ tamen nullius sunt ponderis, si diligenter perpendantur) omnem conatur tollere diuinationem per somnia. maximam autem argumentorum illorum partem ex Aristotelis περὶ τῆς καθ' ὕπνον μαντικῆς libro desumsit: præsertim illud amplificat, quod ante ipsum Aristoteles attulit, si vlla esset per somnia diuinatio, somnia immitterentur à Deo. Huius enim solius est cognoscere futura. Non immittuntur autem à Deo. Patet. Quoniam immitterentur sapientibus & probis viris: immittuntur autem sæpius stultis, &c.

Resp. Argumentum hoc friuolum est: immitti à Deo dicimus multa somnia, & aliquando sapientibus, vt Abrahæ, Danieli, &c. aliquando insipientibus, vt confundat sapientes.

Aristoteles quoque primùm argumenta quædam affert, quibus confirmare videtur diuinationem per insomnia, præsertim argumentum ab experientia ductum, sed postea alia ex parte affert argumenta in contrarium, & huius potiùs sententiæ fuit, quòd nulla possit fieri certa diuinatio eorum quæ futura sunt, per insomnia. Possunt quidem per insomnia multa agnosci præterita, & præsentia, vt quinam humores dominentur in corpore, &c. vt dicemus: sed rerum futurarum nullam voluit per insomnia fieri diuinationem. Ratio, quoniam negauit insomnia diuina. Naturalia verò non posse futura indicare, sed iis ferè semper nos decipi, sensit: & si contingat, vt somniauimus, casu id euenisse sentit.

Altera verò ex parte, permulti Philosophi nobiscum fatentur, dari diuinationem per insomnia: Antipater, Iamblichus, Democritus, Dicearchus Peripateticus, Diogenes Babylonicus, Cratippus, Cleantes, Pythagoras, Possidonius, Plato, Socrates, Zeno, &c. Ii enim falsi sunt somnia aliquando à Deo immitti: ideo diuinationem per insomnia admiserunt: atque ij tales sunt viri, qui vt nullam rationem adferant, suâ tamen autoritate reliquos omnes minutos Philosophos vincant. S. Literæ apud nos valeant, vbi infinita propè somnia θεόπεμπτα narrantur, in quibus futura Prophetis & aliis piis viris sunt reuelata. Datur igitur diuinatio vera & certa per somnia.

DE III.

At per quænam somnia, & quarumnam rerum per illa somnia diuinatio esse potest?

Resp. Hic reuocanda sunt ad memoriam genera somniorum supra allata. Sic ergo distinctis conclusionibus respondeo.

Prima. Per somnia diuina, certa & vera diuinatio haberi potest, & quidem earum rerum omnium, quę per illa somnia significantur. Ratio. Immittuntur enim a Deo, non frustra, sed vt quæ futura sunt, significet. Deus autem optimè nouit, quæ sint futura. Agnosci igitur ex diuinis somniis possunt, quæ futura sunt: si oracula sint, sine interpretatione: si verò somnia, inuolucris & figuris tecta, cum interpretatione, per Spiritum Dei. Exempla in S literis apertissima sunt & frequentissima, in Genesi, in Prophetis, & N. Testamento.

Secunda: per insomnia etiam Diabolica, fieri aliquando diuinatio potest, & quidem earum rerum, quæ per illa significantur. Ratio. Potest enim etiam Dęmon futura multa prænoscere, atque ea alicui impio per insomnia reuelare. Exempla multa ex libris Gentilium, præsertim ex Valerio Max lib. 1. c. 5. de somniis, & ex Cicerone, de Diuinatione, lib 1. adferre possem, vbi multa somnia narrantur, quæ certè non à Deo, sed à Dæmone, hominibus illis impiis immissa fuerunt, & multa futura reuelata. Item, multa id genus somnia, nostro etiam tempore, multis impiis, præsertim Anabaptistis & Papistis, à Satana immissa fuerunt, quæ multa quidem vera prædicebant: sed tamen ab effectis, Diabolica fuisse compertum est. Sed an iis fides sit adhibenda, necne: seu, an hæc diuinatio licita sit Christiano, necne, alia quæstio est. Dicimus, minimè. Primò, quoniam Satan mendax est, & pater eius: ideo etsi aliquando verum reuelat, sæpiùs tamen fallit: imò verum aliquando dicit, vt postea mendacium persuadeat. Secundò, nullum habendum est cum Satana commercium.

Tertia: De naturalibus verò somniis (tametsi diuinatio hæc non pertinet ad secundum genus Cic. quod est expers artis: arte enim fit hæc diuinatio) aliter est respondendum, & diuersę conclusiones, iuxta diuersas naturalium somniorum species sunt constituendæ. Cùm ergo primùm diuisa sint in verè naturalia, & in animalia, dicam primò de animalibus.

Per somnia animalia, tam quæ ab affectionibus animæ naturalibus, quàm quæ ab affectionibus artis, & illarum rerum, quæ obiter occurrunt, diuinatio nulla certa rerum futurarum haberi potest. Ratio. Huiusce modi enim somnia, nihil aliud ferè sunt, quàm vanæ quædam nostrarum affectionum, cogitationum, locutionum, actionúmque præteritarum vmbræ & imagines in phantasia relictæ: hæ autem nihil futurum significant. Neque ergo diuinatio fieri potest Huc spectat illud Catonis:

Somnia ne cures. Nam mens humana quod optat,
Dum vigilat, sperat: cùm dormit, cernit idipsum.

Sic enim comparata est mens nostra, vt quæ interdiu cupidiùs vidit, cogitauit, appetit, fecit, timuit, horum simulachra noctu, dum ab externis sensibus est auocata, somniando videat, vel videre se putet. De iis Salom. Eccles. 7. *Vbi multa sunt somnia, ibi permulta vanitates.* Et Tibul.

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pauidas mentes falsa timere iubent.

Nulla ergo certa rerum futurarum diuinatio per hæc fieri potest.

Aliquid tamen ex iis somniis, præsertim frequentibus, coniectari posse dico. Primò, ex somniis, quæ ab affectionibus animæ naturalibus oriuntur, si frequentissima sint, coniectari licet, affectus seu propensiones somniantium ad vitia, vel virtutes. Ratio, quoniam per effecta cognoscuntur caussæ. Si igitur ab affectibus talibus vt caussis oriuntur. Ergo, &c. Exemplum. Si quis sæpissimè, & vt plurimum somniet somnia ad liberalitatem spectantia, coniectare licet, eum natura propensum esse ad liberalitatem, & affectū liberalitatis in eo vigere, ex quo tale somnium sæpe oritur. Dico, *si sint frequentia.* Nam sicut vna hirundo non facit ver (vt ait Aristot.) ita nec vnum aut alterum somnium animi affectum indicare potest.

Secundò, ex somniis verò, quæ ab affectionibus artis deriuantur, licet coniectare artes eorum, quorum sunt somnia. Sed neque hoc fieri verè potest ex vno aut altero somnio: sed ex quamplurimis, si sint frequentia, idem portendentia. Exemplum Non enim quod quis semel de piscibus capiendis somniauit, licet coniectare, eum esse piscatorem: sed si subinde de iis somniet, aliqua fieri potest coniectatio.

Tertiò, Ex iis verò somniis, quæ ab effectibus eorum, quæ obiter occurrunt, sunt profecta, coniectare licet affectus illos, quibus præcedenti die premebamur. Hæc enim somnia sunt memoriæ quædam relictæ eorum, quæ interdiu cogitauimus, egimus, &c. Notanter autem dico *coniectare*, quoniam nihil certi statuere possumus ex iis somniis. Modo ad naturalia.

Per naturalia, quæ.

Quarta, per somnia naturalia, quæ scilicet caussas in nobis habent, & sunt corporis vel humores, vel alterationes: præsentiri verè possunt humorum corporis alterationes, vt in quo quis humore magis vel minùs peccet, indéque morbi tam vniuersales, quàm particulares, vel quibus aliquis laboret, vel in quos breui, nisi remedium aliquod quàprimùm adhibeatur, casurus sit, facilè à Medicis agnosci & diuinari possunt. Ratio. Quoniam inter hæc somnia, & tales humores ac morbos, est certa ac naturalis connexio. Illa enim sunt effecta: hæ verò caussę. Per effecta autem caussæ agnosci perfacilè possunt. De iis certæ & veræ à Physicis & Medicis traduntur regulæ: vt v. gr. si somnia admodum sint melancholica, & frequentia (nam ex vno somno, vt suprà etiam dicere cœperam, certum iudicium fieri non potest) si igitur somnia sint melancholica, eáque frequentia, facilè præsentiet Medicus, hunc nimia melancholici humoris abundantia laborare, idéoque nisi antidoro aliquo præueniatur, citò in grauissimum aliquem morbum casurum. Quod verò de Melancholicis dixi, idem de aliis humoribus dicendum est. Exemplum. Vt si quis somniet, se ab aliquo premi & suffocari, quod quidem insomnium *Ephialtes* à Philosophis, & *incubus* à Medicis appellatur, diuinabit vel potiùs verè cognoscet Medicus, talem hominem crassissimis humoribus esse repletum. Fit enim Ephialtes, cum crassus humor in thorace, vel in cerebro existens, motum thoracis impedit & comprimit, eáque compressio mouet imaginationem, vt putet somnians, se ab aliquo alio, magno pondere premi. Hæc est diuinatio seu præsensio per somnia naturalia.

Iis sunt qui addunt aliquod aliud genus somnij, quod neque diuinum, neque Diabolicum, neque propriè naturale esse volunt: sed *præsagiens* appellant, quod tamen caussam habeat in præstantia naturalis temperamenti. Dicunt enim, quòd quemadmodum temperamento naturæ, seu peculiari proprietate ac naturali dono, alius alio agilior est ad scandendum, alius alio magis musicus: sic quodam naturali dono seu proprietate multi habeant præsagientia somnia quibusdam quasi allegoriis pingentia futuros euentus, qualia fuerunt Syllæ & Luculli somnia. Item, qualia multa fuerunt, quæ apud Cic. lib. 1. de Diuinat. leguntur. Exemplum in Cicer. Cicero somniauit Octauium, Principem Reipub. fore, priusquam eum puerum nosset. & ita

ita euenit. Galenus etiam refert, quendam phthisi laborantem, somniasse se balneari in sanguine suo: postridie narrat somnium Medicis. Indicant illi, sanguinem in eo redundare, & ideo (tametsi dehortante Galeno) venam ei incidunt. Ille destitutus viribus, moritur, atque ita vt præuiderat, in sanguine suo ablatus fuit. Genus hoc somniorum, quia caussam non habet expressam in humorum motu, seu in corporis alteratione, naturale vocare non audent, sed præsagiens appellant: quia sunt quædam naturæ præsagientes, quas (vt aiunt) Aristoteles vocat φύσεις λάλους καὶ εὐθυονείρους ἢ εὐτυχεῖς, quæ crebra huiuscemodi somnia significantia habent. Ex iis aliquam fieri diuinationem, non quidem certam, sed coniecturalem posse dicunt: affirmationem verò prohiberi quòd sæpe etiam fallant. Alij tamen huiuscemodi somnia partim ad Diabolica, partim ad animalia referri posse dicerent.

De III.

Omnisne diuinatio per somnia, licita est Christiano?

R. Non.

Diuinatio per somnia diuina, quales erant Prophetarum, Iosephi, Danielis, omnino licita est Christiano, fidesque illi semper & omnino est adhibenda, quippe quæ vera & diuina est.

1. Diuinatio per somnia Diabolica, vera quidem sæpe esse potest: minimè tamen, nec vnquam Christiano licita est, sed planè prohibetur. Sæpe enim fallunt hæc somnia, vtpote à Satana patre mendacij profecta. 2. Commercium nullum cum Satana est habendum. Ideo fides illis non est præstanda.

3. Diuinatio per animalia somnia partim vana ac impia, partim non vana nec impia est, ideoque partim prohibetur, partim non prohibetur. Vana & impia, si ex animalibus somniis, certi aliquid præsagire seu diuinare velimus: & si huiuscemodi diuinationi certam fidem adhibeamus. Non vana verò, nec impia, quatenus ex iis somniis aliquid tantùm coniectamus, eo modo, quo suprà diximus, nec tamen quippiam certò statuimus, neque certam fidem adhibemus. Nulla enim certa (vt suprà dixi) diuinatio per hæc animalia somnia haberi potest. Quare in iis certam ferre sententiam, vanum & impium est. Sæpe enim ἄσημα sunt.

4. Diuinatio per naturalia somnia, certior est, quàm per animalia, vt suprà diximus: sed tamen etiam hæc partim vera & bona, partim vana & mala est; ideoque partim commendatur, partim prohibetur. Vera & bona, si ex probè cognitis naturalibus somniis, quæ per illa verè indicantur, iudicamus & præsagimus, ita tamen vt neque in iis ita certam feramus sententiam, quin res aliter esse, aut euenire possit. Vana verò est & mala, ideoque prohibita, si ex iis somniis ita certam ferimus sententiam, quasi aliter aut esse aut euenire non possit. Sæpe enim contingit, vt aliter res succedat, quam naturale somnium, ex certis etiam caussis naturalibus, v. gr. ex redundantia sanguinis aut pituitæ excitatum, indicarat. Sæpe etiam falluntur Medici ipsi, vt somnium aliquod ex caussa naturali profectum esse existiment, cum tamen ab aliis caussis sit deriuatum, vt exemplum supràs ex Galeno allatum demonstrat. Naturalia ergo somnia obseruare, vt faciunt Medici, vanum non est, sed vtile atque honestum: certam verò semper in iis ferre sententiam, ita vt aliter esse non possit, vanum & temerarium est.

Quare solis diuinis somniis certam adhibere fidem, & ex illis (vbi perspicuum fuerit esse diuina) futura diuinare vel potius prædicere licet.

DE DIVINATIONE PER furorem.

Restat nobis explicanda altera eaque postrema inartificiosæ diuinationis species, quæ diuinatio per furorem appellatur. Ea vt rectè intelligatur ac explicetur, videnda sunt:

I. *De voce furoris quid significet.*
II. *Quid sit furor, de quo in præsentia agitur?*
III. *Quæ furoris species.*
IV. *Quæ species diuinationis per furorem.*

His explicatis, duæ proponentur quæstiones:

Prima: *An aliqua detur vera per furorem diuinatio, & quænam: vbi obiter discrimina quædam statuentur inter diuinationem per furorem diuinum, & Diabolicum.*

Secunda: *Quænam diuinationis species per furorem licita sit Christiano, & quæ non licita: ideoque cui fides præbenda, cui minùs.*

De I.

Furor Latinè, Græcè μανία καὶ ἐνθουσιασμός, & ἐνθουσιασμὸς apud Platonem, qui de hoc furore multa conscripsit. Nam in Apologia τοῦ Σωκράτους, ἐνθουσιάζει & ἐνθουσιασμὸν appellat: in Phædro vero μανίαν vocat, vnde & per interiectum τ μαντία, quæ est ars prædicendi, deriuata. Significat autem vtraque vox apud Platonem, quandam mentis alienationem, cùm scilicet vel poetæ, vel vates, seu Prophetæ, vel Sacerdotes, mente alienati, atque à corpore quodammodo separati, instinctu diuino repleti, futura prædicunt. Sed hanc mentis alienationem postea diuidit in bonam & malam.

Latini permulti furorem iuxta Etymon vocis Græcæ μανίας, insaniam esse dicunt. Sed Cicero inter insaniam & furorem discrimen facit in 3. Tusc. dicendo: *Itaque non est scriptum, si insanus, sed si furiosus esse incipit. Insaniam enim censuerunt inconstantiam sanitate vacantem, quæ tamen posset tueri officium & vitæ communem cultum atque vsitatum: Furorem autem esse rati sunt, mentis ad omnia cæcitatem.* Est igitur Furor Ciceroni, mentis ad omnia cæcitas, seu vt ipse alibi interpretatur, dementia, sicut etiam Platoni μανία, est mentis alienatio. Sed sicut Plato in bonam & in malam partitur: ita Cicero aliquando in malam, aliquando in bonam partem accipit Furorem. In malam acceptus, est mentis cæcitas à Deo hominibus in pœnam inflicta. Sic in oratione de Aruspicum responsis: *A Diis quidem immortalibus, quæ potest homini maior esse pœna furore atque dementia?* In bonam verò partem acceptus, est diuinus instinctus, quo animus à corpore abstractus, futura præsagit. Sic in lib. 1. de Diuinat. *Is qui ante sagit* (id est, acutè sentit) *quæ oblata res est, dicitur præsagire, id est, futura antè sentire. Inest igitur in animis præsagitio quædam extrinsecus iniecta atque inclusa diuinitus. Ea si exarsit acriùs, furor appellatur, cùm à corpore animus abstractus, diuino instinctu concitatur. qualis est furor poëtarum, cum furore quodam correpti, carmina præstantissima edunt.* Cic. de Diuin. *Negat enim Democritus, quenquam sine furore poëtam magnum esse posse. Dicitur autem furor à feror, quod qui furore agitantur, huc atque illuc ferantur.* Hæc de nomine.

De II.

Furor igitur, de quo in præsentia agimus, & quatenus etiam sanctis Prophetis contingere potest, licèt in S. literis non reperiatur pro illo diuino afflatu, quo Prophetæ afflabantur, sic definiri potest: ***Furor est vis quædam animis hominum extrinsecus iniecta, quâ homines ad aliquid vel agendum, vel prædicendum concitantur.***

De III.

Triplex furor, iuxta quem triplex etiam diuinatio per furorem statuetur: Diabolicus, humanus & diuinus.

Diabolicus est vis quædam in animis impiorum à Diabolo extrinsecus iniecta, quâ illi cum quadam mentis alienatione & cæcitate, vel ad impias turpesque actiones, vel ad sæpe falsa, semper autem fallentia vaticinia necessariò concitantur.

Primò, *quòd sit vis quædam*, Ciceronem habet testem in 1 De Diuinat. qui de hoc furore loquens ait: quòd *Dij quidem ipsi* (erant autem omnes Dæmones, illi Romanorum Dij) *se nobis non offerant: vim autem suam longè lateque diffundant, quam cùm terræ cauernis includunt, tum hominum naturis implicant. Nam terræ vis, Pythiam Delphis incitabat: Naturæ Sibyllam.*

Secundò, quòd sit *extrinsecus iniecta*, idem Cic. testatur, dicendo lib. 1. *Inest igitur in animis præsagitio extrinsecus iniecta.*

Tertiò, *Quòd verò à Diabolo sit iniecta*, patet. Neque enim à natura est, quia in omnibus esset: neque esset extrinsecus iniecta: Neque à Deo res cuiquam iniicitur ad impias actiones, aut ad falsa vaticinia. A Diabolo igitur: & reuera Diaboli erant omnes, qui Gentibus illis vaticinabantur.

Quartò, *Quod in animis impiorum iniecta*, patet. Neque enim Satan vim in animos piorum: sed illos impios captiuos tenet & agit, quo vult, vt testatur Paulus, 1. Cor. 12. Item: Sicut filij Dei aguntur à Spiritu Dei: ita impij à Spiritu Satanæ.

Quintò, Quòd verò furor ille sit *cùm quadam mentis a-*

lienatione & cæcitate, testatur Plato & Cicero. Ille enim μανίαν, ἐνθουσιασμὸν mentis alienationem esse dixit: iste, mentis ad omnia cæcitatem. Et reuera vates illi Gentiles non intelligebant, quæ dicerent, & vt insani à furiis agitabantur. Testes sunt profani scriptores, qui passim tradunt, quanto furore in Orgiis Bacchi homines agitarentur. Testis & Chrysostomus in 1. ad Corinth. c.12. qui citat Platonem, sic dicentem: ὥσπερ οἱ χρησμῳδοὶ καὶ οἱ θεομάντεις λέγουσι μὲν πολλά, ἴσασι δ᾽ οὐδὲν ὧν λέγουσι. Citat etiam quosdam poëtas in hanc rem.

Sextò, *ad impias actiones & turpes*: hoc addidi differentiæ caussa inter diuinum & Diabolicum. Concitabantur illi ad idola colenda, ad sacrificia idolis offerenda. Hæc autem sunt impiæ actiones. De iis Paulus 1. Cor. 12. Et hoc præsertim dictum, propter furorem Sacerdotum in Dodone & in Orgiis Bacchi: item agitabantur ad turpes amores. Nam hunc etiam furorem vocauit Plato.

Septimò, *vel ad vaticinia*, propter vatis dictum. Hæc autem erant plerumque falsa, vt in profanis scriptoribus patet de oraculis Dæmonum. Aliquando vera quidem, sed tamen fallentia. In hunc enim finem prædicebant aliquando vera, vt mendacia postea persuaderent, & ita semper nos fallerent. Hic est furor Diabolicus, quo vates illi Gentium & Pythię & alij agitabantur. Plato quidem & Cicero & alij Gentiles diuinum furorem appellant, & a Deo in animis hominum iniectum fuisse dicunt: sed nobis manifestum est, à Diabolo, non à Deo, talem furorem fuisse illis iniectum, sicut postea ostendemus, cùm explicabimus differentias inter diuina & Diabolica vaticinia.

Furoris Diabolici species tres.

Huius furoris, quem illi diuinum, nos Diabolicum fuisse dicimus, species tres constituit Plato in Phædro, pag. 201. Vnam dat Prophetis seu vatibus, vt illis, qui erant in Delphis, dicendo: ἥ τε γὰρ δὴ ἐν Δελφοῖς προφῆτις: Alteram dat Sacerdotibus, vt illis qui erant Dodone, dicendo: αἵ τ᾽ ἐν Δωδώνῃ ἱέρειαι. Tertiam dat Sibyllis, dicendo: καὶ ἐὰν δὴ λέγωμεν Σίβυλλάν τε καὶ ἄλλους ὅσοι μαντικῇ χρώμενοι ἐνθέῳ. Primam igitur esse voluit vatum & diuinorum: Altera Sacerdotum in suis sacris: Tertiam Sibyllarum & Musarum, qui etiam *furor poëticus* ab eodem appellatur, in apolog. Socratis. Hæc pauca de Diabolico furore.

Secundus furor diuinus.

Furor verò diuinus, propriè furor non appellatur neque in Scripturis, neque apud Patres, quandoquidem furore non agebantur Prophetæ, sed placido spiritu Dei: vnde & *spiritus Domini* appellabatur subinde, & *spiritus Propheticus*, donum illud.

Diuinus furor, vel potiùs afflatus quid.

Diuinus ergo ἐνθουσιασμὸς seu afflatus, vis est quædam in animis plerumque piorum, à Deo extrinsecùs iniecta, qua illi sanæ mentis compotes, intus illuminati, & placidè ac suauiter moti, tum ad pias honestásque actiones, tum ad vera vaticinia aguntur.

Primò, *Quòd vis diuina*, id est, donum Dei, patet ex Scriptutis, vbi donum Prophetiæ, donum esse Dei manifestè docetur: 1. Cor. 12. *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem: Alij Prophetia, alij discretio spirituum*, &c. *Omnia autem hæc operatur vnus atque idem spiritus.*

Secundò, *vis hæc extrinsecus* inicitur à Deo. Non est enim à natura, quæ nihil eorum, quæ Dei sunt percipit, aut quæ futura sunt, videt, sed à cælo est. Iacob. 1. *Omne datum optimum, & omne donum de sursum est.*

Tertiò, *In animis plerumque piorum*, hoc addo: quoniam plerumque donum prophetandi piis illis donatur, vt de Prophetis in Veteri Testamento patet: sed tamen nō semper. Nam etiam impiis aliquando datum est donum prophetandi & futura prædicendi, vt patet in Propheta Bileam, & in Iuda Ischariote, & aliis permultis, & vt patet in Actis Apostolorum & Euangeliis. Vnde Christo Matth. 7. dicent, *Nónne in nomine tuo prophetauimus*? Talis fuit furor Sauli datus, cùm spiritus Domini irruit in eum, & prophetauit inter Prophetas: Vnde Prouerbium: *Num & Saul inter Prophetas?*

Quartò, *Qua illuminati*, &c. Nisi enim illuminentur, vt intelligant, quæ vaticinantur, Prophetæ Dei non sunt, vt patet in Pharaone. Ideo non fuit ipse Propheta, sed Ioseph, qui somnia illa intellexit. In Nabuchodonosore, ideo non ipse, sed Daniel fuit Propheta. Caiphas non fuit Propheta, quia non intellexit, quid diceret, sed Iohannes eius interpres.

Quintò, *Et placidè ac suauiter moti.* Hoc quoad voluntatem, quæ à spiritu Dei, non coactè, sed placidè & suauiter affecta, mouetur ad actiones.

Sextò, *Ad pias actiones*, vt ad Ecclesias renouandas & reformandas, sicut Prophetæ in veteri Testamento: & Iohannes Baptista. Hoc contra furorem Diabolicum.

Septimò, *Ad vaticinia vera*, sicut Agabus in N. Testamento, &c.

Tertius furor, humanus.

Tertius furor est humanus. Hunc inter alios connumerat Plato. Vult enim quosdam ita affectos esse corporibus, nempe debilitatis, consumtis præ morbo aliquo humoribus, vt quodammodo alienati mente, & furore quodam naturali agitati, futura prædicant. In horum numero collocantur, inprimis vehementer Melancholici: vnde & morbum hunc, cùm quis scilicet vehementer Melancholia laborat, dæmonium Medici dici vocant: Et vulgò dicitur, pueros, stultos, & Melancholicos solere prophetare, quippe qui a quadam (vt aiunt) intelligentia non errante, eò magis regantur, quo minùs sunt suæ mentis compotes. Hæc Platonis est sententia.

Ego hanc furoris speciem non inficior: & fortasse sub hac collocari debet furor poëticus, qui in multis poëtis à natura proficiscitur: sed an talis sit, vt per hunc certa futurarum rerum præsensio aut prædictio haberi possit, nego, vt infra ostendam.

De IV.

Ex iis tribus furoris speciebus, tres diuinationis species per furorem constituuntur, diuina, Diabolica, humana: quanquam nos duas tantùm statuimus, diuinam & Diabolicam.

Diuina est illa, quæ ex afflatu, seu spiritu Dei proficiscitur, qualis fuit Iacob, cùm quicquid cuique filiorum suorum euenturum esset, iam iam moriturus prædixit, vt est Genes. 49. qualis Mosis, qualis Prophetarum, &c.

Diabolica est, quæ à furore Diabolico procedit, qualia fuêre vaticinia & oracula Pythiæ, Sibyllarum, & Sacerdotum Apollinis, & aliorum vatum apud Gentiles. A Satana enim afflati, & furiis agitati, vaticinabantur, cùm vaticinabantur.

Humana est, quæ à furore humano deriuatur, qualis fertur esse multorum virorum & mulierum, præsertim Melancholicorum, qui parum suæ mentis compotes, & à cœlis acti, furore quodam perciti, vaticinantur. Quanquam hæc species à plerisque negatur inter vaticinia esse connumeranda: quandoquidem nullum vaticinium esse potest nisi à spiritu vel Dei, vel Dæmonis. Adferam vnius Iamblichi, viri doctissimi & antiquissimi tum testimonia, tum rationes.

Is igitur lib. 15. de Myst. c. de vaticinio, contendit, omnino nullum vaticinium esse, nisi a Diis: *Vaticinium ipsum, nec ab arte, nec à natura, nec à naturalibus vel animalibus rationibus motibusve efficitur, neque fit vllo modo: sed vtrinque sempiternum est missum ad nos diuinitùs, totáque potestas præsaga refertur ad Deos: & omnis huius autoritas consistit in eis, atque inde traditur, diuinisque operibus signisve perficitur.* Idem ibidem: *Cætera verò cuncta* (scilicet præter diuina) *velut instrumenta subiiciuntur, misso diuinitùs præsagij dono.*

Item, cap. de Inspiratione, primò recenset tres operationes de afflatu & vaticinio diuino, quarum prima caussam eius referebat ad animam: secunda, ad corpus: tertia ad compositum ex vtroque. Iamblichus verò ait, ipsum non esse opus Animæ, vel corporis, vel compositi, nec caussam in eis habere. *Afflatus enim* (inquit) *ille fatidicus, agit tum in prædicendo tum in efficiendo, supra omnem humanæ naturæ consuetudinem. Non potest autem homo, vel aliquid hominis, vltra terminos suos ad diuinos progredi terminos: neque possunt præstantiora à deterioribus generari. Caussa igitur huius est duntaxat ipsa diuinitas, quoniam scilicet à Diis descendunt in nos lumina, spiritusque traduntur ab eis.* Item infra: *Vaticinij ius non est ex certa complexione. Deorum enim dona, non variè spirantur secundùm corpoream varietatem. Munus enim diuinum impatibile est, & supra naturæ vim datur per propriam Dei actionem*, &c. Item, *Cùm afflatus animus & dicat, & agat supra & contra naturę merum, caussa afflationis eiusmodi non est naturalis, vel ex corpore nostro, vel qualitate loci: sed ex Dei pręsentia ista fiunt.* Duas igitur tantùm veras species Diuinationis per furorem habemus, diuinam & Diabolicam.

August. de Diuinat. Dæm. cap. 5. *Aliquando & hominum dispositiones non solum voce prolatas, verum etiam cognitione*

tione conceptas, cum signa quędam ex animo imprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscunt, atque hinc etiam multa futura prænuntiant. Sicut enim apparet concitatior animi motus in vultu, vt ab hominibus quoque aliquid forinsecus cognoscatur quod intrinsecus agitur: ita non debet esse incredibile, si etiam leuiores cogitationes dent aliqua signa per corpus, quæ obtuso sensu hominum cognosci non possunt, acuto autem Dæmonum possunt. Hac atque huiusmodi facultate, Dæmones multa futura prænuntiant, cùm tamen ab eis longè sit altitudo illius Prophetiæ, quam Deus per sanctos Angelos suos & Prophetas operatur.

Prima igitur quæstio proponitur, *an vlla per furorem, rerum futurarum prǽsensio certa haberi possit: seu, an res futurę per aliquem furorem certò præsagiri possint.*

R. Paucis, prima: per humanum furorem, nulla certa rerum futurarum præsensio aut prædictio haberi potest, vt antè ostendimus: quoniam nullum vaticinium ab arte, vel à natura est, sed à Deo, vel à Satana, Deo permittente. Etsi enim huiusce modi vel stulti, vel pueri, vel Melancholici multa vaticinentur, & aliquando etiam eueniant res, sicut illi fuerant vaticinari: illæ tamen potiùs eueniunt casu, quàm quòd ita præuiderint euenturas. Ideo nulla ab eis certa diuinatio esse potest. Confirmatum hoc fuit testimonio Iamblichi.

Secunda: per diuinum furorem, vel afflatum potius, omnino & certò res futuræ omnes præsagiri & prædici possunt. Omnia enim nuda & aperta sunt coram oraculis Dei. Potest autem per suum spiritum, omnia quæ vult, hominibus reuelare. Ergo, &c. Conclusionem hanc omnibus Christianis certam esse non dubito; quare probatione non eget: & exempla Prophetarum in Scripturis rem confirmant. Quòd si Prophetæ aliqui non omnia hoc spiritu agnoscant, vitio spiritus id non fit, sed quoniam Deus non vult, vt plura agnoscant.

Tertia: per furorem Diabolicum multa futura certò pręsagiri & prædici quandoque possunt. Multa enim futura agnoscit Satan, non dico omnia (quoniam hoc solius Dei est) sed multa: nempe quæ illi permittit Deus, vt agnoscat. Potest autem eadem suis vatibus per suum spiritum reuelare. Ergo, &c. Exempla etiam varum apud Gentes hoc confirmant.

At hic oritur dubitatio, quomodo spiritus Satanæ potest multa futura per suos arreptitios vates quandoque prædicere, cùm solius Dei sit futura cognoscere, ideoque & prædicere, vt in Ies. est, *Prędicite nobis futura, & dicemus, quia Dij estis.*

R. Augustinus hanc sibi propositam quæstionem dissoluit Tom. 3 lib de Diuinat. Dæmonum. Item Tom. 2. epist. 115. ad Nebridium: quibus in locis docet multis rationibus, Dæmones multa futura cognoscere, ideoque posse per suos arreptitios illa prædicere & diuinare.

Prima sumitur à sensuum acumine, seu (vt ipse loquitur) ab acrimonia sensus. Habent Dæmones sensus acutissimos. Habent enim (iuxta Augustinum) corpora aërea. Ergo facilè possunt multa futura præuidere.

Secunda, à motus celeritate. Habent motus felicissimos, ita vt de loco in locum transire citissimè possint. Ergo quæ in vno loco viderunt fieri, possunt actutum in alio loco renuntiare.

Tertia, à longo vitæ tempore. Longo tempore vixerunt, ab orbe condito, ita vt magnam sibi prudentiam compararint. Ergo ob diuturnum experimentum multa possunt pręcognoscere, ideoque & prædicere & diuinare.

Atque hæ tres rationes ex Augustino, de Diuinat. Dæm. cap. 3. desumtæ sunt. Vbi etiam ostendit, mirum non debere videri, quòd corporibus Dæmonum tantam sensuum acrimoniam, & motus celeritatem attribuerit: vt ij multa futura & abdita videant ac prænuntient. *Si enim sagax canis tanti est olfactus, vt latentem feram acerrimo olfactu, sic inueniat, vt ad eam capiendam ductum quendam homini prębeat: Et si aquila sublimiter volans, de tanto interuallo sub fluctibus natantem piscem dicitur peruidere, & grauiter aquis illisa, exertis pedibus atque vnguibus rapere: quid mirum, quòd in corporibus aëreis Dæmonum tanta sit & visus acrimonia, & cursus celeritas.*

Quarta ab ipsorum ministerio. Ministri sunt Dei in calamitatibus & flagellis Mundo inferendis propter peccata. Ergo quæ ipsi ex mandato Dei facturi sunt, ea antequam agant, prædicere possunt. Hæc continetur in 5. c. eiusd lib.

Quinta à caussis & signis rerum, in quibus res futuræ sæpe videntur: Caussas rerum futurarum & earum signa multa sæpe vident: Ergo etiam effecta, antequam è caussis oriantur, præuidere possunt. Verba Augustini sunt: *Aliquando autem non quę ipsi faciunt, sed quę naturalibus signis futura prænoscunt, quæ signa in hominum sensus venire non possunt, antè prædicunt.* Hæc etiā ex eod. 5. cap. Et addit August. eos etiam sępe cogitationes & consilia humana cognoscere, non per se, sed ex signis aliquibus, quæ ab Anima in corpore impressa relinquuntur, sicut enim cum anima irascitur, signū irę aliquod in facie imprimit: ita cū aliquid cogitat, vel appetit, vel aliquid aliud agit homo in anima, anima propter συμπάθειαν quam habet cum corpore, in corpore aliqua sui motus & operationis vestigia & qualitates imprimit, quas etsi nos non videamus, quia hebetes oculos habemus, Satan tamen facilè videre eas potest: inde verò cogitationes ipsas & affectus nostros Dæmones magna ex parte cognoscunt. Verba Augustini sunt: *Aliquando & hominum dispositiones non solum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum signa quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscunt, atque hinc etiam multa futura prænuntiant. Sicut enim apparet concitatior animi motus in vultu, vt ab hominibus quoque aliquid forinsecus agnoscatur, quod intrinsecus agitur: ita non debet esse incredibile, si etiam leuiores cogitationes dant aliqua signa per corpus, quæ obtuso sensu hominum cognosci non possunt, acuto autem Dæmonum possunt. Hac atque huiusmodi facultate, multa Dæmones futura pręnuntiant, cum tamen ab eis longè absit altitudo illius prophetiæ, quam Deus per S. Angelos & prophetas operatur.*

Possunt igitur multa prædicere per suos vates Dęmones, Deo id ad excæcationem eorum, qui veritati non obediunt, permittente.

Ad illud Iesaiæ respondeo: solius Dei est, futura & omnia & verè cognoscere, ideoque & verè pędicere, & neminem fallere Diabolus autem etsi multa pędicit futura, tamen non omnia, sed sępè fallit. Ideo natura diuina non potest tribui Dæmoni, neque idolis. Hoc autem voluit ibi significare Propheta: Ibi enim exprobat idolis eorum fallacias & deceptiones. Atque hoc est vnum discrimen inter diuinationem diuinam & diabolicam, quod diuina semper est vera, nec vnquam fallit: Diabolica sępe falsa.

Nunc igitur alia etiam discrimina recensebimus, quæ sunt inter diuinum & diabolicum vaticinium, interque vates diuinos & diabolicos.

Differentiæ autem hæ sumuntur ex allata descriptione.

Prima, Cicero ait, quod vim hanc (quam ceu genus in vtraque definitione posuimus, & quam diximus esse hunc furorem) Dij, id est, Dęmones, terræ cauernis aliquando includant, & inde eam hauriant homines, à qua ad vaticinandum incitentur, sicut de Pythia in Delphis ipse testatur, lib. 1. de Diuinat. dicendo: *Quod eam terrę vis Delphis incitabat*, sc. ad oracula edenda, & ad vaticinandum.

At non sic Deus suos Prophetas afflat, scilicet è terra: sed è cœlo vim hanc illis immittit, suo illos spiritu replens. Ioel. 2. *Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ somnia somniabunt.*

Secunda: Multa turpia contingebant illis vatibus, dum vaticinabantur: patet id in Pythia, sicut explicat Chrysost. in 12. c. 1. ad Corinth. dicendo: *quod Pythia mulier illa apud Gentes celebratissima, & illustrissima, cùm oracula edere volebat, hac faciebat: sedebat in tripode Apollinis, diuaricatis cruribus: tunc malus spiritus è subiecto specu profectus, ad eam veniebat, & per genitales eius partes subintrans, eam furore replebat: Illa verò sic afflata, crines soluere & debacchari, & spumā ora perfundere, ebriáque & insana verba proferre & responsa dare.* Quid hoc turpius?

At cum Deus afflat suos Prophetas, nihil tale fit, nihil ibi turpis, nihil inhonesti, sicut patet in Prophetis, tum Veteris, tum Noui Testam. Quin etiam ipsi impij donati à Deo spiritu prophetandi, inter prophetandum nihil turpe aut inhonestum agebant.

Tertia: Vaticinia Diaboli tantùm ab impiis proferuntur, non autem à piis: Diuina verò aliquando quidem etiam ab impiis, sed plurimum à piis honestissimisque viris Dei.

Quarta, Vaticinia Diaboli non edebantur à vatibus suis, nisi cum mentis alienatione & cæcitate tanta, vt neque essent sui compotes, neque quæ vaticinabantur, intelligerent, vt patet ex testimonio Platonis citato à Chrysostomo, qui dixit quod οἱ χρησμῳδοὶ καὶ οἱ θεομάντεις λέγουσι μὲν πολλὰ καὶ καλὰ, ἴσασι δὲ οὐδὲν ὧν λέγουσιν. in cuius rei testimonium quosdam poetas citat idem Chrysostomus, & ad quantam insaniam redigerentur, patet ex iis, quæ de Pythia ex Chrysostomo retulimus.

At Deus non ita tractat suos, vt ad insaniam redigat aut excęcet: sed placidè tractat, & magis ac magis illuminat, dū

in eis vim prophetandi inſerit: & ſuæ mentis compotes manent. Exemplis rem patefacit Chryſoſtomus allatis ex Veteri Teſtamento, vt Ionæ, vt Ezechielis, vt Ieremiæ, qui omnes afflati numine Dei, mentis compotes principiò quidem munus prophetandi detrectarunt: ſed tamen poſtea Deo aſſenſi ſuſceperunt: Ideo Miltiades (vt refert Euſebius Cæſar. in hiſtor. Eccleſiaſtica. lib. 5 c. 17.) in iis libris, quos ſcripſit contra Montanum hæreticum & eius Propheteiſſas, quæ in ecſtaſin raptæ, ſe à ſpiritu Dei raptas eſſe dicebant & vaticinabantur, ſic ſcriptum reliquit: *Non eſt hoc Prophetæ, vt in ecſtaſi loquatur*: idque confirmat multis exemplis ex Nouo Teſtamento, eorum, qui prophetarunt, etiam Agabi, etiam Iudæ & Sylæ, & filiarum Philippi, adde & Ananiæ & Quadrati in Philadelphia.

At dices, Nonne etiam Prophetæ Dei rapi ſolebant in ecſtaſin, & mente alienari? An non Petrus in ecſtaſi vidit linteamen è cœlo demitti, Actor. 10. Omnino. Ita enim ait textús: *παρασκευαζόντων δὲ ἐκείνων, ἐπέπεσεν ἐπ' αὐτὸν* (ſcilicet Petrum) *ἔκστασις. Θεωρεῖ τὸν οὐρανὸν ἀνεῳγμένον*: Annon & Paulus fuit in ecſtaſin raptus, & vidit arcana? 2. Cor. 12 *Scio hominem raptum vſque ad tertium cœlum*, &c. An non fuit mentis alienatio? *ſiue in corpore, ſiue extra?* &c.

Reſpondeo: Miltiades non negat, quin Prophetæ Dei in ecſtaſin rapiantur aliquando: ſed negat, eos vaticinari in ecſtaſi conſtitutos, & quaſi à corpore alienatos, ſicut faciebant Propheteiſſæ Montani, & vates Gentium. Ideo verba eius diligenter ſunt examinanda: *Petrus ergo, aut Paulus, nec alius vnquam Propheta Dei, in ecſtaſi vaticinatus eſt: ſed bene in ecſtaſi viderunt, quę vaticinarentur.* Ita dico, viros Dei alienari quidem mente aliquando, ſcilicet à corpore, ſed non alienari mente à ſe ipſis prorſus, ita vt mens ipſa ſui non eſſet compos. Vates verò Gentium ita abalienabantur mente, vt neque mens ſui eſſet compos, ſed cæca ad omnia effecta proferrent, quæ non intelligebant.

Quinta, Vaticinia Diabolica, etſi aliquando vera, tamen ſæpius falſa ſunt, & mendacia, vt patet in vaticiniis & oraculis Gentium, item in vaticiniis multis eorum, qui in Papatu ſe eſſe Prophetas Dei iactarunt.

At vaticinia Dei omnia & ſemper veriſſima ſunt, neque vnquam fallunt. Ideo hinc ſequitur alia.

Sexta, Diabolica quidem ſæpe mendacia, ideo à Satana in arreptitiis ſuis hominibus obſcurè & verbis dubiis, quæ & in duos contrarios ſenſus trahi poſſunt, eduntur: idque ne ſi res non eueniat, id ipſis vertatur vitio, quaſi mendax fuerit, ſed potius interpretum ignorantia arguatur, qui oracula ab eis edita, neque intelligere, neque explicare ſciuerunt, ſic illud:

Aio te Æacida Romanos vincere poſſe. Vnde & propter huiuſcemodi obliqua & tortuoſa reſponſa, quæ Apollinis vates reddebant, appellatus fuit *Λοξίας Ἀπόλλων*.

At diuina oracula & vaticinia claris & diſertis verbis exprimit Deus in ſuis Prophetis, ita vt certum ſenſum adferant auditoribus, modò ſpiritu Dei ſint prædìti, qui ad illa intelligenda eſt pernéceſſarius: neque poſſunt in duos contrarios ſenſus, niſi nimis aperta vis verbis inferatur, pertrahi, ſicut vaticinia Satanæ. Res aperta eſt, ſi quis legat vaticinia Prophetarum in ſcripturis.

Septima: Vaticinia Diabolica ſemper ad perditionem hominum, & ad Deum blaſphemandum, ad idololatrias ſtatuendas diriguntur & tendunt, vt patet in Papatu, & in Gentibus: Et huc voces illæ, quas editas ab animis demortuorum refert Gregorius in Dialogis. Hæ enim ad accendendum purgatorium ignem, ad inducendam in Eccleſiam idololatriam Miſſæ pro defunctis, & alias infinitas impietates ſpectarunt.

At vaticinia diuina ad nihil aliud, niſi ad gloriam Chriſti confirmandam & ad ſalutem Eccleſiæ promouendam. Omnia enim ad ædificationem, &c. *Prophetę Dei non loquuntur, niſi ad ædificationem*. 1. Cor. 14.

Ex iis atque aliis differentiis, agnoſcere quiuis poteſt, quæ oracula ſint à Deo, quæ à Satana: ideóque quantum differat diuinatio per afflatum Dei, ab illa, quæ eſt per furorem Satanæ.

Quæ cùm ita ſint, nunc facilè cuique patet, quid ad ſecundam quæſtionem reſpondendum ſit, vbi quæritur: *An omnis per furorem diuinatio Chriſtiano ſit licita, néc ne, & cui ſit fides adhibenda, cui non adhibenda.*

Reſp. Diuinatio per furorem Satanicum, nullo modo licita eſt Chriſtiano, neque vlla ei fides eſt præſtanda.

1. Si ſpectes cauſam efficientem: à quo fit hæc diuinatio à Satana ſeu ſpiritu maligno. Nullum autem commercium eſt habendum cum Satana.

2. Si inſtrumentalem, per quos fit? per impios, membra Satanæ. Non eſt autem communicandum cum impiis.

3. Si materialem: quid prædicitur hac diuinatione? ſæpe mendacia, ſemper autem decipientia. Mendacio autem non eſt præſtanda fides: & decipientia non ſunt audienda, ſed reiicienda.

4. Si formalem: quid eſt hæc diuinatio? vis & furor quidam Diabolicus in animis iniectus à Satana. Quid autem magis eſt auerſandum quàm vis & furor Diabolicus?

5. Si effecta: Quid parit? in diuinante, mentis alienationem & excæcationem, ita vt nec intelligant quæ dicunt, & ad inſaniam redigantur. Tam verò is qui diuinat, quàm qui diuinationi huic fidem præſtat, mancipia & captiui fiunt Diaboli.

6. Si finalem: Quò ſpectat diuinatio hæc? tum ad contumeliam Chriſto irrogandam, tum ad noſtram pernitiem, nempe ad perſuadendum mendacium, ad auertendos nos à verbo Dei, ad idololatrias inducendas, ſicut patet in Papatu, & in Gentibus.

Ob has cauſas tam ſæpe Deus in ſcripturis prohibet, ne pſeudoprophetis fidem præbeamus, etſi multa edant ſigna.

Non eſt autem aliud vaticinij genus, niſi diuinum & Diabolicum, ſeu nulla alia per furorem diuinatio: & diabolica fugienda eſt: Ergo ſola diuina prophetia eſt amplectenda, & illi ſoli fides præbenda.

F I N I S.

DEO SOLI LAVS ET GLORIA.

HIERO-

HIERONYMI ZANCHII
THEOLOGI CLARISSIMI,

EPISTOLARVM
LIBRI DVO.

In PRIMO *variæ materiæ Theologicæ controuersæ, solidè pertractantur.*

Secundus continet Epistolas, *tam ipsius ad Principes, Nobiles & doctos viros, quàm illorum ad ipsum. Quibus in fine subiiciuntur* ORATIONES *ipsius, in tribus celeberrimis Academiis, de materiis Theologicis habitæ.*

HIERONYMI ZANCHII
THEOLOGI CLARISSIMI,

EPISTOLARVM THEOLOGICARVM LIBER I.

Seniores & Ministri in synodo Pincouiensi, Minoris Poloniæ congregati, Professoribus Theologiæ, & Pastoribus Ecclesiæ Argentinensis,

Gratiam & pacem à DEO Patre, & Domino Iesu Christo.

NON dubitamus, fratres in Domino venerandi ad vos vsque peruenisse rumorem de turbatis Ecclesiis nostris per Stancarum, qui Sabellij dogma de Trinitate, & Nestorij de Christo Mediatore, vnico filio Dei resuscitauit; quod quoque ipse, quanquam tergiuersetur, libello impuro edito contra omnes vbique pias Ecclesias, quas *Arianas* vocat, non obscurè testatur. Nos verò cùm simus fratres vestri in Domino, eundem Christum Filium Dei, verum Deum & hominem Mediatorem nostrum apud Deum Patrem agnoscentes, noluimus ea de re vos non commonere; quin & hortari, quo communem veritatis hostem, coniunctis viribus adoriamur & prosternamus, vt alij qui inferiores sunt, nec eius fraudes deprehendunt, facilè effugere possint.

Principio sciatis, eum nolle omninò agnoscere veram Trinitatem, qualem nobis Scriptura tradit, & in Baptismo Christi manifestata est, vbi Pater auditus in voce: Filius visus in carne, Spiritus in Specie columbæ: sed semper *Trinitatem confusam vnum Deum somniat*, ad quem suum vnum Deum, Scripturæ inauditum, Mediatorem statuit, hominem tantùm Christum, quem & huius Dei Trinitatis filium, & ab illa missum nugatur, & ad illum intercedere pro nobis fingit. Quòd si quis distinctè eum roget, an credat, *Patrem verum esse Deum: an quoque Filium esse verum Deum, de Deo vero genitum: tum quoque Spiritum S. Deum*, vbi tandem vera Trinitas ex distinctione aduersum eius confusionem emergit: clamat, nos Arianos & hæreticos esse. Quòd si ex eadem distinctione obiicimus, Filium Dei, Deum de Deo & verum hominem ex homine, esse Mediatorem ad Deum Patrem, duos Deos nobis obiicit, inquiens: *Vnus est Deus Trinitas: quòd si vnus, Filius Dei, Deus non potest esse Mediator, quia essent duo Dij. Oportet ergo, vt ad vnum Deum Trinitatem, sit Mediator homo tantum Christus: aut vnà Pater cum Filio, & Spiritus S. vnus Deus, Trinitas erit Mediator ad Propatora Valentini*: vbi facilè videre est, quòd Christum Dei Filium, atque ita Deum ex Deo, cum Iudæis penitus abnegat, & hominem tantum ad Trinomium Deum statuit, nomen Christi tantùm in Trinitate relinquens, & extra Trinitatem, hominem Christum veluti alterum ab illo vano nomine submouens, & vni Deo Trinitati supplicem faciens, & seruum cum omnibus aliis, quam hæresin & Samosateno, & Marcello Athanasius tribuit. Hinc etiam eo dementiæ & furoris deuenit, vt omnes ferè locos Scripturæ, vbi nomen DEI auditur, corrumpat, suo Deo confusæ Trinitati illud adaptans. *Gratia*, inquit, *& pax à Deo*, Trinitate: *Vnus Deus*, id est, Trinitas, *Vnus Mediator Dei*, id est, Trinitatis, *& hominum, homo Christus*. Sic, *Vt cognoscant te verum Deum*, id est, Trinitatem, *& quem misisti Iesum Christum*, id est, hominem & mille alios locos Scripturæ similiter corrumpit.

Nos verò contra confusionem eius Sabellianam, semper distinctionem obiicimus, qualis est vbique in Scriptura. In Baptismi forma, vbi tres, non tria confusa nomina audiuntur, Patris, eiusque Filij, tum Spiritus S. Obiicimus manifestationem veræ & non confusæ Trinitatis in Baptismo Christi. Obiicimus & Symbolum Apostolicum, tùm ferè omnia alia Symbola, vbi distinctè in Deum Patrem, & in Filium eius Dominum Iesum Christum, tum in Spiritum S. creditur: neque vspiam Trinitas confusa vnus Deus dicitur: aut tres isti, vt sint vnus, confunditur. Sic locum 1. Corinth. 8. obiicimus, vbi etiam distinctio ista euidentissimè demonstratur: *Nobis autem vnus est Deus, qui est Pater, ex quo omnia: Vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia*, &c. Et alias: *Vnus Spiritus S. in quo clamamus, Abba Pater.*

Hincque interpretamur secundum Scripturas locos ab eo corruptos, & eum præcipuè, in quo proram & puppim suorum deliriorum statuit: *Vnus Deus, vnus Mediator, Dei & hominum, homo Christus Iesus*: Vbi, *vnus Deus*, id est, Pater, *Vnus Mediator Dei*, id est, Patris, non Trinitatis, homo Christus Iesus, id est, incarnatum verbum intelligitur. Quam interpretationem non solum loci præcedentes, sed & omnes alij confirmant, vbi Christus dicitur Mediator ad Patrem, non ad Deum Trinitatem: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Accessum habemus*, Iudæi & Græci, *ad Patrem per Christum in vno spiritu. Habemus aduocatum apud Patrem, Christum Iesum. Sic Deus dilexit mundum*, id est, Pater, *vt Filium daret*, quia Trinitas non habet Filium. *Reconciliati sumus Deo*, id est, Patri, *per mortem Filij eius. Deus reconciliauit sibi cuncta, quæ in cælis & in terris, per Filium*, id est, Pater per Christum. *Si Deus pro nobis*, id est, Pater, *quis contra nos? Qui etiam non pepercit Filio suo*, id est, Pater, qui solus habet Filium, & mille alij loci in scripturis.

Sic etiam videmus, ne qua sit confusio, semper scripturam loqui distinctè de duobus aut tribus. *Pluit Dominus à Domino. Conuenerunt aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Dixit Dominus Domino meo. Ego & Pater vnum sumus. Deus Verbum erat apud Deum. Creditis in Deum, & in me credite. Qui manet in doctrina Christi, Patrem & Filium habet. Vt cognoscamus verum Deum, & maneamus in vero Filio eius. Deo gratia, qui semper per nos triumphat in Christo.* Sic Paulus vbique semper: *Gratia & pax à Deo Patre, & Domino Iesu Christo. Iacobus Dei & Domini Iesu Christi seruus.* Item, de tribus distinctè: *Habemus accessum ad Patrem Christum in vno spiritu. Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.* Sic, *Spiritus S. superueniet in te, & Virtus altissimi obumbrabit tibi, & quod nascetur ex te sanctum, Filius Dei vocabitur.* Sic Zacharias in Cantico, Meminit *Domini Dei Israel*. Item, *Loquentis per os sanctorum*. Item, *Altissimi, ante cuius faciem praibit Ioannes.* Sic Luc. 1. *Domini Dei* mentiò fit, qui Angelum mittebat ad Mariam: Deinde, filij Mariæ nascituri: tertiò, & Spiritus S. Sic Ioan. 1. Dei Patris, Verbi, & Spiritus S. meminit. Sic Act. 1. Sic 1 Ioh. 5. Tres nominatim exprimit sine confusione. Sic Baptismi forma nominatim exprimit tres, & distinctè. Sic symbola ferè omnia, vbi articuli distincti de Patre, distincti de Filio, tum de Spiritu S. sine confusione numerantur, &c.

Idem quoque videmus obseruari in Scripturis ad euertendum Iudæum Sabellium, homicidam Filij Dei, quod vt de vno singulariter; ita de duobus aut tribus pluraliter loquitur; *Ego & Pater vnum sumus; Tres sunt, Pater, Verbum, & spiritus, & isti tres vnum sunt*, non vnum est. Item *vt nos sumus Vnum, ita & illi vnum sint in nobis*, non in me, ne vnus cum Patre putetur. Item, *Ego & Pater veniemus,*

mansionem faciemus. Ecce Adam, tanquam vnus ex nobis. Faciamus hominem ad imaginem nostram: Hocque ideò fieri, ne quis confusionem, vel abolitionem alterius ex tribus moliretur, vt Sabellius ante & Stancarus nunc facit.

Videmus, eum ludere in voce *Vnus*, quam suæ Trinitati confusæ aptat, contra scripturæ vsum, quæ singulariter cuique ex Trinitate personæ tribuit vocem *Vnus* vt & aliis rebus singularibus, vt locus 1. Corinth. 8. 8. Eph. 4. ostendit. Tum Patres, qui Apostolis viciniores erant, hoc ipsum fortiter asserunt.

Posteriores verò Patres, quoties vnum Deum in Trinitate dicunt, non aliud, quàm *vnam Diuinitatem* vel *vnam diuinam naturam*, quam & *essentiam* vocant, in tribus statuunt, qua tamen nunquam vel abolere veram Trinitatē, vel confundere, vt tres sint, non tres iam, sed vnus, cogitarunt, quod Stancarus omnibus viribus contendit, vnum Deum Trinitatem semper clamitans.

Nobis verò, vt semper confitendus est vnus Deus, qui est Pater, ex quo omnia: ita quoque Filius Dei verus Deus, de Deo genitus, in quo omnes consolationes nostræ, salus animæ & corporis deposita est, credendus est, sine quo accessus ad Deum nullus est, atque ita nec verus Deus sine illo est, qualem Turcæ & Iudæi sibi imaginantur. Hoc verò solo nos Christiani à cæteris, tum Iudæis, tum Gentibus differimus, quòd quem Deum vnum Patrem Cœli terræque creatorem esse credimus, eundem ab æterno Filium, per quem fecit omnia, & postea quoque redemit humanum genus, progenuisse confitemur: in quem qui non crediderit, neque in eum Patrem credere putandus est.

Hæc nos longius ad vos fratres in Domino charissimi, quò videte possitis, in quibus versemur cum Stancaro difficultatibus, qui nunc Iudaismo suo, hoc est vno Deo Christum Filium Dei, Deum ex Deo abolet, & confundens cum Patre, pulchrè sepelit quod ante paulò Antichristus Gentilismo suo, id est, pluralitate Deorum, fœdè Christum eum creaturis miscens, & in illis salutem, quę in solo Christo est, deponens frustra sepelire satagit. Mittimus vobis scriptum Stancari, vt ei quoque ad eius Sabellianismum respondeatis. Plerique enim nostratum sunt, quos abducere tentat, nisi à vobis, quos præcipuè spectant, confirmentur. Eorum autem nomine rogamus & obtestamur, ne respondere, quantò citius potestis, negligatis. Mittimus quoque vobis confessionem, qua nostras Ecclesias, quas Arianismo aspergit, repurgamus: si quid in nobis desiderabitur, vos fratres, monitores & hortatores fidos semper sequi constituimus. Bene valete fratres in D. honorandi: Dominus vos spiritu suo tegat, & consilia, tum operas vestras, in gloriam nominis sui consecret. Orate pro nobis nostrisque Ecclesiis, quæ turbantur variè hoc Iudaismo. Responsum verò ad Superintendentem cœtus Cracouiensis, quæ est Metropolis Minoris Poloniæ perferendum dabitis. Datum Pincouiæ in synodo Seniorum Superintendentium 21. August. Anno 1562.

Felix Cruciger Superintendens Ecclesiarum in Minori Polonia.

Gregorius Paulus Superintendens Ecclesiarum in diœcesi Cracouiensi.

Stanislaus Lathomirski Pinczouiensis tractus Superintendens.

Paulus Gilouius Ecclesiarum Zathoriensis & Osuięcimiensis Ducatus Superintendens.

Martinus Crouitius Ecclesiarum Lublinensium sibi commissarum Superintendens, manu propria subscripsit.

Iacobus Ecclesiarum submontanarum senior.

Franciscus Lismaninus subscripsit.

Stanislaus Lublinensium Minister & Superintendens.

EORVNDEM CONFESSIO DE SANcta Trinitate, *contra eos, qui Ecclesias minoris Poloniæ, Arianismi & pluralitatis Deorum accusant in eadem synodo edita,* 22. *Aug.* M.D.LXXII.

QVemadmodum semper ab initio, in Ecclesiis nostris Symbolum Apostolorum amplexi sumus, illudque pro fundamento doctrinæ fidei retinuimus: ita in eiusdem puritate & integritate nos semper permansuros profitemur. Interea verò cùm falsò traducimur à quibusdam, ne suspicio bonis piisque viris vlla de nobis hæreat, fatemur, nos semper amplexos esse, & nunc amplecti symbolum quoque Nicenum, contra Arianos editum, cuius verba sunt:

Credimus in vnum DEVM Patrem omnipotentem, visibilium omnium, & inuisibilium factorem. Et in vnum Dominum Iesum Christum, Filium Dei genitum ex patre, vnigenitum, hoc est ex Patris essentia, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, genitum, non factum, coessentialem Patri, per quem omnia facta sunt, & quæ in cœlo, & quæ in terra: qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, incarnatus est, homo factus est: resurrexit tertia die, ascendit ad cœlos, venturus ad iudicandum viuos & mortuos. Et in spiritum S. &c.

Eos verò, qui dicunt, *Erat aliquando tempus, quando non erat, & antequam gigneretur, non erat, & quod ex non existentibus factus sit, aut ex alia subsistentia esse, vel vertibilem, aut alterabilem Filium Dei dicunt*, anathemate cum Catholica & Apostolica Ecclesia condemnamus.

Ne quid verò etiam vltrà aliquis desideret, quanquam in his duobus Symbolis satis est ad Arianismum cum suis appendicibus refutandum & conuincendum: tamen nec *symbolum* quod dicitur *Athanasii* reiicimus, quo vnitas naturæ diuinæ in Patre, Filio, & Spiritu S. contra Arium demonstratur, modò ne quis illo, Apostolici symboli puritatem & veritatem inconcussam, inficere tentet, quales Sabellianos nunc nouimus: tum vt iuxta mentem ipsius Athanasij, præcipuè in expositione fidei, quæ continetur in epistola ad Epictetum, interpretatio eius constet.

Felix Cruciger Superintendens Ecclesiarum in minori Polonia, manu propria subscripsit.

Franciscus Lysmaninus, &c.

H. ZANCHII AD SVPERIOREM *Epistolam, nomine omnium Pastorum & Professorum Scholæ Argentinensis Responsio.*

LEgimus eam, quā ad nos quoque misistis, fratres obseruandi, de Mediatore Christo Confessionem, nihil in ea offendimus, quod viris piis, nostro Iudicio, improbari possit. Cæterùm per negotia tum Scholastica, tum Ecclesiastica, non fuit nobis tantum otij, vt singulos Patrum locos, quos in vestræ confessionis confirmatione adduciris, ea qua cupiebamus diligentia, in suis fontibus examinare potuerimus. Illud vehementer dolemus, tot & tantas inter vos controuersias quotidie excitari: quasi verò desint foris hostes, quibuscum grauioribus de rebus certandum pugnandumque nobis sit, si non etiam quotidie ciuilia & intestina inter nos bella moueamus. Vestram tamen tum pietatem tum modestiam in ista vestra confessione summopere laudamus. Stancari verò, alioqui docti viri, importunitatem non satis mirari possumus. Annon satis ei esse debuerat, scire & docere, Christum Dei filium, & ante & post carnem sumptam, semper fuisse & esse mediatorem, per quem tam patres quàm nos reconciliati fuimus Deo? quorsum Ecclesias perturbaret vna voce, *Quatenus homo?* Annon etiam antequam homo fieret, fuit מלאךיהוה, ideóque mediator? Sed Dominus vult, suam Ecclesiam non tantùm tyrannorum persecutionibus, sed variis etiam inter nos dissidiis vexari, vt qui probati sunt, manifesti fiant. Rogandus tamen est idem Dominus, vt pro sua misericordia nos in pace & concordia cum pura & orthodoxa doctrina conseruet, & omnes dissidiorum autores compescat. Eripit nobis quotidie, fratres carissimi, Dominus viros magnos & probos. Nunc eripuit virum Dei, *Philippum Melanth.* paulò ante vestrum *Ioannem à Lasco*, vtrumque omni eruditione & singulari pietate insignem. Nostræ iniquitates & dissidia in caussa sunt, cur nobis tanti viri eripiantur. Ergo opus est & nostris ad Deum precibus & Dei erga nos misericordia. Nos hic, Dei gratia, fruimur sancta quiete & concordia Christiana. Faxit Dominus, vt idem quoque de reliquis omnibus Christi Ecclesiis audiamus. Valete.

H. Zanchius Christophoro Thretio Polono.

HOdie, hoc est 22. Aprilis, venimus Curiam manè. Pransi autē, mox conscendemus equos: est n. hæc omnium

nium comitum voluntas. Quod igitur ad quæstionem non respondeam Curiæ, sicut petieras: vides, non opus mihi esse multa longáque excusatione. Cæterùm Clauenna intra 6. dies, redibit ad vos vnus ex comitibus nostris: per hunc, aliquid ad te mittam. vides rem ita se habere, quod neque literas pro meo negotio ad Generosum Ioan. Bardzki, scribere hinc potuerim. Legi tamen quæ misisti scripta. doleo vicem Ecclesiæ, quod nunc ea in re vexetur, qua nihil in ipsa Ecclesia, iam inde ab initio in hoc vsque tempus, certius, antiquius, receptius. Quid enim certius, quàm vnum tantum esse Deum, in tres hypostases seu personas distinctum, sed non diuisum: Patrem, Filium, & Spiritum S. Patrem, Filium & Spiritum S. personas esse (de nominibus enim non libenter pugno) distinctas, docent S. literæ: vt in Baptismo Christi: has tres, vnum esse Deum & non plures Deos: Scriptura etiam docet, tum disertis testimoniis, tum ab effectis, quæ solius Dei sunt, cùm ea attribuit ex æquo, tam Filio & Spiritui sancto, quàm Patri, vti est *remittere peccata, sanctificare*. Vnum etiam esse Deum, has tres personas, non eo modo, quò multi homines dicuntur esse natura & essentia vnus homo, cùm tamen ὑποστατικῶς ita sint multi homines distincti & diuisi, vt re ipsa non dici possint vnus esse homo, inde manifestum est, quòd diuinæ hæ personæ, non sunt à se inuicem diuisæ, licèt distinctæ, Dominus Iesus docet, cùm ait, *Ego in Patre, & Pater in me est*. Natura etiam Dei id concludit, cùm is sit immensus & infinitus. Non possunt autem esse multi immensi atque infiniti inter se diuisi.

Quod aiunt in Scripturis, cùm nominatur *DEVS solus*, intelligi Patrem solum, falsissimum est. Scriptura enim ait, *Dominum DEVM tuum adorabis, & illum solum coles*. Est autem colendus non Pater solùm, sed etiam Filius & Spiritus S.

Quod dicunt, *nos facere quatuor DEOS, vnum, ipsam diuinam essentiam, alios tres, ipsas tres personas*, calumnia est, vel ex malitia, vel ex ignorantia saltem profecta. Quasi verò essentiam diuinam statuamus more Platonico separatam à personis. Ecclesia sensit, & sentit, sicut natura & essentia humana non subsistit per se extra homines, sed tota in ipsis est hominibus: ita essentiam diuinam non esse rem, per se extra personas subsistentem. Quomodo enim esset αὐτὸ ὑπόστασις? sed ita esse totam in personis, vt ipsæ tres personæ subsistentes simul in tota ipsa diuina essentia. Hic impedior. Cogor enim conscendere. Tu itaque hæc ex tempore boni consules, neque cum multis communicabis. Saluta Reuerendum Patrem Bullingerum, Simlerum & reliquos. Vale & redama: Curia 22. April. 1563.

H. Zanchius fratribus per Poloniam, tam pastoribus atque nobilibus, quàm aliis omnibus Euangelij professoribus.

Diuertit ad nos ex itinere quod ad vos, cariss. fratres in Christo, susceperat vir cùm doctissimus tum veræ pietatis studiosissimus, vt nostis, Franc. Lismaninus, non minus nobis, quàm vobis carissimus: idque fecit inuisendę nostræ tum Ecclesiæ tum Scholæ & doctorum in ea professorum gratia. permagnam certè voluptatem cepimus omnes ex tanti viri ad nos aduentu: eóque maiorem, quò maiori etiam desiderio tenebamur hominis multò quidem antè propter eius singulares virtutes de nomine nobis notissimi, de facie etiam cognoscendi, sed longè maximam etiam voluptatem & lætitiam accepimus ex iis, quæ partim ipse coram narrauit: partim ex nonnullis multorum vestrũ ad eum ex Polonia literis nos ipsi intelleximus. Vidimus enim quanta vos gratia dignatus sit Dominus: quibus in tenebricosissima Papisticæ religionis palude, tam anteà, quemadmodum & nobis, diu versatis vel sepultis potius: iam tandem clarissima Euangelij & veræ religionis lux è cœlo affulsit: atque ita affulsit, vt corda ad sese amplexanda vestra, mirificè inflammarit: & ardenti sanctóque desiderio reformandarum ad regulam Euangelij in vestro isto amplissimo regno, Ecclesiarum, affecerit. Gratulamur igitur vobis istam gratiam: & nobis nostrisque Ecclesiis gaudemus. Vobis, quod ambulantibus in tenebris & vmbra mortis, lux orta est cælestis: quod qui eratis longè, facti estis propè: qui denique Christum agnoscitis & veris Christi ecclesiis, spiritu & fide copulati estis. Nobis vero, quod hanc fecerit gratiam videndi in tam amplo regno Polonico, Christum recipi: euangelium audiri, pietatem coli, atque ita regnum Christi in omnes mundi partes sensim dilatari. Hoc est enim quod quotidie ardentissimis votis & priuatim & publicè petimus: *Sanctificetur nomen tuum: adueniat regnum tuum*: quod vos nobis & vicissim nos vobis: eodem religionis & caritatis vinculo colligauit, quod denique, portas inferni aduersus regnum Christi nihil præualituras esse, iis etiam exemplis confirmet. exsultauit nuper Antichristus, quod per impiam fœminam, regnum Angliæ sibi sit restitutum: itáne? sed primùm filij Dei, è manibus Antichristi per euangelij prædicationem erepti, atque in manum Christi à patre consignati: vsque adeo Antichristo restitui non sunt, nec restitui possunt, vt eorum quamplurimi iam in cœlo cum Christo de deuictis hostibus triumphent: alij in carcere constituti, nil magis exoptent, quam vt digni fiant, qui sanguine suo euangelium obsignent: innumeri vero, ceu germen benedictum qui in Prædestinatione Dei latebant: indies magis ac magis sanguine martyrum irrigati, germinent, pullulent atque in bonam segetem maturescant: ita vt quo plures occiduntur, eo plures renascantur. deinde præterquam quod vbi completæ fuerint Iezabelis & aliorum impiorum iniquitates: ipsum quoque regni solum Christo restituetur: ecce iam alierum etiam & longius latiusque patens regnum: istud, inquam, vestrum Polonicum, portas euangelio & piis, incipit aperire. Faxit Dominus, vt breui asylum sit piorum, domicilium euangelij, sedes pietatis, Schola omnium virtutum & bonarum literarum; ianua per quam Christo ad Turcas etiam transitus pateat & iter aperiatur. Hæc omnia iccirco dixi fratres, vt, quantum & vobis gratulemur & nobis gaudeamus, initium istud apud vos recepti euangelij, intelligeretis. Cæterùm vos non latet, fratres carissimi, quale sit Satanæ ingenium: & quales eius artes. Ingenium tale est, vt quiduis potius quàm puram euangelij prædicationem, eámque perpetuam, ferre possit: quippe qui optimè nouit: *illud potentiam Dei esse ad salutem omni credenti*. ideóque vt illud impediat, suas adhibet artes: & quid non agit? Omnem solet mouere lapidem, vt eam euangelij prædicationem, vel accedentem repellat, vel currentem retardet: vel sinceram inficiat: vel denique vt ipsum euangelium per impuram Christianorum vitam, malè audiat. Ac primo quidem loco, tyrannos excitat, qui ne aliquo in loco euangelium recipiatur, quibus possunt viribus, impediant. Si hoc non obtinet, curat altero loco, vt vna saltem cum euangelio, doctrinæ quoque humanæ & impiæ: sub prætextu vel titulo traditionum Apostolicarum, prædicentur. Quod si neque hoc obtinere valeat, excitat ab inferis tertio loco, hæreticos, qui variis erroribus euangelium inficiant. Quod si ne hoc quidem possit, studet diligentissimè, postremo loco, vt euangelium per impuram cùm Christianorum tum præsertim ministrorum vitam, malè audiendo, à suo cursu retardetur. Hæc solet Satan aduersus euangelij prædicationem tentare. Proinde & vestrum erit officium, hisce Satanæ artibus resistere: & resistendo, euangelij prædicationem promouere.

Primo igitur loco aduersus primas Satanæ vires quibus per tyrannos, ne euangelium alicubi recipiatur, contitur: Vos contra, posito omni hominum timore, & solo vnius viuentis Dei ante oculos metu constituto, oculis à mundo, in solam Christi gloriam & ecclesiæ salutem conuersis defixisque: freti diuino auxilio, & persuasi hanc esse Dei voluntatem; vt hoc euangelium, quod sine vlla controuersia verbum est Dei, prædicetur: heroico ac Christiano animo curate, idque sine vlla cunctatione: Neque enim hæc cunctando, sed maturando, sed accelerando restituitur res: curate, inquam, actutum, per eos, qui primi vobis à Deo offeruntur, ministros, euangelium prædicari, id est, verbum quod in Prophetcis & Apostolicis libris continetur: In iis enim solis, totum Dei verbum ad salutem necessarium continetur, idque purum putum. Iubet enim Deus vt nihil vel addatur vel detrahatur.

Proinde aduersus alterum Satanæ studium vos curate, vt omnes humanæ doctrinæ, illæ etiam quæ sub Apostolicarum traditionum nomine, in Ecclesiam irrepserunt & obtinuerunt: omnia denique dogmata, quæ cum S. literis consentanea non sunt, tamquam impia, resecentur, nec vllum in ecclesia cum euangelij prædicatione, locum habere sinantur. *Si quis loquitur*, ait Petrus 1. epist. c. 4. *quasi sermones Dei loquatur*. Quidquid enim ad salutem necessariũ est; illud totum in S. literis apertè continetur. Nam quæcumque Christus a patre accepit vt reuelaret mundo; quæve necessaria erant ad mundi salutem: ea omnia Apostolis reuelauit, vt ipse testatur: quæ vero ipsi à Christo acceperunt, ea mundo omnia prædicarunt: & hinc discessur

ea, quantum operæpretium erat nostræ saluti, scripta Ecclesiæ reliquerunt: idque vt ipsa Ecclesia, quæ variis hæreticorum doctrinis erat exagitanda, & cui multa impia dogmata, permultæque humanæ traditiones erant sub traditionum Apostolicarum titulo obtrudendæ: æternum certumque doctrinæ Apostolicæ exemplum, ad quod quæcumque sibi obtruderentur, doctrinas examinaret, Apostolicæ ne essent, nec ne: semper apud se haberet ac retineret. Ob quam etiam rem dicitur esse firmamentum & columna veritatis. Certè Ioannes Euangelista, cùm Euangelium scripsisset, dixit, *Multa quidem alia fecisse Christum, quæ scribi non possunt: ceterùm hæc quæ scripta sunt, scripta esse, vt credatis: Iesum esse Christum: & vt credentes, vitam habeamus æternam.* Et Apostolus 2. Tim. 3. *Omnis scriptura,* inquit, *diuinitus inspirata, vtilis est* πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ: *vt integer sit vir Dei ad omne opus bonum formatus.* Quare quæcunque extra diuinas literas, siue in Patribus, siue in Conciliis, siue in Ecclesia, diuturna etiam consuetudine recepta reperiuntur, aut a quouis offerantur: ea omnia ad S. Scripturam, Propheticam & Apostolicam, ceu ad Lydium lapidem, examinanda sunt: & si conformia quidem illi sint, recipienda sunt: non vt doctrinæ hominum, sed vt sermones Dei. Sic Thessalonicenses doctrinam quam à Paulo audierant, ad propheticas Scripturas examinabant, vt viderent, *an ita se haberet.* Si verò conformia non sint, ea sunt reiicienda, vel vt impia, vel saltem vt ad salutem non necessaria. Regulam hanc non solum S. Scriptura: sed etiam Patres ipsi, nobis scriptam reliquerunt HIERONYMVS in Ps. 98 *Omne quod loquimur, debemus affirmare de Scripturis sanctis.* Item *Quod de Scripturis autoritatem non habet: ea facilitate refellitur, qua etiam probatur.* Legitote etiam quæ idem scripsit Tom 8. in Ps. 86. exponens versiculum illum, *Dominus narrabit in Scriptura populorum & principum horum qui fuerunt in ea.* docet in summa: Dominum, id est, Christum nobis prædicare non verbo, sed in scripturis populorum, id est, quæ ad omnes populos pertinent: &, *Principum qui non sunt, sed, fuerunt in ea,* id est, Euangelistarum & Apostolorum, qui Principes Ecclesiæ appellantur deinde subdit *Videte quid dicat: Qui fuerunt, non qui sunt: vt, exceptis Apostolis, quodcumque aliud postea dicetur, abscindatur, non habeat postea autoritatem: quamuis ergo sanctus sit aliquis post Apostolos, quamuis disertus sit, non habet autoritatem: quemadmodum Dominus narrat in Scriptura populorum & principum.* Hæc Hieron. Idem Tom. 6. in Hoseæ prophetæ cap. 5. exponens verba illa. *Facti sunt principes Iuda quasi transferentes terminos,* ait: *Transferunt principes Iuda terminos quos posuerunt Patres eorum: quando immutant mendacio veritatem: & aliud prædicant quam ab Apostolis acceperunt.* Atque sententia hæc citatur in Decr. caus. 24. can. 35. q 3.

AVGVSTINVS etiam Tom. 7. de Vnitate Ecclesiæ contra epist. Petiliani, cap. 3. cum proposuisset, Ecclesiam nullibi, quam in S. literis esse quærendam, subdit: *Sed vt dicere cœperam, non audiamus, hæc dico, hæc dicis: sed audiamus, hæc dicit Dominus: sunt certè libri dominici, quorum autoritati vtrique consentimus, vtrique credimus: vtrique seruimus, ibi quæramus Ecclesiam: ibi discutiamus causam nostram* Et paulo post: *Auferantur ergo illa de medio quæ aduersus nos inuicem non ex diuinis canonicis libris, sed aliunde recitamus.* Idem Tom. 7. de pecc. mer. & remiss. lib. 2. c. 36. *Vbi enim de re obscurissima disputatur, non adiuuantibus diuinarum Scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in alteram partem declinando.* Idem Tom. 7. de Baptismo contra Donatistas lib. 2. c. 9. & recitatur in Decretis, quanquam falsò ibi adscribatur Hieronymo: c. 24. q. 1. can. 21. *Docet eos, qui neglecto Dei verbo, humanum iudicium, quo discutiatur veritas, adferunt, adferre stateras dolosas. Non adferamus stateras dolosas, vbi appendamus quod volumus & quomodo volumus pro arbitrio nostro dicentes,* hoc leue, hoc graue est: *sed adferamus diuinam stateram de Scr. sanctis, tanquam de thesauris dominicis.* Idem Tom. 7. contra literas Petiliani lib. 3. c. 6. *Proinde siue de Christo,* inquit, *siue de eius Ecclesia, siue de quacumque alia re, quæ pertinent ad fidem vitamque nostram: non dicam nos, nequaquam ei comparandi qui dixit,* Licet si nos: *sed omnino quod sequutus adiecit: Si angelus de cœlo vobis annunciauerit præterquam quod in Scripturis legalibus & Euangelicis accepistis, anathema sit.* Tritum est illud August. quod in Decr. dist. 9. can. 5. recitatur: *Ego solis eis scriptorum qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre: vt nullum eorum scribendo errasse, audeam credere.* &c. *alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate, quantáve doctrina polleant: non ideò verum putem, quia ipsi ita senserunt:* *sed quia mihi per alios autores, vel Canonicos, vel probabiles rationes, quod à vero non abhorret, persuadere potuerint.* Idem de vnico Baptismo: & citatur in Decr. dist. 9. docet *Scripturam S. omnibus Episcoporum literis esse ita præponendam: vt de illa dubitari & disceptari nullo modo possit. Vtrùm verum & vtrùm rectum sit, quidquid in ea scriptum sit. Episcoporum vero literas, licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deuiatum. idque etiam per priuatum. sed sapientiorem & in ea re peritiorem hominem: nedum per Concilia.* Idem Tom. 2. Epist. ad Vincent. 48 col. 143. & citatur in Decr. dist. 9. Can. 9. *Non frater contra diuina tam multa, tam præclara, tam indubitata testimonia, colligere velle calumnias ex Episcoporum scriptis siue nostrorum, sicut Hilarij: siue antequam pars Donati separaretur: ipsius vnitatis, sicut Cypriani & Agrippini, primo quia hoc genus literarum, ab autoritate canonu distinguendum est. non enim sic leguntur, tanquam ita ex eis testimonium proferatur, vt contra sentire non liceat: sicubi forte aliter sapuerint quam veritas postulat. deinde si S. Cypriani te delectat autoritas, quam quidem sicut dixi, à Canonica autoritate distinguimus: cur in eo te non delectat,* &c.

Idem Tom. 2. Epist. 111. ad Fortunatian. col 523. *Neque enim quorumlibet disputationes quamuis catholicorum & laudatorum hominum, velut scripturas Canonicas habere debemus. vt nobis non liceat salua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere: si fortè inuenerimus quod aliter senserint quam veritas habet diuino adiutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis Talis ego sum in scriptis aliorum tales volo esse intellectores meorum.* Idem Tom. 7. contra Cresconium Grammaticum nitentem autoritate Cypriani: quod, qui à schismaticis vel hæreticis baptizati fuerunt, rebaptizandi essent: lib. 2. cap. 32. *Ego huius epistolæ autoritate non teneor: quia literas Cypriani non vt Canonicas habeo: sed eas ex Canonicis considero: & quod in eis diuinarum scripturarum autoritati congruit, cum laude eius accipio: quod autem non congruit, cum pace eius respuo: ac per hoc, si ea quæ commemorasti ab illo ad Iubaianum scripsa de aliquo Apostolorum vel Prophetarum canonico recitares, quod omninò contradicerem, non haberem: nunc verò quoniam Canonicum non est quod recitas: ea libertate ad quam nos vocauit Dominus, eius viri, cuius laudem consequi non valeo cuius multis literis mea conscripta non comparo: cuius ingenium diligo, cuius ore delector: cuius caritatem miror: cuius martyrium veneror: hoc quod aliter sapuit. non accipio.* Pleraque alia ex Augustino in hanc rem loca citari possunt: sed hæc in præsentia satis superque sunto. Nunc adferam etiam quorundam aliorum Patrum testimonia.

CYPRIANVS lib Epist. 1. Epist. 8. ad vniuersam plebem, admonet, ne cuiuspiam aut quorumuis, ætate aut autoritate moueamur, vt aliquid contra verbum Dei in Ecclesia admittamus: & omnia huiusmodi, ceu adulterina, esse reiicienda sic incipit pag 33. *Hinc tamen, fratres dilectissimi hinc admoneo pariter & consulo, ne perniciosis vocibus temerè credatis.* postcà subdit: *Adulterum est, impium est, sacrilegum est, quodcunque humano furore instituitur: vt dispositio diuina violetur. procul ab huiusmodi hominum contagione discedite.* Item: *Nemo vos fratres erraro in Domini via faciat: nemo vos Christianos ab Euangelio Christi rapiat: nemo filios Ecclesiæ de Ecclesia tollat.* vbi etiam patet: eos ab Ecclesia recedere, qui ab Euangelio recedunt: contrà verò, eos esse verè in Ecclesia, qui sunt in Euangelio, seu qui Euangelij doctrinam sequuntur. Item subdit: *Qui mandatum Dei reiiciunt & traditionem suam statuere conantur: fortiter à nobis & firmiter respuantur:* Idem ad Pompeium contra Epist. Stephani Rom. Pontif. & est pag. 327. etiamsi in causa ipsa hallucinatur Cyprianus de rebaptizandis sc. illis, qui ab hæreticis baptizati fuerant: tamen quæ de autoritate Scripturarum dicit; verissima sunt docet ibi in summa; *Scripturam canonicam, vnicam esse regulam quam in iis quæ ad salutem pertinent, sequamur: non autem audiendas esse traditiones hominum. quæ S. Scripturæ aduersantur, docet esse compendiosam viam & deponendi erroris & inueniendæ veritatis:* idque eleganti ss. similitudine pag 33. *recurrendum semper esse ad originem dominicam: ad Apostolicam & Euangelicam traditionem quæ sc. in S. literis continetur* Legendus est diligenter locus ille Cypriani. docet enim quomodo ab Ecclesia expellendi errores & veritas introducenda.

Idem in eadem Epist pag. 330. contra antiquas, quas multi nobis obtrudunt, consuetudines in Ecclesia post hominum memoriam receptas, scribens ait; *Nec consuetudo quæ apud quosdam obrepserat, impedire debet quominus veritas prævaleat & vincat. nam consuetudo sine veritate, vetustas erroris*

erroris est, propter quod, relicto errore : sequamur veritatem, scientes quia & apud Ezram veritas vicit. & citatur locus hic in Dec. dist 8. Can. 9.

In eadem dist. 8. Can. 11. hæc alia Cypriani citatur sententia: *Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere quid aliquis ante nos faciendum putauerit. sed quid priùs, qui ante omnes est Christus, prior fecerit: neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem, cùm per Esaiam prophetam loquatur Deus & dicat : Sine caussa colunt me, docentes mandata & doctrinas hominum.*

In iisdem Dec. dist. 8. citantur hæ duæ sententiæ contra has consuetudines. Prima est NICOLAI Papæ Can. 4. *Mala autem consuetudo, non est minus quàm perniciosa corruptela, abiicienda & vitanda quæ nisi citius radicitùs euellatur, in priuilegiorum ius ab impiis assumetur: & incipiunt præuaricationes & variæ præsumptiones celerrimè non compressæ pro legibus venerari & priuilegiorum more perpetuo celebrari.* Altera est, GREGORII Papæ ad Guilimundum Auersanum Episcopum, & est Can. 6. *Si consuetudinem,* inquit *fortassis opponas, aduertendum est quòd Dominus dicit:* Ego sum via, veritas & vita *non dixit,* Ego sum consuetudo: sed veritas: & certè, vt beati Cypriani vtamur sententia, *qualibet consuetudo, quantumuis vetusta, quantumuis vulgata, veritati omnino est postponenda: & vsus qui veritati est contrarius, est abolendus.* Hæc ibi. Citantur ibidem ex Augustino in eandem rem sententiæ aliquot.

BASILIVS in quæstionibus κατ' ἐπιτομήν, quæstio. 1. quærit : *An liceat aut expediat alicui, vt sibi ipsi permittat facere aut dicere quæ bona putat, citra testimonium diuinarum Scripturarum,* & in summa respondet : *minimè licere,* atque hanc responsionem, multis ex Scriptura citatis testimoniis confirmat. legitote vos locum ipsum. Idem Epist. 80. ad Eustathium medicum scribit: *Ad probandum rectam aliquam esse doctrinam. non valere consuetudinem : sed standum arbitratu inspirata à Deo Scriptura : ita vt apud quos inuenimus dogmata esse Diuinis oraculis consona : illis omnino veritatis adiudicetur sententia* Verba Latina hæc: *Dicimus enim, sed illi accusantes hoc proferunt : quia consuetudo ipsorum hoc non habet, & Scriptura non assentitur. Quid igitur nos ad hoc ? Non putamus iustum esse, obtinentem apud ipsos consuetudinem, legem ac regulam facere rectæ doctrinæ. Si enim fortis res est ad rectitudinis demonstrationem, ipsa consuetudo : oportet & nos omnino illos sequi. Igitur Scriptura diuinitùs inspirata, arbiter à nobis constituatur, & apud quos inuenta fuerint dogmata diuinis sermonibus concordantia : eis omnino etiam veritatis suffragium accedit.*

TERTVLLIANVS aduersus Praxeam in initio. pag. 405. *Quoperaquè aduersus vniuersas hæreses iam hinc præiudicatum sit. id esse verum quodcumque posterius.*

IVSTINVS verò Martyr libro de Expositione fidei, p. 195. *Hæc cùm ita diuidantur productis in medium Scripturæ oraculis, considera diligenter, in vtra parte collocent filium & Spiritum S. oportet enim apud Ecclesiæ alumnos non humanis rationibus res diuinas examinare : sed iuxta spiritualem doctrinam sermones fieri.*

Nullus est Patrum, qui iis quæ diximus non subscribat & quidem plurimis in locis: sed ne epistola in magnum volumen excrescat, vt non amplius epistola, sed liber videatur, pluribus citandis supersedebo. Illud inprimis obseruandum est; in Scripturis numquam legi quod quispiam vel damnandus sit, qui humanas vel leges vel doctrinas in religione contempserit: sed passim legimus damnari & damnatum iri eos, qui Deum non audiunt : qui legem eius non custodiunt : qui verbum eius non sequuntur. Apud Hier. 6. Dominus ita loquitur: *Ecce Ego adduco malum super populum, quia verbis meis non auscultarunt, & legem meam spreuerunt.*

Longius quàm volebam, progressus sum in hoc altero capite, sed tamen neque me id fecisse pœnitet, neque vobis, vt spero, ingratum erit: hoc est enim fundamentum totius ædificij Christiani: in hoc summa rei consistit, vt scilicet purum Dei verbum retineamus; iuxta illud Ecclesias reformemus: ad illud, vniuersas hominum doctrinas examinemus, & quæ ab hoc discordant, reiiciamus. Apud Hier. Prophet. c. 7. qui hominum & sui cordis consilia sequuntur, dicuntur *retrorsum ferri,* seu *retrogredi* : qui verò verbum Dei *ferri antè,* seu *progredi.* Diligenter igitur retinendum est purum Dei verbum: & humanæ doctrinæ sunt resecandæ Ecclesias reformaturis.

Quod ad tertium verò attinet Satanæ artificium, quo sedulò curat, vt vbi Euangelium prædicatur, ibi statim exoriantur hæretici, qui suis prauis doctrinis Euangelium inficiant : quemadmodum & tempore Apostolorum & paulò post Apostolos in primitiua Ecclesia, & verò etiam nostro tempore in nostris Ecclesiis factum videmus: dico huic malo maturè esse occurrendum: & cum primùm hæresis aliqua incipit exoriri, eam gladio verbi Dei quam ocyssimè resecandam : nec sinendum vt diutius serpat: alioqui finem serpendi citius non faciet, quàm totam Ecclesiam perdiderit. Admodum eleganter & propriè Paulus in altera ad Timotheum Epist. c. 2. hæreses & doctrinas omnes adulterinas morbo gangrænæ comparat: natura enim gangrænæ est, vt nisi maturè succurras, in contiguas quoque partes serpat : & tandiu serpere pergat, donec in ipsa ossa penetret & tandem totum hominem exstinguat. Tales profectò sunt omnes adulterinæ hominum doctrinæ & hæreses, si semel illis in Ecclesiam aditum faciamus, non desinent serpere, donec in totius Ecclesiæ exitium peruadant. Pastoribus igitur & verò etiam Magistratui ciuili, vigilandum est, & suus cuique gladius in manu euaginatus, ad arcendos lupos, & defendendum gregem dominicum, tenendus est. Pastoribus quidem gladius verbi Dei, quo errantes corrigant: pertinaces conuincant, & hæreticos suo ipsorum iudicio, iam condemnatos excommunicent. Magistratibus verò ciuilibus, gladius diuinæ iustitiæ, quo cum facinorosos omnes; tum præsertim hæreticos, qui non tantùm in sua hæresi pertinaces sunt; sed aliorum etiam sunt seductores, coërceat, & verò etiam, si opus sit: è medio tollat, ne totum corpus Ecclesiæ pereat. Quamobrem curate quàm studiosissimè, vt vnà cum verbi prædicatione, Ecclesiastica quoque disciplina in vestris Ecclesiis restituatur. Quantum mali in nostris Ecclesiis, immò totius Germaniæ, propterea quod ab eis exsulat disciplina Ecclesiastica, iamdudum ortum sit, & indies etiam oriatur, nostro quotidie malo experimur. Et certè qui in caussa sunt, ne hæc restituatur in Ecclesia, iustas dabunt pœnas.

Quod verò attinet ad postremum Satanæ artificium quo curat, vt per impuram cum reliquorum Christianorum, tum præsertim ministrorum vitam, Euangelium ipsum malè audiendo, è suo cursu retardetur: curate vos inprimis, vt tales eligantur pastores, qui honestis moribus & sanctissima, quoad eius fieri potest, vita, ministerium suum & Euangelium cohonestent; hic est enim finis Euangelij, vt abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè, iustè & piè viuamus in hoc sæculo: & per nos nostramque vitam bonam, Deus in Christo agnitus glorificetur in sæcula. Amen.

Valete, & si qua in re prodesse vobis possum, iubete. Vt enim credo, piorum esse neminem, qui non libentissimo animo sit vos in isto pio studio promouendi in Polonia Euangelij, adiuturus; ita ego quoque pro mea tenuitate: quidquid ad vestram omnium & totius regni salutem præstare potero: id totum, quoad per Christum & meam vocationem licuerit: me vobis præstiturum recipio. Seruet & custodiat vos Dominus Iesus. Argentorati 18. Februarij 1556.

H. Zanchius Felici Crucigero Ecclesiarum in Polonia reformatarum Superintendenti.

EGo verò frater carissime, & tibi & tuis Ecclesiis in istis etiam, quibus à Satana & Antichristo premimini, sed nunquam opprimemini calamitatibus, summoperè gratulor. Tibi, quod aduersus istos hostium impetus, strenuè & fortiter, vt audio, pugnes, verique pastoris officium facere non desinas. Ecclesiis, quod non sinant se à Christo capite auelli; sed in agnita, semelque recepta Euangelij doctrina, constanter perseuerent. Et certè non est cur animis vel tu fortiss. pastor, vel Ecclesiæ tuæ frangantur. frangendi potiùs sunt vobis hostium impetus, vestra in fide constantia: caussa enim vestra, iusta & certa est. quandoquidem nihil iustius aut certius ea religione & doctrina, quæ ad præscriptum & formulam verbi Dei in S. Bibliis traditi, instituta est : Imperatorem vero & Ducem habetis omniũ fortiss. Iesum Christũ, qui cùm à nullis hostib. superari possit, sed de illis semper triumphet: nõ solùm in seipso capite; sed etiã in reliquo suo corpore, quod est Ecclesia, non permittet vos ab hostibus vestris superari aut expugnari. Arma vestra, vtpote spiritualia, potentia sunt Deo, ad destructionẽ munitionum, quibus facilè potestis demoliri omnem mũdi celsitudinem & potentiam : Fides nimirum & gladius spiritus, quod est verbum Dei. hæc autem est victoria, quæ vincit mundum, Fides nostra. Tempus pugnæ, breue

est,instar momenti. ὀλίγον ἄρτι, εἰ δέον ἐστὶ, λυπηθέντες ἐν ποικίλοις πειρασμοῖς, ait Petrus. Exitus verò pugnæ felicissimus, certissima nimirum eáque perpetua victoria & gloria. nō sunt autem condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Necessaria autem est ista pugna, quandoquidem non casu, aut fortuitò: sed æterno Dei consilio, hæc nobis contingit. *Si opus est*, inquit Petrus, λυπηθέντες: *Si*, pro *Quia*. Et quidem in bonum nostrum, Deus decreuit, vt pugnemus atque ab hostibus subinde premamur, vulneraque, sed minimè lethalia, accipiamus, *vt probatio*, inquit Petrus, *fidei vestræ, quæ multò pretiosior est auro quod perit, & tamen etiam ipsum per ignem probatur, reperiatur in laudem & honorem & gloriam, cùm reuelabitur Iesus Christus*, sicut enim aurum in igne à scoria expurgatur & nitidius fit: ita fides nostra in tentationum fornace, á suis fæcibus defæcatur, puriorque euadit. & quemadmodum aurum in igne positum sui nobis experimentum præbet, an purum & probum sit, nec ne: ita fides nostra in tentationibus probatur: & an vera ac solida fuerit, nec ne, cum nobis, tum aliis fidem facit. ergo in bonum nostrū cedet tandem hæc pugna. Quod si Satan eò acrius sæuiat, quò vos constantius in fide Christi persistitis, & longius latiusque Euāgelium propagatis: (id quod omnibus Christi hostibus commune semper fuit) mirandum non est. sentit enim hac ratione sibi suóque regno exitium maturari. Illud potius cogitandum est: Si Satanæ & Antichristo cō- suetum est, ibi acriùs sæuire, vbi firmius retinetur pura Christi religio: consequitur igitur, vos veram amplexos esse religionem: cùm aduersus vos consurgant omnes Christi hostes, Satan & Antichristus. Cæterùm quid agunt, quid tandem efficiunt, qui tumultuantur: qui furunt: qui cruces meditantur & ignes aduersus Dominum, aduersus Christum & Ecclesiam eius? Dauid respondet eos tandem, vti vasa testacea, sceptro Domini ceu virga ferrea, confractum & comminutum iri.

Non est ergo cur animis frangamini in istis tentationibus: sed est potius, cur debeatis, receptis animis, viribusque firmatis, fidei scuto & gladio spiritus, hostium impetus reprimere, ictus retundere, vires effringere: *Nolite timere*, *Ego vici mundum*, ait Christus Ioh.16.

Plura, per tabellarium in præsentia scribere non licet, atque hæc etiam cursim. Neque verò hæc scripsi, quasi opus habeatis mea exhortatione: sed tantùm vt hæ meæ literæ aliquod præberent vobis testimonium, quàm sim erga vos affectus, qui mihi videor inter vos contra hostes pugnare. Sed Dominus ipse vobis adsit suo spiritu, defendat, tueatur, conseruet. Vale. Argent. 22. Septemb. 1556.

H. Zanch. Illustri viro Polono, Stanislao Ostrorok.

QVò minus & notitiæ & familiaritatis mihi tecum, clar. atque Illustr. Domine, intercedit, eò gratior fuit hæc oblata occasio, tum ad te scribendi: tum me in tuam amicitiam insinuandi. Res igitur ita se habet. Venit huc nuper Sebastianus, famulus quidem Claris. viri Ioannis à Lasco: sed homo certè, vt video, doctus, pius, & prudens. Secum adduxit quatuor Polonos iuuenes: simul verò literas reddidit tum Domini sui, in quibus omnes simul mihi commendabat: tum Franc. Lismanini nostri, in quibus peculiariter Christophorum Bradzki, nomine tuo, quā commendatissimum vt haberem, vehementer rogabat. Ego primùm gratulatus sum Poloniæ, quod curet suos iuuenes tam in vera pietate quàm in bonis literis institui: atque huius rei caussa, in longinquas etiam regiones, eos transmittat. Deinde gratulatus sum etiam nostræ Scholæ, quod tam bene apud omnes gentes audiat, vt ex vniuersis iam totius propè Europæ locis, studiosi ad nos bonarum literarum caussa confluant. Tertio autem loco, mihi gauisus sum, quod tanti viri & suis me literis dignentur: & tales mihi iuuenes commendent, quorum gratia, apertum mihi aditum & ad suas & ad suorum amicorum, piorum & illustrium Principum, faciunt amicitias. Postremò autem, quanta potui diligentiā, adhibito etiam Rectoris nostri *Ioannis Sturmij* fauore, illorum tribus prospexi de honestis, &, vt hic fert penuria hospitiorum, commodis & bonis hospitiis. At verò ipsum Christoph. Bradzki: tum quod ille amanit esse apud me, tùm quod peculiariter fuit ipse præ aliis commendatus, Ego ipse hospitio recepi: nec minorem certè illius curam habeo, habiturusve sum, quam si mihi esset filius. De hac re, nolim vel te, vir clarissime, vel quempiam alium dubitare. decreui enim illi esse pater, modò ipse quoque vicissim mihi velit esse filius. Ad illud, non opus habeo ego calcaribus: ad istud verò non parum incitabunt iuuenem literæ tuæ. Atque hæc de Bradzki satis. De tua verò & nobilitate & virtute, tot & tanta accepi, non solùm ex communi constantique omnium qui istinc veniunt sermonē: sed etiam speciatim ex literis Lismanini & ex relatione Bradzki & Sebastiani, vt planè impius sim, si nōn te, quanta possim obseruantia, colam: & rerum imperitus atque inofficiosus, si non aliquas huiusce meæ erga te obseruantiæ testes literas dem: præsertim cùm accedat communis Christianæ pietatis & religionis professio: quæ ita diuersarum nationum homines longissimis etiam locorum interuallis disiunctos, arctissimo amicitiæ vinculo coniungit, vt horum coniunctio multo maior sit quàm illorum, qui & eiusdem sunt nationis, adde & ciuitatis & sanguinis, & in eadem domo habitant, vel etiam in eodem lecto cubant. Fiducia itaque quam mihi dedit partim communis in Deum pietas, partim publica de tua singulari virtute & studio promouendi Euangelij, fama: facit, vt iis literis, illud vnum à te liberè & audacter petam, nimirum pro tua singulari in isto regno autoritate, cures Euangelium promoueri, vt nihil aliud promoueatur quàm Euangelium: sed illud purum putum: nihil enim & olim perdidit & nunc perdit Ecclesias, quàm cùm vel humanæ doctrinæ ab ipsis etiam loqui sanctissimis patribus profectæ, cum cœlesti Dei doctrina ita miscentur, vt non minus iis quam illis, ad noua statuenda vel stabilienda dogmata, nitamur: sic enim hæresibus confestim, vt nobis exemplo sunt etiam veteres Ecclesiæ, aditus aperitur: vel cùm in ipsis Scripturarum interpretationibus, ita ab vno aut pluribus pendemus hominibus, vt nobis religio sit, ab eis vel latum vnguem discedere, aut tantillum dissentire. Hinc enim oriuntur sectæ in Ecclesia, vt, sicut tempore Pauli, in Ecclesia Corinthiaca dicebant, alius quidem, *Ego sum Pauli, alius verò, Ego sum Cephæ*: sic etiam hodie in Ecclesiis reformatis, non pudeat multos dicere, *Nos sumus Lutherani* alij verò dicantur *Caluiniani*, aut *Zvvingliani*. Hinc scinduntur Ecclesiæ: hinc amicitiæ etiam illæ, quæ eiusdem Euangelij professio initiò conciliauerat, si non lacerantur, saltem paulatim dissuuntur. Hinc dum quisque suum nititur defendere interpretem: etiamsi longissimè aberrarit à scopo, grauissimos seminant errores: vt scilicet etiam dicant, *Corpus ipsum Christi vbique diffusum esse*: naturalibus & propriis humani corporis conditionibus spoliatum: & tamen idem etiam corpus, quod diuinum factum esse volunt, teri dentibus corporis: non à fidelibus tantùm, sed etiam ab impiis. vnde hæc & alia monstra? Inde profectò, quoniam dum nimium ab hominibus nostrisque doctoribus pendemus, eorumque interpretationes, saluas ac integras volumus, non spectamus, quod propriè voluerit Christus in suis illis verbis: aut quorsum propriè spectarit in illa sua Cœna: nec consideramus, totum illius regnum esse in spiritu, non autem in carne: ideóque & sacramenta omnia propriè ad spiritum viuificandum per fidem? non autem ad carnem per alicuius crassi corporis in ore cōpressionem aut contritionem & in stomachum traiectionem, alendam, fuisse institutam: neque animaduertimus, tales vnius figurati loci interpretationes, pugnare cum infinitis aliis apertisque S. Scripturæ locis, & cum analogia fidei nō conuenire; multas absurditates secum adferre: ad idololatriam seu artolatriam stabiliendam pertinere: naturam corporis physici, organici, quale etiam nunc habet Dominus Iesus, destruere; ideóque illum esse verum hominem negare: spiritum nostrum, qui alioqui sursum in cœlum vbi Christus est, euehendus erat: ad elementa huius mundi deprimere: veterémque illam, optimam & salutarem totius Ecclesiæ adhortationem, Sursum corda, abolere: denique nihil boni; multa verò mala secum adferre: & scopum, vt tandem concludam, quò omnia sacramenta, omnes Scripturæ, totum denique Christi regnum collimant: nempe vt spiritu cum Christo in cœlum ascendamus: & obliti eorum omnium quæ sunt verè terrena, corpori Christi in cœlo exsistenti adhæreamus: vitamque & spiritum vitalem ex Christo, sicut infans ab vberibus matris, quibus affixus est, lac exsugit, hauriamus, prorsus è medio tollere. Quid enim prodest illa tam crassa verborum Christi interpretatio? deinde quid cogit nos? vt tam corporatè illa interpretemur? Si non sexcentæ similes locutiones in Scripturis passim occurrerent, quas tamen nemo audeat iuxta crassum verborum sensum interpretari, aliquid coloris haberet illud à multis, sed nimis ineptè & importunè ad ranim vsque conclamatum τὸ ῥητὸν, τὸ ῥητόν. Sed cū in aliis similib. locis exponendis nobiscū conueniant: cur in hoc tā per-

pertinaciter, sine ratione: sine modestia: sine ędificatione: sine gloria Dei: cum maximo Papistarum triumpho, dissentiunt? quia scil sic D. Pater Lutherus interpretatus est. Videmus igitur Illustriss. Domine quàm perniciosa res sit, ita pendere ab hominibus, vt ab illorum sententiis & interpretationibus, vel latum vnguem declinare aut deflectere, nobis sit religio. Suspicio certè Spiritum Dei in Luthero: sed volo eum hominem esse, non Deum. Contrà verò, videmus tutissimum esse, permanere in puro Dei verbo, illúdque iuxta ipsummet Dei verbum, eiusque solidas ac frequentes phrases interpretari, saluis omnibus & nullo modo periclitantibus fidei articulis, Scripturisque omnibus mira harmonia simul concinnentibus & consentientibus. Quamobrem rogo te illustrissime Domine, atq; obtestor per Jesum Christum, cures, quoad eius fieri potest, pro tua authoritate & potentia, vt in isto amplissimo & Christiano regno, omnibus humanis doctrinis abolitis, purum & simplex Christi Euangelium promoueatur. hac enim promotione, ipsum Christi regnum longè latéq; propagabitur. Vale clarissime atque optime Domine, donéque te Dominus Jesus ea gratiâ, pace & felici rerum omnium exitu, quem tibi precor à cælesti patre. Rogo etiam, vt me in albo tuorum clientum conscribere velis. Paratus enim sum, quibuscunque officiis vnquam potero, tibi ex animo inseruire & gratificari. Argentorato 14. Nouemb. 1558.

H. ZANCHIVS *Fratribus per Poloniam.*

DE MEDIATORE.

SVb finem Aprilis, fratres charissimi, accepimus vestras literas, idibus Martii huiusce anni datas, vnà cum forma ineundæ inter vos & fratres illos, qui in articulo de Mediatore non consentiunt, concordiæ vobis oblata. Duo autem à nobis petitis: Vnum, vt quid de illa conciliationis forma sentiamus, ad vos liberè scribamus. Alterum, vt si illa nobis non probetur, quænam proponi melior à nobis possit, indicemus. Perfuit gratum vidisse, ab illis fratribus quæri concordiam: atque hoc illis gratulamur. Vos etiam rogamus, vt placidè cum illis agatis, & nihil non tentetis, quo ad veram doctrinæ simul & animorum conciliationem reuocari possint.

Cæterùm, vt ad rem ipsam veniamus, quando & vos petitis, & communis pietas postulat, vt ingenuè de proposita nobis quæstione, nostram dicamus ex verbo Dei sententiam: illam vobis propositam conciliandæ controuersiæ formam minimè probamus. Nam neque est secundum scripturas: neque ex Patrum sententia, quemadmodum partim à multis doctis viris hactenus abundè fuit demonstratum; partim nos alias, quia non vacat in præsentia, perspicuum, vt confidimus ac planum fidelibus omnibus faciemus. Est enim certa firmissimáque sententia, si Christus non sit Mediator in morte & sacrificio, quod pro nobis obtulit, nisi quatenus homo est: nondum esse diuinæ iustitiæ pro nostris peccatis satisfactum, nondum nos esse redemptos, vanam atque inanem esse totam nostram fidem ac religionem. De hac enim mediatione propriè loquuntur Scripturæ, quatenus scilicet Filius Dei Pontifex factus secundùm ordinem Melchisedeci, & preces & sacrificium sui corporis pro nobis Patri suo cælesti obtulit. Atque in hunc finem tradunt sacræ literæ; illum carnem sumsisse humanam, non vt ea sumta esset contentus, quasi iam verus & perfectus factus esset Mediator, quia factus homo, sine oblatione sui corporis atque sanguinis in se deleuit, & reapse nos Patri reconciliauit. Quid enim nobis profuisset, si pro nobis factus homo, pro nobis etiam non fuisset Patri factus obediens, obediens vsq; ad mortem, corpus suum pro peccatis nostris offerendo, & ea ratione nos à morte damnationéque æterna liberando? Est igitur commentitia, & præter scripturas illa, quam proponunt duplicem Christi mediationem: *Vnam in incarnatione,* & iuxta hanc, Mediatorem eum esse omnium hominum, secundum vtramque naturam: *Alteram in morte:* & iuxta hanc, eum esse Mediatorem fidelium tantum, sed secundum humanam etiam naturam tantum. Ac dum petunt, vt vos hanc fateamini, se verò pollicentur, illam alteram libenter admissuros: quid aliud, obsecramus vos, petunt, quàm vt sibi liceat suum dogma, quod hactenus fuit à vobis, & id quidem meritò, damnatum, integrum retinere: Vos verò in illorum sententiam, à veritate deficiatis? Ergo nullo modo talem admittere debetis, aut etiam potestis, conciliationem, vel potiùs veritatis conculcationem.

Quæ nobis verò videatur posse illis forma proponi, quæ & ad pacificationem faciat, & veritatem integram puramque retineat atque conseruet, paucis accipite.

Cùm fateantur, eum qui debebat esse Mediator, oportuisse Deum esse & hominem: fateantur ergo ad officium Mediatoris perficiendum, vtramque naturam, diuinam simul & humanam fuisse necessariam. Humanam, vt haberet Mediator, quod offerret: iuxta illud, *Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Tunc dixi, Ecce adsum.* Diuinam, vt eius virtute efficax ad redemtionem fieret sacrificium iuxta illud, *Deus Ecclesiam suo sanguine redemit.* Dum dicit, *sanguine*, docet ad hanc redemptionem faciendam, necessarium ei fuisse carnem humanam. Dum verò ait, *Deus redemit*, ostendit sine virtute Diuinitatis, solo humano sanguine, Ecclesiam redimi non potuisse: ac proinde Christum secundum vtramque naturam fuisse Mediatorem: & sacrificium quidem fuisse ab humanitate: vim verò sacrificij à Deitate.

Et certè optima & necessaria est hæc illatio: *Non potuit perfectus esse Mediator inter Deum & homines, nisi qui verus Deus esset; & homo: Ergo ad perficiendum verum Mediatoris officium, non minùs diuina, quam humana natura fuit ei pernecessaria. & ea re, neutra fuit aut esse potest in eo ociosa, & vacua à Mediatoris officio.* Quare si Christus officium Mediatoris perfecit, non hoc perfecit, quatenus homo tantum, sed etiam quatenus Deus est. Admittant igitur hanc consequentiam, quæ necessario consequitur ex assumto: & facta fuerit Christiana pax atque concordia.

Videtur nobis hæc componendi ratio non posse meritò nec debere ab illis fratribus reiici, quòd & certissima sit & plana, & ad concordiam faciat, & illorum etiam existimationem conseruet. Sic enim poterunt semper suam explicare sententiam: nimirum se, cùm dixerunt, *Christum esse Mediatorem secundùm humanam naturam tantùm*, ipsum etiam tantum externum Mediatoris spectasse officium, quod quidem officium est cum primis pati & mori: id quod certè Christo minimè conuenit, nisi quatenus homo est. Est enim passus carne, vt ait Petrus. Cæterum, se nunquam inficiatos fuisse, vim & efficaciam sacrificij Christi, ab ipsius Deitate & spiritu, in carnem deriuatam fuisse.

Precamur verò Dominum, vt veram Christianamque vos inter & illos pacem, & concordiam conciliet, ad ipsius gloriam & Ecclesiæ ædificationem. Pro hoc tempore nihil habemus præterea, quod scribamus. Valete & pro nobis orate. Heidelb.

H. ZANCHIVS *suo & Collegarum nomine.*

H. ZANCHIVS

Illustribus, Magnificis, generosis Dominis Ecclesiarum reformatarum per Poloniam & Lithuaniam ac Russiam Patronis: & Reuerendis Viris Iesu Christi seruis, ac verbi Dei Ministris, earundem Ecclesiarum orthodoxarum, fratribus nostris obseruandis.

OBseruandissimi fratres, quæ à charissimo & verè obseruando fratre nostro Thretio, & narrata audiuimus, & exhibita legimus: ad ea satis omnium nostrûm nomine responsum est, & quod nos decebat, factum est officium. Has verò ego communibus illis literis, priuatas addo, non in alium finem, quàm vt vos per Christum rogem, detis operam, vt in ista sanæ doctrinæ consensione atque concordia constanter vestræ perseuerent Ecclesiæ. Nostis illud, *Concordia parua res crescunt, discordia maxima dilabuntur.* Hoc quàm verum sit, in ipsa Christi Ecclesia cumprimis experimur. Faxit Deus, vt melius posthac sapiamus omnes & maiori curæ vobis sit gloria Dei, & salus Ecclesiarum quàm nescio quæ nostra & nostrorum præceptorum placita.

De Cœna Domini

Scimus, (vt de Cœna aliquid dicam) in Cœna tria esse, & vnum propter aliud nobis exhiberi: symbola cum verbo, res externas, & sensu perceptibiles: corpus & sanguinem Christi, res spirituales atque cœlestes; ac proinde spiritu etiam, & cœlesti fide percipiendas: denique

fœdus nouum, carne & sanguine Christi confirmatum, quo & cum Deo & inter nos vniti maneamus, ac proinde finem totius Cœnæ. Symbola enim visibilia cum verbo exhibentur, vt iis excitata in nobis fide per Spiritum S. inuisibilem carnem & sanguinem Christi, non simpliciter, sed quatenus & illa pro nobis fracta & mortua est: & iste in remissionem peccatorum nostrorum effusus, percipiamus, edamus, bibamus. Hæc verò mentibus nostris percipienda, edenda & bibenda spiritualiter exhibentur, vt Noui fœderis vinculo magis ac magis cum Deo & inter nos constringamur; atque ita in dilectione Dei & proximi coalescamus: vnde & *sacramentum vnionis & charitatis* appellatur. Hæc sunt perspicua & horum omnium aperta fit mentio in verbis Cœnæ. Vt igitur magna est stultitia ita disputare de symbolis, vt exempli caussa, *an panis debeat esse fermentatus, an verò infermentatus*, vt interim negligas, id cuius caussa illa sunt instituta, nempe veram carnis Christi manducationem, & sanguinis eius potionem: ita parum prudenter illi mihi facere videntur, qui de præsentia corporis & sanguinis Christi ita altercantur, vt interim illius, cuius caussa præbetur caro & sanguis Christi, fœderis scilicet, eóque veteris & Christianæ vnionis cum patre & cum omnibus eius filiis, obliuiscantur. Ergo quòd conciliatis animis in eam doctrinæ formam, quam legimus, & quam cum S. literis consentaneam esse nouimus, cum omnium Ecclesiarum ædificatione, tandem consenseritis omnes, prudenter sapientérque egistis. Est enim ea doctrinæ forma satis ad id, quod à nobis in Cœna credendum exigit Christus, nempe se non panem & vinum duntaxat nobis in Cœna offerre; sed etiam verum suum corpus & sanguinem, non quatenus iam sunt in cœlo viuentia & gloriosa; sed quatenus & illud fuit pro nobis mortuum, & iste pro nobis in remissionem peccatorum effusus (vt disertè docent, & verba, & actio ipsius Cœnæ) spiritualiter edendum & bibendum nobis discipulis suis præbere: spiritualiter, inquam, edendum & bibendum, quoniam cibus & potus est non carnis & ventris, sed animæ & spiritus. Ac si datur corpus edendum, non est viuum, & cum sanguine gloriosum, sed quatenus mortuum & exangue fuit in cruce: & sanguis datur bibendus, non quatenus in venis iam est gloriosus, sed quatenus pro nobis in cruce est effusus: manifestum est, tunc à nobis verè tam vnam comedi, quàm alteram bibi, cum animo mortem Christi repetentes, corpus illud pro nobis verè mortuum, & sanguinem illum pro nobis in remissionem peccatorum effusum credimus: atque ita vtrumque tanquam λύτρον nostræ redemtionis spiritu fide prædito, accipimus: eóque nos esse Patri per Christum reconciliatos, & æterno fœdere ei copulatos, persuasum habemus. Hoc enim pacto edendo & bibendo corpus & sanguinem Christi, verè, &, vt ita loquar, realiter, eidem corpori Christi in cœlo iam viuenti, & inde nos hîc in terris viuificanti, vi sui spiritus, vnimur. sic enim ait Dominus. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem in me manet, & Ego cum illo.* Seorsim caro editur, & seorsim sanguis bibitur. Ergo illa tanquam pro nobis mortua editur, & iste tanquam pro nobis è corpore effusus, bibitur, vt in Cœna porrò clariùs expressit.

Ex hac comestione nascitur vnio. Ideo ait, *In me manet.* Edimus igitur fide, quatenus pro nobis mortuum credimus, & vt λύτρον nostræ redemtionis recipimus. Vnimur verò reapse eidem corpori, quatenus viuens est & viuificans. Quid autem magis præsens esse potest ei, qui viuificatur, quàm ille, à quo immediatè viuificatur? Quid enim magis præsens est corpori, quàm anima? verius autem & efficacius animas nostras viuificat Christus sua carne, quàm anima corpus. Qualis verò est hæc præsentia nisi spiritualis, cum Christus sua nos substantia viuificet?

Hæc cum ita se habeant, consentaneum est S. literis, quod paucis & prudentibus verbis de præsentia Christi in Cœna, pio omnium consensu conclusistis. Atque hoc debet cuique pio satis esse. Tantum enim facit ad retinendum fœdus, eóque ad salutem nostram. Restat vt in hac simplici doctrina vestras retineatis Ecclesias.

Hæc pauca, non tam explicandi caussa, quàm comprobandi ea, in qua de Cœna consensistis, adiicere volui, præsertim quod, vt præter communes literas, Ego quoque aliquid ad vos seorsim scriberem, ita me orauit, vt etiam exorarit Tretius, à quo etiam fusius audietis, quæ nostra sit sententia de illo capite, quod propositum nobis est, nempe de conficiendo aliquo totius doctrinæ de religione corpore. Summa hæc est: Acquiescendum esse in ista facta compositione, nihilque præterea pro hoc tempore tentandum; si qua verò vrserit necessitas, Dominus vos in Spiritu S. congregatos, quid facto opus fuerit, condocefaciet. Valete fratres chariss imi in Domino, &, si quid possimus Ecclesiis prodesse, admoniti laborem non subterfugiemus. Rogabimus Dominum pro vobis: vos vicissim pro nostris Ecclesiis & scholis, & vt Illustrissimum Principem nostrum verè pium, & verè pietatis protectorem, diu nobis incolumem seruet. Heidelb. 11. Iunii 1570.

Vester in Domino,
H. ZANCHIVS.

H. ZANCHII *de Caluini locis quibusdam de Trinitate, Iudicium & Defensio, ad amicum quendam.*

Gratia, & pax à Domino Iesu Christo.

QVas misisti, frater in Christo, literas ad cœtum Ecclesiasticum, de locis quibusdam *Domini Caluini* in doctrina de Deo, quos, quia tibi absurdi videntur, cupis, & petis explicari: hæ literæ ad nos, vt tibi responderemus, missæ fuerunt. Optaremus, non esse opus iis explicationibus: quia tamen res ita postulat, & tu petis, & nos iubemur, dabimus operam, vt & iis qui iubent obtemperemus, & tibi petenti gratificemur, & dignitati ipsius caussæ, proea, qua donauit nos Deus sui cognitione, satisfaciamus. Neque opus fuerit multis verbis, cùm negotium nobis non sit cum homine, aut hoste veritatis, aut sacrarum literarum imperito; sed cùm eo, quem & pium iudicamus, & orthodoxæ doctrinæ studiosum esse non dubitamus, atque peritum. Age igitur.

Veritas doctrinæ *de Deo*, paucis ex ipsius Dei verbo explicari potest: hac verò percepta, facilè possunt, quæ, aut cum ipsa pugnant cognosci, aut quæ aliquam habere repugnantiam videntur, sed re vera non habent, conciliari. Est enim semper verum philosophicum illud dictum, *Rectum & sui & obliqui indicem esse ac canonem.* Habemus autem persuasum, quæ Caluinus, honorificæ memoriæ, de ipso etiam Deo scripta reliquit, tametsi nonnullæ eius locutiones duriusculæ sunt, & ea re negotium facessere aliquibus videntur: minimè tamen, si dexterè, vt par est, explicentur, cum vera & Christiana doctrina pugnare.

Capita quædam præcipua doctrinæ de Trinitate.

Principio itaque repetenda breuiter nobis sunt, quędam primaria capita, huius cœlestis doctrinæ de Deo, ac tum demum ex his quo modo verba Caluini, quibus fuisti offensus, intelligenda sint, aperiendum. Capita verò, de quibus inter omnes pios, ac doctos conuenit, hæc sunt: quæ partim ad vnitatem essentiæ, partim ad pluralitatem personarum pertinent.

1. Primum caput est: *Vnum tantum esse Deum: & hunc, esse æternam, simplicissimam perfectissimámque ac per se subsistentem essentiam: quæ & θεότης ab Apostolo appellatur.*

Est enim Deus & Jehoua & ὁ ὤν eoque οὐσία ipsa. Neque enim, sicut homo differt à sua humanitate, sic Deus à sua Deitate, aut τὸ ὄν à sua οὐσίᾳ, propter summam simplicitatem: sed idem, & θεὸς vocatur, & θεότης, ὢν quidem: vt vera eius subsistentia intelligatur: θεότης autem & οὐσία, vt summa eius perfectio atque simplicitas significetur. Apud nos enim concretum, puta *homo* subsistit, non autem *humanitas*, humanitate verò in hac nostra humana natura, nihil perfectius atque simplicius. Quia ergo Deus, & verè subsistens est, simplicissimus ac perfectissimus: idcirco verè dicitur essentia esse æterna per se subsistens. Hinc efficitur, neminem verum Deum posse vocari, quin idem sit æterna hæc essentia, atque Deitas, eoque verus Iehoua.

2. Alterum caput est, *Hunc vnum Deum in tria æterna ἰδιώματα quæ à Græcis Patribus, primum ὑποστάσεις, deinde πρόσωπα: à Latinis verò tum substantiæ, tum personæ vocata fuerunt: nimirum in Patrem, in Filium, & in Spiritum Sanctum, verè distinctum esse, sed minimè diuisum.* Non esse diuisum, manifestum est: quia cùm Deus sit simplicissima essentia, in partes diuidi non potest: & testE omnia scri-

scripturarum de vno Deo idem confirmant. Esse verò distinctas personas, abunde liquere S literis: Filius enim genitus est ex Patre & à Patre missus: Spiritus sanctus ab vtroque procedit & mittitur. Etiam anima nostra in suas essentiales partes verè distincta est, nec tamen diuisa: cùm vna tantum sit substantia. Hinc sequitur personarũ pluralitate, vnitatem essentiæ non tolli: sicut nec plures animæ partes efficere possunt, vt anima desinat esse vna, & plures fiat: Itaque manere semper vnum tantum verum Deum Jehouam: sicut etiam vna tantum prædicatur θεότης in sacris literis.

3. Tertium est: *Ita verò omnes has personas simul vnum esse Deum Iehouam, eoque vnam θεότητα, vnamque οὐσίαν: vt tamen illorum quisque verus sit Deus eoque essentia ipsa tota.* Quisque enim est Jehoua: & Apostolus docet in Christo habitare, πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς, hoc est plenam & totam Deitatem essentiámque illam æternam. Hinc sequitur, essentiam illam non esse extra personas, nec personas extra essentiam: cum ipsæ personæ, & vniuersæ simul, & singulæ seorsim, sint ipsa Diuina essentia: siquidem singulæ sunt Jehoua, & omnes vnus Jehoua. Si namque humanitas non est extra homines, sed in hominibus: quanto minùs Deitas, diuináque essentia, potest subsistere extra personas illas, quæ sunt ipse Deus? nihilque aliud realiter est persona in Deo, quàm ipsa diuina essentia, sed cum suo quæque proprio subsistendi modo, quo etiam inter se differunt. Personalem proprietatem alij vocant.

4. Est enim etiam hoc caput extra controuersiam apud pios & doctos viros, *Patrem non alia ratione à Filio distingui, & quodammodo differre, quàm proprio subsistendi modo, seu personali proprietate: nempe per ἀγεννησίαν, quod scilicet filium genuerit: ipse autem à nemine sit vllo modo. Contra verò, Filium & Spiritum sanctum: quòd ille sit à Patre κατὰ γέννησιν, hic verò à Patre, & Filio κατ᾽ ἐκπόρευσιν.* Ita οὐσία loco generis est, & de singulis prædicatur: modi existendi, differentiarum loco sunt, quibus οὐσία ad certam contrahitur personam. Proinde, tunc verius, quæque persona, vocatur *subsistentia*, quam *essentia*: cum sine certo subsistendi modo, nulla essentia subsistat. Hinc sequitur, cum indefinitè nominas Deum, essentiam ipsam, (quæ tamen, vt dictum est, nihil aliud est τῷ ὄντι, quam Pater, Filius Spir. S.) simpliciter significari: quanquam nonnunquam Pater κατ᾽ ἐξοχὴν ita denotatur. Cum vero nominas Patrem, aut Filium, aut Spiritum S. essentiam ipsam non simpliciter, sed certo subsistendi modo quasi contractam, & ad certam personam restrictam, indicari.

5. Postremo illud etiam receptum est, *Licet Pater nihil aliud sit, quàm essentia, eaque incommunicata, & Filius itidem nihil aliud, quàm eadem essentia, sed à Patre communicata: non posse tamen nisi admodum impropriè dici, essentiam generare essentiam: propriè verè Patrem, totius suæ essentiæ communicatione, generare Filium.* Nam neque apud nos dicitur natura generare naturam: sed pater, suam communicando naturam, generare filium. Porro tunc dicimus filiis nostris nostram humanam fuisse communicatam naturam: cum geniti fuerunt homines. Sic itaque & Filio, tum dicitur fuisse communicata diuina Patris essentia per generationem, cum fuit genitus Filius Dei Deus: id quod fuit ab omni æternitate.

Nunc iactis his fundamentis, quæ firmissima sunt, facile, quæ ex Caluino adfers, conciliantur.

Ad primum: Falleris si putas, Caluinum sensisse, simpliciter personas esse, aut extra essentiam, aut aliud quiddam realiter, quam ipsam essentiam. Nam eodem Cap. 13. lib. 1. sect. 16. sic concludens, *Itaque* (inquit) *cùm fixum illud maneat, Deum vnum esse non plures: Verbum & Spiritum, non aliud esse, quàm ipsam Dei essentiam constituimus. Et verè stolidissimè ineptiebant Ariani, qui filij Diuinitatem confitentes, Dei substantiam illi adimebant.* Hæc ibi: certum enim est si essentiam extra personas constituas, negésque personas aliud esse reapse, quàm ipsam vnam & eandem essentiam: plures à te fingi Deos. Constat enim in sacris literis, Deum esse essentiam, & vnamquanque personam, esse Deum. Imò negaueris, Patrem esse Deum, Filium Deum, Spiritum sanctum Deum: si neges eos esse ipsam essentiam. At, quid igitur, inquies, sibi vult Caluinus, cùm definiens personam sect. 6. ait, *Personam igitur voco subsistentiam in Dei essentia quæ ad alios relata proprietate incommunicabili distinguitur.* Item cum ibidem de subsistentia filii scribit in hæc verba; *Quæ (subsistentia) etsi indiuiduo nexu cum essentia coniuncta est, nec potest separari: specialem tamen habet notam, qua ab ipsa differat.* Quid, inquies, sibi hæc volunt? Quæ est ista nota, qua subsistentia Filii, differt ab essentia? In definitione personæ, hanc notam tibi apertè expressit, quum dixit: *Quæ ad alios relata proprietate incommunicabili distinguitur.* Quod Caluinus vocat, proprietatem incommunicabilem: Iustinus Martyr appellauerat τρόπον ὑπάρξεως, id est, modum subsistendi diuersum: & tres esse dixit, quibus tres distinguantur personæ: ἀγεννησίαν, quod est Patris proprium, qui ingenitus generat: γέννησιν, quod est Filij, qui solus genitus est ex Patre: & τὴν ἐκπόρευσιν, quod est Spiritus S. qui solus dicitur procedere à Patre & à Filio. Hæ sunt notæ; quibus inter se differunt personæ, cum omnes conueniant in essentia, quæ vna & eadem est omnium: & quibus etiam, ab ipsa essentia simpliciter considerata, personæ differunt, non realiter, sed tantum λόγῳ.

Sed excipies adhuc: Caluinus ait, *personam esse subsistentiam in Dei essentia:* item subiicit aperte hæc verba: *subsistentiæ nomine, aliud quiddam intelligi volumus quàm essentiam.* Annon apertè negat, personam esse essentiam? Minimè verò, cum disertè infra id affirmet & euincat, sect. 16.

Notandum igitur pro conciliatione: essentiam diuinam, seu τὴν θεότητα, tametsi à personis reipsa separari non possit, cùm persona nihil aliud sit realiter, quàm ipsa essentia (est enim persona quæque Deus, eóque ipsa essentia diuina:) cogitatione tamen distingui posse à nobis: nempe quatenus essentia, de singulis personis essentialiter prædicatur. Quod enim essentialiter de aliquibus prædicatur, illud quidem re ipsa separari ab eis non potest; cum re vera sint id, quod esse dicuntur: quatenus tamen prædicatur de multis, inter se vel specie, vel numero differentibus, illud ab iis, de quibus prædicatur, mente distingui & aliud quodammodo esse, intelligi mente oportet. Homo enim separari re ipsa non potest a Paulo & Petro, quia quisque ipsorum verus est homo: quia tamen Petrus non est Paulus, de quibus ex æquo prædicatur homo, idcirco aliud esse intelligimus, quòd nomine hominis significatur nomine Petri & Pauli. Neque enim Paulus simpliciter est homo, sed talis homo, personalibus proprietatibus à Petro distinctus, de tribu Beniamin, Apostolus gentium, &c. Si quis igitur dicat, se nomine Pauli, aliud intelligere, quàm hominem: num propterea tu dixeris ab isto negari Paulum esse hominem? Sic Caluinus dixit, subsistentiæ, (hoc est personæ nomine, aliud quiddam intelligi volumus, quàm essentiam: non quòd neget personam, puta Filium, esse realiter ipsam essentiam diuinam (fatetur enim hoc apertè sect. 16.) sed vt doceat, nomen essentiæ, generalius & communius quiddam significare, quàm nomen personæ: cum ea de singulis personis prædicetur, non autem persona de persona. Persona igitur aliud est ab essentia: non re aut τῷ ὄντι, sed significatione & τῷ λόγῳ: Sicut Petrus aliud est ab homine, non re & τῷ ὄντι, (est enim realiter homo;) sed τῷ λόγῳ, quia aliter definitur homo & aliter Petrus. Sic locutus est etiam Caluinus de essentia & de personis in Deo. Proinde ad tuum argumentum facilè respondetur. Nulla persona (inquis) diuinitatis, est essentia diuina, nec essentia persona. Verum est τῷ λόγῳ: sed falsum τῷ ὄντι. Persona enim realiter nihil aliud est, quàm essentia, vt supra dictum est: sed certo modo subsistendi, ad certum ὑποκείμενον contracta: Ideo initio diximus οὐσίαν esse instar generis, quæ ex æquo de singulis personis prædicatur: modos autem subsistendi diuersos, esse instar differentiarum, & personales esse proprietates, quibus eadem οὐσία diuersas constituit personas. Reipsa enim, & personæ Pater, Filius & Spiritus sanctus nihil aliud sunt, quàm essentia, & essentia nihil aliud, quã ipsæ personæ. Nam extra Patrem, Filium & Spiritum S. nulla est essentia diuina: nec essentia diuina aliud quiddam est, quàm Pater, Filius & Spiritus sanctus. Proinde, cùm dicuntur à Caluino omnes subsistere in vna essentia, nil aliud intelligit, quàm omnes, vnã & eãdem essentia constare, seu vnam & eandem essentiam esse: sicut etiam dicimus omnes homines in vna humana natura contineri, non quòd ea sit extra homines, sed quòd omnes ex æquo eiusdem sint naturæ: & nomen hominis ex æquo de singulis prædicetur.

Credimus primum locum sicut abundè, sic etiam perspicuè esse explicatum.

Ad alterum: *Essentiam Filij*, ait Caluinus, *esse ingenitam: negatur ergo Filius esse Filius.* Falleris si & illud improbas: & quòd hæc inde inferas sequelam. Primum quidem, certum est, essentiam nec generare, nec generari, vt supra

ostendimus, sed personas. Ac si vna & eadem est essentia Patris & Filij: quomodo in Patre erit ingenita, eadem autem in Filio genita? Et, si generare, est de propria substantia, Filium procreare: non ergo substantia generatur, sed filius de substantia. Nonnulli quidem patres dixerunt, οὐσίαν Filij esse genitam: Sed impropriè, pro communicatam: vel οὐσίαν pro persona acceperunt. Caluinus verò propriè loquutus est: quia re vera etiam sacræ Literæ, nunquam aliter loquuntur, quàm *Filium ex Patre genitum esse*: nunquam autem *essentiam esse genitam*. Pater itaque suam totam & eandem essentiam communicando, per actionem immanentem, quam S. literæ vocant *generationem*, genuit Filium. Hinc etiam apparet, quàm falsa sit tua sequela. Nec minus falsa est tui Syllogismi propositio: nempe, *Qui habet ingenitam essentiam, is ingenitus est*. Putas ne humanam naturam, quam a Patre tuo accepisti, esse genitam? Si esset genita, esset igitur filia Patris tui. Te etiam non negabis esse ex patre tuo genitum. Pater igitur tuus, & te & tuam naturam generando, binos generauit liberos: te vnum, & tuam humanam naturam alterum. Dicamus igitur, cum aliis, bene sentientibus & rectè loquentibus, nimirum communicatione essentiæ generari filios: non autem essentiam ipsam.

Quod etiam ad tuæ propositionis probationem assumis, essentiam cuiusque rei, esse rem ipsam: non est prorsus & simpliciter verum, confundis enim οὐσίαν cum ὑποστάσει, seu ὑφισταμένῳ: & id quo aliquid est, cum eo, quod est: Quis enim vnquam dixit, humanitatem, esse hominem ipsum? Sed sua quisque humanitate, homo est. Ac si essentia Filij simpliciter esset ipse Filius: Filius esset Pater & Pater Filius, quia essentia Filij est eadem quæ & Patris: alioqui plures feceris Deos, si plures fingas essentias. Cur enim vnus sunt Deus, non multi, Pater, Filius & Spiritus sanctus: nisi quia vna est essentia Patris, Filii & Spiritus sancti. Cùm tamen tria sint realiter inter se distincta ὑφιστάμενα. Non igitur essentia cuiusque rei, simpliciter est ipsa res. *Vnus* (inquit Basilius) *Deus: quoniam & Pater vnus Deus, & Filius. Et non duo Dij: quoniam identitatem habet Filius ad Patrem. Non aliam in Patre considero Deitatem, & aliam in Filio: neque aliam naturam illam, & aliam hanc. Quo igitur inclarescat tibi personarum proprietas: numera seorsim Patrem, & seorsim Filium. Quò verò non in multitudinem Deorum scindaris: vnam confitere in ambobus essentiam.* Hæc Basilius. Cùm itaque vna sit omnium personarum in Deo essentia, si essentia Filij simpliciter esset ipse filius; annon vides Patrem futurum Filium, & Filium futurum Patrem?

Tertij loci explicatio, pendet ex iis, quæ ad primum copiosè diximus: & verò etiam ex iis, quæ modo ad alterius loci explanationem breuiter attulimus. Certum enim est, tres esse personas in vna essentia, & essentiam vnam in tribus personis: quanquam hoc magis propriè & significantiùs dicitur, quàm illud. Quum tamen dicit Caluinus tres subsistentias in vna essentia residere, non inducit quaternitatem, seu quartum quiddam in quo tria insint ὑφιστάμενα: Sed nihil aliud ea locutione sibi voluit, doctissimus vir, quàm omnes has tres personas, eadem constare essentia, sicque eandem in omnibus esse. Diximus ante quo modo personæ, nihil aliud sint τοῦ εἶναι, quam ipsa essentia: & quo modo tamen ab essentia differat persona. Ita optimè conuenit hæc doctrina, cum eo, quòd veteres dixerunt, ipsam essentiam Dei siue vnitatem substantiæ, mysterio dispensationis in Trinitatem, id est, in tres personas disponi. Nos quoque suprà diximus vnum tantum esse Deum in tres personas distinctum, non diuisum: Quia omnium vna est essentia, modis subsistendi diuersis plures & distinctas inter se personas constituens.

Quartus locus, tam perspicuè explicatur à Caluino ipso, sect. 25. vt alia explicatione opus non habeat: modo quis pia mente percipiat quæ scribit. Primum docet Caluinus, Deitatem, quæ vna est, non separari à personis, nec personas à Deitate, vsque adeo vt nec Pater possit esse Pater, nempe Dei, nisi Deus sit, nec Filius possit esse Dei Filius nisi Deus itidem sit. Quis verò hæc inficiari audeat? Mox concludit, Deitatem absolutè à seipsa esse: Quis etiam hac de re iudicare queat? Proinde suprà dixerat, non esse genitam. Sic enim esset ab alio hoc est à generante, non a seipsa. Inde infert: *Vnde & Filium, quatenus Deus est, fatemur ex se ipso esse, sublato personæ respectu: quatenus verò Filius est, dicimus esse ex Patre.* Ex iis omnibus Caluini sententia perspicua est, nempe etsi Filius non potest esse Dei Patris Filius, nisi & ipse sit Deus, sicut neque nostri filii possunt esse hominum filij, nisi & ipsi sint homines: mente tamen discerni posse filiationem, à Deitate, eandemque λόγῳ considerari posse, & vt Deum simpliciter, & vt Filium, quatenus Filius; certè Filius esse non potest, nisi sit a Patre. Omnis enim filius, alicuius patris filius sit oportet. Quatenus autem simpliciter Deus est, non sequitur eum igitur esse ab alio. Alioqui nemo posset esse Deus nisi ab alio esset: & ita Pater Deus ab alio foret necessario. sicut etiam filij nostri, filij esse non possunt, quin sint à parentibus: sed quatenus homines, id non sequitur: quia alioqui, nullus esse posset homo, quin ab aliis esset hominibus: quod falsum esse perspicuè in Adamo constat. Quatenus ergo homines sunt: sunt tales sua natura humana, quam habent, siue ab aliis hominibus acceptam, siue non acceptam, hoc nihil efficit, ad hoc vt sint homines. Imo verò in Filio Dei, quatenus simpliciter Deus est, & quidem vnus cum Patre Deus: necessum est, vt sit à seipso. Est.n. Deus propter Deitatem quam habet? quæ eadem prorsus est cum illa, quam habet, Pater. Quam autem Pater habet, à nullo est, sed à se ipsa. Quemadmodum igitur Pater, ideo Deus est à seipso, quia Deitatem habet, quæ à se ipsa est: sic etiam Filius, quatenus Deus, à seipso sit oportet, quia Deitatem habet, quæ a seipsa est: eamque eandem, quam & pater habet. At eam habet à Patre. Verum: sed ipsa per se non est à Patre, cum careat principio. Filius autem non ideo est Deus, quia eam habet hoc modo, h. e. à Patre per sui generationem: sed quia simpliciter eandem habet Deitatem, quam & Filius Dei, non simpliciter, quia Deus est, seu quia Deitatem habet, sed quia habet hoc modo, h. e. à Patre per sui generationem. Quemadmodum etiam liberi nostri, ideo homines sunt, quia naturam habent humanam: ideo vero filij nostri, quia à nobis illam habent. Ergo licet Filius quicquid habeat à Patre: non ideò tamen est Deus, quia habet à Patre (alioqui Pater non esset Deus, quia non habet ab alio Patre:) sed ideo Filius est Deus, quia simpliciter habet Deitatem: Et vero ideo etiam est vnus & idem Deus cum Patre, quia vnam & eandem prorsus cum illo Deitatem habet. Ideo vero filius est: quia eam habet à Patre per sui generationem. Est itaque Deus propter Deitatem, quam habet: Filius autem Dei, propter modum, quo illam habet. Neque hæc pugnant cum symbolo, *Deum de Deo, lumen de lumine*. Nomen enim *Dei*, pro persona accipitur, quæ Deus est: sicut & apud Iustinum ac Tertullianum, cum dicunt, *præter Deum Patrem esse alium Deum, qui est Filius*: hoc est, aliam personam quæ est Deus. Subdit Caluinus: *Ita essentia eius, principio caret: persona verò principium est ipse Deus.* En causam, cur Filius, quatènus Deus est, principio carere, eoque à se ipso esse dicatur: nempe quia eius essentia, caret principio, eoque genita non est. Quod.n. generatur, sui principium habet: quia generatur, quod non dum est; communicatur vero, quod iam est. Etsi ergo nunquam fuit diuina essentia, quam Pater communicauit Filio, quin fuerit & Filius, quia generatio Filij æterna est; ordine tamen quodam naturæ diuina essentia procedit Filij generationem; sicut illud, de quo aliquis generatur, eum, qui inde generatur. Est autem Filius de essentia Patris genitus; atque ita de ea genitus, vt totam acceperit. Liquido igitur apparet essentiam, quæ Filio fuit communicata, principio sui caruisse & carere, quia genita non est; Filium verò sui principium habere quia genitus est; atque hoc quidem principium esse id, de quo genitus est, Patris scilicet essentiam, adeoque Patrem ipsum, qui genuit. Sed principium tamen sibi coæternum; quia tam ab æterno fuit genitus Filius, quam etiam fuit Patris essentia, è qua genitus est; & Pater à quo genitus fuit. Rectè ergo Caluinus, *Ita essentia*, inquit, *eius principio caret: persona verò principium, est ipse Deus* h. e. ipsa diuina Patris essentia, è qua genitus est Filius, seu persona Filij; adeoque ipse Pater, qui genuit. Sed scriptor breuis & acutus fuit Caluinus, eoque multis obscurus; vt taceam, quod res ipsæ per se, quæ in hoc mysterio tractantur, obscurissimæ sunt humanis, imò creatis omnibus, etiam angelicis ingeniis; & fidem potius postulant à nobis, quam curiosam sui inuestigationem. Quod si tamen perscrutandæ sunt, vt quoquo modo Deum nostrum cognoscamus, & aduersus hæreticos sanam de eo doctrinam defendamus; faciendum id est sobriè, præeunte semper lumine verbi Dei, & ductu Spir. Sancti, qui omnia scrutatur, etiam profunditates Dei.

Ad absurda igitur, quæ ex postremo Caluini loco deducis; facilis est ex iis, quæ diximus responsio: nempe, ideo te hallucinari, vt liberè tecum loquamur, quia non cõsideras, nisi personam ipsam, quæ est Filius Dei & Deus;

mente autem non distinguis essentiam, qua simpliciter Deus est, à modo subsistendi proprio, quo fit, vt sit talis Deus, talisque persona, nimirum Filius. Ac proinde cum non distinguas: vitiosè veteris particula, *quatenus*. Hæc enim particula inuenta fuit à doctoribus, vt per hanc, mente distinguantur, quæ reipsa lacerari non possunt. Cùm ergo perpetuo hæreas, ἐν τῷ ὑφισταμένῳ, qui est Filius Dei Patris, ac Deus: & confundas, quæ sunt distinguenda, indéque deducas tua absurda: vana atque iuanis est illa tua particulæ *quatenus* vsurpatio. Certè si non distinguas: vtrumque verum est, Filium Deum, & Filium personam, esse à Patre, non autem à se ipso. Quicquid enim habet Filius, à Patre habet, non à se ipso. Neque hoc vnquam Caluinus (quatenus & ex eius sermonibus, & ex eius libris omnes collegere potuimus) inficiatus est. Sed cum dicis habere: multa dicis, nempe & eum, qui habet, & eum à quo habet, & modum, quo habet, & id quod habet. Filius habet: à Patre habet; per generationem habet: essentiam habet. Non ita tamen Filius habere essentiam dicitur, quasi quod Filius habens, sit aliquid realiter diuersum ab essentia, quam habet: sed sicut etiam filij nostri, & omnes homines, dicuntur habere humanam naturam, qua homines sunt: non autem sicut quis habet accidentia; quę realiter ab habente differunt. Oportet igitur mente essentiam, quam habet Filius, seorsim considerare: & seorsim ipsum Filium habentem. Quanquam, vt diximus, tanta est simplicitas in Deo, vt realiter idem sint, & habens & res habita: ac proinde impropriè etiam, de Deo vsurpatur verbum, *habendi essentiam*, &c. Sed propter nostrum captum, sic dignatus est Deus loqui, vt quum Filius ait, quæcunque habet Pater, mea sunt. Licet ergo propter nostrum captum, mente discernere quæ re ipsa separari non possunt, imo quæ idem realiter sunt. Animo itaque concipe frater, ipsam Filii essentiam seorsim, sine consideratione eius, à quo habet, aut modi, quo habet, aut talis personæ, quæ habet, nempe quòd sit Filius: Tum videbis eum, qui essentiam habet talem, ingenitam scilicet & principio carentem: esse Deum ingenitum & carentem principio. Hoc est, quod ait Caluinus, *Filium, qua Deus est, à se ipso esse* Proinde cum tu infers, *Negatur ergo Filius esse Filius:* tu transis ab illa simplici cogitatione diuinæ essentiæ in Filio, ad aliam de Filio cogitationem, nempe quatenus Filius est à Patre habens essentiam per generationem. Nam eatenus est Filius, quatenus hoc modo essentiam habet à Patre. Inde causa tuæ hallucinationis; *Si non est*, inquis, *à Patre quatenus Deus est: hactenus non erit Filius Patris.* Concedimus. Non enim ideo est Filius Dei Patris, quia Deus est: (alioqui omnis, qui est Deus, esset Filius Dei Patris) sed Filius ideo simpliciter, & immediatè, & per se Deus est, quia Deitatem habet. Talis autem Deus, hoc est Filius est: quia eam Deitatem habet à Patre per sui generationem. Sicut ergo non est absurdum dicere, Filium quatenus Deus est, non esse Filium Patris, eo quo declaratum est sensu: sic absurdum non est dicere, *Filium, qua Deus est, non esse à Patre*: cum tamen verissimè etiam dicamus, *esse Deum de Deo.* Immò sicut absurdissimum est, quòd tu sentire videris, nimirum Filium, quatenus Deus est, Filium esse Patris: quoniam inde sequitur, etiam Sp.S. quia est Deus, esse Filium Patris, quin etiam Patrem, quia Deus est, esse Filium Patris: ita etiam absurdum est, alterum simpliciter affirmare, nimirum Filium, quatenus Deus est à Patre esse, non à seipso. Ratio est, quia inde sequetur, neque Patrem, quia Deus est, esse à seipso, sed ab alio Patre. Vides Frater, quantum referat scitè omnia distinguere? Si dixisses, *Si Filius, quatenus est Deus, non est à Patre, sed à seipso: Ergo Filius non erit Filius Patris*: simpliciter negassemus consequentiam. Non enim pugnant inter se, *esse Deum à seipso*, hoc est quia simpliciter habet Deitatem; & *esse Filium Patris*, hoc est, illam habere à Patre per generationem, vt abundè declaratum est. Sed quia dicis *hactenus*, non erit Filius Patris: concessimus. Verum quod tu iudicas absurdum, nos demonstrauus non esse: Contra, quod tu putas esse verissimum, nos absurdum esse euincimus.

Subdis præterea, Quæro quid hoc sibi velit, *Filium esse à se ipso: quatenus Deus; à Deo autem quatenus est persona?* Abundè hoc est explicatum. *Quis est*, inquis, *iste Deus? num ipse quatenus est Deus? erit igitur ipse suæ personæ principium & sui ipsius Pater & Filius.* Optimè quidem concludis, Filium, non esse illud principium, à quo est ipsius persona, hoc est ipse. Nam neque qua Filius, qui est principium: neque qua Deus, quatenus Dei essentia, neque generat neque generatur, sed qui generat est Pater, qui generatur est Filius: Interim tamen confundis adhuc, quæ sunt distinguenda. Etsi enim essentia non generauit Filium, sed Pater: de essentia tamen Patris, quæ tota facta est Filij, genitus est Filius.

Si autem, inquis, *solus Deus Pater est principium personæ Filij, necesse est, Filium ex hoc & propter hoc principium, esse Deum & æqualem Patri.* Quod dicis, verum est, sed non omnia partitionis membra complexus es. Filius enim ex patre & propter patrem, vt causam generantem, est Deus: sed non per patrem, propriè loquendo, verùm per Deitatem à Patre acceptam, ita verus est Deus, vt sit ipsa Deitas. Ita vides, frater, non esse necesse, vt quemadmodum putabas & perebas, Caluini verba à te adducta corrigantur: cum nihil, si dextrè intelligantur, contineant erroris, ne dum perniciosos multos errores. Credimus enim, hac epistola satis explicatos esse locos, qui ex Institutionibus Caluini te turbarunt: & simul etiam totam hanc de vnitate essentiæ, & personarum pluralitate illustratam esse doctrinam: vt in dubium vocari non possit, nisi aut ab hominibus omnino imperitis, aut à malis, ac prorsus impiis, & in suis vanis cogitationibus pertinaciter obfirmaris. Fuimus verò prolixiores, quàm sperabamus: quia maluimus, in tam graui causa accusari prolixitatis, quàm obscuritatis: cùm illa molesta tantum esse possit, hæc autem, non nisi perniciosa: præsertim, cùm viderimus te quoque fuisse (liberè enim tecum loquimur) hallucinatum ex Domini Caluini scriptis: quòd obscuriùs aliquando loquutus sit, quam expedierit. Rogamus autem te, frater, per Christum, vt in simplici veritate te, tuámque Ecclesiam contineas; quæstionibus subtilioribus, & quæ imperitis hominibus, & verò etiam sæpenumero doctis viris plus damni, quam vtilitatis adferre possunt, omissis. Non enim omnium est, res tam altas atque arduas bene percipere: aut saltem dextrè & rectè explicare. Dominus tibi adsit suo spiritu: & te magis ac magis suis cumulet donis: tuóque ministerio ad sui gloriam, & vtilitatem Ecclesiæ, benedicat. Vale. Heidelb. 4. August. 74.

H. ZANCHIUS *suo & Collegarum nomine.*

DE DISCERNENDIS SPIRITIBVS H. ZANCHII *epistola ad Amicum.*

Literis tuis, mi frater, officij atque humanitatis plenis, quòd tardius quàm sperabas tu, & quàm voluissem ego, respondeam, in causa fuerunt partim occupationes meæ, & multæ & graues, tam ordinariæ, quàm extra ordinem: partim etiam, quòd licet fortè sæpe non desint, per quos possint mitti istuc literæ: me tamen, hominem non valde curiosum, id ferè latere soleat. Te itaque habiturum me excusatum, tarditatémque hanc meam minimè vitio mihi versurum, quæ tua est humanitas, confido.

Quæstio à te mihi proposita: *de discernendis spiritibus bonis, à malis*, si non ante, & à Mose primùm, & deinde à Prophetis & Apostolis proposita & explicata fuisset, obscura mihi, & difficiles habere explicatus videretur. Nunc enim cùm è sacris literis explicatio peti possit, & eadem, exemplo veterum patrum confirmari: non puto, si velimus sacris literis, & exemplis patrum esse contenti, opus fore prolixa ad propositam quæstionem, scriptione. Quo tamen dilucidior fiat nostra responsio, tribus propositionibus me expediam, sed si prius post certam distinctionem, locum Diui Joannis explicauero, ex prioris epist. cap. 4.

Distinctio hæc est; Bifariam nos loqui posse, de Regula dignoscendi spiritus; nempe aut de ea, quæ communis esse debet Christianis omnibus: aut de illa, quæ ex peculiari Spiritus sancti gratia, multis in primitiua Ecclesia concedebatur; & nunc fortè etiam nonnullis donatur. Hæc altera est illa, de qua Apostolus ad Cor. 1 epist. c. 12. *Aliis dantur διακρίσεις πνευμάτων.* Solebant enim hac gratia, permulti in Ecclesia primitiua donati, qua, quum spiritus mali transfigurarent se in Angelos lucis, facilè à fidelibus cognoscebantur: Et quinam ex spiritu Dei loquerentur, & qui ex Diabolico, discernebantur. Vnde fiebat, vt, & qui hoc dono discretionis spirituum præditi erant, facilè resisterent Satanæ; Et alii per hos, quidam ex Deo loquerentur, & qui non monerentur, certioresque fierent. Dabatur enim hoc donum ad vtilitatem totius Ecclesiæ. De

hoc peculiari dono, tu mihi non videris, frater in præsentia loqui, aut proponere quæstionem: sed de priori gratia, quæ locum semper in Ecclesiis habeat, fidelibúsque omnibus debeat esse communis. De hac D. Iohannem loqui, mihi persuasum habeo, quum ait, *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus.* Quoniam ibi, quomodo quisque hac in re sese debeat gerere, docet. Hic itaque locus breuiter explicandus est, ac tum demum inde, quænam sint certæ regulæ discernendi spiritus, obseruandum. Verba Apostoli hæc sunt: *Dilecti, ne cuiuis spiritui credite: sed probate spiritus, an ex Deo sint. Nam multi Pseudoprophetæ venerunt in Mundum. Ex hoc cognoscite spiritum Dei. Quicunque spiritus confitetur, Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est.*

Tria hîc consideranda sunt: de quibus, ad quos, & quid scribat. De illis Pseudoprophetis scribit, qui vt facilius seducerent, non solum profitebantur Christi nomen, sed etiam se a Spiritu S. afflari gloriabantur. Et dono prophetandi, diuináque mysteria explicandi, præditos se esse iactabant, suámque doctrinam a Spiritu sancto esse contendebant. Quemadmodum fit etiam nostro tempore ab Anabaptistis, & aliis Antichristis, quos verè afflari a spiritu, sed non sancto, certum est: cum spargant doctrinas Dæmoniorum.

Scribit autem ad pios, verósque Christianos, qui iam in vera pietatis doctrina fuerant optimè instituti, & confirmati. Omnes autem tales, præter summam doctrinæ Christianæ, quam optimè ab Apostolis didicerant, firmámque tenebant: & præter cognitionem sacrarum literarum, in quibus aut legendis, aut audiendis, sicut Dominus mandat, perpetuò sese exercebant: vt semper (sicut Petrus etiam monuit) non solum ad profitendam fidem suam, sed etiam ad reddendam illius rationem, parati essent: Omnes, inquam, verè pii Christiani non solum & apprimè tenebant totum corpus doctrinæ Christianæ, & in sacris literis aut frigidè sese exercebant: verum etiam donati erant spiritu Christi: (*qui enim non habet spiritum Christi hic non est eius*) a quo in fide confirmabantur: nec (sicut Christus de omnibus electis dicit, eos non posse seduci in periculosos errores, à via veritatis abduci permittebantur: quibus etiam suprà dixerat Iohannes. *Et vos vnctionem habetis à sancto, & nostis omnia.* His certè difficile non est, discernere Spiritus malos, à bonis, & doctrinam Dæmoniorum, à doctrina Spiritus S.

Quid verò ad hos fideles scribat; nunc diligenter videndum est. Principiò non præcipit, vt sanæ doctrinæ contradicentes refutent, eorúmque argumenta refellant. Non enim est hoc cuiusque Christiani officium: Nec cuiusuis est, id præstare posse: Quemadmodum nec Petrus id a quouis Christiano postulauit: sed tantum, vt quisque quum opus est, sciat suæ spei ac fidei reddere rationem. Imò quos simpliciter nouimus non adferre doctrinam Apostolicam, eos iubemur vitare, & ne salutare quidem permittimur. Tantum abest, vt necesse sit, quemuis Christianum, omnibus Dialecticorum regulis esse munitum, quibus sophismata pseudodoctorum refutare queat. Quid igitur scribit Iohannes? Primum, cùm semper multi sint in Mundo falsi prophetæ, qui sub prætextu nominis Christiani, & Spiritu sancto sic donari, hæreses spargant, ne facilè cuiuis credamus, id esse à spiritu, quod esse iactant. Ratio est: Quia fallere nos possunt, & mentiri. Quid igitur, si de illorum doctrina nob constet? *Probate* (inquit) *spiritus, An ex Deo sint.* hoc est, examinanda est illorum doctrina, an ex Spiritu S. sit, an verò ex spiritu Satanæ. Sic Christus antè præmonuerat suos discipulos, *Videte* (inquiens) *quid audiatis*: quasi dicat, non quiduis audiendum & credendum est, quod tanquam verbum Dei, & profectum â Spiritu sancto proponitur, sed videndum, diligentérque examinandum & probandum est, an sit à Deo an vero ab hominibus, à Spiritu sancto, an verò à spiritu malo, an denique a Christo, an verò ab Antichristo. Idem & Paulus tradit, qui postquam dixisset, *prophetias nolite spernere*: subiecit, *Omnia δοκιμάζετε, quod bonum est, retinete*, q. d. diligenter & accuratè examinandæ sunt prophetiæ, atque doctrinæ, ac quas bonas esse nouerimus, eas retinere, quas autem malas, eas reiicere debemus. Hoc itaque est primum præceptum Apostolicum: Ne leniter omnem admittamus doctrinam: etiamsi qui illam proponunt, iactent Christi nomen, & Spiritus sancti afflatum, sed probandum, & cognoscendum esse, an à Deo sit, nécne. Sed quomodo id fiet? Docet hoc Apostolus, vno exemplo, generalem, eamque certam tradens Regulam. *In hoc* (inquit) *cognoscite spiritum Dei*, hoc est, per hanc, quam iam trado regulam, poteritis cognoscere, & cognoscere debetis: Vtrum aliqua sit doctrina de Christo, à Spiritu Dei, an verò à spiritu Diaboli. Quænam hæc est Regula? Primùm *omnis Spiritus* (id est, omnis rationalis creatura, spiritum Dei professa) *qui confitetur* (id est, qui docet & profitetur) *Christum in carne venisse, ex Deo est*, hoc est huius doctrina diuina est, non humana, eóque certissima. Et contrà, *Omnis spiritus, qui non confitetur, Iesum Christum in carne venisse, ex Deo non est, & hic est spiritus Antichristi.* Nemo tam cæcus est, qui non videat Regulam, quam tradit Apostolus ad discernendos spiritus, qui ex Deo sunt, ab iis, qui ex Deo non sunt, esse summam certæ doctrinæ, ab Apostolis traditæ de religione. Hanc vno exemplo tradit, de præcipuo capite, in quo tota salutis summa consistit, hoc est, de Christi Persona, & vero etiam officio. Distinguendo enim eum, qui venit, ab ea re, in qua venit, & indicans causam, propter quam venit: (Non enim venit frustra:) satis luculenter docet, illum, circa Christum, ex Deo loqui, qui docet. Primum quidem, eum fuisse ante carnem, λόγον nimirum, qui erat in principio apud Patrem, & qui Deus erat, vt docuit idem Ioannes. Deinde verò *venisse* (in mundum) *in carne* (id est, hominem factum: vt Ioh. 1. dixit, & λόγος caro factus est.) Quid deníque confitetur, eum venisse Seruatorem, vt dissolueret opera Diaboli, sicut suprà dixit in hac epistola. Contrà igitur qui hanc negat doctrinam, is docet se habere spiritum Diaboli, suámque doctrinam, Diabolicam esse, & Antichristi doctrinam. Hæc enim fuit summa doctrinæ, de Christo, quæ ab Antichristis oppugnabatur: Nempe, Christum esse verum Deum, verum hominem, perfectum redemtorem. Si quid igitur proponatur de Christi persona, & officio, hac breui regula, discerni posse docet, an sit ex Deo, an ex Diabolo. Sed à quibusnam? Ab illis, qui hanc tenent regulam: non quidem nudam, sed ex iis, quæ antè fusè tradita fuerunt, ab Apostolis illustratam: Et qui Spiritu S. præditi, possunt hanc regulam ad propositas doctrinas, prudenter & cum iudicio accommodare. Nam, (vt suprà diximus) veri ac pii Christiani, spiritum Christi habent, per quem possunt omnia iudicare.

Tres itaque sunt rationes, quibus probari possunt spiritus, eorúmque doctrinæ, an ex Deo sint, nécne sint. Vna, eaque prima ac princeps, est afflatus Spiritus sancti, quo veritatem edocti, quid cum ea pugnet, diuersúmque ab ea sit & dissentaneum iudicare haud difficiliter possumus. Nam huius vi, imprimitur doctrina in animis nostris: & per hunc, nouimus Deum. *Spiritus enim omnia scrutatur: & spiritualis homo omnia dijudicat* 1. Cor. 2. Item, *Vnctionem habetis à sancto* (inquit Iohannes) *& nostis omnia* 1. Ioh. 2. Vt igitur qui spiritu præditus est humano, facilè discernit homines à brutis, ita qui spiritum habet Dei, per quem edoctus est cœlestem doctrinam, discernit diuina ab humanis, doctrinamque Dei, à doctrinis Dæmoniorum. Nihil enim magis sui simile est, quàm Deus: & nemo melius nouit, quæ Dei sunt, quàm spiritus Dei. Imò ita solus nouit, quę sunt Dei, vt nisi quis hunc eundem accipiat spiritum, is neque Deum, neque quæ Dei sunt cognoscere queat. Quænam, obsecro, causa est, cur spiritu Dei donentur electi? Nempe, vt etiam ipsi, quæ Dei sunt, noscere possint, eaque ab humanis & Diabolicis diiudicare, vt Apostolus abundè docet ad Cor. Vndenam fit etiam, vt electi dicantur à Christo, non posse ab Antichristis seduci? Nempe, Quia spiritus Dei, veritatem semel in eorum animis impressam custodit, ac seruat, vt ab ea nequeant deficere. Qui autem rectam in animo retinet doctrinam: is facilè de reliquis per illam iudicabit, sintne rectæ, an obliquæ: Dei an Diaboli: cum *Rectum*, vt prudentissimè scripsit Aristoteles, *index sit sui & obliqui.* Qui ita edoctus est Virgilij stylum, vt poeticum eius spiritum tenere dicatur: is perfacilè de quouis, sibi oblato poemate iudicabit, an Virgilianum sit, nécne. Si quis igitur per S. S. nouit cœlestem veritatem, eamque habeat in animo inscriptam, & spiritum Dei in se docentem: dubium non est, quin iste, ductu illius spiritus, & canone, iudicium facere certum de quauis doctrina, an ex Deo sit, nécne, facilè possit. cæteroqui manifestum dat testimonium, se nunquam fuisse a Spiritu sancto verè edoctum seu vnctum. Ac si idem spiritus efficit, vt verè cognoscamus, qui sint Canonici, & qui Apocryphi libri in Biblis: quid ni ergo eorum etiam discernentur spiritus, qui ex Deo sunt ab iis qui à Diabolo? Solet autem Spiritus sanctus in filiis Dei afflandis, veritatem docendis, gratiaque spiritus discernendi donandis, hunc seruare ordinem vt pri-

mum

mum ardenti desiderio cœlestis doctrinæ illos afficiat: atque ita afficiat, vt non aliam ob causam percupiant, voluntatem Dei perspectam habere, quàm vt & quæ Deo ingrata sunt vitare,& quæ grata,efficere possint. Excitato hoc in nobis sancto desiderio, ad preces permouet, quibus à Deo petamus,vt nos in omnem deducat veritatem, doceatque suam facere voluntatem. Deus verò hasce pias preces,non exaudire non potest. Ac proinde eodem suo spiritu efficit, vt quibus iam cordi est Religio, ij tali cognitione veritatis donentur,qua de doctrinis omnibus, an ex Deo sint,an verò ab hominibus, aut à Satana, iudicare facilè possint. Atque hoc est, quod Christus docuit apud Ioannem c.7. *Si quis*(inquit) *voluerit facere voluntatem eius (Dei:) is cognoscet de doctrina mea,vtrum ex Deo sit,an à me ipso loquar.* Sensus est: Cui verè cordi est pietas,quique ideò cupit veritatem cognoscere, & veram à falsa discernere doctrinam, vt faciat,exequaturque Dei voluntatem: h.e. vt ex ea, Deum colat, & vitam traducat suam: (id quod, singulare est S.S donum:) is ab eodem S.S.non deseretur, quin veritatem doceatur: edoctúsque cognoscat, an doctrina sit ex Deo,an verò ex hominibus. hancque ab aliis omnibus discernat. Ratio est, Quia Spiritus S.quos donat zelo,studióque pietatis:eos etiam, quænam sit vera pietatis doctrina,& quæ falsa,suo afflatu docet: sicut per Prophetas prædixerat,*erunt omnes θεοδίδακτοι.* Omnes, id est, Electi, veroque pietatis studio affecti. Vnde & alibi Christus ait, Omnes hos,audite à patre,trahique à Patre: Euangeliumque ipsis a Patre reuelari. Item, qui sunt ex Deo (non tantum electione,sed etiam per S.S.renouationem:) eos verbum Dei non tam corporis,quam animi auribus) audire. Ac proinde reprobos impios, qui nullo tenentur Dei cognoscendi, veréque colendi desiderio, non audire; quod scilicet ex Deo non sint. Ergo spiritus Dei, a quo donamur desiderio cognoscendæ veritatis, studioque obsequendi Deo, atque ad petendam cœlestis doctrinæ cognitionem,excitamur,ille idem est,qui exaudit nos, gratiáque donat, qua propositas doctrinas discernere possimus,vtrum ex Deo sint,an verò ab hominibus: doctrinæ Dei,an verò Dæmoniorum. Vnde à præcedentibus, prioribusque S.S.effectis,quinam posteriora consecuti sint,facilè intelligimus: nempe qui donati sunt timore Dei, amore veritatis,studio faciendæ voluntatis diuinæ: his spiritum discretionis non defuturum, quod discernere possint inter veritatem & mendacium: doctrinam Dei,& doctrinam Dæmoniorum: Christi & Antichristi. Rectum enim iudicium,ex recto corde emanat,timore ac reuerentia Dei affecto,sicut Christus docet. Et Spiritus sanctus illis affulget,ad cognoscendam veritatem,in quibus verum voluntatis diuinæ cognoscendæ & faciendæ desiderium, excitauit. Exemplo nobis est Cornelius,cum sua familia. Act 10. Quia enim vero pietatis studio, desiderioque voluntatis diuinæ,vt ei obediret,cognoscendæ tenebatur: iccirco Spiritus sanctus, qui illa pietatis fundamenta in Cornelio iam firma fecerat,non defuit suo operi: sed misit Petrum,qui quænam esset Dei voluntas, doctrináque salutis,copiosè simul & dilucidè explicaret: atque ita incoatum opus promoueret. Vnde,quum audiuisset Cornelium dicentem: *Nunc ergo omnes nos in conspectu Dei sumus, vt audiamus omnia,quæ tibi præcepta sunt à Deo:* admirans Dei bonitatem Petrus exclamauit, *In veritate comperio, Deum non esse προσωποληπτην: sed in quauis gente, acceptum esse quemuis, qui eum timeat, & operetur iustitiam.* Nemo autem Deum timere,& iustitiam operari potest,nisi timore Dei, studioque iusta operandi,per S.S.donetur: id quod efficit in omnibus electis suo tempore. Hi sunt illi,de quibus etiam Paulus: 1.Tim.2. *Deus vult*(inquit) *omnes homines saluos fieri,& ad agnitionem veritatis venire.* Omnes,tales nimirum homines,ex quauis gente. Confirmat hoc Apostolus ipse, suo exemplo. In ipso etiam Iudaismo timebat Deum,studebatque pro viribus illi inseruire: (vt ex ipso liquet in Actis & Epistolis) idque certè, non nisi ex S.S. gratia. Idem igitur Spiritus adfuit ei,suo tempore: cognitionéque veritatis, ac cœlesti sapientia largiter illum donauit: non solùm ipsius, sed etiam aliorum, ad quos conuertendos, & in ouile Christi adducendos,mittendus erat causa. Ita,quod Christus docuit: *Qui voluerit facere voluntatem patris,is cognoscet de doctrina mea, vtrum ex Deo sit, an ego loquar à me ipso*: exemplis apparet manifestis, verissimum esse. Quicunque igitur cupit cognoscere veritatem; ac Spiritus, vtrum ex Deo sint, nécne, probare: atque vnos ab aliis discernere: is debet id facere, non animo curioso, sed pietatis studioso, voluntatique diuinæ obtemperandi percupido: atque hoc animo Deum precari, vt se donet Spiritu veritatis ac discretionis: à quo non permittatur errare, atque seduci. Ac tum ne dubitet, quin sibi adfuturus sit Deus, suo spiritu, qui se in omnem deducat veritatem, gratiáque discernendi doctrinam Dei,à doctrinis Dæmoniorum, abundè donet. Prima hæc regula,interna est,totáque spiritualis,hactenus in suis,qui iudicare debent, ac possunt de doctrinis. Cum hac coniungitur etiam, quod ibidem subiecit Christus dicendo: *Qui à se ipso loquitur, gloriam propriam quærit: Qui vero quærit gloriam eius,qui misit eum: hic verax est,& iniustitia in eo non est.* Nota est, à qualitate doctrinæ deducta: qua Christus docuit,discerni posse inter doctrinam Dei,& hominum: intérque spiritus,qui ex Deo & qui non ex Deo,loquantur. Sensus vero est: Qui talem de Religione tradunt doctrinam, quæ gloriæ Dei illustrandæ non seruiat, sed hominum potius ambitioni & quæstui: hi, licet iactent nomen Dei, ex cuius ore, aut spiritu loquantur. Reuera tamen non ex Dei,sed ex suo atque Diaboli spiritu loquuntur: & ea re, mendaces simul sunt,& iniqui,ac seductores Qui verò talem,qua verè gloria Dei promoueatur:is,si dicat se ex Deo loqui; non mentitur, neq. quidquam agit iniqui: sed reuera doctrina eius, nō est eius,sed qui misit eū,Dei. Propositio hæc sumta est ex qualitate totius doctrinæ, quàm Deus extra controuersiam,tradiderat per prophetas,à cōdito orbe, ad Christum vsque. Tota enim ad humiliādum hominem,& ad Deum exaltandū,reuelata fuerat: ac talis etiam fuit doctrina,per Christum & Apostolos prædicata, quemadmodum ipse Christus & Apostoli demonstrarunt, ac res ipsa confirmat. Fallere igitur nota hæc non potest,si quis singulorum spirituum doctrinas,ad eam examinet: quia tradita est à Filio Dei, æterna sapientia. Considera hic mihi præcipua religionis capita; quæ in hoc tempore controuertuntur; atque ab hac nota facilè intelliges. quæ nos tuemur,ea esse ex spiritu Dei: quæ autem aduersarij,ex hominibus. Negant Arriani, *Deum Patrem,verum esse Patrem,* dum contendunt, *Christum non esse è substantia Patris genitum,eóque verum filium:* Faciunt idem Photiniani,& Serpetiani, *qui Christum purum hominem esse docent.* Et Augustinus euincebat aduersus Maximinum Arrianorum Episcopum, illos negare Patris omnipotentiam qui eum negabant, Filium sibi ὁμοούσιον generasse. Nos, quæ illi negabant, profitemur. Vtra igitur sententia verior est? Præterquam quod nostra, aperta habet testimonia è sacris literis: facit etiam ad gloriam patris illustrandum: Quod nimirum habeat Filium per omnia sibi æqualem, eiusdémque secum essentiæ: eóque verus sit Pater. Atque ita etiam Filius verè glorificatur, quòd verus sit Filius: quia è substantia Patris. Itidem & Spiritus sanctus: spiritus Patris,& Filij. Qualis enim spiritus iste; si spiritus esset eius,qui duntaxat homo sit? Quæ etiam gloria,quòd Deus dederit purum hominem,qui pro nobis moreretur? vera est gloria,quod vnigenitum,verum Deum dederit. Contendunt Pontificij, præter verbum Dei, multa etiam alia dogmata,& placita, atque decreta Patrum, esse ad salutem necessaria. Quasi verò aut nescierit,aut noluerit Ecclesiæ suæ,quæcunque erant ad salutem necessaria, prospicere ac reuelare Deus, præsertim per Filium. An non hoc in ignominiam cedit Dei, Ecclesiæ Patris optimi, ac sapientissimi? Et dedecore afficit sponsum Ecclesiæ Christum? Nos igitur contra docemus: quia præter testimonia sacrarum literarum, ad gloriam Dei facit, & Christi. Vtra igitur ex Deo est doctrina: nostra, an aduersariorum? Negabant Pelagiani, pueros post peccatum Adæ, concipi in peccatis; nasciq́ue filios iræ,eoque nisi regenerentur per Christum, æternis cruciatibus adiudicari: quòd cum summa Dei clementia pugnet, ideóque omnia Scripturæ dicta, quæ obiiciebantur, de immutatione interpretabantur. Sed non obseruabant, hanc esse Patris, & Filii & Spiritus sancti gloriam, vt nemo nisi ex misericordia Patris, ex meritis ac beneficio Christi, pérque gratiam Spiritus sancti, nos regenerantis, seruetur: non autem ex integritate naturæ. Eadem ratione euincitur, doctrinam illam non esse ex Deo, qua vires Liberi Arbitrij, cum extenuatione gratiæ Dei extollunt: neque illam, quæ ex præuisis operibus,bonóque vsu Liberi arbitrij, prædestinatos fuisse homines ad salutem docent, ex præuisione autem malorum operum, alios fuisse reprobatos. Neque eam, qua prædicant homines non ex sola Dei gratia, atque fauòre, propter solum Christum fide apprehensum, sed ex operibus etiam suis iustificari.

Tota hæc doctrina, gloriam Dei, aut penitus tollit, aut mirabiliter saltem obscurat. Eodem pertinet doctrina de purgatorio. Quasi verò qui hinc decedunt in fide Christi, inque Domino moriuntur, non satis sint sanguine Christi, & per gratiam Spiritus sancti, ab omnibus peccatis abluti, mundati, repurgati, sanctificati. Qua enim re magis offuscatur gloria & gratia Dei, Christique beneficium, quàm tota hac doctrina? Verè ab homine est, & non ex Deo, quę hominis effert naturā, vires, opera: quæve cum alia ratione purgari seruarique docet, aut in totum, aut ex parte, quàm gratia Dei, & sanguine, iustitiaque Christi. Rursus ex Deo non est illa, qua Libertinis perinde est, vtrum sanctè viuas, bonáque opera præstes, an mala. Deus enim glorificatur bonis operibus, malis autem inhonoratur. Quid etiam magis non dicam obscurat, sed penitus abolet vim sacrificii Christi, semel pro nobis in remissionem peccatorum efficaciter oblati: quàm doctrina de sacrificio, (vt vocant) Missæ, quod offerat quotidie sacerdos in remissionem peccatorum, pro viuis & mortuis? Nostra igitur, imò Apostoli doctrina ex Deo est: qua docemus, in Cœna non nouum, illúdque ἀνεκτόν Christi sacrificium, pro nobis ab homine offerri, sed vnici, veteris illius, quod semel obtulit non sine sanguine, Filius Dei Deus, commemorationem duntaxat fieri, ipsam verò re oblatam, corpus scilicet & sanguinem Christi nobis edendum & bibendum offerri, & exhiberi, tantum abest vt nos illud offeramus Deo, vel sacerdos pro nobis. Corporis autem & sanguinis Christi perceptione per fidem facta, nos in κοινωνίᾳ Christi, magis ac magis coalescere: tanta est Christi in nobis per fidem efficacitas. Atque hæc demum est vera Christi gloria, atque maiestas: quòd existens corpore in cœlo, suum tamen ipsum corpus & sanguinem fidelibus omnibus in terra existentibus, communicet per suum spiritum: Fide verò à nobis percipiatur. Vtrum etiam ad gloriam Dei facit, vt eum immediatè, tanquam clementissimum Patrem adeamus, & cum fiducia inuocemus per solum Christum, an verò, vt spiritus demortuorum tanquam intercessores nostros, qui nos audiant, & commendent Deo, prius precemur? Certè quo plus fiduciæ, in Deum concipimus, fidentiusque in conspectum ipsius accedimus, eo maiori à nobis afficitur honore: & quo minùs officium Christi ad alios transferimus, eo plus à nobis glorificatur. Est enim hæc Christi gloria: Nimirum, vt solus sit Mediator, aduocatus, Pontifex, seruator: sicut solus etiam est nostra iustitia. Ad ipsius quoque gloriam pertinet: vt sicut verus est Deus, sic verus homo esse credatur, per omnia nobis similis, excepto peccato, effectus. Ac proinde sicut sua Deitate vbique est, & omnia implet: sic sua humanitatis essentia, certo contineri loco intelligatur: non minùs quàm cum ante resurrectionem, ita erat Hierosolymis, vt simul & semel non esset Bethaniæ: quando conditio hæc, omnium etiam fratrum suorum & est, & futura est, post resurrectionem, communis: præsertim cum nihil hac conditione, vera cum Christo κοινωνίᾳ, veráque corporis & sanguinis eius participatio, impediri nec interuerti vel eripi nobis possit. Quippe quæ fit, per vim Spiritus S. Spiritus Patris ac Filii. Quanta hæc Christi gloria, vt corpore manens in cœlo, in nobis tamen inhabitet, communione sui corporis & sanguinis? Quid ita? Quia nulla ratione huius seculi, sed per Spiritum Dei, tota hæc carnis & sanguinis Christi fit communicatio, participatio, perfectaque κοινωνία. Contrà, non sine Christi ignominia dici potest, carnem eius ab ipsis etiam impiis, idque ore corporis percipi, atque edi, instar reliquorum ciborum, licèt inuisibiliter, & insensibiliter, ac tantum non in ventrem traiici. Quid de quæstione, *vbinam sit vera Ecclesia, dicat?* Certè ad gloriam Dei minimè facit, vt ibi vera esse dicatur Ecclesia, vbi non solum omnis generis viget idololatria, ac superstitio, nec solum maior humanarum traditionum habetur ratio, quam mandatorum Dei, nec denique solum quotidie nomen Domini blasphematur, verùm etiam vbi doctrina quidem Christi pura prædicatur, neque sacramenta iuxta ipsius institutionem administrantur: sed contrà, qui id facere volunt, & Christo obedire, igne & ferro sine remissione puniuntur. Talémne hominum cœtum, & coitionem, probari Deo dixeris: & veram etiamnum esse Dei Ecclesiam, cum qua scilicet, communicari possit, credideris, quanquam olim fuerit? Quasi verò Deus, alligatam esse velit suam Ecclesiam certis locis & personarum generibus, ac non potius verbo suo. Non est hoc certè ex gloria Dei. Ita vides, frater, hac quam Christus tradidit nota, ducta à qualitate doctrinæ de religione, certo discerni posse spiritus, quinam ex Deo loquantur & qui ex se ipsis, aliisve hominibus, vel etiam ex Diabolis. Qua enim, vera gloria Dei promouetur, eam doctrinam esse ex Deo iam constat. Nam talis est etiam Tota, quæ in sacris literis traditur. Contrariam igitur ex Deo non esse, manifestum est. Cæterùm, quia neque cuiusvis est cognoscere, quænam verè ad gloriam Dei faciat, & quæ non faciat doctrina, sed eorum tantum qui Spiritu Dei præditi sunt, (*Quis enim nouit, quæ sunt Dei, nisi spiritus Dei?* 1. Cor. 2.) Idcirco, hanc etiam specialem notam, sub generali, eaque prima Regula quæ est spiritus, collocamus. Atque hæc de prima Regula.

Cæterum meminisse debemus historiæ illius, quam habemus ex Melachim de Propheta, viro certè Dei, sed ideo per alterum seducto, quòd etiam hic alterum iactaret Spiritum Dei, seque à Jehoua accepisse, quod suadebat, nempe rediret ille, secúmque cibum sumeret, gloriaretur. Si prior propheta, firmus stetisset, & constans in verbo, quod certo sciebat se a Iehoua accepisse, non permisisset se ab altero seduci, qui contrarium suadebat. Quomodo enim idem Spiritus Dei, pugnantia inter se, imò contradictoria de eadem re docere potest. Duabus igitur de causis, ad discernendos spiritus aliquid aliud præter Spiritus S. afflatum, requiritur: Nempe summa doctrinæ Christianæ, certis capitibus comprehensæ, simpliciter intellecta, de qua nunquam vlla fuerit, aut sit inter pios in Ecclesia Dei, dubitatio: quam doctrinę summam, *Catechesin* vocare solent: veluti est summa mandatorum Dei, quæ *Decalogus* appellatur: Summa fidei, *Symbolum* scilicet *Apostolicum*, ac *Precatio Dominica*, cum summa doctrinæ *de pœnitentia & Iustificatione*, De *Sacramentis, Baptismo & Cœna Domini* De *Fide & operibus nouaque obedientia*, prout ex scripturis breuiter colligitur. Huius necessitatis duplex, vt dixi, ratio est: vna, quia etiam falsi prophetæ iactant spiritum Dei, & mentiri & fallere possunt: nec conuinci, nisi certis ac manifestis doctrinæ capitibus queunt. Altera, quia etiam boni prophetæ, aliquando deseruntur ad tempus, quodammodo à spiritu Dei & sinuntur falli, quanquam non ad mortem. Si verò summa doctrinæ Christianæ, paucis comprehensa, in quam omnes Christiani consentiunt, retineatur: & ad illam omnia examinentur dogmata de Religione, tum certè nec facile quis poterit ab vllo seduci: & seductor, faciliùs ac citius poterit cognosci atque repelli. Statuendum enim est principium hoc, *Spiritum sanctum in doctrina salutis semper esse vnum atque eundem, sui omnino similem.* Si igitur summam doctrinæ, quam quisque habet in Catechismo, à Deo esse constet: quo modo poterit quis timens Dei, doctrinam huic repugnantem, doctrinam boni spiritus esse putare, nedum persuasum habere: Quia igitur hæc Regula certior est priore, (verbum enim Domini manet semper idem, & in perpetuum: spiritus autem bonus nonnunquam deserit ad tempus, vt nos tentet: malus verò sæpe se transfigurat in angelum lucis: Et verò etiam quia ad euincendos spiritus, firmior est: (quisque enim iactare spiritum Dei potest:) Idcirco Iohannes pro Regula discernendi spiritus, an bene sentiant de Christo, necne; non attulit iudicium spiritus, sed summā doctrinæ de Christo, dicendo; *In hoc cognoscite spiritum Dei. Omnis spiritus qui confitetur, Iesum Christum venisse in carne, ex Deo est. At omnis spiritus, qui non confitetur Iesum venisse in carne: ex Deo non est: sed hic est spiritus Antichristi.* En quomodo Apostolus vult per doctrinam cognosci & discerni spiritus. Doctrinam autem de Christo, ante fusè explicauerat: nimirū eū, cum esset apud Patrem ab æterno, verus Dei Filius, verusq. deus, suo tēpore sumta carne, sese in ea patefecisse: idque vt in ea, nostra expiaret peccata, perfectamq. Patri obedientiam, omniū electorum nomine, præstaret. Nunc itaque breui sententia. quicquid de Christo verè credi & dici potest, tam de persona, duabus naturis constante: nimirum diuina, quæ venit, & humana, in qua venit, i. in qua manifestatus est: quàm de officio, propter quod venit: venit. n. vt illam carnem, pro nobis, in expiationem peccatorum, immolaret patri: summatim complexus est, eamq. sententiam, vt certam regulam teneri vult, à fidelibus, atq seruari, ad discernendos spiritus, quam de Christo loquuntur. Eandem repetiit in altera ep. v. 7. quum concludit v. 10. *Quisquis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, ne recipite eum domum, nec Aue ei dicite.* Aliæ similes, generales, breuesque & perspicuæ sententiæ de aliis fidei articulis: iam apud eundem Johannem, quàm apud alios etiam Apostolos extant: quas hoc, quod attulit, exemplo, docet esse eodem modo pro regulis retinendas: & à fidelibus in iudicandis doctrinis vsurpandas

Vt de

Vt de Trinitate: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, ὁ πατὴρ, ὁ λόγος, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα: & hi tres vnum sunt.* Vt de iustificatione per Fidem. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* Vt de certa salute renatorum, & quod ad mortem non peccent: sed semper studeant pietati: *Scimus quod quisquis natus est ex Deo, non peccat: sed qui genitus est ex Deo, conseruat se ipsum: & malus ille non tangit eum.* Et aliæ id genus permultæ sunt, quas, vt dixi, pro regulis fidei esse voluerunt apud fideles depositas. Sed postmodum summa hæc doctrinæ Christianæ, in vnum breue corpus redacta fuit; quod Apostolus ad Heb. vocauit *Fundamentum resipiscentiæ ab operibus mortuis, & Fidei in Deum, baptismatum doctrinæ, ac manuum impositionis, & resurrectionis mortuorū, & iudicij æterni.* Recepta autem voce, eáque Apostolicâ, *Cathechesis* appellatur: cuius præcipua pars fuit, & est; *Symbolum Apostolicum.* Hoc itaque corpus doctrinæ, constans nimirum Decalogo, symbolo & Prec. Dom. de quo nulla vnquam apud pias Ecclesias fuit dubitatio. Alteram, eamque certissimam regulam esse dicimus: qua quisque fidelis, spiritu Dei edoctus, atque præditus, iudicare de spiritibus, an ex Deo sint, doctrinámque afferant spiritus sancti necne, sine difficultate potest. Hac vsus est & Moses, & vtendum esse docuit, Deu. 13. c. Quum enim dubitare populus posset, an qui venisset ad se, verus propheta esset, necne esset: non iussit respici, in miracula, neque in externam vitæ sanctitatem: neque etiam spiritum nostrum esse consulendum docuit: sed summam doctrinæ, quam tradidetat, voluit retineri: & ad illam, Spiritum prophetæ examinari: *Quum* (inquit) *surrexerit in medio tui propheta, aut qui somnium somniet, dederitque tibi aut signum, aut portentum, euenerit q; signum & portentum, quod prædixit tibi, atque u dixerit Eamus post Deos alios (quos non nouisti) & seruiamus eis: Non audies verba prophetæ illius, aut eius qui somniauerit huiusmodi somnium: Quia tentat vos Dominus Deus vester. num sitis amantes Domini Dei vestri, in toto corde vestro, & in tota anima vestra.* Vides regulam veram & certam discernendi spiritus malos à bonis? Hac eadem vsi sunt Patres aduersus hæreticos: quum testimonia sacrarum literarum, ab illis aut negarentur, aut falsis interpretationibus torquerentur. Confugiebant enim, tum ad cōsensum, in Ecclesia receptum, de libris Canonicis, & Apocryphis; tum etiam ad summam doctrinæ, iam inde à temporibus Apostolorum, apud omnes Apostolicas Ecclesias depositam: & ad illa vsque tempora fideliter conseruatam: ad cuius analogiam, & scripturæ essent interpretandæ, & omnes doctrinæ examinandæ: quemadmodum videre est tum apud alios, tum maximè apud Irenæum & Tertullianum. Tempore Tertulliani, turbabant Ecclesias præter alios hæreticos, ipsi cum primis Valentiniani, & Marcionitæ, quorum illi, cum multa fabulosa de rerum principiis, atque Natura sparsissent, tum etiam docebant. *Mundum hunc non à Deo patre Christi, sed à Diabolis fuisse factum. Christum corpus de cœlo attulisse: nihil verò de virgine Maria accepisse, sed per illam tanquam per rimam, aut fistulam seu canalem transiisse: animam nostram tantùm, & spiritum, non autem corpus per Christum seruari, carnis resurrectionem nullam futuram.* Sic Valentiniani: aduersus quos etiam Irenæus doctissimè scripsit. Marcionitæ verò, sequuti Cerdonem, duo prima principia secum pugnantia, vnde omnia essent orta, statuebant. Deum legis & Prophetarum, non fuisse bonum, neque patrem Christi, sed alium Deum bonum, Christum ipsum, nō veram habuisse carnem, neque verè passum, aut mortuum, sed simulasse passionem & mortem. Et quidem suas hasce hæreses, multis persuadebant; locis sacrarum literarum non paucis in suam sententiam contortis. Cum interim prima Fidei principia, quæ symbolo Apostolico comprehensa, longè ante, nempe à temporibus Apostolorum, Ecclesiæ ab Apostolis plantatæ, semper vno & constanti consensu, omnes fuerant professæ & profitebantur, oppugnarent apertissimè. Tertullianus igitur, quæ ipsius erat pietas, volens huic malo, pro sua virili occurrere, & regulas fidelibus tradere, quibus scirent, quomodo & cognoscendi essent Hæretici, & cum illis sibi agendum scripsit librum verè aureum, qui *De præscriptionibus Hæreticorum* inscribitur, in quo primum & ante omnia docet, Hæreticos, hoc est, eos, qui doctrinam in Ecclesia post Apostolos inauditam, qualis tum erat doctrina Valentini & Marcionis, tuentur & spargunt, non esse ad illam de scripturis disputationem admittendos, nisi prius fiant Christiani: hoc est, nisi Regulam Fidei Christianæ, quam docet esse doctrinam Symbolo comprehensam, prius admittant: tum quod ipsis non competant scripturæ, quæ soli Ecclesiæ traditæ sunt, tum quod Apostolus prohibeat cum talibus disputationes instituere, tum quod nihil cum huiuscemodi hominibus effici possit, qui nobiscum in fundamento, ad quod examinandæ sunt scripturæ, non consentiant, sed pro sua libidine, non iuxta Analogiam fidei, illas contorquent. Statuendam igitur esse priori loco, firméque retinendam fidei regulam, in quam omnes consentiant, qui Christiani sunt, ac proinde ex qua cognosci possint quinam ex Deo loquantur, & qui à se ipsis. Non enim fidem ex personis, sed personas ex fide probandas esse. Quæ autem sit fidei regula paucis explicatur pag. 100. Est autem, vt vno verbo dicam ea, quam omnes ex Symbolo profitemur. Hæc est enim summa doctrinæ ad salutem necessariæ, quam Christus à Patre in mundum attulit: quam Apostoli à Christo acceperunt, & acceptam prædicarunt: atque in Ecclesiis primùm voce traditam, deinde epistolis & libris scriptam reliquerunt: quam denique vsque ad sua tempora incorruptam, in omnibus Ecclesiis conseruatam fuisse docet Tertullianus, & cum ipso Irenæus, Egesippus & alij illorum temporum Patres. Quæ causa est, cur subinde, ad consensum Ecclesiarum Apostolicarum prouocarent aduersarios: ad consensum, inquam, in doctrina, ad illum nimirum consensum, quo tam posteriores ab Apostolicis viris, quàm priores ab Apostolis ipsis immediatè institutæ Ecclesiæ, sine vlla inter se discordia, aut diuersitate, in eam doctrinæ summam, quam meritò *Regulam fidei* Tertullianus appellauit, omnes consentiebant, *Hæc regula* (inquit) *à Christo instituta, nullas habet apud nos quæstiones, nisi quas Hæreses inferunt, & quæ Hæreticos faciunt.* Si hæc regula teneatur firma, tum nihil prohibet, quin de scripturis modestè & reuerenter disputetur. Ideò subiecit Tertullianus: *Cæterum* (inquiens) *manente forma eius in suo ordine, quantum libet quæras & tractes, & omnem libidinem curiositatis effundas: si quid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obscuritate obumbrari.* Ac certè in omnibus disciplinis & artibus, idem seruari videmus, atque vt seruetur, necessarium est: nempe vt in prima cuiusque artis principia prius consentiatur, quā de iis, quę de principiis deducūtur, disputetur. Quis enim contra negantes principia, disputare queat? Si verò hoc in artibus seruandum est: cur non maximè fiat in Religione, in qua de salute animarum, deque gloria Dei agitur? si quid cum primis principiis consentiat, illud esse ex autore principiorum, nempe ex Deo, manifestè intelligetur. Siquid dissentaneum sit, quis non dicat, id ex Deo non esse? Ita compendiosam eamque certam ingressus est viam Tertullianus: qua demonstraret fidelibus, An doctrina Valentini & Marcionis, aliorumq; Hęreticorum esset ex Deo, necne esset. Non fuisse, inde planum fecit, quia ex diametro pugnabat cum primis Fidei Christianæ principiis, quæ in Symbolo continentur. Atque huc spectat nomen *Symboli*, quo, hæc Christianæ doctrinæ summa, appellari semper solita est. Erat enim ceu nota, & tessera & signum, quo discernebantur, & discerni semper debent Christiani, à non Christianis: Catholici, ab Hæreticis. Epitome scilicet totius doctrinæ Apostolicæ, de qua Tertullianus sic ait pag. 100. *Hæc regula, nempe Fidei, à Christo, vt probabitur, instituta, nullas habet apud nos quæstiones.* Probat enim deinceps, quam profitebantur Ecclesiæ doctrinæ summam, eam ab Apostolis fuisse traditam: Apostolos verò eam à Christo accepisse. Ac paulò post docet, hanc veram esse, propriamque notam, qua manifestè, quænam sint Catholicæ, & quæ Hæreticæ Ecclesiæ, demonstratur. Docuerat hinc discerni Catholicas, Apostolicasque Ecclesias, ab Hæreticis: quòd illæ possent per continuam sanctorum Episcoporum successionem, à postremo cuiusque Ecclesiæ, vsque ad primum, suam quæque originem demonstrare: se nimirum ab Apostolis, aut ab Apostolicis viris fuisse plantatas, atque edoctas: id quod non posse Hæreticorum conuenticula facere, ait. Sed, etsi possint, alia tamen infallibili nota, eas non esse Apostolicas, luce clarius demonstrari; Nempe à qualitate doctrinæ *Sed, etsi confinxerint* (inquit) nempe se originem ab Apostolis aut Apostolicis viris habuisse. *nihil tamen promouebunt. Ipsa enim doctrina eorum, cum Apostolica comparata, ex diuersitate & contrarietate sua pronuntiabit, neque Apostoli alicuius esse autoris, neque Apostolici viri. Quia sicut Apostoli non diuersa inter se docuissent: ita & Apostolici viri non contraria Apostolicis edidissent: nisi illi, qui ab Apostolis desciuerunt, & aliter prædicauerunt.* Hæc ille; diligenter certè obseruanda. Ecclesiæ Romanæ defensoribus; qui priorem notam à successio-

ne Episcoporum vrgent, sed alteram à doctrina non ita possunt. Si autem nostræ doctrinam se eandem profiteri, quam & Apostoli docuerunt & vetus Ecclesia retinuit, demonstrare possunt Apostolicas & Christianas se esse procul dubio euincent. Ideo subdit Tertullianus: *Ad hanc itaq; formam,* (nempe doctrinæ) *prouocabuntur. Hæreticæ ab illis Ecclesiis, quæ, licet nullum ex Apostolis vel Apostolicis autorem suum proferant, & multò posteriores: quæ denique, quotidie instituuntur: tam enim eadem fide conspirantes non minus Apostolicæ deputantur, pro cōsanguinitate doctrinæ.* Quid igitur clariùs, quam illas Ecclesias verè Apostolicas esse, quæ doctrinam Apostolicam retinent: vt ab Apostolis aut Apostolicis viris non fuerint primum institutæ: sed quotidie instituantur à nobis, vel potius ad formam veteris, Apostolicæque Ecclesiæ, in doctrina, & ceremoniis renouētur? inde verò luculentissimè liquet, ex Regula fidei, vt vocat Tertullianus, manifestum fieri iudicium posse, quinam Spiritus ex Deo, & qui non ex Deo loquantur. Qui enim cōsentanea cum Symbolo Apostolico docent: hi in ea parte, ex Deo, qui afflauit Apostolos, loqui cognoscuntur. Qui dissentanea, illos ex spiritu, spiritui Dei contrario, blasphemare necesse est. Ac sanè si quis nolit ex professo esse contentiosus: sed firma & indubia fide, quę traduntur in symbolo, retineat: & cum apertis scripturarum testimoniis, vnde Symbolum est desumtum, diligenter conferat, is apertè videbit, quæ etiamnum à nonnullis aperto Marte oppugnantur, ab aliis verò in dubiū saltem vocantur: ea ita esse perspicua, vt summæ sit tum impietatis, tum impudentiæ, de his amplius vel disceptare, vel dubitare. Age igitur, capita quædam percurramus: atque vbi opus est cum sacris literis conferamus, confirmationis & explicationis gratia.

Credo in Deum Patrem omnipotentem.

Verbo *credendi*, duo significamus: primum nos firma fide ex auditu verbi Dei concepta, habere persuasum ita se habere, quod in Symbolo profitemur. Ac deinde, addita particula, *In Deum:* nos totius salutis tam præsentis, quàm futuræ, in solo Deo collocatam atque firmatam habere fiduciam. Cum autem tam in *Filium*, & in *sanctum Spiritum* dicamus nos credere, maledictus verò pronuncietur in sacris literis, omnis qui confidit in homine, hoc est, in quauis pura creatura, multo verò magis, si simpliciter salutis æternæ fiduciam in eam reponat. An non in Symbolo aperta traditur doctrina, de tribus Elohim, seu diuinis personis, æterno Patre, Filio & Spiritu sancto, vno eodémque Deo? verum etiam Filij Deitas, alia ratione confirmatur, quum scilicet Filium Dei *vnigenitum* appellamus: idque antequàm eum è Spiritu sancto conceptum, in vtero virginis confiteamur. Certè qua homo est, licèt conceptus sit virtute Spiritus sancti, vnigenitus tamen dici non potest, cùm etiam nos geniti simus ex Deo, per Spiritum sanctū vt Scripturæ docent. Qua de causa, *primogenitus inter fratres* appellatur, id quod pugnat, cum esse secundum idem, scil. carnem vnigenitum, & primogenitum. *Vnigenitus* dicitur, quia is vnus est è substantia Patris genitus, antequàm nasceretur ex virgine, nempe iam inde ab omni æternitate. An non verò ex his facilè discernuntur Ariani & Photiniani, Iudæi & Turcæ, quales sint spiritus? Cognoscitur, & Valentiniani spiritus, an ex Deo fuerit, nécne: qui negabat Patrem Christi esse δημιουργὸν: alium verò illo superiorem δημιουργὸν esse volebat. Symbolum enim prædicat Christum, Filium esse illius Dei Patris, quem etiam cœli & terræ creatorem esse prædicauit. Nec minus Apollinaristæ, ac Manichæi refutantur, tanquam Spiritus Diabolici, cum apertè tradat Symbolum, *Christum conceptum & natum esse ex virgine*, nempe vt alij quoque homines nascuntur, si hoc vnum excipias, sicut excipit Fidei Regula, nimirum quod non ex semine viri, sed virtute Spiritus sancti virgo illum conceperit, atque pepererit. Non ergo attulit corpus è cœlo, neque corpus habuit, habétve animæ humanę expers, cum factus sit nobis per omnia similis, excepto peccato, vt docent S. literæ. Disputatur de omnipotentia Dei, *An ea fuerit humana Christi natura communicata, ita vt ipsa quoque propriè facta sit omnipotens.* Sed Symbolo declarantur quales sint spiritus, qui id affirmare audent: quum solum Deum vocat omnipotentem: sicut etiam eundem solum, creatorem cœli & terræ prædicat. Sed illi quoque à Symbolo refelluntur, qui animam Christi passam fuisse apud inferos, somniant, quæ nobis debebantur, pœnas. Neque enim dicit Symbolum *eum esse passum apud inferos*, sed tantum, *descendisse ad inferos*: antea in cruce passum, quicquid pati debebat, vt non sine causa ibi dixerit, *consummatum est.* Quasi verò non alia causa esse potuerit descensus Christi ad inferos, quam vt pœnas inferni pateretur. Neque certè spiritus à Deo est, qui corpus Christi verè, & propriè sua substantia vbique locorum præsens esse cōtendit, cum Symbolum simpliciter, & sine tropo dicat, *Ascendisse in cœlum, atq; inde etiam rediturum, ad iudicandum viuos & mortuos.* Quo sensu venturus dicitur: eodem etiam illum ascendisse significans. Magna potiò quæstio agitatur de Ecclesia, quænam illa sit & vbi, Symbolo hoc, perspicuè vtrumque indicatur, præsertim, si quæ summatim hic traduntur, ea testimoniis, è sacris literis desumtis, fusiùs explicentur. Summa hæc est: CREDO ECCLESIAM VNAM ESSE ab hoc patre per Christum Filium, prædicatione Euangelii, efficacitate verò Spiritus sancti, è mūdo, adeóque ex omnibus mundi partibus, in vnum mysticum corpus, ad verum huius vnius Dei cultum euocatam, electam atque collectam: eámque esse SANCTAM, hoc est a Patre, condonatis peccatis propter obedientiam & mortem Christi, in quem credit, iustificatam, sibique consecratam, pérque Spiritum sanctum renouatam, sanctificatam, amoréque cœlestis, sanctæque vitæ donatam: nec non & noui fœderis signo, nempe Baptismo in nomen eiusdem Dei Patris, Filij & Spiritus sancti administrato, obsignatam: ac proinde in qua, summa hæc Apostolicæ doctrinæ, perpetuo sonat, & ex consequenti, sacramenta etiam per Christum instituta, fideliter administrantur, & sanctitati, ad quam è MVNDO sumus vocati, nec non vnitati huius Ecclesiæ, paci atque concordiæ conseruandę per totam vitam studetur. Atque hanc Ecclesiam sanctam credimus esse CATHOLICAM: hoc est vbique locorum & apud omnes gentes diffusam, exque omni genere hominū constantem. At plura dicis, quàm profitemur in symbolo. Verum, totum hoc paucis verbis complexum esse Symbolum, is facilè confitebitur, qui sacras literas tenet: ex quibus quicquid explicationis causa addimus, desumtum est. Quum enim dicimus, CREDO SANCTAM ECCLESIAM CATHOLICAM perinde est atque si dicas, Ego licet oculis non videam, neque manibus tangam, persuasum tamen habeo ex verbo Dei & per spiritum sanctum, cœlum eorum hominum, qui vera fide, in hunc Deum Patrem, Filium & spiritum sanctum credunt, inque nomen eorum obsignati sunt, ac proinde inter quos, hæc sonat doctrina, sacramentaque noui fœderis ritè administrantur, atque vt Christi mandatis obediatur, sedulò datur opera, horum, inquam, hominum vbicunque sint, cœtum, veram esse Christi ECCLESIAM, eamque, propter hanc veram fidem in Patrem, fœderis autorem: in Christum, fœderis confirmatorem: in Spiritum sanctum, confœderatorum sanctificatorem, fœderisque in cordibus nostris inscriptorem & obsignatorem, esse SANCTAM, in κοινωνίᾳ Patris, Filij & spiritus sancti, sanctorúmque omnium Patriarcharum & Apostolorum receptam, remissionem peccatorum consecutam, & quotidie consequi, à mortuis resurrecturam, & vitam æternam consequuturam. Ac proinde, ME quoque propter hanc eandem Fidem, eiusdem ECCLESIÆ MEMBRVM esse planè confido, in eandem sanctorum communionem receptum, remissionem peccatorum consequutū, à mortuis resurrecturum, & in æterna cœlestique vita, cum Christo & sanctis omnibus victurum. Sunt hæc omnia veritatis amantibus, ac minimè contentiosis perspicua ex ipso Symbolo. En expeditam de Ecclesia quæstionem. Hinc facilè discernitur, qualis sit illorum spiritus, qui docent homines per sua opera iustificari, & peccatorum remissionem consequi. Symboli certè doctrina aliter docet, quum post explicatam Fidem in Deum Patrem, Filium & Spiritum S. subdit Ecclesiam esse SANCTAM: apertè docens per hanc fidem veram, eam sanctificari, iustificari, mundari, regenerari, in communionem sanctorum recipi, remissionem peccatorū consequi, & tandem a mortuis resurrecturam, & beata æternaq. vita fruiturum. Annō verò etiam simul hinc apparet, doctrinam de Purgatorio, de Missatico sacrificio pro viuis & mortuis, in remissionem peccatorum, de indulgentiis, déque aliis id genus nugis, doctrinam esse, aliunde quam à spiritu Dei profectam? Si quis igitur rectè sciat vti hac altera regula, is facile de præcipuis capitibus Religionis, rectum facere iudicium poterit, an sint cum doctrina Apostolica consentanea, nécne sint. Quid autem compendiosius, quidve certius ad probandos spiritus, inueniri hac regula potest homini Christiano: & spiritus Dei minimè experti? Neque enim Christianos quis dici potest, si non habeat spiritum Christi, & nisi adultus fact⁹, hāc Christianę doctrinę sumā,

& probè intelligat,& fideliter retineat. Tum certè fieri facilè non potest vt quis à spiritibus diabolicis seducatur. Proinde meritò D.Ioan.post regulam illam doctrinæ, de qua hactenus diximus,traditam:subiungit de veris fidelibus, qui nimirum,cum ex Deo nati sint per Spiritum sanctum, summam etiam doctrinæ teneant, eos non posse à malis Spiritibus seduci,inquiens, *Vos ex Deo estis, Filioli.* Ex Deo autem nascimur per Spiritum Dei & doctrinam Euangelij,fide receptam. Quid inde sequitur? *Et(ideo)vicistis eos* (Antichristos) *vt non potueritis ab illis seduci.* Qua virtute? *Quoniam potentior est*, (inquit) *qui est in vobis*(Spiritus scilicet Dei) *quam qui in Mundo est*, Spiritus nimirum Antichristi. Vnde vero fit, vt Antichristi mundana, eoque diabolica [est enim diabolus, mundi princeps] loquantur,& à mundo libenter audiantur? *Ipsi*,inquit, *è mundo sunt, ideo mundana loquuntur: & mundus eos audit.* Contra igitur,causa cur Filij Dei, & cognoscant Antichristos, ex sermonibus, & ideo etiam eos non possint audire, est, quoniam ex mundo non amplius sunt, sed ex Deo per Spiritum sanctum,& per Euangelium fide receptum,cordique inscriptum. Ita regulam hanc alteram de summa doctrinæ Apostolicæ,à priore,hoc est,à Spiritu Dei docentis & seruantis nos separandam non esse videmus: sed vtraq; simul coniuncta discerni Spiritu,etiam posse. Quid verò si accedat etiam exercitatio in sacris literis, totáque doctrina Apostolica & prophetica? Firmiùs certè fuerit iudicium. Quid enim certiùs,quàm eam doctrinam esse à Deo, quæ cum doctrina diuina in sacris literis reuelata,consentanea est: contra verò illam non esse à Deo, quæ illi est dissentanea? Hac regula vti volebat Christus Judæos ad se cognoscendum,an Propheta esset à Deo missus, nécne esset,quum dicebat, *Scrutamini Scripturas,quoniam ipsæ perhibent testimonium de me:* Iohan.5. & quum subinde hanc esse causam docebat, cur suam doctrinam improbarent: nimirum propterea, quòd ignorarent Scripturas: quas, si probè tenuissent, optimum de doctrina Christi facere iudicium potuissent. Vnde enim fiebat, vt etiam Nicodemus, Magister alioquin in Israel, dictum Christi de regeneratione non intelligeret esse à Deo, nisi ex sacrarum literarum ignoratione: Vt meritò Christus illi dixerit, *Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?* Johan.3. ex eodem fluebat fonte, quod Apostoli propter passionem & mortem Christi, de eius Deitate atque officio dubitarent, vt necesse fuerit Christo,illis demonstrare è Sacris literis,ex Mose,Psalmis & Prophetis,oportuisse Christum pati,& intrare in gloriam suam. Itaque semper ablegare solitus erat ad S.literarum lectionem, atque intelligentiam, quò possent de spiritibus,an ex Deo essent,nécne,sine dubitatione iudicare. Hac eadem regula vsi fuisse leguntur Thessalonicenses, ad cognoscendum,an quæ Paulus docuerat,essent ex Deo,an verò ab hominibus. Act.17. Et certè in hunc finem Apostoli sua semper confirmabant testimoniis S.literarum, vt ea re possent populi probare spiritus,an ex Deo essent. Neque alia de causa apostolorum vestigia,secuti fuerunt Patres illi vetustissimi in suis conciliis, nisi vt reipsa demonstrarent populis, quæ definierant, ex Spiritu Dei definita fuisse, non autem ex spiritu humano. Vt igitur veri doctores,sua probant testimoniis S.literarum, vt se ex Deo loqui persuadeant, sic vicissim populi, eodem S.literarum canone, probare debent spiritus,eorumque doctrinas, si certi esse volunt, an ex Deo sint, vel secus: quoniam certius nihil est, quàm ex verbo Dei cognosci posse verbum Dei,eosque à Deo mitti,qui verbum afferunt Dei,doctrinam scilicet Apostolicam propheticámque. Constat enim Prophetas & apostolos ex Deo locutos esse. Itaque Apostolus Ioannes loco antè adducto,concludit vnde probari possint spiritus, an ex Deo sint,an verò ex Mundo: nempe inde, si audiant Apostolos, eoque ipsorum afferant doctrinam. *Nos* (inquit) *ex Deo sumus: qui nouit Deum,audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos,ex hoc cognoscimus spiritum veritatis: & spiritum erroris.* Duæ hîc sunt propositiones. Prima: Apostoli,eoque Apostolica doctrina ex Deo est. Hinc sequitur prima conclusio: Doctrinam igitur Apostolicam,certam nobis esse debere regulam,qua discernamus spiritus veritatis, à spiritibus erroris. Altera propositio: Qui nouit verè Deum, (eoque & quæ Dei sunt:) is audit Apostolos, totamque eorum doctrinam. Audit, inquam, non tam corporis, quàm animi auribus, intelligit, approbat, cognoscitque eam esse ex Deo, eoque illi obedientem pro sua virili sese exhibet. Et contra qui non est ex Deo (per Spiritum sanctum & per verbum Dei renatus, eoque qui non nouit verè Deum) is non audit Apostolos, neque eorum doctrinam percipit,aut approbat: multo minus fidei obedientiam amplectitur. Hinc sequitur altera conclusio: vt igitur discernere quis possit spiritus, & doctrinas, an sint ex Deo,nécne,& Apostolicam approbare, contrariam autem reiicere,is opus habet vera cognitione, & renascentia ex Deo. Vtrumq.autem consequimur per verbum Dei, pérque eius spiritum,vt Scriptura docet. Certa igitur regula probandi spiritus, est verbum Dei, cum spiritu Dei nobis donato,coniunctum,quò illud auditum & lectum, intelligamus,percipiamus, probemus. Proinde subdit Apostolus ex vtraque propositione, generalem conclusionem; *Per hoc agnoscimus* (inquit) *spiritum veritatis, & spiritum erroris.* Quid est per hoc? Per doctrinam nostram,quã certò nouimus esse ex Deo & per Spiritum sanctum,quo ex Deo sumus,nosque esse sine dubitatione cognoscimus. Sensus est,quia Apostolica doctrina ex Deo est; ergo quisquis est ex Deo,per spiritum Dei,quiq.Deum nouit,hanc quoq.audiet,& ex Deo,esse cognoscet per eundem Spiritum. Per hanc autem tanquam per lapidem Lydium,omnes reliquas propositas de religione doctrinas, eodem ductus Spiritu,discernet,an sint veræ,an erroneæ,ex Deo,an ex mundo. Summa itaque eò tendit,mi frater,regulam discernendi spiritus,esse doctrinam Apostolicam,nõ simpliciter,& solam,sed Spiritu Dei perceptam atq.retentam: sicut etiam à spiritu Dei profecta est. Hæc autem bifariam haberi potest,vel summatim, vt qui eam tenent ex Catechismo,vel in totum & explicitè,atq perfectè,vt qui in S. literis versati sunt. Ita certa & vera regula discernendi spiritus,duobus cõstat membris: vnctione spiritus,& summa saltem doctrinæ Apostolicæ, bene intellecta, quæ regula eò etiam fuerit perfectior,si summæ doctrinæ,accessisset etiam peritia S.literarum.

Sed excipis, regulam quæro, qua pius quisque etiam idiota vti possit, & quæ omnibus, vtcunque esse videtur, cõmunis esse queat. Vt vero dem,quæ de spiritu, & summa doctrinæ dicta sunt; quomodo quisque poterit in S.literis sese exercere? Deinde hæretici plerunque solent esse in S.literis exercitatiores, quàm pij homines, si doctores aliquot excipias. Si igitur à S literis petenda sit spirituum discretio,facilè seducentur plerique pii ab hæreticis, qui S. literarum testimonia vrgent, fucumq. illis facere possunt. Sed demus etiam omnes pios, in S literis esse exercitatos, non minus quàm sint hæretici: quæstio tum orietur de interpretatione,quænam sit genuina ac propria,quomodo igitur poterimus iudicare spiritus, si de interpretationibus scripturarum non constet? Si.n.de Trinitate sit quæstio: Ariani suam,è S.literis sententiã colligere sese contendunt, confirmare nituntur,nostráque testimonia eludunt. Si de cœna Domini: idem planè faciunt aduersarii. Quid hic effecerit pius vir,& quomodò aut de vera sententia iudicare,aut eam aduersus tantos hęreticos defendere poterit? Oportuerit aduersus vnos omnia,quæ præscripsisti, Tu,arma tenere, aduersus alteros, quæ extant in prolixis Martyris libris. Sed quis tam multa,támque difficilia,vel intelligere vel tenere memoria,& in promptu habere queat? Ita nisi aliam omnino regulam discernendi spiritus certiorẽ, ac faciliorem tradas,multa dicendo,nihil dixisti. Breuiter ad hęc omnia respondeo.

Principio memineris, frater, non de quouis hominum genere, quæstionem à te fuisse propositam: sed tantum de piis,quanam ratione,quæ & firma sit,& omnibus communis, dignoscere spiritus,an sint ex Deo, nécne,possint. Ac certum est,frustra,imò stultè hoc de apertè impiis aut hypocritis quæri: non minus quàm si quis quæreret de cæcis quanam regula possint discernere colores à coloribus. Dico autem ego,pium indicari posse neminem: qui iuxta Dei mandatum, in S.literarum lectionem ac studium pro sua virili,non incumbat: vt & ipse indies magis ac magis proficiat in cognitione Dei,rerumq. diuinarũ,suæq. fidei rationem,vt Petrus iubet,cuiuis reddere possit: & alios partim docere,partim contradicentes refutare. Non enim per Petrum, Spiritus sanctus iubet solùm, vt quisque paratus sit ad fidem suam,ac spem profitendam, sed vt, cui etiam sic credat ac speret rationem reddere queat. Vnde verò fidei nostræ ratio peti potest,nisi è fonte S.literarum? Atque in hunc finem, non vna solùm lingua conscribi, sed in omnes omnium populorum linguas, conuerti voluit Dominus sacra Biblia: vt scilicet ab omnibus legi, & die noctuque versari possint. Nec secus fecisse primitiuæ Ecclesiæ Christianos abundè tradunt historiæ, vt apud patres legere est. Quis autem dubitet,quin si quis diligenter,attentè,& cum iudicio,si non perpetuò,aliquot sal-

tem quotidie horis, vna vel altera, legat S. literas, is de quauis doctrina iudicare facilè possit, an sit ex Deo, vel ex mundo? si quis igitur suum faciat officium, in legendis, audiendis, examinandis S. Bibliis, huic aio traditam à nobis, imò recitatam potiùs ex Apostolo, atque explicatam regulam de discernendis spiritibus, non solum certam, sed etiam facilem futuram. Si quis vero neglecta S. literarum lectione, auditione, & studio, quærat tamen à me rationem, qua citò & certò iudicare possit de spiritibus, an ex Deo sint, nec ne sint, & temerè ipse quæsierit, & ego stultè fecero, si voluero illi gratificari. Is enim perinde fecerit, atque si quis nolit sese in lectione Ciceronis exercere, & interim tamen Canonem velit habere, quo de quibusuis oblatis scriptis, iudicium possit facere certum, an Ciceronianum stylum redoleant, vel diuersum. Faciant igitur homines quod ipsis mandatur à Deo officium, tum sentient nulla ex re alia certius fieri posse iudicium de spiritibus, quàm ex collatione doctrinæ ipsorum cum doctrina Christi, in Sacris literis abundè & perspicuè tradita.

Fateor tamen non cuiusuis esse, perfectam S. literarum cognitionem assequi, & tenere, sed vicissim tu quoque frater inficiari non debes, non ad quemuis pertinere, de singulis disputare, contradicentésque refutare, sed satis esse cuique pio, si præcipua Christianæ religionis capita, ita firma retineat, vt cognoscere, & discernere à Christianis possit. Si quæ vero obscuriora sint, & difficiliora adiudicandum, consulendos de his esse peritiores, & quibus docendi officium incumbit, sicut in lege quoque mandauerat Dominus; & per Prophetas mandatum confirmauit, vt à sacerdote interpretationes requirat populus Dei.

Illud verò prætereundum non est: aliud esse de doctrinis iudicare, aliud falsas refutare. Illud aio præstari posse à quouis Christiano, in doctrina salutis bene instituto, & in sacris literis mediocriter exercitato: alterum, fateor, vt antè dixi, non esse omnium: sed neque hoc à quouis, sicut primum, exegit Spiritus sanctus. Itaque ad rem non facit, quod affers exemplum, tum libri Martyris in re sacramentaria, tum mei, in negotio de Trinitate. Qui enim pugnaturus est, opus habet armis omnis generis. Qui tantum iudicaturus, cognitio veritatis, æqui etiam & iniqui, sufficeret illi. Vbi verò animaduerterit, quæ proponuntur, non esse ex Deo sed a Diabolo, mox à talibus spiritibus aures auertet vir pius, vt iubet Christus, & Apostoli: nec sinet se abduci à veritate. *Cauete à Pseudoprophetis: & hæreticum hominem deuita: &, si quis non affert hanc doctrinam, ne dicatis ei aue, &c.*

Nec difficile est respondere ad id, quod excipis, de varia sacrarum literarum interpretatione. Primum loca S. literarum, vnde dogmata Christianæ religionis sumuntur, vsque adeò perspicua sunt & aperta, vt accuratiori luculentiorique explicatione opus non habeant. Deinde nihil est tam obscurum vno in loco, quin alibi sit explicatissimũ, vt versato in sacris literis, difficile non sit locorum obscuriorum enodationem, ex locis clarioribus petere. Adde regulam Patrum. *Omnium sacrarum literarum testimonia, quæ aliquo modo cum doctrina recepta pugnare videntur, esse ad Apostolicum Symbolum examinanda, & quicquid cum hoc nõ consentit, esse vt adulterinum reijciendum.* Cum quo Symbolo, si coniũgas, tanquam illius illustriorem explicationẽ, totius veteris Ecclesiæ consensum, in subsequentibus Oecumenicorum conciliorum Symbolis explicatum: nihil certius ad dogmata fidei Christianæ diiudicanda, inueniri potest. Quis autem Christiani hominis dignus est nomine, qui Apostolici Symboli doctrinam in aliis Symbolis illustratam, non apprimè teneat? Annon vero in Symbolo simpliciter, vt debet, intellecto, perspicuum est (vt ad tua respondeam frater exempla) Jesum Christum, vnigenitum esse Dei patris filium, eóque Deum verum, de Deo vero? Eundem corpore suo in cœlum ascendisse, ibi sedere ad dextram patris, iterum ad nos descensurum, eodem corpore, licèt glorificato, humano tamen & finito? eóque Christum neque pluribus vno constare corporibus neque eiusdem corporis substantia vbique esse? si quis hæc teneat fundamenta, & ad hæc omnes scripturas, quæ de articulis fidei sunt, examinet: an non manifestè videbit, qui, aut è quibusnam locis scripturarum colligere conantur, Christum purum esse hominem, non è substantia matris in tẽpore genitũ esse, aut qui ita verba Cœnæ Dominicæ interpretantur, vt Christo plura affingant corpora, vnum è Maria virgine olim sumtum, alterum, maiestaticum, vnæ personæ filii ὑποστατικῶς vnitum, alterum sacramentaliter tantum copulatum: aut qui denique vnum, & idem corpus verè humanum, vbiquè terrarum collocant præsens, non minùs quàm in cœlo: omnes istos violenter & impiè torquere S. literas? Quid de iustificatione per opera dicam, cùm contrarium fateamur nos credere, in Symbolo? Quicquid enim in Symbolo profitemur, illud, aut sola fide nos credere & intelligere, aut per solam fiduciam in Deum Patrem, in filium redemtorem, & in spiritum sanctificantem nos, sanctósque omnes, adeoque totam Ecclesiam, partim consecutos esse, partim quotidiè consequi, partim consecuturos esse, palam prædicamus. Si quis igitur bene teneat regulam fidei, symbolo comprehẽsam: ad eamque scripturas examinet, is facilè videbit, an quæ citantur à spiritibus, sint ex spiritu Dei citata & explicata, an verò spiritu humano vel diabolico. Ita manet firmum fundamẽtum nimirum S. literas veram esse regulam, qua discerni possint spiritus a spiritibus: eáque vti posse fideles, si velint verè fideles esse, suumque facere officium: alioqui cur Prophetæ & Apostoli, cognoscendæ veritatis, discernendique spiritus bonos a malis, causa, fideles singulos ad legem ablegant, & ad S. literarum testimonium extimulant, affirmantque S. literas posse reddere hominem sapientem ad salutem, omnemque scripturam diuinitus inspiratam, vtilem esse ad docendum, ad conuincendum, ad corrigendum, ad instituendum in iustitia, & ad omne opus bonum perfectè instruendum. cæterum excusatio nulla afferri potest, si vnusquisque summam saltem doctrinæ cœlestis non teneat, citra cuius cognitionem, quomodo quis verè appellari possit Christianus, non video. Hanc autem si non ad reuincendum, certè ad probandum spiritus, homini Christiano, spirituque Christi prædito (*Qui enim non habet spiritum Christi, hic non est illius*) sufficere: supra satis abunde demonstratum a nobis fuisse confido. Ad summam verò, illud persuasum habeas: vt ad discernendos colores prorsus necessaria est facultas videndi in oculo, & lux media: ita sine vi Spiritus Sancti, in animis fidelium, & sine luce verbi Dei, aut in sacris literis explicari, aut certis capitibus, quæ Catechismum vocamus, summatim comprehensi: fieri nullo modo posse, vt spiritus à spiritibus discernantur, vtroque autem simul coniuncto facilè à quouis pio, si volet, fieri posse. Si regula hæc, quam è sacris literis, vt potes videre, accepi, tibi non vsque adeo probatur, fateor & doleo, me multa scribendo, tibi nihil scripsisse. Si vero non minus tibi, quàm mihi placeat, vt tibi gratulor, quod exemtus sit ex animo tuo scrupulus: sic mihi, quòd non luserim operam, vehementer gaudeo. Vterque autem nostrum gratiam habere debemus spiritui Patris & Filij: à quo vnctionem habemus: quæque ad salutem necessaria sunt, edocti sumus omnia. Vale, mi frater: tarditatemque meam, simul, & prolixitatem, boni consulito.

H. Zanchij ad argumenta quædam philosophica cuiusdam semi-Ariani RESPONSIO.

QVæ mihi, Frater obseruande, N. contra veram trium in vna essentia ὑποστάσεων distinctionem argumenta, ex philosophicis principiis, sed in Theologiam iniquissimè detortis, desumta, nomine illustrissimi & piissimi Principis nostri refutanda exhibuisti, ad ea sic breuiter respondendum esse censeo.

In præfatione, principiò satis apertè ostendit, se hæc argumenta non attulisse in medium disputãdi gratia, vt Thomas, quem vt summũ non tam philosophum quàm Theologum extollit N. afferre solet, sed quòd ex animo ita sentiat, sicut etiam argumentis illis, simplicioribus quoque hominibus persuadere conatus est: nempe doctrinam, quam iam inde ab Apostolorum tẽporibus, tota Catholica Christi Ecclesia, è scripturis hausit, credidit, docuit, de tribus distinctis in vna diuina essentia personis, deque ea quæ inde sequitur Filij Dei incarnatione, humanum, immo satanicum esse, impiumq; commentum. Sic enim dogma hoc Apostolicum, appellat homo blasphemus. Iniuriam verò insignem facit Aquinati, quum eum non alia adductum ratione asserit, vt positis suis philosophicis & validissimis, nullamque ἔνστασιν (vt is ait) ferentibus argumentis, sententiam in Ecclesia receptam sequeretur, quam quod multis seculis fuerit recepta, & Ecclesię Romanę consensu cõfirmata: & quod ei non fuerit integrum liberè è scripturis probare spiritus, vtrum ex Deo essent, nec ne. Quasi verò Thomas contra conscientiã, propter humanũ timorem, de Trinitate scripserit: & cõtra Dei verbũ propter humanas, vt N. facit, rationes, serió disputarit. Apertè enim Thomas initio quarti libri cõtra gentiles, quẽ librũ citat & celebrat iste, docet doctrinam

ctrinam hanc de Trinitate, aliunde petendam non esse, quam ex reuelato Dei verbo: & rationem affert, propterea quòd omnem humanum excedit captum. Atque alterum eius 4. libri caput sic ordiitur: *Principium autem considerationis, inquit, à secreto diuinæ generationis sumentes quid de ea secundum sacræ scripturæ documenta teneri debeat præmittamus: Dehinc verò, quæ contra veritatem fidei infidelitas adinuenit, argumenta ponemus: quorum solutione subiecta huius considerationis propositum consequemur.* Hæc ille. Ac mox permultis scripturarum testimoniis, quod suscepit de hac doctrina explicandum, confirmat. Et cap. 10. antequam afferat argumenta in contrariam sententiam, apertè scribit, humanam rationem ex creaturarum proprietatibus procedentem, multipliciter in hoc secreto diuinæ generationis pati difficultatem, & totum hoc mysterium Trinitatis, à natura creaturarum esse valde remotum. Argumenta igitur, quæ in contrariam attulit sententiam, pro suo more, Thomas, non ea attulit vt Theologus, sed vt Philosophus: neque quòd ita sentiret, sed vt quid possit humanum ingenium, ex naturali Philosophia, contra hanc orthodoxam sententiam, à scripturis desumtam, argumentari, ostenderet. Quæ argumenta cùm etiam dissoluat, luculenter demonstrauit, ea non esse ita valida & ita inuicta, & nullam ἰσχὺν ferentia, vt iis generatio illa & processio in diuinis, quam tradit scriptura sancta, & quam Ecclesia Christi credit & confitetur, euinci possit. Non erat igitur, cur N. Aquinatis ingenium & eruditionem idcirco laudaret, vt eius auctoritate, ad oppugnandum totius Ecclesiæ rectam de Trinitate sententiam, contrariámque simplicioribus persuadendum abuteretur. Ac fallitur cùm simpliciter ait, & hoc etiam Thomæ adscribit, nempe, non posse sine absurditatibus dari in diuina & simplicissima essentia triadem. Non enim simpliciter & eodem respectu docemus è sacris literis, essentiam diuinam, quam scripturæ *Iehouam* vocãt, esse vnum & plura: est enim simpliciter ἀδύνατον, vt quod vnum est essentia, idem plura sit etiam essentia: non minus quàm ἀδύνατα est, vt quæ multa sunt numero, eadem vnũ sint numero. Sed cùm dicamus Deum vnum esse & plura diuersis respectibus, vnum scilicet essentia, plura personis, seu viuentibus & intelligentibus ὑποστάσεσι: quid absurdi docemus? Quod si hoc etiam absurdum esse contendat N. triadem scilicet ὑποστάσεων dari in vna simplici essentia: respondemus hoc quidem ita videri, & esse apud homines animales, & qui spiritu Dei destituti, omnia humanæ mẽtis captu atque intelligentia consequi volunt: Animalis enim homo non percipit nec potest percipere ea, quæ Dei sunt, quia spiritualiter diiudicantur. Verùm apud eos, qui ex Dei verbo penitus pendent, & qui eiusdem spiritus afflatu, à quo etiam verbum Dei prolatum est, scripturas interpretantur, resque diuinas non carnaliter considerant, sed spiritualiter diiudicant: nullam veram ex hac doctrina, de vera trium ὑποστάσεων distinctione in vna & eadem simplicissima essentia, absurditatem consequi posse contendimus. Quid enim absurdi esse potest in verbo Dei, hoc est, in ipsa æterna veritate? Est autem æterna veritas, vnum tantum esse Iehouam, æternam & simplicissimam essentiam: & hunc vnum & eundem Iehouam, esse plures Elohim, vt apud Mosen & Prophetas liquet: quos Elohim & numero tres esse, & distinctis nominibus appellari *Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum*, disertè Christus docuit: in quorum etiam trium, tanquam in vnius Iehouæ nomẽ, ex Christi mandato, baptizati sumus. Quid? quod ex principiis quoque veræ ac diuinæ philosophiæ euincitur, quod proponitur à verbo Dei, id minimè absurdum esse? Est enim hoc nemini ignotum principium, Deum esse omnipotentem, eumque perfectissimum: ita vt Deus quicquid est, id perfectissimè sit: & quicquid potest, id perfectissimè possit. Hinc sequitur, quicquid in nobis est, illud esse in Deo sine vlla imperfectione: & quicquid possumus nos, multo magis posse Deum, & perfectissimo quidem modo posse & esse. Quicquid enim excogitari potest boni, id in Deo statuendum est: & quicquid imperfectionis est, illud est à Deo remouendum. Vnde etiam fit, vt quæ in nobis sunt multa, in Deo sint vnum, non secundum aliquam cõpositionem, sed secundum simplicis essentiæ vnitatem. Sumus autem nos à Deo donati facultate gignendi è nostra substantia liberos, id quod certè magnum esse beneficium ac singulare bonum, nemo est qui nesciat: Quidni igitur in Deo eandem, sed infinitis modis perfectiorem gignendi facultatem statuamus? Gignere enim filium, propriæ substantiæ communicatione, per omnia sibi æqualem, perfectionis est. Tolle autem quicquid imperfectionis in nostra generatione reperitur, & tantum quod perfectionis est, Deo adscribe, tum luce clarius perspicies, dici aliter nõ posse, quàm Deum, quem Patrem Christi appellamus, filiũ sibi ab æterno totius suæ essentiæ communicatione, ac proinde sibi per omnia æqualem, naturaliter genuisse. Atque ita per omnia æqualem, vt non solùm perinde Deus sit, atque Pater, verùm etiam vnus & idem sit cum Patre Deus. Quòd enim nos communicatione, non totius, sed partis, nostræ substantiæ generamus filios, imperfectionis est. Lõgè enim perfectius est sese totum quàm partim communicare. Si igitur generatio, quæ Deo tribuitur, perfectissima est, filium ex eo genitum esse, eiusdem totiusque Patris essentiæ participatione, necesse est. Quod etiam, quam filiis communicamus substantiam, nos non illam nobis retineamus, summam arguit imperfectionem & impotentiam. Hoc enim ideo fit, quia non possumus, quod liberis gignendis communicamus, idem planè numero, sed tãtùm specie retinere. Deus igitur Pater, quam Filio communicauit essentiam, eandem sibi & totam omnino retinuit: Ac proinde Filius non solùm perinde Deus est, atque Pater: sicut & liberi nostri non minus homines sunt, quàm nos sumus, propter eandem naturæ speciem, verùm etiam vnus atque idem numero Deus cum Patre sit, necesse est, propter eandem, non tam (vt ita loquar) specie, quàm numero Deitatem, seu essentiam diuinam, in Filio, & Patre, existentem. Adde, quod filij nostri, alij sint à nobis homines, & à nobis non tam distincti quàm diuisi, imperfectionis est. Hoc enim contingit propter materiam, qua fit, vt aliud esse habeat humanitas seu humana natura, in parente, & aliud in vno filio, aliud in altero: & ideo etiam quia finiti sumus. Deus autem immensus est, & sine vlla materia, eiusque essentia & esse non differunt. Per se enim subsistit essentia diuina. Etsi igitur distinctus est Pater à Filio, quia alius sit necesse est, qui gignit, & alius qui gignitur, diuisus tamen non est: neque enim aliud esse habet essentia diuina in Filio quàm in Patre. Sed sicut vna est & eadem vtriusque essentia, sic etiam vnum in vtroque habet esse: eóque fit, vt verè sint ambo vnus numero Deus, relationibus duntaxat & proprietatibus personalibus inter se distincti. Et quod nos parentes generemus in tempore, ac proinde quod semper gignens sit prior genito, apertum est imperfectionis & impotentiæ gignentis testimonium. Tolle autem hanc etiam à Deo Patre impotentiam & imperfectionem, consequetur Filium ab omni æternitate genitum esse. Non enim vt voluntate creauit mundum Pater, quando placuit, sic etiam genuit Filium: sed Filium genuit natura. Quæ autem in Deo ipso sunt, naturalia & æterna sunt. Æternus igitur Dei Filius, & Patri sicut ὁμοούσιος, sic συναΐδιος. Quòd etiam apud nos nulla sit liberorũ procreatio, sine corruptione, quis nesciat ex summa imperfectione atque imbecillitate naturæ proficisci? Proinde iure totum hoc tollitur à Deo, & statuitur Filium è Patris genitum esse substantia, modo diuino, inenarrabili, atque incomprehensibili, sine vlla sui imminutione, alteratione, motu, denique nulla ratione huius seculi: sed modo omniũ perfectissimo & soli Deo proprio. Ad extremum quod nostri liberi, cùm generantur, minores sint parentibus, hoc ideo fit, quia animalis generatio de potentia ad actum (vt loquuntur) procedit, & paulatim ab imperfectione ad perfectionem. Hæc cùm in Deum non cadat, efficitur λόγον Dei Filium, nunquam fuisse Patre minorem, sed ei semper æqualem. Hæc omnia plana sunt atque perspicua, iacto illo fundamento, quod antea explicaui: & quod omnibus notum est: Deum esse omnipotentem & perfectissimum. Quid igitur in iis omnibus est absurdi, quod non veri etiã philosophi, ex principio antea explicato, optimè consequi fateantur? Scio tamen quid aduersus hæc excipi possit: & noui, nisi scripturas haberemus, quæ de hisce rebus nos abundè docent, iis rationibus demonstrari tantum mysteriũ minimè posse. Verùm mihi satis in præsentia fuit, liquidò ostendisse, si quis principia veræ philosophiæ, de Dei perfectione & omnipotentia probè teneat, hunc longè secus de hac doctrina iudicaturum, quam N. iudicarit. & Thomã iudicasse, non sine magna illius docti viri iniuria scribit & asserit. Quod verò dixi de æterna Filij generatione, idem facile est concludere, iisdem principiis de Spiritus S. processione. Quid? quod in rebus quoque creatis talia habemus exempla, quibus luce clarius apparet, nihil absurdi esse, si quis dicat plures res substantiales, vnam tantùm esse substantiam atque essentiam? Tres esse substantiales animæ facultates, vim scilicet intelligentem, sentientem & vegetantem, & tamen vnam tantùm esse animam, eóque vnam substantiam, docent etiam philosophi. Esse enim has facultates, non accidentia, sed essentiales animæ partes: quia

res sunt spirituales. Quantò minus igitur absurdum est, quod tradunt sacræ literæ, Deum, quo nihil spiritualius, vnam tantum esse essentiam, quamuis in ea tres sint veræ ὑποστάσεις, ceu tres essentiales totius diuinæ essentiæ partes? Neque hoc solum in substantia spirituali, vt est anima, apparet: verum etiam idem cernimus in rebus corporeis. Annon eadem lux in sole est, & in radiis Solis? Eadem omnino. Quæ causa est, cur etiam radij Sol appellentur, & nō plures tamen soles, sed vnus duntaxat & sit & dicatur Sol. Quid igitur absurdi in hac est doctrina, qua dicimus, vnam, & eandem esse trium ὑποστάσεων essentiam, & omnes vna, & eadem subsistere essentia, vt propterea etiam vnus sit duntaxat numero Deus? Sed an non physicè forma & materia in vno & eodem sunt subiecto, eóque subsistunt, & ita tamen inter se sunt distinctæ, vt neque materia sit forma, neque forma materia? Norunt hæc etiam pueri, qui prima philosophiæ elementa tantum degustarunt: Ac proinde nunquam dicent, quod iis duobus constat principiis essentialibus duo esse corpora, aut duo animalia, duósve homines, sed vnum tantùm corpus, vnum animal, vnum hominem, cùm tamen duo sint distincta inter se principia, & duæ partes totius compositi essentiales, quæ non in se, sed in solo subsistunt composito. Quæ igitur nostra est impia temeritas & audacia, vt simpliciter dicere nos non pudeat, in vna diuina essentia, sine absurditatibus dari non posse triadem personarum vna & eadem essentia subsistentium? Atque vt aliquid speciatim de generatione τοῦ υἱοῦ, Filij Dei, ex Dei patris substantia, dicam (hac enim explicata & confirmata, facilè euincitur, absurdum non esse, quod dicimus, in vna & eadem essentia plures subsistere personas) redeo ad simile animæ nostræ, qua ad imaginem Dei facti sumus.

Intellectus noster, sicut cùm res extra se intelligit, species & similitudines rerum extra se existentium, in seipso concipit & generat, atque ita species illas intuendo, res ipsas intelligere, ac proinde eas in se habere dicitur: ita, quū seipsum contemplatur, & intelligit, sui imaginem gignit, de omnium philosophorum sententia, quæ tamen imago, quàm diuersa & distincta res sit ab intellectu, qui eam cōcipit, & cuius est imago, nemo est qui nesciat. Neq; tamen ita diuersa est ab intellectu, quin quodam modo idem sit cum intellectu, quatenus scilicet non solùm ab intellectu concepta est, verum etiam in intellectu concepta, & in intellectu concepta perpetuò manens & ab eo inseparabilis est. Quis autem inficietur, quin Deus, qui simplicissima est mens, ab æterno seipsum semper cognouit, intellexerit, viderit: sempérque videat? Sui igitur imaginem, eámq; perfectissimam, per omnia similem, in seipso concepit ac genuit, ac proinde distincta etiam sit imago ab eo, cuius est imago, necesse est: quia alius est, qui gignit, non seipsum: sed sui imaginem: alius qui gignitur, imago scilicet gignētis. Verum hic notanda est differentia, quod intellectus imago in nostro intellectu existens, sicut ea non est verè ipse intellectus, intelligens, sic neque est ipsa intellectus substantia quæ intelligitur: sed eius imago, eóque accidens. At verò in Deo talis imago, etsi distinguitur ab eo cuius est imago, accidens tamen non est, nec esse potest (in Deū enim cadere non potest accidens) sed substantia est, eáque gignenti coæterna. Proinde meritò scripturæ illum vocarunt *Patrem*, & hunc *Filium*: Et Platonici quidem illum *Mentem gignentem*, hunc autem *mentem genitam*. Neque tamen duæ sunt subsistentes essentiæ, sed vna duntaxat: quia imago hæc substantialis non est extra essentiam eius, cuius est imago: Est enim Filius in Patre, sua accepta à Patre essentia, sicut etiam Pater est in Filio, sua eadem Filio communicata essentia. Hinc etiam sequitur, vnum tantùm esse genitum è Patris substantia Filium, nec plures esse posse filios: vnica enim cognitione seipsum semper cognoscit Deus, eóque vnam tantùm genuit, & generare potuit substantialem sui imaginem. Neque hoc impotentiam arguit in Patre, sed summam potentiam & perfectionem. Perfectionis enim vnica & æterna cognitione se totum cognoscere: imperfectionis autem & impotentiæ, hoc non posse: sed alternatis vicibus cogi se intueri atque cognoscere, sicut nobis contingit. Neque etiam hinc sequitur, si Deus se intuendo, & intelligendo sui imaginem genuit substantialem, eóque Filium & Deum, Filium etiam se cognoscēdo aliam gignere imaginem, nempe sui, eámque substantialem, ac proinde alium filium. Non, inquam, hoc ex illo simili, & ex ea ratione sequitur, propterea quod in vno Deo, vnus tantum est intellectus, vnum intelligere, seu vna intelligendi actio, eóque & vna tantum rei cognitæ similitudo atque imago. Est autem Filius vnus & idem cum Patre Deus, quia vna vtriusque essentia & Deitas: Quæ cùm sit omnino sine materia, diuidi in plures numero non potest. Omnis enim natura, quæ vna est specie, si in plura numero diuidatur: hoc non fit, vt tunc sit aliud natura seu essentia, & aliud esse, quod in Deum non cadit, in quo propter simplicitatem idem sunt essentia & esse: quia talis essentia per se subsistit. Quare cùm Filius sit vnus cum Patre Deus, licèt seipsum intelligat, nouam tamen nō gignit sui imaginem, cum, eadem planè cognitione, seipsum Filius, qua etiam Pater cognoscat. Neque verò hæc quæ dixi de intellectu & actione intellectus, qua intelligendo seipsum; sui in seipso gignit imaginem, ideo dixi, vt contendam talem omnino esse modum generationis diuinæ: minimè verò. Dico enim generationis illius rationem imperscrutabilem & incomprehensibilem esse: sed ideo tantùm in medium affero, vt ab iis quæ fiunt in nostro intellectu, ostendam non esse, absurditatibus plenum, quod è scriptura tradit Ecclesia Christi: in vna scilicet & eadem essentia plures esse personas, quarum singulæ ita Deus sunt, vt tamen non multi sint Dij, sed vnus tantum essentia & numero Deus. Ac profectò, si diligentius legisset N. quem tantoperè laudat Thomam, intellexisset rem longè aliter se habere, quàm vel ipse scribat, vel illi per iniuriam attribuat.

VENIO NVNC AD ARGVMENTA N.

AC primùm in genere ad omnia eius hæreticorúmque omnium sophismata, ab humanis physicisque principiis, quæ ad res diuinas accommodari non possunt, deducta, respondeo: *Fidem nostram humanis rationibus sine verbo Dei, minimè niti, sed solo Dei verbo, etsi cum illo pugnent omnes humanæ rationes.* Fides enim non est ex simplici auditu, qui est per verbum Christi, ait Apostolus. Ergo, etiamsi & plura & firmiora afferret argumenta contra nostram fidem, nihil tamen concluseret. Atque hæc responsio satis esse debet pio cuique viro, aduersus talia argumenta. Placet tamen singulas quasque eius rationes examinare: & quàm infirmæ sint, philosophicè etiam loquendo, demonstrare.

ARGVMENTVM PRIMVM: *Tota sacra scriptura nobis proponit*, &c.

R. Primam propositionem, nempe *Deum esse vnum & simplicissimum*, adeò vt eius esse & essentia idem sint, totam confitemur. Altera, *Deus habet vnam essentiam, & vnam naturam diuinam*: si propriè loquatur, vera non est, & pugnat cum priore: Semper enim qui habet, differt a re quam habet, & idcirco propriè non competit hæc loquendi forma, nisi in res compositas. Deus autem est sua ipsius essentia, & sua natura, ideo simplicissimus est. Impropriè igitur admodum loquitur N. cùm ait, *Deum habere essentiam*: sed condonetur, modò dextrè intelligatur. Membrum quod subnectit dicens: *Deus est vnum* τὸ ὄν τι: verum est, si essentiam spectes, sed si spectemus singulas personas, quæ sunt ceu partes essentiales totius essentiæ, tria sunt τὸ ὄν τι. Pater autem est substantia per se subsistens: Filius item substantia per se subsistens, atque idem Spiritus Sanctus. Sunt igitur tria τὸ ὄν τι: & tamen quia omnes sunt vna & eadem essentia, sunt etiam essentiæ vnius respectu, vnum tantum τὸ ὄν τι. Proinde etiam dicimus, *Pater est Deus, Filius Deus, Spiritus Sanctus Deus*: & tamen vnius essentiæ respectu omnes vnum tantum sunt Deus. Annon singulæ facultates animæ essentiales sunt τὸ ὄν τι, atque ita tria τὸ ὄν τι. Quid enim est facultas intelligens, nisi anima intelligens? & ita de reliquis. Respectu tamen totius animæ, quæ reuera vna est, & indiuisibilis (quanquam τῷ λόγῳ in facultates suas diuidua est) respectu, inquam, totius animæ, omnes eius facultates sunt vnum τὸ ὄν τι. Quid? annon etiam anima humana in corpore est vnum τὸ ὄν τι, cùm sit substantia per se subsistens, & corpus alterum τὸ ὄν τι, cum & ipsum sit substantia. Respectu tamen totius compositi, quod hominem appellamus vnum tantum sunt τὸ ὄν τι. Hic igitur incipit a N. fieri fucus simplicioribus, quibus etiam facile imponetur, nisi teneant, quam attuli, distinctionem & explicationem. Cum igitur, tanquam conclusionem inferens, subdit: HVMANA RATIO NON POTEST, &c. facile apparet fallacia. Hypostases enim seu supposita, realiter inter se distincta, (vt Scholastici loquuntur) non secus accipit ac considerat N. in Deo, quam etiam in humanis accipiuntur, nempe pro substantiis, non tantum numero inter se differentibus,

rentibus, sed etiam à se inuicem disiunctis, vti sunt, Petrus, Iohannes: quia finiti sunt: Certè si quis ita accipiar ὑπόστασιν, seu suppositum, verum est quod dicit, humanam rationem non posse affirmare: immo aio, simpliciter fieri non posse, vt duo talia supposita ita realiter inter se distincta, ac proinde & à se inuicem diuisa, sint vnius & simplicissimæ essentiæ, eoque vnum numero singulare: Contradictionem enim implicat, quæ secundum substantiam duo sunt, eadem secundum substantiam vnum esse. Sic autem ὑπόστασιν realiter ab alia hypostasi distinctam, definiri a N. declarant eius verba, cum ait VNVM QVODQVE SINGVLARE SVAM HABERE ESSENTIAM (*nempe ab alterius essentia distinctam & differentem* alioqui non fore realem distinctionem. At verò nos cùm Ecclesia non sic diffinimus ὑπόστασιν, seu personam realiter ab alia distinctam. Nos enim illam ὑπόστασιν realiter ab alia hypostasi differre docemus, quæ neque alteri insit, neque de altera prædicari possit: & nihil præterea addimus. Hæc enim duo ad veram realemque distinctionem, vt sunt necessaria, sic etiam sufficiunt. Sint igitur etiam ... sint diuisæ inter se, vti sunt homines, siue non sint, vti essentiales animæ facultates ac partes, & vti etiam sunt in Deo: nihil refert ad hoc, vt verè & realiter sint distinctæ ὑποστάσεις. Ergo cùm hæc ita se habeant, liquido apparet in hoc primo argumento, illum vel turpiter errasse, vel malitiosè voluisse rudioribus imponere: quum talem suppositi realiter ab altero differentis definitionem attulit, quæ non omni diffinito conueniat. Est enim duplex personarum distinctio: vna non hypostatica tantùm, sed etiam essentialis: ea est, quum personæ ita inter se sunt diuisæ, quemadmodum distincti sunt multi homines: Altera ὑποστατικὴ duntaxat est: quum sc. personæ quidem sunt distinctæ ... & realiter, ita vt vna non insit alteri, neque prædicetur de altera: quanquam ... minimè sunt inter se diuisæ: & tales esse dicimus ipsas diuinas personas.

Quæ vero subdit, dicens: GENERATIO OMNIS IN HOC MVNDO EST, CVI OPPONITVR CORRVPTIO, &c. Aliud est argumentum, quanquam hoc cum priore confundat. Est autem ad hoc facilis responsio. Principio falsum est, quòd assumit, dicens: *Generatio omnis in hoc mundo est*, &c. Est enim hoc verum in generatione rerum materialium, corruptioni obnoxiarum, vt in generatione animalium: qua de re Aristot. fusè disputauit, & conclusit, *generationem vnius esse corruptionem alterius*. At in generatione rerum spiritualium falsum est. Annon Sol gignit radium sine vlla corruptione? An non intellectus humanus, cùm intelligit, vel alias res, vel seipsum, gignit in seipso speciem intelligibilem, seu rei quam intelligit similitudinem, quam verbum mentis vocant: annon, inquam, hanc gignit intellectus agens, sine vlla mutatione ac corruptione? Si qua autem generatio apud nos est, cui assimilari possit generatio Filij Dei ex Patre: est hæc verbi, ex intellectu, seipsum intelligente generatio; vt scitissimè etiam docuit Aquinas. Deinde addo: Etiamsi hoc quod N. assumit, verum esset in omni generatione, quæ fit in Mundo: tamen consequentia non valeret; aut igitur talem esse in DEO generationem, aut nullam esse: quasi verò DEVS non potuerit Filium alia ratione generare, quàm ea, qua animalia generant animalia. Certum etiam est, quod subdit: OMNEM GENERATIONEM ESSE MVTATIONEM, ET MOTVM EAM PRÆCIDERE: non esse verum, nisi in earum rerum generatione, quæ motui sunt obnoxiæ, & quæ à potentia ad actum transeunt. Hinc facilè ad secundum ipsius argumentum respondetur.

ARGVMENTVM II. *Si generatio mutatio est*, &c.

R. Non omnis generatio mutatio est, neque omne quod generatur, mutabile est: Ac proinde neq; omne quod generatur, exit de potentia ad actum. Sed tantum hæc vera sunt in generatione rerum creatarum, mutationi obnoxiarum. Filius autem Dei, ex Patre natus, non est, nisi sicut nascitur ex actu actus: splendor ex luce: vnde & meritò vocatur splendor gloriæ. Et sicut oritur ratio intellecta seu verbum mentis ex intellectu, in actu existente & intelligente: vnde & λόγος appellatur. Atque inde etiam efficitur λόγον hunc esse æternum, quia intellectus in actu, nunquam est sine Verbo. Deus autem Pater actus est purus & æternus, & ideò nunquam fuit sine λόγῳ. Quo fit vt etiam naturalis sit hæc generatio, naturalis, inquam, h. e. iuxta naturam Dei. An non etiam generatio splendoris ex luce est naturalis; & verbi, ex intellectu in actu, productio naturalis? Proinde non sequitur, quod ait, generationem Filij Dei nunquam esse perfectam, si semper generetur An non perfecta est emanatio radij ex Sole, tametsi semper emanet?

ARGVMENTVM III. *Geniti proprium est, vt à*, &c.

R. Syllogismum totum admitto. Ad prosyllogismum, quem variis & multis inanibus verbis amplificat, breuem affero responsionem. Pater generando Filium, totam suam & eandem prorsus illi communicauit naturam, & totam etiam sibi eandemque prorsus retinuit. Atque inde fit, vt Filius non solum Deus sit, non minus quam Pater: verum vnus & idem sit numero cum Patre Deus: quia vna & eadem numero est vtriusque natura, essentia, Deitas. Quòd si hoc videatur N. παράδοξον, intueatur in Solem ipsum. Annon Sol totam suam lucem communicat radiis, & eandem numero totam sibi retinet? Sed penetret etiam in animam suam. Annon eadem animæ essentia, tota cōmunicatur facultati intelligenti, & eadē ac tota facultati sentienti, & eadē ac tota facultati vegetāti? Vna enim duntaxat est anima: & facultas intelligens nil aliud est, quam eadem anima intelligens: & facultas sentiens, quam eadem anima sentiens, quo etiam fit, vt non solùm singulæ facultates sint anima, sed etiam vt omnes simul vna & eadem sint anima. Sed in ipsum etiam ingrediamur intellectum, & ibi idem perspiciemus. Nolo autem aliis vti verbis, quàm ipsius Aquinatis, qui cum sibi hoc idem obiecisset argumentum, quod N. contra veritatem euomit, ita illud diluit: *Et quia Filij Dei generatio*, inquit, *non est materialis, sed in intellectu intelligibilis: stultè* (nota, *stultè*) *iam dubitatur si Pater totam naturam dedit, aut partem. Manifestum est enim, quòd si Deus intelligit, oportet quod tota plenitudo ipsius contineatur in verbo: Nec tamen substantia Filio data desinit esse in Patre; quia neque etiam apud nos desinit esse propria natura in se, qua intelligitur ex hoc, quod verbum nostri intellectus, ex ipsa re intellecta habet, vt intelligibiliter eandem numero naturam contineat.* Ita dissipantur omnes ampullæ huius Ariani.

Est, inquit, *illa generatio vera & realis*. Verum est. *Ergò generatio vniuoca cum natura, qua homo generat*, &c. Non sequitur. Est enim generatio vera & realis illa iuxta naturam creatoris. Est hæc natura realis & naturalis, iuxta naturam creaturam rerum. *Non sunt autem* (inquit Dominus) *viæ meæ, sicut viæ vestræ*. Quare imperitè quis arguat: Ergo ille similem specie sibi produxit, sicut & nos. Eandem enim numero naturam & Deitatem communicauit: non autem eandem specie, & numero aliam. *At si totam*, inquit, *& eandem accipit Filius, Pater desinit esse Pater: & Pater per generationem corrumpitur, vel potius corruptus est.* Quid (malum) garris in Deum Opt. Max. Quasi verò Deus non possit totam suam communicare in seipso essentiam alteri, & eam sibi totam retinere, cum idem in multis rebus creatis, sicut antè demonstratum est, fieri videamus. Quod refutat generationem factam esse per exuberantiam, meritò refutat. Sed quòd concludit, Filium igitur naturam a Patre accepisse, non eandem numero sed alterius generis; quæ discreper à natura Patris; & vult, si est generatio, talem esse eam qualis est, quum ex putrefactione animalia enascantur; quod cum in Deum cadere nequeat, contendit, ex Patris substantia nullum esse natum filium: prodit suam simul impietatem & ignorantiam. Vt vno verbo ad tot & tātas ambages sophisticas respondeam; Generatio illa in Deo, neque vniuoca est, neque purè æquiuoca, neque metaphorica, neque per exuberantiam, sed analogica Quæ enim de Deo & creaturis dicuntur, omnia analogicè dicuntur. Nihil ergò conclusit N.

ARGVMENTVM IV. *Filium accipere naturam suam*, &c.

Summa argumenti hæc est; Si Filius recipit naturam à Patre, in Filio oportet esse aliud eum qui recipit, & aliud naturam receptam: nihil enim recipere seipsum potest. Atqui hoc non potest in Filium Dei cadere. Si n. ipse recipiens esset aliud à natura recepta, Filius non esset natura & essētia, ac proinde non esset Deus, cùm proprium Dei sit, vt sibi idem sint esse & essentia. Est autem (per vos) Filius Dei Deus: non igitur naturam & essentiam accepit à Patre. Quare non est è substantia Patris genitus. Quod si verum est, contradictoria docetis: Filium scilicet & Deum esse, & non esse Deum.

R. Ad Maiorem. Ea propositio vera est in rebus compositis, præsertim in rebus materialibus: Ac proinde quæ non sunt ὅλον ὅλως ab eo à quo oriuntur, & à quo habent quod habent. Ibi enim, propter materiam aliud est recipiens subiectum, & aliud forma, siue accidentalis siue substantialis recepta. Exemplum in formis substantialibus. Lignum, quum ex ligno fit ignis, ab igne deposita forma ligni, recipit formam ignis: materiam autem non accipit ab igne: idcirco non est ὅλως ab igne. Quare aliud in eo est recipiens materia, & aliud recepta forma. In rebus autem simplicibus & spiritualibus, quæ, vt subsistant, non opus habent materia, non ita planè se res habet: multò verò minus in iis, vbi neque esse differt ab essentia, sicut in Deo. Exemplum crassum adfero. Radius solis lucem habet à Sole: nunquid igitur aliud est radius recipiens, & aliud lux recepta? Minimè verò. Radius enim nihil aliud est quàm lux è sole emicans, & lucis solaris splendor. Est tamen in radio quodammodo aliud recipiens, & aliud res recepta: quatenus aliud ibi est esse, & aliud essentia: & aliud substratum quasi subiectum, quod habet lucem, & aliud lux ipsa recepta. Sed in Deo, vbi propter summam perfectionem, & perfectissimam simplicitatem, aliud non est esse ab essentia, nequaquam vera esse potest propositio. Proinde Filius Dei, quum dicitur essentiam suam accepisse à Patre: primò, minimè intelligendus est, aliud quiddam præextitisse ab essentia diuersum, quòd essentiam reciperet (vt fortè crassi homines putant) non, inquam, ita putandus est, cùm ipse realiter nil aliud sit, quam essentia ipsa, atque eadem quidem, quæ est & Patris: sed cum proprio subsistendi modo, qui est per generationem. Deinde etiam non est nobis fingendum in Filio Dei, subiectum recipiens, & essentia recepta, quoniam (vt dixi) in Deo, propter summam perfectionem, idem sunt esse & essentia. Essentia enim diuina per se subsistit: id quod in formis creatis minimè reperitur. Nullæ enim per se subsistunt: sed tantum in subiectis subsistunt, propter imperfectionem formarum. Nam albedo tantum in subiecto albo reperitur subsistere: & humanitas tantum in homine. Proinde, quia humanitas in homine non est idem quod homo: ideo fit, vt in homine, aliud sit recipiens homo, & aliud humanitas recepta. Verũ, quia in Deo, idem est Deus quod diuina essentia: idcirco ibi non est aliud recipiens, & aliud res recepta. Debuisset igitur N. qui Philosophiam profitetur, cogitare id quod nemo vel mediocriter in Philosophia exercitatus ignorat: nempe magnum esse discrimen inter formas materiales & inter diuinam. Principiò formæ materiales, per se non subsistunt: natura verò diuina per se subsistit: sicut antè dictum est. Deinde nulla forma, vel natura creata, est suum esse: sed in omnibus rebus creatis differt esse ab essentia. At esse Dei est eius essentia, & essentia idem quod ipsum esse. Formæ igitur in his inferioribus, & creatis rebus, quia per se non subsistunt, nec sunt suum esse: sed esse, & subsistentiam recipiunt per aliud, nempe per materiam, quæ in iis subsistit formis: idcirco aliud semper sunt ipsæ formæ receptæ: & aliud materia recipiens. At verò quia natura diuina per se subsistit, & est suum esse, nec accipit esse per supposita, in quibus est: idcirco in ipsius communicatione, qua communicata est Filio à Patre, non fuit requisitum, nec requiritur aliquid aliud ab ea diuersum, cui communicaretur: & in quo, ac per quod subsistentiam, & esse, reciperet: Sed per vnum & idem esse, eadem prorsus essentia, est in communicante Patre, & in eo cui communicatur Filio: eóque fit, vt maneat eadem numero in vtroque: in cõmunicante scilicet, & in eo cui communicatur. Ergo N. Syllogismum retorqueo, Si in Filio, essentiam à Patre accipiente, aliud esset recipiens, & aliud res recepta, sicut in creaturis? in Filio aliud esset essentia, & aliud esse: eóque Deus non esset: Atqui Filius est Deus, vt Scripturæ docent: eóq; non est aliud in eo esse & aliud essentia. Fieri igitur nequit, vt aliud sit recipiens diuinam à Patre essentiam Filius: & aliud ipsa diuina essentia recepta. Quare vnus etiam & idem est cum Patre Deus.

Sed excipit N. & ideo V. ARGVMENTVM subdit: *Si Filius est ipsissima diuina essentia quæ per se est res subsistens, & τὸ ὄν τι, cùm etiam Pater sit eadem diuina essentia: conueniunt igitur Pater & Filius in eadem re subsistente.* At hoc est absurdum; sequeretur enim vnam & eadem esse personam, Filij scilicet & Patris: quia in naturis intellectualibus, res subsistens & τὸ ὄν τι, vocatur & persona. Atque ita Pater generans Filium, generaret seipsum. Atqui hæc absurda sunt, & opinioni Sabellij patrocinantur: Non est igitur Filius ipsa diuina essentia eóque Deus.

Quòd si etiam velint Papistæ (hoc enim nomine nos quoque omnes significat in hoc scripto) duas esse personas distinctas: erunt igitur & duæ essentiæ: quia essentia est τὸ ὄν τι, & persona est τὸ ὄν τι: Ac proinde vel Pater non erit verus Deus, vel Filius non erit verus Deus. Est enim vna tantùm essentia diuina, quæ sit Deus. Itaque seriò concludit, Filium non esse verum Deum: sed purum hominem: Deum autem esse & vocari propter excellentia dona.

R. Ad hoc argumentum pendet responsio ex iis, quæ ad primum dixi: quo pacto scilicet in Deo & vnum tantùm sit τὸ ὄν τι, respectu essentiæ, & plura respectu personarum. Quæ itaque sophisticatur in hoc argumento, sine vlla difficultate refutantur per ea, quæ suprà dicta à nobis sunt. Quædam tamen hic notanda sunt plena Sophisticæ. Assumit rem, in naturis intellectualibus subsistentem, personam vocari. Essentia autem diuina est natura intellectualis, & subsistit: esse igitur personam. Conueniunt autem Pater & Filius in essentia, ergo & in persona: quare ambo vna persona. Atqui hoc falsum: non igitur Filius est diuina essentia, quæ vna tantum est: & ita DEVS non est. Si quis hic Sophistæ sophisticam non videat, cæcus est. Essentia enim diuina, etsi per se subsistit, nisi tamen consideretur cum relationibus, seu cum diuersis subsistendi modis, (vt loquitur Iustinus) persona dici non potest. Diuersi enim ij modi efficiunt, vt vnus non prædicetur de altero: id quod propriè requiritur ad hoc, vt verè dicatur quis persona: & hanc ob causam dicitur substantia indiuidua, hoc est, talis, quæ de altero prædicari non possit, vt Petrus non potest prædicari de Paulo. Proinde alij maioris explicationis causa, addunt *incommunicabilis*. Essentia autem diuina est quidem realiter propter suam simplicitatem indiuidua, sed nõ est incommunicabilis: Est enim à Patre communicata Filio, eadem & tota essentia & Spiritui Sancto. Proinde prædicatur tam de Filio & Spiritu Sancto, quam de Patre. Quare definitionem illam, *Rem in naturis intellectualibus subsistentem, personam vocari*, *si nihil aliud addatur, non esse veram*. Addendum igitur est, *incommunicabilis*. Si hoc addas, tum apparet, hanc definitionem non conuenire definito, hoc est essentiæ diuinæ, simpliciter per se consideratæ. Quare quod etiam subdit: *Si duæ sint personæ, Pater, & Filius: duæ igitur erunt essentiæ*: quam minimè consequatur, manifestum est. Vnitas enim essentiæ non impedit ὑποστάσεων distinctionem: Sicut neque ὑποστάσεων distinctio, tollit vnitatem essentiæ in substantiis spiritualibus, vt in exemplo animæ & eius facultatum demonstratum est. Quantò minus igitur in Deo? *Personarum enim distinctio*, (vt scitissimè scribit Aquinas) *etiam in rebus humanis non attenditur secundum essentiam speciei: sed secundum ea, quæ sunt naturæ speciei adiuncta. In omnibus enim hominum personis, est vna speciei natura: qua de caussa omnes homines dicuntur esse vnus homo propter vnam speciei naturam in omnibus existentem: Sunt tamen plures personæ, propter hoc, quod distinguuntur homines in iis, quæ sunt adiecta naturæ: ideò hoc respectu, plures sunt homines. Ita in diuinis sentiendum: Relationibus enim distinguuntur personæ, non autem essentia.* At Deus est maximè vnus. Quis negat? propter vnitatem scilicet essentiæ: relationibus autem vnitas essentiæ non tollitur: sicut neque diuersis facultatum animæ proprietatibus tollitur vnitas essentiæ animæ. Ideo rectè Thomas concludit: *Non ergo in diuinis dicenda est vna persona propter vnitatem essentiæ subsistentis: sed plures propter relationes.* Relationes autem in Deo, quibus distinguuntur personæ, non sunt accidentia, quia in Deum non cadit accidens: neque sunt nihil: sunt enim relationes reales, non autem tantùm rationis. Sunt igitur substantiæ non multæ, propter Dei simplicitatem: sed vna: non alia ab essentia: propter eandem simplicitatem. Sunt igitur realiter, seu secundum rem, ipsa Dei essentia: sed cũ quodam respectu, quem vna relatio habet ad alteram, seu cum ratione quadam, qua fit, vt vna persona non sit alia: sine vlla tamen in Deo compositione. Quod si alicui hoc videtur inintelligibile, id fit, quod minus exercitatus sit in his subtilioribus cogitationibus. Sed simili declaro: An non sapientia in Deo, & iustitia, & misericordia, sunt idẽ quod diuina essentia? Omnino: vnica enim sua essentia simplicissima, tanquam vnica forma, Deus est sapiens, iustus, misericors: quod certè in creaturis fieri nequit. Nunquid tamen propterea dicimus sapientiam esse iustitiam: & hanc esse misericordiam? Nequaquam: sed cum Scripturis hæc attributa distinguimus: quoniam etsi omnia sint secundum rem, eadem diuina essentia, tamen ratione quadam, quæ etiam in Deo non est accidens aliquod, distinguitur iustitia à misericordia. Ergo etiam relationes, paternitas & filiatio, licèt reapse nil aliud sint, quàm ipsa diuina essentia:

tamen

tamen ratione quadam, quæ etiam non est accidens in Deo, distinguuntur: eóque & distinguunt personas, vt Pater non sit Filius, nec Filius Pater. Summa: vt iustitia, misericordia & omnia alia Dei attributa, licèt distinguantur inter se, essentiæ tamen Dei nihil addunt: ita etiam relationes. Annon etiam dextrum & sinistrum in animali, relationes sunt reales? Quid tamen addunt essentiæ seu substantiæ animalis? Stultum igitur est, ex relationibus fingere in Deo, aliquid diuinæ illius essentiæ accessisse, & compositum esse.

ARGVMENTVM VI.

Quod est principium indiuiduationis cuiusque rei, id non potest alteri rei, quæ supposito ab ea re distinguitur, inesse. Explico propter imperitiores, qui fortè hæc lecturi sunt. Indiuiduum vocant, verbi gratia, hominem qui subsistit. *Indiuiduari* dicunt, quum in generatione humanitas, quæ per se non subsistit: per materiam in subiecto, hoc est, in homine genito, esse & subsistere accipit. Principium igitur Indiuiduationis est id, per quod forma hominis, quæ per se non subsistebat, incipit subsistere in hoc vel in illo homine. Est autem manifestum id, quo, verbi gratia, ego subsisto & sum indiuiduum quoddam, non esse in alio homine: alioqui tu esses ego. Hoc igitur est quod inquit. *Quod est principium indiuiduationis cuiusque rei, id non posse alteri rei, ab illa re supposito distinctæ, inesse.* Ratio propositionis: *Quia quod multis inest ὅλον (vt verbi gratia humanitas) non potest esse Indiuiduationis principium. Quod enim in pluribus est, κοινὸν magis est, quàm res inexistens: & vnum semper vni existit.* Hæc est maior propositio cum sua probatione, quæ verissima est in rebus creatis, propter ipsarum imperfectionem, sed non prorsus in Deo perfectissimo, vt ostendam. Subdit Minorem. *Atqui indiuiduatio Dei* (hoc est, id, quo Deus est Deus) *non potest esse nisi ipse Deus, propter summam & excellentissimam simplicitatem. Ergo essentia ipsa Dei est, quâ Deus altissimus, secretissimus, sincerissimus indiuiduatur.* Subdit confirmationem: *Siquidem*, inquit, *essentia DEI non est forma in materia, vt ipsa forma per materiam queat indiuiduari. Ergo in DEO Patre non est aliud quo indiuiduetur, quàm ipsa Dei Patris essentia: præter essentiam enim in eo nihil est*, inquit, *quo ipsa essentia indiuiduetur.* In his omnibus, quæ sunt loco Minoris propositionis, latet fallacia: cùm simplex essentia nominatur sine vlla mentione relationum, quibus distinguuntur personæ. Proinde si detur hæc simpliciter, videtur sequi Conclusio quam infert: NECESSARIÒ *igitur hinc sequitur*, inquit, *Patris essentiam non posse esse in alio supposito, vel in alia hypostasi. Ergo aut non est in Filio: quo fiet ex Arij sententia, Filium non esse essentialem Deum: Aut, si est: Filius igitur non est alia ὑπόστασις, vel aliud suppositum à Patre: hinc fiet esse eandem cum Patre ὑπόστασιν, vt volebat Sabellius: sed secundum Sabellij sententiam, Pater erit idem qui Filius: & generatio non erit realis: sed tantùm quo ad hominem ficta & commentitia. Est verò realis distinctio Patris à Filio. Ergo sequitur Patrem solùm esse Deum essentialem: Filium autem eo modo, quo ipse fatetur Ioh. 10. hoc est, sicut & iudices vocantur dij. Et sic inquit moderanda erunt testimonia* Ioh. 1. Coloss. 1. Hebr. 1.

Resp. Ac primum quidem ad Maiorem de principio indiuiduationis: Ea simpliciter verissima est in omnibus rebus creatis: propter illarum enim imperfectionem, formæ non per se subsistunt: sed per materiam, & per ea, quæ naturæ speciei adiunguntur, indiuiduantur & distinguuntur ab aliis. At in Deo propter summam perfectionem, essentia diuina per se subsistit, & idem ibi sunt esse & essentia. Proinde etsi eam essentiam omnibus personis communem esse docemus, quia vnus tantùm est Iehoua: non sequitur tamen, eam esse potius κοινὸν quiddam quàm rem existentē. Quare propositio etiam illa, *quod est in pluribus, est magis κοινὸν, quàm res inexistens*: vera tantùm est in rebus creatis, vbi formæ non per se subsistunt. Proinde communis alicuius speciei forma, quatenus intellectu ab indiuiduis abstrahitur, & per se consideratur; qua de causa εἶδος appellatur, est magis κοινόν τι, quàm res inexistens, vt humanitas. At in Deo non ita se habet res, quia essentia propria per se in omnibus subsistit. Deinde etiam non dicimus, essentiam diuinam, quæ certè est τὸ δέ τι, per se subsistens, esse in personis, quasi in aliis τὸ δέ τι: minimè. Non enim eam separamus à relationibus, quæ reapse nihil aliud sunt, quàm ipsa essentia (vt declaratum est) propter summam Dei perfectionem, ac perfectissimam simplicitatem: sed ratione tātùm differunt. Proinde non dicimus essentiam per se subsistentem, esse in alia essentia per se subsistente: est enim vna tantùm. Neque relationem esse in relatione: aut, v. gr. Paternitatem esse in Filio: distinguuntur enim inter se personæ. Quare hinc etiam manifestum fit, quo pacto in ipso quoque Deo, suo modo vera sit propositio illa prima huius argumenti. Principia indiuiduationis alicuius rei, non inesse alteri: nimirum quia essentia non inest alteri essentiæ, alium enim constitueret Deum. Neque relatio vnius personæ, puta paternitas, inest alij personæ, puta Filio: nam confunderet personas, & ex multis vnam faceret. Distinguuntur autem relationibus. Exemplum in anima: Anima est per se subsistens, & vnum τὸ δέ τι; non tamen quasi quiddam indiuiduum à suis facultatibus seiunctum: hæ enim nil aliud sunt, quàm ipsa anima, & anima nil aliud quàm hæ facultates. Proinde etsi singulæ facultates animæ sunt τὸ δέ τι: anima tamen non dicitur esse in singulis facultatibus, tanquam vnum τὸ δέ τι, in aliis τὸ δέ τι: sed tanquam totum essentiale in suis partibus. Neque etiam vna facultas est in alia, vt ex duabus fiat vna: distinguuntur enim ratione & λόγῳ inter se: tametsi essentia vnius animæ, vnum sint realiter. Itaque principia indiuiduationis, etiam in singulis facultatibus animæ non insunt alteri: quia anima non est in alia anima: neque id, qua facultas intelligens, est facultas intelligens, inest in sentiente. Atque hæc satis pro responsione ad Maiorem.

Ad Minorem: Tota fallaciæ in hoc argumento caussa est, quoniam sophista hic proponit nudam essentiam, sine relationum consideratione: & eam sine iis constituit, principium indiuiduationis in Deo, sed fallitur. Etsi enim diuina essentia est per se subsistens; separari tamen non potest nec debet à relationibus, quibus singulæ distinguuntur personæ & quasi indiuiduantur. *Nam* vt rectè inquit Aquinas *relatio in diuinis tenet locum principij indiuiduantis: essentia autem, locum naturæ speciei.* Quum igitur ait: *Indiuiduatio autem Dei non potest esse nisi ipse Deus,* (seu vt postea repetit) *diuina essentia propter summam & excellentissimam simplicitatem*: Respondemus, Aut considerat essentiam cum relationibus, aut sine relationibus. Si sine relationibus, negamus propositionem, tanquam falsissimam. Non est enim essentia diuina sine relationibus, quibus personæ quodammodo indiuiduantur, & distinguuntur: eóque nec est Deus subsistens vllus extra personas, Patrem, Filium, Spiritum Sanctum: Proinde falsa quoque sunt, quæcunque infert contra Filium Dei, vt quod ait: *Ergo essentia ipsa Dei* (nempe sine relationibus) *est id quo Deus altissimus indiuiduatur.* Talis enim essentia, sine relationibus non datur in Deo: neque Deus altissimus reperitur, qui non sit Pater habens Filium. Et ratio, quam subiicit, dicens: *siquidem essentia Dei non est forma in materia, vt ipsa forma per materiam queat indiuiduari*: nulla est ad concludendum, quod assumsit concludendum. Etsi enim essentia diuina non est forma in materia, per quam materiam illa forma indiuiduetur: non est tamen sine suis relationibus, quibus aliud τὸ δέ τι & indiuiduum est Pater: & aliud τὸ δέ τι & indiuiduum, est ipse Filius. Proinde quod infert, dicens; *Ergo in Deo Patre non est aliud, quo indiuiduetur, quàm ipsa Dei Patris essentia*: Ad id respondemus, vt suprà: nempe si considerat essentiam Patris sine relatione ad Filium, turpiter fallitur. Essentia enim Patris sine sua relatione ad Filium, neque esse potest, neque considerari debet. Et si ita loqui licet de Deo, Pater indiuiduatur per suam relationem, per quam etiam distinguitur: per illud enim aliquid dicitur indiuiduari, per quod etiam distinguitur. Proinde indiuiduari Pater non potest, vt sit τὸ δέ τι, id est, hic Deus Pater, sine relatione sua, quæ est paternitas. Si autem considerat Sophista essentiam Patris cum sua relatione: nos quoque fatemur, præter hanc essentiam, cum sua relatione, nihil aliud esse in Patre, per quod dici possit indiuiduari; quanquam sola relatio propriè locum tenet principij indiuiduationis, vt dictum est: Sed etsi cum relatione coniungamus essentiam: tamen hinc non consequentur ea, quæ infert contra pluralitatem personarum seu ὑποστάσεων.

CONCLVSIO. *Necessario*, inquit, *hinc sequitur*, &c. Ex præmissis falsis, quis nesciat semper sequi falsam conclusionem? Et fallacia est, quæ dicitur à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Essentia quidem quatenus consideratur cum paternitate, non est eadem in Filio, quia Filius non est Pater. Sed non sequitur: Ergo essentia simpliciter Patris non est in Filio. Exemplum; Natura humana quatenus est in liberis meis, quia illi non sunt ego, nec ego illi; sed simpliciter non sequitur; natura igitur mea non est in liberis. Sunt enim & ipsi homines, perinde atque

ego. Proinde quod etiam subdit, aut (nempe si essentia Patris est in Filio) Filius non est alia ὑπόστασις à Patre: nulla difficultate refellitur ex iis, quæ dixi: Si enim Paternitas, quæ est relatio Patris, esset in Filio: Filius non esset alia à Patre persona: sicut contra si essentia Patris non esset simpliciter in Filio, non esset Filius vnus cùm Patre Deus. Sed non sequitur simpliciter: si essentia Patris est in Filio, Filius igitur à Patris hypostasi non est alius. Solus igitur Pater, verus est & essentialis Deus. Qualis igitur Deus Filius? Eo modo quo ipse Sophista interpretatur locum apud Ioh. 10. *Si ad quos sermo Dei factus est*, &c. nempe propter officium & plenitudinem diuinarum gratiarum. Summa igitur fallaciæ in hoc argumento est a secundum quid ad simpliciter. Quia sc. proponitur essentia diuina simpliciter sine relationibus: & talem contendit Sophista esse ceu principium indiuiduationis, quo sc. Deus Pater est Deus. Et inde infert Filium non esse Deum, vt qui non habeat eandem essentiam diuinam: aut si habeat, esse igitur vnam personam Patrem & Filium. Nos verò dicimus, sicut nullus est Deus verus & essentialis, qui non sit Deus Pater, aut Deus Filius, aut Deus Spiritus Sanctus, nulli enim alij datur nomen Iehouæ, nisi Patri, Filio & Spiritui sancto) ita etiam docemus, nullam dari essentiam diuinam, quæ sit sine relationibus, quibus Pater, à Filio distinguatur, & Filius vicissim a Patre: atque ita de Spiritu Sancto. Ita perspicuè responsum est ad argumentum.

Quòd si manis breuiorem responsionem: Dico, si totum (vt ita loquar) Deum in sua essentia consideremus: dico, inquam, Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, non indiuiduari per vllam rem: sed esse indiuiduum per se, h.e. sua essentia. Est enim essentia diuina, per se subsistens, & ea est Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, quia sunt omnes vnus, & idem Iehoua: ac proinde vnum τόδε τι indiuiduum. Si verò singulas personas, ceu singulas partes essentiales seorsim contemplemur: dico Patrem quodammodo indiuiduari sua relatione h.e. paternitate, quæ est proprietas personalis ipsius Patris, quatenus sc. hac relatione distinguitur a Filio, ceu quoddam τόδε τι: Filium itidem quodammodo indiuiduari sua filiatione, quæ est eius personalis proprietas, quatenus & ipse per eam distinguitur a Patre: atque idem dico de Spiritu Sancto. Exemplum in anima manifestum est, quanquam non sit omnino simile: quia in Deo perfectissima est simplicitas: in anima autem differt esse ab essentia. Vtcunque tamen adumbratur hoc simili veritas rerum diuinarum. Anima igitur est indiuiduum quoddam sua essentia quia non indiuiduatur per materiam, quomodo res materiales & corporeæ: Anima, inquam, in se tota considerata, est vnum τόδε τι, eoque indiuiduum quoddam per se, & sua essentia. At verò si singulas essentiales eius partes seorsim consideres: pars intelligens est ceu τόδε τι indiuiduum quoddam, distinctum à sentiente, tanquam ab alio τόδε τι, & indiuiduo. Et qua nam re pars intelligens est ceu indiuiduata, & facta τόδε τι à parte sentiente distinctum? sua illa virtute, qua intelligens est & dicitur, tanquam suæ indiuiduationis principio. Vnumquodque enim per id dicitur indiuiduari, per quod ab aliis, in eadem natura speciei, numero distinguitur. Proinde optimè Thomas: *Relatio*, inquit, *in diuinis tenet locum omnium principiorum indiuiduantium in rebus creatis propter quod dicitur proprietas personalis: ipsa autem natura diuina tenet locum naturæ speciei. Quia tamen ipsa relatio in diuinis secundum rem non differt à natura diuina, non fit ibi aliqua compositio: sicut apud nos ex principio speciei, & ex indiuiduantibus principiis, quædam compositio relinquitur.*

ARGVMENTVM VII. *Sit hypothesis vel αἴτημα* &c.

Summa hæc est: Si Pater & Filius sunt duo supposita, seu duæ personæ: & tamen communi essentia vnum; necesse est, vt aliquid vltra vel præter essentiam insit in Patre & in Filio, quo ab inuicem distinguantur. Ratio; Quia quod commune est, distinctionis principium esse non potest. Quod si sic; sequi igitur tam Patris, quàm Filij personas cõponi ex essentia communi, qua vnum sunt, & ex eo, quo ab inuicem distinguuntur.

R. Communis responsio quæ ad hoc argumentum affertur, & quam etiam Sophista nouit, hæc est: Negari consequentiam in propositione hypothetica. Ratio; quia personæ non alio distinguuntur principio, quàm relationibus, quatenus est vnus Pater, & alter Filius: licèt vterque simul vnus sint essentia Deus. Quæ autem relatione de se inuicem prædicantur, discrimen non faciunt in eo, de quo prædicantur, sed ponunt tantum ad aliquid: Neque relationes reales quippiam addunt simplicitati, aut vllam in ea faciunt compositionem. Quæ verissima est responsio & confirmatur à perfectione Dei, qua fit, vt quę in nobis multa sunt, & accidentia: ea in Deo sint vnum, & substantia, modoque perfectissimo: h.e. non per compositionem aliquam: sed per vnicam simplicis essentiæ virtutem. Verùm aduersus hanc responsionem excipit Sophista hoc argumento.

ARGVMENTVM VIII. *Si quis afferat*, &c.

Ait hac moderatione non esse satisfactum argumento: ratio, inquit, est; quod nulla vnquam detur relatio quæ non sit in aliquo absoluto, & quod non queat esse quiddam per se in tertio modo (terminus sc. aliquam rem per se existentem significans.) In omni. n. relatione relatiuus terminus præter se habet in quo consistat, & quod sit aliud præter id, in quo consistit relatiuus terminus. Sic seruus, est aliquid per se subsistens, in tertio modo per se, præter dominum; qui item per se in eodem modo subsistit. Ergo sic etiam in diuinis, relatio qua Pater & Filius distinguuntur necesse est vt habeat aliquod absolutum, in quo accidens illud relationis consistat, & suam quasi radicem habeat, præsertim cum sit (vt illi volunt) *relatio realis*.

Resp. Primum non omnes regulæ de relationibus traditæ, in illas relationes diuinas competunt. Sicut enim essentia Dei alterius est rationis, quam nostra; sic etiam relationes. Præter alias enim relationes in nobis accidentia sunt, in Deo autem accidentia esse non possunt. Quare quicquid ex natura relationum apud nos, concluditur aduersus Deum, & aduersus relationes in Deo, friuolum est. Deinde dico relationes etiam diuinas, non esse sine suo absoluto, in quo suam, quodam modo, nempe diuino, habeant sedem: nam paternitas sedem habet in Patre, qui non solum Pater est, sed etiam Deus, adeoque ipsa essentia diuina. Verum longè alia ratione, relatio in diuinis ad suum comparatur absolutum, quam in rebus à Deo conditis. Hic enim relatio ad suum comparatur absolutum, sicut accidens ad subiectum; at in Deo, sicut idem ad idem, vel secundum modum (vt Scholæ loquuntur) identitatis; Idque propterea, quod relatio substantia est secundum rem, & eius etiam absolutum eadem est substantia; quanquam vna relatio non est altera, ac proinde Pater non est Filius. Annon etiam iustitia, misericordia, & alia id genus attributa, idem sunt in Deo cum essentia, ad rem ipsam quod attinet? Sunt. Quomodo igitur ad essentiam comparantur? Non certè tanquam accidentia, & res realiter ab essentia differentes, sed tanquam idem ad idem τῷ ὄντι. Essentia enim propter summam & absolutissimam perfectionem idem est, & sapientiæ, & iustitiæ, & misericordię & aliis huiusmodi, quæ apud nos in diuersis generibus continentur; quanquam iustitia non sit misericordia, nec sapientia sit patientia. Ergo nil etiam prohibet, quin vna & eadem essentia idem sit & paternitati & filiationi: ac proinde quin Pater & Filius sint οὐσίᾳ vnus Deus, quanquam paternitas non est filiatio, ac proinde neque Pater sit Filius, neque Filius Pater. Itaque Pater, qua Deus, idem est cum Filio, qua Deus itidem est: at qua Pater, idem non est Filio, quà Filius est. Sicut etiam iustitia in Deo, quatenus essentia est, idem est misericordiæ, quatenus itidem hæc essentia est: quanquam iustitia, vt iustitia, non est idem quod misericordia, vt misericordia.

Ad simile serui & Domini quod attinet, nihil ad rem facit. Ideo enim ibi non solùm termini relatiui sunt diuersi, quia aliud est esse Dominum, aliud esse seruum: vnde diuersæ relationes surgunt, dominatus & seruitutis: verum etiam diuersa & alia sunt subiecta: quia alius homo est Dominus, & alius homo est seruus: ideò, inquam, hoc fit in rebus creatis, quia non sunt ambo dominus & seruus, vna & eadem numero substantia, seu essentia: sed specie tantùm. At in Deo etsi diuersæ sint relationes, paternitas & filiatio: ac proinde licet Pater non sit Filius; quia tamen vna est vtriusque essentia, à qua etiam τῷ ὄντι non differunt relationes; idcirco ibi vnum tantum est absolutum; & relationes comparantur ad suum absolutum per modum identitatis; & vna & eadem essentia idem est paternitati & filiationi, eoque Pater & Filius vnus sunt Deus, quan-

quanquam Filius non sit Pater. Hoc autem totum inde proficiscitur, quod essentia Dei perfectissima est.

ARGVMENTVM IX. *Porrò relatio*, &c.

Resp. Relationes in Deo reales sunt, & secundùm rem, idem sunt quod essentia: quia in Deum nō cadit accidens. Verùm in ipsis quoque creaturis, non dicitur relatio realis, quod aliquid sit in se reale, vti est quantitas, aut qualitas, quæ veniunt in compositionem subiecti. Nam ESSE τῶν πρός τι, est, vt id quod sunt, aliorum esse dicantur, vt loquitur Aristoteles: sed *realis* dicitur ex ipso tantum fundamento, seu respectu fundamenti. Quia. n. puta Pater res est, & fundamentum paternitatis reale, idcirco etiam paternitas, dicitur & est relatio realis: non autem quod ipsa aliquid sit in se, & per se reale, vt accidens in subiecto. Proinde neque etiam aliquid reale addit suo fundamento. Si verò hoc non sit in rebus creatis, quantò minus in Deo, qui simplicissimus est ac perfectissimus, & nihil ei addi potest. Nam etsi in rebus creatis relatio realis aliquid reale adderet, eoque quodammodo componeret, tamen in diuinis omnino id efficere, propter perfectissimam diuinæ essentiæ simplicitatem, non posset. An non iustitia, misericordia, & id genus alia, in Deo sunt res reales? Quid ni? immo sunt ipsa Diuina essentia. Sua enim essentia Deus iustus & misericors est. Num igitur, quia res sunt reales, aliquid addunt Deo reale, & in eius veniunt compositionem? Minimè. Ergo multò minus id faciunt relationes, tametsi reales, cum non sint reales, per se, sicuti quantitates & qualitates, sed propter fundamentum duntaxat. Atque hoc satis esse debet cuique veritatis amanti, & non contentioso, nam res est perspicua. Sed vt melius pateat N. error, aperienda est causa huius erroris. Ea est, quia putat, relationem in Deo realem, esse ens ab essentia dependens, eoque ab essentia differre, si relatione realiter distinguantur personæ: Aut si non est dependens, nec differt, non distingui igitur personas. Sed fallitur: Nam neque est ens dependens relatio: eoque non differre realiter ab essentia: neque tamen sequitur non distingui personas relationibus. Non est esse dependens, quia propter summam Dei perfectionem, quicquid in Deo est, substantia est: & propter summam eius simplicitatem, multæ non sunt in Deo substantiæ seu essentiæ, sed vna. Neque propterea impeditur, quin distinguantur personæ: propterea quod, licet, relationes idem sint realiter cum essentia, ab ea tamen, tali distinguuntur ratione, qua fit, vt alia sit Patris, & alia Filij persona. Quæ est hæc ratio? Quis eam percipiat? Si tamen licet cum aliis piis balbutire, dico esse modum subsistendi diuersum in Patre & Filio, hoc est, quatenus οὐσία per se non significat se esse communicatam aut incommunicatam: ideo communis est tribus personis: sed quatenus communicata est per generationem, constituit personam Filij & quatenus incommunicata, seipsam communicat, personam Patris efficit. At si realiter non distinguantur relationes ab essentia: ergo neque realiter distinguerentur personæ, sed ratione tantum. Non sequitur: non enim identitas relationum cum essentia, constituit identitatem personarum: sed diuersitas relationum inter se, diuersitatem, vel potius distinctionem constituit personarum. Sequitur ergo distingui personas realiter inter se: licet realiter sint idem cum essentia. Exemplum ab anima sumptum perspicuum est, vt sępè repetiuimus. Anima idem est facultati intelligenti, sentienti, vegetanti: Quid enim aliud est anima, quàm facultas intelligens, sentiens, vegetans? Intelligens tamen non est idem sentienti & vegetanti: non enim intelligens est sentiens. Ita diuina essentia idem est paternitati ac filiationi: non tamen hæc illi. Essentia enim diuina est Pater, est Filius: non tamen Pater est Filius. Quum igitur N. postremò ait: *Relatio, qua distinguuntur Pater & Filius, aut est res aliqua, aut in solo intellectu.* Respondeo, Res aliqua eoque realis relatio. Quum secundò ait: *Aut est essentia aut essentiæ superadditum quiddam.* Respondeo: Essentia est non simpliciter, sed κατά τι hoc est, quo ad rem, ratione autem differens, ac proinde non est aliquid reale superadditum essentiæ. Quum itaque N. tertio loco subdit. *Si relatio essentia est, tum Filius erit Pater*; negatur illatio. Arguit enim a secundum quid ad simpliciter. Non enim simpliciter essentia est Pater sed cum sua relatione, cuius proprium est per generationem communicare essentiam. Neque simpliciter: essentia est Filius: sed cum sua relatione, cuius proprium est essentiam per generationem à Patre communicatam accipere. Dico clarius: Essentia diuina non simpliciter Filius, sed quatenus per generationem est à Patre communicata. Contra, eadem essentia, quatenus est incommunicata, sed seipsam per generationem communicans, est Pater. Vt, lux Solis, quatenus ab alio non est communicata, sed seipsam communicat, Sol dicitur & est, eadem quatenus à Sole communicata emicat radius est. Atque hoc est, quod solitus sum dicere cum Iustino Martyre & philosopho, diuersis subsistendi modis distingui personas. Ac si non satisfacio ego N. audiat Thomæ ad hoc argumentum responsionem breuem, in Q. D. de potentia Dei. q. 2. ar. 1. ad tertium. *Ad tertium dicendum, quod Deus genitus non distinguitur à Deo generante, per aliquam essentiam additam, cùm (sicut dictum est) non requiratur aliqua materia in qua recipiatur natura diuina: Distinguitur autem per ipsam relationem, quæ est, ab alio habere naturam, ita quod in Filio ipsa relatio filiationis, tenet locum omnium principiorum indiuiduantium in rebus creatis: propter quod dicitur proprietas personalis. Ipsa autem natura diuina tenet locum naturæ speciei. Quia tamen ipsa relatio secundum rem à natura diuina non differt, non fit ibi aliqua compositio: sicut apud nos ex principio speciei, & ex indiuiduantibus quædam compositio relinquitur.* Longiorem verò responsionem legat in lib. cont. gent. 4 cap. 14. ad 8. & 9. & 10. Quod si dicat non percipio quomodo hæc cohæreant: respondeo, De rebus igitur cœlestibus ne disceptemus, humanis rationibus, sed verbo Dei, vt ipse quoque N. optimè ad extremum concludit, agendum esse.

Cæterum, quum ait, explicationem locorum Scripturæ, in libris editis Albæ Iuliæ, pulchrè conuenire cum iis, quæ scripsit argumentis, iisque ex Aquinate, cum argutatur in contrariam partem desumti: satis apertè declarat, contortam esse locorum Scripturæ in illis libris explicationem: quando conuenit cum argumentis cum veritate Scripturę pugnantibus, & nihil firmi habentibus.

Inepta verò interpretatione locum Christi: *Antequam Abraham esset, ego sum*, eludit: dum ad consilium & prouidentiam Dei illum refert: cum apertè ibi instituta fuerit disputatio de annis & ætate Christi.

Hæc sunt, quæ habui ad argumenta N. merè sophistica. Scio iuxta regulam etiam à Philosophis traditam, non esse de genere in genus disciplinæ transcendendum in disputando: ac proinde ad argumenta contra Theologiam à physicis tantum rationibus petita, non esse respondendum: sed ea simpliciter, tanquam ad rem nihil facientia, reiicienda: Quia tamen significasti, me facturum rem Illustriss. Principi gratam, & multis vtilem, si hæc N. sophismata Dialecticè refutarem, feci quod potui, in tanta negotiorum meorum, tùm Scholæ tum officij, quod sustineo in vniuersitate, adde etiam priuatorum ac domesticorum turba. Neque etiam ignoro, me fuisse prolixiorem, quàm tua & tui similium doctorum virorum eruditio postulabat: sed hoc feci propter alios, qui rerum istarum periti non sunt: quorum etiam caussa ad extremum, hoc quod ante cœperam dicere, & quod diligenter notandum est, repeto: nempe, caussam totius huius N. & similium erroris esse, quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt Dei: ac proinde non potest percipere aliud generationis genus, quàm quod cernitur in animalibus. Nec aliam realem personarum distinctionem, quam quæ inter homines spectatur. Neque aliam communem multis essentiam, quam qualis etiam est humanitas, cùm de pluribus numero hominib. prædicatur: ac proinde quæ potius νοητόν quiddam est, extra personas in intellectu positum: quàm vna res realis, omnibus hominibus inexistens. Cum vero humana etiam ratio doceat, vnum tantum esse Deum, vnamque diuinam essentiam: hinc cogitur animalis homo concludere vnam etiam duntaxat esse personam. Hinc omnia ipsorum contra æternum Dei Filium argumenta. Sed longè aliter se rem habere, tradunt S. literæ: & vera etiam solidæ Philosophiæ principia (quemadmodum de principio ostendi) confirmant. Dominus igitur istis animalibus hominib. donet suum Spiritum, & pulsis tenebris illucescat illis denuò Christus, lux æterna & splendor Patris, ad eorum salutem, AMEN.

H. S. Roserij ad H. Zanchium de loquutione Gen. 1.

Faciamus hominem eum.

QVÆSTIO.

S. P.

SVmma humanitas tua D. Zanchi, qua non solùm adiri te à me, quoties vellem, passus es, sed etiam vltro inuitasti,

efficiet ne pluribus importunitatem apud te deprecer, præsertim quum perplexa prælorum cura non sinat me longiore epistola ad excusationem parum necessariam abuti. Itaque rem simpliciter statim aggrediar. Incidi in scriptum cuiusdam amici, qui dum ex loco cap. 1. Geneseos, sacræ Trinitatis mysterium astruere vult, in hæc verba scribens, *Faciamus hominem*, &c. ita loquitur. Non angelos hic alloquitur, aut elementa, quia creationis gloriam sibi soli seruat. Neque honoris causa sic de se loquitur: quia mos ille non ita est antiquus, in prima persona receptus, sed ad seipsum dirigit sermonem: qui quum vnus sit Deus, tres sunt distinctæ personæ, &c. Hunc ego Scripturæ locum piè credo & profiteor huc facere, vt intelligamus esse Patris cum Filio sermonem: sed illam locutionem, piam & orthodoxam esse, vt dicatur *Deus ad seipsum dirigere sermonem*, vix mihi persuadere possum. Nec vera mihi quidem ratio videtur, vt quia tres sunt in diuinis distinctæ personæ, ac vnus Deus sit, quum persona personam alloquitur, Deus dicatur seipsum alloqui, imo periculosè admodum ista videntur dici. Idque vt se ita habere credam cùm multa alia efficiunt, tum in primis quod ex te me audire memini, quum diceres tibi non probari, imò te nominatim refutasse, quod N. scripsit, tres in diuina essentia personas, tres esse in Deo proprietates. Illud enim axioma commemorabas à te in tuo libro refelli, licet N. nomen taceueris, quod hominis existimationi parcendum esse existimares. Ego verò ex hoc fonte prodire arbitror hanc loquutionem, *Deus ad seipsum sermonem dirigit*, quia vna persona alteram alloquitur. Trita est enim dissimilitudo animæ, quæ vna quum sit, tres in se habet potentias siue facultates, rationem, iram & cupiditatem. Hanc similitudinem ab Augustino acceptam, qua mysterium illud adumbrat, nonnulli longius quàm oporteat vrgent & in omnibus valere volunt. Qua in re quantoperè fallantur, perspici facilè potest. Nam quum homo rationis imperio iræ moderatur vel cupiditatem frenat, quas in sua anima facultates habet, tum vel ratio iram cohibere, vel etiam homo seipsum comprimere dicitur. Id quum ad Deum similiter trahunt, licere putant & rectè dici existimant, vt Deus seipsum compellare dicatur, quum vnius personæ ad alteram sermo narratur. Ita fit, vt quæ à magistro non satis attentè (quod tu rectè obseruasti) dicta acceperunt, latius deinde serpente incogitantia in deterius labantur, & in quendam errorem, eumque non leuem (nisi ego fallor) euadant, parum ipsius N. in aliis locis memores. Ille enim tametsi proprietates vsurpauit, tamen disertè notauit, quum personæ ad personam sermo commemoratur, aut qualibet relatio indicatur, nomen Dei κατ' ἐξοχὴν Patri tribui, vt dicendum sit, *Deus* vel *Pater*, *Filium alloquitur*, non autem *Deus seipsum alloquitur*. Alioqui si hoc semel largiamur, non video cur non etiam dicamus, *Deus seipsum misit*, *Deus seipsum genuit*, denique cum Praxea loquamur, *Deus ipse sibiipsi Pater est & filius*. Hæc sunt quæ in hoc scripto mihi reprehensione digna videntur. Omitto quod quum eos reprehendat, qui dicunt Deum de seipso plurali numero loqui, statim tamen ait esse hæc verba Dei sermonem ad seipsum dirigentis. Qui quidem sermo cùm pluraliter efferatur, (dicit enim *Faciamus*, &c.) quantulum quæso abest ab eo, vt dicantur esse verba Dei de seipso loquentis? Sanè qui ad seipsum loquitur, eius verba de seipso dicta esse nemo opinor inficiabitur. Hæc paucula D. Zanchi, maxima tamen & de re omnium maxima per literas tibi significare non dubitaui. De quibus antequam quicquam affirmem, quid sentias scire cupio: vt tua autoritate fretus, quam meritò plurimi facio, liberius eum moneam, ne quid in publicum edat quo perniciosum in Ecclesiam dogma inuehi videatur. Te mi D. vxorem grauissimam & castissimam, suauissimosque liberos in Christo valere cupio & opto. Francoforti 21. Ian. 1573.

Scio quàm multis & quàm grauibus negotiis penè obruaris. Quare quum tibi rescribendi onus imponere non ausim, satis fuerit si hanc epistolam subnotata tribus verbis tua sententia remittas.

Tuus ex animo & tibi
addictißimus

H. S. Roserivs.

H. Zanchij ad Roserij quæstionem de Trinitate.

Responsio.

Obseruande frater. Tametsi inter pios, locutio illa, de qua me consuluisti, defendi possit, quatenus scilicet personæ omnes, vnus sunt Devs, qui & dixit, *faciamus*, nempe *nos Elohim*, & qui reipsa fecit hominem ad imaginem suam: tamen ab ea abstinendum esse censeo, nempe vt dicamus, Devm, dicendo, *Faciamus*, sermonem ad seipsum direxisse: tum quia nimis apertè fauet Sabellio, tum etiam, quia cum proposito Spiritus S. in huiusmodi locis, pugnare mihi videtur. Si enim Spiritus S. (vt rectè obseruarunt Patres) hac locutione, *Faciamus*, & *Nostram*, significare voluit personarum pluralitatem: quomodo nos non iudicabimur torquere hasce scripturas, & contra scopum cõsiliumque Spiritus S. eas interpretari, si dicamus Devm, sermonem ad seipsum direxisse? Hoc enim nil aliud sonare videtur, nisi aut essentiam illam æternam, (si nomine Dei eam intelligas) sermonem ad seipsam direxisse: aut, Patrem (si is eo nomine accipiatur) ad seipsum fuisse locutum. Ita vtro accipias modo, pluralitatem personarum sepelieris: quas tamen Spiritus S. voluit hac phrasi significari. Rectius igitur, & magis consentaneum cum scopo Spiritus S. locuti fuerimus, si dixerimus, aut Patrem, sermonem ad Filium, & ad Spiritum S. à quibus non se seiungit, habuisse: aut tres simul personas, sese mutuò (sed modo suo diuino) ad præclarum hoc hominis opificium, quod ab æterno decreuerant communi consilio, tunc in tempore perficiendum, quasi adhortando atque monendo excitasse, & præparasse. Nam etiam initio eius capitis creauit *Elohim*: nomine *Elohim*, tres simul personas malo intelligere, quam solam Patris personam: quando postea etiam cap. 2. vers. 4. nomen *Elohim* vertit in *Iehouam*, nomen tribus personis commune, & essentiale: dicendo, *In die quo Iehoua fecit cœlum & terram*: & quando Prophetæ & Apostoli, creationem cœli & terræ, ex æquo tam Filio, & Spiritui Sancto, quàm Patri attribuunt: Et manifestum est, postquam dixit, *Faciamus*: à multis Elohim factum fuisse hominem. Ita pulchrè habemus omnes personas: quæ sicut simul ab æterno decreuerunt hominem creare ad sui imaginem: sic etiam creatis rebus aliis omnibus, communi consilio ac voluntate, ad opus hoc perficiendum, his verbis *Faciamus*, sese accinxisse videntur. Hæc mea est sententia, quam quia petiisti, Doctiss. Roseri, non explicare non potui: cui nihil possum propter tuam pietatem, & eruditionem, denegare. Vale. Heidelbergæ 25. Ianuar. 75.

T. H. Zanchivs.

H. Zanchij ad Nobilißimi & Clarißimi viri D. Andreæ Dvditii epistolam de vera Ecclesia.

Responsio.

Ingenuè fateor, Magnifice & Nobilissime, doctissimeque Duditi, me dignum esse reprehensione, quod in hunc vsque diem distulerim ad tuam honestissimam petitionem, responsionem meam. Verum quidem est, me ita esse occupatum, tum in lectionibus (quotidie enim ferè legendum est in schola) tum concionibus, (est enim Italicis, quos hic habemus aliquot, etiam priuatim concionandum) vt nullum ferè diem vacuum habeam à negotiis, quibus tantùm non obruor: Vera, inquam, hæc sunt: sed tamen neque hæc legitima est excusatio. Potuissem enim aliquot, ex tam multis, suffurari horas, ad respondendum sicut aliis: sic etiam, & multò quidem magis, tanto viro, qui suis honestissimis literis, & quanto me amore prosequatur, certiorem me fecit: & in suam recepit amicitiam. Denuò igitur liberè confiteor, me non posse vllo modo tantam meam negligentiam tueri. Ac vide quid contigerit, quia multos iam menses meum neglexeram officium, pudebat modò, etiam cùm aliquid superesset otij, ad te scribere: ita vt neque has, nisi Thretius tuæ maximæ humanitatis prædicatione, eas extorsis-

extorsisset, habitutus fuisses, vsque adeo pudebat me tantæ meæ negligentiæ.

Reliquum igitur est, vt ego culpam deprecer: tu verò pro tua ista singulari humanitate, quicquid ego in te peccaui, ignoscas, id quod te facturum confido. Deinde vt meam hanc, minimè elaboratam, sed ex tempore quasi dictatam responsionem, boni & æqui consulas.

Ad quæstionem illam quod attinet, quam proponis: tametsi persuasus sum, eam mihi à te fuisse propositam, vt potius me ad scribendum excites, quàm vt explicatione mea opus habeas, non grauabor tamen respondere, si nullam aliam ob caussam, saltem vt tibi gratificer. Paucis igitur sic accipe:

Quo plerique omnes in Papatu, tanquam firmo argumento abutuntur, ad probandum, nostras Ecclesias non veras esse Christi Ecclesias, nempe, *quia in iis multæ sunt in doctrina de Religione, dissensiones & pugnæ*: illud mihi videtur haud contemnendum argumentum, quo totum penitus contrarium confirmari queat. Tria enim duntaxat Ecclesiarum sunt genera, aut vbi solus Deus, fine contradictione regnat. Hæc est in cœlo triumphans. Aut vbi solus Satan. Hæc est Ecclesia impiorum & idololatrarum, de qua Luc. *Cùm fortis armatus custodit atrium suum*, &c. Et talis est iam Turcica, Iudaica, & verò etiam Papistica: Aut vbi Deus quidem regnat, sed non sine Satanæ insidiis & oppugnationibus. Hæc est vera Christi Ecclesia: (plura enim genera non agnosco) quæ *militans* appellatur. Ergo ex iis variis de Religione concertationibus, quæ in nostris spectantur Ecclesiis, tantum abest, vt concludi possit, eas non esse veras Christi Ecclesias, vt inde potius contrarium euincatur: si Ecclesia militans illa est, quæ semper pugnat cum carne, Mundo, hæreticis, Diabolo.

Rectè Augustinus contra Iulianum Pelagianum ita partitur: *Omnes homines, aut sunt penitus caro, & nihil habent spiritus: ij sunt infideles, sine regeneratione. In iis nulla est pugna. Aut sunt tantùm spiritus, sine carne. Ii sunt sancti, qui iam in cœlo æterna fruuntur pace, sine pugna. Aut sunt partim spiritus, partim caro. Ii sunt omnes renati per Spiritum S. in Christo.*

Hinc certè efficitur, tantùm abesse, vt pugna quæ in nobis est, inter carnem & spiritum, concludere possit. Nos igitur ad Christum non pertinere, vt potius contrarium confirmet. Quod autem Augustinus de singulis Electis concludit, idem nos de tota Ecclesia militante euinci contendimus. In hac enim futuros semper, in finem vsque mundi, & bonos & malos, & pios & impios, & orthodoxos & hæreticos, & veros & falsos Prophetas: & opera carnis, inter quæ etiam hæreses à Paulo connumerantur, & opera spiritus, consensiones & dissidia, schismata, sectas, pugnas, scandala, denique nihil non mali: satis abundè & perspicuè docuit Dominus Iesus, tam parabolis permultis, agri, in quo bonum triticum, & zizania: Areæ, in qua triticum, & paleæ. Retis, in quo pisces boni & mali: Decem virginum, quarum aliæ sapientes, aliæ stultæ: tum maximè disertis verbis, quando quid post suum ex hoc mundo discessum, futurum esset in Ecclesia, prædixit Matth. 24. Quid Apostoli? Certè Paulus non dissimulauit, cùm dixit: *Ego noui, quod post discessum meum ingressuri sint in vos lupi*, &c. Et alibi, *oportet hæreses esse*. Et 1. Tim. 4. *Spiritus autem manifestè dicit, quòd in nouissimis diebus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, &c.* Et 2. Pet. 2. *Fuerunt autem & Pseudoprophetæ in populo, quemadmodum & inter vos erunt falsi Doctores, qui clam inducent sectas perniciosas.* Repetit hoc Iudas in sua Epistola. Et cùm Iohannes ait, *Exierunt à nobis*: annon docet, in Ecclesia Christi, tum fuisse etiam hæreticos, qui tandem etiam prorsus defecerunt? Quid igitur mirum, si hodie etiam inter eos, qui Euangelium profitentur, permulti reperiantur, variis infecti erroribus, Libertini, Anabaptistæ, Ariani, Seruetiani, & aliæ innumeræ pestes? sed DEO sit laus, qui efficit, vt tandem se prodant, & à nobis exeant, qui non erant ex nobis, tanquam mali & perniciosi humores è corpore, opera Medici, excernuntur, quia non erant de corpore, seu de corporis substantia. Verùm ita excernuntur, vt tamen nullius corpus tam sanum sit, quin semper humores in se habeat pugnantes. Sed nunquid inde inferre quis volet, corpus illud non esse verè humanum, verumque: adde & pro ratione præsentis status, sanum corpus? Imò vbi nulli sunt inter se pugnantes humores, argumento est, illud corpus anima carere, vt cadauer, eóque non amplius humanum corpus esse: aut esse gloriosum, vti futura sunt nostra in cœlo corpora. Idem de Ecclesia, optimè concludi nemo non videt, vti de principio huiusce epistolæ ostendi.

H. ZANCHIVS.

Magnifico & Clariss. viro D. IOHANNI CRATONI, *Cæsar. Maiestat. Medico, Domino colendissimo.*

S. Nullum mihi tecum, χαίρειν Crato, institui certamen. Non est igitur, cur simus de victoria solliciti. Feci officium meum, facturus etiam posthac, cùm sese offeret occasio, sed citra æmulationem victoriæ. Gratissima verò fuit hominis illius εὐχαριστία. Fuero igitur prudens. Quod scribis de opinionibus, non intelligo, quia memoria excidit, quid rogaris. Neque hoc mihi vertas velim vitio. Neque enim ex tui obliuione: sed ex negotiorum & curarum multitudine, orta est illius petitionis obliuio.

Ad realem, qua de scribis, communicationem quod attinet; si ea ita realis intelligatur, qualis est Regni, cùm illud per legitimam sceptri exhibitionem, alicui traditur: & qualis fuit Spiritus Sancti, per flatum Christi in facies Apostolorum: & qualis est sponsi, per traditionem annuli, cum sponsa vnio, tametsi vnus in Gallia sit, alter in Germania: fiunt enim tunc reuera duo in vnam carnem, imò qualis est solis, cum oculis nostris per suam lucem: si talis, inquam, intelligatur realis communio: non est, cur indicem loca, quibus oppugnetur, sed potius argumenta, quibus confirmetur: quanquam hoc necesse non est, apud te virum & doctrina, & pietate celeberrimum.

Quid enim certius est, quàm per exhibitionem panis, tanquam per Symbolum Sacramentale, in Cœna Domini reuera corpus Christi, tametsi in cœlo manens, eóque & confirmatum illius sanguine fœdus nouum, fidelibus communicari: ita vt non minus vtrumque fiat nostrum, quàm noster est panis, quem accipimus atque edimus. Apertissima enim sunt verba, *Accipite, edite: Hoc*, (panis scilicet) *est* (Sacramentaliter) *corpus meum*: (verum scilicet, quippe) *quod pro vobis frangitur*. Et, *Hic calix Nouum Testamentum est* (Sacramentaliter) *in meo sanguine*, (confirmatum.) Quid illo etiam Apostoli dicto clarius? *Panis quem frangimus, nónne communio corporis Domini est?*

Vt igitur sponsa Regis in Gallia degentis, reuera accipit Regem ipsum & vna fit cum illo caro, etiamsi corporaliter inter se nondum coniungantur: sic fidelis accipiendo panem & calicem, quæ sibi nomine Christi, imò quæ à Christo ipso, per manum Ministri, quasi è cœlo exhibentur, simul etiam reapse accipit, tanquam reuera sua, corpus & sanguinem Christi, eóque & fœderis confirmationem.

Huc accedit spiritus Christi, qui nos in terra existentes, cum corpore & sanguine Christi in cœlo manentibus, magis ac magis verè coniungit, atque ita verè, vt ipsos etiam fructus huiusce realis communicationis, in nobis sentiamus. Ergo tantùm abest, vt contra hanc realem communionem possim aliquid afferre, vt eam non possim non probare, vel ipsa vitæ, ac sanguinis mei, si opus sit, profusione. Neque te aliter sentire persuasum habeo.

Sed si quis talem proponat realem communionem, qualis à multis fingitur, quasi corpus Christi vel cum pane, vel nobiscum in cœna, dum edimus panem, realiter & sua substantia, coniungatur, & communicetur: nihil est facilius ad refutandum. Manifesta enim sunt argumenta, quæ (vt de aliis taceam) ducuntur à natura corporis finiti, & certo loco circumscripti: ab articulo Ascensionis in cœlum realis atque visibilis: à loco Act. 3. *Oportet Christum cœlo capi, vsque ad tempora restitutionis omnium*, &c. Sed quid ego hæc ad te? Iussisti? pareo. Vale. vltim. Septemb. 70.

ZANCHIVS *tuus*.

H. Zanchij ad eundem de Confessione fratrum Waldensium, & de Eucharistia ægrotis in ædibus priuatis administranda.

CLarissime D. Doctor. Legi & quidem attentè ac diligenter, cum magna animi mei voluptate & vtilitate, quam misisti, fratrum Confessionem. Nam non solum vidi doctrinam vniuersam consentaneam esse cum S.

literis: verùm etiam mihi visus sum videre sinceram verè Christianam cordium ipsorum pietatem, quippe qui scopum in hac Confessione hunc sibi proposuisse videntur, non vt quicquid est in Ecclesia Romana, totum illud ab ipsis vsque fundamentis sine vllo discrimine (vt faciunt Ariani) penitus subruant atque conuellant: sed vt ad veram & Apostolicam, eoque salutarem pietatis normam, suas exædificent Ecclesias, reiectis reiiciendis; correctis corrigendis, & retentis, quæ retinenda erant: quæ tandem vera est & legitima reformandarum Ecclesiarum ratio. Atque vtinam omnes horum optimorum fratrum exemplo in idem studium incumberemus. Plus certè pietatis, pacis, concordiæ, charitatis, quibus Deus glorificatur, regnúmque Christi promouetur, & in nobis ipsi sentiremus, & in aliis conspiceremus. Et quorsum obsecro, tota sacrosancta Euangelij prædicatio, Sacramentorum administratio, disciplinæ institutio, nisi vt his externis adminiculis sustentati, fulti, adiuti, operante in cordibus nostris Spiritu S. tum in vera fide, & charitate, tum in studio bonorum operum, sanctæque vitæ, quotidie magis ac magis proficiamus, atque (vt inquit Apostolus 2. *Tim.* 3.17.) ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος: Ergo etsi concedam tibi ex parte, quod scribis, in istis plus esse conscientiæ, quàm scientiæ: simpliciter tamen non do. Plus enim isti ἄσοφοι mihi sapere videntur hac sua ignorantia, quàm multi σοφοὶ sua multiplici scientia. Ac de his hactenus. Precor illis fratribus omnem à DEO benedictionem, gratiam, pacem.

De scripto Medici nihil dum respondere possum, quia non vacauit legere. Tantum enim non obruor negotiis. Quare mihi ignoscas rogo.

De quæstione etiam proposita nihil in præsentia habeo, quod dicam, nisi quod tuæ subscribo sententiæ, modo id fiat, cum postulat necessitas, & iis administretur, qui in publicum cum aliis prodire non possunt propter morbum. Quod enim Christus nemini suorum discipulorum denegat, cur nos recusemus ægrotis, qui antequam hinc decedant, illud expetunt: idque non ex aliqua superstitione, sed animi magis ac magis consolandi erigendique caussa? Modò per Ministrum Ecclesiæ id fiat, idque legitimè; præsenteque & Cœnam simul sumente Ecclesia domestica, & aliis etiam, si fieri possit, neque in abusum conuertatur: Ego tecum non video, cur fieri id non possit. Certè Iustinus in Apologia narrat, hanc fuisse Ecclesiæ veteris consuetudinem, vt etiam ad absentes deferretur Eucharistia. In Cœna Christi, non aderant omnes qui credebant in eum, id est, tota Ecclesia, sed tantum quos secum habebat discipulos. Tenenda tamen semper est regula, ***multa licere, quæ neque vbique, neque omnibus expediunt***: atque hac de caussa probati non posse Ecclesias, quæ vt abusum huius rei tollerent, consuetudinem etiam antea receptam, sustulerunt. Alias fortassis de his plura. Nunc valde sum occupatus. Vale optime & obseruande D. Doctor.

Tuus ad omnia paratus
H. ZANCHIVS.

H. Zanchij ad eundem de libello IODOCI HARCHII *Medici de Cœna, iudicium.*

SConfirmata sinceraque amicitia, opus non habet officiosis literis, apud illos præsertim, qui multis grauissimisque negotiis occupati detinentur. Talem autem esse amicitiam nostram, persuasum habeo. Quod ergo non scripserim literas, vitio mihi non vertes, confido: cùm res ipsa postulat, negligere non possum.

Perlegi tandem inter deambulandum, & in montibus libellum illum Medici. Probo, quod Transsubstantiationem oppugnet, & vbiquitatem, crassamque veri corporis Christi cum pane coniunctionem. Sed quod ipse porrò fingat, propter præsentiam Deitatis τοῦ λόγου, panem esse veram Christi carnem, idque virtute & δυνάμει, nescio qua, antequam à nobis comedatur: reipsa verò & actu, postquam comestus est, neque tamen hanc carnem, & hoc corpus, esse illud ipsum, quod est in cœlo, sed diuersum: (sic enim mihi sentire videtur, ni fallor) merum est somnium. Neque enim de alio corpore Christus loquebatur, cùm dixit, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur*, quam de illo, quod è virgine natum, cruci deinde affixum fuit, & denique in cœlum subuectum est. Restat ergo, vt panis sit verum Christi corpus, corpus, inquam, illud, quod pro nobis traditum est in mortem, & quod iam in cœlo sedet ad dextram Patris: non autem aliud & diuersum ab hoc: sed de modo, quo sit verum corpus Christi panis, quærendum est. Non est Physicè & per transsubstantiationem: non est per localem inclusionem, aliamve crassam vnitionem. Omnes enim hi modi satis abundè & perspicuè refutati a nostris fuerunt, tanquam absurdi & cum S. literis minimè consentanei. Sed quo modo? Eo quo potest esse, & quo modo etiam alia Sacramenta, tam Veteris, quàm Noui Testamenti, dicta fuerunt esse id, cuius symbola erant: nempe Sacramentaliter. Sacramentum enim instituebat Dominus corporis & sanguinis sui: *Panem* ergo vocauit *corpus suum*, corpus, inquam, illud, quod pro nobis in mortem traditum est: ac proinde panis, verum Christi corpus est, sed sacramentaliter: vnde & nonnulli, *panem* vocarunt *corpus Christi Sacramentale*. Cùm verò *sacramentaliter* dicimus: non excludimus rem ipsam, a Sacramento: quanquam sacramentum seu Symbolum in terris sit, corpus autem Christi in cœlis, sed sicut verè vnum, sic etiam verè alterum in Cœna offertur Ecclesiæ: & sicut vnum verè percipitur ore corporis, & exterioris hominis, sic etiam alterum ore fidei, & interioris hominis, vt tam dubitandum non sit fideli, quin sit ipse in Christo, & Christus in se, quàm etiam dubitare non potest, quin panis à se comestus in se sit, inque suam vertatur substantiam. Verè autem ille comedit carnem Christi, qui credit, carnem illam pro se fuisse crucifixam, & pro tali eam agnoscit & amplectitur, recipitque fide, & ore spiritus: ex qua fide, fideique ac spirituali manducatione, sequitur vnio cum Christo in cœlo regnante: Sic Christus docet, qui primo ait: *Qui manducat meam carnem* (qualem scilicet dat edendam, nempe vt crucifixam & pro nobis mortuam) postea subdit effectum huius manducationis, dicendo: *in me*, (viuente & viuificante) *manet: & ego in illo*, per nexum scilicet spiritus sui. Neque aliter intellexerunt Patres mysterium hoc: quanquam Medicus torqueat illorum dicta, ad suum nouum, & a se fabricatum Christi corpus. Vale.

T. Zanchius.

H. ZANCHII

Ad varias quæstiones eiusdem

RESPONSIO.

MIhi vero nihil est optatius atque iucundius, quàm talibus viris, qualis est excellentissimus Crato, gratificari. Nunc intelligo quod scripseras de variis opinionibus. Curabo mihi dari libellum, & vbi perlegero, faciam quod petis.

De proprietatum diuinæ Naturæ cum humana in Christo communicatione, vnde Aduersarij struunt suam πανταχουσίαν, ita doctè disputatum est ab Vrsino nostro in protocollo; contra Iacobum Andreæ, vt nihil iis, quæ ibi dicta sunt, adiici posse videatur. Item piæ etiam & eruditæ extant Theses de hac re, disputatæ Wittenbergæ. Illud verò principium ego in hac disputatione assumo, quo nihil est in ipsa etiam Philosophia certius: *Nihil vbique esse posse nisi sit infinitum: & ea tantum parte vbique esse, qua est infinitum:* si οὐσίᾳ, οὐσίᾳ: si δυνάμει, δυνάμει: si ἐνεργείᾳ, ἐνεργείᾳ. Quare si vbique corpus Christi sua οὐσίᾳ, infinitum sit οὐσίᾳ, necesse omnino esse. Neque aliter probarunt Deum vbique esse sua essentia, nisi quia eius essentia, immensa & infinita est.

Wittenbergenses eiusos esse silere, credo, sed non opera Iacobi Andreæ, verum quoniam Principes (vt audio) hic decreuerunt colere inter se amicitiam, & occasiones dissidiorum tollere, quorum maiorem partem dant morosi & nunquam inter se concordes Theologi.

Ad realem corporis Christi communicationem quod attinet: satis credo perspicue explicata est mea in epistola, quam ad te dedi, sententia, quæ eadem est cum aliis piis Doctoribus, qui de hac re rectè senserunt. Disertè enim affirmo, realem fieri inter Christum & nos coniunctionem, per ipsius spiritum. Illud etiam, *Nos fieri os ex ossibus eius, & carnem de carne eius*, non intelligo quoad substantiam. Contrà potius Christus factus est *Caro de carne nostra & os de ossibus nostris*, quia nostram sumpsit carnem, sed nos simus caro de carne eius, quoad (vt ita loquar) qualitatem, seu nouam naturam. Virtute enim Spiritus Christi, qui nobis cùm aliàs, tum maximè in Cœna communicatur, simus noua creatura, vsque adeo vnimur cum carne Christi, vt nexu huius spiritus non simus multæ carnes, sed vna

vna caro, quemadmodum mysterium hoc explicat Apostolus ad Ephesios. Itaque non est cur putes mi Doctissime, & pietate etiam clarissime Crato, me hanc realem corporis Christi communicationem negare. Familiariter scripsi, perspicuè tamen scio, & piè, neque ab aliis verè piis dissentaneè.

Neque verò sequitur, *si decreta* DEI *incommutabilia sint*, DEVM *igitur notat esse liberum agens*. Ille enim dicitur liberum agens, qui potest, quod vult, & à nemine, quin præstet, quod vult, impediri potest. Quis autem dicat, ideo infirmatam esse Dei potentiam, quia decreta sua vult esse incommutabilia? Dici igitur etiam poterit, si ita liceat argumentari, *Quia Deus non potest mentiri, nec potest esse inconstans: igitur liberum non esse agens.* Ego sic doceo, Deum non posse, quæ cum sua pugnant Natura. Est natura bonus, & summum bonum: Non potest igitur esse malus, aut admittere malum. Est natura verax & veritas ipsa: Non potest igitur mentiri. Est natura immutabilis & constans: Non potest igitur fieri inconstans. Hæc verò non tollunt, aut infirmant liberam Dei potentiam, sed magis Naturam eius confirmant. Liberè decreuit Electos seruare per Christum, liberè etiam illud decretum immutabile esse voluit & vult: & continuus est voluntatis diuinæ actus, eòque semper liberrimus. Quis enim eum coëgit hoc voluisse, & perpetuò constanterque velle? An non etiam nos liberè amat? Amor tamen illius erga nos, incommutabilis & æternus est. Liberè mundum creauit nec potest non creasse, num igitur creator est non liber? sic quæ decreuit ac voluit, vt liberè semel voluit, sic eadem liberè semper volt, & ideo incommutabilia sunt Dei decreta. Quare liberum est agens, quia semper liberè vult & agit. Liber enim est ab omni coactione.

Summa: Potest omnia Deus quæ vult, & ita liberum est agens: Et non vult omnia, quæcunque potest: & ideo etiam liberum est agens. Qui enim potest quæ vult, & non vult omnia quæ potest, is verè liberum est agens. Potest autem Deus omnia sua decreta perficere, & non vult sua decreta esse mutabilia. Tantum igitur abest, vt quia incommutabilia sunt decreta Dei, sequatur Deum non esse liberum agens, vt contrarium potius euincatur.

Quod ais *precibus moueri DEVM*, ἀδιανόητόν est, quam si tollamus è scripturis, quæ impietates, & quot pugnantia non è scripturis colligentur?

Certè Deus apertè ait, *se non mutari, nec moueri.* Effecta igitur mutantur, & nos mutamur, non Deus. Neque exempla, quæ è scripturis adfers, euincunt Deum mutari, aut eius decreta esse mutabilia, imò contrarium. Deus enim non solùm statuerat & patere per id tempus populo, & Ezechiæ annos addere 15. & Niniuen seruare, sed etiam talibus mediis hæc omnia præstare: precibus scilicet Mosis, Ezechiæ, Niniuitarum. Proinde, vt decretum de fine impleretur, voluit etiam decretum de mediis impleri.

At aliter pronunciat per suos Prophetas, *Morieris, Niniue subuertetur.* Primò conditionalis est comminatio, nisi resipiscant. Secundò, si velis esse Categoricam, vera erat & certa in caussis secundis, quibus spectatis, non poterant non illa sequi effecta. Sed aliter se habebat res in æterno Dei consilio, quod omnino incommutabile erat. Idcirco vt hoc suum haberet complementum, excitauit Mosen per se, & Ezechiam per Iesaiam, & Niniuitas per Ionam, ad preces & adresipiscentiam. His enim mediis ante mundi constitutionem ordinatis, perficienda erat illa incommutabilitas: Ergo nihil Electis iucundius & salutarius est. Ignosce quæso meæ verbositati, & quidem incultæ. Scito me ideo ad te tam familiariter scribere, vt intelligas me cupere non alium esse tecum, quàm cum Vrsino sum. Commendo hunc adolescentem, qui has reddet. Vale. Heidelb. 14. Septemb. 1570.

T. H. ZANCHIVS.

H. Zanchij ad Illustrem & Generosum Comitem à Wittigenstein, summum Aulæ Magistrum.

SPerlegi semel & iterum, Magnifice & Generose D. Comes, nostri Pistorij scriptum. Acutum quidem illud est, atque eruditum, & verò etiam satis modestum, quanquam non caret aculeis: sed simul etiam callidum est: quo ita defenditur ipsissima *Lutheri* sententia, de carnali tantùm præsentia, cum manducatione impiis etiam communi, vt nisi quis diligenter & attentè subtiles strophas obseruet, huic facilè falsitas pro veritate persuaderi possit. Ea enim quasi extra controuersiam posita, callidè supponit, quæ si quis concedat, inde ipse quod volet, manifestè euincet. Summa est: In verbis Christi talem esse synecdochen, qua significetur verum Christi corpus ita esse cum pane, in ipso vsu Cœnæ, realiter, quanquam ratione supernaturali & incomprehensibili, coniunctum, vt qui panem edit, idem etiam corpus Christi, & eodem planè modo, edat, nempe tam impius, quàm pius, & ore corporis. Est igitur cautè legendum. Illud perplacet, quòd non solùm Transubstantiationem egregiè confutat: verùm etiam Vbiquitatem apertè damnat, argumento à verbis Lutheri ab vtraque parte receptis, ducto: nempe, *extra vsum Cœnæ, nullam esse corporis Christi in pane præsentiam:* non esse igitur vbique, nec semper iisdem in locis sua substantia.

Videtur mihi Pistorius ad sententiam Buceri voluisse accedere, sed Bucerus & *oralem* (vt vocant) & impiorum manducationem non probauit.

Habes Generosissime Domine Comes, meum in genere de scripto D. Pistorij iudicium. Si verò aueas, quid in eo speciatim improbem, & quid probem, audire: faciam id perlubenter, & quidem scripto, modò de tua voluntate me facias nutu saltem aliquo certiorem. Nihil enim mihi optatius est, quàm vt tibi possim gratificari & inseruire. Dominus Iesus T. G. cum tota nobilissima familia seruet. Retineo scriptum, vt si velis illud à me perstringi, & breuiter refutari, perficere id possim. Vale. 29. Decembr. Anno 74.

T. G. Obseruantissimus
H. ZANCHIVS.

H. Zanchius Iohanni Wolfio de EXCOMMVNICATIONE. S.

EGregium dices me esse hominem; qui literis tuis. Decembri præteriti anni datis, nondum, nisi nunc primum, hoc est post 4. menses respondeim. Sed in caussa fuit, quod perpetuò exspectaui, dum veniret ad me Fabricius ille, cui optabis à me dari testimonium. Sed nunquam venit. Æquitas igitur postulat, vt me habeas excusatum.

Quidni vero amicus esse debeam Erasto, & per se amabili, & de me bene merito? Cæterùm quod multa contra disciplinam sint scripta, & ea huc atque illuc, per totam ferè Europam transmissa: quasi vero hic excitatum à nobis fuerit dissidium de inuehenda excommunicatione, & de nescio qua forma disciplinæ iis nostris Ecclesiis inutili, & vero etiam tyrannica: vehementer doleo, & dolui Principi, ac bonis omnibus. Tantùm enim quædam Theses fuerunt propositæ (vt fit) ad disputandum, quas & credo vos vidisse, & non posse improbari viris piis, confido. Aduersus has scriptum est, non priùs collata re, cum iis, cum quibus debebat amicè, & hæc sparsa atque disseminata. Actionem hanc non possum probare. De re ipsa nondum disputo. Hoc certum est, non fuisse, vt videris persuasus, quæstionem neque de forma disciplinæ: neque an expediat his Ecclesiis, talem introducere disciplinam, qualis habetur alibi: sed duæ sunt theses, & hæ impressæ, aduersus quas est scriptum, & quas quidam dixerunt in disputatione, esse noua dogmata, alij protestati sunt, pugnare cum S. literis. Earum prima hæc est:

Ad sinceram verbi diuini prædicationem & legitimam Sacramentorum administrationem, oportet in Ecclesia gubernationis vigere officium.

Altera: *Officium autem hoc voco, vt Ministri cum Presbyterio, quosuis peccantes (etiam Principes) arguendi, increpandi, excommunicandi, reliquaque ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentia, peragendi facultatem & habeant, & exerceant.*

Ego quid in his insit mali, non video: multò minus tam esse impias, vt pugnent cum verbo Dei, vt debeant vocari noua dogmata; & denique, vt aduersus illas tam acerbè fuerit scribendum.

Non posse colligi excommunicationem ex Matth. 18. neque ex 1. Cor. 5. ego nunquam ausus fuissem dicere, multo minus scriptis euulgare, quando hoc dici non possit sine omnium tam veterum, quàm recentiorum Interpretum iniuria. Neque etiam video, si à Cœna arcendi sunt illi, qui dissentiant in aliquo vel in aliquibus præcipuis Christianæ religionis capitibus, cur arceri etiã nõ possint &

debeant homines palam scelerati, & in manifestis flagitiis, cum scandalo Ecclesiæ, pertinaciter & contumaciter viuentes, quando non minùs apertè declarent ij, se non esse discipulos Christi, quàm illi, & non minus luculenter in factis, quàm illi verbis testificentur, se Deum non nosse, & infideles se esse, atque adeo etiam infidelibus deteriores. Ac si Christus neminem eorum, qui *fratres* appellantur, excipit, quin si peccent, corrigi, ac tandem etiam, si Ecclesiam non audiant, excommunicari debeant, quid caussæ sit, cur nos debeamus excipere Magistratus, quatenus & ipsi inter fratres connumerantur, ego planè non video, nisi velimus iniquissimam Papistarum quorundam sententiam confirmare, Papam, quia maximus est omnium Principum, & caput, vt vocant, Ecclesiæ, excommunicari non posse. Vt vos ingenuè fatemini disciplinam esse in Ecclesia necessariam: ita nemo nostrum negat in administranda disciplina, prudenter agendum esse, & quid Ecclesiæ vtile sit, diligenter expendendum, ne dum volumus ædificare, destruamus: ac proinde de hac re, neque de forma disciplinæ, aut vtrum eadem seueritate in omnibus Ecclesiis vtendum sit, qua in aliquibus, nulla apud nos instituta est disputatio, aut excitata quod sciam controuersia: vt vehementer miter, cur hæc de nobis scribantur & spargantur. Sed Dominus ex malis nostris, bonum etiam pro sua clementia colliget, & omnia in suam gloriam, & salutem ædificationémque Ecclesiæ conuertet. Interim precemur, vigilemus, fidem & charitatem seruemus: neque nobis ipsi ita placeamus, quasi nihil desiderari in nobis amplius possit: sed sicut prudenter scribis, agnoscamus multa superesse, quæ opus habeant reformatione: quanquam nos propter mala tempora emenda: e omnia non possimus: ac proinde rogemus Dominum, vt ipse ea corrigat. Certè plus satis licentiæ sibi sumunt homines, quam vt debeamus committere, vt vlla ratione videamur ipsorum flagitiis patrocinari: præsertim vbi Magistratus æquo sunt clementiores. Dominus igitur nobis adsit. De rebus nouis quod scribam, nihil habeo certi, & te dignum. Quare vale optime & Doctissime frater.

H. Zanchij ad Illustrißimum Principem FRIDERICVM III. *De Excommunicatione.*

ILlustrissime & Clementissime Princeps, 24. huiusce mensis Octobris, accepi literas ex Cancellaria, nomine tuæ Celsitudinis exaratas. Per has primum significabatur desiderium, voluntas, cura, quibus teneris, Regni Christi, magis ac magis, in tota hac tua amplissima ditione promouendi & repurgandi. Deinde à me petebatur, vt ad has quatuor respondeam quæstiones, idque quàm primùm.

I. *Per quos debeant fieri admonitiones priuatæ.*

II. *In quibus casibus necessaria sit excommunicatio.*

III. *An, & qui casus excommunicationis, in S. literis extent.*

IV *Qua ratione alia, ædificatio & propagatio Ecclesiæ iuuare possit, cum omnibus necessariis circumstantiis.* Sic enim mihi, qui Germanicè parum admodum intelligo, explicata fuit illarum literarum summa.

Ego primùm gratulor tibi, Illustrissime Princeps, istud tuum studium, piúmque conatum. Facis enim officium non tam boni Christiani, quàm verè pij & optimi Principis. Nam tenemur quidem omnes pro sua quisque virili & rata parte, Regnum Christi promouere, cùm omnes simus eius ciues: sed hoc cum primis officium est Principum & Magistratuum, quemadmodum multis & autoritatibus & exemplis piorum Regum, Dauidis, Asæ, Ezechiæ, Iosuæ & aliorum abundè demonstrari potest. Quò etiam spectat illa adhortatio: *Nunc ergo sapite, ô Reges: erudimini Iudices terræ: seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Osculamini filium, ne irascatur, & pereatis è via quum exarserit ira eius.* Minatur verò omnibus iram Dei: sed inprimis Regibus & Principibus, qui non se totos subiiciunt Christo, & illius Regnum instaurare, tueri, conseruare, & propagare negligunt.

Illud autem, quo Regnum hoc Christi, instauratur, conseruatur, propagatur, est sacrum, seu vt vocant, *Ecclesiasticum Ministerium*: cuius Ministerij & quidem totius, non functio, sed cura penes Principes esse debet, vt in exemplis piorum Regum Iuda, imò ante hos, in ipso Mose, videre est. Is vt Princeps & dux totius populi, curam inprimis ex mandato Dei, suscepit Religionis, & totius sacri Ministerij. Ipsam verò Ministerij functionem, à politico separauit, & vnam sibi reliquit, alteram Aaroni Pontifici, eiusque liberis, ac Leuitis iniunxit.

Porrò sacri ministerij tres sunt partes: Christi tum doctrinæ, tum Sacramentorum dispensatio, tum etiam disciplinæ administratio. Has tres partes simul coniunctas, hoc est totum sacrum Ministerium Christus Apostolis, eorumque successoribus iniunxit, ad Ecclesiam conseruandam, ampliandam, regendam.

Quàm necessaria sit ad salutem electorum promouendam doctrinæ, & Sacramentorum dispensatio, satis notum est. Quam verò disciplinæ etiam administratio, sit non tam vtilis, quàm necessaria: non fuerit opus multis rationibus, si persuasi simus, nihil à Christo, qui omnia egit & docuit propter nostram salutem institutum fuisse in sua Ecclesia, quod non faciat ad nostram salutem promouendam. Tota enim doctrina Christi, doctrina est salutis æternæ.

Sed præter hoc fundamentum, annon luculenter appareat quàm necessaria sit disciplina, ab ipsius officio & fine? Officium est, præter alia, corrigere fratres peccantes, & si ad solam correctionem non resipiscunt, pœnitentiæ vinculis, instar ferarum, quæ non alia ratione possunt domari, ligare, & postquam resipuerint, soluere, inque Ecclesiæ corpus denuò recipere.

Finis verò est, salus fratrum, ædificatio Ecclesiæ, gloria Dei. Illud certum est, Ministerium ipsum verbi & Sacramentorum, diu purum custodiri sine disciplina non posse. Sunt enim omnes hæ Ministerij partes ita inter se connexæ, vt vna sine altera conseruari minimè queat. Ita fit, vt qui promotum velit Regnum Christi, necessariò illi danda sit opera, vt totum Ministerium locum habeat in Ecclesia: & hic seruetur illud Dei mandatum, *Ne addas, neque imminuas.*

Ergo quòd T. C. Illustrissime Princeps, post restitutum puræ doctrinæ Euangelicæ Ministerium, & post repurgatam Sacramentorum dispensationem, nunc etiam serio animum adieceris, ad tertiam S. Ministerij partem, in tuas Ecclesias introducendam; non possum non vehementer istud sanctissimum T. C. propositum & studium laudare, & tibi tuisque Ecclesiis omnibus gratulari. Facis enim rem non tantùm te & tuo officio dignam, verùm etiam Deo gratissimam, nobis salutarem, toti tuo populo necessariã. Atque vt nullo modo finas te à suscepta cogitatione & firmata sententia, vllis humanis rationibus dimoueri, ego vt seruus Christi, & fidus T. C. famulus, supplex oro atque obtestor. Nam quòd nonnulli, boni alioqui & docti viri dicunt, *Non expedire hoc tempore disciplinam introducere; & esse nunc alia tempora, quàm fuerint, cum hæc disciplina vigeret in primitiuis Ecclesiis*; miror horum fratrum consilia: quasi verò Christus aliquid instituerit in Ecclesia, quod non sit vbique & omnibus temporibus, ad æternam salutem vtile, ne dicam necessarium. Certè qui amat Christum, & cui curæ est electorum salus, is curabit vt totum Ministerium, sicut ab ipso Christo institutum fuit, sic etiam in Ecclesiam restituatur. Hunc, hunc Filium audite, dixit Pater, nempe non in vno & altero, sed in omnibus. Nam si maledictum pronunciauit illum Deus, qui non mansisset in omnibus verbis legis per Mosen datæ, quantò magis maledictus fuerit, qui non hæserit in verbis Filij Dei omnibus? Disciplina igitur est ipsa quoque postliminio reuocanda.

Sunt autem partes eius tres: vna pertinet ad vitam & ad mores: & hæc consistit in priuatis admonitionibus, de qua Christus Matth. 18. *Si peccauerit in te frater*, &c.

Altera pertinet ad excommunicationem, & ad publicam pœnitentiam iis, qui in grauiora peccata lapsi sunt, & contumaces sunt in Ecclesiam, & iisdem, postquam egerint pœnitentiam soluendis: de qua parte Christus ibidem: *Si non audierit Ecclesiam, sit tibi velut Ethnicus & publicanus, &c. Et quæcunque ligaueritis in terra, erunt ligata in cœlo*, &c.

Tertia verò pertinet ad sacras Ceremonias, de quibus passim in scripturis, præsertim in epistolis Pauli ad Corinthios, ad Timoth. & alibi.

De iis omnibus maturè erit deliberandum, Illustrissime Princeps, si velis, vt Deus suas ergà te, tuámque familiam, Aulam, totúmque populum, continuet benedictiones: &, si cupis, antequam hinc ad Dominum migres, tuas videre Ecclesias verè ex Euangelio reformatas.

Cæterùm, quia de duabus tantùm prioribus partibus quædam à me petiisti, idcirco aliis omissis, ad quatuor tantùm propositas quæstiones, breuiter nunc mihi respondendum est.

Ad

Ad primam, *per quos debeant fieri admonitiones priuatæ.*

Illud in primis retinendum est, discrimen esse inter politicum Magistratum, & Ecclesiasticum Ministerium. Disciplinam autem ostendimus, partem esse S. Ministerii. De Magistratibus igitur, eorúmque officiis hic nihil mihi est differendum, sed tantum de S. Ministerio.

Ad quæstionem igitur, vt respondeam, hæc prima esto propositio.

I. *Cuius vis Christiani hominis est, si fratrem viderit peccantem, illum ex charitate, & in spiritu lenitudinis, monere corrigere: idque vt resipiscat & seruetur.* Docet hoc Christus Matt. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade & argue eum inter te & ipsum solum.* Et huc pertinet illud Leuit. 19. vers. 17. *Ne oderis fratrem tuum, &c. sed corripiendo corripe eum.*

Est etiam locus Gal. 6. & 1. Thess. 5.

Sed longius progreditur Christus, cùm ait: *Adhibe duos vel tres testes.* Item, *Si hos non audierit, dic Ecclesia.*

II. Secunda propositio. *Etsi cuiusuis Christiani hominis est, fratrem siue in doctrina ac fide, siue in moribus ac vita peccantem corrigere, & in viam salutis reuocare: hoc tamen speciatim est Presbyterorum, qui Ecclesiæ præsunt gubernandæ:* de quibus Actor. 14. Rom. 12. 1. Corinth. 12. 1. Timoth. 5. Tit. 1. Heb. 13.

Quia enim priuati Christiani in hac disciplina exercenda plerumque non parum cessant, idcirco instituti fuerunt Presbyteri, qui hoc cum primis facerent officium, vt inuigilarent gregi, obseruarent cuiusque mores, & eos corrigerent. Hi sunt illi Episcopi & speculatores, de quibus passim in Scripturis apud Prophetas: & quibus etiam dixit Apostolus Actor. 20. *Attendite vobis, & vniuerso gregi.* &c. De horum officio, Ezech. 3. *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel,* &c. Horum omnium erat ita esse in S. literis institutos & exercitatos, vt possent vnumquemque monere, docere, hortari, consolari ex verbo Dei, tametsi non omnes in Ecclesia publicè & ordinariè docerent.

Horum igitur duo erant genera: Vnum eorum, qui tantum præerant cum aliis Ecclesiæ gubernandæ, sed Ministerium verbi in templis, ordinariè non exercebant. Alterum eorum, qui præter hoc, laborabant etiam in verbo & doctrina, vt loquitur Apostolus De vtroque genere 1. Timoth. 5. Illi enim ex sancta plebe, iis verbi & Sacramentorum Ministris, ad regendam Ecclesiam addebantur.

De his D. Ambrosius in 1. Timoth. 5. *Vnde & synagoga & postea Ecclesia, seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur in Ecclesia. Quod quam negligenter obsoleuerit, nescio: nisi fortè Doctorum desidia, aut magis superbia, dum soli volunt aliquid videri.* De iis ante Ambrosium Tertullianus in Apologetico cap. 39. vt de reliquis Patribus taceam.

Horum omnium senatum, *Presbyterium* appellauit Apostolus, 1. Tim. 4.

At certè, quam vtiles & necessarij sint huiuscemodi Seniores, qui Ministris verbi & Sacramentorum, tanquam coadiutores & consiliarij adiiciantur, non solum inde apparet, quòd Spiritus sancti nihil frustra aut inutiliter in Ecclesia instituit, sed inde etiam, primùm quòd Pastores verbi, non soli possunt toti Ecclesiæ inuigilare, & quomodo quisque viuat, obseruare, monere, consolari. Tu ipse Princeps Illustrissime, in rebus politicis non agis solus, nec tuo fidis iudicio, sed sapientissimos quosque, idque prudentissimè facis, deligis, qui te consilio & opera iuuēt. Imo in singulis etiam pagis prætoribus, in administratione ciuili, consiliarij adhibentur & assessores, quantò magis id fieri debet in gubernatione Regni Christi, in quo agitur salus animarum? Deinde, ipsi quoque Pastores opus habent correctione: ac plerumque ij solutioris sunt vitæ, quàm reliqui; idque cùm non habent, à quibus ex officio corrigantur. Postremò, plerumque fit, vt pastores, vel propter iuuenilem ætatem, vel aliis de caussis, parum valeant apud suum populum autoritate, ac proinde illorum admonitiones non tanti sint ponderis, quanti seniosis alicuius. Propter has & alias caussas, solita semper fuit Ecclesia, pastoribus verbi adhibere seniores, viros scilicet graues, & dono gubernandi præditos, qui Pastoribus adsint in cura singulorum gerenda, & vrgenda Christi disciplina.

Horum igitur est, vt dixi, ex officio, ab Ecclesia sibi imposito, cum primis obseruare cuiusque mores, & domatim ac singulatim fratres monere sui officij, & si peccent, corrigere.

III. Tertia propositio: *Quòd si fratres non resipiscunt priuatis horum admonitionibus: ad extremum officium fuerit totius Presbyterij, nomine Ecclesiæ significati, tales accersere fratres, & coram toto cœtu Presbyterorum, obiurgare, corrigere, monere.*

Docet hoc Christus, cùm ait: *Quòd si non audierit Ecclesiam,* &c. Iudicat igitur officium Ecclesiæ esse, talem fratrem, qui priuatis vel aliorum fratrum, vel vnius aut alterius Presbyteri admonitionibus, emendari non potuerit, monere & corrigere.

In hoc autem cœtu vtile fuerit, si vnus aut alter fuerit nomine ipsius Magistratus, seu Principis Christiani. Verum, cuius est verbum in templo prædicare, eiusdem etiam est in primis, in ipso Presbyterio, ex verbo Dei monere & corrigere, vt in rebus omnibus ordo, vt præcipit Apostolus, seruetur.

AD ALTERAM QVÆSTIONEM.

In quibus casibus necessaria sit excommunicatio.

Cum hac secunda coniungo & tertiam: *An & qui casus excommunicationis, in S. literis extent.*

R. Ex iis quæ dicta sunt, ex Matth. 18. de disciplina à Christo instituta, liquet: Principiò, vnum esse casum, in quo solo, & propter quem solum meritò quis debeat excommunicari, nempe, cum fratres, qui in grauia peccata prolapsi, admoniti ab Ecclesia, nolunt resipiscere, sed in eam, eoque in Christum, cuius nomine, & in eius verbum, ex quo fuerunt admoniti, sunt contumaces. Sic enim ait Christus: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi vt Ethnicus & publicanus.* Dico, *solùm ob hanc caussam*: quoniam nunquam dixit Christus, *Esto tibi vt Ethnicus, etiamsi à multis monitus noluit resipiscere*; nisi postquam dixit; *si non audierit Ecclesiam.*

Dico, *meritò*, quoniam qui contumax est in Ecclesiam, eoque in caput Ecclesiæ Christum eiusque doctrinam, non amplius pertinet ad Christum, & ad corpus Ecclesiæ. Conculcauit enim Filium Dei, & eius iugum à se abiecit, & pietatem negauit.

Deinde, liquet, de qua contumacia loquatur Christus, & propter quam aliquis sit excommunicandus: non de illa tantùm, qua quis in falsa tantum doctrina: sed qua in quouis scelere pertinax est & contumax. Non enim dixit, *si frater tuus peccauerit in te in falsa tantùm doctrina,* sed generatim, *si peccauerit in te,* nempe quouis peccati genere te offenderit & scandalizauerit. Ac proinde, luculenter apparet, non tantùm propter pertinaciam in falsa doctrina, sed etiam propter pertinaciam in aliis quoque sceleribus, qui fratres appellantur, esse excommunicandos.

Eadem doctrina traditur ab Apostolo 1. Cor. 5. à vers. 9. vsque ad finem capit.

Extant etiam huiusce rei exempla in scripturis. 1. Corint. 5. de incesto homine. Neque est, cur hoc exemplum quis reiiciat, quasi ad excommunicationem non pertineat. Nam ex contextu euincitur, Apostolum de excommunicatione locutum fuisse: & confirmatur interpretatione omnium tam veterum, quàm recentiorum interpretum, tam Helueticorum, quàm Saxonicorum, & Gallicanorum.

Item 1. Thess. 3. de illis, qui ἀτάκτως versabantur inter fratres, hoc est de otiosis & maleferiatis hominibus. Item ibidem de illis, qui non obtemperant sermoni Apostolico.

Num. 12. Maria, Mosis soror, quia contra Mosen oblocuta, Deus eam duplici affecit pœna, lepra, & eiectione extra castra. Hæc fuit excommunicatio. Nec est, quod quis dicat, propter lepram tantùm fuisse iussam manere extra castra. Ex contextu enim apparet; Deum voluisse peccatum Mariæ toti populo patefieri hac ratione, & eam pudefieri, ad resipiscentiam, excommunicatione scilicet ab Ecclesia.

Deinde, si propter lepræ immunditiem non poterat quis esse in castris, quantò minus propter immunditiem spiritualem, peccatum? Hoc præceptum Deut. 23. v. 10. *Pollutus pollutione nocturna, iubetur exire extrà castra: vesperi lauari, & redire.*

Summa: Omnes illæ leges, de legaliter immundis à populi consortio arcendis, concludunt argumento à comparatis ducto, multò magis è cœtu fidelium spiritualiter, hoc est sceleribus & apertis iniquitatibus immundos, esse arcendos. Si enim immundi erant, exempli caussa, qui nocturno semine contaminabantur inscij & inuiti à nnon-

igitur fuerit immundus, qui sciens ac volens scortatur, & in adulterio perseuerat? Illi autem arcebantur extra castra.

Habet igitur doctrina hæc de excommunicatione, propter pertinaciam in quouis scelere, & aperta scripturarum testimonia, & illustria exempla in vtroque Testamento. De Patribus non est cur afferam ex illis testimonia, aut ex Ecclesiasticis historiis exempla, quoniam nemo est, qui hoc inficietur.

Hinc verò necessariò consequitur, non solùm qui sint malæ & hæreticæ doctrinæ homines, sed etiam qui sunt sceleratæ vitæ, inque illa pertinaces, à Cœna Domini esse arcendos. Si enim hi sunt excommunicandi: sunt igitur à communione fidelium, in omnibus, quæ ad religionem pertinent, separandi, cum nullam amplius partem habeant in Regno Christi.

Hoc verò infinitis rationibus confirmari abundè potest. Sed in præsentia contentus fuero illis, quæ apertè deducuntur partim ex loco Matth.18. vbi de disciplina & excommunicatione differitur: partim ex duobus Apostoli locis, vbi de Cœna agitur, nempe 1.Cor. 10 & 11.

Primum igitur argumentum Matt.18.

Contumaces in Ecclesiam habendi sunt pro Ethnicis & publicanis. Vt igitur Ethnici aut publicani, ad mensam Domini admitti non possunt: neque etiam in manifestis peccatis pertinaces.

Confirmatio. Contemtores enim Christi, ad Cœnam admitti non debent Christi. Est enim Cœna Symbolum amicitiæ. Atqui contemtores Ecclesiæ, contemtores etiam Christi sunt, Matt.10. *Qui vos spernit, me spernit.*

Secundum, 1.Cor.10. *Vnum corpus* (inquit) *multi sumus: Omnes enim de vno pane, & de vno calice participamus.* Docet apertè, ad illos tantùm pertinere, participare de vno pane, & de vno calice Domini, qui de corpore sunt Ecclesiæ, eóque viua Christi membra.

At tales, de quibus quæstio est, non sunt amplius de corpore Ecclesiæ, & viua Christi membra.

III. *Non potestis bibere calicem Domini & calicem Dæmoniorum.* Argumentum est à repugnantibus. Qui communionem habent cum Dæmoniis, κοινωνίαν cum Christo vero Deo habere non possunt. *Quæ enim communio Christo, & cum Belial?* 1.Cor.6. Qui autem participant mensæ Dæmoniorum, κοινωνίαν habent & colunt cum Dæmoniis: sicut qui Cœnam Domini dignè percipiunt, κοινωνίαν habent cum Christo. Ergo non potestis bibere poculum Domini, & poculum Dæmoniorum.

Hinc verò efficitur, ad Cœnam Domini admittendos non esse, qui communionem habent cum Dæmoniis, & eorum sunt mancipia, quales sunt omnes impœnitentes: sic etiam ex hoc loco argumentatus est Cyprianus Serm. de lapsis 5. non esse admittendos ad Cœnam Domini, qui sacrificarunt idolis, nisi resipiscentiæ signa edant: quia non possit quis esse particeps mensæ Domini, & mensæ Dæmoniorum.

IV. *An prouocamus ad iram Dominum?*

Docet primùm, non esse prouocandum ad iram Dominum. Deinde, docet etiam prouocari, cum accedunt ad mensam Domini illi, qui communionem habent cum Dæmoniis, vti habent omnes impœnitentes, & præfracti in sceleribus. Hoc est, quod etiam ait infra, *Eos sibi iudicium manducare, qui indignè manducant.*

V. 1. Cor. 11. Cum reprehendisset Corinthios, quòd Cœnam Domini suis odiis & schismatis prophanarent; mox intulit, vers. 20. *Itaque cùm conuenitis in vnum* (nempe hoc modo, vt facitis, cum odiis, & schismatis, ad Cœnam Domini) *non est* (alij, *non licet*) *Cœnam Dominicam manducare.* Vtut quis legat, docet apertè, tem esse pessimam, quòd illi ad mensam Domini admittantur, qui alunt inter se dissidia, & odia, ac sectas. Rationes autem subdit, ab institutione cœnæ Dominicæ ductas. Ac primum quidem ab illis, quibus Christus cœnam administrauit, hoc est discipulis Christi.

VI. Dominus Iesus suos tantum discipulos cœna illa sua sacra excepit, illisque solis panem dedit, dicens, *Edite, hoc est corpus meum.*

Atqui illi non sunt discipuli Christi, qui non colunt inter se charitatem, sed schismata, vt vos, ô Corinthii. Nam Charitas viuum est testimonium, quòd quis sit discipulus Christi. Ioh.13. *In hoc cognoscent homines, quòd mei sitis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem.*

Ergo cum conuenitis in vnum (nempe istis odiis dissecti, non licet Dominicam cœnam edere.

Notandus est diligenter scopus Apostoli in hac obiurgatione, & perpendendum, quò spectent hæ rationes, à cœnæ institutione deductæ: & tum apparebit, nihil minùs voluisse Apostolum, quàm vt permittantur homines malæ vitæ, & mali exempli, ad mensam Domini accedere.

Sequuntur igitur alia argumenta.

VII. *Accipite & edite: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Docet apertè, non esse dandam cœnam, nisi illis, pro quibus mortuus est. Atqui non est mortuus pro perseuerantibus in peccatis. Ij enim, dum ita perseuerant, dant significationem, se esse è reprobis. Est autem mortuus pro electis duntaxat.

VIII. *Bibite: Hic est sanguis, &c. qui effunditur in remissionem peccatorum.*

Quibus condonata sunt peccata, vi sanguinis Christi: iis tantùm præbendum est poculum Domini bibendum. Proinde non nisi baptizati admittuntur, quòd iis confidamus, condonata esse peccata, nisi manifesta impietatis & infidelitatis signa præbeant.

Atqui non sunt condonata iis, qui in peccatis scientes & volentes perseuerant. Nam sine pœnitentia non habetur remissio peccatorum.

IX. *Hoc facite in mei commemorationem*; quòd scilicet pro vobis dederim corpus in mortem, atque ita vos redemerim a peccatis, a morte, & à damnatione, & reconciliarim Patri. Illis igitur duntaxat præbenda est cœna, qui huic præcepto volunt obtemperare, atque ita vera fide recordari Christi & credere, se per Christum esse redemtos. Scelerati & impœnitentes non credunt. Fides enim non est sine pœnitentia, & efficax est per charitatem.

X. Subdit Apostolus: *Quoties enim ederitis panem hunc, & calicem biberitis, mortem Domini annunciabitis donec veniam,* mortem scilicet, per quam reconciliati sumus Deo. Docet, cœnam, quia in ea prędicatur & repręsentatur mors Christi, esse mysterium reconciliationis per Christum factæ, ac proinde non pertinere ad illos, qui huius reconciliationis participes non sunt.

Quomodo autem reconciliati sunt Deo per Christum, qui contumaces sunt in Ecclesiam, & cum illa nondum reconciliati? Certè Christus apertè dixit: *Quæcunq; ligaueritis in terra, erunt ligata etiam in cœlo.* Nemo igitur se putet reconciliatum esse Deo, qui contumax est in Ecclesiam, & doctrinam, ac præcepta Christi, ac proinde, qui ligatus est in terris. Quare hoc genus hominum arcendum est a cœna, vtpote ad quos illa non pertinet.

XI. *Itaque quisquis ederit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè: reus erit corporis & sanguinis Christi.*

Primò concludit Corinthios, si ita in illis peccatis perseuerent, de quibus antè, & ita accedant ad cœnam, eos indignè manducare.

Secundò, inde infert, eos hac ratione grauissimè in Christum peccare, perinde ac si eum crucifigerent. Apostoli igitur doctrina hæc est: Iis tantum dandam esse cœnam, qui dignè accedunt, non autem iis, qui indignè. Hi enim crucifigunt Christum, quantum in ipsis est. Quis autem verus Christi discipulus sciens ac volens det Christum crucifigendum?

XII. *Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat,* &c. Requirit resipiscentiam ab iis, qui volunt accedere. A quibusnam peccatis resipiscentiam? ab omnibus, etiam ab illis, quæ sunt contra charitatem, qualia erant peccata Corinthiorum, de quibus supra.

Docet igitur cœnam non esse edendam ab illis qui non se probant, hoc est, qui non se emendant & resipiscunt. Si autem tales non debent accedere ad mensam Domini, qui se non probant: Ergo quos nouit Ecclesia, non se probasse, h.e. resipuisse, his non debet cœnam exhibere. Eadem enim est caussa, cur hæc non debeat dare, propter quam & illi non debent accedere, nempe horum impœnitentia. Si enim peccat grauissimè, qui edit indignè, hoc est sine resipiscentia, quia reus fit corporis & sanguinis Domini. Ergo & qui dat sciens ac volens ei, quem nouit indignè accedere, communicat operibus eius malis, vt ait D. Iohannes, epist.2.

XIII. Deinde, quod dico, confirmatur ex iis, quæ sequuntur. *Qui enim manducat indignè, iudicium sibi manducat.* Hinc licet arguere: Charitas postulat, vt si quem videas velle sibi iudicium edere & ita seipsum perdere, eum arceas à tali actione. Vt si quis velit se pugione transfodere, & possis impedire, si non facias, annon contra charitatem

tem grauissimè peccas? Certè aliter docet Iudas in epistola v.23. Iubet nos dare operam, vt fratres ex flammis eripiamus. Atqui illi edunt iudicium, & in flammas irę Dei sese coniiciunt, qui edunt indignè, hoc est perseuerantes in peccatis.

Egregiam igitur charitatem, quam obtendunt illi, qui sentiunt, neminem esse arcendum, vt non priuetur tanto bono. At Apostolus docet, hoc quod ex se bonum est, illis qui indignè accedunt, esse malum ac perniciosum, quia iudicium sibi edunt. Huc spectant omnia, quę in contextu Apostoli ad finem vsque sequuntur.

Hanc autem indignitatem, de qua loquitur, & propter quam dicit Corinthios iudicium sibi edere, consistere non tam in infidelitate, quàm etiam in peccatis contra proximum, liquet ex conclusione Apostoli, vers. 33. *Itaque fratres, cùm conuenitis ad vescendum, alius alium exspectate.*

Quòd si quis excipiat? At Apostolus ait, *Probet seipsum homo:* Non autem, *probent eum alij.*

Resp. 1. De secretis conscientiæ loquitur Apostolus, quis dicit, alterius conscientiam nobis esse probandam? De manifesta indignitate, impœnitentia, pertinacia loquimur.

2. Imò ex hac particula, optimè sequitur, esse arcendos palam impœnitentes. Vult enim vt examinemus nos, ac resipiscamus, & sic tunc de pane edamus. Ergo quos constat palam esse impœnitentes, vult eos non admitti ad edendum, ne scilicet edant sibi iudicium.

At accedendo, dat signum resipiscentiæ.

Resp. Quasi verò non accedant etiam hypocritæ. Cur igitur Apostolus reprehendit Corinthios, quòd accederent indignè. Potuissent & ipsi ita excipere: imò ô Paule, ex eo, quod accedimus ad cœnam Domini, debes colligere, nos accedere cum resipiscentia. Cur etiam Deus per Iesaiam c.1. arcet à se hypocritas, & iubet, ne offerant sibi sacrificia, esse illa sibi abominationi, propterea quòd manus illorum plenæ sint sanguine?

At Christus Iudæ dedit cœnam.

Resp. 1. Hoc non possum dare, licèt magni viri aliter sentiant. Nam constat Dominum Iesum, non prius suam instituisse cœnam, quam legalem de Paschate absoluisset. Johannes autem c.13. ait, Iudam, posteaquam à Domino Iesu offulam intinctam (in catino vbi agnus assus erat) accepisset: εὐθέως STATIM exiuisse. Si statim exiuit, nondum absoluta legali cœna: quomodo interfuit cœnæ Dominicæ, quæ illam consecuta est?

Deinde, etiam si darem, Christum dedisse Iudæ de pane & vino nouæ cœnæ, non inde tamen sequeretur, huiuscemodi scelerosos, & palam pertinaces in suis sceleribus homines, ad cœnam Domini nobis esse admittendos. Peccatum enim Iudæ, ipsi duntaxat Soli Christo perspectum erat, vtpote cordium scrutatori. Nos quoque huiuscemodi homines arcendos non esse, docemus. At quorum peccata sunt omnibus nota, & quorum etiam pertinacia nemini est ignota, hos ex verbo Dei, cum tota vetustate, & doctissimis quibusque nostri seculi contendimus, ad cœnam Domini minimè esse admittendos.

Postremò, si licet ab exemplo Domini nostri, qui non homo tantum, vt nos sumus, sed verus erat & est Deus, argumentari, ideo admittendos esse ad cœnam Domini sceleratos quosque, quia etiam Dominus admisit Iudam, sic etiam licebit concludere, ideo etiam improbos & perfidos, & auaros ad Ministerium admitti posse, quia Christus ipsum Iudam reprobum, filium Diaboli, perfidum, auarum, & quem præuiderat futurum proditorem, ad Apostolatum elegit, vocauit, assumsit. Summa. Non est bene factum, quòd palam facinorosi & impœnitentes, contumacesque in Ecclesiam, accedere permittuntur ad cœnam Domini.

Primò, quia Deo displicet, & contra eius fit voluntatem, Ies.1. 1. Cor.11. item 10. Secundò, quia contaminant, seu profanant Sacramenta, Hag.2. Tertiò, quia Ecclesiæ affert damnum, & infamiæ notam inurit. Damnum, quia multi, dum vident admitti etiam scelerosos, & palam impœnitentes: non metuunt etiam ipsi peccare, & in peccatis perseuerare. Contrà iubet Apostolus 1. Cor.5. incestum separari ab Ecclesia, ne modicum fermentum totam massam corrumpat. & 1. Tim.5. Seniores publicè peccantes, acerrimè omnium argui, vt cæteri quoque, inquit, timorem habeant.

Infamiam verò, quia inter Gentes & idololatras, malè audit hac de caussa, & blasphematur nomen Dei nostri: quasi verò ipse Deus & ipsa Ecclesia, pro suis agnoscat publicos scortatores, blasphemos, ganeones, &c. Hinc illud 1. Cor 5. *Auditur talis fornicatio inter vos, qualis nec inter Gentes.* Huiusce scandali euitandi caussa iussit Apostolus incestum tolli è medio Ecclesiæ per excommunicationem. Quartò, quia est illi, qui ad cœnam accedit, perniciosum & animæ & corpori. Animæ, quia hoc pacto fit securior, & securè peccat, cùm non metuat excommunicationem. Contrà vult Paulus hosce excommunicari, vt discant non blasphemare. Item, vt spiritus saluus fiat. Item, Christus ostendit finem excommunicationis esse salutem fratris.

Corpori etiam, quia multis solet Deus affligere calamitatibus eos, qui indignè sumunt cœnam Domini, 1. Corinth.11.

Hæc omnia è scripturis, multò plura alia additurì, si hæc non fuerint satis.

Hanc eandem fuisse totius vetustatis doctrinam, etsi nemo est, qui neget, vsque adeo perspecta est veritas: tamen liceat vnum aut alterum adferre testimonium.

Iustinus Martyr, qui floruit in Ecclesia post Jesum Christum, anno circiter 150. ac proinde cui bene perspecta erat Apostolica doctrina & consuetudo, sic in Apologia, quàm habuit pro Christianis ad Antoninum Imperatorem, de moribus Ecclesiæ Christianæ, scribit etiam de hac re, in hæc verba: *Hoc autem alimentum* (de cœna loquitur) *apud nos vocatur Eucharistia: ad quod nemo admittitur, nisi qui credit veram esse nostram doctrinam, ablutus regenerationis lauacro in remissionem peccatorum, & sic viuens vt Christus docuit.*

Ecce Illustrissime Princeps, quæ fuerit Apostolicæ Ecclesiæ, circa hanc cœnæ Dominicæ participationem, consuetudo.

Cyprianus sermone de lapsis quinto, p. 211. in eos inuehitur, qui temerè cœnam Domini præbent lapsis, qui nondum resipiscentiæ significationem dederunt Ecclesiæ. Item epistolarum lib.4. epist.2. docet non facilè cœnam cuique esse communicandam.

Sed ne sim nimis prolixus, vnum audiamus Chrysostomum T.2. in comm. in Matth. hom.83. colum.670.D. summa. Primò monet symmystas, ne Eucharistiam præbeant indignis, grauissimis allatis rationibus. Postea concludit in hæc verba: *Si Dux igitur quispiam si consul ipse, si qui diademate ornatur, indignè adeat, cohibe ac coherce, maiorem tu illo habes potestatem.* Mox subdit simile egregium: *Si limpidissimus aqua fons, vt intactum gregi seruares, tibi commissus esset, cùm petulcos sues ac sordidissimos venire aspiceres, non patereris in fluenta illos insilire, nec fontem ab iis perturbare: Nunc verò cùm non aqua, sed sanguinis ac spiritus sacratissimus fons commissus tibi sit, si peccatis inquinatissimos videbis accedere homines, non indignaberis, neque contristaberis? Et quam vnionem huius contemtus consequeris?*

Secundò dubitationem proponit.

Sed vnde (inquies) *ego illum atq; illum, qualis sit, cognoscere possum?* Ad hanc respondet: *Non de ignotis, sed de notis ego hæc disputo.* Et statim subdit: *Multò peius esse, si peccatorum sordibus pollutus, ad mensam Domini accedat, quàm si Dæmoniacus. Nihil enim esse peius, quàm Christum conculcare, & sanguinem Testamenti dicere communem, & spiritus gratiam contemnere.*

Postea concludit adhortationem in hæc verba:

Omnes igitur simpliciter peccamus, quos indignè accedere videmus. Nullus communicet, nisi ex discipulis sit: nullus impuro animo sicut Iudas, panem assumat, ne similia patiatur.

Et paulò post dicit: *illos qui panem præbent indignis, gladium acutum* (quo scilicet se iugulent, quia iudicium sibi edunt) *pro pane præbere.*

Tertiò de se sic protestatur:

Et ego non permittam ista fieri: Animam priùs tradã meam, quàm Dominicum alicui corpus indignè. sanguinemq; meum effundi potius patiar, quàm sacratissimum illum sanguinem, præterquam digno concedam. Hæc ille.

Similia reperiuntur & apud alios Patres. Hinc fiebat, vt illis temporibus Diaconi deambulantes per templum, diligenter obseruarent, ne quis indignus ad mensam Domini accederet, vt idem Chrysostomus testatur.

Ita apparet, quæ fuerit doctrina veteris Ecclesiæ de officio Ministrorum erga illos, qui indignè accedunt ad mensam Domini, sordibus polluti, omnes esse enciendos: ac ne Regibus quidem ipsis parcendum esse.

Quare qui flagellant D. Ambrosium, quia Theodosium expulit, flagellent etiam Chrysostomum & reliquos Patres

omnes, imò etiam plerosque omnes nostri temporis Doctores, *Lutherum*, *Bucerum*, & reliquos.

Hæc habui, quæ dicerem ad quæstiones tres de disciplina, mihi à T. C. propositas, plura dicturus & scripturus, si T. C. hoc postulauerit, &c.

H. Zanchij ad Ioh. Hasleri Theses ex Metaphysicis de Deo.

RESPONSIO.

Quòd tardiùs, quàm fortè cupiebas, Haslere doctissime, & quàm ego voluissem, respondeam literis tuis: in caussa fuit, quod Theses seu Aphorismos tuos, postquam percurrissem, dedi Vrsino nostro legendos, vt ipsius de istis audirem iudicium. Sed is, aliis vt nosti grauissimis negotiis distractus, neque perlegit (vt ait) neque ex consequenti vllum facere de illis iudicium potuit. Tardiùs igitur, cum recepérim Theses tuas, citius scribere non potui. Dicam autem liberè, quia petis, sententiam meam. Mihi etiam displicuit vox illa, *ad moderandam religionem*. Quasi verò ex Philosophia Aristotelis petenda sit forma religionis, eiúsque moderatio, & non è S. literis satis habeamus ad religionem. Iniuria certè fit hac voce, verbo Dei, & illi præfertur Aristoteles. Ad confirmandam quidem vti possumus Philosophia, vt & Apostolus nonnunquam Ethnicorum dictis, ad confirmandum Gentibus quod didicerat è Mose ac Prophetis, vsus est: & Iustinus, Clemens, aliique Patres idem facere soliti sunt, sed ad moderandam solæ valent, & sufficiunt S. literæ.

Considerau i porrò, quos notasti aphorismos, cum suis appendicibus, ac video non iniuria quædam reprehendi, quædam tamen etiam sine impietate ferri posse. In Deo nullam esse passiuam potentiam, certum ex ipsa etiam Philosophia, cùm Deus purissimus sit actus. Verum, quomodo cum hoc congruit, Deum posse malè facere, cum malè facere impotentiæ potius sit, quàm potentiæ? neque summo bono, vlla ratione id conuenit: sed quicquid agit, aut agere potest Deus, totum illud bonum sit oportet, licet ex accidenti in nobis fiat malum.

Cæterum, quòd facis Aristotelem nouisse doctrinam de salute æterna, per gratiam, & non ex meritis nostris: Nouisse etiam Mediatorem per quem, & in cuius gratiam omnia facta sint, & fiant, neque non habuisse perspectam vnicam essentiam in tribus ὑποστάσεσι verisque personis subsistentem, videntur mihi (vt liberè dicam) nimis coacta. Tu quidem acumen ingenii ostendis, sed ea tribuis Aristoteli, quæ meo quidem iudicio nunquam ei venerunt in mentem, tantum abest, vt ea potuerit cognoscere. Animalis enim homo non percipit, quæ sunt Dei, nec potest percipere. Quorsum enim alioqui reuelationes factę prophetis & Apostolis per Spiritum sanctum. Quorsum Filius Dei dicitur reuelasse, quæ nemo hominum nouerat, si lumine naturali percipi ista potuerunt? nisi fortè contendas, etiam Aristoteli fuisse hæc à Spiritu sancto afflata. Apostolus Gentes, antequam conuertuntur ad Christum, pronunciat esse sine Deo, & ignorare Deum, quomodo igitur dicere possimus, verum Deum, qui est Pater, Filius, & Spiritus sanctus & qui in his tribus personis sese ex spirituali gratia patefecit Prophetis, & clarius etiam Apostolis, non ignotum fuisse Aristoteli? Verum est quod docuit, in Deo propter summam simplicitatem illius essentiæ, τὸ νοητὸν καὶ τὴν νόησιν, καὶ τὸ νοῦν vnum & idem esse, nempe οὐσίαν, cùm tamen ratione quadam, quia sunt πρός τι, inter se differant: neque hoc tanquam simili non incommodo dedignarer vti, ad confirmandam vnitatem essentiæ in tribus distinctis personis, sed inde velle colligere, tales tres personas, quas Scriptura tradit, & nos ex illa credimus & confitemur, vnica constare οὐσίᾳ, nimis, vt diximus, violentum est: ita vt neque probare possim eos, licet magnos vtros, qui ex operatione intellectus & voluntatis explicare conantur, quomodo Pater genuerit Filium, & ab vtroque procedat Spiritus sanctus: Spiritus S. reuelauit rem ipsam, modum suppressit. Summæ igitur audaciæ est, modum, quem Spiritus S. latere nos voluit, exprimere velle: vt taceam permulta absurda, quæ ex illa doctrina, qua affirmant, Patrem se ipsum intelligendo, genuisse Filium, & vtrumque, se inuicem amando, produxisse Spiritum sanctum, consequuntur. Altius est, & sublimius, mihi crede, Haslere, quam vt humana mente comprehendi, aut etiam mediocriter intelligi queat mysterium hoc. Meum itaque consilium est, vt de Deo, rebusque diuinis nihil audeamus affirmare, nisi quatenus reuelatum nobis fuit in S. literis, per Prophetas & Apostolos: ab ipsis neque ad dexteram, neque ad sinistram, vel latum digitum declinantes. Simplici fide in verbum Dei, & pura è S. literis iuxta perpetuum Ecclesiæ consensum concepta confessione opus est. Ad reliqua quod attinet, probo tua studia, tibique gratulor progressus, quos te in Aristotele fecisse perspicio. Vtilissima est tanti Philosophi lectio, sed in suo genere. Huius certè auxilio, non est mons sanctus conscendendus, sed solo Sacr. literarum vehiculo, gratiaque Spiritus S.

Habes, mi Haslere, quid de tuis Thesibus quantum potui intra summam breuitatem temporis concipere, sentiam diligentiùs, si plus habuissem otij, omnia examinaturus & responsurus. Salutaui, quos iussisti salutari, & tibi gratulantur, omniaque felicia precantur. Ego vero gratias ago pro tua in me fiducia, testimonio certè amoris non obscuro. Vicissim igitur tibi persuadeas velim, teà me non solum amari, verum etiam magnifieri. Vale, & commendatum habeas nostrum Baronem charissimum, cui & D. Benedicto, Lassinoque nostro, si adsit, salutem meo dices nomine. Heidelberg. 28. Iunij, Anno 75.

T. ZANCHIVS.

H. Zanchij ad quæstionem: Num spurij in Ecclesia baptizari possint & debeant?

RESPONSIO.

Illustrissime & Clementissime Princeps. Scriptum Ministrorum Ecclesiæ huius, fratrum nostrorum, de baptismo cuiusdam infantis ex adulterio vel scortatione nati, iussu Celsitudinis tuæ ad nos nuper missum, legimus, & qua potuimus, vti debuimus, diligentia expendimus.

Vt autem nostram de eo sententiam plenius atque planius exponamus; in tres partes ipsum distinguemus.

Prima continet narrationem facti, quod toti quæstioni occasionem præbuisse videtur. Et ad hanc sanè partem quod attinet, non videmus, quid rectius commodiusque responderi possit, quàm quod à Ministris est responsum. Est n. ipsorum iudicium atque consilium non modò rectum & expeditum, sed etiam Ecclesiarum bene constitutarum omnium temporum decretis & exemplis confirmatum, vti Christianæ quoque doctrinæ consentaneum, & ad pacem cum pietate, & εὐταξίᾳ in Ecclesiis colendam retinendamque apprimè vtile atque necessarium. Neque dubitamus, quin si illud hoc tempore sequi & amplecti placeat Celsitud. tuæ, plurimum valiturum sit ad stabiliendam disciplinam in Ecclesiis Celsitud. tuæ, & ad istam tantam, (quanta fortassè hactenus non fuit audita) scelerum colluuiem ac licentiam cohibendam.

Pars scripti altera continet generalem de infantibus ex adulterio vel scortatione susceptis quæstionem, quæ paulò plus difficultatis habere videtur: eamque ob caussam quædam iis, quæ Ministri piè & doctè responderunt, addenda esse censuimus, non tam confirmationis, quàm explicationis caussa.

Quia verò Celsitudo tua, nil à nobis præterea quærit, quam vt quid de responso Dominorum Ministrorum ad propositas quæstiones sentiamus, liberè dicamus: idcirco supersedemus aliis nonnullis quæstionibus, quæ fortè cum hac præsenti coniunctæ esse videntur.

Quæstio igitur proposita fratribus nostris obseruandis fuit: *An ministri spurios in hoc visibili cœtu Ecclesiæ, ex scortatione, vel adulterio natos, sine præeunte reconciliatione parentum, minimùm alterius, cum Ecclesia offensa, baptizare ex verbo Dei teneantur.*

Respondent Ministri, se non teneri.

Principiò, dum negant se teneri, non simpliciter & absolutè id nobis videntur negare, quantum ex tota ipsorum responsione colligere possumus, sed ex conditione, nempe, nisi legitimè, & ex lege Domini offerantur baptizandi. Hoc autem verissimum est: quia quicquid à Domino iubemur facere, id semper legitimè vt faciamus, oportet: alioqui quicquid agimus, peccatum est, quia non ex fide, nec ex Dei verbo fit.

Quis igitur puerum baptizet, si à parentibus impœnitentibus, & in Ecclesiam contumacibus offeratur baptizandus? Oportet enim eos qui baptizandum offerunt aliquem, vera esse Ecclesiæ membra, & sanctè polliceri, se curaturos, vt talis infans in doctrina Christi instituatur, & vt vitam Christiano homine dignam traducat. Quomodo verò

verò aut pro veris Ecclesiæ membris haberi, aut, quod diximus, promittere possunt tales homines, qui Ecclesiam non audiunt? aut si promittunt, quomodo fides potest illis adhiberi, cùm ipsi resipiscentiam à suis peccatis polliceri nolint?

Tales porrò rationes suæ negationis subdunt Ministri, vt luculenter appareat, eos concludere voluisse, etiamsi possint baptizari spurij, per viros fideles præsentati, non expedire tamen, vt id fiat ante parentum resipiscentiam, & cum Ecclesia reconciliationem. Quare expectandum esse, dum parentes veræ resipiscentiæ signa edant. Quam vero vtilis sit hæc dilatio, abundè explicant: & totum hoc probamus. Iubet enim Apostolus, vt quæcunque sunt honesta, quæcunque vtilia, ad gloriam scilicet Dei, & ad Electorum salutem promouendam pertinentia, ea faciamus. Certum verò est, nullo teneri præcepto Pastores, vt potiùs vno, quàm alio tempore baptizent, sicut in lege octauo die mandabatur circumcisio. Regnum enim Dei non venit cum obseruatione talis scilicet temporis & sexus, similiúmque circumstantiarum, quales in lege Dei leguntur. Neque Baptismi dilationem, aut etiam priuationem posse fraudi esse infantibus, piè & scitè docent. Sed propterea non eunt infitias, quin fraudi sit ipsi Ministro, si cum potest legitimè baptizare, id vel ex negligentia, vel ex contemtu non faciat. Probamus igitur Dominorum Ministrorum responsionem, eo quo nos intelligimus, & quo intelligi ab ipsis non dubitamus, modo intellectam. Etsi enim spuriis simpliciter denegari baptismus non possit, non esse tamen baptizandos, si à parentibus impœnitentibus præsente n tur. Neque etiam id honestum aut vtile esse in Ecclesia. Ac licèt per alios pios viros tales spurij offerantur baptizandi, præstare tamen, vt differatur Baptismus, dum parentes resipiscant, quàm vt statim baptizentur: modò tandem id fiat, antequam infantes moriantur, non propter illorum, sed propter Pastorum salutem, ne scilicet præceptum de obsignandis & consecrandis Deo infantibus, contemsisse videantur.

Hæc nostra est sententia de responsione fratrum in Christo obseruandorum, & reuerendorum Ministrorum, ad propositam sibi quæstionem.

Tertia demum scripti pars, habet breues quidem, sed eruditas atque pias solutiones aliquot quæstionum, & adeo plenas atque perspicuas, vt pleniore vel luce, vel confirmatione ipsas egere, minimè existimemus.

Non est igitur, cur pluribus verbis, T. Celsitud. simus molesti. Dominus eam suo seruet & regat spiritu, cum Illustriss. Principe nostra, Illustrissimisque liberis. Citiùs autem respondissemus, nisi & negotia vniuersitatis, quæ moram ferre non poterant, & valetudo D. Zanchij nos remorata fuisset. Tarditatem igitur nostram, Tua nobis Celsitudo condonabit. Heidelbergæ 26. Decemb. 1571.

Tuæ Celsitud. subiectissimi

H. ZANCHIVS DECANVS,
IMMANVEL,
BOQVINVS.

H. Zanchij ad quæstionem, An qui in adolescentia flagitium aliquod enorme admisit, & postea resipuit, ad Ministerium verbi sit admittendus.

RESPONSIO.

Scipio Calandrinus frater honorandus, hanc nobis proposuit quæstionem, atque vt de ea, nostram diceremus sententiam rogauit. Res ita habet: Adolescens quidam annorum circiter viginti, captus amore cuiusdam ancillæ, ita cum ea rem habuit, vt ex ea etiam filiam susceperit, atque hoc illi contingit, cum recens adhuc ex Papatu, in Germaniam venit: reprehensus de scelere, & admonitus sui officij ex lege Domini, nempe, illam aut ducendam esse in vxorem, aut pro eius conditione dotandam, quo posset honestè nubere, in eam inclinabat partem, vt illam duceret in matrimonium: verum quia sui non erat iuris, sed sub patria potestate, & parentem nunquam assensurum fuisse, extra controuersiam erat, curauit ei tantam pecuniæ summam dari, quanta satis esse ancillæ indicabatur, & quanta summa ipsa quoque puella, fuit contenta: qua de re cautum fuit publico scripto per notarium. Ancilla igitur accepta pecunia, non ita multò post alteri nupsit, & se bene gessit. Adolescens, primo quidem receptam ad se filiolam, curauit honestè & Christianè educari, quam, tandem etiam adolescentis parens in suam recepit familiam. Deinde, per annos aliquot ita vixit honestè, & Christianè se gessit, tum apud suos, tum apud exteros, vt ne in suspicionem quidem venerit, apud quempiam, vel similis, vel alterius generis nororri, vt vocant, criminis: Imò testimonium suæ non solum pietatis, verum etiam honestatis, vitæque Christianæ, accepit à suis amplissimum. Tanta verò fuit, & tam constans apud Ecclesias, de hominis Christiani, tum doctrina, tum vita concepta opinio, vt ad extremum, annis scilicet post admissum illud facinus, aliquot electus fuerit verbi minister, & pastor certæ Ecclesiæ; Cæterum antequam ipse in electionem consensisset, pro eo, quo donatus est Dei timore, subdubitare cœpit: Num sibi liceret talem, tantámque suscipere prouinciam, ad quam non nisi ἀνεπιλήπτους καὶ ἀνεγκλήτους admitti debere docet Apostolus, quum ipse tale admiserit facinus, propter quod se omnino infamem in Ecclesia Dei iudicaret. Hinc igitur Scipio, quæstionem nobis hanc explicandam proposuit: *Vtrum, & Ecclesia potuerit hunc hominem, cuius facinus aut audiuit, aut potuit audire, bona conscientia, in ministrum eligere: & homo electus, in electionem consentiendo, Episcopale munus suscipere, nécne.*

Nos, spectatis vna ex parte omnibus narratæ historiæ circumstantiis, & ex altera parte, perpenso Apostoli loco, iudicamus omnino, facinus illud tametsi per se graue est, non posse tamen viro huic tali esse fraudi, vt aut eligi ab Ecclesia in pastorem non potuerit: aut electus, ministerium ipsum cum fructu Ecclesiæ, & cum gloria Dei obire non possit: aut etiam à quopiam, tanquam ἀνεπίληπτος καὶ ἀνέγκλητος reiici debeat. Apostolus enim non ait illos tantum eligendos esse Episcopos, qui semper fuerint ἀνέγκλητοι καὶ ἀνεπίληπτοι: sed qui sint, vtpote vnius vxoris viri (sicut explicat per partes) vigilantes, sobrij, &c. Qualis fuerit Augustinus in sua adolescentia, qui etiam ex fornicatione suscepit filium, quem A DEO DATVM vocari iussit, non puduit ipsum, editis in lucem scriptis palàm confiteri: quotus quisque tamen est, qui eum Episcopatu indignum fuisse dixerit? subsequuta certè vera adolescentis resipiscentia, & per tot annos continuata vita Christiana, satis abundè docet, an Deo probetur nécne probetur. Quod si Christo probatur, cur Ecclesię Christi improbetur? Quum igitur Apostoli summa sit, eos tantum ad officium Episcopale eligendos esse, qui sint honestæ, & integræ famę, nullique notabili vitio, quod autoritatem illis deroget, obnoxii: Quúmque talis esse prædicetur iuuenis iste, non videmus cur facinus illud, in quod per infirmitatem, multis iam antè annis, lapsus est: & post quod admissum, sese iuxta legem Domini, gessit: & quod denique vera & constans resipiscentia subsequuta est: merito debeat, aut possit in infamiā illi verti, fraudi esse, authoritatem derogare, Ecclesias idoneo pastore defraudare. Ac proindè neque Ecclesia malè egit, quòd eum in pastorem elegerit: si, quæ ad nos sunt relata, vera sint omnia, neque ipse vereri debet, vt possit bona conscientia ministerium suscipere. Hæc sunt, quæ ad propositam quæstionem habuimus dicere ex verbo Dei Ac quia rogauit, vt hanc sententiam nostram scripto consignatam, sibi daremus: non potuimus in re honesta non ei morem gerere, & nostræ etiam facultatis Theologicæ sigillo scriptum nostrum obsignare. Datum Heidelberg. 18. Septemb. 1569.

H. Zanchius suo & Collegarum nomine.

Caspari Corylici Arfeldensis Ecclesiæ in comitatu Witgensteinensi pastoris quæstio: An sagæ & maleficæ, sint cremandæ, *proposita Zanchio.*

Cum anni effluxerint 18. ex quo in Schola Argentinensi discipulus te audirem, Clarissime D. Doctor, vix aut non, post tantum temporis interuallum, me à te agnosci, facile colligere potui. At quia quam sæpius optaui occasionem, nunc vltrò sese mihi offert, facere non potui, quin occasionem nactus, vt tunc viua voce docentem audiui, ita nunc discendi studio, per literas interrogem. Siquidem hac ratione fieri posse puto, vt pristinam tuam bene-

uolentiam mihi reconciliem, & ad respondendum atque docendum paratum te habeam.

Quæstio verò, ad quam mihi responderi cupio, talis est: *An lex Mosis de Maleficis lata, ad Remp. nostram pertineat, & Magistratum ad sumendum de sagis atque Maleficis supplicium constringat: an verò alia ratio tunc cùm fuerit* (vt quosdam putare credo) *in agro Dominico, propter inquisitionis difficultatem, lolium non sit eradicandum, quòd periculum sit, ne & triticum euellatur.*

Quod illud hoc præsertim tempore quæro, facit vicini nobis Magistratus in cremando studium. Episcopatus enim Coloniensis Magistratus cum aliis circumiacentibus, quàm plurimas ad ignem ablegat, & quas ex indiciis tortura à sontibus expressis quotidie annumerat, cremare non desinit. Vnde fit, vt nostri homines, quæstionem hanc vertant, & in ore habeant, dubitantes, an rectè faciat noster Magistratus, qui non nisi certissimis & indubitatis indiciis existentibus, ad sumendum supplicium procedit, cùm tamen fœdus sit occultum, & non nisi confœderatis notum, atque mussitatio non manifesta. Quid de tota hac quæstione sit sentiendum, non dubitabo, quin per literas me discipulum sis docturus.

Excellentia tua, vt quàm felic..ssimè v..leat, opto, & me in discipulorum albo retineat, pero. Datæ Arfelden 4. Id. Octob. 74.

H. Zanchij ad quæstionem propositam à Casparo Corylico, Responsio.

Literæ tuæ, frater obseruande, quas heri ad me misit Generosus & verè nobilis, virtutéque & pietate insignis Comes, Curiæ nostri Illustrissimi Principis Magister, gratiss. mihi fuerunt, tum propter recordationem illorum temporum, quibus fuimus Argentinæ, tum propter beneuolentiam, qua me adhuc prosequeris. Ego verò, licet faciei tuæ non possim meminisse propter tam longum temporis interuallum, quo te non vidi, te tamen amo & obseruo, non tam propter memoriam cum charitate coniunctam, quam retines mei, quàm propter singularem pietatem ac probitatem, quam & qui dedit literas, Magnificus Comes prædicat tuam, & literæ ipsæ non obscurè demonstrant. Gratulor itaque & Ecclesiæ tuæ cui talem dederit Dominus pastorem: & tibi, quod idem Dominus ad suæ Ecclesiæ gubernationem elegerit, idoneumque ministrum effecerit, & meam etiam operam, quibuscunque in rebus potero, tibi & Ecclesiæ prodesse, ex animo offero.

Nunc ad quæstionem. Manifestum est, & extra omnem controuersiam apud omnes verè pios, & S. literarum non imperitos, præcepta illa, propter quorum transgressionem, punitæ fuerunt Gentes etiam ipsæ, ad legem Moralem, quæ & *Naturæ lex* dicitur, pertinuisse ac pertinere, ac proinde his omnes teneri populos, non solùm verò Iudæos.

Vbi verò Dominus præceptum de tollendis sagis & maleficiis tradit: non solum talia maleficia vocat abominationes כנו רו quæ vox non nisi de grauissimis sceleribus vsurpari solet: verùm etiam disertè ait, propter has abominationes, eiiciendas fuisse Gentes è terra Chanaan. Deinde ratio, cur meritò populus Israeliticus puniendus esset, si tales abominationes sequeretur, quas Gentes sequebantur, non solum ea adfertur, quòd oderit has artes Dominus; verum etiam quia habebant, & habituri erant Prophetas, quos deberent audire: quantò grauius igitur puniendi sunt nostri, qui habent Propheram illum Prophetarum omnium principem, olim promissum, Iesum Christum?

Si item blasphemi in Deum, & apostatæ à recepta religione, capitaliter semper fuerunt puniti, tam apud Gentiles, ex lege naturæ, quàm apud Iudæos ex lege Dei, cur non sagæ atque maleficæ istæ, quæ maleficia sua non exercent sine blasphemia in Deum, & nisi renuncient fœderi Christiano, in quod receptæ fuerant, & per Baptismum obsignatæ? Errabant quidem Gentiles in religione, interim rectè norant, & iustè statuebant, tanquam ex lege naturæ, dignas esse capitali supplicio, qui a Deo, & ab eius religione deficerent.

Itaque rectè etiam pij Imperatores, capitaliter plectendum esse iudicarunt atque sanxerunt huiuscemodi hominum genus, *C. de Maleficis & Mathematicis.*

Quare ad pœnam quod attinet, dubium non est, quin ex lege naturæ, quæ omnibus Gentibus communis est, capitaliter animaduertendum sit in istud abominandorum & Diabolo consecratorum hominum genus: rerum species supplicij, libera est magistratibus liberis, cùm Iudæis speciales fuerint a Deo constitutæ, quas præterire non poterant.

Quod de non tollendo lolio, ex Aduersariorum sententia scribis, ne simul eradicetur & triticum, nihil ad rem facit. Sic enim nullum homicidam, nullúmque sontem tollere è vita licebit Magistratui: nec minus contra hoc Domini dictum peccarent Iudæi, quàm Gentiles, cùm per Magistratum morti adiudicantur facinorosi homines. Quis fuerit Christi sensus in illa parabola, ex ipsius explicatione liquidò apparet, neque vltra Christi propositum extendenda est parabola.

Laudo interim prudentiam & æquitatem vestri magistratus, qui non temerè de huiuscemodi hominibus quippiam statuit, nisi posteaquam fuit optimè instructus, certúsque de tota re effectus. Nam sic noster Dominus passim mandat in sua lege *Inquires* (inquit) *& inuestigabis, & interrogabis diligenter: Et si quidem veritas sit, & rumor verus, quod facta sit abominatio ista in medio tui, percutiendo percuties &c.*

At fœdus occultum est, & non nisi confœderatis notum. Dum occultum est, nihil in eos statui potest: Magistratus enim non nisi de manifestis & certis iudicare potest. Ideo vult Dominus priùs inquiri, inuestigari, interrogari diligenter, ac vbi certò compertum fuerit, rem ita se habere, tum demum sontem esse percutiendum. Et certè charitas etiam id postulat, nempe ne in iudicandis plectendísque accusatis, simus præcipites. Appello hic omnium hominum conscientias, si de ipsis faciendum sit iudicium. Quod ergo in te fieri non vis, cur in alium facis? Neque Geneuæ, vbi in talia monstra seueriter animaduertitur, aliter fit. Itaque vt prudentiam vestri Magistratus summopere probo; sic probari non potest præcipitantia eorum, de quibus scribis. Sententiam habes meam, quam & cum S. literis & cum legibus piorum Imperatorum, & cum bonarum Ecclesiarum consuetudine consentaneam esse scio, eóque verissimam esse non dubito. Vale frater obseruande. Heidelb. 22. Octob. 74.

T. H. Zanchivs.

H. Zanchius de eadem quæstione D. Thomæ Erasto.

Clarissime D. Doctor. Simul ac me per schedam monuisti, scriptum statim legi, deinde altero die relegi diligentiùs.

Ad rem quod attinet, aut qui hæc improbant, non tam impij sunt, quàm imperiti, aut ego cæcus sum, qui non possim, quæ illi, videre. Tale strigarum exercitium, quale describis, si capitale non est, non intelligo mandatum Dei, de non ferendis iis, qui non solum curiosè ea scire studêt, quæ Deus occulta esse voluit: Verum etiam id illicitis, ac superstitiosis rationibus assequi conantur aut astra obseruando, & omnes rerum euentus illis subiiciendo, aut auium volatus garritúsque diligenter & superstitiosè notando, aut mortuos euocando, seu Pythonem consulendo, aut diabolis se vouendo, & fœdera cum ipsis feriendo: aut denique alia quauis superstitiosa ratione res occultas inuestigando: quæ omnia cum præcepto Dei, de non habendis Diis alienis coram se, apertè pugnant.

Certè cum Dominus illos non ferendos esse docet, qui colligunt conuentum seu cœtum, de illis propriè loqui videtur, qui fascinati à Diabolo, postquam abusi sunt certis præstigiis, sibi videntur ad nescio quos cœtus elegantium iuuenum & puellarum rapi, & cum eis epulati ac saltare, & alia voluptaria obscœnaque cum illis admittere. Hoc enim est *Tober*. Quanquam Augustinus, Beda, Thomas Aquinas affirmant, reipsa etiam Dæmones incubos, cum talibus mulieribus, de quibus tu scribis, coire solitos esse. Si autem id hominum genus tollendum non sit è medio, cur tollitur adulter? Ego itaque non video, quomodo tua ista de talibus strigis, quales tu describis, sententia improbari possit, quum simul damnetur lex Dei. Certum enim est, sub illis aliquot speciebus, quas enumerat Moses, reliquas etiam omnes illis similes, hoc est superstitiosas & Diabolicas contineri, prohiberi, damnari capitis. Sic viri etiam alij doctissimi sentiunt. Vale.

H. Zan-

H. Zanchius D. Gipbanio de adoratione carnis Christi.

S. Quo die accepi tuas, eodem complexus sum amicum & patrem, & qui cum ipso venerunt, egregios adolescentes. De adoratione, quod petis, nihil pugnat cum meis dictis. Adoratio, nostra est actio, non autem Dei proprietas. Ideo propositio Chemnitij falsa est, *Adorabilem esse*, bifariam capitur: aut per se, aut propter aliud: per se, significat esse eius naturæ, quæ cultu religioso possit & debeat adorari. Hoc modo proprietas est essentialis diuinæ naturæ. Ea enim sola adorabilis est per se & adoranda. *Adorabilem autem esse propter aliud*, significat huius esse dignitatis, vt propter vnionem personalem, quam habeas cum natura per se adoranda, adorari possis. Hæc dignitas, essentialis proprietas non est, neque diuinæ, neque humanæ naturæ: Non diuinæ, quia illa propter se adoranda est: non humanæ, quia hanc non habet ex sese, & nudè considerata adorari non potest. Quid igitur est? donum, quod ei soli ex gratia vnionis hypostaticæ cum natura diuina concessum est.

Quod igitur dixi, *Adorabilem esse, proprietatem esse diuinæ naturæ essentialem*, iuxta priorem sensum dixi. Alter sensus explicat ea, quæ porrò subieci & conclusi: *adorationem* scilicet *quæ soli Deo debetur* (nempe religiosam) *conuenire etiam carni* (non simpliciter, sed) *propter hypostasim cui est vnita, & quatenus est vnita, tali scilicet vnione.* Neque enim adoratio congruit carni, quia caro est, sed quia caro Dei est, qui autem dicit carnem Dei, quid aliud dicit, quàm Deum incarnatum? quàm personam in diuina & in humana natura pariter subsistentem? Talem autem personam, quis neget adorandam? *Et rursus, introducens eum in orbem terrarum, dixit, adorent eum omnes angeli eius.* Cùm autem sit vna duntaxat persona, in duabus naturis subsistens, vna etiam duntaxat & eadem adoratione adoranda est tota persona & in ea vtraque natura: quanquam vna per se, altera propter aliud, id est, non quia caro est, sed quia caro Dei est. Adoratio enim immediatè in ipsam ὑπόστασιν tendit & dirigenda nobis est. *Et adorent eum*, inquit, *omnes angeli eius.* Eadem autem est vtriusque naturæ hypostasis.

Disputare igitur, *An caro Christi sit adoranda, adoratione, qua Deus adoratur*, mihi perinde esse videtur, ac si disputemus, *An Christus sit adorandus, adoratione, qua Deus adoratur*: hæc enim caro nullibi est, nisi in illa eadem ὑποστάσει, in qua & natura diuina: quo fit, vt sicut, qui dixit, Deitatem Christi, dicit Christum Deum, sic qui dicit carnem Christi, vel Dei, nil aliud dicat, quam Deum incarnatum, & Christum hominem: annon verò Deus incarnatus, seu Christus Deus & homo adorandus est? Atque huc pertinet anathematismus Cyrilli octauus: & quę Damasc. lib. 3. c. 8. scribit de adoranda carne Christi.

Concludere verò, si adoranda est, Ergo essentialis proprietas diuinæ naturæ, realiter humanæ communicatur, ac si vna, Ergo & reliquæ, ac proinde etiam vbique præsentia: nimis imperiti hominis est. Primùm, quia ab eo, quod nos debemus carni Christi, propter vnionem cum eius Deitate hypostaticam, ad id, quod est in Deo λόγῳ essentiale, non valet consequentia. Debemus carnē Christi, quia hypostatica vnione cum Deitate eius coniuncta est, adorare, amare, colere: Ergone caro Christi æterna, immensa, inuisibilis, incircumscripta est? Deinde, quia, quam dicimus essentialem esse proprietatem Dei, ea non communicatur carni: Non enim est adorabilis per se, sed propter aliud, scilicet propter personam diuinam, in cuius vnitatem assumta est. Tertiò, quia illæ Dei proprietates quæ ex diametro pugnant cum proprietatibus naturæ humanæ, eamque euertunt, humanæ naturæ realiter attribui nullo modo possunt, iuxta regulam Ecclesiasticam, quam affert Damasc. lib. 3. c. 3. *Fieri non posse, vt vna natura essentialium & contrariarum differentiarum sit δεκτική: vt esse κτιστὴν καὶ ἄκτιστον, περιγραπτὴν καὶ ἀπερίγραπτον.* Quare non valet consequentia, communicatur adoratio carni Christi; Ergo etiam vbique præsentia.

H. Zanchius ad Sturmium de eadem quæstione.

S. Clariss. vir, quòd citiùs non responderim tuis, dabis partim occupationibus meis, partim quòd ignorem, quinam ad te veniant, præsertim cùm iam soliti sint abesse ab vrbe Domini Consiliarij, eo vero diligentiùs oportet me legere, quòd D. Vrsinus, propter illum librum, nunquam legit.

Bulium commendaui quibuscunque potui, etiam illis de quibus vos nihil ad me, vt, Piscatori, Taffino, Oleuiano, Italis.

Te vexari, credo: sed vexatus vexas, & fabri suos tractando malleos, contrahunt pustulas, nec sine dolore discedunt ex officina. Factum bene.

Illud solus, vt tu solus, non intellexi, diuinare tamen mihi visus sum. Sed vt ego fui non penitus solus: neque tu etis. D. Iesus qui omnia regit, caussam suam defendentibus non potest deesse.

Non potuit (vt iam respondeam ad literas D. Giphanij) satis fieri desiderio vestro, ad tempus quod attinet, quo cupiebatis librum edi. Nam literæ vestræ cum libro fuerunt traditæ nobis 2. Iulij.

De adoratione carnis Christi, ego acquiesco simpliciter in duobus illis Ephesinæ synodi decretis, & carnem Christi adorandam esse & vna adoratione illam & Verbum, esse adorandum. Ac cum dicimus, *carnem Christi*, vel Dei, personam indicari, in quam propriè dirigitur adoratio. Addo, personam propter se, Deitatem etiam propter se, sed carnem propter aliud, id est, propter Deitatem esse adorandam, adoratione nimirum, quæ propria est Deitatis. Hæc enim non conuenit humanæ naturæ, nisi propter vnionem cum diuina. Subtilius hac de re disputare, iam mihi non vacat: sed aliàs, Deo volente, plura.

Optassem vero ego à Danæo responderi potius ad Maiorem Chemnitij, quàm ad Minorem. Quale enim argumentum ab actione & officio nostro erga personam Christi, & vtramque eius partem, ad proprietates diuinæ naturæ essentiales? sine iis non est Deus, sine illa fuit ab æterno Deus. Si excipiat: *At adorabilem esse, proprietas est essentialis.* Verum est. Tum igitur opus est generali responsione: Non alia ratione conuenire humanæ naturæ, quàm qua etiam naturæ inter se habent κοινωνίαν. Adoratio igitur, quæ soli Deo debetur, congruit etiam carni in vnione, propter rem, cui est vnita, & quatenus est ei vnita. Scio quæ hac de re disputentur à Scholasticis in *3. Sentent. dist. 9.* sed simplicitas Petri Lombardi in ipso contextu, mihi placet.

Dum ita subtiliter disputamus de adoratione, illum certè non honoramus, sed iniuria afficimus. Itaque ego illi canoni subscribo: *Quicunque dixerit, carnem Christi ἀπροσκύνητον esse, anathema sit.* Ita, *Qui dixerit, non vna adoratione adorandum esse, anathema sit.* Quid enim si stans ante Regem disputem, an debeam adorare vestem ac purpuram, qua indutus est, quia ea non est Rex ipse? ita disputando, non adorabo, nec eum supplex inuocabo. Et tamen homo ille assumtus Deus est καθ' ὑπόστασιν. Odi has subtiles disputationes. Loquor de meo ingenio ac Spiritu: neminem damno.

Dominus Doctor Donellus te valdè officiosè salutat. cuius verba in Epistola ad me hæc sunt: *Etiamsi non misisses nuntium, misissemus tamen exemplar.* Vale optime Domine, & patrone colendissime.

Iohannis VVilhelmi Stuckij scrupuli ex Confessione Zanchij collecti, & eidem ad explicandum propositi. S. D.

Accepi literas tuas, Domine & Præceptor venerande, quibus scribis, te N. quidem, quos ad remisi, accepisse, sed nullas literas, quod miror, cùm literæ meæ cum N. fuerint coniunctæ. Etsi verò, doleo, literas meas tibi non esse redditas, tamen gaudeo, te N. illos accepisse, quod tenue meum munus grati mei erga te animi testificandi gratia ad te missum, spero tibi pro tua humanitate non ingratum fuisse.

Gratias tibi præterea ago & habeo ingentes, pro egregio & literario tuo munere, hoc est fidei tuæ Confessione, cuius lectio, quia pia, erudita, breuis & perspicua est, magnæ mihi cum vtilitati, tum voluptati fuit. Reliqua exemplaria ad eos, quibus illa dono dedisti, perferenda curaui. Non possum autem hic Domine & Præceptor obseruande, scrupulos quosdam silentio præterire, qui Confessionis illius tuæ lectione, animo meo fuerunt iniecti. Quędam enim ponis, quæ à communi Ecclesiarum nostrarum Confessione videntur esse aliena.

I. Primum est, *quòd Christus sibi quoque meruerit vitam*

æternam, cùm non sibi, (cui iure debetur) *sed nobis illam meruisse credamus.* Videtur hoc pacto culpa aliqua & vitium Christo asscribi.

II. Secundum est, quòd ibidem. *Christum quatenus Mediator & homo est secundum à patre locum obtinere. caput totius Ecclesiæ constitutum esse affirmas,* &c. Vbi videris statuere, *Christum tantùm qua homo est, Mediatorem esse, & caput Ecclesiæ, cùm Christum agnoscamus secundum vtramq; naturam Mediatorem esse.*

III. Tertium est, quòd *Turcum esse dicit illum Antichristum, de quo Paulus 2. Thess. 2. cùm locum illum nostri de Pontifice Romano tanquam vero Antichristo interpretentur: & ei certè maximè conuenire videatur, qui iã aliquot seculis suam in Templo Dei, id est, Ecclesia, sedem habuit, dominatum, potestatem seu tyrannidem potius in ea exeruit, & exerat ad huc quotidie.*

Quartum est, quod scribis, *Ecclesiæ ministros seu Episcopos, posse simul esse Principes & exercere vtrumque munus:* quod ipsum quoque à Pontificiis quidem Episcopis, non verbis solùm, sed etiam re ipsa atque facto comprobatur, secundum illa Christi: *Reges Gentium dominantur eis, & qui potestatem habent super eas, benefici vocantur: vos autem non sic,* &c. item illa Pauli: *Qui militat, implicatur vitæ negotijs.*

Hæc quoniam à communi Confessione nostra videntur abhorrere, planiùs a te velim explicari: de quibus bono animo, amore meo in te incitatus te admonere volui. Reliqua, quantum pro ingenij mei tenuitate iudicare possum, cùm verbo diuino, tum nostræ confessioni, videntur esse consentanea. Secundùm hanc ipsam tuam confessionem & eius methodum (quæ mihi valde arridet) his diebus quosdam Theologiæ, & Ecclesiastici muneris candidatos, pro more nostræ scholæ examinaui, ita vt magno mihi vsui fuerit.

Mitto hic tibi ἀντίδωρον loco has *Ludouici Lauateri* p.m. lucubrationes atque homilias in *Nehemiam,* cuius viri obitus sine dubitatione, tibi magno erit mœrori. Literæ tuæ, quas ad illum dedisti, statim post illius mortem, huc fuerunt allatæ, quas si ante mortem suam adhuc legere potuisset, magnum procul dubio inde solatium habuisset. Ei successit *Rodolphus Stumpfius, Iohannis Stumpfii* p.m. Chronologi nostri, filius, vir doctus admodum, & antiquæ fidei atque probitatis, quem speramus & optamus officio suo minimè defuturum. Sic D. Gualterus rude donatus, & magis magísque repuerascens, iam alterum in vita sua vidit successorem suum. Noui quod scribam non habeo, nisi ea quæ valde sunt peruulgata. Annonæ charitas non modò non imminuta est post messem, sicuti sperauera-mus, sed quotidie magis ingrauescit. Eius caussa non minima existimatur esse obsidionis Genenensis atque belli suspicio atque metus. Nam ducis Sabaudiæ noui quidam feruntur esse apparatus bellici atque copiæ, quæ non procul ab vrbe hinc inde vagantur. Naues quoque multæ ab illo confectæ atque paratæ sunt, quæ omnia ad vrbis illius obsidionem videntur spectare, quod Deus auertat.

Vale vir Clarissime, & Præceptor obseruande, & me amare, fratrémque meum Illustrissimo suo Principi, si quando illum conueneris, commendare quæso pergas, ac de constanti vicissim meo in te amore & obseruantia minimè dubites. Collegæ mei obseruandi te pro singulari suo erga te amore & obseruantia, peramanter & officiosè salutant. Libri tui contra Arianos magno desiderio tangimur. Tiguri 29. August. Anno 1586.

Tui obseruantissimus

IOH. VVILH. STVCKIVS.

H. Zanchij ad scrupulos illos sibi à D. IOHAN. WILHELMO STVCKIO *ad discutiendum propositos,*

RESPONSIO.

SI MIHI ignoscas, rogo te frater obseruande, quòd tardiùs quàm debueram, literis tuis 29. August. datis, respondeam. Breuiter etiam respondere cogor, propter varias occupationes meas: Actis gratiis pro N. non solum vt ego petieram, misso, sed etiam, vt tu, quæ tua est ergà me humanitas ac liberalitas, voluisti, donato: quid ego tibi rependam? Venio ad ea, quæ ex mea Confessione, scrupulũ tibi iniecerunt. Non vacat autem Commentarios scribere, neque etiam est necesse, sed satis fuerit, quæ scripsi in Confessione ea catholica & orthodoxa esse, indicare.

I. Quòd Christus non solum nobis, vt mediator & caput Ecclesiæ, sed etiam sibi, vt homo factus sub lege, vitam gloriámque æternam promeruerit, docent scripturæ à me adductæ, confirmant Patres à me prolati: vt de Scholasticis taceam: Bucerus à Patribus non dissensit. Examina diligenter, & sine præiudicio, Phil. 2. διό. & Heb. 2. διὰ τὸ πάθημα, *minor paulisper factus est Angelis propter assumptam carnem, gloria autem & honore coronatus propter mortis perpessionem.* Ita optimè cohærent, διὸ ad Philip. & διὰ τὸ πάθημα, ad Heb.: At iure illi debebatur? Quo iure? Gratuitæ Electionis: at omnibus electis hoc iure debetur. Vnionis humanæ naturæ cum diuina καθ' ὑπόστασιν: Sed hoc non tollit, quin etiam propter obedientiam. Nam nobis quoque debetur iure Electionis in Christo; nec tamẽ propterea tollitur, quin etiam iure redemptionis iuréque obedientiæ Christi nobis imputatæ, adde & iure promissionis, *Qui credit in Christum, habet vitam æternam,* debeatur. Quid igitur prohibet, quin vita æterna Christo, quatenus homo fuit, debita fuerit & iure vnionis hypostaticæ cum Deo Verbo, & iure etiam obedientiæ, Patri & suo, & totius Ecclesiæ nomine præstitæ? Christus de se dicebat, *Pater meus diligit me, quia quæ placita sunt ei* (secundum vulgatam versionem) *facio semper:* diligebat tamen eum, aliam etiam ob caussam: nempe, quia Filius erat ipsius. Non est absurdum, propter diuersas caussas aliquid alicui deberi. Non fuerunt igitur Patres, aut impii, aut imperiti S. literarum quando dixerunt; *Christum sua obedientia gloriam sibi apud Patrem promeruisse: & humilitatem fuisse glorificationis meritum glorificationem autem humilitatis fuisse præmium.* Neque hinc sequitur, culpam aliquam, vel peccatum Christo adscribi. Etsi enim suæ humanitati, glorificationem & vitam æternam promeruisse dicitur, quia perfectissimè legem Dei seruauit, Patri semper obediens vsque ad mortem, &c. Philip. 2. peccatorum tamen remissionem, non sibi, quia omnis expers, sed nobis duntaxat, impetrauit; nobis, inquam, vtrumque & remissionem peccatorum & vitam æternam, sibi autem vnum duntaxat promeruit; imò quia & sibi vnum, & nobis duo illa promeruit; inde euincitur, fuisse sine peccato: alioqui enim perfectè legem seruare, Patrique perfectam obedientiam præstare, eóque neutrum promereri potuisset.

II. De secundo lege Caluinum in 1. Cor. 15. qui hoc ibi expressè tradit, imò ante Caluinum Ignatius, & alij Patres è Scripturis. Quid Patres? Quid Patres? imo tota Ecclesia in Symbolo, ipséque Spiritus sanctus in Scripturis, cùm de Christo aiunt, *Ascendit in cœlum, sedet ad dextram Patris:* Primo igitur loco Pater sedet, regnat, & è cœlo omnia regit. Secundo, Filius Mediator, quia per hunc ille omnia regit. Est enim supra omnes creaturas, sed infra Patrem triplici respectu: vt homo, vt Mediator, vt Filius. Vt homo, notum est omnibus: vt Mediator, constat: quia qui intercedit, etiam æqualis sit natura & dignitate illi apud quem intercedit, vt Rex apud regem: ratione tamen officii, quod facit, minor est illo. Imò, vt Filius quoq; minor Patre non incongruè dici potest: quia plus est, esse à nullo, quàm esse ab alio: & generare, quàm generari. Et hoc sensu multi Patres locum illum, *Pater maior me est,* interpretantur. Quin & Christus ipse, ordinem hunc docuit esse in diuinis personis: vt primus locus semper detur Patri, secundus Filio, tertius Spiritui sancto.

Vnde & veteres Patres non dubitarunt dicere, Christianos adorare primo loco Patrem, secundo Filium, tertio S.S. qui tamen non multos, sed vnum duntaxat Deum adorare profitentur. Ita neque impium fuerit, si quis dicat, *Deũ qui est de Deo, inferiorem illo esse, qui Deus nõ est de Deo.* Maius enim quiddam est, Deitatem habere à se ipso, quã eandem habere ab alio sibi communicatam. Si hoc nihil habet impietatis; quid absurdi habuerit alterum, quod de Mediatore dictum est?

At est Mediator secundùm naturam etiam diuinam quæ vnica est. Fateor. Sed licèt sit vnica, & ideo vt vnica, neque maior sit, nec minor se ipsa: diuerso tamen subsistendi modo est in Filio, quàm in Patre, quia in Patre ἀγεννήτως, in Filio γεννητῶς: quo fit, vt ille sit Pater, iste Filius. Et certè Christus non fecit officium Mediatoris secundùm naturam diuinam, quatenus ea est in Patre: sed duntaxat, quatenus est in se Filio: ac proinde, quatenus Filius est, non quatenus Deus simpliciter, illud officium Mediatoris fecit. Ego ad te scribo, non solum secundùm, (vt ita dicam in tua persistens locutione) manum & eius digitos: sed etiam, idque in primis, secundum animam,

quæ

quæ vna tantummodo est: non tamen quatenus ea in pedibus, aut in manibus est: sed tantum quatenus eo in capite est, dictans quæ scribo: & in manu est, formans characteres. Simile crassum est, sed haud à proposito alienum.

III. Ad tertium quod attinet de *Antichristo*, déque Apostoli loco ad Thess. 2. Epist. cap. 2. plura non addo iis, quæ scripta reliqui in libello aduersus Arianum, ad antithesin 51. Ibi videbis in epistola Basilij ad Episcopos in Gallia, de quonam Patres eius temporis, locum Apostoli interpretati sint: *Musculus* certè noster, Turcum quoque nomine Antichristi intelligit. Ad vtrumque ego etiam accommodo: sed in Turcum tamen magis, quam in Papam quadrare, persuasum habeo: quia ille magis est ἀντίχριστος, quemadmodum ibi abundè a me demonstratum est. Si doctrinam igitur spectes: Turco magis conuenit nomen Antichristi, quam Papæ: si vero idololatriam, superstitiones, tyrannidem spiritualem, alter maior est Antichristus.

De quarto, non est cur multum disceptemus. Sententiam meam satis explicatam reperies in obseruationibus meis in illam confessionem. In Germania, Princeps Anhaldinus, fuit etiam Minister verbi: & in Galliis aliisque locis non desunt exempla nostri temporis. Diuersa est quæstio: *Vtrum qui iam Princeps est, possit etiam Minister verbi fieri: &* vtrum *qui Minister est verbi, principatum appetere & suscipere.* Certum est, politica non parum impediri Ecclesiasticam functionem. Sed quid liceat, non autem quid expediat, disputatur. In veteri Testamento non desunt exempla prophetarum & Sacerdotum, qui etiam populum politicè regebant. Non ergo per se pugnant. Impediri verò spirituale ministerium, negotiis secularibus, vt antè dixi, extra controuersiam est: ac proinde consultum esse Ecclesiæ, vt diuersæ functiones, diuersis etiam hominum generibus iniungantur.

Cæterum tenendus tibi est scopus illius Confessionis meæ, cùm illius conscribendæ prouincia mihi commissa fuit: credo illum tibi esse notum. Habenda igitur fuit ratio Ecclesiarum etiam illarum, in quibus nonnulli cum Ecclesiastica dignitate, politicam etiam potestatem coniunctam habent. Hæc cursim & breuiter ad tuos scrupulos, frater obseruande, vt inde intelligas, quæ in illa Confessione conscripsi, eorum nihil cum doctrina Christiana, quam Ecclesiæ reformatæ profitentur, si rectè intelligatur, pugnare.

Quæ subdis in Epistola tua, non opus habent responsione. Mors optimi, Doctissimi & mihi semper amicissimi *L. Lauateri*, ita mihi doluit, vt præ dolore non possim exprimere. Auxit dolorem, quod videam extinctos omnes illos senes, cum quibus mihi intercessit summa amicitia, *Bullingerum Pellicanum, Martyrem, Gesnerum, Frisium, Simlerum, VVolfium*, & nunc *Lauaterum*. Gualterus magis inter mortuos, quam inter viuos connumerandus est: eò magis vobis iuuenibus, tibi præsertim, Stucki, cui cum primis commendata est Schola Theologica, intendendæ sunt vires, ad munera vestra dignè, & cum laude obeunda. Præstet vobis hanc gratiam Deus pro sua erga nos misericordia, ad nominis sui gloriam, & Ecclesiæ ædificationem.

Faxit Deus, vt inter vos alij exuscitentur *Bullingeri, Simleri, Lauateri*, &c. Quod scribis de commentatio in Nehemiam, nondum accepi. Vale 9. Decemb. 86.

H. ZANCHIVS.

Ioh. VVilhelmi Stuckij de hac Zanchij responsione iudicium.

S. D.

Literas tuas, Domine & præceptor obseruande, mense Decembri datas, Anno 86, sub finem fere mensis Februarij accepi Basilea huc missas. Etsi verò tardiùs illæ mihi fuerunt redditæ; tamen magnum ex illis fructum voluptatémque cepi. Doctis, acutis religiosisque illis tuis responsionibus, ad quæstiunculas quasdam meas plurimum equidem sum delectatus, iisque tanquam S. Scripturæ, & orthodoxæ fidei consentaneis, facilè & quidem optimo iure acquiesco. Gratias quoque tibi merito magnas & ago & habeo pro hoc tuo labore, téq; rogo, vt mihi ignoscas, quòd tibi nonnihil forsan molestiæ, scrupulis illis meis atque quæstiunculis exhibui. Me quidem facti huius mei non pœnitet, ex quo tam vberem fructum cepi. Commentaria Lauateri in Nehemiam scribis te non accepisse, quod miror. Exemplar enim per *Robertum Cambierum* ad te misi, eique nomen meum inscripsi, sed forsan iam accepisti. De obitu D. Gualteri puto te iam intellexisse. In ipso die Natali Christi, hora sexta pomeridiana, me & aliis præsentibus, diem suum obiit, placidaque morte quieuit. Perbeatus ille, qui omnibus huius Mundi malis periculisque solutus, nunc æterna illa beatitudine atque gaudiis fruitur, at nos miseros, qui tanto viro caremus. Nouum confœderatorum nostrorum Pontificiorum fœdus cum Rege Hispaniarum, magnam nobis turbarum, molestiarumque tempestatem minitatur, quam Deus pro sua gratia, a ceruicib. nostris auertat. Dubium profectò non est, quin fœdus istud religioni libertatique nostræ infestum valdè, periculosumque futurum sit Grisones nostri ad idem fœdus magnificis pollicitationibus atque muneribus, quorum, vt nosti, magna vis est ad hominum animos flectendos atque mouendos, solicitantur assiduè. Cuperem te ad amicos tuos quos ibi habes, literas mittere, illos admonendi gratia, vt sibi ab Hispanicis illis blanditiis atque lenociniis caueant, magnaque contentione quosuis alios ab iisdem deterreant.

Nouus hic annus, multas res nouas atque turbas nobis videtur esse parituros in toto orbe Christiano, ita vt merito & publicè & priuatim omnes pro communi salute Ecclesiæ excubias agere, & precib. atque pœnitentia inuigilare debeamus. Plura quæ scribam hoc tempore non habeo. Vale Domine & Præceptor obseruande, meque amare quæso pergas, & de constanti mea in te beneuolentia, obseruantia, atque fide, nequaquam dubites. Si qua in re tibi inseruire possum, est quod mihi imperes, non me roges, tibi nequaquam deero. Tiguri 4. Martij, Anno 1587.

Tui obseruantissimus

IOH. WILH. STVCKIVS.

An liceat fidelibus peregrinis in Germania, vbi propriam non habent Ecclesiam, Baptismum sumere à Germanis, qui de Cœna aliter, quàm ipsi sentiunt.

Consilium missum ad fratres quosdam N. N. 1569.

Lis ea quæ hodie in Ecclesiis Euangelium profitentibus agitatur, non videtur esse de articulo simpliciter ad salutem necessario, vti sunt qui in Symbolo continentur, quod Paulus *fundamentum* nominat, 1. Corinth. 3. Verum cùm solùm contendatur de modo præsentiæ, & communicationis seu perceptionis corporis & sanguinis Iesu Christi in Cœna, etsi pars altera ad veritatem peruenit, altera verò minimè: qui ab ea aliquatenus distant, retinentes fundamentum fidei ad salutem necessarium, superædificare videntur super fundamentum ligna, fœnum, & stipulam, quæ, vbi Deo visum fuerit splendorem Dei veritatis emittere, consumentur. Spe ergo expectantes donec illucescat illa dies, nostrum est nos subiicere Deo & orare vti breui nobis illam veritatem mittat: interea vero alios per charitatem & submissionem animi tolerare, & pacem vnitatemque in Ecclesiis (quantum quidem in nobis est) seruare potius quàm temerè & intempestiuo quodam zelo manifestum schisma inter Ecclesias facere. Hoc enim esset vulnus, quod Deum sanaturum speramus, deterius reddere.

Qui nos præcesserunt, vti *Lutherus, Bucerus, Melanchthon, Oecolampadius*, & alij fideles Dei Ministri, quamuis & vixerint & obierint durante illa lite, & vtraque parte opinionem suam retinente, retinuerunt tamen pacatas suas Ecclesias, & vnitatem in reliquis fouerunt, nec vnquam manifestum schisma fecerunt inter suas Ecclesias, ac si alij alios hæreticos censerent qui fundamentum deseruissent, sed patienter expectarunt, donec Dei beneficio lis illa per legitimam aliquam Synodum, tolleretur. Dum itaque suspensa lis est, & eius decisio adhuc expectatur, non decet particulares vnius partis Ecclesias integras alterius partis damnare, & causæ legitimum iudicium anticipando eas pro hæreticis habere, & sese ab eis omnino separare. Nec enim est particularium, ante litis decisionem, & sententiam legitimo iudicio & idoneis iudicibus

latam, (quod sola legitima synodo, vt dictum est, fieri potest) exequutionem aggredi. Quo autem firmiori ratione quisque ad ita expectandum promoueatur, considerandum est Ecclesias, de quibus nunc agitur, earúmque ministros non esse omnes eiusdem sententiæ in hac lite, sed potiorem earum partem à nobis stare, veritatémque Dei beneficio in dies prodire. Quare iniquum esset importuna temeritate & impatientia, illud quod expectamus, quodque Deus paulatim promouet, impedire.

Præterea & hoc est animaduertendum, litem illam ad Baptismi Sacramentum nihil attinere, nec vlla ratione administrationem Baptismi, qualis habetur in illis Ecclesiis de quibus agitur, damnari posse. Quod si quis dicat, *Baptismo ipsorum approbato, reliqua omnia atque adeo ipsam eorum doctrinam approbari*, is sciat confessionem & protestationem à nobis factam amplam satis ad ea responsionem dare. Veteres Ecclesiæ in multis sanè non leuioribus contenderunt, vti erat dissidium Ecclesiæ Græcæ cum Latina de processione Spiritus sancti, de celebratione festi paschatis, de communione in pane azymo. Item quamuis Cyprianus, & qui ei adhærebant, Hæreticos & ab hæreticis baptizatos rebaptizandos censerent, qui tamen aliter sentiebant, nunquam ab eis secessionem fecerunt.

Item qui putabant communionem panis & vini cœnæitémque Baptismi aquam, vsque adeò ad salutem necessariam, vt qui non tincti aqua, & nec panis vinique cœnæ participes facti vita migrarent, periisse prorsus putarent: ita vt iam baptisatis infantibus panem & vinum cœnæ exhiberent, vt Augustinus & plerique eius ætatis viri.

Iam quamuis eiusmodi errores æquè, aut etiam magis à fundamento fidei recederent, quam quæ hodie agitatur quæstio qui tamen melius instituti erant, alios nunquam pro hæreticis habuerunt, nec à Ministeriis aut Ecclesiis eorum discesserunt, sed eos errores charitate & patientia tolerarunt, donec Dominus lumine diei visitationis suæ & igne veritatis exureret, & consumeret ligna illa, fœnum, & stipulam superstructam fundamento. Quod prætereà obiicitur disciplinam eis in locis non eam esse, quam meritò pius optaret, neminem ad schisma in Ecclesia faciendum iuuare potest. Cum enim in nulla Ecclesia exactè perfecta disciplina reperiatur, ab omnibus Ecclesiis esset discedendum. Quapropter nos suprascripti, his rationibus ducti hoc sentimus, vt nimirum fratres qui de cœna melius sentiunt, liberè & sine difficultate infantes suos Ministris Ecclesiarum earum, quæ puram in negotio cœnę cognitionem nondum sunt adeptæ, baptisandos offerant, & tum maximè, si patres & patrini illam linguam intelligant, qua baptismus ibi administratur, vt doctrinæ & administrationi eius consentire possint. Quod si quidam adeo morosi & scrupulosi fuerint qui per conscientiam huic nostro consilio sibi parendum, non esse existimauerint, vti nos eos quidem adigere nolumus ad agendum quidquam contra conscientiam, ita ipsis consulimus, vt pacatè, tranquillè, sine tumultu & offendiculo vllius, ad ea loca se conferant, vbi voti compotes esse queant, nec quenquam condemnent potiùs, quàm vt maneant in iis vbi sunt locis, aut infantes suos aliò baptisandos ferant: hoc enim sine aliorum offendiculo, & suo ipsorum periculo fieri nequit. Quod quidem nulli vsui, omnibus autem noxium est.

Et ne qui remansuri sunt ibi, sibi ipsis hoc nostro consilio fucum faciant, blandiantur & in conscientia indormiscant, & ita negligant aut minus attentè quærant vsum ordinarium & legitimum verbi Dei, puramque administrationem Sacramentorum, eos censemus serio adhortandos, vt omnibus legitimis viis contendant, vti ministerium restituatur, aut alibi quærant fruitionem puræ prædicationis verbi Dei, & Sacramentorum rectæ administrationis cum regimine disciplinæ, idque propria lingua, & iuxta suam confessionem ac protestationem, vt hac ratione à scrupulis & periculis conscientiæ liberentur, in quę aliàs facilè prolaberentur.

Otto à Grunrade H. Zanchio S. D.

REuerende & Clarissime vir, Domine & amice colende. Quàm gratus mihi sit liber de *Natura Dei*, abs te isto missus, ostendam cum potero. Intelligo enim de isto Commentatio non tantum Reip. Christianæ, sed mihi quoque priuatim gratificari voluisse, dum absens absenti sanctissimas cogitationes & sermones eruditissimos communicas, quibus me, istic cum essem, mirificè delectatum fuisse, non ignoras. Quare ago & habeo tibi magnas gratias pro munere isto, daturúsque sum operam, vt fructum aliquem huius beneuolentiæ tuæ vicissim ex me percipias. De templi vestri occlusione audieram antè, quàm tuas accepi, & Deum vobiscum oro, vt suscepto suæ causę patrocinio cordi potentum ad agnitionem veritatis flectat, & isthic quoque suæ Ecclesię rursus nidulum certum, & piam libertatem concedat.

Nos hic Dei beneficio puritatem doctrinæ liberè profitemur, & ceremoniis iisdem vtimur, quibus isthic assueti eramus, excepto ritu fractionis in Sacra Eucharistia. Cùm autem sciam, nonnullos anxiè secum disputare, *num bona conscientia communicare possint cum Ecclesia in qua ritus iste omittitur*: ea de re iudicium tuum audire peruelim. Planè enim mihi persuadeo, te virum in vniuersa Theologia exercitatissimum, solidas rationes allaturum, quibus aut talem ... improbes, aut vacillantes conscientias confirmes. Quare pro amicitia nostra etiam atque etiam te rogo, vt ad quæstionem hanc disertè mihi respondeas.

Num priuatus aliquis cum ea Ecclesia, in qua quidem de omnibus articulis fidei nostra purè docetur, & quæ blasphemum dogma vbiquitatis apertè reycit, sed quæ fractionem non habet, ita sese consociare debeat, vt sacris symbolis, quæ præter cætera fidelium quoque coniunctionem testantur, in ea vtatur. Deinde, *Num Minister verbi, si doctrina professio libera ei relinquatur, propter omissum fractionis ritum, quem alibi vsurpauit, bona conscientia operam suam denegare possit Ecclesiæ, in qua vel nulla, vel lenta spes fuerit introducendi hanc ceremoniam.* De hac quæstione, si apertè, vt soles, mihi responderis, magno me beneficio affectum arbitrabor.

Et si graue tibi non esset, rogarem, vt in explicanda hac quæstione, quid per omnia de fractione panis piè sentiendum sit, mihi ostenderes. In primis verò, quales se gerere debeant in ritu hoc introducendo vel omittendo Ministri & magistratus politicus. Ea re non me tantum beneficio cumulabis, sed de aliis etiam piis præclarè promęreberis. Bene & feliciter Vale. Dabantur Sigenæ 3. Dec. 1577.

Tuus Otto à Grunrade.

H. Zanchij ad quæstionem nobilissimi viri, D. Ottonis à Grunrade de fractione panis Responsio.

SHERI sub noctem frater obseruande, redditæ mihi fuerunt litteræ tuæ, datæ huiusce mensis tertio, quæ cum aliis multis de caussis perfuerint gratæ, tum maximè, quod in tota ista regione puram Euangelij doctrinam prædicari intellexi, ritusque omnes puros retineri, vnam duntaxat panis fractionem desiderari in administratione cœnæ Dominicæ: totum hoc valde libenter legi, & gratulatus sum vobis, atque gratulor ex animo, quod nihil prętere a desideretur. Illud vero non parum dolui, atque doleo, quod scribis, non deesse qui dubitent, & anxie etiam disputent, *num bona conscientia communicare possint cum ea Ecclesia, in qua ritus iste omittitur.* Video enim diabolum semper sui similem esse, vt vbi hæreses seminare non potest, ibi curet saltem quoquo modo, leuissimis etiam de caussis schismata, quibus Ecclesiæ perdantur excitari: proinde diligenter simul & prudenter resistendum est Satanæ non solum apertis conatibus sed dolosis etiam artibus atque insidiis, quæ prætextum quidem habent pietatis, sed reuera ad piarum Ecclesiarum euersionem, ipsius Diaboli astu struuntur. Est igitur contrà, nobis in id omnibus viribus incumbendum, vt Ecclesiarum ædificatio promoueatur, quando huc etiam omnia spectant, quæ Christus Dominus noster egit, passus est, instituit, docuit: tantum abest vt propter diuersitatem vnius in cœna ritus, illiúsque non ita necessarij, vt si absit, substantiam cœnæ tollat, faciendum sit aliquod schisma, id quod certè ab illo cum primis fieret, qui propterea suam operam, Ecclesiæ, ad quam legitimè vocatus est, denegare, suumque ministerium deserere vellet.

Quæris igitur à me frater carissime: Primum quidem: *Num priuatus aliquis cum ea ecclesia, in qua de omnibus articulis fidei purè docetur, & in qua blasphemum dogma Vbiquitatis, apertè reijcitur, sed quæ fractionem panis non habet,*

habet, ita consociare se debeat, vt sacris symbolis, quæ præter cætera, fidelium quoque coniunctionem testantur, in ea vtatur. Deinde, *Num minister verbi, si doctrinæ professio libera ei relinquatur propter omissum fractionis ritum, quem alibi vsurpauit, bona conscientia possit operam suam denegare Ecclesiæ, in qua vel nulla, vel lenta spes fuerit, introducendi hanc ceremoniam.* Addis, *quidnam in vniuersum, de fractione hac panis sentiendum sit, & in ea vel admittenda vel omittenda, quales sese debeant gerere ministri & magistratus politicus.* Hæ sunt quas mihi proposuisti quæstiones.

Optassem quidem alio tempore, quàm hoc incommodissimo, quo totus occupatus sum in consarcinandis libris, meáque supellectile, vt ante diem natiuitatis, iuxta mandatum P.E L. qui 6. huius nos tres theologos, ideo missos fecit, quia, vt ait, Caluinismum profiteamur, migrare ex ædibus possim: Quia tamen quod petis, nihil habet, meo quidem iudicio difficultatis, neque tibi quippiam denegare possum, viro pio, docto & amico, idcirco, quòd in tanta rerum turbatione, & negotiorum multitudine possum, illud tibi præstare conabor, illius dicti haud immemor, *cùm non potes quod vis, velis quod potes.*

Ad posttemam igitur, priori loco, breuiter respondeo quæstionem: Diligenter dandam esse, tum ministris, tum magistratui operam, vt panis fractio in Ecclesiam postliminio reuocetur, tum quia Christus & Apostoli, & deinceps, vetus Ecclesia eam vsurparunt, (sunt verò exempla Christi & Apostolorum, in cultu & moribus imitanda) tum, quia non parum facit ad mysterium Cœnę illustrandum: hoc est, & ad passionem mortémque Christi annunciandam, súbque oculos Ecclesiæ proponendam, & ad κοινωνίαν, quam habemus cum Christo, & inter nos pulchrè repræsentandam. Cùm enim ex vno visibili pane in varia frustula fracto, omnes ideo corporaliter edimus, vt simul etiam vnum atque eundem Christum, panem cœlestem pro nobis fractum, omnes spiritualiter percipiamus, oréque Spiritus ac fidei comedamus: ad viuum repræsentatur toti Ecclesiæ κοινωνία, qua vnum existentes cum Christo, cœnæ participatione magis ac magis in vnum corpus cum ipso & tota Ecclesia coalescimus, iuxta illud, *Vnus panis, vnum corpus multi sumus. Omnes enim vnius panis participes simus.*

His ergo potissimum de caussis, quæ hactenus autore Satana, hoste capitalissimo, nostræ cum Christo & inter nos coniunctionis, exulauit ab Ecclesia Fractio panis, ea modis omnibus vt restituatur, elaborandum est. Ratio autem & via, qua cum fructu redire possit, non in nudo magistratus mandato consistit, sed in doctrina potissimum, qua ministri eam ab autoritate & exemplo Christi, ab honesto & vtili persuadeant Ecclesiæ, doceántque ad veram perfectamque Ecclesiarum reformationem pertinere: semper enim proficiendum esse in melius, neque pudere nos debere huius mutationis: quoniam, vt piè simul & verè scribit Ambrosius Epistol. 31. ad Valentinianum Imperatorem, *Nullus pudor est ad meliora transire.* Neque enim introducenda est fractio, inuita, & reclamante maiori Ecclesiæ parte, ne hanc ob caussam schisma fiat aliquod, & dum volumus frangere panem, frangamus simul & dissipemus corpus Ecclesiæ, quod certè non probatur Apostolo, dum iubet omnia fieri ad ædificationem Ecclesiæ, & in hunc finem institutum esse ministerium, potestatémque non esse ministris datam ad destructionem, sed ad ædificationem: præeat ergo doctrina & persuasio necesse est, ne quid per tyrannidem fiat, & euertatur Ecclesia. Neque enim tam necessaria est fractio panis, quam conseruatio integri corporis Christi, quod est Ecclesia, & præposterus est zelus, qui cum ruina Ecclesiæ coniunctus est.

Quid vero (vt ad alteram veniamus quæstionem) si minister doctrinam de fractione panis non possit Ecclesiæ persuadere, num propterea potest salua conscientia, operam suam ei denegare? Quasi vero prophetæ in Israel, quia non poterant populo persuadere, vt abiecto idololatrico cultu, verum restituerent, idcircò suas vnquam deseruerint stationes: quanto minus hoc licet ministro legitimè ad aliquam Ecclesiam vocato, ideo facere: quia fractionem panis, in qua tamen substantia cultus diuini, cœnæ Dominicæ, non consistit, impetrare non potest? Dum licet verbum Dei liberè prædicare, errores refutare, vitia arguere, non licet ministro suum deserere ministerium, ad hoc enim vocatus est vt doceat, quæ Deo placent suadendo: quæ displicent, reprehendendo ac refutando. Sed vt hoc demus, inquies, de ministerio verbi: nondum tamen soluta est quæstio, Quæritur enim, num cœnam quoque in qua panis non frangitur, bona conscientia possit, & aliis administrare, & sibi ipse sumere? Quid ni? illud enim bona conscientiâ facimus, quod faciendo, nullum apertum Dei mandatum transgredimur. Quodnam autem mandatum Christi violatur à ministro, qui illud de quo est quæstio, agat? Certè si tale quid expresso mandato, Christus cauisset ne fieret, bona conscientia præstari non posset. Sed illud ego non video. Video quidem quid fecerit ipse, quid etiam Apostoli, nec ignoro sequenda esse Christi exempla, sed apertum hac de re mandatum non lego: sicut lego porrectum panem esse accipiendum & edendum, Cœnam in recordationem mortis Christi esse celebrandam, conscientiam cuique suam esse probandam. Cur ergo hoc apertum negligam præceptum, ne quod apertum non est transgrediar? Sed fac & illud de fractione esse præceptum: quomodo tamen demonstrabis, mandatum Christi esse, vt *frangatur panis in mensa coram toto cœtu, non autem satis esse si fractus & diuisus in mensam afferatur*? Certè ad hoc, vt distribuatur, perinde est, si vel extra mensam vel in mensa frangatur: quanquam ad repræsentandam Christi passionem, non ita se res habeat. Est enim ille prior fractionis vsus, per se necessarius, quia edi non potest à multis panis ille nisi fractus: alter verò non ita necessarius, vt substantiam cœnæ, omissus tollat, & vt sine ipso celebrari illa non queat. Idipsum enim fit ad quod institura est fractio, alia ratione, nempe verbo, quo apertè prædicatur in cœna nobis exhiberi corpus Christi, quod pro nobis traditum est.

Ac licet patres non ignorarint alterum vsum propter autoritatem Apostoli, qui sic habet: *Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur*, plerique tamen omnes senserunt in hoc cumprimis, iuxta veterem Hebræorum consuetudinem, qui magnos panes adferebant in mensam, fractum fuisse à Domino Jesu panem, vt fractus diuidi ac distribui posset inter multos. Ergo ad hunc præcipuum vsum quod attinet, perinde est si fractus adferatur, atque si allatus integer frangatur. Quare cum duplex sit fractionis vsus, & primus, necessariúsque retineatur, alter vero culpa non ministri, sed Ecclesiæ aut magistratus obtineri non possit, num minister priorem etiam negliget, quia posteriorem habere non potest? Quid hic habes pastor scrupuli, cum per teipsum non stet, quin etiam alter vsus qui ex præsenti fractione coram tota Ecclesia, oritur, locum habeat in Ecclesia? præsertim cum tibi liceat semper protestari toti Ecclesiæ, te non ideo sine fractione ministrare & sumere cœnam, quod hunc probes ritum, sed quod malis cum Ecclesia tua infirma infirmari, quàm aut schismatis alicuius esse autor, aut ipsam Ecclesiam cœna Dominica defraudare: quando etiam Apostolus nonnunquam haud dissimilia faciebat, quo schismata euitaret, & vnitatem Ecclesiarum conseruaret. Certè neque ipse cum esset apud Gentes, Iudaicas ceremonias obseruabat, cum tamen venit Hierosolymam, nec discipuli qui erant ex Iudaismo, legis alioqui plus quam par erat obseruantiores, turbarentur, sequutus consilium Jacobi & presbyterorum, admisit purificationem in templo. Neque est cur quispiam hoc Apostoli factum improbet, cum ipse illud idem narret, tanquam opus non malum; immo laude dignum propter caritatem & studium fraternæ concordiæ. Non igitur valet, *Alibi semper vsus sum fractione panis: Ergo hic, citra illam neque exhibebo aliis, neque mihi sumam cœnam Domini.* Oportet enim pastorem, ad infirmitatem suarum ouium propter ipsarum salutem seipsum accommodare, & omnibus omnia fieri, quantum per verbum Dei licet, vt omnes lucrifaciat. Non possum enim videre (vt ante etiam dixi) quo verbo Dei caueatur, ne minister vllo modo cœnam administret nisi in mensa frangatur panis. Præterea, An non hoc etiam fuerit damnare omnes Ecclesias, quæ Euangelium amplexæ, præsentem tamen fractionem non habuerunt, neque etiam nunc habent? An non hoc quoque fuerit, fouere errorem, olim Donatistarum & nunc Anabaptistarum, qui ideo communionem nobiscum nolunt, & ita ab Ecclesiæ vnitate recedunt: quia non omnia apud nos perfecta reperiuntur, sed multa desiderantur? Ergo quia non expedit, non debet minister suam operam denegare Ecclesiæ, aut abstinere à cœna, quia frangere panem non permittitur, præsertim cum per ipsum non stet, sed per Ecclesiam quin frangatur, & nulla culpa in ipso hæreat.

Credo ex iis manifestum quoque & perspicuum esse factum, quid ad primam quæstionem responderi debeat: qua quærebatur, *num bona conscientia possint fideles ad mensam Domini accedere, in qua panis non frangitur.* Cum Christus nullo mandato, me ab illa arceat, neque culpa in me hæreat vlla quamobrem non frangatur: ibi verò nihil desit ad substantiam veræ Dominicæ cœnæ; ita vt à fidelibus verè percipiatur corpus & sanguis Domini, liceátque mihi de mea fide ministro vel etiam presbytero protestari, ac mihi quidem non probari ritum restitui, non ob id tamen velle me ab Ecclesia hac, vel à participatione Sacramenti abstinere, cum tota doctrina pura sit: & substantia etiam Sacramenti integra maneat, ita vt nihil ibi præter fractionem panis desideretur: quidni bona conscientia accedam? Neque exempla desunt piorum & doctorum virorum, nostri etiam temporis, & nostræ doctrinæ, quibus meam sententiam confirmem. Martyr, piæ memoriæ, præceptor meus, cum in Anglia adhuc retinerent dogma de manducatione orali, neque frangerent panem, sed nebulis illis Pontificiis vterentur, non tamen dubitauit accedere parochum, & protestatus de sua fide, petere vt se ad cœnam Domini admitteret, id quod etiam concessum ei fuit. Certò etiam scio, non solum ipsum Martyrem, sed etiam Caluinum huius fuisse sententiæ, nempe vbi dogma vbiquitatis non obtineat, sed simplex illa Lutheri sententia, ibi posse nos bona conscientia Cœnam Domini sumere, modo præcedat fidei nostræ confessio, ac protestatio, vbique sub illis admittamur: tanti faciebant vnionem Ecclesiarum: quanto magis ergo hoc ibi licet, vbi nulla planè dissensio est in doctrina, sed tantum fractio panis desideratur?

Audio Iohannem etiam à Lasco honestæ memoriæ virum, non minus pietate & eruditione, quàm sanguine illustrem, Cœnam sumsisse Witebergæ cum Philippo Melanchthone, vbi non frangebatur panis. Non dubito, quin etiam isti præclari viri, bona id fecerint conscientia. Ad summam: Non est deserenda substantia, propter aliquot accidentia malè cohærentia: Neque principali, vt loquuntur, propter accessoria: neque amici corpus contemnendum est, propter vestimentum, non vsque adeo illi conueniens, neque medicina ægroto respuenda, quia in poculo exhibetur stanneo, neque panis famelico, quia offertur, non cultro scissus, sed fractus manibus: cur ergo quis respuat panem Dominicum, quia non frangitur in mensa, sed fractus, seu in frustula paratus, adfertur in mensam? Cur itidem pastor malit, populum suum priuari hoc salutari cibo, quàm ea ratione præbere, quæ simpliciter non probetur: cum ille nolit alio modo & ritu accipere? Imperitus sanè medicus fuerit, & sui ægroti parum amans, qui nolit ei aliquid, in medio saltem percipiendæ medicinæ, gratificari. Hæc sunt quæ habui ad propositas, mihi à te quæstiones, frater obseruande, in hac nostra rerum turbatione, & in tam paruo temporis spatio, respondere. Precor Dominum, tollat omnia ex Ecclesiis dissidia, quò vnum tandem fiat ouile, cum vnum etiam tantum habeamus verum pastorem, Dominum nostrum Iesum Christum, cui laus & gloria in sempiternum. Vale frater carissime, tuisque Generosis & Illustribus Dominis Comitibus Nassouiensibus, atque imprimis mihi semper obseruandissimo Illustri D. Comiti Iohanni, salutem plurimam meo dicas nomine, atque vt me meosque amicos commendatos habeas, rogo. Iterum vale. 13. Decembr. 1577. Heidelb.

H. ZANCHIVS *Tuus.*

Nobilissimi huius viri de Zanchij responsione, iudicium.

REuerende & Clarissime vir, Domine & amice colende. Quòd paulò tardiùs respondeo ad literas tuas, pietatis & humanitatis plenissimas, nolim existimes vel obliuione tui, vel negligentia nostra commissum esse. Quo enim pacto tui obliuiscerer, cuius summa in me singularis cuiusdam beneuolentiæ extant indicia? Aut quid gratius mihi in vita contingere poterit, quàm colloqui tecum viro doctissimo, de rebus ad meam & multorum conscientiam pertinentibus? præsertim cùm tam facilem in respondendo te mihi præbere soleas. Quare quod nihil hactenus rescripsi, nulla re alia factum est, quàm deliberationibus quibusdam nostris, quibus hoc agebatur, vt nonnulli amici nostri, viri pij ac docti ad vos mitterentur, qui & statum harum Ecclesiarum vobis exponerent, & vestro consilio nonnullis in rebus vterentur, quos tibi instar viuæ Epistolæ fore iudicabam. Sed quia huic quoque consilio, vt video, mora inicitur, ad scribendi officium necessariò mihi redeundum est, præsertim cum proximis tuis literis tam benignè abs te inuitatus sim.

Ac vt ad priores literas, priore loco tibi respondeam, vehementer mihi placuerunt, quæ de ritu fractionis in Eucharistia à te rationibus firmissimis & exemplis piorum confirmata afferuntur. Ac planè tecum sentio, dandam esse operam tam Ministris verbi, quàm Magistratui pio, vt ritus ille, Pontificum Rom. vel fraude, vel incuria intermissus, postliminio in Ecclesiam reducatur. Imprimis verò probatur mihi consilium tuum, quo statuis, tam Ministrum, quàm auditores, posse salua conscientia communicare cum Ecclesia, in qua de omnibus partibus doctrinæ alioquin piè docetur, etsi propter vulgi imperitiam ritus fractionis tam citò vsurpari non possit.

De qua te etsi nunquam dubitauerim, nonnihil tamen me zelus quorundam intempestiuus exercuit, qui omnino negabant, *Cœnam veram esse, in qua fractio panis non haberetur.* Quare & meo & amicorum nomine, me tibi gratias debere profiteor, non modò quòd me vacillantem confirmaris, verùm etiam, quòd moderatione tua, multis bonis viris scrupulum grauem exemisti, qui quorundam importunitate offensi, ex vnius turbatoris ingenio, cæteros Heidelbergenses omnes iudicabant.

Porrò, quæ in posterioribus literis disseris de Magistratibus officio in coërcendis contumacibus, qui præfracto animo veritati ac piis ceremoniis sese opponunt, per se iudico esse verissima, nisi quod statum nostrarum Ecclesiarum (de quibus fortassis non optima fide ab aliquibus edoctus es) minùs illa congruunt.

Etsi enim alicubi à ciuibus repugnatum est ritui fractionis, contumacia tamen abfuit. Ac si ea moderatione a docentibus negotium actum fuisset, quam priores literæ tuæ in Ministro verbi desiderant, nihil ferè difficultatis fuisset, id quod ipso facto deprehensum est, postquam populus rectè ac sine conuitiorum acerbitate de summa rei doceri cœpit. Decreueram totum statum nostrarum Ecclesiarum ad te perscribere prolixè, sed quia excludi me tempore video, in aliud hoc tempus reiiciendum putaui. De schola nunc nec libet, nec licet scribere. Affinem tuum non modò iuuare, sed ornare etiam cuperem, nisi ea caussa mihi hactenus obstetisset, quam antea ad te scripsi. Si crebro ad me scripseris, nihil mihi gratiùs, nihil iucundiùs præstare poteris. DEVM æternum, Patrem Domini ac Saluatoris nostri Iesu Christi, toto pectore oro, vt consilia tua ac pia studia gubernet, & dona spiritus sui, quæ largissimè in te contulit, magis ac magis tibi augeat. Ignosce festinationi, & bene vale. Dabantur Dillebuigi, 20. Martij, Anno 78.

Tuus totus

OTTO à GRVNRADE.

Post scriptum:

Non potui intermittere, quin adscriberem argumentum, quod non ita dudum mihi opposuit quidam amicus, vir alioquin bonus & moderatus, quem video valde turbati propriis quibusdam suis speculationibus, teque oro, vt ad illud mihi argumentum respondeas, quod tale est *Sicut se habet fiducia ad obsignationem promissionis, ita se habet intelligentia promissionis ad declarationem promissionis.* Ergo permutatim: *quemadmodum se habet fiducia ad intelligentiam, sic obsignatio ad declarationem: Atqui fiducia non potest esse sine intelligentia promissionis:* Nemo enim potest certò fidere ea re, quam ignorat. *Ergo nec obsignatio promissionis potest esse sine declaratione eius:* Et, per consequens, *Sacramenta non obsignant, nisi prius declarent.* Cætera intelligis. Hoc vult, cùm in Baptismo nihil repræsentet seu declaret mortem Christi, præter mersionem, & in Cœna, præter fractionem, non obsignari mortem Domini, extra quam promissio est irrita, in multis his ceremoniis. Exspecto solutionem tuam.

H. ZANCHIVS.

Eidem de eadem materia: Ceremoniam istam omnino in Ecclesiam esse reuocandam.

SCùm vester iste, quem ad nos vestris cum literis miseratis, bonus adolescens, recuperata tandem valetudine ad vos redire constituerit, non potui facere, quin te hâc

hisce meis salutarem, atque vt Generosos & illustres Dominos Comites, amicósque omnes meo iuberes salutere nomine, rogarem. Aueo autem ex te intelligere, quomodo, quibusve rationibus probata vel improbata fuerit doctissimis istis viris, ac tibi, mea, quam scripsi de *fractione panis* sententia. Nam si meliores in contrariam partem adferantur rationes, libenter audiam. Nam quòd quidam præceptum esse volunt, propter verba: *Hoc facite in mei recordationem*, meo iudicio, falluntur, tum quia liquet, mandatum hoc de fine, non ad factum Christi, *fregit*, sed ad superius mandatum de accipiendo & edendo pane, referendum esse, tum etiam, quia sequeretur, malè fieri à nostris Ministris, quòd soli frangant panem, cum mandatum hoc (si de frangendo etiam pane intelligatur) non ad ipsos solos, sed ad omnes fideles referatur, quibus etiam omnibus dixerat prius, *Accipite, edite*. Restat ergo, non posse simpliciter damnari eos, qui eam non habent. Et tamen reuocandam & retinendam eam esse, tum propter exemplum Christi, Apostolorum, totiusque veteris Ecclesiæ, tum etiam propter mysterium Passionis & mortis Domini, quæ illa actione repræsentantur Ecclesiæ, & ceu sub oculos ponuntur. Proinde neque etiam probari possunt, imò ne excusari quidem illi, qui contemtis Christi & Apostolorum exemplis, tamque vtili & laudabili totius Ecclesiæ consuetudine, fractionem in Ecclesiam reuocare non curant. Quare, pius Magistratus, cuius est curare vt in reformatione Ecclesiarum, ad formam simplicitatémque Apostolicã quàm proximè accedatur, posteaquam curauit populum, etiam de hac ceremonia Apostolica rectè & diu doceri, potest & debet illam in Ecclesiam inducere, & populo mandare, ne quispiam eius rei caussa abstineat à Cœna: ac si quis non obtemperet, illum compescere. Fuerit enim manifestum, huiuscemodi hominem, nullam posse obtendere ignorationem, aut conscientiæ scrupulum, vt vocant, sed ex mera peccare pertinacia. Cur enim in rebus honestis, & cum verbo Dei consentaneis, non obediatur Magistratui? Cur Apostolici ritus, salutarésque Ecclesiæ consuetudines contemnantur impunè? Hoc itaque priori illi epistolæ meæ tantùm non extempore à me conscriptæ, quò melius, quid ea de re sentiam, intelligatur, additum velim. Vale optime & doctissime frater. 17. Febr. 78 Heidelb.

H. ZANCHIVS tuus.

Nobilissimo viro Ottoni ab Houel, Illustriss. Ducis Christophori Palatini, &c. Præfecto.

SColendissime & Doctissime Otto, mitto Illustrissimo duci, reale, (vt vocant) responsum, ad illam, de qua me, Illustrissimi Parentis Electoris nomine, interrogaueras, quæstionem. Excessit, verum est, terminos modestiæ, Schegkius noster: sed duabus epistolis ab altero prouocatus, vt videbis. Cæterùm quorsum curasse, vt quæ inter ipsos duos, & ceu inter priuatos parietes admissa fuerunt peccata, ea statim in publicum proferrentur? Certè *charitas* (vt sapientissimè scriptum reliquit Salomon) *operit multitudinem peccatorum*: sicut contra odium suscitat rixas. Ego certè ista non possum probare. Atque vt alia omittam, hoc vnum ita Professorum animos offendit, vt bona conscientia non potuerint in id, quod proponebatur, consentire. Non enim istis epistolis vnum Schegkium, sed omnes Germanos, non tantùm Doctores, sed etiam alios, grauiter perstrinxit. Quid enim illa sibi volunt verba, in postrema Epistola, paulò post initium? *Hæc enim* (inquit N. Schegkio) *tui vomitus frusta sunt esculenta, vinum nescio quod redolentia. Hæc, inquam, tui vomitus frusta, in epistola tua*, &c. Hæc ille. Sed certè neque huius vomitus redolent sobrietatem, aut aquam. Hæcne debuit euomere in virum talem ac tantum, & Illustrissimi Principis Germaniæ Medicum, & Professorem: virum deinde Christianum, & quem omnes norunt optimum esse ac sobrium, & illo vitio non laborare? Putamusne illum & alios tacituros? Tu, mi prudentissime Otto, pro tua prudentia cogita, quot & quantarum turbarum ista sint initia, & de remedio maturè cogitato. Et cordi nobis sit, vt est & esse debet, tum Illustrissimi Principis existimatio atque honor, tum publica totius Germaniæ pax atque concordia.

Rogo memineris illius officij, quod te facturum promisisti, & ames tuum tuique obseruandissimum Zanchium. Reuerenter salutabis Illustrissimum Ducem.

T. ZANCHIVS.

H. ZANCHIVS

Clarißimo viro, & excellentißimo I.V.D. D. Iohanni à Glauburgo, de Cœna & excommunicatione à Cœna.

CLarissime vir & Doctor excellentissime, literas tuas 5. huius mensis datas, octauo accepi. Et quid à me, reliquisque meis collegis, ac fratribus obseruandissimis petas, facile intellexi. Duo autem fuerunt petitionis tuæ capita: vnum, vt scriptam parentis tui, hon. memoriæ, confessionem de Cœna Domini, & simul etiam de Baptismo, diligenter examinaremus, & quæ nostra esset de illo scripto sententia, liberè ad te scriberemus. Alterum, vt quid de facto vestrorum ministrorum, qui patrem tuum, tum bene adhuc habentem, tum postea etiam decumbentem, sub tali confessione, ad mensam Domini noluerunt admittere, sentiamus: iustène, & ex officio suo fecerint, an secus, ingenuè tibi significaremus. Ego pro eo, quod tibi debeo officio, primùm quidem simul ac confessionem legi, statim eã ad obseruandos meos collegas misi, *D. Boquinum, & Tremellium*. Inde ad reliquos, de quibus tu mentionem in literis tuis feceras. Deinde verò post meam lectionem, cœpi de toto negotio cogitare: postridie manè (nondum enim licuerat cum aliis, propter varias, tum meas, tum ipsorum occupationes, de ipsa conferre, & sententias audire) iudicium meum, tam de confessione parentis, quàm de facto ministrorum, breui quodam scripto concepi: illud postea cum fratribus communicaturus, & eorum sententias audirurus. Sed concionatores sunt variis districti negotiis, vt non semper domi eos possis reperire. Quorum igitur potui audire sententiam de vtroque capite, eam ad te mitto. Probamus parentis confessionem: probare non possumus ministrorum factum. Ratio vtriusque est, quod illa consentanea est cum sacris literis, istud verò pugnat cum mandato Christi. Vtrumque breuiter demonstramus. Cœna Domini (vt summatim dicamus) duo habet capita, substantiam, & vsum. Substantia est id, quod Christus instituit, & ipse in Cœna agit. Vsus est id, cuius causa eam instituit, & quod à nobis exigit. Substantiam suam, ea semper retinet integram, quia Christus neque mutatur ipse, neque mutat institutionem suam. Vsum, non semper, neque in omnibus obtinet: propterea quod neque omnes, qui accedunt veri sunt discipuli Christi: neque discipuli semper iidem, hoc est, eadem fide, resipiscentia, & caritate præditi, accedunt. Et aliquando dignè: aliquando etiam (proh dolor) indignè manducant & bibunt. Ac quod ad substantiã attinet, Cœnam sic ex verbo Dei breuiter diffiniri posse indicamus à causis omnibus. *Cœna, est in legitima actione, vera veri tum corporis Domini, quod pro nobis traditum est, tum eiusdem sanguinis, qui pro nobis in remissionem peccatorum effusus est, exhibitio: per Dominum ipsum spiritualiter, ad edendum & bibendum facta: ac Verbo quidem Christi, iam per os ministri prolato significata, panis autem fractione, vinique distributione, sub oculos Ecclesiæ, per manum eiusdem ministri posita ac repræsentata, & in salutarem memoriam Christi, pro nobis mortui, à Christo ipso instituta.* Non est hic opus longa explicatione, nec verò etiam breuitas temporis, id ferre potest. Breuiter itaque & summatim, vt in Scholis fit, singulas partes non tam explicamus, quàm confirmamus. Primò dicimus, *in legitima actione*: hoc est, in actione Cœnæ, ex institutione, & verbo Domini celebrata. Non enim extra legitimam actionem, distribuitur corpus Christi edendum, & eius sanguis bibendus. Secundo loco, *veram dicimus exhibitionem*: hoc est, non imaginariam, non fictitiam. Christus enim nobis non illudit, quum ait: *Accipite, edite, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur.* Tertiò, adiicimus, veri corporis, & veri sanguinis Domini. Exprimit enim disertè Christus, quodnam corpus edendum, & quemnam sanguinem bibendum: quum post dictionem, CORPVS MEVM, adiecit, *quod pro vobis traditur*: Et cùm dictioni, SANGVIS MEVS, subiecit, *qui pro vobis effunditur*. Nam neq; panis terrenus pro nobis traditus est, neque vinum pro nobis, in remissionem peccatorum, est effusum. Verum igitur corpus Christi datur edendum: & verus eius sanguis bibendus. Addimus quarto loco, *per Dominum ipsum facta*. Neque enim nobis alius quispiam, corpus & sanguinem Christi dat, aut dare potest, nisi Christus ipse. Nam pastor non is est, qui ex se dicat, *Accipite, Hoc est corpus meum*: sed Christus, ipse per os ministri hoc nobis dicit. Sic etiam Iohan. Baptista discrimen fecit, inter suam & Christi in Ba-

prifmo actionem:cùm dixit, *Ego baptizo in aqua, ille autem in Spiritu sancto.* Quintò diximus, *spiritualiter hanc veri corporis & sanguinis Christi exhibitionem fieri* Omnis enim corporalis actio, sub aliquem incidit corporis sensum. Cui autem sensui hæc actio Christi obnoxia est? Non ergo corporaliter, sed spiritualiter, hoc est, per spiritum suum, omnia hic operantem, distribuit Christus suam carnem: quatenus pro nobis crucifixa, & mortua est. Adiecimus sextò, *ad edendum & bibendum.* Sic enim Christus iussit, dicens: *Edite, bibite.* Non igitur exhibetur ad adorandum, aut in alium vsum, quàm ad edendum & bibendum: eo sanè modo, quo etiam datur. Dicimus septimo loco, *verbo Christi, per os ministri prolato,* exhibitionem hanc significari. Christus enim loquitur, sed per os ministri, dicens: *Accipite.* Nisi autem Christus loquatur, & significet quid sibi velit, & quid det, corpus ipsius non datur. Addimus octauo, *panis autem fractione, vinique distributione, eandem exhibitionem sub oculos Ecclesiæ per manum ministri poni, & repræsentari:* nempe ita, vt sicut vana non est significatio, quæ fit per verbum (simul enim res ipsa etiam exhibetur) sic etiam repræsentatio hæc, quæ fit per panem, & vinum, nuda non sit atque inanis: ex parte nimirum ipsius Christi exhibentis. Sicut enim panis non est propriè & verè corpus Christi: sic neque panis distributio, est propriè corporis Christi exhibitio, sed veræ exhibitionis corporis Christi, vera & non nuda repræsentatio. Illa enim panis distributione, corporali & visibili: inuisibilis & spiritualis corporis Christi exhibitio, Ecclesiæ ob oculos non inaniter proponitur. Postremò addita est particula, quæ ad vsum spectat: nimirum, *in salutarem Christi pro nobis mortui recordationem,* institutam fuisse hanc exhibitionem. Hic enim fuit scopus & finis: sicut Christus ait: *Facite in mei memoriam.* Paulus autem explicat dicens: *Quotiescunque manducatis panem hunc, & calicem bibitis, mortem Domini annuncietis.* In memoriam igitur Christi pro nobis mortui instituta est. Hæc verò salutaris est electis, quia fides, de certitudine salutis, per Christum mortuum partæ, excitatur & confirmatur: caritas erga illum, & erga Ecclesiam, pro qua mortuus est, accenditur: Et ita vera resipiscentia, quæ est noua vita, renouatur. Hæc est Cœnæ substantia, quantum ex verbo Dei colligi potest, & quam si vel opus esset, vel etiam vacaret, per singulas partes fusius demonstrare possemus. Notandum est exhibitionem, non esse receptionem. Exhibitio, est ex parte Christi: receptio, ex parte nostra. Christus igitur verè exhibet in ea actione, suum verum corpus, & suum verum sanguinem: sed non omnes neque semper illud verè accipiunt, ac comedunt, & istum verè bibunt. Verùm loco corporis, & sanguinis Christi, iudicium sibi manducant & bibunt. Proinde meritò diximus *exhibitionem corporis & sanguinis, esse substantiam Cœnæ: & eam semper manere integram:* quia tota Christi est: qui certè, vt antè dictum est, non ludit nobiscum, quum Cœna legitimè celebratur. Non ita verò se habet receptio & vsus, qui à nobis requiritur. Non enim aut omnes (vt antè dictum est) aut semper, recipiunt: propterea quòd non omnes, neque semper ea fide, & eo spiritu præditi accedunt, quo debebant: & qui ad veram corporis Christi manducationem ita requiritur, vt nisi adsit, verum corpus Christi, à nobis verè edi non possit. De vsu & receptione, non est, cur hîc aliquid differamus. Quia enim habet relationem ad substantiam Cœnæ, nempe ad exhibitionem: idcirco illa probè intellecta, hæc etiam qualisnam esse debeat, nempe spiritualis, facile intelligitur. Ad summam: res in eo sita est, vt persuasum habeamus Christum, sicut quū per manus ministri offert panem, & vinum, nobiscum non ludit: sed verè dat panem, & vinum, vt nostra sint: & vt esa, in nostram vertantur substantiam, atque in vita corporali nos sustentent: id quod certè faciunt, si nos ea accipiamus, edamus, bibamus: Ita etiam cùm per os ministri, in panis porrectione Christus ait, *Accipite, edite, Hoc est corpus meum,* cum nobis non illudere: sed seriò & verè, quanquam spiritualiter, suum verum corpus, & suum verum sanguinem, quatenus & illud pro nobis mortuum est: & iste pro nobis effusus est, nobis exhibere: idque vt ambo nostra sint, cum tota ipsorum virtute: & vt eo modo à nobis accepta, comesta & pota, quo etiam à Christo dantur, spiritualiter nimirum: & eiusdem spiritus virtute, cuius etiam dantur, in nobis maneant, & in spirituali vita nos sustentent: hoc est, vt Christus ipse in nobis maneat, & in nobis viuat: & nos vicissim in Christo, magis ac magis coalescamus. Hæc cùm ita se habeant, neque ab hac doctrina, quam scimus totam esse, non solum consentaneam verbo Dei, sed etiam ex ipso verbo Dei desumtam, vllo modo dissideat confessio parentis tui: non videmus quomodo illa improbari possit. Nos certè omnes probamus, & tanquam consentaneam verbo Dei amplectimur. Ac quod diximus de confessione Cœnæ: idem de confessione baptismi dictum volumus.

Hinc facile ad alterum caput petitionis tuæ respondemus; nimirum factum, de quo scribis, minimè probari nobis posse. Christus enim iubet, vt omnes sui discipuli accedant ad suam mensam, edant & bibant. Discipuli autem Christi sunt, qui doctrinam eius totam, tam quæ est de fide, quam quæ de moribus & de sancta vita instituenda ex animo amplectuntur, & ingenuè profitentur, se Christi beneficio & credere, quæ ipse Christus docet, & velle seruare ac facere, quæ idem præcipit. Qui igitur sumus nos qui velimus & audeamus a Cœna arcere, quos Christus iubet venire? Quis verò audeat confessionem parentis tui, tanquam hæreticam condemnare: ac proinde inferre, eum non fuisse Christi discipulum? Quo Scripturæ testimonio illud euincent? Itáne omnes hæreticos esse, qui idem, quod parens tuus, sentiant? Deinde etiamsi aliqui ex discipulis, vel errant in doctrina, vel aberrant ab obseruatione mandatorum: non vult tamen Christus, eos prius haberi pro Ethnicis & publicanis, & ideo à Cœna arceri, quam fuerint ad extremum, per Ecclesiam correcti: & tum de errore ita conuicti, tum de scelere ita obiurgati, vt si vel ab erroribus, vel a sceleribus non resipiscant, & se posthac cum in hac doctrina permansuros, tum vitam ex lege Dei traducturos, non polliceantur: ij non nisi pertinaciter sese à Christo subduxisse, ac proinde ad corpus Ecclesiæ minimè pertinere, iudicari possint ac debeant. At si isti non hoc modo parentem conuicerunt, vel de hæresi, vel de scelere aliquo: quomodo potuerint illum a communione Cœnæ Domini arcere (hoc enim est excommunicare) non videmus. Postremò illud adiicimus, non propter quemuis errorem in doctrina, licere quempiam excommunicare: sed tantùm propter pertinaciam in erroribus, cum fundamentis fidei, rectè & per scripturam explicatis, pugnantibus. Cum quo autem articulo fidei demonstrabitur, confessionem parentis tui pugnare, & dissentaneam esse? Illa potius phantasia, quæ corpus Christi vbique statuit, meritò damnari hæreseos potest, & debet: cum omnes ferè fidei articulos, qui sunt de Christo & verò etiam ipsam Domini cœnam euertat. Vt igitur confessionem parentis tui, Clar. D.D. omnibus probamus modis: ita illud, quod narras, proponisque factum, nulla videmus ratione defendi posse. Hæc quia petiisti, non potuimus, pro officio nostro non candidè & rotundè ad tuam petitionem respondere. Et precamur Deum, vt omnia tollat dissidia è sua Ecclesia: & efficiat, vt omnes tandem in veram & salutarem doctrinam consentiamus, ad suam gloriam, & Ecclesiæ ædificationem, Amen. Vale.

T. ZANCHIVS.

Iacobi Bordesii QVÆSTIO, *Num meritum mortis Christi, fuerit necessarium ad carnis ipsius sanctificationem.*

ADuersarij dicunt, se de carne Christi concepta non loqui, sed de concipienda, quatenus ea fuit ex massa Adami, quæ tota fuit corrupta peccato originali.

Fatentur enim eum fuisse à primo puncto conceptionis purissimum ab omni peccati labe, ita vt nihil habuerit pro se offerendum propriè. Sed quatenus carnem sumpsit ex carne Adami quæ tota fuit impura peccato, cùm ex impuro nihil nisi impurum haberi possit nisi mundetur: Christus autem ipse solus sit, qui tollit peccata mundi: Aiunt eum habuisse opus suo sanguine ad mundandam illam carnis portionem, quam accepit ab Adamo. Mundandam quidem non in se, qua eam nunquam habuit actu, nisi puram, sed extra se in massa, pro qua se obtulit.

Cum eis respondetur, Primùm à scriptura, nos habere manifestam huiusce sanctificationis causam in solo opere Sancti Spiritus, cùm virgo ab ipso concepit. Regerunt hūc locum non euertere præcedentem, sed spiritum in conceptione ita sanctificasse carnem Christi: vt ipse etiam omnia ipsius membra sanctificet, vt nihilominus opus habuerit sanguine Christi in ipsius carnis sanctificatione, vt in omnium fidelium sanctificatione vtitur Christi sanguine tan-

tanquam propria atque vnica sanctificationis massæ Adami materia. Ne contingat illum primum locum violari, deinde iustitiam Dei quæ nusquam permittit, tolli peccati labem sine satisfactione, cuius perficiendæ solus Christus est capax, quippe solus est Deus verus, & verus homo, veram habens humanitatem & carnem, quam pro tota massa det in precium debitum.

Quando secundò respondetur, illis videndum esse id quod necessarium existimant, non tantum esse non necessarium, sed nequidem esse posse. Qui enim sanctificare poterit aliquid, quod ipsum sanctum non erit? Quomodo autem mors esse sancta poterit, nisi id quod moritur prius sanctum sit? Sed quomodo poterit caro moritura sanctitatem adipisci vsquam, h. e. vel in se, vel in eo ex quo ipsa est futura, beneficio eius quod ipsum præcedente in ipsa sanctitate, vt sanctum sit, prorsus eget.

Hac difficultate sibi videntur extricari, vbi vim mortis Christi viguisse, antequam ipsa caro esset, imo à principio mundi, possunt asserere.

Sed talis solutio eripitur illis, vbi non ordinem temporum, sed ordinem causarum hic pondus habere obiicitur. Nam si meritum mortis Christi viguit antequam ipsa caro esset, imo etiam antequam ipsa mors contigisset, quæ ante id quod ipsam pareretur esse non potuit: Id fuit à dignitate fideiussoris, qui apud creditorem vt fuit soluendo, sic fide data nondumque solutione facta, potuit liberare debitores. Sed vnde potuit esse soluendo nisi quatenus eam quæ debebatur Deo puram carnem sumere & offerre poterat? Sed qui ea caro pura poterat censeri antequam offerretur, cuius puritas ab oblatione ipsa penderet.

Orthodoxis igitur satisfactum esse debere, cum vident Spir. S. triplici miraculo affuisse conceptioni carnis Christi. Primum, cum soli fœmineo semini vim veræ conceptionis dedit. Deinde, cum ex virgine alioqui peccato obnoxia sanctum est generatum. Tertium, cum qui generatus est, non simplex homo fuerit, sed æternus Dei filius is fuit, qui illic generari voluit, hoc est, caro fieri & homo.

Oportet autem duorum posteriorum vltimum facere modum secundi, primum reliquorum duorum signum. Non potuit. n. à primo puncto suæ conceptionis ille non esse sanctus, qui à primo puncto suæ conceptionis fuit Deus. Qui n. hoc esse posset, vt ille qui est fons sanctitatis immensus & infinitus, ne tantilli quidem sordium capax esset?

Quod autem primum sit signum reliquorum, patet bifariam. Primum, quod esset prædictum à Prophetis, *virginem concepturam*. Deinde, quod cum *non nisi à S. S. hoc potuerit*, inde tollitur omnis dubitatio præsentiæ omnium, quæ in ea conceptione ad nostram salutem fuerunt opus, inter quę illud est potissimum, vt qui pro nobis fideiuberet, esset soluendo non à solutione & satisfactione, sed ad solutionem & satisfactionem.

Sed cum ista deberent esse satis Christiano, nihilominus occlamant aduersarij de S. S. qui est potentia Dei infinita, non dubitare, sed se nolle metiri ipsius vim, nisi ab ipsius verbo, in quo Christus offertur, tanquam vnicus agnus, qui tollit peccata mundi: stipendium autem peccati esse mortem: igitur mortem ipsius necessariam fuisse vbicunque peccatum fuit tollendum. Peccatum autem tollendum fuisse à portione massæ ex qua Christus erat generandus: quia alioqui in generato, peccatum non abfuisset.

Difficilis certè quæstio. Sed videndum an hæc solutio, quæ sequitur, sit vera, & quæ satisfaciat quæstioni. Deinde vtrum alia dari possit quæ quæstioni item possit satisfacere.

Primum nos dicimus, fallaciam esse vbi aduersarij ex eo quod citra sanctificationem carnis Christi, qualis contigit in eius conceptione à Sp. S. ipse erat futurus homo impurus peccato, concludunt peccatum fuisse tollendum à portione massæ, ex qua ipse fuit generatus, quasi vt corruptio vna & eadem specie transeat à parentibus ad prolem, sit necessarium eandem specie vel numero corruptionem esse in semine, per quod vnum solum species essentialis transit à maioribus ad eorum posteritatem. Non enim sequitur. Probamus à simili: Quia vt contagium transeat ab vno ad alterum per aliquod medium, non est opus vt ipsum medium à contagio idem specie patiatur. Pestis poterit contrahi ex aliquo, qui ante annum est mortuus contagio lecti, qui ab eo decumbente est contactus, & ab aduena qui forsan defunctum nunquam viderit aut nouerit, eundem lectum ingrediente & ipsum attingente, vterque peste afficietur & forsan morietur, licèt lectus alioqui sue illa venenata imbutus & corruptus suo modo peste nunquam laborarit neque laborare potuerit.

Sic etiam parens peccator, poterit peccatorem filium generare, licèt semen quod est medium vnicum in generatione non possit peccator censeri. Qui enim peccaret massa informis, quæ non est ad imaginem Dei facta, licèt id quod ex ipsa prodibit ad imaginem Dei sit futurum, in cuius solius corruptione peccatum originale est constituendum.

Nos igitur dicemus semen virginis, quæ est portio quam sibi generando ex massa Adami in virgine assumsit Christus, fuisse quidem corruptum à peccato, sed non ita vt ipsum esset propria sedes peccati; itaque fuisse corruptum suo modo qui non est ἁμαρτία, sed à Paulo dicitur ματαιότης, quatenus eius facultas per se nihil poterat nisi corruptum generare, imo corruptum peccato hominem. Sed cùm peccatum originale sit corruptio intellectus & voluntatis, denique rationis quæ in mente est veritas, & in voluntate est æquitas, & semen quatenus est id quod est, & non aliud, ac quod non potest peruenire, nisi sui oblatione non sit natum intelligere, neque velle, neque ratiocinari: ergo neque mentiri neque concupiscere. Priuatio eorum non potest ei attribui, quorum habitus propriè ad ipsum non pertinuit.

Fuit igitur satis in conceptione carnis Christi Spiritui sancto, qui est virtus Dei infinita, corroborare semen, cuius corruptio fuit sita tantum in infirmitate. Ergo eius restauratio in corroboratione, non autem in satisfactione, cum nihil debuerit neque debere potuerit, id quod nunquam peccauit, neque peccare potuit.

Sed si quis nihilominus pertinacius velit retinere in semine humano peccatum originale, tanquam in propria sede, videat quæ monstra sequentur malè positum in semine peccatum.

Si enim semina sunt per se peccati sedes, bene dicitur ea egere satisfactione. Ergo omnia semina quæ per se fuerunt talia, quale per se fuit semen virginis, h. e. genitalia, & nunquam genuerunt, quòd ita contigerit, eguerunt nihilominus satisfactione, ita vt vel illis applicanda sit mors Christi, & ipsa sint tollenda ad cœlos vel satisfactionis inopia detrudenda omnia ad inferos.

H. Zanchij ad quæstionem illam RESPONSIO.

PEtiisti à me, frater obseruande, exhibito quodam scripto: *An piè dici possit, meritum mortis Christi, necessarium fuisse, ad carnis ipsius Christi sanctificationem: &, quidnam, de rationibus quibus nonnulli partem affirmatiuam probare nituntur, sentirem.* Ego vt ingenuè omnia dicam, simulac titulum, vt vocant, Quæstionis legissem, vehementer illam miratus fui: videbam enim id supponi tanquam extra controuersiam positum: quod omnino falsum, adeoque hæreticum esse non dubitabam; neque etiam dubito: idque propterea, quod cum tota S. Scriptura, manifestissimè pugnat, nimirum carnem Christi opus habuisse, vt sanctificaretur, hoc est, vt ex immunda, peccatoque infecta, mundaretur, peccatique labe purificaretur. Si enim per carnem & sanguinem Christi, omnia (vt passim sacræ literæ docent) mundantur, peccataque tolluntur: mundissimam eam semper fuisse, omnisque peccati expertem, necesse est. Quò spectat illud Apost. Hebr. 7. *Talis namque decebat, vt esset nobis pontifex pius,* (nempe totus quantus, quantus est, & semper) *innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, excelsior cœlis factus, cui non sit quotidie necesse, quemadmodum illis pontificibus, prius pro propriis peccatis victimas offerre: deinde pro populi. Hoc enim* (nempe alterum membrum offerre scilicet pro peccatis populi) *fecit semel: quum semetipsum obtulit.* Quo respiciebat etiam Christus, quum dicebat Apostolis: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis* (electis scilicet omnibus, non pro me) *traditur: &, hic est sanguis, qui pro vobis* (non pro me) *effunditur, in remissionem peccatorum: nempe, vestrorum, non meorum.* Vbi igitur non est peccatum: ibi non est opus effusione sanguinis Christi, nec merito passionis mortisque eius. Christum autem, eiusque carnem semper fuisse sine peccato, in confesso est apud pios omnes. Non sine causa igitur mirabar, quod supponebatur, carnem videlicet Christi, aliquando talem fuisse, quæ opus habuerit sanctificatione. Nam, quod alibi Christus dicitur sanctificatus, alterius est significationis ibi verbum hoc, quam in

hac sit quæstione: vt in Euangelio Iohan. cap. 10. *quem pater sanctificauit:* Et cap. 17. *Ego sanctifico meipsum:* Et ad Hebr. 7. *Filius est in æternum sanctificatus:* seu, potius perfectissimus, & consummatus. Est enim τετελειωμένος. Ac do libenter, carnem Christi fuisse sanctificatam à patre: quia vi Sancti Spiritus concepta & nata est, sine peccato, sanctissima. Verùm, cùm in quæstione proponatur, tanquam mediũ, quo aliqua res sanctificarut, ipsum mortis Christi meritum: liquidò apparet, hic accipi sanctificationem, pro purgatione à peccatis. hostia enim illa pro peccatis oblata est, & sanguis Christi effusus est, in remissionem peccatorum nimirum nostrorum: Cùm itaque constet, carnem Christi, nunquam fuisse peccati labe contaminatam: meritò mirabar supponi pro confesso id, quod prorsus impium est: Carnẽ nimirum Christi aliquando opus habuisse: vt sanctificaretur: hoc est, vt à peccato purgaretur: & ex non sancta, fieret sancta ac munda. Cæterum vbi explicationem, quæ statim subiicitur vidissem: admirationem illam posui. sic enim subdis: *Aduersarij dicunt, se de carne Christi concepta non loqui sed de concipienda: quatenus ea fuit ex massa Adami, quæ tota fuit corrupta peccato originali. Fatentur enim eum fuisse à primo puncto conceptionis purissimum ab omni peccati labe: ita vt nihil habuerit pro se offerendum propriè. Sed quatenus carnem sumsit ex carne Adami, quæ tota fuit impura peccato: cùm ex impuro nihil nisi impurum haberi possit, nisi mundetur: Christus autem ipse solus sit, qui tollit peccata mundi: Aiunt, eum habuisse opus suo sanguine, ad mundandam illam carnis portionem: quam accepit ab Adamo: mundandam quidem non in se, quia eam nunquam habuit actu, nisi puram: sed extra se in massa: pro qua se obtulit.* Cum hoc, inquam, legissem, liberatus quidem fui priori illa admiratione: sed alia subiit non minor animum meum, nempe, quomodo carnem Christi ausi fuerint appellare, quæ nondum erat Christi, nondumque τῷ λόγῳ, in vnitatem personæ coniuncta: si ideo appellant, quia futura erat Christi: eadem ratione, erat etiam sanctissima, & sine peccato, idque sua natura: quia concipienda erat illa caro, & nascitura sanctissima: sicut Angelus dixit: *Quod nascetur ex te sanctum:* vbi notandum est, non dixisse *quod nascetur sanctificatum:* quasi antea fuerit immundum, postea purgatum, sed dixisse *quod nascetur sanctum.* Caro igitur Christi, natura sancta est: quia nata & concepta est sancta. Si itaque carnem, quæ nondum erat Christi, ideo carnem Christi vocant quia futura erat Christi, & hoc sensu de ea quæstionem proponunt: ratio disputandi postulat, vt eodem etiam sensu, caro illa, etiam quum nondum esset, reapse vnita τῷ λόγῳ: vocetur tamen sancta: idque sua natura: quia nascitura erat sancta: alioqui aperta fuerit æquiuocatio in ipsa quæstione quod quam vitiosum sit: nemo nescit. Si autem eodem sensu proponatur, quum & de carne sermo est, & de huiusce carnis sanctificatione: luculenter apparet, quæstionem esse ἀσύστατον. Si enim natura, id est, à conceptione & natiuitate, sancta est: quomodo opus habet sanctificatione? Foret igitur simul & sancta, & non sancta. si sancta, non igitur opus habet, vt sanctificetur: ideóque nec sanguine Christi, id est, suo, ad sui sanctificationem. Si non sancta: ergo in Christo caro fuerit, peccato infecta, quod cùm negent: nulla igitur, & ἀσύστατος tota quæstio est.

Ar nos non consideramus, inquiunt, carnem hanc quatenus sumta fuit à λόγῳ: sed tantum quatenus erat sumenda. sic enim infecta peccato fuit. Verum vt ante dixi: ea caro nondum erat Christi, sed tantum Mariæ, ita damus opus habuisse sanctificatione, eoque sanguine Christi, & mortis eius merito, nunquam enim propriè potuit dici esse caro Christi, nisi posteaquam assumta fuit à Filio Dei. At excipient, licet hæc vera sint, tamen realiter tantum erat Mariæ caro, eam mente contemplamur: quatenus futura erat caro Christi. Cùm autem illa realiter tunc esset peccato infecta, eoq; opus haberet sanctificatione: sanctificatio autem à peccato non fiat, sine sanguine Christi: idcirco quæstio à nobis non stultè proposita est. Sed vis ne apertè videre quæstionis ἀσυστασίαν: Explica mihi quæstionem hoc modo, vt explicandam esse docent aduersarij. Quæritur, *An caro, quæ nondum erat, sed futura erat Christi: immunda fuerit, eoque opus habuerit sanctificatione per futura carnis Christi meritum: idque non quatenus erat Mariæ caro,* (nam de hac re, nulla est controuersia) *sed quatenus futura erat Christi.* Quis hîc non videat, carnem hanc, quatenus futura erat caro Christi, minimè opus habuisse ad suam sanctificationem, futuri sanguinis & carnis Christi merito? erat enim nascitura sancta & ea futura per quam omnia alia sanctificarentur, vt nemo nescit: tantum abest vt sui ipsius merito opus habuerit, quo sanctificaretur. An non enim etiam hoc implicat contradictionem: nempe vt eadem planè res, & immunda sit simul, & mundissima: per quam omnia mundentur? Est autem immunda, si opus habet sanctificatione. rursus eadem munda est, & mundans seipsam: si sui sanctitate, & puritate mundatur & ipsa. Quare sic de proposita quæstione concludo: eam esse aut inanem, aut ἀσύστατον: prout eius sensus varius esse potest. Vnus sensus est: *An caro Christi,* id est, quæ futura erat Christi, *non quatenus futura erat Christi, sed quatenus erat caro Mariæ, opus habuerit sanctificatione; eoque futura mortis Christi virtute, ad sui sanctificationem.* Quis hoc ignoret? Hoc igitur frustra quæritur, & vana est quæstio. Alius est: *An caro Christi, hoc est, quæ non solum futura erat Christi, sed etiã quatenus futura erat Christi, seu in Christo venturo, quasi præsente considerata, opus habuerit sanctificatione, & futuræ mortis, effundendi sanguinis Christi, virtute.* Hoc sensu, quis non videat ἀσύστατον esse quæstionem? sicut enim nunquam fuit caro in Christo, egens sanctificationis, quia semper sine peccato: sic neque etiam futura erat in ea talis, ac proinde neque verè considerari ab vllo homine poterat: qualis in eo nunquam futura fuerat, per cuius alioqui carnis meritũ, erat sanctificanda, nisi per sui ipsius? sed vt differat sanctificans à sanctificandis, oportet, vt Apostolus etiam docet ad Hebræos. ἀσύστατος igitur est quæstio. At non consideramus eam in Christo immundam, imò mundissimam, & omnia mundantem, sed tantum dicimus carnem, quam ex virgine sumturus erat ὁ λόγος opus habuisse sanctificatione, ad hoc, vt posset assumi, & vniri τῷ λόγῳ, erat enim peccato infecta: Peccatum autem Christo adhærere non poterat, nec debebat. Cùm verò quæcunque sanctificantur, aut vnquam sanctificata fuerunt à condito mundo? merito carnis Christi tunc moriturae, & fundendi sanguinis, nunc autem mortuæ & fusi: opus habuerint, & nũc habeãt ad sui sanctificationem: concludimus idem, de carne, quã assumturus erat Filius Dei. Dixi de qualitate Quæstionis sententiam meam. Nunc propius ad rem ipsam accedo: atque quid ego sentiam de aduersariorum argumento, quo putant suam euinci, demonstrarique sententiam, paucis aperio. Illorum sententia, in duas resoluitur propositiones, prima hæc est: *Particulam illam massæ Adami quam ex virgine sumturus erat filius Dei, opus habuisse sanctificatione: non simpliciter quatenus erat pars massæ, seu caro, vel semen Mariæ:* (hoc enim non venit in controuersiam) *sed ad hoc, vt posset assumi à Filio Dei: & in ea nostra expiari peccata.* Ratio: quia erat & illa infecta peccato: peccatum autem non debebat nec poterat à λόγῳ vnà cum carne assumi: opus igitur habuit sanctificatione, & purgatione peccati. Totum Argumentum admitto: si pars illa massæ, seu caro, per se consideretur, & quatenus pars erat Mariæ, sed particula illa, *Ad hoc, vt posset sumi à filio Dei:* negari potest: idque bona conscientia. Nam assumi potuit à Filio Dei, substantia carnis illius, absque eiusdem accidente, peccato scilicet, & qualitate mala, citra sanctificationem: si nomine *sanctificationis,* regeneratio & renouatio intelligatur. In carne enim nostra, duo sunt: substantia bona à Deo creata; & qualitas mala, quæ illi accidit: concupiscentia nimirum, quæ peccatum est. potest autem substantia separari à peccato bifariam per regenerationem, quæ fit per Spiritum S. vnde & *sanctificatio* vocatur: & citra regenerationem: quemadmodum contingit corpori, quum quis peccator moritur. Cadauer enim illud absque regeneratione, liberatum est à peccato, vt Apost. docet ad Rom. 6. neque enim ibi vlla amplius inest corruptio, quæ sit peccatum: sed tantùm, quæ pœna est peccati, quam & Christus assumsit, vnde dicitur *missus esse à patre non in carne peccati,* sed, *in similitudine carnis peccati,* id est, in carne, quæ propter corruptionem, peccati tamen expertem, similis erat carni peccati. An non igitur potuit Filius Dei, Deus, substantiam carnis, absque peccati labe, sibi assumere, etiamsi nulla accederet regeneratio seu sanctificatio? Scripturæ certè hoc etiam voluisse illum, innuere videntur, quæ sunt de incarnatione Christi, vt λόγος, *caro factus est:* non ait, *caro peccati,* sed simpliciter *caro:* substantia ergo carnis sumsit, sine carnis peccato: neq; ait, *factus est caro sanctificata:* sed simpliciter, *Caro,* innuere videtur carnem, quam assumsit non fuisse sanctificatam, sine tamen peccato fuisse, à Filio assumtam: eoque fuisse sanctam, imò & sanctificantem: propter vnionem eũ λόγῳ, omnis sanctitatis in creaturis autore. Proinde nec Angelus dixit, vt supra quoque obseruatum fuit, *quod nascetur ex te sanctificatum,* sed, *sanctum.* Eodem modo interpretari possum, quod ait Apostolus, *Deus manifestatus est in carne:* item, *qui est ex semine Dauidis, secundum carnem.* Item ad Heb. *assumsit semen Abrahæ:* non autem, *peccatum Abrahæ.*

Docent

Docent hæc omnia, Christum sumsisse substantiam carnis, sine mala carnis qualitate, vitio, peccato. Cùm verò nullibi legamus, carnem, quam assumsit, fuisse prius sanctificatam: vna ex parte nonimus manifestè Christum carnem sumsisse, sine peccato: Ex altera verò non cogimur credere eam fuisse à peccato liberatam, per sanctificationem, propriè acceptam. Quare citra vllum crimen, negare possumus, quod isti assumunt: & quidem ingenuè negamus: nempe partem illam massæ, quam assumturus erat Christus, ad hoc vt posset illi in vnitatem personæ vniri, opus habuisse sanctificatione. Adde quod ideo ne transiret peccatum cum carne in personam Filij, voluit ex Sola virgine sine viri semine: sed huius loco, virtute Spiritus sancti, concipi ac nasci. Etsi enim semen virginis, non sine peccato erat: cum peccato tamen, transire in Christum vllumve hominem, non potuit, nisi ex virili semine, conciperetur. Quæ causa est cur omnes homines in peccato concipiantur: Christus autem nequaquam: Docet hoc Angelus, quum ait ad virginem: *Ideo quod ex illa nasciturum erat, sanctum nasciturum*: quia sine viri cognitione, solo Sp. S. superuentu, & virtutis altissimi obumbratione, conceptura illud erat. Quò pertinet & illud, quod Apost. ad Hebr ait: *ideo Christum sacerdotem esse, non secundum ordinem Aaron*, qui scilicet opus habeat ferre etiam pro peccatis suis, & non tantum pro populi: *sed secundum ordinem Melchisedec*: quia præter alia, sicut sine matre est, nempe in cœlo: sic sine patre est, in terra scilicet: apertè significans, ideo Christum, qua homo est, sine peccato esse conceptum & natum, ex matre, quia sine viri semine, natus & conceptus est. Sed clarius ad Rom. v. 5. vbi ex professo de origine peccati in nos propagati, disserit: per quemnam in mundum introierit: ostensurus inde, per vnum etiam Christum, deriuari in electos iustitiam. *Per vnum hominem*, inquit, *peccatum introiit in mundum*. quis est iste vnus homo? Adamus, vir scilicet, non mulier. In sacris enim literis propagatio non attribuitur mulieri, sed viro. Neque hîc opponit Christum Euæ mulieri, sed Adamo viro: ac docet, sicut per vnum hominem Adamum propagatum est malum; sic per vnum Christum deriuari iustitiam. Quemadmodum & ad Corinth. facit: quum duos istos homines, Adamum & Christum simul comparat: ac docet, sicut ex illo deriuata est mors, sic ex isto vitam deriuari. Quò pertinet quod in Genesi etiam, non mulieri, sed viro dicitur: *Quia comedisti*, & cætera. *in sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram*. Quis hic non videat, quod moriamur omnes, hoc adscribi Adamo viro, non mulieri: nam alia peculiari pœna peccatum mulieris punitum fuisse ibidem legimus. Sed quî mors in omnes homines transierit, luculentissimè viro attribuitur, & in Genes. & ad Corinth. sicut & ad Rom. Ergo etiam peccatum, mortis causa, non per mulierem, sed per virum in posteros propagatur. Coniungit enim vtrunque Apostolus: & per quem peccatum, per eundem etiam mortem introiisse in mundum docet: Peccatum igitur, sine viri semine, non propagatur. Vnde & ip huius rei confirmationem non fuit iussa mulier circumcidi; sed masculus. & quidem in eo membro: per quod humani generis fit propagatio. Quid sibi voluit Deus hoc signo? Præter alia etiam declarare voluit immunditiem humani generis, ex viri semine propagari: non autem ex semine mulieris. Atque hanc esse causam, dubitandum non est: cur Christus noluerit ex semine viri concipi: quia scilicet noluit peccatum in suam deriuari carnem, in qua damnandum erat: & cuius sanguine erat expiandum. Summa: locus est apertus ad Rom. non per *mulieris*, sed per *viri semen*, propagari in singulos homines peccatum. Cùm hæc ita se habeant, & Christus conceptus sit sine viri semine; euincitur, peccatum, quo infecta erat caro Mariæ, non potuisse in Christum deriuari: ac proinde vt Christus carnem ex Maria traheret, nulla peccati labe contaminatam, non opus fuisse vt illa caro sanctificaretur; cùm ad illud satis fuerit si sine viri semine conciperetur. Filium igitur Dei, carnis substantiam, sine mala eius qualitate, & contagione, ex virgine suscepisse, sicut & aliis locis S. literarum demonstrani, manifestum est. Quare prior illa aduersariorū propositio, in fumum abit, qua docent: Ad hoc, vt Christus carnem susciperet ex Maria sine peccato, particulam illam massæ opus habuisse sanctificatione. Quasi verò non alia ratione potuerit à Christo sumi sine peccato, nisi prius sanctificaretur. prospectum huic rei fuerat ab æterno, & initio mundi promissum, sine sanctificatione. Statuit enim Deus ne propagari posset peccatum, nisi per semen viri: quia volebat Christum concipi & nasci ex fœmina, sine peccati contagione. ideirco dixit serpenti, *semen mulieris*, nempe solius, *conteret caput tuum*: significans Filium Dei, ideo nasciturum hominem sanctum sine peccato, eoque in sua carne expiaturum peccata nostra, & Diaboli caput contriturum: quia sumturus erat semen duntaxat mulieris, sine viri semine, eoque sine peccato: noui alias huius loci interpretationes: sed & hæc quoque vera est; nec pugnat cum scripturis, aut cum analogia Fidei. Ita ruit etiam quod huic primæ propositioni superstruxerunt: nempe, *Si caro Christi opus habuit sanctificatione, & sanctificatio non fit nisi merito Christi intercedente: carnem igitur Christi, antequam vniretur τῷ λόγῳ opus habuisse meritis carnis Christi, id est, sui ipsius meritis, ad sui sanctificationem*: Hæc est altera illorum propositio, vt supra visum est. Sed cum luculentissimè ostenderimus, τὸν λόγον potuisse assumere, imò reipsa assumsisse carnem ex virgine absque labe peccati: idque non quia fuerit caro illa sanctificata, sed quia peccatum illius propagari non potuit in carne, quæ concepta est sine viri semine, per quod solum propagatur peccatum: apertè etiam demonstratum est, falsum esse quod inferunt: *Carnem igitur Christi opus habuisse merito Christi*.

Atque hæc, quam attulimus hucusque, est vera & genuina, meo quidem iudicio, ad totum illorum argumentum responsio. Sed nunc addimus etiamsi si quis det, quod supponunt, carnem Christi, id est, quæ futura erat Christi, opus habuisse vt sanctificaretur, in persona tamen virginis, quo posset citra peccatum assumi à filij Dei persona; non inde tamen sequi quod inferunt, omnino contendimus. An non enim potuit virtute Spirit. S. sanctificari? quis enim facit mundum de immundo conceptum semine, nisi Deus? atque hoc est, quod vos respondetis, nec malè: si concedatis, carnem illam opus habuisse sanctificatione, ad hoc vt vniretur τῷ λόγῳ: ac proinde neque torquetur dictum Angeli: *Spiritus S. superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: eòque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Si enim opus habuit caro illa, sanctificatione, Spiritus S. eam sanctificauit; & ideo nata est sancta. quanquam, vt supra dictum est, verba Angeli aliò spectant aliudque concludunt. At sine Christi sanguine & satisfactione, non tollitur peccatum. *Ecce enim agnus qui tollit peccata*. verum est, sed cuius? suumne? minime verò: quia nullum habuit vnquam, sed Mundi: id est Electorum omnium, qui à condito orbe ad finem vsque futuri erant & sunt. Si igitur caro illa sanctificata fuit à peccato, sanguine & meritis Christi, non ea fuit sanctificata, quatenus Christi erat, vt isti fingunt: sed quatenus erat Mariæ, & ad personam Mariæ pertinebat. nunquam enim potuit verè dici caro Christi: nisi posteaquam assumta fuit à Christo. Figmentum est, carnem fuisse Christi, sed nondum in Christi persona existentem. Quare merita Christi ad illam carnem non pertinent: quatenus caro Christi verè dici potuit. Sed alterius fuerit, quàm Christi, oportet: si merito Christi, fuit à peccato sanctificata; qui Christus nunquam obtulit hostiam pro se, sed solum pro aliis, id est pro nobis: atque vt alia sit caro sanctificans, & alia caro sanctificata, omnino necessum est: vnde neque ineptè à vobis responsum fuit; cùm adhuc illa caro non esset Christi, neque etiam meritis carnis Christi potuisse sanctificari. quam enim contendunt sanctificatam fuisse, ea nondum erat Christi. Sed neque alia vel erat, vel futura erat caro ipsi Christo, quàm illa ipsa, de qua quæstio est proposita. Si autem nondum caro erat Christi, eòque nec mortua pro peccatis mundi: quomodo seipsum potuit à peccatis purgare? At vis, inquiunt, futuræ mortis Christi, viguit antequam ipsa caro esset, ab origine etiam Mundi; iuxta illud, *Agnus occisus est ab origine Mundi*. Sed paralogismum admittunt, dum ab eo, quod à fidelibus iam inde a condito orbe apprehendebatur futurum: ad id argumentantur, quod realiter existebat in virgine, & quod reali sanctificatione opus habuisse aiunt, retineant æquam & parem collationem, ac tum apparebit, responsum à vobis allatum, non fuisse ineptum. Sic igitur explicandum est vestrum responsum. Sicut fieri non potuit, vt caro illa reapse & actu sanctificaretur, per realem mortem, antequam realiter vniretur cum Christo, nasceretur, & moreretur, sic neque vis huius mortis & efficacitas apprehendi potuit à fidelibus: nisi prius apprehenderetur futura eiusdem carnis in vnitatem personæ τοῦ λόγου, assumtio atque natiuitas, vsque totius incarnationis. Vt enim naturaliter incarnatio præcedit mortem: sic ordine naturæ, non potest de morte cogitari, nisi cogitatio de incarnatione præcedat.

uolentiam mihi reconciliem, & ad respondendum atque docendum paratum te habeam.

Quæstio verò, ad quam mihi responderi cupio, talis est: *An lex Mosis de Maleficis lata, ad Remp. nostram pertineat, & Magistratum ad sumendum de sagis atque Maleficis supplicium constringat: an verò alia ratio tunc cùm fuerit* (vt quosdam putare credo) *in agro Dominico, propter inquisitionis difficultatem, lolium non sit eradicandum, quòd periculum sit, ne & triticum euellatur.*

Quod illud hoc præsertim tempore quæro, facit vicini nobis Magistratus in cremando studium. Episcopatus enim Coloniensis Magistratus cum aliis circumiacentibus, quàm plurimas ad ignem ablegat, & quas ex indiciis tortura à sontibus expressis quotidie annumerat, cremare non desinit. Vnde fit, vt nostri homines, quæstionem hanc vertant, & in ore habeant, dubitantes, an rectè faciat noster Magistratus, qui non nisi certissimis & indubitatis indiciis existentibus, ad sumendum supplicium procedit, cùm tamen fœdus sit occultum, & non nisi confœderatis notum, atque mussitatio non manifesta. Quid de tota hac quæstione sit sentiendum, non dubitabo, quin per literas me discipulum sis docturus.

Excellentia tua, vt quàm felic.simè valeat, opto, & me in discipulorum albo retineat, peto. Datæ Arfelden 4. Id. Octob. 74.

H. Zanchij ad quæstionem propositam à Casparo Corylico, Responsio.

Literæ tuæ, frater obseruande, quas heri ad me misit Generosus & verè nobilis, virtutéque & pietate insignis Comes, Curiæ nostri Illustrissimi Principis Magister, gratiss. mihi fuerunt, tum propter recordationem illorum temporum, quibus fuimus Argentinæ, tum propter beneuolentiam, qua me adhuc prosequeris. Ego verò, licet faciei tuæ non possim meminisse propter tam longum temporis interuallum, quo te non vidi, te tamen amo & obseruo, non tam propter memoriam cum charitate coniunctam, quam retines mei, quàm propter singularem pietatem ac probitatem, quam & qui dedit literas, Magnificus Comes prædicat tuam, & literæ ipsæ non obscurè demonstrant. Gratulor itaque & Ecclesiæ tuæ cui talem dederit Dominus pastorem: & tibi, quod idem Dominus ad suæ Ecclesiæ gubernationem elegerit, idoneumque ministrum effecerit, & meam etiam operam, quibuscunque in rebus potero, tibi & Ecclesiæ prodesse, ex animo offero.

Nunc ad quæstionem. Manifestum est, & extra omnem controuersiam apud omnes verè pios, & S. literarum non imperitos, præcepta illa, propter quorum transgressionem, punitæ fuerunt Gentes etiam ipsæ, ad legem Moralem, quæ & *Naturæ lex* dicitur, pertinuisse ac pertinere, ac proinde his omnes teneri populos, non solùm verò Iudæos.

Vbi verò Dominus præceptum de tollendis sagis & maleficis tradit: non solum talia maleficia vocat abominationes גונ דר quæ vox non nisi de grauissimis sceleribus vsurpari solet: verùm etiam disertè ait, propter has abominationes, eiiciendas fuisse Gentes è terra Chanaan. Deinde ratio, cur meritò populus Israeliticus puniendus esset, si tales abominationes sequeretur, quas Gentes sequebantur, non solum ea adfertur, quòd oderit has artes Dominus; verum etiam quia habebant, & habituri erant Prophetas, quos deberent audire: quantò grauius igitur puniendi sunt nostri, qui habent Prophetam illum Prophetarum omnium principem, olim promissum, Iesum Christum?

Si item blasphemi in Deum, & apostatæ à recepta religione, capitaliter semper fuerunt puniti, tam apud Gentiles, ex lege naturæ, quàm apud Iudæos ex lege Dei, cur non sagæ atque maleficæ istæ, quæ maleficia sua non exercent sine blasphemia in Deum, & nisi renuncient fœderi Christiano, in quod receptæ fuerant, & per Baptismum obsignatæ? Errabant quidem Gentiles in religione, interim rectè notant, & iustè statuebant, tanquam ex lege naturæ, dignas esse capitali supplicio, qui à Deo, & ab eius religione deficerent.

Itaque rectè etiam pij Imperatores, capitaliter plectendum esse iudicarunt atque sanxerunt huiuscemodi hominum genus, *C de Maleficis & Mathematicis.*

Quare ad pœnam quod attinet, dubium non est, quin ex lege naturæ, quæ omnibus Gentibus communis est, capitaliter animaduertendum sit in istud abominandorum & Diabolo consecratorum hominum genus: verum species supplicij, libera est magistratibus liberis, cùm Iudæis speciales fuerint à Deo constitutæ, quas præterire non poterant.

Quod de non tollendo lolio, ex Aduersariorum sententia scribis, ne simul eradicetur & triticum, nihil ad rem facit. Sic enim nullum homicidam, nullúmque sontem tollere è vita licebit Magistratui: nec minus contra hoc Domini dictum peccarent Iudæi, quàm Gentiles, cùm per Magistratum morti adiudicantur facinorosi homines. Quis fuerit Christi sensus in illa parabola, ex ipsius explicatione liquidò apparet, neque vltra Christi propositum extendenda est parabola.

Laudo interim prudentiam & æquitatem vestri magistratus, qui non temerè de huiuscemodi hominibus quippiam statuit, nisi posteaquam fuit optimè instructus, certúsque de tota re effectus. Nam sic noster Dominus passim mandat in sua lege *Inquires* (inquit) *& inuestigabis, & interrogabis diligenter: Et si quidem veritas sit, & rumor verus, quod facta sit abominatio ista in medio tui, percutiendo percuties &c.*

At fœdus occultum est, & non nisi confœderatis notum. Dum occultum est, nihil in eos statui potest: Magistratus enim non nisi de manifestis & certis iudicare potest. Ideo vult Dominus priùs inquiri, inuestigari, interrogari diligenter, ac vbi certò compertum fuerit, rem ita se habere, tum demum sontem esse percutiendum. Et certè charitas etiam id postulat, nempe ne in iudicandis plectendísque accusatis, simus præcipites. Appello hic omnium hominum conscientias, si de ipsis faciendum sit iudicium. Quod ergo in te fieri non vis, cur in alium facis? Neque Geneuæ, vbi in talia monstra seueriter animaduertitur, aliter fit. Itaque vt prudentiam vestri Magistratus summopere probo, sic probari non potest præcipitantia eorum, de quibus scribis. Sententiam habes meam, quam & cum S. literis & cum legibus piorum Imperatorum, & cum bonarum Ecclesiarum consuetudine consentaneam esse scio, eóque verissimam esse non dubito. Vale frater obseruande. Heidelb. 22. Octb. 74.

T. H. ZANCHIVS.

H. Zanchius de eadem quæstione D. THOMÆ ERASTO.

Clarissime D. Doctor. Simul ac me per schedam monuisti, scriptum statim legi, deinde altero die relegi diligentiùs.

Ad rem quod attinet, aut qui hæc improbant, non tam impij sunt, quàm imperiti, aut ego cæcus sum, qui non possim, quæ illi, videre. Tale strigarum exercitium, quale describis, si capitale non est, non intelligo mandatum Dei, de non ferendis iis, qui non solum curiosè ea scire studét, quæ Deus occulta esse voluit: Verum etiam id illicitis, ac superstitiosis rationibus assequi conantur aut astra obseruando, & omnes rerum euentus illis subiiciendo, aut auium volatus garritúsque diligenter & superstitiosè notando, aut mortuos euocando, seu Pythonem consulendo, aut diabolis se vouendo, & fœdera cum ipsis feriendo: aut denique alia quauis superstitiosa ratione res occultas inuestigando: quæ omnia cum præcepto Dei, de non habendis Diis alienis coram se, apertè pugnant.

Certè cum Dominus illos non ferendos esse docet, qui colligunt conuentum seu cœtum, de illis propriè loqui videtur, qui fascinati à Diabolo, postquam abusi sunt certis præstigiis, sibi videntur ad nescio quos cœtus elegantium iuuenum & puellarum rapi, & cum eis epulari ac saltare, & alia voluptaria obscœnáque cum illis admittere. Hoc enim est *Tober.* Quanquam Augustinus, Beda, Thomas Aquinas affirmant, reipsa etiam Dæmones incubos, cum talibus mulieribus, de quibus tu scribis, coire solitos esse. Si autem id hominum genus tollendum non sit è medio, cur tollitur adulter? Ego itaque non video, quomodo tua ista de talibus strigis, quales tu describis, sententia improbari possit, quum simul damnetur lex Dei. Certum enim est, sub illis aliquot speciebus, quas enumerat Moses, reliquas etiam omnes illis similes, hoc est superstitiosas & Diabolicas contineri, prohiberi, damnari capitis. Sic viri etiam alij doctissimi sentiunt. Vale.

H. Zan-

H. Zanchius D. Gipbanio de adoratione carnis Christi.

S. Quo die accepi tuas, eodem complexus sum amicum & patrem, & qui cum ipso venerunt, egregios adolescentes. De adoratione, quod petis, nihil pugnat cum meis dictis. Adoratio, nostra est actio, non autem Dei proprietas. Ideo propositio Chemnitij falsa est, *Adorabilem esse*, bifariam capitur: aut per se, aut propter aliud: per se, significat esse eius naturæ, quæ cultu religioso possit & debeat adorari. Hoc modo proprietas est essentialis diuinæ naturæ. Ea enim sola adorabilis est per se & adoranda. *Adorabilem autem esse propter aliud*, significat huius esse dignitatis, vt propter vnionem personalem, quam habeas cum natura per se adoranda, adorari possis. Hæc dignitas, essentialis proprietas non est, neque diuinæ, neque humanæ naturæ: Non diuinæ, quia illa propter se adoranda est: non humanæ, quia hanc non habet ex sese, & nudè considerata adorari non potest. Quid igitur est? donum, quod ei soli ex gratia vnionis hypostaticæ cum natura diuina concessum est.

Quod igitur dixi, *Adorabilem esse, proprietatem esse diuinæ naturæ essentialem*, iuxta priorem sensum dixi. Alter sensus explicat ea, quæ porrò subieci & conclusi: *adorationem* scilicet *quæ soli Deo debetur* (nempe religiosam) *conuenire etiam carni* (non simpliciter, sed) *propter hypostasim cui est vnita, & quatenus est vnita, tali scilicet vnione.* Neque enim adoratio congruit carni, quia caro est, sed quia caro Dei est, qui autem dicit carnem Dei, quid aliud dicit, quàm Deum incarnatum? quàm personam in diuina & in humana natura pariter subsistentem? Talem autem personam, quis neget adorandam? *Et rursus, introducens eum in orbem terrarum, dixit, adorent eum omnes angeli eius.* Cùm autem sit vna duntaxat persona, in duabus naturis subsistens, vna etiam duntaxat & eadem adoratione adoranda est tota persona & in ea vtraque natura: quanquam vna per se, altera propter aliud, id est, non quia caro est, sed quia caro Dei est. Adoratio enim immediatè in ipsam ὑπόστασιν tendit & dirigenda nobis est. *Et adorent eum*, inquit, *omnes angeli eius.* Eadem autem est vtriusque naturæ hypostasis.

Disputare igitur, *An caro Christi sit adoranda, adoratione, qua Deus adoratur*, mihi perinde esse videtur, ac si disputemus, *An Christus sit adorandus, adoratione, qua Deus adoratur*: hæc enim caro nullibi est, nisi in illa eadem ὑποστάσει, in qua & natura diuina: quo fit, vt sicut, qui dixit, Deitatem Christi, dicit Christum Deum, sic qui dicit carnem Christi, vel Dei, nil aliud dicat, quam Deum incarnatum, & Christum hominem: annon verò Deus incarnatus, seu Christus Deus & homo adorandus est? Atque huc pertinet anathematismus Cyrilli octauus: & quę Damasc. lib. 3. c. 8. scribit de adoranda carne Christi.

Concludere verò, si adoranda est, Ergo essentialis proprietas diuinæ naturæ, realiter humanæ communicatur, ac si vna, Ergo & reliquæ, ac proinde etiam vbique præsentia: nimis imperiti hominis est. Primùm, quia ab eo, quod nos debemus carni Christi, propter vnionem cum eius Deitate hypostaticam, ad id, quod est in Deo λόγῳ essentiale, non valet consequentia. Debemus carnē Christi, quia hypostatica vnione cum Deitate eius coniuncta est, adorare, amare, colere: Ergone caro Christi æterna, immensa, inuisibilis, incircumscripta est? Deinde, quia, quam dicimus essentialem esse proprietatem Dei, ea non communicatur carni: Non enim est adorabilis per se, sed propter aliud, scilicet propter personam diuinam, in cuius vnitatem assumta est. Tertiò, quia illæ Dei proprietates quæ ex diametro pugnant cum proprietatibus naturæ humanæ, eamque euertunt, humanæ naturæ realiter attribui nullo modo possunt, iuxta regulam Ecclesiasticam, quam affert Damasc. lib. 3. c. 3. *Fieri non posse, vt vna natura essentialium & contrariarum differentiarum sit δεκτική: vt esse κτιστὴν καὶ ἄκτιστον, θνητὴν καὶ ἀθάνατον, περιγραπτὴν καὶ ἀπερίγραπτον.* Quare non valet consequentia, communicatur adoratio carni Christi; Ergo etiam vbique præsentia.

H. Zanchius ad Sturmium de eadem quæstione.

S. Clariss. vir, quòd citiùs non responderim tuis, dabis partim occupationibus meis, partim quòd ignorem, quinam ad te veniant, præsertim cùm iam soliti sint abesse ab vrbe Domini Consiliarij, eo vero diligentiùs oportet me legere, quòd D. Vrsinus, propter illum librum, nunquam legit.

Bulium commendaui quibuscunque potui, etiam illis de quibus vos nihil ad me, vt, Piscatori, Taffino, Oleuiano, Italis.

Te vexari, credo: sed vexatus vexas, & fabri suos tractando malleos, contrahunt pustulas, nec sine dolore discedunt ex officina. Factum bene.

Illud solus, vt tu solus, non intellexi, diuinare tamen mihi visus sum. Sed vt ego fui non penitus solus: neque tu eris. D. Iesus qui omnia regit, caussam suam defendentibus non potest deesse.

Non potuit (vt iam respondeam ad literas D. Giphanij) satis fieri desiderio vestro, ad tempus quod attinet, quo cupiebatis librum edi. Nam literæ vestræ cum libro fuerunt traditæ nobis 2. Iulij.

De adoratione carnis Christi, ego acquiesco simpliciter in duobus illis Ephesinæ synodi decretis, & carnem Christi adorandam esse & vna adoratione illam & Verbum, esse adorandum. Ac cum dicimus, *carnem Christi*, vel Dei, personam indicari, in quam propriè dirigitur adoratio. Addo, personam propter se, Deitatem etiam propter se, sed carnem propter aliud, id est, propter Deitatem esse adorandam, adoratione nimirum, quæ propria est Deitatis. Hæc enim non conuenit humanæ naturæ, nisi propter vnionem cum diuina. Subtilius hac de re disputare, iam mihi non vacat: sed alias, Deo volente, plura.

Optassem vero ego à Danæo responderi potius ad Maiorem Chemnitij, quàm ad Minorem. Quale enim argumentum ab actione & officio nostro erga personam Christi, & vtramque eius partem, ad proprietates diuinæ naturæ essentiales? sine iis non est Deus, sine illa fuit ab æterno Deus. Si excipiat: *At adorabilem esse, proprietas est essentialis.* Verum est. Tum igitur opus est generali responsione: Non alia ratione conuenire humanæ naturæ, quàm qua etiam naturæ inter se habent κοινωνίαν. Adoratio igitur, quæ soli Deo debetur, congruit etiam carni in vnione, propter rem, cui est vnita, & quatenus est ei vnita. Scio quæ hac de re disputentur à Scholasticis in 3. *Sentent. dist.* 9. sed simplicitas Petri Lombardi in ipso contextu, mihi placet.

Dum ita subtiliter disputamus de adoratione, illum certè non honoramus, sed iniuria afficimus. Itaque ego illi canoni subscribo: *Quicunque dixerit, carnem Christi ἀπροσκύνητον esse, anathema sit.* Ita, *Qui dixerit, non vna adoratione adorandum esse, anathema sit.* Quid enim si stans ante Regem disputem, an debeam adorare vestem ac purpuram, qua indutus est, quia ea non est Rex ipse? ita disputando, non adorabo, nec eum supplex inuocabo. Et tamen homo ille assumtus Deus est καθ' ὑπόστασιν. Odi has subtiles disputationes. Loquor de meo ingenio ac Spiritu: neminem damno.

Dominus Doctor Donellus te valdè officiosè salutat, cuius verba in Epistola ad me hæc sunt: *Etiamsi non misisses nuntium, misissemus tamen exemplar.* Vale optime Domine, & patrone colendissime.

Iohannis VVilhelmi Stuckij scrupuli ex Confessione Zanchij collecti, & eidem ad explicandum propositi. S. D.

Accepi literas tuas, Domine & Præceptor venerande, quibus scribis, te N. quidem, quos ad te misi, accepisse, sed nullas literas, quod miror, cum literæ meæ cum N. fuerint coniunctæ. Etsi verò, doleo, literas meas tibi non esse redditas, tamen gaudeo, te N. illos accepisse, quod tenue meum munus grati mei erga te animi testificandi gratia ad te missum, spero tibi pro tua humanitate non ingratum fuisse.

Gratias tibi præterea ago & habeo ingentes, pro egregio & literario tuo munere, hoc est fidei tuæ Confessione, cuius lectio, quia pia, erudita, breuis & perspicua est, magnæ mihi cum vtilitati, tum voluptati fuit. Reliqua exemplaria ad eos, quibus illa dono dedisti, perferenda curaui. Non possum autem hic Domine & Præceptor obseruande, scrupulos quosdam silentio prætermittere, qui Confessionis illius tuę lectione, animo meo fuerunt iniecti. Quędam enim ponis, quæ à communi Ecclesiarum nostrarum Confessione videntur esse aliena.

I. Primum est, *quòd Christus sibi quoque meruerit vitam*

æternam, cùm non sibi, (cui iure debetur) *sed nobis illam meruisse credamus.* Videtur hoc pacto culpa aliqua & vitium Christo adscribi.

II. Secundum est, quòd ibidem. *Christum quatenus Mediator & homo est secundum à patre locum obtinere, caput totius Ecclesiæ constitutum esse affirmas,* &c. Vbi videris statuere, *Christum tantùm qua homo est, Mediatorem esse. & caput Ecclesiæ, cùm Christum agnoscamus secundum vtramq; naturam Mediatorem esse.*

III. Tertium est, quòd *Turcum esse dicit illum Antichristum, de quo Paulus 2. Thess. 2. cùm locum illum nostri de Pontifice Romano tanquam vero Antichristo interpretentur: & ei certè maximè conuenire videatur, qui iā aliquot seculis suam in Templo Dei, id est, Ecclesia, sedem habuit, dominatum, potestatem seu tyrannidem potius in ea exeruit, & exerat ad huc quotidie.*

Quartum est, quod scribis, *Ecclesiæ ministros seu Episcopos, posse simul esse Principes & exercere vtrumque munus:* quod ipsum quoque à Pontificiis quidem Episcopis, non verbis solùm, sed etiam re ipsa atque facto comprobatur, secundum illa Christi: *Reges Gentium dominantur eis, & qui potestatem habent super eas, benefici vocantur: vos autem non sic,* &c. Item illa Pauli: *Qui militat, implicatur vitæ negotijs.*

Hæc quoniam à communi Confessione nostra videntur abhorrere, planiùs à te velim explicari: de quibus bono animo, amore meo in te incitatus te admonere volui. Reliqua, quantum pro ingenij mei tenuitate iudicare possum, cùm verbo diuino, tum nostræ confessioni, videntur esse consentanea. Secundùm hanc ipsam tuam confessionem & eius methodum (quæ mihi valde arridet) his diebus quosdam Theologiæ, & Ecclesiastici muneris candidatos, pro more nostræ scholæ examinaui, ita vt magno mihi vsui fuerit.

Misi hic tibi ἀντίδωρον loco has *Ludouici Lauateri* p.m. lucubrationes atque homilias in *Nehemiam*, cuius viri obitus sine dubitatione, tibi magno erit mœrori. Literæ tuę, quas ad illum dedisti, statim post illius mortem, huc fuerunt allatæ, quas si ante mortem suam adhuc legere potuisset, magnum procul dubio inde solatium habuisset. Ei successit *Rodolphus Stumpfius, Iohannis Stumpfii* p.m. Chronologi nostri, filius, vir doctus admodum, & antiquæ fidei atque probitatis, quem speramus & optamus officio suo minimè defuturum. Sic D. Gualterus rude donatus, & magis magisque repuerascens, iam alterum in vita sua vidit successorem suum. Noui quod scribam non habeo, nisi ea quæ valde sunt peruulgata. Annonæ charitas non modò non imminuta est post messem, sicuti sperauetamus, sed quotidie magis ingrauescit. Eius caussa non minima existimatur esse obsidionis Genenensis atque belli suspicio atque metus. Nam ducis Sabaudiæ noui quidam feruntur esse apparatus bellici atque copiæ, quæ non procul ab vrbe hinc inde vagantur. Naues quoque multæ ab illo confectæ atque paratæ sunt, quæ omnia ad vrbis illius obsidionem videntur spectare, quod Deus auertat.

Vale vir Clarissime, & Præceptor obseruande, & me amare, fratrémque meum Illustriss. suo Principi, si quando illum conueneris, commendare quæso pergas, ac de constanti vicissim meo in te amore & obseruantia minimè dubites. Collegę mei obseruandi te pro singulari suo erga te amore & obseruantia, peramanter & officiosè salutant. Libri tui contra Arianos magno desiderio tangimur. Tiguri 29. August. Anno 1586.

Tui obseruantissimus

IOH. VVILH. STVCKIVS.

H. Zanchij ad scrupulos illos sibi à D. IOHAN. WILHELMO STVCKIO *ad discutiendum propositos,*

RESPONSIO.

SI MIHI ignoscas, rogo te frater obseruande, quòd tardiùs quàm debueram, literis tuis 29. August. datis, respondeam. Breuiter etiam respondere cogor, propter varias occupationes meas: Actis gratiis pro N. non solum vt ego petieram, misso, sed etiam, vt tu, quæ tua est erga me humanitas ac liberalitas, voluisti, donato: quid ego tibi rependam? Venio ad ea, quę ex mea Confessione, scrupulū tibi inieceerunt. Non vacat autem Commentarios scribere, neque etiam est necesse, sed satis fuerit, quæ scripsi in Confessione ea catholica & orthodoxa esse, indicare.

I. Quòd Christus non solum nobis, vt mediator & caput Ecclesiæ, sed etiam sibi, vt homo factus sub lege, vitam gloriámque æternam promeruerit, docent scripturæ à me adductæ, confirmant Patres à me prolati: vt de Scholasticis taceam: Bucerus à Patribus non dissensit. Examina diligenter, & sine præiudicio, Phil. 2. διό. & Heb. 2. διὰ τὸ πάθημα, *minor paulisper factus est Angelis propter assumptam carnem, gloria autem & honore coronatus propter mortis perpessionem.* Ita optimè cohærent, διό ad Philip. & διὰ τὸ πάθημα, ad Heb. 2. At iure illi debebatur? Quo iure? Gratuitæ Electionis: at omnibus electis hoc iure debetur. Vnionis humanæ naturæ cum diuina καθ' ὑπόστασιν; Sed hoc non tollit, quin etiam propter obedientiam. Nam nobis quoque debetur iure Electionis in Christo; nec tamē propterea tollitur, quin etiam iure redemptionis iuréque obedientiæ Christi nobis imputatæ, adde & iure promissionis, *Qui credit in Christum, habet vitam æternam,* debeatur. Quid igitur prohibet, quin vita æterna Christo, quatenus homo fuit, debita fuerit & iure vnionis hypostaticæ cum Deo Verbo, & iure etiam obedientiæ, Patri & suo, & totius Ecclesiæ nomine præstitæ? Christus de se dicebat, *Pater meus diligit me, quia quæ placita sunt ei* (secundùm vulgatam versionem) *facio semper:* diligebat tamen eum, alsam etiam ob caussam: nempe, quia Filius erat ipsius. Non est absurdum, propter diuersas caussas aliquid alicui deberi. Non fuerunt igitur Patres, aut impij, aut imperiti S. literarum quando dixerunt; *Christum sua obedientia gloriam sibi apud Patrem promeruisse: & humilitatem fuisse glorificationis meritum glorificationem autem humilitatis fuisse premium.* Neque hinc sequitur, culpam aliquam, vel peccatum Christo adscribi. Etsi enim suæ humanitati, glorificationem & vitam æternam promeruisse dicitur, quia perfectissimè legem Dei seruauit, Patri semper obediens vsque ad mortem, &c. Philip. 2. peccatorum tamen remissionem, non sibi, quia omnis expers, sed nobis duntaxat, impetrauit; nobis, inquam, vtrumque & remissionem peccatorum & vitam æternam, sibi autem vnum duntaxat promeruit; imò quia & sibi vnum, & nobis duo illa promeruit; inde euincitur, fuisse sine peccato: alioqui enim perfectè legem seruare, Patrique perfectam obedientiam præstare, eóque neutrum promereri potuisset.

II. De secundo lege Caluinum in 1. Cor. 15. qui hoc ibi expressè tradit, imò ante Caluinum Ignatius, & alij Patres è Scripturis. Quid Patres è Scripturis? Quid Patres? imo tota Ecclesia in Symbolo, ipséque Spiritus sanctus in Scripturis, cùm de Christo aiunt, *Ascendit in cælum, sedet ad dextram Patris:* Primo igitur loco Pater sedet, regnat, & è cœlo omnia regit. Secundo, Filius Mediator, quia per hunc ille omnia regit. Est enim supra omnes creaturas, sed infra Patrem triplici respectu: vt homo, vt Mediator, vt Filius. Vt homo, notum est omnibus: vt Mediator, constat: quia qui intercedit, etiam ęqualis sit natura & dignitate illi apud quem intercedit, vt Rex apud regem: ratione tamen officii, quod facit, minor est illo. Imò, vt Filius quoq; minor Patre non incongruè dici potest: quia plus est, esse à nullo, quàm esse ab alio: & generare, quàm generari. Et hoc sensu multi Patres locum illum, *Pater maior me est,* interpretantur. Quin & Christus ipse, ordinem hunc docuit esse in diuinis personis: vt primus locus semper detur Patri, secundus Filio, tertius Spiritui sancto.

Vnde & veteres Patres non dubitarunt dicere, Christianos adorare primo loco Patrem, secundo Filium, tertio S.S. qui tamen non multos, sed vnum duntaxat Deum adorare profitentur. Ita neque impium fuerit, si quis dicat, *Deū qui est de Deo, inferiorem illo esse, qui Deus nō est de Deo.* Maius enim quiddam est, Deitatem habere a se ipso, quā eandem habere ab alio sibi communicatam. Si hoc nihil habet impietatis; quid absurdi habuerit alterum, quod de Mediatore dictum est?

At est Mediator secundùm naturam etiam diuinam quæ vnica est. Fateor. Sed licèt sit vnica, & ideo vt vnica, neque maior sit, nec minor se ipsa: diuerso tamen subsistendi modo est in Filio, quàm in Patre, quia in Patre ἀγεννήτως, in Filio γεννητῶς: quo fit, vt ille sit Pater, iste Filius. Et certè Christus non fecit officium Mediatoris secundùm naturam diuinam, quatenus ea est in Patre: sed duntaxat, quatenus est in Filio: ac proinde, quatenus Filius est, non quatenus Deus simpliciter, illud officium Mediatoris fecit. Ego ad te scribo, non solum secundùm, (vt ita dicam in tua persistens locutione) manum & eius digitos: sed etiam, idque in primis, secundùm animam, quæ

quæ vna tantummodo est: non tamen quatenus ea in pedibus, aut in manibus est: sed tantum quatenus eo in capite est, dictans quæ scribo: & in manu est, formans characteres. Simile crassum est, sed haud à proposito alienum.

III. Ad tertium quod attinet de *Antichristo*, déque Apostoli loco ad Thess. 2. Epist cap. 2. plura non addo iis, quæ scripta reliqui in libello aduersus Arianum, ad antithesin 51. Ibi videbis in epistola Basilij ad Episcopos in Gallia, de quonam Patres eius temporis, locum Apostoli interpretati sint: *Musculus* certè noster, Turcum quoque nomine Antichristi intelligit. Ad vtrumque ego etiam accommodo: sed in Turcum tamen magis, quam in Papam quadrare, persuasum habeo: quia ille magis est ἀντίθεος τῷ Χριστῷ, quemadmodum ibi abundè a me demonstratum est. Si doctrinam igitur spectes: Turco magis conuenit nomen Antichristi, quam Papæ: si vero idololatriam, superstitiones, tyrannidem spiritualem, alter maior est Antichristus.

De quarto, non est cur multum disceptemus. Sententiam meam satis explicatam reperies in obseruationibus meis in illam confessionem. In Germania, Princeps Anhaldinus, fuit etiam Minister verbi: & in Galliis aliisque locis non desunt exempla nostri temporis. Diuersa est quæstio: *Vtrum qui iam Princeps est, possit etiam Minister verbi fieri: &* vtrum *qui Minister est verbi, principatum appetere & suscipere.* Certum est, politica non parum impedire Ecclesiasticam functionem. Sed quid liceat, non autem quid expediat, disputatur. In veteri Testamento non desunt exempla prophetarum & Sacerdotum, qui etiam populum politicè regebant. Non ergo per se pugnant. Impedire verò spirituale ministerium, negotiis secularibus, vt antè dixi, extra controuersiam est: ac proinde consultum esse Ecclesiæ, vt diuersæ functiones, diuersis etiam hominum generibus iniungantur.

Cæterum tenendus tibi est scopus illius Confessionis meæ, cùm illius conscribendæ prouincia mihi commissa fuit: credo illum tibi esse notum. Habenda igitur fuit ratio Ecclesiarum etiam illarum, in quibus nonnulli cum Ecclesiastica dignitate, politicam etiam potestatem coniunctam habent. Hæc cursim & breuiter ad tuos scrupulos, fratet obseruande, vt inde intelligas, quæ in illa Confessione conscripsi, eorum nihil cum doctrina Christiana, quam Ecclesiæ reformatæ profitentur, si rectè intelligatur, pugnare.

Quæ subdis in Epistola tua, non opus habent responsione. Mors optimi, Doctissimi & mihi semper amicissimi *L. Lauateri*, ita mihi doluit, vt præ dolore non possim exprimere. Auxit dolorem, quod videam extinctos omnes illos senes, cum quibus mihi intercessit summa amicitia, *Bullingerum Pellicanum, Martyrem, Gesnerum, Frisium, Simlerum, VVolfium*, & nunc *Lauaterum*. Gualterus magis inter mortuos, quam inter viuos connumerandus est: eò magis vobis iuuenibus, tibi præsertim, Stucki, cui eum primis commendata est Schola Theologica, intendendæ sunt vires, ad munera vestra dignè, & cum laude obeunda. Præster vobis hanc gratiam Deus pro sua erga nos misericordia, ad nominis sui gloriam, & Ecclesiæ ædificationem.

Faxit Deus, vt inter vos alij exuscitentur *Bullingeri, Simleri, Lauateri*, &c. Quod scribis de commentario in Nehemiam, nondum accepi. Vale 9. Decemb. 86.

H. ZANCHIVS.

Ioh. VVilhelmi Stuckij de hac Zanchij responsione iudicium.

S. D.

Literas tuas, Domine & præceptor obseruande, mense Decembri datas, Anno 86. sub finem fere mensis Februarij accepi Basilea huc missas. Etsi verò tardiùs illæ mihi fuerunt redditæ; tamen magnum ex illis fructum voluptatémque cepi. Doctis, acutis religiosisque illis tuis responsionibus, ad quæstiunculas quasdam meas plurimùm equidem sum delectatus, iisque tanquam S. Scripturæ, & orthodoxę fidei consentaneis, facilè & quidem optimo iure acquiesco. Gratias quoque tibi merito magnas & ago & habeo pro hoc tuo labore, téq; rogo, vt mihi ignoscas, quòd tibi nonnihil forsan molestiæ, scrupulis illis meis atque quæstiunculis exhibui. Me quidem facti huius mei non pœnitet, ex quo tam vberem fructum cepi. Commentaria Lauateri in Nehemiam scribis te non accepisse, quod miror. Exemplar enim per *Robertum Cambierum* ad te misi, eique nomen meum inscripsi, sed forsan iam accepisti. De obitu D. Gualteri puto te iam intellexisse. In ipso die Natali Christi, hora sexta pomeridiana, me & aliis præsentibus, diem suum obiit, placidaque morte quieuit. Beatus ille, qui omnibus huius Mundi malis periculisque solutus, nunc ęterna illa beatitudine atque gaudiis fruitur, at nos miseros, qui tanto viro caremus. Nouum confœderatorum nostrorum Pontificiorum fœdus cum Rege Hispaniarum, magnum nobis turbarum, molestiarumque tempestatem minatur, quam Deus pro sua gratia, a ceruicib. nostris auertat. Dubium profectò non est, quin fœdus istud religioni libertatique nostræ infestum valdè, periculosumque futurum sit Grisones nostri ad idem fœdus magnificis pollicitationibus atque muneribus, quorum, vt nosti, magna vis est ad hominum animos flectendos atque mouendos, solicitantur assiduè. Cuperem te ad amicos tuos quos ibi habes, literas mittere, illos admonendi gratia, vt sibi ab Hispanicis illis blanditiis atque lenociniis caueant, magnaque contentione quosuis alios ab iisden deterreant.

Nouus hic annus, multas res nouas atque turbas nobis videtur esse parituras in toto orbe Christiano, ita vt merito & publicè & priuatim omnes pro communi salute Ecclesiæ excubias agere. & precib. atque pœnitentia inuigilare debeamus. Plura quæ scribam hoc tempore non habeo. Vale Domine & Præceptor obseruande, meque amare quęso pergas. & de constanti mea in te beneuolentia, obseruantia, atque fide, nequaquam dubites. Si qua in re tibi inseruire possum, est quod mihi imperes, non me togas, tibi nequaquam deero. Tiguri 4. Martij, Anno 1587.

Tui obseruantissimus

IOH. WILH. STVCKIVS.

An liceat fidelibus peregrinis in Germania, vbi propriam non habent Ecclesiam, Baptismum sumere à Germanis, qui de Cœna aliter, quàm ipsi sentiunt.

Consilium missum ad fratres quosdam N. N. 1569.

Is ea quæ hodie in Ecclesiis Euangelium profitentibus agitatur, non videtur esse de articulo simpliciter ad salutem necessario, vti sunt qui in Symbolo continentur, quod Paulus *fundamentum* nominat, 1. Corinth. 3. Verum cùm solùm contendatur de modo præsentiæ, & communicationis seu perceptionis corporis & sanguinis Iesu Christi in Cœna, etsi pars altera ad veritatem peruenit, altera verò minimè: qui ab ea aliquatenus distant, retinentes fundamentum fidei ad salutem necessarium, superædificare videntur super fundamentum ligna, fœnum, & stipulam, quæ, vbi Deo visum fuerit splendorem Dei veritatis emittere, consumentur. Spe ergo expectantes donec illucescat illa dies, nostrum est hos subiicere Deo & orare vti breui nobis illam veritatem mittat: interea vero alios per charitatem & submissionem animi tolerare, & pacem vnitatemque in Ecclesiis (quantum quidem in nobis est) seruare potius quàm temerè & intempestiuo quodam zelo manifestum schisma inter Ecclesias facere. Hoc enim esset vulnus, quod Deum sanaturum speramus, deterius reddere.

Qui nos præcesserunt, vti *Lutherus, Bucerus, Melanchthon, Oecolampadius*, & alij fideles Dei Ministri, quamuis & vixerint & obierint durante illa lite, & vtraque parte opinionem suam retinente, retinuerunt tamen pacatas suas Ecclesias, & vnitatem in reliquis fouerunt, nec vnquam manifestum schisma fecerunt inter suas Ecclesias, ac si alij alios hæreticos censerent qui fundamentum deseruissent, sed patienter expectarunt, donec Dei beneficio lis illa per legitimam aliquam Synodum, tolleretur. Dum itaque suspensa lis est, & eius decisio adhuc expectatur, non decet particulares vnius partis Ecclesias integ[illegible] alterius partis damnare, & causæ legitimum iudicium anticipando eas pro hæreticis habere, & sese ab eis omnino separare. Nec enim est particularium, ante litis decisionem, & sententiam legitimo iudicio & idoneis iudicibus

latam, (quod sola legitima synodo, vt dictum est, fieri potest) exequutionem aggredi. Quo autem firmiori ratione quisque ad ita expectandum promoueatur, considerandum est Ecclesias, de quibus nunc agitur, earúmque ministros non esse omnes eiusdem sententiæ in hac lite, sed potiorem earum partem à nobis stare, veritatémque Dei beneficio in dies prodire. Quare iniquum esset importuna temeritate & impatientia, illud quod expectamus, quodque Deus paulatim promouet, impedire.

Præterea & hoc est animaduertendum, litem illam ad Baptismi Sacramentum nihil attinere, nec vlla ratione administrationem Baptismi, qualis habetur in illis Ecclesiis de quibus agitur, damnari posse. Quod si quis dicat, *Baptismo ipsorum approbato, reliqua omnia atque adeo ipsam eorum doctrinam approbari*, is sciat confessionem & protestationem à nobis factam amplam satis ad ea responsionem dare. Veteres Ecclesiæ in multis sanè non lenioribus contenderunt, vti erat dissidium Ecclesiæ Græcæ cum Latina de processione Spiritus sancti, de celebratione festi paschatis, de communione in pane azymo. Item quamuis Cyprianus, & qui ei adhærebant, Hæreticos & ab hæreticis baptizatos rebaptizandos censerent, qui tamen aliter sentiebant, nunquam ab eis secessionem fecerunt.

Item qui putabant communionem panis & vini cœnæ itémque Baptismi aquam, vsque adeò ad salutem necessariam, vt qui non tincti aqua, & nec panis vinique cœnæ participes facti vita migrarent, periisse prorsus putarent: ita vt iam baptisatis infantibus panem & vinum cœnæ exhiberent, vt Augustinus & plerique eius ætatis viri.

Iam quamuis eiusmodi errores æquè, aut etiam magis à fundamento fidei recederent, quam quæ hodie agitatur quæstio qui tamen melius instituti erant, alios nunquam pro hæreticis habuerunt, nec à Ministeriis aut Ecclesiis eorum discesserunt, sed eos errores charitate & patientia tolerarunt, donec Dominus lumine diei visitationis suæ & igne veritatis exureret, & consumeret ligna illa, fœnum, & stipulam superstructam fundamento. Quod præterea obiicitur disciplinam eis in locis non eam esse, quam meritò pius optaret, neminem ad schisma in Ecclesia faciendum iuuare potest. Cum enim in nulla Ecclesia exactè perfecta disciplina reperiatur, ab omnibus Ecclesiis esset discedendum. Quapropter nos suprascripti, his rationibus ducti hoc sentimus, vt nimirum fratres qui de cœna melius sentiunt, liberè & sine difficultate infantes suos Ministris Ecclesiarum earum, quæ puram in negotio cœnę cognitionem nondum sunt adeptæ, baptisandos offerant, & tum maximè, si patres & patrini illam linguam intelligant, qua baptismus ibi administratur, vt doctrinæ & administrationi eius consentire possint. Quod si quidam adeo morosi & scrupulosi fuerint qui per conscientiam huic nostro consilio sibi parendum, non esse existimauerint, vti nos eos quidem adigere nolumus ad agendum quidquam contra conscientiam, ita ipsis consulimus, vt pacatè, tranquillè, sine tumultu & offendiculo vllius, ad ea loca se conferant, vbi voti compotes esse queant, nec quenquam condemnent potiùs, quàm vt maneant in iis vbi sunt locis, aut infantes suos aliò baptisandos ferant: hoc enim sine aliorum offendiculo, & suo ipsorum periculo fieri nequit. Quod quidem nulli vsui, omnibus autem noxium est.

Et ne qui remansuri sunt ibi, sibi ipsis hoc nostro consilio fucum faciant, blandiantur & in conscientia indormiscant, & ita negligant aut minus attentè quærant vsum ordinarium & legitimum verbi Dei, puramque administrationem Sacramentorum, eos censemus serio adhortandos, vt omnibus legitimis viis contendant, vti ministerium restituatur, aut alibi quærant fruitionem puræ prædicationis verbi Dei, & Sacramentorum rectæ administrationis cum regimine disciplinæ, idque propria lingua, & iuxta suam confessionem ac protestationem, vt hac ratione à scrupulis & periculis conscientiæ liberentur, in quę aliàs facilè prolaberentur.

Otto à Grunrade H. Zanchio S. D.

REuerende & Clarissime vir, Domine & amice colende. Quàm gratus mihi sit liber de *Natura Dei*, abs te isto missus, ostendam cum potero. Intelligo enim de isto Commentario non tantum Reip. Christianæ, sed mihi quoque priuatim gratificari voluisse, dum absens absenti sanctissimas cogitationes & sermones eruditissimos communicas, quibus me, istic cum essem, mirificè delectatum fuisse, non ignoras. Quare ago & habeo tibi magnas gratias pro munere isto, daturúsque sum operam, vt fructum aliquem huius beneuolentiæ tuæ vicissim ex me percipias. De templi vestri occlusione audieram antè, quàm tuas accepi, & Deum vobiscum oro, vt susceptro suæ causę patrocinio corda potentum ad agnitionem veritatis flectat, & isthic quoque suæ Ecclesię rursus nidulum certum, & piam libertatem concedat.

Nos hic Dei beneficio puritatem doctrinæ liberè profitemur, & ceremoniis iisdem vtimur, quibus isthic assueti eramus, excepto ritu fractionis in Sacra Eucharistia. Cùm autem sciam, nonnullos anxiè secum disputare, *num bona conscientia communicare possint cum Ecclesia in qua ritus iste omittitur*: ea de re iudicium tuum audire peruelim. Planè enim mihi persuadeo, te virum in vniuersa Theologia exercitatissimum, solidas rationes allaturum, quibus aut talem κακοφροσύνην improbes, aut vacillantes conscientias confirmes. Quare pro amicitia nostra etiam atque etiam te rogo, vt ad quæstionem hanc disertè mihi respondeas.

Num priuatus aliquis cum ea Ecclesia, in qua quidem de omnibus articulis fidei nostræ purè docetur, & qua blasphemum dogma vbiquitatis apertè reijcit, sed qua fractionem non habet, ita sese consociare debeat, vt sacris symbolis, quæ præter cætera, fidelium quoque coniunctionem testantur, in ea vtatur. Deinde, *Num Minister verbi, si doctrina professio libera ei relinquatur, propter omissum fractionis ritum, quem alibi vsurpauit, bona conscientia operam suam denegare possit Ecclesiæ, in qua vel nulla, vel lenta spes fuerit introducendi hanc ceremoniam.* De hac quæstione, si apertè, vt soles, mihi responderis, magno me beneficio affectum arbitrabor.

Et si graue tibi non esset, rogarem, vt in explicanda hac quæstione, quid per omnia de fractione panis pie sentiendum sit, mihi ostenderes. In primis verò, quales se gerere debeant in ritu hoc introducendo vel omittendo Ministri & magistratus politicus. Ea re non me tantum beneficio cumulabis, sed de aliis etiam piis præclarè promęreberis. Bene & feliciter Vale. Dabantur Sigenæ 3. Dec. 1577.

Tuus Otto à Grunrade.

H. Zanchij ad quæstionem nobilissimi viri, D. Ottonis à Grunrade de fractione panis Responsio.

SHeri sub noctem frater obseruande, redditæ mihi fuerunt litteræ tuæ, datæ huiusce mensis tertio, quæ cum aliis multis de caussis perfuerint gratæ, tum maximè, quod in tota ista regione puram Euangelij doctrinam prædicari intellexi, ritusque omnes puros retineri, vnam duntaxat panis fractionem desiderari in administratione cœnæ Dominicæ: totum hoc valde libenter legi, & gratulatus sum vobis, atque gratulor ex animo, quod nihil prętereа desideretur. Illud vero non parum dolui, atque doleo, quod scribis, non deesse qui dubitent, & anxiè etiam disputent, *num bona conscientia communicare possint cum ea Ecclesia, in qua ritus iste omittitur.* Video enim diabolum semper sui similem esse, vt vbi hæreses seminare non potest, ibi curet saltem quoquo modo, leuissimis etiam de caussis schismata, quibus Ecclesiæ perdantur excitari: proinde diligenter simul & prudenter resistendum est Satanæ non solum apertis conatibus sed dolosis etiam artibus atque insidiis, quæ prætextum quidem habent pietatis, sed tenera ad piarum Ecclesiarum euersionem, ipsius Diaboli astu struuntur. Est igitur contrà, nobis in id omnibus viribus incumbendum, vt Ecclesiarum ædificatio promoueatur, quando huc etiam omnia spectant, quæ Christus Dominus noster egit, passus est, instituit, docuit: tantum abest vt propter diuersitatem vnius in cœna ritus, illiúsque non ita necessarij, vt si absit, substantiam cœnæ tollat, faciendum sit aliquod schisma, id quod certè ab illo cum primis fieret, qui propterea suam operam, Ecclesiæ, ad quam legitimè vocatus est, denegare, suumque ministerium deserere vellet.

Quæris igitur à me frater carissime: Primum quidem: *Num priuatus aliquis cum ea ecclesia, in qua de omnibus articulis fidei purè docetur, & in qua blasphemum dogma Vbiquitatis, apertè reijcitur, sed qua fractionem panis non*

habet,

habet, ita consociare se debeat, vt sacris symbolis, quæ præter cætera, fidelium quoque coniunctionem testantur, in ea vtatur. Deinde, *Num minister verbi, si doctrinæ professio libera ei relinquatur propter omissum fractionis ritum, quem alibi vsurpauit, bona conscientia possit operam suam denegare Ecclesiæ, in qua vel nulla, vel lenta spes fuerit, introducendi hanc ceremoniam.* Addis, *quidnam in vniuersum, de fractione hac panis sentiendum sit, & in ea vel admittenda vel omittenda, quales sese debeant gerere ministri & magistratus politicus.* Hæ sunt quas mihi proposuisti quæstiones.

Optassem quidem alio tempore, quàm hoc incommodissimo, quo totus occupatus sum in conuasandis libris, meáque supellectile, vt ante diem natiuitatis, iuxta mandatum P. E. L. qui 6. huius nos tres theologos, ideo missos fecit, quia, vt ait, Caluinismum profiteamur, migrare ex ædibus possim: Quia tamen quod petis, nihil habet, meo quidem iudicio difficultatis, neque tibi quippiam denegare possum, viro pio, docto & amico, idcirco, quòd in tanta rerum turbatione, & negotiorum multitudine possum, illud tibi prestare conabor, illius dicti haud immemor, *cùm non potes quod vis, velis quod potes.*

Ad postremam igitur, priori loco, breuiter respondeo questionem: Diligenter dandam esse, tum ministris, tum magistratui operam, vt panis fractio in Ecclesiam postliminio reuocetur, tum quia Christus & Apostoli, & deinceps, vetus Ecclesia eam vsurparunt, (sunt verò exempla Christi & Apostolorum, in cultu & moribus imitanda) tum, quia non parum facit ad mysterium Cœnę illustrandum: hoc est, & ad passionem mortémque Christi annunciandam, subque oculos Ecclesiæ proponendam, & ad κοινωνίαν, quam habemus cum Christo, & inter nos pulchrè repræsentandam. Cùm enim ex vno visibili pane in varia frustula fracto, omnes ideo corporaliter edimus, vt simul etiam vnum atque eundem Christum, panem cœlestem pro nobis fractum, omnes spiritualiter percipiamus, oréque Spiritus ac fidei comedamus: ad viuum repræsentatur toti Ecclesiæ κοινωνία, qua vnum existentes cum Christo, cœnæ participatione magis ac magis in vnum corpus cum ipso & tota Ecclesia coalescimus, iuxta illud, *Vnus panis, vnum corpus multi sumus. Omnes enim vnius panis participes sumus.*

His ergo potissimum de caussis, quæ hactenus autore Satana, hoste capitalissimo, nostræ cum Christo & inter nos coniunctionis, exulauit ab Ecclesia Fractio panis, ea modis omnibus vt restituatur, elaborandum est. Ratio autem & via, qua cum fructu redire possit, non in nudo magistratus mandato consistit, sed in doctrina potissimum, qua ministri eam ab autoritate & exemplo Christi, ab honesto & vtili persuadeant Ecclesiæ, doceántque ad veram perfectamque Ecclesiarum reformationem pertinere: semper enim proficiendum esse in melius, neque pudere nos debere huius mutationis: quoniam, vt piè simul & verè scribit Ambrosius Epistol. 31. ad Valentinianum Imperatorem, *Nullus pudor est ad meliora transire.* Neque enim introducenda est fractio, inuita, & reclamante maiori Ecclesiæ parte, ne hanc ob caussam schisma fiat aliquod, & dum volumus frangere panem, frangamus simul & dissipemus corpus Ecclesiæ, quod certè non probatur Apostolo, dum iubet omnia fieri ad ædificationem Ecclesiæ, & in hunc finem institutum esse ministerium, potestatémque non esse ministris datam ad destructionem, sed ad ædificationem: præeat ergo doctrina & persuasio necesse est, ne quid per tyrannidem fiat, & euertatur Ecclesia. Neque enim tam necessaria est fractio panis, quam conseruatio integri corporis Christi, quod est Ecclesia, & præposterus est zelus, qui cum ruina Ecclesiæ coniunctus est.

Quid vero (vt ad alteram veniamus quæstionem) si minister doctrinam de fractione panis non possit Ecclesiæ persuadere, num propterea potest salua conscientia, operam suam ei denegare? Quasi vero prophetæ in Israel, quia non poterant populo persuadere, vt abiecto idololatrico cultu, verum restituerent, idcircò suas vnquam deseruerint stationes: quanto minus hoc licet ministro legitimè ad aliquam Ecclesiam vocato, ideo facere: quia fractionem panis, in qua tamen substantia cultus diuini, cœnæ Dominicæ, non consistit, impetrare non potest? Dum licet verbum Dei liberè prædicare, errores refutare, vitia arguere, non licet ministro suum deserere ministerium, ad hoc enim vocatus est vt doceat, quæ Deo placent suadendo: quæ displicent, reprehendendo ac refutando. Sed vt hoc demus, inquies, de ministerio verbi: nondum tamen soluta est quæstio, Quæritur cœnæ, *num cœnam quoque in qua panis non frangitur, bona conscientia possit, & aliis administrare, & sibi ipse sumere?* Quid ni? illud enim bona conscientia facimus, quod faciendo, nullum apertum Dei mandatum transgredimur. Quodnam autem mandatum Christi violatur à ministro, qui illud de quo est quæstio, agat? Certè si tale quid expresso mandato, Christus cauisset ne fieret, bona conscientia præstari non posset. Sed illud ego non video. Video quidem quid fecerit ipse, quid etiam Apostoli, nec ignoro sequenda esse Christi exempla, sed apertum hac de re mandatum non lego: sicut lego porrectum panem esse accipiendum & edendum, Cœnam in recordationem mortis Christi esse celebrandam, conscientiam cuique suam esse probandam. Cur ergo hoc apertum negligam præceptum, ne quod apertum non est transgrediar? Sed fac & illud de fractione esse præceptum: quomodo tamen demonstrabis, mandatum Christi esse, vt *frangatur panis in mensa coram toto cœtu, non autem satis esse si fractus & diuisus in mensam afferatur?* Certè ad hoc, vt distribuatur, perinde est, si vel extra mensam vel in mensa frangatur: quanquam ad repræsentandam Christi passionem, non ita se res habeat. Est enim ille prior fractionis vsus, per se necessarius, quia edi non potest à multis panis ille nisi fractus: alter verò non ita necessarius, vt substantiam cœnæ, omissus tollat, & vt sine ipso celebrari illa non queat. Idipsum enim fit ad quod instituta est fractio, alia ratione, nempe verbo, quo apertè prædicatur in cœna nobis exhiberi corpus Christi, quod pro nobis traditum est.

Ac licet patres non ignorarint alterum vsum propter autoritatem Apostoli, qui sic habet: *Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur,* plerique tamen omnes senserunt in hoc cumprimis, iuxta veterem Hebræorum consuetudinem, qui magnos panes adferebant in mensam, fractum fuisse à Domino Jesu panem, vt fractus diuidi ac distribui posset inter multos. Ergo ad hunc præcipuum vsum quod attinet, perinde est si fractus adferatur, atque si allatus integer frangatur. Quare cum duplex sit fractionis vsus, & primus, necessariúsque retineatur, alter vero culpa non ministri, sed Ecclesiæ aut magistratus obtineri non possit, num minister priorem etiam negliget, quia posteriorem habere non potest? Quid hic habes pastor scrupuli, cum per teipsum non stet, quin etiam alter vsus qui ex præsenti fractione coram tota Ecclesia, oritur, locum habeat in Ecclesia? præsertim cum tibi liceat semper protestari toti Ecclesiæ, te non ideo sine fractione ministrare & sumere cœnam, quod hunc probes ritum, sed quod malis cum Ecclesia tua infirma infirmari, quàm aut schismatis alicuius esse autor, aut ipsam Ecclesiam cœna Dominica defraudare: quando etiam Apostolus nonnunquam haud dissimilia faciebat, quo schismata euitaret, & vnitatem Ecclesiarum conseruaret. Certè neque ipse cum esset apud Gentes, Iudaicas ceremonias obseruabat, cum tamen venit Hierosolymam, nec discipuli qui erant ex Iudaismo, legis alioqui plus quam par erat obseruantiores, turbarentur, sequutus consilium Jacobi & presbyterorum, admisit purificationem in templo. Neque est cur quispiam hoc Apostoli factum improbet, cum ipse illud idem narret, tanquam opus non malum; immo laude dignum propter caritatem & studium fraternæ concordiæ. Non igitur valet, *Alibi semper vsus sum fractione panis: Ergo hic citra illam neque exhibebo aliis, neque mihi sumam cœnam Domini.* Oportet enim pastorem, ad infirmitatem suarum ouium propter ipsarum salutem seipsum accommodare, & omnibus omnia fieri, quantum per verbum Dei licet, vt omnes lucrifaciat. Non possum enim videre (vt ante etiam dixi) quo verbo Dei caueatur, ne minister vllo modo cœnam administret nisi in mensa frangatur panis. Præterea, An non hoc etiam fuerit damnare omnes Ecclesias, quæ Euangelium amplexæ, præsentem tamen fractionem non habuerunt, neque etiam nunc habent? An non hoc quoque fuerit, fouere errorem, olim Donatistarum & nunc Anabaptistarum, qui ideo communionem nobiscum nolunt, & ita ab Ecclesiæ vnitate recedunt: quia non omnia apud nos perfecta reperiuntur, sed multa desiderantur? Ergo quia non expedit, non debet minister suam operam denegare Ecclesiæ, aut abstinere à cœna, quia frangere panem non permittitur, præsertim cum per ipsum non stet, sed per Ecclesiam quin frangatur, & nulla culpa in ipso hæreat.

Credo ex iis manifestum quoque & perspicuum esse factum, quid ad primam quæstionem respondeti debeat: qua quærebatur, *num bona conscientia possint fideles ad mensam Domini accedere, in qua panis non frangitur.* Cum Christus nullo mandato, me ab illa arceat, neque culpa in me hæreat vlla quamobrem non frangatur: ibi verò nihil desit ad substantiam veræ Dominicæ cœnæ; ita vt à fidelibus verè percipiatur corpus & sanguis Domini, liceátque mihi de mea fide ministro vel etiam presbytero protestari, ac mihi quidem non probari ritum restitui, non ob id tamen velle me ab Ecclesia hac, vel à participatione Sacramenti abstinere, cum tota doctrina pura sit: & substantia etiam Sacramenti integra maneat, ita vt nihil ibi præter fractionem panis desideretur: quidni bona conscientia accedam? Neque exempla desunt piorum & doctorum virorum, nostri etiam temporis, & nostræ doctrinæ, quibus meam sententiam confirmem. Martyr, piæ memoriæ, præceptor meus, cum in Anglia adhuc retinerent dogma de manducatione orali, neque frangerent panem, sed nebulis illis Pontificiis vterentur, non tamen dubitauit accedere parochum, & protestatus de sua fide, petere vt se ad cœnam Domini admitteret, id quod etiam concessum ei fuit. Certò etiam scio, non solum ipsum Martyrem, sed etiam Caluinum huius fuisse sententiæ, nempe vbi dogma vbiquitatis non obtineat, sed simplex illa Lutheri sententia, ibi posse nos bona conscientia Cœnam Domini sumere, modo præcedat fidei nostræ confessio, ac protestatio, nósque sub illis admittamur: tanti faciebant vnionem Ecclesiarum: quanto magis ergo hoc ibi licet, vbi nulla planè dissensio est in doctrina, sed tantum fractio panis desideratur?

Audio Iohannem etiam à Lasco honestæ memoriæ virum, non minus pietate & eruditione, quàm sanguine illustrem, Cœnam sumsisse Witebergæ cum Philippo Melanchthone, vbi non frangebatur panis. Non dubito, quin etiam isti præclari viri, bona id fecerint conscientia. Ad summam: Non est deserenda substantia, propter aliquot accidentia malè cohærentia: Neque principali, vt loquuntur, propter accessoria: neque amici corpus contemnendum est, propter vestimentum, non vsque adeo illi conueniens, neque medicina ægroto respuenda, quia in poculo exhibetur stanneo, neque panis famelico, quia offertur, non cultro scissus, sed fractus manibus: cur ergo quis respuat panem Dominicum, quia non frangitur in mensa, sed fractus, seu in frustula paratus, adfertur in mensam? Cur itidem pastor malit, populum suum priuari hoc salutari cibo, quàm ea ratione præbere, quæ simpliciter non probetur: cum ille nolit alio modo & ritu accipere? Imperitus sanè medicus fuerit, & sui ægroti parum amans, qui nolit ei aliquid, in medio saltem percipiendæ medicinæ, gratificari. Hæc sunt quæ habui ad propositas, mihi à te quæstiones, frater obseruande, in hac nostra rerum turbatione, & in tam paruo temporis spatio, respondere. Precor Dominum, tollat omnia ex Ecclesiis dissidia, quò vnum tandem fiat ouile, cum vnum etiam tantum habeamus verum pastorem, Dominum nostrum Iesum Christum, cui laus & gloria in sempiternum. Vale frater carissime, tuisque Generosis & Illustribus Dominis Comitibus Nassouiensibus, atque imprimis mihi semper obseruandissimo Illustri D. Comiti Iohanni, salutem plurimam meo dicas nomine, atque vt me meosque amicos commendatos habeas, rogo. Iterum vale. 13. Decemb. 1577. Heidelb.

H. ZANCHIVS *Tuus.*

Nobilißimi huius viri de Zanchij responsione, iudicium.

REuerende & Clarissime vir, Domine & amice colende. Quòd paulò tardiùs respondeo ad literas tuas, pietatis & humanitatis plenissimas, nolim existimes vel obliuione tui, vel negligentia nostra commissum esse. Quo enim pacto tui obliuisceret, cuius summa in me singularis cuiusdam beneuolentiæ extant indicia? Aut quid gratius mihi in vita contingere poterit, quàm colloqui tecum viro doctissimo, de rebus ad meam & multorum conscientiam pertinentibus? præsertim cùm tam facilem in respondendo te mihi præbere soleas. Quare quod nihil hactenus rescripsi, nulla re alia factum est, quàm deliberationibus quibusdam nostris, quibus hoc agebatur, vt nonnulli amici nostri, viri pij ac docti ad vos mitterentur, qui & statum harum Ecclesiarum vobis exponerent, & vestro consilio nonnullis in rebus vterentur, quos tibi instar viuæ Epistolæ fore iudicabam. Sed quia huic quoque consilio, vt video, mora iniicitur, ad scribendi officium necessariò mihi redeundum est, præsertim cum proximis tuis literis tam benignè abs te inuitatus sim.

Ac vt ad priores literas, priore loco tibi respondeam, vehementer mihi placuerunt, quæ de ritu fractionis in Eucharistia à te rationibus firmissimis & exemplis piorum confirmata afferuntur. Ac planè tecum sentio, dandam esse operam tam Ministris verbi, quàm Magistratui pio, vt ritus ille, Pontificum Rom. vel fraude, vel incuria intermissus, postliminio in Ecclesiam reducatur. Imprimis vero probatur mihi consilium tuum, quo statuis, tam Ministrum, quàm auditores, posse salua conscientia communicare cum Ecclesia, in qua de omnibus partibus doctrinæ alioquin piè docetur, etsi propter vulgi imperitiam ritus fractionis tam citò vsurpari non possit.

De qua re etsi nunquam dubitauerim, nonnihil tamen me zelus quorundam intempestiuus exercuit, qui omnino negabant, *Cœnam veram esse, in qua fractio panis non haberetur.* Quare & meo & amicorum nomine, me tibi gratias debere profiteor, non modò quòd me vacillantem confirmaris, verùm etiam, quòd moderatione tua, multis bonis viris scrupulum grauem exemisti, qui quorundam importunitate offensi, ex vnius turbatoris ingenio, cæteros Heidelbergenses omnes iudicabant.

Porrò, quæ in posterioribus literis disseris de Magistratibus officio in coërcendis contumacibus, qui præfracto animo veritati ac piis ceremoniis sese opponunt, pro se iudico esse verissima, nisi quod statum nostrarum Ecclesiarum (de quibus fortassis non optima fide ab aliquibus edoctus es) minùs illa congruunt.

Etsi enim alicubi à ciuibus repugnatum est ritui fractionis, contumacia tamen abfuit. Ac si ea moderatione a docentibus negotium actum fuisset, quam priores literæ tuæ in Ministro verbi desiderant, nihil ferè difficultatis fuisset, id quod ipso facto deprehensum est, postquam populus rectè ac sine conuitiorum acerbitate de summa rei doceri cœpit. Decreueram totum statum nostrarum Ecclesiarum ad te perscribere prolixè, sed quia excludi me tempore video, in aliud hoc tempus reiiciendum putaui. De schola nunc nec libet, nec licet scribere. Affinem tuum non modò iuuare, sed ornare etiam cuperem, nisi ea caussa mihi hactenus obstetisset, quam antea ad te scripsi. Si crebro ad me scripseris, nihil mihi gratiùs, nihil iucundiùs præstare poteris. DEVM æternum, Patrem Domini ac Saluatoris nostri Iesu Christi, toto pectore oro, vt consilia tua ac pia studia gubernet, & dona spiritus sui, quæ largissimè in te contulit, magis ac magis tibi augeat. Ignosce festinationi, & bene vale. Dabantur Dillebergi, 20. Martij, Anno 78.

Tuus totus

OTTO à GRVNRADE.

Post scriptum:

Non potui intermittere, quin adscriberem argumentum, quod non ita dudum mihi opposuit quidam amicus, vir alioquin bonus & moderatus, quem video valde turbari propriis quibusdam suis speculationibus, teque oro, vt ad illud mihi argumentum respondeas, quod tale est *Sicut se habet fiducia ad obsignationem promissionis, ita se habet intelligentia promissionis ad declarationem promissionis.* Ergo permutatim: *quemadmodum se habet fiducia ad intelligentiam, sic obsignatio ad declarationem: Atqui fiducia non potest esse sine intelligentia promissionis:* Nemo enim potest credere ea re, quam ignorat. *Ergo nec obsignatio promissionis potest esse sine declaratione eius:* Et, per consequens, *Sacramenta non obsignant, nisi prius declarent.* Cætera intelligis. Hoc vult, cùm in Baptismo nihil repræsentet seu declaret mortem Christi, præter mersionem, & in Cœna, præter fractionem, non obsignari mortem Domini, extra quam promissio est irrita, in multis his ceremoniis. Exspecto solutionem tuam.

H. ZANCHIVS.

Eidem de eadem materia: Ceremoniam istam omnino in Ecclesiam esse reuocandam.

SCùm vester iste, quem ad nos vestris cum literis misceratis, bonus adolescens, recuperata tandem valetudine ad vos redire constituerit, non potui facere, quin te

hâce

hisce meis salutatem, atque vt Generosos & illustres Dominos Comites, amicósque omnes meo iubetes saluere nomine, rogarem. Aueo autem ex te intelligere, quomodo, quibusve rationibus probata vel improbata fuerit doctissimis istis viris, ac tibi, mea, quam scripsi de *fractione panis* sententia. Nam si meliores in contrariam partem adferantur rationes, libenter audiam. Nam quòd quidam præceptum esse volunt, propter verba: *Hoc facite in mei recordationem*, meo iudicio, falluntur, tum quia liquet, mandatum hoc de fine, non ad factum Christi, *fregit*, sed ad superius mandatum de accipiendo & edendo pane, referendum esse, tum etiam, quia sequeretur, malè fieri à nostris Ministris, quòd soli frangant panem, cum mandatum hoc (si de frangendo etiam pane intelligatur) non ad ipsos solos, sed ad omnes fideles referatur, quibus etiam omnibus dixerat priùs, *Accipite, edite*. Restat ergo, non posse simpliciter damnari eos, qui eam non habent. Et tamen reuocandam & retinendam eam esse, tum propter exemplum Christi, Apostolorum, totiusque veteris Ecclesiæ, tum etiam propter mysterium Passionis & mortis Domini, quæ illa actione repræsentantur Ecclesiæ, & ceu sub oculos ponuntur. Proinde neque etiam probari possunt, imò ne excusari quidem illi, qui contemtis Christi & Apostolorum exemplis, tamque vtili & laudabili totius Ecclesiæ consuetudine, fractionem in Ecclesiam reuocare non curant. Quare, pius Magistratus, cuius est curare vt in reformatione Ecclesiarum, ad formam simplicitatémque Apostolicã quàm proximè accedatur, postea quam curauit populum, etiam de hac ceremonia Apostolica rectè & diu doceri, potest & debet illam in Ecclesiam inducere, & populo mandare, ne quispiam eius rei caussa abstineat à Cœna: ac si quis non obtemperet, illum compescere. Fuerit enim manifestum, huiusce modi hominem, nullam posse obtendere ignorationem, aut conscientiæ scrupulum, vt vocant, sed ex mera peccare pertinacia. Cur enim in rebus honestis, & cum verbo Dei consentaneis, non obediatur Magistratui? Cur Apostolici ritus, salutarésque Ecclesiæ consuetudines contemnantur impunè? Hoc itaque priori illi epistolæ meæ tantùm non ex tempore à me conscriptæ, quò melius, quid ea de re sentiam, intelligatur, additum velim. Vale optime & doctissime frater. 17. Febr. 78. Heidelb.

H. ZANCHIVS *tuus*.

Nobilissimo viro Ottoni ab Houel, Illustriss. Ducis Christophori Palatini, &c. Præfecto.

SColendissime & Doctissime Otto, mitto Illustrissimo duci, reale, (vt vocant) responsum, ad illam, de qua me, Illustrissimi Parentis Electoris nomine, interrogauerat, quæstionem. Excessit, verum est, terminos modestiæ, Schegkius noster: sed duabus epistolis ab altero prouocatus, vt videbis. Cæterùm quorsum curasse, vt quæ inter ipsos duos, & ceu inter priuatos parietes admissa fuerunt peccata, ea statim in publicum proferrentur? Certè *charitas* (vt sapientissimè scriptum reliquit Salomon) *operit multitudinem peccatorum*: sicut contra odium suscitat rixas. Ego certè ista non possum probare. Atque vt alia omittam, hoc vnum ita Professorum animos offendit, vt bona conscientia non potuerint in id, quod proponebatur, consentire. Non enim istis epistolis vnum Schegkium, sed omnes Germanos, non tantùm Doctores, sed etiam alios, grauiter perstrinxit. Quid enim illa sibi volunt verba, in postrema Epistola, paulò post initium? *Hac enim* (inquit N. Schegkio) *tui vomitus frusta sunt esculenta, vinum nescio quod redolentia. Hac, inquam, tui vomitus frusta, in epistola tua*, &c. Hæc ille. Sed certè neque huius vomitus redolent sobrietatem, aut aquam. Hæcne debuit euomere in virum talem ac tantum, & Illustrissimi Principis Germaniæ Medicum, & Professorem: virum deinde Christianum, & quem omnes norunt optimum esse ac sobrium, & illo vitio non laborare? Putamusne illum & alios tacituros? Tu, mi prudentissime Otto, pro tua prudentia cogita, quot & quantarum turbarum ista sint initia, & de remedio maturè cogitato. Et cordi nobis sit, vt est & esse debet, tum Illustrissimi Principis existimatio atque honor, tum publica totius Germaniæ pax atque concordia.

Rogo memineris illius officij, quod te facturum promisisti, & ames tuum tuique obseruandissimum Zanchium. Reuerenter salutabis Illustrissimum Ducem.

T. ZANCHIVS.

H. ZANCHIVS

Clarissimo viro, & excellentissimo I.V.D. D. Iohanni à Glauburgo, de Cœna & excommunicatione à Cœna.

CLarissime vir & Doctor excellentissime, literas tuas 5. huius mensis datas, octauo accepi. Et quid à me, reliquisque meis collegis, ac fratribus obseruandissimis petas, facile intellexi. Duo autem fuerunt petitionis tuæ capita: vnum, vt scriptam parentis tui, hon. memoriæ, confessionem de Cœna Domini, & simul etiam de Baptismo, diligenter examinaremus, & quæ nostra esset de illo scripto sententia, liberè ad te scriberemus. Alterum, vt quid de facto vestrorum ministrorum, qui patrem tuum, tum bene adhuc habentem, tum postea etiam decumbentem, sub tali confessione, ad mensam Domini noluerunt admittere, sentiamus: iusténe, & ex officio suo fecerint, an secus, ingenuè tibi significaremus. Ego pro eo, quod tibi debeo officio, primùm quidem simul ac confessionem legi, statim eã ad obseruandos meos collegas misi, *D. Boquinum, & Tremellium*. Inde ad reliquos, de quibus tu mentionem in literis tuis feceras. Deinde verò post meam lectionem, cœpi de toto negotio cogitare: postridie manè (nondum enim licuerat cum aliis, propter varias, tum meas, tum ipsorum occupationes, de re ipsa conferre, & sententias audire) iudicium meum, tam de confessione parentis, quàm de facto ministrorum, breui quodam scripto concepi: illud postea cum fratribus communicaturus, & eorum sententias auditurus. Sed concionatores sunt variis districti negotiis, vt non semper domi eos possis reperire. Quorum igitur potui audire sententiam de vtroque capite, eam ad te mitto. Probamus parentis confessionem: probare non possumus ministrorum factum. Ratio vtriusque est, quod illa consentanea est cum sacris literis, istud verò pugnat cum mandato Christi. Vtrumque breuiter demonstramus. Cœna Domini (vt summatim dicamus, duo habet capita, substantiam, & vsum. Substantia est id, quod Christus instituit, & ipse in Cœna agit. Vsus est id, cuius causa eam instituit, & quod à nobis exigit. Substantiam suam, ea semper retinet integram, quia Christus neque mutatur ipse, neque mutat institutionem suam. Vsum, non semper, neque in omnibus obtinet: propterea quod neque omnes, qui accedunt veri sunt discipuli Christi: neque discipuli semper iidem, hoc est, eadem fide, resipiscentia, & caritate præditi, accedunt. Et aliquando dignè: aliquando etiam (proh dolor) indignè manducant & bibunt. Ac quod ad substantiã attinet, Cœnam sic ex verbo Dei breuiter diffiniri posse indicamus à causis omnibus. *Cœna, est in legitima actione, vera verùm corporis Domini, quod pro nobis traditum est, tum eiusdem sanguinis, qui pro nobis in remissionem peccatorum effusus est, exhibitio: per Dominum ipsum spiritualiter, ad edendum & bibendum facta: ac Verbo quidem Christi, iam per os ministri prolato significata, panis autem fractione, vinique distributione, sub oculos Ecclesiæ, per manum eiusdem ministri posita ac repræsentata, & in salutarem memoriam Christi, pro nobis mortui, à Christo ipso instituta.* Non est hic opus longa explicatione, nec verò etiam breuitas temporis, id ferre potest. Breuiter itaque & summatim, vt in Scholis fit, singulas partes non tam explicamus, quàm confirmamus. Primò dicimus, *in legitima actione*: hoc est, in actione Cœnæ, ex institutione, & verbo Domini celebrata. Non enim extra legitimam actionem, distribuitur corpus Christi edendum, & eius sanguis bibendus. Secundo loco, *veram dicimus exhibitionem*: hoc est, non imaginariam, non fictitiam. Christus enim nobis non illudit, quum ait: *Accipite, edite, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur*. Tertiò, adiicimus, veri corporis, & veri sanguinis Domini. Exprimit enim disertè Christus, quodnam corpus edendum, & quemnam sanguinem bibendum: quum post dictionem, CORPVS MEVM, adiecit, *quod pro vobis traditur*: Et cùm dictioni, SANGVIS MEVS, subiecit, *qui pro vobis effunditur*. Nam neq; panis terrenus pro nobis traditus est, neque vinum pro nobis, in remissionem peccatorum, est effusum. Verum igitur corpus Christi datur edendum: & verus eius sanguis bibendus. Addimus quarto loco, *per Dominum ipsum facta*. Neque enim nobis alius quispiam, corpus & sanguinem Christi dat, aut dare potest, nisi Christus ipse. Nam pastor non is est, qui ex se dicat, *Accipite, Hoc est corpus meum*: sed Christus, ipse per os ministri hoc nobis dicit. Sic etiam Iohan. Baptista discrimen fecit, inter suam & Christi in Ba-

ptismo actionem: cùm dixit, *Ego baptizo in aqua, ille autem in Spiritu sancto.* Quintò diximus, *spiritualiter hanc veri corporis & sanguinis Christi exhibitionem fieri.* Omnis enim corporalis actio, sub aliquem incidit corporis sensum. Cui autem sensui hæc actio Christi obnoxia est? Non ergo corporaliter, sed spiritualiter, hoc est, per spiritum suum, omnia hic operantem, distribuit Christus suam carnem: quatenus pro nobis crucifixa, & mortua est. Adiecimus sextò, *ad edendum & bibendum.* Sic enim Christus iussit, dicens: *Edite, bibite.* Non igitur exhibetur ad adorandum, aut in alium vsum, quàm ad edendum & bibendum: eo sanè modo, quo etiam datur. Dicimus septimo loco, *verbo Christi, per os ministri prolato,* exhibitionem hanc significari. Christus enim loquitur, sed per os ministri, dicens: *Accipite.* Nisi autem Christus loquatur, & significet quid sibi velit, & quid det, corpus ipsius non datur. Addimus octauo, *panis autem fractione, vinique distributione, eandem exhibitionem sub oculos Ecclesiæ per manum ministri poni, & repræsentari:* nempe ita, vt sicut vana non est significatio, quæ fit per verbum (simul enim res ipsa etiam exhibetur) sic etiam repræsentatio hæc, quæ fit per panem, & vinum, nuda non sit atque inanis: ex parte nimirum ipsius Christi exhibentis. Sicut enim panis non est propriè & verè corpus Christi: sic neque panis distributio, est propriè corporis Christi exhibitio, sed veræ exhibitionis corporis Christi, vera & non nuda repræsentatio. Illa enim panis distributione, corporali & visibili: inuisibilis & spiritualis corporis Christi exhibitio, Ecclesiæ ob oculos non inaniter proponitur. Postremò addita est particula, quæ ad vsum spectat: nimirum, *in salutarem Christi pro nobis mortui recordationem,* institutam fuisse hanc exhibitionem. Hic enim fuit scopus & finis: sicut Christus ait: *Facite in mei memoriam.* Paulus autem explicat dicens: *Quotiescunque manducatis panem hunc, & calicem bibitis, mortem Domini annunciETIS.* In memoriam igitur Christi pro nobis mortui instituta est. Hæc verò salutaris est electis, quia fides, de certitudine salutis, per Christum mortuum partæ, excitatur & confirmatur: caritas erga illum, & erga Ecclesiam, pro qua mortuus est, accenditur: Et ita vera resipiscentia, quæ est noua vita, renouatur. Hæc est Cœnæ substantia, quantum ex verbo Dei colligi potest, & quam si vel opus esset, vel etiam vacaret, per singulas partes fusius demonstrare possemus. Notandum est exhibitionem, non esse receptionem. Exhibitio, est ex parte Christi: receptio, ex parte nostra. Christus igitur verè exhibet in ea actione, suum verum corpus, & suum verum sanguinem: sed non omnes neque semper illud verè accipiunt, ac comedunt, & istum verè bibunt. Verùm loco corporis, & sanguinis Christi, iudicium sibi manducant & bibunt. Proinde meritò diximus *exhibitionem corporis & sanguinis, esse substantiam Cœnæ: & eam semper manere integram:* quia tota Christi est: qui certè, vt antè dictum est, non ludit nobiscum, quum Cœna legitimè celebratur. Non ita verò se habet receptio & vsus, qui à nobis requiritur. Non enim aut omnes (vt antè dictum est) aut semper, recipiunt: propterea quòd non omnes, neque semper ea fide, & eo spiritu præditi accedunt, quo deberent: & qui ad veram corporis Christi manducationem ita requiritur, vt nisi adsit, verum corpus Christi, à nobis verè edi non possit. De vsu & receptione, non est, cur hîc aliquid differamus. Quia enim habet relationem ad substantiam Cœnæ, nempe ad exhibitionem: idcirco illa probè intellecta, hæc etiam qualisnam esse debeat, nempe spiritualis, facile intelligitur. Ad summam: res in eo sita est, vt persuasum habeamus Christum, sicut quū per manus ministri offert panem, & vinum, nobiscum non ludit: sed verè dat panem, & vinum, vt nostra sint: & vt esa, in nostram vertantur substantiam, atque in vita corporali nos sustentent: id quod certè faciunt, si nos ea accipiamus, edamus, bibamus: Ita etiam cùm per os ministri, in panis porrectione Christus ait, *Accipite, edite, Hoc est corpus meum,* eum nobis non illudere: sed seriò & verè, quanquam spiritualiter, suum verum corpus, & suum verum sanguinem, quatenus & illud pro nobis mortuum est: & iste pro nobis effusus est, nobis exhibere: idque vt ambo nostra sint, cum tota ipsorum virtute: & vt eo modo à nobis accepta, comesta & pota, quo etiam à Christo dantur, spiritualiter nimirum: & eiusdem spiritus virtute, cuius etiam dantur, in nobis maneant, & in spirituali vita nos sustentent: hoc est, vt Christus ipse in nobis maneat, & in nobis viuat: & nos vicissim in Christo, magis ac magis coalescamus. Hæc cùm ita se habeant, neque ab hac doctrina, quam scimus totam esse, non solum consentaneam verbo Dei, sed etiam ex ipso verbo Dei desumtam, vllo modo dissideat confessio parentis tui: non videmus quomodo illa improbari possit. Nos certè omnes probamus, & tanquam consentaneam verbo Dei amplectimur. Ac quod diximus de confessione Cœnæ: idem de confessione baptismi dictum volumus.

Hinc facile ad alterum caput petitionis tuæ respondemus; nimirum factum, de quo scribis, minimè probari nobis posse. Christus enim iubet, vt omnes sui discipuli accedant ad suam mensam, edant & bibant. Discipuli autem Christi sunt, qui doctrinam eius totam, tam quæ est de fide, quam quæ de moribus & de sancta vita instituenda ex animo amplectuntur, & ingenuè profitentur, se Christi beneficio & credere, quæ ipse Christus docet, & velle seruare ac facere, quæ idem præcipit. Qui igitur sumus nos qui velimus & audeamus a Cœna arcere, quos Christus iubet venire? Quis verò audeat confessionem parentis tui, tanquam hæreticam condemnare: ac proinde inferre, eum non fuisse Christi discipulum? Quo Scripturæ testimonio illud euincent? Itáne omnes hæreticos esse, qui idem, quod parens tuus, sentiant? Deinde etiamsi aliqui ex discipulis, vel errant in doctrina, vel aberrant ab obseruatione mandatorum: non vult tamen Christus, eos prius haberi pro Ethnicis & publicanis, & ideo à Cœna arceri, quam fuerint ad extremum, per Ecclesiam correcti: & tum de errore ita conuicti, tum de scelere ita obiurgati, vt si vel ab erroribus, vel a sceleribus non resipiscant, & se posthac cum in hac doctrina permansuros, tum vitam ex lege Dei traducturos, non polliceantur: ij non nisi pertinaciter sese à Christo subduxisse, ac proinde ad corpus Ecclesiæ minimè pertinere, iudicari possint ac debeant. At si isti non hoc modo parentem conuicerunt, vel de hæresi, vel de scelere aliquo: quomodo potuerint illum a communione Cœnæ Domini arcere (hoc enim est excommunicare) non videmus. Postremò illud adiicimus, non propter quemuis errorem in doctrina, licere quempiam excommunicare: sed tantùm propter pertinaciam in erroribus, cum fundamentis fidei, tectè & per scripturam explicatis, pugnantibus. Cum quo autem articulo fidei demonstrabitur, confessionem parentis tui pugnare, & dissentaneam esse? Illa potius phantasia, quæ corpus Christi vbique statuit, meritò damnari hæreseos potest, & debet: cùm omnes ferè fidei articulos, qui sunt de Christo & verò etiam ipsam Domini cœnam euertat. Vt igitur confessionem parentis tui, Clar. D.D. omnibus probamus modis: ita illud, quod narras, proponisque factum, nulla videmus ratione defendi posse. Hæc quia petiisti, non potuimus, pro officio nostro non candidè & rotundè ad tuam petitionem respondere. Et precamur Deum, vt omnia tollat dissidia è sua Ecclesia: & efficiat, vt omnes tandem in veram & salutarem doctrinam consentiamus, ad suam gloriam, & Ecclesiæ ædificationem, Amen. Vale.

T. ZANCHIVS.

Iacobi Bordesii QVÆSTIO, *Num meritum mortis Christi, fuerit necessarium ad carnis ipsius sanctificationem.*

Aduersarij dicunt, se de carne Christi concepta non loqui, sed de concipienda, quatenus ea fuit ex massa Adami, quæ tota fuit corrupta peccato originali.

Fatentur enim eum fuisse à primo puncto conceptionis purissimum ab omni peccati labe, ita vt nihil habuerit pro se offerendum propriè. Sed quatenus carnem sumpsit ex carne Adami quæ tota fuit impura peccato, cùm ex impuro nihil nisi impurum haberi possit nisi mundetur: Christus autem ipse solus sit, qui tollit peccata mundi: Aiunt eum habuisse opus suo sanguine ad mundandam illam carnis portionem, quam accepit ab Adamo. Mundandam quidem non in se, qua eam nunquam habuit actu, nisi puram, sed extra se in massa, pro qua se obtulit.

Cum eis respondetur, Primùm à scriptura, nos habere manifestam huiusce sanctificationis causam in solo opere Sancti Spiritus, cùm virgo ab ipso concepit. Regerunt hîc locum non euertere præcedentem, sed spiritum in conceptione ita sanctificasse carnem Christi: vt ipse etiam omnia ipsius membra sanctificet, vt nihilominus opus habuerit sanguine Christi in ipsius carnis sanctificatione, vt in omnium fidelium sanctificatione vtitur Christi sanguine tan-

tanquam propria atque vnica sanctificationis massæ Adami materia. Ne contingat illum primum locum violari, deinde iustitiam Dei quæ nusquam permittit, tolli peccati labem sine satisfactione, cuius perficiendæ solus Christus est capax, quippe solus est Deus verus, & verus homo, veram habens humanitatem & carnem, quam pro tota massa det in precium debitum.

Quando secundò respondetur, illis videndum esse id quod necessarium existimant, non tantum esse non necessarium, sed nequidem esse posse. Qui enim sanctificare poterit aliquid, quod ipsum sanctum non erit? Quomodo autem mors esse sancta poterit, nisi id quod moritur prius sanctum sit? Sed quomodo poterit caro moritura sanctitatem adipisci vsquam, h.e. vel in se, vel in eo ex quo ipsa est futura, beneficio eius quod ipsum præcedente in ipsa sanctitare, vt sanctum sit, prorsus eget.

Hac difficultate sibi videntur extricari, vbi vim mortis Christi viguisse, antequam ipsa caro esset, imo à principio mundi, possunt asserere.

Sed talis solutio eripitur illis, vbi non ordinem temporum, sed ordinem causarum hic pondus habere obiicitur. Nam si meritum mortis Christi viguit antequam ipsa caro esset, imo etiam antequam ipsa mors contigisset, quæ ante id quod ipsam pateretur esse non potuit: Id fuit à dignitate fideiussoris, qui apud creditorem vt fuit soluendo, sic fide data nondumque solutione facta, potuit liberare debitores. Sed vnde potuit esse soluendo nisi quatenus eam quæ debebatur Deo putam carnem sumere & offerre poterat? Sed qui ea caro pura poterat censeri antequam offerretur, cuius puritas ab oblatione ipsa pendebet.

Orthodoxis igitur satisfactum esse debere, cum vident Spir. S. triplici miraculo affuisse conceptioni carnis Christi. Primum, cum soli fœmineo semini vim veræ conceptionis dedit. Deinde, cum ex virgine alioqui peccato obnoxia sanctum est generatum. Tertium, cum qui generatus est, non simplex homo fuerit, sed æternus Dei filius is fuit, qui illic generari voluit, hoc est, caro fieri & homo.

Oportet autem duorum postremorum vltimum facere modum secundi, primum reliquorum duorum signum. Non potuit. n. à primo puncto suæ conceptionis ille non esse sanctus, qui à primo puncto suæ conceptionis fuit Deus. Qui n. hoc esse posset, vt ille qui est fons sanctitatis immensus & infinitus, ne tantilli quidem sordium capax esset?

Quod autem primum sit signum reliquorum, patet bifariam. Primum, quod esset prædictum à Prophetis, *virginem concepturam*. Deinde, quod cum *non nisi à S. S. hoc potuerit*, inde tollitur omnis dubitatio præsentiæ omnium, quæ in ea conceptione ad nostram salutem fuerant opus, inter quę illud est potissimum, vt qui pro nobis fideiuberet, esset soluendo non à solutione & satisfactione, sed ad solutionem & satisfactionem.

Sed cum ista deberent esse satis Christiano, nihilominus occlamant aduersarij de S. S. qui est potentia Dei infinita, non dubitare, sed se nolle metiri ipsius vim, nisi ab ipsius verbo, in quo Christus offertur, tanquam vnicus agnus, qui tollit peccata mundi: stipendium autem peccati esse mortem: igitur mortem ipsius necessariam fuisse vbicunque peccatum fuit tollendum. Peccatum autem tollendum fuisse à portione massæ ex qua Christus erat generandus: quia alioqui in generato, peccatum non abfuisset.

Difficilis certè quæstio. Sed videndum an hæc solutio, quæ sequitur, sit vera, & quæ satisfaciat quæstioni. Deinde verum alia dari possit quæ quæstioni item possit satisfacere.

Primum nos dicimus, fallaciam esse vbi aduersarij ex eo quod citra sanctificationem carnis Christi, qualis contigit in eius conceptione à Sp. S. ipse erat futurus homo impurus peccato, concludunt peccatum fuisse tollendum à portione massæ, ex qua ipse fuit generatus, quasi vt corruptio vna & eadem specie transeat à parentibus ad prolem, sic necessarium eandem specie vel numero corruptionem esse in semine, per quod vnum solum species essentialis transit à maioribus ad eorum posteritatem. Non enim sequitur. Probamus à simili: Quia vt contagium transeat ab vno ad alterum per aliquod medium, non est opus vt ipsum medium à contagio idem specie patiatur. Pestis poterit contrahi ex aliquo, qui ante annum est mortuus contagio lecti, qui ab eo decumbente est contactus, & ab adnena qui forsan defunctum nunquam viderit aut nouerit, eundem lectum ingrediente & ipsum attingente, vterque peste afficietur & forsan morietur, licèt lectus alioqui sue illa venenata imbutus & corruptus suo modo peste nunquam laborarit neque laborare potuerit.

Sic etiam parens peccator, poterit peccatorem filium generare, licèt semen quod est medium vnicum in generatione non possit peccator censeri. Qui enim peccatet massa informis, quæ non est ad imaginem Dei facta, licèt id quod ex ipsa prodibit ad imaginem Dei sit futurum, in cuius solius corruptione peccatum originale est constituendum.

Nos igitur dicemus semen virginis, quæ est portio quam sibi generando ex massa Adami in virgine assumsit Christus, fuisse quidem corruptum à peccato, sed non ita vt ipsum esset propria sedes peccati; itaque fuisse corruptum suo modo qui non est ἁμαρτία, sed à Paulo dicitur ματαιότης, quatenus eius facultas per se nihil poterat nisi corruptum generare, imo corruptum peccato hominem. Sed cùm peccatum originale sit corruptio intellectus & voluntatis, denique rationis quæ in mente est veritas, & in voluntate est æquitas, & semen quatenus est id quod est, & non aliud, ac quod non potest peruenire, nisi sui oblatione non sit natum intelligere, neque velle, neque ratiocinari: ergo neque mentiri neque concupiscere. Priuatio eorum non potest ei attribui, quorum habitus propriè ad ipsum non pertinuit.

Fuit igitur satis in conceptione carnis Christi Spiritui sancto, qui est virtus Dei infinita, corroborare semen, cuius corruptio fuit sita tantum in infirmitate. Ergo eius restauratio in corroboratione, non autem in satisfactione, cum nihil debuerit neque debere potuerit, id quod nunquam peccauit, neque peccare potuit.

Sed si quis nihilominus pertinacius velit retinere in semine humano peccatum originale, tanquam in propria sede, videat quæ monstra sequentur male positum in semine peccatum.

Si enim semina sunt per se peccati sedes, bene dicitur ea egere satisfactione. Ergo omnia semina quæ per se fuerunt talia, quale per se fuit semen virginis, h.e. genitalia, & nunquam genuerunt, quòd ita contigerit, eguerunt nihilominus satisfactione, ita vt vel illis applicanda sit mors Christi, & ipsa sint tollenda ad cœlos vel satisfactionis inopia detrudenda omnia ad inferos.

H. Zanchij ad quæstionem illam Responsio.

Petiisti à me, frater obseruande, exhibito quodam scripto: *An piè dici possit, meritum mortis Christi, necessarium fuisse, ad carnis ipsius Christi sanctificationem: & quidnam, de rationibus quibus nonnulli partem affirmatiuam probare nituntur, sentirem.* Ego vt ingenuè omnia dicam, simulac titulum, vt vocant, Quæstionis legissem, vehementer illam miratus fui: videbam enim id supponi tanquam extra controuersiam positum: quod omnino falsum, adeoque hæreticum esse non dubitabam; neque etiam dubito: idque propterea, quod cum tota S. Scriptura, manifestissimè pugnat, nimirum carnem Christi opus habuisse, vt sanctificaretur, hoc est, vt ex immunda, peccatoque infecta, mundaretur, peccatique labe purificaretur. Si enim per carnem & sanguinem Christi, omnia (vt passim sacræ literæ docent) mundantur, peccataque tolluntur: mundissimam eam semper fuisse, omnisque peccati expertem, necesse est. Quò spectat illud Apost. Hebr. 7. *Talis namque decebat, vt esset nobis pontifex pius,* (nempe totus quantus, quantus est, & semper) *innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, excelsior cœlis factus, cui non sit quotidie necesse, quemadmodum illis pontificibus, prius pro propriis peccatis victimas offerre: deinde pro populi. Hoc enim* (nempe alterum membrum offerre scilicet pro peccatis populi) *fecit semel: quum semetipsum obtulit* Quo respiciebat etiam Christus, quum dicebat Apostolis: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis* (electis scilicet omnibus, non pro me) *traditur:* &, *hic est sanguis, qui pro vobis* (non pro me) *effunditur, in remissionem peccatorum: nempe, vestrorum, non meorum.* Vbi igitur non est peccatum: ibi non est opus effusione sanguinis Christi, nec merito passionis mortisque eius. Christum autem, eiusque carnem semper fuisse sine peccato, in confesso est apud pios omnes. Non sine causa igitur mirabar, quod supponebatur, carnem videlicet Christi, aliquando talem fuisse, quæ opus habuerit sanctificatione. Nam, quod alibi Christus dicitur sanctificatus, alterius est significationis ibi verbum hoc, quam in

hac sit quæstione: vt in Euangelio Iohan. cap. 10. *quem pater sanctificauit*: Et cap. 17. *Ego sanctifico meipsum*: Et ad Hebr. 7. *Filius est in æternum sanctificatus*: seu, potius perfectissimus, & consummatus. Est enim τετελειωμένος Ac do libenter, carnem Christi fuisse sanctificatam à patre: quia vi Sancti Spiritus concepta & nata est, sine peccato, sanctissima. Verùm, cùm in quæstione proponatur, tanquam mediũ, quo aliqua res sanctificatur, ipsum mortis Christi meritum: liquidò apparet, hic accipi sanctificationem, pro purgatione à peccatis. hostia enim illa pro peccatis oblata est, & sanguis Christi effusus est, in remissionem peccatorum nimirum nostrorum: Cùm itaque constet, carnem Christi, nunquam fuisse peccati labe contaminatam: meritò mirabar supponi pro confesso id, quod prorsus impium est: Carnẽ nimirum Christi aliquando opus habuisse: vt sanctificaretur: hoc est, vt à peccato purgaretur: & ex non sancta, fieret sancta ac munda. Cæterum vbi explicationem, quæ statim subiicitur, vidissem: admirationem illam posui. sic enim subdis: *Aduersarij dicunt se de carne Christi concepta non loqui sed de concipienda: quatenus ea fuit ex massa Adami, quæ tota fuit corrupta peccato originali. Fatentur enim eum fuisse à primo puncto conceptionis purissimum ab omni peccati labe: ita vt nihil habuerit pro se offerendum propriè. Sed quatenus carnem sumsit ex carne Adami, quæ tota fuit impura peccato: cùm ex impuro nihil nisi impurum haberi possit, nisi mundetur: Christus autem ipse solus sit, qui tollit peccata mundi: Aiunt, eum habuisse opus suo sanguine, ad mundandam illam carnis portionem: quam accepit ab Adamo: mundandam quidem non in se. quia eam nunquam habuit actu, nisi puram: sed extra se in massa: pro qua se obtulit.* Cùm hoc, inquam, legissem, liberatus quidem fui priori illa admiratione: sed alia subiit non minor animum meum, nempe, quomodo carnem Christi ausi fuerint appellare, quæ nondum erat Christi, nondumque λόγῳ, in vnitatem personæ coniuncta: si ideo appellant, quia futura erat Christi: eadem ratione, erat etiam sanctissima, & sine peccato, idque sua natura: quia concipienda erat illa caro, & nascitura sanctissima: sicut Angelus dixit: *Quod nascetur ex te sanctum*: vbi notandum est, non dixisse *quod nascetur sanctificatum*: quasi antea fuerit immundum, postea purgatum, sed dixisse *quod nascetur sanctum*. Caro igitur Christi, natura sancta est: quia nata & concepta est sancta. Si itaque carnem, quæ nondum erat Christi, ideo carnem Christi vocant quia futura erat Christi, & hoc sensu de ea quæstionem proponunt: ratio disputandi postulat, vt eodem etiam sensu, caro illa, etiam quum nondum esset, reapse vnita τῷ λόγῳ: vocetur tamen sancta: idque sua natura: quia nascitura erat sancta: alioqui aperta fuerit æquiuocatio in ipsa quæstione quod quam vitiosum sit: nemo nescit. Si autem eodem sensu proponatur, quum & de carne sermo est, & de huiusce carnis sanctificatione: luculenter apparet, quæstionem esse ἀσύστατον. Si enim natura, id est, à conceptione & natiuitate, sancta est: quomodo opus habet sanctificatione? Foret igitur simul & sancta, & non sancta. si sancta, non igitur opus habet, vt sanctificetur: ideóque nec sanguine Christi, id est, suo, ad sui sanctificationem. Si non sancta: ergo in Christo caro fuerit, peccato infecta, quod cùm negent; nulla igitur, & ἀσύστατος tota quæstio est.

At nos non consideramus, inquiunt, carnem hanc quatenus sumta fuit à λόγῳ: sed tantum quatenus erat sumenda. sic enim infecta peccato fuit. Verum vt ante dixi: ea caro nondum erat Christi, sed tantum Mariæ, ita damus opus habuisse sanctificatione, eoque sanguine Christi, & mortis eius merito. nunquam enim propriè potuit dici esse caro Christi, nisi posteaquam assumta fuit à Filio Dei. At excipient, licet hæc vera sint, tamen realiter tantum erat Mariæ caro, eam mente contemplamur: quatenus futura erat caro Christi. Cùm autem illa realiter tunc esset peccato infecta, eoq; opus haberet sanctificatione: sanctificatio autem à peccato non fiat, sine sanguine Christi: idcirco quæstio à nobis non stultè proposita est. Sed vis ne apertè videre quæstionis ἀσυστασίαν: Explica mihi quæstionem hoc modo, vt explicandam esse docent aduersarij. Quæritur, *An caro, quæ nondum erat, sed futura erat Christi: immunda fuerit, eoque opus habuerit sanctificatione per futura carnis Christi meritum: idque non quatenus erat Mariæ caro*. (nam de hac re, nulla est controuersia) *sed quatenus futura erat Christi* Quis hîc non videat, carnem hanc, quatenus futura erat caro Christi, minimè opus habuisse ad suam sanctificationem, futuri sanguinis & carnis Christi merito? erat enim nascitura sancta & ea futura per quam omnia alia sanctificarentur, vt nemo nescit: tantum abest vt sui ipsius merito opus habuerit, quo sanctificaretur. An non enim etiam hoc implicat contradictionem: nempe vt eadem planè res, & immunda sit simul, & mundissima: per quam omnia mundentur? Est autem immunda, si opus habet sanctificatione. rursus eadem munda est, & mundans seipsam: si sui sanctitate, & puritate mundatur & ipsa. Quare sic de proposita quæstione concludo: eam esse aut inanem, aut ἀσύστατον: prout eius sensus varius esse potest. Vnus sensus est: *An caro Christi*, id est, quæ futura erat Christi, *non quatenus futura erat Christi, sed quatenus erat caro Mariæ, opus habuerit sanctificatione; eoque futura mortis Christi virtute, ad sui sanctificationem*. Quis hoc ignoret? Hoc igitur frustra quæritur, & vana est quæstio. Alius est: *An caro Christi. hoc est, quæ non solum futura erat Christi, sed etiã quatenus futura erat Christi. seu in Christo venturo, quasi præsente considerata. opus habuerit sanctificatione, & futuræ mortis, effundendi sanguinis Christi, virtute.* Hoc sensu, quis non videat ἀσύστατον esse quæstionem? sicut enim nunquam fuit caro in Christo, egens sanctificationis, quia semper sine peccato: sic neque etiam futura erat in ea talis, ac proinde neque verè considerari ab vllo homine poterat: qualis in eo nunquam futura fuerat, per cuius alioqui carnis meritũ, erat sanctificanda, nisi per sui ipsius? sed vt differat sanctificans a sanctificandis, oportet, vt Apostolus etiam docet ad Hebræos, ἀσύστατος igitur est quæstio. At non consideramus eam in Christo immundam, imò mundissimam, & omnia mundantem, sed tantum dicimus carnem, quam ex virgine sumturus erat ὁ λόγος opus habuisse sanctificatione, ad hoc, vt posset assumi, & vniri τῷ λόγῳ, erat enim peccato infecta: Peccatum autem Christo adhærere non poterat, nec debebat. Cùm verò quæcunque sanctificantur, aut vnquam sanctificata fuerunt à condito mundo: merito carnis Christi tunc morituræ, & fundendi sanguinis, nunc autem mortuæ & fusi: opus habuerint, & nũc habeãt ad sui sanctificationem: concludimus idem, de carne, quã assumturus erat Filius Dei. Dixi de qualitate Quæstionis sententiam meam. Nunc propius ad rem ipsam accedo: atque quid ego sentiam de aduersariorum argumento, quo putant suam euinci, demonstrarique sententiam, paucis aperio. Illorum sententia, in duas resoluitur propositiones. prima hæc est: *Particulam illam massæ Adami quam ex virgine sumturus erat filius Dei, opus habuisse sanctificatione: non simpliciter quatenus erat pars massæ, seu caro, vel semen Mariæ:* (hoc enim non venit in controuersiam) *sed ad hoc, vt posset assumi à Filio Dei: & in ea nostra expiari peccata.* Ratio: quia erat & illa infecta peccato: peccatum autem non debebat nec poterat à λόγῳ vnà cum carne assumi: opus igitur habuit sanctificatione, & purgatione peccati. Totum Argumentum admitto: si pars illa massæ, seu caro, per se consideretur, & quatenus pars erat Mariæ, sed particula illa, *Ad hoc, vt posset sumi à filio Dei*: negari potest: idque bona conscientia. Nam assumi potuit à Filio Dei, substantia carnis illius, absque eiusdem accidente, peccato scilicet. & qualitate mala, citra sanctificationem: si nomine *sanctificationis*, regeneratio & renouatio intelligatur. In carne enim nostra, duo sunt: substantia bona à Deo creata; & qualitas mala, quæ illi accidit: concupiscentia nimirum, quæ peccatum est, potest autem substantia separari à peccato bifariam per regenerationem, quæ fit per Spiritum S. vnde & *sanctificatio* vocatur: & citra regenerationem: quemadmodum contingit corpori, quum quis peccator moritur. Cadauer enim illud absque regeneratione, liberatum est à peccato, vt Apost. docet ad Rom. 6. neque enim ibi vlla amplius inest corruptio, quæ sit peccatum: sed tantùm, quæ pœna est peccati, quam & Christus assumsit, vnde dicitur *missus esse à patre non in carne peccati*, sed, *in similitudine carnis peccati*, id est, in carne, quæ propter corruptionem, peccati tamen expertem, similis erat carni peccati. An non igitur potuit Filius Dei, Deus, substantiam carnis, absque peccati labe, sibi assumere, etiamsi nulla accederet regeneratio seu sanctificatio? Scripturæ certè hoc etiam voluisse illum, innuere videntur, quæ sunt de incarnatione Christi, vt λόγος, *caro factus est*: non ait, *caro peccati*, sed simpliciter *caro*: substantia ergo carnis sumsit, sine carnis peccato: neq; ait, *factus est caro sanctificata*: sed simpliciter, *Caro*, innuere videtur carnem, quam assumsit non fuisse sanctificatam, sine tamen peccato fuisse, à Filio assumtam: eoque fuisse sanctam, imò & sanctificantem: propter vnionem cũ λόγῳ, omnis sanctitatis in creaturis autore. Proinde nec Angelus dixit, vt supra quoque obseruatum fuit, *quod nascetur ex te sanctificatum*, sed, *sanctum*. Eodem modo interpretari possum, quod ait Apostolus, *Deus manifestatus est in carne*: item, *qui est ex semine Dauidis, secundum carnem*. Item ad Heb. *assumsit semen Abrahæ*: non autem *peccatum Abrahæ*.

Docent

Docent hæc omnia, Christum sumsisse substantiam carnis, sine mala carnis qualitate, vitio, peccato. Cum verò nullibi legamus, carnem, quam assumsit, fuisse prius sanctificatam: vna ex parte nonnus manifestè Christum carnem sumsisse; sine peccato: Ex altera verò non cogimur credere eam fuisse à peccato liberatam, per sanctificationem, propriè acceptam. Quare citra vllum crimen, negare possumus, quod isti assumunt: & quidem ingenuè negamus: nempe partem illam massæ, quam assumturus erat Christus, ad hoc vt posset illi in vnitatem personæ vniri, opus habuisse sanctificatione. Adde quod ideo ne transiret peccatum cum carne in personam Filij, voluit ex Sola virgine sine viri semine: sed huius loco, virtute Spiritus sancti, concipi ac nasci. Etsi enim semen virginis, non sine peccato erat: cum peccato tamen, transire in Christum vllum ve hominem, non potuit, nisi ex virili semine, conciperetur. Quæ causa est cur omnes homines in peccato concipiantur: Christus autem nequaquam: Docet hoc Angelus, quum ait ad virginem: *Ideo quod ex illa nasciturum erat, sanctum nasciturum*: quia sine viri cognitione, solo Sp. S. superuentu, & virtutis altissimi obumbratione, conceptum illud erat. Quò pertinet & illud, quod Apost. ad Hebr ait: *ideo Christum sacerdotem esse, non secundum ordinem Aaron*, qui scilicet opus habeat ferre etiam pro peccatis suis, & non tantum pro populi: *sed secundum ordinem Melchisedec*: quia præter alia, sicut sine matre est, nempe in cœlo: sic sine patre est, in terra scilicet: apertè significans, ideo Christum, qua homo est, sine peccato esse conceptum & natum, ex matre, quia sine viri semine, natus & conceptus est. Sed clarius ad Rom. v. 5. vbi ex professo de origine peccati in nos propagati, disserit: per quemnam in mundum introierit: ostensurus inde, per vnum etiam Christum, deriuari in electos iustitiam. *Per vnum hominem*, inquit, *peccatum introiit in mundum*. quis est iste vnus homo? Adamus, vir scilicet, non mulier. In sacris enim literis propagatio non attribuitur mulieri, sed viro. Neque hic opponit Christum Euæ mulieri, sed Adamo viro: ac docet, sicut per vnum hominem Adamum propagatum est malum; sic per vnum Christum deriuari iustitiam. Quemadmodum & ad Corinth. facit: quum duos istos homines, Adamum & Christum simul comparat: ac docet, sicut ex illo deriuata est mors, sic ex isto vitam deriuari. Quò pertinet quod in Genesi etiam, non mulieri, sed viro dicitur: *Quia comedisti, &* cætera, *in sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram*. Quis hic non videat, quod moriamur omnes, hoc adscribi Adamo viro, non mulieri: nam alia peculiari pœna peccatum mulieris punitum fuisse ibidem legimus. Sed quòd mors in omnes homines transierit, luculentissimè viro attribuitur, & in Genes. & ad Corinth. sicut & ad Rom. Ergo etiam peccatum, mortis causa, non per mulierem, sed per virum in posteros propagatur. Coniungit enim vtrunque Apostolus: & per quem peccatum, per eundem etiam mortem introiisse in mundum docet: Peccatum igitur, sine viri semine, non propagatur. Vnde & in huius rei confirmationem non fuit iussa mulier circumcidi; sed masculus, & quidem in eo membro: per quod humani generis fit propagatio. Quid sibi voluit Deus hoc signo? Præter alia etiam declarare voluit immunditiem humani generis, ex viri semine propagari: non autem ex semine mulieris. Atque hanc esse causam, dubitandum non est: cur Christus noluerit ex semine viri concipi: quia scilicet noluit peccatum in suam deriuari carnem, in qua damnandum erat: & cuius sanguine erat expiandum. Summa: locus est apertus ad Rom. non per *mulieris*, sed per *viri semen*, propagari in singulos homines peccatum. Cùm hæc ita se habeant, & Christus conceptus sit sine viri semine; euincitur, peccatum, quo infecta erat caro Mariæ, non potuisse in Christum deriuari: ac proinde vt Christus carnem ex Maria traheret, nulla peccati labe contaminatam, non opus fuisse vt illa caro sanctificaretur; cùm ad illud satis fuerit si sine viri semine conciperetur. Filium igitur Dei, carnis substantiam, sine mala eius qualitate, & contagione, ex virgine suscepisse, sicut & aliis locis S. literarum demonstraui, manifestum est. Quare prior illa aduersariorū propositio, in fumum abit, qua docent: Ad hoc, vt Christus carnem susciperet ex Maria sine peccato, particulam illam massæ opus habuisse sanctificatione. Quasi verò non alia ratione potuerit à Christo sumi sine peccato, nisi prius sanctificaretur. prospectum huic rei fuerat ab æterno; & initio mundi promissum, sine sanctificatione. Statuit enim Deus ne propagari posset peccatum, nisi per semen viri: quia volebat Christum concipi & nasci ex fœmina, sine peccati contagione. idcirco dixit serpenti, *semen mulieris*, nempe solius, *conteret caput tuum*: significans Filium Dei, ideo nasciturum hominem sanctum sine peccato, eòque in sua carne expiaturum peccata nostra, & Diaboli caput contriturum: quia sumturus erat semen duntaxat mulieris, sine viri semine, eoque sine peccato: noui alias huius loci interpretationes: sed & hæc quoque vera est; nec pugnat cum scripturis, aut cum analogia Fidei. Ita ruit etiam quod huic primæ propositioni superstruxerunt: nempe, *Si caro Christi opus habuit sanctificatione, & sanctificatio non fit nisi merito Christi intercedente: carnem igitur Christi, antequam vniretur τῷ λόγῳ opus habuisse meritis carnis Christi, id est, sui ipsius meritis, ad sui sanctificationem*: Hæc est altera illorum propositio, vt supra visum est. Sed cùm luculentissimè ostenderimus, τὸν λόγον potuisse assumere, imò revera assumsisse carnem ex virgine absque labe peccati: idque non quia fuerit caro illa sanctificata, sed quia peccatum illius propagari non potuit in carne, quæ concepta est sine viri semine, per quod solum propagatur peccatum: apertè etiam demonstratum est, falsum esse quod inferunt: *Carnem igitur Christi opus habuisse merito Christi*.

Atque hæc, quam attulimus hucusque, est vera & genuina, meo quidem iudicio, ad totum illorum argumentum responsio. Sed nunc addimus etiamsi si quis det, quod supponunt, carnem Christi, id est, quæ futura erat Christi, opus habuisse vt sanctificaretur, in persona tamen virginis, quo posset citra peccatum assumi a filij Dei persona; non inde tamen sequi quod inferunt, omnino contendimus. An non enim potuit virtute Spirit. S. sanctificari? quis enim facit mundum de immundo conceptum semine, nisi Deus? atque hoc est, quod vos respondetis, nec malè: si concedatis, carnem illam opus habuisse sanctificatione, ad hoc vt vniretur τῷ λόγῳ: ac proinde neque torquetur dictum Angeli: *Spiritus S. superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: eòque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Si enim opus habuit caro illa, sanctificatione, Spiritus S. eam sanctificauit; & ideo nata est sancta. quanquam, vt supra dictum est, verba Angeli aliò spectant aliudque concludunt. At sine Christi sanguine & satisfactione, non tollitur peccatum. *Ecce enim agnus qui tollit peccata*. verum est, sed cuius? suumne? minimè verò: quia nullum habuit vnquam, sed Mundi: id est Electorum omnium, qui à condito orbe ad finem vsque futuri erant & sunt. Si igitur caro illa sanctificata fuit à peccato, sanguine & meritis Christi, non ea fuit sanctificata, quatenus Christi erat, vt isti fingunt: sed quatenus erat Mariæ, & ad personam Mariæ pertinebat. nunquam enim potuit verè dici caro Christi: nisi posteaquam assumta fuit à Christo. Figmentum est, carnem fuisse Christi, sed nondum in Christi persona existentem. Quare merita Christi ad illam carnem non pertinent: quatenus caro Christi verè dici potuit. Sed alterius fuerit, quàm Christi, oportet: si merito Christi, fuit à peccato sanctificata; qui Christus nunquam obtulit hostiam pro se, sed solum pro aliis, id est pro nobis: atque vt alia sit caro sanctificans, & alia caro sanctificata, omnino necessum est: vnde neque ineptè à vobis responsum fuit; cùm adhuc illa caro non esset Christi, neque etiam meritis carnis Christi potuisse sanctificari. quam enim contendunt sanctificatam fuisse, ea nondum erat Christi. Sed neque alia vel erat, vel futura erat caro ipsi Christo, quàm illa ipsa, de qua quæstio est proposita. Si autem nondum caro erat Christi, eòque nec mortua pro peccatis mundi: quomodo seipsum potuit à peccatis purgare? At vis, inquiunt, futuræ mortis Christi, viguit antequam ipsa caro esset, ab origine etiam Mundi; iuxta illud, *Agnus occisus est ab origine Mundi*. Sed paralogismum admittunt, dum ab eo, quod à fidelibus iam inde a condito orbe apprehendebatur futurum: ad id argumentantur, quod realiter existebat in virgine, & quod reali sanctificatione opus habuisse aiunt, retineant æquam & parem collationem, ac tum apparebit, responsum à vobis allatum, non fuisse ineptum. Sic igitur explicandum est vestrum responsum. Sicut fieri non potuit, vt caro illa reapse & actu sanctificaretur, per realem mortem, antequam realiter vniretur cum Christo, nasceretur, & moreretur, sic neque vis huius mortis & efficacitas apprehendi potuit à fidelibus: nisi prius apprehenderetur futura eiusdem carnis in vnitatem personæ τῷ λόγῳ, assumtio atque natiuitas, vsque totius incarnationis. Vt enim naturaliter incarnatio præcedit mortem: sic ordine naturæ, non potest de morte cogitari, nisi cogitatio de incarnatione præcedat.

Vis mortis Christi viguit à condito orbe in ipsis fidelibus: quia futura tanquam præsens mors, apprehendebatur fide: eoque quod nondum erat realiter & actu, illis iam tanquam peractum, à Deo imputabatur. Sed illorum fides non poterat mortem Christi apprehendere; nisi apprehensa prius eius incarnatione. Ita hac ratione & hoc sensu dicemus: sicut ab origine mundi occisus fuit agnus, sic etiam ab origine mundi incarnatum fuisse eundem agnum. Quare apparet, si in pari collatione permaneatur, non male fuisse à vobis responsum. Reapse enim & actu non satis fecit Christus, pro peccatis nostris: nisi posteaquam reuera & actu assumsit carnem, & assumtam pro nobis obtulit. An non igitur verum est, debita nostra non fuisse persoluta: nempe reapse & actu, neque potuisse persolui, ante carnis illius, quam obtulit, vt λύτρον, assumtionem? quam igitur, inquies, efficacitatem habuit in fidelibus ab origine Mundi? quia, vt dictum est, meritum futuræ mortis imputabatur illis, qui eam fide apprehendebant. Sed quomodo mortem & oblationem huiusce carnis poterant apprehendere, nisi prius eiusdem in vnitatem personæ, filij Dei assumtionem & natiuitatem apprehenderent? qua igitur ratione, res sunt vel non sunt, ea etiam dicuntur tales esse vel non esse: operari vel non operari. Sunt autem res, vel realiter & actu subsistentes: vel in animo tantum conceptæ atque apprehensæ. Nisi igitur confundas duplicem hunc modum, quo res dicuntur esse, vel non esse, operari vel non operari verissimum est simpliciter: *Quod nondum est, illud neque esse tale, aut operari.* Si itaque caro quæ in Maria erat, nondum realiter & actu à Christo assumta: neque etiam potuit verè realiter & actu dici caro Christi vel mortua, vel habere merita, aut peccata tollere: & à peccatis purgare. Quare præterquam quod apparet totam quæstionem esse ἀσύστατον, quædam etiam falsa supponunt, & ἀσυλλογιστῶς concludunt. Reliqua quæ subdis? omnino mihi videntur superuacanea, & nihil ad rem facere. Qua potui breuitate simul & perspicuitate, variis occupationibus tantum non obrutus, respondi tamen ad propositam quæstionem. Ac quid mihi de rationibus aduersariorum, vestrisque responsionibus videretur, candide & libere explicaui. Rogo Deum compescat mentes nostras suo spiritu, ne semel liberatæ ex tenebris Ægypti, denuo neglecta simplicitate Doctrinę, quam ipse per suos Apostolos & Prophetas reuelauit, curiosis, spinosis & inutilibus quæstionibus implicentur: quę non ad ædificationem, sed euersionem Ecclesiarum sine vllo controuersia spectant, atque à Diabolo excitantur. Vale frater carissime in Domino. Heidelbergæ ex Musæo meo, 4. Iulij 1576.

T.H. ZANCHIVS.

H. *Zanchij* ad Henricum Saleburgium de propositione, *Panis est corpus Christi verum, naturale & essentiale*, nomine totius facultatis Theologicæ, RESPONSIO.

SCriptum tuum M. Henrice, vti à nobis petiuisti, legimus, atque expendimus. Expensis autem tuis & Antagonistæ tui & verbis & rationibus, iudicauimus controuersiam inter vos esse, non de sensu seu genuina verborum Christi sententia, (siquidem vna eademque est vtriusque, si quod dicit ac scribit vterque, verè & serio sentit, vti nos iudicare par est, & Christiana iubet charitas) sed quæstio tota versatur in genere dicendi, & ratione exponendæ sententiæ. Quæritur autem præcipuè ac nominatim de oratione ista: *Panis Dominicæ Cœnæ est verum & substantiale corpus Christi.* Quæstio verò de hac propositione duplex, nostro iudicio esse potest: nempe, *Num ea in disceptatione defendi possit*: aut, *Num iam in Ecclesia vsurpare expediat.* Ad priorem quod attinet, non dubitamus, quin defendi queat: adhibita commoda interpretatione, quæ ambiguitatem ipsius tollat, duriciemque, vt ita loquamur, molliat ac mitiget: quales sunt aliquot, quas in Antagonistæ tui responsis, legimus. Quod vero attinet ad posteriorem quæstionem: omnino existimamus, minimè expedire illam propositionem simpliciter vsurpare in docendo aut scribendo, vt qui iudicemus, cum semper tum hodie, & cum in omnibus Christianæ doctrinæ capitibus Ecclesiæ tradendis, tum in Cœnæ mysterio tractando, vtendum esse sermone, quoad eius fieri potest, perspicuo, miniméque ambiguo: hoc est, qui tum ambiguitatem, tum obscuritatem, tum denique occasionem erroris, omnem amputet & adimat. Quo consilio eam tuus vsurpet Antagonista, atque etiam vrgeat, nescimus: neque nostrum est iudicare. Quid *Lutherus*, & quid *Philippus*, ista de re senserint, satis ex ipsorum scriptis cognosci potest: vt frustra sub istorum nominibus & vmbra quærantur latebræ. Neque verò dubitamus, quin hæc controuersia sopiri sepelirique facilè possit, si à parte vtraque nihil quam veritas, gloria Christi, atque ædificatio Ecclesiæ spectetur & quæratur. Actum Heidelbergæ, 9. Septembr. Anno 1576.

BOQVINVS,
IMMANVEL,
ZANCHIVS.

H. ZANCHIVS AD EVNDEM, *de eadem propositione.*

SAD tuum primum responsum M. Henrice charissime, satis dentatum, nos edentuli respondemus, vt pietas Christiana, nostraque ætas postulant, sine dentibus. Non exspectabis igitur à nobis, vt ad ea, quæ sicut tua scriptione indigna fuerunt, sic etiam nostra responsione indignissima sunt, respondeamus. Nam Dei beneficio didicimus, longa experientia docti, multa esse dissimulanda, æquoque animo perferenda. Tantum ergo quæ ad rem faciunt, percurremus, breuiterque perstringemus: idque partim, vt innocentiam nostram tueamur, partim vt tibi gratificemur, atque si fieri possit, satisfaciamus. Tu nos accusas, quod non ad propositam abs te quæstionem, sed eam, ad quam opus non fuerat, responderimus. Nos verò tum ex his, quæ antea cum nostrum duobus, coram egeras: tum ex lectis tuis, & Antagonistæ tui scriptis: tum denique ex ipsa priori tua ad nos missa epistola, qua de controuersa inter te & tuum aduersarium quæstione, nostrum petebas iudicium, persuasi omnino fuimus, hanc fuisse summam, hoc est, præcipuam partem, in qua cardo quæstionis vertebatur, petitionis tuæ: nimirum, vt liberè scripto responderemus, quidnam de hac propositione sentiremus: *Panis Cœnæ Dominicæ, est corpus CHRISTI verum, naturale & essentiale.* Sic enim scribis à te quoque fuisse quæsitum Bremæ. Nec dubitamus, quin status quæstionis vestræ fuerit, *An talis locutio defendi possit, nec ne possit.* Nam eò spectare videntur omnes aduersarij tui rationes, & interpretationes, vt eam defendi posse locutionem, demonstret? te contrariam tuente sententiam. Nos itaque persuasi, rem sic se habere, candidè, liberè, sine sophistica, sineque omni dissimulatione, sicut sensimus, sic etiam tibi de ista quæstione respondimus, in qua responsione nullam, vt tu obiicis, videre possumus ἀσυστασίαν. quid enim pugnantiæ habet, quòd alicui in re & sententia consentiant, in ea autem explicanda, diuersis vtantur verbis ac phrasibus? quasi verò non idem in ipsis etiam Propheticis & Apostolicis libris perspicere, nonnunquam liceat. Alia certè forma verborum de Cœna est apud Matth. & Marc. quam apud Lucam, & Apostolum: præsertim in decimo prioris ad Corinth. quis tamen dubitat, quin eadem fuerit omnium sententia? Neque ratio, quam subiicis, facit ad rem: nempe, *Quodcunque enim à genuina verborum Christi sententia discrepat, id ipsum à ratione recta expositionis eorundem, non poterit non esse alienum.* Ista, inquam, ratio, nihil facit ad rem. Si enim ei assumas: videbis assumtum, à te ipso mox negari: qui ais, te inter & antagonistam tuum, de natiua verborum Christi sententia, nullam esse controuersiam. Manet igitur controuersia in ratione exponendæ sententiæ: quia ille hac dicendi forma nunc vtitur: *Panis est corpus Christi verum, naturale, essentiale, Sacramentaliter.* Tu verò, *Panis est Sacramentum corporis Christi*: vel, *Panis significat corpus Christi.* Quare responsio nostra, controuersiam inter vos, nobis videri non esse de genuina verborum Christi sententia, sed tantum versari in genere dicendi, & ratione exponendæ sententiæ; nullam implicat contradictionem, nullamve habet absurditatem. Improbas etiam nostram sectionem. nos enim secuisse falsam propositionem in partes; deque his tulisse sententiam, quæ nec calidum, nec frigidum spiret. Sed primum assumis pro confesso, quod controuertitur de illa propositione. Deinde falleris in eo, quod de nostra scribis sectione. Non secuimus propositionem in partes; sed de ea duplicem fieri posse quæstionem diximus; idque fecimus

non

non alia de caussa, quàm vt clarius explicaremus, quid improbandum omnino & quid posse defendi videatur. Hoc verò Sophistarum non est: sed dialecticorum, rectéque docentium officium. Quod autem subiecisti de calido & frigido, quia aculeus est, id totum condonamus. nos ingenuè quod sensimus, scripsimus. Si, quia neque aduersarium simpliciter damnauimus, neque tibi simpliciter assentimur, hoc vocas nec calidum, nec frigidum: per nos tibi licet. neutrum certè possumus, aut potuimus bona conscientia facere. Optaremus verò & tuum nimium feruorem, à Spiritu Sancto, frigida aspergi: & illius (si ita se res habet, vt scribis) in bona caussa teporem; cœlesti igne denuo accendi. Cæterum quod scribis, propositionem illam, qua de quæstio est, fuisse à nostris alias sine exceptionibus explosam, istud non pugnat cum eo; quod nos iam ad te rescripsimus: eam nimirum posse defendi, si commoda adhibeatur interpretatio. Vrgebatur alias simpliciter, & cum falsa etiam interpretatione. Merito igitur fuit, vt proponebatur, sic etiam reiecta. Et quis pius, prout etiam nunc ab omnibus aduersariis nostris proponitur, & intelligitur, non eam simpliciter damnet atque reiiciat? Sed si Lutherus piæ memoriæ, vir alioqui magnus, & summa reuerentia dignus, ita explicasset, vt tuus facit Antagonista, ne Philippus quidem ipse (sic enim persuasum habemus propter insignem eius pietatem atque modestiam) pacis seruandæ caussa, contradixisset. Vtra propositio peius sonat, sanè quam in Augustana habemus confessione à Philippo concepta: an qua de controuersia est? In illam tamen & verbis, & exemplis, docuerunt magni viri, & Martyr & Caluinus, consentiendum esse, modo dextra adhibeatur interpretatio, cum sacris literis consentanea. Quid igitur peccati admisimus nos quia diximus illam alteram posse defendi, si commodam adhibeas interpretationem, qualis est tui aduersarij? Nec plura pro defensione nostræ sinceritatis in responsione ad eam, quam putauimus nobis à te proponi, quæstionem, addere voluimus. Hoc tantùm scito frater, nos quoque multa passos esse, & fortè plura & grauiora, quàm tu, pro confessione defensioneque veræ cœlestisque doctrinæ: paratos etiam nunc, atque promtos, Dei beneficio, ad maiora mala, ad mortem vsque sustinenda. Nunc quoniam significas aliam fuisse quæstionem tuam, quàm nos putauerimus: age videamus, quænam illa sit: ac de ea, quæ nostra sit sententia, liberè iisdem dicamus: sed sine præiudicio alterius partis: neque enim delecti sumus iudices: sed priuatim tibi, quia petis, respondemus.

Constat controuersiam fuisse excitatam de hac propositione: *Panis est corpus Christi, verum, naturale, & essentiale, sed non essentialiter.* Verum quotuplex nam quæstio est? Nobis nunc lectis aliis tuis ad nos missis scriptis, videtur triplex esse; quanquam tu omnes in vnam confundis. Prima ac principalis inter te & Antagonistam tuum fuit, *An vera sit, vel falsa: seu, an defendi possit, nec ne.* Eo enim adducit ille omnes suas rationes, vt veram esse ostendat: tu contra negas contendisque esse falsam & intolerabilem. Nam præterquam quod non semel eam ita appellas; eò etiam spectare videntur tuæ rationes, quarum summa, nostro iudicio, hæc est: *Propositionem illam esse falsam, quia hoc modo duæ distinctæ propositiones, figurata & propria, in vnam contrahuntur figuratam: atque ita cōtrahuntur, vt prædicatio propria cum figurata, & prædicatio signi cum prædicatione rei signatæ, confundantur:* contra mentem Christi, qui disertè duas fecit propositiones, vnam figuratam, dicendo, *Hoc* (id est, *Panis*) *est corpus meum*: alteram propriam, dicendo, *Quod* (corpus) *pro vobis traditur.* In cuius rei confirmationem, adducis Musculum, qui id apertè scribit? Ex ista igitur tua ratiocinatione duplex alia surgit quæstio: Vna, *An in verbis Christi duæ sint propositiones, an verò vna tantum.* Nam aduersarius fortè negabit duas esse. Altera quæstio est, *Si duæ sint Christi propositiones, An liceat eas in vnam contrahere: & prædicationem propriam confundere cum figurata.* Ita ex tuo scripto, quantum colligere potuimus, non vna, sed triplex instituitur quæstio.

Ad primam quod attinet, de veritate vel falsitate propositionis controuersæ: responsum à nobis fuit, priori Epistola: nobis illam non videri simpliciter falsam. Sed posse defendi, si dextera adhibeatur interpretatio, qualem adhibet Antagonista tuus. Vt igitur nunc ad alias quoque breuiter, distinctè atque apertè respondeamus: dialecticè simul, & Theologicè agemus tecum. Dialecticè loquendo in verbis Christi, prout Græce habentur apud Euangelistas & Apostolum, vnam tantum agnoscimus propositionem. Constat enim vno subiecto, τὸ τοῦτο, vna, vt vocant copula, ἐστὶ, vno prædicato, non eo quidem simplici, sed composito, nimirum, τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον vel κλώμενον. Ad propositionem autem vnam constituendam, nihil refert si vel subiectum, vel prædicatum sit compositum, aut simplex. Inde quidem fit, vt propositio fiat vel simplex vel composita: sed non, vt sit multiplex, nisi resoluatur. Quæ porro adduntur simplici vel subiecto, vel prædicato, nihil aliud sunt quam subiecti, aut prædicati explicationes. Si dicas, Christus verus ille homo, simul & Deus, est seruator mundi: subiectum habes compositum: vnum tamen duntaxat subiectum. Ita contra, si dixeris, *Christus est mundi Seruator, verus, æternus, per sese efficax:* vnum habueris prædicatum, non plura: sed illud compositum. Quæ verò nomini *Seruatoris* adduntur, ea ad explicationem simplicis prædicati *Seruator* pertinent. Sicut etiam in altera propositione, quæ cum nomine Christi coniunguntur, ea declarant, quisnam ille Christus sit, quo de prædicatur nomen *Seruatoris mundi.* In sacris literis, sic Deus se Mosi & Prophetis describebat: *Ego sum Iehoua, Deus fortis, misericors, iustus, clemens* quis ideo dicat multas esse propositiones: quia prædicato *Iehoua*, multa epitheta sunt addita? Eo vero spectabant ista, vt qualis esset ille Iehoua, qui de loquente cum Mose & Prophetis prædicabatur, melius intelligeretur. Ad testimonium Musculi, quod attinet: nihil illud pugnat cum hac sententia. Ille enim versionem Latinam considerauit: quæ, quod Græce vna propositione dicitur, illud duabus explicat. Eandem autem vim habet, vnica in Græco contextu propositio: quam & eiusdem in duplicem resolutio apud Latinos In vtraque enim explicatur prædicatum corporis, quod de pane prædicatur; non autem docetur, quo modo panis sit corpus Christi, aut quale. In Psal 24. simile admodum accommodatum habemus. De Arca prędicatur nomen *Regis gloriæ.* Mox vero subiicitur explicatio prædicati, quis est, inquit, iste *Rex gloriæ? Iehoua fortis, potens,* & quę sequuntur: *Ipse est rex gloriæ.* Duę sunt propositiones, propter repetitum verbum, EST; quarum vna Sacramentalis, ac figurata est; altera, propria. Sed si vna continuataque oratione, sic dixisset, *Arca, quæ introibit, est Rex gloriæ, Iehoua fortis, & potens:* annon fuisset vna duntaxat propositio? neque tamen adiecta illa Epitheta, ad subiectum *Arca* referri possent propriè: sed tantum ad prædicati explicationem pertinent. Dialecticè itaque, sicut didicimus ex Aristotele, loquendo: concludi nequaquam potest, in oratione Christi Græca, duplicem manifestè esse propositionem: sed vnam tantum agnoscimus, verùm coniunctam. neque enim habet, τὸ δίδοται, sed τὸ διδόμενον Atque hæc de altera quæstione satis. Sed sunto duæ: quæritur tertio loco, an liceat eas in vnam contrahere, & propria confundere cum figurata. Diuersa etiam sunt duo hæc membra. Dialectica non prohibet, quin si licet ex vna composita, duas facere simplices, sic contrà è duabus simplicibus, vnam componere, cum nihil in sensu verborum, sententiave mutatur quemadmodum in propositionibus, quarum prædicata propriè & sine tropo de subiectis prædicantur, manifestum cuique est. Vt, Christus est filius ille Dei, qui ab æterno erat apud Patrem, & vnus cum Patre Deus: perinde est, atque si vna propositione dicas, Christus est filius ille Dei, apud Patrem ab æterno existens, vnusque cum Patre Deus. In partim figuratis, & partim propriis; vt, Arca est Rex gloriæ qui est Iehoua, Deus fortis, Deus potens in pręlio hæ duæ eundem habent sensum, atque hæc vna, Arca est rex gloriæ, Iehoua ille, Deus fortis, Deus potens in pręlio. Ita vbi sensus non mutatur, nec sententia, absurdum non est, ex duabus vnam facere propositionem, vt dictum est, sicut etiam nemo non scit licere, ex vna composita, duas efficere simplices. Quare sicut Latinis licuit, vnam Græcam in Cœna Domini, in duas resoluere: Sic nihil peccat ille, qui duas istas, *Panis est corpus Christi; quod pro vobis traditum est,* in vnam conflat, *Panis est corpus Christi pro nobis traditum;* cum sic etiam apud Lucam locutus sit Christus; & eadem maneat sententia, quis.n. nesciat, illud traditum, seu διδόμενον, non ad panem, sed ad corpus referri.

Vt verò, quod figuratè dicitur, propriè accipiatur, seu vt tu loqueris) quod de re signata dicitur, illud de signo propriè prædicetur; nihil absurdius, iniquius, perniciosius. Sed negabit quis, nec id quidem immeritò, in hac propositione, *Panis est corpus Christi* τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, illud adiectum de pane, vllo modo vel propriè vel figuratè prædicari, cum nihil aliud sit quam prædicati explicatio; quodnã videlicet, & quale corpus Christi de pane prædicetur, corpus nimirũ naturale, substantiale quod re vera pro nobis traditũ est in mortẽ. quãto verò minus reprehẽdi poterit, qui adhibet etiã

terpretationem, qua omnis absurditas, omnisque ambiguitas tollatur? vt faciunt illi, qui sic loquuntur, *Panis est corpus Christi pro nobis traditum, eoque verum & naturale, sed Sacramentaliter.* Hac enim particula *Sacramentaliter*, quæ sine controuersia modum prædicationis indicat, docent, quonam sensu, verum illud Christi corpus, quod pro nobis traditum est, de pane prædicetur: nimirum non proprio, sed Sacramentali. Quare vt ille non errat, qui ait, *Panis est sacramentum corporis Christi, veri, naturalis, essentialis, pro nobis traditi:* sic neque qui dicit, *Panis est corpus Christi verum, naturale, substantiale, pro nobis traditum, Sacramentaliter.* Nam hæ tres propositiones æquipollentes sunt, vt vocant, eundémque planè sensum habent: *Panis est Sacramentum corporis Christi: Panis est corpus Christi, Sacramentaliter:* &, *Panis corpus est Christi Sacramentale.* vt igitur licet dicere, *Panis est Sacramentum corporis Christi, veri & naturalis:* cur non etiam, *Panis est corpus Christi verum, & naturale, Sacramentaliter?* An non etiam bene dicitur, *Panis est corpus Christi sed non corporaliter?* Cur non etiam, *Panis est substantiale corpus Christi, sed non substantialiter?* Nos in summa non possumus videre eam, quam tu, in propositione controuersa absurditatem, falsitatem, impietatem, neque etiam quomodo cum vera Dialectica pugnet.

Sed propiùs accedamus, videamúsque Theologicè. An illi contra mentem Christi egerint, qui, vt calumniam à se depellerent, quasi statuerint in Cœna, nihil edi, nisi panem: sed docerent, verum etiam Christi corpus à nobis edi, spiritu tamen fide prædito, vsurparunt hanc, quam tu simpliciter, & in omnibus, & vbique improbas, locutionem. Non potest autem id melius cognosci: quàm si examinetur caussa, cur Christus de sententia Lucæ & Pauli, non contentus dixisse, *Hoc (nempe, Panis) est corpus meum:* adiecerit, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, vel κλώμενον. Ea triplex fuit. Vna, vt quodnam suum corpus daret edendum, verumne ac naturale, an verò mysticum, vel sacramentale tantum, significaret. Hæc enim tria legimus in sacris literis Christi corpora. Verum ac naturale, quoad substantiam personæ ipsius pertinet: mysticum; quod est Ecclesia: Et sacramentale, quod est panis. Solum naturale, traditum est pro nobis. Mysticum est id, pro quo illud traditum est. Sacramentale, quo, seu per quod, illud quod traditum est pro nobis, nobis etiam edendum in Cœna proponitur. Christus igitur, vt significaret, se, quum dando panem dixit, EDITE: non panem solum ori corporis, sed suum etiam verum corpus ori spiritus, edendum dare: non fuit contentus dicere, *Hoc est corpus meum* (id est, sacramentum corporis mei:) sed adiecit aliorum suorum, de quibus diximus, corporum differentiæ caussa, *Quod pro vobis traditur.* atque ita etiam de calice, seu vino. Non enim aut panis, pro nobis tradebatur, aut Ecclesia: vel vinum fundebatur, in remissionem peccatorum nostrorum, sed verum eius ac naturale corpus, illud erat corpus: tum cuius sacramentum erat panis, tum quod vna cum fracto pane tanquam fractum, edi volebat, quanquam diuersa istud, & hunc, ratione. Hanc primam fuisse caussam, cur nomini corporis, adiecerit, quod pro vobis traditur, vt scilicet significaret, cuiusnam corporis volebat & panem esse sacramentum: & nos panem carnaliter edendo, spiritualiter participes fieri. κοινωνίαν que habere nemo nostrum dubitat: propter autoritatem Apostoli cum primis, prioris ad Corinth. decimo. Altera caussa fuit, vt simul etiam doceret; Qualisnam corporis, panem volebat esse sacramentum: eóque quale etiam à nobis edi: nempe corpus quidem suum, naturale, & essentiale, verùm non simpliciter, vt tale, & vt viuum, sed vt pro nobis traditum & mortuum, nec verum suum sanguinem, vt in venis erat, bibi, sed vt effusum pro nobis in remissionem peccatorum. Nam hac in re præcipuè, mysterium Cœnæ consistit: sicut etiam Apostolus, tum in vndecimo prioris ad Corinth. docet. Proinde non dixit Christus vt poterat dicere, *Hoc est corpus meum naturale, substantiale, verum:*) id quod si tamen dixisset, verum dixisset: *Sacramentaliter*, vt loquebatur, loquendo: quia sacramentum instituebat sui veri & substantialis corporis) sed illis particulis missis, vnam adiecit, quæ sola, & totum id continet, quod illæ omnes simul: & aliquid etiam amplius significat, in quo mysterium Cœnæ consistebat: nempe, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον: Significare enim voluit, non tam quodnam corpus suum daret edendum, nimirum illud suum verum ac naturale: quam quale, nempe, quatenus in mortem pro nobis, & tunc iam certò tradendum erat, & nunc traditum est. Vt enim paschalis non edebatur agnus, nisi mortuus & immolatus: sic neque Christi corpus. Hinc tertia caussa colligitur additæ illius particulæ, nimirum, vt simul etiam doceret, quomodo illud à nobis edi possit & debeat, animo videlicet, passionem & mortem eius commemorante: & per fidem, oblatum illud corpus in sacrificium pro nobis, sanguinémque in remissionem peccatorũ nostrorum effusum, acceptante: &, vt nostrum, nobis applicante. Tam certò enim spiritualiter dat suum nobis fidelibus corpus, sanguinémque Christus, quam corporaliter panem & vinum, eóque tam nostra sunt illa, quàm ista. Vnde licèt panis non sit traditus pro nobis, sed tantùm nobis edendus detur: corpus tamen ipsum, non solum pro nobis datum est, sed etiam nobis edendum datur. Sola verò mente, per fidem percipi: docet particula addita corpori, *quod pro vobis datur.* Nam neque Apostoli corpus illud, quod nondum erat traditum, aut sanguinem, qui nondum re ipsa erat effusus: alia ratione, vt traditum, edere, & vt effusum bibere potuerunt: nisi animo, quod erat paulo post futurum, per fidem apprehendente. Neque itidem nos percipere vnum, tanquam exangue & mortuum, & alterum bibere, tanquam e venis effusum possumus: nisi eadem qua & Apostoli ederunt, & biberunt, ratione: mente scilicet ac Spiritu, per fidelem mortis eius, effusique pro nobis sanguinis recordationem. Si enim edendum nobis proponitur corpus Christi, non simpliciter, sed quatenus traditum & mortuum pro nobis, vti etiam agnus paschalis edebatur, corpus autem Christi iam viuum est, & non moritur amplius: certè ore corporis, nec edi corpus, nec sanguis bibi a nobis potest, sed tantum Spiritu, per fidem, oblatum semel corpus recolente, & acceptante. Imò addimus particulam hanc additam fuisse, vt etiam significetur, à solis electis fidelibus edi. Illis enim solis reuera edendum datur, pro quibus etiam solis traditum est. Triplex hæc siue etiam quadruplex caussa, additæ particulæ τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, aut ἐκχυνόμενον, vt certa est, sic etiam diligenter est retinenda. hæc enim fuit mens Christi, in verbis Cœnæ. Nunc interrogamus, An qui vt vnam, nempe, priorem caussam clarius exprimat, idque contra aduersarios calumniatores, verbis Christi integris, inque sua natiua significatione permanentibus: addit adiectiua, *verum ac naturale*, seu *substantiale:* additis præsertim etiam particulis, non *essentialiter*, sed *Sacramentaliter:* is contra mentem Christi facere dicendus sit? Tu affirmas. nobis non videtur. Ille enim contra mentem Christi facere dici non debet: qui si quid addit, neque in alium finem addit, quàm vt clarius, quod Christus voluit, exprimat: neque sensum verborum Christi mutat. Deinde si tibi illi non videntur facere contra mentem Christi, qui vt aliam finalem caussam, lucidiorem reddant, panem scilicet non esse propriè ipsum verum Christi corpus, sed sacramentaliter tantùm, verbum, *est*, conuertunt in *significat:* quantò minus illi, qui verbis Christi integris & in sua natiua significatione retentis, tantùm addunt, *Verum & substantiale*, non tamen *substantialiter*, facere dicendi sunt? Nobis quidem multò magis probantur, qui nihil immutant, nihilve addunt: quòd satis omnes illæ caussæ finales exprimantur, illa vna particula, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον: vt superuacaneum omnino sit, addere, *Verum, substantiale, naturale.* quis enim nesciat, quod pro nobis traditum est, illud esse corpus Christi verum, substantiale, naturale? Proinde optaremus, omnes loqui, vt Christus loquutus est, displicéntque illæ particulæ, reuera inutiles, imò perniciosæ, nisi bene & clarè explicentur etiam ipsæ, propter graues caussas tibi notas, quas nunc repetere, non est necesse. Sed quæstio hac de re non est, vtrum expediat illis particulis vti. Est autem, an liceat vti: faciatve contra mentem Christi, qui vtitur, nec ne faciat. Nos diximus liberè sententiam nostram, quam & veram esse iudicamus, & facere ad piam concordiam, cum fratribus non malè sentientibus. Sed clarius etiam tibi demonstrabimus, eos contra mentem Christi non loqui, qui illa vtuntur locutione, de qua quæstio est. An non mens Christi fuit, vt panis propriè acceptus, hoc est id quod verè panis est, figuratè suum esset corpus? hoc est, vt aut *significaret* (vt Zvvinglius interpretatus est) *corpus suum:* aut (vt Oecolampadius) *Sacramentum esset corporis sui:* aut (vt alij) *corpus suum esset Sacramentaliter?* Omnes enim tandem, in idem recidunt. Si primam admittis: quodnam corpus Christi significat panis? An non corpus eius verum, substantiale, traditum pro nobis? Insanus enim, infans fueris, si dixeris, panem significare sacramentum corporis Christi: aut quidpiam aliud, quàm verum & essentiale illud Christi corpus: quod non solum pro nobis traditum est, verùm etiam quod nobis edendum datur. Si alteram: cuiusnam corporis Christi, panis est sacramentum? annon veri & essentialis? Si tertiam: quodnam Christi corpus fuerit

Sacra-

Sacramentaliter, ille panis? an non illud, quod pro nobis traditum est, eóque verum & essentiale Christi corpus? Ergo contra mentem Christi non loquitur, qui ait, panem esse verum & essentiale Christi corpus, Sacramentaliter. At Christus (inquies) voluit, illud tantùm esse figuratum, nempe hoc (id est, panis) est corpus meum: quod verò sequitur, propriè de corpore dici. Sed neque ij, de quibus loquimur, aliter faciunt. Quò enim referunt illa adiectiua, *essentiale, verum, naturale*, nisi ad ipsorum substantiuum, corpus? At ex omnibus faciunt vnum prædicatum, quod de pane prædicetur figuratè. Verum; quid tum? Ergo efficiunt, vt quæ de corpore propriè dicuntur, ea de pane figuratè prædicentur. Non hoc inde efficitur: ratio est: quia quæ adduntur nomini corporis, quod propriè est prædicatum in illa propositione, non adiiciuntur, vt prædicentur de subiecto pane, sed vt explicetur prædicatum, *corpus*. Ac proinde non sunt propriè, partes prædicati, vt prædicatum est, sed illius explicationes. Ex accidenti autem fit, vt ex vero prædicato, nempe ex corporis nomine, & ex additis particulis, prædicatum explicantibus: vnum dicatur esse compositum prædicatum, cùm reuera non ad componendum prædicatum, sed ad explicandum adhibeantur. Non parum verò miramur, quod ita te offendat particula hæc, *Substantiale*, addita tamen explicatione: *Non substantialiter, sed sacramentaliter*. Et non offendaris particula, *substantialiter*, quam vbique addit Philippus: cùm ait, *Christum adesse in Cœna substantialiter*: idque sine vlla explicatione, quia omnis tollatur ambiguitas, præsertim cùm vox *substantiale*, explicatio tantùm sit prædicati: vox autem *substantialiter*, ad verbum, *Adest*, referatur: doceatque quonam modo Christus adsit: nempe secundum suam substantiam. neque est, vt excipias, tene.a Christum adesse secundum substantiam suæ deitatis. Nam ad substantiam personæ Christi, pertinet etiam humanitas. Sed quia dextrè & secundum analogiam fidei interpretamur verba illa Philippi: ideo simpliciter particulam illam non improbamus. Cur non idem facimus, cùm alius ait, *Panem esse corpus Christi substantiale*: adiecta explicatione, nimirum non quòd panis sit propriè & substantialiter corpus Christi, sed quod sit sacramẽtum corporis Christi, non fictitij, non mathematici, non vbiquitarij, sed veri ac substantialis, è Virgine assumti, & pro nobis traditi? Ne sinamus nos ab affectibus, in transuersum duci, vt verborum vnius simus æqui, alterius verò iniqui interpretes.

Explicata nostra sententia, illáque dilucidè atque liberè de propositis quæstionibus: non grauabimur etiam quædã in tuis scriptis percurrere: & ad tuas rationes respõdere, ne de nostra voluntate conqueri possis. Sed si prius indicauerimus fontem, vnde profluxit tota tua illius controuersæ propositionis oppugnatio. Ea est, quia quæ à tuo aduersario adduntur prædicato simplici, in propositione, *Panis est corpus Christi*, putas addi, vt prædicentur de pane, non quidem propriè, vt fortè nonnulli volunt, sed figuratè: ita vt sicut figuratè dicitur, *Panis est corpus Christi*: sic figuratè de eodem pane dicatur, quòd *sit traditum pro nobis: quodque sit essentiale corpus Christi*. Hinc tuæ illæ querelæ, quod noua figurata prædicatio introducatur: quod propria prædicatio cũ figurata cõfundatur: quòd quæ apud Lucã & Paulũ recitantur in Cœna, omnia ad vnicã prædicationẽ figuratã, sine sacramentalẽ referantur: quod denique prædicatũ rei figuratæ, confundatur cum prædicato signi: quæ vt iniquè fieri demonstres, multas adfers rationes. Sed nostro iudicio, Saleburgi, erras, & iniuriam facis aduersario tuo: qui si bene meminerimus, non alio spectare illas dictiones, *substantiale, verum, naturale*, significat, quàm vt declaretur, qualenam corpus Christi, de pane prædicetur: seu cuiusnam corporis Christi, sit sacramentum, nimirum, non imaginatij & falsi, sed veri & naturalis, ac substantialis corporis.

Si autem ita se res habet, inanis est omnis tuus labor, omnes conatus, omnes peregrinationes, omnes rationes, oppugnas enim, quod ipse dicet, se non defendere, alioqui etiam Christum conuiceris, de confusa prædicatione propria cum figurata: quia in contextu ait, *Panem esse corpus suum* (quod certè figuratè dici, etiam antagonista tuus fatetur;) & simul etiam, esse διδόμενον pro nobis, corpus scilicet illud, quod de pane prædicatur. Proinde siue vnam verborum Christi propositionem facias, siue duas, illud constat, licet, quæcunque adduntur voci, corporis, vnum constituant, ad orationem quod attinet, prædicatum, vt vocãt, compositum, seu complexum: propriè tamen loquendo, ea non prædicari de pane, sed de corpore: prædicatiq; huius esse explicationes: siue vna propositione, vnoque contextu coniunctim legantur, siue per relatiuum, *Quod*, in plures resoluantur propositiones. Ac certè non videmus, cùm resoluas propositionem vnam Christi, τοῦτο ἐστὶ τὸ σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, in duas, dicendo, τοῦτο ἐστὶ τὸ σῶμά μου· ὃ ὑπὲρ ὑμῶν δίδοται: cur non etiam possis, & debeas aduersarij propositionem vnam, itidem in duas resoluere, hoc modo, *Panis est corpus illud Christi*: quod verum, naturale ac substantiale est eius corpus: quia pro nobis traditum est. Si sic ille loquatur, poteris̃ne vt falsam locutionem improbare? non credimus. Apparet autem ex eius scriptis, & ex eo, quod refers; eum non aliter intellexisse, cùm neget panem, corpus Christi substantialiter, verè, realiter.

Quod igitur pro prima ratione, adfers duos Euangelistas, Matthæum & Marcum, de pane retinere tantùm prædicationem sacramentalem, quæ mutila non est: nihil ad rem facit. Nam re vera de pane nil prædicatur, nisi corpus Christi. Sed quod additur à Luca & Paulo, ad explicationem prædicati pertinet: siue cum relatiuo, *Quod*: siue citra relatiuum, vna continuata propositione, proferatur. Idem de additis particulis, *essentiale*, & *Naturale*, dicendum est.

Hac eadem responsione diluitur altera tua ratio, ex versione Latina, deducta: quanquam re vera aliud est, ὅ, *quod*: aliud, τό, *illud*. Est autem Græce, τό.

Tertia ratio itidem nulla est. Nam neque additæ particulæ, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, *substantiale, verum, naturale*: ad prædicationem sacramentalem referuntur ab aduersario tuo, sed ad explicandum, quodnam propriè sit illud corpus, quod de pane Sacramentaliter prædicatur. Ad quartam idẽ respondetur, non credimus, tam impium, aut imperitum esse aduersarium tuum, vt dicere velit, *panem esse pro nobis traditum*: aut aliquid eorum esse, quæ ad explicationẽ corporis, de pane Sacramentaliter prædicati, adhibentur. quis dicat, *Panis est substantia Christi* (sed *sacramentaliter* quod ad Christi substantiam pertinet: seu *corpus substantiale*, vt tuus loquitur aduersarius.

Ad quintam respondebit itidem alter: Neque ego quidpiam attribuo signis, præter nomina rerum signatarum: quoniam nomen, *substantiale, verum naturale*: non ad panem refero, sicut nec Christus, τὸ διδόμενον, sed tantùm ad corpus Christi, quod de pane prædicatur. Quæ scribit Musculus, iuxta Latinam versionem: nihil itidem concludunt aduersus ea, quæ diximus. docet enim, quod & nos, imò quod & tuus aduersarius: nimirum, quæ adduntur nomini corporis, siue vna propositione comprehensa, siue in duas resoluta: ea non ad panem, sed ad corpus referri.

Quæ habes in septima ratione, ea non oppugnamus. Nos enim ante diximus, non expedire, his vti locutionibus, nisi fortè à calumniatoribus quis cogatur, vt nostri olim fuerunt coacti. Quare conclusio, quam infers, per se, vt nullis suffulta fulcris, statim corruit: nouam scilicet figuratam prædicationem, in Ecclesiam inuehi, hac locutione, *Panis est corpus Christi substantiale, verúmque ac pro nobis traditum*.

Quæ porrò subiicis in alia charta, quibus tibi videris demonstrare propositionem, Panis Cœnæ Dominicæ est verum, naturale & essentiale corpus Christi: non solùm non corrigi, sed etiam absurdiorem fieri, adiecto aduerbio, SACRAMENTALITER: ea nobis (credimus enim, per te licere nobis liberè loqui) mera, ineptíque videntur sophismata. Comparas enim inter se dissimilia: falsa cum veris misces, aduerbia construis cum prædicatis: copulam, *est*, confundis: atque ex his tuas deducis rationes.

Age igitur videamus, quàm firma sit tua demonstratio. agemus autem, crassa tecum Minerua; propositiones tuas implicatas explicando.

Concedimus, quia sic etiam nos didicimus: in Cœna, communicari fidelibus signa & res signatas. Nouimus etiam, hæc, essentia, idiomatibus & definitionibus, inter se esse distincta, sed in vsu tantùm, à Domino instituto, iungi inter se relatiuè, seu sacra significatione. Ac proinde differre rem signatam, nempe corpus Christi verum, ac substantiale, pro nobis traditum: à signo seu à sacramento corporis pro nobis traditi: quanquam hoc sacramentum, scriptura vocet, sed locutione sacramentali, corpus Christi: quam, veteres secuti significationem, vocarunt *Panem*, τοῦ εὐχαριστίας, & corpus Sacramentale. Totum hoc nouimus & profitemur, quid tum?

Hic, inquis, nemini pio licet asseuerare: *ipsum corpus Christi pro nobis traditum, vel corpus Christi substantiale, est corpus Christi sacramentale*. Istud itidem damus. Nam corpus Christi pro nobis traditum, neque realiter est, neque

significat corpus suum sacramentale, id est panem. Proinde pugnat cum fundamento ante iacto. Subdis: *Aut contra.*

Istud iam non damnus simpliciter. Si enim nemini pio licet asseuerare, corpus sacramentale, id est, panem, esse corpus Christi pro nobis traditum, eoque corpus Christi verum, & essentiale: aut igitur pius non fuit Christus, qui panem asseuerauit esse corpus suum, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον aut tu non satis circumspectè pronuncias. Neque enim hoc, quod damnas, pugnat cum axiomatis initio positis. Nos igitur contra docemus, licere asseuerare, panem, qui corpus est Christi sacramentale: esse etiam corpus Christi pro nobis traditum, eoque verum & essentiale: non quidem simpliciter, aut propriè, sed sacramentali locutione. quia licèt propriè id non sit, verè tamen significat, & corporis Christi veri, proque nobis traditi, sacramentum est. Si enim licet dicere, *semen est verbum Dei verum, Spiritus Sancti afflatu, inspiratum prophetis & Apostolis:* quia vera illud significat: cur non liceat etiam dicere, panem Cœnæ esse verum ac substantiale corpus Christi: quatenus verum est sacramentum veri corporis Christi? Vides frater, te falsa cum veris miscere: comparareque dissimilia cum dissimilibus? Subdis;

Nec licet dicere Sacramentale corpus Christi, est pro nobis traditum. Hic etiam ambiguitas aliqua esse potest; proinde distinctione explicanda est. Si simpliciter dicas, *Sacramentale corpus Christi*, id est, panis pro nobis traditus est: falsa est propositio & impia. Hoc autem neque aduersarius tuus ait, neque nos vnquam diximus: aut si quis id dicat, tueri volumus Sed si coniunctim cum voce *corporis*, dicas; *Panis*(hoc enim est sacramentale corpus) *est corpus Christi pro nobis traditum*; vera esse potest propositio, addita explicatione; quam millies repetiuimus, id est, *Sacramentaliter*: seu. *sacramentum corporis Christi est pro nobis traditi.* Ita & ante, & nunc, petis principium. Quid enim hoc pugnat cum regula initio tuæ illius chartæ, posita de signis rebusque signatis, de qua relatiua illorum inter se coniunctione? Quod vero quarto loco subdis: *Non licere dicere, corpus Christi traditum pro nobis est sacramentum corporis Christi*: certissimum est. Sed quis hoc vnquam dixit? Est autem hoc quartum membrum, idem cum primo; sicut tertium, idem cum secundo; quæ duo falsa sunt, vt illa alia duo verissima. Videris enim quatuor fecisse membra, cum post primum, subdis, *aut è contra.* Et mox quasi nouam sententiam subiiciens, ais, *Nec licet.* Sed siue quatuor sint, siue duo: in summa tu misces vera cum falsis; vt etiam falsa pro veris simul vendere velle, alicui videri possis. Hoc est tuum suppositum primum; quod non prorsus verum est. Eiusdem farinæ sunt, quæ secundo loco supponis *Et quis*. inquis, *pius negabit, corpus Christi verum & substantiale esse idem verè & substantialiter corpus Christi?* Quanquam de propositionibus, in quibus idem de se ipso prædicatur, possemus aliquid dicere, quia tamen non disputamus, sed veritatem simpliciter quærimus; nos vt pios decet, damus hanc propositionem; quatenus demonstrando verum Christi corpus, dicere quis verè potest, *Hoc corpus est verum ac verè, substantiale, & substantialiter corpus Christi.* Aduerbia enim ista, modum definiunt, quo subiecta sunt id, quod esse dicuntur. Sed quam subdis, quasi priori similem. *Et corpus Christi, sacramentale*(quis negabit?) *esse simul corpus Christi sacramentaliter*? eam nos dicimus non esse prorsus similem; eoque vt dissimilem, non ita simpliciter admittimus, vt priorem. Nam corpus Christi substantiale, bifariam prædicari, de aliquo potest; nempe, aut propriè, & secundum illius subiecti substantiam; aut figuratè, & secundum illius subiecti non substantiam, sed significationem. Proprie, vt de vero Christi corpore; figurate, vt de pane, corporis Christi veri signo & sacramento. Ideo euitandæ amphibologiæ gratia, tectè demonstrato vero Christi corpore in cruce, dicitur, Hoc, substantialiter, id est, secundum substantiam, est corpus Christi substantiale; pro nobis traditum, demonstrato autem vel simulachro corporis Christi crucifixi, vel pane Cœnæ Dominicæ, qui itidem simulacrum quoddam & dicitur, & suo etiam est modo, corporis Christi crucifixi; non rectè diceitur, *Hoc substantialiter est corpus Christi substantiale.* rectè verò dixeris, *Hoc*, significatiuè, repræsentatiuè, seu, *sacramentaliter est corpus Christi substantiale*; quod nihil aliud est, quam dicere, Est imago, est simulacrum, est sacramentum, veri, substantialis, proque nobis traditi corporis Christi. Aduerbia enim *substantialiter*, & *sacramentaliter*, definiunt modum (vt modo dictum est) quo prædicatum alioqui indefinitum, & ambiguum, attribuitur subiecto; propriène an figurate. Ita non frustra, huic prædicato, *Corpus substantiale*, additur, *substantialiter*, vel, *sacramentaliter*. At vero corpus sacramentale, non potest nisi vno modo de aliqua re prædicari; vt vanum sit addere, *sacramentaliter*, & mera sit battologia; cum idem planè sint, *esse sacramentaliter corpus*: &, *esse corpus sacramentale*. Vtrunque enim significat, esse sacramentum corporis. Vides Saleburgi, dissimilitudinem inter istas duas propositiones? Vni enim addi potest, & debet differentiæ caussa, aduerbium, vel *substantialiter*, vel *sacramentaliter*: alteri autem, neutrum addi potest, aut debet. Certè nullo modo dici potest, *corpus Christi sacramentale, est substantialiter corpus Christi*: quia panis, quo ad suam substantiam, non est ipsum Christi corpus: neque etiam rectè dixeris. *corpus Christi sacramentale, est corpus Christi sacramentaliter*. nam huius propositionis duplex potest esse sensus: vnus, Sacramentum corporis Christi, est sacramentum corporis Christi. nam esse corpus Christi sacramentale: est esse sacramentum corporis Christi. Esse etiam corpus Christi sacramentaliter, nihil aliud est, quam esse itidem corporis Christi sacramentum. quid igitur aliud est, dicere, corpus Christi sacramentale, est corpus Christi sacramentaliter: quàm Sacramentum corporis Christi, est sacramentum corporis Christi? Verè autem dicimus, Panis est corpus Christi sacramentaliter, id est, sacramentum corporis Christi. Et cuiusnam corporis sacramentum; veri certè, ac substantialis, pro nobis traditi: vt cogaris velis nolis admittere panem esse Christi substantiale, sacramentaliter: si corpus sacramentale, id est, panis, est corpus Christi sacramentaliter. Alter sensus fuerit, (si priorem nolis) Sacramentum, corporis Christi, est Sacramentum sacramenti corporis Christi? Si enim tam esse corpus Christi sacramentale, quàm esse corpus Christi, sacramentaliter, nihil aliud significant, quam esse sacramentum corporis Christi: alicuius igitur corporis Christi sacramentum sint, oportet. nempe aut, veri substantialis, aut non veri, sed sacramentalis Si veri: ex tua propositione sequitur absurdum quod ante dictum est: nempe vana battologia. Sacramentum veri corporis Christi, est sacramentum corporis Christi: præterquam quod te ipsum iugulas, qui negas panem, qui est corpus sacramentale, esse sacramentaliter corpus Christi verum. Si non veri, sed sacramentalis, corpus igitur sacramentale, erit sacramentum sacramenti corporis Christi. quid autem hoc absurdius? Intelligas igitur frater; multò absurdiorem esse istam tuam nouam propositionem, corpus Christi sacramentale est corpus Christi sacramentaliter: ea, quam tu absurdissimam & impiam, execraris: nempe panem sacramentaliter esse corpus Christi verum, & essentiale, pro nobis traditum: cum hæc commodissimè, & citra vllum vitium explicetur, per hanc, *sacramentum est veri & substantialis corporis*: illa autem tua non possit, nisi in aliquod incidas absurdum: retinendo nimirum pro subiecto hæc verba, *corpus Christi sacramentale.*

Iactis porro istis tuis firmissimis fundamentis, venis ad superædificandam demonstrationem tuam: oppositis inter se mutuò quatuor istis propositionibus, hac figura.

1. *Panis est corpus Christi substantiale.*
2. *Panis est corpus Christi sacramentale.*
3. *Panis est corpus Christi substantialiter.*
4. *Panis est corpus Christi sacramentaliter.*

Ex his enim conaris demonstrare, primam esse falsam, quia opponitur contrariæ veræ, nempe secundæ, absurdiorem vero fieri addita particula, *sacramentaliter*: quia hoc modo coniugatum secundæ, sibi maximè oppositam, assumendo, manifestam implicat contradictionem. Imò inde etiam apparere eius falsitatem: quia eius coniugata, falsissima est: nempe, panis est corpus Christi substantialiter. An non ista sunt tuæ demonstrationis principia? Cæterum ne tam facile appareat fallacia, interrogas more Socratico, quænam harum sit falsa: & tu etiam ipse respondes Categoricè, eam nempe primam, de qua controuersia est excitata. Nos vero vt dilucidior fiat veritas, disiectis paralogismorum nubibus: totam tuam demonstrationem, ad formam Syllogisticam, more Aristotelico, componemus. Sed prius breuiter videndum est, de veritate falsitateque harum quatuor propositionum: & an sibi inuicem verè opponantur.

Prima non est, vt tu valde securè pronuncias, falsa sed vera: quonam sensu? figurato, sacramentali, per metonymiam: nempe, *Panis est corpus Christi substantiale*: id est, sacramentum est corporis Christi substantialis: seu significatur corpus Christi substantiale. Secunda, nẽpe, *Panis est*

corpus

corpus Christi sacramentale, vera est? sensu proprio, & in propria verborum significatione, sine vllo tropo intellecta. Quarta itidem vera est, vt secunda, iuxta propriam verborum significationem, *Panis est corpus Christi sacramentaliter*: id est, non secundum substantiam, sed quatenus est sacramentum corporis Christi veri. Tertia sola, est simpliciter falsa, quia nec propriè loquendo, nec figuratè, vera esse potest. Quare licèt ita collocaueris propositiones, vt prima opponatur secundæ, & quartæ: non opponitur tamen, si veritatem spectes, & falsitatem propositionum: quia omnes illæ sunt simul veræ, licèt diuerso sensu, cùm prima figuratum habeat sensum, eumque verum: reliquæ duæ, proprium, omnium concessione, verissimum. At (inquies) esse corpus substantiale, & Sacramentale, sunt ita opposita, vt nequeant inter sese cohærere. Fatemur, si verbum EST, eodem modo acciperetur in vna, atque in altera propositione: seu si eodem modo tam vnam, quàm alteram interpreteris: nimirum propriè. Atque hoc est, nostro iudicio, quod vel te fallit, vel quo alios fallis in ista quatuor propositionum mutua oppositione: quia omnes propriè accipis: & verbum EST, tam in prima, quàm in aliis omnibus, accipis iuxta propriam significationem. Viden' fallaciam? *At falsa est*, inquis, *quia non reperitur in sacris literis*: item, *quia cum natiua sententia figurata & à Christo vsurpata prædicationis*, non consentit? item, *quia intentioni Christi instituentis sacram suam Cœnam, aduersatur: quia denique naturæ & definitioni Sacramenti contraria est.*

Hæ sunt aliæ rationes, ab illa tua demonstratione ex oppositione quatuor propositionum deducta, diuersæ, sed tamen cum illa confusæ. Sed ad has quoque respondemus.

Ad primam, negatur assumtum: si simpliciter intelligas non reperiri. κατά τι non reperitur, nempe verbotim: sed reperitur re ipsa, & necessaria consecutione. Christus apertè ait, *Panem esse corpus suum pro nobis διδόμενον*. Corpus autem CHRISTI διδόμενον pro nobis, est corpus eius substantiale. Proinde quam infers consequentiam, vt vocant, falsa est, alioqui falsa etiam hæc esset propositio: Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, tres sunt personæ, vnica οὐσίᾳ subsistentes: quia verbotenus, in sacris literis non reperitur. Alteram quoque rationem falsam esse, ex iis, quæ suprà dicta sunt, abundè liquet. Non enim propriè loquendo particula illa, *substantiale*, prædicatum est, sed potius prædicati explicatio, quanquam vno contextu, quasi pars compositi prædicati, legatur: vt vna sit composita propositio. Abundè etiam demonstrauimus, contra mentem, seu (vt ais) intentionem Christi non facere: qui explicandi prædicati caussa, nomini corporis addidit, *Essentiale*. Denique indigna est, quæ à te afferatur quarta ratio. Pugnat enim hæc cum fundamento à te antè iacto de coniunctione rerum signatarum cum signis, per relationem, sacramque significationem, imò cum regula ab omnibus eruditis approbata. An non symbola Sacramentalia dicuntur esse illæ res, quarum sunt symbola: seu quas significant? quid autem significat panis, nisi corpus Christi verum, ac substantiale, pro nobis re vera traditum? Quæ igitur subiicis, de nostris, qui quam antè agnouerunt, fassique sunt falsam esse propositionem, eam rursus veram esse velint, veramque fieri putent, assumta particula, *Sacramentaliter*: non carent calumnia. Non enim est eadem propositio, quam fassi sunt, esse falsam: cum ea, quam modò veram esse, nos quoque cum illis docemus. Eademne est propositio, vbi idem prædicatum propriè: cum illa, vbi figuratè de subiecto eodem prædicatur? Non igitur quam falsam esse nouimus, nunc adiecta particula *Sacramentaliter*, fieri veram volumus, aut putamus. Sed hac particula explicatur, maioris declarationis gratia: quonam sensu vera sit propositio, *Panis est corpus Christi substantiale*: nempe, non *proprio*, sed *Sacramentali*: quanquam particula *substantiale*, de corpore ipso propriè dicitur: cum sit, vt sæpe dictum est, explicatio prædicati, non autem subiecti prædicatum. Quare particula *Sacramentaliter*, non violenter (vt scribis) arripitur, sed necessariò explicandi sensum propositionis gratia, assumitur. Errare verò te in eo, quod putas, & repetis, propositionem hanc, *Panis est corpus Christi substantiale*, contrarium esse huic, *Panis est corpus Christi Sacramentaliter*, : antea demonstrauimus: cùm optimè in sensu congruant inter sese. Quæ scribis: Si hodie licere putant propter autoritatem excellentium virorum dicere, *Panis est corpus Christi substantiale, Sacramentaliter*: cur non etiam licebit posteris amplecti, vt veram, hanc propositionem, *Panis est corpus Christi Sacramentale, substantialiter*? ea sunt indigna responsione nostra: quia nihil ad rem. neque enim propter excellentium virorum autoritatem, sed propter caussas ante dictas, licere ea vti docemus, imò nonnunquam vtamur necesse est. Quod verò subdis de nescio quibus, quòd concesserint coniugarum *substantialiter*, inseparabile esse ab hac propositione, *Panis est corpus Christi substantiale*, nihil ad nos, vel nostros. Nunquam enim id vel legimus, vel audiuimus, imò contrarium potius clamant, nempe, *Panem non substantialiter esse, sed significatiuè, sed Sacramentaliter, corpus Christi*. Nimis verò ineptum est, quod à nostris multa corpora, vera & substantialia affingi Christo inde contendis, quia dicunt, *Panem, corpus esse substantiale, sed non substantialiter*: verum, non veré. Imò inde confirmatur, Christo vnum tantùm esse corpus naturale, substantiale, verum: quia negant illa particula *Substantialiter*, panem, secundum substantiam, esse corpus Christi substantiale: affirmant verò significatiuè tantùm, & Sacramentaliter, esse tale corpus Christi. Sed quod concludis, quasi rem tam demonstratam, & omnibus rectè iudicantibus notam, nempe, propositionem, de qua quæstio est, per sese esse vitiosam, & absurdam: adiecto autem aduerbio *Sacramentaliter*, multò effici (vt ais) absurdissimam: propter apertæ cōtradictionis implicationem: nobis, vt liberè loquamur, risum mouit: quod cùm nihil probaueris, tam audacter concludas. Quid enim absurdi, aut apertæ contradictionis, est in hac propositione? nempe, *Panis est Sacramentaliter*, (id est, significat, repræsentat, & exhibet, tanquam verbum visibile menti nostræ fide prædicatæ) corpus Christi pro nobis traditum, & crucifixum, eóque verum ac naturale? Iudicet quicunque aliquid habet mentis & iudicij. Tu certè frater hallucinaris, & caussa illa est non postrema, quòd aduerbia ista, *Sacramentaliter, substantialiter*, non cū verbo EST coniungis, vti postulat ratio Sacramentorum, Sacramentalisque phrasis, sed cum prædicato composito, corpus naturale, essentiale: contra sensum Scripturæ, contra omnē rationem, contra sententiam Ecclesiæ, piorumque doctorum. Itaque hinc liquet, te non parua afficere iniuria illos, qui cum dextera explicatione, vtuntur hac phrasi, de qua hactenus, satis supérque locuti sumus, dum eos nouæ propterea sophisticæ accusas. Non est nouum frater, quod aliqui ita loquantur: cùm Patres crassioribus etiam locutionibus vsi sint, vt nosti, si eos legisti: & Philippus etiā ipse in variis scriptis, neque sophisticum est: quoniam nemini imponit, sed consentaneè cum sacris literis, verbisq; Christi explicatur, ita vt qui non intelligat, sit nemo, nisi qui ad lucem meridianam, sciens ac volens, occludit oculos.

Quæ igitur ex Philippo adfers, ea nihil aduersus eos, de quibus loquimur, faciunt. Perpende, obsecramus te, rem diligentius, & posito omni affectu, ac præiudicio, considera (vt denuò, quia res ipsa cogit, repetamus simile, quod summam rei comprehendit) considera rogamus, quod dicimus. Si quis ostenso vero corpore Christi in cruce, dicat, *Hoc secundum suam substantiam est verum & essentiale Christi corpus pro nobis mortuum*: an non verum dicit? Rursum, si quis imaginem, Christum crucifixum ad viuum referentem, demonstrans dicat. *Hoc simulacrum secundum suā quidem figuram, sed non secundum substantiam est* (id est, repræsentat) *verum & essentiale corpus Christi pro nobis mortuum*. an non itidem verum dixerit? Certè de quorundam imaginibus, puta Caroli Quinti, ad viuum depictis, dici solet, *Hoc* (id est, hæc imago) *est Carolus ipse Quintus*, ita naturalis & essentialis, vt nihil in ea desideretur, nisi spiritus, seu anima. cùm tamen imago hæc secundum suam naturam, aut substantiam, nihil minus sit, quàm Carolus. Cur obsecro non liceat idem dicere de imagine Christi crucifixi in Cœna: id est, de pane fracto, præsertim cùm longè alia sit hæc, quàm illa imago. illa enim Caroli, Carolum tantū ad viuum repræsentat: hæc verò Christum etiam ipsum, vt pro nobis mortuum, efficaciter opera Spiritus S. exhibet: & vt instrumentum externum, in veri & essentialis corporis Christi κοινωνίαν, adducit nos magis ac magis. Nos certè nō possumus clarius rem explicare. Summa hæc est: Si licet dicere, Panis est corpus illud Christi, quod pro nobis traditū est, quod sumsit ex virgine: quod est illi naturale & essentiale, licet etiam dicere simul hæc omnia absque relatiuo. Ratio est, quia sensus nō variatur. Sicut etiam perinde est, si dixisset quis, Arca est Iehoua ille verus, æternus, omnipotens, rex gloriæ: atque etiam si alius, Arca est Iehoua ille, qui est verus, qui est æternus, qui est omnipotens Iehoua. Sensus enim idem est. Multò verò magis licet eadē dicere, adiecta explicatiua particula, *Sacramentaliter*: qua declaratur, panem vel Arcā non esse tale quid nisi quatenus est illius Sacramentum. Ac proinde vides controuersiam istam tuam, vt coràm etiam diximus, esse merā λογομαχίαν.

Nunc videamus, an possimus tuam demonstrationem, in formam redigere syllogisticam. Ea nobis videtur sic posse componi. Illa propositio absurda est ac falsa, quæ opponitur contrariæ suæ veræ: & fit etiam absurdior si coniugarum illius contrariæ, sibi assumendo, contradictionem implicet: Atqui talis est propositio, quæ sic habet, *Panis est corpus Christi substantiale, Sacramentaliter.* Nam primum opponitur contrariæ huic veræ, nempe, *Panis est corpus Christi sacramentale.* Si enim est Sacramentale: quomodo potest esse substantiale? Deinde huius contrariæ coniugatum, nempe, *Sacramentaliter*, sibi assumendo, contradictionem implicat. Quid enim magis contradictorium, quàm quod panis sit, & non sit corpus Christi substantiale? Est autem & non est: si est substantiale Sacramentaliter. Ergo illa fallissima est atque absurdissima: Panis est corpus Christi substantiale Sacramentaliter. Adde confirmationem. Coniugata huic, quam defendis, propositio, fallissima est: nimirum, *Panis est corpus Christi sacramentaliter. Ergo & hæc panis est corpus Christi substantiale.* Hanc putamus esse tuam demonstrationem.

Audi iam breuem responsionem nostram.

Ad syllogismum: negatur assumtio. Etsi enim ad formã verborum quod attinet, videtur oppositio esse inter primam, de qua disputatur, & secundam atque quartam, re ipsa tamen, & in vero sensu acceptæ, non vere inter se ac simpliciter opponuntur. Hoc ante demonstratum est. Ostendimus enim secundam & quartam, veras esse in propria verborum significatione: primam verò sensu figurato & Sacramentali. Est igitur paralogismus, quem vocant, ex ignoratione Elenchi: quoniam a non verè pugnantibus argumentaris, tanquam à verè & simpliciter pugnantibus. Quod dicis de assumto coniugato, falsum est, illo adiecto, implicari contradictionem in propositione. imò tollit, si qua possit videri: quoniam definit modum, & aperit sensum, quo panis verè sit corpus Christi substantiale: nempe, non proprio, sed figurato & sacramentali.

Ad confirmationem: negatur sequela. Ideo enim tertia est fallissima simpliciter: quia neque proprio, neque figurato sensu potest esse vera At prima, licèt propria verbi, EST, significatione vera non sit, est tamen iuxta figuratam intelligentiam, ac Sacramentalem, vt supra explicatum est, verissima.

Habes Magister Henrice, nostram ad quæstionem, vel potius ad quæstiones à te propositas, responsionem: habes etiam, quid ad tuas rationes respondeti posse iudicemus, atque in primis, quæ fallacia in tua lateat demonstratione. Ita etiam habes, quod petebas in salutatione. Loquuti enim sumus veritatem proximo nostro: quia tempus breue est. Si verò hæc nostra non satisfaciunt: quære doctiores (inquit Augustinus) sed vide, ne inuenias præsumtiores Rogamus igitur te, vt cognita veritate, quiescas potius, quam vt istius λογομαχίας caussa, te amplius maceres, turbesve Ecclesias. Vale. Dominus verò Iesus, qui vult Cœnam suam, Sacramentum esse charitatis, atque concordiæ, inque fide consensionis, suo te regat spiritu. Datum 7. Octob. 76.

H. ZANCHIVS *suo & Collegarum nomine.*

ZACHARIAE VRSINI AD D. H. Zanchium de eadem materia epistolium, & iudicium.

SI DVM annotato ad verbum loco, quem citat, volebam pauca annotare, quæ mihi ex tempore in mentem venirent, indignatione impulsus, longiùs quàm institueram, excurrit calamus. Mitto tamen tibi αυτοχεδίασμα, si quod fortè sit, quod tibi meliora cogitandi occasionem præbeat. Non putassem hunc hominem tam puerili iudicio præditum, aut tam ἀκόλαστον esse. Miror tam ineptum esse, vt non discernat determinationem copulæ & prædicati descriptionem, & hanc adiungat copulæ in propositionibus ex *Est tertio adiecto*, & contra modum determinantem seu declarantem copulam, trahat ad prædicatum, atque ita pro eodem habeat, *esse substantiale corpus: &, esse substantialiter corpus:* non discernens orationem dicentem, *Quod corpus sit panis*, ab ea quæ dicit, *Quomodo panis sit illud corpus.* Vale.

T. ZACHAR. VRSINVS.

Eiusdem defensio verborum quorundam ex libello quodam, cui titulus est, Grundtlicher Bericht, &c. desumtorum.

IN vera doctrina de sacra Cœna, ab Heidelbergensis Academiæ Theologis exposita, Anno 64. aduersus eos, qui gloriantur se τὸ ῥητὸν verborum Christi retinere, sic scribitur:

Scimus enim Dominum dixisse de illo ipso naturali pane, qui oculis videtur, manibus frangitur, porrigitur, accipitur, contrectatur, ore & dentibus editur, & comminuitur, & in alimentum corporis abit, hunc esse verum suum naturale & humanum illud corpus, pro nobis in cruce immolatum: ac de illo ipso poculo, seu vino naturali in eo contento, quod itidem consueto & naturali more bibitur, hoc esse verum suum, & naturalem illum sanguinem qui pro nobis est effusus.

Hoc iste censor negat nos cum Christo dixisse. Nos verò nec à verbis nec à mente Christi discedere, ex verbis & scopo Christi manifestum est.

I. Nam ait Dominus, *Panem hunc quem dabat, esse corpus suum.* At quod corpus? illud quod pro nobis traditum est. *Vinum esse sanguinem suum.* At quem sanguinem? Illum qui pro nobis in remissionem peccatorum effusus est. Verum autem naturale, substantiale Christi corpus, & sanguis ipsius verus, pro nobis traditum est, & effusus est. Panis ergo est verum corpus: & vinum, verus sanguis Christi. Eadem enim est veritas, & locutionis ratio, siue tradiri pro nobis, huic aliud Epitheton addatur corpori in hac propositione, *Panis est corpus Christi* nec alio sensu est & dicitur panis verum substantiale, naturale, &c. Christi corpus, atque a Christo dicitur, corpus pro nobis traditum. Puerile effugium est contendere, quod non idem sit corpus pro nobis traditum, & corpus quod pro nobis traditur. Æquipollent enim participio relatiuum & verbum. Ideòque omnes similes locutiones similiter possunt resolui. Vt, idem est, si quis dicat, *Christus pro nobis crucifixus*, &, *Christus qui pro nobis crucifixus est.* Et prorsus excludunt hanc cauillationem Græca verba, quæ per participium efferuntur, ita vt oporteat tanquam vnum prædicatum, compositum accipi, τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, τὸ αἷμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Neque sequitur, non esse hanc vnam propositionem, quia in duas resolui potest, videlicet, *Panis est corpus meum, &, corpus meum est pro vobis traditum.* Omnes enim similes possunt sic resolui, & tamen sunt vna propositio. Descriptiones enim alterius termini, vel cum eo in vna propositione coniungi possunt, vt vnum terminum cum eo constituant, vel interposita copula separatam cum eo propositionem efficere: vt, *Christus est Seruator Mundi, olim promissus*: Hæc vna est propositio, etsi resolui possit in has duas, *Christus est Seruator Mundi*: &, *Seruator ille Mundi, est olim promissus.*

II. *Panis est illud corpus, cuius est signum. Sacramentum, μνημεῖον.* At non alterius, nisi veri & substantialis corporis Christi Sacramentum est: Ergo panis est illud verum & substantiale corpus, quanquam Sacramentaliter seu significatiuè.

III. Omnino est tropus Sacramentalis in verbis Christi, siue Metonymiam, siue quo quis velit nomine, eum appellet. Is autem tropus est vel in prædicato, *corpus meum*, vel in copula, *Est.* Si in prædicato ponatur, sic exponitur propositio, *Panis est signum vel, Sacramentum corporis. & quidem veri substantialis, pro nobis traditi corporis.* Si in copula statuatur, tum *Est*, sumitur pro *significat*, & sic exponitur propositio: *Panis significat corpus meum, & quidem verum, substantiale, pro vobis traditum.* Vtraque expositio eundem habet sensum, ac proinde verbis Christi consentanea est, vt à nobis sæpe iam olim dictum est, contra eos, qui Zvvinglium & Oecolampadium dissentire calumniantur, quia alter exposuerit, *panis significat corpus Christi:* alter, *Panis est signum corporis Christi.* Vt autem non oportet neutram, sic etiam non oportet vtramque expositionem coniunctim poni: alioquin enim fieret falsa & monstrosa sententia, videlicet, *panis significat signum corporis.* Vtrouis verò loco aliquis tropum posuerit, necessariò in altero loco proprietatem vocis retinet. Si corpus accipiat, pro *signo corporis*, verbum *Est*, necessariò accipitur, in propria significatione. Panis.n. non significat signum, sed est signũ corporis. Sin accipiat verbũ *Est*, pro *significat*, necessariò retinet corporis nomẽ in propria significatione, i. accipit illud de vero & substantiali, non autem de Sacramentali

tali corpore, seu de Sacramento. Panis enim significat non Sacramentale, sed ipsissimum & verissimum corpus Christi, &c. Hinc manifestum est, eum qui *Est*, accipit pro *significat*, necessariò & secundum verba Christi sic sentire & loqui, quod panis sit verum Christi corpus, sicut is qui *Est*, resoluit in *significat*, necessariò sic loquitur & sentit, idque cum Christo & tota orthodoxa Ecclesia, quod panis significet non Sacramentale, sed verum Christi corpus. His de caussis dicimus, nos piè & rectè, & cum Christo sic loqui, dum modo sicut à nobis semper fit & factum est, eam quoque expositionem propriam, quam Christus addidit figuratæ locutioni, addamus.

Caussas etiam, quare sic loqueremur, necessarias & graues habuimus, quas nobis præbent aduersarij, quibus has locutiones opposuimus.

Primum enim, qui τὸ ῥητὸν se tenere, idque tenendum esse clamant, nec validius, nec magis populariter, & sine subtilitate scholastica refutantur, quàm si τὸ ῥητὸν vigeatur, & ipsorum opinionibus & formulis loquendi opponatur. Quiuis enim videt, non idem esse, si dicetur, *Hic verus panis, est illud verum corpus Christi*: vel IN vel SVB *hoc vero pane est illud verum corpus Christi*. Et nihil est violentius ad cogendos animos, vt agnoscant locutionem figuratam seu Sacramentalem, quàm si retineatur & vrgeatur propria significatio in nomine corporis. Tum enim vel à cæcis palpari potest, verbum *Est*, non propriè, sed pro *significat*, accipiendum esse, vt si dicatur, *Hic visibilis & corruptibilis panis est illud carneum, osseum, visibile & incorruptibile Christi corpus*, &c. Eundem in vsum sæpe visimus illas Patrum locutiones, *Corpus Christi iacere in mensa, in vasis sacris frusta de eo in terram cadere posse, dentes in Christi corpore figi, linguas ipsius sanguine rubefieri*, &c. quas qui non videt Sacramentales esse, is nihil videt in doctrina Sacramentorum.

2. Secundò, fuit obuiam eundum illis, qui calumniantur nos, quod non verum, sed sacramentale tantum, vel phantasticum & imaginarium Christi corpus, vel tantum Christi beneficia nobis in Cœna communicari fingamus: & verba Christi in hos sensus detorqueamus. Contra hos diximus, nos credere & confiteri, quòd panis sit verum illud Christi corpus quod pro nobis traditur, & hoc ipsum corpus nobis per hunc panem communicetur. Sed addidimus semper, quomodo sit hic panis, illud corpus, nempe *Sacramentaliter, symbolicè*, non autem *substantialiter*.

3. Tertiò, opposuimus has locutiones Vbiquitariis, qui fingunt corpus Christi in spiritualem & diuinam quandam, hoc est, insensibilem & infinitam naturam trāsmutatum nobis in pane communicari. Contra hos vsimus, Christum in his verbis, *Hoc est corpus meum*, non tale corpus, quale ipsi obtrudunt nobis, sed verum, humanum, visibile, palpabile, finitum, circumscriptum, carnem & ossa habens, intelligere, & nobis mactatum & edendum hoc pane repræsentare & promittere: Quibus positis facilè intelligitur panem non latibulum, sed symbolum huius corporis esse.

4. Postremò, ne quidem in leuioribus, nedum in grauissimis caussis, & disputationibus, præsertim vbi agitur cum aduersariis malignis, sophistis, captatoribus verborum, propositio aliqua ambigua, sine distinctione concedenda, aut neganda est. Vtrumque enim ab Aduersariis per Paralogismum à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter, exagitatur, & exaggeratur, & rudioribus tanquam speciem retractationis habens eius quod concessum vel negatum prius fuit occasio est veritatem contemnendi & aspernandi.

Cùm ergo ista propositio, *Panis est illud corpus Christi, quod est verum, substantiale, carneum, osseum, visibile, palpabile, pro nobis traditum, mortuum, suscitatum & sublatum in cœlum*, sit ambigua facta propter inscitiam phrasium Sacramentalium: ac proinde vera aut falsa esse queat, prout rectè aut non rectè intelligitur, neque neganda est, nisi addita interpretatione vitiosa, quam ei affingunt Aduersarij; neque concedenda vel vsurpanda, sine addita interpretatione & sensu, quo Sacramentales locutiones in scriptura & Ecclesia vsurpantur.

Demonstrationes, quas opponit ille, sunt puerilia & putrida sophismata. Partim enim ex inconuenientibus dissimilibus, partim ex falsis ratiocinatur.

I. Quæ enim allegat exemplo propositionum, in illis *Est*, ponitur propriè. At in ista, *Panis est verum Christi corpus*, *Est* ponitur pro *significat*, & per hoc verbum exponitur. Item videtur negare, quod corpus Christi verum detur discipulis, dum facit hanc Antithesin: *Corpus Sacramentale dare discipulis: corpus verum dari pro discipulis*. Puerile acumen est. Nos vtrumque confitemur, verum corpus dari & discipulis & pro discipulis. Nisi enim pro illis datum fuisset victima, non posset illis dari cibus, & nisi daretur illis in cibum vitæ, frustra pro illis datum fuisset victima.

II. In secunda sua demonstratione videtur puerilia præcepta Logices & Grammatices ignorare, ex quibus discere debuit, in hac propositione, *Corpus Christi Sacramentale, est corpus Christi Sacramentaliter*, Aduerbium *Sacramentaliter*, quod significat modum, quo prædicatum attribuitur subiecto, non cum prædicato, sed cum copula debere coniungi, sic videlicet, *corpus Christi Sacramentale*, id quod est Sacramentum corporis Christi, seu *Panis*, *est Sacramentaliter corpus Christi* Non etiam videt miser, quòd suo se gladio iugulet. Quia enim Sacramentaliter esse corpus Christi, nihil aliud est, nisi significare corpus Christi, necessario in hac propositione corpus Christi propriè dictum, h. e verum & substantiale, intelligitur. Alioqui enim hic esset sensus, Sacramentum corporis significat Sacramentum corporis, quem esse monstrosum nemo pius & sanus negabit.

III. In tertia non est tam difficilis aut periculosa responsio de veritate propositionum 4. quod ipse existimat, ei saltem, qui prædicationes Sacramentales & proprias nouit discernere, quarum iste imperiosus Censor nullam videtur habere cognitionem. Hæ duæ, *Panis est corpus Christi Sacramentale*, id est, Sacramentum siue signum veri corporis: &, *Panis est Sacramentaliter*, id est, *significat corpus Christi verum*: sunt veræ in propria significatione terminorum, sine tropo. Tertia, *Panis est corpus Christi substantiale*, vera est Sacramentaliter, seu metonymicè, non autem propriè loquendo, id est, sumendo *Est* pro, *significat*. Atque hoc sensu hæc figurata congruit cum illis duabus propriis. Quarta autem, *panis est corpus Christi substantialiter*, est simpliciter falsa: quia Aduerbium *substantialiter*, additum copulæ determinat modum non congruentem terminis, quo panis sit corpus Christi, nempe secundum suam substantiam, quod falsum est. Non enim secundum substantiam, sed secundum significationem, similitudinem & testificationem de communione corporis, panis est Christi corpus. Frustra igitur, & ineptè fingit sibi responsiones, quas nobis dictat sibi dandas. Simul enim veræ sunt hæ duæ, *panis est corpus Christi substantiale, panis est corpus Christi Sacramentale*, ideo quod in hac sumitur, *Est*, in propria significatione, in illa autem, pro *significat*. Atque sic optimè congruit cum verbis Christi, & natura Sacramentorum, & forma vsitata loquendi de Sacramentis, de qua licèt plurima & planissima à nostris & aliis sint scripta, tamen homini contentioso & αὐθάδει tanquam surdo fabulam cecinerunt. Non enim euertet suis cauillis regulam locutionis Sacramentalis, quòd propter similitudinem & testificationem, symbola Sacramentalia dicuntur esse illæ res, quas significant & exhibent. Est ergo calumnia, quod ait nos propositionem quam fassi sumus falsam esse, veram velle efficere. Negatur enim à nobis illa propositio, *panis est corpus Christi substantiale*, in sensu proprio, defenditur in sensu figurato, id est, sumendo *EST*, pro, *significat*, sicut de signis loqui est vsitatum. Ineptit enim pueriliter, fingens has esse contrarias, *Panis est corpus Christi substantiale*: &, *panis est corpus Christi sacramentaliter*. Rectè enim intellectæ eundem prorsus habent sensum videlicet, *panis significat verum & substantiale corpus Christi*: Neque violenter arripitur, sed necessario intellecta exprimitur ad declarandam sententiam propositionis; vox *sacramentaliter*. Idem enim sunt, *significare corpus Christi verum*, & *sacramentaliter esse verum Christi corpus*. Et propriè de signis dicitur, quod significent res ipsas; impropriè, figuratè, sacramentaliter, metonymicè de illis dicitur, quòd *sint res cœlestes & spirituales*. Neque per omnia similis est huic illa quam fingit noua propositio, *panis est sacramentale corpus substantialiter*. Nam vox *substantialiter* cum verbo, *est*, construenda est, non cum prædicato, corpus sacramentale, vt ipse videtur pueriliter & ineptè fingere. Item autem si quis dicat *panem*, *substantialiter esse corpus sacramentale*, nihil dicet, nisi hoc, quòd panis sit secundum suam substantiam corpus Christi, non verum seu significatum, sed sacramentale, typicum, significans, symbolicum: Vel quòd sit substantia corporis typici. In hac autem sententia nihil est falsi, nisi quòd superuacanea est, & propterea non vsitata additio vocis *substantialiter*; quia

prædicatum, corpus sacramentale satis ostendit copulam esse accipiendam in significatione propria. Est igitur hæc dissimilitudo inter istas propositiones quas confertre vult: quòd in ista, *panis est sacramentaliter*, seu, *significatiuè corpus Christi verum*, necessaria est determinatio modi, quo panis est corpus Christi: quia si non addatur huiusmodi expressio, propositio hæc, *panis est corpus Christi substantiale*, est ambigua. Potest enim *est*, sumi propriè seu substantialiter, & sic est falsa: aut sacramentaliter seu significatiuè, & sic est vera. In illa autem, quam ipse comminiscitur, prædicatum non patitur ambiguitatem esse in verbo *est*: sed ostendit illud accipi oportere propriè, non autem pro *significat*: alioquin enim falsa & monstrosa euaderet sententia, quod panis significet sacramentale opus.

Turpissimè se dat, & cum suis monstris confligit, dum affingit nobis, quod Aduerbium *substantialiter*, inseparabile concessenimus ab hac propositione *panis est corpus Christi substantiale substantialiter*. Panem enim nõ substãtialiter sed significatiue, sed sacramentaliter esse corpus verum & substantiale Christi, toties & tamdiu clamamus, vt totus Mundus propterea contra nos fremat: hic autem Aristarchus lapide surdior videatur, qui hoc nolit exaudire.

Ineptior etiam est, dum ait, nos Christo affingere alterum substantiale corpus, quia dicamus, *panem esse corpus Christi substantiale, non substantialiter, verum non verè*. Dum enim dicimus, non substantialiter panem esse illud corpus, quod propriè sic dicitur, & vnicum est in Christo, ipsa ostendimus, panem propriè loquendo nequaquam esse, sed duntaxat significare verum & substantiale corpus.

Cæcum se ostendit esse studio contendendi, dum sine vlla probatione dicit, implicationem contradictionis esse in hac propositione, *panis est sacramentaliter*, id est, significat, repræsentat & exhibet tanquam verbum visibile, nostræ fidei, verum, substantiale, pro nobis crucifixum Christi corpus. Videtur autem hac vertigine rotari, quia Aduerbia, *sacramentaliter. substantialiter*, non cum verbo *est*, sicuti phrasis sacramentalis postulat, sed cum prædicato *corpus sacramentale*, aut *corpus substantiale*, contra omnem rationem & sensum scripturæ & Ecclesiæ, ac piorum Doctorum, coniungit.

Cumulat deinde putidas calumnias sine colore. Neque enim nouum neque sophisticum est, dicere, quod sacramenta, quod ad significationem, sint illæ res, quarum sacramenta sunt: sicut imago dicitur esse id, cuius imago est. Et si hæc propositio est verbo Dei consentanea, & necessario defendenda, *panis significat corpus Christi* non aliquod phantasticum, vt nobis obiicitur, non vbiquitarium vt fingitur, sed verum, substantiale, mortuum pro nobis in cruce, &c. etiam hæc in eodem sensu accepta siue vsurpata *panis est corpus Christi substantiale*, &c. non potest improbari ab vllo homine pio & sano.

Si nos faceremus, quod quidam faciunt, h. e. ambiguas locutiones quæreremus, quibus sine interpretatione vtentes, veritatem occultaremus ad odia declinanda: haberet aliquam causam nos accusandi: Sed hoc nos non facere, testis est nostra doctrina scripta & sonans, testis est totus Mundus. Quòd autem non negemus simpliciter Aduersarij eas locutiones, quas negatas cogeremur deinceps rectè intellectas & expositas admittere, id nemo sanus nobis vitio vertet. Si quis autem offenditur veritate, h. e. sacramentalium locutionum vsu, & recta atque ingenua interpretatione, aut ex ea calumniandi occasionem accipit, si cum nodum in scirpo quærat, omittendus est, vt malum virum vel mus mordeat: Nihil enim tam rectè & candidè dici potest, quod à contentiosis & sophistis non deprauari queat.

Philippi autoritas non debet nos mouere, vt in ipsius gratiam, vel quæ rectè dici possunt, negemus, aut quæ non recta sunt, probemus. In Censorem igitur competit, quod nobis exprobrat, nos ob autoritatem præstantium virorum sic loqui. Nullius enim autoritatem, sed veritatem spectamus & sequimur. Ipse verò iniquus est, qui non tantum in præstantium virorum, sed etiam in sua verba nos iurare vult, & non hiscere, aut syllabam vnam proferre, nisi ex ipsius præscripto.

Sed illud grauius est, quod mala fide opponit nobis Philippum, quem nõ minus, quàm nos calumniatur. Nam Philippus reiicit hanc propositionem, *Panis est verum & substantiale corpus Christi*, non simpliciter, sed eo sensu, quo Heshusius & Bremenses eam vsurpabant & exponebant, videlicet, vt *est*, sumatur propriè: quo sensu à nobis multò acrius, quàm à Philippo reiicitur. Sumto autem *est* pro *significat*, nunquam ostendet, eam à Philippo negatam: Imò ipse has locutiones in Commentario ad Corinthios dicit similes esse illi: *Fasces sunt imperium Romanum*. Idem de Exegesi respondemus.

Bombi sunt inanes, dum minatur, se ex nostrorum libris probaturum, nos tueri aliquid, quod olim damnauerimus. Si enim non audiuit, audiat, & si non didicit atque intellexit, discat nunc tandem, & intelligat si modò aures ad audiendum, & mentem ad intelligendum habet, nos disertè & ingenuè dicere, *Panem esse & non esse corpus Christi verum*. Quod si ipsi paradoxon est, & contradictio videtur. At sciat nobis & intelligentibus morem scripturæ & Ecclesiæ de sacramentis loquendi, non esse. Sacramentaliter, hoc est, significatiuè, est hic panis corpus Christi: substantialiter seu propriè non est. Neque à nobis excogitata, sed magno consilio à Spiritu Dei, & Ecclesia vsurpata est loquendi forma, qua *est*, sumitur in sacramentorum doctrina, pro *significat*: Et quamuis ignorantibus aut contentiosis, & quantum ad verba attinet, est ambigua, tamen piis & rectè institutis minimè ambigua, sed ad naturam & vsum sacramentorum docendum, accommodatissima est.

H. Zanchij ad Marcum Meningum superintendentem Bremensem epistola, de Cœna.

Legimus literas tuas, vir eximie, & frater obseruande: & simul etiam quas misisti, cum de aliis quibusdam Christianæ Religionis capitibus tum præsertim de cœna Domini scriptiones. Ac quantum nobis, (qui Germanicè non intelligimus) per interpretem licuit, assequuti sumus sententiam, & aduersarii oppositiones: quidque à nobis petas, probè intelleximus. Nos pro ipso tuo officio, & quod tantum honoris nobis detuleris non vulgarem tibi habemus gratiam. Vtinam verò tales essemus, qui petitioni tuæ, (vt tu cupis, & nos peroptamus) possemus satisfacere. Dabimus certè operam quantum hæc temporis fert angustia, vt nihil in nobis desiderare queas, aut bonæ erga te voluntatis, aut in nostro officio, diligentiæ. Verum vbi prius significauerimus, (id quod iam paucis verbis facimus) nos non tam dolere, quę tibi, totique Ecclesiæ tuæ & symmystis fiunt à Diabolo negotia: quàm gratulari constantiam vestram, qua impios & nefarios Satanæ conatus, impediendos, reprimendósque fortiter, & strenuè curatis. Nunc ad rem. Confessionis vestræ summam, curauimus in primis nobis in linguam Latinam conuerti, deinde summam reculationis vestri Antagonistæ: postremò responsionem ad quoddam illius argumentum. Quæ res in causa fuit cur non tam citò remiserimus tabellarium. Omnia enim conuerti vno die minimè potuerunt. In confessione, ad summam doctrinæ quod attinet, nihil planè desideramus: imo totam probamus: quod non minus piè & doctè, quàm perspicuè atque dextrè, omnia controuersiæ doctrinæ capita, explicata à vobis fuisse videamus. Quædam tantum, quæ aut fortè à vestro amanuensi malè fuerunt descripta, aut non bene à nostro interprete reddita, cupimus partim corrigi, partim melius explicari. Quæ enim confessiones proponuntur, non tam doctis, quam etiam indoctis hominibus, eas ne aut carpi ab aduersariis, aut malè intelligi ab imperitis possint, oportet esse quàm emendatissimas In capite igitur de ascensu in cœlos: vbi vsi verbis Petri in Actis, dicitis, *personam Filij factam esse in Christum & Dominum*: quanquam nemo mediocriter doctus, qui sensum Petri teneat, possit meritò illis verbis offendi: ne quis tamen vestra verba perperam interpretans, existimet à vobis dici, tum demum tantum, Jesum factum fuisse Christum, postquam ascendit in cœlos: adhibenda fuerit breuis aliqua explicatio, qua sensus declararetur.

Quod etiam scribitis *solis pœnitentibus sacramenta percipientibus dari Spiritum sanctum*: ita explicandum est, vt duobus occurratur erroribus, Pelagianorum & Papistarũ. Quasi vero non etiam nos præueniat Spiritus sanctus & pœnitentiam fidémque in nobis excitet: aut quasi nemo qui sacramenta non percipiat, (modo absit contemtus) Spiritu sancto donetur: gratiáque sit alligata sacramentis. Gratiam enim olim, sine sacramentis multis acceperunt Gentiles. Jobus, Naaman, Latro in cruce, familia Cornelij: sed hoc extra ordinem. Semper autem Spiritus sanctus nos præuenit gratia sua, & qui nos regenerat, is etiam fidem

fidem & pœnitentiam donat. Ac verum est, Deum vi cogere neminem ad vitam, sed nostras tamen rebelles voluntates, vt sui Spiritus immutat, & de nolentibus facit volentes. Quo spectat verbum *trahendi* quod aduersus Pelagianos subiicitis ex Euangelio: *Nemo venit, nisi pater eum traxerit.* Quo verbo omnia nostra merita, omnémque nostrum præcedentem conatum excludit: & simul etiam docet, nos potius resistere vocanti, quam assentiri posse: nisi ille nostras suauiter tamen immutet voluntates.

In capite de sacramentis, illud, *Nec plus, nec minus nobis offerri in sacramentis Christi, quam in verbo*: si ad rem, quæ significatur, & offertur, refertis, piè dictum est. Si ad modum, non dubitamus, quin etiam vos sentiatis, clarius & efficacius rem significari & offerri in sacramentorum administratione, quam in sola verbi prædicatione. Hoc enim indicant etiam verba, quæ subiicitis: *Quod in participatione sacramentorum, per operationem Spiritus sancti, Christo inseramur & incorporemur:* non negamus: id quod propriè fit in Baptismo. Sed quum de cœna est sermo, magis placeret si adderetur, *magis ac magis*. oporter enim prius nos insitos esse Christo, & incorporatos, quam ad cœnam accedamus: Et verbum *inseri*, baptismo magis conuenit, quam cœnæ *Coalescere* autem, Cœnæ: vbi nutrimur.

Illud verò quòd impii bona cœlestia, hoc est Christum, in sacramentis oblata percipiant, & eorum fiant participes, sed non salutariter, (quemadmodum ex vestris verbis colligere nonnulli possent, quæ sic habent, *Non etiam bona cœlestia salutariter accipere possunt:*) non probatur. Nullam enim partem habent cum Christo impii, neque eum recipiunt: quanquam speciem eius intelligibilem (vt philosophi loquuntur) intellectu percipiant. Fide enim sola per charitatem efficaci recipitur Christus: non autem nudo intellectu, & vana cogitatione, ex audita tantum historia, concepta. Itaque si illa particula, *salutariter*, tollatur: bene habent omnia: vt ita legatur: *Non etiam bona cœlestia accipere possunt, eorúmque fieri participes.* Neque etiam pii percipere, ederéque carnem Christi possunt, nisi salutariter: Quia, *qui manducat carnem meam* (ait Dominus) *in me manet, & ego in illo, & habet vitam æternam.* Proinde superuacanea etiam est hæc eadem particula, *salutariter*, quum de piis agitur: vt eius loco mallemus poni, *verè* aut *spiritualiter*: vt per veram differentiam discernatur manducatio piorum, ab impiorum. Melius etiam, nostro iudicio, diceretur, pios ex cœna Domini coalescere in Christo, & eius κοινωνία, quàm κοινωνίας consequi: cum nemo pius esse queat, qui non habeat iam κοινωνίας cum Christo.

In capite de præsentia desideramus explicationem illius, quod dicitis, *Christū corpore & sanguine suo in cœna præsentem esse secundum suam promissionem: singulariter autem nobis, qui in Christum credimus.* Quasi concedatis etiam impiis esse præsentem. Si præsentem esse secundum promissionem nihil aliud significat, quam veracem esse in sua promissione: ita vt sicut reuera promittit verbis Christus, sic etiam reipsa sese, suam scilicet carnem & sanguinem percipiendum & fruendum offerat, damus esse præsentem omnibus qui cœnæ intersunt: quia nemini illudit Christus. Sed si præsentia alicuius rei definitur ex reali ipsius rei communicatione & participatione, licèt illa res procul etiam localiter distet: solis piis verè præsentem esse Christum, suo corpore & sanguine docemus: quia soli etiam verè illius fiunt participes. Id quod & vos in explicatione sententiæ Cyrilli confirmare videmini. Euam ad Adamum fuisse adductam legimus, Adamum autem ad Euam nunquam vidimus. Et melius etiam ad rem facit, si hoc alterum omittatur. Non enim Christi sponsi caro adducitur ad nos è cœlis, per aliquem descensum, sed nos ad illum per Spiritum suum. Quo etiam illud facit veteris Ecclesiæ, *sursum corda*. Alioqui simile à vobis adductum de coniugio, pulcherrimum est, & ad rem accommodatissimum. Cæterum, licet isto simili perpulchrè exprimatur κοινωνία illa perpetua, quam habemus semper cum Christo: censemus tamen, (ne videamini dignitatem & vtilitatem cœnæ Dominicæ extenuare) hoc esse addendum, nempe vnionem hanc in ipso ministerio tum verbi, tum maximè cœnæ Dominicæ, magis ac magis confirmari, & in ipsis fidelibus actu augeri, nosque in κοινωνία corporis & sanguinis Domini coalescere: idque vi Spiritus sancti qui tum sese efficacius in credentibus veráque fide Sacramenta percipientibus exserit: quemadmodum quisque nostrum, si verè pii sumus, reipsa experimur. Neque enim frustrà, præter quotidianam Euangelii prædicationem, instituit Dominus Iesus cœnam hanc suam: sed vt illius participatione magis ac magis cum ipso, sicuti dictum est, in vnum coalescamus, & magis ac magis fiamus caro de carne eius, eique penitus & firmiùs incorporemur. Hæc sunt quæ in confessione aut corrigenda aut explicanda esse censemus: idque tum propter imperitos, ne vlla ratione offendi possint: tum propter malos & aduersarios, ne vllam inde iustam occasionem, vos calumniandi, consensionémque turbandi, captare queant. Nam à bonis & doctis: hoc est huius mysterii intelligentibus nihil est metuendum, cum nemo eorum futurus sit, qui velit, aut possit confessionem hanc vestram, vllo modo, ad rem quod attinet, improbare, vel vllo etiam verbo offendi. Est enim (quantum iudicare possumus) consentanea cum S. literis, & cū illorum omnium, qui hac de re piè & eruditè scripserunt, sententia: & nullum in ea est verbum, quod nisi quis velit iniquus esse interpres, carpi meritò possit. Ergo propter imperitos & malignos, vt illis omnis offensio, istis omnis calumniandi occasio tollatur: quibusdam in locis, sicuti monuimus, temperanda sunt verba, & adhibenda explicatio.

Venimus nunc ad alia scripta. Ad argumentum illud aduersarii, in senatu vobis oppositum, prudenter & scitè responsum est. Maiorem tamen etiam sic explicari potuisse iudicamus. *Quale est edere & bibere, tale esse os, quo edendum & bibendum est.* Nam in sacris literis vt duo sunt homines, interior & exterior: sic quisque ipsorum suum habet os, aures, oculos, & cætera organa, vt notum est. Cùm autem Christus in cœna duo dederit edenda & bibenda, panem & vinum: ac corpus & sanguinem suum: vnum corpori, alterum Spiritui: idcirco duplicem esse edendi rationem. Ac quod ad carnalia signa attinet, illa edi ac bibi ore carnis: quod attinet ad verum Christi corpus, illud edi ore spiritus. Spiritualiter enim tunc edēdum Apostolis dabatur: & nunc etiam non aliter: vt taceamus, quod ipsum quoque corpus Christi, eo, quo Apostolus ad Corinthios loquitur, modo, spirituale iam est. Totam itaque veri corporis Christi manducationem, spiritualem esse, & ore spiritus fieri. Non improbamus loquutionem, *Sacramenta signa esse visibilia, rerum inuisibilium significatiua & exhibitiua*, quia sic etiam Augustinus loquutus est, sacramenta noui Testamenti vocans sacramenta, rem ipsam exhibentia. Mallemus tamen vsurpari phrasin Spiritus sancti de sacramentis, per ipsa videlicet, aut ipsis, rem cuius sunt sacramenta dari, iuxta illud *per Lauacrum regenerationis:* & illud, *Mundans eam Lauacro Aqua*, vt actio detur non sacramentis, sed sacramentorum autori, & rerum per illa significatarum, vero exhibitori.

Hæc ad vestra, quia petiisti, frater obseruande, vt liberum de omnibus diceremus iudicium, tibi vt gratificaremur, liberè & familiariter, vt inter fratres fieri debet, respondenda esse iudicauimus. Non quod reuera aliquid simpliciter improbemus: sed ne quod nobis consultius videtur, silentio præteriremus. Tu nostram libertatem æqui bonique consules. Restat scriptum aduersarii, in quo rationes continentur, cur se bona conscientia vestræ confessioni subscribere non posse, contendit. Responsiones ad hoc vestras non legimus. Non dubitamus tamen, quin omnia fuerint à vobis ita refutata, vt alia refutatione non sit opus: præsertim cum istud à nobis non petieris, & omnia facillima sint ad refellendum. Nam cum summa pendeat ab Amplissimo senatus mandato, ad cuius mandati tenorem, ait se receptum esse in ministrum: senatus autem mandatum fuerit, vt ex præscripto verbi Dei in primis, deinde confessionis Augustanæ, & aliarum quas commemorat, explicationum, doceret: si demōstretis sententiam vestram esse ex præscripto verbi Dei, cui conformes esse debent omnes confessiones: profectò omnes illius rationes instar fumi euanescant, necesse fuerit. Nam quod ait, noua ista declaratione vestra opus non esse, post tot alias præclaras à magnis viris & Academiis oblatas explicationes, nihil est. Sicut aliorum, sic etiam vestra examinanda est ad lapidem Lydium sacratum literarum, & ex analogia fidei. Si euicerit, vestram non esse consentaneam, licebit ei vestram reiicere: imò damnare debet eam, & ipse, & vos. Sin minus: non erit cur vestræ opponat confessioni, alias confessiones, aut declarationes. Si enim hæ quoque consentaneæ sunt cum sacris literis, cum vestra confessione pugnare non possunt, si vero dissentaneæ illæ, non vestræ reiiciendæ fuerint. Si hoc examen recu-

sat, reuocat papatum. Cur igitur Lutherus semper contendit, non esse ex iudicio patrum & conciliorum, de doctrina salutis iudicandum: sed ex solo Dei verbo, & ad huius normam, omnia aliorum scripta esse examinanda? Quasi vero posterioribus non liceat de prioribus iudicare. Sed quid si demonstretur, vestram confessionem, cum ipsa etiam confessione Augustana, Apologia, confessionibus Saxonicis, minimè pugnare? Hoc certè nos sentimus; si illæ confessiones æquum habeant interpretem: qui omnia dextrè, orthodoxè, & ad canonem verbi Dei interpretetur. Ita apparebit non esse leuitatem, si vestræ quoque subscribat confessioni, vtpote cum verbo Dei consentienti, & aliarum confessionum explicatrici. Cur enim confessionem primam, Augustanam scilicet tot aliæ sunt subsequutæ? vt superiores explicarentur: obscuriores & breuiores, per prolixiores & clariores. Leuissima ad summam, est aduersarii ratio: propter quam recusat consensionem vobiscum, in doctrina de cœna Domini. Semper enim amplectenda est veritas, à quocunque dicatur: quocunque tempore è sacris literis demonstretur. Porrò, quæ ab Antagonista subiicitur de cœna Domini confessio, non est cur ad illam nos respondeamus: cum neque id postulaueris, & simus persuasi, omnia quæ non rectè, nec consentaneè cum sacris literis ille tradit, a vobis fuisse refutata. Ex verbo Dei nihil probat: cum perperam verba Christi & Apostoli interpretetur. Quos adducit patres non intelligit, Corpus doctrinæ peruertit. Nam neque confessio Augustana, neque addita Apologia, neque confessio Saxonicarum Ecclesiarum, neque loci Philippi, nec eius Examen, nec denique responsio ad Bauaricos articulos, vllum verbum faciunt, de impiorum aut de orali, vt vocant isti, manducatione: hoc est, quod verum Christi corpus aut ab impiis, aut ore corporis percipiatur & edatur. Qui ergo vtranque hanc manducationem contendunt doceri in Corpore doctrinæ: ij manifestè omnes illas confessiones magna afficiunt iniuria. Id quod inde etiam abundè confirmari potest, quod autor corporis, Philip. honorificæ memoriæ, vtrumque ad finem vsque vitæ damnauit: sicut videre est in iudicio de cœna, quod ad illustrissimum principem nostrum, paulo ante mortem scripsit. Adde quod omnes fatentur, cibum esse non ventris, sed mentis. Nihil igitur ad os ventris, aut ad impios, qui mentem non adferunt, cibandum, sed tantum ventrem, pertinet corpus Christi. Quid quod ipse etiam aduersarius fatetur, se non probare manducationem Capernaiticam? Quid autem erat illa, nisi manducatio impiorum, & oralis? Sed quòd distinguit oralem manducationem, *in crassum & non crassam:* figmentum est hominis: ignotum scripturis, patribus, naturæ. Quid enim os corporis sumere potest, quod non sit corporeum, eoque sensibile & gustabile? Et Bucerus honorificæ memoriæ, etiam post concordiam cum Luthero initam, constanter docuit, verum Christi corpus, neque ab impiis, neque ore corporis manducari, testificans non aliam fuisse Lutheri mentem quum negauit localem & naturalem omnem inclusionem. Si enim caro Christi non est in pane inclusa, neque cum pane vlla ratione huius seculi coniuncta, certè non omnis qui panem edit ore corporis, carnem etiam Christi edit: neque ipsa ore corporis edi potest. Denique si istæ confessiones Corporis doctrinæ consentaneæ sunt cum verbo Dei, fieri nequit vt hanc oralem, impiorúmque manducationem doceant. Sacra enim Scriptura neutiam tradit, aut probat. Et sicut fideles ac pii, etiamsi non percipiant symbola, vt quum non possunt, corpus tamen Domini fide edunt, iuxta illud Augustini, *crede, & manducasti.* Sic contra impii, fide destituti, licet symbola percipiant, carnem tamen Domini non edunt. Neque exemplum Iudæ, quidquam contra nos facit. Si enim non nisi cœnæ paschali interfuit, qua ferè finita, vt docet Iohannes, statim exiuit, ne sacramentum quidem corporis Domini accepit. Si autem cœnæ Dominicæ etiam interfuit, *accepit quidem panem Domini,* (inquit August.) *sed non panem Dominum.* Certè Christus suis tantum discipulis suam carnem edendam, & suum sanguinem bibendum dedit, vt Euangelista & Apostoli apertè docent. Et illis duntaxat datur corpus Christi edendum, pro quibus etiam traditum est in mortem: Et sanguis bibendus, pro quibus in remissionem peccatorum effusus est: quemadmodum luculentissimè docent verba Christi. Quomodo igitur ab impiis reprobis, qui non credunt in Christum, editur & bibitur: cum pro ipsis neque orauerit Christus, neque mortuus sit? Ad extremum legantur diligenter verba confessionis Saxonicarum Ecclesiarum, & ibi reperietur: Christum testari se in illis esse, qui suum corpus & sanguinem sumunt: seque illos sibi facere membra, & suo illos lauisse sanguine. Ergo Ecclesiæ illæ sentiebant, ab illis non edi corpus Domini, in quibus non est Christus, qui non sunt membra Christi, qui non sunt loti sanguine Christi. Quare denuo concludimus, corrumpi Corpus doctrinæ, & magna affici iniuria confessiones, in eo contentas de Cœna Domini, ab iis, qui inde contendunt, ab impiis corpus Christi verum, oreque corporis manducari. Duo tantum, vno eodemque & constanti consensu vrgent illæ confessiones, quæ nos neque vnquam sumus inficiati, neque inficiamur; quia si rectè intelligantur, consentanea sunt cum verbo Dei. Quorum vnum est, Christum suo corpore & sanguine verè præsentem esse in Cœna, alterum verè etiam manducari & bibi. Sunt autem hæc duo ita simul coniuncta, vt vnum ab altero separari non possit. A quib. n. sumitur, illis etiam præsens est Christus, non solum Spiritu, sed etiam corpore & sanguine: quia etiam illi non tantum Spiritus Christi, sed & corporis & sanguinis eius fiunt verè participes. Eatenus enim aliqua res dicitur, & est alicui præsens, quatenus illa ab illo percipitur, vt vt localiter vel vicina, vel propinqua sit percipienti se atque fruenti. Sicut contra illa res dicitur absens alicui, à quo non percipitur: etiamsi loco vicina & propinqua illi sit. Certe Sol præsens nobis est, quum illius luce fruimur, tametsi longinquitate loci procul à nobis distet: contra absens, quum illius luce caremus. Præsens quoque est caput, tam pedibus, quam pectori; dum tam illis, quam huic suam vim, motum & sensum communicat. Vna enim & eadem anima, coniuncta sunt, atque concreta omnia cum capite membra. Cum itaque extra controuersiam sit, a veris Christi membris, veram Christi carnem, & verum eius sanguinem, verè edi ac bibi, idque ore spirituali, sicut & cibus ac potus spiritualis est, cibusque iste mentis est, non ventris, & cum nemo dubitet, quin simus cum Christo capite nostro, nexu eiusdem spiritus coniuncti, coniuncti, inquam, non solum animo, sed etiam carne & ossibus, ita vt verè simus os ex ossibus eius, & caro de carne eius: cumque in Cœna, participatione corporis & sanguinis Domini, magis ac magis in vnum cum ipso coalescamus, quis præsentem nobis esse Dominum in Cœna suo corpore & sanguine inficiari possit? Atque hæc est vera & salutaris præsentia corporis Christi in Cœna: quia illa quoque de qua supra, est vera & saluifica manducatio. Et hoc est quod Christus docuit; *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet: & ego in illo.* Mansio igitur & vnio pendent à manducatione. Cui præsentia hæc vera, certa ac salutaris, non satisfacit, sed quærit etiam vt corpus Christi sit sua substantia & realiter hic, id est, vel in pane, vel in loco, vbi panis dispensatur: is præterquam quod quærit rem nobis inutilem, cum natura autem corporis Christi pugnantem, indicat etiam se non satis intelligere, quæ vera regni Christi, & in eo viuendi, ratio: neque etiam verba Cœnæ rectè percepisse. Nam si vrgeat, *Hoc est corpus meum*: facilè habebit responsionem, Christum non dixisse, *hic*, sed *hoc.* Et Brentius in confessione Illustrissimi Principis Wittembergensis sic refutat Papistarum interpretationem, qui ex verbis, *Hoc est corpus meum*, transubstantiationem concludunt, vt obiiciat, illud Ezechielis cap. 4. de vrbe Hierusalem in lapide descripta, *ista est Hierusalem: Non necesse,* inquit *fuit, vt substantia lateris mutaretur in substantiam vrbis Hierusalem. ita quum de pane dicitur,* Hoc est corpus meum: *non necesse est, vt substantia panis mutetur in substantiam corporis Christi.* Hæc ille. Idem nos dici posse censemus aduersus eos, qui in pane, aut sub pane, aut cum pane, realiter coniunctum esse volunt corpus CHRISTI: hoc non colligi necessario ex verbis Domini: sicut neque ex iis verbis, *ista est Hierusalem*, inferri poterat, vrbem Hierusalem realiter esse in, vel sub, vel cum latere coniunctam. Satis enim est Sacramentalis connexio, seu vnio: quæ eiusmodi est, vt signum possit localiter abesse à re cuius est signum: vt interim tamen res verè per signum & cum signo, offeratur, & in vero ac legitimo vsu recipiatur: Deus per Ahiam Prophetam, ipsi Ieroboamo, exhibitione decem partium scissi pallij, decem tribus Israel reuera dedit, eumque super Israelitas regem designauit. Henrico in Gallia existenti per exhibitionem regalium symbolorum, traditũ est regnũ Poloniæ. Et Cæsaris filia, per legitimã annuli exhibitionẽ & receptionẽ facta itidẽ fuit Spõsa Regis Galliæ, in Gallia degẽns. vxor, & vna cũ illo caro. Nos quoq. in terris positi, facti sumus regni cœlestis in baptismo hæredes, spõsa Christi in cœlo regnãtis, vnaq. cũ ipso caro. Quid igitur mirũ, quod etiam

etiam in cœna aſumtione panis & vini, veram Chriſti in cœlo ad Patris dextram ſedentis carnem, & ſanguinem percipiamus, & magis ac magis cum ipſo in vnum coaleſcamus, caro de carne eius & oſſa de oſſibus eius fiamus: licèt noſtra in terris, illius verò in cœlo ſit caro, cum ſimus nexu eiuſdem ſpiritus cum ipſo, vt membra cum capite, reuera coniuncti, atque, (vt recepto vtamur verbo) incorporati? Quo etiam fit, (quemadmodum ſcitè explicaſtis) vt noſtra cum Chriſto κοινωνία, & ſpiritualis ſit & corporalis: & talis etiam omnino ſit illius in Cœna præſentia. Itaque non eſt cur Eccleſiæ Chriſti, aliam obtrudant præſentiam corporis Chriſti quàm quæ explicata eſt: & quam iudicamus ex verbo Dei deſumtam, à Corpore etiam doctrinæ minimè diſſentaneam eſſe. Denique perſuaſum habemus, Illuſtriſsimos Principes, & ſtatus Imperii, qui Auguſtanam confeſsionem, ſe amplecti profitentur ſua proteſtatione Numburgi facta, & ad Cæſaream Maieſtatem miſſa, vt non deflexerunt à verbo Dei, ſic nihil voluiſſe ab Auguſtana confeſsione declinare. Sic autem habent proteſtationis verba: *Ac ne in ſuſpicionem apud quenquam veniamus, quod reiecta Tranſſubſtantiatione veram præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in cœna negemus: Teſtamur non eſſe aliam ſententiam noſtram, quam quod in cœna Domini noſtri Ieſu Chriſti, exhibeatur & ſumatur verum corpus & verus ſanguis Chriſti, iuxta verba Euangelij,* Accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum*: & quod Chriſtus in inſtituto ſuæ cœnæ vſu, verè viuus, realiter & ſubſtantialiter præſens ſit: & cum pane & vino iuxta inſtitutionem ſuam nobis Chriſtianis ſuum corpus & ſanguinem exhibeat.* Primum nulla hic docetur oralis manducatio. Deinde excluditur manducatio impiorum, quia aiunt, nobis Chriſtianis*: qui autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.* Præterea diſertè ſignificatur non ſolum panem, quem nemo diffitetur corpus eſſe Chriſti Sacramentaliter, vnde & *corpus Chriſti Sacramentale* à nõnullis vocatur, ſed etiam verum Chriſti corpus, quod ſcilicet pro nobis mortuum eſt, exhiberi & manducari in cœna, id quod qui fatetur, cùm eo aiebat Lutherus in libro defenſionis ?.?., ſe nolle de verbis amplius contendere. Denique luculenter proteſtantur Principes: ſe credere Chriſtum ipſum, Deum ſcilicet & hominem, realiter & ſubſtantialiter præſentem eſſe in vſu ab iſto inſtituto (ſumentis ſcilicet iuxta inſtitutionem Domini.) Non ergo in abuſu, neque iis qui contra inſtitutionem ſumunt: vt faciunt, qui edunt panem ſine vera in Chriſtum fide. Nam his neque Chriſtus ipſe exhibet ſuum corpus, ſuumve ſanguinem: vt ex verbis Illuſtr. Principum patet. Illud enim non exhibet, niſi Chriſtianis, & iuxta inſtitutionem ſuam ſumentibus. Quod ſi quis præſentiæ nomine, nihil aliud velit intelligere, quàm ipſam realem in loco, vbi celebratur cœna, exiſtentiam: fatentur Chriſtum eſſe præſentem. Itaque ibi etiam exſiſtit Chriſtus, Deus & Homo. Quis vero hoc inficietur? ſed non aiunt hoc præſentiæ genere, ibi præſentem eſſe corpore. Non eſt igitur cur alij cogantur credere vel docere, quod Principes non proteſtantur: quaſi alioquin contra Auguſtanam confeſsionem faciant. Satis eſt, vbicunque ſit Chriſtus, ibi eum eſſe Deum & hominem: quia ab humanitate ſua nunquam ſeparatur, quanquam realiter exiſtat in cœlo. Vnus enim tantum eſt λόγος, qui totus ſibi humanam adiunxit naturam: eamque fecit ita ſuam, vt verum ſit, Deũ eſſe hominem: & Hominem hunc eſſe Deum. λόγος verò iſte, qui totus eſt in humana natura, & totus etiam vbique quia immenſus: naturam humanam quam ſumſit ſibi finitam, ſua ſumtione non fecit infinitam. Quare optime cohæret, Chriſtum, vbicumque eſt, ibi eſſe Deum & hominem: nec tamen humanam naturam eſſe, vbicunque eſt λόγος. Videmur nobis ſatis ſupérque explicuiſſe noſtrum de veſtris ſcriptis, ad nos miſſis iudicium: ac non obſcurè demonſtraſſe veſtram, cùm de aliis capitibus, tum de cœna Domini doctrinam, conſentaneam eſſe cum corpore Doctrinæ: quia in primis cum verbo Dei optimè cõſentit, cum nulla alia veri corporis Chriſti manducatio aut præſentia in Scripturis doceatur, præter illam quæ à nobis expoſita eſt, per fidem ſcilicet noſtram, & ſpiritum Chriſti facta. Contra aduerſarios, neque cum verbo Dei, neque etiam cum confeſsionibus in Corpore doctrinæ contentis, conſentire: cum nullibi vel Scriptura, vel Corpus doctrinæ doceat, verum Chriſti corpus, aut ore corporis, aut ab impiis, veráque fide deſtitutis, manducari: aut ſua ſubſtantia & realiter vel in pane, vel in loco, vbi frangitur panis, exſiſtere. ſcimus corpus Chriſti Sacramentale, vbicunque celebratur cœna, ibi realiter exſiſtere: tam ab impiis quam à piis ſumi, manibus percipi, oréque corporis manducari. Quo ſenſu quum ſæpiſsime loquuti ſunt Patres, quum ad cœnam Domini populos adhortarentur. Et eodem ſenſu loquutus eſt Paulus, quum reprehendit Corinthios quod panem Domini indignè acciperent, & menſa Domini abuterentur: ſed corpus Chriſti verum, quod cum pane & per panem verè exhibetur credentibus, neque in pane, neque multis ſimul in locis exiſtere, minus vbique: & credimus & confitemur & docemus, & coram toto mundo demonſtraturos nos eſſe, ſi opus fuerit, proteſtamur. Itaque hortamur etiam vos, vt in hac recta doctrina, quam edocti ſumus ex verbo Dei, & à Spiritu Chriſti, conſtanter nobiſcum vſque ad diem Domini, permaneatis. Neque vllis Satanæ & Mundi terriculamentis moueamini à ſententia. Veritas licèt magnos habeat & præpotentes aduerſarios, Satanam & eius membra: tandem vt ipſa vincat & triumphet, quia Chriſtus eſt illius defenſor, neceſſe eſt. Vale frater obſeruande, & vir eximie, & Dominus tibi adſit Spiritu ſuo: veſtrúmque ampliſsimum ſenatum ſuis cumulet donis & benedictionibus Heidelberg.

H. Zanchius, ſuo ſuorumque Collegarum nomine.

H. ZANCHII AD EVNDEM.

Non eſſe vtendum locutione, Panis eſt corpus verum & eſſentiale Chriſti.

SRE deliberata, frater chariſsime, decretum fuit, vt noſtra mitterentur ad te, non aliena: ſed hac etiam lege, vt illis vtaris ad veritatis defenſionem, non autem ad tuum triumphum abutaris: Ac quemadmodum vſum iſtius locutionis, qua de quæſtio eſt, non probamus, quanquam phraſin ipſam defendi poſſe dicamus: ſic tu candidè verumque & fideliter referas. Et certè cauſſæ ſunt non paucæ, neque leues, cur abſtinendum ſit, vtendum verò ſimplici ſermone Chriſti.

Primum, quoniam temeritatis crimine non caret, addere quippiam ſermoni Chriſti, quod ad explicationem non faciat, ſed maiorem pariat obſcuritatem, & pacem fraternam turbet. Si enim hæc propoſitionis explicatio vera eſt, *Panis eſt corpus Chriſti*, nempe, *Sacramentale*: ebq; non naturale: quomodo poterunt Idiotæ intelligere, quod ſit corpus Chriſti verum & naturale; Imò putabunt contradictionem implicari.

Quòd ſi excipias, vtrumque verum eſſe, ſed diuerſis reſpectibus: verum dixeris: ſed ſi poſſumus carere iſtis ἀντιλογίαις, cur non damus operam, vt careamus?

Deinde per ſe malè ſonant verba, vt qui verſatus eſt in S. literis ſimpliciter, abſque dialecticis argutiis, non poſſit aliter interpretari verba illa, niſi ipſum panem non eſſe figuratè, ſed propriè & verè corpus Chriſti ipſum. Nam etiam Iohannes in epiſtola, volens oſtendere, Jeſum eſſe non figuratè, nec nomine tantùm, aut per priuilegium, ſed naturaliter & eſſentialiter Deum, dixit: *Hic eſt verus Deus.* Ac quod Centurio dixerat, *verè Filius Dei erat iſte*, Iohannes in epiſt. expreſsit, per *verum Filium*: *& ſumus* (inquiens) *in vero Filio eius.* Sic Sapient. 2.18. *Si es verus Filius Dei*, id eſt, *verè & naturalis Filius.* Sic verum Deum à falſis diſcernunt Scripturæ vocando illum *verum Deum*, etiamſi non addant, *verè* aut *naturaliter*, vt Joh. 17. & alibi.

Poſtremò nil facit illa additio ad propoſitum Chriſti. Non enim inſtituit hoc Sacramentum propriè, vt ederemus ſubſtantiale eius corpus: ſed vt eſſet pignus ſuę mortis apud nos, illúdque fide perciperemus, non quatenus ſubſtantiale corpus eſt: ſed quatenus pro nobis in mortem traditum. Hanc ob cauſſam noluit dicere (vt potuit) *Hoc eſt corpus meum verum, ſubſtantiale*: ſed, *quod pro vobis traditur*, & ita de poculo.

Dubium verò non eſt, quin Aduerſarii iſta audita phraſi, mox eam interpretaturi ſint in ſuam ſententiam de craſſa & carnali præſentia. Neque tu carebis ſuſpicione apud pios, quòd velis hac ratione paulatim tete in gratiam aduerſariorum inſinuare. His itaque aliiſque de cauſſis rogamus te, abſtineas ab iſta phraſi: quanquam, vt diximus, & conſtanter dicimus, poſſit defendi, adhibita illa, quam tu adhibes, interpretatione. Rogamus etiam, moneas nos, an has acceperis nécne? & quomodo res ſuccedant. Vale Heidelb. 30. Januar. 77.

T. H. Zanchius ſuo & Collegarum nomine.

AD EVNDEM DE EADEM propositione.

S. Placuit porrò tabellario operiri totum diem, dum scilicet conueniremus: déque tuis scriptis deliberaremus. Conuenimus igitur, legimus, intelleximus. Breuiter autem respondemus. Primùm quòd doleas mortem optimi Principis, & quæ illam sequuntur incommoda, quodque tua nobis offeras officia, habemus gratiam tuámque laudamus pietatem: tuum quoque in scribendo, déque rebus illis monendo, quas non ignorare vtile est, candorem amamus, gratissimúmque habuimus. Quòd verò de mittendis scriptis à nobis petis; nondum certè aliquid tibi promittimus: quoniam nondum omnibus constat, an æquum sit, quod postulas: & metuimus ne incurramus in reprehensionem multorum: quod quæ priuatim hic acta sunt mittantur alio, præsertim ad partem aduersam, non consulta altera parte, an id ferre possit. Decreuimus igitur audire quorundam etiam fratrum iudicium. Interim curabimus describenda omnia, pro qua re retinemus thalerum, quem dedit tabellarius.

Summam verò nostræ responsionis, liberè vt possumus, sic etiam ad te scribere non grauamur. Hæc autem fuit: phrasin illam nobis non probari, præsertim vt vsurpetur in scholis & templis, idque tum propter rationes, quas attulit Antagonista ex Philippo, tum etiam quia notum est, eius locutionis autorem aliud voluisse, quam tu interpreteris. Non posse igitur ex illius vsurpatione aliud in animis auditorum relinqui, quàm ipsum panem esse verè ac realiter corpus Christi. Vt taceamus, quòd vitiosum est aliquid addere verbis Christi, cum præsertim nihil inde fructus ipsi Ecclesiæ accedere possit. Interim tamen adiecimus, si talis adhibeatur interpretatio, qualem tu, posse locutionem illam defendi, nihilque habere impietatis. Id quod multis confirmauimus, dilutis aduersarii rationibus atque exceptionibus. Quare cum conueniat inter vos de re atque sententia, vehementer nobis displicere, quòd de verbis contendatur, præsertim in hoc tempore, cum omnium piorum non vulgari offensione. Hæc fuit summa. Verum, vt antè dixi, si fratrum consilium fuit, mittemus descripta nostra omnia. Rationes, quas pro defensione propositionis adfers, ego solus legi, cum non vacaret fratribus, atque etiam probo, quatenus concludunt id, quod certissimum est, de pane non prædicari nisi corpus Christi illud ipsum verum, quod pro nobis in mortem traditum est, id quod qui negat, impius simul, & imperitissimus sit oportet.

Quòd verò attinet ad ea quæ in literis ad me inculcas de prædicatione, modóque prædicationis, quia non vacat iam, plura alias scribam ad te, & mittam primo quoque tempore, si nactus fuero nuncium. Interim esto in tuo Ministerio fortis, diligens & prudens, illud vnum semper habeas ob oculos, vt ædifices, non vt destruas. Vale optime frater, & perge amare fratres tuos. Heidelberg. 26. Ian. 77.

T. H. ZANCHIVS.

H. Zanchij ad eundem de nostra ad Deum conuersione.

S. Nos verò, frater obseruande, & tibi gratulamur, & nobis gaudemus, quòd quæ iudicabamus, imperitorũ & malignorum caussa opus habere explicatione, abundè explicasti. Hac enim percepta, nihil præterea à quopiam desiderari posse, nobis videtur. Certè trunci illi sunt, qui nos in conuersione ad Deum truncos esse volunt, & lapides. Cùm enim quisque sentiat reipsa, dum à Spiritu sancto illuminatur, renouatur, trahitur, se quod ignorabat, cognoscere, quod nolebat, velle, quod auersabatur, amare, à quo refugiebat, ad eum libenter & sponte currere, & quod vitæ genus oderat, illud ex animo amplecti, quomodo lapides ac stipites sumus? Verùm hoc vnum è S. literis didicimus, hominem in his, quæ ad pietatem pertinent, sua natura, eóque antequam fiat noua creatura, hoc est ante conuersionem esse animalem, & ideo quæ sunt Dei, nihil eorum intelligere posse: habere cor lapideum, & ob eam caussam, nisi prius à Deo carneum accipiat cor, quod flecti in ipsius obsequium possit, non posse velle, quæ suæ naturæ ingrata sunt, esse denique mortuum, ac proinde nisi præuentus à gratia Christi, per Christum viuificetur, nullum veræ & cœlestis vitæ opus præstare posse.

Quare in nostri conuersione primas Dei Spiritui esse dãdas, & illum in nobis, non sine nobis, per sese ἐνεργοῦντα, antequam nos possimus illi esse συνεργοῦντας: vt tota laus sit Deo, nos autem nulla in re possimus, nisi in Deo gloriari, qui efficit vt se cognoscamus, qui donat, vt se timeamus, qui denique operatur in nobis & velle & perficere, & omnia in omnibus. Homo certè mortuus omni sensu motúque caret. Quare ad sui viuificationem nil præstat; nihil agit, sed simulac viuificatus est, quis eum sensus & motus expertem esse dicat? Viuificati ergo viuimus, edocti intelligimus, donati bona voluntate, & bonum & bene volumus, denique acti agimus. Ita verissimum est, neminem nisi volentem trahi: sed vt trahi, sic & velle, à Domino Deo est. συνέργεια igitur nostram semper præcedit ἐνέργεια Dei. Neque nos prius credimus, quàm ille det spiritum fidei, neque prius resipiscimus, quàm ille det spiritum resipiscentiæ, imò neque etiam prius volumus aut credere, aut resipiscere, quàm ille præueniens nos sua gratia, efficiat vt velimus & credere & resipiscere: sed nos Spiritus sanctus initiò reperit omnes indignos, impœnitẽtes, incredulos, refractarios. Quare cum datur Spiritus S. quo ex incredulis, impœnitentibus, contemtoribus, fiamus credentes, pœnitentes, obedientes: non datur dignis, sed indignis. Ipse enim solus facit dignos. Atque hæc est vera de gratia Dei doctrina, cum de his sermo est, qui nondum facti sunt filij Dei, in qua, inter Patres, excelluit D. *Augustinus*: inter nostros Doctores, sanctus Dei vir *Lutherus*. Aliam verò rationem esse eorum, qui iam facti sunt filij Dei, non ignoramus. In his enim continuat & auget gratiam, vt quod incœpit, perficiat vsque in finem. Quanquam horum alij se dignos, alii minus dignos exhibent. Ita conciliari possunt facilè, quæ alioqui multis videntur pugnantes doctorum virorum sententiæ.

Neque verò hæc in alium finem, quàm vt intelligas, ita nos à Manichæis dissentire, vt tamen (sicut & vos pulchrè docetis) nihil velimus Pelagianis, inimicis gratiæ Christi, concedere.

Cæterum animaduertimus, nos sanè non intellexisse, quid præcisè à nobis velles, cum de tuis scriptis consilium iudiciúmque nostrum petiisti. Non enim putauimus nostrum responsum exhibendum esse aliis, sed tibi soli, & tuis tantum fratribus tradendum. Ea fuit causa, cur liberè & familiariter, de aliis quoque argumentis, quàm de Cœna, idque simul cum responsione ad quæstionem de cœna, tibi nostram diximus sententiam, alioqui seorsim hæc acturi. Nunc si quippiam cupis pro caussa Christi à nobis scribi, & sigillo facultatis nostræ obsignari, tuum erit significare, non grauabimur tibi gratificari. Vale optime frater. Dominus tuos labores, quos pro veritatis defensione suscipis, feliciter promoueat. Heidelb. 17. Febr. Anno 1577.

T. H. ZANCHIVS.

H. Zanchij ad D. Euichium Medicum Bremensem, de superiori propositione Saleburgij.

S. NVNC ipsum, Clarissime D. Doctor, accepi literas tuas, datas 8. Octobr. hoc est, biduo post mortem optimi & sanctissimi Principis nostri, qui in cœlo regnans cum Christo, reliquit nos omnes summo in luctu atque lachrymis. Quatriduum est, ex quo binas ad te dedi, missas Spiram ad quendam, qui curaret istuc perferendas. Quia credo si nondum accepisti, te omnino accepturum, ea res facit, vt sim in his breuior. De filio nihil addam, quia in illis satis, & de pecunia, quam eius nomine solui bibliopolæ, & quæ debetur mihi pro aliis libris, quos commodaueram illi, sed secum abstulit. Miscellanea non audet, qui promiserat, nunc curare recudenda, post nimium alterius Electoris aduentum. Sub prœlo tamen est liber meus *de Natura Dei*, seu *de Attributis*, quoniam iussu prioris Principis cudi cœperat.

Venio ad Saleburgium: sed si prius tibi dixero, ex Italia me

me nihil habere, nisi pestilentiam vehementer adhuc ibi grassari, Venetiis & Mediolani cumprimis. Saleburgio dixi priuatim sæpius, talem phrasin mihi nullo modo probari, tum propter caussas, quas ipse in suis scriptis attulit: tum quòd sciam, interpretationem, quam affert Superintendens, longè diuersam esse à Lutheri, qui prior sic locutus est, atque etiam aliorum, qui illius se discipulos esse profitentur, sententia: & quòd plebs etiam nunquam aliter intelliget, quàm hactenus intellexerunt Lutherani omnes.

Cæterum an possit defendi eo sensu, quo Antagonista interpretatur, nempe vt nomen *substantiale & verum*, nihil aliud sint, quàm explicationes prædicati, vt hic sit sensus: *Panis est Sacramentum corporis Christi veri ac substantialis, illius nimirum quod pro nobis traditum est*: mihi omninò videri, posse defendi. Atque hoc esse, quod Aduersarius ait, *Esse corpus Christi substantiale*, sed non *substantialiter*. Improbari tamen: quod ille tam intempestiuè, & in hoc tempore, quo videmus quorsum spectent res, ausus sit vsurpare hanc locutionem. Hæc fuit summa semper mei sermonis. Addit & alios, quid responderint multi, noui, mecum scilicet consentance: quid alii, ignoto. Scripsit igitur Epistolam Saleburgius ad totam Facultatem nostram, petens vt scripto responderemus. Exemplum prioris responsi nostri, à D. Boquino concepti, mitto ad te, quia breue. Homo hac epistola non contentus, quod non simpliciter suæ subscriptum fuerit sententiæ, dedit scriptum valde dentatum atque etiam sophisticum. Hoc accepto, iudicabant reliqui omnes, silentio esse contemnẽdum, quòd videretur homo φιλόνεικος, nihil aliud quærere, quàm nouas rixas: ingenium habere Clebitianum. Ego vnus restiti, omnino esse respondendum, ne possit gloriari, nos aut noluisse, aut non potuisse.

Respondi itaque ego, modestè quidem, sed ita tamen, vt potuerit intelligere, se non vsque adeo bonam tueri caussam aduersus hanc Ecclesiam, cuius Confessionem Germanicè olim scriptam ab Vrsino, vehementer perstringebat. Ostendi igitur & Dialecticè & Theologicè, locutionem illam posse defendi, quanquam, vt dictum est, mallemus omnes loqui, vt locutus est Spiritus S. Responsi huius exemplum non mitto, quia non potuit describi, est enim prolixum, 8. f. liorum & amplius. Optarim tamen à te legi, imò ab omnibus piis & doctis, & eorum audire iudicium.

Responso nostro accepto, nihil ille ampliùs ad nos vel verbo, vel scripto. Neque Gualterus, neque quispiam alius poterit, credo, improbare sententiam nostram, si eam vel semel legant. Sed neque audeo illam spargere, ne fortè putet homo sibi fieri iniuriam, & se quasi traduci. Pete tu ab illo. Non est, mi Eyvichi, cur de sententia nostra dubites, aut constantia in defendenda veritate. Imò quia amans sum veritatis, & homo candidus, propterea fui autor, vt responderetur: & respondi ipse nomine omnium, quod omnino scio esse verissimum. Tu ipse alias iudicabis. Plura in præsentia non possum propter angustiam temporis. Vale, & me ama, ut pergis. 21. Nouemb. 76.

H. ZANCHIVS AD EVNDEM.

SMITTIMVS frater obseruande, quæ potuimus è Græcis exemplaribus Chrysostomi, Oecumenii & Basilii exscribere. Nam Cyrillum nunquam & nusquam, ne in Bibliotheca quidem Principis, reperire potuimus: nec credo facilè posse reperiri. Nam diu quæsiui à Typographis Francofurti & ipsum, & Athanasium Græcè (Latinos enim habeo) sed neutrum inueni. Reliqui ferè omnes sunt apud me, qui extant. Nihil in his, quæ mittimus Patrum testimoniis video, quod contra nostram faciat sententiam, quamplurima verò, quę tuentur: vt quæ scribunt οἱ ἐν Κωνσταντίνῳ, & quod Chrysostomus ait, nos vniri corpori Christi διὰ τοῦ ἄρτου τούτου. Panis igitur differt à corpore Christi, neque est essentialiter aut substantialiter vel corpus ipsum Christi, vel corpus Christi in se continens, ac si per panem hunc, vnimur illi corpori, quod τῷ λόγῳ vnitum est, quodque pro nobis traditum est in mortem, & nunc in cœlo viuit: perit igitur corpus maiestaticum. Quod verò idem Chrysostomus de poculo scribit quod in poculo est, illud esse τὸ ῥεῦσαν ἐκ τῆς πλευρᾶς, Sacramentaliter intelligit, quẽadmodum & Christus panem dixit esse illud suum corpus, quod pro nobis traditum est, & vinum, sanguinem, qui pro nobis effusus est. Salutabis D. Superintendentem, & dices, me illi offerre quicquid possum officiorum, & eum à me amari propter pietatem & eruditionem, atque constantiam in tuenda veritate. Tantùm velim eum rogatum, vt quoniam hic audiui, illum plus quàm par sit in doctrina de prædestinatione & de libero arbitrio φιλοπελαγιάζειν, legat diligenter opera Augustini contra Pelagianos, & D. Prosperum aduersus Cassianum, & ad capita seu articulos Gallorum, Diuúmque Bernhardum de libero Arbitrio: Aquinatem etiam ipsum, si non dedignatur Scholasticos, atque inter nostrates, legat & relegat aureum libellum Lutheri, *de seruo Arbitrio*. Fuit ille in hac doctrina & de iustificatione omnium excellentissimus, quia discipulus Augustini: Vtinam tam bene sensisset de sacramentis, & Augustinum fuisset secutus etiam in hac parte. Dixi semel Argentinæ, de meo loquens Antagonista, qui de cœna sequebatur Lutherum: de libero autem arbitrio, & prædestinatione Philippum, hominem hunc ex optimis quibusque sibi seligere pessima quæque. Opus igitur est iudicio, nec in cuiusuis hominis iurandum est verba. Rogo facias tu officium cum homine, meo nomine: & valete felices. Responde, An vobis sit satisfactum his ex scriptionibus.

T.H.ZANCHIVS.

H. Zanchius Clarissimis Viris & obseruandis fratribus, Theologicę facultatis Academiæ Heidelbergensis Doctoribus & Professoribus, Dominis meis colendissimis, Gratiam & Pacem.

ACcepi, quas ad me misistis, viri Clarissimi vestras, fratrum Geneuensium, & Bernensium literas, & simul etiam N. librum, eaque omnia, vt mihi perlegerentur diligenter curaui. Perplacuit mihi Bezæ analysis de iustificatione, & simul etiam diligens Bernensium totius rei cum N. gestæ explicatio. Doleo autem vehementer talem controuersiam Lausannæ in hoc præsertim tempore, quo Ecclesiæ satis superque turbatæ sunt, & omnia armis perstrepunt, excitatam fuisse. Sed quid agas? *Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant.* Quod verò à me quoque petatur de libello N. iudicium: id superuacaneum fuit, cùm vestrum satis esse potuisset. Quis enim ego sum in tali præsertim ætate, cui & legendi & scribendi adempta est facultas? Quia tamen qui petierunt, magni sunt, magnæque autoritatis viri, & quod petunt, pium atque honestum est, idcirco malui illis morem gerendo, ineptior, quàm iusta denegando, superbus atque ignauus videri. Accipite ergo paucis.

Autor libri, quem de facie nunquam, quod sciam, noui, bene doctus atq. eruditus, & in primis in Aristotele optimè versatus mihi visus est, ac proinde talis, qui meo quidem iudicio nec contemnendus est, nec irritandus: sed potius amicis collocutionibus, fraternis officiis, & placida tractatione intra nostras Ecclesias retinendus. Vt enim bonus est Philosophus, ita etiam fieri poterit melior Theologus. Ad librum verò ipsum quod attinet, vt multa habet, quæ mihi vehementer probantur, sic rursus nonnulla, quibus subscribere non possum. Quomodo enim cum Scripturis, aut cum analogia fidei, aut cum recepta in veris Ecclesiis doctrina consentire conciliarive possint, ego planè non video: vt taceam, quòd omissis vsitatis inter Theologos vocibus & phrasibus pleraque omnia Philosophicis explicare & probare conatur: Noua autem verba, noua nomina, nouæque locutiones in Ecclesia, noua etiam dogmata adferre solent, ac si non semper adferunt, res tamen nouas excogitandi iam hæreticis, quàm imperitis hominibus occasionem præbere possunt.

Cæterum, vt ad primam ac principem quæstionem, quæ est de hominis iustificatione accedam, quis doctus vir, nisi prorsus doctrinæ Euangelicæ imperitus, huius boni viri, & docti Philosophi sententiam, hominem nimirum sola inhærente iustitia, non autem illa, quæ reapse in Christo est, iustificari coram Deo, probare queat? In philosophia quidem quòd iste tradit, verissimum est. Omnis enim res, quæ talis aut talis, siue ἀπλῶς, siue κατὰ συμβεβηκὸς esse dicitur: ea non nisi per propriam, & realiter in ipsa re existentem, non autem per alienam, & extra se positam formam, verè talis esse dici potest. Nemo enim hominum per humanitatem, quæ in ipso non sit, sed in nescio quibus idæis Platonicis existat, verus homo verè dici potest. Neque quis aut sapiens & iustus, aut albus vel niger reuera dici poterit nisi tales qualitates non extra se, sed in seipso realiter habeat. Quis enim discipulum indoctissimũ, doctrina quæ in Præceptore est, doctum appellet? Totum hoc

Physice & in Philosophia verum est, sed in Theologia Christiana, quam Apostolus Gentibus stultitiam esse prædicat, longè aliter se res habet.

Duplicem enim iustitiam nobis sacræ tradunt Literæ, qua electi gratis à Deo donati, iustificati & iusti esse dicuntur. Vnam perfectissimam & numeris omnibus absolutam: alteram, imperfectam & in nobis inchoatam in altero duntaxat seculo perficiendam. Vnam, quæ sicut ab operibus nostris non pendet, sic neque per opera perfici potest: alteram, quæ licet ex gratia, non autem propter opera donetur, per opera tamen incrementum accipit & perficitur. Vnam, qua donati ita coram Deo iustificamur, vt in ipsius Dei conspectu atque iudicio pro omnino inculpatis & iustissimis reputemur & reapse habeamur: alteram, quæ non solum nos coram hominibus iustos reddit, verum etiam gratos nos Deo magis ac magis efficit, & promissiones habet vitæ præsentis pariter & futuræ. Vnam denique extra nos in solo Christo tanquam in capite nostro realiter positam, nobis verò imputatam, eóque nostram per imputationem effectam. Alteram verò in nobis reapse existentem atque inhærentem. De priore sunt omnia illa testimonia Prophetica & Apostolica, quibus docetur, homines non ex operibus, sed per solam fidem in Christum apud Deum iustificari, vt speciatim ad Romanos, ad Galatas, & alibi Apostolus demonstrat. De altera, sunt illa Apostolica dicta, *Qui facit iustitiam, iustus est: Qui iustus est, iustificetur adhuc.* Neque enim hoc dictum de illa perfectissima iustitia simpliciter intelligi potest, cum nullum capiat incrementum.

Quænam verò, & quid est illa prior iustitia? Vt breuiter cum Apostolo, & vno verbo quod res est, dicam: Est illa perfectissima Christi obedientia, qua factus homo, primùm quidem totam Dei legem perfectissimè ad finem vsque vitæ impleuit, idque non tam pro se, vt singularis homo, quàm pro nobis, totaque Electorum Ecclesia, vt ipsius caput & seruator, quo nimirum nobis æternam vitam, omnibus legem Dei perfectè seruantibus promissam promereretur: iuxta illud, *Qui fecerit hæc homo, viuet in eis:* & qua deinde, ex mádatu patris factus illi semper & in omnibus obediens, mortuus est propter peccata nostra nimirum expianda, &, per consequens, vt nos à peccatis, & à morte æterna, quæ stipendium est peccati, liberaret. Ex his autem duabus obedientiæ Christi partibus, duæ etiam nostræ iustificationis partes existunt, ex morte quidem Christi, remissio peccatorum, & liberatio à morte æterna: ex perfecta autem legis impletione, gratuita perfectæ iustitiæ imputatio: ita fit, vt sicut propter mortē Christi, nostra nobis peccata non imputantur, & à morte liberamur: sic etiam propter perfectam legis impletionem, perfecta Christi iustitia nobis imputetur, qua æterna vita digni in Christo à Deo habeamur, vt paulò post paucis demonstrabimus. Atque hæc de priore, quænam illa sit iustitia.

Altera verò est animi, seu mentis nostræ renouatio per Spiritum sanctū in nobis inchoata, qua incipimus odisse malum, & amare bonum, diligere iustitiam, & odio habere iniquitatem: obedire legi Dei, & repugnare legi peccati, qua denique etsi legem Dei neque totam, neque perfectè seruare possimus, in eius tamen faciendæ studium ex animo incumbimus. Qua de caussa fit, vt hæc iustitia, inchoata & inhærens iustitia *nouaque obedientia* appellari soleat. Hæc autem posterior, prioris est effectum, à priore inseparabilis, duabúsque constat partibus, mortificatione nimirum veteris, & viuificatione noui hominis, odióque peccati, vt dictum est, & dilectione iustitiæ, sinceroque bonorum operum studio. Vtriusque porrò iustitiæ fons & princeps, est ipsa æterna & gratuita Dei in Christo, in quo & electi fuimus, secundum propositum voluntatis suæ, erga nos dilectio, iuxta illud: *Sic Deus dilexit Mundum, vt Filium suum vnigenitum dederit, &c.*

Hæc quę de duplici iustitia diximus, ex scripturis certa & perspicua sunt: vt ex Patribus, aut ex nostri seculi doctissimis viris testimonia proferre minimè sit necesse. Ex quibus etiam liquet, cum sint inter se longè diuersæ hæ iustitiæ, quàm diuerso etiam sensu per has dicamur iustificari.

Priore quidem iustitia nos iustificari docent S. Literæ, quod ante tribunal Dei propter illam, fide à nobis apprehensam, tum ab omnibus peccatis absoluimur, atque à morte æterna liberamur, tum iustissimi pronunciamur, vitáque æterna digni censemur. Atque hanc significationem propriè verbum illud forense *iustificandi*, apud Apostolum habet, cū disputat de iustificatione, sine operibus. Altera verò iustitia ideo iustificari dicimur, quia per illam in animos nostros realiter à Spiritu S. infusam renouamur, & reapse ex iniustis iusti fimus, imperfectè quidem in hoc seculo, idque vitio carnis nostræ, perfectissimè autem in altero, cum Deus erit omnia in omnibus. Hinc etiam facile est colligere, quamobrem Apostolus de priore disputans, sola fide nos iustificari aduersus Pseudoapostolos demōstret: de altera autem non item. Ratio est, quia prior tanquam extra nos in Christo posita, sola fide, h. e. cognitione, assensu & πληροφορίᾳ apprehenditur: Altera verò à priore, tanquam illius effectū, eoque certū nostræ apud Deum verę iustificationis testimonium, realiter in nos vi Spiritus sancti deriuatur, & nostris operibus fouetur & conseruatur.

Nunc ex his quæ diximus, facile fuerit iudicare quid de libello N. ad articulum de iustificatione quod attinet, sentiendum sit. De posteriore iustitia quam nos *inhærentem* vocamus, ille verò qualitatem patibilem, non prorsus malè scripsit. Duo hæc mihi in eo displicent. Vnum, quod hanc iustitiam, omissis nominibus, quibus in S. literis à Spiritu S. significatur. & verò etiam illis neglectis, quibus eā tum Patres, tum nostri doctores appellare soliti sunt, nouo à Philosophis sumto nomine, vocare maluit, præsertim cùm non videam, quomodo hac voce melius explicetur id, quod Spiritus S. suis vocibus exprimere voluit. Alterū, quod huic imperfectæ, id quod propriū est superioris perfectæ in Christo iustitiæ attribuit, nempe vt hac tāquam formali caussa verè coram Deo ad iustificationem vitę iustificemur. Hoc enim ex diametro pugnat cum doctrina Apostolica, quemadmodum aduersus Pontificios à nostris è S. literis, & vero etiam ex patribus abundè & perspicuè in multis disputationibus & colloquiis, multisque editis libris demonstratum est: atque ita demōstratum est, vt plerique etiam ex Pontificatu Doctissimi viri, tam Cardinales & Episcopi, aliique prælati Ecclesiæ Romanæ, quàm alii, quos vocant, Laici, in hanc Protestantium sententiam tanquam doctrinam verè Apostolicam & consolationis plenam consenserint: Cùm enim Pontificii (vt præter alia in disputatione Ratisbonensi per Bucerum conscripta videre est) cōtenderent, charitatem, formalem esse caussam, qua coram Deo verè ad iustificationem vitæ iustificemur, hoc est vt illi interpretabantur, ex iniusti fiamus, nostri primum apertè ex scripturis euicerunt, verbum *iustificandi* in hac iustificatione de iustificatione vitæ, aliam habere significationem: nempe nos à peccatis absolui, pœnaque peccatis debita liberari, & contrà, iustos vitaque æterna dignos censeri. Deinde hoc, non per aut propter nostram Charitatem, aut propter vllam aliam virtutem in nobis existentem, sed ex sola Dei misericordia, & propter solam iustitiæ Christi imputationem, fieri luculentissime demōstrarunt. Neque tamen propterea iustitię inhærentis necessitatem negarunt, aut dignitatem extenuarunt, aut denique vtilitatem dissimularunt. Illam enim à superiori iustitia inseparabilem esse docuerunt, & eam veram, non hypocriticam apud Deum esse iustitiam prædicarunt: & denique multiplicem habere vsum, cùm habeat & ipsa promissiones vitæ præsentis pariter & futuræ, ostenderunt. Sed duabus potissimum de caussis, huic iustitiæ, iustificationem vitę ademerunt, tum quia ita imperfecta est illa, vt in Dei iudicio consistere nequeat. Semper enim dum viuimus in hac carne, imperfecta in nobis est fides, imperfectę denique omnes Christianę virtutes, in quibus hæc inhęrens consistit iustitia, tum, quia alioqui beneficium Christi extenuaretur, aut potius tolleretur, iuxta illud Apostoli: *Si per legem iustitia, Christus frustra mortuus est.* Ad illas demonstrationes remitto N. nostrum.

Ac certum est, cum Apostolus negat, hominem ex operibus iustificari, & iustificationem soli attribuit fidei, illum ab officio iustificandi, iustificatione nimirum (vt Apostolus loquitur) vitæ, omnem nobis inhærentem qualitatem, seu iustitiam aut virtutem, atque adeo ipsam quoque fidem, quatenus qualitas & opus nostrum est, excludere, soli autem misericordiæ Dei, iustitiæque Christi per fidem apprehensæ illud attribuere. Quo illa dicta Danidis verè sancti & pij spectant: *Non intres in iudicium cum seruo tuo, Domine: quia nullus apud te iustificabitur viuens.* Et, *Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit:* & id genus alia. Hanc igitur, de qua est disputatio, iustificationem, *patibili* (vt N. vocat) qualitati seu charitati, seu denique iustitiæ attribuere, quid aliud est, quàm errorem Pontificiorū millies luculentissimis testimoniis scripturarum & Patrum à nobis refutatum, & ex omnibus Ecclesiis profligatum, denuò in Ecclesiam, quasi postliminio reuo-

reuocare? Atque hoc vnum eſt ex præcipuis, quæ in illo libello mihi diſplicent, & nullo modo ferendum eſſe indico. Ac de hac re ſatis.

Nunc de priore eaque perfectiſſima iuſtitia, quam in ſolo Chriſto eſſe prædiximus, & quam duabus rebus, remiſſione nimirum peccatorum, & perfectæ iuſtitiæ Chriſti imputatione conſtare docemus, quid mihi N. ſentire videatur, dicam. Eam partim admittere, partim non admittere videtur. Admittere quidem, quia ad noſtri iuſtificationem, remiſſionem peccatorum neceſſariam eſſe ſcribit: Non admittere autem, quia perfectam Chriſti iuſtitiam, legiſque impletionem nobis imputari pernegat. Sed quomodo iſta cohæreant, videre non poſſum. Nam ſi formalis, vt ipſe docet, cauſſa qua iuſtificamur, qualitas quædam eſt patibilis in animis noſtris à Deo inſita, quomodo per remiſſionem peccatorũ iuſtificari dicimur, quæ qualitas non eſt, ſed actio potius Dei, qua peccatum nobis non imputat? Si autem hoc non impedit, quin peccatorum remiſſio ad veram noſtri iuſtificationem neceſſariò pertinere iudicetur: cur perfectam legis impletionem, quã Chriſtus pro nobis præſtitit, ideo quia qualitas non eſt in nobis inhærens, à noſtri iuſtificatione excludit? Si verò ſanguine & morte Chriſti parta nobis eſt abſolutio à peccatis, & à morte æterna liberatio: cur non etiam hoc nobis Chriſtum ſua perfecta legis impletione comparaſſe fateamur, vt apud Patrem perfectè iuſti, & æterna vita digni cenſeamur?

Nunc itaque paucis monſtrandum eſt N. qui remiſſionem peccatorum ſanguine Chriſti nobis partam in iuſtificatione concedit, ipſius quoque plenam legis impletionem, quam *imputatam iuſtitiam* vocare ſolemus, ab eadem iuſtificatione excludi non poſſe. Contentus autem ſuero vno duntaxat Apoſtoli loco, eoque inſigni, & ad hanc quæſtionem explicandam maximè accommodato. Ad Rom. 5. vbi ſicut originem peccati & mortis, quæ in omnes homines tranſierunt deſcribit, ſic etiam fontem veræ iuſtitiæ & vitæ nobis reſtitutæ aperit: de Adamo & Chriſto, quorum prior typus poſterioris fuiſſe dicitur, loquens, hunc in modum ſcribit verſ. 12. *Propterea ſicut per vnum hominem peccatum in Mundum introijt, ac per peccatũ mors, & ita in omnes homines mors tranſiit, in quo omnes peccauerunt*: Et paulò poſt, verſ. 19 ſubiungens ait: *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita per vnius obedientiam iuſti conſtituentur multi.*

Duo hic ſunt non contemnenda argumenta, pro noſtræ ſententiæ confirmatione.

Principio diſertè pronunciat Apoſtolus, omnes homines in Adamo peccaſſe, hoc eſt, cùm Adamus per inobedientiam de vetito fructu comedit, totum humanum genus eodem inobedientiæ crimine implicitum fuiſſe. At quomodo, inquiet aliquis, potuimus in Adamo peccaſſe: & de illo fructu comediſſe, cùm nondum creati & nati eſſemus? Reſponſio eſt, quia eramus omnes in lumbis Adæ, ideo omnes nos in illo peccaſſe dici. Eandem enim ob cauſſam in Epiſt. ad Hebr. cùm Abraham decimas daret Melchiſedeco, ipſe etiam Leui, qui nondum natus erat, decimas eidem cum Abramo dediſſe dicitur. Sicut igitur, licet Leui in ſua perſona actu, vt ita loquar, non dedit decimas Melchiſedeco, actio tamen Abrahæ parentis, in cuius lumbis erat, ipſi quoque per imputationem in Scripturis attribuitur: Sic etiam, licet nos in Adamo actu noſtris ipſorum dentibus de vetito fructu non comederimus, inobedientia tamen Adæ, in cuius lumbis eramus, per imputationem meritò nobis aſſcribitur. Neque enim actio illa Adę contra mandatum Dei admiſſa, in poſteros actu tráſferri potuit, ſed per ſolam imputationẽ ex aliena, facta eſt etiam noſtra. Cum ergo Apoſtolus dicat per inobedientiam, nempe vt explicatum eſt, imputatam, omnes homines peccatores eſſe conſtitutos: Quid mirum, ſi quod ſequitur de Chriſti obedientia, eodem ſenſu interpretemur. Imò ſi inobedientiam Adæ, nobis imputari fatemur: cum non magis obedientiam Chriſti per imputationem, noſtram fieri dicamus: quando, vt Apoſtolus docet, maior eſt vis obedientię Chriſti, quàm inobedientiæ Adæ? Certè & verba Apoſtoli: & ratio antitheſeos Apoſtolicæ, id poſtulant. Eſto igitur hoc primum argumentum ex hoc Apoſtoli contextu, nempe ab illa particula SICVT, petitum. Per inobedientiam Adæ omnibus qui ex eius ſemine per naturalem propagationem naſcituri erant, imputatam, omnes homines, conſtituti ſunt iniuſti: Ergo omnibus etiam, qui ad Chriſtum, tanquam membra ad caput pertinent, quique per illius ſpiritum regenerantur, perfectam illius obedientiam imputari, perque illam corã Deo iuſtos eos cenſeri, fatendum eſt. Conſequentia manifeſta eſt ex Apoſtoli contextu. Antecedens ſi quis neget, ac verba Apoſtoli ſic explicet, quod nimirum homines iniuſti facti ſint, non per inobedientiam Adæ illis imputatam, ſed quod per, id eſt, propter hanc inobedientiam, omnes in peccato, h. e. in naturæ corruptione concipiantur & naſcantur, & per hanc duntaxat, i. per inhærens peccatum, iniqui & rei mortis conſtituantur: is facilè Apoſtoli verbis refellitur, qui ait, Omnes in eo non iam *peccare*, ſed *peccaſſe*, nimirum cùm ipſe de fructu vetito edens peccauit. Non peccarunt autem in eo, vt cum Scholaſticis loquar, actualiter. h. e. propria ipſorum actione, & in ſe ipſis, cum nondum nati eſſent. Originaliter ergo. i. actione parentis, communi illis, ideo per imputationem effecta, quia in illius erant lumbis, & ea re vnus cum illo homo. Neq. n. Adamus vt priuata tantùm perſona, ſed vt totius humani generis origo, parens & caput peccauit.

Præterea, ſi tantummodo dixiſſet Apoſtolus, *per vnum hominem peccatum introiit in Mundum*, aliquid coloris haberet iſta exceptio: quia corruptio naturæ ſine vlla liberorum actione in eos transferri potuit. Nunc autem illis verbis non contentus Apoſtolus, adiecit verbum, quo ſignificatur actio quædam Adami, & omnium in eo liberorum communis: cùm ait, IN EO PECCAVERVNT. Quænam autem actio illa fuit? Ea nimirum, qua Adamus omnium hominum parens, de vetito fructu accepit & comedit. Quomodo autem facta fuit omnium hominum communis, niſi per imputationem? Ideo. n. dicuntur comediſſe de fructu vetito, quia quod egit parens, omnib. liberis imputatum eſt, non ſecus atque quod agit caput alicuius collegij vel corporis, illud ſingulis membris, tanquam commune factum ſiue bonum, ſiue malum imputatur, & commune fit omnium. Atque hoc inde confirmatur, quia mandatum Dei de non edendo fructu, non ſolùm ad Adamum, ſed etiam ad omnes eius poſteros pertinuit. Nunquam. n. propter illud mandatum cuiquam hominum de illo fructu edere licuiſſet. Ergo ſi mandatum fuit commune omnibus, tranſgreſſio quoque illius mandati, communis omnium fuerit neceſſe eſt. Annon verò etiam pœna, quam Deus mandati ſui tranſgreſſoribus minatus fuerat, & quæ inobedientiam illam mox conſecuta eſt, nempe mors, fuit & eſt communis omnium hominum? Maximè. Apoſtolus. n. ſicut peccatum, ſic etiam mortem in mundum & in omnes homines introiiſſe ait. Ergo ipſum quoque peccatum, ſiue illa actualis inobedientia, communis facta eſt.

Neque illud prætereundum, quod ait, *in eo.* ſignificat. n. eos, licèt non in ſe ipſis actualiter, in ipſo tamen Adamo vt in capite, tanquam vnius eiuſdemque corporis membra, verè, ſed originaliter peccaſſe.

Nec de ſolis illis, qui ante ſe fuerunt homines, locutus eſt Apoſtolus, omnes illos peccaſſe, quaſi verbo *peccandi*, peccata duntaxat illorum actualia & propria, per concupiſcentiam iam in illos deriuatam admiſſa intelligere voluerit, ſed de omnib. in vniuerſum, qui nondum nati erant, & ad ſimilitudinem præuaricationis Adę peccare nondum potuerunt, locutus eſt, vt hinc intelligeremus, ei ſermonem fuiſſe de peccato, quod in Adamo per imputationem omnium factum eſt commune. Quomodo. n. peccaſſe in Adamo dici potuerunt, niſi quia quod admiſit parens, omnibus & ſingulis poſt eum liberis imputatum fuit. Quemadmodum & de Leui aliiſque omnibus ex Abrahamo naſcituris intelligitur, quod decimas dederint.

Addamus iam & hoc, quod ex eodem Apoſtolo de concupiſcentia collegit & ſcriptum reliquit Auguſtinus: Concupiſcentiam ſeu Naturæ corruptionem, quæ primam Adæ inobedientiam conſecuta eſt, & in omnes homines naturaliter deriuata, eſſe & pœnã præcedentis peccati, & peccatum, & cauſſam peccati. Si concupiſcentia hæc pœna eſt præcedentis peccati, in quocunque igitur pœna hæc reperitur, in eo peccatum etiam huius concupiſcentiæ cauſſa præcedat naturâ neceſſe eſt. Quodnam autem hoc aliud eſſe poteſt, ſi non eſt ipſa inobedientia Adæ, omnibus imputata hominibus, & ex Adami propria, communis omnium per imputationem effecta? Neque. n. propter peccatum merè alienum, cuipiam iuſtiſſimus Deus pœnam infligit, talem præſertim pœnam peccati, quæ etiam peccatum ſit.

Conſentiunt cum hac doctrina Antiqui Patres, quorum innumera adferri poſſent teſtimonia, ſi epiſtolæ breuitas pateretur: aliquot loca, vt N, ea conſulere poſſit, indicaſſe ſufficiat. Legatur Au. T. 7. de peccat. merit. & remiſſ. lib. 1. c. 10. ibi ait Auguſtinus, *Ideo dici homines peccaſſe in vno Adamo, & vno Ada peccato, quia omnes ille vnus homo fuerant.*

It. T. Hypognost. argumento 2.

It. T. 8. in Psal. 50. vbi ait, *Peccatum Originale, culpam esse, quod omnes concupiscentialiter concepti trahant.* Vnde trahunt? Ab Adamo. Peccatum autem Adæ, fuit inobedientia. Hoc igitur trahimus, culpam scilicet & reatum talis peccati. Et T. 1. Retract. lib. 1. cap. 15.

It. T. 2. Epistola 23. ad Bonifacium Episcopum.

It. Epistola 89. ad Hilarium. Vbi optimè totũ hoc quod docemus de peccato inobedientiæ Adæ explicat. Præter alia sic scribit: *Quid est enim* (inquit) *ex vno delicto in cõdemnationem, nisi illo delicto, quo deliquit Adam?* Illud autem fuit ipsa inobedientia Adæ, vt Apostolus explicat.

Item in lib. 3. de peccat. merit. & remiss. in hunc modum scribit: *Nec sic dicuntur aliena peccata, tanquam omnino ad paruulos non pertineant: siquidem in Adam, omnes tunc peccauerunt, quando in eius natura, illa insita vi, qua eos gignere poterat adhuc omnes, ille vnus fuerunt, sed dicuntur aliena, quia ipsi nondum agebant vitas proprias: sed quicquid erat in futura propagine, vita vnius hominis continebat.* Hæc ille. Inter Scholasticos legatur ipse etiam Aquinas, cum alibi, tum præsertim in Quæst. Disputatis. Quæst. 4. de peccato Orig arg. 1.

Quid? quod inter ipsos quoque Pontificios viri neque indocti, neque paruæ apud ipsos autoritatis, ea de re consentienter nobiscum editis libris scripserunt. Legantur præter alios, Albertus Pighius, Ambrosius Catharinus, & Episcopus Clugiensis in Epistola ad Rom.

Ex nostris vnus nobis sufficiat Wolfgangus Musculus, vir Doctissimus, & diligentissimus S. Literarum examinator, cuius iudicium ego semper magni feci & facio. Is in Epist. ad Romanos, in illa verba, *In quo omnes peccarunt*, &c. idem quod & nos docuit. Cuius verba, quia perspicua sunt, & ad nostrum institutum plurimum faciunt, adscribere placuit: *Quidam* (inquit) *exponunt, peccarunt, id est, peccato perditi sunt, vel peccatores virtualiter constituti sunt Quod sanè verum est. Interim tamen nihil vetat, quò minus intelligas, etiam ipso peccato actuali Adæ peccasse omnes Adæ posteros, in lumbis illius existentes. Quemadmodum enim non solum hoc beneficio Christi accepimus, vt virtualiter simus iustificati per illius obedientiam, sed & hoc, vt ipsa etiam actuali Christi obedientia obedierimus Patri, quatenus Christi sumus: Ita non solum virtualiter peccatores sumus in Adamo facti, sed & actualiter. hoc est, non solum nos damnat, quòd mali sumus facti, sed ipsum etiam peccatum Adæ nos condemnat. Vnde & Apostolus hic dicit: condemnationem esse ex vno delicto in condemnationem.* Hæc omnia Musculus.

Cum hęc ita se habeant de inobedientia Adę in omnes homines, si non actu, reatu saltem & imputatione deriuata, an non optimè sequitur à Minori ad maius: si per inobedientiam Adæ nobis, vt iam probatum est, imputatam, iniusti & morti æternæ obnoxii facti sumus, multò magis per obedientiam Christi, electis omnibus imputatione communicatam, verè iustos apud Deum nos reputari & esse, eoque æterna vita dignos censeri? Apostoli certè hoc est argumentum. Vnde colligere promtum est, quænam fuerit caussa, cur N. vir alioquin non indoctus, a nostri Iustificatione, imputationem iustitiæ Christi excluserit, & eam in sola Naturæ nostrę per Spiritum Christi renouatione quam *patibilem qualitatem* vocat, collocarit, nimirum, quia neque argumentationem Apostoli, neque doctrinam de peccato Originali probè intellexisse videtur.

Atque hæc de primo argumento ex cap. 5. ad Rom. in quo explicando plura fortassis de peccato Originis, quàm breuitas epistolę patiebatur, diximus: sed hoc ideò factum est, vt doctrinam de peccato, eoque & argumentationem Apostolicam, bonus ille frater melius intelligat, ex cuius ignoratione factum esse vt modò dixi, iudico, cur cum Pontificiis *iustitiam* illam Christi, quam vocamus *imputatam*, in negotio iustificationis reiecerit. Qua in re tamen grauior & intolerabilior est error Pontificiorum, qui antecedens Euthymematis Apostolici concedunt, homines nimirum omnes per inobedientiam Adæ ipsis imputatã, tanquam per propriam formam peccatores constitutos esse, & interim negant Apostolicam consequentiam, nimirum per obedientiam Christi nobis imputatam, nos coram Deo iustificari, & æterna vita dignos censeri, cum tamen, vt Apostolus docet, maior sit vis obedientiæ Adæ in omnes homines.

Nunc ad alterum venio, quod ex illis verbis, *Per vnius obedientiam iusti constituuntur multi*, desumitur. Cùm ait Apostolus, *per vnius*, hoc est, hominis Christi, *obedientiam*, subintelligendum est totam, non partem. Nulla enim ratione cogimur locum hunc de parte aliqua tantum obedientiæ interpretari, quasi aliqua tantum obedientiæ Christi pars, & non tota ad iustificationem, & ad salutem nostram pertineat. Duabus autem partibus, totam illam obedientiam Christi, de qua Apostolus loquitur, constare, paulò ante docuimus: vna, qua Patri obediens factus, totam legem, toto suæ vitæ curriculo ad mortem vsque perfectissimè seruauit, vt nobis vitam æternam, quæ legem perfectè implentibus promissa fuerat, promereretur. Atque hæc propriè opponitur inobedientiæ Adæ, quæ in transgressione mandati diuini posita fuit. Altera obedientiæ pars ea est, qua pro nobis sanguinem fudit, & mortem sponte subiit, vt & peccata nostra expiaret, & nos à morte æterna, quæ peccatis nostris debebatur, liberaret. Si ergo per totam Christi obedientiam iusti coram Deo constituimur, vt Apostolus docet, manifestum est iustificationem nostri non sola peccatorum remissione, quam ex morte Christi consequimur, verùm etiam imputatione iustitiæ ipsius Christi, quæ fuit & est ipsa perfectissima legis impletio, constare. Cur enim beneficium Christi extenuemus aut obscuremus? Id quod certè ab illis fit, qui impletionem legis à Christo pręstitam, ad nostram salutem nihil pertinere iudicant, atque etiam imperitè docent. Quasi verò Christus cum omnibus suis thesauris & meritis non fuerit τοῖς ὅλοις nobis à Patre datus. Certè in Symbolo, tota Ecclesia confitetur; Christum propter nos & propter nostram salutem descendisse de cœlis, & incarnatum esse, & factum hominem, & vt Apostolus explicat, *factum quoque sub lege, & passum mortuúmque*, &c. Ergo quicquid vt homo sub lege factus, & vt Mediator præstitit, totum illud, ac proinde tota legis obseruatio ad nostram salutem pertinet.

Ad hanc duplicem, de qua iam diximus, obedientiæ Christi partem confirmandam, facit illud quod Apostolus ad Philip. scriptum reliquit: *Christus factus est obediens vsq; ad mortem.* Duplicem enim hoc loco obedientiam apertè significauit Apostolus. Vnam, qua fuit obediens ante mortem, eamque perpetuam ad mortem vsque. Alteram, qua voluntariè iuxta mandatum Patris iuit ad mortem, & mortem sustinuit. Quænam autem illa prior potuit esse alia, quam impletio legis? Vtramque vero huius obedientiæ partem ad nostram salutem pertinuisse, indicauit Apostolus cum subiecit, quid propter totam hanc obedientiam Christus sibi, & in se toti Ecclesiæ promeruerit, dicendo: *Propter quod Deus exaltauit illum*, &c. Quid est illud, *propter quod*? nisi propter illam totam, quam præstiterat obedientiam. Ita confirmatur quod ex Epist. ad Rom. diximus, *per obedientiam Christi*, nempe totam quoad vtramque partem *nos iustificari*, & à peccatis liberatos æterna vita donari.

Atque hæc fuit etiam doctrina, vt de Patribus iam breuitatis caussa taceam, protestantium aduersus Pontificios, vt cum ex aliis ipsorum libris, tum præcipue ex colloquio Ratisbonensi patet: vbi non semel & iterum iustitiæ Christi imputationem distinxerunt à Remiss. peccatorum, vt iustificationem nostram hisce duabus rebus constare ostenderent. Hos, vt nihil de aliis nostris doctoribus dicam, secutus Musculus, ex verbis Apostol in ep. ad Rom. cap. 4. concludit in hæc verba: *Ergo sic nos iustificat Deus, vt remittat nobis peccata, tegat illa, nec imputet amplius, sed imputet magis iustitiam, non nostram, quæ nulla est, sed quæ est ipsius Filij, Domini nostri Iesu Christi, & hac nos imputatione iustitiæ, saluos reddat & beatos.* Hæc ille. ex quibus liquet, doctrinam N. neque cum Apostolorum, neque cum Ecclesiarum ex Euangelio reformatarum doctrina consentire.

In summa, videtur mihi N. vel ignorasse, quis sit status controuersiæ de iustificatione inter nos & Pontificios, aut si non ignorauit, cum illis turpiter errare. Status enim duplex ea de re constitui potest, prout aut de iustificatione perfecta coram Deo, quam Apostolus ad Rom. iustificationem vitæ appellat, aut de imperfecta, & inchoata disputatio instituitur. Si de hac posteriore disputetur, non contradicimus N. Hanc enim per fidem, spem & charitatem aliasque virtutes Christianas in nobis inchoatas & imperfectas fieri, & vero etiam augeri, concedimus: iuxta illud iustificationis significatum, de quo Joannes, *Qui iustus est iustificetur adhuc*, id est, magis & magis in se ipso iustus fiat. Sed de hac nec fuit, nec est controuersia inter nos & Pontificios. Si ergo de altera disputat N. nihil concludit. Statuit enim iustificationem veram & perfectã fieri per qualitatem in nobis patibilem, quam tamen imperfectam semper, dum sumus in hac vita, esse fatetur.

Iusti-

Iustificatio autem perfecta, non nisi per iustitiam perfectissimam fieri potest. Qualis enim iustitia est, talis & iustificatio: quemadmodum etiam qualis est albedo, talis & (vt ita cum Philosophis loquar,) albificatio sit oportet. Quomodo igitur probatio N. quæ ab inhærente & imperfecta iustitia petita est, cum ea conclusione, quam de perfectissima iustificatione intulit, cohæret? Hoc certè argumento, ipsi quoque Pontificii à nostris erroris conuicti fuerunt, cùm demonstrarunt, iustificationem vitæ per inchoatam iustitiam fieri non posse, quando hæc non nisi in perfectissima iustitia consistit: inchoata autem semper in hoc Mundo imperfecta manet. Ex his ergo quis non videat, N. aut controuersiæ statum ignorasse, aut si non ignorauit, ineptè de perfectissima iustificatione per imperfectam iustitiam concludere voluisse? Manifestus enim hic est paralogismus, qui dicitur non caussa vt caussa. Formalis námque caussa plenæ & perfectæ iustificationis, non potest esse iustitia inhærens, quæ hic tantùm inchoatur & imperfecta manet, sed sola perfectissima iustitia Christi.

Plura non addo: Nam totum librum refutandum non suscepi, quando neque id à me petitum fuit. De primaria autem illius quæstione, quæ mea, quam & vestram esse non dubito, sit sententia, satis explicatum esse arbitror. In re perspicua diu immorari, & loco Epistolij, longum librum conscribere, quis probet? Si quid tamen amplius desideretur, illud vos pro vestra singulari pietate, eruditione & humanitate etiam rogo.

N. autem per Iesum Christum obsecro, vt is ex doctrina, quam omnes Ecclesiæ ex Euangelio reformatæ vno & communi omnium consensu approbarunt & amplexæ sunt, quæq. ad maiorem beneficii Christi illustrationem, & ad piarum conscientiarum consolationem facit, constanter permaneat, vtque faciat, Deum ex intimo cordis affectu precor.

Dominus Jesus vos celeberrimæ huic Academiæ, & toti Ecclesiæ diu saluos & incolumes conseruet. Neustadio 22. Nouemb. 87.

V. omnium obseruantiss.

H. ZANCHIVS.

SVMMA DOCTRINÆ SCHVVENCKfeldij, collecta ex scriptis ipsius, à D. D. TOSSANO: & ad eam responsio D. H. Zanchij.

DE FIDE.

Fidem esse aliquid de Dei essentia.

Qvicquid in Deo est, id est essentia: Ergo quicquid ab eo proficiscitur est essentia, & per consequens, *fides, iustitia, & cætera sunt de Dei essentia, estque ipse donator, & donum simul.* Vtitur isto simili: Fides est gutta de illo fonte, radius de illo Sole. Consequens probat sic.

Fides Heb. 11. dicitur ὑπόστασις: Ergo hypostaticum aliquid habet & subsistens, non solum imputatum quid Item Psal. 119. *Portio mea Deus*: ergo particulam diuinæ essentiæ habemus, quod beneficium nobis per Christi mortem impetratum est. Hanc ait Schvvenckfeldius, esse caussam singularis amoris Dei erga nos quòd ita Deificat nos, & de essentia sua aliquid communicat.

Fides, inquit, *est duplex*: { *Historica*, ex auditu; *Iustificans*, { immediatè ex Deo, per spiritum. }

Fides iustificās, est viua, sensibilis vis viuifici Dei, communicatio essentiæ Dei, qua fit, vt per spiritum verè Christus in corda nostra adferatur, qui sanctificat, purificat nos, vt simus sancti, bene operemur, faciamus bonum. *Spiritualia cum terrenis confundi non debent: Ergo nec fides, quæ donum est spiritus, ex mediis externis peti debet.* Nam verbum Dei est duplex, æternum, viuificum Dei filius: hoc internus homo per fidem audit: externum, promissionis Euangelicæ ex auditu, pro externo homine.

Quicunque mortuus est, externam vocem audire nequit:
Omnes homines sunt mortui in peccato.
Ergo externam prædicationem audire non possunt, nisi prius viuificentur. Si prius viuificantur, fides est ante auditum verbum prædicatum.

Fides fuit ante verbum scriptum, & Prophetas & Apostolos: Ergo non ex verba prædicato oritur. Antecedens probat ex fide Abraham, & ex sua fidei definitione, quòd sit particula essentiæ diuinæ.

Scriptura data est, vt testetur de Christo, & hortetur nos ad illum quærendum, & ad fidem à Deo petendum: Ergo non data, vt per eam, Fidem consequamur. Probat consequens, quia *omne bonum donum à Deo*, Iacob. 1 *non ex scriptura.* Et Psal. 81. *Auscultabo, quia Dominus loquatur.*

DE IVSTIFICATIONE.

Dei tribunal est multò iustius, quàm Iureconsultorum, vbi impij non absoluuntur, sicut in foro fori: Ergo in Theologia verbum iustificandi non iuridicè, pro absolutione est accipiendum, sed pro iustum, integrum, Deo gratum reddere.

Tota scriptura alios iustos non agnoscit, & Deo gratos, quàm bene viuentes: Ergo iustitia nostra, absque operibus nostris non constat.

Quæ sunt extra nos, iustos nos facere nequeunt: Iustitia imputatiua est extra nos. Ergo iustos facere non potest. Eam iustitiam vocat historicam.

Statuit, fidem cum operibus iustificare, quòd Christus sit in nobis essentialiter, cum essentiali iustitia: ita vt peccatorum externi hominis ratio non habeatur, propter illum, quem possidemus Christum, sed fatetur, durare pugnam externi & interni hominis, dum viuimus.

Statuit, nouum illum hominem, implere Dei mandata: probat ex Psal. 119. *Curram in viis mandatorum tuorum.* Et Ioh. 3. *Quoniam mandata eius seruamus, & facimus, quod placet illi.*

EIVSDEM ARGVMENTA, QVIBVS probare conatur, Christum iuxta humanam naturam, nec in priore exinanitionis, nec in altero statu, creaturam vocari debere.

I. *Nulla creatura potest esse Filius Dei naturalis:*
Christus est filius Dei secundùm vtramque naturam:
Ergo Christus, secundùm vtramque naturam, creatura dici non potest.

Minorem probat ex articulo fidei, & variis testimoniis scripturæ: *In Iesum Christum, filium eius*: Christus vtriusque naturæ nomen est.

II. *Nulla creatura potest sedere ad dextram Dei Patris*, id est, pari autoritate & potentia regnare: *Christus secundùm vtramque naturam sedet ad dextram Dei Patris: Ergo Christus non est creatura.*

III. *Nulla creatura, animam pascere potest, & in animis inhabitare.*
Christi corpus pascit animas nostras, & in nobis habitat: Ergo non est creatura.

IV. *Quisquis in creaturam credit, is maledictus est:*
At nos in Christum credimus:
Ergo Christus vel non est creatura: vel, quod absurdum esset, *in ipsum credentes, maledicti essent.*

V. *Quicquid creatura dicitur, vel ad opus sex dierum: vel ad ea, quæ inde consecuta sunt, referri debet:*
Christi humana natura, ad eum ordinem referri non potest, nouo modo, nempe ex Spiritu sancto concepta & formata:
Ergo creatura dici nequit:

Dicit, nos in humanitate Christi tantum matris rationem habere, non Dei, qui pater est, dum ex Spiritu, id est, ex Deo concepit Maria.

VI. *Paulus* 1. Cor. 15. *Opponit alterum Adamum priori, dum illum terrestrem, hunc cœlestem vocat:*
Ergo Christus non est creatura.

VII. *Quisquis de Christo dicit cum Lombardo:* Totus Christus, *sed non* TOTVM, *diuidit personam Christi & fidem nostram:*
Ergo distinctio illa non est admittenda. Antecedens probat, quòd sophistica sit distinctio, & nunquam scriptura loquens de Christo, separet naturas.

VIII. *Communicatio idiomatum verbalis, & non realis, facit Christum, qui sit non re, sed verbotenus Christus.*
Ergo in Ecclesia talis admitti non debet: cùm in Christo nihil sit verbotenus, sed omnia realia.

IX. *Fundamentum eorum, qui dicunt*, Omne quod est,

vel esse creaturam, vel creatorem *est dogma Philosophicum, & respectu rerum humanarum tantùm verum.*

Sed Christus pertinet ad res cœlestes.

Ergo ad eum accommodari non debet. Deus enim in Ecclesia multa operatur, quæ creaturæ non sunt, vt regenerationem, fidem, item, quòd sumus filii Dei.

X. *Creatura est accidens humanæ naturæ proprium, & essentia est caro & sanguis.*

Summa igitur sententiæ Schvvenkfeldij de Christo hac est.

Christum, Dei filium, iuxta vtramque naturam esse: primum, quia ex Spiritu sancto, id est, ex Deo conceptus, id quidem in vtero virginis, quæ credendo grauida facta fuerit, & peperit istum θεάνθρωπον: qui crescebat quotidie in Deum, donec perficeretur & Deificaretur: per dispensationem passum pro nobis, & passum totum. Nam si humanitas sola passa esset, eam solam naturam redemtricem fore, ascendisse in cœlum, id est, vere iam Deificarũ, vt licèt sit verus homo, tamen diuina potentia sit eiusdem essentiæ, potentiæ, & gloriæ cum Deo: atque ita fieri, vt quod alias fieri non posit in nobis habitando, iustificet, & pascat nos, & pertrahat in vitam æternam.

DE COENA.

Manducationem corporalem & oralem planè impugnat: sed rursus nostram sententiam ridet, & eorum, qui EST explicant per *significat*: cùm vis verborum sit in pronomine HOC, quasi dicat Christus, *Corpus meum, quod Deificabitur, & est ex Deo, est verè*, non figuratiuè, sed reuera HOC, id est *cibus & panis animæ*: est animabus, quod hic panis est corporibus.

Interim sæpe profitetur, se agnoscere in Christo veram naturam humanam, sed talem, quæ in gloria sit, & vt verus sit & totus Seruator qui totus adoretur, oportuisse admirando Dei consilio exæquari gloriam naturarum: Non extinctam, sed illustratam ait esse Christi humanitatem, velut cùm poculum argenteum inauratur.

RESPONSIO D. DOCT. HIERON. Zanchij ad hæc deliria, missa ad D. TOSSANUM concionatorem aulicum.

QVod à me petiisti, Doctissime Tossane, illud ad te breuiter explicatum, mitto, meum scilicet de sophismatis Schvvenckfeldij iudicium: & quid ad illa ego responderem, qua ve ratione, refellenda esse censeam.

Principiò, sanam orthodoxámque de vnoquoque capite, sententiam, paucis explicarem, firmisque rationibus & apertis S. Scripturæ testimoniis, confirmare vellem. Nam quò clarius veritas explicatur, eò etiam luculentiùs falsitas innotescit, quando opposita, iuxta se pòsita, magis elucescunt. Tum verò cuiusque sophismatis fallacias, quàm possem breuissimè patefacerem. Sic autem in summa responderem.

DE FIDE.

Ad primum, si bona esset sequela, efficeretur, quæcunque condita sunt, ea esse Dei essentiam, déque essentia Dei. Omnia enim ex ipsa sunt. Certè Apostolus discrimen facit inter donatorem, & ipsius dona. Distinctio igitur est adhibenda. Ex Deo esse, alia essentialiter, & per naturam, alia per liberam voluntatem sunt. Quæ ex Deo sunt essentialiter, seu per naturam, ea sunt ipsa Dei essentia. Tales autem non sunt, nisi filius, qui est ex Patre: & Spiritus S. qui est ex vtroque. Proinde tam ipsi sunt Deus, diuináque essentia, quàm Deus Pater. Quæ verò sunt ex Deo, non natura, sed per liberam voluntatem, ea neque essentia, neque de essentia Dei esse dici possunt, vti sunt omnes res creatæ, siue externæ, vt cœlum & terra, siue internæ, vt dona Spiritus S virtutésque omnes. Si anima, quam insufflasse dicitur Dominus in corpus Adæ, quæ neque augeri, neque minui poterat, & quæ substantia erat spiritualis, ex Dei essentia esse non potuit, idque cõtra Manichæos: fides, quæ in S. literis *donum Dei* vocatur, & quę produci in nobis ex auditu verbi dicitur, & quæ incrementum ac decrementum suscipit, & quæ deniq. substantia non est, quomodo essentia Dei, aut de Dei essentia esse poterit? Essentia enim Dei, neque donum est creatum, neque incrementum suscipit, aut decrementum. Hæresis fuit Osiandri, de iustitia Dei in nobis, quæ esset ipsa Dei essentia. Quæ igitur aduersus ipsum scripta sunt, eadem aduersus hanc Schvvenckfeldianam stultitiam valent.

Simile non admittitur. Est enim proprium τοῦ λόγου esse splendorem gloriæ, & radium de Sole, hoc est, de Patre. Locus Apostoli ad Hebr. est perspicuus, Fidem, ὑπόστασιν dici, non quod sit per se aliquod ὑφιστάμενον, multò verò minus essentia Dei, sed quòd tam certa sit, & manifesta, vt faciat quæ sunt absentia, nobis esse ceu præsentia. Quæ enim speramus, ὑφεστῶτα sunt (nempe nobis) Dum igitur ea certò credimus, fides efficit, vt quodammodo subsistant. Est enim fides fulcrum spei, & quæ speramus, fide nituntur, sustentanturque in animis nostris. Ad summam: fides ὑπόστασις est, actiuè, (vt Scholasticè loquar) non passiuè.

Fœdè etiam contorquet locum Dauidis ex Psal. 119. Quis enim nesciat, Iehouam dici à piis & vocari suam portionem, quòd omnia sua bona, in eo reposita habeant, nihil verò in hoc Mundo? Quemadmodum & Leuitis, quibus nihil bonorum in terra Canaan assignauerat Dominus inter fratres, dixerat, se illorum fore portionem atque hæreditatem. Non ergo portio illis erat Deus, aut nunc est sanctis, quia particulam habeant diuinæ essentiæ, cùm potiùs tota sanctorum hæreditas sit totus ipse Iehoua, sed comparatiuè id dicitur, & respectu aliorum filiorum Israel, quorum singuli suas habebant partes, in diuisa hæreditate terræ Canaan.

Talis porrò est diuina essentia, vt diuidi in partes non possit, sed vbi est, ibi tota sit oportet. Quomodo igitur partem habere possumus, vt non habeamus totam? Si itaque fides pars est diuinæ essentiæ, & singula dona Spiritus Sancti sunt totidem partes, fieri nequit, vt quis vnum habeat donum, quin omnia habeat. Est enim essentia diuina impartibilis.

Proinde, quod etiam Petrus dixit, *nos participes factos esse diuinæ naturæ*, intellexit nomine naturæ, non ipsam diuinam essentiam, vt ex ipso liquet contextu: sed gratiam regenerationis, cum suis fructibus, qui naturæ Dei similes sunt. Est enim illud principium Theologiæ memoria semper retinendum, *Hominem non fuisse factum Deum*, sed *ad imaginem & similitudinem Dei.* Non ergo essentia Dei fuit illi communicata, sed donis talibus ornatus, quibus similis Deo redderetur.

Quòd iustificantem fidem immediatè ex Deo, per spiritum, historicam autem tantum ex auditu verbi esse docet: pugnat cum Apostolo, qui certè ad Rom. 10. c. non de alia fide, quàm de iustificante verba faciens, ait: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Præmiserat enim, *Corde creditur ad iustitiam*: posteà verò, vnde ista fides sit concludens, dixit: *Fides igitur ex auditu*, &c. verùm non sine opera Spiritus S. intus docentis, & verbum persuadentis. Diuidit ergo Schvvenckfeldius, quę coniungenda sunt. Ita facilè refellitur definitio, quam adfert, fidei, cum ait, *eam esse substantiam*, hoc est, Dei communicationem.

Ad illud, *spiritualia cum terrenis confundi non debent*, quis neget? sed quòd infert, nihil ad rem facit. Non enim ideo confundimus fidem, donum Dei spiritnale, cum re aliqua terrena, quia dicimus, illam gigni ex auditu verbi, per Spiritum Sanctum in cordibus electorum: sed tantum docemus, duas esse fidei caussas, vnam verè efficientem, & per se, nimirum Spiritum Sanctum: alteram instrumentalem, verbum scilicet prædicatum, auditum, atque intellectum. Si hoc est confundere terrena cum cœlestibus; ille quoque confundit, qui dicit *hominem creari à DEO, ex concubitu viri & fœminæ*: *& Christum conceptum fuisse à Spiritu Sancto ex Maria virgine.* Quasi vero, sicut ad effectum terrenum, hoc est, ad hominis procreationem in Christo, concurrit duplex caussa, cœlestis, nimirum Dei spiritus, & terrena, homo Mariæ: sic ad effectum spiritualem, id est, ad fidem in nobis gignendam, non possint concurrere & internus Dei spiritus, & externus verbi auditus.

Crassus etiam error est, cum vult *aliud verbum externè audiri, & aliud internè.* Apostolus sanè aliter docet, cum de eodem verbo loquens, significat illud & esse in corde nostro cum creditur, & simul etiam illud audiri, cum prædicatur. NequeChristus aliud semen docuit cadere in viam & aliud in terram bonam: sed illud idem audiri, ab aliis aurib. duntaxat corporis, ab aliis corde etiam recipi, ac constanter retineri. Erat ne etiam alia lex, quam Dauid dicebat esse in medio cordis sui, & aliqua quam externe quotidie audie-

audiebat? CHRISTVS certè de eodem verbo loquitur, cùm ait: *Beati qui audiunt verbum DEI, & custodiunt illud.* Quid illud? illud idem, quod audiunt.

Ad argumentum: *Quicunque mortuus est,* &c. facilis est responsio, nimirum ὁμωνυμίαν admitti in voce, *mortui.* Qui corporaliter mortuus est, certè corporeum vocis sonitum audire nequit. Sed nunquid sequitur, *Ergo neque hoc modo audire potest, qui mortuus est spiritualiter in peccato?* Quid igitur est, quod Christus ait in parabola seminis, *esse qui sermonem quidem audiant & excipiant etiam cum gaudio, nec tamen fuisse spiritu Dei viuificatos, fideque iustificante, & per charitatem operante praeditos?* Quatenus igitur quis mortuus est, eatenus audire non potest; & quatenus non est mortuus, eatenus potest audire. Impius mortuus est, non quoad externum hominem, sed quoad internum. Nihil igitur prohibet, quin antequam viuificetur, externam praedicationem audire possit. Quis magis spiritualiter mortuus est, quàm Diabolus? Ait tamen Iacobus, Daemones credere, id est, nosse Deum, & contremiscere: verùm non cognitione salutari, neque quòd probent quae audiunt atque norunt.

Accedit, quod Spiritus S. antequam aliquem viuificet, viuàque & vera donet fide, ita illuminare solet hominum mentes, vt & intelligant verbum, & cum gaudio recipiãt, & verè etiam gustent, nedum vt audiant, idque facit in reprobis, vt reddantur inexcusabiles, in electis autem, vt haec sint praeparatio ad viuificationem, & ad veram fidem recipiendam.

Ad illud, *fides fuit ante verbum scriptum*, verum est, sed non ante verbum praedicatum, praedicatum inquam, vel per filium Dei, vt ipsi Adamo & Euae, & aliis non paucis, vel per homines.

Ad postremum, *Scriptura data est,* &c. quid prohibet, eiusdem rei, multos esse fines inter se ordinatos, & multas caussas, alias verè & per se efficientes, alias instrumentales? Scriptura data est, vt testificetur de Christo, sed ita vt etiam ex eius auditu, fides in homine audiendo gignatur in Christum praedicatum. Si enim testificatur, alicui testificetur oportet, nempe homini: In quem verò finem huic testificatur? certè vt audiat: & vt audiendo, si electus sit, credat. Est item fides de sursum a Patre luminum, tanquam à caussa efficiente per se descendens, sed idem etiam à verbi praedicatione, tanquam à caussa instrumentali dependet.

DE IVSTIFICATIONE.

Ad primum: inepta est consecutio: sic potius erat concludendum: *iustius ergo iudicium fieri apud tribunal Dei, & qui ibi absoluuntur, iustissimè absolui.* Ita verò se res habet, cùm non absoluantur nisi electi, idque propter Christum, in quo electi fuerant, & cuius sanguine redemti sunt. An non verò iustè absoluitur, & debito liberatur, qui satisfacit ipse, aut pro quo saltem satisfactum est ab alio? Accedit, quòd in scripturis duo tribunalia dantur Deo, nimirũ iudicij, & misericordiae. In illo ex lege, in hoc ex Euangelio homines iudicantur. Apostolus autem docet, nunc confugiendum esse ad tribunal misericordiae, ne ad tribunal iudicij cogamur sisti & iudicari. Et sic Christus, *Qui credit in me,* inquit, *is non venit in iudicium, sed transit à morte ad vitam.* Atque haec demum est iustificatio Euangelica, nimirum, propter fidem in Christum absolui, ante tribunal Dei, ex misericordia Dei, & ex meritis Iesu Christi. Interim non negamus, quin etiam fiamus realiter iusti, ex parte scilicet, & inchoatiuè.

Ad secundum: Neque nos agnoscimus alios iustos, quàm (si possint per aetatem) bene viuentes. sed quae consequentia est ista. Ergo iustitia nostra absque operibus non constat, nempe si opera ad iustificationem velint vt caussam concurrere? Non agnoscimus hominem viuum, sine operibus vitae: Ergòne hominis vita, in operibus vitae consistit, seu operibus vitae viuificatur? effecta sunt, non caussa vitae.

Ad tertium, negatur assumtum, quia assumis pro confesso, quod controuertitur: si inobedientia Adae, iniusti omnes effecti sunt, cur non iusti obedientia Christi? Tam enim illa extra nos, quàm haec. Sed vt corruptio naturae propter illum in nos deriuatur, sic regeneratio propter hunc, in nos fluit. Quibus Osiander fuit oppugnatus & expugnatus de iustitia essentiali Christi, iisdem etiam haec Schvvenckfeldiana haeresis profligari facile potest. Sanctos implere Dei mandata, intelligitur, tum quia *inchoata iustitia, pro consummata* acceptatur, tum quia in Christo, qui totam impleuit legem, omnes etiam electi, membra Christi, impleuisse iudicantur.

DE CHRISTO AN SIT *creatura.*

Ad primum: *Damus Christum etiam, quatenus homo est, filium esse Dei, non adoptionis gratia, vt nos, sed natura, quia scilicet natus est filius Dei totus.* Sed inde non efficitur, non esse creaturam, qua homo est, sicut qua Deus. Nam, qua Deus, filius est Dei natura, quia de essentia Patris genitus est: qua homo, filius itidem Dei est natura, tum quia conceptus fuit virtute altissimi, non autem viri, tum propter vnionem hypostaticam cum Deitate, qua filius Dei naturalis est, non autem, quòd substantia, qua conceptus est, sit diuina, non humana. Scripturae enim apertè docent, Christum conceptum esse ex semine Dauidis. Perinde igitur sophisticatur Schvvenckfeldius, atque si quis diceret: Totus homo, & quò ad animam, & quò ad corpus, hominis est filius natura: ergo etiam quò ad animam conceptus est ex substantia hominis corruptibili, & corruptibilis est atque mortalis. Non enim eodem planè modo filius est hominis, ad animam quod attinet, quo est, quantum ad corpus, quia quoad corpus, filius est simpliciter & per se, cùm & conceptus sit ex substantia hominis, & natus ex homine, sed quo ad animam κατά τι, quatenus scilicet cum anima, à Deo quidem ex nihilo creata, sed corpori vnita, natus est totus ex homine. Si substantiam igitur, è qua est genitus Christus, spectemus, dicimus, eum qua Deus, filium esse solius Patris, sine matre, quatenus autem homo filium esse, solius matris, sine Patre, quemadmodum in typo Melchisedeci, qui dicitur ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, indicauit Apostolus. Proinde turpiter errat Schvvenckfeldius cùm illud, *Qui conceptus est de Spiritu S.* sic interpretatur, hoc est è substantia Dei, cùm nihil aliud significet scriptura illa dicendi forma, quàm vi spiritus conceptum esse, sine viri semine. Ad summã: ὁμωνυμία est in dictione *naturalis.* Naturalis enim filius, bifariam capitur, sicut iam explicatum est. Neque verum est, quod ait, Christum, nomen esse vtriusque naturae, cùm sit potius officij nomen, & naturam magis humanam respiciat, quàm diuinam. Illa enim fuit vncta, nõ haec, vel potius, vt melius loquar, Iesus ipse secundùm humanam, non secundùm diuinam vnctus est.

Ad secundum: *Nullam creaturam potentia simpliciter pari potentia Dei praeditam esse posse*, certum est. Creatura enim finita, infinitae potentiae capax esse non potest, sed omnes subiectae sint Deo, & infra Deum iaceant, oportet. Est enim Deus super omnia semper, vt ad Rom. docet Apostolus. Proinde etiam Christum, qua homo est, & caput Ecclesiae, Apostolus ait, etiam post traditum Patri regnum, futurum Patri subiectum, cum tota scilicet sua Ecclesia: Ergo etiam nunc, respectu naturae humanae & officij, minor est Patre, patrique subiectus.

Caeterum, quatenus λόγος & Filius Dei, Deus est, totam quam deposuerat, sese exinaniendo, & formam serui sumẽdo, resumsit autoritatem & potentiam, in coelum euectus, & ita sedet ad dextram Patris, aequali cum ipso regnans potentia. Quia verò natura humana, à diuina non separatur, nec diuisus est Christus, idcirco totus ad dextram Patris sedere dicitur, eòque totus pari autoritate & potentia cum Patre regnare. Sed hoc illi conuenit per se, qua Deus est: per aliud autem, & propter vnionem, cum Deitate, qua homo est. Minor igitur propositio Schvvẽckfeldij, haec habet opus explicatione, quia simpliciter vera non est, respectu humanae naturae, sicut est respectu diuinae.

Ad tertium: *Corpus Christi neque pascit nos, neque in nobis habitat per se, sed per suum spiritum:* Quò spectat: *Caro non prodest quicquam*, scilicet per se: *spiritus est*, hoc est, Deitas, iuxta Cyrillum, *qui viuificat*, nempe per carnem. Et eo modo ad nos venit filius, & in nobis inhabitat, quo modo & Pater, iuxta illud: *Ego & Pater ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Non venit autem ad nos Pater corpore: Ergo neque filius. In summa: omnes hae locutiones, de actionibus Christi in nobis, quae propriè & immediatè sunt diuinae naturae, de humana etiam eius natura praedicantur, sed ratione diuinae, & propter vnionem hypostaticam, qua inter se coniunctae sunt, sicut contra quae sunt humanae, diuinae etiam (sed in concreto) eandem ob caussam praedicantur: vt, *Deus suo sanguine & morte redemit Ecclesiam:* Et, *Dominus gloriae crucifixus est.* Accidentis fallaciae sunt omnes.

Ad quartum, eadem datur responsio. Non enim fides

nostra recumbit in carne Christi per se, sed respectu Deitatis, cui ὑποστατικῶς vnita est: sicut neque reuera veneramur Principis vestimenta per se, sed quatenus illis indutus est Princeps.

Ad quintum: negatur Minor. Nouus enim modus, quo conceptus est, non impedit, quin materia humanitatis Christi, ad illa rerum genera pertineat, quæ condita fuerunt à Deo intra sex dies. Est enim ex semine Dauidis, Abrahæ, Adami: vnde & Lucas vsque ad Adamum, Christi genealogiam deducit. Etsi enim per semen viri conceptus non est, sed *vi Spiritus sancti*: materia tamen, è qua conceptus fuit, vera humanaque caro fuit, ex prima illa Euæ propagata: Vnde & ad serpentem dixerat Deus, de semine Euæ: *Semen mulieris conteret caput tuum.* Alio etiam modo creauit Euam, quam Adamum & alio eorum liberos, quàm ipsos parentes. Num igitur non erant creaturæ omnes? Testimonia verò infinita sunt in S. literis, quæ docent Christum qua homo est, fuisse factum, eoque creaturam esse, vti est illud, *factus ex muliere*, &c.

Ad sextum: negatur illatio, quasi verò non possit opponi creatura creaturæ: & quasi cœlum, cœlestiaque omnia non sint res creatæ. Et certè qui hinc collegerunt, quanquam imperitè & impiè, Christum corpus è cœlo detulisse, cachinnis consequentiam hanc exciperent: Christus est homo cœlestis: ergo non est creatura. Sed eo ipso, quòd Christum hominem dicit cœlestem, an non confitetur etiam esse creaturam? Cæterum refellendum est argumentum, vera loci Apostolici explicatione. Scopus Apostoli fuit, docere, sicut ab Adamo primo traximus hanc vitam animalem & mortalem in terra, sic à Christo altero Adamo, habituros nos vitam spiritualem, beatam & immortalem in cœlo, post resurrectionem. Ratio, quia vbi caput, ibi & membra: & quale illud, talia & ista esse debent. Sicut ergo morimur in Adamo, quia etiam Adamus mortuus est: & corpora nostra redeunt in terram, sicut & Adami corpus in terram rediit, è qua sumtum fuerat: sic etiam in Christo viuemus, & corpora nostra assumentur in cœlum, ad vitam felicem atque immortalem, quia etiam Christus resurrexit, viuit, & cum suo corpore eo ascendit, vnde huc nostra caussa descenderat. Quid autem Christi descendit è cœlis? non certè humana natura. Ea enim concepta fuit in vtero Virginis. Diuina igitur descendit, non mutatione loci, sed assumtione seminis Abrahæ, suique in carne manifestatione. Ideo non sine caussa Apostolus, cùm dixisset, *Primus homo de terra terrenus*, non subiecit, *secundus homo de terra cœlestis*, ne fortè putaremus humanitatem huius secundi hominis è cœlo esse, quoad substantiam. Sed quid subiecit per ἀντίθεσιν? *secundus homo*, ipse κύριος (sic enim semper *Iehoua* Græcè vocatur) *è cœlo*, nimirum non humana, sed diuina natura, eo sensu, quo explicatum est.

Prima origo Adami è terra est, propter corpus, quod præcessit animam. Prima autem Christi origo è cœlo est, propter diuinam naturam, quam ab omni æternitate à Patre accepit: Vnde & ad Apostolos meritò dixit, *vos de deorsum estis*, seu *de infernis: Ego autem de supernis sum:* Num igitur propterea negandus est Christus creatura esse, quia Apostolus ait, eum esse è cœlo, & opponit Adamo primo, qui fuit è terra? sed certè neque Adamus, ad substantiam quod attinet, fuit è terra totus, sed rantùm quo ad corpus. Sicut ergo non valet sequela: *Adamus ab Apostolo vocatur terrenus: nulla ergo sui parte fuit spiritualis & cœlestis* (habuit enim animam substantiam spiritualem & quodammodo cœlestem) sic neque altera de Christo consequentia tenet: *Christus est Dominus de cœlo & ideo cœlestis homo, ergo nulla sui parte fuit, ad substantiam quod attinet, terrenus.* Habuit enim & habet corpus è terra sumtum, sicut & nos, licet vi cœlesti, id est Spiritus Altissimi conceptum. Factus enim fuit nobis similis per omnia, excepto peccato. Quanquam proprie Apostolus in hoc loco non comparat substantias horum duorum Adamorum, sed qualitates & conditiones atque vitas, & quo pacto illæ quoque in nos deriuentur, ab vno nimirum terrena, ab altero cœlestis atque diuina vita. Hac enim ratione totus Adamus post peccatum terrenus fuit, quia non solùm corpus è terra habebat, verum etiam eius anima, terrenis affectibus trahebatur. Contra verò totus Christus cœlestis, quia non solùm Deitas è cœlo est, sed tota etiam humana natura cœlesti Spiritu ducebatur. Ac nos vitam animalem atque terrenam ab Adamo, spiritualem autem à Christo habemus, & magis ac magis habituri sumus. Ad summam, vt non rectè ratiocinatur, qui sic dicit: *Adamus fuit terrenus homo, ergo constabat tantùm terreno corpore, non autem animo cœlesti:* Sic multò minus Schvvenckfeldius, cùm ait, *Christus fuit & est cœlestis homo: ergo non habet corpus è terra, nec creatura est.*

Ad Septimum: negatur illa distinctione, Totus Christus, sed non totum, diuidi personam: tantummodò verò distingui naturas contendimus, diuinam ab humana, & illius simplicitatem atque immensitatem demonstrari atque defendi. Neque Sophistica est, si rectè intelligatur, sed vera & prudenter à Patribus inuenta. Phrasis enim Græca est, ὅλος ἀλλ' οὐ καθ' ὅλου. Et Augustinus vtitur non absimili locutione in epistol. ad Dardanum, cùm ait, *Deus, in quo habitat totus, est illi præsens, quamuis illum* (Deum) *non ex toto capiat.* Quod igitur λόγος dicatur totus esse in corpore & anima Christi, an non verum est? Omnino, quia impartibilis est, vtpote simplicissimus: & Apostolus confirmat dicendo: *In ipso inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.* Si etiam addatur, non totum, hoc est non totaliter, vt Scholastici, seu non ὅλως, vel καθ' ὅλου, vt Græci, aut non ex toto, vt Augustinus loquitur: an non hoc etiam verum est? Maxime. Ita enim est totus in humana natura, vt tamen in illa non concludatur, sed etiam extra eam sit vbique: vel, vt Augustinus loquitur, non ex toto capiatur. Ratio physica est, Quia vnumquodque recipitur secundum naturam recipientis. Ratio verò Theologica, quia immensus est. Num propterea diuiditur aut ipse λόγος, aut ipse Christus? Minime verò, Quia ὁ λόγος, cum sit simplicissimus & totus est in corpore atque anima Christi, & totus extra vbique. Ita fit, vt nullibi sit humana Christi natura, quin ibi secum habeat coniunctum ὑποστατικῶς totum τὸν λόγον, quia λόγος impartibilis est. Rursus cùm λόγος sit vnus tantum, & indiuisibilis, fit, vt licet totus etiam sit extra humanam naturam Christi, nullibi tamen sit, quin ibi ipse sit & Deus & homo. Non ergo hac locutione diuiditur Christus. An non etiam Anima tota est in toto corpore, & tota in qualibet parte. Est igitur in singulis partibus tota, sed non καθ' ὅλου, quia non ex toto, ab vna parte capitur: alioquin enim non foret in aliis partibus. Et vox concionatoris ita tota concipitur ab vno auditore, totáque eius concio, vt tamen non καθ' ὅλου, ab aliis etiam omnibus auditoribus, & eadem & tota percipiatur. Cùm itaque res ipsæ, quæ hac locutione, *Totus*, non *totum*, significantur, veræ sint, cur locutio improbatur tanquam sophistica, aut ea diuidi personam Christi, affirmare quis audeat?

Ad octauum: Communicatio idiomatum vtriusque naturæ in Christo, nulla est verbalis, sed realis. Omnes enim proprietates diuinæ naturæ, de Christo realiter prædicantur. Reipsa enim Christus æternus est, immensus est, vbique est, omnipotens & immortalis est. Rursus proprietates humanæ naturæ, de eodem realiter dicuntur. Est enim Christus reuera temporalis, finitus, loco circumscriptus, mortalis. Sed quomodo hæc pugnantia, & plane contraria, de eodem prædicantur? Diuersis respectibus, & propter diuersas, (quibus constat) naturas. Immortalis & vbique est, diuina natura: mortalis & circumscriptus est loco, humana, & sic scripturæ loquuntur & distinguunt. Apostolus ad Corinth *passus est* (inquit, nempe vere & realiter passus est) *ex infirmitate carnis.* Et Petrus: Christo igitur passo (vere & realiter) sed carne. Annon idem de homine etiam dicitur. Homo enim realiter & vere mortalis & immortalis, visibilis & inuisibilis, corporeus & incorporeus: sed quonam modo? Diuersis respectibus, & propter diuersas naturas, quibus constat, animo & corpore. Itaque apparet, communicationem idiomatum in ipsa Christi persona, veram & realem esse, nihilque de illo prædicari verbotenus tantùm. Ratio est, quia quicquid de Christo prædicatur, Christo etiam realiter conuenit, aut secundum vtramque naturam, vt quòd nos amet, aut secundum alterutram, vt quòd nos iustificet, secundum diuinam: quod verò pro nobis mortuus sit, secundum humanam. Cæterùm, quod de vna natura, idque in concreto prædicetur id, quod alterius tantum est naturæ, puta quod Deus ac Dominus gloriæ crucifixus fuerit, aut quod homo sedeat ad dextram Dei Patris, æquali potentia & maiestate cum eo in cœlo regnans, & Ecclesiam in terris regens: hoc de tali natura non prædicatur quod talis re ipsa sit, puta quod Deus, qua Deus, crucifixus sit: aut quod homo, qua homo, æquali sit potentia & maiestate cum Patre præditus: sed tantum respectu alterius naturæ, qua cum ὑποστατικῶς, & inseparabiliter, in vnam personam coniuncta est: atque hanc demum vocant *communicationem idiomatum*

tum verbalem, sed simul etiam veram, Veram quidem, quia verè Deus crucifixus est, id est, ille qui Deus est Christus. Verbalem autem, quia non re ipsa, quatenus Deus est, mortuus est, aut crucifixus. Sed nunquid hoc efficit, vt aliquid sit in Christo verbotenus tantum? Minimè verò. Etsi enim verbotenus tantum conuenit Christo Deo, qua Deus est, Christum crucifixum fuisse, idque verè propter vnionem cum humana natura: personæ tamen Christi realiter conuenit: quia cum Christum dicis, Deum & hominem dicis *in concreto*: quia in abstracto, quod vnius est naturæ, nunquam legi in S. literis, de altera prædicari, eoque nullo modo ei conuenit, neque realiter, neque verbotenus: vt, Deitatem esse passam, aut humanam Christi naturam esse vbique, vel omnipotentem, vel sedere ad dextram in æquali maiestate cum Patre, sed semper hæc prædicantur aut de Christo, qui Deus & homo est, aut de altera natura, sed in concreto, quia tum significat personam: nunquam autem in abstracto, vt manifestum est iis, qui S. literas diligenter legerunt. Quid ita? Quia Spiritus S. significare voluit, hasce locutiones & falsas esse re ipsa, & absurdas, nimirum humanam naturam immensam esse, & contrà diuinam esse passam.

Ad nonum: ita philosophicum est principium, vt sit tamen verissimum in cœlo & in terra, quia res ita se habet vbique. Quid enim reperiri potest in cœlo, aut in terra, quòd non sit vel Deus ipse omnium factor, vel à Deo effectum: *Omnia* (inquit Apostolus) *ex ipso & per ipsum, nempe facta sunt, atque existunt.* Omnia igitur, præter ipsum Deū, sunt facta: vel fiunt, aut fient: Omne igitur quod est, vel effector, vel effectum: effectum, inquam, vel substantia, vel accidens. Ac quod ait Schvvenckfeldius, Christum pertinere ad res cœlestes, id est, diuinas, damus ex parte, non autem in totum: ex parte quidem, propter diuinam eius naturam, non in totum verò, propter humanam animam & corpus. Vtrumque enim creatum docent S literæ, corpus ex semine Dauidis: animam autem ex nihilo, quia pater spirituum immediatus est.

Quod ait, *Deum multa in Ecclesia operari, quæ non sunt creaturæ*, si nomine *creaturarum* intelligit substantias, verum dicit, neque nos aliter docemus. Quis enim nostrum vnquam docuit, fidem esse substantiam, i. rem per se subsistentem, aut υἱοθεσίαν, aut regenerationem, aut illuminationem, seu afflatum diuinum, aut denique dona Spiritus S. de quibus ad Corinth. Horum. n. alia sunt simplices operationes Dei in nobis, alia vero in nobis dona effecta & communicata. Sed quid hæc ad quæstionem de Christi corpore & anima, quæ verè sunt substantiæ creatæ, eoque verè creaturæ?

Ad decimum. Mera est ineptia, quod scribit, *creaturam esse accidens humanæ naturæ*: quasi vero humana natura non sit creatura. Quando ergo dixit Christus, *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, cui prædicari voluit, accidentibusne, an vero substantiis, & hominibus ipsis? Si ergo creatura in nobis, id est, anima & corpus, non accidens est, sed substantia: in Christo quoque non accidens fuerit, sed substantia. Est enim similis nobis effectus per omnia, dempto peccato.

In conclusione, confitemur Christum filium esse Dei, iuxta vtramque naturam, sed quomodo, supra est explicatum, quia nimirum non eadem plane ratione: cùm humana Christi natura, non sit de substantia Patris, sed tantum de substantia matris.

Quod credendo facta fuerit grauida, ego non negauerim, quin tum facta fuerit grauida, cum verbis Angeli fidem adhibuit: Verùm, non vi fidei, sed Spiritus S. virtute. Non enim in animo, vbi fides sedem habet, concepit, sed in vtero.

Quod creuerit θεανθρωπος, certum est: sed ea natura crescebat, qua etiam conceptus fuerat, ex semine Dauidis. Eiusdem enim est augeri, cuius & generari: & in id excrescit, in quod terminata est generatio, vti, arbor in arborem vt ex parua fiat magna: & sic de animalibus atque hominibus. Si deificari, ad qualitates referatur, non negarim, Christum qua homo erat, deificatum fuisse, id est, in dies, sicut crescebat ætate, sic etiam profecisse sapientia (vt Euangelistæ docent) & aliis diuinis perfectionibus donisque Spiritus S quæ in Christo sese magis ac magis intus & extra, indies exerebant. Sic nos quoque deificabimur, cùm Deus erit omnia in omnibus. Sed si ad essentiam naturamque diuinam referat Schvvenckfeldius verbum *deificare*, hæresis est Eutychiana intolerabilis, quasi aut humana natura in diuinam verti possit, aut contra diuina, in humanam. Totum etiam Christum passum esse, ego non inficiarer, modò explicetur, qua parte, quave natura passus sit, sicut Apostoli faciunt, qui aiunt, passum esse carne, & ex infirmitate carnis. Nam si non rectè diceretur, totum Christum passum esse, neque Apostolus dixisset, *Dominum gloriæ fuisse crucifixum*: &, *Deum suo sanguine Ecclesiam redemisse.* Actiones enim sunt totius suppositi, seu ὑφισταμένου, quanquam non omnes semper respectu vtriusque naturæ, sed alterius duntaxat sæpenumero. Vtriusque naturæ est, quod dilexit nos: solius humanæ, quod mortuus sit pro nobis: solius diuinæ, quod viuificet nos & condonet peccata. Argumentum, quo vtitur, *si sola humana natura esset passa, sola esset redemtrix*, nullum est. Primum, non dicimus, *humanam naturam passam esse*, sed cum scripturis docemus, *Christum esse passum*, verum *carne*, non autem *Deitate*. Deinde, in sola passione non consistit vis redemtionis, sed in passione eius, qui non homo tantùm est, sed Deus: ita vt passio hæreat in carne: vis autem passionis, in virtute diuinæ naturæ. Proinde Apostolus vtrumque optime complexus est, cum dixit, *Deus redemit Ecclesiam sanguine suo.* Sanguis igitur effusus fuit pro redemtione nostri: sed vis redemtionis in eo est, quòd sanguis fuit non puri hominis, sed Dei. Hæc etiam caussa est, cur dicatur Christus Mediator esse, non secundùm humanam duntaxat naturam, sed etiam secundum diuinam: quia sacrificium est humanæ naturæ: vis sacrificij, diuinæ. Et sic Christus: *Caro*, inquit, *non potest quicquam*, nempe per se. Itaque non damnarem simpliciter, quod ait, *Officium redemtionis, totius esse personæ, eoque & passionem*, modo vt dixi, explicetur dextrè, iuxta scripturas.

Quod sequitur de ascensu in cœlum, & quod eiusdem potentiæ sit factus cum Patre in cœlo, supra fuit explicatum. Concedimus etiam, Christum habitare in nobis totum nosque iustificare & pascere, sed sua virtute habitat, iustificat, pascitque sui sanguinis effusi, & carnis demortuæ spirituali communicatione.

DE COENA.

Quod scribit de Cœna: neque ego vellem de verbo *est*, pro *significat*, contendere, modo dextrè in sua propria significatione accipiatur: nempe, *Hoc* (panis) *est corpus meum* (verum) *quod pro vobis traditum est.* Sed quomodo est corpus Christi? nempe non physicè, nec propriè, sed sacramentaliter duntaxat. Nam panis nullo alio modo potest esse corpus Christi, illud verum quod traditum est, quàm sacramentaliter. Neque aliud instituebat Christus, quàm sacramentum. Vnde etiam facilè refellitur chimæra Iodoci Montani de corpore Christi in Cœna quod sit non illud naturale, sed aliud, quod tamen etiam sit potentia idem. Ita idem dicerem, quod alij nostri, sed tollerem occasionem aduersariis calumniandi nos, quod sensum proprium verborum Cœnæ peruertamus. Quod vero verba Christi ita expliceat, vt corpus faciat subiectum, pronomen autem *Hoc*, prædicatum, vt sit sensus, *Corpus meum deificabitur*, est hoc, hoc est, verus panis & cibus animæ: verum quidem dicit, consentaneè cum verbis Christi, apud Iohan. c. 6. *Caro mea, verè est cibus*: sed cum Apostoli interpretatione pugnat, qui panem pro subiecto accipit, corpus autem pro prædicato, cùm ait, *Panis, quem frangimus, nonne κοινωνία est corporis Christi?* & ita de calice. Deinde, corpus Christi non est cibus noster, neque nobis datur edendum, quatenus glorificatum est, sed quatenus mortuum, & sanguis non alia ratione datur bibendus, quàm quatenus pro nobis effusus est. Quorsum igitur illud, *quod Deificabitur*? Placet vero, quod ait, *naturam Christi humanam esse in gloria*: item, Totum *Christum, esse seruatorem, totum item adorari*, eo scilicet sensu, qui supra explicatus fuit. Sed exæquari gloriam naturarum, concedi non potest, cum gloria diuina sit infinita & immensa: humana autem sit finita. Vnumquodque enim recipitur secundùm naturam, modumque recipientis. Omnis autem creata natura, finita est. Pugnat etiam cum simili quod adfert poculi argentei deaurati. Nunquid gloria & splendor huius, atque præstantia, æqualis esse poterit gloriæ, & excellentiæ poculi aurei puri puti? Longè enim aliud est, esse aureum, quàm deauratum: cum vnum sit per se tale, alterum participatione. Est autem longè maius discrimen in infinitum, inter deitatem Christi, & eius humanitatem, licèt (vt id demus quoad qualitates quasdam) deificatum, quàm inter poculum aureum, & deauratum.

De hac ipsa responsione Zanchij, iudicium
D. TOSSANI.

TVum iudiciũ, vir Clarissime, de præcipuis Schvvenckfeldij erroribus & audiui libenter, & cum fructu legi. Nam licet vix aliquid adferat, quod à veteribus hæreticis, vtpote Manichæis, Messalianis, Eutychianis & aliis allatum non sit, præsertim de Christi humana natura, quam rectè Origenes ait *signum esse, cui heretici contradicunt*: tamen ita apposita, ita acuta sunt & significantia, quæ scribis, vt mihi non parum lucis in ista tractatione attulerint: in qua ideo plus laboris & operæ collocandum est, quòd cùm Germanicè & populariter ista sint mihi tractanda, nō de rebus solùm, sed de commodis & perspicuis phrasibus, solicitum me esse opotreat. De te certè nunquam cogito, quin veniat in mentem illud Demosthenis, qui Oratorem quendam, orationum suarum securim dicebat. Sic tu hæreseon es securis: ita incidere nodos, & perstingere sophismata hæreticorum potes. Congruunt autem tua cum iis, quæ ex Augustino ad Dardanum: ex Cyrillo de incarnatione verbi: ex Clarissimo viro Vadiano, qui etiam in Schvvenckfeldium scripsit, hactenus obseruaui, nisi quòd tua erudita & significanti breuitate excellunt. Vnicus mihi obortus est scrupulus de Filio Dei, *an quà homo est, Filius Dei* dici commodè debeat, cùm eum scriptura, qua homo est, *Filium hominis* vocet: & ἁπλῶς dici non posset ratione humanitatis, si Dei filius diceretur. Quod si ratione vnionis personalis filius Dei dicitur homo Christus, non igitur ratione qua homo est. Sed non dubito, quin, vt etiam explicas, Filium Dei hominem voces, & quatenus cum λόγῳ coniunctus est, & quia ex Spiritu S. conceptus, non tamen, vt hæretici somniant, quasi Deus genuerit hominem. Postremum istud erit, quod primum esse debuit, vt pro ista egregia opera, quam non tam mihi, quàm Ecclesiæ nauasti, gratias agam quàm maximas. Curaui describi illas tuas animaduersiones in Schvvenckfeldium, sed, vt vides, per amanuensem satis negligentem. Si opus erit, curabo rursus describi. Quia autem totus sum in hoc opere, quod est multiplex, & vbi veterum scripta mihi subinde reuoluenda sunt, dabis veniam, si quod maximè optarim mihi esset, vt tua doctissima commentaria *de attributis Dei* legerem, nondum perfeci: quibus ne diutius careas, ea ad te remitto, libentissime intra dies octo aut decem illa lecturus, & me totum, si videbitur, tibi traditurus, quem semper vir clarissime tui studiosissimum & obseruantissimum habebis. Iam sunt mihi binæ conciones meditandæ. Habemus in aula Landigrauium Electoris Illustrissimi generum cum coniuge, qui ad nuptias Ducis Bipontini proficiscitur. Elector ante diem Iouis non exspectatur. Vale feliciter vir eximie. 30. Iulij 75.

T. E. *studiosissimus*

D. TOSSANVS.

H. ZANCH. PETRO COLONIO S. D. De Cœna Domini.

VIdi quæ ad D. Pastorem, frater charissime, tum de negotio συχαριστίας, tum de me scripsisti. Gratulor vestro Illustriss. Principi, quòd curet puram doctrinam in suis & Scholis, & Ecclesiis doceri, & Ecclesiarum turbatores vel inde amoueri, vel coërceri. Gratulor & vobis viris bonis & doctis, quòd ad istius Ecclesiæ & Scholæ reformationem à Domino delecti & vocati fueritis. Illud verò non tantùm doleo, sed etiam vehementer miror, quod quidā meo nomine ad suam de re Sacramentaria opinionem confirmandam abutantur. Quæ sit ea de re sententia mea, nihil quidem adhuc scripsi (est enim satis superque ab aliis scriptum) sæpenumero tamen & hic & alibi tam coram, quàm per literas explicui, ita vt qui eam non intelligat, ferè sit nemo. Illud verum est, mihi summopere displicere λογομαχίας: & modo conueniat inter pietatis Professores de summa rei, ita vt nihil dicatur, quod aut cum vlla parte verbi Dei, aut cum analogia fidei pugnet, aut alicui idololatriæ & superstitioni aditum in Ecclesia patefaciat, & tamen interim nec veritas Sacramenti negetur, nec debitus honos ipsis Symbolis adimatur, nec legitimus Cœnæ vsus tollatur: etsi aliquid præterea sit, de quo inter omnes non conueniat, non ob id tamen censeo Ecclesias esse vexandas, infirmos turbandos, & φιλαδελφίαν frangendam. Est enim illud Apostoli, id quod subinde in hanc sententiam inculcatur ab Augustino, retinendum: *Quod si quid aliter sapitis, Deus id quoque reuelabit, modò in eo, in quod peruenimus, permaneamus.*

Quod verò aues scire, quænam sit mea cum D. Marbachio de Cœna Domini consensio, paucis accipe.

Primum verba Confessionis Augustanæ vterque amplectimur, quippe quæ nihil habeant, quod pugnet cum verbis Christi. Deinde, verba Recessus Francofurtensis de Cœna Domini, tanquam ea, quæ rem ipsam clarius, quàm verba Augustanæ Confessionis exprimant, vsque adeo nobis non improbantur, vt etiam subscribere & ille non dubitauerit, & ego pro pace Ecclesiarum non recusem. Verba autem hæc sunt: *Hic articulus doceatur, quemadmodum in Augustana Confessione traditur, quòd in hac Christi institutione Cœna sua, ipse verus, viuius, essentialis, præsens sit; & quòd cum pane & vino, tanquam ab illo institutis, nobis Christianis corpus suum manducandum, ac sanguis bibendus donetur: & testetur hac actione, nos esse membra ipsius, & applicet nobis seipsum & misericordem suam promissionem, & operetur in nobis.*

Postremo iudicium hac de re beatæ memoriæ Philippi Melanchthonis ad Illustrissimum vestrum Principem missum, & nuper editum in lucem, non manibus tantùm (vt aiunt) & pedibus, sed sincero & toto animo tanquam verissimum & piissimum amplectimur.

Pores ex iis in genere, quæ nostra sit consensio, percipere Sed vt tibi gratificer, clarius etiam & εἰδικώτερον in quibus consentiamus, explicabo.

Seco totum illud mysterium in quatuor partes: in symbola, in rem per symbola significatam & oblatam, modum recipiendi & manducandi, & in recipientes & manducantes.

Primum, quod ad symbola attinet, negamus ita esse nuda symbola, vt quod per illa significatur, non etiam per eadem, quod ad ipsa attinet, illud omnibus qui sunt in cœna, offeratur, nempe verum corpus verusque sanguis Christi, hoc est, Christus ipse, cum toto salutis mysterio, quod in ipsius corpore peractum est.

Secundò, quia nihil manducatur nisi præsens sit, idcirco quod ad præsentiam rei, quæ offertur, & à fidelibus percipitur, attinet, negamus primò præsentiam corporis Christi Papisticam, hoc est quam imaginantur, per (vt vocant) Transsubstantiationem, seu, per corporis in corpus mutationem.

Deinde negamus illam præsentiam, quæ fingitur per localem in pane inclusionem, vel adhæsionem, denique omnem Physicam præsentiam negamus. Damus verò præsentiam talem, quæ & in pane sit Sacramentalis, & in nobis manducantibus essentialis.

Tertiò, quod ad modum recipiendi & comedendi attinet: negamus Christi corpus, seu Christum ipsum recipi & comedi aliorum ciborum instar dentibus corporis, in stomachum traiici, &c. sed ore tantùm interioris hominis recipi, & eiusdem tantum dentibus, hoc est actuali, eâque viua fide manducari confitemur.

Quartò denique, quod ad ipsos recipientes attinet, etsi omnes, qui ad mensam Domini accedunt, panem Domini, ideòque ἀντίτυπα τοῦ Κυριακοῦ σώματος, & quidem multi in æternum ipsorum iudicium & condemnationem accipiunt, negamus tamen ipsum verum Christi corpus, seu Christum ipsum panem Dominum, primum ab illis, qui omni prorsus fide destituti sunt: deinde ab illis, quorum fides omnino simulata & mortua est, recipi & manducari, sed confitemur manducari à duobus verè fidelium generibus, nimirum & ab iis qui fide imbecilliori ac proinde pœnitentia non satis pura & firma, & ab iis, qui fide fortiori, ideòque pœnitentia puriore & firmiore præditi sunt, & consequenter ab illis quidem ad aliquod temporale iudicium, ab istis verò ad omnimodam salutem manducari. Omnes igitur, cum mysterium Cœnæ Dominicæ agendum est, esse tum ad veram fidem, tum ad veram resipiscentiam, vt admonet Paulus, adhortandos.

In iis quatuor capitibus, quæ certa habent in scripturis testimonia, putamus sitam esse summam totius rei, quod ad hoc mysterium attinet: ideoque iis contenti, & aliis quæstionibus omnibus omissis, viuimus in pace, concordia, & charitate. Precamur omnibus eandem in hac re consensionem, vt omne tandem aliquando ex Ecclesia tollatur scandalum, & illius fructus, cuius caussa Sacramentum hoc institutum fuit, participes omnes fiamus: nimirum non tantum pacis cum Deo, sed etiam charitatis &

tis & concordiæ cum fratribus. Vale Argent. 12. Nouemb. 1560.

T. in Christo frater

H. ZANCHIVS.

H. ZANCHII DE THESIBVS Ioh. Marbachij iudicium, ad Sturmium.

SAccepi & inspexi Theses, Clarissime D. Sturmi, & qua potui attentione, in tanto renū dolore, quo cruciabar perlegi. Quod ergo petis iudicium meum, dicam liberè, sed tibi. Neque enim volo aut caussam, aut occasionem dare cuipiam, contendendi.

Ad summam quod attinet doctrinæ, pura & sana est illa, ac gratulor homini istam sanioris doctrinæ cognitionem. Sed displicent quædam nouæ dicendi formæ, præter necessitatem hic vsurpatæ. Placet enim veterum & vetustiorum etiam nostri temporis doctissimorum Patrum vestigiis, in ipsis etiam dicendi formis, insistere. Certè illarum sunt nonnullæ, quæ nisi habeant æquum interpretem, probari simpliciter non possunt: Notaui istas:

Salutem consistere in cognoscenda Dei essentia. Cur non, vt Scriptura loquitur, *in cognoscendo Deo, Deique voluntate*? præsertim cùm scriptum sit: *Non videbis faciem meam?* hoc est diuinam essentiam, vt omnes interpretantur.

Gentiles habuisse de Deo tantùm cognitionem nominis. Apostolus tamen ait Rom. 1. *Perspectam illis fuisse sempiternam quoque eius virtutem & diuinitatem.* Et pugnantiam aliquam habet hæc 8. cum 13.

Iudicium in natura relictum, in Scripturis appellari consueuisse legem Naturæ. Docent quidem, omnibus insitum esse à Natura hoc iudicium, & dicunt, Gentes facere natura, quæ legis sunt: item, opus legis habere scriptum in cordibus suis. Sed ne semel quidem legi, appellari legem Naturæ. Quomodo igitur consueuit? vsus verò obtinuit?

Ceremonias legis, quatenus ceremonias, non quatenus Sacramenta & typos Messiæ, nihil momenti adferre ad salutem. Quasi verò eædem quatenus Sacramenta & typi, aliquid adferant ad salutem, cùm solus Christus fide apprehensus, cuius Christi fuerunt Sacramenta & typi, salutem adferat. Nisi fortè sentiat, ideo aliquid adferre ad salutem, quia illis excitabatur fides in Christum. At sub nomine Ceremoniarum, Sacramenta etiam complectitur Moses passim in suis libris.

Circumcisionem cordis non excludit à iustificatione, sed tantùm circumcisionem carnis. Quasi verò circuncisio cordis, aliquid valeat ad iustificandum. Quomodo igitur cohæret cum præcedente, ex nullis operibus legis, etiam Moralis, hominem iustificari posse? Quòd si excipiat, ideo non excludi à iustificatione, quia semper & per se necessaria est in iustificatis; idem dici potest de aliis quoque operibus, internis præsertim, vti est timere & diligere Deum.

Quod verbo & Sacramentis Christum apprehendamus, sicut etiam fide. Ego semper legi, verbo & Sacramentis Christum offerri: Fide autem recipi. Deinde quomodo cohæret cum thesi 58. vbi soli fidei dat hanc apprehensionem?

Misericordiam Dei, ait esse ipsam iustitiam passiuam. At verò Thesi 56. ait, *Iustitiæ passiua caussam esse ipsam Dei misericordiam.* Iustitia passiua, propriè est remissio peccatorū nostrorum, & imputatio iustitiæ Christi ex misericordia Dei, & propter merita Iesu Christi.

Quod sola fide, quatenus vera & viuifica est, salutem consequamur. Potius quatenus Christum apprehendit. Non enim res apprehendens, sed apprehensa, seruat. Ac sicinterpretor dictum, *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Quid reputatum est? Num ipsum credere? Non: sed quod credidit, hoc est, quod alij dixerunt: *Fidem iustificare, non respectu sui, sed respectu obiecti à se apprehensi.*

Hæc (vt dixi) possent obiici aduersus has nouas loquendi formas. Sed in substantia doctrinæ nihil agnosco erroris.

Alias priores Theses, legi semel: verbosus est, de rebus non possum certum scribere iudicium, quia non memini, me quippiam obseruasse impium. Ergo condona: quod de iis etiam petis, si non præsto. Neque enim possum.

Precor Deum, vt te ære isto alieno liberet, incolumem seruet, & filiolum in suam, sanum, recipiat tutelam. Si feceris, quod de mea polliceris præfatione, feceris amico rem gratam. Vxor & familia, salutat vxorem tuam, omnesque domesticos.

Risi quod de Psittacis scripsisti & Cercopitheco. Ita est. Vale mi D. Sturmi: &, si quid possim, iube. Heidelb. 7. Febr. 1570.

T. ZANCHIVS.

H. ZANCHII AD D. STVRMIVM Consolatoria in obitu filij.

SFuit apud nos, Clarissime D. Sturmi, & compater obseruande, proximis diebus, Conradus cum filio. Ex repentino ipsorum aduentu, tantam cepi lætitiam, quantam vix habui multis ab hinc mensibus. Amo enim vtrumque, vt sinceros, & ea re veros amicos. Verùm, simulatque narrarunt, quæ tibi paucis ante diebus contigerunt (ea enim omnia ignorabam) tam vehemens me cepit mœstitia atque dolor, vt illam omnem priorem extinxerit lætitiam. Tenebam enim non tam è Scripturis, quàm experientia, non esse dolorem illo maiorem, qui est (vt loquitur Scriptura) super mortem primogeniti. Et qualis primogeniti? & cuius parentis filij? & qua ætate mortui? Multa audiebam, sed plura cogitabam, quæ mihi vehementer augebant dolorem, ita vt mihi præsens apud te esse, & coram tibi collachrimari viderer. Neque parum etiam dolui subitum socrus, tui amantissimæ, obitum. Videbam enim fieri non potuisse, quin tibi huius etiam mors, priorem dolorem, vehementer auxerit. Nam idem in me, tua caussa sensi. Hinc verò, quod non ignorabam, neque enim vehementes nostri affectus latere nos possunt, illud reapse persensi, te à me, vt par est, non tam obseruari, vt parentem & Dominum, quàm vt verum amicum fratremque charissimum amari. Vera enim συμπάθεια, viuum & certum est amoris testimonium. Credo non esse opus, vt hæc tibi persuadeam, quippe qui me intus, & in cute, & quanti te amem, nosti. Ergo vt à me, tanquam à vero & sincero amico, illud quantulumcunque est, quod tibi è scripturis afferam consolationis & consilij, animo accipias candido & Christiano, oro atque obsecro.

Sunt qui in eiusmodi casibus cōsolationem capiant à caussa (vt loquuntur) materiali, nempe à conditione humanæ naturæ, natos nos esse morti obnoxios, compositos ex luto, quid mirum igitur, si moriamur, & in terram nostra redeant corpora? Nemo non subscribit huic doctrinæ. At consolatio hæc, si aliud non accedat, vt merè Philosophica est, ita etiam frigida. Solidior igitur est, quæ à caussa efficiente prima ac principe, hoc est, à sapientissima, æterna & immutabili Dei voluntate, petitur: præsertim si addas, vt nihil est per se stultius, Deo ingratius, nobis perniciosius, quam cum æterno & immutabili Dei decreto pugnare, ita cōtrà nihil esse honestius, Deo charius, nobis vtilius, quàm in Dei beneplacito acquiescere. Sic Iob: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est. sit nomen Domini benedictum.* Sic Christus ipse, licèt ad carnem quod attinet, deprecaretur calicem, mente tamen & spiritu acquiescebat in voluntate Patris, dicendo: *Fiat voluntas tua.* Sic nos docuit eo confugere in omnibus nostris calamitatibus, cùm ait, *ne passerculum quidem cadere super terram, sine voluntate Patris: Matt. 10.* quasi dicat, non est igitur cur in aduersis supra modum angamini animi, cùm sciatis omnia ex æterna & immutabili Dei voluntate proficisci. Est certè hæc maxima piis hominibus consolationis materia, persuasum habere, nihil sibi, nisi ex æterno Dei consilio euenire.

Sed longè maiori consolatione afficimur, si cum hac caussa efficiente, caussam quoque coniungamus & impulsiuam & finalem. Impulsiua, amor est Dei Patris erga nos. *Quos enim diligit* (inquit Scriptura) *hos corrigit & castigat.* Irascitur quidem peccatis nostris, ac proinde nos cædit, sed ita hæc, ab amore, non ab odio proficiscitur; ab amore, inquam, erga nos, quanquam ab odio in scelera nostra. Nam quod etiam nos irascimur liberis nostris, quonam ex fonte alio fluit, quàm ex amore erga liberos, & ex odio in ipsorum vitia concepto?

Finalis verò caussa non vna est, sed multiplex, inprimis

autem nostra salus, quæ multis constat partibus: carnis, hoc est, ingenij nostri, prudentiæ carnalis, consiliorum, affectuum, desideriorum, amorum mortificatione, & contra spiritus viuificatione, vera & actuali Dei cognitione, cœlestis vitæ desiderio, amore cœlestis patriæ, studio glorificandi Deum, diligentia in quærendo regno Dei, & iustitia eius, cura in audiendo, legendo, meditando verbo Dei, charitate in promouenda aliorum etiam salute, denique sincero Dei & proximi nostri amore. Sũt.n. cruces piorũ, verus ignis purgatorius, quo ipsorum animi, instar auri impuri, defæcentur, repurgentur, illustrentur, perficiantur, vt tandem in cœlestem patriam omnibus peccatorum sordibus vacui & perpoliti inducantur. Nosti, optime Sturmi, hæc omnia esse verissima. Restat tantum, vt ad praxin veniatur.

Ergo, quòd filius tuus vnigenitus, charissimus, vltimus tuæ senectutis fructus, diu & multum exoptatus, maxima diligentia custoditus, tuum corculum, tuæ deliciæ, tua anima, à te in cœlum migrarit, teque tristitia maxima affectum, reliquerit, cogitandum tibi est, oculis in Deum rerum omnium autorem sublatis, non hoc factum esse temerè, casu, fortuna, sed singulari Dei prouidentia, tum propter salutem pueri. Ipsius enim animam eripuit Dominus, *ne malitia* (sicut loquitur Scriptura) *immutaret cor eius*: tum propter salutem tuam. Voluit enim te efficaciter monere, vt in vniuersum propter peccata mors introiuit in mundum, ita sæpenumero nostros charissimos liberos, coniuges, amicos, morte nobis eripi propter peccata, non ipsorum, sed nostra: resipiscendum igitur nobis esse, & mutandas cogitationes, studia, mores. Nonnunquam nimium, & plus quam par est, amamus, & quasi deperimus vxores nostras, liberos, affines, amicos, ita vt Dei ipsius quodam modo obliuiscamur. Hinc neglectis quæ ad gloriam Dei pertinent, studia nostra omnia conuertimus, ad nostros in hoc mundo locupletandos, nobilitandos, ordinandos. Hinc etiam fiducia, quæ in solum Deum recumbere debet, à Deo auersa, in rebus seculi huius vanis, & in mortalibus etiam hominibus, quibus nihil est vanius, collocatur & multa ac magna nobis in hac misera vita, de illis pollicemur. Hinc obliti mortalis nostræ conditionis, eoque & precibus ad Deum neglectis, in rebus huius seculi ita exultamus, & voluptatibus exilimus, perinde ac si tota nostra felicitas, in huius mundi delitiis posita sit. Sunt hęc multis, atque in primis diuitibus, potentibus, & magnis principibus communia, imo neque ab aliis hominum quamuis pauperum generibus aliena. Nemo enim hominum est; qui non se, & suos sæpenumero maiori, quam æquum sit, complectatur amore: ex quo nimio & iniquo amore, reliqua oriuntur mala. Quid igitur Dominus, optimus parens, nostrique amantissimus? Tollit caussas & occasiones malorum, beneficia, inquam, à se collata, quòd iis ad nostram perniciem, & contra ipsius gloriam, abuteremur. Et quam obrem tollit? ne pereamus, sed memores nostrorum peccatorum, nostræ mortalis conditionis, humiliemur, & conuersa fiducia, amore, studio in Deum & Dei gloriam, feruemur. *Si nos ipsos* (inquit Apostolus) *diiudicaremus, non iudicaremur. Cum autem iudicamur*, seu punimur, *à Domino corripimur, ne cum hoc Mundo damnemur.* Est igitur cur potius lætemur, cũ ita Deus nos paternè corrigit, quàm vt sine moderatione doleamus, lugeamus, tristitia conficiamur: quoniam sunt hæc opera diuinæ erga nos beneuolentiæ testimonia, & nihil iis nobis est salutarius. Experientia certè edoctus, mihi crede D. Sturmi, hoc tibi affirmo. Proinde rogo te per Iesum Christum Seruatorem nostrum, vt si nondum potuisti penitus ponere dolorem, quem ex morte, & filij charissimi, & amatæ socrus concepisti (maximum enim, & incredibilem fuisse, non dubito) saltem conuersus spiritu ad Dominum, gratias illi agas pro isto singulari beneficio, quo te in præsentia affecit, quod tibi aures vellicauerit, quòd te expergefecerit, quòd te excitarit, & ad lucem pertraxerit, qua, quanta sit huius vitæ miseria, quanta vanitas, & contra vbinam posita sit nostra felicitas, quo nobis semper nostræ cogitationes, affectus, studia dirigenda & contendenda, perspicuè cernas, eoque da operam, vt sicut hactenus ex multis tuis eruditis & elegantibus literis & scriptionibus totus mundus nouit, quanta sit tua eruditio, sic posthac ex tuo diligentiore, & accuratiore, quàm vnquam fuerit, veræ pietatis studio, frequenti auditione & lectione verbi diuini, Sacramentorum participatione, precibus publicis & priuatis, condonandis iniuriis, iuuandis pauperibus, idque constanter vsque ad mortem, tota Christi Ecclesia, etiam post tuum obitum intelligat, te non solum doctissimum & humanissimum virum fuisse: verum etiam piissimum, & optimum Christianum. Obsecro te denuò, & obtestor per Christum, mi D. Sturmi, vt hoc facias, & in hoc tuam intendas considerationem & cogitationem. Nullum tibi salutarius consilium dari potest. Ego te amo, obseruo, colo, quam qui maxime, crede mihi. Proinde ex animo, amoris erga te pleno, hæc ad te scribo. Precor etiam, & precabor Deum, vt is suo spiritu in te perficiat, quæ ego è scripturis ad te scribo, & vt in te confirment, desidero. Saluto vxorem tuam, commatrem meam, quam tuum erit consolari, meo etiam nomine. Dominus te seruet, te consoletur, regat, & tandem vera & æterna felicitate donet. Vale.

T.T.H. Zanchius.

H. ZANCHII AD D. CONRADUM *Hubertum, olim Amanuensem & Diaconum D. Buceri, Consolatoria.*

S. Debui iam pridem, frater charissime, ad binas tuas respondisse: sed partim negotiis impeditus non potui: partim non se quispiam obtulit, qui perferret. Tarditati igitur meæ ignosces: Ego mi frater charissime, tantum percepi doloris ex eo, quod scribis de damno accepto, ex Oporini obitu, propter magnum æs alienum ab eo contractum & nunquam persolutum, ita vt iam tu verseris in magno discrimine rerum tuarum: tantum, inquam, percepi hinc doloris, vt melius sentire, quam exprimere possim. Facit hoc vera amicitia, quam vera etiam pietas inter nos conciliauit, & qua me tibi Dominus Iesus ita deuinxit Spiritus S. vt non possim tibi non συμπαθεῖν: spectaui & ego in te, tuoque charissimo filio, cum alias, tum præsertim præterita hyeme, cùm isthic essemus, eandem erga me meosque liberos συμπάθειαν, apertum sanè veræ & Christianæ amicitiæ testimonium. Sed vtinam tam tibi possem, tuoque filio, & nepotibus, sanctisque vxoribus opem ferre, quam vos nobis in nostris necessitatibus attulistis auxilij. Cupio certè, ac si qua ratione videas te posse à me iuuari, vel per Illustriss. Principem, vel per amicos, rogo significes. Nam nihil non agam. Quid enim tibi non debeam? Quod vero in præsentia possum præstare officij, principio rogo Dominum Iesum, in cuius manu sunt omnes thesauri atque diuitię, tibi tuisque ita adsit, vt eius erga vos beneuolentiam & beneficentiam reipsa sentiatis. Deinde rogo te per Christum, vt tibi ipse non desis ac quemadmodum scribis, & piè scribis, cogites Dominum velle, te ad cœlestes diuitias aspirare, idque eò magis in ista tua senecta, quò propius accedis ad tempus sanctæ & felicis ex hoc mundo nequam, ad cœlestem Patrem atque patriam, migrationis. Nouimus enim eò profectum prius Christum, non vt ibi solus æterna frueretur vita, sed vt nobis quoque pararet locum. Quo præparato (quotidie autem vsque ad finem mundi præparat sua intercessione & cœlestium donorum exhibitione, redibit ad nos ad se assumendos, vt simus tandem, resumtis etiam corporibus, vbi & ipse est. Et quidem eo modo eundem nobis esse illo, quo & ipse prior iuit, citra aurum & argentum, & citra vllam substantiam huius seculi, quippe quorum vsus non fuerit amplius necessarius.

Sed alia accedit vtilitas, quod nimirum hac ratione facilius & tu excitaberis ad filium tuum Domino commendandum, & ipse filius cogetur totus à Christo pendere, & maiori rerum cœlestium, quæ nunquam possunt perire, aut abripi, desiderio affici, quam si multas reliquisses illi facultates. Nouimus illud Christi, *vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuum.* Et non sine caussa dictum fuisse, *Facilius esse, vt camelus per foramen acus transeat, quàm vt diues ingrediatur in regnum cœlorum.* Et sapientissimè orasse Salomonem, ne Deus sibi daret aut multas facultates, aut paupertatem, eas ob caussas, quas nosti. Ac profectò, si habeamus vnde viuamus & vestiamur, vt docet Apostolus, iis contenti esse debemus. Illud etiam occurrit, Dominum instar optimi, & liberorum suorum amantissimi parentis sæpenumero nos externis spoliare diuitiis, quo internis & spiritualibus magis ac magis cumulet, multis nimirum virtutibus, quas nemo hominem eripere nobis possit. Hinc fit, vt plures pauperes videamus operam dare literis aliisque virtutibus, quàm diuites, ita vt qui sunt pauperiores, fiant ditiores. & ditiores maneant pauperiores. Quis autem meritò possit conqueri, si decem spolietur nummulis, & centum donetur coronatis? si multæ adsint diuitiæ,

quia

quia videmus nobis esse, vnde splendidè viuamus, somno, ventri, otio, securi indulgemus, fimus ignaui, virtutes si non contemnimus, saltem negligimus. Ita fit, vt destituti viribus, si postea contingat, vt facultatibus etiam, quibus videbamur pulchrè muniti, destituamur, tum demum nudi prorsus, & ab omni diuitiarum genere vacui, cogamur turpiter mendicare. Exempla possem afferre ducenta. Ergo consulit nobis Deus Pater optimè, cum vt cogat nos operam dare virtuti, eosque veris opibus congerendis, præsentis seculi malè fundatas eripit. Etenim sicut copia, præsertim si addas amorem, caussa est malorum omnium, sic tenuitas caussa bonorum & virtutum omnium. Non hæc scribo, tua caussa, mi obseruande frater, quippe qui his non opus habes consolationibus, sed nostri potius charissimi Samuelis, vt magis ad virtutis studium excitetur, & animum adiiciat ad aliquam conditionem, si non Scholasticam, saltem Ecclesiasticam, qua in re, si meam desideraris operam, monitus certè non negligam. Videre, vt ante dixi, quibus in rebus possim vobis prodesse, & aliquam vestræ voluntatis date mihi significationem. Scio vos esse viros, & Spiritu Dei præditos atque prudentes: ideo plura non addam.

Quod petis de disputatione, deque disciplina, paucis accipe. Nam quia postulas, non possum denegare.

Aliquot ante annis, tentatum fuit à quibusdam viris, piis & honestæ vitæ studiosis, vt in huiusce regionis Ecclesiis institueretur Ecclesiastica disciplina. Alij restiterunt, sed non credebantur resistere, quod doctrinam de disciplina damnarent, sed quod iudicarent non esse in præsentia vtile, aut quod non posset facilè obtineri, aut aliis de caussis ciuilibus. Ita verò desitum est ab instituto, & de re ipsa disputari, vt tamen (quemadmodum fit) animi manserint aliquantum à se, inuicem alienati. Nuper vero cum quidam Anglus creandus esset Doctor, theses obtulit *D. Boquino* disputandas. Erant illæ pleræque omnes de vestimentis, & aliis rebus: quibus de in Anglia diu est disceptatum, aliis affirmantibus esse liberas & adiaphoras, aliis contra, esse superstitiosas, &c. in quorum sententia erat & iste Anglus. Has cùm legissem, hortatus sum D. Boquinum, ne permitteret de huisce rebus in nostra Schola, hoc præsertim tempore disputari allatis aliquot rationibus. D. Boquinus probauit meam sententiam. Iussus igitur fuit Anglus alias proponere Theses, id quod & fecit. Inter has erant & duæ de necessitate disciplinæ Ecclesiasticę, & cumprimis de excommunicatione. Has vbi legissem, visæ fuerunt non tantùm pię (nisi quod illæ etiam duæ de vestibus, quanquam moderatiores prioribus, non vsque adeo probabantur mihi.) Sed etiam tales quas nunquam putassem à quopiam viro pio, & vel mediocriter erudito, serio oppugnatum iri. Nam etsi me non latebat dissidium superiorum annorum de constituenda disciplina, nunquam tamen in perpetuum existimassem inter hos Pastores & professores quempiam reperiri posse cui doctrina hęc improbaretur. Non iudicaui igitur, has etiam alteras Theses, ne disputarentur, impediendas esse. Quare fuit disputatum, & pacificè disputatum.

Cæterum ad finem disputationis quidam conquesti sunt, non sibi satis temporis fuisse ad disputandum, se alioquin multa, & ea quidem grauia aduersus has Theses de disciplina, allaturos fuisse D. Boquinus. qui præsidebat, respondit, se curaturum, vt cras aut perendie denuo disputaretur. Ergo perendie reditur ad disputationem.

Fuit disputatum serio contra Theses illas de disciplina sed ita disputatum, vt licet nemo non videret, animos aliquantum esse accensos, tolerabilis tamen fuerit disputatio & modesta, & sine conuitiis, nisi quod ad extremum Pastor quidam protestatus est, hanc doctrinam se damnare tanquam pugnantem cum verbo Dei, quam protestationem ita admiratus fui, vt nihil supra, & vero etiam valdè offensus. Hoc se habuit modo, illa disputatio.

Post disputationem cœperunt aduersarij disciplinæ, contra disciplinam scribere, & scripta spargere: ac præcipuum quod iam per omnium volitat manus scriptum, fuit scriptum, quo contendunt, *Excommunicationem neque ex veteri, neque ex N. Testamento probari esse: &. neminem à Cœna, etsi sceleratissimum & impœnitentem, atque adeo pertinacem, arceri posse, nisi diuersæ sit doctrinæ.* Qui veram defendunt sententiam, nihil adhuc scripserunt, hac tantum de caussa, quod nolint turbare Ecclesias, & quod exspectent, dum Illustrissimus Princeps aliquid de hac constituat. Nam Princeps expetit disciplinam, tantum abest, vt doctrinam improbet. Quod ad me attinet si interroger, dico sententiam meam liberè, sed modestè, ne sim veritatis proditor.

Cæterum non me immisceo iis negotiis, multis de caussis iisque honestis. In hoc statu sunt res, & fideliter, quia petiisti, etiam exposui. Video autem vbique else quod desideres. Dominus curet suas Ecclesias, Amen.

Commendo vero negotium meum apud Sturmium. Velim etiam te rogatum, vt illum Buceri scriptum contra Antididagma, vel tu cures imprimendum, vel mittas ad me, & curabo hic cudi. Si neutrum velis, saltem quos notaueram tractatus, vt illum de Missa, cures describi meis sumtibus, & ad me mittas. Liber quem miseras, vbi Index in Paries, saluus est, sed nondum descriptus, quia carui Amanuense, & non fuit mihi otium. Vale frater charissime in Domino, Deus te reseruet & consoletur. Heidelberg. 26. Septemb. 68.

T.H. ZANCHIVS.

H. Zanchij ad D. Samuelem Hubertum, Conradi filium, in Academia Argentinensi præceptorem Classicum, Consolatoria.

Svolorificum est carni, mi Samuel charissime, amittere amicos, affines, cognatos, parentes, ita periucundum est spiritui, cum eos aut audimus, aut videmus placidissimè in Domino obdormiuisse. Proficiscitur illud plerumque ἐκ τῆς φιλαυτίας, quia nollemus iis priuari, a quibus vel commodum, vel voluptatem aliquam percipimus: hoc vero alterum, ex vera erga amicos, qui decedunt, dilectione & pietate. Quid enim viro pio gratius atque iucundius contingere potest, quàm si certo cognoscat, amicum suum, carumque vel affinem, vel consanguineum, ex misero ad felicissimum statum fecisse transitionem? Ego vtrumque affectum lectis literis tuis, mi Samuel, quibus piam quietamque & vero etiam maturam optimi parentis tui, mei vero fratris amicissimi, dormitionem eleganter descripsisti, in me ipso expertus sum. Non dubito, quin tu Filius, in vera pietate à sanctissimo parente iam inde à teneris annis optimè institutus, vtrumque efficacius & meliùs senseris, quam ego, qui nullo sanguinis, sed tantum veræ amicitiæ & pietatis nexu, cum illo etiam coniunctus. Non est igitur, mi Samuel, cur iam doleamus mortem, tu parentis tui, ego amici ac fratris mei, quàm æternam illi felicitatem gratulemur. Rogandus est potius Dominus, velit nobis eandem præstare gratiam, qua nimirum ad tam maturam ætatem, ad quam & parens tuus tamque etiam piè peruceniamus: vt inde etiam tam placidè, quemadmodum de illo scribis, migremus in cœlum, quod certe omnibus Christi amantibus destinatum est, vt sit illis proprium perpetuumque domicilium, cum Christo ipso, & omnibus Angelis eius.

Cæterum pro libro gratiam tibi habeo maximam. Est enim mihi multis nominibus gratissimus, atque inprimis, quod parens tuus, hon. memoriæ, voluerit hoc apud me meosque libros extare perpetuum pignus amicitiæ nostrę. Domino etiam Doctori Blaurero dedi alterum exemplar. Te verò hortor, mi fili charissime, quod incepit Parens tuus, in scriptis Buceri summi Theologi, tu ipse perficias. Si quid ego tibi potero præstare officij, illud totum offero.

De statu nostro, nil possum, nisi nos bene valere, me auctum esse in familia. Sunt enim mihi iam tres, & tres, masculi & fœminæ. Pendemus verò à voluntate Dei Peregrini sumus in hoc Mundo. Nihil tamen adhuc in nos tentatum est. Rogamus autem Deum, det meliora consilia eis, quibus opus est. Debetis & vos idem precari atque optare à Domino. Salutabis tuos omnes, nomine omnium nostrum. Vale optime frater. Deus adsit suæ Ecclesiæ. Heid. 1. Maij, Anno 77. Salutem etiam dices D. Sturmio nostro.

T.H. ZANCHIVS.

PETRVS MARTYR

Clarissimo viro D. Iohanni Sturmio, Gymnasii Argentinensis Rectori præstantissimo, ac fratri plurimùm obseruando.

S. D.

De re graui, & hominum certaminibus iam propemodum obcæcata, paucis & dilucide scribere: tu ipse

vir clarissime, qui es dicendi magister optimus, & scribendi peritiss. apprimè nosti, quàm sit arduum & perdifficile factu. Ideo mirari non desino, quæ caussa fuerit, cur id à me, qui & dicendo, & scribendo ferè nihil possum, tuis proximis literis petere non sis veritus. Quia tamen rogasti, & ego pro mea in te obseruantia, recepi me facturum: per primum, eúmque fidum Tabellarium, D. Massarium, fidem meam decreui liberare. Quod etiam eò alacrius faciam, quòd me sentio ad eum non scribere, qui sit controuersiæ ignarus: Nam, vt video in Eucharistiæ caussa iam totus habitas, tantùm abest, vt in ea hospes dici possis. Cùm itaque de re sic existimem, ita summa capita perstringam, vt ea potius notasse, quam explicare voluisse, demonstrem. Tu boni consules: ac, si voluntatem tuam minus explenero, non animum meum in te propensissimum, verum teipsum, qui rogaueris, accusabis. Panis & vini μετουσίας nullam facio: quod aduersarij, non minus, quàm nos ab ea se profiteantur abhorrere: nec etiam laborandum puto, an oratio Domini, qua, panem esse corpus suum, & vinum sanguinem suum dixit, propriis an figuratis, ac τροπικῶς accenseri debeat: siquidem illi, contra quos disputamus, ad sanitatem vtcunque reuersi, tropum in ea oratione iam se agnoscere confitentur: sed ita confitentur, vt corpus & sanguinem Domini, verè, propriè, ac reipsa pani & vino copulent, atque ὑποστατικῶς (Papæ, συνουσίας duarum naturarum supponant statuantque, carnem & sanguinem Christi non tantum in cœlis esse, verum etiam in pane ac vino sacræ Cœnæ adesse præsentia. Nec verentur Domini corpus, quamuis humanum est, affirmare, simul, eodémque tempore in multis locis esse, immò progrediuntur eò, vt illud æquè ac naturam diuinam pronuntient esse vbique: deinde præsentiam illi corpori tribuunt, quæ locum minimè occupet. Ego verò Christi naturam humanam semper certo quodam loco fuisse comprehensam dico: quem ita occuparit, vt eodem tempore alibi non fuerit. Euangelica historia tradit, illum aliquando fuisse in Galilæa, nonnunquam Hierosolymis, interdum in domo Simonis, & alias in Bethania. Vnde constat, ab ea certum aliquem locum datum esse corpori Christi, simul autem alibi non fuisse, apertè demonstrat: cùm Christum dixisse perhibeat, Lazarum fuisse mortuum, & se gaudere quod ibi non fuerit. quibus vtique verbis ita se fuisse ostendit in illo itinere, vt alibi non fuerit. Angelus quoque dixit mulieribus, cum Domini corpus in sepulchro quærerent: *Surrexit, non est hic*, quo declarauit, ita è sepulchro discessisse, vt ibi corpore non amplius adesset. Et Petrus Actorum 3. de illo enunciauit: *Quem oportet quidem cœlum accipere: vsque in tempora instaurationis omnium.* Si futurus in cœlis est, quoad naturam humanam, vt Apostolus dixit, vsque ad extremum diem quid eius carnem, sanguinem in terris quærimus? At de Apostolo quid loquor? Ipse Christus discipulis aiebat, *se relinquere Mundum, & ab illis discedere*: atque monuit, fore, vt perpetuò secum pauperes, non autem illum essent habituri. Proinde sic imbutus & instructus diuinis oraculis, humanam Christi naturam in cœlis ab inferiori mundo sepositam, vsque ad Mundi finem agere credo: cumque tunc ad orbem iudicandum inde rursus esse venturum: vt ab Angelis moniti sunt Apostoli: & nos articulo nostræ fidei profitemur. Hoc est (vt summatim dicam) quod sentio de loco & præsentia corporis & sanguinis Domini. Qui autem è diuerso cœlum vbiquitarium sibi formant, & fingunt, quasi eius materia sit mollis instar ceræ, ac figmenta eorum sequatur facilime, quocunque illam ducere fuerit visum: quique Domini corpus vel in pluribus locis simul, vel quod multò audacius est, vbique esse prædicant, qui etiam illud pani & vino sacræ Cœnæ copulant, vbivbi gentium habeat: qui denique ibi absque loco & inuisibiliter adesse præsens decernunt, eos omnes precor, obsecro, & obtestor: vt hæc sua præclara & mirabilia commenta, ne portenta dixerim, in diuinis literis tandem aliquando conscripta demonstrent: quod si fecerint, ingenuè vicisse confitebimur. Sed quia, vt certò scio, præstare non poterunt: illos porrò sedulo moneo, vt ex capite suo noua dogmata, nouosque articulos fidei cudere desinant, & nobis ea obtrudere credenda, quæ domi eorum nata sint, non autem in agro diuinarum scripturarum creuerint. Non me latet, eos in hac tota ratione id nobis exprobrare, quod non Theologos verùm Naturales philosophos agamus. Etenim fatentur quæ dicimus, ex decretis naturæ, cum vera esse, tum necessaria, verum ea mysteria, quæ diuina & cœlestia cùm sint, naturam multis modis vincunt: eius regulis & decretis non oportere subiici. Sed cum in eis amplectendis & considerandis, ratio nostra offendit: diuinam potestatem, quæ immensa est, nos tum debere intueri.

Cæterum hæc diluere, non est difficile. Primum, quòd sanctarum scripturarum testimonia sequimur: vt illa recensuimus: eo minimè nos philosophiam, sed verbum Dei sequi testamur. deinde si naturam audimus, vbi sermonibus Dei nihil repugnat, nihil facimus Christiana Theologia indignum. Habet siquidem natura Deum autorem ac vindicem: ac ideirco eius regulæ ac decreta, non ex ea, verum ex ipso Deo proficiscuntur, ideoque conuellenda & refigenda non sunt: quoad non ostendatur, verbum diuinis literis prædirum eis repugnare. Hanc naturæ vocem maximus, optimusque Theologus Augustinus in epistola ad Dardanum audiuit: cum inquit, *Spacia locorum tolle à corporibus & nusquam erunt: & quia nusquam erunt, nec erunt.* Idque non pronunciauit de naturæ vel corporibus Physicis agens, verum scribens ex professo de anima & corpore Domini. Eandem naturæ vocem & Cyrillus audiuit: qui scripsit in suis dialogis de Trinitate: *Ipsam Dei naturam, si partibilis esset, vt quidam sentiebant omnino fore quantam, nec non in loco, neque posse circumscriptionem euitare.* In nostra itaque sententia tuenda verbum supremis Dei amplectimur, audimus naturæ vocem: dum suo autori non aduersatur, & vnà cum patribus rectè sentientibus facimus.

Vt autem ad potentiam Dei confugiamus in hac proposita controuersia, opus non habemus. Commonefacimus attamen pios, diuinam Omnipotentiam, quam vna cum omnibus fidelibus credimus, non esse citra omnem exceptionem credendam: Nam & Paulus excipit, *Deum non posse negare seipsum.* Excipit item passim: a Deo fieri non posse, vt quæ facta sunt, infecta reddantur. In scholis etiam Theologicis definitum est, ea Deum non posse facere, quæ, vt loquuntur, contradictionem implicant. quod cum vitio rerum fiat: non Dei vlla infirmitate, de summa illius potentia nihil minuitur. Attendendum præterea: non paucos hæreticos isto suffugio esse vsos, cum illorum praua & insana dogmata refellerentur à sanctis patribus non solum vt absurda, verum etiam vt impossibilia. Respondebant enim, vt se tuerentur: omnia Deo esse possibilia.

Neque manus illis dare propterea cogimur: quod Christus de pane dixerit, *hoc est corpus meum*, & de vino, *hic est sanguis meus*: quia cum & nostra illorum eius orationis interpretatio, locus ambiguus redditur: quamuis nobis expositio nostra est certissima. Argumentum verò quod ab ambiguo deducatur: omnes norunt, quam sit rerum atque imbecille. Quid igitur dices? An Cœnam Domini absque illius corpore ac sanguine haberi docebis? quomodo præterea hoc, aut manducari aut bibi, si præsentia reipsa nō adsunt, probabis? Porrò scriptura vtrumque restatur: nos in S. Cœna carnem & sanguinem Christi edere ac bibere. Vt de eo antea dicam, de quo interrogor (ulterius. Corpus & sanguinem Domini spiritualiter edi ac bibi affirmo: id est, animi ore, qui spiritu & fide sit imbutus. Dum enim in S. Cœna mente agitamus Domini mortem ac syncera fide ista redimendorum nostrûm caussa in crucem fuisse impensa, fideliter credimus, ea magno nostro bono edimus & bibimus. Nam sunt animis nostris instar optimi cibi, & saluberrimi potus: eamque fidem excitat Deus in suis per Spiritum S. duobus adhibitis externis instrumentis, verbo, inquam, & panis ac vini elementis. Qui ergo credunt & fide amplectuntur: Domini carnem & sanguinem fuisse nostræ salutis caussa in mortem tradita, ea spiritualiter comedunt, & spiritualiter bibunt. Proinde fatemur, ad esum & potationem physicam & propriam, exigi esculentæ ac poculentæ rei præsentiam: alioqui res absentes nec edi neque bibi posse, vicissim autem negamus è spirituali esu & potu elici, seu concludi, eaque ἀληθινῶς edi & bibi corporaliter, ac propriè adesse præsentia. fide autem constare carnis Christi manducationem, ipse apud Iohan. 6. cap. luculentissime testatus est. Quare is Euangelista, cum rem totam ibi à se indicaret affatim explicatam, in historia postremæ Cœnæ, quomodo externa signa panis & vini adiecta fuerint, minime commemorauit. Adhæc idem ex eo loco colligitur: quod ad verum & propriū Christi corpus: vera propriaque manducatio accommodari non potest, cum iam dilacerari, comminui, & moli nequeat, ore quidem corporis, & panis & vinum proprie comeduntur, ac bibuntur, quæ suo modo *caro & Sanguis Christi* dicuntur: quod sint earum rerum externa signa, ideo vtcumque ore dici

dici possumus edere ac bibere corpus & sanguinem Domini. Vnde Cyprianus & Augustinus, cùm de harum rerum, quæ significantur, esu agerent, nimirum spiritu'ali: prudenter dixerunt, *Quid paras dentem & ventrem? Crede, & manducasti.* Non itaque opus est, corpus & sanguinem Domini è cœlis in terras dimitti, vel adhuc in Mundo versari, vt nostræ Cœnæ se admisceant: sed nostras mẽtes verbo Dei & signis externis commonefactas, oportet ad cœlum per fidem subuehi: quò sacro isto cibo vescantur, atque alantur. Hinc etiam consequitur, illos, qui fide prorsus destituuntur, corpus & sanguinem Christi minimè percipere: quod ea, vt dixi, fide tantùm & Spiritu comedantur, & bibantur. Symbola quidem externa iis comedunt & bibunt: res autem significatas minimè attingunt. Sicuti qui obcæcati sunt, lucem & colorem, quæ oculis capiuntur, minimè possunt recipere.

Cùm postea rogor: *An in Ecclesia Cœnam sine corpore & sanguine Christi haberi existimem?* Resp. Si de ea præsentia loquamur, quam corporalem, realem, atque substantialem vocant: corpus & sanguinem Christi abesse fateor: neque, si adessent, plus vtilitatis, commodi, aut emolumenti nobis adferrent: quam inde hauriamus, dum in cœlis manent procul à nobis disiuncta. Eadem tamen dico adesse fidelibus in Cœna, præsentia fidei, cuius vis & facultas est, vt ea efficiat reddatque præsentia spiritualiter, quæ locorum spacio longe admodum sunt abiuncta. Deinde caro & sanguis Christi nobis præsentia sunt spiritu, gratia, & meritis, & aliis admirabilibus fructibus, qui diuinitus per ea in nos deriuantur, quemadmodum Sol dicitur nobis adesse præsens per lucem, radios, & bonos influxus, quos inde percipimus. Neque corpus & sanguis Domini sic animis nostris præsentia sunt spiritualiter & per fidem, vt vires & facultates suas saluberrimas ibi tantùm contineant, sinantque corpora fidelium ipsarum prorsus expertia: non ita se res habet: sed quia credendo, corpus & sanguinem Domini pretia esse nostræ salutis, iustificamur & regeneramur: vel in ipsa cùm iustificatione, tum regeneratione augemur & confirmamur: iustificatio autem & Regeneratio principia sunt nostræ felicis immortalitatis. Inde fit, vt Cœnam Domini fideliter percipiendo, non modo animi pascantur & recreentur, sed item corpora etiam atque etiam beatæ resurrectionis capacia reddantur.

Hic est meæ fidei sensus, de sacra Domini Cœna, quem tibi, Vir Præstantissime, fortassis minus enucleatè propter orationis ieiunitatem, quam fideliter exposui. Sed te confido, missis verbis impolitis atque incultis, rebus ipsis & sententiis amico animo hæsurum. Vale, ac me tui amantissimum, vt facis, ama, & pro fructu meæ vocationis ora. D. Bulyngerus cæterique amici plurimam tibi salutem adscribi voluerunt. 24. Maij 1562. Tiguri.

Tuus quantus est

PETRVS MARTYR.

Buceri responsum ad Bonifacij Wolfhardi & fratrum Augustanorum acerbiusculam epistolam, de Eucharistia & Confessione Augustana, quomodo ei subscripserint & non subscripserint Argentinenses.

GRatiam & pacem in Domino. Scripsit ad nos Bonifacius de concordia cum Lutheranis, si non vestro nomine communi, quod propter literarum intempestiuam acerbitatem, facile credimus: tamen ea accusat quæ videmus & vos turbare. Exponemus igitur vobis in commune, bona fide, quid per nos hac in re actum: deinde ad illius ac etiam vestra obiecta, respondebimus: & in hac parte eam adhibituri sinceritatem, quam putamus valere apud Christum, securi, vt apud homines sententiæ ceciderint, quanquam si fieri queat, cupimus in bonum gratificari omnibus.

Vbi ergo tandem à nostris Principibus in conuentum Svvinfurtensem consensum esset, perque hos illò nostri vocarentur, sciscitati à nostris sunt, quatenus Saxonicæ Confessioni bona queant conscientia subscribere: si forsan Cæsariani illi arbitri Moguntinus & Palatinus solam Saxonicam confessionem conditionibus pacis nominatim insertam vellent: vtcumque nos nostra in re cum Saxonica, quantum quidem ad dogmata attinet, conuenire diceremus. Ibi ego, volo enim me, quia peccatum hic putatis, primum nominare: Hedio & Matthæus, ita, vt Senatus iusserat, *Confessionem & Apologiam* pro modo fidei & iudicij nostri, excussimus, cumque illa duas partes habet: nam in priore dogmata, in posteriori ritus profitentur: priori censuimus, quoniam reipsa nostræ confessioni congruit, subscribendum, posteriori nequaquam: quippe qui alios quàm Saxonica habet Confessio, ritus obseruemus. Addidimus autem: *Sic vt nostra consonantem:* priorem Saxonicæ Confessionis partem recipiendam, eòque nostram haudquaquam cedendam. quod est quoque à nostris factum. Nostros voco hic, etiam *Vlmenses, Constantienses, Eslingenses, Memmingenses, Lindauienses, Bibracenses & Isnenses.* Consilium hoc nostrum, Eslingæ Blauero, Vlmæ Capitoni indicatum, quod vterque probauit. Svvinfurti igitur, nostri ingenue testati sunt, à sua confessione se haudquaquam recessuros. Cùm autem ea pars Saxonicæ Confessionis quæ exponit dogmata, cum sua confessione reipsa conuenit, non grauati & hanc cum sua subscribere. Rationem vt hoc consilij daremus, hanc secuti sumus. nihil in omni illa priore confessionis parte reperimus, quod candidum, Christianum vel ob formam verborum, offendere, nostro quidem iudicio, queat, exceptis articulis 10. & 9. nonus eo offendere potest: quod Baptismum facit necessarium. Decimus est in se tolerabilis, nisi apol. adiecisset, *substantialiter & præsentiam corporalem.* nam ad verbum, eadem ipsi & Augustæ confessi sumus, & in formula concordiæ, quam ad Ernestum Lunæburgensem Ducem composuetam, dedimus, etiam subscribente Oecolampadio.

Habetis & confessionem & hanc formulam, cum & nostræ confessionis Apologiam. Sique hæc nimis nupera sunt, est forsan apud quempiam illic mea Apologia ad Brentium: quam ego primam de hac re euulgaui. item mei commentarij in Euangelistas & dialogus Germanicus. Si non in his omnibus expressi, me sentire, *Christi corpus & sanguinem, vera, verè, & præsentia adesse & exhiberi in Cœna,* prodidero veritatem Christi. Si autem ipse ea semper credidi & docui, qui licuisset dehortari meos: ne illa scripta ab aliis reciperent? Apologia verò cùm offenderet, expendimus, vt pateretur: quid sibi autor huius libri vellet per *Substantialiter & corporalem præsentiam.* cùmque non solùm id ego aliàs scirem, sed adducta sententia Cyrilli, quam & Oecolampadius noster recipit, probè explicaret: nempe in Cœna Domini ipsum Christum corporalem & naturalem, verbis & symbolis, quæ nihil quam visibilia verba sunt, vt propriè admodum Augustinus dixit, offerri, & ipsi idem sentimus: vnde hæc admittenda verba iudicauimus: siquidem cùm hic, vt in toto Euangelio, & hic eò amplius, quo summæ Euangelij symbolorum vsus maiore solennitate adiunctus est: sic nobis Christus exhibeatur, vt ille in nobis, nos verò in ipso simus caro de carne eius, os de ossibus eius, membra & corpus eius, certè inficiari non licet, eum exhiberi, eòque adesse substantialiter & corporaliter: nisi non adsit viuo corpori suum caput & membra inuicem, vitisque palmiti, substantialiter & corporaliter, fide Christum amplectimur & dilectione, eique coniungimur: sed non solùm, verùm illo se nobis & nos sibi iungente. Datur nobis, vt non iam nos, sed viuat in nobis Christus: non vigeat caro nostra & sanguis, in quibus nihil boni, & quæ regni Dei hæreditatem non accipiunt, sed obtineat caro & sanguis Christi: quæ vt sancta sunt, verbòque æterno iuncta, ita vitam habent in semetipsis & transfundunt in credentes. Hæc non solùm Cyrillus, quem Oecolampadius adduxit fusius, & Patres reliqui: verùm & Paulus sensit: dum vbique in nobis habitare & viuere Christum, nósque eius esse membra, & panem ac calicem Domini, corporis & sanguinis Domini communicationem facit, quam κατανοεῖν Oecolampadius nunquam cum Zvinglio *festam panegyrin,* sed veram, realem & beatificam coniunctionem Christi nobiscum & nostri cum illo intellexit. qui disertè quoque has ipsas voces amplectendas censuit, in suo nouissimo libello, quem de hac re scripsit. At verò vbi constiterat nobis, istas voculas nec in se, nec in eo vsu quo in Saxonica Apologia positæ sunt, reiici à nobis posse, duo adhuc turbabant, & quod pauci, ex vulgo præsertim id ex his vocibus, intelligunt quod nos, quodque Cyrillus quem adduxerunt illi, voluit: & quod Lutheranorum & aliorum hominum minimè paucos de nostra gloriaturos palinodia, satis præuidebamus. Sed cũ quæ in hoc negotio sunt, omnia cõsiderabamus, & quid potissimũ ad Christi gloriã faceret, excutiebamus: isti scrupi exciderunt. Occurrebat ergo primùm, quibuscũ hic

ageretur: nimirum cum Cæsarianis & Pontificiis, quibus nostra mysteria nec possunt nec debent explicari. Si iam Paulus, quũ vous de vita periclitaretur: sibi iustè promisit Pharisæorum in se furorem auertere, clamando, *De resurrectione mortuorum ego iudicor*, eo sc. nomine Euangelium suum confessus, quod vt Pharisæis plausibile erat, ita vim Euangelij minimè explicabat. Cur non liceret & nobis confessione veritatis certa, sed non per omnia explicata, à tot Ecclesiis diras istas calumnias auertere: Christi ab eis omnem præsentiam & manducationem negari: vt taceam insidiosos eorum conatus, ad separandum nos qui eadem credimus & docemus re ipsa: quidquid alicubi in verbis variare videamur. Et ipsa veritas, Seruator noster Iesus Christus, nonne Iudæorum erga se furorem, ob id excitatum, quod se filium Dei dixisset, declinauit, adducta Scriptura: quæ *filios Dei*, immò *Deos*, vocat: ad quoscumque verbum Dei factum est, quo vtique, quomodo ipse Deus erat, tegebat, sicut etiam Pharisæis se rogantibus vt, si Christus esset, liberè diceret: non tam plenè respondit quam ipsi volebant. Ex his & aliis tùm Christi, tùm Pauli exemplis, animaduertentes, veritatem coram eius hostibus sic confitendam, vt illis calumniandi atque sæuiendi quàm minima detur occasio: putauimus memorata verba, *Substantialiter & corporalem præsentiam* quando ea in quo sensu posita sunt, ipsi quoque in nostra Apologia posuimus, & imo Oecolampadius recipit, admittenda: quo minus Pontificiis occasionis esset, eos qui idem Euangelium profitentur, cum totius orbis offendiculo, à se inuicem diuellendi. Quantum ad bonos attinet, existat nostra Confessio & Apologia: in quibus quantum potuimus, harum ipsarum vocum germanum sensum explicuimus: hancque nos haud quaquam cessuros: Legati nostrarum vrbium, palam & disertis verbis testati sunt, & id quoque, se ideo præter *nostram*, *Saxonicam quoque Confessionem & Apologiam recipere*: quod hæc reipsa cum nostra congruat. His rationibus visum est, nihil peccaturas nostras Respublicas, si agentes cum Cæsarianis, hactenus confessam à se veritatem explicuissent. Quantum vero attinet ad glorias Lutheranorum: rem sic apud nos ipsos expendimus: reipsa nobis conuenire cum istis in hac, persuasi estis. constat enim, quod hi corpus Domini non faciunt cibum ventris nec in panem transmutant, nec includunt, nos oris manducationem pani propriè competere, & corpori Domini non nisi ob Sacramentalem vnionem tribui fatentur: Sacramentis ex opere operato nihil concedunt: tantumque dixit Dominus, *Accipite hoc est corpus meum*, voces istas, *Corporaliter & Substantialiter* vsurpare, volunt: putantes donationis huius realitatem, voce *Spiritualiter* non satis explicari. Quod iam concordiæ reuera esse scitis: cur non fateremini? maximè cum id iam ab eo quod Lutherus vltimam suam Confessionem edidit, in qua, vt iam præmisi, sententiam suam exposuit, editis libris præ vobis tulistis? Gloriabuntur hinc, nos recantasse & omnia ipsorum recepisse: verum. sed quid facient: si de verbis quibusdam disputationem reuocantes, concitemus eos, vt scribant & dicant, nos nec Euangelium habere nec Sacramenta? Est ergo eorum quæ falsò isti de nobis iactant, habenda ratio, vel minus. si hoc, negligamus tam glorias eorum quam calumnias: cùm gloriæ tamen minus noceant. Sin videatur tanta horum autoritas, vt referat quid de nobis spargãt: præstiterit vt credamur aliquid dedisse corporalis præsentiæ, quæ miraculo fiat: ita vt de Lutheranis vulgo creditur: etsi nos diuersum sciamus: quam audire negatores Christi verbo & Sacramentis eius destitui. Hoc ego, fratres, ingenuè dico, & coram Domino sic sentio: optandum piis, *vt nihil vnquam contra Lutherum de Eucharistia scriptum esset: etiamsi ille nunquam hoc mysterij fuisset explicaturus, quam explicuit ante exortam hanc confessionem.* Iam in spiritualem manducationem posuerat omnia, corporalem vltro admodum extenuabat, fiduciam in externum opus submouetat: vbi autem Carolostadius virum commouit, sicut persuaserat sibi Carolostadium velle externum verbum & Sacramenta penitus è medio tollere, ita totus erat in euehendis istis, sicur nihil in eo non vehemens: indeque factum, vt nos ipsi & nostri Oecolampadius & Zuinglius, putaremus, eum externis rursus iustificandi vim tribuere: quod ille tamen nunquam sensit: id quod certo scio: nec hodie sentit: ita, vt hoc non contentiosa eius scripta abundè testantur: non minùs quam contentiosa diuersum. Quantum autem dedit istud dissidium offendiculorum? vt retinuit Euangelij cursum? vt aperuit omne genus hæreticis ostium; viamque muniuit Ecclesiam vastandi; vt hoc quidquid est lucis, in ista re hac contentione excussum, Ecclesiæ nimis magno constet; longeque præstitisset, illud nondum excussum, & reliqua Christianismi quæ purissimè Lutherus docet, concordibus studiis eo propagata, quo verisimile est propaganda fuisse: si dirum istud inter Ecclesias dissidium, exortum non fuisset? His ergo me rationibus obfirmaui pridem, vt glorias Lutheranorum de mea quidem palinodia susque deque habeam, malimque de me falsò iactent recurrere hac in te, quam malè procurrere in tanta impietate. his qui me rogant, dico, ab edita confessione Lutheri vltima, non aliud sensi, quam quod nobis de veritate præsentiæ Christi in Cœna conuenit id cur non præ me ferrem? Cęterùm vt ego omnia intelligo, & Lutherum intelligere sentio: exposui in *Apologia* nostra: vt ea congruant cum iis quæ docui antea: legantur prima mea de hoc negotio scripta. his satisfacio bonis, alios forte satis est. Habetis fratres caussas, cur Lutheranorum & aliorum de nostra recantatione glorias putauerimus negligendas, atque adeò quidquid nos mouit, vt articulum de Eucharistia; ita vt ille tam in Apologia quam in Confessione Saxonum expositus est, recipere nostros iusserimus. Porro articulum de Baptismate, ideo censuimus admittendum: quod in Apologia 13. articuli sub finem, ita de vsu Sacramentorum disseruit Apologiæ autor: vt abundè pateat, necessitatem baptismi non aliter statui apud istos quam apud nos: quod nimirum Deus, huius vt & Eucharistiæ atque totius Euangelij vsum instituit, quem citra salutis suæ periculum nemo contempserit, vtcunque aliis quoque rationibus Deus saluare queat quos vult: vtpote qui virtutem suam Sacramentis haudquaquam alligauerit fide siquidem constare omnia, manifestè docent: nec hoc solùm loco opus operatum per se nihil in vllis Sacramentis efficere, abundè testantur. Exposui ium fratres: & quid cum per nos tùm nostros, quantum ad Saxonicam Confessionem & Apologiam attinet, admissum est, & quas ob caussas.

QVÆSTIONES OCTO PROPOSITÆ Theologis Ecclesiæ Geneuensis: RESPONSIO.

1 *An in casu necessitatis Ministri verbi diuini debeant aut possint adire priuatas ædes ibique baptizare infantes, præsertim vocati ab eorum parentibus sub prætextu faciendi mandatum Iesu Christi, & ipsorum consolationem.*

2 *An infantes excommunicatorum, siue propter vitam dissolutam, siue propter doctrinam corruptam debeant baptizari, maximè si alteruter parentum Papatui esset addictus.*

3. *Si esset ægrotus, qui cuperet communicare Cœnæ Domini in cubili, etiamsi eo conueniret pars aliqua Ecclesiæ vnà cum Ministro, an sit licitum vel non.*

4. *An in baptismo infantum liceat susceptorem adiungere patri.*

5. *An permissum sit fideli ducere mulierem Papistam cum pacto relinquendi suam, & sequendi religionem mariti.*

6. *An licitum sit mulieri fideli nubere infideli, sub pacto, quod ipsa possit retinere religionem Christianam, confecto desuper publico instrumento, sicut iam olim quidam fecerunt, seque hucusque conseruarunt, & fideles potius acquisiuerunt, quam perdiderunt.*

7. *Si frater aut soror se coniungat infideli absque simili pacto, quid tum faciendum sit.*

8. *An excommunicatus propter hæresin admittendus sit ad conciones & preces.*

RESPONSIO.

ISTIS articulis vt generaliter propositi sunt, generaliter quoque respondemus: est autem prudentum hominum in applicandis vniuersalibus responsis diligenter considerare, quid requirant particulares singularium circumstantiæ, ne eueniat tritum illud dictum, *summum ius, summa iniuria.*

De prima.

Suademus ne baptismus in Ecclesiis publicè institutis, alibi, quàm in publico cœtu administretur, fidelibus ad audiendum verbum consueto tempore conuenientibus, idque partim, ne Sacramenta, sicut in Papatu factum est, à verbi prædicatione separata, rursum in magicas quasdam ceremonias transformentur: partim, vt crassa illa superstitio de absoluta necessitate externi baptismi ex animis hominum extirpetur. Certum enim est non priuationem, sed contemptum externi baptismi, reum aliquem æternæ mortis constituere. Eiusmodi autem contemptus, præterquam, quòd parentes potius, quàm infantes ipsos respicit, non cadit in eos, qui consueto Ecclesiæ ordine absque sua culpa, suos infantes baptizandos offerre non potuerunt.

De Secunda.

Cùm excommunicatio fiat propter personalia delicta, nec quicunque sunt excommunicati, sint extra fœdus promissionis, idcirco eorum liberos minimè vellemus à baptismo arceri, ea tamen addita conditione, vt interueniat idoneus sponsor de infante purè & sanctè educando. Sufficit autem alterum parentum in Ecclesiæ cœtu censeri, vt infantes ad baptismum admittantur, pronuntiante Paulo, sanctos esse liberos, in eiusmodi etiam matrimonio conceptos.

De tertia.

Et si minimè damnamus Cœnæ Domini vsum in priuatis etiam domibus ad ægrotorum consolationem, modo intersit communicantium cœtus, tamen cùm magnæ sit infirmitatis, salutem suam externis signis alligare, quod superstitionis genus cupimus prorsus aboleri: idcirco extraordinario neque loco, neque tempore Cœnam solemus administrare. quod rectius fieri arbitramur. Si tamen istic obtinuit hic vsus, vt ægrotis petentibus, adstante, & vnà communicante aliquo fidelium cœtu, Cœna Domini priuatim celebretur, minimè censuerimus eam consuetudinem temerè cum cuiusquam offendiculo abrogandam. Sed duplicem conditionem requirimus, nempe, vt diligenter moneatur ægrotus ne superstitiose ab illis signis pendeat, & præterea iustum temporis spatium communicaturis omnibus ad præparationem concedatur.

De qvarta.

Laudamus, & retinemus veterem Ecclesiæ consuetudinem de susceptore, quem *patrinum* vocant ipsi patri adiungendo.

De qvinta.

Non habenda est infidelis, quæ se Christianè victuram spondet, ac proinde, quin à fideli marito eo duci possit, minimè ambigimus. Videant tamen fratres etiam atque etiam, quibus se coniungant, nec temerè quibusuis promissis credant.

De sexta.

Cùm vxor transeat in mariti potestatem, qui facile, si velit, fidem datam de vxore ad impietatem non cogenda, possit violare: & simpliciter moneat Apostolus, ne fideles sese infidelibus adiungant, eas mulieres non impiè quidem, sed admodum tamen imprudenter facere arbitramur, quæ cum infidelibus matrimonium contrahant, quodcunque tandem pactum de retinenda conscientiæ pace interueniat.

De septima.

Fideles, ita vt dictum est, cum infidelibus sese coniungentes, non icirco ex Ecclesia eiiceremus: sed suæ imprudentiæ conuictos, officij sui, id est, infidelis, sancta, & honesta vita, Domino lucrifaciendi, coram Presbyterio admoneremus.

De octava.

Scimus quæ fuerit veterum Canonum aduersus eos seueritas, qui ob maiora quædam scelera essent excommunicati: & quæ veteris Ecclesiæ consuetudo fuerit, cùm clamaret Diaconus ante mysteriorum celebrationem, *Fores, fores obseruemus*. Nec dubitamus, quin illi iustas huius seueritatis causas illis temporibus habuerint. Nihilominus tamen cum & conciones sacræ, & preces fiant tum ad cōfirmandos fideles tum ad infideles lucrifaciendos: tum verò, vel maximè, vt qui aberrarunt siue in doctrina siue in moribus, in viam reuocentur, ne hæreticos quidem etiam excommunicatos velimus vel ab auditione verbi, vel à precibus excludere, modo ipsi nullo gestu, vel habitu indecenti, publicam actionem turbent, nec ista Ecclesiæ clementia manifeste, & præfractè abutantur.

ELIZABETHAE SERENISSIMAE, *Christianæ religionis Protectrici, & potentiss. Angliæ, Franciæ & Hiberniæ &c. Reginæ,* H. ZANCHIVS S.

NON sine magno animi dolore intelleximus Serenissima & Christianissima Regina, dissidij de nescio quibus vestimentis ignem, quem iam olim extinctum esse putabamus: denuò cum incredibili piorum offensione, in tuæ Maiestatis regno, quasi ab inferis excitatum, accensumq; fuisse. Huic verò incendio, occasionem inde datam esse; quòd T.S.M. à nonnullis, magnis alioqui viris, & zelo quodam, sed certè non secundum scientiam, retinendæ vnionis in religione affectis, persuasa: in suum nunc magis quā vnquam induxerit animum, constituerit, velit, ac iubeat, vt omnes Episcopi & ministri Ecclesiarum, vestibus albis ac lineis, quibus in Papatu vtuntur Sacrifici, ipsi quoque, cùm res sacras faciunt, induantur. Ac metuendum esse, ne iste ignis accendatur, & suas longe lateque flammas emittat: vt omnes istius amplissimi & potentissimi Regni Ecclesiæ, cum perpetua T.S.M. ignominia, conflagrent. Esse enim plerosque Episcopos, viros omni eruditione ac pietate insignes: qui malint officio & loco cedere suo, quā tales, contra suam ipsorum conscientiam, vestes, vtpote Idololatriæ & superstitionis Papisticæ reliquias, vel saltem symbola, admittere, illisque sese polluere: & infirmiores suo exemplo offendere. Quid hoc autem fuerit aliud, quam propter istas vestes totum corpus Ecclesiæ perdere? Eò enim profectò spectat Satan: iacto inter Episcopos dissensionum semine. Eò etiam collimabat tempore nascentis Ecclesiæ: dissidio de Paschate & de aliis id genus ceremoniis, inter orientales & occidentales Ecclesias excitato. Proinde non immeritò Irenæus Lugdunensis Episcopus, epistola ex Galliis Romam missa, acriter obiurgauit Victorem Papam: qui suo nescio quo zelo, sed non secundum scientiam, excommunicare volebat omnes Asiæ Ecclesias, quod non eodem tempore, quo & Romæ, Pascha celebrarent. Hoc enim nihil aliud fuisse, quàm intempestiuo, easdem ceremonias in omnibus Ecclesiis retinendi studio, vnitatem Ecclesiarum scindere ac lacerare. Ego itaque simul ac audiui tantam imminere Ecclesiæ Christi ruinam in isto Regno: statim pro ea quam debeo tum Ecclesiæ Christi, tum T.S.M. tum toti denique Regno, obseruantiam: cogitaui istuc scribere, & pro mea virili tentare, si quo modo possit tanto malo occurri: me ad hoc officium faciendum aliquot Christi timentibus, & Tuæ S.M. amicis adhortantibus. Vix verò hoc cœpi in meum inducere animum quum ecce Illustriss. Princeps noster mandat, vt hoc faciam: suo sanè mandato mihi non solùm sponte currenti calcar addens, verùm etiam necessitatem imponens scribendi. Ergo eo minus mirabitur T.S.M. audaciam hanc meam, cum non tam ex voluntate mea, & ex amicorum consilio, quàm ex mandato Illustriss. Principis mei, T.S.M. amicissimi, scribam. Inprimis autem operæpretium me facturum iudicaui, si priori loco T.S.M. quid sui sit officij in hac causa similiter moneam: & deinde vt illud fortiter præstet per Iesum Christum Dominum nostrum supplex orem. Rogo vt hanc nostram scriptionem Sereniss. T.M. boni & æqui consulat. Ex amore enim Christiano erga Ecclesiam, & ex singulari obseruantia, qua erga T.S.M. mirum in modum affecti sumus, ea proficiscitur. Nouit omnia Dominus. Nunc ad rem.

Quum Apostolus scribens ad Timoth. iubet orari pro Regibus, & omnibus aliis, qui in eminentia constituti sunt: & finem in quem sunt constituti ait esse, vt tranquillam & quietam vitam degamus in omni (id est, perfecta) pietate & honestate; satis luculenter docet, quodnā sit piorū Regum ac Principum officium: nempe curēt & efficiāt, vt vera inprimis religio, verusque Dei cultus, si exulat, re-

stituatur: & restitutus purus putus conseruetur. omnibus rebus quæ aliquam impietatem redoleant, procul abiectis. Deinde vt honestè sanctéque viuatur, omnibus obscœnitatum & turpitudinum generibus profligatis. Denique vt publica inter eiues pax & sancta amicitia colatur; omnibus dissidiorum occasionibus, quoad eius fieri potest, sublatis. Has esse tres præcipuas officij Regij & cuiusvis pij Magistratus partes: præterquam quòd Apostolus apertè, vt iam vidimus, docet: omnes etiam viri docti & de officio Magistratus bene sentientes, vno consensu, vnoque omnes ore confirmant. Quòd si res ita se habet, non video quomodo possit Tua S.M. bona conscientia, vestes de quibus quæstio est, & alia id genus Papisticam adhuc superstitionem redolentia, & semel ab Ecclesiis profligata: iterum piorum Episcoporum conscientiis proponere resumenda: atque ita proponere, vt illos suo cogat mandato, ea recipere. Principiò enim pugnat hoc cum prima ac principe Regij officij parte. Si enim curandum est inprimis Magistratui, vt purus putus conseruetur Dei cultus: & si ob hanc causam ableganda sunt omnia, quæ hunc cultum aliquo modo vel per se, vel ex accidente violare possunt: cóque omnia ad regulam verbi Dei, & ad priorem, atque Apostolicam, ideoque puriorem & simpliciorem religionis formam, pro virili reuocanda sunt: denique si, vt Apostolus præcipit, abstinendum est, non solùm ab omni malo, verùm etiam ab omni specie mali: quorsum obsecro, Sereniss. & piissima Regina, ea in Ecclesiam Dei ex Regio mandato inducere: quæ cum puritate cultus Apostolici pugnant: quæ superstitionem Papisticam redolent: quæ neque ad ædificationem piorum, neque ad ordinem, aut ad ornatum, nisi meretricium, faciunt: quæ denique nullam Ecclesiæ vtilitatem adferre, sed contrà, multa ei mala dare possunt? Certum est ista de vestibus lege, pios quosque omnes, offensum iri: impios autem, gauisuros in sinu, & plura inde speraturos: medios verò, hoc est eos qui recens ab impietate ad pietatem conuersi quidem sunt, sed nondum bene firmati, periclitaturos: & si ex humano iudicio, aliquid dicendum sit, magis ad veterem superstitionem ad quam natura ferimur, respecturos, quàm in veram religionem oculos fixuros, ac firmaturos: Ac proinde istud decretum ad pietatem omnino nihil, ad impietatem verò fortassis multum, profuturum. Etsi enim vestes istæ per se, hoc est sua natura malæ non sunt aut immundæ; tamen propter præcedentem eúmque recentem abusum, immunditia prorsus non carent. Certè negari non potest, quin saltem occasiones sint aperturæ multorum malorū, & grauissimarum superstitionum. Sunt autem etiam occasiones malorum vitandæ. Quorsum igitur illa Ecclesiæ obtrudere, è quibus vtilitatis nihil sperari potest, damni autem plurimum: hoc est enim tentare Deum. Meminerit Sereniss. M.T. non sine causa scriptum fuisse, *Qui tangit picem, inquinabitur ab ea.* Neque temerè Apostolum iussisse, vt expurgemus vetus fermentum; quod modicum fermenti, totam massam corrumpat. Neque stultè improbari Iudæos ab Olea, quòd surculum (superstitionum) ex Israele transtulerint in hortum suum, hoc est, in veram Ecclesiam Nihil planè piissima Regina nobis negotij esse debet cum Papistis ad religionem quod attinet: nisi in iis quæ communia habent cum Apostolis. Cur obsecro improbantur in scripturis Reges aliquot, tametsi alioqui pij, quòd fana in montibus, ante ædificatum templum a sanctis Patribus exstructa, in quibus coli solitus erat Iehoua, non sustulerint? nimirum quod ædificato iam & ordinato templo, nolebat Deus vlla alicuius alius sacelli vestigia, extare. Ergo patefacto etiam regno Christi, locum habere amplius non debuerunt ceremoniæ & vestes Aaronicæ. Proinde meritò Apostoli curarunt eas post Christi ascensionem tollendas: vt ne vllæ quidem superessent reliquiæ. Si verò illi, piè sustulerunt: impiè igitur Papistæ illas reuocarunt. Vtrum autem melius sit, sequi Apostolorum piam simplicitatem, an verò Papistarum impiam pompam, quis est qui nesciat? Grauius malum fuerit credat mihi S.M.T. ista talium vestium Papisticarum reuocatio, quàm prima fronte fortassis oculatissimis etiam hominibus videri queat. Videor enim videre & audire Monachos è suggestis vociferantes, & suos in impia religione, T.S.M. exemplo, confirmantes, & dicentes: Quid? quòd ipsa quoque Regina Angliæ, doctissima & prudentissima paulatim incipit ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ redire religionem: resumtis iam sanctissimis & sacratissimis Clericorum vestibus? Sperandum est fore, vt reliqua etiam omnia sanctæ R.E. dogmata, ritus, Sacramenta, tandem aliquando postliminio reuocet. Has & similes voces proculdubio prudentissima Regina, Monachi & Iesuitæ è suggestis vsurpabunt: nullam enim occasionem prætermittunt suas confirmandi superstitiones. Quid igitur aliud est, hasce vestes putidas, & alia Papisticæ Ecclesiæ rudera in Ecclesiam Christi reuocare in hoc tempore: quàm occasionem eamque optimam Papistis, se & suos in suis superstitionibus confirmandi, dare? Et verò etiam ad hanc rem, quasi opem ferre? Audiamus autem Prophetam, quid ad Iosaphatum Regem Iuda opem Achabo præbentem dixerit: *Tu impio auxilium ferre & diligere eos* (audes) *qui Dominum oderunt: Ob hanc rem super te indignatio à Domino.* Quid item aliud fuerit hæc res, quàm infirmos à studio puræ religionis reuocare, & vt retro in Ægyptum respiciant, ac redeant, tacitè monere? Facilis est enim ad impietatem relapsus, infirmis hominibus: quippe qui ad superstitiones nostrapte natura sumus propensi. Tollendæ igitur sunt occasiones ad impietatem relabendi: tantùm abest vt dari debeant. Quid sibi obsecro voluit Deus, quum vetuit ne araretur in boue & asino: & cauit ne idem ager diuersa sereretur semente, & ne quispiam vestiretur veste ex lana & lino contexta? Res est Deo odiosa & execrabilis, si idem ager Domini colatur ab Episcopis impiis simul & piis: si in eadem Ecclesia cum doctrina Euangelij doctrina etiam Papistica doceatur: si denique Sacramenta, ceremoniæ & ritus ex Apostolicis & Papisticis confecta, Ecclesia vestiatur. Quæ enim conuenientia lucis ad tenebras? Detestanda igitur nobis etiam esse debet talis, hoc est, turpis & impia mixtio. Ac proinde, quæ Dei non sunt, sed eorum qui cultum Dei contaminarunt, prorsus abiicienda: id quod & Dominus fieri iussit, quum mandauit vt eorum qui suaserunt, vt post Deos alienos iremus, omnia funditus perderentur: & vestimenta, totáque supellex igni cremaretur, idque in medio foro: nempe in abominationem talium seductorum, & vt sint anathema Domino. Quis autem ignorat, inter supellectilem seductoris Romani, istas etiam vestes contineri? *Nec adhærebit* (inquit) *de illo anathemate quicquam in manu tua, vt auertatur Dominus ab ira furoris sui, multiplicetque te sicut iurauit Patribus tuis*, &c. Quid igitur inducere vestes has, Antichristi supellectilem, in Ecclesiam Christi, aliud est, quàm Deum ad iracundiam prouocare & eius furorem aduersus nos accendere? Certum est, si quis verus sit amicus Christi, eum nunquam curaturum, vt ornamenta Antichristi in ædibus suis habeantur, ne dum ferat in templo Christi. Quis enim sui hostis insignia in suis ædibus, præsertim verò in locis honoratioribus, ferat? Ac si quid Deus destructum & abolitum velit: qui sumus nos, qui illud denuò audeamus ædificare? Deus autem post Christi mortem, vestimenta omnia Aaronica atque Leuitica, abolita voluit? & nostro tempore, Euangelij splendore fugatas velle se omnes tum impias, tum vanas Papisticas ceremonias, pompas, imposturas, fucos: satis apertè vbique declarauit, quòd hæc nihil ad pietatem accendendam, multum autem ad restinguendam valeant. Neque certè videre possum, quo tandem istæ spectent vestes, nisi reipsa (vt iam ad alterum caput veniam) ad pulchram istius Anglicanæ Ecclesiæ ex Euangelio reformatæ faciem, imò totum corpus dedecorandum ac dehonestandum: non secus atque si pudica ac honesta alicuius Regis filia, vestimentis quibus scortum aliquod famosum & insigne, solitum erat ornari, induatur, & ita induta, in medium prodire iubeatur. Quis verò hoc probet, aut tolerandum esse censeat? Ergo etiamsi nullo alio, hoc saltem nomine obtrudendæ non sunt Ecclesiæ Christi, id genus vestes: quod meretrix Romana, iis vt vt sua natura minimè malis, ad malum tamen & ad suas tegendas scortationes, vel potius ad alliciendos homines ad scortandum, abusa est, & adhuc abutitur. Sunt enim pompæ istæ omnes & ceremoniæ papisticæ nihil aliud, quàm fuci meretricij: ad hoc excogitati, vt homines ad spiritualem scortationem alliciantur. An non igitur turpe est, hos habere in Ecclesia Christi? Si serpens æneus, qui institutus fuerat à Deo, & quidem ad salutem Israelitarum, per pium regem Ezechiam, quia illo contra verbum Dei abutebantur Israelitæ, sublatus est: & ab hoc facto, summè laudatur Ezechias, quod illum scilicet serpentem redegerit in cineres, eosque in profluentem, ne vllum vnquam eius extaret vestigium, proiici iusserit: quanto magis istæ impuræ vestes, profligandæ sunt ex Ecclesia Dei quibus Apostoli nunquam vsi sunt, vsa est autem meretrix Romana, in cultu Idololatrico, & ad homines seducendos? Neque enim honestum est, vt

est, vt quæ in Dei contumeliam vsurpata diu fuerunt, si res sint per se ἀδιάφορα: ea in Ecclesia, cum discrimine etiam salutis piorum, retineantur. Multò verò minus istud vestium genus: quod nihil aliud est, quàm inuentum hominum vel Satanæ potiùs, ad simplicium seductionem excogitatum. Nemo nostrum est qui nesciat, quanta laude dignæ sint illæ Respublicæ, quæ legibus cauent, ne ciues exoticas induant vestes, neve eas in Rempub. inducant, quòd corruptelæ sint bonorum honestorúmque morum, adeoque ipsarum Rerumpublicarum. Quomodo igitur laudari vnquam poterit istud, quod Tuæ M. proponitur consilium: nempe vt vestes, Reipub. Christianæ, tempore Apostolorum & Apostolicorum virorum incognitæ, in Ecclesiam Christi introducantur? Si verò exoticũ vestiendi genus, in Rebuspub. bene institutis non toleratur: quantò minus Idololatricæ & gentilitiæ vestes in Ecclesia, vbi Deus in Spiritu & veritate colendus est, & vbi paucas easque simplicissimas ceremonias esse vult, ferendæ sunt? Si item lege cauit Deus, ne virilibus vestimentis induatur mulier: neque vicissim muliebribus vir, quod vtrumque sit per se turpe atque inhonestum, & pugnans cum natura: cur igitur pii Episcopi & serui Christi vestibus impiorum sacrificorum & Antichristi mancipiorum vestiantur, vel potius dehonestentur ac deformentur? Cur non potius ab illis sicut diuersæ sumus religionis, sic etiam externis symbolis, veluti sunt vestes, in officiis saltem ad cultum Dei pertinentibus obeundis, discernamur? Voluit hoc certè Deus & exegit à suo populo, vt ipso quoque diuerso vestiendi genere, à profanis gentibus discerneretur: atque ita se nihil velle habere cum gentibus commune, hoc etiam publico symbolo protestaretur. Quid ni idem & nos faciamus? An non sumus populus Dei? an non manet æquitas eiusdem præcepti? Ac si honestum ab honore dicitur, qualis honor quæso fuerit Ecclesiæ Christi, quòd Episcopos in administratione Euangelij & Sacramentorum habeat laruis Papisticis indutos & personatos: ita vt risui potius omnibus sint futuri, quàm in aliqua apud populum veneratione? Qualis & Tuæ S.M. apud veras Ecclesias, verosque fideles laus, quod tales nugas in suam Ecclesiam reuocari permittat? Non est igitur res honesta, vt ad tales laruas suscipiendas sancti cogantur Episcopi. Neque enim reuera, res est honore & laude digna: neque nomen virtutis meretur. Quis enim si Tua S.M mandaret, vt omnes Angli posito auito & illo quidem grauissimo & honestissimo vestitu, Turcicas induant tunicas, aut habitu, vt vocant, stratiotico vestiantur: Quis, inquam, edictum hoc vt honestum approbaret? Multo certè minus laudari potest, si pij Episcopi iubeantur posito vel saltem alterato honesto & vetusto, quem etiam Apostoli vsurparunt, vestitu, communi scilicet sed graui atque honesto: ridiculas & execrabiles impiorum sacrificorum vestes induere. Quod vero ad tertiam officij Regij partem attinet, nihil isto consilio ad turbandam publicam Ecclesiæ pacem accommodatius. Omnis enim nouitas, præsertim in religione, vel per se, si mala sit, bonam turbat pacem, vel si bona, occasionem dat ex accidenti committendis inter se hominibus, malis nimirum cum bonis. Sed sicut in rebus per se bonis, vt in reformandis ad voluntatem Dei Ecclesiis, contemnenda est pacis illius impiæ, hoc est mundi turbatio: (Christus enim non venit suo Euangelio vt talem seruet pacem, sed potiùs, vt tollat & gladium mittat:) ita certè rebus adiaphoris vrgẽdis, turbare pacem Ecclesiarum, & bonos cum impiis, aut etiam bonos inter sese committere: vsque adeò iniquum est, vt defendi nullo modo possit, vt non immeritò Victorem Episcopum Romanum hoc nomine reprehenderit Irenæus, sicut antea dictum est.

Est enim necesse, vt tunc Ecclesiæ scindantur in partes, quo quid detrimentosius? Exempla quæ passim occurrunt in historiis Ecclesiasticis, satis apertè & dilucidè quod dico confirmant. Quot & quantæ obsecro turbæ in primitiua Ecclesia, inter eos qui præter Euangelium, ipsam quoq; vrgebãt circumcisionẽ & legem: & inter illos qui eas meritò reiiciebant, excitatæ fuerunt? Quanta porrò mala hæc dissensio dedisset Ecclesiæ Christi: nisi Apostoli maturè occurrissent: synodo Hierosolymis coacta; & caussa apertis scripturarum testimoniis & firmis rationibus legitimè cognita atque discussa? Si tua S.M. sicut debet, & esse & videri vult Apostolica: imitetur in hac parte Apostolos. Neque aut imponat ipsa iugum hoc ceruicibus discipulorum Christi, aut etiam ab aliis imponi permittat. Quòd si videat Episcopos de hac re inter se dissidere: cogat synodum, & curet controuersiam scripturis disceptandam & cognoscendam; ac tum demum quod perspicuis testimoniis & rationibus non infirmis, fuerit demonstratum: illud etiam omnibus seruandum, proponat, & vt seruetur edicto mandet: atque ita ex Ecclesia tollat dissidium. Est enim omnino Tuæ S.M. curandum vt nihil in religione immutetur aut innouetur, nisi ex verbo Dei. Hac ratione vera Ecclesiarum pax atque concordia & vnitas conseruabitur. Contra verò si fiat: quid aliud id fuerit, quàm vnitatem tollere & Christianam pacem turbare? Neque illud mihi videtur silentio prætereundum, quod ista rei nouitate, non solùm publica in isto regno pax turbabitur: verum etiam alibi extra regnum multis occasio dabitur nouas in Ecclesiis excitandi rixas: idque non sine magno pietatis detrimento, & cursus Euangelij retardatione. Nemo enim hominum nescit, plerasque omnes Ecclesias quæ propter Euangelium à Romano Pontifice defecerunt, non solum talibus vestibus carere, verum etiam illas abominari. Neque tamen etiam alias deesse, quanquam piorum respectu perpaucas, quæ vestes illas in Papatu repertas, adhuc retineant, quemadmodum & alia nonnulla mordicus retinent: idque propterea, quod de principio reformatores illarum Ecclesiarum viri alioqui magni, & serui Dei fidelissimi, non ausi fuerunt (nam neque illud expedire iudicarunt) omnia papistica penitus tollere. Verum vt fit, sua cuique placent. Sua autem voco, non tam quæ quisque excogitauit, quàm etiam, quæ sibi quisque ab aliis inuenta deligit, accipit, retinet, persequitur. Si vero accedant aliorum quoque exempla, magis ac magis in iis obfirmantur, nec solum obfirmantur, verum etiam vt reliquos omnes in suam pertrahant sententiam, omnem dant operam, & vocibus ac scriptis, imò manibus & pedibus nullum non mouent lapidem. Quid igitur futurum sit, si Tua S. M. quod ei à nescio quibus suadetur de recipiendis vestibus, & aliis Papisticis magis consilium illud, admiserit facilè videmus. Exemplo enim suæ S. M. excitati nonnulli homines malè feriati, scribent & spargent per totam Germaniam libellos de his rebus quas *adiaphora* vocant: nimirum licere eas admittere: imo quò minus Papistæ à nobis alienentur, atque ita proprius ad concordiam accedatur, omnino esse admittendas. Quasi verò Papistæ etiam si nos omnia ea admitteremus concordiæ causa, correcturi vnquam sint doctrinam, & falsa impiaque dogmata, apertas abominabilesque superstitiones & idolomanias è suis Ecclesiis profligaturi, vel vlla ratione deposituri. Non deerunt igitur qui talibus libellis si spargantur, respondeant. Ita ex Anglicano isto igne, nouum quoque in Germania & in Gallia fiet incendium: cui suffundent frigidam Papistæ. Egregium verò beneficium. Quis igitur iam non videat istud consilium, non aliò spectare quam ad omnium Ecclesiarum perturbationem? Ad summam verissimum longaque experientia probatissimum est aureum illud docti cuiusdam viri dictum: Res adiaphoras, h. e. quæstionem de rebus adiaphoris esse τὸ χρύσεον τῆς ἔριδος μῆλον. Atque hæc de publicæ pacis perturbatione satis. Quid vero de priuatorum fidelium conscientiis dicam? eas isto desuper induendis lineis vestibus mandato supra modum turbari, res ipsa docet. Conqueruntur enim vehementer ita vt eorum querulæ voces, ac gemitus in Germaniam vsque penetrent & audiantur. Quam graue autem sit, Deoque ingratum flagitium, piorum conscientias turbare, docet scriptura sancta: partim cum iubet ne contristemus Spiritum Sanctum, neve pusillos scandalizemus, partim cum graues minatur pœnas iis qui hæc non verentur facere: partim etiam cum exempla Sanctorum proponit, atque inprimis Pauli, qui sic loquitur. *Si esca*, inquiens, *scandalizat fratrem meum: non manducabo carnes in æternum: vt non scandalizem fratrem meum.* Regulam enim iis verbis suo exemplo tradit generalem, ex doctrina Christi desumtam: nempe, nullam rem adiaphoram, esse admittendam, nedum aliis vrgendam, multò vero minus edicto mandandam: Si in ea admittenda, vrgenda, mandanda, animi bonorum, & conscientiæ fidelium offendantur. Res enim pretiosissima est, & Deo carissima: tenella Deique timens conscientia. Quomodo igitur probari potest consilium de lege vestium Sacerdotalium in ministerio vtendarum, per Regium mandatum edicenda? Nam (vt multa in pauca contraham) si sunt huiuscemodi vestes fidelibus proponendæ: aut proponendæ sunt vt adiaphoræ, aut vt necessariæ. Si hoc: impiè nos facimus, quod quæ Christus voluit esse libera, nos ea faciamus necessaria. Si illud: relinquendæ igitur sunt liberæ Ecclesiis. Iubendo autem & cogendo: ex liberis

facimus necessarias, atque ita in idem facinus delabimur. Deinde aut sunt à Deo per Mosen institutæ: aut sunt per Christum, Deum scilicet in carne manifestatum traditæ: aut per Spiritum sanctum in Apostolis agentem & loquentem ordinatæ: aut sunt ab hominibus, vel piis vel impiis. Quæ à Deo per Mosen institutæ fuerunt ceremoniæ, & Leuiticæ vestes: illæ omnes ex voluntate Dei finem habere debuerunt post Christi mortem: vt passim in scripturis, præsertim in Epistolis Pauli ad Coloss. & ad Hebræos liquidò apparet. Quare reuocari non possunt sine transgressione voluntatis diuinæ. A Christo fuisse traditas dici non potest: cum nullum hac de re extet verbum: sed contra potiùs non semel, omnium Mosaicarum ceremoniarum finem venisse, disertè docuit. Idem de Apostolis dico & aio. Reliquum igitur est, vt dicantur esse ab hominibus. Si à piis: aut ad ædificationem, aut ad ordinem, aut ad decorum fuerunt ab illis institutæ. At nunc neque ad ædificationem faciunt, hoc est ad promouendam pietatem: sed contra potius ad eius spectant euersionem: vt ante visum est. Neque ad ordinem vllum bonum: sed potiùs ad ἀταξίαν: sic enim confunduntur pij cum impiis Episcopi: cum tamen etiam vestimentis, vt alteri ab alteris discernantur, æquum sit. Nec denique faciunt ad decorum sponsæ Christi: quemadmodum paulo ante demonstratum à nobis fuit. Non sunt igitur nobis admittendæ. Quæ verò ab hominibus Spiritu Dei destitutis inuenta sunt: ea nihil ad nos. Denique Apostoli iis vestimentis vsi non sunt. Nullum enim authenticum habemus testimonium. Est autem Ecclesia, sicut in doctrina, sic etiam in ceremoniis & in vestimentis ad illius Ecclesiæ Apostolicæ regulam informanda. Quorum igitur hæ vestes in Ecclesia? cuiusnam authoritate probari possunt? quæ vtilitas, quisve salutaris vsus ex iis accedere potest populo Christiano? A nobis vero contra demonstratum est: iis pietatem labefactari: purum Dei cultum violari: papisticam superstitionem paulatim reuocari: pios offendi: impios in suis impietatibus confirmari: imbecillos in fide in discrimen salutis conijci: occasiones multorum malorum dari: Monachos & alios Papisticos concionatores, ad suos in superstitione confirmandos iuuari: iram Dei aduersum nos prouocari; quæ Deus destructa vult, ea à nobis reædificari; totam Ecclesiæ faciem commaculari & dedecorari: contra honestas leges de non induendis exoticis vestimentis, turpiter peccari: atque ita totam Ecclesiam dehonestari. Adhæc publicam Ecclesiæ, imò multarum Ecclesiarum pacem turbari; Episcopos inter se committi: piorum conscientias grauari; & animos bonorum offendi; Spiritum in illis sanctum contristari, denique pomum ἔριδος ceu in mensam Deorum proijci. Cum hæc ita se habeant, Serenissima Regina, non solum ego, sed omnes mei collegæ & pii omnes supplices Tuam S.M. rogamus, & per Iesum Christum, quem persuasum habemus à Tua S.M. ex corde amari, obtestamur, vt istud consilium de quo iam multa dicta sunt ne amplectatur, neue aures talibus det consultoribus. Neque enim isthęc consilia è re sunt Ecclesiæ & regni tui piissima Regina, neque etiam ex dignitate Maiestatis Tuæ: cùm neque ad pietatem fouendam: neque ad honestatem Ecclesiasticam retinendam, neque ad pacem publicam conseruandam conducant, sed potius hæc omnia bona in quæ incumbere maximè debet Regia Maiestas mirum in modum labefactent. Cogitet potiùs Tua Maiestas, & in hoc omnem suam intendat cogitationem, auctoritatem, potentiam: vt Episcopos in primis habeat verè pios & in sacris literis exercitatos, sicut Dei beneficio habet quam plurimos: eósq; foueat & audiat. Deinde curet, vt ij suum diligenter faciant officium: inuigilent gregi: doceant sanam doctrinam: refutent hęreses: pellant lupos: in officio suo quenque contineant: & ad vitam Christiano homine dignam omnes adhortentur, incitent & stimulent. Seniores itidem & Diaconi, vt in suo quisque officio sit diligens monendi sunt, & si etiam opus sit, Tuæ S.M. authoritate cogendi: vt neque illi dormiendo: vel conniuendo, sinant licentiæ & cupiditatibus carnis frena laxari; neque isti sua propria curando, negligant pauperes Ecclesiæ, & alia quæ sui sunt officij omittant. Ista enim tria hominum genera nerui sunt Ecclesiæ, vnde eius salus & exitium cumprimis pendet. Ad hæc danda est Tuæ S.M. opera, idque quam diligentissimè vt Academiæ: & in illis boni ac pij doctores curentur, foueantur, liberaliter sustententur, conseruentur. Sunt enim hæc ceu matres & nutrices Ecclesiarum, in quibus & à quibus formantur, eduntur, educantur, ornantur: qui porrò ad Ecclesias regendas ac gubernandas, idonei vocentur. Postremò quæ verbo & disciplina Ecclesiastica corrigi non possunt: ea iuxta verbum Dei, gladio Magistratus resecentur & tollantur, sicut necesse est: sic etiam Tuæ S.M. curandum est: veluti sunt adulteria & blasphemiæ & alia id genus capitalia crimina. In hunc enim finem datus est Magistratui à Deo gladius: vt coercitis impiis seductoribus, obscœnis nebulonibus, & inquietis hominibus; reliqui, quietam & tranquillam vitam traducere possint in omni pietate, & honestate. Huc incumbendum est Serenissi. Reginæ: huc cogitationes, huc consilia, huc vires & nerui intendendi sunt: nempe (summatim vt dicam) vt omnes abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, sobriè, iustè & piè viuamus in hoc seculo. Hæc est enim vera & pulcherrima omnium vestis, de qua quisque debet esse sollicitus: nempe vt exuto vetere homine cum actibus suis, induamus nouum, hoc est, Dominum nostrum Iesum Christum. Neque alia sunt quę Christianos Episcopos deceant, vera ornamenta, quàm quę Apostolus contexit ad Timoth. & deinde ad Titum scribens, & dicens: *Oportet Episcopum esse irreprehensibilem, vnius vxoris virum, vigilantem, sobrium, compositum, hospitalem, aptum ad docendum, non vinolentum, non percussorem, non turpiter lucri cupidum: sed moderatum, alienum à pugna, alienum ab auaritia, qui suæ domui bene præsit, qui liberos contineat in subiectione cum omni honestate,* μὴ αὐθάδη, μὴ ὀργίλον, μὴ πάροινον, δίκαιον, ὅσιον, &c. Nam vestes & ornamenta pontificis Aaronici, typi fuerunt horum verorum ornamentorum. Illa, vmbræ: ista, corpus. Facessant igitur illa & hæc adsint. Tum demùm verè ornatam habebimus totam Ecclesiam, nedum Episcopos.

Supplex iterum oro Tuam S.M. vt posita prorsus tota illa de externis vestibus cogitatione, animum ad hæc vera & spiritualia ornamenta in Ecclesiis retinenda, induenda, custodienda, adiiciat. Meam verò sicut de principio dixi scribendi audaciam pro Suæ S.M. clementia condonet. Dominus noster Iesus Christus Tuam S.M. diu nobis & toti Ecclesiæ incolumem ac felicem conseruet. Heidelbergæ, x. Septembris, CIↃ. IↃ. LXXI.

HIERONYMI ZANCHII THESES

De Fide Electorum,

Et de Thesibus istis Doctorum & Professorum Theologicę Facultatis Academiæ MARPVRGENSIS, Iudicium.

1. *Electis in hoc seculo semel tantum vera fides à Deo datur. Et qui eâ donatus est: (præsertim de adultis loquor:) eam in seipso sentit, id est, certò cognoscit, & sentit se verè credere.*

2. *Electi semel vera fide donati, Christóque per Spiritum S. verè insiti fidem prorsus amittere, Spiritum sanctum omnino excutere, & à Christo excidere penitus non possunt: idque tum propter promissionem Dei, tum propter Christi precationem. Neque tamen hinc sequitur, vel pœnitentiam negari, vel licentiam concedi.*

3. *In Electis regeneratis duo sunt homines: Interior: & exterior: Ii cum peccant, secundùm tantùm hominem exteriorem, id est, ea tantùm parte, quâ non sunt regeniti, peccant: Secundùm verò interiorem hominem, nolunt peccatum, detestantur peccatum, & condelectantur legi Dei. Quare non toto animo, aut plena voluntate peccant.*

4. *Pe-*

4. *Petrum, cum negauit Christum, defecit quidem fidei Confessio in ore, sed non defecit fides in corde.*

DE HISCE THESIBVS iudicium August. 15. Anno 1561.

Obseruandum ante omnia in humanæ salutis negotio, Deum hoc progredi ordine.

1. Primum, antequam iacerentur fundamenta Mundi, semel elegit seu prædestinauit in Christo quos voluit, solo adductus beneplacito voluntatis suæ, vt laudetur gloria gratiæ suæ: *Ephes.*1.

2. Semel ab æterno electos Deus, vbi nati sunt, quocunque vitæ tempore ipsi visum fuerit, vocat, & quidem per verbum, quo ratio consequendæ per Christum salutis proponitur. Quæ vocatio itidem, contingit non propter opera nostra, sed secundum Dei propositum, & gratiam, quæ data est nobis per Iesum Christum ante tempora æterna. 2. *Tim.*1. Præcedens ab æterno electio, vocationis in tempore causa est.

3. Verbo de salute per Christum, quicunque toto assentiuntur animo ij dicuntur credere, & fidem habere. *Rom.*10. Sed hæc ipsa fides, vera, inquam, atque firma, donum Dei est *Ephes.*2. Non enim omnium est fides, 2. *Thess.* 3. sed verè credunt, quotquot ad vitam æternam sunt ordinati. *Actor.*13. Itaque ex electione ab æterno facta, etiam fides perfecta pendet.

4. Hac fide homines iustificantur, idque iterum gratis per Dei gratiam, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus reconciliationem per fidem, interueniente ipsius sanguine. *Rom.*3.

5. Eadem fide, & in ea Iustificatione accipiunt electi Spiritum sanctum, qui ipsos sanctificat, singulari modo gubernat ipsorum actiones, denique certiores facit, quod sint filij Dei ac proinde hæredes Dei, & cohæredes Christi. *Rom.*8 *Eph.*1.

6. Porrò iustificati atque donati Spiritu sancto postremum gloriam adipiscuntur æternam. Quæ omnia breuissimè notauit Apostolus *Rom.*8. dicens: *Quos Deus prædestinauit, eosdem & vocauit: & quos vocauit, eos & iustificauit: quos autem iustificauit, hos & glorificauit.* Iam vero quæstio est: *An tales, quando in hoc vitæ cursu peccant, fidem illam veram, quâ in vocatione pridem sunt donati prorsus amittant? An acceptum Spiritum sanctũ à se excutiant? Denique an à Christo omnino excidant?* De hac quæstione difficili sanè, vt pio modulo nostro quam simplicissimè, & quo ad eius dabitur, secundum mentem scripturarum respondeamus, necesse est à nobis expendi.

1. Qualia in Electis deprehendantur peccata, & quomodo iidem ad peccandum inducantur.

2. Qualia sint admissorum peccatorum in Electis effecta.

Quod ad priorem partem attinet, extra controuersiam est, electos atque sanctos quantumlibet Deo chari sint, frequenter tamen peccare. *Rom.*3. *Ps.*24. 53. *Rom.*4. *Ps.*31. 1. *Ioh.*1. *Prou.*24. Liquidò insuper constat contra vtramque Decalogi tabulam ab electis peccata fœdissima designari: Petrus quando post promissam & iactatam constantiam in Confessione, Christum non semel & apud plures, vixque vllo adhuc ante oculos posito periculo, negauit, in Legis diuinæ priorem tabulam deliquit grauissime. Dauid posterioris tabulæ plura præcepta transgreditur, dum & longo tempore perstat in adulterio, & circumspiciens quo pacto scelus suum posset tegere, euocatum Vriam accedere ad vxorem iubet; cum autem & hac parte se falli cerneret: innocentem hominem & fidum ministrum curat interfici. Hæc peccata si quis extenuare quouis modo conetur, vehementer & is peccauerit.

Sed enim si, quomodo Electi ad peccandum adducantur, libet inquirere, magnum discrimen inter Electos, & eos qui non sunt de Electorum numero, comperiemus. In eum namque qui non est electus, nec verè regeneratus, quamuis externa confessione doctrinæ atque communi Sacramentorum vsu sit insitus Ecclesiæ, semper aliquod ius habet princeps huius seculi spiritus malus, quamobrem & facilè impellit illum ad omnis generis flagitia, vt seruiat concupiscentiis carnis, & quæcunque carni ac menti libent, magna alacritate perficiat. *Eph.*1.

Itaque Iudæ auaro alioqui & furi suggessit & citò persuasit, vt Dominum & Seruatorem suum hostibus proderet, *Ioh.*13. Atqui in Electo ac regenerato, quem Christus ex potestate Diaboli eripuit, longè aliud spectare nos oportet. Siquidem in regenerato Apostol. *Rom.*7. (vbi omnes eruditi consentiunt, Apostolum de seipso proferre exemplum, aut certè in persona pij & electi cuiuspiam dicere omnia:) duos ait consistere homines: Internum, qui est à regeneratione, & externum, qui fuit ante regenerationem ac post etiam manet. Quandocunque igitur Electus ad peccandum siue à Sathana, siue à propriæ carnis concupiscentia tentatur, statim duo illi in ipso homines certamen acerrimum ineunt, atque internus homo, quoniam habet Spiritum sanctũ, ac delectatur Lege Dei, hortari & extimulare hominem non desinit, vt legi Dei vsque seruiat, neque membra sua iniustis actionibus vnquam accommodet. Ex aduerso externus homo, quoniam habet carnem, ac delectatur lege peccati, quæ est in membris, homini interno atque spiritui omnibus viribus repugnat, & nihil non molitur, quo hominem ad peccatum impellat.

In hoc igitur certamine, quando electus homo peccatum committit, tum externus eius homo aduersus internum quantumlibet ac luctantem præualet. Hinc vero perspicuum fit, electum hominem, quomodocunque labatur, non tamen peccare toto animo, tota mente ac plena voluntate, quandoquidem vti Paulus disertè ait, *Romanorum* 7. quod agit malum, neutiquam probat. Nec enim quod vult, hoc facit, sed quod odit, hoc agit, atque consentit interea legi Dei quod bona sit. Ex quo insuper sequitur, vt non ipse illud perpetret, sed inhabitans in ipso peccatum. Nam in externo homine atque in carne bonum non habitat. Vellet quidem internus homo nihil nisi bonum fieri: at quo minus pro voto possit, impeditur ab homine externo. Itaque mente quidem seruit electus homo legi Dei, carne verò seruit legi peccati, cui per legem membrorum, tanquam venundatus atque captiuus addicitur. Ad hæc *Gal.*5. apertè dicitur, spiritum & carnem sic perpetuo inter sese pugnare, vt pii non quæcunque voluerint, faciant Ergo si peccata quæ ab electis designantur respicimus, sunt quod ad speciem attinet, peccatis reproborum paria: Sin consideramus modum quo ad peccandum inducuntur, non eadem ratione, qua reprobi huc perueniunt; vtpote qui nunquam toto animo, plenaque voluntate consentiunt. Neque enim sic delectantur peccatis vti reprobi, non intendunt insuper animum & curam iis, quæ sunt carnis, non habent affectus eodem modo peccatis addictos & implicitos, non delinquunt, vt inimicitiam cum Deo volentes exercere. Quæ studia debere in peccatis reproborum secundum carnem ambulantium notari, non abs re monet *Rom.*8. Apostolus. Addamus & hoc: In electis quidem animaduerti vim peccati inhabitantis, at non peccata regnantia, seu dominantia: in reprobis verò, non modò peccatum inhabitans, verùm etiam peccata regnantia, seu dominantia, de quo discrimine *Rom.*6. 7. Ex quo palam est, electos non tantum alio peccare modo, quàm quo peccant reprobi: verum etiam peccata vtrorumque prorsus aliter se habere, atque eiusdem speciei peccata, non idem posse in electis quod in reprobis. His ita expositis, procliue erit iudicare, qualia nam sint peccatorum in electis effecta, & vtrum per peccata sua fidem prorsus amittant, Spiritum sanctum omnino excutiant, & à Christo penitus excidant. Et quo cuncta euadant magis dilucida, consulto in collatione electorum cum reprobis persistemus.

Primum igitur atque præcipuum effectum peccati est Mors, siue condemnatio sempiterna. *Rom.*5. 6. Reprobos autem, quandocunque peccant æternum ob crimina sua damnari, remota omni exceptione, nemo non intelligit & confitetur. Atqui in electos, etiamsi peccarint, mors, seu damnatio æterna non cadit. Necesse namque est, quos Deus semel elegit, tandem glorificari. *Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat? quis ille qui condemnet?* Rom.8. Ac disertè eiusdem capitis initio: *Nulla nunc est condemnatio his, qui insiti sunt Christo Iesu, qui non iuxta carnem versantur sed iuxta spiritum: Nam Lex spiritus vitæ per Christum Iesum liberum me reddidit à iure peccati, & mortis.* Quo loco notandum, prudenter dictum ab Apostolo, *Electos esse liberos factos* non simpliciter à peccato & morte, *sed à iure peccati & mortis*, quo perdendi ac damnandi potestas significatur Omnia item peccata grauissimas commerentur pœnas, quas Deus, quoniam videt sua contemni præcepta, seuerissimè infligit. *Exod.*20. Cæterum reproborum scelera puniuntur cum in hoc seculo tum in futuro: electorum autem peccata

tantùm punit Deus in præsenti, quamuis etiam acerbissime, quod testantur calamitates tam publicæ quàm priuatæ propter Dauidis peccata immissæ. Ex quo apertè colligitur, hisce quæ de bonitate Dei erga electos dicuntur, peccandi licentiam minimè concedi.

Quin etiam si considerentur diuersæ rationes, quibus Deus in peccatis puniendis vtitur, magnum apparebit discrimen. Etenim in reprobis plurimum punit Deus peccata nouis peccatis, atque indurat eos, excæcat, in reprobum sensum tradit; *Rom*.1. In electis tantum abest, vt peccata puniat peccatis, vt ad agnitionem peccatorum potiùs celeriter eos inducat, vt ad humiliationem animi, ad veram inuocationem, ad petitionem veniæ, ad implorandum cœleste auxilium excitet, atque ita peccata ab ipsis prorsus transferat.

Iam si post scelera perpetrata agitur de pœnitentia, Deus reproborum pœnitentiam minimè recipit, neque fructum ex ea illi percipiunt; exempla sunt Esau *Heb*.12. Iudas *Matth*.27. Pœnitentiam vero electorum Deus acceptam habet & citò condonat iis peccata, quod in Dauide & Petro licet cernere. Proinde & electos vbi peccarint, vel maximè decet pœnitentiam agere. Vt porro ad institutum veniamus principale: Reprobi quando peccant, atque peccatum in ipsis dominatur, fidem cito amittunt. siquidem quam ore fuerant professi, nunquam vera, & perfecta fides fuit sed tantum temporanea, infrugifera, mortua, de qua *Matth*.13. *Luc* 9.1.*ad Timoth*.1. *Iacob*.2. Quando autem electi peccant, non est vero consentaneum, eos omnes prorsus fidem amittere, quamuis exiguam, debilem, infirmam, & mortuæ simillimam esse oportet eam, quæ relinquitur. Petrus negauit Christum, sed quis propterea dixerit insignem illam fidem, quam olim fuerat confessus, quamque Christus ipse vehementer prædicarat, prorsus fuisse extinctam? maximè cum Christus pridem pro Petro orasset, ne fides ipsius vnquam deficeret. *Luc*.22. Itaque quæ audita est foris ex illius ore negatio, ab externo homine profecta, impugnabat & vulnerabat, non tamen interficiebat occultam confessionem cordis, quam internus homo quantum in ipso erat, tuebatur. Accedit his, quod Petrus statim post abnegationem factam ingenti fletu, dolorem testatus sit ac pœnitentiam, *Matth*.26. *Marc*.14. *Luc*.22. Si autem in Petro vera fuit pœnitentia, sicut dubio procul fuit, oportet sanè in illo semper etiam aliquam superfuisse fidem. Nec potest fides vera perfectaque intelligi res fluxa & volubilis, quæ momento temporis & auferatur & restituatur, sed perspicuè docet nos Scriptura esse constantem, immobilem, inuictam, nullis machinis expugnabilem. Talis namque fides Abrahami *Rom*.4. talis fides multorum aliorum describitur *Heb*.11. Ideoque Christus fidem cum petra, super quam Ecclesię ędificium queat extrui, *Matt*.16. comparat. Quinetiam perfectè credentem similem esse ait homini, qui domum ædificat supra petram, vbi neque imbres, neque flumina, neque ventorum tempestates eam subuertant *Matth*.7. *Luc*.6 Quid quod omnium credentium fides precatione Christi fulcitur? quandoquidem pro omnibus credentibus ipse ardentissimè orauit, siue tunc cum orauit pro Petro *Luc*.22. siue quando alias pro vniuersis orauit, qui per Apostolorum sermones ad fidem adducerentur *Ioan*.17. ac dubio procul est à patre exauditus, *Heb*.5. Legimus denique in Epist. Iudæ fidem sanctis semel dari. Si semel tantum datur, quomodo ea amittetur, & aliquanto post dabitur iterum? Relinquitur ergo fidem semper aliquantam in electorum manere cordibus, nec prorsus eripi. Quam nisi etiam sentirent electi, ac modò quidem debilem, modò verò firmam, de fide sua testimonium edere nulli certum possent, minus etiam appositè Apostolus 1.*Tim*.1. fidem cum conscientia coniunxisset: Adhæc, non rectè postulassent Apostoli à Christo, vt fidem ipsorum augeret *Luc*.17. frustra, insuper Christus toties increpasset quosdam ὀλιγοπίστους. *Matth*.6.14.16. *Luc*.12. frustra, rursus in aliquibus fidei prædicasset magnitudinem. Rursus quando peccant reprobi, amittũt Spiritus sancti dona, si quibus ornati fuère. Enimuerò Spiritum sanctum quem nunquam acceperunt, quis dicat eos amittere? Itaque de donis spiritus ademptis ipsi Sauli, est illud 1.*Sam*.16. Spiritus Domini recessit à Saul, turbauitque eum spiritus malus à Domino. Intelligimus autem dona Prophetiæ, gubernationis, & si quæ similia, quibus Saulem iuste spoliauit Deus.

Cæterum electos, quando peccant, Spiritum sanctum omnino amittere, non est quod temere definiamus: sed rectius cum Apostolo dicemus, eos tunc Spiritum sanctum vehementer contristare. *Eph*.4.

Scriptura non vno loco inculcat Spiritum S. electis datum, inhabitare eorũdem corda. Si autem inhabitat, igitur domicilium, fixamque sedem ibi deligit, neque imaginabimur eum excurrere, vagari, redire, quod malum spiritum facere consueuisse Christus *Mat*.12. testatur. Nec prætereundum, quod Scriptura etiam refert Spiritum sanctum in electis agere, siue electos spiritu Dei agi atque duci, *Rom*.8. Quandocunque igitur agit ac vires suas in electis exerit Spiritus sanctus, facilè est colligere, eum ibi habitare, præsentemque esse. At vero si non agit, nec se argumentis illis demonstrat, quod nimirum fit, quia ob peccata hominis tristatur atque luget, non protinus sequitur, eum ibi non amplius habitare. Vbi porrò electi post lapsum resipiscunt, tum Sp. sanctus iterum in eis excitatur, seseque velut gaudio gestiens dignatur rursus ostendere, & validius, quàm anteà ipsos fulcit. Quocirca Dauid *Psalm*. 51. cum reprehensus à Nathan Propheta peccatum suum confiteretur, ita orabat: *Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innoua in animo meo: Ne proiicias me à facie tua & Spiritum sanctum tuum ne tollas à me. Restitue mihi lætitiam salutis tuæ: & spiritu viuifico suffulci me.* Ad hæc datur electis Spiritus sanctus, vt arrhabo hæreditatis cœlestis. *Eph*.1. Nemo autem qui promissis pactisve vult stare, arrhabonem reposcit, quin potius in hoc totus est, vt promissa siue pacta præstet, ne tum quidem vbi illa præstiterit, arrhabonem repetiturus. Consequitur ergo & Sp. sanctum apud eum, cui semel datus est, relinqui. Quod eo quoque comprobatur, quod *Eph*.4 dicuntur credentes per Spiritum sanctum in diem redemtionis obsignari. Quamuis fieri interea potest, vt homo non iam honorificè quam par est, datum arrhabonem seruet, quo nomine eum, qui arrhabonem dederat, offendit multò grauissime. Sic deindè Apostolus *Rom*. 7. disserit, vt clarè demonstret vnum eundemque electum perpetuo duos homines, internum, inquam, & externum in se circumferre, neque vnum absque altero posse dimoueri. Id verò si datur, operæpretium est statuamus, quandiu adest homo internus, tamdiu etiam adesse Spiritum sanctum, vtpote sine quo internus homo subsistere nequeat. At si posueris spiritum aliquando tolli, eadem opera largiaris oportet, etiam luctam illam spiritus cum carne in hac vita tolli: imo aliquando absente spiritu, carnem posse statim in toto homine electo dominari: qua occasione etiam peccata regnantia locum in eodem habebunt, quo quid absurdius dici queat? Ita prætetea ibidem depingit Apostolus hominis interni & externi actiones, vt quamuis contrariæ sint, tamen esse coniunctæ, & eodem tempore simul exerceri videantur. *Non quod volo*, inquit, *hoc facio*, *sed quod odi, hoc ago.* Iterum: *Non quod volo facio bonum, sed quod non volo malum, hoc ago.* Et, *Delectat me lex Dei secundum internum hominem: sed video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis.* Et idem, *Ego mente quidem seruio legi Dei, carne verò legi peccati.* Quæ omnia perinde sonant, atque si diceret Apostolus: quo tempore ipse impulsu carnis & externi hominis male facio, eodem etiam Spiritus sanctus interiori homini adhuc assistit, & legem Dei approbat, verum tamen propter molestias & insultationes carnis contristatur, suasque vires non ita vti alias, exerit. Sed enim quæ Apostolus ibi de seipso affert ea vera esse, vnusquisque electus proculdubio in propriis tentationibus atque luctis spiritualibus experitur. Itaque iam in ipsis certaminibus, quam cum externus homo, siue caro apparet superior, internus homo & spiritus in electo adhuc residet, quamuis propter carnem ferocientem & immodicè exultantem ægrè aliquid de actione & vi spiritus percipitur.

Iterum verò, quando reprobi peccant, à regno Christi prorsus excidunt, 1.*Corinthior*. 6. *An nescitis quod iniusti, regni DEI hæreditatem non consequentur? Ne erretis. Neque scortatores, neque cultores simulachrorum, neque adulteri, &c. regni Dei hæreditatem accipient*, &c. Verum electi quamuis aliquando inuiti & à carne vexati circumuentique labuntur, non tamen ideo à CHRISTI regno prorsus excidunt. CHRISTVS namque *Iohannis* 10. de electis infit: *Oues meæ vocem meam audiunt & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam de manu mea* Electi igitur à CHRISTO non auelluntur, aut profecto si contingeret eos aliquando astu & calliditate Diaboli de manu Christi eripi, euinceretur, Diabolum Christo esse potentiorem ac fortiorem, quod vel cogitare

nefas

nefas grande est. Rursus Christus *Matt. 24. Surgent Pseudo-Christi & Pseudopropheta, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri possit, etiam Electi.* Ex quibus verbis non obscurè colligitur, electos seduci atque ita à Christo prorsus abduci nullo modo posse. Quod si item excidere prorsus à Christo electos fatemur, quomodo, obsecro, interpretabimur verba illa *Rom. 5.* quæ perspicuè astruũt electos stare siue persistere in gratia? *Iustificati ex fide pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & contingit nobis vt fide perduceremur in gratiam hanc in qua stamus.* Quid item dicetur ad illa verba *Rom. 8.* electis propriè accommodata? *Persuasum habeo,* inquit, *quod neq; mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque vlla creatura alia, poterit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

Postremò si electi non stant in gratia, Christóque adiuncti manent, tum cogantur omnes homines perpetuò de Dei gratia dubitare, neque vnquam certò statuere poterunt se Deo placere, à quo quantoperè sit abhorrendum, edocti ex Scripturis abundè sumus.

Quod si quisquam contendere pergat, Electos, quandocunque peccant, saltem ad tempus fidem prorsus amittere, omnino excutere Spiritum sanctum, penitus à Christo excidere, sanè haud scimus an circumspectè satis loquatur, cum præsertim necesse sit, non pauca inde oriri incommoda. Si fidem prorsus amittunt electi, sequetur planè omnem fidem etiam electorum temporaneam atq. fluxam existere, quod aduersatur iis omnibus, quæ de fide firma, stabili & ad finem vsque perseuerante passim in Scripturis inculcantur. Si excutitur Spiritus sanctus, quomodo consistet quod Scriptura sæpius exprimit, eum in electorum habitare cordibus? Si denique ad tempus à Christo excidunt, falsum erit quod Christus ait, *Electos seduci non posse,* semper cogentur lapsi dubitare, an & quando iterum inserantur Christo: adde, quod Diabolus semper apparebit Christo potentior & Christi victor. Etenim si electos ad illud tempus quo peccant, è manu Christi eripit Sathanas, profectò cum nullum dari tempus queat, quo non peccent aliqui ex electis, conficeretur nullum etiam esse tempus, quo diabolus Christum non debellet atque vincat. Sed ex iis quæ in præcedentibus sunt exposita, non erit difficile & alia incommoda excerpere. Quæ cum ita se habeant, nequaquam ducimus eum prorsus damnandum, qui asserit, *Electos semel vera fide donatos, Christoque per Spiritum sanctũ verè insitos, quando peccarint, fidem non prorsus amittere, non omninò excutere Spiritum sanctum, non penitus à Christo excidere.* Ac præter illa quæ ex Scripturis hucusque depromptimus, possemus nonnulla partim ex priscis Patribus, partim ex huius ætatis eruditissimis quibusque Scriptoribus firmamenta congerere, sed temporis angustia facere id prohibet. Quæ res etiam in causa est, cur de reliquis Thesibus conscriptis, nimirum *de Fine seculi, de Antichristo, de signis finis seculi, de Prædestinatione, de vinculis quibus colligamur Christo & Ecclesiæ, de promissionibus,* non arbitrati simus aliquid adiiciendum, maxime cum nonnullæ de earum sint genere, de quibus non est necesse operosè disceptari, omnes verò pariter tales censeamus, quas adhibita commoda interpretatione, admittere absque periculi metu liceat.

Demiramur autem & dolemus non parum, de capitibus antè expositis, certamina eo moueri loco, in quo vir Dei D. MARTINVS BVCERVS multos annos eadem omnia non minus sinceriter, quam perspicuè tradidit. Cum autem nos semper malimus aliorum audire de rebus ambiguis & intricatis, sententias, quàm ipsi pronunciare, & à contentionibus supra quam dici queat abhorreamus, petimus hæc qualiacumque benignè accipi ab omnibus. Quod reliquum est, optamus omnes vbique verbi diuini interpretes, concordiam colere atque idem sentire in Domino. Quod & speraremus posse facilius quam nunc fit, vsuuenire, si primum omnes ea deligeremus argumenta præ cæteris discutienda, quæ vtilitatis plus habent quam subtilitatis, & sint omnium ordinum hominibus cognitu necessaria, deinde inter explicandum verò, ea potissimum consectaremur, quæ ad amplificandam Dei gloriam & totius Ecclesiæ ædificationem conducunt.

Doctores & Professores facultatis Theologicæ SCHOLÆ MARPVRGENSIS.

Andreas Hyperius subscripsit.
Iohannes Lonicerus s.
Iohannes Garnerius s.
VVigandus Orthius s.
Nicolaus Rodingus Marpurgensis Ecclesiæ Pastor s.
Iohannes Pincier Veteranæ Ecclesiæ in Euangelio Christi minister s.
Iohannes Pistorius Niddanus, Niddanæ Ecclesiæ in Euangelio Christi minister subscripsit.

DE IISDEM THESIBVS Theologorum Academiæ HEIDELBERGENSIS Iudicium.

QVanquam ex his, quæ à doctissimis Scholæ Marpurgensis Professoribus, aliisque viris clarissimis, ex sacrarum literarum fontibus diligentissimè collecta, artificiosissimè disposita, & eruditissimè fuere conscripta, facilè cognosci possit, quid de Thesibus ipsorum scripto præfixis, pium quenque iudicare atque sentire deceat, ne tamen nos vel præiudiciis, vel priuatis quibusdam studiis adducti, de iis sententiam dixisse nostram videremur, etiam rationes nostras, quibus mouemur, à superioribus minimè alienas, attexere nobis visum fuit.

1. Principiò quidem pulcherrima illa gradatio, seu catena, qua Apostolus *Rom. 8* est complexus gradus omnes salutis electorum ab æterno illo & immutabili consilio Dei & decreto, velut ingi fonte fluentis, non finit, vt eos qui semel Christo à Patre in suam velut possessionem atque tutelam traditi, ipsique vt radici ac vitali trunco insiti, & denique ei velut suo capiti agglutinati sunt, ab ipsius manibus seu potestate subduci, patrocinio ipsius destitui, quasi arescentes ramos amputari, siue vt corrupta membra à suo corpore auelli posse, aut cogitemus aut dicamus. Nam eum qui id in animum suum induxerit, de Christi optimi Pastoris fidelissimique custodis fide, diligentia atque potentia, malignè sentire apparet. Si quidem ab eo tales abduci non possent, nisi is sempiterni sui hostis Sathanæ, vel arte falleretur, vel potentia superaretur: ac ita aut negligentiæ ei, qui est vigilantissimus, aut infirmitatis ei qui est potentissimus, nota inureretur. Atqui istud non tantum est absurdum, sed etiam ex diametro pugnat cùm his quæ Christus ipse clarissimè est testificatus, de sua cura, studio ac diligentia erga suæ fidei creditos, & ea *Ioh. 5. 10. 17.* sui Euangelij non minus disertè quam fusè commemorat.

2. Deinde vis illa Spiritus sancti, quæ se exerit in regenerandis ad vitam æternam electis, seu semen illud Dei, cuius meminit Johannes, semel admissum, si posteà prorsus amitteretur, seu euelleretur planéque interiret, esset de integro induendum homini: videreturque regenerationis Symbolum omnino esse repetendum, quando id quod Symbolo adumbratur, tertiò atque quartò, imò sæpe foret donandum. Verum vt aliter & sentiamus & loquamur, non tantum publicus piorum, iam inde à iactis Ecclesiæ fundamentis consensus, suadet, sed etiam quæ Paulus *Rom. 6.* de Christi morte, sepultura, resurrectione ad æternam vitam, & baptismi mysterio disserit, & quæ author Epist. ad Hebræos constantissimè asseuerat, tem se aliter habere, euidenter conuincunt.

3. Accedit & perelegans illa Arrhabonis Metaphora, qua Apostolus Paulus semel & iterum vtitur, de Spiritu sancto, quo authore regeneratio fit, loquens. Nam si Electi semel in gratiam recepti, ab ea posteà omninò exciderent, adempta ipsis omni salutis spe & ex libro vitæ, (vt ad formulas Scripturis familiares alludamus) velut expunctis, nequaquam esset Spiritus sanctus firmum & certum salutis pignus: essétque eius testimonium (cuius *Paulus Rom. 8.* meminit) infirmum ac dubium, putarétque spes, quam instar anchoræ firmæ haberi vult author Epistolæ ad Hebræos. Equidem labi electos, atque etiam subinde sic cadere, vt denuo erigendi sint scimus, & id per resipiscentiam (electis etiam ipsis in hac carnis fragilitate

omninò neceſſariam) fieri non dubitamus: Verum iſta ratio, ſeu via eſt admodum diuerſa à prima illa vocatione ſeu inſitione, per quam electi Chriſto (vt cum Paulo loquamur) incorporantur. Tale inter vtramque diſcrimen ſtatui poſſe nobis videtur, quale eſt inter mortuum vitáque omni deſtitutum corpus, & illud quod morbo, ſeu leniore ſeu grauiore ac lethali affectum eſt. Illud ſane vitali vi, vt ita dicamus, opus habet, hoc verò ſolum deſiderat, vt quæ adhuc in eo reſidet vita, labefactata illa quidem & infirma, inſtauretur, recreetur, refocilletur.

4. Iſtam quoque ſententiam mirificè confirmabit, electorum, tantiſper dum in iſto exilio agunt conditio: ſi eam qualem literæ ſacræ deſcribunt, & omnes ſani eſſe fatentur, attentè conſiderare volumus, vt debemus: hoc eſt, ſi ſeriò cogitemus, eos ſemper geſtare carnem, & illa corruptione, quæ ab Adamo eſt inducta & deducta, circumcingi, & originalis illius morbi vires nondum eſſe in ipſis extinctas, ita vt electi etiam ipſi & foris inſidiantem obſidentemque ipſos aduerſarium habeant, & domi conuiuatum circumferant hoſtem, nempe illud domeſticum peccatum, quod aſſiduè hoſpiti ſuo negotium exhibet, & debellare, adeoque ex inſidiis confodere nunquam non conatur. Vnde apparet, quàm verè meritóque dicatur, vitam piorum perpetuam eſſe luctam, aſſiduúmque certamen. Id quod etiam præter experientiam ipſam, ſtultorum, vt dicitur, magiſtram, literæ ſacræ paſſim docent, nominatim autem Paulus *Rom.7.* aſſiduum regeneratorum omnium exercitium, non tam deſcripſiſſe quam expreſſiſſe ab omnibus piis atque doctis creditur.

5. Iam verò cum in tali conflictu nunquam non verſentur filii Dei, fieri non poteſt, quę ipſorum eſt imbecillitas & aduerſarij potentia, quin ſubinde grauia vulnera accipiant: non eſt tamen veriſimile tali tantáque infirmitate, & lapidibus illis crebris ſic offendi Spiritum ſanctum & alienari ab eis, vt iratus, abſcedat, domiciliúmque deſerat ſuum, qui in hoc præſertim datus eſt electis, vt infirmitatem, qua ſunt onerati & premuntur, fulciat, & aduerſus impetum & robur hoſtis eos muniat, *Rom.8.* Ergo eum non ſecedere docet, ſed potius manere, vt vel labentes retineat, vel lapſos erigat: & denique ne eos opprimi ab hoſte ſinat, quod tali cuſtode remoto, ipſi eſſet minime difficile.

6. Ad fidem etiam electorum quod attinet, eam talibus congreſſibus mirè concuti non eſt dubium: at ſi vera, ſi germana, ſi fixa, (qualis eſſe deſcribitur, cum paſſim, tum *Matth.7.*) non omnino ſuccumbit, non frangitur aut deficit. Nam quam *temporariam* vocare poſſumus, quæ cedit aduerſario, ab hoc ordine eſſę excludendam, parabola quæ apud *Matth.13.* extat, non obſcurè demonſtrat, fiducia piorum, quæ Dei donum eſt, vt Spiritus ſancti afflatu concipitur, ita & retinetur: quare etiam ſepulta viuit & deiecta ſe erigit, excitatáque vim ſuam rurſum exerit

7. Porrò non videmus quid cauſæ ſit, cur dicatur Spiritum ſanctum grauiore ſiue atrociore flagitio, potius quam leuiore irritatum abſcedere, ſeſe ſubducere, priſtinum domicilium deſerere, quaſique prę́ſidium ſuæ fidei commiſſum aduerſario tradere. Certè ſi peccatorum naturam nudam, ſeu per ſe ſpectare placet, omnia diſplicent, omnia odit, omnibus offenditur Deus. Et profectò rectiſſimè dici, ſcribi tradique ſolet, *omnia peccata ex ſe eſſe mortalia*, hoc eſt, morte digna, & quæ iſti inferendæ abundè ſufficiant, quamlibet leuia ſint. Igitur ſua natura omnia Spiritum ſanctum explodunt, diuinum fauorem excludunt, & fidem extinguunt. Venialia tamen (vt receptam vocem retineamus) eſſe dicuntur, quæ alioqui mortalia ſunt, ſed id fieri defenditur à doctis omnibus, non peccatorum reſpectu, verum perſonarum in quibus ſunt, & à quibus admittuntur ratione, ita ſit vt quæ in reprobis (vt dici ſolet) ſunt mortalia, in electis ac regeneratis venialia reddantur, quippe quod perſona, Deo in filij ſui gratiam, placeat, & in ipſo ad ſalutem electa, & ad vitam æternam deſtinata ſit. Sic lapſus quotidiani qui alioqui damnationem inferrent, non imputari, ſed tegi, hoc eſt, condonari dicuntur, Iam verò adeſſe, iuuare, tueri aliquem in lenioribus periculis, & curatu faciles morbos tollere, in grauioribus verò ſe ſubducere, & maximè opem auxiliúmque deſiderantem negligere, nedum deſerere, neque fideiis amici, neque boni peritique Medici officio fungi eſſet. An non prorſus abſurdum foret id de Dei Spiritu ſentire, quod de viro bono ne ſuſpicari quidem liceat?

8. Vt ſanè de eo tale quiddam ſuſpicemur, nedum credamus, nequaquam patiuntur multæ promiſſiones cum piis quibuſdam priuatim, tum omnibus in Eccleſiæ perſona factæ, ſiquidem Dei dona & vocationem eſſe ἀμεταμέλητα diſertè pronunciat Chriſti Apoſtolus.

9. Præſidium autem ſuum perpetuò ſuis adfuturum maxima cum aſſeueratione pollicetur Deus, & eos abs ſe aliquando iri deſertum conſtantiſſime negat. Quæ etiam ad aberrantes & peccantes protendi debere manifeſtè demonſtrat illa prophetæ promiſſio: *Cum ceciderint non collidentur, quia Dominus ſuſtentat manu ſua.*

10. An id eſt inſtar irati ſecedere? Quid? etiam peccatum electis fore adiumento in bonum, ex Apoſtoli ſententia *Rom.8.* docti ac pij ſcriptores colligunt: quod etiam plerique non rarò experiuntur. Quod ſi id eſt verum, vt eſſe apparet, cui id ferri acceptum poterit, niſi paternæ beneuolentiæ atque prouidentiæ iſta omnia moderanti, & tum ad ſuam gloriam, tum ſuorum ſalutem conuertenti, quod in diuerſum ſpectabat? Nunc vero ſi ſuos electos peccantes deſereret, deſtitueret omni ope, prorſuſque abiiceret: illud qui fieri poſſet? Qui hæc attentè conſiderare volent, certò confici agnoſcent, Deum vt optimum parentem filiis ſuis etiam grauiter peccantibus, adeſſe, ne prorſus concidant, & ſedulò cauere ne prorſus confringantur.

11. Id niſi faceret numquid idem ipſis accideret atque iis, quos vt deploratos deſerit prorſus & abiicit? Illud autem quid aliud eſt niſi (vt ſacra oracula teſtantur) in reprobam mentem delabi, & in quæuis ſcelera ruere præcipitem, denique peccatis peccata cumulare? Quæ omnia non tantum ſunt horrenda cogitatu, ſed etiam dictu fœda. Sinit quidem Deus, quæ ipſius eſt ſapientia, ſanctos ſuos non tantum identidem vacillare, ſed etiam non rarò turpiter labi: at labentes manu ſua (ſic enim loquuntur Prophetæ:) ſequitur, aut verius præit, quo deiectos ab hoſte erigat & attollat, luctamque cum aduerſario (velut in palæſtra aut certamine non raro fieri videmus:) redintegrent: & iuxta Prouerbium, *fugientes denuò pugnent*, alioqui ſemel proſtrati iacerent æternum, libidini atque tyrannidi hoſtis expoſiti, & ſubiecti. Non eſt itaque quod aut credamus aut dicamus hunc ἀγωνοθέτην à ſuis, in dura ac difficili palæſtra ſiue arena decertantibus, oculos auertere, manumque retrahere, hoc eſt, aut Spiritum ſuum reuocare, aut fidem repetere, & denique omni præſidio ſpoliare, cum deiiciuntur ab antagoniſta: imò etiam proſtratos & ſuo clypeo protegit (vt Propheta ſcitè loquitur:) & alarum ſuarum vmbra tuetur.

Hæc & huius generis plurima, quę paſſim recitantur in ſcriptis Propheticis atque Apoſtolicis, dum attentè conſideramus, non poſſumus non iudicare, quæ in ſuperioribus Theſibus propoſita ſunt, de Electorum Dei per Spiritum ſanctum defenſione & cuſtodia perpetua, déque fidei ipſorum conſtantia, eſſe pia atque Chriſtiana, vt etiam eſſe iudicamus, quæ in aliis Theſibus, de Antichriſto, ſeculi fine, ac eius ſignis, de ſanctorum Prædeſtinatione, & geminis cum Deo ipſorum vinculis, aſſeruntur. De his verò vt aliquid adferremus, non putauimus eſſe opus, partim quod obſcuritatis nihil habere nobis videantur: partim quod candidis & veritatis ſtudioſis ſiue auditoribus ſiue lectoribus, aliquid offenſionis allaturas eſſe nobis perſuadere non poſſimus. Denique doctrinam illam totam dignam eſſe cenſemus, quæ in piis Chriſtianiſque ſcholis exponatur, atque tradatur, modò id & dextrè & ſobriè fiat. Ideo vehementer doluimus, cum audiremus, non deeſſe qui eam explodendam eſſe cenſerent, ab ea ſchola, in qua eam quidam noſtrûm non ita pridem didicere, tradente & dicente viro doctiſsimo & piiſsimo fel. memor. *D. Bucero.* Neque eſt quod quenquam huius doctrinæ vel pudeat vel pœniteat, cum ea ſit ſcriptis propheticis & Apoſtolicis conſentanea, atque optimorum quorumque Interpretum ſiue veterum ſiue recentiorum confirmata conſenſu. Datum Heidelbergæ, Auguſt. 25. Anno 1561.

Academiæ Heidelbergenſis Theologi.

D. P. Boquinus ſubſcripſit.
D. Immanuel Tremellius.
D. Gaſpar Oleuianus.
Michael Dillerus Concionator
Aulicus Heidelb. ſubſcripſit.

THESES D. HIERONYMI ZANCHII.

DE FINE SECVLI.

1. *Quoto die, vel quoto mense, vel quoto anno, vel quoto seculo futurus sit finis mundi, & rediturus Dominus: neque vlla certa scientia, neq; vllis certis coniecturis agnosci, ab vllo mortalium potest.* Hæc enim fuit Conclusio meæ prælectionis de tempore finis seculi.

DE ANTICHRISTO.

2. *Etsi reuelatum est iam pridem regnum Antichristi, quique in illo primatum tenet & regnat, verus est Antichristus: dicere tamen sub finem seculi, insignem quendam & omni iniquitate excellentissimum verum & perfectum Antichristum, qui etiam miracula edat, venturum, non pugnat cum sacris literis.*

DE SIGNIS FINIS SECVLI.

3. Dicere pro conciliatione loci Luc. 18. *Putas cum veniet filius hominis, num inueniet fidem in terra?* cum loco Pauli Rom. 11. *Nolo vos ignorare mysterium hoc, quod cæcitas etiam ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium aduenerit, & sic omnis Israel saluus fiet:* dicere, inquam, pro conciliatione horum duorum locorum, quod dum regnabit ille summus & vltimus Antichristus, propter ipsius Tyrannidem parum fidei reperietur in terra, sed post illum occisum spiritu oris Christi, copiosa Iudæorum multitudo ad Christum conuertetur, id quod fit per fidem: & sic tunc erit multa fides in terra: non est contra verbum Dei.

DE PRÆDESTINATIONE.

4. *Certus est apud Deum, tum electorum ad vitam æternam, tum reprobatorum atque ad interitum prædestinatorum, numerus.*

5. *Sicut Electi ad vitam, perire non possunt, ideoque saluantur necessariò: ita quoque qui ad vitam æternam prædestinati non sunt, saluari non possunt, ideoque necessariò damnantur.*

6. *Qui semel electus est, non fit, nec fieri potest reprobus.*

DE VINCVLIS QVIBVS COLligantur Christo & Ecclesiæ.

7. *Duo sunt vincula quæ ad hoc, vt Christo & Ecclesiæ verè colligemur, prorsus necessaria sunt: Vinculum æternæ Electionis in Christo, & vinculum spiritus Christi, ideoque fidei in Christum. Atque hæc duo, primò interna sunt & inuisibilia: deinde indissolubilia.*

8. *Duo vincula sunt quibus Ecclesiæ:* (quoad externam eius faciem attinet:) *coniungimur, professio doctrinæ Christi, & participatio sacramentorum, atque hæc primum externa sunt & visibilia: deinde dissolubilia: quatenus potest quis & ipsam doctrinam reijcere, & ipsa sacramenta respuere.*

DE FIDE.

9. *Electis in hoc seculo semel tantum vera fides à Deo datur: & qui ea donatus est:* (præsertim de adultis loquor:) *eam in seipso sentit, id est, certò cognoscit, & sentit se verè credere.*

10. *Electi vera fide semel donati, Christoque per Spiritum sanctum verè insiti, fidem prorsus amittere, Spiritum sanctum omninò excutere & à Christo excidere penitus non possunt: idque tum propter promissionem Dei: tum propter Christi precationem, neque tamen inde sequitur vel pœnitentiam negari, vel licentiam concedi*

11. *In Electis regeneratis duo sunt homines: Interior & exterior. Ii dum peccant, secundum tantum exteriorem, id est ea tantum parte, qua non sunt regeniti, peccant: secundum verò interiorem hominem, nolunt peccatum, detestantur peccatum, & condelectantur lege Dei, quare non toto animo aut plena voluntate peccant.*

12. *Petrum cum negauit Christum, defecit quidem fidei confessio in ore: sed non defecit fides in corde.*

DE PROMISSIONIBVS.

13. *Promissiones de gratuita Dei misericordia, deque certa & æterna salute, etsi vniuersaliter omnibus proponuntur & prædicandæ sunt: ad ipsos tamen tantum Electos reipsa pertinent.*

14. *Quare cum Paulus ait*, Deus vult omnes homines saluos fieri, *si quis illam vocem*, Omnes, *restringat ad omnes electos, in quocunque hominum ordine sunt. Item si illud* 1. Ioh. 2. Christus est propitiatio pro peccatis totius mundi, *interpretetur pro Electis vniuersis per totum orbem dispersis, aut dispergendis: non deprauat Scripturas.*

DE OMNIBVS ISTIS THESIBVS, *Pastorum & Professorum, Ecclesiæ & Scholæ Tigurinæ, iudicium.*

Dilectis in Christo fratribus, ad quos ex nostræ literæ peruenerint, gratiam & pacem à Deo Patre, per Dominum nostrum Iesum Christum.

Consulit se ad nos hisce diebus D.D. *Hieronymus Zanchius*, vir egregia pietate ac doctrina clarissimus, qui non sine dolore cum suo tum nostro exposuit, quædam suæ doctrinæ capita, iam ab aliquot mensibus non solum in dubium vocari, sed etiam (quod ipsi grauius erat: hæreseos accusari. Nam si tanti sceleris damnaretur, non tantum eius animi salus in discrimen veniret, quod horribiliter expauendum est, sed etiam de omni eius existimatione actum esset, idque cum suo & vxoris liberorumque maximo detrimento. Quare per eam pietatem atque misericordiam, qua tum veritati, tum etiam innocenti fratri periclitanti subueniendum est, nos rogauit, vt dogmata sua, quę ab aduersariis ipsius tam atrociter impetuntur, diligenter & accuratè perpenderemus. idque ad libram & normam diuinarum literarum, nostroque tandem iudicio, & censura decerneremus, an ea quæ docuit, vel probanda vel improbanda viderentur. Hæc ille à nostro Conuentu non minus modestè quam grauiter petiit, & vnà suæ doctrinæ capita quæ ante omnia suggillantur, legenda & cognoscenda tradidit. Nos verò, qui nihil quod ad Christianam charitatem pertineat, à nostra Ecclesia putamus alienum, iustæ illius postulationi annuendum censuimus. Capitibus autem eius doctrinæ attentè ac dextrè perpensis & excussis, nihil ibi deprehendimus aut impium aut pugnans cum diuinis literis. Quocirca illa dogmata, de quibus inter ipsum & aduersarios eius orta est controuersia, modo pia commodaque interpretatione accipiantur, approbamus, commendamus, & amplectimur, atque illum non pœna vlla, sed laude non vulgari dignum existimamus. Et ne temerè id statuisse videamur, singulis eius Thesibus, argumenta, seu testimonia diuinarum literarum subiiciemus.

1. Primum, *ignotum esse tempus aduentus Domini ad iudicium*, sacræ literæ perspicuè docent. Illum enim fini conferunt, qui nocte & de improuiso consueuit adesse: quin tam Angeli, quàm etiam filius hominis, illum dicuntur ignorare. Christus item affirmauit, *Apostolorum non fuisse tempora & momenta nosse, quæ Pater in sua potestate posuit.* Hæc ex diuinis literis habemus, contra quæ, nec Helianæ Scholæ responsa, neque apocrypha vlla oracula recipienda censemus.

2. Secunda Thesis non potest vt hæretica explodi, cùm admodum sit probabilis. Omnes enim fermè Patres in ea sententia fuerunt. Vt autem paret quam manifestissimè, probabile id est, quod pluribus & præsertim sapientioribus visum fuerit. Neque autor negat, imo fatetur *permultos esse*, (sicut Iohannes ait:) *Antichristos*: Mahumetem, Iudæos, & Papas, qui se doctrinæ Christi opponunt: denique omnes qui idem, tam extra Papatum quam in Papatu, faciunt. Sed cum in dies malitia crescat, & sine modo augeatur: nihil obstat, quo minus κατ' ἐξοχὴν aliquis ad extremum sit venturus, qui cæteros Euangelij hostes impietate sua longissimè superet, quemque Dominus Spiritu oris sui omnino sit profligaturus. Nam & Apostolus qui ait, *Antichristi multi sunt*: idem prius dixit, *Antichristus ἔρχεται*, vnum simul & multos fore indicans.

3. Tertia, duo loca Scripturæ componit: quæ prima fronte videntur inter se pugnare. Id verò nihil quod literis diuinis aduersetur, continet. Quamobrem authoris industria & studium, potius laudanda sunt, quàm traducenda. Multa quippe in sacris literis passim occurrunt, quæ primo aspectu videntur sibi mutuò esse contraria. Doctoris autem pij est, illa pro suo ingenio & prudentia conciliare, ne lectores vel impingant, vel de veritate sanctæ Scripturæ ambigant. Vnde iis qui hoc præstant, gratiæ sunt agendæ, tantum abest vt ista de caussa sint vel damnandi vel accusandi.

4. Quarta, *certum esse quendam numerum apud Deum, tam prædestinatorum ad æternam vitam, quam reproborum*: citra controuersiam est. Nam qui seruandi sunt gratia, fide atque Spiritu, oportet vt diuinitus instituantur. Proinde cum Deus istorum bonorum sit autor: illum necesse est apud se constituisse ab æterno, quibus ista velit elargiri, quibusve dare nolit, nisi eum velimus existimare vel casu vel temerè agere. Id autem vt absurdissimum, reiiciendum est. Nam si duo passeres absque voluntate Patris non cadunt, nec citra eiusdem voluntatem, vlli vel seruabuntur, vel delebuntur, cumque voluntas Dei non sit noua, sed æterna, nec ipse mutetur, vt qui sit prorsus immutabilis. consectarium est, numerum vtriusque ordinis iam apud eum esse constitutum. Hinc deinde accedit, etiam capillos nostri capitis esse numeratos. Quare multo magis Deo constare necesse est numerum seruandorum. Paulus præterea inquit. *solidum firmumque stare fundamentum quod Deus nouerit qui sint sui.* Mentionem quoque faciunt diuinæ literæ libri vitæ: dixitque Christus Apostolis: *Gaudete & exsultate, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.*

5. Quinta, *Electos perire non posse*, asseritur, ac eos necessariò seruari Hoc idem Christus dixit, quando ait: *Se oues habere, quas nemo possit rapere de manu sua.* nec non, *Omne quod dat mihi Pater, ad me venit, & eum qui ad me venerit, non eiicio foras.* Et Paulus, vt prius, testatur *firmum stare fundamentum.* Qui etiam ad Romanos catenam connectit indissolubilem, scribens: *Quos præsciuit, hos & prædestinauit: quos prædestinauit, hos & vocauit: quos vocauit, hos & glorificauit.* Idcirco fieri non potest, quin electi denique seruentur; cum Dei voluntas inuicta sit & omnino insuperabilis. E diuerso autem cum reprobi sint *vasa iræ, aptata in interitum*, seruari non possunt. Nam ad salutem & spiritus & fides requiruntur, quæ nequaquam omnibus promiscuè dantur: cum ad Rom. habeatur: *Cuius vult miseretur, & quem vult, indurat.* Quia itaque Deus constituit iudicio suo, semper vtique iusto, non autem semper manifesto, hæc dona eis non attribuere, proculdubio perdentur ac damnabuntur. Liquidum præterea id est, *neminem venire ad Christum, nisi Pater eum traxerit.* Is autem non trahit, nisi quos voluerit: abscondit enim à prudentibus & sapientibus huius mundi, quæ paruulis patefecit, quod ei sic libuerit, vt Christus fassus est, cum illi hac de re gratias egit. Neque hoc nomine autorem θεῖον accusandum putamus, quod *Necessitatis* vocabulum vsurparit, quia (vt ipsemet fatetur) *necessitatem coactionis* explodit, & illam quam infert ὑποθετικὴν esse affirmat: eam verò Scholastici *Consequentiæ* appellare consueuerunt. Deinde necessarii definitionem huc accersit: Necessarium videlicet id esse, quod se aliter habere non potest. Scripturæ autem diuinæ quàm manifestissimè docent, fieri non posse vt electi pereant. Nam de suis ouibus Christus ait: *Nemo potest eas rapere de manu mea.* Et de tentationibus extremi seculi scribitur: *vel ipsos electos tunc seductum iri, si fieri possit.* Vnde colligitur, *eos qui electi fuerunt, minimè seduci posse.* Prætereà si quis hoc inficietur, salutis certitudinem prorsus auferet.

6. Sexta traditur, *ordinem diuini propositi non posse mutari ita vt electus fiat reprobus, & vicissim reprobus euadat electus.* Id autem non opus habet discussione, cum voluntas Dei (vt dictum est) sit immutabilis, & firmissimum stet, quod in mente diuina constitutum fuerit. *Ego sum Deus*, apud Propheram inquit, *& non mutor.* Ideò hæc de diuina electione secundum propositum firmissima sunt. At si loqueremur de illa electione, quæ secundum præsentem iustitiam in Ecclesia & videri & iudicari potest, non negat autor, quin electus fieri queat reprobus, & è diuerso, reprobus electus.

7.8. Septima & octaua comprehenduntur veræ caussæ atque principia. quibus & Christi & Ecclesiæ κοινωνίας verè participes reddimur. Eorum alterùm æternum est: nam dicitur ad Ephes. *nos electos fuisse ante iacta fundamenta mundi.* Et ad Timoth. habetur, *Sanctos gratia diuini fauoris ante secularia tempora fuisse participes.* Alterum verò, nimirum *Spiritus & fides*, electis in tempore contingunt: nam Deus ea, cum visum fuerit, elargitur. *Vinculorum* autem vocabulo non intelligit autor vllam coactionem, sed tantum iuncturas, & nexus, quibus & Christo capiti, & reliquis membris eius conglutinamur. Nec diuinæ literæ à nomine vinculorum abstinuerunt, nam ad Eph. 4. scribitur, *Seruandam esse vnionem Spiritus in vinculo pacis.* Et ad Coloss. *caritas vinculum perfectionis* appellatur. Interna vero dicuntur hęc *priora vincula*, quoniam Electio diuina in sua natura ignoratur, sed eius testimonium in animo nostro, non externus, habemus; Fides autem & Spiritus hærent in corde nostro. Dicuntur item *inuisibilia*: quoniam aspectu externo cerni minimè possunt. Indissolubilia etiam sunt, quoniam electus non fieri potest reprobus, neque reprobus vnquam euadet electus: & insitus in Christo, nunquam ab eo potest penitus excidere. & Spiritum ac fidem iam acceptam funditus amittere, vti postea suo loco dicetur. Alia verò duo vincula, cum externa sint & visibilia, vtique dissolui possunt, multi quippe a professione doctrinæ atque Sacramentorum participatione sæpè deficiunt.

9. Nona, *semel tantùm dari fidem Electis*, affirmatur, verùm non asseritur, eam non habere suas accessiones & immutationes. Deinde, sermo instituitur de fide vera, qua iustificamur, alioqui fides temporaria & abire & redire potest. Quodque attinet ad electos & renatos, de quibus modò agitur, scripsit beatus Iohannes 1. Epist.; *eos non peccare*: atque mox rationem subiicit dicens: *Quod in ipsi maneat semen Dei.* Vocabulo autem *seminis*, verbi diuinę promissionis intelligimus: quæ in filiis ei manere non possunt, nisi fides quæ apprehendat ea, illis affuerit. Et quia fides citra Spiritum non consistit, conficitur, fidem & Spiritum in sanctis, quando aluntur, consopiri & hebetescere, non autem prorsus auferri, alioqui semen in eis non maneret.

10. Decima, caussa redditur, *cur semel data fides, ob lapsus consequentes prorsus non excidat.* Ea verò duplex est: promissio, inquam, Dei: nam pollicitus est, se affuturum perpetuò suis. Pro altera verò caussa, Christi preces assignantur: qui non tantum pro suis Apostolis, verum etiam pro omnibus qui credituri erant, Patrem orauit. Nec preces eius irritæ fieri potuerunt. Deinde, cum in sanctis, lucta Spiritus aduersus carnem sit perpetua, consequitur, Spiritum in eis perpetuò manere, quamuis pondere carnis aliquando vincuntur: nisi eam maneret, quomodo posset carni reluctari? Manet itaque fides in electis, etiam quando labuntur, sed propter peccata languescit, & consopitur: & ideò, quemadmodum Apostolus meminit, excitanda est.

11. Vndecima non opus habet declaratione, cum seipsam interpretetur. Quia renatos adserit ideo non peccare toto animo & toto corde, quoniam iis peccatis, quæ interdum committunt, reluctantur, faciúntque malum quod nollent, & bonum quod vellent, non faciunt. Quare vnà cum Apostolo exclamant: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore*, &c. Et quamuis peccato seruiunt, lege tamen Dei mente delectantur. Deinde, peccata electorum vel ex ignoratione proficiscuntur, vel ex infirmitate. Paulus certè (vt ipse testatur) ignorans fecit, cum Christianos vastaret. Petrus vero ex infirmitate negauit. Ergo neuter eorum toto corde totóque animo peccauit, quia neuter eorum plenam voluntatem suo peccato impendit. nam ea partim ex ignorantia, partim ex infirmitate imminuit.

12. Duodecima traditur, *Petrum ore negasse Dominum, sed animo & corde fidem erga illum retinuisse.* Id autem potest ex eo confirmari, quod Christus ait: *Rogaui pro te, Petre, ne deficiat fides tua.* Exauditus est filius Dei, quapropter fides eius non prorsus defecit, quamuis labefactatam esse, atque nonnihil imminutam confitemur. Et hanc sententiam complures amplexati sunt, nimirum Tertullianus in libro de Fuga, Augustinus de Correctione & gratia, Chrysostomus item & Theophylactus in ea verbi Christi Luc. 22. Bernhardus quoque de natura & dignitate diuini amoris, cap. 6.

13. Decimatertia, *Promissiones, quoad gratuitam Dei misericordiam, certam & æternam salutem, docetur solùm ad electos pertinere.* Nam hæc reuera sunt occulta fidei, nec possunt aliter quam fide percipi. Quare tantum eorum sunt, qui

qui fide diuinitus ornantur. Fidem autem non esse omnium, neque omnibus dari, ex sacris literis & experientia notissimum est. *Nemo venit ad me* (inquit Dominus:) *nisi Pater traxerit eum.* Cui verò, adiecit Augustinus, *hunc trahat, & illum non trahat, noli iudicare, si non vis errare.* Sunt quidem promissiones huius generis omnibus piæ licandę, quoniam verbi ministri electos secundum propositum non agnoscunt, quumque plebem habeant ex reprobis, & electis conflatam, Dei promissiones promiscuè omnibus inuulgant, quæ tantum in illis facultate Spiritus Dei redduutur efficaces, qui cœtui electorum accensentur. Quare non absque ratione Christus pronunciauit, *Multos esse vocatos, electos verò paucos.* Nec dubium est Paulum ad Romanos docuisse, promissiones minimè pertinuisse ad omnes, qui erant ex Abrahamo secundum carnem, sed tantum ad illos, qui filij promissionis essent.

14. Decimaquarta docet, *Quo pacto Deus velit omnes homines saluos fieri*: Et, *Christum esse propitiationem pro peccatis totius mundi.* Atque ostenditur, si hæc dicta contrahantur ad electos, cuius ordinis fuerint, hac interpretatione Scripturas minimè deprauari. Nos profectò sumus in eadem sententia, nec eam expositionem, salua conscientia, reiicere possumus, quam & congruam esse agnoscimus, & ab Augustino Patre omnium laudatissimo, non semel allatam: cuius interpretationis ergo à nemine vnquam est hæreseos damnatus.

De sententiis itaque seu Thesibus *Doctoris Zanchij* (viri cum eruditione, tum pietate ornatissimi:) nos, re maturè ac bene considerata, pronunciamus, nihil in eis contineri vel hæreticum, vel absurdum. Imò eas amplectimur, partim vt necessarias partim, vt probabiles, quæque diuinis literis minimè repugnent. Nec ignoramus, illas habuisse assertores non modo antiquos Patres, verum & Reformatores Ecclesiarum nostri temporis, *Lutherum, Capitonem, Bucerum, Brentium,* & plerosque alios Euangelicæ doctrinæ illustres propugnatores.

Idcircò ne resistamus Dei præcepto, quòd Prouerb. 24. habetur, quo mandatur, ne illi desimus, qui versatur in summo discrimine, ac ne veritatem deseramus, patiamúrve vnà cum hoc Doctore, tot præstantissimos viros, & de Ecclesiis Filij Dei bene meritos damnari. Visum est nobis omnibus illi, hoc suo tempore nostro testimonio adesse.

In cuius firmam solidamque fidem, vnanimi consensu & voluntate, omnes huic iudicio atque censuræ manu propria subscripsimus. Datum Tiguri 29. Decembris, 1561. anno.

PASTORES ET PROFESSOres ministri Ecclesiæ Tigurinæ,

Heinrichus Bullingerus.
Rodolphus Gualtherus,
Iohannes VVolphius.
Petrus Martyr Scholæ Tigurinæ Professor.
Iosias Simlerus.
Ludouicus Lauaterus,
VVolphgangus Hallerus,
Iohannes Iacobus VVikius,
Hulderycus Zvvinglius Fil.

De superioribus THESIBVS *omnibus, Ministrorum Ecclesiæ* SCAPHVSIANÆ, *Iudicium.*

Perlectis & perspectis Thesibus à Clarissimo & Doctissimo viro, Domino *D. Zanchio* oblatis, nihil omnino in illis inuenire potuimus (si modò ad regulam verbi Dei, à viris veritatem amantibus examinentur) quod pugnet cum sacris literis, scriptis videlicet Prophetarum & Apostolorum, & quod non sit Orthodoxum.

Profitemur itaque & testamur, doctrinam Domini *D. Zanchij,* in his, non solum ei quæ in nostris Ecclesiis traditur atque proponitur doctrinæ, quam indubitatam esse asserimus, (donec ex Verbo Dei erroris conuicti, & meliora edocti fuerimus.) Verùm etiam ei, quam viri eximij, insigni pietate atque eruditione præditi, beatæque memoriæ professi sunt, aliique adhuc profitentur, non solummodo in Schola & *Ecclesia Argentinensi*, sed etiam aliis multis in locis consonam esse. Ideoque damnandam illam ita temerè & exibilandam minimè iudicamus, & eum, qui ita sentit, nemo pius eiiciet, neque oppugnabit, nisi expugnatum, Scripturisque diuinis conuictum. Hanc nostram sententiam, quo & aliis commodiùs pateret, breui hoc scripto sumus complexi. Noluimus enim singulas *Theses* excutere ordine, cùm id ante nos fecerint & facturi adhuc viri piissimi doctissimique. Deus optim. max. adsit Ecclesiæ suæ afflictæ, & misereatur nostri.

MINISTRI ECCLESIÆ SCAPHVSIANÆ.

Sebastianus Grubel.
Iacobus Ruger.
Blasius Bouilius.

MINISTRI ECCLESIÆ BASILIENSIS.

Doctrina & pietate ornatiss. viris D. D. Io. Marbachio *& reliquis Ecclesiæ Argentinensis ministris, Dominis & fratribus nostris colendissimis.*

Retulit die hodierna ad nos, fratres in Domino Reuerendi, *D. Hieronymus Zanchius*, controuersiam inter vos & ipsum exortam, propter doctrinam quam vsurparit in Schola vestra inclyta, capitaque eius in Theses contracta examinanda, iudicandaque proposuit: &, si quidem approbarentur nobis subscribere iisdem nō grauaremur, sicut ab aliis aliquot Ecclesiis & eruditis, factum esset: sin quæ à nobis desideraretur, explicationem aut probationem se adiecturum esse. Percellunt certè hæc significatio nos, qui nouimus & exemplo veterum, & quotidiano experimento, quam sint perniciosa & grauia Ecclesiæ & Scholarum vulnera, quæ doctrinæ nomine inter eius professores infliguntur, postea quam ad contentionem ventum est semel. Nec inusitatum est hoc Satanæ stratagema, quo discerpta inter se Sanctorum coniunctione, nostrum ipsius regno infestissimorum vires debilitet frangatque. Tanto autem magis eiusmodi paroxysmum vobis, Reuer. & ex animo dilecti fratres, inuidemus: quia præter communem Christi doctrinæ professionem, ministeriique societatem, peculiaris iam inde ab ortu renati Euangelij, nostræ Ecclesiæ Scholæque, cum vestra, societas communicatioque intercessit, quam etiamnum in Domino cupimus sartam tectam conseruare vsque in finem. Portò autem quod hasce à *D. Zanchio* propositas Theses attinet, damnare vt hæreticas aut pugnantes cum Scriptura, si commoda interpretatione accipiantur, non possumus: quando pleræque ex Scripturæ oraculis sunt depromptæ, atque consentiunt cum scriptis etiam nostri sæculi defunctorum in Christo Patrum & præsertim *Lutheri, Buceri,* & aliorum: aliæ verò probabiliter saltem à quibusdam, vt nostis, ex veteribus, disputatæ sunt, etsi affirmari vt necessariæ nec possint nec debeant. Et si quid forte desideretis in formis speciε duriorib., videntur explicatione candida sic mitigari posse, vt satisfiat candidis piisque vestris iudiciis. Neque raro in Scholasticis professionibus vsurpari doctrinæ formæ methodique solent, quæ suggestui non pariter conueniant, cui auditor præsto esse solet vel captu & iudicio crassiore præditus, vel ad occasionem intentus, qua capiet patrocinium carnalis licentiæ, aut denique cui sit procliue in desperationem prolabi: moderatrix in his, pia prudentia & sanctū ædificandæ Ecclesię studiū fuerit. Coniicimus autē, præter explicata nobis cōtrouersię capita, intercessisse, vt fit, alias inter vos & Zanchium disiunctionis & certaminis caussas, quæ cum nobis incognitæ sint, nequiuimus citra totius caussæ cognitionem, absolutè pronunciare, aut perenti ad præiudicium subscribere. Cupimus verò fratres opt. & in Domino Reuerendi, quidquid id sit, de quo est hactenus disceptatum, ad amicam vos ac fraternam conciliationem componere, & veterem quæ inter vos & illum fuit, amicitiam, sublatis offensionibus, quantum in vobis est, instaurare, quo pax atque vnanimitas inter Scholam & Ecclesiam constare possit: seruitura ędificationi publicè & gloriæ nominis Christi. Et in spe bona sumus, ipsum Zanchium, sicuti hortati sumus, & se facturum recepit, vicissim pacis atque coniunctionis studiosum fore, & vos vestrumque ministerium candidè obseruaturum esse. Hæc scribimus animo sincero: quia vos ipsos atque Ecclesiā vobis cōcreditā, diligimus: & cupimus nostraq; studia & ministeriū, pietiss. supplicationib. vestris ad Dominum, assiduè iuuari. Dominus Iesus vos seruet diutissimè incolumes protegat,

regatque spiritus sui virtute, in omne æuum. Amen. Scripsimus Basileæ, Anno 1562.

Vestri ex animo & in Domino, ministri Ecclesiæ Basiliensis.

Ecclesiæ & Academiæ Basiliensis de iisdem Thesibus iudicium.

CVm his diebus ad nos, Iohannes Sturmi, vir clarissime, Hieronymus Zanchius, S. literarum apud vos Professor, venisset, quasdam nobis de doctrina, quam in schola vestra sparserat, propositiones, de quibus post alios doctos & eruditos viros nostram sententiam exponeremus, proposuit. Nos verò, cum non exiguam discordiam ob eam doctrinam inter ipsum Zanchium, & quosdam Euangelij Ministros excitatam, intelligeremus, ita de thesibus istis iudicare statuimus, vt tu, & collegæ tui cognosceretis, primò nos propensos, paratosque esse, ad reddendum cuiuis de vera doctrina testimonium, à qua Zanchij (clari erudirione & pietate viri) propositiones minimè dissentire iudicamus. Deinde, vestram Ecclesiam, quæ cum nostra semper arctissima amicitia coniuncta fuit, dissidiis scindi, lacerari, ac dissipari cœpisse, magnum nobis dolorem adferre, vt solent omnia amicorum, præsertim istorum, quos cœlestis amoris Domini nostri Jesu Christi spiritus conciliarit, communia esse, prospera & aduersa, gaudia & luctus. Demum, vt sciretis, nos vehementer cupere, (quod vos facere non dubitamus) à vobis operam dari, vt quoad fieri posset, discussa perniciosæ discordiæ nebula, salubris concordiæ lux resplendeat. Quod futurum arbitramur, si quæ aliæ excitati dissidij caussæ, quæ nobis notæ non sint, fuerint, è medio tollantur: & Zanchij doctrina ita explicetur, vt offensi fratres intelligant, eam non dissidij tanquam in re noua, sed veritatis quærendę studio, studiosis auditoribus ad iudicandum propositam. Nam has propositiones tales esse censemus, quarum quædam aperto S. literarum testimonio comprobentur, quædam cum illis non pugnent, nullæ conscientiam, si rectè exponantur, lædant, quas etiam à veteribus Theologis tractatas constat. Et quoniam semper alia docendi ratio in Scholis, alia popularium Concionum ad vulgus fuit (quarum altera auditorum animi ad grauius sacrarum rerum iudicium formantur, altera indoctus & rudis populus, ad simplicem Christi, quam capiat, cognitionem erudirur) speramus, vtraque ratione considerata, fore, vt vos pro prudentia vestra, qua polletis, facilè, magna Ecclesiæ vestræ salute, & nostro gaudio, concordiam inter Zanchium & fratres sarciatis. Quod vt fiat, faxit veræ pacis arbiter, & omnium, quæ cœlo & terra continentur, per sacrosanctum sanguinem suum pacificator Iesus Christus. Vale vir ornatissime, cum toto collegio. Anno M.D.LXXII. 6. Ianuar.

Martinus Borrhaus suo, & sacri Euangelij Doctorum & Ministrorum nomine.

THOMÆ AMBROSII BLAVreri iudicium.

THeses hasce tuas, quas non absque magna voluptate legi, mi venerande clarissimeque Zanchi, sic totis animis probo, complector, & exosculor, vt magis non possim, vtque valde mecum demirer, inueniri vsquam posse, inter purioris religionis, vel nullo, vel ieiuno adeo iudicio Theologos, qui iis suum calculum addere, ac summa consensione subscribere nolint, quibus & Dei gloria illustrari, & parta nobis per Christum salutis gratia rectè commendari, simul & fluctuantium afflictarumque conscientiarum tranquillitas & consolatio, vnicè, nec vlla alia ratione solide firmitérque constare vnquam poterit.

T. Ambrosius Blaurerus.

Excellentissimum virum D. Iohannem Sturmium Scholæ, adeoque totius Reipub. vestræ incomparabile decus & columen, meis verbis, quàm potes honorificè, in solida nostra salute Christo, saluere iube. Viturduri 24, Decembr. 1562.

Ioannes Pistorius, Iohanni Sturmio.

GRatiam & pacem, à Deo patre nostro, per Jesum Christum, in Spiritu sancto Reuerendissime vir, charissime Præceptor, Clarissime Sturmi. Fuit apud nos *D. Zanchius*, vir eruditione & pietate clarus, nostris admodum gratus hospes: verum caussam eius aduentus dolemus. Non enim libenter audiuimus, doctrinam Christi, à S. viro D. Martino Bucero piæ memoriæ, firmissimis testimoniis Scripturæ & argumentis confirmatam, & à vestris magno applausu tum susceptam, in vestra eadem vrbe nunc condemnari. Qua de re, etsi non libenter nos immiscemus dissidiis, multò minus fouere studemus, tamen nostram sententiam ei communicare, an dissidium hoc apud vos sopiri possit, non grauati sumus, nec dubitamus, Senatum vestræ vrbis & Scholæ, à Deo pietate & eruditione, & prudentia, prę multis ornatum, suo loco & tempore curaturum, vt illi morsus Satanæ curati queant & sanari. Sat hostium externorum habemus: satis digladiatum & pugnatum est à nostris, nonne grauissimo vulnere Ecclesiarum nostratum, & cæterarum Christi. Tempus esset, vt illud Pauli rectè perpenderemus: *Quod si inuicem mordetis, videte, ne inuicem consumamini.* Spero Doctorem Marbachium ea prudentia præditum, vt intelligat, quem fructum reportarint nostris Ecclesiis nostrorum Theologorum disceptationes, eaque de caussa facile se præbiturum, vt ista Tragœdia sepeliatur. In scholis licet de multis veris rebus disputare cum fructu, quæ suggesto non conueniunt, neque cum fructu sparguntur in aures vulgi. Candor deest nobis, quo, amica collatione prius omnia tentare deberemus, quæ pacem & concordiam spectant, quàm turbas excitare. Sed hisce de rebus satis. Non dubitamus enim vestra interpositione, in optatum finem perduci posse, quæ Satan in dissipationem & Scholæ & Ecclesiæ vestræ excitauit. Gaudeo & congratulor tuæ humanitati, quòd aliis tuis præclarissimis prælectionibus adiunxeris libros Chrysostomi, de officio & dignitate Ministerii verbi in Ecclesia Christi differentes. Vtinam Ecclesia videat aliquando hosce libros tuis scholiis illustratos: & orabo Deum, vt cor tuum Spiritu suo extimulet, quò in cœpta professione pergas. Mira enim & iucunda de te audiuimus à Domino Zanchio. Hisce iam valeat tua humanitas in D. Jesu quàm felicissimè, vnà cum tota domo, Ecclesia, & Schola. Oro autem, vt meam audaciam boni consulas, quòd meis illiteratis literis tuam humanitatem, alioquin occupatissimam onera-rim. Si quid in hac terra est, quod mihi dolorem augeat, est certè dissidium piorum & doctorum virorum in nostris Ecclesiis eundem Christum confitentium. Raptim ex Echselio, 18. August. Anno Domini 1561.

Ioannes Pistorius Niddensis tuus totus.

PETRVS MARTYR IOHANni Sturmio. S. D.

FVit hisce diebus, vir clarissime, apud nos communis vtriusque nostrum summus amicus, *D. Zanchius*, à quo cùm audierim eius caussæ tam longam dilationem, non potui non vehementer dolere, ac sum illius ex animo, ac impensè misertus, qui hoc tempore tam incommodo, nec sine magnis sumtibus, præsertim innocens cogitur oberrare. Nobis quidem fideliter exposuit, cum tuam, tum etiã Capituli, suæ causæ iustam & fortem defensionem. Qua de re tibi atque tuis venerandis collegis maximas ago gratias. Retulit item, quinque optimis viris Consularibus, negotium suum & cognoscendum & definiendum esse commissum, vt auditis nonnullis doctorum virorum sententiis, quid videretur, de tota re, denique pronũtient. Sed interea nihil esse actum, & se vereri, ne cunctatio propterea interponatur, quòd iudices delecti, cum interioris Theologiæ non sint admodum periti, metuant ne religionis capitibus definiendis, nonnullorum hominum reprehensionem incurrant. Proinde quamuis non dubitat, præclaros illos viros scriptis vtriusque partis diligenter perlectis, cognitaque vestri Capituli grauissima sententia, & duarum Academiarum præclaro iudicio, iam tandem intelligere, neque ipsum pro hæretico habendum, attamen pro Christiana charitate requisiuit à nobis, vt sua dogmata seu theses graui seueraq; censura examinaremus, & si quid minus orthodoxũ in eis deprehẽdissemus, omni humano affectu seposito, illũ vt fratrem admoneremus, sin verò ea,

quæ

quæ docuit, vera & ſana cenſeremus, teſtimonium & quidem conſcriptum veritati dare non grauaremur, idque in eum finem, vt Magiſtratus Argentinenſis intelligat, ſe in ſua Schola nil impium docuiſſe, ac delecti iudices queant libera tutaque conſcientia, & ſine vllo iuſtæ reprehenſionis metu de tota doctrina iam controuerſa, ex multis certiſque diuerſarum Eccleſiarum & Euangelicæ doctrinæ Theologorum iudiciis, liberè ſtatuere, & apertè pronuntiare. Huic autem non minus docti, quam pij viri iuſtiſſimæ petitioni, per conſcientiam & eam fidem, qua veritati ſumus obſtricti, non potuimus aſsentiri. Et quamuis nos haud quaquam lateat, quòd aduerſarij noſtra teſtimonia ſint pro nihilo habituri, quòd ab illis in cauſsa Sacramentaria diſsentiamus; non tamen abſterreri potuimus, quin veritati laboranti opitularemur. Neque nos ita in odio eſſe arbitramur, vt putemur in gratiam vnius hominis, quantumuis chari atque amici, doctrinam impiam & hæreticam voluiſſe probare. Imo ſumus vehementer admirati, quare Miniſtri Eccleſiæ veſtræ hanc doctrinam auſi fuerint damnare, cùm illam, præſertim quoad prædeſtinationem, Eccleſiæ nexus, perſeuerantiam ſanctorum, & promiſſiones æternæ vitæ profeſſi fuerint cùm Lutherus, tum etiam Bucerus, Euangelij filij Dei concionatores celeberrimi. Et quia veriſimile non eſt, veſtros Miniſtros in libris tantorum virorum non eſse verſatos, reddunt ſe ſuſpectos, ne potiùs odio perſonæ, quàm ſtudio veritatis adducantur, cùm doctrinam bonam, ceu impiam: & veterem, ceu nouam damnant. Quamobrem Deum Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ardentiſſimis votis oro, vt nos duos aliquando tandem charitatis mutuæ vinculo coniungat. Te deinde, præſtantiſſime vir, etiam atque etiam rogo, vt quemadmodum occœpiſti, bonam cauſſam tueri pergas, & pro viribus cures, autórque ſis pio & æquiſſimo Magiſtratui, vt pura, ſanaque doctrina vigeat, in Schola retineatur, nec innocenti homini patiatur iniuriam fieri. Hæc de amici noſtri cauſsa, quæ te precor, vt in bonam partem accipias, boníque conſulas.

Nunc id reſtat, vt cùm iam acceperim, te animum prorſus appuliſſe ad ſacra ſtudia, vt iſtam voluntatem plurimum tibi gratuler, atque horter, vt hunc diuinum inſtinctum omnibus modis amplectaris. Nihil enim Deo gratius, nihil te dignius, nihilque accommodatius Eccleſiæ neceſſitatibus moliri potes. Quãta enim ſit penuria ὀρθοτομούντων, ipſe intelligis. Vtinam cœtus fidelium tandem aliquando ſentiat, quantum poſſis. Sunt Dei beneficio, religionis complura capita ſatis repurgata: ſed adhuc Sacramentaria cauſſa iacet: eam, quæſo te, illuſtres, vtriſque rotundis & apertis verbis, vt Chriſti hæreditas miſera ſeruitute, non tanquam rebus eatum ſignis adhæreat. Vale Clariſſime vir. Dominus te omnium bonorum genere augeat. Prid. Kal. Ian. 1562. Tiguri.

T. ex animo
PETRVS MARTYR.

Iohannis Brentij ad D. Sturmium.

QVod tuis literis ad me, petiiſti, audiui Clariſsimum virum D. *Zanchium*. Etſi autem cupiebat mihi non tantùm hiſtoriam rei, verum etiam vniuerſam diſputationem commemorare: tamen quia abſente & nondum audita altera parte (ſcis enim illud [illegible]) non ſumo mihi de hac controuerſia iudicium & cognitionem, non potui ei, præſertim aliò me vocantibus negotiis, hac in re omnino gratificari. Præſtiti quod in præſentia, & in huius cauſſæ ambiguitate potui. Quædam vtiliter dicit, ſi æquum habuerint interpretem. Quędam probare non poſſum. Et tamen exiſtimo, rem non ſic deploratam, vt conſilio bonorum virorum, quos veſtra Reſpublica inſignes habet, non poſsit componi. Quod igitur vnum licet, oro Deum, vt oſtendat vobis rationem, qua iſtud diſsidium, nec Scholæ nec vobis vtile, tollatur. Bene ac feliciter vale. Studgardiæ, die 13. Decemb.

Iohannes Brentius.

HIERONYMI ZANCHII

EPISTOLARVM THEOLOGICARVM LIBER II.

Continens epistolas, itémque orationes quasdam, in diuersis Academiis, de materiis Theologicis habitas.

Iacobus Sturmius nomine Scholarcharum Scholæ Argentinensis H. Zanchio S.

SCripsit ad nos Cælius Secundus, te animum à nostra Repub. Hieronyme Zanchi non alienum gerere, neque recusare nobiscum viuere, ea qua fuit *Petrus Martyr* conditione. Gratissimum id fuit nobis cognoscere, præsertim notatis istis virtutibus, quas in te Cælius esse scribit & affirmat. Primum igitur, quod officij nostri est, gratiam habemus de hac tua voluntate. Deinde idem tibi, quod Petro Martyri, & quod felix faustúmque sit Ecclesiæ & Scholæ nostræ munus, eandémque disciplinæ functionem damus atque committimus. Promittimus etiam eadem stipendia, & laborum consimiles fructus. Et quantum in nobis est, curabimus, vt non minus apud nos libenter futurus sis, quàm Petrus Martyr fuerit. Itaque rogamus, vt & libenter venias, & venias quamprimum. Viaticum quantum iter illud requirit, tibi à Procuratore Brechtherorum, Martino Voglero, Venetiis in ædibus Germanorum numerabitur, cum primum postulabis. Vale. Argentorat. 25. Feb. Anno LIII.

Iacobus Sturmius suo & Collegarum nomine.

H. Zanchius Scholarchis Academiæ Argentinensis, S.

ACcepi literas vestras, Clarissime Iacobe, cæterique nobilissimi Scholarchæ, eas quidem breues, sed pietatis tamen, beneuolentiæ atque officij plenas. Pietatis quidem, quando accersendis aliis etiam verbi Ministris, vtpote non contenti iis doctissimis, tamen, quos apud vos habetis permultos, miro vos desiderio promouendi etiam, atque etiam in vestra vrbe Euangelij, accensos esse declaratis. Beneuolentiæ autem in me, quando animum erga vos meum, literis verè docti ac pij Cælij nostri significatum, tam gratum vobis ac charum fuisse testamini, idque non verbis tantum, sed etiam reipsa, literis pro amplo viatico missis. Officij vero, quando tam officiosè ac perliberaliter mihi, quæ vestra est de nobis Italis honestissima opinio (hoc vt de cæteris taceam accepto ferimus honestissimæ Petri Martyris vobiscum consuetudini) eandem & functionem, & conditionem, quam habuit apud vos idem vir doctissimus, vestrique obseruantissimus Petrus Martyr, offertis: Pietatem igitur vobis gratulor, de beneuolentia & officio gratias ago, functionem v. & conditionem oblatam, imò commissam recipio. Quanquam. n. ea est meis sanè virib. impar, quippe qui non modo non perfectè, sed ne mediocriter quidem illis præditus sum virtutib. quæ tanto muneri dignè obeundo necessariæ sunt: tamen postea quam animaduerto, me & à Domino Deo, cui reluctari nec volo, nec debeo, nec possum, ad hoc munus, (quo nihil minus cogitabam aut sperabam) vocari: & à vobis, quorum beneuolentia & amicitia longe mihi est charissima, diligi, idcirco eam non solum non recuso, sed libenter accipio, idque fretus Dei gratia & vestræ pietatis prudentia. Primum n. spero, a quo ad hoc muneris fui per vos accersitus, ab eodem mihi subministratum iri indies ea quæ muneri tanto, si non omni, saltem aliqua ex parte absoluendo, fuerint necessaria. Deinde confido, quidquid per me Dominus præstare voluerit, id totum vos æqui bonique consulere, certos nimirum, quod quicquid per eundem Dominum Deum mihi licuerit præstare, totum illud ego libenter sim præstiturus.

Cæterum remitto ad vos literas illas, quas mihi ad Martinum Voglerum viatici nomine, pro vestra liberalitate, vel potius magnificentia, misistis. Etsi enim mihi fuerunt gratissimæ, pro quibus etiam gratias ago: sunt tamen nunc superuacaneæ, quandoquidem sum Basileæ, quo nuper Geneua appuli, iter alioquin susceptum in Angliam, quo literis Petri Martyris præceptoris mei obseruandissimi inuitabar, confecturus, nisi literis Cælij Secundi fuissem vestro nomine reuocatus. Me enim si vobis morem gererem, Petro etiam Martyri, vestri amantissimo, rem gratam facturum. Quòd verò rogatis, vt & libenter, & quamprimum ad vos veniam, & hæc Dei vocatio, & ista vestra in me beneuolentia, & mea erga vos animi propensio ac obseruantia faciunt, vt venturus sim libenter, iussum vero vestrum, vt quamprimum. Interim obsecro vos, viri ornatissimi, vt pergatis (sicut facitis) & pietati, quo magis ac magis in vestra vrbe promoueatur, studere: & quemadmodum ciues alios vestros & me beneuolentia vestra complecti ac prosequi. Valete per Christum.

H. ZANCHIVS.

Edmundo Grindallo. Episcopo Londinensi S.

MItto ad te, Reuerende Episcope & Domine, iudicium de dissidio Ecclesiarum in Cœna Domini, meum, quod Generoso D. n. Knollo compatri meo, certis de causis dicaui. Non composueram quidem illud eo animo, vt inuulgaretur, quemadmodum tu ipse potes tum ex breuitate, tum ex stylo, conijcere: sed quoniam amici, inter quos Sturmius, ita probarunt, vt me coegerint inuulgare: malui morem gerendo amicis videri imperitus, quam reluctando, in Ecclesias ipsas esse ingratus. Tu igitur exemplum hoc accipies, vt testimonium obseruantiæ ergà te meæ. Mittam breui, vt spero, meliora & copiosiora. Dominus sicut antea vos, ita hoc anno nos, hoc est, Ecclesiam meam Clauennensem, visitauit pestilentia. *Meam* dixi, vt intelligas, me non amplius profiteri Argentinæ, sed ministerium agere Clauennæ, quæ est in foribus Italiæ: ac propterea *Clauenna* appellatur: quod ostij ex Italia in Germaniam, & vicissim è Germania in Italiam, sit clauis.

Cur

Cur verò discessetim tandem Argentina, intelliges ex libro, quem breui ad vos etiam mittam. Tu nosti, cur bonus Martyr piæ memoriæ, non potuerit amplius esse Argentinæ: ac proinde ad Tigurinos concesserit. Ego præter illam [illegible], habui alias etiam graues caussas. Qua de caussa ego discessi, de eadem etiam Gallicana Ecclesia, quæ Argentinæ erat, fuit dissipata: non amplius sunt contenti illi boni Domini, vt si quis velit apud se vel profiteri vel ministrum agere, Augustan. Confessioni subscribat: sed volunt etiam, vt in omnibus & per omnia, & quo ad Augustan. Confessionis intelligentiam, & quo ad Scripturarum interpretationem, cum suis concionatoribus sine vlla disceptatione consentiat. Autorem nosti, Dominus misereatur illius vrbis. Nihil non feci, vt meam retinerem stationem: hac tantum de caussa, vt veterem illius Ecclesiæ doctrinam, quam noui esse Christianam, in Schola saltem retinerem. Sed quid agas: cùm Dominus vult aliquem populum propter suas iniquitates punire? Negotium illud mei affinis Laurentij Limacij tibi commendo. Vale opt. pater & amice singularis. Mense Augusto 1564. Ex montibus Clauen.

H. ZANCHIVS.

H. ZANCHIVS,

Generoso viro Henrico Knollo Compatri S.

MEum de dissidio Ecclesiarum in Cœna Domini iudicium, quod tibi, obseruandissime compater, in eum finem dicaui, vt publicum sit idemque perpetuum grati mei erga te animi testimonium: dederam optimo & diligentissimo, adde & doctissimo omnium Typographo *Iohann. Oporino*, pulcris typis excudendum. Sed quia, vt video, non potuit à Censoribus facultatem hunc libellum imprimendi (causam tu ipse cogita) impetrare, eum dedit Typographo Mylhusiano. At is, siue oscitantia, siue imperitia, plenum erratis in lucem misit, id quod vehementer mihi displicuit. Quare coactus fui, quotquot habui exemplaria, manu emendare. Emendatum igitur exemplum vnum ad te mitto, & rogo, vt boni consulas has paucas chartulas. Misissem plura exemplaria ad reliquos amicos, si, qui voluissent ferre, nactus fuissem. Cætera: valemus omnes Dei beneficio: & tua profilia iam ablactata, garrit, discurrit, simiam agit. De discessu meo Argentina, credo te ab aliis iam pridem intellexisse: sed caussam fortassis minimè. Ea fuit, vt vno verbo dicam, propter quam bonus quoque piæ memoriæ Petrus Martyr, longè ante me Tigurum discesserat: indigna scilicet Christiano ac multò magis Theologo [illegible]. cùm igitur vidissem, mihi non amplius licere liberè docere: neque eam tueri doctrinam, quam ante me, viri doctiss. Bucerus, Capito, Martyr, Caluinus, è fonte S. literarum haustam, in ea Schola auditoribus multos annos propinauerant? immò verò ego etiam annos 9. ibidem in lectionibus tradideram, & publicis disputationibus defenderam: renunciaui priori conditioni: & nouam, nimirum Clauennensis Ecclesiæ ministerium amplexus sum. Dominus verò mirabiliter meam adflixit Ecclesiam, immò totum oppidum pestilentia: qua duas ferè partes abstulit, vna tantum relicta: vt etiam est apud Zachariam. Sed hæc pestis, non tantum hic, sed alibi quoque multis in locis, tam in Germania, vt Basileæ; quàm in Gallia, vt Lugduni, grassatur. Dominus nostri omnium misereatur. Italia vacua est ab hoc malo: sed caritate annonæ laborat. Tua commater, multam tibi salutem dicit. Ego verò saluere iubeo amicos: atque inprimis Generos. Dom. Wrottum & Koocum, deinde etiam Heronem, compatres meos. Vale.

H. ZANCHIVS

Pietate & doctrina ornatissimo ac clarissimo viro, Henrico Bullingero, S.

HViusce mensis 15. optime pater Bullingere, Wirtembergensis, quorum præter multos equites, erat vnus ex Landgrauij liberis: deinde tertius ipsius Ducis filius, *Brentius, Iacobus Andrea*, & Brentij filius, Argentina venit Tabernas. Eodem die, eò venerunt Guisiani fratres quatuor, Dux, Cardinalis Lotharingus: Cardinalis Guisius; & magnus prior Franciæ. Colloquium fuit habitum inter eos, quibus de rebus, ignoro: causas tamen huius Colloquij aliquot scio. Vna fuit, vt se purgarent Guisiani apud Principem Wittembergensem, & per ipsum, apud reliquos, de quibusdam calumniis de se sparsis & scriptis. Altera, vt Lotharingus ex colloquio cum Brentio, fieret certior, quibusnam in rebus consentiant & dissentiant, vt aliqua ratio ineundæ concordiæ inueniri possit. Tertia fuit, vt se in gratiam. Wittembergensis & per ipsum in gratiam reliquorum Principum Germaniæ insinuaret: & ita aditum sibi pararet ad conuentus Principum, tanquam Princeps imperij, propter Episcopatum Metensem. Profecturus enim est ad Concilium, & impetraturus, vt mittatur Legatus ad Principes Germaniæ. Interfui ego vni illius concioni, ea pura fuit. Fui deinde ab ipsomet accersitus, & cum eo locutus: summum in eo desiderium animaduerti pacis & concordiæ inter omnes Ecclesias. Dominus quidem nouit omnium corda: sed ego tantum de illis, quæ audiui ex ipsius ore, loquor. Reliqua manent inter ipsos secretissima. Meum iudicium hoc est, Cardinalem vel serió resipuisse, atque vti Paulum è lupo factum esse agnum; & ex persecutore, protectorem Euangelij: vel, si simulat: (caritas tamen iubet bene sperare) hac simulatione vnum hoc curare, vt scilicet veterem maculam ab se abstergat, atque ita gratior factus Gallis, in Galliam redire, ibique tutior esse possit. De caussa verò nostra res ita habet. Adij Principem Wittembergensem, rogaui, efficeret vt concionatores veniant mecum in collocutionem. annum esse elapsum, ex quo hæc caussa agitatur, & nunquam vel amicum colloquium ab ipsis impetrare me potuisse: me autem nihil cupere, nihil petere, quàm vt in luce omnia agantur, caussa cognoscatur, & fiat id quod iustitia atque æquitas postulat. Respondit, se non esse bene informatum de hac caussa. dixi ego, me paratum esse ipsius Celsitudini omnia explicare, cùm visum illi fuerit commodum. Nunc, inquit, tempus non est. Ex vultu & responso satis animaduerti, verum esse quod dixit, *se non esse bene informatum, quia pessimè est informatus* Secretò postea egit cum XIII. viris. Brentium rogaui, vt vellet suam autoritatem interponere, incendium esse magnum & maximi momenti, illum posse restinguere, si velit, me illum eligere in arbitrum: cùm perpetuò recusaret, petij, saltem daret aliquid consilij, hoc etiam recusauit. Sed quid secretò actum sit contra me, ex iis quæ gessit Marbachius mox post discessum Ducis, eodem die, cõiicere licet. In conuentu pastorum, maxima contentione damnauit doctrinam de *Prædestinatione*, & Martyrem, Caluinum, ac Bezam, appellauit sine vllo pudore, non dicam. Vrsit vbiquitatem, asserens, nisi confiteamur, *vbicunque est diuinitas, ibi esse humanitatem: negari vnionem naturarum, & totam Christianam religionem euerti*: assensi sunt omnes. Solus noster pastor & Conradus restiterunt, & sunt protestati Erant ibi quidam examinandi & confirmandi in ministerio; adacti sunt ad subscribendum sententiæ Marbachij, data manu: cùm tamen lis adhuc ante Magistratum pendeat. Tres etiam è collegio expulit suo arbitratu, inter quos erat vnus Veteranus, qui mihi scribebat; illum ego recepi ad me. Iactat deinde, breui sententiam latum iri à Senatu, & patefactum iri toti orbi veritatem: Quidam hodie ad me retulit, caussam esse in malo statu, propter commendationem Principis, & operam Brentij. Non dubito adhuc de iustitia Senatus: sed, si Christus tamen non cadet sua caussa. Sturmius est constans. miserat ad Brentiũ, tùm cum hic erat Argentinæ; tum cum essemus Tabernis, peritum colloquium: perpetuò ille dedit verba Casu tamen in palatio Cardinalis eum offendit, ita vt ille coactus fuerit hunc audire. Brentius præter alia dixit Sturmio: primum; *Non debuisses*, inquit, *facere partialem in hac caussa*: deinde; *Miror te in ista senecta velle fieri theologum*. Ad primum, sic Sturmius: Vere me feci partialem; quia partitus sum aures meas: & vnam dedi Marbachio; & alteram Zanchio. defendere autem Zanchium, ne inauditus damnaretur, tenebar duplicis collegij vinculo. ad alterum sic: Miraris igitur, quod in mea senecta cupiam proficere in cognitione Christi? Id quod dixeram, caussam esse malo statu, ita se habet. Curatum est, ne vllo modo admittatur disputatio. Noui præterea habeo nihil. Te rogo; vt horum nouorum facias participes non solum nostrum reuerendum senem & patrem, reliquosque istic fratres & amicos: sed etiam tuis literis D. Iacobum Rugerum Scaphu-

siæ. Dominus Iesus te, totámque tuam Ecclesiam & fratres conseruet ac protegat. Vale. 1562.

Tui obseruantiss.

H. ZANCHIVS.

HENRICVS BVLLINGERVS *Hieronymo Zanchio S.D.*

DVdum per alios haud dubiè, intellexisti Hieronyme charissime frater, venerandum & charissimum meum Compatrem Martyrem, relictis nobis in difficultatibus & miseriis, feliciter ad cœlestia gaudia migrasse ad Dominum, cui feliciter seruiuit. Nunc igitur agitur de successore illi surrogando, cumque multorum animi in te inclinent, vt qui illius diligens sis discipulus, sanæ doctrinæ Euangelicæ fidelis assertor, ad profitendumque, ad docendum & disputandum satis instructus, experiri his meis literis apud te volui, si quando agatur de eligendo successore Martyris, & tu nominetis, quid de te amplissimo Magistratui, & collegio Ministrorum polliceri possim. peto itaque absque mora & per primum quemque tibi oblatum nuncium, ad me diligenter & significanter, ita vt legere possim, animi tui sententiam perscribas.

Necessarium verò inprimis erit, vt mihi significes, an citra Ecclesiæ & Scholæ Argentoratensis detrimentum discedere possis, in qua stipendium quidem habes, professionem verò nullam habes. Nollemus enim aliis facere, quod nobis nollemus fieri: Quod si citra damnum Ecclesiæ & Scholæ, & bona cum gratia Magistratus & scholarcharum discedere licebit, feres tecum procul dubio testimonium ab illis acceptum bonum, quod nostris commonstrare queas.

Apud nos verò quæ tibi omnia sint obeunda, non est quod multis exponam. Scio, quam Martyr beatæ memoriæ, functionem sustinuerit, cui tu in laboribus & stipendio succedes. Stipendium tamen huius anni, vsque ad natalem Iohan. Bapt. benignè Martyris viduæ donatum est. Inde verò & labores & stipendium vnà progredientur. Quanquam mallem te citiùs, si deligeretis, aduenire.

Requirimus verò talem modis omnibus virum, qualis fuit Martyr noster, hominem laboriosum, pacificum, benignum, non negligentem, contentiosum & rixosum, qui pacem inter fratres alat, non discordiam serat. Hominem præterea requirimus simplicem & expositum, non inuolutum variis opinionibus & quæstionibus interminabilibus, non intentum rebus curiosis & nihil facientibus ad salutem. Ac progressus est Martyr noster in exponendis literis sacris expeditè, non inhæsit vni alicui capiti, nedum loco scripturæ alicui, dies aliquot & menses, quod alioqui à doctis viris sæpe solet fieri. Cupimus autem nos in Schola nostra progredi Professores, & textum, quem vocant, bene explicari, & commodè applicari rebus præsentibus, vt inde luculentus fructus redeat ad diligentes auditores. Et, si quando in locum aliquem communem egrediuntur, breuiter & methodicè eum explicari, & maturè in viam regredi. Adiungeris autem collega D. Iosiæ Simlero, charo meo genero, quem mirum in modum Martyr noster amauit, & cum quo in summa concordia vixit.

Quæ nostræ Ecclesiæ fides, confessio, & doctrina sit, non est quòd scienti multis referam. Iurant autem Ministri & Professores omnes, se nihil dicturos aut asserturos contra scripturam Canonicam, se denique perseueraturos in nostra illa doctrina, neque vnquam quicquam in hac nostra Ecclesia innouaturos, aut noua dogmata nondum collata cum synodo, scripturisque explicata & confirmata ac recepta, proposituros. Quæ quidem omnia tibi, vt & Martyri, non iniqua, sed maximè necessaria videri arbitror.

Et quidem perstitit Ecclesia Tigurina, per Dei gratiam à prima sui institutione constans semper, in eadem fide & doctrina, neque vnquam mutauit quicquam, quod tamen nonnullæ solent, frequentius quàm iustum sit & commodum, in dogmatibus, aut ritibus. Fuit hactenus per singularem Dei gratiam, pacifica semper & concors, neque dissidia & concertationes inter fratres exortæ, Ecclesiam afflixerunt, & conturbarunt Rempublicam. Hanc felicitatem à Domino nobis perpetuam concedi peroptamus, & quantum quidem poterimus, studiis intentissimis retinere studebimus: ac te similiter affectum fore, si ad nos concedetes, nobis pollicemur.

Ista autem omnia candidè tibi referimus, ne quid rerum nostrarum & instituti nostri, nescias: denique vt rectius de rebus hisce omnibus tecum deliberes, ac tandem animum illum tuum omnis pietatis, pacis & honestatis cupidum, libentius ad nos inclines, & maturè de tua erga nos voluntate perscribas.

Inprimis autem orabis Dominum vnà nobiscum, vt is nostri misertus, nobis, Ecclesiæ, & Scholæ virum det integrum, simplicem, piè doctum, doctéque & religiosè pium, constantem fortémque, pacificum item & qui sit secũdùm cor Dei. Cui te, chare frater, vnà cum tuis commendo. Præstaret etiam me scire, qualis sis instructus familia. Vale æternùm colende Domine & frater charissime. Salutabis clarissimos viros D. Ioannem Sturmium, D. Conradum Hubertum, D. Dasypodium, & cæteros. Si quid habes certi de rebus Galliæ vel Angliæ, & de Comitiis Francofurdianis, aut de aliis rebus memoratu dignis, communica obsecro. Milites & militum Duces Fœderatorum nostrorum, suis hominibus nihil nisi fausta scribunt: nostrorum res omnes deploratas esse commemorant, & in procliui vt corruant, cùm & pecunia destituantur, & commeatu vel prouentu. Ego tamen meliora spero, donec tu, qui ex Gallia, certa habere potes, eadem mihi (quod absit) affirmaueris. Verùm, vt vt res illa cadet, negotium hoc Dei est omnipotentis. Concilium Tridenti progreditur pertinacissimè, & iam nouum habet aurigam Cardinalem Lotharingium, Guisij Hammani Galliæ fratrem. Venit is non ita pridem cum multis Episcopis, Abbatibus & Doctoribus Tridentum. Dominus dissipet consilia impiorum, & firmet veritatem suam. Tiguri 16. Decemb. 1562.

HENRICVS BVLLINGERVS
Tigurinæ Ecclesiæ Minister,
Frater & symmysta tuus.

H. ZANCHIVS HENRICO *Bullingero S.*

NON potui non communicare tuas literas, opt. & reuer. pater, cum Sturmio nostro, viro non tam mei quàm ... etiam, inprimis verò Christi & Christianæ doctrinæ, amantiss. & studiosissimo. Is re prudenter & maturè considerata, tandem ita iudicauit non esse quidem è re mea, si oblatam conditionem recusem: interim tamen, si ita eam recipiam, vt antequam de nostra caussa iudicium aliquod à Dominis fiat, hinc discedam: caussam Christi turpiter à me deseri, immò perditum iri: fratres omnes, qui mecum hactenus prò bona caussa fortiter pugnarunt, solos in acie, immò & in magno discrimine, cum perpetua mei infamia, nec citra crimen ingratitudinis relinqui: aduersariis victoriam in manum dari: & materiam de nobis barbarè triumphandi præberi: ostium Pelagianismo: Vbiquitariæ hæresi, papisticæ manducationi: artolatriæ, & aliis erroribus in Scholam nostram ita aperiri, vt nulla spes reliqua videatur illud deinceps occludendi: Gallicanam quoque Ecclesiam in discrimen non paruum conijci: denique non solùm nobis & huic Scholæ atque Ecclesiæ: sed aliis quoque per Germaniam, qui eandem caussam nobiscum sustinent atque defendunt: meo immaturo hinc discessu, periculum creari. Sibi itaque videri necessarium propter caussam Christi, vt hic vsque ad exitum caussæ, constans permaneam: vtile autem mihi, vt si fieri possit, res differatur vsque ad Iohannis, quod spes sit, intra istud tempus caussam nostram, exitum aliquem habituram. Hæc est Sturmij nostri sententia, à qua, præsertim quod primum membrum attinet, recedere non possum, quod Christiana mihi esse videatur, & quod cum ea consentiat exhortatio, qua Illustrissimus elector Palatinus nuper Francofurti hortatus est me, ne scilicet hinc ante exitum caussæ discedam, quod discessus meus, magnum præiudicium bonæ caussæ facturus sit & damnum sibi simul & aliis allaturus.

Mihi quidem nil molestius, nihil grauius, nihil & vitæ meæ perniciosius, quàm hic inter tot & tales hostes, qui pugnam tamen & certamen detrectant, continuis animi molestiis confici: sed spectatis iis, quæ prudenter à Sturmio quoque

quoque perpensa sunt: qua conscientia possim ante exitum caussæ, hanc stationem deserere, non video. Verum quidem est, me otiari, h. e. publicè non profiteri: interim tamen otia mea non sunt otiosa: & nostra h. e. Sturmij & mea præsentia, impediuntur aduersarij, ne ante victoriam triumphent: patientia vero cogentur tandem illi, quorum interest, aliquid de hac caussa definire. Necessarium itaque omnino mihi quoque esse videtur, vt vsque ad exitum caussæ, in mea maneam statione. Neque existimo, te, quæ tua est pietas atque prudentia: aliter iudicaturum.

Ceterum, quia non à me petis, an ante Iohannis, si in locum optimi præceptoris & patris mei, à vobis eligar, migrare ad vos possim, nec ne, sed quænam sit mea voluntas: idcirco & ad hoc & ad alia quæ scribis, ita breuiter & ordine respondeo: Primum, Si aut de caussa nostra, secus quam ipsius bonitas postulat, pronuntiatum fuerit: aut si ita nobiscum agetur, vt nobis nō liceat sanam doctrinā ab aliis iniustè damnatam, iustè defendere, nullo modo sum diutius hic mansurus: sed iuxta præceptum Christi, excusso puluere de pedibus meis, concedam eò vbi liceat veritatem, & verbis & scriptis defendere, & vbi animo quieto & spiritu hilari, possim vitam meam legitima vocatione transigere. Proinde ingentes habeo tibi Reuerende pater: & omnibus aliis symmystis & collegis carissimis, pro vestra in me voluntate, gratias. Ac certè licet alibi quoque Dei beneficio, mihi offerantur conditiones: nullibi tamen libentius vixero quam istic, si ita & Domino & vobis visum fuerit: idque multis de caussis, quas nunc recensere, opus non est. Illa certè est non postrema, quod præter consensum in vera doctrina, quanta sit & vestra & vestri Magistratus beneuolentia, cùm generatim erga nationem nostram, tùm speciatim erga demortuum patrem Martyrem & optimum ac reuerendum senem N. & me, satis diu & multum sensimus ac sentimus. Sed quid si Sturmius quoque me sequatur, vel potiùs ego ipsum? is enim constituit, se ad vos conferre, &, si fieri possit, prædium aliquod sibi apud vos comparare, & ibi tamquam in quodam Tusculano, totum se S. literarum studio consecrare, & contra aduersarios suum stylum in hac senecta pro Christo exercere. Sed hoc cupit interim celari, donec videat, quem exitum habitura sit caussa. Si igitur, vt antè dixi, aliter cadat caussa nostra quam ipsa meretur: non solùm ego, sed etiam Sturmius, libentissimè vobiscum viuemus. Si verò ita controuersia nostra componatur, nobis vt quoque liceat veritatem tueri: Sturmius quidem manebit, ego verò faciam, quod tu ipse consultius gloriæ Dei futurum iudicaueris. Nam tuo iudicio, Sturmium quoque assensurum esse, non dubito: quoniam etsi mei sit amans, sicut ego vicissim ipsius obseruantissimus sum: scio tamen, illum amantiorem esse gloriæ Dei, quam aut vllius hominis, aut etiam sui. Atque hæc de primo quod à me petis, dicta & asseuerata sunto.

Ad tertium de muniis obeundis. Noui ex parte, quæ illa sint: ad quod meam quidem voluntatem attinet, operæ & laboris nihil illa detrectat. Illud verò tantum ego doleo, quod non sim par illis muniis dignè obeundis. Optimè autem & Christianè factum à vobis fuit, quod in honorem optimi Martyris, piæ viduæ prospexeritis. Me verò nihil retinet aut retinere potest, quin ad vos aduolem, nisi nostra, immò Christi caussa. Crede mihi, opt. pater Bullingere, multo grauior est nostra caussa, & nostri spiritus molestia, quam vt credi possit. Quid vis ampliùs? tantum: vt defendant, corpus Christi, quia gloriosum est: non esse in certo loco: non puduit pauonem nostrum proximis diebus pro concione dicere: post iudicium vniuersale, nullum futurum vel in cœlo, vel in terra locum, credo, voluisse concludere, stultitiam esse, cogitare de locis corporum beatorum. Summa: solutus est Satan.

Quod autem attinet ad quartum, talem vos expetere successorem qualis fuit Martyr, vehementer probo vestrum desiderium: ego quoque tales exopto collegas. Sed vbi terrarum alius inuenietur Martyr? Laborem, diligentiam, studium, sinceritatem doctrinæ, amicitiam, pacem, promittere alij quoque possunt, & vero etiam præstare, sed tantam tamque variam & multiplicem eruditionem atque doctrinam, tantam prudentiam in dandis consiliis, tantam morum suauitatem in quotidiana consuetudine, tantam patientiam in ferendis iniuriis, tantam denique non solùm in Scripturis interpretandis, sed in aliis etiam rebus omnibus dexteritatem, quis possit ita promittere, vt etiam reipsa præstet? contendere quidem & eniti, vt consequar, possum, sed vt reipsa assequar, hoc opus atque hic labor omnino mihi est impossibilis. At vero tali collega, qualis est suauissimus & doctissimus *Iosias*, nihil mihi optatius: si carus fuit nostro Martyri, non poterit mihi non esse carissimus, & si pacificè cum eo vixit optimus Martyr, ego quoque promitto omnem pacem atque concordiam. Quod orta sint inter Marbachium & me dissidia, norunt omnes boni, vnde, quando, per quos, quibus de rebus, & quamobrem excitata fuerint: per quos etiam steterit quin sint composita, quæ componi potuerunt.

Venio nunc ad quintum, quod est de vestra fide, Confessione, doctrina. Ago hic tibi gratias: quod id de me sentias, quod de viro bono & puræ doctrinæ studioso, sentiri debet. Hoc tibi, D. Bullingere, sine vlla adulatione affirmo, idcirco tua scripta Buceri & Martyris, vt de aliis taceam, mihi vehementer placuisse semper: quod præter perspicuitatem sermonis, & puritatem doctrinæ & autoritates scripturarum, ipsorum etiam Patrum, quo ad eius fieri potuit, testimoniis illustrare illa soliti estis. Consuetudinem vestram, vt nihil in Ecclesia aut Schola cum asseueratione doceatur, quod prius in Synodo, non proponatur & S. Scripturarum testimoniis apertè demonstretur, atque ita à Synodo ipsa approbetur: hanc, inquam consuetudinem vestram ita probo, vt illam cupiam vbique seruari. est enim ea vtilissima, laudatissima, antiquissima. Ac precor Deum patrem per Iesum Christum: vt illam Ecclesiam, in ea in qua hactenus perstitit constans, iuxta verbum Domini, doctrinam retineat, & vt hoc faciat, te diu nobis seruet incolumem, & quos habetis pios pastores ac professores, eosdem custodiat, quos vero & quales desideratis, concedat.

Familia mea hæc est. Est mihi vxor, & nuper nata filiola, famulus vnus, doctus & pius iuuenis, propter scriptiones inprimis mihi necessarius, duæ ancillæ, sed vna possum & cupio liberari. Vale, & prolixitatem meam boni consule: neque enim prolixis & succosis literis breuiter atque aridè respondere potui. Quia verò ad te prolixius, non mihi vacauit aliis scribere, vt nostro Iosiæ, Lauatero, quorum literis adhuc teneor respondere: respondebo autem mox, & per alium nuntium primo quoque tempore, literas mittam. Cupio itaque me per te apud ipsos excusari. Iterum vale: & omnes meo nomine saluere iube.

H. Z. EIDEM BVLLINGERO.

BReui, vt spero, videbo vos, opt. pater Bullingere. Quid Senatus responderit Legato Ecclesiæ Clauennensis, audies ex ipso. Exultant aduersarij: tristantur amici. Ego ago gratias Deo, quod tandem me hinc, vbi nihil amplius poteram Ecclesiæ Christi prodesse, eripiat, & eo, vbi spero operam & ministerium meum haud fore infructuosum vocari. Saltem inde potero caussam bonam, quæ oppressa hic fuit annos duos cum dimidio, cum ædificatione Ecclesiæ tueri. reliqua coram. Dominus Iesus, te diu incolumem nobis seruet. ô miseram Christi Ecclesiam, quæ subinde veris. & op. patrib. ac doctorib. orbatur: à nouis verò, imperitis ac furiosis hominibus inuaditur, dilaniatur. Misereatur Deus sui populi. Amen. Quanto dolore conficiar, quod in tali statu hanc relinquam Scholam, immò totam ciuitatem, euersa etiam Ecclesia Gallicana, quæ annos circiter triginta puram hic retinuit doctrinam ac religionem, tu melius potes cogitare, quam ego verbis exprimere. Vale igitur in Domino, & meo nomine saluta fratres, D. Iosiam, & reliquos omnes. Argentinæ 7. Septemb. 1563.

H. Z. EIDEM.

NOn mediocri me consolatione affecerunt literæ tuæ opt. pater Bullingere, plenæ Christianæ pietatis & caritatis quam ob rem, multam etiam tibi habeo gratiā. quāquam vero multum consolationis attulerunt illæ, opus tamen habeo, vt tuis me precib. Deo omnis veræ consolationis autori, commendes. Permulta quidem sunt, quæ meum consolantur spiritum, vt quod ex hoc mundo & seculo & nequam sit erepta, illa quidem semper sancta, nunc vero beata vxoris anima: quod tot tantisque malis sit liberata, quod tanta animi fortitudine, quanta in heroicis viris & quidem Christianis reperiri vix pōt. tam grauem, tamque diuturnum morbum tulerit, ac pertulerit, ac tandem mortē ipsam sæpiùs à se contēptam & irrisam superarit: vt quod cū admirabili in Christū fiducia & certitudine de sua per Christū salute, incredibili, ad cœlū omni proculdubio euolarit: vt quod iā tādiu à se optato & inuocato vero sponso suo Iesu Christo, lætissima & felicissima fruatur, quę quidē

omnia, initio quoque, immò & paulò ante quàm animam egisset, summopere illi sum gratulatus & quotidie ex animo gratulor, ac sancta quadam æmulatione inuideo. Hæc omnia, fateor, multum me consolantur, vsque adeò tamen mihi carissima erat & suauissima perpetua illius consuetudo, præsentia, adspectus, modestia, grauitas, mansuetudo, honestas, atque inprimis pietas; vt cùm iam tali tantáque coniuge, sorore, filia, me orbatum videam, efficere nequeam, quin etiamnum caro mea vehementer mœreat, lugeat, lacrymetur, ea enim mihi semper ante oculos obuersatur nec quam tam vehementer amabam, tam citò mihi memoria excidere potest. Nimirum carne adhuc gesto, video & sentio. Si enim plus spiritus, quàm carnis haberem: plus etiam spiritualis gaudij perciperem ex eius ad Christum ascensu, quàm doloris ex eiusdem a nobis discessu: maiorique afficeret lætitia, quod illam iam cum Christo & angelis eius, totque beatorum millibus æterna felicique fruitur vita: quam mœrore conficiat, quod ego non amplius in hac mortali miseráque vita frui illius consortio queam: sed carnalis sum venundatus sub peccato. Tuis igitur precibus me Deo commendes, etiam atque etiam rogo. vides enim quantoperè opus habeam illius spiritu.

Quæ scripsisti de nostro D.D.Petro libentissimè legi precorque Deum, vt eum diu non tam nobis, quàm toti Ecclesiæ Christi conseruet incolumem. Noua etiam de mundo & præsertim de Papa, quod pro dignitate suæ beatitudinis tam infeliciter res eius succedant & tam egregiè tractetur ab Hispano: non iucunda fuere: perdat Deus illam bestiam cum suo stabulo. Salutaui Petrum Alexandrum, qui grauissimè ægrotauit & etiam num non omne euasit periculum. vicissim te peramanter & reuerenter salutat. Simmium non potui adhuc domi inuenire, sed faciam diligenter officium. Vale & sanctissimam vxorem tuam cum tota familia, generisque omnibus tuis lectissimis meo nomine salutere iubebis. Argent. 8 Ianuarij 1557.

HIERONYMVS ZANCHIVS eidem S.

Est mihi obseruandissime D. Bullingere, si vnquam, nunc certè maximè, ignoscendum ab amicis, si tardius quàm vellent, & amicitia videtur postulare, literas à me accipiant, cùm & sim occupatissimus, & qui meas malè pictas describat, non habeam. Certè, an te præter cæteros, & amem, & vt debeo, obseruem, nec ne, tu ipse ita nosti, vt nulla opus sit asseueratione, aut probatione. Ergo facile potes hinc colligere, quantum dolorem animo conceperim, cum de obitu, post clarissimæ vxoris, lectissimarum etiam filiarum audiui, vt interim de verè sanctissimi, doctissimi, omnibusque numeris absolutissimi *Doctoris Conradi Gesneri*, omnibus bonis amicissimi, & totius Europæ ornamenti, à nobis in cœlum discessu, nihil dicam. Neque hunc accepi dolorem illorum caussa, immò illis ex animo gratulor, sed nostra, sed amicorum, sed tua inprimis, quem in ipsa senecta, in qua maximè opus habes solatio, video paulatim illis, a quibus solitus eras, curari, recreari, consolatione affici, in dies spoliari. Nouit Dominus, quantum tibi compatiar, tuamque doleam vicem, mi obseruandissime pater Bullingere, præsertim cùm sciam, etsi maximo Spiritu Dei præditus sis, prudentia atque sapientia, te tamē neque Deum esse, in quem nullus cadat dolor, neque etiam stipitem, sensu carentem, sed hominem, eumque non Stoicum, sed Christianum. Cæterùm, quod te, scio, in istis tuis afflictionibus recreat atque reficit, idem illud mihi minuit atque mollit dolorem, Christiana pietas, qua scimus, nihil nobis contingere aduersi, quod non ante Mundi constitutionem destinatum nobis a Patre fuerit, illudque non ad nostri perniciem, sed ad salutem, in Christo Iesu. Quidni autem velimus, quod vult Dominus, & lubenti animo amplectamur quod pater cœlestis nobis ad salutem destinatum, suo offert tempore? Hac fide & pietate firmatos, fieri non potest, quin Deus pater omnis consolationis, consoletur, non tantùm extra tribulationem, sed in ipsa tribulatione, omníque afflictione nostra. sit igitur huic Patri, per Christum, laus, honor, & gloria in sempiternum. Rogo te, vt hoc idem officij facias meo nomine, cum D. Gualtero, & tu s generis, fratribus meis colendissimis, quòd ad singulos scriuere mihi non vacet, omnibusque dicas salutem. πλάγιον multos hic sustulit, videtur nunc remisisse. De nouo Pontifice, vt scribam, non est opus, nisi spem esse, futurum vt plus iste prosit Ecclesiæ sua hypocrisi, quam alij omnes obfuerunt suis sceleratissimis vitiis, & studiis huius seculi. Est hic rusticanus, Monachus Dominicanus, inquisitor, hypocrita insignis, sanctissimam verò simulat vitam. Circumferuntur multæ Epistolæ, populari sermone scriptæ, de sanctitate huius Antichristi, gestare illum adhuc indusium Monasticum, laneum scilicet, lineum recusare: contentum esse victu Monastico, duobus scilicet ouis, & scutella iusculi, aut panis triti, suis nihil velle à patrimonio Ecclesiæ largiri: dicere, se nolle armis hæreticos expugnare, sed precibus ad Deum, vitæ sanctitate, & S. Bibliis: nolle ad munera Ecclesiastica, nisi literatos admittere, vitæque honestæ homines: Ecclesiam non opus habere diuitiis, sed viris doctis & sanctis. Mira de hoc prædicantur, tantùm exspectatur, vt miracula etiam edat, vt possimus dicere, hunc esse illum vltimum Antichristum, qui sub finem Mundi exspectatur. Vale.

AD EVNDEM.

Binas à te obseruandissime pater Bullingere, eodem ferme tempore, accepi literas, ac vidi etiam, quæ de Gallis, ex literis Bezæ, ad Erastum exscripsisti Quæ de Iugadiuis, & capto bono fratre Pastore Morboniensi: hæc ad me funus noster Thobias. Sunt hæc omnia huiuscemodi, vt ardentes a nobis preces ad Deum postulent. Perfuit autem iucundum, quod de Simlero scripsisti. Fuerit vtilis labor, nostræ etiam Nationi, in qua multi laborant eodem morbo, & opus habent, quibus bona fiat medicina. Tracto nunc & ego idem argumentum Sic Princeps iussit, vt Transyluanis fratribus opem feramus contra Blandratas, &c. Fuerit igitur admodum vtile, vt iis nundinis prodeat liber D. Simleri. Exspecto etiam tuos illos duos auctos libellos. Placet recitare, quid mihi olim Monrallinus ille Monachus, qui tandem combustus fuit Romæ, propter Euangelium, de tuo libro, qui est *de origine errorù*, dixerit. Cùm ego nunquam eum legissem, aut vidissem librum, hortabatur ille, vt emerem: & si, inquiebat, non habes numos, erue tibi oculum dextrum, illóque persoluas, & lege sinistro. Dei beneficio, mox reperi librum, seruatis tamen oculis, quia non peperci loculis. Nam emi coronato, & mox succum totum expressi mea manu, quæ ne ab Inquisitoribus quidem poterat legi. Deinde, etiam si legissent, non potuissent agnoscere, vnius essem sententiæ. Nam redegeram totum ad formam quæstionum scholasticarum, adiectis locis ex Conciliis, & Scholasticis, quid de iis rebus sentiret Romana Ecclesia. Est adhuc apud me. Hæc volui recitare, vt intelligas, quantam ceperim ego olim ex eo libro voluptatem & vtilitatem, & quanti factus fuerit à viris piis & doctis. Ignosce tamen meis ineptiis.

Res Belgicæ ita se habent. Secundæ in hunc se habent modum In hunc vsque diem, variis velitationibus 20. signa aduersariorum, fuerunt a nostris cæsa & fusa, inter quæ fuerunt 12. Hispanorum: quotquot horum potuerunt nostri, trucidarunt. Ex Anglia redierunt 7. millia Belgarum, & se adiunxerunt Comiti Ludouico, fratri Principis Vranij. De Groninga varij sunt rumores: alij captam, alij sponte se dedidisse, alij neutrum esse factum affirmant. Aliquot millia eorum, qui redierunt ex Gallis, secum abduxit Vranius, certum numerum ignoro, aiunt quinque millia. quod attinet ad velitationes, res nostris huc vsque haud infeliciter cesserunt. Sed quantum ad tyrannidem Albani, quotidie recrudescit, & ex Hispanica fit infernalis. Nam quotidie aliquot tollit, & quidem potentiores & nobiliores. Hæ igitur sunt res aduersæ.

Bruxellis 29. Maij, fuerunt ij proscripti, & eorum bona fisco adiudicata.

Princeps Vranius, & Ludouicus Nassouiæ Comes, & Vranij frater: Hochtruchsius: item de Monte: item de Culenburg, Comites omnes. Item, Dominus de Bredenrod.

Iunij 1. capite plexi 18. Nobiles, cum duobus fratribus de Batenburg. Item, Dominus de Andelot.

Iunij 2. capite truncati Dominus de Willers, item Dominus de Du.

Iunij 5. Illustriss. Principi & Comiti Egmondano, & Comiti Hornio, qui erant ex statibus Imperij, amputata capita. Erat autem Egmondanus sororius nostri Illustrissimi Principis.

Coniecti postea in carcerem plerique omnes, qui erant ex senatu Bruxellensi, & à quibus voluit Albanus ferri sententiam contra supradictos. Nouæ quotidie crudelitates & tyrannides excogitantur ab Hispanis. Dominus misereatur illius Nationis Belgicæ, & perdat Tyrannos.

Audi-

Audimus & nos in Gallia res esse non bono loco Quidam etiam ferunt, Philippum propediem venturum in Belgium, & exhæredasse filium. Treuirensis Episcopus obsidet Treuerim vrbem. Vale & saluta fratres.

AD EVNDEM.

Constitueram venire Basileam, optime pater Bullingere, propter certa negotia, inde verò Tigurum vsque, tum tui videndi, & de quodam negotio consulendi, tum etiam vxoris Domini Doctoris Petri Martyris inuisendæ gratia, excurrere. Atque hæc est caussa, cur tuis ad me literis non citius responderim. Neque enim opus fore iudicabam vlla per literas responsione, cùm ego coram multa tecum constituissem breui communicare. Cæterùm locum in me habuit illud, quod vulgo fertur, *Homo proponit, Deus disponit*.

Quædam enim hìc paulo post, quàm ego ad iter me accinxissem, contigerunt, quæ me procul hinc abesse non permittebant. Nam præterquam, quòd & filia & vxor in quartanam incidetunt, Scurmius etiam noster, propter suã de te Sacramentaria confessionem, in Schola purè, doctè, perspicuè & liberè explicatam, a nonnullis vexari cœpit: in me verò vnum, tanquam illum, qui omnes (si Deo placet) seducam, & perturbem totum Israelem, tota ferè culpa transfertur. Vbi igitur vidi, mihi domi manendum esse, & quidnam Domini sint vel dicturi, vel facturi, exspectandũ: nolui meam ad tuas literas responsionem differre diutius. Hanc verò meam tarditatem, audita iam illius caussa, rogo boni consulas. Nunc ad rem.

Gratissimum mihi fuit ea quæ scripsisti, audiuisse, & aueo intelligere, quomodo successerit illud Pitachum, vt vocant, quod Curiæ fuisse habendum 14. Octob. scripsisti. De rebus nostris sic habeto.

Cùm vidissem mihi à pastoribus omnem disputationem, & omne amicum colloquium denegari, & interim tamen perpetuò, ex ipsis etiam pulpitis, tum quam docueram doctrinam damnari, tum me quasi digito demonstratum traduci, coactus veni Heidelbergam & Marpurgum, cumque illis Theologis, de tota hac doctrina, quam nostri damnarunt, contuli. Atque illa quidem ab vtraque Academia fuit comprobata, & aliis etiam scripturarum testimoniis confirmata: Ego verò, si diutius Argentinæ esse non possim, ad se vt veniam, atque ibi doceam, rogatus fui: vsque adeo magnus hæreticus fui ab illis piis & doctis viris indicatus. Elector quoque ipse Palatinus, Princeps verè pius & humanus, quique verè singulari Dei beneficio datus est Germaniæ, & omnem promisit beneuolentiam atque opem: & literis datis, tum me, tum caussam meam, Dominis commendauit. Quàm grata hæc fuerint vnis, & ingrata aliis, tu ipse potes cogitare. Delecti nunc sunt quinque Cõsulares viri, duo Doctores, & scriba Ciuitatis, qui omnia Acta legant, vtriusque doctrinam examinent, rationes perpendant, & deinde, si qua inueniri possit compositionis forma, concipiant. Quod ad res Gallicanas attinet, credo te subinde literas, quibus de omnibus rebus certior fias, ex Gallia accipere, interim tamen non grauabor certa quædam noua, quæ ex præside Parisiensi, qui nuper huc venit, accepimus, ad te scribere.

Pridie Calend. Octob. in ædibus Regis Nauarræ disputatum fuit placidè & amicè, inter nostros & aduersarios, de Cœna Domini, sed nihil conclusum.

Die insequenti, nempe Calend. Octob. disputatum fuit de eadem re, idque in ædibus Episcopi *de Scens*, vt vtar voce Gallica, atque in hanc formam, sed Gallicè conclusum. *Quoniam fides verè apprehendit corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, idque virtute Spiritus S. hac de caussa, & hoc respectu, nos confitemur præsentiam corporis & sanguinis ipsius Iesu Christi in S. Cœna, in qua ipse nobis offert & donat, & exhibet verè substantiam corporis & sanguinis sui, per operationem Spiritus S. & nos recipimus & comedimus spiritualiter per fidem illud proprium corpus, quod mortuum est pro nobis, vt simus os ex ossibus eius, & caro de carne eius, idque in hunc finem, vt viuificemur, & recipiamus totum illud quod ad nostram salutem requiritur.* Ita ferè ad verbum. In hanc Confessionem consenserunt tam illi, quàm nostri. Erant autem ex Papistis duo Episcopi (si bene memini & tres Sorbonici, iique præcipui Doctores. Ii tres nominantur, D. Salignacus: D. D'espence: & D Bottellerius. Die insequenti, nempe 2. Oct. in iisdem ædibus eadem Confessio confirmata fuit. Confessionem hanc Gallice nos habemus. Hac de caussa reliqui Papistæ tingi & tumultuari, & vt colloquium dissiparetur, curasse. Item publico Consilij Regij decreto cautum esse, ne posthac vllæ Annatæ Romam mittantur. Ad hæc cum Clero ita esse transactum, vt intra decem annos soluant Regi decies & sexies centena millia Francorum: & illud præterea adiectum, vt si contingat bellum, liceat Regi dimidiam bonorum Ecclesiasticorũ partem vendere. Multis etiam in locis, fideles templa publica sibi vsurpasse: Regem verò & Reginam conniuere. Hæc ex illo præside.

Heroldus Regis venit ad nos, & dicit colloquiũ esse dissipatum. Nostri hic libellum de tribus Sacramentis obtulerunt Senatui, vt eius consensu imprimeretur. In eo in primis vrgebant præsentiam corporis Christi carnalem: & ad eam probandam feces, quascumque ex Papistarum libris colligere potuerunt, congesserant: ac præter alia cuiusdam Caruinalis, qui iurauerat, cùm sumeret semel Eucharistiam se sensisse saporem in illo pane, testimonio nitebantur. Senatus stomacharus reiecit: atque ita per hos homines, licet ex accidenti, veritas magis ac magis promouetur. Nihil præterea quod scribam, habeo noui. Me enim, quantus sum, tuum esse, non est tibi nouum. Cupio verò salutem meo nomine dici, tum vxoribus tuæ & D. Petri Martyris: tum doctis tuis generis, & aliis Reuerendis Pastoribus D. Gesnero & Frisio. Vale optime Pater Dominus tibi augeat vires, & omnes suas benedictiones. Argent. 8. Nouembr. 1561.

T. T. H. ZANCHIVS.

H. ZANCHII AD EVNDEM.

Quòd tanti me facis, vt tuis subinde nouis aliquibus lucubrationibus me digneris, & donis, gratias habeo & ago ex animo magnas, precorque Dominum, mihi aliquando præstet, vt etiam referre possim. Fortasse breui te aliosque nostros isthic fratres & doctos viros videbo. Cogito enim vestras Thermas Badenses inuisere. quanquam nihil adhuc certi ea de re constitui, neque possum, antequã audiam, quid Medici, ad quos vxorem ducam, consulant: Animus certe meus ad vestras inclinat multis de caussis: facturus tamen sum, quod vxori consultius & salutarius illi iudicauerint. Interim tua pietas, vt cœpit, pergat Dominum precari, eam mihi tandem restituat, finemque huic nostræ & longiori & grauiori, quàm vt ferre possimus, cruci imponat.

De Anglia accepimus hæc: Diuulgarant Papistæ suis falsis sermonibus: idque procul dubio vel iussu, vel saltem consensu impiæ Iezabelis, Cantuariensem recantasse, & ad Romanam Ecclesiam rediisse: & hanc confictam à se recantationem, falsis etiam quorundam testimoniis confirmari & deinde excudi curarunt. Vbi hæc sanctus ille vir resciuit, reclamauit, & aperte ac palàm toti Regno fecit, se prorsus in suo hanc palinodiam esse confictam, nihil minus, quàm talem blasphemam recantationem se vnquam cogitasse, quam hactenus in eo Angliæ Regno per gratiam Christi docuit & promouit, promouerique curauit doctrinam, eam etiamnum constanti fide se credere & confiteri, & ad mortem vsque suo etiam sanguine defensurum & obsignaturum. Igitur 17. Martij retectis illorum impostorum commentis, doctor quidam impiissimus, nomen iam non teneo, mittitur à Regina Oxonium ad Cantuariensem. In quem finem? Literæ quæ postea datæ fuerunt Antuerpia ad D. Koocum declarant. Heri itaque literas Antuerpia D. Koocus accepit, sanctum & pium illum Cantuariensem, infracto animo, constanti fide, & perpetua confessione Iesu Christi & Euangelicæ doctrinæ combustum, 21. Martij migrasse ad Dominum. Sunt hic qui quoniam hæ literæ sunt Antuerpia & ex Anglia nullæ, non credunt certò mortuum esse; sed tamen & D. Koocus, & alij permulti Angli, & D. etiam Petrus noster, quoniam de missione illius Doctoris Londino Oxonium, & de commentitia illa palinodia, literas ex Anglia ipsa paulò ante acceperant, credunt verum esse, quod in iis literis Antuerpia missis scribitur. Habemus optime vir Dei, pro quo gratias agamus Deo, quòd tot tantorumque virorum sanguine, cùm alibi, tum præsertim in illo Anglicano Regno, sacrosanctum Filij sui Euangelium quotidie obsignare dignatur, ad confirmandam fidem nostram, & ad instaurationem sanctorum. Fieri non potest, quin solũ illud tanto Martyrũ sanguine irrigatum, lætas Domino segetes fe-

rat, ex quibus Ecclesia Christi coalescat. Fieri etiam non potest, quin tantus sanguis è terra clamet ad Dominum: *ô barbaram, impiam, & omnis humanitatis expertem meretricem.* Perdat illam Deus, & quàm citissime sua in illam iudicia patefaciat. Vale.

AD EVNDEM.

S. Gratissimum mihi fuit heri optime pater Bullingere, summam eorum quæ ad literas D. Sulceri respondistis, vidisse: neque certe ineptè fuit responsum: proinde neque improbari illud plane potest, præsertim si ita se res habeat, sicut D. Sulcerus ad vos scripsisse videtur, nempe vos ita vocatum iri, si velitis, ad futuram synodum, vt quasi debeatis vos vel aduersarios in colloquium prouocare, vel vltro in illorum colloquia vos ipsos ingerere, & quasi in vestram tantum gratiam conuocanda sit synodus. Verum, (vt ex D. D. Marbachio accepi) aliter se res habet: Principes aliquot verè pietatis studiosos, multis de caussis exoptare, vt aliqua ratio bona inueniatur, qua Ecclesiæ Germanicæ, cum Helueticis in doctrina pietatis, ac præsertim in re Sacramentaria conueniant: vel saltem ita inter se concilientur, vt posthac alteræ alteras nec damnent, nec quouis modo insectentur: iudicasse illos, rationem hanc commodius aut facilius reperiri non posse, quam si viri præcipui, & doctissimi ab vtraque parte delecti, ad amicum illud colloquiũ conuocentur, vbi ipsimet viri docti, ab vtraque parte delecti, amicè inter se de hac inuenienda ratione colloquantur & conferant: & quoniam certi non erant, an Heluetij vocari, venturi essent, voluisse, antequam synodum indicari, de illorum voluntatib. fieri certiores: Proinde senatum nostrũ, qui curam hanc in se receperat, ad Senatum Basiliensem, hac de re scripsisse, rogasse etiam, vt aliarum quoque Helueticarum Ecclesiarum voluntates circa hoc negotium, quales essent, scrutarentur, & indicarent. Habes obseruandissime Pater Bullingere, desiderium piorum Principum: habes finem, in quem cupiant cogi hanc synodum: habes materiam, qua de aueant vos cum suis amicè colloqui. Iam cum ita se res habeat, si ad tale colloquium, pro tali caussa, hoc tali tempore, quo plusquam necessarium est tale colloquium Ecclesiæ Christi, vos viri doctissimi, & pastores Ecclesiarum, quib. nihil optatius esse debet, sicuti nec esse confido, quàm vt Ecclesiæ omnes, si non in omnimoda doctrina, & omni forma dicendi, saltem in pace & charitate vniantur: si, inquam, vos ita vocati, venire recuseris, perque vos fiet, ne tam sancta, atque ab omnibus piis iam diu desiderata synodus congregetur, & tantũ bonum, si forte impetrari à Domino possit, hac via seu hoc colloquio tentetur: non video sanctissime atque doctissime Bullingere, quis istud vestrum consilium probare possit: imò nõ video, quomodo vitare posiitis, non in piorum ferè omnium reprehensiones incurratis. Nam vel illi dicent, vos nullo teneri desiderio vniendarum Ecclesiarum, vos vestra tantum curare, vos contentos esse vestra pace, denique quod multi in Gallia nomine Sacramentariorum comburantur, nihili facere: quædam enim talia non sine magno animi mei dolore, iam incipio, quanquam non mutus, subaudire. Vel vobis dicendum erit, vos quidem cupere concordiam & Ecclesiarum vnionem: sed rationem, qua id fieri possit, vos nullam videre, nullam etiam spem esse futuræ concordiæ, propter caussas, quas in literis ad Sulcerum attulistis. Sed mi charissime D. Bullingere, præterquam quod non omnes audient vestras rationes, quam prudenter etiam, & quam piè illud dici possit, tu optimè vides, si rem diligenter perpendas. Faciendum enim nobis est officium nostrum, parendum vocationi diuinæ, qualis certè, meo iudicio, ista est, qua per Magistratus pios à Deo, ad sanctam synodum, & Christianum colloquium, pro salute Ecclesiæ pastores & Doctores vocantur: deinde spe in Domino collocata, exitus totius negotij Domino est committendus. Quid? Imo si humanis etiam coniecturis & ratiocinationibus vti licet, maior hoc tempore, quam vnquam, spes est concipienda, fore, vt in hoc colloquio controuersiæ multæ, & præsertim de re Sacramentaria, componantur. Nam & inter vos multò plures sunt in præsentia viri doctissimi, & magnæ apud omnes autoritatis, quàm fortè vnquam fuerint, aut saltem post futuri sint: & inter alios, quos aduersarios vocatis, nonnulli & quidem præcipui, nostram sequuntur sententiam: Philippum dico, & quosdam alios. Philippus etiam timidus est, ita vt sæpenumero agat, quæ non probat, non dubito tamen, si in eodem & vos videat colloquio, & à vobis vrgeatur, quin omnibus viribus conaturus sit, vt veritas caussæ locum habeat: & quantum valeat ipsius autoritas apud Germanos præsertim, nouimus omnes. Mortuo Philippo, tantum certè boni exspectari (secundum hominem loquor) non poterit. Alij vero permulti sunt, qui etsi rem non tam bene teneant, non longè tamen absunt à veritate, & cum sint modesti & veritatis amantes, facilè poterunt in veram sententiam trahi, vobis auditis coram. Nam plurimum etiam valere & vrgere præstantissimorum virorum præsentiam, quis nesciat? præsertim vero, si aliqua dicendi forma vtamini, quæ & rei veritatem exprimat ac retineat & illorum etiam infirmiorum imbecillitatem aurium non offendat, id quod certè negligendum non est, vbi affulget aliqua spes totius controuersiæ componendæ, & pacis inter omnes Ecclesias conciliandæ, modo semper à talibus locutionibus abstineatur, quæ materiam aliquam confirmandæ idololatriæ præbeant. Quid enim pro salute Ecclesiarum tentandum & faciendum non est: modo non pugnet cum verbo Dei. Alij vero, fateor, quam plurimi sunt rabiosuli, furiosuli, & [illegible], indoctuli: sed ii cogentur à Deo, triumphante veritate, obmutescere, & in ordine se continere. Quod si hæc, Deo propter nostra peccata id nolente, obtineri non potuerint, iustificata saltem erit sapientia à filiis suis, ac proinde aduentus vester, nullo modo inutilis fuerit. Ego modestissimè & sincerissimè, & simplicissimè scribo quod sentio: Nullam video vel Deo gloriam, vel Ecclesię vtilitatem, vel vobis laudem, ex ista vestra sanctissimi colloquij detrectatione, exorituram. Sic iudicant omnes amici, & docti hic viri, quotquot audiui. Vos estis (vt dicitur) in proprio facto. Date etiam aliquid amicorum vestrorum iudicio. A vobis tantũ hoc petitur, vt omnib. indiceris, quoad eius fieri potest, vos esse & fore paratissimos, ad quoduis amicum cum aliis Ecclesiarum Germanicarum Pastoribus, pro salute Ecclesiæ Christi colloquium, quoties fueritis accersiti: & operam vestram piis vel Principibus, vel Magistratibus ad Ecclesias ędificandas & vniendas, minimè & nunquam denegaturos.

Quæ igitur de præiudiciis prius tollendis scribitis, iis etiam in ipso colloquio, antequam ad alia progrederemini, facilius remedium inueniri posset, quam extra colloquium. Iam superuacaneum esse iudico, respondere ad quasdam vestras in literis ad D. Sulcerum, rationes. Non enim hic disputo tecum, optime pater, sed tantum & quid hic audiuerim & quid ego sentiam de hoc negotio simplicissimè explicare, & vt filius totum hoc in sinum patris deponere volui. Dominus Iesus, qui suæ semper adest Ecclesiæ, quid pro Ecclesiarum vnione & salute faciendum sit, & nobis & aliis, quorum interest consulere Ecclesiis tantum non conuulsis, per spiritum suum S. persuadeat. Amen. Vale.

AD EVNDEM.

S. Decimanona huius mensis, Reuerende pater Bullingere, pugnatum est, idque propè Carnutes, *Chiartre* Gallicè. Fuit Condęo prælium secundum. Nam interfecta sunt ex hostib. primum 4 millia Hispanorum, deinde Heluetij: peditatus Gallicus totus: item equitatus leuis armaturæ vniuersus: permulti illustres & nobiles captiui facti, inter quos est Connestablius. Hi abducti sunt Aureliam. Inter occisos fuit Marscalcus S. Andreæ, magnus prior Franciæ, frater Guisij, & filius alter Connestabili. Inter vulneratos lætaliter est Hommalius, & Dominus de Pieue, qui transfuga fuerat. Guisius cum reliquis, fuga sibi consuluit, & se recepit Lutetiam.

Post biduum, cùm bonus Condæus in quodam pago se cum peditatu reficeret, & equitatus Germanicus occupatus esset in præda & spoliis, a quib. auelli nullo modo poterat: atque hęc rescisset Guisius: maxima & incredibili celeritate impetum talem ac tantum fecit in Condęum, vt prius Princeps, cùm videret se destitutum equitatu, quo posset impetum sustinere, dediderit se, non Guisio, sed alteri filio Connestabili, ita captiuus ducebatur Lutetiam. Occiderũt vtrinq. ad quindecim millia. Nuncius venit die Natalis D. Metas cum binis literis ad Gubernatorem, quarum vnas communicare noluit: in alteris erant hęc noua Victoria nostrorum est, nisi quòd Princeps est captiuus. Contigit huic, quod alteri Borbonio in expugnatione Romana. Octo millia Anglorum nondum peruenerunt: erant tamen in itinere cis Rothomagum. Hęc festinantissimè volui significare. De me satis in priorib. literis scripsi, & credo, quę tua est prudentia atq; iudicium, satis potuisse, quę mea sit voluntas, & quis erga vos animus, intelligere: me scilicet cupere vobiscum viuere, quod sciam, nullibi gẽtium me felicius reliquum vitę meę tẽpus transigere, quam isthic apud vos. Sed simul etiam potuisti videre, quibus de causis fieri nequeat, vt vel ante definitionem controuersię nostrę, vel saltem

rem ante meam protestationem alibi accipiam conditionem: quibus caussis hæc etiam accedit, quod Senatus non daret, nec dare posset mihi testimonium puræ doctrinæ, id quod si faceret, iam finis impositus esset controuersię. Quid n. aliud quam hoc peto? Ego bene video, quam detrimentosa mihi sit hæc mora, quoniam impedimento est, ne vel hic possim meam obire functionem, vel alibi aliam accipere conditionem. Sed quid agam? Cùm dominus ita velit me sub hac cruce exercere & eruditiorem reddere. Speramus tamen breui, non solum ante Iohannis, sed forte etiam ante Pascha, finem aliquem bonum omnib. nostris controuersiis (non est enim vna tantùm) atque molestiis impositum iri. Interim immortales vobis habeo gratias, & aueo inseruire: neque vnquam vestræ istius in me voluntatis & beneuolentię ero immemor. Tria tantum doleo, vestram scholam tanto orbatam esse non Doctore tantum, sed vero parente. ô beatum virum! At miseros nos! Alterum, me indigniorem esse, quam vt in tanti viri locum substitui debeam, & imperitiorem, quàm vt tantæ Scholæ satisfacere possim. Postremo, tantis me hic constringi vinculis, vt non statim queam, sicut cupio, ad vos aduolare, & quicquid possum, in vestræ Scholæ vtilitatem conferre. Sed vos estis prudentes. Vale mi optime & Reuerende pater Bullingere.

H. BVLLINGERVS HIERON. Zanchio S.

Literas tuas breues à D. Stanislao Iconio Polono accepi. Nec nunc quod scribam habeo, nisi Iohan. Valent. Gentilem captiuum Bernam duci. Captus est in pago *Ger*, ad lacum Lemanum. Anno 1558. reuocauit Arianismũ, mox 1561. eundem defendit. In Poloniam descendit, & Ecclesias mirum in modum turbauit. Dominus rependet illi. Quæ allata sunt Augusta, quia scio te cupidum esse cognoscendi hæc, hic mitto. Tu vicissim, si quid rerum habes nouarum, communica. Viue, vale & ora pro nobis Dominum. Saluta Dominum Comitem Martinengum. Tiguri 5. Iulij, Anno 1566.

IDEM ZANCHIO S.P.

Literas tuas, vir clarissime & Domine mihi colendiss. 7. Nouemb. datas ante ferias Natalitias accepi. Eaque quę narras de Polonia hęresib. miserè discussa, anteà literis mihi ex Polonia scriptis, est significatum. Deum itaque sedulò orabimus, vt is Ecclesiam illam liberet à peste illa lætifera.

Certissimum verò est aliquot sectæ illius Coryphæos periisse non sine luculenta significatione iræ Dei maximę. Sed ne sic quidem admoniti, resipiscunt multi. Scis tu quantum malum sit pertinax contentio. Oportet autem in Italia fieri quod fit. Papam enim principem habet. Principem autem illum oportet lacerare membra Christi. Sed hic veniet cum gloria iudicaturus illum cum omnib. suis. Vix & ego dixero, quantum doloris ceperim ex morte D. Fabritij: Sed quando Domino sic placuit, subiiciamus nos sanctæ eius voluntati. Cupis audire quid cum Valentino Gentile sit actum. Cum is pergeret omnes admonitiones contemnere, & multoties victus, errores blasphemos suos nihilominus tueri, damnatus publicè, ductus & capitis supplicio est affectus. Erant qui ipsum incendio dignum clamarent, sed gladio resectum est illi caput impium. Ferox & pertinax fuit, donec in supplicij locum venisset, vbi demum cristas demisit & mœstus periit. Et vtinam Blandrata cum suo Alciato vel resipiscat, vel mox sic pereat. Dominus Iesus infringat impios hominum talium conatus, & seruet Ecclesiam suam. Vale frater colẽde. Tiguri 6. Ianuarij, Anno 1567.

VVOLFGANGVS HALLERVS Hier. Zanchio S. P.

Qvantum omnes nos, Zanchi Doctissime, quotquot in Tigurina laboramus Ecclesia, obitus præstatissimi tui nostrique Martyris affecerit, atque indies afficiat, tam dici nequit, quam ille modo nobis restitui non potest. Quo plus enim ob oculos reuocamus atque cogitamus, qualis & quãtus ille fuerit, tanto plus de eo amisso contristari lamentarique cogimur. Fuerat non modo nostræ Ecclesię lumen atque columen, sed totius Christi in toto orbe lampas Ecclesię splendidissima, quod ipsum facit, vt non modo nos, qui presentem nobis amisimus, tam doleamus: sed vt omnes quoque vbi vbi sunt, iusta συμπάθειαν meritò nobiscum afficiantur. Atque ni hunc Dominus, quod illum nobis dederat, abstulisset, & exoptatissima salutis corona exant lato isthoc curriculo corouasset, vix sanè dolori modum inuenire atque ponere liceret. Tanta enim erat illius pietas, quam omnes suspicerent: tanta eius eruditio, neruosa efficaxque doctrinæ ratio, quam omnes stuperent, tanta morum vitæque integritas, quam omnes admirarentur, tanta consiliorum dexteritas, quam omnes obseruarent, tanta etiam comitas & humanitas, vt hanc omnes celebrarẽt: ac breuibus, talis ac tantus ipse erat, quem omnes suspicerent ac reuererenter amarent. Quis ergo nonnisi piæ Stoicissimis hominibus ἄστοργοι, non ex animo doleret omnibus hisce prædictis affluentem, tam properè nobis ereptum, & in medio quasi tramite interceptum? sed tamen Deum opt. Max. laudemus, illique agamus gratias, qui vel tandiu hunc nobis concesserit: tantumque illum suæ Ecclesiæ prodesse voluerit. Sed eccum, quæ nos fors ex eius obitu affligat? vt non modo propter illum amissum dolore, sed insuper propter illum ereptum de nouo aliquo Martyre inueniendo & substituendo modo nos torquere cogamur Dominum quidem, a cuius inuocatione isthoc semper faciendum est initium, oramus, ne nos pupillos esse sinat: sed vt ipse Helisęum, duplo huius tanti Eliæ spiritu præditum sufficiat. Atque dum ea cura Scholarchæ nostri torquentur vnus tu, mi Zanchi, es, in quem omnium vota inclinare & desinere videntur. In te enim D. Martyris spiritum, eruditionem, integritatem, magnanimitatem atq; mores, vt merito de te substituendo cogitemus, hactenus obseruauimus. Quia vero de tua voluntate certi non sumus, multumque timemus multis te, ne noster esse velis, Martyris, inquam, successor, prępediri rationib. Ecce D. Bullingero nostro, cõmuni Scholarcharum decreto iniunctum fuit, vt per literas te sollicitaret, atque quæ tibi mens esset inuestigaret, vt quando de tua voluntate nobis constaret, salutato Amplissimo Senatu Ciuitatis nostrę vocationem tui ab illo peteremus. Etsi vero non dubitem, D Bullingerum mira hoc in te propensione, magnaque diligentia facere: Volui tamen ego quoque priuatim licet, aliquid super ista re scribere, & pro meo in te animo propensoque desiderio: quod iuræ ego ad nos vocationis nomine habeo, testando, quasdamq; occasiones cogitandi subministrando, quo facilius apud te cogitare & constituere possis, quid è re tua futurum sit.

Nostra quæ sit Ecclesia, ipse nosti, & quæ nostræ Scholæ ratio, itidem. Ea si minor videatur piæ Argentinensi, nihilo tamen ignobilior, propter Martyrem præcipuè, qui in ea docuit, atque in eam vitam suam claudi cupiuit, censenda erit. Doctrina nostræ Ecclesiæ quę sit ipse nosti. Eadem omnino, quæ tua, S literarum testimoniis satis suffulta. Huius ratio libera erat, non ad dicendos aut non dicendos dogmatum terminos alligata, sed vera, aperta, simplex. Fratres Ecclesiæ atque collegij idem sentiunt, idem docent, neque est aliqua inter illos doctrinæ discrepantia atque diuersitas. Viuimus in Ciuitate libera, in populo Heluetico, aperto, sed tali quoque quem generat ista Mundi senecta, in quo ipso tamen melior potiorque pars, religionis atque honestatis amans hactenus semper in nostra Repub. obtinuit.

Priuata si repures, functionem D. Martyris æstimabis ante omnia. Legebat ille alternis hebdomadibus, primum cũ D. Bibliandro, postea vero isthoc & propter senium, & aduersam cerebri constitutionem manumisso, cum D Simlero, fido sanè illi Achate, & collega dilectissimo. Vocatus ad considerationes super dogmatibus aut rebus religionis constituendis habendas, præsentissimo semper animo atque consilio intererat. in reliquis illi semper parcebatur. Interdum quoque si minus bene valeret D. Ochinus, Italicam quoque, ne doctrina verbi Dei careret, docebat Ecclesiam. Stipendium idem & par cũ reliquis Collegij fratribus, *portionem* quam vocant, *Canonicam* habebat, non terrenas, sed cœlestes opes quærere contentus. Quam ampla vestra sint stipendia ignoro: nostra tamen illa, licet non adeo exuberent, tamen necessitati & honestati quoque seruire possũt. Non enim opes, sed Christum quærimus, præsentibus, quę Dominus dederit, contenti. Domus illius quæ & qualis sit, ipse nosti. Ea & successorẽ illius cum suo quale illud est onere manet. Ea vero non isthoc nomine enumero, vt te priuatarũ rerũ desiderio imprimis teneri existimem, sed vt ea paucis, quæ & successorẽ manent, & quibus ipse D. Martyr bene contentus fuerit, paucis perstringã. Scio quidem in tã ampla ciuitate vestra præter honestũ & satis amplũ forte stipendiũ domũq; splendidam, esse fratres nonnullos dilectos, amicos charos, & multa alia, à quib auelli sit difficile: sed tamẽ & in nostra Ecclesia & ciuitate sunt fratres concordes, amici fidi, domus & stipendiũ quod & necessitati & honestati seruiat. Plura nõ dico, ne molestus tibi velle esse videar. Tu tuã nobis doctis & honorãde vir, mẽtẽ aperi. an si hoc ita Dominus voluerit, volũtatẽ suã per Amplissimi senatus

nostri assensum confirmauerit, noster esse velis, & quasi hæres per omnia tuo nostro nostróque Martyri succedere, vt nos Dei inuocata gratia, tuam vocationem in bonum nostræ Ecclesiæ atque Scholæ vrgere atque efficere possimus. Amen. Mihi rogo ignoscas, atque vt priuatim ad te isthæc scripsi, ita priuatim ad me quoque aliquid rescribas oro. Spero autem hæc ipsa arctissimæ aliquando inter nos futuræ coniunctionis occasiones fore quod Dominus faxit oro. Hæc properè, Tiguri 18. Decemb. 1562. Dominus Iesus seruet te, téque nostrum quam diutissimè esse velit. Amen.

Tui obseruantiss.

WOLFGANGVS HALLERVS, *Ecclesiæ Tigurinæ Minister, & Collegij præses.*

H. ZANCHIVS

Wolfgango Hallero Tigurino S. D.

COmmemoratione tantùm obitus nostri Martyris, beatæ memoriæ, optime & Reuerende Hallere, tristiorem me effecerunt literæ tuæ. Quantum enim doleam, non tam mea, quàm etiam vestra, imò totius Ecclesiæ caussa tanti viri obitum, etiam tacente me, tu ipse cogitare potes, si persuasus es, me neque Stoicum esse, neque parum amatorem vestri, & totius Ecclesiæ, neque denique ignorare, qualem & quantum virum amiserimus. Commemoratio igitur obitus illius, non potest non mihi semper renouare dolorem. Cætera, eædem tuæ literæ me non parum recrearunt significatione vestræ de me opinionis, vestræque erga me voluntatis. illud tantùm dolet, quòd maiorem, vt video, plerique vestrum de me concepistis opinionem atque exspectationem, quàm vt ei ego possim vnquam satisfacere. Iam dudum quidem enitor, vt persequar Martyris eruditionem, pietatem, spiritum, prudentiam: sed quando vnquam assequar? Foret etiam mihi opus duplo maiore spiritu & doctrina mei Eliæ, hoc est, Martyris, Præceptoris mei, cùm in dies augeantur hostes, contra quos est dimicandum, & intereant fortissimi Imperatores. Sed habeo, cur contentus esse debeam, si aliquantulùm etiam minore me Deus donare velit & spiritu & doctrina, quàm in P. Martyre fuerit.

De voluntate autem mea quod petis, præter ea quæ tu scribis de consensu in doctrina, de libera Ciuitate, &c. permulta alia sunt, quæ efficiunt, vt percupiam his aliquando animi molestiis liberari, & vobiscum in pace, concordia, charitate, Christianisque consolationibus viuere & mori. Cur enim non malim inter amicos viuere, quàm inter non paucos hostes quotidie mori, & isthic quotidianis piisque consolationibus affici, quàm hic perpetuis animi cruciatibus confici? Non posses cogitatione assequi, quantus meo cordi sit cruciatus, cùm subinde noua audio, noua video, non dicam quæ, &c. ô miseram ac verè flebilem Ecclesiæ Scholæque mutationem! Quin cupiam igitur vobiscum, & in Ecclesia isthic, Italica viuere, non est cur dubites. Sed duo tantùm hic consideranda sunt. Vnum, An antequam caussa nostra, quæ iam multa habet capita. quod propter illam, noua alia inter Capitulum nostrum & Marbachium atque aliquot alios exorta sint non leuia dissidia: an, inquam, antequam hæc nostra dissidia sint composita, vel aliquem habeant finem, liceat mihi hanc meam stationem deserere, fratribus & collegis meis solis in pugna relictis? Non video, quomodo per conscientiam possim caussam tam iustam, tam bonam, non priuatam, sed nobis etiam & omnibus Christi Ecclesiis cōmunem deserere, aut negligere. Extrahitur quidem, sed patientia opus est. Alterum est, An si post exitum huius caussæ, per Dominos mihi licuerit veritatem hîc defendere, docere, ac retinere, licitum mihi sit, veritatis oppugnatoribus, meo discessu cedere. Si non liceat veritatem tueri atque docere, extra controuersiam est, mihi nullo modo hic esse manendum: sed potius iuxta præceptum Christi, excutiendum esse puluerem de pedibus, & eò, vbi locus sit veritati, migrandum. Sed illud alterum, vobis iudicandum relinquo, & vestrum etiam consilium audire aueo. Nam nihil me hic, cum aliàs etiam aliò vocarer, retinuit, quàm hic scrupulus. An verò futurum sit, vt illud mihi liceat, ignoro. speramus quidem controuersiam hanc breui finem aliquem habituram, sed qualem, ignoramus. Hoc etiam certò constitui apud me: si videam rem adhuc extrahi in longum, ante nostras Nundinas protestari, & finem ego ipse aliquem imponere.

Habes, mi Hallere, meum desiderium, habes etiam quid de me promittere possim. Opus est precibus ad Dominum. Facite vos, quod Dominus vobis faciendum esse indicauerit: Ego paratus sum illius obsequi voluntati. Quæ autem sit eius voluntas, exitus ipse docebit. Mouebit enim omnium corda, vt velint quod ipse decreuit. Ita a Domini voluntate pendeo. Ita viuo, vt paratus sim, cum voluerit, mori. Ita maneo, vt paratus sim, cùm voluerit, iubenti animo discedere. Ita denique pugno, vt si ei placeat, cupiam quiescere à pugna. Nihil præterea habeo quod scribam. Tantum cupio in tuis precibus Ecclesiam hanc & me commendari. Vale.

T. H. ZANCHIVS.

CONRADVS GESNERVS

Hier. Zanchio S.

COnuenimus heri Clarissime D. Doctor, & de substituendo in locum defuncti nuper D. Martyris professore egimus, præsente vtroque Consule, & Senatoribus duobus: tandem vnanimiter visum est, Excellentiam tuam vnam omnium optime, doctissime & grauissime, hoc munere fungi posse & propter tuam erga Ecclesiam nostram beneuolentiam, de tua voluntate non dubitauimus: quàm facile verò dimitteremis, dubium nobis fuit: Speramus tamen, id quoque non difficulter futurum, & primo quoque tempore de voluntate tua certiores fieri cupimus, qua intellecta, res ad Senatum deferetur nostrum, quem non diffidimus sententiam nostram confirmaturum: quo facto, literæ ad Amplissimum senatum vestrum, hanc petitionem continentes, dabuntur. Hæc ego subito oblato nuntio scribere per me volui. Plenius quidem omnia clarissimus D. Bullingerus noster ad te perscribet. Faxit Deus opt. max. vt inuicem coniungamur, & vicini, vt amicos & fratres Christianos decet, habitemus. Optant te viri boni & eruditi, quicunque nouerunt omnes. Vale in Domino. Saluta præstantissimum virum D. Sturmium, D. Marbachium..., & amicos omnes. Tiguri 1562. Decembr. die 15.

T. CONRADVS GESNERVS.

Ioannes Sturmius Henrico Bullingero S.

MAgna cum voluptate legi tuas & Gesneri literas ad Hier. Zanchium: vehementer enim in his molestiis & contentionibus nostris, vestro reficior de Zanchio iudicio: gaudeo etiam, optatum posse virum bonum & innocentem habere portum, si ex his procellis inimicorum euadat. Geneuensis Italica Ecclesia, item Lugdunensis, illum expetunt: patet ei etiam locus apud Heidelbergenses & Marpurgenses: sed videtur mihi iucundius amplecti hospitium Martyris: & mihi placet, & negligere non debet. Sed dum a me consilium petit, quod dem, non facile inuenio. Si accipit, quod datis, & à nobis abit: Senatus de nostra controuersia non iudicium faciet, & causa optima deseretur: si manet, excluditur ab optimo & humanissimo hospitio, à iucundiss. ciuib. & hospitib. & collegis. Si a vobis postulabimus, vt ad Calendas vsque Iulias exspectetis, tantùm quod tempus, necesse est fieri iudicium, vereor, vt possetis, & Senatus vester tamdiu exspectare velit. Est tamen eiusmodi caussa nostra, vt in hoc tertio nobis sit consistendum: & te tuosque collegas velim rogatos, primum, vt velitis per hos menses expectare: deinde vt possitis id facere, id pro vestra industria & autoritate à Senatu obtineatis. De Doct. Zanchij doctrina, religione, pietate, humanitate, placabilitate tantùm vobis polliceor, quantum de me vel me vel alios velim promittere, quas virtutes primo quoque tēpore in Zanchio deprehenderetis: si hanc aciē, in qua nō solum ipse, sed etiam ego & viri aliqui boni alij stamus, potest deserere. Ita vnius vulpeculæ insidiis & fraude circumuenimur, & eiusmodi calumniarū circumuallamur tenebris, vt nisi innocentiæ & veritatis haberemus lucernam: exitū nō possemus reperire. Hominem callidiorem, crudeliorem & tamen indoctum theologum, hic Sol conspicit neminem. Deus corda hominum sole suæ iustitiæ & veritatis illu-

illustret, ad sui & filij sui nominis sempiternam gloriam. Argent. 22. Decemb. 1562.

H. Z. Henrico Bullingero S.

INitio controuersiæ, cùm manifesta esset omnibus ferè Marbachij aduersus me iniquitas, ipsáque omnium pastorum, autore Marbachio, coniuratio, dixi non semel & iterum aliquibus etiam ex Dominis, metuendum esse, ne dum nimium volunt in tanta iniquitate & coniuratione conniuere, hominis tyrannidem magis ac magis foueant: verissimè enim dixisse Ciceronem, *Impunitate ali furorem:* & ante Ciceronem Spiritum S. per Salomonem sic docuisse: *Quia non sumitur citò vltio propter opus malum: ideò plenum esse cor filiorum hominum intra ipsos, vt faciant malum.* Frangendam igitur esse hanc coniurationem, alioqui futurum, vt Dominos pœniteat, sed serò, suæ nimiæ clementiæ & patientiæ. Nunc audi, quo in statu sint res nostræ. Non ita multis antè mensibus, vt credo te ex D. Petro beatæ memoriæ intellexisse, bonum Conr. Hubertum, & pastorem Ecclesiæ Gallicanæ, ambos canos, è conuentu eiecerunt coniurati, idque inauditos, & multò minus alicuius hæreseos conuictos, & sine consensu Magistratus, immò ipso inscio. Magistratus iusserat eos iterum recipi in conuentum, recusarunt illi. nudiustertius in suo conuentu, decreuerunt excommunicare, quotquot mecum sentiunt, & apertè me defendunt. constituerunt enim neque ipsos ad Cœnam admittere, neque ipsorum liberis Baptisma ministrare. Ante hac licet controuersia nondum esset composita: si tamen obuiam mihi factis aduersariis, aperirem ipse caput (aperui autem semper) illi vicissim idem mihi præstabant honoris atque officij. Nunc Caulina inprimis, & deinde aliquot alij, hac etiam, quæ supererat, humanitatis significatione, me amplius non dignantur: ex inimicis, facti sunt tales hostes, vt nullum amplius velint nobiscum habere commercium. Illorum tres, deinde duo alij Sueui, nobisque aduersarij, sunt nobis in Capitulo Thomensi collegæ, & in easdem leges iurarunt, antehac, iuxta leges, vocati, nunquam detrectarunt in Consilium venire: nunc omnes quinque fecerunt schisma, & composuerunt protestationem quam hodie curauerant legendam in Capitulo, sed noluimus audire, quod Capitulum non esset plenum. Protestatio est, vt audio, Marbachium Decanum, & alios quatuor collegas: non amplius venturos in Capitulum & quamobrem? primùm causantur in genere diuersitatem religionis: deinde quod velimus, eos qui cooptandi sunt in Collegium, iuxta Confessionem Augustanam huius vrbis, non iuxta Principum confessionem, examinari: se autem non posse per conscientiam consentire, quod iurarint in Confessionem Principum: & quod Domini Argentinenses, licet illam confessionem suam anno xxx. obtulerint Cæsari, ab ea tamen postea defecerint. Nos contendimus: primùm, quod facimus, iure facere, quod habeamus legem municipalem, à Magistratu datam & confirmatam Capitulo Thomensi, vt cooptandi, iuxta Confessionem Argent. Ecclesiæ, oblatam Carolo anno xxx. cum Apologia examinentur: & hanc legem fuisse a Capitone, Bucero & aliis huc vsque seruatam: nos quoque cùm in leges Capituli iurauerimus, debere & velle seruare. Neque tamen hinc sequi, Aug. Principum confessionem cui Magistratus & nos omnes, quo ad dogmata, subscripsimus, à nobis reiici. protestari enim nos, Augustanam Argentinensium, immò quatuor ciuitatum Confessionem, non pugnare cum Augustana Principum, in dogmatibus, modo hæc orthodoxè intelligatur. Deinde quod aiunt, Magistratum recessisse à sua priori confessione, falsissimum esse, id quod nos demonstraturos recipimus: qua in re fieri insignem iniuriá à Marbachio, Magistratui Argentinensi: defensuros nos, etiam doctrinam, quæ in Confessione Augustana quatuor ciuitatum continetur, consentaneam esse cum S. literis. Marbachium totum istud dissidium, & omnes has turbas excitasse, & adhuc noua Capitulo facessere negotia, tantum quod velit doctrinam Heshusij nobis obtrudere: nos malle omnes discedere: quam vt tali doctrinæ subscribamus, & hanc importunam Marbachij tyrannidem feramus. Controuersia hæc noua iam aliquot septimanas agitata fuit: & ad Scholarchas est delata. Status caussæ est: an nobis liceat & viuere, & docere & examinare, iuxta doctrinam quam Argentina cum aliis quatuor ciuitatibus Carolo Qu. anno xxx. professa est, & in Apologia clarius explicauit: deinde in aliis aliquot doctrinæ Christianæ summis, diuersis temporibus hic à Bucero, Capitone, Hedione aliisque pastoribus conceptis & subscriptis (sunt autem hæ ita puræ, vt tolerari à piis omnibus possint, id quod apparet, quia nostri Sueui eas reiiciunt:) confirmauit: An verò debeamus à Marbachio cogi ad doctrinam Heshusij de Cœna Domini, & Melchioris Specceri de Prædestinatione, quam cum Augustini, immo Apostoli pugnare profitemur: & ipsius Marbachij de perseuerantia Sanctorum, quæ contendit, *verè electos & iustificatos posse omnem penitùs amittere fidem & æternum in exitium ruere*, recipiendam atque docendam, & iuxta eam, collegas examinandos, necne. Vides D. Bullingere: quò res n. stræ sint deductæ. Necesse est, vt breui ista noua controuersia definiatur: hac autem definita, illa quoque prior definita fuerit. Potes autem ex iis omnibus colligere, quod in aliis prioribus literis ad te scripseram: verissimum esse, fieri nullo modo posse, vt pro hoc tempore hinc discedam, fratribus meis in pugna solis relictis, cùm sit caussa, quam defendimus, optima, vt scis, & vobis etiam communis. Cæterum de voluntate mea, præter ea quæ in aliis ad te scripseram, nunc etiam tum ad D. Halletum, tum ad Iulium nostrum, satis abundè scripsi. Quæ ne repetam, poteris ab ipsis audire. Exspecto autem literas tuas. Vale.

H. ZANCHIVS

Iacobo Herebrando Doct. Tubing.

FVrorem Antinomorum, quem Dominus Philippus damnat: ego quoque damno. quare cum hæc D. Philippi testimonia aduersus me profers, declaras, te quæ sit mea, immo Patrum, & vt de aliis taceam, Lutheri ac Buceri, de Perseuerantia Sanctorum in fide, doctrina nondum intelligere. Impugnare autem quæ non intelliguntur, non censeo esse docti & prudentis viri. Rogo itaque te, diligentius rem examines. neque enim dubito, quin vbi rem melius intellexeris, sis in meam sententiam, quæ tua est pietas, manibus ac pedibus descensurus. Vale.

H. ZANCHIVS

Edmundo Grindallo Episcopo Londinensi S.

QVòd mihi gratularis, Domine obseruande, illam qualemcunque constantiam, qua me donauit Dominus in defendenda caussa bona, agnosco pietatem tuam. Quod verò munusculo me ornaueris, sentio, amorem & animum erga me tuum, esse haud vulgarem. pro hoc, ago & habeo gratias: pro illa, rogo me tuis precibus apud Dominum iuues. Quæ enim res plurimum in ciuitatibus præsertim apud ineruditos, possunt: hæ contra me faciunt hoc tempore in hac caussa, autoritas & loquentia ministrorum. Iis enim tum priuatim tum publicè, ineruditæ plebi, contra me, quidquid volunt, calumniarum facile persuadent, præsertim cum ego & exterus sim, & vulgarem linguam ignorem, & nullius sim autoritatis apud hoc hominum genus. Hoc vnum me cumprimis consolatur, quod veritas solita semper est vincere: deinde quod Senatus est iustus, nec quidpiam agit præcipitanter aut tyrannice. Accedit tertium, quod Sturmius noster & visitatores ac reliqui omnes professores atque collegæ Capituli nostri, caussam, quia nouerunt esse bonam, pro sua virili tuentur, & sese in ea defendenda mihi adiunxerunt. Nemo vestrûm posset imaginari, quantum Ecclesiam & Scholam hanc, Satan annos, iam duos vexarit, turbarit, labefactarit. defuncti sunt ferè omnes senes, & illi etiam duo qui supersunt, tolerati ab ista impetira iuuentute non possunt. Si mihi liceret, scriberem res quidem verissimas atque hic omnibus notissimas, sed quas nullo modo credere vel tu vel quispiam alius vestrûm posset. Ego ipse miror meam patientiam, sed multò magis patientiam Senatus. Dominus adsit suæ Ecclesiæ. Satan qui nonnunquam se transfigurat in angelum lucis, tandem, quis sit, agnoscat, & patefiat, necesse est. Vobis vero vestram pacem atque in pura doctrina consensionem, gratulor, & Dominum precor, vt regnum Christi, in isto regno conseruet, tueatur atque amplificet; Reginam proceresque regni protegat, seruet. Faxit autem Deus, vt res succedant in Gallia, ex voto atque ex sententia piorum. Video, futurum vt totus orbis renouetur. Vale.

H. ZANCHIVS SIMONI SVLCERO.

NVllam planè audio, D. Sulcere, hic pestem esse, multò verò minùs grassati. Metuitur quidem à nonnullis, propter nimiam huiusce hyemis clementiam, sed quod metuitur, nondum adest. Multi etiam ægrotant, sed non omnis morbus est pestis. Vtinam verò tam liberati essemus omni morbo & peste spirituali, quam per Dei gratiam libera est nunc ciuitas à peste corporali. Curet nos optimus medicus Iesus Christus.

Literæ fuerunt in conuentu lectæ, quid dictum, non interfui, fortassis verò petent pastores à vobis exemplum illarum theseôn, quas vobis examinandas exhibui. fieri enim potest, vt suspicati sint nonnulli, me vobis & aliis Ecclesiis imposuisse. sicut enim caritas non est suspiciosa: sic animus malè affectus, nihil mali non suspicatur. Nihil igitur mihi gratius feceris, quam si dederis testimonium veritati, & non solum, an alias dederim theses nec ne, sed etiam de ipsis modestè vel secùs, tam priuatim in ædibus vestris, quam publicè in conuentu vestro, locutus sim, fratribus significatis. Neque etiam vel à vobis vel ab aliis Ecclesiis, testimonia doctrinæ à me hic traditæ & à meis collegis damnatæ, petij, vt illos pudefacerem: sed tantùm vt tum veritatem doctrinæ Christi, tum etiam meam existimationem, meumque ministerium, idque coactus, defenderem: alioqui id non facturus, si ipsi mecum alia quam egerunt ratione, nimirum vel disputatione vel amico colloquio, agere, vt non solum mandatum Christi, sed etiam omnis æquitas postulabat, voluissent: sed saltem si Capitulo nostro Thomensi totam hanc controuersiam componendam, sicut erat illi animus & iam diu multumque in ea re laborauerat permisissent. Verum cum interturbato Capitulo, impeditòque eius consilio atque proposito, omnes pastores me ita auersarentur, vt ne verbo quidem vllo dignarentur, & interim passim traduceret, accusarentque hæreseos: & quotidiè fierem magis ac magis περικάθαρμα τῶν πάντων καὶ περίψημα πάντων: quid mihi aliud quam quod feci, faciendum fuit? Libenter certè, tot tantisque molestiis animi, laboribus corporis, & tenuis crumenæ sumptibus, si per ipsos potuissem pastores, pepercissem. Ergo iustissima & necessaria fuit caussa meæ ad vos & ad reliquas Ecclesias profectionis. Interim tamen vbicunque Theses has examinandas proposui, longè maiori modestia, cùm de pastoribus mihi verba facere fuit necesse, vsus semper fui: sicut omnes Ecclesiæ ad quas tum profectus, testificari possunt, quam alij, cùm de me vel ad populum, vel ad collegas vel ad Dominos aut loquendum aut scribendum fuit, vsi fuerint. Sed Dominus purget nostra omnium corda, donet omnes vera resipiscentia, refingat nos in nouos homines, & Ecclesias Scholasque reformet, atque in pristinum statum vel in meliorem restituat. Ego non possum aliud statuere de istis multis in Ecclesia dissidiis, quam propter nostra scelera atque inprimis propter nostram in Deum ἀχαριστίαν: illa omnia nobis contingere. Adsit igitur Dominus suis Ecclesiis, & omnem tam spiritualem quam corporalem penitus tollat idololatriam. Vale & ora. Argent. 17. Ianuar. 1562.

H. ZANCHIVS ANDREÆ HYPERIO.

NIsi mihi esset perspecta tua, vir clariss. cum humanitas, tum iudicij æquitas, pluribus vterer argumentis, quibus diuturnum meum silentium excusarem. Sed ne hoc faciam, prohibet & amicitia nostra & prudentia tua. Non semper habemus tabellarios: multis obruimur negotiis: curæ & molestiæ non desunt. absui etiam aliquot septimanas ab vrbe. Veni in collocutionem cum Brentio, sed non omnia possum in præsentia literis committere. vir est humanus & grauis. Theses meas noluit damnare, quia non potuit etiam omnes suo calculo probare: noluit enim aduersæ parti præiudicio suo nocere. tales tamen literas ad Sturmium scripsit, vt me crimine hæreseos liberet. Rogandus est Dominus, vt hoc plusquam Vatiniano propter rem Sacramentariam odio liberet multorum corda. Fui ibi Sturgardiæ duos dies: & bis veni in collocutionem. veni deinde Tubingam & ad Vergerium diuerti: inuitati ad cœnam fuerunt tres Theologi professores, nemo eorum venit. Insequenti die, colloquium detrectare non potuerunt, quia ego veni ad ipsorum lectiones. Theses priores, *de fine sæculi, de Antichristo, de signis finis sæculi, de Prædestinatione*, probarunt. quæ sunt *de perseuerantia*. quia eas non intelligunt: probare non potuerunt: reliquas nemo potuit improbare. Nullas verò damnarunt hæreseos. Doct. Schegkius Medicus, non minus S. lit. quam artis Medicæ & Philosophiæ peritus, omnes probauit, & de iis etiam ad Sturmium, suum iudicium scripsit, Scaphusiana, Tigurina & Basiliensis Ecclesia omnibus subscripserunt: idem fecit doctiss. Ambr. Blauterus Vitoduri: Exspectamus modo indies responsum Senatus. Hęc de caussa. Sturmius præstat se virum in caussa Christi: hunc, omnes sequuntur professores, duobus tantum exceptis. Euangelium in Galliis, non quidem sine cruce, felicissimè tamen promouetur indies magis ac magis. Vale. 22. Ianuar. 1562.

H. ZANCHIVS Doctori Iunio Basiliensi.

VEstri conuentus ad pastores nostros literæ, doctiss. atque opt. Iuni, licet non statim propter absentiam D. Marbachij & Specceri (ambo enim ægrotant:) lectę tamen tandem fuerunt in conuentu, præsentibus Diaconis & Senioribus, idque non sine magna bonorum & veritatis amantium virorum voluptate & lætitia. verum non defuerunt, credo, qui haud libenter illas recitari audierunt, ita vt quidam illorum non potuerit se continere, quin me obliquè perstringeret & impostoræ accusaret, iis verbis: *Sed fortassis*, inquit, *impositum fuit illis bonis viris, nec fuerunt illis datæ veræ theses*. hæc ille. Vides quid de me sentiant: vides animos. vides affectus. opus est hic magna Spiritus sancti copia, qua vere & perfectè regeneremur, fiamusq; nouæ creaturæ. Interim non dubito, quin scripturi sint ad vos & de thesibus interrogaturi: ac fieri potest, vt sicut fecerunt hic apud Dominos, sic etiam apud vos, mirabilibus calumniis me grauent. vos scitis, quàm modestè de illis in vestro conuentu locutus sim, nihilque à me vobis fuisse propositum ad examinandum, nisi theses illas, quas mihi obiecerant, quasque partim nouitatis, partim hæreseos accusarant ac damnarant. Neque vos, nisi de istis interrogati, tum coram, tum deinde per literas, ad pastores & professores nostros, respondistis. Duo itaque te rogo: vnum, vt exemplum illarum θέσεων cures describendum, & manu duorum aut trium vestrum obsignandum: datisque vel ad me, qui hoc peto, vel ad D. Sturmium literis, hoc tantum testificemini nimirum has esse illas ipsas theses, quas vobis ad examinandum, cum istic essem, exhibui. mea enim non parum interest vestrum hac de re habere testimonium: quoniam, vt dixi, in suspicionem adductus sum noui sceleris, quasi Ecclesiis imposuerim. cuius vero grauioris criminis accusari possem? Audio prætereà, in vestris ad conuentum literis, id quod errore amanuensis procul dubio factum est, pro, *Data 6. Ianuarij*, fuisse, *datæ 6. Decembris*. ita vt etiam quidam dixerit, O multæ sunt iam septimanæ, ex quo datę fuerunt hæ literæ. Non fuerit abs te, si etiam huiusce erroris mentionem aliquam curaueris in literis ad nostros (scribent enim & cogemini respondere,) fieri. Alterum vero quod speciatim a te peto est vt si quid pastores ad vos scripserint, quod vlla ratione contra meam faciat existimationem, præsertim si carpatur doctrina, illud mihi significes, & tanquam veritatis studiosus, meipsum interroges, an ita se res habeat, nec ne, vt capta ex tuis literis respondendi occasione, meam possim existimationem apud te & per te apud reliquos istic doctos & pios patres ac fratres defendere. est autem hoc operæprecium. quare ne hæc negligas, te etiam atque etiam rogo. Nihil non pro tua humanitate facturus amicus amicum, frater fratrem rogat, omnia autem in hunc finem, vt veritas præsertim doctrinæ Christi, semper emineat, triumphet, ac regnet. cupio verò hæc omnia in sinum tantum tuum, D. Wolfgange & Borrhae esse posita. Si enim per aliquem vestrum, nostri hic rescicent, mihi significatum fuisse, quid in conuentu dictum fuerit: quidam bonus frater periclitaretur. De rebus omnibus quæ ad caussam pertinent: sicut contingent, sic etiam faciam te certiorem. Interim commendo tibi caussam, meipsum, D. Nicolaum nostrum: & multam salutem dices meo nomine, doctissimis & obseruan-

randissim. patribus ac doctoribus D. Wolfgango & Borrhao: deinde aliis reuerendis patribus & fratribus cariss. Dominus Iesus te, tuámque familiam seruet. Vale. Argent. 17. Ianuar. 1562.

HIERONYMUS ZANCHIUS

Iosiæ Simlero Tigurino S.

NE existimes, frater obseruande, me vel esse mortuum, vel vestri oblitum, has ad te, cum nouis Gallicanis, quæ cum Reuerendo patre Bullingero communicabis, mitto. Bene valemus omnes amici. si vos quoque valetis, bene est. exspectantur Theologi & viri politici à Wirtebergensi & Bipontino, ad controuersiam nostram cognoscendam, &, si possit fieri, componendam. Quid hæc sibi velint, etiam me tacente, tu ipse potes intelligere, video insidias. Ab istis tantùm duobus, & non à Palatino Electore postulati sunt, me inscio arbitri. Ego tamen ita bonitati caussæ confido, vt neminem velim reiicere, tantùm si venerit Brentius, scio quid sim protestaturus. Quò iniquiores fuerint in me homines: eò luculentius patefaciet Deus suam æquitatem. oportuit me multa propter bonam caussam perferre. Rogate Dominum pro me. Cupio tandem aliquando liberari isto purgatorio. sed opus est precibus & suffragiis piorum virorum. Vale mi opt. & cariss. frater. commendo tibi Iulium. Iubebis verò saluere Reuerendum D. Bullingerum, & reliquos fratres cum omnibus familiis vestris. Iterum valeto. Argent. 9. Februar. 1563.

H. ZANCHIUS

Simoni Sulcero & Huld. Coccio compositoribus.

QVòd vos non inuisam, Reuerendi viri, id à me fit bonis de caussis. Quòd colloquium non instituatur, miror: & quid in caussa sit, ignoro. Hoc vnum vos admonitos velim, si scripta vobis ab aduersaria parte exhibeantur circa hanc controuersiam legenda: ea multiplicis esse generis. quædam quæ meas coniunctas habent responsiones. ea vt legatis, & iudicium vestrum inde concipiatis, non solùm placet, sed etiam rogo. quædam sunt sine meis responsionibus, propterea quod illius generis scripta non fuerunt mihi vnquam ita communicata, vt ad ea respondere & responsiones vel Senatui vel aduersariæ parti exhibere licuerit. Interim tamen scio, plena esse illa calumniis. ergo quod ad hæc attinet, æquum esse, optime nostis, vt nullum inde certum faciatis iudicium, aut præiudicium concipiatis. Sunt autem huius generis quæ sciam, hæc. Primum: duæ orationes Marbachij, quarum prima, hunc habet titulum: *Exordium quod D. D. Ioan. Marbachius in Capit. 21. Martij præmisit suis responsionibus ad Zanchij 18. conclusiones*: initium verò hoc est: *Ornatiss. viri, collegæ obser. Heri primum sub noctem.* Altera, hunc habet titulum: *D. Ioan Marbachij responsio & confutatio orationis Zanchij, habita ab ipso in Cap. 7. Martij ann* 1561. Sic autem incipit: *Reuer viri, & Dom. Collegæ colendiss. Cùm Zanchij prolixam orat* Deinde liber quidam qui hunc habet titulum: *Ad Hieron. Zanchij priores tres theses quæ sunt de fine seculi & de Antichristo, ministrorum Ecclesiæ Argentinensis responsio.* Sic autem incipit: *Ad priores istas tres.* Quædam alia Germanicè scripserunt: & partim Capitulo, partim Senatui exhibuerunt. De iis etiam nisi responsa Capituli simul etiam exhibeant: quid faciendum sit, & quantum ex iis iudicari possit, non ignoratis. Summa: Suspecti esse omnibus Iudicibus debent omnes illi accusatores, qui non audent in lucem prodire & accusatos coram conuincere. Nam qui malè agit, odit lucem: qui autem operatur veritatem, ad lucem venit. Valete, &, vt debetis & confido, non secundùm faciem, sed rectum iudicium iudicate. 3. Martij 1563.

H. ZANCHIUS

Ioan. Caluino S.

Actus nostræ tragœdiæ, quæ biennium durauit, nunquam volui ad te, doctissim. pater Caluine, certis de caussis scribere: quarum non postrema fuit, quòd nihil magis potuisset totam, eámque bonam, funditus nostram euertere caussam (tanta est huius sæculi in viros de Ecclesia Christi optimè meritos ingratitudo) quàm si à nostris rescitum vlla ratione fuisset, me ad Caluinum de caussa nostra, quasi consilij ab eo capiendi caussa, scripsisse. Ergo quod per hoc tempus, piger, immò nullus fuerim in scribendo ad te: rogo in eam accipias partem, in quam vt accipias, ipsa æquitas & pietas, atque etiam mea in te obseruantia, postulat. Huc accedit, quod quamdiu vixit meus verè obseruandus pater & præceptor cariss. Petrus Martyr, illius semper, vt debebam, ita vsus sum consiliis, vt iudicarim, alios magnos viros & in rebus grauioribus occupatos, haud esse à me molestandos. Nunc summa, præsertim verò exitum totius Tragœdiæ, quia licet, ad te scribo. Neque hoc temere, sed vt tuam de ea sententiam audiam, consiliumque, si quid facto opus sit, pro gloria Dei, accipiam.

Initium huius controuersiæ, quod & quale fuerit, credo te ex multis intellexisse, affectum scilicet vindictæ in Marbachio cõtra me, quod effecerim, vt supprimeretur *Heshusij liber*, quem ille, hoc est Marbachius Argentinæ, emendato ciuitatis nomine, & clam Magistratu, contraque legem Magistratus, imprimendum curauerat. fuit ergo leue principium: at progressus fuit, vt etiam credo te non ignorare, grauior: exitus verò, haud iucundus. Nam quod ad progressum attinet, accusatus fui mox de grauiss. criminibus, non quidem in vita, Dei beneficio, sed in doctrina. Cùm ventum est ad probationes, accusatores nihil potuerunt per biennium probare. si enim hoc potuissent, quis dubitat, an fuissem mox condemnatus? Ego verò contra, principiò quasdam depuli accusationes tanquam calumniosas, simplici negatione: quasdam admisi: sed ea de quibus accusabar, neque in hac Schola Argentinensi, noua, neque in se hæretica, sed antiqua & orthodoxa esse contendi. Rem ita se habere, recepi me, si permitterer in lectionibus meis pergere, demonstraturum. Interdictum enim mihi statim fuerat continuatione meæ tractationis de perseuerantione Sanctorum. Aduersario autem, quidquid libuit, licuit. Hac de caussa, factum est, vt in Scholam, quod in ea mihi non liceret Christi doctrinam defendere, redire noluerim, rediturus, cumprimùm erepta defendendæ veritatis libertas mihi restitueretur. sed impetrari hoc nunquam potuit. Interim fit coniuratio contra me tanquam hæreticum, vt nemo Pastorum aut Diaconorum, exceptis senibus, qui in eam coniurationem consentire noluerant, me vno dignetur colloquio aut verbo: & vt omnes talem me esse prædicent, qualem esse persuasi fuerant à Marbachio, nempe *Zvvinglianum, Caluinianum, Sacramentarium, inimicum confessionis Augustanæ, hostem Ecclesiæ Argentinensis, Anabaptistam, Schvvenkfeldianum, Nouatianum, Catharum*, & quid non? Atque ita totum hoc biennium fui iis & aliis egregiis titulis, publicè & priuatim, voce & scriptis, ornatus, traductusque per ora omnium. Quale fuerit illorum consilium, facilè potes tu ipse iudicare, nempe vt vel Senatus me eiiceret: vel ego diuturna molestia affectus, sponte discederem. Agitata fuit controuersia in Capitulo nostro, sed scriptis tantum. Neque enim vnquam amicus voluit mecum congredi: atque ita noluit congredi, vt neque etiam potuerit vnquam à Consilio nostro adduci, vt ad mea saltem argumenta & autoritates responderet, sed deserto statu caussæ, suis ambagibus Capitulum, multos menses occupatum tenuit: immò & in noua dissidia pertraxit, ac tandem totam caussam a Capitulo ad XIII. viros astutè transtulit. Capitulum tamen non permisit, eã transferri, quin prius diceret suam de ea Dominis XIII. viris sententiam. Etsi vero sperabat, mox a Dominis me damnatum iri: non facilè tamen id potuit fieri. quod ij, vt prudentes & sapientes, viderint rem non ita habere sicut accusatus fueram: &, vt iusti, innocentem damnare noluerint: sed neque absoluere ausi sunt, licet & sententiã Capituli audierint, & testimonia atque iudicia Academiarũ & Ecclesiarum multarum de meis thesibus legerint, & meam denique tum supplicationem, tum Confessionẽ viderint. Ac per totum hoc tempus, non cessarunt pro concionibus, aduersarij in nos inuehi: suppressis tamen nominibus propriis, & doctrinam ipsam, vt hæreticam, damnare. Cum viderem rem ita se habere, aduersariis scilicet licere perpetuo tum Christi doctrinam damnare, tum me apud omnes, & scriptis multis huc atque illuc per Germaniã sparsis, & voce per vrbem ad populum traducere, mihi vero omnia defensionis arma erepta esse: consului amicos aliquot nuper cum essem Francofurti, quid mihi tandem faciendum esse consulerent. Probarunt meam de protestatione

facienda sententiam, quam tibi quoque per D.Ioan.Grauelium significaueram: sed ita vt prius tum iudicia ab Academiis accepta, tum meas de rebus controuersis lectiones: tum etiam depulsionem calumniarum quam Dominis nostris exhibuere, imprimenda curarem, non enim me debere sperare, futurum vt vnquam Magistratus in hac caussa aliquid pronuntiet. Necessarium tamen esse, vt apud Ecclesias aliquo modo iustificer. Audiui, & vt consuluerant, feci: sed ecce, cùm liber totus ferè esset ab Oporino impressus, detecta res fuit & indicata Dominis meis. Ipsi verò mox apud Senatum Basiliensem effecerunt, vt & exemplum vnum & ipsum αὐτόγραφον ad se mitteretur, reliquis omnib. in dolium quoddam coniectis. Viderunt Domini, librum esse modestum, sine vllo conuitio: neminem ibi nominari: neminem perstringi; veritatem tantum defendi. Interea tamen, an permissuri sint illum absolui & in lucem produci, ignoro. Venio nunc ad exitum caussæ.

Mense præterito, venerunt ad nos, Iacobus Andreæ Theologus: & D.Chilianus Iurisperitus, missi à Wittebergico: & Chunmannus Flinsbachius Superintendens; & alius quidam Iurisperitus, missi à Bipontino: Sulcerus quoque & Coccius, missi a Senatu Basiliensi. accersiti verò omnes a nostris Dominis. Adiuncti iis fuerunt quatuor, ex Dominis nostris, vt ij omnes controuersiæ nostræ finem tandem aliquando imponerent aliquem. De principio facta mihi fuerat certissima spes aut disputationis aut saltem colloquij cum aduersa parte. Hic ego, qui à Palat. Electore neminem missum esse videbam, quod nemo etiam accersitus inde fuisset, aliquid metuere cœpi. Interim tamen, quia fidebam bonitati caussæ; & exspectabam omnino disputationem aut colloquium, Sturmio dixi: Tu tantùm pro tua prudentia, cauero & curato, vt neque circumueniamur neque opprimamur. Quòd verò attinet ad disputationem, illius onus mihi permittito: modò veniatur ad disputationem, aut colloquium, vicit veritas. Dum verò me diligentius ad disputationem præparo, compositores illi, Acta & omnes nostras scriptiones, quas Magistratui exhibueramus, legunt. iis perlectis, vtraque pars fuit vocata, sed seorsim. quid cum parte aduersa egerint, me latet. Mecum verò quatuor illi Theologi contulerunt tum de prædestinatione, tum de perseuerantia cùm in vtroque articulo, fuisset illis non solùm meis scriptis, sed etiam a me viua voce satisfactum, dixerunt, inter Pastores & me, hos duos articulos facile conciliari posse: quod ipsi quoque nō improbent Augustinum, Lutherum, Bucerum. superesse tantùm, vt de Cœna meam audiant sententiam. Hic, me meam explicasse sententiam in mea Confessione, quam legerunt: & in depulsione postremæ calumniæ, iuxta verba Christi ab Euangelistis recitata: & interpretationem Pauli. At quid de præsentia, inquit Iacobus Andreæ, sentis? De præsentia, inquam, non libenter disputo, quia nullum ea de re verbum in Scripturis habeo: neque enim vllibi lego, aut Christum dixisse, *Hic est corpus meum:* aut Paulum verba Christi ita interpretatum fuisse, vt docuerit, *vbi celebratur Cœna, ibi esse corpus illud Christi quod pro nobis traditum est.* Audio quidem, cùm Cœna fit, hæc Christi verba, *Accipite, edite. hoc est corpus meum quod,* &c. audio etiam Paulum hæc verba ita explicantem, vt dicat, *Panem quem frangimus, esse κοινωνίαν corporis Christi:* sed nullibi lego, aut illum dixisse, *Hic est corpus meum.* aut istum docere, *Corpus Christi in eo esse loco vbi celebratur Cœna.* Interea tamen si loquendum sit de præsentia corporis Christi in Cœna: dico, illud esse præsens, non corpori, sed spiritui nostro. Non corpori, quod nullis sensibus corporis mei illud percipiam. Menti autem, quod menti & animæ meæ se verè communicet. Nam & oculis mentis fidei lumine illustratis, video: & manu spiritus contrecto atque amplector: & ore animæ atque fidei edo, & mihi incorporo corpus Christi mortuum pro me: illiusque effecta in me sentio. præsens igitur esse animæ & spiritui, inficiari non possum: corpori verò, admittere non valeo. Tum hic Iacobus Andreæ: profectò, inquit, vos idem sentitis, quod & nos. quid igitur contendimus? Quid sentiam, dixi ego, audiuisti. si autem eadem est etiam vestra sententia de præsentia corporis Christi, gratulor Ecclesiæ. Cæterùm hîc non explicaui discrimen esse inter præsentiam alicuius rei, & inter localem eiusdem propinquitatem; & inter absentiam, eiusdémque localem longinquitatem. Cùm ille interrupisset sermonem eúmque probasset; nolui præterea aliquid adiicere, quod non videretur consultum. Nam mox incidimus in sermonem de manducatione orali. Hanc quoniam ego in mea Confessione damno, ipse eam declarauit, rotundis & apertis verbis confitens: *se & alios suos non ita loqui, quasi corpus Christi os & corpus nostrum attingat,* hoc esse falsissimum: *sed se & illos, ideò aliquando sic loqui, tantum propter Sacramentalem vnionem.* De manducatione impiorum, cœperamus disputare: sed hanc etiam mox abrupit. Ita discessum fuit. Ego verò, tum ex iis quæ inter nos contuleramus, & illi probarant: tum ex iis, quæ non semel ex Cunmanno & Coccio, audieramus omnes: putabam rem optimo esse loco: & veritatem triumphaturam: id quod mox ad nostrum pastorem non certè sine lacrymis præ gaudio, retuli, vt ipse quoque lætitia mecum afficeretur, & gratias mecum ageret Domino: & preces ad eundem ingeminaremus. Sed dum in hac bona viuimus spe: ecce quid præter omnem exspectationem contingat. Exhibentur D.Sturmio primùm: deinde mihi & Conrado, articuli quidam de prædestinatione, à Cunmanno nomine omnium compositorum, vt iis subscribamus. sed ita exhibentur, vt nobis non liceat eos domum ferre ibique examinare. Respondi itaque Cunmanno, non posse me illis subscribere, nisi domum feram & diligenter quietóque animo, singulos singuláque illorum verba perpendam. Se id non habere in mandatis, dicebat. Interrogor deinde sententiam meam à Sturmio. Respondi: quantum per tam parum temporis, quo illos cursim legi, iudicare potui, mihi illos non videri, si habeant æquum interpretem, vllam in se apertam continere impietatem. metuere tamen me, ne aliquid ibi lateat insidiarum: tum quod non permittantur nobis domi examinandi: tum quod voces quasdam habeant ambiguas: tum quod ea tantum ibi posita esse mihi videantur, quæ D.Marbachius & alij sic docuerunt, & quorum contrariam sententiam a nobis probari & doceri calumniati sunt, cùm tamen hæc nunquam fuerint in controuersia. Esse itaque ita astutè & artificiosè compositos articulos istos: vt si negemus subscribere, confirmandi sint populi in sententia: quæ scilicet concionatores de nobis calumniati fuerant, ea esse verissima. si verò subscribamus, nos visum iri plebi reuera aliter quam hi articuli contineant, credidisse & docuisse: nunc autem resipuisse, ac proinde etiam subscripsisse. Postridie redit idem & eodem modo petiit. relego iterum: sed simul etiam idem, quod antea, respondeo. Tum ille: se ideò & reliquos compositores nolle in manibus meis relinquere articulos, tum quod metuant, ne prolixos in eos scribam commentarios: tum quod, si nobis id concedant, idem quoque aduersarij petituri sint: tum denique quod oporteat citò expedire: sibi intra biduum ad summum, domum esse redeundum. Tum ego: æquum est, inquam, vt si vtraque pars subscribere debeat: vtrique etiam parti, postquam fuerint diligenter examinati, probentur. commentarios autem me non esse in eos compositurum. cùm verò dissidium hoc biennium durauerit: quid est, dixi, quod nunc, quando est prudenter concludendum, velitis ita accelerare? Ego certè in re tanti momenti, *nihil præcipitanter agere volo.* Discedit ille. Sed amicus me vrget; vt subscribam. nihil esse insidiarum metuendum: esse bonos viros: & seriò illos cogitare de concordia: plus nobis concedi quam aduersariis. Ego contrà, hanc agendi rationem & hanc festinationem, mihi esse suspectam: non posse igitur acquiescere, vt subscribam: nisi eos articulos diligenter domi meæ per otium examinem ad Lydium S. literarum lapidem. Postridie igitur venit alius ex compositoribus, & hortatur, vt ne diutius reluctor. Ego, inquam, non possum, salua conscientia & existimatione mea, vllis articulis subscribere, nisi prius bene & diligenter à me domi meæ examinatis, & conscientiæ meæ approbatis. non enim possum subscribere, cui prius non subscribat conscientia. ac miror vos, cùm sitis Theologi, hanc inire rationem, quæ contra omnes est leges, diuinas atque humanas, contraque omnem æquitatem. Vesperi itaque illius tertij diei, eosdem articulos ad me retulerunt in præsentia nostri Sturmij, vt domi meæ eos examinem ea nocte: sed hac lege, vt ne describam, sed manè mox reddam. Adiecerant hic, generalia etiam quædam de Cœna: vt scilicet doceatur ex verbo Dei, secundùm Confess. Augúst. & eius Apologiam, & articulos concordiæ inter Lutherum & Bucerum. Summo mane venio ad Sturmium, vbi multi alij ex nostris fratribus & collegis. refero, quid mihi de iis articulis videatur: idem nempe quod de principio dixeram: non esse igitur subscribendum: nisi adiecta etiam bona & prudenti protestatione. Dum hæc inter nos deliberantur: compositores iuerunt in Senatum, ibique suum de Actis & vtriusque partis scriptis atque sermonibus, iudicium retulerunt: atque cùm de me dixis-

dixissent: audio Petrum Sturmium prætorem & Scholarcham dixisse: Vbi igitur nunc sunt tot & tantæ hæreses: quæ Zanchio obiiciebantur? Concessum autem nobis fuerat, vt protestaremur voce: sed vt ne vllam eius mentionem in subscriptione faceremus. hoc etiam fuit mihi suspectum: & veritus sum, ne nostris vellent abuti scriptionibus aliqui ipsorum, ad alios, vt simpliciter tali doctrinæ subscribant, nostro testimonio permouendos. nolle igitur me subscribere, nisi subscribam etiam meam protestationem: idque eò minus, quod etiam compositores à me admoniti, vt ambiguas voces explicarent, facere id detrectarint. Hic omnes, à minimo vsque ad maximum contra me: me vnum in caussa futurum, vt tanta concordia impediatur: vt Ecclesia Gallicana euertatur: vt ciuitate cum infamia eiiciar: magnumque præiudicium causæ nostræ fiat: futurum etiam, vt aduersarij contra me, tanquam condemnatum, è suggestis proclament: vt confirmentur multi, quæ per calumniam de me fuerant sparsa, ea fuisse verissima. Ego contrà, debere nos vrgere, vt causa controuersa iudicetur: deinde de noua docendi formula, nos responsuros. At alij, non eos venisse, vt iudicent, sed vt componant. non possum omnia dicere. Relictis igitur collegis qui in eadem caussa erant, consului alios amicos & pios viros: quidam dissuadebant: quidam tamen etiam, spectatis iis, quæ possent, nisi subscriberem, consequi, dixerunt posse me subscribere, etiamsi nullam protestationis mentionem in subscriptione faciam, aut etiam scriptam eam exhibeam, modo coram omnibus voce protester, satis fore. Etsi verè hæc audiebam, conscientia tamen mea acquiescere non poterat: quòd videbam, fieri posse, si non in præsentia, saltem in posterum, vt meo testimonio multi simpliciores seducantur. Cum igitur omnes reliqui collegæ irent ad ædes vbi congregati erant Domini, subscribendi articulis gratia: ego renui eò venire: malle me eiici vrbe, aut etiam mori, quam ita simpliciter talem doctrinæ formulam, mea manu comprobare. Cum domum redirem, reuocatus fui ab amico, vt saltem interessem: etiamsi subscribere nollem. redii. sed hic iterum rogare per Jesum Christum, vt velim vna cùm aliis subscribere, nihil esse periculi, nihil insidiarum, & multa id genus alia. Tandem putaui, me posse salua conscientia, morem amico & fratribus aliis gerere, si ita subscriberem articulis, vt ea tantum probarem atque reciperem, quæ pia esse, ego ipse agnoscerem, præmissis primum exceptionibus. Cum itaque ad rem ventum est, dixi me quidem subscripturum: sed hæc priùs protestari. Primum: me nolle, vt hac mea subscriptione, vllum fiat præiudicium aliis Ecclesiis, Academiis ac veritati. Deinde, neque vt aliquid derogetur doctrinæ illi, quam hîc per decennium docui, & quæ continetur in meis lectionibus, disputationibus, confessionibus. Postremò, vt mihi liceat tam hos articulos, quàm August. confessionem, Apologiam, & articulos concordiæ, interpretari iuxta regulam verbi Dei, doctrinam Augustini & Lutheri, explicationésque Buceri & Confessionem huius Argent. ciuitatis. Deinde in hæc verba subscripsi, *Hanc doctrinæ formulam, vt piam agnosco, ita etiam recipio: Ego Hier. Zanchius.* Si quid igitur non agnouero pium, illud me non recepisse, manifestum est. Die insequenti, redimus: atque hîc alia fuit actio. hortati sunt, vt omnes iniurias, conuitia & maledicta, vtrinque ex animo condonaremus. hoc facile impetratum fuit. Deinde, vt daremus dexteras amicitię & fraternitatis. Difficilem etiam hîc me præbui: quòd conscientia argueret, non esse dandas dexteras, nisi certior prius fierem, consensionem inter nos esse in doctrina ad salutem necessaria, inque vera religione: iuxta dictum Ioannis in altera Epistola. Manifestum autem est, Marbachium damnasse doctrinam Christi hęreseos. quomodo igitur possum dare ei manum, nisi prius vel ab ipso, vel à Compositoribus certior fiam, eum non amplius damnare talem doctrinam? Hic, Sulcerus, seorsum mecum agit. & ait, peti vt dexteras demus in testimonium duarum rerum, primùm, quòd ex animo in eam formam doctrinæ subscripserimus: deinde quòd etiam ex animo condonauerimus iniurias. de controuersa doctrina nihil, inquit, mihi dicas. ea non est iudicata, neque ad nos pertinebat eam iudicare: sed ad synodum aliquam. Fuit mihi vtcunque satisfactum. Non potui tamen continere me, cùm daturus essem dexteras Marbachio, quin illum interrogarem: *an amplius agnosceret me pro hæretico: & doctrinam quam docui, pro hæretica?* Hic, homo se torquere, & nescio quæ, coniectis in Compositores oculis, verba dicere. Tum Compositores iusserunt me de iis rebus tacere. Ita facta est quædam concordia. In concionibus deinde, Theologi illi quatuor, significarũt populo, omnes tam professores quam pastores, esse bonos & pios viros, inuentaque esse in eorum scriptis, quibus facilè omnia conciliata sint.

Hic est finis nostræ tragœdiæ, optim. pater Caluine, quę verbosius explicare volui, vt singula meliùs intelligeres: & qua in re aut peccatum aut non peccatum sit, iudicare possis. Rogo autem, vt boni consulas meam verbositatem. non ita felix sum, vt tu & Sturmius, qui multa paucis & perspicuè explicare possim.

Nunc accipe breuiter appendicem quandam. Postquam omnia, quæ ad narratam actionem pertinent, fuissent confecta, omnesque Compositores discessissent: vocati fuimus à Dominis nostris Sturmius, Marbachius, & ego: iussique fuimus: primùm, omnia, quæ ad Acta huius caussæ pertinerent, in Cancellariam ferre: id quod mox ego feci. Deinde, vt ne de iis articulis controuersis in Schola disseramus aut disputemus. Postremò, vt neque aliquid de iis rebus imprimendum curemus. Quod me attinet, ita respondi: Quandiu fuero vester ciuis & professor in vestra Schola mandatis vestris obtemperabo: sicut etiam hactenus feci. Die insequenti, petita tamen venia ab vno Scholarcha & à Sturmio, Decanoque, discessi Argentina venique ad Thermas Badenses, tum animi tum etiam valetudinis gratia, iturus in Rhætiam ad parentes vxoris meæ. Contuli verò me post Thermas, Tigurum, & communicaui omnia cùm nostro Bullingero optimo amico & patre. Aueo tuum quoque audire consilium, an mihi manendum sit Argentinæ, iis legibus, quas audiuisti. Ego planè dubito: quia tamen sum in propria caussa, libenter piorum & doctorum virorum audio consilia. Altera etiam ex parte, si discedam, metuendum est, ne, vt Sturmius dicebat, ostium planè lupis aperiatur. Exspecto itaque consilium tuum. D. Bullingeri sententia est, vt petam à Dominis, eam mihi docendi libertatem concedi, quam ante hoc dissidium habui: quòd si nolint, petam missionem: vel primo quoque tempore liberè meam in Schola explicem sententiam, præsertim de Cœna. Si Domini taceant, bene: si prohibeant, discedam. Cupiebam ad vos vsque excurrere, tum inuisendi fratres, tum tecum aliis etiam de rebus colloquendi gratia. Sed difficultas itineris, hac incommoda tatis tempestate, me retinuit: fortasse cùm rediero ex Rhætia, Deo volente, id efficiam. Rogo verò, cures vt ille Dominus, qui hunc tabellarium, virum bonum huc misit, excusatum illum habeat, quod non tam citò redierit, vnum enim diem ampliùs nos illum detinuimus hîc, vt per illum possemus literas quoque ad vos mittere. Vale opt. pater: & Dominus Iesus te diu ad Ecclesiæ salutem & regni sui propagationem, conseruet. Tiguro 18. April. 1563.

Ioannes Caluinus, Guilhelmo Holbracho

S.

ET breuitati meæ & tarditati simul, ignosces, optim. frater. verùm sat cito, si sat bene. & satis prolixa erit respõsio: si dilucida. Quod sententiæ, quæ maló & captioso artificio, ad obscurandam veritatis lucem, composita est, hactenus subscribere non ausus es, cordatè fecisti: præcisè tamen vt recuses, non consulo. De prædestinatione, nihil palàm impium protulerunt arbitri, tantum vt liberali assentatione placarent Marbachium: tenebras claræ luci obduxerunt. De Cœna verò, ita pronuntiarunt: vt docendi libertas tibi sit erepta: nisi velis quotidianis calumniis te sponte obiicere. Nunc ergo exceptiones interponere necesse erit: quæ te molestia liberent. Si admissæ fuerint quoad fieri poterit: dandam operam censeo: vt tua moderatione Ecclesiam tuam conserues: cuius dissipationem moliuntur. idque vt facere contendas, etiam atque etiam rogo. Vale integerrime frater. Dominus tibi adsit, te gubernet: sanctosque tuos labores benedicat. Geneuæ 13. Martij 1563.

Iohannes Caluinus eximiæ pietatis & doctrinæ viro D. Hier. Zanc. Scholæ Argent. doctori, Theologo, fratri & amico mihi colendo.

SCùm audirem, Sulcerum & Iacobum Andream vocatos esse, qui vestras controuersias suo arbitrio componerent: de vno capite mediocrem spem concepi, quòd

scirem, de arcana Dei prædestinatione vtrumque rectè sentire: interea flexibile esse vtriusque ingenium ad captãdum fauorem. In doctrina verò S. Cœnæ, semper infelicem exitum mihi proposui. Sulcerus enim vt morem gerat Lutheranis, medius videri appetit. Ab altero verò quid speres: qui totus mancipatus est Brentio, & se vendidit. Sic ergo accidit. Nam prædestinationem, quam labefactare non audebant, flexiloquis ambagibus implicitam, vobis, instar thesauri absconditi, reliquerunt. In Cœna autem, Augustana Confessio in manu Marbachij, quasi laqueus erit: quo vos: (si Diis placet:) quoties libuerit, constringat. Verum de re transacta, frustrà conqueror. Nec vero, me autore, ex subscriptione ambigua, tergiuersandi ansam captabis: quia minime ingenuum esset, leui cauillo elabi: & quod malam astutiam saperet. Vnum restat, vt prima quaque occasione apud Senatum testeris: syncero pacis studio te fuisse adductum, vt subscriberes: sed disertis exceptionibus additis: ne tibi imposterum fraudi esset tua facilitas: Idem verò nunc iterum profiteri. ne quis tibi obiiciat: vafrè dissimulasse quod liberè aperiendum erat. Nihil ad eam actionem oportunius, quam si Holbrachum nostrum aggressi fuerint aduersarii. Si audiri fueritis, & vestra protestatio admissa: vicistis. Sin minùs, cauete. Vale eximie vir, & mihi ex animo colende frater. Dominus tibi semper adsit, te gubernet ac tueatur. Geneuæ 13. Maii 1563.

Ioannes Caluinus tuus.

Idem Caluinus Hieronymo Zanchio.

SRumorem de optimi fratris nostri morte isthuc perlatum esse arbitror, quem tibi æquè ac nobis tristem atque acerbum fuisse non dubito. Certè iacturam non leuem fecit Ecclesia Italica, cui, fidi, & seduli pastoris officia quęcunque desiderari poterant, conatus est præstare. Nunc verò cùm tu populi suffragiis electus sis successor, vide ne & gentis tuæ vota frustreris & miserum gregem in summa necessitate deseras. Scio, & memini quam multas olim difficultates mihi obieceris, quum te omnium hortatu accerserem: nolui tunc acriùs vrgere, ne inuitum trahendo, & tibi priuatim, & Ecclesiæ communiter male consulerem. Nunc meo quidem iudicio, longe diuersa ratio est. Grex pastore orbatus, quum alibi recuperare nequeat qui ad hanc prouinciam obeundam sit idoneus, fidem tuam implorat. Nisi breui auxilium feratur, timenda est dissipatio, quæ nobis omnibus grauissimum mœrorem afferet. Imminet occasioni Satan, ac nisi quosdam in officio contineat non vulgaris authoritas, maturè erumpet eorum proteruia. An fructuosus sit nunc tuus labor, nescio, nisi quod magno cum dolore audiui, rarum & propè desertum esse auditorium. Quod si verum est, publicæ vtilitatis ratio te iam non morabitur: priuatis autem commodis vel quieti te non fore addictum certò persuasi sumus. Quò magis tibi prouidendum est, maiusque tibi onus incumbit, vt popularium tuorum fiduciæ respondeas. Scio non esse tibi liberum discessum, nisi soluto vinculo, quo nunc obstrictus es: verùm tota in hoc deliberatio posita est, si isthic friget tuus labor, in hac vrbe fructus longè vberior proponitur: annon sanctiore vinculo huc te Deus trahat, quàm isthic retineris? In hanc sententiam vbi semel descenderis: facilis erit missio: cuius petendæ non iniungitur tibi necessitas: sed Senatus noster vestrum rogat, vt te nobis concedat. Quod si tibi in animo est, destitutæ Ecclesiæ opem ferre, vereris prouerbii memineris, *qui citò dat, bis dat.* Vale vir eximie, & mihi colende frater: Dominus te Spiritu suo in hac deliberatione gubernat, tibi semper adsit, tueatur incolumem, ac benedicat. Geneuæ 14. Martii 1554.

Iohannes Caluinus tuus.

H. Zanch. Dauidi Chailletto.

FAlleris mi frater carissime, falleris inquam, nec parum falleris, si putas me à tradita & defensa per me hic doctrina, vel latum digitum recessisse, vel etiam defectionem vllam simulasse. Principiò, articuli in se, nihil apertè impium continent, cui non possit bona conscientia, sed adhibitis exceptionibus, immò etiam cur non debeat, pacis Scholæ atque Ecclesiæ conseruandæ gratia, subscribi: id quod etiam D. Caluinus non semel testatus est, tum voce, tum literis. proinde Holbrachum hortabatur ad subscriptionem, modò ipsi liceret excipere: potiùs quam vt sineret Ecclesiam, id quod aduersarij moliebantur, dissipari. Ego verò, nulla alia ratione & nullis aliis de caussis, quam vt ne locum cederem talibus aduersariis, qui præter impiam de Cœna, deque vbiquitate doctrinam, Pelagianismum etiam in Scholam introducerent, subscripsi: idque tùm demum, cum vidissem, reliquos omnes meos collegas subscripsisse: & mihi, nisi idem facerem, omnino stationem esse deserendam: id quod cum primis cupiebant aduersarij, & omnibus suis viribus, hoc est falsis accusationibus, calumniis, clamoribus, conuitiis, dolis & cuniculis, totum biennium conati fuerunt, vt consequerentur. Præmisi porrò meas exceptiones: & protestatus sum palam, me nolle, vt hac mea subscriptione vllum fiat præiudicium aliis Ecclesiis & Academiis, quæ mihi dederant testimonia, neque ipsi veritati, neque doctrinæ, quam ego in hac Schola tradidi per octennium, quæque continetur in meis prælectionibus, disputationibus, Confessionibus. Velléque, vt mihi liceat interpretari tam Augustanam cõfessionem, quàm præsentes articulos, iuxta regulam verbi Dei, doctrinam Augustini, Lutheri propter doctrinam de prædestinatione & Buceri. Neque has exceptiones, Compositores reiecerunt. Quomodo igitur recessi à recepta doctrina? Immò contra Compositores, rotundis verbis, Sturmio, mihi & aliis aliquot collegis, dixerant antea: Pastores nobiscum admittere doctrinam Augustini, Lutheri, & Buceri de Prædestinatione: & mihi seorsum, cum ostendissem, eandem planè conclusionem de perseuerantia Sanctorum, in libro Heshusij de Libero arbitrio, dixerunt, Meos aduersarios totum illum librum probare. De Cœna etiam, concesserant nobis doctrinam Buceri & aliorum maiorum nostrorum, qui in hac Schola atque Ecclesia docuerunt: adeoque Confessiones omnes & Apologiam huius ciuitatis. Mihi verò speciatim, hanc meam de præsentia corporis Christi in Cœna explicationem, admiserunt: illud nullo modo præsens esse corporibus nostris, quod nullo corporis sensu percipiatur. præsens verò esse fidelium mentibus quod ab ipsis verè percipiatur: atque ita verè percipiatur, vt ipsius vis, in ipsa quoque corpora nostra redundet, qua indies magis ac magis mortificentur, regenerentur & capiti Christo incorporentur, atque ad gloriosam resurrectionem disponantur. Cum hæc illi nobis concesserint: cur non debuissemus & nos articulis illis, concordiæ gratia, subscribere? Adde, quod antequam fieret subscriptio. Sturmius miserat ad Compositores, permultas conclusiones impias ex libro pastorum contra me scripto, collectas: compositores eas, vt audio, prælegerunt pastoribus & interrogarunt, an ita docerent; responderunt, se non ita sentire. quid hoc fuit: nisi errores recantasse, & veritati acquieuisse? Cur igitur non subscripsissemus articulis minimè per se impiis? Nam quod ibi traditur de vera & substãtiali præsentia corporis Christi: impium non est, si interpreteris de illa præsentia qua præsens est mentibus fidelium, vt ego exposui. præsentia enim hæc, nullo locorum licet maximo interuallo, impediri potest. Neque præsentiæ nomine, intelligenda est propinquitas quæuis localis: sed talis propinquitas, qua, res quæ dicitur esse præsens, percipi possit ab illo, cui dicitur esse præsens. Quod locale spatium attinet, Solis corpus multò magis distat ab oculis meis, quam tu qui Lugduni es. interim tamen Sol dicitur mihi, hoc est oculis meis præsens esse: non autem tu. quamobrem, quoniam ille ita oculis meis propinquus est: vt ab eis percipiatur. tu vero nequaquam. Idem Sol non multo magis distat à nobis, cum est supra aliud hemisphærium, quam cùm est supra nostrum tanto enim magis tum distat: quanta est terræ, quę interponitur, crassities. tunc tamen dicitur & est verè absens. quid ita? quia non potest percipi ab oculis nostris. nunc vero præsens est, quia percipitur. Eatenus igitur aliquid dicitur alicui esse præsens, quatenus illud ab hoc percipitur. Verum autem & substantiale corpus Christi percipi ab animis, mentibusque fidelium, tum in prædicatione Euangelij, tum speciatim in Cœna, quis verè pius neget? Non est igitur per se impia illa sententia: *Corpus Christi in Cœna verè & substantialiter præsens esse*: si addas, *Mentibus fidelium.* Nihil enim inter corpus Christi gloriosum quod in Cælo est, & mentes nostras, quæ substantia in terris sunt, intercedere potest, quod veram inter ea vnionem & κοινωνίαν impedire queat, nisi impœnitentia atque infidelitas. Sicut per Prophetam dicit Dominus: *Peccata vestra diuiserunt inter me & vos.* quæ duo cum absint a fidelibus consequitur veram esse κοινωνίαν, ideoque veram præsentiam inter corpus Christi & fide-

lium

lium mentes, immo & quodammodo inter corpus Christi & corpora nostra: quatenus, vt dixi, virtus corporis Christi pro nobis crucifixi, vi sui Spiritus deriuatur in corpora nostra ad maiorem sanctificationem in hoc sæculo, & gloriosam resurrectionem in alio sæculo. quæ omnia, sentiunt experiunturque fideles in seipsis.

Quod etiam in illis articulis habetur. *Qui obediunt concupiscentiis peccati, amittunt fidem:* (nam forte hoc te vehementer offendit: quasi pugnet cum illa doctrina, propter quam excitatum fuit dissidium:) nihil habet absurdi: si attentè & diligenter verba perpendas. Principiò, conditionalis est propositio: *Si qui obediunt.* Ego verò nego, *Sanctos illos, de quibus mea erat propositio, verè obedire concupiscentijs peccati:* etiamsi nonnunquam in peccata ex aliquo etiam consensu, sed non pleno, labantur. quomodo enim illi dicuntur obedire peccato, quibus perpetua pugna est contra peccatum: qui carnem suam crucifigunt cum vitiis & concupiscentiis; qui perpetuò student legi Dei seruandæ: in quorum cordibus scripta est & viget lex Dei: qui ex animo dicunt, *Mente quidem se seruire legi Dei: carne autem legi peccati:* qui denique, antequam peccent, cum Petro mallent millies mori quam semel peccare: & cum peccant, non ex animo, neque ex contemptu aut odio legis, neque ex destinata malitia: sed vel infirmitate, vel ex ignorantia, semper autem contra animi propositum, peccant: & postquam peccarunt, cum eodem Petro dolent, lugent, resipiscunt? Quòd si secus fecerint, non illos ego appellauero Sanctos: neque de illis intelligendæ sunt meæ prælectiones ac disputationes. Deinde etiamsi quis contendat, Sanctos, cum peccant ex aliquo consensu, vt fecit Petrus & Dauid, obedire concupiscentiis peccati: aliud mihi suppetit responsum, quòd defendam, propositionem illam compositorum, non pugnare cum ea, quam hic defendi doctrinam de Perseuerantia. In mea thesi est, *eos non excidere penitùs à fide:* articulus compositionis habet simpliciter, *eos amittere fidem*, sine particula, *Penitùs.* Quis autem inficietur; fidem etiam in Sanctis, cum peccant aliquo modo amitti, hoc est, suffocari, infirmari, languescere: denique amitti fidem, hoc est feruorem fidei. Et apertè ipsi explicant de qua fide loquantur cum aiunt; *Amitti fidem, quæ est fiducia de remissione peccatorum.* Intelligunt igitur, cum peccatur ex consensu etiam à Sanctis, actualem illam fiduciam, qua persuasi erant de remissione omnium peccatorum, qua accensi erant in Deum, qua denique fiebat, vt nullius sibi conscij essent peccati, quod sentirent, omnia esse remissa; ita extingui, vt iam noui peccati conscii facti sentiant, se reos esse mortis, quæ stipendium est peccati; atque ita sentiant, se reos esse, vt etiam simul intelligant, nouo sibi actu resipiscentiæ & fidei, opus esse ad remissionem noui peccati impetrandam. Quis autem hoc inficias eat? aut quando ego vmquam aliter docui? Sed totam penitus extingui fidem, totamque tolli fiduciam, ita vt de Dei misericordia déque remissione peccatorum diffidant; neque illi docent; neque ego aduersariis concessi. Vides igitur, frater, quam graue sit meum peccatum; quod articulis illis subscripserim; Sed tibi dicam ingenuè, qua in re peccauerimus omnes nos; in eo quod nimis fuimus creduli, nimis boni, nimis faciles, & nostra simplicitate atque candore, mensi sumus aliorum astutias atque calliditates; & putauimus, *Inter bonos bene agier.* Profectò verum est dictum Christi; *filios tenebrarum, prudentiores esse filijs lucis in genere suo.* Curandum nobis fuisset, vt Compositores quę verbo concesserant, scripto etiam confirmarent; alioqui non debuissemus subscribere. Sed contenti fuimus illorum verbis & promissione, qua dixerant, se nobis semper daturos testimonium nostrarum exceptionum, cum opus foret. ita stulti ducti fuimus ad macellum. acceperunt aliqui ipsorum, nostras subscriptiones; & eas miserunt, quocunque voluerunt, triumphantes de nobis, seque extollentes, quòd egerint omnia prudenter & feliciter, nos vero nihil illorum habemus, quòd possimus ostendere, nisi verba & promissiones in recenti memoria, quas possimus referre & iustè illis obiicere. Proinde fatemur ingenuè; astutia & prudentia, vel aulica potius, nos fuisse superatos; at veritate & doctrina minimè; immò contrà contendimus, aduersarios, si nos non fefellerunt compositores, ab impia doctrina Pelagij recessisse ac sinceram nobiscum amplexos fuisse, Apostolicam, Lutheri, Buceri; qua de re, gratias egimus Deo, & huius rei meminit Holbracus, ad quem mox cucurri, totumque, quod à Compositoribus audiueramus, retuli vt is quoque nostri pii gaudij particeps fieret; & gratias Deo nobiscum ageret.

Habes prolixiùs quam volueram, explicatam historiam nostræ compositionis, qua ita offensus esse videris, vt dicas, meum peccatum non posse excusari. Habes, quibus in rebus maximè, & in quibus minimè peccauerimus. Si tibi satisfactum est hac mea responsione; tui erit officij, aliis quoque quoscumque noris offensos fuisse, hac eadem mea responsione satisfacere; nisi malis totam epistolam communicare, id quod tibi per me liberum fuerit. Si non est satisfactum, protestor, me nolle habere te in hac caussa iudicem.

Quod vero rogas, vt conditionem oblatam apud vos, accipiam: acquiescerem perlubenter tuæ & aliorum multorum, (non enim tu solus es, qui rogas) petitioni; si liber essem, meique iuris. at fidem meam obstrinxi Clauennensibus; vixissem alioqui quam lubentissimè vobiscum; hoc est cum viris verè piis, verè doctis, ac probis & candidis, in vrbe ista tam celebri, iucunda atque suaui. Sed de his satis. reliqua ex literis, quas communes D. Vireto & reliquis ministris scripsi. Vale, & me, vt facis, ama. D. Christophoro referes multam salutem. Argent. 1. Nouembr. 1563.

H. Zanch. Edmundo Grindallo Episcopo Londinensi.

TArditati meæ ignosces, obseru. Domine. nuper enim redii ex finibus Italiæ; & propè infinitas reperi quibus respondendum sit, literas.

Aues intelligere, quomodo compositum sit nostrum dissidium. dicam breuiter. Propositum fuerat de principio Dominis nostris, vt audio & video, ita in hac nostra controuersia sese gerere, vt quoad eius fieri posset, salua & sarta tectaque maneret vtriusque partis dignitas: idque propter ministerium, tum concionatorum in Ecclesia, tum nostrum in Schola. Tametsi igitur per istud biennium, quo caussa fuit apud Dominos acta, optimè ex perlectis Actis, vtriusque partis scriptis, & multarum Ecclesiarum Academiarúmque de meis thesibus iudiciis, cognouerunt, actionem contra me ab aduersariis institutam, fuisse iniquam, & doctrinam meam, quæ accusata, damnataque fuerat tum nouitatis, tum hæreseos, neque nouam, neque hæreticã esse; noluerunt tamen vel pronunciare de caussa; vel saltẽ, vt disputatiõe decideretur, permittere; sed accersitis quatuor Theologis & aliquot iuris peritis, partim Tubinga, partim Biponte, partim Basilea, curarũt, vt per istos dissidium componeretur. Isti, præsentibus etiam quatuor ex Senatu, legerunt acta & vtriusque partis scripta; perspicuè viderunt, insignem & mihi & veritati factam fuisse iniuriam. Retulerunt ad Senatum, suum iudicium de scriptis & Actis. Hîc D. Petrus Sturmius Scholarcha palàm dixit; *Vbi igitur nunc tot & tantæ hæreses, quæ Zanchio obijciebantur?* Egerunt deinde seorsim cum vtraque parte pro concordia. Cum ventum est ad me; primum disertis verbis dixerunt Compositores, partem aduersam idem, quod & nos, de Prædestinatione Sanctorum sentire. probare enim doctrinam Augustini, Lutheri, Buceri. iis autem tribus post Scripturas, totam meam doctrinam copiosissimè confirmaueram, in meis lectionibus & confessionibus; tantum superesse aliquid controuersiæ de Cœna. etsi igitur legerint meam Confessionem de cœna; se tamen cupere adhuc clariùs ex me audire, quid sentiam de præsentia corporis Christi in cœna, in mea enim confessione nihil de præsentia disputaueram; sed tria tantum præcipua capita explicaueram; primum, non sola symbola percipi; sed etiam rem ipsam, verum corpus Christi & verum eius sanguinem, hoc est Christum ipsum. Alterum, vtrumque manducari ac bibi, non ore corporis, sed spiritus, hoc est, fide. Tertium, idque à fidelibus tantum. Hic respondi; me de hac quæstione non libenter disputare, quod ne vnum quidem verbum apertum de præsentia corporis Christi in cœna, in Scripturis reperiam. Sed tamen, ne putent me subterfugere & non audere explicare etiam de hac quæstione meam sententiam, dicturum me quod sentiam. Principiò, me nullo modo posse admittere, præsens esse corpus Christi in cœna corporibus nostris. illam enim rem dici alicui esse præsentem, quæ sese aliquo modo ei, cui dicitur esse præsens, communicet & ab ipso percipiatur. Illam verò dici esse absentem, quæ nullo modo sese communicet, & percipiatur ab eo cui dicitur esse absens; sine ea res, quantum ad localem vel longinquitatem vel propinquitatem attinet: sit propinquior vel remotior. Deambulabat ibi Sulcerus, cum Iacobus Andreæ assiduus, mecum ageret

de Cœna. exemplum igitur ab ipsis desumtum, attuli in hæc verba: Vos Domini Compositores, dicimini esse & verè estis mihi, hoc est, corpori meo præsentes, quia ipsi vos communicatis mihi & meis sensibus,& à me percipimini, dum ego meis oculis vos video & auribus audio, & tam mihi præsens est D. Sulcerus, qui deambulat, quam vos reliqui qui assidetis: quanquam quod localem distantiam & propinquitatem attinet, ille remotior sit à me quam vos, & vos quam ille, propinquiores. Qui verò foris sunt extra hoc hypocaustum (erant enim aliquot famuli Dominorum foris) dicuntur abesse: quia illos nec audio nec video, nec vllo corporis sensu percipio. Manifestum est autem, verum & substantiale corpus Christi, non communicari corpori meo in Cœna, nullis enim sensibus corporis id percipio: cum nec oculis videam, nec auribus audiam, nec naribus olfaciam, nec manu tangam, nec palato gustem, non possum igitur vllo modo dare, corpus Christi præsens corporibus nostris esse in cœna. Cæterum quin idem corpus Christi verum & substantiale, præsens sit menti meæ in Cœna, vbi maximè efficax est, inficiari non possum, cum extra controuersiam sit, illud verè fidelium mentibus communicari & ab ipsis verè percipi: oculo enim fidelis mentis seu interioris hominis videtur, eiusdémque manu capitur & ore comeditur, atque ita comeditur, vt illius virtutem & effecta salutaria in nobis ipsis sentiamus. Non possum igitur simpliciter negare veram & substantialem, hoc est, veri & substantialis corporis Christi in cœna præsentiam: sed in eum sensum, quem ex licaui. Hic Iacobus Andreæ, cum admiratione. *Profectò* inquit, *vos idem sentitis quod & nos.* Audiuisti, inquam ego, sententiam meam D.D. Si hæc est quoque vestra sententia, gaudeo mihi, gratulor vobis & Ecclesiæ. Nunc, inquit ille, video, cur tot argumentis confuses [nempe in mea confessione] id quod nos dicimus, *Corpus Christi, ore etiam corporis manducari*: quia putatis, nos ita sentire, *Corpus Christi ore nostri corporis manducari, quasi corpus Christi nostrum os & corpus attingat. Omninò,* inquam, *ita è vestris scriptis, iudicaui vos sentire. Minimè, minimè,* inquit ille, *ita sentimus: sed nos ita loquimur propter vnionem Sacramentalem.* Tum ego, *si non aliter sentitis non damno istam locutionem. Nam & ego admitto, propter Sacramentalem vnionem, id attribui corpori Christi, quod proprium panis: & contra, pani id, quod proprium est corporis Christi. Sed de manducatione indignorum, quid sentis,* inquit ille? *Si nomine indignorum*, respondi, *intelligatis homines planè impios, qui vera fide destituti sunt, non possum admittere, ab illis corpus Christi manducari. Si verò homines fide quidem præditos, sed ea imbecilliori & solutioris vita quam Christianum deceat, non refragor.* Tales enim fuerunt illi Corinthij, quos Paulus docebat, *quia indignè manducarant corpus Domini, à Domino iudicari*, hoc est, castigari, ne cum hoc mundo damnarentur. Non potuit inter nos de hoc articulo conueniri. *Sed ego non dubito*, inquit ille, *quin si diligentius hunc etiam articulum examinaueris, sis in nostram sententiam venturus. Satis*, inquam ego, *diligenter examinaui: & aliter quam sentiam, sentire non possum. Bene. satis est*, inquit, *de cœna dictum agimus gratias Deo, quod in hoc etiam articulo de cœna, non est magna discrepantia inter vos: cum vtrique fateamini veram & substantialem præsentiam.* ita discessum fuit. Conceperunt deinde articulos quosdam de prædestinatione. hos dederunt vtrique parti inspiciendos. sed mihi cum tanta festinatione exhibuerunt legendos, vt nollent eos vel vnam noctem apud me perunoctare. Tandem vbi viderent, me nolle illis subscribere, nisi priùs à me diligenter domi examinarentur, permiserunt: sed hac lege, vt neque describerem, neque curarem describendos. Adiecerunt illis, vt etiam de cœna aliquid statuerem saltem in genere, Confessionem Augustan. & Articulos concordiæ inter Lutherum & Bucerum. In articulis de prædestinatione, nihil deprehendi apertè impium, & quod non posset bona conscientia admitti, quemadmodum & postea D. Caluinus tum ad me tum ad pastorem nostrum scripsit. Tantum vidi, ita eos artificiosè fuisse compositos, vt tamen liquidò appareret, compositores magis curasse, vt articuli controuersi obductis quibusdam tenebris sepelirentur, quam vt veritas aperta luce explicaretur. Hæc fuit vna præter alias caussas, cur diu, hoc est, ad extremum ferè vsque restiterim, ne subscriberem. Tandem cum viderem, per me vnum tantum stare, ne sublato tanto dissidio, quod erat non inter vnum aut alterum, sed inter omnes ministros, vna ex parte, & omnes professores ex altera parte, pax & consensio fieret: & viderem, me salua conscientia posse subscribere, præmissa præsertim protestatione: assensus sum. Cùm igitur ventum esset ad locum, vbi erant Domini nostri & Compositores, omnésque Professores & aliquot alij: post actas gratias iis, quibus debebantur, dixi me subscripturum, sed præmissa prius hac protestatione: primùm, me nolle, vt hac mea subscriptione, aliquod fiat præiudicium aliis Ecclesiis, Academiis, & veritati. deinde nolle, vt aliquid derogetur illi doctrinæ, quam hic Argentinæ docui per octennium, & quæ continetur in meis prælectionibus, disputationibus, Confessionibus. postremò vt mihi liceat tam Augustanam confessionem, Apologiam & articulos concordiæ, quam hos præsentes articulos, interpretari iuxta regulam verbi Dei, doctrinam Augustini, Lutheri & Buceri. Deinde conditionaliter subscripsi, in hæc verba: *Hanc doctrinæ formulam, vt piam agnosco, ita etiam recipio: Ego Hieron Zanchius.* Postridie condonatis omnibus iniuriis, datæ fuerunt d. xteræ societatis & ὁμονοίας. Ita compositum fuit dissidium, vt nihil detractum sit de veritate doctrinæ. Interim tamen non desunt, qui improbent factum sed isti non perpendunt, quid sit illud, *Christus non sibi placuit*: neque cogitant, quanta mala secum adferant dissidia. Cur propter pacem inter tot & ministros & professores vnius ciuitatis, non debuissem Augustanæ Confessioni & eius apologiæ subscribere, eo præsertim modo, quo subscripsi: & admissa mea à compositoribus explicatione, & deinde etiam protestatione? Offenduntur illis verbis Apologiæ. *Corpus Christi adesse in cœna verè & substantialiter.* At ego explicaui, quo pacto admitti possint: & illud dici præsens esse vere & substantialiter participatur, cum Sol est supra nostrum hemisphærium, & suum verum & substantiale corpus nobis videndum, & per corpus calorem atque lucem participandam communicat, an non dicimus & quidem rectè, Solem nobis esse præsentem verè & substantialiter? quemadmodum & cōtra: cum progressus ad aliud hemisphærium, quia non amplius sese videndum & participandum nobis communicat, dicimus abesse: cum tamen quoad localem propinquitatem aut longinquitatem, tam procul distet à nobis, cum est supra nostrum, quàm cum est supra aliud hemisphærium? Quid igitur prohibet, quin etiam dicamus corpus Christi adesse verè & substantialiter illis quibus verè & substantialiter se communicat? At, inquiunt, alij non ita intelligunt & interpretantur, vt tu. Neque ego subscripsi, aliorum interpretationibus; sed tantum verbis August. Confessionis, idque iuxta illum sensum quem ego pium esse agnosco, & interpretatio mea fuit admissa. Aliter certè Caluinus iudicat, cuius iudicium longè pluris facio quàm multorum aliorum, quia verè spiritum Dei habet, & magis spectat Ecclesiarum ædificationem, quam gloriosam in nostris phrasibus, dictionibus & syllabis, pertinaciam. Is ad pastorem nostrum scribit, sibi non probari, vt simpliciter recuset subscribere; & consulit, vt subscribat, modò addantur & admittantur exceptiones. & ad me scribit, vt tester magistratui, me serio pacis studio adductum, subscripsisse; sed cum illis exceptionibus; & me idem etiam nunc profiteri & confirmare. Si spes vlla fuisset vel impetrandæ disputationis, in qua palam triumphasset veritas; vel audiendæ definitiuæ, vt vocant, sententiæ de tota controuersia; vel tollendi aliqua alia mediocri ratione dissidii, ego numquam subscripsissem. Sed cum nihil horum posſemus sperare; quid obsecto agendum nobis erat! Credo, te, quæ tua est pietas atque prudentia, non aliter, quam nos fecimus, facturum fuisse. Quod si fallor, ignosce huic meo de tua pietate iudicio; ignosce etiam rogo non iam amplius breuitati, sed nimiæ meæ prolixitati; & vale, méque in numero amicorum tuorum conserua. Iubeo verò saluere meos quatuor compatres, Generos. D. Vvroium, Koocum, Henr. Knollum & D. Hetonem: & cupio, vt cum illis communices & aliis doctis hanc nostram compositionem: & quid de ea & tu & illi sentiatis, ad me candidè scribas. Dominus Iesus suo vos Spiritu semper regat ac protegat.

Edmundus Grindallus Hieronym. Zanchio

S. D.

QVod tam copiosè ad me dissidii vestri compositione scripsisti, Clarissime D. Doctor Zanchi, gratias ago;

ago: quòd autem petis, vt meam aliorumque amicorum tuorum sententiam ea de re perscribam, id hoc tempore plenè præstare non potui. Amici enim illi tui, quos nominasti, Londino iam diu abfuere propter pestem ibi grassantem. Quod ad me attinet, tantum tribuo pietati ac prudentiæ tuæ, vt de omnibus actionibus tuis bene sentiam. Accedit etiam (vti ais) Domini Caluini calculus, qui subscriptionem tuam, cum illis conditionibus & exceptionibus approbauit, quod me multum confirmat. Nam illius iudicio multum soleo tribuere. Hoc vnum metuo, ne priores aduersarij, nisi tu tibi in istis controuersiis silentium prorsus indixeris (quod hoc tempore, cum veritas à quibusdam, libris editis oppugnatur, durum esset) ex hac compositione gradum sibi struant ad nouas turbas excitandas, ac tum simplicem subscriptionem, quæ literis consignata est, vrgeant: exceptiones verò illas & protestationes, quæ viua voce tantùm factæ sunt, non agnoscant. Sed de futuris incertum est iudicium: ea igitur Domino commendemus, qui tibi etiam (non dubito) os & sapientiam dabit, cui non poterunt resistere aduersarii veritatis. Vale in Domino quàm optimè. Ex suburbano meo Fulhamiensi ad ripam Thamensis 23. August. 1563.

Tuus in Christo

Edmundus Grindallus Episcopus Londinensis.

H. ZANCHII AD EUNDEM.

SObseruantia, qua te Reuerendissime Domine, semper sum prosecutus, propter tuam singularem pietatem, humanitatem, virtutem, facit, vt non possim non gratulari tibi istam nouam, amplissimamque, de qua ad me scripsit communis amicus Knolles, dignitatem. Quid enim maius exspectari amplius in isto Regno tibi poterat; Gratulor itaque ex animo: quoniam istæ diuinæ benedictiones, testimonia sunt, tum constantis in Deum pietatis tuæ, tum immutabilis erga te beneuolentiæ Dei. Sed non minus gratulor eandem rem, toti isti Regno, quod scilicet talem iam nactum sit à Deo primatem, cuius cura & diligentia, magis ac magis in vera Religione ac pietate promoueri possit. Neque enim dubito, quin ista supremę post Regiam Maiestatem dignitatis accessio, futura sit tibi perpetuus stimulus, quo ad faciendum officium diligentiùs quàm vnquam, acriter excitieris. Precor Deum, sua etiam in te dona augeat: firmâque & diuturna valetudine donare te velit, ad salutarem suæ Ecclesiæ gubernationem. Viuo adhuc, & quidem bona valetudine, Dei beneficio, pro mea ætate, qui sexagesimum primum ago annum, cum vxore; liberis quinque, & qui breui, vt spero: prodibit in lucem. Sunt autem & hæ, magnæ Dei benedictiones, pro quibus ingentes illi ago gratias. Restat, vt tum donis sui spiritus, eos repleat, tum quæ ad vitam hanc honestè transigendam, necessaria sunt, illis suppeditet, quod vt faxit, toto pectore illum rogo, per Iesum Christum: ac tibi etiam Amplissime Archiepiscope, aliisque amicis, & bonis viris commendo. Dominus Iesus te diu bonis ad Ecclesiæ salutem, conseruet incolumem. Exspectamus quotidie nostrum Casimirum. Heidelb. 22. Iulii 76.

T. Ampl.

H. ZANCHIVS.

Edmundus Grindallus H. Zanchio Salutem in Christo.

GRatulabaris mihi proximis tuis literis nouam dignitatem, seu potius (vt verè scribis) officium & onus, cui me valde imparem ingenuè agnosco. Ego verò tibi gratulor, Clarissime D.D. Zanchi, istam tuam magnanimitatem & constantiam, in optima caussa defendenda. Audiuimus enim quot & quantos labores ac certamina sustinueris in vera sententia tuenda de Eucharistia ac prædestinatione. Est hoc quidem veri Doctoris, tenacem esse fidelis illius sermonis, qui ad doctrinam facit, atque à veritate ne latum quidem vnguem discedere. Equidem non dubito, quin Magistratus vestri, pro ipsorum prudentia satis moderatè iudicabunt, etiamsi multa (vt nosti) quorundam importunitati concedere cogantur. Sed si ad extrema ventum fuerit, Dominus vbique ostium satis amplum aperit: *Domini etiam est terra & plenitudo eius,* &c.

Nos hic, Dei beneficio, vtcunque pacatam habemus Ecclesiam: habemus Episcopos in vera doctrina consentientes, non otiosos, sed in vinea Domini laborantes. Augetur etiam indies numerus fidelium, etiamsi non desunt (vt fit) hostes clanculatij, sed hi angulos quærere cogûtur, palam virus suum prodere non audent. Faxit Deus, vt motus Gallici felicem habeant exitum, quod hostibus nostris omnem spem præciderent. In Scotia etiam hactenus summa procerum contentione bene successit. sola Regina apud illos sacra Papistica admittit: quæ alioqui Senatusconsulto per totum Regnum haberi non permittuntur. Quanquam autem dubium non est, quin Antichristi satellites in illo Regno huic libertati insidiabuntur, præsertim si Guisiani, ex quorum familia est Scotiæ Regina, superiores euadant: tamen speramus, Dominum caussæ suæ non defuturum, & optimis illis Regni proceribus, non solum animos, sed & vires suppeditaturum, vt hoc tam sanctum negotium perficere possint. D. Coocus, D. Wiorus, D. Hetonus, cæterique amici ac noti, viuunt valentque ac te plurimum salutant. Vale, Londini.

Tuus in Christo

Edmundus Grindallus Episcopus Londinensis.

H. Z. Henr. Bullingero S.

QVòd, simulac finis vtcunque nostræ tragœdiæ impositus fuit, Reuerendissime pater, non statim ad te, qualis ille fuerit, scripserim, ne mireris. cum enim in animum iampridem induxerim meum, hoc tempore, siue dissidium nostrum componeretur, siue non componeretur, conferre me ad has thermas, & hinc ad vos, deinde in patriam vxoris, idque tum valetudinis, tum etiam animi satis afflicti, recreandi caussa: malui coram, quam per literas, totum negotium vobis explicare. id quod, vbi ad vos venero (veniam autem, Deo volente, intra 10. aut 12. dies) perficiam. nunc tantum habeto conclusionem. Controuersiam quidem doctrinam, neque esse iudicatam: disertè enim dixerunt Compositores, se non venisse iudicatum de doctrina (hoc enim esse alicuius synodi officium) neque etiam esse compositam, quomodo enim componi possint contradictoria: conciliationem tamen quandam animorum esse factam: condonatis vtrinque iniuriis ac maledictis: deinde in quandam doctrinæ formulam tum de Cœna, tum de prædestinatione: qua in posterum caueatur, ne huiusmodi contingant dissidia, esse consensum: ab aliis quidem simpliciter: à me verò, cum protestatione, & cauta subscriptione. In summa: hæc omnia fuisse instituta, vt scandalum, quod non paruum erat in vrbe propter hoc dissidium, aliqua ratione tolleretur: publicæ paci consuleretur: Scholaq; in integrum statum restitueretur: & vero etiam ministerium, tectis vtcumque nonnullorum erroribus, in sua dignitate apud plebem conseruaretur. Reliqua coram. Vale. Badæ 16. April. 1563.

H. Z. Ioanni Garnerio S.

NOn ita multò ante nundinas nostras, frater obseruande, domum ex finibus Italiæ redij: filius verò tuus, nuper à me accepit, quidquid reliquum fuerat ex pecuniis apud me relictis.

De nostra autem compositione non præstat vt multa scribam. Veritas de principio, maiori parti fuit cognita. iudicium Capituli fuit auditum: atque ita auditum, vt tandem viderint, Capitulum factum esse partem, propter bonitatem caussæ. Iudicia Academiarum, Ecclesiarum & aliorum multorum doctorum virorum lecta: mea supplicatio visa: in qua 61. calumniæ depulsæ: Latinè & Germanicè. taceo de iis, quæ Capitulum egit & exhibuit. Neque disputatio, neque colloquium, neque sententia vel Senatus vel Theologorum vllorum, interpretari potuit per integrum biennium & amplius. Quidquid scribebatur, declamabatur, dicebatur contra me, audiebam quidem ex parte: sed in totum, ne bonam perderem caussam, prudenter dissimulaui & pertuli. in Scholam redire, numquam iussus fui: hoc

tantum perpetuò petii vt dicerent illi quorum interesat, an doctrinam mihi obiectam & verè à me traditam,iudicarent hæreticam & nouam esse, necne. numquam potui hoc audire. Dederam librum quendam imprimendum,in quo sola doctrina defendebatur,sine vllius hominis mentione, præterquam semel, Marbachij, sed cum laude, sine conuitiis, sine criminationibus fuit proditus & suppressus.

Tandem venerunt arbitri vel potiùs Compositores, omnes contrarii, vel saltem suspecti;nullus enim à Palat. Electore. Isti Acta legerunt,& vtriusque partis scripta:retulerunt suum ad Senatum iudicium. hic bonus Petrus Sturmius,cuius funus heri fuit; Vbi nunc, inquit,sunt tot & tantæ hæreses quæ Zanchio obiiciebantur? Spes certa fuerat mihi facta disputationis vel saltem colloquij. interim nihil minus curabatur. vocatur verò vtraque pars seorsum. Mecum ita est actum, vt totam de prædestinatione & Perseuerantia doctrinam & probarint ipsi Compositores, & dixerint, aduersæ parti non improbari. De cœna verò ita, vt admiserint hanc meam de præsentia corporis Christi explicationem,corpus Christi non esse præsens corporibus nostris,cùm non se illis communicet.neque enim aut oculis aut ore,aut aliis sensibus corporis percipitur; sed præsens esse animis fidelium, quod illis verè communicetur & ab illis percipiatur.illam autem rem dici esse præsentem, quæ aliquo modo percipiatur.& eatenus esse & dici præsentem,quatenus communicatur atque percipitur; etiamsi quod distantiam & localem propinquitatem attinet, aliquando ea res sit remotior, aliquando propinquior. exemplum habemus in Sole: cùm supra nostrum est hemisphærium, non ita multò magis propinquus nobis est:quam cum occidit,interim tamen dicimus nobis esse præsentem,cùm verò occidit,absentem. vnde hoc? a definitione præsentiæ,quia scilicet tum nobis communicat suum corpus spectandum, & per corpus,calorem atque lucem participandam,cum verò occidit,non amplius nobis communicatur. Ad exemplum in auditoribus qui intersunt concioni. Tu concionans,tam præsens es illis qui sunt ad portam templi; quam qui astant pulpito. quamobrem? quia tam illi quam isti, vident & audiunt te. Propinquitas igitur aut distantia loci, non facit vel præsentiam vel absentiam rei per se;sed ipsa communicatio vel priuatio communionis. Hæc similia fusiùs ad te nunc quam ibi tum. Interim tamen sententiam intellexerunt & probarunt. *Manducationem Oralem*, vt vocant,ita explicarunt,vt dixerint,se minimè sentire,corpus Christi ore corporis nostri manducari;quasi illud nostrum os attingat; sed tantum propter vnionem sacramentalem, se ita aliquando loqui. De manducatione impiorum,non conuenit inter nos.cetera,fuerunt meis explicationibus & responsionibus contenti. Conceptos igitur articulos aliquot de prædestinatione, obtulerunt subscribendos.cum vrgerem,controuersos esse iudicandos;&,an essent hæretici vel noui,necne, esse pronuntiandum, articulos propositos non venisse in controuersiam; Responsum fuit,non venisse se vt iudicent,sed vt componant:iudicium pertinere ad aliquam synodum,in suo eos mauere statu. curare se tantum, vt tollatur hoc dissidium atque scandalum Scholæ & Ecclesiæ. Quid tu hic egisses? Articuli nil in se continebant apertæ impietatis: tantum videbam obscurari veritatem. Si non subscripsissem, impediebatur concordia:caussa bona periclitabatur:eiiciebar vt homo turbulentus & concordiæ inimicus, videbar autem, me posse subscribere, salua conscientia, præsertim cùm liceret protestari. Interim tamen restiti, propter alias caussas,vsque ad extremum. Tandem iudicaui, præstare subscribere, quam diutius repugnare. Sum itaque primum ita protestatus coram omnibus Compositoribus collegisque meis: Primum me nolle, vt hac mea subscriptione vllum fiat præiudicium aliis Academiis, Ecclesiis, veritati.deinde vt nihil derogetur doctrinæ,quam hic docui per 8.annos, quæ etiam continetur in meis Lectionibus, Disputationibus, Confessionibus. Postremò vt liceat mihi tam August. Confessionem & Apologiam, Articulosque concordiæ inter Lutherum & Bucerum,quam hos præsentes articulos,interpretari iuxta regulam verbi Dei, doctrinam Augustini,Lutheri,Buceri. Deinde ita subscripsi conditionaliter; *Hanc doctrinæ formulam,vt piam agnosco.ita & recipio. Ego Hieronymus Zanchius.* Caluinus ad me scribit, vt tester, me sincero pacis studio adductum, subscripsisse: & vt maneam in sententia; idémque profitear, sed additis exceptionibus, quas feci coram Compositoribus. Et ad Holbrachum scribit, vt, si vrgeant aduersarij per Dominos subscriptionē; (non enim adhuc subscripsit, me etiam,præter alios dissuasore) ne simpliciter eam recuset: sed admittat, præmissis exceptionibus, quemadmodum videlicet & ego feci.

Nunc habes omnia: & argumentum, vnde possis iudicare de tota actione:& defendere veritatem contra homines malè iudicantes. Non est tamen hæc mea epistola spargenda: præsertim hoc tempore: quia ea abuterentur nonnulli oportet autem vti modestia & patientia, propter Dominum, non enim sibi Christus placuit.Incipiam profiteri Mosen. Vale & ora pro me. Argentorat.10. Iulii 1563.

H. ZANCHIVS

Francisco Pythio Capellæ S.

CVm domum rediissem, frater cariss.tuas offendi literas,quibus tu,hinc discedens, & me amice salutabas, & natum Generosi Dom. de Muoy, vna cum illius pædagogo Grageano,quos tu cum illustrissim Domina Roiana & aliis duobus amicis,curaueras, vt apud me hospitiū haberent,mihi commendabas. Ego verò, multis nominibus gauisus sum,cum & tuas legi literas, & domi,quos commendabat, reperi hospites. Nam literas tuas vidi, quod maximè cupiebam,plenas officii & amoris erga me tui. Hospitibus verò, mox testimonium dedit vxor, pietatis atque modestiæ singularis. Eos igitur mihi esse, futurósque quam commendatissimos, dubitare non debes, nisi dubites de mea tum erga pios modestósque viros beneuolentia: tum erga illustrissimam Dominā meam Roianam, Sturmium, Holbrachum,& te,qui apud me eos esse voluistis & commendastis, obseruantia Literis autem tuis citius respondissem, si, vbinam esses, certò sciuissem. Hodie verò, salutem accepi ab Holbracho tuo nomine: & te Mureti in Galliis agere ministrium, intellexi. Condonabis igitur, quod non citius responderim. nam accesserunt etiam occupationes neque paucæ neque paruæ.& ad multorum literas responsiones. Præter alias,reperi Caluini, quibus dolebat quidem, caussam meam bonam non eum habuisse exitum quem habere debuisset. Interim tamen consulebat, vt prima quaque occasione,apud Senatum,meam confirmarem subscriptionem, cum illis exceptionibus quas promiseram: & testarer,me serio pacis studio, ex animo subscripsisse. Ad Holbrachum etiam scripsit, se laudare quidem, quod hucusque non ausus fuerit subscribere:non consulere tamen,vt simpliciter recuset,si vrgeatur:quod hac ratione,Ecclesia dissiparetur,id quod aduersarij inprimis moliuntur. subscribendum igitur esse,si vrgeatur:sed præmissis exceptionibus, quemadmodum & ego feci:quæ si admittantur,nos vicisse. Holbrachus non vrgetur amplius: neque spero, molestatum iri deinceps, quod, præter alias caussas, Domina Roiana eum & Ecclesiam commendarat Dominis. Ego verò nuper in Concilio nostro Thomensi,coram Dominis Scholarchis,toto Capitulo & vicariis,vt vocant,omnibus, data mihi diuinitus occasione optima, feci id quod Caluinus consuluerat, subscriptionem explicaui: protestationem confirmaui; & speciatim de Cœna déque perseuerantia Sanctorum, meam reperiri sententiam: ac quomodo cum Augustan.Confessione, eiusque Apologia non pugnet, apertè declaraui. Summa: me adhuc confirmare *veram* [vt habet confessio] *& substantialem* [vt habet apologia] *præsentiam corporis Christi in Cœna*. Cæterùm nomine *præsentiæ*, me non intelligere propinquitatem aliquam localem:sed ipsam veram veri & substantialem corporis Christi, mentibus fidelium communicationem. eatenus enim aliquam rem dici & esse nobis præsentem, quatenus nobis communicatur & a nobis percipitur:etiamsi longo locorum interuallo a nobis distet. attuli præter alia, exemplum Solis. cùm Sol supra nostrum est hemisphærium,dicimus,eum esse nobis præsentem,& quidem verè ac substantialiter. quamobrem? quoniam verum ac substantiale suum corpus nobis visendum communicat:& per corpus,lucem ac calorem suum nobis participandum exhibet. cum verò ad aliud hemisphærium progressus est, dicimus esse absentem: quia non amplius nobis vel suum corpus visendum, vel calorem ac lucem participandam communicat:tamen quod attinet ad locale spatium: non ita multo procul à nobis distat, cum est

supra

supra aliud hemisphærium, quàm cum est supra nostrum. Eatenus igitur aliquam rem dici & esse nobis præsentem, quatenus nobis communicatur & à nobis percipitur: siue ea sit, quod locale spatium attinet, magis siue minus à nobis remota. esse autem extra controuersiam, corpus Christi verum & substantiale: fidelium non quidem corporibus, sed mentibus communicari, & ab ipsis percipi in Cœna. In hunc igitur sensum, me adhuc confirmare illam, cui subscripsi, August. Confessionis & Apologiæ locutionem, *Corpus Christi in Cœna præsens esse verè & substantialiter.* & ita meam explicasse sententiam coram Compositoribus: quam & probarint. Hanc autem distinctionem inter præsentiam atque absentiam, & inter localem propinquitatem ac longinquitatem alicuius rei multis ante annis, hic coram multis collegis meis attuleram atque explicaram. In articulo de perseuerantia Sanctorum, id feci. Neque meam sententiam pugnare cum articulo, qui inter articulos compositionis habetur, manifestum est. est enim articulus conditionalis: *Qui obediunt*, hoc est si qui obediunt, *concupiscentiis peccati, amittunt fidem.* At nego, electos, Sanctos renatósque spiritu Christi, propriè obedire concupiscentiis peccati, cum obedire alicui, sit non tantùm iussa alicuius capessere: sed eo etiam modo quo iubetur, illa perficere. Electi autem nunquam peccant eo modo, quo peccatum, per prosopopœiam, iubet: hoc est *ex destinata malitia*, vt Lutherus ait: seu, vt ait Bucerus, *ex animo totaque voluntate*: seu, vt loquitur Philippus, *ex Epicureo contemptu*; aut inde quod reiiciant verbum ex corde: sed semper ignorantia & ex infirmitate. Obedire etiam, est sine vlla repugnantia, iussa perficere: & iuxta Apostolum: illi tantum obediunt, in quibus regnat peccatum: non regnat autem in sanctis electis. Deinde, articulus non habet particulam PRORSVS. Sese opposuit meæ explicationi, Melchior. Res est delata ad senatum speramus bene. Si admiserint meam protestationem & explicationem, manebo: sin minus, discedam. Cupio, vt hæc mea explicatio, communicetur etiam aliis fratribus qui offensi fuerant mea subscriptione. Salutat te, vxor & hospites. Valemus autem omnes. Vale igitur & tu frater cariss. & mihi semper honorande. Argent. 25. Iulii 1563.

Hieronym. Zanchius Ioanni Sturmio.

OBseru. D. Sturmi, & amicorum meorum optime, scio, tibi cordi esse gloriam Dei & veritatis defensionem. Tu verò non ignoras, quales iam triumphos per totam Germaniam, nostri contra veritatem, sine vlla pugna, & ante victoriam, egerint: non te etiam latet, occasiones victoriæ præsertim pro gloria Dei & veritate Euangelij, non esse negligendas. Quid etiam Caluinus, vir Dei, scripserit, & consuluerit, tenes. Ergo sinas me vti hac diuinitùs oblata occasione, ad veritatis defensionem. Agitur gloria Dei, salus totius ciuitatis, defensio veritatis, nostri etiam omnium: immò & omnium eorum, qui testimonium dederunt meis thesibus, existimatio. Ego verò non pro iis omnibus paratus sum non solum ex vrbe, sed è vita excedere. Mecum roga Dominum Iesum: vt mihi adsit. Ego certè nolo amplius languere & cedere carni ac sanguini. Vale vir optime: & vna Dei gloria, tam tibi quàm mihi sit proposita. Ex meis ædib. 16. Iulii 63.

H. ZANCHIVS *Ioanni Caluino S.*

RArò quidem ad te scribo, optime Pater Caluine, perpetua tamen te obseruantia prosequor: & mei quidem silentii multæ sunt caussæ, sed illa non est postrema; quòd sciam, te tot tantisque negotiis occupari, vt penè obruatis, tantum abest, vt æquum sit, virum tantum, molestiis etiam literarum meatum intempestiuis affici. quæ tua igitur est prudentia, silentium meum in bonam interpreteris partem, etiam atque etiam rogo. Nunc, vt diuturnum silentium abrumpam, necessaria quædam caussa facit. ea verò hæc est. Non dubito, quin pro tua pietate, virum Dei sanctæ memoriæ D. Philipp Melanchthonem aliquando tuis literis amicè admonueris de illa sua postrema tum de Prædestinatione, tum de libero arbitrio, longè à priore diuersa, doctrina: non dubito etiam, quin ille, vt erat humanus & tibi amicissimus atque familiaris, adde & qui, scio, te tuasque admonitiones, idque meritò, magni faciebat: non dubito, inquam, quin ille vir Dei literis tuis responderit. Est autem negotium mihi cum hominibus non tantum plusquam Lutheranis in re sacramentaria: sed, quod peius est, ferè Pelagianis in articulo de Prædestinatione, libero arbitrio & gratia Dei. Quoniam verò vigent posttemos Philippi locos, & autoritas Philippi, vt scis, magna est & semper fuit in Germania: iccirco si possem ex ipsius literis demonstrare, illum non ita impiè de articulis sensisse, quemadmodum ipsi aduersarij eius locos communes interpretantur: foret bonæ caussæ operæpretium. Si quas igitur habes iis de rebus illius ad te literas, quæ ad promouendam bonam caussam aliquid valeant, eas ad nos mittas, per Christum seruatorem rogo. Ego verò sanctè promitto, vbi illis vsus fuero, me bona fide remissurum: feceris rem causæ vtilem & amicis gratissimam. De rebus nostris, nihil adhuc scribo, quia nondum plenè licet. Hoc tantum possum scribere & affirmare, rem esse in eo statu, vt Domini non possint doctrinam à me hic, vt piam, traditam, & à Marbachio, vt impiam, improbatam, damnare: quin etiam scientes & volentes, tum doctrinam (vt interim de aperto Dei verbo & de Patribus nihil dicam) à M. Bucero in hac Schola & Ecclesia traditam: & præter Capitulum nostrum, duas etiam Germaniæ Academias, Marpurgensem & Heidelbergensem damnent. cùm enim viderem, mihi ab illis hominibus non solum disputationem, sed etiam omne amicum, & priuatum colloquium denegari, interim tamen perpetuo, etiam è pulpitis sanam doctrinam damnari, & me tanquam hæreticum, apud Dominos & per totam vrbem traduci, addere etiam, eam quam ipsi contra me docent doctrinam, doctrinam esse omnium Ecclesiarum quæ Augustanam Confessionem amplexæ sunt: Ego volui videre, an ita se res haberet. Veni itaque Heidelbergam & Marpurgum, contuli cum illis Theologis. vtraque Academia, non solùm doctrinam nostram probauit: sed etiam aliis Scripturarum testimoniis confirmauit: & amplissimum sanæ doctrinæ testimonium mihi dederunt: neque hoc solum, sed etiam rogarunt, vt si Argentinæ esse non possim, ad se veniam ibique doceam. Pistorius non solum iudicio Academiæ Marpurgensis subscripsit: sed scripsit etiam graues literas de hac doctrina ad D. Sturmium: idque in hunc finem, vt eas Senatui ostenderet. Scribit enim se vehementer mirari, quid hoc sit, quod doctrinam illam Christi, quam antea hic docuerat Bucerus, quamque Senatus magno plausu amplexus fuerat: nunc audiat, eandem in eadem Schola & Ecclesia damnari. Vale, & fratres meo nomine saluta. Argentina.

Wolfgangus Musculus Hier. Zanchio S.

GEmina mihi hodie est ad te scribendi oblata occasio, frater in Domino charissime, cùm propter studiosos Tigurinos, qui hasce meas tibi reddunt, tum propter Vergerium nostrum. Tigurinos istos domi meæ conuictores habui circiter anni dimidium. Iussi sunt à Præsidibus Scholæ Tigurinæ ad vestram sese recipere Scholam. Quæso iuues eorum studia. Bonum opus est adesse illis, qui in vsus Ecclesiarum Christi aluntur. Vergerii literas attulit ad me hodie D. D. Gribaldus, vir non modo Iurisprudentissimus, sed & pietatis Christi scientissimus, ac monuit me, vt si quid Vergerio respondere vellem, ad te literas mitterem, vel ad D. Petrum Martyrem. Mitto igitur ad te chariss. frater, quæ Vergerio nostro respondi. Vbi occasio dabitur, oro illa Tubingam mittas. Interea temporis, quo hic mecum fuisti, de statu tuo nihil accepi à quoquam. Rem feceris mihi admodum gratam, si de illo scripseris. Ego pro conditione senectutis meæ, per gratiam Christi satis commodè valeo, nisi quòd me malitia præsentium temporum subinde turbat ac sollicitum reddit, sic vt metuam Ecclesiis Christi à conspiratione aduersariorum, quorum Dominus consilia dissipet, & iniquissimos conatus omnibus ridendos exponat. Optimè vale. Saluta meo nomine D. Petrum Martyrem, fidelem Christi Ministrum & reliquos fratres. Bernæ, 1556. 7. April.

Wolfgangus Musculus tuus in Domino.

Idem Musculus Hieronym. Zanchio S. P. D.

PRopter celebrem tuam, D. Sturmii & aliorum quorundam doctorum hominum eruditionem, ac Scholę vestræ disciplinam: duos hosce iuuenes ad vos mittimus, Zanchi frater in Domino charissime. Bonam spem hactenus de illis concepimus. quare te oro per Christum, vt cura ac diligentia tua, quo ad eius poteris, hanc in illis foueas, alas ac prouehas, sciens te hac in re seruire Domino, in cuius ministerium à rep. nostra aluntur.

Cæterum quod me attinet, satis adhuc commodè ago, nisi quod senectus subinde me turpidum ac somnolentum sic reddit: vt plurimum de pristina studiorum meorum alacritate deterat. Obitus præterea D. Phil. Mel. animum meum contristat, quoties cogito, quid futurum sit, vbi tales viri qui adhuc pauci restant, Ecclesiis adimuntur. Si quid habes certi de disputatione, Heidelbergæ, hac, opinor, æstate, præsentibus Saxoniæ principibus de Cœna Domini habita, obsecro per occasionem communices. Nouum illud & monstrosum dogma περὶ τῆς πολυτοπίας, vt nonnulli, vt verò alij contendunt, [illegible] carnis Christi, Augustanam Ecclesiam haud parum turbat: de vestra nolim eiusmodi posse dementiam prædicari. Non licet iam plura per occupationes. Opt. Vale: & saluta meo nomine D. Ioan. Sturmium veterem amicum & alios duos collegas Dominos ac fratres. Bernæ Heluet. 1560. 16. Septembris.

H. Z. VVolfg. Musculo.

VEstris adolescentibus doctiss. & obseru. pater Muscule, obtuli & me & omnia: & quòd ad me attinet, nulla in te quæ ad illorum salutem & ornamentum faciat, cùm propter communem pietatem, tum etiam propter tuam commendationem, deero. Quod disputationem Heidelbergensem attinet, scripseram ea de re ad Brastum mihi amicissimum, aliquod ad me illius exemplum mitteret: respondit quidem ille, sed nullum hactenus mittere potuit, vbi miserit, mox ad te transmittam. Interim tamen ab isto vestro studioso, theses accipies, & de ipsa disputatione, quomodo se habuerit, aliquid audies. Ego verò mitto Iudicium, sanctæ memoriæ. Philippi ad Palatinum de Cœna Domini: spero hoc tibi gratius futurum ipsa Heidelbergensi disputatione. hoc vnum exemplum, missum fuerat ad Sturmium, ab eo impetraui, vt ad te mitteretur: aliquot deinde exemplaria reperi apud bibliopolam quendam, quotquot reperi, emi: & quocumque possum, mitto. video quantam vtilitatem sit Ecclesiis & piis omnibus hoc vnum folium allaturum. Dolendum est profectò, talem ac tantum virum, nobis esse ereptum. Cæterùm, haud dubito, magnus ille vir Ecclesiæ non minus proderit mortuus, quam profuerit viuus: hoc præsertim postremo suo de Cœna Domini iudicio. Quod scribis, monstroso illo dogmate [illegible] corporis Christi, ipsam quoque Augustanam Ecclesiam turbari, vehementer doleo. & certè non possum satis mirari, qui fiat, vt tam absurda, tam impia, tam monstrosa, ac ab omni ratione aliena opinio, in tanta præsertim luce Euangelij, in animos quorundam alioqui doctorum & aliis in rebus bene de Ecclesia Christi meritorum virorum, cadere, & locum in Ecclesia habere potuerit ac possit. Sed videmus hîc & qualia sint iudicia Dei [illegible] & [illegible]: & quanta sit vis nostrorum affectuum, quæ dum pertinaces esse volumus in defendendis nostris pugnantibus cum analogia fidei sententiis, eo vsque cæcitatis nos rapit, vt tam absurda quoque, &, vt propriè vocas, noua ac monstrosa dogmata, comminisci & defendere minimè nos pudeat. In nostris Ecclesiis, nihil tale, quod sciam, Dei beneficio, aliquot pręsertim abhinc annis, auditur. Fui quidem & ego aliàs, quod contra hãc doctrinam disputarim, non parũ vexatus: sed tandẽ obtinuit veritas ἰσχυροτέρα πάντων. Quod scribis tũ de tristitia animi tui ex obitu Philippi, tũ de tua graui senecta, h. e. vnum quod subinde magno me afficit dolore: cùm video nos iuuenes, ab optimis & doctissimis nostris patribus & præceptoribus, in tã graui lucta, quam cũ tã multis & potentibus aduersariis sustinemus, paulatim deseri. Sed Christus nõ deseret Ecclesiã: ille semper viuet, ille semper aderit nobis. Interim agnosco cum nostram & totius mundi ingratitudinem: tũ Dei aduersus eam flagella. Pauci adhuc, vt omnes vident, supersunt ex veteranis militibus vel imperatoribus potius, Deus misereatur nostri, & nouos saltem nobis det, strenuosq. & fortes duces: interim vos quoque vestram curate valetudinem. Loci tui, sicut & reliqua tua omnia, mihi summopere multis nominibus probantur: & eos non sine voluptate & fructu lego. Vnum tamen est in tractatione de Remissione peccatorũ, quod à te mihi cupio explicari, si placet. Neque.n. intelligo, quomodo præteritorum peccatorũ remissio semel impetrata: per insequentem iniquitatem, nempe per relapsum, irrita fieri possit. nam in Electis non potest, cum in hos talis relapsus, vt piè & doctissimè tradis, propter electionem & promissionem Dei, non possit cadere. neq. etiam in reprobis. quomodo.n. in eis potest peccatorum remissio fieri irrita, in quibus nullum vnquam habuit aut habere potest locum: cum nunquam vera & viua fide, qua sola, remissio peccatorũ recipitur, præditi sint aut esse possint? In quibus igitur fieri possit irrita: non video. Illa verò loca, vnum ex Ezechiele, alterum ex parabola Matthæi, hoc non concludere, manifestum est. Rogo, mihi sententiam tuam melius explices, & petitionem meã boni consulas. Fiducia enim & obseruantia in te mea, facit, vt hoc a te familiariter, tanquam discipulus à præceptore, & filius à patre petam. Sturmium salutaui, gratissima fuit ei salutatio, vicissim plurimam tibi dicit salutem. Vale.

H. ZANCHII AD EVNDEM.

SIam olim, doctissime Muscule, cũ adhuc in Italia essem, licet de facie te non agnouissem, quamprimum tuos in *Matthæum commentarios* legi, valde erga te bene affectus, magnumque me videndi tui desiderium cepit. Vbi verò iam pridem isthac iter faciens Geneuam, vt & te & Caluinum, & alios doctos viros viderem, factus fui voti mei compos, teque non solum vidi, sed etiam perhumaniter me alloquentem vel colloquẽtem potius, audiui, dicere nõ possum, quanto me amore & obseruantia erga te affici senserim, & in dies, magis ac magis sentiam, præsertim cũ tua lego, lego autem ferè quotidie. Hæc tibi ingenuè scribo, vt quã te obseruem, & quanti te faciam, scias. Quæ quanquã ita se habeant, ne miretis tamen, quod nullis hactenus te literis salutarim, sed nunc primùm ad te scribam. Pudor.n. potius quidam, quàm vlla res alia, me iuuenem, & nullius ferè nominis hominem à scribendo ad talem ac tãtum virum retardauit. Nunc cũ ad te veniat Hieronymus meus Massarius, homo non minus in doctrina pietatis exercitatus, quàm rei Medicæ Doctor peritissimus, vt suum Eusebium, quem nuper in lucem dedit, illustrissimis ac clarissimis Dominis vestris, quibus etiam illum nuncupauit, ipsemet in proprias det manus, & vt te inuisat: Ego quoq; quando per vocationis meæ munus te mihi audire nõ licet, has saltem literas obseruantiæ erga te meæ testes, ei ad te decreui: quibus quidem literis primum tibi hominem commendo: deinde, vt & me diligas, & cum aliquid à studiis tuis otii nactus fueris, aliquando ad me scribas obsecro. Postremò te vehementer rogo, vt tuos in Genesin Commentarios, si absoluti sunt, des tandem foras. Nã cùm ab omnibus doctis, tum à me maximopere desiderantur & exspectantur. Doctissimus Martyr ex Anglia huc ad nos rediit, & quidem incolumis, sed tamen admodum tristis propter dissipatã illam Anglicanam Ecclesiam, præsertim quia nuper literas inde accepit, damnatum capitis fuisse inter alios, ipsum etiam Archiepiscopum Canthuariẽsem, & quonam mortis genere afficiendum? Proh dolor, vt ligno primum suspendatur: deinde in quatuor partes instar proditoris, secetur. Obsecramus, vt Ecclesiis vestris & illum, & cæteros omnes filios Dei commendetis. Martyr te plurimum salutat. Cæterùm, si quid amplius de rebus vel nostris, vel Italiæ scire cupis, de Massario audies. Vale mi optime ac Doctissime Pater. Deus te diu incolumem in vtilitatem Ecclesiæ Christi seruet, per Iesum. AMEN. Argent. 13. Decemb. 1553.

Tui studiosissimus
H. ZANCHIVS.

H. Zanchij ad eundem.

SConstitueram, optime Pater Muscule, post molestias duorum annorum, cum vestro illo humanissimo Medico,

dico, qui tuas reddidit, animi gratia me ad vos primum, deinde Geneuam, postremò verò ad has Thermas Badenses, valetudinis ergo conferre. Sed sicut aliàs sæpe, sic etiam nunc expertus sum, verissimum esse illud vulgò vsurpatum, è Scripturis autem desumtum prouerbium: *Hominem quidem proponere, Deum autem disponere.* Cum enim venissem Basileam, consuluit Medicus, vt prius haberem rationem valetudinis, quàm voluptatis. Coactus igitur fui mutare consilium, & prius purgare corpus, esseque in balneis aliquot dies, quàm me dare in viam ad vos, aut alio. Spero autem me non rediturum Argentinam, priusquam quod de principio constitueram, omnino perficiam. Cupio enim te & alios amicos & fratres permultos videre, ac tum fuse, quomodo res nostræ sint transactæ, explicare. Nunc tantum summam: Doctrinam controuersam neque disputatam, neque iudicatam fuisse, quòd dicerent nostri Compositores, hoc non suum, sed alicuius synodi officium esse. Fuerat tamen mihi de principio aduentus ipsorum facta spes, fore vt disputaretur. Interim legerunt Acta, si quid deprehendissent, propter quod possem condemnari, quid fuissent facturi, diuinare possum, affirmare non licet. Retulerunt ad Senatum, suum ex vtriusque partis scriptis conceptum arbitrium. Hic D. Petrus Sturmius frater illius Iacobi Sturmij, dixit: *Vbi nunc tot & tantæ hæreses, quæ Zanchio obijciebantur?* Ita caussa in suo statu relicta, conceperunt quandam doctrinæ tũ de Cœna, tum de prædestinatione formulam, iuxta quam, vel saltem contra quam in posterum nihil doceretur. In eam est consensum ab omnibus Ministris simpliciter: à Capitulo verò & à me, non nisi cum protestatione, idque non sine caussa. Deinde rogarunt, vt iniurias & maledicta inuicem condonaremus. Fuit sine vlla contradictione obtemperatum. Hæc duo eò fuerunt directa, vt omne scandalum, quod certè non paruum erat in vrbe, & omne seditionis periculum tolleretur, & Scholæ aliqua ratione, quæ collapsa penitus erat, prospiceretur.

Ego etsi initiò non sine caussa, quam postea ex me, vt spero, audies, diu ne subscriberem illis articulis, restiti: tamen vbi vidi, nisi ego subscripsissem, multa inde exoritura fuisse scandala, tantum aberat, vt exorta tollerentur: nolui publicum bonum, hoc est, pacem, concordiam, animorúmq; multorum reconciliationem impedire.

Auebas audire de Gallis: Ego pridie, quàm discederem Argentina, vidi in manibus dominæ Roianæ, & audiui legi literas ad eam ex auia Ducis Lotharingiæ scriptas, pacem esse factam: Conditiones aliquot scribebantur, quarum prima erat, *vt Condæus Regni habeat gubernacula cum Regina Matre, sicut habebat frater Nauarrenus.* Altera, *vt in quibuscunque vrbibus fuerunt Ecclesiæ reformatæ,* (excepta Lutetia *ibi nostris duo concedantur Templa.* Tertia, *vt quiuis nobilis, qui habeat oppidum, aut pagum* (illi aiunt dominationem aliquam) *possit curare sibi in sua aula prædicandum Euangelium.*

Res Germanicæ, cum discederem, in eo erant statu, vt affirmaretur, Ducem Saxoniæ Guilhelmum breui venturum cum 4000. equitum, & 8000. peditum, repetitum nomine Imperii Metas, Tullum & Verdunum. Alii affirmabant, iturum recta ad Ammiralium. Habes quæ ex Thermis scribere possim noua. Hic sumus læti, & curamus valetudinem. Vale igitur etiam tu Reuerende atque optime Pater.

H. Zanchij ad eundem & reliquos tum verbi Ministros, tum Scholæ professores, Bernam.

S. Ego verò perlectis humanissimis atque officiosissimis literis vestris, Doctiss. Pater Muscule, & reliqui Reuerendi atque optimi fratres, breuiter sic respondeo: primùm quidem, quod iste vester piissimus atque inuictus Senatus summa diligentia & studio curet, vt suæ Lausannensis, atque illius quidem celeberrimæ Scholæ nauis, ab aduersis nescio quibus procellis quasi submersa, iterum gloriosior emergat, vobiscum ago Deo gratias, Scholæ ipsi gratulor, pium amplissimi Senatus institutum laudo & amo; denique vt cœpta, & quasi ad finem perducta instauratio, feliciter perficiatur, omnibus votis desidero.

Quòd autem vos tum in vestro consilio, mei quoque honorificam fecistis mentionem, tũ vestris me literis estis dignati, quibus quid de me Amplissimus vester Senatus, vobis autoribus cogitet, significatis: Ego pro vestro isto, quo me affecistis honore, ago & habeo vobis gratias immortales, Deumque rogo, aliquando efficiat, vt quanta sit mea erga vos omnes obseruantia & animi gratitudo, officio aliquo declarare possim. Illud certe polliceor, ne nũquam obliuione traditurum istam vestram bonam erga me voluntatem, studium, officium.

Quòd verò significatis, vos auere ex me ipso cognoscere, quid si vocer, facturus sim, & petitis vt huic iuueni datis ad vos literis voluntatem meam apertè indicem: libenter & facilè isti vestro honesto desiderio, & iustæ petitioni satisfaciam. Senatui vestro vocanti non sum repugnaturus: senatui nostro mittenti, sum obtemperaturus: vtrique vero gratias acturus.

Idem responsum dedi meis Italis, cùm ab ipsis Geneuam vocarer: quid aliud ad vestram petitionem responderi à me possit non video. idem etiam responsum dedi meis Italis, & meo Senatui, cum ab illis Lugdunum vocarer, neque aliud certè vobis dare possum. Scimus enim Soli Deo, in omnibus & simpliciter esse obtemperandum: At vero Magistratibus nostris in iis omnibus quæ iubent, & non pugnant cum reuelata Christi voluntate, non esse resistendum, & qui resistit, Dei ordinationi resistere. Huc vero accedit, quod is meus amplissimus Magistratus ita me & humaniter excepit, & liberaliter huc vsque tractauit & tractat, vt planè sim ingratissimus, si non in omnibus, quæ non sunt contra Dominum, ad ipsius voluntatem, meam quoque accommodem. Habetis meam voluntatem. Hæc in hoc negotio, & in aliis [illegible] tota, vt par est pendet à voluntate mei senatus: Huius vero pendet a voluntate Christi (Christus enim habet cor Regis in manu sua, & quocunque vult, dirigit & flectit illud) Christi vero voluntas, sola est verè libera: sed ea nos in hoc negotio adhuc latet. Primum igitur, meo iudicio, rogandus est Dominus Iesus, vt is velit ad id flectere cor nostri senatus, quod ipse Dominus Iesus agnoscit magis ad suam ipsius gloriam illustrandam, & Ecclesiæ vtilitatem promouendam factum. Deinde tentanda est voluntas nostri Magistratus, vt agnoscamus, vtram in partem fuerit à Domino inclinata. Tum demum supererit, vt ego exequar vtriusque & Christi & senatus voluntatem.

Quod vero postremo loco admonetis, non esse cur dubitem de Dominorum vestrorum vel beneuolentia nempe erga omnes suos Ministros & professores, vel constantia in retinenda tum pura religione, tum reformatione Ecclesiastica: perlibenter, & non sine magna animi mei voluptate id legi. Etsi enim ita semper fui de tanti senatus pietate persuasus, vt de illius tum constantia, tum in suis Ministris amandis & fouendis, tum in pura religione defendenda ac conseruanda dubitare nunquam potuerim aut possim: gratissimum tamen fuit & iucundissimum, hoc ipsum ex vestris etiam literis intellexisse. Quare, si antea istum vestrum & pium, & inuictum Senatum venerabar & diligebam, nunc certè suspicio, colo & amo. Valete viri Doctissimi, & totum Deo negotium vestris precibus commendetis, & me amare pergatis, etiam atque etiam rogo & oro.

Ad D. Volfgangum Musculum.

S. Ad ea, quæ non tantum tuo, sed etiam reliquorum tum Ministrorum, tum Professorum, nomine scripseras, credo me satis perspicuè & Christianè respondisse: nunc quædam peculiaria ad te. Mi Pater Muscule, ego omnes viros doctos & pios obseruo & colo: sed mihi credas, te, Bullingerum, & Martyrem meum, singulari & peculiari non dicam tantum obseruantia, sed amore quodam tenero complector, vt maiori etiam fiducia mihi videar posse vobiscum, quàm cum aliis vti. In caussa est vestra singularis non doctrina tantùm & pietas, sed etiam humanitas, spiritus lenitas, & morum suauitas. Itaque ne miteris, si quædam hic reponam in sinum tuum, tanquam in sinum parentis.

Video in tuis literis, mi Pater Muscule, te erga me paterno duci affectu. Video te de me ita cogitare, sicut pater quispiam de filio, qui solus sit in media pugna cum hostibus, cogitat. Video itaque te mei misertum, cogitasse me è pugna eripere, inque locum pacis deducere. Quàm gratus mihi sit iste tuus erga me paternus affectus, quantum mihi consolationis adferat hæc cogitatio, non

possum exprimere: ac proinde omissis Rhetoricis verbis, hoc tantum dicam, me te vt verum patrem amare & colere. Quoniam igitur video te tam paterno erga me duci affectu, vt cupias mihi consultum, tibi candidè quædam explicabo, quæ non cum quouis communicare audeam. Ego certè diu hic pugnaui, sed gratia Deo, tandem vicit Christus, & veritas, quia nihil fortius, ita vt iam mihi liceat in Schola docere apertè & liberè, sed tamen modestè, id quod certè amo. Neque enim illos probare possum, qui nunquam sunt contenti, & nunquam quiescunt, nisi dum hostem videant extinctum. Malo hostem ex inimico fieri amicum, quam inimicum mori. Gloria sit Deo, iam magna videtur esse inter nos concordia. Iam cum mihi liberum sit sanam profiteri doctrinam, non est cur cupiam hinc aliò migrare. Nam cætera incommoda, vt solitudinem, libenter pro Christo feram. Nunc venio ad aliud.

Vicini tui sunt mihi amici, atteo illorum amicitias mihi conseruare: omnis successio odiosa est, & aliquam semper secum afferr offensam. Quid possit caro in ipsis etiam piis, nosti: non libenter multa audio. Sentio & video verum esse, τὴν δόξαν πολλάκις διώκεσθαι τὴν ἀντίθεσιν: incurrere odium Mundi, propter Christum, honorificum est: sed in illorum, qui specula sunt pietatis in Ecclesia, offensiones incurrere, nimis graue est. Aliud etiam addo: intellexisti, credo, me à meæ nationis hominibus, misso etiam huc cum literis Geneuensis Senatus ad nostrum legato, viro graui & honorato, Geneuam vocatum fuisse, vt afflictam illam Italicam Ecclesiam consolarer, ad quam rem non solum omnes præclari quique in nostra illa Ecclesia, sed etiam Caluinus suis literis adhortabantur & stimulabant. Ego certè misertus meæ nationis, tantum onus, etsi meis humeris impar, propter Christum tamen subire, modò id fieret cum bona gratia mei Magistratus, paratus fui. Magistratus non permisit. Si ad vos veniam, quid dicent Itali mei? Non deerunt hic etiam, qui me in albo eorum, qui diuersam ab illis, qui discesserunt, conscientiam, doctrinam & spiritum habent, reponant. Hæc ideo ad te, pater Muscule, scripsi, vt intelligas, me non habere, quod impellat ad suscipiendam istam nouam conditionem, cum tot secum adferat molestias. Veruntamen (vt dixi ante) quicquid Dominus voluerit, agam libenter. Commenda me & negotium ipsum Deo. Vale.

Tibi addictissimus H. Zanchius.

AD EVNDEM.

S Maximarum quasi concursus occupationum, Doctissime atque optime pater Muscule, effecit vt huc vsque distulerim meam ad tuas suauissimas literas responsionem. Nam non multò post discessum M. Benedicti Martini, viri certè, qui à te commendaretur, dignissimi, suscepi maximo cum gaudio è mea noua vxore, filios gemellos duos, idque maturiùs quàm expectabam, ideoque plures & grauiores molestiæ mihi subeundæ ac perferendæ fuerunt. Non ita multò post, ad septimanas nimirum circiter tres: ambos ad se recepit Dominus. Voluit Dominus, mihi satis fuerit, sua formosa & clara munera vidisse. Hic certè spiritu gratulatus sum filiis suam æternam felicitatem, & contentus fui voluntate cœlestis Patris: Interim tamen non potui ita carnem & paternum affectum cohibere, quin grauissima hæc & luculentissima vulnera senserim, quin mœrore, quin denique aliquot dierum luctu quasi confectus fuerim. Et profectò amissio duorum simul filiorum grauissima fuit: cæterum non minus grauis continuus matris luctus. Est fœmina, est iuuenis, est noua mater, est in aliena patria, non potest propter linguæ ignorationem, aliorum consolationes percipere: debes cogitare, plus mihi laborandum fuisse in dolore eius mitigando, quàm in meo penitus ponendo. Accesserunt quædam etiam alia præter domestica & Scholastica, tum illius qui est in carcere, cum aliorum amicorum caussa, suscepta negotia, quæ certè non fuerunt me otiari. Quid de negotiis Ecclesiasticis dicam? Postquam in albo Senatus nostri Ecclesiastici scriptus fui, longè plures quàm antea à studiis vacationes, & animi perturbationes sum perpessus intra mensem, quàm antea intra annū. His atque aliis grauissimis occupationibus obrutus, non potui, vir Clarissime, vt cupiebam, literis tuis citius, quàm nunc respondere. Rogo itaque hanc meam ad scribendum tarditatem, pro ea quæ tibi quasi innata est clementia, mihi condones. Te enim tanti facio, quàm quem maximè, & ita obseruo atque colo, vt quem maximè. Quòd ad literas tuas attinet, gratulor tibi istam tuam quietem, in ea te ad vtilitatem Ecclesię diu incolumem conseruet Dominus. Is pro sua sapientissima prouidentia omnia quàm optimè moderatur & disponit. Æquum erat, vt & te, & Petrum Martyrem, quippe qui senes diu multumque de Ecclesia bene meriti estis, ista quiete, tanquam emeritos milites, donaret. Me quia iuuenis, & qui nihil adhuc pro Christo effeci, in media pugna exerceri vult. Præposito vestri Collegij, ea quæ potuimus, humanitatis officia præstitimus, tum propter vestrum Amplissimum Senatum, & tuam commendationem, tum etiam certè propter eius singulares virtutes, quæ hominem reddunt omnibus amabilem, & omni humanitatis officio longè dignissimum, maiora etiā præstituri, si diutius hic voluisset subsistere. Illud dolet, quod cum maximè cuperem filio tuo, meam erga te obseruantiam aliquo officio declarare, nihil propter temporis, quo hic substiterunt, breuitatem, præstare potui. Debuisset cum D. M. Benedicto, ad commune & amicum prandium (fuerat enim inuitatus) venire: sed præ verecundia (vt credo) non venit. Rogo gratam habeas meam voluntatem. De negotio, cuius caussa susceperat illud iter M. Benedictus, ex ipso audiui multa: si potuissem vel consilio, vel vllo alio officio, prodesse, fecissem quam libentissime, ob eam etiam caussam, vt tum vestræ Reipub. quam vehementer amo & colo, tum etiam tibi gratificarer. Verum non habuit opus vllo vel consilio, vel auxilio meo. Hæc pauca ad tuas veteres literas. Noui nihil habeo quod scribam, nisi rumorem spargi de pace inter duos Reges, sed nihil certi haberi hic à nobis posse. Quomodo res se habeant in Polonia, credo te de Domino Sebastiano viro docto, & famulo D. Iohannis à Lasco, qui hac cum literis ad multos viros doctos, ad vos iam pridem transiuit, Geneuam vsque profecturus, intellexisse. Non dubito, quin etiam isthuc, tui saltem inuisendi gratia, vel peruenerit; vel saltem Geneua rediens, peruenturus sit. Nos hic cætera, rectè valemus, & multò magis consentientes, quàm antea vnquam in Domino viuimus. Precor Dominum, vt omnes viri docti, & qui alicuius sunt autoritatis in Ecclesia Christi, illam dent operam conciliandis inter se priuatis Ecclesiis, quam vera pietas postulat. Vale præceptor & ceu pater obseruandissime, & meo nomine tum D. Benedicto, tum toti tuæ sanctæ familiæ, salutem dices.

T. Præstantię addictissimus
H. ZANCHIVS.

H. Zanchij ad eundem.

S Seriùs, quàm vel tu sperabas, Doctiss. Muscule, vel forte res ipsa postulabat, vel certe ego volebam, redditæ mihi fuerunt literæ tuę. Quas enim tu Bernæ dedisti 7. Aprilis, redditæ illæ mihi à Thermis domum reuerso 18. Iunij, cum tamen ad Thermas Badenses, vbi me esse nemo nesciebat, mitti facile potuissent. Neque vero hoc ideo dico, vt bonos adolescentes, qui reddiderunt apud te accusem negligentiæ (excusatos enim potius vt ego habeo, ita tibi volo, quippe qui forte putabant, vel me citius, quàm feci, rediturum, vel tuas literas esse tantum commendatitias) sed quod doleam non potuisse me tuas ad Vergerium, quæ fortassis alicuius erant momenti, maturius remittere, atque ita tuo desiderio & petitioni satisfacere, id quod à me facile fieri potuisset, si citius, nimirum cum Vergerius adhuc esset Tubingæ, eas accepissem. Res enim postea malè nobis cecidit, Vergerio in Borussiam profecto. Quanquam enim dubitandum non est, eas fideliter redditum iri (nam viro probo, & tam mei amantissimo, quàm tui studiosissimo ad Vergerium perferendas tradidi:) tardius tamen, quàm velles reddantur propter longinquitatem & itineris difficultatem necesse est. Atque hęc de redditione literarum satis, quas eo lubentius perlegi, quò tardiùs fuerunt allatæ, quippe quæ plenę erant humanitatis & amoris erga me tui. Quos autem mihi commendas adolescentes, duplici nomine erunt commendatissimi, tum quòd qui commendat, Musculus est, vir iam olim, antequam etiam de facie illum nossem, in Italia mihi semper obseruandiss. & colendissimus: tum quod qui commendantur, Tigurini sunt, quorum Ecclesiam & ciuitatem

tem vehementer obseruo atque colo, eoque indies erunt mihi commendariores & chariores, quò eos, vt spero, & pietatis,& bonarum literarum studiosiores video.

Cæterum, quòd scribis, ab eo tempore, quo tecum ad horam fui, cum isthac Geneuam iter facerem (annus est iam circiter quartus) te nihil de meo statu, à quopiam vnquam accepisse, in eo video me tacite accusari, quasi nihil vnquam ad te scripserim. Debuissem fateor, sæpiùs ad te virum etsi eximium, humanissimum tamen perscribere, & tanti viri amicitiam colere, quæ mihi certè longè charissima est, & verò etiam nisi quidam me non magni nominis hominem pudor à scribendo retinuisset, illud perlibenter fecissem: sed tamen nihil me vnquam scripsisse ad te, non facile dabo. Anno enim abhinc tertio, cùm isthuc veniret Hieronymus Massarius Medicus Italus, vt suum Eusebium Illustriss. atque Ampliss. vestro Senatui offerret, literas ei ad te dedi, per quas & de meo statu, & de Petri Martyris ex Anglia ad nos reditu certiorem te feci, eiusque nomine salutaui, & Massarium nostrum tibi commendaui: ac nisi vel Vulcano sint traditæ, vel à tineis & blattis comestæ, vel in aliquem necessarium vsum conuersæ, in tuis fortassis cistulis eas reperies: sed sæpiùs id vsu venit viris magnis, vt multis ac variis & grauissimis quidem rebus occupati, amicorum literas vix legere possint, nedum post annos aliquot eas meminisse, ita vt mihi mirum non sit, si idem tibi quoque in meis literis contigerit. Quare quod petis vt scribam de meo statu, in eo tibi morem geram libenter. Istud enim testimonio est, haud negligi à Musculo Zanchium.

Elapsi iam sunt anni tres, ex quo Argentinam à Clarissimis huiusce Gymnasij Scholarchis, inter quos præcipuus tum erat Iacobus ille Sturmius: parens huius & Scholæ & ciuitatis, vt Theologiam profiterer accersitus veni. Propheias suscepi explicandos, orsus ab Esaia. Rogatus deinde, vt tantisper, dum de optimo Philosopho nostræ Scholæ prospiceretur, aliquid etiam præter Theologiam interpretarer in Aristotele, morem gessi amicis, & libros φυσικῆς ἀκροάσεως explicare cœpi. Fui hisce duobus annis, ob grauissimum, in quem mea charissima vxor ex abortu incidit morbum, vehementer afflictus. Iam per gratiam Domini, postquam à Thermis reuertimus, meliusculè habet, meliusculè inquam, quoniam pristinæ valetudini adhuc non est restituta, cùm tanta etiamnum supersit in pedibus neruorum contractio, vt incedere nullo modo possit. Spero tamen eam, hac etiam paralysi, per gratiam Christi, breui liberatum iri. Ego verò bene valeo, gratia cœlestis Patris, & hic satis humaniter & liberaliter tractor. Illud vnum ita me premit, vt vix sim ferendo, discessus nimirum D. Petri Martyris, Patris mei obseruandissimi. Discessum hunc grauiter & molestè fero, non tantùm mea caussa, sed inprimis, quòd Schola nostra tantum Doctorem amittit, & ceu proprio parente priuatur. Gratulor quidem Tigurinis nostris, quibus omnia felicia & fausta precor: sed tamen, meo iudicio, (si communem Ecclesiæ Christi vtilitatem spectemus) pluris referebat, Martyrem esse Argentinæ, quàm Tiguri. Doleo igitur, & quidem vehementer hominis discessum: sed dolori meo duplex accedit leuatio: vna, quod scio diuina prouidentia hoc factum fuisse. Altera, quòd plus poterit nostræ Italiæ Tiguro, propter maiorem & loci propinquitatem, & otii facultatem, prodesse, quàm Argentina hactenus profuit. Huc accedit, quod tranquilliore conscientia (atque hoc ipse inprimis spectauit) erit Tiguri, quàm fuerit post reditum ex Anglia, Argentinæ. Caussam discessus ipsius malo ab aliis, quam à me accipias. Habes de meo statu, Doctissime Muscule, ea quæ à me scribi in præsentia possunt. Neque enim omnia debent vel possunt literis committi. Si licuerit venire aut tibi Tigurum, aut Martyri Bernam, hominem ipsum tui certè amantissimũ videbis & audies & quæ per literas à me non potes, ab eo coram intelliges. Iam verò tibi, imò & Ecclesiæ Christi gratulor valetudinem tuam, precórque Deum omnipotentem, per Jesum Christum, vt diu te, tuique similes, nobis & toti Ecclesiæ seruet. Tu metuis Ecclesiæ à Tyrannis & Principibus huius seculi, & iure quidem, quandoquidem omnia illorum studia huc diriguntur, vt Ecclesiam Christi funditus (si Deo placet) perdant & exstinguant: sed ego magis à falsis fratribus, à Pseudoprophetis, ab iis, qui magis in verba hominum, quam in verbum Dei iurarunt, mihi & toti Ecclesiæ metuo. Hi enim plus suis dolis, erroribus, falsis doctrinis obesse possunt Ecclesiæ Christi & Euangelio, quàm illi suis armis. Video optimos heroas, fortes & fideles Christi ministros consenescere, & alterum post alterum ad cælum migrare, in eorum verò locum, homines vel pueros potius, qui plus ambitione & ignorantia, quàm pietate & doctrina valeant, substitui. Precor Deum Patrem, per Christum Iesum eius Filium ὁμοούσιον vt suam Ecclesiam protegat, tueatur, defendat, ab omnibus hostibus, sed inprimis à domesticis, & sua luce tantas tenebras, quæ in Ecclesiam Christi sensim obrepunt, dissipet, vt omnes tandem, quid sit Christus, quidve eius regnum, verè agnoscant. Vale optime Pater in Christo, & Zanchium tui obseruantissimum, vt facis, ama. Argent. 3. Iulij 1556.

Tibi, tuo merito, deditißimus

H. ZANCHIVS.

Hieronym. Zanchius Philippo Melanchthoni.

QVanti te semper fecerim, doctiss. atque opt. pater Philippe, quantaque obseruantia prosecutus sim, ab eo tempore quo tua cœpi legere (cœpi autem iam olim in Italia) idque propter tuam & singularem pietatem, & variam perfectamque eruditionem, non est operæprecium, multis verbis explicare: præsertim quoniam summopere odi adulationis vitium, quod cum à Christianis omnibus, tum inprimis ab Euangelij Professoribus alienum esse debet. Hoc tantùm dicam, Locos tuos illos priores, fuisse mihi primum ad perfectam Christi cognitionem, pædagogum, quantum autem quisque debeat suis primis præceptoribus, illis præsertim qui nos in vera Christi cognitione catechisarunt: tu optimè nosti. Te igitur obseruari à me, & fieri quam maximi, potes ex hoc vno colligere.

Quod verò ad te, quem tantopere iampridem obseruo, nihil hactenus nisi iam scripserim: in caussa fuit nihil aliud quam pudor quidam, qui me à scribendo huc vsque retardauit. quis enim ego, vt ad talem tantúmque virum scribere auderem? Etsi vero non fui ausus literas dare; ausus tamen fui per nonnullos fratres & postremò per Doct. Marbachium, te salutare. Nunc cogor pudorem illum tandem deponere, offertur enim mihi argumentum quod vel solum me ad scribendum impellit. Illud autem est huiusmodi. Multis ab hinc mensibus, docui in Schola nostra, quoniam sic locus quem interpretabar, exigebat: *Christum, quà Deus est, secundum diuinam naturam, vbique locorum esse: eundem verò, quà homo, id est secundum humanam naturam, non posse vbique semel esse.* hoc enim propriũ esse diuinæ naturæ. doctrinam hanc & autoritatibus Scripturarum multis, & testimoniis antiquiss. & clariss. Patrum circiter quatuordecim, adiecto ad calcem testimonio & rationibus sanctæ memoriæ M. Buceri: dilutis etiam rationibus aliquot eorum qui contrarium docent: sed modestè, neminéque nominato: satis supérque comprobaui. Cæterum quoniam sunt nonnulli ita certis hominibus addicti, vt nec rationibus, nec autoritatibus Scripturarum, nec testimoniis Patrum, nisi suorum etiam doctorum testimonium accedat, permoueantur: Icciréò cùm nuper ad manus meas peruenissent quædam à te in Schola VVitebergensi in tertium caput ad Colossenses de hac re, Christianè dictata: ea fideliter in Schola nostra, idque haud extra propositum (quendam enim locum Iustini de hac re ex libro de fide Trinitatis, explicabam) recitaui. Id verò feci, non quod doctrina antea à me tradita, non fuisset satis superque confirmata & comprobata: sed quod optimè sciebam, tuum testimonium, plurimum ad eam auditoribus quibusdam persuadendam, & iure quidem, valiturum. Neque verò putaui, me in hac re tibi vllo modo rem ingratam facturum: nempe si in Schola Argentinensi fideliter recitarem, quæ à te in Schola VVitebergensi piissime & doctißimè dictata fuerant. Verum quid inde contigerit, nõ dicam ego. Scio D. Marbachium ægerrimè tulisse: sed iniuria. An verò tu ægrè tuleris: quod mihi persuadere nõ possum, nescio. Hæc itaque à te doctissime atq; optime Philippe, etiam atque etiam peto & rogo, primùm rescribas, *vtrum ista fuerint à te dictata nec ne: copiam enim & exemplum mitto.* Alterum, *an ægrè tuleris, quod ea hic recitarim, necne.* Tertium, *Si & dictasti, & me illa recitasse, non iniquo tulisti animo, opra sque vt vera doctrina promoueatur, agas cum D. Marbachio, rem melius & diligentiùs examinet.* Postremò, si tibi visum fuerit, agas etiam cum D. Brentio, quem noui quidem è suis scriptionibus doctißimum

virum: audio vero etiam humanissimum & optimum Christi seruum esse, ne silentio suo in tali errore multos retineat. multi enim ab eius autoritate pendent. Clariss. D. Philippe, commendo tibi caussam Christi. piorum omnium in te vno spes est collocata hoc tempore, ne tot tantorumque piorum spem defraudes, rogo. Tu iam senex es, migraturi sumus breui omnes ad Dominum, ne ergo præsentem hanc occasionem, qua potes & debes strenuè, vt te facturum confidimus, Euangelij veritatem tueri negligas. fac ne vbi venerit hora tua, pœniteat te tacuisse. heroicum te esse, fortiérque contra omnes hostes pugnare, si vnquam anteà, nunc certè necesse est. Non dubitant pij de tua eximia eruditione & singulari pietate: tantum hoc precamur omnes, donet te virum alioqui fortem, maiori etiam spiritus fortitudine Deus. Vide quam familiariter ego omnium minimus, tui tamen inter omnes obseruantissimus, tecum loquar, eximie & doctiss. Philippe. Dabis hoc tum pietatis studio, quo aliqua ex parte afficior, tum singulari tuæ humanitati, quæ tantum mihi dedit animi, vt id ausus fuerim. Cupiuissem te & videre coram & amplecti: sed quando hoc mihi non est in præsentia concessum, contentus ero hasce nunc primum ad te dedisse literas. Cum meis verò, habebis & Cœlij soceri mei epistolam. Vale & me in amicitiam tuam recipias, rogo. Adsit tibi Dominus suo Spiritu: & tediu ad Ecclesiæ vtilitatem, seruet incolumem. Saluto autem reuerenter D. Brentium & Doct. Marbachium. Argentina 4. Septembris 1557.

Hieronym. Zanch. Ambrosio Blaurero.

Accepi iamdudum, Reuer. Domine & pater obseru. elegantissimam eamq; argenteam, sanctissimi simul & doct.ss fel. memoriæ, M. Buceri, imaginem, per tuam veram viuamque imaginem Geruicum filium tuum, lectiss. iuuenem, pro tua liberalitate ad me missam. fuit illa mihi gratissima multis nominibus. Primùm quod in ea imagine, imaginem tuæ eximiæ pietatis perspexerim. etenim cum forte audieris ex cariss. meis fratribus D. Conr. Huberto & filio tuo, me doctrinæ Christi per Bucerum hic explicatæ, & firmiss. argumentis confirmatæ, studiosum & defensorem esse: isto non vulgari munere, videris mihi voluisse, tum te Buceri amicissimum eiusque doctrinæ amantissimum fuisse, testificari: tum mihi, quod eiusdē sim & studiosus & defensor, gratulari. Est autem hoc luculentum tuæ pietatis testimonium. Deinde quod etiam in eadem imagine argentea, viderim imaginem nō tantum pij & Christiani: sed etiam humani, beneuoli, candidi, magnifici ac generosi, ideoque non argentei, sed verè aurei ingenij tui. cum enim nullum vnquam à me acceperis beneficium, immò nec vlla vnquam inter te & me intercessserit vel familiaritas vel etiam notitia: quod tu tamen senex omnibus modis reuerendus me nullius nominis hominem, prior & salutaueris & hoc dono affeceris; ideoque in amicitiam tuam non solum inuitaueris, sed etiam officiosè pertraxeris: in ea re, tanquam in lucidissimo speculo, humanitas ac generositas animi tui luculenter resplendet. Quam caræ etiam sint eorum quos amamus imagines, nemo est qui nesciat. Deo certè nihil est carius sua imagine, qui sumus nos, os ex ossibus eius, & caro de carne eius, renati in Christo, & spiritu iustitiaque Christi donati. Est igitur cur tanti viri olim tibi amicissimi ac familiariss. M. Buceri imago, carissima gratissimaque mihi esse debeat: & ego tibi pro tanto munere proque tua erga me beneuolentia, adde & pro honore isto, quo me affecisti, gratias agere atque in perpetuum habere debeam.

Quod verò non citius, vt officium meum postulabat, ad te scripserim, & gratias egerim, in caussa fuit quædā profectio, quam coactus, paulò post tui filij reditū Heidelbergam, deinde Marpurgum suscepi. Cum enim vidissem, omnem disputationem & omne amicū colloquium ab his meis aduersariis mihi denegari, & interim apertissimam Christi doctrinam per Bucerum hic Argentinæ traditam, & tum Scripturis, tum Patrum testimoniis confirmatam, perpetuò etiam ex pulpitis damnari; & me tanquam hæreticum per totam vrbem traduci; coactus fui alio proficisci, & cum aliis Theologis de hac doctrina conferre, idque in Germania. iactauerat n. publicè Marbachius in Schola, secum in sua contra meam de perseuerantia Sanctorum doctrina, sentire omnes Ecclesias, quæ Confessionem Augustanam profitentur. Veni itaque Heidelbergam & Marpurgum. Vtraque Academia me libenter audiuit, mea etiam scripta diligenter legit, & postquam aliquot dies omnia diligenter perpendissent: tantum abest vt doctrinam meam damnarint, vt non solùm ei subscripserint, sed eam etiam aliis adiectis scripturarum testimoniis & argumentis confirmarint, scriptumque piæ doctrinæ testimonium mihi dederint: neque hoc solum, sed etiam, si Argentinæ esse non possim, ad se vt veniam ibique doceam, rogarint. Non diu autem est, ex quo domum redij. Habes caussam, mi opt. Blaurere, cur non citius scripserim: quia sc. scribere non potuerim. Quomodo vero res meæ se habeant, ex aliis, vt ex D. Conrado & filio intelliges.

De Gallis, optima habemus noua. Ibi est Martyr noster, cum aliis Principibus & piis omnibus, tum imprimis Reginæ matri, gratissimus atque carissimus. Ibi etiam est Beza, qui in collocutionem venit cum Cardinale Lotharingo, deque iustificatione, purgatorio, Sanctorum inuocatione, & Missa, realique præsentia corporis Christi in pane, inter se disputarunt coram Regina matre: sed ita vt Cardinalis ad postremum dederit manus Bezæ. Ex conuentu trium Statuum, octo partes vno consensu censuerunt, consulendum & supplicandum esse regi, vt libere templa Euangelicis propter pacem regni permitterentur: quinque contra, nullo modo esse permittenda iudicarunt: duæ partes: neutræ fuerunt. Totum significatum fuit regi: quid futurum sit, ignoratur: quia nihil certi habetur. speratur tamen: illa si non sint iam concessa, omnino esse concedenda. Ferrariensis Cardinalis, transiit Geneua cum maximo comitatu in Galliam: secum adducebat duos doctissimos, vt scribitur, Monachos, ad colloquium quod in Gallis futurum est. Atque de nouis Gallicanis hæc quæ scriberem, certa habui.

Quòd verò ad quæstionem illam de quodam fratre, quam ad D. Conradum nostrum misisti, attinet: hæc est nostra sententia. Principio, curandum censemus, vt pastor ille formam excommunicationis, quod ad hanc particulam *de Sacramentariis* attinet, mutet: nimirum vt nomine Sacramentariorum suppresso, id cuius caussa damnati fuerunt à Luthero ij, qui Sacramentarij appellantur, exprimatur: nempe in hanc sententiam, *Qui negant in Cœna exhiberi & recipi verum Christi corpus, & affirmant, signa sacramentalia, esse nuda signa: ij non accedunt.* Sic enim iudicauit Lutherus: Zvvinglium & eos, quos *Sacramentarios* vocat, sentire: & propter hoc tantum, in hoc articulo de re sacramentaria, eos & hoc nomine appellauit, & à Cœna reiiciendos esse censuit, secus docentes, probat & agnoscit vt fratres. vnde in libro defensionis τῶ ῥητῶ Latinè facto, E. 5. postquam multas docendi formas commemorasset de corpore Christi in Cœna, & omnes dixisset tolerari posse, postea subdit: *De verbis enim disceptare non volumus, saltem maneat sententia: quod non solùm in Cœna panem comedamus: sed corpus Christi.* Iis verbis docet Lutherus, illos à se non damnari neque à Cœna reiici, qui fatentur, in Cœna, non solum panem: sed etiam corpus Domini manducari: & quia putabat, vt antè dixi, sed falsò, Zvvinglium hoc negare: iccirco illum & eos qui eum sequuntur, *Sacramentarios* appellauit. Nunc cùm manifestum sit, non aliam ob caussam, præter eam quam dixi, in hoc articulo damnari eos quos Sacramentarios vocant: Manifestum etiam sit, hac in re tum Zvvinglio, tum iis qui eum sequuntur, iniuriam fieri, nimirum, quod Sacramentarij appellentur: Christiana pietas postulat & flagitat, vt in tali excommunicatione, Sacramentariorum nomine suppresso: dogma, cuius caussa fit excommunicatio, exprimatur: Si hoc fiat: cum is de quo sermo est, ingenuè cum aliis profiteatur, non panem solum, sed etiam corpus Domini in Cœna exhiberi & manducari: sublata erit omnis propositæ quæstionis difficultas, omnisque conscientiæ scrupulus. Nam non erit, cur vel excommunicationem, vel scandalum dissimulatæ veritatis metuat. Si vero id impetrari à parocho non possit, sententia tamen nostra est: nobis non videri, cur non possit ille frater salua conscientia, & iuxta verbum Domini, ad Cœnam accedere; præsertim cum suam fidem ipsi pastori ingenuè professus sit: neque tamen propterea parochus à Cœna illum arcere velit. Nam si abstinendum est, id vel nostra vel aliorum caussa est faciendum. Si nostra, nos non videmus, cur debeamus abstinere ab illorum in S. Cœna communione, qui eandem Christi doctrinam nobiscum docent, eandem fidem profitentur; caritatem nobiscum colunt, & eundem habent baptismum, eandemque etiam, quod ad substantiam attinet, Cœnam: modo ab ea Ecclesia absit

absit omnis hæresis, vti est portentosum illud & nullo modo tolerandum dogma περὶ παντοτοπίας ϗ πολυτοπίας Corporis Christi. etsi enim aliqua sit inter illos & nos in intelligentia verborum Cœnæ diuersitas: si tamen in substantia tum totius religionis, tum speciatim etiam ipsius Cœnæ conueniamus omnes; quid est, cur propter aliquam in rebus non essentialibus diuersitatem, abstinere a rerum essentialium communione debeamus? Si verò propter alios, censear quis à Cœna, vbi excommunicantur Sacramentarij, abstinendum esse, ne scilicet infirmi pij offendantur: quasi is, qui accedit, suo accessu, & illorum errores comprobet, & veritatem neget, vel saltem dissimulet: respondemus, non consequi: Accedit, ergo errores ministrantium comprobat & veritatem dissimulat. Accedebant etiã Christus & Apostoli ad templum: errores tamen Pharisæorum non probabant, neque veritatem dissimulabant: aliter enim docebant. Si ergo etiam iste frater suam fidem protestetur coram Pastore & Ecclesiæ senioribus paratus idem facere coram omnibus qui se de sua fide interrogent. aut quos suo exemplo offensos fuisse cognoscat: quid est cur aliorum gratia, se priuare debeat ista consolatione, mandatóque Christi non obedire, qui ait omnibus Cœnæ adstantibus: *Accipite, manducate*? Huc accedit, quod nomen *Sacramentarij* propriè in illos dictum fuit: qui negant, cum Symbolis rem ipsam dari. quod cùm ille frater non faciat, non est cur debeat vllius facere talem excommunicationem, aliorum caussa. nam etiam alij qui verè pij sunt, intelligent, illud Sacramentariorum nomen, ad se minimè pertinere.

Habes, doctiss. Patet, quandoquidem sic voluisti, nostram simplicem de proposita quæstione, sententiam, quam iudicamus, piam esse atque Christianam ac proinde in illa etiam mansuri sumus, tantisper dum meliorem audiamus. Ego verò mi obseruande Blaurere, diuturnam tibi à Domino precor valetudinem, & gratiæ ac pacis Christi incrementum. Et, si qua in re potuero vnquam tibi aut tuis gratificari, quod potest Christianus Christiano, & filius patri promittere: hoc totum ego tibi polliceor. Deinde gratias tibi ago, quod receperis nostro cariss. fratri Cont. Huberto, viro, vt nosti, pio & docto, inque suum carissimum præceptorem felicis memoriæ Bucerum, gratissimo, te epistolas quas habes D. Buceri, olim ad te scriptas, ad eum missurum. feceris rem gratissimam omnibus piis & vtilem Ecclesiæ Christi. Nauat hic bonus frater, opt. operam in colligendis Buceri, quotquot potest, scriptis, idque pio sua in Deum pietate & in suum præceptorem Bucerum obseruantia. Pietas postulat, vt quicumque sumus veritatis studiosi, illum, quantum possumus: iuuemus. Vt igitur quæ pollicitus es, mittas quamprimùm, te etiam atque etiam rogo. Vale. Argent. 23. Septembr. 1561.

H. ZANCHIVS

Cardinali Lotharingo, Carolo Guisio.

TAbernis domum reuersus, Illustriss. Princeps & Cardinalis Amplissime, mox ad nonnullos haud vulgares homines, scripsi de pia cum concione tua, tum collocutione nostra. eorum nonnulli literis meis fidem ita adhibuerunt, vt etiam tibi istud veræ pietatis studium vehementer gratulentur. Ego verò quotidie precatus tibi sum à Deo per Christum, & huius & aliarum multarum, quibus ornatus es, virtutum incrementa. videbam enim quantum Ecclesiæ Christi prodesse possis, si te Deus in sui timore, puræque religionis studio retineret. Non ita multò post, multa audiui, & legi multa, quæ partim admiratione, partim dolore immenso me ita affecerunt, vt si aliquando vnquam, tunc certè maximè Deum ardentibus votis, crebrisque orationibus, præmissis etiam ieiuniis, rogandum & vrgendum, atque ceu vi quadam fidei, ad misericordiã Ecclesiæ suæ præstandam, cogendum esse censuerim. Feci quod illius gratia potui: & spero, Deum preces tum meas, tum aliorum piorum exauditurum: atque hac spe, in his multis animi perturbationibus ac Satanæ tentationibus fulcio me atque sustento. Fui interea temporis in Lotharingia, ob certa negotia: & Vico de industria transire volui, quod sperarem, ibi me, te inuenturum. Sed mea me spes fefellit. Metis verò, quo in statu res essent in Galliis, intellexi. Mihi veniebat tunc in mentem illius: *Concordia res paruæ crescunt*. illud verò Christi, perpetuò occurrebat: *Omne regnum in se diuisum desolabitur*. precabar igitur vobis à Domino pacem, concordiam ac consensionem: sed in Domino. postquam autem domum reuerti multò plura quàm in Lotharingia de Galliis audiui, quæ non parum doloris atque solicitudinis mihi attulerant: cœpi tunc anxius atque tacitus mecum deliberare, quidnam mihi præter preces ad Dominum esset agendum, & an ad te esset scribendum, necne. Ac multa quidem retrahebant me à scribendo, atque inprimis, innata mihi quædam verecundia ac pudor. Sed tandem pietas in Christum & amor erga Ecclesiam & obseruantia erga te mea, omnes contrarias rationes depulit, & omnem vicit verecundiam atque pudorem. Ego itaque, vt meam in scribendo libertatem, quæ ex pietate in Deum, & obseruantia erga te proficiscitur, boni consulas atque in meliorem partem accipias, rogo atque obsecro. Tantus populus qui in Gallia Euangelij doctrinam amplexus est, & iuxta illam Ecclesias reformatas cupit atque curat. exstingui nec potest nec debet. non vtar hic illa Gamalielis ratiocinatione, qui in consilio de Apostolis & Christi discipolis dixit, *Sinite illos: quoniam si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissoluetur. Si verò ex Deo est, non poteritis dissoluere: ne quando & Deo repugnare videamini.* Sed vtar duabus propositionibus iisque certiss. atque sanctissimis, quas ex tua concione altera, quam Tabernis habuisti, collegi, in memoriæ thesaurum reposui, atque huc vsque conseruaui. Vna fuit, sicut Christus non destruxit templum, sed repurgauit: ita Ecclesiæ, in quas irrepserunt aliquot errores, abusus, superstitiones, non sunt conuellendæ, sed repurgandæ. Altera, sicut Christus sui facti rationem reddens, attulit in medium, verbum Dei, & iuxta illud se repurgasse templum probauit, dicendo: *Scriptum est, domus mea, domus orationis vocabitur: at vos fecistis eam speluncam latronum.* Ita Ecclesiarum reformatores adferre debent verbum Dei: & iuxta illud Ecclesias reformare. vtrumque piè & Christianè dictum. In familiari quoq; & priuato colloquio nostro, cùm tu Sturmium nostrum & me interrogasses, quanam ratione iudicaremus posse Ecclesias omnes vniri ac reformari, & nostram audiuisses sententiam: ipse quoque præter alia hoc adiecisti: Tibi videri operæpretium, vt animorum in primis offensiones vtrinque tollantur: & vt hoc fieri possit, consultum fore, si vtriusque partis homines præsertim docti sæpe conueniãt, & amica habeant inter se colloquia: mutua quoque vtãtur inter se consuetudine. Hoc etiam prudenter & sapienter dictum fuit. atque vtinam omnes eiusdem essent sententiæ ac mentis. Sicut igitur tu non probas, & meritò, vt veteres Ecclesiæ, etsi multis erroribus, abusibus & superstitionibus infectæ sint, quippe quæ à vera vetustate, nimis fœdè in multis degenerarint, vel penitùs conuellantur, vel gladiis reformentur: ita etiam probare nullo modo possũ, vt istæ nouæ, hoc est, ad veram vetustatem in multis renouatæ Ecclesiæ, licèt multa fortassis adhuc in illis desiderẽtur, vel euertantur funditus, vel alia ratione quàm verbo in reliquis reformentur. Esse autem has, sicut & illas, Ecclesias Christi: nemo sanus, qui sciat quid sit Ecclesia, & quæ veræ sint Ecclesiæ notæ, inficiari potest: quamuis vnæ corruptiores sint quàm alteræ. In veteri Ecclesia ferebantur Nouariani, illisque, vt sua haberent templa inter catholicos: quanquam nimis manifesta & perniciosa esset illorum hæresis, permittebatur. Græci etiam etsi in multis à Latinis dissentirent: nunquam tamen exclusi fuerunt ab Ecclesia catholica: multò minus gladiis ab aliis Christianis extincti. Cur igitur non ferantur istæ Ecclesiæ, quæ nulla in re à veteribus Ecclesiis dissentiunt, nisi in iis, quæ vel contra Scripturas sacras vel præter Scripturas, tanquam necessaria, ab hominibus in Ecclesiam introducta sunt? Et si fortè aliquis iudicet, illas in multis etiam quæ habeant Scripturarum testimonia, ab aliis Ecclesiis dissentire: is, quisque ille fuerit, cogitare debet: primum, has controuersias esse de rebus, quæ si vlla habeant testimonia in Scripturis, testimonia illa obscura sunt & diuersas ferre possunt interpretationes. Deinde demus, id quod minimè concedo, testimonia illa esse, maioris & sanioris partis iudicio, perspicua: caritas tamen postulat, vt credamus, has pias Ecclesias in illis controuersis rebus: non malitia, sed errore, si peccent, peccare. Esse igitur apertis Scripturis & Patrum antiquorum testimoniis, malam sententiam atque prauam Scripturarum interpretationem dedocendas: antequam ad arma quibus redigantur in ordinem, veniatur. Postremo si diligenter omnia examinemus, videbimus has secundi generis controuersias: controuersias esse de rebus quæ ad salutem necessariæ non sunt: ac proinde tales non esse controuersias, propter quas Ecclesiæ vel sint perdendæ, vel caritas inter nos violanda: præsertim cùm tantus sit vtrobiq;

populus. Augustinus non potuit assentiri, vt ebriosi in Africa excommunicarentur. quamobrem? non certè quod ebrietatem probaret: sed hac tantùm de caussa, quod videbat vitium illud esse in Africa catholicum. Si igitur omnes ebriosi excommunicarentur, futurum fuisse, vt nulli vel pauci communionem haberent in Ecclesia. Quare si volumus esse æqui iudices, debemus ita pronuntiare, neutrum populum, neutrasque Ecclesias esse gladiis, ignéve perdendas: sed verbo Dei tum errores dedocendas: tum in vera pietate instituendas: atque vt hoc commodè fiat, frequentia inter nos habenda esse colloquia, & colendam Christianam amicitiam fraternamque dilectionem. Hæc minimè propter te scribo, quippe qui hæc omnia ante me optime nosti: sed tantùm vt hortet, vt quæ nobis, Tabernis cùm essemus, consuluisti: eadem etiam regibus atque principibus non tantùm consulas: sed etiam, sicut tua eloquentia & autoritate potes, persuadeas. O beatam Rempub. Christianam, si istud tuum consilium locum habere apud omnes possit. Deinde hoc scripsi, vt meis literis incipiam illo ad te aditu, quem mihi tua patefecisti clementia frui. Si agnouero hoc fore tibi gratum: scribam sæpius hisçe de rebus. Dominus autem in istis tumultibus, donet vos omnes spiritu pacis, concordiæ atque consensionis. Fortassis autem nunc tempus esset, vt illud nostrum πρόθυμον regi & reginæ regisque consiliariis proponatur. Vale Argentorato 16. Maij 1562.

H. ZANCHIVS

Collegio Thomano Argent.

QValis fuerit meus ad vos aduentus, fratres obseruandi, & qualis etiam fuerit mea inter vos per annos fermè vndecim conuersatio atque vita: malo vt boni omnes iudicent, quam vt ego aliquid dicam. Scio, me fuisse & esse hominem: ac scio etiam, animum semper mihi fuisse & esse Christianum, studiosum pacis, atque concordiæ, cupidum omnibus gratificandi, néque omnibus bene merendi, non ingratum in beneficos, non malum erga inimicos. Nam quod me doctrinamque non meam, sed maiorum vestrorum, Buceri & aliorum bonam atque Christianam, constanter atque fortiter defenderim, contra grauissimas accusationes: id vt fieri potuit & debuit, sic etiam factum fuisse testificor: animo non malo aut inimico, sed Christiano. Huius rei fidem facere vobis debent, mea longa patientia sine vlla vltione: modestia in scriptis sine vllo conuitio: iniuriarum condonatio cum meo etiam detrimento: denique consensio in articulos, tantùm concordiæ & pacis gratia: cùm possem tamen aliò cum magno meo honore atque commodo concedere. Quod igitur etiam discesserim, vobis quasi insalutatis: ita minimè interpretari debetis aut etiam potestis, ex animo inimico vel ingrato profectum esse: sed certæ grauesque fuerunt caussæ, cur noluerim tempus mei discessus ne ab amicis quidem intelligi atque sciri: & consultius mihi fuit, per literas, quàm coram, facere vltimum boni collegæ officium, quod est valedicere. Quare quod non antea coram, sed nunc primum hisce literis, gratias agam Capitulo & valedicam: qui boni sunt, æqui & amici: minimè ægrè ferent, neque in malam interpretabuntur partem.

Gratias itaque ago & habeo, principiò, optimo & clarissimo viro D. Ioanni Sturmio Rectori & Præposito pro suo erga me sincero constantique amore: pro defensione mei, meæque existimationis: &, quod priori loco dictum oportuit, pro defensione veritatis: denique pro multis officiis & beneficiis, mihi meisque, præstitis. Deinde gratias ago & habeo omnibus bonis atque amicis collegis & fratribus pro sua continuata, ideóque vera erga me beneuolentia atque humanitate, & pro suaui dulcique annorum fermè vndecim consuetudine. Postremò ipsis etiam inimicis, qui tentati ab illo, qui etiam filios Dei tentat, me penitus perdendum curarunt: condonatis iniuriis omnibus: idque propter illum, qui etiam mihi omnia condonauit peccata, Dominum nostrum Iesum Christum: gratias ago pro veteri amicitia, honestaque & haud iniucunda, in eadem vrbe, Schola, collegio, multorum annorum conuersatione. Omnibus verò precor ex animo, à Domino meo Iesu Christo, veram pacem, veram concordiam, Christianamque dilectionem, vt alter alteri ignoscat ex animo: sicut & Christus ignoscit nobis. Precor etiam omnibus veram viuamque Christi cognitionem, inque sana maiorum vestrorum, secundum Euangelium Christi, doctrina, perseuerantiam. Dominus Iesus me exaudiat. Memineritis verò, nos omnes esse morituros, & citius fortè quam putemus: atque ante tribunal Christi staturos. Viderit ergo quisque, quomodo ambulet & se erga proximum gerat, dictis & factis. Valete in Domino: vsque in diem quo iterum visuri nos inuicem sumus, si non in hoc sæculo, certè in altero: & orate, vt omnes tandem ibi viuamus & in eodem versemur collegio, angelorum certè & beatorum hominum, vbi nulla potest exoriri contentio: nullæ simultates: nullæ inuidiæ: sed æternus amor & pax perpetua viget. Basileæ 6. Decembr. 1563.

H. Zanchij ad D. Sturmium.

S. Tu scis, D. Sturmi, iis qui in Thermis curant valetudinem, nihil aut parum ad alia negotia, superesse otij. Vis tamen, vt etiam non ignoras, amicitiæ tanta est, vt nulla eam negotia, quin suum faciat officium, impedire possint. Ergo quod scribam, agnoscis me haud renunciasse iuri amicitiæ: quod verò breuis sim, intelligis me non diu à balneis abesse. Quæ autem scribo, hæc sunt, me post sumtas medicinas, & inchoatas balneas, corpore quidem vtcunque valere, animo autem multis de caussis esse afflicto, sperare nihilominus in Domino, fore, vt his etiam animi molestiis aliquando liberer: cupere etiam vobis omnibus quod ad vtrumque hominem attinet, bene. Rumorem porrò de nostra actione sinistrum, antequam huc venissem, fuisse ad multos perlatum, me tamen neque neglexisse, neque neglecturum esse officium boni viri, tam pro te & aliis collegis omnibus quàm pro me: me etiam hæc præuidisse & prædixisse: sed tamen quod auditus non fuerim, diuinæ asscribere prouidentiæ, quæ melius nouit nostris vti malis, quàm nos sciamus eius bonis obtemperare mandatis: cupere etiam, vt sicut in liberalitate, candore, veritate, fide & reliquis virtutibus omnibus, sic etiam in amicitiæ perpetuitate atque constantia imitemur Dominum Deum, qui nulla re à suscepta semel erga nos beneuolentia auelli se sinit, tantum abest, vt pro quauis re leuissima, amicitiam, quam inter se & suos electos in Christo contraxit, aut violet, aut violari & frangi permittat: Meminisse etiam nos debere breuem esse vitam in hoc præsenti seculo, & nihil nobis interim debere esse charius, post gloriam Dei, ipsa Ecclesiarum ædificatione, bona fama, & bono, (vt scriptura loquitur) nomine apud pios viros, piasque Ecclesias: curandum quoque esse, ne vllis vlla detur occasio contra nos exultandi. Sed quid ego hæc ad te? Ergo condona si quid est condonandum, & si quid æquo animo est accipiendum, accipe & vale. saluere etiam iubeo fratres, amicos & collegas. Ex Thermis Badensibus, die 8. Apr. 1563.

T. H. ZANCHIVS.

H. Zanchij ad eundem.

S. Obseruandissime D. Sturmi. Ex literis Ionæ nostri, adde & D. Massarij, datis quidem statim post meum discessum, sed redditis admodum tardè, nempe 10. Aprilis, in Thermis Badensibus, ea intellexi, quæ non parum meum perturbarunt animum, idque vestra magis, quàm mea caussa. Etsi verò vtriusque literis respondi, quantum satis fuisse iudicaui quam epistolam tecum communicatam fuisse, sicut iusseram, credo: operæpretium tamen existimaui, tibi etiam quædam, quæ ad eandem rem faciunt, scribere.

Discessum meum, amicis dolorem, inimicis lætitiam, omnibus admirationem attulisse, non parum doleo: præsertim verò, quod occasionem nonnulli acceperint, tum de caussa, tum de nobis omnibus obloquendi. Quòd verò tu, & alij aliquot illum ita interpretati sitis, quasi sine eorū, à quibus bonam veniam oportebat petere, consensu discesserim, hoc vehementer miror. Nam tibi non semel indicaui, omnino necessarium esse, vt quam primum & ad Thermas, & deinde ad parentes vxoris me conferrem, tum animi, tum etiam valetudinis, & quorundam nego-

tiorum

tiorum gratia:neque tu aut veniam denegasti, aut abitum dissuasisti: quin potius interrogatus, an foret opus veniam petere à Capitulo, respondisti,satis fore, si id fiat coram duobus aut tribus Canonicis. Cum vero à Cancellaria redi remus, eandem iterum veniam petij à te & Decano simul,ac neuter vestrum difficilem se ostendit ea in re:tantum iussistis me in circuitum Scholæ,hora tertia, eiusdem diei, venire, futuros ibi aliquot alios collegas, ac me ibi coram illis posse caussas petitionis meæ explicare. Quòd autem eo non venerim,id profectò obliuione factum fuit, persuasus tamen eram, consentientibus Præposito & Decano,reliquos etiam fore omnino contentos. Dominus etiam Carolus Muegius Scholarcha (Nam D.Petrum Sturmium audieram à suis non esse in vrbe) rogatus à me bonam veniam, respondit se mihi eam non posse denegare. Neque etiam hæc celaueram nostrum Conradum. Imo significaturus eandem abitus mei necessitatem Procuratori, illius ædes adiueram,sed abierat. Quare cum hæc omnia egerim,non video, quare debeam iudicari aut fugitiuus, aut Capituli contemptor, aut etiam legum nostrarum,si velitis esse æqui iudices, transgressor.

Cæterùm, quod diem mei discessus nemini indicarim, id contigit,quod non prius de eo deliberaueram,quàm eodem quo discessi die. Quòd verò neque eo die,quo discessurus eram,ad te venerim,tibi saltem vale dicturus,id ideo neglectum fuit,quòd metuebam, ne aut tu mihi irasceteris,si fortè noluissem in alium diem, meum differre discessum,aut ego cogerer,eo saltem subsistere die. Decreueram enim omnino eò discedere die, quod totam noctem fuissem vsque adeo afflicta mente,certis de caussis, vt omnino lethalem aliquem mihi morbum, non metuerem solum, sed etiam quasi præuiderem, si non mox ea vrbe,ad aliquot septimanas cederem. Est autem afflictis potius condolendum,quam irascendum. Neque pietas, neque humanitas postulant,vt afflicto, præsertim innocenti, noua addatur afflictio. Te igitur & omnes collegas rogo, ne meum discessum,in aliam accipiatis partem,quam in eam, in quam vt accipiatis, pietas Christiana, mea erga Capitulum obseruantia, nostraque vetus amicitia postulant.

Septimanas duas hic fui,ac Dei beneficio mirabiliter profuit balneum. Cras dabo me in viam,Plurium versus, reuersurus quamprimum. Exempla formulæ illius doctrinæ,cui subscripsimus (vtinam hominem fatuum audiuisses)circumferuntur per Heluetiam, cum omnium subscriptionibus. Exemplum vnum huc hodie fuit allatum. *Ad finem erat. Hæc raptim*(nomen proprium taceo)*N.N.ex typo D.Marbachij scripsit* Cogita quid in alia loca inferioris Germaniæ scribatur, quando exempla mittuntur Bernam & Tigurum. Certè prudentes sunt illi Imperatores, qui cùm non possint viribus,stratagematis saltem victoriam sibi cóparant. Nunc videmus, quo spectarint omnia, cur noluerint vel disputationem, vel colloquium concedere, cur etiam noluerint nostram subdi protestationem:An non tibi dicebam,ista agendi ratio est mihi suspecta? Sed tu irascerabis mihi. Cauendum est ab adulatoribus, D.Sturmi,non irascendum amicis,vera dicentibus.

Quin etiam meam subscriptionem *deprauarunt*.Sic enim habet in hoc exemplo: *Ego Hieronymus Zanchius,hanc doctrinæ formulam,vt piam agnosco,ita iam recipio*. Quasi antea improbarim,sed iam melius sapiens & resipiscens,probem atque recipiam. Nam ex *eam*, fecerunt diserte,*iam*. Volui tantum hæc indicare,vt scias aliquid, quod te ignorare,omnino non decet. Aliunde(credo)etiam admoneberis. Vtinam omnes tales tibi fuissent & essent amici, qualis ego: sed quod modo fortè non agnoscis,agnosces postea. Alia noua non habeo,quod scribam,nisi Genuenses 3000.peditum misisse in Corsicam,quod metuant Turcam Mantuanum Seripandum(hic fertur veneno)& Tridentinum Cardinales,mortuos esse:Lotharingum Venetiis degere:in Tridentino Concilio schisma esse, An Papa debeat submitti Concilio:Moschum occupasse Dolozam in Lituania,omnibus qui intus erant,trucidatis,Polonum tamen illi occurrere magno apparatu: & Tartarum cœpisse ab altera parte aggredi Moschum: Principes Italiæ mirabilia agitare consilia propter auditam Galliæ pacem: me etiam bene valere, & omnibus amicis bene cupere. Vale. Tiguro 19. April.63.

H. ZANCHIVS.

Optimo viro:optimo Theologo: Dn. Doct. Hier. Zanchio compatri & amico optatissimo,Iohannes Sturmius S.

SI quæris vt valeam? mi Domine Zanchi, compater: rectè vt soleo Si vt feră iniurias:fortiter. Si quo cogitem? ad vos,si erit necessarium. Cogito transire cum Scholarchis adiutore Lorchero: & auxilio trium aduocatorum: quorum duobus causa mea curæ est. Et credo tertium Ludium nobiliorem, officio cogitare reconciliare: quem maleficio afflixit:si tamen afflixit. Contemno enim hanc iniuriam.

Interea ego recognosco quinque libros Syndronicos: quorum primus est Apotrepticus, contra formulam: Secundus Catechisticus,de Cœna Domini. Tertius,Hypostaticus prior, de persona Christi: Quartus Hypostaticus alter:qui habet autoritates Iacobi Andreæ,quas posuit in formula Concordię. Vbi ista emendauero: & confecero quę huc vsque scripsi:id quod paucis hebdomadibus assequi potero,ad vos properabo:& diuulgabo.

Aduocati nostri Spirenses consulunt: vt si istud facere constitui:conferam me in locum tutum: propter primum impetum furiosorum hominum. Horum consilium sequar. Interim te rogo vt Principi nostro gratias agas atque etiam D.Ehemo.Is enim mihi per Doct. Heresbachium & de Principis & de sua egregia erga me & constanti voluntate præclara significauit. Quæ tibi scribo:etiam D.Ehemo & Tossano communia esse volo. Vale. Northemij.Kal.Febr. Anno 81.

H.Zanchius D.Iohanni VVolfio Tigurino Pastori S.

TV scis,Doctissime Wolfi,boni viri, multò magis verbi Dei professoris esse,ita se & in officio, & in sermonibus,& in tota vita gerere, vt cum nemo vel de vllo facinore vel etiam de alicuius facinoris suspicione accusare merito possit. Quæ enim Apostolus ad Timotheum,& ad Titum de Ecclesiastici Præconis(quo nomine non tantum Pastores,sed Doctores quoque, & omnes verbi Ministros atque interpretes intelligo) scribat officio, optimè nosti. Quid dico nosti. imo tu ipse me tua elegantissima oratione in ea Apostoli verba 2. Timoth. 2. *Stude teipsum probatum exhibere Deo*,docuisti. Illud quoque te non latet,eiusdem viri boni esse,si sentiat se, siue ἀπὸ τῶν χρηστοτέρων (vt inquit Chrysostomus)siue ἀπὸ τῶν ἐλαττόνων:siue ἀπὸ τῶν συνετῶν, siue ἀπὸ τῶν ἀσυνέτων, immerito atque falsò traduci (quanquam reuera omnis calumniator ἀσύνετος est)sese suamque existimationem & Ministerium(si aliquod obeat) tueri atque defendere. Quoties enim Apostolus à suis Aduersariis Pseudo-Apostolis,inflatis vtribus & pigris ventribus, traductus,& variis,grauissimisque criminationibus affectus, sese & suum Ministerium defenderit,nouimus omnes. Sed vt id à nobis fiat cum modestia, idem Apostolus docet. Proinde eleganter & piè, vt omnia Chrysostomus inquit: τὸ πρέπον τα (siue in Ecclesia,siue in Schola) δεῖ πρὸς ἅπαντας ἀεὶ τῶν ὀγκαλῶσι, διανοεῖσθαι κατὰ πολλὴν τὴν ἐπιείκειαν, καὶ πράως τε συγγινώσκοντα μᾶλλον αὐτοῖς τῆς ἀλόγου μέμψεως, ἢ ἀγανακτοῦντα καὶ ὀργιζόμενον. Ergo quod ego quoque multas in me, ideoque meum Ministerium sparsas criminationes, καὶ ὕβρεις καὶ ἐπηρείας καὶ μέμψεις non prorsus contemnam:sed meam existimationem, meumque Ministerium, quoad eius fieri potest, & qua possum modestia,defendam, curemque, vt non solum falsas criminationes depellam, sed etiam criminum suspicionibus de me liberem:nullus, credo, vir bonus, & iudicio præditus,mirabitur. Εἰ γὰρ (inquit Chrysost.) ὁ μακάριος Παῦλος,μὴ κλέπτης ὑπόνοιαν λάβῃ παρὰ τοῖς μαθηταῖς ἔδεισε, καὶ διὰ τοῦτο προσέλαβεν καὶ ἑτέρους εἰς τὴν τῶν χρημάτων διακονίαν, ἵνα μή τις ἡμᾶς μωμήσηται(φησὶν)ἐν τῇ ἁδρότητι ταύτῃ τῇ διακονουμένῃ ὑφ' ἡμῶν: πῶς ἡμᾶς οὐ πάντα δεῖ ποιεῖν, ὥστε τὰς πονηρὰς αἱρεῖν ὑποψίας, κἂν ψευδεῖς,κἂν ἀλόγιστοι τυγχάνωσιν οὖσαι, κἂν σφόδρα τῆς ἡμετέρας ἀπέχωσι δόξης.

In hunc finem mitto ad te, mi Clarissime Wolfi, has meas prælectiones,vt eas communices cum D.Bullingero, nostro,Martyre, & reliquis doctis piisque Patribus & fratribus, & rogo, vt sicut etiam fecistis de Thesibus, eas ad Lydium lapidem S.literarum diligenter examineris, atque si quid in eis deprehenderitis, quod non sit consonum S. literis, illius me liberè admoneatis. Si vero omnia vobis orthodoxa esse videbuntur, idipsum quoque mihi signi-

ficeris per epistolam, vt vestro de iis meis lectionibus iudicio Dominis meis ostenso, finis tandem aliquando huic nostræ controuersiæ imponatur. Neque enim videtur amplius quæstio esse de Thesibus, sed tantùm de iis prælectionibus, quòd eas quidam dicant prorsus esse intolerabiles, cùm Theses vtcunque tolerari possint. Ergo si etiam lectiones vobis & aliis doctis Theologis probatæ fuerint (Dico quoad substantiam doctrinę attinet. Nam quòd attinet ad stylum, rerum dispositionem, argumentorum explicationem, ego quoque in iis multa desidero. Sed quia quæstio de illis est, vti in Schola à me habitæ fuerunt, præsertim de illis, quas annis abhinc 7. circiter de prædestinatione habui: adeirco nihil in eis potui aut debui pro hoc tempore immutare, immutaturus alioqui multa, & elimaturus, si mihi licuisset.) Si igitur quo ad substantiam attinet doctrinæ, hæ quoque lectiones vobis probatæ fuerint: spero breui, & Dominos nostros inprimis, & deinde nos reliquos omnes, magnis liberatum iri molestiis. Quod vt Dominus faxit, etiam atque etiam rogo, & verò etiam facturum eum confido. Neque enim potest Ecclesiam suam deserere: quanquam ad tempus permisit Satanæ, vt cribraret vos. Imò spero hanc cribrationem futuram & Scholæ & Ecclesiæ vtilissimam. Cribratione enim non perditur frumentum, sed purgatur. Vale vnà cum omnibus Patribus & fratribus, & vt quamprimum mihi in hac petitione gratificentur, meo nomine illos rogato, sed memineris, vt prælectiones fideliter remittas. Argentorat. 28. Maij 1562.

Tuus ex animo

H. ZANCHIVS.

Iohannes Wolphius, Hieron. Zanchio
S. P.

AD decimumsextum Iulij mensis diem, cum D. Martyrem adiissem: audiui ex eo, te datis ad ipsum literis, vt tuus tibi liber quamprimum restituatur, petiisse. Postridie etiam Iulius familiaris eius ad me venit: qui primã, quam ad me dedisti, cum librum mitteres, Epistolam, vnà cum libro reperi: idque iisdem abs te literis scriptum, mihi significauit. Ego verò tametsi nondum accepissem, expectatam ad superiores literas meas responsionem tuam: Epistolam tamen, vt ad te perferretur, nihilominus dedi. Ac quanquam pluribus verbis ad te, quemadmodum velle videbare, de toto hoc negotio scribendum duxeram, nunc tamen longiore scriptione supersedendum iudicaui, cum mutato consilio, videam non requiri iam officium meũ? Quid alioquin tibi tribuam, de tota doctrina tua quid sentiam, famæ & existimationi tuæ, quanopere cautum & consultum cupiam: ex ipso D. Martyre, qui mihi testis locupletissimus esse potest, quàm ex me cognoscas, malo. Illud tamen scito: mihi videri lectiones tuas, ab iis quas antea vidimus, thesibus non alienas: verum hoc meliores illis esse, quòd pluribus verbis exponunt, quæ videbantur in Thesibus ἀφοριστικῶς proposita, ac nondum satis explicata. Et in his omnibus, cùm scripturæ S. testimonia, tum interpretationes veterum pariter ac recentiorum profers. Quæ verò sacris literis probari non possunt, ea vndecunque sint allata, in numero dubiarum opinionum ponis. Quibus autem persuasum fuerat, te nobis ad patranda scelera, Deum authorem & impulsorem statuere: iis hoc ipso te excusas: quod profiteris, malefacta atque vitia nostra, cum eorum causæ in nostræ ipsorum naturæ vitiositate hæreant, in diuinæ prouidentiæ effectuum numero tibi nequaquam videri collocanda. Quid verbis opus est? vis iudicio Ecclesiæ Christi, verbum amplexæ potius stare, vti meritò, quam tuo. Habes & actorum sententiæque meæ summam: & causas, quibus vt ne plura scriberem, adductus fui. Vnum hoc reliquum est, quod velim tibi persuadeas: si rationibus tuis ab amplissimo Senatu, bene prouisum esse intellexero: magnam me ex eo, ac propè incredibilem voluptatem esse capturum. Quam ad rem, cum ego nec opis, nec consilij quicquam possim afferre: a Patre Opt. Max. tamen optabo, vt omni sua vi nutuque, ad omnia suæ causæ commoda, flectere eorum mentes & sententias velit: quibus ipse, vt tueri te possint pariter ac debeant, non authoritatem & prudentiam modo, verum etiam prouinciam ac potentiam eam dedit. Idque vtinam tu perinde videas factum, atque ego futurum mihi persuadeo. Vale à tui amante. Tiguri 13. Cal. August. Anno 1562.

Idem Wolphius Hier. Zanch.
S. P.

ETsi nihil nunc haberem, quod ad te perscripto opus esse existimarem: nolui tamen hunc sine meis ad te literis ire. Diligenter eum de tuarum fortunarum ac rerum statu, imprimisque de auditorum frequentia atque applausu percontatus sum. Sed quod mihi perinde gratum & optatum cognitu fuit, atque tibi honestum & vtile Ecclesiæ esse potest, audiui grauissima plerisque esse omnia tua in Academiam illam studia atque officia. Qua in re cũ multum situm sit boni: Deum precor, vt ne deficiat te fortuna tua. Quod ad conuictum & consuetudinem eorum, qui isthic sunt, virorum celebrium attinet: non dubito, quin pro eo quem habes variarum regionum & multorum hominum vsu, iam tandem illis & hominibus & moribus assueueris. Vtinam id perinde facile vxor & familia consequantur. Apud nos nihil est noui: nisi quod mihi Scipio Lentulus, is qui Clauennæ iam ministrum agit, his diebus scripsit, quendam ministrum è Synodo redeuntem à Papanis interceptum & Comum abductum. Quid futurum sit dubitatur. Rhæti id, si concordes essent, forsan haud eis condonarent. Suspicor hoc agi, vt qui in Gallia non successit, hac rem aggredi via Antichristus velit, & illam ad bellum occasionem captare. Det Deus, vt incidant in foueam, quam parant nobis: nos sic comparati semper ad omnem euentum persecutionum sumus, vt siue viuamus, siue moriamur, Domini simus. Vale vir Clar. & Wolphium tuum, quod soles, ama, & qui valeas, certiorem facere ne grauere. Datæ Tiguro 23. Iunij. Anno 1568.

H. ZANCHIVS
Ad D. Martinum Borrhaum.

SIncipiunt nostri de Thesibus ita dicere: illas, ita nudas, esse tolerabiles: sed lectiones meas esse intolerabiles: ideóque & Theses, si iuxta prælectiones intelligantur, tolerari non posse. Descripserunt autem ex libellis studiosorum lectiones aliquot, de Libro vitæ, & de Prædestinatione, quas annis abhinc 6. & 7. habui: & eas dederunt Dominis, & quibuscunque voluerunt, legendas exhibuerunt: Mihi verò recognoscendas nunquam miserunt. Illas tamen secretò amicus quidam mihi ostendit. Multa vidi addita, multa detracta, quam plurima deprauata. Coactus igitur, curaui ex αὐτογράφω (nihil enim docui, quod non vel ante, vel post lectionem mea manu scripserim) illas prælectiones fideliter, describendas, seruatis iisdem planè verbis, quibus in Schola vsus tunc fui. Multa quidem etiam in iis, si mihi liceret, mutarem libenter, multa diligentius explicarem, alia copiosius probarem, omnia limarem atque polirem, præsertim, si in lucem essent mittendæ: sed quia quæstionem mihi mouent: quid, & quomodo tum in hac Schola docuerim: iccirco cogor hasce concisas, indigestasque prælectiones, ceu fœtus immaturos, impolitosque, vobis viris doctissimis inspiciendas, diiudicandasque exhibere. Quare te, doctissime Pater Borrhae per Christum rogo, vt has prælectiones vnà cum D. Doct. Wolfgango, per otium legas: & quidquid vestro iudicio visum fuerit haud consonum veritati S. Literarum, illud candidè in aliqua Papyro notetis. Si verò omnia vobis probabuntur: mihi etiam apertè vestris literis significetis, rogo, atque obsecro: & omnia reddetis D. Nicolao Camollio nostro. Quò vero citius hoc perfeceritis: eò gratius mihi, & vtilius fuerit. Tractationem illam de excæcatione impiorum, item illã de Redemptione Ecclesiæ per Christum, vbi de certitudine nostræ electionis agitur, Dominis quidem non exhibuerunt: sed ego bonis de caussis, reliquis adieci. Fui enim traductus, quod ita de Prædestinatione docuerim & doceam: vt homines in desperationem adigam: quod nesciãt, an sint ex numero electorum, nec ne. Contra hanc calumniam: est septimum Caput Tractationis, de Redemptione Ecclesiæ: vbi multis argumentis demonstratur: vnumquemque teneri credere, se esse ex numero electorum: Itẽ quod doceam: Deum excæcare pro suo arbitrio, non pro nostris sceleribus, quos vult: Contra hanc est Tractatio illa de excæcatione impiorum. Si volueritis cum Domino quoque Sulcero conferre has meas prælectiones, & illius iudicium audire ac scribere: erit mihi gratissimum. Epistolam vero hanc tibi vni scribo: & cum solo D. Doct. Wolfgango communicari volo. Sturmius te salutat. Quicquid

quid possumus: vobis offerimus & pollicemur. Vale. Argentorat. 20. Maij 1562.

T. ZANCHIVS.

H. ZANCHIVS

D. Iohanni Caluino Theologo doctißimo.

S. Quod tardius fortè, quàm exspectabas, obseruandissime Pater Caluine, respondeam, id ideo fit, quod tardius etiam quàm volebam, domum reuersus, tuas accepi literas, nimirum 13. huiusce Mensis Iunij. Placuit tuum consilium. Faciam igitur vt consulis: modò iusta occasio mihi detur, postea quam in Scholam reuersus, meum cœpero facere officium. Omnino enim in Scholam prius esse redeundum, & liberè, sed cum modestia docendum, & inde non quærendam, sed exspectandam esse occasionem, aut protestandi, meamque subscriptionem explicandi, aut dimissionem petendi, censent alij amici, inter quos est etiam Doctor Eustachius Chersetanus, qui pro hoc tempore Nundinarum, dignatus est apud me hospitari. Video multa mihi esse deuoranda. At modò placeam Christo, & pro mea virili ipsius regnum promoueam, satis mihi fuerit. Neque verò illa subscribendi formula alio animo vsus sum, quàm vt significarem, etsi atticulis subscribebam, me tamen haud iuxta aliorum, sed iuxta meam, quam piam esse scio, interpretationem subscribere: vt planè reapse eadem sit hæc subscriptio, licèt verbis diuersa, cum illa, qua etiam de principio, cum huc veni, Augustanæ Confessioni subscripseram, sed cum hac exceptione, *modò orthodoxè intelligatur*. Sed de iis satis.

Quæ agantur in Mundo, digna quæ à te intelligantur, credo tibi ab aliis permultis significari: vt de bello inter Danum & Suecum: Anglum & Gallum, de equitatu Germanico, quem *Schvvartzreutter* vocant: huius Imperatorem, literis à Landgrauio hic acceptis, mox ad Landgrauium aduolasse, & opinionem esse, totum hunc Equitatum mittendum ad Suecum. Hæc atque alia noua relinquo aliis scribenda. Ego me, toto animo tibi commendo: Rogo verò Deum Patrem per Iesum Christum, vt te diu nobis conseruet. Vale. Argent. pridie Calend. Iulij. Anno 63.

Tuus ex animo

H. ZANCHIVS.

HIERONYMI ZANCHII ad eundem.

S. Credo te, vir ornatissime, & mihi colendissime, non nescire, quanti ego te ob tuam admirabilem & pietatem & eruditionem faciam: sed vt nescias, certè mihi testis est imprimis Deus optim. καρδιογνώστης: deinde post Martyrem & Martinengum, omnes illi, qui me tam publicè in Schola, quàm priuatim inter amicorum colloquia, quoties data fuit occasio, verba de te honorificè facientem audiuerunt. Quod verò ad te nunquam, vt mea erga te obseruantia exigebat, scripserim: in caussa fuit (vt ingenuè dicam) quidam haud tamen meo iudicio omnino improbandus pudor, qui me homuncionem à scribendo ad virum tantum semper deterruit, & in hunc vsque diem retardauit. Fui quidem sæpius tuo nomine, cùm ab aliis permultis, tum à D. Petro Martyre, & à Martinengo per literas salutatus, pro qua re gratias etiam tibi semper habui, & habeo maximas, cæterùm nulla mihi vnquam ante hac oblata occasio fuit, quæ me hac in parte altoqui timidulum animare, & pigellum concitare ad scribendum potuerit. Nunc sanè gaudeo mihi datam fuisse huiuscemodi occasionem, quæ me ad scribendum impellat.

Quàm grauiter & molestè ferant omnes viri boni, discessum D. Petri Martyris, tu potes scire, etiam me tacente. Non enim nescis, quàm omnibus bonis esset gratus Martyr. Ego verò tam grauiter fero, vt vix sim ferendo: non certè mea tantùm priuata caussa, sed inprimis publica totius Ecclesiæ. Ad hanc enim nostram Scholam (vt tu optime ante me nosti) confluunt ex omnibus Germaniæ partibus studiosi, qui postea in Ministros verbi eliguntur. Permultum autem refert, huiuscemodi studiosos initio bene in veris dogmatibus, & in sincera scripturarum intelligentia institui. Cùm igitur hoc optime præstaret Martyr noster, & eius autoritas plurimum valeret ad veram doctrinam studiosis persuadendam, vehementer doleo hominis discessum: præsertim cum videam, id quod nemo non videt, in nostra Germania, ob penuriam (proh dolor) verè fidelium & doctorum Ministrorum, in dies nouos & diuersos excitari errores, & aliquando tales, quales ne ipse quidem Papismus ferre potest: imò quos iam olim apertis scripturarum testimoniis à Patribus confutatos legimus: ita vt Ecclesiæ Christi magis metuam ab huiuscemodi Pseudodoctoribus, & falsis pastoribus, quàm à Tyrannis & ipso etiam Antichristo Romano. Illud vnum me in hoc D. Petri discessu consolatur, quod sciam, diuina prouidentia vocatum eum fuisse Tigurum, fortasse in hunc finem, vt præter alia Ecclesiæ commoda, multos etiam, qui in ea sunt Ecclesia, pestilentissimam illam (in sinum tuum hoc repono) de libero arbitrio contra prædestinationem, ideóque contra gratiam Dei doctrinam dedoceat. Nosti quid dicam. D. Petrus, (vt mihi est pollicitus) breui ad vos vsque perueniet, vt te tuamque istam Ecclesiam, & fratres inuisat. Rogo, hominem ad hunc errorem ex illa Ecclesia conuellendum instiges. Etsi enim per se sit animatus: tua tamen cohortatio non parum adferet momenti. Vale optime pater, Dominum rogo, vt me sapientia, & fortitudine spiritus sui donet, quò & veritatem Euangelij promouere, & aduersariis Christi resistere queam. Video enim quãtum me maneat certamen. Saluta istos pios & doctos ac reuerendos tuos symmystas, &c.

H. Zanchij ad eundem.

S. Ego verò ingentes tibi habeo gratias, optime Pater Caluine, pro tuis ad me literis plenis officij & pietatis. Hæ non solùm gratissimæ, sed tanti etiam apud me ponderis fuerunt, vt perlectæ confestim me in eam, ad quam hortabatis, sententiam pertraxerint, nempe, vt (quod ad me attinebat) huic nouæ vocationi assentirer. Licet enim me tanto oneri subeundo & ferendo imparem esse sentirem: fretus tamen Dei auxilio, assensus sum: per me non stetit, quin ad vos venerim. Sed Senatus nullo modo voluit me missum facere, caussatus Scholæ necessitatem, & quod quem in meum locum substituerent, prorsus haberent neminem.

Cæterùm quò melius omnia intelligas, videasque an in hoc negotio pertractando peccatum fuerit, & quomodo, & à quibus peccatum fuerit: singula eo quo gesta sunt ordine, quàm potero breuissime & dilucide, fideliterque recitabo.

Primo loco, frater ab Ecclesia missus, antequam literas vllas mihi reddidisset, oratione satis bene longa explicuit tum præsentem Ecclesiæ nostræ calamitatem atque necessitatem, tum bonam omnium erga me fratrum voluntatem, tum denique nouam noui pastoris factam omniũ suffragiis electionem, rogaretque se totius Ecclesiæ nomine, ne meæ nationis Genti operam meam, in tanta præsertim necessitate denegem.

Ego post actas gratias, in summa respondi, mihi quidem dolere vehementer hanc Ecclesiæ nostræ miseriam & necessitatem, cupere etiam, vt ei quam optime prospiciatur: sed quod debeam vltro priorem vocationem deserere, & nouam amplecti, non videre, qua conscientia id possim: multas olim rationes, cùm etiam ad hoc Ministeriũ aliàs vocarer, quæ me à suscipienda alia conditione retrahebant, & ad præsentem retinentem impellebant, ad fratres scripsisse, remque totam iudicio tuo commisisse. Tuam præstantiam censuisse, me non esse ab hac Schola amouendum. Me igitur cum ad illas meas literas prouocare.

Tum ille & dicere, te non amplius in eadem esse sententia, in qua prius, & simul reddere literas.

Ergo lectis tuis literis (eas enim primum omnium legi) mox subieci, me iisce literis fuisse persuasum: me igitur paratum esse, modo Magistratus consentiat, & cum bona sua gratia me missum faciat, hanc priorem deserere, & alteram amplecti conditionem. Non esse autem meam, sed ipsius legati, officium agere cum Magistratu, vt me vinculo, quo illi obstrictus sum, liberet. Faciat igitur ipse suũ officiũ. Petiit qui esset adeundi, qui ordo in hac causa pertractanda seruandus foret, docui. Hæc fuit prima actio.

Porro eodem die sub Cœnã (iam enim ipse Legatus allo-

cutus fuerat Marbachium) venerunt ad me D. Marbachius, & Rector Sturmius, duo petierunt, vnum, vt quonam modo res se haberet, clare explicarem: Alterum, quænam mea esset circa hoc negotium voluntas. Quoad primum, à multis capitibus, quanta sit nostræ Ecclesiæ necessitas, diligenter explicaui & amplificaui, atque ita amplificaui, vt dixerim, omnino necessarium esse, vt ei iam non tantùm periclitanti, sed etiam ruenti succurratur, te etiam hoc idem ad me scripsisse. Ergo ad secundum respondi, me quidem libenter hic esse, me amare Scholam, me non habere cur sponte eam deserere debeam, cum Senatus me & benignè, & liberaliter semper tractarit: sed tamen tum propter talem ac tantam, quæ Italicæ Ecclesiæ imminet, nisi maturè succurratur, ruinam: tum propter totius Italiæ vtilitatem: deinde partim propter iucundum & gratum cum meæ nationis hominibus consortium: partim propter fructum non vulgarem, quem ex tui, Vireti, Bezæ, & aliorum doctorum virorum consuetudine reportarem, & libenter etiam profecturum Geneuam, modo cum bona nostri Magistratus venia & gratia id fiat: nihil. n. ipso inuito me facturum, duabus de caussis: vna, quoniam per conscientiam non possum vltrò, citraque voluntatem nostri Magistratus consensum priorem conditionem deserere, & alteram accipere. Altera, quoniam etiamsi id per conscientiam possem, tamen propter debitum officium non debere, nisi turpissimum ingrati animi crimen incurrere velim. Quare me libenter conformaturum meam voluntatem, ad voluntatem Senatus. Responderunt isti, se non posse adduci, vt credant, Senatum me dimissurum; hoc præsertim tempore, quo nemo, qui in meum succedat locum, reperiri (vt aiebant) facilè queat. Subieci, me rogare, agant ipsi cum Magistratu, & si plena dimissio impetrari non possit, saltem impetretur, vt ad tempus, dum scilicet aliquis dignus Pastor reperiatur, illi Ecclesiæ concedar. Ita discessum est. Postridie legatus literas vestri Magistratus & Ecclesiæ reddidit Consuli, & simul curauit supplicationem, quam oblaturus erat Senatui, in Germanicam linguam conuerti. Per diem Lunæ (erant enim progressiones) & Martis (erant enim publicæ preces) Senatus non fuit habitus Die igitur Mercurij, id est, heri, literæ in Senatu fuerunt recitatæ, & supplicatio audita. Senatus consuluit Scholarchas: Scholarchæ adhibuerunt in consilium Sturmium & Marbach. postea me accersiuerunt, & ostensis vestri Senatus literis, explicatáque legati supplicatione, interrogarunt nomine Senatus, quænam mihi esset circa hoc negotium, voluntas. Respondi eis in summa idem, quod antea Sturmio & Marbachio, sed illud adieci, me illos rogare, vt positis omnibus affectibus, pro sua Christiana prudentia, & spiritus iudicio, illud de me constituant, quod illis visum fuerit magis facturum ad gloriam Domini, & vtilitatem Ecclesiæ Christi. Iussus sum secedere. Deliberarunt inter se, vt moris est. Mihi verò reuocato dixerunt, se à Senatu hoc mandatum accepisse, vt me interrogarent, vellem ne (vt hactenus feci) in ipsorum Schola docere, an verò mallem Geneuam proficisci. Si dicerem, me malle Geneuam, rogarent me nomine Senatus, vt manerem, me rem gratam Senatui facturum. Si verò flecti non possem, significarent, Senatum me missum quidem facere, quoniam inuitum retinere nolit, sed tamen haud libenter, quoniam non sine magno Scholæ incommodo. Quandoquidem igitur audierunt, me libenter quidem profecturum Geneuam, sed nullo modo id facturum, nisi accedat voluntarius consensus, & bona gratia Senatus, se mihi gratias agere, & libenter quidem se gratificaturos fuisse nostris Italis, si alium idoneum, qui in meum locum subrogaretur, reperire hoc tempore potuissent. Quod ad Senatus literas attinet, se facilè illi Senatui satisfacturos, quoniam Senatus literæ ita habent, vt si id, quod petunt: fieri possit sine nostræ Scholæ damno, velint sibi gratificari. Ita me dimiserunt.

Retuli responsum tum meum, tum Scholarcharum ad fratrem ab Ecclesia missum. Ille mihi irasci, & indignari. Duo sunt, quæ à me volebat: Vnum, vt ego ipse à Scholarchis vrgerem, nisi me Geneuam mittant, Ecclesiam illam destructam & perditam iri: ita quasi volebat me esse aduocatum & patronum huius caussæ. Alterum, vt absolute missionem à Senatu peterem, quia plus debeam Nationi, quam Germanis. Ego verò neutrum mihi faciendum fuisse contendi, sed vtrumque fui fuisse officij: satis mihi fuisse, necessitatem Ecclesiæ maximam esse, ostendisse, necessarióque illi esse opem ferendam: dicere verò, nisi me mittant, illam destructum iri, quis non videat, quam sit ineptum, & arrogantis hominis verbum? Absolutè etiam postulare, vt me dimittant, quis non videat, quàm sit importuni atque ingrati hominis sermo?

Nunc tuæ Christianæ prudentiæ, omnia diiudicanda committo. Scio, non defuturos, qui, quod non venerim, sint mihi vitio daturi, quasi scilicet mihi maiori sit bono, hic esse, quàm isthic. Sed Dominus, vnde factum sit, vt non venerim, optimè nouit. Illud tibi affirmare cogor, sed cum dolore, tantam esse doctorum Theologorum penuriam, vt licet nihil sim reuera, cogar tamen istis Germanis, videri esse aliquid. Hoc est, quod postea Sturmius, nomine Senatus, coram Scholarchis, legato respondit: si tanta nunc esset Argentinæ doctorum virorum copia, quanta fuit eo tempore, quo te Geneuensibus concesserunt, libenter gratificaturos fuisse meis Italis, & Senatui Geneuensi: nunc autem, cum nesciant, in quem conuertendi sint oculi, non posse sine maxima Scholæ iactura, in hac re illis gratificari.

Quod vero scribis de auditorio, verum est, post discessum Anglorum, & aliquot nobilium Gallorum, factum esse infrequentius (fere enim tantum Germani Theologiæ studiosi, interfuiut lectioni Theologicæ) sed tamen non ita infrequens est, vt planè nullum sit: etiam post progressiones, 40. circiter iuuenes progressi sunt ad Theologiam: neque parum est emolumenti, si ij pauci, qui adsunt, sanam puramque doctrinam doceantur. Profectò si inanem prorsus viderem meum hic esse laborem, ne horam quidem hic subsisterem.

Per valetudinem non bonam plura non scribo: rogo me ames, & meum honorem apud Italos meos defendas. Vale optime Pater. Dominus seruet te diu incolumem, ad salutem & amplificationem Ecclesię Christi. Cupio & meo nomine salutem dici D. Vireto, Bezæ & aliis.

Io. Caluinus Her. Zanchio.

TEmpestiuè accidit, vt te balbus disertum redderet. Necesse enim fuit, quod tibi extorsit, ingenuè semel profiteri. Qualiscumque sequetur euentus: non est tamen cur te importuni hominis vel proteruiæ vel versutiæ obuiam iuisse pœniteat, ne de oppressa veritate triumphum ageret, quod certum est ex silentio tuo captasse. Intereà sinfeliciter successerit, Scholæ olim florétiss. dissipatio me angit. Sed nostrum est, vbi officio perfuncti sumus, Dei consilio acquiescere. Holbrachum etiam nostrum quod simul aggressus est, quo insolentius se iactat, sua superbia, vt spero præceps agetur. Quod tibi migrandum erit, puero quem educas, ego & Beza prospectum vehementer cupimus: loquor de filio D. Moisij, quem pater, vestratum turbarum ignarus, nuper nobis commendauit. Et eius rogatu, quamuis res apud vos tranquillæ essent, eramus ad te scripturi. Vir est integer ac cordatus, generoso animo & pro suis in Ecclesiam officiis, dignus cui studia sua pij omnes impendant. Ergo si isthinc discedas, puerum negligere nefas nobis esset. Nihil autem melius reperimus, quam vt Heidelbergam mittas ad Immanuelem, vel Tigurum tecum deducas, & apud Gualtherum nostrum deponas, qui libenter hanc curam suscipiet. Nihil patri gratius fore spondemus, quam si consilio nostro obtemperes. Vale eximie vir & mihi colende frater. D. Sturmio & Holbracho, multam salutem precor. Quia videtur regina ad fouendas nostras Ecclesias serio animum adiicere: si pergat, respirabimus. Dominus te incolumem seruet: spiritu suo gubernet: virtute fulciat. Geneuæ 4. Cal. Septembr. 1563.

Theod. Beza Hier. Zanchio.

NOn est necesse, vt quidquam de meo adiiciam. tantum igitur hæc addidi, vt filium D. Moisij tanto commendatiorem habeas, vel potius vt meo officio fungerer. Quod superest, Deum rogo, vt caussæ suæ patrocinium suscipiat, teque magis ac magis confirmet. Vale.

Andreas Hyperius Iohanni Oporino.

QVas ad me dedisti, clariss. vir, Francofurto, 9. Sept. accepi ad diem Septembris XII. Quod ad librum D. Zanchij attinet, sic res habet: Libellum supplicem ea de re, cui D. Pistorius, D. Pincierus & ego subscripsimus: ad VII. diem Iunii obtulimus ei qui Principi est à Secretis. Nam Princeps quotidiè tunc venabatur, nec nisi quarto quintove die redibat Marpurgum. Post paucos dies mihi respondit

dit Secretarius, reddito libello supplici, Principi non probari institutum nostrum propter concordiam factam, & pacta pacis Argentinæ paulò antè vtrinque sancitæ: ac tale sibi negotium videri, in quo nihil agendum, nisi explorata prius voluntate Ducis Wirtebergensis: cuius potiss. auspiciis cuncta Argentinæ gerebantur. Non multò post, profectus est Princeps, vt venaretur propè Wetteras, vbi Ecclesiæ præest Dominus Princierus. Significaui igitur D. Pinciero, quomodo mihi Secretarius respondisset, ideoque ipsi quoque tentandam viam, qua apud Principem aliquid efficeret. Ceterum eo ipso tempore comperit, vera fuisse quæ Secretarius mihi dixerat: neque aliud responsum exspectandum. Quo minus igitur quod cupiebamus perfectum sit, velim credas præstantiss. Oporine, per nos non stetisse. Superioribus diebus per Iustum Vulteium, certiorē me fecit Pincierus, se diligēter ad te de omnib. perscripsisse. Spero literas eius ad te peruenisse. Remitto proinde ad te Præfationem, quam D. Pincierus apud se habuit, vt occasione oblata, Principi eam breuiter explicaret: quod sanè commodius ab illo potuisset ibi fieri, quam hicà me Marpurgi, vbi Princeps, quandocumque adesse contigit, grauiss. distringebatur negotiis. Ceterùm quod recuderis librum de lectione S. Scripturæ, id mihi pergratum est. Quod si recognouero librum de S. concionibus & catechismum, tibi libenter permittam. In animo habeo hac hyeme extremam manum imponere Topicis Theologicis. Pro exemplaribus quæ ad me venire curasti, magnas habeo gratias. Pergam etiam intercà in Methodo Theologiæ, quam ad rem, à multis vndique excitor. Vale. Marpurgi. XIII. Septembr. 1563.

Ioannes Pincier Ioanni Oporino.

QVantam diligentiam & fidem adhibuerimus supplicando Principi nostro, pro redimendo saltem vno, si non pluribus aut omnibus exemplaribus impressis, iussu Senatus interceptis: Testis est libellus supplex mea manu scriptus & à reliquis duobus subscriptus, quem D. Hyperius ad te mittet: & simul quidnam à Principe responsi tulerit, significabit. D. Pistorius, ita, vt videbis, supplicandum putabat: ideoque ad eius præscriptum, libellum illum supplicem descripseram. postea vero quàm discessit D. Pistorius: mutauimus formam supplicis libelli, cui nos duo tantum subscripsimus, & Principis Secretario tradidimus. Certo autem consilio mutatio hæc à nobis facta fuit, propterea quod in priore libello quem leges, de D. Zanchij doctrina suspicionem Principi suggerere poteras, id, quod D. Pistorius nescio quam ob caussam adiecerat: nempe non omnino sententiam D. Zanchij veritati Scripturæ esse dissentaneam: quasi aliqua ex parte diffidere de eius certitudine nosmetipsi videamur. Quæ claudicatio & dubitatio, quia nobis indigna videbatur Theologica grauitate: maluimus soli nos duo supplicare Principi, quam priorem libellum supplicem offerre. Ceterum quod Princeps noster respondit, sibi per conciliationem inter D. Zanchium & aduersarios compositam à Theologis, non licere intercedere, ne bene sopitam dissensionem resuscitare velle videatur: credo equidem propter Wittebergensem & Bipontinum Duces, nostrum detrectare, quibus aliquandiu suspectus fuit de Zvvinglianismo. Hanc suspicionem fortè mouisset denuo aut confirmasset de se Princeps noster, si pro D. Zanchij miscellaneis interpellasset. Quomodo autem nunc sit affectus noster in caussa Eucharistiæ, nihil certo scire, multo minus referre possum. Pyxis enim Pandoræ à Paulo Ebero instructa & propinata mundo: summo omnium applausu excipitur, de qua ego dialogum parænecticum composui, in quo Prometheum & Epimetheum fratres introduco loquentes; & omnia Pandoræ argumenta expendentes ad veritatis libram. Scripsi etiam eremodicion Tilemanni Heshusij, in eadem caussa, vbi duo potiss. ago. primum, δίκην ὑπ' ἀδίκων, seu αὐτοκατάκριτον, ex ipsius Heshusij verbis colligo: qua aduersarium de veritate alterius partis in hac controuersia, suo ipsius calculo conuinco & iugulo. deinde ἐποχὴν assensionis iustissimam subiicio, qua itidem ostendo, quam iustas aduersarij nostri caussas cohibendæ assensionis à suo dogmate nobis præbeant. Sed iniquitas & importunitas aliquorum obstat, quo minus hæc scripta cum alis communicem. Deus faxit, vt noua tyrannide oppressa emergat aliquando veritas: quod breui admodum futurum spero. Etiamsi enim meus Prometheus silère, atque latere cogatur: exorietur tamen alius, qui fraudem Pandoræ detegeret: cuius generis scriptum si quod exierit in lucem hoc tempore, rogo mittas mihi per Hermannum Pincierum exemplar, qui pro me soluet. Vale quam optimè per Christum Iesum. Datæ Veteribus castris; circiter nonas Septembris, anno 1563.

Amplissimo & humanissimo viro Hieron. Zanchio Theologiæ Doctori Iustus Vulteius S.D. Argentinam.

QVemadmodum hanc rationem in exaggerandis conficiendisque corporibus natura tenet: vt nihil subitò & ex tempore existat, quod stabile sit aut diuturnum: sic multo magis in animis etiam virtutum doctrinarumque leges quasdam & progressiones certis ordinibus copulatas inesse cernimus. Nam infantium animi quasi sopitam & penè sepultam rationis vim in se continent: Mox excitata eius vestigia in pueris apparent: Pueritia confirmatior & corporis & animi viribus est ætas adolescentium, quorum tum robustius fit indicium, cum iam viri facti sunt: senectus autem mentis vigore & vsu rerum cæteris ætatibus præstabilior, corpore deterior est. Ex quo intelligitur, nunquam interituros esse animos, qui temporis successione non modo non labefactantur, vt corpora, sed confirmantur potius & indies magis magisque corroborantur. Sed hæc in animis naturæ vi efficiuntur, illa voluntate & exercitatione, cum primum iaciuntur scientiarum fundamenta ex his artibus, quæ in elaborando sermone versantur, post adiunguntur naturalium rerum, quantitatumque cognitiones, tum his morum actionumque humanarum, nec non & Dei diuinarumque rerum scientia, velut perfectio operis accedit, vt iam quasi recto imposito perfectum scientiarum ædificium videatur. Quam liberalium artium coniunctionem & consequentiam cum hi adolescentes animaduerterent, committere noluerunt, vt quæ præcepta nobis docentib. cognouissent, inter initia, quod dicitur, opprimerent. Quod à plerisque hominibus hac ætate fieri videmus, qui, cum vix gustum literarum perceperint, satis se doctos esse credunt, satisque beatos, si quacunque ratione victum parare & vitam tueri Philosophiæ præsidio liceat Nam hi quidē Philosophiā, Theologiam, Deū denique ipsum quæstui habent. Non enim artes ex sua dignitate & pulchritudine, sed pecuniariis commodis & turpi lucro metiuntur. Ex quo infinita innumerabiliáque consequuntur incommoda. Ea enim re sola efficitur, vt paucissimi iis officiis, quibus præfecti sunt, pares reperiantur. Quo propensioribus animis horum adolescentum studia consilio, diligentia atque etiam auxilio vestro iuuare debetis, quorum hæc est sententia, vt aut operæpretium aliquod in artibus facere, aut officiis, si quibus præfuturi sunt, sua ignorantia neque dedecori, neque detrimento esse velint. Quæ sit perturbatio religionis in vestra Republica & quanta varietas, intellexi ex Ioanne Pinciero fratre meo, qua re quanquam vehementer ipse quoque perturbatus sum: (summam enim Argentorati omnium rerum diuinarum humanarumque consensionem inter omnes ordines fuisse memini.) tamen & Scripturæ vaticinium agnosco, fieri non posse, quin in Rep. Christiana dissidia versentur, & singulari Sathanæ consilio eam discordiam ad debilitandos bonorum virorum animos inflammatam esse iudico. Nam, vt in prouerbio est, *vbi dolet, ibi manum habet*: sic ille communis omnium bonorum, atque adeo vniuersi generis humani hostis, quo propulsatur acrius, hoc confidentius contra nititur. Largitus est Deus opt. max. Argentinensi Scholæ magnam eruditissimorum virorum copiam, qui vitia profligare, honestatem & veritatem tueri possent. Hinc illæ lachrymę. Non fert Sathan: oppugnat veritatem: honestati resistit: scelera, omnemque turpitudinem inducere in Remp. Christianam conatur. Sed vos vigilantia vestra, Dei immortalis auxilio, bonorumque virorum studiis facile, vt spero, eius perditissimos conatus refutabitis atque frangeris. Vale in Christo. Datæ Wetteris, ex ædibus meis, 4. Idus Septembris, Anno.

D.D. Hieronymo Zanchio, Iohannes Pincierus VVetteranus S. D.

NOn tam tuo aliorumque consilio, quam summi Dei æterna prouidentia, me Tigurum esse profectū nunc

demum sentio; cum in rem ipsam penitus introspicio. Quamuis enim absque Dei ordinatione nihil fieri posse sciebam, videbantur tamen in mea profectione duo: quorum alterum si à Deo profectum diceretur, alterum, absque ipsius dispensatione contigisse dicendum erat. Itaque mirabar quomodo fieri potuerit, vt hæc duo, quamuis contraria essent, vtrumque tamen ad eundem finem & scopum inseruiret. Cogitabam enim eandem esse omnium finium, propter quos aliquid agimus, rationem, quæ est salutis æternæ. Itaque argumentabar: Quemadmodum non ex æquo valet ad æternam salutem consequendam, siue bene siue malè agas, sed per legitima & ordinaria media: ad summum finem progrediendum est: sic neque in hac mea profectione aliisque finibus idem esse quibuscumque consiliis vterer, sed iis tantùm vtendum, quæ essent proposito accommodata. Ad contrarium accidit, Parentes me domum reuocarunt, amici Tigurum ire iubebant, duo hæc effecerunt, vt profectionem susceptam Tigurum perficerem: primum æquè ac vltimum, sed indirectè illud. Quomodo iam patris consilium à Deo est, cum repugnet ei, quod ego secutus sum. Certè si patris consilium ex Deo fuit, sequendum erat, domumque proficiscendum. At contra contigit. Ergo ex Deo non fuit. ita hæsitabam aliquandiu. Postea videbam non amicorum tantum, sed & patris consilium meum propositum promouere. Quod si enim parens non reuocasset, amici non scripsissent. Quoniam verò sciebant patris animum esse, vt redirem domum, eo diligentius ipsi me instigabant, vt irem Tigurum, quod ob aduersam valetudinem facturus non eram. Itaque patris reuocatio illis erat causa, vt scriberent, illorum verò literæ mihi causa erant vt irem Tigurum. Hic vidi mirabilem Dei in actionibus humanis dispensationem. Præterea agnoui similitudinem superiorem esse vitiosam. Prior enim eius pars, quæ de salute æterna est, loquitur de mediis eiusmodi. Posterior verò de efficientibus causis. Atque sic contra me facit, si in priori parte quoque caussas, vel in posteriori quoque media sumam. In caussis vt quemadmodum ad consequendam salutem sæpe sunt carnis consilia spiritui contraria, & tamen ei seruiunt ad salutem. ita Deus hic vsus est contrariis consiliis hominum ad suum institutum. In mediis: Quemadmodum ad salutem consequendam non per mala opera est ingrediendum, sic mihi Tigurum eunti non erat ad Septentrionem dirigenda profectio. Tandem itaque hoc dubium sedaui. Sed oriebatur inde secundum, cur Deus per contraria consilia idem effecerit & non directa ratione tantùm? Hic, nisi consistendum esset, edoctus aliorum exemplis, dicere possem, aliquid mali mihi imminere, iram videlicet & inimicitiam patris, quam mihi eo conciliaturus sim, quod consilium eius cæteris non prætulerim. Sed vt vt sit, siue me Deus affligere velit, siue bonis ornare, vbi sum, Domini sum. Stat itaque firma sententia, Plane me prouidentia Dei huc migrasse, dissuadente etiam parente. Neque ex caussis efficientibus tantum, sed & formali & finali colligo Deum fuisse mihi hac in re consiliarium. Formam enim profectionis si respiciam, iter fuit tranquillum & ab omnibus tempestatibus liberum: Quoad me recepi pristinam valetudinem & in eo confirmaui: In tempore quoque adueni: Cum Dominus Petrus Martyr adhuc in 1. cap. 1. Samuelis hæreat: Colinus 15. Rapsodiam Homeri auspicatus sit: Bibliander post Zachariam psalterium lecturus, & in septimana biduo Grammaticam Hebraicæ linguæ admixturus, ipse hyeme, Dominus Petrus æstate. Si quoque finem examinauero, veni ad populum liberum, vt discerem liberales mores, ad Scholam illustrem, imbuerer bonis artibus & disciplinis, ad viros doctos, vt imitarer & vitam & doctrinā ad verum Ecclesiæ cœtum, vt cum illis membrum Christi, esse profiterer & confirmarem. In summa quicquid occurrit, ostendit eum, qui mihi autor profectionis fuit, non aberrasse. Vnum tantum desidero hac in Schola, quo si ornata esset, cum nulla ipsam compararem. Disputationes quantum vsum habeant non est tibi obscurum, his caremus, quæ si introduci possent, perfectissima esset. Laborabo apud Dominum Petrum, vt, quoniam nihil difficultatis insit, & nobis multum conferat, non detrectet hoc ornamento Scholam cohonestare. Hæc breuia raptim exaraui, vt videas & me tui non oblitum esse, & mecum gaudeas tum propter profectionem meam, cuius tu autor fuisti mihi, tū ob valetudinem meam quam, laus Deo, recepi. Nihil præterea. Hoc tantum tibi familiæque tuæ precor, quod mihi ipsi contingere velim, opto Scholæ vestræ, vt nostræ fiat similis. Opto Ecclesiæ vestræ, vt nostram & in doctrina & tranquillitate imitetur, quod Deus pro sua voluntate concedat. Amen. Vale intime Domine doctor & Mæcenas. Datæ Tiguri, 15. Octobris.

Wigandus Orthius Hier. Zanchio S. D. Argentinam.

CVm nuper in Domini Petri Martyris, nunquam mihi colendi patris ac præceptoris commentarios, quos in librum Iudicum conscripsit, incidissem, vir doctissime, mihique plurimum obseruande: Perlegi primum, quam præfixit libro epistolam nuncupatoriam, in qua Argentoratensis Scholæ præfectis, totique ei Reipubl. pro collatis in se beneficiis, gratias agit. Recordabar tum eius orationis, quam postremum in Schola paulo ante discessum suum habuit, cui tua quoque excellentia interfuit. Cumque altius eam perpenderem in memoriam reuocatam, videre mihi eas lachrymas videbar, quas tunc cum studiosi, cum alij boni viri audita Martyris oratione perfundebant. Malè tum isti Scholæ plerique ominabantur, a qua tantum lumen discederet. Et profectò, vt plane dicam quod sentio, ego quoque tum in ea semper fui sententia, sceleratissime eos facere, remque publicam literariam, & maxime Theologica studia apud se omnino extincta cupere, qui in culpa erant, vt Argentinam vir tantus, quantum nunc Theologum Germania nullum habet alium, relinqueret. In qua sententia, proh dolor, adhuc persto, & nunc multò magis confirmor, cum tuæ quoque excellentiæ negotium exhiberi ab iisdem hominibus audio, qui, vt tum magnum illud lumen suis artibus discusserunt & pepulerunt: ita nūc, vt omnino Scholam euertant, te eiecto, laborant. Infelicem illam Rempublicam quæ mihi ante paucos annos verè beata florentissimaque videbatur: quod non solum omnes alias Germaniæ totius ciuitates, verum etiam celeberrimas Scholas doctissimorum virorum copia superaret. Sed non est nunc querelæ isti locus: cur tamen in eā hoc tempore inciderim, audies. Allatum ante paucos menses ad nos fuerat, quanquam non ita certo autore, tibi à magistratu lectione interdictum fuisse, abitumque tuam excellentiam parare, quod contentiones quædam cum Marbachio intercidissent. Eas postea contentiones ab aliis accepimus, nescio quas, de extremo iudicio & prædestinatione Dei, fuisse: atque te iam, tacente propter indictum silentium, Marbachium de iis quæstionibus publice tractare, tuasque sententias confutare & refellere. Venit demum Cassellas ante paucas hebdomadas D. Hotomannus, quem ego propter pietatem cum summa eruditione coniunctā semper feci plurimi: qui, vti mihi Garnerius noster retulit, vtrique vestrûm & tibi & Marbachij silentium fuisse impositum affirmauit. Vt valde commotus ac perturbatus istis prioribus nunciis fueram, quæ tamen vera esse adhuc metuo: ita nonnihil me, quod Hotomannus affirmauit, in spem erexit: Spero enim fore, vt res inter vos componatur, neque tu Scholam illam, cui certè optime cupio, relinquas: de qua equidem, si discesseris, actum plane, quod ad studia Theologica attinet, censeo. Quare cum ita adhuc, vti vides, dubius inter spem & metum atque anxius hæreā, vir clarissim. meique amantiss. rogo, vt vel ipse, nisi est molestum, vel per alium me de tuarum rerum statu certiorem facias. Quod si feceris, intelligam profectò, quod tamē minime dubito, non te mei oblitum esse: daboque operam, vt ex crebris meis ad tuam excellentiam literis intelligas, & quanti te faciam, & quantopere tibi cupiam. Vale præceptor charissime, meque tuis precibus commendatum habe, & si quando te ad D. Martyrem patrem ac præceptorem meum scribere contingat, quæso meis quoque verbis eum plurimum salutare iubeto. Ipse ad eum, vbi & plus otij & nuncius certior datus fuerit, quanquam quid scribam nescio, tamen aliquid literarum dabo. Iterum cum tuis vale, bonoque animo esto. Deus sine dubio successum in omnibus optimum pro tua fide ac pietate dabit. Salutare tuam excellentiam plurimum iubent D. Hyperius, & Dn. Garnerius præceptores & collegæ mei. Marpurgi 15. Iulij, anno 1561.

H. Zanchius ad Wolfgangum Weissenburgium Basiliensem.

S. Accepi & tuas, mi Reuerende pater & Clarissime D. & D. Bullingeri literas: & tam tuæ, quàm illius fuerūt

mihi

mihi gratissimæ: gratior tamen & charior vestra erga me beneuolentia. Ac tibi quidem gratias ago, quod & me ames, & persuasum habeas, teà me amari & obseruari. Nihil verò debet te à scribendo impedire, aut retardare, cùm vacat, quando nihil gratius mihi possit contingere, quàm vt tuas etiam aliquot, inter multorum aliorum doctorum & amicorum virorum literas mihi seponam. Solicitum te esse de nostra, imò communi caussa, non dubito, cum mihi sit perspecta tua in Deum pietas, & in me beneuolentia. Quo autem in statu sint res nostræ, paucis accipe. Decreuerant Bipontinus Dux, & Wirtenbergensis, mittere ad Dominos nostros aliquot ex suis Theologis & viris politicis, qui controuersiam nostram agnoscerent & componerent: sed præmoniti nostri Domini de illorum Principum voluntate, antevetterunt & petierunt, vt ipsorum Celsitudines mittant Theologos doctiores, & viros politicos prudentiores. Itaque exspectantur. Optarim quidem idem scriptum fuisse & ad Palatinum Electorem, & ad vestrum senatum, vt certè æquitas (meo iudicio) postulabat: sed tamen non ideo animum abiicio, vsque adeo bonam habeo caussam. Fuit quidem, iniquus in me Brentius, quando me inauditum (si vera sunt, quæ Marbachius retulit) damnauit: sed tamen si venerit, & velit audire, non recusabo eum cognitorem, recusaturus tamen iudicem. Quæ de Batone Adressano scribis, vera sunt. Si Papistici pagi miserint alios milites ad lanienam, minus negotij facessere deinceps nobis poterunt.

Ego verò hæc ad te noua.

Totius (vt vocant) Parlamenti Anglicani decreto sancitum est, vt equitatui Germanico, qui militat Condæo, stipendia ex publico ærario Angliæ soluantur, & dum durauerit hoc bellum, Anglia neque pecuniis, neque milite deerit exercitui Condæano. De altero conflictu inter equitatum Guisiacum & Ammiralij, credo te iamdudum intellexisse, ex mille & quingentis Equitibus Guisij, non euasisse quingentos. Perlatus est rumor de nece Guisij: sed neque confirmatur; neque literæ vllæ perferuntur ad Dominam Roianam.

Turcica legatio, quæ fuerat nuper Francofurti, fuit in finibus Austriæ & Vngariæ, a quibusdam personatis Equitibus, & donis quæ ab Imperatore acceperat, & vita ipsa spoliata. Vale mi Reuerende Pater & me, vt facis, ama. Saluto etiam nostrum D. Borrhaum, D. Sulcerum, & alios reuerendos & obseruandos Patres & fratres. Argent. 17. Feb. 1563.

Tui obseruantißimus

H. ZANCHIVS.

H. Zanchij ad Dominos Scholarchas Argentinenses.

ANnus agitur decimus, obseruandissimi Domini Scholarchæ, ex quo, à piæ memoriæ clarissimo, de hac vestra non tantum Schola, sed etiam Ciuitate, immo & de tota Germania optimè merito viro, D. Iacobo Sturmio, & à venerando, sanctæ memoriæ sene, D. Iacobo Meiero, atque à prudentiss. D. Friderico Gotshemi, Scholarchis, vocatus, in hac vestra celeberrima Schola, sacras literas profiteor: quàm diligenter, & quàm fideliter, multi possunt, si velint, fateri. Quod autem toto hoc decennio præter παρεγόμενα quædam in Physica Aristotelis, quæ etiam, nisi Sturmius mihi extorsisset, impressa nunquam fuissent, nihil scriptionum Theologicarum, vt reliqui solent Professores, in lucem emiserim: non ideo à me factum fuit, quòd vel nollem, quæ in Schola studiosos docui, passim ab omnibus literatis legi, atque cognosci: quasi verò metuerim, ne à doctis damnarentur: Nam quæ docui, ea etiam publicè disputanda proponere semper solitus fui: vel quòd Ecclesiæ & Scholæ meis etiam scriptis prodesse parum curarim. Nam de nulla re (Deus testis est) magis sum solicitus, quam, vt, dum viuo, gloriam Dei, & salutem Ecclesiæ, pro mea virili, quibuscunque possim rationibus, promoueam. Sed huius neglecti officij, aliquot aliæ fuerunt causæ. Vna, quòd videbam, plus ferè scriptorum esse hoc tempore, quam lectorum. Illud autem me non latebat, haud esse consentaneum, vt plures in vrbe sint magistri, quam discipuli: plures in syluis venatores, quam feræ: plures in foro Iurisperiti quam clientes. Altera, quòd ego quoque talis sum ingenij, vt malim aliorum scripta legere, quàm mea aliis legenda præbere: præsertim cùm videam, nostrum hoc seculum abundare tot Momis, vt nihil, etiam elaboratissimum, atque emunctissimum, tutum sit ab istorum Momorum reprehensionibus. Tertia, quod, cùm tot doctissimi, ac sapientissimi viri quotidie scribant, idque doctissime, ac politissime: non solum puduit me, aliquid meorum scriptorum diuulgare: sed etiam intellexi, scripta mea non esse necessaria, fortassis etiam parum profutura Ecclesiæ hoc tempore. Differebam igitur meas scriptiones in aliud tempus, quo magis, quam nunc, prodesse Ecclesiæ possent. Postrema, quod nunquam putassem, eam doctrinam, quam de principio docui, & disputaui, tandem aliquando ab vllo hic vel in dubium vocatum, vel etiam damnatum iri: alioquin mea edidissem, atque Ecclesiarum iudicio submisissem. Nunc verò sese aperit prima, eaque necessaria causa, quæ me iam coegit, has meas aliquot prælectiones, nempe illas, quæ traductæ fuerunt, easque ita concisas, incultasque, & impolitas, sicut etiam a me habitæ fuerunt in Schola (ita enim necesse est) in lucem emittere, & vestro, Ecclesiarumque iudicio subiicere. Vos enim non latet, à quibus, quando, quo modo, vbi, & verò etiam quam ob cẽ fuerint, primùm Theses quædam, ex iis lectionibus meis collectæ, & partim vt nouæ, partim vt impiæ & hæreticæ damnatæ: idque antequam de illis vllum vnquam amicũ colloquium inter me, & hos æquissimos scilicet iudices habitum fuisset: Deinde lectiones aliquot, de libro vitæ, & de prædestinatione, quas annis abhinc circiter sex & septẽ in vestra Schola habui, nuper ex libellulis studiosorum descriptæ, & tanquam impiæ, Dominis meis, antequam mihi recognoscendæ præberentur, oblatæ & traditæ. Nostis etiam, quis, & quantæ autoritatis ille sit, qui Epistola quadam ad quendam, de iis, quas paulò ante dixi, thesibus, scripta (vt audio. Epistolam enim nunquam vidi) pronunciauit: me, in thesibus de fine seculi, aliorum quidem coniecturas refutare: Sed alias quoque non minus incertas adferre: Thesibus autem de prædestinatione, illud Mysterium magis profanare, quam explicare: In doctrina verò de fide Sanctorum, & in eadem perseuerantia, totum insanire: idque, licet neque me præsentem in hac tertia quæstione (vt pietas & æquitas omnis postulabat) audierit: neque mea scripta, etiam à me rogatus, legere voluerit: præter lectiones de fine seculi, quas etiam, mihi coram ita probauit, vt non semel & iterum dixerit, se non credere, quidpiam in illis damnatum a meis aduersariis fuisse. Porrò ego scio, in illis prælectionibus, quas tanquam meas, ab aduersariis sibi exhibitas, Domini mei legerunt, fuisse alia addita, alia detracta, ideòque multa deprauata. Coactus igitur fui, verum ex ipso meo αὐτογράφῳ exemplum, (nihil enim in vestra Schola docui, quod non aut ante, aut mox post lectionem, mea manu scripserim) fideliter describendum. & vobis primum, deinde toti Christianæ Reipublicæ exhibendum curare, vt tum vos intelligatis, tum vniuersæ Ecclesiæ diiudicent, qualisnam sit illa doctrina, quam in vestra Schola: de fine quidem seculi superiori anno: De prædestinatione verò, & de perseuerantia sanctorum iam inde ab initio toto hoc decennio docui. Hac de causa coactus quoque fui, nihil vel in rebus, vel in verbis mutare: Sed, quę in Schola docui, eadem prorsus, & iisdem planè verbis, in lucem dare: id quod certè alioqui, nisi hęc pręsens necessitas ita me facere compulisset, non fecissem: Sed, vt reliqui quoque solent interpretes, multa prius correxissem, plura elimassem, & omnia cum doctioribus cõtulissem, illorumque iudicium expectassem. Quã ob caussam & vos Clariss. Dom. meos, & vniuersos doctos viros rogo atque obtestor, vt, si quid in iis paucis miscellaneis deprehenderint vel superuacaneè, vel nimis concisè, vel minus elaboratè, aut non satis digestè dictum, mihi condonent: causa perpetuò, cur ita indigesta edam, spectata: limatiora posthac & castigatiora, tum hęc, tum alia omnia, si Domino placuerit, foras paulatim daturo. Cogor enim, vt videtis, non sine magno animi dolore, hos meos immaturos, & nondum bene formatos fœtus ante tempus edere, & quasi abortare. Cęterum modò nihil in iis, aut monstrosum aut inanimũ, hoc est quod non sit & antiquum in Ecclesia, & orthodoxum, inueniatur, satis mihi in pręsentia fuerit. Quod si fortè aliquid sit, quod Ecclesiæ, & docti, piique viri iudicent, non vsquequaque orthodoxè dictũ fuisse: illud mihi amicè & Christianè significetur, oro atq; obsecro. Omnium. n. piarum Ecclesiarum, & verè piorum, doctorumque virorum iudicio hęc omnia submitto: quicquid erratum est, si quid erratum sit, emendaturus: modò mihi veritas, amice atque Christiane è scripturis sacris perspicue demonstretur. Neque enim pudebit me, ab erudi-

tioribus me discere: & si quid erroribus vel didici vel docui (quod tamen nondum agnosco) illud dediscere & dedocere: præsertim cum ingenuè profitear, me esse in Schola Christi, vbi nemo, præter Doctorem Christum, tam doctus est, cui non sit quotidie magis ac magis in cognitione veritatis proficiendum. Illud tantum admonitos velim, tum vos Clariss. Dominos Scholarchas, tum pios quosque, ne illa nuda propositione, quæ est de perseuerantia sanctorum, vllo modo offendantur: vel, quod cum ea multi scripturarum loci pugnare videantur: vel, quod etiamsi vera sit, nullum tamen illius cognitio fructum hominibus satis suapte natura securis, adferre videatur. Nam cum mihi inchoatam tractationem in Schola absoluere non licuerit: ego neque loca scripturarum in speciem pugnantia conciliare: neque quo modo illa propositio esset intelligenda, declarare: neque denique multos & varios vsus illius doctrinæ explicare tunc potui. Nunc autem foras tantum dare (vt antea dixi) illa, quæ in Schola à me tradita, postea à quibusdam damnata fuerunt, & nihil illis vel addere, vel detrahere, animus fuit, iis de caussis, quas paulo ante explicaui. Cæterum, Deo fauente, totam illam tractationem aliis quam plurimis, tum scripturarum, tum Patrum doctissimorum nostri temporis virorum adiectis testimoniis, omnibus in speciem pugnantibus locis conciliatis, omnibus aduersariorum argumentis dilutis, & huius salutaris doctrinæ vsibus explicatis, ita perficiam, vt nemo non sit (nisi planè perditus, & in reprobum sensum traditus) doctrinam hanc, tanquam veram, certam, piam, salutarem, imò cuique etiam pio necessariam cognitu, probaturus. Interim nemo damnet, quod non intelligit: sed suum saltem iudicium, dum vel ne planè audierit, vel perfectam tractationem perlegerit, suspendat. Est enim illud Menandri sapientissimè dictum probè memoria retinendum omnibus, qui sapientes & esse & videri volunt:

Ὅπερ ἀναγιγνώσκειν περὶ ἑαυτοῦ σαφῶς
Αὐτὸς πιστεύεις, δεῖ πεπεῖσθαι καλῶς.

Neque etiam illud Syracidæ consilium cap. 31. aut negligendum aut contemnendum est: Βούλευε πολλά, πρὸ τοῦ λόγου τοῖς παισὶν ἡδὺ ἐστὶν ἀδεῖν, εἰ ἀκαλεῖσθαι τὰ λεχθέντα, ἢ πραχθέντα.

Vestrum verò est, sapientissimi Domini Scholarchæ, curare, vt, si qua doctrina inter vestros professores controuertitur, ea in vestra Schola, adhibitis viris doctis & probis, discutiatur: & quæ agnita fuerit esse orthodoxa, hoc est sacris literis consentanea, ea in Schola retineatur: præsertim si iam inde ab initio, etiam in eadem Schola à primis, iisque doctissimis & sanctissimis huius Scholæ Doctoribus, tradita fuisse, liquido demonstretur. Quod vt fiat, & Deum precor, & sicut tum à Consilio Thomensi, tum à Dominis Tredecemuiris, non semel petij, ita & vos rogo & obsecro.

IOHANNES STOESSELIVS

Ornatissimo viro, doctrina & iudicio præstanti, Danieli Oesiandro, à secretis & legationibus Illustrissim. Saxoniæ Duci Ioanni Guilhelmo, Domino & amico colendo.

SAlut. in Christo Iesu, Immanuele & Seruatore nostro dulcissimo. Vtinam ea esset in me doctrinæ præstantia & autoritas, ornatissime Daniel, qua certamini inter summos & eruditissimos Argentinensium Professores, non sine graui Ecclesiæ perturbatione exorto, remedium aut certè leuationem aliquam afferre daretur. Vt enim in nostris distractionibus & acerrimis illis Theologorum ἀκριβολογίαις suam erga nostras Ecclesias pietatem, συμπάθειαν & studium, non obscurè declararunt: ita vicissim nostram beneuolentiam omni officiorum genere, inprimis vero in sedanda ista controuersia, probare illis ex animo cuperemus. Moueor deinde grauissimis rationibus, cur ad tollendum hoc dissidium, & alios vsu rerum & doctrina præstantiores, sedulo incumbere, & ad hoc saluberrimum pacificationis studium, autoritatem suam interponere velim: quod scilicet ad propagationem sinceræ religionis, artiumque optimarum & linguarum studia augenda, ornanda, conseruanda, & ab omni barbarie ac squalore vindicanda, plurimum studij & emolumenti hi professores contulerunt: quod, inquam, veræ Ecclesiæ Christi, & toti Reipub. literariæ, magno fuerunt & ornamento & præsidio. Spem etiam concordiæ, mihi facit moderatio illa affectuum & disputationum, quæ ex Supplicatione arbitris ex senatu delectis exhibita, non obscurè elucet: & quod ad eruditas & placidas sententiarum collationes de materiis controuersis se offerunt: nec pugnant vt nostri homines odio, ambitione, στοισομανίᾳ, criminationibus, conuitiorum & contumeliarum acerbitate: nec aliarum Ecclesiarum censuras & iudicia superbè contemnunt & aspernantur. Atque vtinam initus, Senatus statim occurrisset: adhibitis ad eam rem moderatoribus, nulli parti suspectis, veræ concordiæ amantibus, & negotium solidè intelligentibus. Nunc cum vtraque pars vt solet in discordiis intestinis accidere, præsidiis se munierit, ac ad accendenda maiora dissidia, flabellis locum dederit, difficilius procedit pacificatio.

Sed iudicium hic meum requiris de articulis controuersis, qui distractionis caussam præbuerunt, & nunc etiam scripto comprehensi, delectis arbitris ad diiudicandum oblati sunt.

Agnosco hic pericula, quæ sinceris moderatoribus impendent: præsertim vbi vsitatæ opiniones & præiudicia animos maximæ partis hominum fascinatos tenent. nam πᾶν τὸ σωτήριον, ἀθλεῖ: & quotidie plagas adhuc a meis accusatoribus accipio, quod sæuis contentionibus magna ex parte ex prauo affectu & verborum sophistica detorsione enatis, medium me interposui. furiæ nunc & Erinnyes pro constantibus veritatis assertoribus habentur: qui & consensum doctrinæ & Ecclesiarum petulanter turbant & dilacerant. Sed cum interrogatos de nostra doctrina, necesse sit respondere: ingenuè de vtraque parte sententiam meam profitebor.

In controuersia de Cœna Domini, quia disertè præsentia corporis & sanguinis in Cœna, in Confessione Argentinensi & in Concordia cum Bucero inita, sancitur: nec Lutheri sententia damnatur: non video, quomodo ab ista Confessione Professores depelli aut debeant aut possint. Edita est ante paucos menses, Confessio de hoc loco, Doct. EBERI, qui formulam concordiæ cum BVCERO sancitam, tanquam authenticam & approbatam, initio præmittit: ac particulas IN & SVB, CVM, & PER: indifferenter & promiscuè interpretatur: & quamquam τὸ ῥητόν in verbis Christi defendit: tamen nequaquam, vt hæreticos condemnat, qui propter modum præsentiæ imperuestigabilem & ineffabilem, ad δύναμιν, se conferunt, ac de hoc mysterio aliter & altius paulo: reuerenter tamen & piè, cogitant ac loquuntur. A Papistis certè, quid dissentiant & quantum absint, non video, qui hanc propositionem, *Hoc est corpus meum*, identicam esse volunt: & localem inclusionem tantoperè propugnant: Mihi DVRANDI illud perplacet: *Verbum audimus: motum sentimus: modum nescimus: præsentiam credimus.* At dolendum est, cum in aliis Scripturæ mysteriis ruditatem & infantiam nostram vltrò profiteamur: & vel hæsitantes vel leuiter dissentientes, benignè toleremus aut erudiamus, quod non eandem modestiam in hoc etiam mysterio exercemus: & cum mutuæ pacis vinculum esse hæc ὁμόνοια & ἀγάπη debeat: cur propter diuersitatem non rei ipsius, sed modi præsentiæ & formularum loquendi, tantas in Ecclesia turbas mouemus: & aduersariorum ludibriis & tyrannidi nos & Ecclesias nostras obiicimus. Seruitus etiam est indigna libertate Christianorum, ad certas & præscriptas loquendi formas ita cogi & adstringi, vt piaculum sit, alia verborum forma eandem sententiam reddere: cum tamen in fundamento consensus exister, & nullæ ab illis ipsis veritati metuendæ sint insidiæ: immò cum acrius religionem hi propugnent, maioraque ob id certamina sustineant, quam hi ipsi Areopagitæ & rigidi errorum & corruptelarum censores.

Alterum controuersię *caput de electione*, quę salutis nostrę fundamentū est, & amplissi. piorum consolatio: non dubito facilè expedire posse, si κεφάλαιον rectè constituatur. item, aliter disserendum esse de hoc loco, vbi integra & methodica eius instituitur explicatio: vt in Scholis & apud rectè cōfirmatos fieri solet: aliter apud eos qui aut adhuc rudes & nouitij sunt in doctrina pietatis: aut tentationibus de particularitate & electione exercentur & oppugnantur.

In tractatione methodica huius loci contra Pelagianos & hostes gratiæ Dei, rectè asseritur: *Electionem in Christo primam esse caussam salutis & iustificationis nostræ.* Ephes. 1.

Euangelium, tantum ad electos pertinere, etiamsi promissio sit vniuer-

vniuersalis. item: *Nullam esse vim vocationis & efficaciam ministerij, apud omnes qui non sunt electi.* Actor.13.

Caussas electionis & reprobationis, propriè non ab homine: sed ab arcano Dei consilio pendere Rom.6.

Gloriam Dei in vtroque opere conspici: in electione misericordiam: in reprobatione iustitiam. Ex 9.

Hac doctrina, si quis offenditur: is adhuc in rudimentis Theologiæ & in doctrina Pauli, rudem se profiteatur.

Paulus, gratuitam Dei electionem statuens, quærendum esse discrimen negat in personis: ac primò illud ἀξίωμα sumit: Cùm perditum sit à sua origine genus humanum, & addictum exitio: quicumque salui fiunt, eos non nisi Dei gratia, ab interitu liberari: ideoque non præferri alios aliis proprio merito, nec excellere alios aliis sua virtute aut dignitate: sed cum pariter omnes gratia indigni sint, illos seruari quos suo arbitrio Deus elegit.

Deinde cùm Deus mundi huius sit architectus & opifex suo iure est vitæ & mortis arbiter: nec ratio ab eo exigenda est, sed eius voluntas sit caussa caussarum, vt ita loquar.

Neque verò hîc à Paulo tyrannis Deo affingitur; sed cùm habitet lucem inaccessam: & iudicia eius omnes abyssos superent: prudenter iubet Paulus in solo eius proposito acquiescere, ne si homines nimis curiosi esse appetant: immensum illud chaos omnes illorum sensus absorbeat.

In electis verò, non est otiosa adoptionis gratia: quia Dominus ea sua vocatione & dono Spiritus S. efficaciter obsignat: Rom.8. ita vt gratos Deo cultus præstent: supra mundum se attollant: & ad cœlestem vitam perpetuò adspirent.

Reprobi è contrà, suo ingenio relicti, à spiritu Dei non gubernantur: ac terrena duntaxat sapiunt: impliciti carnis illecebris & voluptatibus consopiti.

Electi verò, vt diximus, à Spiritu S. renouantur, vt sint Dei figmentum ad opera bona conditi. Ephes.2.

Hîc si quis obiiciat, posse Deo partem culpæ adscribi: qui stuporem & prauas cupiditates reprobis ingenitas non corrigat: solutio in promptu est, conscientiæ ipsorum testimonio quo damnare se coguntur, Deum absolui.

Nihil igitur superest, nisi vt à facie Domini, sileat omnis caro: ac totus mundus obnoxium se esse confitens, eius iudicio humilietur potius quam superbe litiget. frustra enim impij Deo litem intentant: cùm Deus nihil ipsis debeat; nihil non iustè velit: & ipsi suæ damnationis iustas in se causas reperiant.

Atque hæc est summa doctrinæ Pauli, Lutheri, & Augustini contra Pelagianos & gratiæ Dei oppugnatores.

Neque verò inde sequitur, Deum esse προσωπολήπτην: cùm iustitia sua omnes abiicere & damnare poterat.

Neque hæc doctrina per se caussam offensionis aut profanitatis aut desperationis præbet: sed eodem modo quo Christus est lapis offensionis & petra scandali.

Neque bene agendi studium labefactat: cum adoptio obsignetur spiritu gratiæ & precum: quam exserit per exercitia fidei & dilectionis.

Neque electionem a vocatione disiungimus: nec dicimus, Sp.S. efficacem esse in iis qui ne quidem audire volunt Euangelium, cum scriptum sit, *Fides ex auditu.* item, *Quos elegit, hos & vocauit.*

Nec remouetur consolatio: sed confirmatur in piis. Ioh. 10. 2.Tim.4.

Nec ideo promissio fit particularis: sed ostenditur, vbi & apud quos sit efficax.

Nec in Deo contradictoriæ ponuntur voluntates: sed distinguitur inter voluntatem patefactam & arcanum Dei consilium. Rom.1.

Ita tamen temperanda est in hoc loco docendi ratio, ne curiositate quadam impulsi, extra Scripturæ limites, in diuinæ sapientiæ adyta irruentes, euagemur: aut imbecilles & afflictas conscientias, intempestiua disputatione de electione, turbemus aut sauciemus. Multi enim dum intempestiuè labyrinthos ex hoc loco texunt, aut iis tentationibus indulgent, desperatione opprimuntur. Illis potius perspicua & firma consolatio ex effectu monstranda est: item à promissione & præceptis immutabilibus de audiendo filio, & vt non prius inquirant de electione, quam in Euangelio rectè confirmati sint. Item grauissime eos peccare & cumulare horribilia peccata, qui nolunt audire filiû Dei: nolunt cogitare de immensa bonitate mittentis filium copulantem sibi humanam naturam: nolunt credere promissioni: fremunt aduersus Deum.

Non igitur depellatur mens à promissione, his fulminibus, *Fortassis nihil ad te pertinet promissio:* aut, *Tu non es in numero electorum,* &c.

Fugiamus etiam opiniones monstrosas: nec, vt multi faciunt, miremur etiam non intellectas: nec delectemur disputationibus horridioribus: quibus multorum conscientiæ sauciantur.

Exposui sententiam meam de vtroque capite controuersiæ, quam non dubito congruere cum analogia fidei: scriptis Lutheri: formula concordiæ, & Confessione Augustana: & cum vtriusque partis præcipuum studium sit, ne labefactentur aut euertantur receptæ Confessiones: ac magis de verborum formis, quam de re ipsa sit dimicatio, concordiam sanciri posse non diffiderem, modò intercederent ex Theologis, arbitri ab omni parte integri: nec aliunde ab anathematistis faces dissidiorum inicerentur.

Deum oro, vt has distractiones & vulnera Ecclesiæ suæ sanet: & faciat, vt quamplurimi vnum simus in ipso.

Spargi hoc tempore meum hoc scriptum nolo: quia video, quosdam vndique arripere calumniandi occasionem. Nec verò diffugio iudicia Ecclesiarum: & maximè optarim, de hisce & aliis controuersiis colloqui me posse cum pluribus viris doctis & piis: qui sine præiudiciis & animorum acerbitate sententias conferant. Nosti illud Aristotelis: [illegible]. item illud Simonidæum: Τὸ δοκεῖν, βιάζεται τὰν ἀλάθειαν. Ienæ.10. Calend. Ianuar. Anno 1562.

T. Ioannes Stoesselius pastor
Ecclesiæ Ienensis.

HVBERTVS LANGVETVS

Virtute, pietate & eruditione ornatissimo viro: D. Hieronymo Zanchio, S. Theologiæ Doctori: Domino suo & hospiti perpetua obseruantia colendo

S. P. D.

Doleo mihi ereptam occasionem te in hoc meo discessu salutandi, ac tibi gratias agendi pro multis officiis ac summa humanitate mihi exhibita dum, apud te vixi. Libenter hîc tuum reditum exspectassem, si licuisset per Illustriss. Principis mei mandata, quibus iubeor in aulam Gallicam excurrere. Diutius hæsi in Saxonia, quam existimaueram. Et cum veni Witebergam, vestri aduersarij iam dederant laureatas literas ad Eberum & alios suos confœderatos, qui eo nomine plurimum exsultabant. Quamuis ignorarem, quibus conditionibus esset inter vos transactum, dolebam tamen, nomen tuum suggillari, tum propter meum erga te amorem, tum quod videam, tam multos pios & præsertim ex vestra gente, habere in te coniectos oculos, vt sine multorum offensione non possit lædi tua existimatio. Vide igitur vt gliscenti malo remedium aliquod adhibeas, nec patiaris, iniustè de veritate & de te triumphare aduersarios tuos, qui missis hinc inde litteris, iam totam Germaniam victoriæ suæ fama compleuerunt. Cum nuper facerem iter Heidelbergam, petierunt à me boni viri, vt hoc tibi significarem. idem a me petierant Witebergenses & Lipsenses. quibus facile fuit a me impetrare id quod mea sponte etiam facturus. Nec enim amici: nec boni viri officio fungerer, si non indicarem quibus artibus oppugnent te ij qui veritatem oppressam cupiunt. Tu pro tua prudentia & pietate, videbis quid in ea te sit tui officij. Ago autem tibi summas gratias pro tuis erga me beneficiis, & oro Deum omnipotentem, vt te & tuos incolumes seruet, & sit totius vitæ tuæ rector & gubernator. Argent. 6. Calend. Ianuar. 1563.

Tui obseruantiss.

HVBERTVS LANGVETVS.

IACOBVS SCHEGKIVS

D. Hieronymo Zanchio.

DIfficile mihi est, præsertim non Theologo, quinam rectè an secus de tantis rebus sentiant, iudicare, multò difficilius, meam proferre sententiam de quæstione obscurissima, quæ in vtramque partem habet ἀμφισβήτησιν, & difficiles explicatu ἀπορίας. Etenim peccatum mortale, cùm eliminet cum gratia iustificante etiam Spiritum Sanctum, cùm sint contraria, simul esse in eodem non possunt. Homo autem interior, vtriusque subiectum esse videtur. Quare cùm fuerit concessum, mortali peccato obnoxios esse etiam electos: consentaneum erit, eosdem posse etiam gratia Dei ad tempus orbari, quam denuò tamen pœnitẽtia recuperent: ita vt quamuis per interualla modò sint in gratia, modò excidant: tamen finaliter ἐς διατέλους, in gratia & fide persistant, quæ Scholasticorum doctorum videtur esse opinio. Quæritur hoc loco, *an peccatum electorum, sit habitus, an actus: &, si sit actus, quomodo sit oppositum gratiæ peccatum, cùm nullum sit quod gratiæ & Spiritui S. non repugnet.* Breuiter de his dicam, quid mihi videatur: ab his qui rectius sentiunt, eruditi paratus. Distinguenda mihi omnia videntur, quę sunt in nobis, in δυνάμεις, ἕξεις & ἐνεργείας: quæ sanè nota sunt ex Ethicis. facultas est in nobis quæ capax sit habitus, non modò à nobis acquisiti: sed etiam à spiritu Dei infusi, qui nimirum character est, quo differunt pij ab impiis & electi à reprobis. Ille character est, vera fides, per quam Spiritus S. habitat in nobis, purificans corda nostra, cuius vis & natura satis per se nota est intelligentibus Scripturas. Eius subiectum est mens & voluntas: quoad gubernatur mente, id est, interiore homine. Peccati subiectum, est caro & concupiscentia eiusdem, quam nominat Paulus *exteriorem hominem*: habitus vtriusque, non sunt inter se contrarij, cùm sint in diuersis subiectis, & simul esse possunt habitus infusus fidei & habitus peccati nobiscum nati. Differunt autem pij ab impiis, & electi à reprobis: quod scilicet reprobi habitu illo gratuito & veræ fidei, destituuntur: quo tamen electi sunt præditi, de quo nulla est inter Theologos controuersia. Illud tantùm quæritur, *an peccatum actu possit in electis caussa esse, vt habitu illo infuso priuati sint dicendi: an verò cum peccato actu, gratia, quæ definitur habitu, simul queat consistere: & vt peccatum, ita quoque gratia quædam sit actu, quæ permutari possit cum ira Dei, quæ vindex est peccati, quæ tamen non sit ira in finem seu εἰς τέλος, sed quæ deducat pios pro tempore etiam ad inferos, deinde quæ tamen reducat rursus ab inferis.* Respondemus itaque, quod peccatum actu, gratiam quo ad est ἕξει in electis, non eliminet: sed gratiam actu eliminat: imputaturque peccatum non ad interitum: sed quod Deus tamen variis afflictionibus in hac vita vindicet. quum omni peccato sit iratus Deus: sed alio modo sit iratus peccatis impiorum: & alio piorum, quibus dicitur peccata non imputare ad interitum. Sed peccatum habitu & gratia habitu, non possunt simul esse: quemadmodum gratia actu & peccatum actu, non possunt simul esse. Gratia verò habitu exsistens & peccatum actu possunt simul esse: item gratia actu: (quæ est sensus quidam intimus suauitatis degustatę ex apprehensa misericordia Dei gratuita:) potest simul esse cum gratia habitu subsistente, quæ non potest esse nisi in electis. Nam reprobi etiam interdum degustarunt actu gratiam Dei, de quibus loqui Paulus ad Hebræos cap. 6. videtur: *Impossibile est, eos qui semel sunt illuminati,* &c. pro electis tales non possunt haberi, qui nunquam excidunt à gratia, quæ habitu finitur ἐς διατέλους perdurat: & non ἐνεργείᾳ duntaxat. peccant autem pij, non quod ἕξει sint peccatores (fidei enim habitu sunt iusti) sed vel ignorantia vel imbecillitate, vt solent apud ethicos ἀκρατεῖς peccare. sumus enim nati in peccatis: & venundati, vt Paulus testatur, in peccatis. Orat Dauid pœnitens, non vt reddat, sed vt ne auferat spiritum S. à se. Huic sententiæ adstipulantur Scripturæ: atque etiam ethicè, habitus non mutatur propter infrequentes actus contrarios, qui simul esse possunt: quemadmodum etiam scientia habitu, simul cum ignorantia actu, esse potest. & peccata piorum. quæ ipsi designant actu, cùm non imputentur ipsis ad salutis æternæ iacturam: quomodo eliminabunt habitum iustitiæ fidei, quum imputatio peccati eliminet gratiam & fidem? Sed hæc, notissima habent testimonia ex Scripturis. Quod nos de actu gratiæ & iræ: id Scholastici de habitibus videntur intellexisse: quum lapsum in peccata priuationem gratiæ dicunt: quæ rursus sit permutabilis habitu gratiæ. sed Dominus non est tam incerto & titubante consilio, vt modò imputare, modò non imputare velit peccatum: cum Sanctis omnia pro bono ipsorum euenire sinat, & peccatis etiam, id est pœnitentia vera peccatorum, arctius eos sibi interdum adiungat. Pro tua prudentia, hæc diligenter perpendes. nam distinctione omnino opus est ad componendas controuersias, alioqui sedabuntur nunquam: de quibus admonere te, non docere in præsentia volui.

SCHEGKIVS *tuus.*

IACOBVS SCHEGKIVS

Doctißimo & clarißimo viro, D. Ioann. Sturmio Rectori Scholæ Argentinensis, D. suo & amico imprimus colendo.

ORnatissime D. Sturmi, singularis humanitas Zanchij fuit in caussa, vt aliquid ad te literarum darem, quàuis hactenus non dederim: nec esset sanè aliquid, de quo diligentius ad te scriberem. cogit tamen nunc amor, quo affectus sum in hominem doctiss. & modestissimum, vt te hortetur ad ea officia humanitatis præstanda ei, quæ ipse tam magnifice prædicat de te, vt ferè ineptum & superuacaneum putem, pluribus id à te rogare verbis. Agitur, vt audio, reus hæreseos, propter quasdam propositiones, quas qui pro hæreticis habet, non intelligere videtur quid sit hæresis. profectò nihil illæ derogant orthodoxæ fidei: & sunt quædam quæ possint disputari in vtramque partem: nec magnopere pertinent ad veræ religionis cultum. Oro igitur, vt quacumque ratione fieri potest, transigatur inter D. Theologos, propter offendicula, quæ nimis multa succrescenti Ecclesiæ veræ obiciuntur: nec solùm vei bi cursus, sed etiam fructus, qui est pietas vitæ, impeditur. Istud certè agere debemus omnes, vt struatur omnibus modis Ecclesia Christi: non, vt offendiculis destruatur: quod tibi præcipue curæ esse, ex D. Zanchio intellexi, qui mihi fuit auctor, vt tibi hisce meis ineptis & inconditis literis molestus essem, quibus tamen non potui, quin tibi caussam honestiss. ornatissimique Doctoris commendarem. alia ex ipso audies. velim tamen humanius illum, à nonnullis acceptum fuisse: sed non nescis, quæ sit αὐθάδεια quorundã, quæ reprehendi potest, corrigi non potest. Bene vale vir doctiss. Datæ 10. Decemb. Tubingæ.

IACOBVS SCHEGKIVS *D.*

IACOBVS RVGER

Clarißimo, singulari eruditione & pietate prædito viro, D. Ioan. Sturmio, Rectori Scholæ Argentinensis, D. suo plurimum colendo S.

FEstinanter scribere cogor: rationes vel ipse D. Zanchius eiusve collega indicabit: & quia ipsi de aliis rebus tecum conferent, de quibus aliàs ad te scripsissem, omnia prætermitto. Cæterum quid de thesibus & doctrina etiam D. Zanchij, iudicemus, simplici & breuissimo scripto testati sumus, quid sentiamus. Hoc verò maximè admiramur omnes, quod doctrina piissimorum & doctissimorum partim defunctorum, partim viuentium, eorum etiam, qui optimè meriti sunt de Ecclesia & Schola Argentinensi, ita ab aliquibus damnatur & exsibilatur, immo proscribitur quasi, quæ tamen consentanea fuit semper doctrinæ propheticæ & Apostolicæ & nostrarum Ecclesiarum. Arbitramur maiori in pretio habendos esse viros, beatæ memoriæ; D. Bucerum, aliosque: præsertim verò ab iis, qui discipuli illorum aliquando fuerunt. ij tamen primi sunt in calumnianda tantorum virorum doctrina. Sed viderint ipsi quid agant. Nos confidimus, idque omnino de amplissimo vestro Magistratu & viris doctiss. & clariss. Dominis Scholarchis, Scholæque vestræ Rectoribus & Professoribus: deniq; de pluribus Ecclesiæ vestræ ministris pollicemur, quod

quod hoc dissidium qualecumque sit compositurì, & vindicaturi à multorum calumniis veritatis doctrinam, curaturique, vt doctrina ante multos, non ante 12. tantum annos tradita, purè in Ecclesiis vestris proponatur: nullique permissuri, vt illa in posterum in dubium vocetur. Sed vale. Spem mihi fecit Dominus Dasypodius, me acquisiturum vetera noua: nostros studiosos tuæ fidei commendo. commendatos tibi habeas nos nostramque Ecclesiam. Scaphusiæ 9. Calend. Ianuarij, 1561.

T. H. deditiss. Iacobus Ruger, Ecclesiæ Scaphusianæ minister.

HENRICVS BVLLINGER.

Clarissimo viro D. Ioanni Sturmio, Rectori amplissimo Scholę Argentinensis, Domino suo colendissimo & amico sincerissimo S.

Etsi nunquam scripserim ad tuam humanitatem, Sturmi doctissime: semper tamen amaui te, propter dona illa tibi à Deo concessa, sanè præstantissima. Semper oraui Dominum, vt illa sua tibi dona augeat & à malo te conseruet.

Atque in præsenti vehementius te amo, quem audio summa fide & diligentia exquisita, iuuare caussam religionis, alioqui afflictam, ab iis maximè, qui antistites religionis sincerissimi, videri volunt. Dominum oro, vt hos illuminare dignetur spiritu suo, & pectora ipsorum à noxiis expurgare affectibus. Rectè autem facis, qui caussam religionis defendendam suscipis. Fecerunt hoc ante te in Ecclesia Christi, Rhetores & Philosophi præclarissimi: quod ipsa testatur historia Ecclesiastica. Proinde te hortor, vir præstantissime, vt quod facis, facere pergas. Dominum oro, vt tibi adsit. Caussam eucharisticam, quam defendimus, adiuuante nos Domino, annis iam pluribus scis esse expeditam, optimam, inuictam. Propter hanc, odium sustinet D. Zanchius vir clarissimus: qui sanè propter theses de Prædestinatione & perseuerantia Sanctorum, minimè vexaretur, si quorundam doctrinam crassam, minimè sibi constantem de Eucharistia probaret atque doceret. Sicut autem doctrinam Augustini doctoris in Ecclesia catholici de Cœna despiciunt: ita & eiusdem de prædestinatione Sanctorum damnabunt. Horrendum autem esset, in tam celebri vrbe, tanti doctoris (Augustinum intelligo) doctrinam condemnari. proinde honestissime Zanchij caussam defendendam sumis, piè enim vetus Ecclesiæ dogma defendis, vt iam non commemorem pariter primorum vestræ Ecclesiæ doctorum autoritatem tueri. Dominum oro, vt opera tua vtatur ad conseruandam Scholam, doctrinæque puritatem: Téque rogo, vir humanissime, vt rudes hasce meas literas boni consulas: & me tui amantissimum diligas. Dominus velit hunc annum tibi esse felicissimum. Tiguri 30. Decembr. 1561.

Hen. Bullingerus tuus.

D. Hieronymo Zanchio, Thomas Blaurerus S. D.

Ab eo tempore quo ad insignem virum Ioann. Sturmium Ecclesiastæ passim dederunt literas de controuersia inter te & D. Marbachium tollenda, cogitare cœpi, nunquid meo etiam officio, vt hominis ab amore vestro non alieni (ita enim mihi persuaseram,) possit præstari quod faceret ad Christi curionum optatam pacem & vnanimitatem. Itaque sermonem composui ad vos communem, quod tibi non ingratum fore arbitrabar, pro ea, quæ in te est modestia. De D. Marbachio autem vt socio sæuissimorum in nos hominum, quos Cinglianos & indigna contumelia *Sacramentarios* vocant, suo in nos detorto nomine, cùm dubitarem, hanc operam meã quam vobis dabam, perinde illi gratam fore, necne, detinui hucusque, veritus, ne illius animum de nouo irritarem: tametsi ita vobiscum ago & loquor, quasi in vtroque sit quod emendari oporteat: hanc abs te tamen culpam alienissimam esse cognoui. quin ipsos etiam errores, cum quibus nihil tibi commune esse tenebam, recensui & impugnaui, dissimulato discrimine quo minùs viderer non modo fouere tuas, quas foueo, partes: sed tuo non etiam illius amori & obsequiis indulgere. Seruire enim ambobus, ex æquo volui. Etiam nata occasione recente, per duorum Principum & Basilienses oratores & mystas, per quos audio contentiones vestras nescio quo pacto transactas esse, admoneor, deposita verecundia, hoc ad vos scriptum vti perueniat, tempus idoneum & nunc maturum expostulare: vt si quid hæreat adhuc depositæ acerbitatis, per meam simplicem parænesin absoluatur: aut si nullam manum requirat sanarum vulnus, hanc eo solidiorem gratiam apud vos iniisse existimet. De qua re priuatas etiam ad Marbachium scribo, veniam petens verboso meo sermoni & nimiùm libero. Abs te vero, mi venerande & perite Zanchi, eandem & peto & rogo: vel quod illum ad modestiam vsque protraxerim: vel quod permiscuerim argumentum: quasi ego apud te quoque pergam corrigere, quæ prius in me ipso essent corrigenda, si tecum non facerem. Exspectabam aduentum D. L. Grempij, cuius consilium capere placuit de mittenda aut supprimenda epistola. ille autem dum differt reditum, ant me ignorante Argentinam reuersus est, dubitationem abrupi, spem promoui. In Christo vale: in quo me ama. In fundo meo, secus Constantiam. Cal. Maiis, M.D.XIII.

H. Z. ad Theobaldum Theodoricum Quæstorem Thomanum.

Sago tibi gratias, quod mihi & meis gratulatus sis valetudinem. ista enim gratulatio, ex amore erga nos tuo proficiscitur. Quantum vero vicissim tibi & tuis gratulamur omnes salutem, tantum ego doleo reliqua, quæ in tuis gratulationi subiicis, tam quæ contra tuam & tuorum salutem faciunt, quam quæ contra gloriam Dei. Exitium certè sibi maturat, qui sciens ac volens doctrinam Christi exponit ludibrio: & qui fidit inimico non tam suo, quam Dei: parum sapiens est. Μὴ πιστεύσῃς τῷ ἐχθρῷ σου, inquit Syracides, εἰς τὸν αἰῶνα· ὡς γὰρ ὁ χαλκὸς ἰοῦται, οὕτως ἡ πονηρία αὐτοῦ. Quis eum vocet prudentem, qui vulpi fidat? Doleo itaque illa quæ scribis, & quod potius aperto inimico ille sese captiuum dedat, quam veri amici bona audiat consilia. Tu in eo prudenter & Christianè facis, quod sanàm retineas doctrinam: quod veteris amici existimationem habeas commendatam: quod doleas factas à te iniurias non tam homini quam Deo: quod vitæ emendationem cogites: quod castigationem Domini feras: quod denique curas tuas omnes in vnum Immanuelem reiicias. hæc enim si sunt sincera: sunt vera veræ pietatis, eoque & æternæ electionis, testimonia. Sed opus est perseuerantia, qua tandem patefiat, ista pietatis exercitia, vera atque sincera fuisse, non simulata. Perge itaque frater in isto exercitio Christianæ pœnitentiæ, fidei & charitatis. Fac, vt quæcumque aduersa tibi contigerint, recognoscas ea à Domino, non ab hominibus, sicut Iob qui non irascebatur deprædantibus se Sabæis, quia sciebat illos tantum esse Dei instrumenta: sed oculis fidei in cælum sublatis, agnouit manum Dei se castigantis: proinde contentus voluntate Dei, dixit, *Dominus dedit, Dominus abstulit. sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Illud enim certissimum est, Deum etiam cum nos duriter castigat, clementissimè tamen nobiscum agere. quæ enim supplicia non merentur peccata nostra, si stipendium cuiusque peccati mors est? Sentis iam aliquot non leues fructus ex agnitione tui, vna ex parte: & ex cognitione misericordiæ Dei in Christo, ex altera parte. Senties, mihi crede, etiam plures & mirabiliores, si in isto exercitio pietatis perseueraueris, & omnia de manu Domini Patris, læto animo acceperis. Ego, vt petis, non desinam te commendare Deo, precibus ad illum fusis.

Quod constitueras venire ad me, gratum fuit audiuisse: sed si venisses, aut etiam veneris, longè gratius te vidisse. Inuenies me in parua ecclesiola & oppidulo: sed lætum in Domino, propter libertatem conscientiæ: mallem etiam esse in humiliori & agrestiori loco cum hac & conscientiæ & docendi libertate, quam istic in illa misera seruitute, in qua fui per biennium & amplius, & in qua præuidebam me adhuc futurum: immò longè miserabiliorem quam antea, si illis legibus quibus vinctum me esse volebant,

constrictus permansissem. Ago gratias Domino meo Jesu Christo, pro omnibus beneficiis ipsius, quæ sunt innumerabilia. Tantum perperuò doleo, lugeo, deploro præsentem, eámque miseram conditionem istius mihi cariss. vrbis & Scholæ. Dominus illius misereatur, & perdat omnes seductores.

Non dubito, quin bonum quoque & pium felicis memoriæ nostrum Mallarium tæduerit istius vrbis, propter mutatam magna ex parte religionem: propter eiectam Ecclesiam Gallicanam: propter discessum amicorum: propter tyrannidem inimicorum: ac proinde abitum cogitasse, sed beatum illum, qui abitum quidem parabat in aliam terræ partem: sed abiit verè in cœlum, & fruitur Christo, quem amauit, eò nobis quoque cogitandum & adspirandum est quotidie.

Nondum aperui Scholam: neque tanta est spes, quanta antea propter multos & pios viros, quos pestis nobis eripuit. Sed si Dominus concesserit, vt aperiatur: significabo. Gratum verò mihi est, quod scribis te missurum vnum ex tuis liberis. Non posses credere quantum amem Germanos, & præsertim meos Argentinenses: adde posteà & Collegas: ita vt ipsa etiam sola recordatio mirabiliter me afficiat, atque delectet. Hac de caussa, non possum facere, quin subinde irascar omnibus ac præsertim domesticis istius vrbis & Dei inimicis. Quicumque non amat Dominum Jesum: sit anathema maranatha. Vale. Clauennæ. 18. Martii. 65.

T. H. Z.

Ioh. Sturmij ad Marbachium.

NON mirabor amplius Marbachi, partiam te ferre non potuisse, cum te videam non ferre posse Capitulum. Ergo hac tua protestatione, hac, inquam conspiratione tua, hoc composito & instructo dissidio, me cogis hac hora facere, quod statim de principio fieri à me oportuit. Ægrè fers, quòd non dissimulem, Zanchii caussam mihi tua meliorem videri: quod Zanchium non prius passus sum à te ex vrbe eiici, quam illius caussa cognoscatur: quod ex quo tempore ad hanc accusationem descendisti, ego tibi familiaris esse desii.

Egóne probare potui tua illa quinque postulata? probaténe potui, te omnem disputationem, omnem amicam collocutionem recusare? laudaréne debui tuas illas orationes plenas calumniis & maledictis, quas in Capitulo habuisti? An me comprobare putas, posse hoc nouum genus doctrinæ vestræ de electione Sanctorum, & hanc condemnationem Buceri, Lutheri, Augustini? Æquo putas me posse animo ferre duorum annorum conciones vestras, plus quam satyricas atque seditiosas? Quis pati possit calumniam illam tuam de Partialitate? quem nostrum putas probare posse postrema postulata tua?

Hæc septem, quæ hic enumeraui, eiusmodi sunt, vt singula singulis libris debeant explicari: ut in te vno appareant, quæ in omnibus tui similibus obseruari & vitari debeant.

Tu, tu, inquam, huius sine caussa, autor exstitisti dissidij. tu à summa concordia annorum 7. ad acerbiss. decurristi contentionem. Tu ita distraxisti, & dissipasti Ecclesiæ & Scholæ corpus, vt quomodo componi & sarciri rursus possit, neque principium habeamus, neque finem possimus prospicere.

Postulasti 5. à Doct. Zanchio, absque vlla caussa, absque vllo tuo iure & merito. Heshusij libet autoritate Senatus repressus, plus apud te potuit ad iracundiam & crudelitatem, quam Collegii Thomani necessitudo & Scholæ societas ad concordiam & mansuetudinem.

Nam vt postulata tua breuiter percurram: vt tempus postulat, non caussa, quam tu caussam probabilem de principio habebas, quamobrem ista a D. Zanchio postulares: Vnam solum adferebas, quod de Fine seculi & de Antichristo sententiam Augustini & Patrum defenderet. Nam de Cœna Domini postulatum & illæ declamationes tuæ post habitæ in Capitulo: quid aliud habent quam callidas & artificiosas calumnias, vt Senatum & nos Confessionis Augustan. comminatione terreres, pastores ad te pertraheres? vt vtrumque efficeres, excogitatum à te falsum crimen est: qui dicebas, Zanchium domi meæ dixisse, Lutheri doctrinam Diabolicam doctrinam esse. in quo crimine atque mendacio, cuiusmodi cetera tua acta & dicta essent atque sint, quiuis facilè potest per se intelligere.

Vt verò Melchiorem Speccerum haberes adiutorem & propugnatorem triarium: quem metuebas aduersarium, qui te non semel neque apud vnum in sermonibus, *Postillatorem* nominauerat, vt hûc, inquam, commilitonem tibi adiungeres, ad postulatum de Cœna Domini, copulasti illud de Prædestinatione & Electione Sanctorum, & quæ ante annos ille 7. de hac quæstione docuerat, ea tu ex chartis tuorum stipendiariorum eruisti, & ex illis conclusiones ignorantibus spinosas, & plebi inauditas consarcinasti. quibus tanquam cuniculis & capiti innocentis insidiabaris & Melchioris Specceri tibi opem adstringebas, qui in hac quæstione quam tu, erat exercitatior: oblitus quæ aliquando de hoc & illius libro tua & Scholastici conuentus fuerit sententia, quem librum ille tanquam partum inclusum in matris gremio cupiebat edere.

Postulasti illud de Cœna Domini a D. Zanchio, cùm ille 4. annis & ampliùs nihil quidquam de hac quæstione vel docuisset vel disputasset: cum ille semper professus sit, non aliter sese sentire de hac quæstione, quam quod in Augustana Principum Cõfessione illiusque Apologia, orthodoxè intelligitur: quod verbum à te rideretur, qui si Patres legisses tum orthodoxos, venerabile tibi, non ridiculum istud verbum fuisset, etiam in tua iracundia habitum. Neque ipse vnquam dixit: istud, quidquid est orthodoxum, suo velle æstimare iudicio: sed non aliter veritatem Cœnæ Dominicæ æstimare, quam Maiores nostri, honorificæ memoriæ, D. Wolfg. Capito, D. Caspar Hedio, Dominus Martinus Bucerus, omnes illius temporis pastores & Diaconi, anno 30. in sua confessione, quæ Cæsari à Legatis nostræ Reipub. oblata est, proposuissent: & eandem Principibus Euangelicis anno 32. legati nostri Svvinfurti explicassent, tum cum Augustanæ Saxonicæ Confessionis ei parti, quæ erat de dogmatibus, non alteri quæ est de Ceremoniis, ea lege subscriberent, tanquam suæ consentienti, & vt à sua non recederent. Et hanc tamen Zanchius, confessionem nostræ vrbis ita recipit, vt siquid in illa vel obscurum vel ambiguum vobis videri possit: illius clariorem explicationem admissurus, imò allaturus esset ex articulis Synodi maioris, qui conuentus habitus est anno 33. hoc est altero anno post, quam Magistratus subscripserat Saxonicæ Confessioni. Neque solū articulorum vult Zanchius esse autoritatem, verum etiam eorum qui continentur in Confessione Pastorum, quam ediderant anno 39. quam adhuc notatam habemus Capitonis, Hedionis, Buceri, Zellij scriptura atque manu. Et vt videas, te non parui fieri à Doct. Zanchio, stare vult in Confessione anni 48. quam tu etiam tua subscriptione comprobasti: tum cum D. Hedio adhuc viueret, & antequam Bucerus abiisset in Angliam, quidquid, inquam, intra annum 36. & 49. maiores nostri docuerunt, disputarunt, scripserunt, quorum complura habemus monumenta: totum illud D. Zanchius in omnibus controuersiis non dubitat admittere.

Cum igitur hoc animo esset D. Zanchius in hac quæstione: & nos illud de eo sciremus? & istud tu scire recusares, qui omnem disputationem, immò collocutionem recusares, cum ne in hoc quidem tempore huic æquitati adquiescas: cum adhuc, inquam, maiorum nostrorum doctrinam improbes, putásne vel tum nos potuisse comprobare, aut nunc laudare posse tuam iniustitiam.

De Prædestinatione verò quomodo probare potuimus, non te Buceri, Lutheri, Augustini autoritatibus acquiescere? aut quid tibi opus est, renouare memoriam tuam, qui diarium habes, in quo si omnia habes, etiam illud habes: concessisse te tunc Zanchio, certum esse numerum electorum: nunc vero illis assentiri, qui hanc doctrinam esse dicunt diabolicam. Inuenies in tuo diario, te dixisse, vestram doctrinam consentaneam esse doctrinæ Buceri: misisse te ad me Buceri commentarios in Epist ad Rom. quo viderem, Bucerum idem quod vos de Prædestinatione Sanctorum sentire. Inuenies in tuo diario, me illos commentarios legisse: neque quidquam inuenisse, quod aduersetur doctrinæ D. Zanchij: sed quod cum tua & Melchioris doctrina pugnaret ex diametro, vt loquuntur Mathematici. Inuenies: te eo tempore non solùm patres non legisse, sed ne Bucerum quidem quem ad me mittebas. Inuenies te illusum fuisse homonymia verbi. quoniam enim Bucerus in principio ponit, D. Philippum Melanchthonem *religiosè* tractasse hanc doctrinam: vno verbo putasti te leuatum esse labore lectionis, & *Religiosè tractare*, opinabaris

nabaris esse, verè, sanctè, piè, liberè, & dignè doctrina Christi: cũ Bucerus innueret, cautè & timidè in tractatione huius dogmatis versari. Inuenies in tuo diario, si verè omnia perscribis: te neque heri neque hodie mane intellexisse, aut intelligere nolle: an sit Prædestinatio, & qualis sit, & quid vtilitatis ea doctrina habeat, & an docenda, & quomodo docenda, & quibus docenda sit temporibus.

Quomodo putas, hæc me in his duabus quæstionibus probare posse, aut quomodo laudare, quæ de reuelationibus ponis, in quo verbo dum festiuus & vrbanus videri vis: non sentis, te barbarè calumniari.

Quartum verò postulatum quo modum ei præscribis, quem in docendo sequi D. Zanchius debeat, id ejusmodi erat: vt hominis sibi nimium arrogantis, videretur esse petitio. Qui quæso istud magis ad te, quam ad Herpinum, Seuenum, visitatores, me, ipsum conuentum Scholasticum pertinebat? Neque enim vnquam nos iudicauimus, te doctiorem esse, quam sit D. Zanchius, neque plura docuisse, quam D. Zanchius docuit: neque meliùs docuisse, quam docuerit ille. Paratus est D. Zanchius, quæ annis hisce 8. docuit, scripsit, disputauit, defendit, in lucem edere. Idem vt facias, postulat, omnes homines vt iudicent, vter vestrum doctior sit theologus, verior interpres, vtilior explicator, & professor eruditione.

Iam de postremo postulato, quid aliud putas me tum cùm postulabas, cogitasse, quam quod omnes visitatores & Magistri, etiam auditores sciunt. neque diligentia, neque facultate, neque vtilitate Zanchium te vel esse vel fuisse inferiorem. Cùm dico, non inferiorem esse, superiorem intelligo bonitate, diligentia, doctrina. Ab eo tu hic postulas, vt diligentior sit in disputationibus instruendis, cùm tu in illis fueris talis, qualem te fuisse meminimus, negligens in tuis, calumniator in alienis. Neque iccirco Scholarchæ disputationum nomine D. Zanchio stipendium constituerunt, vt tu disputandi laboribus liberarêre: à quibus scis quam abhorreas, & quamobrem abhorreas: sed vt adiutorem haberes magis assiduum quam tu sis: vt quòd nunquam facis libenter, minus cogerere facere sæpiùs.

Quomodo hæc 5. postulata probare potui, quæ omnibus collegis, visitatoribus displicuerunt, nulli placuerunt, nisi tuæ cohorti? Cæteri omnes iudicabant, ista postulare, nihil aliud esse, quam 5. crimina inimico obiicere. es enim ingeniosus in excogitandis actionum formulis & accumulandis contentionibus. Neque solum iudicabant, his te postulatis inimicum non velle efficere meliorem, sed criminum suspicionibus opprimere: verum etiam visitatoribus suam autoritatem præripere, & aditum tibi patefacere ad dominatum, imò ad tyrannidem, de qua tibi etiam hac hora respondebo, quoniam id postulas: & demonstrabo, non solum in cruciatibus, corporis tyrannidem positam esse, sed etiam in vi, quæ conscientiis fit hominum, quæ quò præstantior est animus, eò in conscientiis maior quam in corpore exsistit crudelitas.

Habes quid ego, tum senserim de tuis istis 5. postulatis: Et qui meus erat sensus atque dolor, idem etiam Herlini, Sapidi, Seueni, omnium erat, & tamen dissimulauimus, & patientia nostra statuebamus potius te in viam & mẽtem reuocare, quam libertate, quæ requirebatur, te magis offendere: & dissimulauit Herlinus, dum vixit, non diu taciturus, si vixisset diutiùs. & ego vsque in hanc horam, inde ab initio furoris tui, tacui: & etiam taciturus diutiùs, si per tua postulata licuisset.

Iniuriam tibi à me factam esse putas: quod dixerim, me diutius pati non posse, neque velle pati tuam tyrannidem. Nam hæc vna vox toto hoc biennio tandem ex me audita est. Dicis, non verum esse, quod dixerim, Zanchium semper disputationem postulasse: à vobis numquam potuisse eam obtinere.

Respondebo tibi de disputatione priore loco: de tyrannide; vbi de tuis declamationibus, & de doctrina vestra, vestrisque concionibus & conspiratione; quæ dicenda sunt, explicato, petitioni tuæ satisfaciam.

Ais, te non recusasse, paratum fuisse cum Zanchio disserere. Tunc paratus eras vel disputare vel colloqui de his rebus de quibus controuersia est, cùm domi meæ tibi dicerem, antequam vllum verbum cum D. Zanchio commutasses, cum quid in animo haberes mihi indicares: tum ne ego tibi dixi, non posse eiici neque ex vrbe, neque ex Scholis Zanchium, vt ei rationem non reddas, vt cum eo non disputes? tum, inquam, cum etiam Petri Martyris mentionem facerem, cum quo non solum nunquam es ausus disputare, sed ne sermones quidem, vt dicunt, cõferere. quando enim tu vnquam illum consuluisti? aut quando illum in consilium aduocasti? illum talem ac tantum virum, sine quo Bucerus nihil in Ecclesiastico conuentu, nihil in Scholis, nihil in vllis deliberationibus grauibus potuit instituere? Quæ tum erat tua mens? quæ voluntas? quid abs te requirebam, cum dicerem, non ita Zanchium posse eiici, vt ei non rationem reddas; nonne collocutionem requirebam? nonne disputationem? Tune disputare paratus eras, cum meo consilio arbitros admisisti, tametsi hos arbitros inuitus patiebaris, Conrad. Hubertum, & Theobaldum Theodoricum, ea hora, qua tecum in collocutionem venit: Zanchius de controuersia agi postulauit: & rationes doctrinæ explicare de fine seculi & de illis, quæ tu ab eo postulabas: cum tu responderes, non disputandi caussa te adesse: sed, vt responderet, an tua postulata velit nec ne facere, quæ tu domo meditata & scripta è tuæ humanitatis & æquitatis sinu proferebas. hîc tu vllam ne significationem dabas, quod boni viri & humani solent: velle te aliqua hora commodiore, aut tẽpore cum eo de his rebus colloqui? Tunene disputare paratus eras, cum ego illud D. Petri adferrem: *Parati semper ad respondendum poscenti à vobis rationem illius spei, quæ in vobis est, cum humilitate & timore?* Istud ego à vobis & tum in principio Actionis Capitularis postulabam: & sæpè post repetiui, (non enim semel flagitatum est) vt vel disputaretis, vel colloqueremini. Tune paratus eras disputare: cum Capitulum à te requireret, vt more Maiorum caussa in Capitulo cognosceretur: cum diceretur, Bucerum passum esse Capituli iudicium, & de eadem controuersia disputasse cum Velsio, frequenti Capitulo, præside tum inimico Buceri Beato Felice Pfeffingero? audis quid dicam? Bucerus Confessionem Augustanam huius vrbis, quam D. Iacobus Sturmius, quem honoris & gratiss. memoriæ gratia nomino, cum collegis Legatis huius Reip. Augustæ Cæsari Carolo anno 30. obtulit: Hanc, inquam, Confessionem Bucerus defendit contra Iustum Velsium, cum vterque in suis haberet manibus exemplar illius Confessionis: & defendit Bucerus illam doctrinam, quam tu oppugnas, quæ est de libero arbitrio & de Prædestinatione, &c. [*Cùm huius exemplo à te postularemus: vt, &c. reliqua desunt.*

Ornatissimo viro, Dom. Theobaldo Theodorico, Questori Thomano, Compatri suo cariss.

IOHANNES STVRMIVS.

RHenusium hodiè ad horam vndecimam Photcis & Brosellis venimus. Nondum venerat tabellarius: sed tamen exspectatur. Quòd tibi & Massario curæ sit respublica: & quòd Zanchio iudicium Stosselij placeat, valde gaudeo. Non solum refutationem protestationis velim primo quoque tempore confici: sed etiam supplicationem decretam à Capitulo, antequam Francofordiam profectus sum, offerri, vna cum eo scripto, quod de Prædestinatione conceperam. Nam vtrumque vidit & probat Stosselius. Spero Witembergenses & Lipsenses etiam non improbaturos. consentire enim & amicæ esse tres hę inter se Academiæ videntur. Mihi placeret rem communicari cum Nicolao Meiero & Grauio: & huic scriptũ vtrumque Germanicum dari: quo à delectis aut a Tredecemuiris admitteretur. Ex his enim neminem esse puto, qui de Capituli æquitate cognorit. Scriptum Stosselij, acutas & veras sententias habet: quibus accusatores nostri monentur officij, etiam de veritate caussæ: hæc velim diligenter animaduerti & explicari: vt est illa, *Argentinenses non posse nec debere à suis recedere Confessionibus.*

Noua vestra infirma sunt, neque certa, etiam vetera. vtinam illa Anglicana vera: sed vereor ne non sint.

Hodie ab Idenheim, vbi D. Bozemus mandatũ quoddam Magistratus explicabit, Heidelbergam proficiscemur: inde Bipontum, nisi Heidelbergæ caussam inueniam redeundi ad vos celeriter. Si Bipontum, non videbitis nos ante purificationis.

Zanchium velim me absente, consentiente D. Petro Sturmio aut Gotesheimo dissimulanter, incipere mea ho-

ta Habacuc Prophetam. Gaudeo valere omnes vos: saluto omnes vos. Datum Rhinhusij 21. Ianuar. 1561.

Sturmius tuus.

IOANNES STVRMIVS PETRO STVRMIO.

CLarissime Domine, vidi exemplar scripti Latini, quod vobis exhibuimus: Error est scripturæ in numero annorum. anno enim trigesimo tradita est Confessio nostra Cæsari: Anno trigesimo secundo est facta subscriptio August. Confessionis: anno trigesimotertio habita synodus est: trigesimoquarto, edictum editum à Magistratu nostro, vt secundùm confessionem Cæsari exhibitam & articulos Synodi trigesimi tertij docerent & viuerent. Anno trigesimo nono pastores vnanimiter conceperunt articulos fidei consentaneos superiorum annorum doctrinæ, hoc est, tertio anno post concordiam inter Lutherum & Bucerum constitutam. Anno 48. conscripta est summaria confessio cui Marbachius subscripsit. In sequentibus annis 40.41.42.&c. retenta fuit illa doctrina & illa confessio. & 45. dedit Bucerus Bedrotti filio Eusebio, vt ex illa disceret dogmata præcipua doctrinæ Christianæ. post bellum Protestantium, defendit confessionem nostræ vrbis, contra Velsium Bucerus, qui allato exemplari, quædam loca quæ oppugnare volui, recitabat.

Huius volui monere prudentiam tuam, vt in numero annorum manum scribentis errasse videas, non cogitantis & intelligentis & habentis adhuc memoriam temporum, & illius temporis actorum. Valdè me angit ista controuersia: quæ mihi ad honorem nostræ Reipubl. & existimationem mortuorum pertinere videtur. Marbachius postulat, vt secundum August. Confess. examinemus: cuius parti vni subscripsit Magistratus, quæ est de dogmatibus. alteri recusauit subscribere, quæ est de ritibus & ceremoniis. Nos postulamus, vt secundum nostram iudicemus, quæ nobis præscripta est in municipali: & sibi constat in vtraque parte quæ de doctrina est & quæ de ceremoniis. Marbachius postulat, vt Saxonica Confessio autoritatem habeat omnem: nostra nullam. nos postulamus, vt cui Confessioni ipsi Principes suam autoritatem permiserunt: eandem autoritatem nos salua pace possimus defendere. Marbachius postulat, vt doctrina maiorũ nostrorũ vna cũ confessione aboleatur: nos petimus, vt ne in doctrinæ improbatione mortuis pastoribus: in confessionis obliteratione, mortuis Magistratibus iniuriã per ignominiam faciamus. Marbachius postulat, vt quę cõfessio Magistratus iussu conscripta est à Pastoribus: & post à Senatu & viginti viris promulgata Scabinis & ab illis comprobata: eadem absque vlla recognitione temporum & actorum obliteretur: Nos petimus, vt quam nunquam audiuimus aut sensimus, vel à Magistratu vel à Scabinis vel à pastoribus abrogatam, eadem nobis non eripiatur: vt nostrum officium non cogamur deserere in asserenda veritate doctrinæ: & defendenda existimatione Reipub. Magistratuum, Pastorum: hoc est, Senatus, Ecclesiæ, Scholæ. Et non vereremur Augustanam Principum, etiam nostræ in examinę canonico nobis dato adiungere, si consentientes haberet defensores. Sed quoniam in Saxonicis Ecclesiis pugnatur ab Antinomistis, Maioristis, VVitembergensibus, Ienensibus, Heshusianis, Illyrianis, Islebiis, Prætoriis in partes contrarias: & nostra confessio eosdem semper habuit & habet defensores, ex quo confecta est: petimus vt nobis liceat in nostra doctrina manere, & non implicari alienarum gentium controuersiis. Si enim per Marbachium licebit: ita viuemus & ita docebimus, vt neque Saxones, neque Galli, neque Angli iure de nobis conqueri possint. Et si Deus nobis adfuturus est, speramus illud tempus rediturum, quo in dissidiis aliarum Ecclesiarum, ab hac Repub. petantur consilia pacandorum animorum; id quod nunc non fit; ætate verò Capitonis, Hedionis, Buceri sæpè est factitatum. Denique cupimus scire ex Marbachio an doctrina Maiorum nostrorum vera fuit; si fuit, vt est; cur non eandem nobis relinquunt integram? si falsa, ostendant, nemo nostrum est qui gloriam cupit inuenire ex mendacio. Vale.

IOHANNES STVRMIVS *Melchiori Speccero.*

QVid tu hominis sis, vide: & cogita, quid de te debeam statuere, qui in tua seditiosa hodie concione, ita acerbus & maledicus in me fueris, vt neque caritatis Christianæ, & pacis & concordiæ rationem habueris: neque quid te aut deceat aut dedeceat cogitaris. Scis tu caussam, quamobrem Chrysostomum cœperim explicare: Non hic dico quod ante annos duos, vt id facerem, à Marbachio fui rogatus. licuit enim id mihi hucusque neque propter rogationem illius non recusare: neque absque illius iussu non facere. Sed scis tu, me de principio dixisse, me iccirco hunc scriptorem delegisse, vt ostenderem quantus sit vsus eloquentiæ etiam in Ecclesiæ negotiis & concionibus popularibus: tum etiam vt ostenderem, hunc Theologum ne quidem Demostheni cedere dicendi facultate. Fateor, fuisse alias duas caussas, quas verecundè celaui: quarum vna est, vt ostenderem, vobis, hoc est litigatoribus Theologis, quam viam modestiæ ingredi vos deceat, in iis quæstionibus, quæ nostris temporibus perniciosa pepererunt dissidia. Altera, vt quoniam à vobis, clam insimulatus sum, quod de Cœna Domini neque rectè sentiam, neque loquar reuerenter, ego confessionem ederem meæ in hac parte fidei. Illud tamen scis & audiuisti, me de Cœna Domini meam velle explicare sententiam, ita vt pro confessione haberi velim, de qua omnes queant facere iudicium, non pro doctrina, vt huic meæ doctrinæ quemquam velim adstringi, addidisse etiam illud, ea me conditione hic meam fidem confiteri atque profiteri, vt me subiiciam totius Ecclesiæ Christi iudicio, etiam vestræ emendationi, discipulorum, fratrum, collegarum. Neque tibi non auditum est, in fine me dixisse, ea quæ aliquot Scholis, h. est, per aliquot dies apud meos discipulos confessus sum: ita me cogitare & credere serio, vt paratus sim pro his mortem oppetere: hoc est vt passurus sim, vitam mihi potius & spiritum à Tyrannis eripi, quam ab hac confessione desistere, nisi diuersum doceatur: id quod neque recusaui: neque recuso: neque sum vnquam recusaturus. Subornatus tu fuisti, vt me audires: audiuisti pleraque omnia, vt iussus eras: excepisti omnia. Iudicabas, tibi placere, vt Dionysium tuum Iustino adderem, addidi, ostendebas, vt Damascenum legerem, legi, quem quoniam ita sensi μεταβολὴν statuere, vt Papisticam μετουσίαν iisdem innexerit: & quoniam 800. anno post Christum natum scripsit: & potiùs sentirent Iustinus Martyr & Augustinus: neque refutare illius autoritatem volui: neque illius testimonio vti, quo vti non possem, nisi detorquerem parum perspicuè. Cum hęc omnia scias, cur me hodie quasi digito ad populum seditiosè apertè designasti? Innuis me limacem esse, qui annos iam multos latuerim, nunc demum cornua exseram. quod maledictum, si rem consideres, imperiti conuitiatoris esse dicerem. possem ostendere, si discipuli officium, & præceptoris vel magistri meritum, si ingratissimi hominis dicerem esse voculam, non opus esset probare id quod plerisque constat esse verum.

Sed quam ego latuerim, vide. vide quæ ante annos 20. ad Cardinalium collegium scripserim. vide quæ in libro de amissa dicendi ratione. vide quæ ad Ducem Cliuensem. vide præfationem in librum de Connubio Sacerdotum: & de rationibus D. Capitonis ad Regem Angliæ. vide alias quas non nomino scriptiones. veniat tibi in mentem eorum sermonum, qui inter me & D. Bucerum sæpè fuerunt, quibus alij interfuerunt: tu verò ex aliis solum audiuisti, cum adhuc in collegio non limax sed serpens latitares. vt ego nunc naturam tuam esse considero, quæ tamen prædicta mihi fuit ab iis qui nunc meum latus suis venenatæ linguæ petunt iaculis. Sed discedo ab hoc conuitio. Ais, me velle, meam esse autoritatem in rebus omnibus. credo libenter dicere, me velle oraculum esse vrbis. Hic si te mendacem nominarem, arbitraris me nullo id iure posse facere? Estne autoritatis vlla affectatio, cum præfatus sim, me non velle doctrinam edere, sed confessionem? Cur tu hic meum nomen ad plebem falsò traducis, antequam testibus adhibitis mihi locutus sis, & me de hęresi monueris? cur priuatim me non appellasti? quando tibi vnquam aut domus mea aut bibliotheca aut os clausum fuit? cur hoc tu modo contra me accedis ad Ecclesiam? Ais, me dicere, Fidem in cœlum vsque conscendere: & in eo ita loqueris, vt si te sycophantam dicerem, bonis & doctis viris huiusmodi reprehensionem probare possem. Dixi, fidem quasi fontem esse salientem in vitam ęternam.

Dixi, illam non ignauam esse oportere; sed actuosam. Dixi, quò corpus cogitare non potest: eò ipsam fidem accedere atque aspirare sed in accipienda & participanda Iesu Christi vera carne Domini & sanguine, non solum illam proposui: verùm etiam animam, mentémque & spiritum nostrùm. adiunxi etiam his duabus partibus, spiritui nostro tanquam substantiæ, & fidei, tanquam habitudini nostri, Spiritum ipsum sanctum. Addidi gratiam Dei de cœlo ad nos descendentem, apposui verba Domini, quæ spiritus & vita sunt: neque ab his disiunxi institutū Christi, illius sempiternam ἀνάμνησιν. cōiunxi etiam preces tum plebis, tum Episcopi εὐλογίας καὶ εὐχαριστίας. Cur tu quæ in comprehendendo & accipiendo sunt coniungenda, in explicando demonstrari non possunt, vt intelligantur, nisi tractentur seorsim: Cur tu sophista ex his omnibus vnum ad populum apportas; & in eo te ostendis tuis, qui te subornarunt & obduxerunt aduersus me, quam sis artificiosus imitator? Quæ me res alia commouit, vt D. Zanchium, quemadmodum optabatis, mea non condemnarem sententia apud Dominos Scholarchas & in Capitulo; quam huiusmodi callida & astuta & crudelis atque nefaria ratio? Accusastis bonum virum, antequam cum eo collocuti sitis: antequam priuatim monueritis: antequam disputaueritis. Et quanquam non nominastis nomine virum: tamen non procul ostendistis, eum docere, *Deum esse peccati autorem.* posteaquam id sensistis probare vos non posse; insimulastis, quod in cœlum vsque conetur ascendere, & mysteria reuelare Dei omnipotentissimi; qua in re viro bono a vobis crudelis fit iniuria. Posteaquam hoc mendacio satis videtis vos non posse proficere; dicitis, illum docere: Deum in electione sua arcana, ludere cum hominibus & hominibus illudere. Demonstra istud, bone vir, ex dictis illius in Scholis, vel dictatis in iisdem, vel sermonibus amicorum. Diciris, illum ita docere, vt qui semel vera & viua fide præditus sit, illi licitum sit impunè fœnerari, adulterare, scelerarè viuere: non posse non redire eo vnde delapsus est. Demonstra, bone vir, proba, conuince vel ratione vlla bona boni viri. Nam si bonus vir esses, cum ista diceres; etiam illud ad populum & plebem proferres atque produceres, quæ de peccato & pœnitentia tradidit. Sed quantum ad Zanchium pertinet, vide quid ego statuam; & audi quid ego probare possum. Vna hora ostendam, vos alia & aliter docere de Cœna Domini, de certitudine fidei, & Perseuerantia sanctorum; quam Capito, Bucerus, Hedio. Aio, vos iam doctrinam corrupisse annis his 12. & quotidie magis corrumpere. De his quæstio est: & de his postulo me & D. Zanchium & Visitatores audiri. Aio; non tantam esse tuam neque Marbachij, cui hic gratificaris, autoritatem, vt pluris faciam vestram adolescentiam, quàm Buceri senectutem: Buceri bonitatem, quam vestram astutiam; illius pudorem, quam vestram impudentiam: illius sancta & erudita scripta, quam vestras battologias & acrobatias & postulo, vt id mihi per te liceat. Tu enim mihi & aliis Professoribus dixisti, tuos symmystas Postillatores esse: nihil nisi Postillas & Catechismos & Locos communes scire. Tu vnius dominarum odisti, contempsisti, oppugnatorem te fore quasi professus es; & me limacem esse inquis. Ego ne limax, qui in Scholis talem confessionem fidei meæ ediderim: tu qui neque tum restitisti: neque priuatim collocutus es: ad ciues autem transfugis, quem ad locum scis me aditum non habere, nisi æquè atque tu omnis consuetudinis ciuilis & caritatis Christianæ velim leges transgredi? Aiunt etiam, vos ad populum innuere, me docere, Sacerdotem non habere potestatem ligandi & soluendi. Quis istud vnquam ex me audiuit? cognoscant omnes homines, quid heri docuerim, considerent etiam, quid dixerim, cum de Sacramentis Domini & ministris docui. videant quid differentiæ fecerim inter hominem & ministrum, hoc est, ministrum per se, id est hominem tantum, & ministrum vicarium in administrando dominico mysterio. Sed si vultis tanti esse apud me & alios, quanti esse vultis: præstate vos eos sacerdotes, quales Paulus requirit & Chrysostomus indicat. Ostendite vos pacis amantes esse: probate caritatem vestram, hoc est, ipsius Iesu Christi, cuius esse vultis vicarii: quam certè erga me hodie non declarasti ista tua turbulenta & falsa & seditiosa ad populum & ciues concione. Penè prætermiseram Scholas meas, propter quas ego à vobis dilaceror. Aio; ne latum quidem digitum declinasse me à pię & honorificæ memoriæ M. Buceri doctrina. ostende tu contrarium. ego certè publicè probabo, quod priuatim iam recipio. dico in nullum me ordinem quidquam dixisse: quod possit esse vel turbulentum vel odiosum. affirmo me honorificè de omnibus viris doctis esse locutum. probabo, nullum me argumentum cum vllius refutasse iniuria. demonstrabo, nihil me dixisse quod vllo modo paci & concordiæ possit officere. conuincam etiam, quoniam has meas explicationes inaudita caussa oppugnaris, discordiam vobis quam concordiam placere magis; & Heshusii ampullas vobis cariores esse, quam M. Buceri veritatem. Vale.

Tu linguam hodie incontinentem habuisti; Ego manum iracundam. oro tamen Dominum nostrum Iesum Christum, vt qui nostrûm in hac parte peccat, illius ipse pro sua bonitate & clementia misereatur: & cogitationes illius à dissidiis atque conuitiis ad otium & consensionem animorum traducat. Vale 26. Octobr. 1561.

IOHANNES STVRMIVS.

Ioannes à Lasco Hieronym. Zanchio S.

CLarissime vir, Domine amice, & frater obseruandissime. Tametsi nulla vnquam mihi tecum notitia & familiaritas intercessit; tamen quia ex nomine tuo, quod iam pridem propter singularem tuam eruditionem & pietatem passim in Ecclesia Christi inclarescere cœpit, & mihi notissimus factus es, hoc ipso adductus non diffidebam, quin libenter id esses facturus, quod hisce literis, perque famulum hunc meum, qui eas tibi reddit, peterem. Mittuntur eu ad vos nobiles pueri nostrates, consanguinei mei, vt isthic in Schola vestra, in vero Dei timore, & honestis literis instituantur. Iudicauimus enim eam in primis in nobis posse præstare, quæ tot doctissimorum virorum ornata est consortio, & per se legibus & disciplina honestissimè constituta est; & nostrates ipsi experiuntur, qui isthic bonis literis operam dederunt, vel etiamnum dant, quantum emolumenti ad studia ipsorum accesserit. Quo nomine non possum non vehementer gaudere, & gratulor omnibus nostratibus, ac aliis etiam istam felicitatem, quicunque discendarum bonarum artium caussa, in eam Scholam sese conferunt. Cum autem meo consilio effectum quoque sit, vt pueri hi ad vos isthuc mitterentur, officii mei esse putaui, vt alicui viro pio ipsos commendarem. Sed cui aliter commendarem, quàm tibi, non videbam. Oro igitur, Clarissime vir, vt eos in tuam fidem curamque accipias, eósque & mea, & parentum illorum caussa, quacunque re opus erit, quod quidem ad studia illorum promouenda pertinet, iuuare velis, recepturus à Deo præmium; à nobis verò pro studio & officio tuo, quod in pueros contuleris, vicissim omnia officiorum genera experieris, de quo plura aget hic famulus meus.

Præterea vehementer etiam oro, vt illis de commodo hospitio prospiciatur apud virum aliquem honestum & grauem, apud quem non liceat illis arbitrio ipsorum viuere. Nosti enim, quàm hæc ætas ad vitia procliua sit, quique prohibere possit, ne consortio malo, mores illorum corrumpantur. Qua de re scripsi D. Gabrieli Mercatori Vinotum, qui si accipere eos ad se volet, fecerit mihi rem gratissimam. Etsi autem non dubito, quin sit facturus meo nomine, velim tamen, humanitatem tuam quoque ea de caussa agere cum ipso. His me, meaque studia & officia commendo. Datæ Osseco.

Tua præst. addictiss.

Ioannes à Lasco manu propria.

Hieronym. Zanchij ad D. Iohannem à Lasco, in Poloniam. S.

NON sine magna animi lætitia & voluptate, vir clarissime, intellexi ex literis nostri Lismanini, post tuum in patriam reditum, Euangelium Christi non parum in isto amplissimo Regno, fuisse promotum, quippe qui & Serenissimo Regi, & omnibus Regni Principibus (vt æquum est) ita gratus sis, vt omnes te non solum vt eiusdem

nationis hominem ament, & vt virum grauem, doctum & nobilem obseruent: sed etiam vti seruum Christi, & ardenti pietatis promonendæ studio æstuantem, admirentur, suspiciant, & verba de Christo facientem clementissimè attenteque auribus audiant. Ex iis non potuimus non concipere optimam spem, fore, vt quemadmodum nuper fecit & Anglia & Scotia, sic etiam tota Polonia, toti tandem Antichristi Regno in perpetuum renunciet, & ad verum legitimumque Regem Christum redeat, ei reconcilietur, eum osculetur, eius legibus & sceptro se subdat, ei ex animo seruiat, denique totam tum religionem, tum vitam, ad illius voluntatem, quæ in Euangelio est patefacta, componat. Perge venerande senex, & pater optime, vt cœpisti. Seruauit te huc vsque Deus, vt sicut Lutherus suæ Germaniæ, Zvvinglius suæ Heluetiæ, Caluinus suæ Galliæ, ita tu tuæ Poloniæ sis Apostolus. Sustentet igitur te Dominus Iesus etiam posthac in multos annos, donec tuum perficias Apostolatum, & vniuersum istum populum Christo Regi tandem aliquando subiicias.

De Gallia multa nobis initio (id est, post Regis mortem) spes facta fuerat, & quidem hæc à viris grauibus Geneuâ ad nos scripta fuerunt. Reginam (viduam) admonitam sui officii, multa pollicitam fuisse: Nauarrum, omnia promisisse: permultos qui igni adiudicati fuerant ab Henrico, mox eo mortuo, liberatos fuisse: per Regium Præconem Lugduni proclamatum fuisse, *ne quispiam de Lutheranis, vel bene, vel male, loqueretur*: Reginam in publico quidem & in foro dissimulare veram religionem: sed in secreto, & intra parietes, omnibus fidelibus bonam spem facere, & vt Deum rogent, quo res ex sententia succedant, iubere, &c. At verò heri vesperi rediit quidam Gallus Lutetia, eò à nostris missus, vt quomodo se res haberet, fideliter referret. Is retulit, Guisianos rerum omnium in Regno potiri. Ii verò quàm atroces sint hostes Euangelij, nemo non nouit. Ob istorum potentiam, nec Reginam, nec Nauarrum aliquid contra Papam audere. Magnum Connestablium, inter quem & Guisianos maximæ sunt inimicitiæ, & se & omnia sua obtulisse Nauarro, si velit tyrannide horum Guisianorum Regnum liberare, sed Nauarrum nimis esse timidum, & qui paulo ante paratus esse videbatur, nihil non propter Euangelium facere, & pati, modo spe regni gubernandi allectum (ad ipsum enim pertinet Regni gubernatio, dum puer Rex, ad maturam ætatem peruenia:) Papistica templa adire, defuncto Regi iusta fecisse, Missas audire, & in summa, omnem spem, quam nobis fecerant tum Regina, tum Vaudomius, prorsus ablatam nobis esse videmus. Guisiani enim, qui omnium infelicissimi sunt veræ religioni, & animum noui Regis occuparunt, & rerum omnium in Gallia potiuntur. Illud tantum superest boni, quòd propè infinitus est fidelium, & quidem non vulgarium hominum numerus in Gallia, ita vt si velint, Guisiani in pios, sicut Henricus fecit, sæuire, metuendum sit ab aliqua horribili seditione in toto Regno, idque recenti Scotorum exemplo. Rogandus igitur est Deus vt & omnes seditiones, per quas male possit audire Christiana religio, impediat, & tamen suæ Ecclesiæ succurrat, suumque Euangelium in eo Regno vbique promoneat.

Dux Sabaudiæ repetiit à Bernensibus ea oppida, quæ ad suum Ducatum pertinent. Metuimus Geneuæ bellum. Fertur hic, Imperatorem Constantiæ, quæ, vt nosti, non procul distat à Tiguro, hyematurum. Decreti fuerunt in Comitiis Augustanis duo ad Regem Galliæ legati, VVitenbergensis, & Bauarus, qui præter alia, repetant nomine Imperij, Metas, & quædam alia oppida. Sed nondum suam egerunt legationem, neque audio, quod parent profectionem. Omnia lentè.

In Italia maxima persecutio, nec minor in Hispania. Argumento est, multos ibi esse fideles, qui audent Christum confiteri. Caluinus grauissimè ægrotauit, ita vt ferè de eius valetudine desperassemus, sed Dei beneficio conualuit, legit, concionatur, scribit, vt antea. Ecclesiæ hic bene habent, non desunt tamen molestiæ. Iste modestus & doctus iuuenis cupit se tuæ præstantiæ à me commendari. Facio igitur officium. Non dubito, quin T.P. sit illum habitura quàm commendatissimum. Vale.

Hieronym. Zanchij ad D. Iohannem à Lasco.

Scripsi iam pridem, per Sebastianum, ornatissime vir, ad tuam præstantiam, ea quæ tunc mihi scribenda videbantur. Post illud tempus nihil quidem hic noui contigit, dignum quod ad T.P. scribatur: verùm quæ tandem in Anglia, Dei beneficio mutatio sit facta, non minus tibi, quàm nobis perspicuum esse existimo. Angli ferè omnes, qui hic apud nos, religionis caussa, annos circiter quinque plus minus exularunt, ad patriam redierunt. Non dubito, quin Dominus multorum ex illis opera vsurus sit ad regnum suum instaurandum. Reliquiæ enim fuerunt seminis sancti, in hunc finem è communi Angliæ incendio ereptæ, & è manibus Iezabelis huc vsque seruatæ: nempe, vt sicut per reliquias Israelis è Babylone in patriam reuocatas, templum reædificatum, & vetus patriaque religio renouata fuit: sic per hosce fratres regnum Christi, in Regno Angliæ instauretur. Ardentibus igitur votis rogandus est Dominus, vt inde euulsis, atque in mare proiectis omnibus Papistici regni vestigiis, regnum Christi cum suo Euangelio, altius, fortiúsque, quàm antea, suas figat radices.

Ad 15. huius Mensis coronabitur sancta Regina: mox habebitur (vt vocant) parlamentum. Fertur, Gallum ipsis etiam Anglis pacem perpetuam obtulisse, sed hac lege, vt nunquam audeant Caletum repetere, omnibúsque suis in illud iuribus renuncient: sin minus, se illis bellum indicere. Hac de caussa maturari Reginæ coronationem, & totius Regni Parlamentum. Vides quàm rogandus sit Deus pro illo regno. Non dubito, quin T.P. iam dudum scripserit ad Reginam, eique consuluerit, quæ pro illius Regni conseruatione, & Regni Christi instauratione facienda iudicarit: non omittam tamen, quin T.P. rogem, vt idem sæpenumero, ac multiplicatis literis faciat. Scio enim, quanta sit tua apud Anglos, atque apud ipsam Reginam autoritas. Nunc certè tempus est, vt tu tuique similes, vestris consiliis adiuuetis tam piam Reginam, consulatis saluti tanti Regni, imò verò toti Ecclesiæ Christianę, vbique terrarum afflictæ & vexatæ, succurratis. Scimus non parum adiumenti accessurum reliquis omnibus per Germaniam, Poloniam, & alias regiones dispersis Ecclesiis, si regnum Christi in Regnum Angliæ feliciter introducatur. Ergo videmus, in cuius rei studium sit diligenter incumbendum.

Viuimus hic satis quietè. Schola floret. vestri iuuenes bene valent. Caluinus quartana laborat, seruet illũ Deus. Nam certè Ecclesia ex illius obitu, magnam acciperet iacturam. Commendo illum precibus istarum Ecclesiarum. Beza deseruit Lausannam, profitetur Geneuę. Spem habemus breui fore, vt Metis Euangelium publice prædicetur. In hoc enim incumbunt Principes Germaniæ fideles. Faueat Deus illorum votis & studiis.

In Calabriæ castellis duobus, quorum vnum est sub ditione Ducis Montis alti, Alterum est cuiusdam Nobilis Neapolitani, reperta sunt 4000. fratrum, è reliquiis illorum fratrum, qui *VValdenses* appellantur. Ij annos per multos incogniti, tuto in paternis ædibus vixerunt. Etsi enim Missas non probabant, sentiebant tamen posse eas à fidelibus, saluis conscientiis adiri. At vbi hanc malam doctrinam dedocti fuerunt, omnes simul ab eis abstinuerunt. Itaque factum est, vt non potuerint amplius latere. Persecutio igitur aduersus illos est excitata. Scripserunt ad fratres Geneuam, vt tum precibus, tum consilio, tum etiam humana ope se adiuuent. Videmus etiam in Italia, vbi sedes est Antichristi, multam tamen esse segetem: sed qui eam colligant, perpaucos. ô Deus miserere Italiæ. In Hispania permulti fuerunt combusti, multò plures in carcerem coniecti: interim tamen Euangelium mirabiliter, vt audimus, serpit. Totus terrarum orbis parturit Christum, adsit igitur parturienti optimus Pater cælestis.

Habes cursim, quæ tibi hoc tempore significanda iudicaui. En vir clarissime, quam familiariter ad T.P. scribam. Agnosce igitur non tantum obseruantiam, sed etiam amorem erga te meum. Vale.

T. P.
obseruantissimus

H. ZANCHIVS.

Hieronymo Zanchio Benedictus Martinus Aretius B. S. Argentinam.

Cum essem apud vos superiori autumno, singularis tũ humanitas, tum pietas vestra mihi visa est, præcipuè tuum

tuum erga me studium insigne apparebat. Vnde confirmari apud me cœpit: (vir clarissime)id quod iam priùs celebritate nominis tui de te perceperam, & quem priùs amabam,iam admirari cœpi. Accessit etiam istud, quod ad D.Musculum nostrum scribens,mei perquam familiariter mentionem feceris, pro quibus beneficiis tuis erga me immerentem,nil aliud possum, quàm immortales habere gratias. Vtinam verò is sim, qui etiam referre possim, & reipsa declarare animi mei erga te promptitudinem, quæ cum non possim,etiam atque etiam doleo, & quanquam ne quidem tua dignus sim amicitia, quod & ipsum fateri debeo, meo dum me pede metior,tamen peto etiam atque etiam,vt inter tuos,si non familiares:saltem tui studiosos me hærere patiare,& literis aliquando me excites. De Lausanna forsan audis tristia,id quod fieri necesse est,quia res non eodem pacto narratur aut scribitur:dolendum tamen est eam Ecclesiam tantum accepisse vulnus. Verum cum non communibus consiliis res agatur, mirum non est, euentus non respondere expectationi. Intempestiua seueritas non potuit habere locum: deinde prudentiæ Oeconomi Ecclesiastici est,ad finem,qui est ædificatio non destructio,conatus omnes dirigere.Is finis cum obtineri nō poruerit ea disciplina, prudentiæ tamen est Episcopalis,aliquam velle habere Ecclesiam, quàm à proposito, nostrum tamen non est eodem zelo, deserere omnes Ecclesias,sed potius vulneri mederi quàm commodissimè. Quo consilio inducti nostri Principes,ex Marpurgo vocant D. Doct.Andream Hyperium, virum & pium & doctum ad Scholæ Lausannensis reformationem.

Hunc enim deprehendi,mea superiori anno peregrinatione, non abhorrentem à conuersatione nostra : atque huius nomine hic nuntius Marpurgum proficiscitur, inde etiam ad Landgrauium, pro amica viri dimissione. Hæc breuiter ad te volui exarare , vt videas me & tui memorem, & nominis tui studiosum. Quod superest precibus tuis commendo Ecclesiæ afflictam faciem. Salutant te nostri omnes. Saluta & tu communes amicos & vale. Bernæ 1559.11. Aprilis.

Benedictus Martinus (Aretius) Hieronym. Zanchio S.

PVblicus vrbis nostræ tabellarius , tuas mihi tradidit literas. Scripseram autem ad te breuius,partim pudore adductus, partim quòd priuato consilio nihil putarem tecum agendum esse. Tantum igitur vt scires, quid cum D.Hyperio conaremur:ac cùm res non successerit,quemadmodum & tu cum aliis id statim diuinare visus es , ad alia remedia est nobis recurrendum.Quid verò abs te iam postuletur, ex D.Musculi literis abundè intelliges. Dissipata est Schola Lausannensis,nescio qua contentione,vtinam bonus is fuerit, & fraternus zelus. Restitui autem cœpit, idque à breui tempore. Nam classes omnes suos iterum præceptores habent. Deest tantùm Theologus & Græcus. Theologum autem optaremus alicuius nominis,& ad hanc rem stipendium non pœnitendum ordinatum est. Iam res in eo versatur, an admissurus sis hanc vocationem,& an dimissuri te sint Domini Argentinenses.Nam si vel tu,vel illi nolint,video nos frustra laborare. Et cùm non dubitem, quin tibi satis constet de Senatus tui voluntate erga te, velim id expresse significare, ne iterum inanis mittenda sit legatio. Velim autem etiam atque etiam rogatum , siquidem tibi cum nostris Ecclesiis seriò & ex animo conuenit,collectis in vnum rationibus, commigrationem ad nos instituere. Bene vale,& me tibi commendatum habe.Bernæ 1559.6.Iunii.

T. T.

B. Martinus A.

Hieronym. Zanchij ad hanc D.Benedicti Aretij Scholę Bernensis Professoris epistolam responsio S.

GRatissimæ mihi fuerunt literæ tuæ , Doctissime vir, officij atq. humanitatis plenæ: Tu,vero hanc meam perbreuem , impræmeditatam familiarémque ad tuas responsionem boni consulas,etiam atque etiam rogo.Neq. enim mihi in præsentia tantum est otii,vt possim longam elaboratamque (vt fortassis expectabas)epistolam scribere. Deinde illa,quæ inter nos paucis horis contracta est amicitia & familiaritas,nil nisi amicum & familiare postulat. Quod itaque de Lausannensi dissipatione scribis, doleo quidem vehementer : sed quod scribam non habeo. Multa scribuntur , multo etiam plura sparguntur. Illud quidem in genere certò scio , nemini præsertim pastoribus, licitum esse, suam deserere vocationem & Ministerium, etiamsi non possint omnia, quæ cupiunt obtinere, nisi eis verbi prædicatione interdicatur. Sed cùm ad speciale & singulare factum descenditur, propter varias facti circumstantias , quarum quædam me latent, quædam verò atque hæ graues , manifestæ sunt,hic hæreo,& malo omnino silere,quàm temere aliquid dicere. Hoc igitur silentium meum boni consulas rogo. De D.Hyperio,libenter vidissem hominem illum doctum & pium, & mihi amicum in vestra Schola Lausannensi: sed simulac legi literas tuas, iudicaui rem fore impossibilem. Tanta est doctorum virorum penuria. Est igitur rogandus Deus,vt suę misereatur Ecclesiæ. Vale vir clarissime , & saluta D. Musculum meo nomine plurimum.Argent.11. August.59.

H.ZANCHIVS.

H.Zanchij ad Nobilissimum & Amplissimum virum,Dn. Franciscum VValsignanum serenissimæ Reginæ Angliæ secretarium. S.

HEri cùm à nobis discederet vir clarissimus, D.Iohannes Sturmius,iussit me ad te,vir Magnifice,scribere, de suo ad nos aduentu , de caussa aduentus, déque etiam discessu.Dixi,mihi nullam tecum intercedere amicitiam, ne dum familiaritatem.respondit, se certò scire,meas tibi futuras gratas : atque hanc meam scriptionem sperare se, futuram aliquod amicitiæ nostræ initium. Te enim summopere erga literatum & pietatis Professores affectum esse,vt me huiusce officij pœnitere non possit.Quòd ergo ad te Magnifice Domine hasce literas dare ausus fuerim, non est cur caussas explicem, cùm iam breuiter illas indicarim:Tantùm rogo,vt meam simplicem scribendi rationem,tanquam senis. qui studio ornatè dicendi iam valedixit , pro tua prudentia atque humanitate boni consulas.

Multa passus est bonus senex, propter liberam & apertam veritatis defensionem, quam ita constanter defendit, & defendendi animus illi est , vt coactus aliquid tempori dare (quidam enim minari ei sunt carcerem) Calendis Augusti Argentina discedens , ad nos altero die peruenerit, vbi ab omnibus amicissimè exceptus ,atque in primis ab Illustrissimo Principe, qui aurea etiam sui imagine illum honoris causa donauit:& ipse vicissim omnes sua veneranda præsentia , grauissimis & eruditis colloquiis , & quod plus est,sua constanti pietatis testificatione, audiendis concionibus, participando S.Cœnæ sacramento, mirificè recreauit,totamque vrbem ædificauit.

Scripsit per hoc tempus (nunquam enim otiosus fuit) tres libros contra vbiquitatis Apostolum, sed nondum in lucem prodierunt. Caussa diu agitata in Senatu , tandem per literas Quindecim virum reuocatus fuit,data fide publica securitatis. Heri igitur,quæ fuit 23.Septembris.1581. persolutis omnibus ex fisco Illustrissimi Principis, qui in hospitio facti fuerant sumtibus, summo mane , aliquot comitatus fratribus, Argentinam versus discessit sanus atque hilaris, summa diligentia, mandatam mihi ad te scriptionem non semel atque iterum,commendans.

Habes Magnifice vir executionem mandati Sturmiani ad me , de te salutando , & per literas meas de ipsius aduentu ad nos, & discessu commonefaciendo : quod officium eo libentius feci,quod speraui id fore, quod Sturmius sine vlla dubitatione ausus est polliceri , nimirum futuras literas meas tibi haud ingratas,téque recepturū me in numerum amicorum tuorum, quod vt facias, non vulgariter rogo. Seruet ser.Reg.M.omnes proceres, Ecclesiam & regnum, tecum omnibus bonis Dominus Iesus Christus.

Per illum enim omnia consistere, ait Apostolus. Neustadio 24. Septemb. 81.

T. M.

H. ZANCHIVS.

Hieronym. Zanchij ad Theodorum Bezam.

SLiteras tuas, Doctissime Beza, accepi ad quintum Iulij, atq. in illis quod maximè optabam, vidi primùm, te nihil de mea pietate, animique candore dubitare. Deinde, me à te diligi, ínque amicorum tuorum numero conseruari. Posttremo tuam mihi gratificandi προθυμίαν: quibus rebus quid mihi aut optatius aut gratius contingere poterat? Gratias igitur tibi ago maximas, & vt me amare pergas, etiam atque etiam rogo. Et verò, quem mihi commendasti, obtuli omnem meam operam, & quibuscunque in rebus possim illi prodesse aut gratificari, me ei non defuturum promisi. At ille, se iturum Tigurum, idque tuo, & optimo quidem consilio, vt audiat Martyrem nostrum, dixit; neque ego neglexi frigidũ suffundere. Quàm grauiter & molestè ferant omnes viri boni Martyris discessum, tu potes scire, etiam me tacente. Mihi certè nihil grauius aut molestiùs accidere poterat. Plura scribere non possum propter occupationes & curas. Hoc vnum tãtum addam, quod iam mihi venit in mentem. Tiguri cum essem, vidi apud D. Bullingerum Gribaldi confessionem ipsius manu scriptam, in qua nihil videbatur posse desiderari: sed apud eundem vidi etiam scripta eiusdem Gribaldi, quæ cum ipsa confessione pugnant, ea nimirum scripta, quorum exemplum misisti iam pridem ad D. Martyrem. D. verò Musculus, cuius pietatem & eruditionem & iudicium nemo est, qui non noscat, videtur de homine bene sentire. Sic enim in literis ad me nuper missis de Gribaldo verba faciens: Vir (inquit) non solùm Iurisperitissimus, sed & pietatis Christi scientissimus. Breui ad nos veniet (sic accepi à quodam) vt nos inuisat, audiam hominem. Deinde ad te scribam. Vale. Saluto D. Viretum. Argent. 6. Iulii 1556.

Omnino tuus

H. ZANCHIVS.

H. Zanchius ad eundem.

SEptimanas aliquot, per Sueuiam atque Heluetiam, Domine ac frater colendissime, pro nostra, imò Christi caussa, obequitando, veni primùm in collocutionem cum Brentio, idque secundo, & duo testes adfuerunt. Vir est grauis, & modestus & doctus: sed desiderari in eo nonnihil potest. Ego certè in talibus viris non pauca doleo, quæ omnia vno ex fonte, eóque non bono, (tu intelligis) proficiscuntur.

Ac de re quidem sacramentaria (hoc est primum caput) multa dixit, quæ referre nec licet, nec expedit. Ego verò respondi, quantum fuit satis, pro loco, tempore, & caussa aduentus mei. Ad alias meas Theses non multa voluit respondere. Nam quasdam ita probauit, vt nollet credere, illas mihi fuisse obiectas, aut à Marbachio damnatas: quasdã vero, audita mea breui explicatione, improbare non potuit: At quasdam, vt quæ de electorum fide, déque eorundem in fide perseuerantia, noluit neque probare, neque improbare, & cum vellem ego præter scripturas & Patres, etiam testimonia Lutheri, Buceri, & sua ipsius in medium proferre, respondit in hæc verba: ***Ego nolo audire neque Lutheri, neq; Buceri, neq; mea testimonia: nolo tecum disputare, volo me in integrum seruare, præsertim, cũ non adsit altera pars.*** Tales tamen dedit literas ad Sturmium, vt vel illis solis, tota nostra doctrina, crimine hæreseos liberetur. Tubingenses Theologi ipsi quoque eas tantum, quæ sunt de fide, & de perseuerãtia sanctorum, dixerunt sibi nõ posse probari, quanquam neq. hæreseos damnare. Sed inter colloquendum facilè videre fuit, inter nos de essentia fidei, quid sit, non conuenire. Vnus Philosophus & medicus Doctor Schegkius per omnia meæ subscripsit sententiæ. Veni deinde Scaphusiam, dedit illa Ecclesia apertum testimonium. Idem fecit D. Ambrosius Blaurerus. Idem Tigurini & Basilienses, præter priuatas literas ad Sturmium, de eadem re. Bernam non veni, quia misso nuncio ad nostros petitum, vt si me nollent Argentinæ, sibi pro Schola Bernensi concederẽt, reipsa testificati sunt Dominis, meam & personam & doctrinam sibi nõ improbari. Geneuam multò minus veni, quia in confesso est apud vestros, me non aliter docuisse de prædestinatione & perseuerantia sanctorum, quàm Caluinus & Ecclesia Geneuensis: imò non puduit hominem dicere in Capitolo, me omnes meas hæreses suxisse ex Caluino & Bezæ libris: qua in re dum voluit me grauare apud Collegas, magna me affecit laude, apud eosdem. Domum reuersus, reperi inter multas multorum literas, binas quoque tuas, è quibus magnam cepi voluptatem, intellectis illis, quæ ad me scribebas nouis, & perspecta tua erga me voluntate: pro qua te magnas tibi habeo gratias, & persuasum habeas velim, me tibi sincerissimum esse amicum, téque tanti à me fieri, quanti qui maxime. Ad singula autem non respondeo, quia opus non est: sed tantum ad ea, quibus scio te cupere responderi. Vnum est de Epigrammate: Sturmius ait, meminisse se illud accepisse, & si non dedit D. Oleuiano, communi amico (erat enim ille tunc hic Argentinæ, vxorem ducturus, cum Epigramma accepit) illud adhuc esse inter suas chartas. Alterum est de Perocilio. Holbrachus accepit ab eo literas amicas, & vicissim ait se amicè & Christianè respondisse. Gratulor vtrique. Quod attinet ad Holbrachum, perpetua erit ἄγνοια. Ad literas quod respondeam, nihil præterea habeo. Accipe modò pauca de statu rerum in Germania.

Illyricus & quatuor illius collegæ à suis Principibus priuati fuerunt tum concionandi, tum docendi officio. Præter alias caussas hæc quoque fuit non postrema, quod vellent nouum quidem Paparum in Germaniam introducere. Contulit se Illyricus Magdeburgum, ad suum Heshusium & fratres.

Controuersia inter Episcopum Bambergensem & Norimbergenses (vt audio) est composita. Heshusius edidit responsionem ad tuam, D. Caluini, Boquini, & Clebitii simul libros. Est quarta forma bene altus liber Vnum exemplum tantùm huc fuit secretò allatum, & illud missum est ad D. Caluinum. Decimoquinto huius mensis Februarii Zaberniæ conuenient Princeps Vvirtembergensis cum Brentio, & vester Dux Guisianus cum fratre Cardinali, tractaturi (vt fertur) de quodam matrimonio. Et pestis, & fames & bellum multis in locis Germaniæ metuuntur.

Religio felicissimè succedit in Palatinatu; instituta iam est ibi, & recepta fractio panis. Id quod de ratione aliqua concordię scripsisti, cordi est Palatino & Landgrauio: Hotomannus nondum rediit. Noster Arnolphus Francofurti suæ fidei confessionem dedit Senatui, sed nondum est responsum. Pastores ibi, iidem sunt nunc, qui & antea.

Peregrini Flandri qui erant Vezaliæ (nescio an adhuc ibi sint) in maximo versabuntur discrimine propter rem Sacramentariam. Iubebantur enim intra triduum aut Lutheri sententiæ subscribere, aut ex vrbe discedere. Quo in statu sit nostra caussa hîc, nihil certi adhuc scribere possum, nisi Senatum nostrum non esse neque impium, vt sanam doctrinam velit damnare, neque leuem, vt præcipitanter sit aliquid acturus: multos etiam in dies magis ac magis aperire oculos, & veritati cognoscendæ incumbere. Per septimanam fui cum nostro Martyre edentulo quidem, sed non elingui: & incredibilem cepi ex eius sermone (multa enim de vestra Gallia narrauit) voluptatem. Vocatus fui Lugdunum à nostris Italis: sed nullum certum responsum potui adhuc illis dare, dum caussa nostra pendet: Cuperemus etiam prius Scholam hanc rectè constitui, quàm discedam, si discedendum sit. Sicut igitur perpetuis precibus commendamus Deo istud Regnum, veros pios Principes, Ecclesias, Pastores, & omnes pios fratres; Ita vicissim cupimus nos nostrasque Ecclesias, à vobis Christo commendari. Vale vir Dei, & optime amice. Argent. 5. Febr.

T. ex animo

H. ZANCHIVS.

H. Zanchius ad eundem S.

IAm dudum quidem binis tuis, Doctissime Beza, respondi, sed non potui nancisci, cui meum responsum tutò ad te per-

te perferendum committerem. Addo igitur hæc noua. Fui & ego Zaberniæ, audiui Cardinalem concionantem: concio fuit purissima, & quidem de reformatione Ecclesiarū, in illum locum Matth. cùm Christus ingressus templum, illud repurgauit, Ecclesias exemplo Christi non esse euertendas, sed repurgandas, idque ad normam verbi Dei, reuocandasque ad primam institutionem. Sum deinde cum eo etiam priuatim locutus, & mihi visus est totus eo spectare, vt omnes Ecclesiæ verè & seriò reformentur & veniant: id quod sperat facilè fieri posse, si positis vtrinque odiis & malis affectibus sæpenumero veniatur in amicam collocutionem, & tam nobis ad ipsos, quàm ipsis ad nos liber & tutus pateat accessus. Summa: si seriò agit, sunt agendæ Deo gratiæ, quòd in hoc homine fecerit id, quod etiam in Paulo. Si simulat, rogandus est Dominus efficiat vt seriò resipiscat. Nam (vt melius nostis vos, quàm ego) egregiis Spiritus S. donis est ornatus. Sed malo, vt iubet charitas, credere illum seriò agere: ac proinde Deo Patri & gratias agam, & supplicabo pro illo. Tantum metuo, ne seductus ἀπὸ τῆς παντέχν (cum eo enim diu est collocutus) portentosam πανσπερμίαν amplectatur. Etsi multa attuli testimonia: tamen caussa nostra adhuc ita se habet, vt nec à Dominis feratur sententia, nec à Pastoribus impetrare queam colloquium. Supplicaui VVirtenbergensi, cùm hic esset, vt tandem aliquando Pastores veniant mecum in collocutionem, me nihil optare quàm vt caussa cognoscatur, & fiat quod æquitas postulat, satis superque hactenus actum esse in tenebris, tutius esse vt tandem aliquando prodeatur in lucem. sed quid? contrarium est curatum. Olfacio quod sit horum astutorū hominum consilium: sed non assequentur spero, quod cupiunt. Non enim (confido) sinet me Dominus tanto affici fastidio, vt illius caussam deseram. Interim rogo, commendes me Domino. Hoc vnum me consolatur, quod per annos 8. docui tantùm in Schola; Nunc tacendo, mirabiliter proficio apud Dominos & plebem. Multi enim post & propter istud dissidium, legunt libros, interrogant, discunt veritatem. Ita Dominus mirabiliter caussam suam defendit, propagat, promouet. Sturmius reuera se præbet virum. Ego nunquam sperassem tantam ab eo pro Christo constantiam. Salutat te plurimum. Vale, & memineris mei in precibus tuis.

Hieronym. Zanchius ad eundem.

SAd amicos nihil vnquam, Doctissime atque obseruādissime Beza, scribere, amici hominis nō est: viris etiam vehementer occupatis, prolixas legere literas, scio quàm sit molestum. Ergo neque nihil, neque multum ad te scribo. Non nihil, quia amicitia nostra non fert. Non multum, quia tuæ grauissimæ occupationes non patiuntur. Quæ verò scribo, hæc sunt: Gauisos quidem fuisse nos, idque non mediocriter, cum principio audiuimus, institutū fuisse colloquium, & ad hoc Martyrem & te, vt de reliquis taceam, delectos fuisse. sed nunc incredibili plene lætitia esse affectos, postea quam confessionem de re Sacramentaria legimus, atque in eam, vtramque partem consensisse accepimus: Tristatos verò non parum fuisse, vbi sanctum illud vestrum colloquium, inuidia Diaboli, impeditum atque dissipatum fuisse cognouimus. Gratulari igitur nos cùm toti Regno, tum inprimis Christianissimis Regibus, atque Illustrissimis Principibus, & vobis Doctissimis viris istud felicissimum colloquij vestri principium: Deinde Deum, vt quæ ipse feliciter incepit, felicissimè etiam continuet atque perficiat, perpetuò tam priuatim, quàm publicè, præmisso etiam publico totius Ecclesię ieiunio precati. Cupere etiam, vt vicissim vos, tam nos, quàm Ecclesias nostras, Deo Patri per Christum, precibus vestris commendetis. Dum enim isthic Christus suam quotidie propagat doctrinam: hic Satan non cessat, viribus suis omnibus illam penitùs extinguere. Non deesse quidem bonos milites, qui propugnent, inter quos vexillum fert noster Sturmius: iretim tamen oppugnantium vires & multas, & non contemnendas esse. Cum igitur omnes simus vnum corpus, & non minus nos, quàm vos gratia & protectione Dei opus habeamus, rogare vos, vt & in suscepta contra Satanæ regnum expeditione constanter perseueretis, & pro nostrarum Ecclesiarum aduersus eundem Satanam protectione ac conseruatione indesinenter oretis. Seruet vos Dominus Iesus fortes animo, & incolumes corpore, ad sui regni propagationem, conseruationem, propagationem. Vale cum tuis omnibus commilitonibus vir Dei, & si isthic sunt D. Dillerus Principis Palatini concionator, & D. Boquinus, iubeo illos speciatim saluere. Argent. 8. Nouemb. 61.

Tui amantissimus

H. ZANCHIVS.

H. Zanchij ad eundem S.

QVi has tibi reddet, obseruandissime frater, Comes est Martinengus, nomine Vlysses, vir singulari pietate præditus, bonarum literarum atque inprimis linguarum propter S. literas, studiosissimus. Est enim illi animus operam dare Theologiæ, vt si aliquando vocetur ad Ministerium verbi, haud prorsus ineptus & imperitus reperiatur. Venit ad nos perficiendorum suorum studiorum gratia: quod vt citius faciliusque possit consequi, cupit tecum in tuis ædibus viuere. Hunc igitur tibi Doctissime Beza, de meliori nota commendo, & rogo ita efficias, vt sentiat meam commendationem alicuius fuisse apud te ponderis. Habebis Comitem comem, suauem, candidum, humanum, & tibi obsequentissimum. Non pœnitebit te, scio, hunc optimum virum hospitio excepisse. Ego verò istius beneficij non fuero immemor. Nunc quo in statu sint res nostræ, de ipso Comite intelliges. Quanto autem dolore affectus sim propter illud, quod Bullingerus ex tuis literis ad me scripsit, D. Caluinum lethaliter ægrotare, & optimum Hyperium ad Dominum migrasse, tu ipse cogita. Dominus noster misereatur. Vale & si adhuc viuit, quod faxit Dominus, optimum nostrum patrem Caluinum saluta. Clauennā 28. Martij 64.

T. H. ZANCHIVS.

Vlysses Martinengus Comes Barchensis, Doct. Hier. Zanchio, &c. Salutem in Domino.

VEnerande Pater, accepi tuum Epistolium: quæ mihi committis, sedulò exequar: iam sum ocreatus & statim à prandio iter sumo, hodie Casacciam, cras propè Curiam, si Deus fauerit. Summo meo cum dolore, te linquo hoc in statu, atque hæc me sollicitudo non mediocriter angit. Te itaque rogo quod vnicum est in iis malis remedium, tibi ipse ne desis, animi sc. constantiam & fortitudinem tibi ipsi & istius Ecclesiæ bonis viris præstes, patientia superabuntur omnia, Deo dante. Deum precibus fatigabimus, qui iustæ causæ deesse non potest. Non vidi iustum derelictum, &c. Curiā scribam ad te. Interim vale vir optime & Pater obseruande. Saluta meis verbis honestissimam vxorem cum Friderico. Plurij 27. Martij, Anno 1564.

Theodorus Beza Hieronymo Zanchio S. Argentinam.

ACcepi literas tuas singularis beneuolentiæ & humanitatis plenas, vir Doctissime & frater optime, vt planè ferreum & inhumanum esse me oporteat, nisi te non solum diligam, sed etiam amem, & omni studio complectar. Quod ad nostrum illum attinet, quem tibi commendaram, ex eo quoque cognoui, quæ tua sit in me beneuolentia, quod illi omnia tam prolixe tamque benignè obtuleris, pro quo tibi ingentes gratias ago, méque tibi plurimum debere profiteor. De D. Martyris obitu idem sentis atque ego, & boni omnes, nihil isti ciuitati damnosius, nihil bonis qui istic sunt acerbius accidere potuisse. Sed & priuatim vicem tuam doleo, qui tanti viri præsidio, tamque fidi amici consuetudine sis priuatus, neque dubito, quin tota iam molestiarum moles, in tui vnius caput incumbat. Sed vide tamen, mi Zanchi, vt quod facis, fortiter & constanter facere pergas. Multi, acres, potentes sunt aduersarij, sed quanto fortior est Domini veritas? Omnia possumus in eo qui nos confirmat. Itaque macte virtute esto, & quem semel cursum ingressus es, vide vt in mediis tempestatibus præsidio Christi, cui seruimus, teneas & serues. Qui tibi egregium hunc animum dedit, perficiet in te proculdubio quod inchoauit: qui te in hac statione collocauit, fortiter pugnantem non deseret, imo victorem præstabit. Nos verò quando aliter non licet, absentes tamen, te perpetuis precibus adiuuabimus. Si quid præterea

situm erit in nobis, non committemus, vt officium nostrum frustra requiras. De Iurisconsulto illo, gratum est mihi, quod spem aliquam faciat resipiscentiæ, nisi fortè nostro illi imposuit, apud quem te vidisse scripsisti puram confessionem illius manu perscriptam. Certè illa cuius exemplar ad D. Martyrem miseram, hic quoque exstat eiusdem manu scripta & consignata. Vtra sit vetustior, dicere non ausim, neque etiam de illa statuere, quam scilicet nunquam legerim. Quod ad me attinet, ego non iam cõfessionem ab eo vllam requisierim, sed hoc potius, vt quæ impiè scripsisse illum non puduit, & coram Deo & ipsius Ecclesia affirmare, ea quoque ipsum contrario scripto, vel coram abnegari, detestari & anathemate iugulare non pudeat. Si hoc detrectat, non video cur illum fratris loco habeam, etiamsi mille puras in speciem Confessiones ederet. Seruet Dominus Ecclesiam ab istis portentosis & arrogantibus ingeniis, quæ ne videantur hominibus quicquam tribuere, suo iudicio omnia subiiciunt. Acriter reprehendit Paulus. non eos modo qui dicebant, *Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego sum Cephæ*, sed etiam eos ipsos, qui dicebant, *Ego sum Christi*, ita scilicet vt à Christo separarent fidos eius ministros. Ego quoque aliter sentire non possum nec etiam debeo. Illud autem vehementer cuperem, pleriosque nostrûm magis cunctanter, non satis perspectos, homines laudare Nam etsi charitas non est suspiciosa, tamen prius probandi sunt homines, quàm ita prolixè laudandi. Quanti constet Ecclesiis Dei ista facilitas & credulitas nimia, res ipsa ostendit. quum nihil æquè soleat ista monstra fouere in Ecclesiæ sinu, vnde tanquam teterrimas pestes eiici oportuerat. Sed facilius est ista deplorare, quam mutare hominum ingenia, quæ sunt in vnius Dei manu. Vt hæc ad te scriberem impulsus sum, præclaro illo testimonio, quo illum mihi significasti à viro sanè optimo & integerrimo, sed hic tamen nimium credulo, exornatum, qua de re etiam me non pigebit ad eum, oblata commoda quapiam occasione, scribere vt bonis viris isti imponere tandem desinant. Bene vale, vir optime & frater in Domino charissime. Dominus Jesus te seruet cum tota familia. D. Viretus noster te salutat. cum quo veni in hanc vrbem, paucis abhinc diebus, vt grauissimo malo, quod ei videtur imminere, aliqua ratione medeamur. Tu igitur vide, vt eius salutem Domino solicitè commendes, quod & ipse & nos omnes à te flagitamus & speramus Iterum Vale. Geneuæ Calend. Septembris.

H. Zanchij ad eundem S.

SI me, vt scribis, amas, optime Beza. caue amplius scribas aut putes, te mihi quippiam debere, ob vlla mea in te merita. Nam neque de te fui vnquam bene meritus, neque si quid vnquam tua caussa fecero, illud appellari meritum poterit, sed officium, & debitum appellandum fuerit. Tuæ enim egregiæ virtutes, & singularia Dei in te dona, ita me tibi deuinxerunt, & ad te amandum, obseruandum & suspiciendum impellunt, vt sentiam me nunquam tot aut tanta tua caussa facere posse, quin multò pluriuin & maiorum tibi remansurus sim debitor, cum tibi debeam vel ipsam (vt ita dicam) animam. Non ergo ob vlla merita in te mea quippiam mihi debes; sed tantum ob communem pietatem & fidem mihi debes rem pretiosissimam, nimirum amorem, quo nihil mihi optatius aut gratius, tuum. Quamobrem merita Papistis relinquamus, & nos mutuo sinceroque amore inuicem complectamur.

Tua verò amica & Christiana ad munus meum fortiter & constanter obeundum adhortatio & exstimulatio, fuit mihi longè gratissima, vt quæ à viro verè amico, & vero Christi Spiritu donato, profecta est. Enitar quidem, ad quod hortaris; sed cum sine gratia Christi, nec inchoare, nec perficere quippiam boni possimus: consequens est, vt quemadmodum te cum aliis viris bonis facturum benignè pollicetis, vestris me precibus adiuuetis, & Domino Iesu commendetis. Quòd vltrò & liberaliter offers officium tuum, illud recipio, & suo tempore exigam Grauissimè dolui & doleo casum illius optimi & singularis viri D. Petri Vireti, quem vnicè semper ab eo tempore, quo primum ex Italia Geneuam iter faciens Lausannam pertransii, hominem vidi, dilexi & colui. Precor Deum Patrem, per Iesum Christum, talem ac tantum Ecclesiæ suæ pastorem ita seruet, vt nec sibi futurus sit grauis, nec Ecclesiæ suæ inutilis. Salutem plurimam illi dici meo nomine, desidero. Quomodo se habeat iam nostra Argentina, ex iis quæ tibi tum D. Caluinus, tum alii fratres narrabunt se hic vidisse, facilè intelliges. Ex tanto Ministrorum contemtu facilè possumus diuinare, quanta Dei ira Mundo immineat: Misereatur Deus Ecclesiæ suæ. Vale.

Idem Theod. Beza H. Zanchio S. Heidelbergam.

FIlius certè D. Ehemii nostri, optimi & ornatissimi viri, nulla cuiusquam apud nos commendatione egebat. Fecisti tamen quod amicum decuit, & hanc ad me scribendi occasionem arripuisse te gaudeo, vt intermissam illam consuetudinem mutuò scriptitandi, repetamus, modo tu quidem aliena manu vtaris, quod quæ ipse scribis, legere aut difficulter aut nullo pacto possim. Cæterùm quid in Synodo Rupellana sit transactum, partim ad D. Ehemium nunc scribo, tecum communicanda. Dialogos Athanasij, & quæ vna sunt edita, itémque dogmatis Vbiquitarii refutationem, hic nuper excusam, puto ad te peruenisse: de quibus velim cognoscere, quid tibi videatur, ac præsertim de eo loco, vbi respondet Athanasius ὑπόστασιν significari τὸ ὅτι, οὐσίαν verò τὸ τί ἦν. Tuum de Trinitate scriptum auidè expecto, vt isti tandem prorsus iugulentur Dei verbo, nisi fortasse præuenerit Turcarum gladius. Placet mihi Carolini ea de re liber VVitebergæ editus. Habeo D. Melij plurima, sed quibus legendis & exscribendis; frustra iam à multis sudatum est, adeo est ille tui, quod ad κατηγορίας attinet, plane similis Nonnulla me quoque meditantem, vt fidem liberarē, pestis, peregrinationes longæ, aliæ denique innumerabiles occupationes, cœpta non modo intermittere, verum etiam prorsus omittere, semel atque iterum coegerunt. Curabo tamen, fauente Deo, vt quod promisi præstem, simulatque otium aliquod ad scribendum dabitur. De rebus nostris, expiata iam videtur nostra pestis, aliquot sceleratissimarum veneficarum suppliciis. Tritici duplicatum est apud nos pretium, alibi etiam triplicatum. Vtinam tot indiciis icti, tandem aliquando sapiamus. Bene vale vir eximie, & frater obseruande. Dominus Iesus tuis laboribus magis ac magis benedicat. Geneuæ 3. Iunii. Anno 1571.

Hieron. Zanchij ad illam Bezæ Epistolam, responsio. S.

LIteris tuis, Doctissime Beza, nihil mihi gratius potuit contingere in hoc tempore. Vererem enim amicitiam nostram vt sincera est, & fundata in Christo, sic etiam optabam & opto sartam tectam conseruari. Non dubito, quin tandem simus in cœlo simul fruituri eo nostro Domino Iesu Christo, cuius gloriam & doctrinam pro sua quisque virili parte tuemur. Debemus igitur etiam, dum sumus in eius castris, & sub illius auspiciis vnanimes militamus, mutuis & literis & officiis, fraternam, inter nos amicitiam colere, quod vt te facturum confido, sic de me debes habere persuasum.

Gaudeo tam charum tibi esse Ehemii nostri filium, vt commendatione mea opus apud te non habuerit.

De Rupellana synodo quædam in genere intellexi ex Ehemio: reliqua forte Dathenus, qui nuper ex disputatione cum Anabaptistis rediit triumphans. Dialogos, & reliqua simul edita, simulac accepissem, perlegi, quod tunc plus otij habuerim, quàm iam habeam: quæ res in caussa est, cur præter præfationem tuam, librum ipsum contra Vbiquitarios perlegere non potuerim. Proinde de hoc nihil possum scribere.

In Dialogis prętet orthodoxam sententiam, multa etiam argumenta mihi placent. Sed certè multa etiam displicent, atque inprimis, quod sæpe ita torqueantur scripturę, vt occasionem Hæreticis præbeant illi antiqui Patres, isto scripturarum abusu, veritatem ipsam magis ac magis ridendi, & oppugnandi.

Quod petis de loco in 4. pag. quis ego, à quo tu petas iudicium? Quia tamen iubes, candidè dicam, non vt moneā, sed vt obtemperem. Credo enim te à me petere, vt dicam, non tam quid ego, quàm quid nostri Sophistæ & Aristotelici de iis vocibus sentiant. Faciam igitur quod petis. Frequentissima sunt hæc duo apud Aristotelem, τὸ ὅ ἐστι, τὸ τί ἦν εἶναι, seu τὸ τί εἶναι. Priore locutione intelligit subiectū. seu suppositum, vt vocant, quod est, seu quod subsistit.

τὸ ὂν enim pro ὑφιστάμενα accipit: & sola hæc supposita, propriè dicuntur esse. Altera autem intelligit formam ipsam, seu naturam & essentiam, qua suppositum est id quod est, puta homo humanitate Formæ enim, seu naturæ & essentiæ, extra supposita (vt optime nosti) per se non subsistunt, sed sicut sunt id, quo supposita sunt id quod sunt: sic sunt id, per quod supposita, quid sint, definiuntur. Petrus enim, vt homo est, humanitate: sic si definiatur quid sit, per humanitatem definitur. Proinde Aristoteles, essentias seu naturas ipsas iure vocat τὸ τί ἦν, seu τὸ τί ἦν εἶναι, quam vocem barbari verterunt, *quod quid erat esse*, & vna voce vocant *quidditatem*. Sic nostri Aristotelici explicant. Optimè igitur Athanasius dicit, ὑπόστασιν & οὐσίαν, non esse aliud & aliud, quasi duas res subsistentes: sed ὑπόστασιν significari τὸ ὄν, id est, id quod est, & subsistit. Quod autem subsistit, est Pater, est Filius, est Spiritus sanctus, ipse Deus: Οὐσίαν autem, τὸ τί ἦν significari, quasi dicat, id quo ea res quæ est, est id quod est, nempe essentiam diuinam. Pater enim est Deus essentia diuina, atque adeo essentia ipsa est diuina, quoniam in Deo propter summam simplicitatem, idem sunt esse & essentia: & essentia ipsa subsistit, quia idem sunt Deus, & οὐσία diuina: quod apud nos non ita se habet. Proinde Petrus quidem homo est humanitate: sed non est ipsa humanitas. Pater verò ita Deus est, sua Deitate, vt sit ipsa Deitas. Idem de Filio, & Spiritu S. per diuersos subsistendi modos inter se distinctis. Quod enim apud nos efficit materia: id in Deo efficiunt diuersi subsistendi modi, quos alii vocant *relationes*. Illud igitur τὸ τί ἦν, non potest bene vna voce verti: sed si vna voce sit vertendum, verti posset voce *Essentia* vel *natura*, si nolimus barbara Scholasticorum voce vti, nempe *Quidditatis*. Dixi quid meo iudicio de iis vocibus, ex Scholasticorum & Interpretum Aristotelis sententia sentiendum & dicendum sit: Et dixi, quia iussisti.

Carolini liber mihi etiam placuit, idque eò magis, quòd videam pleraque omnia ab eodem spiritu & illi & mihi suppeditata fuisse.

Libri mei describuntur. Sed malim aliena, & doctiorum me virorum legere scripta, quàm mea emittere. Quia tamen sic placet Illustriss. Principi, & bonis viris, non possum non gratificari. Precor Deum, vt aliquam tibi det quietem, quò possis non tam tuæ concionando, quàm toti Ecclesiæ Catholicæ scribendo prodesse. Opto sanè tua videre scripta. Seruet igitur te Deus & augeat in te dona sua. Vale optime Beza 26. Iunii 71.

T. ex animo
H. ZANCHIVS.

Hieronym. Zanchij ad eundem.

S. Qui has reddet, Thomas est Thillius, non ita pridem Abbas ditissimus in Belgio, vir pius, nec indoctus, probus autem & vetus Israelita. Venit isthuc, non tam vt videat Ecclesiam, & te audiat, quàm vt priuatim etiam, & propriè instituatur, idque quam diligentissimè in iis omnibus, quæ ad veram reformandarum Ecclesiarum rationem pertinent, vt si aliquando contingat, Dei beneficio, domum vt redeat, præbere se vtilem possit Ecclesiis, & tantum suis prodesse sana, quantum obfuit impia doctrina. Commendo igitur hominem, nam & cupit commendari.

Σχόλια illa tua dedi iam pridem, sed non occurrit, cui ad te perferenda: & scio fuisse amicum tam tibi, quàm mihi. Si non sunt reddita, vehementer doleo: multò verò magis si perdita. Ac nescio, cui plus credam. Neq. vero velim ob id mihi succenseas, cū nulla in me hæreat culpa. Nō enim illa credidi nisi amico, hoc certo scio, etsi certò non occurrat, cui. Hoc enim contigit in itinere, cùm huc venirem, variis distentus curis ac negotiis, molestiisque liberorum affectus. Ergo vt me excusatum habeas, & vt hactenus fecisti, ames, per ego te Christum rogo atque obsecro. Nouit Dominus, quanta ego te obseruantia, vt debeo, colam, & quanto te semper amore complexus sim, ab eo tempore, quo te noui: tua mihi humanitas, virtus, & pietas singularis, fuit perspecta. Sunt autem, vt scis, anni amplius 16. atque hæc erat non postrema caussa, propter quam, si fuissem vocatus ad vos, libenter venissem. Sed Dominus hic me voluit, & huc me destinarat. Ergo non debes pati, quin me redames, & in numero tuorum amicorum cōseres. Deo vero optimo & maximo laus ac gloria, quòd felicem tandem atque optatam pacem concesserit Ecclesiis Galliæ, declarata prius toti orbi, sua erga illas beneuolentia, cura, protectione, virtute, potentia. Annon hæc sunt luculentissima testimonia, & certissima argumenta, Christū, cui seruimus, & pro quo pugnamus, in cœlis viuere, suam Ecclesiam curare, rerúmq. nostrarum procurationem habere? Non sunt certè hæc minora portenta & miracula illis, quæ in veteri Testamento dare solitus erat Dominus tū, cùm contra tot tamque potentes Tyrannos suum defendebat populum, manu excita è cœlo, per nescio quos infirmos ac contemtibiles seruos. Quid non, & quando non contra istam Ecclesiam molitus est Satan per potentissimos Tyrannos? Interim tamen, quam mirabiliter eā semper Christus seruauit? Quid non etiam nunc machinabatur contra hunc sanctissimum Iosiam suumque populum? Conuertit autem Christus omnia in salutem, & qui à multis contemnebatur, eum reddit in dies magis ac magis venerandum & suspiciendum. Sit igitur huic viuenti, & nos protegenti Christo vnà cum Patre & Spir. S. honor & gloria. Suas verò Ecclesias conseruare & tueri, & suum propagare Euangelium per totum terrarum orbem dignetur. Vale, & fratres, rogo meo salutes nomine. Heidelberg. 16. April. 1568.

Hieronym. Zanchij ad eundem S.

NE miretis optime Beza, quòd serò & breuiter respondeam, mirare potius, quòd viuam, & te adhuc salutē. Nam & Dominus è cœlo nos mirabiliter castigat, quanquam misericorditer: & homines nos ita auersantur & fugiunt, vt pauci audeant nos inuisere, nostra vero vel attingere, nemo. Tandem tamen aliquando quidam frater ausus est, quod nemo alius. Per hunc igitur hæc ad te paucis.

Quisquis sum, Christi sum, & Christo viuere & mori volo. Ergo vel Clauennæ, vel Lugduni esse, mihi perinde est, modo Christo inseruiam Quam libenter tamen venissem Lugdunum, cum propter alias caussas, tum præsertim propter consortium & consuetudinem piorum & doctorū fratrum, quos non paucos ibi noui, tu ipse potes iudicare. Amicitia etiam mihi intercedit, vt scis, cum innumeris aliis Gallis, vt verè Gallus sim. An non Bergomum in Gallia est Cisalpina? Sed quid agas optime frater? Dominus me huc vocauit: qui possum ergo sponte vocationem hanc deserere? Rogandus igitur Dominus, vt quod bonum est in oculis suis, faciat: neque mecum agendum est, sed cum Ecclesia.

Tristia audieram aliquot ante diebus, de nostro optimo patre Caluino; sed quia nihil præterea aut scriptū, aut relatum ad me fuit, aliquid speculæ concepi. Dominus illum nobis seruet. Nam si ille migret ad Dominum, aliquid iræ Dei metuo isti vrbi. Proinde rogandus est Dominus, vt talem Pastorem ne adhuc ad se rapiat in hoc tempore calamitoso. Miles colligitur in Ducatu Mediolanensi & solicitantur mirabiliter nostri Rheti ad fœdus cum Philippo. Propter hasce verò continuatas toto hoc mense pluuias, metuitur in Italia magna annonæ penuria. Ita pestem sequetur fames, ac forte etiam bellū, nisi Dominus nostri misereatur. Obiêre peste in hoc paruo nostro oppido intra spacium trium mensium ad 400. & nondum finis. Fortassis ex reliquiis fiet vnum ouile & vnus pastor: & populus erit vnus, isque acceptabilis, & sectator bonorum operum, cùm anteà diuisus esset in idololatras & carnales homines. Faxit Dominus, vt in hac parte sim Propheta. Vale, & salutato D. Caluinum, & alios fratres.

Tuus H. Zanchius.

H. Zanchius ad eundem.

S. Clarissime vir, & frater in Domino obseruāde. Quas acceperam à te 14. Nou. Anni 80. ad eas annon satis tempestiuè respōdeo 25. Martii 81. Sed rogo te, mi D. Beza, mihi ad scribendas literas natura pigerrimo, variis studiorū & Scholę negotiis occupatissimo, pingendi imperitissimo, & denique seni, senex ignoscas. Vtor hac fiducia erga alios quoque veteres amicos, nimirum, vt cùm nihil vrget responsionem, aut non respondeam, aut tardè, id est, cùm vacat, respondeam: quod persuasum habeā, illos hac

mea vel negligentia, vel tarditate non offensum iri. Interim nihil mihi gratius aliorum literis. Egregium igitur hominem, qui libenter accipio, sed non libenter do: De literis tantum loquor. Profectò, si vel mediocriter saltem pingerem, non ita granarer; sed Borthaus solitus erat dicere, literas meas sibi pedibus gallinarum exaratas videri; ad quem ego, illins mihi, anserum rostris. Nam non multò melius me ille; dixisses Syriacas esse zipheras. Neque ego semper habeo amanuensem. Cùm vero nihil in tuis esset, quod flagitaret responsionem, initio distuli, postea oblitus sum, aliis distentus negotiis.

Nam quod de annotationibus tuis scripseras, duas habuit partes; vnam, te de extrema manu addenda cogitare; Alteram, vt si quid iudicarem corrigendum, liberè significarem. Priore parte nihil gratius audire potuissem, & facceres optimè, si feceris, quod polliceris, cum id fieri à te non possit sine maximo Ecclesiæ fructu, nouis gemmis, nouisque rebus pretiosis, amplissimo thesauro tuo, per te ipsum additis. Sed hoc responsionem à me non exigebat, neque tibi stimulo erat opus. Ad alteram vero quod attinet, quid opus erat responsione? Quis enim ego, mi doctissime Beza, qui tuis accuratissimis lucubrationibus in Nouum Testamentum, quas omnes etiam aduersarii admirari & suspicere coguntur, aut addere, aut detrahere, aut quidpiam in iis immutare audeam aut possim? Possem quidem dicere, quid facerem ego, si Biblia mihi in aliam linguam essent vertenda, sed quid faciendum sit, quid sus Mineruam? Ego quia sic educatus sum, & diu versatus in veteri illa & vulgata editione, non multum audeo, nisi vbi manifestè cogor ab illa declinare. Quæ caussa est, cur mihi semper placuerit in Papatu Psalmorum versio per Flaminium, cum breuibus ipsius annotationibus; ac tum maximè simplicitatem verborum & literæ retinere non dubitarem, cùm Syriacus quoque contextus consentit; seorsum vero, si quid diuersi sentirem in annotationibus explicarem; contextum vero ipsum simplicissimum retinerem, lectori etiam aliquid iudicandum relinquens. Tales enim versiones minus rejici possunt ab iis, qui versati sunt in vulgata editione, & futuras etiam credo gratiores posteritati; sicut etiam Theologia illa, quæ magis cum pia antiquitate consentit, modò non pugnet cum scripturis. Ita mihi placet, & in ea mea acquiescit conscientia, vt à communi Patrum consensu, nulla cogente necessitate, dissentire, mihi summa sit religio De me loquor, déque meo ingenio. Sed annotationes tuæ (sine vlla adulationis suspicione dictum esto) tales sunt, tantúmque luminis attulerunt veræ Noui Testamenti intelligentiæ, vt nemo sit, aut futurus sit hominum sacras literas profitentium, qui tibi non debeat plurimum, neque vnquam interibunt. Exspecto itaque postremam editionem summo cum desiderio. Vtinam in vetus quoque Testamentum, antequam migres ad Dominum præstare queas, ac præstes, quod in Nouum præstitisti. Rogabo Deum.

Vrserunt fratres Antuerpienses: sed Illustrissimus Princeps noster, non obscurè significauit, sibi displicere meum discessum. Itaque maneo. Gratissimum vero fuit nobis omnibus, vidisse optimum virum D. Danæum, qui cum familia incolumis discessit, & feliciter, vt audimus, peruenit ad Batauos. vtilissima erit toti illi regioni eius præsentia. Ostendi illi quod inceperam succisiuis horis in librum M. Chemnitij: sed me liberauit labore, suo erudito examine. Bonam etiam operam præstitit Vrsinus noster, in librum Concordiæ. Sed mirabilis Sturmius in hac sua senecta. Sua scriptionum & librorum multitudine, in hoc Mercatu, enecauit Marbachium.

Cætera, valemus omnes, & viuimus in pace. Dominus te seruet diu, suæ Ecclesiæ.

Theodorus Beza H. Zanchio S.

MVltùm me exhilararunt literæ tuæ, mi frater, ex quibus & te valere, & charam esse tibi nostri memoriã cognoui. Sed & illud mihi iucundissimum fuit intelligere, probari tibi nostrum ad illa deliria responsum, quod à me sanè non tam iusta vlla ratio (sunt enim illa ineptiora, quã vt refutationem mereantur) quàm amicorum quorundam efflagitatio extorsit. Prætérquàm vero, quod valdè sum lætatus, nostram in his quoque sententiam, cum tua prorsus congruere; illud quoque non parua me affecit voluptate, quod de nonnullis abs te in viam reuocatis mihi significasti, qua in re vtilem Ecclesiæ operam abs te nauatam non dubito. Cæterum, iuuenes illi, de quibus ad me scripsisti, tum mihi, tum collegis, erunt & suo merito, & tua commendatione quam commendatissimi. De tua in Belgium profectione, nondum cum Danæo nostro contuli. Rectè facere te iudico, quod stationem, in qua nunc es à Deo opt. max. collocatus, vix tibi mutandam arbitraris. Etenim, vt eas caussas præteream, quas tu commemoras, & ita, vt decet, expendis, adhuc sperare non desino, fore vt Palatinatus nunc aberrantis misereatur Dominus: Et vt vt dispersi sint plerique, quorum operam Deus in illo extruendo ædificio vsus est: optarim tamen non tam procul abesse præcipuos, quorum opera in eo instaurando erit opus, si modo preces nostræ exaudiantur. Denique cum ab eo pendere status illos videam, imo vnum illum requirere, quo, haud satis scio, an vllus hodie viuat suo nomine indignior, siue corpus, siue animum spectes, ita me illorum miseret, vt nulli autor esse possim, vt sese cum eis vltrò perditum eat, quod tamen salua Dei opt. max. prouidentia, & nullo cuiusquam præiudicio dictum velim.

De reb. nostris Adhuc ab vno Deo penduli, stamus tamen magno ipsius beneficio & valentes, & pace fruentes, quam tot alij populi frustra requirunt, & tam multi repudiant. Sed multæ caussæ sunt, cur an hoc beneficium diuturnum sit futurum ambigam. Delphinates nostri, magnis viribus oppugnati, tanto maiorem suam fortitudinem adhuc demonstrarunt. In Aquitania agitur de pace. Multò plura metuo, quàm sperare ausim: & vides nos in ea tempora incidisse, quibus neque morbos, neque remedia mundus ferre possit. At nos preces intendamus, dum in portum prouehamur. Bene vale, vir eximie, & charissime frater. D. Iesus te, familiamque tuam feliciter seruet, tuisque laboribus magis ac magis benedicat. Geneuæ 27. Octobr. 1580.

Tuus Beza.

Emendo maiores meas in N. Testamentum annotationes, illas si quando fortè inspexisti, & in iis aliquid obseruasti, de quo me admonendum putes, rogo te per amicitiam nostram, vt id mihi liberè perscribere non graueris, minimè per quem profecerim dissimulaturo. Sic profectò non mihi tantum, sed etiam Ecclesiæ toti gratificaberis. Iterum vale.

Iosias Simlerus Hier. Zanchio S.

MOderationem qua post reditum in tua causa prolequenda, vir colende, vsus, non possum non probare. Etsi autem morte Sturmiorum præsidia tua aliquantulum debilitata sunt, spero tamen Dominum alios in Senatu vestro excitaturum, qui bonæ causæ fortes & constantes patronos se exhibeant. Quod si omnino Domino visum fuerit ciuitatem hanc, cui alioqui ex animo bene volo, punire, & subiicere Tyrannidi noui Papismi, tamen nihilominus hoc quicquid illud temporis fuerit, quo tibi licet docere, in lucro deputandum erit: cum fieri non possit vt absque fructu, in tam celebri Schola doceas, quamuis interea nugantur aduersarij. Vtinam Dominus confirmet & stabiliat pacem Ecclesiarum Galliæ, melius haud dubiè & apud vos & alibi in Germania Ecclesia haberet. Deum precor vt tuis studiis adsit, & interpretatione Geneseos, dum vniuersitatis rerum origines explicas, Scholam ad puram doctrinam primamque originem reuocas, à qua longè eam quidam auocare conati sunt. Vale vir doctiss. Salutant te Bullingerus, Lauaterus, Hallerus & reliqui.

T. ex Animo

IOSIAS SIMLERVS.

H. Zanchij ad D. Simlerum. S.

SErò literis tuis, Simlere respondeo, fateor: sed haud nũc primum respondeo beneuolentiæ erga me tuæ. Nam ab eo tempore, quo te in Thermis vidi & noui (sunt autem anni septem & amplius) perpetuo amore te sum prosecutus, propter tuam pietatem, eruditionẽ, virtutem, morũ suauitatẽ. Tarditatẽ igitur responsionis, cõpẽsare debet antiquitas amoris. Ac si Deus velit, vt tuus fiã collega, nihil mihi gratius atq; iucũdius fuerit, quã tãtũ amicũ habere etiã collegam.

legã. Dolet quidẽ mihi vehementer perinde atque vobis, quòd propter obitum tanti viri, Martyris scilicet (cui par inueniri nusquam potest, aut fortè etiam nunquam poterit, alium qui in eius locum succedat, quærere cogamini: Ac quod me attinet, maluissem tibi tantum esse amicus, quàm hoc modo, & propter hanc necessitatem, fieri etiam (si contingat) Collega: quia tamen nihil nisi suo tempore, & diuina prouidentia fit, & pij hominis est, suam ad Dei voluntatem accommodare: idcirco debeo etiam ego & quod de Martyre voluit ille, non odisse: & quod me volet, istud amare. Literas tuas in cistulam inter alias posueram, nunc eas non reperio. Proinde si non singulis illius partibus respondeo, ignosces. Quia tamen memini, officiosas tantùm fuisse, idcirco generali hac responsione vt contentus sis, rogo: nimirum te tuaque omnia à me amari, & vt à te tuisque vicissim amer, vti me amari confido, me peroptare. Gratissimum verò fuit, quòd bonum nostrum, & variis modis afflictum Iulium ad te receperis & perhumaniter, vt is quoque ad me scripsit, tractes. Cætera ex D. Bullingero intelliges. Vale Argent. 2. Ianuar. 1563.

T. H. ZANCHIVS.

H. Zanchij ad eundem. S.

QVòd tardius respondeam, Doctissime Simlere, in caussa est, quòd citius non potui libellum vestrum eruditum, & prudentissime conscriptum, perlegere. Est vt dicis, licèt proficere nihil possit apud hominem perditum: saltem compescenda fuit Sophistæ, superbique Goliathi arrogantia: & verò etiam fieri non poterit, quin multi boni, lecta prudenti vestra responsione, magis ac magis, tum veritatem intelligant, tum Diaboli Sophisticam cognoscant.

Illa initio libri proposita narratio de ortu & progressu vestræ Ecclesiæ, mihi perplacuit: & accommodarè illud interiectum, Anabaptismum è Saxonia ad vos profectum fuisse, per vestros statim profligatum. Et certum est, turbas plerasque omnes, quibus adhuc vexatur Ecclesia, inde fuisse profectas. Quid in hoc tempore? Rident in sinu Pontifices, & spem concipiunt, fore breui, vt qui primi defecerant, ad se etiam priores redeant; & meritò. Nam ingressi sunt viam, quæ Romam ducit. Marpurgi quoque habita fuit Synodus, & noua (vt vocant) Agenda, ad formam Saxonum, proposita fuerunt Ministris. Pincierus fortiter restitit: Goliathus verò scripsit ad Principem, se, si velit, venturum, & Pinciero os obstructurum. Ille olim noster, nunc autem totus Diaboli, inquisitor factus est Caluinistarum & Zvvinglianorum: & quidem officium (vt audio ab iis, qui illinc veniunt) strenue facit suum, sed non sine quæstu: perdat illum Deus ad mala danda natum. Certè nobis occasio vndique se offert, precandi Deum, vt suæ adsit Ecclesiæ. Vale optime frater, & salutem dices D. Bullingero, Lauatero, & reliquis fratribus. Heidelb. 25. Iunij. 75.

H. ZANCHIVS.

Conradus Gesnerus Hieron. Zanchio S.

PEt hunc Italum nomine Laurentium, virum bonum, amicum meum, & breui ad nos rediturum, ornatissime D. Zanchi, literas ad te dare volui. Mitto consilium pro honestissima vxore tua. Sed cùm alium hactenus neminem in hoc morbo curarim, & multæ circumstantiæ & mutationes, quæ quotidie fiunt, sint spectandæ Medico, quas absens considerare non potest, nolim te quicquam tentare, sine eruditi alicuius Medici præsentis approbatione. Lutræ quadrupedis pelles hic nemo habet. Apud Ælianum legeram paralyticis inde tibialia vtiliter parari. Præstabit fortè, vt è vulpina, aut leporis, aut cati syluestris pelle fieri iubeas. Nam & prodesse existimantur hæ pelles, & pilus est mollior, & pretium multò minus. Vale vir clarissime, & Gesnerum tui amantissimum redama. Tiguri Iunij die 11. Anno 56.

T. ex animo

CONRADVS GESNERVS.

H. Zanchij ad D. Conradum Gesnerum.

FAciam, vt iussisti, clarissime D. Doctor, quòd sciam tua consilia, & ab amico summo, & à Medico peritissimo proficisci. Controuersia nostra quem finem acceperit, intelliges partim ex D. Bullingero, & ex nostro Iulio: plenius verò ex me vbi morbo liberatus, sanus ad vos rediero. Sed vtinam tam felicem exitum illa fuisset consecuta, qualem vt spero, habebit controuersia illa, quæ est inter me & morbum meum. Saltem iste non grauatur contra me argumentari, & quidem acutis syllogismis, & meas vicissim solutiones admittere. Iucunda certè disceptatio, licet nonnunquam vsque ad sanguinem pugnemus: sed illi aduersarij biennium nunquam potuerunt adduci vt mecum vel certarent, vel colloquerentur. Cætera coram. Vale, & salutem multam dices nostro Frisio.

T. H. ZANCHIVS.

Hieron. Zanchij ad D. Cornelium Dodo Alcmarianum. S.

GRatissimum fuit, vir Dei, & frater in Christo colendiss. te eam de me opinionem atque fiduciam concepisse, quæ de fratre & vero amico concipienda fuerat. Precor, grauioribus & maioribus in rebus, si me iudicaueris posse tibi inseruire, liberè mea vtaris opera. Literas ad D. Bullingerum, curabo quàm primum & fidelissime mittendas. Tuum propter veritatem Christi exilium, tibi ne gratuler, an verò debeam dolere, plane nescio. Est tamen aut alterutrum, aut vtrumque faciendum. Ne igitur errem, illud & gratulor & doleo. Doleo propter Ecclesiam tuam, quod interim sana tua doctrina priuetur. Gratulor vero tibi & illis apud quos exulas. Tibi, quod Deus te ista gratia atque honore dignatus sit, vt non solùm credas in Christum, sed etiam vt patiaris pro Christo, atque in hac cruce similem te efficiat Christo, & omnibus Apostolis piisque pastoribus qui propter veritatem, multo grauiora quàm tu, aut ego patiamur, & perpessi sunt, & æquo animo tulerunt. Istis vero, ad quos diuertisti, quod fructum haud exiguum, quo tua Ecclesia destituta est, ex tuo ad se aduentu, percipere, si voluerint, poterunt. Tuum erit, & forti esse animo, & veritatem cælestis doctrinæ, quibuscunque poteris, modis, & quibuscunque datum fuerit hominibus communicare. Nihil est magis honorificum Christiano, quàm pro Christo non solum exulare, verum etiam mori. Noui quid scribam, non habeo, nisi bene à nobis de Gallia sperari. Iuuandi sunt precibus. Per valetudinem plura non possum. Vale, & memor esto nostri, nostræque Ecclesiæ & Scholæ in precibus tuis. Argent. 21. August. 62.

Tuus in Christo

H. ZANCHIVS.

Petrus Viretus ministrorum Lugdunensis Ecclesiæ & totius consistorij nomine, Doct. Hieronymo Zanchio S. D.

ETsi Itali fratres, qui in hac vrbe Euangelium profitentur, maxima ex parte linguam calleant Gallicam, cupiunt tamen magnopere Pastorem habere suæ gentis & linguæ, à quo instituantur, & aliquam suæ gentis Ecclesiam colligere; Italorum fratrum exemplo, qui Genenæ degunt, idque multas ob causas. Nam non eo vsque sunt progressi omnes, vt facile institui possint, nisi sua lingua. Deinde tu ipse nosti, quàm celebre sit huius vrbis in tota Europa emporium, & quantus exterarum gentium concursus, maximè verò Italicæ gentis. Quamobrem Euangelij doctrina ob loci & commerciorum commoditatem, hinc latissimè ac longissimè in omnes gentes & diffundi & propagari potest. Huc accedit, quod Itali aduersæ religionis nihil intentatum relinquunt, quo falsam suam religionem non tantum retineant, sed etiam promoueant. Quapropter antehac proprium habere consueuerunt concionatorem, qui falsa sua doctrina loci Euangelicæ tene-

bras offunderet. Quanto magis igitur qui rectius de Religione sentiunt, satagere debent in tanta Galliæ libertate, quæ præter omnium expectationem nobis Dei munere concessa est, vt quibuscunque poterunt modis, pietatis studia, in sua gente prouehere conentur? Quum itaque vna omnium consensione ad hoc munus, ab ipsis electus vocetis, nos te quibuscunque possumus precibus rogamus, vt vocationem sequaris, & ad nos accedas. Nam ea est & tua eruditio & pietas, nobis omnibus satis testata, vt non dubitemus, tuam præsentiam in hac vrbe, non solum tuæ genti, sed etiam toti huic Ecclesiæ, & cæteris omnibus totius regni huius, magno & adiumento & ornamento fore. Vale optimè ac diutissimè vir clarissime, ac nobis omnibus plurimum obseruande. Lugduni 20. Septembris, Anno 1563.

Hieron. Zanchij ad D. Petrum Viretum, & reliquos Ecclesiæ Lugdunensis Ministros S.

QVòd citius tuis literis, ornatissime Pater Virete, tuo tuorumque Reuerendorum Symmystarum nomine 20. Septembr. ad me Lugduno scriptis, non respondetim, illud fuit in caussa, quod cum illæ vxori redderentur, ego aberam, profectus ad Palatinum, neque redij, nisi 13. huiusce mensis. Post reditum verò, cui darem meas, occurrit nemo, nisi nunc primùm noster Petrus Stierus. Multa etiã scribere non vacauit, propter occupationes multas & varias, & necessarias, in tradenda quadam mea ancilla ciui cuidam hic in matrimonium, in conuasanda supellectile: in soluendo ære alieno: in conficiendis domesticis & ciuilibus negotiis: denique in præmittenda hinc Clauennam versus, mea familia. Ergo meam & tarditatem & breuitatem boni vt consulas, imò consulatis rogo. Quòd igitur ad literas vestras attinet, hæc esto breuis responsio. Nisi fidem meam, paulò ante istam electionem, Ecclesiæ Clauennensi, quæ me in locum demortui optimi Patris Augustini Mainardi elegerat, obstrinxissem, ego quam lubentissime tum vestræ, tum Italorum meorum petitioni satisfecissem, idque non tantum propter caussas, quas tu ipse in literis prudentissime adfers: sed etiam propter alias, quas ego, ne vobis videar adulari, prudens taceo. Doleo, mihi credite, secundum carnem, & vehementer doleo, me propter datam fidem non posse, & Italis istis gratificari, & vestra consuetudine frui, & in ista egregia, mihique admodum adlubescenti vrbe, vobiscum viuere, & docendo discere, & discendo docere. Quid enim mihi gratius? quid iucundius? quid vtilius? Cæterùm, cùm me Dominus aliò antea vocarit, & vocatio illa non parui sit momenti (in foribus enim ero ipsius Italiæ) cum spe aliqua penetrandi aliquando vlterius: & propositum sit Dominis Rhetis Academiam aliquam in valle Telina, eiectis Monachis quibusdam erigere. qua de re etiam literas nunc à Palatino, ad Dominos Trium fœderum impetraui, ita vt etiã Sturmius promiserit, se venturum, & annum saltem ibi mansurum, donec ludum aperiat, & iuxta formam huius Argentinensis instituat: non video, qua possim conscientia, priorem vocationem deserere. Neque credo vos, quæ vestra est pietas atque prudentia, aliud mihi consulturos fuisse, si quæ de priore vocatione narraui, antea intellexissetis, quã vt Regnum Christi, vbi primum vocatus fui, promouearn pro mea virili. Dominum Italis etiam, qui isthic sunt, de bono aliquo Pastore prospecturum suo tempore, confido. Credideram verò, Iulium Mediolanensem, virum doctum & grauem, inque Ecclesiastico Ministerio diu exercitatum, iam pridem electum fuisse in pastorem illius Italicæ Ecclesiæ. Summa. Ego sum Christi, illi cupio inseruire: quò me vocat, sequor, & talem vocationem vt legitimam atq; Christianam retinendam esse iudico. Huius rei caussa nihil non egi, quò me in hac statione Argentinensi continuerem. At vbi non licuit amplius liberè docere, & veritatem tueri, constitui quò me prius vocaret Dominus, eò subsequi. Ita feci. Restat vt vos me vestra prosequamini beneuolentia, vestrisque precibus non me tantùm, sed meam etiam Ecclesiam Domino commendetis, vt tandem a fratribus in ipsum Italiæ atrium penetremus. Valete: Dominus vobis vestróque ministerio magis ac magis in dies benedicat. Aueo autem intelligere, quam vobis satisfactum sit hac mea responsione. Argent. prid. Calend. Nouemb. 1563.

Vester in Christo frater
H. ZANCHIVS.

H. Zanchij ad eosdem. S.

QVòd citius literis obseruandi fratris Mennij, vestro omnium nomine, fratres Reuerendi, 7. Aprilis ad me scriptis, non responderim, in caussa fuit hoc præsens Dei flagellum, quo nostram Ecclesiam, atque adeo totum oppidum, tribus iam mensibus ita castigauit atque castigat, vt scribere quidem mihi semper licuerit, at qui literas accipere auderet, haud facile inueniri potuerit. Nunc tandem aliquando, cum bonus quidam frater promiserit, se quicquid dare literatum velim, accepturum & Tigurum vsque perlaturum, atque vt ad vos perferantur, curaturum: decreui, vt æquum est, paucis respondere. Est autem hæc responsio. Non fuisse opus argumentis ad me, vt Ecclesiæ Italicæ, qui isthic est, inseruiam, permouendum. Transigendum est negotium hoc cum hac Ecclesia, cui obstrictus sum, atque ita obstrictus, vt per conscientiam non possim sponte eam deserere. Nam quæ ad vos retulerunt fratres Itali, de nescio qua promissione mea, nullius sunt momenti. Nunquam enim simpliciter & absolutè Ministerium illud acceptaui, aut me accepturum promisi. Sunt anni duo & amplius, ex quo cùm electus a fratribus fuissem in Ministrum, respondi me nullo modo posse Argentinensem stationem deserere, idq; eo minus, quò magis videbam sanam doctrinam non tantum de Cœna, sed, quod grauius erat, de æterna, certa & gratuita Dei prædestinatione, de certitudine salutis, de perseuerantia Sanctorum, ac consequenter de summa salutis, in ea vrbe, à Doctoribus & Ministris publicè oppugnari, me alioqui libentissime venturum Lugdunum, & nationi meæ inseruiturum. Nihil ad me vnquam fuit responsum, interim vero electus fuit alius, venit, & ibi aliquot septimanas egit Ministrum. Quis non dixisset, me nullo modo obstrictum esse fratribus Lugdunensibus. Nouerant hæc fratres Tigurini (viuebat enim adhuc optimus noster Martyr) & tamen defuncto Martyre, illius conditionem mihi obtulerunt, quod certè non fecissent, si iudicassent, me fratribus qui erant Lugduni, propter illud meum responsum, fide adhuc fuisse obstrictum. Annon denuo fuit electio in me facta, cùm intellexissent, me non amplius Argentinæ mansurum, idque propterea, quod liberè mihi docere non liceret amplius? Bona igitur conscientia accepi tandem huius Ecclesiæ Ministerium, accepturus certè Lugdunẽse, si citius, quã hoc, illud fuisset oblatum. Etsi verò hæc Ecclesia supra modum imminuta est hac peste, & quod reliquum est, dissipatum & dispersum: non video tamen, qua conscientia possim Ministerio huic renunciare, & istud alterum amplecti, nisi Ecclesia hæc, vt gratificetur Lugdunensi, sponte mea me fide liberet, & alteri concedat. Quare videtis non mecum, sed cum Ecclesia esse agendum. Literas & vestras, & Italorum fratrum ad Ecclesiam hanc legerunt multi, sed nondum potuimus toti Ecclesiæ propter hanc pestem, eas exhibere, aut prælegere: cùm primum hoc fieri potuerit, fiet. Precor autem Dominum, vt fiat quam primùm. Vos etiam vestris precibus commendabitis nos optimo Patri, per Christum. De mea erga vos & obseruantia & voluntate, minimè debetis dubitare. Nam nihil mihi optatius est, quam cum piis, doctis & humanis fratribus vitam meam transigere. Dominus Iesus communi omnium nostrum Ministerio benedicat ac faueat. Vale in Domino.

H. ZANCHIVS

Reuerendis pastoribus, Ecclesiæ iuxta Euangelium reformatæ, quæ est Lugduni, Salutem.

CVm pro Christi D nostri caussa, septimanas aliquot, per Sueuiam & Heluetiam obequitando, ab vrbe abfuissem, domum reuersus 14. huiusce mensis, obseruandissimi Domini, ac fratres charissimi, inter alias multas, binas quoque vestras, vnas ad Senatum, alteras ad me literas reperi, & non sine voluptate legi: ad illas verò respondere nisi nunc primum non potui, partim quod in mea caussa fui occupatissimus, partim, quod qui ad vos, vel Geneuam proficisceretur, in promtu, quod ego scierim, non facile fuerit. Meam itaque tarditatem in respondendo, boni & æqui consulatis, etiam atque etiam rogo.

Vt verò ad vestras literas veniam, primùm gratulor vobis & toti isti Regno Christiano, singularem Dei erga vos beneuolentiam atque beneficentiam, qua certè hactenus non

non est dignatus Dominus multas alias gentes atque regiones. Cū autē istud sit merum & proprium Dei opus, id quod qui non videt, talpa cęcior est, dubitari nec debet, nec potest, quin idem Deus sit opus suum continuaturus, conseruaturus, perfecturus. Sed interim nobis non est in vtramque aurem, securis & quasi extra periculum positis, obdormiendum. Verum potius continuis apud Deum precibus & verbo atque vitæ sanctitate apud homines, opus Dei pro nostra virili parte promouendum, quod vos facere persuasum habeo, & vt magis ac magis, cum gloria Dei & salute Ecclesiæ, in istud studium incumbatis, Deum Patrem, ex animo precor, atque ipsius Maiestati supplico.

Porro, quòd ad nostros fratres Italos attinet, fui incredibili affectus consolatione, vbi intellexi, nostræ quoque Nationi, in ista celeberrima ciuitate, Ecclesiam fuisse concessam, beneficio atque clementia primum quidem Dei nostri: deinde Christianissimi non tantum titulo, sed reipsa Regis vestri. Cæterum, quod me in Pastorem elegerint, vobis quoque electionem hanc approbantibus, ago quidem & illis & vobis quantas possum gratias, & cupio, cum toti Christi Ecclesiæ omnibus in locis, tum præsertim meæ Nationi, in ista vestra vrbe, pro hoc tempore, inseruire: sed quam sim tanto oneri (est enim, vt scitis, longè grauius regendæ Ecclesiæ Ministerium, quàm simpliciter in Schola docendi officium) sustinendo, dignéque ferendo idoneus, nemo post Deum, melius me nouit, quippe, qui non solum sciam, (vt & alij omnes) quæ in Pastore requirantur, sed etiam quæ in me desiderentur, optimè videam. Interim tamen, quia etiam non me latet, quid possit, & quid promiserit Dominus iis, qui sibi vocanti, prompto & hilari animo assentiuntur, propterea fisus Domini nostri auxilio, oblatum Ministerium, quod me attinet, non recuso. Cæterum, quia neque ego sum adhuc mei iuris, neque etiam Magistratus quid de me statuerit (pendet enim adhuc caussa nostra) significauit: discedere autem vel caussa tanta pendente (est enim ea de maximis articulis nostræ religionis) vel Magistratu inuito, aut inscio, per pietatem Christianam non licet: idcirco neque certum adhuc responsum dare vobis, & meis fratribus Italis possum, neque in præsentia ad vos me transferre. Proinde precibus ad Dominum opus est, qui Magistratui & lumen, quo verè caussam cognoscat, & animi fortitudinem, qua intrepidè, & sine vlla προσωποληψία, de tota caussa, secundum verbum Domini pronunciet, largiter donet, vt post definitam caussam, ego quoque vel ad vos conuolare, vel saltem certum dare vobis responsum possim.

Literas, quas ad Senatum nostrum scripsistis, non reddidimus, quia qui tenent mores Senatus, dissuaserunt. Illas enim nihil ponderis habituras, cùm non sint nisi ab vno, illoque Dominis nostris incognito subscriptæ, quanquam totius Ecclesiæ nomine: aliis opus fore literis, quibus aliquot vestrum, nomina sua subscribant, & sigillo consignent: quibus si accederent literæ vel alicuius Principis, vel saltem gubernatoris, foret meo iudicio, consultissimum. Libenter enim Magistratus, Magistratibus & Principibus gratificantur. Amari autem vestram gentem præsertim piam, & quàm maximi fieri vestros Principes à nostro Magistratu, extra omnem controuersiam est. Quare dubitandum non est, quin Magistratus noster sit vobis, quacunque potuerit ratione, gratificaturus. Ego verò amplector vos spiritu in Domino, amplexurus etiam coram, cum Domino Deo nostro libuerit. Interim valete, fortes estote, & pro nobis orate: Dominus autem studiis, conatibus, & laboribus vestris faueat, & adsit suo spiritu, AMEN. Cupio caussam hanc nostram precibus Ecclesiæ commendari. Iterum valete in Domino, Argentina 19. Ianuarij. 62.

Vester in Domino frater, vestrûm omnium obseruantißimus

H. ZANCHIVS ITALVS.

H. Zanchij ad D. Iohan. Sturmium. S.

VT tu valeas, mi D. Sturmi, nescio, scire autem cupio. Ego & familia valemus optimè: tantum desideramus veterum amicorum suauissima consortia. Non desunt quidem hic amici: sed non sunt illi, quos isthic reliquimus: Mihi crede, sum sæpenumero tecum, & videor te & reliquos amicos videre, alloqui, & vobiscum ridere. Hæc meminisse, suaue quidem est vna ex parte: sed ex altera relinquit in animo nonnihil mœroris. Veniam igitur ad alia.

Nihil iis Nundinis. Non enim potuit obtineri, quod volebam. Caussas non est necesse explicare. Cogor aliò mittere, vt saltem in sequentibus habeamus.

Quo in statu essent res tuæ, quotidie quidem desideraui intelligere, sed nunquam potui, nisi quantum D. Massarius significauit, te reduxisse cum 3000. exspectatorum in dies tria alia millia, quæ cum non adferrentur, mox in Galliam rediisse. Inter etiam te & hominem illum, eandem manere simultatem ob caussam pecuniariam, quæ antea.

Tu vales ingenio, prudentia, consilio: tu tenes scripturas: nosti voluntatem Dei: expertus es iudicia diuina. Nemo grauius in alium peccauit, quàm nos in Deum: nemo tamen facilius ignoscit, quam Deus. Est tamen Deus sui honoris zelantissimus omnium. Nihil igitur honorificentius, nihil generosius, nihil diuinius, quàm offensas condonare dolentibus, supplicantibus, resipiscentibus. Adde quod nihil etiam condonanti vtilius, salutarius, beatiùs. Abstergitur cor labe vindictæ: conscientia manet quieta: mens metu iræ Dei liberatur: fiducia de obtinenda vicissim nobis venia in Deum erigitur: spiritus lætitia vera perfunditur: exilimus gaudio, beatè viuimus.

Quis est autem scopus omnium scripturarum, in quem perpetuò collimare, & studia nostra omnia dirigere debemus, nisi (vt ait Apostolus 1. Tim. 1. *Dilectio è corde puro, conscientia bona, fide non ficta*? Quam breuis sit nostra hæc vita, quis ignorat? In beatam illam non patere aditum hominibus impuri cordis, malæ conscientiæ, fidei simulatæ, vindictæ cupidis atque studiosis, quis nescit? Mi Domine Sturmi, incumbe lectioni scripturarum, precationibus, studio pietatis, & quid sit esse beatum senseris. Anxius sum, mihi crede, & solicitus de tua salute, quiete animi atque mentis. Hanc tibi precor quotidie à Domino. Nam aurem amem, nec ne, nosti iam satis. Contemne tu Mundum, & felix fueris. Peto etiam & rogo, de rebus tuis me facias certiorem. Iubeo autem saluere charissimam coniugem tuam, socrum, D. Bothsemium, & amicos tuos omnes atque meos, Conradum & reliquos collegas. Vale.

Tuus H. Zanchius.

Hieronymus Zanchius eidem.

DE statu meo rerumque mearum, opt. Sturmi, intelliges ex Massario nostro: ad eum enim fusè descripsi. Non est autem opus, vt eadem tibi à me literis repetantur: cum is possit & debeat coram ad te illa referre. Tantum hoc addam, me non semel cupiuisse, vt per hanc æstatem mecum esses, in hoc meo syluestri quidem, sed tamen frigido & à molestiis hominum vacuo, & ad philosophandum accommodatissimo monte: idque tum tui, tùm mei etiam animi gratia. Nam præter ea, quæ animi recreant, sacros libros & amicas Christianasque collocutiones & quotidianas ad Deum preces: nihil etiam eorum, quæ ad honestam corporis voluptatem attinent, nobis defuit: quanto minus, si tu adfuisses: heri etiam habuimus conuiuiolum, vbi affinis Laurentius & ego tibi de Runcalico. Tu dixisses esse Burgundicum, at ego certè Burgundico hoc genus nostrum præfero, sed quod non potuit hoc tempore: aliàs, spero, nobis concedetur.

Interim tu valeas corpore, & animo sis quieto & tranquillo in Domino Iesu: ad illud, adiutorem habebis Massarium: ad hoc verò alterum, non tantum proderit, sed etiam planè necessaria fuerit quotidiana non intermissa, attenta non perfunctoria S. literarum lectio: eaque cum precibus & studio Christianæ vitæ ac pietatis coniuncta.

Non possum tibi satis explicare, mi cariss. Sturmi, quantum me in fide Christiana, in spe æternæ vitæ, in tolerantia crucis: confirmarit hoc turbulento tempore, lectio Prophetarum: atque inprimis illius verè diuini Danielis. Video enim impleta fuisse, quæcunque longè antè prędixerat: principio de Monarchiarum ortu, statu atque interitu: idque minutissimè, ita vt non rerum futurarum Propheta: sed præteritarum narrator atque historicus fuisse videatur. Deinde de regno Christi, hoc est, quæ prædixit de 70. annorum hebdomadibus: à liberatione populi è Babylonica captiuitate, vsque ad aduentum Christi: de redem-

ptione populi Dei à peccatis & æterna morte per mortem Christi: de abrogatione legalium sacrificiorum totiusque legis Mosaicæ: de abominanda desolatione templi: totiusque vrbis per militem Romanum excidio. hæc omnia & alia infinita propè, à Daniele prædicta, impleta videmus. Quod verò prædixit de perpetua piorum cruce, vsque ad finem Mundi, qua prædixit eos mundatum, purgatum & excoctum iri: quotidie impleri non tantum in aliis cernimus, sed etiam in nobis ipsi sentimus. Vnum adhuc superest implendum: nempe illud quod prædixit de Resurrectione mortuorum, aliorum quidem ad æternam vitam: aliorum verò ad opprobrium & damnationem perpetuã. Et quidem tribus notis discernit Daniel, eos qui saluantur per Christum, ac proinde etiam resurrecturi sunt ad æternam vitam, ab illis qui non seruantur & resurrecturi sunt ad perpetuum opprobrium. Prima est electio æterna, quã vocat scriptionem in libro: *Seruabitur*, inquit cap. 12. *populus tuus*. כתוב בספר כל הנמצא. Secunda est vera Dei cognitio, quam Scripturæ alibi vocant fidem per caritatem efficacem. atque iis etiam dat perseuerantiam. sic enim ait cap. 11. ועם ידעי אלהיו יחזקו ועשו. facient, id est, ex sequentur, quæ sua postulat vocatio. facient autem quia fortes erunt. fortes verò erunt: quia fideles: & suum verum agnoscunt Dominum. procul dubio autem ideo fideles: quia scripti in libro. fides igitur Electorum, & efficax est & constans vsque in finem. Tertia, quæ ex secunda sequitur, est continua carnis per varias cruces mortificatio, in c. 12. cùm ait: ויצרפו רבים יתבררו ויתלבנו. *Isti multi, sunt omnes electi*. sed hanc crucem, præcipuè notam facit verorum doctorum cum ait: cap. 2. ומשכילי עם יבינו לרבים ונכשלו בחרב ובלהבה בשבי ובבזה ימים.

Ideò tecum Hebraizo, mi Sturmi, quod audio te totum incumbere in huius linguæ studium. atque vt in eo strenuè pergas, hortor & rogo. etsi enim canus es: multum tamen breui profeceris, si volueris nosti enim qua ætate Cato ille operam dare cœperit Græcis. tu verò non eras etiam ante, illius ignarus.

Sed vt redeam ad nostrum Prophetam, quantam putas me cepisse hinc consolationem & fidei confirmationem, cùm vidi eorum, quæ prædixerat Daniel, omnia ferè esse completa: quædam quotidie impleri: & vnum duntaxat superesse complendum: articulum nimirum de resurrectione mortuorum: electorum atque fidelium ad vitam æternam: reliquorum verò ad æternam condemnationem? Quomodo vero de hoc postremo dubitare possimus, qui videmus ab eo Propheta hanc etiam prædictam fuisse, a quo reliqua omnia quæ impleta videmus, fuerunt prædicta? Etiamsi reliqui & Prophetæ & Apostoli de hoc articulo nihil scriptum reliquissent: tamen vnius Danielis, qui nihil prædixit quod non sit completum, satisfacere deberet testimonium, cuique viro aliqua ratione prædito. Quid autem magis consolari potest animos fidelium afflictos, siue in quotidianis crucibus, siue in ipsa morte: quam hæc certissima scientia de resurrectione credentium in Christo, seu, vt loquitur Propheta: המשכילים, ad æternam beatamque vitam? Vnde autem huius rei certitudo, ideoque hæc & aliæ omnes consolationes? Tu vides eas in animis nostris ex continua & attenta S. literarum lectione, tum studio non tantum cognoscendi, sed etiam faciendi voluntatem Dei, coniuncta, à Spiritu S. excitari. Tu ipse cùm aliàs millies: tum cum equitaremus per Lotharingiam: expertus es, immo sensimus ambo, quantum consolationis adferret nobis perpetua Psalmorum Dauidis lectio, & inter equitandum de S. literis amica collatio, atque collocutio. Sunt, sunt certè reliqua omnia studia fumus & vanitas. solum studium S. literarum & veræ pietatis, quam in fide erga Deum, caritate erga proximum, & nostri veteris hominis mortificatione, positam esse nosti: illud est quod nos verè beatos tum in hoc, tum vero multo magis in altero sæculo reddit.

Hæc vero non idcirco ad te scribo, mi Sturmi, quod opus habeas mea ad istud studium exhortatione: sed tantum vt partim intelligas, me, quem scio a te amari, licet multis agitatum procellis: in iis tamen omnibus Dei beneficio, & S. Scripturarum lectione ita sustentatum fuisse & sustentari, vt factus sim in fide confirmatior: & nunquã maioribus quam nunc consolationibus affectus fuerim. partim etiam vt scias, quantum tibi gratuler istud non tam linguæ sanctæ quàm ipsius sanctæ Scripturæ studium ad quod, quemadmodum ex literis opt. fratrum D. Massaij & Conradi Huberti, cum magna voluptate intellexi, totum animum adiecisti, & omnes felicissimas ingenij tui vires atque neruos intendisti. Ita certè gratulor, vt nihil magis: quippe qui sciam, nihil etiam tibi magis profuturum quàm illud. quid tibi? immo & Scholæ tuæ & Ecclesiæ Christi.

Gratulor tibi etiam tuum ex Galliis reditum, quem credo fuisse felicem, omnibus ex sententia confectis negotiis. Domesticam vero tuam constantiam laudo. Nam satius etiam domi nos continere cum amicis & bonis viris: quam foris versari cum inimicis & improbis hominibus.

Sed quid sibi vult, quod cum ego multas ad te tu nullas vnquam ad me post meum à te discessum?

Quam vero inchoaueras epistolam in Lotharingia ad Zambræum, optarim perfici & saltem ad me mitti. Nam mihi prodesset. Intelligis quid dicam. non enim omnia teneo: deinde scis, me non esse ita felicem, vt multa possim simul & breuiter & dilucidè vt tu. Reliqua ex Conrado nostro cariss. Cupio vero per te salutem meo nomine dici Principi Illustriss. P. L. totique illius nobili familiæ: deinde nobiliss. viro Claudio Pacheleco, nostro compatri carissimo Doct. Borshemio, vxori tuæ & commatri meæ carissimæ: foetui etiam obseruandæ, omnibusque istis tuis lectiss. iuuenibus commensalibus, postremo collegis & amicis omnibus: inter quos meus Hugo.

Vale & amicitiã cum veris & probatis amicis omnibus modis continues velim. 18. Augusti ex Montibus Pluriensibus. 1564.

H. Zanchij ad eundem. S.

QVas dedisti vir Clarissime, nono Ianuarij, eas accepi 23. Quod nullam feceris mentionem mearum ad te missarum per quendam nostratem ciuem, qui veniebat ad Nundinas vestras, inde coniicio, tibi non fuisse redditas. Nihil tamen erat, quod vel tibi, vel mihi, etiamsi ab inimicis interceptæ sint, fraudi esse queat. Doleo tantum propter alium fasciculum literarum, quas mittebam ad affinem meum de nostris negotiis. Sed hæc est Christiana charitas eorum, qui cum non possint vbique esse, volunt tamen scire, quid vbique fiat & dicatur. Deus det illis meliorem mentem.

Quæ aduersus te acta sunt, & doleo & gratulor. Doleo factum, propter sui indignitatem, & tantæ vrbis erga te, ingrati animi crimen. Gratulor vero tibi propter caussam facti. Eam nemo non videt fuisse, quia bonam Ecclesiæ caussam, constanter, & cum non paruo fructu, Deique gloria defendisti. Cur igitur tibi non gratuler, cum videam, Dominum Iesum nolle te suo carere insigni, quo omnes suos Martyres ornare solet? Perge ergo strenuè, nec metuas homines, sed Deum. Nam vincet tandem Galilæus, & dominabitur in medio inimicorum suorum. furores reprimet Dominus. Factum bene. Habes refugium & in cœlo, & in terra. Non solum actæ, sed etiam lectæ sunt gratiæ. Optimè tu apud nos: quia habes Principem inprimis, eiusque consiliarios, & deinde alios non paucos amicos. Tu me nosti: ad extremum vsque te non deseram. Magnæ laudi mihi duco, quod tota posteritas intelligat, me tibi fuisse amicum constantem & sincerum, ac fidelem sicut etiam Princeps noster profitetur in suo insigni.

De telis quatuor ego non memini. Sed credo me tenere saltem mediocriter, quis sit status caussæ, quæ illorum argumenta, quid respondendum, quomodo refutandi. Non enim semel, neque oscitanter legi Chemnitij librum. Vna est principalis conclusio illius libri, nempe, *vbicunque celebratur Cœna Domini, ibi realiter & sua substantia præsens existere corpus Christi*. Syllogismus, quo probatur, est, quia corpus illud, hoc est, humana illa natura hoc potest & vult. Posse probat à reali communicatione idiomatum, eoque & omnipotentiæ. Hanc conatur probare ab vnione hypostatica duarum naturarum. Hic igitur multas implet chartas de Deitate, de humanitate, de vnione hypostatica, de consequentibus vnionem. Deprehendi autem, in citandis Patribus nonnunquam desiderari fidem merito posse.

Quia autem vidit homo astutus, & negotij huius intelligens exceptiones quæ possint fieri, imo blasphemias quæ sequuntur, ideo anteuertit distinctionibus: & negat humanam naturam factam esse omnipotentem, &c. in se, essentialiter, formaliter, subiectiuè: concedit corpus Christi esse finitum, & eum certa membrorum συμμετρίᾳ. Negat esse vbique, cum Deitate scilicet extensam: affirmat, esse

certo

certo loco,&c. vt non queas dicere,illum à nobis dissentire. Sed ex collatione aliorum locorum euincitur secum non constare. Ita sese aperit campus ad disputandum, quæ disputatio si scriptis agatur, nullum vnquam habebit finem. Si coram institueretur, meliorem sperarem exitum. Hic igitur omnia dici non possunt. Atque hæc de potentia.

Quod autem velit, tam ineptè probatur, vt nihil ineptius. *Hoc est corpus meum:* Ergo vult suum corpus realiter & corporali præsentia esse hic, vbi Cœna administratur. *Ecce ego vobiscum sum*,&c. *Ergo*,&c.

Hæc mihi extorsisti tua petitione, neque plura potui in præsentia: Et hæc etiam festinanter.

Rogo verò in tuis scriptis caussam agas, sine conuiciis, & aliis, quæ non ædificant, neque tuam decent ætatem: iuuenum, quibus nimium ebullit sanguis, & accensa est bilis, sunto ista. In cœlum dirigendi sunt oculi, quos ideo Dominus vult caligare, vt ne intueamur in res corporeas, sed in cœlum oculos mentis intendamus. Vale,& viue, atque saluta amicos.

AD EVNDEM.

SQuæ multis, magnisque laboribus ædificantur à sapientibus, mi D.Sturmi, ea cito & facile à fatuis euertuntur, quippe qui neque præteritorum recordantur, neque præsentia attentè considerant, neque futura prudenter præuident, finemve respiciunt. Sed & illud verum est, Regnum Israel fuisse à iuuenibus & imprudentibus consiliis perditum, vt hinc discamus, non facile iuuenum, sed senum plerumque audienda esse consilia.

Ego verò tamen tibi magis gratulor, quàm doleam vices istas tuas. Apostolus scribit, singulare esse donū, quòd quis non solùm in Christum credat, sed etiam patiatur pro illo. Quis autem amico condoleat quod beneficia à Deo accipiat? Adde, quod actiones Dei sunt admirabiles & suspiciendæ, qui dum vnum punit, alteri consulit: & hunc indurando, alterius miseretur, vt Iudæorum lapsus, salus sit & resurrectio Gentium. Quid verò honorificentius, quàm fieri conformes imagini Filij Dei? Imò oportuit Christum pati,& ita intrare in gloriam suam: Et, *quicunque volent piè viuere in Christo, persecutionem patientur.* Neque tu solus es, sed habes exempla multorum, eorumque non vulgarium. Deus tibi plura, maiora, meliora præstat quàm possis optare: sed quod facio, tu nescis modo, dicebat Christus Petro, scies autem postea. Modò retineas fidem & bonam conscientiam, mi D.Sturmi, ne dubites, Iesus Christus suo corpore in cœlo est: sed suis oculis omnia videt, & vt Rex omnium, omnia regit, ad gloriam nominis sui, & ædificationem Ecclesiæ. Hoc retineamus fundamentum. Vale,& esto vir. Saluto autem tuam & tuos. Neust.23.Decemb.81.

T. ZANCHIVS.

H.Zanchij ad Dauidem Cailletum.

SVehementer doleo, charissime atque obseruandissime frater, literas quas ad te initio Ianuarij scripseram, non fuisse redditas, prorsus fuissem inhumanus, si non ad tuas illas priores officij plenas respondissem. Vide quibus sæpenumero credamus literas nostras. Sed bene habet, quod cum illas descripsisset Fridericus, αὐτόγραφον mansit apud me. Ne frustra scripserim, & vt scias, imo videas me respondisse, illarum exemplum ad te mitto. Ergo persuasus esto, te non tam parui à me fieri propter pietatem & virtutem tuam, vt vel literas tuas contemnere, vel officia amici, si quæ possim præstare, negligere queam. Illud magis doleo, quod in illis, quas tibi scripseram, erant etiam aliæ ad pastores & seniores Ecclesiæ Lugdunensis, & ad quendam nostrum Italum. Illi quoque boni viri iudicarunt credo, se fuisse à me contemptos. Ignoscat Deus perfidis tabellariis.

Noua quæ scribis, magna cum voluptate legi, & quibuscunque potui amicis communicaui, qua de re omnes tibi agunt gratias, & Sturmius, pastorque noster, & alij te salutant. Massarius iturus in Italiam, exspectatur in dies. Facinus verò illud crudelissimum, Deus non sinet impunitum.

Quod scribis de Domino N. vehementer miror: sed susceptæ conditionis, seu vocationis non debet te pœnitere. Qui enim te vocauit Deus, idoneum etiam tuæ vocationi perficiendæ te faciet. Exemplum cape à D.Taffino. Is quoque iuuenis & in Theologiæ studio parum versatus erat: diffidebat & ipse cùm vocaretur Metas. Hortatus fueram, sicut te quoque hortatus sum & hortor, idque eadem ratione, quod Dominus, qui vocabat, daturus quoque ea esset, quæ ad eam vocationem dignè obeundam necessaria forent. Nunc Metis ita in suo Ministerio se dignè & strenuè gerit, vt omnibus sit maximæ admirationi, mihi verò stupori. Videbar enim videre Timotheum iuuenem, qui ita se gerebat in vita & officio Episcopi, vt ipsius adolescentiam omnes venerarentur atque suspicerent. Quanta de Ieremia illo, qui inseruiebat Domino de Salenis, audio? Ergo te quoque coniice totum in manus Christi, & sinas illum in te, & per te agere. Christus enim est qui loquitur & viuit in nobis, si nos verè simus membra Christi. Non profero in medium exemplum Mosis, Ieremiæ, & aliorum ferè omnium Prophetarum, qui indocti atq; imperiti & balbi ad munus Propheticum vocabantur, qui tamen quales postea Dei gratia fuerint, & quomodo se gesserint in suo quisque Ministerio, ipsorum libri & historiæ docent: non, inquam, cito hæc exempla, quia & vetustissima sunt, & scio quid ad hæc responderes. Accipe igitur ista duo recentia, & inde sume animum. Dominus, crede mihi, operabitur per tuum ministerium, mira ad instaurationem sanctorum. Confide igitur, spero igitur exercitium concionandi tuo corpori profuturum: cogeris enim sudare, præsertim si vocem, quantum poteris, intenderis in reprehendendis sceleribus, & refutandis hæresibus. Sudor autem abigit oppilationem. Omnibus igitur modis erit tibi salutare, si accesseris animo promto atque hilari ad Ministerij Ecclesiastici functionem. Caussæ, vt spero, & audio, breui finis imponetur feliciter. Hoc perpetuo curatum est ab aduersariis, ne vlla admitteretur disputatio, aut colloquium, & ego inauditus damnarer. Sed Domini tandem decreuerunt me audire. Rogato igitur Dominum pro nobis. Vale & Dominum Caluinum, deinde Pastorem Italicæ Ecclesiæ, D.Marchionem, & reliquos fratres, salutare iubebis meo nomine. Argent.15.Maij.62.

Tuus in Christo frater

H. ZANCHIVS.

H.Zanchius ad eundem.

SCùm tuas domum reuersus legi, mi carissime Dauid, non parua fui affectus consolatione: & defessus cùm essem, non parum recreatus. visus enim fui, te coram, propter gloriam Dei, quod quotidie mundi tenebras magis ac magis lux Euangelij discutiat, ridentem, vt solitus eras, gestientem atque exsilientem videre. Ego verò tibi ex animo gratulor tuam vocationem atque functionem. est enim planè diuina: ac proinde certum etiam habes tuæ electionis testimonium. quo quid iucundius in hac vita contingere nobis potest? Nunc vides, in quodnam studium tibi sit incumbendum: & dum istic es, cura vt ex sancto illo viro, rationem aliquam capias studiorum tuorum, quam toto vitæ tuæ curriculo persequaris, tam in legendis Scripturis: quàm in locis communibus colligendis. Deinde ex illius Institutionibus collige in aliquem librum: illos præcipue locos qui controuertuntur hoc tempore inter nos & Papistas, aliosque hæreticos: iis postea, si quid inter studendum S. literis, vel in lectione Patrum, vel in commentariis doctorum virorum nostri temporis, vel alia ratione tibi occurrat, quod ad eos locos pertineat, illud addes. ita intra paucos annos, magnam tibi supellectilem parabis. Sed præter hoc meum consilium, consule, vt antea cœperā dicere, D.Caluinum, & illius sequere consilium. Quod autem attinet ad tuam erga me beneuolentiam & voluntatē, & si illa quidem iamdudum mihi fuit perspecta: gratissima tamen fuit illius in tuis literis significatio: amo enim te & tuam virtutem, proinde cum etiam me à te redamari audio, atque video: non possum non magnam inde capere voluptatem. Porrò ago gratias pro officio quod fecisti cū D.Caluino. doleo autem vices N. quanquam non dubito quin sit in cœlis, doleo, inquam, quod supra tam bonum & firmum fundamentum, tales paleas & ligna, ne quid gra-

uius dicam, struxerit. Nam certè magnum dedit Ecclesiæ damnum, præsertim in Germania, illis suis Philosophicis cogitationibus. Ceterum quod ad hoc dogma attinet: habeo quæ meis aduersariis opponam ex duobus Martinis Germanis, Luthero & Bucero, permulta. Etenim virorum aliarum nationum testimoniis vti in hac caussa contra hos homines nihil prodest: cum ipsum etiam Augustinum, quia non fuit Germanus, sed Aphricanus, ex professo sine vllo pudore impugnandum susceperint. Caussa vero nostra, in eo est statu, vt damnare me non possint: quin multas & Ecclesias & Academias per Germaniam, damnent. Nam præter testimonia Heidelbergensium, Marpurgensium & Io. Pistorij, quæ, vt scis, superiori æstate attuleram: nuper etiam attuli testimonium ab Ecclesia Scaphusiana, Tigurina & Basiliensi: item priuatas quorundam doctorum virorum & Theologorum epistolas quibus eandem doctrinam nostram probant. Quin & Brentius, qui alioqui me propter rem sacramentariam non admodum amat & vix me potuit secundo audire: tales tamen ad Sturmium literas scripsit, vt illis solis omni hæreseos crimine & ego & doctrina nostra liberemur. Bernam non veni, partim quia deficiebant me pecuniæ: partim quia audiueram in ipso itinere, illos misisse nuntium ad Dominos meos, rogatum, vt si nollent amplius vti opera mea, me sibi pro sua Schola Bernensi concederent. Ad vos vero quam lubentissimè multis de caussis venissem. Sed primum longinquitas & difficultas itineris me retinuit: deinde cum ideo ij mei aduersarij hanc doctrinam hæreseos damnent, vt scis, quod dicant, eam esse ex Caluini libris desumptam, & me omnes meas hæreses ex Caluino suxisse: cogita quantum mihi istius Ecclesiæ testimonium profuisset, atque hæc est caussa, cur neque per literas testimonium ab ista Ecclesia postulaui: quia homines impetiti, & Ecclesiam & hominem oderunt: hominem, inquam, illum, quem doctissimi & piissimi quique admirantur atque suspiciunt: & quo Deus ad tantam Euangelij per totum orbem terrarum propagationem, vsus est & vtitur, exsecrantur. O Mundi ingratitudinem! tantam impietatem non feret Deus. det suis qui erant, lumen, vt resipiscant: reprobos vero hostes funditus perdat. Ergo cùm Domini tot habeant testimonia: quid facturi sint, cogitare quisque facilè potest. Multi etiam ex Dominis cœperunt oculos aperire: & nonnulli, qui antea malè informati, toruis oculis me vix adspiciebant: nunc sereno vultu me salutant. Ego hucusque, vt scis, nunquam ad Dominos pro mea caussa veni. nunc cùm annus iam fit elapsus supplicationem sum oblaturus. rogabis pro caussa & pro nobis. Sturmius cum Capitulo, constantissimè pugnat pro Christo. Vxor mea adhuc laborat quartana. filiolam Violanthem iamdudum quartana reliquerat: sed iam per octo dies inuadit eam quotidiana. Ita cruces varias, alias domi, alias foris, sustineo. propter istas etiam profectiones sum exhaustus. sed Dominus sit benedictus: quod & ipsius gloria, inuito mundo, illustrabitur magis ac magis: & me bona corporis valetudine & animi hilaritate, inter tot cruces, perpetuo donat. Marbachius adhuc domi latitat, & quidem, vt audio, perpetuo malè affectus. Melchior incidit in tertianā donec eos Dominus bona valetudine animi primum: deinde etiam corporis. D. Sickingero fuit optimè satisfactum, vbi non solùm literas tuas legit: sed me etiam audiuit: & tibi precatur diuturnam vitam, & omnem Dei benedictionem. vbicunque fueris, tibi, quacumque in re potuerit, gratificaturum, si dignatus fueris se tuis literis. & alia bona verba. Mandauerat vt satisfieret pharmacopolæ: sed vbi repererunt, fuisse à te satisfactum, dixit, te debuisse parcere tuis pecuniis. interim tamen nihil ad te mittendum dedit: satis est, te esse in eius gratia. De mea vocatione, nihil dum scribo. exspectandus primum est exitus caussæ. Quod me attinet, ero libenter Lugduni: sed perpetuo dolebo vices huius Scholæ: nisi aliquis succedat, qui sanam doctrinam defendat atque conseruet. Quibus tuo nomine salutem dixi: vicissim iubent saluere: & gratiam ac pacem à Deo patre & à Domino Iesu Christo precantur. Rogo reuerenter meo nomine salutes virum illum Dei D. Caluinum ad quem certè pudet me scribere & meis ineptis literis tantum virum molestia afficere. Sed quanta illum obseruantia prosequar, tu ipse optimus es testis. Ergo excusato me. Tu vero curato valetudinem tuam frater carissime. Dominus Iesus tibi perpetuo suo adsit spiritu. Argentorato 29. Ianuarij. 1562.

Hieron. Zanchij ad D. Matthiam Erbium Pastorem in Rabstein. S.

Mirabitur fortè tum nobilissima Matrona & Domina, cuius iussu literas ad me scripseras Reuerende Pater tibi, tum etiam humanitas tua, quod citiùs literis vestris non responderim, atque in petitione honestissima, tantæ matronæ morem non gesserim, cui tamen tam cupio in omnibus gratificari, quam qui maximè. Verum, vbi audieritis caussam seræ responsionis meæ, omnem credo ponetis admirationem. Francofurti eram, cum redditæ sunt literæ vestræ vxori meæ: non citius etiam domum redij, quàm nudius septimus: nihil etiam per hoc tempus fuit huc de Galliis scriptum certi, nisi heri primum. Credo iam vos desiisse mirari tardam meam responsionem. Nunc accipite noua. Quem in literis tuis scribis fuisse isthic rumorem, fuit partim verus, partim falsus. Vera hæc fuerunt: Nauarrenum fuisse ita globo vulneratum, vt etiam interierit Rheingrafium quoque fuisse cæsum, & vtrumque quidem in expugnatione Rothomagi, in quo crudelis piorum cædes fuit ab hostibus facta, & Concionator in patibulum suspensus. Hęc Francofurti cum essem, intellexi in Aula Palatini, vbi etiam D. Batonem vestium vidi, & allocutus sum. Huc vero heri fuerunt hæc partim Antuerpia ad socium Condæi, partim ex Galliis ad mercatores nostros scripta, pugnatum esse d. e 17. Nouemb. hora secunda pomeridiana, vsque ad noctem, & in ea pugna superiorem fuisse Condæum, Guisium Ducem in genu grauiter globo fuisse vulneratum, & iuxta quorundam rumorem, ex eo etiam vulnere occubuisse, multos interfectos, nonnullos etiam captos. Lutetiæ schisma esse in populo, quod alij velint Condæum, tanquam legitimum Regni gubernatorem Regisque tutorem, mortuo iam Nauarreno, agnoscere atque recipere, alij nolint. Condæum, postquam egressus fuit Aurelijs, inter veniendum recta Lutetiam, sine magna difficultate aliquot expugnasse oppida, idque ante pugnam cum exercitu Guisiaco factam: habere exercitum numerosissimum, atque munitissimum. Præter equitatum etiam Germanicum multos Gallos ad eum, omnibus ex partibus Galliæ confluxisse, idque propter edictum, quo Condæus post mortem fratris, tanquam verus Regni gubernator, mandarat omnibus nobilibus equitibus Galliæ, vt ad se venirent. quod ni facerent, se & illos tanquam rebelles proscripturum, & eorum bona fisco addicturum. Ex Anglia recens appulisse 12. millia peditum, cum centum millibus coronatorum, iis obuiam iuisse Landalotum vt suis cum illorum iunctis copiis, Rothomagum recuperent. In Prouincia ipsum Andressanum triumphare, interfectis aliquot centenis hostium. Venetiis scriptum fuit, aliquot ante diebus ex 28. Triremibus Hispanicis, quæ adueliebant, Ianuam in Italiam (fortassis propter Galliam) militum aliquot millia, & coronatorum trecenta millia, cùm ad insulam Malicham peruenissent, viginti quinque ab aduersa tempestate fuisse funditus submersas, partim in scopulos illisas, periisseque omnes, & omnia, exceptis mille circiter & centum viris. De tribus reliquis an seruatæ fuerint, nec ne, nil certi vsque ad 6. Nouemb. audiebatur. In Siciliæ etiam portu erant naues circiter decem & septem. Cum accensus fuisset ignis, non dicam forte fortuna, sed Dei prouidentia in ea naui, quæ puluerem vehebat tormentarium, reliquæ non poterant propter aduersum ventum egredi, inde factum, vt omnes illæ naues 17. conflagrarint. Hæc ex Italia. Si hæc omnia fuerint vera, confirmabuntur proculdubio aliis literis & nunciis. Ego vero quam lubentissimè ea ad vos scribam. Nihil enim magis cupio, quam tam piæ matronæ primum, deinde nobilissimis duabus fœminis aliis, nurui eius atque filiæ, & tibi simul, Reuerende Pater, quibuscunque possim officiis inseruire. Interim valere omnes iubeo, & vt me illis commendes, rogo. Argent. 6. Decemb. 1562.

H. ZANCHIVS.

H. Zanchij ad eosdem S.

Facta est quædam concordia inter Pastores Ecclesiæ & Professores Scholæ, quę omnino pernecessaria erat propter publicam totius ciuitatis pacem. Ea concordia duo habet

habet capita: Vnum est omnium præteritarum iniuriarum condonatio atque ἀμνηστία: Hoc admisi sine vlla difficultate, quòd sic iubeat Dominus meus Iesus. Alterum est formula quædam doctrinæ, tum de Cœna, tum de prædestinatione, iuxta quam posthac in Schola & Ecclesia doceatur, ad euitanda dissidia. Formula de Cœna, breuis & generalis est: nempe, vt ex verbo Domini de ea doceatur iuxta Augustanam confessionem & eius Apologiam nuper Naumburgi à Principibus Imperij confirmatam & subscriptam: & vt vtantur verbis concordiæ olim inter Lutherum & Bucerum factæ. Doctrina de prædestinatione in certos articulos distributa est. Hi articuli etsi per se, si habeant æquum interpretem, non sint planè impij, ita vt à pia conscientia possint admitti, sunt tamen propter ambiguas quasdam, & malè sonantes voces immundi, ita vt non possint etiam nisi immunda conscientia simpliciter subscribi. Hac de caussa recusaui simpliciter illis subscribere: sed si liceret, cum protestatione, me id propter publicam pacem atque concordiam Scholæ & Ecclesiæ facturum. Concessa fuit mihi, modo ne in subscriptione vllam ponerem exceptionem: sed verbis tantum coram omnibus protestarer. Nolui etiam ob hanc caussam, tantum bonum ego vnus impedire. Sum igitur protestatus hæc tria: Primum, me nolle, vt hac mea subscriptione aliquid derogetur, aut præiudicetur aliis Ecclesiis, Scholis, & veritati. Deinde, vt nihil derogetur aut præiudicetur doctrinæ, quam per decennium in hac Schola docui, & quæ continetur in meis prælectionibus, disputationibus, & confessionibus. Postremò, vt mihi liceat, tam hos articulos, quàm Augustanam Confessionem, Apologiam, & articulos concordiæ inter Lutherum & Bucerum, interpretari iuxta regulam verbi Dei, doctrinam Augustini, Lutheri & Buceri. Deinde ita subscripsi: *Hanc doctrinæ formulam, vt piam agnosco, ita etiam recipio, ego Hieronymus Zanchius*, vbi illud *vt* accipio pro *quatenus*. & *ita*, pro *eatenus*. Non agnosco autem totam illam doctrinam simpliciter piam. Non simpliciter igitur eam probo aut recipio.

Quatuor autem præcipuæ fuerunt caussæ, quamobrem diutius noluerim detrectare illi formulæ subscribere.

Prima, ne publica pax atque concordia per me vnum impediretur. Altera, ne Ecclesia Gallicana, mea culpa euerteretur. Hoc enim minabantur. Tertia, ne quæ sparsa de me fuerant calumniosè & falsò, (contraria autem multa iis articulis fuerant de me sparsa in vulgus) tanquam vera confirmarentur: postrema, ne toti meæ bonæ caussæ, vllum facerem præiudicium. Nisi enim subscripsissem, cum ignominia (vt mihi asserebatur) eiiciebar vrbe. Quantum autem hoc obfuturum fuisset causæ, nemo non videt. Cùm igitur possem bona conscientia, præmissis protestationibus, cautè articulis subscribere, & subscriptione omnia ista mala atque incommoda euitare: malui subscribere, quàm propter aliquam meæ existimationis iacturam tot mala vt euenirent, subscriptionem detrectando, efficere. Interim tamen controuersa doctrina nondum est diiudicata, id quod disertè non semel Sulcerus mihi dixit, se tantùm venisse, vt post condonationem iniuriarum, in formulam doctrinæ in posterum consentiremus, qua & pax fieret, & concorditer posthac in Schola & Ecclesia doceretur. Habes, quid actum sit, mi pater Erbi. Non dubito, quin varij rumores hac de re mox sint spargendi, vt fieri solet. Sed res ita habet. Ac cùm danda esset dextra Marbachio, & aliis, diu hoc etiam recusaui, quòd vellem priùs scire, an doctrinam, quam hæreseos damnarunt, adhuc pro hæretica haberet, nec ne: non enim posse dari dextram, nisi priùs consensio sit in doctrina de religione. At Sulcerus mihi affirmauit, in duos tantùm fines peti, vt detur dextera: quorum vnus erat, vt illo Symbolo testificaremur, nos ex animo iniurias inuicem condonasse: alter, vt Symbolum etiam esset, nos ex animo in formulam illam doctrinæ consensisse: Hac verò dexteræ porrectione nullum fieri præiudicium controuersæ reliquæ doctrinæ, quæ à se non fuit indicata.

Pax est facta in Galliis, & Rex, Regina, Condæus & Connestablius erant Aureliis. Condæus vnà cum matre Regnum administrabit loco fratris demortui. Ex sex fratribus Guisiacis, duo sunt mortui. Guisius Dux & magnus Prior Franciæ, vnus grauiter ægrotus Omnalius. Vnus captiuus Ammiralij, Marchio de Buf. duo tantum Cardinales viui & liberi, & vt creditur, sani. Si hæc non sunt iudicia Dei, nescio quid sit iudicium Dei. Vale optime Pater, & saluta Dominum.

H. Zanchij ad eundem. 8.

Accepi quas remisisti literas, vnà cum tuis, in quibus præter alia significabas, Generosum & Christianum Baronem domi esse, & mihi tam ipsum quam honestissimam vxorem, & obseruandissimam Dominam Heroinam matrem, salutem dicere, & si quid noui habeam, id vt scribam, rogare. Habeo maximas illis gratias pro tanta erga me beneuolentia, quod me inter suos recipiant. Quicquid igitur in illorum gratiam præstare potero, perficiam quàm lubentissimè. Fuerunt huc perlatæ literæ Antuerpia ad Dominam Roianam, in quibus erat, denuò fuisse pugnatum 17. Ianuarij inter Guisium & Ammiralium, & Guisium, hoc est, eius exercitum fuisse cæsum vsque ad internecionem, ita vt domestici quoque eius famuli ferè omnes fuerint trucidati. Quidam venit Tiguro, & affirmauit, se eadem intellexisse Tiguri. Missas enim fuisse hac de re literas ad Bullingerum Geneua, in quibus singularius etiam scribebatur, duo signa Heluetiorum, quæ superfuerant ex priore pugna, in hac altera penitus fuisse internecioni tradita: idem etiam contigisse, quatuor signis Landtzknechtorum, vt vocant.

Cæterùm ex Galliis nihil hac de re ad Dominam, aut ad quempiam alium ex nostris hic: Imò literas accepit ipsa, Castellodunj esse Regem, Reginam, Condæum, Connestabliumque, & agere illos inter se de pace, cuius etiam pacis magna sit in illis literis spes. Hæc verò pro certis à multis habentur. Scribuntur enim à viris fide dignis: Philippum iterum auxilium petiisse à suis Belgis pro Guisio, aduersus Condæum: Belgas verò iterum recusasse, & legationem ad eum, quæ caussas suæ recusationis explicet, misisse. Item septem signa Anglorum sese tandem cum exercitu Ammiralij coniunxisse. Item Maximilianum, cùm ingrederetur Augustam, & habuisset obuiam (vt fit in Papatu) sacrificos cum processione & pane in argentea pyxide, licet præter alios dux Bauariæ, ex equo adorationis gratia, descendisset, ipsum tamen Maximilianum, nunquam vel ex equo descendisse, vel vllum reuerentiæ signum illi idolo exhibuisse. Domina Roiana agit gratias generosis, D. Baroni, matri & vxori, & vicissim offert omnem beneuolentiam & omnia officia. Caussa nostra, vt spero, breui habebit finem. Mittentur enim (vt audio) Theologi & politici viri a Wirtembergensi & à Bipontino, qui dissidium cognoscant & componant. Præiudicium aliquod hic est: sed veritas tandem vincet. Vale: Generosum autem D. Baronem, cum matre & coniuge multum meo nomine saluere iubebis. Argent. 4. Feb. 63.

T. H. Zanchius.

H. Zanchii ad eundem.

Accepi nunc ipsum, Reuerende Pater Erbi tuas literas, nomine piæ & illustris matronæ ac Dominæ vestræ scriptas, ex quibus facilè quid à me cupiat, intelligere potui. Ego verò cupio illi & Domino Baroni, & tibi gratificari. Quod igitur possum illud præsto. Accipe paucis. Pugnatum fuit die 19. Decemb. 1562. ter. Inter nostros, qui non erant supra 23 millia. In prima pugna, nostri fuere victores, cæsis Heluetiis & Hispanis, captoque inter multos alios Magno Connestablio. In secunda, aduersarij fuerunt superiores, capto Imperatore Condæo, & cæso eius peditatu. Huius calamitatis caussa duplex fuit. Vna, quod nostrorum alij in deducendis captiuis, alij in spoliis colligendis occupati erant: omnes verò propter primam victoriam securi. Altera, quòd Germanicus peditatus, excepto signo Argentinensi, pugnare noluit. In tertia tamen pugna, nostri itidem fugarunt hostem, multis cæsis, & aliis interfectis. Maior clades fuit hostium. Fuerunt enim ex illis interfecta supra 8. millia: capti verò quàm plurimi. Ex nostris ad 2. millia, partim capti, partim cæsi, partim interfecti. Mitto copiam binarum literarum ex Gallis missarum ad socrum Condæi, Gallicè, non deerunt qui vobis eas interpretentur. In istis summam omnium habetis descriptam fideliter. Sed hac lege mitto, vt illam copiam ad me per fidum nuncium remittatis quam primum.

Præter ea, quæ habetis in literis Gallicis hæc quoque hodie ab Illustrissima Domina accepi: agi de pace, & sperari

pacem. Omnes enim ferè pacis conditiones vtrinque admissas esse, præter hanc quam contendit Condæus, negat Guisius: Condæum, & totum eius exercitum arma sumsisse & pugnasse pro Rege & eius Regno. Admissa est libera religio hoc modo: vt vbicunque antea prædicatum fuerat Euangelium, ibi etiam prædicetur, & tot nostris concedantur in vrbibus templa, quot satis ad eam rem fuerint. Excipitur Lutetia: extra tamen vrbem loca quædam fidelibus Parisiensibus concedantur. Item, vt synodus libera, si non œcumenica, saltem Prouincialis hinc ad sex menses in Gallia habeatur.

Ammiralius scribit, se habere adhuc Equitum 6. millia, sed peditatus ferè nihil. Guisium equitum 2. millia, peditum 12. millia. Summa. Longè melior est nostrorum conditio, nisi quòd Princeps captus est. Nomine vestræ Dominæ obtuli omne obsequium Illustrissimæ Dominæ: agit quas potest, gratias, & vicissim offert, quod potest, omnem scilicet amicitiam, & omnia amicitiæ officia. Cupio salutem dici Generoso D. Baroni, piissimæ matri, lectissimæ vxori, honestissimæ sorori. Te verò Reuerende Pater, vt me Domino Iesu, precibus tuis commendes, rogo. Vale. De filio Condæi, fabulæ sunt. Is est Aureliis cum matre: & Conestabilus in ædibus Principissæ custoditur.

H. Zanchij ad eundem.

Occupatio facit, vt sim breuior, quàm mea erga te obseruantia, mi Reuerende Pater Erbi, & tuus erga me amor postulet. Die enim Lunæ, qui erit primus Martij, inchoabitur colloquium coram Dominis, inter D. Marbachium reliquosque Ministros, vna ex parte: & inter Sturmium atque me, ex altera parte. Aderunt Theologi & politici viri, missi alij à Wirtenbergensi, alij à Bipontino, alij (vt audio) à Basiliensibus mittentur etiam. Rogabis Dominum, efficiat, vt ipsius veritas triumphet, & glorificetur ipse per nos. Noua Gallicana secus scribebantur ad D. Roianam: Ego etiam ad vos & ad generosum D. Baronem scripsi. Si illa fuit falsa: quid mirum, si ego quoq; sim falsus, & alios imprudens fefellerim? Nunc etiam quidam venit Aurelia, & eam obsideri ait à Guisio, & grauiter tormentis bellicis oppugnari. Qui tamen intus sunt, non metuere quia confidunt in Domino, & benè sint muniti. Ammiralium cum 4. millibus, & quingentis Equitibus iuisse ductum Anglos, vt coniunctis copiis oppugnent Lutetiã. Ex Italia habemus, factam esse inter Papam, Philippum, Venetos, Florentinum, Ferrariensem, Mantuanum, Parmẽsem, & Sabaudum, coniurationem contra nos, ipsumque Sabaudum designatum esse Imperatorem totius exercitus, destinataque illi in singulos menses trecenta millia coronatorum: & creditur, ipsos primam expeditionem facturos contra Genenenses aut Lugdunenses. Visuri sumus incendium verè Catholicum, loco Oecumenici Concilij. O beatos, qui in Domino dormierunt! Doleo mi Pater, tuam & spiritus & corporis crucem. Sed tu ante me nosti, hanc esse sortem filiorum Dei, vt à Domino castigentur, ne cum hoc mundo damnentur. Nosti etiam promissionem, Dominum non sinere nos tentari, supra quam possimus ferre, imò facere etiam de tentatione bonum & salutarem eventum. Aueo tecum isthic esse per aliquot dies, vt & ego ex te, & si Dominus vellet, tu quoque ex me, imò vterque à Domino Iesu, qui esset in medio nostri, consolationem aliquam caperemus: & deinde ipsa quoque pia, generosi Domini Baronis familia per te, totius consolationis nostræ fieret particeps. Sed quid agas? Iam occupatiss. ero. Sed si Domino visum fuerit, & velit vsque ad illud tempus (quod faxit, & in eius gloriam, & tuam salutem cedat) te incolumem seruare, fortasse hac proxima æstate transferam me ad vos per vnum aut alterum diem: præsertim si mihi eundum sit ad Tigurinos nostros, id quod, ad meã personam & familiam quod attinet, mihi foret consultius & iucundius: sed an consultius etiam pro gloria Dei, ignoro. Itaque fiet, quod Dominus decreuit, & quod futurum fuerit magis ad suam gloriam. Rogabis igitur etiam Dominum pro hoc negotio. Ego te commendo, Pater Erbi Domino Iesu, & precor, vt quando destitutus es fratre aliquo, qui tibi adsit, & verbo Domini te consoletur, ipse qui est pater omnis consolationis, repleat te omni gaudio, & consolatione spirituali. Vale & læto esto spiritu, vt decet filios Dei, & vt præcipit Dominus, *Gaudete*, inquiens, *in Domino semper, iterum dico, Gaudete, Lætamini in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde.* Iterum vale in Domino. Saluere iubeo generosum Dominum, & piam Dominam, & omnes in Domino. Argent. 24. Feb. 1563.

Tuus ex animo quantus quantus est

H. ZANCHIVS.

H. Zanchius D. Iusto Vulteio S.

Tva, doctiss. Vulteie, de nostra Schola, opinio, iusta est: tua verò de mea erga vestros beneuolentia persuasio, vera est, & concepta spes, vos minimè fallet. Hunc igitur commendatum à te iuuenem, fore mihi quàm commendatissimum, dubitare haud quaquam debes. D. Casparo, fratri nostro, suam gratulor felicitatem. Nam satius certè est, esse cum Christo in cœlo, quàm hic tot tantasque Ecclesiarum ruinas, & Ministrorum rixas, quotidie vel videre, vel audire. D. rectoris consilio & petitioni si non obtemperaueris, malè feceris. Est enim consilium & pium, & prudens, & omnibus modis vtile, imò necessarium Scholæ vestræ. Quod verò ais, sententiam meam doctis & indoctis probari, reuera de qua sententia loquaris, suspicari quidem possum, sed certò scire non possum. Certè meum ad legatum Pontificium de re sacramentaria iudicium, nõ omnibus probatur. Nuper cùm venissem in collocutionem cum vno ex præcipuis aduersæ partis, & dixissem controuersiam hanc de Cœna, mihi videri potius λογομαχίαν, quàm πραγματομαχίαν, vel saltem non esse tanti momenti, vt debeam adhuc de ea columnæ Ecclesiæ Christi, cum maximo cursus Euangelij impedimento, & Ecclesiarum dissipatione, & infirmorum offensione digladiari. Quid ille? Erras Zanchi. Nam primò dissidemus toto cœlo & terra. Deinde non est res parui momenti. In hac enim controuersia, tres præcipui fidei articuli controuertuntur, quos vos negatis, vel saltem corrumpitis, *de vnione duarum naturarum in Christo: de ascensione Christi in cœlum: & de sessione ad dexteram.* Quid responderim ego, non est hic referre necesse. Vides igitur non omnibus sententiam meam probari. Hortabar, vt saltem venirent viri docti in collocutionem, nec perpetuò pugnarent ex hypocaustis. Neque enim bonorum militum esse, eminus pugnare, sed cominus congredi. Neque hoc probabatur. Pernicies Ecclesiæ est αὐθάδεια illa, quam abesse ab Episcopo iure volebat Apostolus. Misereatur Deus suæ Ecclesiæ. Gratulor vobis vestram pacem & concordiam, quodque doctissimis & optimis viris, quibus vestra Schola abundat, nunc etiam accedat & verè pius, & bene doctus peritusque Medicus *Guilhelmus Grataroltus*: confido & illum ita se vobiscum gesturum, vt non pœniteat vos, illum ad vos accersiuisse: & vos vicissim, illum ita tractaturos, vt illum ad vos venisse, nunquam pœnitere possit. In patria mea & sua honoratus erat, & diues: sola pietas illum reddidit pauperem, ita vt etiam postremò dos 800. Coronatorum, vxori sit erepta, tantùm quòd virum virique religionem sequatur. Non dubito igitur, quin si & pietas, & virtus, vobis est cordi, hic quoque vir, & pietate & virtute clarus, futurus sit vobis quàm commendatissimus. Vale.

H. Zanchij ad D. Garnerium. S.

En tandem aliquando, charissime Compater, optatum non tam nostrum, quàm vestrum iam Grataroltum, virum (vt te ipsa comperietis) & in religione purissimum, & in arte Medica excellentissimum. Ab iis duobus, eum apud vos cùm essem, cõmendaui. Non dubito, quin commendationem meam sitis breui vestris omnium calculis comprobaturi. Est præterea cute quidem & barba subniger: sed in omnibus suis, tum colloquiis, tum negotiis candidissimus, atque ita candidus & apertus, vt nonnunquam nimio illius candore, qui hebetioribus sunt oculis, offendantur, & ipse malam incat gratiam. Tu quoque in eodem D. Compater, es albo: & tamen reuera (vt tũ quoque vsu & experientia didicisti) opus est, vel saltem præstat, loco & tempore, in quotidianis colloquiis, & consortiis, multa dissimulare, & in aliud tempus, commodioremque locum ad dicendum, differre. Neque enim omnes homines eiusdem sunt candoris, fidei, probitatis. Tuum igitur erit obseruande Compater, qui diu isthic fuisti, & omnium

mores

mores atque humores melius nosti, quàm iste Medicus, Medicum quomodo debeat se cum omnibus gerere, admonere, sicut me quoque cùm Argentinam veni, admonebas, illius honorem atque existimationem defendere, denique veri amici amico,& fratris fratri,officium præstare. Noui tuam pietatem,noui humanitatem,noui candidum pectus, noui denique & sensi, quanta sit tua in omnes charitas:non dubito igitur,quin plura sis præstiturus, quàm ego possim à te petere. Martyr cùm esset in Galliis, receptis meis literis,fecit pro te officium cum Beza:& reuera fuit Bezæ gratissimum audiuisse, quæ de te scripseram.Me enim tecum fuisse,& reipsa comperisse,quæ de te sparsa fuerant,meras fuisse calumnias.Non dubito,quin si nondum es vocatus, te sint vocaturi. Nam opus habent talibus viris.

Nostri Itali, qui sunt Lugduni, à Rege obtinuerunt,vt ipsis quoque liceat Ecclesiam habere Lugduni, & me in Pastorem elegerunt. Interim discedere hinc non possum pro hoc tempore, tum quòd caussa mea nondum est definita, tum quod nesciam, an Domini velint amplius mea hic vti opera. Breui tamen speramus, Dominos de tota caussa pronunciaturos:Nam præter testimonium vestrum & Heidelbergensium, nuper etiam attuli literas a Brentio ad Sturmium,quibus à crimine hæreseos absoluor: deinde iudicium Schafusianæ Ecclesiæ, D.Ambrosij Blaureri, Ecclesiæ Tigurinæ,& Basiliensis. Omnes doctrinam meam probant. Bernenses verò nuncium ad Senatum miserunt, per quem petierunt,vt si me nolint Argentinæ, concedant suæ Bernensi Scholæ:& hac petitione re ipsa Dominis nostris testificati sunt, meam & personam,& doctrinam sibi non improbari. Damnare igitur me non possunt Domini. Sed quid retardet Dominos,& remoretur,tu ipse cogita: Nisi omnes simul contra me conspirassent,iamdudum fuisset prolata sententia. Sed quod differtur, non aufertur. De statu nostro intelliges ex nostro Gratarolo. Alia noua scribo ad D.Hypetium nostrum, quæ de illo intelliges. Vale igitur,& commatri dicito salutem meo & vxoris meæ nomine,plurimam. Argentorat.22.Ianuar. Anno 1562.

T.ex animo

H. ZANCHIVS.

H.Zanchij ad D.Iuellum Episcopum Sarisburiensem. S.

Est verum,Doctissime Præsul Iuelle,me,licèt te semper, iam inde ab eo tempore, quo eramus Argentinæ, propter tuam singularem tum pietatem,tum virtutem obseruauerim, nunquam tamen ad te scripsisse, & vt debebam, istam tibi dignitatem, ad quam tua te virtus euexit, gratulatum fuisse. Fateor totum hoc esse verum. Sed si quis inde vellet inferre, me igitur parum erga te fuisse & esse affectum, negarem sequelam, & dicerem ab hoc tali homine paralogismum admitti,qui *non caussa vt caussa* dicitur. Aliæ enim sunt causæ, cur hoc officium a me fuerit, non dicam,neglectum,sed omissum,quas si vellem recensere & explicare,longior foret excusatio mea,quàm vt ferre posset patientia tua.Vnam tamen non possum silentio præterire. Ea est,quòd post vestrum in Angliam patriam vestram charissimam reditum, ego mirum in modum fui & terris iactatus & alto, cum maxima rerum mearum iactura,partim ab hostibus veritatis Argentinæ,partim ab inimicis disciplinæ,quibus cum coniungebant copias suas Serueriani Clauennæ, supra fidem vexatus. In iis autem tam magnis tempestatibus, quis omnium & singulorum meminisse posset amicorum? Primis verò gratulandi, vel de aliqua re scribendi occasionibus neglectis, res est omnino superuacanea & intempestiua, illis de rebus aliquid porrò scribere. Mihi autem nullum scribendi ad te argumentum deinceps datum fuit,tua virtute & dignitare dignum,nisi in præsentia. Non defuit quidem mihi caussa aliqua necessaria, sed mea priuata, quæ ad te quoque vt scriberem me non tam commonefaciebat,quàm quasi cõpellebat, verùm, vt ingenuè fatear, non id apud te ausus fui,quod apud quosdam alios, quippe quibus licet maximis viris, familiarius tamen Argentinæ cum essem vsus sum,quàm te. Tu enim discesseras cum Martyre Tigurum, nos manseramus Argentinæ. Inde factum fuit,vt amicitia & familiaritas inter me & reliquos Nobiles ac doctos viros magis ac magis creuerit, non autem inter nos potuerit tam facile coalescere. En caussam vnam, cur nullas ante hac à me acceperis literas. Nunc non potui vlla ratione prætermittere,quin ad te scriberem.Res enim grauis,& te dignissima offertur,quæ me ad scribendum cogit.

Cùm D.Montius ex Anglia, mense Iunio rediisset, indicauit mihi præter alios, denuò excitatum esse dissidium in istis Ecclesiis, de nescio quibus vestibus, quibus velit Serenissima Regina indui Episcopos & Ministros, cum verbum aut Sacramenta administrant. Esse autem non paucos vestri ordinis homines, qui malint & officium resignare,& loco etiam cedere,quam tales admittere vestes. Hinc verò maximam Ecclesiarum illatum metuendã esse ruinam. Se itaque rogare me,vt tum ad Serenissimam Reginam scriberem,eamque sui monerem officij,tum etiam ad illos Episcopos,qui mihi noti sunt, & quibus cum aliqua intercedit familiaritas: ac te cum primis nominabat. Te enim propter virtutem, & propter autoritatem ex virtute comparatam,plurimum posse. Excusaui quidem me,& meas extenuaui vires,sed nulla valuit excusatio.Fui itaque tandem, post multorum amicorum persuasiones, etiam ab Illustrissimo Principe meo id facere officij iussus. Quare coactus scripsi primùm ad Serenissimam Reginam literas, vt confido,non malas,quibus hortor & supplico, vt ne talia audiat consilia, quæ certè cùm officio boni Principis pugnent. Nihil magis est in votis,quàm vt Serenissima ipsius Maiestas,non tam meum, quam omnium meorum Collegarum virorumque piorum,quam Illustrissimi ipsius Principis nostri,consilium audiat. Quod vt faciat,non tã ipsam,quàm Deum rogamus.Verùm quoniam quid factura sit ignoramus, & fieri poterit, vt in sua persistat sententia: interim verò si ipsi etiam Episcopi nolint vlla ratione mutare sententiam, periclitabitur Ecclesia:idcirco iudicarunt fratres scribendum quoque esse ad aliquot præcipuos & prudentiores Episcopos,& rogandos,vt reliquis sint autores,ne,si Regina amoneri nullo modo possit à sententia, ipsi propterea suas deserere malint stationes, quam edicto Regio obtemperare. Non enim videri,cur liceat Pastori suum deserere gregem,quoties ei licet liberè docere,& Sacramenta ex verbo Dei administrare,tametsi aliquid agere cogatur, quod vsquequaque non probetur, modò non sit ex tali rerum genere, quæ per se & sua natura malæ sint.Si enim talia mandentur,dicendum esse cum Apostolis,*Obedire oportet Deo magis,quàm hominibus*:& interim in sua pergendum esse vocatione, suumque sibi curandum esse gregem. Si verò res sua natura adiaphoræ lege mandatóque Regio præcipiantur, quando alterutrum necesse sit,vt aut cedatur loco,aut tali mandato obtemperetur,obtemperandum potius esse,sed cum legitima protestatione, & docendum esse populum,cur & qua lege tali sit à se obtemperatum mandato, quàm exspectandum, dum pastor exautoretur, & gregem alteri cedere cogatur. Esse verò hanc sententiam ita certam, & perspicuam, tum in S.literis,tum apud Patres,& in historiis Ecclesiasticis, vt superuacaneum omnino sit,vllam adferre probationem apud illos,qui vel mediocriter in scripturis sint exercitati. Nunquam enim propter res sua natura adiaphoras, deserenda est vocatio legitima & necessaria.

Hæc tibi Doctissime Iuelle, nota esse non dubitamus. Rogamus itaque te, vt tuam interponas autoritatem, & pro tua eruditione atque prudentia,ita cum aliis Reuerendissimis & colendissimis fratribus, Episcopis agas, vt in sua quisque se contineat vocatione atque statione. Nam, certè nihil aliud molitur Satan, quàm vt quo iure, quáve iniuria, veris Episcopis à suo grege auulsis, tota Ecclesia dissipetur. Est igitur resistendum, ne ille sui fiat impij & sceleratissimi voti compos.Dominus & te,& reliquos omnes pios ac sanctos Episcopos Ecclesiæ suæ seruet, suo regat spiritu,& vestra opera promoueat regnum suum. Vicissim vt pro nobis,atque inprimis pro nostro Illustrissimo Principe Dominum rogeris,etiam atque etiam oramus. Ego verò speciatim me tibi pijssime & Doctissime præsul commendo:Commendo item Rodolphum Gualterum,& Rodolphum Zvvinglium, Zvvinglij illius magni nepotem,vtrumque studiosum & pium adolescentem. De statu rerum nostrarum,ab ipsis poteris intelligere. Heidelb.11. Septemb.71.

H.Zanchius, suo & Collegarum nomine.

H. Zanchii ad Magnificum & Generosum Comitem Ludouicum à VVitgenstein &c. S.

QVòd tibi Magnifice ac Generose Domine Comes, & Compater obseruandissime, vnà cum Magnifica ac Generosa Domina, totáque familia, prorsus à nobis discedenti, non valedixerim coram, id factum fuit non tam, quod tum mihi & cum Typographo fuit negotium, & porro in Scholam eundum erat (secunda enim lego) quam quod malui videri inurbanus, quam meam omnibus prodere infirmitatem animique teneritudinem. Neque enim potuissem illud postremum facere officium sine lachrymis, quarum caussa magis publica est, quàm priuata. Cum mutatur cœlum è sereno in nubilum, afficiuntur & alterantur corpora: quanto magis animi, ex magnis rerum ingratisque mutationibus? Hinc factum est, vt neque scribere sine magno animi mei dolore potuerim literas. Post tuum enim discessum, tristia priuatis etiam amicis contigerunt, quæ ab aliis, non dubito, intellexisti, vel saltem intelligere te magis, quàm à me percupio. Ego consolandi me, & sustentandi caussa, recurro tandem eo, vt cogitem DEVM voluisse & velle noctis & diei vicissitudinem continuari ad finem vsque Mundi: nostri verò esse officij, vt noctu quiescamus, & taceamus Domino: *In quiete autē & silentio, esse fortitudinem nostram. Posuisti tenebras* (inquit Dauid) *& facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ sylue, catuli leonum rugientes, vt rapiant & quærant à Deo escam sibi Ortus est Sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam.* Valdè delector hoc Psalmo, in quo sapientissimam Dei prouidentiam contemplor, quæ vna mirifice me recreat in omnibus afflictionibus meis. Disco enim, hoc esse filiorum Dei officium, vt ne turbemur, si occumbente Sole, magnas subsequi tenebras: sed inde potius intelligamus, nobis tacendum & quiescendum esse, donec denuo redeat dies Vbi autem quiescendum fuerit? In ipsa Dei voluntate & prouidentia, qui omnia sapientissime regit & temperat. Pertinet huc totus Psalmus 37. vbi præter alia ait, *Tace Domino, & spera in eo.* Vtor & illa Apostoli admonitione, *Retine fidem & bonam conscientiam*, vt vt postea res cadant, non nisi bene piis hominibus cadere possunt. Verissimum est illud Apostoli. *Qui piè volent viuere in Christo, persecutionem patientur*: sed nunquid est famulus supra Dominum, aut discipulus supra magistrum? vt verè oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam: ita certa gloria exspectanda est iis, qui propter Christum, sanamque eius doctrinam, aliquid lubenti animo patiuntur. Imo & gratiæ sunt agendæ Deo, quod nobis donarit, vt non solum credamus in eum, sed etiam vt patiamur pro ipso. At reluctatur caro. Verum: sed spiritu superanda est & & fide. *Credidit Abraham Deo in spem contra spem.* Prædicantem, non nisi è tenebris lucem splendescere, quis non rideat? Nihil tamen est certius, tum Physicè, tum moraliter & Theologicè. Gaudium certè illud magnum, quo mater gaudet super nato filio, non nisi ex dolore & tristitia nascitur, vt Christus ipse docuit, & experientia comprobat. *In dolore paries filios tuos*, dixit Deus. Quid iucundius, quam parere filios? sed absque dolore fieri nequit. Ex hoc igitur illud nascatur oportet. Ita mi Generose D. Comes, consolor me meamque familiam, in hac communi magis, quàm propria afflictione. Ad priuata non descendo, quia non expedit: & aliunde potius, quam ex me ea intelligas, peropto. Hoc interim pignore fruimur beneuolentiæ erga nos Dei, quod scilicet nos nostramque familiam totam, seruat incolumes: & præsertim quod profilius tuus, paruus Ludouicus, indies fit habilior & pulchrior luculentissimaque suæ indolis, suique iucundi ingenioli nobis dat specimina. Precamur autem Dominum nostrum Iesum Christum, vt Generosum Dominum Comitem, vna cum Generosa Domina Comitissa, diu nobis seruet incolumem. Prid. Calend. Maij. Anno 77. Heidelb.

T. G.
obseruantissimus
H. ZANCHIVS.

Generosi Comitis Ludouici wittgensteinij ad H. Zanchium.

Ludouicus Comes VVitgensteinius D. Zanchio, Salutem in Domino.

EPistola tua, Doctissime vir, præter amorem & desiderium nostri, iustum animi dolorem testatur, non tam ex priuatis incommodis, quàm publicis calamitatibus conceptum. His dein Christianam consolationem, & verè Theologicam subiungis, qua in afflictionum tenebris pij omnes se erigere & confirmare queant. Principio, hoc quidem mihi periucundum fuit, quod me à viris præstantissimis amari, ac aliquod mei desiderium vobis reliquisse intelligo. Quocirca corpore quidem absens, animo tamen semper (quod & coram sum testatus) ero vobis coniunctissimus. Non possum non amicorum afflictionibus, imo publico bonorum luctu, non grauissimè commoueri. Cum autem remedium non inuenio, eam quam ex scripturis consolationem proponis, amplector, ac in sapientissima Dei prouidentia libenter acquiesco: idque exemplo tuo monitus, qui ob veritatis professionem iam pridem patriis sedibus eiectus, post varia fortuna iactatus, ac deuo subinde exilio exercitatus, imminentem nihilominus persecutionem, præter ætatem, citraque rei familiaris consideratiom, mira alacritate contemnis: adeo vt sortem tuam alios magis, quàm te ipsum deplorantem audierim. Hic nimirum verus est vsus sacræ illius Philosophiæ, quæ hoc vobis præstat, vt non modò mediocritate esse contenti, verùm etiam aduersa contemnere, in iisque propemodum exultare valeatis. Gloriabantur olim Philosophi dè ingenij dotibus, ac humanarum rerum scientia, quòd Thesaurum illum iniuriis hominum minimè obnoxium esse putarent. At quanto est Christi doctrina præstantior, quæ non modo præsentis vitæ necessaria pollicetur, verum etiam de futura felicitate æternáque corona securos reddit. Spero autem Deum, in hisce difficultatibus vobis adfuturum, nec omnino concessurum aduersariis, vt pro libidine Ecclesiam & Scholas euertant. Et sunt viri prudentes, qui ita iudicant, fore tantummodo nubeculam transeuntem Sin aliter Deo visum erit, & Heidelberga discedere te oporteat, memor ero eius, quod valedicens me rogasti, & si quid potero, tentabo per Comitem Iohannem, Auraici Principis fratrem, nouas tibi sedes in Belgio quærere. Vale in Christo, is te cum profilio nostro, totáque familia incolumem seruet. Collegas tuos, D. Boquinum, Emanuelem, Donellum: itemque Olbtacum cæterosque viros doctissimos, plurimum meo nomine saluta. 15. Maij. Anno 1577.

Alia eiusdem Comitis ad Zanchium Epistola.

Ludouicus Comes VVitgensteinius H. Zanchio Salutem in Domino.

MAgnas tibi gratias ago, pro libro quem misisti de Natura Dei. Scribis libros tuos tempestatem passos, tenebrarum ac lucis, vicissitudinem sensisse. Nimirum hæc est potestas tenebrarum, quam tamen ita moderatur Deus optimus maximus (quod euentus ipse ostendit) vt non possint aduersarij, quantum velint, damni dare. Deploranda est sanè Ecclesiarum ruina, & doctissimorum hominum dissipatio, quę clades nescio an vnquam sarciri queat. Laudandus tamen Dominus, qui adhuc nidulum in Palatinatu reliquit, ac Ducem Casimirum suo spiritu confirmauit, vt exulibus hospitium præbere, Ecclesiæ ac puręreligionis patrocinium suscipere velit. Audio Scholas pleraśque euersas, præter Academiam Heidelbergensem. Vrsinum cæterosque inueturis institutores relegatos. Vobis iam metuo Theologiæ Professoribus, quos non possunt non odisse, qui veritatis doctrinam sublatam volunt. Spero Casimirum vobis, & tibi præcipuè non defuturum. Vtinam ipse ea vobis possem humanitatis præstare officia, quæ vellem, & vestra pietas atque eximia eruditio meretur. Vnum hoc in hisce calamitatibus valde me consolatur, quod tanta fuerit nostrorum constantia, vt hactenus nulla memorabili Apostasiæ nota Ecclesię fœdaræ fuerint. Quocirca bene spero, nubem hanc citò transituram, ac Deum, pro sua misericordia optatam illis lucem qua nunc priuantur, mox restituturum esse.

De amico nostro communi liberando, nuper quidam spem bonam fecit. Deum oro, vt à maleuolorum machinationibus eum cum bonis omnibus protegat. Accepi nuper literas à D. Boquino & Francisco Iunio, quibus singulatim rescribere nunc otium non est. Quare cupio has illis tecum esse communes, ac rogo, vt tu illos meo nomine salutes plurimum.

Gratulor D. Boquino, nuper illi natam prolem masculam, ac nescio

ac nescio quid boni ominis habeat, quod hoc desolationis tempore Deus sui verbi Doctoribus & Ministris singulari quadam fœcunditate benedixit, quibus & D. Donellum, vera pietate atque eruditione clarum, annumero. Fortè vt ostendat Dominus, non minus copiosam fore spiritualem sobolem, Christique Ecclesiam à vobis latè propagatum iri, vel toto etiam debacchante Mundo. D. Oleuianus mihi gratus hospes, vtilem & sedulam præstat operam in Ecclesiis reformandis, & Scholis instituendis, præcipuè apud Comitem Iohannem Nassouicum, vicinum meum. Salutat vos plurimum, atque in aduersis à Deo solatium precatur & auxilium. Opto te cum vxore & familia rectè valere, & gaudeo profilium meum ita se suauem & amabilem reddere, vt habeas quo in tantis difficultatibus te recreare queas. Vale Berleburgo ex Castro nostro. 5. Calend. Nouemb. 1577.

H. Zanchij ad D. Iohan. Pistorium, Seniorem, Nidanæ Ecclesiæ Pastorem.

SNon sum oblitus, vir præstantissime, & pater obseruande, nec obliuiscar in perpetuum, tui erga me cum officij, tum amoris. Credo quidem hoc tibi esse de me, quæ tua est Christiana charitas, quæ nihil mali de proximo, vt ait Apostolus, suspicatur, persuasum: si tamen nihil ad te, hoc præsertim tempore, quo facultas datur literas istuc, nempe Francofurtum mittendi, scripsissem, iustam tibi occasionem, tale aliquid de me suspicandi dedissem: præsertim cum pollicitus fuerim, me iis nundinis ad te Francofurtum, si quid noui haberem, scripturum. Ne igitur sinistra aliqua tibi de me incidat suspicio, en quod promiseram.

In Italia crescit persecutio, in Galliis verò felicissimè progreditur Euangelium, & regnum Christi promouetur. Nuper ex aula rediit vnus ex nostris Gallus, vir nobilis & pius, qui hoc consilio in Galliam profectus fuerat, vt quomodo se res religionis haberent, certi aliquid ad nos referret. Is igitur hæc tanquam certissima retulit: primùm quidem, cùm inde discederet, tum in singulos dies & horas D. Petrum Martyrem nostrum, maximo omnium piorum desiderio expectari: a Regina verò matre ita amari, & ceu parentem obseruari, vt spes sit, eam rebus in omnibus ad religionem pertinentibus, consiliis Martyris obtemperaturam. Deinde Bezam venisse cum Cardinali illo Lotharingo in collocutionem, idque coram Regina matre, & quatuor de rebus felicissime disputasse: de iustificatione per solam fidem: de purgatorio igne: de sanctorum demortuorum inuocatione: & de Missa, déque præsentia corporis Christi in Cœna. Antea enim Cardinalem ingenue fassum fuisse, se iamdudum Transubstantiationem non credidisse neque credere: atque ita feliciter de iis rebus disputatum a Beza fuisse, vt Cardinalis ad extremum manus illi dederit. Postremò, duas partes trium statuum, nimirum & Nobilitatem, & plebem, (tertia enim pars est Clerus) in hoc consensisse, vt templa Euangelicis concedantur, & id vt fiat, Regi supplicasse, ita vt spes sit, si iam non sunt concessa, breui fore, vt concedantur. Ibi quidem esse legatum Papæ, & Oratorem Philippi, qui modis omnibus Euangelij cursum conantur impedire, sed frustra. Tantam enim esse fidelium inundationem, vt nullis aggeribus nullisve repagulis retineri, impediri ve possit. Rotomagi tantum quadraginta millia piorum, qui Euangelium profiterentur, reperta fuisse: & est hæc vna tantum ciuitas: quanta igitur fidelium multitudo & copia in reliquis vrbibus, totoque regno? Quis non hic suspiciat & adoret immensam Dei erga nos bonitatem? quis non videat, quanta sit vis verbi, cùm hoc vno solo, tanta Antichristi & totius mundi potentia, in dies magis ac magis euertatur? Et nos interim in Germania, quando opus esset precibus, mutua charitate, ὁμονοίᾳ, concordia & pace, adhuc inuicem pugnamus, mordemus, digladiamur, alter alterum criminatur, calumniatur, damnat, idque propterea, quod destituti spiritu Dei, à nostris tantum affectibus in transuersum cæci ducimur. Dominus tandem aliquando nostri misereatur. Sumus enim vsq; adeo cæci & stupidi, vt neque quibus in tenebris versemur, videamus, neque præsentem Dei manum nos acriter ferientem sentiamus. Commendo igitur tuis, & tuæ sanctæ Ecclesiæ precibus, cum vniuersam Germaniam, tum specialiter hanc Ecclesiam nostram: deinde Italiam & Hispaniam. Debemus verò omnes gratias Deo inexhaustas agere pro tanta sua erga Galliam gratia, & illum precari, vt cœptum opus, & feliciter promotum, in finem vsque sua gratia continuet, atque producat. Vale optime pater: reliqua ex D. Sturmio intelliges. Argent. 10. Septemb. 1561.

Tui obseruantiss.

H. ZANCHIVS.

H. Zanchij ad Nobilissimum & Amplissimum virum D. Andream Dudithium.

SEgo te, vir Clarissime, initio tanquam virum magnæ & autoritatis, & eruditionis, multarumque & magnarum virtutum obseruabam: postea verò Dominum rogare, vt te è manibus seductorum liberaret, & in agnita veritate conseruaret integrum atque sincerum. Nunc autem, si vera sunt, quæ ex Thretio nostro audiuimus, te vt hominem verè pium atque Christianum, summa reuerentia simul & amore complector in Domino. Nihil enim homine Christiano aut Deo in cœlis gratius, aut filiis Dei in terris amabilius esse potest. Ille autem demum verè Christianus censendus est, qui in Ecclesia Christi (quæ verò sit vera Ecclesia, iam satis notum est) constanter se continens, Christum tum pro tali agnoscit, confitetur, colit, amat, qualem è S. literis, ipsius Ecclesia, iam inde ab Apostolorum temporibus, imò à condito orbe, nouit & prædicauit, verum scilicet Iehouam, sicut & verum postea hominem, eóque verum perfectumque Redemptorem: tum etiam vita ad eius doctrinam confirmata, glorificare ex animo studet. Qui enim habet Filium, & Patrem habet: & qui honorat Filium, honorat & Patrem: cùm Pater semper sit in Filio, & Filius in Patre, quorum vnus est atque idem Spiritus. Cum itaque talem te esse prædicet iam Thretius, quî fieri potest, quin te ex animo amem & obseruem? Vt verò amor iste & sempiternus esse possit, & augeri, rogo te per eundem Christum, & pergas ipse sic per Filium Dei colere & confiteri, vt te facere audimus: & aliis quoque vt idem tecum, imò nobiscum, & cum tota sancta Ecclesia efficiant, autor esse velis. Faxit Dominus. Atque hæc pauca raptim (occeatus enim abiturio Francofurtum) gratulandi tibi caussa, & significandi amoris erga te mei. Aliàs forte plura. Vale. Heidelb. 11. Sept. Anno 74.

T. E.

H. ZANCHIVS.

H. Zanchij ad N.

SVt te in arce, posteaquam de tua vera resipiscentia fui persuasus, mi frater in Domino, fratrem appellaui, & pro fratre agnoui: ita nunc constanter eodem te dignor nomine, quòd te constantem etiam in sana de Filio Dei doctrina persistere audiam: Ac spero fore, vt idem Filius Dei, qui Ecclesiam suam, singulos Ecclesiæ lapides super firmam petram ædificauit: ac proinde, è cuius manibus eripi non possunt electi, te in vera conseruet & custodiat fide, qua possis tandem æternam consequi vitam. Quos enim ei dedit Pater, eorum neminem sinet perire. Exercet quidem suos fideles & electos variis afflictionibus: sed ad ipsorum salutem, non ad interitum. An ignoras, in templo Salomonis, nullum fuisse positum & collocatum lapidem, qui non fuerit prius extra templum, variis malleis, securibus, scalpellis, aliisque ferreis instrumentis, cæsus, dedolatus, perpolitus. Quid de Patribus scribat summatim Apostolus ad Hebræos, & quàm fuerint omnes igne diuersarum afflictionum prius in hoc Mundo, ceu in Sanctorum purgatorio, quàm in cœlestem patriam sint recepti, tu optimè nosti. Sed non minus, qui hæc de aliis scribit, ipse suo exemplo, eadem confirmat, in carceribus περισσοτέρως, in mortibus sæpe, virgis cæsus, nosti reliqua. Sic denique reliqui Apostoli, & electi plerique omnes: & quidem iniustè, cùm propter bonam caussam, hoc est propter cõfessionem Domini nostri Iesu Christi, omnia illa tormenta paterentur. Interim tamen, quia persuasum habebant, se non ab hominibus, sed à Deo per homines, & quidem impios

Tyrannos, omnibus illis affici tormentis: idque non ad interitum, sed ad salutem, eamque æternam: idcirco forti & læto animo ferebant omnia, Deum etiam ipsum in mediis tormentis laudantes & glorificantes.

Quid nobis igitur faciendum sit, atque inprimis tibi, mi frater in hoc tempore, vides, qui instar Pauli, cùm mirabilia aduersus Christum, & illius Ecclesiam molireris, captus es à Christo ipso, quanquam per homines, vinctusque in carcerem ductus, ibi annum & amplius, ad tuæ fidei exercitium, detentus: idque non iniustè, sed iustissimè, propter tuam aduersus Christum rebellionem: non per Tyrannos, variis affectus tormentis, sed per tuum & meum Christianissimum & clementissimum Principem, humanissimè & clementissimè tractatus: neque id in alium finem, quàm in salutem tui, gloriam Dei, & ædificationem Ecclesiæ: si te amas, si tibi cordi est gloria Dei Iehouæ, Patris scilicet, Filij, & Spiritus S. si denique chara tibi est Ecclesiæ salus: annon debes summa affici lætitia, quod illa patiaris, & patiendo repurgeris, vt sis pottò tanquam stella refulgens in templo Dei? Certè, si verè, vt confido, & persuasum habeo, agnoscis Iesum Christum pro vero Filio Dei Deo, non dubito, quin omnia constantissimo animo sis perlaturus, donec tandem, ea qua placuerit Domino ratione liberteris. Si enim ipse Deus, ideo factus est homo, vt pro nobis posset pati, & ita passus est non solum pro peccatis nostris, verum etiam nobis vt relinqueret exemplum, & nos eius sequeremur vestigia: an non pudet nos homunciones, qui nihil patimur, quod non iustissime patiamur, fremere, oblasphemare, & obloqui, cùm ita clementer a Domino corripimur? Annon quos diligit, corrigit & castigat? Quis Patri cælesti, charior Christo Filio vnigenito? Quis tamen vnquam durius, quam ipse tractatus fuisse legitur? Num ideo non diligebatur a Patre? Ergo propter grauem & diuturnum carcerem, & carceris squalores, non debes neque de Patris erga te beneuolentia, si eius ames Filium, neque etiam de illustrissimi Principis clementi in te animo dubitare. Sicut tibi promiseramus ego & Doctor Immanuel, sic fecimus statim officium apud Illustrissimum Principem, & fuit ipsius Celsitudini gratissimum de nobis audiuisse, quæ nos de te retulimus: qua ex re collegimus, ipsius Celsitudinem nihil magis cupere, quam vt ex animo reuersus ad Christum, seruetis. Nosti eum esse piū, clementissimum, humanissimum Dominum, quanquam Dei Ministrum. Cura igitur obsecro te per Iesum Christum, vt ne te sinas, opera Diaboli, auerti a Christo: sed defixis in eum oculis, totam salutis tuæ, tam corporis, quàm animæ fiduciam in eo vno colloca: ab hoc vno totus, quantus quantus es, pende. Est enim is solus Dominus vitæ & mortis. Neque solùm autor est nostræ salutis, sed omnium rerum, & nihil in mundo fit, nihilve nobis accidit citra ipsius voluntatem. Est enim ille, qui omnia portat verbo suo potenti, & per quem consistunt omnia: & in quo viuimus, mouemur, & sumus. Nunc, nunc opus est fide, quam, cùm omnia sunt secunda, prædicamus, iactamus: nunc necessaria est doctrina de prouidentia, & de prædestinatione diuina. In primis verò precibus opus est: & libris omnibus aliis neglectis, atque etiam reiectis, in solis sacris literis tibi versandum est: atque in primis in Psalmis, & in sermonibus, quos habuit Dominus Iesus ad discipulos, & ad alios etiam Iudæos, apud Iohannem: & precatio eius ad Patrem, quæ est Ioh. 17. tibi perpetuo versanda est, legenda, contemplanda, menti imprimenda. In ea enim vides Christum, æternum Dei Filium, Deum ipsum: vides hominem pro nostra salute factum obedientem vsque ad mortem: vides efficacitatem sacrificij ipsius pro peccatis nostris: vides denique æternum Patris & Filij erga nos amorem, æternamque felicitatem nostram per Christum nobis partam. Dominus Iesus te consoletur, sustentetque in fide, ad sui gloriam, & salutem tui. Precibus non deerimus apud Dominum. Vale 26. Septemb. 1571. Ex tempore & velociter propter tabellarium, qui ad te mittebatur.

H. ZANCHIVS *in Domino, si eum, vt credo, amas, frater.*

Henricus Bullingerus Hieron. Zanchio
S. D.

AMorem plane feruentem intellexi ex literis tuis, venerande Zanchi, quo ardes, imò flagras erga Martyrem nostrum. Vnde summa animi ægritudine ab ipso diuulsus es. Non abs re subirasceris nobis, qui videmur illum abstraxisse à vobis. Verùm sis animo tranquillo & moderato. Ipse D. Petrus agnoscit se accepisse beneficium. Cum igitur tam sincerus sis amicus eius, congratulare illi. Non ignoras quid vtrisit ipsum, gaude ergo amicum ea mole exoneratum esse: & quidem locorum spatia animos disiungere non possunt. Manet & inhæret pectori tuo cor tuum. Auulsum non est. Tigurum translatum non est. Quia Zanchius insidet cordibus nostris, licèt Argentinæ Martyr et. Dominus ille exercituum omnipotens est, vnica spes, salus & respectus ille noster. In illo vincimus difficultates maximas. Sederunt quidem & fleuerunt filij Israel in Babylonia: cæterum sub Nabuchodonozore latius propagatum est regnum Dei in gentibus quàm fuerit propagatum sub Zedechia in terra Iuda. Nunquam deest Dominus inuocantibus ipsum, inuocantibus autem in veritate. Proinde vtcunque ingenia quædam sint irrequieta: siconti tamen cor Regis est in manu Dei: ita magnos Spiritus priuatorum alioquin hominum, & sua ipsius existimationem minorum, nullo negotio difflare potest. Fidamus modo illi, inuocemus illum, patienter feramus in constantia spei plena, quæ ille imposuerit portanda. Valet peroptimè D. Martyr, legitque omnium cum admiratione & magno omnium concursu. Legunt alternis D. Bibliander & ipse. Hic librum Samuelis, ille Zachariam Prophetam. Ac quoniam amicorum omnia sunt communia, Martyr etiamnum vester est. Quia nos omnes, vestri sumus, & speramus vos omnes, nostros esse. Vale cum omnibus tuis optime Zanchi. Salutant te Symmystæ. Oro memineris filij mei Ioannis Rodolphi. Hunc doce, mone, impelle ad sancta & bona. Iterum vale. Tiguri 30. Augusti 1556.

Henricus Bullingerus Hieron. Zanchio S.

DOminus custodiat te ab omni malo & benedicat tibi tuisque in sempiternum. Subitum & gaudium & tristitiam adferunt mihi tuæ literæ. Nam exhilaror cum te cum tuis valere adhuc intelligo: Tristitia afficior, cum audio vim morbi nondum extinctam esse, atque ideo te vnà cum bonis versari in periculo. Sed sumus omnes in manu Domini. In huius manibus sunt tempora nostra. Apparent etiam hic non obscura pestis indicia. Dominus misereatur nostri & seruet animas nostras. Accepi libellum tuum scriptum de componendo dissidio Sacramentario. Vtinam paterent aures multis recta consulentibus. Vicissim ad te mitto Repetitionem meam oppositam recognitioni Brentianæ. Est hæc admodum verbosa & prolixa. Studui ego breuitati, & vt paucis multa dicerem. Tuum & aliorum bonorum virorum fuerit iudicare, quam feliciter tractauerim hoc negotium: Scio me habere causam bonam. Alij felicius tractare possent. Dominum oro, vt si mea hæc lucubratio non sit profutura multis, nemini obsit. Cuperem sanè si Deo placeret, horas meas aliis quàm Polemicis illis locare. Sed faciat Dominus quod bonum est in oculis ipsius: Is benedicat meis lucubrationibus & liberet me ab absurdis hominibus, qui quotidie prælia renouant. Ex Gallia nihil audimus, nisi quod in eodem semper statu sunt res Ecclesiarum, nullus insidiarum & periculorum finis, sed in infirmitate virtus perficitur. Recrudescit pestis per Galliam, furit Lugduni, furit Basileæ, passim vires acquirit eundo. Oremus Dominum, vt flagella eius cedant ad emendationem, non ad indurationem, quam demum sequatur sempiternus interitus. Argentinæ quoque pestis serpit. Venit in Heluetiam Legatio Regia magna cum pompa, ad restaurandum fœdus inter Galliam & Heluetiam. Dominus largiatur nobis ne huiusmodi fœderibus vel nexibus, libertatem amittamus cum religione. Vale Domine colende, & frater charissime. Dominus tibi tuisque benedicat. Salutant te mei omnes. Tiguri 31. Augusti. Anno 1564.

Ludouicus Lauaterus Hieronymo Zanchio
S. D. P.

SCripsi superioribus mensibus, vir clarissime, hos quos ad te mitto, commentarios, in librum difficilem *Prouerbiorum*

uerbiorum Salomonis. Causas quæ ad hanc scriptionem me perpulerunt, ex præfatione mea, plenius cognosces. Nullis certè laboribus peperci, vt hunc librum cum mihi, tum aliis studiosis paulò familiariorem efficerem. Peto autem à te vir humanissime, vt si quando seuerioribus studiis aliquantisper sepositis, in hunc meum librum diuerteris, partemque aliquam lectione dignatus fueris, tuam mihi sententiam de hoc libro libere perscribere non dedigneris. Cuperem enim ex te, cuius iudicium maximi facio, cognoscere quid mutandum, quid addendum, quid detrahendum videatur. Festinauit Typographus ad nundinas. hinc factum est, vt aliquot loca corruperit, errata verò in fine noluit addere, ne libro officerent. Quod si aliquando recudatur, dabo operam vt castigatior prodeat, & illa accedant quæ & tu & alii viri eruditi significauerint. Quid si hac occasione D. Zanchius aliquando hunc librum interpretandum suscipiat? Spero enim omninò id quod in præfatione scribo, me hac editione hoc saltem consequuturum, vt virum aliquem doctum exuscitem, qui eruditas in hunc librum omnium iudicio vtilem annotationes cōtexat. Alios libros multi certatim explicandos sibi sumunt, hunc ferè omnes intactum relinquunt. Quid de causa Prædestinationis scripserim, ex 16. c. videbis. Quod dogmata attinet, puto nihil à me scriptum quod cum doctrina Catholicæ Ecclesiæ pugnet. Vtinam tandem intelligamus tuam illam causam feliciter confectam esse: si Dei beneficio, res Galliæ felicius haberent, fortè tui aduersarii nonnihil mitigarentur. Video enim nimis esse verum, quod Poeta ille dixit:

Nulla fides vnquam miseros elegit amicos.

Omnes vident, etiam Theologi, quænam partium sit potentior, pauci sunt qui veritatis causam ab aliis relictam, velint defendere. Quod non idcirco scribo, quod tibi diffidam, Clarissime Domine Doctor, scio enim quomodo erga veritatis doctrinam sis affectus. Dominus gratiam in te suam confirmet, vt in finem vsque imperterritus perseuerare possis. Nihil apud nos geritur cuius te hoc tempore certiorem reddere possim. Expectamus catastrophen Concilij Tridentini & belli Francici. Dabis mihi veniam vir Clarissime, quod tam familiariter tecum ago: scio enim te qua humanitate es prædītus, non facilè offendi. Vale vir Clarissime & humanissime, cum D. Sturmio, D. Huberto, & aliis viris eruditione & pietate præstantibus. Tiguri 22. Augusti, Anno 1562.

Hieron. Zanchij ad D. Lauaterum.

SEgo verò post Deum optimum & maximum, tibi præter alios debeo, mi Doctiss. Lauatere, quod habeo, nec facilè patiar, vt excedat memoria beneficium officiumque tuum. Si non potuero compensare, optabo saltem, & grato ero animo. Dominus verò rependet. Nec plura in præsentia de hac re, ne fortè ex Theologo, videar factus aulicus. Ergo ad alia.

Coactus fui per leges huiusce Academiæ, quæ nulla admittunt Pontificis priuilegia facere, quod & honorificæ memoriæ Bucerus, & Martyr in Anglia facere olim coacti fuerunt. Ita qui antea Theologus eram sine annulo, & sine pileo, & sine licentia: nunc sum Dominus Doctor annulatus, pileatus, licentiatus. An non est mihi facta magna accessio? Optarim has etiam reliquias tolli, præsertim à Theologis. Sed multa licet optare, quæ vt vnquam possint obtineri, valde vereor. Interim cum res sint adiaphoræ, eas suo sinam loco. Fuimus duo Theologi, ego & Dominus VVitthakerus Anglus, tres Iurisperiti, tres medici. vterque Princeps interfuit, gratulatus est, & signa etiam quędam lætitiæ & gratulationis dari iussit. Ac pro me Illustrissimus Elector sumtus omnes, iamptidem persolui iussit. Ita nactus sum non Mæcenatem, sed parentem. Totum etiam viaticum, quod fuit N. florenorum, est persolutum Illustrissimi Principis iussu. Quod igitur alibi retentum mihi fuit de meo stipendio, hic Dominus reddidit magno cum fœnore. Sit ei honor & gloria.

Quæ scripsisti noua, omnia sunt tristia, materiam igitur præbuerint precandi Deum pro Ecclesiis, & pro illo bono fratre Morbeniensi pastore, vt Dominus illum donet spiritu fortitudinis & perseuerantiæ atque constantiæ id quod futurum confido. Quæ hic tecta habemus noua de Flandria scribo ad D. Bullingerum. Non est opus ea repetere in iis literis. Nam credo vos mutuo hæc communicare. Meum Iulium Terentianum plurimum saluere iubeo, ad quem alias Nam nihil habeo, quod ad illum propriè scribam. Valete igitur & pergite nos amare, & comcommendare Deo Iubeo vero etiam saluere vtrunque nostrum Ziglerum cum familiis. Heideb. 22. Iunij 68.

T. ex animo & totus

H. ZANCHIVS.

Ludouicus Lauaterus Hieron. Zanchio S. P. D.

ACcepi tuas literas, clarissime atque humanissime Domine Doctor, ex quibus quo in loco res tuæ sint, abundè intellexi. Gratulor tibi, quòd nouis honoribus auctus sis, & Principem tam clementem habeas, qui nihil tibi deesse patitur. Deus opt. max. hanc tuam felicitatem diuturnam esse velit. Ex Domino Datheno de rebus nostris, & afflicto Galliæ statu coram audies. Florentibus Guisiis, nulla pax stabilis potest sperari: tanto illa familia contra Euangelium fertur odio. Rheti, vt intellexisti, honorificam legationem miserunt ad Ducem Mediolanensem, repetitum optimum fratrem Franciscum Cellarium, contra ius Gentium abductum. Legati redierunt re infecta. Dux enim simulauit se nescire, quid cum bono illo viro actum esset, dimisit eos ad illos, qui res spirituales tractant. Papam dixit mittere suos inquisitores, quibus ipse nihil præscribat. Interim se missurum literas ad Papam, vt pro captiuo intercedat. Habita sunt Curiæ Comitia, in quibus hac de caussa tractatum est. Res referetur ad communitates, vt vocāt, triũ fœderũ quid deliberaturi sint, Dominus nouit. Quomodo vero hoc ferrent, si aliquot nebulones virum aliquem bonum ex Rhetia vi abducant, postea politici Magistratus dicant, hęc res ad nos non pertinet, ista curant Pontificij inquisitores? Fortassis his quoque malis remedium aliquod Rheti inuenient. Comes Augusola, interfector Ducis Placentini, hisce diebus hac transiuit. Fertur, ipsum deduxisse in Flandriam Ducis Albani filium, quod an verum sit, nescio. Noluit (vt nostri dicunt) per Rhetos iter facere, fortassis insidiarum metu, per montem itaque Gotthardi in Italiam redit. Post discessum eius ad vos Geneua venit Illustriss. Princeps Dux Christophorus. Illustriss. D. Principis Palatini Electoris filius: eius aduentus & Senatui nostro, & ciuib. gratissimus fuit. Non dubito, quin fuerit suspectus vicinis nostris Papistis. Nam eodem ferè tempore quinque nobiles viri ex Valesia ad nos per pagos illos venerant animi caussa. Suspicabuntur Papistæ apud nos arcana quædam tractari. Ex suis enim moribus alios metiuntur.

Schmidlinum, vel si mauis fabrum fertur apud nos, in adulterio cum ancilla deprehensum, magnum odium apud optimum Principem Wirtebergensem, incurrisse, cui hactenus gratissimus fuit propter nescio quem zelum in oppugnandis Zvvinglianis. Scripsit quidam apud nos, cum primum audiuisset hunc rumorem, versiculos in eius laudem, quos subiiciam, vt quam malum sit hoc hominum genus, de pueris loquor, intelligas, si nescis.

IN IACOBVM ANDREAM SCHMIDLINUM Vbiquitarium.

Corpus vbique docet Faber esse, locóque ten eri
Pernegat: hac illi gloria sola placet.
Ergo ne proprium thalamo concluderet vno
Corpus, in ancilla dormit & ille sinu.
Gloria parta fabro est, iam victor vbique triumphat:
Nunc & adulter erit, turpis vbique faber.

Ignosce mihi vir clarissime, quod seriis rebus, has nugas immisceo. Iulius Terentianus communis noster amicus te plurimum salutat. Vale.

T. L. Lauaterus.

Hieronymus Zanchius Ludouico Lauatero S.

ANvverpia, Domine Lauatere, scribitur, Albanum in Hispanias reuocari, aliumque quendam Comitem

Hispanum, in ipsius locum surrogatum iri, idque propter intolerabilem ipsius Albani Tyrannidem, qua tantum non totum perdidit Belgium.

Vranius contulit se in Gallias, creditur coniuncturus copias cum Bipontino in Lotharingia. Petiit Rex ab Imperatore, ferat auxilium, prohibeat Bipontini profectionem, det aliquid consilij: respondit se neque opem ferre posse, neque Bipontinum impedire, nihil verò habere consilij, nisi vt fidem seruet. De Condæo & suis nihil planè intelligimus certi. Hic alioquin valemus Dei beneficio omnes. Controuersiæ iam omnibus & vbique notæ: nolui me immiscere, neque implicabo. Veritatem tamen ipsam, interrogatus non dissimulo, debet enim hæc carior esse omnibus Platonibus atque Socratibus: & si qui proptereà à me alienentur, doleo & quidem vehementer. Sed quid agas? Propter Christum nihil non est ferendum: & quidem ἀνευμάχως. Ego ita me, vt confido, geram, vt retenta fide & bona conscientia, nemini faciam iniuriam, sed de omnibus potius, pro mea virili, prometeat. Cætera: si ego crucifixus sum mundo, & mundus mihi vicissim est crucifixus. Vale optime frater, & me vt facis ama. 30. Decembris. Anno 1568.

Hieronym. Zanchius ad eosdem S.

MVlta, quæ mihi iam scribendæ sunt literæ, Doctissime & obseruandissime Lauatere, efficiunt vt in singulis cogar esse breuior. Ago gratias quod me salutaris per Pantisellam nostrum, & in animo habueris librum tuum de Spectris ad me mittere. Sunt hæc animi erga me tui, & constantis beneuolentiæ, gratissima mihi testimonia. Idem velim persuasum habeas de Zanchio tuo. Neq; enim deposui aut deponere possum memoriam tui de me optimè meriti, tametsi rarius ad te, quàm fortassis volebas, scripsi per hoc tempus, quo nescio quæ tempestas orta est. Intelligis. silentio enim volui me, si potuissem, quasi scapha subducere. Sed non fui permissus. Hoc tamen scito, me nihil aliud in ea caussa egisse quàm quod iussus ab Illustrissimo Principe fui, nempe vt de doctrina meam scriberem sententiam. Doctrinam autem defendi bonam, & quæ in Ecclesia Christi semper fuit recepta, & à vobis etiam, præsertim à Domino Bullingero in suis commentariis tradita & comprobata. Quid vis amplius? Defendi doctrinam Catechismi Illustrissimi Principis, cui omnes ante meum hunc aduentum subscripserant nemine excepto: reliqua aliis disputanda reliqui. Debet autem, vt nosti, amicus esse Socrates, amicus Plato, sed multò magis amica veritas. Verùm hic suspicienda est admirabilis Dei prouidentia, qui vt detegeret tam horrendas in Christum blasphemias, excitauit controuersiam de disciplina. In hac autem caussa Arianismi, cuius suspectum habuerunt amicum permulti, propter artissimam amicitiam cum N. defendi & defendam vsque ad sanguinem, quia fit illi iniuria, quantum ego potui ex familiaribus, iisque permultis cum eo sermonibus colligere. Ad summam: Christus præponendus est omnibus amicis, parentibus, animæ nostræ. Cætera, tam sum memor beneficiorum, quàm quiuis alius, nec mihi vnquam placuit, aut placere potest leuissimorum Græcorum sententia, amicitiæ habenas ita laxas esse debere, vt eas, cùm velis, aut adducas, aut remittas. Illa tamen prima, quæ in amicitia statuenda & sancienda est lex, vt neque rogemus res turpes, neque faciamus rogati, si seruanda est profanis etiam & barbaris Gentibus, quantò magis nobis Christianis? Sed de iis plura, quàm volebam. Captus tandem est alter, cuius caussa longè grauior & atrocior est. Sunt enim eius literæ ad Imperatorem Turcarum pro expeditione in Christianos, & horribilium blasphemiarum plenæ. Non vidi, sed ab illis, qui viderunt & legerunt, hæc audio. ô Deum immortalem, quis vnquam hæc de talibus hominibus suspicatus fuisset? Sed eò tandem deducuntur ambitiosi homines, & qui semel contra conscientiam suscipiunt doctrinam Christi in aliorum inuidiam oppugnandam. Deus igitur nos seruet humiles, & in sui timore. Mortuus est, vt credo, vos audiuisse, Brentius. Saluto reuerenter omnes, D. Bullingerum, Gualterum, Simlerum, Vuolfium, Zuuinglium, & omnes. Heidelberg. 20. Septembris, 70.

T. ZANCHIVS.

Hieronym. Zanchij ad eundem S.

PErlegi Lauatere Doctissime non sine voluptate, & fructu, eruditissimum libellum tuum de Spectris. Placet argumentum, sententia tua, methodus, perspicuitas. Vtinam ita possem Purgationem, qua de scribis, legere, non dubito, quin inde parum afficeret. Scripserant, vt audio, & VVirtembergenses Catechismum Germanicè, in quo mirabiliter exagitant vbiquitatem. Contrà verò alii, nihil non agunt, vt ipsorum vbiquitas vbique sit: sed tandem in vno tantum angulo Germaniæ, vix locum habebit, vsque adeò molesta hæc Bestia, vndique & ab omnibus profligatur, & meritò. Transylnanus mortuus est, metuitur bellum inter Cæs. & Turcam. Card. Castilionæus, in Anglia veneno sublatus est, propterea omnes eius famuli in carcerem coniecti sunt. Vale, Heidelbergen. 17. April. Saluta fratres.

Ludouicus Lauaterus Hieronymo Zanchio S. D.

LIbrum tuum, vir clarissime, de Trinitatis mysterio conscriptum, hisce tandem diebus à te dono accepi. Gratias itaque quàm possum maximas tibi ago, pro egregio illo tuo munere. Quanquam ego aduersariorum nostrorum scripta non legerim, ideoque minus de hac caussa iudicare possim: tamen ex Simlero nostro, qui in hac diligenter multùmque versatus est, intellexi, tuum hoc scriptum dilucidum esse, ideòque se non dubitare, quin ad retundendum aduersariorū nefarios conatus vtilissimum futurum sit. In explicatione locorum difficilium de Trinitate vtar tuis illis laboribus si vixero. Quæ quasi per transennam in eo vidi & legi, maximopere mihi probantur. Hisce diebus celebrata sunt Badæ Comitia, in quibus de facto Regis Galliæ disputatum est. Misit Rex Belliuerium, quem nosti, qui mira impudentia Regis factum non modò excusat, sed vt necessarium, & Regno Franciæ vtilissimum prædicat. Heri Geneuā ad nos nobilium Gallorum, aliorúmque exulum legatus venit, qui petit vt Euangelicæ vrbes apud Regem Franciæ intercedant, vt absentes suis bonis libere frui possint. Promittit enim redeuntibus in Galliam, omnia vt venientes trucidet. Deinde, petunt à nostris Eleemosynas in vsum pauperum, quorum multa agmina Geneuam veniunt. Orandus est Deus, vt & illis, & nobis sit propitius. Stellam nouam, quæ iam diu conspecta est, nobis læta puto portendere. Vale vir Clarissime, meáque si tibi prodesse possit, opera vtere. Tiguri 19. Decembr. Anno 72.

T. L. Lauaterus.

Hieronym. Zanchius Ludouico Lauatero Tigurum.

S. Non possum filio tuo optime & doctissime Lauatere, deesse: nisi velim omnium hominum esse & ingratissimus, & inhumanissimus. Quantum enim tibi debeam, non sum immemor: ipsius fuerit, mihi tantum verbo vno, vel etiam nutu significare: qua in te opus habeat opera mea atque ope. Sic ergo illum monui: sic tu debes illi mandare.

Morbum Domini Bullingeri nostri tam vehementer doleo: quam valde gratulor Ecclesiis, mortem Illyrici: denegarunt ei Cœnam ministri, propter doctrinam de peccato originali; ita sine viatico, quia aberrarat à via, abiit ex hac vita: viuam pius & bonus. Cracouius magnus ille Consiscarius Ducis Saxoniæ, in carcere obiit. Vale mi chariss. frater, & resalutato nostrum D. Bullingerum, D. Simlerum & Iulium. Heidelberg. 5. April. Anno 1575.

Idem ad eundem.

S. Dolui vehementer, mi Domine Lauatere, mortem optimi Patris D. Bullingeri, viri eximij, déque Ecclesia optimè

optimè meriti: sed obitus nostri charissimi fratris, amicique suauissimi, hominisque literatissimi, acumine ingenij, & iudicio præstantissimo præditi Iosiæ Simleri, cuius mentionem facere sine lachrymis non possum, summo me affecit dolore: non quidem ipsius, sed Scholæ vestræ, Ecclesiæque totius causa: nam Bullingerus, suum iam confecerat, idque feliciſsime, cursum, vt longior vita, parum Ecclesiæ prodesse porro potuerit, sibi verò nihil: At Simlerus noster, ætatem si spectemus, quamplurimum omnibus. Floruerunt in vestra vrbe, multi & insignes viri, ita vt toti orbi summæ essent admirationi, nunc extinctis, inter paucos annos, multis magnis viris, tu cum D. Gualthero, ex veteribus Patribus solus superstites estis. Seruet vos Deus: aliosque excitet, per quos vera Religio, in vestra gente conseruetur. Nam res ipsa quotidianaque experientia manifestò docet, extinctis veris Pastoribus atque Doctoribus, per quos sana doctrina propagatur, simul etiam Ecclesias paulatim extingui, imò quod peius est, in varias conuerti sectas, quæ nihil minus, quàm Christum quærunt, salutémque electorum. Proinde maior adhibenda nobis est diligentia: vt iuuentus in vera pietate, bonisque literis instituatur, cuius ministerio Ecclesiæ in sana Euangelij doctrina conseruentur, retineantúrque in officio. Nam hac ratione fit, vt Ecclesia, columna & firmamentum sit veritatis, dum scilicet in ea vigent pij doctique ministri. Exaudiat nostras preces Deus, suscitet fideles Doctores, pellat hæreses, dissipet sectas, nec sinat in Ecclesias suas redire Barbariem. Nos hic valemus Dei beneficio, & in pace viuimus. Vale mi optime & obs. frater: meóque nomine salutabis D. Gualtherum. Heidelb. 22. Septemb. Anno 1576.

Lauaterus H. Zanchio S. D.

NOn difficile fuit prævidere, quæ tempestas obitum optimi Principis secuta esset. Nisi Deus Schmidlini & aliorum huius farinæ seditiosorum hominum conatus impediat, atrociora erunt nobis exspectanda. Vtinam Illustrissimus vellet Princeps, alteram quoque partem clementer audiat, neque se à maleferiatis illis hominibus regi patiatur. Incredibile dictu est, quantum confirmetur Papistarum audacia tribunitiis illis quorundam contra nos concionibus. Sed dabit Deus his quoque finem, quem rogabimus, vt quia Principum corda in sua manu habet, & vestri Principis & aliorum, ad moderata consilia flectat, ne veritatem in nobis oppugnent, & errores propugnent. Quid de te futurum sit, nondum cognouimus, sed alium in tuum locum surrogandum non dubito, Vtinam in nostra Schola tibi & aliis locus esse posset. Si qua vero in re ego te iuuare possum, meam operam tibi promitto. Neque dubito, quin Deus iam antè alia hospitia pararit suis exulibus. Obiit superioribus diebus R. Gualterus iunior, D. Gualteri nostri filius, iuuenis insigniter doctus, multarumque linguarum peritus, cui in Ecclesiastico munere (Diaconus enim fuit in Ecclesia Petrina apud nos) filius meus Felix nomine successit. Vtinam suum illud munus fideliter obeat. Rerum nouarum apud nos nihil circumfertur, nisi quod totis viribus ciuile bellum in Gallia instauratur. Deus furores & perfidiam illorum hominum coerceat. Vale vir Clarissime. Salutabis meo nomine Dominos Concionatores & Professores veram doctrinam amantes apud vos. Tiguri 12. Martij. Anno 77.

T. ex animo

L. LAVATERVS.

Hieronym. Zanchius Lud. Lauatero S.

PErfuerunt mihi gratæ literæ tuæ, obseruande Lauatere: quibus & communem calamitatem nostram deploras, & nobis atque inprimis mihi bene cupis, tuamque offers, si qua in re possis prodesse, operam. Etsi verò non dubitabam de beneuolentia, erga me, tua, libentiſsimè tamen hoc ipsum legi. Tu fuisti autor vt huc venerim, vbi annos nouem & amplius non illibenter vixi, nec sine fructu, vt credo, docui, dubitare non possum, quin si possis, de alia alibi conditione, mihi copias prospicere. Vt pro illo beneficio, sic pro isto animo ac desiderio, habeo tibi immortales gratias. Ego certè libentius rediissem in istas vestras Regiones, quam alio, nescio quo fortè iturus: sed tamen quia Deus ille est qui vocat, & qui mittit suos ministros, expectabo dum vocet: & quocunque miserit, ibo quàm lubentissime: Neque enim mihi natus sum, sed ipsi: & gaudeo, quod me fecerit semen Abrahæ: cuius proprium fuit, in hoc mundo peregrinari, id est, in terra non sua, & affligi non paucos annos, imò semper. Tu si aliud non potes, potes tamen me meamque familiam, auctam hic tribus masculis, Deo commendare tuis precibus, quod vt facias, rogo enixè. Opus meum de Attributis non potuit absolui, vt his Nundinis prostaret, sed proximis, vt spero, locupletius prodibit. Vale mi op. frater, & resalutabis D. Gualtherum & Stuckium. Heidelb. 26. Martii. Anno 1577.

Idem ad eundem S.

GRatiam habeo mi D. Lauatere pro tuo in Rhutam commentariolo: argumento nimirum ac manifesto testimonio, te minimè oblitum esse mei. Non me latent malevolorum officia, quæ & facta diu sunt aduersus me, & fiunt quotidie, missis varias in partes literis: sed vnum habeo Deum protectorem ac defensorem mei, meorumque liberorum: & sat amicorum habeo, si post Deum, aliquot habeam bonos: Innotescent tandem aliquando omnium ingenia, & prout quisque se gesserit mercedem accipiet. Quod mihi superest vitæ, dabo operam, vt illud transigam bona conscientia, ad gloriam Dei & ad Ecclesiæ ædificationem: nemini iniuriam faciendo, déque omnibus pro mea virili bene merendo: neque dubito quin Deus mea vota sit exauditurus, & quod incœpit in me opus bonum: illud perfecturus. Satur sum hominum huius seculi, & noui in solo Christo acquiescendum esse. Vbi non viget charitas, quæ potest ibi esse fides, quæve pietas? vbi vera pietas non est, ibi vera amicitia esse non potest. Quod ergo memoriam retineas mei, méque amare tui obseruantem non desinas, & tibi gratulor istam veram pietatem & mihi gaudeo. Seruet te cum tuis omnibus Deus. De Belgio hactenus non nisi bona & fausta accepimus. Pellat Deus hostes, & illorum dissipet consilia. Nos hic valemus omnes, vnus tãtum noster D. Vrsinus conualescere non potest. Cura & tu valetudinem, Dominumque Gualterum & filium tuum, meo salutabis nomine. Neustadio 24. Septemb. Anno 1578.

Idem ad eundem S.

QVos superiori anno commendaueras adolescentes, mi opt. frater Lauatere, fuerunt commendatissimi, atque ipsis, quod potui & debui, obtuli: Mallem rebus ipsis quàm verbis, quanti & te & tuos amicos faciam, declarare. N. perdidit illam vrbem, & abiit: quò? nouit iam ipse miser. O vtinam Respub. saperet, & amicorum consilia audiret, Est certè rogandus Dominus, pro illa præclara vrbe, vt eam omnibus illis pestibus liberet, & pristinæ puritati restituat.

Egregium virum se præstat Sturmius: vtinam eum optimum eius Scholæ parentem & ornamentum, audirent, Credo te iam vidisse Vrsini nostri non inutilem laborem in lib. Concord. Nunc in eo est, vt Germanicum reddat, & erit auctior & elegantior. Si noluerint sapere Principes, viderint ipsi. Christum certè sentient iudicem, & vtinam sit suo corpore, tandem intelligent. O miseram Germaniam, quo tandem es deducta. Interea gratiæ Deo agendę quod aliquot reliquiæ & Principum & vrbium seruentur. Nos hic pergimus nostram tueri Spartam, pro sua quisque virili Vale & saluta D. Gualterum & alios fratres. Neostadio, 28. Martii. Anno 1581.

Magnificæ & Illustrißimæ Dom. Elisabethæ, Illust. Principis Transsyluaniæ vxori, &c.

H. ZANCHIVS S.

NOn dubito Magnifica atque Illustriss. Princeps, quin lecta harum literarum subscriptione, statim vehe-

menter admiratura sis, quid rei sit, quod ego, homo peregrinus & tibi vix forte etiam de nomine notus, ausus fuerim ad te familiariter scribere: præsertim cum à te, nullam acceperim id faciendi occasionem. Sed si causas, quæ me ad hoc officium faciendum permouerunt, diligenter perpenderis: persuasum habeo, quæ tua est pietas, atque prudentia, te omnem confestim admirationem deposituram, meque quod scripserim, si non laudaturam, saltem non improbaturam. Duabus potissimum rebus adductus fui, vt has ad te darem: singulari tua pietate, cum summa virtute, vt de nobilitate & dignitate tua nihil dicam, coniuncta: & mea erga Fabianum alumnum tuum beneuolentia. Ac primum quidem, summa cum voluptate audiui, inque animum reposui meum: quæ de singulari eximiaque pietate tua prædicare solitus mihi est Fabianus. Te enim nullis parcere sumtibus, nihilque non agere: quo vera & sincera apud vos quoque promoueatur Religio. In quem finem, se quoque ad nos abs te transmissum fuisse non dissimulat vir pius, modestus, & doctus, tuique obseruantissimus. Non potuerunt hæc animum non afficere meum erga te, tam Christi amantem Principem, honestamque & prudentissimam matronam. Quare neque ego, quin tibi ex animo si non coram, saltem literis meis gratularer, & aliquam obseruantiæ erga te meæ significationem darem, omniaque mea offerrem officia, continere me potui. Cum enim vnus atque idem spiritus, qui & in Christo est, in nobis, qui eundem Christum amplexi sumus, inhabitet, veram κοινωνίαν cum Patre & Filio, atque inter nos habeamus, oportet: qua fit, vt non iam multi, diuersi, diuersarumve nationum homines, sed vnus tantum nouus homo (scribit Apostolus) simus in Christo. Hæc communio est sanctorum, quam in Symbolo credimus, & confitemur, arctissima, futura etiam arctior in cœlo: quam mundus non nouit, neque nosse potest. Amplector igitur Dominam Illustrissimam, in Domino Iesu, precorq; illi a Patre per Iesum Christum, incrementum gratiæ, & spiritus, omnisque generis benedictionis: quod ne te lateret: hasce dare constitui. Accedit verò causa altera, quæ est huiusmodi. Non semel & iterum mihi visus sum videre Fabianum nostrum, vehementer aliqua tristitia, & melancholica cogitatione affectum esse. Hortabar quidem eum, & socium, quoties illos offendebam, essent læto animo, tametsi Schola nostra dissipata sit, quod non sine prouidentia Dei, hæc contigerint. Non deesse alibi præclaras Academias & Scholas, ad quas possint se conferre, studiorum causa, & bene in illis habere: sed hoc quicquid erat consolationis, videbam parum prodesse. Tandem igitur aliquando interroganti mihi, quidnam rei esset, quod me non inuiseret, neque hilari esset animo: respondit se variis affligi cogitationibus, quod non solum videat dissipatam Scholam, cuius rei causa, parum hic possit proficere, sed etiam quod si hic maneat, videat se cogi maiori suæ Illustrissimæ Dominæ, & aliorū in patria opinione sumtus, propter magnam victus & habitationum caritatem, facere: si verò velit aliò, puta Geneuam, sicut consulebam, migrare, metuat ne & suam offendat Illustrissimam Dominam, & plus etiam quàm hic, insumat pecuniæ, cum vbique audiat longè carius viui, quàm putasset. Si nihil, inquam ego, aliud habes, quod te discruciet: facilè adhiberi potest remedium. Non dubito quin Illustrissima tua Princeps, si his de rebus certior fiat, missura sit tantum pecuniæ, quantum fuerit ad studia tua promouenda necessarium: modo tu in pietate, bonisque literis, quatum caussa huc te transmisit, strenuè proficias. Ac si opus fuerit opera, & testimonio meo, libenter offero quicquid præstare possum officij. Hic bonus frater arrigere aures, & rogare, vt quando sponte offero, velim meis literis, vti res habet, significare, dareque testimonium veritati. Nihil à me tibi fieri posse gratius. Ego itaque, Illustrissima Princeps, hac altera caussa adductus, non potui non audere Cels. tuam meis literis interpellare, officiumque facere boni viri: quo & frater molestiis animi liberaretur, & quæ tuum subire animum potuisset, admirationi occurrerem. Certo enim certius est, carissimè in his nostris Regionibus viui, præsertim hoc tempore, quo præter alia, vinum etiam vulgare carissimum est. Cæterum cùm in nostra hac Academia parum iam possit proficere, qui operam vult dare Theologiæ, sicut aliis, sic quoque Fabiano & eius socio consilium dedi, vt Geneuam se conferant, vbi floret Schola, sincera traditur Theologia, & viget disciplina, piusque & incorruptus dominatur Magistratus, qui citra personarum respectum omnes ex æquo tuetur, neminisque à quopiam impune fieri iniuriam sinit. Hoc meum fuit consilium, quo melius illi & eius similibus dari nullum posse in hoc tempore, persuasum habeo. Volui autem de his omnibus te Illustrissima Princeps, certiorem facere, & præmonere: vt si fortè contingat, quod tamen futurum non credo, vt vel T.C. vel alius quispiam factum improbet: in me vnum trásferant omnem culpam, quam me libentissime præstiturum polliceor. Tibi verò Illustrissima Domina, omnia mea offero officia: & precor Deum, vt te cum Illustrissimo Principe & coniuge tuo diu seruet incolumem, ad Ecclesiæ Christi protectionem, piorumque studiosorum salutē. Heidelb. 8. Martij 1578.

T. Illust. C.

Hieronymus Zanchius
Theol. Doct.

Illustrißimo Principi Guilhelmo Landgrauio Haßiæ, &c. Domino clementißimo,
H ZANCHIVS S.

Miraberis, credo, Princeps Illustrissime, idque non immeritò, quid sit, quòd ego, qui nulla tibi necessitudine iunctus, & vix etiam de nomine notus sum, te hisce meis incultis literis ceu familiarem aliquem, compellare veritus non sim. Sed istam te admirationem positurum confido, simulac meum erga te animum, ex hisce perspexeris & voluntatem. In recenti namque adhuc memoria hæret, hærebitque semper, tum humanitas, tum liberalitas, qua erga me laudatissimæ memoriæ parens tuus vsus est: Cum mihi Argentinâ ad vestram Academiam Marpurgensem, examinandarum propositionum mearum causa, propter quas litem mihi Marbachius intendebat, profecto, non solum animum suum beneuolum significauit, sed porrò etiam curauit, vt vbique locorum suæ ditionis, liberali, sine meis sumtibus, exciperer hospitio. Quæ res præter alias causas effecit, vt & tunc mea *Miscellanea* ei dedicarim, quamuis infausto satis omine reddita: Et nunc me totum tibi Illustrissime Princeps, optimi parentis optimo filio deuinctum esse agnoscam. Certè vti in parente tuo singularis quædam erga literatos humanitas, summa cum fortitudine coniuncta resplenduit: Ita quoque eædem in te fortissime Heros sese copiose exerunt: vt pietatem, humanitatem, fortitudinem paternam iure quasi hæreditario consecutus, & ad literaturā religionemque complectendam ac tutandam, à Deo quasi factus, & natus esse videare. Ac licet plures sint viri Principes, qui religionis cura tanguntur, & literatos quoque complectuntur: hoc tamen quasi propriū tibi Deus reseruauit, vt si eruditionem quam tibi multiplicem comparasti spectemus, inter Principes viros vix vllum habeas proximum, nedum secundum, parem verò neminem. Neque sanè illud reticere volui, vti non possum non perpetuo amore prosequi optimum illum *Fridericum Tertium Palatinum*, nunquam satis laudatum Principem, quamuis iam nobis mortuum, cùm Christo autem felicissimam vitam viuentem, filium item ipsius paternis vestigiis constanter & sincere insistentem *Iohannem Casimirum*, Dominum meum clementissimum: Ita quoque propter eosdem, quibus semper te amantissimum præbuisti & præbes, me non posse non tui quoque, Princeps Illustrissime, ex animo esse amantissimum & obseruantissimum. Ita factum est, vt quandoquidem Principi Casimiro labores & vigilias meas, cuius etiam mandato prodierunt, dedicaui: te quoque eorundem voluerim esse participem: minimè dubitans, quod illi gratum fuit atque est, tibi quoque fore gratissimum. His præcipuè adductus rationibus, Illustrissime Princeps, hisque de causis, libros meos *de Natura Dei* ad te per *Guilielmum Rodingum* nostrum mittendos putaui: vt manifesto symbolo meam erga te, hactenus intra pectora latentem obseruantiam proderem, tibique quamuis vltro currenti, quasi calcar adderem, aut potius supplicarem, vt nouum illum & portentosum paucorum quotundam τῆς πανταχουσίας fabrorum partum, cui infelici hoc seculo à nonnullis applauditur, à nobis verò pro nostra quoque virili in hoc libro modestè contradicitur, sicut tu pro tua pietate & eruditione non recipis, imo fortiter oppugnas, sic tua autoritate interposita efficias, vt reliqui etiā Principes, tuo exemplo edocti & admonitione, eum è tota Germania, in qua sola ex contentione editus, cum omnium piorum admira-

admiratione,& Ecclesiarum ruina alitur & educatur, profligandum curent. Feceris rem Christo Angelisque omnibus gratissimam, Ecclesię vtilissimam, sempiterna laude dignissimam, Dominus Iesus augeat sua in te dona, téque diu ad Reipubl. Christianæ, & Ecclesiæ salutem sanum atque incolumem seruet. Heidelberg. 15. Octobris 77.

T. Ill. C.

H. ZANCHIVS.

Illustri ac Generoso Baroni Domino, Dom. Ladislao Gustaffi: *Dominæ item, ac Magnificæ Dominæ* Margarethæ Torgæ, &c. *Dominis obseruandissimis.*

EA est vis & efficacitas veræ pietatis, Illustr. Domine, Magnif. & Generosa Domina, vt quæ sunt procul dissita, proximè adesse faciat, quæ disiuncta, coniungat, quæ diuersa, consociet, quæ aliena, conciliet: quemadmodum Ephesiis, aliisque gentilibus, euenisse per & propter Christum, scribit Apostolus. Cum enim illi alieni essent à Republica Israelis, extranei à pactis promissionis, procul ab Ecclesia, atque adeò inimici populo Dei, magna ceremoniarum & mandatorum macerie illos ab Israelitis disiungente atque arcente: postmodum, sublatis per sanguinem Christi inimicitiis, eadem pietas vtrosque coniunxit, conciliauit, consociauit, atque in vnum corpus conglutinauit. quamquam neque illi, neque isti prorsus suas mutarint sedes, & patrias. Spiritualis enim fuit illa consociatio, non corporalis: in animorum coniunctione, non in locorum mutatione consistens: ac proinde amplissima, longè latéque per totum terrarum orbem diffusa, & ad cœlos vsque pertingens, sub vno & eodem capite Christo, per vnum & eundem spiritum Christi coniuncta: vnde & à Christo, tota hæc familia tam in cœlo, quàm in terris, Christiana nominatur & est, vt idem scribit Apostolus. Cum igitur inter familiariter loquendum, déque variis rebus atque inprimis de statu Ecclesiarum in ista vestra Regione confabulandum, ex Paulo Varsanio alumno vestro, meo autem auditore carissimo, quanta sit vestra pietas intellexissem, non potui non accipere calamum, & hac familiari Epistola, vobis ex animo istud singulare pietatis donum, quo vos ornauit Christus Dominus noster, gratulari, ac simul etiam ad constantiam tum in vera religione tum in fouendis sanæ doctrinæ studiosis, hortari. Neque enim me latet, quot & quanta moliatur Satan, quibusve artibus vtatur, quo cum alios, tum maximè principes, nobiles, ac præpotentes, à suscepto veræ religionis patrocinio abducat. A dextris enim & à sinistris aggreditur, & modò aperto Marte, nunc per cuniculos insidiatur. Sed nos tuti sub Christi vexillo, vno gladio verbi Dei, & scuto fidei per charitatem efficacis, facilè possumus omnes hostis ictus excipere, retundere gladios, insidias euitare, fierique superiores. Vos Illust. Domine, Magnifica & Generosa Domina, præter alia quæ audiui & multa & præclara pietatis vestræ testimonia, hoc ad nos misistis Alumnum vestrum *Paulum Varsanium*, magnæ spei adolescentem, eximiæque pietatis, modestiæ, & virtutis, vt in studio cum honestarum disciplinarum, tum vero maximè S. literarum, magis ac magis proficiat: quo tandem reuersus doctior, & multarum rerum peritior, facilius apud vos & maiori cum fructu promonere possit regnum Christi. Præclarum sanè & vobis dignum opus, quo luculenter declaratis vos ex illorum esse numero, de quibus per Iesaiam vaticinatus fuerat Dominus, dicendo, *Et erunt Reges alumni tui, & Reginæ nutrices tuæ.* Quid enim Deo gratius, quid Ecclesiæ vtilius, quid suo splendore dignius, præstare possunt Principes, Barones, Nobilésque præpotentes, quàm si huiusmodi iuuenes, qui patriæ tandem & Ecclesiæ vsui atque ornamento esse possint, aliósque docere, in celeberrimis Christianisque Scholis sustentandos curent? Vobis igitur Illustr. Domino, & Generosæ Dominæ ex animo gratulor singularem vestram pietatem, atque hoc verè pium, & Christianum opus, nimirum quòd nullis parcitis sumtibus, promouendæ pro vestra virili parte per viros doctos, Christianæ religionis, gratia. Neque etiam si fortè maiores, quam putaretis, fieri sit necesse propter annonæ apud nos longè maiorem, quàm apud vos sit, caritatem, horum sumtuum pœnitere vos debet, quando talem sustentatis iuuenem, qui (vt confido) sua virtute, fructuosisque laboribus, quicquid vnquam à vobis factum fuerit in eum expensarum, facile suo tempore compensabit. Pergite igitur Magn. Domini, vt cœpistis, fortiter ac strenuè: freti illius auxilio, qui (vt Paulus scribit) *quod incipit bonum opus, illud etiam perficit in finem vsque*: quod vt faciat, illum toto pectore precor. De me verò velim persuasum habeatis, id, quod de quouis amico vestri amante & obseruante, habere debetis. Quare si quid sit, quod in his Regionibus efficere vestro nomine, vobisque & vestris omnibus gratificari possim, illud cupio mihi significari. Nihil enim mihi optatius est, quàm vt vobis vestrisque similibus inseruiam, meáque præstem obsequia. Valete Illustriss. Domine, Generosa, & eximiæ pietatis Matrona ac Domina: vosque diu seruet incolumes Deus optimus maximus. Heidelberga, 15. Martii 1578.

V. V. G G.

obseruantissimus
H. ZANCHIVS, *Theol. Doct.*

Hieronym. Zanchio Ieremias Bastingius S. P. Neostad.

NOlui committere Clariss. D. D. & frater plurimum obseruande, quin vti in postremis tuis flagitabas, aliquid & de rebus publicis & priuatis meis tibi significarem: quod verò id priùs non fecerim, excusabit me apud tuam humanitatem graue onus quod hic sustinemus in tam celebri, adeoque celeberrima totius Europæ Ecclesia, quinque duntaxat ministri: vnde etiam factum est, quod in ea inopia religio mihi fuerit Ecclesiam deserere, Lugdunensémque vocationem amplecti: nec dubito quin in magnum meum bonum res quæ turbatæ erant Gandaui, prudentia Illustrissimi Principis rectè compositæ sunt, iamque illi summo otio fruuntur, & noster illic D. Bullius est ex primariis illius Ecclesiæ minister vnus. D. Dathenus autem si non Gandauensibus, vtinam nobis concederetur, certè multum illius præsentia toti Belgio prodesse posset: Et sperámus aliquando simultatulam illam sopitum iri, intercessione bonorum & sincerorum virorum, qui vtriusque animum mollire & ad pacem hortari conabuntur. Nostra Ecclesia crescit quotidie, & sese omnia bene habent, & satis ex sententia in Repub. quum duos nostratum patrium consules habeamus, quorum vnum D. D. Iunium nosti: & plerosque etiam ex Scabinis. Speramus omnia in melius commutatum iri. Tu quæso obseruande vir, nos de rebus tuis fac certiores, habes enim hic multos fautores & amicos, & expectant auidè reliquam editionem tuarum lectionum. Memini vero quod aliquando promiseris *Methodum Theologiæ*, de qua nuper ad me Dominus N. sed non mihi satisfacit, exactiorem tuam expecto. D. *Caspar Heydanus*, & *Thomas* plurimum humanitatem tuam salutant. Saluto peramanter honestissimam tuam coniugem, tuosque liberos: si qua in re tibi gratificari possum, ad me scribito. D. D. Smetium & D. Iunium collegas tuos, item D. Tossanum tenerenter cupio salutari. Antvverpiæ 18. Ianuarij, Anno 1580.

Idem Bastingius Hieronym. Zanchio S. P.

CLarissime atque obseruande D. Doctor, communicatæ nobis fuerunt literæ tuæ, tum quæ ad D. Taffinũ, tum etiam, quæ ad fratres Italos scriptæ erant, quibus nunc demum respondemus, quòd hoc ipso die vtraque Ecclesia, more solito conuenerit ad deliberandum de negotiis grauioribus, & quæ ædificationem vtriusque concernunt. & quia opportunè sese offerebat, qui Franckentalium proficisceretur, noluimus omittere, quin inspectis & consideratis iis, quæ ad fratres illos scripsisti, quid nobis sententiæ sit, hanc occasionem habentes, quam primum rescriberemus.

Ac literas tuas quod attinet, earum tenorem, his capitibus nobis comprehendisse videmur: quorum vnum est, quòd intelligamus, nihil adhuc certi, ab Illustrissimo Du-

ce, T. Excell. responsum esse, num ad nostram petitionem, personam tuam concedere ac dimittere in vsum Ecclesiarum harum dignetur: quod sanè eo magis dolet nobis, quo impensius tuam iam præsentiam hic exspectaueràmus: & quia minimè decorum iudicas, vt per te executio vrgeatur, scripsimus paucis ad D. Carolum Bombergium Franckentalii, vt ille pro sua erga Belgas, vel potius erga patriam & Ecclesiam Dei, charitate & beneuolentia, nostro nomine, apud Illustriss. Ducem Casimirum, totum negotium executioni mandare dignetur, quod ipsum facturum omnino speramus.

Alterum caput literarum tuarum est, quòd quæris de statu harum prouinciarum, quo loco iam res nostræ sint, & quem euentum speremus tumultuum bellicorum, ac fœderis noui contracti cum fratre Galliarum Regis. Ad hoc quid respondeamus, certi nihil nobis in promtu est: speramus quidem optima, sed reliqua Dei prouidentiæ committimus, qui hactenus rebus nondum huc vsque deductis, clementer Ecclesiam & Rempub. hanc seruauit, quem etiam in posterum facturum idem, in spem certam adducimur, vtcunque accidat parati ab illius manu patienter quiduis exspectare: optaremus idcirco nullum de hoc tibi scrupulum moueri.

Tertium obseruande D. Doctor est, onus familiæ tuæ, ad quam multa te necessaria habere haud ignoramus: qui eam nouimus in Germania, ac domum quidem quod attinet, speramus breui effecturos, nos apud inclytum vrbis huius Magistratum, vt liberæ ædes, tuæque familiæ aptæ ad stipendium oblatum suppeditentur, nec quicquam tibi defuturum, quod profectionem tuam ad nos remorari debeat.

Postremum, quod à nobis petis, est, vt certiorem te facere velimus, quæ sit hic tua futura prouincia, quæ Sparta exornanda, quod pensum laborum tuorum, ne iam senectute debilitatis humeris plus imponamus, quàm ferre possint: respondent fratres, præcipuum munus fore, docere populum: deinde, si operæpretium sit aduersus purioris doctrinæ hostes, calamum stringere, atque etiam prælectionem nonnunquam habere, de quibus præsentes per Dei gratiam, cum tua Excellentia colloquemur latiùs. Audis ergo clarissime D. Doctor æquissima omnia tuæ Reuerentię à nobis proponi, nec spectare nos aliud, quàm promotionem Ecclesiæ Dei omnibus modis in hoc tam celebri emporio, vbi Dominus Deus in qualibet natione populum multum habet: atque cum Gentiles tui in nomine Christi tuam implorent industriam ad Italicam Christo Ecclesiam erigendam: nosque vnà pro ipsis intercedamus, sumtusque magnos facere parati sumus, dum liberaliores etiam suppeditabit Senatus vrbis, quid restat, quàm vt impetrata honestè, & cum bona gratia, dimissione ad nos non solus, sed cum vniuersa familia te citò conferas? Quod ipsum iterum obnixè & consentienter tuam Excell. rogatam volumus. His paucis te cum vxore & liberis Domino commendantes, qui vos tam hic, quam apud Germanos omnipotentiæ suæ vmbra proteget & defendet, quem precamur, vt vos tutos huc & incolumes deducere dignetur. Salutant T. Excell. fratres singuli, reliquos quoque collegas tuos D. Doctores & Professores reuerenter salutant. Datæ Antvverpiæ 9. Decembris 1580.

T. Ex. *addictissimi Ministri & fratres Ecclesiæ Belgicæ, Gallicę, & Italicæ* Ieremias Bastingius *nomine omnium.*

Hieron. Zanchius Ieremiæ Bastingio.

S Ad literas tuas, frater obseruande, nomine fratrum, nono Decemb. anni 80 datas, non opus est longa responsione, tum quia fusiùs de negotio scripsi ad fratres Italos, tum quia per Tabellarium tantum non conceditur, quantum vellem otii.

De primo (vt tu distinxisti) capite, quomodo res gesta sit cum D. Bombergio: quomodo etiam post illos ad aliquot dies discessum, mecum nomine Illustrissimi Principis actum sit, binas iam ad fratres meos Italos, literas dedi. Non obtentè meam erga vos voluntatem, & ad istam vocationem, animi promtitudinem, ex me ipso intellexerunt D. Consiliarii: simul tamen intellecta mea erga Illustrissimum Principem debita obseruantia: & quòd sicut nec volo nec possum, esse immemor beneficiorum, sic totum hoc negotium cupiam cum bona ipsius gratia perfici, videri mihi consultissimum, vt saltem ad tempus, dum aliqua colligeretur Ecclesia, ipsius Celsitudo me tanquam suum hominem, nobis meæque nationis ac Gentis hominibus ac fratribus gratificaretur. Permultæ hic allatæ rationes, cur pro hoc tempore Illustrissimus Princeps etiamsi maximè vellet, non possit Scholam mea opera priuare. non esse rem parui momenti Scholam hanc: Illustrissimum Principem optimè erga vos & Gentem esse affectum: sed à suo cogi officio, vt suarum etiam Ecclesiarum habeat rationem: responsurum ad literas sibi traditas, & vt sperat, satisfacturum fratribus, vt non dubitet, se à nobis habitum iri excusatum, & alia in hanc rem non pauca. Quid tu ad hæc, si meo fuisses loco? Video, hanc esse Dei voluntatem, vt pro hoc tempore, huic adhuc inseruiam Scholæ.

Alterum caput non eget responsione alia, quam hac: me de statu rerum non alia de caussa interrogasse, quàm propter familiam, quam nullo modo mecum adducerem, vel adducturus fuissem, si manifesta imminerent pericula. De me solo non tam essem sollicitus: quia facilius quiuis nostrûm sibi, quàm vxori & pueris prospicere, in quouis discrimine potest. Est autem habenda ratio domesticorum.

De tertio, non scripsi, quod vllo modo de vestra fide dubitarem, quasi mihi vnquam essetis aliqua in re honesta defuturi: sed quia illud inprimis iudicabam mihi fore necessarium, vt liberas & salubres haberem ædes. Nam hac in parte dimidium vitæ (vt aiunt) consistit.

Gratissimum verò fuit, quod postremo loco de partibus functionis mihi demandandæ scripsisti. Ego nihil vnquam pollicitus sum cuipiam, aut polliceri velim, vel possim supra meas vires, quas scio exiguas esse & imbecilles: neque etiam vos aliud à me petere, vel petituros esse, si quando fortè contingat, vt Dominus me velit vestrum esse collegam, quis scit? persuasum habeo. Si quis ex animo sincero suam operam, suumque talentum offerat, ac fideliter conferat, id satis esse debere arbitror. Restat Dominum rogemus, vt Regnum Filii sui, tam isthic, tum vbique locorum promouere pro sua infinita misericordia velit. Ego eodem semper sum, eroque erga vos animo in sempiternum. Vale, & fratres omnes resalutato. Neustadio 2. Februarii 1581. quo die annum ingresus sum LXVI. sanus atque incolumis Dei beneficio.

Tui, fratrumque omnium obseruantissimus

H. ZANCHIVS.

Hieron. Zanchius Ioanni Taffino.

S Binas à te accepi, obseruande frater, literas, 14. Maij datas: vnas tuo & fratrum nomine ad Pastores & Professores: alteras tuo tantum, & ad me propriè scriptas. Ad priores: iudicant fratres non esse opus responsione, quando negotium D. Iunii iam confectum, vos quoque nobis gratulamini, & Scholæ nostræ.

Ad posteriores ego paucis, quòd neque prolixam postulent responsionem, neque mihi multa scribere vacet propter occupationes multas & graues. Non possum verbis concipere, quanto cum gaudio legerim, quæ de Illustrissimo Principe vestro Auraico scripsisti. Quòd Deus illum è faucibus mortis mirabiliter ereptum nobis seruarit: hoc & Cels. ipsius animum ad gloriam Christi, & ad Ecclesiam eius, si vnquam, nunc magis ac magis promouendam & nos ad veram Christo, gratiam pro tanto beneficio tum habendam, tum quibuscunque possumus officiis referendam excitare debet. Ego istud miraculum interpretari aliter non possum, quam quòd Christus significare vobis voluit, totum istud Ecclesiæ apud vos suæ corpus, sibi curæ esse, séque illud, cum absorptum ab hostibus, déque illo iam actum esse videbatur, & seruasse & seruaturum esse: ac fortè etiam qui iudicabatur hostis esse & persecutor veræ Ecclesiæ, se illum ad se conuersurum, & verum ac constantem sui populi defensorem ac protectorem constituturum, quod vt fiat, Deum toto pectore oro & obsecro.

De Comite Vlysse quod petis, ego illum noui intus & in cute,

in cute; vt dici solet Itaque optima conscientia & coram Domino Iesu, do illi testimonium sinceræ & solidæ doctrinæ, atque etiam non vulgaris eruditionis, honestissimæ, & verè Christianæ vitæ, zeli gloriæ Dei, & eximię erga fratres charitatis: singularis item prudentię & dexteritatis in rebus gerendis atque tractandis, quæ certè virtus quàm necessaria sit Ecclesiarum gubernatoribus, tu optimè nosti. Illud tantùm me latet, qualem in concionando habeat gratiam. Nunquam enim illum docentem e suggesto audiui: sed optimè loquitur Italicè. Certò scio, illum esse egregium seruum Dei. ô vtinam mihi daretur, vt possem cum illo, quod mihi reliquum est vitæ, traducere. Vir est, mihi crede, præclarus, plus habens in recessu, quàm in fronte, sincerus, apertus, amans, officiosus, humanus, & suam nobilitatem moribus Christianis exornans. Non dubitarim, valde gratum futurum Illustrissimo Principi vestro. Faxit Deus, vt ad vos veniat. Vale.

Senatus Antvverpiensis Hieronym. Zanchio. Gratia & pax per Iesum Christum.

NOn dubitamus Clarissime & Doctissime vir, quin certò statuas, tum tui, tum nostri esse officij, vt puritatis doctrinæ cælestis & conseruationem & propagationem sedulò procuremus. Hinc perluasum quoque habemus, D. tuam tanto procliniorem fore in amplectendo nostro de promouenda in hac ciuitate Dei gloria, consilio, quo magis tibi constabit, certam hanc & solidam esse, vt nostri communis voti compotes euadamus, rationem. Multæ sunt caussæ ob quas Ministerium publicum idiomate Italico hic institui operæpretium; sed multò plures & grauiores, cur tum ad illud præstandum, tum ad iuuandas multis modis has Ecclesias operam tuam fructuosissimam fore statuamus. Qua de re, cùm fusiùs ad te, ab his Ecclesiis scribatur, tua tum pietate, tum charitate freti, te enixè rogandum duximus, vt Ecclesiis reformatis, & Italis vestris, religionem purā hic profitentibus, nobisque adeò cum illis te vocantibus, & maiorem in modum orantibus, facilé te & propensum erga nos, aut potius Christi Ecclesiam præbere velis. Literas ad Illustrissim. Ducem Casimirum dedimus, quibus à Celsitudine eius petimus, vt se in te dimittendo propitium præstare dignetur, ac pro sua benignitate & consueto promouendarum in hac regione Ecclesiarum Christi studio non ingratam sibi tuam hic fore operam testetur, quo te alacrius ad hoc aggrediendum opus accingas. De nobis autem ita te statuere velimus, si, vt omnino speramus, te ad nos venire contigerit, nos nihil esse prætermissuros, in quo reipsa tibi probare poterimus, quantopere nos tibi tanto & tam opportuno beneficio deuinxeris. Clarissime & præstantissime Domine Doctor, Deum optimum max. oramus, vt D. tuam diutissimè Ecclesiis suis conseruare, & breui saluam, & alacrem ad nos perducere dignetur. Antvverpia xx. Augusti, 1580.

Vestra Dominationi
addictissimi,
Consules & Scabini Ciuitatis
Antvverpianæ, ex mandato prædictorum,
G. Kuffel.

Hieronym. Zanchius, Magnificis & Amplissimis, inclytæ vrbis Antvverpiæ gubernatoribus, Dominis Consulibus & Scabinis, Dominis colendissimis S.

MAgnifici & obseruandissimi Domini. In nundinis Francofurtensibus proximè præteritis, literas vestras officii & humanitatis plenas accepi, quibus me ad Euangelium, in ista vestra amplissima & inclyta vrbe, vnà cum aliis & multis & præclaris Christi Ministris, pro mea virili promouendum, quæ vestra est pietas, vocabatis. Duabus de caussis, tum non, vt fortassis par erat, & spetabatis, respondi: partim quod nō vacabat, partim quod nihil, quod ad rem pertineret, habebam certi. Rogaui igitur fratres, vt me apud vos amplissimos Dominos, post actas gratias excusarent, me simulac domum reuersus aliquid certi ad rem pertinens accepissem, statim ad vos scripturum. De negotio nunc primùm, hoc est, circa medium mensem Ianuarium, nimirum posteaquam D. Carolus Bombergus, redditis fratrum Italorum literis, cum Illustrissimo Principe coram egisset, mecum nomine Illustrissimi Principis, per Dominos Consiliarios actum est: quæ caussa est, cur neque ego citius certiores vos de negotio facere potuerim. Si quid tamen hac in parte peccaui, quin totum illud pro vestra summa clementia mihi sitis benignè condonaturi, minime dubito, quod vt faciatis, etiam atque etiam, cum omni animi demissione, rogo & obsecro.

Quomodo mecum Domini egerint, & quid à me fuerit & responsum & postulatum, fratres, ad quos fusius scripsi, & ad quos etiam, vt credo, Illustrissimus Princeps, clarius etiam ad vos referre poterunt. Summa vero est: Tantam esse iam Scholæ huius necessitatem, vt pro hoc tempore, ipsius Celsitudo, quod ab ea petitur, illud non posset, vt maximè velit, & vt spetabar, vobis gratificari, libentissimè quæcunque potest, gratificaturus, & nihil non in vestram gratiam facturus. Ego post explicatam obseruantiam erga vos meam, & post non pauca vltrò citroque de toto hoc præsenti negotio dicta, visa & perspecta Illustrissimi Principis voluntate, & quod non sine ipsius & Dominorum Consiliariorum, vt de aliis taceam, offensione, possem vllum præterea de immutanda statione verbum facere, voluntatem meam, voluntati Illustrissimi Principis reuerenter subieci. Neque enim aliter nisi ingratus in benefactores. quod à me absit) & esse & videri voluissem, facere potui: præsertim cum meam etiam operam, hoc in loco haud inanem esse videam.

Cæterùm, illud à vobis, Magnificis & obseruandissimis Dominis peto & rogo, vt, sicut ego polliceor, me vestram erga me beneuolentiam nunquam obliuioni traditurum: sic meæ vicissim erga vos obseruantiæ immemores esse nolitis. Precor Dominum Iesum toto pectore, velit vestram & vrbem, & totam regionem, tum omnibus hostibus & calamitatibus liberare, tum omnibus suis beneficiis, atque inprimis Christiana prudentia, sapientia, animi fortitudine augere: eoque & opus bonum, quod in vobis incepit, perficere, vsque in diem Iesu Christi. Neustad. 3. Feb. 1581.

Vestrarum inclytarum D.D.
obseruantissimus

H. ZANCHIVS.

Hieronym. Zanchius, Ministris Ecclesiæ Antvverpiensis.

SLiteras vestras, fratres obseruandi, non minus eleganter, quàm prudenter conscriptas, datas verò 16. Ianuarij, sed à nobis acceptas 22. Febr. perlegimus, vestrùmque sanctum desiderium & postulatum intelleximus. Nemo nostrûm est, qui felicem apud vos, Dei beneficio, Euangelij progressum, toto pectore vobis non gratuletur: & qui rursus tam domesticas cuiussuis generis molestias, quam externos hostium insultus, vehementer vobiscum non doleat: atque vt omnibus istis malis atque incommodis tādem aliquando perfectè liberemini, non precetur ex animo cælestem Patrem. Facit hoc Christiana συμπάθεια, cùm vnum idémque corpus simus in Christo: quæ caussa est, cur etiam non ignoremus, illi corporis membro, quod magis opus habet, reliqua membra succurrere debere. Ac cur etiam ad hoc officium faciendum, non simus, pro sua quisque parte, parati. Neque nos latet, quanta sit vestra necessitas, propter amplitudinem vrbis, propter aduersarios multos, propter alias vrbes & Ecclesias, quæ à vobis pendent, denique propter famam, nomen & autoritatem istius Ecclesiæ. Ac certè ad nos quod attinet, sicut antea non semel, sic nunc denuò eramus facturi cum Domino Francisco fratre obseruando, Christianum officium. Quis enim nesciat, quantum vobis prodesse possit.

Cæterùm, posteaquam de voluntate tum Illustrissimi Principis nostri, tū etiam D Francisci Iunii, facti fuimus certiores, in ea acquiescendum esse iudicauimus. Volun-

tas Principis est, vt D. Franciscus, si volens retineri possit, non dimittatur: non quòd non percupiat vobis gratificari, sed quòd non sine maxima suarum Ecclesiarum ruina, à se dimitti possit. cum neque Lambertanis, neque Otteburgensibus idonei Ministri inueniri possint, vt taceamus, quod huic addictus est Scholæ, quæ duos tantum habet Theologos, vnum senem, alterum valetudinarium. Voluntas etiam D. Francisci eodem spectare videtur, cùm se dicat (vt aliàs semper) neque isti Ecclesiæ esse obstrictum, neque etiam ad istam conditionem, pro hoc tempore vllam in se sentire propensionem: id quod nos non paruo argumento esse putamus, illum à Deo ad vos non vocari. Quos enim Deus vocat, secundum propositum, & illorum corda, vt velint, inclinat, & Magistratus, sub quorum sunt imperio, vt eos dimittant, permouet, viamque vocatis ad functionem suscipiendam, aperit, ac facilem præbet. Exemplo nobis manifesto est Moses, totusque populus, in exitu de Ægypto, vt alia infinita prætereamus exempla.

Rogamus igitur & vos, vt in voluntate Dei acquiescere velitis. Neque enim dubitamus, quin acceptis & lectis literis tum Illustriss. Principis, tum etiam nostris, idem sitis iudicaturi, quod & nos iudicamus. Vtinam possemus sine damno nostrarum Ecclesiarum, & Scholæ, ad vos subinde excurrere, & pro nostra virili parte, vos in vinea Domini istic amplissima, iuuare. Persuasum habemus, Deum vobis prospecturum, cum videamus ab eo egregia in dies ingenia, ex vestra gente & in vestra patria excitari. Nihil enim Deus agit frustra. Valete fratres obseruandi, ac pro nobis etiam orate.

Vester

H. ZANCHIVS.

Daniel Tossanus Hieron. Zanchio.

SAlutem & pacem à Domino, & Seruatore nostro Iesu Christo, &c. Cum heri, pro more, conuenissemus de rebus Ecclesiæ deliberaturi, nihil prius habuimus, quàm vt ea quæ in nobili illo cœtu, cui tu quoque vir præstantissime nuper interfuisti, de vniformi Ecclesiarum Confessione proposita & decreta sunt, rursus pertractaremus, ne si ista infecta maneant, turpiter nos apud Ecclesias demus, aut in nobis saltem vel fides, vel diligentia desideretur. Huc accedit quod nobilitate & doctrina clarus vir D. Rogerius Anglicus legatus, ante triduum, hac iter faciens, autem nobis vellicauit, & magno studio, vt Confessio delineetur flagitauit. Etsi enim nonnulli ita malè conciliati inueniri possunt, qui ad contumeliam omnia accipiunt, & laudabilia quæque instituta conuellunt & suggillant: nihil tamen tale ab Ecclesiis metuendum putant D. Rogerius & D. Beza. Quòd si maximè nubecula quædam alicuius dissensionis in tractatione dogmatum, aut in vocabulis oborireturi, posse id omne discuti, & optimi facilè eorum doctrina, prudentia & moderatione, qui ad istud opus elaborandum Ecclesiarum suffragiis delecti sunt.

Cæterùm, cum D. Vrsino graue sit talem scriptionem in sese suscipere, & alias præ manibus habeat lucubrationes quasdam Ecclesiæ plurimum profuturas, nos te vir clarissime appellamus, oramus, hortamur, vt in id opus, ad quod tam celebris conuentus suffragiis cum D. Vrsino delectus eras, incumbere propter Ecclesiam, qua nihil potius, nihil charius tibi esse scimus, non graueris. Largietur Deus in opere tam sancto vires, & dabit is incrementum & successum: nos verò habebis ad omnia officia paratos, & Ecclesiam, de qua iam tum præclarè meritus es, magis ac magis obstrictam.

Quantum ad operis ideam & formam attinet, si rectè meminimus, in hanc sententiam itum est, vt, cum in Augustana Confessione, multa sint manca, multa non ita ordine scripta, & in gratiam posteritatis solida & integra Confessio concinnanda videatur, optimus in ista Confessione ordo, & ordinis S. Scripturæ maximè consentaneus adhibeatur: ac primò quidem de libris Canonicis: deinde de Deo, creatione, lege, quem ferè ordinem Gallica Confessio sequitur, tractetur: phrases autem vsurpentur Scripturę inprimis, & cùm opus erit, probatissimorum Patrum. Nam Scholasticorũ phrases duriores, & ad Confessionem quæ in varias linguas transfundi debet, minus appositas esse iudicamus. Thesibus breuibus & perspicuis summa doctrinę: Antithesibus contrarij errores comprehendi poterunt. Illud penè exciderat, tum in præfatione, tũ alibi, cũ res feret, honestam Augustanę Confessionis mẽtionem fieri posse, & omnino ostendendũ, quando, & quibus illa scripta fuerit, quàm sæpe repetita & explicata: quas caussas habeamus eius & aliarum Confessionum repetẽdarum & illustrandarum: quæ sit Ecclesiæ libertas in huiuscemodi Confessionibus examinandis & iudicandis: quàm graue sit nobis, quod ab eis traducimur & damnamur, sub prætextu Augustanæ Confessionis, qui nihil minus quàm Augustanam Confessionem sequantur, & alia in hanc sententiam, quæ pro tua admirabili sapientia & doctrina multò melius considerabis. Deus tibi vir Clarissime, vires & gratiam largiatur. Vale. Neostad. 4. Decemb. 1577.

Tui studiosissimi & amantissimi,
Collegarum, & suo nomine
Petrus Dathenus,
Daniel Tossanus,
Balthasar Copius.

Idem Tossanus Hieron. Zanchio.

SALVE vir Clarissime. Dici non potest, quàm suauis nobis fuerit complexus Clarissimi viri D. Ehemij, cui in tenebris lucem ortam esse gaudeo. Literas accepi à D. Gualtero, qui scribit, omnibus ipsis placere, vt tu Confessionem delinees, qui variis donis, inprimis dono perspicuitatis polles. Nam Heluetij duo ista, vt scribit, potissimum in ista, quæ adornatur Confessione, requirunt: primum, vt breuis, deinde, vt perspicua sit, & omnes ambiguitates, & phrasium nouitates vitentur, inter alia vocabula ista contentionum semina, *substantialiter, realiter*; cum ij, qui illis vsi sunt aliquando ad demulciendos aduersarios, nihil sint consecuti, quam quòd eos magis irritarunt. Valde mihi placet typus, quem per D. Ehemium misisti, modò in pauciores theses contrahatur, vt sit discrimen inter Confessionem & locos communes. Illud etiam in epistola addit D. Gualterus, cupere omnes Heluetiæ Ecclesias, vt potissimũ insistatur vestigiis & phrasibus Confessionis Heluetic̨æ & Anglicanæ, quæ fuit Apologia contra Concilium Tridentinum. Principem adhuc expectamus, cum quo vbi venerit, de tuo negotio, & de totius Scholæ constitutione accuratè agemus. Fortasse transactio ista, noua consilia adferet. Nos hactenus nihil certi intelleximus. Vale vir Clarissime, cum lectissima coniuge. 8. Februarij 78.

T. Daniel Tossanus.

Idem Hieronym. Zanchio.

S. Clarissime vir. Vt ex meis literis intellexerit D. Beza, libellum illum Theodosij cuiusdam Antitrinitarij, vel potius Iohannis Sommeri, nõdum in manus tuas incidisse, eum hisce diebus ad me misit, vt primo quoque tempore tibi reddi curarem. Sunt autem hæc ipsissima eius verba in postrema Epistola. *Librum illum blasphemum ad te mitto, quem sine horrore aspicere nequeas. Rogo tamen vehementer D. Zanchiũ nostrum, cui quamprimum mittes, vt hanc quoque molestiam deuoret. Sunt enim ista sic scripta, vt alios in errorem inducere, alios in illis blasphemiis confirmare posse videantur, nisi solidis vicissim argumentis refutentur, quod D. Zanchio nostro non minus erit facile, quàm apud omnes Ecclesias gloriosum.* Hæc ille. Cupio igitur, vir Clarissime, te, si lubet, mihi per otium significare, quid D. Bezæ sit expectandum. Scribit se edidisse alteram partem suæ defensionis contra sophismata Danielis Hoffmanni Brunschvvicensis Theologi. Dominus Sadeel *de veritate humanæ naturæ contra Vbiquitarios* methodicam tractationem edidit, & Principibus reliquisque ordinibus Germaniæ Euangelicis inscripsit. In Gallia, præsertim in Prouincia Burgundiæ & Campaniæ tumultuantur Guisiani: primarias aliquot ciuitates suis præsidiis tenent, & exercitum conscribunt, auspiciis, vt audio, Regis Hispaniæ. Non dubito, quin Rex cum eis colludat: quanquam alij diuersum sentiunt. Zanderinus ex Italia scribit, nostro quoque Principi insidias strui, & Pontificios in venenis & insidiis mul-

multum spei ponere, quod illa ratio expeditior videatur ad nostros Heroas exterminandos. Deus igitur sollicitè rogandus est, vt conatus hostium frangat, & miseras Ecclesias clementer respiciat. Vale vir Clarissime, cum vniuersa familia. Heidelberg. 20. Martij Anno 85.

Tui obseruantißimus

DANIEL TOSSANVS.

Hieronym. Zanchius ad Lambertum Danaeum.

Quæcunque tua, Doctißime Danæe, habere hactenus potui, ea cum magna animi voluptate legi, & non sine fructu. Quam verò in tuis scriptis obseruaui tum singularem pietatem, tum eruditionem non vulgarem: ea effecit, vt te pridem obseruauerim atque coluerim, quanquam nihil vnquam tibi significaui de meo erga te animo. Nunc posteaquam legi libellum tuum de Antichristo accuratissimè conscriptum, vidique me tanto à te affectum fuisse honore, vt inter Antichristi Antagonistas, me quoque cum tam magnis viris Ioh. Caluino & Beza coniungere non dubitaueris, non potui me, quin & per D. Balbanum nostrum, primum te salutarem, & deinde meis etiam literis tibi agerem pro officio gratias, continere. Inprimis itaque tibi gratulor, frater obseruande, quòd istud argumentum ita diligenter tractasti, vt cum magna breuitate summam coniunxeris perspicuitatem: quæ duæ cumprimis res ad bene vtiliterque scribendum, maximè necessariæ sunt. Nihil adhuc (citra adulationem loquor) legi in hoc genere, breuius simul & luculentius. Habeo præterea gratiam pro honore, quo me affecisti, vt me haud indignum iudicaueris, qui inter tam præclaros, quos in Epistola ad Casimirum nostrum Heroem fortissimum, nominas Antichristiani regni oppugnatores, connumerarer. Non parua laus hæc est. Nemo enim dignus est, qui miles seruusque Christi appelletur, nisi arma sumat, gladiosque stringat in Antichristum: cum huius regni euersio, illius sit ampliatio ac propagatio *Mors Conradini*, dicebat ille, *vita Caroli: & mors Caroli, vita Conradini* Id multo verius dici potest de Christo & Antichristo. Quanquam reuera neque Christus moritur amplius, mori ve potest, neque eius regnum interire, vllusve ad regnum illud pertinens, è manibus Christi eripi. Cæterùm, hæc sunt, vt nouimus omnes, media quibus cœlestis Regni ciues seruantur, si & qui sint Antichristi, à quibus fugiendum est, apertè demonstremus, & eos strenue ad necem vsque, spiritualibus armis persequamur. Dicebat Christus, se dignum non esse discipulum, qui non sui causa patrem & matrem, & vxorem, quanto minus qui non oderit Antichristos, contràque illos pugnet? Neque alia re video posse efficacius declarari vnius erga alterum beneuolentiam, quàm si hostes amici oderit ac persequatur, vitàque suam & sanguinem pro illo profundat. Non est igitur parua, vt dixi, laus, qua me inter Antagonistas Antichristi connumerando, affecisti. Neque enim ex illorum sum numero, qui ita profitentur amicitiam cum Christo, vt inimici Antichristi videri nolint. Denuò igitur gratias tibi ago, atq. vt te à me obseruari persuasum habeas, rogo. Vale, & D. Bezæ atque Hotomanno salutem meo dices nomine. Heidelberg. 24. Septemb. 76.

Tuus H. ZANCHIVS.

Hieronym. Zanchio Lambertus Danaeus, Heidelbergam.

Quod sæpissimè summis anteà votis exoptaram, amicitiæ nimirum tecum contrahendæ aliquam occasionem dari, nunc abundè singularis tua humanitas, vir Clarissime, mihi desideranti obtulit. Quanquam enim de ea re tum cum grauissimo viro D. Balbano, tum etiam cum D. Rotano iam collega meo, & huius Ecclesiæ ministro fidelissimo egeram: & nullam non ad id audiendum viam ipse tentaueram: tamen meæ tenuitatis probè mihi conscius, immenso doctrinæ tuæ splendore deterrebar. Itaque hactenus pauidus hæsitaui: neque, qua ratione te virũ humanissimũ literis aggrederer, habebam. Sed omnem mihi tum pietas, tum suauitas tua, metum atque hæsitationem ademit, qui literis tuis humanitate plenis me in officio faciundo cunctantem etiam præuenire dignatus es. Ego verò, mi Zanchi, parens in Christo optime, & doctor illustrissime, neque tantas laudes, quantas mihi tribuis, agnosco: neque quam sim Ecclesiæ Dei seruus inutilis, ignoro: Vobis tamen, qui mundi lumina verè censemini, vobis, inquam, viris in doctrina Christi, non modo aduersus Romanum Antichristum, sed innumerabiles alios, qui iam extitere cœperunt, propugnanda plus quam Achilleis, hæc mea qualiacũque probari fuit semper iucundissimum. Non tantum enim a laudatis viris laudari, ea fuit semper viuissima laus, sed vestrum de mea in Christum fide & doctrina iudicium, pro certo orthodoxæ animi mei sententiæ testimonio semper accepi: faxit autem Dominus ipse, Pater Luminum, à quo profluit donum omne, vt quas, scriptis, aduersus maximum & teterrimum ipsius hostem Romanum Antichristum, inimicitias profiteor: eas in perpetuum exerceam: atque adeo aduersus meç ipsius carnis concupiscentias, quæ ex tantis superstitionum Romanarum tenebris erepto, non sinunt tamen Deo meo verè, & ex animo quemadmodum vellem, militare meque totum illi addicere. Quod autem pro honorifica & qualem à me atque piis omnibus, qui verum fateri volent, fieri oportet, tui mentione & appellatione gratias agis, nihil erat necesse: feci meum officium & a quo plurimum profeci, sum tantum ingenue, & quemadmodum hominem Christianum decet, liberaliter professus. Quod si, vt est in veteri prouerbio, [Greek], peto abs te, vir præstantissime, vt in tanta rerum obscuritate, in qua cum de Antichristo agerem versabar, æqui bonique consulas, si quid minus, quam decebat, explicatè dixi. Dominus autem noster Iesus Christus te ad maxima quæque hæreseon monstra debellanda, natum, & felicissimè demicantem, spiritu suo magis magisque corroboret, & concessas tibi dotes, magna sua benignitate in dies augeat, & cum vita diuturna locupletet, vt diutissimè nobis superstes esse possis. Vale. Dominos mihi obseruandißimos, Danielem Tossanum, Oleuianum, Boquinum, & Iurisconsultum illum eximum & penè mihi gentilem Donellum, de meliori nota, si placet, salutabis. Dominus Beza te suis verbis quam officiosißimè salutari iussit. Iterum vale. Datum Geneuæ 6 Id. Octob. Anno 1576.

Idem Lambertus Danaeus H. Zanchio.

Ego verò Zanchi, vir Clarissime, neque quanto mœrore animi afficeris, neque quanta sit totius Ecclesiæ vestræ, propter tanti Principis & Iosiæ obitum perturbatio, ignoro. Nam ex meipso coniecturam facio, atque quantæ vbique lachrymæ ex ore piorum profluant, ex huius nostræ Ecclesiæ dolore facile intelligo. Et certè si ex hoc tempore tanti patroni, tamque necessarij parentis obitus æstimetur, nihil fieri poterit incommodius: si ex hostium quoque nostrorum voto & animo hæc Ecclesiæ calamitas optanda esset, nihil fieri aut euenire illis potuit iucundius atque lætius. Quin igitur breui sint triumphaturi, non dubito, & iam pridem hunc statum, quem expetunt, spe sibi designarunt: quod omen, quam salutare illis sit futurum, ipsi posthac experientur. Interim hac nos spe sustentemus, & consolemur, Dominum Deum, qui pro suo Israele perpetuas custodias agit, qui suæ Sionis inexpugnabile semper erit præsidium, qui nos ipsis oculis chariores habet, qui in propriis manibus, qui in pectore & sinu insculptos gerit, Dominum, inquam, illum verum Deum & nostrum Patrem, qui nos per Christum adoptauit in populum suum sibi peculiarem, de nobis solicitum esse, atque etiam magis, quàm nos ipsi de nobis. Ille rebus desperatis adetit, ille & hospitium Ecclesiæ, & doctrinis literarum domicilium iam pridem vel hoc ipsum, vel aliud præparauit, quale ad suç gloriæ rationem, nostræque salutis progressũ necessariũ esse vidit. In illius igitur promissionib. acquiescam⁹: quod ipsũ quã piè & Christianè omnes faciatis, & ex tuis literis, parens & optime, aliorũ sermone, intelgimus, ac vobis tantã animi cõstantiã, paratũque ad omnes euentus tobur certè gratulamur. Ac, vt ipse iam reipsa, quid sit militare Christo, expertus es, vir Clariss. dũ Marbachianis furorib. cedere coactus es, & pro pura Euãgelij doctrina fortiter dimicare: ita in posterũ eadẽ nobis exilia expectãda: neq. molesta tamẽ esse debẽt, quia Domin⁹ susceptor noster est, qui ὡς ἀπὸ μηχανῆς, adetit. Et vt aliquid de meipso dicam

intra duodecim annos, quibus Domino placuit me ad verbi sui ministerium applicare, plusquā penè septies pulsus, reuocatus, damnatus, absolutus, errans, & certæ Ecclesiæ postea addictus viuo. Atque in his tantis calamitatibus meum semper Dominus præsidium fuit. Cæterum, quid de statu Germaniæ sperandum sit, potes per teipsum colligere. Nam quintum sibi malum cudat, expulsa tandem omnibus ex Academiis vera de Cœna Domini doctrina, vident pij, & conqueruntur, sed surdis fabula canitur. Nimium silentium perdidit Amyclas: verentur autem multi, ne nimium otium euertat Germaniam, quod tamen Dominus auertat. De Gallia antea felicia omnia sperabamus, nunc mutata videtur conditio: Occultæ conspirationes in nostros magnis, id est, Guisiis autoribus coeūt: Ordines regni, qui conuenerunt Blezas morem maiorum spernunt, & ius antiquum eripi sibi patiuntur, tam altè quorundam animis odium religionis insedit, vt nihil pensi, ac ne quidem sui ipsius rationem habeant, modo nos perdant. Sed Dominus illos pessundabit, nos autem qui ipsius pascua & hæreditas sumus, conseruabit. Itaque totam Galliam sorein armis breui ferè nuntiatur, etsi tamen Dei gratia, quædam prouinciæ Euangelio fauent, atque in illis non incelebres Ecclesiæ pacem habent. Quid cogitetis, & quis sit status rerum vestrarum si scripsetitis, nos illas Ecclesias admonebimus qui ex isto naufragio (quod tamen esse nolim) Heidelbergensis Academiæ, & ex vobis singulis, tanquam tabulis preciosissimis, pulcherrimas & præstantissimas vt speramus, Domino naues ædificabunt, & Scholas. Nec tu, vir Clariss. nostram gentem, si forte ab ea fueris euocatus, dedigneris. Quanquam enim fuit hactenus afflicta & iactata Ecclesiarū Gallicanarum conditio, Dominus tamen in illis magna indies miracula edit, quorum ipse, si inter eas ageres, fieres testis oculatus. Ego te, & amo, & veneror, & nostrum esse cupio, si qua ratione fieri possit: & tanta sit hominum cæcitas, vt vos in ea statione, in qua Dominus collocauit nolint pati. Quod si voluerint, & patiantur, vestrum vobis locum tenendum constantérque tuendum censeo. Vale Pater optime. Cùm mihi in tanto luctu satisfacere non possem, expressit dolor quædam, quæ ad te, tanquam candidum meorum scriptorum iudicem mittere sum ausus, vt & ipse pro virili tanti Principis & Iosiæ memoriam ornarem, atque commendarem. Hoc igitur carmen ἐπικήδειον scripsi pio tumulo Illustr. Principis Friderici.

AD ILLVSTRISS. PRINCIPES LVDOVICVM & CASIMIRVM *Friderici* III. *Comitis Palatini, Sacri Imperij Electoris nuper defuncti filios.*

Ingentes tumulos, & Mausolea superba
Quid Ludouice Patri? Quid Casimire paras?
Ille sibi viuus totum monumenta per orbem
Æternúmque manens ante reliquit opus.
Mortales pietas tumulos non exigit, vrna
Virtutem dignè condere nulla potest.
Sumptibus ergo pij tumuli iam parcite fratres,
Huic orbis, non vos, digna sepulchra dabit.

Datæ Geneuæ, 9. Cal. Decemb. 1576.

D. Beza te salutat, ego etiam imprimis Donellum, & Boquinum, atque etiam Tossanum, quem voicè diligo, sed & cæteros. D. Vrsinum quoque: Rotanus noster te salutat.

Tibi deditißimus
LAMB. DANÆVS.

Idem Lambertus Danaus H. Zanchio.

SPostquam tuas accepi literas vir Clarissime, omnem ad te scribēdi occasionem circumspectaui: sed nulla mihi præter hanc, tuta visa est, cuique maximè fiderem, tū propter eas ipsas causas, quas prudentissime in tuis postremis literis addidisti: tum quòd qui ad vos è nostris tedeūt, depræhensi sunt multis in rebus vani. Itaque veritus sum, ne eadem vanitate in meis tibi reddendis vterentur, qua multa hic narrabant de vobis vestrarumque rerū statu, quę postea veritas ipsa, filia temporis vt veteres loquebantur, esse falsissima, demonstrauit. Præterea tanta rerum perturbatio in nostra Gallia accidit, vt penè de re alia nulla, quàm de misertimo illius statu (vincit enim amor patriæ, vt tute scis, cæteros) cogitaremus, quem neque satis animo possumus assequi, neq. verbis exprimere: neq. denique deflere, atq. deplorare: adeo quidem, mi Zanchi, vt nisi Deus ipse ἀπὸ μηχανῆς, vt est in veteri prouerbio, subsidium tulerit, actum sit. Infelix enim illa nostrorum cum Catholicis, quos vocant, consociatio, facit, vt cui fidere, atque diffidere debeamus, iam prorsus ignoremus. Ordines ipsi Gallici, quorum collectorum prudentia omnia in optimum quendam statum reduci posse sperabamus, omnia ex pessimis etiā deteriora effecerunt, fuerúntq eius incendij, quod iā per vniuersam Galliā spargitur, semina & fomenta: sed bene est, quod Dominus est in cœlis, quod idem regnat, & est omnipotēs ille, qui suæ Ecclesiæ, suæ dilectę patrociniū nunquam deseret, is in rebus desperatissimis adesse suis solet. Optaueram quidem antea, vt tantum hoc bonum Ecclesiis nostris contingeret, vt tua pietate & summa eruditione fruerentur, te haberent; tu tanquā Elias quidam ea & ætate, & authoritate, & doctrina, qua plurimum apud pios omnes polles, Scholas illas, quæ sperabantur futuræ & erigendæ, Theologicas moderaretis: sed vir ornatissime, ne si iam illæ veliēt, suaderem, ita confusa sunt omnia, & armorum potius, quàm literarū officinas efflagitantia nuntiantur. Quod ad nos autem, Pater optime, hic munus nobis à Deo commissum, qua possumus, & valemus teneuitate, tuemur, gratias Deo opt. max. summas agentes, quòd suis hic hospitium tolerabile & commodum in extremis istis calamitatibus concedat: & hic Galli inter Gallos tanquam in media ipsa Gallia, multi antea nobis mutuò noti, versemur. De te autem, & de reliquis optimis viris, qui illic estis, Tossano, Donello, Boquino, & cæteris Dominis mihi obseruantissimis quos etiam quam humanissime saluto, denique de totius Academiæ, & inprimis Ecclesiæ statu, soliciti sumus, & Deū precamur, vt quæ hactenus obtinuerunt, obtineāt in futurum. Locos tuos de attributis Dei expectamus. Ego importunis quorundam precibus adductus disputationem de Ethicis præceptis Eustachio commisi, quā ad te, vbi reperero qui se hoc onere in mei gratiam velit premi, mittam. Sed nihil est tua illa summa eruditione dignum; itaq; vereor, quoties cogito ista in manus vestras posse peruenire: animi tamen tui æquitati, tuæque in me beneuolentiæ confido, qui multa potes excusare. Vale. Dominus Beza te salutat, & Rotanus noster. Ego te tuamque familiam officiosissime saluto. Deus tibi benedicat. Datum Geneuæ, 7. Id. Martii. 1577.

T. obseruantiss.

LAMB. DANÆVS.

Idem ad eundem S.

EGo verò, vir Clariss. ex D. Bastingii literis, quā iustæ fuerint excusationes silentiique tui occasiones intellexeram: & vt illæ cessarent, quàm graues & necessariæ sint Christianæ reip. occupationes tuæ, cum ex superioribus tuis commentariis, tum verò ex hoc postremo prorsus video. Accepi etiam ingens illud munus tuū, & mihi longè multis Arabum, & Persarum gazis, longe, inquam pretiosius, tum quia singularis tui in me amoris σημεῖον ἐστὶ καὶ μνημόσυνον αἰώνιον: tum etiam quod singularem locum singulari eruditione, methodo, & perspicuitate in eo explicāsti. Quid enim eo argumento vel magis arduum, vel homine Christiano magis dignū? Quid tamen, si aliorum & imprimis Scholasticorum scripta cū his tuis cōmentariis conferantur, magis obscurū erat? Quanquā igitur & doni nomine (quod mihi gratissimum esse velim, vir præstantiss. existimes) & sincerę tuę illius in me beneuolentiæ ergò, magnas ago tibi gratias, méque plurimum tibi deuinctum esse sentio: plus tamen tibi me debere fateor publicæ vtilitatis gratia, quam tu mirum in modum in hac tàm acuta & vtili disputatione, & vnam spectasse videris. Legi verò auidè, vt qui sitim explere cuperem: sed ita legi, vt relegere etiam velim. Quod verò ad te non scripsi citius, id duplici de causa vir ornatissime, accidit. Primum quod verebar, ne meæ literæ te, in coonasanda, quemadmodum scribis, supellectile, occupatissimum inuenirent, vt qui iam te de migrādo cogitare ex amicorum literis,

litteris, scirem. Deinde noua quoque occupatio mihi penè inuito oblata est, certè aliud argumentum mihi dari optanti, quæ rebus aliis omnibus sepositis, me per vnum, aut alterum mensem totum detinuit. Ea autem est eiusmodi. M.Lanoius quidam, & H.Pannetarius inter nos loco ministrorum verbi Dei, & inter pastores, aliquandiu, & certè nimium diu vixerunt. Hi vel afflictionum acerbitate vel longinquitate fracti, non modò à recta fide, & Euangelica doctrina fœdè & perfidè defecerunt: sed etiam aduersum nos Gallicè libros tres scripserunt, illos quidem calumniarum plenos & accusationum doctrinæ nostræ. Etsi verò nobis eas ipsas feces reuomunt, quas iampridem doctis & iustis refutationibus explosimus: ita tamen astutè & callidè (sunt enim isti ex eorum numero qui cum sint spiritus Satanæ, se in Angelos lucis transformant) vt noua quædam argumenta esse videri possint indoctæ plebeculæ: multos certè istorum scripto commoueri intelleximus, adeo vt Lutetiani fratres id à nobis postularint, vt illi aliquod responsum nostrum opponeremus. Quæ mihi prouincia cum esset à fratribus demandata, fuit exequendum, exhauriendumque mandatum. Hæc me occupatio plures dies retinuit, nihil aliud quàm Papas, Papistas, Missas, & Missificatores & huiusmodi alia, etiam canones ipsos Pontificios, quibus maximè in istis refutandis vti voluit, cogitantem. Habes mei otij & silentij causam, ne vel ὀχληρὸς vel ἀμνήμων tibi videar, cui displicere, aut apud quem in suspicionem venire nullo modo velim, quem denique velut alterum parentem & veneror, & diligo. De statu rerum vestrarum fuit mihi acerbissimum, quod de tam florentis antea Academiæ vastitate scribis. Certè quemadmodum appositè addis, sedet iam sola. & deserta, quæ prius cùm magna totius orbis Christiani admiratione plena erat populo: sed sic Dominus vlciscitur, qui sua beneficia non agnoscunt. Quo maior, optimi illius fratris, & verior apparet constantia, qui virtutum paternarum, imprimis verò pietatis hæres; magnam à Deo benedictionem expectat. Vos autem quos Deus ita exercet, in nouam Spartam, quam nacti estis, forti animo, quemadmodum facitis, incumbite, cuius & incunabulis, & infantiæ, & incrementis, vt Dominus Iesus Christus faueat oro, & te tam læto animo, ea ætate tantam rerum mutationem & laborem ferre, quemadmodum hominem Christianum decet, vehementer gaudeo. Vale, Dominus tibi, vir ornatissime, benedicat. Officiosissimè heroica illa pectora, te, D. Boquinum, Dathenum, Donellum, Emanuelem, Tossanum, Vrsinum, & reliquos omnes saluto, & me vestris precibus commendo. Geneuæ, Cal. Febr. 78.

T. addictißimus L. Danæus.

Idem ad eundem S.

BInas abs te vir Clarissime literas iampridem accepi, quibus idcirco minimè antea respondi, partim quod abfui, in Galliam proficiscens: partim quod è Gallia reuersus, ita exhaustis viribus, (per summum enim æstum iter faciendum mihi fuit) iacui, vt vix adhuc satis respirare possim. Itaque cum primum licuit, officio in te meo satisfeci. Accepi verò, tuo beneficio, illud folium, quod meo exemplari deerat, & D. Boquinum hic vidi, & quosdam adolescentes studiosos tanquam tristissimi vestri naufragij preciosissimas tabulas, qui nobis veterem acceptæ ab Ecclesia cladis, per Illustriss. Principis Palatini Friderici obitum memoriam renouarunt, fuitque eo acerbior illa recordatio, quod senem illum pientissimum, Boquinum dico, emeritum iam & rude donandum, qui in illa Schola tot labores pertulerat, tam Principi gratus fuerat, vno momento egentem & eiectũ mœrentes aspeximus, cùm ne mulæ quidem vetustissimæ victum Athenienses denegarint, quod in Prytanæo & Acropoli illa ædificanda cæteris iumentis dux fuisset, neque Cato Censorius vnquam in decrepita animalia, quibus olim vsus esset, inhumanitatem exercuerit, atque illi tamen profani. Boquinus in sacrosanctũ verbi Dei Ministerium in Delphinatu adscitus est, quem nostris Ecclesiis vtilissimum fore speramus. Te verò vir præstantissime, ab optimo Principe, atq; Illustriss. Illustrissimi Patris herede, virtutũ dico & pietatis, foueri æquũ fuit, & valde in animo meo lætor. Nec ignoras, omniũ ordinũ suffragiis ab Hollandis expetitum

te fuisse, qui Leidæ, quam illi *Lugdunum* vocant, sacram illam tuam professionem exerceres: sed qui Germanicis moribus & aeri iam assuetus es, habes in quo conquiescas, secundum Deum opt. max. Principis Casimiri summum in te amorem & beneuolentiam, quem Illustrissim. Principem vt suæ Ecclesiæ Dominus conseruet, summis votis obsecro & rogo. Meruunt hic pij, illi ab insidiis & Hispanorum, & Gallorum, & se in belli periculosissimi societatem demisit: sed est Deus potentissimus, qui potest conseruare suos quocunque in periculo: quia oculi Domini super iustos, & nominis ipsius timentes. Cæterùm, mitto ad te meam ad G. Genebrardum quandam responsionem, qui te, & Bezam, imò nos omnes contumeliis proscindens, venatur sacerdotium, aut aliquem Episcopatum. Sed incommodè accidit, vt impresso iam libello, nuncius de illius morte ad nos perferretur, incertus ille quidem & insperatus: ex insidiis enim vnà cum Amioro petitum & trucidatum à nefariis quibusdam aiunt, dum circa Lutetiæ suburbia simul lectica veherentur. Vereor ne quidam existiment, me, quod dicitur vulgò, aquas infundere cineri, & serum remedium aut responsum afferre. Sed quis tam repentinam & inopinatam mortem præuidisset? Quod si verum est, sic Deus sæuissimas in suum nomen blasphemias vlcisci voluit, quas superbus ille Monachus in Euangelium euomuit. Sic antea Arium, sic Nestorem, cuius blasphema lingua computruisse dicitur, vltus est. Non dubito tamen quin ex Scholastico sodalitio aliquis doctrinam illius impiam aduersum nos tueatur. Vale. Dominus te seruet incolumem; totam tuam familiam saluto officiosissime, & Dominum Beaumontium veterem amicum, qui mei propter honores apud Illustriss. Principem adeptos oblitus est. Geneuæ VII. Cal. Septemb. 1578.

Tibi deditißimus L. Danæus.

H. Zanchij ad has Danæi responsio.

EGo verò, optime frater, gratulor tibi & isti Scholæ atque Ecclesiæ reditum tuum incolumem: nostri item Domini Boquini ad Ministerium vocationẽ, quem, vt tu quoque scribis, non parum Ecclesiis illis vtilem futurum confido. Ita in varias Mundi partes distrahimur Dei prouidentia, vt alibi vtatur opera nostra, ad promouendum regnum Filij sui. Tu non possis credere, quantum profuerit Scholæ & Ecclesiæ Heidelbergensis dissipatio, tũ aliis, tum præsertim iis in Belgio, ad illarum Ecclesiarum instaurationem. Nam mirabiliter ibi iam promouetur regnum Christi. Vt enim de Hollandia & Zelandia taceam, in Flãdria, ex ciuitatibus 28. quatuor tantùm supersunt conuertendæ ad Christum: & Antuuerpiæ nostri, tria habẽt templa, Lutherani duo: & ex nostris discipulis non pauci feliciter iam in istis regionibus docent. Ego libentissimè eo iuissem: sed quando Illustrissimus noster Princeps Casimirus non permisit, arbitror, imò persuasissimum arbitror, hanc esse Dei voluntatem, vt hic maneam pro hoc tempore.

Accepi libellum, quem vbi compactus fuerit, perlegam: gratiam autem habeo pro constanti erga me beneuolentia tua. Quod vero scribis de diuina vltione in blasphemum Monachum, idem spectauimus nuper Heidelbergæ, vbi primarius minister, & vt vocant, *superintendens*, N, qui cõtra conscientiam (veritatem enim norat, & libello edito defenderat de Cœna Domini, contra carnalem præsentiam & vbiquitatẽ) dolebat, nullo corporis morbo laborans, sed igne tantũ diuini iudicij in conscientia æstuans, tandem suffocatus exspirauit. Sic enim narrant, qui interfuerunt.

Alius quoque Præpositus Tubingensis, qui primus Heidelbergę cœpit vbiquitatem prædicare, postmodũ domum reuersus, iustas dans pœnas suarum blasphemiarum, primũ à furiis fuit agitatus, ita vt coacti fuerint illum die noctúque diligenter custodire, & tandem insanus miserabiliter periit. Multa alia vidimus huius generis diuina iudicia intra paucos dies, quæ narrare nõ est opus. Ergo quod etiam Genebrardus senserit manum Domini vltricem, non miror. Horum exemplo discant pij timere Deum, & in doctrina Apostolorum constanter perseuerare.

De Principe nostro hactenus non nisi fausta audiuimus, seruet illum Deus, & donet ei aduersus hostes victoriam.

Saluto D. Bezam, quem etiam rogo, liberè corrigat, quæ corrigenda esse indicarit, in delineata à me, eoque etiam imperfecta confessione. Neque enim propter alias occupationes, vel absoluere, vel recognoscere & emendare potui: addam reliqua per hoc tempus vindemiarum, quo non legitur. Iam est annus, cùm hic inter fratres de hac Confessione deliberaretur. Ego nominaui D. Bezam: fratres Galli illum excusarunt. Fuit igitur negotium demandatum D. Vrsino: sed is nunquam voluit consentire. Tandem me coegerunt calamum accipere, & aliquod saltem initium facere, quo doctiores excitati meliora proferrent, & magis elaborata. Hoc itaque vt faciatis, etiam atque etiam rogo, quemadmodum etiam facturos confido. Cùm enim futura sit communis omnium Ecclesiarum nostrarum Confessio, æquum est, vt ab omnibus libera de illa dicatur & scribatur sententia. Vale optime & doctissime Danæe. Neustad. 23. Septembris, 78.

Hieronym. Zanchio Lambertus Danæus, Neostadium.

S. Eodem penè tempore, quo has exarabam, tuæ mihi literæ redditæ sunt, vir Clarissime, atque vnà libellus ille tuus, in quo Confessionum nostrarum consensus continetur, de quo in illis facta abs te mentio fuerat, ad nos perlatus est, quem tamen nondum legere mihi licuit, quod nunc primùm è doliis mercatorum nostrorum promeretur. Sed tamen cum hi viri studiosi, nominis tui & eruditionis celebritate, adducti, ad vos proficisci vellent, tibique in S. Theologiæ studio operam dare cuperent, quod mei memoriam apud te minimè ingratam & exosam esse intelligerent, se commendari flagitarunt. Quanquam verò & propter singularem eorum pietatem & eruditionem dignos tuo colloquio facilè cognosces, non grauatim tamen hoc in me recepi, vt qui nullam non tui quoque salutandi occasionem mihi oblatam arripere cupiam. Quis sit rerum nostrarum status narrabunt. Peste & pestilentia quoque ipsa, summo Dei beneficio, liberati sumus, adeò vt priuatas & publicas lectiones pro munere quisque suo repetamus alacres, & gratias Deo opt. max. pro tam immensa sua in nos misericordia agamus. Sed vt ex ea parte magnoperè lætamur, sic ex alia grauem animo dolorem sentimus, quod omnia in Germania in peius ruere viri boni nobis significent, nec id quidem absque lacrymis. Denique quis tandem futurus sit istius Iacobianæ Pandoræ exitus, valdè dubitatur: Pii autem tandem infelicem fore augurantur. Certè dum nos mutuis vulneribus vt Cadmei fratres, confodimus, surgit Sathanica Papistarum & Hæreticorum abominanda seges, quæ non modo in sinu, nostra hæc mala ridet; sed publicis scriptis etiam sacrosanctum ipsum Dei nomen, quod super nos inuocatur, traducit. Itaque & precibus & ieiuniis, tanta Ecclesiæ clades, quæ certè non procul imminet, auerruncanda nobis est, si fortè Dominus aut piis, qui in Germania restant, animi constantiam dederit: aut istis tam funesta consilia cudentibus hominibus saniorem aliquando mentem largiatur. Dominus Deus Pater misericordiarum, nos per vnigenitum filium suum, totámque Ecclesiam suam, vbicunque locorum tandem est, à tanta calamitate & ingruente tempestate tueatur. Vale. D.D. Tossanum & Vrsinum, viros mihi obseruandissimos officiosè saluto. Geneuæ 12. Calend. Nouembris, Anno 1578.

Idem Lambert. Danæus Hieronym. Zanchio.

S. Non vereor, vir Clarissime ne si rarius ad te scribo, in iustam negligentiæ, neglectique officii suspicionem apud te incurram. Nam grauissimæ occupationes tuæ non sine quadam animi religione interpellandæ sunt: & is fuit rerum nostrarum status totiúsque Galliæ, vt nihil noui quod ad te scriberem hic haberemus, præter horribilem illum terræmotum, qui in tota ripuaria Ligeris fluminis regione, id est, Aurelia, Blezis, Turonibus vicinisque regionibus eodem die accidit. Ista quidem caussas suas habent, easque naturales, quæ neque veteribus Philosophis neque nostris sunt ignotæ: sed tamen non sine iusto Dei iudicio censeo contigisse, in mediterraneis regionibus, intempestiuo tempore, nempe hyeme, magnis cum tonitrubus, in medio ipso Ianuario, quod est illis regionibus non modo rarum, sed etiam antea prorsus inauditum. Hæc sunt proculdubio initia dolorum, quos acerbissimos Gallia nostra expectat, & quid merito suo: sed dum homines obsurdescunt ad suorum peccatorum sensum, bruta ipsa elementa loquuntur, & Dominus, vt stupida illa gens tandem seriò resipiscat, & sit in euertendo Antichristiano regno tam feruida, quam fuit in stabiliendo crudelis. Cæterum, mitto ad te quandam disputationem meam de amicitia Christiana, leuem illam quidem, sed quæ eo mihi semper gratior fuit, quod mearum pro Christi nomine afflictionum testis est. Eam enim scripsi per dies vndecim, cùm libris omnibus destitutus, & in custodia arctissima à Martinangi vestratis (qui iussu regio oppido nostro præerat) quatuor præsidiariis militibus asseruatus, summis cum difficultatibus conflictarer. Atque vtinam tam sit tibi, piisque omnibus hæc mea σχεδιαστική opella grata, quam mihi in mediis obiectæ mortis terroribus fuit consolationi & solatio. Hoc nihil noui. Status noster idem est qui & antea, antiquum obtinemus. In Gallia multa quidem parantur, nihil tamen vtrisque succedit. Nostrorum vires debilitatæ nihil possunt: hostium tetrefactæ, nihil audent, vix tamen coalescere potest inter vtrosque concordia. καθαριστικὴ σύλλογος quæ Neraci (quod est Aquitanicæ Galliæ oppidum) habetur à Rege Nauarræo, expectatur. Huic Regina mater interest. Pacem pollicetur, sed qua fide cætera. Nostri etiam hac se spe lactari, & inescari fortasse sinunt. Sed quid facias? sumus, & quidem verè ex Phrygum genere, id quod etiam nostræ historiæ testantur: Serò enim sapimus. Vale, te tuamque Carissimam saluto officiosiss. Ego quoque D. Vrsinum, & ciuem meum D. Iunium saluto, cuius orationem elegantem nuper legi à D. Tossano ad me missam. Gratulor mihi ac patriæ, qui tam strenuum virum in Sparta sua ornanda nacti sumus. Omnes collegæ mei, Beza & reliqui te salutant officiosiss. Dominus tibi tuisque laboribus vir Præstantissime benedicat. Geneuæ xii. Cal. April. 1579.

Tibi addictissimus
L. Danæus.

Idem Danæus Zanchio.

S. Nimium otium perdidit, quod aiunt, Amyclas, vir Clarissime. Quorsum istud? dices. Quod verear ne ipse otio meo & literis videar abuti, dum grauiora tua studia interpello, nescio quænam scriptito singulis nundinis. Nam si, vt olim, cum in Gallia munus illud ministerij Euangelici exercebam, si nunc occuparer variis concionibus, vix ad scribendum tempus suppeteret. Nunc quasi otio langueo ac marcesco, sic sum otiosus, vt nisi hæc faciam, meipsum tandem sim perditurus. Interea autem dum Saluardus noster, qui te plurimum salutat, Pocchenio Luxcensi Præposito respondit, intermissum est Harmoniæ Ecclesiarum opus, quod mox, Deo bene iuuante, de integro repetituri sumus. Supersunt tantum quinque aut sex capita ex 17. aut 18. conferenda, quæ statim absoluentur. Hoc opus & à Gallicis ministris flagitatur, & ab aliis quibusdam: sed propter tot confessionum transcriptionem ac collationem difficilem, tam citò effici non potuit aut repræsentari: Quanquam sat citò, si sat bene. Euocari te ab Antvverpiensibus scripsit ad me nuper vir optimus D. Taffinus: & certè quidem vellem, te in isto totius Belgij theatro, Dei gloriam tum legendo, tum concionando promouere potius, quam in isto Germaniæ angulo, vbi etiam non satis stabilis vera doctrina fore videtur Illustrissimo Principe Casimiro sublato, quod omen Dominus auertat, sed Heidelbergæ exemplum me terret. Quis enim isti vestræ Academiæ successurus est, defuncto Principe Casimiro? Nonne idem qui & pientissimo illi Friderico III. Palatino Comiti parenti suo Illustrissimo, cuius opera omnia ἄρδην sunt euersa? idque vno momento? Præterea si locorum collationem fieri patest, quid Neustadium ad Antvverpiam? Si fructus & regnum Christi, illiusque propagatio quæritur, annô maior Antvverpię, quã Neustadij fiet? Antvverpia totius orbis emporiũ, vt quę merces illuc à te vehetur, ea postea per vniuersũ orbẽ dispergetur. Certè plus fuit Hierosolymę vel Romę, vel Antiochię, vel Corinthi seminasse Dei Euangelium & plantasse Ecclesias, quàm in

in centum aliis exiguis Iudææ, Italiæ, Syriæ vel Græciæ oppidis. Itaque diligenter studuerunt Apostoli ipsi, vt illæ amplissimarum regionum ciuitates præcipuæ, ac metropoles, vt Modestinus Iurisconsultus loquitur, prius potiusque Euangelium susciperent, susceptum conseruarent, denique à viris aliquot præstantissimis sustentarentur, quàm reliqua minora oppida. Atque vtinam is esset & Principum, & aliorum animus, vt vnde maior vbertas esse potest, illic præcipuè sementis Euangelij fieret: sed dum quisque, quod sibi commodum existimat præfert, illud quod ad maiorem Ecclesiæ ædificationem pertinet, non satis spectatur. Laudandum quidem eorum omnium studium, qui optimos quosque & doctissimos sibi adsciscunt & adiungunt: sed videndum quoque est, vt quod orbi ipsi vtilius est, vrbis alicuius vtilitati præferatur. Scio quàm sit necessaria tua Neustadij opera, quo loco sis, nempe in prima nostrorum aduersus vbiquitarios acie, quam sit operæ pretium in Germania Lutheranorum istorum insolentiam vestra præsentia & scriptis velut loris coherceri, Principem illum Illustrissimum vobis confirmari: sed quorsum tantus tot doctissimorum virorum, *Zanchij, Tossani, Vrsini, Iunij* in vna terræ Germanicæ gleba, & tam confertus simul numerus, qui singuli, si in singula regna spargerentur, iam vniuersus orbis ad fidem, Domino vestris laboribus benedicente, fuisset, meo quidem iudicio, conuersus? Neq; hæc scribo quod aut te à nobis remotiorem esse velim, aut in ea senectute tua labores tibi optem: sed dico, quod aliquando à piæ memoriæ viro D. Caluino ipse audiui, non esse ita simul congerendos in vnum oppidulum tot doctos; sed satis esse si in hac raritate, vnus aut alter etiam in vna aliqua prouincia reperiri possit. Hæc ad te, singularem animi pietatem tui, & eruditionem cogitans, quæ tu æqui bonique accipies. Vale. Deus tibi tuisque laboribus benedicat. Officiosè & te, & D. Vrsinum, & Iunium saluto. Geneuæ 13. Cal. Septemb. 1580.

T. ex animo

Lambertus Danæus.

Idem ad eundem.

S. Ad hunc vsque diem, tuam illam orationem, quam pollicebaris, vir Clarissime, expectaui, necdum tamen accepi: Quod ideo facio ardentius, quia omni scriptorum tuorum genere mirificè delector. Mittes igitur eam quum primum tibi licuerit. Ego, ne non semper sim tibi importunus, responsionem meam ad N. Selneccerum mitto, quã leges. Est breuis, ac vereor ne illa scintilla, magnum postea scriptorum incendium & volumen pariat. Non est enim futurus [illegible]: sed nec ego. Dominus veritatem suam defendenti aderit, & vtcunque prematur, non potest tamen opprimi veritas Dei, [illegible], inquit Hesychius. Noua omnia adferet corpus illud nouæ doctrinæ à sex viris istis Germanicis Theologis excusum, quod vtinam potius excussum esset. Magna enim in Ecclesiis Dei pax orietur, pro eo quod in posterum infinita incendiorum & discordiarum semina spargentur, quæ vel restinguere vel omninò extinguere nemo poterit. Certè nobis bella ista parantur, & isti nimij sui otij, & opum, & dominationum, & præfecturarum, ac præpositurarum suarum in Ecclesiis fructum hunc quem sentiamus, proferre conantur. Hi enim tituli mihi semper tam, quam qui maximè displicuerunt, suntque meo iudicio, veræ in Ecclesiam Dei tyrannidis reliquiæ, quæ honesto quidem speciosoque prætextu defenduntur, sed res ipsa est perniciosa. Non quod equidem disciplinam Ecclesiasticam improbem: immò nullam verè constitutam Ecclesiam, quemadmodum decet, puto, à qua illa absit: Sed esse quosdam in Ecclesia Dei perpetuos præsides, & Episcopos, & damno & improbo. Se non appellant Episcopos, sed præpositos. Quid tum? iura tamen illius non tantum humani, sed Satanici Episcopatus iam sibi isti D. præpositi vsurpant. De nostris rebus quid scribam nihil habeo. Omnia vetus suum obtinent. Beza edidit Psalterium suum: iucundum opus & vtile, quod vobis prius, quàm nobis ipsis prostabit: tanta est nostrorum bibliopolarum auaritia. De Belgio nihil est quod à me expectes, non modò quoniam pessima omnia audiuntur, sed etiam quia quæ ad nos deferuntur, à vestris ferè accipiuntur, & ad nos perferuntur.

Vale igitur vir Clariss. & me, vt soles, ama. Ego te, & D. Iunium popularem meum, collegam tuum, & Dominum Vrsinum, & alios mihi notos officiosè saluto. Dominus te seruet suæ Ecclesiæ incolumem, & tibi tuisque laboribus benedicat. Geneuæ. 7. Cal. Septembris, 1579.

Tibi deditißimus

Lambertus Danæus.

Reuerendis viris, Hieronymo Zanchio, & reliquis eximiis Christi seruis, Neostadianæ Ecclesiæ & Scholæ Pastoribus & Professoribus, &c.

Totius Geneuensis Ecclesiæ & Scholæ nomine SIMON GOLARTIVS S. P.

SI Deo ita visum esset, Reuerendi viri & fratres in Christo charissimi, vt quàm nobis opportuna fuisset charissimi fratris D. Tossani ad nos demigratio, tam commoda vobis fuisset eius dimissio, tantum certè vobis hoc nomine deberemus, quantum Ecclesia Ecclesiæ debere potest. Sed quum iustissimæ vobis excusationes non desint, & Christianos minimè deceat sua commoda ex aliorum incommodis comparare, vltrò in vestra sententia conquiescimus. Deum precati, vt charissimi fratris, vestrûmque omnium ministerio cumulatissimè benedicat: quod itidem vt pro nobis ab eodem benigniss. Patre assiduè petatis, vos etiam atque etiam rogamus. Cæterùm quod ad mutuam nostram & in doctrina consensionem, & animorum coniunctionem attinet, etsi de ea nunquam dubitauimus, iucundissimum tamen fuit hocipsum ex vestris amantissimè scriptis literis intelligere: & persuasum esse vobis magis ac magis cupimus, nos vicissim operam omnem daturos, ne quod in nobis fraternum officium meritò desideretis. Bene valete, Reuerendi viri & fratres in Christo charissimi. Dominus Iesus communes gemitus nostros exaudiat, Spiritum erroris ferocientem coërceat, & nobis donet, vt pacatiorem ipsius Ecclesiam cernamus. Geneuæ, 6. Calendas Maias, 1580.

L. Danæus Zanchio.

S. Quanquam fuerunt grauissimæ Dom. Danielis Tossani nobis denegandi caussæ, vir clarissime: tamen, si & quanta sit nostra iam inopia, & in futurum omnium Gallicanarum Ecclesiarum vtilitas, perpendissetis, faciles vos certè nostris precibus præbuissetis. Sed nimirum ille ita est forti pectore, & animo constanti, vt inter vos in prima acie pugnare pro Christi gloria aduersus vbiquitarios maluerit, quàm hîc nobiscum post principia collocari. Cuius vt animi constantiam laudo, sic viderit ille, quid tot amicis, tot consanguineis, tot sibi beneuolentissimis hominibus sit responsurus, quorum & vota & exspectationem sit frustratus. Dominus igitur & tuis, & illius laboribus benedicat, & vos fortissimos pro nominis sui gloria athletas tueatur, ac diu superstites præstet.

Cæterùm, quod de Confessione tua scribis, ea magna cum voluptate & à me, & à Beza & aliis perlecta est, quæ & eruditissimè scripta est, & accuratissima methodo: Et si modò, quod in fine de Archiepiscopis & Hierarchia addis, excipias, mihi summoperè placuit. Sed cùm de ea, & ratione concordiæ inter omnes nostræ Confessionis Ecclesias ineunda, cum fratribus Francis, qui hîc sunt, deliberaremus, illi vno consensu hanc & vnicam, & tutissimam & expeditissimam esse censuerunt, vt iam receptæ & editæ à singularum prouinciarum Ecclesiis fidei confessiones, in vnam harmoniam componerentur & compingerentur, quòd & simillimæ omnes essent quoad [illegible], & sua à nulla ecclesia repudiaretur. Hoc suum consilium cùm vobis multis rationibus probassent, ad vos de eo scripsimus, & ad Reuerendos fratres Tigurinos, & alias vobis vicinas ecclesias, quibus omnibus idem illud valde pla-

cuit. Rescripsit enim de eo Tossanus iampridem, & ex D. etiam, & D. Illustrissimi Principis Casimiri consilio, ita cœpta est concordia colligi, quæ nihil aliud habet, quàm ipsamet Confessionum singularum verba, ad certa tantùm capita reuocata: quæ synopsis ad vos quoque propediem mittetur, vt de ea vestrum iudicium & suffragium feratis.

Nec verò vir ornatissime, sic tibi persuadeto, non plurimi & quanti maximi à nobis fieri, cuius & eruditissima scripta pietatem insignem, summamque doctrinam testantur, & laus in Ecclesiis est celeberrima. Tanquam verè patens à nobis omnibus diligeris, & prouincia quauis grauissima dignissimus censeris. Itaque æqui bonique consulas, quòd & Francis ministris autoribus, & vestra etiam sententia prius exquisitam suscipimus: nec te tuamque Confessionem spernimus à nobis interpretetis. Vale. Saluto te officiosissimè, & D. Tossanum, & D. Visinum, & D. Iunium popularem meum. Beza te salutat. Geneuæ 11. Calend. Maij, 1580.

Tuus ex asse
Danaus.

H. Zanchius Lamberto Danao S.

QVod citius ad tuas mi frater obseruande, datas 11. Calend. Maij, non responderim, in caussa fuerunt tum occupationes meæ, tum quod non semper, quibus dem, mihi occurrunt; per hunc igitur adolescentem paucis respondeo. De D. Tossano quod scribis, non opus est ad id responsione. Nobis certè tam cordi est ista vestra Antiochia, in qua ego vt vixi feliciter tempore magni Caluini, sic optarim ibi mori & sepeliri, quam quibuluis aliis esse posse. Sed reuera, si ille ad vos venisset, plus nos inde damni, quam vos vtilitatis, accepissemus. Vos non potestis animo consequi, quam necessaria sit his nostris Ecclesiis, huius viri præsentia, non tam propter eruditionem, quæ est in eo eximia, quam propter studium disciplinæ, zelum pietatis, gratiam in persuadendo, & in afficiendis pertinacium etiam cordibus efficacitatem. Sumus autem omnes, vnum corpus, & vna est Ecclesia. Consultius igitur fuit Ecclesiæ in vniuersum, vt hic maneret, propter maiorem necessitatem. De eadem re, accepimus literas, nomine totius Collegij vestri datas: ad quas, quia non egent responsione, rogant fratres post gratiarum actionem, vt se habeatis excusatos, quod non responderint. Placuit quod scribis Confessionem, quam coactus a fratribus, vt ea opponeretur Pandoræ aduersariorum, pro mea tenuitate conscripseram, neque tibi, neque D. Bezæ improbari.

Si miseritis Harmoniam libenter legam. Ego ipse in illo conuentu, vbi de confessione tandem conclusum fuit, proposueram, vt Harmonia conciperetur, sed ex Confessione nostra Augustana, & Confessione postrema Tigurinorum ab omnibus nostræ fidei Ecclesiis subscripta. Sed obtinuit tandem sententia de noua & pleniore Confessione concipienda, propter nouas hæreses, quæ iam excitatæ sunt, & ab inferis reuocatæ. Vale mi frater obseruande, & vt resalutes Clariss. virum Dominum Bezam, rogo. Neostadij 11 Iunij, Anno 1580.

Franciscus Hotomannus I.C. Hieronymo Zanchio.

S. Clarissime vir: Ex tuis literis cognoui singularem tuam erga me beneuolentiam, & simul pristinum amorem recognoui. Vtinam is rerum mearum status esset, vt sanctissimis huius nobilissimi viri postulatis obtemperare possem. Sed vides ætatem: quæ tot migrationum & exiliorum pertæsa, portum aliquem tranquillum exoptat, in quo, quod reliquum est vitæ, placidè & quietè possim transigere. Nactus sum in hac ciuitate aërem, quem iampridem in illis Geneuensibus tempestatibus exoptaui; nactus sum amicos, & viros humanissimos, quod idem nobilis adolescens tibi testari poterit. Præterea vxor mea recordatione tot ærumnarum quas Biturigæ bis: Sancerræ per biennium & septem menses: Charitæ per totidem menses: (octo semper aut nouem liberis onerata:) pertulit. Scis vetus prouerbium: *Temerè accusat Neptunum, qui bis naufragium facit*. Habemus etiam non inelegans, *Felis calidâ perfusus, frigidam metuit*. Suasi, vt cum D. Donello agerent, qui vt opinor diutius ferre furores istos non poterit. Eò accedit, quod Belgam vxorem habet: linguæ & morum petitam. Scripsi etiam D. Danæo: vt patiatur se in eum locum abduci, quem tibi delatum cognoui. Deum oro, vt optimis & præstantissimis illis viris consilium & opem suam impertiatur: & tibi vir Clar. tuæque familiæ benedicat; rogo te vt clariss. D. Tossanum honorificè meis verbis salutes. Rescribam illi Deo volente propediem. Nunc velim me illi excusatum. Marbachium heri audiui à nostris hic propediem expectari: aiunt illum ad thermas proficisci. Credo esse *πρόφασιν*. Hæc mihi heri in conuiuio Coecius in aurem insusurrauit. Aliquid video monstri ali. Admodum metuo, ne nouus aliquis Antichristus eo ex loco exoriatur, vnde vetus primum nostris temporibus depulsus est. Sed hæc Deus pro sua clementia gubernabit. De Gallia nihil scribo, vnum hoc affirmo, neque Regem, neque ipsius matrem, etiamsi maximè velint, ciuili bello carere posse. Si Hugonotti omnes interiissent, ab ipsis Papistis lapidarentur. Doct. Visinum & reliquos amicos velim meo nomine officiosè salutes. Valè vir eximie & salue. Basileæ, 8. Maij.

Totus & animo & studio tuus

FR. HOTOMANNVS.

Viro celeberrimo, Domino Hieronymo Zanchio S. Theologiæ Doctori atque interpreti vni omnium eruditissimo,
S. P.

Clarissime vir:

POsteaquam primum renunciatum est nobis de excessu Illustriss. Principis Palatini, déque repentina Academiæ Heidelbergensis perturbatione, ob immutatam religionem, obitum eius consequuta, sanè quàm pro eo, ac debuimus, grauiter molestéque tulimus, naufragiúmque istius calamitatem communiter etiam ad nos pertinere existimauimus, quippe eadem in verba iuratos, iisdemque sacris addictos & quasi initiatos iampridem. Cæterum iustissimam hanc animi nostri ægritudinem non parum lenire ac mitigare visa est, noua Academiæ nostræ Lugdunensis constitutio, cuius beneficio ac præsidio sperabamus studiosos & pios omnes imminentissimo suo istinc profligatos, paratum porrò apud nos sibi, præsensque perfugium habituros, quo se tanquam in tranquillum portum, ex turbulentissima Heidelbergensi tempestate reciperent: neque hæc spes nostra frustra omnino fuisse videri debet: ita iam inde paulò quam antea frequentiores studiosi ad nos visi appellere. vt enim cæteros omittam, quos communium studiorum cultus, eiusdemque religionis societas Heidelberga hucusque pertractos Academiæ nostræ nomina vt darent, induxit, etiam superiore anno Ioh. Bollius S. Theologiæ Doctor (quem quondam discipulum tibi & conuictorem fuisse ex ipsius relatu accepimus) vna cum vxore familiáque istinc in Batauiam aduectus, ad nos sedes suas ac domicilium transtulit, annumque continuum (quo suauissimè coniunctissiméque apud nos vixit) mirificas literariæ Reipublicæ vtilitates, operamque egregiam ac laudabilem in sacrarum rerum explicatione nobis præbuit, diuturniorem præbituris, nisi eum populares sui Flandri ab hac Academica professione, ad concionandi munus in patria obeundum, quotidianis flagitionibus eandaum porrò abstraxissent. Is honorificè & grauiter (dum quidem apud nos fuit) multa nobis de te virtutibusque tuis prædicare, Zanchiique nomen in cœlum efferre solitus, incredibile memoratu est. quanta nos omnes tui adipiscendi cupiditate, quantóque desiderio animos nostros inflammarit atque incenderit. Itaque etiam de te cum auctoritate publica istinc per literas accersendo, atque huc ad nos euocando iterùm non semel consilia, ac sermones habuimus. Cæterum cum vereremur, ne molestiam fortè tibi ac indignationem pareret, importuna ista adeóque parum prouisa flagitatio, placuit de communi consilio, vt nego-

negotium istud per D. Bollium quasi internuncium atque interpretem consultò ac meditatè gereretur, qui pro ea familiaritate, quam ille tecum sibi esse videri volebat, animum tuum leuiter periclitando, aditũ ad te per epistolam priuatim tentaret, sententiamque super hac conditione expectaret tuam, quo videlicet paratiores porro ad te istinc solicitandum accedere possemus. Id ille ad se receptum prima occasione nobis (quantum quidem in se esset) cum cura & fide exequi promiserat. Itaque nihil etiamnum dubitamus, quin literas hac de re ante duos menses à Bollio nostro acceperis. Quod si ita est (vt quidem esse liquidò persuasum est nobis) petimus à tua humanitate maiorem in modum, ne diutius Lugdunum nostram responsi tui expectatione incertam ac suspensam distineas, sed nobis, quantũ potes, pauxillo epistolio voluntatis tuæ summam perscribas, vsus publici huius tabellarij nostri occasione, cui seriò hercle, in mandatis dedimus, ne sese istinc commouere insistat prius, quàm literas à te, & quidem eiusmodi, quibus de toto consilio tuo certiores reddamur, nobis exsculpserit. Nam ad Decretum Publicum quod attinet, id verò in hunc fasciculum coniectum vnà cum epistola misissemus, si nobis de voluntate ad nos commeandi tua, & an lubenter literas has lecturus esses, planiùs constitisset. Nunc itaque illud omne in aduentum tuum, si tamen is futurus est vnquam, paratum ac promptum reseruabimus, satis in præsenti habentes, de honorario tibi, & quem locum in Academia nostra porrò sis habiturus, sententiam Collegij nostri paucis exponere. Ea verò est huiusmodi, vt videlicet ex dignitate & rei & tua, principem in sacrarum professione ordinem in hoc Lycæo nostro ducas, atque obtineas: proque eo munere mercedem annuam Florenorum nostratium octingentorum, tibi decretam esse scito; viatici prætereà loco Daleros N. qui tibi recens aduenienti quamprimum à Quæstore publico vltrò repræsentabuntur. Dispice vir Clarissime, quantum incrementi nouæ ac herbescenti Academiæ nostræ sis allaturus, quantum ornamenti ac præsidij nobis omnibus, quantum subsidij Ecclesiæ, veræque pietatis cultoribus, quantum denique tibi solidi honoris & gratiæ. Nos verò nominis tui splendore nunc primum in lucem quasi è tenebris emersuri, & virtuti tuæ plurimum debebimus, & vt alij debere in posterum velint, grata animorum significatione, omnibusque officiis tum priuatis tum publicis studiosè porrò ex parte nostra adnitemur. Vale vir doctiss. nec nos desiderio tui patere oblanguere diutius. Lugduni Batauorum xi. Kalend. Ianuar. Anno assertæ humano generi salutis cIɔ Iɔ LXXVIII.

Ex decreto Curatorum ac Senatus Academiæ Lugdunensis,
Ianus Douza Nordouix.

Ex decreto consulum & Senatus oppidi Lugdunensis,
I. van Hout.

L. Danæus Hier. Zanchio.

SVir Clariss. accepi heri tuas Theses de Ascensione Christi eiusdemque ad dextram patris sessione accuratissime scriptas, ex quibus intellexi verissimum, quod dici solet, *virescit vulnere virtus*, & quod dixit olim Hieronymus, *bos lassus fortiùs figit pedem.* Grata etiam fuit tua de me memoria, imò iucundissima, & tui, & totius vestri cœtus, quem vidi quemque semper honoraui, recordatio. Quòd autem meas literas expectatis, vt quam tutò huc peruenerim, à vobis sciri possit: Certè ante mensem literas ad D. Tossanum dedi totius istius historiæ indices locupletissimos, quæ si nondum ad vos peruenerint, magnâ tabellariorum negligentiâ factum est: Sed vel eas, fortassis iam accepistis, vel propediem accepturi estis. Fuit verò Dei gratia nauigatio satis felix, nec differri debebat in longius tempus, nisi in manifestum periculum & cœli, & latronum incurrere vellem. Incolumis cum tota familia incolumi Leydam perueni ad diem 13. Martij mensis. Honorificè exceptus sum, vtinam hominum istorum de me expectationi satisfacere possim, est enim magna: sed vereor, vt illi vel par, vel etiam, vt loquitur Augustinus, suppar esse queam. Vestris omnium precibus commendari Deo velim vir ornatiss. vt ille qui vnus potest, & animum, & vires, tanto pares oneri sumministret, magna sua paternaque benignitate. Aer & victus, longè à nostris sunt dissimiles. Ceruisia potus vulgaris: aer maritimus, catarrhosus, vt aiunt, & vt ipse etiam experior. Rara ætas, cœli temperies incerta, prope perpetuus Autumnus. Academia hæc frequens, sed aliæ hac frequentiores multæ: pridem deserta Theologica scientia nunc pedetentim ac paulatim restituitur à nobis. Homines satis comes. Magistratus in Academiam propensus animo, sed tanti cœpti rudis, & qui vix ipsam operis dignitatem ferre possit. Habeo collegas coniunctissimos. D. D. Donellum & Lipsium, vterque tui, Tossani, & Vrsini, & Ehemij, & cæterorum virorum optimorum studiosissimus: ego verò etiam omnibus vobis [illegible] & plusquam studiosus. Vos omnes officiosiss. salutamus. Anabaptistarum hic nidus, in tres sectas celebriores, id est, magis notas distincti, *Menonitas, Charitatiuos, & Monasterienses.* Primi negant *Christum in carnem venisse*, vti & Marcion fecit. Secundi *operibus bonis ac præsertim legis se seruari contendunt.* Tertij *verbum Dei scriptum elementa mundi, & à Paulo damnata vocant.* Vides cum qua hominum Lerna & farragine hic verser: me tamen non aggrediuntur, tum quod eorum linguam, nimirum Hollandicam, ignorem, illi autem omnes planè [illegible]: tum quod seipsos prodere tam apertè non audent. Papistica superstitio omnis edicto ordinum hic in Hollandia abrogata atque interdicta. Hæc pauca didici & habui quæ ad vos scriberem. Bene vale senex reuerende. Dominus Deus tibi tuisque laboribus benedicat. Moræum saluto, nisi molestum erit cui propediem scribam. Lugduni in Batauis, 8. Cal. Iun. Anno temporis vltimi 1581.

Tibi deditißimus

LAMB. DANÆVS.

Hier. Zanc. Casparo Oleuiano Theol. Doct. S.

NOtas tuas ad Romanos, mi frater obseruande, non citiùs accepi quam 21. huius mensis: non igitur miraberis; quod nunc primùm tibi agam gratias. Credo persuasum esse de mea erga te obseruantia, vt non multis verbis opus sit mihi ad te rogandum, ne quidpiam sinistræ de me opinionis ex meo silentio concipias, quando solida vtraque amicitia nostra, Argentinæ inchoata, Heidelbergæ per annos decem & amplius continuata, eaque in Christo firmata, vna ad dispellendas ex animis nostris omnes vanarum suspicionum nebulas, quibus obduci posset lux fraternæ charitatis, sufficere potest & debet. Accepit communis calamitas, eadem calamitatis causa, eadem etiam Dei nos protegentis, nostraque omnia suauissimè regentis, paterna prouidentia, eadem denique spes æternæ hæreditatis, ad quam quotidiè propiùs accedimus: quæ certè omnia magis ac magis confirmare nos in fraterna dilectione & arctiori vinculo Christianam amicitiam nostram constringere debent: Nosti prætereà me & natura tardum ad scribendas officiosas literas, & si maximè etiam velim, non posse propter multas grauioresque occupationes, adde quod tum malè pingo, vt meipsum pudeat mei, neque semper habeo, qui describat, amanuensem. Ergo ita me excusatum habeas, quod hactenus nihil ad te scripserim, rogo: vt ne, qui te semper propter pietatem & virtutem amauit & obseruauit, eundem tu redamare negligas etiam atque etiam obsecro atque obtestor. Legeram antea, quæ in Epistolam ad Galatas scripseras, & nunc quædam quæ ad Romanos, placet breuitas, analysis, perspicuitas, fidelis explicatio, atque etiam aculei: credo laborem istum tuum, non futurum Ecclesiæ inutilem; Tuæ certè pietatis perspicuum relinques in Ecclesia testimonium, vt tota posteritas, quid docueris Heidelbergæ intelligat. Perge ergo, mi frater, vt cœpisti: Dominus autem tuis benedicat laboribus. Schola nostra multò frequentior est Heidelbergensi Academia, & subinde confluunt studiosi. Valemus autem, Dei beneficio, omnes, & in charitate ac pace viuimus, sed dolore propter calamitatem Ecclesiarum Belgicarum confecti. Dominus misereatur nostri, & hostes compescat nominis sui. Audio nunc Heidelbergæ esse Iacobum Andream & Chemnitium, diu iam ibi fuit Argentinensis ille noster, qui vt audio, per vrbem equo, in terram vsque panno obducto insi-

dens, eum comitatu instar Principis, vel Archiepiscopi potius Constantinopolitani obequitare aliquando solet: felicior ego sum, qui solus, & pedes quotidie conscendere soleo hosce nostros colles & montes. Hæc hactenus. Interim te, frater obseruande, cum familia Deo commendo. Neostadij 7. Augusti, Anno 79.

Ob. Giphanius I.C. H. Zanchio, S.P. Neostadium.

INuitus feci, vt ab optimo sene D. Sturmio discederem. Sed impium iudicaui, vitam omnem in odiis & simultatibus consumere. Vix annum egressus quadragesimum planè canesco, non enim pectus tunica adamantina, vt Poeta ait, tectum gero. Quare in hunc otij & tranquillitatis portum concessi, quod meum consilium, si tu quoque probaueris, æquiore animo hic consistam. Sed hac de re pluta ad Tossanum nostrum scribo, a quo & de Senatus Norici in viros doctos beneuolentia, & de Schola nostra, quam tibi vehementer commendo, si voles, poteris cognoscere. Quanquam & hic amicus noster omnia commodius exponet, quæ causa quoque est, cur iam sim breuior. Magna est expectatio libri tui in Kemnitium, nihil mihi crede opportunius hac ætate proferri poterit. Sed in Thesibus tuis quod absurdum putas, nos Dei proprietatum essentialium fieri participes, non facis cum Heshusio, qui tamen in conuentu proximo Febr. habito Quedliburgi, vbique præsentiam carnis Christi improbauit. Is enim, in *Adsertione*, sic enim librum suum inscripsit, contra *Exegesin Curai* disertè adfirmat, non tantùm carnem Christi, sed nostram quoque carnem, proprietatum Dei essentialium esse participem. Mirum id tibi videbitur, & mihi sanè est absurdissimum: Extat tamen in ea Adsertione, vt loquitur, quam ego tandem videre, & Emblemata quædam inde sumpta in eum librum intexere cupio. Placuit illa Assertio Pappo illi Sueuo, non Alexandrino, adeò vt totum ferè suum primum librum contra D. Sturmium inde compilarit. Vale vir doctissime, & amiciss. D. Fortunato Crellio salutem à me amantissimam dices, cuius ego studium in vetere Philosophia & tuenda & explananda valde probo & laudo. Altorphij Noricorum, 9. Aprilis.

Thomas Erastus Medicus H. Zanchio S.D. Argentinam.

HEri vesperi tuas accepi literas vir Clarissime, in quibus, vt disputationem tibi hic habitam, mittam, peris. Principes, data sibi mutuo fide, non vulgandam esse, in caussa sunt, quo minus tu cæterique legere eam possitis. Nos vulgare nec possumus nec debemus. Exempla hic multa sunt. Multi namque præter destinatos ad eam rem scribas, exceperunt quanta omnino celeritate potuerunt. Sed cum sine ordine penè agerentur omnia, assequi potuit nemo. In nostro exemplari quod ex plurimis correximus tum, cum in recenti adhuc memoria cuncta hærerent. Aduersarij nobiscum non contulerunt. Quidam tamen, ex illorum exemplo, sua emendasse dicti sunt. Nuper exemplum nactus sum, quod aduersariorum esse dicebatur. Verisimile quoque mihi propter multas easque graues coniecturas videbatur. Id cum incœpissem cum nostro conferre, multa nobis, plura illis deesse animaduerti. Sunt plurima perturbato & inuerso ordine scripta. Quod ad verba attinet, discrepant crebrò, in sensu tamen discordiam nullam hactenus deprehendi. Vt hic exempla eorum reperiuntur, ita istic quoque proculdubio habebitis. Miserunt enim istuc libellos famosos in nos editos, & quæ pro concionibus dicta & vtrinque facta sunt, (vtinam bona sint fide omnia recitata) vnde non dubitamus, acta quoque disputationis, vt aduersarij descripserunt, vos habere. Scimus quoque non tantùm hæc esse facta, sed plerosque vestrûm nos condemnasse. Scripsit enim Flinnerus vester huc, ministros omnes, & totam ferè Argentinam, aduersariorum theses probare, nostras damnare, & in sententia vt persistant, diligenter monet. Miror ego hominem, qui Augustæ tolerabiliter, & hic postea variè & perplexè hanc rem, imò dubiè docuit, iam prodire ad damnationem earum rerum, quas præ imbecillitate ingenij assequi, præ ignorantia intelligere nunquam potuit. Sextum Iohannis caput, audiui eum hic tam miserè non explicantem, sed dilacerantem, discindentem, intorquentem, perturbantem, vt valdè ipsius misertus fuerim. Videbatur interdum causam intelligere atque etiam exponere velle, sed mox reuocabat, atque etiam media quadam via non ratò incedere frustrà tentabat. Iudicabant aliqui eum, eum & scire, & dicere cupere, sed non audere, quòd vereretur, ne Marbachium offenderet. Nam Argentinam eum respectare credebant. Ego verò, nisi iam contra conscientiam, quod scelus hodie in plurimis reperitur, scribat atque agat, eum intellexisse rem, credere non possum. Hæc ideo, vt non tam facile credatis, quæ de nobis aduersarij, atque alij quidam, in quorum fortasse verbis quam cordibus plus est pietatis & Dei, sparserunt. Ad rem. Aduersarij disputationis exempla reliquerunt. Vbi per ocium licebit, vt incœpi, conferam cum nostro, & vtrunque corrigam. Qui habent, mittunt quò & quibus libet. Non enim pactum ad eos Principum spectat. Nos tametsi possemus, vt certè cupimus, publicare, propter dictas causas, facere tamen nolumus. Scimus enim quam in priorem partem plurimi ea quoque interpretentur, quæ piè & sanctè dicta ac facta sunt, & sine flagitio reprehendi non possunt. Ita semper eum veritatis amantibus actum esse, legimus. Non recte hodie multi Pontificios accusant, eum deterius ipsi agant illis, quos aduersari sibi iudicant. Scripsit in disputatione adolescens quidam Bernas, doctissimus, & solidæ eruditionis præ omnibus, quos ego iam multos annos in Germania noui, studiosissimus. Is sententiam magis iudicio, quo plurimum valet, inspiciens quam verba, pleraque assecutus est: Actionem quoque disputationis, literis quas ad suos scripsit, ita depinxit, vt desiderare non multa potuerim. Legi namque hodie exemplum, post dimissas literas, quod alioquin ego non fueram concessurus. Vnam reuocare liceret, ne occasionem sibi aduersarij datam arbitrentur, aliquando sinistre de nobis loquendi. Sed quoniam reuocari nequeunt, inde licebit accipias. Propediem fortasse acta quoque publicabuntur. Nam si aduersariorum spargantur longius, non poterimus nos non nostra edere, ne præiudiciis capti, nos multi damnent, te necdum recte cognita & perspecta: Hæc ad literas tuas respondere volui. Vale, vir obseruande, in Christo Iesu plurimùm. Heidelbergæ, 11. Octobr.

H. Z. REGNERO ALBERDA, Groningam.

SEx filio tuo, vir magnifice, Egeberto, qui apud me, à tempore, quo huc venit studiorum gratia, perpetuò vixit & viuit, inter familiariter colloquendum, intellexi non semel, cum summa animi mei voluptate, de tua singulari virtute ac pietate, déque iis quæ propter Christum, & propter publicum patriæ bonum, perpessus es, atque etiamnum constanter pateris, ac forti perfers animo. Fieri ista non potuerunt, quin re absentem ex animo amplecterer, & etiamnum Christiano amore, atque ea qua dignus es perpetua obseruantia complectar. Nobilitas per se digna est honore: quid postea si accedat vera pietas, heroica virtus, tantus amor Christi & patriæ, vt nihil pertimescas, modo & illius gloriam & huius salutem ac bonum promouere queas? Apostolus docet, non maius donum Dei esse, pro Christo pati, quam quod in illum credamus. Pari ergo pro Christo, & propter iustitiam, varia afflictionum genera, exilia, carceres, tormenta, mortem denique ipsam; inter singularia Dei beneficia habendum & connumerandum est. Quid enim est ista crux aliud, si constanti animo perferatur, quàm certum doni perseuerantiæ vsque in finem, eóque veræ pietatis, æternæ electionis & instantis glorificationis testimonium. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Neque certè alia ratione, Dominus IESVS in suum introiuit regnū, quam per crucem: *Oportuit*, inquit, *Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Apostolus verò pronuntiat in genere, *Omnes qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem passuros.* Tot & tanta non solum in Sacris literis & Historiis Ecclesiasticis leguntur, verum etiam quotidie & passim visuntur exempla, quibus hæc propositio Apostolica confirmatur, vt plane supernacaneum sit, vel vnum in mediū proferre. Quid enim opus est, cum nemo piorum hominū sit, qui in seipso hoc non sit expertus, ac subinde non experiatur.

periatur. Est enim hæc perpetua nobis pugna cum mundo,& huius mundi Principe. Quod si aliquando eam minus sentimus aduersari : induciæ quædam sunt, quæ Dei prouidentia, piis conceduntur. Sed perpetua pax cum mundo, speranda non est. Ergo,ad pugnam semper parati simus, oportet. Sed bene est, quod Dominum habemus, qui semper vincit,& qui etiam non sinit nos tentari supra id quod possimus perferre. Neque sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Etsi ergo non parum dolui & doleo crucem tuam, vir Clarissime, maiori tamen afficior consolatione, quod forti animo eam à te perferri intelligo. Qui autem bonum in te opus incœpit, is quin perfecturus sit, dubitandum non est. Interea Deus sine intermissione est rogandus. Habes etiam quod crucem tuam emollire,& tolerabiliorem reddere debet,nempe quod hic habes filium, de quo mihi magna polliceor, si Dominus pergat eum suis afficere benedictionibus : Amans enim est pietatis, modestus est, prudens & bonarum literarum non infelix studiosus. Ego illum his de causis amo vt filium meum. Si quid verò à me cupis præstari, illud mihi liberè significes, obnixè rogo & obsecro ; inuenies hominem, qui paucis verbis contentus, reipsa suum erga te animum declarare studebit. Vale.

D. Ludouico Lauatero Guilhelmus Stuckius
S. P. D.

Redditæ mihi sunt proximæ tuæ literæ, Domine humanissime, quibus ego quam potero diligentissimè breuissiméque respondebo. Ac primò quidem hospes meus D. Conradus Hubertus, qua est humanitate, omnem tibi operam suam iis in rebus, quas ab eo petiisti, pollicetur atque defert: Et sperat, quod Deus faxit, fore vt ipse breui coràm illis de rebus omnibus, tecum colloquatur. Statuit enim, nisi quid eum impediat, post Paschatis festum Basileam, vbi Buceri opera imprimenda curabit, ac inde Tigurum & Vitodurum ad Ambrosium Blaurerum proficisci. Hoc suum iter citius suscipere in animo habuerat, nisi cùm filij sui, quem secum habere comitem cupit, morbus: tum illa quæ inter Zanchium & Marbachium exarsit controuersia, eum retardasset. Venio nunc ad eam controuersiam, de qua certior à me fieri postulas. Huius quidem causa primaria, quantum ego certis quibusdam coniecturis assequi possum, hæc est. D. Marbachius cæterique eius nonnulli Collegæ, cùm suum illum egregium conatum in lucem edendi Heshusij de re Sacramentaria libellum, à Magistratu, Zanchij aliorumque intercessione, fractum atque repressum esse, molestè ferrent, omnem sui vlciscendi occasionem quæsiuerunt. Itaque cùm Zanchius explicans illum locum Iohannis Apostoli ; *Exierunt è nobis, sed non fuerunt de nobis, nam*, &c. multis de perseuerantia Sanctorum in fide: & antea de Fine seculi, doctissime verissiméque disseruisset, Marbachius hinc occasionem arripuit eum apud Scholarchas accusandi : itaque eum non priuatim antea, vt par erat, admonitum, his de rebus apud Scholarchas accusauit. Primo, quod sanctificatos, regeneratos siue iustificatos doceat, non posse excidere è gratia Dei: Deinde, quod nimis sæpe multa de Prædestinatione verba faciat : tum, quod finem sæculi, certis quibusdam coniecturis, sciri cognoscique posse neget : Postremo, Quod non ex Augustanæ Confessionis præscripto, de re Sacramentaria sentiat & doceat. His Capitibus, accusationis Marbachianæ, Zanchius copiosissime optiméque respondit. Hic igitur huius controuersiæ est fons atque origo. Nunc præstantissimus iste Theologus, cuius, præter doctrinam eximiam, innocentia quoque atque integritas, omnibus, vt opinor, bonis viris satis spectata atque probata est : ab omnibus ferè huiusce vrbis ministris, præter meum hospitem, qui eum vnicè amat, oppugnatur, publicè priuatimque in odium atque inuidiam rapitur. Huius verò defensionem ac propugnationem susceperunt, hospes meus, Ioannes Sturmius Rector huius Scholæ, cæterique boni viri: Buceri, cuius ob doctrinam, de perseuerantia Sanctorum in fide, Scripturis consentaneam, Zanchius præcipuè accusatur, fautores atque amici : cæteris istis pestibus & numero & auctoritate & gratia : (hîc Sturmium excipio:) multum inferiores. Paucis ante diebus, Buceri opuscula de Sacramentis in vnum libellum contracta, excusa sunt, quæ quominus adhuc in lucem exierint, Marbachij aliorumque culpa factum est, qui effecerunt, vt ea magistratus vendi vetuerit. Huic libello præfixa est Ioh. Sturmij Epistola ad Coccum Anglum, satis prolixa, quæ istos bonos viros valdè pungit: in qua grauissime conqueritur de nonnullorum importunitate atque iniuria, qua viros doctrina & pietate præstantissimos, Ecclesias clarissimas atque ornatissimas, Martyres in Gallia, Hispania, & alibi quàm plurimos, ipsi hyeme in hypocausto caliduli, æstate sub vmbra frigiduli, afficere audent, dum eos iniustissime hæreseos condemnant, & inimicos quàm amicos appellare malunt. Pollicetur præterea in eadem Epistola, se mox librum de re sacramentaria satis argumentosum in lucem esse editurum. Huic Epistolæ alia hospitis mei D. Conradi adiuncta est, eiusdem fere cum superiore argumenti. Hæc sunt carissime Domine, quæ tibi hac de controuersia scribenda habui, in qua longior fui quam initiò putaram. Plura quæ ad te scribam me deficiunt. Itaque vt scribendi modum faciam, vel potius finem, modum enim iam multum excessi, te colendissime Domine, oro quæsoque vt has meas literas æqui bonique consulas, méque amare, sicut adhuc constanter fecisti, pergas: cui amori ego quantum potero, omni meo studio atque obseruantia respondebo. Domino Bullingero, Simlero, Zvvinglio, tuisque omnibus plurimum oro, meo nomine, salutis impertiaris. Vale in Domino charissime atque colendissime Domine, Argentina.

Iohannes Guilhelmus Stuckius Hieronymo Zanchio S. D. Neosta-
dium.

Redditæ mihi sunt, vir Clarissime & præceptor obseruande, proximæ tuæ literæ ad me scriptæ, cum quibus aliæ quædam literæ fuerant coniunctæ ad affinem tuum D. Luinagam, quas statim Curiam curaui perferendas. Excusatione illa, qua statim ab initio literarum tuarum pro humanitate tua vteris, de diuturno tuo silentio, minimè opus erat. Excusant enim te satis superque publica & priuata tua negotia atque molestiæ, tua senectus, corporis & in primis oculorum tuorum infirmitas, quæ quidem causæ te procul dubio non ad me solum, sed alios quoque tuos amicos scribere prohibent. Prognosticon meum (quod per Cambierum Typographum Francofurtensem ad te miseram:) te nondum accepisse miror: Illud nunc additis nonnullis recusum est, de quo iudicium tuum, quod plurimi facio, intelligere vehementer velim. Cambierum monebo vt exemplar ad te mittat, trium aut quatuor foliorum est opusculum. Res nostras & politicas & Ecclesiasticas, quas tibi curæ cordique esse scio, in felici scias adhuc, Dei beneficio, atque pacato esse statu, quo faxit Deus, vt diutissime fruamur. Ecclesiam Bernensem nonnihil turbarant *Samuel Hubertus* Ecclesiæ in agro minister, & Albertus Medicus & Philosophus Lausannensis, vir egregie doctus, quorum ille de Prædestinatione, hic de Iustificatione scripto etiam publicè edito, quæstiones atque controuersias mouerant. Vtraque controuersia, cùm Dei inprimis benignitate, tum magistratus Bernensis, & pastorum atque doctorum Ecclesiæ quorundam, qui ad actionem illam vocati & accersiti fuerant, fide, industria, prudentia atque consilio bene admodum composita atque sopita fuit. Ad hæc: (sic enim Deus nouit ex malis plurimum sæpe boni elicere:) hac occasione conspirans ac penè conflatus Ecclesiarum Helueticarum & Sabaudicarum, non solum de prædestinatione & Iustificatione, sed de reliquis quoque fidei religionisque nostræ articulis, consensus, denuò sancitus ac confirmatus fuit. Albertus sese facilem, modestum atque docilem præbuit. At alter sese pro antiquo suo more, contumacissimum & obstinatissimum exhibuit. Itaque meritò Amplissimi Magistratus decreto, propter falsa crimina quæ D. Musculo intenderat, falsa de prædestinatione dogmata atque somnia, propter incredibilem audaciam, impudentiam, atque peruicaciam munere officióque Ecclesiastico sese abdicare est coactus. Ille verò pacis & tranquillitatis impatiens non quieuit, & vindictæ cupiditate impulsus, clam scriptum quoddam aduersus nos omnes, qui illum libenter in viam reuocassemus, contumeliosissimum exarauit. Quo patefacto primum in carcerem fuit coniectus, deinde ob effrænatã indomitamq; suã contumaciam, in exilium vnà cum vxore & liberis suis eiectus fuit. Inde rectà sese in ditionem Wittembergensem ad

Schmidelinum, cuius doctrinam de Prædestinatione & Baptismo strenuè defenderat, recepit, à quo tanquam gratissimus, suique similimus hospes amicè humaniterque fuit receptus. Ibi nunc nouam Camerinam mouet, plurima de nobis mendacia atque calumnias spargit. Scriptum quoque aduersus nos conuitiis refertum conscripsit, quod ab ipsis nundinis dicitur in lucem proditurum, Magistratus Tigurinus, Bernensis, Basiliensis & Scaphusianus nuntium literasque ad Illustrissimum Principem VVittembergensem miserunt, quibus illum partim de toto hoc negotio edocent, partim vt calumniosa illa scripta, quæ maiorum turbarum atque contentionum futura sint seminaria, publicæ pacis & tranquillitatis tuendæ & conseruandæ gratia, supprimi curet, monent atque hortantur. Nunc responsum Principis, illius pietate atque prudentia dignum, & publicæ paci concordiæque accommodatum, expectatur. Similis ferè fuit nostra hæc cum Hubero illo contentio, quæ tua fuit olim cum Marbachio Argentoratensi, cuius auritus oculatusque testis fui. Itaque acta illa Argentoratensia literis memoriæque à te mandata, mihi in Bernensi hac actione, cui magistratus mei collegiique obseruandi auctoritate interesse sum coactus, magno vsui adiumentoque fuerunt. Homo ille mihi inprimis infensus valde est & infestus, de me potissimùm conqueritur, vt ex amici cuiusdam mei subingessis literis cognoui, itaque in me quoque proculdubio scômatum & conuitiorum suorum tela atque fulmina vibrabit. Nam vt liberè & ingenuè fatear, in publica illa disputatione & actione, singularis illius audaciæ, impudentiæ, loquacitatis, Paradoxorum impatiens, in huiusmodi verba aliquoties protupi, nos cum homine illo, tanquā negante principia, operā & oleū disputādo perdere, cū identidē omnes ab æterno ad vitā æternam à Deo prædestinatos, neminē reiectū ac reprobatum esse affirmaret, & prædestinationis, licet sæpe rogatus, nullam definitionem afferre vellet, nostram verò respueret, vnde omnis disputationis iustæ & legitimæ exordium est ducendum, ne errare & vagari sine fine atque fluctu cogatur oratio, vt Cicero inquit. Sed de his satis, de quibus plura forsan ex aliorum literis intellexisti. Rogo te vehementer, mi Domine præceptor, vt, pro veteri tuo in me amore, meaque vicissim erga te obseruantia, me in hoc certamine, in quo tu es exercitatissimus, tuis precibus tuisq. consiliis iuuare velis. Sed de his tristibus satis: venio ad lætiora. Confugit ad nos ante sex fere hebdomadas vir quidam doctus valdè & disertus, qui per decennium Romæ in Iesuitarum Collegio literis atque disciplinis liberalibus magno studio, magnoque cum progressu incubuit. Patria est Lucernensis, nomine Gabriel, genere Gerberus: (quæ honesta est & antiqua Lucernensis familia:) munere Canonicus, Iuris Canonici doctor, egregiæ, vt dixi, doctrinæ & eruditionis. Is repudiata religione seu superstitione potiùs Romana & Pontificia nostram profitetur, & ad ecclesiæ Scholæque nostræ inseruiendum, omnem operam suam nobis defert ac pollicetur. Concubinam suam, quæ est Tigurina, & ex qua tres susceptos habet liberos, nostræ Ecclesiæ more ritúque in vxorem duxit, sibique matrimonio legitimo iunxit. Multis literarum promissorumque illecebris vicini nostri illum ad se reuocare conantur, sed speramus illum & re & nomine Gabrielem, hoc est, fortem & constantem in fide religioneque nostra ac proinde magno Ecclesiæ Scholæque nostro vsui ornamentoque futurum. Noua quæ scribam non habeo nisi illa, de classis Hispanicæ clade & Anglorum victoria, tibi forsan notiora, quam nobis.

Vale Domine & præceptor obseruande, & me tui obseruantissimum amare quæso pergas, & fratrem meum, qui præsidiario Principum tuorum Illustriss. militi, vt audio, præfuit & forsan adhuc præest, meque vna cum illo tuis precibus, fidei, humanitati vnicè commendo. D. Stumpfius, cæterique collegæ mei obseruandi, te amant, obseruant, salutant plurimum. D. Thomæ Blautero Vicario Neostadiensi, affini meo obseruando, honorificā quæso meo nomine salutem dicas. Ignoscas mihi oro pro humanitate tua, quod hac mea verbositate oculis negotiisque tuis non parco. Tiguri Calend. Septembris, Anno 1588.

D. Hieronymo Zanchio, D. Zacharia Vrsino: & Doct. Danieli Tossano, S. Theolog. Doctoribus ac Professoribus in Schola & Ecclesia Neostadiana.

CHRISTOPHORVS PEZELIVS, D.

Salutem in Christo Immanuele & Seruatore nostro vnico: Reuerendi, clarissimi & humanissimi viri Domini & amici, patrum, præceptorum & fratrum loco colendi;

Initio harum literarum, quod & pietas & huius temporis ratio postulat, ab æterno, vero & viuo Deo, patre Domini ac liberatoris nostri Iesu Christi, precor, vt hunc annum ingredientem, Ecclesiæ & Reipub. Christianæ & Scholæ & vobis omnibus, ac familiis vestris faustum, felicem, tranquillum & salutarem efficiat. Deinde Reuerendis dignitatibus vestris reuerenter significo, me ad Harnisium Bibliopolam vestratem, qui aliquoties id à me flagitauit, mittere hoc tempore secundam partem argumentorum Philippicorum: In qua de creatione mundi, & quibusdam cognatis materiis: de prouidentia; de contingentia; de peccati causa; de libero arbitrio, de peccato, ex *Philippi Melanchthonis* scriptis responsiones collectæ ita recitantur, vt in Scholiis tamen à me additis, pleruṁque vberiores declarationes attexantur, quæ ostendant, si quid in D. Philippi scriptis obscurius dictum sit, id maluisse me ad scripturæ & veritatis doctrinæ normam interpretari, quam perpetuam litium materiam aliis relinquere. Neque verò ignoro, de plerisque his doctrinæ controuersæ capitibus, quæ in hanc secundam partem incidunt, grauissima semper certamina in Ecclesia extitisse, atque ea ipsa, magna animorum contentione, nostris imprimis temporibus agitata esse. Ac si quispiam alius, ego sane meo me pede metiens, & infirmitatē meam considerans, seriò ac sine simulatione agnosco ac profiteor: Me nec facultate illa doctrinæ, nec ea iudicij dexteritate, nec tanto rerum vsu præditum esse, vt in tanti momenti controuersiis explicandis, quidquam mihi tribuere atque arrogare aut possim aut debeam. Et quo diutius versor in studiis doctrinæ, quæ Ecclesiæ Dei propria est, eo magis animaduerto, quàm difficilis sit, & plenus ingentium periculorum labor iste, quo summa Confessionis singulis religionis Christianæ capitibus, in tantis opinionum huius seculi confusionibus, & tanta calumniandi apud plurimos libidine, denique in tantis discordiis ac dissensionibus publicis, repetenda est. Sed quia ab eo tempore, quo prima pars huius à me suscepti laboris & operæ in publicum prodiit, non desierunt instare apud me multi boni viri, vt ad excitanda iuuentutis studia, cui hic labor præcipuè destinatus est, & ad Philippi scripta commendanda iis, qui integra illa euoluere non possent, simili studio colligere has micas pergerem. Aliqui etiam subterfugere me confessionem de sequentibus doctrinæ partibus quæ nunc potissimum controuerti solent, suspicarentur, quod differri huius partis editionem viderent; qua de re multorum calumniæ ad me literis amicorum præscriptæ sunt. Non potui honestè manum aratro huic semel admotam retrahere, aut à continuando hoc qualicunque labore desistere.

Itaque quantum mihi temporis atque ocij, ab occupationibus assiduis, quas muneris mei ratio mihi imponit, suffurari sub initium huius hyemis licuit: conatus sum hanc alteram partem argumentorum Philippicorum contexere. De qua & Bibliopolæ scripsi & patrueli meo, qui has vobis afferet, in mandatis dedi, vt R. D. V. tum indicem, tum quæcunque inspicere in his pagellis velletis, meo nomine prius exhiberet, quam typis illa exprimerentur. Nam & vtilem hunc esse morem existimo, vt quæ apud vos eduntur, grauissimo vestro iudicio prius, quam prelo subiiciantur comprobentur: Et hac etiam in re ostendere cupio, nihil mihi optatius contingere posse, quam si cum approbatione vestra, qualescunque illæ pagellæ in aliorum manus perueniant.

Atque vtinam aut mihi absoluere ista, atque ad vos mittere aliquatò maturius licuisset: aut vobis in tanta temporis angustia, & in tanta vestrarum occupationum mole ac varietate satis ocij concederetur ad scriptum istud integrè perlegendum. In quo plenam vobis potestatem facio atque permitto emendandi, quæcunque lima accuratiore opus habere videbuntur.

Sed quia optare hoc potius, quàm sperare posse videor, vt totum librum euoluatis prius, quam typis subiiciatur, præsertim, cum non multæ septimanæ restent ad nundinas proximas Francofurtenses, ad quas propter multas causas, prodire librum cupio: non dubitaui in pagella literis inserta, præcipua quædam loca annotare: quæ digitum intendunt ad summam earum disputationum, in quibus aut

aut Flacciani contra Philippum certamina mouerunt, vt de libero arbitrio: aut in quibus accuratiores esse scimus explicationes præstantissimorum Theologorum in exteris Ecclesiis, quam quæ in Dom: Philippi scriptis cuiuis sint obuiæ, quem apparet suo quodam consilio parcius attigisse locum de prouidentia & cognatis materiis: De quibus tamen ipse ad D. Caluinum scribens, *Scio*, inquit, *nostra cum tuis prorsus congruere, sed nostra παχύτερα sunt, & ad vulgi captum accommodatiora.*

Vt autem ingenuè fateor, me hisce annis, in Schola crucis, in qua Deus me exercere aliquandiu voluit, ipso sensu mearum ærumnarum, diuinarum consolationum experientia excitatum: & sacrarum literarū ac eruditissimorum vestrorum scriptorum lectione confirmatum, in his ipsis doctrinæ Christianæ capitibus, quæ non sæpe Wittenbergæ tractata fuisse a nostris memini, paulatim discendo profecisse? Ita non sum veritus ex vestris doctissimis lucubrationibus & Scholis, quas ad manum habere potui, tum verba, tum sententias nonnunquam mutari, atque meis istis scholiis vestra tanquam mea intexere: non solum quia de tantis rebus optandum erat omnes pios similiter loqui, sicut in numerando iisdem notis numerorum, omnes sani vtuntur: sed multò magis, vt si qui ista tum in vestris doctissimis lucubrationibus, tum in his meis qualibuscunque Rapsodiis, eadem lecturi sunt, inde quoque de mea voluntate & studio iudicium faciant, quo Deo adiutore, vobiscum, vna fide, vnoque Spiritu DEVM inuocare, & communem in veritate doctrinæ cælestis consensum, vbicunque locorum & quam diu superstitem me Deus esse voluerit, tueri ac retinere toto pectore cupio atque exopto.

Quod si ista saltem, quæ annotaui, aut alia quæcunque ex indice vobis libitum fuerit, loca inspicere atque legendo percurrere, Reuerendis dignitatibus vestris graue non erit: Et, si, quod ad rerum summam attinet, qualescunque pagellas istas non improbaueritis: pero à vobis, viri Reuerendi & Clarissimi, vt pro vestra pietate, & iuuandæ Ecclesiæ studio, & pro vestra erga me humanitate & beneuolentia, quam ante hac in simili genere officiorum aliquoties expertus sum non dedignemini editionem istarum pagellarum apud vos adiuuare. In quibus ipsis, si quid mutandum censueritis, idque pro vestra excellenti doctrina, & candore eximio mutare non grauati fueritis: magno meā vobis beneficio affectum esse putabo. Bene ac feliciter interim valeant Reuerendæ dignitates vestræ, & tum has literas inter occupationes effusas potius quam scriptas, in optimam partem accipiant, tùm molestiam sibi meis petitionibus afferri benignè ignoscant. Clarissimo viro, Domino *Christophoro Ehemio*, Cancellario, salutem reuerenter ascribo. Herbonæ Calend. Ianuarij. Anno 1580.

Reuerendas Dignitates vestras
ex animo sincerè colens
& amans

CHRISTOPHORVS PEZELIVS.

Hieronymus Zanchius Christophoro Pezelio Theol. Doct. S.

QVa potuimus diligentia, Clarissime vir, legimus, quas mihi dederat patruelis tuus, libri tui pagellas: & legimus cum voluptate, tuas præsertim pias & doctas explicationes. Gratulamur hanc in doctrina cælesti consensionem, & toto pectore precamur Dominum Iesum, efficiat idem in tota sua Ecclesia, vt sublatis tandem aliquando omnibus dissidiis, sola sui verbi vox, sonet in templis & Scholis. Fuit D. Philippus f. m. vir certè magnus (vt totus nouit orbis Christianus:) singulari pietate, summa eruditione, non vulgari iudicio: cui omnes Scholæ & Ecclesiæ, omnesque literati debent plurimùm: vt qui tantum virum tam bene de omnibus meritum, nunc mortuum lacerant, eiusque damnant pia & erudita scripta, vt sua nimirum vana: (ne quid aliud dicam:) promoueant somnia, ij ingrati discipuli, se tali præceptore, tamquam magno Dei beneficio indignissimos fuisse, manifestè declarant: homines sui amantes, & quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, quærentes. Sed bene res habet, quòd neque bonus pater Noah solum habuit Cham, à quo fuit irrisus, sed etiam Sem & Iaphet, a quibus fuit honore affectus: neque Christus solum Iudam, per quem traditus fuit, sed etiam vndecim, qui eius demortui, & in cælo regnantis honorem & diuinitatem tutati sunt, & suis scriptis in sempiternum tuentur. Præstitisti te virum laude dignissimum, in colligendis, explicandis, euulgandis optimi præceptoris tui lucubrationibus: rem que fecisti, (vt credimus) toti Ecclesiæ gratissimam, iucundam simul & vtilissimam: præsertim cum ille summus vir, tam in refellendis breuiter & perspicuè ad formam Dialecticam aduersariorum Sophismatibus excelluerit, tum omnia semper sua dicta ad promouendum studium pietatis & sanctitatis, bonorumque operum accommodarit: quo sanè scriptionis genere, se verè pium & sanctum virum fuisse luculenter declarauit: ὅτι χρή γε εἶναι ἀγαθὸς ὁ μὴ χαίρων ταῖς καλαῖς πράξεσι, δικαίως δὲ ὁ μὴ χαίρων τῷ δικαιοπραγεῖν. Quia verò in hac de moribus, deque studio bonorum operum doctrina, ita optimus doctissimusque vir aduersus Libertinos occupatus fuit & diligens, vt sublimiores illas *de Prædestinatione, de prouidentia, de causa peccati, de perseuerantia Sanctorum*, & alias id generis quæstiones parcius attigerit, quòd, ne inde homines carnales, & ad licentiam propensiores occasiones freno suis cupiditatibus laxandi sumerent, verebatur & valde metueret: ideircò necessariæ fuerunt, quas tu adiecisti explicationes.

Cæterum, quod petiisti, vt quæ iudicaremus egere correctione, ea pro nostro iudicio corrigeremus: in eo satis fore iudicauimus, si quæ in textu Philippi ab aliis atque aliis dissimiliter accipi possent, in vnum collecta simul lectori subiiceremus. Sunt autem hæc pauca:

I. Quod alicubi ait, *peccata non esse necessaria:* Si id nullo modo, & nullo sensu intelligatur, falsum esse videtur. Scriptura enim ait, *oportet hæreses esse.* Item, *necesse est, vt veniant scandala:* & alia his similia. Opus igitur est explicatione. Credimus pij viri sensum hunc esse, neminem ad peccandum cogi, sed qui peccat, voluntariè peccare, si de adultis sermo fiat. Nam originale & eius primi motus, prauique affectus, omnino necessariò insunt cuique homini: ac de iis Augustinus illud Psalmi interpretatur: *Libera me de necessitatibus meis.*

II. Quod etiam sæpe repetit, *Deum nolle peccata:* si simpliciter accipiamus, *Deum nullo modo velle*, contradicit Scriptura. De Herode & Pilato legimus in Actis, eos fecisse, quod consilium & manus Domini decreuerat fieri. De grauissimo autem facinore sermo est. Item, euertit omnipotentiam Dei, quasi ipso planè inuito fiat. Item pugnat cum doctrina Augustini, & tua in explicationibus, quod Deus permittat peccata volens: Ergo explicatio est adhibenda: *Deum nolle, voluntate approbatiua.* quam Scriptura vocat CHEPHEZ Psal. 5. vel voluntate reuelata. Hac enim illud damnat, prohibet, punit.

III. Sæpè etiam scribit, *impios sibi & externis membris frenum iniycere posse, ne admittant scelera.* Si propriis viribus, sine vllo speciali Dei auxilio intelligatur, pugnat cum Scripturis, quæ docent, *arborem malam non posse bonos fructus facere.* Cohibere autem membra nostra, ne externa admittamus scelera, opus certè est bonum, licet non perfectum. Est enim ex parte consentaneum cum lege Dei: quæ non solum internas damnat concupiscentias, sed etiam externa malefacta: Et ideò Augustinus contra Iulianum Pelagianum multis demonstrat, omnia egregia facta Philosophorum & Romanorum, aliorumque gentilium, fuisse singularia Dei dona. Quid? quòd Aristoteles ipse, & clarius etiam Plato, ζῶον ἢ πράττοντα κατ' ἀρετὴν vocat δώρημα τοῦ θεοῦ & θεόσδοτον? Quidquid igitur boni fieri ab homine potest, siue verè bonum, siue moraliter, & quocunque modo bonum: id non sine speciali Dei auxilio, seu gubernatione prouidentiæ diuinæ fieri, fatendū est Christianis hominibus, & de omnibus danda est illi gloria. Optaremus igitur, vbi tales & similes reperiuntur locutiones, (vt illæ:) *quod quisque se potest regere disciplina: quod quisque potest præstare, ne externa admittat scelera, &c.*) ibi adderetur explicatio aliqua: videlicet, *accedente diuino auxilio, hoc posse etiam impios præstare.* Non enim quia metuimus, ne carnales homines abutantur veritate: ideo ea supprimenda est, Deus sua gloria & honore spoliandus?

IV. Negatur etiam quodam in loco, Deum ordinasse peccata. Pugnat hoc, nisi declaratio adhibeatur, cum æterna perfectissimaque Dei sapientia quasi aliquid in mundo fiat, quod ad aliquem finem bonum non sit ordinatum. Certè quicquid finem aliquem bonum sortitur, siue per se siue per accidens: illud ad eum finem fuisse à Deo ordinatum, fatendum est: alioqui quomodo agnoscetur, & prædicari Deus poterit sapientissimus mundi

rector? Atqui peccatum cedit ad gloriam Dei, diuinæque iustitiæ & misericordiæ illustrationem,& ad salutem electorum,quibus omnia coöperantur in bonum, etiam peccata,ait Augustinus: quanquam non ex se,sed ex Dei bonitate id fiat. An non peccata,quatenus peccata, fuerunt ad hoc ordinata,vt ea Filius Dei,suo expiaret sanguine & omnia Diaboli opera destrueret? Lex item ad hoc ordinata fuit,vt per eam haberetur cognitio peccati. Ergo & peccatum vicissim ad hoc ordinatum fuit, vt per legem cognosceretur. Præterea Deus peccata,quatenus peccata sunt,volens permittit.Oportet igitur & hanc voluntariam promissionem,& rem permissam,ad aliquem finem,à Deo ordinatam fuisse.

V. Vbi etiam negatur (& meritò) Deus autor esse mali,distinguit Dominus Philippus malum, in *malum pœnæ*, & in *malum culpæ*, (quæ est Tertulliani distinctio) & concludit *non esse autorem mali culpæ* , *sed tantùm mali pœnæ*. Hic subdistingui posset malum culpæ , quemadmodum tuæ quoque norationes rectè monent,in actionem ipsam, & in malitiam actionis. Ab illa certè excludi non potest Deus: *In ipso enim viuimus,mouemur & sumus*. Malitiæ verò autor non est: Sed quin sit & volens permissor, & sapientissimus ordinator, negari non potest, quin negetur Dei sapientia atque potentia. Si etiam autor est mali pœnæ: Ergo etiam cum punit peccata peccatis: peccati autor est,non quatenus peccatum est,sed quatenus pœna: quia omnis pœna iusta,eóque bona est.

VI. Dictum, *indurabo cor Pharaonis*, interpretatur, pro, *permittam indurari*, subtrahendo gratiam: non totum explicauit. Quatenus induratio illa fuit peccatum, Deus eam permisit.sed non nisi volens:quatenus verò non sine actione facta fuit interna actio Dei aliqua,peccata tyranni punientis,intercessit.Et verbum, INDVRABO, sæpius repetitum amplius significat,quam permittam indurari: Sic de aliis locis similibus Romanor 1.2.Thess.2.Et hoc sibi voluit Salomon dicens: *Cor regis in manu Domini,quocunque voluerit flectet illud*, vt Augustinus docet Placet igitur magis Buceri & aliorum interpretatio in Epist.ad Romanos: Item in Matth. *Ne nos inducas in tentationem*: neque aliter explicauit Lutherus. Tu ibi subdis explicationem,quam probamus: Tantùm vbi ais *Qua fiat,vt actiones illæ Deo inuito,ac simpliciter nolente fiant*: Si addidisses (*Nihilque agente , aut prorsus otioso,*) id quod alibi tamen rectè posuisti, placuisset magis.

VII. Vbi legitur, in conuersione ista tria concurrere, *verbum, Spiritum S. & voluntatem*: Quod de voluntate dicitur,eget explicatione, ne quis fortè putet,eam ad sui viuificationem concurrere,tanquam caussam efficientem; ipsa enim principale subiectum est,quod conuertitur. Ab alio igitur, non à seipsa, ne minima quidem ex parte conuertitur: Imò ne ad præparationem quidem concurrit, vt causa se ipsum præparans: sed tantùm vt subiectum quod præparatur & conuertitur. Præparatur enim voluntas à Domino: sed viuificata & conuersa à Domino, statim sine mora acta agit,& facta de nolente volens, vult: Neque credimus , Dominum Philippum aliter intellexisse : proinde non dicit *ad conuersionem*, sed, *in conuersione concurrere*: quia conuersio sine eo quod conuertendum est, non fit. Conuertitur verò , non truncus, sed voluntas , verùm mortua. Mortuus autem ad sui viuificationem , minimè concurrit.

Placet partitio Augustini: *Tria esse actionum genera: Præcedentia conuersionem: existentia in conuersione: sequentia conuersionem.*

Prima, quibus scilicet præparatur voluntas ad conuersionem,à Spiritu S.fiunt, voluntatem præparante. Secundi generis opera, à Spiritu S. sunt, conuertente non truncum, sed voluntatem, quæ acta agit. Solius igitur Dei opus est Conuersio. De sequentibus conuersionem; nulla est disputatio, quin & à Spiritu S. & à nobis fiant: quia acti agimus, scientes & volentes. Sed primæ partes sunt Sp.S. qui operatur in nobis velle & perficere.

VIII. Vbi dicitur, *qui peccant contra conscientiam, desinunt esse sancti*, videtur in eo desiderari explicatio Quia non cōceditur, verè sanctos ita peccare contra conscientiam , vt hypocritæ peccant & impij, toto scilicet corde: dicente Iohanne , *Qui natus est ex Deo, non peccat, & non potest peccare* (scilicet toto corde quia semen Dei manet in illo. Deinde verè sancti, semper sancti sunt in DOMINO , in Christo capite, cuius sunt membra. In seipsis verò desinunt esse sancti, non tamen penitus, sed ex parte : quia semen Dei manet in illis: & fides eorum nunquam penitus deficit, Deo illis, cum labuntur, manus supponente, & fidem conseruante propter Christum, ne à capite planè auellamur, sed potius adolescamus in virum perfectum, Qua de re plura corám, si libuerit.

Aristoteles ipse docuit, habitus non facile tolli, qui præsertim iusto tempore , & multis actionibus confirmati sunt: quanto minus dona Dei ἀμεταμέλητα peccatis sanctorum ex imbecillitate fidei admissis penitus tollentur? Omnia autem horum peccata, huius generis sunt : quia nunquam ex destinata malitia peccant : quanquam alia aliis grauiora sunt, omnia verò æterna damnatione digna. Proindéque vt condonentur, nouo actu fidei & pœnitentiæ opus est. Sed, vt dictum est, de iis aliàs.

Hæc in illis pagellis obseruauimus , déque iis te hoc tempore monendum esse duximus. Rogamus te libertatem nostram boni consulas. Quia enim petiisti, non potuimus non gerere tibi morem, & quæ explicatione egere iudicauimus, fraternè non indicare. Vale vir eximie, & Illustrissimum Principem, nos, Scholamque & Ecclesiam nostram precibus tuis commendo Domino. Neostadij, 25. Martij. Anno 1580.

H. ZANCHIVS

Lælio Zanchio Equiti & Doctori, Veronam.

S. Laurentius à Lumaga, sororius meus. Excellentissime Doctor, iam pridem ad me retulit : te & ab se nomine meo (vt iusseram) salutatum fuisse: & salutationem habuisse gratam: Cupere verò intelligere de me, tum ex qua Zanchorum sim familia: tum quibus parentibus natus. Esse enim haud alieno à me animo. Perfuit mihi gratum, id audiuisse: quod aueam cum omnibus viris bonis & doctis amicitiam colere; tecum verò multo magis, quod virtuti, ipsa etiam sanguinis necessitudo accedat Simulac verò hæc ex illo audiui, statim scripsi ad te : sed nescio, quo pacto, vt ex ipso intelliges, amissæ fuerint literæ: Nunc igitur rescribo. Qui autem has reddit, famulus fuit annos iam quatuor meus , homo Germanus , nomine *Fridericus Sylburgius*, iuuenis apprimè doctus Græcè & Latinè. Paucis igitur rem accipe.

Paulus Zanchius honorificæ memoriæ , Iureconsultus excellentissimus, pater Chrysostomi Canonici Lateranensis, ac Hieronymi Iurisperiti, quos tibi notos esse non dubito : & Franciscus Zanchius felicis recordationis, parens meus : patrueles fuerunt, hoc est, ex Marsilio & Christophoro , Germanis fratribus nati.

Fuit verò parens meus, non quidem Legum Doctor, sed tantum, vt vocant, *Licentiatus* & postea *Actor Causarum*. Cum enim annos circiter viginti natus, operam daret Iurisprudentiæ, quemadmodum ex meis maioribus accepi, audita parentis morte, domum reuerti, vxorem ducere, & familias curam suscipere coactus fuit : haud paucæ enim sorores sibi relictæ fuerant curandæ. Non paucis autem ante annis, quam ego nascerer, relicta vrbe, contulerat se, tota cum familia, Alzanum (oppidum est in valle Seriana, distans ab vrbe, ad quartum lapidem) quod iudicarit id rebus suis fore consultius, quam si in vrbe vixisset, inque eo oppido, me & aliquot alios liberos, ex Barbara, sorore Marci Antonij Mutij , quem *Morlottum* vocant , viri in vrbe honorati, & nobilis, suscepit : vbi etiam obiit ex peste, Anno Domini 1528. Agebam ego tunc annum circiter duodecimum: idque non domi, sed in Schola : vbi in literis humanioribus erudiebar: annum verò agens decimum quintum, orbatus iam vtroque parente, cum vidissem in Sodalitio Canonicorum, quos *Regulares* vocant, vitam traducere, non solùm auunculum meum, Eugenium Mutium, verum etiam cognatos meos, Basilium , Chrysostomum & Dionysium, Zanchios, Germanos fratres : essemque persuasus, in eo sodalitio, & doctissimos, eosque multos inueniri viros : & in bonis tum literis tum moribus iuuenes institui : & præterea ab ipsis Canonicis, atque inprimis à Basilio , qui tunc degebat Bergomi, ad ipsum sodalitium inuitarer atque sollicitarer: tandem studio proficiendi in bonis literis accensus: passus fui me in eam familiam recipi & cooptari : ibique vixi annos plus minus, decem & nouem. Quo modo me per totum illud tempus gesserim: malo te illud ex aliis, vt ex Chrysostomo , quam ex me, audire. Intercesserat mihi in eo sodalitio , arctissima cum Celso , beatæ memoriæ , Comite Martinengo, iuuene lectissimo & literato , amicitia ac familiaritas:

quæ etiam vsque ad extremum, integra, inuiolataque permansit. Cùm itaque ille, propter doctrinam Euangelij, quam liberè prædicauerat Mediolani, coactus fuisset, Italia valere iussa, concedere ad Rhetos, atque inde Geneuam, vbi etiam pastor Ecclesiæ Italicæ obdormiuit in Domino: Ego etiam non ita multo post, amicum & fratrem sum subsecutus: idque partim quod ius amicitiæ id à me postulare videretur: partim quod audirem, pericula mihi, propter illius discessum, creari: partim (quod præcipuum erat) quod reuera non possem amplius conscientia mea ferre, illud vitæ genus, illumque statum, in quo cogebar tum multa admittere, quæ certò sciebam ex verbo Dei esse vitanda: tum non pauca negligere: & verò etiam damnare, quæ omninò nouueram esse facienda & prædicanda. Hic nihil de religione dispuro: sed tantum causas mei discessus fideliter recito. Vix egressus Italiam, opera *Petri Martyris Florentini*, qui in eo Canonicorum sodalitio me amauerat, & Euangelium prius vtcunque docuerat: vocabar in Angliam: vt ibi sacras literas profiterer: sed cùm essem in ipso itinere, detentus fui Argentinæ: ibique denuò factus Canonicus in Collegio Diui Thomæ (erat autem Collegium Canonicorum Regularium) Doctorem egi Theologum, annos vndecim. Prior mea vxor, filia fuit *Calij Secundi Curionis*, viri docti, & literarum humaniorum apud Basilienses Professoris: illa, & quam mihi dederat filiola, vita sua defunctis: duxi in matrimonium, sororem huiusce Nobilis & optimi viri, fratrisque charissimi Laurentij Lumagæ, siue *Limacij*, nomine *Liuiam* ex qua, priore quidem anno, binos vno partu, suscepi filiolos: sed ambo migrarunt ad Dominum: anno verò insequenti filiolam: sed illa quoque cùm tertium ageret annum, obdormiuit in Domino: deinde alteram filiolam, *Laliam Constantiam*: quæ adhuc Dei beneficio, viuit, & sana atque incolumis est, corculum, animula, amor meus. Cæterum cùm in locum demortui huiusce Ecclesiæ Clauennensis ministri, Augustini Mainardi, electus fuissem: non potui conditionem recusare, & hominibus meæ nationis, non morem gerere: præsertim cum affines etiam mei, & parentes vxoris, ad hoc munus suscipiendum me stimulauerint, & tantum non coëgerint. Veni itaque Clauennam, sub finem anni 1563. atque hic viuo, doceo, & ministrum Christi ago: paratus semper, cùm aliis omnibus propter Christum, tum præsertim amicis, consanguineis & affinibus, quibuscunque in rebus poterro, gratificari. Nuper etiam vt nihil prætereeam hoc est decimo octauo ab hinc die, auxit me Dominus altera filiola: cui nomen imposui, *Annæ Lydiæ*. Plura hic habes, Clarissime Doctor, quàm petebas. Reliquum est, vt me agnoscas, non tam pro cognato, quàm pro Christiano: me te amantem redames: & eum qui cupiat tibi in omnibus gratificari, admoneas, quanam in re tibi tuisque prodesse possit. Quod verò Latinè ad te maluerim scribere quàm Italicè, id ideo factum est, quod hac lingua, melius exprimere mea animi sensa possum quàm Italica: quippe qui annos fermè duodecim, nulla alia, præter Latinam, lingua, vsus sum, inter Germanos ac literatos homines versatus. Vale mi obseruandissime Domine, & Doctor excellentissime: vt verò meum famulum *Sylburgium*, commendatum habeas, rogo & obsecro. Patauium enim proficiscitur studiorum gratia, sed sine certa conditione: proinde, si quem habes Patauij, cui illum commendes, feceris rem mihi gratissimam. Iterum vale. Clauennâ, 2. Aprilis 1565.

Hieronymus Zanchius Widebramo.

Svt tandem desinas, mi Clarissime D. Doctor, meam in scribendo tarditatem, ne dicam negligentiam admirari, en scribo. Sanè tempus est, inquies, vt promissioni satisfacias. Quid agas D. Doctor: senex sum, occupatissimus sum, ad scribendum natura tardus sum, & quam eleganter pingam, vides. Sed dicam id, quod res est. Ego non soleo de libris iudicare, nisi diligenter a me prius perlegantur. Cum tuos accepissem Psalmos, statim quidem degustaui, & meo palato valde probabantur: sed quia non vacabat perlegere, malui meum in aliud tempus suspendere iudicium, quàm temerè aliquid pronunciare, & vel nimium laudando adulator, vel parum dicendo, iniquus iudex videri. Nunc tandem aliquando, cum eos in meis montibus, summa cum voluptate, & spiritus consolatione attentè perlegerim ac considerarim, non potui amplius differre, quin & tibi & Ecclesiæ gratularer tuam istam piam & sanctam lucubrationem. Legi aliorum quoque multorum & eorum quidem grauissimorum auctorum Psalteria elegantissime conscripta: sed ista tua puritas atque simplicitas cum summa venustate coniuncta, & mentem Dauidis: non minus perspicue, quàm breuiter exprimens, me vehementer recreauit. Diuersi sunt hominum gustus, diuersaque palata: ego vt senex, & edentulus, cibis teneris, suauibus, & facilis concoctionis delector. Ago itaque tibi gratias, mi Reuerende D. Doctor, & frater obseruande, quòd talibus escis, me per aliquot septimanas, ad valetudinem simul & voluptatem spiritus, abundè refeceris. Rependat tibi Dominus, quod ego non possum. Ego certè nihil habeo te dignum, quod mittam. Accipies ergo puerilia, nostras scilicet theses, de quibus nuper in nostra Schola. Non dubito, quin veritatem doctrinæ saltem, & meam in scribendo simplicitatem sis amaturus. Commendo verò istum bonum, pium, & præditum virtute virum Ioannem Beul, vt quibus in rebus eum potes iuuare, ei non desis. Dat illi optimum testimonium Ioannes Sturmius noster. Salutabis D. Doct. Pezelium vbi vbi sit. Vale frater obseruande, & pastor venerande. Neustadio 5. Iulij. 81.

Tuus

H. ZANCHIVS.

SEQVVNTVR ORATIONES IN TRIBVS CELEBERRIMIS ACADEMIIS DIVERSIS TEMPORIBVS, DE MATERIIS Theologicis habitæ.

HIERONYMI ZANCHII,

De aperiendis in Ecclesia Scholis, déque opera Sacrarum literarum studiis cumprimis danda,

ORATIO:

Habita Neustadij Anno 78. cum interpretationem Epistol. ad Ephesios auspicaretur.

IVLIANVS ille Apostata, claris. & ornat. auditores, Iulianus, inquam, ille hostis Christi acerrimus, totiusque Christianæ religionis contumeliosissimus irrisor, multa & grauia mala dedit Ecclesiæ, atque adeo toti Reip. Christianæ plura & grauiora procul dubio daturus, nisi Christus nefarios impii hominis conatus, vita illi adempta, maturè è cœlo repressisset. Neq. enim malus ille ac malitiosus, vt sæuus tantùm Tyrannus, proscriptionibus, exiliis, bonorumque direptionibus, igne (vt dici solet) & ferro, Christianos persequi, in suū induxerat animū, & persequi iam inceperat: verùm etiam, vt homo vafer & callidus, isque non indoctus, multa aduersus Christianā doctrinam acutè & non ineleganter scribere ac disputare, cum multorum admiratione solitus fuit: vsque adeò, vt plus damni suis sophismatibus, suáq; eloquentia, quàm gladio dedisse, non malè à plerisque iudicetur. Mihi verò inter dolosas callidasque rationes, quibus sceleratus Imperator Christianam religionē cōuellere & funditus euertere conatus fuit, illa nō postrema fuisse videtur, cùm in suū induxit animū, omniò bonarum literarū studia in Repub. Christiana paulatim extinguere, metamque barbariem inducere. Hoc.n. tentauit, cùm lege cauit, ne liberi Christianorum in Scholas Rhetorum, Oratorum, aliásque liberales artes & disciplinas profitentium admitterentur. Quid enim, obsecro, sibi hac lege voluit, homo apostata & iniquissimus imperator? consilium certè astuti tyranni hic non hærebat, sed longiùs tendebat, eò nimirum, vt iis sublatis studiis, studia quoque S. literarum tollerentur, Christianáque religio, vt quæ vera verbi Dei nititur cognitione, extingueretur. Cùm enim bonis literis, honestisq. disciplinis, non solùm animi puerorum excolantur, ad virtutem, bonosque mores informentur, ad pietatem erudiantur: sed Christiana etiam doctrina, & vera S. literarum cognitio non parum iisdem adminiculis promoueatur: quid studiis illis exterminaris exspectari aliud poterat, quam mera inhumanitas, morum corruptio, colluuies vitiorum, euersio religionis? Longa hîc probatione non est opus, quando quæ dico, ea regnum in primis Turcicum, & deinde magna ex parte Pontificium, in quibus, extinctio bonarum literarum studiis quanta barbaries, quantáque impietas, proh dolor, consecuta sit, nemo est qui non videat; abundè & luculenter confirmant: quanquam in hoc altero renouari tandem cœperunt politoris literaturæ, & liberalium disciplinarum studia, vtinam & religio. Ad corruptionem igitur omnium bonorum morum, atque imprimis ad veræ Christianæq. religionis labefactationem, imò euersionem, quin consilium Iuliani spectarit, eóque à Diaboli spiritu fuerit, dubitari nec potest, nec debet.

Quæ cùm ita se habeant, consequitur necessariò, non nisi a spiritu Dei afflari illorum Principum & Magistratuum animos, qui huc suas intendant cogitationes, studia, neruos, vires, vt in suis ditionibus & terris, Scholæ instituant, & institutas conseruent, in quibus cum bonę literæ, liberales artes, honestęque disciplinæ tradantur, tum verò maximè S. literæ, quibus solis vera nititur religio, fideliter explicentur. Neque enim aliunde vel studium hoc esse potest, quàm à Deo omnis boni autore: vel Principes ad tales cogitationes, piosque conatus, quàm à spiritu Dei. à quo vno sunt omnia sancta desideria, pia consilia, iustáque opera, excitari possunt. Et sanè, sicut Satan suos semper Pharaones & Iulianos, quos aduersus populū Dei, spiritu suo malo inflaret, & irritaret, habet: sic contra Deo nunquam defuerunt sui Ezechiæ & Theodosij, religiosi Principes, quos ad Ecclesiæ protectionem & conseruationem, vi sui spiritus excitaret, animaret, impelleret, idque tū ante, tum maximè post aduentum Christi: Pertinet huc suauissima illa, dulcissimaq. promissio apud Iesaiam, de felici Noui Test. seculo, in quo Reges ac Reginæ, h. e. multi multæque Principes, futuri essent Ecclesiæ Christianæ nutritii atq. nutrices: eáq. Scholarum inprimis, in quibus studia cū humaniorum, tum inprimis diuinarum literarum foueren tur, autores, exædificatores: *Et erunt*, inquit, *Reges nutritores tui, & Reginæ, nutrices tuæ*. Quomodo autem simpliciter Principes alere & nutrire Ecclesiam dicuntur? Certè Ecclesia & singula eius membra, duabus constant partibus, animo & corpore. Si igitur Principes totius Ecclesiæ, vt intellexit Propheta, eoque & animorum & corporum alendorum & nutriendorum curam suscipiunt, suscipereque debent: manifestè liquet, duplicem esse rationem, qua subditas sibi Ecclesias alendas, nutriendas, sustentandasque curare tenentur, quarum vna ad animum, altera ad corpus pertinet. Corpora quidem nutriuntur hisce terrenis & corruptioni obnoxiis esculentis, poculentis, vestimentis, habitationibus: sed animi non nisi honestis disciplinis, bonis literis, liberalibus artibus, Philosophia, atq. inprimis studio & vera cognitione verbi Dei, quod nos ad Deum, in quo solo vita est æterna, deducit, foueri, sustentarique possunt. Cùm ergo Deus, se effecturum, vt sub regno Christi, inter ipsas etiam Gentes inueniantur etiam Reges & Reginæ, qui curam Ecclesiæ suscipiant, pollicetur: ratio autem sustentandæ & conseruandæ Ecclesiæ, in eo præcipuè posita sit, vt Scholæ cumprimis instituantur in quibus cum aliæ disciplinæ, tum maximè S. literæ fideliter doceantur (hinc enim totum etiam Ministeriū Ecclesiasticum pendet) manifestum est Deum hoc Iesaiæ vaticinio, hæc quatuor præcipua capita concludere voluisse.

Primū, hãc esse suā certamq. voluntatem, vt nimirū huiuscemodi Scholę, in Ecclesia Christi, pro regionum, & diuersorū locorū necessitate, proq. Principū ac Magistratuū viribus, instituantur, aperiantur, cōseruentur, Professoribus benignè tractatis, Scholasticisque pauperibus sustentatis. Quod enim simpliciter promittit Deus, illud etiam se omnino velle, manifestissimè testificatur. Quid autem voluntate Dei melius, æquius, prȩstantius excogitari potest? Ita docet Propheta, Principes qui vt huic diuinæ voluntati subseruiant, operam dant, eos & reuera ex eorū esse numero, qui Ecclesiæ Christi fouendę ac conseruandæ, ceu parentes à Deo destinati, prȩparati, ac promissi fuerunt, eam ob caussam tum maxima laude & honore, tum totius Ecclesiæ amore & obseruantia dignissimos esse, quippe qui quod Deo placere, atq. ex eius esse voluntate, & ad Ecclesię salutem pertinere intelligunt, illud hilari fortique animo amplecti, præstandumque suscipere minimè dubi-

dubitant. Contra verò qui hæc negligunt, eos, sicut grauiter peccant, sic simili honore vt à Deo digni non fuerunt iudicari, ita reuera dignos non esse.

Quærant igitur profani & huius seculi Principes sui nominis celebritatem extruendis altis palatiis, extollendis piramidibus, erigendis Colossis, faciendis arcubus, suspendendis signis atque tropæis, ædificandis amplissimis ciuitatibus, muniendis arcibus, cogendis diuitiis, augenda potentia, amplificandis regnis, subiugandis hostibus, propagare: At nostri pij, quos Deus nutritios dedit Ecclesiæ, si in hoc vnum in primis incubuerint, vt ex voluntate Dei Scholæ aperiantur, Ecclesiæ curentur, doctrina cœlestis propagetur, eoque regnum Christi promoueatur, perq; totum terrarum orbem extendatur, & sceptrum Euangelij vbique attollatur: ij proculdubio veram eamque perpetuam non solùm apud homines, verum etiam apud Deum, gloriam sibi comparabunt. Magnæ quidem sunt laudes Constantini, Theodosij, Valentiniani (vt de aliis taceam) à multis rebus præclarè gestis, ab humanitate, à clementia, à iustitia, aliisque virtutibus: sed nulla tam celebres eos in Ecclesia reddidit, quàm quod pro sua in Deum pietate, quàm diligentissime curarunt, vt Scholis passim institutis, piisque Doctoribus vndiquaque conuocatis, religio Christiana longè latéque propagaretur.

Tres etiam inter reliquos habuit Germania eximios Principes, *Ioannem Fridericum Saxonem, Philippum Landgrauium Hassum, & Fridericum III. Palatinum*, quos eadem pietas, idémque pietatis propagandæ studium verè illustrissimos celeberrimosque in Ecclesia, atque adeo etiam apud hostes Ecclesiæ reddidit. Friderici certè nostri sanctissimi & verè clementissimi Principis memoria nunquã interibit, nunquam ex piorum cordibus delebitur, nunquã in Ecclesia extinguetur, vtut homines impij eius nominis hostes id pro suis viribus facere conentur. Quid ita? quia præter summam eius clementiam & virtutem, summæ curæ fuerunt optimo Principi, Scholæ, collegia, Ecclesiæ, Doctores, pastores, studiosi, ipsum denique totum regnum Christi. Habent in hoc religiosissimo Heroe cùm alij Principes, tum præsertim filij exemplar, quod imitentur.

Est enim hoc (vt ad alterum caput veniamus) proprium officium Principum, quibus salus populorum commissa est, vt Iesaias suis verbis docet, nempe Scholas erigere, Professores liberaliter sustentare, Scholasticos pauperes alere, omnes fouere ac tueri, quod talibus etiam Scholis nihil Ecclesiæ totique Reip. Christianæ salutarius contingere possit. Cùm enim ait, *futuros eos nutritios Ecclesiæ*, annon manifestè docet, tales esse debere. Illorum igitur hoc proprium est officium. Nam in hunc quoque finem à Deo populis præponuntur, illorumque patres constituuntur & vocantur, donari magna potentia & autoritate, nimirum vt quæ ad commune totius Reip. & Ecclesiæ bonum spectant, ea præstanda & perficienda curent quàm diligentissime, quemadmodum & Apostolus docet, cùm ait, Reges & Principes, pro quibus orari iubet, in ea eminentia esse constitutos, vt per ipsos quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & honestate, non obscurè significans, boni Principis esse curare, vt publica pax, honestas, pietas, in suis terris fruetur ac promoueatur. Quid autem ad hoc publicum bonum promouendum magis conducit, imò quid magis necessarium est, quam vt publicæ sint Scholæ, in quibus ingenia puerorum, sua natura rudia, inculta, praua, impia, erudiantur, disciplinis excolantur, virtutibus ornentur, in vera pietate instituantur? quò & ipsi honestè, commodè & piè viuere discant, & Ecclesiæ porrò atque Reip. tandem vsui & ornamento esse possint. Vnde enim viri periti, prudentes, & ad Respub. gubernandas idonei? è Scholis. Vnde Medici, qui nostra curent corpora, qui ægrotis faciant Medicinam, qui bene valentes valetudinem curare & conseruare doceant? è Scholis. Denique vnde viri religiosi, sanæ doctrinę studiosi, verę pietatis ac religionis Professores, Doctores, propugnatores? è Scholis. Quid? quod ne artes quidem mechanicę perfectę esse possunt, in vrbe, si Scholas literarias omnino tollas? Ex lectione enim & antiquorum, & recentium, qui de his scriptum aliquid reliquerunt, iliç perdiscuntur, perficiuntur, sine iis autem quatuor generibus hominum consistere Respubl. Ecclesiæque non possunt. Quare non immeritò Deus promittens Ecclesiæ Christianæ Reges & Principes, qui illius futuri essent nutritij, docuit, si ipsorum est curare, vt populi vitam degant tranquillam in omni honestate & pietate, eorundem etiam esse nauare operam, vt Scholę, in quibus discitur, quomodo tranquillè, honestè, commodè piéque viuere possimus, diligenter instituantur. Discant igitur Principes, quid sui sit officij. Neque enim officium Principis est voluptatibus vel illicitis indulgere, vel honestis plusquam par honestumque est, operam dare: rursus non est otiari, otiososque aulicos alere: neque est Ecclesiastica bona in adulatores, canes, in lupos rapaces, in ignauos asinos, in immũdos & obscœnos porcos insumere. Sed quodnam est officium? Paucis verbis id iudicat Dominus, cùm eos vocat *nutritores Ecclesiæ*. Est igitur instar bonorum parentum curam suscipere Ecclesię Dei, est sanam doctrinam puramque religionem tueri, est de bonis pastoribus illi prospicere, est doctos piosque viros Scholis pręficere, iuuentutem pie & sanctè instituendam curare, atq; in hos aliosque similes pios vsus bona Ecclesiastica dispensare. Neque certe aliter facient, si Deum timuerint, si Ecclesiã amauerint, si salutem suorum populorum non neglexerint, si dignitatem denique suam reipsa tueri & conseruare voluerint: quando ideo vocantur nutritij Ecclesię, non vt mundum, & quę mundi sunt, ament, sed vt Ecclesiam fouendam, tuendam, conseruandam, ampliandamque curent, id quod ex Scholis bene institutis pendet.

Neque enim (vt de peculiari vsu & necessitate Scholarũ Theologicarum nonnihil dicam) hoc de nihilo est, quòd Deus inde ab initio nascentis Ecclesię, tales Scholas institui, & institutas conseruari voluit: sed quatuor grauissimæ huiusce rei caussæ mihi esse videantur. Prima, vt Prophetica & Apostolica scripta ne corrumpi aut penitus perire possent, in illis cõseruarentur. Quę caussa est, cur his Scholis solitę semper fuerint addi bibliothecę, in quibus præter alios libros, S. Biblia Hebraice, Gręce, & Latine fideliter descripta & obsignata custodirentur. Altera fuit, vt non solùm extarent in Bibliothecis talia Biblia, verum etiã vt in Scholis perpetui essent testes, qui continua successione testificari possent, quinam libri essent vere Canonici & qui Apocryphi seu adulterini. Tertia fuit, vt hę Scholę non solum testes essent librorum vere Propheticorum & Apostolicorum: verum etiam quisnam esset natiuus & genuinus talium scriptorum sensus, quæve doctrina vere Apostolica. Videmus hoc apud Tertullianum & Irenæum, cùm de interpretationibus scripturarum ad Ecclesias & Scholas illas, quę ab Apostolis plantatę & apertę, sine vlla reprehẽsione ad illa vsque tempora puræ perstiterant atque sincere docuerant, aduersus hęreticos prouocabãt. Postrema caussa fuit, vt ex iis collegiis, qui ad alios docẽdos, & ad Ecclesias gubernandas idonei essent iudicari, euocari possent. Nihil ergo vtilius, nihil honorificentius tum in politia tũ verò maxime in religione, aut à populis exoptari, aut à Principibus suis pręstari potest ciuibus, quàm vt in suis regnis, principatibus, vrbib. terris, tales instituantur Scholę, & institutę conseruentur. Quid enim magis viris bonis expetẽdũ est, quàm vt Respub. & Ecclesię, & in iis sua ipsorũ bona, sui liberi, suę vxores, denique ipsimet, & ad animam & ad corpus & ad suas facultates quod attinet, liberi seruentur? Ad hoc autẽ (vt dictũ est) quàm maxime vtiles & necessariæ sunt Scholę, in quib. pij & docti viri iuuentutem ad virtutes informent, veramque doceant pietatem: quando sine iis neque politia, neque religio consistere potest.

Viderunt hęc ipsę quoque profanę Gentes, ac proinde in hanc etiam rem diligenter incubuerunt. Apud Ægyptios celeberrima fuisse collegia Sacerdotum & sapientum legimus. Babylonij, Persę, & Medi suas semper habuerũt Scholas: vnde Magi, id est, sapientes singulis temporibus prodire, religionemque suorum Deorum conseruare, & ad posteros propagare possent. Græci & Romani hac in parte aliis Gentibus inferiores esse noluerunt. Vnde apud illos Stoæ, Academiæ, Lycæa: apud hos collegia Augurum, Pontificum, aliorumque sapientum. Nouerant enim omnes, ab ipsa natura longaque experientia edocti, nec religionem Deorum suorum, sartamtectam conseruari, nec Respub. bene administrari sine viris doctis atque sapientibus posse: hos autem in Scholis fieri, & è Scholis prodire, & deficientibus Scholis deficere, persuasum habuerunt. Hinc itaque factum est, vt tam frequentes apud gentes omnes non omnino barbaras fuerint literarum ludi, gymnosophistæ, magi, augures, mathematici, historici, poetę, dialectici, Rhetores: sed etiam, qui prima tradunt elementa linguarum, Grammatici. Hanc ob caussam perliberales semper fuisse leguntur in suos professores & doctores, quia nimirum nihil his vtilius Reipub. contingere posse intellexerunt, & certissima experientia didicerunt.

Sed quid opus est gentilium historiis, cùm in S. literis pręter Dei cõstitutionem, tam multa tamque illustria piorũ Principũ his de rebus, habeamus exempla? Devs populo suo constituit, in variis sui Regni oppidis, Scholas in

quibus iuuentus Israelitica, & præsertim Leuitæ, qui præ omnibus aliis S. literarum studiis consecrati erant, erudirentur, cælestique sapientiæ operam darent: vnde etiam oppida illa, oppida & Ciuitates *sacerdotales* ac *Leuitica* appellantur, quia nimirum destinata erant Sacerdotibus & Leuitis, vt in eis haberent Scholas atque collegia, vbi docerent & docerentur, quarum Scholarum præclarissima, & ceu mater omnium aliarum fuit Hierosolymitana, in qua docuit Simeon ille senex, de quo apud Lucam, tempore Christi. Ac tempore Eli Sacerdotis, talia fuisse collegia, atque in primis in Silo, ex historia liquet Samuelis, qui apud Eli à matre fuit puer collocatus, vt institueretur in sapientia cœlesti, seruiretque Iehouæ. Sed postea Samuel ipse, cùm totum regeret Israelem, summam adhibuit diligentiam in collegiis studiosorum curandis ac conseruandis: atque ipse præesse voluit celeberrimo, quod erat in Rhama. Ibi enim habitabant Prophetæ cum suo grege, id est, cum studiosis, qui *filij Prophetarum* vocari solebant. Ad summam, totum illud regnum Israel, refertum erat Scholis Theologicis, iuxta Dei mandatum, in quibus seruaretur verbum Dei, iudicibus primum, deinde Regibus eas fouentibus. Ieroboamus quidem ille impius Apostatarum, atque ab Ecclesia, & à regno Iuda deficientium rex, sicut corruperat religionem, sic etiam simul euerterat Scholas, nempe in oppidis decem tribuum, quoniam sciebat per fidos Prophetas, doctrinæ & religionis puritatem, in illis conseruari. Sed postea Elias & Elisæus eius discipulus, cùm non ignorarent, religionem puram sine Scholis sartam tectam seruari non posse, illas instaurarunt: cumque impij Reges vectigalia, quæ debebantur sustentandis Scholis, transtulissent partim ad suos priuatos vsus, & partim in adulatores ac ventres, multi boni viri è suis facultatibus ad studiosorum sustentationem contulisse, meritò & non sine caussa creduntur.

Illud quoque constat, quo Reges & Principes fuerunt Dei & purioris religionis amantiores: illos etiam fuisse studiosiores reparandarum Scholarum, & in præceptores atque studiosos humaniores, benigniores: quemadmodum post Dauidem & Salomonem, de ipso etiam Iosaphato, Ezechia, Iosia, & aliis piis Regibus, sacræ tradunt literæ. Nouerant enim, Scholas esse ceu arces, in quibus sana doctrina, puraque religio custodiri possit. Idcirco in ipsa etiam captiuitate, & post captiuitatem, cùm populus per varias Gentium terras esset dispersus, curabant tamen primores populi cum Prophetis, vt etiam inter Gentes aliquot haberent Scholas ac Synagogas, in quibus legeretur Moses, populusque in doctrina cælesti institueretur: atque hoc est, quod Iacobus in Actis 15. dixit, *Moses ab ætatibus antiquis in singulis ciuitatibus habet, qui ipsum prædicent in Synagogis.* Loquebatur autem Apostolus de ciuitatibus Gentiū in Syria, Cilicia, & Asia, in quibus adhuc per id tempus habitabant Iudæi non pauci, suasque habebant Synagogas. Proinde dicit in præsenti, *qui ipsum prædicent:* id quod etiam verbis illustratur, quibus ait Lucas in Actis de Paulo ad Gentes profecto, illisque prædicante, illum solitum fuisse ingredi in ipsas Iudæorum Synagogas, & docere, cumque illis disputare: tanta fuit semper cura Scholarum in populo Dei, vt nunquam permiserint Iudæi, & qui inter illos primores erant, eas penitus interire, labefactatas autem semper instaurarint. Confirmant hoc ea, quæ etiam post Christum legimus in Actis, de collegiis Libertinorum, Cyrenensium, Alexandrinorum, Cilicum & Asianorum, hoc est Iudæorum, qui in illis nati erant regionibus, in ipsa vrbe Hierosolymorum collectis. Quid verò Iohannes Baptista? quid Christus ipse Dominus noster? corrupta iam magna ex parte doctrina cælesti, & cultu per Sacerdotes & Pharisæos, Iohannes prior aperit Scholam Euangelicam, renouat doctrinam de pœnitentia, prædicat Euangelium de præsenti Messia, promissiones explicat, discipulos instruit, & mittit ad Christum: Christus porrò colligit discipulos, primùm duodecim, deinde septuaginta, atque illos sibi peculiariter instituendos in doctrina cælesti suscipit. Neque enim dubium est, quin præter publicam illam, quam omnibus de pœnitentia & fide, déque regno cælorum prædicabat doctrinam, peculiariter seorsum multa secretiora docuerit tum Apostolos, tum alios, quos ad prædicandum missurus erat: id quod etiam inde apparet, quia sæpe post sermonem habitum ad plebem in parabolis, accedebant seorsum Apostoli, eumque vt sibi parabolas aperiret, rogabant: nec non & inde idem manifestè liquet, quòd Christus illis non semel dixit: *Num & vos sine intellectu estis?* hoc est vos, qui mecum perpetuò estis, quos peculiariter doceo, quæ alij non possunt percipere, vos, inquam, etiam stulti ac dementes estis? Fecit autem officium Doctoris Christus non solùm ante mortem, verum etiam post resurrectionem, cùm per dies 40. discipulis suis, quos ad Gentes missurus erat, disseruit de regno Dei. Dubium enim non est, quin tunc magna & admirabilia mysteria illis peculiariter reuelarit, quemadmodum etiam aperuit illis mentem ad intelligendas scripturas, vt referunt Euangelistæ. Neque Apostoli hac in parte suum neglexerunt officium, sed suo potius exemplo Gentiles docuerunt, quid porrò esset faciendum. Vbique enim colligebant discipulos, & Scholas aperiebant. Timotheum fuisse peculiariter institutum à Paulo, liquet ex altera ad Timotheum epistola. Hoc certè factum non fuit in sola Ecclesia, & in sola ad omnes prædicatione, sed peculiariter seorsum in Scholis. Confirmatur hoc ex iis, quæ ad eundem Timotheum scribit, dicendo: *Quæ audiuisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui erunt idonei, vt alios quoque doceāt.* Non loquebatur ergo hic de publica in templo, Euangelij prædicatione, qua omnes tam idonei ad docendum, quam non idonei, docentur: Sed de peculiari in Scholis, vbi illi diligentiori solicitudine & studio, qui alios porrò possint docere, instituuntur. In Ecclesiasticis quoque historiis abunde videre est hanc Apostolorum & eorum discipulorum curam constituendi vbiuis Scholas vbique locorum, vbi iam Ecclesiæ erant ædificatæ, & illis viros singulari pietate & eruditione præditos præficiendi. Hinc illæ celeberrimæ Scholæ, *Antiochena, Alexandrina, Constantinopolitana,* & aliæ quam plurimæ in Oriente primum, & deinde in Occidente, quæ etiam amplissimis honoratis, priuilegiis, omnique beneficiorum genere fuerunt à piis Imperatoribus & Regibus donatæ, vt in illis pura continuaretur doctrina.

Hinc tertium caput huiusce Vaticinij abundè confirmari potest. Illud autem est eiusmodi, nimirum non solum voluntatem Dei esse vt Scholæ legitimæ, puræ inter Christianos habeantur, nec solum hoc efficere & curare, officium esse Magistratus, nec denique quidquam iis vtilius contingere posse Ecclesiæ Christi: verum etiam hoc omnino futurum fuisse & esse in finem vsque mundi. Deum enim subinde excitaturum tales principes, qui sint nutritores Ecclesiæ, prædixit Propheta: *Erunt*, inquiens, *erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ.* Veritas huius promissionis certissima quidem est, propter autoritatem promittentis Dei, sed ex perpetua etiam historiarum serie in hæc vsque tempora non minus abundè, quàm luculenter demonstrari posset, si aut institutum nostrum hoc postularet, aut breuitas temporis pateretur, aut res ipsa esset ignota. Nam vt de principibus & Regibus Veteris Testamenti, déque Iohanne Baptista, Christo & Apostolis, de quibus ante diximus, nihil amplius dicamus, quandoquidem de his etiam non loquitur Propheta, sed de Gentibus, quis nesciat iam inde à temporibus Apostolorum nunquam inter Gentes defuisse viros magnos atque fortes, qui cum alias disciplinas, tum maximè Ecclesiæ doctrinam per sinceros Doctores propagandam conseruandamque, summa diligentia curarunt? Ecclesiasticæ historiæ, Codices iuris ciuilis & Canonici pleni sunt testimoniorum, quàm diligētes fuerint Reges, Imperatores, Principes Christiani in Scholis constituendis, quamque liberales in Professores, studiosorumque collegia, quantæ denique illis fuerit curæ, vt ciues non solùm pacificè & commodè viuerent, verum etiam vt in bonis literis, virtutibus, pietate, accuratissimè instituerentur. Collegia ipsa Canonicorum, monasteria monachorum, amplissimæ, multisque libris refertissimę apud ipsos Bibliothecæ, hoc idem luculentissime docent ac prędicant. Quid enim illa Cœnobia fuerunt aliud, quàm Scholæ, studiosorumque & Theologorum collegia, qualia & in Veteri Testamento fuerant Nazaræorum, Leuitarum & Prophetarum? Etsi verò seculis permultis peccatum est grauiter in re ipsa, dum loco verorum doctorum Sophistæ, & loco sincerorum Theologorum, matæologi Scholis præfecti fuerunt, bonisque Ecclesiasticis abusi sunt ad barbariem, ad voluptatem, ad impietatem: Studium tamen piorum Regum & Principum, quorum animus erat, vt vera religio retineretur & propagaretur, non potuit esse, nisi ex Deo: vt interim taceam, subinde aliquos fuisse à Deo excitatos, pręppotentes viros, qui donati vera cælestis doctrinæ cognitione, inuitis etiā Antichristis, & reluctāribus Principib. impetitis, heroico animo curarunt, vt Scholę instaurarētur, sana doctrina restitueretur, & populi vero verbi Dei pabulo alerentur, nutrirentur, sustentarentur.

Vidimus hoc nos, & videmus etiamnum, Dei beneficio, in Germania, in Galliis, in Anglia, in Scotia, in Polonia, in Vn-

in Vngaria, inque aliis variis regionibus multos iam annos obtinuisse, ita vt de perpetua huius vaticinij veritate dubitari minimè possit: *Erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ.* An non hoc promissum Dei beneficium (vt aliis omissis ad nos veniamus) & percepimus nos in Palatinatu, per multos annos, & percipimus adhuc? Non est hoc certè asscribendum humanæ virtuti, sed promissioni bonitatique diuinæ, quòd tales nacti simus Principes, quales partim habuimus, partim habemus. Singulare namque hoc Dei donum est. Si enim omnis potestas à Domino Deo est, & per eum Reges regnant: multò magis singulari gratiæ Dei acceptum nos ferre debemus, quòd in hac tanta rerum confusione & Ecclesiarum perturbatione, hunc magnanimum & fortem dederit nobis Principem, *Ioannem Casimirum*, Comitem Palatinum, Ducem Bauariæ, Dominum nostrum clementissimum, qui in sua nos foueat & tueatur ditione, qui puritatem religionis ab optimo patre relictam & commendatam, conseruatam omnino velit: qui hanc ob caussam omnibus suis Ecclesiis, de optimis ministris prospici curauit: qui quoscunque potuit, præceptores in sui principatus Scholis retinuit: qui pios Ministros & Studiosos religionis caussa hinc inde pulsos, quotidie vt fieri potest, recipit, sustentatque pro sua virili parte: qui denique Scholam hanc collectis vndique doctis viris, in hac amœna & saluberrima vrbe, magnis sumtibus instituere voluit: vnde & qui Reipubl. in rebus politicis, & Ecclesiæ in rebus ad religionem pertinentibus, aliquando inseruiant, euocari possint. Quid cupimus, quid volumus amplius: Quid igitur restat?

Restat id, quod quarto loco eadem Prophetica promissio nobis faciendum esse docet: nempe, vt primum Deo optimo maximo gratias agamus pro hoc singulari & incomparabili beneficio, quod sicut veraciter promisit, sic etiam re ipsa liberaliter præstat. Beneficiorum autem collatio, animi gratitudinem, gratiarumque actionem exigit: Deinde, vt pro incolumitate & salute Illustrissimi Principis nostri precemur Deum Patrem, per Iesum Christum, vt eum regat suo Spiritu in omnibus cogitationibus, desideriis, consiliis, actionibus, tueatur aduersus omnes hostes, incolumem diu nobis & Ecclesiæ seruet, illique & bene eius cœptis benedicat ac faueat. Opera enim Principum, ad nos totamq; Ecclesiam nutriendam vtitur Deus. Ergo secundum Deum, erga hos quoque nutritores Principes, grati esse debemus.

Eadem Prophetica promissio exigit, vt quando in hanc Scholam vocati sumus omnes, alij ad docendum, alij ad discendum, diligentes simus omnes, tam Professores, quàm studiosi, in suo quisque officio. Nam & qui docent, fideliter diligentérque docere: & qui docentur, attentè audire, studeréque debent. De Doctoribus & Præceptoribus nihil est quod dicam, quoniam ita perspecta est illorum non solum eruditio, verùm etiam diligentia in docendo, pietas atque fides, vt facturus sim illis iniuriam, si multis ad officium faciendum adhortari velim. De me tantum aliquid vt dicam, hoc polliceor, me daturum operam, officio meo faciendo, vt neque fidem, neque diligentiam in me vllam desideraturos vos esse confidam.

Methodum eam mihi delegi, quæ omnino ad verè docendum necessaria est. Duplex ea cùm sit, συνθετικὴ καὶ ἀναλυτικὴ, mihi quoque S. literas interpretaturo, Theologiámque professuro, vtraque vtendum est, suo quaque loco. In explicandis scriptis ἀναλύσεως opus est, qua demonstrato in primis autoris scopo, atque proposito, ad quod omnia quæ scribit, referuntur, totum corpus libri seu Epistolæ in suas partes, totaque doctrinæ summa in certas propositiones, & propositionum confirmationes, tanquam in sua membra resoluatur. In colligendis verò locis Theologicis è S. literis iam explicatis, συνθέσεως necessaria est, qua ex contextu, quem interpretamur varias de eodem dogmate propositiones, earúmque confirmationes, distinctè, certóque & ad docendum accommodato ordine, in vnum colligere atque componere docemur, aliis etiam aliundéque adductis, si opus sit, probationibus. Sumus autem (vt prudentissimè docuit Augustinus faciendum esse) Scripturas per scripturas, explicata genuina verborum & locutionum significatione, interpretaturi, ad analogiam regulamque fidei omnia examinando atque etiam, quoad eius fieri poterit, à pia vetustate non recedendo.

Neque tamen obstringi volumus (quia neque expedit, neque licet) interpretationibus Patrum: quemadmodum etiam illas non facilè aut temerè reiicere solemus. Regulam ipsimet Patres nobis præscribunt, quantum debeamus ipsorum scriptis tribuere, nempe, si quid consentaneum sit cum S. literis, illud esse retinendum, si quid dissentaneum, illud reiiciendum. Legantur hac de re Canones non pauci in Decreto, dist. 9. Regulam hanc seruauit ipse Augustinus, & seruandam esse docuit: idcirco (vt ibidem Can. 10. habemus) ita conclusit? *Talis ego sum in scriptis aliorum, quales volo esse intellectores meorum,* nempe libros, vt probent probanda, & improbent improbanda. Eatenus autem aliquid in Theologia probari potest, quatenus cum S. literis consentaneum est. Absit verò à nobis, & à mente vtéque cuiusque Christiani blasphemia illa, quâ nonnulli scribunt, S. literas ita obscuras & ambiguas esse, vt earum sensus non ex scripturis, sed ex autoritate Ecclesiæ petendus sit: quasi verò Deus in S. literis, quas D. Gregorius vocat, Epistolam Dei ad omnes missam, aut voluerit, aut non potuerit ita loqui, vt à nobis intelligeretur. Non reiicimus tamen, vt diximus, Patrum, aliorumque piorum doctorum interpretationes: sed seruata ea regula, quam modò ex Augustino adduximus. Solis enim scripturis simpliciter credendum. Atque hæc de mea docendi ratione.

Neque porò caussæ fuere nullæ, cur, cùm mihi iniunctum sit officium, nouum Testamentum interpretandi, Epistolam ad Ephesios, in ipsis Scholæ incunabulis, vobis explicandam susceperim, quarum obseruatio non parum & ad rem nostram facere, & ad Epistolæ ipsius tum summam percipiendam, tum dignitatem maiestatemque contemplandam pertinere videtur. Sunt. n. omnes ex Epistola ipsa cum nostris collata tēporibus desumtæ. Ac prima quipè à scopo Apostoli in tota hac Epistola sumitur: is aūt fuit, vt Ephesinam Ecclesiam, & singula eius membra ad perseuerantiam constantiamque in fide Christi, & in obseruantia mandatorū eius, & verò etiam ad incrementū in vtraque pietatis parte faciēdum adhortaretur atque animaret, ne finerent a doctrina Apostolica semel recepta, ab vllo mortalium, propter suas persecutiones & vincula, aut propter multitudinem doctorum aliter docentiū & authoritatem abduci. Quid autem hac adhortatione temporibus nostris congruentius, magisque necessarium esse potest? Videmus enim quanta sit falsorum Doctorum multitudo atque autoritas: & contrà quàm graues vbiq; sint piorum doctorum & pastorum, eorumque discipulorum persecutiones ac cruces. Fuerit igitur operæpretiū in hac Epistola obseruare rationes & argumenta, quibus ad perseuerantiā in fide, & in vera obedientia excitari possimus. Pertinet enim ad nos hæc Epistola non minùs quàm olim ad Ephesios. Altera caussa, à materia, quæ in hac continetur Epistola, petita est. Est hęc Epistola, ceu epitome totius doctrinæ Christianæ, & omnium fermè præcipuorum locorum, qui in Theologia tractari solet, breue compendium. Confirmaturus enim Apostolus Ephesios, quos ipse instituerat in vera doctrina Euangelij, hortaturusque ad constantiam in ea fide, quam à se didicerant, summam totius doctrinæ reuocat illis in memoriam, initio facto à Deo Patre, à quo, tanquā à fonte in nos profluunt beneficia, omnesque spirituales benedictiones, per Christum & propter eum: quorū beneficiorum primum reliquorumque omnium fundamentum est ipsa æterna & gratuita nostri electio ac prædestinatio facta in Christo, tanquam omnium nostrûm capite.

Ab hoc primo transit ad alterum, nempe ad redemtionem, quatenus in persona Filij perfecta fuit: tum ad redemtionis ipsius dispensationem, quomodo nimirum illa nobis communicetur, eiusq; fiamus re ipsa participes, per Euangelij sc. prædicationem, si fide istud amplectamur, firmumque in finem vsque retineamus & quidem electos omnes constanter illud retinere, quod obsignati sint spiritu promissionis sancto, qui est arrhabo certæ hæreditatis nostræ cælestis in nobis permanens vsque in diem perfectæ redemtionis: quæ futura est in fine mundi. Interim tamen docet, operam esse dandam, idque precibus & exercitiis fidei ac caritatis, studioque bonorum operum, vt crescamus in vera pietate, in cognitione Dei ac Christi, quem Pater toti Ecclesię caput dedit atque cōstituit Nos quidem omnes natos esse in peccatis, & filios iræ, seruatos tamen ad gratiam Dei fideque donatos, & nouas creaturas effectos in Christo, vt in bonis operibus ad quæ creati sumus, ambulemus. Ideo verò legem mandatorum, in multis decretis positam, abrogatam esse, vt vterque populus, Iudæus & Gentilis, diruta illa macerie in vnum coirent, fierentque vnus nouus homo, per eundem S. S. sub vno capite Christo, à quo vitam & incrementum accipiamus, qui etiam in hunc finem, postquam ascendit in cœlum supra

omnes Angelos exaltatus, misso Spiritu S. publicum Ecclesiæ ministerium stabiliuit, ad instaurationem nimirum sanctorum, & ædificationem corporis sui, quod est Ecclesia, & vt crescamus in eum per omnia, qui est caput, nempe Christum: nec ambulemus amplius sicut reliquæ Gentes, in peccatis, & in vanitate sensus nostri, sed exeuntes in dies magis ac magis veterem hominem, induamus nouum, & in sua quisque vocatione dignè ambulet.

Ad summam: habemus in hac Epistola locos fermè omnes, vt antea diximus, Theologiæ præcipuos, de vno Deo, in tribus personis subsistente, Patre, Filio, & Spir. S. de Dei omnipotentia, sapientia, bonitate, misericordia, gratia: item de æterna & gratuita prædestinatione: de creatione mundi: de Angelis, diuersisque eorum gradibus supra quos omnes exaltatus est Christus, c.1. Ad hæc locum de peccato Originali, & actuali, déque eius caussis & effectis: de promissionibus salutis futuræ in Christo, déque fœdere inito cum Patribus, de lege, déque eius abrogatione, cap.2. De aduentu Christi in carne in plenitudine temporum, déque duabus eius naturis, vera Deitate, & vera humanitate in vna persona coniunctis: de vera eius morte, resurrectione, veraque ac reali in cœlum ascensione c.1.2.4 item de redemtione & reconciliatione in persona Christi peracta, c.1.2. & alibi. De huius redemtionis salutisque æternæ communicatione: eam enim offerri per Euangelium, recipi per fidem, obsignari per Spiritum S. *cap.1.2.3 & alibi.* Recipi, inquam, per fidem viuam, quæ absque studio bonorum operum esse non potest. De fide igitur vera, déque bonis operibus agit speciatim, cap.2. eoque & de Ministerio verbi, déque Ministris ad hoc delectis & vocatis, c.1.2.3.4. De sacramentis item, quibus non solum promissiones Euangelij obsignantur, sed etiam res per ipsa significatæ exhibentur credentibus. Mundari enim ait, Ecclesiam lauacro aquæ in verbo. c.5. De Ecclesia igitur, quæ constat ex electis tam Gentibus quàm Iudæis, & quæ sola re ipsa particeps fit redemtionis, salutisque æternæ, agit cap.1.2 & 5. De perpetuo pietatis incremento, perseuerantiaque sanctorum in Christo, cap.1.2.4. De vnitate Ecclesiæ per concordiam inter nos seruanda, de vita Christiana, déque variis virtutibus persequendis, & vitiis fugiendis, c.4.5.6. De summa pietatis Christianæ, quæ à nobis requiritur, eam in fide in Christũ, & charitate in sanctos consistere, c.1. Denique de resurrectione à mortuis, de iudicio vniuersali, in quo quisque recipiet à Domino quicquid fecerit boni vel mali, c.6. De ascensione item piorum in cœlum, déque vita æterna, ad quam omnes, qui in Christum credimus, sumus electi & vocati, vbi in perpetuum laudaturi sumus Dominum: omnia enim reliqua & præcedentia beneficia in hunc finem spectare, vt simus in laudem gloriæ gratiæ ipsius, laudem inquam perpetuam, c.1. & 2. Cùm igitur Apostolus summam totius doctrinæ Christianæ hac breui Epistola complexus sit, ego verò in hanc Scholam, vnà cùm aliis præclaris viris, vocatus sim, vt pro his donis, quæ Deus pro sua benignitate in me contulit, S. literas interpretando, Theologiam non minus breuiter, quàm perspicuè doceam, iudicaui me factutum operæpretium nostris auditoribus, si hanc verè diuinam Epistolam initio prælectionum nostrarum interpretandam susciperem, locósque Theologicos, qui in singulis capitibus sese offerunt, breuiter explicarem. Hæc est altera instituti mei caussa.

Accedit tertia, nimirum, quòd si qua alia Pauli Epistola, hæc certè ad Ephesios, firmissima & non pauca continet argumenta aduersus pestilentissimas hoc tempore ex inferis reuocatas hæreses, aduersus nouos Arianos, Nestorianos, Eutychianos, Marcionitas, Pelagianos, quemadmodum suis, Deo fauente, videbimus locis. Quid enim clarius aduersus Pelagianos, hostes gratiæ Dei, *cap.1. & 2.* vbi de gratuita electione abundè disserit, déque gratuita redemtione, & ad Christum vocatione ac iustificatione? vbi etiam totam nostram salutem, & quicquid ad illam pertinet, siue fides, siue opera, non ex nobis, sed ex mera Dei gratia esse demonstrat? Quid efficacius aduersus Nestorianos illo, quod scribit *c.4.* eundem planè esse, seu eandem personam Filii Dei, quæ ascendit in cœlum, quæ etiam prius descenderat de cœlo? Quidve etiam magis refellit somnium de cœlo vbiquitario, quam antithesis, quæ ibidem habetur inter inferiores partes terræ, & inter supremum cœlum, in quod ascendit Christus? Nihil quoque clarius explicat, quid sit sedere Christum ad dextram Patris, quàm locus ille, qui habetur cap.1. vbi docet, Christum non ante sedisse ad dextram Patris, quàm resuscitatus à mortuis ascendit in cœlum, & quidem sedere eum non vbique, aut in terra, sed in supercœlestibus locis, atque hoc nihil aliud esse, quàm eum factum esse Dominum & Regem vniuersorum, constitutum supra omnem principatum & potestatem, & virtutem, id est, non solum supra omnes homines, sed etiam supra omnes Angelorum ordines, quatenus scilicet Mediator est. Non ergo humanam in Christo naturam exæquatam esse naturæ diuinæ, qua Filius semper fuit æqualis Patri, sed tantum supra omnia creata, supráque omnes Angelos exaltatam in persona Mediatoris. Non abs re ergo hanc hoc tempore Epistolam enarrandam explicandamque suscepimus.

Addam & hoc, Epistolam hanc plenam esse consolationum aduersus omnia tentationum genera. His enim opus habebant fideles in Ecclesia Ephesina, præsertim cum scirent, suum Apostolum Romæ esse captiuum: quæ etiam caussa est, cur ad eos miserit Tychicum. Non minus certè nos egemus consolationibus, qui propter Christum, veritatémque doctrinæ, variis premuntur calamitatibus, diuersis expositi sumus periculis, domi denique & foris affligimur. Fuerit igitur omnibus Epistolæ huius lectio & explicatio, vt confido, vtilissima, quod vt faxit Dominus, eum ex toto corde precor atque obsecro.

Etsi verò neque de voluntate ac desiderio studiosorum nostrorum dubitare me sinũt, tum pietas in Deum, quam hactenus constanter professi sunt, tum amor virtutis bonarumque literarum, quem non paruo progressu in illis facto, luculentissimè nobis omnibus testatum fecerunt, tamen haud ingratam me illis facturum arbitror, si paucis eos rogem, vt quando tale ac tantum à Deo acceperunt beneficium, nempe vt sua hic continuate studia, atque imprimis veræ pietati, sinceróque S. literarum studio operam dare possint, ne sint in Deum ingrati, néve hoc præsenti abutantur beneficio. Agite ergo adolescentes charissimi, si Deum timetis, si vestram salutem curatis, si parentes colitis, si patriã amatis, si denique Principem Scholæ autorem, omnium patronum, Mæcenatem vestrum obseruatis, incumbite, vt facitis, in studia ingenuarum artium, atque imprimis, in studium pietatis, Christianæque sapientiæ, cuius potissimum caussa, aperta est vobis hæc Schola. Nihil hac re gratius Deo, nihil vtilius Ecclesiæ, nihil nobis salutarius, nihil denique amicis & patriæ iucundius præstare potestis.

Profani homines Ægyptij, Chaldæi, Græci, Romani, aliique populi, tanti semper fecerunt humanæ sapientiæ virtutem, vt huius comparandæ caussa nihil non egerint, nihil non sint perpessi laborum, vigiliarum, peregrinationum, sumtuum, vt alii è Græcia in Ægyptum, alii ex Italia & Africa, in Græciam, & aliunde alii in alias regiones, huius duntaxat rei caussã, migrasse legantur. Viderunt enim primum quidem, id per se honestum esse, & libero homine dignum: Deinde, ea re reliquas virtutes, prudentiam, animi fortitudinem, iustitiam, probitatem comparari posse: in ea denique veras sitas esse diuitias, quas magni semper fecerunt omnes gentes: atque, vt vno verbo dicam, illa sapientia iudicarunt hominem verè liberum, felicem beatumque fieri posse. Neque prorsus malè indicarunt, nempe, si humanas tantum virtutes, vel potius, simulachra (vt Augustinus vocat) virtutum, humanámque & huius vitæ felicitatem, vel potius vmbram quandam felicitatis spectemus. Videmus enim, quot quantæque virtutes, quot quantaque bona consecuta sint illos, qui humaniorum literarum, humanæque Philosophiæ studia ex animo & seriò amplexi, diligentérque sunt persecuti, tum inter Græcos, tum inter Latinos insignes, Socrates, Plato, Pythagoras, Aristoteles, Stoici & horum similes inter Græcos: Iulij, Marij, Catones, Cicerones, & alij inter Latinos, vt de aliis taceam populis ac Gentibus. Sed quid illa ad ea, quæ confert sui studiosis diuina sapientia in S. literis comprehensa?

Primò enim, ipsa vera sapientia, quæ in vera Dei, rerumque diuinarum cognitione posita est, è S. literarum studio & intelligentia comparatur. *S. literas* (ait Apostolus) *nosti, quæ te possunt reddere sapientem ad salutem*, id est, in omnibus ad salutem necessariis. Hæc verò sapientia, hominem reddit verè liberum: *si manseritis in sermone meo, veritas liberabit vos*, inquit Christus: efficit verè diuites, *Ditati estis in Christo omni sermone & cognitione:* verè fortem, *scripsi vobis adolescentes, quia fortes estis, & verbum Dei habitat in vobis:* verè iustum, *omnis scriptura vtilis est, ad institutionem,*

tionem, quæ est in iustitia: verè temperantem, quia verbum Dei crucifigit veterem hominem, & nouas efficit creaturas: *Renati, inquit, estis ex semine immortali, per sermonem Dei.* Denique verè nos beatos reddit. *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud,* dicebat Christus: Et Dauid, *ô beatum virum, cuius voluntas in lege Domini, & qui in lege eius meditatur die ac nocte.* Non sine caussa ergo Apostolus tanto studio & diligentia hortatus est Timotheum, virum alioqui in S. literis exercitatissimum, vt attenderet lectioni S. literarum. Quid ita? quia inde pendet omnis vera sapientia, vera prudentia, vera iustitia, vera fortitudo, vera temperantia, omnis vera virtus, veræ diuitiæ, vera felicitas atque beatitas: *Omnis scriptura diuinitus est inspirata, & vtilis ad docendum.* Quid? omnem veritatem: *ad redarguendum,* quid? quosvis errores: *ad corrigendum,* quid? quosvis malos mores, & vitia: *ad instituendum,* qua in re? *in omni iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus.* Quid vis amplius? Adde & illud Apostoli ad Rom. *Omnia quæ scripta sunt, ad nostram doctrinã scripta sunt, vt per patientiam & consolationem Scripturarum, spem habeamus.* Admirabilis enim est, omnémque superans sensum consolatio, quam S literæ suis studiosis adferunt. Annon ergo in illius rei studium incumbemus, quæ nos veris afficit consolationibus in omni tentationum & afflictionum genere? Hanc consolationem præbet S. Scriptura, quæ aduersus omnes hostes nos fortissimos reddit. Sacra Scriptura vera nos donat fortitudine, quæ nos prudentes, sapientes, bonos, diuites, felices, beatosque efficit. E S Scriptura hæc omnia hauriuntur quàm copiosissimè. Iactant quidem Philosophi multas & magnas virtutes, multáque rectè definiunt: sed quantum absunt à scopo, qui Deum verè non cognouerunt, nec spiritum eius perceperunt? Definiunt virtutem habitum esse bonum, nisi quod honestum est & rectum, ac proinde illos prædicarunt bonos, qui pluris constanter fecerunt honestum & rectum, quàm omnes pecunias, quàm opes, quàm imperia, quàm voluptates, quàm vitam ipsam, quales fuêre apud Romanos, Romuli, Pompilii, Bruti, Horatii, Decii, Fabricii, Marii, Scipiones, & alij. Verùm, quid obsecro propriè honestum & rectum dici potest, nisi quod Deo placet, & diuinæ voluntati est consentaneum? Hæc verò Dei voluntas vbinam verè declaratur? In solis Sacris literis. *Hoc est opus Dei* (ait Christus) *vt credatis in eum quem misit ille* Item, *Hæc est voluntas Patris mei, vt omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Quis vnquam Philosophorum hoc nouit?

Adde, quod non solùm in iis sacris literis perfectè reuelatur voluntas Dei, verùm etiam in Euangelio tantum credentibus donatur Spiritus S. quo quæ Deo placent, & ea re, quę verè honesta & vera sunt, tum velle possint, tum perficere. Multa quoque speciatim de iustitia tam vniuersali, quàm particulari scripta reliquerunt: sed nulla est vera coram Deo iustitia, nisi quæ per fidem in Christum habetur. Hanc verò vbi inuenies, nisi in Sacris literis? De animi fortitudine gloriati sunt permulti & Philosophi, & nobiles Romani, & tantam vim istius virtutis esse dixerunt, vt qui ea munitus sit, huius licèt crucietur corpus, ipse tamen animus nunquam possit cruciari. Rectè sanè. Sed quem mihi dabis ex eorum numero, qui Christum ex Euangelio non nouerunt, qui verè hac donatus virtute fuisse dici possit? Accipe verò Apostolos & Prophetas, áliosque Christi Martyres, tam mulieres, quàm viros, tam puellas, quàm pueros, quanta in illis animi fortitudo, quãta constantia? quos non pro gloria mundi, sed propter nomen Iesu Christi ita constantes & fortes fuisse legimus, vt nullæ eos presserint miseriæ, nullæ terruerint minæ, nulli exanimarint metus, nulla tormenta, nullæque fregerint mortes. Sola enim fides in Christum ea est virtus, qua non solum mundum, sed etiam nos ipsos vincimus. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum,* (inquit Iohannes) *fides nostra.* Hæc enim, quæ certè non ex libris Philosophorum, sed ex auditu verbi donatur, nouerunt filii Dei, innatas sibi refrenare cupiditates, spernere voluptates, tenere iracundiam, cohercere auaritias, & cæteros compescere morbos, mortem contemnere ac superare, inque afflictionibus ipsis gloriari. Legitote catalogum virorum verè fortissimorum atque heroicorum apud Apostolum ad Hebræos, qui sola fide, ex auditu verbi diuini excitati, muniti, tam multa, tam magna, támque præclara præstiterunt veræ virtutis ac fortitudinis opera, vt vix credi ab hominibus possint.

Rectè etiam dictum est à Philosophis, *illum verè diuitem esse, cui nihil deest:* illi autem nihil deesse, qui sorte sua contentus est: eum autem contentum esse qui nihil præterea cupit, aut quærit: sicut contrà illum verè pauperem esse definierunt, qui semper eget, eum verò semper egere, qui semper cupit, qui semper optat, qui semper quærit, & nunquam sua est sorte contentus. Cui enim quæsito semper opus est, hunc perpetuò etiam egenum esse. Sed vnde hæc αὐτάρκεια comparatur? E Sacris literis, vnde & vera est pietas, si vera à nobis fide legantur, audiantur, in animum reponantur. εὐσέβειαν enim μετ' αὐταρκείας coniunxit Apostolus: pietatis autem fundamentum est fides: fides verò ex auditu est: auditus autem per verbum Dei. Veræ ergo diuitiæ Sacr. literarum comparantur auditu atque lectione: & is verè diues est, cui suppetit copia cognitionis, intelligentiæ, & sapientiæ diuinæ, qua fit, vt pij sua sint semper sorte contenti. Cui verò tam deest quod habet, quàm quod non habet, cuius cupiditatibus saturandis nullæ vnquam sufficiunt facultates, qui propter auiditatem pecuniæ, nullum quæstum iudicat turpem, qui accumulandis diuitiis quo iure, quave iniuria semper inhiat, fraudando, decipiendo, mentiendo, poscendo, paciscendo, auferendo, eripiendo, spoliando, expilando: hunc quis audeat vere diuitem appellare, omnium miserrimus & pauperrimus cùm sit? veros thesauros adfert Dei & Christi cognitio: hanc verò S literæ.

Addam ad extremum etiam hoc, quòd sapientes huius mundi de vera libertate, qua nihil felicius esse iudicatur, scriptum reliquerunt, eam demum veram esse libertatem, si quis viuat, vt vult: nihil autem velit, nisi quod rectè iudicat: ac proinde, eum verè liberum esse, qui non ex iussu & imperio affectúve carnis, sed ex recto mentis iudicio, voluntatéque libera, honesti ac recti amante, cupiditatibus autem malisque affectionibus imperante, viuit. Pulchrè sanè & rectè hæc etiam omnia. Quæ est enim eorum vel Imperatorum vel Regum & Principum libertas, qui etsi rerum omnium huius mundi potiantur, innumerabilibusque populis dominentur, suis tamen cupiditatibus imperare non possunt? Liberum certè omnes sapientes eum esse negarunt, iniquissimum verò potius seruum esse pronunciarunt, cui vxor imperat, cui leges imponit, præscribit, iubet, vetat, quod videtur, qui nihil imperanti negare potest, cui si vocat, veniendum, si eiicit, abeundum, si poscit, dandum, si minatur, extimescendum est. Si hoc verum est, quo nomine ergo illos appellandos putamus, qui omnibus carnis cupiditatibus parêre coguntur? quibus peccatum ita dominatur, vt non obedire eius concupiscentiis non possint? quibus denique nihil aut cogitare, aut velle & facere liberum est, nisi quod poscit, quod iubet, quod imperat caro, dura, vehemens & imperiosa domina. Sic senserunt de vera libertate, veraque seruitute ipsi etiam huius seculi sapientes, & procul dubio rectè. Consentanea enim scripserunt cum Sacris literis nostris, in quibus Christus ait, illum esse seruum peccati, qui facit peccatum, & eum demum vere liberum esse, quem Filius hominis liberet, nempe à seruitute peccati & Satanæ.

Cæterum, quem mihi dabis ex omnibus mundi sapientibus, recta Dei cognitione, & spiritu Christi destitutis, qui vere liber fuerit, & non potiùs mancipium peccati & Satanæ. De omnibus gentibus à Christo alienis loquitur Apostolus, cùm ait, *principem potestatis huius aëris,* id est, Diabolum, *agere in filiis contumacibus, inter quos & nos* (inquit) *olim conuersati sumus, in cupiditatibus carnis nostræ, facientes quæ cogitationibus & carni libebant.* Vnde igitur vera libertas? à Christo. Quosnam liberat? Credentes Euangelio: quomodo liberat? donando eos suo spiritu. Nam vbi spiritus Domini, ibi libertas. Spiritus autem datur ex auditu fidei, hoc est, ex fide, per auditum Euangelij in nobis excitata. Ergo veram etiam libertatem consequuntur homines è scripturis S. per Dominum nostrum Iesum Christum.

Quæ cùm ita se habeant, quisque potest videre, quanta cura, studio, diligentia incumbendum sit Sacris literis, quibus tot tantosque thesauros nobis consequi valemus, veram sapientiam, veram virtutem, veram iustitiam, veram fortitudinem, veram libertatem, veram denique felicitatem. Hæc certe voluntas est Dei, cui qui morem gerit, beatum eum pronunciat, qui secus facit, maledictum. Ergo charissimi adolescentes, si vobis consultum vultis, ita debetis studia bonarum literarum, artium & disciplinarum omnium persequi, vt primas semper detis lectioni & auditioni Sacr. literarum, in quibus quo quis magis proficit, eò cumulatiores sibi thesauros, citra omnem du-

bitationem comparat. Sic enim habendum & statuendum est, felicitatem nostram omnem in vera cum Christo, adeoque cum eius carne, sanguine, anima, & per hunc Mediatorem cum Deo, vnitione consistere: hanc autem per Spiritum S. quo se ille nobis, & nos sibi incorporat, péique fidem, qua vicissim nos illum amplexi retinemus in cordibus nostris, fieri & constabiliri: Spiritum verò S. simul & fidem, ad auditum verbi Euangelij rectè intellecti, nobis communicari, eoque beatissimos illos esse, non qui in summis degunt voluptatibus atque delitiis, non qui prædiuites sunt & præpotentes, non qui longe latéque dominantur, rerumque omnium potiuntur, non qui ab aliis mortalibus tanquam Dei adorantur, non denique qui multa rerum humanarum scientia, huiusque seculi summa sapientia prædìti sunt, sed illos demum, *qui* (vt Christus pronunciauit) *audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.*

DIXI.

EIVSDEM

DE CONSERVANDO IN Ecclesia puro puto Dei verbo

ORATIO:

In Academia Heidelbergensi habita 12. 13. & 15. Februarij Anno LXVIII.

Cùm in locum D. Zachariæ Vrsini succedens, professionem locorum communium publicè exordiretur.

DICTVRVS sum, Clarissimi viri, & ornatissimi Auditores, de necessitate, déque ratione retinendi, purumque putum conseruandi in Ecclesia verbum Dei, eoque nonnihil de officio Principum in hac re, Ecclesiarum, pastorum, Doctorum, studiosorum, déque Scholarum antiquitate, vtilitate & necessitate in Regno Christi. Argumentum est, vt videtis, graue, honestum, vtile, & verò etiam necessarium in hoc tempore, adde & meæ conueniens ac consentaneum conditioni. Cùm enim mihi nouo in hac celeberrima Academia Theologo, antequam meum munus obire incipiam, aliqua (vt mos est) habenda esset oratio, qua & Christianam sapientiam, quam Theologiam vocant, laudarem & ad eius studium iuuenes adhortarer, nullam ad rem accommodatius visum est argumentum isto, quod tractandum suscepi. Nam & laudes continet veræ Theologiæ, & satis habet stimulorum ad illius amorem atque studium. Fuerit igitur oratio hæc (vt confido) studiosis nostris neque ingrata, neque inutilis: opto certè vt sit & gratissima & vtilissima. Quare, vt me benignè & attentè audiatis, non tam ego vos rogo, quàm ipsius etiam argumenti dignitas & vtilitas postulat.

Ac mihi quidem (vt ad rem ipsam veniam) diu multumque cogitanti, & in animo voluțanti, quidnam illud esset, quod & multis ante seculis tum Respubl. perdidisset, tum Ecclesias euertisset, & nunc etiam (proh dolor) illarum permultis vtcunque renouatis atque instauratis, denuò perniciem facere, & exitium adferre incipiat, illud tandem visum est fuisse & esse in caussa, quòd Antichristus, Christi Ecclesias & Scholas blando humanarum doctrinarum veneno inficientibus atque perdentibus, neque Reges & Principes, qui iuxta vaticinium Iesaiæ debuissent esse Ecclesiarum nutritores & protectores, neque etiam reliqui Magistratus, qui partes populorum esse debebant, minime pro suo officio restiterunt, neque curarunt, vt per veros Episcopos in Ecclesiis, & per sinceros doctores in Scholis, verbum Dei, a quo vno tota Ecclesiarum salus dependet, purum sincerumque conseruaretur, sed contrà potius plerique omnes feris illis & immanibus belluis pro libidine omnia vastantibus, non solum conniuerunt, verum etiam, proh Deûm atque hominum fidem, opem iam ab initio tulerunt & quotidie etiam ferunt. Qua de re qui dubitet, confido vestrum esse neminem. Nam reapse quàm verum hoc sit, quod dico, ipsi, sed non sine magno dolore, videmus atque sentimus. Ergo nihil honestius, & Christiano homine ac Principe dignius, nihil ad Respub. & Ecclesias conseruandas conducibilius, nihil denique ad salutem cuique comparandam magis necessarium esse potest, quam, vt per illos, quorum interest (interest autem omnium pro sua cuiusque rata portione) quàm diligentissimè curetur, vt reiectis profligatisque in perpetuum omnibus humanis de religione doctrinis, verbum Dei in Ecclesia purum putumque conseruetur & administretur. Hoc est enim fundamentum, in quo salus Ecclesiarum quam maximè nititur. Sic iudico, sic sentio, sic video.

Sic docuit ille omnium excellentissimus & sanctissimus Poeta, qui in 1. Psalmo cecinit. *Beatum illum fore, qui neglectis omnibus impiorum hominum consiliis, moribus, doctrinis, totum adiicit animum ad vnam Domini legem, & in ea dies & noctes meditatur.* Sic Dominus Iesus, ipsa æterna Dei Patris sapientia confirmauit, cùm pro salute nostra, non ad peruestiganda virorū (si Deo placet) sapientissimorum placita; sed ad perscrutandas Scripturas nos ablegauit, *Scrutamini* (inquiens) *scripturas.* Sic denique (ne singula scripturarum testimonia proferam) ipse Spiritus Sanctus vbique in S. literis testificatur, Ecclesiam Dei & colligi, & coagmentari & conseruari verbo Dei. Ergo nihil etiam honestius est, quam vt ipsa Ecclesia, hoc est, nos omni cura & diligentia studeamus verbum Dei purum putum apud nos conseruari.

Ac profectò nihil est, quod magis deceat Ecclesiam, quàm vt id apud se putum quàm diligentissimè conseruandum curet, per quod & ipsa fuit mundata ac conseruata, & per quod perpetuò munda scelerisque pura apud Deum propter Christum asseruatur. Verbo autem mundari nos, mundosque conseruari docet luculenter Christus Ioh. 17. cum ait, *Vos mundi estis per sermonem meum.*

Quid porrò magis honesti & grati hominis postulat officium quàm vt pretiosum thesaurum sibi à suo Principe donatum, ab omni labe purum & vacuum mundumque custodiat? præsertim verò si nouerit hanc etiam sui Principis esse voluntatem. Qui hoc facere negligit, næ dignus ille fuerit, cui tantus thesaurus eripiatur, & alij, qui illum sciat ac velit custodire, donetur. Hoc enim æquitas postulat, hoc docet Natura, sic tradunt S. literæ, sic denique confirmant omniū gentium ac populorum iura atque leges. Quis autem, per Deum immortalem, pretiosior atque præstabilior thesaurus isto, quo nos Deus opt. max. pro sua æterna erga nos beneuolentia liberaliter donauit, hoc est, Euangelio, inueniri excogitarive potest? Etenim quantum quæso rei est, Deum rerum omnium conditorem & gubernatorem, è cœlesti throno, nobis homuncionibus hic humi repentibus, locutum esse? nec locutum tantum, sed suum etiam cœlestem sermonem scriptum nobis reliquisse? Quis non magno sibi ducat honori, si Princeps aliquis, aut Rex, suo se dignetur sermone, & præter hunc, suis etiam amicissimis literis? At is, à quo sacrum habemus eloquium, sacramque scripturam, Deus est, Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui ius habet in omnium non tantùm facultates & corpora, sed etiam mentes atque animas. Quanti igitur faciendum est ipsius donum? Nos, quos dignatus est hoc honore, gentiles eramus, nati in peccatis, natura filij iræ, alieni diuino à fœdere, homines sine Deo, ad quos eloquia hæc Dei non pertinebant: & tamen hæc à Iudæis ad nos transtulit? Quantum igitur illi debemus; & quanta diligentia sunt nobis hæc custodienda? Illi per quos cœlestes hasce diuitias & opes ad nos misit, fuerunt Angeli. Per hos enim suam dedit legem. Fuerunt Prophetæ, afflati Spiritu Sancto. Per hos enim vetus habemus Testamentum. Fuerunt Apostoli legati Christi ad omnes nationes. Per hos enim Nouum habemus Testamentum. Fuit denique ipse Filius Dei idemque Deus Iesus Christus. Is enim autor totius scripturæ. Per hosce honoratissimos legatos misit Deus è cœlesti throno in terram hanc, ad nos peccati & Satanæ mancipia thesaurum hunc incomparabilem. Quantam igitur iram Dei, & ruinam nobis imminere putamus, si non hunc summo studio, ab omni labe vacuum nobis asseruemus?

Verùm, quo etiam modo eum nobis dedit? Primum, oraculis, deinde scripto, confirmatum miraculis, obsignatum sanguine Christi, Spiritu etiam Sancto in cordibus nostris inscriptum. Quantum igitur ingrati animi crimen fuerit, si thesaurum hunc tam pretiosum aut cōtaminemus ipsi,

ipsi, aut scientes & prudentes sinamus contaminari? Annon hæ quatuor circumstantiæ illius qui dedit, nostrûm, quibus dedit, eorum per quos dedit, & modi, quo dedit, satis luculenter demonstrant, quàm æquum & honestum sit vt cœlestem hunc thesaurum, diligenter purissimum conseruemus, non in cistis, sed in corde, sed in ore, sed in Ecclesiastico Ministerio? Has certè circumstantias diligenter examinauit Apostolus, cùm voluit ad obedientiam simul, & reuerentiam Euangelij, fideles excitare in Epist. ad Hebr. 2. dicendo: *Propterea oportet nos diligentius attendere iis, quæ dicta sunt nobis*, &c. Legantur reliqua.

Argumento autem ducto à circumstantia personarum, tum eorum, quibus ablatus est, tum eorum, quibus datus est thesaurus, vtitur in Epist. ad Rom. cap. 11. cùm ait: *Dices igitur mihi: defracti sunt rami*, &c.

Sed non minus diligenter duæ aliæ considerandæ nobis hic sunt circumstantiæ, quæ ad accuratam huius thesauri custodiam excitare nos debent: nempe ipsius thesauri qualitas & dignitas: & finis, propter quem Ecclesiæ donatus est.

Thesaurus ipse pretiosissimus est, cœlestis, diuinus, quo nihil in mundo præstabilius aut excellentius inueniri, nihil nobis vtiliùs & salutarius donari potuit. Est enim hic ille thesaurus, cuius habendi caussa diuendenda sunt omnia, vt Christus docuit, quando in ipso Christo est salus, vita æterna. Præclara certè & magnifica Dei dona sunt Sol & pluuia, cæteraque omnia quæ è cœlo & terra nobis benignè & liberali manu largitur, ad vitam hanc feliciter transigendam, necessaria: Præclariora, vires & facultates corporis atque animi, innumeræque virtutes, quibus animos mortalium exornat Deus. Sed quid hæc comparata cum verbo Dei aliud sunt, quàm plumbum ac ferrum, collatum cum argento atque auro? Idcirco Dauid, posteaquam celebrasset cœlos cœlorúmque virtutes, atque illis dixisset enarrari gloriam Dei: continuò legem, hoc est, verbum Domini, illis prætulit, atque ab effectis, hanc illis longè præstabiliorem esse demonstrauit, dicendo: *Lex Domini integra est, conuertens animam: testimonium Domini verum, sapientiam suppeditans imperitis: decreta Domini recta sunt, cor exhilarantia: præceptum Domini repurgatum, illuminans oculos.* Legantur reliqua.

Alibi etiam comparat illud auro & argento purgatissimo. Quid verò dicam de Mose? ostensurus populo, quantum illum Deus prætulisset reliquis gentibus, hoc vnum celebrat, thesaurum scilicet verbo Dei, id quod postea Dauid in Psalm. 147. præclarè cecinit, cum dixit: *Qui annunciat verbum suum Iacobo: iustitias & indicia sua Israeli. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit illis.* Certè reliquis etiam nationibus communia fecerat Deus dona cœli & terræ, multisque & præclaris virtutibus illas etiam ornauerat, atque ita ornauerat, vt illarum permultæ, ipsis etiam Iudæis præstantiores fuerint. Qua igitur in re apparebat, populum Dei gentibus reliquis omnibus antecellere? In hac, quod non illis, sed huic tantùm suum tradiderat Deus verbum, suaque patefecerat iudicia. Hoc id ipsum est, quod Apostolus scripsit ad Roman. *Quid igitur amplius Iudæo est?* (in quo scilicet præcellat gentibus) *aut quæ vtilitas circumcisionis? Multum quidem per omnem modum, atque inprimis, quòd concredita sunt illis eloquia Dei.* Hoc igitur illud ipsum est, quo nos feliciores & beatiores sumus reliquis populis omnibus, ipsis etiam Iudæis: nempe quod nobis & non illis, Euangelium Dei concreditum est. An non hæc luculenta sunt testimonia testantia & declarantia, quanta sit huiusce thesauri excellentia & dignitas? æstiment igitur alij, & magnifaciant, quantum velint, diuitias Crœsi, triumphos Pompeii, vires Herculis, ingenium Luculli, virtutem Alexandri, doctrinam Aristotelis, aut Platonis, eloquentiam Ciceronis aut Demosthenis, & si quid aliud in hoc Mundo excellens vnquam aut admirandum fuit: nos certè multò pluris faciemus hunc cœlestem thesaurum, in quo vno salus nostra, vita & felicitas æterna consistit, vt non sine caussa scriptum reliquerit Apostolus, Christum & mortem aboleuisse & vitam atque immortalitatem in lucem produxisse per Euangelium, nempe nobis, quòd ea nisi per Euangelium à nobis agnosci percipive non possit. Quare ab excellentia huiusce thesauri, satis liquido apparet, quanta cura & diligentia custodiendus nobis sit, purúsque in Ecclesia conseruandus.

Finis porrò præcipuus, propter quem nobis suum verbum Deus & dedit, & reliquit in Ecclesia, duplex est: gloria ipsius Dei: & salus nostra. Gloria Dei in hoc cumprimis relucet, si is solus agnoscatur, & appareat Ecclesiæ Doctor, qui è cœlo, & non è terra nobis loquatur: & solus etiam à nobis cum summa reuerentia & obedientia audiatur. Nam solus etiam vult audiri: solus Ecclesiam suam vult docere: & hac voce sui verbi, suam declarare præsentiam, qua suæ semper adest Ecclesiæ.

Finem hunc indicauit sæpenumero Deus in Scripturis per Mosen & Prophetas, quorum testimonia nunc in medium proferre non est necesse, cùm res sit perspicua. Cùm enim populo mandabat, vt se suumque verbum duntaxat audiret: quid aliud hoc præcepto annuebat, nisi ideo se verbum suum, per Prophetas ad illos misisse, vt se loquentem in Prophetis audirent, & prætetea neminem? Quid? An non missum ad nos filium disertè hunc solum iubet audiri? Solus igitur vult docere & audiri in Ecclesia Deus. Quod cùm ita sit, quis non videat, per esse iniquum, vt aliquis alius præter Deum in Ecclesia doceat? aut vt Deus introducatur aliena à sua voluntate, imò & secum pugnantia loqui, idque in medio suæ Ecclesiæ. Atque id fit, cum verbum Dei in Ecclesia, humanis corruptum doctrinis proponitur & prædicatur. Ergo ne tam execrabile flagitium in Dei maiestatem admittatur, & vt Deus appareat id quod est, verax & constans in suo verbo: & hac ratione sua illi maneat gloria, verbum Dei in Ecclesia, ab omni humana vacuum doctrina, purum purumque conseruari & administrari necesse est.

Salus deinde nostra, in hoc potissimum est posita, primùm, vt verum Deum agnoscamus, & Mediatorem Jesum Christum. *Hæc est* (inquit Dominus Jesus Patrem alloquens) *vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Deinde, vt eum vero colamus cultu: *Quicunque inuocauerit nomen Domini* (inquit Apostolus) *saluus erit.* Quis autem sine Dei verbo potuisset vnquam Deum agnoscere verè, & gratum ei cultum præbere? Ergo vt Deum & Christum, eiusque voluntatem & cultum possemus agnoscere, eóque seruari, suum ad nos misit verbum, vt eo tanquam splendidissimo lumine, quæ alioqui nobis abdita erant, patefierent. Proinde Petrus meritò scripta Prophetarum, eoque vniuersam scripturam comparat lucernæ lucenti in caliginoso loco, vt ea scilicet Deum, eiusque voluntatem, & Christum, & quæcunque ad salutem nostram necessaria sunt, perspicue videamus. Quid igitur non solùm iniquius, sed etiam nobis detrimentosius esse potest, quàm vt quod nobis facis & luminis ad vitam æternam præeuntis loco datum est, illud Cimmeriis humanarum doctrinarum tenebris, vel potius densa & atra ventosaque caligine, aut nos obscuremus, aut ab aliis obscurari & penitus extingui, prudenter sinamus? Ergo ab ipsa etiam thesauri qualitate, & à duplici fine, propter quem nobis datus est, luce clarius apparet, quanta diligentia & cura debeat à nobis purus in Ecclesia conseruari.

Quis verò innumerabiles, eximiosque fructus, quos purum puréque administratum verbum Dei fidelibus adfert, enumerare vel explicare queat? Ergo certè non possum paucis id clarius & breuius facere, quam fecerit Apostolus, partim in ea, quam scripsit ad Timotheum posteriore, partim in ea, quæ est ad Rom. In illa ait, *Scripturam S. vtilem esse* πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, *vt integer sit Dei homo, ad omne bonum opus apparatus.* In hac verò ait, *Quæcunque scripta sunt, ea ad nostram doctrinam scripta esse, vt per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus.* His duobus locis, omnis scripturæ vtilitas, & fructus, vel, vt melius dicam, vsus, quam breuissimè simul & dilucidè cõplexus est Apostolus. Quid enim præter hæc desiderari potest amplius? Nam quæcunque tradi possunt de religione, & ad salutem nostram pertinentia, illa aut pertinent ad dogmata, aut ad mores, aut ad consolandas afflictorum mentes & conscientias. Si ad dogmata, illa aut sunt vera, aut falsa. Si vera, illa omnia abundè tradit Sacra scriptura, ideo meritò ait, illam vtilem esse πρὸς διδασκαλίαν. Si falsa, eadem scriptura refutari facile possunt. Ideo ait eam etiam vtilem esse πρὸς ἔλεγχον. Si de moribus agitur, illi aut sunt boni, aut mali. Si mali, eos omnes corrigit scriptura. Idcirco ait eam vtilem esse πρὸς ἐπανόρθωσιν. Si boni, in illis nos instituit S. Scriptura, inque vera iustitia, ita vt quisque ad bonum opus apparari, & perfectè institui per S. Scripturam possit: ac proinde meritò dixit, eam vtilem esse πρὸς διδασκαλίαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος. Quid hac Apostolica partitione perfectius

quid absolutius? His verò quatuor accedit quintus vsus: is est consolatio in aduersis, cum patientia, seu tolerantia præsentium malorum: & cum spe, certáque exspectatione futurorum bonorum coniuncta. Hunc fructum si addas superioribus, nil poteris amplius desiderare. Hanc autem quintam vtilitatem, ipsa etiam S. Scriptura largiter præstat, vt docet Apostolus ad Rom. & nos reapse experimur. Nullum est tam graue afflictionum genus, in quo nos positos, non intra afficiat consolatione S. Scriptura. Quamobrem? Quoniam Deus est, qui ibi loquitur. *Deus autem est, qui nos consolatur, in omni afflictione nostra.* Est enim ipse solus Pater misericordiarum, & Deus omnis consolationis.

Hæc omnia bona, larga manu suppeditat Deus, diuino suo sermone in S. Scripturis contento, sed eo puro, purêque proposito. Quid igitur vtilius, quàm purum Dei verbum in Ecclesia retinere & conseruare? Certè Ecclesiæ eatenus seruantur, quatenus retinent purum Dei verbū: & eatenus perduntur, quatenus verbum Dei aut prorsus ab illis tollitur, aut humanis doctrinis contaminatur atque corrumpitur: quemadmodum Ecclesiæ, quæ erant in Galatia & aliæ, tempore etiam Apostolorum, ac denique Romana, & quæcunque illam secutæ sunt, perspicuè docent. Non est igitur tantùm vtilis in Ecclesia puritas verbi Dei, sed etiam pernecessaria. Etenim quis seruari posset, sine Dei & Christi cognitione? Nemo hominum. Quomodo verò Deus & Christus Mediator agnosci verè & salutariter a nobis possunt, citra purum ipsius Dei sermonem? nullo modo. Non alia profectò Deum ratione agnouerunt, & Christum eius veteres Patres Adamus, Noha, Patriarchæ, Moses, Prophetæ, Apostoli. Moses quidem summo tenebatur desiderio videndi Dei, facie ad faciem, & supplex hoc ab ipso petiit: sed Deus hoc, seruo suo alioqui charissimo, apertè denegauit, allata etiam ratione, cur nollet ei in hoc gratificari: partim, quod fieri nequeat, vt mortalis homo, Deum facie ad faciem videat: partim, quod ei non expediret vtileve esset, propterea quod non posset Deum in hac carne, facie ad faciem videre, quin moriatur. *Non videbit* (inquit) *me homo, & viuet.* Patefecit autem se ex sermone ad eum facto, dicens, & clamans: *Iehoua, Iehoua, Deus misericors, beneficus,* & quæ sequuntur epitheta, quibus seipse Deus describit, & Mosi cognoscendum præbuit. Ergo ex verbo Dei puro Deus agnoscatur necesse est. Nam quod ait Apostolus, *Inuisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt, intellecta cognosci, sempiternam quoque eius virtutem ac diuinitatem*: cognitio illa imbecilla est, & inefficax, & ea re salutaris esse non potest. Fides enim, sine qua seruari nemo potest, aut placere Deo, non est ex inspectione rerum creatarum, sed ex auditu (inquit Apostolus) auditus autem iste per verbum Christi est. Ad Deum igitur verè & salutariter cognoscendum, eoque ad salutem consequendam, necessarium est in Ecclesia purum Dei verbum.

Deinde, etiamsi Deus sese exhiberet visendum vniuersis & singulis hominibus, ita vt eius faciem, sicut faciem hominis intueremur, quemadmodū cum Christum Apostoli viderunt in gloria sua, in monte sancto, vt loquitur Petrus: tamen nisi eum colamus, ea qua ipse vult coli ratione, seruari nullo modo possumus. Nam illi tantum consortes fiunt salutis, qui Deum in veritate inuocant, hoc est verè colunt. At quisnam diuinare possit, quonam Deus delectatur cultu, nisi ipse suo declaret sermone. Nam si nemo nouit, quæ sunt hominis, nisi (vt loquitur Apostolus) Spiritus qui in ipso est, quanto minus quæ sunt Dei, nisi ipse Deus, & cui ipse velit reuelare?

Cùm igitur salutem assequi non possimus, etiamsi eam omni nostra sapientia, & viribus prosequamur, nisi Deum rectè colamus: & Deus rectè coli a nobis non possit, nisi ex puro eius ore nobis innotescat, quanam ratione coli à nobis velit: quis non videat, quàm omnino necessarium sit vt purum Dei verbum in Ecclesia habeatur & conseruetur? Dico autem purum verbum, quia purè coli Deus non potest, vbi impurus traditur cultus. Ibi autem impurus est cultus, vbi impura est doctrina.

Quod dico ita perspicuum est, vt probatione nulla opus habeat. Vnde enim quæso vos, impij illi cultus, & ἐθελοθρησκεῖαι in regno Antichristi? nimirum ἐκ τῆς ἑτεροδιδασκαλίας, ab ea, quam Apostoli purissimam tradiderunt. Ergo si purè velimus Deum coli in Ecclesia, purum etiam Dei verbum in eadem doceatur necesse est. Hoc est, quod Dominus præcipit per Ieremiam 23. cap. dicendo *Propheta, apud quem est somnium, narret somnium. & qui habet verbum meum, loquatur verbum meum verè*, hoc est, purè & ex fide. *Quid enim paleis cum tritico?* hoc est, humanis somniis, cum sermone Dei? Quare sicut eos damnat Dominus, qui sua quidem narrant somnia, sed id faciunt, tanquam sermo esset diuinus, & non humana somnia: ita vult, vt qui verbum Domini adferunt, adferant illud purum purum, nullis humanis contaminatum somniis, tanquam triticum repurgatum, & sine vllis paleis. Quid enim verbo Dei cum nostris somniis? idem, *quod luci cum tenebris, veritati cum mendaciis, iustitiæ cum iniquitate, Deo cum Satana.*

Nunc satis mihi demonstrasse videor, quod priori loco mihi demonstrandum suscepi, nempe, non solum honestum, Christianóque homine dignum & vtile esse, sed etiam pernecessarium, vt per eos, quorum interest, curetur, vt reiectis omnibus humanis de religione doctrinis, purissimum purissimum Dei verbum, à quo pura pendet Dei cognitio, purus cultus, pura religio, pura Ecclesia, in Ecclesiastico ministerio retineatur, & conseruetur.

Sed nondum dixi. Superest enim altera, eaque præcipua & vtilior pars orationis meæ, quæ est de ratione conseruandi verbum Dei purum in Ecclesia: ideoque de Scholis, explicanda. Verùm, quia excludor tempore, differo eam in crastinum diem.

Dixi heri de honesta & vtili necessitate conseruandi in Ecclesia verbum Dei: dicam hodie de vera, qua id possit perfici ratione.

Duo sunt genera hominum, per quos Dominus Jesus voluit ordinarie & semper in Ecclesia verbum suum prædicari & explicari, pastores nimirum, & Doctores; quorum illi ad populum in templis, isti verò ad studiosos in Scholis destinati sunt. Ita hinc surgit duplex ratio, qua purum Dei verbum conseruari in Ecclesia possit: quarum prior ad Ecclesiasticos conuentus, altera ad ipsas spectat Scholas. Dicam de vtraque quod sentio, breuiter & liberè, ac spero, orationem hanc meam nemini vestrum futuram ingratam. Dicam autem primum de Ecclesiastica, deinde de Scholastica.

Quòd ad Ecclesiasticam pertinet rationem, illud imprimis curandum est, vt ad Ministerium verbi non admittantur nisi homines verè pii, & in S. literis fideliter explicatis, bene instituti, sanæque doctrinæ tenacissimi, fortissimique defensores, & ad eam aliis tradendam accommodati. Hoc autem est officium Ecclesiarum, Principum, & Magistratuum. Hanc admonitionem & obseruationem tradit Apostolus, cùm in vtraque ad Timoth. tum in ea, quæ est ad Titum: cum præter alia docet, oportere Episcopum esse διδακτικὸν, [illegible] ἀντεχόμενον τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου. Et id quidem meritò. Nam quo pacto ipsi Ministri poterunt alios fideliter & purè docere, hæreticos confutare, τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, atque ita purum retinere in Ecclesia verbum, nisi ipsi prius sanam fuerint, purámque edocti doctrinam, & in ea clarè explicanda, & fortiter defendenda exercitati? quæ exercitatio in Scholis inchoari debet.

Proinde quam plurimum refert, quibusnam in Scholis edocti & instituti sint illi, qui ad Ministerium Ecclesiasticum promouendi sunt. Etenim qualem quisque didicerit doctrinam, talem & alios doceat ipse, necesse est. Puræ igitur doctrinæ homines, ac sinceris in Scholis educati, eligendi sunt, qui Ecclesiæ purum Dei verbum proponant. Atque, vt ante dixi, hoc est officium Ecclesiarum, Principum, Magistratuum.

Deinde, ipsis etiam, effectis iam pastoribus, danda est opera, vt nihil ad populum è suggestis proferant, nisi ipsissimum purissimumque verbum Dei, Idque tam quoad doctrinam, quam quoad illius cōfirmationem attinet. Nam etiamsi multarum fortè scientiarum peritissimi sint, & tam in profanis autoribus, quam in S. doctoribus, tum veteribus, tum recentioribus exercitatissimi, ita vt illorum etiam testimoniis sanam confirmare doctrinam possint, tamen ab huiuscemodi hominum tam Christianorum, quàm profanorum dictis, quoad eius fieri potest, abstinendum est in suggestis, & nil nisi verbum à Deo prolatum, ad eius Ecclesiam referendum est. Quamobrem? Primùm, quia solus Christus audiri vult & debet. Secundò, quia sit iniuria scripturæ, quasi non sufficiat. Tertiò, propter vtilitatem Ecclesiæ, vt illa assuefiat audiendis tantùm sermonibus Dei, & hac ratione, dum purum Dei verbum

verbum resideat in animis fidelium, illud verè seruetur in Ecclesia.

Sic factum fuisse legimus à Mose & à Prophetis. Etsi enim multa alia præter verbum Dei probe tenerent, ad populos tamen in concionibus nihil vnquam aliud adferebant, nisi quæ ex ore Domini accepissent, & ex eius verbo didicissent. Sic Christus, in quo erant omnes thesauri sapientiæ ac cognitionis absconditi, egit. Nihil enim docebat, nisi quæ audiuisset à Patre, & in S. literis Prophetarum continerentur. Sic iussi sunt facere Apostoli. Neque enim permisit illis Christus prædicare & docere populos quæcunque scirent, aut scire possent, sed terminos ac limites præfixit verbi Dei, quos minimè fas esset transilire: *Prædicate* (inquiens) *Euangelium, docentes seruare quæcunque præcepi vobis*: quasi dicat, nihil præterea. Sic Apostoli obtemperarunt, & sic nobis quoque faciendum esse docuerunt. Prodeat Petrus, 1. Pet. 4. *Quis loquitur* (inquit) *quasi sermones Dei*. Quantò magis igitur, qui Ecclesiæ Dei concionatur. Prodeat & Paulus. Primum præceptum quod tradit Timotheo in priore epistola, cap. 1. de bene regenda & gubernanda Ecclesia, hoc ipsum fuit, quod iam tracto argumentum: nimirum denunciaret illis, qui munus docendi in Ecclesia habebant, μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν, hoc est, neque aliud, neque aliter docerent, quàm ipsi quoque Apostoli docuissent, & adhuc docerent, purum scilicet verbum Dei, & purè, ματαιολόγους illos appellans, & eorum doctrinam ματαιολογίαν, quicunque aliter & aliud docent, quàm quod Christus docuit, & docere iussit. Et in altera epist. cap. 2. iubet Episcopum esse ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας: non solum iubet, vt nihil aliud secet populo Dei, quàm sermonem veritatis, sed etiam iubet, vt illum secet rectè, hoc est, prudenter, pure, & secet ad ædificationem.

Docent omnes ij, & alij propè infiniti similes loci, pastoribus Ecclesiarum in hoc vnum omni cura, studio, diligentia esse incumbendum, vt fidelibus in Ecclesia Christi nil nisi purum Dei verbum, idque pure & fideliter explicatum proponant, quòd hac vnica doctrina seruentur Ecclesiæ. Atque hæc est vna vera ratio retinendi in Ecclesia purum Dei verbum, nempe, si pastores in suo ministerio se contineant intra limites verbi Dei, non solum quoad ipsam doctrinam, vt scilicet nihil doceant, quod non suppeditet verbum Dei, sed etiam quoad confirmationem doctrinæ, vt scilicet necunde sumant testimonia ad probandam, quàm è fontibus scripturarum, & id quoad eius fieri potest. Hoc addo, quoniam nonnunquam vsu venit, vt cogantur Pastores, etiam pro suggestu, præter testimonia & rationes scripturarum, vti etiam testimoniis & rationibus hominum tam profanorum, quam etiam sanctorum, tam ad sua sana dogmata confirmanda, quàm ad falsa aduersariorum refutanda, idque aut propter peruicaciam hæreticorum, qui dum non acquiescunt scripturis, aliis rationibus & testimoniis conuincendi sunt, aut propter maleuolorum calumnias, quas aliis, quàm scripturarum testimoniis refellere necesse est, aut denique etiam propter nonnullorum infirmorum fratrum imbecillitatem, qui à veteri superstitione non possunt penitus auelli, & in tradita, pérque scripturas confirmata veritate firmari, nisi veterum etiam Patrum testimoniis eadem comprobetur. Tunc enim vtile fuerit Ecclesiæ, si id fecerit pastor, modò tamen prudenter & sobrie, præmissa præstatione, se hoc facere coactum, non egressurum alioqui cancellos S. Scripturæ.

Cæterùm, extra has tres necessarias caussas, quæ certè non sæpe contingunt, non est boni Pastoris & concionatoris in Ecclesia, extra limites S. literarum, per scripta Poetarum & Philosophorum, aut etiam Patrum euagari. Hoc enim est contaminare verbum Dei, & Ecclesiam assuefacere dictis hominum magis, quàm S. Scripturarum oraculis audiendis, quod quid aliud est, quàm puritatem verbi Dei, paulatim è mentibus fidelium, eoque & ex Ecclesia tollere?

Peccant igitur grauissimè cōtra pietatem verbi Dei, illi qui ostentandæ nescio cuius eruditionis gratia, è suggestis varia profanorum Philosophorum, poetarum etiam obscœnorum dicta non solùm citant, sed etiam integra recitant & explicant.

Non me latet, Apostolum Paulum nonnunquam in suis sermonibus & Epistolis, profanorum etiam poetarum dicta, quòd ad rem, quam tractabat, essent accommodata citasse, vt in Actis illud Arati, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν: vt 1. Cor. 15. illud Menandri, φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί. vt in Ep. ad Tit. c. 1. illud Epimenidis, Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί: Verùm neque nominauit poetas, neque id fecit frequenter, neque sine vtili caussa: sed breuia tantum illorum dicta, rarò, sobriè, & quasi obiter coactus adduxit, vt qui erant ex Gentibus, ipsorum quoque gentilium dictis, quasi propriis confoederentur animis. Quid igitur hoc Apostoli exemplum iuuat illos, qui citra vllam necessitatem, aut etiam vtilitatem, tantum vt ostentent nescio quam vanam eruditionem, assuefaciunt mentes fidelium audiendis multorum eruditorum hominum testimoniis? Solus Christus in Ecclesia audiendus est, si volumus puram eius doctrinam in Ecclesia conseruari.

Hanc priorem regulam docuit nos Apostolus in altera ad Timoth. epist. cap. 2. *Quæ audiuisti* (inquiens) *ex me, inter multos testes, hæc propone fidelibus hominibus*, quæ erunt ἱκανοὶ καὶ ἑτέρους διδάξαι, nempe eadem & non alia: quasi dicat, & ita nostra retineatur doctrina, quæ est verbum Dei in Ecclesia Christi. Atque hæc de officio pastorum, & de priori conseruandi in Ecclesia verbum Dei, ratione, satis.

Venio nunc ad alteram, ea est diligens gymnasiorum literariorum & Scholarum imprimis Theologicarum cura, nimirum, vt qui ad ministerium Ecclesiasticum assumendi sunt, in iis prius Christianè piéque ad officium illud instituantur. Hæc autem cura partim ad Principes ipsos & Respubl. partim ad ipsarum Scholarum Doctores, partim denique ad ipsos etiam iuuenes instituendos pertinet.

Ac quod ad Principes & Respub. pertinet: primum summa diligentia curandum est illis, vt in suis vrbibus Scholas habeant, & in iis pios, præstantes, & excellentes viros, qui iuuentutem cum bonas & liberales artes, & disciplinas, ac linguas, tum imprimis veram pietatis doctrinam, hoc est, purum Dei verbum doceant: nec non etiam in ipsa pietate, Christianisque & honestis moribus instituant. Deinde, vt hoc commodè & felicius fieri possit, debent & Doctores ipsos liberalibus stipendiis, & pauperes studiosos honesta aliqua ratione sustentare. Sic Deus docet suo exemplo, cùm prospexit Leuitis de vrbibus, de decimis, &c. Sic fecit Constantinus Imperator, &c. Certè honesta professorum stipendia, non minus nerui sunt Scholarum, quàm pecuniæ, belli.

Postremò, debent ipsi pii Principes & Magistratus, Episcopi esse suarum Scholarum, hoc est, debent aut per se, si fieri possit, aut saltem per alios subinde Scholas visitare, & inspicere, quantum & quomodo studiosi proficiant & in literis, & in vera pietatis doctrina, & curare, vt suum quisque faciat officium strenuè & diligenter. Hæc est cura, quam suscipere debent pii Principes & Magistratus de Scholis aperiendis & bene instituendis ac conseruandis. Sunt enim hæ, si bene sunt constitutæ, non solum vtiles Rebuspubl. verum etiam Ecclesiis necessariæ, quando sine ipsis neque Respub. bene habere, neque Ecclesiæ diu consistere possunt. Nam quod attinet Respub. quantum illæ valeant, & quantum sint felices sine viris doctis, & vera sapientia præditis, quorum sapientibus consiliis regantur, satis luculenter docent S. literæ, testantur Philosophi, confirmat sapientia. Ecclesiast. c. 10. *Væ tibi ô terra, cùm Rex tuus puer est.* Quid ita? quia puer imperitus est rerum, indoctus, & insipiens ac stultus. Vnde quod Hebraicè est puer נער, Germanicè est *Narr, Stultus*. Ideo nomine pueri, quiuis imperitus & stultus intelligitur. Quid autem infelicius, quàm à stultis & imperitis regi? *Homine imperito nihil vidi iniquius*, dicebat ille apud Terentium. Sed tolerabile esset, si Rex puer esset, modo consiliarij essent probi & sapientes. Sed cum etiam ij sunt insipientes, impij & improbi, quid illa terra, vrbe & regno miserius. Ideo bene subdit Salomon, dicendo: *Et principes manè comessantur*, hoc est, illi, qui deberent vigilantes esse in dandis bonis consiliis, in dicendo iure iis, qui petunt, tempus ad hoc destinatum insumunt in epulis, ebrietatibus, voluptatibus. Nam si manè inebrientur, per totum reliquum diem, nihil boni & recti poterunt præstare. Væ igitur Rebuspubl. quæ sapientibus & piis viris, quorum consilio regi possint, destituantur. Iesaiæ 3. vt singulare flagellum, quo nihil detrimentosius regnis accidere possit, minatur Deus se daturum pueros qui regnent, sublatis inde doctis & sapientibus viris. Vidit hoc & Plato sapientissimus, proinde scriptum reliquit, *Tum demum vrbem beatam fore, cùm aut Philosophi regnabunt*, (id est, viri docti & sapientes) *aut Reges philosophabuntur*, hoc est, operam dabunt studiis bonarum literarum, & veræ sapientiæ. Contra igitur, tum demum orbis & vrbes infelices sunt, cùm aut imperiti & stulti regnant, aut Reges stultescunt.

Ac profectò rem ita se habere, & veteres historiæ tam

sacræ,quàm profanæ,& nostra hæc secula docent. Quando Respubl Israelis bene habuit? Cum Reges habuit pios, doctos,in que S.literis exercitatos,vt sub Dauide,sub Salomone,sub Josaphato,Ezechia,Iosia,& aliis similibus. Verissimum igitur est quod dixi de principio, Respubl. non posse bene habere, cum destituuntur viris doctis, & verè sapientibus ac piis.At vnde ij educuntur? E Scholis.Idcirco etiam Hebræi testantur, tum demum Rempublicam Israelis felicissimè habuisse, cum in Israel frequentes essent Scholæ,atque vt illi loquuntur,cum omnes vrbes,oppida,& pagi suas haberent domos conuentuum, seu synagogas,& domos scrutiniorum seu studiorum, in quibus S.literæ diligenti studio explicarentur. Nam etiam inde boni Reges & Principes,posteaquam in S.literis fuissent benè instituti,ad Reip.gubernacula educebantur. Quantum igitur vtiles fuit Rebusp.Scholæ,satis perspicuum est. Neque enim nostri instituti est in præsentia de hac re multa verba facere.

Cæterum Ecclesiis non solum vtiles,sed planè necessariæ sunt propter religionem,atque ita necessariæ, vt sine iis Scholis,neque doctrina Euangelij pura conseruari,neq; ipsæ Ecclesiæ diu possint consistere. Quomodo enim bonam & firmam habere possis Ecclesiam, sine puro Dei verbo? Quomodo autem purum conseruari verbum queat sine Ministerio? Quomodo verò Ministerium sine Ministris, ad verbum purè administrandum idoneis? At verò quomodo tales habere possumus pastores sine Scholis? Ergo sine Scholis, è quibus euocari & educi subinde possint viri docti, sapientes & pij, alij ad Respubl.alij ad Ecclesias gubernandas,diu conseruari Ecclesia non potest:id quod exemplo non longè petito,confirmari facilè potest. Quando enim Ecclesia Romana ad tantam defecit barbariem doctrinæ,morum,religionis? Nimirum posteaquam Scholæ Theologicæ aut penitus neglectæ fuerunt, aut saltem barbaris sophistarum literis corruptæ. Sic Iulianus ille Apostata,tum maximè nocuit Ecclesiis, cùm Scholas bonarum literarum clausit Christianis.putans,hac ratione se posse illas funditus tollere. Contra videmus, tum demum in Germania primum,deinde in aliis regionibus instituras fuisse Ecclesias, quando cum bonis artibus & disciplinis, studium etiam S.literarum restitutum est, & Scholæ verè Theologicæ iterum beneficio piorum Principum & Rerumpub.apertæ fuerunt.Sunt igitur hę Scholæ in Repub. Christiana multis nominibus non tantum vtiles,sed etiam necessariæ,saltem vt in iis, & per has sincera pietatis doctrina retineri possit & conseruari.

Hac de caussa videmus non solum apud populum Dei, verum etiam apud profanas Gentes, magnam semper adhibitam fuisse curam & diligentiam in hisce Scholis aperiendis,construendis,conseruandis,& qui in iis docerēt, sapientibus & doctis viris,vbique locorum perquirendis, & amplissimis stipendiis conducendis,idque vt horum opera cum liberales artes & disciplinæ,tum maxime ipsa religionis doctrina pura conseruaretur,de quibus Gentium Scholis minime opus est multa dicere ad vos præsertim vnos doctos,& antiquarum historiarum peritos. Quis enim nesciat,quanta diligentia Scholas curarint,quantàve liberalitate, studia & studiosos promouerint Ægyptii, Chaldæi,Babylonii,Persæ,Græci, Romani? Quis ignoret in quanto pretio apud illos fuerint viri docti, literati, sapientes, atque inprimis doctrinæ de religione professores & defensores, vt Sacerdotes, Magi, Gymnosophistæ, Philosophi,Pontifices,Augures? Quis commemoret celeberrima illorum Gymnasia,Musæa,Lycæa,Stoas, Tempe, Academias: sed iis omissis,de scholis populi Dei, tam ante Christum, quàm post Christum,nobis dicendum est, vt hic pij Principes & Christianæ Respub. videant,quid circa has Scholas,sui sit officij.

In veteri Testamento videmus passim per totum Regnū Israelis fuisse ex iussu Dei institutas & apertas Scholas,in quarum aliis Leuitæ,in aliis Prophetæ docebant,legem Dei explicabant, iuuentutem instituebant, & discipulos sibi faciebant, qui postea aut in Templis, aut in Synagogis docerent,& doctrinam Dei ad posteros propagarent.Qui enim erant illi filii Prophetarum,de quibus sæpe fit mentio in libris Regum,nisi studiosi in Scholis Prophetarum educati? Atque hoc voluit Amos, cum dixit, *Non sum Propheta,nec filius Prophetæ*, hoc est,nunquam fui in Scholis Prophetarum & literatorum edoctus. Qui etiam erant Nazaræi, nisi homines ad studia, & ad bonorum morum institutionem segregati, quales olim apud nos Christianos fuerunt sancti Monachi? Hunc iuuentutis florem concidisse suo tempore deflet Ieremias, vt verè deflendum est, cùm pereunt Scholæ, & cum Scholis iuuentus.

Quid etiam caussæ fuit, cur Dominus voluerit, vt 48. vrbes cum suburbanis suis darentur Leuitis à reliquis tribubus? Hæc præcipua fuit caussa, vt passim in toto Regno Israel essent Scholæ & collegia, in quibus Leuitæ docerent, & iuuenes in lege Domini, & bonis moribus instituerent.

His autem Scholis & collegiis moderandis ac regendis præficiebantur semper viri insignes eruditione, pietate, prudentia,morum grauitate,tam ex Prophetis, quàm ex Leuitis,vt Samuel Scholę Naiothensi, quæ erat in monte sancto Ramah: vt Elias Gymnasio Hiericontino & Ramoth Gilead, in cuius locum successit postmodum eius discipulus Elisæus,atque alij aliis.

Huc etiam spectat, quòd Dominus voluit, vt Leuitæ amplissimos haberent prouentus à singulis tribubus, & decimas,& census;hac nimirum de caussa, vt cæteris liberati curis,liberius studiis literarum, & Ministerio Ecclesiastico possent vacare. Ac quod Dominus de iis Scholis per Mosen constituerat, illud ipsum pii postmodum Reges seruandum curarunt. Quid? quòd inter ipsas quoque Gentes dispersi Judæi, suas semper conati sunt retinere Scholas,quas *Synagogas* vocant,in quibus sua colerent studia,& de S.literis inter se conferrent ac dissererent? teste Jacobo in Act.15.Etsi collapsæ illæ fuerunt magna ex parte, tempore captiuitatis; certè postliminio reuersi in patriam Principes Juda, curarunt eas instaurandas, præsertim Hierosolymis,vbi primarium erat Iudaicæ Gentis studium,ad quod ex omnibus Regni & Mundi partibus,studiosi confluebant,teste Luca in Act.c.2.

De Domino verò Jesu Lucas refert, cùm ingressus fuisset synagogam, datum ei fuisse librum S.Bibliorum, tanquam Doctori, vt aliquid in eo explicaret,ipsum vero fecisse officium. Imo idem Lucas refert,Iesum cum adhuc esset annorum 12. disputasse cum Doctoribus illarum Scholarum,idque cum magna omnium admiratione.

Et quidem ipse Dominus Iesus indicauit,se vtrumque fecisse officium,& Ecclesiastici Concionatoris,& Scholastici Doctoris, cum dixit, *Ego semper docui palàm & in Templo,& in synagogis.* Erant enim illæ synagogæ,vt ante dixi, Scholæ & collegia, vbi lex Domini inter doctiores explicabatur,& de scripturis disserebatur.

In Actis quoque scriptum reliquit idem Lucas, fuisse Hierosolymis habitantes Iudæos, viros religiosos ex omni natione, eorum quæ sub cœlo est, indicat, collegia ibi fuisse studiosorum hominum, qui eò ex omnibus Mundi partibus confluerent.

Ibidē c.6.mentionem facit collegii Libertinorum,Cyrenensium,Alexandrinorum,& Cilicum, & Asianorum,qui disputabant cum Stephano. Contulerant enim eò se omnes isti studiorum gratia.

De Paulo quoque refert idem Lucas, quomodo Tharso Ciliciæ,Hierosolymam concesserit,& ibi per Gamalielem in lege Domini institutus fuerit. Quis autem fuit iste Gamaliel? Doctor legis in Academia Hierosolymitana,discipulus Simeonis illius, qui Christum in vlnas accepit. Habuit enim illa Schola Hierosolymitana multos præclarissimos Doctores,inter quos etiam fuit Hillel,qui anno ante templi euersionem 100.floruit in ea Schola.Certè Paulum post suam conuersionem legimus sæpius ingressum fuisse synagogas Iudæorum,cum illis disputasse,& euicisse,Iesum esse Christum.

Ex iis,& aliis propè infinitis similibus tam Noui, quàm Veteris Testamenti locis, facilè cuique liquere existimo, primò, fuisse semper ex Dei instituto Scholas in populo Dei,vsque ad ipsam Hierosolymæ euersionem. Deinde,etiam caussam, cur Dominus has instituerit, & tanta diligentia voluerit regi, conseruari, custodiri, grauissimisque & celeberrimis Doctoribus ornari,nempe,vt in eis horum opera,pura doctrina atque religio conseruaretur,quòd iis collapsis aut corruptis,non possit diu Ecclesia Dei conseruari.Atque hæc de Judaicis Scholis.

Venio nunc ad alias, præter Hierosolymitanam, Scholas,quæ post Christum, vbique terrarum, per Apostolos, virosque Apostolicos institutæ fuerunt, vt in eis pura Euangelij doctrina custodiretur, & inde ad posteritatem propagaretur.Habuit enim iam inde ab initio Christiana etiam Ecclesia suas Scholas,in quibus pueri prima religionis elementa discebant:& deinde libros etiam sacros explicari audiebant. Et qui hæc docebant,*Catechistæ & Doctores* vocabantur. Ac primum quidem Antiochiæ, tempore etiam Apostolorum celebrem fuisse Scholā, & sanctorum, docto-

doctorumque virorum collegium, docet Lucas in Actis, c.13. In ea, præter alios, Doctor fuit Barnabas, quem poſtea Spiritus S. iuſſit inde ad Miniſterium Apoſtolatus, Pauli comitem aſſumi: & Conſtantini etiam Magni tempore illa extabat Schola. Quo etiam ex loco diſcimus, vnde ſumendi ſint Miniſtri, nempe ex Scholis & collegiis ſanctorum virorum. Ac quoties Apoſtolus Paulus mentionem facit Catechiſtarum, & verbi catechizandi (facit autem ſæpe) Scholas indicat Chriſtianas, in quibus iuuenes catechizabantur.

In Aſia florentiſſimam inſtituit Iohannes Apoſtolus Scholam, in ipſa metropoli, Epheſo, è qua multi & magni Epiſcopi ac Martyres prodierunt, inter quos & Polycarpus fuit, & qui de hac re Polycarpi diſcipulus, Irenæus.

In Palæſtina Cæſareæ fuiſſe Scholam, docet Gregorius Neocæſarienſis, qui ibi operam dedit S literis, & inde doctiſſimus ad Epiſcopatum aſſumtus fuit.

De Alexandrina verò omnium in toto orbe celeberrima Schola quid dicam? Scribit Hieronymus, iam inde à temporibus D. Marci, qui Euangelium ſcripſit, multos & magnos in ea floruiſſe Doctores: inter hos connumerantur Patænus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Hieracles, Dionyſius, & alij inſignes viri.

De Schola Byzantina ſcripſit Gregorius Nazianzenus, & in ea inſtitutum atque eruditum fuiſſe fratrem ſuum Baſilium narrat.

Sed quid ego Scholas omnes commemorem? Circumſpiciamus & intueamur vetuſtiſſima Canonicorum collegia, & Monachorum monaſteria ſeu Cœnobia: quid de principio hæc fuerunt aliud, niſi piorum & ſtudioſorum hominum collegia, & Chriſtianæ Academiæ? Teſtantur hoc antiquiſſimæ & inſtructiſſimæ quæ in illis adhuc extant, Bibliothecę: teſtātur ampliſſimę facultates, quibus ab Imperatoribus & aliis potentibus liberaliter donabantur, pro honeſta Doctorum & ſtudioſorum ſuſtentatione. Teſtatur propriè etiam Poſidonius in vita Auguſtini c. 5. & 11. cùm ait, *D. Auguſtinum in Monaſterio cum Doctis habitaſſe, & ſecundùm Apoſtolorum regulam vixiſſe, & è ſuo collegio Epiſcopos aliquot, doctiſſimos viros, Eccleſiis dediſſe.*

Ex iis autem omnibus, quæ diximus, partim de Scholis Chriſtianis & Theologicis, in toto orbe Chriſtiano, iam inde ab initio per omnia ſecula inſtitutis, partim de cauſſis, propter quas tanta diligentia & ſtudio, tā à Moſe primum, & Prophetis, piiſque Regibus Iuda, quàm poſtea ab Apoſtolis, Chriſtianiſque Principibus inſtitutę & conſeruatæ fuerunt, facile quiuis videre poteſt, quàm ſit neceſſarium, ſi velimus & purum Dei verbum, & puras Eccleſias apud nos conſeruari, vt cumprimis Scholas habeamus optimè conſtitutas, in quibus tum linguarum cognitio, & liberales artes doceantur, tum maximè puritas Chriſtianæ doctrinæ conſeruetur.

Hanc verò curam cumprimis ad Reges & Principes Chriſtianos pertinere, tum ex iis quæ diximus, tum ex aliis, quę niſi vitioſam prolixitatem metueremus, dici à nobis, & ex Sacris literis, hiſtoriiſque Eccleſiaſticis demonſtrari poſſent, itidem perſpicuum eſſe poteſt.

Supereſt igitur, vt de altera Scholarum cura, quę nimirum ad ipſos attinet Doctores, non nihil breuiter dicamus. De omnibus autem, qui in Scholis profitentur, non eſt nobis in præſentia ſermo, ſed de Theologis tantum Doctoribus verba facimus.

Horum in ſumma, quod ad docendi prouinciam attinet, duplex eſt officium. Primum, vt ſummam Chriſtianæ doctrinæ, ex S. literarum fontibus hauſtam, methodo συνθετικῇ collectam, & in certos locos digeſtam, adoleſcentioribus breuiter & dilucidè tradant & explicent, inque ea quam diligentiſſimè illos inſtituant, quod Græci κατηχεῖν appellarunt. Hoc autem proprie eſt voce erudire, ἀπὸ τοῦ ἠχεῖν, quod eſt ſon ıta voce rudimenta religionis tradere, Latini vocant *informare*. Hoc etiam fuit officium, quod priori loco faciebant Apoſtoli, cum variis in locis Eccleſias conſtituebant. Neque enim mox rudibus populis Prophetarum libros interpretabantur, ſed illos primum catechizabant, hoc eſt, in præcipuis Chriſtianæ doctrinæ capitibus erudiebant, idque voce & coram.

Deinde erectis iam, & firmatis Eccleſiis, creatiſque earum Epiſcopis, curabant, vt ſacri etiam libri explicarentur, quorum explicatione fideles in tradita prius doctrina, magis ac magis confirmarentur.

Poſſem hoc multis demonſtrare, niſi duo ſufficerent loci, vnus Luc. I. v. 4. Alter locus clarior eſt ad Heb. cap. 6. Vbi, quamnam methodum obſeruarint Apoſtoli in tradendo Euangelio & quænam primum ceu fundamenta iecerint, antequam ad Propheticorum librorū explicationem veniretur, ſatis luculenter apparet, cùm ait Apoſtolus: *Quapropter omiſſo qui in Chriſto rudes inchoat, ad perfectionē feramur*, hoc eſt, ad vberiorem rerū Chriſtianarū, & S. literarum cognitionem. Qui verò eſt, qui in Chriſto rudes inchoat ſermo? Explicat dicendo, *Non rurſus fundamenta iacientes pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei in Deum*, & quæ conſequuntur. Ibi enim, quæ fuerit Catechiſmi forma qua rudes inſtituebant, perſpicuè indicatur. Et quidem non dubito, quin omnibus tradiderint & explicarint legem Decalogi, doctrinam de pœnitentia, *Symbolum* quod *Apoſtolicum* vocatur, & *Dominicam precationem*, antequam acciperent in manus libros Moſis & Prophetarum enucleandos.

Hanc methodū ſeruauit Dominus, cum ſummā ſuarum legum, quas poſtea fusè per Moſem explicauit, duabus tabulis, decemque præceptis, complexus eſt. Hanc eandem Chriſtus ſecutus eſt, cùm legis ſummā duobus præceptis, dilectione ſcilicet Dei & proximi: & ſummam Euangelij, prędicatione pœnitentię, & remiſſione peccatorum comprehendit, & docuit. Hanc poſtea & Patres tā Græci, quam Latini, imitati ſunt, quorum alij certos quoſdam locos diligenter pertractarunt, alij ſummam etiam omnium locorum communium cōplexi ſunt, vt Theod. ἐπιτομὴ θείων δογμάτων, Auguſtinus Enchiridio, ad Laurentium, item de fide ad Petrum.

Ergo de hac docendi methodo dubitandum non eſt, quin eadem nobis quoque ſit imitanda. Cùm verò neceſſaria ſit hæc tradendorum ante omnia locorū communiū, tanquam primorum principiorum ratio, hinc perſpicuum eſt, quod id in omnibus tradendis artibus ſolitum eſt fieri, ſiquidem nullæ artes, nullæ ve diſciplinæ rectè tradi, vtiliter ve percipi poſſunt, niſi priùs iaciantur & explicentur fundamenta, quæ prima vocantur cuiuſque artis principia. Sic Grammaticę præcepta & principia primò docentur pueri, antequam ad Ciceronis aliorumve autorum lectionem admittantur. Sic in Dialecticis, ſic Mathematicis, ſic denique in Philoſophicis & aliis ſcientiis omnibus fieri conſueuit.

Id certè eò magis in Theologia ſeruandū eſt, quo perniciosius eſt in hac errare, quàm in aliis artibus omnibus. Proinde Apoſtolus Roman. 12. vult, vt qui ſcripturas interpretantur, ad analogiam fidei interpretentur. Quęnam hęc eſt? ſumma doctrinę Chriſtianę ab Apoſtolis traditę, & ab Eccleſiis omnibus receptæ, vti eſt Symbolū Apoſtolicum, vt nullā S. ſcripturarū interpretationē aut admittamus, aut adferamus, quæ cum hac ſumma doctrinæ aliquo pugnet modo. Quam regulā ſi ſequerentur illi fratres, qui de Cœna nobiſcum digladiantur, illam quam vrgent verborum Cœnæ interpretationem, neque ipſi adferrent, neque ab aliis allatam admitterent, cùm ex diametro pugnet cum primis fidei noſtræ articulis.

Eſt autem hîc notandum, Doctoris qui locos tradit Theologicos, officium eſſe, non tradere ſimplicem doctrinam, ſed eam etiam firmiſſimis quibuſcunque poteſt rationibus & teſtimoniis confirmare: ac primo loco teſtimoniis ſcripturarum. Quare? quia non ſatis eſt Chriſtiano homini tenere fidem, & principia fidei, ſed oportet etiam, vt teſtimonia ſcripturarum, quibus videat fidem ſuam niti, & ita cum opus eſt, ſciat fidei ſuæ rationem reddere; ſicut I. Pet. 3. iubetur quiſque Chriſtianus.

Ergo Catechiſtæ ſeu Doctores, qui in primis fidei capitibus iuuenes inſtituunt, debent & doctrinā perſpicuè tradere, & eam apertis aliquot clariſque ſcripturæ teſtimoniis cōfirmare, atque hunc in modum pueros inſtituere. Atque hæc de primo Doctorum in Scholis officio, ſatis.

Alterum verò eſt, vt ſcripturas methodo ἀναλυτικῇ, iuxta analogiam fidei, diligenter & fideliter, pure & ſincerè, per ipſaſmet ſcripturas, ad ædificationem interpretentur. Hoc eſſe præcipuum illorum officium, vſque adeo perſpicuum eſt, & è S. literis demonſtrari poteſt, vt in huius probatione immorari ſine iuſta reprehenſione non poſſim. Nam quid aliud fuerunt Prophetæ, quam Moſis interpretes? Qua de re loquitur Apoſtolus, cum ait Rom. 12. *Si quis habet Prophetiam* (illam exerceat) *iuxta analogiam fidei*: & cum toties in Epiſt. ad Corinth. de Prophetis & prophetandi ratione loquitur: & cùm ait I. Theſ. 5. *Prophetiam nolite ſpernere*: qua de re, inquam, loquitur alia, quàm de hoc altero, eoque præcipuo Doctorum Eccleſiæ officio, nempe interpretandi ſcripturas? An non Chriſtus hoc exercuit, cùm venit in ſynagogam, & datus ei fuit liber Bibliorum, vt aliquid ibi interpretaretur? An non hoc idem confirmant illi duo diſcipuli, qui ibant in Emaus, cùm poſt au-

dirum Christum scripturas explicantem, dixerunt: *An non cor nostrum erat ardens in via, dum interpretaretur nobis scripturas?* Non est igitur necesse, vt probemus, hoc alterum esse Doctorum officium in Schola, sacros Bibliorum codices interpretari: sed hoc potius obseruandum est, si velimus purum Dei verbum in Ecclesia conseruari, cumprimis necessarium esse, vt Doctores tum in tradendis locis communibus, purum Dei verbum sequantur: tum in explicandis scripturis, à puro Dei verbo, nunquam deflectant. Quomodo hoc fiet? si ad scripturarum interpretationem non adferant nisi scripturas & principia fidei, id quod nihil aliud est, quàm, vt loquitur Apostolus, iuxta analogiam fidei scripturas interpretari. Quomodo enim (vt vnum adferam exemplum) interpretari meliùs & puriùs possemus verba Christi de pane, in Cœna, quæ multi eò rapiunt, vt dicant, ipsum panem verè & propriè esse corpus & carnem Christi, quia sic videntur sonare verba, quàm si ad huius loci interpretationem adferamus primum verba eiusdem Christi de calice, vt ea recitat Lucas & Apostolus: *Hic calix, Nouum est Testamentum*, &c. & illam Pauli explicationem, *Panis quem frangimus, nonne communio corporis Christi est?* Et Petri dictum Actor. 3. cum de Christo, in cœlum suo corpore euecto, verba faciens ait: *Oportere illum cœlo contineri, vsque ad tempus restitutionis omnium.* Et deinde principia fidei, corpus Christi esse vnum, illudque humanum & finitum: & illud ascendisse in cœlos, & iterum venturum esse: & denique locutiones scripturarum, cum de Sacramentis verba faciunt: vt de Circumcisione, *Hoc est fœdus meum:* De agno, *hic est pascha:* De Baptismo, *aquam illam*, vt vocat Apostolus, ad Tit. 3. c. *lauacrum esse regenerationis*, cùm tantum sit symbolum interni lauacri Sp. S. quo regeneramur: & alia similia dicta. Nã hæc adferẽda sunt ad verborũ de Cœna interpretationẽ.

His autem omnibus, duo certè ἀποδεικτικῶς euincuntur: vnum, fieri non posse, & pugnare cum analogia fidei & scripturis, vt ille panis sit verè & propriè corpus Christi: aut etiam quòd verè & propriè sit in pane. Quare Papalem interpretationem impiam esse & cum fide Catholica pugnantem. Alterum, quod ex illis locis euincitur, est, panem ita esse corpus Christi, sicut circumcisio est fœdus Dei, sicut agnus est Pascha, sicut aqua est lauacrum regenerationis, nempe sacramentaliter. Possem alia etiam adferre exempla: Sed hoc satis est in præsentia. Manifestum igitur est, ad retinendum purum Dei verbum in Schola, non solum locos communes probandos esse testimoniis scripturarum apertis, sed etiam ipsas scripturas explicandas & interpretandas esse per scripturas, & ad fidei analogiam. Nulla autem re magis corrumpi & contaminari puritatem verbi Dei, quam aut dogmata probare, aut scripturas interpretari, sine verbo Dei, testimoniis tantum & interpretationibus hominum, quicunque illi sint, siue Patres antiqui, siue nostri temporis Doctores, illorumque autoritate tanquam sacra anchora niti. Quare debet Doctor in Schola & dogmata apertis scripturarum testimoniis, & scripturas ipsas scripturis cum analogia fidei interpretari. Hanc Apostolicam interpretandi rationem si omnes sequantur Doctores, fieri certè non poterit, quin purum in Scholis Dei verbũ simus semper habituri.

Quod si postmodum libeat Doctori & dogmata iam scripturis probata, & scripturas iam scripturarum interpretationibus explicatas, Patrum etiam & aliorum testimoniis confirmare, præsertim cùm venitur ad concertationem cum aduersariis, idque vt suis ipsorum armis confodiantur, tantum abest vt dicamus id hoc non licere, vt potius si faciat, vehementer laudandos nobis esse videatur. Sic Patres in pugnis & digladiationibus, quas cum Gentibus & Philosophis habebant, soliti sunt dogmata Christiana scripturis iam probata, Gentilium etiam Philosophorum, Poetarumque testimoniis, cum poterant, confirmare, vt in eorum libris videre est, præsertim in Iustino Martyre, Clemente Alexandrino, Eusebio Cæsariensi, Lactantio, Theodoreto, Augustino de ciuitate Dei, & aliis. Id quod non ita facilè est videre in eorum sermonibus seu concionibus, quas ad populum habebant fidelem. Est enim longè diuersa ratio Pastorum in templis, & Doctorum in Scholis. Illis negotium est cum fidelibus tantum, vt eos doceant, moneant, corrigant, consolentur, ad quod sufficit verbum Dei, imo alia addere ex profanis, est, vt antea ostendi, Ecclesiæ detrimentosum, nisi cogantur, vt antea exposui. At istis negotium est etiam cum hæreticis & infidelibus, vt eorum errores refutẽt, ad quod licet scripturæ sufficiant, tamen vtile est, vt aduersarii suis etiam gladiis iugulentur. Ac licet non semper lectionibus intersint aduersarii, aut nostris nulla cum eis intercedat concertatio: tamen illorum officium postulat, vt armis etiam aduersariorum vtantur propter fideles & studiosos auditores, qui futuri sunt aut Doctores, aut Pastores, vt ij etiã sciãt, quomodo cum aduersariis pugnandum sit, imo in promptu etiam habeant illorum aduersus eos ipsos, arma. Hæc est caussa, cur Patres non ita in homiliis ad Ecclesiã, quàm in disputationibus, pugnis, & libris contra Gentes, Philosophorum & Poetarum dictis vtantur. Quia eadem res non semper, nec vbique, nec omnibus prodest. Proinde non tantum concedi, imo etiam laudari in Scholasticis Doctoribus potest, quod in Ecclesiasticis Concionatoribus omnino improbandum est. Nunc tenemus quodnam sit officium doctorum Scholasticorum, & quanam illi vti debeant ratione, si velint puram Christianæ doctrinæ veritatem in Scholis, ac proinde in ipsis etiam Templis retineri & conseruari.

Reliquum est ad extremum, vt de tertia Scholarum cura, quæ ad ipsos Scholares seu studiosos pertinet, disseramus. In hac explicanda, non est opus longa aut accurata ratione, sed vno eoque plano expeditur.

Cùm enim inter Doctores & discipulos seu studiosos mutua sit relatio, explicatis Doctorum officiis, mox & quę sint discipulorum partes, facilè dignoscitur. Ex iis igitur, quæ de duplici Doctorum officio dicta sunt, duplex etiam studiosorum esse officium, perspicua & plana consecutione colligitur.

Primum, & cui etiam imprimis danda est opera, est, vt attentè audiant, diligenter excipiant, & memoriæ mandent locorum Theologicorum, quos communes vocant, doctrinam à piis Doctoribus traditam, & apertis S. literarum testimoniis probatam & confirmatam. Nam quantum sit hæc doctrina, hac methodo tradita iis qui volunt solidè & purè scripturas intelligere, paulò ante a nobis ostensum est.

Merito autem dixi, hos locos memoriæ esse mandandos; quoniam semper debent esse in promptu, tum propter intelligentiam scripturarum, ad quam sunt ceu [illegible]: tum propter concertationes cum aduersariis doctrinæ Christianæ, contra quos ij loci sunt ceu quotidiana arma, quibus nos oportet semper esse munitos. Qua in re peccant permulti studiosi, qui attentè quidem hos audiunt, & diligenter exceptos conscribunt, sed contenti se illos habere in cista descriptos, nunquam memoriæ mãdant. Ij similes mihi videntur illis, qui cùm nihil teneant Grammaticæ vel Græcæ, vel Latinæ, quæ nihil aliud est, quam loci communes linguæ Latinæ aut Græcæ, contenti se multos habere Grammaticos in Musæo, accedunt ad lectionem vel Ciceronis, vel Demosthenis. Deinde similes sunt illis militibus, qui freti armis, quæ domi habent, ad bellum accedunt inermes. Ij, si contingat, vt pugnandum sit, coguntur aut succumbere, & perire, aut se in fugam vertere, aut hosti dicere, exspecta, dum redeam domum, & sumam gladium, & ita se turpiter dare omnibus, propterea quod ipsis satis esse videretur, eam habere in tabulis librisque.

Debent igitur studiosi locos communes, etsi non singula verba, quod non probo, & est ἀδύνατον saltem res ipsas & testimonia scripturarum quibus confirmati sunt, ediscere, & in thesaurum perpetuæ memoriæ recondere. Et certè non est perdendus thesaurus memoriæ: perditur autem, cùm non exercetur.

Quod ad scripturarũ lectionem & studiũ attinet, hoc alterũ est illorũ officiũ, vt non solũ in auditorio Doctores suos scripturã explicantes attentè audiant, & summam notent, verum etiam domi illas interpretationes cũ doctrina locorũ cõmunium, & cum aliis scripturis conferant, & an conueniant necne, videant, imitati hac in re illos Berhœenses, qui (vt Lucas refert Act. 17.) cum audiuissent Paulum concionantem, & scripturas Prophetarum de Christo interpretantem, domi consuluerunt scripturas, an ita se haberent, quæ dicebantur à Paulo. Sicut n. publicos scripturarũ interpretes audire, ipsis ad hoc est vtile, vt habeant studiorum duces, nec fiant αὐτοδίδακτοι, quod hominum genus rarò Ecclesiæ profuit: ita cum scripturis audita conferre est necesse, ne Pythagoræorum more tantum à suis Magistris pendeant, sed ipsos doctrinę fontes cognoscant, & dogmatibus suorum præceptorum fidem habere discant, non quia hominum, quos amant, vel admirantur, sunt placita, sed quia sanctarum scripturarum nituntur autoritate, & ea vel manifestè ex Dei verbo desumpta, vel bona inde consequentia deducta esse intelligunt.

Nec tamen, ad familiarem scripturarum cognitionem, quę in primis in Theologo requiritur, comparandam satis est talis collatio, sed quotidiana insuper atque attenta lectione priuatim est opus. Consulo igitur, vt nulla dies Theologiæ studiosis abeat, quin & manè aliquam horæ partem

partem priuatæ lectioni, iuxta librorum diuinorum seriem, impendant, & vesperi diuinarum operarum omnium rationes seuerissimè ipsi à sese exigant, cuius diligentiæ incredibile est, quantos breui tempore sint percepturi fructus.

Sed nunc finem dicendi faciam, vbi de duobus adhuc studiosos adolescentes monuero.

Vnum est, ne manibus, quod aiunt, illotis studium hoc, vt diuinissimum, ita maximè arduum, attrectent, sed, cum reuerentia, & necessariis instructi adminiculis ad illud accedant, si modò laude quid dignum proficere, & consequi discendo, animum induxerint. Adminicula voco artium discendi ac præcipuarum Philosophiæ partium, maximè Ethices & Physices, cognitionem mediocrem. Absque his enim non modò plurimas scripturarum sententias non intelligent, sed & multas grauissimas disputationes de prouidentia Dei, de peccato, de libero arbitrio, de lege Dei, de virtutibus, &c. non assequentur. Sine illis verò, ne quidem, quæ assecuti fuerint, commodè tradere aliis poterunt. Et notum est, Apostolum in Theologo requirere facultatem, quæ & sermonem rectè secare, atque exhortari auditores per doctrinam sanam, & contradicentes aduersarios redarguere valeat.

Alterum est, vt in toto studiorum cursu, ad rectum scopum oculos perpetuò intentos habeant. Sic enim & current alacrius, & currendo propiùs eum, magno suo & aliorum bono, contingent. Nam & Apostolus eo proposito, Timotheum suum ad alacritatem exstimulat, præclarè inquiens, *Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. ne negligito donum quod in te est, quod est tibi ad prophetandum, cum impositione manuum Presbyterij. Hæc exerce, in his esto, vt tuus profectus manifestus sit inter omnes. Attende tibi ipsi & doctrinæ, persiste in istis. Id enim si feceris, & te ipsum seruabis, & eos, qui te audient.* ô præclaros laborum nostrorum fructus, quos certè nec splendida iurisprudentia, nec sagax medicina, nec subtilis Philosophia sibi propositos habere aut præstare potest. Sola Theologia studiosis suis præstat, primum quidem vt ipsimet cælestis sapientiæ lumine illustrari, veræque pietatis studio quasi innutriri, supra mundum sapiant, & meliores sanctioresque quotidie euadant, atque ita veram illam εὐδαιμονίαν, quam neque Priamicæ calamitates, neque mors abrumpere possint, apud Deum consequantur. Deinde vero, vt docendo alios, & viam ad cœlestia ex verbo Dei fideliter monstrando, eiusdem illius atque æternæ felicitatis autores plurimis existant, quo labore neque salutarius quicquam humano generi præstari, neque nobis gloriosius esse ad omnem æternitatem potest.

Video quidem fortasse, quid præterea hic ex me audire aueant studiosi iuuenes, an ne de vlla vel Patrum, vel historiæ Ecclesiasticæ, vel commentariorum sacrorum lectione consulam. Sed cogitent tempus, quo in Academia Doctores præstantes audire conceditur, haud longum dari, doctrinam verò longam esse. Illis ergo frugaliter vtantur, dum licet. Cætera, quæ ad τὰ ἔξω Theologiæ magis pertinere videntur, minori iactura, imo maiori suo fructu aggredientur, vbi viuos magistros amplius audire non dabitur, sed ipsi docendi munus ad iuuentutem, vel ad populum sustinebunt. Si qui tamen iudicio sunt confirmatiore, & aliquos etiam ex antiquitate fructus, quasi primitias in Academia decerpere gestiunt, me autore illi præcipuos quosdam libellos sibi deligent, quorum lectio tum ad præsentes controuersias intelligẽdas, aliquid momenti habere, tum animos eorum ad monumenta vetustatis suo tempore auidius euoluenda inflammare possint. Tales esse indico *Tertulliani Apologeticum*, *Cypriani tractatum contra Demetrianum*, *Ambrosii* (alii *Prospero* tribuunt) *libellos de vocatione gentium*, *Augustini Enchiridium ad Laurentium*, *libellos de doctrina Christiana*, *& quadam posteriora Tomi septimi opuscula*, *Fulgentii librum primum ad Monimum*, *Damasceni libros de Orthodoxa fide*, *Socratis historiam Ecclesiasticam*, &c.

Sed quod dixi, finem nunc facio. Oro autem Deum æternum Patrem, Domini nostri Iesu Christi toto pectore, vt sanam verbi sui doctrinam, quam in Ecclesiis Palatinatus, pro immensa sua bonitate accendit, puram putámque seruare clementer dignetur: benedicat insuper florentissimæ huic Academiæ, cuius ciuem me factum esse meritò gaudeo, & nos omnes faciat organa misericordiæ salutaria, ad laudem gloriosi sui nominis, & ad ædificationem Ecclesiæ, per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, cui honor & gloria in secula.

D I X I.

E I V S D E M

ORATIO DE OFFICIO DOCENtium & discentium, tum in Ecclesiis, tum in Scholis, habita Argentinæ, cùm interpretationem Prophetæ Iesaiæ auspicaretur.

TRIPLEX est officium eorum, qui in Ecclesia Christi, tam in Scholis, quàm in templis docent: primum, nihil vt de religione doceant, nisi purum Dei verbum. Deinde, vt illud interpretentur sincerè atque fideliter. Postremum, vt vtrumque faciant παῤῥησιαστικῶς atque fortiter, hoc est, absque vllo hominum respectu, aut timore.

Hæc omnia ita esse, abundè docent S. literæ, Exo. 20. 21. quando Deus constituit Mosen populi sui ductorem, quid ei docendum tradidit? verbum suum, legémque suam, subinde repetens: *Hac autem iura eis propones.* Ies. 8. docet, reiiciendos esse omnes Magistros & Doctores, qui non verbum Dei, sed sua somnia docent; reuocat verò nos ad legem, verbumque Dei, dicens: *Quòd si dixerint vobis, sciscitamini à Pythonicis & diuinis, qui mussitant & demurmurant: annon populus Deum suum consulet? pro viuis, ad mortuos? ad legem & testimonium*: i. ad legem recurrendum est, quæ est testimonium verum voluntatis Dei. Hinc duo habemus, primum, quod Deus solus vult nobis esse magister, alterum, quòd is nullibi loquitur nobis, nisi in lege & S. Scriptura, & propterea ad illam nos remittit solam, quippe quæ sit verum plenumque Dei testimonium. Ier. 1. *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Nil igitur volebat Dominus Ieremiã, populum & Gentes docere, nisi verbum Dei. Marc. 16. *Euntes in vniuersum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Mat. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes.* Quid? *seruare quæcũque mandaui vobis.* Rom. 1. *Paulus segregatus*, ad quid? *ad Euangelium Dei.* 1. Cor. 1. *Non misit me Deus ad baptizandum, sed ad Euangelizandum.* Item, *Væ mihi, si non Euãgelizem.* 2. Tim. 4 *prædica verbum*, nempe Dei, Gal. 1. *Si quis Euangelium aliud, præterquam quod prædicatum est vobis, annunciet, anathema sit.* Hæc apertissimè docent, officium Doctorũ in Ecclesia Christi esse docere purum Dei verbũ.

Hanc doctrinam confirmant exempla cùm Patriarcharum & Prophetarum, tum Christi Seruatoris nostri, & Apostolorum. Quid illi in Ecclesia Dei docuerunt? verbum Dei solum, præterea nihil, quatenus scilicet ad salutem necessarium videbatur. Adamus docuit filios suos, quæ ipse edoctus fuerat à Deo optimo, & suo conditore. Seth, Enos, & reliqui deinceps, vsque ad diluuium, idem verbum Dei, quod ab Adamo audierant, docuerunt filios suos, & filij, nepotes, & pronepotes. A diluuio vsque ad Mosen, Noe, Sem, Abraham, Isaac, & alij Patriarchæ, quid docuerunt filios suos? verbum Dei idem, quod ipsi didicerant à maioribus suis Gen. 18. Dominus de Abrahamo ipso testatur hoc, dicens: *Num celabo Abrahamum, quæ ego facturus sum, cùm Abrahamus omnino futurus sit in Gentem magnam?* Deinde addit Dominus: *Hoc quoque scio, quòd mandaturus sit filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, faciantque iustitiam.* Moses verò non tantum nihil docuit in Ecclesia Dei sibi concredita, quàm purum Dei verbũ: sed ipsum etiam literis mandauit, vt illud semper in Ecclesia extaret, vnde posteri omnes, quæ sit Dei voluntas, facilè agnoscerent. Nec verò aliud Prophetę docuerunt populos, quàm verbum Dei, quod vel legerant in libris Mosis, vel audierant ab ipso Domino Deo. Hinc voces illæ: *Factũ est verbum Dei ad me. Hæc dicit Dominus.* Luc. 1. *Factum est verbum Domini ad Iohannem Zachariæ filium in deserto.* Christus ipse quid attulit? verbum, quod audiuit à Patre Deo. Ioh. 12. *Non loquor à me ipso, sed quæ audiui à Patre, hæc loquor in Mundo.* Et verbum quod Christus docebat, idem erat cum illo, quod Moses & prophetæ docuerant. Proinde subinde remittit Iudæos ad Mosen & Prophetas: *Scrutamini scripturas*, inquiebat, *quia illæ testimonium perhibent de me.* Apostoli quid docent? verbum Dei, quod à Christo perceperant. Act. 4. *Quæ audiuimus & vidimus, non possumus non loqui.* 1. Ioh. 1. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus, quod manus nostræ contrectarunt de verbo vitæ, hoc annunciamus vobis.* Apostolorum discipuli, Lucas, Marcus, Timotheus, Titus, & cæteri ferè omnes,

nihil aliud cogitarint, quàm in Ecclesia Christi, in quibus erant constituti, aut doctores, aut pastores, verbum Dei docere, præterea nihil.

Huc collimarunt denique omnes, tam veteres, quàm recentiores, sancti ac boni Doctores, tametsi horum permulti nonnunquam, quæ est omnium hominum temeritas, à verbo Dei discedentes, multa ex suis ipsorum inuentis atque somniis, in Ecclesia Dei, maximo cum detrimento Ecclesiæ, reliquerunt.

Quis ex his tum S. Scripturarum autoritatibus, tum S. Patrum exemplis, non aperte perspiciat, nihil aliud spectandum esse Doctori Christiano, quàm vt ipsum solum Dei verbum doceat in Scholis atque Ecclesiis Christi.

Et certe, si spectemus finem, propter quem mittuntur à Deo doctores & Prophetę in Ecclesiam, manifestissimum nobis erit, quodnam sit Doctoris Christiani officium. Quorsum Prophetæ, Apostoli, doctores omnes in Ecclesiam Dei missi sunt & mittuntur? Duplex est finis. Primus est, vt sint testes Dei, qui testificentur Mundo, quòd Deus sit in Ecclesia præsens, atque significent, quæ sit eius voluntas, quæ præcepta, quæ iudicia. Huc faciunt istæ sententiæ Iohan. 1. *Fuit homo à Deo missus, cui nomen erat Iohannes. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.* Act. 1. *Vos eritis mihi testes in Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimos terræ fines.* Ioh. 18. *Ad hoc natus sum, vt testimonium perhibeam veritati.* Hic finis concernit etiam reprobatos, quibus Deus vult patefieri suam ipsius voluntatem, suam legem, sua iudicia, vt hac ratione, licet omnino non sint reuersuri ad Dominum, nec facturi voluntatem Dei, tamen reddantur inexcusabiles, atque ita ex ipsorum postea condemnatione, illustrior fiat eius iustitia & iudicia. Ioh. 15. v. 22. *Si non venissem & locutus eis non fuissem peccatum non haberent. Nunc autem excusationem de peccato non habent.*

En igitur finem vnum, propter quem mittuntur Prophetæ, nempe, vt testificentur mundo, qualis sit Deus, quę eius voluntas, qui cultus, quæ iudicia. Atqui Deus ipse qualis sit, & quæ eius voluntas, non patefit, nisi in puro verbo. Ergo officium, ad quod absoluendum mittuntur Prophetæ, & ministri omnes, est prædicatio puri verbi, qua prædicatione ipsi reprobi reddantur inexcusabiles.

Secundum finis est salus electorum, hoc est ædificatio & conseruatio Ecclesiæ Christi. Hic vsque adeo est proprius finis missionis Prophetarum & Doctorum, vt sit etiam finis, propter quem conditus sit mundus, missa lex, missus Christus, missi Apostoli, missus Spiritus S. nedum ipsi Doctores. Hunc esse finem potissimum, propter quem mittantur Doctores in Ecclesiam Dei, Apostolus apertissimè docet, Eph 4. *Et ipse* (nempe Christus) *dedit quosdam quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores & Doctores.* Quorsum? πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων, ad instaurationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi. Legantur reliqua.

Ecce quorsum Apostolos, Prophetas, Pastores & Doctores in Ecclesia mittat Deus, nempe, vt per illorum ministerium Sancti electi, qui subinde labascunt, & labuntur, reficiantur, instaurentur, atque ita extruatur & ædificetur indies corpus Christi mysticum, donec perueniamus omnes ad vnitatem fidei, & crescamus in virum perfectum.

Atqui Ecclesia sicut ędificata est verbo, supra fundamentum Prophetarum & Apostolorum, Iesum Christum: ita etiam conseruatur & augetur eodem verbo, quo verbo ablato ab Ecclesia, aut sepulto, omnino Ecclesia corruit, perit, euertitur, quemadmodum nos omnes, ne longe petamus testimonia, nostro hoc seculo experti sumus. Ergo quorus quisque nostrum est, qui non videat, Doctoris Christiani officium esse, vt posthabita doctrina hominum, sanctum Dei verbum in Ecclesia doceat? Possem hoc confirmare multis etiam Patrum tam Græcorum, quam Latinorum testimoniis, sed in re aperta immorandum non est. Quare hoc esto extra controuersiam, primum officium doctoris in Ecclesia & Schola esse, docere purum Dei verbum.

Neque tantum debet Christianus Doctor contentus esse verbo Dei, sed etiam debet illud interpretari sincerè & fideliter. Quid est sincerè & fideliter? hoc est absque fermento interpretationum humanarum, & prudentiæ carnis, sed iuxta ipsas scripturas, ita vt scripturas scripturis interpretetur. Hoc vt meliùs intelligatur, afferam vnum aut alterum exemplum. Omnes scripturæ loci aut sunt aperti, aut obscuri: si sit apertus, tunc sincere interpretamur. Exemplum. Christus ait, & subinde inculcat, *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Hoc verbum Dei est perspicuum, non semel atque iterum prolatum à Christo, sed centies inculcatum ab ipso & Apostolis: Ergo tunc sincerè interpretamur hoc verbum, quando dicimus hominem sola fide, absque operibus legis, iustificari & saluari: quia hoc verbum per sese apertum & clarum est. Contrà, illi corrumpunt hoc verbum, qui ad nostram iustificationem contendunt non sufficere fidem veram in Christum, sed opera etiam legis esse necessaria. Sic corrumpebant & euertebant hoc verbum, imò totum Euangelium Christi, illi Pseudoapostoli, qui Galatis persuaserant, non sufficere fidem sed opera etiam legis necessaria esse ad salutem. De quib. Gal. 1. ait, quòd conturbent ipsos, & velint καταστρέψαι, hoc est, euertere Euangelium Christi.

Quod si aliquando contingat locus aliquis obscurus, tunc sincerè interpretabimur, quando ita interpretabimur, vt interpretatio nostra non repugnet aliis apertis scripturæ locis, id fit, quando ad locos scripturæ obscuros interpretandos adferimus non ingenium prudentiæ carnis nostræ, sed alias scripturas apertas. Sic enim fit, vt idem Spiritus, qui totam scripturam reuelauit, conformis & constans sibi ipsi semper appareat. Verbi gratia: Locus ille, per fidem solam iustificari hominem, apertus est, vt ostendimus. Si igitur occurrat locus, qui videatur primo aspectu concludere, iustificari hominem etiam operibus, vti est locus Iacobi 2. tunc illum locum ita interpretari debemus, vt non pugnet cum priore aperto, de iustificatione per solam fidem. Non pugnat autem, si ita interpretemur, Abrahamum sola quidem fide iustificatum fuisse, vt concludit Paulus & Moses, verum fide non mortua, sed operante per dilectionem vt concludit Iacobus, quibus operibus iustus ipsis etiam hominibus agnitus & declaratus est. Quando ergo interpretamur scripturas, secundùm ipsas scripturas, tunc interpretamur, & docemus verbum Dei sincerè. Petrus hoc docet, cum ait 2. epist. c. 1. *omnem Propheticam scripturam, propriæ interpretationis non esse, sed Spiritu S. inspiratos locutos fuisse sanctos Dei homines:* q.d. Ergo debent etiam illorum Prophetiæ exponi, non proprio nostro spiritu & iudicio, sed illo eodem spiritu, quo fuerunt scriptę. Quomodo hoc fit? si ad intelligendas illas scripturas afferamus non nostrum ingenium, sed alias ipsorum Prophetarum scripturas. Ergo officium Doctoris Christiani est, docere verbum Dei, & illud sincerè, fideliterque interpretari.

Postremò addidi *liberè & fortiter* hoc est, παῤῥησιαστικῶς, absque vllo hominum respectu atque metu. Hoc præcipit Christus multis in locis, additis etiam rationibus multis, quibus demonstrat, ita verbum Domini esse docendum & prędicandum. Matth. 10. *Quod auditis in aurem, prædicate in tectis: & quod dico vobis in tenebris, dicite in luce.*

At hic suboriuntur quædam tentationes, quæ sæpius retinent atque impediunt Doctores verbi, ne liberè profiteantur, quod iuxta verbum Domini sentiūt ac probè cognoscunt.

Prima tentatio pertinet ad existimationem, & ea est, qua metuunt, ne cùm prædicant apertum Dei verbum, ab his, qui id non percipiūt, accusentur hæreseos, & nouę, portentosæ, perniciosæque doctrinæ. Huic tentationi Christus occurrit, dicens: *Si vos domesticos, sicut & patrem familias appellauerint Beelzebub, ne metuatis* (scilicet hanc infamiam) Quare? *Nihil enim est tectum, quod non sit retegendum: nihil occultum, quin futurum sit, vt sciatur* q.d. Fiet tandem manifestum, nos non esse Beelzebub, sed filios Dei.

Secunda tentatio concernit vitam hanc: ea est, qua verbi Pastores atque Doctores, metuere solent, ne si liberè dicant verbum Dei, à tyrannis occidantur. Huic tentationi resistendum esse, docet Christus, cum ait, *Nolite timere ab iis, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: Timete eum, qui potest vtrumque mittere in Gehennam*: imo nihil aduersi nobis contingere poterit ab hominibus, si nolit Pater vester, absque cuius voluntate, ne passerculus quidem cadit in terram. Quare neque timenda est mors ab hominibus. Idem argumentum confirmat dicens: *Nonne duo passerculi minuto asse veneunt, & vnus ex illis non cadit in terram, sine Patre vestro? vestri verò etiam capilli omnes numerati sunt. Ergo ne metuatis: vos pluris estis quàm passerculi multi.* Postremo, adhibet promissionem, si liberè profiteamur se, & suum verbum doceamus ac prædicemus: sin secus, addit minas, & hoc, quando ait: *Omnis igitur, qui me confitetur coram hominibus, confitebor ego eum coram Patre meo cælesti,* &c. Nihil optabilius, quam

cotam

coram Patre cælesti agnosci & commendari à filio. Ergo vicissim debemus illum agnoscere & prædicare coram hominibus, verbumque eius liberè docere, vtut aliter carni faciendum esse videatur. Liberè igitur docendum est verbum Dei. Ti.2. *Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio*, i. liberè, absque omni timore. Hanc παρρησίαν docent nos exempla Prophetarum, Christi, & Apostolorum, qui omnes maxima cum παρρησίᾳ prædicarunt verbum Dei, neque illos amouere quispiam potuit à verbo liberè prædicando, non metus infamiæ, non timor mortis, non inopia, non persecutiones, non gladius, non ignes, non cruces, nullum denique supplicij aut tormenti genus. Manifesta sunt exempla Prophetarum, Christi, & Apostolorum, vt longa narratione non sit opus. Illud tantum diligenter obseruandum esse duco, quod de Michea Propheta legimus 3. Reg.22. Consulti Prophetæ circiter 400. ab Achabo, eundum ne sit cum exercitu in Rhamotha Galeaditarum, nec ne, omnes vno ore in Regis gratiam, læta Regi annuntiant, eundum esse: ea enim ipsum vrbe potiturũ. Accersitur etiam Micheas Propheta Dei, vt suam dicat sententiam. Interìm dum venit Propheta, hortatur eum nuntius, vt, quoniam cæteri Prophetæ vno ore prædixerunt Regi fausta, ipse quoque illorum exemplo, fausta prędicat. Quid Micheas? *Testor*, inquit, *Deum, quod mihi mandatum fuerit à Domino, id me demum esse dicturum*: quasi dicat, non in gratiam hominum loquendum esse, sed quod iubet Dominus, vt loquamur in verbo suo, tametsi illud fortè non arrideat Regi, neque etiam placeat prudentiæ nostræ, nihil refert. Neque enim prædicari & doceri vult Deus verbum suum, duntaxat propter salutem electorum, sed etiam cum primis propter gloriam suam, quæ etiam illustris redditur ex perditione reproborum, vt Apostolus Rom.9. docet: & Prouerb.16. *Omnia propter semetipsum creauit Dominus, etiam impium, ad diem malum.* Cùm igitur etiam impiorum perditio seruiat gloriæ Dei, omnia sapientissime ordinantis, prædicandum est liberè verbum Dei, etiamsi inde reprobi occasionem arripiant, quæ est sua ipsorum malitia, impingendi, prolabendique in maiora scelera, & denique in æternam mortem. Hæc est natura verbi & Christi, vt aliis sit ad salutem, aliis ad interitum. Christus est lapis angularis electis: est etiam petra scandali reprobis. *Positus est in resurrectionem multorum*, id est, electorum: *est etiam positus in ruinam aliorum*, id est, reproborum. *Verbum Euangelij odor vitæ, ad vitam electis, qui salui fiunt: est etiam odor mortis ad mortem reprobis*, id est, iis qui pereunt. *Christus*, Ioh 9. *Venit in mundum, vt non videntes, videant: Venit etiam, vt videntes, cæci fiant.* Non est igitur metuenda vel propriæ existimationis, aut facultatum iactura, vel minæ hominum, vel huiusce corporis mors, vel denique reproborum perditio, quin verbum Dei sincerè & liberè prædicemus & doceamus.

Quare manifestum ex iis est, quod sit officium verorum Ecclesiæ doctorum: nimirum, 1. docere verbum Dei solum: ergo non doctrinas & placita hominum. 2. interpretari illud sincerè & fideliter: ergo non corrumpendum interpretationibus prudentiæ nostræ. 3. liberè: ergo non in gratiam hominum: neque timendus mundus, vel aliquorum perditio, nempe impiorum ac reproborum, quibus omnia vertuntur in exitium, ob suam corruptam naturam. E diuerso manifestum fit, quodnam sit studium Pseudoprophetarum, & falsorum Doctorum in Ecclesia Christi. 1. docere doctrinas hominum, non verbum Dei. 2. Si tamen verbum Dei aliquando prædicent, illud deprauare falsis interpretationibus sumtis à prudentia carnis. 3. etiamsi aliquando non corrumpant: tamen prædicare in gratiam hominum, illa tantùm docendo, quæ humanæ prudentiæ aut arrideant, aut non ita displiceant.

Quæ cùm ità sint: ergo etiam mea interest, primùm, solum Dei verbum in hac Schola interpretari. Quare minimè à me debetis exspectare doctrinas hominum, neque Philosophorum, neque Oratorum, neque verò etiam Doctorum Ecclesiasticorum, seu antiquorum, seu recentium, nisi quatenus & ipsi adferunt verbum Dei. Deinde, officiũ meum postulat, vt hoc verbum interpreter sincerè atque fideliter, iuxta ipsum Dei verbum & mentem Spiritus S. Nemo igitur mirari debet, si videat, me non semper aliorum sequi interpretationes, & à nullo, quantumuis magno viro in explicandis scripturis prorsus pendere, præsertim si me ab illo dissentire, ipsæ scripturæ aliquando coegerint. Etenim in nullius hominis verba iuraui, aut iurare Christianum decet: ita vt ab illis dissentire nunquam liceat in explicandis scripturis. Quid enim hoc esset, nisi eodem homines, & hominum verba, honore dignari, quo Deum, & solum eius verbum afficere debemus? Deus solus talis est, vt in eius verba iurare omnino debeamus: & solæ S. Scripturæ huiuscemodi sunt, hoc est, tam veræ, firmæ atque certæ, vt ab eis ne latum quidem vnguem declinare fas sit. Si ergo præter canonicas scripturas, libros quoque & interpretationes omnes S. Patrum, ita nobis sequendas sumimus, vt ab eis nunquam liceat dissentire: an non in pari & æquo autoritatis gradu locabimus & Patrum libros, & Spiritus S. scripturas? Hoc autem quàm impium sit, nemo non videt. Deinde, magna fieret iniuria liberalitati Spiritus S. inexhausti Idem enim Spiritus S. qui aperuit mentes Patribus ad intelligendos multos scripturarum locos, potest etiam nos tanto intelligentiæ lumine donare, & subinde donat, vt multos S. scripturarum locos intelligamus, quos illi non intellexerunt. Neque enim omnia omnibus reuelauit. Ergo si velimus Patres per omnia sequi: quid hoc fuerit, nisi præcludere viam donis Spiritus sancti? Aliter certè iubet Apostolus, qui 1. Cor.14. vult, vt quisque, prout ei donatum fuerit, à Spiritu S. suam liberè dicat sententiã, deinde iudicium sit penes Ecclesiam: *Prophetæ*, inquit, *duo aut tres loquantur: cæteri diiudicent. Porrò si alij reuelatum fuerit, prior taceat.* Ergo si reuelatum fuerit Augustino, quod non Hieronymo: taceat Hieronymus, loquatur Augustinus. Contra, si quid Hieronymo, quod non Augustino, taceat Augustinus, & loquatur Hieronymus. Ita de nostris. Si quid reuelatum sit Luthero quod non Zvvinglio: taceat Zvvinglius, loquatur Lutherus: Et contrà, si quid Zvvinglio, quod non Luthero, taceat iste, loquatur ille. Ita de reliquis. Sed iudicium sit semper penes Ecclesiam: *Cæteri*, inquit, *diiudicent.* Quid? quòd non solum Spiritui S. sed etiam ipsis Doctoribus, quos imitandos suscepimus, maxima fit iniuria, cùm ita ab illis pendemus, vt ab eis aliquando dissentire, religio nobis sit. Nam ipsi scriptum reliquerunt, non sequendos esse, nisi verbum Dei. Sic Augustinus. Apertè enim dicit: *se nolle suos libros admitti, nisi quatenus conformes sunt diuinis scripturis* Sic omnes verè pij doctores fatentur, & ita faciendum docent. Inde cùm multi ex nostratibus à nonnullis arguerentur, quòd in interpretandis scripturis discreparent a Patribus, responderunt: non esse per omnia sequendos Patres, quippe qui cùm homines essent, in multis hallucinati fuerint: donum interpretandi scripturas, perinde nunc multis donari a Spiritu S. atque Patribus donatum fuerit. Sic illi, & optime quidem respõderunt. Si ergo nos proponamus nobis vel Patres, vel nostros in omnibus ita sequendos, vt ab eis dissentire nunquam liceat: quid effecerimus? contra id profectò quod ipsi nobis optime consuluerunt, & scriptum reliquerunt, nempe nullo modo pendendum esse ab hominibus, quantumuis sanctissimis atque doctissimis, sed a solo Dei verbo: Atque ita fieret, vt dum vellemus eorum doctrinam in omnibus tueri, eam euerteremus. Contra hoc sapientissimũ consilium facere, est sectis fenestram aperire. Hinc enim sectæ in Ecclesia oriuntur, cùm scilicet homines plus æquo admiramur, & in illorum verba iuramus. Ita enim fit, vt paulatim neglecto vnico præceptore Christo, quisq; suum sibi ex hominibus deligat magistrum, quem in omnibus sequi, in animum suum inducat: ac quot fuerint præceptores, tot orientur sectæ. Hoc iam inceperat Corinthi, tempore Pauli, ideo arguit illos Apostolus, quòd hac ratione iam in sectas diuiderentur, dum alius dicebat, *Ego sum Pauli: Ego sum Cephæ: Ego sum Apollo.* Hinc etiam sectæ ortæ sunt multæ in Ecclesia Romana, inter Monachos, dum alius sibi proposuit imitandum Thomam, alius Scotum, alius alium, ita vt ab eis dissentire nefas fuerit. Quare non erubuerunt vocare se alij Thomistas, alij Scotistas, alij Occamistas. Vereor ne (Satana ita operante, & Deo permittente, propter nostram ingratitudinem in Christũ, & propterea in eius Euangelium) huiuscemodi sectæ in Ecclesia iterum oriantur, dum alius gaudet appellari *Zvvinglianus*, alius *Lutheranus*, alius *Caluinianus*, alius alio cognomine. Doctissimi omnes isti suspiciendi, amandi, viperte de Ecclesia Christi optime meriti: legendi etiam sunt diligenter horum libri, & quidem etiàm multorum Patrum voluminibus præferendi, quippe qui sacras literas maiori dexteritate, iuxta mentem Spiritus S quàm Patres, multis in locis, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ interpretati sunt, & Christianam doctrinã è tenebris erutam, mirabili perspicuitate illustrarunt, mira breuitate complexi sunt, pulcherrima etiam methodo explicarunt. Cæterum licet tanti viri, magni sint faciendi, propter singularia Dei dona, quibus ornati fuerunt & sunt: quia tamen non Deus, sed homines fuerunt & sunt, ac proinde errare potuerunt, sicut & Patres: idcirco non sunt aut ipsi, aut ipsorum libri, ceu regula fidei nobis proponendi,

vt non liceat ipsis, cum opus est, contradicere. Solus autor S. scripturarum est Deus. Ergo ille solus errare non potest. Quamobrem dicamus, vt ille, *Amicus Socrates, amicus Plato, magis amica veritas.* Imo nihil gratius possumus facere ipsis Doctoribus etiam, si videant nos ita affectos, vt nihil velimus in religione, & scripturis interpretandis admittere, nisi quod habeat testimonium apertum in S. literis. Discamus à Paulo, qui noluit pendere neque ab omnibus aliis simul Apostolis, sed arguit Petrum liberè. Quare? quia habebat apertum Dei verbum, contra illud, quod agebat Petrus.

Hæc idcirco pluribus explicaui, vt ostenderem vobis, quàm indecorum doctori Christiano, & quàm detrimentosum Ecclesiæ Dei sit, ita pendere ab hominibus, vt ab eis non liceat vnquam discedere. Quare, videtis, iustissimas mihi caussas esse, cur non debeam semper aliorum interpretationes sequi, sed quas perspicuum fuerit esse ipsissimum verbum Dei, & mentem Spiritus sancti: id quod est interpretari scripturas sincerè atque fideliter.

Postremò, mea interest, hoc idem verbum docere liberè, id est in nullius gratiam, & absque vllius metu. Obsecro Deum Patrem, vt illam παῤῥησίαν, quam Apostolis largitus est, mihi quoque cōcedat, & nunc & semper. Quorsum? ad patefaciendum magis ac magis ipsius gloriam in verbo suo, & promouendam salutem electorum. Ergo nullus mihi succensere debebit, si liberè pronuntiabo, quòd liquido cognouero esse apertum Dei verbum.

Hæc de officio meo, & eorum etiam omnium, qui in Ecclesia Christiana docent, dicta sunto.

DE OFFICIO AVDITORVM.

Auditorum Christianorum officium est, audire verbum Domini, à quocunque prædicetur & doceatur: idque sollicitè, attentè, & cum timore Dei. Hæc omnia nunc singulatim explicabo & demonstrabo.

Ac primum quidem officium nostrum esse, vt audiamus verbum Domini, nemo est qui dubitet, cùm Dominus vbique id nobis mandet. Libri Mosis huiuscemodi præceptis pleni sunt. Vbique enim inculcat Dominus suam legem, & iubet nos eam audire. Prophetæ ad rauim vsque clamant, *Audite. Audite verbum Domini:* quin vel ipsa elementa, ipsosque cœlos compellant ad audiendum verbum Dei: clamat Iesaias, dicens: *Audite cœli, & auribus percipe terra, quia Dominus locutus est.* Cap. 49. *Audite insulæ, & attendite populi de longè.* Sed ne omnia loca, quibus iubemur audire verbum Dei, recenseam, vnum illud, quod est Mat. 17. Pater cælestis præcipit de cælo, vt Christum Filium suum audiamus omnibus nobis loquentem, dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, hunc audite.* Atqui hic Christus, idem ille Deus est, qui locutus fuit in Mose, & in Prophetis, & in Apostolis. Vnde Paulus, *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur, Christi?* Ergo hæc Patris vox de cœlo, iubet vt totum Dei verbum audiamus, id est ipsum Christum loquentem tam in Mose & Prophetis, quam in persona sua & Apostolis. Quanta verò minetur eis, qui negligunt verbum Dei, nemo est, qui nesciat. De Prophetis ait Deut. 18. *Se animaduersurum in illos, qui non audierint, & obtemperauerint Prophetis.* De Christo Heb. 2. & 3. *Si enim, qui per Angelos habitus est sermo, fuit ratus, & omnis transgressio & inobedientia accepit iustam retributionem, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Videte, ne contemnatis loquentem. Et hodie, si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* De Apostolis, Mat. 10. *Quòd si quis non susceperit vos, nec audit sermones vestros, exeuntes de domo illa, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris. Amen dico vobis, remissius erit terræ Sodomaeorum & Gomorrhaeorum in die iudicij, quàm ciuitati illi.* Ponderanda sunt diligenter verba ista Christi: & verbis apertis, & signo addito perspicuo, ostendit magnitudinem & delicti, & pœnæ, manentis illos, qui respuunt verbū Dei. Verba sunt aperta, *Remissius erit terræ Sodomaeorum*, & vt ostendat, verissima esse, addit iusiurandum, dicens, *Amen.* Signum etiam adhibet, quod est excussio pulueris de pedibus Apostolorum, dicens, *Excutite puluerem*, q. d. Hoc actu significate illis, qui respuunt, nec audire volunt verbum Euangelij, tantam esse magnitudinem peccati illorum, & tantam esse pœnam, quæ eos maneat, & quam breui sensuri sint, vt non sustineatis habere communicationem cum illis, ne pulueris quidem, qui pedibus vestris adhæserat. Sic Luc. 10. *Dicite, eum puluerem, qui adhæsit nobis de ciuitate vestra, extergimus in vos.* Actor. 13. hoc præstitit Paulus.

Contradicentibus Iudæis Antiochiæ, Pisidiæ, verbis Pauli, & eum audire nolentibus, ipse simul cum Barnaba, excusso puluere pedum, ab eis discessit. Idem Act. 18. Corinthi cum esset, ac Christum illis prædicaret, contradicentibus Iudæis, atque eum audire non sustinentibus, Paulus maximum exitium eis denuntians, scidit vestimenta sua, & ait, *sanguis vester in caput vestrum:* mundus ego ex hoc ad Gētes vadam. Matth. 11. *Væ tibi Chorazim, væ tibi Bethsaida,* &c. Nihil est, quod magis iram Dei concitet, aduersus nos, quàm vbi verbum Dei, nobis annunciatum, non audimus, sed negligimus atque reiicimus. Quid enim est hoc, nisi Deum ipsum negligere & reiicere? Id Christus ostendit in Euangelio, dicens: *Qui vos recipit, me recipit: qui me recipit, eum recipit, qui misit me.* Ita contrà, reiecto vero Deo, quid boni sperare possumus? Hinc deinde pestis, quæ charos nostros à nobis aufert. Hinc crudelia bella: hinc agrorum sterilitates: hinc omnia mala. Legatur Ies. 5. cap. Econtrà verò beatos pronuntiat Dominus, qui verbum Dei audiunt, eisque omnia bona pollicetur Luc. 11. *Beati (inquit) qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Psalm. 1. *Beatus vir, qui in lege Domini meditatur, de ea dies & noctes cogitans. Hic erit tanquam arbor, quæ ad aquarum riuum sata, fructum suum fert tempore suo, foliis nunquam cadentibus, denique omnia faciet prosperè. Impij verò,* (qui verbum Dei respuunt) *similes sunt paleæ, quam ventus agitat.* Et certè, qui non delectantur verbo Dei, atque in eo non acquiescunt, à mille ventorum generibus agitentur necesse est. Quod ad mentem attinet, circumferentur omni vento doctrinæ, variis erroribus atque hæresibus, vt ait Apostolus. Quod ad cor attinet, vbi sedes est affectuum, omni concupiscentiarum genere agitantur, vt etiam Iesaias testatur alia similitudine, dicens: *Cor impij sicut mare æstuans:* & inre. Solum enim Dei verbum fide perceptum, illud est, quo pacificantur corda, & conscientiæ nostræ. Huc accedit, qui in varia scelera eos impellit Satan, Deus verò variis pœnarum generibus exagitat. En quomodo etiam in hoc seculo impios, qui non delectantur verbo Dei, à vento veluti paleas exagitari pronuntiat Propheta! Proinde, qui vitam beatam viuere cupit, non solùm in altero, sed etiam in hoc seculo, is audiat verbum Dei, eo delectetur, in illo meditetur dies & noctes, necesse est. Atque hoc dico esse cuiusque Christiani officium.

Adieci deinde, *à quocunque illud afferatur.* Neque enim spectandæ sunt personæ, quæ docent, sed verbum ipsum quod docetur. Christus hoc docet Matth. 23. *In Cathedra Mosis sedent Scribæ & Pharisæi, quæ dicunt facite*, nempe quatenus è cathedra loquuntur, id est, docent legem Mosis & verbum Dei. Hoc propterea addidi, quia permulti sunt qui verbum audire negligunt, nisi illi, qui docent verbum, sint aut sanctissimi, aut eloquentissimi viri. Hæc non sunt inprimis spectanda, sed videndum est, an adferant purum Dei verbum, nec ne. Si non adferant puram doctrinam, etiamsi fuerint non sanctissimi modò, sed Angeli de cœlo, non solum non sunt nobis audiendi, sed anathema esse debent, vt Apostolus pronunciat Gal. 1. Si verò adferant purum Dei verbum, quicunque illi sint, audiantur, modò certò nobis constet, afferri ab eis purum verbum Dei: Ergo audiendum est verbum Dei, à quocunque afferatur.

Addidi præterea *studiosè*, hoc est, ita vt omnia alia posthabeantur propter verbum Dei audiendum. Deus enim est, qui loquitur in suo verbo. Vt igitur Deus audiatur, cur non reliqua omnia negligantur? Nil etiam nobis magis necessarium ad omnia mala vitanda, & ad bona omnia consequenda, denique ad vitam æternam comparandam. Cur ergo non studiosè audiatur?

At res meæ domesticæ non sunt negligendæ. Non dico, vt tuæ vocationis munus negligas, quod vt diligenter obeas, mandat Dominus: sed hoc tantum dico, auditum verbi Dei, præponendum esse rebus omnibus huius seculi, ac quærendam esse prius iustitiam Dei in verbo, cætera deinde curanda. *Quærite* (inquit Christus) *primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.*

At quispiam dicet, quomodo omnia dicit Christus subministratum iri à Patre iis, qui quærunt iustitiam, cùm videamus illos, qui delectantur verbo verè, & sunt verè pij, tamen præ cæteris esse egenos, pauperes, ægrotos, miseros? Resp. Primùm, per istud *omnia*, intelligit Christus omnia, quæ Pater agnoscit nobis esse necessaria ad vitā Christianè transigendam. Neque enim simpliciter ait; *Et omnia adiicientur vobis*. sed notāter ait, *Et hæc omnia.* Quæ hæc omnia? illa quæ nobis necessariò curanda & paranda putatis,

vtpote ad hanc vitam Christianè transigendam necessaria. Atqui hæc non desunt filiis Dei, qui quærunt iustitiam. Nam licet aliquando videatur nos deserere, neque subministrare necessaria, tamen non deserit. Nouit quando adiicienda sint, & quando detrahenda, iuxta rationem salutis nostræ. Vnde pulchrè Augustinus: Nemo enim homo, cùm plerumque iumento suo cibaria detrahit, cura sua illud deserit, sed potiùs curando hoc facit: sic igitur & Deus Pater nobiscum agit. Deinde, illi habent omnia, qui habent quod volunt. Atqui sancti, qui quærunt inprimis iustitiam & regnum Dei, habent quicquid volunt. Nihil enim aliud volunt, nisi id quod habent, & illo contenti sunt. Nam vsque adeo conformes sunt volũtati Dei, vt nolint nisi quod vult Deus habere. Sciunt autem per fidem, velle Deum, vt habeant id, quod tantum habent sine paupertate & ægritudine. Ergo ipsi quoque volunt illa, præterea nihil. Cum igitur nil ampliùs desiderent nec velint, quàm quod habẽt, atque ita nihil illorum voluntati desit, omnia dicuntur habere. Quid hoc præstat, verbum Dei fide acceptum, quod adeo regenerat homines, & conformes reddit voluntati Dei, vt nihil velint, nisi quod velit Deus, atque ita ditissimi & felicissimi sint. Ergo manifestum est, quærendum esse primùm regnum Dei, & audiendum Dei verbum: deinde hæc omnia, quæ necessaria nobis sunt, à Patre adiici. Non est igitur, non est, cur dubitemus quippiam nobis defuturum, si animum primùm adiecerimus ad audiendum studiosè verbum Dei, in quo quæritur Dei regnum, & illius iustitia, cùm Christus, qui non potest fallere, dixerit: *Quærite primùm Regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis.*

Adieci quarto loco, *Attentè*. Si enim attentionem requirunt omnes oratores, cùm orant, quantò magis præstanda est Deo, cùm nobis profert verbum suum, & nos alloquitur? Attentè audimus, quæ vtilia sunt nobis, quæ honesta, quæ delectabilia, quæ necessaria. At quid verbo Dei aut vtilius, aut præstantius, aut delectabilius, aut magis necessarium nobis esse potest? Attentè igitur est audiendum.

Denique addidi, *Cum timore Dei*. Est enim valedicendum omni prudentiæ nostræ, quando audimus verbum Dei, captiuandus est intellectus in obsequium Christi, quando audimus Deum loquentem, erigendi sunt oculi nostri cum timore, & reuerentia in Deum viuentem, in cœlum vsque, quando de cœlo nos verbo suo alloquitur. Sic Moses fecit, quando audiuit Deum sibi loquentem in monte: sic omnes Prophetæ; sic Apostoli; sic Paulus auditum verbum Euangelij à Christo, non contulit cum carne & sanguine, id est, cum prudentia carnis suæ, an illud acceptare debeat, nec ne: an prædicandum sit illud, nec ne: sed valedicto omni prudentiæ suæ (quanquam aliter etiam exponatur locus ille) abiit statim in Arabiam, deinde in alias regiones prædicatum illud verbum. Ecce timorem! ecce reuerentiã quam adhibere debemus audiendo verbo Dei. Est igitur verbum Dei audiendum, sed studiosè, attentè & cum timore ac reuerentia Dei.

Hæc de officio Christiani auditoris dicta sunt. Nunc de officio tam Doctoribus, quàm auditoribus Christianis communi, quædam præter ea, quæ dicta sunt, disseramus.

DE OFFICIO VTRISQVE TAM *Doctoribus, quàm auditoribus communi.*

Officium & munus omnium nostrum, optimi Auditores, est, sic verbum Dei nobis oblatum, viuâ fide percipere atque in profundo cordis collocare & conseruare vt per illud primo cor ipsum, & totus interior homo renouetur, purificetur, regeneretur, deinde pariat ac proferat suo tempore fructus bonorum operum. Hoc nostrum esse officium, tametsi negare nemo possit, tamen propter studiosos, ad maiorem ipsorum vtilitatem, aliquot argumentis, & scripturarum locis demonstrabo.

Ac principio quidem à fine cùm rerum omnium, tum reuelati post orbem conditum Euangelij, hoc liquidò demonstratur. Hic est enim finis, propter quem statim à peccato Adami, Deus verbo suo illum arguit: deinde, pollicetur salutem in semine Christo, vt hoc auditum verbum Adamus in corde fide receptum seruaret, ac per illum primùm regeneraretur, restauraretur ad pristinam, quam perdiderat, Dei imaginem, atque ita fieret noua creatura, deinde ita regenitus, fructus deinceps bonos, iuxta voluntatem Dei pareret ac proferret.

Hic finis est, propter quam data lex, missi Prophetæ, factę omnes promissiones, sæpe afflictus populus Dei, sæpe etiam ab exilio reuocatus, & maximis beneficiis affectus fuit: hic, inquam, est finis propter quem, (vt vno verbo dicam) omnia a condito mundo, ad Christum vsque, facta à Domino legimus, siue minæ, siue promissiones, siue beneficia, siue flagella. Omnia enim hæc eò dirigebat Deus, vt homines præsertim electi altera ex parte, perspecta ira Dei contra peccata, contererentur, ac penè morerentur, altera verò ex parte, agnita ac visa Dei misericordia in Christo promisso, erigerentur ac quasi è mortuis excitarentur, regenerarenturque in nouas creaturas, atque ita vitam cœlestem viuerent, & fructus bonorum operum proferrent. Hic est finis, propter quem Christus est missus in mundum, cruci affixus, mortuus, sepultus, conscendit in cœlum ad dextram Patris, missus Spiritus S. condonauit peccata, liberauit nos à morte, donauit sua iustitia, & vita æterna. Audite Apostolum Tit. 3. *Apparuit gratia Seruatoris nostri Dei omnibus, erudiens nos. Quorsum? vt abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè, iustè, & piè viuamus in hoc seculo, exspectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei* Hic est finis Baptismi, in quo, vt Apostolus ait, cõsepelimur cum Christo, deinde resurgimus cum eodem Christo, vt consepulti cum Christo, non amplius viuamus peccato: resuscitati verò cum eodem Christo, vitam cœlestem agamus, viuentes Deo Audite Apostolum, Rom. c. 6. *Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, vt, quemadmodum Christus resurrexit ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Non hæc dixit Apostolus, quasi mors & resurrectio Christi, sit tantum exemplar mortis & resurrectionis nostræ spiritualis: sed potissimum, quia illius mors & resurrectio, cuius vtriusque participes simus in Baptismo, nos electi sumus ad vitam æternam, caussæ sunt & mortis nostræ, qua morimur peccato, & resurrectionis, qua resurgimus in nouam vitam, viuentes Deo. Hic etiam est finis Cœnæ dominicæ. In hac enim manducamus carnem, & bibimus sanguinem Domini verè, ea ratione, qua & Apostoli manducarunt & biberunt. Quorsum? vt ita incorporati Christo, qui sedet ad dextram Patris in cœlis, nos quoque spiritu nostro, ab hisce terrenis sordibus, in cœlum vsque ad Christum eleuemur, atque ita, tametsi corpus nostrum hic in terris adhuc serpat: tamen animus noster, spiritus noster, interior homo noster viuat in cœlo, non amplius cogitans aut curans, quæ sunt mundi, sed quæ sunt cœlestia.

Ecce finem rerum harum omnium, quas recensuimus quis sit, nempe mutatio nostra, regeneratio nostra, iustificatio nostra, ac denique glorificatio nostra. Ergo hic etiam est finis, propter quem Deus optimus, ac benignus Pater, Euangelium suum in Ecclesia reliquit, ac doceri vult, nempe, vt illud electi fide percipiant, fide receptum in corde conseruent ac custodiant, illo custodito in corde, in dies magis regenerentur, regeniti fructus nouæ vitæ proferant, bonis fructibus absolutis, in cœlo glorificentur. Audite Apostolum loquentem de Euangelio, quo patefacta est nobis facies ipsius Dei, tanquam ablato velo, quod antea impedimento nobis erat sub lege, ne faciem Domini contemplari possemus: audite quid dicat 2. Cor. 3. *Nos autem reuelata facie, gloriam Domini contemplantes, in eandem imaginem transformamur, à gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu:* id est, nos per Euangelium fide receptum, reuelata facie, nullòque obiecto velamine, gloriam Domini contemplamur. Ecce quid primò nobis Euangelium adferat fide receptum, nempe facit, vt Deum quasi à facie ad faciem videamus, & illius gloriam contemplemur. Quorsum verò hoc præstat nobis Deus per Euangelium suum? R. Vt ex hac contemplatione gloriæ Dei, etiam nos renouemur & transformemur in eãdem imaginem, quæ, vt alibi ait Apostolus, est *in iustitia & sanctitate vera*, atque ita renouati, fructus nouæ vitæ proferamus. Ideo ait, *In eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam.* En igitur finem, propter quem nobis electis annunciari vult Euangelium suum Pater? nimirum, vt fide à nobis perceptum atque in corde, tanquam optimum semen in terra bona reconditum, tandem proferat fructus ac spicas bonorum operum. Nam qui seminat frumentum, aut quoduis aliud seminis genus, quorsum in terram illud seminat? numquid vt pereat, & vt perdatur? nequaquam: sed vt satũ, ac suo terra bene conditum proferat tandem fructum copiosum & bonum. Ita Deus non ob hanc caussam seminari vult & annuntiari hominibus Euangelium, vt illud pereat, id est, tantum audiatur, præterea nihil fiat: sed ideo seminat illud, vt fide percipiatur, in corde condatur, ibi altas radices agat, ac deinde per fructus bonorum operum sese exerat ac patefa-

ciat. Hoc omnino impletur in electis.

Quòd si aliquando semen hoc videatur perire, vt in reprobis; non hoc fit vitio seminantis Dei, aut seminati verbi: sed vitio fit reproborum, qui suapte natura, pessima & sterilis terra sunt, plena saxis, referta spinis.

Hac similitudine seminis libenter vtor, quia hac etiam Dominus noster Iesus Christus, loquens de verbo Euangelij, vsus est Matth. 13. & Luc. 8. & apertè parabolam explicans, ait: *Semen est verbum Dei: terra bona, electi sunt: via ab hominibus protrita, terra etiam petrosa, & terra spinosa, reprobi.*

Ex hac similitudine videmus officium nostrum. Sicut officium bonæ terræ fuit, semen recipere & retinere, vt tandem faceret fructus: ita nostrum est, qui sumus bona terra, id est, electi, verbum Dei nobis annunciatum, sic fide viua percipere, & in corde seruare, vt tandem per illud magis ac magis renouari, tanquam bona terra, fructum bonum feramus, alius centesimum, alius sexagesimum, alius trigesimum. Hoc est, quod alia similitudine explicat Dominus, cùm ait Ezech. c. 2. *Fili hominis comede volumen istud, comede librum* Necesse enim erat Ezechieli, sicut & omnibus Doctoribus, & ministris verbi, vt prius verbum Domini ipse fide perciperet, traiiceret in cor, in stomachū spiritus, antequam aliis, nempe Iudæis prædicaret. Nam quid est comedere librum, & comedere verbum Dei? est fide vera illud percipere, & traiicere in stomachum animæ nostræ, & spiritus, atque ibi seruare.

Hoc certè nobis præstandum est, si velimus, vt nobis prosit hoc verbum Domini, alioqui non proderit, nisi ad condemnationem. Nam quemadmodum panis, nisi manducatur, & in stomachum traiiciatur, nihil prodest: ita verbum Dei, nisi viua fide percipiatur, & in cor traiiciatur, non prodest ad salutem. Ratio huius similitudinis est. Verbum Dei, est panis vitæ, propter Christum in verbo contentum, ac per verbum ministratum, qui Christus de se ait, Ioan. 6. *Ego sum panis vitæ:* propter quem Christum, panem verum, etiam verbum dicitur panis κατ' μετωνυμίαν. Huc spectat illud Pauli 2. Timoth. 2 vbi alloquens Timotheum, ait. *cura, vt exhibeas te ipsum* ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, quasi incidentem panem filiis Dei. Ergo vera fide percipiendum nobis est, & manducandum, & traiiciendum in cordis ventriculum, tanquam panis.

Hoc certè officium omnium nostrûm est. Vt autem id fiat, rogandus est ardentissimis votis Dominus, vt hanc viuam ac veram fidem, quam Apostolus Tit. 1. vocat fidem electorum, nobis pro sua gratia donet. Est enim fides, singulare donum Dei, & quod ad inchoationem, & quod ad consummationem ipsius fidei attinet, vt apertissimè post Apostolum Paulum, Augustinus inter cæteros ostendit ac probat, cùm alibi, tum præsertim in libro de dono perseuerantiæ. Cùm igitur non sit nostri arbitrij fidem præstare verbo Dei, aut fide illud traiicere in corda nostra: sed donum Dei sit, qui gratis illud dat cui vult, quia cuius vult miseretur, & quem vult indurat: ideo enixissime orandus nobis est Dominus, ac petenda fides, qua verbum eius auditum, in cor nostrum traiicere possimus, ac tandem fructus se dignos in nobis pariat.

Hæc ornatissimi auditores, de iis tribus officiis libuit præfari, antequam volumen sacrorum Bibliorum interpretandum in manus accipiam, &c.

EIVSDEM

ORATIVNCVLA AD D. Petrum Boquinum, *continens petitionem facultatis publicè docendi, & ornamentorum Doctoratus, habita 21. Iunij, Anno 1568.*

NOn me latet, Clarissime Domine D. Boquine, quanta scripturarum cognitione, quanta rerum peritia, quanta prudentia, sapientia, pietate, virtute, ornatum esse oporteat illum, qui ad publicum docendi in Ecclesia, Scholaque Christiana, munus eligendus est. Nam & ornamenta illa pretiosissima atque pulcherrima, quibus in Veteri Testamento ornari iubebatur Aaron, eiusque successores, hunc spiritualem, quo de loquimur, ornatum, viua quadam quasi σκιογραφίᾳ adumbrarunt: & quæ Christus de Apostolis, deque illis, qui Apostolico officio functuri erant in Ecclesia, dixit, nimirum debere eos esse lucem mundi, & salem terræ, idem apertè docent. Et quæ Apostolus de conditionibus Episcoporum atque Doctorum, tum in epistolis ad Timotheum, tum in ea, quæ est ad Titum, eleganter præscripsit, idem liquidò demonstrant. Et denique ea, quæ Iohannes in sua diuina Apocalypsi, de quatuor animalibus, plenis oculorum, ante & retrò, in medio, & in circuitu throni constitutis, scripta reliquit, hoc idem ipsum satis superque confirmant: ita vt multis minimè opus sit ad hanc rem confirmandam, aut argumentis, aut testimoniis. Quotus enim quisque est, qui non agnoscat, qui non videat, qui non cernat, Doctoribus verbi Dei, longè plures, longéque maiores, quàm vlli alij hominum generi, pernecessarias esse virtutes? Ergo optimo iure docuit Apostolus, non facile quemuis, ad publicum docendi munus eligi debere, nisi prius bene nota sit Ecclesiæ atque perspecta ipsius virtus, pietas, doctrina: quando sic ad Timotheum scribens, dicit: χεῖρας ταχέως μηδενὶ ἐπιτίθει, μηδὲ κοινώνει ἁμαρτίαις ἀλλοτρίαις, hoc est, vt latinè dicam, *manus cito ne cuipiam imponas, neque communices peccatis alienis.* Etenim, vti res est, Ecclesiæ perniciosa, aliquem sine matura deliberatione, iudicio atque delectu, sed præcipitanter & temerè, officio docendi præficere: ita etiam, qui hoc faciunt; id ipsum tandem illis detur crimini, & in perniciem vertatur, necesse est.

Quare non immeritò, cùm in omnibus aliis Academiis, tum maximè in hac celeberrima Heidelbergensi, iam inde ab initio, lege cautum est, ne cuipiam publicè docendi munus concedatur, nisi is præter testimonium, quod habeat suæ eruditionis, insignia etiam Doctoratus, vt vocant, solenniter in aliqua Academia prius accipiat, quibus ornamentis, ceu sigillis, testimonium factæ sibi facultatis publice docendi, obsignetur, & confirmetur.

Quæ cùm ita se habeant, credo nos, atque inprimis me, prouectioris ætatis hominem, in nullam apud bonos & prudentes viros reprehensionem incursurum, quòd cùm iam annis abhinc 26. & amplius, hanc publice docendi facultatem acceperim, sed citra hæc ornamenta, & verò etiā exercuerim, nunc tandem patiar, me hisce etiam ceremoniis, hoc est, publico Theologici collegij huiusce Academiæ testimonio, & ornamento condecorari, & in officio confirmari. Nam leges huiusce Academiæ, vt ante dixi, & illæ quidem non iniquæ, hoc postulant. Scriptum autem est ab Apostolo, ὅσα ἐστὶν ἀληθῆ, ὅσα σεμνά, ὅσα δίκαια, ὅσα ἁγνά, ὅσα προσφιλῆ, ὅσα εὔφημα, ea nobis Christianis esse præstanda. Nos igitur duo, ego & doctissimus vir, fraterque charissimus D. Withakerus, freti bona conscientia, iussi ab honestis legibus, persuasi a piis viris, & permoti aliorum magnorum virorum exemplis, hodie ad hunc celeberrimum accessimus locum, & coram Illustrissimis Principibus, D. Friderico, S. R. Imperij Principe & Electore, D. Casimiro, eius filio charissimo, Bauariæ Duce, Dominis nostris clementissimis: & coram reliquis magnificis viris, excellentissimis Doctoribus, & nobilibus studiosis, petimus à te clarissime D. Doctor, tanquam à Decano huiusce facultatis Theologicæ, & rogamus, vt quæ in isto genere actionum fieri solere optimè nosti, ea erga nos præstare velis.

Post impetratam licentiam, &c.

Nos verò tibi, Clarissime Domine Doctor, post Deum optimum & maximum, nostrúmque Principem Illustrissimum, & Dominum clementissimum, gratias agimus, quòd solennem facultatem, & autoritatem, quam vocant licentiam, publice in Scholis S. literas profitendi, nobis non tam dederis, quàm confirmaris. Cæterùm, quò nihil nobis, ad perfectum dignitatis & autoritatis gradum desit, rogamus te, vt insignia etiam Doctoratus, iuxta huius Academiæ consuetudinem, tribuas, & nos hoc postremo dignitatis ornamento cohonestes: idque petimus, freti tua humanitate, beneuolentia, & gratificandi voluntate. Cùm enim hoc proprium sit grati animi, vt cui multum debes, eidem plurimum velis debere: cupimus hoc alterum à te accipere beneficium, vt magis ac magis tibi deuinciamur.

Fragmentum

Fragmentum explicationis Psalm. 1.
Beatus vir, qui, &c.

SCopus Prophetæ in Psalmo propositus, est singulos electos, partim dehortari ab audiendis impiorum hominum consiliis atque doctrinis, ab imitandis sceleratorum moribus, & à colenda cum apertis Dei contemtoribus, amicitia: partim hortari ad serium pietatis studium, & ad S. literarum amorem, oblectationem, assiduamque meditationem. Hic est scopus.

Facit autem hoc duobus argumentis, quorum primum ducit ab utili. Ait enim, Beatum fore illum, qui hoc quod proponit, non suum, sed Spiritus sancti consilium sequatur. Alterum ducit à iudicatis. Asserit enim, hanc quam docet, & quam pij omnes sequuntur, salutarem viam, Deo probari: impiorum verò instituta & mores damnari: & hoc cùm ait; *Nam nouit Dominus viam iustorum*, &c.

Ac quod ad primum attinet argumentum, duplicem statuit hominis, qui hoc diuinum sequatur consilium, beatitatem: vnam in hoc seculo, quæ consistit in iustificatione, regeneratione, eiusque fructibus, & in perpetua Spiritus S. gubernatione, qua ita pij reguntur, vt omnia tandem illis feliciter cedant. Et hoc facit, cùm ait, *Erit sicut arbor plantata ad riuos aquarum*, &c. Confirmat autem hoc, quod de prima piorum felicitate dixit, à contrario, hoc est ab exemplo impiorum, qui contemta hac salutari doctrina, sua aliorumque impiorum perniciosa consilia, mores, consuetudines, persequuntur. Hos enim verè esse miseros, idque propterea, quòd sint coram Deo instar paleæ, imò plumæ, quæ ab omni vento huc atque illuc facile dispellitur. Sic etiam impios a suis in varias partes, sursum deorsum agitari concupiscentiis, & ab ira diuina mirabiliter. Et hoc facit cùm dicit, *Non sic impij, non sic*, &c.

Alteram verò beatitudinem, in altero seculo futuram esse docet, quæ in eo consistit, quòd huiuscemodi pij homines in vniuersali iudicio staturi sunt, non tam victores, contra hostes suos omnes, quàm omnium etiam impiorum iudices, mox simul omnes in vitam æternam recipiendi: quando contra omnes impij sua casuri sunt caussa, & statim ad æterna supplicia detrudendi. Hoc docet, cùm ait, *Ideo non consistent impij in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum*. Duo enim his verbis concludit Propheta: vnum, pios staturos in iudicio, nimirum vniuersali contra impios, eóque donatum iri æterna vita. Alterum, impios ipsos, sua casuros caussa, eoque damnatum iri æterna morte. Hic est enim vltimus, vtriusque hominum generis exitus. Atque hæc est primi argumenti explicatio.

Quod ad alterum argumentum attinet, quod est à iudicatis, sic ait propheta: *Nam nouit Dominus viam iustorum*, &c. Sensus est, Dominus probat viam iustorum, quam ego hic doceo: improbat autem illam, quam persequuntur impij, quò fit, vt DEVS tandem illos seruet, hos verò perdat: id quod permultis DEI iudiciis, & hominum exemplis demonstrari potest. Ergo illa impiorum via non est insistenda, sed hæc altera, nempe piorum, est persequenda & conficienda. Hæc est alterius argumenti explicatio.

Argumentum igitur, seu summa totius huiusce odæ, constat propositione, & duplici ratione. Propositio hæc est, ad verbum: Non est abeundum in consilium impiorum, neque standum in via peccatorum, neque sedendum in cathedra derisorum, sed in lege Domini voluntas & animus (nobis est habendus atque firmandus,) & in lege eius meditandum die ac nocte. Hæc est propositio. Sensus autem huius propositionis, hic est: Non sunt audienda impiorum consilia & doctrinæ: neque imitanda sceleratorum hominum vita atque mores: nec denique colenda cum apertis DEI contemptoribus, & omnis religionis irrisoribus, amicitia, profitendusve cum illis Epicuræismus: sed in studio legis DEI & pietatis toto animo, totáque voluntate versandum, inque ea lege, die ac nocte meditandum. Nunc tenemus propositionem Prophetæ, & eiusdem intelligentiam. Est autem propositio hæc in genere deliberatiuo. Sequuntur igitur rationes, quibus eam persuadere conatur: quarum prima ducitur, ab vtili, ea autem hæc est: *Beatus enim ille fuerit qui hoc fecerit*: hoc est, facit enim hoc ad veram beatitatem consequendam, tam ad eam, quæ hîc haberi possit, quàm ad illam, quæ futura est post finem seculi.

Ratio secunda, quæ est à iudicatis, hæc est: *Nouit enim Dominus viam iustorum & iter impiorum peribit*. Sensus est, Hæc enim via, quam consulo, & quam sequuntur pij, studium nempe scripturarum, & pietatis, probatur Deo, semperque fuit probata, ideo ij stabunt in iudicio. Altera autem, per quam impij ambulant, damnatur, & idcirco illi non consistent in iudicio, sed peribunt. Via igitur impiorum est deserenda: piorum autem, quam ego hic omnibus consulo, est persequenda. Hoc est argumentum, seu summa totius huiusce Psalmi [illegible] explicari. Nunc si placet, singula diligentius examinemus.

Quod ad propositionem attinet, ea duabus constat partibus: prima est negatiua, nempe, recedendum esse à consortio impiorum. Altera affirmatiua, nimirum voluntatem, & animum, ad legem Domini esse applicandum. De prima parte sic ait, *Beatus vir qui non abiit in consilium impiorum*, &c.

Ad verbum est, *beatitudines illius viri*, &c. Alludit enim ad eam duplicem beatitudinem, quam postea describit. Sensus igitur est: Multis modis beatus ille fuerit, qui consiliis impiorum non consentit. *Abire enim in consilium impiorum est*, consentire illorum consiliis, quemadmodum etiam Latinè dicimus, *abire*, *& ire in alicuius sententiam*.

Stare autem in via peccatorum, nihil aliud est quàm sceleratorum mores pertinaciter sequi: Via enim pro *vita*, & instituto viuendi capitur.

Sedere verò in cathedra derisorum, *est*, amicitiam cum Dei, & omnis religionis contemtoribus colere, & cum ipsis Epicuræismum profiteri. Nam sedendo verbo, congressum, familiaritatem, & eiusdem rei cum Epicuræis professionem significare voluit Propheta: quemadmodum etiam in Ps. cùm ait, *Non sedi cum consilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo: Odi cœtum malignantium, & cum impiis non sedebo*.

His porrò tribus nominibus impiorum, peccatorum, derisorum, complectitur Propheta omnia sceleratorum hominum genera. Omnes enim ad hæc tria genera reducuntur. Nam aut sunt hypocritæ, & malæ doctrinæ homines, licèt externè vtcunque honestè viuere videantur.

Aut præter malam doctrinam sunt etiam palam scelerati, cum quibus illi etiam coniungi possunt, qui licèt bonam profiteantur doctrinam, sceleratam tamen ducunt vitam.

Aut sunt planè Epicuræi, qui neque religionem, ac sanam doctrinam, neque honestam vitam curant: Sed & omnis religionis, & omnis honesti hostes sunt & derisores. Hæc tria hominum genera describit etiam Petrus in altera epist. cap. 2. & 3. De primis sic scribit cap. 2. *Fuerunt & Pseudoprophetæ, vti etiam inter nos falsi doctores, qui subintroducunt hæreses*, &c. *& multi sequentur eorum exitia*, &c. *& per auaritiam fictis sermonibus vos negotiabuntur, quibus damnatio iam olim non cessatur*, &c. En infelicitatem eorum, qui consilia & doctrinas impiorum hypocritarum sequuntur.

De secundis ibidem subdit vers. 10. in hæc verba: *Maximè autem* (scilicet DEVS seruat in diem iudicij puniendos) *eos, qui carnem sequentes, in impura cupiditate incedunt, & dominatum despiciunt*, &c. *reportaturi mercedem iniustitiæ, vt qui pro voluptate ducant quotidianas delicias*.

De tertio verò impiorum genere, hoc est de Epicuræis & irrisoribus, Deique contemtoribus, sic scribit in cap. 3. vers. 3. *Hoc primum scire debetis, Venturos extremis diebus irrisores, vt qui in suis ipsorum cupiditatibus incedant, & dicant, vbi est pollicitatio aduentus eius?* nostis reliqua. Hæc tria impiorum genera, ab Apostolo, locis supra citatis, egregiè descripta, Propheta noster significare voluit his tribus nominibus, impiorum, peccatorum, derisorum. Sensus igitur est: Neque hypocritarum & hæreticorum audiendas esse doctrinas, illorumve consiliis acquiescendum: neque sceleratorum vitam & mores pertinaciter esse imitandos: neque denique, idque multò minus, cum Epicuræis, Dei omnisque religionis & honestatis contemptoribus ac derisoribus, amicitiam esse colendam, vllumve habendum commercium.

Illud verò hîc obseruandum venit, quàm breuiter & quàm eleganter omnes impietatis gradus, per quos impij ad æternum ducuntur exitium, describit Propheta, nẽpe initium, progressum, & finem impietatis. Principium est, malis consiliis, prauisque doctrinis aurem præbere. Docent hoc Eua & Adamus. Principium enim peccati

in Eua fuit, quod audiuit serpentis consilium. In Adamo, quod consilio vxoris obtemperauit: id quod nihil aliud fuit, quàm abiisse in consilium impium vxoris. Hoc principiũ exprimit Propheta, cùm ait, *Beatus ille vir, qui non abiit in consilium impiorum*. Maledictus ergo, qui abit, id est, qui audit & subscribit. Hoc est initium. Progressus est, sese in manifesta proiicere scelera, inque illis pertinaciter hærere. Nisi enim de principio malis resistas consiliis, prauisque doctrinis, impietas progressum facit per manifesta scelera. Hunc progressum docet Propheta, cùm ait: *Et in via peccatorum non stetit*. Maledictus igitur, qui in via peccatorum stat. Via enim peccatorum est vita scelerum plena: Et in hac via stare, est pertinaciter in sceleribus viuere. *Via* autem appellatur vita nostra, quia aut ad vitam, si bona, aut ad interitum, si mala, nos ducit. Finis verò impietatis est, manifestus Dei contemtus, omnisque religionis irrisio, seu Epicuræismus. Huc enim collimat Satan suis prauis consiliis, impiisque doctrinis, & tua peccandi consuetudine, vt te in apertum Dei contemtum, & Epicuræismi professionem tandem adducat. Hoc significat Propheta voce *sedendi in cathedra derisorum*.

Atque hic est finis omnis impietatis, contemtus Dei, irrisio iudicij diuini omnisque religionis. Beatus igitur, qui non se tandem sinit in hanc pertrahi, & collocari cathedram. Non pertrahetur autem, si non steterit in via peccatorum. In hac verò non stabit, si in consilium impiorum non abierit. Principium ergo salutis & beatitatis assequendæ, est consiliis doctrinisque impiorum non acquiescere, neque autem præbere. Atque hæc est prima pars huius sanctissimi consilij Prophetici, quæ docet quid vitandum sit, & respondet illi dicto Petri, in primo primæ epistolæ cap. *Declinet à malo*.

Sequitur altera pars, nempe, affirmatiua, qua docetur, quid faciendum sit, & respondet illi alteri dicto Petri, eodem loci, *Et faciat bonum*. Sic igitur ait Propheta: *sed in lege Domini*, &c.

EIVSDEM

De dignitate studij Theologici

ORATIO, HABITA IN PROmotione D. Kimedoncij, D. Bastingij, & D. Bollij. 18. Decembr. Anno 1575.

QVibus duabus in rebus tota posita est, plenáque hominis beatitudo, has ambas viro diuinæ sapientiæ, quam Theologiam vocamus, studioso, pro certo pollicetur atque confirmat ille qui mentiri non potest, Spiritus S. εὐσέβειαι nimirum μετ' αὐταρκείας, in hoc seculo, & perfectam æternæ cælestisque vitæ possessionem in altero: ô beatum, inquiens, virum, qui in lege Domini meditatur die ac nocte, nostis reliqua in primo Psalmo. Prior illa beatitatis pars in hoc consistit, quòd huiusce cælestis doctrinæ studiosi, in hac præsertim vita donantur vera Dei, diuinarumque rerum cognitione, atque hac donati per fidem in Christum iustificantur, perque eius Spiritum in alios homines regenerantur: renati verò pacatam bonamque semper retinent conscientiam, atque ex hac sanctè & piè in finem vsque vitæ viuentes, fructus proferunt bonos suis quisque temporibus, sua nunquam non sorte contenti. Altera pars est, quòd ex hac vita migrantes, superatis iam hostibus omnibus, in beatorum spirituum Christique suauissimum iucundissimumque consortium, cum triumpho recipiuntur, æternumque cum ipso viuunt quàm felicissimè. Hæc summa est veræ, qua donari potest homo, felicitatis.

An verò hisce duabus aliquid ad veram perfectamque hominis beatitatem addi potest? plenam itaque perfectamque felicitatem illis, qui sese studio cælestis sapientiæ dedunt atque consecrant, promittit Deus per Prophetam in Psalmo paulò antè indicato.

Primùm enim, beatum illum esse, foreque beatiorem simpliciter pronunciat, qui reiectis impiorum consiliis atque doctrinis, qui damnatis sceleratorum facinorosorumque hominum institutis ac moribus; qui denique in sempiternum valere iussis omnibus Epicuræis cuiusuis religionis irrisoribus ad sincerum sanctæ legis, hoc est, sacrarum Literarum studium, totum adiicit animum, inque eo sese totum, omni exercet tempore, diesque noctesque. Hoc est primum.

Deinde verò, quod generatim de huiusce legis studiosi beatitate dixerat, illud per partes explicat, quarum prior est, quòd talis studiosus hausta è fontibus diuinorum Bibliorum vera Dei cognitione, noua fit in hoc seculo creatura, factus ceu ex oleastro oliua optima, arbor nimirum semper virens, & ad riuum aquarum perpetuò continenterque fluentium plantata, quæ fructus suauissimos suo profert tempore, quæ sua perenni viriditate mirificè semper oblectat, cui denique omnia succedunt prosperè. Hæc prior est studiosi diuinæ sapientiæ pars beatitatis, cui mox alteram eamque ordine posteriorem subiicit Propheta nimirum quòd post confectum sobriè, iustè piéque viuendi curriculum, resurget tandem cum piis omnibus, stabitque in iudicio, & æternam beatissimamque deget cum Christo Angelisque omnibus vitam: quando contra impij omnes, qui in hoc mundo vt leues stipulæ; omnibus concupiscentiæ ventis agitati vixerunt, in vniuersali iudicio eadem caussa, sempiternisque adiudicabuntur pœnis. Deum enim piorum & veræ Theologiæ studiosorum hominum instituta, vitam, moresque probare, sicut contra odit impiorum suæque doctrinæ contemtorum vias.

Hæc cum ita se habeant, quæ pluribus etiam possent, si opus esset, confirmari & illustrari testimoniis, sequitur eos non solùm à pietate, verum etiam à prudentia maximè omnium laudabiles esse, qui in huiusce Christianæ sapientiæ studium serió & constanter incumbunt. Consulũt enim sibi quàm optimè.

Quod si id etiam efficiant non tam suæ salutis caussa, quàm vt pro sua virili parte Ecclesiæ inseruiant, regnumque Christi promoueant, non laudibus tantùm, verum etiam summo amore atque honore dignissimos esse dubium non est. Quis enim eum non laudet, qui sese studio addicit illius scientiæ, quæ omnium nobilissima atque vtilissima, sicut reuera est, sic omnium etiam sapientum iudicio esse censetur, constantique voce prædicatur? Quis eum singulari & amore & reuerentia dignum in Ecclesia non iudicet, qui ex vera in Deum & in patriam pietate, studia sua in salutem proximi, publicamque Ecclesiæ vtilitatem instituit atque suscipit? Quid autem laudabilius quidve saluti Ecclesiæ conducibilius studio Christianæ sapientiæ? Apostolus certè hortans Timotheum, vt in studio & exercitio Theologiæ persistat: *id* (inquit) *si feceris, te ipsum seruabis, & eos, qui te audierint*. Si porrò vel artium, vel scientiarum dignitas atque nobilitas, à præstantia, dignitateque primorum illarum autorum æstimanda est quid dignius hac diuina Philosophia. Huius enim autor non homo est, aut Angelus, sed solus Deus optimus maximus, *qui olim locutus Patribus in Prophetis, nouissimè locutus est nobis in Filio*. Si item ab antiquitate quidpiam laudabile est: quid laudabiliùs Theologia, qua nihil est antiquiùs? Sapientia enim est Dei, ab omni æternitate in eius residens pectore, reuelata verò, atque manifestata iam inde ab initio mundi primis hominibus, per quos fideliter ad totam posteritatem transmissa est. Libri quoque de ea conscripti, antiquissimi omnium sunt ac vetustissimi. Quis enim inter scriptores vetustior Mose atque Iobo? Si verò à subiecto (vt loquuntur Scholæ) hoc est, à rebus, quæ in quauis arte tractantur, laudem sumunt & dignitatem scientiæ, quid cælesti doctrina præstantius, quid nobilius, quidve dignius? Neque enim hîc de rebus aut vanis, aut inutilibus, aut parum Christiano homine dignis agitur: sed de summa rerum, de Deo, Deique regno, déque æterna hominum salute atque vita. Hîc, quæ sint vera rerum omnium principia, non minus perspicuè, quàm vere certoque docetur. Hîc omnium bonarum legum fons omnibus aperitur, quæ vitanda, quæve persequenda sint, luculentissimè declaratur. Hîc verissimæ historiæ de rebus iam inde à condito orbe propter commodum salutemque generis humani gestis, fidelissimè narrantur, omniumque aliarum historiarum firmissima iaciuntur fundamenta. Hîc vera Rethoricæ, efficaxque persuadendi ratio traditur, quæ nimirum non in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, flosculis, ornamentis, coloribus, luminibus, sed in virtute diuini spiritus, diuinique verbi efficacitate consistit. Hîc legitima, medicinam non quidem corporibus, sed animis faciendi, imò & corpora nostra, æterna felicissimaque valetudine donandi, via methodusque compendiosissimè docetur. Hîc denique

nique, qua ratione tum quisque se ipsum, suamque familiam, regere, tum politiæ, Respub. Regna totusque adeo mundus administrari temperarique ab hominibus possit, facilimè dicitur. Quid vis amplius? Atque hæc omnia vna præstat Theologia nostra, quæ nihil aliud est, quàm doctrina de Deo, Deique natura, ac voluntate, operibusque ad salutem hominum in S. literis reuelata. Si ergo ab iis, de quibus in quauis scientia atque arte agitur, ipsarum scientiarum, artiumque dignitas & excellentia pendet: quis non videat nulliusve scientiæ studium, cum studio Theologię, vlla ratione comparari posse? Adde iam & hoc, quod quæ in nostra Theologia ex veris ipsius fundamentis traduntur, tam certa sunt, vt nihil certius esse queat. Magna sanè dignitas est scientiarum Mathematicarum propter certas euidentesque demonstrationes, quibus sua confirmant: sed quid illæ ad certitudinem verbi Dei? Deus enim, vt non potest falli, sic nec fallere vult, aut potest, quippe qui ipsissima veritas est atque sapientia. Sacras autem literas, quibus solis vera nititur Theologia, ipsum esse, certissimum q; Dei sermonem, sicut nemo nostrûm Dei beneficio dubitat: sic etiam firmissimis rationibus demonstrari facile potest. Imo iam olim satis abundè aduersus illorum temporum Gentes, demonstratum à nostris Patribus fuit. Nam præterquam, quòd veritatem hanc in ipsis electorum omnium animis inscribit Spiritus S. vt dubitare de illa non possint, idem etiam constat omnium fermè Gentium ac populorum testimonio. Quis enim, quàm Iulianus ille Apostata, sceleratissimus homo, irriserit scripta tum Veteris, tum Noui Testamenti? Iudæi omnes à Mose, in hæc vsque tempora, constanter testificati sunt, & testificantur, quæ in vetere habemus fœdere Biblia, ea à Deo fuisse Mosi aliisque Prophetis, & sacris scriptoribus reuelata, quemadmodum etiam Apostolus de iisdem scripturis pronunciat, in altera ad Timoth. Epistola. Omnes verò, qui Christo nomen dederunt, per totum terrarum orbem, longè latéque diffusi, perpetua constantique fide, idem de omnibus quoque libris Apostolicis, & certò nouerunt, & palam prædicarunt atque prædicant. Quin & permulti, sanguinis vitæque profusione obsignarunt & quotidie obsignant. Parumne videtur hoc testimonium Quot verò, quantisque miraculis iam inde a Mosaicis huc vsque temporibus confirmata, illustrisque toti orbi facta fuit hæc sempiterna veritas? sexcenta Israelitarum millia & amplius viderunt, signa atque portenta, quibus Deus in monte Syna sese patefecit, suamque promulgauit legem. Quid igitur Mosaica certius doctrina. Innumerabiles verò populi, ex omni natione earum quæ sub cœlo sunt, vt Lucas narrat, præsentes spectarunt, quæ Hierosolymis è cœlo contigerunt, cum Apostolorum doctrinam, quam per totum terrarum orbem iussi à Christo fuerant publicare, suam esse doctrinam, cōprobare voluit. Ita & legis simul, & Euangelij cœlestis doctrina, in quam tota sacra scriptura resoluitur, & quæ summam Theologiæ complectitur, manifestissimis totique orbi notissimis è cœlo editis signis, confirmata, nullam amplius, nisi fortè apud Iulianos, habet, habere ve potest dubitationem, quin ex Deo sit sapientia sempiterna. Quis enim sanæ mentis homo de ea dubitare queat doctrina, quæ præter eas, quas attulimus rationes, certum quoque habet euentum earum rerum, quæ in ea, multis ante seculis, prædictæ fuerant? Annon verò, quæcunque de Christo prædixerat Moses, aliique Prophetæ, ea omnia suum habuisse complementum videmus? Nisi hæc omnia nobis essent perspectissima, singula ego, collatione eorum, quæ narrant Euangelistæ, cum vaticiniis Prophetarum, de iisdem singulis rebus copiosissime facta, luculentissime explicarem. Verùm id Euangelistæ ante omnes præstiterunt abundè. Quid enim de Christo narrant, cui statim non subiiciant ex dictis Prophetarum testimonium, sic fieri oportuisse, quia sic scriptum fuerat? Quis verò vestrûm nesciat, quotnam ante exitum de Ægypto seculis prædixerit Abrahæ Deus, illius semen futurum seruum in Ægypto, & inde tamen liberatum iri post annos 400. & amplius? Euenerunt certè omnia. Quid obsecro nominatim de Cyro déque præclaris eius actionibus prędixerat Iesaias, annis, antequam ea contigissent, supra centum? annon eodem tēpore eodémque modo complementum habuerunt, quo prædicta fuerant? si sacris historiis non creditur, legantur profanæ, quæ de rebus à Cyro gestis accuratissime fuerunt conscriptæ, ac rem ita se habere, manifestissime cōperietur. Quid verò clarius his, quæ Daniel partim de suo, partim de longe post venturo tempore prędixit. Illa priora viderunt ita euenisse, sicut prędixerat Propheta, omnes illius temporis nationes, nimirum Regem Nebucadnezarum ex hominum consortio abiectum, herbam instar bouis comedisse, sub dio, die noctuque in syluis tanquam syluestrē feram oberrasse, capillos ei, vt plumas aquilæ, vnguesque sicut auium creuisse, donec tandem (vt prædixerat Daniel) vera donatus fuit Dei cognitione sinceraque pietate. Filium porro eius Balthasarum Regem interfectum, regnumque iuxta vaticinium sancti Prophetæ, ad Medos & Persas mox translatum fuisse, suis itidem viderunt oculis. Posteriora vero, quę scilicet de Monarchiis, quę de regno CHRISTI, quę de certo annorum interuallo vsq; ad Messię aduentum, quæ de eius morte, sacrificio, expectationeque peccatorum, quę de legis abrogatione, quę de Antiocho, quę denique de Antichristo regnoque eius prędixerat idē Propheta, ea partim Apostoli ipsi spectarunt: partim porro & nos reipsa contigisse non solum legimus, verum etiam luce meridiana clarius perspicimus. Quid obsecro plus fidei atque autoritatis conciliare potest toti à Daniele de religione traditę doctrinę, quam hęc manifestissima omnium eius vaticiniorum complementa? Idem plane de reliquorum Prophetarum vaticiniis, si aut per tempus liceret, aut apud vos necessarium esset, demonstrare facile possem, vnde & eorum doctrinam, non minus quam Danielis, à Deo fuisse illis reuelatam, clarissimum fieret. Theologiam autem Danielis, eandem plane cum reliquorum omnium Prophetarum & Apostolorum Theologia esse, quotus quisque vestrum est, qui nesciat? Vt reliqua taceam capita, & de summa tantùm aliquid dicam: An non eadem est omnium Prophetarum & Apostolorum de Deo, Deiq; natura & attributis, de Christo, Christique officio, de ratione, qua beneficij Christi simus participes & seruamur, nimirum per fidem, doctrina? Quantum vero ad certitudinem nostræ Theologiæ confirmandam habet hæc consensio ponderis? Lege profanas historias, lege Medicos, lege Iurisperitos, lege denique omnes, quotquot ab orbe condito fuerunt profani scriptores, eos semper si non in omnibus, in plerisque tamen inter se multum dissidentes comperiès. At in Scripturis sacris, tanta est inter priores & posteriores omnes scriptores consensio, tantaque harmonia, vt dici aliter non possit, quam omnes ab vno & eodem spiritu afflatos fuisse, spiritu, inquam, veritatis, spiritu sapientiæ, spiritu (vt vno verbo dicam) Dei Deo: vt quod de scripturis omnibus Veteris Testamenti dixit Apostolus, id in omnes quos Canonicos Noui etiam fœderis vocamus libros, verè competat: nimirum vt diuinitus inspirati, eóque ipsissimum Dei verbum esse prædicentur. O vere cæcos simul & infelices, qui de certitudine huius cœlestis sapientiæ dubitant. Quantum vero hoc est, quod neque doctrina ipsa vllis vnquam hæreticorum dolosis conatibus, ex Ecclesia conuelli, neque Ecclesia ab hac cœlesti sapientia, vllis tyrannorum machinis auelli potuit? Argumentum Gamalielis ineptum non fuit: *si ex Deo est* (inquit de religione Christiana verba faciens) *vos non potestis impedire: si verò ex hominibus, ea per se corruet.* Sapiens sane dictum. Quæ enim diuina sunt & pura, ea perpetua etiam sunt, quæ peregrina & fucata, ea nequeunt diu consistere. Proinde etiam de Ecclesia dixit Christus: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Quid ita? quia à Christo Deo, Dei Patris filio plantata est & exædificata. Non potest autem Ecclesia consistere sine verbo, sicut neque verbum vllibi purum, puraque eius prædicatio custoditur, nisi in Ecclesia. Quod igitur S. literæ contra tot tantosque hostes semper in Ecclesia fuerunt conseruatæ, nunquam vero his penitus spoliari illa potuit: non paruo hæc res argumento est, eas verè à Deo traditas, inque ecclesia collocatas ad omnem æternitatem fuisse. Ab his autem suum habet ortum, per has suos facit progressus, in his acquiescit nostra Theologia, in cuius vera solidaque cognitione, veram cuiusque hominis beatitatem consistere, de principio huiusce orationis nostræ demonstratum breuiter simulatque dilucide à nobis fuisse confidimus.

Quid igitur ex his omnibus demonstratum volumus? Hoc sane, quod initio propositum à nobis fuit, nimirum, qui serio & constanter incumbunt huiusce diuinæ sapientiæ studio, idque non tam vt suæ, quàm vt aliorum quoque saluti consulant, Regnumque Christi pro sua virili parte promoueant: hos non solum magnis laudibus dignos esse, verùm etiam qui ab omnibus amentur, & in Ecclesia iusto honore afficiantur, dignissimos. Quæ cum ita se habeant, restat vt ad id, cuius caussa hæc omnia fuerunt dicta, imo cuius gratia huc omnes conuenimus, accedamus.

Nunc igitur ad vos tres, quorū caussa hic sumus omnes,

ego me meamque orationem conuerto. Quæ diximus de duabus felicitatis partibus,quas Spiritus S. viro veræ cœlestisque doctrinæ studioso pollicetur ; ea vos partim experti estis,partim re ipsa sentitis, partim in posterum magis ac magis (vt confidemus) sentietis in vobis ipsis. Primùm enim donati estis à Deo,ex vestris studiis,vera Dei, rerumque diuinarum cognitione , ita vt à Facultate nostra Theologica iudicati fueritis digni,qui eam alios quoque publice doceatis. Deinde,non dubitamus,quin præter cognitionem istam,fides quoque in Christum aucta in vobis fuerit non mediocriter ex studio S.literarum; vsque adeo,vt instar arborum frugiferarum,ad riuos perennis aquæ continenter fluentis consitarum , magno teneamini desiderio ac studio,suaues fructus proferendi, ad gloriam nominis Dei,& ad Ecclesiæ vtilitatem. Videtis porrò omnia vestra studia,conatusque vestros, prosperè vobis successisse, ad res etiam externas quod attinet. Nam præter laudem & honorem,quem apud omnes consecuti estis ex vestris studiis,nemo etiam bonus est,qui vos vestramque pietatem & eruditionem non amet & veneretur. Denique gradum etiam, quem optastis & petiistis, nempe liberam publicè Theologiam profitendi facultatem,adepti & consecuti estis,cum omnium applausu atque gratulatione.Ita vt nihil iam restet (quod ad hæc externa attinet) nisi vt insignia Doctoratus(vt vocant)accipiatis.Quod cum vobis concessum sit à clarissimo nostræ Facultatis Decurione,hoc ipsum etiam per me iam iam consequemini. Sed si prius vos rogauero, fratres in Domino charissimi, vt seriò & attente cogitetis , ad quamnam functionem vos ex tam multorum studiosorum numero,elegerit Deus in hoc tempore,atque hac publica ceremonia obsignare voluerit ; ad munus nimirum sicut omnium dignissimum , vtilissimũ, necessariumque in Ecclesia : sic etiam omnium per se molestissimum,laboriosissimumque:Mundo autem & Satanæ odiosissimum,nempe ad euellendum ac demoliendum , & simul etiam ad plantandum & ædificandum, quemadmodum ad Ieremiam dixit Dominus, hoc est, tum ad refellendos errores atque hæreses,quas quotidie Satan,per suos administros, ab inferis reuocat: tum ad cultum Dei, à superstitionibus ἐθελοθρησκείας repurgandum ac vindicandum : Et contra ad propagandam cœlestem doctrinam tum voce,tum scriptis;& ad retinendam puram in Ecclesia Religionem:eoque in summa ad Regni Christi defensionem,conseruationem,amplificationem.Hic est enim finis & summa vocationis nostræ,sicut Apostolus apertè docet ad Ephes. cùm ait,*ad instaurationem sanctorum in ædificationem corporis Christi*,quod est Ecclesia,*dari à Christo Pastores & Doctores ipsi Ecclesiæ*.Neque aliunde fieri video,vt *Ecclesia columna & firmamentum veritatis* vocetur & sit, quàm quia Christus dat subinde pios Doctores & pastores, qui in Ecclesia verbum prædicent,purèque interpretentur,qui retineant veritatem, tollant autem errores, qui occurrant lupis,& suo inuigilent gregi.Annon verò rem ita se habere, luculentissime comprobant tum vetera, tum noua diuersarum Ecclesiarum exempla? Da Ecclesiæ veros Pastores,sincerosque Doctores, qui strenue & diligenter suum faciant officium ; tum videbis Ecclesiam illam, columnam esse & firmamentum veritatis. Tolle hos,quid consequetur, nisi imperitia, barbaries, impietas, idololatriæ, portentosæq; opiniones,execrabiles hæreses ? Contigit hoc Ecclesiæ Israeliticæ , quemadmodum in S.literis manifestum est.Euenit idem Ecclesiæ Romanæ. Dum in ea floruerunt pij doctique Episcopi ac Doctores, idque per annos multos, etiam post Constantinum illum Magnum: fuit illa Ecclesia illustre exemplar aliis omnibus , adeòque toti orbi,sinceræ doctrinæ,puri cultus,& sanctitatis Christianæ. Illis sublatis,paulatim ita defecit,vt nullibi plures errores,maioresque idololatriæ reperiantur, quàm in Ecclesia Romana, idque multis ab hinc annis atque seculis. Ita quæ fuit , non amplius est columna & firmamentum veritatis.Sed quid Romanam in medium profero ? Inspicite,inspicite Ecclesias,quas reformatas & Euangelicas vocamus. In memoriam reuocate præstantissimos,quos singulæ ferè habuerunt Doctores.Animo recolite,qualis fuerit illarum Ecclesiarum status, dum à piis doctoribus docerentur,regerentur. Comparate porrò illa tempora cum nostris.Examinate caussas defectionis à pura doctrina, à cultu vero , à Christiana charitate, vbinam potissimùm hæreant. Quis iam cæcus est,qui non videat labefactationem hanc, quam inuiti & dolentes cernimus, inde proficisci,quòd Deus propter nostram ἀχαριστίαν,iusto suo iudicio,non solum pios Principes tollit,sed etiam sanctos cordatos, sincerosque Doctores ? Metuendum sane est, ne quod Ecclesiæ Romanæ palam contigisse videmus, idem eueniat Germanicis Ecclesiis,vt vnde Euangelium cœpit propagari, inde longe lateque emanent putidæ aquæ diuersarum hæresium & superstitionum. Rogandus igitur Deus, vt, nostri misertus, sinceros, piosque Doctores suæ largiatur Ecclesiæ:vobis verò cauendum inprimis est, ne, quod nonnullis contingit,contenti inflatique solo Doctorum titulo,studia negligatis,sed danda potius opera,vt titulus iste,ornamentaque Doctorum,nobis sint stimuli ad diligentius studendum,faciendumque officium:id quod & precamur vobis,& speramus de vobis.

Nunc ad rem venio.

Ego pro ea autoritate , qua in præsentia fungor, & nomine totius nostri collegij Theologici , vestræ iustæ annuens petitioni , palàm hic creo, pronuncio, saluto vos S. Theologiæ Doctores:vosque non solum titulo, & nomine Doctorum orno, verum etiam omnibus honoribus, ornamentis, priuilegiis afficio, & dono , quibus ornati donatique solent omnes,qui ad istum dignitatis gradum legitima ratione conscendunt. Quod vt felix faustumque sit vobis,Ecclesiæ, nobis, Deum opt. max. ex animo precor.

Addo præterea externa huius dignitatis symbola, tum vt res certior fiat, tum etiam vt iis vestri semper moneamini officij.

Pileus signum fuit libertatis apud Romanos. Libertas, qua nunc donati estis, est libera publice docendi , literasque sacras interpretandi facultas. In huiusce ergo rei signum , nouos pileos capitibus vestris impono , vt vestri semper moneamini officij.

Annulus apud Romanos symbolum fuit nobilitatis, equestrisque ordinis. Non parua est ista nobilitas qua iam ornati estis, nempe quod inter Doctores Ecclesiæ Dei recepti estis , & ceu ex ordine pedestrium militum Christi, in ordinem equestrium euecti. In huius igitur rei testimonium,indo digitis vestris annulos,& vt moneamini, vobis strenue pugnandum esse pro Christo , eiusque Ecclesia, aduersus hæreticos & Antichristum.

Librum præterea sanctæ scripturæ apertum vobis trado : & rursus clausum reddo , vt hoc signo intelligatis, in hoc libro vobis semper esse versandum diesque ac noctes meditandum : & modò hunc apertum vobis populo explicandum : modo ex hoc clauso,sed memoria retento , docendum , ac contra hostes Euangelij disputandum.

Denique hoc publico amplexu & osculo, nomine omnium piorum Doctorum , vos amplector in Domino , vt intelligatis pacem,charitatem,atque concordiam in Christo,inter nos vbique & semper esse colendam. Quod sicut nos facturos pollicemur: sic vos vicissim præstituros speramus, ad gloriam nominis Dei, Ecclesiæ ædificationem, & nostri omnium salutem. Amen.

EIVSDEM

ORATIO, CONTINENS EXplicationem vaticinij Iacobi Patriarchæ, Gen. 49.Non auferetur sceptrum à Iuda,&c.

Recitata Heidelbergæ Anno 1573. cum Iohanni Baptistæ Rotano SS. Theologiæ Doctoris titulum conferret.

PErmulta sanè sunt, & planè innumerabilia, eaque ita magna, vt nec mente comprehendi, nec lingua explicari possint, Dei opt.max.in nos totamque Ecclesiam suam beneficia, quorum neque debemus, neque sine summo ingrati animi crimine, possumus obliuisci. Quantum enim quæso vos,istud est,quod amplissimum hoc, ac splendidissimum cœlum,incredibili stellarum multitudine ac varietate distinctum, Lunaq; & Sole cũprimis ornatũ(quorum duorum syderũ cursu temporum vices,varietatesque conficiuntur , tum inferiora hæc generantur & viuificantur) creauit caussa nostra? Quod pulcerrimo & vtilissimo nobis ordine,

ordine, cœlis subiecit ignem, igni aërem, aëri aquam, aquæ verò terram: eamque eatenus aquis detectam, quatenus à nobis inhabitari posset? Et quod aërem quidem volucribus, mare autem piscibus, incomprehensibili copia varietatéque repleuit, terram verò hanc longissimè latissiméque patentem, omnium bonorum fœcundissimam, & multiplici arborum atque herbarum, ferarum & pecudum genere, quibus tum aleremur, tum iuuaremur, tum oblectaremur, refertissimam, nobis liberè possidendam fruiscendamque dedit? Quod denique nostra suis ipse manibus formauit corpora, formatis verò suum cuique animum immortalem, sagacem, prouidum, intelligentem, omnisque scientiæ ac sapientiæ capacem, liberáque eligendi & respuendi facultate præditum, suo flatu sanctissimo indidit, totosque nos ad sui imaginem efformauit, efformatósque totius huiusce amplissimi & ornatissimi mundi dominos constituit? Quis humani corporis dignitatem, membrorumque omnium, tam internorum, quàm externorum συμμετρίαν, quàm aptè omnia sint composita, & egregiè collocata, explicare queat? Multò verò minus dici potest, quanta sit animæ excellentia, dignitas, virtus, quo modo toti corpori, singulisque membris ita sit connexa, atque coniuncta, vt tamen non contineatur à corpore, sed ipsa corpus contineat, viuificet, regat, perficiat, vt meritò ab Aristotele ἐντελέχεια fuerit appellata. Quanta verò, & quàm admirabilis est vis illa intelligendi, qua omnia, tam quæ intra nos, quàm quæ extra nos sunt, dilucidè contemplamur? quanta eius celeritas, qua vno temporis momento, totum terrarum orbem peruagamur? quanta subtilitas, qua non solùm omnia humana penetramus, sed ad rerum etiam diuinarum naturas cognoscendas pertingimus? quanta denique amplitudo eius est, quę omnia tam diuina, quàm humana à se percepta, intra se continet atque comprehendit? Quid? quòd capax Dei ipsius est effecta? Magna itaque & multa sunt Dei in nos collata beneficia, eaque luculentissima sunt suæ erga nos beneuolentiæ testimonia. Quanquam nihil dixi, comparatione eorum, quæ dici possunt.

Verùm enimverò, vt vt hæc, atque alia his similia, magna sint & mirabilia Dei opera, duo tamen sunt præcipua, quę reliqua omnia, sua dignitate, præstantia, virtute, facilè superant: & pro quibus gratiam illi nos, quàm possumus, maximam, & animo habere, & verbis agere, & omni officiorum genere, pro viribus referre (si quid tamen Deo referri potest) in omnem debemus æternitatem. Horum duorum maximorum beneficiorum vnum est, quòd filiū suum vnigenitum Pater cœlestis dedit mundo Seruatorem, qui nos, electósque omnes, à peccatis, pretiosissimo sui sanguinis λύτρῳ redemtos, è manibus Satanæ liberatos, déque faucibus mortis atque inferni ereptos, Patri suo reconciliaret, filios Dei efficeret, cœlestisque regni secum hæredes constitueret. Quis huiusce beneficij magnitudinem mente concipere, & dignè æstimare queat?

Alterum est, quòd vt hoc principale, inæstimabiléque beneficium, tum cognoscere, tum re ipsa percipere, eóque in æternam beatitatem frui possemus, dedit & dat Ecclesiæ Doctores atque Pastores, qui in finem vsque mundi, sacrosanctum ipsius Euangelium docendo, interpretando, prædicando, pretiosissimos æternæ salutis per Christum partæ thesauros nobis recludant, fideliterque dispensent, qui voluntatem Dei expliceut, qui denique vt ministri Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, ac ceu seruatores (quemadmodum Propheta eos vocat) infelicissimam optatissimamque illam sempiternæ hæreditatis possessionem, ministerio diuini verbi, tandem aliquando feliciter inducant. Quid his duobus beneficiis maius, præstantiúsque excogitari experiveà nobis poterat? Vtrumque hoc verè diuinum & incomparabile beneficium, Patriarcha ille Iacobus mihi visus est & certò præuidisse, & summa verborum breuitate complexus, suis filiis non obscurè patefecisse, cùm dicit: *Non desistet tribus à Iehuda, neque legislator è medio pedum eius, vsque dum venerit filius eius & sit ei obedientia populorum.*

Placet locum hunc difficilem, in studiosorum Theologiæ, imò piorum omnium gratiam & vtilitatem explicare. Ita igitur exponitur ad verbum: *Non auferatur*, seu, *non recedet sceptrum de Iehudah, nec scriba* (vt vertit Chaldæus) *de intra pedes eius*, id est, de medio pedum eius, *donec veniat Siloch: Et ei aggregatio* (vt Salomo interpretatur, *vel obedientia* (vt Kimhi) *populorum, nempe tunc fiet, vel erit.* Nomine autem *Siloch*, Messiam qui nobis est Dominus Iesus, intelligi, extra controuersiam est apud doctos etiam Hebræos & Chaldæos: sic vocatum, vel quòd sit filius nempe Iehudæ secundum carnem scilicet. שיל enim filium significat: vel quod sit pacificator, seu Mediator inter Deum & homines, itémque inter Iudæos & Gentes, à שלח, quod fortè, vt ad rem magis facit, sic etiam verius & certius est. Nomine autem מחקק scribam, doctorémque legis significari voluit Thargum Hierosolymitanum, cui cum aliis doctissimis viris perlubenter subscribo.

Esse porrò è medio pedum eius, idem est, atque esse ex femore eius, quod nihil aliud est, quam ex eius sanguine generati, sicut ex Deut. 28. v. 57. manifestum est.

Ad sensum quod attinet, vetus certè quæstio est, & perdifficilis, iam inde ab antiquis agitata temporibus, quidnam sibi voluerit Patriarcha his verbis, sed non minus etiam vtilis est, & periucunda, si rectè explicetur, verusque ac genuinus verborum Patriarchæ sensus aperiatur: id quod me in præsentia, & in hoc amplissimo doctissimorum virorum consessu, facturum confido, opto certè. Nam quæ hactenus recepta fuit ab omnibus planè interpretibus sententia, de sceptro, regnóque terreno, futuro in tribu Iehudah, ibíque tantisper duraturo, dum veniret Messias, ac tum demum duntaxat inde tollendo, ea quot quantasque difficultates secum pertrahat, quippe quæ non prorsus cum euentu, historiaque rerum gestarum congruere consistereque videtur, neminem vestrûm latere arbitror. Quis enim vsque adeo rerum imperitus, & sacrarum literarum ignarus est, qui politicum Dauidis sceptrum, non solum sub Roboamo, mirabiliter labefactatum? verumetiam sub Sedechia, postremo Iudæorum Rege, à Babyloniis penitus interceptum, tandem verò, posteaquam tota Iudaicæ Reipublicæ administratio, qualis qualis erat, penes *Hasmonæos*, quos & *Macchabæos* vocant, annos ferme 136. resedisset, per Romanos prorsus ademtum, & in Herodem, Idumæum scilicet hominem, idque triginta septem circiter annis, antequam venisset Siloch, translatum fuisse nesciat? Patriarcha autem simpliciter docuerat, sceptrum perpetuò & continenter in tribu Iehudah mansurum, vsque dum veniret Siloh. Noui, quid à nostris aduersus Iudæos excipi solitum sit: nimirum, licet vel regnum laceratum fuerit sub Roboamo, aut à Babyloniis occupatum, vel forma gubernationis, post reditum à captiuitate mutata, aut etiam Iudæis erepta, à Macchabæis autem tribus Sacerdotalis hominibus vsurpata, vel denique totum illud sceptrum, per Romanos, in exteram Gentem penitus translatum fuerit: ius tamen ipsum regni, è tribu Iehudah, neque eripi, neque transferri potuisse: imo vero etiam aliquam Regiæ dominationis speciem, in ea tribu, vsque ad Christi aduentum, semper mansisse: eóque, licet corona, iuxta Ezechielis vaticinium, fuerit multis seculis peruersa, omnique ornatu regio penitus spoliata: ipsam tamen coronam diu fuisse quasi sub terra seruatam, donec in manum Christi tradita fuit. Dicuntur hæc, & à magnis quidem viris dicuntur. Verùm, quàm consentanea ista sint cum simplici Patriarchæ Vaticinio, quod Vaticinium non de iure Regni, sed de regno ipso, neque de varia gubernationis specie, sed de Regia fuit: quilibet per sese iudicare facile potest. Quotus enim quisque est, qui hac responsione, animo suo plene satisfactum esse sentiat? Ad me quod attinet, vel cæcus sum, vel si aliqua videndi facultate sum donatus, video quidem veterem huius loci interpretationem defendi aliquo modo posse: sed quomodo cum verbis Patriarchæ quadrare, & cum rerum euentu conuenire queat, nullo modo perspicere possum. Adde, quod Patriarcha, si de sceptro regio regnóque ad tribum Iehudah, pertinente, locutus est, non de alio probabile est eum verba fecisse, quam de eo, de quo porro etiam Prophetæ alij vaticinati fuerunt, cùm dixerunt: *Messiam regnaturum in domo Iacob: super solium Dauidis sessurum, & regnum eius collapsum, instauraturum, in iudicio & iustitia.* De hoc eodem regno, mihi dubium non est, quin & Patriarcha Iacob vaticinatus fuerit, illud nimirum non defuturum in tribu Iuda fuisse (quanquam attenuandum, & ruinam minaturū.) donec veniret Siloh, qui scilicet illud à Iudæis translatum, instauraret, & ad omnes Gentes, perque omnes fines terræ propagaret. Est autem extra controuersiam, Christum nostrum, nullum terrenum regnum instaurasse ac propagasse: imo etiam apertè, regnum suum de hoc mundo non esse, dixisse: & firmissima ratione coram Pilato probasse. Quare quæ de terreno sceptro disputantur in hunc locum, ea mihi aut nihil, aut parum ad propositum Iacobi pertinere videntur.

Magis itaque ad rem facit eruditissimi cuiusdam, & ex nostro quidem ordine clarissimi viri interpretatio: quem

vellem quidem honoris cauſa nominare, ſed ne adulari videar, aut ipſe pro ſua modeſtia ægrè fortaſſis ferat, quis ille ſit, vobis cogitandum relinquo. Iſte vir doctiſſimus, & qui in Hebraicæ linguæ cognitione, nemini eſt ſecundus, שבט non pro ſceptro, ſed pro tribu accipit, & מחקק pro ſcriba, qui familias cuiuſque tribus in annalibus notabat, vt ſit ſenſus: Ante aduentum Meſſiæ, reliquas quidem tribus tandem ita defecturas fuiſſe, abituraſque in confuſionem Gentium, vt diſcerni a ſe inuicem ferè non poſſent ampliùs: Tribum verò Iuda ita conſeruandam, vt nunquam aut extingui, aut etiam confundi poſſet & diſſipari: poſt aduentum autem Siloh, hanc quoque tribum, ita confundendam fuiſſe, vt ne ipſi quidem Iudæi diſcerni a reliquis filiis Iacobi poſſent, nedum vt familiæ diſtinctæ permanerent. Quis autem non videat ex hiſtoriis, rerum euentum cum Vaticinio ita explicato, optimè & congruenter conuenire? Decem enim tribus, longè antequam veniſſet CHRISTVS, ita fuerant diſſipatæ inter Gentes, vt non fuerint amplius (iuxta vaticinium etiam Ieſaiæ) populus. Tribum Iuda, licèt vſque ad CHRISTVM firma permanſerit, poſtea tamen paulatim labefactatam, videmus tandem planè corruiſſe. Ita rerum euentus apertum dat huic interpretationi teſtimonium veritatis. Quare etiam ad retundendam Iudæorum perfidiam de aduentu Meſſiæ, plurimum facit.

Cæterùm non fuerit abs re, neque nobis (vti confido) ingratum, ornatiſſimi auditores, ſi meam quoque interpretationem in medium proferam, retenta communi veterique nominis שבט ſignificatione, a qua non facilè recedunt illi, quibus religio eſt, omnes quotquot vnquam poſt hominum memoriam, interpretes fuerunt, erroris perſtringere. Omnium enim eruditorum hominum, aliqua in re, maximè verò in alicuius vocis explicatione conſenſus, plurimum (vt par eſt) ponderis habet, & autoritatis. Eò verò minus ſpero, ſententiam meam vobis diſpliciturum, quòd ſicut nihil a recepta verborum conuerſione deflectit, ſic cum rerum euentu, omni ex parte, omnino conuenit. Adde, quod cum Propheticis de Regno CHRISTI Vaticiniis optimè congruit, & aperto CHRISTI teſtimonio, confirmari nobis videtur, & verò etiam cum ſententia proximè recitata, coniungi pulcherrimè poteſt.

Age ergo, & quod ſentimus liberè dicamus. Si quod de ſceptro, regnóque carnali, hactenus ab omnibus dictum & ſcriptum fuit, nos de ſpirituali, hoc eſt de vera Eccleſia, déque verbo, quo ipſa regitur, interpretemur: Et quod de ſcribis, nos de Doctoribus & Paſtoribus in Iuda, id eſt in Eccleſia Iudaica, intelligamus, quid clarius, quid luculentius, quid cum veritate hiſtoriarum congruentius, quid ad confirmandos homines in fide, de priori Meſſiæ aduentu accommodatius dici poteſt? Certè regnum, quod vſque ad Chriſtum duraturum erat in Iuda, ſed tamen paulatim labefactandum, per Chriſtum autem inſtaurandum, temporale, terrenúmque (vt antè oſtendimus) non fuit, ſed ſpirituale, Eccleſia nimirum ipſa, in qua Deus ſuo verbo regnat: vt taceam, quòd (ſicut dictum eſt) ſenſus, a proximè recitata interpretatione, non disiungitur. Quid enim fuit tribus Iuda, quàm Regia Dei familia, vnde Rex Meſſias naſciturus erat, & in qua propter Chriſtum, reliquis tribubus à vera religione ad Gentiliſmum prorſus deficientibus, vera Eccleſiæ forma, & ſpirituale regnum erat conſeruandum, donec in manum Chriſti, hoc eſt, Dei in carne manifeſtati traderetur? Nam tribus Iuda non erat in alium finem, reliquis ruentibus, incolumis conſeruanda, niſi vt in ea ſeruaretur ſceptrum ſpirituale, eoque ipſa Eccleſia, & ita tandem Siloh naſceretur & ex tribu Iehudah, & in Eccleſia Dei. Quæ cauſſa eſt, cur interpretatio, quæ accipit שבט pro tribu, à noſtra, quæ שבט pro regno ſpirituali in Eccleſia, interpretatione ſeparari non poſſit, neque hæc ab illa.

Si alterutra tamen duntaxat dictio ſit retinenda, malo nomen *ſceptrum*, nempe ſpirituale, quàm *tribus*: propterea quod vox hæc includitur in illa, non illa in hac. Optima enim eſt hæc ſequela: ſeruanda erat in Iuda Eccleſia Dei, vſque dum veniret Siloh: Ergo & tribus ipſa, neceſſariò erat ſeruanda. Non autem contrà neceſſaria infertur conſecutio. Poterat enim non recedere tribus à Iuda, & tamen ab ea recedere ſpirituale ſceptrum.

Quatuor itaque præuidit, prædixitque Patriarcha Iacob: *Vnum* eſt, Venturum fuiſſe Meſſiam ex tribu Iehudah, & in Eccleſia Dei naſciturum. Vtrumque enim erat neceſſarium. Eam ob cauſſam alterum quoque præuidit prædixitque, nempe antequam veniret Meſſias, licèt reliquæ tribus defecturæ erant ab Eccleſia & à vera religione, à Iuda tamen nunquam vſque ad Chriſtum, ſpirituale ſceptrum receſſurum: ſed in Iuda Eccleſiam Dei, quæ eſt eius regnum, ac proinde etiam tribum ipſam, ad illud vſque tempus conſeruandam fuiſſe, nempe propter Meſſiam, quem ſicut ex tribu Iehudah, ſic in Eccleſia naſci oportebat. *Tertium* ſequitur ex altero, nempe ſcribas quoque, hoc eſt, fidos doctores, nunquam in ea Eccleſia, donec veniret Meſſias, defuturos. *Poſtremum* poſt aduentum Meſſiæ, conciſuram quidem ac defecturá fuiſſe Eccleſiam, etiam in Iuda, tranſlato inde ſpirituali ſceptro, ſed loco Iudæorum, Gentes ad Chriſtum copioſiſſime acceſſuras, ſeſe Chriſti ſceptro ſubiecturas, eum pro ſuo rege agnituras, eique obtemperaturas: atque ita regnum Chriſti inter Gentes conſeruandum fuiſſe: *Et ei* (inquit) *aggregatio fiet populorum, obedientiaque præſtabitur*. Vtrumque enim ſignificat יקהת, & vtramque ſignificationem ſimul coniungendam eſſe cenſeo: vt ſignificentur Gentes ad CHRISTVM acceſſuræ, non quales Iudæi fuerant, inobedientes, ſed animo obſequendi, & ex eius verbo viuendi, vnde & obedientiam fidei vocat Apoſtolus. Annon verò hæc omnia reipſe contigerunt? An non deficientibus reliquis tribubus, & verbo ab aliis recedente, Iuda perſtitit? & in ea tribu Eccleſia, ſceptrúmque quo regitur, firmum permanſit vſque ad CHRISTVM? An non etiam ſuos ſemper habuit Doctores atque Paſtores, tam in captiuitate, quàm poſt captiuitatem: & tam ſub Herode Idumæo, quam cum Macchabæi rerum potirentur? Ita ſanè, vſque adeo vt CHRISTVS de Phariſæis dixerit, *Dum ſuper cathedram Moſis ſedent, quæ dicunt, facite*. Annon porrò poſt Chriſti aduentum, perfectáque Meſſiæ officia, regnum & ſceptrum hoc receſſit à Iuda, ad Gentes, quæ illud amplexæ, obſequentes ſeſe exhibuerunt Chriſto? [illegible] (inquit Apoſtolus Romanis) [illegible]. Quando verò hoc factum? Tum demum, cùm Apoſtoli Iudæis dixerunt, *Vobis oportebat primùm prædicari verbum Dei: ſed poſtquam repellitis illud & indignos vos iudicatis vita æterna, ecce conuertimur ad Gentes*. Hoc illud ipſum eſt, quod Chriſtus antè prædixerat Iudæis de hoc Regno, & ſceptro ab illis auferendo, deque obedientia ſibi a Gentibus præſtanda, *Auferetur* (inquit) *à vobis regnum, & dabitur Genti facienti fructum*. Annon hic Chriſtus perſpicuè & diſertè expreſſit, quod Patriarcha hactenus viſus fuerat obſcurè prædixiſſe? Quem obſecro, meliorem habere potuit Iacob ſuorum verborum interpretem, ipſo Chriſto, ipſo Siloh, de quo Vaticinium illud protulerat? Planum itaque eſt factum, Iacobum Patriarcham, de ſceptro ſpirituali, è tribu Iuda, non tollendo, deque Doctoribus, qui Chriſtum venturum prædicarent, eiuſque doctrinam explicarent, in Eccleſia illa nunquam defuturis, donec ipſemet Siloh, nempe Chriſtus ille pacificator atque mediator veniret, vaticinatum fuiſſe: eóque duo illa inſignia & omnium maxima, Dei beneficia, de quibus initio diximus, filiis ſuis prænunciaſſe: Chriſti nimirum exhibitionem & piorum Doctorum, qui Chriſtum prędicarent, in Eccleſia continuationem.

Nunc explicationi huius celeberrimi Vaticinii de Chriſto, vt ad rem, de qua cœpimus dicere, teſtimonium Patriarchæ accommodetur, hoc addo, & dico, quæ de Eccleſiæ ſpiritualiſque ſceptri in tribu Iehuda conſeruatione, déque Doctoribus in ea ſine intermiſſione, vſque ad priorem Chriſti aduentum continuandis, vaticinatus fuerat Patriarcha, nos verò impletum vidimus, illa vſque ad alterum Chriſti aduentum extendi, ſuúmque habere & habitura eſſe complementum in vera tribu Iehuda, quę non ſecundum carnem eſt, ſed ſecundum ſpiritum, hoc eſt, in Eccleſia Chriſti, ex primitiis Iudæorum & ex Gentibus collecta, quemadmodum & Angelus ad Mariam dixit, *Regnabis in domo Iacob, & regni eius non erit finis*. Eſt enim hoc certum veræ Eccleſiæ teſtimonium, quòd ea nunquam deficiat, neque ſpirituale in ea ſceptrum, doctoréſve aut paſtores, prorſus defuturi ſint. Promiſerat hoc Chriſtus, cum dixit, primùm quidem, *ſe ſuper petrã, quam confeſſus fuerat Petrus, ædificaturum Eccleſiam ſuam, aduerſus quam inferorum portæ præualere non poſſint*. Deinde ſe non tam Petro, quàm omnibus ſuis in Eccleſia Miniſtris, daturum claues Regni cælorum. Neque enim claues promiſit, quum ſimul etiam pollicitus ſit, qui clauibus vterentur, paſtores & doctores. Vtrumque autem præſtitit, idque tum maximè cum euectus in cœlum, miſit inde Spiritum S. quo omnia replens, Eccleſiam, tum ex aliquot primitiis Iudæorum, tum ex copioſiſſima Gentium multitudine, collegit: & alios in ea dedit Apoſtolos, alios Prophetas, alios Euangeliſtas, alios Doctores & Paſtores. Quorſum verò? *ad*

congmen-

coagmentationem Sanctorum (inquit Apostolus) *ad opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi, donec euadamus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectũ, ad staturam adulti Christi.* Cùm verò hæc quotidie quidem fiant, perfectionem autem habere non possint, nisi in fine seculi, an non satis euidenter demonstrat Apostolus, & Ecclesiam Christi, & Doctores in ea, ad finem vsque seculi, nimirum ad aduentum vsque alterum Christi, constanter permansuros? Ita in hac etiam spirituali tribu Iehuda, Vaticinium Patriarchæ, suo quodam modo, denuò impletur. Reuera enim non recedit, nec recedet sceptrũ spirituale, de spirituali Iehuda, neq; scribæ seu sinceri Doctores ex ea deficient, donec secundò veniat Siloh: & cum eiti et aggregatio & obedientia populorum, hoc est, omnium electorum tam ex Iudæis, quàm ex Gentibus, perfectissima.

Neque verò illud prætereundum est, quod vtrumque coniunxit Patriarcha, beneficium, nimirum Christi exhibitionem, & Doctorum in Ecclesia continuationem. Non sine graui caussa fuit hoc factum. Significare sanè mihi voluisse, id quod res est, videtur, nempe in Ecclesia, neque ministerium à Christo, neque Christum à Ministerio separari posse. Quid enim sine Christo haberent Doctores, quod ad salutem consequendam proponerent? Rursus quid Christi beneficium, neque cognitum, neque fide perceptum prodesse hominibus posset? Meritò itaque cum Christo coniunguntur præcones, à quibus tanquam ab aurigis ille tanquam Rex & seruator, prædicatione Euangelij tanquam curru, per totum vehatur terrarum orbem.

Quanta igitur est huiusce gratiæ, (vt de priori beneficio iam taceamus, déque altero tantùm loquamur) qua pios Doctores in Ecclesia Deus excitat ac seruat, magnitudo, dignitas, necessitas? Quanta ea sit, à tribus capitibus indicat Apostolus: ab horum Doctorum promotore, autore, conseruatore, ab officio, ad quod vocantur, & in quo versantur. denique a fine, propter quem ad tale officium vocantur.

Quis verò quæso autor est? Christus non minus Deus verus, quàm homo, omnium qui vnquam fuerunt, aut esse possunt, nobilissimus, omnium sapientum sapientissimus, omnium potentum potentissimus, omnium denique nostri amantium amantissimus. *Qui descendit* (inquit Apostolus) *in inferiores terræ partes:* hoc est, in infimam mundi partem, quæ est terra, qui descendit (inquam) non loci mutatione, sed carnis sumtione & sui per carnem manifestatione, *ipse est, qui etiam ascendit longè supra omnes cœlos, vt impleret omnia. Dedit* igitur *ipse alios quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Doctores & Pastores.*

Quod verò horum officium? Ministerium nempe Euangelicum. Dedit (inquit) Doctores, ad opus ministerij, præstandum scilicet & perficiendum. Quibus in rebus situm sit hoc ministerium docet Apostolus in insequẽtibus, cùm nominat fidem, agnitionem filij Dei, doctrinam, veritatem. Clarius autem ad Corinth. vbi ait, *nos esse ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Et alibi, cùm dicit, *Nos esse factos ab ipso ministros Noui Testamenti.*

Quis verò finis totius huius ministerij, ad quod vocati sumus? Coagmẽtatio est Sanctorum, ex quibus corpus Christi mysticum exædificatur: πρὸς τὸν καταρτισμὸν (inquit Apostolus) τῶν ἁγίων, εἰς ἔργον διακονίας, εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ χριστοῦ, & quæ sequuntur; de continuanda hac Sanctorum instauratione, & corporis Christi mystici coagmentatione, in finem vsque mundi, donec crescente in nobis per ministerium Doctorum cognitione Filij Dei, ipsóq; adeo paulatim in nobis adolescente Christo, viri perfecti euadamus in ipso: id quod in altero demum perficietur seculo, cùm Deus erit omnia in omnibus. Quid vis amplius? Habeant ergo D. Iurisperiti suos Augustos, suos Vlpianos, Trebatios, Papinianos: habeant & Medici suos Hippocrates ex Asclepiadarum familia, Galenos, Aëtios, Trallianos, Celsos, Scribonios, suarum artium autores & Professores: Nos nostrum habemus Christum, immediatum sicut totius Theologiæ autorem, sic omnium verorũ eius Doctorum promotorem. Habeant item Iurisperiti sua Digesta, Codices, Authenticas, Nouellas, quas explicent, & è quibus controuersias omnes definiant. Sed quot in illis pugnantes inter se leges? quanta inter illas sanctiones, varietas? Habeant & Medici suos ex Hippocrate aphorismos, multaque Galeni & aliorum de caussis morborum cognoscendis, déque illorum curandorum ratione, iudicia: sed & longa, & varia, & incerta, & sæpenumero, cum ad rem venitur, fallentia; vt non sine caussa Hippocrates initio suorum Aphorismorum, dixerit: *Ars longa, vita breuis, experimentum fallax, iudicium præceps.* Habemus nos S. Literas, prophetica scilicet, & Apostolica scripta, in quibus explicandis versemur, pauca numero, veritate certissima, rerum maiestate augustissima. Quæ valent πρὸς διδασκαλίαν, omnis salutaris veritatis: πρὸς ἔλεγχον, omniũ errorum: πρὸς ἐπανόρθωσιν omnium deprauatorum morum & corruptelarum: πρὸς παιδείαν, quæ est in iustitia, vt perfectus sit vir Dei ad omne opus bonum perfectè instructus. Quid hoc amplissimo Theologiæ nostræ penu atque thesauro pretiosius? quid excellentius? quid præstantius? Denique finis Iurisprudentiæ est, vt externa cuiusque bona, dignitates, iura, publicam pacem & honestatem, tueatur atque conseruet. Medici ad curanda corpora humana, valetudinémque, quamdiu Deo placet, conseruandam, destinantur. Quorsum verò nos? Ad finem illis eò præstantiorem, quo & anima, vt loquitur Dominus Iesus Christus, pluris est, quàm corpus: & corpus, quàm vestimentum. Quibus sanè verbis breuiter tria illa vulgata bonorum genera, animi scilicet, corporis, & quæ vocant, fortunæ complexus est præceptor noster Iesus Christus. Ad quæ verò bona hominibus dispensanda nos vocauit: Non certè ad fortunæ, corporisque, sed animi bona: non ad consilia de rebus ciuilibus danda, non ad iura dicunda, non ad hæreditates herciscundas, non denique ad regna & Respublicas gubernandas, sed ad regnum suum conseruandum, propagandum & amplificandum. Neque etiam ad corporum curationem & conseruationem, sed ad animorum salutem promouendam, ad instaurationem sanctorum (inquit Apostolus) ad corpus ministerij, ad ædificationem corporis Christi.

Per nostrum enim ministerium vult D. Iesus, electos donari cognitione Dei, non solùm quis sit, verum etiam qualis sit, quæve eius natura, voluntas, potentia, bonitas, misericordia, iustitia, aliæque Dei proprietates, quæ attributa vocari solent, & quibus natura Dei vtcunque nobis declaratur atque innotescit. Vult intelligi, quanta sit sua φιλανθρωπία, quippe qui pro æterna vita & habitatione creauit de principio, immateriale, incorruptibile, amplissimum, splendidissimum, beatissimúmque cœlum, supra omnes istos collocatum, quod & mox Angelis repleuisse creditur. Ad vsum autem præsentis vitæ, cœlos hosce omnes condidit spectabiles, tandémque mutandos, & cum his reliqua omnia corpora, eóque omnia visibilia & inuisibilia. Neque vult ignorari, quæ sit generalis Angelorum omnium substantia, natura, facultas, scientia, naturalis bonitas, officia: & quo pacto, cùm alij peccassent, alij ipsorum peccatis consentire noluerint, vnde alij boni manserunt, alij mali, suo vitio, effecti sunt. Vult doceri Ecclesiam, vndenam creatus homo & qualis creatus fuerit, quantáque illius fuerit in primo statu perfectio, rectitudo atque felicitas, vt sciri inde possit, Deum minimè peccati, sed tãtum omnis boni fuisse autorem. Vult contrà cognosci, iram Dei aduersus peccatum, instigante quidem Diabolo, assentiente autem homine, suo libero arbitrio admissum. Vult rursus eiusdem Dei erga hominem clementiam notam esse, qui & de peccato eum reprehendit, & ad resipiscentiam conuertit, & resipiscenti veniam ac salutem promisit. Intelligi item vult, in primo homine, omnes peccasse, ită Dei iustissimæ obnoxios factos esse, vt si quos grauiter puniuit, & damnat, id iustissimè: si quos ab omni tempore seruauit ac seruat, id ex sua duntaxat gratia, & propter promissum Mediatorem fecisse, ac facere intelligatur. Vult cognosci, in quos fines & vsus lex tota fuerit tradita, tã quæ de moribus quàm quæ de ceremoniis iudiciisque fuit, & quis deníque scopus totius οἰκονομίας, Veteris Testamenti fuerit, nimirũ vt & peccatũ, itáq; Dei aduersus illud ab hominib. perspiceretur ac sentiretur, & in fide de venturo Redemtore, déq; peccatorũ venia propter Christum resipiscẽtes confirmarentur. Vult postremo publicari, vbi plenitudo temporis venisset, missum fuisse à Patre è cœlo vnigenitum Filiũ, qui factus homo, quæcunque de ipso prædicta fuerant, Mediatoris officia præstiterit, qui Ecclesiam ex omnibus gentibus collegerit, qui thesauros salutis in ea reliquerit, qui horũ dispensatores cõstituerit, Doctores nimirũ atq; Pastores, qui rationẽ eos dispensandi ordinarit, prędicationem videlicet Euangelij, & administrationem sacramentorum, qui quibus dispensandi sint, præscripserit, nempe resipiscentibus, Euangelióque credentibus, qui resipiscentiam quoque & fidem, hominibus alioqui per se impossibilem, ipse electis, sicut iam inde à condito mundo semper donauit, sic nunc perpetuo donet per

spiritum suum, ita vt nullum ex iis, qui à Patre sibi fuerunt traditi, perire sinat, qui cœlum omnium electorum nomine teneat, Ecclesiam interim suo regēs spiritu & verbo, donec constituto die, omnibus hominibus à morte excitatis, in gloria appareat, & suos quidem fideles in cœlū, æternámque beatitudinem recipiat, reprobos autem infideles, iustissimo & manifestissimo iudicio, in ignem æternum detrudat: qui denique & vult, & efficit, vt pij omnes hac fide fulti, & spe sustentati, & charitate inter se affecti, abnegata omni impietate, & secularibus desideriis, sobriè, iustè & piè viuant in hoc seculo, exspectantes beatam spē & aduentum magni Dei, Domini scilicet ac seruatoris nostri IESV CHRISTI. Hæc summatim sunt, quæ per nostrum efficit ministerium Christus, hic est finis, ad quem sumus vocati, hic est scopus conditionis nostræ, quo quid honestius, præstantius, nobilius, augustius, diuinius, homine dignius, humanóque generi vtilius inueniri, excogitarive potest? ac proinde quæ oratio, quæ eloquentia, quæ ornamenta, quæ lumina, dignitatem huiusce Ministerij à tribus capitibus, efficiente, materia, fine, quasi è longinquo ostensam, explicare valeant, & illustrare.

Sed *tribus hisce capitibus adde quartum*, vnde nostro huic Ministerio non parum luminis accedit atque gloriæ. Quos enim Christus eligit, creat, mittitque Doctores, eos etiam non solum eruditione minimè vulgari, verùm multis quoque magnarum virtutum generibus ornare solet, quibus & autoritatem illis conciliat in Ecclesia, & efficax reddit ipsorum Ministerium. Quænam autem sunt hæc virtutum ornamenta? Apostolus breui catalogo in priore ad Timoth. ea complexus, sic docet, requiri in quouis Ecclesiæ Doctore, vt tum in eadem epistola, tum in ea quæ ad Corinthios est posteriori, docuerit illis à Christo ornari, quoscunque ipse Euangelij sui ministros efficit. Eos enim suo spiritu ita regit, vt *in humana consuetudine reddat ἀνεπιλήπτους, continentiæ studiosos, vigilantes, sobrios, compositos*: hoc est, honestis & modestiæ plenis moribus præditos, hospitales, aptos ad docendum, alienos ab ebrietate, imò ne multo quidem vino deditos, non percussores, non turpiter lucri cupidos, sed moderatos, alienos à pugnis, alienos ab auaritia, denique tales efficit, qui vitæ sanctitate, honestissimisque moribus cum pietatis doctrina coniunctis, suum cohonestent ministerium atque illustrent. Proinde Apostolus non simpliciter dixit de Christo: *Qui fecit nos ministros*: sed *qui fecit* nos *idoneos* ministros. Et gratias agit Christo, non quòd simpliciter se constituerit in ministerio, sed quia se effecit robustum, & quia se fidelem duxit, adeóque & fecit: Et quia. cùm antea fuerit blasphemus & persecutor, & iniurius, sui sit misertus, effeceritque vt in se superabundarit gratia, cum fide & dilectione in ipso Christo Iesu O nimium igitur felices, & ter quaterque beatos, quos Christus promouet in Ecclesia Doctores?

Denique accedit *quintum etiam caput*, vnde illustrissima fit huiusce, qua de hactenus locuti sumus, beneficij in Ecclesiam, à Deo optimo maximo collati magnitudo, nempe, quòd non solùm tot tantisque virtutum ornamentis suos Christus exornat Doctores, quibus idonei fiant Euangelij ministri, verum etiam præsentia sui spiritus in illis habitat, perque illos loquitur, & doctrinæ Euangelicæ per ipsos traditæ efficacitatem addit, vt in electorum mentes penetret atque corda.

Quibus enim verba sua in os ponit, his spiritum quoque suum, cuius vi loquantur, sese daturum promiserat, cùm per alios, tum maximè per Iesaiam, & id reipsa etiam præstitit Prophetis atque Apostolis, piisque deinceps omnibus suis Doctoribus, per quem spiritum conuincerunt, conuincuntque in dies mundum, de peccato, de iustitia, de iudicio: per quem humanas omnes ratiocinationes euertunt, omnemque sublimitatem, quæ extollitur aduersus Dei cognitionem: & captiuam ducunt omnem cogitationem (electorum scilicet) ad obediendum Christo: reproborum verò contumaciam vlciscuntur. Quibus armis obsecro vos intra annos 58. plus minus, expugnatum ferè est Antichristi regnum, in tota prope Europa: regnum verò Christi longe latéque propagatum per homines imbecilles atque inermes, per Lutherum cum suis in Germania, per Zvvinglium in Heluetia, per Caluinum in Galliis, perque alios, aliis in locis, nisi vi verbi & Spiritus S. qui in ipsis locutus est, suasque exeruit vires, aduersus omnem mundi & Satanæ potestatem? Non est, viri ornatissimi, cur victorias, quas obtinuimus aduersus præpotentes reges atque Principes, ferat quispiam acceptas piorum Principum armis atque potentiæ. Vi verbi & spiritus, per pios Doctores, totum hoc, quod videmus, propagati regni Christi, recuperatæ Christianæ libertatis, instauratarum Ecclesiarum, redactarum tot prouinciarum atque regionum, ad obedientiam Christi, effectum est & fit, & fiet, in finem vsque mundi, inuitis inferorum portis, & frementibus omnibus Christi hostibus. Hæc enim sunt vera, & Christianis militibus digna arma, hæc sunt tormenta nostra: hæ nostræ machinæ, arietes, turres, catapultæ ad expugnandum Antichristi regnum idoneæ, verbum scilicet, & spiritus. Atque hi etiam sunt veri milites & belli duces, à quibus sibi multò magis metuit Antichristus, quam à potentissimis regibus, & quorum scriptis ac vocibus magis, quam Principum armis concutitur, Doctores nimirum & pastores. Isti enim etiam ex hac vita erepti, pugnant, & sæpe magis nocent mortui, quàm viui: Principes verò suis armis, nisi in viuis sint, bellum facere non possunt. Vnde & prouerbium, *Homo mortuus, bellum amplius non facit*: ô verè inæstimabile atque incomparabile beneficium! ô verè diuinam nostri ministerij dignitatem atque virtutem! Idcirco Paulus non contentus dixisse, & suo & Apostolorum Doctorumque omnium nomine, se factos esse ministros idoneos Noui Testamenti, subiecit etiam, *Non litera, sed spiritus*: significans, Spiritum sanctum efficacem esse in piorum Doctorum ministerio. Quò fit, vt ipsum etiam Euangelium, quod docemus, & quod spiritus virtute persuademus, *spiritus* appelletur. Quis ergo non & gratias agat Deo immortales, & gratuletur Ecclesiæ, & sibi suisque gaudeat, cùm tales in Ecclesia, & de Ecclesia excitari videt viros, à quorum eruditione, pietate, virtutibusque variis, nihil nisi gloriæ Dei illustratio, veritatis propagatio, Ecclesiæ defensio, salus denique populorum sperari potest? Quare, vt in pauca contraham, quæ fusè hactenus pertractaui, sic sentio: Cum multa sint Dei beneficia, pro quibus & illi habere gratiam, & Ecclesiæ gratulari, nobisque gaudere debemus, duo tamen esse omnium maxima, maximéque necessaria: vnum, quòd Christum dederit Redemtorem: alterum, quòd ex Ecclesia, & in Ecclesia, nouos semper excitet Doctores, qui pretiosissimos Christi thesauros, fideliter nobis dispensent, atque ita efficiant, vt vaticinium Iacobi de non tollendo è tribu Iuda, spirituali sceptro, déq; semper excitandis ex eius fœmore scribis seu Doctoribus, vsq; dum veniat Sil-oh, non minus in nostra spirituali tribu Iehuda, à priori Messiæ aduētu, vsque ad alterum impleatur: quàm verum fuisse videmus, in illa carnali, à tempore Iacobi, vsque ad priorem Christi in carne aduentum.

Assumendum nunc esset, & ista omnia, ad eum, cuius inprimis caussa, solennis hæc, celeberrimáque actio instituta est, accommodanda, illiusque pietas ac virtus demonstranda: id quod facere nec mihi difficile esset, nec vobis, confido, foret ingratum, modò per tempus, ac per eius, de quo loquimur, verecundiam id liceret, & nisi etiam res ipsa notior esset quàm vt mea indigeat oratione. Est enim *Rotani* eruditio omnibus perspecta, studium verò pietatis nemini ignotum. Nemo quidem in hoc mundo, perfectus omnibus numeris esse potest: sed qui ad perfectionem contendit, is demum in bonorum virorum numero habendus est. Profecto exilium, quod propter Domini Iesu Christi caussam, annos iam totos quindecim, cum non parua suorum bonorum, eorumque non tenuium iactura coniunctum, æquissimo semper animo tulit, imo magnæ gloriæ loco habuit, finis etiam propter quem animum ad Theologiæ studium adiecit, cupiuitque in albo Theologorum non tam haberi; quàm verè & re ipsa esse, plenam fidem ipsius in Deum, & erga Ecclesiam pietatis facere cuique potest ac debet. Finis certè non fuit, aut quæstus, aut gloria, aut voluptas, sed tantum, vt & ipse magis ac magis proficeret in pietate, sacrarumque literarum cognitione, & alios, atque inprimis nostræ nationis homines ad Christum adduceret, Christique regnum in patria præsertim, pro sua virili parte, facilius posset promouere. Sæpenumero hoc ex ipso audiui, & persuasum habui atque habeo? Ipse vicissim non semel à me intellexit, & è S. literis didicit, & verò etiam reipsa vidit & videt: Qui veri volunt esse Theologi, & serui Christi fideles, eos oportere & pauperes esse, & multorum calumniis atque odiis obnoxios, & in perpetuis versari laboribus, continuisque premi crucibus, quod hæc sit vera eorum, qui veritatem constanter tueri, & regnum Christi propagare student, conditio: quemadmodum & Prophetarum & Apostolorum, Apostolicorumque virorum, ac nostri etiam seculi fidelium Christi ministrorum exempla luculenter demonstrant, cū contrà & magni Medici, & excellentes Iurisperiti soliti sint omnibus esse chari, apud omnes haberi in pretio, opibus augeri, & euehi ad res magnas gerendas. Nunquid tamen propter-

propterea Rotanus noster, aut animum abiecit, aut remisit? Minime verò: sed magis ac magis indies Theologiæ amore accensus, ita studium hoc est persecutus, donec tandem omnium collegarum iudicio dignus fuerit iudicatus, qui inter Doctores Theologiæ cooptaretur. Eruditio itaque non vulgaris, constans amor pietatis, gloriáque Christi, & salus proximi, quam sibi in studiis Theologicis persequendis proposuit, effecerunt, vt eũ à Christo, ad hanc dignitatem atque officium electum fuisse, nobisque confirmandum proponi, minimè dubitare potuerimus. Neque verò hæc, ipso audiente, palam hîc profero, vt ipse efferatur (vnde enim hæc ipsi, nisi à gratia Dei?) sed partim vt & ipse, & nos cum ipso debitas agamus Deo gratias, partim vt publicum hoc meum testimonium, tam ipsi sit ad iter feliciter susceptum, strenuè etiam continuandum ac conficiendum, calcar perpetuum, quàm aliis studiosis ad insistendum iisdem vestigiis, acris vtilissimusque stimulus. Est enim illud apud animos non ignobiles omnino verum, *Honos alit artes: &, laudataque virtus Crescit, & immensum gloria calcar habet.*

Ac quoniam satis dictum est, tum de beneficij huius magnitudine, quo Deus nouos subinde dat Ecclesiæ Doctores: tum de Rotani nostri hoc ad munus, diuina (vt nos quidem iudicamus) vocatione: nunc de hac ceremonia, qua creari à nobis solent Doctores, pauca dicam: sed si prius tamen in mentem nobis reuocauero, tria esse Doctorum, qui cœlestem sapientiam profitentur genera, sicut à diuersis, diuersaque ratione creantur doctores. Quidam non ab hominibus, neque per homines, sed à solo Deo immediatè eliguntur, creantur, mittuntur, quales fuêre Prophetæ & Apostoli, & in quorum numero se quoque fuisse Paulus disertè testificabatur & gloriabatur. Alij à Deo quidem eliguntur, sed per homines, Christi ministros, creantur: quo in genere omnes fermè fuerunt Doctores, qui post obitum Apostolorum, in Ecclesia piè docuerunt & docent. Alij denique sunt, qui ab hominibus quidem solenniter eliguntur, & magnis ceremoniis creantur proclamanturque Doctores Theologiæ: sed tantum abest, vt Deo probentur, vt eos potius tanquam ματαιολόγους execretur & damnet: de quibus etiam per Ieremiam conqueritur, *Currebant* (inquit) *& ego non mittebam eos, prophetabant, & ego non loquebar ad eos.* Nunc ad id quod pollicitus sum.

Dico, ceremonias hasce, quibus in creandis Doctoribus vti solemus, non ita esse necessarias, quin sine vllo Ecclesiæ detrimento aut dedecore omitti possint. Rursus ita honestas esse, aio, vt contemni non debeant, neque sine reprehensione negligi à nobis possint.

Principiò, solitus est Deus, quos ipse dat Ecclesiæ Doctores, tum internis ornamentis condecorare, tum etiam externis aliquibus symbolis inaugurare, & mundo tanquam à se electos creatosque doctores publicare. Etsi enim interna ornamenta per se, etiam sine externis, magni semper facit Deus, externa verò sine internis, nihil moratur: quæ ipsius tamen est infinita & admirabilis sapientia, vult vt pij verique Doctores, non tantum Angelis Dei noti sint ex internis virtutibus: verum etiam, vt singulis fidelibus, ab ipsis quoque externis signis, & suæ voluntatis testimoniis innotescant. In quem verò finem? quò attentius & fructuosius audiantur. Sic Mosen, quem non solum voluit esse doctorem, sed etiã doctorem sui populi, primum internè suo spiritu, spiritusque donis non paucis exornauit, deinde vi etiam externorum miraculorum illustrauit, & coram tota Ægypto se velle, pro tali vt haberetur & audiretur, manifestissimè declarauit. Sic ferè Prophetas externis miraculis, aut aliis signis, illustratos atque ornatos Ecclesiæ exhibebat. Sic Christum, qua homo erat & est, cùm enim vellet esse supremum Ecclesiæ Doctorẽ, primum omnibus Spiritus S. donis, sine mensura Pater repleuit: deinde in Baptismo externis etiam symbolis eum inaugurauit, voce sua super eũ edita, *Hic est filius meus dilectus,* &c. Spirituq. S. in specie columbæ super eũ descẽdente ac manente, aliàs, cœlo aperto, Angelisque super illum descendẽtibus & ascendentibus in transfiguratione gloriæ Deitatis, visibilique splendore totum eum vestiente atq. ambiente: denique voce paterna super ipsum denuò facta, *Hic est filius meus dilectus, &c.* Sic Apostolos in die Pentecostes, non solum innumeris, maximisque & excellentibus donis, magis ac magis ornauit, verum etiam visibili Spiritus S. symbolo, in conspectu totius Hierosolymitanæ Ecclesiæ, cœlestis sapientiæ doctores & Apostolos declarauit, publicauit, confirmauit. Sic denique pastores omnes, quos Spiritus S. donis ornatos, per homines ad docendum

regendamque Ecclesiam eligit & mittit, symbolo quoque externo, impositione scilicet manuũ Presbyterij, consecrare sibi atque Ecclesiæ solitus est. Quidni igitur, quos à Deo nobis offerri ad munus Doctoris audimus, & verò etiam ex variis Spiritus Sancti donis, ex doctrina pietatis, eruditionéque non vulgari, ex probitate vitæ, studióque & in hac, & in illa proficiendi, intelligimus: nos non eligamus, creemus, publicemusque, atque externis etiam Doctorum ornamentis, quibus tum ipsi sui semper officij moneantur, tum alij ad eorum studia, virtutésque æmulandas incitentur, condecoremus? Sunt enim hæc, quibus exornari solent, ornamenta, tum internarum virtutum testimonia, tum officij, ad quod vocantur, monumenta perpetua. *Pileum* capiti impositum, libertatis signum esse docebant Romani: sed subiectionis etiam esse symbolum, nemo est, qui si legit Apostolum, nesciat. Nonne ergo pileus imponitur capiti Doctoris, vt intelligat, se & inter homines verè liberum esse, & apud Deum nouo subiectionis genere subiici Christo, docendi scilicet munere. Proinde meminisse is debet, se seruum esse Iesu Christi, vt & Apostoli se semper vocabant, eoque nihil sibi esse docendum, quod cum doctrina Christi non sit consentaneum, & ad eius non pertineat gloriam. *Annulus* insigne est non solùm nobilitatis, vt Romani docebant: sed etiam constantis fidei, qua quis alicui in sempiternum obstrictus est, veluti in coniugij celebratione manifestum perspicuúmque habemus. Annulum ergo digitis eius, cur induimus? tum vt se totum Christo, & Ecclesiæ eius in sempiternum obstrictum esse meminerit, eoque nihil sibi esse docendum, quod ad ædificationem Ecclesiæ non faciat: tum etiam, vt sibi in studium morum verè nobilium, diligentius, quàm vnquam antea incumbendum esse sciat. De libro S. literarum tam aperto, quàm clauso, quo quid sibi tum legendum, tum memoria retinendum aliisque prædicandum sit, luculenter indicatur: deque osculo pacis & amplexu, quo amicitiam concordiamque cum collegis in sana doctrina tradenda, colendam esse significatur, nemo est qui dubitet, nesciatve. Quæ cum ita se habeant, quis ceremoniam hanc creandi, ornandi, inaugurandique Doctores improbare queat, si Deus quos dat Ecclesiæ Apostolos, Prophetas, Doctores, solitus est non solùm internis Spiritus S. donis munire, sed etiam externis signis, sibi Ecclesiæque consecrare: cur nos idem confirmare detrectaremus? cur externa ornamẽta illis denegemus, quos priùs internis à Deo, ornatos fuisse animaduertemus? cur non humanis lætitiæ symbolis gratulemur illis, quibus Deus sese fauere non paucis sui spiritus donis, palam testificatur? Quid enim hoc ipsum aliud est, quàm Deo vocanti tacitè succinere, iubentique obtemperare?

Longè alia sanè res est, cùm homines internis ornamentis destituti, & ad stiuæ magis atque asinorum, quàm ad Scripturæ S. sacrorúmque Dei mysteriorum tractationem apti, externis Doctorum Theologiæ titulis atque insignibus, quibus coram hominibus tantum fulgeant, exornantur. Cum enim hi Deo non probentur, qui tu illos Doctores renuncias? Cum non sint à Deo facti idonei ad docendum, cur tu eos amplis Doctorum titulis atque insignibus condecoras? Non ideo Doctores sunt, quia Doctores sunt pronunciati, & Doctorum titulis atque insignibus ornati? Minimè gentium. Proinde rectè qui vocantur *Canonistæ,* definierunt, eos non esse pro Doctoribus agnoscendos, nec gaudere posse Doctoratus titulis, qui indocti, & ad docendum sunt inepti: quales (proh dolor) non pauci apud nostros, nedum in Papatu, creati soliti fuerunt. Sic Panormitanus ille inter Canonistas celeberrimus scriptum reliquit. Quin & in Codice, de sacrosanctis Ecclesiis, & priuilegiis earum, idem docetur. Consentanea verò sunt hæc cum iis, quæ traduntur in sacris literis. Sic enim Dominus per Hoseam ad imperitum Sacerdotem: *Quia repulisti scientiam, repellam & ego te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Quo ex loco colligere manifestè quisque potest, tantum abesse, vt sacrarum literarum imperiti ornari debeant Doctorum titulis, & doctoratus insignibus, vt his potius, si fortè à nescio quibus fuerunt aliàs ornati, exuendi sint atque spoliandi, déque tali gradu deiiciendi. Quod etiam idem Abbas Panormitanus confirmare non dubitauit, cùm in Pandectis quoque à ciuili Magistratu idem sanciatur. Procul autem absit à nobis, vt in celeberrima hac maximéque Christiana Academia, tales homines, aut nomine Doctoris, aut Doctoratus insignibus, aut etiam vllo eruditionis testimonio dignemur. Quos enim à Deo promotos esse nõ videmus (promouere porrò dicitur eos, quos donis spiritualibus, pietate scilicet, & solida S. literarũ cognitione

ornauit) illos non sine graui in Deum & Ecclesiam crimine, magnáque donorum Dei, & bonorum verorumque Doctorum contumelia, ad Doctoratus dignitatem, atque officium promouere possumus: neque etiam ab aliis promotos, in numero verorum Doctorum habere, parique cum illis honore afficere debemus: sed quos reiicit Deus, nobis vt reiiciendi quoque sunt, vt vt insignes iactent titulos, séque à summis viris creatos fuisse Doctores glorientur, & literas diplomatáque suarum promotionum ostentent. Non enim tituli & insignia, sed eruditio & probitas, Doctores efficiunt. Quibus, obsecro, argumentis Paulus demonstrabat, se verum esse Apostolum & Doctorem Gentium? Argumentis certè à rebus ipsis, à diuersis Dei in se donis, à suæ doctrinæ fructibus petitis. *Epistola nostra* (inquit) *vos estis, quæ legitur & intelligitur ab omnibus.* Item, *Qui etiam effecit nos, vt idonei essemus ministri Noui Testamenti.* Vnde vero Pseudo-Apostoli? à splendidis titulis, a literis commendatitiis, quòd missi essent ab Apostolis, quod Petri, quod Iacobi essent discipuli.

Ergo sicut longè maximum est discrimen inter Doctores, qui ab hominibus tantum sunt, & inter illos, qui sunt à Deo, quorum alij immediatè à Deo, alii à Deo, sed per homines, legitimè creantur, atque hi quidem magno, illi maximo, primi nullo planè digni sunt honore: sic longè diuersa ratio nobis sequenda ac retinenda est in iis, quos nobis à Deo offerri, vtpote pietate, ac eruditione ornatos, accuratè perspectum cognitumque habemus: & in illis, quos Deo minimè probari reipsa perspicimus. Hos enim reiicere iubemur, tanquam tanto honore indignos, Deoque non probatos. Illos verò, qui possumus non amare, non laudare, non amplecti, non titulo & nomine Doctorum atque etiam insignibus ornare? Quos enim Deus prior promouit, quis reiiciat? Quos Deus prior excellentibus donis, vero Doctore dignis exornat, quis externa Doctorum ornamenta his deneget? Denique quos Deus ornamentis spiritus honorat, quis non quocunque possit, humani etiam honoris genere afficiat? Etenim hi sunt illi de quibus Iacob, *Non deficient scribæ, &c.* Hi sunt, de quibus Apostolus, alios dedit Doctores, alios Pastores, ad instaurationem sanctorum. Quare (vt finem dicendi faciam) ita sentio, ita statuo, neminem esse, aut etiam fore, qui solennem istam actionem nostram qua in tot tantorumque virorum, celeberrimorum Doctorum, nobilium studiosorumque conspectu, *Rotanum* nostrum pronunciamus creamúsque Theologiæ Doctorem, solitísque Doctorum ornamentis, pro more huius celeberrimæ Academiæ nostræ, condecoramus, improbare possit, iudiciumque de eo nostrum vituperare. Nam præter comparatas iam virtutes Theologo dignas, speramus etiam, eum deinceps semper ita se gesturum, vt nos nostri iudicij nostræque huius honorificæ actionis pœnitere nullo modo queat. Quod vt faxit, Deum optimum maximum Patrem, Filium, Spiritum sanctum toto animo precamur, & precationem nostram, ad nominis diuini gloriam, Ecclesiarumque ædificationem exauditum iri confidimus.

DIXI.

Nunc ad rem ipsam venio.

Te igitur D. *Rotane*, qui iam consecutus es Licentiam, vt vocant, ego pro ea autoritate, qua in præsentia fungor, & nomine totius collegii nostri Theologici, tuæ iustæ annuens petitioni, palàm hic creo, pronuncio, saluto, sacrosanctæ Theologiæ Doctorem: téque non solum titulo & nomine Doctoris orno, verùm etiam omnibus honoribus, ornamentis, priuilegiis afficio & dono, quibus ornari donaríque solent omnes, qui ad istum dignitatis gradum legitima ratione conscendunt. Quod vt salutare, felix, faustumque sit tibi, nobis, & Ecclesiæ, ex animo precor Deum, omnium verorum Doctorum creatorem ac promotorem. Addo præterea externa huius dignitatis symbola, quo res certior fiat atque illustrior, atque vt tu tui semper monearis officii. Ac primùm, nouum pileum capiti tuo impono, vt & alii, & tu inprimis intelligas, te non solùm inter homines, nouum libertatis genus adeptum esse, verùm etiam nouo subiectionis genere, munere scilicet dicendi, Christo factum esse subiectum. Pileus enim apud Romanos, libertatis signum erat: apud Apostolum autem, tectum habere caput in Ecclesia, symbolum erat subiectionis: ac proinde memineris, te ita verè seruum esse Iesu Christi, vt non debeas fieri seruus hominum, nihilque doceas, quod non noris esse ex voluntate Domini tui. Annulum digito tuo indo, vt eo tanquam & equestris Romanorum ordinis, veræque nobilitatis, & constantis fidei symbolo commonefias, tum in studium verè nobilium morum, magis quàm vnquam tibi esse incumbendum, bonamque militiam militandam: tum te noua fide obstrictum esse Christo & eius Ecclesiæ, vt & illius gloria, & huius ædificatio, tibi semper sit in docendi munere quærenda. Annulus enim symbolum erat apud Rom. nobilitatis, equestrisque ordinis, & apud omnes Gentes, coniugalis fidei. Ergo & vt bonus miles Christi, milites bonam militiam, & fidem coniugalem ei atque Ecclesiæ serues oportet. Librum præterea scripturæ sanctæ apertum tibi trado, & rursus clausum reddo, vt memineris, in hoc vno tibi semper esse legendum, diésque ac noctes versandum: & ex hoc vno, memoria retento, quoties sese obtulerit occasio, tibi esse docendum, vtque is liber perpetua sit tibi regula omnis doctrinę Christianę. Denique hoc publico amplexu & osculo, te nomine omnium piorum Doctorum complector in Domino, vt intelligas pacem, charitatem, atque concordiam in Christo, inter vos vbique & in sempiternum esse colendam: quod sicut nos facturos pollicemur, sic te vicissim præstiturum speramus, ad gloriam nominis Dei, Ecclesiæ ædificationem, & nostri omnium salutem. AMEN.

EIVSDEM

ACADEMIAE HEIDELBERGENsis tum temporis, Magnifici Rectoris, de legum necessitate & vsu: déque Magistratus & officio & autoritate, Oratio 7. Ianuar. Anni 1571. Heidelbergæ ante legum recitationem habita.

Vetus consuetudo est, & ea vetustissimis confirmata legibus, collegæ obseruandissimi, & studiosi charissimi: vetus, inquam, est, huiusce celeberrimæ Academiæ consuetudo, vt quotannis & in hoc tempore, & in hoc loco, leges vniuersitatis, quibus hic viuendum est studiosis, à nouo eiusdem Academiæ Rectore, publicè & solenniter recitentur, idque partim, vt quisque quomodo hic sibi viuendum & gerendum sit, intelligat: partim vt Scholastica necessitudo, quæ ceu fœdus quoddam inter studiosos & inter vniuersitatem contrahitur, dum hæc illos in suam recipit tutelam, & illi vicissim huic suam spondent fidem & obedientiam, hac publica legum recitatione, & tacita omnium approbatione, renouetur ac confirmetur. Neque verò hæc consuetudo à Gentibus tantum profanis, vt à Solone, qui (vt de aliis taceam) quotannis suas leges toti Reipub. recitari voluit, desumta est: verùm etiam ex ipsis S. literarum fontibus hausta. Sic enim Deus ipse opt. max. suo & exemplo & præcepto, nobis faciendum esse docuit. Exemplo quidem, cum solenni legis suæ è monte Syna, promulgatione & obedientiæ ab Israelis stipulatione, tum eos, quid ipsorum esset officii, monuit, tum fœdus cum eis suum innouauit atque sanciuit. Præcepto verò, cùm singulari cauit mandato, vt singulo quoque septennio lex toti Ecclesiæ solenniter prælegeretur. Sic Iosias, postquam creatus fuisset Rex, fœdus cum Domino, palàm perlecta illius lege, & suo & totius Ecclesiæ nomine instaurauit. Sic per Esdram, explicatis magna cum solennitate, è suggesto, vniuersis Domini mandatis, fœdus cum Domino renouatum, firmatumque fuisse legimus. Sic longè antè, creato Rege Saule, Samuel toti populo, ius Regni prælegisse dicitur. Non solum igitur antiquissima est hæc consuetudo: verùm etiam diuina atque sanctissima, maxima cum vtilitate coniuncta, nimirum, vt nouo creato Magistratu, leges, quibus toti populo viuendum est, publicè recitentur. Quare non potuit, neque debuit hæc optima & vtilissima consuetudo à nobis præteriri, præsertim cùm ad hoc faciendum officium, nouus quotannis Rector, simulac creatus est, statim iureiurando astringatur.

Cæterùm, antequam de more, & ex officio leges vniuersitatis vobis recitandas in manus sumam, duabus de

rebus

rebus mihi dicendum est: nimirum de legum, cum in vnaquaque hominum societate, tum præsertim in publicis Scholis, necessitate atque vsu. Secundo loco, de Magistratus autoritate atque officio. Hæc enim duo debent omnibus esse instar duorum calcarium, quibus ad legum obedientiam incitentur. Nunc vt me attentè audiatis peto & rogo.

Nihil itaque apud omnes Gentes receptius, nihil per se antiquius aut honestius, nihil denique vtilius quàm vt omnes omnium hominum societates, regna, vrbes, oppida, domus, Ecclesiæ, Scholæ, certis honestisq. legibus coeant, viuant, regantur, quod sine legibus nulla planè hominum consociatio, aut amicitia vel feliciter coire, vel diu consistere queat.

Demonstrat hoc inprimis & ante omnia Deus optim. max. conditor rerum omnium, humanique generis amantissimus parens. Is enim iam inde ab initio mundi, & ante peccatum, & post peccatum, certis legibus homines & sibi obstrinxit, & inter se sanctè copulauit, quòd hoc ex ipsorum re atque vsu esse sapientissimè norit. Neque verò vno duntaxat, sed omnibus, quibus fieri potuit, modis suas dedit mortalibus leges, eas partim mentibus humanis, in ipsarum creatione insculpendo, partim voce promulgando, partim scripto ad omnem posteritatem propagando: partim denique eas animis hominum ceu obliteratas, spiritu suo rursus in eis inscribendo & renouando, vt tum amicitia cum Deo, tum amica inter vos societas firma & fixa consisteret.

Ac primùm quidem, simulatque creasset homines, statim vitam eis inspirando, simul etiam quandam æternæ suæ sapientiæ lucem, ac formam, qua verum a falso, bonum à malo, iustum ab iniquo, honestum à turpi, discernere poßet, in mentibus eorum impressit. Hanc impressam lucem & formam, *legem Naturæ* appellare soliti consueuimus.

Deinde verò, hac impressa & insculpta in animis hominum lege non contentus, quasdam etiam voce & verbo præscripsit toti humano generi communes, veluti legem de propagando & multiplicando humano genere, *Crescite & multiplicamini & replete terram:* legem de dominatu & imperio hominis in omnia animantia, *Dominamini piscibus maris, volatilibus cœli, bestiis terræ:* legem de cibis, quibus vesci deberent, *Ecce dedi vobis omnem herbam, vt sint vobis in escam:* legem de coniugio inter duos, *Quamobrem relinquet homo patrem & matrem & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carnem vnam.* Adde & legem illam, de non edendo fructu arboris, quæ arbor scientiæ boni & mali vocabatur, Adamo & Euæ sigillatim ac proptiè, in ipsa Paradiso præscriptam. Neque enim in ipsa etiam Paradiso viuere homines noluit Deus, aut etiam viuere decuit, sine legibus, propterea quod sine legibus sui Creatoris, creatura nec viuere debet, nec bene viuere potest. Atque hæc ante peccatum.

Multò verò minus post peccatum permissum est, permittive debuit, homines exleges viuere, quando excæcata iam mente, deprauatis affectibus, tota denique anima & corpore vitiatis, homo nihil aliud poterat, quam sese in omnia scelerum & flagitiorum genera præcipitem dare, nisi legibus quasi frenis vtcunque coherceretur. Deus igitur post peccatum, principio quidem lumen illud, quo bonum, honestum, & inhonestum discernitur, extingui penitus noluit, sed illius tantum in hominum animis relinquere, quantum satis foret ad eos perpetuo sui officii monendos, neglecti accusandos, pertinaciter contemti condemnandos, qua de re Apostolus ad Romanos abundè disserit. Quò etiam spectat tota illa æquitatis summa, in qua totam legem & Prophetas contineri affirmat Christus, nempe, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris:* Et contra, *Quodcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Quo ex fonte, omnes omnium Gentium & populorum de moribus, déque æquo & iusto leges fluxerunt.

Deinde præter hanc Naturæ legem, in singulorum mentibus relictam, alias quoque verbo adiecit tam ante, quàm post diluuium, ad omnes homines, & omni tempore pertinentes, qualis fuit lex de vitando otio, & victu laboribus sudoribusque parando: qualis & lex de subiectione mulierum, déque virorum in mulieres dominatu ac potestate: lex item de primogenitorum in reliquos fratres iure ac dignitate: lex quoque de edendis carnibus bestiarum, volucrium, piscium: item de non fundendo humano sanguine.

Neque etiam fœdus cum Abrahamo, & eius semine sancire voluit sine certis legibus. *Ambula* (inquit) *coram me, & esto integer, & circumcidatur ex vobis omnis mas.* Quo exemplo docemur, nullam aut cum Deo, aut cum hominibus, amicitiam, necessitudinem, societatem, sine certis & æquis conditionibus, quas placita & leges appellare consueuimus, coire posse.

Proinde idem Deus, suum postmodum fœdus cum populo per Mosen instauraturus ac confirmaturus, non tantum voce, verum etiam scripto, leges quas seruari vellet tam in religione, cultuque diuino, quam in humano conuictu & conuersatione præscripsit, & per eundem Mosen promulgauit. Erat enim ea lex populo necessaria, non tam vt esset norma viuendi, quam vt esset Pædagogus ad Christum, per quem & remissio præteritorum peccatorum impetratur, & impletio legis nobis imputatur.

Quid? quòd neque post peccatorum abolitionem, & cum Deo reconciliationem, quempiam in suam amicitiam & fidem, ac proinde neque in suam familiam & Scholam, sine lege fidei & charitatis recipit admittitve Christus? *Creditis in Deum & in me credite.* Item, *Hoc est præceptum meum, vt diligatis vos inuicem,* &c.

Quid? quod, cum, quam nobis præscripsit legem fidei & charitatis, eam per nos ipsi seruare nequimus, ac proinde inita amicitia & confœderatio cohærere non potest, vt hæc firma permaneat, legem hanc suam cordibus nostris per Spiritum suum sanctum inscribit: quemadmodũ hoc longe ante promiserat per Ierem. 31 se ideo scripturum legem in cordibus nostris, vt non sicut antea, irritum fieret, sed firmum maneret inter se atque nos fœdus.

Quid vis amplius? Neque arctissima æternaque beatorum spirituum in cœlis societas ac cœtus, firmus esse & perdurare sine legibus potest. Lege enim charitatis & amoris consistit. Quapropter dixit Apostolus, tametsi prophetia & linguæ, & alia Spiritus S. dona sint finem habitura; charitatem tamen nunquam abolitum iri: quia scilicet vnica amoris lege omnes in perpetuum consociabuntur electi. Quare ex iis, quæ de Dei consuetudine atque ordine dicta sunt, satis manifestum esse arbitror, id quod de principio nostræ orationis dixi: nullam videlicet hominum societatem, siue politicam siue Ecclesiasticam, siue publicam, siue priuatam, absque legibus neque iniri, neque continuari posse: ac proinde, nihil esse in mundo antiquius, nihil receptius, nihil humano generi vtilius, nihil per se honestius atque præstantius, quam vt omnis hominum cœtus atque societas, certis honestisque legibus coeat, viuat, regatur.

Neque id certè immerito. Tolle enim leges, quæ tum in mundo pietas, quæve religio? Tolle leges, quæ tum erit inter nos æquitas, quæve honestas? Tolle leges, quid in humano genere supererit, nisi ἀταξία, ἀναρχία, & omnium rerum confusio. Tolle leges, & quid sumus visuri, nisi latrocinia, adulteria, cædes, & omne genus flagitia? Etenim leges quid æquum & iniquum sit, docent. Proinde meritò lex Hebræis *Thorah*, hoc est, doctrina appellatur. Sine cognitione autem æqui, & iniqui, quid aliud fuerint homines, quàm belluæ? Leges vnicuique quod suum est reddi iubent. Proinde iure Græcis lex νόμος a distribuendo vocatur. Vbi autem locum non habet hæc distributio, sed vnicuique licet quod libet, quid ibi aliud fuerit, quàm lustrum leonum & crudelissimarum ferarum? Leges tradunt delectum bonorum & malorum. Sunt enim regula iusti & iniusti, iuris & iniuriæ. Ideo non ab re leges ab eligendo deduci voluit Cicero. Citra autem hunc delectum nihil homine pestilentius. Denique sine legibus omnia concidunt, omnia corruunt, omnia pereunt.

Quare non immeritò post Deum optim. max. sapientes quoque Reges & Principes, in sua quisque gente id cumprimis dederunt operam, vt bonas haberent leges, quibus & sui ciues ac populi inter se honeste & pacifice viuere, & suæ ipsorum ciuitates, ac regna diu conseruari possent, quemadmodum exempla in profanis historiis passim occurrunt, Atheniensium, Cretensium, Lacedæmoniorum, & omnium prope Gentium, atque imprimis Romanorum, qui non minus studij ac diligentiæ in sua vrbe, optimis legibus munienda, quam in toto terrarum orbe sibi subiiciendo adhibuisse leguntur. Nemo enim ignorat (vt vnum adferam exemplum) quantis sumtibus duodecim tabularum leges ab Atheniensibus acceptas Romam comportandas curarint. Quapropter, vt apud eos celebratur Numa Pompilius, & Regillanus autor 12 tabularum conscribendarum, sic apud Cretenses, Minos: apud Thebanos,

Philolaus: apud Chalcedenses, Andiodamus: apud Lacedæmonios, Lycurgus, apud Athenienses, Solon, apud Thurios, Charundas, apud Getas, Zamolxes: denique apud Indos, Gymnosophistæ, apud Babylonios, Chaldæi, apud Persas, Magi, apud Gallos, Druidæ, & apud alios alii propter bonas traditas leges, in maximo semper fuerunt honore.

Neque verò est, cur quispiam à legibus sese eximat, & se minimè opus habere legibus existimet. Tria enim duntaxat in mundo sunt hominum genera, & horum nullum est, quod carere legibus possit aut debeat. Primum quidem illorum est, qui quænam sint vetanda, & quæ persequenda, ignorant. His leges, quibus quid faciendum, quidve fugiendum sit, doceantur, necessarias esse, quis neget? Alterum est eorum, qui notitia quidem vetandorum & persequendorum præditi sunt, sed quæ vitanda sunt vitare, & quæ persequenda sunt, persequi omnino nolunt: sed contra pertinaciter & persequenda vitare; & vitanda persequi soliti consueuerunt, homines sanè mali, & mancipia peccati. Aduersus hos propriè condi leges, nemo hominum est, qui nesciat. Quod enim Apostolus scribit, legem non esse positam iusto: sed ἀνόμοις, sed ἀνυποτάκτοις, sed ἀσεβέσι, sed ἁμαρτωλοῖς, & aliis iniustis hominibus, γνώμη est naturalis, quam ipsæ quoque Gentes non ignorant. Sic enim & poeta Græcus Antiphon (vt vno simus contenti exemplo) scriptum reliquit: ὁ μηδὲν ἀδικῶν οὐδενὸς δεῖται νόμου. Postremum hominum genus eorum est, qui licet Dei beneficio & sciant, quæ facienda, quæve vitanda sint, & tam iis vitandis, quàm illis faciendis ex animo studeant, donati nimirum lege Spiritus interna, sæpe tamen & sui obliuiscuntur officii, & secus, quam sciant esse faciendum, faciunt, vt ad Roman. & Galatas pulcherrimè descripsit Apostolus. Tanta est tum mentis nostræ, tum affectuum omnium, totiúsque naturæ corruptio. His igitur etsi propriè posita non est lex, tamen haud inutiles sunt leges. Homines enim etiam sanctissimi nonnunquam dormiunt & segnes, & nimis securi. Opus igitur habent legibus, quibus ceu præconibus & sui admoneantur officii, & ad illud faciendum extimulentur. Quare non est, cur in hoc Mundo vllum hominum genus esse putemus, cui non sint non solùm vtiles, verum etiam necessariæ, in omni vitæ genere, leges honestæ.

Quod si omnis hominum societas bonis opus habet legibus, quibus & sanctè benéque deuinciatur, & diu feliciter conseruetur: id profectò multo magis vt fiat in Academiis publicisque scholis necessarium est. In has enim iuuentus erudienda, & in omni virtute, omnique literarum genere instituenda, à parentibus mittitur, vt ex iis potiò alij ad Ecclesiarum ministeria, eoque ad salutem animorum promouendam, alij ad politicas functiones, & ad rerum publicarum gubernacula suscipienda, alij ad corpora hominum curanda euocentur. Nouimus autem ex vulgata bonorum partitione, alia propria esse animi, alia corporis, alia verò, quæ vel animo, vel corpori seruiunt. Ad has verò tres bonorum species, tria iisdem scientiarum genera ordinari, omnibus notum est. Ad animum, veraque bona animi, Theologiam: ad corpus vel à morbis præseruandum vel curandum, vel in valetudine bona conseruandum, Medicinam. Ad reliqua autem bona, ad iura cuiusque, ad publicam vrbium & regnorum pacem atque honestatem, denique ad omne illud, quod humanam spectat consociationem, ex iure tuendum, ordinata est iurisprudentia. Quibus tribus scientiarum generibus, quartum est subordinatum, Grammaticæ, Dialecticæ, Rhetoricæ, Mathematicæ, reliquarumque artium liberalium, quæ omnes *Philosophia* nomine nuncupantur & intelliguntur.

Vnde verò hæc omnia? si causas spectes secundas, piè & rectè respondemus, ex Scholis. Vnde enim corporum humanorum curatio, sanitas, ac valetudo? è Scholis. Ex iis enim prodeunt excellentes Medici. Vnde iuris cuiusque, publicæ honestatis, æquitatis, pacis defensio? Ex Scholis. Inde enim omnes sapientissimi Iurisperiti & eloquentissimi ORATORES. Vnde religionis veræ purique cultus diuini conseruatio & propagatio? Ex Scholis. Hæ enim dant pios verosque Theologos: Ergo cum ad Scholas mittuntur, & è Scholis euocantur illi, qui omnia, quæ in mundo sunt, & ad hominem pertinent bona, sint administraturi, eòque totum terrarum orbem quodam modo temperaturi, nemo non intelligit, quanta cura, studio, diligentia, instituenda sit nostra iuuentus: nempe eò sincere, quò etiam ipsi studiosi plus, vel si bene instituantur, prodesse, vel si malè doceantur, obesse humano generi, Rebuspublicis, & Ecclesiæ possunt: quando (vt dictum est) è Scholis euocari soleant, qui aut Ecclesiis gubernandis, aut Rebuspubl. moderandis, aut corporibus hominum curandis præficiantur.

Ac notum est illud Sapientissimi Solomonis: *Imbue puerum iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Et illud Horatij.

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem,
Testa diu.

Qui autem bene institui potest iuuentus, sine bonis honestisque legibus? quibus tam Professores, quàm studiosi, in suo quisque ordine & officio contineantur? quibus succrescentia iuuentutis vitia corrigantur? quibus ad summam boni atque morigeri defendantur, petulantes verò ac præfracti coherceantur? Pernecessariæ igitur sunt cùm in vnaquaque societate, tum verò maximè in Scholis & vniuersitatibus.

Cæterùm, requiritur vt legibus obtemperetur, alioqui quorsum leges? Et quid enim illæ, aut in libris eleganter descriptæ, aut in Scholis diligenter quotidie etiam perlectæ, aut etiam in memoriæ thesaurum firmè reconditæ, nisi etiam reipsa colantur, prodesse possunt? Neque enim in legibus audiendis, vel perlegendis, vel memoria retinendis, sed obedientia seruandis, sita est illarum vtilitas, cùm earum finis sit πρᾶξις, non autem θεωρία. Sic Deus suam dedit legem, num vt simus auditores tantum? Minimè: sed factores: alioqui nulla magis te ad iracundiam prouocatur Deus, quam si legem eius profiteamur, deinde verò eam non curemus seruandam, quemadmodum passim hac de re per suos Prophetas testificatur. Locus est apud Ieremiam 35. de Recabitis minimè prætereundis. Recabitæ in omnibus quæ à Patre suo Ionadabo acceperant, mandatis, obedientissimi semper fuerunt. Inde acriter suum obiurgat populum Deus in hæc verba: *Confirmatum est verbum Ionadabi filij Recabi, quod præcepit filiis suis, vt non biberent vinum, & non biberunt vsque ad diem hunc, quia paruerunt præcepto patris sui. Ego autem locutus sum ad vos, manè surgendo & loquendo, & non obedistis mihi.* Proinde pœnam huiusce inobedientiæ & contemtus legis diuinæ subdit, dicendo: *Ecce ego adduco super Iehudam, & super omnes habitatores Hierusalem, omne malum, quod locutus sum super illos, eò quòd locutus sum ad eos, & non audierunt: vocaui illos & non responderunt* Tantum Deus.

Illud certum est, & rerum experientia quotidie confirmatur, DEVM solitum esse, ea perdere regna, vrbes, Ecclesias, Scholas, quæ legem quidem ipsius profitentur, sed illam vt seruent, nullam dant operam. Sunt autem omnes bonæ & honestæ leges, ex lege diuina, vt riuuli ex fonte. Neque certè huiusce diuini iudicij exempla nobis desunt, non solùm in scripturis, verum etiam in profanis historiis.

Quid enim obsecro in caussa fuit, cur Athenienses minus diu, quàm Lacedæmonij: & Lacedæmonij minus diu, quam Romani floruerint? Num quod illorum leges minus essent bonæ, aut rariùs legerentur, quam istorum? Minimè verò: sed hæc fuit caussa, nimirum, quia Athenæ citiùs quàm Sparta, & Sparta citiùs quàm Roma, legum imperium maiestatémque neglexit. Quæ item caussa fuit, quòd cùm diu, multorumque annorum bello, Carthago, & Roma, de imperio decertassent, ad extremum Carthago succubuit, & victa conditiones accepit? nempe hæc, vt rectè indicauit Polybius, quòd quo tempore inter has duas Respubl. incidit contentio, tum & Carthagine multò quàm antea negligentius, & Romæ multo quàm vnquam diligentius, leges colebantur, DEO iusto iudice & omnium bonarum legum autore, eos qui leges honestas seruant, seruante, & qui eas negligunt, negligente atque perdente. Nihil enim sine iure perpetuum esse potest. Ius autem ipsum, quid aliud est, quàm bene viuendi norma, legibus tradita atque præscripta. Legum igitur obseruantia atque custodia, omnium est ciuitatum omniumque humanorum sodalitiorum salus & conseruatio.

Quare non ita vobis cogitandum est adolescentes. Perlectæ sunt nobis hodie leges, satis est audiuisse. Non ita, non ita, boni adolescentes. Sed tam nobis legendæ sunt, quàm vobis audiendæ, vt seriò de eis colendis atque seruandis cogitemus. Idque debetis in vestrum inducere animum, non tam propter timorem, quàm etiam, & id quidem maximè propter conscientiam. Statutis enim magistratuum, cum lege Dei minimè pugnantibus, obtemperari iubet DEVS: quantò magis igitur legibus illis, quæ cum Dei verbo per omnia sunt consentaneæ, & ex ipsis diuinæ

diuinæ legis fontibus haustæ?

Quæ cum ita sint, quid putamus à nobis contemni, cum leges Magistratus nostri contemnimus? Num plebiscita? num Professorum & Doctissimorum hominum placita? Num Senatus decreta? num mortalium Principum edicta? Minime gentium: sed Dei omnipotentis mandatum. Ergo propter conscientiam imprimis animus nobis ad honestissimarum legum quæ mox prælegentur, obedientiam, adiiciendus est. Deinde etiam propter timorem. Magistratus enim, cuius est vt pareatur legibus, curare, profectò non sinit impunè peccari.

Nam (vt iam de officio & autoritate Magistratus non nihil breuiter dicam) principio omnis Magistratus, siue superior, qualis nobis est Illustrissimus Princeps, siue inferior, qualis vobis est Rector cum toto Senatu, à Deo est. *Non enim est potestas* (inquit Apostolus) *nisi à Deo.*

Deinde, cuique Magistratui, data est à Deo autoritas, qua malos coherceant, & bonos aduersus improbos tueatur. *Dei enim minister est* (inquit Paulus) *vltor ad iram ei, qui quod malum est, fecerit.* Proinde concludit, duplici de caussa, parendum esse Magistratui: nimirum & propter conscientiam, & propter timorem: Propter conscientiam quidem, quia cum Magistratus sit à Deo ordinatus, *qui resistit Magistratui, Dei ordinationi resistit. Qui autem, resistunt ipsi, sibi condemnationem ferunt.* Quid est autem quod magis torqueat conscientiam, quàm si tibi conscius sis, te pugnare cum Deo, cuius tamē iram vitare non posses? Ergo propter conscientiam imprimis obtemperandum est magistratui. Propter timorem autem, quia non temere magistratus gladium gestat, hoc est, autoritatem cohercendi habet, sed vt eum in malos exerceat. Proinde, inquit Apostolus, *si feceris quod malum est, time. Vis autem non timere, quod bonum est, facito.* Quid autem est illud bonum, quod, ne timeamus, nobis faciendum est? Legum cultus, atque obedientia. In neminem enim animaduertit magistratus, nisi in legum transgressores: quoniam hoc est magistratus officium, curare, vt legibus obtemperetur. Parendum ergo legibus & propter conscientiam, & propter timorem.

Postremò, finis quoque tertius autoritatis magistratui traditæ, & omnium pœnarum, quas de legum transgressoribus sumit, diligenter notandus est. Is est, bonum, nempe non suum proprium, sed publicum, hoc est, totius tam Scholastici, quàm Ecclesiastici & politici corporis salus. Docet hoc Apostolus, cum ait: *Dei enim Minister est, tibi in bonum.* Principiò, cùm ait, *Minister Dei est*, docet omnes magistratus, ministros esse non simpliciter, sed Dei: ac proinde negotia non sua propria, sed Dei, hoc est, ad quæ à Deo sunt destinati & vocati, illis esse perficienda. Secundo, cum ait, *tibi*, scilicet subdito, docet, Magistratus cōstitutos esse in officio, vt non sibi, suis commodis, suis voluptatibus, suæ gloriæ, sed subditorum saluti, seruiant: non secus atque parentes suis seruiunt, atque ministrant liberis totique familiæ. Tertiò, cùm addit, *in bonum*, apertè explicat finem, in quem ordinati sunt magistratus: nempe, non vt simpliciter seruiant subditis populis: sed vt illis ministrent ad bonum, ad ædificationem, ad salutem, nempe ad publicam pacem, ad publicam honestatem, ad publicam pietatem.

Quod enim Apostolus generatim dixit ad Romanos, *Magistratum Dei ministrum esse ad bonum*: id particulatim, quodnam sit illud bonum, explicat, 1. Timoth. 2. cum de precibus pro Magistratibus habendis, ait: *Orandum esse pro omnibus in eminentia* (idcirco) *constituta, vt quietam & tranquillam vitam degamus, cum omni honestate & pietate.* Docet Apostolus, iis tribus constare bonum illud publicum, ad quod ordinatus est quiuis Magistratus. Primò, vt commodè, tranquillè, pacificèque inter nos viuamus. Ad hoc primum caput pertinent leges, quæ aduersus rebelles, gladiatores, seditiosos, calumniatores, iniuriosos, petulantes feruntur. Ij enim pacem publicam turbant.

Secundò, vt vitam honestam agamus. Ad hoc alterum caput spectant leges, quæ sanciuntur aduersus morum corruptelas, scortationes, impudicas cantiones, choræas, ebrietates, crapulas, ludos inhonestos, indecoras vestes, & alia id genus, cum politicæ & Christiana honestate pugnantia. Tertiò, vt piè, hoc est, religiosè, in vero Dei cultu viuamus. Ad hoc caput pertinent leges, quæ constituuntur aduersus ἀθέους, hæreticos, blasphemos, religionis Christianæ contemtores & corruptores. Finis igitur autoritatis & officij Magistratus, non est suum ipsius commodum, aut gloria, aut voluptas, sed commune totius populi bonum, vita scilicet omnium pacifica & quieta, vita honesta, atque honorata, vita denique pia & religiosa. Hæc autem demum beata est, felixque vita. Quid enim felicius, quàm viuere piè, honestè, pacificè atque tranquillè? Huiusce beatæ vitæ partes, alibi quoque idem Apostolus explicauit, cùm ad Titum scripsit: Ideo *apparuisse benignitatem & φιλανθρωπίαν Seruatoris nostri Dei, vt abnegata impietate, & secularibus desideriis, sobriè, iustè, ac piè viuamus in hoc seculo.* piè, quo ad Deum, iustè, quoad proximum, sobriè, seu moderatè, quoad nos, in omnium rerum vsu. Qui enim piè viuit, propitium habet Deum. Qui iustè, pacem habet cum omnibus. Qui sobriè & temperanter, consulit & suæ valetudini, & suo honori, & suis facultatibus. Cuius autem felicior vita in hoc mundo esse potest, quàm eius, qui ita viuit, & vt Deum habeat propitium: & pacem cum omnibus colat, & rebus omnibus ad honestam voluptatem, ad honorem, bonamque vtatur valetudinem.

Ad hanc beatam vitam omnes quoque vniuersitatis leges ordinatæ & traditæ sunt. Ad eundem scopum collimat Illustrissimus Princeps confirmatione nostrarum legum, & multorum maximorumque in vniuersitatem beneficiorum collatione. Idem scopus est Magistratui vestro tam supremo, nempe Illustrissimo Principi, quàm inferiori, Rectori scilicet, totique senatui, nempe, vt omnes quietam & tranquillam vitam agatis, in omni honestate & pietate: atque ita in studiis bonarum literarum proficientes, bene beatéque viuatis. Quare cum finis nostrarum legum nostræque autoritatis & officij, nullus sit alius, quàm vestra omnium salus, vitaque beata: non est, cur quispiam leges colere, & Magistratui suo dicto obediens esse, grauari debeat.

Agite igitur, charissimi adolescentes, & quicunque in fidem vniuersitatis recepti estis: in hoc intendite omnes vestras cogitationes, consilia, studia, vt ex honestissimis vniuersitatis legibus, hoc est, vt piè, vt iustè, vt sobriè moderatéque viuatis. Date hoc Deo, Patri nostro cœlesti, qui hoc à nobis, pro suo iure postulat, vt simus sancti sicut & ipse sanctus est. Date Christo Mediatori, qui in hunc finem, pro nobis mortuus est, vt scilicet abnegata impietate, &c. Date parentibus vestris, qui hanc ob caussam huc vos magnis sumptibus miserunt & sustentant, vt longè alii in pietate, moribus, & literis domum redeatis, quā huc veneritis. Date Patriæ, quæ ad sui ornamentum & conseruationem, vos omni virtute ornatos, cupit ad se reuersos videre & amplecti, & vero etiam sese visuram sperat. Date vestris præceptoribus, & toti vniuersitati, qui in hoc perpetuo incumbunt, vt quotidie ornatiores effecti, tandem & Ecclesiæ & Patriæ, tum ornamento, tum adiumento esse possitis. Date hoc denique huic verè nobilissimæ & Illustrissimæ, déque non solum literatis hominibus, sed etiam de tota Germania optime meritæ, Palatinorum Principum familiæ, quæ annis abhinc circiter 225. Gymnasium hoc Heidelbergense instituit, exædificauit, amplissimis facultatibus donauit, magnis priuilegiis muniuit, & doctissimis excellentissimisque viris vndequaque maximis sumptibus conductis, exornauit, & semper ornat. Et in quem obsecro finem? Non in alium, quàm vt hinc per totum terrarum orbem, ne dum per Germaniam, cum bonis literis, vera quoque pietas ac religio, honestique & Christiani mores, per vos studiosos adolescentes, in omni virtute & Christiana religione institutos, propagetur, ad laudem & gloriam Dei, ad ædificationem Ecclesiæ, & ad vestram omnium salutem.

Denique scitote, hanc esse voluntatem Illustrissimi Principis & Domini nostri Clementissimi, Friderici Electoris, nempe, vt ex iis legibus, quas iam iam recitaturi sumus, in hac vniuersitate viuatis, pœnas alioqui graues daturus, qui secus contumaciter fecerit.

Nunc igitur leges ipsas audiamus, &c.

Hæ sunt leges, quibus nobis omnibus viuendum est, quicunque in hac vniuersitate viuere volumus. Quàm hoc sit honestum & vtile, satis supéque est explicatum. Nihil igitur restat, quàm vt primum inducamus in animos nostros re ipsa præstare, quod nouimus esse præstandum. Deinde gratias agamus Deo pro omnibus eius in nos beneficiis.

Gratias itaque agimus tibi pater cœlestis, quòd non solum nos ad imaginem tuam creasti, & per Filium tuum redemisti, & per Spiritum sanctum tuum regenerasti, &

per S. Euangelium tuum nos ad illam veritatem, in qua, tota nostra salus est posita, peruenire fecisti: sed etiam Scholas toti orbi aperuisti, in quibus præter alias scientias tuum S. Euangelium purum putum conseruatur, & inde ad omnem posteritatem propagatur: Et precamur, vt vsque in finem mundi, tua hæc beneficia, in Ecclesia tua conseruare digneris.

Deinde gratias agimus Illustrissimo Principi nostro Friderico Electori Palatino, Domino nostro Clementissimo, tanquam instrumento Dei, quòd hanc Academiam conseruat ac tuetur, & omnibus cumulat, quibuscunque potest, beneficiis, ac precamur Deum, vt illum diu nobis seruet incolumem, ad gloriam nominis Christi, & propagationem sui Euangelij.

Postremò agimus gratias clarissimis D. Doctoribus & Professoribus, quòd hanc publicam actionem sua præsentia cohonestare dignati sunt. Reliquis autem tam studiosis, quam aliis, debitam habemus gratiam, quod promtis animis à nobis moniti, adfuerunt, & attente nos audierunt. Vicissim quicquid in vestram omnium vtilitatem & honorem præstare possumus, illud nos præstituros recipimus.

DIXI.

EIVSDEM ORATIVNCVLA habita in Schola Neustadiana, ante & post legum recitationem.

INter alias leges huiusce nostræ Scholæ, magnifice D. Proprinceps, &c. inter leges, inquam, ab Illustriss. Principe nostro D. Iohanne Casimiro huic Scholæ præscriptas, hæc quoque continetur, & non postremum obtinet locum, qua videlicet mandatur, vt omnes hæ leges, ad quarum normam, viuendum, docendum & discendum est in hac vrbe & Schola, quotannis in frequentissimo omnium Professorum, præceptorum & studiosorum conuentu, per Rectorem Scholæ solenniter recitentur. Id verò procul dubio non sine caussa: sed vt tum ex hac solenni legum recitatione, tum ex tacita cuiusque in easdem consensione, non solum quisque, quid sibi agendum, & quomodo in hac societate viuendum sit, intelligat: verùm etiam vt omnes simul, qui in hoc Scholæ corpus cooptati sumus, & nexu legum constricti, in vnum magis ac magis fœdere Scholasticæ societatis renouato, coalescamus. Neque enim, quin is, quem modò explicaui, finis fuerit huiusce latæ legis, dubitare possum, quippe qui non nescio, alios quoque legislatores, atque imprimis Deum opt. max. easdem ob caussas idem olim fecisse & fieri iussisse. Cur enim tanta cum maiestate, quanta nunquam fuerat ante visa vel audita, legem suam è monte Syna, toti populo suo, fidem & obedientiam ab ipso stipulatus, promulgauit? nimirum, vt ea solenni & legum suarum promulgatione, & obedientię ac fidei stipulatione, tum omnem ignorantiæ excusationem tolleret, tum fœdus suum longe ante cum Patriarchis initum, cum illorum posteris Israelitis, sanciret ac renouaret. Easdem ob caussas, singulari porrò cauit mandato, vt præter quotidianam, tum publicam in cœtu, tum priuatam cuiusque domi suæ lectionem, singulo quoque septennio, lex tota, toti Ecclesię solenniter prælegeretur: id quod diligenter seruatum fuisse non dubitamus. Neque aliò respexit Iosias, cùm factus Rex, vniuersum populum conuocauit, & coram Iehoua, legem eius publicè, omnibus attentè audientibus, recitari voluit. Sic enim & fœdus cum Domino confirmauit, & quænam eius esset voluntas, populo luculenter & solenniter patefecit. Eodem spectauit Esdras, cùm post reditum è Babylone, conuocato vniuerso populo, omnia Dei mandata, magna cum solennitate, è sublimi suggesto, non solum recitauit, sed etiam explicauit. Comprobarunt hanc tum legem Domini, tum consuetudinem Israelitarum aliæ quoque Gentes, & sapientissimi Gentium gubernatores, quorum consilio & autoritate factum fuisse legimus, vt apud omnes fermè populos, mos iste & consuetudo, leges & statuta, certo anni tempore, post creatum nouum Magistratum, publice & solenniter recitandi, in hunc vsque diem obtineret: quòd nimirum hac ratione, & omnis ignorantiæ prætextus ciuibus adimatur, & fœdus inter populum ac Magistratum pulcherrime renouetur ac confirmetur. Ergo quod Illustrissimus Princeps noster, leges huic Scholæ præscriptas, quotannis in solenni omnium eorum, qui in hanc Scholæ societatem recepti sunt, conuentu, per Rectorem recitari, lata lege mandarit: hoc nemo hominum est, qui probare & laudare non queat ac debeat. Etsi verò, quod iam iam facturi sumus, longe ante fieri à nobis debebat: non sine tamen iustis & necessariis caussis, res huc vsque fuit dilata: inter quas hæc non postrema est ratio, quòd commodius ad hoc officium faciendum locus, non citius quàm nunc, datus nobis fuit, dari ve potuit: vt taceam, quòd cum sub initium huius anni & conscriptæ, & statim etiam per Clariss. virum D. summi Consilii Secretarium, omnibus qui tum aderant, Professoribus & studiosis prælectæ fuerint hę leges, vt eędem paulò post denuò per me recitarentur, nulla necessitas postulabat. Adde, quòd nonnulli adhuc Professores desiderabantur, & incrementum Scholæ exspectabatur. Quare quòd nunc primum tantùm, ad prælegendas vobis leges accessetimus, in nullius iustam reprehensionem nos incurrisse, aut incurrere posse confidimus.

Agite ergo collegæ obseruandi, & studiosi charissimi, ac celeberrimo hoc in loco, cœlóque suo splendore vobis applaudente, quænam sint nostræ leges, attente audite.

POST RECITATIONEM.

Hæ sunt Scholę nostræ leges, quæ non ideo aut conscriptæ fuerunt, tantum vt legerentur, aut prælectę vobis sunt, tantum vt audirentur, sed & illud, & hoc factum est, vt à nobis reipsa seruentur. Quorsum verò harum obseruatio? Non alio spectat, quam quo tota huius Scholæ institutio, quàm quò pium propositum Illustrissimi Principis, quàm quo sapientissima consilia Dominorum Consiliariorum, quo delectus huius saluberrimæ & commodæ ad studia, vrbis, quo magnifica ista ædificia, quo tot Professorum ac præceptorum moribus & eruditione clarorum vocatio, quo liberalia in eos stipendia atque honoraria, quò ipsorum studia atque labores, quo tam magni & qui facti sunt, & qui fiunt, & qui faciendi sunt sumtus, quo denique omnia liberalissima Heroici Principis in omnes beneficia spectant: eodem inquam, harum quoque quæ à nobis exigitur, legum obseruatio pertinet. Quid vero tandem hoc ipsum est? vestrum, studiosi, bonum, vestrum commodum, vestra salus, vestra felicitas, tum politica, tum Christiana. Diu multumque apud omnes Gentes, populos, ac nationes, non solùm inter doctos, sed etiam inter imperitos, de humana felicitate, & quid sit, quibúsve in rebus sit posita, & quanam ratione comparari possit, disputatum fuit. Neque verò id sine caussa factum fuisse constat. Cùm enim à Natura cuique inditum sit, vt cupiat esse felix, cumque etiam finis omnium humanarum actionum sit ipsa felicitas, qui fieri aliter potuit, quàm vt quisque quibusnam in rebus ea consistat, & qua via, quóve modo ad eam perueniri possit, diligenter inquireret ac disputaret? Digna sanè est homine disputatio, qui solus inter omnia animantia, ratione ac mentis intelligentia constans, solus etiam propter finem à se cognitum, operatur, eoque & solus summum suum bonum, finémque vltimum cognoscere, atque vt illum consequatur, eniti & debet & potest. Ac reuera nemo hominum est, qui & non cupiat esse felix, & non omnia agat, vt sit felix, & felicitatem se posse assequi non speret, quanquam & quibus in rebus ea sit posita, & qua ratione possit comparari, non omnes intelligant: aliis in voluptatibus corporis eam collocantibus, aliis in magna rerum bonorumque externorum copia, aliis in honore, gloria, & nominis celebritate, aliis in potestate atque imperio, quo omnibus præsint ac dominentur, nemini autem seruiant, veram consistere felicitatem contendentibus, plerisque verò omnibus, eam à fortuna pendere, casibusque fortunæ totam esse subiectam, existimantibus, quibusdam tamen altius conscendentibus, ac felicitatem in virtute, virtutis verò consecutionem partim in Dei benignitate ac gratia, partim in hominis studio collocantibus, à quorum iudicio atque sententia non multum dissensit Aristoteles, Philosophus ille magnus.

EIVS-

EIVSDEM

ORATIO,

Qua explicatur dictum Pauli, 2. Timoth. 3. *Magnum est sine controuersia pietatis mysterium, Deus manifestatus est in carne, iustificatus est in spiritu, &c.*

ROgatus à fratribus, ornatissimi Auditores, & fratres charissimi, rogatus, inquam, à fratribus, vt huic celebri Christianæque Scholæ salutem dicerem, & aliquem Scripturæ locum, ad consolationem omnium explicarem, non potui illis hac in parte non gratificari. Etsi enim ego aliis distractus essem negotiis & cogitationibus, vt nunquam minus ad dicendum apparatus fuerim, quàm hoc tempore, tamen quia & qui petierunt, summi sunt amici, & res, quæ petebatur honestissima est, & Scholam, cuius caussa petebatur, amo atque obseruo: idcirco non potui, quod à me postulatum est, recusare, nisi voluissem in apertum ingrati animi crimen incurrere. Proinde malui amicis gratificando, imperitus, quàm illis quidpiam denegando, inofficiosus videri. Ergo æquum est, vt vos quoque, quicquid à me dictum hic fuerit, modò pium & Christianum illud sit, licet minus elaboratum, totum illud boni & æqui consulatis, id quod vos facturos esse minime dubito. Sum enim de vestra omnium æquitate atque prudentia persuasus.

Ac primum vobis omnibus viris clarissimis & Auditoribus charissimis, salutem & pacem à Domino precor, per Iesum Christum, æternam. Deinde, speciatim ipsi Scholæ gratulor, quod tot præclaros, omnique virtutum genere ornatissimos, nacta sit Dei beneficio, Professores, quorum opera, diligentia, eruditione, facilè & breui, in omni scientiarum genere, proficere possunt, & si velint, omnino profecturi sunt studiosi, si sibi non desint.

Cæterùm, cogitanti mihi, quemnam deberem è S. Scripturis locum, vobis explicandum deligere, qui & facilis esset ad intelligendum, & vtilis ad consolandum, & verò etiam ita breuis ad explicandum, tandem occurrit iste ex 1. ad Timoth. 3. qui paulò ante à nobis recitatus est. Sex enim breuibus propositionibus complexus est in hoc contextu Apostolus, summam Euangelicæ doctrinæ, & quicquid de mysterio Christianæ pietatis dici potest. Nam cum paulò ante describens quid sit Ecclesia, dixisset eam esse columnam & firmamentum veritatis: nunc quæ sit summa illius veritatis, breuiter, sed dilucidè tamen explicat, dicendo: *Et sanè magnum est sine controuersia pietatis mysterium, &c.* Fuerit igitur & vtilis, & consolationis plenus hic locus, si diligenter explicatus, attentè etiam audiatur.

Nunc accedo ad explicationem textus Apostolici. Hunc autem seco duas in partes: prima, præfatiuncula quædam est, qua attentos facit lectores ad ea, quæ dicturus est. Secunda, continet doctrinæ Christianæ summam.

Quod ad præfatiunculam attinet, ea sic habet: *Et sanè magnum est pietatis mysterium.* Hac præfatiuncula docet, doctrinam Euangelij, esse quidem arcanam, Mundóque occultam, sed tamen esse quoque certam & diuinam.

Quid enim Apostolus vocat pietatis mysterium? Euangelij doctrinam. Sic 1. Cor. 4. *Sic vos æstimet homo vt Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Cur mysterium? quia arcana & occulta est Mundo, & sapientibus huius Mundi, atque ita occulta & arcana, vt nulla ratione intelligi à quopiam possit, nisi per Spiritum sanctũ & fide, vt est 1. Corinth. 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Dei, nec potest percipere.* Ideo quòd hic Apostolus vocat mysterium pietatis, quia scilicet totam pietatis doctrinam continet, suprà vocauit mysterium fidei, quia fide tantùm percipitur. Quid? quod ne spiritualis quidem homo, licet fide & spiritu Dei præditus sit, hanc Euangelii doctrinam percipere potest, nisi ex parte? Sic enim Apostolus 1. Cor. 13. *Nunc cognoscimus ex parte, & ex parte prophetamus, &c. Cernimus nunc per speculum, & per ænigma, &c.* Meritò igitur Euangelium *mysterium pietatis & fidei* appellatur, quia arcanum & occultum est mundo, Angelis & hominibus. Quare autem vocat *magnum*? non solum, quia valde arcanum est, sed etiam, quia de rebus est magnis, diuinis, cœlestibus. quæ omnem creatam superãt mentem. Qualia quæso sunt hæc præcipua, quæ sequũtur Euangelij capita? Deum manifestatum esse in carne, h. e. Deum, qui lucem habitat inaccessam, & quem nemo hominum vidit vnquam, aut videre potest, conspicuum factum esse in carne: eundem iustificatum esse in spiritu, h. e. declaratum esse id quod erat, nempe verum Deum, licèt in carne conspiceretur mortali: conspectum esse ab Angelis, prædicatum & adoratum: prædicatum esse omnibus etiam gentibus, ad quas tamen pertinere minime videbatur: creditum in mundo, h. e. fide, vt verum Seruatorem receptum esse in mundo vniuerso: ac demum assumtum esse in cœlestem gloriam, ibique ad dextram Patris, pro sua Ecclesia sedere & intercedere. Sunt hæc omnia maxima mysteria, Mundo abscondita, sed tamen certissima. Meritò igitur Apostolus, Euangelii doctrinam, non simpliciter mysterium, sed magnum dixit esse mysterium, idque cum asseueratione, dicendo, sine cõtrouersia. Quare hic locus communis est de qualitate Euangelij.

Quorsum verò hæc præfatiuncula? in duplicem vsum, quorum vnus pertinet ad ipsos Pastores Doctoresque Ecclesiæ: alter verò ad ipsos auditores. Primò discere hinc debent Pastores, quanta sit sui officij dignitas, cum penes ipsos depositum sit hoc mysterium tam magnum pietatis, ceu pretiosissimus cœlestisque thesaurus, vt illum hominibus dispensent ad salutem: & ideo diligentiam adhibeant in eo conseruando & dispensando. Alter vsus spectat ad ipsos auditores. Is est, vt cùm audiunt Euangelium, cogitent, rem esse arcanam carni & sanguini, & opus esse fide, ideoque petant à Domino fidem & spiritum, & attentè audiant. Atque hæc satis de prima huiusce contextus parte.

Altera verò pars continet summam huius magni mysterij, h. e. Euangelicæ doctrinę, cuius antea dixit, Ecclesiam esse columnam & firmamentum. Totam hanc summam sex complectitur propositionibus, id quod liquet si quis diligenter singulas examinet. Nam sunt omnes (meo iudicio) synecdochæ, quæ multa continent mysteria.

Prima & secunda propositio, continent ea, quæ pertinẽt ad personam Christi, quatenus Deus est & homo. Ac prima quidem propositio, nempe, *Deus manifestatus est in carne*, explicat verbi æterni incarnationem, & omnia illa continet, quç ad illius humanitatem attinent. Altera, nempe, *iustificatus est in Spiritu*, declaratur illius diuinitas, nempe, quòd licet in carne esset mortali: verum se tamẽ Deum esse, variis suæ diuinæ virtutis testimoniis declarauerit: ac proinde hæc propositio, continet in se omnia miracula, omnia diuina opera, omnia denique Diuinitatis Christi argumenta, quibus declaratus est, esse Dei filius, ac Deus ipse.

Tertia, nempe, *visus est Angelis*, seu *conspectus est ab Angelis*, pertinet ad vim beneficii Christi, nempe hunc Christum, qui cùm Deus esset, factus est homo pro salute mundi, ita reconciliasse terrena cum cœlestibus, factumque esse Dominum, non solum hominum, sed etiam Angelorum, vt in huius rei testimonium, Angeli ministri Dei, descenderint de cœlo, & maximo cum stupore, oculis in hunc intentis, eum agnouerint pro vero Deo & Saluatore, eum adorarint, illum vt Seruatorem, mundo prædicarint, eique tanquam Domino, & Seruatori, iam inde à natiuitate, vsque ad ascensionem seruierint ac ministrarint. Quibus officiis & obsequiis declararunt Angeli, per hunc Iesum, Deum reconciliatum esse hominibus, & cœlestia cum terrestribus.

Quarta propositio, nempe, *prædicatus est Gentibus*, continet huius beneficij Christi ad omnes Gentes propagationem, per prædicationem Apostolorum, eóque regni Christi amplitudinem. Vbi innuitur Iudæorum reiectio, & Gentium vocatio, ac proinde hac propositione continetur prædicatio Euangelij, Ministerium Ecclesiæ, Iudæorum reiectio, Gentium vocatio, regni Christi per totum terrarum orbem amplitudo.

Quinta propositio, nempe, *Creditus est in mundo*, seu *fides illi habita est in Mundo*, continet efficacitatem prædicationis Euangelij in electis omnibus, qui fuerunt, sunt, quo pacto scilicet Christus prædicatus ab Apostolis, & aliis Dei præconibus, non solùm in Iudæa, sed in toto orbe, ab electis fide receptus fuerit, & quotidie recipiatur: ac proinde, continetur hac propositione, efficax electorum vocatio, iustificatio, sanctificatio, salus per fidẽ in Christũ.

Sexta, nempe, *Assumtus est in gloriam*, continet Christi vt hominis ac Mediatoris, in cœlum ascensionem, glorifi

carionem, sessionem ad dextram Patris, perpetuam pro electis intercessionem, denique aduentum in sua gloria & maiestate, ad iudicandum viuos & mortuos, eòque totius corporis Christi, quod est Ecclesia, glorificationem. Neque enim assumtus est in gloriam cœlestem, pro se tantum, sed etiam pro Ecclesia, quod est corpus ipsius, vt in eandem nos, in quam & ipse, tandem aliquando recipiamur, sicut dixit Iohan.14. *Vado paratum vobis locum*. Et Iohan.17. *Volo, vt vbi ego sum, sint & ij, quos dedisti mihi*, &c.

His sex capitibus, quid desiderari potest amplius. His autem continetur totum Euangelium. Ergo hoc vno versu, complexus est Apostolus totam Euangelicæ doctrinæ summam, cuius columna & prædicatrix est Ecclesia.

Nunc reliquum esset, vt singula hæc capita, diligentius explicarem, locos communes obseruarem, & confirmarem? sed quia non huc veni, vt vos docerem, sed tantum vt aliquid ad mutuam consolationem dicam: idcirco hæc capita percurram breuiter, quatenus ad nostram faciunt consolationem.

Ac primum, quid nomine Dei intelligit Apostolus, cum ait *Deus manifestatus est in carne?* Filium Dei, τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ: non autem, vel Patrem, vel Spiritum S. Quid nomine CARNIS? verum hominem, hoc est, humanam carnem, anima rationali præditam. Quid igitur sibi vult, Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί? *Deus manifestatus est in carne*? idem quod Iohannes, cap.1. Καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. Quare verò non ait Apostolus, *Deus factus est homo*, sed ἐφανερώθη ἐν σαρκί? vt ostendat, antea fuisse inuisibilem, & lucem inaccessam cum Patre inhabitasse, sed demum, nostra carne assumta, factum fuisse nobis conspicuum, sese in rebus omnibus, excepto peccato, verum esse hominem declarando. Hic est verus huius loci sensus. Quod enim hic dicit Apostolus, idem est cum illo, quod ait Iohannes cap.1. sui Euangelii, ὁ λόγος *erat Deus, & ille* ὁ λόγος *caro factus est. & habitauit inter nos* Item cum illo, quod ait Baruch 3. Vbi verba faciens de vero Iehoua, ait: *Hunc esse verum Deum, cui alius non sit comparandus*, posteà subdit: *Ea postea in terra visa est, atque inter homines versata*. Refellitur ergo hîc interpretatio quorundam Arianorum & Seruetianorum, qui, vt inficiantur, Christum esse verum Deum, Apostoli locum ita eludunt: Deus, id est, Pater, manifestatus est in carne, hoc est, in Christo vero homine, sese qualis erga nos esset, declarauit, clementem scilicet, ac misericordem, & beneuolum. Fatemur, Patrem, qualis erga nos sit, sese in Christo declarasse; sed quam adferunt interpretationem, alienam esse à mente Apostoli: neque hunc locum posse de Patre intelligi, hinc perspicuum fit.

1. Ab illa dictione Deus. De eodem loquitur Apostolus in hac prima propositione, cùm ait, Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί, de quo etiam in reliquis, quas subdit, *iustificatus est in spiritu: assumtus est in gloriam*, &c. Omnes enim hæ construuntur cum illo nomine ὁ Θεός. Quis autem ille est, qui fuit iustificatus in spiritu, conspectus ab Angelis, prædicatus Gentibus, creditus in mundo, assumtus in gloriam? Non Pater, neque Spiritus S. sed Filius. Hic certè solus assumtus est in gloriam; hic est, quem prædicant Apostoli Gentibus, vt est 1.Cor.1. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum*, &c. De solo igitur Christo, locus hic intelligendus est, non de Patre.

2. A dictione illa ἐφανερώθη. Hæc significat, conspicuum factum esse, atque visibilem hominibus. Pater autem, etsi in Christo, suam patefacit voluntatem erga nos: tamen nunquam factus est pro nobis visibilis atque conspicuus, 1.Tim.5. Ergo, &c.

3. Proinde hic locum habemus communem, eumque illustrem de duabus in Christo naturis, deque vnitate personæ.

Cæterùm, notanda est, vt de principio dixi, synecdoche in hac & in aliis propositionibus. Hac enim dictione ἐφανερώθη ἐν σαρκί, Apostolus non tantùm voluit indicare verbi incarnationem, sed totam eius vitam, passionem, mortem, sepulturam, & quicquid gessit ac passus est, quo verum se esse hominem declarauit. Notanda est etiam causa finalis, cur Deus manifestatus est in carne? pro salute Electorum, vt scilicet nos, qui æternæ damnationi, propter peccatum eramus obnoxii, ab ea liberatos adduceret Deo Patri. Hoc igitur est magnum proculdubio, & admirandum mysterium, quod scilicet Filius factus sit homo, pauper, abiectus, quod passus sit crucem & mortem, idque pro salute eorum, à quibus & ipse & Pater offensus fuerat. Mundus hoc ridet, vnde Paulus 1. Cor.1. *Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis verò stultitiam*. Ideo mysterium est.

II. *Iustificatus est in spiritu.*

Iustificari hîc accipitur pro declarari, talem esse, qualem se quisque prædixit. Sic Psal 51. *Iustificaberis in sermonibus tuis*. Iacob.2. *Abraham iustificatus est ex operibus*.

Nomine *spiritus*, intelligitur vis diuina, quæ in Christo erat, & qua se Deum esse declarabat, miraculis, remissione peccatorum, regeneratione, &c. Sic 1.Pet.3. *Mortuus carne, viuificatus spiritu, in quo etiam profectus spiritibus qui sunt in carcere, prædicauit*. Sensus igitur est: Christus, sicut variis suæ humanæ infirmitatis actionibus declarauit, se hominem esse: ita etiam variis, suæ diuinæ virtutis operibus, declarauit, se verum esse Deum, sicut etiam se esse prædicabat.

Quare dicit, *iustificatus*? Quia cùm dixerit, se esse Deum, nisi probasset vi spiritus, se talem esse, habitus fuisset pro mendaci & blasphemo. Sic Ioh.8. Iudæi dicunt, *Hic blasphemat, quia dicit se æqualem esse Deo*. Christus igitur, cùm aperta vi spiritus demonstraret, se verum dixisse, nec blasphemum esse, dicitur iustificasse seipsum spiritu. Est igitur hic locus apertus, pro ipsius Diuinitate.

Ac certè, si spectes ipsius vitam, & actiones quasdam, videbis, quibus se manifestarit hominem esse: sed si alias quoque spectes spiritus actiones, videbis, quibus se declararit Deum esse. Concipitur in vtero fœminæ, vt homo: sed Angelus annunciat, è Spiritu sancto: & appellatum iri filium Altissimi. Nascitur, vt homo; sed Angeli prædicant, esse Seruatorem, & ea re Deum, dicendo, *Natus est vobis hodie Seruator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid*. Nascitur plorans, vt homo: Angeli glorificant, vt Deum, dicendo: *Gloria in cœlis altissimis DEO, ac in terra pax, in hominibus beneuolentia*. Iacet in præsepi pauper, vt homo, Magi munera adferunt, & adorant vt Deum. Circumciditur vt homo: vocatur nomine Iesus, vt Deus. Offertur in templo, vt homo, adoratur à Simeone vt Deus, Baptizatur vt homo. Pater è cœlo testatur, eum esse filium suum dilectum: Et Iohannes Bapt. fatetur esse verum Deum: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata Mundi*. Prædicat, docet, vt homo, miracula simul edit, vt Deus. Versatur cum peccatoribus, vt homo, remittit peccata, vt Deus. Luget mortem Lazari, vt homo, resuscitat eum, vt Deus. Patitur, vt homo, remittit etiam peccata latroni, & Paradisum promittit, vt Deus. Sepelitur vt homo; resurgit vt Deus. Rom.1. *Declaratus filius Dei, ex resurrectione*. Sunt hæc opera spiritus, illa carnis. Ideo carne, se verum declarauit esse hominem; spiritu, Deum. Est igitur vt verus homo, ita etiam verus Deus. Rom.9. *Ex quibus est Christus secundum carnem: qui est Deus benedictus in secula*. Actor.20. *Deus redemit Ecclesiam sanguine suo. Ego sum primus & nouissimus*. Ies.44. An non hoc est magnum mysterium, quòd ille, qui inter homines versatus est annos 33. & amplius, artem exercuit fabrilem, passus, mortuus & sepultus, &c. sit verus Deus, seque talem esse operibus spiritus, & diuinis demonstrauerit, verum dixisse, cùm dixit, se filium Dei esse? Est hæc Ecclesiæ doctrina, cuius Ecclesia est columna, &c. Non sũt igitur de Ecclesia, qui eam damnant, &c.

Nunc tenemus duo præcipua capita religionis, pietatisque Christianæ, de persona Christi, eum esse verum hominem, verumque Deum.

Sequitur iam tertium, quod est de officio. Cur enim factus est homo, passus & sepultus? pro nobis, vt scilicet nos seruaret. Cur se esse Deum declarauit? pro nostra salute, vt sciremus, verum esse redemtorem, eòque nos verè Patri per hunc esse reconciliatos. Nisi enim fuisset Deus, non potuisset saluare: & nos, nisi agnosceremus eum esse Deum, non possemus assequi salutem, quia non possemus nobis verè persuadere, eum pro nobis satisfecisse. Ergo rectè sequitur hoc tertium:

Visus est Angelis ὤφθη τοῖς ἀγγέλοις. Illud ὤφθη, non significat simpliciter, *visus est*, sed facie in illum conuersa *inspectus, suspectus, agnitus & adoratus*, vt verus Deus, & saluator Mundi, ab Angelis. Est autem synecdoche etiam in hac locutione Omnia enim officia complectitur, quæ Christo Angeli præstiterunt, dum fuit in humanis. In conceptione, Angelus eius annunciat conceptionem Mariæ, & fatetur, hunc futurum saluatorem. Ideo iussit appellari Iesum, quòd ipse saluet omnem populum à peccatis eorum. In natiuitate Angeli canunt, *Gloria in excelsis Deo*, &c.

Et alius

Et alius ait pastoribus, *Hodie natus est nobis saluator*, &c. Nou ita multò post, Angelus annunciat Iosepho, vt eum ferat in Ægyptum, & deinde etiam post mortem Herodis, vt referat domum. In deserto cùm ieiunasset 40. diebus, Angeli ad eum accedunt, & ministrant illi vt Domino & Deo suo. In horto oranti & sudanti præ tristitia, adest Angelus, eumque confortat. Post resurrectionem Angeli adsunt sepulchro, eumque resurrexisse significant mulieribus. In ascensione Angeli eum comitantur in cœlum, vt regem cœli & terræ. Deinde (vt ad Hebr. 1.) eum adorarunt, vt verum Deum, & Saluatorem Mundi. Sic enim iussit Deus Hebr. 1. *Rursum autem, cùm inducit primogenitum in orbem terrarum, dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei.* Apostolis autem significant, eum de cœlo rediturum in fine Mundi, vt iudicet Mundum. Hæc omnia significantur hac voce ὤφθη.

Quid iis officiis testati sunt Angeli? Hunc Christum, non solum verum esse Deum, & verum hominem, sed etiam verum Mundi Seruatorem, peccata abstulisse, Satanam expugnasse, mortem debellasse, homines Deo reconciliasse, pro peccatis nostris Deo satisfecisse, regnum Deo recuperasse, de hostibus omnibus triumphasse, in cœlo, pro Ecclesia sua semper intercedere, eam curare, denique per hunc, terrena cum cœlestibus esse reconciliata.

Quare ex hac tertia propositione, *Inspectus est ac Angelis*, non solum confirmatur, quod ante dictum est, Christum verum fuisse Deum in carne mortali, quia hoc intentis in Christum oculis, admirari sunt Angeli: sed etiam colligitur doctrina de officio Christi, hoc est, de reconciliatione, & pace per Christum facta inter Deum & homines, inter cœlestia & terrestria. Huius enim rei testimonium præbent Angeli, dum descendunt de cœlo, & ea præstant officia, quæ ante commemorauimus, & quæ omnia συνεκδοχικῶς continentur hoc verbo ὤφθη.

IV. *Prædicatus est Gentibus.*

Explicat hic, quomodo hoc beneficium fuerit dispensatum, & quibus, nimirum Gentibus per prædicationem Euangelij. Sed sub prædicatione continetur etiam Sacramentorum administratio, quod vtrumque coniunxerit Christus Matth. 28. Est autem hoc magnum mysterium, quòd rebus tam vilibus tantus thesaurus communicetur. Continet igitur hoc caput amplitudinem regni Christi per prædicationem Euangelij in toto terrarum orbe, cum reiectione Iudæorum, & vocatione Gentium ad salutem in Christo percipiendam. Hoc autem fuit magnum mysterium, quòd scilicet Deus populum illum, quem sibi elegerat ex omnibus Gentibus, in suum populum charissimum, primogenitum, & quem infinitis & immensis cumulauerat beneficiis, apud quem solum dicebatur Deus habitare, ex quo carnē sumsit Christus, & pro quo imprimis mortuus est, hunc, inquam, populum, tandem post filij resurrectionem, partamque salutem, repudiarit, reiecerit, Euangelio priuarit & salute. Contra verò Gentes illas, quas reiecerat à Testamento, cum quibus nolebat fieri connubia, fœdera, amicitias, super quem erant omnes Dei maledictiones, idololatras, &c. assumserit in suum populum, miserit Apostolos ad prædicandum Euangelium, ex eis collegerit suam Ecclesiam, & ita regnum suum ampliarit in omnes fines terræ. Fuit hæc certè res magna & incredibilis: ideo appellatur *mysterium pietatis magnum.* Fuerant quidem hæc prædicta & præfigurata in Patribus & Prophetis: Abrahæ certè promisit hanc Gentium vocationem, & per hanc, regni Christi amplitudinem, cùm dixit, Gen. 17. *Patrem multarum Gentium posui te.* Item, *Benedicentur in te omnes Gentes terræ.* In huius rei testimonium iussus fuit circumcidere etiam Gentiles, qui apud se erant. Psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam.* Iesaias plenus est testimoniis de hac Gentium vocatione, & amplitudine regni Christi.

De reprobatione etiam Iudæorum, plenæ sunt scripturæ & figuris, & Prophetiis: sed interim non ab omnibus intelligebantur. Ideo fuit res abscondita. Hac de caussa, mysterium vocat Apostolus. Exempla. Tempore Christi, ipsi etiam Apostoli non poterant hoc percipere, etiam post resurrectionem Petrus non audebat ingredi ad Cornelium Centurionem Gentilem.

Ergo quod ait, *Prædicatus est Gentibus*, idem est ac si dicat, reiectis Iudæis, prædicatus fuit per Apostolos, Gentibus ipsis. Quis prædicatus? Christus, iste Deus, qui manifestatus est in carne, id est, qui factus est homo, & qui iustificatus fuit in Spiritu, id est, qui efficacissimis operibus Spiritus sancti declaratus fuit, & demonstratus esse Deus: iste crucifixus prædicatus fuit. Quid? quòd esset verus Deus, verus Mundi Saluator, quòd sua obedientia, sua passione, morte, satisfactum Deo Patri pro peccatis totius Mundi: quòd venerit in Mundum, vt peccatores saluos faceret. Per quos prædicatus? per Apostolos 12. pauperes, idiotas, plebeios. Quibus? Gentibus idololatris, inimicis nominis etiam Christi, tyrannis potentissimis, Philosophis, quibus hic Christus erat stultitia. Istis fuit prædicatus. Quomodo? efficaciter, signis & portentis, quibus Apostoli suum confirmabant Euangelium, mundumque damnantes ac conuincentes, de peccato, de iustitia, & de iudicio. Et quidem breuissimo tempore, totum Mundum subiugarunt Christo per suam prædicationem. ô igitur magnum pietatis mysterium, quòd Deus manifestatus in carne, crucifixus, &c. prædicatus sit Gentibus. De hoc Christus Matth. 8. *Multi venient ab Oriente, & Occidente, & discumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob. Filij verò regni eyicientur in tenebras exteriores, &c.*

Creditus est in Mundo, id est, fide receptus.

Continet hoc caput rationem, qua receptus est thesaurus iste, vid. per fidem. Sub hac autem continetur iustificatio, sanctificatio, regeneratio, tota salus. 2. indicat vbi & à quibus sit receptus hic thesaurus, vbique terrarum, qui erant in Mundo impii & peccatores: eoque continet tertio efficacitatem prædicationis Euangelij in electis omnibus. Tandem enim ab iis omnibus, vbicunque sint, Christus prædicatus, fide vera recipitur.

1. Obseruanda hic est, quòd non ait, *Creditus est à Gentibus, quibus prædicatus est Christus*, sed ait, *in Mundo.* In mundo, id est, non in Iudæa tantùm, sed etiam in mundo, vbique terrarum. Sed à quibus in Mundo? ab illis, qui fuerunt ad hanc fidem prædestinati. Act. 13. Ab aliis certè non fuit creditus, id est, ab ipso mundo, hoc est, à reprobis qui plures sunt: sed in ipso mundo, qui tamen hostis est Christi, & pro quo Christus non rogauit Iohan. 17. inter hostes Christi, creditus fuit, & receptus Christus. inuito Mundo. Psal. 110. *Dominare in medio inimicorum tuorum.* Mundus persequitur Christum: sed in mundo tamen semper sunt aliqui, qui credunt in Christum. Atque hic habemus electionem & reprobationem. An non hoc magnum mysterium est?

2. Obseruandum quod ait, *Creditus est.* Quid? quòd sit Deus, Seruator, & vt talis, fide receptus. Et quotidie sunt, qui credunt in eum, qui ad eum accedunt. Qui? Electi. ô magnum igitur pietatis mysterium, quòd in mundo sint tot millia hominum genera, qui hunc crucifixum, prædicatum ab Apostolis, credunt verum esse Deum, Seruatorem Mundi, & vt talem amplectuntur, inque eum totam collocant fiduciam.

Qua fide creditus? Fide, per dilectionem efficaci. Vnde hæc fides? an ab ipsis? non: sed ab hoc eodem Christo: is qui creditur, dat etiam vt credatur, non omnibus, sed quibuslibet. ô magnum igitur pietatis mysterium. Matt. 11. *absconditi à sapientibus & reuelasti paruulis.* Quid hinc? iustificatio, remissio peccatorum, salus. At falluntur. Nequaquam, apparet non falli. Nam hac fide renouantur, regenerantur, mutant vitam, contemnunt Mundum, vitam ipsam, &c. Quis hæc? Christus ipse, fide receptus, in nobis habitans. Verum est igitur hunc esse verum Deum, qui in carne manifestatus est. ô magnum pietatis mysterium! Persequatur igitur nos Mundus quantum velit, semper erunt in eo, qui credent in Christum hunc, & huius sese subiiciunt doctrinæ. Quia oportet, vt quod hic dicit Apostolus, semper impleatur, *Creditus est in Mundo.* Hic igitur habemus electionem & reprobationem, efficacem vocationem, iustificationem, sanctificationem, salutem fidelium per Christum.

VI. *Sursum receptus est in gloriam.*

Continet hæc propositio Synecdochica, ascensionem Christi in cœlum, sessionem ad dextram Patris, perpetuam pro nobis apud Patrem intercessionem, reditum in sua maiestate ad iudicandum viuos & mortuos, & ad recipiendum electos in eam gloriam, in quam & ipse receptus est, de quibus singulis disserere nimis longum esset. De receptione igitur in suam gloriam cœlestem, id est, de ascensione in cœlum aliquid iam dicendum est.

Est autem hæc locutio, sicut & reliquæ omnes præcedentes, propria & minimè figurata. Quare cum ait *sursum receptus est*, propriè hoc accipiendum est, Christum scil. non euanuisse suo corpore in aëre, sed sursum ascendisse

ſupra hoſce cœlos, vbi & manet in finem vſque ſeculi.

1. *Quis receptus?* Idem Deus, qui manifeſtatus eſt in carne, id eſt, Chriſtus. Qua parte? non quatenus Deus, quia ſua diuinitate ſemper fuit in ſua gloria, & apud Patrem, ſed humanitate. Hæc eſt enim illa, quæ mutauit conditionem & locum.

2. *Vnde, & quo receptus?* Surſum, in gloriam ſcilicet cœleſtem. Sic enim Act. 1. Angeli eodem vtuntur verbo, εἰς οὐρανόν. Sed quod hic ait in gloriam, ibi habetur, in cœlum. Ergo Chriſtus ſuo corpore non erat vbique. Eò enim receptus fuit, vbi non erat. Vnde enim aſcendit? è terra. Quò aſcendit? in cœlum. Propriè autem hic loquitur Apoſtolus, non figuratè. Chriſtus igitur corpore cum eſſet in terra, non erat in cœlo: & cum receptus eſt in cœlum, non amplius erat in terra. Eſt autem etiam nunc in illa cœleſti gloria, & in ea permanebit, donec redeat ad iudicium. Impium igitur eſt dicere, *Corpus Chriſti vel vbique eſſe, vel eo modo in Cœna, quo in cœlo.*

3. *Qua verò de cauſa receptus eſt in cœlum & gloriam cœleſtem?* Non tam ſua, quàm noſtra cauſa. 1. Vt nos confirmaret in fide, ſe verum eſſe Dei filium, patrique dilectum. Aſcendit enim in eam gloriam, in qua etiam Pater eſt, & ad illius ſedet dextram. 2. Receptus eſt ſurſum in gloriam, vt oſtenderet, ſe verum eſſe ſeruatorem noſtrum, atque ita nos in ſalutis fiducia confirmaret. Aſcendit enim cum triumpho, vt Euangeliſtæ, & Lucas in Actis, & Paulus ad Epheſ. 4. deſcribunt: deuictis ſcilicet hoſtibus noſtris, peccato, morte, Satana, inferno, Mundo. 3. Receptus eſt ſurſum, vt perpetua interceſſione nos ſeruet in gratia Patris Hebr. 9. *Non in manifeſtum ſacrarium ingreſſus eſt Chriſtus ſed in ipſum cœlum, vt appareat nunc in conſpectu Dei pro nobis.* 4. Vt noſtra corda ſurſum eleuaret, ad quærenda ea, quæ in cœlo ſunt. Col. 3. *Si reſurrexiſtis cum Chriſto, ſuperna quærite, vbi Chriſtus eſt, ad dextram Dei ſedens.* 5. Receptus eſt in gloriam, vt certam futuræ gloriæ in nobis ſpem firmaret. In eam enim noſtro etiam nomine aſcendit, eámque retinet, vt tandem in illam nos recipiat: id quod fit partim quotidie, dum animæ fidelium in illam cœleſtem gloriam recipiuntur, ſimulatque migrant è corpore: partim in fine ſeculi fiet cum noſtra etiam corpora, quæ ſepeliuntur in ignominia, reſurgent in gloria, & in æternas illas beatáſque ſedes introducentur.

Proinde notandum eſt, Apoſtolum, cùm ſummam doctrinæ Chriſtianæ complecti voluit, ad extremum poſuiſſe receptionem in gloriam. Finis igitur Chriſtianæ pietatis eſt, gloria cœleſtis, in quam nos quoque tandem recipiemur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Nam vbi Chriſtus eſt, ibi tandem nos quoque fideles ſimus neceſſe eſt, propter precationem Chriſti à Patre exauditam, cùm dixit Iohan. 17. *Volo, Pater, vt vbi ego ſum, & illi ſint, qui credunt in me.* Qua de re minimè nobis dubitandum eſt.

Hæc prolixius, quàm propoſueram: ſed vos, quæ veſtra eſt humanitas, non dubito, facilè condonabitis. Precor autem à Domino gratiam, pacem, æternamque ſalutem per Ieſum Chriſtum.

EIVSDEM

Cùm poſt compoſitum vtcunque diſſidium, iterum ingreſſurus eſſet Scholam legendi gratia, ORATIO, *de vitandis diſſidijs in Eccleſiis & Scholis, habita 22. Iulij Anno 63.*

ANnus agitur tertius, id quod non ſine dolore commemoro, optimi auditores, ex quo in hac Schola (vt ſcitis) neque docui, neque diſputaui. Huius verò intermiſſi officij culpa, neque in ampliſſimum ſenatum, neque in clariſſimos D. Scholarchas transferenda eſt. Neque enim antille mihi (vt multi falſo putarunt) toto diſſidii tempore lectione interdixit; aut iſti eam interdicendam curarunt, ſed ego meapte ſponte, quanquam non ſine grauiſſimis cauſſis, officium meum intermiſi.

Neque verò eſt quod exiſtimetis, me idcirco nunquam totum hunc ſeſquitertium annum, in Scholam ad officium meum, niſi nunc primum reuertiſſe, quòd aut nullo, aut perexiguo erga vos affectus fuerim amore. Nam quantus ille ſit, fueritque ſemper, ab eo tempore, quod ad hanc functionem vocatus fui, etſi non pauca, eaque minimè obſcura habuiſtis teſtimonia: tamen hinc etiam facilè colligere poteſtis, quod licet multæ, illæque honorificæ conditiones, tam in Germania, quam extra Germaniam, non ſemel & iterum, oblatæ mihi fuerint: Scholam tamen hanc deſerere nunquam volui, & per hanc meam erga vos optimam voluntatem non potui. Amaui enim & amo non vulgariter & Scholam & collegas, & totam vrbem: atque hic vnus amor effecit, vt etiam nunc in Scholam redierim, alioqui fortaſſis nunquam rediturus, niſi amor Chriſti imprimis, deinde etiam veſtri, redire me compuliſſet.

De mea igitur erga vos voluntate ſinceroque amore dubitare minime debetis. Spero autem Dei beneficio, quicquid huc vſque taret miſſum eſt officij, illud maiori poſthac ſedulitate ac diligentia, à nobis, cum fœnore etiam compenſatum iri. Sum enim Moſen, omnium ſcriptorum, tam profanorum, quam Eccleſiaſticorum, vt antiquiſſimum, ita etiam optimum, & omnium S. Scripturarum ſicut ianuam, ſic etiam clauem, ea (vt ſpero) diligentia ſimul & celeritate interpretaturus, vt & nihil ſit, quod aut explicatione habeat opus, aut obſeruatione dignum ſit, omiſſurus, & in eo tamen non ſim diu immoraturus, idque veſtra tantum cauſa, vt ſcilicet maiorem in veſtris ſtudiis progreſſum facere poſſitis.

Cæterum antequam aggrediar quod inſtitui, duobus hominum generibus, pro defenſione Miniſterii non tam mei, quàm aliorum etiam omnium collegarum meorum, breuiter reſpondere operæpretium eſt. Miniſtris enim verbi ſui ſemper Miniſterii dignitas ab omnium calumniis vindicanda eſt, idque non tam propter noſtram exiſtimationem, quam propter ipſam Miniſterij functionem, vt ſcilicet verbum à nobis vel in Schola explicatum, vel in templis prædicatum, libentius attentiuſque ab auditoribus audiatur, & maiori cum fructu recipiatur ac retineatur. Hac de cauſa Paulus frequentiſſimus fuit in defendenda ſui Apoſtolatus dignitate, quòd alioqui contemto, aut alia ratione periclitato ſuo Apoſtolatu, periculum quoque fuiſſet, ne ipſum quoque Chriſti Euangelium, ab ſe prædicatum, contemneretur & reiiceretur: ſuo certè exemplo, quid nobis quoque faciendum ſit, cùm talis neceſſitas poſtulat, docuit.

Sunt igitur, qui quoniam viderunt, quædam inter nos nata fuiſſe, & biennium duraſſe diſſidia, ita offenſi fuerunt, vt ipſa quoque Miniſterii noſtri dignitas atque autoritas, non parum apud ipſos obſcurata atque imminuta eſſe videatur. Sunt alii, qui noſtram non probant conſenſionem. Eſt igitur hic mihi omnium noſtrum exiſtimatio, & Miniſterii noſtri dignitas, cùm alias ob cauſſas, tum præſertim propter honorem & famam noſtram Scholæ, aſſerenda.

Ac primùm, quòd quædam inter nos orta ſint diſſidia, dolendum certe eſt, & quidem vehementer dolendum, tum quia diſſidia autorem habent Satanam, & pugnant cum lege Dei: tum, quia multa ſecum trahunt non incommoda ſolum atque damna, ſed etiam flagitia. Nam iis irritatur mirum in modum Deus: offenditur proximus, inflammantur diſſidentium animi ad ſimultates, ad odia, ad calumnias, ad conuitia, ad contumelias, ad iniurias, denique ad ipſam ſæpenumero aduerſariorū necem, ſi non inferendam, ſaltem optandam. Ex odio verò perſonarum, ſæpe veritas etiam agnita oppugnatur, veteres errores defenduntur, noui fabricantur, ſectæ excitantur, Magiſtratus perturbantur, Scholæ diſſipantur, Eccleſiæ conuelluntur, ciuitates euertuntur, denique Satanas exultat, Antichriſtus triumphat, Chriſtus & Euangelium eius blaſphemantur. Quis vel dicendo, vel etiam cogitando poſſit aſſequi, quot & quanta mala ex diſſidiis noſtris, præſertim Theologorum, in totam Chriſti Eccleſiam deriuentur? Vehementer igitur dolendum eſt, oriri inter Chriſtianos, præſertim vero inter Doctores Eccleſiæ, vllius generis contentiones. Proinde ſunt huc omnes vires atque neruí, piis omnibus, atque inprimis Magiſtratibus intendendi, ne ſinant in Eccleſiis & Scholis, diſſidia aut oriri, aut orta & nata foueri atque augeri. *Ne ſint* (inquit Apoſtolus) *inter vos ſchiſmata.* Et iterum: *Quòd ſi inuicem mordetis & comeditis, videte, ne ab inuicem conſumamini.* Et ad Corinth. *Cùm ſint inter vos æmulatio & contentio, nonne*

homines estis, nonne carnales estis? Apostolus hic apertè indicat, vnde dissidia & sectæ in Ecclesia. vndenam? Inde, quòd homines sumus, quòd carnales sumus, & indulgemus nimium nostris affectibus. Item inde, quòd non continemus nos in verbo Dei, sed illo quasi iam neglecto, vnus dicit, *Ego sum Pauli: alter, ego Apollo: alius, ego Cepha.*

Cæterum etsi probanda nunquam sunt dissidia, præsertim quæ inter Doctores pastoresque Ecclesiæ de religione agitantur: non ita tamen nos offendi illis debemus, vt propterea aliquid de solita debitaque erga illos & illorum ministerium, reuerentia, fide, amore accidamus: præsertim cum & ea quæ controuertuntur, non sunt è numero illorum, quæ maximè ad salutem sunt necessaria, & ij qui contendunt, studio veritatis adducti, contendunt, & ideo contendunt, quòd putent, sese bonam defendere caussam, parati semper cedere veritati. Neque enim res noua est, quòd id genus dissensiones in Ecclesia subinde inter Doctores nascantur.

Etenim iam inde ab initio nascentis Ecclesiæ, singulis temporibus, non leues fuerunt, inter sanctos etiam Episcopos atque Doctores, concertationes, lites, altercationes: neque tamen eam ob causam, suam in ecclesia autoritatem apud fideles prorsus amiserunt.

Non leue certè dissidium fuit inter Apostolos vna ex parte, & alios multos doctos fratres ex altera, de ritibus Mosaicis. Hi enim contendebant, Gentiles quoque, qui ad gratiam Euangelij admittebantur, debere circumcidi, & subiici legi Mosis, sicut erant etiam Iudæi, tum quod non possent iustificari (de istorum sententia) nisi etiam circumciderentur, & legi Mosis subiicerentur: tum quod æquum non esset, vt inter Christianos, vlla esset diuersitas, vel in doctrina, vel etiam in ceremoniis. Cùm itaque inter eos, qui erant ex circumcisione, & inter eos, qui erant ex Gentibus, consensio esset in doctrina euangelij, debere etiam esse consensionem in obseruatione legis Mosaicæ. Fuerat hoc speciosum argumentum, à consensione & conformitate ductum, vt inter omnes Christianos esset idem in doctrina, & in ceremoniis consensus. Apostoli contra demonstrabant, neque necessariam esse legis obseruationem ad iustificationem. Sola enim fide, homines omnes iustificari, neque æquum esse, vt Gentes ad circumcisionem, legisque Mosaicæ obseruationem adigerentur, quòd hæc seruitus pugnaret cum gratia & libertate euangelij. Compositum tandem fuit dissidium Hierosolymis, sed ita, vt Apostoli aliquid etiam concordiæ pacisque caussa, aduersæ parti concesserint. Statuerunt enim, idque ex afflatu Sp. S. vt etiam qui erant ex Gentibus, licèt legi Mosis non essent per se subiecti: pacis tamen seruandæ gratia, conformiter cum iis, qui erant ex circumcisione, abstinerent non solùm à fornicatione, & contaminationibus simulachrorum, quæ per se impia erant, sed etiam à sanguine, & à suffocato.

Quale etiam dissidium fuit illud, quod duos charissimos collegas Paulum & Barnabam, à se inuicem disiunxit? Interim sicut Paulus, sic etiam Barnabas, suam in ecclesia apud fideles semper retinuit existimationem atque autoritatem.

Qualis fuit illa dissensio inter Paulum & Petrum, cùm Petrus indicaret, Christianos & posse cum iis qui sunt ex Iudaismo, ἰουδαΐζειν, hoc est abstinere à cibis, qui in lege prohibentur, & suo exemplo ita alios facere docuerit? Paulus verò contrà sentiret, non esse dissimulandam libertatem, præsertim quando nostra dissimulatione alij vel in hanc sententiam trahuntur, necessariam esse ceremoniarum legalium obseruationem: vel eam edocti sententiam, in ea etiam confirmantur: ac proinde Petrum in litterima ciuitate Antiochiæ, coram omnibus fratribus acriter obiurgarit, quod non rectè iuxta veritatem euangelij ambularet? Nunquid propterea in minori deinceps reuerentia habitus fuit Petrus apud fideles, quàm antea haberetur? aut Paulo aliquid decessit de sua existimatione & autoritate, quia ausus fuit cum primario Apostolo Petro contendere? Minimè gentium.

Philippis haud consentiebant inter se concionatores & Doctores in prædicando docendoque euangelio, vt apparet ex epistola ad Philippenses: interim tamen retinebant omnes suam autoritatem, & Paulus de omnibus illis ait, Phil. 1. *Siue per veritatem* (hoc est sincerè, *siue per occasionem*: hoc est in speciem) modo prædicetur Christus, in hoc gaudeo & gaudebo.

Atque hæc exempla è Scripturis S. desumta, satis sunto.

Venio nunc ad historias ecclesiasticas.

Inter primitiuæ ecclesiæ Patres, episcopos & Doctores Apostolorum successores, grauissima fuit contentio de Paschatis festo, eaque durauit in ecclesia, annos prope 200. donec per Concilium Nicenum fuit composita. Singuli tamen suam in ecclesiis retinuerunt autoritatem.

Multæ & graues dissensiones fuerunt inter Patres, qui ad Synodum Nicenam conuenerunt, nihilominus tamen Constantinus Imperator, omnes ex æquo vocauit fratres & conseruos, & non minùs vnum, quàm alium honore affecit, vt videre est in vita Constantini, apud Euseb. Cæsar.

De dissidiis multarum ecclesiarum inter se, non tantùm in Paschatis festo, sed etiam in tempore & ratione ieiuniorum, in ceremoniis circa Synaxin, in connubio clericorum, in tempore & ceremoniis circa Baptismum, in precibus ecclesiasticis, & aliis rebus permultis, legantur historiæ ecclesiasticæ, & præter alios Socrates libr. 5. c. 22.

Fuerunt interim omnes illæ ecclesiæ habitæ pro veris ecclesiis, & sese mutuo honore afficiebant. Nihil in ecclesia Christi perniciosius, quàm reliquas ecclesias, & reliquos omnes Doctores ac Ministros, qui nobiscum in omnibus non consentiunt, damnare, adde & Vatiniano nonnunquam odio, odisse.

Quæ obsecro pugnæ, qui conflictus fuerunt inter Cornelium & Cyprianum Martyres & episcopos, cum aliis aliquot Africæ episcopis vna ex parte, & inter Romanos, totiusque Italiæ episcopos, ex altera parte, de rebaptizandis hæreticis? illis contendentibus, hæreticos esse rebaptizandos, his verò contrarium demonstrantibus.

Quid dicam de dissidiis inter Epiphanium & Chrysostomum: Cyrillum & Iohannem Antiochenum: Hieronymum & Augustinum, aliosque Patres quamplurimos? sua tamen cuique mansit salua semper atque integra autoritas in ecclesia. Cur nos non sequamur Apostolos, veterem ecclesiam, antiquos Patres, maiores nostros.

Dolendum igitur est, lugendum, deplorandum omnibus, quædam inter nos fuisse dissidia. Sed num ita vos offendi debetis auditores, vt propterea abiicienda vobis sit ea, qua soliti fuistis & debetis, vestros prosequi Præceptores ac Pastores, obseruantia, amor, reuerentia, fides? Nam si hæc a vestris animis absint, aut nihil, aut parum poteritis in vestris studiis, illorum lectionibus iuuari.

Nobis verò Professoribus atque Pastoribus vitandæ semper sunt dissensiones, colendaque quoad fieri potest, pia in rebus omnibus consensio, vt idem dicamus omnes, sicut hortatur Apostolus.

Sed si fortè, quod auertat Dominus, contingat, vt aliquibus in rebus vt fieri solet, non vsquequaque conueniamus, id quod ipsis quoque Apostolis, sanctissimis episcopis, & excellentissimis ecclesiæ Doctoribus omnibus temporibus contigisse antea vidimus, non debemus propterea facere schismata, alij alios damnare, odisse, execrari, traducere, atque ita & nos & nostrum ministerium periculo exponere ludibrio, præsertim cùm nobis omnibus idem maneat, firmumque stet fundamentum, & omnes super illud ædificemus, quod fundamentum est, vt Apostolus docet, *Dominus Iesus Christus, & eius Euangelium*: tantum quisq; videat, vt inquit Apostolus, quid superædificet, ne scilicet adferamus ad hoc fundamentum, stipulam, ligna, fœnum, hoc est nostras aut aliorum hominum, quæ testimonium non habent ex verbo Dei, phantasias. Ignis enim diuini iudicij, cuiusque opus, quale sit, tandem probabit. Ipse autem saluus quidem fiet, sed sic tamen, vt quasi per ignem, hoc est, si per ignem probatus, firmus perstiterit in fundamento.

Duæ igitur regulæ mihi videntur esse seruandæ, si velimus vnitatem ecclesiarum conseruare, ipsaque vitare schismata: vna regula est fidei, altera charitatis. Alterutra enim neglecta, statim excitantur dissensiones, & ex dissensionibus, schismata oriuntur.

Prima itaque regula seruandæ inter nos consensionis est, vt quisque se contineat intra metas verbi Dei, nec se alterius esse discipulum profiteatur, quam Christi, nullamque aliam doctrinam sibi sequendam proponat, quàm verbum Dei, in S. literis expressum: hoc est vt nò aliter loquatur, quàm loquitur verbum Dei, nec alia tradat dogmata, quàm quæ apertè traduntur in S. literis: sed loquamur omnes & verba & res S. literarum. Hoc enim vt faciamus, po-

stulat fides quam profitemur, in Christum, cùm fides sit ex auditu: auditus autem tantùm per verbum Christi. Proinde *regulam fidei* appello.

Quantum hæc regula sit necessaria, inde liquidò apparet, quia videmus, omnes in religione dissensiones inde suum semper habuisse initium, quòd Ecclesiæ Doctores & alij homines, nimium delectari vel suis, vel alienis excogitatis, paulatim incœperunt à verbo Dei, hoc est, primùm a lectionibus scripturarum, deinde à rebus etiam ipsis, ad humanas phrases, & inde ad humana dogmata deflectere. Inter homines autem, cùm tot sint sententiæ, quot capita, & sua cuique placeant, necesse est, vt cùm primùm cœperint ab vnitate verbi Dei recedere, non solùm fiat schisma ab illis, qui se continent in verbo Dei, sed etiam, vt inter eos, qui à verbo deflexerunt, variæ oriantur dissensiones & sectæ.

Hoc ita se habere, cùm per se satis sit perspicuum, historiæ etiam non solum veteres, sed etiam nouæ, & exempla nostri temporis confirmant. Vnde obsecro, altercationes in Ecclesia, temporibus Apostolorum, inter Christianos, qui erant ex circumcisione, & inter eos, qui erant ex Gentibus nisi hinc, quòd vel neutra pars, vel saltem altertra, non se continebat in puritate Euangelij? sed & Iudæi ad suas ceremonias, & multi ex Gentibus ad suam aliquando Philosophiam diuertebant. Vnde inter Corinthios? Apostolus apertè docet quia scilicet paulatim ab vnitate Euangelij declinantes, alius dicebat, *Ego sum Pauli: alius, ego Apollo: alius, ego verò Cephæ: alius, ego autem Christi.* Idcirco eos hortatur Apostolus, non solum vt eiusdem sint mentis & sententiæ, sed etiam eodem vtantur sermone: *Obsecro* (inquit) *vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idem loquamini omnes, & non sint inter vos dissidia, sed sitis integrum corpus, eadem mente, & eadem sententia.* Tria iubet Apostolus, quibus vera vnitas Ecclesiæ constat: primum, vt idem loquamur omnes. Hic est consensus in sermone & forma dicenda. Secundum, vt simus eadem mente. Hic est consensus in doctrina & intelligentia scripturarum. Tertium, vt simus etiam eadem sententia, γνώμῃ. Hic est consensus in voluntatibus & studiis per charitatem. Docet igitur Paulus, tunc constare vnitatem Ecclesiæ, cùm non solùm eiusdem sumus sententiæ & voluntatis per charitatem, sed eiusdem in primis sumus mentis in doctrina Apostolica, & eodem etiam sermone, formaque dicenda Apostolica vtimur. Contrà inde oriri dissidia & schismata, cum incipimus & animis ab inuicem alienari, & doctrina formisque dicendi Apostolicis vel minimùm deflectere.

Nec sine causa Apostolus priori loco iubet, vt idem non tantùm sentiamus, sed etiam loquamur omnes. Etsi enim primò requiritur consensus mentis in doctrina; causa tamen proxima dissidiorum est, cùm diuersis vtimur locutionibus, & fit, vt licet consensus sit in re ipsa, tamen si variis vtamur dicendi formis, mox dissidia, hoc est, λογομαχίαι excitentur, λογομαχίαι verò sæpenumero veras etiam αἱρέσεις gignunt: quia dum suas quisque vult defendere locutiones, fit vt etiam mutet sententiam. Atque hoc vnum perdit Ecclesias nostras.

Prima itaque regula conseruandæ vnitatis, & vitandorum dissidiorum in Ecclesia, est regula fidei, vt scilicet contineamus nos in eadem Apostolica tum doctrina, tum forma docendi.

Altera regula est regula charitatis, nempe vt ita nos mutuò diligamus, vt etsi alter ab altero, aliqua in re dissideat, sed quæ non conuellat fundamentum, illum tamen per charitatem feramus, sperantes Deum fortassis effecturum, vt alias intelligat id quod fortè nunc non potest percipere.

Hanc regulam tradit Apostolus non solùm loco superius citato ex 1. ad Corinth. sed alibi quoque sæpius.

Galatas etiam, inter quos fuerant dissensiones postquam ad consensionem in eadem Apostolica doctrina, hortatus fuisset, quæ est regula fidei: postea adiecit aliam regulam charitatis, qua caueret omnia dissidia, dicendo: *per charitatem seruite vobis inuicem.* Nam tota lex in vno verbo completur. *Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quòd si inuicem mordetis & comeditis, videte, ne ab inuicem consumamini.* Et ad Phil 3. *Quotquot igitur perfecti sumus, hoc sentiamus.* Quod si quid aliter sentitis, hoc quoque Deus nobis reuelabit. Attamen ad id, quod assecuti sumus, eadem procedamus regula, vt simus concordes.

Hanc eandem regulam vbique inculcat Augustinus, & sic legit. *Quòd si quid aliter sapitis, Deus quoque reuelabit, modo in eo, ad quod peruenimus, permaneamus.*

Ac profectò mihi videtur hæc regula seruandæ inter nos consensionis, optima: nempe, vt si fortè aliqua in re frater à fratre dissideat, illum feramus, & nos inuicem toleremus. *Nam si propter quamlibet dissensionem incipiamus nos inuicem mordere* (vt ait Apostolus *atque exedere, metuendum est ne tandem,* vt inquit Apostolus, *ab inuicem alius ab alio consumamur.* Mutuis enim criminationibus, animi magis exacerbantur, ij verò exacerbati, odisse incipiunt, odio autem excæcantur. Nam qui odit fratrem, in tenebris est, inquit Iohannes, & in tenebris ambulat: excæcati verò, & veritatem impugnant, & innumeros defendunt errores. Cæci enim lucem dicunt tenebras, & tenebras lucem, vt loquitur Iesaias. Ita fit, vt ij tandem, ipsum quoque fundamentum, quantum in ipsis est, conuellant.

Nihil igitur salutarius ad vnitatem in Ecclesiis atque Scholis conseruandum, quam vt primùm fide firmum retineamus fundamentum: deinde charitate nos inuicem, etiam aliqua in re dissentientes, toleremus. Nam si quid aliter sapimus, Deus id quoque reuelabit, vt ait Apostolus, modò in eo, in quod peruenimus, permaneamus, hoc est, in fide & charitate.

Apostolus comparat fraternam dilectionem vinculis seu circulis, quibus dolia constringuntur, cum ait in Epist. ad Philipp. dilectionem esse vinculum perfectionis, hoc est, coagmentationis Ecclesiæ. Dum illi circuli manent integri, periculum non est, vt vinum effluat, si frangantur, actum est de vino. Corpus Ecclesiæ retinetur & conseruatur integrum, ne diffluat, neve scindatur in partes, vinculo charitatis. Quòd si hæc absit, scinditur Ecclesiæ vnitas. Sic etiam hunc locum Apostoli interpretatus fuit, honorificæ memoriæ deque Ecclesia Christi optimè meritus Philippus Melanchthon, in epistolam ad Coloss. Eius verba ibi legantur.

Vitemus igitur dissidia omnia, fratres, quod vt possimus assequi, primum contineamus nos intra metas S. literarum, vt idem, quod Apostoli docuerunt, sentiamus, & idem etiam quod Apostoli, loquamur, & consensus nobis sit cum Apostolis non solum in doctrina, sed etiam in sermone & forma dicendi. Deinde mutuam inter nos dilectionem, eamque Christianam colamus, atque ita colamus, vt corporis Ecclesiæ conseruandi gratia, nos inuicem, licèt aliqua in re dissentientes, feramus. Neque quæramus gloriam nostram, sed Dei: alioqui si hac neglecta, de nostra tantùm simus solliciti, argumento est, nos non verè credere in Christum. Quomodo enim (dicebat Dominus Iesus ad Pharisæos) potestis credere, qui gloriam ab inuicem quæritis, & gloriam quæ à solo Deo est, contemnitis? Certissimum est autem, si fuerimus omnes vera fide præditi, pacem inter nos futuram. *Credentium autem* (inquit Lucas) *erat anima vna, & cor vnum.* Ergo vbi plus fidei, ibi etiam plus pacis; & vbi plus dissidiorum, ibi etiam minus est fidei. Fides autem in nostra non est potestate, sed Dei donum est. Rogemus igitur Dominum, vt in vera nos fide confirmet & stabiliat, & nos in huius rei studium diligenter incumbamus, ac tum demum, ne dubitemus, quin futura sit inter nos posthac, maior quàm vnquam fuerit charitas, consensio, pax, eaque in Christo Iesu Domino nostro, cui sit omnis honor, gloria, potestas & imperium, in omne æuum, AMEN.

HIERONYMI ZANCHII, De Caluini locis quibusdam de Trinitate iudicium & defensio. An. 1574. 4. August. Heidelbergæ.

QVas misisti frater in Christo, literas ad senatum Ecclesiasticum de locis quibusdam Domini Caluini in doctrina de Deo, quos, quia tibi absurdi videntur, cupis & petis explicari: hæ literæ ad nos ex cancellaria Illustrissimi Principis, vt tibi responderemus, missæ fuerunt. Optaremus non esse opus iis explicationibus: quia tamen res ista postulat, & tu petis, & nos iubemur: dabimus operam, vt & iis qui iubent obtemperemus, & tibi petenti gratificemur, & dignitati ipsius causæ, pro ea qua donauit nos Deus sui cognitione satisfaciamus. Neque opus fuerit multis verbis: cum negotium nobis non sit cum homine aut hoste veritatis, aut sacrarum literarum imperito: sed cum eo, quem & pium iudicamus, & orthodoxæ doctrinæ studiosum esse non dubitamus atque peritum. Age igitur veritas doctrinæ de Deo paucis ex ipsius Dei verbo explicari potest

potest. hac verò percepta facile possunt, quæ aut cum ipsa pugnant cognosci, aut quæ aliquam habere repugnantiam videntur, sed reuera non habent, conciliari. Est enim semper verum philosophicum illud dictum: Rectum & sui & obliqui iudicem esse ac canonem. Habemus autem persuasum, quæ Caluinus honorificæ memoriæ de ipso etiam Deo scripta reliquit, tametsi nonnullæ eius loquutiones duriusculæ, & ea re negotium facessere aliquibus videtur; minime tamen, si dextrè vt par est explicentur, cum vera & Christiana doctrina pugnare. Principio igitur repetenda breuiter nobis sunt quædam primaria capita huius cœlestis doctrinæ de Deo; ac tum demum ex his quomodo verba Caluini, quibus fuisti offensus intelligenda sint, aperiendum. Capita verò, de quibus inter omnes pios ac doctos conuenit, hæc sunt, quæ partim ad vnitatem essentiæ, partim ad pluralitatem personarum pertinent. Primum caput est, vnum tantum esse Deum, & hunc esse æternam, simplicissimam, perfectissimamque ac per se subsistentem essentiam, quæ & θειότης ab Apostolo appellatur. Est enim Deus Iehoua & ὁ ὤν eoque οὐσία ipsa. Neque enim sicut homo differt à sua humanitate, sic Deus à sua Deitate, aut τὸ ὂν à sua οὐσίᾳ, propter summam simplicitatem: sed idem est θεὸς & θεότης: θεὸς quidem, vt vera eius subsistentia intelligatur: θεότης autem & οὐσία, vt summa eius perfectio atque simplicitas significetur. Apud nos enim concretum, puta homo subsistit, non autem humanitas: humanitate verò in hac nostra humana natura, nihil perfectius atque simplicius. Quia ergo Deus & verè subsistens est, & simplicissimus ac perfectissimus: idcirco verè dicitur essentia esse æterna, per se subsistens. Hinc efficitur neminem verum Deum posse vocari, quin idem sit æterna hæc essentia, atq; Deitas, eoque verus Iehoua. Alterum caput est: hunc vnum Deum in tria æterna ὑφιστάμενα, quæ à Græcis patribus primum ὑποστάσεις, deinde πρόσωπα à Latinis verò tum substantiæ, tum personæ vocata fuere, nimirum in Patrem, in Filium, & in Spiritum sanctum, verè distinctum esse, sed minimè diuisum. Non esse diuisum manifestum est: quia cùm Deus sit simplicissima essentia, in partes diuidi non potest: Et testimonia scripturarum de vno Deo idem confirmāt. Esse verò distinctas personas, abundè liquet è sacris literis. Filius enim genitus est ex patre, & à patre missus: Spiritus S. ab vtroque procedit & mittitur. Etiam anima nostra in suas essentiales partes verè distincta est, nec tamen diuisa, cùm vna tantum sit substantia. Hinc sequitur personarum pluralitate vnitatem essentiæ non tolli. sicut nec plures animæ partes efficere possunt vt animæ desinat essentia, & plures fiat. Itaque manet semper vnum tantum verū Deum Iehouam; sicut etiam vna tantum prædicatur θειότης in S. literis. Tertium est: Ita verò omnes, has personas simul, vnum esse Deum Iehouam, eoque vnam θεότητα, vnamque οὐσίαν vt tamen quisque illorum verus sit Deus eoque essentia ipsa tota. Quisque enim est Iehoua: & Apostolus docet in Christo habitare τὸ πλήρωμα θεότητος, hoc est plenam & totam Deitatem, illamque essentiam æternam. Hinc sequitur essentiam illam non esse extra personas, nec personas extra essentiam, cum ipsæ personæ & vniuersæ simul & singulæ seorsim sint ipsa diuina essentia: siquidem singulæ sunt Iehoua: & omnes vnus Iehoua. Si namque humanitas non est extra homines, sed in hominibus; quanto minus deitas, diuinaque essentia potest subsistere extra personas illas, quæ sunt ipse Deus: nihilque aliud realiter est persona in Deo, quam ipsa diuina essentia: sed cum suo quæque proprio subsistendi modo, quo etiam inter se differunt: Personalem proprietatem alij vocant. Est enim etiam hoc caput extra controuersiam apud pios & doctos viros, patrem non alia ratione à filio distingui, & quodammodo differre, quàm proprio subsistendi modo, seu personali proprietate: nempe per ἀγεννησίαν, quòd scilicet filium genuerit: ipse autem à nemine sit genitus. Sp. S. verò à Patre & Filio est κατ᾽ ἐκπόρευσιν. Ita οὐσία loco generis est, & de singulis prædicatur. Modi existendi differentiarum loco sunt, quibus οὐσία ad certam contrahitur personam. Proinde tunc verius vnaquæque persona vocatur substantia, quàm essentia: cum sine certo subsistendi modo nulla essentia subsistat. Hinc sequitur cum indefinitè nominas Deum, essentiam ipsam (quæ tamen vt dictum est nihil est τῷ ὄντι, quàm Pater, Filius, & Spiritus S.) simpliciter significari: quanquam nonnunquam Pater κατ᾽ ἐξοχὴν ita denotatur. Cùm verò nominas Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum, essentiam ipsam non simpliciter, sed certo subsistendi modo quasi contractam, & ad certā personam restrictam, indicari: Postremo illud etiam receptum est, licèt pater nihil aliud sit quàm essentia, eáque incommunicata, & filius itidem nihil aliud, quàm eadem essentia, sed à Patre communicata: non posse tamen nisi admodum impropriè dici, essentiam generare essentiam: propriè verò patrem potius suæ essentiæ communicatione, generare filium. Nam neque apud nos dicitur naturam generare naturam: sed pater suam communicando naturam generate filium. Porrò tunc dicimus filiis nostris nostram humanam fuisse communicatam naturam: cum geniti fuerunt homines. Sic itaque & filio tum dicitur fuisse communicata diuina patris essentia per generationem, cùm fuit genitus filius Dei Deus: id quod fuit ab omni æternitate. Nunc iactis his fundamentis, quæ firmissima sunt, facile quæ ex Caluino affers, conciliantur. Ad primum: falleris, si putas Caluinum sensisse simpliciter personas esse aut extra essentiam, aut aliquid quiddam realiter, quàm ipsam essentiam. Nam eodem capite 13. libri primi sect. 16. sic concludens: Itaque inquit cùm fixum illud maneat, Deum vnum esse, non plures: verbum & spiritum non aliud esse quàm ipsam Dei essentiam, constituimus. Et verè stolidissime ineptiebant Ariani, qui Filij diuinitatem confitentes, Dei substantiam ei adimebant. Hæc ille. Certum enim est, si essentiam extra personas constituas, negesque personas aliud esse reapse quàm ipsam vnam eandémque essentiam: plures à te fingi deos. Constat enim in sacris literis Deum esse essentiam, & vnamquamque personam esse Deum. Imò negaueris patrem esse Deum, filiū Deum, Spiritum S Deum: si neges eos esse ipsam essentiam. At quid igitur inquies, sibi vult Caluinus? cum definiens personam sect. 6. ait, Personam igitur voco subsistentiam in Dei essentia, quæ ad alios relata proprietate incommunicabili distinguitur. Item cùm ibidem de subsistentia filij scribit in hæc verba, Quæ subsistentia etsi indiuiduo nexu cum essentia coniuncta est, nec potest separari, specialem tamen habet notam, qua ab ipsa differat. Quid, inquies, sibi hæc volunt? Quæ est ista nota, qua subsistentia etsi indiuiduo nexu cum essentia coniuncta est, nec potest separari, specialem tamen habet notam, qua ab ipsa differat. Quid, inquies, sibi hæc volunt? Quæ est ista nota, qua subsistentia filij differt ab essentia? In definitione personæ hanc notam tibi apertè expressit, cùm dixit: quæ ad alios relata proprietate incommunicabili distinguitur. Quod Caluinus vocat proprietatem incommunicabilem, Iustinus Martyr appellauerat ὑπάρξεως τρόπον, modum subsistendi diuersum: & tres esse dixit, quibus tres distinguantur personæ: ἀγέννητον εἶναι: quod est patris proprium, qui ingenitus generat, γεννητὸν εἶναι, quod est filij: qui solus genitus est ex patre: & τὸ ἐκπορευτόν, quod est Spiritus S. qui solus dicitur procedere à Patre & Filio. Hæ sunt notæ quibus inter se differunt personæ, cum omnes conueniant in essentia, quæ vna & eadem est omnium, & quibus etiam ab ipsa essentia simpliciter considerata, personæ differunt, nō realiter, sed tantùm τῷ λόγῳ. Sed excipies adhuc, Caluinus ait, personam esse subsistentiā in Dei essentia. Itē subdit apertè hæc verba: Subsistentiæ nomine nihil aliud intelligi volumus quàm essentiam. An non apertè negat personam esse essentiam? Minime verò, cum disertè illud infra affirmet & euincat sect. 16. Notandum igitur pro conciliatione essentiam diuinam seu τὴν θεότητα, tametsi à personis reipsa separari non possit, cùm persona nihil aliud sit realiter quam ipsa essentia: (Est enim persona quæque Deus, eoque ipsa essentia diuina) cogitatione tamen distingui posse à nobis: nempe quatenus essentia de singulis personis essentialiter prædicatur. Quod enim essentialiter de aliquibus prædicatur, illud quidem re ipsa separari ab eis non potest: cum reuera sint id quod esse dicuntur: quatenus tamen prædicatur de multis, inter se vel specie vel numero differentibus, illud ab iis de quibus prædicatur, mente distingui, & aliud quodammodo esse, intelligique mente oportet. Homo enim separari reipsa non potest à Paulo & Petro, quia quisque ipsorum verus est homo: Quia Petrus nō est Paulus, de quibus ex æquo prædicatur homo, idcirco aliud esse intelligimus quod nomine hominis intelligatur, ab eo quod significatur nomine Petri & Pauli. Neque enim Paulus simpliciter est homo, sed talis homo, personalibus proprietatibus à Petro distinctus, de tribu Benjamini, Apostolus gentium &c. Si quis igitur dicat, se nomine Pauli aliud intelligere quam hominem: num propterea tu dixeris ab isto negari Paulum esse hominem? Sic Caluinus dixit subsistentiæ hoc est personæ nomine aliud quiddam intelligi volumus, quam essentiam, non quòd neget personam, puta filium esse realiter ipsam essentiam diuinam

(fatetur enim hoc apertè sect.16.) sed vt doceat nomen essentiæ, generalius & communius quiddam significare, quàm nomen personæ: cum ea de singulis personis prædicetur, non autem persona de persona. Sicut Petrus aliud est ab homine, non re aut τῷ τί: est enim realiter homo, sed τῷ λόγῳ, quia aliter definietur homo & aliter Petrus. Sic locutus est etiam Caluinus de essentia & de personis in Deo. Proinde ad tuum argumentum facile respondetur: Nulla persona (inquis) diuinitatis est essentia diuina, nec essentia persona: Verum est τῷ λόγῳ: sed falsum τῷ τί. Persona.n. realiter nihil aliud est, quam essentia, vt supra dictum est: sed certo modo subsistendi ad certum ὑφιστάμενον contracta: ideo initio diximus οὐσίαν esse instar generis, quæ ex æquo de singulis personis prædicatur: modos autem subsistendi diuersos esse instar differentiarum, & personales esse proprietates, quibus eadem οὐσία diuersas constituit personas. Reipsa enim & personæ, Pater, Filius, & Spiritus S. nihil aliud sunt quam essentia: & essentia nihil aliud quàm personæ. Nam extra Patrem, Filium & Spiritum S. nulla est essentia diuina: nec essentia diuina aliud quiddam est quam Pater, Filius & Spiritus S. Proinde cum dicuntur à Caluino omnes subsistere in vna essentia, nihil aliud intelligit, quam omnes vna & eadem essentia constare, seu vnam & eandem essentiam esse: sicut etiam dicimus omnes homines in vna humana natura contineri, non quod ea sit extra homines, sed quod omnes ex æquo eiusdem sint naturæ: & nomen hominis ex æquo de singulis prædicetur. Credimus primum locum sicut abundè, sic etiam perspicue esse explicatum. Ad alterum: Essentiam filij ait Caluinus, esse ingenitam: negatur ergo filius esse filius. falleris, si & illud improbas: & quod hanc inde inferas sequelam. Primum quidem certum est, essentiam nec generare, nec generari: vt supra ostendimus: sed personas. At si vna & eadem est essentia patris, filij: quomodo in patre erit ingenita, eadem autem in filio genita? Et si generare est de propria substantia filium procreare: non ergo substantia generatur, sed filius de substantia. Nonnulli quidem patres dixerunt οὐσίαν filij esse genitam: sed impropriè, pro, communicatam: vel οὐσίαν pro persona acceperunt. Caluinus verò propriè locutus est: quia reuera etiam sacræ literæ nunquam aliter loquuntur, quam filium ex patre genitum esse: nunquam autem essentiam esse genitam. Pater itaque suam totam & eandem essentiam communicando, per actionem immanentem, quam S. literæ vocant generationem: genuit filium. Hinc etiam apparet quam falsa sit tua sequela: nec minus falsa est tui syllogismi propositio: nempe qui habet ingenitam essentiam, is ingenitus est. Putasne humanam naturam, quam à Patre accepisti tuo, esse genitam? Si esset genita, esset igitur filia Patris tui. Te etiam non negabis esse genitum ex Patre tuo. Pater igitur tuus, & te & tuam naturam generando, binos generauit liberos, te vnum, & tuam naturam humanam alterum. Dicamus igitur cum aliis bene sentientibus & rectè loquentibus, nimirum communicatione essentiæ generari filios: non autem essentiam ipsam. Quod etiam ad tuæ propositionis probationem assumis, essentiam cuiusque rei esse rem ipsam: non est prorsus & simpliciter verum. Confundis enim οὐσίαν cum ὑποστάσει seu ὑφισταμένῳ: & id quo aliquid est cum eo quod est. Quis enim vnquam dixit humanitatem esse hominem ipsum? Sed si a quisque humanitate homo est Ac si essentia filij simpliciter esset ipse filius: filius esset pater, & pater filius, quia essentia filij est eadem quæ & patris: alioqui plures feceris Deos, si plures fingas essentias. Cur enim vnus sunt Deus non multi, Pater, Filius & Spiritus S. nisi quia vna est essentia patris, Filij & Spiritus Sancti: cum tamen tria sint inter se realiter distincta ὑφιστάμενα. Non igitur essentia cuiusque rei simpliciter est ipsa res. Vnus, inquit Basilius, Deus, quoniam & Pater vnus Deus & Filius: & non duo dij, quoniam identitatem habet Filius ad Patrem. Non aliam in Patre considero Deitatem & aliam in Filio: neque aliam naturam illam & aliam hanc. Quo igitur inclarescat tibi personarum proprietas: numera seorsim Patrem & seorsim Filium. Quo verò non in multitudine Deorum scindaris: Vnam confitere in ambobus essentiam. Hæc ille. Cum igitur vna sit omnium personarum in Deo essentia, si essentia Filij simpliciter esset ipse Filius, an non vides patrem futurum Filium, & Filium futurum Patrem?

Tertii loci explicatio pendet ex iis quæ ad primum copiosè diximus: & verò etiam ex iis, quæ modo ad alterius loci explanationem breuiter attulimus. Certū.n. est tres esse personas in vna essentia, & essentiam vnā in tribus personis: quanquā hoc magis propriè & significantius dicitur quam illud. Cū tamen dicit Caluinus tres subsistentias in vna essentia residere, non inducit quaternitatem, seu quartum quiddam, in quo tria insint ὑφιστάμενα, sed nihil aliud hac locutione voluit doctissimus vir, quam omnes has tres personas eadem constare essentia, sicque eandem in omnibus essentiā esse. Diximus ante quomodo personæ nihil aliud sint τῷ τί, quam ipsa essentia: & quomodo tamen essentia à persona differat. Ita optime conuenit hæc doctrina cum eo, quod veteres dixerunt ipsam essentiam Dei, siue vnitatē substātię mysterio dispensationis in trinitatem, i. in tres personas disponi. Nos quoque suprà diximus, vnū tantum esse Deum in tres personas distinctum non diuisum. Quia omnium vna est essentia modis subsistendi plures & distinctas inter se personas constituens.

Quartus locus tam perspicuè explicatur à Caluino ipso sect. 16. vt alia explicatione opus non habeat, modo quispiam mente percipiat quæ scribit: primum docet Caluinus Deitatem, quæ vna est, non separari à personis, nec personas à Deitate: vsque adeo, vt nec pater possit esse pater nempe Dei nisi Deus sit, nec filius possit esse Dei Filius nisi Deus itidem sit. Quis verò inficiari hæc audeat? Mox concludit Deitatem absolutè à seipsa esse: Quis etiam ea de re dubitare queat? Proinde supra dixerat, non esse genitam. Sic enim esset ab alio, hoc est à generante, non à seipsa. Inde infert: vnde & filium, quatenus Deus est, fatemur ex se ipso esse substantiæ non personæ respectu: quatenus verò filius est, dicimus esse ex patre. Ex iis omnibus Caluini sententia perspicua est: nempe etsi filius non potest esse Dei patris filius, nisi & ipse sit Deus, sicut neque nostri filij possunt esse hominum filij, nisi & ipsi sint homines: mente tamen discerni posse filiationem à Deitate: eundémque λόγῳ considerari posse, & vt Deum simpliciter, & vt filium: quatenus filius, certè filius esse non potest, nisi sit à Patre. Omnis enim filius alicuius patris filius sit oportet. Quatenus autem simpliciter Deus est, non sequitur eū igitur esse ab alio. Alioqui non posset esse Deus, nisi ab alio esset, & ita pater Deus ab alio foret necessariò. Sicut etiam filij nostri, filij esse non possunt, quin sint à parentibus: sed quatenus homines, id non sequitur: quia alioqui nullus posset esse homo, quin ab aliis esset hominibus: quod falsum esse perspicue in Adamo constat: Quatenus ergo homines sunt: sunt tales sua natura humana, quam habent: siue ab aliis hominibus acceptam, hoc nihil efficit ad hoc vt sint homines. Imo vero in filio Dei, quatenus simpliciter Deus est, & quidem vnus cum Patre Deus: necessum est vt sit a seipso. Est Deus propter Deitatem, quā habet, quæ eadem prorsus est cum illa quam habet pater. Quam autem pater habet, a nullo est sed a seipsa. Quemadmodum autem pater ideo Deus est à seipso, quia Deitatem habet, quæ à seipsa est, sic quoque filius ideo Deus est a seipso, quia Deitatem habet quæ a seipsa est; eámq; eandem, quam & Pater habet. At eam habet à Patre. Verum: sed ipsa per se non est a Patre, cùm careat principio. Filius autem non ideo est Deus, quia eam habet hoc modo, hoc est à Patre per sui generationem: sed quia simpliciter eandem habet Deitatem, quam & Pater. Ideo verè filius est Dei, nō simpliciter, quia Deus est, seu quia Deitatem habet, sed quia habet hoc modo, hoc est à patre per sui generationē. Quemadmodum etiam liberi nostri ideo homines sunt, quia naturam habent humanam: ideo verò filij nostri, quia a nobis illam habent. Ergo licet filius quicquid habet habeat à Patre: non ideo tamen est Deus, quia habet à Patre (alioqui pater non esset Deus, quia non habet ab alio patre) sed ideo filius est Deus, quia simpliciter habet Deitatem: & verò ideo etiam est vnus & idem Deus cum patre, quia vnam & eandem prorsus cum illo Deitatem habet. Ideo verò filius est, quia eam habet à patre per sui generationem. Est itaque Deus propter suam Deitatem, quā habet: filius autem Dei propter modum quo illam habet. Neque hæc pugnant cum symbolo, Deum de Deo, lumen de lumine. Nomen enim Dei pro persona accipitur, quę Deus est: sicut & apud Iustinum & Tertullianum, cum dicunt præter Deum patrem esse alium Deum, qui est eius filius: hoc est, aliam personam, quæ est Deus. Subdit Caluinus. Ita essentia eius principio caret: personæ verò principium est ipse Deus. En causam, cur filius quatenus Deus est principio caret, eóque a seipso esse dicatur, nempe quia eius essentia caret principio, eóque genita non est. Quod enim generatur sui principium habet: quia generatur quod nondum est: communicatur vero quod iam est. Etsi ergo nunquam fuit diuina essentia, quam pater communicauit filio

quin

quin fuerit & filius, quia generatio filij æterna est: ordine tamen quodam naturæ diuina essentia præcedit filij generationem: sicut illud de quo aliquis generatur, eum qui inde generatur. Est autem filius de essentia patris genitus: atque ita de ea genitus, vt totam acceperit. Liquidò igitur apparet essentiam, quæ filio fuit communicata principio sui caruisse & carere, quia genita non est: filium verò sui principium habere, quia genitus est: atque hoc quidē principium esse id, de quo genitus est, patris scilicet essentiam, adeóque patrem ipsum qui genuit: sed principium tamen sibi coæternum, quia tam ab æterno genitus fuit filius, quàm etiam fuit patris essentia, è qua genitus est: & pater à quo genitus est. Rectè ergo Caluinus: Ita essentia, inquit, eius principio caret: personæ verò principium, est ipse Deus, hoc est ipsa diuina patris essentia, è qua genitus est filius seu persona filij: adeóque ipse pater, qui genuit. Sed scriptor breuis & acutus fuit Caluinus, eóque multis obscurus: vt taceam, quod res ipsæ per se, quæ in hoc mysterio tractantur, obscurissimæ sunt humanis, imò creatis omnibus etiam angelicis ingeniis, & fidem potius postulat à nobis, quam curiosam sui inuestigationem. Quod si tamen perscrutanda sunt, vt quoquo modo Deum nostrum cognoscamus, & aduersus hæreticos sanam de eo doctrinam defendamus: faciendum illud est sobriè, præeunte semper lumine verbi Dei & ductu Spiritus S. qui omnia scrutatur etiam profunditates Dei. Ad absurda igitur, quæ ex postremo Caluini loco deducis: facilis est ex iis quæ diximus, responsio: nempe ideo te hallucinari vt liberè tecum loquamur, quia non consideras nisi personam ipsam, quæ est filius ipse Dei & Deus: mente autem non distinguis essentiam, qua simpliciter Deus est, à modo subsistendi proprio, quo fit vt sit talis Deus, talisque persona nimirum filius. Ac proinde cum non distinguas, vitiosè vteris particula, quatenus. Hæc enim particula inuenta fuit à doctoribus, vt per hanc mente distinguantur, quæ reipsa separari non possunt. Cum ergo perperàm hæreas ἐν τῷ ὑφισταμένῳ, qui est filius Dei patris, ac Deus: & confundas, quæ sunt distinguenda, indéque deducas tua absurda: vana atque inanis est ista tua particulæ, quatenus, vsurpatio. Certè si non distinguas: vtrumque verum est, filium Deum & filium personam, esse à patre, non autem à seipso. Quicquid enim habet filius à patre habet, non à seipso. Neque hoc vnquam Caluinus (quatenus & ex eius sermonibus, & ex eius libris omnes nos colligere possumus) inficiatus est. Sed cum dicis habere, multa dicis, nempe & eum qui habet, & eum à quo habet, & modum quo habet, & id quod habet. filius habet: à patre habet, per generationem habet; essentiam habet. Non ita tamen filius habere essentiam dicitur, quasi quod filius habens sit aliquid realiter diuersum ab essentia, quam habet: sed sicut etiam filij nostri, & omnes homines dicuntur habere humanam naturam, qua homines sunt: non autem sicut quis habet accidentia, quæ realiter ab habente differunt. Oportet igitur mente essentiam, quam habet filius, seorsim considerare, & seorsim ipsum filium habentem. Quanquam vt diximus tanta est simplicitas in Deo, vt realiter idem sit & habens & res habita: ac proinde impropriè etiam de Deo vsurpatur, verbum habendi, essentiam &c. sed propter nostrum captum sic dignatus est Deus loqui, vt cum filius ait, quæcunque habet pater, mea sunt. Licet ergo propter nostrum captum mente discernere, quæ reipsa separari non possunt, imo quę idem realiter sunt. Animo itaque concipe frater ipsam filij essentiam seorsim sine consideratione eius à quo habet, aut modi quo habet, aut talis personæ quæ habet, nempe quod sit filius. Tum videbis eum, qui essentiam habet talem ingenitam scilicet & principio carentem, esse Deum ingenitum, & carentem principio. Hoc est, quod ait Caluinus, filium qua Deus est, à seipso esse. Proinde cum tu infers: Negatur ergo filius esse filius. Tu transis ab illa simplici cogitatione diuinæ essentiæ in filio ad aliam de filio cogitationem, nempe quatenus filius est à Patre habens essentiam per generationem. Nam eatenus est filius quatenus hoc modo essentiam habet à Patre. Inde causa tuæ hallucinationis. Si non est, (inquis) à patre, quatenus Deus est, hactenus non erit filius patris. Concedimus. Non enim ideo est filius Dei patris à patre, quia Deus est (alioqui omnis qui est Deus, esset filius Dei patris) sed filius ideo simpliciter & immediatè & per se Deus est, quia Deitatē habet. Talis autem Deus, hoc est filius est: quia eam Deitatem habet à patre per sui generationem. Sicut ergo non est absurdum dicere, filium quatenus Deus est non esse filium patris, eo quo declaratum est sensu: sic absurdum non est dicere: filium, quatenus Deus, non esse à Patre, cum tamen verissimè etiam dicamus esse Deum de Deo. Imò sicut absurdissimum, quod tu sentire videris, nimirum filium quatenus Deus est, à patre esse, id est filium esse patris: quoniam inde sequitur etiam Spiritum S. quia est Deus filium esse patris. Ita etiam absurdum alterum simpliciter affirmare, nimirum filium, quatenus Deus, à patre esse, non à seipso. Ratio est, quia inde sequetur, neque patrem quia Deus est esse à seipso, sed ab alio patre. Vides frater, quantum referat scire omnia distinguere? si dixisses: Si filius quatenus Deus est, non est à patre, sed à seipso: Ergo filius non erit filius patris: simpliciter negassemus consequentiam. Non enim pugnant inter se, esse Deum à seipso, hoc est, quia simpliciter habet Deitatem: & esse filium patris, hoc est illum esse, à patre per generationem, vt abunde declaratum est. Sed quia dicis, hactenus non erit filius patris: concessimus, verum quod tu indicas absurdum esse, nos demonstramus non esse: contrà quod tu putas esse verissimum, nos absurdum esse euincimus. Subdis præterea, quæro quid hoc sibi velit, filium esse à seipso, quatenus Deus: à Deo autem quatenus est persona: Abundè hoc est explicatum. Quis est, inquis, iste Deus? num filius ipse quatenus est Deus? Erit igitur ipse suæ personæ principium, & simplius Pater & Filius. Optimè quidem concludis, Filium non esse illud principium, à quo est ipsius persona, hoc est ipse. Nam neque qua filius, sui est principium: neque qua Deus, quatenus Dei est essentia, neque generat, neque generatur, sed qui generat est pater, qui generatur est filius. Interim tamen confundis adhuc quæ sunt distinguenda. Etsi enim essentia non generauit filium, sed pater: de essentia tamen patris, quæ tota facta est filij, genitus est filius. Si autem inquis, solus Deus pater est principium personæ filij: necesse est filium ex hoc & propter hoc principium, esse Deum & æqualem patri. Quod dicis, verum est, sed non omnia partitionis membra complexus es. Filius enim ex patre & propter patrem, vt causam generantem, est Deus; sed non per Patrem propriè loquendo; verum per Deitatem à patre acceptam, ita verus est Deus, vt sit ipsa Deitas. Ita vides frater non esse necesse vt quemadmodum putabas & petebas, Caluini verba à te adducta corrigantur, cum nihil si dextrè intelligantur, cōtineant erroris nedum perniciosos multos errores. Credimus enim hac epistola satis explicatos esse locos, qui ex Institutionibus Caluini te turbarunt; & simul etiam totam hanc de vnitate essētiæ & personarum pluralitate illustratam esse doctrinam, vt in dubium vocari non possit, nisi aut ab hominibus omnino imperitis, aut à malis aut prorsus impiis, & in suis vanis cogitationibus pertinaciter obfirmatis. fuimus verò prolixiores, quam sperabamus, quia maluimus in tam graui causa accusari prolixitatis, quam obscuritatis; cum illa molesta tantum esse possit, hæc autem non nisi perniciosa: præsertim cum viderimus te quoque fuisse (liberè tecum loquimur) hallucinatum ex D. Caluini scriptis; quod obscurius aliquando locutus sit, quàm expedierit. Rogamus autem te frater per Christum, vt in simplici veritate te tuamque Ecclesiam contineas, quæstionibus subtilioribus, & quæ imperitis hominibus, & verò etiam sæpenumero doctis viris plus damni, quàm vtilitatis afferre possunt omissis. Non enim omnium est, res tam altas atque arduas bene percipere, aut saltem dextrè & rectè explicare. Dominus tibi adsit suo spiritu, & te magis ac magis suis compleat donis: tuóque ministerio ad sui gloriam & vtilitatem Ecclesiæ benedicat. Vale. Heidelbergæ 4. Augusti. Anni 1574.

H. ZANCHIVS *suo & collegarum nomine.*

HIERONYMI ZANCHII ADVERSVS BLASPHEMVM PETRI GONEDZII LIBELLVM RESPONSIO.

SATANÆ scopus in omnibus suis studiis atque conatibus, est, fuitque semper, tam gloriam Dei atque inprimis filij, aduersus quem peculiaris semper ei inimicitia fuisse videtur, si non extinguere penitus, saltem obscurare: tum homines perdere, & in æternum exitium secum pertrahere. Facit vtrunque mendacij persuasione, qua & verbum Dei, quo nihil est certius, falsi damnat, & homines ab eo, in quo est ipsorum vita & salus, abducere solitus est. Docet hoc Dominus Iesus duobus verbis: cùm Satanam vocat mendacij patrem & homicidam ab initio. Nam in tentatione illa prima, qua primos parentes in peccatum pellexit, rem ita se habere manifestum est. In hoc igitur totus est aduersarius noster Diabolus, vt damnata veritate, mendacium persuadeat: quòd hoc vno medio vtrunque suum scopum facilè consequi sibi posse videatur. Verùm quoniam mendacium res est per se omnibus inuisa, nec facilè quispiam sibi illud persuaderi patietur, si, quid illud sit, non ignoret: multo verò minus, si quorsum etiam spectet, nempe aut ad gloriam Dei obscurandam, aut ad necem homini inferendam, intelligat: Iccirco aduersus hoc incommodum duplici vtitur artificio Impostor: nimirum sophistica & hypocrisi. Fuco enim & coloribus veritatis, aut etiã testimoniis verbi Dei, sed contortis atque deprauatis, mendacium oblinit atque regit: Sese verò in angelum lucis transfigurando, egregiè simulat, quod proponit, persuadereque conatur: nempe se illud non in alium finem proferre in medium, quàm vt & gloriam Dei vendicet, & saluti hominum consulat. Hoc idem tum in primorum parentum, tum etiam in Christi ipsius tentatione liquidò apparet. Ita Satan non solum pater mendacij est, & homicida ab initio: sed etiam sophista insignis, & omnium hypocritarum princeps atque pater. Huiusce ingenij Satanici multa illustria vidimus exempla: sed ni fallor, non obscurum etiam mihi videre visus sum, in libro cuiusdam Petri Gonedzij, cui titulus iste præfixus est, *Doctrina pura & clara de præcipuis Christianæ religionis articulis contra Sabellianorum, Ebionitarum, Nestorianorum, & aliorum Hæreticorum impia & perplexa sophismata, ex puro & expresso Dei verbo collecta, idque secundum veterum eius illustrationem* Quod enim in Ario aliisque Christi hostib. olim fuit: hoc idem in Petro etiam Gonedzio homine tritheita & Eurychiano, nunc planè est Satanæ propositum: nempe hoc libro eam de vno vero Deo in tres personas Patrem, Filium, & Spiritum S. non diuiso, sed distincto: déque vnico Dei patris filio, duabus naturis constante Christo, oppugnare doctrinam: doctrinam inquam illam, quam Ecclesia Christi ab Apostolis & Prophetis acceptam, aduersus Hebionem, Arium, Sabellium, Nestorium, huc vsque semper defendit ac prædicauit. Cõtra verò, docere Patrem, Filium & Spiritum S. tres esse Deos, ita tamen, vt solus pater sit ille verus Deus, quem vnicum prædicant sacræ literæ: à quo excludatur tum filius tum Sp. S. Duas verò naturas ita cum Eutychete in Christo confundere: vt persuadeat τὸν λόγον ita factum esse carnem, vt verè per se passus sit tota sua essentia, non autem duntaxat, vt Apostoli docent, carne. In Deo enim disiungit personas: in Christo autem confundit naturas. Quæ igitur est ista hypocrisis atque impudentia: librum hunc titulo puræ & claræ doctrinæ contra Sabellianorum & Ebionitarum, Nestorianorum & aliorum Hæreticorum impia atque perplexa sophismata, ornare? Sabellianos enim, Ebionitas, Nestorianos, Hæreticos; ipsos vocat patres, & quicunque illos sequuntur in hac doctrina, Gonedzius. At cum conetur fundamenta fidei Christianæ contortis sacræ scripturæ testimoniis, conuellere: cõtra verò, doctrinam quam patres oppugnarunt, eorundẽ dictis malitiosè deprauatis, comprobare: qua fronte audet doctrinam suam, nempe hæreticam, puram & claram vocare, exque puro & expresso Dei verbo collectam: idque secundũ veterum eius illustrationem, prædicare? Certo enim certius est apud pios omnes, doctrinam, quam à patribus acceptã, in Ecclesiis nostris prædicamus de æterno patre, æterno filio, æterno Spiritu S. vno eodémque Iehoua: déque Christo, duabus naturis, diuina & humana, constante: è sacris literis, iisque apertis esse desumtam: quemadmodum post tot alios clarissimos viros, tam nouos, quàm veteres, nos etiam in nostris libris de tribus Elohim, abundè & luculenter demonstrauimus. Fieri igitur nequit, vt quæ cùm hac, ex diametro pugnat, ex puro & expresso Dei verbo sit collecta: idque secundum veterum, vt ait, eius illustrationem. Sed sophismata iste homo vocat, quæ nos aperta scripturarum testimonia appellamus: & contra, quæ nobis sunt manifesta sophismata, illi sunt perspicua Dei oracula. Examinentur ergo vtriusque partis libri, & vtri verã & Apostolicam doctrinam tradant, aut hæreticam obtrudãt: vtri etiam apertis scripturarum testimoniis, & firmis rationibus aut sophismatis nitantur: discutiatur, & cognoscatur oportet. Fuerit hoc pij cuiusque officium. Nos & nostra confirmasse, & aduersariorum, quæ tunc habere potuimus, refutasse, nobis videmur. Ac quia post editos nostros libros, iste Gonedzij libellus in manus incidit nostras: Iccirco, quanquam nihil ferè adfertur noui, quod prius à nobis refutatum non sit: hunc quoque tamen examinare, & quæ refellenda erant, refellere non sumus grauati. Iudicent porrò pij lectores, vtri sint Hæretici ac Sophistæ: nos, an Gonedzij asseclæ, aliique aduersarij. Atque vt citius, facilius & certius fieri iudicium possit: antequam ad libri refutationẽ veniam, *Principiò* summam eorum capitum, quæ in hoc libro oppugnat Gonedzius, proponam. *Deinde* subiiciam patrum antiquissimorum, de eisdem capitibus sententias: & quibusnam potissimum sacrarum literarum locis nitantur, breuiter indicabo. *Tum* demum percurram librum totum: & calumniosam hominis sophisticam, planam omnibus, Deo, cuius causam defendendam suscepimus, opem nobis ferente, efficiam.

Primum igitur *caput*, quod hic Dei hostis agitat, est, quòd Ecclesia hactenus docuerit, & doceat vnam esse patris, filij, & Spiritus S. οὐσίαν: eóque omnes simul tres vnum tantum esse Deum: quia ὁμοούσιοι sunt. Fieri enim non posse, docet iste sophista, si vna est omnium οὐσία: quin, qui est pater, idem etiam sit filius, & Spiritus S. ac proinde Sabellij errorem reuocari. Vt ergo vitetur is Sabellianus error, cum & pater Deus sit, & filius itidem Deus esse prædicetur, idémque de Spiritu S. dicatur: plures vt constituantur dij, necessarium esse contendit. Atque hoc in priore libri primi parte, quæ est de Deo, filio eius, & Spiritu S.

Alterum verò caput, quod probare nititur, est, solum patrem esse illum vnum verum Deum, quem vnicum esse prædicant scripturæ.

Proinde pluralitatem deorum minimè cum sacris literis pugnare, si quæ de vno sunt Deo: hæ de solo patre intelligantur, quemadmodum contendit esse intelligendas. Atque hoc caput habet in altera parte prioris libri, quæ est de vno vero Deo, patre Domini nostri Iesu Christi.

Tertium caput est de duabus in Christo naturis. Contendit enim Nestorianos eos esse, qui ita de Christo, Deo, & homine, loquuntur, vt duas in eo res coniunctas esse, doceant, Deum scilicet & hominem: eóque Athanasium inprimis Nestorianum fuisse, cum dixit, sicut anima rationalis & caro vnus est homo: ita Deus & homo, vnus est Christus. Hoc multa sophistica exagitat in primo libro de vnigenito filio Dei.

Postremo capite laborat in refutando dogmate, de communicatione ἰδιωμάτων. Hoc enim vociferatur inuentum

esse

esse diabolicum libro secundo, de vnigenito filio Dei.

Quotus quisque verò est, obsecrò, nostrum, qui lecta hac capitum summa, non statim offensus, librum totum abiiciat? Prima enim principia Christianæ religionis, apertè negantur: quæ tamen aduersus alios hæreticos fuerunt strenuè & constanter, à tota antiquitate, vt de nostris doctoribus taceam, ita defensa & confirmata: idque apertis sacrarum literarum testimoniis: vt summæ sit impudentiæ ea nunc denuò oppugnare. Oppugnant tamen ea nostri prophetæ nuper è cœlo, si Deo placet, delapsi: atque vt iactant à Deo missi, vt Ecclesiam in hac potissimum doctrina de Deo & Christo reforment. Quid igitur nobis agendum? si taceamus: triumphabunt certè, & nostro silentio, tanquam non contemnendo argumento, ad errores pestilentissimos in animis auditorum stabiliendos, abutentur. Si verò loquamur, & nefarios horum errores refutemus: insolescent procul dubio, erigéntque cristas: Quippe qui digni fuerint, quibus respondeatur, à nobis iudicati. Ego certè, modò gloria Dei, & salus ecclesiæ sarta tecta conseruetur: nihil reliqua moror. Vt vt igitur nostra abutantur responsione, respondebo tamen, quia respondendum esse omninò censeo.

CAP. II.

Non posse aliter dici, quàm patrem, filium & Spiritum sanctum licet quisque ipsorum verus sit Deus: non tres tamen, sed vnum duntaxat esse Deum, eóque verè ὁμοουσίους.

QVia itaque Gonedzius accusat nos Sabellianismi, qui credimus & docemus, æternum patrem, Filium, & Spiritum sanctum non plures esse deos, sed vnum duntaxat Iehouam: Ostendam hic breuiter, tum è scripturis, tum ex patribus vetustissimis, tum efficacissimis rationibus, non posse aliter doceri: neque etiam re ipsa fieri, quàm vt hi tres, id est hæ tres personæ, vnus sint οὐσίᾳ & numero Deus.

Neque propterea accusari nos posse Sabellianismi: quin simul scripturæ sacræ cum tota tam inde ab initio Ecclesię, damnentur ἀδίκως. Contraria autem doctrina, Deum dissolui atque discerpi. Ac quoniam iste tritheita neque negat, filium esse verum Deum, & idem de Spiritu sancto confitetur: neque testimonia, quæ sunt de vno Deo, inficiari potest, sed ea tantùm ad solum patrem restringit: Ideircò neque ego immorabor in probanda æterni filij ac Spiritus sancti deitate: neque etiam testimoniis de vno Deo in medium proferendis, tempus conteram: sed eorum duntaxat aliquot, quæ tam de filio, deque Spiritu sancto quàm de patre Apostoli interpretantur. & in quibus tamen vnus tantum Deus prædicatur: breuiter commemorabo. Copiosè enim id fecimus in libris nostris de trib. Elohim, vno, eodémque Iehoua Perstringam igitur nonnulla propter eos, qui libros illos nostros fortasse non legerunt.

Deinde qui in scripturis simpliciter ait, se vnum esse Iehouam, & præter se non esse alium: ita se vnum prædicat, vt reliquos omnes à vera excludat deitate. Aut igitur negandum est, filium verum esse Deum, contra Ioannem, qui ait, *Hic est verus Deus*: aut fatendum est, patrem & filium, illius vnius Dei nomine contineri, qui ait, *ego Iehoua, & præter me non est alius.*

Adhæc, vnum tantùm Deum inuocandum, & adorandum, colendumque esse, passim prædicant scripturæ: *Dominum Deum tuum adorabis, & eum solum coles.* Aut igitur Christus nullo modo inuocandus, adorandus, colendúsque nobis est: aut vnus cum Patre sit Deus, necesse est.

Denique qui apparuit Iesaiæ, vnus duntaxat fuit Iehoua, quemadmodum apertè propheta ostendit, cap. 6. Interpretibus autem Iohanne & Paulo apparuit Prophetæ, tam filius, & Sp. S. quàm pater. Aut igitur reiice Gonedzi sacras literas, & accusa Apostolos impietatis & blasphemię: aut fatere patrē cum filio & Sp. S. vnum duntaxat esse Iehouam.

Si verò patrum testimonia, veterísque Ecclesię fidem requiras: lege Iustinum, lege Irenæum, lege Tertullianū, vetustissimos scriptores: qui, qualis fuerit tum temporis de Deo, ecclesiæ fides, luculentissimè docent. *Iustinus* in libro περὶ τῆς ἁγίας τριάδος argumentum hoc elegantissimè pertractat. Et primo proponit thesim dicendo, vnus reuera est θεὸς ἀκαταληπτός ... πατρὸς, υἱοῦ, ἁγίου πνεύματος γνωριζόμενος.

Deinde eam probat multis argumentis: tum quòd talis doctrina de tribus personis in vnitate essentiæ, per totum orbem tunc etiam prædicaretur: tum quòd in nomen patris, & filij, & Sp. S. omnes baptizemur: tum; quod omnes ad creandum mundum conuenerint, qui tamen mundus ab vno Deo creatus prædicatur: tum denique quod æqualis sit omnium potestas. Neque est, cur reiicias hanc doctrinam, quod aliquib. suspectus sit liber, fuerit ne Iustini, an alicuius Platonici. Nam præterquam quod nunquam legitur, quisnam præter Iustinum huius libri fuerit autor: constat antiquissimum fuisse scriptorem, eumque Christianum, quisquis is fuerit. Vnde manifestè colligitur, quæ fuerit veteris Ecclesiæ de Deo, fides. Deinde negari non potest, quin Iustini sint responsiones illæ, quæ sunt ad Orthodoxos quado omnium consensu illius esse prædicantur. In illarum autem respōsione decima septima, eandem tradit doctrinam: concludēs his verbis, ... ὁμοούσιον ... Vnde facilè intelligitur, quid sibi voluerit, cum in dialogo concludit, præter Patrem esse etiam alium Deum: nempe aliam personam, hoc est, filium, qui itidem Deus est. Nisi enim velis Iustinum pugnantia scribere: fatearis, necesse est, nomine alterius Dei nil aliud ei fuisse, quam alterum πρόσωπον, seu personam, quæ Deus est.

Quid *Irenæus* lib. 2. cap. 56. apertè docet vnum tantum esse Deum: & hunc esse Patrem, & filium eius, *Solus*, inquit, *hic Deus inuenietur, qui omnia fecit Hic est qui super omnem principalitatem, & dominationem, & virtutem. Hic pater, hic Deus hic conditor, hic factor, hic fabricator. qui fecit ea per semetipsum, hoc est per verbum & per sapientiam suam, cœlum & terram & mare, & omnia quæ in eis sunt Hic iustus, hic bonus, hic est qui formauit hominem qui plantauit Paradisum, qui fabricauit Mundum: qui diluuium induxit, qui saluauit Noë. Hic Deus Abraham, & Deus Isaac*, & reliqua vsque ad finem capitis. An non vides hic, primum quidem Patrem κατ' ἐξοχὴν, Deum ipsum vnicum appellari, qui omnia condidit, qui Deus est Abraham, qui Deus est viuorum: deinde verò Filium eundem esse cum Patre Deum docet? Principio enim docet non esse alium Deum præter hūc vnum, qui omnia condidit. Deinde ait hunc Deum Patrem omnia condidisse per semetipsum: h. e. (vt ipse exponit) per verbum & sapientiam suam. Hoc autem verbum & hanc sapientiam Patris: ait esse ipsum filium eius, dominum nostrum Iesum Christum. Si igitur vnus tantum est Deus: & hic est ille qui omnia condidit per semetipsum: & hoc per semetipsum, exponit per sapientiam & verbum suum: hoc est, per Filium suum, vt etiam Apostoli tradiderunt: non vides, cæce, Filium idem esse Iehouam, quod Pater est: hoc est, eiusdem essentiæ, eóque vnum & eundem Deum? Quomodo. n. Pater omnia condidit per semetipsū, hoc est per Filium suum, si Filius non est idem Deus cum Patre?

Quid verò senserit Ecclesia tempore etiam *Tertulliani*, perspicuum est, si quis legat eius librum contra Praxeam; librúmque de Trinitate. Ad finem libri contra Praxeam, cum multis demonstrasset, vnum tantùm Christianis esse Deum, in tribus personis patefactum: tandem concludit in hæc verba. *Cæterum Iudaicæ fidei ista res: sic vnum Deum credere, vt Filium ei annumerare nolis: & post Filium, Spiritum. Quid enim erit inter nos & illos nisi differentia ista? Quod opus Euangelij, quæ est substantia noui Testamenti, statuens legem & Prophetas vsque ad Iohannem, si non exinde Pater & Filius & Sp S. tres crediti vnum Deum sistunt?* Quid vis amplius? Vni Deo annumerari vult Filium, & Sp. S Pater igitur, qui κατ' ἐξοχὴν Deus dicitur, & Filius & Spiritus sanctus vnus sunt ille Deus, quem Scripturæ vnicum esse prædicant Et substantiam Euangelij non tenemus, neque a Iudæis differimus: nisi agnoscamus hos tres, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum vnum sistere (vt loquitur Tertullianus) hoc est, vnum esse Deum.

Si hoc testimonio non es contentus: vade & lege totum librum de Trinitate, ibique reperies, licet Pater sit Deus, & Filius Deus, & Sp. S. Deus: hos tamen non esse plures Deos, sed vnum duntaxat, propter vnitatem essentiæ.

Sed operæpretium fuerit, rationibus etiam a natura Dei deductis, doctrinam hanc orthodoxam, aduersus fanaticos confirmare. Ea est *Dei natura* vt ab omni compositione sit prorsus & simpliciter vacuus: eóque Deus neque ex materia & forma, vt omnia corpora: neque ex actu & potentia, vt omnes substantiæ spirituales: nec denique ex esse & essentia, vt omnes in vniuersum res creatæ: compositus esse potest. Vnde & meritò in Scripturis sese vocauit Iehouam: essentiam scilicet per se subsistentem, æternam, sim-

plicissimam. Iacto hoc fundamento, quod neque tu Gonedzi, neque omnes inferorum portæ conuellere possunt: vide & diligenter attende, quibus te tricis inuoluat, in quosve labyrinthos inducat sententia de pluribus Diis tua.

Si Pater & Filius duo sint essentialiter Dij: ij aut omnino & modis omnibus inter se differunt: aut prorsus & simpliciter inter se consentiunt: aut partim differunt, & partim consentiunt. Si primum dixeris, alterutrum neges Deum esse oportet. quomodo enim Deus erit, qui cum altero qui Deus sit, nulla in re consentiat? qua fronte audebis nomen Dei illi attribuere, cui nihil sit commune cum altero qui verus sit Deus? Si secundum concedas, quomodo igitur duos esse Deos, audeas affirmare? Est enim prorsus ἀδιάνοητον, vt duo sint Dij, qui nulla omnino re inter se substantialiter differunt, vt neque duo homines, quorum eadē prorsus est materia & forma; esse, & essentia: vna eadémque simpliciter natura atque substantia. Si verò tertium affirmare volueris; eos partim congruere in natura, partim discrepare: in plura etiam relaberis absurda. Efficitur enim vt fateri cogaris, vnam quandam vtrique communem esse naturam, in qua consentiant: & præter hanc communem, suam etiam cuique propriam, quibus inter se dissentiant, atque discrepent. Ita vterque erit compositus: ex natura nimirum communi, & ex propria. Quare & neuter fuerit Deus: cum Deus esse non possit, qui non sit simplicissima essentia, vt ante demonstratum est. Efficietur etiam, vt vterque aliquē supra se habeat, à quo diuersæ hæ vtriusque naturæ cum illa communi coniunctæ sint. Omne enim compositum ab aliquo se priore & superiore componatur oportet. Vnde fiet vt neuter etiam esse æternus possit. neuter etiam erit primum Ens: quia pendebit ex illo, qui partes inter se diuersas in vnum conciliauit neuter שדי *Schadhai*, & per se sibi sufficiens: quia alter propria alterius natura egebit, & omne totum, suis eget partibus, neuter etiam erit potentissimus: quia vis diuisa imbecillior est seipsa vnita. Vide Gonedzi quò abducaris: si diuidas Filium a Patre, & ex vno quem nos prędicamus, duos facias Deos, vel etiam tres. Adde iis: quòd si vterque & vna communi constat natura, qua fiet vt tam vnus quàm alter sit Deus: & vna propria, qua fiet, vt vnus, alius sit ab altero Deus: efficietur omnino, vt vterque & Deus sit & non Deus. Deus, propter naturam communem. non Deus, propter propriam, quæ communi accidit, ad duos constituendos Deos. In Deum enim nullum cadit accidens: quia aliunde illi contingeret: eóque neque esset perfectissimum per se ens, neque primum rerum omnium principium. Aut ergo Gonedzi confitere nobiscum Patrem & Filium vnum tantùm esse Deum, aut vtrumque nega.

Esse Deum, & esse *primum ens*, primam rerum omnium causam atque principium, à quo omnia, per quod omnia, & in quod omnia, idem sunt. Fieri autem nequit, vt plura sint prima rerum omnium principia. Vt enim omnes numeri ab vnitate ortum habent: ita omnia entia ab vno sint, oportet. Proinde optimè Apostolus sic Deum descripsit, vt diceret esse illum, à quo omnia, per quem omnia, & in quem omnia. Item in quo viuimus, mouemur & sumus. Quare omnes scripturæ, quæ sunt de rerum creatione & gubernatione: de vno tantum Deo intelligantur, à quo omnia sint condita, & per quem regantur atque consistāt: omnino necesse est. Cùm itaque legamus, & Patrem rerum esse omnium conditorem, & per Filium omnia esse facta, visibilia & inuisibilia, pérque eum omnia etiam consistere, & portari verbo suo potenti: inde, Patrem & Filium, non plures Deos, sed vnum duntaxat Deum esse, necessaria consecutione demonstratur.

Confirmo magis atque explico id quod iam dixi. Tu mihi, credo, non inficiaberis, Gonedzi, quin inter omnia entia Deus primum teneat locum, & sit omnium supremum ens, supremáque οὐσία: suprema bonitas, suprema potentia, suprema sapientia, suprema denique veritas. Proinde scripturæ sanctæ vocant illum, Altissimum, Primum & Nouissimum. In quolibet autem rerum genere, illud quod est generis illius summum, *vnum* tantum esse videmus. Summum atque supremum in genere colorum, est simplicissima albedo: inde enim omnes reliqui, per maiorem aut minorem illius participationem, colores. Albedo autem vna tantum est. nam si duas effeceris: in natura certè albedinis, vna tantum erit albedo: quare si plures sint, per aliam naturam, quàm per naturam albedinis, erunt plures. Ita non erit perfectissima simplicissimáque albedo. Proinde multæ quidem possunt esse res albæ: sed albedo suprema non nisi vna esse potest. quomodo enim alioqui esset suprema, si non vna & sola? Idem de luce dicimus. Summa supremaque lux, vna tantum esse potest: quia si duas constitueris, different inter se, non per lucem, sed per aliam naturam luci admixtam, cuius contagione lux fiet opaca, eóque neutra, suprema erit & perfectissima lux, quia mixta & opaca. Proinde rectè Iohannes supremam lucem dixit esse in qua nullæ sunt tenebræ: hæc est Deus. Summus etiam & supremus calor, non nisi vnus esse potest. Est enim ille summus & supremus: qui nihil frigoris in se habet admixtum. Proinde vnus calor ab altero differre non potest: nisi quatenus vnus minor est, alter verò maior neque minor esse vnus potest altero, nisi per maiorem frigoris mixtionem. Quòd si vterque omni penitus frigore liberetur: nulla iam re inter se different: sed vnus & idem erit supremus calor. Ita necessum est, vt in omni rerum genere, quod supremum est: illud sit vnum duntaxat, quia purissimum & perfectissimum.

Qui fieri igitur potest, vt Deus, qui πάντων τῶν ὄντων supremum est, perfectissimum, simplicissimum ens: nō etiam sit vna suprema lux, vna summa vita, vna summa veritas, vna bonitas, vna potentia, vna sapientia, vna denique essentia, vnusque Deus, adeóque ipsa summa vnitas? Quare si tam Filius, quàm Pater Deus est, vt Scripturæ prædicant: vnus tantum sint Deus, omnino necesse est: adeóque ipsa vna suprema essentia. Nam si quoduis summum in quouis rerum genere vnum tantùm est, vt ostendimus: quid magis vnum esse potest, quam ipsa suprema essentia? Est etiam Deus ipsa *vnitas*. Res enim omnes creatæ, sunt vt numeri: omnis autem numerus ab vnitate ortum habeat oportet, & in vnitatem resoluatur. Vnde & multa indiuidua ad vnam speciem, & multæ species, ad vnum genus, & omnia ad Deum referuntur. Est igitur Deus vnus quid enim magis vnum quàm vnitas? Est etiam Deus summa *veritas*. hæc autem vna tantùm esse potest. Si enim duas fingas veritates summas: aut vna habebit quicquid veri habet altera, aut non. si habuerit: vna igitur est, non duæ. si non habeat: non igitur summa: quia deest illi aliquid veri. Est autem Filius veritas ipsa summa, sicut & Pater: Ego sum (inquit) veritas. Item vterque summa est *bonitas*: eóque vna, si vterque Deus est. nemo enim bonus, hoc est, summè bonus, nisi solus. Vnus igitur sint Deus, oportet, Pater & Filius. Denique vterque summa est *potentia*, summa immensitas, summa perfectio: alioqui neuter, Deus fuerit. Sunt igitur ambo vnus Deus.

Ad extremum responde Gonedzi, si Pater & Filius duo sunt Dij, aut sunt per omnia, & modis omnibus æquales, aut alter altero minor. Primum dicere non potes, quoniam demonstratum iam est, fieri nullo modo posse, vt sint duæ summæ essentiæ, bonitates, potentiæ, luces, vitæ, immensitates, perfectiones. Quod cùm non ignorarent Manichei: idcirco non statuerunt duos Deos, quorum vterque summa esset bonitas, sed vnum summum bonum, alterum summū malum, quòd non possint esse duo summa bona, aut duo summa mala. quanquam non video quomodo etiam possit summum inueniri malum, à quo omnia mala. Si enim est atque agit, summum malum esse non potest, cum esse & agere, res bonæ sint, & expetendæ. Sed ea in re optimè sentiebant: duo summè bona, inueniri non posse. quare dari nullo modo potest, duos reperiri deos, per omnia æquales: hoc est, summè bonos, summè potentes, & quæ sequuntur ex Dei natura. Si verò alterum cōtendas, ac Patrem superiorem esse Filio dicas, solus Pater, verus fuerit Deus, non autem Filius. Verus enim Deus esse nequit, qui non sit summè bonus, summè potens, summè sapiens, perfectissima vita, lux, essentia. Si enim aliquid ei desit, participatione id erit quod est, & ad mensuram. Hoc autem est proprium rerum conditarum, cùm contrà proprium Dei sit, fontem esse bonorum omnium, & perfectissimum ens, omnium entium principium primum, primamque causam. Ita efficietur, Filium nullo modo esse Deum, sed rem creatam. O egregiam Gonedzij Theologiam: qui ita verbis contendit Christum alium esse Deum à Patre: vt reipsa neget eum esse Deum, cùm minorem Patre Deum esse Arianis concedat. Da igitur manum, & resipisce Gonedzi.

CAP.

CAPVT III.

Refellitur syllogismus Gonedzij, quo probare nititur Patres, & quicunque illos sequuntur, in voce ὁμοουσίου, hæreticos, seditiososque fuisse & esse.

NOn persequar singula tua verba, Petre; ne tecum tum rhetoricando, tum sophisticando; & insaniā ipse, & lectoribus impedimento sim, ne tuam cernere possint sophisticam. Quæ igitur tu longis ambagibus sophisticè inuoluis: ego breuiter perstringam, & perspicue explicabo. Id conaris ostendere, Patres in Concilio Niceno hæreticos & seditiosos fuisse, vsu vocis ὁμοουσίου: eòque omnino, & voces, & ipsorum doctrinam esse vitandam. Syllogismus tuus hic est, Qui nouis in religione vtitur verbis, hoc est quæ ab Apostolis profecta non sunt: is nouas inducit sectas: ac proinde tanquam homo seditiosus, habendus & vitandus est. Apostolus enim & ad Corinthios hortatur, vt idem loquamur omnes: idque ne sint inter ipsos dissidia: Et, Timotheum monet, vt teneat exemplar sanorum verborum, quæ ex se audierat, de fide & charitate, quæ est in Christo Iesu. Atqui hoc fecit Concilium Nicenum, & quicumque illud secuti sunt Patres; quum vocabulo ὁμοουσίου vsi sunt, quo vnam & eandem in singulis tribus personis essentiam explicarent. Sunt igitur omnes ij, vt seditiosi, & sectarum auctores, vitandi. idque eò magis, quòd neque quod volebant, explicarant eo vocabulo, teste Erasmo: sed contra potius, error Sabellij in Ecclesiam, ea voce inductus est. An non hæc est summa tui argumenti, in tribus prioribus tui libri paginis contenti, & multis verbis implicati? Accipe responsionem.

Ex tua propositione, Gonedzi, & ex eo quod tibi assumis oppugnandum, liquidò apparet, te duo illa Apostoli loca, quibus tuam cōfirmare vis propositionem, ita interpretatum esse: quasi simpliciter Apostolus damnet, si quis in religione vllo vnquam vtatur verbo, aut sermone, quo ipse aliive Apostoli aut Prophetæ in sacris literis non sint vsi: quauis id occasione, quauisve etiam de causa fiat: & vtut verbum illud, significationem minimè cum sensu sacrarum literarum pugnantem habeat. Iisdem enim semper vtendum esse verbis & sermonibus; quibus & Prophetas & Apostolos vsos fuisse videmus: neque inde vel latum pedem esse deflectendum. Quis tua ista legens, non putet te summum esse populi Christiani Imperatorem: totiusque Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ propugnatorem? Sed scopus, in quem ista & alia tua tendunt omnia: rem longè aliter se habere manifestè docet. ad euertendam enim Propheticam & Apostolicam doctrinam dicta Apostolica cōtorques. nam nihil minus agebat Apostolus ad Corinthios, quàm de vna aliqua voce: quam illi in Ecclesia præter Apostolorum consuetudinem vsurparant. De tollendis dissidiis erat illi sermo: quæ inter illos varia erant: tum in doctrina, tum in actionibus. Proinde monet, vt sint & in doctrina fideique fundamentis, & in deliberationibus quę ad actiones pertinent, consentientes: quæ duo, nominibus τῷ νοῒ καὶ τῇ γνώμῃ, expressit. Multo minus id erat illi in animo: cùm dixit Timotheo, Exemplar teneto sanorum sermonum. constantiam potius in sana doctrina, quam illi tradiderat, suadebat. Non inficiamur tamen, quin semper etiam danda sit opera: vt & voces & phrases Apostolicas in Ecclesia retineamus. Hoc verò constat, alienum esse à mente Apostoli sensum, quem illius verbis affingis: quasi simpliciter improbet, si quis verbo aliquo, quo nunquam vsi sint Apostoli, in religione vtatur: præsertim si talem vocem vsurpet, vel aliqua necessitate coactus, vel paucis explicandi, quod multis dictum fuerat, gratia. Alioqui quomodo defendes septuaginta interpretes, qui nunquam voce Iehouæ vtuntur: quam tamen subinde Moses & Prophetæ inculcant: sed eius loco, nomine κύριος, ipsum Iehouam significant? Quid? quòd non solùm non iisdem vocibus semper vtuntur, in alienam etiam versis linguam: sed neque easdem habent sententias, verùm à contextu Hebraico sæpe diuersas, vt nouimus omnes: neque tamen eos correxit Christus aut Apostoli: sed potius sunt secuti. Quid ita? Quoniam sensum spectabant, non ipsa præcisè verba. Proinde modo persuaderent summam sanæ doctrinæ: haud solliciti erant, de vno aut altero vocabulo, aut etiam de phrasi, vtcunque diuersa à vocibus & phrasibus, quibus Prophetæ vsi fuerant. Hoc enim postulabat vera pietas & charitas erga Ecclesiam: quam pietatem vtinam omnes imitaremur. quorsum enim de voce aliqua digladiamur, si de re conueniat? Si itaque sentias in tua propositione, nulla prorsus vnquam vtendum esse voce, qua non sint vsi Prophetæ & Apostoli: frustra ad comprobandam istam tuam sententiam adducis dicta Apostoli, cùm nihil minus quàm hac de re ille loquatur. Si verò intelligas inducendas non esse eas voces, quæ sensum habent diuersum ab eo, quem tradunt Sacræ literæ: inique flagellas Concilium Nicenum & Patres, quod vsi sint voce ὁμοουσίας, & consubstantialitatis. His enim breuibus vocib. nil aliud significarunt, aut significare voluerunt, quàm id quod Scripturæ multis docent, vnam esse Patris, Filij & Spiritus S. οὐσίαν; hoc est, vnum & eundem Iehouam. Neque etiam id fecerunt temerè, sed necessitate coacti, propter Arianos, qui vnum & eundem esse Deum negabant, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Imò ne Deum quidem esse verum, Filium contendebant: præsertim cum illi vocarent Filium ὁμοιούσιον Patri. Vt igitur vna voce in symbolo omnibus proponendo & recitando, significaretur & Filium verum esse Deum, quia Patri ὁμοούσιος; & simul omnes tres non multos, sed vnum duntaxat esse Deum, ὁμοιούσιον conuerterunt in ὁμοούσιον. Quid hic peccatum est ab Ecclesia contra Apostolum, admonentem, idem loquamur omnes, ne sint inter nos (scilicet fideles) schismata? Quid obsecro schismatis fecerunt hac sua voce ὁμοουσίου, & inter quos? Non certè inter fideles: quia omnes idem senserunt cum illis Fratribus. Imo vt retineretur vnitas Ecclesiæ & doctrinæ Catholicæ, nec sinerent eam ab Ario in sectas discerpi: ea voce vsi sunt Patres, qua significarunt & Filium verum esse Deum, quia ὁμοούσιος Patri, & omnes simul vnum tantum esse Deum, vt Scripturæ docent, quia vna omnium οὐσία. quorum enim vna est forma in Physicis, ea vnum sunt: cum vnumquodque habeat esse per formam. Vnde licet corpus & anima sint duæ res valde inter se differentes: quia tamen anima forma est corporis organici potentia vitam habentis, eaque vna: ideo ambæ, vnus tantum, sunt homo. Imo si fieri posset vt vna & eadem anima humana, in duobus esset corporibus: profectò duo vnus tantum essent homo. Ita licet in Deo tres sint personæ verè inter se distinctæ; quia tamen omnium vna est θεότης, & οὐσία, ideo vnus tantum sunt Deus. Hoc expressit Ecclesia, voce ὁμοουσίου.

Nam quod obiicis ex Erasmo, ne sic quidem suam explicasse sententiam Patres, nihil moror. Quasi verò Erasmus Belga, melius intellexerit linguam Græcam, quam tot tantique Patres Græci, qui in Concilio sedebant Niceno. Erasmum nouimus; præsertim in hoc de Deo dogmate, quid senserit; meritò à Pasquillo scriptum fuit, cum in medio aëre suspensum fuisse, vt etiam illi erant Dij, quos antiquitus vocabant Sermones; qui neque in cœlo erant, neque in terris. Itaque facesse, miser, cum tuo Erasmo in hac causa. Quid tum vero, si non expresserunt quod voluerunt, vi huiusce vocis? Certè significarunt, & disertè multis aliis verbis explicarunt; vt nemo porrò non intellexerit, atque intelligat; quid sibi voluerint Patres, voce ὁμοουσίου. Quod ex Erasmo affers, de ὑποστάσει & substantia, vno verbo expeditur. substantiam aliquando pro οὐσίᾳ, aliquando pro persona à patribus vsurpatam fuisse; notius est, quàm vt probatione opus habeat. Hinc factum porro, euitandæ ἀμφιβολίας gratia, vt maluerint vti vocabulo προσώπων, quàm ὑποστάσεων, & essentiæ, quàm substantiæ. Neque alia fuit causa, cur Hieronymus horruerit dicere tres ὑποστάσεις; quia metuebat, ne hac voce, tres Deos faceret; id quod vos non pudet docere. Quum igitur Latini dicunt consubstantialem: substantiam pro οὐσίᾳ accipiunt. quum dixerunt tres substantias, tres personas intellexerunt. Neque hîc vlla est inconstantia, cum eundem semper sensum de tribus personis & vna essentia retinuerint Patres. quanquam quum pro ea, variè ab Hæreticis vexabantur, abusibus vocabulorum: tum etiam ipsi verba nonnihil variare coacti fuerint.

Sed redeo ad rem. Constat tum ab eo quod suadet Apostolus, tum à fine, cur id suadeat, tantum abesse, vt Ecclesia in Concilio Niceno, voce ὁμοουσίου, fecerit contra Apostoli admonitionem: vt potius illi obtemperarit. Ad quid enim aliud hortatus est Apostolus, quum dixit, idem loquimini omnes, nec sint inter vos schismata. & quum alibi scripsit, Retine formam sanorum sermonum, quos ex me didicisti, quàm ad retinendam eandem

planè doctrinā, quam Apostoli tradiderunt: & ad vnitatem Ecclesiæ in sana doctrina conseruandam, contra omnes, qui schismata tantùm suis nouis somniis in Ecclesia excitant: veluti faciebat Arius, tempore Concilij Niceni: & tu cum tui similibus, in hoc tempore? An non verò hoc præstitit Ecclesia, voce ὁμοουσίου, opposita voci ὁμοιουσίου?

Sed ne de voce amplius contendamus: quomodo probabis, Patres propter vsum illius vocis, sectæ alicuius fuisse auctores? Illa enim voce nihil noui induxerunt in Ecclesiam: sed tantùm quæ antea semper fuerat in populo Dei, de vera Filij Deitate, déque vno duntaxat Deo, Patre, Filio, & Spiritu Sancto confirmarunt doctrinam. Sectam induxissent, si ea voce nouam de Deo fidem tradidissent sicut vos facitis, quum noua voce αὐτόθεον, quo nomine solum Patrem ornatis, à vera Deitate excluditis Filium, & Spiritum sanctum. Neque aliter intellexit Apostolus locis à te adductis, & quæ alia sunt illis similia: quam vt abstineamus à vocibus & sermonibus, quibus diuersa inducitur doctrina in Ecclesiam, ab ea quam tradiderunt Prophetæ & Apostoli: & quibus schismata excitantur. Proinde tua, Gonedzi, propositio, vera non est: nisi quis talibus vtatur vocibus quarum significatio contraria cum sit doctrinæ Apostolicæ: non potest ad aliud, quàm ad schismata facienda, & ad labefactandam Ecclesiæ vnitatem, prodesse. Negamus autem talem esse vocem ὁμοούσιον, qua Patres vsi sunt: imò contra satis ostendimus, ea illos confirmasse, voluisse certè, veterem Ecclesiæ doctrinam, de vno Deo, Patre, Filio & Spiritu sancto. Ita optime retorqueri in te, tuíque similes totum tuum primum argumentum potest. Qui nouis dicendi formis, hoc est, quibus noua & Apostolis incognita doctrina inducitur in Ecclesiam, vtuntur, hi sectas inducunt: eòque vt seditiosi vitandi sunt. Hæc certè propositio verissima est, & ex Apostoli sententia. Vos hoc facitis, qui solum Patrem vocatis αὐτόθεον: qui negatis Filium æqualem esse Patri: qui itis inficias Filium & Spiritum sanctum vnum & eundem esse Deum cum Patre: qui diuiditis personas in Deo, & contra confunditis naturas in Christo: qui denique ab vniuersa Ecclesia damnatas de Deo hæreses, in Ecclesiam quasi post liminio reuocatis. Nisi ergo resipiscatis: tanquam verè seditiosos, & sectarum perniciosarum auctores, fugiendos vos esse euincimus.

CAP. IV.

Refutatur prosyllogismus, quo assumtionem prioris syllogismi confirmare conatus est: statúsque causæ quis sit, aperitur.

Sed pergit Genedzius probare vòce ὁμοουσίου Patres in Ecclesiam, sectas induxisse eòque & ipsos tanquam seditiosos esse habendos atque vitandos: & vocem ὁμοούσιον, ex Ecclesia eiiciendam esse. Itaque nouam propositionem quæ statum totius causæ continet, proponit: quàm porrò multis argumentis probare conatur. Propositio hæc est, Vocabulum ὁμοουσίου, eòque & id quod Patres hac voce significare voluerunt, ex Ecclesia explodendum est omnino. Ratio: quia & hac voce, Sabellij error in Ecclesiam introductus est: & quæ hac voce significatur doctrina, est doctrina Sabellij. Quòd si, inquit, Homousij vocabulo, Sabellij errorem in Ecclesiam inuectum esse, ostendero; facilè omnibus cordatis, & vnitatis amatoribus persuasero, hoc vocabulum, ex Ecclesia omnino explodi debere. Agnoscis tua verba, Gonedzi? Sed antequàm ad argumenti tui refutationem veniam: libet hic pauca tua verba examinare. Principio, Hoc vehementer miror, quòd ais te demonstraturū Sabellij errorem in Ecclesium inuectum esse vocabulo ὁμοουσίου. Si intelligis, vt tua sonare verba videntur, Sabellij errorem, à Sabellio ipso inuectum fuisse in Ecclesiam, occasione huius vocabuli, quo Patres in Concilio Niceno vsi sunt: ridenda est tua intolerabilis imperitia: quippe qui præ te fers neque historicos, neque Patres à te fuisse lectos. Ergo ignoras Sabellij hæresim, annis ante Concilium Nicenum circiter 71. in Ecclesiam fuisse inuectam, sub Valeriano Imperatore: cum Synodus Nicena coacta fuerit sub Cōstantino primo. Nescis longè etiam ante à Praxea turbatam fuisse Ecclesiam ista hæresi: eámque à Tertulliano peculiari libro fuisse refutatā: sub Seuero Imperatore? Quid igitur est, quod ais, Sabellij errorem hoc vocabulo fuisse in Ecclesiam inuectum? Si verò intelligis fuisse hoc vocabulo renouatum, cur non perspicuè loquetis? cur non ais denuo inuectum, vel aliquid tale? At si ita intelligis: quibus quæso historiis hoc demonstrabis? Nullæ à te in hanc rem citantur: neque etiam quod sciam, citari possunt. Imò, vt optimè docent Patres, hac voce ὁμοουσίου, & Arij simul & Sabellij hæresis refutata fuit. Arij, quia si Filius ὁμοούσιος est Patri: est igitur perinde æternus verusque Deus, atque Pater. Sabellij, quia si Filius ὁμοούσιος est Patri, alia ergo est persona Patris a persona Filij: quanquam vna sit vtriusque οὐσία. Quomodo igitur hac voce renouatus est Sabellij error?

Sed dices, scio reipsa Patres hoc vocabulo nil aliud in Ecclesiam induxisse quam Sabellij errorem: quoniam horum doctrina de vno Deo & tribus personis: eadem planè est cum doctrina Sabellij: qui dicebat Patrem, Filium, & Spiritum sanctum vnam & eandem esse rem, quæ Patri, quæ Spiritus sanctus appelletur. Hoc mihi assumo (dices) demonstrandum: non ex historiis, sed ex collatione doctrinæ vestræ & Patrū, cum doctrina Sabellij: multis in hanc rē allatis argumētis. Ergo hic est status caussæ: quem quo modo Gonedzi, demonstres, mox videbimus. Sed hic etiam prodis tuā inscitiam, vel maliciā potius. Doctrinam enim hanc, quam Patres nobis reliquerunt, de vno Deo in tres personas distincto, sed non diuiso, & quam tu Sabellianam vocas: tuipse nosti, si historias & Patres legisti, minimè in Ecclesia receptam fuisse propter vocem ὁμοούσιον: sed propter apertaScripturarum testimonia, quibus Patres doctrinam hanc abundè confirmarunt. Ita quocunque te vertas, dissimulare non potes tuam aut crassam ignorantiam, aut diabolicam malitiam, cum summa impudentia coniunctam.

Illud quoque est sanè periucundum, quod eos vnitatis vocas amatores: quibus tuam sententiam, contra ὁμοουσίαν Patris, Filij & Spiritus sancti persuadere possis: tacitè, quid tacitè? imo nimis apertè, significans te vnum esse ex præcipuis qui vnitatis Ecclesiæ sint amatores. Sed quomodo quis potest huius vnitatis amator meritò appellari: qui veram vnitatem, vnde etiam vnitas Ecclesiæ pendet, oppugnat? Hæc est autem prima, ô impie, vnitas: in quam tu blasphemam tuam linguam soluisti, & Diabolicum calamum strinxisti: nempe Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum non plures, sed vnum duntaxat esse Iehouam: à quo vno Deo Iehoua, vnus conditus est mundus, vna collecta est Ecclesia, vnum constabilitum est regnum cœlorum: qui & vnus noster est Dominus, vnus seruator, vnus denique Deus: & vnicum totius Ecclesiæ est Pater; sicut & Filius in Patre: à quibus nunquam seiungitur proprius vtriusque Spiritus: quem Spiritum Sanctum vocauit idem Christus. Quomodo igitur te non pudet, insignis hypocrita, te tuíque similes, vnitatis appellare amatores: per quos vera primáque vnitas, vnde etiam vnitas Ecclesiæ pendet, soluitur, scinditur, laceratur in frusta? Hoccine est quærere vnitatem Ecclesiæ: Deum vnum, in plures discerpere? Postremò, quæ sit tua hypocrisis, qui doli, quæ impostura, quæ fraudes, luculenter demonstrasquum videris nihil aliud toto isto priori libro concludere velle: quam vocem ὁμοουσίου ex Ecclesia explodi debere: quòd hoc vocabulo Sabellij error inuectus sit in Ecclesiam. Quotus enim quisque est vir bonus, & pacis studiosus: qui si nihil aliud velitis, & tu & tui similes, quam vtendum non esse in Ecclesia, hac ὁμοουσίου voce, idque ea de causa, occasio cuipiam detur, Sabellij errorem confirmandi: non statim tibi subscribat, pacis & concordiæ causa? Sentimus enim omnes de vocibus non esse digladiandum, si de rebus inter nos conueniat. Ita nisi quis vlterius pergat legere tuum librum: profectò prima fronte videberis illi homo, cum primis veræ pietatis & concordiæ Christianæ studiosissimus: quippe cui vehementer displiceant inutiles, adde & perniciosæ λογομαχίαι. Sed aliud molitis, Sophista: aliúdque oppugnas, quàm vocabulum vnum. Ingenium tuum simile est illorum callidorum, qui ex Oriente venerant ad Concilium Ariminense, Arrianorum ingeniis. Illi quoque astuti homines, de voce solùm ὁμοουσίου simulabant se contendere apud simplices, vocisque illius minus intelligentes occidentales Episcopos: cum interim aliud in animo haberent: nimirum vt doctrinam, quā Patres, Niceæ confirmatāt, & voce ὁμοουσίου toti Ecclesię propo-

proponendam statuerant: funditus vnà cum voce illa euerterent. Itaque sic astutè proposuerunt occidentalibus, Quem magis colere & adorare vellent: Christum, an ὁμοούσιον? Simplices illi Episcopi, qui neque virtutem huius vocis tenebant, neque quò Orientales spectarent, animaduertebant: decepti hac interrogatione responderunt plerique omnes se credere Christo, non autem ὁμοουσίῳ: & ὁμοούσιον quasi à Scripturis alienum sermonem, de fidei expositione tollendum esse statuerunt. Inde Ariani triumphare: & suam testimonio etiam Occidentalium, totiusque Concilij decreto confirmare sententiam. Eodem planè spectat consilium huiusce vulpeculæ. Detegenda ergo mihi fuit tua stropha. Tuus itaque prosyllogismus hic est:

Qui Sabellij errorem in Ecclesiam inuehit: is nouam inducit sectam. Fecit hoc Concilium Nicenum sua voce ὁμοουσίῳ. Ergo. Quia vero sciebas hoc assumtum à nobis negatum iri: sic illud probare conaris. Non est putandum (inquis) ita delirasse Sabellium, vt dicens Patrem esse etiam Filium: contenderet hæc vocabula eadem esse. de re ille contendebat, non de verbis: nempe Deum esse & Patrem & Filium. Isti hoc idem contendunt: dum vnam substantiam & Patris, & Filii, & Spiritus sancti esse volunt. Si enim vna est & Patris & Filij & Spiritus sancti substantia: vnus Spiritus erit, qui idem erit & Pater & Filius: & Spiritus sanctus vocabitur. Penitus idem docent isti miseri, quod & Sabellius, licet aliquibus verbis varient. Quum Christus de Patre dixit, Alius est qui testimonium de me præbet: non docuit aliud esse vocabulũ, quod illi testimoniũ perhibeat. nam vocabula nihil sunt sine rationibus: tantũ abest vt testimonium perhibere possint. Et Christo nullum erat negotium cum vocabulis nudis: sed aliam subsistentem esse testabatur, qui alius sit quàm ipse: & ita alius vt etiam eius testimonium, alius tantùm sit & non suum etiam: & scio (inquiens) testimonium eius esse verum. Patris de Filio testimonium est ipsius solius testimonium. nam Pater ita est alius: vt etiam eius testificatio sit alia, quam Filii, alioqui si Patris testificatio est eadem numero & Filij: etiam Pater non alius, sed idem esset numero qui & Filius. quod Christus apertè falsum esse testatur: docens, alium esse qui est ipsius Pater: & ita non se esse & Patrem & Filium. Quisquis vnum Spiritum esse docet, qui idem sit & Pater & Filius: hic, hoc idem docet quod & Sabellius docuit: eundem videlicet esse & Patrem & Filium. nam qui Spiritus est Pater: ille idem erit & Filius. Hæc omnia tua sunt, Gonedzi.

Vt igitur probes Concilium Nicenum voce ὁμοουσίου, Sabellij errorem in Ecclesiam inuexisse: assumis eandem planè esse reipsa doctrinam, quam voce ὁμοούσιον promulgarunt patres, cum illa quam tradidit Sabellius: licet verbis vtcunque diuersa esse videatur. Atque hic est præsentis controuersiæ status: quem deinceps variis argumentis vel Sophismatis potius niteris persuadere simplicioribus: atque imprimis argumento ducto à nomine Spiritus, quo Deus à Christo ipso ornatur; vt mox videbimus. Sed, antequam ad argumentum respondeam: necesse est, vt hic etiam tuis examinatis verbis tuam detegam vafritiem, simul & calumniam atque impudentiam. Principio, quorsum illa tua admonitio, non esse putandum, Sabellium ita delirasse, vt dicendo Patrem esse etiam Filium, dicere voluerit hæc vocabula, eadem esse? Nemo vnquam nostrûm hoc aut docuit aut etiam somniauit: sed omnes, sicut explicarunt Patres, sic etiam intelleximus, Sabellium hoc docuisse, Deum scilicet vnam tantùm esse personam. quæ & Patris, & Filij, & Spiritus sancti nomine vocaretur. Cur igitur calumniosè & vafrè imponis simplicibus, quasi Patres senserint controuersiam inter se & Sabellium fuisse de vocabulis non autem de rebus?

Deinde illud etiam est calumniosum in ipsum Sabellium: quum ais, illum docuisse Deum esse & Patrem & Filium. Minimè verò hoc docuit. cùm enim plures negaret in Deo esse personas, & vnam tantum statueret: quomodo potuit vel cogitare, eandem personam esse & Patrem & Filium: genitorem & genitum: suique ipsius & causam (vt ita cum Græcis loquar) & effectum: hoc est parentem & prolem? Cùm videret in Scripturis vnum tantùm prædicari Deum: statuit vnam tantum esse personam, hoc est vnum ὑφιστάμενον mente & voluntate præditum. Quum verò etiam cerneret in Scripturis eisdem, nominari Patrem, Deum, Filium Deum, Spiritum sanctum Deum: somniauit eandem personam, iis tribus nominibus: pro variis ipsius effectis, & secundum variam dispensationem appellari. Hæc fuit Sabellij, vt omnes norunt, doctrina: non autem, quòd aut vnum & idem ὑφιστάμενον, esset reuera & Pater & Filius, vt tu calumniosè illi affingis: aut quòd vnus & idem Iehoua; plures esset Elohim, Pater & Filius, & Spiritus S. vt nos docemus.

Tertio etiam loco impudentissimæ conuinceris calumniæ, quum ais idem nos quoque contendere quod & Sabellius. Quid ita? dum (inquis) vnam substantiam Patris & Filii, & Spiritus sancti esse volunt. Cur non refers, Sophista, fideliter & candidè nostram sententiam: sed astutè confundis eam cum Sabellii errore? Quando Sabellius dicebat vnam & eandem substantiam esse Patrem & Filium: vnum & idem ὑφιστάμενον intelligebat. Quum nostri scribunt, vnam & eandem esse Patris & Filii Spiritusque sancti substantiam: non vnum ὑφιστάμενον, sed vnam οὐσίαν significant: tribus ὑφισταμένοις communem, vtrumque enim significatur nomine substantiæ: vt notum est, præsertim apud Latinos. Proinde vides etiam à Patribus, nonnunquam tres substantias nominari: quòd persona nil aliud sit, quàm substantia per se subsistens, viuens, intelligens, volens, agens. Sed essentias plures vna non soliti sunt dicere: propterea quòd οὐσία non idem semper significet, quod substantia. Sed tu sophisticè omnia inuoluis, vt fucum facias lectoribus, persuadeasque Catholicæ Ecclesiæ doctrinam, eandem esse cum Sabelliana hæresi: sicut tibi in tota hac prima tui libri parte, propositum est facere. Et tamen non pudet te, nos appellare Sophistas? Si hoc non est συκοφαντίζειν: nescio quid sit.

Nunc igitur detecta tua fraude atque malitia: facilè omnia tua patebunt etiam Sophismata. Primùm itaque tuum Sophisma, quo pro viribus niteris probare, nostram de æterno Patre, æterno Filio, æterno Spir. sancto vno eodémque Iehoua sententiam esse eandem cum Sabelliana hæresi, de vna eademque substantia quæ Pater, Filius & Spir. S. nominetur: hoc est, si vna est Patris & Filij Spir. S. substantia: vnus Spiritus erit, qui idem erit & Pater, & Filius, & Spiritus S. vocabitur. Hæc tua sunt, Gonedzi. Atqui hoc esse non potest, & sententia est Sabellii, qui personas non distinguebat. Nam Christus distinguit se à Patre: alium faciens Patrem, qui testimonium perhibet: & alium Filium de quo perhibetur: aliúdque docens esse testimonium Patris, & aliud testimonium suum, hoc est Filii. Respondeo ad maiorem. Si nomen substantiæ accipis pro ὑφισταμένῳ: facis nobis iniuriam: nemo enim nostrum vnquam docuit, vnam esse substantiam, hoc est ὑφιστάμενον Patris & Filij. Si pro essentia: vitiosa est illatio. nam etiam spiritus nomen capi potest aut pro essentia spirituali: aut pro ὑφισταμένῳ spirituali. Si pro essentia: Battologia est quum dicis, si vna est essentia Patris & Filij, vna erit spiritualis essentia, quæ sit Pater & Filius. Si autem pro ὑφισταμένῳ: non sequitur, si vna est vtriusque essentia, idem erit ὑφιστάμενον, Pater & Filius. Optimè enim conueniunt inter se in Deo: plura esse ὑφιστάμενα, & vnam omnium οὐσίαν. quod quomodo fieri possit: lege patres: lege nostros; lege etiam si placet, meos de tribus Elohim & vno Iehoua, libros. Certe vna est animæ essentia; & plures essentiales facultates: vna solis & radiorum lux; neque tamen radius idem est, qui & sol. Et apud Physicos, cuiusque compositi, vna est tantum essentialis forma; neque tamen pars vna compositi, est idem planè quod altera. Ita inconueniens non est: aliquid esse vnum & plura diuersis respectibus, quanto magis id Deo concedendum est; qui spiritualissima est essentia: & de cuius distinctis personis dubitari non potest, nisi quis reiiciat Scripturas?

Quæcunque igitur porro garris, de Spiritu aduersus Caluinum, qui Spiritum apud Ioh. 4. pro ipsa spiritualissima diuina essentia, interpretatus est, vt vana & Sophistica, instar fumi euanescunt. nam sic etiam Patres interpretati sunt. neque aliter intelligi locus ille potest; quam Deum Spiritualis esse naturæ: quæ carnalibus ceremoniis non eget, nec delectatur. Idem fatebuntur proculdubio pueri ipsi, qui Catonianum illud legerunt, *Si Deus est animus: nobis vt carmina dicunt* (hoc est, spiritualis substantia) *Hic tibi præcipuè sit pura mente colendus.* Quod verò ais de testificatione Patris & Filij: verum dicis: neque quisquam nostrum vnquam vel scripsit vel credidit, vnam

& eandem esse testificationem: diuersarum cum sint personarum actiones. apertè enim distingui vnam ab altera, tam testificationem quam personam: nouimus & nos Vnde & Iohannes, *Tres* (inquit) *sunt qui testificantur in cœlo*: Sed interim nouetis ex iisdem scripturis sanctis; sicut alia est testificatio Patris, & alia Filij, quia alius etiam est Pater, & alius Filius: ita testificationem esse vnius eiusdémque Dei: non autem multorum Deorum. Sic enim subdit Iohannes, *Si testimonium hominum accipimus: testimonium Dei maius est.* Operatio quoque facultatis intellectiuæ, non est eadem quæ & sensitiuæ: aut vegetatiuæ, quis tamen neget, esse omnes vnius & eiusdem animæ operationes? Loqueris etiam ita de Spiritu, quasi nos dicamus Patrem & Filium esse vnum & eundem Spiritum, qui Spiritus S. vocetur. Calumnia est, nusquam enim hoc tradit Scriptura; neque in nostrorum libris scriptum reperies: sed semper de tertia tantum persona, hoc nomen prædicari nouimus; Christo sic docente: Baptismumque in nomen Patris, Filij & Spiritus sancti instituente.

Decreueram præterire, breuitatis causa, quæ aduersus Caluinum sophisticaris, tanquam vana, & nemini non nota sophismata; sed non possum ex officio. neque enim tam perstringis hominem, de Ecclesia optime meritum; quàm damnas totius Ecclesiæ doctrinam. Ais Caluinum vidisse: quisquis vnum Spiritum esse docet, qui idem sit & Patri & Filius; hunc, hoc idem docere, quod & Sabellius docuit: eundem videlicet esse Patrem & Filium; sed celasse. Vnde probas? quia sic scribit in Institutionibus. Nec moneri quispiam debet (inquit Caluinus) vt Spiritum cum Patre & Filio confundat, quoniam Deus ipse totus Spiritus nuncupetur. nihil enim obstat, quò minus tota Spiritualis sit Dei essentia; & in illa essentia, Pater & Filius & Spiritus S. comprehendatur. Hæc ille. Quibus verbis nihil clarius significatur: quam, licet tota Dei essentia, Spiritus nuncupetur, quia spiritualis est; non idcirco tamen confundendam esse personam Spirit S cum persona Patris & Filij; quasi verò idem sit Pater & Filius, qui & Spir. S. quia omnes vnius spiritus nomine comprehenduntur. Quid igitur vidit & celauit Caluinus? Vidit fieri posse, vt aliquis imperitus, ὁμωνυμίᾳ Spiritus hallucinetur: nempe, vt quia videt in Scripturis tam de Patre & de Filio, quam de Spirit. S. prædicari nomen Spiritus, quum scilicet essentiam diuinam quæ spiritualis est, significat, idcirco confundat & putet eundem esse, hoc est eandem personam, quæ sit Pater & Filius & Spiritus S. Hoc vidit: proinde etiam huic errori, piè & prudenter occurrit sanctus vir, suis illis verbis: quorum sensus est, Etsi Pater est Spiritus, hoc est, Spiritualis essentia; non ideo tamen est ille spiritus, qui Spiritus S. appellatur, hoc est, illa tertia persona. Quid hic celauit magnus ille vir; eum sapienter & piè monuerit propter vocis ambiguitatem; ne quis confundat personas? vt tibi ingenuè dicam; video te esse aut insignem asinum, qui non intelligas quæ legis; aut intolerabilem sophistam, & malitiosum seductorem; aut vtrunque simul. Notandum (inquis) quid hortetur Caluinus, vt non confundatur Spiritus cum Patre, & Filio. Confunderetur autem si esset vnus Spiritus, qui etiam Pater & Filius esset; & Spiritus S. vocaretur. Quid garris, nequam? Quid seducis simplices ambiguitatibus verborum? Quum Caluinus ait, non confundendum esse Spiritum cum Patre & Filio; Spiritus S. intelligit, tertiam scilicet personam. Quum vero & ille docet, & nos simul cum tota Ecclesia credimus Patrem & Filium & Spiritum S. esse vnum Spiritum; nomine Spiritus, essentiam diuinam, naturamque illam spiritualem cum Iohanne intelligimus. Quis igitur fallaciam tuam non videat, quum infers, Si vnus est spiritus, qui & Pater & Filius sit, & Spiritus S. confunditur spiritus cum Patre, & cum Filio? manent enim distincti inter se; licet vnam & eandem esse dicamus omnium essentiam; quæ spiritus indefinite accepti nomine significetur. Si quis etiam melius velit tuam vafritiem, & cauillos, simul & calumnias videre; obseruet, quod scribis & hic, & paulò ante, confunderetur autem (inquis) si vnus esset spiritus, qui & Pater & Filius esset; & Spiritus sanctus vocaretur. Quasi verò quispiam nostrum vnquam dixerit, Patrem & Filium, esse illum vnum spiritum, qui Spir. sanctus vocatur. Nouimus Patrem esse spiritum, & esse S. nouimus & Filium esse spiritum, & esse S. sed nunquam diximus aut dicere audemus vel possumus, Patrem vel Filium esse illum spiritum, qui in sacris literis, Spit. S. vocatur; cùm nunquam nisi de tertia persona id nominis prædicari in scripturis legamus. Nisi fortè semel apud Apostolum, quum ait, *Dominus autem Spiritus est.* Qui locus quomodo intelligendus sit, nostram diximus sententiam in libris de tribus Elohim. Cur verò sic loqueris tu, nisi vt persuadeas simplicibus, nos confundere personas? Apage calumniator, & sophista impure.

Sed nunc audiamus consilium quod subdis; Porrò non aliter confusionem euitaueris: quàm si statuas alium esse Spiritum, qui est Pater, nempe Spiritum ingenitum: Spiritum verò Sanctum genitum quidem, sed tamen filij nomen non esse sortitum. Hoccine tuum consilium? è quibus scripturis istud hausisti? vbi vnquam legisti, Spiritum sanctum esse Spiritum genitum? Quomodo igitur Filius erit vnigenitus: si alium etiam ex se genitum habet Pater? Tu, qui ita exagitas Patres concilij Niceni, quia vsi sunt voce ὁμοουσίου; idque propterea quod vocem à Scripturis alienam vsurpatam ab illis fuisse contendis: audes deinde Spiritum sanctũ vocare genitum, & consulere omnibus, vt statuant eum esse genitum? Hic etiam declaras te inimicum esse vnigenito Iesu Christo. Neque illud probaueris vnquam, Patrem in sacris literis vocari Spiritum ingenitum. Dicimus esse Spiritum, & Spiritum vocari, quatenus spiritualem significat essentiam: eamque ingenitam. Sed hoc modo, Filius quoque spiritus est ingenitus: & spiritus sanctus ingenitus, quia eadem essentia in singulis est ingenita. Quum verò Pater dicitur ingenitus, Filius autem genitus: ratione personarum id dicitur. Persona enim Patris, à nullo est: at Filij, à Patre genita. Ita dum das consilium, quo euitari possit confusio: tu ipse omnia confundis. Confusio vitatur, si dicas nomen spiritus, quum de Patre, aut de Filio prædicatur: οὐσιωδῶς accipi. Quum verò legimus nomen spiritus sancti, illud de tertia duntaxat persona prædicari: eóque nomen esse personæ, non autem essentiæ.

Subdis porrò, meras esse nugas, quòd Filius dicitur semper generari: spiritum autem sanctum procedere. Nugæ igitur sunt, quòd Christus non dixit, spiritum sanctũ processisse, sed procedere? Tu sermonem Christi corriges, nequam? Etsi ergo mihi non probatur, vt aliter de Deo, præsertim verò de hoc sacro sancto mysterio, déque arcana illa & æterna Filij ex Patre generatione loquamur, quàm Deus ipse in sacris literis locutus est, tamen ex eo quòd Christus de æterna Spiritus sancti processione loquens, non dixit in præterito, processit, quasi non amplius procedat, sed in præsenti, procedit, vt perpetuam eius à Patre, eoque & à se processionem significaret: Hinc, inquam, apparet eos qui etiam de Filio dixerunt, eum semper à Patre generari, non ita esse ridendos, vt dicas has esse nugas. Nouerunt isti Patres, Filium vocari ἀπαύγασμα: lumenque de lumine, appellari: Vt igitur radij solis, ita à condito orbe orti sunt è sole, vt tamen semper oriantur: sic de Filij ex Patre æterna generatione loquuti sunt: vt intelligeremus generationem illam, non esse eius generis, cuius est nostrorum liberorum è suis parentibus, qui ideo non possunt dici semper à nobis generari, quia extra nos generantur, finiti cum simus, & nos & ipsi: eóque plures etiam homines simus, non solùm distincti inter nos, sed etiam diuisi. Vnde nec perpetua, aut continuata est illorum è nobis generatio: sicut radij è sole, quia ab illo nunquam separantur. Vt igitur ostenderent Filium non ita esse è Patre genitum, vt sit extra Patrem, & à Patre separatus: quia Pater semper est in Filio, & Filius in Patre: idcirco, sicut Christus dixit in præsenti Spiritum sanctum procedere à Patre: sic illi dicere nonnunquam soliti sunt, Filium generari ex Patre: nam etiam licet Christus dixerit, se exiuisse à Patre, in præterito: Iohannes Baptista tamen non dubitauit dicere in præsenti eum semper esse in sinu Patris: imò idem Christus se esse in Patre. Qui Christum è Patris substantia genitum esse dicebant, laudabantur: sed si addebant προβολὴν, damnabantur: vt habes apud Hieronymum, T. 2. contra Ruffinum lib. 2. Sed (inquit omnium Patrum censor) Christus dicens Spiritum sanctum procedere à Patre: non generationem eius descripsit. vel continuam eius ex Patris & sua substantia emanationem: sed summam auctoritatem Patris declarauit: quod licet ipse (Filius) mittat Spiritum S. non tamen eum mittit à seipso, sed à Patre. Ac parenthesi interiecta, probat non emanare ex Patris & Filij substantia: quia (inquit) ex eorum emanans vel procedens substantia: non potuisset etiam ex sua substantia non emanare: quippe quod fingatur esse omnium trium vna. Primò, quod negas verbis Christi aliud doceri, quàm summam Patris auctoritatem: vicissim & nos dicere poterimus, quum ante dixit Christus, Patrem missurum Spiritum

S. in

S. in nomine non suo, sed Filij: summam Filij auctoritatem indicatam fuisse: quod licet Pater mittat, non tamen mittat à seipso, sed Filij nomine: Ex vtroque igitur simul collecto loco, illud potius euincitur: Spiritum S spiritum esse non solum Patris, sed etiam Filij: eòque tam ab vno quam ab alio illum esse. Quomodo vero est à Patre? (nam ab hoc saltem illum esse inficiari nequis: quum fatearis illum ab eo mitti:) Num per creationem, vt nos? At scripturæ nullibi docent Spiritum S creaturam esse. Num per generationem? Neque hoc vllibi legitur: atque vt ante diximus, si ipse etiam Spiritus S. genitus esset ex Patre, Filius non esset vnigenitus; neque euitari posset, quin Pater duos haberet filios, è sua substantia genitos. Quomodo igitur fuerit à Patre Spir. sanctus: nam aliquo modo ab eo sit oportet, quo nomine tu hunc appellabis modum? E scripturis certè ille hauriendus est, istæ verò nullum alium docent, quàm qui ex verbo hoc, procedendi, collectus est à Patribus.

Ergo, licet illis verbis indicare cum primis voluerit Christus, Spiritum S. nihil docturum, nisi quæ Patris sunt, sic etiam de se idem concluserat, quando dixit, *se exiisse à Patre, & venisse in mundum*: tamen absurdum non est quod Patres aiunt, illo verbo, modum quo Spiritus S a Patre est, significari. Nam suam quoque è Patre generationem significauit Christus, verbo exeundi à Patre. Idem etiam hic de Spir. sancto verbo procedendi significatur. Præsertim vero, quòd non in futuro dixit Christus, qui à Patre procedet, id quod omnino dicendum fuisset, si nihil aliud voluisset significare, nisi futurum Spir. sancti à Patre in mundum ad Apostolos, aduentum; sed dixit in præsenti, *Qui à Patre procedit.* Adde quòd superuacaneum fuisset etiam hoc verbum, si nihil præterea docere voluisset: quàm se, Spiritum S. missurum, non à seipso, sed à Patre. Hoc enim iam dixerat; vt in eodem planè habemus versu. *Quum autem* (inquit) *venerit consolator ille, quem ego mittam à Patre.* Quorsum igitur statim subiecit, *Spiritus (inquam) ille veritatis: qui à Patre ἐκπορεύεται*? Imò inde etiam euincitur, quod tu arroganter negas, & impiè derides; perpetuam esse hanc Spiritus S. è Patre emanationem seu processionem; quia non dixit, qui è Patre processit seu emanauit; sed in præsenti, *emanat*, seu *procedit*. Plus reuerentiæ certè præbendum est sacris literis & verbis Christi: quàm tu facias. Hæc autem vera est reuerentia & honor: si nihil superuacaneè dictum esse existimemus: sed in singulis verbis, singula esse mysteria, agnoscamus; præsertim cum sermo est de Deo, déque diuinis illis personis. Adde, quando accedit totius Ecclesiæ interpretatio; tum minus nobis licere verba spiritus S. perfunctoriè próque nostro arbitrio interpretari.

Sed videamus etiam rationem tuam quantum habeat ponderis. Si spiritus sanctus ex patris & Filij emanat substantia; non potest etiam è sua non emanare; quippe quòd vna omnium esse fingatur. Non fingitur, Gonedzi, sed è scripturis demonstratur, vnam esse omnium οὐσίαν seu substantiam, si sanè pro οὐσία accipias. Sophisma autem tuum inde pendet, quòd non distinguis οὐσίαν à personis; neque etiam illam consideras, quatenus in Patre est, quatenus in Filio, & quatenus in Spir. sancto. In Patre est ἀγέννητος: in Filio γεννητός: in Spiritu sancto ἐκπορευτός. Neque nos soliti sumus dicere, Spiritum sanctũ procedere ex patris Filiíve essentia: sicut neque Filium è patris essentia nasci propriè intelligimus; sed vt Filius communicatione totius eiusdémque essentiæ, quæ in patre est, genitus est ex patre: sic Spiritum sanctum dicimus totius eiusdémque οὐσίας communicatione, procedere à patre, & à Filio; quia vtriusque est spiritus. Sequitúrne igitur etiam à seipso procedere? Minimè, quia alius Pater & Filius: alius verò Spir. sanctus. Ipse etiam radius dicitur emanare & nasci è sole: non autem è luce Solis, quæ vna est vtriusque. Et nos non ex humanitate parentum nostrorum nati sumus; sed ex parentibus nostris, eiusdem humanæ naturæ participatione. quanquam discrimen est in Deo, & in nobis non paruum; quod scilicet in nobis communicata, fit multiplex propter materiam, & quia finiti sumus, diuisique à parentibus: sed in diuinis illis personis, eadem manet vnita, quia simplicissima & immensa, eoque secari non potest: neque Filius separatur à patre: aut Spiritus sanctus à patre, vel à Filio. Ac si aliquando vel apud patres, vel apud nostros legis, Filium è substantia vel ex essentia patris genitum esse: non ita intelligenda sunt talia verba, quasi dicamus essentiam ipsam Patris generasse, quàm suæ substantiæ essentiæque communicatione.

nam nos quoque dicimur geniti ex patre, sed non ex ipsius essentia: quia gratiæ communicatione, non autem substantiæ, geniti ex ipso sumus. Tuum igitur sophisma detectum est. Plura si velis ad hoc & alia similia: lege si placet, alteram partem meorum de tribus Elohim, vno vnodémque Iehoua, librorum.

Notandam quoque ais, esse Caluini vafriciem, quòd non dixerit, totam essentiam esse vnum spiritum, sed totam esse spiritualem. Quid ita vafrum eum vocas, quòd sic locutus sit? *Nam non ideo* (inquit) *spiritualem esse dixit, ne non sit, qui putet esse animalem vel carnalem: sed quia si dixisset, illam essentiam esse vnum spiritum, vidit nihil aliud restare, quàm Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, nomina esse vel attributa illius vnius Spiritus.*

Ego verò, Gonedzi, summam voco prudentiam, cum solida eruditione coniunctam, quam tu vafriciem appellas: te autem esse sycophantam, cùm aliam Caluino affingis caussam suorum dictorum, quàm quæ debeat. Quod enim non dixerit, totam essentiam esse vnum spiritum: hoc ideo fecit, quia cum tu tuique similes, nomine vnius spiritus, intelligatis vnam personam, dici non potuit, nec potest, totam essentiam esse vnum spiritum, nisi à Sabellianis. Quòd verò diuinam essentiam, spiritualem esse dixerit, propter Anthropomorphitas factum est, & quia locus Christi, Iohan. 4. 24. quem explicabat, hoc postulabat. Quid enim viro Orthodoxo significare aliud possunt illa verba, πνεῦμα ὁ Θεός, quam Deum spiritualem esse essentiam, hoc est, non corpoream. ac proinde quæ neque in sui adoratione ac cultu opus habeat externis corporeisque ceremoniis & locis (vt illa putabat Samaritana, & plerique omnes, etiam Iudæi:) sed adorari velit in spiritu & veritate? Id enim docuit Christus, quod etiam pueri didicerunt in Scholis à Catone:

Si Deus est animus, nobis vt Carmina dicunt,
Hic tibi præcipuè sit pura mente colendus.

Neque est, cur ibi de sola Patris persona, Christum ea verba protulisse calumnieris, vbi de colendo, inuocando, & adorando Deo locutus est, nisi fortè ex doctrina Christi, contendere etiam velis, solam Patris personam esse colendam, inuocandam, adorandam: non autem Filium etiam & spiritum sanctum. Quod si feceris, mox impurissimum tibi os occludet Stephanus, alij Apostoli, & tota Christiana Ecclesia.

Subdis: *Quæ autem absurda verbis eius* (Caluini) *sint annexa, ita accipe. Essentia Dei, non est nisi spiritus. Si ergo in illa essentia, & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus comprehenderentur: an non in quodam spiritu, alij tres spiritus comprehenderentur? Vides, quo homines arrogantes conseruandæ autoritatis cupiditas impellat, dum timentes, ne confesso errore, aliquantulum de autoritate, in qua habentur, decedat, meras præstigias malunt fingere, quàm veritatem simplicem & apertam agnoscere.*

Hæc tua sunt omnia, quibus multa subiicis de veritate, sine tricis explicanda, sed simpliciter & apertè. Sed quis maioribus tricis atque sophismatis inuoluit veritatem, quàm tu? Cui ideo rumpuntur ilia, quia vides Caluinum, maximæ (& id quidem merito) fuisse & adhuc esse suis scriptis in Ecclesia autoritatis: cum tu ne nomine quidem, quis sis, agnoscaris. Tu modò vide tuas tricas. *Essentia* (inquis) *Dei, non est nisi spiritus.* Sed spiritus nomine tu homo scilicet nudæ veritatis studiosissime, intelligis? Vel aliquod extra ipsum patrem, Filium, spiritum sanctũ ὑφιστάμενον, vel aliquem istorum tantùm: vel id quod omnes sunt, seu in quo omnes communicant. Si primum intelligis; turpiter falleris. Nulla enim est essentia diuina, nullumque in Deo ὑφιστάμενον, extra Patrem, Filium, & Spiritum sanctũ vt neque humanitas extra homines; ac proinde tu nihil aduersus Caluinum concludis, qui nullum vnquam in Deo, extra tres personas, imaginatus est ὑφιστάμενον. Si alterum: dignus es fuste, vt qui iamdiu in Schola Christi versatus, nondum scias, tam Filium, quam Patrem, aut Spiritum S. esse spiritum, quia Deus sunt. Si tertium; tua igitur sequela nihil habet absurdi. Non enim absurdum est, plura ὑφιστάμενα spiritualia, in quodam spiritu, hoc est, in quadam spirituali communique essentia comprehendi; vt omnes homines, in humanitate, quæ tamen extra homines nulla subsistit. Viden' igitur qui sis? Homo nimirum tricis & tenebris tere oblectans, alios autem seducens. Vade ergo & accusa Caluinum arrogantiæ, homo omnium arrogantissime: quidve sit veritas, ac quomodo debeat explicari, melius discito.

Obseruent autem Lectores caussam, cur & isti Tithei-

tæ & Ariani omnes, ac Seruetiani, doctrinam hanc, quam hactenus Ecclesia credidit & prædicauit, de Deo Patre, Deo Filio, Deo Spiritu sancto, vno eodemque Deo seu Iehoua, oppugnent: ea est, quia percipere intellectus sui ratione hanc non possunt doctrinam. Quid? quod hoc etiam assumunt, tanquam certissimum ἀξίωμα, quo doctrinam hanc, veram non esse, sed humanum figmentum persuadeant? Sic enim scribit. *Veritas nihil præstigiis habet simile*, &c. Argumentum tale est. Omnis veritas, vt est nuda & aperta, nihilque habet præstigiis simile: ita etiam cognitu facilis est. *Fides enim vera, est substantia rerum sperandarum, argumentum rerum non apparentium.* Atqui talis est nostra doctrina, contra autem sese habet doctrina, quam hactenus Patres & tota Ecclesia credidit de Deo vno in tribus personis. Quis enim eam possit percipere? Respondeo ad maiorem tuam, Gonedzi, propositionem. Veritas de Deo, rebusque diuinis, per se & sua natura, aperta est, & cognitu facilis, sed non omnibus. Apostolus enim ait, 1. Corinth. 2. *Animalis homo non percipit, nec potest percipere quæ sunt Dei* Sed quibus cognitu facilis est, & aperta? *Iis qui spiritum habent Christi*, vt Apostolus docet Qui autem habent hunc Christi spiritum? *Qui sunt Christi.* Qui verò sunt Christi? Qui fide eum, qualem eum & persona & officio prædicant sacra literæ, amplectuntur. Qualem vero prædicant scripturæ eum esse (via iam de officio taceamus) persona? Ita verum hominem, vt etiam verum Deum: Deum inquam non alium à Patre: quia non est, nec esse potest nisi vnus Deus Iehoua. Qui hac fide, verbo Dei nixa, Christum amplexi sunt: hi etiam habent & Patrem Christi, vt Iohannes docet: & spiritum Christi, vt docet Apostolus; & his, veritas hæc cognitu facilis est (cognitione fidei, quæ non ratione nititur nostræ mentis, sed solo Dei verbo) & aperta. Non simpliciter: (Apostolus enim eam vocat mysterium, 1. Timoth. 3.) Sed in verbo. Quid enim in scripturis apertius quam & vnum tantum esse Deum: & hunc Deum esse Patrem, Filium illius Patris, & spiritum sanctum qui & Patris & Filii spiritus sit? Sed neque in verbo ita aperta est, & facilis cognitu, vt percipere eam perfectè, menteque assequi vti res se habet, possimus. Apostolus enim ait. *Nos hic videre per speculum, & in ænigmate*: Item, *cognoscere ex parte tantum.* Et *Fides* (inquit) *est* ἔλεγχος πραγμάτων οὐ βλεπομένων. Fides enim euincit, vera esse & certa, quæ verbum proponit: sed interim hæc non videntur in præsentia, videnda à nobis, cum in cœlo fuerimus. Vnde non ineptè Scholastici dixerunt: *Fidem esse certam cognitionem, sed non euidentem, eóque medium esse inter opinionem & scientiam propriè dictam, quanquam certior est, quàm scientia, propter autoritatem loquentis.* Ita apparet, tuam propositionem non esse simpliciter veram: sed opus habere hac, quam attulimus, explicatione.

Cui etiam addo: veritatem, qua de agimus, non priùs fieri facilem cognitu, quàm simplici fide, verbo Dei nixa credatur. *Fide intelligimus* (ait Apostolus) *aptata esse secula.* Prius igitur opus est simplici fide verbo Dei, tum demum intelligimus, & veritas nobis magis ac magis innotescit. Atque ita perpetuo nos docent & hortantur Prophetæ atque Apostoli. Tu contra consulis, vt nihil credamus, nisi quod claram & apertam esse veritatem, nobis ipsi persuaserimus. Egregium sane consilium, & Theologo Pastoréque dignum. Nos contrà docemus cum Apostolis, satis esse, si persuasum habeamus à Spiritu S. quod proponitur in S. literis, illud esse ipsum Dei verbum, eoque ipsissimam veritatem: etiamsi quod proponitur; illud clarè & apertè non intelligamus, hoc est, mente, quomodo se habeat, percipiamus. Tale autem est quod proponitur de vno Deo, déque tribus in eo ὑποστάσεσι, Patre, Filio, Spiritu S. Non vides, quomodo omnia tu inuoluas, quæ explicanda sunt? Verè quisque debet metuere præstigias in tua oratione, tricis & inuolucris refertissima.

Illud placet, quod ais, illam esse veram fidem, dum ita credimus, vti res sese habent. Assumo autem, ita res sese habere de Deo, vti credimus, quia non credimus, nisi quod verbum Dei docet, interprete tota Christi Ecclesia. Fides igitur nostra, vera est: vestra autem falsa, quæ nostram oppugnat. Atque hæc ad tui syllogismi maiorem, vt vocant propositionem. Quod autem hinc assumis, facile est ad iudicandum, si ad istud iudicium faciendum, apertum Dei verbum, illúdque solùm adhibeat; etiamsi quomodo sese habeat hoc mysterium, percipere iam non possit: quia vt percipiatur, iam non vult Deus. Reseruat enim in patria nobis visionem hanc, & tantum hic à nobis exigit fidem. Fides autem vera est, quæ verbum Dei habet certum, vtut veritatem ab ipso apertè propositam, apertè & sine ænigmate videre non possimus. Redeamus igitur ad institutum, quo tu conaris demonstrare contra Concilium Nicænum, totámque Ecclesiam, minimè vnam esse Patris, Filij, & Spiritus S. essentiam, eóque non esse ὁμοουσίους.

CAPVT V.

Refelluntur alia argumenta, quibus conatur probare Gonedzius contra Concilium Nicenum: non esse vnam & eandem essentiam Patris, Filij & Spiritus sancti.

QVòd *Deus* (inquit) *Spiritus sit: nemo vnquam fidelium dubitauit*, &c. Argumentum tale est, vt planum faciam, quod ipse intricat: Si vna horum trium esset essentia: omnes quoque vnus essent Spiritus. Nam quòd Deus sit Spiritus, nemo vnquam hoc negauit. Hoc assumtum vt probet, iacit hoc fundamentum, tanquam omnium fidelium confessione certissimum; quendam certum Spiritum, esse Deum. Hócque inde sumit, quia Christus dixit, Deus, Spiritus est. Vbi lector obseruet sophisticam huius hypocritæ, qui, quod apud Christum fuit prædicatum, hoc facit esse subiectum, & contra: ac proinde, vbi spiritus, pro essentia spirituali accipiebatur, pro persona spirituali (Nam hoc apud ipsum Gonedzium significat nomen Spiritus) accipit: & quidem pro Patris persona interpretatur verba Christi. Sic enim habet ad verbum: *Quòd Deus Spiritus sit, nemo vnquam fidelium dubitauit. Ita quendam Spiritum, omnium* (scilicet spirituum & aliarum rerum) *fontem Deum esse oportet.* Viden' sophisticam, fraudes, præstigias.

Iacto itaque hoc fundamento, quendam certum spiritum (id est, spiritualem personam) esse de omnium fidelium sententia & fide, Deum: hoc prosyllogismo, probat sui syllogismi assumtionem, hoc modo. Quisquis credens, certum quendam spiritum esse Deum, de spiritu illo, qui peculiari nomine spiritus sanctus appellatur, aut nunquam ausus est eum appellare Deum, aut de eo, an Deus esset, dubitauit, idque propterea, quod spiritus Dei esse dicatur: omne autem, quod est alicuius, non est id ipsum, cuius est: aut etiam fassus est eum esse Deum, sed non ea ratione quòd sit ipse ille spiritus (id est, illa persona) quem Deum esse credidit, sed aliqua diuersa ratione (id est, quia ὁμοούσιος est, vt nos docemus, Patri) is prudens vel imprudens, duos inducebat spiritus: alterum, quem Deum esse absque omni dubio creditur; alterum, quem aut noluit confiteri Deum esse, aut de illo dubitauit, an esset Deus: aut si credidit esse Deum, non credidit ea ratione, eum esse Deum, quòd esset ipse ille spiritus, quē Deum esse credidit, sed alia ratione. Nam magna esset stultitia, & ambigere, an Spiritus S. sit Deus, & conari probare, quod sit Deus, si non alius esse credatur spiritus, quàm sit ille, qui sine controuersia creditur esse Deus. Hæc est maior prosyllogismi.

Atqui omnes homines, qui fidem & religionem professi sunt, in aliquo horum trium ordinum genere fuêre & sunt. Nam omnes crediderunt, quendam spiritum esse Deum: de Spiritu autem, qui peculiari nomine Spiritus S. appellatur, interrogati an esset Deus, aut negarunt, aut dubitarunt, aut affirmarunt, non tamen ea ratione, quod esset ille Spiritus, de quo nemo vnquam fidelium dubitauit. De omnium igitur fidelium communi sententia, Pater, qui est ille spiritus omnium fons, & Spir. S. non sunt vnus spiritus. Quare nec vna vtriusque essentia. Hæc est summa argumenti, quod tamen aliis porrò verbis amplificat insignis sophista.

Sed quis non videt fallaciam in ὁμωνυμίᾳ Spiritus: qua imponit simplicioribus. Breuiter ergo respondeo ad Maiorem syllogismi. Si nomen spiritus ὑποστατικῶς, pro persona spirituali, accipit (vt accepit) falsa ac nugatoria est. Assumit enim pro confesso, quod est in controuersia. Nos enim dicimus, trium personarum vnam esse essentiam:

tiam: distinctas tamen esse tres inter se personas. Si verò nomen Spiritus, pro essentia spirituali accipere velis, βαττολογία est. Nos tamen damus, quia fatemur, sicut, quia vna est omnium Deitas, ideo omnes etiam vnus sunt Deus: sic, quia vna est omnium spiritualis οὐσία, ideo omnes sunt vnus Spiritus, nempe οὐσιωδῶς, non ὑποστατικῶς. Hinc sequitur, Minorem esse falsam. Omnes enim fideles hoc semper falsi sunt, vt in nostris libris *de tribus Elohim*, vno eodémque Iehoua abundè demonstrauimus, omnes hos tres, vnum esse spiritum, id est, spiritualem essentiam, vnumque Deum.

Ita ad prosyllogismum non est opus prolixa responsione. Quædam tantum breuiter perstringo. Tametsi dari potest, Patrem esse vnum quendam spiritum, hoc est, spiritualem personam, seu spirituale ὑφιστάμενον: & filium itidem alium spiritum, eodem sensu, sicut etiam Spiritus S. quia tamen scriptura S. nunquam ita locuta est, nec nomen Spiritus in hoc sensu vsurpauit, nisi de tertio ὑφισταμένῳ: neque hoc simpliciter, sed addito Epitheto sancti: nomen autem spiritus simpliciter, cùm de Deo prædicatur, pro essentia spirituali accepit: idcirco neque nos aliter loqui debemus. Et cur tu, Gonedzi, hic non meministi regulæ Apostolicæ, quam de principio posuisti, ex priori ad Timoth. *Exemplar teneto sanorum verborum, quæ à me audiuisti de fide*, &c. Et illius, *Obsecro, vt idem loquamini omnes?* Non sumus igitur stulti, qui probamus, Spiritum sanctum esse Deum, quem tamen non credimus, alium esse Spiritum, id est, spiritualem essentiam, quàm sit & Pater: Aliam enim esse spiritualem personam à Patre, omnino credimus ac confitemur.

Quod inspersisti maiori propositioni tui prosyllogismi de caussa, cur quidam dubitarint, an Spiritus sanctus esset Deus, quia Spiritus Dei vocatur: Omne autem, quod est alicuius, non esse id ipsum, cuius est: illud quoque plenum est Sophisticæ. Spiritus sanctus cùm Spiritus Dei vocatur, nomen Dei non pro essentia, sed pro persona Patris, qui Deus κατ' ἐξοχὴν appellatur, accipi debet. Est enim spiritus, eius, à quo procedit. Non procedit autem ab essentia: sed à Patre, & à Filio. Vnde & Spiritus Christi etiam nominatur, & Patris. Ita facilè damus, quod est alicuius, non est id ipsum, cuius est. Neque enim Spiritus sanctus est Pater, vel Filius. Quare hoc non impedit, quin sit vna & eadem essentia cum Patre & Filio, eóque vnus & idem Deus οὐσιωδῶς: quia non est Spiritus essentiæ diuinæ, aut Dei οὐσιωδῶς, sed tantum ὑποστατικῶς accepti. Impudenter autem impudens es, cùm ais: Neque Apostolorum quenquam testatum fuisse, Spiritum sanctum esse Deum: neque veterem Ecclesiam, eum appellare Deum ausam fuisse. Lege libros nostros, & tuam videbis vel impudentiam, vel saltem inscitiam.

ADMONITIONIS NEOSTADIANAE

DVO CAPITA; NEMPE

TERTIVM, continens Dilutionem falsæ Accusationis aduersus Orthodoxas Ecclesias institutæ de quibusdam Dogmatibus: Et OCTAVVM, falsas assertiones in libro Concordiæ Vbiquitariæ demonstrans; Ab heterodoxis quibusdam scriptoribus in APOLOGIA sua ERFVRTENSI prolixè oppugnata, solidè verò propugnata per D. HIERONYMVM ZANCHIVM: cuius Responsio nunc prodit in lucem.

Præfixa est ad Lectorem de huius Responsionis occasione & editione breuis PRÆFATIO.

LECTORI CHRISTIANO S.

QVVM circa annum CIↃ IↃLXXVII. Theologi ſex Bergæ congregati, nomine quorundam ordinum Auguſtanæ confeſſionis conſcripſiſſent, deinde publicaſſent, Librum Concordiæ ſuæ, in quo vbiquitatis dogma ſtabilire conati ſunt: paulò poſt edita eſt Admonitio Chriſtiana, ſcripta à Theologis & Miniſtris Eccleſiarum in ditione Illuſtriſſimi Principis Iohannis Caſimiri Palatini ad Rhenum, Bauariæ Ducis, &c. Duodecim capitibus opus illud abſolutum, poſt præfationem neceſſariam, Doctrinam orthodoxam de Perſona Chriſti & Cœna Domini repetit, accuſationes de quibuſdam falſis Dogmatibus, quæ aduerſus Eccleſias reformatas ſparguntur, diluit, autoritatem & veram Confeſſionis Auguſtanæ ſententiam examinat, De authoritate D. Lutheri, De condemnatione iniuſta piæ Doctrinæ in Concordiæ libro differit, falſas aſſertiones & Antilogias eiuſdem libri demonſtrat, proceſſum Theologorum Bergenſium in concordiæ negotio detegit, de Chriſtiani magiſtratus in controuerſiis Eccleſiaſticis Officio, docet quid ſit ſentiendum. Denique huius Bergenſis concordiæ exſecutionem grauia parere incommoda poſtquam oſtendit, tandem de vera Chriſtianæ concordiæ in Eccleſiis conſtituendæ ratione modum profert facilem & neceſſarium. Bergenſes huic veritatis telo clypeum oppoſuerunt, APOLOGIÆ ERFVRTENSIS titulo. Conſtituerat D. Zanchius totam illam apologiam excutere, ſed variis aliis laboribus Theologicis impeditus, & ſenio confectus, tantùm duo capita Admonitionis, Tertium nempe & Octauum ab Erfurtenſibus Apologiſtis oppugnata propugnauit, ordine ſequenti. 1. Admonitionis verba refert. 2. Apologiæ Erfurtenſis profert accuſationes. 3. Has refellit. Literæ ad marginem tum apologiæ, tum Zanchianæ reſponſionis, additæ ſunt, vt lector facilius mentem vbiquitariorum & Zanchij aſſequeretur. Numeri admonitioni & Apologiæ præfixi, breueſque notationes marginales editionem vtriuſque, circa annum 1583. & ſequentes indicant. Tu lector, his ſcriptis ad veritatis ardentiorem profeſſionem vtere, & Vale.

veritatis solidam, constantem Deóque gratam
h. inire & colere cùm ipsis *concordiam*. Nec animum nostrum esse aut intentionem (Dominus nouit) dissidia amplificare, animósque studio-
i. sè & petulanter distrahere eorum, qui ad *veritatem* propius accedere cogitant. Imò toto pectore condolemus, cum in libro Christianæ concordię præcipua capita, tam in rebus, quàm in Phrasibus, quàm diligentissimè sint *explica-*
k. *ta*, & contra omnem erroris suspicionem debi-
l. to discrimine, quàm accuratissimè sint *præmunita*, quale est de reali communicatione: hasce tamen declarationes non modò quasi cæcos & surdos eos negligere: verum etiam cauillationibus & calumniis peruertere: inque deterrimam partem interpretari: quasi in hoc vnicè ipsis incumbendum, ne quo modo concordia ineatur: sed vt lites perpetuo ex litibus seran-
m tur. Quod ipsorum artificium candido lectori diligenter est notandum.

Responsio D. H. Zanchij.

a Non omnem: sed vbi falsa docetis, vel calumniatores agitis.
b Non omnia: sed in quibus erratis.
c Vestro corrupto iudicio paradoxa: Orthodoxa autem iudicio Ecclesiæ Catholicæ.
d Nugæ.
e Sed fœdissimè corrupti: sicut & illud, vnde caput controuersiæ prorsus peruertistis ex, Hoc est corpus meum, in, Corpus meum est in hoc.
f Illa, quæ etiam ad portentosum dogma de Vbiquitate corporis Christi, cum suis blasphemis circumstantiis (tantum vt Lutheri crassiorem de Eucharistia sententiam, eamque falsam, mordicus defenderetis) Ecclesiis obtrudendum vos impulit.
g Hoc est, vestra somnia.
h Cur ergo, antequam vestro libro Concordiæ à tot Illustrissimis Principibus subscriberetur: vt Metica saltem synodus, eaque ex omnibus gentibus, quæ Euangelium profitentur, cogeretur non curastis? cur non etiamnum ad talem synodum cogendam principes hortamini?
i Hoc est, ad vestra figmenta.
k Explicata nimirum vt Ideæ Platonicæ, quas ne ipse quidem autor intellexit.
l Hoc est, Sophisticis distinctionibus atque præstigiis intricata vt nec vera esse deprehendi, nec falsitatis conuinci à quouis homine vel acutissimo possint. Quid enim cum illo agas, qui omnes modos, quibus aliqua res alicui realiter communicari dici potest, neget: & tamen realiter communicari contendat? Optimè igitur se præmunierunt aduersus omnes veritatis inquirendæ & discutiendæ studiosos.
m Lector eruditus ex collatione Admonitionis & Apologiæ facilè iudicabit.

ADMONITIO pag. 63.

ATQVE vt primùm, quæ de persona Christi dogmata nobis tribuunt, recenseamus: Aiunt nos docere, quod Deus nihil cum humanitate Christi realiter commune habeat.

Duplex iniuria est, & crimen falsi verborumque nostrorum deprauatio. Non dicimus, Deum, sed Deitatem, non dicimus Nihil, sed nullam essentialem proprietatem, cum humanitate realiter communem habere. Deus enim hîc significat personam Christi, quæ Deus est & homo, vtrunque realiter & substantialiter. Deo igitur (loquendo de Christo) competunt verè & realiter omnia humana, quæ nostri caussa suscepit, sed non secundum Deitatem suam, vel quod idem est, non Deitati ipsius, sed humanitati, & tamen Deo, quia hæc humanitas Filio Dei propria & substantialis est: Sicut & contra, homini, id est, Christo competunt verè & realiter omnia diuina, sed non secundum humanitatem suam, vel non humanitati istius hominis, verùm

Deitati, & tamen homini, quia Deitas huius hominis est substantia.

Quæ enim naturis singulis sunt propria, ea Personæ Christi sunt cõmunia: Et propterea de naturis non nisi distinctè, de persona verò indistinctè prædicantur, & vera sunt, siue à Deitate sua Deus, siue ab humanitate sua homo nominetur Christus. Deitas ab æterno, humanitas in tempore est genita: & Deus autem & homo ab æterno & in tempore genitus rectè dicitur, propter humanitatẽ Dei, & Deitatem hominis Christi.

Estque animaduertendum in istis Theologis, quòd toties admoniti, non desinant confundere personæ & naturarum nomina, vt persuadeant hominibus, nos negare de Deo, quæ negamus de Deitate: & negare de homine, quæ negamus de humanitate Christi: Et vicissim ipsis liceat ad Deitatem, quæ de Deo, & ad humanitatem trahere, quæ de homine Christo verè prædicantur. Quid autem est fraudem veritati facere, & homines ludere præstigiis, si hoc non est? Discant ergo prius discernere naturam à persona, partem à toto, quàm scribant normas dicendi & iudicandi.

Altera stropha est quòd dicunt nos NIHIL relinquere realiter commune Deitati & humanitati, seu Deo, quà Deus, & homini, quà homo est. Disertè enim pro- «
fitemur, eas proprietates diuinas, quæ similitudinem «
sui creatam admittunt, vtrique naturæ quidem com- «
petere, sed maxima homonymia, & sensus diuersitate. «
Etsi enim nomina sint eadem, propter rerum similitudinem: tamen discrimen infinitum est inter res ipsas, increatam scilicet Dei essentiam, siue naturam, & qualitatem creatam in natura rationali. Sapiens realiter est Deitas scilicet, æterna & essentiali sua sapientia, quę non aliud nisi ipse Deus est. Sapiens etiam Christi humanitas realiter, scilicet, sapientia creata, & qualitate, ipsi tanquam subiecto inhęrente, quę neque Deitas, neque humanitas Christi est, sed Deitatis similitudo & imago in humanitate à Deitate effecta. Similis aliorum est ratio, id quod ipsi quoque Anathematistæ, coguntur concedere. Sed omnipotentia, immensitas, omniscientia diuina, non admittunt creatas res ipsi æquales. Hæ igitur naturæ humanæ realiter non competunt. Sapientia enim & virtus diuina potest per sapientiam & virtutem creatam similitudine sui repræsentari, quatenus est sapientia & virtus, sed non quatenus Deitatis propria & essentialis, hoc est, quatenus infinita est.

APOL. fol. 35. *Admonit. pag. 63*

ET initiò cõcedere nolunt, sese docere, quòd Deus nihil cum humanitate Christi realiter commune habeat: sic enim pro libitu, in commodum caussæ suæ, *informant* verba libri Chri- A.
stianæ concordiæ, in statu controuersiæ. Excusant verò se, quòd duplici iniuria afficiantur: quòdque verba ipsorum deprauemus. Non enim se Deum, sed deitatem, *seu essentiales proprie-* B.
tates diuinitatis cum assumta natura nihil commune habere asserere: suámque sententiã communi, supra etiam exposita confirmant regula. Quæ singulis naturis sunt propria, ea Personæ Christi sunt communia. Hac verò excusatione crimen ipsi committunt falsi: verbáque libri Christianæ concordiæ, quæ pag. 244. in Germanico exemplari expressa sunt, longè aliter recitant, statúmque controuersiæ alium informant in modum, quàm vt in libro illo expositus est: omittentes multa, quæ ad caussam ipsam necessario pertinent.

Satus enim controuersiæ in hac quæstione, non est de propositionibus primi generis: quæ tantùm in concreto prædicantur, quemadmodum supra demonstratum: nec etiam de supernaturalibus, creatis & finitis donis, formaliter inhærentibus assumtæ naturæ: In his enim duobus generibus, vt diximus, consentimus. Verùm status controuersiæ, in hac quæstione, præcipuè est de propositionibus

tertij generis: in quibus sacræ literæ & patres, secuti sacram Scripturam, testantur Christo, secundùm humanam, & non secundùm diuinam naturam, datam esse in tempore, omnem potestatem in cœlo & in terra: virtutem viuificandi: potestatem exercendi iudicij: vim redimendi à peccatis: honorem inuocationis, & huius generis alia: de quibus moti authoritate testimoniorum sacrarum literarum disertè pronunciamus. Filium Dei has suas proprietates, realiter & verè, sine tamen confusione & exæquatione humanæ naturæ, pro ratione ἑνώσεως vnionis personalis communicare.

Hanc verò huius tertij generis communicationem, vt in aliis scriptis, ita in hac etiam Admonitione, simpliciter negant: dum hoc se effugio elabi posse arbitrantur: quòd concedunt
C. Deo quidem *aliquid* commune esse cum humana Christi natura: (veluti quòd homo Deus nominatur: idque ob personalem vnionem; Deitati verò nihil commune cum *humanitate*:
D. idque hanc ob caussam: Nullo enim modo & ratione fieri posse, vt proprietates diuinitatis,
E. vlli creaturæ *communicentur* nisi humanitatem in diuinitatem transformare conemur. Nullo etiam modo ferendam esse confusionem nominum personæ & naturæ, cuius nos *audacter*
F. *arguunt*. Verùm isthæc omnia, refutatione prolixa non egent: modò diligenter & controuersiæ statum attendamus, illumq; ne peruerti non patiamur.

De communicatione maiestatis. Prætendunt proprietates diuinæ naturæ in Christo assumtæ humanæ personaliterque vnitæ nullo modo & *ratione communicari*: Simplici-
G. ter enim illas esse incommunicabiles. Quòd si autem communicentur, necessariò consecuturum humanam Christi naturam, in diuinam essentialiter esse transmutatam. De industria autem quasi cæci essent & surdi, videre nolunt & audire, doctrinam Ecclesiæ, in tam arduo &
H. sublimi mysterio fundamentum flagitare *sacrarum literarum*. Quæ in istiusmodi mysteriis, expressè asserunt sacræ literæ: illis, licèt rationi impossibilia videantur, tanquam veris tamen &
I. indubitatis, fidem *assensumque tribuendum*.

Nec penes humanam esse determinationem, quid filius Dei de proprietatibus suis assumtæ humanæ naturæ largiri & communicare possit, néne: sed iudicium huius & decisionem omnem ab eo dependere, qui veritas est, hoc est, Christo. Testantur autem sacræ literæ, cuius supra c.1. ex Matt.11.28 Ioh.5 1.Ioh.1. Phil. 2. clara producta testimonia Christo secundum assumtam humanam naturam proprietates diuinas tributas & donatas esse. Nec personę tantùm mentio fit in concreto: verum in Persona disertis verbis humana Christi natura exprimi-
K. tur. Ioan.5.6. 1.Io.1. Col.1. *Intrepidè* igitur hilari vultu & animo concludimus: (cùm Christus qui mentiri nescit: cùm Spiritus sanctus, qui fallere non nouit, quique erroneum aut fictum nihil Ecclesiæ ministerio Apostolorum tradi-
L. dit, *clarè* id edisserant) diuinitatis hæc tributa & Idiomata, humanæ naturæ in Christo, verè & realiter communicata esse. Quę sententia nostra, quo magis ab omnibus opinionibus falsis, pura esset, libera & separata: contraque erro-
M. rum suspiciones probè munita: *singulari diligentia* hæc discrimina seu distinctiones in libro Concordiæ additæ sunt & explicatæ: non essentiali aut Physica communicatione, aut effusione proprietatum diuinitatis, nec per confusionem, conuersionem, aut exæquationem naturarum & idiomatum: sed ratione & respectu vnionis hypostaticæ, quæ est inseparabilis. Verum ad has nostras declarationes, *obdurato sunt* N.
corde, & surdis auribus, ne veritatem audiant & intelligant. Quòd autem prætendunt, proprietates esse incommunicabiles: respondebitur ad illam obiectionem, cap.4. Apologias, quem ad locum lectorem remittimus. Vno verbo vt comprehendamus: *incommunicabiles* sunt, essen- O.
tialiter, hoc est, assumtæ humanæ Christi naturę nunquã fiunt essentiales proprietates: communicari etiam ea ratione nequeunt: vt diuinitas τ λόγου ex se aut è se, in assumtam humanam naturam tanquam in subiectum, suas proprietates effundat: quæ à diuinitate sint separatę: quæque humanę *in* & per se adhæreant: hac P.
enim ratione gemina in Christo constitueretur diuinitas. Communicantur autem *personaliter* propter & pro ratione personalis vnionis: Q.
quemadmodum id aliquo modo è similitudinibus vnionis corporis & animæ rationalis colligi potest. Id enim si fieret: natura humana in ipsam conuerteretur Deitatem.

De discrimine vocabulorũ abstracti & concreti. Obiiciunt etiam nobis, nomina nos Personæ & naturæ confundere: pro iisdem sumere vocem Dei & Deitatis: magnoque clamore hoc ipsum exagitant, quibus testimonio veritatis respondemus. Eadem illos hac in parte, quemadmodum etiam in reliquis, librum concordię, grauare iniuria. Non enim horum vocabulorum Dei beneficio nos latet discrimen, illúdque cum in libro Concordię, tum alibi, vbi de vocabulis abstractis, quæ naturas exprimunt, & concretis, quę personam denotant, egimus, planè & dilucidè exposuimus. Et quidem quando de primo genere communicationis Idiomatum est quęstio, magno studio, antiquitatis illam Regulam, quam & ipsi vrgent, retinemus: nec patimur naturarum & personę, seu abstracta & concreta, confundi vocabula: quod supra etiam, cum de discrimine enunciationum de Christo ageremus, monuimus. Confusioné igitur vocabulorũ personę & naturę *temerè* nobis obiiciunt. Hinc facilè etiã apparet: R.
quo studio pacis teneãtur & cõcordię: cùm etiã ea, quę tanta luce explicata sunt, ferre nolint.

S. E contra & illud *probè* scimus, & scriptura irrefragabiliter testatur, quando de tertio genere quęstio est: non tantùm in concreto scripturam de sacrosancto hoc mysterio loqui: sed vocabulis etiam vti abstractis, quę propriè se referunt ad humanam Christi in personali vnione naturam: quę nequaquam de separata humanitate, extra personalem vnionem, verum, vti diximus, in ipsa personali vnione intelligimus. Quòd si quis etiam ad separatam humanitatem, in & per se, extra personalem vnionem ea referre vellet, huius interpretationem, meritò reiicimus & improbamus. Qualia abstracta vocabula sunt, caro Ioh.6 corpus Christi, Col.1. sangui. Christi, 1.Ioh.1. & quę his sunt similia alia. Neminem autem qui Christo nomen dedit, eò impudentię progressurum arbitramur qui

T. qui vel *Christum*, vel spiritum sanctum, qui his enunciationibus, potissimum ad maiestatem humanæ naturæ in Christo respexerunt, arguere præsumat: quòd vel vocabula naturæ & personæ confuderint: vel impropriè & indoctè permiscuerint, minúsque probè intellexerint, qua ratione ipsis de tanto mysterio propriè sit lo-
V. quendum. *Habebunt* igitur volentes nolentes, nos meritò excusatos, quòd intrepidè authorem & ducem sequimur Christum & spiritum sanctum.

Huc accedit Orthodoxæ antiquitatis authoritas: quæ abstractis vocabulis, sæpe multúmque vsa: cuius pauca quædam proferemus testimonia.

Basilius inquit: Humana Christi natura particeps facta est Deitatis.

Chrysost. Corpus dominicum est, ad quod
X. dictum est, *sede à dextris meis.*

Item, quæ natura audierat antea: Terra es & in terram reuerteris, nunc audit: sede à dextris meis. Item, ego prius damnata natura, nunc absque naturarum confusione, accepi potestatem omnem. Et communis est atque sæpius repetita hæc Patrum vox, excelsus non exaltatur: sed caro excelsi exaltatur.

Concilium Ephesinum anathema pronunciat
Y. omnes qui negant carnem *Christi esse viuificam.* Quemadmodum & Athanasius anathema dicit esse, qui dicat carnem Christi esse inadorabilem. Hasce & consimiles alias loquendi formas passim est in omnibus scriptis piæ antiquitatis inuenire, nec tamen quisquis est, qui illam verè arguere possit, quòd nomina personæ & naturarum confundat. Cur igitur tanto
Z. impetu nos exagitant? *Quibus de causis* verò, abstractiuas illas locutiones, superstructas fundamento verbi diuini nobis eripi committere nec possimus nec debeamus, ex iis abundè constat, de quibus supra, de propositionum discrimine diximus. Sanè, quia scripturæ verbis vtimur, & scripturam loquentem imitamur, fieri non potest, vt erremus, aut vllo pacto nomina personæ & naturarum confundamus.

Nec aduersariis hoc dare possumus, quo illi se effugio elabi posse arbitrantur: dum præ se ferunt: multa se dare & largiri humanæ Christi naturæ eximia & illustria dona: quæ in se & per se habeat: quibusque ornata omnibus Angelis & hominibus sit sublimior. De his enim donis, nulla est amplius inter nos controuersia, vt supra dictum, ideóque hic ipsorum prætextus ad rem præsentem nihil omnino facit. *Controuersia*
aa. *enim non est*, de finitis donis, verùm de attributis diuinis, quibus expressè sacræ literæ testimonium perhibent, assumtæ humanæ naturæ, pro modo & ratione personalis vnionis, sine tamen confusione, abolitione, aut exæquatione, verè illa communicata esse.

Doctrina igitur partis aduersariæ hoc in e. nondum est falsitatis & erroris crimine liberata: quod verba Christi, quibus naturæ suæ hu-
bb. manæ diuina attributa, communicata esse testatur, *mendacij arguunt*: illiúsque affirmatiuæ, suam negatiuam opponunt: hac sola, vt apparet: impulsi caussa: quòd eius rationem & modum, stulta sua ratione assequi non possunt, qui tamen Deo & notissimus est & facilimus: cùm meminisse eos pulcerrimi illius dicti Cyrilli deceat: Propter se ipsum spiritus viuificat: ad cuius virtutem, caro per *conunctionem* conscendit. cc.
Quomodo autem id fiat, neç mente intelligere, nec lingua dicere possumus: sed silentio ac firma fide id suscipimus. *Quis autem temeritatis* dd.
huius, & præsumtionis, qua Dei omnipotentiam & veritatem oppugnare malunt: quàm à ratione sua & principiis atque consequentiis Philosophicis recedere, tandem futurus sit exitus, euentus ipse, proh dolor, & extremum testabitur iudicium.

Responsio D. Z.

NOn informamus: sed quod res est, fideliter recitamus. A.

Depravantur verba nostra. Aliud est enim Deitatem B.
essentiales proprietates habere communes, nempe realiter, cum humana natura: Et aliud Deitatem, vel proprietates Dei essentiales, nihil habere commune cum eadem humana natura. Illud simpliciter negamus: Hoc non ita. Habent enim communem hypostasin: realiter etiam illæ, sua effecta huic communicant: vt infinita potentia, finitam potentiam. Dicimus igitur Deitatem, suas proprietates vniuisse quidem; sed nequaquam realiter cõmunicasse humanitati: sicut neque se ipsam communicauit: Illi tum verò effecta maximè. Et hanc realem communicationem eo sensu accipimus, quo hactenus fuit ab omnibus accepta: nempe quòd ita realiter communicatæ sint, vt seipsa insint in humana natura non [illegible], seu per vnionem: Legantur verba in lib Concor. pag. 576. quæ hæc sunt: Principalis huius dissidij quæstio fuit, an inter diuinam & humanam naturam in Christo, propter vnionem personalem REALIS, hoc est, vera & reipsa existens in persona Christi fiat quædam communicatio: Vt vna natura alteri proprietates suas communicet: Et quæsitum etiam est, quousque realis illa communicatio extendatur.

Sacramentarij affirmarunt diuinam & humanam naturas in Christo eo modo vnitas esse, vt neutra alteri quicquam realiter, hoc est, verè & re ipsa, quod cuiusque naturæ proprium sit, communicet: sed nomina tantùm nuda communicari. Vnio (inquiunt illi) facit tantùm nomina communia: vt videlicet, Deus dicatur homo, & homo Deus appelletur: ita tamen vt Deus nihil cum humanitate commune habeat: & vicissim humanitas cum diuinitate, quoad ipsius Maiestatem & proprietates, realiter, hoc est, reu ta & reipsa commune habeat. Contrariam verò huic dogmati sententiam D. Lutherus, & qui cum ipso faciunt, aduersus Sacramentarios propugnarunt: quo sensu dicitur plenitudo Deitatis habitare in humana Christi natura [illegible], id est, [illegible]: de hoc enim modo nulla est quæstio: Sed quòd ita sint humanæ naturæ realiter communicatæ, hoc est, communes factæ: vt hæc non minus verè dicatur & reapse sit in sese, licet non ex sese omnipotens & vbique præsens: quam Deitas ipsa omnipotens & vbique præsens esse dicitur & est, quemadmodum etiam essentia diuina cum essentialibus diuinis proprietatibus ita realiter communicata est filio à Patre in æterna generatione: vt non minùs ille sit Deus omnipotens, quam Pater: quia eadem [illegible] communicata est filio cum Patre. Et sicut lux vnius candelæ ita communicatur alteri: vt non minùs hæc in sese luceat, quam illa. Et, sicut non minùs ferrum ignitum, calidum est, quàm carbones igniti, à quibus illi communicatus est calor. Hæc enim propriè dicitur & est realis communicatio: de qua hactenus disputatum est, An essentiales proprietates diuinæ naturæ: propter vnionem hypostaticam cum humana, realiter sint huic ab illa communicatæ: nec ne: siue hanc communicationem, quis vocet [illegible]: siue [illegible] siue [illegible], siue [illegible] siue [illegible], siue alio nomine, appellari velis: cum enim de re ipsa constat inter nos, quid sit realis communicatio: de verbis non dissentimus libenter. Hanc nos propugnamus & oppugnamus communicationẽ. Quodnã igitur hic crimen falsi admissum est? ac proinde status quæstionis inuersus

à vobis est? Respon. Hic ergo si quid peccatum est: vestra inconstantia magis, quam nostra oscitantia peccatum est. Heri enim vno modo explicarunt alii: Et hodie alii alio modo. Nouum certe controuersiæ statū ideo obseruare non potuimus: quod persuasi fuerimus eundem esse qui & antea inter nos & vbiquitarios fuerat, mutato tantùm nomine realis effusionis in realem communicationem: Et adiectis illis particulis, Non essentialiter, Non formaliter, Non habitualiter, Non subiectiue: vt iis tanquam effugiis melius occurreretur absurdis, quæ ex illorum dogmate consequi videbantur. Cum ergo iudicassemus hæc omnia fuisse κατὰ λόγους: eandem verò doctrinam de reali communicatione in libro Concordiæ reipsa tradi, & in aliis multis libris obtrusa per aliquot annos Ecclesiæ fuerat: inde factum est, vt omnia nostra argumenta aduersus illum priorem statum direxerimus. Ecquis enim obsecro nouum hoc dogma de tali idiomatum communicatione, quale iam fingitur, intelligeret? quis Iosephus aut Daniel noua hæc somnia diuinare interpretarique potuisset? Præsertim cum ne ipsi quidem horum autores satis se explicent. sed omnia tenebris, ne ab omnibus intelligantur, de industria inuoluisse videantur: Testimonia verò Scripturarum & Patrum, quibus nituntur, à talibus somniis prorsus sint vt suo monstrabimus loco, aliena? Certè neque Danæus, vt de aliis taceamus, vir alioquin ingeniosus, & perspicaci ingenio, statum huius nouæ controuersiæ se non intellexisse, in libro aduersus D.K. manifestè declarat. Facit hoc horum vbiquitariorum inconstantia, qui initiò docuerunt maiestatem quandam creatitiam in humanam naturam fuisse transfusam. Postea visis contra hanc opinionem absurdis, de increata illa verè & realiter effusa disputare cœperunt. Tandem illis reiectis vanis opinionibus, aliam non minus vanam quam nouam excogitarunt: nimirum Idiomata Dei essentialia, non quidem omnia, sed ea de quibus in Scriptura legimus, humanæ naturæ realiter communicata: non tamen essentialiter, Non accidentaliter, Non subiectiuè, sed tantùm per κοινωνίαν, ita vt nulla facta sit naturarum vel mutatio, vel confusio, vel exæquatio: sed vt natura humana ad realem tantummodo harum proprietatum Communicationem & vsurpationem sit assumta: Si autem qualis sit ista vsurpatio, & quomodo fiat interroges: minime explicatur, nec explicari posse docent. Quis hæc Sphingis ænigmata soluat, aut intelligat? Tollere omnes receptos modos, quibus aliqua res alteri rei realiter communicari potest: & tamen nouo prorsus & imperceptibili modo factam esse communicationem asserere: quid aliud est, quàm in re maxime seria maliciose ludere? Ergo quòd præsentis controuersiæ statum non perceperimus: huius ignorantiæ caussas in se ipsis agnoscant aduersarii, & non in alios transferant. quanquam de statu huius controuersiæ, plura diximus initio responsionis nostræ, ad cap. Apol. tertium. Cæterùm, quia multa, quæ in admonitione refutantur, iis nouis autoribus cum aliis Vbiquitariis sunt communia: idcirco ad ipsos quoque pertinet hic liber, & eius simul defensio.

C. Non dicimus aliquid, sed omnia: legatur Admonitio.

D. Falsum. Communis enim est Hypostasis verbi.

E. Adde, Realiter.

F. Sed verè.

G. Adde realiter, sensu passim recepto: ita vt in humana natura realiter inhæreant, vel ὑποστατικῶς, vel vt in subiecto.

H. Imo videmus & nouimus: Et hanc ob caussam doctrinam de hoc articulo vestram improbamus, quia fundamentum non habet in sacris literis, & ignota fuit veteri Ecclesiæ: atque etiamnum Romanæ, quæ in doctrina de persona Christi, purissima est: Teste etiam Luthero, summopere improbatur.

I. Optime; sed vbinam expresse asserunt quod vos doceris? Ad Loca enim quæ recitatis ex Matthæo 11.28. 1. Iohan. 1. Philip. 1. & si quæ alia: sæpius ab aliis fuit responsum, & nos seorsum peculiari tractatione luculenter; Deo fauente, monstrabimus, ex illis locis somnium vestrum minime euinci posse.

K. Intrepide quidem, sed inepte atque imperite? Et vultu quidem hilari, sed qua fronte concluditis, quod in præmissis non continetur? Proprietates certè Dei essentiales esse sæpenumero asseritis, quæ non sunt: & de natura concluditis idque realiter, quod de persona concludendum est: ignorantes vel scire nolentes ipsam Christi personam sæpe nominibus etiam abstractis sed addito concreto Dei, vel Filij, vel Christi συνεκδοχικῶς significari: vt caro Dei, pro Deus incarnatus, vel Deus in carne: quemadmodum in Sacris literis obseruarunt, & ex illis explicarunt Patres: Athanasius, Cyrillus, & alii, Damascenus libro 4. c. 3. Adoramus inquit, τὴν σάρκα τοῦ θεοῦ λόγου καὶ σεσαρκωμένον θεόν: qua de re suo loco plura. Adde quòd sæpe quæ per communicationem idiomatum exponenda sunt: ea vos tanquam realiter prædicata, perperam interpretamini. Ita sæpe torquetis Scripturas vt Lesbiam Regulam ad vestra placita. Facile profectò hac ratione quicquid velis, intrepidè & hilari vultu concludere poteris.

L. Petitio Principii. Nam nec clarè, nec obscurè edisseruit, quod vos concluditis.

M. Certè singulari astutia: vt omnia argumenta aduersariorum cum triplicatione contradictionis facilius eludere possetis.

N. Pudeat vos verbis Prophetæ ad vestra, tanquam ad veritatem Dei, somnia abuti.

O. Sophistica explicatio. Simpliciter enim sunt re ipsa communicabiles: Quia quod alii realiter communicatur, desinit esse proprium.

P. Si non hærent in natura humana, cui vultis esse realiter communicata; cui igitur inhærent? Si soli, vt verum est, λόγῳ. De persona igitur λόγου, non de natura humana verè & realiter prædicantur.

Q. Quid est etiam personaliter communicari, nisi quę vnius sunt naturæ, ea soli personæ nomine alterius naturæ, realiter communia ficti?

R. Non tam aduersus librum Concordiæ, quàm aduersus autores edita fuit admonitio. Inter ipsos autem non desunt, qui confuderint hæc nomina. Non igitur temere fuit hoc illis obiectum.

S. Praue, non probè. Scriptura enim nomen vnius naturæ ponit synecdochicῶs pro tota persona; vt è Scripturis patres docuerunt. Neque de tertio vestro genere vllum extat testimonium scripturæ.

T. Non Christus, sed vos confudistis vocabula ista. Hic etiam confunditis ista. Non PROPRIE ET INDOCTE MINVS QVE PROBE: quasi, quicquid impropriè dicitur, illud etiam indoctè & improbè dicatur.

V. Imò ideo arguimus vos: quia non sequimini Christum, & eius spiritum.

X. Non videtis synecdochas? Anima non est è terra, neque in terram reuertitur, sed solum corpus: Hocautem solum non audit, SEDE, &c.

Y. Sed idem docet: ideo Carnem Christi vocari viuificam, quia vnita est secundum hypostasin, verbo viuifico: Et carnem Christi idem esse, quod Christus in carne, & incarnatus. Et sic Athanasius de adoranda carne Christi, id est, Deo in carne, seu incarnato: Quid igitur iactatis Patres?

Z. Egregiam verò rationem: vtimur verbis scripturæ. Ergo non possumus errare. Ergo neque Anthropomorphitæ, & alij Hæretici errarunt, quia vtebantur verbis scripturæ.

aa. Nugæ, & petitiones Principij.

bb. Os impudens: Vos, vos, non Christum mendacij arguimus & conuincimus.

cc. Nota, CONIVNCTIONEM: Ergo sicut ad naturam diuinam ita ascendit per coniunctionem, vt tamen caro non sit Deus reapse: sic etiam ad virtutem spiritus &c.

dd. Possemus dicere intolerabilem esse vestram impudentiam: Et vos esse indignos, quibus ab vllo viro bono respondeatur, si per modestiam Christianam liceret: sed nolumus, quia Christiani sumus.

ADMONITIO pag. 65.

II. Dicunt, nos vnionem hypostaticam naturarum in Christo talem facere, qua neutra natura alteri aliquid conferat & communicet, & inculcant suam ineptam similitudinem, dignam scilicet suis fabris. Sic nos copulare naturas in Christo, sicut conglutinantur duo asseres:

Contrarium clamant omnia nostrorum scripta. Realiter

liter communicauit Diuinitas humanitati hanc summam dignitatem, quod est caro Filij Dei coæterni. Contulit ei vniuersa dona cœlestia, quæ in creatam naturam possunt cadere in excellentissimo gradu. Cōmunicauit ei Societatem officij Mediatoris, inter Deum & homines, capitis Ecclesiæ, gubernatoris & iudicis totius Mundi. Communicauit ei societatem honoris & adorationis vnius cum λόγῳ. An hæc omnia isti Theologi ducunt pro nihilo, & putant se summa contumelia Filium Dei non afficere? An duarum naturarum vnio longe arctior, admirabilior & ineffabilior, quàm est vnio animæ humanæ cum corpore? an communicatio donorum in immensum locupletior, quam est in omnibus Angelis & hominibus est illis duarum tabularum conglutinatio? An verò illis λόγος non potest assumtam a se carnem in summam gloriam extollere, nisi etiam eius naturam euertat & aboleat ac desinat esse frater noster & caro nostra? Hic est ille spiritus mendacis & homicidæ dirus & feralis vlulatus, quo tot iam annos Ecclesias Christi deformat, Germaniam conturbat, & Martyrum suppliciis insultat, quòd Christum hominem spoliemus sua Maiestate. Sed pij & cordati viri, quibus Christi gloria vere cordi est, auscultabunt potius Orthodoxæ Antiquitati, quam istorum hominum furiosis clamoribus. Sic enim de istis gloriæ Christi gloriosis defensoribus loquitur Iohannes Cassianus: Non minoris erroris est, Domino nostro Iesu Christo impropria addere, quàm propria derogare. Quod enim non ita dicitur, vt est, etiamsi honor videatur, iniuria est. Et Leo Episcopus: In magno sacrilegio se versari, hæreticorum manifestat impietas, cum sub specie honorandæ in Christo Deitatis, humanæ carnis in ipso denegant veritatem.

APOL. pag. 37.

SEcundo loco obiiciunt nobis: sese accusari, quod istiusmodi doceant hypostaticam naturarum in Christo vnionem: qua neutra natura alteri quicquam conferat & communicet: sic copulatas sicut conglutinantur duo asseres: cùm in libro Christianæ concordiæ, in genere tantùm declarationis ergo, mentio illius similitudinis fiat: ne talem quis sibi vnionem imaginetur duarum naturarum: quarum iusta omnino sit communicatio. *Huius quia à se* remouere opinionis suspicionem conantur: haud obscurè significant, sibi cum illa aliquid esse commune. a.

Excusationis loco prætendunt, omnia suorum scripta clamare, realiter communicasse diuinitatē humanitati, hanc summam dignitatē: quòd est caro filij Dei coæterni, quòd contulerit ei sublimia & cœlestia dona, quæ in creatam naturam possunt cadere, in excellentissimo gradu. An non abundè hoc satis sit? Respondemus minimè. Minora enim omnino sunt, quā quæ respondeant iis, quæ scriptura humanitati communicata tradit: *illa* enim non definitis & creatis donis, verùm de attributis diuinæ naturæ in Christo Ioh. 5. 6. Matt. 11. 26. &c. loquitur. b.

Addunt concedere se & docere, quòd Diuinitas communicarit humanitati, societatem officij Mediatoris, inter DEVM & homines, honorem capitis Ecclesiæ, gubernatoris & iudicis totius Mundi, societatem cultus & adorationis vnius cum λόγῳ. Verba quidem satis commoda: Et talia, quæ si non ab iis, quorum sensus notus est, dicerentur, vt Augustini vtamur verbis, tolerari possent. Illa verò, quam horum verborum alibi adiciunt, declaratione: hoc omne, quod vna dant manu, eripiunt altera. Aliis enim locis expresse asserunt: ad gubernationem & administrationem officij Mediatoris, tantum conferre humanam naturam è viribus naturalibus acceptis, creatis & habitualibus donis, quantum è propriis possit conferre viribus. Idem sentiunt de reliquis officiis. Quòd autem respectu & vi personalis vnionis & exaltationis: vlterius aliquid, quàm naturales vires patiantur & ferant, creata habitualia dona agere aut cooperari possit: id merum contendunt esse *figmentum*. Quæ hoc loco inserunt, ea supra cap. 1. satis superque satis sunt declarata. c.

Annon verò præclarè de dignitate & honore Christi merentur: quod ex Cassiano hoc dictū allegant: Non minoris erroris est, Christo impropria addere, quàm propria derogare. Quod enim non ita dicitur, vt est, etiamsi honor videatur, iniuria est? Cassiani enim dictum, si ad hanc doctrinam detorquendum fuerit, ex necessitate concludet, Christum, cuius ore hæc attributa enunciata sunt, carnem suam carnem esse viuificam: potestatem sibi exercendi iudicij esse datam: omnem potestatem sibi in cœlo & in terra esse traditam, &c. impropria sibi, hoc est talia asseruisse, quæ ratione etiam exaltationis assumtę suæ naturæ non competant: *ideoque sibimet aduersari*: quemadmodum Apostolos etiam lapsos esse, dum carni, sanguini, hoc est assumtæ naturæ humanæ vocabulis abstractis Idiomata diuina, Coloss. 1. 1. Iohan. 1. ascripserunt. d.

Eadem consequentia idem concluderetur, ex dicto Leonis, quod allegant, in magno sacrilegio se versari hæreticorum manifestat impietas, cùm sub specie honorandæ in Christo Deitatis, humanæ carnis in ipso denegant veritatē. A quo enim, quæso, sæpius iam citata testimonia Matth. 11. 28. Ioh. 3. 13. de communicata omni potestate, virtute viuificandi, potestate exercendi iudicij enunciata sunt: annon Iesu Christi Dei & Mariæ filij illa verba qui veritas est: an non ab illo prolata, de quo pater æternus de Cælo proclamauit: ipsum audite. Ponam verba mea in ore ipsius. An non hæreticos Christus ipse, hoc Leonis dicto, cam in sententiam, qua allegant, detorto condemnandus (ipsius enim, non à nobis confictæ sunt phrases) qui assumtam humanitatem, gloria Deitatis aboleuerit? Non sic, amici, non sic: Imò nullo modo Cassianus & Leo, his dictis doctrinam Maiestatis Christi, vt ab ipso tradita est, improbarunt: Id enim agendo, magna Dominum Saluatorem affecissent iniuria: *verum illos hæreticos* arguere voluerunt qui extra Dei verbum, è proprio nonnulla cerebro confinxerunt, quæ illo postea nomine palliare voluerunt: quòd Christum illis figmentis colere studerent: cum nihil Christo tribuendum sit propria deuotione: cuius fundamentum in Sacris non extet literis. Et sic rectè illi demonstrarunt: Eutychianos & naturam humanam in Christo, & veras ipsius negare proprietates. *Manet igitur immota* demonstratio prior, recedere aduersarios in doctrina de personali vnione duarum naturarum in Christo, déque eiusdem exaltatione, à sana doctrina verbi diuini: tradere rationis suæ figmentum: spoliare quantum in ipsis humanam Christi naturam debita maiestate: quocunque tandem modo verbis hæc eludere conentur. e. f.

RESPONSIO.

a Ergo quia etiam Christus remouebat à se suspicionem, quòd in Beelzebub eiiceret dæmonia: non obscurè significabat sibi cum diabolo aliquid esse commune.

b Nihil adhuc probastis de isto vestro tertio genere.

c Et adhuc contendimus & aimus.

d Semper supponitis quod est in controuersia. Sed quinam vnquam dixerunt Apostolos lapsos esse, dum adscripserunt carni idiomata diuina? Nihil certè ad nos.

e At vos sine verbo Dei orthodoxè intellecto idem facitis. An non etiam Eutychiani, sicut & vos citabant scripturas, sed ad sua somnia contortas?

f Immota: vt domus super arenam. Iudicet Lector.

ADMON pag. 66.

In negat. anath 5. 6.7.

Dicunt nos docere, quod vnio personalis tantùm faciat communia nomina proprietatum & naturarum Deo & homini: Tantùm verbotenus dici de persona, hoc est, de Christo Deo, proprietates & actiones humanas: Et de Christo homine, proprietates & actiones diuinas: tantùm esse verbalem communicationem Idiomatum, nihil nisi phrasin & modum loquendi, nihil esse nisi verba, titulos inanes, & nomina cum dicitur: Homo est Deus, Deus est homo.

Valdè sibi placent de hoc inuento: ideoque sæpius illud tanquam Gorgonem ostentant, qua sperant se nos versuros in lapides, & omnibus Christianis execrabiles reddituros. Quam autem grauis, tam est aperta & impudens ista calumnia.

De verbali communicatione Idiomatum.

Naturis singulis in persona Christi, realiter communicari proprietates essentiales alterius naturæ, negamus & pernegamus cum scriptura & orthodoxa Ecclesia. Personæ autem Christi vtriusque naturæ nomina, proprietates omnes communicari realissimè, cum iisdem asserimus, contendimus & clamamus, contra nostros aduersarios, qui aliqua Deo humana, & Homini aliqua diuina tribuentes, naturas confundunt, & aliqua adimentes, Personam Christi dissoluunt. Etenim Personæ, quia realiter vtranque naturam in substantia sua complectitur, realiter & verissimè competit, quicquid siue vtriusque, siue alterutrius est naturæ propter naturarum vnionem. At naturæ vni nequaquam est commune, quod alterius est proprium propter naturarum essentiale atque æternum discrimen.

Hoc est illud quod dicitur, non nostro inuento, sed perpetuo Ecclesiæ consensu permutari prædicata seu attributa Christi de subiectis concretis tantùm, non autem de abstractis, hoc est, de Deo, seu persona à Deitate sua denominata, verè & realiter prædicari humana: vt Deus est homo, est natus ex Virgine, passus, mortuus, sublatus in Cœlum, inde rediturus, &c. Et de Homine, hoc est, de eadem persona ab humanitate sua denominata prædicari verè & realiter diuina: vt Homo iste est Deus, est ab æterno, est creator Mundi, omnipotens, immensus &c. Non autem humana de Deitate, nec diuina de humanitate, vt non verè dicitur, Deitas est homo, est nata, passa, mortua, suscitata &c. vel: Humanitas est Deus, est ab æterno, est creatrix Mundi, omnipotens immensa, &c.

Homo Christus substantialiter & realiter est Deus, omnipotens, infinitus, respectu Deitatis suæ: sed respectu humanitatis suæ, neque substantialiter, neque accidentaliter, ac proinde non realiter est Deus: sed quia humanitatem habet realiter & personaliter vnitam Deo, vel Deitati: Nam λόγος & natura & persona est, cùm caro non persona, sed tantum natura sit: iccirco nomina diuina secundum hanc etiam naturam cum Deitate communia habet, sic tamen vt hæc prædicentur de iis tantum nominibus, seu subiectis humanis, quę totam Personam significant, à natura humana denominatam, sed interea diuinam quoque naturam complectuntur, non autem de illis, quæ solam humanam naturam significant, Deitatem autem non simul includunt. Atque hac de caussa; etsi homo iste partim reipsa, partim nominetenùs sit Deus, tamen humanitas ipsa neque re, neque nomine Deus est.

Eademque ratione Deus λόγος realiter est homo, creatus, sustentatus à Deo, finitus respectu humanitatis suæ: sed nominetenùs respectu Deitatis suæ: Deitas verò neque re, neque nomine dicitur esse homo.

Non est igitur quæstio, an Deo, sed an Deitati realiter humana competant, neque an Homini, sed an Humanitati realiter diuina competant. Illud enim confitemur: hoc negamus. Vtraque enim prædicata, diuina & humana communiter & verè tribuuntur Deo & homini, sed diuina, quà Deus: humana, quà Homo est: Nō autē possunt cōmuniter tribui vtrique naturæ, sed tantum sua cuique propria, Deitati diuina, Humanitati humana.

Similis prædicationum ratio est de homine, & esset similis de omnibus, si in rerum natura extarent alia exempla vnionis hypostaticę duarum naturarum. Corpus hominis mortale & elementare, & sensile est: ideò verè & realiter dicitur homo esse mortalis, elementaris & sensilis, nempe secundum corpus. Anima est immortalis, cælestis & insensilis: ideò verè & realiter homo dicitur immortalis, cælestis, & insensilis, nempe secundum animam. Hic si quis obturbet: Homo significat corpus & animam, ergo realiter secundum corpus, & secundum animam, mortalis & immortalis est, quis sanus non dixerit eum insanire?

Sic etiam verè dicetur, loquendo de homine, mortalis & sensilis, scilicet, secundùm corpus, est immortalis & insensilis, scilicet, secundum animam: Et contra.

Cur igitur non etiam, loquendo de Christo, vnus & idem diceretur infinitus & finitus, omnipotens & non omnipotens, omniscius & non omniscius, etsi non secundum idem, sed secundum aliud & aliud, vt Cyrillus loquitur, & veteres omnes, hoc est, eadem persona, secundum aliam atque aliam naturam? Maius profectò in infinitum est discrimen Deitatis in Christo, quàm animæ & corporis humani: Et tamen proprietates animæ & corporis neque in aliis hominibus, neque in Christo realiter fiunt communes: multò igitur minùs proprietates duarum naturarum in Christo.

Hæc millies à nostris repetita & explicata sunt: sed ab istis Theologis tam strenuè dissimulantur perpetuo, ac si nunquam dicta essent, & interea complentur aures hominum magnis clamoribus, nos tantùm verbaliter, non autem realiter hominem Christum profiteri Deum esse.

Præter hanc autem confusionem Personæ & naturæ, concreti & abstracti, subiecti, totius & partis, ex qua perperam tribuunt vtrique naturę, quod personæ competit propter alteram naturam, & personæ dicunt nos detrahere, quod de altera tantùm natura negamus: habent etiam alterum [illegible], videlicet homonymiam vocabuli communionis, vel communicationis. Aiunt enim, Atqui realiter Deitas est communicata humanitati Christi: Ergo etiam omnipotentia, & reliqua Deitatis propria (quandoquidem vtrinque fatemur, omnipotentiam esse idem, quod Deitatem) aut si non omnipotentia, etiam Deitas non est realiter humanitati communicata.

ὁμωνυμία in vocabulo communionis.

Responsum illis satis est: quòd communio Patribus significat aliquando vnionem ipsam duarum naturarum. Hæc maximè realis est, quia verissimè ex duarum naturarum substantiis, vnius Personæ Christi substantia, sicut totum ex partibus efficitur. Hoc sensu realissimè & arctissimè communicata est Deitati humanitas, & humanitati Deitas, idest, vnita. Alias verò & quidem propriè & plerunque significat hæc vox communem alterius naturæ & proprietatum eius prædicationem de vtraque natura: quæ non est (vt ipsi fingunt) vnio hypostatica, sed huius vnionis effectus & consequens. Hæc sermonis forma significat, prædicatum realiter competere alteri naturæ, & propterea Personæ: alteram verò naturam huic esse personaliter vnitam: nequaquam autem significat, ei naturæ, de cuius concreto prædicatur, attributum realiter inesse. Propter hunc sensum Communicationem idiomatum, respectu naturarum, non inexistentium, sed prædicationem, hoc est, non realem, sed verbalem (vt cum ipsis loquamur) communicationem esse, cum tota Orthodoxa Ecclesia profitemur.

Communio pro ipsa vnione.

Cōmunio pro cōmuni alterius naturæ eiusque proprietatū de tota persona prædicatione.

Vnde & hoc manifestum fit, prædicationem humanorum de Deo, & diuinorum de homine, etsi, quantum ad naturas, tantum est verbalis: tamen nequaquā esse falsam: quòd enim falsò diceretur de Deitate vel humanitate in abstracto, id verè & realiter dicitur de ea in concreto, id est, de homine, qui complectitur simul alteram, nempe diuinam naturam, de qua verè & realiter secundùm se dicuntur diuina, non tantùm in

con-

concreto, ſicut de humana, ſed etiam in abſtracto. Nō enim tales locutiones ſignificant æqualitatem, aut ſimilitudinem, aut conformitatem naturarum, ſed vnionem inter ſe mutuam: Hæc igitur vnio ad earum veritatem ſufficit: Si verò intelligeretur per eam conformitas naturarum, oppoſitæ locutionis veritas deſtrueretur.

Hæc propoſitio: Homo eſt Deus, omnipotens, æternus, vt ſit vera, ſatis eſt, humanitatem huius hominis eſſe Deitati omnipotenti & æternæ vnitam, & Deitatem eſſe huius Hominis propriam, ſecundùm quam Deus ſit. Si autem intelligeretur, quòd homo ſecundùm Deitatem ſimul, & ſecundum humanitatem ſit Deus, & omnipotens, & æternus: falſa fieret oppoſita propoſitio: Homo ſecundum humanitatem ſuam eſt homo, eſt mortuus, eſt creatus, natus in tempore, &c. Nihil enim ſecundùm idem ſimul eſt homo & non homo: Deus & non Deus: omnipotens & non omnipotens: Creator & creatura. Hæc eſt doctrina ſacræ Scripturæ, quæ teſtatur Chriſtum eſſe λόγον, & Filium Dei vnigenitum, & coæternum ſecundum ſpiritum viuificantem, & ſanctificantem, & natum ex Patribus, paſſum & mortuum, viſibilem factum & aſſumtum eſſe ſecundùm carnem. Hæc etiam eſt doctrina Orthodoxæ Antiquitatis Eccleſiæ.

Dial. 2. Theodoretus: Sicut congruunt homini animæ & corporis propria: ſic etiam de Chriſto loquendum eſt. Cùm de naturis loquimur, cuique conuenienda tribuenda ſunt, & ſciendum eſt, quæ ſint Deitatis, quæ humanitatis propria. Cùm autem de Perſona loquimur, communicanda ſunt naturarum propria, & vtraque Seruatori Chriſto tribuenda, & vnus atque idem Deus & homo appellandus, Filius Dei & Filius hominis: Filius Dauidis & Dominus Dauidis, ſemen Abrahami & conditor Abrahami, & reliqua omnia ſimiliter.

Dial. 3. Et de Perſona dicit: Scire oportet, quod vnio communia facit NOMINA. Item: propria naturarum facta ſunt communia perſonæ propter vnionem, qua idem eſt Filius Dei & filius hominis, æternus & recens &c.

De naturis autem ait: COMMVNIO NOMINVM non facit confuſionem naturarum. Et ibidem: hæc etiam nos conſueuimus facere; communibus enim nominibus etiam partem appellamus, vt Iohannes vel Stephanus iacet in vrna. Sed nemo hæc communia nomina audiens, quæ & animam & corpus ſignificant, incluſas eſſe vrnis etiam animas ſuſpicatur, ſed ſcit ſola corpora, aut exiguas eorum reliquias in vaſis contineri.

Eandem ſententiam prolixè & ex profeſſo explicans
l. 3. c. 4. Damaſcenus dicit: non prædicari de Deitate humana, ſed de Deo ſecundum humanitatem, neque de humanitate diuina, ſed de homine ſecundùm Deitatem: Et vocat hoc Tropum ἀντιδόσεως ſeu alternationis.

Sed etiamſi Patres hæc tam luculenter nobis non expoſuiſſent: vel Scholaſtici poterant hos Theologos erroris admonere. Sic enim Bonauentura reſpondet de hac quæſtione, vtrum animæ Chriſti communicauerit Deus omnipotentiam: Dicendum, quòd nec animæ Chriſti, nec vlli creaturæ poteſt omnipotentia communicari, niſi eatenus, quatenus communicatur ei nomen & excellentia Diuinitatis, hoc eſt, per communicationem Idiomatum, quæ ortum habet ex perſonali vnione. Sicut enim poſſumus dicere, quòd homo eſt Deus, ita poſſumus dicere quòd homo eſt omnipotens. Et ſicut excellentia Diuinitatis nulli creaturæ communicari poteſt, vt forma & proprietas eidem inhærens, vel ſubſtantialiter vel accidentaliter: ſic etiam nec omnipotentia.

Sentent. lib. 3. diſtinct. 14.

lib. 1. ſent. diſt. 37. ar. 2. q. 1. Idem de vbiquitate & omniſcientia dicit: Quemadmodum impoſſibile eſt, vt anima Chriſti, quamuis vnita ſit verbo, ſit vbicunque eſt verbum, alioqui eſſet immenſa, & exiſtentia ipſius æquaretur exiſtentiæ verbi: Ita quoque impoſſibile eſt, vt intellectus animæ Chriſti ſimul omnia cognoſcat actu, quæ verbum, quamuis ei perſonaliter vniatur.

Item: Quòd vbique ſit Chriſtus, hæc eſt diuinæ naturæ proprietas, quæ vni atque ſoli Deo competit, vt nulli prorſus Creaturæ, ac ne ipſi quidem humanæ naturæ Chriſti in vnitate Perſonæ realiter communicari poſſit. Hæc ille; Et alia multa in eandem ſententiam.

Iam verò poſtquam conſtat, nos, dum negamus, humanitatem Chriſti realiter eſſe Deum, non propterea negare, hominem Chriſtum realiter eſſe Deum: eadem ratione manifeſtum eſt, nos hominem Chriſtum omnipotentem, omniſcium, infinitum realiter agnoſcere, etſi humanitati eius realiter iſta conuenire negamus. Neceſſariò enim ſicut huic ſiue homini, ſiue humanitati data vel communicata eſt Deitas, ſic etiam omnia Deitatis propria: Et ſicut Deo ſiue Deitati communicata humanitas: Sic etiam omnia humanitatis propria. Et ſicut iſte homo Deus eſt, ſic eſt omnipotens, & infinitus. Eſt autem Deus non ſecundum humanitatem: Ergo nec ſecundum eam omnipotens, immenſus, &c.

APOL. fol. 38. B.

Perſonalē vnionem duarū naturarum in Chriſto non tantū cōmunia facere nomina.

Tertio loco iniuriam ſibi fieri in libro Concordiæ conqueruntur, dum aſſeritur talem eos docere vnionem perſonalem, quæ tantùm faciat communia nomina proprietatum & naturarum Deo & homini: *quod eodem tamen, quo negant*, loco perpetuò aſſerunt.

At verò, inquiunt, negamus, ſingulis naturis in Perſona Chriſti eſſentiales proprietates alterius naturæ communicari, *ſcilicet vt fiant* alterius naturæ proprietates vel formæ: quaſi verò noſtrarum iſta Eccleſiarum ſit doctrina: vel quaſi iſta in libro Concordiæ ſint tradita: cùm merū ſit figmentum, quod Eccleſiis noſtris dictóque libro cupiunt obtruſum. Negamus & pernegamus illam noſtram eſſe ſententiam: Et cupimus, ſi bonorum virorum nomen tueri volunt, vt in libro Concordiæ eam nobis monſtrent. Si id iuris futurum, fingere quid & alteri affingere: facilè quiuis hæreſeos damnari poterit: Verùm illa hactenus Eccleſiæ Dei non fuit conſuetudo. *In libro Concordiæ* plura non aſſeruntur, quàm quæ Chriſtus, ipſa veritas, de communicata omni poteſtate in Cœlo & in terra, de Virtute viuificandi, & ſimilibus, ore ſuo veritatis pronunciauit in Eccleſia docenda, credendáque demandauit. His acquieuimus, & etiamnum acquieſcendum iudicamus.

Verùm obiiciunt, Scripturam ſacram & orthodoxam Eccleſiam de vocabulis abſtractis id non concedere: Reſpondemus *contrarium* abundè à nobis ſuperius eſſe demonſtratum: in quo reſponſo etiamnum perſtamus.

Admo. p. 67. Conantur aduerſarij, ſub prætextu propoſitionum, quæ loquuntur in Concreto, aſſumtæ humanæ Chriſti naturæ, *Maieſtatem ab ipſo Chriſto*, diſertis ei verbis adiudicatam derogare: quibus tamen concretiuis locutionibus Scriptura & Antiquitas Orthodoxa aliud & vlterius nihil quæſiuit: quàm vt indicaret ſaltem diſcrimen naturarum: nullo modo verò, vt aſſumtam humanam naturam ſpoliaret diuina, quæ in tempore ei data eſt, maieſtate. Id quod abundè monumenta ſacrarum literarum & Patrum teſtantur: Et multis abſtractiuis voculis in hoc genere Patres vſos eſſe, ſupra eſt comprobatum.

Nec eſt in Controuerſia, vt ipſi quidē aiunt, an diuinitati realiter proprietates humanæ communicatę.

Admo. p. 68. Id enim in libro Concordiæ nullo modo aſſeritur: verùm de his pluribus ſub initium tertij capitis. Vehementer etiam vrgent Phraſin Cyrilli: Secundùm aliud & aliud: quam retinet forma quoque Concordiæ. Cùm autem cap. 4. plenior ſubſecutura ſit huius phraſeωs declaratio: lector candidus, eum conſulere locum nō grauabitur. Declaratio etiam in libro Concor-

F diæ sæplus est repetita: *verum ab aduersariis illa* negligitur, vt audacter & sine fronte calumniari possint.

Admo. p. 69 vocabulum communionis esse ... Obiiciunt etiam nobis homonymiam vocabuli Communionis: quo in hac doctrina de communicatione Maiestatis, abutamur. Probè autem nouimus, distinctè hoc vocabulo Patres vti: nec vnam tantùm eius esse significationem: quemadmodum hoc ipsum discrimen in libro Concordiæ est dilucidè declaratum: verùm quoad ipsos, ne quicquam hoc etiam nos iuuat.

Admo. p. 69. Fatemur illud interdum pro ipsa sumi vnione hypostatica: interdum pro communicatione Idiomatum: quæ effectus est & consequens v-
G nionis hypostaticæ: Iniuria igitur afficiunt librum Concordiæ: quòd doceat Communicationem Idiomatum, ipsam esse vnionem. In propositionibus autem, quæ de communicatione Maiestatis diuinæ agunt, vocem illam, præter nudum & inane nomen, nihil significare: nihilque omnino humanæ naturę de proprietatibus diuinis, propter Personalem vnionem, communicatum significare: idémque tantùm denotare, quod primi generis enunciationes sibi volunt, Deus est passus, vt ipsi aiunt, id largiri aduersariis non possumus, cùm eius cõtrarium hactenus à nobis sit demonstratum.
H Nec tamen asserimus diuinæ naturæ Idiomata, humanę naturę Idiomata facta essentialia: cùm
I propria nunquam sua egrediantur subiecta. Essentiales enim vnius naturæ proprietates, alterius naturæ essentiales proprietates fieri nunquam possunt: cùm singulæ suas in se & per se retineant: quemadmodum etiam non docemus communicata illa esse humanę naturę per modum essentialis communicationis, vel Physicæ effusionis, quem modum perpetuò aduersarij
K vrgent: Verùm fieri illam pro modo & ratione personalis vnionis. Et ab hac sententia, cùm
L innitatur expresso Dei verbo, recedere non possumus.

De dicto Theodoreti: vnio facit communia nomina. Dictum Theodoreti, Vnio communia facit nomina, & communio nominum non facit cõfusionem naturarum, in vero, genuino & proprio sensu libenter acceptamus: nec illa regula in libro concordiæ negatur.

Admo. p. 71. Quod verò hinc euincere conantur, ergo communia tantùm facit nomina: & tantum
M communicat creatas qualitates & finita dona: non autem omnem potestatem in Cœlo & in terra, virtutem viuificandi, potestatem celebrãdi nouissimum iudicium, & emundandi ab omnibus peccatis, & quæ his sunt similia: id nequaquam concedimus. Non enim addit particulam exclusiuam tantùm, imò de humanę naturę in Christo Maiestate in hanc sententiam
N scribit in cap. de Antichristo: λόγος homo factus ὁ μερικὴν, nõ particularem gratiam contulit assumtæ naturæ, sed totam plenitudinem Deitatis complacuit in ipsa habitare.

Quod testimonium nequaquam de communicatione tantùm nominum, aut creatis & finitis donis agit: verùm de exaltatione assumtæ humanæ naturę in Christo vocabulis loquitur abstractis: & dîsertè fatetur ratione & respectu personalis vnionis, non particularem aliquam, diuisam seu finitam ei gratiam collatam esse, qualis sanctis hominibus confertur: verùm placuisse Filio Dei, totam plenitudinem diuinitatis habitare in assumta natura. Huius generis testimonia, necessitate sic flagitante, plura ex Theodoreto produci poterunt.

Non etiam nos, Dei beneficio, latet communicationem nominum, qua Deus homo & homo Deus propter personalem vnionem nominatur, nullam introducere naturarum confusionem: sicuti non modo eam ipsi non probamus: verùm etiam expresse in libro Concordiæ impietatis condemnauimus. Nec sequitur doctrinam communicationis Maiestatis diuinæ, confusio naturarum in Christo: cùm communicatio illa non fiat, per modum essentialis aut physicæ transfusionis in assumtam humanam naturam, verùm secundùm rationem & modum personalis vnionis.

O Ex Bonauentura etiam in Magistrum Sententiarum, dictum quoddam, quod nobiscum pugnare videatur, citant: cùm tamen nobiscum omnes pij veteréque Christiani ex animo Deo Opt. Max. gratias agant, quod luce verbi diuini, Ecclesiam suam è densissimis & horrendis tenebris Pontificatus, éque Sophisticis commentis Scholasticæ Theologiæ adeo benignè liberarit. In his autem disputationibus id agunt aduersarij, quasi paulatim Ecclesia à verbo Dei ad tenebras reducenda sit Ægyptiacas scholasticæ Theologiæ. E fontibus Israelis, doctrinæ cùm huius partis, tum reliquorum capitum petimus fundamenta & principia: quibus adiungimus postea libenter, piæ antiquitatis, primitiuæ & orthodoxæ Ecclesiæ testimonia: Ab vtrisque autem longissimè in hoc ipso capite recesserunt Doctores Scholastici: ad quorum Theologiam vt Ecclesia reuocetur, nec autores erimus, nec consilia nostra dirigemus. Locum verò ipsum Bonauenturæ quod attinet, doctrinæ illi nostræ vel libri Concordię non repugnat. Ratio est: Nec enim liber Concordiæ docet, vt verba sonant Bonauenturæ: Excellentiam diuinitatis humanæ naturæ in Christo, vt formam & proprietatem eidem inhærentem, vel substantialiter vel accidentaliter communicatam esse: verum hanc ipsam doctrinam rotundè & disertè, tanquam erroneam improbat & reiicit. *Admo p. 71. De dicto Bonauentura.* *Ambrosius Wolfius de fundamentis Lutheri pag. 20.*

Sic liber etiam Concordiæ nequaquam docet omnipotentiam & omnipræsentiam humanæ Christi naturæ sic communicatam esse, tanquam formam & proprietatem, eidem & substantialiter, vel accidentaliter inhærentem: Verum hęc in libro Concordię exposita, & nostra etiam est sententia: propter Personalem vnionem duarum naturarum in Christo, illiusque indissolubile vinculum, posse Christum, etiam secundum humanam naturam, iuxta verissimas verbi sui promissiones, præsentem adesse Ecclesię suę in his terris: maximè verò in administratione sacræ Cœnæ & omnibus illis locis, in quibus sui pręsentiam pollicitus est. Hac gloria & Maiestate assumtam humanam naturam aduersarij, si vel rumpantur, exuere non poterunt: Sed vt integram inuiolatámque illi concedant, necesse est. Quę enim Christus asserit: hęc & eueniunt & euenire necesse habent. P
Si vel vniuersus mundus, omnesque adeo Diaboli Q

boli contrarium affirmant. Verùm de his paulo post pluribus.

RESPONSIO.

A Conferat lector & videat.

B Quorsum ista putida glossa? tantummodo depulimus illam calumniam, quam habetis in libro vestro Concordiæ, cap 8. Anathematismo 5.6.7. negatis? videat lector. Nihil vobis affingimus: sed nobis affictas esse calumnias ostendimus: verum nos ex reis, facitis accusatores.

C Vetus Coccysmus: sine probatione.

D Sed non eo sensu Scriptura, quo vos: vt ante quoque à nobis demonstratum fuit: Synecdochæ enim sunt.

E Non quam Christus, & quo sensu Christus: sed quam vos, & quo sensu vos, negamus esse communicatam. Nihil ergo detrahimus: sed quod ipse Christus non vult suæ carni tribui, idem cum illo nolumus & nos.

F Nostra explicamus: vestra referre non tenemur.

G Non solùm librum Concordiæ: sed alios etiam, & quidem eius autores, qui talia scripta reliquerunt, perstrinximus.

H Nunquam demonstratum: sed sæpe dictum.

I Nil vobis fauet hæc ratio. Quænam est, propriam sua nunquam egredi subiecta? erratis ô Doctores! Si tantummodò tum essentiales proprietates sua egredi subiecta putatis, quando vel in quibus erant, ab eis prorsus recedunt: vel alteri subiecto ita communicantur, vt fiant huic essentiales proprietates. Quocunque enim modo realiter alteri communicentur: sua egredi subiecta dicuntur. Hoc enim dictum idem est cum illo: Quod vni & soli, & semper inest, eique verè proprium est, illud non potest alteri reapse fieri commune: alioqui desinit esse proprium. Nisi igitur fateamini, desiisse proprias esse diuinæ naturæ: eas factas esse humanæ naturæ communes, minimè probare potestis: nisi fortè dicatis, ita factas esse communes, sicut etiam ipsa τοῦ λόγου ὑπόστασις communis facta est assumtæ naturæ: vt non minus in vna forma, quàm in altera subsistat. Sed hoc nihil porro ad quæstionem. Non enim communicatio realis fuerit: sed realis tantummodo vnitio: nec fuerit effectum vnionis, sed vnio ipsa.

Si illud verum est: nulla igitur essentialis proprietas excipitur, quæ non sit realiter communicata. Quare ergo excipitis, Infinitatem, simplicitatem, æternitatem? Ex æquo enim facta est omnium vnio in persona. Aut igitur hæc ratio, quam vsque ad nauseam in singulis ferè paginis, eamque vnicam vrgetis, tanquam falsa tollenda est: aut omnes proprietates re ipsa communicatas esse fatendum fuerit.

K

L Id est, vestro somnio.

M Communia tantùm nomina quoad naturas formaliter & in abstracto consideratas: non autem materialiter & in concreto acceptas. Legatur Theod. dialogo tertio fol. 67. B. vbi sese explicat. Verba eius sunt.

ὀρθ. Καὶ ἐγὼ, πείθομαι καὶ πιστεύω κυρίου τὸ δόξης. οὐ γὰρ ἄνθρωπον τινὸς κοινὸν, ἀλλὰ τὸ κυρίου τοῦ δόξης σῶμα ὂν τὸ τοῦ ζύλου προσηλωθὲν. ἦχεν μὲν τοι εἰδότες ὡς οὐ θεὸς, κατὰ τὰ πάθη τὰ ὀνόματα, σταύρωσαν ζητοῦσιν τὴν σάρκα τὸ κυρίου, ὡς τὸ θεῷ ἀνθρώπου καθολικῶς λέγει.

ἐρα. οὐ ταῦτα.

ὀρθ. Ἀλλ' ἐν τῇ μήτρᾳ τῆς παρθένου διαπλασθῆναι.

ἐρα. οὕτω φημί.

ὀρθ. Πῶς οὖν ὁ κύριος λόγος, ἀλλ' οὐ ἄνωθεν υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἀναβαίνοντα ὅπου ἦν τὸ πρότερον. Καὶ πάλιν, οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν, μὴ ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ.

ἐρα. οὐ περὶ τῆς σαρκὸς, ἀλλὰ περὶ τοῦ θεοῦ λόγου.

ὀρθ. Ἀλλ' οὐ θεὸν ἐκ τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς, πῶς οὖν αὐτὸν υἱὸν ἀνθρώπου καλεῖ.

ἐρα. Κατὰ τὴν ἕνωσιν γέγονε τὰ τῆς σαρκὸς ἴδια. οὐ γὰρ αὐτὸς διὰ τὴν ἕνωσιν, καὶ υἱὸς ἀνθρώπου, καὶ υἱὸς θεοῦ, καὶ ἀνθρώπου καὶ πρόσφατος, καὶ υἱὸς Δαβὶδ, καὶ κύριος Δαβὶδ, καὶ τὰ ἄλλα τὰ τοιάδε ὁμοίως.

Ergo quoad Deitatem solummodo, reuera erat in Cœlo: quoad carnem autem, non ita, sed tantùm nominetenùs, propter vnionem cum Deitate in λόγῳ.

Mirum verò est, quod nusquam ipse Theod. aut alij Patres docent, vnione communia fieri τὰ πράγματα, sicut passim τὰ ὀνόματα. Interim nonimus vnione communem factam fuisse ὑπόστασιν τοῦ λόγου, quæ est res omnium maxima. Sed natura certè diuina eiusque proprietates nusquam leguntur apud patres factæ fuisse realiter communes ipsi humanæ.

Ergo licet non addat Theodoretus exclusiuam particulam TANTVM: necessario tamen ex argumento quod tractat aduersus Eutychen subintelligendam esse euincitur.

N Locus Theodoreti in capite de Antichristo pagina 180. perspicuus est ex vera intelligentia loci Apostolici, quia totus est de vnione hypostatica: non autem de reali communicatione.

O Scholastici in hac doctrina de Persona Christi cum tota Ecclesia Romana sinceri sunt, veréque Catholici: Et teste etiam Augustana Confessione rectè senserunt, & ab œcumenicis conciliis non declinarunt: Proinde horum doctrinam hac in parte reiicere est Catholicæ Ecclesiæ doctrinam reiicere.

P Sed de hoc nouo somnio vestro postea seorsum.

Q Nil certius, sed quæstio est, an ipse Christus asserat, quæ vos ex verbo eius deprauato & contorto, asserta esse contenditis.

ADMONITIO pagina 73.

HVc pertinet altera non minus atrox calumnia, quam sæpe inculcatam, etiam in suo libro Concordiæ non veriti sunt repetere: doctrinam nostram Arianismo & Samosatenismo fauere & viam aperire. *IV. Anathem. & in repet. p. 306.*

Satis à nostris solidè crimen hoc refutatum, & in ipsos regestum est. Sed quantum videmus, desierunt sibi turpe ducere, quiduis de innocentibus fingere, silentio prætermissis & sepultis ipsorum refutationibus & defensionibus. Quod possumus habere affine cum illis hæreticis, veram Christi Deitatem allatrantibus; qui confitemur hominem Christum habere in se, tanquam partem substantialem suæ personæ, æternam Dei verbi substantiam, ideoque in hunc hominem verissimè & plenissimè competere, quæcunque Dei sunt propria? Quam autem sit absurda & inepta ista consecutio: Christum dicimus Deum esse non secundum humanitatem, sed secundum Deitatem tantùm: Ergo negamus hunc hominem esse realiter & substantialiter Deum: quis non intelligit: nisi quis fortè tam stupidus sit, vt ex hac propositione: Homo non intelligit pedibus, putet illam consequi, Ergo homo non est realiter intelligens: Et contendat hominem duntaxat verbotenùs intelligendum dici, nisi dicatur etiam pedibus intelligere. *De Arianismo & Samosatenismo.* *Ingenua Theologorum istorum Dialectica.*

Contra verò ipsi non semel sunt admoniti, si dicta Scripturæ, in quibus diuinæ proprietates & operationes tribuuntur Christo, per suam realem communicationem Idiomatum, detorqueant ad naturam humanam, non tantùm fenestram, sed portam amplissimam aperiri Arianis & Samosatenicis blasphemiis, & arma ex manibus Ecclesiæ excuti, quibus contra illas est pugnandum. Quoties enim illis opponetur, Christum in sacris literis nobis describi Deum, electorem omnipotentem, omniscium, infinitum, vbique præsentem, datorem Spiritus sancti, adorandum, &c. in promtu erit illis excipere, non requiri ad ista aliam in eo naturam præter humanam, cui sint ista realiter a Deo communicata. At ne æternitas quidem ipsa sufficiet, & mundi creatio, ad refutandos illos, qui fingant etiam his temporibus, Christum esse Deum aliquem coæternum quidem, sed tamen Patre minorem, & essentia ab ipso distinctum, cui Pater omnes diuinas suas proprietates realiter communicauerit. Excipere enim illis licebit, hæc non in solam Patris Deitatem competere, sed in aliam quoque naturam, siue creatam, vt Arius voluit, siue coæternam, sicut olim & nunc Tritheitæ. *Realis communicatio idiomatum aperit cuniculum hæreticis ad subuertendam Christi Deitatē.*

Hic nisi insistatur huic solidissimo fundamento hæc elogia diuina Christi in nullam naturam, cadere, nisi in æternam & vnicam Deitatem æterni Patris, quæ nobis responsio relinquetur ad ora ipsorum obturanda?

Iudicet etiam tota Chriſti Eccleſia, noſne an ipſi fores aperiant Arianiſmo. Et tamen talia committentes, putant ſibi fas eſſe, nos Arianiſmi & Mahumetiſmi inſimulare. Videat Deus & iudicet.

APOL. fol. 40. B.

Quid Caluiniſmus ab Arianiſmo diſtet.

QVarto loco ſuſpicione Arianiſmi ſe liberare conantur, illúmque errorem noſtris Eccleſiis libenter obtruderent: illius verò hæreſeos inſimulationem ſic vitare & effugere poſſe cogitant: quòd doceant in Chriſto duas eſſe diſtinctas naturas: Et Chriſtum habere in ſe tanquam partem ſubſtantialem ſuæ perſonæ, æternam Dei Verbi ſubſtantiam. Quam doctrinam non improbamus: de hoc verò inter nos eſt controuerſia, quòd publicis literarum monumentis, palàm, in vniuerſum orbem Chriſtianum, horrendas quadam & planè blaſphemas, loquendi formas, diſſeminarunt, veluti, [a] *Chriſtum ſecundùm* aſſumtam humanam naturam, ratione & reſpectu perſonalis vnionis cum Filio Dei, omnipotentiæ diuinæ non factum eſſe participem: [b] *Maieſtatem & potentiam* Chriſti, ratione aſſumtæ humanæ naturæ, non eſſe maiorem, quàm ipſi neceſſaria, & prout illa in creaturam cadere poteſt: carnem Chriſti ad edendum miracula plus non contuliſſe, quàm virgam Moſis: carni, vel humanæ naturæ in Chriſto, cum gubernatione Imperiorum huius mundi eorúmque tranſlatione, nihil etiam cum iis miraculis, quæ quotidie adhuc eduntur, commune eſſe: Anathema & in æternum damnatum, qui vna adoratione Chriſtum verum hominem, in perſonali vnione colat: Carnem Chriſti non efficacia, ſed merito tantùm eſſe viuificam, inſtarque carnalis cum virtute viuificandi nihil commune habere, nihil etiam cooperari: Chriſtum ſecundùm humanam naturam ſedentem à dextris Dei Patris, conſeruum eſſe noſtrum: Denique quod iiſdem argumentis vtuntur, quibus Ariani diuinitatem Chriſti noſtro etiam ſeculo oppugnant. Finiti ad infinitum nulla eſt proportio vel communicatio: Finitum non eſt capax infiniti. Vnde manifeſta etiam ſcripturæ teſtimonia, quæ aſſerunt Chriſto in tempore datam omnem poteſtatem, virtutem viuificandi, poteſtatem iudicandi, non ſimpliciter accipi volunt, & intelligi de humana natura aſſumta, ſed vel de æterna diuina natura, quaſi & illa in tempore aliquid acceperit: quod ab æterno non habuerit: aut quòd ſecundùm vtramque naturam pariter acceperit: Et quæ huius generis abſurdæ apud illos occurrunt loquendi formæ aliæ, quæ piis mentibus ſubminiſtrant haud dubia argumenta, ſi non fouere, fauere eos tamen Arianiſmo: quemadmodum illius hæreſeos crimine nequaquam ſe liberare poterunt, ſi huiuſmodi paradoxa tueri perrexerint.

[a] Admonitio paſſim.

[b] Danæus in Antioſiandro, p. 98.

Danæus contra Chemnitium p. 118. 281. 417. 418.

Amelingus in Theſibus.

Et ſua manu, ſocietatis ipſorum haud poſtremus [c] *Neuſerus* teſtatus eſt: Principia & maximas Caluiniſtarum, firmum ſubminiſtrare Arianis fundamentum: ſéque illis in iſtam opinionem ſeductum eſſe. Si quis, inquit, argumentis ipſorum vtitur, & re ipſa fit Arianus, apertè & in ſpecie docens hoc, quod illi in genere, capite plectitur. Videant igitur illi quorſum tandem ipſorum euaſura ſit opinio.

In doctrinam quidem formæ Concordiæ hanc accuſationem libenter detorquerent: verùm ita probè præmunita eſt, vt non facilè ruinam inuenire poſſint. [d] *Quòd enim prætendunt,* ſi humanæ Chriſti naturæ, ratione & reſpectu vnionis hypoſtaticæ, diuina virtus communicata ſit, facilè inde concludi poſſe, Chriſtum non verè & eſſentia ſua eſſe DEVM: id non tantùm perperam inde, nulla conſequentiæ neceſſitate colligitur: ſed contrarium omnino, videlicet: Niſi Chriſtus reuera eſſentialiter ab æterno DEVS, fieri non poſſet, vt aſſumtæ humanę naturę, perſonaliter ſibi indiſſolubili vinculo vnitæ, diuinam potentiam & maieſtatem communicaret. Quod enim quis ipſe non habet, alteri communicare quo modo poteſt? Cùm igitur humanę naturę, perſonaliter ſibi vnitæ, tantam virtutem per & propter perſonalem vnionem ſecundùm ſcripturarum teſtimonium communicarit: neceſſariò ſequitur, verum etiam eſſe æternum omnipotentemque Deum. [e] *Chriſtus certè* cùm ait carnem ſuam verè viuificam eſſe: Et Concilium Epheſinum, quando anathema pronunciat eum, qui carnem Chriſti negat eſſe viuificam vel viuificatricem: Et Cyrillus, quando dicit carnem Chriſti totam vim, virtutem & operationem viuificandi, ratione perſonalis vnionis ſuſcepiſſe & retinere, nequaquam fundamentum ponunt Turcicæ & Arianorum impietati: quod aduerſarios tamen blaſphemis ſuis facere paradoxis, manifeſtum: vtinam tandem reſipiſcant.

Obiiciunt, niſi huic ſolidiſſimo inſiſtatur fundamento, hæc diuina elogia Chriſti in nullam naturam cadere, niſi in æternam & vnicam Deitatem: nullam fore nobis reſponſionem reliquam, quo Arianorum ora obturare poſſimus. Daremus hoc & concederemus illis: *Si diuina idiomata*, ſeu diuinitas, creaturæ in & per ſe, aut ſeparatim ab vnica & æterna diuinitate, tribueretur, non poſſe aliquem Arianiſmi effugere crimen: verùm nec libro Concordiæ hoc continetur dogma: nec vnquam nos illud probauimus: ſed ſimpliciter & expreſſe, tanquam à Diabolo profectum, impietatis eſt à nobis condemnatum. Proinde falsò id nobis obiiciunt. Quòd verò inde colligunt. Ergo non poteſt filius Dei aſſumtæ humanæ naturæ, ratione & reſpectu hypoſtaticę vnionis, diuinam virtutem & maieſtatem communicare: vel, ſi communicat, ad Arianiſmum aditum patefacit: horrenda eſt blaſphemia contra filium Dei, & publica negatio & improbatio dictorum CHRISTI: in quibus hanc communicationem Maieſtatis doctrinam tradidit & reuelauit: cui ipſorum petulantiæ & temeritati, niſi pœnitentiam egerint, hęcque blaſphema dogmata retractarint, tandem in ira ſua reſpondebit: ſuamque contra illos maieſtatem & veritatem vindicabit.

Iudicio igitur non tantùm totius Eccleſię Chriſti, ſed ipſius etiam viuorum & mortuorum iudicis Domini noſtri IESV

CHRISTI

Christi committimus: an non paradoxis suis fundamentum struant Arianæ & Turcicæ impietati: & intrepido corde ad Devm iudicem inter nos & ipsos prouocamus.

RESPONSIO.

a EO sensu, qui explicatur in Admonitione.

b Hæc non sunt nostræ Admonitionis: qui hęc scripta reliquerunt: vobis speramus, respondebunt. Sed quorsum hæc ô Patres?

c Non vos pudet Turcici nominis, quę piæ memoriæ optimus Princeps & elector Fridericvs III. plexuius erat capite, propter eius blasphemias in Filium Dei, testimonium tanquam Apollinis oraculum aduersus nos, omnesque Ecclesias, quæ vestris somniis non subscribunt, proferre? Compescat vos Dominus Iesus, cuius doctrinam profitemur, & gloriam pro nostra virili tuemur.

d Hoccine est respondere ad argumenta? Argumentũ nostrum est. Quicunque prædicant, humanæ Christi naturæ ita realiter communicatam esse (verbi gratia) omnipotentiam, vt verè sit omnipotens: ij nobis arma, quibus contra Arianos & Turcos, Christum esse verum Deum, euincamus, eripiunt: Quia si ab iis Dei proprietatibus, quæ de Christo in scripturis prædicantur, velimus concludere, Christum igitur esse verum Deum: statim excipient Ariani, non valere argumentum: cùm hæc omnia realiter communicari potuerint à Deo isti creaturæ, quæ vocata est Iesus. Atqui vos vbiquitarij, hæc prædicatis. Ergo &c.

Quid isti Doctores ad maiorem respondent? Imò (dicunt) qui hæc prædicant de carne Christi: euincunt illum esse Deum: Ratio, quia non possunt nisi à Deo communicari. Atqui Christus hæc communicat. Ergo, &c. Sed quid hoc est, nisi nugari? Arianus enim tam non concedet assumtum seu minorem, nempe Christum hæc communicare, quàm negat conclusionem, Christum esse Deum. Iudicet Lector.

e Sed quæ hic citatis testimonia à scripturis & patribus, nihil ad vestram realem communicationem pertinent, vt liquet, & nos denuò suo loco monstrabimus. Idcirco verò dicta illa non sternunt fundamentum Turcicæ & Arianæ impietati, sed doctrinam de Deitate Christi confirmant: quia concludunt non alia ratione carnem Christi esse viuificam & adorandam: nisi quia secundùm hypostasin vnita est illi, qui per se adorandus est, & per se viuificat, vt pote vita ipsa æterna.

f Hic est nouus Controuersiæ status, de quo supra. Esse autem merum figmentum, postea demonstrabimus: satis est, quòd concedant si idiomata diuina creaturæ ita realiter communicentur, vt ea in se & per se, licet non ex se habeat: non posse Arianismi crimen euitari. Sic enim de λόγῳ sentiebant Ariani. Laudanda verò est in autoribus Apologiæ illa Christiana libertas, qua ingenuè fatentur, à Diabolo profectum esse dogma illud, quod damnarunt in libro Concordiæ de illa communicatione, de qua hîc loquuntur. Hæc autem fuit illa effusio, de qua Brentius & Iacobus Andreæ.

g Nos itidem id facimus, optima, quod illa quæ nos docemus, conscientia.

ADMON. pag. 74.

V. AEquè falsa & iniusta est accusatio, cùm nobis obiiciunt Nestorianismum, quasi personam Christi

Anath. I. & 12. dissoluamus pro duabus naturis duas personas & duos

De Nestorianismo. Christos substituentes, alterum Deum, alterum hominem: nudámque humanitatem pro nobis passam esse, & nos redemisse dicamus. Nuda humanitas est illis idem, quod nudus homo, quem Græci dicunt ψιλὸν ἄνθρωπον, hoc est, humana natura separata à diuina. Voluit ergo hominibus persuadere, nos docere, quòd homo pro nobis passus sit. & nos redemerit, non autem, quod Deus suo sanguine nos redemerit, Dominus gloriæ pro nobis crucifixus sit, Filius Dei vnigenitus pro nobis mortuus sit.

Nos verò contrà dicimus, vnum & eundem Christum esse Deum & hominem verum, Deum pro nobis mortuum esse, non quidem secundùm Deitatem suam, quæ pati & mori nõ potest, sed secũdùm humanitatem suam, quam dicimus, hoc est, Deitati vnitam personaliter, etiam ipsa morte. Nam ne in ipsa quidem morte, cùm separata fuit anima Christi à corpore pendente in cruce, & iacente in sepulcro, separata est Deitas vel ab anima, vel à corpore. Non igitur nuda, id est separata, sed vnita Deitati humanitas, pro nobis est mortua.

Multò minus est verum, quod fingunt nos dicere, per nudam humanitatem nos redemtos esse. Primùm enim, vt iam diximus, non nuda, sed Deitati vnita humanitas nos redemit. Secundò, redemtio non sicut passio, est proprietas solius naturæ humanæ, sed est nomen ἀντιλυτρώματος seu officij Redemtoris, quod Christo non secundum alteram duntaxat, sed secundum vtramque naturam competit, vtraque natura in eo, quod suum est, operante, Humana natura patitur & moritur innocens, & fit victima pro peccatis, volens hanc obedientiam: Diuina item vult obedientiam hanc, & occultat suam gloriam, non repellens à natura humana mortem & ignominiam, sustentat in cruciatu naturam humanam, vult vt pater æternus nos recipiat in gratiam, propter hanc victimam, & addit hanc dignitatem suæ victimæ, quam offert Patri pro nobis, vt fit λύτρον & precium sufficiens pro totius mundi peccatis, æquipollens pœnis æternis, quas merebantur omnia omnium hominum peccata. propter quam etiam caussam oportuit ipsum Filium Dei nasci ex muliere, & fieri obnoxium legi. Hoccine est istis Theologis nuda humanitate genus humanum redimi? An hoc non est calumniari homines innocentes, contra omnem ipsorum confessionem, contra apertam veritatem, contra omnium sanorum testimonium & conscientiam?

Minus etiam hîc essent accusandi, nisi in lutum, quo nos aspergere nituntur, ipsi se totos prouoluerent. Sexcenties illis demonstratum est, transformationem vnionis hypostaticæ in realem communicationem Idiomatum, siue hanc nominent donorum in natura cum essentialibus Dei proprietatibus æqualitatem, vt olim, siue vt nunc, omnium diuinorum operum per humanitatem effectionem, ipsissimum Nestorianismi barathrum esse. Sine hac enim sua communione idiomatum reali, dicunt, non magis Deitatem vniri humanitati Christi, quàm aliis sanctis, imò quàm omnibus creaturis. At neque ea, quæ proprietatibus æqualia sunt, neque ea, quorum alterum operatur per alterum, vnita esse oportet, siue personaliter, siue alio vnionis genere. Quomodo igitur non soluunt vnitatem personæ, qui vnionem naturarum in ea sola re constituunt, & per eam definiunt, quæ nihil minus est quàm vnio.

Realis idiomatũ cõmunicatio est palliatus Nestorianismus.

Satis hoc esset monstri: sed illi sic monstra ex monstris componunt, vt ab vna parte in Nestorij, ab altera in Eutychis & Schvenkfeldij castra manifestè transierint. Negatis enim & confusis proprietatibus, etiam Luthero teste, negantur & confunduntur naturæ. Adimunt autem isti suas naturæ humanæ proprietates, & pro his diuinas ascribunt. Quod certè dum faciunt, in naturã diuinam eam transformant, cũ Schvvenckfeldio Deificant, cum Eutyche abolent. Quòd enim simul vtrasque illi volunt tribuere, fabulæ sunt, vel pueris exsibilandæ. Nulla enim natura secundùm se ipsam recipit contradictoria.

Vbiquitarij in iisdẽ castris cum Eutyche & Schvvenckfeldio aduersus Christi personam militant.

Admo. p. 74. De Nestorianismo, quomodo ab illius suspicione se purgare aduersarij conẽtur.

APOL. fol. 41. B.

QVinto loco, Accusationem Nestorianismi, nudo verborum prætextu non ita facilè effugient. Qui enim de duabus in Christo naturis, quæ personaliter, indissolubili vinculo, & indistanter, vt Damascenus loquitur (longéque arctiori modo, quàm anima & corpus) vnita sunt, ita scribit & docet: *In Christo naturam esse vnam*, quæ in terra manet, postquam caro ascendit in Cœlum. Item, qui ipsa etiam *adoratione naturas diuellit*, negans carnem Christi esse adorabilem: illc extra omne A
dubium cum Nestorio personam quoque dirimit B
Christi, diuellit naturas, *quæ indistanter* C

Vvolfius de fundamentis Lutheri pa. 21. 23. 24.

vnita: distantem fingit vnionem hypostaticam, cui in Cœlo tantùm locus, in terra nullus:
D *talémque omnino format* Christum: qui totus sit in cœlo: in terris autem nobiscum & in sacra Cœna, tantùm ex dimidia sui parte. Hoc cùm aduersarij in omnibus faciant scriptis: frustra Nestorianismi accusationem à se remouere conantur.

Admo. p. 27. 75. *Nec verborum hoc præstigiis* palliare poterunt, quod ab ipsis quidem tam negatur, à Cinglio autem, alleωsi sua traditum, ideóque in libro Christianæ concordiæ improbatum est:
F *nudam humanitatem* pro nobis esse passam: cùm palam
G hi ipsi scribere *non erubescant*, humana natura patitur, & moritur innocens, & fit victima pro peccatis. Nusquam enim scriptura, de passione, morte & sacrificio Christi, pro peccatis totius mundi oblato, ad eum modum loquitur: sed Dominus (ait) gloriæ, hoc est, filius Dei est crucifixus, est pro peccatis totius mundi traditus & oblatus, quæ loquendi ratio longè plura & maiora complectitur, quàm illorum forma, qua dicunt, humanam naturam pati & fieri victimam, pro peccatis totius mundi. Quæ forma Nestorianismum olet & Cinglianismum.

Admo. p. 75. *Sic opinioni Nestorij affine est*, quo sustentatam humanam naturam in cruciatu dicunt. Diuina enim natura humanam assumtam, non tantùm sustentauit in passione: sed in eadem, cum eadem, & per eandem, peccatum, mortem, Diabolum, infernum & iram Dei deuicit: æternam iustitiam, vitam, victoriamque contra omnes inimicos acquisiuit.

Eandem Nestorianismi accusationem perquàm lubenter in nos detorquerent: quasi in Concordiæ libro, exæquatio quædam donorum in humana natura, cum proprietatibus diuinis tradatur: cum tamen quiuis, vel oculorum iudicio, videre possit, effusionem diuinitatis in assumtam naturam humanam, disertis verbis, in libro Concordiæ, improbari & reiici: nec
I tamen verentur *illi libro*, hunc errorem affingere.

Quia verò simplici calumnia obtinere & efficere nihil possunt: arrodunt illa libri Concordiæ verba, quibus asseritur, pagin. 312. Christo secundùm carnem, quæ filio Dei personaliter vnita, totam plenitudinem spiritus, vt Patres loquuntur, per ipsam vnionem personalem communicari: quæ liberè & sua sponte, in ea cum ea, & per eam se exerat: quasi illis verbis, humanam Christi naturam: organon eiusmodi efficiamus tantùm, in quo Spiritus sanctus operetur, & qua cum non magis vniatur, quàm cum aliis sanctis habitat & operatur.

Meritò autem huius impudentissimæ calumniæ pudere eos debebat: cùm expresse ille error, quem affingere libro Concordiæ conantur, in eodem sit improbatus: nulloque modo ex allegatis verbis deduci & eliei possit. Personalis enim vnio duarum naturarum in Christo, ex qua dependet, quicquid de communicatione plenitudinis Spiritus Dei dicitur, & in epistola Pauli ad Colossens. cap. 1. & 2. traditur, toto genere differt ab inhabitatione Dei in sanctis, quæ secundùm gratiam tantùm est & dona: nullo modo autem personalis: vti fusè ea & distinctè in libro Concordiæ sunt explicata.

Iterum verò obiiciunt: Nequaquam sequi, ea quæ proprietatibus æqualia sunt, *quorumve* K
alterum operatur per alterum, vnita esse necessariò, siue personaliter, siue alio vnionis genere. Cùm igitur liber Concordiæ vnionem naturarum in ea re constituat & per eam definiat, fieri non posse, quin soluat vnitatem naturæ: Respondemus, vtrumque cùm non asserat, verùm expressis verbis erroris & impietatis con- *pag. 314.*
demnet liber Concordiæ, ecqua tamen fronte audent tam absurdum nobis asscribere dogma? Vtramque enim naturam, proprietatibus sibi inuicem æqualem esse: & vnionem hypostaticam illa æqualitate sola constitui & definiri, expressis verbis, multis locis improbat liber Concordiæ: quemadmodum illam etiam sententiam, vnionem hypostaticam nihil aliud esse, quàm inhabitationem diuinæ naturæ, in humana: qualis in aliis solet esse sanctis: quodque per humanam, tanquam instrumentum, diuina, nulla ratione ei vnita, operetur. Libertas illa operationis, cuius mentionem facit liber Concordiæ pagin. 311. consequens est vnionis personalis: non ipsa vnio, quemadmodum in libro Concordiæ satis illa distincta sunt & munita: Cùm ergo doctrinam ipsam nullo certo fundamento oppugnare possint: necesse ipsis fuit huiusmodi confingere calumnias, quò illam onerarent saltem & aliis exosam & suspectam redderent. *Ipsorum enim hoc est ἀξίωμα*: Ca- L
lumniare audacter, semper aliquid hæret. Rectè igitur in illos, hæc ipsorum quadrat exclamatio, monstra eos ex monstris, calumnias ex calumniis serere: quas pro ipsissima veritate, toti orbi Christiano venditant. Verùm Devs, viuens & videns, suo etiam id tempore requiret. Vt aliquam tamen maculam inurant libro Concordiæ: *doctrinam nostram Eutychianismi* & M
Schvvenckfeldianismi accusant. Quoniam verò ad hanc calumniam capitulo quarto respondebitur: beneuolus lector in illo capite inquiret responsum ad obiectiones, de exæquatione & Deificatione humanæ naturæ in Christo: in quo clarissimè deprehendet, magna iniuria, Eutychetis & Schvvenckfeldij errore, nos onerari.

RESPONSIO.

Negatis igitur naturam diuinam Christi mansisse in terra (nempe ita tamen, vt etiam esset in Cœlo & vbique) cum caro ascendit in cœlum? quomodo igitur ait, cœlum & terram impleo? A

Distinguere animam à corpore, & dicere illam esse immortalem, hoc autem mortale, estne has naturas diuellere? Et qui in passione Christi dicunt: carnem esse passam, Deitatem verò non esse passam: iine diuellunt naturas? Calumnia verò est, quòd doceamus, B

ceamus, Carnem Christi non esse adorabilem: imò docemus, vnà cum Deitate & propter Deitatem esse in vna & eadem persona, vna adoratione adorandam. Legantur nostri libri.

G Si pro ἀδιαστάτως indistanter vnitas naturas intelligatis, vbicunque est diuina, ibi realiter etiam esse humanam, toto erratis cœlo, cõtradicentibus Scripturis, Patribus, tota Ecclesia Catholica. Damasc. lib. 3. cap. 7. Καὶ ὅλος σεσάρκωται καὶ ὅλος ἐστὶν ἀπερίγραπτος, σμικρύνεται σωματικῶς καὶ συστέλλεται· Καὶ θεϊκῶς ἐστιν ἀπερίγραπτος, οὐ συμπαρεκτεινομένης τῆς σαρκὸς αὐτοῦ τῇ ἀπεριγράπτῳ αὐτοῦ θεότητι. ὅλος μὲν οὖν ἐστι θεὸς τέλειος, οὐχ ὅλον δὲ θεός. οὐ γὰρ μόνον θεὸς, ἀλλὰ καὶ ἄνθρωπος. Καὶ ὅλος ἄνθρωπος τέλειος, οὐχ ὅλον δὲ ἄνθρωπος, ἀλλὰ καὶ θεός. τὸ μὲν ὅλον, φύσεώς ἐστι παραστατικὸν, τὸ ὅλος δὲ, ὑποστάσεως. Indistanter vnitæ sunt, quia totus λόγος, toti assumtæ naturæ (vt ipse Damasc loquitur) vnitus est: ac licet alibi etiam sit, quàm vbi est caro (est enim vbique, illa verò iam in cœlo tantum) vbique tamen suæ carni vnitus manet, quia vbique Deus simul & homo est Christus. Hoc significat apud Damascenum particula ἀδιαστάτως: proinde calumnia est, quòd distantem fingamus vnionem hypostaticam.

D Calumnia sophistica: Aliud est, quòd totus Christus sit vbique, & in cœlo simul & in terra: aliud quòd sit totum, id est secundum vtramque naturam, in cœlo itidem simul & in terra. Primum verum est, alterum falsum. Neque hæc distinctio ridenda est, & quasi Scholastica explodenda: cùm sit Damasceni libr. 3. cap. 7. pag. 70. By Non sunt igitur Nestoriani, qui distinguunt naturas, & earum proprietates & actiones: Sed qui eas diuidunt, & qui quæ vnius sunt propria, ea realiter communia faciunt alteri, ita vt in vtraque realiter insint: illi veri sunt Nestoriani. Quòd si illi naturas diuellere, ac personam soluere, eóque Nestoriani vobis esse dicuntur: qui non concedunt naturas ita ἀδιαστάτως esse coniunctas, vt vbicunque est vna, ibi realiter etiam sit altera, quomodo vos Nestorianismi crimen euadetis, qui negatis carnem Christi simpliciter esse vbique, sed tantummodo vbi, & quando ipsa vult?

E Mera calumnia est, quod additis, Nudam humanitatem: cùm simpliciter dicamus, Solam humanitatem esse passam, non autem Deitatem ipsam: Seu, & melius, Christum secundum solam humanitatem esse passum, non autem secundum Deitatem.

Etsi enim sola passa est, non tamen nuda: quia semper diuinam sibi habuit adiunctam in verbo, & ab ea nunquam recessit. Cur erubescamus loqui cum

F scripturis? Annon Christus dicit corpus suum pro nobis traditum esse (in mortem?) Item, animam suam esse tristem vsque ad mortem? Quid autem sunt anima & corpus: nisi humana natura? Annon etiam ait Apostolus Hebræorum 10. per oblationem corporis Christi, nos fuisse sanctificatos? Ite ergo & dicite, Nusquam enim scriptura, &c.

Cur ergo & vos non dicitis potius, Deus incarnatus vbique est, & realiter sua essentia adest in cœna, atque adeo etiam in pane: quàm corpus, aut caro eius? An non & vestra isthæc forma loquendi (si vera est vestra regula) Nestorianismum sapit, & Cinglianismum? Christus certè non dixit, Ecce corpus meum vobiscum est, vsque ad consummationem seculi: Sed ego vobiscum sum. Si nobis non licet cum Scripturis dicere: Corpus Christi pro nobis traditum est: humanaque natura passa est: Cur vobis liceat contra Scripturas exclamare, caro Christi omnia replet?

G Ergo phrases etiam Christi & Apostoli Nestorianismum & Cinglianismum redolent.

H Ergo Patres qui sic locuti sunt: affines fuerunt & consanguinei Nestorij.

Quid autem pugnat, quòd Deitas ita sustentarit humanam naturam, vt tamen per eam Diabolum deuicerit?

I Si non libet tradit expressis verbis: certè ex autoribus libri nonnulli sic docuerunt. Supra autem dictum, Admonitionem non tam aduersus librum hunc, quàm aduersus autores libri, & con-

tra veteres Vbiquitariorum errores, conscriptam fuisse.

Non sic assumit Admonitio: K

Qui ederunt ficus: alios de ficubus comestis accusant. L

Doctrina certè de reali idiomatum communicatione, eo sensu accepta, quo hactenus fuit: manifesti Eutychianismi, vt Schvvenckfeldianismi fuit conuicta. M

ADM. pag. 76.

Eiusdem farinæ est, quod aiunt, nos docere, passionem Christi ad Filium Dei nihil attinuisse. VI.

Nemo nostrum hoc dixit, vel quicquam, ex quo illud sequatur. Filius Dei passus & mortuus est, sed carne, inquit Apostolus: Carne autem sua, id est, sibi personaliter vnita, & cum ipso substantiam vnius personæ constituente. Foderũt, inquit in Psal. manus meas, & pedes meos. Et in Euangelio: panis quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi vita. Cùm igitur parte sui, quæ pati & mori poterat, videlicet, natura sua humana sit passus, quomodo sic docentibus obiicitur, quòd passionem dicant nihil attinuisse ad Filium Dei? Si anima sua & corpus suum ad ipsum attinuit, quomodo potuit horum cruciatus & laceratio & diuulsio nihil ad ipsum attinere, etiamsi Deitas cruciati & lacerati & mori non potuerit? Quis ita insanit, vt si pes ipsius, vel manus ipsius aliquid patiatur, hanc passionem ad se dicat nihil pertinere, propterea quòd in capite aut aliis partibus non laceratur aut cruciatur? Etiam sanctis & membris suis in terra persecutionem patientibus, ipse Dominus clamat in Cœlesti gloria degens: Saul, Saul, quid me persequeris? Cùm tamen ingens discrimen sit inter passiones fidelium & Christi. Sanctis enim patientibus, alia est persona, quæ dolorem & passionem ipsam sustinet, nempe fideles; alia, nempe Christus, quæ afficitur contumelia ab hostibus, iniuria afficientibus ipsius legatos & seruos, propter illius confessionem, & seriò improbat, & curat afflictionem eorum, quos sibi tanquam *a* membra adiungit, & *b* fratres suos atque *c* amicos vocat, & *d* gloriæ suæ cohæredes, *e* & templum suum in quo habitat. Et tamen dicitur: Qui templum Dei destruit, illum destruet Deus, Christo autem patiente, eadem persona est, & ea quidem ipse Deus, quæ est subiectum supplicij ac doloris animæ & corporis, & obiectum immediatum iniuriæ & contumeliæ, qua ab hostibus afficitur. Quantò igitur magis & propius ad Filium Dei attinet sua ipsius caro, quàm sancti: tantò etiam magis ad ipsum attinet passio ipsius, quàm aliorum.

Anat. 12. De passione Filij Dei, 1. Pet. 3. 18. & Psal. 22. 17. Ioh. 6. 51. Act 9. 4. a 1. Cor. 6. 15. b Ioh. 10. 17. c Io 15. 15. d Rom. 8. 17. e 1. Cor. 6. 19.

APOL. fol. 41. B.

Sextò: Multis verbis se excusare conantur, quòd nunquam docuerint, passionem Christi, ad Filium Dei nihil attinuisse: Et magna arbitrantur se hac parte affectos in libro Christianæ Concordiæ iniuria. *Admo. p. 76.*

Respicit autem liber Concordiæ, præcipuè ad Cinglij Alleosin: qua omnia scripturæ testimonia, quæ de passione & morte Christi loquuntur, *ad nudam & solam* eius humanitatem retulit: ita vt Filius Dei, in passione, cum assumta humana natura nihil commune habuerit: quæ opinio ipsissima Nestorij damnata est hæresis: ipsique viderint, quo modo erroris suspicione illam liberare possint. Quemadmodum & alteram propositionem: Sola humanitas in Christo est passa, quæ à nonnullis ipsorum, vt suprà capitul. 1. dictum, est conficta. Quo autem colore excusare conentur *Theodoretum*, qui propositionem (Deus est passus carne) reiecit: illique a.

b. Anhald. pag. 8.

Apolog. Anhald. 246.247 hanc substituit: non DEVS sed Christus passus est carne: Item, contendit scripturam nusquam appellationi DEVS, passionem adiungere: quique hanc ob caussam in concilio Ephesino damnatus fuit, ipsi viderint. Verè autem Christiani ex his & similibus iudicare poterunt, *c* quorsum tandem *aduersariorum euasura sit impietas.*

Propositionem, Christus est passus & mortuus secundum vtramque naturam, tanquam erroneam supra reiecimus: nec vspiam libro illa Concordiæ continetur. Quòd si qui alij illa, nobis insciis, sunt vsi, nihil illa nos formámve Concordiæ attinet: veluti in qua disertè est repudiata.

RESP.

a APostoli apertè scribunt, Christum passum esse carne. Quorsum hæc particula: nisi quòd à passione & dolore excludere voluerunt Deitatem? NIHIL ergo non simpliciter (sed doloris seu passionis) commune habuit cum humana patiente & moriente natura.

b Optimè se purgauit Theodoretus: quia nomen Dei accipiebat ἰδικῶς, seu (vt scolæ loquuntur) formaliter, non autem ὑποστατικῶς & materialiter, vt Cyrillus: & explicationem hanc admisit Synodus. Quorsum ista vos aduersus tantum Patrem de Ecclesia optimè meritum?

c Scilicet.

ADM. pag. 77.

Non plus coloris habet altera absurditas, quam nobis hìc affingunt: *vii. Anat. 13.* Præsentiam Deitatis Christi in terra, ad humanitatem ipsius in Cœlo degentem, nihil attinere, & humanitatem nihil nobiscum habere negotij

De præsentia Christi in terra. Atqui nos docemus, Christum & mente & voluntate sua diuina & humana curare, seruare, & tueri suam Ecclesiam: Est enim hoc ipsius officium, in quo peragendo vtriusque naturæ operationes concurrunt, saluo tamen earum discrimine. Diuina sua sapientia & potentia, intuetur perpetuò omnes necessitates, exaudit omnes gemitus suorum, sua virtute seruat ministerium & Ecclesiam aduersus Diabolos & omnes hostes, dat Spiritum sanctum electis, iustitiam & vitam æternam. Hæc autem omnia facit λόγος, conscia natura sua humana, & simul ardentissimè volente hæc beneficia, & intercessione sua impetrante à Patre æterno. *Heb. 4. 15* Non enim habemus Pontificem, qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum in omnibus similiter, absque peccato.

Mediator, sacerdos, rex, caput suæ Ecclesiæ est Christus, solicitus de nobis, non relinquens nos orphanos, secundùm vtramque naturam. Qua fronte igitur nobis obiicitur, quòd secundum nostram doctrinam, natura humana nihil habeat nobiscum negotij? Ad hanc autem administrationem officij Christi, nihil opus est VBIQVITATE naturæ humanæ. Caput enim in cœlis regnans & residens, virtute Deitatis suæ effundit spiritum suum viuificum in omnia membra sua, vbicunque locorum existentia, & per eum in ipso & nobis habitantem, nos sibi adunit & conformat. An propterea pedes nihil attinent ad caput, quia caput non est in pedibus, aut in eodem loco, quo sunt pedes? An sol propterea non illustrat suis radiis omnes mundi partes, aut hæc illustratio nihil ad eum attinet, quia corpus ipsius in cœlo contentum manet? An gubernatio & salus subditorum per vniuersam ditionem, nihil attinet ad Principem, & nihil cum illis habet Princeps negotij, quia corpore suo non adest singulis subditis?

Quid igitur dicemus de Christo, cuius diuinitas nemini saltem confert, nisi pro quo diuina & humana sua voluntate intercedit apud Patrem, imò qui ipsius corpori tanquam palmes viti insitus, & ex carne eius & ossibus eius fuerit? Quid me persequeris? clamabat caput de cœlo, cùm pedes calcarentur in terra. Præsentissimum ergo est caput suis membris dum illis vnitum est, etiamsi non eodem sit cum illis loco, qui ad hanc præsentiam nihil facit. Pudere autem debebat homines Theologos, tam inconsideratè dictorum. *Admonit. pag. 77.*

APOL. fol. 43.

A Septimo loco, arbitrantur, si de præsentia Christi in Ecclesia & sacra Cœna aliquid saltem dicant, abunde se officio suo satisfecisse. *De vera præsentia Christi in terris.* *Status autem controuersiæ*, in isto capite hic est: totus ne Christus DEVS & homo, indiuisa persona, etiam secundùm assumptam naturam, quam inseparabiliter & indistanter sibi vnit, adsit secundùm promissiones Matth. 18. 28. Ioh. 14. Ecclesiæ suæ in his terris: an verò, vt aduersariorum fert opinio, ipse caput nostrum, corpore suo in Cœlo residens, virtute tantùm & efficacia nobiscum sit & se nobis vniat. Illi contendunt, diuinitate tantùm eum esse in terris: nos contra vrgemus promissionem: Ego sum vobiscum vsque ad consummationem seculi: Et hisce similes. Quibus non de diuinitate tantùm, verùm de tota persona loquitur, quæ in duabus naturis, diuina & humana subsistit. Verissimum igitur est & immotum, aduersarios, de præsentia Christi in terris, nec rectè, nec secundùm scripturam docere.

Non sufficit in genere aliquid de præsentia Christi, déque officio Mediatoris loqui: verùm hoc requiritur, vt de illa sic sentiamus & doceamus, quemadmodum verbis Christi, quæ veritas sunt, est expressum. Speciosæ quidem sunt quibus vtuntur similitudines, desumptæ ab hominis capite & pedibus, quorum membrorum non idem, eodemque loco situs: à sole itidem, cuius radij in terram se extendunt, dum corpus ipsius in cœlo fixum manet: à gubernatione principis per vniuersam ditionem: qui licet corpore vno prouinciæ suæ loco sit circumscriptus: virtute tamen sua & potentia, per vniuersum principatum dominetur. *Admonit. pag. 74.* Eandem omnino esse volunt corporis Christi rationem, quo licèt certo cœli loco contineatur, virtute tamen sua, præsentem Ecclesiæ adesse in his terris, eam regere, creare & gubernare vniuersa. Verùm similitudines illæ non congruunt cum expressis Christi testimoniis. Matth. 18. 28. Ioh. 14. sed his è diametro repugnant: proindeque ad rem nihil faciunt. Quæstio enim hìc non est: quàm illæ similitudines sint speciosæ: verùm quid Christus verbis suis expressè nobis promiserit, & hisce nobis acquiescendum. Non remittendi sumus ad elegantes & concinnas similitudines: sed ad legem & ad testimonium.

B Lubenter iam tandem pernegarent, quod tamé publicè professi sunt, *humanam Christi naturam*, nihil nobiscum, vel cum administratione mundi habere negocij; verùm ita clara & euidentia illorum sunt verba, vt nulla sophistica palliari & negari amplius possint. *An Christi humana natura in administratione mũdi, aliquid operetur* Hæc.n. ipsorum sunt Emblemata: nos dicimus nequaquá concurrere carnem Christi, etiam glorificatam ad regnorum administrationem, regum deiectionem, miraculorum effectionem, & similia: *Dan. in exam. pag. 280.* Item, Deitas Christi cælos mouet: reges & regna dat, & operatur & perficit opera sua, non per *pag. 104. 107.* carnem suam assumptam, quæ omnipotentiæ Dei capax esse, & opus omnipotentiæ Dei, cooperari non potest. *pagi. 365. 391. 405.* Item, humana natura Christi, cùm sit creatura, nó est capax potentiæ increatæ: & cum Christi hominis potentia, sit cæli &

terræ nominibus veluti certis limitibus definita non est immensa. Item, diuina Christi natura, humanam assumtam naturam; habet sibi quidem adiunctam, sed non cooperantem. Item: Caro Christi non plus confert ad efficiendam viuificationem & salutem, quàm ad edita ab Apostolis miracula caro Apostolorum contulit: aut virga Mosis ad edenda miracula profuit, &c. Hasce tam tetras & abominandas blasphemias, passim, magno numero & copia in aduersariorum libris licet reperire: quas audire horret animus. Meritò igitur pudere deberet aduersarios: cùm quod de persona Christi, officio eius & gubernatione, voces tam abominandas & execrabiles euomuerunt: tum quòd easdem foliis quasi ficus contegere iam & excusare conantur. Manet igitur hæc etiam nostra sententia firma & immota, de præsentia totius Christi secundum vtramque naturam, non amplecti aduersarios sanam & orthodoxam doctrinam, sauorumque verborum formam: verum inniti eos tantum concinnis, humanæque rationi consentaneis similitudinibus de capite & pedibus, corpore & radiis solis, principe illiusque gubernatione. Id quod nullo modo in ipsis probandum.

pag.87.
pag.180.

R E S P.

TOtus Christus, Deus & homo, indiuidua persona, adest suæ Ecclesiæ in his terris, secundùm suas promissiones: Quid vultis amplius? Addimus etiam secundum naturam humanam: eo sensu qui explicatur in Admonitione: quia voluntate etiam humana, curat Ecclesiam suam: Sed non adest secundum eius corporis præsentiam, secundum quam in Cœlo est. Corpus Christi enim vbicunque est, circumscriptum & visibile est: sic docentibus scripturis & patribus aduersus hæreticos, defendentibus. Nec pugnat, quòd totus Christus aut adsit aut aliquid agat, sed non totum: vt quod iam sit in Cœlo tantum, per id quod homo est: vbique autem per id quod Deus est: cùm hæc sit distinctio Augustini ad Dardanum: Et Damasceni lib. 3. cap. 7. ὅλος ... ἐστι. τὸ μὲν γὰρ ὅλον φύσεως ἐστὶ παραστατικόν, τὸ ὅλος ὑποστάσεως, &c.

Acquiescimus item in promissionibus Christi non minus nos, quàm vos: verùm non secundùm vestras, sed secundum pias sanctorum Patrum interpretationes, intellectis. Sunt enim cum aliis scripturis & cum symbolis Ecclesiæ consentientes. Illi autem dicta hæc Christi, Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, & similia: de præsentia Deitatis & gratiæ, non autem de præsentia corporis interpretati sunt, vt suo ostendemus loco. Imò damus Christum etiam corpore suò in Cœlo existente, præsentem esse non solùm in Cœna, verùm etiam in Sacramentis: Sed non magis realiter & substantialiter, quam in verbo suo. Quid amplius à nobis concedi potest? Si valet consequentia, Ego vobiscum sum, Ergo secundum præsentiam etiam corporis: Cur non & hæc, data est mihi omnis potestas: Ergo secundum Deitatem etiam data est? Item Christus passus est: Christus indiuidua est persona: Ergo secundum vtramque naturam passus est? Vbi igitur locum habebit distinctio Patrum κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο? fallaciæ sunt à secundum quid, ad simpliciter. De voce indistanter supra dictum est: fuit enim ea dictio ἀδιαστάτως, contra duas, eòque à se inuicem aliquo modo distantes à Nestorio confictas hypostases addita. Quid autem hoc ad duas naturas ita distinctas: vt non vbicunque est diuina, ibi etiam sit humana? Num enim λόγος, qui propter suam simplicitatē totus est toti naturæ humanæ vnitus, quia etiā propter eandē simplicitatē totus est extra corpus: ideo dicetur ἀδιαστάτως esse vnitus? quasi verò vt sit ἀδιαστάτως vnita anima corpori: requiratur vt non sit extra caput, in pedibus vel brachiis. Legatur Damasc. lib 3. cap 7.

Suis quisque verbis, à quo spiritu ducatur, non obscurè ostendit: iuxta illud: Loquela tua manifestum te facit. Cuius autem verba citatis, ille vobis respondebit: Ætatem habet, & vti nouit suo calamo. Qui dicit quę vult, audiet fortassis quæ non vult.

A D M. pag.78.

Tribuunt nobis porrò, quod doceamus, Christum non facere opera sua diuina omnia & vbique, in & cum natura sua humana. VIII. Anath. 14.

De operationibus Christi diuinu, in & cum natura sua humana.

Animaduertenda est hic Theologorum Dialectica, quæ in Scholis vocatur fallacia secundum plures interrogationes, vt vnam, dum perpetuo coniungunt istas locutiones, Christū facere omnia IN & CVM natura humana, & PER naturam humanam: quasi hæc omnia vel a nobis negarentur, vel vna eadémque essent oratio & quæstio. Nos verò negamus quidem, Christum omnia opera diuina vbique per humanam naturam, tanquam per instrumentum efficere. Non enim exaudit omnes, seruat omnes, dat spiritum sanctum sua humanitate, multò minus manibus vel pedibus: solius hæc Deitatis propria sunt, ideoque homini Christo conueniunt, non qua homo, sed quatenus Deus est. Neque humanitas se ipsam excitauit à morte, sed excitata est à Deitate. Interea operatur multa, per humanitatem, quæ pertinent ad officium Mediatoris, quod nequaquam requirit omnipotentiam vel omnipræsentiam naturæ humanæ.

Quascunque autem λόγος operationes exercet post incarnationem, IN & CVM natura sua humana exercet, hoc est, humanæ naturæ vnitus, & in ea habitans personaliter, & ea simul cooperante, quod suum est. Idem enim & totus λόγος, qui vbique est extra suam humanitatem, est & manet simul inseparabiliter in natura sua humana: ideóque sicut nusquam est, sic nusquam operatur quicquam, non simul in sua humanitate existens, ita vt iam non tantùm λόγος, vt ante incarnationem, sed λόγος incarnatus, λόγος homo faciat omnia patris opera, & manifestetur in Cœlo per ipsius visibilem gloriam, Deum per hunc HOMINEM omnia sua opera & iudicia perficere: id quod est ipsius ad dextram Patris collocatio & exaltatio.

Præterea non ignorat Christus mente sua humana, quid vbique in Cœlo & in terra operetur sua diuinitas, scit quod officium personæ totius, cuius ipsa pars est, & vult hoc perfici, secundum vtriusque naturæ proprietatem & conuenientiam, voluntate quidem distincta, sed tamen perpetuò congruente cum diuina: Et autoritas operandi diuina pertinet ad totam personam, quia non tantùm diuina, sed etiam humana natura Christi, est omnium creaturarum domina. Non tantum igitur IN natura humana, sed etiam vnà CVM ea, hoc est, ea cooperante, quod suarum partium est, omnia opera sua λόγος operatur.

Sic loquitur de se ipse Christus, effectionem miraculorum tribuens suæ Diuinitati, voluntatem verò Diuinitati & humanitati, cùm ait: Sensi ex me egressam virtutem: quàm virtutem? certè diuinam: at quomodo egressam? certè non de loco in locum, vel de subiecto in subiectum, vel separatione à natura humana, sed sui exsertione, declaratione per opus diuinum sanationis, quod extra naturam humanam Christi fiebat, à virtute, quæ simul intra & extra illam existebat & manebat. Voluntatem verò etiam humanitatis suæ declarat, cùm voce sua beneficium à se volente datum & ratum haberi pronunciat.

Marc. 5. 30. Luc. 6. 19 & 8. 46.

A P O L. fol. 43. B.

OCtauo conantur defendere, rectè se docere, Christum non omnia Diuinitatis suæ opera, in, cum & per assumtam naturam perficere: verùm eo tantùm loco, *vbi est localiter*. Vnde necessariò consequitur, Mediatorem Christū, quæ in his terris in Ecclesia sua efficit & operatur: illud non cum assumta natura humana efficere & operari: cùm expressè sacræ literæ officium Mediatoris & gubernationis *totius mundi Christo secundùm vtramque naturam* asscribant: & nequaquam secundum alteram tantum. Mat. 18. 28. Ioh. 20. Ps. 8. Ephes. 1. 4. & alibi. Expressè dicunt Christum sua humanitate, non exaudire omnes, non seruare omnes, non

Admoni. p. 78. 79.

De officio Mediatoris, secundum vtramque naturam

dare Spiritum S. multò minus manibus vel pedibus: solius hæc Deitatis propria esse: ideoque homini Christo non conuenire, qua homo, sed quatenus Deus est. An igitur hoc *non est personam dirimere*: officium Mediatoris & gubernationis diuellere? Citra vllam enim controuersiam verissimum est, Christum exaudire deprecationes nostras, saluare nos, donare spiritum sanctum, secundum vtramque naturam. Officia enim Mediatoris & Saluatoris, Christo, non secundùm diuinam tantùm naturam, verùm secundùm humanam etiam assumtam naturam, conueniunt: quique hæc officia dirimit, diuellit etiam naturas: & ipsam Christi distrahit personam.

Admoni. pag. 79. Hæc dum publicè committunt: *peccati tamen* & erroris argui nolunt. Insuper etiam expressè negant Christum, actiones suas, (liberrimè tamen) PER assumtam humanam naturam perficere, cùm Scriptura testetur, data est mihi omnis potestas in Cœlo & in terra (Quam potestatis vocem aduersariorum princeps libenter commutaret, cum verbo autoritatis, quemadmodum ad imminuendam Maiestatem humanæ naturæ in Christo, in versione Testamenti peruertere eam conatus est.) Item omnia subiecisti sub pedibus meis, Psal. 8 Ephes. 1. qui vt caput omnia implet in omnibus. Act. 17. Iudicaturus est orbem in æquitate, in Viro. 1. Cor. 15. per hominem resurrectio mortuorum.

Admoni. pag. 79. *Impiè etiam & blasphemè* docent: ad officium Mediatoris non requiri infinitam & omnem potentiam humanæ naturæ: Id si verum est, quomodo Mediator noster Iesus Christus, Deus & homo poterit preces nostras exaudire, *adesse nobis in periculis omnibus*, liberare è tyrannide Diaboli, in aduersis tueri, è morte æterna redimere, in tentationibus & agone mortis nos consolari. Media enim & creata potentia, vt paulo post, cap. 3. audiemus, id præstare nullo modo potest: verùm necesse est diuinam tantùm infinitam & æternam potentiam id perficere.

Quando igitur Mediatori nostro Iesu Christo, ratione officii Mediatoris, quoad humanam naturam, derogant & denegant *omnipotentiam*, tanquam minùs ad illius ἀποτελεσμάτων productionem necessariam, quid aliud agunt: quàm quòd orbi Christiano Mediatorem constituunt & fingunt, & saluatorem impotentem: quòd spoliant vnicum Mediatorem Christum secundum humanam naturam laude omnipotentiæ: quòd exuunt omnes Christianos omni efficaci, solida & vera consolatione: *præter nudum hominem* in Christo nihil facientes reliqui. Arbitrantur quidem hoc pacto, se excusare illud posse: quòd concedunt humanam naturam, id quod sibi proprium est, in officio operari Mediatoris: Item, Christum mente sua humana non ignorare, quid vbique in Cœlo & in terra, sua operetur diuinitas: *verùm exiliora hæc sunt*: quàm quę maiestati illi respondeant. Scriptura enim propter exaltationem humanæ naturæ ad dextram Dei, non vt nefanda aduersarij faciunt temeritate, aliquorum tum operum meminit, quæ diuina per assumtam naturam operetur: reliqua verò excludit, quasi, quæ per diuinã solùm perficiantur naturam: De omnibus dicit, Data est mihi omnis potestas, in Cœlo & in terra, Matth. 28. Item, qui omnia implet in omnibus. Quæ *non de dimidiato*, sed de toto Christo, secundum vtranque naturam, nec de aliquibus tantùm, sed de omnibus operibus dicta sunt.

Quòd si verum est id, quod fateri coguntur, humanam Christi naturam omnium creaturarum esse Dominam, quo pacto *à gubernatione mundi* possunt eam excludere, & quędam tantùm illi opera assignare, quæ Filius Dei in ea & cum ea peragat: videlicet illa tantùm, quibus localiter adest, opinioni suæ colorem aliquem addere conantur, ex dicto Marci 5. sensi ex me virtutem egressam, fingúntque satis esse, si effectionem miraculorum tribuant Christi Diuinitati: voluntatem autem diuinitati & humanitati: cùm tamen Christus dicto illo de tota loquatur persona: & non de diuina natura tantùm. Ex me, inquit, quæ voces nequaquam ad diuinam tantùm naturam referendæ sunt: humanæ verò nudum nomen, soláque voluntas tribuenda. De distinctione enim illa, in dicto Christi, ne verbum quidem habetur: sed totam complectitur Christus personam, quando inquit, sensi &c. ex me egressam virtutem: corpus enim seu humanam simul naturam comprehendit. Admoni. pag. 79. *De dicto apud Marcum 5. sensi ex me egressam virtutem.*

Non igitur clamoribus partis aduersariæ *perturbari nos patimur*, verùm sententiæ huic firmiter inhæremus & insistimus: totum Christum secundùm vtranque naturam, miracula edidisse, & adhuc edere: & humanam naturam, ad effectionem miraculorum, non nudam tantum voluntatem contulisse, sed verè etiam, ob personalem vnionem, vltra etiam & supra vires cooperatam esse: & adhuc in gubernatione Ecclesiæ totiúsque orbis cooperari. Quemadmodum alibi hæc fusius declarata.

RESP.

NOn sumus Dei beneficio, ô Domini Doctores, tam imperiti Theologiæ: quin, quæ pertinent ad officium Mediatoris, ea à Christo secundum vtramque naturam (cum & ipse secundum vtranque Mediator sit) partim in terris præstita fuisse, partim in Cœlis, & è Cœlis perpetuò præstari, optimè nouerimus. Sed quomodo secundùm vtranque naturam præstita fuisse, & præstari nouimus è Scripturis? Non certè eodem modo, nec iisdem agendi facultatibus & actionibus: cùm neque vna sit eademque natura: sed pro cuiusque naturæ modo, sed pro cuiusque naturæ actionibus, eóque & pro cuiusque naturæ viribus, proprietatibus, operandique facultatibus. Est enim omnis sicut in naturis, sic in proprietatibus & actionibus Eutychiana confusio vitanda, secundum illud Leonis primi: vtraque forma agit quod proprium est, (non ergo quod alterius) cum alterius communione (non ergo reali communicatione & confusione) verbo agente, quod verbi est: & carne exequente, quod carnis est: Adde, ac proinde & verbo pro suis proprietatibus & actionibus agente quod verbi est, & carne per suas non alienas facultates & actiones exequente, quod carnis est. Vt enim diuersæ & distinctæ sunt naturæ: sic etiam diuersæ & distinctæ

distinctæ sunt in eis agendi facultates & operationes τῆς ἐνεργείας. (ait Damascen.) δύο ἐνεργητικαὶ δύο ἐνέργειαι: nomine autem τῆς ἐνεργείας (vt Damascenus lib. 3. cap. 15. annotauit) venit non solum ἡ δύναμις, qua ἐνεργεῖ ἐνεργητικὴ: sed etiam τὸ ἐνέργημα. Exempla: vt ipsius Damascen. verbis maioris & certioris explicationis caussa vtamur: τὸ μὲν τῶν θαυμάτων δυνάμεως, τὸ θαῦμα τῆς θείας ἐνεργείας ... ἐνέργημα ... τὸ δὲ ... ἀνθρώπινον ... ἐνέργημα ... Quid his verbis clarius? Quis non videt, ad miraculorum effectionem, naturam quidem humanam, suas habuisse actiones, ἐνεργείας καὶ ἐνεργήματα: ipsam autem miraculorum effectionem fuisse ipsius Deitatis opus & ἀποτέλεσμα? Idem de remissione peccatorum dicendum est. Christus secundum quidem humanitatem volebat ea remitti, & dicebat, remittuntur tibi peccata tua: sed secundum diuinam reipsa remittebat: quia solius Dei est remittere peccata. Eadem est ratio de iis, quæ nunc agit pro nobis in cœlo, & è cœlo, secundum etiam humanitatem. Vult nostram salutem, proque ea Patrem interpellat: sed secundum Deitatem eam efficit, remittit peccata, regenerat, dat Spiritum sanctum, & cætera alia quæ Deitatis propria sunt. Etsi igitur Christus secundum vtramque naturam, sicut est Mediator, sic etiam quæ ad Mediatoris officium pertinent, ea operatur: non eodem tamen modo, nec iisdem actionibus secundum vnam agit, qua, & quibus secundum aliam: quia vtraque forma agit, quod proprium est, non autem quod alterius: ac proinde quæ sunt vnius, non sunt ascribenda alteri; sed distinguenda, & distinctè sua cuique tribuenda: quæ Deitatis, Deitati: quæ humanitatis, humanitati, non autem Deitati, idque secundum aliam patrum regulam: quæcunque de vno & eodem Christo legimus in scripturis magnifica & diuina: Ea diuinæ eius naturæ esse tribuenda: quæ autem humilia & humana, ea humanæ esse imputanda: Legatur Iustinus in expositione fidei, pagina 178. ... τῇ θείᾳ φύσει προσνέμομεν ... ἀνθρωπίνῃ λογιζόμενοι.

An non hæc sunt contraria? Christum, relicto mundo, hoc est, terra, ascendisse in cœlum: Et tamen adhuc esse in terra? Ergo vnum Deitati, alterum humanitati attribuendum est: vt faciunt Patres, Augustinus, Cyrillus & alii: Item, annon sunt hæc pugnantia; Solus Deus remittit peccata; Et tamen filius etiam hominis (qua homo est) potestatem habet remittendi peccata? Ergo concilientur dicta, secundum varias actiones eiusdem Christi; quia, qua Deus, propriè remittit peccata; sed qua homo, vult remitti, & remissa esse pronuntiat. Idem de aliis Mediatoris officiis dicendum & sentiendum est. Accertè, si vno & eodem modo, vnis & iisdem actionibus nostram salutem operaretur, secundum humanam, quo & quibus operatur secundum diuinam; Christus foret etiam secundum humanam essentialiter Deus. Hinc enim probauit se verum esse Deum; quia, quæcunque faciebat Pater, eadem ipse ὁμοίως faciebat; Iohann. 5. Ergo vtrunque fatendum est, nempe Christum & omnia quæ ad Mediatoris officium pertinent, fecisse ac facere secundum vtramque naturam. Et tamen non eadem opera præstare, qua homo est, quæ præstat, qua Deus est. Sed diuina secundum diuinam, & humana secundum humanam. Nam neque secundum diuinam agit ea, quæ sunt humanæ, sed tantùm quæ sunt diuinæ. Quod si qua homo est, præstaret non solùm quæ formæ sunt serui, sed etiam quæ sunt formæ Dei, vt isti volunt, annon plus deberemus carni assumtæ, quàm λόγῳ assumenti? Maneat ergo sententia Synodi Ephesinæ & Chalcedonensis: Christum quidem secundum vtranque formam, nostrum esse Mediatorem, & nostram operari salutem: sed vtranque tamen formam agere tantummodò quod proprium est, non autem quod alterius: Et alio etiam modo vnam, alio alteram operari. Annon verò effectio miraculorum, viuificatio animarum & corporum, donatio Spiritus sancti & alia id genus, propria sunt Deitatis opera & ἀποτελέσματα? sic ait Damascenus. Licet igitur ad hæc, suas communicat actiones forma serui: quod tamen proprium est Deitatis, hoc non præstat. Iudicet lector vtrinam peccati & erroris sint arguendi: nos ne qui distinguimus vtriusque naturæ in Christo actiones & opera: an aduersarij qui confundunt. Conferantur quę Apologia subiicit cum iis quæ Admonitio habet, & vtri peccent, luculenter apparebit.

Illud localiter additum est de vestro. Natura enim humana localiter non est in terris: λόγος tamen in humana semper, cumque ea & per eam multa in ipsis fidelibus operatur. α

Aiunt nos negare Christum omnia Deitatis suæ opera in & cum & per assumtam naturam efficere. Calumnia est de IN & CVM: cùm tantùm dicamus, non omnia PER. Imò Admonitio accusat eos, quòd hæc confundant: & plures interrogationes faciant vt vnam. Contextus Admonitionis est perspicuus: & tamen non verentur hi Doctores denuò calumniari, & omnia confundere. Non omnia autem Christum Deitatis suæ opera, per humanam suam naturam efficere, præter exempla allata, hinc etiam liquet: Nunquid enim suam assumtam naturam, per ipsammet assumtam naturam sustentat, viuificat, regit, agit, illuminat, sedere facit ad dextram, &c. Ac cum assumta natura non solum sit anima, sed etiam corpus: quæcunque autem isti homines in hac quæstione garriunt, eò spectant, vt doceant, corpus ipsum realiter esse in pane, & vbicunque anima vult esse & operari: nunquid vbique Christus per corpus suum, per pedes & per manus omnia agit, regitque Cœlum & terram? Portat omnia verbo virtutis suæ, non manibus & pedibus. De anima plura concedi possunt. Ipsa enim suæ etiam voluntatis actione, regit mundum, vult nos exaudiri, seruari, donari spiritu sancto, Diabolis imperat, &c. Sed hæc nihil porrò ad quæstionem de corpore in pane, vel in multis locis realiter præsente faciunt. Et alia sunt Deitatis opera propria, & alia humanitatis: vt supra ex ipso etiam Damasceno ostensum est: quanquam omnia ad vnum & eundem finem, hoc est, ad salutem nostram diriguntur: Et ab vno & eodem Christo operante proficiscuntur, sed secundùm diuersa operandi principia præstantur. Hæc est vera & dilucida de officiis Mediatoris doctrina quam è scripturis sanctis per sanctos patres in variis conciliis, Ephesino præsertim, & Chalcedonensi, Catholica tradidit Ecclesia. β Heb. 1.

Hinc liquet, quam fallaciam admittant isti Mundi reformatores, cum ita argumentantur: officia Mediatoris conueniunt Christo secundum vtramque naturam: Ergo quæ ei conueniunt secundum diuinam, vt dare spiritum sanctum, eadem etiam ei congruunt secundùm humanam: ac proinde non minus secundum vnam, quàm secundum alteram mittit Spiritum sanctum in corda nostra. Quid ita? quia (inquiunt) alioqui persona Christi diuelleretur. ô egregios argumentatores: an non hac eadem etiam ratione euincetur, Christi personam diuelli, nisi fateamini, Christum tam secundum diuinam, quàm secundum humanam passum & mortuum esse? Nam hoc etiam inter Mediatoris officia connumeratur. Ecquis vos docuit hanc Theologiam? Hominis etiam officia mihi conueniunt secundum vtramque substantiam, mentem & corpus; Ergòne dirimitur mea persona, si non dicam, me, tam secundum corpus, quàm secundum mentem intelligere, ratiocinari, velle; Et contra, tam secundum mentem, quam secundum corpus edere, bibere, ambulare? Præterea, cuius est obsecro, mittere Spiritum sanctum in corda nostra? illius certè, & non alterius, à quo etiam procedit: Sic docente Christo apud Iohannem. A quo autem procedit? annon à solo Patre & filio? Idem Dominus Iesus ait, Ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis. Christus rogat vt homo: & quid rogat? vt nobis detur Spiritus sanctus; Pater autem eòque & ipsemet filius vt Deus exau- γ 2. 3.

dit, & dat Spiritum sanctum. Nemo petit ab alio, quod per se ipsum præstare potest. Christus quicquid a Patre petit, petit ea parte, qua minor est Patre: Et minor petit, maior exaudit. Secundum ergo humanitatem petit; secundùm autem Deitatem propriè exaudit, & spiritum sanctum, per quem regeneremur, & seruemur, mittit in corda nostra. Si ergo Christus vt homo dicatur dare spiritum sanctum, & simil a; quæ propria sunt Deitatis præstare; huiuscemodi dicta non alio sensu admitti possunt, quàm partim per communicationē Idiomatum, partim quia & sua obedientia hæc nobis promeritus est; Et sua humana voluntate hæc nobis vult donari; sua denique intercessione, vt illis donemur, efficaciter impetrat: Adde & quia nos Christi carni per fidem vniti, sicut carnis illius ita simus participes, vt fiamus caro de carne eius; sic etiam hauriamus de eius spiritu, vt vnus cum eodem spiritus efficiamur. Summa; Ipsa Spiritus sancti efficax donatio, ἐνέργεια & ἀποτέλεσμα Deitatis est; multa autem hanc donationem præcedentia, ἐνέργειαι sunt & ἀποτελέσματα humanæ, vt supra ex Damasc. lib. 3. cap. 15. de miraculis dictum est. Sed quid hæc ad realem communicationem corporis Christi in pane: cuius rei causa hæc de reali communicatione Idiomatum disputatio excitata est?

δ Imò volumus, si error è sacris literis demonstretur; quod nondum est factum, vtinam & vos eodem essetis animo. Testimonia Scripturarum quæ proferuntur, nihil ad rem, vt seorsum ostensum est.

ε Minimè verò impiè, quia nil contra sacras literas. Ac quod non potest per carnem effici, id efficitur per potentiam Deitatis ab ipso eodem Christo; sicut etiam, quia mori non potuit per immortalem Deitatem, ideo mortuus est per infirmitatem carnis, & contra, quia non potuit per carnem se à mortuis excitare, id perfecit per potentiam Spiritus.

ζ Quomodo non potest nos finita sua potentia in aduersis tueri, & multa alia in iis rebus creatis præstare: cùm ea superet omnium rerum, creaturarum, Dæmoniorum & Angelorum potentiam?

η Quando tandem desinetis tam ineptè sophisticari? Ad officia Mediatoris perficienda, negamus humanæ naturæ, realiter communicatam esse omnipotentiam illam Dei increatam. Si esset Mediator secundum naturam duntaxat humanam; aliquid diceretis. Sed cùm dicamus esse secundum vtranque: quid garritis à secundum quid vt simpliciter?

θ Pudeat vos tantæ impudentiæ, simul & ignorantię. Non damus, carni Christi communicatam esse realiter diuinam omnipotentiam; Ergóne nihil in Christo facimus reliqui? Quia Paulus non attribuit carni omnipotentiam ad se ipsam à mortuis excitandam, sed Deitati; num ergo nihil in Christo præter carnem facit reliqui?

ι Ite ergo, arguite & damnate Leonem & totam Synodum Chalcedonensem, quæ probauit hoc dictum; Vtraque forma agit quod proprium est: Verbo agente, quod verbi est: & carne exequente, quod carnis est.

κ Verum est, hæc non de dimidiato, sed de toto Christo prædicari: Sed non valet, Ergo secundum vtramque naturam realiter & eodem modo prædicantur; vt supra explicatum est. Nam etiam hæc dicta, Christus passus & mortuus est; non de dimidiato, sed de toto Christo prędicantur: num igitur secundum vtramque naturam mortuus est? Magna patientia opus est in legendis libris ineptis simul & impiis. Idem coccysmus sequitur, & in singulis paginis ad nauseam vsque repetitur. Ex me egressa est virtus: Ergo etiam ex corpore, ex pedibus & digitis; Pronomen Me, totam personam significat. Etiam ego sensi, ex me egressum esse verbum. Et ME, totam personam comprehendit: Ergo & ex pedibus egressus est sermo?

λ Cuculus denuò canit. In gubernatione Mundi, quæ sunt propria Deitatis, ea non facimus realiter communia humanitati: Ergóne humanitatem excludimus à Mundi gubernatione? Multa quæ in gubernatione meæ familiæ præsto Ego: Ea nego ab vxore mea præstari. Num igitur eam a gubernatione familiæ excludo.

μ Clamoribus perturbari, id est, firmis rationibus doceri: & ab erroribus moueri. Nos verò cum Leone dicimus: vnum fulget miraculis, alterum subiacet iniuriis.

AD M. pag. 80.

Dicunt nos negare homini Christo datam esse omnipotentiam, & secundum nos, huic homini nullam esse cum omnipotentia communionem. IX. *Anathem.* 15. *De omnipotentia Christi.*

Atqui dicimus, huic HOMINI datam esse ipsam Deitatem, & quidem ita datam, vt sit de substantia personæ ipsius, per vnionem hypostaticam cum humanitate. Est autem omnipotentia nulla alia nisi vnica, atque æterna Deitatis essentia. Sicut ergo hic homo Deus est, sic etiam est omnipotens. Et sicut data ipsi Deitas, non facit humanitatem Deum, sic etiam data ipsi omnipotentia, non facit humanitatem ipsius omnipotentem. Sicut enim idem sunt Deitas & omnipotentia, sic idem sunt esse Deum, & esse omnipotentem.

Rectè itaque dicimus, hominem esse omnipotentem, non quia humanitas ipsius facta sit omnipotens, sed quia ipsi omnipotentiæ personaliter vnita est. Nihil enim est omnipotens, nisi ipsa omnipotentia, quæ est ipse Deus, neque per hanc vlla natura potest esse omnipotens, nisi ipse Deus. Quicquid enim est omnipotens, profectò per omnipotentiam, vt sit omnipotens, necesse est; idque vel tanquam per essentiam suam, vel tanquam per accidens seu qualitatem inhærentem. At Deitas nec accidens cuiusquam est, nec essentia vllius rei, præter ipsum æternum Deum.

Viderint igitur quomodo Eutychianismum effugiant, qui naturæ humanæ sic volunt omnipotentiam esse communicatam, vt ipsa humanitas facta sit omnipotens, siue per creatam, vt olim, siue per increatam, vt nunc loquuntur, omnipotentiam.

APOL. fol. 44. B.

NOnò. Conantur quoque tueri Christi naturam omnipotentiæ nullo modo esse capacem. Quicquid enim omnipotens est, profectò per omnipotentiam, vt sit omnipotens, est necesse: idque vel tanquam per essentiam suā, vel tanquam per accidens, seu qualitatem inhærentem. Ad dilemma hoc respondemus, sacras literas nobis tertium quoddam monstrare in personali vnione duarum naturarum in Christo, diuinæ & humanæ. Propter enim personalem vnionem habitat in assumta natura omnis plenitudo Deitatis corporaliter, Coloss. 2. Est autem assumta humana natura, ad plenitudinem virtutis & omnipotentiæ diuinæ exaltata: non quòd essentialiter ipsa Dei omnipotentia facta: aut quòd per accidens & modum Physicæ effusionis, in & per se propriam essentialem omnipotentiam acceperit: verùm quòd ad communicationem & societatem atque vsurpationem eiusdē, in ipsa vnione est admissa: quemadmodum Christus ipse testatur, Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in terra, quę potestas alia & diuersa non est ab omnipotentia: aliter etiam, quàm de assumta humana natura, accipi illa non potest. Christo enim secundùm diuinam naturam, quæ ab æterno est, in tempore dari nihil potest. Verùm de his cùm fusiùs agatur c. 4. illuc lectorem remittimus. *Admoni. pag. 80. An humana, eāque finita natura Christi, particeps facta sit infinitę omnipotentiæ Dei.*

RESP.

TERTIVM quoddam: quid est istud, substantiáne, eóque tertia natura: an verò accidens? Si tertiam naturam dixeris: Eutychianam hæresin reuocaueris. Si accidens: præterquàm quod absurdissimum est, ex vnione duarum naturarum seu substantiarum resultare accidens: pero etiam, vbinam hæreat istud

istud accidens, in natura ne diuina, an in humana? At in diuinam non cadit accidens: In humana per vos non hæret, quia dicitis in ea non inesse, vel subiectiuè, vel formaliter, vel habitualiter. Figmentum igitur est. At nos, inquies, nomine huius tertij nihil aliud intelligimus, quàm assumtionem, qua ad vsurpationem omnipotentiæ assumta est humana natura: Hanc autem in humana natura assumta, accidens esse fatemur. Huc verò non quadrat illud, Neque inesse realiter, neque formaliter, neque subiectiue: quia illud dicimus de omnipotentia ipsa, quæ non insit humanæ naturæ, vel essentialiter, vel formaliter. Sed nihilominus dicitis, vel euitatis absurda. Primùm, nullam in incarnatione assumtionem agnoscimus, præter illam, de qua Heb. & Phil. 2. Hæc autem nihil aliud est, quam vnio hypostatica. Non est igitur tertium quiddam resultans ex vnione. Deinde, si ad vsurpationem omnipotentiæ, natura humana assumta est: vbinam est ista vsurpatio? in natura proculdubio humana: quia ipsius actio sit, necesse est. Annon verò hinc sequitur, ergo etiam rem vsurpatam realitérque communicatam, esse in ipsa eadem humana natura? Nam & lux, quam oculus ad videndum vsurpat; in ipso inest oculo. Ergo & omnipotentia, quatenus eam sibi vsurpat natura humana, in ipsa insit, necesse est. Si inest, ergo vel essentialiter, vel accidentaliter: at neutro per vos modo. Quid igitur est istud vestrum TERTIVM, aliud, quàm figmentum vestri cerebri? Propter vnionem personalem, non aliter natura humana ad participationem omnipotentiæ, quàm etiam ad participationem Deitatis assumta est. Quomodo verò ad hanc assumta est? per vnionem, integrisque & ἀσυγχύτως manentibus naturis, proprietatibus, actionibus: ita vt non nisi per communicationem Idiomatum, vel diuina, homo humanave; vel humana, Deus diuináve appellari possit: hoc est, nisi quatenus de eadem persona dicimus: Hic homo est Deus: hic Deus est homo. Ergo idem de omnipotentia aliisque proprietatibus dicendum est.

b Dictum hoc Mat. 28. Si de omnipotentia accipias, & de Christo secundum humanitatem prædicari velis: non nisi per Idiomatum communicationem prædicari potest: Interprete etiam Luthero, T. 3. de vltimis verbis Dauidis, fol. 102.

c An non tamen datum est λόγῳ Deo, corpus animatum anima rationali, in tempore, quod non habuit ab æterno? Ps. corpus autem aptasti mihi. Dari etiam illud in tempore dicitur: quod datum à patre in æterna generatione, postea in tempore datum fuisse declaratur. Et sic illud Iohan. 17. glorifica me illa gloria, quam habui apud te, antequam mundus fieret; id est, me hanc gloriam habuisse declara. Nec aliter verbum hoc δεδόξασθαι interpretatus est Lutherus T. 3. de vltimis verbis Dauidis, fol. 102. & ante eum multi Patres. Quid etiam absurdi est, si quis dicat, Christo quatenus Deus est, DATAM, id est restitutam fuisse omnipotentiam; eo nimirum sensu, quo ea exutus fuisse videbatur; nempe in carne, & per passionem? Nam neque vnquam reipsa & in se ipso recessit à sua maiestate & gloria æqualitatéque cum Patre; Et tamen dicitur ab Apostolo exinanitus fuisse; & postea exaltatus; sic explicante Cyrillo in explicatione Anathematismi 4. Eo sensu etiam dici potest, Christum λόγον, cùm factus est homo, suam quam à Patre acceperat potestatem, quodam modo in carne infirma sese exuisse, eámque deposuisse: quo etiam sensu dicitur, cum esset diues, factus esse pauper: Cum verò deposita carnis infirmitate vsum suæ potestatis recepit, potestatem hanc ei fuisse redditam; præsertim cum etiam Patres simili locutione vsi sint; vt Hil. de Trinit. lib. 2. pag. 178. cum dixisset filium verbum, propter assumtam carnem, suam cum Patre vnitatem (quodam modo) amisisse; eam denuò per glorificationem resumsisse; Reddenda igitur (inquit Hil.) apud semetipsum Patri erat vnitas sua, &c. Sic Euseb. Cæs. de Demonstr. Euangel. Græcè lib 4. c. 14. pag. 108. ad calcem: vbi dicit, Christum per glorificationem sui corporis πάλιν fuisse Deum, qualis etiam erat antequam fieret homo. In carne enim infirma videbatur quodam modo desiisse Deus esse; πάλιν ergo Θεὸς ἦν ὁ Θεὸς λόγος, ὡς καὶ πρὶν γενέσθαι κ. τ. λ. [illegible] Non est igitur absurda locutio, si quis dicat Christo Deo post glorificationem sui corporis, redditam fuisse omnem potestatem, quam per incarnationem quodam modo deposuisse videbatur. Quòd si quis etiam contendat, omnipotentiam realiter communicatam fuisse carni: necessario tamen addendum fuerit, pro ipsius carnis captu, vel modulo: Et sic explicat Commentator in Damasc. li. 3. c. 7. d At "verò, quia dignius, alteri minus digno in eodem tertio "coniunctum, communicat illi suas dignitates, pro captu & modulo suo, & tamen ab illo non suscipit in-"dignitates neque imperfectiones: hinc (vt notat lite-"ra) diuina natura, humanæ suas tradit proprias glorifi-"cationes, indigniores que denominationes & proprieta-"tes: & tamen non sustinet carnis imperfectiones, neque obnoxia est passionibus corporis. Enimuerò si quis regia maiestate insignis, & clarissimo sanguine natus, consortem thori sibi asciscetet coniugem plebeiam & infimæ sortis, obscuroque loco progenitam: suæ vxori claras, sibique peculiares traderet denominationes, appellareturque illa regina & domina, titulisque viri sui honestaretur: non autem è diuerso rex ipse contraheret imperfectiones suæ sponsæ, neque plebeius nuncuparetur, aut ignobilis. Sic anima corpori suas communicat vires, vegetatricem, & sensitiuam: non tamen è diuerso, corporis sortitur ignobilitatem, vt defectionem, mortalitatem & sensum. Et Sol, subiectis corporibus suam impertit claritatem, viuificámque virtutem: non tamen corporum à se illustratorum sordes, colluuiem aut putredinem suscipit. Haud aliter Christi diuinitas sanctissimam carnem reddit suarum perfectionum participem: vt quod templum sit & habitaculum diuinitatis: quòd signorum & miraculorum à Deitate factorum cooperatorium fuerit, & coniunctum instrumentum; quòd filio Dei in vnitate personæ vnita à carnis tamen passionibus, & imperfectionibus manet aliena: neque ab ea contrahit, aut mortalitatem, aut passibilitatem.

ADMON pag. 81.

Dicunt, nos tribuere Christo certam mensuram Scientiæ, vt tantum sciat, quantum scire debeat. X. *Anathe.* 17. *De omniscientia Christi.*

At quomodo certam mensuram tribuimus ei, qui duo hæc profitemur, primum, ipsius sapientiam esse omnium Angelorum & hominum sapientia non tantùm superiorem, sed etiam incomprehensibilem? Incomprehensibilem dicimus, quam nulla alia creatura potest capere, & cuius perfectionem & excellentiam nulla alia creatura possit intelligere aut cogitare. Nullam igitur certam mensuram scientię assignamus Christo, cum neque Angeli, neque homines illius mensuram scire possint, sed solus Deus. Quomodo enim nobis certum ac determinatum sit, quod nobis ne quidem notum est, neque esse notum potest? Alterum, quòd illam sapientiam creatam, id est notitias in mente humana Christi, dicamus ipsi a natura diuina imprimi, & in ea formari successiuè, diuersis cogitandi actibus, nec esse certo numero astrictas, sed, vt ita loquamur, potentia indeterminatas, vt quocunque momento quicquid vult, etiam humano suo intellectu, Christus sciat: sicut omnis quidem numerus finitus est actu seu re ipsa, & tamen potentia infinitus est, hoc est, nullus potest dari tantus numerus, quin ei possit aliquid addi. Alia est ratio actus infiniti, cui impossibile est aliquid addi, qui nullus est, nisi vnicus immutabilis Deus.

APOL. fol. 45.

Decimò. Negant se tribuere Christo *certam mensuram scientiæ* secundùm assumtam humanam naturam: vt tantum sciat, quantum scire debeat: Quæ verò modò negant, illa paucis hinc elapsis annis, publicè in vniuersum orbem, quantumuis negent, euulgarunt & disseminarunt: Et eædem blasphemiæ nuper admodum, in libellis, quibus doctrinam formæ Concordiæ oppugnarunt, magno clamore repetitæ sunt: Contrarium si iam profitentur & docent: ipsi viderint, quomodo sua, cum sodalium suorum sententia, concilient. Quòd autem de creata sapientia dicunt, qua sapientiam Christo tribuunt, omnium Angelorum & hominum

A. *Admoni. pag. 81. De Christi omniscientia. Heidelbergenses in sua cōfessione. Danæus in Antiosiandrop. 89 & 101 Anhald. Apolog. p. 241.*

sapientia, non tantùm superiorem: sed etiam incomprehensibilem, quaque ad agnitionem æterni patris, non tantùm voce legis, sed per doctrinam, lucem, thesaurum reuelati Euangelii nos deducat: aliquid quidem largiuntur: verum nondum eo altitudinem *huius mysterij assequuntur*. Paulus enim ad Col. 2. disertè inquit, in Christo habitare omnes thesauros sapientiæ: quæ de creata & finita sapientia intelligi non possunt. Vnde Damasc. lib. 2. cap. 22.
D Deus omnia sciens simpliciter, non consultat: neque in anima Domini dicimus consilium vel electionem. Non enim habuit ignorantiam. Nam etsi natura futura ignorantis erat: tamen secundùm hypostasin vnita Deo verbo, omnium cognitionem habebat, non gratia, sed propter vnionem, secundùm hypostasin. Idem libr. 3. cap. 21. si secundùm Gregorium Theologum separaueris quod videtur, ab eo quod intelligitur, serua videbitur & ignorans caro: at propter hypostaseos identitatem, & inseparabilem vnionem, locupletata est Domini anima, futurorum cognitione, vt & reliquis diuinis signis, &c. Nihil igitur hæc excusatio ponderis habet. Verùm de his etiam cap. 4. pluribus.

RESPONSIO.

A DVo sunt membra propositionis in Admonitione de scientia Christi in eius anima: vnum quòd sit certa eius mensura: alterum quòd tantum sciat, quantum scire debeat. Primum negat Admonitio. Etsi enim finitam actu eam esse dicimus, quia in mente hæret finita: quanta tamen sit, mensuram nullam definimus, aut definiri posse dicimus. Alterum autem membrum integrum relinquitur: nempe animam Christi tantum scire, quantum scire debeat. Atque hoc est, quod in Confessione etiam Heidelbergensi habetur, pag. 113. Vbi sic legitur de humana Christi natura: Prædita est non infinita, increata, essentiali, vt Deitas: Sed creata potentia & cognitione Dei, atque operum eius, eaque tanta, quantam expetit, quantamque ipsi Deitas, prout ei, officio, & gloria eius congruit, communicat. Hæc ibi. Isti autem reformatores Mundi aiunt, hic negari quod olim publicè disseminauimus. Iudicet lector, quales spiritus exierint in Mundum.

B Quis vanissimorum somniorum vmbras assequatur? Locus ad Col. 2. nil ad vestra figmenta facit. Primùm, illud ἐν ᾧ, ad Euangelium referri potest. Secundò, si ad Christum in Euangelio propositum, quod magis probamus, referas: nomine thesaurorum, scientiæ ac sapientiæ non intelliguntur ij, quibus ipse sapiens & sciens est: sed quibus nos ad salutem scientes & sapientes fieri possumus ac debemus. Voluit enim docere Apostolus, quicquid ad salutem cognitu nobis necessarium est, illud nec posse in Christo reperire. Tertiò, si etiam de sapientia ac scientia, qua Christus sapiens ac sciens est, intelligere velis: ea vel creata est: vel increata. Si de creata: nulla est controuersia, quin ea sit in anima Christi perfectissima: vt in ipso sint omnes talis scientiæ thesauri, in aliis non ita. Si de increata & infinita: Eam in Christo, quatenus Deus est, quis inesse inficietur? Non sequitur autem, ergo & in humana eius anima, nisi fortè dicas per vnionem. Est enim finita: Et non nisi pro suo captu & modulo finito, intelligit & diuina percipit.

Quartò, si nomen Christi accipias pro humana eius natura: Ergo tam de corpore prædicabitur, quòd sit omnia sciens & sapiens, quam de anima. Non minus enim corpus pars est eius naturæ, quam anima. Quod si dicas, At corpus non est capax scientiæ: Respondebitur, neque anima capax est infinitæ scientiæ ac sapientiæ, vt cognoscat sicut Deus. In ea igitur sunt isti thesauri, pro captu & modulo creatæ animæ: vt commentator in Damasc. ait. Quintò, quid prohibet, quin tales thesauros inesse in anima Christi, per communicationem Idiomatum dicamus? Nihil igitur hic locus ad rem facit.

Sextò, imò quod contendunt, locum hunc Apostoli de sola increata & infinita sapientia intelligi posse; in eo turpissimè falluntur: Et contrà dicimus, de illa intelligi non posse. Ratio est; primum, quia illa increata sapientia vna tantummodo est, sicut & vna οὐσία; Per suam enim essentiam intelligit Deus. Apostolus autem de multiplici sapientia loquitur, cùm multos scientiæ thesauros nominet. Deinde, si multi sunt Thesauri: sunt igitur numerabiles. Et per consequens varij inter se. Quæ enim nullo modo differunt; ea numerari non possunt. διαφορὰ αἰτία ἐστὶ τοῦ ἀριθμοῦ, ait Damascenus libro 4. cap. 9. Illa autem increata sapientia, sicut vna est; sic etiam nihil a seipsa differt. Septimo, Proinde non incommodè, si de thesauris scientiæ, qua Christus cognoscit, locum interpretari velimus, sic possumus dicere: omnes thesauros sapientiæ, increatæ scilicet & creatæ, in Christo, hoc est, in persona Christi inhabitare, hoc est, inseparabiliter inesse. Nam & qua Deus, increatam illam in se habet: Et qua homo, omnes creatitias: siue illæ sint ex intuitu in verbum: siue per infusionem donationemque spiritus; siue per acquisitionem.

Quomodo igitur audent Vbiquitarii locum hunc tam securè contra nos vsurpare?

Nihil ineptius, quàm adferre Damascenum, qui nihil minus loquitur, quam de infinita essentialique sapientia Dei; quasi per eam Christus, non minus quatenus homo est, quam quatenus Deus est cognoscat atque intelligat: cum vbique contra Eutychianam confusionem doceat, eundem intelligentem, volentem, operantem Christum, actiones suas diuinas, per diuina intelligendi, volendi, operandique principia, hoc est, per suam diuinam essentiam edere: humanas autem per humanam, non per diuinam exercere. Licet multa externa ἀποτελέσματα diuina per humanam naturam, tanquam per organum suæ Deitatis efficiat. Quæ citantur ex Damasceno de scientia Christi: nil contra nos faciunt. Primum enim, si quis non subscribat interpretationi Damasceni de dicto Lucæ 2. Iesus autem crescebat sapientia, ætate & gratia, coram Deo & hominibus: is propterea hæreticus esse non potest. Sunt enim alii Patres, qui de vero sapientiæ in anima, sicut & ætatis in corpore incremento, interpretantur: vt Ambrosius, Beda, & alii. Nam sicut carnis est, ætate (ait Beda) sic animæ est, sapientia proficere, & gratia. Et inde vult Christum declarasse, se veram humanam animam accepisse: quia & sapientia potuit proficere: Sicut & verum corpus, quia ætate proficiebat. Et Ambrosius, secundum carnem (inquit) vtique sapientia "
Dei implebatur. Et hoc significat Lucas eodem capite 2. versiculo 40. cum dicit, τὸ δὲ παιδίον crescebat & confortabatur πληρούμενον, quia non erat plenus, sed qui vt crescebat ætate, sic etiam implebatur sapientia magis ac magis per effecta in illo sese exerente. Cyrillus quoque idem sensit. Legatur defensio Anathematismi 4. contra obiectiones Orientalium. Docet hunc sapientiæ profectum, non conuenire verbo: sed tantùmmodo carni, id est, animæ. Ergo si dicas animam profecisse, id est, in dies suam sapientiam patefecisse magis ac magis, vt Damascenus exponit: Respondebitur, hanc interpretationem non cohærere cum verbis Cyrilli, neque cum Scriptura. Nam etiam verbum in dies magis ac magis exerebat suam increatam sapientiam & Deitatem, per effecta: Posset igitur & ipsum dici profecisse sapientia. Hoc verò Cyrillus cum scripturis negat. De vero igitur sapientiæ incremento locutus est Lucas: quod Cyrillus in solam animam, non autem in verbum cadere affirmat. Idem disertè tradit Vigil. libr. 5. cap. 2. Ita optimè consentiunt Ambrosius, Cyrillus, Beda, & nostri, vt Lutherus, Bucerus & alii. Atque hæc esto prima responsio. Deinde quæstio inter nos & vbiquitarios, non est de scientia in anima Christi creatitia; sed de increata, quæ propria Dei est: & quæ propriè omniscientia

ſcientia appellatur. Hanc realiter animæ Chriſti communicatam fuiſse, nuſquam docet Damaſcenus. Ad dictum verò ſuprà citatum in Apologia, ex lib.3.cap.22. de profectu Chriſti in ſapientia, nempe, quòd qui proficere dicunt Chriſtum ſapientia & gratia vt additamentum ſenſus ſuſcipientem: non venerentur vnionem, quę eſt ſecundum hypoſtaſin: ſic reſpondet Thomas Aquin.3.p.q.12.art.2.ad 3. dictum Damaſceni intelligendum eſſe, quantum ad illos, qui dicunt ſimpliciter, factam fuiſſe additionem ſcientiæ Chriſti, ſcil. ſecundum quamcunque eius ſcientiam, & præcipuè ſecundum infuſam, quæ cauſſatur (id eſt, efficitur, nota hoc verbum) in anima Chriſti, ex vnione ad verbum: non autem intelligitur de augmento ſcientiæ, quæ ex naturali agente cauſſatur. Sic ille. Ex qua Aquinatis interpretatione liquet, quod ſuprà dixi, Damaſcenum de ſapientia Dei increata, minimè locutum fuiſſe, ſed de infuſa ac creatita, quæ ex vnione cum verbo, in beatiſſima illa Chriſti anima, ſtatim effulſit. De eadem locutus eſt idem Damaſc. lib.2.cap.22. Et lib.3.c.21. Quare fruſtrà adducitur Damaſcen. ad probandam omniſcientiam, quæ proprietas eſt Dei eſſentialis, communicatam fuiſse animæ Chriſti, cùm non ipſa, ſed eius effecta ipſi communicentur. Increata certè non cauſſatur, id eſt, producitur in cuiuſpiam creaturæ animo. Quomodo enim quod increatum eſt, creari poteſt?

ADMON. pag. 81.

XI. *Anath.* 7. Simile eſt, quod dicunt, nos Chriſto non relinquere plus cognitionis, quàm requiritur ad officium Iudicis.

Bonum & vtile eſt didiciſſe Sophiſticos Elenchos Ariſtotelis, ad eos animaduertendos, cauendos & diſcutiendos. Sed hi Theologi videntur eos diligenter didiciſſe ad illos vſurpandos & fallendos homines. Etiam pueri poſſunt hîc videre fallaciam conſequentis: omnem ſapientiam iudicialem dicimus eſſe in Chriſto: Ergo omnem ſapientiam Chriſti dicimus eſſe iudicialem, i. Chriſtum habere tantùm illam ſapientiam, quę ad officium Iudicis requiritur. Nunquam hoc diximus. Habet enim ſapientiam diuinam & humanam, increatam & creatam, non tantum ad Iudicis mundi ſed etiam ad Seruatoris, Mediatoris, Regis & capitis Eccleſiæ officium, & totius mundi dominium & gubernationem neceſſariam.

APOL. fol.43.B.

Adm. p. 81. VNdecimò. Quæ de ſapientia denuò proferunt, quæ requiritur ad officium iudicis: ad ea in pręcedentibus modò eſt reſponſum: Si Chriſto etiam, *quia filius hominis*, i. ſecundùm humanam naturam, data eſt poteſtas iudicij extremi: Ioh.5. ad illud celebrandum & habendum maior certè, quàm humana, creata & finita requiritur ſapientia & notitia. Corda enim intueri & probare omnium hominum: arcanas omnes cogitationes, voces, actiones habere perſpectas (quæ ſanè omnia ad officium requiruntur Iudicis viuorum & mortuorum) finita & creata notitia ac ſapientia, comprehendi non poteſt. Iam verò etiam, quia homo, demandatum eſt ei officium iudicandi: omnes igitur theſauros diuinę & æternę ſapientiæ, in ipſo etiam quà homo, eſſe abſconditos neceſſe eſt. *Sapientia* b. *autem non creata ſecundum humanam naturam illum præditum eſſe, extrà controuerſiam eſt.*

RESP.

a. QVàm inepta ſit hæc Vbiquitariorum reſponſio; ex collatione Admonitionis & Apologiæ lector per ſe facile videbit. Quis vnquam dixit vel ſcripſit, Chriſtum futurum iudicem mundi, catenus tantùm, quatenus filius hominis eſt: & non etiam idque imprimis, quatenus filius Dei eſt vnigenitus, verúſque Deus? Mediator & iudex eſt ſecundum vtrámque naturam, ac proinde ſecundum etiam vtriuſque naturæ proprietates, cognitiones & actiones, iudicabit Mundũ Quomodo ille locus Iohannis 5. explicari poſſit & debeat: antea dictum eſt. Auguſtinus, dedit ei poteſtatem iudicium faciendi (nimirum in manifeſto) quia filius hominis eſt: ſicut etiam ſemper habuit poteſtatem iudicium faciendi in occulto, quia filius Dei eſt. Hoc alterum ſpectans Chryſoſt. & Theophyl. de poteſtate ei data in æterna eius generatione, exponunt hunc locum. Si coniungantur ambæ interpretationes: nihil clarius. Neutra certè fauet vbiquitariis. Deinde, ſi verum eſt, quod omnia quæ fuerunt, ſunt, & futura ſunt, anima Chriſti in verbo, tanquam in ſpeculo videat, & ſecundum infuſam à verbo ſcientiam cognoſcat, cognitio autem hæc ſit finita & creatitia: quomodo non ex iſta cognitione iudicare poſſit Mundum? Iudicabit enim ſecundum ea, quæ quiſque geſſit in corpore ſuo, ait Apoſtolus. Nouit autem hæc omnia, etiam qua homo eſt: licet non eodem modo, quo vt Deus eſt, nouit. Certè vt homo dicet, eſuriui & non dediſtis mihi mãducare, &c. Falſa igitur eſt conſecutio: data eſt Chriſto, qua homo eſt autoritas iudicium faciendi: Ergo etiam qua homo eſt, increatam ſapientiam ſibi habet communicatam. Hanc enim intelligitis ex Col.2.

Quomodo extra controuerſiam eſt: cum de hac re b. diſputetur? Solam enim illam increatam vocamus, quæ propria Dei eſt, & eſſentialis eius proprietas.

ADMON. pag.82.

XII. *Anath.* 18. Dicunt, nos homini Chriſto non tribuere perfectam agnitionem Dei.

Atqui cum Deus non poſſit ſe non perfectiſſimè nouiſſe, quomodo poſſunt perfectam Dei cognitionem huic homini detrahere, qui Deum ſubſtantia ſua ipſum eſſe defendunt? Menti autem humanæ Chriſti, quomodo poteſt perfecta Dei agnitio adimi, cum ſcriptura hanc etiam Angelis & hominibus ſanctis in Cœleſti gloria tribuat. Angeli enim perpetuò vident faciem patris in cœlo: & nos videbimus eum ſicuti eſt. *Matt.*18.10. Ex parte cognoſcimus in hac vita, & ex parte prophetamus: poſtquam autem aduenerit, quod perfectum *1.Ioh* 3.2. eſt, tum quod ex parte eſt, abolebitur. Cernimus enim *1.Cor.*13. nunc per ſpeculum & per ęnigma, tunc autem cotàm 9.12. cernemus: nunc cognoſcimus ex parte, tunc verò cognoſcemus, prout edocti fuerimus.

Certum eſt, noſtram ſapientiam non fore Deo æqualem, & tamen Apoſtolus nobis perfectionem eius promittit. At Chriſti ſapientia, ſicut omnia dona creata, in natura ipſius humana, ineffabiliter & incomprehenſibiliter ſuperant omnium Angelorum & hominum perfectionem & gloriam. Quanto igitur verius & iuſtius tribuitur ei ſumma horum perfectio, & nobis inſcrutabilis, etiamſi ſapientia creata increatæ non æquetur?

Sed hoc eſt ſophiſtici ſpiritus artificium, qui transformat ſe in Angelum lucis, tum prætexens illuſtrationem gloriæ Dei & Chriſti, cùm vtriuſque gloriam quàm maximè obſcurat. Solius Deitatis & omnium *Deitatis perfectio.* attributorum eius, vtpote, quæ ſunt ipſiſſima Deitas, perfectio eſt immenſitas: & propriiſſima Dei gloria, quam paſſim ſibi in ſcriptura vendicat, eſt eius ſuper omnes res creatas eminentia. Et propria filii Dei gloria eſt, quòd ex immenſa miſericordia & amore erga genus humanum, voluit in vnitatem ſuæ perſonæ aſſumere, & in æternum in ea geſtare maſsam noſtræ naturæ, quanquam ſumma gloria ornatam, tamẽ Deitati ſuæ non æqualem, atque ita fieri ſe ipſo minor, vt nos omnibus creaturis maiores faceret. Creaturæ autem perfectio & gloria, eſt ea conditio & ex- *Creatura perfectio.* cellentia, in qua Deo placet, & illius finis aſſecutio, ad quem à Deo condita & ordinata eſt. Immenſitas autem, vel exæquatio creaturæ cum Deo, non eſt eius perfectio, ſed deſtructio, non eius gloria, ſed ignominia. Deſinet enim creatura eſſe creatura: deſinet caro *Vide ſupra Ioh. Caſſiani & Leonis dicta.* eſſe caro, & iam non caro, ſed alia natura, habebit iſtam gloriam, vt ſedeat ad dextram Dei: non illuſtrabit ſua cum Deo inæqualitate, ſolius Deitatis ſuper omnia etiam ſumma, eminentiam, ſed hanc obſcurabit & abolebit ſua cum creatore ęqualitate. Erubeſcet iam Chriſtus, nos nominare fratres ſuos & membra ſua: neque nos eum fratris & capitis noſtri nomine audebimus compellare, vt qui carnis & ſanguinis noſtri non amplius ſit particeps.

Aduersus hæc omnia docet sacra Scriptura, sapientiam creatam in mente humana Christi, creuisse cum ætate, & quamuis eius natura humana sit ad dextram Dei collocata, tamen carnem, & subiectam Deo manere in æternum: illuminari, glorificari, viuificari, gestari & seruari à λόγῳ, adeo vt ne quidem persona sit per sé, sed duntaxat natura, quę ne existeret quidem, nisi sic gestaretur à persona λόγου.

Quare igitur isti Theologi confundunt perfectionem Creatoris & creaturæ, Deitatis & humanitatis in Christo? Quare nobis obiiciunt, quod perfectionem cognitionis Dei, sapientiæ, & omnium donorum, adimamus Christo, quia perfectionem creatæ & increatæ sapientiæ in Christo distinguimus? Prædicat
1.Cor.12. 4. Apostolus, se audiuisse ineffabilia verba, quæ non liceat homini eloqui. Et tamen dicit, se iam cognoscere
1.Cor.13. 9. tantum ex parte, deinceps verò cognitutum perfectè. Quàm igitur erit ineffabilis illa demum cognitio Dei, quæ reseruatur nobis in vitam æternam? Et si talis ac tanta erit membrorum, qualem & quantam necesse est esse capitis, quod est Christus, etiam secundùm humanitatem? Nobis ad mensuram datur, illi sine mensura data est Dei cognitio: Ergo etiam notitiis, in intellectu suo humano creatis & accensis à λόγῳ per suum Spiritum intelligit & scit Christus omnia Deitatis mysteria, quæcunque & quousque per notitiam, ideam seu imaginem & similitudinem sui creatam repræsentari possunt. Talis autem notitia seu imago in intellectu creato formata, etsi non est æqualis immensæ Deitati: tamen in humana mente Christi, tanta & tam illustris & sublimis est, vt nulla nec Angelorum nec hominum mens eam possit capere, sed illa sola mens, quæ λόγῳ est vnita personaliter.

Matt. 11. 27. Cogitatione verò Deum æquante, sola Diuinitas se cogitare potest, cogitatione sui ipsius essentiali, de qua dicitur: Nemo nouit Filium, nisi Pater, neque Patrem quisquam nouit, nisi Filius, & cuicunque voluerit Filius retegere.
Ioh. 1. 18. Et, Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus ille Filius, qui est in sinu Patris, ille nobis exposuit.
Ioh. 6. 46 Et, Non quòd Patrem viderit quisquam, nisi qui est a Deo, hic vidit Patrem. Solus ergo Filius perpetuò & perfectissimè nouit Patrem: nos autem non nisi quando & quantum ille vnicuique reuelat.

APOL. fol. 45. B.

Admoni. pag. 82. DVodecimò, negant Christo secundum assumtam naturam humanam summam perfectionem cognitionis Dei competere: cùm diuinæ naturæ solius summa perfectio seu immensa sapientia sit propria: humanæque naturæ satis superque sit, istiusmodi agnitione Dei præditam esse, cuius capax sit. Etenim si diuina illi sapientia attribuenda: destruendam omnino esse: Et ea ratione destrui discrimen, quod inter Dei interest, & creaturæ
A. perfectionem. *Eo autem loco de industria negligunt & prætereunt*, quæ Paulus ad Colos. 2. scribit: in Christo habitare omnes Thesauros sapientiæ & cognitionis, secundùm humanam scilicet naturam: Diuinæ enim naturæ ab æterno insunt. Quæ humanæ in Christo naturæ competant, quæque minus, quorumque capax,
B & quorum non sit: *non ab Angelorum aut hominum dependet determinatione*: Verùm à iudicio Spiritus sancti: sacrarúmque literarum testimonio: quæ longè melius & certius exprimunt, quid illi competat, quorumque capax sit, quàm à creatura explicari possit. Cùm igitur Spiritus sanctus omnes illos Thesauros sapientiæ & cognitionis diuinæ habitare in Christo dicat: aduersariis, qui id negant, consentire non possumus. Firmum interim & immotum manet discrimen, inter perfectionem propriam diuinæ naturæ: Et illam, quæ humanæ est naturæ. Diuina enim ab æterno est omniscia: humana autem omnem illam scientiam in tempore, per & propter, ac ratione personalis vnionis, demum accepit. Diuina natura reipsa est essentialis sapientia: humana assumta natura, propter personalem vnionem, eius, *vsurpatione tantùm*, est particeps. C.

Quòd verò allegant locum Luc. 2. Christus profecit sapientia & gratia: non ignoramus, Dei beneficio, à nonnullis illum interpretibus exponi de donis habitualibus & creatis, quemadmodum, sano intellectu, de iisdem accipi potest. Scimus tamen veteres quosdam de manifestatione, eum explicasse. *Sic enim Damascenus scribit*, lib. 3. cap. 22. Christus dicitur profecisse sapientia, quia pro ratione incrementi ætatis, sapientiam, quæ ipsi (per hypostaticam scilicet vnionem) inerat, in manifestationem produxit. Qui verò dicunt ipsum profecisse sapientia & gratia, vt accessionem eorum suscipientem, non rectè docent hypostaticam vnionem factam à prima conceptione. Sed cum Nestorio habitualem vnionem & nudam inhabitationem fingunt. Nam si verè ab initio incarnationis caro Deo Verbo vnita est, aut potius in Verbo subsistit ac extitit, ac veritatem hypostasis ad ipsum habuit: quomodo non perfectè locupletata est omni sapientia & gratia? Non quidem ipsa, ob nos particeps facta eorum secundùm gratiam participatiuè: sed magis, quia propter hypostaticam vnionem, & humana & diuina, vnius Christi facta sunt, gratiam & sapientiam & omnium bonorum plenitudinem, veluti ex fonte, caro Christi scaturit mundo. D.

RESP.

DE industria (inquiunt) negligunt &c. quid si, quia non occurrit? quasi verò ille locus de thesauris sapientiæ, vestræ faueat stultitiæ. Quomodo sit exponendus: antea dictum est. Deinde, vt demus Apostolum loqui de increata sapientia: Et eam inhabitare in Christo secundùm humanam naturam, concedamus: ex verbo certè INHABITANDI, non sequitur vestra realis communicatio, sed tantummodo illa vera vnio, de qua ibidem Apostolus: In ipso inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter: præsertim cùm illa substantialis sapientia, nihil aliud sit realiter, quàm ipsa Deitas. Deus enim cognoscit & se, & omnia, per suam essentiam. Vt ergo non sequitur, ex verbo inhabitandi hæc argumentatio, plenitudo Deitatis inhabitat in humana natura, ergo humana est reapse Deus: Sic neque sequitur, omnes thesauri sapientiæ inhabitant in humana Christi natura, ergo hæc natura increata illa sapientia sapiens est. A

Sed annon è Scripturis, Matth. 11. Iohan. 1. & 6. satis abundè probatum est, diuinam illam & essentialem sapientiam, qua pater filium, & filius patrem nouit: in nullam creaturam cadere posse? Quid est enim, Nemo, Nemo nouit: nisi nulla planè creata mens? Ad hæc illustria loca cæci estis: Ex quibus autem nihil minus erui potest, quàm vestra realis communicatio, ea mirabiliter ad eam imperitis obtrudendam torquetis: OMNES THESAVRI SAPIENTIÆ: id est increata sapientia: IN CHRISTO, id est, humana natura: INHABITAT, id est, realiter est communicata. Si sic liceat scripturas interpretari: ex quolibet sequetur quidlibet. B

Vsurpatione tantùm est particeps) Hoc nouum κρησφύγετον, quo voluistis omnia incommoda, quæ ex reali illa veteri Idiomatum communicatione sequuntur, declinare: nimis apertè vanum est. Primùm, si humana natura, vsurpat sibi essentialem illam C

illam Dei sapientiam, ad cognoscendum Deum, & omnia alia: Ergo ipsa quoque eadem sapientia nouit Patrem & Filium, qua & pater filium, & filius *Matt. 11.* patrem. Atqui hoc negat Christus, dicens: Nemo (vel Angelicarum vel humanarum mentium) nouit (eadem scil. cognitione, qua pater filium, & è contrà filius patrem) nisi Filius. Deinde prorsus ἀδύνατον est, vt per increatam sapientiam, quæ est ipsa diuina essentia, cognoscat quis Deum & alia, qui non sit eiusdem essentiæ cum Deo: & eiusdem actionis: quando Deus propter suam summam simplicitatem, est suum intelligere, & sua intelligentia. Certè nunquam corpus, licet animatum anima rationali, per mentem intelliget, aut volet, aut sentiet; quid ita? quia non est eiusdem naturæ, cum mente: multò minus creata anima, per sapientiam Dei increatam, cognoscere potest. Hac de caussa, vt anima Christi omnia cognoscere possit: omnes creatæ sapientiæ thesauros illi donauit: quosdam initio suę incarnationis: quosdam successu temporis, eosque varios: vt eruditè & non impiè explicant Scholastici, qui in hac doctrina contemnendi non sunt. Audite Thomam, 3 p. q. 9. art. 1. ad primum. Quæstio erat, An in Christo præter diuinam, alia fuerit scientia. Pars negans sic argumentatur. Ad hoc necessaria est scientia, vt per eam aliqua cognoscantur. Sed Christus per scientiam diuinam cognoscebat omnia. Ergo superuacanea fuisset in eo, omnis alia scientia. Respondet Thomas, Christus cognouit omnia per scientiam diuinam, operatione increata, quæ est ipsa diuina essentia. Dei enim intelligere, est sua substantia. Vnde hic actus non potuit esse animæ humanæ Christi: cum sit alterius naturæ. Si igitur non fuisset in anima Christi aliqua alia scientia præter diuinam: nihil cognouisset: & ita frustra fuisset assumta; cùm omnis res sit propter suam operationem. Hæc ille, & verè. Hinc euertitur totum figmentum de reali vsurpatione diuinorum idiomatum, ad quam volunt isti assumtam esse humanam naturam. Diuinis enim idiomatibus nemo vti potest, nisi qui eiusdem naturæ sit cum Deo: hoc est, Deus ipse.

D. Ad locum Damasceni paulò ante responsum est. Certum enim est, qui Christum ait simpliciter secundum omnem scientiam creuisse: hunc non rectè intelligere vnionem hypostaticam duarum naturarum in eodem Christo; in quo certè increata sapientia nullum accipere potuit incrementum.

ADMONITIO pag. 84.

XIII. *Anat. 19.* NOn magis verecundi sunt Theologi, affingentes nobis hanc sententiam, quod Christo secundum naturam humanam sit impossibile, scire omnia, quæ sunt, quæ fuerunt, & quæ erunt.

Contrarium ex diametro supra sumus professi, & profitentur nostrorum scripta. Nihil tam est arduum, nihil tam minutum in operibus Dei, hoc est, suis, prę teritis, pręsentibus, futuris, quod Christo non in promtu sit, quocunque momento vult, & quotiescunque vult scire & cogitare intellectu suo humano, ac si obiectum esset oculis & sensibus ipsius corporalibus. Non est illi occultum in cœlesti gloria, quot arenæ maris, quot folia omnium arborum, quot gramina in superficie terræ, quot homines nati, quot nascituri sint, quot viui, quot mortui, quot electi, quot reprobi sint: quod sit momentum futurum iudicii extremi; sed hæc omnia & quæcunque dici possint, distinctis & successiuis cogitandi actibus, siue ideis, siue speciebus intelligibilibus cogitat, secundùm creatæ mentis proprietatem essentialem. Sic rectè dicitur Christus omnia scire. Sed hæc omniscientia plurimum differt ab increata Dei sapientia, qua Deus se ipsum, & omnia opera sua & aliena, vno æterno & immutabili actu ex se ipso intuetur.

APOL. fol. 46.

DEcimotertiò, præ se ferunt, quasi tribuant Christo, secundum assumtam naturam humanam notitiam eorum, *quæ sunt, quæ fuerunt,* a. *quæ erunt: interim nihilominus contendentes*, creatam tantùm & finitam Christi esse scientiam. Sæpius autem iam dictum est, controuersię statum non esse: Finitáne & creata Christus sit secundùm assumtam naturam humanam præditus scientia & sapientia: quæ excedat omnium Angelorum & hominum sapientiam: verùm de Thesauris omnis scientiæ & cognitionis *Col.* 2. & quòd Christus, etiam secundùm b. assumtam humanam naturam, ratione vnionis hypostaticæ, omnem scientiam, quæ diuinitatis est propria, acceperit: quemadmodum ex Damasceno paulò ante hoc quoque est comprobatum.

RESP.

a. QVasi vero ista cohærere simul nequeant: animam Christi nouisse omnia, quæ fuerunt, sunt, & erunt: Et hanc scientiam esse finitam. Nam & finita sunt quæ nouit: Et notitia hæc in animo inest finito: Et modo fit finito, non autem infinito.

b. De loco Col. 2. satis est dictum: illum nihil prorsus fauere somnio vbiquitariorum. Ad dictum etiam Damasceni abundè responsum est.

ADM. pag. 85.

HIs nouum crimen adiiciunt. Impingunt nobis hæresin Agnoetarũ: quia, sicut illi, dicamus, Christum secundum naturam humanam multa ignorare. XIX. *In repet. c. 8. p. 313.*

Videntur Theologi hæc ideo confidentius dicere quia partim scribant illis, qui apud Damascenum & Isidorum de hæreticis, & apud Nicephorum lib. 12. c. 30. & libro 18. c. 49. & 50. & Gregorium lib. 8. Epistola 42. non legerunt, qui fuerint Agnoetæ, partim iis, qui autoritati ipsorum tantum deferunt, vt quicquid illi vel dormientes prolocuti fuerint, id sine exceptione & inquisitione vlla recipiendum putent. Alioqui enim vix videntur nobis obiecturi fuisse Agnoetas, suos fraterculos, reales communicatores Idiomatum. Nam hi, quos diximus, autores scribunt, eos fuisse Eutychianos, qui Christum ex Deo hominem, mutatione Deitatis suæ in humanitatē, & rursus ex homine Deum factum esse fingebant, reuersione humanitatis in Deitatem verbi, mutatam in carnem, volebant ignorasse diem iudicij, tempore carnis seu humilitatis, & alia multa, ac non tantum ignorantiæ, sed omnibus etiam infirmitatibus, & passionibus humanis obnoxiam fuisse, sicut ex istis quoque libri Concordiæ autoribus quidam publicè contenderunt, Christum etiam secundum Deitatem esse passum. *Agnoetæ fuerunt Eutychiani Vbiquitariorum fraterculi.*

Contrà verò nos dicimus, Christum hominem omnia sciuisse & scire semper sine vlla mutatione, secundum Deitatem suam: tempore autem humilitatis suæ, secundum humanitatem suã, multa ignorasse propter nos: quorum in gloria sua nihil ipsi est ignotũ. Si propter hanc doctrinam sumus Agnoetæ, etiam Lutherus erit Agnoeta, qui in sermone Natalitio super Hebr. 2. sic scribit: Vt ad Christum redeamus, credendum est firmiter, Christum esse verum Deum, & verum hominem. Et aliquando loquitur scriptura, & ipse Christus, secundum diuinam ipsius naturam, aliquando secundum humanam: vt cum dicit Ioh. 8. Antequam Abraham erat, ego sum, hoc est de Deitate dictum. Sed cum dicit, Matth. 20. Iacobo & Iohanni, sedere ad dextram meam & sinistram, non meum est dare, hoc de humanitate dictum est, sicut hæc in cruce non poterat ipsa se seruare. Quanquam aliqui hic magnum acumen volunt ostendere, suis obscuris expositionibus, vt occurrant hęreticis. Sic etiã ille est homo Christus, cum dicit Marc. 13. De die & hora illa nemo scit, neq. Angeli in cœlo, neque Filius, sed solus Pater. Non necessaria est hęc glossa: Filius hoc ignorat, h. e. NON VVLT eloqui. Quorsum ista glossa? Humanitas Christi ęquè ac alius sanctus & naturalis homo, non semper omnia cogitauit, dixit, voluit, animaduertit; Sicut QVIDAM omnipotentem hominem ex ipso faciunt, imprudenter confundentes duas naturas, & earũ operationes. Sicut non semper omnia vidit, audiuit & sensit,

ſic etiam non ſemper omnia animo intuitus eſt, ſed ſicut eum Deus duxit, & ei obiecit. Plenus gratia & ſapientia fuit, vt de omnibus ſibi oblatis potuerit iudicare & docere, propterea quòd Deitas, quæ SOLA videt & ſcit omnia, in ipſo perſonaliter erat præſens. Hæc & plura in hanc ſententiam ibi ſunt Lutheri verba. Hunc illi, ſi vt Agnoetam accuſant, ab ipſo viciſſim accuſantur, tanquam oſtentatores otioſi acuminis, inuentores gloſſarum inutilium, confuſores naturarum in Chriſto, & in ſermone Dominicæ poſt natalem Domini, ſomniatores nouorum articulorum fidei, & fatuitatis humanæ: loquitur autem ibi de eadem naturę humanæ omniſcientia.

APOL. fol. 46.

DEcimò quartò, crimine etiam hæreſeos Agnoetarum libenter ſe liberarent: verum fruſtra. Ac mirum eſt, ad Nicephori eos prouocare autoritatem: qui è diametro ipſis repugnat, vtpote ex cuius verbis ad oculum demonſtrari poteſt: Agnoetarum eandem prorſus olim, quæ hodie aduerſariorum eſt, fuiſſe de aſſumta humana natura Chriſti, doctrinam & ſententiam. Nicephori enim libr. 18. capit. 50.
A. hæc ſunt verba: *Agnoetæ dicunt Deum quidem verbum* omnia noſſe, humanitatem verò, ſecundùm ſubſiſtentiam ei vnitam, permulta ſanè ignorare: neſcire ſanè horam diei nouiſſimi. Quibus verbis conuincuntur, non ſe præter meritum, ſed iuſtiſſima de cauſſa, & firmis rationibus Agnoetarum hæreſeos inſimulari: illarum que tam diu eſſe partium, quam diu opinionem hanc ſuam non retra-
B. ctant. *Id verò obſeruatione* dignum eſt, iſtius ſocietatis quendam, non veritum, verba Nicephori, ad ſuam ſententiam peruertendo, inflectere. De Agnoetis enim quod refert Nicephorus, lib. 18. cap. 50. docuiſſe illos Chriſtum ſecundum humanitatem permulta ignorare: eius planè contrariam ſententiam è Nicephoro allegat: quaſi Agnoetis tribuat, Chriſtum ſecundùm diuinam naturam multa, in primis autem horam extremi iudicij ignoraſſe: id quod cùm expreſſis repugnet Nicephori verbis, notatu eſt dignum. Facilè autem eſt cauſſam animaduertere, ob quam verba iſta Nicephori peruertere ſtudent: ſcilicet, vt eò facilius, à ſuſpicione illius hæreſeos ſe eximant.
C. *Quod ad verba etiam hoc loco D. Lutheri in* ſermone Natalicio in epiſt. ad Hebr. 1. prouocant: nihil ea ad ipſorum cauſſam faciunt. Lutherus enim, vt ex verbis ipſius clarè patet, de tempore loquitur humiliationis: de tempore enim & ſtatu humiliationis quando quæritur, an humanitas Chriſti ſemper omnia cogitarit, dixerit, voluerit, animaduerterit, rectè reſpondetur, eo iſta modo omnia feciſſe: non quòd ſcientiam illam nullo modo habuerit (quomodo enim in ipſo habitare potuiſſent theſauri omnis ſapientiæ & cognitionis) verùm, quòd hac ſua maieſtate, tempore exinanitionis, non ſemper ſit vſus: quamuis vti ea potuiſſet: quemadmodum reuera etiam interdum illa vſus eſt. Eodémque loco inquit Lutherus: plenus fuit gratia & ſapientia: vt omnia ſibi oblata diiudicare potuerit, & explicare, propterea, quòd diuinitas, cui omnia ſunt perſpecta, perſonaliter ei vnita ac præſentiſſima erat. Præterea Lutherus citatis illis verbis Carolſtadij ſectatores, itèm Anabaptiſtas impugnare voluit: qui iam tum ſemina illius erroris ſpargere cœperant: Chriſtum ſecundum aſſumtam humanam naturam in diuinitatem eſſe conuerſum, creaturamque eſſe deſiſſe: qui error poſtea longè latéque per Crautuualdium & Stenckfeldium, diſcipulos eius, eſt propagatus.

RESP.

QVaſi verò hæreſis Agnoetarum fuerit, animam Chriſti quędam, cum eſſet in carne mortali, ignoraſſe. A. Si enim ſecta illa, initium accepit ab Arianis, & Eunomianis, vt Nicephorus ait: Et ſi demum ea fuit renouata per Seuerum Acephalum ſeu Eutychianum, vt idem Niceph. & alii tradiderunt: fieri nequit, vt illa fuerit, quam vos affingitis, Agnoetarum hęreſis. Ariani enim ignorantiam hanc attribuebant, non rationali animæ; quam in Chriſto non admittebant, ſed verbo ſeu λόγῳ, quem creatum eſſe ſpiritum dicebant: Acephali autem non ponebant in Chriſto poſt vnionem duas naturas, vnam omnia ſcientem, alteram multa ignorantem; ſed vnam duntaxat: vnde & Monophyſitæ vocati fuerunt. Quomodo ergo ſtatuerunt, in Chriſto, naturam verbi omnia nouiſſe; naturam autem humanam, quædam ignoraſſe? Quod ergo poſtea Nicephorus eodem cap. 50. libri 18. explicans, quænam fuerit Agnoetarum hæreſis, ſubiecerit ea verba, quæ ab Apologetis citantur, Hi dicunt, &c. Ea prorſus non conſentiunt cum dogmate vel Ariano, vel Eutychiano. Quid? quod quæ ſtatim ſubdit de Agnoetis Nicephorus, euertunt præcedentem explicationem de verbo omnia ſciente, humana autem natura multa ignorante? ſubdit enim. Neſcire enim (ſcilicet dicunt Agnoetę) horam & diem mundi totius conſummationis; vtpote Patre minorem; propterea quòd in Euangelio ſecundum Matthæum, & Marcum dicat, de die autem illa & hora nemo nouit, neque ipſi Angeli in cœlis, neque adeo filius, præterquam ſolus Pater. Hæc ibi. Ergo illum dicebant Agnoetæ ignorare, quem Patre minorem vocarunt; & ideo ignorare, quod Patre minor eſſet. Quem autem hæretici illi Ariani, à quibus Agnoetæ ſuum ſuxerunt errorem, minorem Patre vocabant? non certè naturam humanam, id eſt, carnem aſſumtam; hoc enim erat extra cõtrouerſiam; ſed filium Dei λόγον aſſumentem, quem ſpiritum eſſe creatum contendebant. Ignorantiam ergo hanc, non humanitati, ſed verbo tribuebant. Quomodo verò hæc cohæreant cum pręcedentibus; non videmus. Fuerunt autem hæc, quæ ſecundo loco ſubiecit Nicephorus, verba & ratio Agnoetarum, quam ob rem dicerent, filium Dei ignorare diem & horam: quòd ſcilicet minor eſſet Patre: præcedentia autem verba, ipſius fuerunt Nicephori quibus quænam fuerit hęreſis Agnoetarum, explicare voluit. Sed cum illa explicatio minimè cum ratione Agnoetarum cohæreat: hinc ſequitur, & Agnoetas ignorantiam hanc attribuiſſe filio Dei, ſeu verbo, non autem humanitati eius. Et ipſum Nicephorum aut non fuiſſe Agnoetarum mentem aſſecutum; aut illam malè explicaſſe: aut fortè etiam, contextum non fuiſſe rectè ab interprete cõuerſum. Quare neceſſe eſt, vt aut explicatio Nicephori, tanquam erronea reiiciatur, aut ita exponatur, quemadmodum fuit in admonitione noſtra declarata.

Hanc vero fuiſſe hæreſin Agnoetarum, quam diximus, nempe quod non humanitati, ſed quod Deitati filii ignorantiam tribuerint: præter ea, quæ dicta ſunt, liquet etiam ex alio Nicephori loco, lib. 12. cap. 30. Vbi ſcribit, Euplychium, qui fuerat Eunomianus, ab Eunomio defeciſſe, hanc ob cauſſam: quia cum multi ex Eunomianis contenderent ex verbis Chriſti, ipſum filium Dei reuera ignoraſſe diem illum: ipſe contra, ſcripta ſua ſententia docuit, filium non eſſe expertem eius cognitionis, qua pater nouit: idque propterea, quod à Patre omnia locupletiſſime accepit. De λόγῳ igitur, qui filius eſt Dei Patris, non de eius humanitate erat diſputatio.

Idem liquet ex iis, quæ ſcripta reliquit Iſidorus, l. 8.

de hæresibus Agnoetas, suæ hæresi (Eurychianæ) addidisse, quod Deitas in Christo multa ignoraret: & præsertim diem iudicij. Idem liquet ex Damasceno, lib. de hæresibus: vbi ait, Agnoetas palam docere, Christum multa ignorare: ac Themistium (nempe Ecclesiæ Alexandrinæ Diaconum) quem ait huius sectæ principem fuisse, vnam in Christo naturam coniunctam tradidisse. Apparet hunc Themistium, fuisse Monophysitam. Liquet etiam hinc, quæ fuerit sententia Agnoetarum. Quia enim natura humana per se ignorans est: ideo cùm ipsa, & diuina vna sit (ipsorum iudicio) coniuncta natura: voluerunt diuinam ignorantiæ, & aliarum etiam imperfectionum, quæ propriæ sunt humanæ, factam esse participem. Atque hinc ferè colligi potest explicatio loci apud Niceph. lib. 18. cap. 50. Hi dicunt, Deum quidem verbum (scilicet per se, & ante vnionem) omnia nosse; humanitatem verò secundum subsistentiam ei vnitam, permulta ignorare: quasi dicat, ac proinde, propter hanc vnitionem in vnam naturam, factum esse, vt etiam verbum multa ignoret. Gregorius Epist. lib 8. capit. 42. Vbi gratulatur Eulogio, Patriarchæ Alexandrino, quòd Agnoetas hæreticos refutarit suis scriptis, inter alia scribit; Res autem valde manifesta est, quia quisquis Nestorianus non est, Agnoeta esse nullatenus potest. Nam qui ipsam Dei sapientiam increatam fatetur; quia mente valet dicere, esse aliquid, quod Dei sapientia ignoret? Scriptum est, in principio erat verbum, & omnia per ipsum facta sunt; si omnia; proculdubio etiam dies iudicij, & hora. Quis ergo desipiat, vt dicere præsumat, quia verbum patris fecit, quod ignoret? Hæc ibi: & quæ in eandem sententiam sequuntur.

Thomas Aquinas 3. p. q. 10. art. 2. ad primum, ait, Arium & Eunomium sic sensisse, & sic dictum de die iudicij interpretatos fuisse, non quantum ad animam, quam in Christo non ponebant, sed quantum ad diuinam cognitionem filii, quem ponebant minorem patre, quantum ad scientiam. Hæc Thomas; Et illud refutat Thomas eodem argumento, quo & Gregorius, ducto nimirum inde, quòd omnia per ipsum facta sunt: per quem ipsum? per λόγον. Quis igitur ex iis omnibus non videat quam manifestissimè, Hæresin Agnoetarum fuisse, non quod humanitati, sed quod verbo ipsi aliquam attribuerint ignorantiam? Quando enim vnquam damnatum fuit ab Ecclesia, si quis dicat, Christum secundum humanam naturam, quædam aliquando ignorasse: Et ideo, vt crescebat ætate, sic etiam creuisse sapientia? Hæreticus ergo Ambrosius: Hæreticus Beda; hæreticus Lutherus & alii.

B. Imò verò notatu dignissimum est; quod tanta sit, ô Apologetę, vestra cæcitas, vt ex iis quæ scripta reliquit Nicephorus de sectis, Ariana primum, & Eunomiana, deinde Eurychiana, à quibus errorem suum sumserunt Agnoetæ, vt Nicephorus apertè docet: quænam fuerit ipsorum hæresis, videre non potueritis. Admiranda & vestra malitia, qui verba Nicephori statim sequentia, reticueritis, quibus præcedentia explicat; cùm ait, Agnoetas dixisse, Filium ideo ignorasse diem vltimum, & solum Patrem illum nouisse; quòd filius minor esset patre; indicans illum errorem de ignorantia, profectum fuisse ex hoc altero de minoritate filij, qui fuit Arianorum proprius. Admiranda & audacia, quòd id hæreseos damneris; quod in nullo vnquam concilio, quod sciamus, damnatum fuit.

C. Clariora sunt verba Lutheri; quàm vt egeant vestris putidis glossis. Apertè enim reiicit glosas in illud verbum Novit; & vult simpliciter accipi pro nescire, ita vt ne filius quidem, qua homo scierit. Itaque quod vos non novit, interpretamini, pro non semper cogitauit, non animaduertit; contra mentem, & propositum Lutheri id facitis. Denique prorsus vana est vestra glossa. Cùm enim disputetis de thesauris illis sapientiæ & scientiæ, quorum nomine intelligitis increatam Dei sapientiam, profectò, quicunque tali sapientia præditus est: is semper omnia ita nouit, vt omnia etiam ea vno actu videat, consideret, animaduertat. Quomodo ergo humana mens Christi, si ad eius sapientiæ vsurpationem assumta fuit: potuit aliquando non considerare, non animaduertere, non videre? Quomodo enim nouit pater: eodem & filius & spiritus sanctus nouerunt. Quid ita? quia vna est omnium sapientia. Si igitur & anima Christi, eandem sibi æqualiter communicatam habet: qui fieri potest, vt non & ipsa, sicut eadem omnia, sic etiam & eodem, vel non admodum dissimili modo intelligat?

ADM. pag. 87.

Pergunt sibi fingere laruas, quas oppugnent, dicentes, nos Christo, quà homo est, nihil tribuere supra naturã.

Nunquam hoc nobis in mentem venit. Supra naturam humanam quæ sint, hoc est, quorum neque Angelus, neque homo vllus alius capax est, aut esse potest, plurima, & nobis inscrutabilia, & ineffabilia, ipsius humanitati tribuimus: sed non quæ contra naturam sint, hoc est, quæ naturam humanam destruant, tollant, & aboleant. Personaliter vnitum esse Deitati, an non supra naturam est? omnes in Christo virtutes, omnia dona, omnis excellentia officij & dignitatis, & omnis illa visibilis gloria, quæ Diuinitatis Christi testis est, an non naturam omnem creatam, quæ Deo non est sic vnita, sicut hæc massa naturæ humanæ Christi, longissimè superat, adeo, vt nulla eorum sit capax? At contra naturam finitam & circumscriptam & creatam sunt, esse vbique, esse omnipotentem, & omniscium simpliciter. Hæc demum sic sunt Deitatis propria, vt humanitati realiter non communicentur, nisi verbum communicati pro vniri vsurpetur. XV. *In repet. cap. 8 pa. 305.*

APOL. fol. 47.

Quinto decimo loco excusát se, & iniuriam sibi fieri conqueruntur, quando arguuntur docere, nihil homini Christo tribuendum esse, quod naturam excedat, & proprietates humanas: arbitrantur se præclarè functos officio, quando dicunt, humanam naturam personaliter vnitam esse deitati. Id ipsum enim supra naturam esse: itẽ omnem virtutẽ, dona, excellentiam dignitatis, officij longissimè superare naturam, deitatis vero propria in persona, ratione & respectu personalis vnionis, humanitati realiter communicari, *disertis negant verbis*. Quæ illorum sententia, cùm hactenus abundè refutata, erroris que sit conuicta, non necesse est, vt hoc loco pluribus de ea agamus. *Admonit. pag. 87.* a

RESP.

Et meritò: quia ista realis communicatio, quam vos excogitatis, pro defensione carnalis præsentiæ corporis Christi in pane: non solùm è scripturis demonstrari non potest: sed etiam cum eis pugnat: vt abundè à nobis monstratum est. Egregia vero ratiocinatio: Neustadiani negant essentiales Dei proprietates, humanitati realiter communicatas esse: Ergo docent, nihil Christo tribuendum esse, quod naturam humanam excedat. a

ADMONITIO pag. 87.

Aiunt nos docere, Christo restitutam esse omnem potestatem post resurrectionem, quasi ante resurrectionem eam non habuerit. XVI. *Anat. 20*

Merum figmentum est. Si omnem potestatem, vti solent, omnipotentiam diuinam intelligunt, ea nunquam est reddita Christo, neque quà Deus, neque quà homo est, quia nunquam deposuit eam. Deitas enim semper fuit omnipotens, & ipsa omnipotentia. Hæc vnita semper mansit naturæ humanæ semel assumtæ, etiam mortuæ. Si intelligunt ius dominij in omnes creaturas, etiam hoc semper habuit Christus, secundùm vtramque naturam. Si autem intelligunt huius iuris & dominij manifestam vsurpationem, & latentis in Christo Deitatis per visibilem naturæ humanæ gloriam, plenam patefactionem, ne hæc quidem homini Christo est reddita, sed tum demum data, quando est exaltatus in suo regno ad dexteram Dei in cœlis. Non enim,

vt illi comminiscuntur, etiam tempore humilitatis habuit hanc gloriam inuisibiliter, quæ postea non demum accesserit ei realiter, sed tantum facta sit visibilis
Luc. 24. 26. ex inuisibili. Oportuit enim Christum pati, & sic ingredi in gloriam suam. Exinanitio autem Christi,
Phil. 2.7. de qua Apostolus, non fuit Deitatis mutatio vel diminutio, sed occultatio in natura humana, infirmitatibus nostris verè & realiter obnoxia. Sic etiam exaltatio non fuit aliquod Deitatis incrementum, vel
Ioh. 17.5. accessio, sed eius manifestatio, quam petit à Patre Christus apud Iohannem. Sicut enim humiliatus est Filius Dei, occultatione gloriæ suæ in assumta carne in gloria: sic etiam exaltatus est patefactione æternæ gloriæ suæ, in carne glorificata: quo sensu rectè dicitur filius Dei deposuisse & recepisse suam gloriam. Huius autem manifestationis pars, non est carnis vbiquitas: per hanc enim nunquam Christus manifestauit, neque in æternum manifestabit suam Diuinitatem.

APOL. fol. 47.

Admoni. pag. 67. An Christus mox ab incarnatione secundū humanā naturā, diuinam acceperit maiestatem & gloriam.

DEcimò sextò: Aiunt merum esse figmentum, quòd doceant, Christo post resurrectionem restitutam esse omnem potestatem, quasi ante resurrectionem eam non habuerit: Manifestum autem est & notorium, hanc opinionem, à quibusdam ipsorum sodalium, illis ipsis verbis fuisse in Academia Vuittebergensi publicè traditam: idem significare: data est mihi omnis potestas, quod reddita seu restituta est mihi omnis potestas. Hoc cùm negare non possint, *merum tamen figmentum* appellare non erubescunt. Et in illa ipsa excusatione
A expressè fatentur: Filium Dei tempore exinanitionis, diuinam maiestatem deposuisse: eámque tempore glorificationis recepisse: quâ sententia intentum euertunt suam: idque quod
B. priùs negauerant, confirmant. *Falsissimum verò est*, Filium Dei, quoad Diuinitatem, Maiestate sua, tempore exinanitionis, se exuisse, eámque in glorificatione recepisse. Excelsus enim non potest exaltari, sed caro excelsi. Nec est exinanitio ad æternam diuinitatem Christi, verùm propriè ad assumtam eius humanam naturam referenda. Diuinitas enim neque humiliari, neque exaltari potest. Humana verò natura ratione sui status & essentiæ humiliationem & exaltationem admittit. Quæ præterea vlterius hoc loco inserunt, Christum omnipotentiam & maiestatem diuinam, secundum assumtam humanam naturam, tempore exinanitionis non habuisse: ad ea insequenti cap. 3. fusius respondebitur.

RESP.

A. NOn esse simpliciter figmentum, & nihil pugnans a nobis ibi dictum fuisse: perspicuè lector videbit, si Admonitionem legat, & quônam sensu damnemus illam propositionem, & quo probemus, diligenter inspiciat. Quòd verò talem admittentur & damnent locutionem, Redditam seu restitutam esse Filio Dei omnem potestatem: produnt suam ignorantiam: cùm & Patres, talibus nonnunquam phrasibus vsos fuisse legamus. Legatur Hilarius de Trinit. lib. 9. pag. 178. Reddenda igitur apud se ipsum Patri erat vnitas sua, (quæ tamen reuera nunquam fuerat realiter dissoluta:) vt naturæ suæ natiuitas, in se rursus glorificanda resideret: quia dispensationis nouitas, offensionem vnitatis intulerat, &c.

Legatur & Euseb. ... de Demonstrat. Euangelica, lib. 4. cap. 14. Cæterùm, quidnam aliud tandem? quam quòd totus homo, ab ipsius Dei natura absorptus est? (nempe in glorificatione, post resurrectionem?) & rursus Deus fuit, Deus verbum: cuiusmodi fuerat etiam, antequam homo fieret, &c. Audis illud RVRSVS fuisse Deum, qualis antea etiam fuerat? καὶ πάλιν θεὸς ἦν ὁ θεὸς λόγος· οἷος καὶ πρὶν γενέσθαι ἄνθρωπος. Hæc & similia multa apud Patres, consentanea cum sacris literis leguntur: quibus dicitur aliquid tolli, vel esse desinere: cùm occultatur. Et rursus reddi, aut fieri, cùm manifestatur: quemadmodum in Admonitione explicatum est de exinanitione & exaltatione Filii Dei.

Falsum igitur est, quod dixit Apostolus de Filio B.
Dei, quod cum esset in forma (duntaxat) Dei, id est, verus Deus: postea in tempore exinaniuerit se ipsum, forma serui sumta, id est, factus homo; sic locum hunc interpretantibus Patribus omnibus, totaque Synodo Ephesina, & Chalcedonensi. Et Hil. de Trinitate, lib. 6. pag. 177. Exinaniens igitur se ex forma Dei: formam serui, natus acceperat. Confessio fidei totius Ecclesiæ Catholicæ, in Synodo Ephesina, sic habet de filio Dei. Sequentes igitur per omnia sanctorum Patrum confessiones, profitemur quòd ipsum vnigenitum Dei verbum, natum ex ipsa Patris essentia, de Deo vero Deus verus, nostræ salutis caussa descendens, ad exinanitionem sese dignatus est inclinare: incarnatus autem (Nota distinctionem) & homo factus. Hæc igitur est exinanitio, non carnis, sed verbi Filii Dei: quòd eò se ipsum demisit, vt qui tantummodo erat Deus, voluerit esse etiam homo. Et qui erat ἀνάρχως in forma Dei, voluerit etiam ἐνάρχως in forma serui, id est, in humana natura. Exinanitio igitur ad personam Filii Dei referenda est: sed modus & ratio huius exinanitionis, non in Deitate, sed in humana natura collocanda est: quia eatenus dicitur exinanitus fuisse: quatenus ἐνσαρκὶ factus est ipsi carni infimæ, passibili, mortali. Exaltationem quoque scriptura attribuit eidem personæ, Phil. 2. non solum propter carnem cœlesti gloria ornatam: sed etiam, quia glorificata illa carne, ipsa essentialis gloria, quam filius semper apud Patrem habuit, toti Mundo patefacta est, vt explicatur Iohan. 17. quo sensu ipse etiam Pater, dicitur à filio glorificatus fuisse. Tam igitur excelsus potest exaltari, quàm caro excelsi: sed diuerso sensu atque ratione; vt modò explicatum est. Quare ridiculi sunt, qui quod nesciunt, magistraliter damnant: & non nisi quæ sibi conducunt, puerilitet probant.

ADMON. pag. 88.

REpetunt etiam raucum præ vetustate coccysmum, XVII.
nos Christum in cœlum concludere; certo cœli *In repeti.*
loco alligare, & quæ sunt similia. *c. 7. anasb. 8.*
Tam ista vera sunt de conclusione, de certo loco, *Christū à*
de alligatione, quàm illa de mensura certa donorum *nobis non*
naturæ humanæ, & eius mensuræ determinatione, *concludi*
&c. Sicut ibi dicimus, nullam notitiam creatam esse *cœlo.*
parem essentiali sapientiæ Dei: quàm multa autem & magna norit mens humana Christi, non nostrum est, nec istorum Theologorum, aut vllius hominis, nec omnium Angelorum scrutari, explicare, capere aut assequi: ita hic nobis satis est, quòd scimus, Dominum sua humanitate post ascensionem suam visibilem & localem, vsque ad descensum suum visibilem & localem ad iudicium Mundi, visibiliter & localiter versari in cœlo, id est, in domicilio illo beato Dei, & sanctorum Angelorum & hominum in quod nos secum adducet sursum, supra & extra omnes cœlos, & mundum hunc aspectabilem, vt ibi semper cum ipso simus, vbi est & erit ipse.

Hoc constat ex articulis fidei, & multis Scripturæ testimoniis tam disertis & expressis, vt ne ab aduersariis quidem negari possit, vtcunque suam inuisibilem carnis Christi in terra præsentiam simul obtrudant, fingentes eam simul esse circumscriptam & visibilem in cœlo, & incircumscriptam ac inuisibilem vbique, quas glossas non admittunt voces diuinæ, Angelicæ & Apostolicæ.

Non est autem ibi conclusus, non alicui certo loco alligatus: liberrimè enim & volens ibi versatur, &

& gloriosè regnat nomine paterno, exaltatus super omnes creaturas: nec est tantùm in certo loco, vel certis locis, & quasi cancellis inclusus: sed quolibet momento & vbicunque & quomodocúnque illi pro sua maiestate collibitum est. Qualis autem sit cœlestis illa conuersatio, in hac vita nescire nos est necessum, nec scrutari nobis concessum, sed illius vitæ cognitioni & experientiæ reseruatum. Erimusne nos conclusi, erimúsne alligari ad certum locum, aut cœlum erit nobis pro carcere, quando versabimur cum Domino in cœlis? Si de hominibus sanctis in cœlesti domicilio versantibus, talia proferre turpe & intolerabile esset Christianis auribus, quare non pudet homines Theologos his scommatibus conspurcare gloriam Christi, Pontificis nostri, ingressi in sancta sanctorum non manufacta? *Heb. 9. 24.*

APOL. fol. 47.

An Christus corpore suo certo cœli loco sit alligatus, vt in terris eodem secundum promissiones nullo modo esse possit. Danæus contra Gerlach. pag. 64.

DEcimò septimò: Nec illud etiam concedere faterique volunt cuius à nostris arguuntur: Christum eos in cœlum concludere, certóque cœli loco alligare. Docere enim se, liberum ei esse atque concessum, in amplissimo illo cœli theatro inambulare, stare, sedere, iacere, prout ei visum fuerit: modò cœlum ante extremum iudicium non egrediatur. Id quod nuper quidam è consortibus illorum publicè typis euulgare non est veritus: ipsum corpus Christi, in cœlo esse, vti regem in augustissima sui regni arce, amplissimo domicilio, palatio, & aula: in quo liberè si velit, cum infinitis electorum Angelorum beatorúmque spirituum, in idem cœlum receptorum, millibus spacietur. Sacramentaria etiam exegesis his vtitur verbis: Christi corpus abductum esse in cœlum: non reddendum ante nouissimum diem, quasi abductus, cœlóque captus detineatur Christus corpore suo, ad extremum vsque iudicium. An verò non præclara, idonea & iusta hæc est accusationis excusatio. Concedimus, aiunt, licere ei liberè, pro voluntate & arbitrio suo in cœlo versari & inambulare: quamuis illud ante extremum iudicium,
a *non egrediatur, nec egredi possit*: Ergo non includimus eum Cœlo, nec alligamus certo loco: An verò hoc non est, esse inclusum, corpore suo tantùm in cœlo esse, ad extremum vsque iudicij diem: ita vt prius quàm ad iudicium venturus sit, illud non egrediatur? Item corpore suo in cœlum abductum esse, non reddendum vsque in nouissimum diem. De circumscriptione corporis Christi pluribus egimus, capite primo.

Nec quicquam illorum caussam iuuat, aut reddit meliorem, quòd prætendunt, beatos, in æterna illa vita, non fore conclusos, aut ad certum locum alligatos, etiamsi illorum conuersatio futura in cœlis: quomodo igitur sequatur, Christum certo cœli loco esse cõclusum: quando docent, in certo Christum cœli esse loco, nec alibi?

Permagnum autem & ingens est discrimen inter sanctorum corpora & corpus Christi. Hoc enim diuinæ naturæ personaliter, in-
b sepatabiliter, *indistanter* est vnitum: vt extant
c clarissimæ promissiones, quibus *sui præsentiam*
d *in his terris*, Matth. 18. 28. est pollicitus. *Vnde Cyrillus* rectè ad Successum scribit: vnigeniti DEI proprium corpus existens, omnia humana transcendit. Meritò igitur, si qua esse isto-
e rum Theologorum frons, *pudere eos deberet*, de diuinis illis mysteriis, tam absurda & falsa fingere & tueri dogmata: déque Christi corpore, quod τῷ λόγῳ personaliter, inseparabiliter & indistanter vnitum est: non sublimiora & augustiora, quàm de reliquorum sanctorum corporibus, sentire & profiteri.

RESP.

HÆc, illius rauci præ vetustate coccysmi, defensio tam putida est: vt potius occludendi sint ad illius exhalationem nares, quàm ad eam arguendam os aperiendum: vsque adeo fœtet. Ecquis nostrum a
vnquam dixit, aut etiam somniauit, Christum suo corpore, certo cœli loco alligatum esse, & inde eum egredi non posse? Admirabiles sanè homines. Tota terra comparatione cœli, vix est instar puncti. Nos dicimus cum scripturis, Christi corpus esse in cœlo, & quidem in supremo illo amplissimo, vbi vult: Aduersarij detrudunt illud è cœlo in terram, & frustulo panis alligant, & in suum angustum os includunt: Et tamen audent clamare, corpus Christi à nobis ceu carceri cœli includi: quasi ipsi illud è carcere liberent, dum in terram, si Christo placet, illud ad quæcunque volunt loca, detrudunt? Et quorsum hæc omnia? tantùm vt si possint, apud imperitos euincant, corpus Christi illud vnum & verum, quod pro nobis traditum est, & quod ascendit in cœlum in pane realiter inesse, apud imperitos euincant.

Quis neget? Sed ita tamen indistanter est vni- b
tum: vt non impleat cœlum & terram, sicut Deitas: & ratio est: quia Deitas non est à corpore circumscripta. Audi August. tomo 2. epistola 3. ad Volusianum, col. 8. cap. & citatur etiam à Thom. Aquin. 3. par. q. 10 ar. 1. ad secundum. Argumentum tale fuerat: Magis est vniri Deo secundum esse personale, quàm secundum visionem. Sed sicut Damasc. dicit in 3. lib. Tota Diuinitas in vna personarum, est vnita humanæ naturæ in Christo: multò magis igitur tota diuina natura videtur ab anima Christi: & ita videtur quod anima Christi comprehendat diuinam essentiam. Ad hoc argumentum ita respondet Thomas: neque etiam in vnione, quæ est secundum esse personale, natura humana comprehendit Dei verbum, seu naturam diuinam: quæ quamuis tota fuerit vnita humanæ naturæ, in vna persona filij: non tamen fuit tota virtus diuinitatis ab humana natura quasi circumscripta. Vnde Augustinus, citat igitur hæc verba Augustini: Primùm te scire volo, non hoc habere Christianam doctrinam, quòd ita sit Deus infusus carni, qua ex virgine nasceretur: vt curam gubernandæ vniuersitatis vel deseruerit, vel amiserit, vel ad illud corpusculum quasi contractam materiam, collectamque transtulerit. Hominum iste sensus est, nihil nisi corporea valentium cogitare: siue crassiora, subtiliora, sed tamen corpora: quorum nullum potest esse vbique totum.

Rectè sui: scilicet suæ personæ, sed non sui corporis: c
& sic locum Matth. 18. & similes explicant Patres, vt Augustinus, Beda, Damascenus & alij: per id quod Deus est, non per id quod homo. Non enim dixit, meum corpus, vel ego meo corpore: sed simpliciter, ego in medio eorum sum: & vobiscum sum.

Quæ verò est ista peruersa verborum patrum contortio? d

Cyrillus tomo 4. epistola ad Successum Isauriæ Episcopum priore, respondens ad id, quod quidam dicebant, carnem Christi, post resurrectionem, mutatam esse in Deitatem: concludit, mutatam quidem esse qualitatibus, vt passione & mortalitate: sed non substantia. Mansisse enim idem corpus, sed incorruptibile, imò & viuificum effectum: & glorificatum esse claritate Deo dignissima: postea subdit: Idcirco si quis illud diuinum dicat (nempe substantia, sed qualitatibus diuinis, & quia est Dei corpus) sicut & hominis humanum: à decentissima ratione non deuiat. Vnde puto beatissimum quoque Paulum dicere, etsi cognouimus secundùm carnem Christum, sed nunc iam non no-

uimus. Dei enim corpus, vt dixi, proprium existens: omnia humana transcendit. Conuersionem autem in Deitatis naturam, corpus è terra, non potuit sustinere. Hoc enim impossibile est. Et mox: Dehinc (inquit) æqualis probatur ineptiæ, dicere conuersum esse corpus in Deitatis naturam: & illud, quod verbum sit in carnis substantiam commutatum. Sicut enim hoc impossibile est quia inconuertibile & incommutabile comprobatur: ita etiam illud non est possibile, in Deitatis essentiam vel naturam, aliquid creaturarum, posse conuerti. Est autem creata etiam caro: ideóque diuinum quidem dicimus corpus Christi, quia corpus est Dei, & ineffabili gloria illustratum, incorruptibile, & iam sanctum atque viuificum confitemur: Quòd autem in naturam Deitatis sit immutatum: neque sanctorum Patrum quisquam sentit aut docuit, neque nos ita sentimus. Hæc Cyrillus.

Quis hic non videat, quo sensu dixerit, corpus Christi, corpus proprium Dei existens, omnia humana transcendere? non certè quòd sensoir, corpus Christi, mutata corporis natura, in eam Deitatis naturam esse translatum, qua vno & eodem tempore, vel vbique vel multis in locis sua substantia præsens esse possit: quò perpetuò isti nostri aduersarij & scripturas & pia patrum dicta contorquent: sed eo sensu dixit illud corpus omnia humana transcendere, quem ipse Cyrillus explicauit, sui scilicet ad Deum verbum καθ' ὑπόστασιν vnitione, qua factum est proprium Dei corpus: & diuina etiam atque ineffabili, sed visibili tamen & finita sui glorificatione: qua factum est non solùm incorruptibile & immortale: verumetiam viuificum: manens tamen verum, finitum & humanum corpus. Hic est sensus verborum Cyrilli: non autem, quod ita omnia humana transcenderit, vt essentiales corporis proprietates, veluti esse finitum, esse circumscriptum, esse certo loco, deposuerit.

c Bona verba, bona verba quæsumus. Pudeat potius vos, tam sublimia corpori Christi attribuere, quibus naturam eius, veri scilicet corporis humani penitus tollitis: dum, si non disertis verbis, re tamen ipsa illud in naturam diuinam cum Eutyche & Schvvenckfeldio commutatis. Nos contenti sumus ad pedes Montis sedere: Et ea duntaxat de Christi corpore credere & prædicare: quæ è cœlo in sacris literis, & credenda esse, & prædicanda audimus.

A D M. pag. 89.

Ibidem XVIII. DEnique nobis falsò exprobrant deprauationem loci illius Actorum 3.21. Quem oportet cœlo capi, vsque ad tempora restitutionis omnium. Hoc illis quidem facile est, sicut alia maledicta sua, ad nauseam vsque repetere, sed non tam facile, quæ à doctis viris, ipsis responsa sunt, refutare. Interpretatio scripturæ, quæ congruit cum proprietate & natura & sententia vsitata sermonis, cum subiecta materia, de qua vsurpatur, cum præcedentibus & sequentibus in eodem contextu, cum analogia fidei, cum aliis scripturæ locis, denique cum erudita & putiori antiquitate Ecclesiæ, non est traducenda nomine corruptelæ. Talis autem est hæc nostrorum huius loci interpretatio.

Verbum δέξασθαι apud probatos scriptores Græcos propriè vsurpatur significatione accipiendi, capiendi, recipiendi, suscipiendi, admittendi, excipiendi: Vt δέξασθαι ξένους, δέξασθαι ικέτην, apud Xenophont. δεχόμαι σιτία apud Euripid. δέχονται αὐτοὺς τῇ πόλει, apud Thucyd. δέχεσθαι τὰ τείχη τοὺς στρατιώτας apud Demosth. δέχεσθαι δόμους apud Apollon. Et aliæ phrases, in quibus est vsus huius verbi, ad hanc significationem propriam & principalem redeunt. Contra verò pro eo, quod est occupare, vt cum dicitur aliquis regnum aut domum, aut possessionem occupare, non facile inuenitur: neque ipsi habent, quo significationem hanc confirment. Rectè igitur & hic vertitur, quòd necesse fuerit, vt Cœlum susciperet Christum, sicut non habitator domū, sed domus habitatorem excipit vel recipit vel admittit: non vt captiuum teneat, sicut illi cauillantur, sed vt habitationis ministerium ei præstet.

Sermo est ibi non de dominio Christi in Cœlum & terram, vel præsentia eius in omnibus locis, nedum de vbiquitate corporis, sed de naturæ eius humanæ receptione in cœleste domicilium. Hunc sensum postulant præcedentia & sequentia. Petrus iubet populum conuerti ad Christum, paulo ante ab ipsis crucifixum. Illicò occurrebat quæstio: vbi ergo is est? Respondet Petrus, eum in Cœlo esse donec redeat. Item, hortatur eos ad fidem in Christum, quia sit rediturus iudex Mundi: explicandum igitur erat, vnde rediturus esset, nempè ex Cœlo, in quo versatur donec veniat.

Idem docent articuli fidei: Ascendit in Cœlum: Sedet ad dextram Patris omnipotentis, vnde venturus est, iudicare viuos & mortuos. Item, homo factus est, natus ex Maria virgine. Item, Act. 1.9. Aspicientibus ipsis, eleuatus est, & nubes susceptum eum abstulit ab oculis eorum. Hic Iesus, qui sursum receptus est à vobis in cœlum, ita veniet, quemadmodum conspexistis eum euntem in cœlum. Et multa his similia.

Ac ne plura dicamus de re manifesta, debebat saltem eorum temeritatem & obtrectandi libidinem coërcere reuerentia Nazianzeni, qui linguam suam maternam tam probè intellexit, quam quisquam horum Theologorum. Is verba hæc Lucæ sic interpretatur: δεῖ γὰρ αὐτὸν βασιλεύειν ἄχρι τοῦδε, καὶ ὑπ' οὐρανοῦ δεχθῆναι ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως, hoc est, Oportet Christum regnare, vsque huc, & à cœlo recipi, vsque ad tempora restitutionis. Sed mirum est, eos de huius loci versione pugnando, inscitiam & κακοήθειαν suam traducere, cùm tandem ipsorum caussa nihil iuuetur, etiamsi vertant cum Luthero, effugij quærendi caussa, quòd oporteat Christum occupare cœlum. Quomodo enim occupauit? Certè, vt scriptura docet, abeundo, ascendendo, migrando, proficiscendo sursum in cœlum, & relinquendo terram. Quid autem hoc ad vbiquitatem corporis? Neque nos hoc vno tantùm loco nitimur. *In orat. 2. de Filio p.214*

A P O L. fol. 48.

DEcimooctauò: Terram etiam illam corruptelam *dicti Act. 3.* oportet Christū cœlo capi, conantur tueri: seu vt alius quidam ex ipsorum numero hunc locum in Nouo Testamento transtulit: eum autem cœlum capiat oportet: nihilque omnino à se peccatum esse, verùm ab omni crimine immunes esse volunt: cùm sciant hoc ipsis, ex ipsorum manibus sic ereptum esse telum, vt si quis omnino pudoris apud illos amplius locus, erubescere potius, quàm idem argumentum denuò in manus tractandum sumere deberent. Multis annis acerrimè in controuersia de cœna dimicatum est: nemo tamen inter primos, ita fœdè locum Act. 3. deprauare ausus est. Præcipuus, illorúmque Antesignanus, vltro fassus est, è verbo δέξασθαι, quia medium & ambiguum, nihil certi in hac controuersia concludi posse. *A De Dicto Act. 3. ὃν δεῖ [illegible] δέξασθαι.* *Calu. Act. 3.*

Alter verò, eius successor contrarium scripsit: ideo passiuè se vocem δέξασθαι vertere voluisse: vt certum haberent textum, quem opponerent iis, qui docent verum Christi corpus in cœna verè præsens adesse, distribui & sumi. Quid his sibi voluerit verbis, saniores facilè assequuntur: vt haberet, quo falsam & erroneam suam de absentia corporis Christi in cœna tueretur opinionem: necesse ei fuit, sacram peruertere scripturam, quo suo inseruiret instituto. Ecquis autem vobis hanc fecit potestatem, pro vestro arbitrio interpretandi sacras literas: vt vobis inseruiat ad nutum: & vt certum habeatis textum quo vestra possitis confirmare somnia? Non caret autem rei admiratione, eousque illos progredi impudentiæ, vt glorientur, non facile inuenire, nec habere nos, quo significationem nostram confirmemus, verbum δέξασθαι vsurpari pro occupare: cùm aliquot eis ex Plutarcho *Beza in Annotationibus Maiorib. Act. 3.*

tarcho iam pridem sint monstrata loca, ἔλθοι καὶ παραλαβεῖν βασιλείαν, vt veniret Romam, & acciperet siue occuparet imperium. Item δέχεσθαι τὴν ἀρχὴν, & καταδέξασθαι τὴν πόλιν: In quibus δέξασθαι sumitur pro occupare. Similiter monstrata

B est illis horum verborum explicatio *Oecumenij*, qui singulariter notauit, Petrum non dixisse, quòd cœlum acceperit Christum, sed quòd

Admo. p. 90. Christus acceperit cœlum. *Quemadmodum & illa temeritas digna est admiratione*, quòd scribunt, Petrum non loqui hoc dicto, de dominio Christi in cœlo & in terra: verùm de assumtione tantùm corporis eius in cœleste domicilium. Hæc enim declaratio tam absurda est, vt refutatione non egeat. Quòd dictum repetunt Nazianzeni: est & ad illud iam pridem responsum. cumque hoc dictum Petri Act. 3. in nostrorum scriptis & lucubrationibus, abundè satis explicatum: breuitatis caussa ad illas nos referimus.

RESPONSIO.

A De hoc loco Actor. 3. indicamus satis esse disputatum: Et prudentem lectorem, ex collatione Admonitionis & Apologiæ, de controuersia huius loci, diiudicari facilè posse.

B Illud tantummodò addimus, nos vehementer mirari, quòd audeant isti homines, Oecumenium, tanquam sibi in huius loci explicatione fauentem, adducere: cùm prorsus contrarium doceat: nempe Christum receptum fuisse in cœlum, & à cœlo: non autem recepisse & occupasse cœlum: quanquam reipsa hoc quoque verum est. [illegible] Item, [illegible] Item, [illegible] (Nota hæc verba) [illegible] Legantur reliqua. Item, [illegible]: Nota hoc, quasi dicat, sed potius dixit [illegible] (respondet) [illegible]. Quid clarius pro nostra interpretatione? Cur ergo citant pro se Oecumenium? ô homines! Et postea tamen audent triumphare, & vocant nostrorum interpretationem, tetram corruptelam, & sacram scripturam à nostris peruerti: Et quid non cathedraliter in nos effutiunt? Doctissimus Camerarius, sic quoque locum hunc explicauit, passiuè; vide locum in Act. pag. 227. & 228. Verba eius hæc sunt: Nihil dicitur à Petro aliud, quàm in cœlo residere Christum, & non magis versari in terris, sedemque cœlestem oportere huius esse, ad omnium vsque rerum instaurationē. [illegible] Id est: Assumtus enim Christus in cœlum, manet illic, ad consummationem vsque Mundi huius, aduenturus tunc cum potentia, restitutis de cætero omnibus, quæ Prophetarum oraculis prædicta sunt. Siue, vbi finis iam aderit, & cessauerint sensibus exposita, tunc ipse Christus cœlis erit sublimior. Hæc leguntur in Theophylacteis. Quorum vltima sententia refelluntur ea, quæ malitiosè hinc excerpta sunt: Christi regnum duraturum ad finem solummodo huius Mundi. Leguntur ibidem quoque ista, vt appareat antiquis etiam temporibus ἀμφιβολίαν in his aliquid legentibus negotioli fecisse, cùm sententia sit perspicua. [illegible] Sed quomodo dicit? Quem oportet cœlum capere siue accipere, siue, vt Latinus vetus interpres, suscipere. An nondum illud acceperat: Imò admodum. Cur igitur non dixit; Quem cœlum accepit? Quæ autem ibi sequuntur in libris editis, [illegible] sunt, vel mendosa vel mutila, quemadmodum suspicor. Itaque indicata sententia secundùm alibi in sacris literis dicta, & hoc etiam loco satis euidens, teneatur: oportuisse ita fieri, vt Christus reciperetur siue acciperetur, siue assumeretur in Cœlum, vbi maneret tanquam in propria sede, vsque ad finem huius Mundi, & rerum omnium Instaurationem. Hæc ille. Precamur Dominum Iesum, vt det vobis spiritum humanitatis & charitatis: nec putetis aut Lutherum talem fuisse Eliam; aut vos tales Heliseos, qui non possitis turpiter errare. Misereatur Deus, suæ Ecclesiæ.

AD CAPVT III.

APOL. CAP. VIII.

ADM. pag. 250.

Monstratio falsarum assertionum in libro Concordiæ.

Ad quintam rationem pergimus. Ostensum est supra, librum Bergensem condemnare in nobis doctrinam Scripturæ & symbolorum, atque adeò etiam Augustanæ confessionis. Iam verò etiam demonstrare est facile, quòd noua & falsa dogmata, scripturæ, symbolis & confessioni Augustanæ repugnantia, obtrudere conetur Ecclesiæ, & quidem pro norma doctrinæ & discretionis Orthodoxorum ab hæreticis. Liber autem, bonum malum, & malum bonum dicens, mala erit regula fidei: mala formula concordiæ.

In articulo de persona Christi, contendunt Theologi, proprietates duarum naturarum in persona Christi essentiales, realiter vtrique naturæ esse communes.

Falsum dogma est. Quia scriptura docet, Filium Dei coæternum esse natum ex muliere, Deum esse passum & mortuum, ascendisse in Cœlum: non autem ipsius Deitatem: Secundum Adamum, id est, hominem Christum, non autem ipsius humanitatem, esse Dominum de cœlo, descendisse de cœlo, per quem omnia facta sunt; qui dat Spiritum sanctum. Et tamen de vno & eodem Christo Filio Dei & hominis, verè & realiter dicuntur hæc vtraque sine vlla contradictione: quia diuina dicuntur de seipso secundum Deitatem, humana secundùm humanitatem. Ergo Deus passus, mortuus est realiter, quatenus homo est, sed nominetenus, quatenus Deus est: Et homo realiter æternus, omnipotens, impassibilis, vbique præsens est realiter, quatenus iste homo Deus est, sed nominetenus, quatenus homo est, hoc est, communicatio idiomatum, est realis respectu personæ, siue a Deitate siue ab humanitate sua denominatæ, quia vnus & idem Christus est & homo: sed verbalis, respectu naturarum, quia hæ non sunt vna natura, sed duæ, quarum vtraque tantùm suas, non autem alterius naturæ proprietates realiter in se habet: Persona autem vna est, habens in sua substantia vtramque naturam, ideòque & proprietates vtriusque naturæ. Huius autem communis prædicationis diuinorum & humanorum, de homine & de Deo, caussa est vnio naturarum in eadem persona Christi, quæ minimè verbalis, sed magis realis est, quàm vnio animæ & corporis in homine. Itaque etiam respectu naturarum communitati proprietatum verbali, caussa subest, & per eam significatur maximè realis, videlicet, naturarum vnio.

Gal 4.4.
1 Cor. 15. 47.
Communicatio Idiomatū quatenus realis, & quatenus verbalis sit.
Vnio verbalis non, sed maximè realis est.

Sacramentarium illis est: quòd vnio communia facit nomina. At verba non nostra, sed Theodoreti sunt, in tertio dialogo. Erit igitur & hic illis Sacramentarius, & omnes veteres. Omnes enim idem docent: quòd homo sit Creator, non qua homo, sed quà Deus est, sicut Deus est creatura & caro, non quà Deus est, sed qua homo est. Sacramentarius

etiam erit Lutherus, qui eandem facit communicationem Idiomatum in his propositionibus: Deus est passus, & homo est Deus æternus, creator & conseruator mundi. Sed age, quomodo probant hoc suum nouum dogma?

I. Naturæ personaliter vnitę necessariò communicant sibi inuicem suas proprietates. Duæ naturæ in Christo sunt vnitæ personaliter. Ergo inter eas est realis communicatio proprietatum. Falsa est maior propositio: Nam humanitas Christi personaliter vnita est Deitati: Et tamen non realiter competunt Deitati proprietates humanæ: Corpus humanum personaliter est vnitum animæ, & tamen proprietates vnius non realiter communicantur alteri. Vniri ergo alteri naturæ personaliter, non est ei communicare, vel ab ipsa accipere realiter ipsius essentiales proprietates, sed est, arcano & ineffabili nexu, cum altero fieri vnius personæ substantiam. Neque realis communicatio Idiomatum in naturis, ex vnione consequitur tanquam effectus ex sua caussa, id quod ostendunt exempla eadem. Et animaduersione dignum est in Theologis & argumentum trepidantis conscientiæ, quòd conantur hanc responsionem eludere, dum fingunt humanitati quidem Deitatis, sed non vicissim Deitati humanitatis proprietates essentiales communicatas, quia Deitas humanitatem exaltauit & auxit, humanitas autem Deitatem non humiliauit, nec diminuit. Satis est enim hoc ad ostendendum, quòd vniri alteri personaliter, non sit, proprietates illius accipere, vel suas illi communicare, neque hæc communicatio cum vnione necessariò cohæreat. Sicut ergo non sequitur ex vnione, Deitati communicari realiter humanas: Sic etiam ex ea non sequitur, humanitati realiter communicari diuinas proprietates essentiales.

Vniri personaliter quid sit.

Præterea ne humanitati quidem Theologi possunt realiter communicare omnes proprietates diuinas, vt esse æternum, dare spiritum sanctum, esse incorporeum, non habere partem extra partem. Cur igitur magis quàm istæ humanitati realiter à Deitate communicabuntur immensitas & omnipotentia? Si vnio cum natura omnipotente & immensa facit naturam humanam omnipotentem & immensam, cur vnio cum natura incorporea, non faceret eam incorpoream? Et si vnio cum natura omniscia facit animam Christi omniscìam, cur non etiam corpus & ossa & carnes & neruos? Annon tam corpus, quàm anima λόγῳ est vnitum? Aliam igitur probationem & caussam quærunt realis communicationis, quam vbi libet ponunt, vbi non libet, non ponunt, eadem tamen caussa manente.

APOL. CAP. III. pag. 48.

Vera & solida refutatio falsarum assertionum quas Neostadienses Theologi libro Concordiæ affinxerunt in doctrina de persona Christi.

A Conantur aduersarij, quo & caussæ suæ colorem addant splendidiorem; & simplicioribus fucum faciant, & doctrinam libri Christianæ concordiæ magis reddant suspectam, falsas quasdam in eodem assertiones monstrare.

B *Agimus autem Deo*, cuius beneficio factum est, immortales gratias: quòd probationibus seu demonstrationibus examinatis, deprehenduntur, partim multa nobis & libro imputare: quorum ne verbo quidem in illo fit mentio: sed quæ verè ab ipsis conficta, falsò nobis sunt adscripta: partim quæsitis tantùm & coactis calumniis pugnare & cauillationibus: quemadmodum, volente Domino, ad oculum ista à nobis monstrabuntur.

C *Quòd si vel* maximè confingere aliquid, ne quid grauius dicamus, volupe ipsis fuit: cauere tamen debuissent, ne in ipso limine & aditu, in manifesta calumnia & aperto deprehenderentur mendacio: id enim non tantùm totam ipsorum caussam reddit suspectam, verùm etiam manifesto prodit iudicio, in sequentes etiam actiones nullo vero niti fundamento.

Et initio quidem in articulo de persona Christi, aiunt, nos contendere: proprietates duarum naturarum in persona Christi essentiales realiter vtrique esse naturæ communes. Et mox concludunt, Falsum dogma est. Imò falsissimum est dogma illud, illámque loquendi formam in libro concordiæ non monstrabunt: Sed merum est aduersariorum commentum, mera inuidia & petulantia, ad prægrauandam nostram caussam confictum. Monstrent verò si viri sunt candidi, nostra verba.

Admoni. pag. 250. 251.

Nam coactas illorū expositiones, verborum, distinctionum & sententiæ libri concordiæ deprauationes, quibus assiduè pugnant, nihili facimus: proculdubio & paginam & locum diligenter in margine notassent: Si eius, vel minima ex parte, veritatis testimonio conuincere nos possent. *Imò hoc ipsum dogma*, proprietates naturæ vnius, alterius fieri proprietates essentiales, liber Christianæ concordiæ reiicit, atque impietatis & hæreseos condemnat: quomodo igitur id ipsum eodem libro profitemur. D

Quòd si obiiciunt: Tradit omnino liber ille, filium Dei assumtæ humanæ naturæ, proprietates suas, quarum in sacris literis expressa extant testimonia, realiter communicare, &c. Verùm, hoc non est monstrare id, cuius librum accusant tradi in eo, proprietates duarum naturarum in persona Christi essentiales, realiter vtrique naturæ esse communes, *hoc est, vt ipsi intelligunt*, inque inuidiam libri concordiæ calumniosè interpretantur, alterius naturæ fieri proprietates essentiales. *Distinctè enim multúmque* differentes loquendi formæ sunt: Filius Dei assumtæ humanæ naturæ, suas proprietates, quarum in sacris literis expressa extant testimonia, ratione & respectu personalis vnionis, & sessionis ad dextram Dei communicat: Et, proprietates essentiales duarum naturarum in persona Christi, esse vtrique naturę communes: vel, vt posteriorem hanc ipsi intelligunt, vnius naturæ proprietates essentiales, alterius etiam fieri proprietates essentiales, seu formas inhærentes. E F

Prior loquendi forma vera est, fundata in verbo Dei: Et pertinet ad tertium genus enunciationum: in quo agitur de communicatione Maiestatis diuinæ, assumtæ humanæ naturæ in Christo, ratione & respectu personalis vnionis. Posterior non item. Ratio est. Humana enim natura nihil tribuit diuinæ: verùm suam à diuina accipit perfectionem: *vt rectè Athanasius scribit* in Epistola ad Epictetum. Non enim verbum caro factum est, vt Deitati aliqua accessio fieret, neque vt verbum in meliorem statum reduceretur, magis verò ipsi humanæ naturæ accessio magna facta est, ex communione & vnione verbi ad humanam naturam. G

Non igitur verè prædicari potest, humanam naturam, diuinæ naturæ Filij Dei suas communicare proprietates: contrarium verò rectè prædicatur. H

Accusatio igitur hæc ipsorum prima, merum est figmentum, apertúmque mendacium. Quòd autem denuò confugiunt ad primum genus: Et vrgent, enunciationes illas,

DEVS est passus : Homo est æternus, creator mundi, &c. nihil id ad caussam ipsorum facit. Iam sæpe enim testati sumus, de prædicationibus primi & secundi generis nullam inter nos
I *amplius* esse controuersiam: verùm de tertio genere tantùm, hoc est, illis enunciationibus, in quibus scriptura & Patres, secuti scripturam, de communicatione Maiestatis humanæ naturæ in Christo, respectu personalis vnionis propriè loquuntur : quemadmodum abundè hoc supra monstratum.

K *Tribuunt etiam* nobis argumentum, quasi libro concordiæ insertum, & nostris sit vsitatum. (Admo. p. 251.) Naturæ, inquiunt, personaliter vnitę, necessariò sibi communicant suas proprietates : Duæ naturæ in Christo, sunt vnitæ personaliter. Ergo inter eas est realis communicatio proprietatum. Argumentúmque hoc tanquam ineptum, simpliciter repudiant.

Negamus autem hoc nostrum esse, aut libri concordiæ argumentum, aut realiter illud à nobis informari: Ipsorum etiam hoc est figmétum, in ipsorum cerebro natum. Id quidem libro concordiæ asseritur pag. 306. malè de persona Christi docuisse Samosatenum & Nestorium: naturas esse incommutabiles, hoc est, planè nullam omnino naturarum esse communi-
L cationem : hac enim ratione *natura à se inuicem diuellerentur.* Indistinctè autem illo libro affirmari : vtramque naturam in Christo diuinam & humanam sibi inuicem suas communicare proprietates : aduersariorum est figmentum, quod nostrum esse, in æternum non sunt monstraturi.

Si iuris esset recepti: argumenta connectere: aliis illa obtrudere : & ex iis consequentias pro libitu deducere : præclarè sanè ageretur cum aduersariis nostris : Et haberent, quod sibi de victoria pollicerentur : verùm illa, Dei beneficio, in Ecclesia consuetudo, recepta nondum est : nec in illam consentire nos possumus.

(Admo. p. 250.) Quòd verò obiiciunt, hanc distinctionem communicationis meram esse elusionem, & argumentum trepidantis conscientiæ, falsissimum est. Nec enim distinctio illa nostrùm figmentum est : sed expressè est in verbo Dei fundata, & ex verbo Dei extructa : *Dei enim in*
M *scriptura hoc ἀξίωμα* est. Ego DEVS sum & non mutor. Et Christi illud : Data est mihi omnis potestas : Item Pauli, Donatum est illi nomen. Quid enim aliud hæc sibi volunt testimonia: quàm diuina natura, cùm sit immutabilis, nihil ei dari, nihil etiam adimi potest : humana autem natura, quia est mutabilis, exaltationi
N & exinanitioni est obnoxia. *Retenta* etiam & vsurpata hæc ab orthodoxa antiquitate semper fuit distinctio, vt videre est in dicto Athanasij supra citato, apud Epiphanium contra Ariomanitas, Cyrillum, Theodoretum, Damascenum.

Non igitur nostrum illa est figmentum, sed è fontibus Israelis est deriuata, & ab orthodoxis scriptoribus Ecclesiasticis comprobata: meritò igitur in nostris Ecclesiis retinenda, nisi ipsum Deum, ipsamque negare velimus veritatem.

Æternitatem & infinitatem diuinæ naturæ in Christo quod attinet, ad eam paulò post respondebitur.

RESPONSIO.

PRopositionem confitemur: negamus, quas adfertis finales caussas. Caussa vera in ipsa Admonitione perspicua est: nempe, vt omnes intelligant, hunc concordiæ vestræ librum, malam esse fidei regulam & formam. A

De hac re, modò videbimus : interim, ne quis ante victoriam, canat triumphum. B

Duo dicitis esse falsissima : dogma ipsum, deinde & ipsam loquendi formam, nempe quòd proprietates duarum naturarum in persona Christi essentiales, realiter vtrique sint naturæ communes: in libro concordiæ contineri. C

Quia Admonitio nostra, non habet AIVNT, sed CONTENDVNT: idcirco respondere meritò possumus, nullo iure à nobis exigi, vt ipsissimam talium verborum formam, sed sensum duntaxat, seu dogma in libro vestræ concordiæ contineri monstremus. Hoc autem difficile non est. Sed quid si ipsissima etiam verba, manifestissimè ex libro illo proferamus? Audite igitur verba vestra ex libro concordiæ, de persona Christi, pag. 576.

Status Controuersiæ.

PRincipalis huius dissidij quæstio fuit, an inter diuinam & humanam naturam in Christo propter vnionem personalem, REALIS, hoc est, vera & re ipsa existens in persona Christi fiat quædam communicatio: vt vna natura alteri proprietates suas communicet : & quæsitum etiam est, quousque illa realis communicatio extendatur. Sacramentarij affirmarunt, diuinam & humanam naturas in Christo eo modo vnitas esse, vt neutra alteri quicquam realiter, hoc est, verè & re ipsa, quod cuiusque naturæ proprium sit, communicet: sed nomina tantùm nuda communicari. Vnio (inquiunt illi) facit tantum nomina communia: vt videlicet IESVS dicatur homo, & homo Deus appelletur : ita tamen vt DEVS nihil cum humanitate commune habeat: Et vicissim humanitas nihil cum diuinitate, quoad ipsius Maiestatem & proprietates, realiter, hoc est, reuera, & re ipsa commune habeat. Contrariam verò huic dogmati sententiam D. Lutherus, & qui cum ipso faciunt, aduersus sacramentarios propugnarunt.

Agnoscitis statum controuersiæ à vobis propositum : Num videlicet vna natura, alteri proprietates suas communicet? nempe realiter. Hoc dicitis à nobis negari: à Luthero autem & à vobis defendi. Annon igitur vestra doctrina hæc est, quæ ex diametro cum nostra pugnat, nempe, vtramque naturam in Christo, realiter alteri suas essentiales proprietates communicare? Contraria enim, id est sacramentariorum (vt vocatis) hæc est : Neutram alteri quicquam realiter, quod cuiusque proprium est (hoc est, essentiales suas proprietates) communicare. Communicare autem & facere communes, idem sunt. Quomodò ergo dicitis, in libro concordiæ non reperiri hoc dogma : proprietates duarum naturarum in persona Christi essentiales, realiter vtrique naturæ esse communes? Idem dicitis ibidem, hanc esse sacramentariorum doctrinam, nomina tantùm nuda (naturarum) communicari, fierive communia : vt videlicet, Deus dicatur homo, & homo Deus : (quatenus scilicet hæc nomina naturas significant vt rectè postea explicatis) ita tamen, vt Deus (id est Deitas, sicut habetis in exemplari Germanico, & negatiua sexta) nihil cum humanitate commune habeat : & vicissim humanitas cum diuinitate, quoad ipsius maiestatem & proprietates : Contrarium verò huic doctrinæ, à Luthero defendi affirmatis. Quid ergo vos cum Luthero aduersus

nos docetis aliud, quam vnamquamque naturam, alteri naturæ, Deitatem humanitati, & humanitatem Deitati, non sola nomina, sed etiam res ipsas, hoc est, essentiales suas proprietates, realiter communicare, faceréque communes?

Item affirmatiua statuitis, in vnione personali summam esse communionem (id est, vt post explicatis, communicationem realem) quam Deus (id est Deitas) cum assumto homine (est autem assumta natura, non homo) verè habeat: Et ex hac personali vnione & communione, promanare quicquid humani de Deo, & quicquid diuini de homine Christo dicitur. Hęc vos ibi. Vultis ergo de Christo homine non posse dici, quòd sit Deus, & omnipotens: & vicissim de Christo Deo, quod sit homo & crucifixus: nisi & naturæ sint in eadem persona realiter vnitæ, (quo nihil certius) & suas quæque natura proprietates alteri realiter itidem communicet. Non enim solam realem naturarum in eadem persona vnionem, sed etiam realem mutuamq; proprietatum inter se communicationem, in caussa esse docetis, quamobrem & diuina de Christo homine, & humana de eodem Christo Deo, verè & realiter prædicentur. Hoc mox exemplis clarissimè explicatis. Nam affirmatiua sexta, ex illa mutua naturarum inter se non solùm vnione, sed etiam reali communicatione, infertis fieri, vt tam Deus sit homo, quàm homo Deus: Et nullo modo fieri posse, vt Deus sit homo, & homo Deus, si diuina & humana naturæ nihil prorsus inter se reuera & reipsa communicarent. Agnoscitis vestra verba? Annon hic apertè statuitis, & humanam diuinæ, & diuinam humanæ, quæ cuiusque sunt propria, si non omnia, saltem aliqua, realiter communicare, seu communia facere? Et quòd neque Deus verè dici possit homo, neque homo Deus, nisi suas quæque natura essentiales proprietates (De iis enim est quæstio, vt in vestro statu quæstionis traditur) verè & reipsa alteri communicet? Atque vt confirmetis doctrinam vestram: subditis eadem sexta affirmatiua: dicentes, Quomodo enim homo Mariæ filius Deus, aut filius Dei altissimi rectè appellari possit: Si ipsius humanitas cum Filio Dei non esset personaliter vnita: Et realiter, hoc est, verè & reipsa, nihil prorsus, excepto solo nudo nomine, cum ipso commune haberet? Hæc vestra sunt. Propositio vestra, de naturis est, eàque perspicuè tradita: nempe, Hinc etiam credimus, docemus & confitemur, quòd Deus (id est λόγος) sit homo, & quòd homo (Iesus) sit Deus: id quod nequaquam ita se haberet, si diuina & humana natura prorsus inter se nihil reuera & reipsa communicarent. Hic clarè & ingenuè de naturis loquentes, docetis, illarum non solùm vnionem in persona, sed etiam realem inter se suarum proprietatum communicationem, necessario requiri ad hoc, vt hæ propositiones de Christo veræ sint: nempe Deus est homo, & homo est Deus: idque contra scripturas, totamque Ecclesiam, quæ solam personalem vnionem naturarum in causa esse docent, cur illæ propositiones veræ sint: ratione scilicet eiusdē hypostaseos, quæ in vtraque natura subsistit: non autem ratione communicatarum inter ipsas naturas, cuiusque proprietatum. In exemplo verò, quod subditis, ἀμφιβόλως loquimini: in quem finem, vos videritis. Cū enim scribitis, Quomodo enim homo Mariæ filius, Deus, aut filius Dei altissimi rectè appellari possit: (hic de persona manifestus sermo habetur: cum verò subditis, si ipsius humanitas cum filio Dei, non esset personaliter vnita &c.) Hic latent insidiosæ amphiboliæ. Illud enim Cum filio Dei, Et CVM IPSO (scilicet filio Dei) aut pro persona τ͂ λόγου, quæ facta est communis naturæ etiam assumtæ: aut pro eius Deitate, accipitis. Si primum, nihil probatis: de naturis enim disputatio est, déque reali proprietatum ipsarum, non in persona vnitione, sed inter se communicatione. Si secundum: manifestè ergo docetis, Christum hominem non verè posse dici Deum, nisi eius humanitas, cum eiusdem Deitate, & personaliter sit vnita (quod verum est:) &, præter nomina, aliquid aliud, hoc est, essentiales illius proprietates, cum ea habeat communes, hoc est, sibi realiter communicatas. Quæ vestra ratio si vera est: Ergo, sicut hæc vera non est, Christus homo est Deus, si humana natura non solùm ad personalem cū diuina vnionem, verum etiam ad realem diuinarum proprietatum communicationem, assumta non fit: sic etiam hæc non fuerit vera, Christus Deus, est homo, nisi natura diuina, præter personalem vnionem cum humana, humanas etiam proprietates sibi realiter habeat communicatas. Quid ergo clarius, quàm vos in libro vestræ Concordiæ docuisse dogma illud, quod iam negatis in illo contineri? Quis enim non videat, illis duabus affirmatiuis, v. & vi. hanc à vobis impiam doctrinam confirmari. Nihil de persona Christi verè dici posse: nisi illud ipsum, de naturis quoque realiter prædicetur? eóque dici non posse, Christus homo est omnipotens, nisi etiam humana eius natura, omnipotens esse dicatur: Et rursus, non posse dici Christum Deum esse passum, nisi etiam eius Deitas, passa esse prædicetur? Sed plura videamus.

Affirmatiua IX. disertè scribitis: Quapropter verè Filius Dei pro nobis est passus (nihil certius) sed iuxta proprietatem humanæ naturæ. Quo sensu, nouam hanc locutionem in Ecclesiam introducere audeatis: liquet primum ex præcedentibus, deinde etiam ex insequentibus. Ex præcedentibus: quia conclusistis affirmatiua V. Quicquid humani de (Christo) Deo (veluti est pati:) et quicquid diuini, de homine Christo (veluti est, esse omnipotentem) dicitur, & creditur: ex personali vnione (quod verissimum est) & ex communione (id est, reali idiomatum communicatione) quæ inde (id est, ex vnione personali) consequitur: totum illud promanare. Quam doctrinam confirmastis affirmatiua VI. vt ante explicatum est: Sicut ergo ideo dicitis, de Christo homine verè prædicari, quod sit Deus, quia eius humanitas non solum personaliter vnita est cum Deitate, verum etiam, quia essentiales proprietates sibi habet realiter communicatas: Sic aliter intelligi non potest, quod ex vestra præcedenti doctrina infertis, dicentes: Quapropter Filius Dei vere passus est secundum proprietatem humanæ naturæ (id est, secundum, vt ita loquamur, patibilitatem:) quàm quia patibilitas hæc, diuinæ naturæ realiter fuit communicata. Ex sequentibus idem colligitur. Nam affirmatiua XII. & vbicunque de Cœna agitis, vultis non solū personam Christi sua Deitate: verùm etiam corpus eius, in Cœna (hoc est, non tam vbi celebratur Cœna, quā in panibus, quibus corpus ipsum Christi distribuitur) sua substantia præsens esse: Et additis hoc fieri, non iuxta modum & proprietatem humanæ naturæ, sed iuxta modum & proprietatem dextræ Dei, id est secundum modum Deitatis. Quid autem vobis hoc aliud est, quàm proprietatem Deitatis, qua vbique tota præsens est, nempe infinitatem & simplicitatem, corpori Christi realiter communicatam esse: quia possit realiter præsens esse in singulis panibus Cœnæ? Hæc autem est vestra conclusio de Cœna: Et hoc vobis est, esse præsens secūdum proprietatem dextræ Dei. Quid igitur aliud etiam vobis fuerit, Christum Deum passū esse, secundum proprietatem naturæ humanæ: quam Deitati, proprietatem humanæ naturæ, qua pati possit, realiter fuisse communicatam, seu factam esse communem? Eadem affirmatiua XII. communicationem idiomatum definitis esse realem vtriusque (notate hoc VTRIVSQVE) naturæ proprietatum communicationem: quam quia negabat Nestorius, ideo eum dicitis soluisse personam: à vobis autem ideo non solui, quia illam admittitis. Hæc vos ibi. Si igitur realis communicatio idiomatum, est realis, non vnius tantum, sed vtriusque naturæ communicatio, ita vt non minus humana suas diuinæ, quàm diuina suas humanæ realiter faciat communes: Et vos ideo contra Nestorium istam vtriusque naturæ proprietatum communicationem profitemini, ne sicut ab illo, sic à vobis persona soluatur; Annon aperte hoc dogma docetis; proprietates duarum naturarum in persona Christi essentiales, realiter vtrique naturæ factas esse communes? Quomodo ergo id in Apologia falsissimum esse vociferamini? Obiter hic lectorem monemus, causam cur Nestorius dicatur à Patribus soluisse personam Christi, non fuisse, quòd negauerit proprietatum vtriusque naturæ communicationem; sed quod negarit vtriusque naturæ in vna persona seu ὑποστάσει, verā, realemque vnitionem. Imò contra, negata personali seu hypostatica vnione naturarum, volebat, proprietates Dei essentiales, veluti est viuificare, &c. realiter cōmunicatas esse, a filio Dei, ipsi filio hominis. Et ita propter hanc communicationem dicebat carnem Christi esse viuifi-

viuificam, item edere miracula: aduersus quam doctrinam perpetuò pugnat Cyrillus: Et contendit fieri nullo modo posse, vt pura creatura ad tantam dignitatem admitti possit, vt quæ sunt propria Dei, ea in se habeat verè communicata: ac proinde cum scriptura dicat, Carnem Christi nos viuificare: inde infert & euincit, carnem Christi vnitam esse verbo viuifico, non ἐν χάριν, & gratiam, sed κατ' ὑπόστασιν: & ideo dici viuificam, quia caro eius est, qui omnia viuificat: idque per eam nobis applicatam fide &c. sed redeamus ad rem. Vos item negatiua V. eos, hoc est Theodoretum & alios Patres, damnatis, qui scripserunt, vnio personalis communia tantùm facit nomina (nempe vnius naturæ, & proprietatum eius) alteri naturæ: cùm alioqui res etiam ipsæ, tam vnius, quàm alterius naturæ, communes sint personæ. Cùm igitur vos illud dictum damnetis tanquam falsum: annon contrarium dogma tanquam verum profitemini? nempe non solùm nomina, sed etiam res ipsas cuiuique naturæ, propter vnionem hypostaticam, fieri alteri naturæ communes? Item negatiua VI. damnatis, si quis dicat, has locutiones, Deitas (sic enim habetis in exemplari Germanico: quod cur in concretum mutaueritis in Latino, dicentes Deus, iudicet prudens lector) est homo, & humanitas est Deus, phrasin tantum esse & modum loquendi quendam: Deitatem enim nihil cum humanitate, & humanitatem nihil cum Deitate, realiter habere commune. Annon igitur harum propositionum contrarias & contradictorias, nempe, Deitas omnia aut quædam sibi propria, humanitati: & vicissim, HVMANITAS omnia, aut quædam sibi propria, DEITATI realiter communicat: probatis? Qui enim contradictoriarum vnam negat: alteram fateatur necesse est. Quomodo igitur audetis negare, dogma hoc in libro Concordiæ vestræ, contineri: proprietates duarum naturarum, in persona Christi essentiales, realiter vtrique naturæ esse communes? Vos hoc dogma cumprimis in vestro libro vrgetis, variis licet loquendi formis: Et tamen hoc à Neustadianis, vobis falsò affingi, non pudet securè calumniari.

Not. Sed hac de re gratias Deo, imò & vobis agimus: quod nobiscum, dogma de reali communicatione, hoc est, quòd proprietates naturarum in Christo essentiales, factæ sint realiter inter ipsas naturas communes, falsissimum esse, liberè profitemini. Falsum igitur est, vestra etiam confessione, quòd docetis, Naturam humanam in Christo, ex vsurpatione, seu ex reali communicatione maiestatis diuinæ, factam esse omnipotentem, & omniscium & cætera. Videtis vim veritatis? Hæ certè non sunt coactæ interpretationes, sed necessariæ consequentiæ. Proinde quod dicitis: Imò hoc ipsum dogma, proprietates naturæ vnius, alterius fieri proprietates essentiales, liber Christianæ concordiæ reiicit, atque impietatis & hæreseos condemnat: quomodo igitur id ipsum, eodem libro profiteremur? merus est fucus, & puerile effugium. Primùm enim, quis vnquam dixit, proprietates vnius naturæ essentiales, fieri alterius naturæ proprietates: vt illam damnare potueritis? Deinde nos non accusamus vos hac de re: sed quòd dicatis, fieri alteri naturæ re ipsa communes. Esse communes, & esse proprias, pugnantia sunt. Quare licet vnum non dicatis, sed damnetis: non tamen sequitur, alterum igitur a vobis eodem libro non doceri.

D

E Egregios nostrorum sensorum Interpretes. Vos igitur datis, quod vobis obiicimus, nempe doceri à vobis, essentiales naturarum in Christo proprietates, realiter vtrique naturæ esse communes: sed tantùm nostram, id est, quam nobis affingitis, interpretationem reiicitis. Hoc nobis satis est, quod ad statum controuersiæ attinet. Status autem controuersiæ non est, an proprietates vnius naturæ essentiales, sint factæ alterius naturæ essentiales proprietates: sed an factæ sint ei communes. Quis enim vnquam tam imperitus fuit, vt vel per somnium cogitarit, quod est vnius proprium, alterius etiam fieri proprium posse? Sed an quod est proprium alterius, possit fieri commune; De hoc

F dubitari non immerito potuit. Hic insidiosè restringunt ad naturam vnam: quod in statu tamen controuersiæ, vt supra ostensum est, ad vtranque extenditur.

G Dicitis, sed nunquam probastis; nec in æternum probare poteritis: quoniam nec scripturas, quas in hac causa adfertis, nec patrum, quæ adducitis testimonia, pace vestra dictum esto, intelligitis, vt suo demonstratum est loco. Quæ enim est vel inscitia vel impudentia, citare dictum Athanasij ex epist. ad Epictetum pro reali communicatione idiomatum diuinorum in humanam naturam facta: cùm ibi de effectis creatitiis loquatur Athanasius, vt de gloria resurrectionis? Hæc enim, verbis in Apologia citatis, imò etiam vtcunque mutatis (nomine enim corporis, Apologetę nomē humanæ naturæ reposuerunt) subiicit explicationis gratia Athanasius: si quidem ex mortali, factum est immortale (corpus:) & cùm naturale esset, Spirituale redditum est, & cum è terra prolatum esset, Cælorum portas transcendit. Hæc pag. 78. Sed nostri bonæ fidei doctores, omittunt, mutant, addunt patrum dictis: prout putant suæ causæ, apud imperitos prodesse posse. Legantur & quæ sequuntur apud Athanasium: Et quisque videbit, qua fide, aut etiam quo iudicio, citentur ab istis Mundi reformatoribus Patres.

Imò verè, si de proprietatibus essentialibus naturarum sermo est: eodem planè modo & sensu, quæ sunt humanæ, de diuina, quo etiam, quæ sunt diuinæ, de humana prædicantur, nempe in Concreto. Tam enim verè de Deo prædicatur, quòd sit homo, quod sit passus: quàm de homine, quod sit Deus, quod impatibilis. Et apud Patres eodem sensu dicitur, quod verbum, suæ carni communicet, quo etiam idem verbum dicitur, quæ sunt carnis, sua ducere: nempe cum simpliciter de solis proprietatibus sermo est. Sed hoc est discriminis: quòd diuina, humanæ non solùm sua imputat, verum etiam earum effecta realiter donat: quæ autem sunt humanæ, ea tantummodo sua ducit: ab ea autem nihil realiter in se accipit. Hæc cum passim in Patribus occurrant: in eadem etiam epistola ad Epictetum, obseruari facilè possunt, & qui hæc non intelligunt, ij & sibi & aliis imponunt, in patribus legendis & citandis. H

Quasi verò alias fuerit de iis controuersia, per vos I autem composita. Sed quod dicunt de tertio genere, mera sunt ipsorum somnia, vt suprà demonstratum est. Apostolus cùm dixerit ad Galat. Vos omnes K Filij Dei estis per fidem: profectò hanc generalem propositionem probauit, Quicunque in Christum credunt, ij sunt Filij Dei, quid ita? quia ratio cur Galatas vocarit Filios Dei, fuerat illorum fides in Christum Filium Dei: cui quicunque fide copulantur, υἱοθεσίας participes fiunt. Cùm ergo vos passim in libro vestræ concordiæ rationem, cur dicatis, proprietates diuinæ naturæ humanæ communicari, afferatis esse vnionem personalem: Et hac vnione, non minus diuinam humanæ, quam humanam diuinæ vniri: quomodo in libro hanc generalem propositionem: Naturæ personaliter vnitæ, necessariò sibi communicant proprietates, contineri negatis, sed illam tanquam falsam reiicitis? Si est falsa hæc Thesis, vt reuera est; profectò nec illa hypothesis vera fuerit, quam ex vnione personali deducetis, de communicata realiter maiestate ipsi humanæ naturæ: nisi etiam vera sit altera, de communicatis proprietatibus carnis ipsi naturæ diuinæ. Aut igitur negandum fuerit, vnionem hypostaticam causam esse realis communicationis idiomatum: aut vtraque hypothesis concedenda. Quod dicitis de Samosateno & Nestorio in hac causa: aut non intelligitis quod scribitis: aut iniquè nos illorum exemplo perstringitis, ambiguis pro vestro more, ludentes & illudentes, vocibus. Illi enim naturas ἀσυγχύτως dicebant, hoc est, eas non potuisse in vnam personam vniri: idque propterea, quòd negabant, Iesum illum visibilem, esse verum Deum: Nos verò de reali idiomatum communicatione, quæ non in persona, sed in ipsis naturis fiat, disputamus. Imò Nestorius volebat, realem idiomatum diuinorum communicationem factam esse in filio hominis: vt quòd eius caro possit viuificare, peccata remittere, miracula edere: Sed non contra, vt quòd filius Dei sit passus, &c.

Falsum: vnione enim hypostatica, non reali com- L municatione Idiomatum, sicut semel fuerunt vnitæ: sic in sempiternum simul vnitæ seruantur.

Merum esse figmentum, vos ipsi testimoniis, quæ è M sacris literis profertis planè confirmatis. Sic enim Deus non mutatur: Ergo manet in suo proposito. Dixit

autem alibi, gloriam meam alteri non dabo, id est. vlli creaturæ realiter communicabo. Annon verò maiestas illa, de qua est quæstio, ad gloriam Dei pertinet: Et est ipsa Dei gloria? falsum igitur, eam humanæ naturæ communicari. Dicta illa Phil. 2. & Matth. 28. nihil ad realem communicationem pertinere, sæpe demonstratum est: Et interprete Luthero in libro de verbis Dauidis, per communicationem Idiomatum intelligenda sunt. Vana igitur vestra distinctio.

N. EXALTATIONI, increatæ quidem per gratiam vnionis: Creatitiæ autem realiter, pérque gratiam habitualem. Nec aliter intellexerunt Athanasius, vt supra diximus, & Cyrillus, aliique Patres, cùm dixerunt, diuinam ab humana nihil: humanam autem à diuina, plurima accepisse, quàm de reali rerum creatarum communicatione. Per gratiam autem vnionis, tam diuina humiliata est, quàm humana exaltata, Phil. 2.

ADMONITIO CAP. VIII.

pagina 252.

2. De similitudine ferri candentis.

VTuntur & similibus: sed quæ ipsos partim non iuuant, partim etiam lædunt. Ferro candenti, inquiunt, ignis proprietates realiter communicantur, vt vrat, fulgeat: Sic etiam naturæ humanæ realiter communicantur proprietates diuinæ naturæ, cui vnita est. Sed non vident, aut dissimulant se videre, non omnes proprietates ignis, sed eas duntaxat ferro communicari, quæ naturam ferri non destruant, vt calorem, molliciem, fulgorem, non autem raritatem & leuitatem ignis, motionem sursum. His enim in materiam ferri transfusis, non iam amplius ferrum ignitum, sed ignis esset. Sic multa ineffabilia dona communicantur humanitati à Deitate, sed non ipsam destruentia, & in aliam naturam commutantia. Aliud est ornare, aliud destruere naturam humanam: sicut aliud est ferrum candefacere, aliud comburere, aut in ignem mutare. Præterea, cùm ferrum candeat, non per substantiam ignis, sed per calorem, contactu ignis sibi inditum: Si volunt sic etiam realiter carnem per Deitatem fieri omnipotentem & infinitam? non effugiunt eam, quam olim defenderunt, CREATAM DEITATEM, & creatæ virtutis cum increata Deitate EXÆQVATIONEM. Hic illi quidem, cum sentirent, quàm in durum scopulum impegissent, substituerunt aliud commentum, videlicet, humanam naturam non per creatam & accidentalem, sed per increatam & essentialem omnipotentiam, hoc est, per ipsam Deitatem, esse omnipotentem. Verum id multo etiam est absurdius, & magis impium, quam illud prius: Per hanc enim omnipotentiam nihil potest esse omnipotens, nisi quod est ea ipsa omnipotentia, hoc est, ipse Deus. Ac proinde homo etiam Christus, per hanc omnipotentiam non possit esse omnipotens, nisi eam haberet in se tanquam partem substantialem suæ personæ.

Aduersatur ergo ipsis similitudo, siue ad personam, siue ad carnem Christi accommodata. Ferrum enim candens vrendi potens est, non quia ignis sit de ipsius substantia, sed quia calor ab igne ipsi est inditus. Sed homo Christus est omnipotens, non quia omnipotentia creata ipsi sit à Deo indita, sed quia omnipotentia est de ipsius substantia: Caro enim non est omnipotens, quia nec omnipotentia est de ipsius substantia, nec accidentalis aliqua omnipotentia ipsi à Deitate, cui vnita est, infunditur. Et sicut propriè loquendo, non ipsum ferrum, sed calor, qui inest ferro, vrit corpora admota: Sic non caro dat Spiritum sanctum, & operatur vitam æternam, sed λόγος qui in carne illa habitat; & tamen caro etiam suo modo viuificat cum tangitur, id est, fide apprehenditur, & nobis vnitur. Sic enim spiritus in illa habitans nos viuificat, sicut calor ferri vrit, cum ferrum tangitur. Vrit autem non ferrum, sed ferrum candens, per calorem quem habet sibi vnitum subiectiuè: sic non humanitas, sed homo Christus est omnipotens per Deitatem, quam in se habet vnitam carni suæ personaliter.

Sic etiam animæ & corporis similitudo ipsos refutat magis, quàm tuetur. Nam proprietates essentiales distinctæ manent realiter, salua interea reali & personali vnione animæ & corporis.

APOL. *fol.* 50.

OPpugnant postea similitudinem de ferro ignito, quæ in libro concordiæ, ex Origene, Basilio, Cyrillo, Augustino, Damasceno, ad explicationem sanæ doctrinæ, de communicatione maiestatis fuit allegata. Apparet autem, id quod candidus lector diligenter notet, huic similitudini ab orthodoxa antiquitate semper vsurpatæ, singulariter eos aduersari: propterea quòd doctrina huius mysterij, vt in sacris literis reuelata est, hac similitudine declarata, facilè à simplicioribus etiam intelligi comprehendíque potest. Quare in hoc ipsum omni studio & viribus incumbunt, vt dictas similitudines Ecclesiæ Dei vel planè eripiant, vel annihilent & peruertant. a. *De similitudine desumta à ferro candente, qua orthodoxa Ecclesia semper est vsa.*

Examinabimus autem eorum, qua vtuntur, Sophisticam. Prætendunt communicare quidem ferro ignem aliquas proprietates: seu eas duntaxat, quæ naturam ferri non destruunt vt calorem, molliciem, fulgorem. Non autem raritatem & leuitatem ignis, motionem sursum. His enim in materiam ferri transfusis, non iam amplius ferrum ignitum, sed ignis esset. Sic multa ineffabilia dona communicari humanitati à Deitate: sed non ipsam destruentia, & in aliam naturam commutantia. Ad quam elusionem, simplex hæc est, plana, nostra, librique concordiæ, responsio. Scire etiam nos, Dei beneficio, similitudines, non per omnia & in omnibus quadrare, vt dicitur, partibus. Ferrum enim subiectum est caloris & fulgoris: humana autem natura nequaquam *subiectum est*, in b.
quod diuina Maiestas sit effusa. Id quod Iustinus etiam Martyr de similitudine deducta ab anima & corpore humano verum fatetur. Quemadmodum etiam illud facilè damus: nequaquam doctrinam de communicatione maiestatis & virtutis diuinæ, huiuscemodi superstructuros nos similitudinibus, nisi sacrarum literarum expressis sciremus eam fundatam esse testimoniis. Similitudines enim longè infirmiores & minores sunt quàm quæ ad eiusmodi mysteriorum demonstrationem tantùm adhiberi debeant. Cùm autem manifesta extent c.
sacrarũ literarum testimonia, Matth. 11. 28. Ioh. 3. 5. 6. Phil. 2. 1. Ioh. 1. &c. quæ citra contradictionem huius doctrinæ fundamentum continent: & huc accedat totius Orthodoxæ antiquitatis consensus: quem similitudine hac, desumta à ferro ignito exprimere voluerunt: non possumus à similitudine hac, in qua præcipua ad doctrinam hanc spectantia explicata sunt, recedere: nisi ipsam veritatem prodere, verbúmque Dei negare velimus. Non est autem controuersia, de enunciationibus primi generis: nec de creatis etiam donis tantùm, de quibus hanc similitudinem *accipi &* d.
intelligi tantum volunt, verùm controuersiæ hic est status, an satisfiat similitudini, si ad ha-

ad habitualia & creata dona tantùm restringatur: quæ humanæ naturæ sic donata sunt, vt illa veluti creata & finita dona ac idiomata, in se & per se possideat: & an Orthodoxa antiquitas, in hanc sententiam tantùm, & non
e. aliter similitudine illa sit vsa. *Quæstione sic informata*, liquidò apparet, aduersarios nimis ieiunè & frigidè de sententia huius similitudinis sentire & loqui: longéque aliud ex ea concludere conari, quàm ad quod concludendum ab orthodoxa antiquitate, excogitata est & vsurpata.

Patres enim, quorum mentio suprà facta. Origenes li.2. de principiis, Basilius de Natiuitate Christi, Cyrillus de incarnatione vnigeniti cap. 8. Et lib.1. in Iohan. cap. 15. & lib. 14. cap. 15. Augustinus de Incarnatione: & Damasc. lib. 3. cap. 12. &c. quando hac vtuntur similitudine, desum-
f. ta à ferro ignito, *nullo modo* ad habitualia & creata dona seu finitas qualitates respiciunt: quas humana Christi natura, in se & per se possidet; verùm ad communicationem diuinæ maiestatis & gloriæ: quemadmodum id ipsorum testimonia clarissima luce euincunt.
g. *Verba Origenis* hæc sunt. Ipse ignis diuinus substantialiter in ea anima requieuisse credendus est, ex qua ad cæteros aliquis calor venerit.

Basilius: Quomodo Deitas est in carne? Sicut ignis est in ferro: non transitiuè: sed μεταδοτικῶς, communicatiuè. Cyrillus inquit: Quemadmodum siquis scintillam ignis in fœno aut palea occultauerit, totum inde ignitum necessariò fiet. Sic Verbum Dei tanquam scintilla, in naturam nostram immissum, totam inde inflammauit, atque ad vitam reduxit. Idem in Carbone, tanquam in imagine, licet conspicere adunatum quidem humanitati Deum verbum: non tamen prorsus proiecisse quod fuerat, transformasse autem magis assumtam naturam, in suam gloriam & operationem.

Qua similitudine tria potissimum orthodoxa antiquitas docere voluit. Primò quemadmodum duæ distinctæ substantiæ seu naturæ ignis & ferri, vniuntur, citrà transmutationem aut exæquationem naturarum, essentialiumque proprietatum: ita etiam duas naturas in Christo in vnitatem personæ, citra commutationem, exæquationem, aut abolitionem naturarum, essentialiúmque proprietatum, inseparabiliter sibi deiunctas esse.

Secundò, Quemadmodum ignis propter
h. vnionem *essentiales suas proprietates* lucendi & vrendi ferro communicat: sine omni naturarum vtriusque commixtione aut transmutatione: sic communicare etiam, diuinam Filij Dei naturam assumtæ humanæ naturæ, ratione & respectu vnionis personalis, essentia-
i. les proprietates: *quibus in ea, cum ea, per eam luceat, operetur, efficax fit.* Hæc tamen omnia fieri citra permixtionem aut confusionem naturarum, essentialiúmque proprietatum.

Vnde Basilius, de Natiuitate Christi dicit: Quòd sicut ignis sit in ferro, non transitiuè, μεταδοτικῶς, communicatiuè: & tamen totum ferrum se ipso repleat: &c. Ita Verbum non sustinuisse mutationem aliquam: quando caro factum est: *Communicatiuè* autem intelligit Basilius de communi k
possessione, vsu & effectu, communicatæ maiestatis diuinæ, ad quam assumta humana natura per personalem vnionem exaltata est.

Tertiò, Quemadmodum ignis, licet ferro communicet suas proprietates, non tamen contra ferrum suas qualitates communicare igni, frigus & nigredinem: Ita in personali etiam vnione duarum naturarum in Christo: Diuinam quidem humanæ suas, non autem vicissim humanam diuinæ suas communicare qualitates. Quemadmodum hoc ipsum præclarè Basilius exposuit. *Quo-* l
modo igitur Deus Verbum, corporea debilitate non impletum est? Dicimus, veluti neque ignis ferri proprietates transsumit. Nigrum est ferrum & frigidum, sed tamen ignitum, ignis formam induit, & ipsum illustratur ac candesit, non nigrefrigefaciens flammam: Sic sanè etiam humana Domini caro particeps facta est Deitatis, non propriam debilitatem Deitati distribuit: Ad hæc tria: nec vlterius: similitudo hæc, in libro Concordiæ se extendit: Ex quibus perspicuum est, non posse hanc similitudinem, vt aduersariis placet, ad creata tantùm & finita dona restringi.

Quòd autem ignis ferro raritatem, leuitatem, & motionem sursum non communicat, licet reliquas proprietates, vim lucendi, vrendi, penetrandi communicet: nihil omnino caussæ huic derogat: nec sanam doctrinam de communicatione maiestatis & virtutis diuinæ, cuius expressa habemus in actis literis testimonia, tollit & euertit. Nec ex illa consequitur, assumtæ humanæ Christi naturæ, accidentia aut qualitates seu finita dona communicari tantùm. Satis est scripturam testari, & similitudinem de ferro ignito confirmare: quòd quemadmodum essentiales ignis proprietates ferro, citra eius destructionem communicari possunt: Sic etiam essentiales proprietates filij Dei, de quibus expressa habemus sacrarum literarum testimonia, posse humanæ naturæ, citra eius destructionem & abolitionem communicari. Huc vsque enim orthodoxa antiquitas similitudine ista est vsa, & ad præsens negotium accommodauit.

Quemadmodum igitur ignis ferro proprietates, lucendi, vrendi, operandi, realiter & verè communicat, nec tamen communicat raritatem, leuitatem, motionem sursum, & hac ratione ferrum in sui substantiam non transmutat: Eodem modo euincitur Filium Dei assumtæ humanæ naturæ facilè omnem potestatem, virtutem, vim viuificandi, facultatem cooperandi, gubernandi &c. communicare posse, per & propter personalem vnionem, & sessionem ad dextram Dei: nec tamen necessariò consequi, vt aduersarij volunt, protinus

communicarē, æternitatem, infinitatem, essentiam, quæ ipsa est ab æterno, spiritualem, & quæ huius generis sunt alia: multo minus, abolitis essentialibus proprietatibus ipsaque natura & essentia, transformare illam in essentiam Spiritualem, æternam, infinitam, &c. quæ ipsa est Diuinitas.

m. Denique si ignis ferro *quasdam* proprietates essentiales communicare potest: nec necessariò propter illam communicationem, ferrum in essentiam suam transmutat: quanto magis Filius Dei assumtæ naturæ humanæ proprietates eas, quas vult, de quibus ex verbo Dei tantùm statuimus & pronunciamus, illiusque limites non egredimur, communicare potest: nec ideo necesse est, mox eam in essentiam transmutare diuinam.

Quæ etiam de creata obiiciunt Deitate, & de diuinæ & humanæ naturæ in Christo exæquatione: ea in libro Christianæ Concordiæ adeo clarè & perspicuè refutata sunt: vt cuiuis veram illius libri & nostram sententiam facilè sit intelligere: nisi studio quodam & petulantia exagitare alicui volupe. Vtramque enim opinionem & eam de creata Deitate, & alteram de exæquatione liber Concordiæ expressis verbis reiicit.

Aduersari etiam nobis dicunt similitudinem de ferro candente: Ferrum enim candens vrendi, aiunt, potens est, non quia ignis de ipsius sit substantia: sed quia calor ab igne ipsi est in-

n. ditus: *Sic hominem* Christum esse omnipotentem, non quia omnipotentia creata ipsi à Deo sit indita: sed quia omnipotentia de ipsius est substantia.

o. *Respondemus*. Non asserimus humanæ Christi naturæ creatam & à diuina natura separatam communicatam esse omnipotentiam, quam in se & per se possideat, & cuius ipsa existat subiectum, id quod falsò nobis affingunt. Sed dicimus omnipotentiam ei ratione & respectu personalis vnionis esse communicatam, ad illius communionem & vsurpationem esse exaltatam. Piam etiam antiquitatem similitudinem illam, non ad creatas qualitates, & finita dona sed ad communicationem Maiestatis diuinæ accommodasse, ex Origene, Cyrillo 6. de Incarn. Vnig. cap. 8. & aliis testimoniis constat. Nec etiam docemus, omnipotentiam humanę naturæ esse substantiam, aut substantialiter ei communicatam: Ita vt humana natura substantia sua omnipotens, vel substantialiter omnipotentiam possideat: Verùm, vt diximus, doctrina libri Concordiæ est, omnipotentiam assumtæ naturæ, in persona, seu ratione & respectu personalis vnionis esse communicatam: ad eiusdem communionem & vsurpationem esse exaltatam, diuinámque omnipotentiam & maiestatem, in, cum, & per assumtam humanam naturam lucere, operari & efficacem esse: quemadmodum ignis, in, cum & per ferrum sibi vnitum, lucet, splendet, vrit. Denique quando de communicatione Maiestatis loquimur: intelligimus non essentialem communicationem aut naturalem effusionem, vel separationem diuinarum proprietatum, aut creatæ omnipotentiæ, in assumtam humanam naturam: quemadmodum aqua è vase vno in aliud transfunditur: sed personalem communicationem, seu communicationem quæ existit ratione & respectu personalis vnionis: illiusque est consequens.

p. *Sic similitudinem animæ & corporis* refutare magis nos, quàm tueri, prætendunt: quòd proprietates essentiales distinctæ maneant realitèr: Idipsum nos etiam credimus, docemus, profitemur: proprietates essentiales, animæ & corporis, manere distinctas, nullóque modo confundi & permisceri: Animam verò potentias suas, vt eas nominant, corpori non verè & realiter, communicare: Ita vt in, cum, & per corporis organa, quamdiu corpori vnita est, non agat, euidens est mendacium. Anima enim oculis videt, auribus audit, lingua loquitur, manibus apprehendit: *rationem etiam quod attinet*, vtitur illa instrumento, capite, cerebro, q.
voce: *Et vicissim oculi vident*, aures audiunt, &c. r.
ex illa tantùm caussa, quòd anima vnà cum potentiis suis, vnita corpori personaliter: Nec tamen hanc, quæ physica est & naturalis communicatio, *sequitur transformatio* animæ in cor- s.
pus, aut corporis in animam: nulla etiam exæquatio proprietatum animæ & corporis. *Quòd* t.
si communicatio illa, in vnione hac animæ & corporis, quæ naturalis est, locum habet, citra vllam commixtionem aut exæquationem: quantò magis vera esse & locum habere poterit in assumta humana natura, quam filius Dei in vnitatem personæ indissolubili vinculo, sibi copulauit: & tamen hanc *nobis aduersarii* similitu- u.
dinem contendere audent.

De similitudine animæ & corporis humani: qua orthodoxa Ecclesia semper est vsa.

RESPONSIO.

NOn oppugnamus ipsam similitudinem, neque a.
quæ inde concludere voluerunt Patres; sed id duntaxat, quod vos de reali vestra Idiomatum communicatione, inepte colligitis, & præter propositos Patrum in illa similitudine, fines, simplicioribus hominibus persuadere conamini. Sanctis enim illis Patribus, adeóque toti Ecclesiæ, fœdissimam notam, vestro isto candenti ferro, inuritis: dum hoc simile, vltra illorum scopos, extenditis: cum nihil minus, quàm istud vestrum dogma, illo simili docere voluerint: id quod cuiuis manifestum fieri potest, si spectes, aduersus quosnam hæreticos, illud simile Patres vsurparint.

Primum aduersus Arianos & Nestorianos, hanc similitudinem vsurparunt, qui negabant illum hominem Iesum, verum etiam esse Deum, duásque naturas, diuinam & humanam, in vna & eadem persona, καθ' ὑπόστασιν esse vnitas. Ecce enim, inquiebant Catholici, duas naturas, ferri & ignis, in vno & eodem subiecto.

2. Aduersus Apollinarem, qui verbum volebat mutatum esse in carnem. En ignem ferro vnitum, sine vlla sui mutatione.

3. Aduersus Eutychen, qui in Christo duas in vnam confundebat naturas. En duas distinctas, & sine vlla confusione vnitas in ferro naturas.

4. Aduersus Monotheletas: qui licet verbis duas distinctas in Christo naturas profiterentur:

rentur; vnicam tamen duntaxat facultatem intelligendi, & vnicam volendi, & vnicam operandi, eóque & vnam tantummodo actionem in Christo imaginati fuerunt. En in machæra ignis secante diuersas distinctásque actiones ignis & ferri: eóque & distinctas agendi facultates. Hæc illo simili, & animæ itidem ac corporis, solis etiam & primogeniæ lucis, & si quæ sint alia similia, docere voluerunt Patres: Vestrum autem dogma nequaquam: cùm neminem habuerint, à quo ad hanc disputationem excitarentur. Cum igitur vos isto simili, ad aliud longè diuersum, & Patribus incognitum dogma, Ecclesiæ obtrudendum, abutamini: meritò non simile ipsum, sed vestrum illius abusum oppugnamus: Et contra isto simili monstramus, essentiales qualitates naturarum in Christo, vnitas quidem esse καθ' ὑπόστασιν, quemadmodum & naturas: sed minimè realiter, quæ vnius sunt, alteri esse communicatas, nisi nomine communicationis idem, quod & nomine vnionis, seu communionis, intelligatis. Nam in ferro, primùm non insunt essentiales ignis proprietates, sed tantum quædam illarum effecta; Deinde si fingamus, illas inesse, non tamen realiter sunt ferro communicatæ, sed tantum vnitæ. Non enim ferrum lucere, vel vrere, sed ignem in ferro & per ferrum. Nec aliud voluisse Patres; abundè & perspicuè in illorum testimoniorum, quæ adducitis, explicatione, alibi à nobis demonstratum est.

b. Si humana natura non est subiectum: vera ergo diuinorum Idiomatum communicatio, cum illa facta non est, ita vt omnipotentia Dei, de illa verè possit prædicari. Quicquid enim de aliquo verè & realiter prædicatur: id de illo prædicetur necesse est, aut vt pars eius essentialis, aut vt accidens de subiecto. Diuina autem idiomata, non esse partem substantialem humanæ naturæ, extra controuersiam est.

c. Hæc testimonia, nil vobis fauere, antea ostensum est. Testimonia itidem Patrum, vobis erepta sunt.

d. Falsum est illud TANTVM, vt paulò ante monstratum est.

e. Sed malè. vos sic informatis, non nos.

f. Falsum est illud, NVLLO MODO.

g. De iis testimoniis supra dictum est, quomodo sint intelligenda. De vnione verbi ad carnem καθ' ὑπόστασιν: minimè autem de reali Idiomatum communicatione, loquuntur.

h. Nimis supina est ignorantia, dicere, qualitates illas, fulgorem videlicet & calorem in ferro ignito, proprietates esse ignis essentiales. Essentiales enim rerum Physicarum, nec videri, nec tactu percipi possunt: quemadmodum neque ipsa rerum essentia. In aqua calida inest adhuc essentialis eius proprietas, quæ est frigiditas; (inseparabiles enim sunt à suis subiectis & substantiis essentiales proprietates) quis tamen illam sensu percipiat?

i. Quòd natura diuina luceat in natura humana, & in ea, & cum ea, & per eam operetur: id non concludit realem Idiomatum communicationem, sed tantum veram & hypostaticam vnionem. operatur IN EA, quia in ea inseparabiliter inhabitat, & agit: CVM EA, quia ipsa etiam humana, cooperatur diuinæ, consensu saltem & voluntate: PER EAM, quia multa, quæ præsertim ad officium Mediatoris pertinent, per illam efficit, tanquam per organum; illudque ὑποστατικῶς vnitum, intelligens, volens, agens: Sed quid hæc ad veram & realem Idiomatum communicationem? Hanc verò illo simili voluisse Patres demonstrare, falsum est.

k. Falsissimum est, vt suo loco ostendimus; Cùm de quibusdam tantummodo effectis ignis in ferro, non autem de communicatis essentialibus proprietatibus loquatur Basilius. Caro (inquit) participauit Deitate. Sed quomodo? Per vnitionem cum illa, & per effectorum eius perceptionem. Ipsa enim impartibilis est. Participare autem est partem accipere. Nos quoque facti sumus participes diuinæ naturæ, ait Petrus: quo modo? effectis eius, vti est creata sanctitas, bonitas, sapientia, nobis realiter communicatis.

l. Proprietates vocauit Basilius, ipsas ferri qualitates, non essentiales, vt ex contextu liquet.

m. Annon videtis, ex voce QVASDAM, non essentiales qualitates, sed accidentales communicari? Essentiales enim non communicantur sine substantia: Hac autem communicata, omnes non quædam communicantur.

Admonitio non habet, SIC; sed SED. Non enim affirmamus, sicut ferrum ideo vrit, quia illi calor ab igne inditus est, sic Christum &c. Sed hoc negamus; & alia ratione dici & esse omnipotentem profitemur. n.

Vos non respondetis ad propositum. Nos non affingimus vobis, quòd doceatis, carnem ideo esse omnipotentem, quia creata omnipotentia sit ei communicata: aut ideo, quia omnipotentia increata, facta sit illius substantia, ita vt caro sua substantia seu substantialiter sit omnipotens: sed hoc argumento conclusimus, carnem nullo modo esse realiter omnipotentem: quia si est, aut est per creatam omnipotentiam sibi à Deitate infusam. quo pacto ferrum calidum est, quia scilicet calor est illi ab igne inditus; aut per increatam omnipotentiam, hoc est, per ipsam Deitatem, quo pacto homo Christus est omnipotens. Atqui primum, vt absurdum vos quoque negatis: Et inde intulimus, simile ferri, vobis non fauere. Alterum fieri nequit; quia per hanc omnipotentiam, nihil potest esse omnipotens, nisi eam habeat in se tanquam partem substantialem suæ personæ. De carnis autem substantia, non est hæc omnipotentia, sicut est de substantia hominis Christi, & pars huius personæ. Ergo caro nullo modo dici potest, realiter esse omnipotens. Quare simile ferri, vobis magis aduersari, quàm fauere. Quis hic vobis aliquid falsò affingit? Quòd & primum, & alterum dilemmatis membrum, nobiscum negetis, locum habere in humana Christi natura, prudenter & piè facitis; sed quòd tertium adferatis modum, quo caro dicatur verè & realiter per omnipotentiam increatam esse omnipotens; id merum esse vestrum figmentum, antea demonstratum est. o.

Tria in summa dicitis, pro explicatione istius tertij modi, quæ tria, vos nihil ad rem vestram faciens dicere, manifestè euincunt. Primum, omnipotentiā hanc carni communicatam esse, in persona. Quid hoc autem est aliud, quàm hanc omnipotentiam realiter esse in persona, non autem à Carne realiter in se haberi? ac proinde non carni, sed personæ realiter factam esse communem: déque carne prædicari non posse, nisi per gratiam vnionis, seu per communicationem Idiomatum? Nihil enim dici potest realiter alicui esse communicatum: nisi illud ipsum realiter acceperit, & in se habeat. Fuerit ergo caro omnipotens in persona, non in se se. Totum verò hoc nos quoque cum Leone docemus, diues in suis, pauper in nostris: quemadmodum nos quoque perfecta iustitia iusti sumus in Christo, non in nobis. Deinde additis aliam explicationem: Carnem ad huius omnipotentiæ communionem & vsurpationem exaltatam esse. Si nomen Communionis idem vobis sit, quòd vnio, quo sensu Leo dixit, formā vnam operari cum communione alterius: item nos quoque semper docuimus, & docemus, quòd sicut ad naturæ diuinæ. sic etiam ad omnipotentiæ, diuinarumque proprietatum communionem, assumta sit & exaltata humana natura. Si verò accipitis, pro reali participatione, quod facta sit huius omnipotentiæ particeps: vt taceam, quod propriè loquendo, participare est partem capere, non totum, omnipotentia autem diuina impartibilis est: si totius facta est particeps, habet igitur illam totam sibi communicatam, vel in se se, vel in persona. Si primum dixeris, pugnat cum præcedenti membro, & passim cum vestris scriptis, quibus negatis carnem, illam habere in se se. Si alterum: Ergo non est omnipotens in se se, sed in persona: quod vt diximus, nos quoque profitemur.

Illud etiam nomen VSVRPATIONIS, actiuè aut passiuè à vobis capitur; hoc est, quod aut ipsa caro vsurpet omnipotentiam Dei, eáque vtatur, & per illam operetur: aut quòd contra, ipsa à diuina natura ad sua opera vsurpetur. Si primum, præterquam quod pugnat cum sequenti tertio membro huius explicationis: est etiam per se absurdissimum & blasphemum, quod videlicet Creatura vtatur Creatore, & per Creatorem operetur. Si alterum (vt sequitur, & vt concedimus:) non igitur ipsa humana natura est realiter in se omnipotens, nec per omnipotentiam agit, sed ab illa agitur. ita tamen vt acta ab increata & infinita potentia, agat per suam creatitiam & finitam.

" Tertium itaque membrum vestræ explicationis est:
" Diuinam omnipotentiam & Maiestatem, IN, CVM,
" & PER assumtam humanam naturam, LVCERE, O-
" PERARI, EFFICACEM ESSE: quemadmodum ignis,
" IN, CVM, & per ferrum sibi vnitum, lucet, splendet,
" vrit Hæc vos pro explicatione vestra realis communicationis.

Principiò, si in hoc consistit realis communicatio: quid inde consequatur, modò dictum est, & simili ferri confirmatum. Non enim huic communicata est essentialis lucendi & vrendi ignis proprietas, sed effecta. Ac si illa, velis esse ignis proprietates: vnitæ potius esse dicendæ sunt, quam realiter communicatæ: quia non ferrum lucet, aut vrit, sed ignis in ferro: vt lux quoque candelæ in laterna, non ipsa laterna lucet. Deinde ad singula verba quod attinet: illud IN EA, ita concedimus, vt tamen EXTRA etiam humanam naturam, cum vult, luceat, hoc est, suæ præsentiæ specimina edat, operetur, efficax sit. In vestimentis certè Christi, semel resplenduit: nec tamen fuit eis realiter illa Maiestas communicata: Et operata est efficaxque fuit in Apostolis, cùm per illos edebat miracula: nec tamen eam fuisse illis realiter communicatam, nisi fatuus, quis dixerit.

Illud etiam CVM EA, ita admittimus: vt tamen non omnia simpliciter cum illa operetur, sed multa sine ea. Quid enim natura humana, ad sui viuificationem & sustentationem cum diuina operatur? Simpliciter verò propositio illa vera est, in iis quæ ad mediatoris officium pertinent, non in omnibus rebus & actionibus. Idem quoque ad PER EAM, respondemus. Nunquid enim omnipotentia Dei, naturam Christi humanam, per ipsammet naturam humanam, viuificat, sustentat? Nunquid per illam cognoscit, vult, amat & se, & alios.

Verbum etiam LVCENDI, duo complectitur, diuinam lucem, eámque inuisibilem, quæ lucet: & lumen splendorémque visibilem, quem in carne Christi parit. Illa vnita duntaxat est carni Christi καθ' ὑπόστασιν: Hic autem res est creatitia, & effectum lucis, realiter in carne Christi, tanquam in subiecto inhærens, Hinc ergo non sequitur, ipsam diuinam lucem, quæ est diuina essentia, suis proprietatibus ornata, carni Christi ideo realiter esse communicatam, quia IN EA relucet per sua effecta, creatitiam finitámque Maiestatem & gloriam, creatitiam finitamque bonitatem, sapientiam, potentiam, &c. Sed neque etiam grauabimur, concordiæ caussa, vobiscum dicere, esse realiter communicatam: modò vicissim & vos nobiscum, & cum Scholasticis addatis, PARTICIPATIVE: id est per effecta, realiter illi communicata & participata. Quanquam eo etiam sensu, participatiuè communicatam esse, non diffitemur: quo etiam sensu cuiuis instrumento, artificis actionem, cùm per illud operatur, quodammodo communicari, communi omnium consensu dicitur: hoc est, diuina Maiestas, per illam humanam naturam, tanquam per suum organum καθ' ὑπόστασιν sibi vnitum propria illius actione vtens, multa sua diuina operatur.

Verbum item OPERANDI, duo includit, operam, seu, actionem, & opus ipsum: τὴν ἐνέργειαν & τὸ ἔργον. Actio diuina tam carni Christi est realiter communicata, quàm etiam ipsa diuina essentia: sed actionem aliam, à se diuersam in ipsa humana natura, puta in voluntate, excitat, qua ad idem opus perficiendum in Creaturis, concurrat. Actio igitur ipsa Dei, non communicatur humanæ naturæ simpliciter, hoc est, ita, vt hæc cum diuina natura, vna & eadem actione operetur: sed tantùm participatiuè, vt supra explicatum est. Si hic sit sensus vestræ realis idiomatum communicationis: sublata est controuersia: sin alius: nihil, vt ostendimus, concluditis: sed quæcunque hic & alibi explicandæ vestræ sententiæ caussa adfertis: nihil aliud concludunt, quàm veram & realem, sicut naturarum, sic etiam illarum proprietatum, in eadem persona, vnitionem.

Eodem spectant, quæ subditis de anima & corpore.

P Diximus, simile Animæ & corporis, vobis magis aduersari, quàm fauere: quia salua vnione Animæ & corporis: proprietates vtriusque essentiales, manent distinctæ. Quid ad hoc vos? Conceditis totum: postea additis, Animam verò &c. quid hoc ad quæstionem? Primùm crassa est ignorãtia, non distinguere inter potentias, & actiones: τὰς δυνάμεις καὶ τὰς ἐνεργείας. Actiones principalis agentis PARTICIPATIVE, eo sensu, quo supra explicatum est organis communicari, concedunt Philosophi: potentias verò ipsas nequaquam. Non enim manus mea per potentiam Animæ scribit: Sed Anima per manum, tanquam per suum organum. Vbi verò neque etiam per organum suas exerit actiones veluti mens, quæ per organum corporis neque intelligit, neque vult: quomodo ibi dici potest, suam communicare potentiam, cùm neque actionem, vllo modo communicet? Nunquid verò Deitas, ad omnes suas actiones, vt ad intelligendum, volendum, amandum, & alia infinita, vtitur humana natura?

Non ad intelligendum, & volendum: sed ad phantasmata duntaxat, seu ad species rerum percipiendas, his vtitur organis Atq; hinc seniores Philosophi, mentem esse immortalem concludunt: quia in corpore, per corpus, neque intelligit, neque vult. Potest igitur extra corpus intelligere & velle eóque viuere. Quomodo igitur Deitas, omnes suas actiones, per humanam naturam semper edit: Si hoc dici de mente nostra non potest? Q

Si oculi, ex ea tantum caussa dicuntur (sed impropriè) videre, & aures audire, quia Anima vna cum potentiis suis vnita est corpori personaliter: Ergo non quia communicatas sibi realiter habent animæ potentias, vident & audiunt. Nam, vt vos quoque docetis, distinguitur vnio personalis à reali communicatione. R

Profectò sequerentur hæc absurda: si essentiales & propriæ animæ facultates, realiter organis istis corporis communicarentur: quia communes essent corpori, cum anima. S

Ecce strophas. Modò dixistis in simili animæ & corporis, ea tãtum de caussa, oculos dici videre, quia anima cum suis potentiis, vnita est corpori: nunc in applicatione concluditis caussam esse ipsam realem communicationem. T

Quidni aduersatur? mens humana vnita tantummodò est corpori, non autem ita realiter communicata, vt corpus quoque verè dici & esse possit inuisibile, incorporeum, immortale, intelligens, videns; Vos autem dicitis, Maiestatem Dei, ita esse non solum vnitam, sed etiam realiter communicatam toti humanitati, atque ideo etiam corpori: vt & ipsa sit realiter omniscia, omnipotens, vbique præsens. Quomodo igitur non aduersatur vobis simile Animæ humanæ? Anima non agit omnia per corpus, vt ante ostensum est, quia per illud non intelligit, non vult: Quomodo ergo ex simili Animæ probare potestis Deitatem omnia agere per carnem? Renera in vestris enunciationibus, aut nimis imperiti estis: aut valde imprudentes. V

AD M. pag.254.

Aiunt porro, si proprietates diuinæ non realiter communicentur humanitati, hominem Christum non fore DEVM verè & realiter, sed duntaxat nominetenus seu titulotenus. 3.

At quis tandem docuit illos hanc Theologiam aut Logicen, vt sic ratiocinentur? Christi humanitas non est omnipotens; Ergo Christus non est homo omnipotens: Perinde si dicas; Hominis anima non est mortalis; Ergo nec homo est mortalis: vel, Hominis corpus non intelligit; Ergo homo non intelligit. Atqui realiter homo est mortalis & intelligens, etsi neque anima eius moriatur, neque corpus intelligat. Sic & homo Christus realiter est Deus, etsi humanitas ipsius non sit Deus; Et Deus realiter est homo, est mortuus, etsi Deitas ipsius neque homo, neque mortua sit.

APOL. fol.

Affingunt præterea libro Christianæ Concordiæ sic in eo nos ratiocinari. Si proprietates diuinæ non realiter communicantur humani- *Admo. p. 254.*

humanitati: hominem Christum non fore Deum verè & realiter: sed duntaxat nominetenus, seu titulotenus. Hæc autem conclusio nusquam in libro Concordiæ expressa: sed ab ipsis tantum conficta est & libro obtrusa. Verùm sic concludimus libro Concordiæ pag. 245. Nisi humanitas personaliter esset filio Dei vnita, & sic verè & realiter, nihil, solo nomine excepto, cum eo commune haberet: non posset etiam Christo homini, appellatio Dei, seu Filii Dei altissimi, verè & realiter tribui: hanc conclusionem mera petulantia inuertunt, saltem vt, quod cauillentur & calumnientur, habeant: quò libidini suæ aliquo modo satisfaciant.

R. N.

A. Mirabiles disputatores: qui cum vident à se dicta, summæ impietatis conuinci; eò confugiunt, vt à se dicta fuisse negent. Ex suis ergo ipsorum libris conuincendi sunt.

Annon de persona Christi, assertione V. scribitis; Quicquid humani de Deo, & quicquid diuini de homine Christo dicitur & creditur: id totum promanare ex vnione personali (quo nihil verius) Et ex communione (Notetur illud ET;) quæ inde consequitur? Hoc autem nomine, realem idiomatum communicationem intelligitis, vt liquet. Quomodo igitur non est verum à vobis doceri, hominem Christum, non fore realiter Deum; nisi diuinæ proprietates, verè & realiter humanæ naturæ, non solum vniantur, verum etiam communicentur? Annon hæc est vestra Assertio sexta.

HINC (id est ex hac, non solum vnione, sed etiam communicatione reali proprietatum) etiam credimus, docemus & profitemur, quòd Deus sit homo, & homo sit Deus: id quod nequaquam ita se haberet, si diuina & humana natura prorsus inter se nihil reuera & re ipsa communicarent. Et mox subditis exemplum, hominem Christum non posse rectè appellari Deum, aut filium Altissimi: Si ipsius humanitas non esset cum Filio Dei & personaliter vnita, & realiter nihil haberet cum ipso commune. Quibus in verbis, cum quæstio sit de naturis, non de persona: vos vel ex malitia & insidiosè, vel ex imprudentia posuistis, CVM IPSO. Sed hoc esto πάρεργον.

Ex eodem fundamento, hoc est, non solum ex vnione personali, sed etiam ex reali idiomatum diuinorum cum humana natura communicatione, concluditis Assertione VII. rectè dici Mariam, esse matrem Dei quasi vnio sola naturarum καθ' ὑπόστασιν ad hoc non fuerit satis, veraque huius appellationis caussa.

Item in Repetitione, pag. 729. sic habetis; propter quam vnionem, & communicationem, Deus homo est, & homo Deus. An non videtis vbique in vestræ Concordiæ libro, caussam cur sit & verè dici possit, homo Christus esse Deus, & Deus homo, à vobis non solam naturarum vnionem, verùm etiam realem Idiomatum communicationem constitui? Quid ergo garritis, AFFINGVNT, AFFINGVNT NOBIS? iudicet lector. Imò, etiam verbis vestris, quæ hoc in loco citatis ex libro Concordiæ, idem planè ipsi docetis, à nobis vobis affingi. Annon apertè confirmatis, non solum vnionem, sed etiam realem idiomatum diuinorum communicationem, caussam esse, cur appellatio Dei, Christo homini, verè & realiter tribuatur? Quantum autem differt ista vestra locutio, ab hac, quam negatis esse vestram; Si proprietates diuinæ non realiter communicantur humanitati; homo Christus, verè & realiter non foret Deus? Nihil nisi quod sub nomine Concreto, CHRISTO HOMINI, insidias vestras abscondistis.

ADMONITIO pag. 254.

Similis est vanitas alterius absurdi. In humanitate Christi, & in aliis sanctis, imò & in omnibus rebus, sic adest Deitas, vt non faciat eas omnipotentes: Ergo in humanitate Christi, & in aliis personis & rebus eodem modo est Diuinitas, & per consequens, Christus non magis est Deus, quàm Paulus & omnes creaturæ.

Falsissimum est, & monstrosa blasphemia, ex Eutychianismo & Nestorianismo, tanquam Chimæra quadam conflata; videlicet, nullum esse discrimen præsentiæ Dei in creaturis, quas non facit omnipotentes. Etsi enim natura humana non sit omnipotens, tamen manet ingens discrimen inter præsentiam Deitatis in hac massa naturæ humanæ, & in aliis rebus, videlicet, vnio seu copulatio arcana & ineffabilis huius naturæ cum persona λόγου, cuius nullum est exemplum in aliis rebus. Sicut Deitas vnita humanitati, non humanitatem, sed hominem Deum facit, sic omnipotentia, quæ nihil aliud est, nisi ipsa Deitas, vnita humaniti, non humanitatem, sed hominem facit omnipotentem. Humanam vero naturam omnipotentem, omnisciam, immensam facere, nihil est aliud, nisi eam DEIFICARE: Cum idem sit omnipotentem esse, & Deum esse. Non ergo iam filius Dei est caro nostra, & os nostrum, sed vel aliam naturam assumsit, vel assumtam naturam nostram in aliam transformauit. Hæc autem est ipsissima Eutychis & Schvvenckfeldij impietas. Et si hæc Deificatio sola sit discrimen inter præsentiam Dei in Christo, & in aliis rebus, ea substituta tollitur vera & ineffabilis & personalis naturarum vnio, quæ est Nestorii blasphemia. Hæc sæpe illis obiecta sunt, ex quibus, quo magis extricare se conati sunt, tanto magis se intricarunt.

APOL. fol. 256.

Similis vanitas, insequentis etiam est calumniæ, qua libro Concordię tribuunt, quòd doceat, discrimen inhabitationis diuinitatis in Christo & aliis sanctis *in hoc potissimùm consistere,* a quòd humanæ Christi naturæ conferat omnipotentiam: reliquis non item. *Dedita autem opera* b & singulari petulantia omittunt, id quod in libro Concordiæ præmittitur, quodque fundamentum huius posterioris est: ipsam videlicet personalem vnionem, *cuius consequens est,* c communicatio Idiomatum, & ea, quæ illi adhærent. Ita vt *discrimen præcipuum* inhabitationis d diuinitatis inter Christum & sanctos, non ex Communicatione Maiestatis diuinæ, verùm propriè ex personali vnione duarum naturarum diuinæ & humanę in vnam inseparabilem hypostasin, sit petendum. Hac enim ratione, hoc est, personaliter & inseparabiliter, in solo Christo, & nullo è sanctis, habitat diuina natura. Hac posita specifica differentia, sequitur vltrò & sponte: Cùm diuina natura Christi, cum assumta humana natura, personaliter, indissolubili vinculo sit vnita: quòd eidem non tantùm summa dona communicet, & per eandem vt in aliis sanctis, operetur & efficax sit: verùm etiam, quòd pro ratione & propter vnionem personalem, secundum euidentissima sacrarum literarum testimonia, diuinam etiam virtutem & maiestatem eidem *communicet in eum,* e *& per illam operetur,* efficiat, gubernet potenter omnia in Cœlo & in terra. Matth. 28. Psal. 8. Eph. 1. vt copiosè ista in libro Concordiæ sunt declarata. Vnde ratione etiam huius communicationis, permagnum omnino est, inter inhabitationem & operationem diuinitatis in sanctis, & illam quæ est in humana assumta natu-

Admoni. pag. 254.

ra in Christo, discrimẽ. De illo mẽtio fit in libro Concordiæ: qui calumniosam illam interpretationem planè ignorat: quemadmodum illam f etiam pro nostra non agnoscimus. *Corruunt* igitur omnia, quæ ex Eutychianismo & Nestorianismo conflata obiiciunt libro Concordiæ.

g Magno etiam clamore contendunt, *idem esse* *Admoni. p. 155.* *Deificari*, DEVM esse, & omnipotentem esse: Cùm igitur in libro Concordiæ humanæ assumtæ naturæ tribuamus, diuinam virtutem & potentiam, necessario consequi, humanam Christi naturam Deificari aut Deum statui. Verùm id nullo modo sequitur: & longissimè abest: Discriminis caussa & ratio manifesta est & clara: Diuina enim Christi natura, seipsa, essentia sua, est omnipotens, imo ipsa est omnipotentia. Humana Christi natura, non seipsa, essentia sua, omnipotens est: nec in se & per se, omnipotentiam habet tanquam sibi infusam: sed ratione & respectu personalis vnionis omnipotentiam in tempore accepit. Verùm de hoc etiam fusius paulo post, cap. 4.

R E S P.

A Istud POTISSIMVM, non habet admonitio: Et facit ad calumniam. Nos simpliciter dicimus, realem omnipotentiæ communicationem, ita necessariam in humana Christi natura à vobis constitui: vt nisi hæc admittatur, nullum futurum sit discrimen præsentiæ Dei, inter illam, quæ est in humana Christi natura: Et illam, quæ est in aliis creaturis, & in sanctis hominibus: quod cùm in aliis etiam rebus, & in sanctis sit: non eas tamen faciat omnipotentes. Annon vero hoc passim in libro Concordiæ docetur? Vt enim Christus homo, verè dici possit Deus: docetis non solam hypostaticam vnionem, sed etiam realem Idiomatum communicationem, requiri: vt paulò ante ex vestro libro demonstratum à nobis est. Annon igitur specifica differentia, seu id quo verè & proprie differt Christus homo, ab aliis hominibus, eòque præsentia Deitatis in humana Christi natura, ab eiusdem præsentia in aliis rebus discrepat: in hoc à vobis constituitur, quòd Deitas non solum vnita est humanitati καθ' ὑπόστασιν, verum etiam eam reddat omnipotentem: seu quod in, & cum ea, & per eam luceat, & efficaciter operetur? Deinde, An non dogma istud traditis apertè in libro Concordiæ Latino pag. 742. Probaturi enim hanc realem omnipotentiæ communicationem in humana Christi natura: hanc adfertis rationem, quòd alioqui præsentia Dei in homine Christo, non differret à præsentia eiusdem in aliis rebus, & præsertim in sanctis. Quid ita? Cùm enim (aitis) Deus sit spiritualis indiuisa essentia, quæ vbique & in omnibus creaturis est. Et vbi est, ibi (præsertim in credenti-
" bus & sanctis) suam secum Maiestatem habet: tum (se-
" cundum superiorem falsam hypothesin) dici posset, in
" omnibus creaturis, præcipuè verò in Electis & sanctis,
" qui sunt templa Dei, totam plenitudinem diuinitatis
" corporaliter inhabitare, in eis omnes thesauros sapien-
" tiæ & scientiæ absconditos, illis omnem potestatem in
" Cœlo & in terra datam esse: cùm fateri oporteat, cre-
" dentibus spiritum sanctum datum esse, qui & ipse o-
" mnem potestatem in cœlo & in terra habet. Ea verò
" ratione inter Christum, iuxta humanam eius naturã, & inter alios sanctos homines nullum discrimen relinqueretur. Et Christus Maiestate illa sua, quã præ omnibus aliis creaturis, vt homo, seu secundum humanitatem accepit, exueretur. Nulla autem creatura (siue homo, siue Angelus) dicere potest aut debet: Mihi data est omnis potentia in cœlo & in terra: Cùm tamen Deus vniuersa diuinitatis suæ plenitudine (quam vbique secum habet) in electis quidem sit, veruntamen non corporaliter in illis habitet: sicut in Christo corporaliter inhabitat. At ratione illius hypostaticæ vnionis Christus dicit, etiam de humana sua natura: Mihi data est omnis potestas in Cœlo & in terra. Et alibi, &c.

Argumentum vestrum tale est: In quibuscunque rebus, diuina Essentia, sine reali suæ omnipotentiæ communicatione, inest & inhabitat: in illis, sine vllo alio Maiestatis discrimine inest & inhabitat, quàm secundùm magis & minus: seu ibi nullum discrimen inter habitationem illius essentiæ diuinæ, in vna & in alia re, assignari aliud potest, quàm secundùm magis & minus. Huius falsæ propositionis adfertur hæc non minus inepta ratio: nimirum, quia diuina (inquiunt) Essentia est spiritualis & indiuisa, secúmque habet, vbicunque est & inhabitat, suam Maiestatem. Atqui, diuina essentia, magno cum discrimine habitat in sanctis, & in Christo, hoc est, in natura humana Christi: quia in hac corporaliter inhabitat, in illis autem non ita: Ergo vt discrimen hoc habitationis in sanctis & in Christo homine seruetur: Maiestas diuina, carni seu naturæ humanæ Christi minimè nominetenus, sed realissimè communicata esse, dicenda est. Iudicet prudens lector, an non hoc sit illorum argumentum: sed (vt solet in eo libro fieri) verbosè, ne fraudes à quouis perspici possent, tractatum. Quomodo igitur audent dicere esse calumniam?

Qui nostis corda nostra? B

Ergo docetis, sine reali Idiomatum communicatione, non posse consistere hypostaticam vnionem. Vnio C autem hypostatica est illa differentia specifica, vobis testibus, qua differt habitatio Dei in humana Christi natura, ab habitatione in sanctis. An non igitur vestra hæc est doctrina: nisi in humana Christi natura concedatur realis idiomatum communicatio, non fore discrimen inter habitationem Dei in Christi carne, & in sanctis.

Si præcipuum est vnio hypostatica: communicatio D igitur Maiestatis fuerit secundarium. Sed vos hanc ita facitis secundarium discrimen: vt sine hac, neque homo Christus sit Deus, neque virgo Deipara: ac proinde nec essentialiter Christus à sanctis differre dici possit. Non sola igitur vnio hypostatica fuerit specifica differentia, qua differat Christus à sanctis: sed etiam realis Maiestatis communicatio. Sed hoc non est propriè, aliquid realiter alteri communicare, id est facere commune: nisi participatiuè: sicut actio principalis agentis, participatur ab organo. Quo spectant similia ferri igniti, & corporis animati. Nostris igitur amphiboliis & altercationibus, turbamus & perdimus Ecclesias.

An corruant: indicet lector ex dictis: Si realis com- E municationis nomen propriè accipiatur. Profectò, si omnipotentia Dei, ita realiter communicetur carni Christi, vt non minus hæc sit omnipotens, & per hanc operetur, quàm Deus: necesse est, vt & duo sint [illegible] operantia: Et humana natura, reali illius omnipotentiæ participatione, deificetur, & diuinæ naturæ exæquetur: aut nos loquimur quod nescimus.

Deificati, seu vt Græci loquuntur θεούμενος trifa- F riam capitur: 1. pro fieri Deum, non reipsa, & reali diuinæ essentiæ communicatione, sed tantùm hypostatica vnione, per gratiam vnionis: Et sic Patres aiunt, sicut Deus λόγος vnione sui cũ carne humana incarnatus & humanatus est: Sic etiam carnem vnione sui cum Deo λόγῳ καθ' ὑπόστασιν, Deificatam esse. Damasc. ex Greg. Nazianz. lib. 2. c. 17. 2. pro maximis & verè diuinis Dei donis, & præsertim diuina gloria, maiestate, potentia, licet finita & creatiua, qua proximum ad Deum acceditur, ornari. Et hoc etiã sensu Patres dixerunt, carnem Christi post resurrectionem, & sessionem ad dextram Dei Patris, deificatam esse: quia ditata & ornata est diuina gloria. Vtroque sensu, nos quoque humanam Christi naturam deificatam esse, ingenuè confitemur. 3. pro ita realiter diuinæ & essentialis Maiestatis, gloriæ potentiæque Dei communicatione donari: vt non minus tu verè dicaris, & realiter sis omnipotens, omniscius, & vbique præsens, quàm Deus. Quid enim hoc aliud est, quàm Deum realiter fieri? Cui realiter communicatur humana natura: is verè & realiter fiat homo, necesse est. Quid autem diuina Maiestas & omnipotentia aliud reapse sunt, quàm ipsa diuina essentia? Cùm igitur vos, hanc, humanæ naturæ non solùm καθ' ὑπόστασιν vnitam, sed realiter etiam communicatam esse contendatis. Quomodo non apertè, hoc tertio sensu, naturam humanam in Christo, Deificatam

tam

tam esse docetis? At nullo modo (aitis sequitur hoc. Ratio: quia humana natura omnipotentiam hanc non habet in se, & per se, tanquam sibi infusam: sed ratione & respectu personalis vnionis, omnipotentiam in tempore accepit.

Primum illud, SED RATIONE ET RESPECTV, &c. nil ad rem facit: Non enim quæstio hic est, cuius rei ratione & respectu, seu vnde acceperit & habeat hanc omnipotentiam: Sed an vere, & realiter sibi communicatam acceperit, & in se habeat. Ad hoc enim, vt quis verè dici possit esse homo; satis est, si illum, humanam naturam sibi realiter communicatam, in se habere euinci possit; siue immediatè à Deo, vt Adam: siue per alios homines, eam acceperit: hoc nihil ad veram hominis definitionem, & essentiam pertinet; quia caussæ externæ ad essentiam rerum non faciunt, sed tantum internæ, materia & forma, seu quod saltem habet rationem formæ ac materiæ. At neque inquitis, eam omnipotentiam, humana natura in se, & per se habet. Si demonstretur illud IN SE: sequetur etiam necessariò, illud PER SE. Qui enim verè in se habet humanam naturam sibi realiter communicatam is certè non per se aliud, quàm per se, hoc est, per illam suam naturam, licet ab alio acceptam, homo fuerit. Annon Christus per se, licet non ex se Deus est? An non idem, homo per se, quia per humanitatem, quam sibi ex Maria communicatam accepit? Quòd vero reipsa doceatis, licet verbis negetis, humanam Christi naturam habere in SESE, diuinam illam omnipotentiam, eóque & essentiam: hinc manifestum fit, 1. quia ad probandum vestrum somnium, talibus sacrarum literarum testimoniis abutimini, quæ, quod datum fuisse prædicant Christo, quatenus homo est illud in ipso homine Christo, realiter inesse docent. Vt probetis Christo, qua homo est, essentialem Dei sapientiam, realiter communicatam esse: adducitis illud Col. 2. In quo sunt omnes Thesauri, &c. Notate illud IN QVO: quod vos interpretamini, in humana Christi anima. Si hoc testimonium vobis fauet; quomodo ergo altera ex parte negatis, omniscientiam esse in ipsa Christi humana natura, id est, in anima? Vt etiam probetis, carni Christi communicatam esse realiter vim illam viuificandi essentialem, quæ Dei est propria: illud ex Iohan. 5. adfertis: sicut Pater vitam habet in semetipso: Sic dedit & filio (quatenus, vt vos exponitis, homo est) vitam habere in semetipso. Not. illud IN SEMETIPSO. Item in genere de omnibus essentialibus proprietatibus, illud vrgetis, Col. 2. In IPSO (id est, in carne, vt vos interpretamini, Christi) inhabitat omnis plenitudo Deitatis, id est, diuinorum, vestra sententia, idiomatum. SI IN IPSO: quomodo ergo negatis eum, illa IN SE habere? Aut certè ista, & alia huius generis Testimonia, à vobis torquentur, cum nihil vobis faueant; aut, humanam naturam Christi, idiomata Dei essentialia, IN SESE realiter habere communicata, necessariò dicendum est. Deinde, si habet ea realiter sibi communicata, Et non habet (vt dicitis) in se: Et tamen realiter habet: In alio igitur habeat necesse est. In quônam obsecro? Omnino aut in aliqua alia creatura, aut in Creatore. Non primum; tum quia nulla, præter eam quæ est in Christo, vnita est Deo καθ' ὑπόστασιν: tum quia illa exæquaretur Deo: In Creatore ergo: Non certè in Patre, nec in Spiritu sancto: quia hæ personæ non habent sibi vnitam carnem Christi, καθ' ὑπόστασιν. In λόγῳ igitur, cuius personæ ceu pars facta est caro. Quid verò hoc aliud est, quàm id, de quo aduersus vos disputamus; idiomata nimirùm Dei essentialia, in λόγῳ duntaxat realiter inesse; non autem humanæ naturæ realiter, sed nominetenus tantum, communicari: idque siue de ea concretiuo nomine, vt homo omnipotens & Deus est: siue abstractiuo, vt sanguis Christi lauat à peccatis, prædicetur? Nam in iis etiam locis, Synecdochicῶs, pars personæ ponitur: vt caro Dei, nihil aliud sit, quàm Deus incarnatus: vt Patres Scholastici docuerunt.

Putidum igitur est vestrum effugium: ideo carnem Christi non Deificamus reali nostra idiomatum communicatione: quia illa ea non habet in se, vel per se, &c.

ADMON. pag. 255.

Sic etiam partim Arij, partim Eutychis hæresibus aditus patefit, cum dicitur, Maria est θεοτόκος: Filius Dei est mortuus: Ergo proprietates humanæ, vt nasci, & mori, realiter communicantur Deitati.

Sentiunt sibi hic aquam hærere, cum obiicitur eis quòd realem communicationem proprietatum duntaxat diuinarum cum humanitate, non autem humanarum cum Deitate faciant, atque ita destruant suam hypostaticæ vnionis definitionem, seu differentiam essentialem & specificam, quam volunt esse realem communicationem Idiomatum: Itaque huc se iam præcipitant, vt etiam Christum ex Maria natum, & mortuum secundum Deitatem esse, non erubescant dicere, sicut ante aliquot annos quidam ex illis ex professo scribere non sunt veriti: Et tamen quia verbis disertis hoc exprimere, propter absurditatem manifestam submetuunt, idem notantibus verbis significant, tanquam calidam pulticulam eiicere ex ore non audentes, nec intus valentes continere. Apostoli dicunt, Christum esse natum ex semine Dauidis, & passum esse secundum carnem; Ergo non realiter communicauit natiuitatem ex matre, & passionem Deitati, cum inquiunt, Filium Dei Deum esse natum & passum, Dominum gloriæ crucifixum.

APOL. fol. 53.

Mirificè admodum sibi placent hac obiectione. *Si non eadem ratio sit communicationis*, hoc est, si diuina tantum humanæ naturæ, non contra humana, diuinæ suas communicet proprietates, destruere nos differentiam specificam personalis vnionis, quam velimus esse Communicationem Idiomatum realem, &c. Oblectent se verò hac obiectione, quantum & quàm diu volent: nihil illa contra librum Concordiæ facit: non etiam ad illum modum, doctrina hęc, in nostris traditur Ecclesiis. Liber concordiæ nusquam asserit, differentiam vnionis personalis specificam, esse communicationem Idiomatum: nullo etiam verbo confirmat, communicationem Idiomatum ipsam esse vnionem hypostaticam: docet autem, differentiam specificam, qua diuinitatis inhabitatio Christo discernatur, ab inhabitatione qua adest sanctis, ipsam esse vnionem personalem: qua diuina & humana natura in Christo, personaliter & inseparabiliter vnitæ, vnam constituunt personam: communicationem autem Maiestatis, consequens esse personalis vnionis; non ipsam personalem vnionem. Licèt non negemus, cùm in descriptione personalis & inseparabilis vnionis, non satis explicare possimus & exprimere, quid illa sit, & quomodo facta, ex affectibus licere aliquo modo illam colligere & describere, qua ratione Filius Dei assumptę humanæ naturæ, diuinam suam Maiestatem & gloriam communicet.

A Admoni. pag. 255. De differentia specifica personalis vnionis duarum naturarum.

Repetunt etiam veterem Coecysmum: *quasi in libro Concordiæ doceatur*: Christum mortuum secundum Deitatem: Merum autem figmentum est: Et tantum abest vt libro Concordiæ hoc doceatur, vt expressis etiam in illo improbatum sit verbis. B

RESP.

Sed paulo ante, contrarium à vobis doceri: nimi-

rum, Non solam vnionem, sed cum Reali communicatione coniunctam, in caussa esse, cur homo Christus, vocetur & fit Deus: Et Maria, verè θεοτόκος nominetur. Ex vestræ Concordiæ libro luculentissimè demonstrauimus.

B. Alios ergo ex vestro ordine, hæc scripsisse, non diffitemini: Et rectè: cùm caput & cauda istius corporis, id scriptum reliquerint. Sed in libro vestræ Concordiæ doceri, pernegatis. Admonitio autem fuit ad omnes vos scripta: qui de persona Christi, aduersus nos vel scripsistis, vel docuistis; vel in librum vestræ Concordiæ consensistis. Deinde, quid sibi vult, quod & initio Apologiæ vestræ, & alibi, illos damnatis, qui dicunt, solam humanam naturam esse passam? Si SOLAM, accipitis pro separatam à Deitate: calumniatores agitis. Quis enim in hoc tempore, ista doceat? Si autem ex duabus naturis, in vna persona, solam humanam passam esse negatis: annon per consequens, diuinam quoque passam esse, manifestè docetis? Scriptura certè, cum ait, Christum esse passum, non simpliciter, sed CARNE: manifestissimè docet, solam carnem, esse passam. Et Cyrillus ad Successum, epistola secunda scribit. Christum non iuxta Deitatem, sed iuxta humanitatem esse passum. Item epistola prima, ad eundem Successum, cap. 165. C. Sustinuit etiam (inquit) crucem: carne sua mortem, non natura Deitatis excipiens. Et Epit. Concil. Ephesina prima, fol. 48. B. Col. 1. Sic illum dicimus & passum esse, & resurrexisse, non quia Deus verbum in sua natura passus sit, aut plagas, aut clauorum transfixiones, aut alia vulnera susceperit (Deus namque incorporalis extra passionem est) Sed quia corpus illud, quod ipsius proprium factum est, hoc sustinuit, ideo hæc omnia pro nobis ipse dicitur passus. Inerat in eo corpore, quod patiebatur, Deus, qui pati non poterat. Simili modo & mortem ipsius intelligamus. Immortale enim & incorruptibile est naturaliter & vita & viuificans Deus verbum: sed quia corpus ipsius proprium, gratia Dei (iuxta Pauli vocem) pro omnibus mortem gustauit: idcirco ipse dicitur mortem passus pro nobis. Non quòd ipse mortem esset expertus, quantum ad ipsius naturam pertinet (insania enim est hoc vel sentire, vel dicere) Sed quòd (vt diximus) vera caro ipsius mortem gustauit.

ADMON. pag. 256.

ALlegant etiam dicta Scripturæ: vt Filius hominis collocatus est ad dextram Dei: Christo homini data est omnis potestas in Cœlo & in terra: omnia subiecta illius pedibus: Datum est ei nomen super omne nomen. Et similia, quibus describitur summa dignitas, & diuinum officium Christi, quod ille gerit & administrat secundum vtranque naturam, saluis tamen & distinctis proprietatibus, & operationibus vtriusque naturæ, quæ ad perficiendas actiones Christi θεανδρικὰς & ἀποτελέσματα personæ, quæ Deus & homo est, concurrunt & requiruntur, sicut antea est expositum. Scriptura enim docet, Christum sic sedere à dextris virtutis, & habere potestatem omnis carnis, & viuificandi omnes quos vult, seruandi Ecclesiam, destruendi hostes, vt tamen natura ipsius humana sit vno tempore in vno loco, in Cœlo, vel in nubibus, vel vbi vult, & suas partes in officio Mediatoris, & tepis Cœli & terræ obeat, quæ tamen solæ non sufficiunt ad huius officij executionem, sed necesse est Deitatis operationes proprias accedere: quę ratio postulauit, vt Deus homo, & homo Deus fieret.

Mat. 26. 64. Matt. 28. 18. Eph. 1. 22 Phil. 2. 9. Hebr. 8. 1.

APOL. fol. 53. B.

PLeno etiam ore contendunt, dicta illa: Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in terra. Item, Omnia subiecta sunt pedibus eius: Datum ei nomen super omne nomen, *accipienda tantum esse*, de summa dignitate & officio Christi: non de virtute omnipotente.

Matt. 28. Psal. 8. Eph. 1. Apol. Anhalt. p. 23 Dan. contra Chem. p. 398.

a. Hoc autem certò sibi persuadere possunt & debent: nequaquam ipsorum nos figmentis, quæ ex proprio comminiscuntur cerebro, mox fidem adhibituros: *aliis necesse est vtantur* demonstrationibus, quàm quibus hactenus pugnarunt. Nec enim Christus sunt: nec prophetarum etiam aut Apostolorum ipsis tribuimus autoritatem: vt pro fidei acceptemus norma & capitibus, quæ ab ipsis confinguntur. Verùm ad rem. Etsi in citatis scripturæ testimoniis, totius personæ fiat mentio: dubium tamē est nullum, propriè & præcipuè, ad alteram, illa, naturam, hoc est ad assumtam humanam, in persona Christi, *& nequaquam ad diuinam* æternámque naturam esse referenda. Ratio eius hęc est. *Diuina enim Christi natura*, nihil in tempore dari potest, quod ab æterno non habuerit: Imò si diuinæ naturæ dari aliquid potest: necessario sequitur, illam verè diuinam omnipotentémque esse minimè. Quæ caussa Patres mouit, vt hæc & similia Scripturæ testimonia, quæ asserunt Christo aliquid in tempore datum, *referant tantum* ad solam assumtam humanam naturam. Illę enim dari aliquid seu attribui potest: secundum notam & communem Regulam: *Quæcunque Scriptura Christum* in tempore accepisse dicit, de humanitate eius, & non de Diuinitate intelligenda sunt. In quam etiam sententiam Leo scribit, epist. 81. Quicquid in tempore accepit Christus, secundùm hominem accepit, cui, quæ non habuit, conferuntur. Nam secundùm potentiam verbi, indifferenter omnia, quæ habet Pater, etiam filius habet. Et quæ in forma Serui à Patre accepit: Eadem in forma Dei, etiam ipse donauit. *Quam ob caussam Patres*, Basilius, Athanasius, Chrysostomus, Cyrillus, Euseb Emisenus, Theophylactus & alij, dictum Christi: Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in terra: simpliciter de humana natura in persona Christi interpretantur: De humanitate, inquiunt, accipiendum est: non de Diuinitate. *Vigilius verò*, cuius patrocinio multum se iuuari arbitrantur, amentes illos nominat: qui dictum hoc ad diuinam referunt naturam. *Deinde dictum illud, donatum est ei nomen* super omne nomen, accommodant Patres non diuinæ, sed humanæ naturæ in Christo. Vnde Athanasius dictum illud sic interpretatur, De templo loquitur, quod est corpus suum. Non enim qui altissimus est, sed caro eius exaltatur, & carni suæ dedit nomen illud.

b. c. d. e. f. g. h. i.

Tertiò huius dicti interpretationem adeò accuratè præmuniunt, ad assumtam humanam naturam in Christo illud tantùm esse referendum. *Vt Leo etiam*, Epist. 23. scriptum reliquerit: eum, qui aliter dictum hoc, quàm de assumta humana natura in persona Christi, accipiat, in societatem Arij transire. Verba eius hæc sunt: Dicant aduersarij Veritatis, quando omnipotens Pater, vel secundum quam naturam, filium super omnia euexerit: vel cui substantiæ cuncta subiecerit. Deitati enim, vt creatori, semper subiecta fuerunt. Huic si addita potestas, si exaltata sublimitas, minor erit prouehente, nec habebat diuitias eius naturæ, cuius indiguit largitate: sed talia sentientem, in societatem suam Arius rapit. Hæc diligenter examinare & perpendere optaremus aduersarios. k.

Quarto

Quarto loco, Omnem potestatem non significare finitam quandam potestatem aut do-
l. na, *non eget demonstratione.* Omnis enim potestas
m. in Cœlo & in terra, *nullo modo creata quædam qualitas est*, aut donum: nec est medium quoddam, vt aduersarij somniant, inter omnipotentiam, quæ propria est diuinæ naturæ: Et inter magnam potentiam creaturarum: sed diuina
n. est virtus & omnipotentia. *Creata enim aut media potentia*, non est idonea nec capax, quæ omnia in Cœlo & in terra gubernet, conseruet, defendat, tueatur, administret: quæ peccata re-
o. mittat, è morte eripiat & liberet. Sicut *Apocal.* 5. *cap.* clarè admodum hoc ipsum explicatur.

Ibi enim expressè Scriptura inquit, Dignus est agnus ille mactatus, qui accipiat virtutem, & diuitias, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam & benedictionem. Quibus verbis abundè vis & significatio, vocis potestatis explicatur: non eam de creata & media potentia accipi posse & debere. Quam ob caus-
p. sam apud Danielem, *cap.* 7, *æterna nominatur po-*
q. *testas.* Dominus *verò noster Christus, Ioh.* 17. hanc sui gloriam, eam esse dicit, quam habuerit, an-
r. tequam iacerentur fundamenta mundi. *Horrenda igitur* aduersariorum est blasphemia, qua dicta hæc sic ad totam referunt personam Christi: vt diuinam etiam naturam omnem accepisse in tempore potestatem & virtutem
s. contendant. *Non possunt igitur se crimine* Arianismi, teste Leone, epist. 25 liberare: in quorum, recentiorum potissimùm, castra apertè transeunt: qui omnes, allegata Scripturæ testimonia, eodem quo aduersarij nostri, sensu, interpretantur, & ad Christum, secundum diuinam naturam referunt.

Pari modo, quæ de potentia officij Media-
t. toris, *quam mediam quandam, non ipsam virtutem diuinam* statuunt, fingunt, horrendæ blasphemiæ meritò accusantur: qua Christum partim omnipotentia sua exuunt & spoliant: partim impotentem mediatorem & seruatorem efficiunt: qui in gubernatione & administratione officij non diuina omnipotenti, sed media tantùm virtute sit præditus; quæ nec diuina, nec creata tamen sit qualitas. Verùm de hac alibi pluribus.

u. *Manet igitur firmum & immotum*, testimonia Scripturæ, in libro Concordiæ allegata, rectè & piè esse declarata: nec aliter etiam intelligenda esse, quàm de communicatione virtutis & potentiæ diuinæ, seu de ipsa omnipotentia: quæ assumtæ humanæ naturæ, & nequaquam diuinæ, in tempore est data: quam etiam verè ille acce-
x. pit: *quemadmodum adhuc etiam* omnis plenitudo Deitatis in ipsius carne habitat personaliter.

Admoni. pag. 256. Bella præterea, horum dictorum, hæc etiam ipsorum est declaratio, quam ibidem repetunt; Scripturam docere, Christum sic sedere à dextris virtutis, & habere potestatē omnis carnis, &c. vt tamen natura ipsius humana, sit vno tempore in vno loco, in Cœlo, vel in nubibus, vel
y. vbi vult, &c. *Monstrent autem* quæsumus, quo Scripturæ loco id asseratur; aut quo fundamento, qua specie aut colore inde elici & deduci possit, quibus verbis illius limitationis aut restrictionis fiat mentio? Certissimum verò est: ne litera quidem è citatis Scripturæ testimoniis, suam illos restrictionem confirmare, vel aliunde certo sacrarum literarum fundamento, eam comprobare posse. *Testatur Scriptura*, omnia z.
pedibus eius etiam qua homo, esse subiecta, Ps. 8. Implere eum omnia in omnibus, Eph. 1. vt omnia impleret, Eph. 4. Cui igitur tandem fundamento innititur, quod prætendunt: Scripturam docere, sic omnem Christo potestatem datam in cœlo & in terra: vt tamen corpore suo pluribus, quàm vno esse loco nequeat: licet disertis verbis pollicitus sit: *sese* Ecclesiæ aa.
suæ in his terris affuturum præsentem: Sese verum essentiale corpus suum, in sacra cœna, quæ in his terris, *non in supremo celebratur Cœlo*, bb.
verè exhibiturum & distributurum. Ad hunc enim scopum, omnes ipsorum calumniæ, figmenta, blasphemiæ directæ sunt: quòd Christum, *secundùm & cum personaliter* sibi vnita hu- cc.
mana natura, præsentem in Ecclesia ferre nec volunt, nec possunt: licet disertis id verbis sit pollicitus.

Pergant igitur, quocunque tandem volunt, *cum suis glossematibus* & restrictionibus, quas è dd.
proprio cerebro, non tantùm extra, sed etiam contra expressa Scripturarum testimonia confingunt: *cùmque verbis Christi fidem habere* recu- ee.
sent: experientur tandem magno suo malo, quid his figmentis profecerint & obtinuerint. Qua verò ratione Christo etiam secundùm assumtam humanam naturam, ratione & respectu personalis vnionis omnipotentia, sine confusione aut exæquatione naturarum communicata sit: supra est à nobis *abundè expositum.* ff.

RESPONSIO.

ILlud: ACCIPIENDA TANTVM esse: &c. in Ad- A
monitione non habetur; sed hoc habetur: illis sacrarum literarum dictis describi summam dignitatem, & diuinum officium Christi, quod ille gerit, & administrat, secundùm vtranque naturam, saluis tamen, & distinctis proprietatibus & operationibus vtriusque naturæ & Negaris hoc? aut hoccine figmentum humanum esse diceris? Si dicitis, vos estis val... imperiti sacrarum literarum: Et parum in lectione Patrum versati. Quid enim certius, quàm sessione ad dextram Dei Patris, describi cum primis dominium, quo Christus, qui ante assumtam carnem, cum Patre semper & vbique regnauit super omnia, nunc etiam carne nostra "
indutus, regnat? Cyrillus in Ioh. lib. 9. cap. 41. col. 470. "
c. Vado ad Patrem, consessurus, conregnaturúsque cùm eo, vt Deus ex Deo. Quid igitur consedere aliud, quàm conregnare? Sed quid ad hoc opus erat ascensione? An non semper & vbique regnauit? verum est: sed vt nudus Deus ex Deo: cum sua autem carne, qua iam vestitus est, non nisi post ascensionem in Cœlum, officium Regis Cœlestis fecit. Sed tum demum cœpit facere, secundùm vtranque naturam: Cùm antea tantummodò secundùm diuinam fecerit. Ideo respectu humanæ naturæ: opus fuit ascensione in Cœlum. Atque huc spectare omnia, quæ de omnium rerum sub pedes eius subiectione dicuntur, eodémque sensu esse intelligenda: nihil est certius.

De dicto, Data est mihi omnis potestas: sæpe dictum est, nihil ad rem facere: Ac quæ sit vera interpretatio, abundè declarauimus. Patrum certè explicatio, qui de sola autoritate in omnia, non autem de omnipotentia Dei, interpretati sunt, vt Cyrillus, Chrysostomus, & alij: nihil fauet aduersariis. Consentanea enim cum illo est, Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis: Ioh. 17. Egregiè verò Theophylactus, de potestate data Christo, & "
quà Deus est, & qua homo: interpretatus est,

Verba eius hæc sunt: σώματι ὄντα ὑπερφυᾶ ὄντα τό τε ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία καθὸ καὶ ἀκούοντες καὶ λέγοντες τοῦ ἐνηνθρωπηκότου οἱ μὴ Θεοῦ πρώην κατὰ τὸ τῆς ἀκουσίου ὑποταγῆς τρόπον δουλεύοντος μοι. ὡς ἀπὸ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως λεγόμενα, ὅτω τό τε: ἔτι, ἐγὼ ἡ πρώην κατάκριτος φύσις, κατὰ δὲ τὴν πρὸς τὸν Θεὸν ἀσύγχυτον ἕνωσιν Θεοῦ ἐοῦσα, ἔλαβον τὴν ἐξουσίαν κατὰ παίνων.

Dictum ad Phil. Dedit illi nomen, &c. perspicuum est: quia patefacta post resurrectionem & ascensionem in Cœlum, Christi Deitate: effecit Deus Pater, vt hic homo Iesus, ab omnibus adoraretur: quia vt verus Deus, cum sua carne in gloria est Dei Patris. Rectè ergo Admonitio, hæc & similia dicta, de dignitate, honore, dominio, & officio Christi, quatenus Mediator est, & Rex noster: intelligenda esse dixit. Qui hæc non intelligit, Theologiam ne profiteatur. Sed vos probè intelligere, inde apparet: quia cum nihil hic aduersus Admonitionem haberetis: ne nihil dixisse videremini, inseruistis aliorum dicta, quæ vobis duriora esse visa sunt: Et in illos, longa oratione inuecti estis. Sed vestras ampullas illi docti viri, facilè frangent, & flatus dissipabunt: Si hactenus non dissiparunt.

B. Memineritis istius admonitionis vestræ: Non esse cuiusuis dictis fidem adhibendam: cum non omnes sint Christus, aut Prophetarum & Apostolorum habeant autoritatem. Cur igitur vultis, vt totus Mundus, isti vestræ violentissimæ verborum Christi contorsioni, Hoc (panis) est corpus meum; id est, corpus meum est in hoc, hoc est, in Pane: idque realiter, simpliciter credat; Profectò, neque Lutherus fuit Christus: neque vos estis Prophetæ Dei, vel Apostoli Christi: quibus simplex sit fides adhibenda. Reliqua patefaciet Dominus suo tempore: Et agnoscet Ecclesia Catholica, cuiúsnam vos, & cuius nos spiritus fuerimus. Quot qualésve hæreses ex illa pertinaci opinione de præsentia carnali corporis Christi IN PANE exortæ, & ab inferis renocatæ sint, totus Mundus (PROH dolor) nouit, ac sensit. Adueniet tandem Dominus Iesus.

C. Imò etiam ad diuinam, quatenus in filio est incarnato, pertinent: sed alio diuersoque sensu. Illud certè Matth. 28. Data est mihi omnis potestas: de Christo, quà etiã Deus est, intelligi posse, docuit (vt supra ostendimus) Theophylactus. Aliàs quoque demonstrauimus, interpretationem hanc improbari non posse, Data est mihi omnis potestas: pro restituta est mihi Filio Dei, Deo: non simpliciter, quasi illam reapse amiserit, vel deposuerit Filius Dei: Sed κατὰ τὸ quoad vsum, & publicam vsurpationem, manifestationémque. Nam ea potestas τοῦ λόγου, ante resurrectionem, fuerat in carne Christi ceu gladius in vagina reconditus: post resurrectionem verò ceu gladius districtus, & in manum Christi ad hostes retundendos, & ad ciues regni sui defendendos, resumtus. Non ergo ita temere dicendum est: Ista dicta nihil ad Deitatem pertinere. Deinde, quomodo hæc vestra cohærent, Hæc PROPRIE ac PRÆCIPVE, ad assumtam naturam referenda sunt: Et NEQVAQVAM ad diuinam? Si præcipuè ad humanam: Ergo secundariò, & aliquo modo ad diuinam.

D. Si non naturæ: personæ tamen Filii, non quidem vt simpliciter egenti: Sed vt sacrificij pro nobis offerendi caussa, opus habenti: datum est corpus in tempore: Corpus autem (inquit) aptasti mihi. Habuit ne reipsa hoc corpus ab æterno?

E. Illud TANTVM, si simpliciter accipias: falsum est, vt modo monstrauimus.

F. Regula intelligitur, de iis quæ Christo, tanquam in se, hoc est, vel suæ humanæ naturæ, vel officii Mediatoris caussa, indigenti, realiter data sunt. Deitas enim nullius rei indiga est: Sed ab ea sunt omnia. Et hoc sensu locuti sunt Patres. Alioqui, hæc quoque altera regula, verissima & certissima est: Quicquid Christo, quatenus homo est, in Scripturis REALITER datur: illud ipsum eidem Christo, qua Deus est, per communicationem illam Idiomatum, quæ à Græcis κοινωνία τῶν ἰδιωμάτων vocatur, verè congruit: vt, passum ac mortuum esse. Sicut etiam contra: nihil Christo vt Deo realiter attribuitur, quod eidem vt homini, per communicationem Idiomatum non conueniat: vt esse omnipotentem, &c. Quid enim absurdi est, quod vna & eadem res Christo secundum vtranque naturam, sed diuerso sensu, attribuatur? Ergo non est, cur ex regula Patrum concludatis: Quæ Christus in tempore accepisse (nempe Realiter) dicitur: ea accepit vt homo: Ergo nullo modo ea accepisse dicendus est, vt λόγος, Deus: quod idem est, atque ea nullo modo ad Deitatem, sed TANTVM ad humanitatem esse referenda. Si quæ in tempore accepit, ad humanitatem duntaxat, simpliciter sunt referenda; Cur quæ passus est ea ad Deitatem quoque REALITER referenda esse, nonnulli ex vestro ordine docuerunt.

G. Sed horum nulli, nomen τῆς ἐξουσίας, pro essentiali Dei omnipotentia, vt vos, interpretati sunt: Quid ergo vobis in statu præsentis quæstionis fauent? Deinde, quod aiunt de humanitate accipiendum esse, non de Diuinitate: intelligitur, EODEM SENSV & REALITER. Data est Christo, qua homo est, omnis potestas, hoc est, in omnia (vt Tertullianus exponit) potestas: Sed eadem qua Deus est, data fuisse a Patre in æterna generatione, declarata est: patefacta post resurrectionem æterna eius Deitate. Est enim hæc quoque alia Regula apud Patres certissima: Multa dici tunc fieri, cùm facta fuisse declarantur. Sic Christo secundum vtranque naturam post Resurrectionem datum fuisse nomen, quod est supra omne nomen (nomen scilicet Filii Dei, vt explicat Theodoretus:) quia tunc patefactum est & perpetuò patefit, quod antea erat occultum: nempe hunc Iesum, eumque totum, verum esse & naturalem Dei Filium: quoad vnam naturam ESSENTIALITER: quoad alteram, per gratiam vnionis. Erat antea quoque talis filius, & rem ipsam habebat, sed non NOMEN, quia non ita passim ab omnibus agnoscebatur: ac proinde omne genu ei sese flectebat. At post resurrectionem & exaltationem in Cœlum, & ad dextram Patris sessionem, ideo ab omnibus vbique adoratur totus iste Iesus: quia pro vero Dei filio agnoscitur, & nominatur. Et hoc sibi vult illa locutio: Datum est illi nomen: quasi dicat, non Res, quia antea realiter erat Filius Dei, sed nomen, &c. Etsi igitur Patres alicubi negant datum esse aliquid Christo, qua Deus est, sed tantum eidem datum esse quatenus homo est: non tamen negasse intelligendi sunt, si diuerso sensu eadem res data fuisse dicatur & expliceretur: vt modò declaratum est.

H. Qua fide nonnunquam citentur ab isto hominum genere, Patrum testimonia: vel ex hoc Vigilii loco, iudicet prudens lector. Vigilius libro 5. capite 3. scribit aduersus eos, qui naturas, naturarumque proprietates confundebant: tam quæ sunt Deitatis, eas realiter communicantes humanitati, quam quæ sunt hu- « manitatis, eas adscribentes Deitati; primum ait, im- « pium & sacrilegum esse, ea quæ sunt propria carnis « Christi, ad naturæ verbi proprietatem referre: Et quæ sunt verbi, proprietati naturæ carnis adscribere; (atque hoc contra Eutychianos confundentes naturas, earumque proprietates: Contra verò Nestorianos, personam diuidentes subiicit;) Et quam sit nihilomi- « nus impium (scilicet demonstrabimus è scripturis) ea « quæ sunt propria carnis, per exceptionem proprieta- « tis, alienare a verbo; Et quæ sunt propria verbi, ea- « dem exceptionis lege, alienare à carne; (vtrumque faciebat Nestorius; qui nolebat, vt vel verbum, hoc est, Filius Dei naturalis, diceretur esse passus; vel caro, hoc est, filius hominis, mortuos resuscitare: cùm tamen reuera, qui passus est, idem ipse sit, qui resuscitat mortuos; hoc explicans subdit) Cùm sit eius vtrunque in Christo commune; & Christus sit vtrunque. Sensus est: quia Christus vtrunque est, verbum videlicet & caro, hoc est, Deus & homo: ideo quæ sunt verbi propria, non possunt alienari à carne nimirum, quia verè dici possit, Caro, hoc est, homo suscitat mortuos, vbique est, omnipotens est; Et rursus, quæ sunt propria carnis, vt est PATI, non possunt alienari à Verbo,

Verbo, hoc est à Deo, quia verè dici possit, Verbum seu Deus passus & mortuus est. Hic est sensus: quid autem hac re certius? Ita intelligitur, quid sit, proprietates cuiusque naturæ, & Christo esse proprias & in Christo alteri naturæ esse communes, vt loquitur Vigilius. Sunt Christo communes REALITER: quia propter naturam diuinam re ipsa vbique est: secundum humanam non est re ipsa vbique, sed certo loco. Est enim Christus, vtrumque, Deus scilicet & homo. Sunt verò alteri naturæ, non in se, sed IN CHRISTO, communes, quia in Christo non diuiduntur: Sed in vno atque eodem Christo, vtrunque inest: ac proinde, si nomine, non abstractiuo, quo sola natura significatur, sed concretiuo, quo persona connotatur, natura vna nominetur, puta, Deus: quæ sunt alterius naturæ propria, verè alteri ita in persona fiunt communes, vt verissimè & realiter dicatur, Deus passus & mortuus est. Doctrina verò hæc, quid prodest Vbiquitariis, & realis in naturis idiomatum communicationis defensoribus?

Secundo loco, rediens Vigilius aduersus Naturarum & proprietatum confusores, probat primum, naturæ humanæ passiones, & deinde eiusdem glorificationes, non conuenire realiter naturæ diuinæ: & ad hoc propositum, adducit præter alia, illud etiam Christi, Data est mihi omnis potestas, &c. Sed quid nomine huius potestatis intellexit? Num illam Dei omnipotentiam, de qua est quæstio? minimè gentium, sed autoritatem creatitiam, donumque Dei.

Tertio igitur loco, hoc explicat, cum subdit: Dicit ergo post resurrectionem: Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in terra: quam potestatem olim promiserat (pater) dicens, postula à me & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam, &c. legantur reliqua.

Quid verò hoc ad omnipotentiam, Dei propriam: quam carni realiter communicatam esse, contendunt Vbiquitarii? Interim iactant Patres: Et non pudet eos, ipsum quoque Vigilium, pro sua sententia adducere; quo neminem habent atrociorem hostem: Et quidem in eo ipso loco, quem protulerunt. Possemus idem monstrare in aliis, quos citant, Patribus; nisi odiosam & inutilem prolixitatem metueremus.

I. Quomodo hoc dictum sit intelligendum, paulò ante dictum est.

K. Quorsum tot testimonia in re, quæ non controuertitur? Non tam enim quæstio est, CVI, quam quænam potestas, data sit, & quomodo data sit: An potestas infinita & omnipotentia, Dei propria: an verò autoritas & potestas finita. Si primum: eam carni Christi realiter communicatam esse pernegamus: neque huc pertinent dicta Patrum, qui nihil minus quàm de hac locuti sunt. Si alterum: quis neget, eam realiter fuisse Christo, qua homo est, donatam à Patre? Ac de hac loqui Leonem, luce meridiana clarius est: ac proinde negat hanc datam filio, qua Deus est: quia cum semper habuerit essentialem, & increatam; non eguit accidentali & creatitia. Idem ad decem millia, si adferantur Patrum dicta, responsum esse volumus.

L. Imò hoc maximè eget demonstratione. Vnde autem peteris demonstrationes? non certè ex Scripturis, vt alibi monstratum est, & adhuc demonstrabitur, ad genuinum sensum reuocaris illis, quæ à vobis contorquentur, sacrarum literarum testimoniis. Num ex consensu Ecclesiæ Catholicæ? At in symbolo ita vni duntaxat naturæ, diuinæ nimirum, datur omnipotentia, vt licet fateatur, vnamquamque personam esse omnipotentem: neget tamen multos esse omnipotentes. Quid ita? quia vna duntaxat est omnium natura, eáque omnipotens? Tota etiam Ecclesia Romana, quæ in doctrina de Deo, déque persona Christi nunquam à veritate deflexit: omnésque Ecclesiæ, extra Germaniam, & non paucæ etiam in Germania, reformatæ, vobis in hoc dogmate contradicunt. Num ex Scholasticis? At expresse contrarium docent in Sent. lib. 3. distinct. 14. & Thom. 3. p q. 13. Patres verò omnes in hoc (vt alia omittamus) consentiunt, Christum per id quidem quod est Deus, vbique esse: per id autem quod est homo, in Cœlo tantùm. Si ergo illa natura humana, non potest vbique esse, sicut Deus, neque etiam pluribus simul in locis: quomodo omnipotentia Dei, illi est realiter communicata? Deinde ex verbis Leonis, quæ ex epistola 23. citatis de hac potestate data Christo in Cœlo & in terra: annon manifestè & luculenter apparet, Leonem non de æterna potestate, potentiáque illa infinita & essentiali, quæ ipsius Dei est propria; sed de noua creatitia & finita: (in res enim tantummodo creatas, quæ in Cœlo sunt & in terra, extenditur) verba fecisse? Postquam enim ostendisset, Deitatem Verbi, parem in omnibus esse Patri: vnam, eandémque esse Genitoris & geniti potentiam: idque sempiternè, vt ipse loquitur, & intemporaliter: subiecit, de alia noua & temporali potestate, hæc verba; Huic si addita est potestas „ (alia nimirum ab ea, quam semper habuit cum Patre) „ Si illustrata dignitas (nouæ videlicet potestatis splendore:) Si exaltata sublimitas (nouo scilicet exaltationis gradu:) minor erat prouehente, (patre) qui creuit „ (Christus ...) nec habebat diuitias eius naturæ, cuius indigebat largitate. „ Quis non videat, de alia potestate atque potentia, quàm de illa Dei essentiali, dictum Christi, Data est mihi omnis potestas, interpretatum fuisse Leonem? Ipsius enim argumentum hoc fuit: Qui parem cum Patre Deo habet potestatem, huic non potest alia ad illius illustrationem, maiorémque exaltationem, addi potestas: alioqui Patre minor esset, Patris enim potestati nihil addi potest.

Atqui Filius, vt Deus, parem cum Patre semper habuit potestatem. Ergo, &c. Quare vt de humana ab eo assumta natura, non autem de ..., vt volebant Ariani, dictum illud, Data est mihi omnis potestas, intelligatur, necesse est.

Si non fuit donum; Cur ergo Leo, appellat Patris largitatem? Cur & Apostolus Philipp. 2. propter obedientiam ait exaltatum fuisse Christum, donatumque ei fuisse nomen, &c. Et, Si non est potestas media, supra potestatem Creaturarum, & infra potestatem Creatoris: Cur ergo Apostolus 1. Cor. 15. facit Christum, qua homo est, & Mediator, Patri in cœlo non æqualem, sed collateralem sedentem, non in loco Patris, sed ad eius dextram? Cur dicit, postquam subiecta fuerint ei (Christo) omnia, ipsum quoque filium (qua homo est) subiiciendum esse Patri, vt sit Deus (immediatè) omnia in omnibus? Profectò, qui alteri subiicitur, is minor est illo, cui subiicitur: Et qui ab alio beatur, (vt ita loquamur) infra illum est, qui beat. Ac si Christus, quà homo est, eandem potestatem, essentialémque & infinitam, quam & Pater habet omnipotentiam, realiter accepit: quomodo igitur minor est Patre, secundum humanitatem? Cur etiam Ignatius in epistola ad Trallianos, Regnum Christi, supra omnes quidem res alias, sed infra omnipotentis Dei incomparabilem Maiestatem collocat? Postquam enim ordine quodam recensuisset res Cœlestes, ordinésque Angelorum, quæ omnia dixit, se animo posse comprehendere: tandem subiecit; Καὶ τῆς Κυρίου τῆς βασιλείας, ἐπὶ πᾶσι (Et super omnia) τὸ τοῦ παντοκράτορος Θεοῦ ἀσύγκριτον.

M. Egregiam sanè demonstrationem. Quasi verò Christus ea duntaxat parte, qua homo est, Mundum regat: non autem, idque maximè quatenus Deus est. Ergo cum Christus secundum vtranque naturam, Mundum & Ecclesiam suam gubernet: ad hanc gubernationem, non est necesse, vt omnipotentia Dei, naturæ humanæ, realiter communicetur: quia quod non potest finita, infinita perficit. Deinde si SOL, tantæ est potentiæ, vt omnia hæc inferiora, sua præsentia viuificet: quid de potentia creatitia Christo, qua homo est, data, sentiendum fuerit? præsertim cùm non regat Mundum manibus aut pedibus, sed sua voluntate atque imperio? Hebr. 1. portans omnia verbo virtutis suæ. Voluntas enim Christi humana, efficax est: quia idem vult planè, quod diuina: Quid verò diuinæ resistere potest.

O Non minoris scilicet momenti res est: quod ad suum somnium probandum adducunt ex Apoc.cap.3. dictum hoc, Dignus est agnus ille mactatus, qui accipiat virtutem & diuitias, & sapientiam & fortitudinem,&c. Ergóne hæc de creata & media potentia accipi non possunt? Quid enim obscuro in verbis Ioan. est, quod hanc interpretationem, de finita potestate, falsam esse conuincat? Augustinus hunc locum de Christo, secundum humanitatem,& de Ecclesia, quæ est corpus eius, interpretatur. Quicquid autem accipit Ecclesia, illud finitum est. Quod si de increata intelligi omnino velis: quid prohibet, quin verbum Accipiendi, per gratiam vnionis accipiatur?

P Æterna vocatur, (vt Hieronymus exponit) quia nullo fine clauditur: non autem, quod non habeat initium. Initium habere docet Christus, dicens: oportuit Christum pati, & intrare in gloriam suam. Ergo vt homo, ante passionem in hanc gloriam non est ingressus.

Q Si de gloria Deitatis accipias: ea quidem æterna est, carens & initio, & fine: Sed humanitati non congruit, nisi per communicationem Idiomatum. Si de creatitia Animæ & corporis; eam habuit (vt exponit Augustinus) ante constitutionem Mundi: Quomodo? non simpliciter, sed in prædestinatione.

R Si blasphemia non est, quæ realiter passa est humanitas, ea Deitati in Concreto, per communicationem Idiomatum, attribuere, vt dicatur, Deus gloriæ crucifixus est: quid blasphemię est, si eodem modo dicas, diuinam naturam accepisse, quæ humana realiter accepit? Vt enim rectè dicitur, Deus passus est in carne: Sic etiam non malè dicetur, Deus in eadem carne glorificatus est.

S Non, Domini Doctores, eodem sensu, quo Ariani: sed longè diuerso. Illi enim ad ipsum etiam λόγον, quem creaturam esse volebant, hæc realiter referebant: nos autem ad totum Christum, sed aliter secundum carnem, aliter secundum Deitatem, vt ex dictis patet, pertinere docemus.

T Cum Christus Mediator sit, officiumque Mediatoris patefecerit atque perficiat, secundum vtramque naturam: cuique etiam naturæ suam tribuimus potentiam, qua operatur: Deitati infinitam, humanitati finitam: sed ita tamen finitam, vt omnem aliarum creaturarum omnium potentiam, in immensum superet: cum per hanc nihil non possit in creaturis omnibus: ac proinde hanc mediam quandam esse potentiam, inter eam, quæ Deitatis propria est, & eam, quæ aliis creaturis à creatore donata est, quis queat inficiari? Si qui verò sint, qui vnam tantummodo potentiam in Mediatore constituant, ipsi viderint: Id nos certè tanquam contra Monotheletas ab Ecclesia olim damnatum, execramur: siue quis eam mediam quandam potentiam vocet, siue omnipotentiam ipsam diuinam appellet. Vtrunque enim hæreticum est. In Admonitione nostra talem doctrinam non reperietis.

V Nempe, sicut domus, super harenam extructa.

X Si non aliter datam esse humanæ naturæ intelligitis: quàm etiam plenitudo Deitatis in ea inhabitare ab Apostolo dicitur: hæc non fuerit realis communicatio, de qua disputatur: sed personalis vnitio, de qua nulla est lis. Et hoc sensu non aliter humana natura in Christo, dici poterit esse omnipotens, quàm etiam à Patribus nonnunquam dicitur esse Deus.

Y Annon in Admonitione, clarum habetis testimonium, ex Epistola ad Heb.cap.8? Inde etiam concluditur, Christum non esse præsentia carnali in his terris: quia in cœlo suo fungitur Sacerdotio, & non in terris. Sed alia addamus testimonia. Annon ex ipsa sessione ad dextram, idem concluditur? In scripturis sanctis, & in symbolis, Sedere ad dextram Dei nunquam datur Christo, nisi postquam ascēdit in cœlum. Hinc conficitur, licet dextra Dei sit vbique: Christum tamen, qua homo est, non sedere ad dextram, nisi quatenus est in cœlo, non autem quatenus etiam in terris est. At sedet ad Totam. verum est: sed tota est in cœlo, & in quauis parte cœli: Et tota in terra, & in qualibet parte terræ. Cur, cùm tota dextra Dei semper fuerit vbique: non dedit scriptura humanæ Christi naturæ, Sedere ad dextram, cum adhuc esset in terris? Quia illi hoc non congruebat, nisi in cœlo, post præstitam Patri in terris obedientiam. Sic ergo argumentamur è scripturis & symbolis. Quicquid sedet ad dextram Dei vno tantum in loco: id alio in loco, eodem tempore, simul esse non potest. Atqui corpus Christi, seu Christus suo corpore, in vno tantum loco, hoc est, in cœlo, sedet ad dextram Dei Patris. Docent hoc scripturæ, & canit Ecclesia, ideò etiam dicitur sedere in excelsis, Heb.1. & alibi: Ergo &c. Adde ex Col. 3. Si consurrexistis cum Christo, τὰ ἄνω ζητεῖτε, vbi Christus est, in dextra Dei sedens: τὰ ἄνω φρονεῖτε: non quæ super terram. τὰ ἄνω opponuntur τοῖς κάτω: Et illorum nomine, intelliguntur cœlestia, vita & puritas cœlestis, quam ibi viuit Christus, & cum eo omnes beati spiritus. Si igitur τοῖς ἄνω opponuntur ea, quæ sunt super terram: Et ratio, cur quærere debeamus τὰ ἄνω, non autem quæ super terram, adfertur ab Apostolo, quia ibi, hoc est, ἐν τοῖς ἄνω, non autem ἐπὶ τῆς γῆς, sed & Christus ad dextram Patris: (Quid enim est illud, οὗ, vbi Christus sedet) suo scilicet corpore (ad dextram Dei: nisi quia ibi sedet, non autem in terris?) Ex ipsa igitur sessione ad dextram, clarè euincitur, quod habet nostra Admonitio. Accipite & aliud fundamentum, quo nostra nititur doctrina, Christus dixit: Exiui à Patre, & veni in Mundum (carnem scilicet sumendo:) Iterum relinquo Mundum (corpore:) & vado ad Patrem: (id est in cœlum, vbi Pater singulariter habitare & esse dicitur, pater noster, qui es in cœlis) nomine autem Mundi, has terras intellexit: Terra enim cœlo opponitur. Si autem Christus præsentia sui corporis has terras reliquit, sicut disertis verbis ipse affirmauit: qua fronte, eum adhuc suo corpore, in his terris, carnali seu locali præsentia, præsentem esse, dicere audeamus? Quid & illud Christi, ad Patrem, Ioh.17. de se, déque Apostolis loquens, ait: Et non sum amplius in Mundo: sed isti sunt in Mūdo: Et ego ad te venio (nempe ex hoc Mundo in cœlum) Mundi nomine, has terras intellexisse: certo certius est: quia ait, non sum amplius in Mundo: significans se antea fuisse. Et quanquam cum hæc loqueretur, erat adhuc in Mundo: dixit tamen in præsenti Non Svm, quia & certò, & breui erat ex hoc Mundo in cœlum iturus. De Apostolis autem dixit, sed isti sunt in Mundo, qui & erant tunc, & aliquandiu adhuc post ascensionem Christi, mansuri erant in Mundo, absente iam ab illis Christo suo corpore, præsente autem semper sua Deitate. Et sic locum hunc explicauit Beatus Augustinus. Christo igitur negante se suo corpore iam esse in Mundo, præsentia nimirum corporali: quis tam impudens fuerit, qui id audeat affirmare? Consentit nobiscum tota pia & erudita Antiquitas: Christum præsentia spirituali, seu per id quod Deus est, nobiscum semper esse: corporali autem, seu per id quod homo est, non iam esse nobiscum: sed in cœlo. Augustinus in Ioan. tractatu 106. & alibi millies. Cyrillus in Ioan. lib.11.cap.21. Vigil.lib.1.cap.3. Damascen.lib.4.cap 58. Latinè verò cap.16. Annon hæc firma sunt fundamenta? Num & hoc est nullum? Christus similis nobis factus est per omnia, excepto peccato? Quis autem nostrum etiam post resurrectionem, suo corpore, vel etiam anima futurus est eodem tempore, in multis simul locis? Sed iam videamus vestra marmorea fundamenta.

Z Testatur Scriptura, Ps.8.&c. Psalmus iste, de quouis etiam homine decantatus fuit. Si ergo, quia omnia dicuntur subiecta esse pedibus Christi, quatenus homo est, ideo licet inferre, ipsum suo corpore in multis simul locis esse posse: Annon idem de quouis homine concludi poterit? Non minus egregium est, quod sequitur: Ephes.1. Christus, cuius πλήρωμα est Ecclesia, omnia in omnibus implet: Ergo potest in multis locis, suo corpore, eodem tempore, simul præsens esse. Quasi verò hoc non efficiat suo iussu, voluntatéque tum diuina, tum etiam humana: Et sui spiritus, donorúmque eius communicatione: quibus Ecclesiam, singulósque fideles, tanquam caput singula membra, quotidie implet. Ineptissimè verò torquetur illud, Ephes.4. Ascendit supra omnes cœlos, vt omnia impleret: corpore scilicet suo, omnia loca. Deinde, si quid ex iis locis de locali præsentia corporis Christi, in his terris, concludi omnino velitis: non concluditur, quod possit esse præsens, cum vult: sed quod omnino præsens sit, & quidem vbique: quando Apostolus non dicit: qui potest implere: sed, qui implet omnia

omnia: nec ait, vt posset implere, sed vt impleret omnia. Corpus igitur Christi sicut & Deitas, vbique fuerit repletiuè: quod tamen à vobis doceri pernegatis. Quorsum igitur hæc S. literarum testimonia: si vestræ caussæ non fauent, sed aduersantur?

aa Sibi: sed sua Deitate simpliciter: suo vero corpore, spirituali præsentia: quatenus videlicet vi sui spiritus, nos suo corpori, magis ac magis in dies incorporat, & vnum secum efficit.

bb O cæcitatem. Imò & in cœlo, & in terris. Symbola in terris: in cœlo & è cœlo corpus ipsum. Cur alioqui solita semper fuit Ecclesia, mysterium hoc celebratura, inuitare fideles, ad corda sursum tollenda? Melius Patres in Nic. Concilio dixerunt, mensam vbi agnus Dei editur, in cœlo stratam esse.

cc Imò agnoscimus, & agnoscere non solùm possumus, sed etiam volumus, Christum cum sua carne, personaliter sibi semper vnita, præsentem esse: sed non locali & carnali præsentia, in iis terris, atque adeo etiam in pane, sicut granum est in sacco: verùm spirituali, & in mysterio, vt vetus Ecclesia loquebatur. Differt autem SECUNDUM humanam naturam, & EUM humana natura præsentem esse: sed vos, vt obseruare quisque potest, libenter & hæc & alia confunditis: in quem verò finem: nouit Dominus.

dd Modestè, modestè, reuerendi Domini superintendentes.

ee Hoc verò tandem est intolerabile. Nósne ideo verbis Christi fidem adhibere, recusare dicendi sumus: quia vestris contortis & blasphemis interpretationibus, non, vt velletis, assentimur? vos vel sex, vel tres, non estis Ecclesia Catholica.

ff Ita sanè expositum, vt quisnam vestra ænigmata intelligat, nesciamus.

ADMON. pag. 256.

SEd aiunt: potestas omnium rerum requirit omnipotentiam. Ergo hæc etiam data est naturæ humanę, siquidem etiam hæc est rerum Dominus.

7. At iam sæpiùs dictum est: omnipotentiam nihil aliud esse, nisi Deitatem, quod etiam ipsi, velint nolint, fateri coguntur. Ergo hoc est firmius & clarius, quàm vt vllis sophismatum fumis labefactari, aut obscurari possit: videlicet, non aliter humanitati communicatam esse omnipotentiam, & alias proprietates Dei essentiales, quàm ipsam Deitatem. Sicut cui moneta argentea datur, ei non secus moneta datur, quam argentum. At humanitati Deitas non realiter data vel communicata est, sed personaliter vnita, hoc est, non sic ei data est, vt ipsa sit vel Deitas vel Deus, sed vt homo iste Deus sit: Ergo etiam omnipotentia non sic ei data est vt ipsa sit omnipotens, sed ei sic vnita, vt iste homo sit omnipotens: quia omnipotentia est de ipsius substantia. Si igitur datam & communicatam carni omnipotentiam intelligunt vnitam realiter, quo ore nos idem dicentes, condemnant? Sed illi fraudulenter confundunt vnionis & communicationis nomina, vt sub titulo realis vnionis naturarum, obtrudant nobis realem communitatem proprietatum.

Apologia hic suo alto silentio, omnia probare videtur. Retineat ergo hanc saltem Admonitionis partem; Et multa conciliabuntur.

ADMONITIO pag. 257.

De loco Col. 2. 9. VRgent & illud Coloss. 2. 9. In ipso habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Hinc triumphabundi putant se elicere posse proprietates Dei essentiales, carni realiter communicari.

Sed cum Paulus OMNEM PLENITUDINEM Deitatis nominet, qua autoritate, aut qua pietate, conscientia & fronte isti Theologi restringunt omnem illam Deitatis plenitudinem ad omnipotentiam, omniscientiam, & omnipræsentiam, & si quas alias diuinas proprietates realiter humanitati communicant? An esse æternum, esse creatorem mundi, esse spiritualem, esse datorem Spiritus sancti, non sustentari ab alio, esse fontem & autorem omnis vitæ, sapientiæ & virtutis & bonitatis in omnibus rebus, & quæ sunt horum similia, quæ nullo colore possunt humanitati realiter communicare, & propterea ex sua reali communicatione coguntur excipere: an illa non pertinent ad plenitudinem Deitatis? An sine illis Deus potest plenus & perfectus esse? An verò illa non voluit Paulus Christo tribuere, cùm plenitudinem Deitatis in ipso habitare dixit, non minus, quàm vbi nominat Christum Deum super omnia laudandum, illum ipsum, quem ex Iudæis secundum carnem esse dixerat? *Rom. 9. 5.* Hanc plenitudinem Deitatis Omnem, omnem, omnem, dicit Apostolus in Christo homine habitare, non sicut in aliis sanctis, gratia tantum inhabitationis seu assistentiæ, seu, vt vos fingitis, conformatione seu reali communicatione; sed corporaliter, hoc est, reali vnione cum humanitate, quæ etiam plena & perfecta est secundum suæ creatæ perfectionis modum: ita vt sit illa plenitudo Deitatis, non hospes tantum, sed substantia illius hominis.

Hæc illa est, ô Theologi, inhabitatio Deitatis in Christo, quam Scriptura tradit, quam veteres agnoscunt, & de qua ex vobis etiam doctiores hunc Pauli locum in libris suis non vetustis, interpretantur, aliud suo, aliud alieno ore loquentes; non autem figmentum vestrum realis communicationis Idiomatum. Hæc est illa plenitudo Deitatis, ipsa videlicet vera, vnica & æterna Deitas, quam antehac multum ab æterna Deitate differre contendistis, nunc autem eam ipsam esse fateri cogimini: Et tamen quæ non potestis refutare, maledictis conspuitis, & anathemate feritis; Sed dum vos maledicitis, erit qui benedicat.

APOL. fol. 55.

De dicto Pauli Col. 2. in ipso habitat &c. Admoni. pag. 257. COnantur postea dictum Pauli ad Col. 2. quod à nostris etiã pro confirmatione sanę doctrinæ de communicatione Maiestatis, libro Concordiæ est insertum, euertere, & perlubenter euincerent; de reali vnione cum humanitate illud tantùm intelligendum; non etiam de communicatione Maiestatis, quæ Christo secundùm assumtam humanam naturam, ratione & respectu personalis vnionis donata est.

Pro confirmatione suæ inuersionis, hanc initio prætendunt rationem, Apostolum omnem plenitudinem Deitatis nominare: nos contra docere, non omnem plenitudinem, sed aliquas tantum proprietates diuinas, assumtæ humanitati esse communicatas, videlicet omnem potentiam, virtutem viuificandi, & alias; nonnullas autem, videlicet esse æternum, esse spiritualem, esse infinitum, nos excipere.

An æternitas sit communicata. Alteram postea hanc addunt; Veteres eodem modo, de personali vnione, hoc dictum intellexisse, quo ipsi accipiunt & interpretantur.

Danæus in exam. contra Chemnitium. p. 42. 43. Primam rationem quod attinet; confitemur & docemus libro Concordiæ, omnem plenitudinem Deitatis in assumta humana natura habitare; & sic omnes etiam proprietates diuinas, quæ quidem in sacris *literis sunt expressæ*: vocabula enim hæc, omnis plenitudo Deitatis, firmiter concludunt, quòd ratione ineffabilis huius a. inhabitationis, *omnes proprietates diuinitatis*, non b. tantùm quædam, in assumta habitent humana natura. Licèt igitur ratione personalis vnionis, omnes in assumta humana natura habitent, teste Paulo: tamen cùm nusquam Scriptura asserat, assumtæ humanæ naturæ, æternitatem, infinitatem, & quòd Spiritus facta sit, ita communicatum esse; quemadmodum omnipotentiam, virtutem viuificandi, potestatem exercendi iudicii, remittendi peccata, emundandi à peccatis, honorem item inuocationis ei tribuit: subsistimus, nec vlteriùs, quàm Scriptura nobis præluceat, progredimur. Nec quæritur hoc loco, an c. assumtæ humanæ naturæ illa tribuatur æternitas, qua in æternum viuet ac permanebit; (hæc enim extra controuersiam sunt) verùm de illa æternitate quæritur, qua diuinitas filij, ab omnibus creaturis est distincta: quáque immensa est & infinita,

hæcne illi sit communicata, ex qua consequeretur, humanam naturam, non in tempore, sed ab omni æternitate fuisse à λόγῳ assumtam.

A veritate autem aberrare non possumus,
d. *quando Scripturam ducem & Magistram sequimur.* Illa asserente, esse aliquid cōmunicatum: communicatum esse id ipsum etiam nos asserimus: vicissim illa tacente, etiam nos silemus. Hæcque ad primam rationem responsa sufficiant.

Alteram rationem quod attinet, haud repugnamus, veteres, Athanasium, Theodoretum & Damascenum, dictum Pauli, in primis autem vocem σωματικῶς corporaliter, ad vnionem retulisse duarum naturarum in Christo, déque illa interpretatos esse: illorum etiam autoritatem libenter hac in parte sequimur: eo ipso autem, quòd vocem corporaliter potissimùm ad assumtam carnem seu humanam Christi naturam retulerunt, & expressè testati sunt, omnem plenitudinem Deitatis, in humana Christi carne, tanquam in proprio templo (certè non citra
e. virtutem, potentiam & operationem) *habitare*: vnà cum Patribus in eam sententiam dictum Pauli explicamus, in quam, aliis sacræ Scripturæ expressis testimoniis, declaratum est: Diuinitatem Christi, in assumta sua humana natura, ve-
f. luti in proprio *templo lucere*, splendere, operari: in eam, & per eam efficacem esse: omnia in cœlo & in terra gubernare, viuificare, credentes à peccatis emundare, veros adoratores in omnibus periculis exaudire: in tentationibus tueri, è morte liberare, extremo præsidere iudicio, deniq. omnes verè credentes, vita & salute donare æterna: incredulos seu infideles, ad ima detrudere tartara, æternæque subiicere condemnationi.

Hæc qui negare non erubescit, Deum verbúmque eius, in quo clarè eadem, perspicuè nulláque ratione alia declarata sunt, negare non erubescit. Manet igitur etiam huius dicti explicatio, vt illa in libro Concordiæ exposita est, contra aduersariorum insultus & obtrectationem, firma & immota.

Quæ præterea hoc loco repetunt, quasi plenitudinem Diuinitatis, de qua Apostolus verba facit, longissimè nostri discernant ab æterna Deitate, eius, ne literam quidem in libro Christianæ Concordiæ, monstrare nobis possunt: Si qui sunt, qui eius sibi sunt conscij, pro se illi respondebunt: Quæstio huius loci propria non est, quid hic ille vè dixerit scripserítve: sed quid libro Concordiæ doceatur, quid improbetur.

RESP.

a. SEd siue expressæ, siue non expressæ; omnes certè comprehenduntur à Paulo, cum ait, πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος: id quod & vos, victi à veritate, mox ingenuè fatemini. Quomodo igitur dictum Apostoli restringitis ad illas quæ sunt expressæ (nempe alibi) in sacris literis: & excipitis illas, quæ non sunt expressæ? diceris hæc non esse pugnantia?

b. Sed si omnes, sine vlla exceptione, teste Paulo habitant in humana natura: & vi huius verbi Apostolici, vos euincere conamini, non solum hypostaticam: (& rectè quidem hanc) naturarum vnionem, verum etiam realem diuinarum proprietatum communicationem; inter has autem proprietates, continetur etiam æternitas, immensitas, &c. An non secundum istam vestram interpretationem, Scriptura sacra (nam & Epistolæ Pauli sunt sacra Scriptura) asserit, assumtæ humanæ naturæ, communicatam esse æternitatem, infinitatem, & quòd facta sit Spiritus, &c? Aut ergo definite abuti hoc loco Apostoli, ad probandam vestram realem idiomatum communicationem, aut omnia esse realiter communicata, ingenuè fateamini: cùm Apostolus nullum excipiat, sed apertè omnia complectatur, cùm ait, πᾶν, πᾶσι, πάντα, πλήρωμα, &c. Adde, quòd fieri nullo modo potest, vt aliqua communicentur, aliis non communicatis: cùm sint prorsus inseparabilia: præsertim, quia nihil aliud etiam reapse sunt, quàm ipsa Dei essentia: hæc autem impartibilis est. Ita fit, vt aut nulla, aut omnia communicari sit necesse: non omnia autem communicari, fatemini & vos. Proinde ex hoc Apostolico loco, si essemus boni viri, & magis quæreremus veritatem, quàm inanem victoriam; nulla realiter communicari, sed tantùm in persona vniri, concluderemus.

O vtinam, non vltra Scripturas progrederemur. V- c.
binam verò Scriptura tradit, omnipotentiam realiter communicatam esse humanitati; Consequentias intulistis, sed non necessarias.

Sed nullibi adhuc asseruit. Nam neque nos contra d.
scripturam id negaremus.

Verum habitare, non est realiter esse communica- e.
tum; sed duntaxat vnitum esse habitantem, cum re inhabitata; idque corporaliter, id est, in vnitatem personæ. Et sic exposuit etiam K de 2. N. c. 2. pag. 22.

De hac phrasi, Deitatem in carne lucere, in ea, cum ea, & per eam operari; & an hinc realis communicatio concludatur, necne; abundè suprà dictum est.

ADMON. pag. 258.

EX eodem capite illa verba: in quo omnes thesauri 9.
sapientiæ sunt absconditi: deprauant, obscurantes col. 2. 3.
insignem doctrinam Apostoli, qui docet, omnem veram & salutarem Dei agnitionem, non nisi à solo Christo reuelari omnibus electis & sanctis, ac propterea hanc sapientiam nusquam esse quærendam extra Christum, vt quæ tota in ipso solo inueniatur, & per verbum & Spiritum ipsius nobis communicetur. Hæc isti ad infinitam scientiam mentis Christi humanæ detorquent, de qua nihil dicit Apostolus. Christi officium est, vt solus sit doctor & Magister noster, factus nobis à Deo sapientia. Hoc officio functus est, & fungetur in æternum, secundùm vtriusque naturæ propriam operationem.

APOL. fol. 56. a.

ALterum dictum quod attinet ad Col. 2. In *Admoni.*
quo habitant omnes thesauri sapientiæ & *pag. 258.*
cognitionis absconditi: quòd deprauari à nobis *De dicto*
contendunt: eóque nomine librum Concor- *Pauli*
diæ accusant: quòd Apostoli verba, de æterna sa- *Col. 2. In*
pientia & cognitione, seu infinita scientia men- *ipso sunt*
tis Christi humanæ, quæ proprietas sit diuinæ *omnes*
naturæ, & nequaquam de creata finita sapien- *thesauri.*
tia interpretetur: animum arguit *æstuantem libi-* A
dine contendendi & calumniandi. Non enim tanquam suam & à se confictam hanc illius loci profert liber Concordiæ expositionem, verùm sententiam sequitur primitiuæ Ecclesiæ & orthodoxæ antiquitatis: quæ dictum Pauli aliter non, quàm in libro Concordiæ explicatum est, interpretatur & exponit. Cuius euidens est apud Damascenum testimonium. Verba illius lib. 3. capite vigesimoprimo, hæc sunt: Nos Dominatorem ipsum dicimus, & Dominum omnis creaturæ vnum Christum, eundémq; Deum simul ac hominem, ac omnia scientem. Nam in ipso sunt omnes thesauri Sapientiæ & scientiæ absconditi.

Ne quis verò Damasceni verba, ad diuinam B
tantùm referat naturam; seipsum idem declarat his verbis; Humana natura substantialiter, non obtinet futurorum cognitionem:

Domini

Domini autem anima, propter ipsam ad Deum verbum vnionem, & hypostaticam identitatem, diues facta est, vt dixi, etiam futurorum cognitione. In quo expressè testatur se assumtæ humanæ naturæ, propter ipsum ad Deum verbum vnionem, futurorum cognitionem attribuere.

C. *Oecumenius* in hæc verba sic scribit: Nil eorum, quæ nouit Pater, ipse ignorat. Manifestum igitur est è prædictis testimoniis, Christum secundum humanam non solùm omni & salutari Dei cognitione præditum, sed infinita etiam scientia: hoc tamen discrimine, quòd perfecta scientia humanæ eius naturæ, inest formaliter & habitualiter: In infinita autem scientia non eodem modo, sed ratione & respectu tantùm personalis vnitionis.

RESP.

A Non libidine contendendi, & calumniandi; sed pio desiderio veritatem à calumniis & à corruptelis vendicandi. Certo enim certius est, sicut de omnipotentia paulo ante dictum est; Sic etiam infinitam & essentialem Dei sapientiam, in nullam creaturam cadere posse: ita vt per eam aliquid cognoscat: idque propterea quod & solus Deus per suam essentiam intelligit: Et exæquari non potest Deo Creatori atque infinito: Et quia denique Christus ait, Nemo nouit Filium, nisi Pater (Cognitione scilicet, qua Pater nouit:) Et nemo nouit Patrem, nisi Filius: Et cui voluerit filius reuelare. Omnis ergo mens creata, ab illa quæ propria Dei est cognitione excipitur: ac quicquid de Deo nouit, illud per scientiam reuelatam, eóque per donum Dei finitum, nouit: qua de re, in præcedentibus abundè dictum est.

De dicto ad Coloss. 2. Etsi verum est, à nonnullis Patribus, ad demonstrandam perfectissimam in Christo homine, rerum omnium cognitionem, vsurpatum fuisse: veram tamen ac genuinam illius dicti Apostolici interpretationem, non illam Patrum, sed eam potius quæ in Admonitione explicata est, fuisse: ex ipsomet Apostoli contextu, liquidò constat: qua etiam de re, non pauca supra diximus.

B Ex eo, quod dicit Damascenus, animam Christi factam esse diuitem, futurorum etiam cognitione: an non videtis, tum ex verbo κατεπλούτησε, tum ex voce τῶν μελλόντων γνώσει, Damascenum, minimè de infinita & essentiali Dei cognitione, locutum fuisse? Deus enim illa sua infinita sapientia, infinita etiam, & quæ nunquam futura sunt, nouit: Anima autem Christi ea tantummodo, quæ fuerunt, sunt, & futura sunt, cognoscit: Et finito etiam modo, pérque has perfectissimæ cognitionis diuitias, quibus ditata est, nouit: cum Deus modo infinito, pérque suam essentiam, vno intuitu, omnia cognoscat. Esse etiam diuitem, non est esse ipsas diuitias: nec esse scientem, est esse ipsam scientiam: Deus autem, est sua ipsius scientia: Et Dei scientia, est ipse Deus, propter suam simplicissimam simplicitatem. Neque etiam apud Damascenum θεοσημίαι, inter quas collocat etiam hanc τῶν μελλόντων γνῶσιν, sunt ipsa Dei ἰδιώματα: sed eius effecta, per quę tanquam per signa, & perceptibiles notas, nobis innotescit. Dicit autem Damascenus, Animam Christi, propter vnionem hypostaticam, diuitem esse factam cognitione futurorum τῶν τῶν μελλόντων γνώσει ὥσπερ καὶ ταῖς λοιπαῖς θεοσημίαις. De essentiali igitur & infinita Dei scientia, quasi ea realiter sit Animæ Christi communicata, nequaquam locutus est Damascenus.

C Ex Oecumenio hæc duntaxat verba citatis, Nihil „ eorum, quæ nouit Pater ipse ignorat; οὐδὲν, φησίν, ὧν οἶδε „ ὁ πατὴρ αὐτὸς ἀγνοεῖ: quis αὐτὸς? num humanitas, aut „ Christus secundum humanitatem? Sed nihil horum dicit Oecumenius: sed de Christo simpliciter interpretatur atque ita interpretatur de Christo, vt ab illa rerum omnium cognitione, quæ Patri attribuitur, omnem excludat creatam mentem. Explicans enim illud

ἀπόκρυφοι, inquit, αὐτὸς ὁ κρύψας, ἵνα μὴ τὸ αὐτὸ γὰρ διαφορᾶς, περὶ τῆς ἀποκαλύψεως μὴ κρύπτειν ἀλλὰ μαθητεύειν πειρᾶσθαι. Annon verò & anima Christi, παρὰ τοῦτο? Cùm ergo de Christo ait οὐδὲν, ὧν οἶδεν ὁ πατήρ, αὐτὸς ἀγνοεῖ: simpliciter de omnibus quæ nouit Pater, dictum intelligatur: nequaquam ad humanam, sed tantùm ad diuinam in Christo naturam, realiter referri potest. Fideliter fideliter recitentur Patrum dicta.

Cur in hac vestra conclusione additis: quæ in præmissis non continentur? nempe, SECVNDVM HVMANAM NATVRAM: & INFINITA SCIENTIA? D

Εὐχαριστοῦμεν. Quid est, Christum secundùm humanam naturam præditum esse infinita scientia, non formaliter, sed respectu tantùm personalis vnionis? Nobis maior difficultas est in vestris mysteriis intelligendis, quàm in manifestis erroribus refutandis. Quòd si nos, qui tamen aliquid legimus, vestras istas nouas phrases, quibus nec Scriptura, nec Patres, neque etiam Scholastici vtantur, non intelligimus: quid facient imperiti homines? quem fructum, ex vestra ista ænigmatica doctrina percipient? nisi fortè vestris solis auditoribus seorsum, hæc ἀπορρήτως explicatis. Sed cur in re tanti momenti non scribitis omnibus perspicuè? Si ita ambigue & obscurè loquimini de industria, ne ab omnibus intelligamini: quales Christiani? Si verò, quòd nesciatis clarius loqui: quales doctores? Sed videamus, an aliquem sensum, ex vestra phrasi eruere nos possimus: & an ille consistere queat. E

Primum: Præditum te esse aliqua re, propriè significat, te eam rem habere: idque in te ipso, rebúsve tuis. Vt præditum esse virtutibus, habere virtutes: vbi? in animo tuo: præditum esse viribus, habere vires: vbi? in corpore tuo: præditum esse diuitiis, habere diuitias: vbi? vel in cistis tuis: vel in agris tuis, &c. Impropriè autem est, habere tales res in alio, non simpliciter tuo, sed κατά τι: vt te habere perfectam iustitiam coram Deo, non in te ipso, sed in Christo: quatenus illius capitis tu es membrum. Si igitur humana natura, habet hanc infinitam, quæ Dei propria est, scientiam: vbi habet? vel in sese: vel in persona τοῦ λόγου, in qua etiã suam habet subsistentiam per vnionem hypostaticam, & cuius rei caussa, dicitur facta esse ceu pars personæ Christi. Habere in sese: vos propter absurda, quæ inde sequuntur, constanter & rectè pernegatis. Si ergo in persona: sola certè persona, idque propter alteram naturam, propriè & realiter, non autem natura humana, nisi per communicationem idiomatum, seu per gratiam vnionis, sicut omnipotentiam, sic etiam infinitam omniscientiam, habere dici potest. Quòd si autem hic vester sit sensus, cum dicitis: respectu & ratione personalis vnionis: nulla fuerit inter nos controuersia. Verùm hoc non satis esse contenditis.

Secundo igitur loco, quid velitis illa particula, respectu & ratione vnionis personalis: cũ vos nõ explicetis, diuinandum nobis est. Duorum alterutrum, ista phrasi vos significare voluisse, nobis videmini: nempe, aut caussam istius realis communicationis, esse ipsam hypostaticam vnionem: quemadmodum etiam dicimus, aquam esse calidam, non per se, sed respectu & ratione vnionis, quam habet cum calore ignis sibi communicato: aut rationem & modum, quo facta sit hæc realis idiomatum diuinorum cum humana natura communicatio: nimirum, non quòd in sese, illa habeat realiter communicata: sed respectu tantùm personæ, cui est vnita, & in qua ista realiter insunt, sibi communicata esse dicantur: quemadmodum etiam dicere solemus, caput sapientissimi viri, caput esse sapientiæ plenum: non simpliciter & in sese, sed respectu & ratione mentis, in qua inest sapientia, & cui vnitum est, cuiúsque est organum caput. Sic enim modus & sensus, quo caput dicitur esse sapientiæ plenum, explicatur: quòd nimirum non in sese, sed in alio, hoc est, in mente, propter vnionem, sit tale. Phrasi igitur illa vestra, aut caussa, aut modus communicationis à vobis indicatur. Si primum dicatis vos voluisse: duas pro vna, quæstiones induxistis: vnam de facto, alteram de caussa. Sed hæc posterior, fuit superuacanea, & verum quæstionis statum, ne intelligatur, impedit.

Si enim de prima constet quæstione; quis nesciat, illius realis communicationis, causam esse vnionem hypostaticam? Si verò alterum; quid aliud dicitis, quam quod Vigilius, Essentiales cuiusque naturæ proprietates (realiter) Christo, seu personæ esse proprias; alteri autem naturæ, non in sese, sed tantum in persona, esse communes? Hoc autem significat vestra locutio, Animam Christi esse omni scientia & infinita sapientia præditam, non formaliter, aut in sese, sed respectu & ratione personalis vnionis; hoc est, respectu personæ, cui hypostaticos vnita est. Ita non licebit dicere, humanitas est omnipotens, sed homo; Sicut nec rursus licet dicere, Deitas passa est, sed Deus. Hæc verò est nostra doctrina, cum Scripturis, & cum veteribus Patribus consentanea. Si non rectè sensum istius vestræ locutionis explicauimus, quod ne rectè vos intellexerimus; vt vos apertè explicetis, rogamus.

Vig. lib. 5. c. 1.

ADM. pag. 258.

10. Non pudet eos pro se allegare Theodorum Rœthensem, qui scribit, Samosateni dogma hoc fuisse, Christum esse nudum hominem, in quo Deus verbum, sicut & in singulis Prophetis habitarit: ac proinde duas naturas separatas, & citra vllā prorsus inter se communionem in Christo esse, quasi alius sit Christus, alius Deus verbum in ipso inhabitans. Hic nobis audent Samosatenum & Nestorium impingere, in quorum luto ipsi hærent ad ambas vsque aures: Fateantur ipsi vocem communicationis vel communionis, aliquando pro vnione sumi. Hoc autem sensu hic Theodorus expresse declarat se hoc vocabulo vti. Realem enim communicationem diuinorum donorum Samosatenus & Nestorius non negabant in homine Christo; & tamen vnionem realem & personalem duarum naturarum inficiabantur. Cum autem Theologi contendant, nullum relinqui discrimen inter Christum & sanctos, si realis naturæ humanæ omnipotentia & immensitas tollatur; ipsi videant, quomodo ex Samosateni & Nestorii nassa se expediant.

APOL. fol. 56. B.

Obiiciunt etiam nobis; non pudere nos, pro nobis Theodorum Rœthensem allegare de communicatione aduersus Samosatenum, & audere ipsis Samosateni & Nestorii errores impingere: cùm ipsos potius pudere deberet, si qua saltem ingenui pudoris scintilla in illis adhuc reliqua; quòd audire & intelligere recusant, non esse testimonia hæc eum in finem al-
a legata & inserta, *quod cupiamus* nomina vnionis & communicationis esse confusa; quorum discrimina Dei beneficio nobis notissima sunt; & in ipso libro Concordiæ satis declarata; Verùm hanc ob causam, vt hac in parte, & eò vsque cum Samosateno & Nestorio, consentire eos demonstraremus, quatenus vterque Samosatenus & Nestorius, teste Theodoro, naturas in
b Christo, *omnimodo esse incommunicabiles*, asserue-
c runt. Id quod & ipsi, *inprimis de proprietatibus* diuinæ naturæ in Christo, pleno ore, magnis cla-
d moribus, *fere in omnibus* contra librum Christianæ Concordiæ editis libellis contendunt, & defendere præsumunt.

RESP.

Sed vbinam Admonitio dicit, istum vobis fuisse fi-
a nem, propter quem testimonia illa vestræ Concordiæ inseruerітis? Tantum dicit vos allegasse Theodorum Rœthensem pro vobis; quasi ille, quia improbat Samosatenum, quod dixerit, naturas, diuinam & humanam, esse omnino ἀκοινωνήτους, hoc est, non posse vniri; ideò, vestrum dogma de reali essentialium proprietatum diuinæ naturæ cum humana communicatione probarit: Et per consequens nos, qui vestram istam communicationem negamus, tanquam Samosatenianos & Nestorianos, damnarit. Hoc dixit Admonitio; Et propterea debere vos pudere, cum fateamini nomen κοινωνίας sumi pro ipsa etiam, idque in primis, vnione, quo sensu accepit Rœthensis, cùm opinionem Samosateni τῶν οὐσιῶν ἀκοινωνήτων referret, ab vna significatione ad alteram argumentari: Et nobis, qui non vnionem naturarum, sed realem idiomatum communicationem negamus, errorem Samosateni, & Nestorii, qui non hanc, sed illam negabant, attribuere. Annon ita se res habet? Legatur Admonitio; Legatur & vestra Apologia; & prudens lector iudicet.

Incommunicabiles ἀκοινωνήτους, hoc est, inunibiles, vt ita loquamur: & de naturis loquebantur non de proprietatibus, quas a naturis reipsa discernebant. Sed quid hoc ad nos? qui & alio sensu accipimus nomen ἀκοινωνήτους; Et de proprietatibus, contra illorum & vestrum dogma, incommunicabilibus disputamus? Illi omni modo incommunicabiles, id est, non vnibiles dixerunt; nos omni modo, verè incommunicabiles esse docemus. b

Quid sibi vult illud INPRIMIS de proprietatibus? c
quasi secundariò, ipsas etiam naturas, omninò ἀκοινωνήτους esse, cum Samosateno & Nestorio doceamus; cum ex æquo de vtrisque loquamur. Si enim nomine κοινωνίας ipsam vnionem intelligitis; nos contra Samosatenum & Nestorium, & naturas & proprietates ex æquo, vnitas esse καθ' ὑπόστασιν profitemur. Si verò ipsam realem, & propriè acceptam communicationem; ex æquo itidem & naturas, & essentiales earum proprietates, prorsus ἀκοινωνήτους, contra eosdem, esse constanter prędicamus. Illi enim quæ Dei sunt propria, vt miracula edere, vt remittere peccata, vt animas & corpora viuificare, &c. Christo nudo homini, quemadmodum & vos humanæ naturæ, realiter communicata esse docebant: Nos contra cum Ecclesia credimus. Quid igitur nobis commune cum Samosateno & Nestorio? Videte ne verum sit quod Admonitio habet, vos in eorum luto, ad ambas vsque aures hærere.

Ferè in omnibus, &c. Quasi vitiosum sit, hęreses in d
singulis librorum paginis, nedum in omnibus libellis damnare. Respondete, rogamus: aut quamnam proprietatum realem communicationem damnemus, vobis notum est: aut non est notum. Si est; cur nobis vitio vertitis, quod in singulis libellis eam damnemus? Non enim damnamus, nisi illam, quæ propriè vocatur realis communicatio: de qua sæpe dictum est: & quam vos ipsi dextrè declinatis, dicentes, naturam humanam esse factam omnipotentem, non IN SESE, non FORMALITER, &c. Hanc enim vnam nos iudicamus esse veram & realem alicuius rei communicationem. Si autem est notum: quid igitur contra nos vestros stringitis calamos? Cur non perspicuè vestram explicatis sententiam, quę ab omnibus queat intelligi? Cæterum, antequam huic primæ falsæ assertioni finem imponamus: quo melius totum hoc negotium intelligatur: quod Admonitio breuiter attigit; illud nos hic aliquantò fusius explicabimus.

De persona Christi, hæc duo pręcipua capita, firma semper retinuit Ecclesia eius Catholica: vnum, τὸν λόγον, de quo Ioh. 1. verum æternumque esse filium Dei, Deum. Alterum, hunc λόγον factum esse in tempore carnem, hoc est, perfectum hominem sine vlla sui mutatione: sed tantum humanæ naturæ, in suæ personæ vnitatem, assumtione: idque sine vlla naturarum, diuinæ & humanæ, essentialiumque earum idiomatum confusione; manentibus integris atque distinctis naturis, proprietatibus, actionibus: licet intimè & perfectissimè inter se vnitis: idque vt vna & eadem persona, secundum diuersas naturas, & proprietates, diuersis actionibus, officium Mediatoris faciendo, salutem nostram perficere posset, tanquam Deus & homo. Hæc est summa. Contra primum: quidam negarunt τὸν λόγον esse rem ὑφεστῶσαν, vt Samosate- *Epiph. li.*
ni: quidam admiserunt, sed verum Deum esse, *2. tom. 2.*
non concesserunt; Creatum enim esse Spiritum, qui *hær. 1.*
postea fuerit in Iesu, loco mentis seu animæ: Et ita λόγον factum esse carnem, seu hominem, ex tali coniunctione cum carne, qualis est animę cum corpore: vt A- *Epiph. li.*
rius. Quidam, λόγον verum esse Deum concesserūt: Sed *2. tom. 2.*
Iesum illum, qui crucifixus est, Deum verum esse, infi- *hær. 5.*
ciati

ciati sunt: idque propterea, quòd τὸν λόγον verè factum esse hominem, per assumtionem videlicet naturæ humanæ in vnitatem personæ, credere & confiteri noluerunt: duas in Christo fingentes personas: filium Dei, λόγον & filium hominis, Iesum: vt Nestorius. Ita tria ista hæreticorum genera, negarunt illum visibilem Iesum esse Deum: sed diuersis de causis. Primi, quia quem scriptura dicit λόγον, factum esse carnem: eum non admiserunt esse ὑφεστάμενον, nedum verum Deum. Secundi: quia, illum creatum fuisse Spiritum, contenderunt. Tertij: quia λόγον Deum, in vnitatem suæ personæ ita carnem realiter assumsisse, vt vnus, & idem sit Deus & homo: intelligere, cóque & confiteri noluerunt.

Cyrillus v. Synod. Ephes.

Ad primum igitur caput quod attinet: nihil nobis esse negotij cum Samosatenianis, Arianis, Nestorianis, manifestum est illis Christi Ecclesiis, quæ quid profiteamur, ex libris nostris, & ex publica constantique fama, sine vllo malo affectu, optimè nouerunt.

Contra alterum caput de vnione τοῦ λόγου cum carne, duo sunt hæreticorū genera qui pugnent: vnū eorum est, qui λόγον, veri Dei nomine non dignantur. Hi enim volunt λόγον, tanquam spiritum creatum, vnitum fuisse corpori in Iesu Christo: non secus, quàm anima hominis, in singulis hominibus, corpori iisdem vnita est: Deum autem huic nudo, vt volunt, homini, non alio modo vnitum esse, quàm per gratiam sicut aliis etiam hominibus sanctis contendunt. Hi etiam nihil ad nos. Alterum eorum est, qui λόγον Deum esse credunt ac confitentur: sed horum non vna est species.

Alij ita coniunxerunt λόγον Deum, cum carne assumta: sicut duo homines, nexu amoris, voluntatis, in omnibus consensionis, ita copulantur, vt vnus dicantur esse homo: cùm tamen reipsa non sint vnus, sed plures: sicut etiam, qui adhæret Deo, (fide & amore) vnus Spiritus dicitur fieri cum illo. Neque cum iis quippiam nobis est negotij: qui vnionem inter λόγον & carnem, non σχετικὴν sed ὑποστατικὴν, esse docemus. Ii omnes, tam primi, quā secundi, contenderunt, naturas, diuinam & humanam, nullo modo posse vniri, nempe in vnam personam, seu ὑπόστασιν. Alij contra, talem vnionem factam esse inter VERBVM & carnem: vt caro sit ceu absorpta in naturam τοῦ λόγου: communicatis illi, essentialibus τοῦ λόγου proprietatibus, vt Eutyches. Isti, de quibus hactenus, hæretici, tametsi, & in sententia de λόγῳ quid sit: Et in ea quæstione, quæ est de vnione τοῦ λόγου cum humana natura, dissentientes inter se fuerint: tamen in hoc, quanquam diuersimodè, & diuersis de causis consenserunt omnes, quòd omnes prædicarunt, quæ sunt Dei propria, vti est remittere peccata, viuificare, edere miracula, &c. ea realiter fuisse, vel filio hominis, nudo homini, vel ipsi naturæ humanæ, quæ in Christo est, ita communicata, vt natura ipsa, illis proprietatibus prædita, ea faceret, & faciat, quæ sunt Dei propria. Neque certè hoc sine omni prorsus caussa. Legebant enim hæc de Iesu Christo apud Euangelistas prædicari; sciebant etiam hæc non esse humana, sed diuina. Qui igitur Iesum, nudum hominem esse putarunt; huic homini, illa diuina, realiter fuisse communicata, dicere cogebantur. Qui verò illum, vt Deum in carne manifestatum agnouerunt, illa carni etiam attribuerunt, & communia illi cum verbo fecerunt, quæ tamen propria fuerunt Deitatis, idque proptèrea, quod ita naturarum vnionem considerarunt, vt naturas ipsas, earumque proprietates, & actiones non distinxerint. Sicut Eutyches & eius discipuli, qui tamen in varias porro sectas diuisi fuerunt. Ecclesia vero Catholica, de hac naturarum vnitione ita sensit, vt semper docuerit, vnum & eundem Christum, quæ diuina sunt, operatum fuisse & operari, secundum naturam diuinam, quæ vero humana, secundum humanam. non autem, quæ vnius sunt naturæ, illum secundum & per proprietates alterius naturæ, vel egisse, vel agere. Hinc regula Catholicæ Ecclesiæ, apud Iustinum, in Expositione fidei, Græcè, 178. ὅταν συνῶμεν ἀεὶ τὸν ἕνα υἱὸν τῇ ἑνώσει φωνῆς, καταλλήλως μερίζω ταῖς φύσεσι τὰ λεγόμενα, αἱ μέγαλα καὶ θεῖα τῇ θείᾳ φύσει περιτιθέμενοι, αἱ δὲ τι μικρὸν καὶ ἀνθρώπινον τῇ ἀνθρωπίνῃ λογιζόμενοι. οὕτω γὰρ καὶ τὸ τῆς φωνῆς ἀσύμφωνον διαφεύξεσθε, ἕνα ὁμολογοῦντες διχῶς τὰς φύσεις, καὶ τὸ μὲν τὸ ἕν, καὶ περὶ πάντων εἰρημένων, καὶ πρέπει τὰς θείας γραφὰς ὁμολογοῦντες.

Tomus 8.

Ex qua regula liquet, Ecclesiam semper sensisse, primùm quidem naturas cum suis proprietatibus, in vnam personam, verè & realiter esse vnitas: contra Samosatenum, Arium, Nestorium: qui nomen κοινωνίας pro vnione, hoc est ἑνώσει καθ' ὑπόστασιν accipientes, dixerunt, Naturam Dei & naturam humanam, esse prorsus ἀκοινωνήτους. Deinde etiam credidisse, & docuisse, essentiales vnius naturæ proprietates, sicut & naturam ipsam, nullo modo esse alteri naturæ, realiter communicatas: nomine communicationis propriè accepto; ita vt vel Deitas, quæ propria sunt humanitatis, ea realiter egisse, vel passa esse, vel humanitas, quæ propria sunt Deitatis, ea realiter præstitisse, aut præstare posse, verè dici possit: idque primum contra Samosatenum, Arium, Nestorium: qui nomen κοινωνίας pro reali & propriè accepta communicatione accipientes, diuinas proprietates nudo homini, naturæve humanæ, realiter communicatas fuisse, vt supra explicatum est: cóque κοινωνητὰς esse docuerant. Deinde etiam, idque maximè contra Eurychen, qui ita communicatas fuisse propter vim vnionis voluit, vt ex creatura fecerit essentialiter Deum: Et summam in personam Christi induxerit confusionem.

Nos in illa simplici Catholicæ Ecclesiæ doctrina acquiescimus, veram & hypostaticam naturam, in vna persona vnitionem confitentes: Et realem proprietatum communicationem propriè, vt explicatum est, acceptam, cum Ecclesia, contra omnes Hæreticos, pernegantes. Quod enim aliquando Patres ita loquantur, vt quæ Deitatis propria sunt, humanitati facta esse communia, docere videantur: id quomodo intelligendum sit, alibi dictum est: nempe, aut per gratiam vnionis, pérque communicationem idiomatum: aut participatiuè, per effectorum nimirùm communicationem.

Atque hæc hactenus, de prima falsa assertione: deque argumentis decem: quibus eam confirmare conati sunt Bergenses.

DE SECVNDA ASsertione.

A D M. pag. 259.

Liber Concordiæ sic loquitur: Filium Dei passum esse secundum proprietatem naturæ humanæ.

Ambigua locutio est, & congruens cum eo, quod in hac propositione: Filius Dei seu Deus est natus ex Maria, est passus: volunt esse cōmunicationē realē Idiomatū, adeò, vt nisi ista ponatur, passio Christi ad Filium Dei nihil attinuerit. Passa ergo erit secundum ipsos humanitas quidem secundum suam, & sibi naturalem proprietatem: Deitas autem non secundum suam, quam ex se & sua natura habeat, sed secundum alienam, videlicet, humanam, proprietatem, realiter sibi cōmunicatam: sicut naturam diuinam secundum sibi naturalem: humanam verò secundum diuinam, & sibi reipsa communicatam proprietatem, sua substantia volunt esse vbique.

Quid autem est contumelia Filium Dei afficere? quid est omnes olim ab Ecclesia Orthodoxa damnatas hæreses ex inferis resuscitare, si hoc non est? Petrus ait Christum esse passum & mortuum non secundum proprietatem carnis sibi realiter communicatam, sed secundum carnem, hoc est ipsam carnis naturam seu substantiam. Sic loquitur tota vetus Ecclesia: nec possunt hoc negare Theologi, sed tamen simul sua figmenta volunt nobis obtrudere, & potius sibi contradicere, & alios ad eandem insaniam adigere, quàm sua somnia relinquere, ne videantur vnquam errasse, aut quicquam non ex Eliæ & Elisæi spiritu loquuti esse. *1. Pet. 3. 18.*

A P O L. fol. 56.B.

Arguunt præterea librum Concordiæ, & multis quidem id agunt verbis, quòd do- *Responsio ad cri-*

minationem. filiũ Dei non passum secundum proprietatem humanæ naturæ. ceat & sic loquatur, Filium Dei passum esse secundum proprietatem naturæ humanæ: In libro verò Concordiæ, pag. 308. 309. sic scriptum legimus, Christum secundum humanitatem, seu secundum humanam naturam passum, mortuum. Et has esse proprietates, non diuinæ, sed humanæ naturæ, assentiur pag. 305. Hæc vera quum sint, quid illa obiectione sibi velint, non satis assequimur: nisi id agant, vt omnibus, suam in arte phormionis commendent industriam: nihil tam bene esse dictum, quod malè dicendo deprauare non possint. Talibus Magistris & Præceptoribus qui vti cogitat: magnam is copiam in castris aduersariorum habere poterit. In re autem plana, non est quod pluribus verbis vtamur. Manifesta enim calumnia, non est vlla responsione digna.

R. N.

A QVid sibi vult illud, IN LIBRO VERÒ CONCORDIÆ, &c. Quasi, quia pag. 308. & 309. dixistis passum esse secundum humanam naturam: ideo verum non sit, vos etiam alibi dixisse, passum esse secundum proprietatem humanæ naturæ. Annon hoc expresse scriptum reliquistis in NORMA, cap. 8. de persona Christi, affirmatiua ix his verbis: Quapropter verè Filius Dei pro nobis est passus: sed iuxta proprietatem humanæ naturæ, &c. An non hæc sunt vestra? Ite ergo & dicite, (vt scribitis) manifestam esse calumniam, quæ indigna sit responsione. Satius & honorificentius vobis fuisset, hæc diuersa dicta conciliare, quam vnius confessione, alterum inficiari.

ADMONITIO
pagina 259.

III. DIcunt naturam humanam Christi inde à puncto conceptionis, habuisse Maiestatem & omnipotentiam illam diuinam sibi realiter communicatam. Si communicatam vnitam intelligerent: nulla esset controuersia. Sed illi disertis verbis communicationẽ suam realem ab vnione distinguunt, tanquam effectũ à sua caussa, tanquam consequens ab antecedente, & volunt non tantùm infantem & embryonem illum omnipotentem semper fuisse, quod & nos cum scriptura & Ecclesia confitemur; sed etiam humanitatem, hoc est, carnem & animam eius omnipotentem, omniscíam, & omnipræsentem semper fuisse.

Ies. 53. 4. *Luc.* 2. 40. *Ioh.* 4. 6. *Heb.* 4. 15. Contrà verò Iesaias dicit, eum infirmitates nostras suscepisse, & Lucas, puerum Iesum creuisse sapientia & statura, & gratia apud Deum & homines. Et Iohannes, Fatigatum fuisse ex itinere. Et Apostolus, per omnia fratribus similem, excepto peccato. Et Lutherus, vt supra dictum est, fatetur expresse humanam naturam vnitam ..., non potuisse seipsam seruare. Et nunc etiam, nisi creaturam esse negent cũ Schvvenckfeldio, non potest seipsam seruare, sed non minus, quã omnes creaturæ, nisi sustineretur à Deitate, redigeretur in nihilum. Non ergo est omnipotens, ne quidem in sua Maiestate diuina, multò minus iacens in præsepi, aut in vtero virginis. Et nihil est, nisi sophisma, nugatio, fumus & præstigiæ, ad fallendos homines excogitatæ, quod garriunt: carnem fuisse tum omnipotentem, omnipræsentem actu primo, sed non secundo, hoc est, potuisse, si voluisset, omnipotentem & vbique esse, sed non tamen hac facultate vsam esse. Neque est, neque esse potest vlla res omnipotens & vbique præter vnicam Deitatis essentiam: quam nisi in substantia sua haberet homo Christus, tam non possit homo omnipotens & Deus verè dici, quam ipsius caro Deus esse non potest.

APOL. *fol.*

Admo. p. 87. TErtio loco obiiciunt contra librum Concordiæ, hoc etiam nobis: quòd in illo dicamus & doceamus, naturam humanam Christi, inde à puncto conceptionis habuisse Maiestatem & omnipotentiam illam diuinam sibi realiter communicatam. Et huius dogmatis caussa, vehementer admodum nobis succensent, nosque exagitant. Non diffitemur autem, hanc doctrinam, vt modò est exposita, in libro Christianæ Concordiæ contineri: *cùm ipsa sit æterna immotáque veritas*: nec negari possit: nisi ipsum Dei verbum negetur. Expresse enim Ioh. scribit c. 1. Vidimus gloriam eius, velut vnigeniti à Patre. Et c. 2. Iesus manifestauit gloriam suã. Si manifestauit, necesse est, *vt eam habuerit.* b. Quo verò tempore alio eam accepit, quàm ipso momento vnionis personalis diuinæ & humanæ naturæ, quo in vtero Mariæ virginis conceptus est? Hanc Maiestatem declarauit, vt libro Concordiæ, pag. 307. docetur, quando è virgine Maria matre sua, salua & illæsa virginitate, est natus. Similiter hanc suam Maiestatem patefecit in miraculis, quæ toto exinanitionis tẽpore edidit. Similiter in apparitionibus, Matth. 17. in monte Thabor, Ioh. 12. & alibi *Vnde citra contradictionem* verissimum, Maiestatem Christum suam, in ipsa conceptione, in vtero matris accepisse: & ante etiam resurrectionem possedisse. c.

Quo tempore Christus secũdum assumtam naturam Maiestatem suam acceperit. a.

Quod ipsum Gregorius quoque Nissenus his verbis testatur. Ipsa dextra Dei, vnitum sibi hominem, in propriam euexit celsitudinem, *per vnionem*. Et Leo, epist. 18. Forma serui, in gloriam diuinæ potestatis euecta est, *in tantam vnitatem*, ab ipso conceptu virginis, Deitate & humanitate connexa: vt nec sine homine diuina, nec sine Deo agerentur humana. Nihilque ad sententiam aduersariorum confirmandam facit dictum Lucæ 24. quod allegant: Et sic ingredi in gloriam suam. Nec enim dictum illud hoc sibi vult, *Christum demum à resurrectione*, hanc maiestatem assumtæ humanæ naturæ, impetrasse & acquisiuisse: verum, quòd illo tempore, quo gloriæ statum plenè ingressus est, plenè etiam eandem manifestârit: secundum veterem regulam: Res tunc dicitur fieri, *cum incipit manifestius patefieri*. Lomb. lib. 3. dist. 18. August. li. 83. Quæst. quæst. 69. d. e. *Admo. p.* 88. f. g.

Quòd autem librum Concordiæ arguunt, docere illo, *puerum Iesum*, dum in vtero fuit Mariæ matris, eodem tempore, eadem ratione, in vtero Herodiadis, omniumque aliarum mulierum, vt scurriliter quidam ipsorum calumniantur, & hac ratione vbique, extra etiam vterum Mariæ virginis, fuisse: impudens est & crassum mendacium. Nullo enim verbo eius in libro Concordiæ fit mentio: nec in eo demonstrabitur vnquam. Hoc quidem in libro Christianæ Concordiæ, secundùm normam verbi diuini, quod fallere nequaquam potest, asseritur: puerum Iesum, in ipso etiam vtero Mariæ, omnem virtutem & potestatem, in cœlo & in terra, etiã secundùm assumtam naturam humanam, *propter personalem vnionem*, & pro ratione eiusdem accepisse & possedisse. Quoniam verò status exinationis, de quo Paulus ad Phil. 2 disserit, in ipso momento conceptionis in vtero Matris initium sumsit: illam, quam acceperat potestatem, secundùm assumtam naturam, vt in libro Concordiæ verbis D. Lutheri pag. 314. occultauit, ad tempus resurrectionis, licèt interdum, in statu h. i.

statu humilitatis, Christus, pro confirmatione acceptæ & communicatæ sibi Maiestatis, eam manifestarit, in miraculis & peculiaribus quibusdam reuelationibus.

k. *Scholasticorum illorum* terminorum, Actus primi & secundi, quos illi suo more sibi exagitandos sumunt, in libro Concordiæ, nulla omnino fit mentio: verùm id saltem asseritur, pag. 307. diuinæ acceptæ Maiestatis, illustre perhibuisse testimonium, quod salua & illæsa virginitate, natus est ex matre Maria.

Testimonia quæ allegant Christum nostras suscepisse infirmitates, Esa. 53. creuisse puerum Iesum, sapientia, statura & gratia, Luc. 2. fatigatum fuisse in itinere, Ioh. 4. &c. Loquuntur par-
l. tim de statu exinanitionis, *partim de finitis donis*, quæ Christus, secundùm naturam humanam
m. in se & per se habet: *non autem negant*, verè, tum etiam, Christo communicatam fuisse Maiestatem diuinam, quia illa non semper sit vsus: Id enim tempore exinanitionis fieri non decebat: idque ob hunc finem, vt redimi posset genus humanum.

n. *Etenim si*, quemadmodum potuisset, ita Maiestate sua semper vti voluisset, nec pati nec mori potuisset. Humanam naturam Christi in gloria illa exaltationis esse & manere creaturam, haud diffitemur: imò constanter illud in libro Concordiæ asserimus: propter illam verò caussam, diuinam Maiestatem, citra eius destructionem, ratione & respectu personalis vnionis communicari ei non posse: nullo modo sequitur.

Etenim si filius Dei, huius gloriæ capacem eam facere potuit: vt citra naturæ omnem destructionem, in vnitatem eam assumeret personæ: quare Maiestatis suæ gloriæ, citra eius abolitionem, non posset participem reddere & capacem? Quòd si per vnionem hypostaticam non aboletur: qua ratione per communicationem Maiestatis destrueretur? Tam enim rationis iudicio repugnat personalis vnio: quàm communicatio Maiestatis. Si ex principio hoc, finitum non est capax infiniti, iudicium faciendum est: & si propter illud communicatio Maiestatis est neganda: propter illud ipsum principium neganda quoque erit incarnatio: vtrobique enim eadem conclusionis ratio est & caussa.

RESPONSIO.

a. Dicitis, sed non probatis. Testimonia enim, quæ citatis ex Iohan. 1. & 2. nihil ad rem faciunt. Primùm, de persona Filij Dei loquuntur: non de humana eius natura. Vidimus gloriam eius: cuius eius? num carnis? non: sed illius λόγου, qui factus est caro & habitauit in nobis. Ac quomodo vidimus? ex miraculis aliisque effectis. Item manifestauit gloriam suam: quis? nempe λόγος Deus in carne manifestatus: quid, & quomodo? suam illo miraculo patefecit Deitatem. Quid hæc ad realem omnipotentiæ cum humana natura communicationem? Deinde etiamsi velletis hæc de Christo secundùm humanam naturam interpretari: tamen ex iis concludi non potest, gloriam & maiestatem illam Realiter eius humanitati, sed tantùm per communicationem Idiomatum perque gratiam vnionis, esse attribuenda.

b. Qui manifestauit: is etiam illam habuit, & qui habuit, is etiam accepit. λόγος in carne manifestatus, illam in carne manifestauit, & is etiam accepit à Patre in æterna sua generatione. Is igitur solus eam in sese realiter & essentialiter habuit: In carne verò assumpta, habuit per vnionem: proinde nec ipsa caro eam Maiestatem in sese realiter habuit, sed tantùm in persona τοῦ λόγου, in cuius vnitatem assumpta est, habuit & habet.

Citra contradictionem, fatemur: sed adhibita expli- c.
catione, quam diximus. Cum enim dicis Christum, personam vnam dicis, sed duabus constantem naturis. Vt Deus, eam accepit, idque realissimè; à quo? à Patre: quando? ab æternitate: vbi? non certè in vtero virginis Matris, sed in vtero (si ita loqui licet) id est, ex persona Patris, cùm ex illo genitus est, in ipsa sui generatione æterna. Vt homo verò eam accepit in vtero virginis: sed quomodo? quomodo etiam & λόγος Deus, factus est homo, & homo Deus: per hypostaticam scilicet vnionem vnius naturæ cum altera. Non igitur alio modo, ipsam etiam Maiestatem, vt homo accepit, quàm per vnionem. Et hoc manifestè docent testimonia, quæ subditis, Nisseni & Leonis. Quæstio autem est, non de vnione, sed de reali communicatione, quæ ita in ipsa humana natura sit facta: vt non minus ipsa humana realiter sit dicique possit omnipotens, quàm etiam est diuina: nisi quòd vna natura per se talis est, altera per aliud. Ita propter vestras ambiguitates, plus habetis in conclusione, quàm in præmissis.

Nota illud, PER VNIONEM: non ergo per realem d.
communicationem.

Nota & illud, IN TANTAM VNITATEM: Item il- e.
lud, VT NEC SINE HOMINE (hoc est, humana natura) AGERENTVR DIVINA: NEC &c. Non igitur diuina realiter sunt communicata humanæ naturæ, neque rursus humana diuinæ, sed tantum vnita: ita vt vtraque forma agat quod suum est, sed cum communione alterius.

Quis vnquam hoc dixit, si de vnione sit sermo? In- f.
gressum autem humanæ naturæ, in realem Regni cœlorum possessionem, impetratum ei fuisse post passionem, docet Christus: oportuit (inquit) Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Non ergo à conceptione hanc accepit. Non enim ait, & ITA PLENE, sed simpliciter, & ita intrare, seu introire in gloriam suam. Et huic consonat dictum Apostoli, Phil. 2. propter quod (id est, propter quam obedientiam) & Deus exaltauit illum &c. Non ergo ante obedientiam, hanc habuit exaltationem; sed eam & sibi, & nobis sua obedientia promeruit.

Regulam libenter admittimus, sed illud MANIFESTIVS patefieri; à vobis additum esse, manifestissimè g.
patet: cum nec Augustinus habeat, nec Lombardus. Ac cur adieceritis, qui non est omnino cæcus, facilè videt. Nam ante passionem suam sæpe gloriam manifestauit Dominus Iesus. Nil igitur valet glossa, tum demum, id est post resurrectionem, ideo dici Christum introisse in gloriam suam, quia tunc illam incepit patefacere, nisi addatis MANIFESTIVS: sine qua particula, regula illa, nil vobis fauet. Ita manet interpretatio; Christum, qua homo est, passione sua, sibi & nobis promeruisse possessionem æternæ gloriæ: Et tum demum in illam introiisse, cum à mortuis resuscitatus, ascendit in Cœlum.

Hæc ad nos minus pertinent, quàm vos ea in libro h.
vestræ Concordiæ contineri dicitis.

Accepisse in vnione, & per gratiam vnionis eam ha- i.
bere in persona τοῦ λόγου, in cuius vnitatem assumta est hæc humana natura, nemo negat. Sed quidnam eam occultauit per tempus exinanitionis: Et post resurrectionem eam exeruit? ipsane natura humana an potius λόγος ipse? Irenæus ait, quiescente verbo, carnem passam fuisse. Non ergo caro, eam potentiam & gloriam occultauit, eóque nec communicatam habuit: sed VERBVM, cuius erat propria occultauit.

Si non habetis præcisè hæc verba in libro vestræ cō- k.
cordiæ: annon tamen easdem res habetis? Dicitis enim humanam naturam accepisse & possedisse omnipotentiam & vbique præsentiam, non qua actu esset, vel sit vbique vel multis in locis, sed quà potuerit & possit esse, si velit. Hoc verò quid aliud est, quàm quod alij libri Concordiæ autores, vocarunt actum primum? Cum tamen si verè ista Maiestas est communicata carni reapse & actu vbique sit, oporteat; sicut & Deus ita potest vbique esse, vt reipsa semper sit vbique.

l. Gratias agimus, quòd hîc annuistis, sapientiam de qua Luc. 2. fuisse donum finitum: & ita Christum quà hominem, sicut creuit ætate, sic etiam creuisse sapientia: quod tamen alibi negastis, abusi testimonio Damasceni.

m. Imò negant, & necessariò sequitur, si humana natura, per Maiestatem Dei realiter sibi communicatam, facta est omnipotens, omniscia: non potuisse igitur pati, fatigari, proficere in sapientia, &c. Ac si passa est, & se ipsam sustentare non potest: eam igitur non esse factam reuera in sese, omnipotentem, nemo est, qui non videat necessariò consequi. Sunt enim opposita in adiecto, vt loquuntur, quæ nullo modo consistere possunt: esse tenera omnipotentem, & non posse omnia. veluti est se sustentare, se viuificare, &c. Esse omniscium, & quædam ignorare, & crescere sapientia, &c. Cur enim Deus pati non potest, cur nihil ignorare, &c. quia est verè & reipsa omnipotens, & omniscius. Quòd si excipias: hæc esse dissimilia: quia Deus omnipotens & omniscius est in sese, & per sese, & ex sese: humana autem natura, non ex sese, sed ab alio: nec per sese, sed per aliud, id est, per communicatam sibi Maiestatem, nec in sese, sed in alio, hoc est, in persona τοῦ λόγου, in cuius vnitatem assumta est: id quod vos alia phrasi significare videmini, cum dicitis, ratione & respectu vnionis personalis, nihil dicitis. Nam etiam Filius non ex se, sed ex Patre est omnipotens: & tamen verè & realiter omnipotens: & ferrum ignitum, non per se, sed per aliud, hoc est, per calorem ignis sibi realiter communicatum calidum est, & tamen vere & realiter calidum est. Itaque exceptiones ex particulis EX SE, & PER SE: nullum hic habent locum.

Illa autem tertia, non IN SESE, sed IN ALIO, hoc est, in persona τοῦ λόγου, magis euertit, quàm stabiliat vestram de principe controuersia, sententiam. Si enim humana natura, non in sese, sed in persona τοῦ λόγου (id quod libentissimè damus, imò profitemur) accepit & possidet, istam vestram Maiestatem, omnipotentiam, &c. non ergo in sua propria substantia eam habet, multo verò minus in suis proprietatibus & accidentibus: ac proinde sequetur humanam naturam, sua propria substantia, non esse vbique, neque etiam multis in locis: nedum in multis panibus Cœnæ Dominicæ. Nam huc tandem, omnes reliquæ controuersiæ spectant. Quid sibi etiam vult, quod cùm de humana Christi natura, sit quæstio: vos huius loco, nominatis CHRISTVM? Dicitis enim CHRISTO communicatam fuisse Maiestatem: quis negat? A Patre enim fuit illi ab æterno communicata: qua de re nulla est quæstio. Ad summam suspectos vos redditis omnibus, qui aliquid norunt literarum, istis vestris ambiguitatibus. Proprium enim sophistarum, qui malam defendebant causam, hoc erat ingenium.

n. Argumentum vestrum hoc est: Filius Dei potuit naturam humanam, citra eius destructionem, assumere: ergo potuit etiam eandem naturam, citra eius abolitionem, suæ Maiestatis participem & capacem reddere.

1. Respondemus primùm, ex duabus quæstionibus, vt solebant sophistæ, vnam facitis: & ita fallaciam vestram absconditis. Alia quæstio est, quid possit λόγος Deus: alia quid fecerit. Carnem in vnitatem personæ assumsisse, idque ἀτρέπτως & ἀσυγχύτως legimus: suam autem Maiestatem illi realiter communicasse non legimus.

2. Deinde, illatio ab vnione, ad realem communicationem, non valet: vnio enim sine vlla vel assumentis, vel assumtæ naturæ mutatione fieri potuit, & facta est: Realis communicatio, propriè accepta, qualiter sæpè declarata à nobis fuit, non potest. Vnio mentis humanæ cum corpore, vtroque in sua natura integro permanente, facta est & quotidie fit: facultas tamen intelligendi & volendi, inuisibilitas etiam & immortalitas, corpori realiter ab illa non potest communicari: nisi natura corporis, per potentiam Dei, mutetur in naturam mentis. Cùm ergo dicitis: Quòd si per vnionem hypostaticam non aboletur: qua ratione per communicationem Maiestatis destrueretur? &c. Responsio in promptu est: quia aliud est vnio, aliud realis communicatio. Quare quod dicitis de iudicio rationis: nugatorium est: vt in exemplo mentis & corporis videre cuiuis licet. Neque tamen nos de iis rebus ex iudicio rationis, sed ex verbo Dei loquimur. Idem respondetur ad id, quod dicitis de finito & infinito. Aliud enim est, quòd finitum vniatur, etiam καθ' ὑπόστασιν, infinito: aliud quòd realiter communicatum capax sit infiniti, illúdque sibi realiter communicatum in se habeat: profectò Cyrillus in Ioh. lib. 9. cap. 41. Virtutem, qua Christus miracula edebat, & qua dicebat, se facturum, vt Apostoli maiora facerent, & quicquid petiissent, se facturum: inde probat, non Christo tanquam nudæ creaturæ, à Deo communicatam, sed eius tanquam Dei propriam fuisse: quia talis virtus cùm sit infinita à creatura capi non possit. Frustra igitur aduersus Filij virtutem (inquit) negantur: quæ cum sit infinita, à creatura capi non potest: datur tamen dono credentibus. Hæc Cyrillus. Obseruetur hic locus: essentiales igitur proprietates diuinæ essentiæ, quia sunt infinitæ, creaturæ nulli ita realiter communicati posse, vt ab illa in se capiantur: dona autem, quia finita, posse.

ADM. pag. 266.

DOgma libri de persona Christi præcipuum est, cuius tuendi causa reliqua de hoc articulo doctrinæ absurda cumularunt: corpus Christi sua substantia esse vbique præsens, idque vt declarant Theologi, secundum modum dextræ Dei, hoc est, Deitatis: Hæc enim illis est dextra Dei. Demonstrauimus autem supra, contrarium docere Scripturam, Symbola, veteres omnes, Confessionem Augustanam, imò & Lutherum, cùm versatur extra suam arenam Sacramentariam. Est enim corpus Christi creatura, quæ infinita esse non potest: Est corpus verè humanum, constans carne & ossibus, & reliquis partibus homogeneis & heterogeneis humani corporis, habens partem extra partem, caput extra pedes, & pedes extra caput: quod non patitur vbiquitas: habens certa lineamenta, terminos & figuram quibus circumscribitur: visibile & palpabile etiam in cœlesti vita & gloria, & ad dextram Dei, ad quam stantem vidit lelum Stephanus, & sedentem videbunt omnes homines in die iudicij: secundùm quod Christus est nobis similis, frater noster, os nostrum & caro nostra, ex semine Dauidis: progrediens de loco in locum: verè natum ex virgine, passum, crucifixum, mortuum, resuscitatum, reductum è sepulchro, sursum profectum visibiliter in cœlum, & ibi sedens ad dextram Patris, & illinc visibiliter venturum, & iterum in cœlum rediturum, nobis ad se assumtis, vt vbi ipsum est, & nos in æternum cum ipso simus, & videamus ipsum coram sicut est. IV.

Si hæc omnia verè & non apparenter, vt fingebat Marcion, facta sunt, & quidem sic facta, vt non simul facta, & non facta sint: non ergo fuit Christi corpus simul intra & extra matris vterum, intra & extra præsepe & fascias, in Ægypto & in Iudæa, apud Lazarum Bethaniæ, antequam ad eum veniret, in cruce, in sepulchro visibiliter, & vbique inuisibiliter, nec mansit anima eius in corpore, quando expirauit, nec mansit corpus inuisibile in sepulchro, cum resurrexit visibile, & non fuit ibi, testibus Angelis neque inuisibiliter mansit in terra, cùm visibiliter ascendit in cœlum, neque nunc est in terra inuisibiliter, dum in cœlo est visibiliter, neque in nubibus erit iam antea & in cœlo manebit inuisibiliter, cùm de cœlo in nubes descendet visibiliter, neque in omni æternitate in omnibus locis erit inuisibiliter, cùm in vno tantùm loco Christus erit visibilis & conspicuus in sua Maiestate.

APOL.

De generali vbiquitate corporis Christi quã Aduersarij exagitãt. Admont. pag. 260. 261.

QVarto loco, deueniunt tandem ad illam, quam nominant generalem vbiquitatem: eámque quibus possunt modis, exagitant: Quoniam verò cap. 9. accuratam & necessariam eius subiungemus declarationem: ad illum locum lectorem remittendum iudicauimus: ne *earundem rerum sit molesta repetitio.*

Quòd autem obiiciunt corpus Christi esse creaturam, quæ infinita esse non possit, esse verè humanam

Responsio ad obiectionem, corpus Christi, esse finitã tantùm creaturã.

A. humanum, constans carne & ossibus, &c. profitemur & ipsi, totóque pectore amplectimur & credimus.

Hinc autem non sequitur id, quod isti inde concludere conantur: videlicet Christum corpore propterea suo, pluribus, quàm vno loco, simul & semel adesse non posse: in primis cùm verbo suo, quod veritas est, se declararit, velle se adesse nobis ad consummationem vsque seculi, B. Matth. 28. Iohan. 14. Non relinquam vos orphanos. C. *Cum enim Deus sit omnipotens*, cùm humana natura personaliter ei & inseparabiliter sit vnita: cùm ad dextram virtutis & Maiestatis diuinæ sit exaltata: cùm disertis verbis, veram suã in terris præsentiam sit pollicitus: non difficile ei est, inuenire rationem & modum, quo corpus suum verè creatura sit & maneat: verè carnem habeat & ossa: verè sit finita: vt eodem tamen, vno eodémque tempore, in cœlis & terra, secundùm promissionem, ad cõsummationem vsque seculi sit præsens. Nullum enim apud Deum verbum impossibile. Hoc, quod Christus verè Deus & homo promisit, quo minus præstet, nihil eorum ipsum impedit, quę aduersarij magno numero allegant, quod similis nobis, frater noster, os nostrum, caro nostra, &c. verè natus ex virgine, passus, crucifixus, mortuus, resurrexit, ascendit in cœlum, sedet ad dextram Patris: ad extremum iudicium visibiliter rediturus, ad iudicandum viuos & mortuos.

Cùm enim omnipotens sit DEVS, cuius manus nequaquam est abbreuiata, sine omni labore & molestia, sinéque omni impedimen- D. to, facilè potest, *quod vult* de corpore suo, perficere: manente illo nihilominus, vero humano finitóque corpore: vtrunque enim verum & fundamento verbi diuini superstructum: & quòd Christus secundùm carnem, fratribus suis per omnia, excepto peccato, similis factus: & quòd secundùm assumtam humanam naturam, ratione & respectu personalis vnionis & sessionis ad dextram Dei, vltra & præter rationem & proprietates veri corporis adsit nobis in terra, & adesse possit corpore suo omnibus E. locis, *in quibus Ecclesia* sua in terris colligitur: & quòd exaltatus sit supra omnem virtutem, potentiam, potestatem, supra omne nomen, quod nominari potest, non tantùm in præsenti: sed in futuro etiam seculo.

F. Nec propterea sequitur, corpus ei *esse phantasticum*: secundum Marcionis delirium: si pluribus locis corpore suo adsit præsens. Dei enim omnipotentis, omnipotens cùm sit filius, corpore suo, personaliter sibi vnito, & ad dextram Dei exaltato, facilè præstare potest, quodcunque voluerit: manente illo interim vero corpo- G. re. *Imprimis* cùm manifestum sit, locum non quid essentiale esse, aut ex illo rerum genere, quæ ad substantiam humanæ naturæ necessariò requiruntur: verùm accidens tantùm, sine quo corpus veritatem essentiæ retinere facilè po- H. test: *& quia* etiam de conditionibus corporum nostrorum, in futura & æterna vita, teste etiam Bucero, supra sub finem cap. 1. nihil certi definire possumus.

RESPONSIO.

A. EAndem ob caussam, nos quoque vos remittimus ad refutationem illius vestri noni capitis: quarum altera ab Anhaldinis, altera à nostris conscripta & edita fuit: contenti ad ea duntaxat, quæ hic adfertis, respondisse.

B. Cur non sequitur? Quia (vt verbosam vestram argumentationem, paucis complectamur) Christus quicquid vult, potest. Quis hoc neget? Atqui vult, suo corpore, & corporali præsentia (De hac enim est quæstio) vno eodémque tempore, in cœlis simul & in terra, nobis ad consummationem vsque seculi, præsens esse. Quomodo hoc probatis? Quia dixit Matth. 28. Ecce ego vobiscum sum, vsque ad consummationem seculi: Et Iohan. 14. Non relinquam vos orphanos. Sed hæc testimonia, nihil ad rem vestram. Patres enim de præsentia Deitatis & gratiæ interpretantur, vt sæpe ostensum est: nec vllum in illis dictis verbum est, quo corporalis præsentia demonstrari possit. De hac autem est quæstio, non de Deitatis & gratiæ: aut de sacramentali, quæ in mysterio, seu in mystica relatione rei signatæ, & signi consistit Quid ergo concluditis? ô vos miseros!

C. Amplificatis omnipotentiam Dei, cùm probanda sit voluntas: hanc autem non demonstratis. Omnia ergo vestra, vanitatis plena.

D. Bene dicitis, QVOD VVLT: sed quomodo probabitis eum velle verè contradictoria: idem corpus, secundùm idem, eodem sensu, & eodem tempore, esse præsens & absens: vno certo duntaxat loco, & multis locis; finitum & infinitum?

E. Si prædictæ rationes vestræ, à personali vnione, & à sessione ad dextram deductæ valent: cur restringitis ad loca, in quibus colligitur Ecclesia, id quod ad omnia loca extendi potest, & ex vestris fundamentis omnino debet? nimirum ne vniuersalem vbiquitatem, cuius vos pudet, cum eius autoribus, admittere videamini.

F. Fuerit certè phantasticum secundum vestram chimeram. Si enim illud est phantasticum, quod videtur esse & non est: quod pati & mori videtur, ac verè neque patitur neque moritur: quomodo non fuerit phãtasticum corpus Christi, si fingatur vbique, aut multis in locis simul esse, cùm verè non sit nisi vno in loco: sicut & corpora nostra, quibus per omnia, excepto peccato, simile est? Vndenam probauit Christus Apostolis, suum corpus non esse phantasticum: nisi inde, quia omnia verè humana corpora, tota vbi sunt, & videri, & palpari, seu contrectari possunt, eóque certo loci spacio circumscripta sunt: Tale autem fuisse & suum corpus?

G. Vtique manifestum est, locum non esse partem corporis essentialem: sed nunquid manifestum est, corpori non esse necesse, vt aliquo loco, vel aliquo VBI circumscriptum contineatur? Fortè Augustino hoc non fuit manifestum: qui dixit & de corpore quidem Christi loquens: Tolle spacia locorum corporibus, nusquam erunt: & quia nusquam erunt, nec erunt: quid ergo vos garritis: Manifestum est, manifestum est? *Ad Dardã. epistola 57. col. 275.*

H. Sicut Scripturas & Patres miserabiliter torquetis: sic etiam insignem iniuriam facitis Bucero: qua de re, in primum caput dictum est satis: Quasi verò Bucero viro doctissimo ignotum fuerit, corpora Beatorum, futura in aliquo certo loco, siue (vt cum Scholis loquamur) in aliquo VBI, cum & Apostolus de corpore Christi verba faciens, dicat Col. 3. Quærite quæ sursum sunt, VBI Christus est; non quæ super terram. Terram quæ deorsum est. & vbi regnant affectus terreni, opponens illi ἄνω SVRSVM, vbi cœlestis vita ducitur.

Falsum est quod hic scribitur de Bucero: de conditionibus corporum nostrorum in futura & æterna vita, nihil certi definiri à nobis posse. Tantum dicit, de corpore Christi verba faciens, nihil de eo firmum affirmari posse, an certo aliquo cœli loco sit circumscriptum; intellige, nempe ita, vt præsens (præsentia scilicet non huius seculi, sed spirituali) percipi à nobis hic in terris non possit. Subdit enim eo in loco hæc verba: Attamen vt Sol verè vno in loco cœli visibilis circumscriptus est, radiis tamen suis præsens verę & substantialiter exhibetur vbilibet orbis: ita Dominus etiamsi circumscribatur vno loco cœli arcani & diuini, id est, gloriæ Patris, verbo tamen suo & sacris symbolis verè & totus ipse Deus & homo, præsens exhibetur in sacra Cœna, eóque substantialiter, quam

præſentiam non minus certò agnoſcit mens credens verbis his Domini & ſymbolis, quàm oculi vident & habent Solem præſentem demonſtratum & exhibitum ſua corporali luce. Res iſta arcana eſt, & noui Teſtamenti, res fidei: non ſunt igitur huc admittendæ cogitationes de præſentatione corporis, quæ conſtat rationibus huius vitæ etiamnum patibilis & fluxæ, verbo Domini ſimpliciter inhærendum eſt, vt debet fides ſenſuum defectui præbere ſupplementum. Hoc qui ſtudent, iis facilè de hoc facto conueniet. Certum autem eſt, verbo Domini nihil de corporali præſentia corporis Chriſti doceri. Annon igitur manifeſtè docet Bucerus, corpus Chriſti, ſicut etiam corpus Solare, certo eſſe loco: Quod autem dicitur de præſentia, illud de ſpirituali præſentia, veri tamen & ſubſtantialis corporis, quæ ſola fide apprehenditur, intelligendum eſſe. Deinde quæ autoritas eſt Buceri aduerſus Auguſtinum, alióſque Patres omnes, imò aduerſus verbum Dei? Vt taceamus, quòd Bucerus poſt illam Retractationem (impreſſa enim fuit anno 1536.) in poſterioribus ſcriptis, clariùs ſe explicans, idem docuit quod & nos, de corpore Chriſti, déque illius præſentia. Legantur Miſcellanea Zanchij, libro tertio, in confeſſione de Cœna, pag. 51. quæ Bucerus diſputauit, in ſchola Argentinenſi, anno 1537. Item quam anno 44. dictauit Argentinæ Confeſſio, cui ſubiecit, ſe in ea confeſſione velle venire ad Tribunal Chriſti, vt de ſcriptis Anglicanis nihil dicamus.

Hæc Bucerus.

F I N I S.

DE LIBRIS

DE LIBRIS CANONICIS ET APOCRYPHIS, THESES.

Heidelb. mense Decemb. Anno 1569.

PROPOSITIO PRIMA.

Volumen illud, quod in more positum est, vt Græca voce. apud omnes ΒΙΒΛΙΑ, appelletur; in partes secatur duas: quarum vna, continet libros: qui CANONICI appellantur, altera, illos, qui APOCRYPHI.

II. CANONICI vocantur, quos constat in Ecclesia esse θεοπνεύστους: ac proinde qui pro certo CANONE, omnis doctrinæ de Religione, recepti sunt: APOCRYPHI autem, quos non ita constat: Ac proinde tanquam indigni, non quidem quos domi quisque suæ legat: sed qui in numero Authenticorũ habeantur, reiecti sunt.

III. Ac ex veteri quidem Testamento, quos Ecclesia, tam ante, quàm post Christum, semper, citra vllam dubitationem, pro θεοπνεύστοις agnouit, ij sunt.

Mosis Libri quinque,	Iobus.
Iehosuæ,	Psalmi.
Iudicum,	Prouerbia.
Ruthæ,	Ecclesiastes.
Samuelis duo,	Canticum Canticorum.
Regum duo,	Iesaias.
ΠΑΡΑΛΕΙΠΟΜΕΝΩΝ duo,	Ieremias, cum Threnis.
Esdræ duo priores,	Ezechiel.
Estheræ capita nouem, & priores decimi capitis versus tres.	Danielis priora duodecim capita: excepto trium puerorum Cantico. Et duodecim minores Prophetæ.

IV. Quos igitur non ita agnouit pro θεοπνεύστοις, sunt reliqui: Nimirum,

Iuditha.	Epistola Ieremiæ.
Thobias.	Danielis caput 13. & 14.
Esdræ tertius, & quartus.	Item Canticum trium puerorum, quod est capiti tertio Danielis adiectum.
Sapientia Solomonis.	
Sapientia Iesu, Fili Sirach: qui Ecclesiasticus Latinis dicitur.	Estheræ, à tribus versibus decimi capitis, reliquum.
Baruch.	Libri deniq; Machabæorũ.

V. Ex nouo autem Testamento, de quibus nunquam fuit dubitatum, ij sunt:

Euangelia secundum	Epistolæ Pauli,
Matthæum,	Petri prima.
Marcum,	Et prima Iohannis.
Lucam,	De quibus autem aliquando, sunt reliqui.
Iohannem.	
Acta Apostolorum,	

VI. Etsi vero, certioris, quodam modo, sint auctoritatis, illi, de quibus nunquam, quàm isti, de quibus aliquando fuit dubitatum: Horum tamen nullum esse censemus, qui meritò debeat inter APOCRYPHOS connumerari.

VII. Porro quatuor sunt præcipua, per quæ agnoscimus, quinam sint θεόπνευστοι.

I. Traditio Ecclesiastica. III. Dignitas Scripturarũ.
II. Auctoritas Scriptorũ. IV. Et Lumen Spiritus S. dignitatem Scripturæ patefacientis, & eam certum esse Dei verbum persuadentis.

VIII. Scripturæ enim Sacræ, sicut adflatu Spiritus S. fuerunt reuelatæ, & conscriptæ: ita citra eius Lumen, nobis persuaderi, & pro certo DEI verbo à nobis verè agnosci non possunt.

IX. Proinde, ad hoc, vt simus verè persuasi, hosce libros certum esse Dei verbum: dicimus, neque Ecclesiasticam traditionem, neque Scriptorum auctoritatẽ, neque etiam Scripturæ ipsius dignitatem, per sese sufficere; sed necessarium esse Lumen Spiritus S.

X. Confirmamur vero in cognitione priorum, per Testimonia posteriorum.

XI. Habent autem CANONICI Libri auctoritatem, ad statuenda, & probanda fidei dogmata: APOCRYPHI vero; etsi vtiliter legi possunt, & ad dogmata iam probata, confirmanda, adhiberi: illam tamen non habent auctoritatem, quam CANONICI.

XII. Fides enim ex Auditu est: Auditus autem per verbum DEI: Solos vero libros CANONICOS constat esse verbum Dei.

XIII. Merito itaque, ij etiam soli, CANON omnis doctrinæ de Religione, constituti sunt.

DE RERVM CREATIONE, ATQVE inprimis de Cœlo beatorum:

Ex illis verbis Mosis: *In principio creauit Deus cœlum & terram.*

Thesis I.

Cùm duo actionum genera in homine, qui ad imaginem Dei factus est, manifestè spectentur, πρᾶξις καὶ ποίησις: non incongruè, Deo etiam ipsi in S. literis attribuuntur, quanquam longè & citra omnem comparationem, præstantiori modo in Deo sunt, quàm in nobis.

II. Est autem πρᾶξις actio quæ extra ipsum agentem, nullum post se relinquit opus, sed in ipso tantùm agente manet, vt meritò à nostris actio immanens appelletur: ποίησις autem actio est, quæ ideo à Latinis transiens vocatur, quod cùm relinquat post se opus, extra agentem transire videatur.

III. Deus itaque meritò in S. literis dicitur non solum intelligere, velle, amare: verum etiam creasse fecisséque cœlum & terram, & quæcunque in iis sunt: quarum actionum illæ ad primum: hæ verò ad secundum genus pertinent.

IV. Tria verò cum primis significauit Moses initio suæ narrationis de mundi creatione: vnum, nihil extra Deum esse, quod à Deo non sit factum: alterum, quæcunque à Deo facta sunt, ea initium habuisse: tertium, omnia, quo ad sua principia, è nihilo esse facta.

V. Nomine autem Elohim apud Mosen intelligitur DEVS Pater, æternus eius Filius, & Spiritus S.

VI. Falsum igitur est, aut aliud quidpiam extra hunc Deum autorem esse rerum conditarum: aut aliquid præter DEVM esse æternum: aut ex nihilo nihil fieri posse.

VII. Duo porrò sunt prima rerum à Deo conditarum genera, τὰ ὁρατὰ, καὶ τὰ ἀόρατα, hoc est, ea, quæ procul à sensibus nostris sunt remota, & illa, quæ sensibus percipi possunt.

VIII. Inter ἀόρατα autem Cœlum quoque quod beatorum cœlum nuncupari solet, & in quod Christus ascendit, collocandum esse censemus.

IX. Esse enim rem creatam, certo certius est, cum neque nihil sit, neque Deus ipse creator: & verò etiam quod DEVS, huiusce Cœli τεχνίτης καὶ δημιουργὸς ab Apostolo appelletur.

X. Esse item ἀόρατον, nullóque sensu nobis perceptibile, inde manifestum est, quia Ecclesia Dei ex sola Spiritus S. reuelatione in S. literis tale cœlum esse cognouit.

XI. Est autem cœlum hoc, domus ciuitásque amplissima, firmissima, splendidissima, felicissima, in quam electorum Animæ, corporibus solutæ, statim migrant, & in qua cum corpus Christi vsque ad diem nouissimum permanet: tum nostra etiam piorumque omnium tandem aliquando cum Christo futura sunt in sempiternum.

DE HOMINE ANTE PECCATVM.

Ex Gen 1. Thesis I.

Elohim, de quo Gen. 1. *Et creauit Elohim Adamum ad imaginem sui.* non Angeli, sed verus æternusq; Deus Iehoua fuit: Itaque non ad imaginem Angelorum, sed ad imaginem Dei Iehouæ creatus fuit homo, contra quosdam Hebræos.

II. Ille Deus Iehoua, creauit non animam hominis solum, neque corpus solum: sed animam & corpus: contra quosdam Hebræos, qui Animam à Deo, corpus è terra factum fuisse dicunt.

III. Corpus Adæ è terra: corpus Euæ, ex vna Adæ costa: & vtrumq; in perfecta membrorum mole creauit, ita vt Adamus & Eua filios generare, & per coitum quidem possent.

IV. Animam verò neque de sua ipsius Dei substantia, neque ex præexistenti aliqua corporali, vel spirituali materia: sed de nihilo in nares hominis insufflando fecit.

V. Hominis & animam & corpus ad imaginem Dei, qui tamen neque est corpus neque corporeus, factum fuisse contendimus.

VI. Imaginem, iuxta cuius ceu exemplaris similitudinem factus fuit homo & in anima & in corpore Deo similis, fuisse Christum Filium Dei non improbamus.

VII. Quanquam autem multa sint, iuxta quæ homo tam in corpore, quàm in anima, similis factus fuit Deo: tamen iuxta hoc potissimum ad imaginem Dei

factum fuisse asserimus, quòd creatus fuit rectus & iustus, diuinæ gratiæ, diuinæque iustitiæ particeps.

VIII. Et hanc diuinæ gratiæ, diuinæque iustitiæ in homine, à sui creatione communicationem, asserimus fuisse illam iustitiam, quam multi originalem appellarunt.

IX. Quam sic breuibus describi posse censemus: Iustitia originalis, erat diuinæ gratiæ, diuinæque iustitiæ in homine, à sui creatione, non solùm propter se sed etiam propter posteros, in quos erat, nisi Adam peccasset, propaganda, communicatio, qua fiebat vt homo esset & Deo carus atque acceptus, & in seipso iustus ac rectus, ad malum minimè, & ad bonum maximè propensus.

X. Creatus igitur fuit homo ad imaginem Dei rectus & iustus, nullo modo ad malum, & ad bonum maximè propensus: ideoque qui poterat & non peccare & legem Dei seruare, & in sua iustitia & innocentia perseuerare, si voluisset.

XI. Cæterùm, licet creatus fuerit & in gratia, qua erat Deo gratus: & in iustitia, qua erat in seipso bonus, & ad bonum propensus, & acceperit adiutorium quo posset sese in gratia & iustitia conseruare: tamen quod suum erat liberum & ad bonum & ad malũ arbitrium, poterat etiam peccare, legem Dei transgredi, & in sua iustitia non perseuerare, si vellet.

DE PECCATO ADÆ.

XII. Cùm igitur posset peccare & non peccare, noluerit autem non peccare, sed voluerit peccare, peccauit, & per inobedientiam præceptum Dei de non edendo fructu scientiæ boni & mali, est transgressus.

XIII. De quo hominis peccato sic pronunciamus iuxta Apostolum, fuisse inobedientiam, id est, liberam suæ voluntatis, à diuina voluntate auersionem, qua noluit præcepto de non edendo pomo parere, sed sciens & volens illud est transgressus.

DE PECCATO ORIGINALI.

Thesis I.

Peccatum originale, est hæreditaria, propter inobedientiam Adæ, tum culpa atque reatus, tum iustitiæ originalis defectus, totiusque naturæ corruptio, seu concupiscentia, in omnem & totum quidem hominem ex Adamo, communi ratione progenitum, per propaginem deriuata, qua fit vt & nascamur inimici Dei & filij iræ, & vt toti, quanti quanti sumus, vitiati, & Deo aduersi, atque, ad verè bona minimè, ad mala verò maximè propensi, Deum, & quæ Dei sunt, verè nec mente cognoscere, nec voluntate amplecti, nec viribus præstare possimus: sed contra crassis tenebris excæcati, & prauis cupiditatibus agitati, quæ Dei sunt, auersemur, & in ea, quæ Deo sunt aduersa, præcipites agamur, ideoque maneamus filij iræ, nisi per Christum liberemur.

Explicatio huius definitionis.

II. Culpa atque reatus peccati Adæ, in posteros omnes ex eius semine, communi ratione progenitos, iure hæreditario est deriuatus, ita vt verè propter eius inobedientiam peccatores, & æternæ mortis rei simus omnes coram Deo.

III. Propter illam Adæ inobedientiam, in eosdem posteros omnes, vnà cum reatu, deriuata est iustitiæ originalis priuatio, & totius hominis corruptio: seu (vt vna voce vtrumque cum Apostolo & Augustino complectar) concupiscentia, idque per propaginem.

IV. Intelligimus autem in præsentia, nomine concupiscentiæ, non ipsam appetendi vim à Deo naturaliter homini insitam, sicuti erat in Adamo: sed vitium, seu prauam qualitatem, in natura ab Adamo post peccatum relictam, & impressam, qua totus homo & in mente, & in voluntate, & in affectibus, viribusque omnibus, est infectus, deprauatus, corruptus, vitiatus, ne quæ Dei sunt, vel agnoscere, vel appetere, vel perficere possit.

V. Totum hoc, quod peccatum originale appellamus, nempe non solùm originalis culpa & reatus, sed etiam ipsa & iustitiæ originalis priuatio, & naturę corruptio, seu (vt supra hac voce vtrumque sum complexus) concupiscentia, verè in nobis peccatum est.

VI. In hoc enim originali peccato duo potissimum sunt, formale & materiale. Formale est ipsa culpa & reatus: materiale verò, ipsa concupiscentia.

VII. Peccatum hoc, in nobis non ita alienum est, nempe Adę, quin etiam sit nostrum. Neq; ita est inuoluntarium, quin etiam sit aliquo modo voluntarium.

VIII. In omnes verò homines, præter vnum Iesum Christum Deum & hominem, à condito Mundo, ad finem vsque seculi, deriuatum est, & deriuabitur hoc peccatum.

IX. Neque solùm in omnem, verum etiam in totum hominem, animam nimirum & corpus deriuatum est, ita vt totus, quantus quantus est homo, & coram Deo iniustus ac reus, & in seipso corruptus, vitiatus sit.

DE EFFECTIS PECCATI originalis.

X. Propter peccatum hoc originale, in quo omnes concipimur, primùm nascimur nostrapte natura inimici Dei, ideoque filij iræ, & morti æternæ obnoxij.

XI Secundò, in mente excæcati, tenebrisque repleti, non solùm non possumus Deum, & quæ Dei sunt, verè agnoscere & iudicare: sed etiam corrupto iudicio vel Deum negamus, vel idolum pro Deo nobis fingimus, peruersèque omnia diiudicamus.

XII. Tertiò, deprauati in voluntate, Deum & quæ Dei sunt, non solum non possumus amplecti, sed etiam auersamur.

XIII. Quartò, in corde variis peruersisque cupiditatibus agitati, non solùm non possumus erga Deum, & quæ Dei sunt, bene affici: sed etiam ad ea, quæ Deo sunt aduersa, præcipites agimur.

XIV. Quintò. Etsi per Spiritum S. vel permoti, vel regeniti, aliquid verorum bonorum vel agnoscimus, vel experimus: illud tamen vel facere, vel saltem perficere non possumus: sed sæpe, quæ non probamus mala, facere cogimur.

XV. Denique, iniusti, corrupti & vitiati aduersamur Deo toti, ad verè bona minimè, & ad mala maximè affecti atque propensi, peruersè omnia diiudicantes, appetentes, facientes, ideoque maneamus filij iræ, nisi per Christum liberemur.

XVI. Nam per solum Mediatorem Christum Iesum, ad hoc peccato, peccatique effectis liberamur.

DE PECCATO ORIGINALI IN renatis.

Thesis I.

In renatis peccatum originale partim transit, partim manet.

II. Quod manet non in carne sola, sed etiam in animo remanet.

III. Ideoque quod remanet, non crassis duntaxat carnis, sed etiam spiritualibus animi vitiis constat, cæcitate mentis, voluntatis deprauatione, & c[illegible]

IV. Quanquam verò hoc ita se habet, non incongruè tamen totum illud peccatum, concupiscentia nominatur.

V. Dicimus porrò, peccatum hoc, verè & iuxta propriam peccati rationem, esse peccatum.

VI Tametsi autem sit verè & propriè peccatum, suapte natura damnans: propter Christum tamen & eius spiritum in renato habitantem, non habet vim in renato neque damnandi, neque regnandi.

VII. Non inficiamur tamen, quin tanta sit eius vis etiam in renatis, vt & a perfecta legis obedientia impediat, & ad multa contra legem agenda impellat, & omnes denique iustitias nostras inficiat.

VIII. Cæterùm, quanquam non potest in hac præsenti vita, peccatum hoc à sanctis omnino tolli: infirmari tamen eius vires per Spiritum Christi, quo contra illud sancti pugnant, proculdubio possunt. Quare & Christo est fidendum, & contra hoc peccatum valenter est pugnandum.

DE NATVRA ET INGENIO LIBERI Arbitrij.

Ex Ies. cap. I. *Si volueritis & audieritis &c.*

Thesis I.

Ad quæstionem, An homo post peccatum sit liberi Arbitrij, necne, hoc paradoxo, & esse & non esse, verè responderi posse dicimus.

II. Hominis enim arbitrium, impropriè liberum esse, concedimus: propriè verò liberum esse negamus.

III. Ac vocem quidem, liberum arbitrium, secuti Ciceronem, liberam interpretamur voluntatem.

IV Est autem liberum arbitrium, libera ab omni semper coactione, Animæ facultas, voluntas appellata, quę iudicium intellectus secuta, proposita sibi omnia, tam expetenda, quàm respuenda, suapte sponte aut expetit aut respuit.

V. Hominis

v. Hominis igitur voluntatem ab omni quidem semper coactione: non tamen ab omni semper necessitate, liberam esse concedimus.

vi. Cùm enim mala est, necessariò vult malum: & cùm per gratiam regenerationis facta est bona, necessario vult bonum: vtrumque tamen semper sponte atque vltrò.

vii. Ideóque optimo iure & peccata illi à iustissimo iudice Deo imputantur, ac pro peccatis pœnæ infliguntur.

Hæc de natura & ingenio humani post peccatum liberi arbitrij, ita se habere sentimus.

DE VI AC FACVLTATE LIBERI arbitrij in homine non renato.

Thesis I.

De facultate quidem seu potentia passiua liberi arbitrij in quouis homine, sic sentimus: Liberum hominis tam nati ex Adamo, quàm renati in Christo arbitrium, omnes res tam diuinas, quàm ciuiles & naturales, easque tam bonas, quàm malas, quæ aut eligi aut respui possint, suapte natura eligere aut respuere passiua potentia posse.

DE VI VERO ACTIVA IN HOMINE non renato circa res naturales sic.

Thesis II.

Homo etsi in eius intellectu vis quædam intelligendi, & in eius voluntate vis quædam eligendi post peccatum relicta sit: nihil tamen sine generali Dei auxilio aut intellectu intelligere, aut voluntate eligere potest.

III. Deinde etiamsi non desit generale Dei auxilium, non potest tamen quaslibet res aut intellectu intelligere, aut voluntate eligere vel respuere: sed eas duntaxat, quas sua æterna præscientia ac cõsilio Deus decreuit, vt ille intelligat, eligat, respuat. Idem etiam sentimus de omnibus aliis actionibus tam malis, quàm bonis.

DE EADEM VI CIRCA res ciuiles sic.

Thesis IV.

Eadem etiam vis vsque adeo in homine & ad liberales disciplinas, & ad ciuiles virtutes atque actiones infirma est, ac debilis, vt citra speciale Dei auxilium, nullam earum verè aut assequi, aut perficere possit, Quare vbicunque sunt, specialia Dei dona sunt.

v. Deinde, etiamsi homo hoc speciali Dei auxilio adiutus, ciuiles moralesque actiones præstare possit: iis tamen non potest sese ad gratiam regenerationis præparare, aut diuinæ misericordiæ oculos ad se conuertere.

De eadem vi circa res diuinas, sic.

vi. Circa verò res diuinas & verè bonas, nulla vel minima in homine relicta est vis actiua, ita vt citra gratiam regenerationis, eas possit non tantum verè aut intellectu percipere, aut voluntate eligere, aut reliquis viribus præstare: sed ne ad eas quidem aspirare.

vii. Contra vsque adeo omnes ad verè bona vires perdidit, & totus quantus quantus est, est corruptus, & peccati Satanæque seruus effectus, vt non solùm non possit peccata vitare, aut à peccatis vlla ratione surgere: sed ea etiam velle & facere necessitate constringatur, nisi per spiritum regenerationis liberetur, cùm tamen liberè & voluntariè peccet.

viii. Ergo sine aliqua Dei gratia nihil cuiusuis boni, homo potest.

DE VIRIBVS LIBERI ARBITRII in Renato.

Circa res & actiones naturales.

Thesis I.

Homo renatus (quemadmodum & de non renato dictum est) etsi in eius intellectu sit vis intelligendi, & in eius voluntate vis eligendi ac respuendi à Deo naturaliter insita: tamen sine generali Dei auxilio, nihil aut intelligere, aut velle, aut agere potest.

Circa res actionésque humanas.

II. Liberales disciplinas & artes non potest per sese, sine speciali Dei auxilio ita persequi, vt assequatur. Quare dona Dei sunt, vbicunque sunt.

Circa res & actiones ad regnum Dei attinentes, tam bonas, quàm malas: & primò de vi intellectus.

III. Intellectus, cùm lumine Spiritus S. illuminatur, nihil ad sui illuminationem, è suo adfert: sed Deus pro sua gratuita bonitate, intellectum electi se non cognoscentis aut quærentis, lumine suo illuminabitur, atque eum illuminat.

IV. Neque cùm Deus certò illum vult atque incipit illuminare, potest lumen illud ita reiicere, quin illuminetur.

V. Iam verò renatus homo, vi suæ mentis, sine subsequente & comitante Spiritus S. gratia, non potest quæ Dei sunt, verè agnoscere.

VI. Hac etiam subsequente gratia comitatus, non potest quæ Dei sunt, aut omnia, aut perfectè percipere.

VII. Etsi verò suapte natura possit, propter promissionem tamen Dei non potest, ita excæcari, ne penitus agnoscat, quæ Dei sunt.

DE VI VOLVNTATIS IN RENATO, tam ad bonum, quàm ad malum, idque tam in suæ regenerationis initio, quàm in progressu & in fine.

Thesis I.

Voluntas, ideóque homo in suæ regenerationis initio, nihil boni, ne ipsum quidem velle regenerari, ad sui regenerationem è suo adfert.

II. Neque vim habet, qua reipsa possit Deo se regenerare volenti & incipienti resistere, ita vt non regeneretur.

III. Regenitus verò ad singulas actiones, continua Spiritus S. gratia se comitante, & ad bonas actiones mouente, opus habet.

IV. Item renatus, & continuo Dei auxilio comitatus, bene vtendo prima gratia, minimè quidem mereri potest secundam gratiam, seu gratiæ augmentum, & perseuerantiæ donum: sed tamen potest, licet non ex se, sed ex Deo, ad maiorem gratiæ amplitudinem recipiendam, atque ita denique ad perseuerantiam, se præparare.

V. Item: Neque potest aut omnia peccata vitare, aut perfectè legem implere.

VI. Renati in hac carne & possunt peccare & peccant: non ita tamen vt spiritum regenerationis prorsus amittant, & penitus ab eo destituantur.

VII. Renati, atque hoc perpetuo Spiritus S. auxilio comitati, vim quidem habeant qua possint in gratia regenerationis, in finem vsque perseuerare: vis tamen hæc, non à seipsis est, sed ex Deo, qui facit, vt perseueremus, cum dat voluntatem perseuerandi perpetuam.

VIII. Quare etsi renatus suapte natura possit ita finaliter peccare, vt à gratia Dei prorsus excidat & pereat: non potest tamen id reipsa propter spiritum regenerationis in se permanentem, regenerationem in dies perficientem, & perpetuam voluntatem in bono perseuerandi præbentem.

DE SAPIENTIA DEI.

Thesis I.

Deus est, & semper fuit ita perfectè sapiens, vt nihil eum lateat, aut ab æterno vnquam latuerit tam eorum, quæ ipse per se facit aut facturus est, quam eorum, quæ alij agunt. Heb. 4.

II. Nihil enim nunc agnoscit Deus, quod ab æterno non præuouerit atque præuiderit: cum eius præscientia æterna sit atque perfecta. Eccles. 23.

III. Est autem præscientia Dei certissima, ita vt quidquid à Deo futurum præscitur, illud tandem aliquando contingat atque fiat, necesse sit.

IV. Neque tamen hæc certa Dei præscientia talem rebus necessitatem imponit, quæ aut voluntatem Dei, qui vult alia esse necessaria, alia contingentia, tollat, aut rerum naturas euertat.

V. Neque sola Dei præscientia, est eorum quæ fiunt, caussa: sed præscientia simul cum voluntate.

DE VOLVNTATE DEI.

Thesis I.

Deus sicut intelligentia, sic etiam libera voluntate ita præditus est, vt nihil aut agat, aut permittat, nisi prudens & volens, idque liberè.

II. Volũtas autẽ Dei, etsi quod ad suam substantiã at-

cinet, vna tantum est: vnus enim tantum est Deus volens: tamen quod ad diuersos volendi modos, idq; iuxta nostrum captum attinet, ea duplex esse non immeritò dicitur: Vna, qua quædam vult simpliciter & absolutè: altera, qua quædam vult conditionaliter.

III. Voluntas absoluta seu beneplaciti in seruandis aut damnandis hominibus, nunquam est, respectu eiusdem, de quo est, sibi ipsi est contraria.

IV. Non enim vult Deus absoluta voluntate seu simpliciter, eũdem hominem damnari & saluari: sed quos semel voluit saluari, eos perpetuò vult saluari.

V. Eadem verò voluntas absoluta seu arcana, voluntati conditionali seu reuelatæ, sæpenumero respectu eiusdem, de quo ambæ sunt, contraria esse videtur: quanquam Deus sibi ipse nunquam est contrarius: ac proinde neque voluntates, si propriè loquamur, vnquam sunt inter se contrariæ.

VI. Dominus enim nonnunquam eidem homini aliquid fieri mandat, quod tamen arcana sua voluntate ab eo reipsa perfici non vult: quemadmodum in exemplo Abrahæ, & Pharaonis manifestè apparet. Illi enim mandat, vt filium occidat, quem voluntate tamen absoluta, nolebat ab eo reuera occidi: isti mandat, vt dimittat populum, quem tamen voluntate absoluta nolebat ab eo dimitti: Vnde & Mosi dixit: *Indurabo cor Pharaonis, ne dimittat populum.*

VII. Etsi verò hæc ita se habeant: non sequitur tamen, aut Deum hominibus tali externo mandato illudere: aut ipsos homines, quòd nõ obtẽperent, excusatos esse.

VIII. Neque enim hominis est secreta Dei consilia inuestigare: sed reuelatæ eius voluntati simpliciter, Abrahæ exemplo, obtemperare.

IX. Voluntas arcana seu beneplaciti, quia absoluta est voluntas, nulla ratione impediri potest. Est enim omnipotentissima: ac proinde semper, vtvt res cadat, impletur.

X. Deus enim hac absoluta & omnipotentissima voluntate, quæcunque fiunt, vult: Et sine absoluta Dei voluntate nihil fit, cùm ipsa sit prima omnium rerum caussa.

XI. Atque ita absolutè Dei voluntas, rerum omnium caussa est primaria, vt eius nulla sit caussa. Quòd igitur aliquid velit Deus, nulla alia adferri potest caussa prior, nisi ipsamet Dei voluntas, quia sic ei placeat.

XII. Itaque cùm arcana Dei voluntas semper, vt dictum est, fiat, & nulla ratione impediri possit, cùm sit omnipotentissima: iccirco nullo modo dici potest, Deum simpliciter & propriè voluisse aut velle, omnes in vniuersum homines saluos fieri.

XIII. Eadem de caussa dici non potest, Dei voluntatem propriè & simpliciter fuisse, vt Christus pro salute omnium moreretur, id est, vt omnes per eius mortem seruarentur: ac proinde Christum, secundùm propositum Patris, pro salute omnium mortuum esse: sed tantùm (vt loquuntur) sufficienter.

XIV. Hac eadem de caussa, damnari non possunt Augustinus, Lutherus, Bucerus, Lombardus, & scholastici, & alij doctissimi viri, in eo quod docent, non rectè dici, Deum simpliciter nolle peccari, aut omnino velle, vt non peccetur: quod hoc dicere, tollat Dei omnipotentiam, & ideo neget, Deum esse Deum.

XV. Eadem de caussa iidem, præsertim Lutherus in lib. de seruo arbitrio, & Melanchthon in locis prioribus, damnari minimè possunt in eo, quod tradunt: spectata certa Dei præscientia, & immutabili eius voluntate, omnia quæ fiunt, fieri necessariò: quanquam spectatis caussis secundis, & nobis hominibus, multa fiant contingenter.

XVI. Cæterùm, damnari illi etiam non possunt, qui spectata reuelata voluntate Dei, docent, & Deum velle omnes homines saluos fieri: & Christum pro salute omnium hominum mortuum esse: & neutrum, velle peccatum, cùm hæc omnia fiant verissima.

XVII. Porro Deus sicut nihil nunc scit, quod ab æterno non præscierit: sic etiam nihil nunc propriè vult, quod ab æterno non voluerit.

XVIII. Porro absoluta Dei voluntas totius est salutis nostræ fons, & caussa prima.

XIX. Cùm autem hæc eadem absoluta Dei voluntas, quæ primaria est nostræ salutis caussa, sit etiam omnipotentissima, atque immutabilis, ac proinde semper fiat: salus igitur electorum certissima, immutabilis, & infallibilis est, eóque necessario, hoc est infallibiliter saluantur.

DE DEI IMMVTABILITATE atque constantia. Thesis I.

Deus non tantum in sua essentia: sed etiã in suis tum decretis, tũ promissionib. cõstans atq; immutabilis est.

II. Decretum autem Dei, propriè est certa præscientia, ac definita voluntas, quibus ab æterno, quidquid in tempore facit aut facturus est, infallibiliter facturũ se præsciuit, ac præfiniuit. Rom. 8.

III. Saluat autem Deus certos homines, & non omnes: & certos damnat, & non omnes: vtrunque autem facit certis mediis & rationibus, certis temporibus & certis de caussis. Proinde decretum Dei de seruandis aut damnandis hominibus, dici rectè potest esse certa præscientia, definitaque voluntas, quibus se ab æterno, certos homines certis mediis atque modis, certis temporibus, & certis de caussis, aut misericorditer seruaturum, aut iustissimè damnaturum, præsciuit ac præfiniuit.

IV. Etsi vero Deus hæc sua nunquam mutet consilia: suas tamen nonnunquam solet mutare sententias: iuxta illud etiam vulgatum Gregorij dictum: Nouit Dominus mutare sententiam: sed nunquam nouit mutare consilium.

V. Quanquam autem Deus non solum in suis decretis: sed etiam in suis promissionib. constans atque immutabilis est: non eodem tamen planè modo, quo decreta Dei immutabilia sunt, vniuersæ quoq; promissiones in singulis & semper immutabiles sunt.

DE IVSTITIA DEI. Thesis I.

Deus sicut suapte natura liberæ est voluntatis, & omnipotentissimus: ita etiam suapte natura est iustissimus.

II. Est autem iustus Deus, primum quidem in sese: deinde erga alios. In se quidem, quatenus ita est perfectus, vt nihil in eo boni desideiari, & nihil in eum mali cadere possit. Ideo dicere, Deum aut peccare posse, aut esse autorem peccati, summa est in Deum iustissimum contumelia.

III. Erga alios autem ita iustus est, vt eis nihil aut velle, aut facere possit iniustè, Rom. 9.

IV Quidquid igitur agat, aut velit Deus, siue impiissimos latrones iustificet, & infantes quamplurimos damnet: siue innocentem Iobum multis calamitatib. afficiat, & impios Sabæos multis beneficiis cumulet: siue Petrum ad pœnitentiam reuocet, & Iudam in suo scelere deserat: siue Iacobum antequam quidquam boni egisset, diligat; & Esau, antequam mali quidquã fecisset, odio habeat: siue denique quorundam velit misereri, & alios indurare, idque pro suo beneplacito: omnia iustissime agit & vult, & nulla est iniquitas apud Deum.

V. Deus enim est non solum Deus omnium, neque solum iudex omnium: sed etiam Dominus omnium, isque semper iustissimus.

VI. Proinde sicut multa agit vt Deus, & multa agat vt iudex: ita etiam multa agit vt Dominus. idque semper iustissimè: imo quidquid egit vnquam, aut agit, aut acturus est Deus, illud omne egit, & agit, & acturus est aut vt Deus, aut vt iudex, aut vt Dominus.

VII Vt Deus omnium, sicut omnia creauit, sic omnia amat, sustentat, regit, tuetur, & nihil odit eorum quæ fecit, Sap. 10. sed pluit super iustos & iniustos, Matth. 5. & est omnium seruator. 1. Tim. 4.

VIII. Est enim hoc Dei, quatenus Deus est, proprium ingenium, propriáque natura, vt sit summum bonum, & suam bonitatem communicet, tum creando ea quæ non sunt, vt sint: tum ea quæ condita sunt regendo, conseruando, & variis beneficiis quotidie magis ac magis cumulando, vt bene sint, Ies. 46. *Ego feci: Ego fero, Ego porto & seruo, ait Dominus.*

IX. Vt iudex omnium, vnicuique reddit iuxta opera sua, punit nocentes, & protegit innocentes: vlciscitur peccata, & remunerat benefacta. Matt 18. & 25.

X. Est enim hoc proprium iusti iudicis officium, vt vltor sit, tanquã Dei Minister, ad iram ei qui quod malũ est, fecerit: eum vero, qui bene egerit, gladio suo aduersus oppressores suos defendat, Prouerb. 17. *Qui iustificat*, hoc est absoluit *impium, & qui damnat iustum, vterque abominabilis est Domino.*

XI. At verò vt Dominus omniũ, quorũ vult miseretur, & quos vult indurat, idq; absq; eo, vt vlla sit apud Deũ iniquitas, Rom. 9. Nã etiã quos indurat, iustissimè nimi-

nimirum propter ipsorum peccata indurat.

XII. Est enim hoc proprium Domini vere liberi, vt agat quicquid vult de iis, in quæ plenum & absolutum habet ius: nec tamen vllius possit iniquitatis accusari. Deo autem plenissimũ & absolutissimum ius est, sicut in reliquas creaturas, sic etiam in vniuersos & singulos homines: Proinde potest de eis facere quidquid vult, siue misereri, siue indurare: siue eligere, siue reprobare: siue seruare, siue perdere, Matth. 20. *Annon licet mihi in rebus meis facere quod volo.*

XIII. Proinde etsi Deus, pro suo liberrimo & absolutissimo in omnes homines iure, de illis agit quidquid vult: & alios vt sint vasa iræ: eoque alios ita vocat, vt etiam trahat, alios vero ita vocat, vt tamen non trahat: & aliis quidem donat veram fidem ac perseuerantiam in fide, aliis non donat, nec vult donare: eóque quosdam vult simpliciter saluos fieri, alios verò simpliciter non vult saluos fieri: nullius tamen iniquitatis accusari potest, Rom. 9.

XIV. Ipsius etenim voluntas semper est iusta, imò & regula omnis iustitiæ. Neque enim ideo aliquid vult Deus, quia illud iustum: sed ideo aliquid iustum est, quia Deus illud vult.

XV. Sicut enim voluntas reuelata in lege, iusta est: & ideo iusta est, quia volũtas Dei est: ita volũtas arcana, seu beneplaciti, semper iusta est: & ideo iusta est quia voluntas Dei est. Abraham iudicauit iustum esse, occidere filium innocentem, non certè ex lege, quæ homicidium vetat: sed tantùm inde, quia intellexit, hanc esse specialem Dei voluntatem atque mandatum.

XVI. Quidquid autẽ facit Deus, iuxta beneplacitum voluntatis suæ facit. Quicquid igitur faciat, illud semper iustum sit, necesse est, ps. 144. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis: & sanctus in omnibus operibus suis.*

XVII. Quare, & si opera nostra examinanda semper sunt ad voluntatem Dei nobis reuelatam: & eatenus iudicanda sunt iusta esse, vel iniusta, quatenus hæc illi sunt consona, aut dissona: de operibus tamen Dei, non est semper iuxta illam iustitiæ regulam iudicandum, cùm semper non sit illi legi subiectus.

XVIII. Multa enim à Deo fiunt, vti est odisse, hoc est odio destinasse eos, qui nihil mali egerunt, cùm potuerit eos amare: vti etiam est, permittere homines labi in peccata, cùm possit impedire: vti quoque est homines lapsos non corrigere, cum possit emendare: & vti est, homines in peccatis indurare, cùm possit mollire: denique vti est, damnare, quos potest sine vlla reprehensione, imò multa cum laude seruare, & alia id genus multa, quæ si à nobis fiãt, iniusta sunt, quia cum iustitia legis, seu cum voluntate Dei in lege reuelata pugnant, qua lege & voluntate, nobis, non sibi mandat Deus vt omnes amemus, & omnes quandocunque possumus, & quibuscunque possumus officiis iuuemus atque seruemus. Illa tamen eadem opera, cùm à Deo fiunt, iniusta non sunt.

XIX. Non sunt igitur opera Dei, stateta legis diuinæ qua opera nostra, iustáue sint, aut iniusta cognoscuntur, sed sola diuina beneplaciti trutina, ponderanda: ac cum primum constiterit, Deum aliquid simpliciter voluisse, aut velle, mox concludendum est, illud esse iustissimum.

XX. Sola etenim voluntas Dei absoluta, cùm ipsa sit iustissima, imo ipsa iustitia, facit vt omnia etiam Dei opera iustissima sint.

XXI. Vult autem simpliciter Deus, quidquid facit, siue eligat, siue reprobet: siue misereatur, siue induret, siue seruet, siue perdat. Quidquid igitur facit Deus, iustissimum est.

XXII. Quare blasphemi sunt in Deum, qui hoc illi ius in omnes homines libertimum atq; absolutissimum, nimirum agendi de illis, & in illos quidquid lubet adimere conantur. Negãt enim esse liberrimũ Dominum, quem tantum optimum Deum & iustum iudicem esse volunt. Deus autem non est, qui non est omnium dominus, quique non habet in omnes libertimam agendi quiduis potestatem. Qui igitur hoc ius Deo, quantum in se est, eripiunt, illum etiam Deum esse negant.

XXIII. Hoc autem ius Deo illi eripiunt, qui dicunt falsum & cõtumeliosum esse in Deum, dicere, eũ amare, vel odisse homines, antequam nati sunt: item Deum esse crudelissimum tyrannum, si ipse pro suo arbitrio quosdam elegerit, vt sint vasa misericordiæ, & alios reprobarit, vt sint vasa iræ: &, si quosdam creet ad vitam, alios ad mortem, tantùm vt in illis suam misericordiam, in istis autem suam potentiam atque iustitiam declaret: & vt in vtrisque hac ratione glorificetur.

DE MISERICORDIA DEI.

Thesis I.

Deus non solum iustus est, sed etiam misericors. Dei enim misericordia vbique prædicatur in scripturis.

II. Non est autem misericordia in Deo, sicut in nobis, affectio seu passio aliqua: sed tantum propensissima quędam voluntas ignoscendi, & miseris succurrendi.

III. Cæterum duplex est Dei misericordia, vna generalis, qua vt Deus, non solum propensus & paratus est, cum creaturis suis omnibus, tum præsertim hominibus, tam iniustis, quam iustis, in aliqua miseria ac calamitate constitutis succurrere: sed etiam re ipsa succurrit ac miseretur, non quidem omnibus ad vitam æternam, atq; in perpetuum, sed ad aliquam salutem, eámq; temporariam. De hac Luc. 6. *Estote misericordes, sicut & Pater vester cœlestis misericors est*, nimirum ita misericors, vt solem suum faciat oriri non solum super iustos & amicos: sed etiam super iniustos & inimicos.

IV. Altera specialis est atque perpetua, quâ, vt liberrimus Dominus miseretur, quorum vult, & quorum non vult, non miseretur, Rom. 9. Hac enim ad vitam æternam, & in perpetuum, ipsorum tantum electorum miseretur, primò dũ eos solos ad se efficaciter vocat atque trahit: secundò cum eis solis verè peccata remittit atque iustificat: tertiò, cum eos solos verè regenerat, sibique sanctificat: ac postremò, dum eos solos in vitam æternam glorificat, de qua Ephes. 2. Deus, qui diues est misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cùm essemus mortui in peccatis, conuiuificauit nos in Christo Iesu.

V. Etsi verò hac speciali misericordia Deus reipsa non miseretur, neque etiam simpliciter vult misereri, nisi eorum, quos ad eius participationem ab æterno prædestinauit: ab ea tamen in S. literis, & in prædicatione Euangelij nemo excluditur, quia quisque, si velit eam vniuersis & singulis oblatam, percipere possit.

VI. Cæterum, quia homines impij destituti gratia Dei, per se non possunt hanc misericordiam intelligere, nedum fide amplecti atque percipere: Deus autem reprobis non vult, sicut electis, hanc suæ misericordiæ partem præstare, vt scilicet illorum mentes illustret, ad verè cognoscendam, & eorum corda flectat ad verè amplectendam gratiam in Christo oblatam: idcirco fit, vt re ipsa non omnium misereatur, sed eorum tantùm, quorum vult simpliciter misereri, hoc est, electorum Rom. 9. *Ergo quorum vult, miseretur: & quos vult, indurat.*

VII. Tota autem salus & omnes salutis partes, electio, vocatio, iustificatio, glorificatio, sæpe in S. literis hoc nomine misericordiæ, intelliguntur, vt in illo Apostoli, Rom. 9. *Miseretur quorum vult*, id est, eligit, vocat, iustificat, glorificat, quos vult. Misericordia autem excludit omnia merita illius cui fit misericordia, & meram miserentis gratiam commendat. Iudicant igitur S. literæ hac voce misericordiæ, totam electorum salutem esse gratuitam.

VIII. Quare quicquid boni in nobis fit, aut à nobis fit, siue cogitando, siue volendo: siue agendo: & quidquid à Deo impetramus atque consequimur, ideoque ipsa etiam æterna vita: totum illud venit de gratuita Dei misericordia, quia miseretur, quorum vult, quorum non vult, non miseretur.

DE VIDENDO DEO.

Theses.

Ex 6. c. Ies. vers. 1.

Vidi Dominum sedentem super solium excelsum &c.

I. Potest Deus tum in hoc, tum in futuro seculo à nobis videri.

II. In visione autem Dei, sita est nostra beatitudo.

III. Possumus igitur tam in hoc, quam in futuro seculo esse beati.

IV. Cæterum, visio, qua hîc videtur, ex parte est, & per speculum in ænygmate; Ea verò, qua in altero seculo videbitur, perfecta erit, & sine ænygmatibus.

V. Non possumus igitur hîc esse beati, nisi ex parte: in altero autem seculo perfecta erit nostra beatitas.

VI. Ille Dominus, quẽ Esaias ait se vidisse in solio excelso & sublimi sedentem, fuit ὁ λόγος, seu Filius Dei. Ioh. 12.

VII. Et quidem ipse est ille, qui non solùm Iesaiæ, sed aliis etiam Patribus, ab initio Mundi, variis subinde modis, præsertim sub specie viri, sese

visibilem præbuit:idque vt hoc quasi præludio subindicaret, sese tandem carnem nostram sumturum, & verè hominem factum, cum hominibus familiariter versaturum.

VIII. Proinde non impiè Patres aliquot scriptum reliquerunt filium etiam ante incarnationem visibilem fuisse: Patrem verò semper inuisibilem.

IX. Et si verò Propheta & alij nonnulli veteris Testamenti Patres, vel oculis corporeis in vigilia, vel τῷ φαντάσματι in somnis verè Christum viderunt: non tamen nisi in spectro aliquo eum viderunt, aut videre potuerunt.

X. Ipsa enim nuda Dei essentia, à nemine vnquam in hoc seculo visa est, aut videri potuit.

DE CVLTV DEI.

Ex Iesa. cap. 1. *Quorsum mihi multitudo sacrificiorum vestrorum, dicit Dominus, cùm Incensum abominatio est mihi &c.*

Thesis I.

Exod. 20. Deut. 4. 12. 28. Iesa. 1. quis requisiuit. Deus quidem Iehoua cum omnibus hominibus, tum præsertim Christianis colendus est: sed eo duntaxat cultu, quem ipse in verbo suo nobis præscripsit.

II. Omnis enim, quo Deus à nobis coli vult, cultus in verbo Dei est præscriptus.

III. Nulla ergo ἐθελοθρησκεία extra verbum Dei, colendus est Deus.

IV. Est autem duplex in verbo Dei nobis præscriptus, internus & externus. Et internum quidem appellamus ipsam internam pietatem, quæ potissimum fide in Deum, & caritate in proximum constat. Externum verò omnia externa tum fidei exercitia, tum caritatis officia.

V. Ita externum cultum duplicem facimus, alterum moralem, qui in caritatis officiis, alterum ceremonialem, qui in ceremoniis versatur.

VI. Iterum, hunc ceremonialem partimur in Leuiticum seu veteris testamenti, & in Christianum seu noui Testamenti cultum.

VII. De externo igitur cultu per verbum Dei nobis præscripto sic pronuntiamus & dicimus, omnem externum tam moralem, quam ceremonialem: & hunc tam Christianum, quàm Leuiticum cultum, sine interno exhibitum, peccatum esse & abominationem coram Deo: tantùm abest vt illi placeat, & verè opus bonum sit.

VIII. Multo igitur magis, omnis extra verbum Dei cultus, qualis est & Papisticus, peccatum & abominatio est coram Deo.

IX. De interno verò sic pronuntiamus: Internus Dei cultus, etiam citra externum, non tamen contemtum, per sese Deo placet, & ad salutem sufficit.

X. Quare studendum omnino est, vt & solum verum Deum Iehouam, & solo eo cultu, qui in S. literis est præscriptus, atque in primis interno colamus.

DE GRATIA DEI, ex 4. c. Iesaiæ.

Thesis I.

Gradus nostræ salutis quinque ex verbis Prophetæ Iesaiæ c. 4. colliguntur. 1. gratia Dei in Christo æterna, à qua sola motus fuit ad nos prædestinandos & saluandos. 2. ipsa prædestinatio seu conscriptio ad vitam æternam. 3. efficax vocatio ad Christum, & ad sanctitatem. 4. iustificatio, seu remissio peccatorum, & ablutio à sordibus, quam consequitur sanctificatio ac reformatio. 5. ipsa perpetua Dei gubernatio, quam consequitur æterna pax, vita, glorificatio.

II. Gratia ita propriè appellatur, quod gratis detur. Atque hæc Etymologia propriè competit omnibus Dei gratiis, quod omnes gratis dentur.

III. Gratia diuiditur in gratiam, quæ non solum gratis datur, sed etiam gratum Deo reddit: & in gratiam, quæ gratis quidem datur, sed non reddit Deo gratum: qua de caussa vocatur illa à Scholasticis gratia gratum faciens: hæc vero gratia gratis data.

IV. Gratia gratum faciens, est propriè æternus Dei fauor, atque gratuita beneuolentia, qua nos in Christo dilexit, & qua tantùm permotus fuit, vt nos ad æternam vitam eligeret, redimeret, vocaret, iustificaret, glorificaret.

V. Gratia hæc gratum faciens, seu gratuitus Dei erga nos amor atque fauor, in ipso Deo est: in nobis autem tantum illius cognitio atque sensus.

VI. Est quidem duplex amor Dei: vnus generalis, quo omnia quæ condidit, diligit, etiam ipsos impios, quatenus scilicet, omnibus bene vult & benefacit, de quo Sap. 11. Alter specialis, quo ipsos tantum electos amat ad æternam vitam, de quo Rom. 9. *Iacob dilexi*, & passim in scripturis. Gratia tamen Dei propriè pro ipso gratuito Dei erga electos amore capitur.

VII. Gratia hæc, data nobis fuit ante tempora æterna, qua scilicet ab æterno dilexit nos: manifestata autem in tempore, tum cum promisit, tum maximè, cum dedit re ipsa nobis Christum, 2. Tim. 2.

VIII. Gratia hæc gratum faciens, fons est & caussa aliarum gratiarum omnium, atque beneficiorum Dei.

IX. Gratia quoque fidei, regenerationis, spei ac charitatis, gratiæ gratum facientes appellantur: sed impropriè & secundario, sunt enim effecta illius primæ atque æternæ gratiæ.

X. Gratia vero prophetandi, loquendi linguis, & aliæ, de quibus 1. Cor. 12. sunt quidem etiam ipsæ effecta illius primæ & æternæ gratiæ, & faciunt ad salutem Ecclesiæ in vniuersum: sed tamen non semper ad salutem eorum, quibus dantur, pertinent. Qua de caussa gratiæ tantum gratis datæ, in scholis appellari solitæ sunt.

XI. Hæ gratiæ, quia non semper faciunt ad salutem illorum, quibus dantur, idcirco multis etiam dantur reprobis.

XII. Et si vero hæ non faciunt ad salutem reproborum quibus dantur: quia tamen faciunt ad salutem & instaurationem sanctorum: idcirco hæ quoque effecta illius primæ gratiæ esse dicuntur, quatenus proficiscuntur ab æterno & gratuito Dei, non quidem erga reprobos, sed erga electos, ad quorum salutem reprobis quoque communicantur, amore.

XIII. Gratia primo modo, ac propriè accepta, hoc est æternus gratuitusque Dei amor atque fauor, initium est, consummatio atque finis salutis nostræ, vnde tota salus, & quæcunque ad salutem nostram faciunt, profecta sunt, ac proficiscuntur.

XIV. Id vnde Deus (vt ita loquar) permotus fuit ad nos eligendos, atque in æternam vitam prædestinandos, fuit ipsius tantum gratia, seu bona erga nos ipsius voluntas atque εὐδοκία & amor. Finis vero vltimus ac præcipuus, fuit ipsius gloria, vt scilicet ipsius bonitas, iustitia, misericordia pateficeret, atque ita glorificaretur. Vtrumque Apostolus tradit Ephes. 1. *Elegit nos in Christo in sese, iuxta beneplacitum voluntatis suæ*: Hoc est primum: *in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Hoc est secundum.

XV. Tota nostra salus est gratuita: & quia est gratuita, ideo est certa: & quia certa, ideo debemus liberati omni timore & metu, læto animo, & hilari conscientia, continenter gratias agere tanto cælesti Patri in Christo, illi fidere, in illum sperare, illum inuocare, illum amare, ad eius voluntatem nostram conformare, illius mandatis implendis studere, & ad omnia propter eius nomen tormenta perferenda animos nostros præparare, dicereque cum Dauide: *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ tribuit mihi? Calicem salutis accipiam, & nomen Domini inuocabo.*

DE COMMVNIONE CVM Deo & Christo.

Thesis I.

Perfecta nostra felicitas, ideòque vltimus vitæ nostræ finis, in quem ceu scopum perpetuo collimare debemus, est, vt simus perpetuo nexu ita vniti Deo summo bono, vt toti, quanti quanti sumus, omnibus tandem, quibus fieri possit modis, vnum cum ipso fiamus, id quod Christus omnibus electis à Patre, tum sua oratione, tum sua passione impetrauit & impetrat.

II Hæc vnio incipit in hoc seculo, sed tum demum perfecta continget omnibus electis, cùm nostra etiam corpora facta fuerint, vt Paulus loquitur, spiritualia, & cum Deus erit omnia in omnibus.

III. Primum autem in nobis, quod vniri debet Deo, & re ipsa vnitur, est mens, per veram Dei cognitionem. Alterum est cor, per sincerum erga Deum amorem. Mentem autem & cor sequuntur, deindé omnes

omnes tam Animæ affectus, quàm corporis sensus, desiderio & studio obsequendi Deo.

IV. Sicut enim primum, quod auertit & alienat nos à Deo, est ignoratio Dei, cùm falsa de illo opinione, nempe, quod etsi sit bonus in se, imò etiam aliis, nobis tamen sit inimicus & hostis, ideóque quòd velit nos perdere (hac enim opinione fit, vt mox quoque cor à tali Deo alienetur, & odio illũ habeat) Ita primũ quo mens nostra vnitur Deo, est vera solidaque Dei cognitio, quòd is sit summum bonum, non solùm in se & aliis, sed etiam nobis, sitque non solùm Deus, sed etiam noster Deus, amicus & Pater. Hac de caussa scripturæ primum quod de impiis tradunt, est, quòd ignorent Deum; & contrà primum, quod proponunt de iustis, est, quòd cognoscant Dominum, & ad huius cognitionem omnes inprimis hortantur.

V. Cæterùm, cùm omnes nati simus in peccatis & in Deum peccauerimus, & peccemus, idque grauiter, fieri non potest, vt persuadeamur, Deum nobis esse amicum, velle benefacere, ac multò minus eum esse Patrem nostrum, & daturum vitam æternam, nisi priùs persuadeamur, ac certò sciamus, illum omnia nobis peccata condonasse, atque ita esse reconciliatum.

VI. Nõ possumus autẽ persuaderi, peccata nobis aut esse cõdonata, aut cõdonari posse, nisi certò sciamus, pro illis esse aut plenissimè satisfactum, aut posse satisfieri.

VII. Nam etiamsi cogitemus, Deum esse Deum liberum & omnipotentem, qui possit parcere etiam sine satisfactione; & eundem esse bonum atque misericordem, qui cupiat & velit parcere: tamen hæc cogitatio semper obuersabitur mentibus nostris, Deus iustus est, & peccata non fert, neque sinit impunita, oditque impium, & impietatem eius. Iustitia autem hæc postulat, vt nemini parcatur, nisi pro offensis, aut is qui offendit, aut alius ipsius nomine satisfaciat.

Tunc assumimus: Atqui ego non sum soluendo, nec possum satisfacere, neque vlla alia creatura pro me satisfacere potest. Hinc concludimus. Ergo fieri non potest, vt peccata mihi condonata sint, ac condonari possint. Ac proinde fieri etiam nequit, vt Deus, quem ego grauissimè & sæpius offendi, mihi sit amicus. Quare etiamsi sciamus, Deum esse bonum & misericordem in sese, suáque natura: tamen quia scimus etiam eundem esse iustum, idcirco fieri non potest, vt certò credamus, peccata nobis esse condonata; aut condonari posse, nisi certo sciamus, iustitiæ diuinæ pro illis aut esse satisfactum, aut satisfieri posse, vel à nobis, vel ab aliquo alio pro nobis.

VIII. Ac proinde dum in ista de peccatorum remiss. ignorantia permanemus, quia semper peccata nostra persuadent, Deum esse nobis inimicum & hostem: idcirco tantum abest, vt eum tanquam Patrem amare, & ad eum accedere, eique inseruire possimus, vt potius eum tanquam hostem odio habeamus, atque ab eius conspectu, exemplo etiam Adami & Euæ procul fugiamus. Ergo persuasi simus, peccata nobis aut esse remissa, aut remitti posse, necesse est. Vt autem hoc sciamus, illud quoque non ignoremus, oportet, pro nostris peccatis aut esse satisfactum aut satisfieri posse, vel à nobis, vt antè dictum est, vel ab alio pro nobis.

IX. Nos non posse satisfacere nouimus: nullam etiã aliam creaturam posse, non ignoramus: nullum quoq; esse inter omnia illa, quæ a Deo sunt condita, vel pretium, vel sacrificium, quo pro peccato satisfieri Deo possit, extra controuersiam est, si scripturis creditur.

X. Cùm igitur inter creaturas reperiri non possit aut aliquis, qui valeat pro peccatis nostris, diuinæ iustitiæ satisfacere; aut aliquid quo possit satisfieri: consequitur, aut de salute nostra actum esse, aut in Deo quærendum esse Mediatorem, qui & velit & possit pro nobis iustitiæ diuinæ satisfacere.

XI. Fieri autem non posse videtur, vt in Deo inueniatur Mediator, qui pro nobis satisfaciat, & Deo ipsi nos reconciliet. Cum enim Deus vnus tantum sit, isque sit pars à nobis offensa: quomodo item poterit & pars esse, cui nos reconciliemur, & Mediator, qui nos reconciliet, & Deo pro peccatis nostris satisfaciat?

XII. At bene res habet. Etsi enim Deus essentia vnus tantum est, in tres tamen distinctus est, licet non diuisus, personas, Patrem, Filium, & Spiritum S. Deinde, etsi absurdum videri possit, vt omnes tres simul, quatenus omnes simul essentia vnus sunt Deus, sint & pars & Mediator, nihil tamẽ impedit, quo minus aliquis istorũ triũ, quatenus talis est persona, sese tanquã Mediatorem interponat, præsertim si aliam quoque naturam, præter diuinam, quam habet, sibi in vnam eandémque personam assumat. Si præterea etiam videtur absurdũ, vt pater id faciat, quia sicut fons est totius diuinitatis, cui nos sumus reconciliandi, sic fons est totius iustitiæ, cui pro peccatis satisfieri oportet: non est tamen absurdum, vt tale officium faciat saltem Filius, quippe cùm filius sit, suam quoque filiationem communicare nobis poterit, & eiusdem Patris filios efficere.

XIII. Res autem ita se habet. Hic Filius ante mundi constitutionem, constitutus fuit in cœlesti consilio Mediator inter Deum patrem, & nos, qui suo tempore caro factus, se ipsum daret ἀντίλυτρον pro omnibus Ecclesiis: proinde in ipso etiam, quotquot sunt electi, electi fuerunt. Nam etiam Patres hunc nouerunt, & fide amplexi sunt. Occurrit enim etiam illis, & sese illis patefecit, non quidem tanquam ille, qui iam pro ipsis λύτρον reipsa dederit: sed tanquam ille qui etiam λύτρον daturus, atque ita certò satisfacturus, vt illius voluntas pro facto acceptata fuerit a Patre. Nobis autem nunc occurrit idem Mediator, sed vt ille, qui iam plenè satisfecerit. Nunc tenemus mediatorem, & mediatoris necessitatem.

XIV. Postquam inuentus est mediator, in eo inhærendum est. Nam extra eum vagari, præcipitium est in abyssum infernalem, cum ipse solus sit via ad cœlum. Et quidquid extra eum, pro remissione peccatorũ fingitur, mendaciũ est, cum ipse solus sit veritas. Et quidquid extra eum propter vitam æternam consequendam quæritur, mors est, cum ipse solus sit vita. In solo igitur Mediatore inhærendum, & quæcunque pro nostra salute cupimus, in eo quærenda sunt: quia etiam in eo solo omnia inueniuntur.

XV. Vt autem iste mediator nobis ad faciendã, nam de qua loquimur, vnionẽ cũ Deo, prosit, principio necesse est, vt eum attenta mente contemplemur, ac verè & solidè agnoscamus tum in sua persona, quis & qualis sit, tum in suo officio, quid pro nobis semel fecerit, & quid nunc pro nobis, & erga nos perpetuò faciat. Nisi enim verè agnoscamus, non poterimus etiam amare aut amplecti, idcóque nec cœlestium thesaurorum, qui in ipso sunt, participes fieri. Deinde, necesse est, vt eum verè agnitum, verè etiam amplectamur, atque ita amplectamur, vt ei incorporemur, atq; ita incorporemur, vt fiamus vnum cum illo, os ex ossibus eius, & caro ex carne eius. Neque.n. possumus vniri Deo Patri summo bono, & esse perfectè beati, nisi prius vniamur huic Mediatori, cũ nemo veniat ad Patrẽ, nisi per eũ, & nemo ascẽdat in cœlũ, nisi qui descẽdit de cœlo Mediator Dei & hominũ homo Christus Iesus. Qui autẽ ei incorporãtur, fiũt vnum cũ illo, vt tandẽ sint & ipsi, vbi & ille.

XVI. Quantum igitur ad personam Mediatoris attinet, ipse est Filius Dei, Patri ὁμοούσιος secundum diuinitatem. Et filius Mariæ, matri ὁμοούσιος secundũ humanitatẽ, verus Deus, & verus homo, nobis per omnia vsque ad suam resurrectionem similis, excepto peccato: nũc autem per omnia quoque similis, excepto peccato & morte & illis mortalis corporis conditionibus: quibus nostra quoque corpora exuentur in resurrectione.

XVII. Quantum ad officia, quoniam in nouo fœdere, hoc est quod renouauit cũ populo Israelitico & suo sanguine confirmauit, nos quoque Gentes complexus est: idcirco in explicandis istis officiis quæ Christus inprimis pro Israele, deinde pro nobis fecit, coniungam vos, breuitatis & perspicuitatis gratia, cum populo Israelitico, perinde ac si essemus omnes, sicut reuera per Christum facti sumus, vnus populus Israeliticus. Sumus enim omnes Israelitæ secundum Spiritum quicunque ad Christum pertinemus. Quod igitur ad officia, quæ Christus fecit, attinet: Is primum, tanquã Apostolus Patris, significauit nobis, se missum a Deo Patre fuisse, tanquam eius legatũ & Mediatorem inter illum & nos, vt fœdus amicitiæ, quod pepigerat cũ patribus nostris, & quod alioqui propter nostra scelera factum fuerat irritum, per se, & in se renouaret & firmaret; ita vt nouum semper sit & perpetuum maneat. Fœdus autem hoc esse, Deum ex sua parte primũ pro eo amore, quo nos ab æterno, in ipso Mediatore Christo Filio suo cõplexus est, velle ex sua misericordia, & propter hunc Iesum Filiũ suũ, cõdonare omnia nostra peccata, tam ea in quibus nati sumus, quam ea, quæ vnquã admisimus. Deinde, in posterũ se omnẽ promittere beneuolẽtiã & omnia beneuolẽtiæ officia. Velle.n. se nobis esse patrẽ in hoc suo Filio, & nos agnoscere pro filiis. Ac

proinde,postremò, se velle nos cum Christo hæredes totius regni sui,& æternæ vitæ constituere.Hæc enim omnia,illo continentur dicto:*Ero Deus tuus,& seminis tui*,&c. Ex parte verò nostra,Deum nolle amplius stipulari à nobis tot & tanta præcepta,quot & quanta stipulatus fuerat à patribus nostris,imò abrogare, quòd videat,non posse à nobis ferri, ac proinde , quòd sint nobis non solùm inutilia,sed etiam detrimentosa.Stipulari igitur à nobis primum veram tantùm & viuam fidem,fidem inquam,in hunc Mediatorẽ,& in Deum. Hunc enim esse vltimam eámque certissimam Patris voluntatem , vt omnis qui videt Filium, & credit in eum,vera scilicet,& per charitatem efficaci fide, non veniat in iudicium,sed habeat vitam æternam , & resuscitetur ad gloriam in nouissimo die. Deinde stipulari dilectionem inter nos mutuam.Hoc enim vnicũ, loco aliorum in veteri Testamento præceptorũ,suum esse, hoc est, Noui Testamenti mandatum, vt diligamus nos inuicem. Tertiò,studium sanctitatis in nobis ipsis,vt studeamus esse sancti,sicut & Deus noster sanctus est:ac proinde, quæ Deo grata esse nouerimus,ea efficere studeamus. Hæc est summa noui fœderis,quã Christus,vt legat.& Apostol. Patris nobis significauit.

XVIII. Deinde,vt verus & æternus Pontifex secundum ordinem Melchisedech , duo alia fecit officia. Primum,quo renouatum fœdus,ex parte etiam nostra, firmum ac ratum, ideoque & perpetuum maneret,orauit Patrem vt quod etiam a nobis stipulatus est , fidem scilicet veram per dilectionem operantem , qua sanctificamur & Christo vnimur,& per Christum Deo Patri,atq; ita in fœdere retinemur perpetuo: orauit inquam Patrem suum,vt hanc fidem ipse nobis largiretur & per eam nos sibi sanctificaret:neq; solùm largiretur, sed etiã eam in nobis conseruaret,ne penitus vnquam deficeret , atque ita vniret nos sibi vt perpetuò vnum essemus cum illo,& inter nos, sicut & ipsi vnum sunt. Hanc fidem & fidei conseruationem, ideoque perpetuam vnionem cum Patre,& cum Christo,& cum toto electorum cœtu,impetrauit nobis à Patre suo Christus Mediator noster.

XIX. Alterum Pontificis officiũ fecit,quod fuit huius modi.Is vt vltimus & perpetuus Pontifex, abolitis omnib. veteribus sacrificiis,quòd nullam in se haberent vim expiandi peccata , suum corpus,hoc est, seipsum tanquam perfectissimum sacrificium,super aram crucis, patri pro nobis obtulit:& sanguinem suum pro remissione peccatorum nostrorum fudit atque hoc ceu λύτρον pro peccatis omnium electorum: ita planè iustitiæ diuinę satisfecit,vt nihil amplius pro illorum satisfactione,aut à mediatore nostro nomine,aut à nobis,qui in Christo electi,& cum illo vnum per fidem facti sumus, inre exigi possit.

XX. Tribus autem præcipuè de caussis Christus Mediator,iuxta voluntatem Patris,hoc obtulit sacrificium corporis sui Prima est,quoniam necesse erat re uera,vt pro peccatis nostris satisfaceret diuinę iustitię. Neque enim remitti poterant sine satisfactione, iuxta Dei decretũ.Nullo autem λύτρῳ seu sacrificio satisfieri poterat,quam sacrificio corporis & sanguinis Dei,id est Christi:in cuius rei figuram, nunquam fiebat peccatorum remissio in veteri Testamento,sine sanguine.

Altera , vt consequenter dubitatione de remissione peccatorum,quam nobis dubitationem adferebat iustitia Dei,quæ peccatorum satisfactionem postulabat ex animis nostris eximeret,cum videamus iam esse satisfactum:atque ita magis nos confirmaret in fide,Deum nimirum , condonatis per Christum peccatis , esse reconciliatum,imò amicum summum,Patrémque æternum effectum: ita voluit vt purgata mente , ab illa opinione,qua putabamus , Deum esse hostem,eoque illum oderamus,ac ab illo fugiebamus,voluit inquam vt mente per hanc veram Dei cognitionem , quòd in Christo nos amet,& condonatis peccatis,sit totus noster, purgata, ipsum quoque cor nostrum in Deum amore ferre,& reliquæ omnes nostri partes in obsequiũ tanti Patris redirent.

Tertia itaque caussa fuit,vt hac ratione fœdus inter Deũ & nos per Christũ renouatũ, sacrificio corporis & sanguinis eiusdẽ abolitis peccatis electorum,quę illud facere irritum potuissent,in perpetuum confirmaretur: Confirmaretur inquã, non solùm in se,& ex parte Dei, sed etiam in nobis, & ex parte nostra : impetrata iam nobis remissione peccatorũ per hoc Christi sacrificium: & per idem impetrata etiam & confirmata fide, qua remissionem peccatorum sentiamus & percipiamus,& eâ percepta , in fœdere retineamur ac conseruemur. Hæc sunt præcipua Christi officia, quæ in terris cùm esset pro nobis fecit, tum vt legatus ac Apostolus Patris,tum vt verus & æternus Pontifex.

XXI. Postea verò quàm hæc egisset, ipse vt verus Mundi præsertim electorum Rex,expugnatis hostibus suis omnibus,peccato,morte,Satana , inferno, & toto Mundo , déque omnibus triumphans , conscendit in cœlum & data sibi omni potestate in terra & in Cœlo, ibi in summa maiestate cum Patre regnat,corpore quidem inde ad nos, nisi in fine seculi ad iudicandum Mundum,non rediturus: diuinitate tamen vbique existens , & Spiritu suo in omnibus electis atque renatis inhabitans, suámque Ecclesiam regens ac protegens, officiúmque Mediatoris perficiens.

XXII. Etsi enim peractis omnibus officiis, quæ pro nobis in terra erant in corpore Domini Iesu perficienda, Dominus ascendit supra omnes cœlos,corpore suo inde ad nos non amplius,nisi semel rediturus : Ecclesiã tamen suam non deseruit, sed illam regit perpetuò: neque otiatur,sed alia adhuc pro nobis, & erga nos facit officia,cùm in cœlo,tum in terra.

XXIII. In Cœlo enim perpetuò interpellat pro nobis, & apparet in conspectu Dei pro nobis.& agit aduocatum nostrũ apud Patrem,& regnum cœleste,nomine etiam nostro possidet,donec in illud nos introducat, vt cũ eo plenius atq; perfectius in æternum viuamus.

XXIV. In terra verò,hoc est in Ecclesia militãte,spirituales thesauros,quos hic dum esset, omnibus electis comparauerat,quotidie distribuit, salutem partã communicat,& deniq; semper ex electis alios in fœdus illud nouum atq. æternum recipit ; alios iam receptos,in eo magis ac magis indies confirmat atque conseruat , ita vt neminem illorum , qui verè in hoc fœdere semel fuerunt comprehensi,ab eo excidere sinat.

XXV. Est enim vtrumque vnius solius Mediatoris officium , nempe & recipere aliquem in istud æternæ amicitiæ atque salutis fœdus,& in eo illum confirmare atque conseruare : quanquam ad hanc rem ministerio hominum ad istud officium vocatorum vtatur.

XXVI. Non potest autem quispiã ad istud fœdus admitti,& huius fieri particeps, nisi & in ipso Mediatore Christo fuerit ante Mũdi cõstitutionẽ à Patre ad communionem huius fœderis electus,atq; ita à Patre, Christo datus,& vinculo electionis connexus,& nexu etiã fidei & spiritus reapse illi copuletur, & corpori eius Christi incorporetur,vt fiat vnũ cum ipsa Mediatoris Christi persona,os ex ossib.eius, & caro de carne eius.

XXVII. Est enim ipsum fœdus in persona ac corpore Christi renouatum,,& sanguine eius obsignatũ atque sancitum,iustitia,totaque vita æterna in hoc Christo Deo & homine posita atque firmata & in perpetuũ vt extra eum nihil nisi peccatum & mors reperiri possit. Proinde quicunq; particeps huius fœderis fieri cupit, aut magis ac magis in eo confirmari,ad Christũ hunc accedat,& ei vniatur atque incorporetur necesse est.

XXVIII. Est autem Christus caput totius corporis Ecclesię,quę est electorum,& verè sanctorum cœtus in spiritu & veritate Deum in eodẽ Christo colens atque inuocans,& eodem verbo,iisdémq; cùm potest,Sacramentis vtens,per totum orbem diffusus. In sola igitur vera & catholica Christi Ecclesia fœdus hoc manet ac communicatur,& quicunq; extra Ecclesiam sunt atque manent,extra fœdus Christi sunt, atque manent.

XXIX. Etsi verò,qui vult fœderis huius particeps fieri, veniat ad Christum,& Christo vniatur atq. incorporetur,necesse est:nemo tamen vnquam,nisi à Mediatore ipso trahatur, venire, aut seipse ei incorporare poterit. Quare necesse est, vt Christus ipse nos ad se trahat, & sibi incorporet,& incorporatos atq; fœderis participes effectos , in eodem etiam magis confirmet atque conseruet: vt totum sit opus Dei & Christi,vt qui glorietur,non in se,sed in Domino glorietur.

XXX. Ad hoc autem faciendum,duab. rebus externis ordinariè,& duab. internis semper vtitur. Internæ sunt, illapsus sui spiritus,& donũ fidei,quã in nostra infundit corda. Is enim prior in nostra illabitur corda, & ita prior se nobis communicat : deinde simul vim fidei infundit,eámque in actum excitat,atq; ita efficit,vt nos (non enim de pueris loquor) acti vi fidei , Christum ipsum amplectamur,atque ita amplectamur , vt etiam corpori eius,non quidem & crassa & carnali:sed spirituali,vera tamen, & reali vnione incorporemur.

XXXI.

XXXI. Etsi enim interuallo locorum corpus ipsum Christi procul à nostris distet: hoc tamen nihil impedit, quin vera atque realis sit vnio, qua fideles vniti sunt Christo, & corpori eius incorporati, propter hoc Spiritus vinculum seu nexum, quo ille nobis, & nos illi vniti sumus. Certè Solis corpus tam procul abest à terra, quàm etiam cœlum, suis tamen radiis continuatis à suo corpore vsque ad corpus terræ, ita terræ vnitum est, vt à nulla se maiorem in se sentiat efficacitatem terra, quàm à sole: atque ita sentiat, vt mirabiles propter solis præsentiam pariat flores & fructus. Maior tamen est Christi nobiscum vnio.

XXXII. Etsi verò vnio Christi nobiscum, & nostri cum Christo, iis duobus internis nexibus propriè fiat: non solet tamen Deus iis per se solis, nisi adhibitis etiam externis, nos sibi in fœderis communionem receptos vnire. Externi autem nexus sunt verba & sacramenta.

XXXIII. Hæc aliquando sunt coniuncta, aliquando separata: coniuncta quidem, cùm sacramenta administrantur. Non enim hæc sine verbo vel sacramenta sunt, vel administrantur: separata verò, cùm sine sacramentis verbum prædicatur.

XXXIV. Vtrumque autem officium Dominus Iesus etiam nunc in Ecclesia facit, licet corpore supra cœlos sit. Nam ipse contra, qui in Ministris, quales quales sint, cum prædicant purum ipsius verbum, prædicat atque loquitur. Ipse est, qui per ministros, quales quales sint, cum legitimè administrant sacramenta, præbet ea, quæ per sacramenta significantur, hoc est se ipsum, cum fœderis sui in se per suum sanguinem sanciti communione.

XXXV. Proinde cum minister baptizat, oculis mentis in cœlum sublatis, cogito & credo, Christum quasi manu sua è cœlo demissa, filium meum sanguine suo in remissionem peccatorum aspergere, per manum illius hominis, quem video aqua caput infantis aspergentem. Et cùm in cœna minister nomine Christi, mihi porrigit panem, accipe & comede, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: cogito & credo, Dominum Iesum, dum panem & vinum per manum ministri exhibet, simul etiam corpus suum, & sanguinem suum mihi manducandum & bibendum, vt ego ei magis ac magis incorporer, præbere. Scio enim verba esse Christi, non ministri. Et Christum Ecclesiæ dicere, non ministrum, accipite, manducate. Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur.

XXXVI. Ac baptismi quidem sacramento, ceu nexu ordinario vtitur ad recipiendum nos in fœderis communionem. Cœna verò ad nos in ea magis ac magis confirmandos.

XXXVII. Non alia autem ratione communicat sese nobis dominus, & nos sibi vnit per sacramenta, seu nexibus sacramentorum, quàm qua etiam per verbum, seu nexu verbi.

XXXVIII. Interim tamen efficacius & ipse sese nobis communicat, & nos sibi vnit, per sacramenta simul & verbum, quàm per verbū solum: quatenus verbo solo, nullum corporis sensum percellit, quam auditum; verbo autem simul cum Sacramentis ceu signis, præter auditum, reliquos quoque permouet sensus.

XXXIX. Sensus autem sunt ceu ianuę, per quas aditus & introitus patefit in Atrium animę, & in secretum cordis cubiculū, tam Diabolo, quam etiam Christo.

XL. Cum igitur Dominus ad nos venit, & se nobis vnit cum suis thesauris per verbum solum, quasi vnam tantùm ianuam nostri palatii pulsat, & per eam solam ingreditur. Cum verò præter verbum adhibet etiam sacramenta, omnes nostras pulsat fores: & si nos audiamus, & tum verbo fidem adhibeamus, tum sacramenta fide percipiamus; tunc quasi omnes fores aperimus Christo, & ipse per omnes ingreditur. Efficacius igitur quodam modo, per sacramenta simul cum verbo in nostra ingreditur corda, & sese nobis, & nos sibi vnit, quàm per verbum solum.

XLI. Præstantius tamen est verbum, quàm symbola in sese: quoniam per Verbum solum sine signis Dominus in nos ingreditur & se nobis communicat: per signa autem sola, sine verbo, neque sacramenta seu elementa illa sunt sacramenta: (Accedit enim verbum ad elementum & fit sacramentum) neque per illa quidpiam in nobis operatur Christus.

XLII. Ergo existimandum non est, diuersa aliqua alia & præstantiori ratione, Christum se nobis communicare per sacramenta, quàm per verbum, quasi magis vnitus sit elementis & symbolis, quàm verbo: cum elementa id etiam, quod sunt, nempe sacramenta, per quæ se Christus nobis communicat, habeant a verbo. Neque enim maiorem vim à verbo accipere possunt, quàm ipsum verbum habeat. Non igitur magis vnitus est Christus symbolis, quàm verbo: vtroque tamen simul erga electos vtens, efficacius etiam nos permouet, & salutem in nobis operatur.

XLIII. Idem tamen finis est Christo, tam cum vtitur solo verbo, quàm cum etiam simul vtitur sacramentis, nempe, vt se nobis, & nos sibi vniat. Vnit autem sese nobis, vt per hanc suæ personæ, qua Deus est & homo, nobiscum communionem, in fœderis quoq; communionem, quod in ipsius persona positum, renouatum, confirmatum & fixum est, admittat: & si admissi iam antea fueramus, vt in Baptismate, in ea nos magis ac magis confirmet, vt in cœna. Admittit verò nos in communionem fœderis, & in ea nos magis ac magis confirmat, vt hoc fœderis nexu, tam vnum facti cum Christo Mediatore, cum Deo etiam Patre vnum fiamus; & vnum facti magis ac magis cum eo coalescamus, donec tandem ipse fiat omnia in omnibus.

XLIV. Hæc enim vnio cum Deo Patre, in quo & Filius & Spiritus S. est vltimus, vt dixi, finis, ad quem & nos perpetuò debemus collimare: & Christus tam per verbum, quàm per sacramenta, tam per aduersa, quàm per secunda, tam per internas, quàm per externas suas in nobis actiones, denique tam per vitam, quam per mortem, nos electos suos continenter ducit.

DE CHRISTO ADVOCATO.

THESIS I.

Christus est aduocatus electorum tantum, & quidem omnium, quotquot à condito orbe fuerunt & vsque in finem seculi futuri sunt.

II. Christus etiam est ἱλασμὸς tantùm pro electorum totius mundi peccatis; est igitur tantum illorum aduocatus; sic Ecclesia Smyrnensis ad omnes paræcias Ponti ait: Christum passum esse pro salute omnium mundi seruandorum. Seruantur autem tantum electi: sic Ambrosius Tom. 2. de fide ad Gratianum lib. 4. cap. 1. *Si non credis, non descendit tibi, non tibi passus est.*

III. Mundus accipitur in Scripturis aliquando pro toto Mundo, omnibusque hominibus, tam electis, quam reprobis; aliquando pro parte tantum potiore, hoc est, pro electis: aliquando pro parte mundi deteriore, hoc est pro reprobis. Autor quoque libri de vocatione Gentium lib. ... c. 3. multarum Scripturarum exemplis demonstrat, sæpenumero in Scripturis pro parte terræ, totam terram; pro parte mundi totum mundum, pro parte hominum, omnes homines nominari idque tam de impiis, quam de piis. Ergo cùm ait, Christum esse ἱλασμὸν pro peccatis totius mundi, non cogimur nomine mundi, omnes homines in vniuersum intelligere.

IV. Discrimen est inter opus redemptionis, & vim redemtionis. Illud semel est factum: hęc autem æterna est, sese extendens tam ad eos, qui fuerunt à condito orbe, ante ipsum etiam redemtionis opus peractum, quàm ad eos, qui post peractum redemtionis opus, vsque in finem seculi futuri sunt, ἱλασμὸς autem propriè est, ipsa redemtionis ac propitiationis vis. Nihil igitur impedit, quò minùs pro peccatis etiam eorum, qui à condito orbe fuerunt electi, Christus perpetuò fuerit atque sit ἱλασμός.

DE ECCLESIA, Disputatio prima.

THESIS I.

Ecclesia est cœtus ad vitam æternam electorum ac verè fidelium cœtus, partim in cœlo iam triumphans, partim in terris adhuc militans, in vnitate Spiritus, ad Deum in Christo ritè colendum congregatus. Argentinę ... 2. ... v. 2. *Et erit in nouissimis diebus praeparata erit ... vniusdemmus lehoua, &c.*

II. Diuiditur ergo iure in triumphantem & militantem; Ac triumphans quidem est cœtus ille beatorum Spirituum, qui triumpho de deuictis hostibus peracto, æterna per Christum pace, in cœlesti regno fruuntur.

III. Militans verò est hominum ad vitam æternam electorum ac verè fidelium cœtus, adhuc in terris, sub Christi nomine militans: in vnitate Spiritus S. ad Deum in Christo ritè colendum congre-

gatus: externo quidem eiusdem doctrinæ, & eorundem sacramentorum vinculo multos etiam reprobos hypocritas sibi coniunctos habens; interno autem fidei & charitatis, cum Christo tantùm & veris Christi membris communionem retinens.

IV. Etsi autem hæc Ecclesia post orbem conditum in Mundo semper fuerit: non iniuria tamen dicitur in extremitate dierum, id est, post Christum cœpisse.

DE EADEM DISPVTATIO secunda, ex eod. cap.

THESIS I.

Vnitas. Ecclesia Christi, vna tantùm fuit & est, & erit, vni atque eidem capiti Christo, vno atque eodem spiritus vinculo copulata.

II. Ecclesia igitur ante, & Ecclesia post Christum natum, eadem fuit & est.

Firmitas. III. Ecclesia Christi vsque adeo super Christum est fundata & firmata, vt neque æternum perire, neque è Mundo per Satanam deleri penitus possit.

IV. Ecclesia igitur Christi, etsi aliquando visa fuit defecisse: haud tamen penitus vnquam defecit.

Amplitudo. V. Ecclesia Christi amplissima est, nullo certo loco, aut hominum genere circumscripta, sed vbique terrarum diffusa, & ex omni hominum genere congregata.

Gloria. VI. Ecclesia Christi licet despectissima videatur: gloriosissima tamen est, supra omnia regna Mundi exaltata.

DISPVTATIO TERTIA EX eod. 2. cap. Ies.

THESIS I.

In Ecclesia Christi, ita certa est remissio peccatorum & vita æterna, vt extra eam nil sit nisi ira Dei, & æterna mors.

II. Ecclesiæ autem iuxta Euangelium Christi institutæ aut reformatæ, Ecclesiæ sunt Christi: reliquæ verò, atque in primis Papæ, Ecclesiæ sunt Antichristi.

III. Vt ergo seruantur, qui ab illis quæ sunt Antichristi, ad eas quæ sunt Christi, verè & perfectè confugiunt: ita pereunt, qui vel his nunquam verè associantur, vel ab iis, ad illas, nunquam redituri deficiunt.

IV. Ac reuera ab Ecclesiis Antichristi, ad Ecclesias Christi ita est accedendum, vt ab iis ad illas vllo modo redire, nemini fas sit.

V. Quin etiam damnandi sunt Anabaptistæ & alij, qui à veris Christi Ecclesiis se subducunt, ne cum illis, vel ob vitia Ministrorum, vel ob alias, quas ipsi obtendunt caussas, sacris communicent.

VI. Ecclesiæ autem Christi, sicut interior nota est ipse internus cultus, vera nimirum fides & charitas: ita vera exterior nota, ipse est externus cultus, iuxta verbum Dei præscriptus: nimirum pura inprimis, & quoad eius fieri potest, sincera tum veræ doctrinæ in sacris literis contentæ professio; tum Sacramentorum à Christo institutorum administratio.

DISPVTATIO QVARTA De Primatu Papæ.

THESIS I.

Dominus Iesus, vsque adeo totius est Ecclesiæ ex Iudæis & Gentibus collectæ, vniuersalis Episcopus, Rex, caput: vt talis Episcopus, Rex, caput præter eum possit esse nemo.

II. Ideóque propriè solus peccata Ecclesiæ vi sui sacrificij expiat, eámque lauat & purgat vt summus Pontifex; solus Ecclesiam tam visibiliter, quàm inuisibiliter gubernat, viuificatam conseruat, vt caput.

III. Ergo neque diuino, neque humano iure aut Petrus fuit, aut (eo multò quidem minus) Papa Romanus est vniuersalis totius Ecclesiæ Christi vel Episcopus vel Rex, vel denique caput, à quo tota Ecclesia ita pendeat, vt sine illo ipsa sit ἀκέφαλα.

IV. Ideoque non habet autoritatem pro suo arbitrio, vel in quibusuis Ecclesiis Verbum prædicandi, sacramenta administrandi, aut aliud Episcopi officium (quo tamen nihil minus facit) faciendi: multò minus noua, præter scripturam, tum dogmata, tum sacramenta instituendi: vel aliis quibusuis Episcopis, vt illorum princeps imperandi: multò minùs nouas contrà verbum DEI leges in Ecclesia condendi, & Episcopatus, aliáque officia Ecclesiastica, pro sua libidine dispensandi.

V. Ac ne Vetus quidem Ecclesia, talem Vniuersalem Episcopum, principem, & caput, omnium in orbem Ecclesiarum & Episcoporum agnouit, aut agnoscere voluit.

VI. Quid igitur est Papa Romanus? Antichristus, Tyrannus, Carnifex, ideoque nullam habet in Ecclesia Christi authoritatem, nisi seducendi, opprimendi, perdendi.

DE ECCLESIA DISPVTATIO quinta.

De disciplina Ecclesiastica, ex vers. 4. 2. cap. Ies.

Et arguet populos multos &c.

Thesis I.

Peccant in Christum, & in Ecclesiam, omnes tum Magistratus & Principes, per quos stat, ne disciplina Ecclesiastica locum habeat in Ecclesiis: tum qui eos ab hac admittenda dehortantur: tum denique, quicunque eam contemnunt.

II. Non est enim ea aut ab hominibus inuenta aut à Papa in Ecclesiam tyrannicè inuecta: sed partim à Christo in S. literis apertè instituta: partim ab ipsis Apostolis introducta, & à viris Apostolicis obseruata. *Tertul. li. de pœnit. pag. 483. 484.*

III. Hac enim, vna cum prædicatione verbi & administratione sacramentorum, & ille Ecclesiam regi voluit, & isti eam texerunt. *Cyp. epist. lib. 3. epist. 14.*

IV. Huiusce autem duæ sunt partes: vna in clauium potestate & iurisdictione firmata: altera, ex clauium quidem potestate posita: sed tamen in antiquissima Prophetarum & Apostolorum consuetudine fundata. *Euseb. Cæs. hist. Ecclesiast. cap. 28. Aug. cōt.*

V. Atque illa quidem prior est facultas seu potestas quædam, à Christo Ecclesiæ suæ concessa, qua populos sibi subditos, tum in vero cultu, in Christianis moribus instituat, & institutos retineat. idque non solum publicis, sed etiam priuatis, doctrina, admonitionibus, correctionibus, obiurgationibus, & denique excommunicationibus. *Parm. li. 3. ca. 2. Et T. 2. epist. 64. ad Aure. Carth. Epist. de Ebrietate.*

VI. Altera verò posterior, potestas est ab Apostolis in Ecclesiam Dei introducta, tum leges quæ neque verbo Dei aduersentur, neque vt per se necessariæ imponantur, sed quæ ad ædificationem, tum ad decorum & ordinem faciant, condendi, tum publica ieiunia, & extraordinarias preces, pro temporum necessitate, indicendi: synodos conuocandi: Ministros ordinandi: & alia denique omnia, quæ ad Ecclesiæ vtilitatem, decorum & ordinem faciunt, statuendi.

VII. Vnde etiam manifestum est, vtramque potestatem, neque ad destructionem, sed ad ædificationem esse concessam: neque penes vnum Pontificem Romanum: Sed penes vniuersam Ecclesiam esse positam.

DE REDEMTIONE ECCLESIÆ per Christum, déque certitudine nostræ prædestinationis & salutis.

Thesis I.

Hierosolyma terrena, typus fuit Ecclesiæ Christi, & quæ in ea ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον contigerunt, typi fuerunt eorum, quæ in Ecclesia Christi futura erant.

II. Liberatio igitur Hierosolymæ tempore Iesaiæ facta, de qua Ies. 9 typus fuit liberationis totius Ecclesiæ per Christum faciendæ.

III. Sicut in illa terrena Hierosolyma graues fuerunt tenebræ, hoc est calamitates: ita grauissimæ sunt tenebræ hoc est calamitates tum terrenæ, tum spirituales, partim in quas Ecclesia Dei mox post peccatum Adæ incidit, partim quibus quotidie premitur.

IV. Sicut autem illa Hierosolyma per Angelum Domini, magna Dei virtute liberata fuit, vt verè dicat Propheta, *populo ambulanti in tenebris lux orta est*: ita Ecclesia Dei & per Christum partim liberata semel fuit: partim quotidie magis ac magis à suis tenebris liberatur, diuina luce tenebras illius sensim depellente, donec tandem id quod futurum est in fine seculi perfectissimè ab omnibus malis & hostibus liberentur.

V. Etsi verò plures erant Israelitæ, qui ab iisdem hostibus obsiderentur, quàm Iehudæi: non illi tamen, sed tantum isti liberati fuerunt: Ita etsi multò plures sint reprobi, quàm electi: liberatio tamen per Christum facta, non

cta, non ad reprobos, sed tantum ad electos reipsa pertinet, vt verè Propheta hoc admirans dicat: *Multiplicasti gentem: at non magnificasti lætitiam.*

VI. Christus enim secundum propositum Patris, pro ipsis tantum electis, hoc est, pro iis, qui secundum electionem æternam erant in se credituri, natus, precatus, passus, mortuus est & resurrexit, atque ad dextram Patris intercedit.

VII. Porrò Ecclesiæ per Christum redemptio, quadrifariam considerari potest. Primum quidem quatenus tota coram Patre redemta est, cum Christus pro ea mortuus est. Tunc enim reuera omnes electi redemti & reconciliati fuerunt Deo. Deinde, quatenus per fidem huius redemptionis fit conscia atque particeps. Cum enim electi Euangelio de reconciliatione veram fidem adhibent, dicuntur iustificari & reconciliari Deo: quia scilicet reconciliationem iam per Christum factam, fide intelligunt, recipiunt, amplectuntur. Tertiò, quatenus Ecclesia quotidie magis ac magis ab hostibus se perpetuò obsidentibus, per eundem Christum liberatur, quòd scilicet etsi perpetuò oppugnetur, nunquam tamen, Christo eam tuente, expugnetur. Postremò, quatenus destructis penitus hostibus omnibus, atque adeo ipsa etiam morte, quam Apostolus nouissimum hostem appellat, ita erit omnibus malis liberata, vt nulla sit ei amplius pugna cum vllo hostium genere futura.

VIII. Præcipuus autem fructus, qui ex percepta redemtione, in cordibus fidelium nascitur, est vera ac solida spiritualis, æternáque coram Deo lætitia, de qua etiam Propheta ait: *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe.*

IX. Materia enim veræ lætitiæ est, cùm sentimus fide, omnia iuga, peccati, mortis, legis, Satanæ, Mundi, quibus premebamur, per Christum esse fracta.

X. Nemo siquidem suis vel viribus, vel meritis sese à iugo seruitutis peccati, mortis, Satanæ & legis liberauit: sed solus Christus nos liberauit. Quare salus nostra tota, soli Christo est accepta ferenda.

XI. Etsi vero Christus ipse est, qui nobis sine nobis victoriam contra hostes omnes parauit: tamen huius victoriæ participes esse non possumus, nisi tanquam veri Israelitæ in expeditione contra Midianitas, fidei lumen in cordibus feramus, & eiusdem tubam, hoc est, confessionem in ore habeamus, sicut etiam Rom. 10. scribitur: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem.*

XII. Porrò totius humanæ redemptionis caussa duplex est, vna per quam ac propter quam. Hæc est Christus Mediator, & Christi merita. Altera efficiens prima ac principalis. Ea est, cùm æternus ac constans Dei erga suam Ecclesiam, hoc est electorum cœtum amor: tum suæ ipsius gloriæ & honoris Zelus. Ac de prima quidem ait Propheta: *Puer datus est nobis, & Filius natus est nobis, ad proferendum imperium.* De altera ait, *Zelus Domini exercituum faciet hoc.*

XIII. Christus totum suum principatum omniaque principatus onera humeris suis sustinet, vt docet Propheta, dicens: Cuius principatus super humerum eius. Principatus autem Christi, est Ecclesia sanctorum. Gestamur igitur omnes fideles humeris Christi. Quos autem Christus semel suscepit humeris suis gestandos, eos nunquam ex humeris deiicit, iuxta etiam illud Iohan. 17. *Quos dedisti mihi ego custodiui.* Salus igitur nostra secura est in Christo.

XIV. Onera principatus seu regni Christi sunt nostra peccata. Principatus autem Christi cum omnibus suis oneribus, est super humerum eius. Christus igitur omnium electorum peccata sustinet, iuxta illud etiam Prophetæ: *posuit in eo Deus iniquitates omnium nostrûm.*

XV. Si principatus est super humerum eius; Christus igitur suam Ecclesiam ipse perpetuò protegit atque gubernat.

XVI. Si Ecclesia principatus est Christi; Ecclesia igitur spectato suo principe, est monarchia & solum Christum habet monarcham. Est autem hic princeps immortalis, & perpetuò suam regit monarchiam. Ecclesia igitur nunquam est aut esse potest ἀκέφαλος.

XVII. Hierosolyma, hoc est, Ecclesia non solùm per Christum, sed etiam propter Christum liberata est, idque bifariam. Primùm, quia propter merita Christi redemta & liberata est; deinde propter Christum tanquam caussam finalem. Quia ideo liberata est Ecclesia, h.e. Regnum Christi è manibus hostium ereptum est, & quotidie magis ac magis eripitur, vt illo tandem ipse vnus vnà cum Patre in cœlo fruatur, iuxta illud etiam Apostoli, 1. Cor. 15. *Deinde tradet regnum Deo & Patri:* sicut etiam vicissim nos Deo & principe nostro Christo perfruemur.

XVIII. Fons & origo salutis nostræ, est amor Dei erga nos æternus atque constans. Æternus, quia non in tempore, sed ab æterno, antequam nati essemus, dilexit nos ad æternam vitam. Constans, quia quos semel isto æterno amore complexus est, eos amare pergit in perpetuum: vt Dei amor sit non tantum æternus, sed etiam perpetuus.

XIX. Amor iste Dei, fons est totius salutis nostræ, quia inde factum est, vt nos ad æternam vitam prædestinarit in Christo, vt Christum miserit in mundum, vt nos efficaciter vocarit per Euangelii prædicationem, vt quotidiana peccata condonet, vt denique plenè daturus sit vitam æternam.

XX. Amor Dei erga nos, Zelus à Propheta appellatur, quòd sit instar amoris sponsi erga sponsam, nimirum ardentissimi, ideóque cum solicitudine & dolore coniuncti. Solicitudine, ne rei amatæ aliquid aduersi contingat: dolore, si contingat.

XXI. Zelus quoque quo Deus suam Zelat, hoc est ardenter amat gloriam, caussa est salutis nostræ efficiens. Is enim ferre nō poterat, vt præter reprobos ipsi quoq. electi perpetuò in manibus satanæ captiui detinerētur, quoniā hoc faciebat contra gloriam Dei Zelus igitur Domini, quo scilicet tum nos, tum gloriam suam ardenter amauit & amat, fecit hoc, h.e. caussa fuit salutis nostræ per Christum partæ ac conseruatæ.

XXII. Nemini salus & vita æterna contingit, aut contingere potest, nisi electis ad salutem vitamque æternam, Matth. 20. 25. Rom. 5. Nemo igitur de sua salute certior fieri potest, nisi certius fiat de æterna immutabilique sui ad salutem æternamque vitam electione.

XXIII. Tenetur autem quisque certò credere, se ad salutem vitamque æternam in Christo electum à Deo, ante Mundi constitutionē fuisse, id quod multis argumentis demonstratur in capite huiusce tractationis septimo.

XXIV. Vt verò quisque sibi hoc possit persuadere, certæ traduntur regulæ partim à priori (vt vocant) seu à caussis; partim à posteriori, seu ab effectis electionis deductæ, idque in eodem 7. huius tractationis capite.

XXV. Christus secundum propositum voluntatis patris & suæ neque orauit, neque passus est, nisi pro electis, id quod Scripturarum locis demonstratur.

XXVI. Nemo vera in Christum fide præditus esse potest, nisi electus sit in Christo, ad æternam vitam, vt multis scripturarum testimoniis probatur capite 7. Quicunque igitur sentit, se vera donatum esse fide in Christum, concludat, se in Christo ad æternam vitam esse prædestinatum.

XXVII. Quicunque vera ac viua fide præditus est, potest sentire ac sentit, se verè credere in Christum. potest igitur fidelis certus fieri de sui ad æternam vitam electione.

XXVIII. Doctrina de prædestinatione, sicut electis nihil salutarius: ita reprobis nihil, ipsorum culpa, perniciosius. Etsi igitur isti ea offenduntur: tamen propter illos prædicanda est.

XXIX. Ex thesauris Christi tantum quisque habet & possidet, quantum fide ex iis accipit atque haurit. Qui igitur potest verè credere, se fuisse ab æterno in Christo ad vitam æternam electum, is electus est.

DE PRÆDESTINATIONE SANctorum.

THESIS I.

Diuersus est amor, quo Deus omnia, etiam impios, diligit, ab illo, quo quosdam ab æterno ita dilexit, vt etiam ad æternam vitam prædestinarit.

II. Omnium hominum, quicunque vnquam fuerunt, sunt, aut erunt, in foueam peccati lapsorum, quosdam Deus inde assumit, quosdam ibi relinquit: ac proinde quosdam ab æterno inde assumere, quosdam ibi relinquere decreuit. Et hæc est electio atque reprobatio.

III. Præscientia Dei accipitur aliquando pro ea cognitione, qua Deus ab æterno generatim nouit, tam quæ alij admissuri erant, hoc est peccata:

quàm quæ ipse facturus erat, siue in electis, siue in reprobis, siue in aliis creaturis; sic Patres & Scholastici. Aliquando pro illa cognitione, qua speciatim quosdam, id est, electos, cum affectu amoris, vt suos præнouit, hoc est ab æterno amauit, vt Rom. 8. οὓς προέγνω. Rom. 11. *Non repulit Deus plebem, quam προέγνω.*

IV. Prædestinatio, pars prouidentiæ est, & vtraque (iuxta Scholasticos) est eorum tantum, quæ Deus ipse facturus erat atque est. Sed prouidentia ad res vniuersas extenditur; prædestinatio autem restringitur ad creaturas ratione prçditas; quanquam nonnunquam apud Patres, prædestinatio pro prouidentia vsurpatur atque ita ad omnes res extenditur καταχρηστικῶς.

V. Est autem prędestinare Latinis, principio ante deliberare, definire, constituere apud te aliquod agére, antequam agas. Deinde est præmittere, atq; ante aliquid ad certum finem deputare ac dirigere. προορίζειν quoque Grçcis est, antequam aliquid agas, quid agere velis definire; tum vnumquodque antequam fiat, ad suum certum finem atque vsum deputare. Hebræus vero Moses in sacris libris, id quod septuaginta verterunt προορίζειν ipse habet (habhdel) quod à reliquis aliquid ad suum vsum segregare significat: vt cum Dominus a reliquorum populorum colluuie, populum suum Israelem, ad verum cultum veramque religionem ideóque ad veram salutem selegit, segregauit, separauit.

VI. Potest autem hoc nomen prædestinatio, si ipsius significatio spectetur, generaliter ad omnes creaturas, etiam irrationales, imò verò etiam vitæ expertes extendi. Sed apud Patres ea tantum est hominum atque Angelorum, tam impiorum, quàm piorum: in Scripturis verò, nomen hoc de electis tantùm vsurpatur. Quare ij soli prædestinati propriè esse dicuntur.

VII. Triplex igitur est prædestinationis definitio, vna generalissima, omnes creaturas complectens. Altera generalis, ad homines se extendens: postrema specialis, ad electos tantùm pertinens.

VIII. Prima prædestinatio, est æternum immutabiléque Dei decretum, quo vnam quamque rem, antequam crearetur, ad suum certum & vsum & finem deputauit seu destinauit.

IX. Altera prædestinatio, est æternum immutabiléque Dei decretum, quo apud semetipsum ab æterno constituit primùm homines tum creare, tum vt in peccatum laberentur, & in mortem ruerent, permittere: deinde horum alios in Christo, sua tum gratia, tum æterna vita gratis donare: alios vero hac gratia non dignari, sed cum satana tum excæcare & indurare, tum ęterno exitio perdere; idque vt in illis diuina bonitas & misericordia: in istis vero diuina potentia & iustitia declaretur: atque ita in omnibus Deus glorificetur.

X. Tertia, hoc est sanctorum prædestinatio, est æternum immutabiléque Dei decretum, quo citra vlla hominum merita, apud se constituit, certos quosdam homines, in vitam hanc suo tempore productos, & opera Diaboli in peccatum ac mortem vnà cum aliis lapsos, gratis tamen à peccato & morte, atque à reliqua hominum colluuie segregatos, Christo inserere pérque fidem iustificare, sanctificatos perpetua quotidianorum peccatorum condonatione, perpetuáque sancti spiritus gratia comitari: denique vti Dei filios & regni cælestis cum Christo heredes, beata & æterna vita donare: totúmque hoc, vt in iis misericordia & bonitas Dei perpetuo illustretur, ipséque Deus in perpetuum glorificetur.

XI. Deus nihil cognoscit vel vult iam, quod etiam ab æterno non nouerit atque voluerit. Prædestinatio igitur æterna est.

XII. Æterna & simplex Dei voluntas, immutabilis est. Vnde illud Rom. 11. *sine pœnitentia sunt dona & vocatio.* Est igitur prædestinatio immutabilis.

XIII. Nemo suę prędestinationis est efficiens caussa: sed sola Dei simplex & æterna voluntas.

XIV. Peccatum, quoad Deum, non contingit fortuitò, sed diuino consilio; quia diuina eaque voluntaria permissione: neque tamen peccatum effectus est diuinæ prędestinationis, aut Dei: quia malitia peccati aut peccatoris, à Deo non est: & proinde nemo potest dici ad peccatum, quatenus peccatum est, fuisse à Deo prędestinatus.

XV. Permissio, atque ea quidem voluntaria, qua Deus permittit peccatum, opus Dei est, ideoque bonum peccatũ autem ipsum permissum, qua peccatum est, opus Dei non est, sed tum Satanæ, tum hominis.

XVI. Omnes homines sunt prędestinati, alii ad vitam, alii ad mortem æternam.

XVII. Extra Christum nemo potest aut esse ad vitam æternam prędestinatus, aut efficaciter vocari, aut verè iustificari, aut æternum glorificari.

XVIII. Quicunque sunt prædestinati ad vitam æternam ceu ad finem, sunt etiã ad debita, per quæ illa recipitur, media prędestinati. Fides ergo, opera fidei, & perseuerantia in fide, seu initiũ, progressus, & consummatio salutis, effecta sunt omnia prædestinationis.

XIX. Deus cum posset, noluit tamen omnes homines promiscuè gratia prędestinationis æternæ dignari.

XX. Deus quosdam excæcat, indurat, perdit. Hos igitur indurare, excęcare, perdere, ab ęterno decreuit.

XXI. Finis vltimus atq; pręcipuus tum reprobationis quorundam, tum electionis aliorum, est gloria Dei, quæ tam in reiectione impiorum, quàm in electione piorum luculenter resplendet.

XXII. Creari, & inde labi in peccata, & in mortem, effecta sunt prędestinationis communia electis atque reprobis. Donari autem gratia, fide, operibus, fidei perseuerantia, & tandem ęterna vita, effecta sunt propria prędestinationis electorum. Deseri verò in peccatis perpetuò, excęcari, indurari, ac denique damnari, effecta sunt reprobationis propria impiorum.

XXIII. Argumentatio hæc à posteriori: Deus creauit homines, deinde eos voluntariè permisit labi in peccata, & per peccatum in mortem ruere: postremò verò horum alios inde per Christum misericorditer eripit & saluat, alios in peccatis deserit iustissimè, excęcat, damnat: vtrumq; verò ad & propter gloriam suam facit: Ergo Deus ab ęterno hæc omnia decreuit facere, sophistica non est, sed demonstratiua: Hæc verò est prædestinatio piorum & impiorum.

XXIV. Nemo ad æternam vitam prædestinatus est conditionaliter, si crediderit, si seruarit legem: sed quotquot ad eam prædestinati fuerunt, absolutè & simpliciter prędestinati sunt: ita vt etiam ideo credant, & seruent legem, quia sicut ad vitam, ita etiam ad credendum, & legem seruandam sunt prædestinati.

XXV. Electorum tantum est vera & iustificans fides. Reprobi autem etsi ad tempus videntur credere: illorum tamen fides vera non est, sed temporaria, ideoque hypocritica.

XXVI. Quicquid boni habent, aut agunt sancti, ideo habent aut agunt, quia ad id habendum aut agendum, prędestinati ab æterno gratis fuerunt. Initium igitur salutis hoc est fides, & progressus, hoc est opera fidei, & finis, h. e. finalis perseuerantia, plerá que vitæ æternæ prędestinationis, seu Dei prędestinantis effecta. Quare neque fides neque opera fidei, caussa esse possunt prædestinationis, cùm non dicat Apostolus *Elegit nos*, quia futuri eramus sancti: sed *vt essemus sancti*: neque *ideo misericordiam consecutus sum*, quia fidelis futurus eram: sed *vt fidelis essem.*

XXVII. Non est impium dicere, Reprobos ideo non credere nec resipiscere, nec legem Dei seruare, quia neque ad credendum, neque ad resipiscendum, neque ad legem Dei seruandam prædestinati fuerunt: cùm Dominus ita loquatur: *Ideo vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.* Item, *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*

XXVIII. Imò neque impium est dicere, reprobos ideo opera quæ in ipsis reprobis mala sunt, facere, quia ad ea facienda fuerunt prędestinati, cùm hoc doceat spiritus Dei in scripturis, Act. 2. 4.

XXIX. Non potest dici vel prædestinatio, vel Deus caussa esse peccatorum, quæ impii admittũt, aut Deus impios ad peccata prædestinasse: tum quia malitia, qua impii peccant, à Deo non est, sed à Satana: tũ quia Deus neminem ad peccata, quatenus peccata sunt, prędestinauit: sed tantum quatenus sunt vel actiones quędam in se, ideoq. non malę, vel sunt pœnę peccatorum.

XXX. Imò ideo impij illa, ad quę facienda prędestinati à Deo fuerant, faciendo peccant: quia opera Dei alioquin in se bona, ipsi animi sui & carnis prauitate inficiunt.

XXXI. Caussa igitur propria peccati efficiens, est innata hominis infidelitas atque malitia.

XXXII. In quouis peccato duo sunt, opus ipsum quod fit, vel saltem actio aut interna, aut externa: & ipsa peccantis κακία, qua efficitur, vt opus vel actio fiat peccatum.

peccatum. Opus est à Deo (operatur enim omnia in omnibus) κακία verò minimè. Quod igitur impii opus illud faciunt, habent à Deo, & à Dei prædestinatione: quòd verò illud faciendo sua κακίᾳ peccent, neque à Deo est, neque à Dei prædestinatione habent.

XXXIII. Gratiæ Dei in electis effecta: primum redemtio à peccato & morte per sanguinem Christi: secundum efficax per Spiritum S. ad huius redemtionis κοινωνίαν vocatio: tertium, ideoque actualis à reliqua hominum Mundi colluuie segregatio: quartum, realis in Christum insitio: ac proinde quintum, per fidem iustificatio: sextum regeneratio: septimum, vera ad placita Dei facienda sanctificatio: octauum, quotidianorum peccatorum remissio: nonum, Spiritus S. præsentia: decimum, æternæ vitæ donatio.

XXXIV. Etsi Deus prædestinans non est sub tempore, homines tamen prædestinati sunt sub tempore. Cùm igitur Spiritus S. perpetuò in Scripturis dicat, Deum prædestinasse nos, idque ante Mundum constitutum, non autem prædestinare: meritò concludimus, prędestinationem ab æterno factam fuisse.

XXXV. Prædestinatio est æterna. Nos igitur electi ab æterno fuimus Deo chari ac dilecti.

XXXVI. Prædestinatio est immutabilis. salus igitur electorum est certissima, & perire non possunt.

XXXVII. Certi aliquot homines sunt prædestinati ad vitam, non autem omnes. Est igitur certus numerus electorum, qui nec augeri, nec minui potest.

XXXVIII. Prędestinatio sanctorum tota est gratuita, suntque sancti ad vitam, ad fidem, ad omnia Dei dona prędestinati, citra vlla sua merita vel præterita, vel futura, &c. citra bonum vsum liberi arbitrii, denique citra vllam suam causam, præter voluntatem Dei.

XXXIX. Tutior, certiórque est nostra salus in manu Dei, quàm in manibus nostris.

XL. Qui prædestinati sunt ad ęternam vitam, sunt illis etiam prædestinata opera bona, in quibus ambulent. Nullus igitur electus adultus hinc in Cœlum migrat sine studio bonorum operum.

XLI. Quare fallaciam diuisionis admittunt, qui sic argumentantur: si sum prędestinatus ad salutem, etiam sine bonis operibus saluabor.

XLII. Contrà filii Dei sic inferunt: sum prędestinatus ad æternam vitam. Ergo mihi ambulandum est in bonis operibus. Quia prædestinatis ad vitam, prædestinata sunt bona opera, in quibus ambulent.

XLIII. Quicunque cernit in se prædestinationis effecta, hoc est qui videt se efficaciter vocatum: qui sentit, se iustificatum, donatum fide, atque studio bonorum operum: is certissimè sibi persuadere debet, se esse ex numero prædestinatorum.

XLIV. Duæ enim viæ, quibus electi certiores redduntur, quòd sint ad æternam vitam prædestinati. Vna est à priori, seu à causa. Hæc est bonitas, gratia, charitásque Dei diffusa in cordibus nostris, seu ipse spiritus Dei qui reddit testimonium spiritui nostro, quòd simus filii Dei, de qua via Rom. 8. Altera est à posteriore, seu ab effectis prædestinationis & gratiæ, qui sunt vocatio, iustificatio, studium bonorum operum, de qua 2. Pet. 1.

XLV. Hac nota discernuntur veri electi à reprobis, quòd electi iam renati perpetuò exosi peccatum, ambulant in studio bonorum operum; atque ita ambulant, vt licet aliquando inter ambulandum in peccatum labantur, cauent tamen & ante, ne labantur, & post in lapsu, ne permaneant, atque ita toto animo, totaque voluntate nunquam peccant. Reprobi vero ita peccati atque Satanæ sunt captiui, & illius concupiscentiis, tanquam Regiis mandatis, ex animo, & semper, & vbique pro sua virili obtemperant, vt etsi aliquando ad tempus credere in Christum, studere bonis operibus, & ideo ex numero electorum esse videantur: nunquam tamen reuera credant in Christum, nunquam reuera ament legem Dei, nunquam reuera odio habeant peccatum.

DE IMPIORVM EXCÆCATIONE.

THESIS I.

Deum quosdam indurare, excæcare, tradere in sensum reprobum, vt faciant ea quæ non conueniunt, S. literæ apertè tradunt.

II. Cęterum reprobos tantū, nō autē electos indurat.

III. Etsi verò omnes reprobos tandem deserit, & sua luce spoliat, atque ita omnes quodam modo excæcat & indurat: hoc tamen excæcationis genere, de quo Iesaias hic, Moses in Exodo, Apostolus ad Rom. 1. 9. non omnes, sed tantum insignes quosdam impios & contumaces excæcare & indurare Deus in S. literis dicitur.

IV. Cur Deus, quos excæcat reprobos, excæcet, finalis causa triplex est. Prima, vt ipsi propter sua præcedentia facinora (sicut iustitia postulat) aliis peccatis puniantur. Altera, vt electi, illorum exemplo discant timere Deum, & Domino minimè contumaciter recalcitrare. Tertia, vt ita & potentia Dei contra peccatum, toti orbi patefiat, atque ita ipsius nomen celebretur in omni terra.

V. Causa verò, à qua Deus quodam modo impellitur & mouetur ad excæcandos impios, duplex est: vna est ipsa reproborum impietas, atque inprimis peruicacia contra Dominum: altera est ipsum æternum Dei propositum atque voluntas.

VI. In quæstione, quomodo Deus excæcet & induret, dicere, Deum id facere sola permissione, quasi in iis, qui excæcantur, Deus nihil agat, Pelagianum est, & quidem ab Augustino confutatum atque damnatū.

VII. Neque verum est, Deum excæcare sola suæ gratiæ, seu sui luminis subtractione.

VIII. Neque etiam satis est, dicere Deum excæcare externa quadam sua actione, sed indirecte, quædam scilicet reproborum oculis & auribus obiiciendo, per quæ cum illi deberent illuminari atque emolliri, fit ipsorum vitio, vt magis excæcentur ac indurentur.

IX. Sed præter hanc externam actionem, quæ impiis obiicit offendicula, interna etiam eaq; mirabili ac iustissima actione in cordibus impiorum pro suo iusto iudicio agendo, eos excæcat atque indurat Deus.

X. Cæterùm, id facit Deus aliquando quidem per se atque immediatè: aliquando verò mediatè per ministerium Satanæ, carnificis diuinæ iustitiæ, in cordibus impiorum agendo, minimè tamen illos cogēdo.

XI. Neque ob id tamen Deus peccati autor vllo modo dici potest, quia semper est iustus, & iniustè nihil agit, neque iniustitiam cuipiam indit.

XII. Etsi autem Deus vna ex parte mandat reprobis quos vult excæcare, vt conuertantur & resipiscant, & altera ex parte eos excæcat & indurat, ne illud quod verbo externo mandauerat, faciant, h. e. ne conuertantur & resipiscant, sicut apparet in Pharaone: non hinc tamen sequitur, Deum reprobis illudere. Est. n. semper iustus, nihil mali agit, neque absurda facit.

XIII. Humana quidem prudentia illud ex prædictis infert: sed ea in iudiciis Dei, quæ sunt abyssus multa, audienda non est: sequendum verò est simpliciter Dei verbum.

XIV. Verbum autem Dei apertè tradit, primùm, Deum omnibus mandare, vt resipiscant & vitent peccata. Hæc est lex Dei. In huius igitur obedientiam nobis incumbendum est. Alterum, Deum quosdā excæcare, ne conuertantur & sanentur. Hoc est Dei iudicium. Iudicia autem Dei sunt admiranda, non inuestiganda, quia inscrutabilia (vt ait Apostolus) & abyssus multa, vt ait Propheta. Tertium, apud Deū nullam esse iniquitatem, & Deum omnia bene & iustè agere, & absurda non facere, denique sui perpetuò esse similem. Reuera igitur neque Deus cuipiam illudit, neq; eius iudicia pugnant cum eiusdem lege.

XV. Quare etsi Deus quosdam tradit in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non decet: non tamen esse aut dici propriè potest autor peccati: quòd caussa peccati perpetuò in hominibus resideat, naturæ scilicet corruptio, seu concupiscentia carnis, quam Ioannes negat esse ex Deo.

XVI. Cæcitas, obduratio, in mala desideria impulsio, quæ Deo tanquam caussæ efficienti in scripturis attribuuntur, considerari possunt primò, quā sunt peccata: deinde, quā sunt pœnæ præteritorum peccatorū. Tertiò, quā sunt caussæ insequentium peccatorum. punire aūt peccata peccatis, opus est iusti iudicis, non autoris peccati. Non potest igitur Deus cùm excæcat & indurat, aut iniustitiæ accusari, aut peccati autor appellari.

XVII. Deus semper est iustus. Iniusti igitur autor esse non potest. Omnis autem pœna peccati, quęcunque illa sit, & iusta est, ac proinde à Deo est. Quædam autem peccata sunt pœnæ etiam peccatorum. Illa igitur, qua sunt pœnæ peccatorum, iusta sunt, & eorum autor est Deus.

XVIII. Quædam pharmaca non ita possunt morbos curare, quin etiam aliquo modo corpora ęgrotantium lædant: non ob id tamen Medicus vnquam quasi huius læsionis autor ab iis qui sapiunt accusatur: sed contrà potius vt curati morbi causa laudatur, idque quoniam non in hunc finem pharmacum præscripsit, vt læderet, sed vt sanaret. Etsi igitur excæcatio & induratio ita possint esse pœnę peccatorum, quin etiam sint peccata, & causę peccatorum: non ob id tamen Deus, qui excæcat & indurat, accusari potest quasi autor peccati: sed potius laudandus est, quòd peccatorum sit vltor, cùm in excæcandis impiis non propriè hunc sibi proponat finem, vt illi admittant peccata: sed contrà hunc, vt ipse puniat illorum scelera.

XIX. Per legem auctum est peccatum, Rom. 7. Deus autem dedit hanc legem. Non ob id tamen Deus aucti peccati autor vnquam est appellatus, aut appellari potest: quia non in hunc finem propriè dedit legem, vt per eam peccatum augeretur: sed contrà potius, vt per eam non tantùm agnosceretur, verùm etiam cohiberetur. Ergo neque quòd excæcet & induret, vnde in impiis augeantur peccata, peccatorum illorum autor esse dicive potest. Quia non propriè vt augeantur, sed potiùs vt puniantur peccata, Deus impios excæcat & indurat.

XX. Concupiscentia est non solum peccatum, sed etiam caussa peccati, & hanc Deus reliquit in natura, & vult vt in omnes traducatur: neque tamen ob id peccati autor esse dicitur, idque propterea, quod illam vult in posteros omnes transfundi, non propriè quatenus peccatum est, & caussa peccatorum omnium; sed tantum quatenus est pœna peccati Adæ, in quo omnes peccauerunt. Ergo neque quòd excæcet & induret, peccati autor dici potest aut debet, quia non excæcat & indurat propriè vt peccetur, sed tantùm vt peccatum aliis peccatis puniatur.

XXI. Deus excæcat atque indurat, quatenus excęcatio & induratio pœnæ sunt peccati. Quicquid autem Deus facit, illud etiam ab æterno voluit & decreuit facere, & hoc est prædestinare. Impium igitur non est dicere, Deum quosdam ad excæcationem & indurationem ab æterno prædestinasse, non vt illæ sunt peccata & peccatorum caussæ: sed tantum vt pœnæ peccatorum.

XXII. Duplex est malum, culpæ & pœnæ: & aliquod quidem malum culpæ est, quod non est pœnę: aliquod verò, quod est etiam pœnæ: ita contrà, aliquod malum pœnæ est, quod non est culpæ: & aliquod ita pœnæ, vt etiam culpæ.

XXIII. Ad malum culpæ simpliciter, quatenus malū culpæ est, Deus neminem prædestinauit: hoc tamen futurum præuidit, atque ad sui gloriam præordinauit. Neque enim quo ad Deum fortuitò contigit.

XXIV. Deus quosdam ab æterno prædestinauit ad malum pœnę, quod nullo modo est malum culpæ, seu quod peccatum non est: sed tantum pœna peccati, siue hæc pœna temporalis sit, siue æterna.

XXV. Quoniam verò prædestinauit ad tales peccatorum pœnas, quę etiam sunt peccata, & caussæ peccatorum; verum non vt sunt peccata aut caussæ peccatorum, sed tantum quatenus sunt pœnæ peccatorum.

XXVI. Duplex finis, cur Deus quosdam excęcet atque ad excęcationem prædestinarit, proximus & postremus. Proximus est ipsorum, qui excæcantur, perditio: postremus ipsius Dei impios perdentis gloria.

XXVII. Cum dicitur Deus excæcare & indurare, nequaquam cogitandum est, aliquem ex vidente cæcum, & ex molli, durum à Deo fieri (nemo enim, Deo autore, fit malus) sed ita intelligenda sunt hæc dicta, quod Deus eorum quos reperit cæcos & duros, cum quosdam illuminet & emolliat pro sua gratia, alios pro suo iusto iudicio non solum in istis tenebris & duritie deserat: sed etiam vt peccatum peccatis puniat, illos magis excęcet & induret, eo quo suprà dictum est modo.

XXVIII. Iustissimum autem est, vt quos Deus reperit sua culpa cæcos & duros; eosdem magis ac magis excæcet atque induret. Nemo igitur Deum iniustitiæ, quod se excæcet, accusare iure potest.

An remissio peccatorum semel impetrata, possit denuò fieri irrita.

THESIS I.

In hoc totum versatur Euangelium, vt nobis in Christum credentibus persuadeat, salutem nostram firmam esse atque constantem, nempe in Christo. Si quis igitur dicat, peccatorum remissionem semel impetratam, per insequentes lapsus, in sanctis fieri posse irritam: is totum euertit Euangelij scopum.

II. Per solum perfectum relapsum à pietate ad impietatem, remissio præteritorum peccatorum semel impetrata, fieri potest irrita. Non cadit autem hic relapsus in verè sanctos atque electos. Non potest igitur in ipsis peccatorum remissio fieri irrita.

III. In reprobis vera peccatorum remissio nunquam habet locum; nunquam igitur in illis potest irrita fieri. Quare in nemine.

IV. Sanguis enim Christi, per quem solum impetratur remissio, non est secundum propositum Dei & re ipsa pro reprobis incredulis effusus; sed tantum pro quibusdam multis, hoc est electis, & quidem pro omnibus istis multis.

V. Neque pro reprobis rogauit in terra, aut nunc intercedit in cælo Christus; sed tantum pro electis credentibus & crediturisin se: remissio autem peccatorum Christi intercessione impetratur.

VI. Spiritu etiam regenerationis non donantur verè nisi electi, qui verè sunt Christi, Rom. 8. Sine Spiritu autem regenerationis, remissio peccatorum non obtinetur.

VII. Vera quoque & iustificans, fides, electorum tantum est: quomodo igitur reprobi peccatorum remissionem assequi possunt.

VIII. Reprobis impiis nunquam est vera pax, vt ait Propheta: peccatorum autem remissionem, vera pax consequitur.

IX. Remissionem peccatorum semper consequitur ius æternæ vitæ: ius autem ipsa tandem possessio: Reprobi vero nullum vnquam habent ius in æternam vitam, & multo minus illius possessionem.

X. Idem sunt, remissionem peccatorum consequi, & iustificari, Rom. 4. Non iustificantur autem nisi prędestinati, electíque ad iustificationem & vitam ęternam, & quicunque iustificantur tandem etiam glorificantur. Rom. 8. Reprobi itaque nunquam verè peccatorum remissionem consequuntur. Quare neque irrita in eis fieri potest, in quibus nulla est.

XI. Illo Apostoli dicto ad Hebræos: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus S gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutésque seculi futuri, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam*: concludi non potest, reprobos vero regenerationis Spiritu, veráque & iustificante fide, ideoque vera peccatorum remissione donari. Temporaria autem fide, & gestibus Spiritus S. multos illorum affici, & hic & alii loci apertè docent.

XII. Locus 2. Pet. 1. de hypocritis; *Nam cui non adsunt hæc, cæcus est, qui eminus nihil cernat, oblitus se à veteribus suis peccatis fuisse purgatum*, iuxta consuetudinem S. literarum, quæ quotquot baptizantur in Christum, & nomen dant Christo, Christumque confitentur, iuxta iudicium charitatis appellant sanctos, iustos, & à peccatis mundatos, licet non omnes sint tales coram Deo, intelligendus est. Sunt enim omnes tales sacramentaliter mundati.

XIII. Illud Ezech. 18. *Si auerterit se iustus à iustitia sua*, non est de verè iusto, sed de eo, qui hominibus tantùm iustus esse videtur, intelligendum. Neque enim verè iustus potest finaliter à iustitia, ad iniquitatem deficere, in eáque mori: de qua finali & perfecta auersione loquitur Propheta. Hypocritæ autem tantum coram hominibus iusti, nunquam veram peccatorum remissionem apud Deum consequuntur. Quare neque eam irritam fieri hoc dicto probari potest.

XIV. Illud Matt. 18. *Sic & Pater vester Cœlestis faciet vobis, nisi remiseritis suo quisque fratri de cordibus vestris offensas suas*: non concludit, peccata semel verè à Deo remissa, iterum in iudicium vocari posse: sed hoc tantùm, illos falli, qui putant sibi remissa esse debita à Deo, cùm ipsi fratribus offensas non remittant.

DE LIBRO VITÆ.

Ex Iesa. c. 4. v. 3. Et erit (*vt*) quicunque reliquus fuerit in Hierusalem, vocetur sanctus, omnis qui scriptus est ad vitam in Hierusalem, &c.

THE-

Thesis I.

Liber vitæ, est ipsa diuina mens, in qua conscripti sunt omnes ad æternam vitam propter Christū possidentem, quos ab æterno sibi in filios Deus adoptauit. *Aug.T.3.lib.20.c.13.* ipsa Dei præscientia, quæ falli non potest, de illis, quibus ipsa æterna debetur vita, ipse est liber Vitæ, in quo scripti, id est, præcogniti sunt.

II. Quicunque in hoc vitæ libro scripti sunt, efficaciter vocentur, iustificentur, sanctificentur, & tandem glorificentur necesse est.

III. Qui semel in hoc libro scripti fuêre, inde amplius expungi non possunt. *Gregor. in illud Matt.24.* Ita vt in errorem (si fieri posset) inducantur etiam electi. Profectò (inquit) fieri non potest, vt in errorem electi planè capiantur.

IV. Debet autem, quicunque ad Euangelium vocatus, in Christum credit, certo credere, se in hoc vitæ libro, vna cum reliquis sanctis, ab æterno conscriptum fuisse.

V. Ac proinde debet hac fiducia fretus in sanctitate huiusce præsentis vitæ, ad gloriosam illam futuram vitam, rectò cursu, per viam bonorum operum contendere.

VI. Quotquot enim in libro vitæ conscripti sumus, non minus conscripti sumus ad sanctitatem sequendam, & bona opera facienda, quàm ad ipsam vitam consequendam.

DE MERITIS BONORVM OPERVM.

Ex Ies.3.c. *Iusto bene erit: fructus enim studiorum suorum comedent.*

Thesis I.

Opera sanctorum in hoc seculo, etiam ex fide facta, non habent, cur gratiam, vel æternam vitam mereri propriè dici possint.

II. Nam præterquam quòd ea sunt in sanctis dona & opera Dei, & quicquid boni vel faciunt, vel facere possunt, sancti illud totum creationis, tum iure redemtionis debent: Sunt ea etiam semper & imperfecta & vitiata, ideóque legi Dei nunquam satisfaciunt.

III. Tantum igitur abest, vt vel gratiam, vel vitam æternam mereri dici possint, vt æternum potiùs supplicium mereantur.

IV. Etsi verò talia sunt sanctorum opera, Deus tamen illa, si ex fide fiant, & gratissima habet, & multis magnísque præmiis atque adeo vita æterna, idque nomine etiam mercedis & coronæ, remunerat.

V. Id autem facit, non propter vim, aut dignitatem operum: sed tum propter immutabilem eamque gratuitam sanctorum ad æternam vitam electionem: tum propter firmam eámque gratuitam Euangelicam de æterna vita satisfactam oblatam, atque ab ipsis fide receptam promissionem; tum propter infinitam meriti Christi sanctis omnibus, idque gratis communicati virtutem: tum denique propter immensam eamque gratuitam erga sanctos, Dei bonitatem & liberalitatem.

VI. Cùm hæc ita se habeant, ergo ita stren[u]è nobis sanctis pergendum est in bonis operibus, vt licet certò sciamus illa & grata Deo esse ac semper fore, & promissa mercede, propter Christum certissimè remuneratum iri: in ipsis tamen semper nostram imperfectionem ac pollutionem, & consequenter nostra mala merita agnoscamus, defleamus, & apud Deum Patrem deprecemur.

DE MATRIMONIO.

Contra Cœlibatum.
Contra eos, qui nubunt inconsultis parentibus.
Et contra polygamiam.
Ex 4.c.Jes.1. *Et apprehendent septem mulieres virum vnum, &c.*

Thesis I.

In veteri Testamento apud Iudæos (vt de Gentibus taceam) res probrosa erat.

II. Nunc verò, etsi per Christum tale opprobrium sublatum est: probrosum tamen etiam est, & contra Dei mandatum, hominem iuuenem, & coniugio opus habentem, manere inconiugatum: fœminam simpliciter manere innuptam.

III. Cæterum, citra parentum consensum nubere, vel vxorem ducere, nemini sub patria potestate constituto, per verbum Domini, licitum est.

IV. Atque ita nemini licitum est, vt talia matrimonia etiam contracta, & (vt aiunt) consummata, nisi parentum consensus accedat, non sint vera & legitima matrimonia.

V. Etsi verò in veteri Testamento, multæ leguntur mulieres, vni viro simul nupsisse: id tamen contra primam Dei institutionem, quæ nunquam fuit vel a Patre in veteri Testamento: vel à Filio in Nouo Testamento, vel ab Apostolis post Christi ascensum abrogata, factum fuit.

VI. Hæc Hebraica phrasis, *inuocari alicuius nomen super aliquem*, cùm ad homines transfertur, semper significat censeri in eius familia, illiusque nomine appellari.

VII. Ineptissimi igitur fuerunt ipsius INTERIM Sarcinatores, qui vt sanctorum demortuorum inuocationem, etiam secundùm verbum Dei, licitam esse persuaderent, abusi sunt illo Jacobi dicto Gen.48. *Inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum Abraham & Isaac.*

DE PRÆSENTIA CORPORIS

Christi in vno certo loco, vno & eodem tempore, Contra Vbiquitatem.

Thesis I.

Doctrina, qua alicubi docetur, corpus seu carnem Christi, sua substantia vbique realiter existere, impia est, barbara, portentosa.

II. Impia, quia pugnat cum doctrina pietatis Christianæ: Barbara, quia Ecclesiæ Catholicæ ignota: Portentosa, quia Christo affingit corpus sua substantia immensum & infinitum, illúdque nullo sensu perceptibile: & quodtamen totum ab vnoquoque fideli, ore percipiatur & edatur.

III. Neque enim aliquid vbique realiter esse potest sua substantia, aut quantitate, aut qualitate: nisi ea substantia, vel quantitas, vel qualitas, infinita sit.

IV. Talis præterea doctrina, præterquam quod pugnat cum natura rerum a Deo conditarum, in qua natura Deus quoque loquitur: nullum etiam habet apertum in S.literis testimonium, nullámve necessariam consequentiam.

V. Imò potius cum S.literis, & cum articulis fidei, ex diametro pugnat.

VI. Christus enim qua homo est, non solùm in vtero virginis ita conceptus fuit, vt alibi tum non fuerit: & non solùm ante resurrectionem de loco in locum iuisse legitur, & alicubi fuisse, alibi non fuisse: sed etiam post resurrectionem ita alicubi fuit, vt alibi eodem tempore fuisse apertè negetur: & ita in Cœlum videntibus Apostolis subductus fuisse asseribitur, vt inde rediturus ad iudicandum mundum esse dicatur.

VII. Nam si quis dicat ita quidem eum visum fuisse loco cedere, sed reuera non ita se rem habuisse; is reuocat antiquam hæresim, Christum putatiuè (vt loquuntur) passum, putatiuè mortuum, putatiuè in cœlum ascendisse.

VIII. Ab vnione verò hypostatica aut à communicatione idiomatum; aut à sessione ad dextram, & similibus aliis argumentis, quibus vti solent huiusce erroris autores & defensores, nihil necessariò, vix verò aliquid probabiliter infertur.

IX. Fides autem Christiana non probabilibus, sed necessariis tantum nititur & certis.

X. Proinde si doctrina ista Ecclesiis obtruditur vt ad salutem necessaria, iniquissimum istud per se est: si vero non vt necessaria, iniquissimè agunt, qui ea return turbant Ecclesias.

FINIS.

HIERONYMI ZANCHII

DE DIVORTIO, DEQVE NOVIS POST DIVORTIVM NVPTIIS

LIBRI DVO.

Quorum primus continet veram, apertam & candidam narrationem, de quodam pio & probo viro, iniustè ab vxore sua propter religionem deserto: & quid in isto casu, tum ab ipso, tum à Magistratu Clauennensi, tum etiam à superioribus tentatum & actum sit.

Alter complectitur solidam explicationem dicti Paulini 1. Cor. 7. vers. 12. & seqq.

Nunc primùm studio & operâ hæredum in lucem editi.

LIBER PRIMVS.

PALANTIA, oppidum est minimè obscurum, in ditione Mediolanensi, ad Verbanum lacum, quem vulgò lacum Maiorem vocant, positum. Huius oppidi ciuis est, honestâ familiâ, honestísque parentibus natus, Andreas Pizzardus homo pius atque probus. Is anno 1552. coactus fuit propter Euangelium Christi, non tantùm patriam & substantiam, quam habebat nôn tenuem, sed & parentes tunc superstites, & charissimam vxorem, quacum suauissimè vixerat annos circiter quatuor: & dulcissimos liberos duos ex ea vxore susceptos, quibus postea tertius accessit, relinquere, & eò loci se conferre, vbi neque cogeretur Idola colere, Christúmque blasphemare, neque se in manifestum vitæ periculum coniicere. Viderat enim se propter Euangelium, cuius professionem non dissimulabat, in illud adductum esse discrimen, vt si à Pon. Rom. satellitibus, à quibus inquirebatur quàm diligentissimè, caperetur, sibi omnino esset, aut abneganda Euangelij veritas, aut profundendus sanguis atque vita. Vt hoc faceret, non se tanta animi fortitudine donarum esse sentiebat: Illud verò admittere, piè non poterat, neque etiam volebat. Non enim illud ignorabat, Matth. 10. 33. *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego illum coram patre meo.* Occurrebat autem Christi mandatum, Matth. 10. 23. *Si vos persequuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam:* & ea promissio, Matth. 19. 29. *Nemo est, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter Regnum Dei*, & (vt est apud Marcum 10. 29.) *propter me, & propter Euangelium, qui non recipiet multo plura in hoc tempore & in sæculo venturo vitam æternam.* Quin & illud subinde recurrebat in mentem, Luc. 14. 26. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & matrem, & vxorem, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Veniebant etiam illi in animum multorum exempla piorum, qui propter Christum, & eius Euangelium parentes & verò etiam vxores, & liberos maluerunt relinquere, quàm aut Christum negare, aut etiam in huiusmodi periculum atque discrimen sponte venire. Maluit igitur & ipse relictis parentibus, vxore, & liberis, furori hostium Euangelij, pro eo tempore cedere, quàm in tanto periculo, & discrimine aut æternæ salutis, aut huiusce etiam vitæ versari: præsertim cùm sciret, hoc nihil aliud esse, quàm Deum tentare: scriptum autem sit, *Non tentandum esse Dominum*, Matth. 4. 7. Cæterùm animus illi nunquam fuit vxorem atque liberos deserere: sed patria tantùm cedere tantisper, dum, locum aliquem sibi, suæ familiæ, suisque negotiis commodum, in libera aliqua regione inueniret. Ergo posteaquam menses circiter decem à Patria abfuisset, partim Clauennæ, partim in Rhetia, partim Geneuæ: domum reuersus, enixè rogare vxorem, vt quando sibi non licet tutò, tranquillaque conscientiâ in Italia vitam traducere suam, velit secum vnà cum liberis, in vicinam aliquam, liberámque regionem, vti est Volturrena, vallisque Clauennensis, proficisci. In iis enim locis, liberum esse omnibus, tam Euangelicis, quàm Papistis, suam profiteri fidem ac religionem: sui autem esse officij, curare & suam, & vxoris, & liberorum salutem: esse etiam vxoris, parere viro, in iis, quæ minimè cum lege Domini pugnent:

daturum se operam, vt intelligat ipsa, & luce clarius perspiciat, quàm impium sit, cum Papisticis communicate sacris: se nihil interim ab ea petere impium, & iniquum: cùm hoc tantùm postulet, immò etiam pro suo iure flagitet, atque iubeat, vt suæ salutis & tuendæ vitæ gratiâ, se ex Italia, vbi ipse tutus esse non potest, in liberam sequatur regionem: in qua vtrique suam persequi religionem liceat. Eat etiam ipsa, vel non eat ad sacra Papistica: audiat, vel non audiat Euangelicam concionem, vtrumque se ei permittere, & nunquam non permissurum. Facit hoc cum illa officium petendo, rogando, obsecrando, obtestando, iubendo, ne se tam graui, necessariáque de causa discedentem, deserat non semel & iterum. At illa semper, & pertinaciter, recusare. Andreas igitur, cùm vidisset vxorem, nullis posse flecti rationibus, atque vt sibi in re tam facili, honesta ac necessaria morem gerat, adduci: illâ & liberis (iam enim obierant ipsius parentes) valere iussis, non sine magno animi (vt fit) dolore, atque lachrimis, discedit solus. Neque enim diu admodum licuit ei cum vxore & liberis domi commorari: quemadmodum nec lepori vllo in loco, cùm canes venatici ipsum insequuntur. Clauennam igitur, quæ à patria non distat nisi itinere duorum plus minus dierum concedit. Hîc preces ad Deum pro vxore ac liberis tam ipse quàm Ecclesia assiduas fundit: ac spetat futurum, vt tandem illa agnoscat, quid sui sit officij & amore viri affecta, ad eum veniat. Hîc ponit vir pius, figitque sedem non tam sua, quàm vxoris & liberorum causâ: nimirum vt possit eam facilius tum propter loci propinquitatem, ipse clam inuisere: & per literas atque nuntios ad se inuitare: tum propter vtriusque religionis, quæ in ea obtinet regione, libertatem, ad se pertrahere. Neque verò tantùm hæc cogitat: sed reipsa etiam præstat. It enim sæpe ad vxorem neque id sine magno vitæ discrimine: sæpius mittit nuntios: quàm sæpissimè verò literas: semper autē idem agit, significationibus, precibus, obtestationibus, promissionibus: nempe vt eam ad suum officium & perpendendum, & faciendum permoueat: idque per annos circiter decem: per quod tempus, quàm piè honestéque Andreas vixerit, tota nouit Ecclesia: neque Papistæ denegant illi huiusce vitæ testimonium. Cæterùm, cùm videret ex parte vxoris, se laterem lauare, oleúmque & operam perdere, quòd pertinaciter illa responderet, se non solùm hanc, quam vocant, nouam detestari religionem, & nolle à maiorum suorum vestigiis vel latum pedem discedere: sed neque patriam, vt suum virum (sic enim appellabat) hæreticum, quocunque velit ipse, persequatur, deserere: ex altera verò parte perspectum cùm ipse haberet, se non posse carere vxore: sciret etiam quid sacræ concedant literæ, & quid ex illis reformatæ doceant & permittant Ecclesiæ: in suum tandem induxit animum, consultis priùs viris doctis atque piis, causam suam coram Magistratu agere: & petere, vt sibi liceret libellum (vt vocant) manu Notarij scriptum, atque obsignatum, & authoritate Magistratus comprobatum, ad vxorem mittere: quo libello protestaretur, nisi intra certum tempus, illa aut ad se veniret, aut se venturam promitteret: sibi iuxta verbum Domini licere, aliam vxorem ducere: & reapse ducturum: neque agniturum se porrò illam amplius pro vxore, sed pro mariti contra omne ius diuinum atque humanum, desertrice. Anno igitur 1563. die Octobris sexto, hac de re obtulit Magistratui supplicationem. Magistratus legit, audit, exaudit. Mittitur itaque ad vxorem Protestatio, & nomine Magistratus indicitur: vt intra triginta dies, vel ipsa, vel aliquis, ipsius nomine, se in ius sistat: petitioníque Andreæ respondeat, & causam defendat suam. Cùm neque vxor ipsa, neque aliquis eius nomine iuxta præscriptum tempus comparuisset: iussu Magistratus, constitutus fuit, vt vocant, Procurator qui causam absentis vxoris defendendam susciperet. Is fuit (honoris enim gratia eum volo nominare) Iohannes Baptista Parthus ciuis Clauennensis, vir Papisticę quidem religionis defensor & patronus: sed tamen æquus, bonus, prudens, honoratus, & bonæ famæ, optimíque apud omnes nominis, & verò etiam in sua arte, hoc est in officio aduocati exercitatissimus omnium. Non poterat, vt vno verbo dicam, idque citra vllius iniuriam, in toto hoc oppido deligi melior, qui causam vxoris, iuxta Papisticas leges defenderet. Hic igitur suscepit Zacharinæ (hoc enim est illi nomen) causam: & strenuè ac fortiter (quantum mala causa defendi potest) per multos menses defendit. Cæterùm cùm ad Zacharinam ipse quoque iuisset Parthus, rem ei proposuisset, voluntatem viri explicasset, conditiones loci exposuisset, Zacharinam ipsam audiuisset, indignitatem responsionis obseruasset, pertinaciam vidisset: is eam arguere, & dicere, nihil eam cur ad virum non veniat, habere: domum etiam reuersus, illam damnare violati iuris Diuini atque Gentium: cùm in eo oppido, in quo libera omnibus sit religio, cum suo marito habitare recuset: non se videre, cur Andreæ non sit liberum, iuxta piorum Imperatorum leges contra desertores, libellum repudij ad desertricem vxorem, si vxor amplius appellari possit, eámque pertinacem, mittere, & aliam ducere in matrimonium. Ergo die quinto Martij 1565. explicata mihi exactissimè fuit, meóque Symmystæ, tota hæc historia, & à nobis postulatum hac de re iudicium nostrum: nimirum an spectatis actis omnibus, solutus sit Andreas iuxta sacras literas, prioris coniugij vinculo: ac proinde an liceat ei aliam in matrimonium ducere. Respondimus & voce, & scripto, omnino ita priori solutum esse vinculo, aliam vt possit sibi vxorem copulare: idque iuxta sententiam Apostoli 1. Corinth. 7. 12. &c. cùm ait: *Si quis frater vxorem habet infidelem, & ea consentit habitare cum illo, non dimittat eam: & si qua mulier fidelis virum habet infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Quòd si infidelis discedit, discedat. Non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi: sed in pace vocauit nos Deus.* Atque hanc doctrinam in vsu esse apud Ecclesias, & Euangelio reformatas, tam in Germania, & aliis regionibus, quàm etiam Geneuæ. Hanc tamen adiecimus exceptionem, *Modò id fiat auctoritate Magistratus*: Nobis enim non probari huiusmodi diuortia, nouáque connubia, nisi legitimè, hoc est, quoad eius fieri potest, consentiente & comprobante Magistratu fiant. Hortati etiam sumus, vt denuò vir aliquis prudens, & grauis, ad Zacharinam mittatur, qui illam amicè hortetur ad officium: & nisi assentiatur, extremam denuntiet protestationem: neque illam habere, aut habituram deinceps causam, cur de Andrea conqueri iure possit. Defertur res ad Magistratum. Differt ipse rem in diem de die, non quòd de causa dubitaret, sed quòd cuperet plurium dominorum auctoritate rem definiri, atque expediri, quò ora omnibus obturarentur. Die igitur octauo mensis Aprilis 1565. Domini (vt vocant) Commissarij, qui vt moris ibi est, eo tempore missi à Senatu trium fœderum in eas fuerunt valles: posteaquā & acta in negotio Andreæ, & nostrum ea

de re

de te audiuissent iudicium, omniáque prudenter & diligenter expendissent, in hanc statuerunt sententiam: ſe auditis, visis diligenterque examinatis omnibus actis, auditâ etiam & perpensâ ipsius Zaccharinæ constanti responsione, quæ ibidem in hæc exprimitur verba, *Se nolle venire ad cohabitandum cum ipso Andrea, stante ac perseuerante in opinione, quam habet, & obseruat*: Se igitur in hunc statuere modum: Zaccharina adhuc nomine viri sui Andreæ moneatur, & interrogetur, vtrum velit venire, & cum viro suo Andrea habitare, atque viuere eo in loco, quo in loco ipse Andreas tutò ac sine discrimine vitę habitare moratique possit, nec ne: Et si ipsa Zaccharina intra spacium trium mensium veniat: statuere se atque iubere, vt Andreas eam ad se recipiat, atque vt veram vxorem apud se retineat, neque illam ad suam cogat religionem, sed sinat ei vtramque, Papisticam nimirum & Euangelicam prorsus liberam: si verò Zaccharina venire renuat, & intra prædictum trium mensium spacium non veniat: se declarare, & certam ferre sententiam, ipsum Andream fore liberatum, atque solutum prioris matrimonij cum ipsa Zaccharina contracti, vinculo: atque ita solutus vt ei aliam liceat ducere vxorem: & hoc alterum matrimonium, fore legitimum, liberósque qui ex ea suscipiantur, legitimos futuros: & proinde illos vti, frui, & gaudere posse priuilegiis, atque iuribus omnibus, quæ legitimis filiis, per leges atque ius competunt, perinde atque si post mortem Zaccharinæ, ex alia vxore ipsi Andreæ nati essent: cum ipsa Zaccharina non amplius sit vera Andreæ vxor, sicut etiam mortua esse non posset: séque velle, & mandare vt Clauennensis Commissarius, quicunque ille sit, & futurus sit, hanc suam defendat, seruandámque curet sententiam: sub pœna indignationis dominorum trium fœderum. Hæc summa est sententiæ dominorum Commissariorum, & in multis ferè ad verbum descripta. Hæc verò mittitur ad Andreæ vxorem per certum nuntium, qui etiam coram illi suadeat, ad suum veniat maritum, futuram eam liberam in religione, tractatúmque iri perhumaniter à suo charissimo coniuge, neque permittat, vt tale fiat diuortium. Illa verò suæ pertinax sententiæ, omnia contemnere, ac dicere, si vir nolit Palantiam venire, neque se ituram Clauennam, agat ipse quicquid velit, se non mutaturam sententiam. Ac profectò Zaccharina luculenter re ipsa demonstrauit se, quicquid in causa de diuortio actum significatúmque fuit, contemsisse, nihili maritum fecisse, sibique animum cum viro habitandi, & viuendi, nequaquam fuisse. Nam post denuntiatum sibi diuortium, tempúsque diuortij, nimirum illud omnino futurum post tres menses, nisi intra hoc temporis spacium, aut ipsa veniat, aut aliquis eius nomine, qui contra virum protestetur, compareat: neque ipsa venit, neque alius, eius nomine, comparuit vnquam. Cùm ex his omnibus nemo non videret quanto in odio esset Andreas Zaccharinæ, idque tantùm propter religionem, quippe quæ nullam vnquam, post receptum ab Andrea Euangelium, veram dedit significationem boni erga illum animi: & quæ tandem maluit etiam diuortium, quàm patriâ relictâ alibi cum viro viuere suo: Tum demum post annum à discessu Pizzardi ex Italia duodecimum, inceperunt nouæ tractari nuptiæ, eo quo inter Christianos tractari debent modo, palàm nimirum, atque apertè, cum honestis expetitæ virginis parentibus, ita vt neminem laterer, de iisce nouis agi nuptiis: Duodecim etiam ante diebus, quàm perficerentur, denuntiatæ fuerunt vt in Ecclesiis nostris moris est, toti Ecclesiæ, vt siquis quid sciret causæ, quamobrem fieri huiusmodi connubium non posset, in tempore, Pastorum & Seniorum collegio significaret: siquid enim legitimi adsit impedimenti, nos minimè vt matrimonium confiat, assensuros. Nemo eorum, qui postea diuortium hoc Andreæ non tam voce, quàm etiam scriptis improbarunt, conuenit nos, & fieri illud non posse, aut demonstrauit, aut etiam indicauit: Contrà nos, quò omnis ex animis hominum, si quis fortè insereret de hoc diuortio scrupulus, tolleretur, tres ea de re habuimus conciones: in eum Pauli locum: 1. Cor. 7. *Si infidelis discedit, discedat.* Quo ex loco demonstrauimus, huiusmodi diuortia quale est Pizzardi, licita esse Christianis, neque vllo modo pugnare cum sententia Saluatoris, qua apud Matthæum ait, dimittendam non esse vxorem *nisi ob fornicationem.* Non enim Zaccharinam ab Andrea: sed contrà, hunc ab illa deseri. Ergo cùm nihil nos porrò videremus, auditem úsque, propter quod aut diuortium illud improbari, aut nouum hoc connubium impediri, meritò posset: nouæ celebratæ sunt nuptiæ inter Andream Pizzardum, virum, vt de principio quoque diximus, totius Ecclesiæ testimonio, pium atque probum: & inter Mariam Magdalenam Moram, piam honestámque virginem, die 30. Iulij, anni 1565. Hæc est vera simpléxque de Pizzardi diuortio, nouóque connubio historia, quam hîc recensuisse, atque integram conscripsisse, mihi diuortium hoc nouásque nuptias defensuro, non tam operæpretium, quàm necessarium fuit. Ac neminem ego quidem esse credo hominum, vel mediocri iudicio, & spiritu Dei præditorum, quin omnes, simulac perlegerint hanc historiam, statim sententiæ, quam hîc demonstraturus sum piam esse atque Christianam, subscribant nostræ: idque faciant non rogati, neque dictatâ sibi à nobis subscriptione, sed spontè, & edocti à spiritu Dei. Nam quòd nonnulli, neque tamen prorsus imperiti, factum hoc damnarint, non tantùm voculis in vulgum sparsis, sed etiam scriptis huc atque illuc missis: eos ego dixerim in hac parte, non syncero iudicio, aut spiritu Dei præditos esse: cùm apertè dicant, & constanter scribant, Apostolum, vbi ait: *Reliquis ego dico non Dominus, si quis vir &c.* ibi ex spiritu Christi minimè loquutum fuisse, & quæ ibi tradit, verba Dei esse pernegent: ac proinde affirment, siquis illis fretus verbis, ita se gerat, vt docet Paulus: eum non posse sibi certò & constanter persuadere, se rectè agere: cùm denique sentiant tunc tantùm Deum in suis Sanctis, hoc est, Apostolis loqui, cùm sacras proferunt literas, & quæ in eis expressè continentur, tantùm docent. Quo pacto, qui hæc scribunt, hosce possim homines ego, in hac parte, aut sani esse iudicij, aut ex spiritu Dei loqui, cuipiam concedere? Cæterùm contemto horum hominum iudicio, e persuasus me rem gratam piis omnibus facturum, si, de qua non dubitant sententiam apertis etiam sacrarum literarúm & doctorum virorum illustrem atque confirmem testimoniis. Iam tandem aliquando ad rem ipsam, vbi priùs similem historiam, quæ Geneuæ contigit, narrauero, quæ ad verbum sic habet.

CONSILIVM CONSISTORII *Tigurini in causa desertionis ob religionem.*

Illvstrissimvs vir, Dominus Galeacius Caracciolus, Marchio de vico, iam inde ab octo annis, impulsu diuini Spiritus, Euangelium Filij Dei amplexus, Italiâ excessit, & vero Dei cultui cùm diuitias, tum honores huius Mundi posthabuit. Cúmque Geneuam concessisset, vbi pietati quàm sincerissimè operam daret (Non enim in Italia id citra periculum tum animi, tum corporis, ei facere licuisset) nihil prius habuit, quàm vt Christo puro corde, atque impolluta conscientia inseruiret. Quod sentiens extra matrimonium plenum esse periculi, nec sibi, vt optasset, procedere, omnibus viribus conatus est Illustrissimam coniugem suam ad se adducere. Toto itaque hoc spacio temporis nunquam destitit literis & nunciis eam solicitare, sed frustrà. Ea quippe sui aduentus ad eum spem facere nullo modo voluit, etsi conditio ipsi æqua, & iusta afferretur: siquidem pollicebatur Marchio, se ibi cum ea conuersaturum & cohabitaturum, vbi cùm Euangelica, tum Papistica religio esset libera, vt qui non par esse arbitraretur illam ad eum cultum Dei cogere, cui ex fide non assentiretur, quamobrem cogitabat, vt vnà viuerent, & ita viuerent, vt eorum quisque sua religione frueretur.

Hæc itaque vltrò citróque, sed citra vllum fructum agitata sunt. Et denique cùm præsentiâ & viua voce, se aliquantò plus existimaret profecturum, quàm per literas, aut per nuncios, ipse Geneuâ perrexit in Illyricum, & à Lesina, misit ad eam triremes, quibus ad se veniret, & vnà colloquerentur. Nec ab ea vel id impetrare potuit. Vnde infectâ re Geneuam rediit.

Post aliquod verò tempus, cœpit secum reputare, se illam fortassis permoturum, si periculo sese committeret, & ipse in Marchionatum ex Illyrico nauigaret, & paternam domum accederet: quod spreto periculo (quod sanè grauissimum erat) effecit. Sed cum ea locutus, nulla ratione ipsi persuadere potuit, vt secum ad loca, vtrique tuta, vellet accedere. Proinde, re desperatâ, reuersus est Geneuam, ac de diuortio apud Consistorium agere cœpit, vbi cùm eius caussa minimè improbaretur, decretum est, vt literæ à Consistorio ad Illustrissimam coniugem scriberentur, quibus eam mouerent, vt nisi spacio duorum mensium rescriberet, ac testaretur, se ad maritum suum venturam, Consistorium de diuortio ad vlteriora progressurum, nec de iusto, pióque remedio Marchioni defuturum. Quarum literarum exemplum Illustrissimus Marchio nobis ostendit, rogauitque, vt sibi ex verbo Dei responderemus, an ei diuortium cum tali vxore facere liceat, & alias nuptias contrahere, cùm sibi videat coniugio prorsus esse opus, intelligátque non plura se facere potuisse ad recuperandam priorem vxorem, quàm fecerit.

Nos itaque id spectantes, quòd Apostolus Paulus priori ad Corinth. cap. 7. de hac eadem re scripsit, nimirum, ***Quod si incredulus discedit, discedat, non est seruituti subiectus frater, aut soror in huiusmodi: sed in pace vocauit nos*** Devs: Respondimus, Illustrissimum Dominum Marchionem iustè posse pronunciari liberum à priori coniugio, & nouum inire matrimonium: modò ea omnia vera sint, quæ antea sunt exposita, vt esse non dubitamus, pro ea fide, quam eius pietati adhibemus. Et ad testandum hoc nostrum responsum, hæc scribi curauimus, nostrísque subscriptionibus communiuimus. Tiguri 18. Maij, Anno 1559.

Henricus Bullingerus Tigurinæ Ecclesiæ Minister.

Petrus Martyr Vermilius, Theologiæ Professor in schola Tigurina.

Bernhardus Ochinus Locarnensis Ecclesiæ Minister Tiguri confirmat.

Expensis his dictis omnibus, placet per omnia consilium suprascriptum, mihi Philip. Galliuo, Concionatori Curiensi apud D. Regulam.

Paulus Gadius Tilliensis Ecclesiæ Minister, suprascriptum subsignat consilium.

Quia Illustrissimus D. Marchio nil intentatum reliquit, & in eiusmodi casu, sontis culpa insontem non obligat, Ego quoque Ioannes Fabricius Montanus, Ecclesiæ Curiensis Minister, suprascripto Consilio subscribo, & D. Marchioni ius suum, quod à Domino accepit, integrum relinquo.

Et ego Augustinus Mainardus Clauennensis Ecclesiæ Minister indignus, suprascriptæ sententiæ itidem subscribo.

Iulius Mediolanensis Posolanus Minister, suprascriptum subsignat consilium.

DE DIVORTIO

Liber secundus complectens explicationem dicti Paulini 1.Cor.7.vers. 12. & sequentibus.

VETVS quæstio est, iam vsque à Mosaicis agitata temporibus, eáque non modò vtilis, sed etiam necessaria ad cognoscendum: *Vtrùm, & quibus de causis, liceat priorem repudiare coniugem, & nouæ copulari.* Ac Moses quidem suo permisit populo diuortium, leuissimis etiam de causis: vti est, si vxor viro non probetur, si non ametur, si fastidiatur: verùm id ex lege, & conditione permisit, vt vxori daretur probitatis & fidei testimonium, id quod repudij libellum ipse Moses appellauit, prius quàm dimitteretur: cámque legem in hunc tulit finem nimirum, vt vxor posset & suam contra omnes calumniatores defendere innocentiam: & cum honore dimissa, alteri si vellet, nuberet. Mosaicum enim diuortium huius fuit generis, vt vtrique coniugi, & repudianti & repudiatæ, liberum esset, alio coniugij vinculo cuicunque vellent, coniungi. Videri hoc cuipiam possit absurdum atque iniquum, vt leuissima quauis de causa Moses tam liberum suo populo diuortium permiserit. Verùm si quis rem diligentius perpendat, agnoscet, nihil à Mose concessum fuisse iniquum. Neque enim is propriè potestatem cuipiam fecit, vt quamuis ob causam, suam repudiaret vxorem: sed cùm vidisset populum præfractum, quibusuis de causis suas repudiare vxores, neque illud vitium posse sine magno maioris mali periculo, vti est homicidium, prohiberi: idcirco vt prudens magistratus legem tulit, vt qui hoc faciunt, saltem citra vxoris infamiam faciant, dato nimirum repudij libello, quo in libello vxores à viris dimissæ, omni crimine, omníque criminis suspicione liberarentur. Atque hoc illud ipsum est quod Dominus Iesus Pharisæis de hac Mosis lege interrogantibus, respondit: quòd quauis de causa permiserit diuortium Moses, hoc ideo illum non fecisse, quòd hoc simpliciter probarit, cùm ab initio non ita se res habuerit: sed partim, vt spectatâ illius populi duritie, grauiora euitarentur mala: partim vt innocentiæ vxorum dimissarum consuleretur. Sic etiam illud quod in Malachiæ cap. 2. legitur, intelligendum est: *Si odio habes dimitte*, ait Dominus: &c, *Operiet violentiam sub vestimento suo.* Non simpliciter diuortium iubet: sed Iudæorum improbitati permittit, vt vxores potius missas faciant, quàm eas duriùs quàm par sit, tractent. Proinde ex lege Mosis minimè quis rectè colligat simpliciter licere viro, quauis de causa, suam dimittere vxorem, & aliam ducere: cùm neque ipse Moses testimonio Domini Iesu, huiusmodi diuortia simpliciter probarit: sed tantùm aduersus illum catholicum & incurabilem Iudæorum morbum, cordiúmque illorum duritiem, pro tuenda saltem vxorum innocentia, hoc adhibuerit remedium nimirum, vt qui non possent illas ferre, & omnino aut repudiare, aut malè tractare decreuissent, illas potius dimitterent, sed cum honore, dato repudij libello, quàm aut occiderent, aut pro sua libidine vexarent.

Romani etiam imperatores, tam Christiani, quàm Ethnici (vt de aliis gentibus taceam) multis de causis fieri posse diuortium iudicarunt & voluerunt. Extant hac de re leges in primo Tomo Pandectarum lib.24.Tit.2. de diuortiis & Repudiis. Item in Codice, libro 5.Tit.17.de Repudiis: ac præsertim cap.8.lege Consensu, à Theodosio & Valentiniano piis imperatoribus lata, & aliis plerisque in locis: ac per annos quidem DXX. ab vrbe condita, nullum Romę diuortium factum fuisse legimus, dum antiquæ illæ præclaræque Romuli & aliorum sapientum Romanorum leges, quæ coniugium quauis possent ratione violare, seruatæ fuerunt. Primus autem qui vxorem apud Romanos repudiarit, fuit SP. Caruilius Ruga, idque ob vxoris sterilitatem, quemadmodum Halicarnassæus, Gellius, & Valerius, scriptum reliquerunt. Per leges etiam Duodecim Tabularum, licitum fuit certis de causis diuortium, atque repudium: quemadmodum ipse quoque Cicero Philip.2. docet, cùm de Antonio ait. *Frugi factus est, Mirnam illam suam suas sibi res habere iussit ex xij. Tabulis: Claues ademit, exegit.* Qua de causa C. Cæsar Pompeiam repudiarit apud Halicarnassæum, Valerium, & Plutarchum videre est: nempe propter grauem adulterij suspicionem. Demonstrant hæc & alia quàm plurima, quæ apud prophanos scriptores de diuortiis leguntur, diuortium neque rem esse nouam, neque vnâ tantùm de causa, apud ipsas quoque gentes, fieri solitum fuisse.

Cæterùm, quia nobis quæstio non est, quid aut Moses suo permiserit populo, aut Romani aliique populi, sibi ipsi concesserint; sed quid nobis Christianis per doctrinam Christi, & Apostolorum liceat: Idcirco omissis aliorum omnium legibus, quid de hoc argumento scriptum nobis reliquerint Christus & Apostoli diligenter considerandum, excutiendúmque est. Ac primò de verbis Christi, quæ apud Euangelistas leguntur: deinde de verbis Apostoli in prima ad Corinthios dicam. Matthæi 5. 31.32. sic legimus Dominum docuisse: *Dictum est autem, quicunque repudiauerit vxorem suam, det illi libellum repudij: At ego dico vobis, quisquis repudiauerit vxorem suam præter causam stupri, efficit vt illa committat adulterium: & quicunque repudiatam duxerit, adulterium committit.* Matthæi verò 19 3. &c. in hunc modum: *Et accesserant ad eum Pharisæi, tentantes eum & dicentes ei, licétne homini diuortium facere cum vxore sua, qualibet ex causa? qui respondens ait illis, An non legistis, opificem ab initio fecisse masculum & fœminam? & dixisse propterea deseret homo patrem & matrem, & adglutinabitur vxori suæ, & qui duo fuerant erunt vna caro. Itaque non amplius sunt duo, sed vna caro: quod ergo Deus copulauit, homo ne separet. Dicunt ei, cur ergo Moses iussit dare libellum repudij, ac dimittere eam? ait illis, Moses pro duritia cordis vestri permisit vobis repudiare vxores vestras. Cæterùm ab initio non fuit ita. Dico autem vobis, quicunque repudiauerit vxorem suam, nisi ob stuprùm, & aliam duxerit: is committit adulterium: & qui repudiatam duxerit, is adulterium committit.* Marci 10. eadem repetuntur.

Eadem verò vbique doctrina. Satis igitur fuerit, siquæ apud Matthæum 19. leguntur, diligenter excutiamus. Duæ sunt Christi in illis verbis ad Pharisæos responsiones: prior ad illorum petitionem, altera ad illorum exceptionem. Pharisæorum petitio

hæc fuit: vtrum liceat homini quacunque ex causa diuortium facere cum vxore sua. In hac petitione hoc in primis considerandum est: qui petunt, Iudæos esse,& eos de se,déque diuortio cum suis vxoribus verba facere. Nam & legem Mosis postea obiiciunt,quæ non ad gentes, sed ad ipsos tantùm Iudæos pertinebat. Erant autem Iudæi vnius omnes religionis: & tale illis permisit diuortium Moses,quo facto, vtrique parti etiam permittebatur, nouum contrahere matrimonium. Hinc igitur euincitur quæstionem de diuortio, à Iudæis Christo propositam, neque posse ad illos transferri homines,qui diuersæ sint religionis,vbi alter cum altero propter religionis odium habitare nolit:neque de illo posse intelligi,diuortio, quo facto, vti est apud Papistas, neutri parti liceat nouum inire connubium. Deinde illud etiam considerandum est,Pharisæos non petiisse simpliciter, an liceret aliqua de causa diuortium facere:sed an quauis de causa Videbant igitur etiam apud Christum, extra controuersiam esse, aliqua de causa, tale fieri diuortium posse,vt nouo etiam pateret connubio locus. Postremò illud prætereundum non est, cùm interrogant Iudæi Iudæum,an liceat quauis de causa diuortium facere: illos non de aliis,sed tantùm de illis,propter quos Moses fieri diuortium suo permiserat populo, verba facere: id quod etiam hinc liquet, quòd mox ad responsionem Christi excipiendo, legem Mosis de diuortij libello, in quo causæ diuortij conscribebantur,obiiciunt. Quæ autem illæ fuerint causæ,liquet ex Deut.34. *Cùm quispiam ducit vxorem,maritaueritque eam* (sibi:) *euenit autem vt hæc nihil gratiæ in oculis eius impetret, vt si inueniat in ea rem aliquam fœdam: scribat ei libellum repudij*, &c. Et Mal cap.2. *Si odio habes,dimitte eam.* Huiusmodi certè hæ fuerunt causæ,propter quas minimè per se licebat tantam soluere coniunctionem, quanta est iuxta Dei ordinationem, inter virum & vxorem,vt meritò,si permissum sit diuortium propter hasce causas Iudæis à Mose:Illud propter duritiam cordis ipsorum, permissum fuisse, dixerit Christus. Non debet igitur nec potest petitio Iudæorum ad alias graues legitimásque soluendi connubij causas, de quibus Moses loquutus non est,transferri:sed intra leues atque illegitimas.propter quas permissum fuerit Iudæis, idque ob duritiem cordium suorum, suas dimittere vxores, retinenda est. Nunc tenemus, quæ fuerit,& quibus constet capitibus, & quos intra fines sit retinenda Iudæorum interrogatio. Ad hanc Christi responsio,hæc fuit:*An non legistis*, &c. Syllogismum facit, cuius minorem propositionem priore loco ponit, maiorem verò posteriore. Est autem hic syllogismus.

Non licet homini quod Deus coniunxit,& coniunctum esse omnino vult, illud separare, atque disiungere. Est enim hoc contra Dei voluntatem, institutionem,legem. Hanc propositionem ita profert Christus: *Quod Deus coniunxit,homo ne separet:* Atqui Deus coniunxit virum masculum, & vxorem fœminam, atque ita coniunxit, vt nihil inter homines magis sit coniunctum: sunt enim non duo, sed vna caro: & propter hanc seruandam coniunctionem,vult Deus,vt pater potius & mater deserantur quàm vxor. Hanc alteram propositionem his explicat verbis: *An non legistis, opificem ab initio fecisse masculum & fœminam?& dixisse, Propterea deseret homo patrem & matrem,& adglutinabitur vxori suæ: & qui duo fuerant, erunt vna caro? Itaque non amplius sunt duo, sed vna caro.*

Sequitur per se conclusio, ad postulatum Pharisæorum accommodatissima: Ergo non licet homini vxorem sibi à Deo adglutinatam in vna carne quauis de causa, hoc est, iuxta suos humanos affectus, dimittere. Sic mihi videtur componenda esse Christi responsiò: Illud enim, *Homo*,includit in se causam, de qua interrogant Pharisæi: *An quauis de causa liceat vxorem dimittere*, includit inquam in se humanos affectus, iram, indignationem, odium,amorem alterius mulieris.Illud verò: *Ne separet*.vim habet particulæ, *non licet*. Vetat enim,ne separet: quod autem prohibetur, non licet. Proinde rectè illa Christi verba in hanc resoluuntur propositionem: *Non licet homini,iuxta suos humanos affectus* (hoc est enim quauis de causa) *vxorem sibi à Deo sanctissimo omnium, & arctissimo vinculo copulatam, dimittere.* Quare diligenter notanda est particula, *Homo*. Eâ enim excluduntur humanæ causæ,hoc est, humani affectus qui eâ particulâ, *quauis de causa*, intelligebantur:non autem diuinæ, hoc est illę propter quas Deus in Christo & per Apostolum disertè concedit, fieri vt diuortium possit. Cùm enim has duas ob causas separatur coniux innocens, à coniuge sonte: idque legitimè, causâ cognitâ & per magistratus,qui Dei locum in terris retinet, sententiam: tunc non homo,sed Deus ipse separat. Ac certum est, quicquid facit homo iuxta verbum Dei: illud non hominem,sed Deum in homine, & per hominem efficere. Hæc summa est responsionis Domini, eiúsque ad postulatum Pharisæorum, disertissimæ.

Cæterùm,ex locis,quos citat ex Mose,alia colliguntur argumenta,quibus propositio confirmatur, non licere homini, leuiter & quauis de causa, missam facere vxorem, sed vinculum illud coniugij sanctissimum,esse retinendum: quorum argumentorum primum hoc est: Non licet inuertere ordinem creationis, & diuinam violare institutionem. Ille autem eam inuertit ac violat,qui suâ vxore deserta,alteram ducit.Nam ideo Dominus fecit suis manibus vnum tantùm virum, & vnam tãtùm fœminam, & alterum alteri adglutinauit, vt vnus vnâ contentus,& vna vno contenta, coniunctissimi simul viuerent: neque ille aliam, neque illa alium, aut acciperet,aut etiam appeteret.Non licet igitur homini,dum manet coniugij vinculum, quauis de causa vxorem deserere, & aliam ducere in matrimonium: nisi etiam liceat ordinem creationis inuertere, & primam Dei institutionem violare.

Alterum argumentum. Non licet liberis,quamuis ob causam,parentes deserere. Sunt enim honore & obsequentia afficiendi, iuxta illud: *Honora patrem & matrem*.Ergo multò minùs licet viro,quauis de causa vxorem:aut vxori,virum dimittere. Est enim hoc coniugij vinculum sanctius illo,quo liberi parentibus astringuntur: quandoquidem Dominus,ne illud soluatur, vult potiùs hoc alterum dissolui,cùm ait:*Propter hoc relinquet homo patrem & matrem,& adglutinabitur vxori suæ.*

Tertium argumentum Non licet homini seipsum lacerare, atque diuersa in frusta diuidere, lacerat autem & diuidit seipsum, qui vxorem sibi copulatam à se reiicit. Non enim sunt duo,sed vna caro: & hoc ita constituit Deus,cùm dixit,*erunt duo in carne vna*:Non licet igitur homini vxorem à se dimittere:sed illam debet vt dimidiam sui partem. apud se reti-

se retinere & fouere. Proinde rectè Theophylactus: ὥσπερ γὰρ ἐναγές ἐστι τὸ τὴν οἰκίαν διχῆ τέμνειν, οὕτω καὶ τὸ διασπᾶν τοὺς συζύγους. Hoc igitur contextu Dominus Iesus demonstrat, non licere homini, qua homo est, & suis humanis ducitur affectibus, atque iudicio, suam deserere vxorem: propterea quòd non liceat homini, quod coniunxit Deus, separare. Nam si id homo faciat propter Deum, & quatenus verbo & spiritu Dei ducitur, vtque vinculum omnium sanctissimum, quo Deo coniunctus est, firmum retineat: non is certè illud fecerit, vt homo, sed vt filius Dei: immò non ipse diuidet, sed Deus: quemadmodum loquitur Christus, cùm ait Matthæi 10. 35. *Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, &c.* Cùm enim quis patrem, aut etiam vxorem deserebat propter Christum, & vt vinculum cum Christo indissolubile retineret: haud sanè is dici poterat separare quod Deus coniunxerat: sed Christus ipse, eóque Deus, qui illud fieri iusserat: *Siquis venit ad me* (inquiens Luc. 14. 26.) *& non odit patrem suum & matrem, & vxorem, &c. non potest esse meus discipulus.* Item Matth. 10. 37. *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me non est me dignus.*

Tria enim sunt sanctissima in mundo vincula: vnum tamen sanctius altero; quæ certè homini non licet soluere. *Primum* est, quo filius colligatus est parentibus. *Alterum*, quo vir adglutinatus est vxori: *Tertium*, quo vnus sumus cum Deo spiritus, vnáque cum Christo caro. Deus tamen hæc ita inter se ordinauit, & vnum alteri prætulit, vt velit, si secundum vnà cum primo retineri non possit, primum dissolui, quo secundum firmum retineatur. Ideo dixit, *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Si etiam primum, & secundum retineri integra non possint, quin tertium soluatur: illa duo priora potius vult solui, quàm tertium. Ideo propter Christum & Euangelium, deserendus est pater, deserenda & vxor, vt Christus docuit. Βέλτιον γὰρ τὸν γάμον, ἢ τὴν εὐσέβειαν λυθῆναι, vt est in scholiis in Paulum. Cum hoc sit illud verum matrimonium de quo in primis dictum est: *Propter hoc deseret homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ*: vt Apostolus explicat ad Ephes. 5. 32. dicendo: *Mysterium hoc magnum est: Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*: ac proinde huius connubij contrahendi, retinendi, & conseruandi gratia, omnia deserenda sunt: pater, mater, liberi, vxor, nos ipsi. Quare non ineptè Theophylactus in hunc scribens locum, qui est de diuortio, Matthæi 19. mentionem facit huius cum Christo connubij: & à maiori ad minus argumentatur in hæc verba: Νοεῖ δὲ καὶ τοῦτο, ὅτι ὁ κολλώμενος τῷ κυρίῳ, ἓν πνεῦμά ἐστι, καὶ συζυγία γίνεταί τις πρὸς τὸν Χριστόν. Πάντες γὰρ σύσσωμοι γεγόναμεν αὐτοῦ καὶ μέλη ἐκ μέρους, εἰς ὃ ἐσμέν. Καὶ πῶς οὖν οὐ δύναταί τις χωρίσαι τὴν τοιαύτην συζυγίαν, κατὰ τὸν τοῦ Παύλου λόγον, λέγοντος, τίς ἡμᾶς χωρίσει ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Χριστοῦ; ἃ οὖν ὁ Θεὸς συνέζευξεν. οὔτε θάνατος, οὔτε τις ἑτέρα κτίσις, οὔτε ἄγγελοι, οὔτε ἀρχαί, οὔτε ἐξουσίαι (ὥς ὁ Παῦλος φησί) χωρίσαι δυνήσονται.

Nunc tenemus Christi ad petitionem Pharisæorum, responsionem: sequitur exceptio Pharisæorum. *Dicunt illi, cur ergo Moses iussit dare libellum repudij, ac dimittere eam?* Huius Pharisaicæ sophisticæque exceptionis sensus, hoc dilemmate explicatur. Aut licet, ô Iesu, quauis de causa, vxorem dimittere: aut non licet. Si licet: iniquus igitur tu, qui secus, quàm Moses, doces non licere. Si non licet, iniquus igitur Moses, qui docuit licere, dum iussit dare libellum repudij, & vxorem si ea non placeat, dimittere. Cur enim iussisset dato repudij libello, vxorem, quæ non probetur dimittere, si eam hac de causa dimittere non liceat? Absit autem, vt Moses iniquus fuerit. Neque enim Mosis, sed Dei lex illa fuit. Cur autem licitum non sit, quod lege Dei conceditur? Tu igitur ipse, iniquus & in Deum & in Mosen, Doctor esse conuinceris. Hæc fuit ea tentatio, qua de Euangelista paulò ante dixit: *Accesserunt Pharisæi ad Christum tentantes eum.* Huic Pharisæorum exceptioni quid Christus responderit, videamus. *Ait illis: Moses ad duritiem cordis vestri, permisit vobis repudiare* (nempe quauis de causa, nempe etiam leui atque iniqua) *vxores vestras: Cæterùm ab initio non fuit sic.*

His verbis, duo facit Dominus: Principiò, respondens ad sophisma Pharisæorum, in eo ostendit inesse παραλογισμόν, quem vocant non causam vt causam. Docet enim, quòd Moses permiserit Iudæis, quauis de causa, leui etiam, & minùs æqua, suas repudiare vxores: hoc ideo illum non fecisse, quòd iudicarit, hoc per se licere. Minimè verò. Nam neque Moses ignorauit primam coniugij institutionem, quam ipse nobis descriptam reliquit, pro lege inuiolabili perpetuò habendam fuisse. Per illam autem non fuit licitum, aut viro sese ab vxore, aut vicissim vxori sese à viro, pro suo arbitrio, vel libidine potius, separare, propter illud Dei mandatum: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ*: (vni, non autem multis) *& erunt duo* (non plures) *in carne vna.* Non igitur Mosen latuit, minimè licere homini, vinculum illud coniugij sacrosanctum violare: ac proinde vel viro vxorem, vel vxori virum, quauis de causa, hoc est, pro suo arbitrio, dimittere.

Sed aliam huiusce permissionis Mosaicæ fuisse causam, ostendit Dominus. Quámnam illam? Politicam nimirum & publicam pacem, ipsarúmque vxorum, tum salutem, tum existimationem. Moses enim, cùm vidisset suos Israelitas, quæ ipsorum erat peruicacia, passim suas fastidire atque odisse vxores: eóque alios eas domi pessimè tractare, miserrimam vt vitam traducere, inque perpetuis animi cruciatibus viuere cogerentur: alios eas ex ædibus eiicere, id quod non sine ipsarum infamia, aut saltem criminis alicuius admissi suspicione fieri poterat: earúmque in locum, succedere concubinas, & pellices: atque ita improbitate virorum, totam Politiam perturbari, publicam pacem violari, honestatem tolli, & honestas fœminas infamiæ exponi, omnia denique sursum deorsum volui, neque hoc grande malum, sine periculo maioris mali, posse prohiberi: ipse, vt prudens magistratus atque medicus, volens huic tam graui morbo salutarem commodámque facere medicinam, eam tulit legem, quæ licet per se & suapte natura, æqua non esset, quòd cum prima coniugij institutione pugnaret: quia tamen illa, tum honestarum vxorum saluti atque existimationi, tum publicæ paci, & politicæ honestati vtcunq; prospiciebatur: Ideircò ea lex, ex accidenti, & propter bonum publicum, simpliciter damnari non potuit. Ea autem hæc fuit, vt quando aliter non potest totius populi improbitas coherceri, & suam quisque vxorem aut domi affligit, & duriter tractat, aut domo cùm infamia eiicit: eas saltem dimittant cum honore, dato nimirum repudij libello: In quo libello, vxori dimissæ, pudicitiæ & probitatis dent testimonium: idque, vt aliis honestis, si velint, honestè nubere possint viris.

Hanc ostendit Dominus fuisse causam, propter quam Moses, spiritu Dei afflatus, eum tulisse legem de diuortiis, quòd scilicet alia commodiore non posset ratione, propter duritiam cordis maritorum, saluti & honori vxorum, pacique publicæ prospici: non autem quòd simpliciter probarit, vt quisque suam, quauis de causa, dimitteret vxorem. Proinde sophisticum esse dilemma Pharisæorum. Non enim, quia Moses permisit populo duræ ceruicis, suas repudiare vxores, dato repudij libello, inde consequi, aut igitur illud fuisse per se licitum, & simpliciter probatum Mosi: aut Mosen fuisse iniquum, qui rem non licitam permiserit, quando vtrumque optimè cohæreat: nimirum Mosen, neque simpliciter illa diuortia probasse, quod sciret non sic fuisse ab initio: neque iniquè illa permisisse, quòd hoc fecerit vt prudens magistratus, propter bonum publicum, & propter peruicaciam sui populi aliquo pacto, ne in maius erumperet malum, coërcendam. Hoc est primum.

Deinde verò suam de diuortiis non temerè faciendis doctrinam confirmat, dicens: *Ab initio* (instituti scilicet matrimonij, eóque & orbis conditi) *non fuit sic*, hoc est, non fuit permissum primis coniugibus inter se vt diuortium facerent: sed contra potius iussi fuerunt ambo, vt sanctissimo coniugij vinculo simul à Deo coniuncti, coniunctionem hanc indissolubilem conseruarent. Sic enim dixit siue Deus, siue Adamus spiritu Dei afflatus: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: Et erunt duo in carne vna.* Adhærebit, inquit, vxori, nempe inseparabiliter: & erunt duo in carne vna, nimirum perpetuò. Quibus verbis præcipitur & cohabitatio, eóque prohibetur desertio: & tanta inter coniuges animorum corporúmque coniunctio, vt perpetuò maneat vna caro, ac ceu vnus homo, eóque prohibentur tum animorum dissensiones, atque odia, tum corporum cum aliis commixtiones. Quare qui prior vel alterum deserit, vt cum eo nolit habitare, vel corpus alij quàm suo coniugi fruendum præbet: quorum neutrum fieri potest nisi facta prius animi alienatione: is certè, quantum in ipso est, coniugij vinculum soluit, & contra primam illius institutionem peccat. Ac profectò si quis diligenter omnia perpendat, quæ Moses scribit fecisse, & dixisse Dominum, cùm Euam creauit, eámque dedit Adamo in matrimonium: is præcipuè videbit, quantam velit Deus, virum inter & vxorem esse tum animorum & corporum fidam constantémque coniunctionem, tum rerum omnium communionem.

Principio rationem sui consilij explicans, cur creato Adamo vellet ipsam quoque fœminam creare, eámque cum illo coniungere in matrimonio: dixit: *Non est bonum vt sit Adamus solus.* Voluit igitur, vt vxor esset perpetua viro socia, & comes indiuidua totius vitæ, quòd hoc sit bonum. Malum igitur, Deóque odiosum, si alter alterum iniusto diuortio facto relinquat solum. Deinde ait, *Faciam ei adiutorium*: hoc est, fœminam, vxorem illi adiungam, vt sit illi perpetua ad commodè viuendum adiutrix. Quomodo autem poterit hoc fieri, si iniquo diuortio separentur? subdit, *Quod sit coram ipso*: כנגדו, *kenégueddo*: quasi dicat, quod stet è regione viri, facie sua ad faciem illius conuersa, vt scilicet ei sit adiutrix ad omnes vitæ partes, præstóque ad obsequendum. Debent enim se mutuo coniuges intueri, amare, complecti, fouere, in omnibus iuuare. At hoc quo fiat pacto, si alter alterum deserat? Non probantur igitur Deo simpliciter desertiones & diuortia: atque inprimis culpatur mulier hac dictione, *keneguedo, coram ipso*, quæ cum viro habitare non vult, ei inseruire & præsto esse ad omnia honesta. Hac enim ratione auertit faciem suam à viro, cui tamen vt præsto sit, & obsequatur, creata est.

Subiicit: creatam fuisse vxorem *è costa viri*: quid obsecro magis commendat sanctum coniugij vinculum, indiuiduámque viri cum vxore societatem: & contra, quid magis diuortia damnat, quàm hoc, quòd ait, *Euam de costa Adæ creatam fuisse*? Non immeritò igitur dictum est, *Erunt duo in carne vna*: cùm reuera in sui creatione, vna essent caro Adamus & Eua. Huc faciunt etiam verba eiusdem Adami, quę subiicit Moses: *Hac vice os ex ossibus meis & caro de carne mea* (nempe est:) & vocabitur אשה, *Isscha*, hoc est, vt ita dicam, *vixa*, quia מאיש *Me isch*, *i. de viro sumpta est.* His verbis, meminisse vult Moses mulierem officij sui, cùm seipsa videt & nominari audit: se, ex viro sumta cùm sit, debere viro subiectam esse, obsequentem, fidelem: & virum vicissim cùm iubetur diligere vxorem suam atque fouere: sibi non iuberi, nisi vt suam amet, foueat, nutriat carnem. Pugnant certè hæc omnia, & quæ sequuntur, cum diuortiis: & sententiam Christi de vxoribus non temerè dimittendis, mirabiliter confirmant. Proinde iure optimo dixit Pharisæis: *A principio non fuit sic.* Quæ modò sequuntur, ad discipulos, qui de eadem re domi magistrum interrogarunt, dicta fuisse, scribit Marcus: sed siue Pharisæis primùm, deinde etiam iterum discipulis, siue discipulis tantùm hæc dixerit Dominus, nihil refert: modò sententiam Christi probè retineamus. Verba sic habent: *Dico autem vobis quod quicunque repudiarit vxorem suam nisi ob stuprum, & aliam duxerit, is committit adulterium: & qui repudiatam duxerit, is adulterium committit.*

Tria facit in iis verbis Dominus. Principiò confirmat superiorem doctrinam, Non licere (nempe coram Deo & quauis de causa: licet illud Moses longè ante Iudæis propter duritiam cordis eorum permiserit) aut viro, vxorem missam facere: aut vxori, à viro discedere. Et si enim de mascula tantùm parte loqui videatur Dominus: Paulus tamen, optimus Christi interpres, 1. *Cor.* 7. ad vtrumque coniugem hoc Christi dictum refert, & parem facit vtriusque conditionem, cùm ait: *Coniugatis præcipio, non ego, sed Dominus, vxor à viro ne separetur*: (nempe quauis de causa, vt etiam Christus intelligit:) *Et maritus vxorem ne dimittat*, nimirum quauis de causa. Nam simpliciter verba hæc non esse citra vllam exceptionem intelligenda, manifestum est: quia Christus adiecit exceptionem adulterij, quam certè Apostolus minimè putandus est contra suum præceptorem exclusisse. Quare liquidò constat subintelligendum esse *quauis de causa*: vti erant illæ causæ, propter quas solebant Iudæi suas repudiare vxores. Deinde docet Christus consequenter, neque huiusmodi repudiatis vxoribus licere aliis nubere viris: neque etiam fas esse huiuscemodi repudiantibus viris, alias ducere vxores: quòd prioris coniugij vinculum adhuc integrum maneat: quod si fecerint, omnes adulterium committere. Hoc etiam Apostolus confirmat, cùm ait: *Quòd si separata fuerit, maneat innupta aut viro reconcilietur.* Postremò excipit vnam adulterij causam: ac proinde docet, licere & propter adulterium, diuortium facere: & facto diuortio, nouum fieri posse connubium. Si enim,

qui

qui repudiauerit vxorē citra causam adulterij, & aliam duxerit, is adulterium committit: ergo qui repudio propter adulterium facto, aliam duxerit in matrimonium, minimè adulterium commiserit. Maritum enim, qui legitimè vxorem conuicerit adulterij, Dominus Iesus absoluit à prioris coniugij vinculo. Solutus autem ab vxore, si aliam ducat, non peccat, quemadmodum Apostol. 1. Cor. 7. docet. Hæc est Christi in paribus coniugiis, de diuortiis déque nouis post diuortium connubiis, doctrina: cuius hæc est summa, sequentibus septem propositionibus comprehensa.

1. Etsi Moses, vt Magistratus Politicus, multorum malorum in Republica Israelitica vitandorum causâ, suo permisit populo, ob duritiem cordis eorum, vt multis quamuis leuibus de causis, suas dimitterent vxores, & alias ducerent in matrimonium: Illud tamen per se & iuxta diuinam institutionem, licitum non fuit, quòd ab initio non fuerit sic.

2. Tametsi verò non quasuis ob causas, ob certas tamen, ipsis etiam Christianis, diuortium illud, de quo Iudæi Christum interrogarunt, à Christo permittitur.

3. Diuortium autem, de quo Iudæi quæstionem Christo proposuerant, & quod Christus nobis concedit, huius est generis, vt eo legitimè facto, parti liceat innocenti, nouo coniugij vinculo, alij copulari.

4. At verò causæ propter quas liceat hoc facere diuortium, hæ sunt: Prima, si non sint coniuges à Deo, hoc est, legitimè & iuxta Dei legem simul coniuncti: quod hoc minimè sit verum matrimonium. Tantum enim vetat separari Christus quod Deus coniunxit. Licet igitur iuxta Christi doctrinam separare quod non coniunxit Deus.

5. Altera causa: si inter legitimè coniunctos intercedat adulterium. Qui enim committit adulterium, is rupto coniugij vinculo, perfidus separat quod Deus coniunxerat, dum sese à suo coniuge per adulterium vltrò seiungit. Quare coniux innocens cùm solutus sit, non sua, sed alterius coniugis culpâ, prioris coniugij vinculo, si alteri legitimè copuletur, non peccat.

6. Atque hoc adulterium, paribus in connubiis, vbi scilicet vterque coniux eiusdem sint religionis, vnica est Christo causa, propter quam liceat viro vxorem, & vxori virum repudiare, & nouo connubij vinculo, alij sese adiungere. Verba enim perspicua sunt ad quæstionem de dimittenda vxore: *Quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob scortationem, & aliam duxerit, mœchatur.*

7. Cæterùm his verbis, illam aliam, quam Apostolus ex spiritu Christi affert in priore ad Cor. cap. 7. causam faciendi diuortij, nouique, si opus sit, ineundi coniugij, minimè excludit Christus. Nihil enim verba illa ad eum pertinent, qui vxorem nec eiicit, nec dimittit, nullâque boni meriti officia illi denegat: sed ipse potius ad illa, idque odio religionis iniquè deseritur. Quare & si Christus vnam tantùm causam assignet, propter quam liceat paribus in connubiis viro vxorem, & vxori virum ita deserere, alteri vt copuletur, nempe adulterium: non eum tamen in impari connubio damnat adulterij, qui à perfida coniuge propter odium religionis omnino deserens, aliam legitimè ducit in matrimonium.

Venio nunc ad Apostolum Paulum, qui inter reliquos Apostolos solus, quatenus in ipsorum scriptis videre est, hoc argumentum de diuortiis plenè satis & perspicuè tractauit. Is igitur 1. ad Cor. 7. de hoc argumento in hæc disserit verba: *Iis autem qui matrimonio iuncti sunt, denuntio, non ego, sed Dominus, vxor à viro non discedat. Quod si discesserit, maneat innupta, aut viro reconcilietur: & vir vxorem ne dimittat. Reliquis autem ego dico, non Dominus, Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit ad habitandum cum eo, ne dimittat eam: & vxor quæ habet virum infidelem, qui consentit ad habitandum cum ea, ne dimittat eum. Sanctificatus est enim maritus infidelis per vxorem: & sanctificata est vxor infidelis per virum. Alioqui liberi vestri impuri essent: nunc autem sancti sunt. Quòd si incredulus discedit, discedat: non est seruituti subiectus frater aut soror in huiusmodi rebus: sed ad pacem vocauit nos Deus.*

Quemadmodum duo sunt coniugij genera inter Christianos, vnum quod par vocant, nempe vbi vtraque pars fidelis est: alterum, quod appellant impar, vbi nimirum pars vna fidelis est, altera verò infidelis: ita ego totum hunc Pauli contextum, quò luculentius omnia explicentur, & facilius intelligantur, in duas seco partes. In prima, quæ continetur versibus decimo, & vndecimo, de priore agit matrimonij genere: idque iuxta Christi præceptum. In altera verò parte de impari disserit connubio. Quod ad priorem attinet partem, principio cùm ait: *Coniugatis præcipio non ego, sed Dominus*: paulò verò post, dicat, *Reliquis autem dico ego, non Dominus*: apertè tradit hanc quam paulò ante commemoraui, connubij paris & imparis distinctionem. Cùm enim dicat: *Coniugatis præcipit Dominus*: postea verò subdat, *Reliquis autem dico ego*: & hos *reliquos* distinguat ab illis *Coniugatis*: prima quidem fronte videri cuipiam posset, Dominum præcepta tradidisse de coniugatis: Apostolum verò de non coniugatis. Verùm cùm isti etiam *Reliqui*, de quibus mox loquetur Paulus, reuera fuerint tam matrimonio iuncti, atque illi coniugati, vt ex verbis Apostoli liquet: quis non videat, Apostolum discrimen facere, illos inter & hos coniugatos? Quod autem hoc sit discrimen, etiam ex verbis Apostoli liquet: nimirum quòd secundi diuersæ essent inter se religionis: primi verò non ita. Atque hæc de duobus coniugatorum generibus Apostolica distinctio diligenter retinenda est.

Deinde, cùm de primo coniugatorum genere verba faciens Apostolus, dicat, non se, sed Dominum sic præcipisse: cùm verò de altero loquens dicat, non Dominum sic iussisse: sed se hæc, quæ scribit, Corinthiis tradere: perspicuè docet quæstionem Apostolo propositam de fideli & infideli coniugibus, minimè fuisse propositam Christo, neque vllum de ea à Christo verbum fuisse factum: ac proinde causam aliam, propter quam liceat fideli facere diuortium cum infideli, & aliam ducere, allatam ab Apostolo, nequaquã à Christo illâ particulâ, *Tantùm ob fornicationem*, exclusam fuisse. Postremò, notandum est, sicut cùm ait, *Non ego, sed Dominus*, impius ille fuerit, qui sic inferat; Ergo quæ Dominus tradit, Apostolo non probantur: ita non solùm ineptum, sed etiam iniquum illum futurum, qui ex eo, quod Apostolus ait, *Dico ego, non Dominus*, inferat: quæ igitur Apostolus tradit, Domino non probari. Hoc enim nil aliud fuerit, quàm negare Apostolum ex spiritu Christi loquutum fuisse: eundem verò affirmare, contraria doctrinæ sui præceptoris docuisse: ac proinde quæ tradit Apostolus, verbum Dei nec esse nec appellari posse: quo quid magis sacrilegum dici potest? Fatetur Christus, Act. 9. 15. se hunc Apostolum elegisse, vt ferat nomen suum ad gentes, & vas esse dilectionis: quomodo igitur

contraria doctrinæ Christi docere potuit tantus Apostolus? Fatetur & ipse Paulus, Christum in se loqui, se habere spiritum Christi: & quæ Corinthiis tradiderat de ordine prophetandi, de mulieribus velandis cùm orant, aut prophetant, & alia id genus permulta: ea licet Christus suo ore nunquam docuisset, Domini tamen esse præcepta: cur igitur non etiam quæ tradit de fideli & infideli coniugibus, præcepta Domini esse sentiamus? Subscribunt nostræ huic sententiæ & patres, & doctissimi quique nostri sæculi homines. Sed hæc suo fusiùs loco. Hoc tantùm in præsentia contendo: cùm Apostolus discrimen aliquod facit inter ea quæ Dominus, & inter ea quæ ipse tradit, dicens, *Non ego, sed Dominus:* & contrà, *Non Dominus, sed ego:* non hoc fieri ab Apostolo discrimen, quòd quæ tradit Christus, verbum sint Dei, quæ verò Paulus, minimè: & quòd illa quidem mandata sint Domini, hæc autem nequaquam, cùm extra controuersiam sit apud omnes pios, Paulum, quæ scripta nobis reliquit, ex spiritu Dei docuisse: sed hoc esse discrimen aio atque contendo, quod quæ dicit non se, sed Dominum iubere, ea immediatè (vt ita loquar) ex ore Christi vel ipse acceperit, vel reliqui Apostoli audierint: quæ verò scribit, non Dominum, sed se dicere, ea non ex ipso quidem ore Domini, sed tamen ex eius in se inhabitantis & loquentis spiritu certissimè hauserit. Cùm hæc ita se habeant, nunc paucis quæ hîc commemorat Apostolus, Dominum percepisse, explico.

Apostolus principio huius capitis docuerat, debere coniuges mutuam sibi reddere εὔνοιαν, quam interpretes vertunt beneuolentiam. Eam esse reddendam probauit ratione ducta à lege coniugij, qua lege fit, vt, cùm duo iuxta Dei institutionem in carne sint vna, alter alteri ita agglutinatus sit, vt neuter in suum corpus, sed in alterius alter ius habeat: seu (vt vulgata habet editio) neque vir potestatem habeat sui corporis, sed vxor, neque vxor potestatem habeat sui corporis, sed vir: debere igitur ex animo & fideliter alterum alteri debitum sui corporis officium præstare: & hoc vocauit Apostolus εὔνοιαν.

Posteaquam verò nonnulla de innuptis & viduis interposuisset, reuersus ad coniugatos, docuit iuxta Christi doctrinam, quàm diligentissimè seruandum esse coniugij vinculum, neque permittendum, vt quauis de causa à se inuicem separentur coniuges. Duo autem in summa tradit. Vnum, *Vxor à viro non discedat, & vir vxorem non dimittat.* Hîc necessariò (quemadmodum etiam paulò antè demonstraui) subintelligendum est *Quauis de causa,* &c. *Excepto adulterio.* Refert enim Apostolus Christi præceptum, quemadmodum ab Euangelistis antea litteris consignatum fuerat. Matthæi autem 19. legitur, quæstionem fuisse Christo propositam, An quauis de causa liceret viro dimittere vxorem? Christum verò ad eam respondisse, non licere, nempe, *Quauis de causa*; & vnum excepisse adulterium. Ergo hoc idem præceptum ab Apostolo hîc relatum, eodem planè modo, quo etiam apud Euangelistas, cum exceptione adulterij intelligendum est. Sic etiam Ambrosius illi mandato, *Vir ne dimittat vxorem,* subiicit, *Excepta fornicationis causâ.* Alterum quod hîc docet Apostolus, hoc ipsum est, *Quòd si discesserit* (vxor,) *maneat innupta, aut viro reconcilietur.* Hæc etiam verba, illud quod ante dictum est, confirmant; nempe, subintelligendum hîc esse adulterij exceptionem. Principiò enim ait, *Maneat innupta:* nempe si nolit viro reconciliari. Docet certè Apostolus his verbis, se de eo loqui discessu, qui fiat manente integro coniugij nexu: ita vt neque mulier alij nubere viro, neque vir aliam ducere vxorem possit. Christus autem, si iste discessus seu diuortium propter adulterium fiat, docet, ita solutum esse coniugium, vt si pars innocens cuipiam alij legitimè copuletur, non peccet. Non loquitur ergo Apostolus de eo qui propter adulterium fiat discessu. Deinde ait, *Aut viro reconcilietur.* Christus autem, si discessus fiat propter adulterium, non præcipit, vt simul reconcilientur, & reconciliati simul iterum viuant, sed liberum permittit. Ergo non hîc verba facit Apostolus nisi de eo discessu, qui propter huiusce modi indignationem, iracundiam, offensámque fiat; quæ inter veros etiam & coniuges, saluo integróque manente coniugij vinculo, accidere solent. Quam verò illi præcepto de vxore: *Vxor à viro non discedat,* adiecit Apostolus exceptionem, nempe, *Quòd si discesserit, aut maneat innupta, aut viro reconcilietur:* hæc eadem exceptio omnino addenda est illi quoque mandato de viri officio, *Et vir ne dimittat* (excepto adulterio) *vxorem:* nimirum, Quòd si dimiserit, aut maneat cælebs, aut vxori reconcilietur. Si enim eâdem Christi lege tam vir prohibetur dimittere vxorem (excepta fornicationis causa) quâ mulier à viro non discedere: cur non eodem etiam præcepto tam vir, si vxorem dimiserit (excepta adulterij causa) manere cælebs aut vxori reconciliari, quàm vxor, si discesserit manere innupta aut suo reconciliari viro? Christus enim apertè ait, *Quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Cælebs igitur viuat vir, si nolit vxori reconciliari, & eam ad se recipere, cúmque ea Christianè viuere, necesse est. Errat igitur pater ille, qui scribit, ideo Apostolum non subiicere de viro id quod de muliere dixit, *Quod si discesserit, maneat innupta, aut viro reconcilietur:* quòd non eâdem lege vir constringatur sicut mulier: quia vir caput sit mulieris. Falluntur & illi, qui hoc Pauli loco abutuntur, vt probent, nullo modo nullâve de causa licere facere diuortium, quia simpliciter ait, sine exceptione, *Vir ne dimittat vxorem, & mulier ne discedat à viro.* Demonstratum est enim necessariò subintelligendam esse adulterij exceptionem. Hallucinantur & illi, qui hunc ipsum Pauli locum perperam vsurpant, quo probent, etiamsi legitimum fiat diuortium, non licere tamen parti innocenti nouum cum alio contrahere matrimonium: quòd simpliciter Paulus dicat, *Si discesserit maneat innupta:* nempe, si viro nolit reconciliari. Ostẽsum est enim, minimè hîc Apostolum loqui de ea aut dimissione, aut discessione, quæ propter adulterium fiat, sed de ea quæ inter fideles citra adulterij causam fieri quandoque soleat: quòd hæc non dirimat, illa verò dissoluat connubium: ac proinde quòd ibi neutra pars possit nouum contrahere matrimonium; hîc verò pars innocens priori soluta vinculo, si denuo nubat aut vxorem ducat, non peccet: idque de sententia Apostoli, cùm ait infrà, *Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem. Quod si acceperis, non peccasti.* Qui autem dimittit vxorem ob adulterium, solutus est ab vxore, iuxta Christi doctrinam. Stant igitur hæc duo firma, etiam de sententia Apostoli, doctrinæ Christi consentanea: nempe, Licere & diuortium facere propter adulterium, & post illud factum, parti innocenti aliud inire connubium.

Reli-

Reliquis autem dico ego, non Dominus, Si quis frater, &c. Hæc pars est altera huiusce contextus Apostolici, in qua Apostolus de impari agit connubio, & ad tres sibi à Corinthiis propositas quæstiones breuiter simul ac dilucidè respondet: quarum prima quidem hæc fuit, An fidelis, bonâ possit conscientiâ, cum infideli viuere coniuge: altera verò, Quid Christiano homini faciendum sit, si pars infidelis ita Christianam oderit religionem, vt secum habitare, vitámque traducere nolit: an fidelis bona queat conscientia sinere infidelem abire, an verò illam debeat, secum vt maneat, cogere. Tertia, Quod si infidelis discedat, an fidelis priori connubio alligatus, an verò solutus eo sit. Ad hasce tres quæstiones responsurus Apostolus, in hæc præfatur verba, *Reliquis autem dico, non Dominus.* Quibus Reliquis? nunquid Inconiugatis? Fortè aliquis ita iudicauerit, quia antè dixerat Apostolus, *Coniugatis dicit Dominus, non ego:* nunc verò, *Reliquis autem dico ego, non Dominus.* At mox subdit, *Si quis frater vxorem habet infidelem* &c. De coniugatis igitur ipse etiam Apostolus loquitur. Cur igitur ait, *Reliquis autem dico ego, non Dominus*? Duabus de causis. Principiò, vt ostendat duo esse coniugatorum genera: vnum, vbi vterque coniunx fidelis est. (quos propriè coniugatos appellat: quippe qui verè non tantùm in vna carne coaluerunt, sed etiam in vnam fidem, vnúmque Spiritum coniuncti sunt:) alterum verò, vbi pars vna fidelis est, pars verò altera infidelis: ac proinde qui, etsi in carnem vnam sunt coniugati, disiuncti tamen sunt Spiritu & religione. Deinde ita loquutus est Apostolus, vt ostendat, ea quæ de coniugio, déque altera soluendi matrimonij causa ad petitiones Corinthiorum scribit, licet nonnihil ab iis quæ antea Dominus Iesus ad petitionem Pharisæorum responderat, diuersa esse videantur: eorum tamen nihil cum doctrina Iesu Christi pugnare: quum ille de vno, ipse verò de altero coniugatorum genere, loquutus sit: & ille quidem ad vnam, ipse autem ad diuersas de coniugatis responderit quæstiones. Neque enim quas Apostolo proposuerunt Corinthij coniuges, quorum alij fideles, alij infideles erant: eædem vnquam propositæ fuerunt, aut etiam fuit cùm proponerentur Christo à Iudæis, inter quos connubia omnino erant paria. Meritò igitur Apostolus ad diuersas responsurus quæstiones, in hunc præfatus est modum, *Reliquis autem dico ego, non Dominus:* minimè his verbis negans, quæ ipse tradit præcepta, eadem ipsa præcepta esse Domini: sed contrà demonstrans, quæ ipse scribit, licet ex ipso ore Domini nunquam fuerint prolata, ea tamen ex Spiritu Christi esse profecta. Passim enim profitetur Apostolus, se habere Spiritum Christi, & non se, sed Christum in se loqui.

Subscribunt huic explicationi omnes boni interpretes. Scholia Græca. Ἐπειδὴ ῥητῶς νόμον ὑπὸ τοῦ κυρίου τεθέντος λέγειν μέλλει, διὰ τοῦτό φησιν, Οὐκ ἐγὼ, ἀλλ' ὁ κύριος. Postea subdit, Ἵνα γὰρ μὴ τὰ αὐτοῦ ἀνθρώπινα εἶναι νομίσῃς, ἐπήγαγε καὶ τοῦτο, Δοκῶ δὲ κἀγὼ πνεῦμα θεοῦ ἔχειν. Chrysostomus eadem planè in hunc scribit locum. Hieronymus in hæc verba, *Præcipio non ego, sed Dominus: Non quia* (inquit) *in se non habeat Christum loquentem, hæc dicit: sed vt ostendat, quia ipse Dominus per semetipsum de hoc in Euangelio dixit.* Hæc ille. Ambrosius in illud, *Nam cæteris ego dico, non Dominus: Hoc enim dixit, vt ostendat, quid proprio ore Dominus iussit, & quid huius autoritati concessit: quia per istum Dominus loquitur. Ait enim, An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur, Christus:* Hæc Ambrosius.

Ex nostris doctoribus doctissimus Bullingerus in hunc locum ita scribit, *Quod Paulus hîc dicit, Reliquis autem ego dico, non Dominus: nemo sic intelligat quasi ex suo (quod aiunt) capite Paulus hoc instituerit, citra diuinæ legis regulam, qui alibi dixit, Non ausim loqui quidquam eorum, quæ non effecit Christus per me,* &c. item in fine huius capitis, *Confido quod & ego Spiritum Dei habeam: sed quòd præcepta Dei sunt in duplici differentia. Sunt enim præcepta certis verbis & ab ipso Deo expressa, quale est illud quod iam audiuimus, Vxor à viro non discedat: Sunt & alia, quæ disertis Dei verbis non expressa quidem sunt, sed ex iis per certam fidei & caritatis regulam colliguntur: quale hoc est, quod de impari tulit connubio.* Hæc ibi. Et paulò post, *Suum esse dixit quod reuera Spiritus Dei erat: verùm non claris expressum verbis.* Hæc etiam ille.

Musculus sanctæ memoriæ, vir singulari pietate atque eruditione, in hunc locum ita scriptum reliquit. Principiò in illa verba, *Coniugatis præcipio non ego, sed Dominus: Obseruandum est igitur* (inquit) *hoc loco, duo esse præceptorum Christi genera. Vnum, quod per se ipsum dedit aut aliàs in Scripturis expressum est. Tale est præsens hoc de coniugio non dirimendo, & quæ alia sunt huiusmodi: Alterum eorum est quæ non per seipsum, neque alicubi in Scripturis, sed Spiritu Sancto per Apostolos agente & loquente dedit. Talia sunt pleraque Pauli hoc ipso capite, vt audiemus infrà, & cap. 11. de velandis mulierum precantium capitibus, & quod de Cœna Domini præcipit vt alius alium exspectet, & quæ cap. 14. de modo prophetandi & psallendi in Ecclesia tradit: & quod mulieribus in Ecclesia silentium præcipit. quæ tamen licet nusquam sint ab ipso Domino præcepta, nec alicubi in Scripturis scilicet expressa, asserit esse Domini mandata, quum dicit esse aut spiritualis, agnoscat quæ scribo vobis, quod Domini sint mandata. Prioris generis præcepta vocantur ἔγγραφα: posterioris verò, ἄγραφα: quæ certè & suam autoritatem meritò habent in Ecclesia Christi.* Hæc ille. Deinde in illa verba, *Reliquis autem,* &c. hæc etiam addit, *An Apostoli est aliud loqui quàm verbum Domini? Qui loquitur,* (inquit Petrus) *loquatur tanquã sermones Dei.* & ipse Paulus, *An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus? Quid est igitur quod hîc dicit, Ego dico, non Dominus? Suprà monui, duplex esse præceptionum Domini genus. Vnum, quod per ipsum Dominum: alterum, quod per ministros Domini Apostolos ex instinctu Spiritus Domini traditum est. Ad posterius pertinet hic locus. Non intelligit, hoc se non ex Domini sententia dicere: sed distinguit hoc genus præcepti à superiore quod peculiariter erat ab ipso Domino positum. Non est autem hinc colligendum, quòd hoc præcepti genus liberè possit & impunè contemni ac transiliri, eò quòd non sit ab ipso Domino, sed illius Apostolo datum. Licet enim meritò plus moueat quod ab ipsius Domini ore progressum est: vt tamen non est præter Domini sententiam quod ab Apostolis traditur: ita non debet contemni à fidelibus, & pro cuiusque arbitrio vel seruari vel negligi.* Hactenus ille.

Martyr noster, vir felicissimæ memoriæ sanctissimus atque doctissimus, Italiæque nostræ lumen atque ornamentum, in hunc eundem locum nihil planè aut à veteribus aut à recentioribus interpretibus dissidens, ita scribit, *Hoc ideò dicit, quia supra de non soluendo temerè matrimonio sententiam Christi retulerat: Nunc verò eam subiungit, de qua Christus in Euangelio non inuenitur loquutus. Non tamen propterea, quæ dicentur, minus habent ponderis quam si à Christo relata essent. Nam licet per os Pauli dicantur, à Christo tamen profecta esse, non est ambigendum. Dicit enim paulò post, Puto enim quòd & ipse Spiritum Dei habeam: & in 11. ad Co-*

rinth. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur, Christi?*

Theodorus etiam Beza, vir & pietate & multiplici eruditione insignis, eadem scribit in suis in Nouum Testamentum eruditissimis annotationibus: *Suum (inquit) id esse dicit Apostolus, de quo nihil disertè expreßisset Dominus, in Lege aut Prophetis: non quod ipse ex sese temerè aut suo arbitrio esset commentus: Idenim se fecisse negat versu 25. & 40. Sed interim fundamentum eius doctrinæ, quam tradit, autoritate verbi Dei nititur, cuius erat interpres Apostolus: cùm Dominus arctißimum esse coniugij vinculum multis locis docuerit, & cùm charitatis regula prorsus consentiat hæc Apostoli doctrina.* Hæc ille.

Ac quis vnquam, aut ex veteribus, aut ex recentioribus in Paulum scripsit, qui hunc locum non ita sit interpretatus, quemadmodum & isti quos commemoraui, doctissimi viri? nimirum, quæ Apostolus hîc tradit, licet dicat non Dominum, sed se hæc tradere: ea tamen non ex humano, sed diuino ex spiritu profecta fuisse. Hæc fusius quàm voluissem, aut etiam quàm opus erat, nisi quosdam non puduisset, scripta quædam sua, quasi ex Olympo à Ioue optimo maximo demissa, huc & illuc mittitare: in quibus est, quæ hîc scribit Apostolus, non ex diuina reuelatione, neque ex spiritu Dei scripta fuisse: ac proinde neque ea esse verbum Dei, neque hac Pauli sententia niti quempiam posse, vt sibi persuadeat, se bene facere si iuxta hanc Apostoli doctrinam se gerat.

Venio nunc ad Apostolicam prioris quæstionis explicationem. Quæstio fuit, An fidelis bona possit conscientia cum infideli coniuge vitam, vt lex matrimonij postulat traducere suam, nec ne? Quod Corinthios ad hanc Apostolo proponendam quæstionem impulit, hoc fuit, quòd eos latebat, qui cum scorto rem habeat, illum fieri membrum scorti; & qui cum immundo communicat, fieri immundum: hæc autem lege Dei prohiberi: Idololatras verò immundos esse, & spiritualia scorta. Metuebant igitur, ne si cum idololatra communicarent, in tanta præsertim, quanta est in connubio coniunctione: ipsi quoque contaminarentur & coram Deo pro idololatris haberentur. Apostolus igitur ita respondet, *Si quis frater*, &c. Nomine *fratris* intelligi fidelem Christianúmque virum, clarius est, quàm probatione opus habeat. At verò quis veniat nomine ἄπιστον seu infidelis, intelligendus, non ita inter omnes conuenit. Sunt enim qui sentiant, cùm Apostolus nominat ἄπιστον, eum tantùm esse intelligendum, qui à fide & religione Christiana prorsus alienus est, vti tunc temporis erant gentiles & Iudæi, qui Christianam auersabantur religionē, & quales in præsentia sunt Turcæ & alij Christiani nominis hostes: minimè verò nomine ἀπίστου intelligi posse Papistas, quòd isti, licet multis in rebus à nobis dissentiant, eandem tamen in Christum fidem, idémque fidei symbolum, nobiscum profiteantur, & quidem in multis cum veris Christianisque Ecclesiis conueniant. Sed hos turpissimè hallucinari, ex his, quos subiiciam locis, perspicuū fiet. Principiò, ἄπιστος καὶ ἀπιστία in Scripturis nonnunquam accipitur pro ὀλιγόπιστος & ὀλιγοπιστία. Sic Matth. 17. Apostolos vocat Christus ἀπίστους: nō quòd simpliciter sine fide essent, sed quòd non tantam haberent fidem, qua possent lunaticum sanare: ac quòd non potuerint dæmonium illud eiicere, in causa ait fuisse ipsorum ἀπιστίαν. Sic Marci 6. dicebat ille, Πιστεύω κύριε· βοήθει μου τῇ ἀπιστίᾳ. Aliquādo dicitur ἄπιστος, qui in aliquo hæret fidei articulo, licet de aliis minimè dubitet. In hunc sensum Christus vocauit Thomam ἄπιστον, Ioannis 20. quòd hæreret in articulo de Christi resurrectione, & dubitaret an qui apparuerat in medio discipulorum, ille ipse esset Iesus qui paulò antè fuerat crucifixus, an verò phantasma aliquod. In eandem significationem duos illos discipulos qui ibant in vicum cui nomen Emmaus, & qui iam ferè desperauerant de Christi resurrectione, appellauit βραδεῖς καρδίᾳ τοῦ πιστεύειν. Fateor tamen, de his ἀπίστοις minimè loqui Scripturā, cùm prohibet iugum trahere, & connubia inire μετὰ τῶν ἀπίστων: sed de illis qui ita sunt ἄπιστοι, vt etiam sint idololatræ. De iis enim propriè loquitur Apostolus 2. Cor. 6. cùm ait, Μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες ἀπίστοις.

Verùm superiora etiam huiusce dictionis ἄπιστος significata libuit explicare, vt hinc pij omnes intelligant, an iniuriam faciamus Papistis néc ne, cùm eos vocamus ἀπίστους: quando Scriptura ipsam etiam ὀλιγοπιστίαν appellat ἀπιστίαν, & Apostolos ἀπίστους vocauit Christus, cùm fides illorum hæsitabat. Quidni igitur vocemus infideles ipsos Papistas, qui multa etiam fundamenta Christianæ religionis conuellunt: qui canonicos sanctarum Scripturarum libros ad cognitionem eorum, quæ ad salutem nostram pertinent, minimè sufficere prædicant, contra Apostolum in 2 ad Tim. 3. qui Scripturarum interpretationem & iudicium ab ipso Romano pontifice illísque quos ipse probauerit, expectanda esse docent, contra Apostolum 1 Cor. 12. qui ad remissionem debitorum nostrorum, sanguinem & merita Christi sufficere negant, sed sanguinem quoque martyrum, & sanctorum merita, vnde indulgentiæ emanarunt, ad eam requiri, aut saltem prodesse prædicant, contra omnes Scripturas, & præsertim contra Apostolum Ioan 1. Epist. 1. qui negant sola in Christum fide eáque viuâ & per dilectionem operante, hominem verè coram Deo iustificari; sed opera quoque nostra ad id necessariò requiri, contra omnes Scripturas, & præsertim contra Apostolum ad Romanos & Galatas, quibus in epistolis ex professo contrarium probat: qui inficiantur vitam æternam dari filiis Dei iure hæreditario & propter sola Iesu Christi merita; sed eam meritis etiam nostris acquiri, impudenter prædicant, contra Apostolum in omnibus suis epistolis, ac præsertim in ea quę est ad Romanos: qui concupiscentiam in homine Christiano peccatum esse negant, cùm illud Apostolus disertis affirmet verbis, Rom. 7. qui sanctos demortuos inuocant & inuocandos esse docent, cùm mera sit idololatria prohibita primo decalogi pręcepto: qui statuas in templis non retinent tantùm, sed etiam colunt, contra secundum decalogi mandatum: qui sacrificium Christi illud vnicum, quod in cruce obtulit, minimè satis esse ad nostrorum expiationem peccatorum, audacter clamitant: sed ad id necessarium etiam esse sacrificium (vt vocant) missæ, cùm disertissimè contrarium doceat Apostolus ad Hebręos: qui fingunt etiam non renatum aliquid ex suis viribus facere posse boni quo, si non de indigno (vt loquuntur) saltem de congruo mereatur, vt Deus gratiam sibi regenerationis largiatur, contra doctrinam Christi & Apostolorum: qui non credunt, connubium rem esse honestissimam atque honorabilem inter omnes homines, sed in certis hominum generibus

ribus rem eſſe immundam, & peccatum, aſſerunt, contra apertam Pauli doctrinam Hebr.13. & 1. Cor. 7. qui non credunt omnia hominum genera ſublimioribus debere poteſtatibus ſubdita eſſe; ſed quoſdam ab iſta eximunt ſubiectione, contra apertum Dei mandatum, Rom. 13. qui inficiantur, in Cœna quibus ſacramentum corporis, iiſdem etiam omnibus ſacramentum ſanguinis eſſe communicandum, cùm illud tamen apertè iuſſerit Chriſtus, & Apoſtolus confirmet, 1. Cor. 11. qui non admittunt Chriſtũ plenè pro peccatis noſtris Deo ſatisfeciſſe; ſed ad perfectam noſtrorum peccatorum remiſſionem, noſtras quoque exigi ſatisfactiones ſomniant, contra vniuerſas ſcripturas: qui non credunt Chriſtum ita in cælum aſcendiſſe ſurſum, vt inde non ſit rediturus niſi in fine ſæculi, & omnino oportere ibi vſque ad tempus reſtitutionis omnium contineri; ſed fabulantur eſſe in terris ſuo naturali corpore, non vno tantùm, ſed infinitis in locis, contra apertum Dei verbum, præſertim Act. 3. qui nolunt credere, eorum omnium qui in Domino moriuntur, animas, cùm hinc decedunt, mox in cælum ferri, & omnibus ſolutas moleſtiis quieſcere, & cum Chriſto feliciter beatéque viuere; ſed in neſcio quo purgatorio eas cruciari ſomniant, contra apertum Dei verbum, Apocal. 14. qui negant per fidem verbo promiſſionibúſque Dei innixam, fieri quempiam poſſe de æterno Dei gratuito conſtanti atque perpetuo erga ſe ad æternam vitam amore ita perſuaſum, vt de ſui etiam per Chriſtum redemptione atque ſalute certus ſit; ſed certitudinem hanc non tantùm derident ac damnant, ſed omnino docent, ſemper eſſe de noſtra ſalute dubitandum, contra ſcopum omnium Scripturarum, qui hic eſt, vt certi facti de ſalute propter ſolam Dei miſericordiam & Ieſu Chriſti obedientiam atque merita, ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſeruiamus illi in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris, vt loquitur Zacharias Lucæ 1. idque non, vt per noſtram obedientiam bonáque opera, quæ ſemper & imperfecta ſunt & maculata, ſalutem nobis paremus, cùm ea ſit parta per Chriſtum; ſed vt per ea Deus ſeruatórque noſter in nobis, apud ipſos etiam impios glorificetur, & ita proximus ad Euangelium Chriſti amplectendum incitetur atque ædificetur, vt & Chriſtus docet & Apoſtoli confirmant in ſuis epiſtolis: qui non credunt, in Eccleſia vtendum eſſe lingua toti populo nota, vt inde ædificetur; eóque non vtuntur, cùm tamen apertè hoc doceat & iubeat Apoſtolus ex ſpiritu Chriſti, 1. Cor. 14. qui damnant ſiquis baptizat ſimplici aqua, neglectis illis, quas ipſi excogitarunt ceremoniis, ſuperſtitionibus, blaſphemiis: cùm tamen Chriſtus ſecus quàm ipſi agant, baptizandum eſſe docuerit & Apoſtoli baptizarint: qui non itidem aſſentiuntur, cœnam Domini, iuxta eam formam & ſimplicitatem qua Chriſtus eam fecit cum ſuis diſcipulis (vti deſcribitur ab Euangeliſtis & Apoſtolo Paulo) eſſe peragendam, cùm tamen hoc apertè iuſſerit Chriſtus: qui neque fateri volunt, vnicuique quouis tempore licere, quibuſuis veſci cibis, ſed iubent Chriſtianos à certis cibis certis diebus abſtinere, contra apertum Dei verbum Geneſ. 1. 9. Matth. 15. 1. ad Tim. 4. vbi & eos qui hoc docent, à fide ait defeciſſe, & ſpiritus vocat ſeductores, doctrinámque hanc doctrinam appellat dæmoniorum: qui haud concedunt, ſolos homines, qui credunt Euangelio, eorúmque liberos, eſſe baptizandos; ſed baptizandas etiam campanas eſſe docent, contra apertum Chriſti mandatum Matth. 28. qui tantam gratiam conferri ei qui monaſticum induit veſtimentum, quanta confertur illi qui in nomen Chriſti baptizatur, editis etiam libris impudentiſſimè affirmant Gloſſa ordinaria in 12. cap. Geneſ. Quidni igitur huiuſcemodi homines appellem & meritò appellandos eſſe dicam ἀπίστους? quid cauſæ eſt cur quis neget Papiſtas nomine infidelium intelligi debere? Certè idololatras omnes Scriptura vocat infideles. Quis verò neget, Papiſtas idololatras eſſe? Prophetæ Iſraëlitas appellant perfidos, apoſtatas, Chananæos, Amorrhæos, quod cultum Dei variis polluerint ſuperſtitionibus & idola colerent. At nónne eadem & grauiora admittunt Papiſtæ? Liquet igitur, cùm Apoſtolus ait, iugum non eſſe trahendum cum infidelibus, & cum iis connubia ne contrahant fideles, vetat Scriptura, déque coniuge infideli verba facit: Papiſtico coniugi, ſiue viro ſiue vxori, iure optimo infidelis nomen competere. Atque hæc eſto mihi prior ratio à minori ad maius à nominis ſignificatione deducta. Altera ratio à fine legis, quæ connubia cum infidelibus vetat iniri, ducitur. Quis autem illius finis fuit legis? docet Dominus hunc in modum Deut. 7. *Quum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam poſſeſſurus ingredieris, & deleuerit gentes multas coram te, Hethæum & Gergezæum & Amorrhæum, Chananæum & Pherezæum & Heuæum & Iebuſæum, ſeptem gentes multo maioris numeri, quàm tu es, & robuſtiores te, tradiderítque eas Dominus Deus tuus tibi: percuties eas vſque ad internecionem: non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis earum. Neque ſociabis cum eis coniugia: filiam tuam non dabis filio eius; nec filiam illius accipies filio tuo, quia ſeducet filium tuum ne ſequatur me, & vt magis ſeruiat diis alienis: iraſcetúrque furor Domini, & delebit te citò.* Vnus igitur ex præcipuis finibus, propter quos prohibitum fuit fidelibus infideles ducere coniuges, fuit idololatriæ periculum, ne ſcilicet fidelis tandem ad idololatriam à ſua infideli allectus coniuge pertraheretur: quemadmodum Solomoni atque aliis permultis contigit. Idem verò periculum eſt, ſi vxorem ducas Papiſticam: multò verò magis ſi viro nubas Papiſtico, cùm ſint idololatræ. Liquidò igitur apparet, cùm ſermo ſit de coniugibus infidelibus, nomine *Infidelis* omnem intelligendum eſſe idololatram, atque ita Papiſtas hoc nomine omnino appellandos eſſe. His accedunt ea, quæ Paulus 2. ad Cor. 6. ſcribit, cùm rationes adfert, cur non debeat fidelis iugum trahere cum infidelibus. *Quod enim* (inquit) *conſortium iuſtitiæ cum iniuſtitia?* eſt autem pius iuſtus; Papiſta autem, iniuſtus. quod igitur inter eos conſortium? *Aut quæ communio luci cum tenebris?* pius autem lux eſt in Domino: Papiſta verò, tenebræ, quũ ſit ſine Chriſto. Quæ igitur inter eos communio? *Aut quæ concordia Chriſto cum Belial?* in pio autem viro inhabitat per fidem Chriſtus: in impio autem Papiſta, idololatra cùm ſit, Belial. Quæ igitur inter eos poteſt eſſe concordia? *Aut quæ pars fideli cum infideli?* Infidelem vocat, quem antea Iniuſtitiam, Tenebras, Belial, & mox Idololatram, dicens, *Aut quæ compoſitio templo Dei cum ſimulacris?* quæ ſcilicet colunt iſti de quibus loquitur, infideles. *Nam vos eſtis templum Dei viuentis, quemadmodum dixit Deus, Inhabitabo in illis & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi in populos.* Apertè pronuntiat pios templum eſſe Dei, Deum in illis inhabitare & inambulare, eſſéque illorum Deum, & illos viciſſim populum Dei: idololatræ autem neque ſunt templum Dei, neque populus Dei, neque in illis inhabitat Deus. Quis igitur nõ videat, infideles Paulo eſſe,

quicumque templum Dei non sunt, in quibus non inhabitat Deus, & qui denique populus Dei non sunt, hoc est, omnes impios atque idololatras? Idem confirmant quæ sequuntur, *Quapropter exite de medio illorum* (quorum? infidelium.) *& separamini ab illis*, (à quibus? infidelibus) *dicit Dominus*. Atque idem Dominus iubet vt separentur sui cultores ab idololatris. Idololatræ igitur & infideles idem sunt Domino. Quid illud, *Et immundum non tetigeritis*? Annon idololatræ immundi sunt? De principio tamen, quos hîc Dominus vocat immundos, Apostolus appellauit infideles: & quod hîc Dominus ait, *Immundum ne tetigeritis*, Apostolus dixit, *Nolite iugum trahere cum infidelibus*. Quis igitur apertè videat, nomine Infidelium, Apostolo intelligi omnes immundos idololatras?

Denique Apostolus ita scribit 1. Tim. 5. *Qui suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior*. Apud Papistas verò edicto cautum est, nequis hominem à Papistica Ecclesia deficientem, & in fidei negotio ab illius dogmatis discedentem, alat: ita vt nec parentes filiis, nec filij parentibus ipsis, huiusmodi crimini obnoxiis, alimenta suppeditent. Qua quidem in re non modò Pauli mandatum, sed & naturæ ius, immaniter violant. Quis ergo non videat, eos non habere, cur conquerantur, si vocentur à nobis infideles, cùm sint infidelibus deteriores? Verùm huic tam aperto facinori non deest quod impudenter obtendant. Negant enim fas esse pio viro, vt homines à Christo alienos vlla re iuuet, nec id spectasse Apostolum, vt qui eiusmodi sunt, aliquo beneficij genere subleuentur. Sed de suorum cuique domesticorum cura gerenda Paulus loquitur, non de iis tantùm, qui Christianæ religionis vinculo obstringuntur, verùm de omnibus iis, qui aut sanguinis affinitate, aut aliquo propinquitatis vinculo teneantur. Deinde quantopere cæcutiant, vel illa eiusdem Pauli verba declarant Gal. 6. *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum erga omnes: maximè autem erga domesticos fidei*. Erga omnes (inquit) nostra beneficentia ac liberalitas pateat. At qui omnibus opitulandum præcepit, is multo liberalius tractandos constituit eos, quos sanguinis coniunctio copulauit, ne naturæ leges infringere videamur. Nullum enim est adeò sæuum & immite animal, quod non fœtus suos nutriat, ac non pro illorum salute cum vitæ suæ periculo dimicet. Papistæ verò, qui se Christianos temerario quodam ausu quotidie iactant, tantùm abest, vt quam Christus docuit, in suos caritatem colant, vnde Christiani meritò dici possint, vt nec homines eos verè liceat appellare, vtpote qui etiam humanitatis leges nefariis istiusmodi edictis abrogent. Neque verò hîc mihi succenseant viri inter Papistas probi, honesti, honorati. Non enim in ipsos, sed in ipsorum hæc à me scribuntur religionem, & Antichristi tyrannidem, propter quam vnam religionem fit, vt illi neque fratres appellari à nobis possint, & infideles meritò in Scripturis vocentur: cùm interim tamen non diffitear, nec diffiteri possim, illorum permultos maximis dignos esse laudibus, quòd Dei sint timentes, quod æquitatis studiosi, quod honesti, quod deniq; variis virtutibus ornati: sicut contrà inter nostros quamplurimos esse minimè negamus, qui hac tantùm de causa inter fratres censeantur, quòd eandem Christi puram religionem nobiscum profiteantur: cùm alioqui nihil minus reuera sint quàm fratres, propter innumerabilia quibus scatent, vitia.

FINIS.

VA1 1529760